Digitized by Google

P 357
M

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
7 R
9

Digitized by Google

TERTVLLIANI
OMNILOQVIVM
ALPHABETICVM
RATIONALE.
SIVE TERTVLLIANI OPERA OMNIA.

IN LOCOS COMMVNES, NOVO ORDINE, NON TANTVM alphabetico, ſed & rationali exactiſſimè digeſta, breuibus Scholijs ad ſingula obſcura literaliter expoſita, & per ſelectiſſimas ex medulla S. Scripturæ, Conciliorum, Patrum, & probatiſſimorum cujuſuis diſciplinæ Authorum Sententias illuſtrata: Traditiones Eccleſiæ explicatæ, omnes Hæreticorum controuerſiæ diſſolutæ, ſumma denique Theologiæ Scholaſticæ, Poſitiuæ, & Moralis pro rerum occurſu contexta.

CVM PRÆLIMINARIBVS VINDICIIS PACIFICIS pro Doctrina S. P. Auguſtini, totius Tertulliani in Sententijs orthodoxis illuſtratoris clariſſimi, & in erroneis & hæreticis cenſoris aquiſſimi.

In quibus recentes ac veteres in eum jactatæ calumniæ diluuntur; & euincitur, Concilium Tridentinum, nouas hæreſes; & Innocentium X. in nupera conſtitutione, quinque propoſitiones, ex SS. Doctoris, ac Patris noſtri Principijs condemnaſſe.

Autore F. CAROLO MOREAV, *Ord. Eremit. S. Auguſtini Communit. Bituric. Conuentus Reg. Margaritæ Pariſienſis.*

TOMVS SECVNDVS.

Audi Fili mi præcepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, *Prou. 1. 8.*

PARISIIS,
Apud IACOBVM D'ALLIN, viâ Iacobeâ,
ſub ſigno S. Stephani.

M. DC. LVIII.

Cum Priuilegio Regis, Approbatione Doctorum, & Licentia Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

VINDICIÆ PACIFICÆ,
PRO DOCTRINA S. P. AVGVSTINI,
TERTVLLIANI SENTENTIARVM ORTHODOXARVM
Illuſtratoris Præclariſſimi, eiuſdemque Errorum & Hæreſeon, Cenſoris æquiſſimi.

OTVM aggreſſus Tertullianum lectiſſimis Auguſtini ſententijs, per ſingulas paginas illuſtrare, in quo opere paſſim hinc inde pro rerum occurſu pluribus locis Tertullianus de prædeſtinatione, gratia, & libero arbitrio ſcribens, ſicut & in alijs argumentis, abſque vlla controuerſia, indemnatâ vtráque ſuper his litigantium parte, à nobis eſt exponendus; neceſſum duxi, vti priùs feci, errores & hæreſes Tertulliani ſanâ S. P. Auguſtini doctrinâ in calce primi tomi correcturus: ſic in huius ſecundi tomi limine, orthodoxa Tertulliani dogmata & ſententias omnes exceptâ nullâ, Catholicâ ſanctiſſimi Doctoris vbique diſperſa doctrinâ illuſtraturus; pacificè rurſum eam contra nouos & veteres obtrectatores, ab omni erroris labe purgare, vt ſecurus poſſit Lector quilibet ad huiuſce operis fructum à nobis intentum alacri animo decerpendum accedere.

Et quidem nil ad pacem cum his etiam qui oderunt eam, inuiolabili charitatis iure ſeruandam potentius, quàm ſi fragilitatis humanæ, & ignorantiæ memores, omnem à tenebrarum principe caliginem humanis offundi mentibus, omnem à recto & vero auerſionem, maligni ſpiritus afflatu mortalium cordibus aſpergi credamus, ſoli eius nequitiæ, quicquid alicunde nobis obnititur, deputantes. Enimuerò ſi diuinum monitum captaremus intenti, nulli vnquam aduerſario, niſi diabolo ſuccenſeremus irati. Hic quippe malus, omnis author mali, quaſi vaſis iræ vtitur malis, quorum animos, linguas, calamos exacuit in malum: ſed nil inde bonis nocere poteſt, quibus omnia etiam propria mala, nedum aliena proficiunt, & cooperantur in bonum. Dæmonium vocas, hominem aut immunditiâ, aut malitiâ, aut inſolentiâ, aut quacumque maculâ, quam nos dæmoniis deputamus, aut ad neceſſitatem odij importunum. Sathanam denique in omni auerſatione, & aſpernatione, & deteſtatione pronuntias, quem nos dicimus malitiæ angelum, totius erroris artificem, totius ſæculi interpolatorem, per quem homo ab exordio circumuentus, vt præceptum Dei excederet, propterea in mortem datus, exinde totum genus de ſuo ſemine infectum, ſuæ etiam damnationis traducem fecit. *Quia porrò* Adam tentatoris incurrit inſidias, dum ſui præcepta deſerit conditoris: hinc à quo tentaretur omnis homo, prodit Chriſtus, ſic orare monendo: ſed libera nos à malo: hoc eſt à diabolo, qui totius mali & auctor eſt, & origo. Deus, ſicut ſcriptum eſt, neminem tentat, ſed tentare dicitur, cùm contumaciter euntes ad tentationum laqueos derelinquit. Diabolus naturâ cœleſtis fuit, nunc eſt nequitia ſpiritalis, ætate maior ſæculo, nocendi vſu tritus, lædendi arte peritiſſimus: vnde non iam malus, ſed malum dicitur, à quo eſt omne quod malum eſt. Hinc eſt quòd propriis viribus liberari homo non poteſt, carnalibus vinculis illigatus. Petendum nobis eſt ergo, vt Deus nos à diabolo liberet, qui Chriſtum terris, vt diabolum vinceret, commodauit. Clamet homo, clamet ad Deum, clamet, libera nos à malo; vt à tanto malo, ſolo Chriſto vincente liberemur. *Cùm itaque nos vndique videmus aut noſtros, aduerſariorum vel inſidijs, vel viribus oppugnari:* Priuatas inimicitias nemo cogitet. Scimus quia non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduersùs principes & poteſtates, & ſpiritalia nequitiæ: id eſt aduersùs diabolum & angelos eius. Quia & quando patimur homines importunos, ille inſtigat, ille inflammat, ille tanquam vaſa ſua mouet. *Huius linguam, illius manum, & calamum ad detrahendum, nunc verbo, nunc ſcripto.* Attendamus ergo duos hoſtes; quem videmus, & quem non videmus. Hominem videmus, diabolum non videmus, hominem videamus, diabolum non videamus: hominem diligamus, diabolum caueamus: pro homine oremus, contra diabolum oremus, & dicamus Deo: miſerere mei Domine, quia conculcauit me homo. Noli timere quia conculcauit te homo: vinum habeto, vna factus es, vt cal-

Tertull. de Teſtim. Animæ, cap. 3.

Chryſol. Ser. 70.

Iac. 1. 13.

Aug. in Pſal. 55.

Epheſ. 6. 12.

ceris, &c. Primus botrus in torculari preſſus eſt Chriſtus. Cùm ille botrus paſſione expreſſus
Luc. 23. 34. eſt, manauit illud, vnde calix inebrians præclarus eſt. *Et quid manauit?* Dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. *Ex Auguſtino, torculari calumniarum preſſo longè puriùs eliquatum eſt merum, & defæcatior ex prèſsiori eius lectione, ab obtrectatoribus ipſis elicita doctrina manauit.* Nemo
Aug. in Pſal. 40. attendat inimicum ſui hominem, quando audit verba iſta. Sed illum inimicum cogitate, de
Matth. 13. 28. quo dicit Dominus, inimicus homo hoc fecit: ipſe eſt enim qui ſuggerit, &c. Cùm ergo ſint
Aug. in Pſal. 54. duo, vnum vide, alterum intellige: vnum dilige, alterum caue, &c. Sæuiat homo quantùm poteſt, auferat quicquid poteſt; ſi diligitur apertè ſæuiens, victus eſt occultè ſæuiens.

Nil itaque mihi cum carne & ſanguine, nil cum apertis obtrectatoribus Auguſtini, ſed cum antiquo ſerpente, veteritore callidiſſimo, & zizaniorum in Dominicam ſegetem ſuper-ſatore plurimum: qui nullis hactenus hæreſi, tantùm, dormientibus patris familias ſeruis, quantùm Pelagianæ ſerendæ, fouendæ, repaſtinandæ ſubinde vigil incubuit. Cuius imperium cum ad ima vſque fundamenta ſubuerti Auguſtini doctrinà proſpiceret, hanc præ cæteris quibus potuit dolis ſerpens, ac vulpes; quibus valuit dentibus leo frendens, & draco apertè ſæuiens è medio tollere, vt pote humilitatis magiſtram, ſuæque & humanæ libertati ſuperbæ, propriæ excellentiæ amatoribus infenſam.

Atque vt transfigurat ſe in Angelum lucis, *cautius nihil huc vſque machinatus eſt, quàm molli, floridà ſub herbà latens, & ſuprepens illapſu nouæ hæreſis Lutheri & Caluini hoc ſæculo poſtremo natæ, in ipſis cunabulis extinguendæ prætextu, veterem è puluere tumuli Pelagianorum, & Semipelagianorum excitare conetur; quaſi minus ſit periculi, diuinam opprimere gratiam, quàm humanam non dicam euertere, ſed inflatam & præſumentem de ſe comprimere, & humiliare libertatem. Nec quicquam vafer inuenit in technarum ſcrinijs aſtutius, quo fidelium oculos falleret, & ab Auguſtini fide deuerteret, quàm ſi incautis, atque imprudentibus, & ſuæ libertatis adoratoribus ſuaderet, Auguſtini dogmata, Lutheri & Caluini proxima, ab Eccleſia tandem, nuperà Innocentij X. Conſtitutione, in quinque propoſitionum cenſurà fuiſſe proſcripta. Cùm ex aduerſo, vt ſupra to. 1. in prælectione errorum imputatorum Auguſtino præmiſſa probauimus, & mox expreſſius reuincemus; Innocentius X. Auguſtino perpetuo hæreticorum malleo, ſuis prædeceſſoribus conformatus, vt illi veteres, ſic ipſe nouas recenteſque hæreſes, non niſi ex principijs eius doctrinæ condemnarit. Cæterùm, expreſſis Oratoris Nobiliſſimi, Ludouici XIV. tam ad Eminentiſſimum Cardinalem Mazarinum, quàm ad Illuſtriſſimum D. Comitem de Brienne Literis conſtat, ſibi ab ipſomet Pontifice Maximo Innocentio teſtatum.* ſe in dictarum quinque propoſitionum damnatione, nihil prorſus S. Auguſtini & D. Thomæ doctrinæ & authoritati detrahere voluiſſe,
In Relat. Cleri Gall. ſuper Conſtit. Innoc. X. pag. 16. 17. 18. 19. 27. 83. eamque ſartam, tectam, inuiolabilem, iuxta prædeceſſorum ſuorum ſtatuta in Eccleſia ab omnibus fidelibus, ſeruari velle. *Quid quod & mihi ſuper his magnæ apud S. Pontificem authoritatis virum percontanti, reſponſum eſt.* Sua Sanctitas ſufficienter declarauit ſe nullum præiudicium fieri S. Auguſtini placitis velle. *Cuius apud me autographum ſeruo. Quod & Illuſtriſſimus Cleri Galliæ cœtus nouiſſimè, nec ſemel in ſua Relatione declarauit.*

Tertull. de Pall. cap 1. *Itaque hodierni cornu arietis* nemini vnquam adhuc librati; quoque primò omnium armata, in oſcillum penduli impetus, commentata vim tormenti, *ſæculi nequitia*, muros noſtros frangere militat; reciprocicornis quidem, at lanicutis *obiectu lanæ molliſſimo retundo. Atque vt* ſerpens antiquus de theſauro ſuo malo, *nequitiæ ſuæ noua profert venena, & vetera: nos quoſque cum* ſcriba docto in regno cœlorum, noua pariter ac vetera medicamina proferamus.

Nouum prorſus & inauditum vipera virus euomuit, dum vniuerſam Auguſtini doctrinam de Prædeſtinatione, gratia, & libero arbitrio, ab omnibus in hodiernum Summis Pontificibus habitam Orthodoxam, tot Concilijs approbatam, tanto æuo receptam, nouiſſimà Innocentij X. Conſtitutione damnatam, non imperitæ modo inſipientium turbæ, ſed & pleriſque mediocriter eruditis, vt peſtilentem, exoſamque, ſerpentino afflatu ſuggeſſit: adeò vt id temporis de Auguſtino quid loqui, ſcribere, mutire, ſine aliqua, nouæ, an veteris, hæreſeos ſuſpicionis labe vix liceat.

Apoc. 9. 1. Vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſſi, & aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, ET OBSCVRATVS EST SOL ET AER DE FVMO PVTEI: & de fumo putei exierunt locuſtæ in terram. *Quæ deſultoriè nunc hanc, nunc illam propoſitionem, meritò damnatam inuadant, eamque immeritò ſanæ Auguſtini doctrinæ, & inſultanter affingant.*

Apoc. 6. 12. *Tantus ab inferni puteo fumus erupit, vt hi qui væ Prophetæ nil veriti,* bonum malum, & lucem tenebras ponunt, *Doctorum omnium Solem cæcà opertum caligine infuſcare, & extrema tempora præuertentes, præpoſterè fulginare præſumant.* Ecce terræ motus magnus factus eſt, & Sol factus eſt niger tanquam ſaccus ciliçinus. *Nempe ſi rediret Auguſtinus ex mortuis, cum Elia & Enoch immortalitatis candidatis,* amictis ſaccis prophetaret: *pœnitentiam ſciltcet de tot erroribus atque hæreſibus acturus, quot propoſitiones Innocentius, Auguſtini dogmatibus adfines anathemate percuſſit. Et quidem indubio magnæ in ſæculum nequam iræ Diuinæ oſtento,* Quartus Angelus effudit phialam ſuam in
Apoc. 11. 4. Apoc. 16. 10. Fulg lib. 2. de Verit. Prædeſt. c. 18. Solem, &c. Neque egerunt pœnitentiam homines, vt darent illi gloriam; *quem cana tot ſæculorum Antiquitas conſecrauit. De quo prudenter ab extremis recedente, noſter Fulgentius.*

Non ſolum inquit, ipſe de hoſte victoriam referens triumphauit, quin etiam poſteris cer-

Digitized by Google

tandi & vincendi ordinem, ſi quando prauitas reciduo auſu infandum caput erigere niteretur oſtendit. SENSVM QVIPPE CHRISTI HABENS, TAM GRATIÆ DEI, QVAM HVMANI ARBITRII ET OFFICIA DISCREVIT ET MERITA, SEMPER DIVINIS HVMANA SVBIICIENS, ET VERACITER DOCENS, DIVINITVS HOMINI ET GRATVITO IVSTIFICATIONIS DONVM, ET BONÆ VOLVNTATIS EXORDIVM, ET PLENVM TRIBVI GLORIFICATIONIS EFFECTVM.

Singulas propoſitiones ab Innocentio X. meritiſſimè damnatas, ex aduersà prorſus illis erroneis & hæreticis Auguſtini doctrinà, conuincamus: vt nouà calumniâ dilutà, veteres inde renouatas hoc tempore, ex Proſpero & Fulgentio, pacificè ac modeſtè reperentiamus. Innocentium audiamus: Primam prædictarum propoſitionum: aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant, temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnauimus. *Velim dicat hìc aduerſarius Auguſtini, vbi prædamnata iam fuerit hæc propoſitio? In Concilio, dicet, Tridentino:* Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iuſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſeruandum impoſſibilia, anathema ſit. *Et vnde damnata? Sic præmiſerat docens S. Synodus:* Nemo temerariâ illâ & à Patribus ſub anathemate prohibita voce vti debet: Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia. *Et à quibus Patribus ſit hoc anathema pronuntiatum, ſatis innuit, vice omnium, vnicum proferens Auguſtinum, cùm ipſiſſima eius verba immediatè ſubjecit, à nobis ſæpius repetenda:* Quis, inquit, neſcit hominem ſanum, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iuſtè viuendum poteſtate liberâ conſtitutum? Sed nunc de illo agitur, quem ſemiviuum latrones reliquerunt, qui grauibus ſaucius confoſſuſque vulneribus, non ita poteſt ad iuſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit inde deſcendere. Qui etiam ſi iam in ſtabulo eſt, adhuc curatur. *Subjcit eadem quæ hinc Patres Concilij Tridentini decerpſerunt:* non igitur Deus impoſſibilia iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. *Quod autem addunt:* & adiuuat vt poſſis: *ex ſequentium ſenſu ſumpſerunt.* Iam nunc videamus vnde poſſit, vnde non poſſit. Iſte dicit, voluntate non eſt, *obſeruator legis, quia non vult:* quod naturâ poteſt. Ego dico, voluntate quidem non eſt homo iuſtus, nec naturâ poteſt, ſed medicinâ poterit, quod vitio non poteſt. *Quod rurſum inculcat:* Valde, inquit, bona ſunt præcepta, ſi legitimè his vtamur. Eo quippe ipſo quo firmiſſimè creditur, Deum iuſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe ſunt facilia charitati, cui vni Chriſti ſarcina leuis eſt: aut ea vna eſt ſarcina ipſa quæ leuis eſt. Secundùm hoc dictum eſt, & præcepta eius grauia non ſunt; vt cui grauia ſunt, conſideret non potuiſſe diuinitus dici, grauia non ſunt: niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui grauia non ſunt, & petat quo deſtituitur, vt impleat quod iubetur, &c. Secundùm hoc, & illud dictum eſt: ſi ambularent ſemitas bonas, inueniſſent vtique ſemitas iuſtitiæ leues. Quomodo ergo dicitur, propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras? Niſi quia vtrumque verum eſt; duræ ſunt timori, leues amori. *Et iterum:* Si à me quæratur, vtrùm homo ſine peccato poſſit eſſe in hac vita: confitebor poſſe per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium: ipſum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc eſt, ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantùm vt ſit, verùm etiam vt bonum ſit: id eſt ad facienda mandata Domini conuertatur: atque ita Dei gratia non ſolùm oſtendat quid faciendum ſit, ſed adiuuet etiam vt poſſit fieri quod oſtenderit, &c. *Tum productis multis ſcripturæ locis, quibus & addam ex Pſalte: Latum mandatum tuum nimis. Ad omnia mandata tua dirigebar. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.* His atque huiuſmodi aliis innumerabilibus teſtimoniis, dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, quo fiat quod iubet, impoſſibile aliquid eſſe; ac per hoc, poteſt homo ſi velit eſſe ſine peccato, adiutus à Deo. *Alios locos conſulat Lector in margine notatos.*

Prima propoſitio ab Innocétio X. damnata ex verbis Auguſtini.

Seſſ. 6. Can. 18.

Seſſ. 6. cap. 11.

Aug. lib. de Nat. & gratia, c. 43.

Seſſ. 6 c. 11.

Aug. de Nat. & gratia, c. 69

Vide lib. de gratia, & lib. arb. c. 15. & 16.

Et de Perfect. Iuſt. reſponſ. 11.

Et Tract. 7. & 53 in Io.

Et in Pſal. 45.

Et in Pſal. 56. in p.

Lib. 2. de Peccat. merit. & remiſſ. c. 6. & c. 17.

Secundam & quartam propoſitionem, propter affinitatem combinare, nil incongruum duxi. Et ſecundam quidem his terminis Innocentius dedamnauit: Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur: hæreticam declaramus & vti talem damnamus. *Et de quartæ pariter damnatæ lata ſententia.* Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: falſam & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. *Duas inquam iſtas vt affines, vnà conuincimus, pluribus Auguſtinum longè ante Innocentium, & Concilium Tridentinum, contrarijs omnino damnaſſe ſententijs. Et quidem vtraque agit de reſiſtentia, tam poſſibili, quàm actuali gratiæ interiori. Cum hac tamen differentia, quòd prior dicat, nunquam ei reſiſti; poſterior, quòd ei poſſit ab humana voluntate reſiſti, vel obtemperari. Vtramque pariter hæreticam ſua Sanctitas declarauit. Et meritò. Cùm vel ex verbis Stephani ad Iudæos conſtet eos interiori gratiæ reſtitiſſe, dum eis obduratam ceruicem & cor incircunciſum improperet dicens;* dura ceruice, & incircunciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: *Et ſancta Synodus Tridentina ſanxerit:* Si quis dixerit liberum hominis

2. Propoſit. ab Innoc. damnata ex princip. Aug.

4. Propoſitio damnata ex princip. Aug.

Act. 7. 51.

Seſſ 6. c. 5.

Ibid. Can. 4.

Digitized by Google

arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiuè se habere; anathema sit. *Absit his quid simile scripserit Augustinus, quo meruerit hoc anathemate fulminari. Cùm to. 1. iam fusè & pluries omnino contrarium eum docuisse præscripserim: Nec vspiam indeclinabilem & insuperabilem dixerit gratiam efficacem; & volenti saluum facere nullum hominis resistere arbitrium: & à nullo duro corde respui: vt quancunque interiorem gratiam intelligeret, cui vnquam libertas humana resisteret: sed efficacem tantummodo, cui implicat de facto resisti; quod esset eam contradictoriè simul dicere efficacem, & non efficacem. Cæterùm centies de cordis duritie & actuali proinde resistentia sic expressè tractauit, vt mirum sit aduersarios eius, actum non resistendi de facto, siue consensum actualem & liberum præstitum gratiæ efficaci, à potentia resistendi, siue ad vtrumque indifferentiâ, ad merendum & demerendum viatoribus necessariâ, sæpissimè ab Augustino commendatâ, non discreuisse. Vnum hîc mihi probandum est, Sanctissimum Doctorem nullatenus Innocentij sententiam incurrisse; tum quòd nullibi dixerit, interiori gratiæ etiam efficaci non posse resisti; tum quòd in statu naturæ lapsæ, gratiæ interiori, ex prædominante concupiscentia, & libera voluntate obicem ponente, interiori gratiæ sæpè resisti multoties dixerit. Sic enim de reprobis diuinæ gratiæ contemptoribus eique resistentibus:* Seipsos, inquit, fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. *Voluntati renitenti gratiæ, vel acceptanti, & consentienti salutem imputat hominum, vel damnationem.* Venit Christus, sed primò saluare, postea iudicare; eos iudicando in pœnam, qui saluari noluerunt: & eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt. *Et de Iudæis Dei gratiæ ingratis:* De se, inquit, præsumentes, gratiam repellebant, & in Christum propterea non credebant. *Ideo inexcusabiles omnes peccatores iuxta Paulum censet:* Inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis; siue qui nouit, siue qui ignorat, siue qui iudicat, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, *nullo audito prædicatore, viso miraculo, accepto nullo interiori supernaturali lumine, contra ius naturale peccantes,* pœna peccati. Ergo in vtrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio. *Et rursum:* In maioribus, inquit, ætatibus meritò dicitur, hi noluerunt, intelligere vt benè agerent: hi quod grauius est, intellexerunt, & non obedierunt, quia scriptum est, verbis non emendabitur seruus dolosus; si enim & intellexerit, non obediet. Vnde non obediet nisi pessimâ suâ voluntate cui grauior damnatio diuina æquitate debetur? Cui enim plus datum plus exigitur ab eo. Istos quippe scriptura dicit inexcusabiles, quos non latet veritas, & in eis perseueret iniquitas. *Locum porrò Psaltis sic exponit:* Noluit intelligere vt benè ageret: non vnum inquit, hominem, sed genus hominum iniquorum, qui sibi aduersantur, non intelligendo vt benè viuant, non quia non possunt, sed quia nolunt, &c. Non quia difficile est, sed quia voluntas aduersa est, &c. Videtis quia voluntati illud tribuit, quia sunt homines qui nolunt intelligere, &c. dixit in cubili suo, dixit iniustus vt delinquat in semetipso. Cubile nostrum est cor nostrum. Ibi tumultum patimur malæ conscientiæ; & ibi requiescimus quando bona conscientia est. Qui amat cubile cordis sui, aliquid boni ibi agat: ibi est cubile vbi Dominus Iesus Christus iubet orare. *Ibi compunctus Danid: ibi* audit quid loquatur in se Dominus, qui loquetur pacem in plebem suam, & in eos qui conuertuntur ad cor. Sed quis ibi restitit ei, & pacem habet? *Quis vt Pharao obdurato corde tot resistens gratijs, etiam interioribus, quos signis vrgebatur externis,* malè non habuit in nouissimis?

Sed vnde procedit obduratio? Augustinum accipite: Obduratio, non Dei potentiâ compellente perficitur, sed Dei remissione, vel indulgentiâ generatur: ac sic Pharaonem non diuina potentia, sed diuina patientia credenda est obdurasse. Deniquè quotiens eum Dei plaga percussit, afflictus pœnituit. At vbi ei remissio diuina indulgentiam dedit, iterum se in superbiam elatus erexit, &c. Tantæ illius iniquitates præcesserunt, & Deum totiens sacrilego ausu contempserunt, vt in illo impleretur quod de talibus Spiritus sanctus dixit Psal. 77. in labore hominum non sunt, &c. Ideo tenuit eos superbia, &c. *Et iterum.* Numquid latebat Pharaonem, quantum boni consecutæ fuerint terræ illæ per aduentum Ioseph? Istius ergo rei gestæ cognitio, vocatio eius fuit, vt populum Israël misericorditer tractans, non esset ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas & misericordia debebatur, meruit pœnam vt induraretur illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur, vt tot & tantis, tamque manifestis Dei signis non crederet: quo posset eius supplicio, siue obdurationis, siue vltimæ visibilis submersionis erudiri populus, cuius afflictione ille & occultæ obtusionis & manifestæ submersionis meritum sibi compararet. *Quid autem est cor obtundi vel indurari, nisi resistere gratiæ Dei?* Non fieret, nisi resisteret: non autem resisteret, nisi corde obdurato. *Et de eodem.* Vt tale cor haberet Pharao quod patientiâ Dei non moueretur ad pietatem, sed potiùs ad impietatem vitij proprij fuit. Quòd verò facta sunt ea, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei: hoc est enim quod dicitur induratum, quia

Aug. de Corrept. & grat. c. 12.
Et ibid. c. 14.
Et de Prædest. Sanct. c. 8.
Lib. 3. de lib. arbit. c. 19. & de nat. & grat. c. 67.
Aug. lib. de Spir. & litera, c. 32.
Et tract 36. in Io.
Aug. de gratia & lib. arb. c. 12.
Ep. 105. ad Sixtum.
Ibid.
Prou. 19. 19.
Aug. in Psal. 30. & 12. de Ciuit. c. 6.
Psal. 84. 8.
Iob. 9. 4.
Eccli. 3. 27.
Aug. Ser. 88. de temp.
Lib. 83. qu. q. 78.
Quæst. in Deut. q. 2.
Quæst. in Exod. q. 18.

Digitized by Google

non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat: dispensationis fuit diuinæ, quâ tali cordi non solùm iusta, sed euidenter iusta pœna parabatur, quâ timentes Deum corrigerentur, &c. Videndum sanè est, vtrùm etiam sic accipi possit, ego indurabo: tanquam diceret, quàm durum sit, demonstrabo. c. 4

Atque ex his liquet Augustini doctrinam prorsus à propositionibus damnatis alienam, vbique docentis flexibilem vtrinque hominis libertatem, quæ Deo, vel diabolo possit consentire, vel dissentire, acquiescere, vel resistere si velit, nec solùm liberum esse hominem à coactione, sed etiam à necessitate, siue indifferentem esse ad vtrumlibet, vt in via positus mereri possit, & demereri: vnde Innocentius X. Tertiam sic ferit propositionem. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. *Vbique docuit Augustinus liberum à necessitate hominem viatorem; & voluntatem eius in vtrumlibet indifferentem & flexibilem, & nolle pariter ac velle in ejus esse potestate: Cum hac tamen in statu naturæ lapsæ differentia, quòd ad bonum supernaturale, vt Concilia docent, præparetur voluntas à Domino; & sine gratiæ adiutorio, & non nisi Deo operante velle & perficere bonum velit aut perficiat: in quo tamen volendo & perficiendo, vt inculcauimus, liber est homo non tantum à coactione, sed etiam à necessitate. Ex multis pauca decerpo. Cum orationem Dominicam præmisisset:* vt quid, inquit, ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis & currentis, & non miserentis est Dei? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit nisi diuinitus adiuuetur, &c. Aut quoniam ad Philemonem scripsit Apostolus, vt non quasi ex necessitate bonum eius esset, sed voluntarium: quasi aliter sit voluntarium bonum, nisi cùm Deus operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate. Aut quia in Deuteronomio scriptum est, vitam & mortem dedit ante faciem hominis, bonum & malum; & admonuit vt eligeret vitam: quasi & ipsa admonitio non de misericordia veniat: vel aliquid prodesset eligere vitam, nisi Deus eligendi charitatem inspiraret, & electam habere præstaret. De quo dictum est: quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Aut quia dictum est, si voles præcepta, seruabunt te. Quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non posset. Positis ante hominem igne & aquâ, quò vult quidem porriget manum: sed altior est qui vocat altius quàm omnis humana cogitatio: quandoquidem initium corrigendi fides est, sicut scriptum est: venies, & pertransibis ab initio fidei: & quisque ita eligit bonum, sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei. Et nemo potest ad me venire, ait princeps fidei, nisi Pater meus qui misit me, traxerit eum. *Liberè nos bonum aut malum eligere, & ad vtrumque idoneos, sed ad malum ex nobis, ad bonum ex Deo cooperante nobis alibi probat.* Deus qui lux est hominis interioris, adiuuat nostræ mentis obtutum, vt non secundùm nostram, sed secundùm eius iustitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo auertimur, nostrum est: & tunc secundùm carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conuersos ergo Deus adiuuat, auersos deserit. Sed etiam vt conuertamur, ipse adiuuat, quod certè oculis corporis lux ista non præstat, &c. Nec ideo tamen de hac re solis votis agendum est, vt non subinferatur admittendo etiam nostræ efficaciâ voluntatis. Adiutor enim noster Deus dicitur; nec adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur: quia non sicut in lapidibus insensatis, *vt Lutherus*, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. *Vt docet Caluinus.* Cur autem illum adiuuet, illum non adiuuet: illum tantùm, *gratiâ efficaci*: illum autem non tantùm: *gratiâ tantummodo sufficienti*: istum illo, illum isto modo, penes ipsum est, & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis. *Et quidem gratiam sufficientem etiam in statu naturæ lapsæ dari, quâ liberi à necessitate possimus declinare à malo, & facere bonum; docuit Augustinus: sine qua nec peccatum, nec meritum viatoribus imputaretur; si ad bonum, vel ad malum sublatâ indifferentiâ determinarentur: licet ad bene agendum actu, præter sufficiens auxilium, amplius, hoc est efficax, necessarium dicat adiutorium. Sic enim de sufficiente adiutorio Angelo & homini dato in principio, dicit:* Si, inquit, hoc adiutorium vel Angelo, vel homini quamprimùm facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique suâ culpâ cecidissent, Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adiutorium iam pœna peccati est; quibus autem datur, *aduerte tale, hoc est sufficiens dari; & quidem omnibus alibi iam probaui dari fidelibus*: quibus autem datur, secundùm gratiam datur, non secundùm debitum: Et tantò amplius datur, *nota præter sufficiens, quale erat in statu naturæ integræ, in statu lapsæ dari efficax, per gratiam Christi*: per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solùm assit sine quo permanere non possumus, etiam si velimus, verùm etiam tantum ac tale sit, vt velimus. *Velimus autem prorsus liberi, non tantùm ab omni coactione, sed etiam à necessitate; vt cuicumque gratiæ, quantumcumque efficaci, dissentire possimus, si velimus. Et hanc quidem libertatem non tantùm initio ante Pelagianæ hæresis exortum de libero arbitrio scribens agnouit Augustinus; sed & cõtra Manich. to. 6. ex quo selectiora in margine notata curioso lectori euoluẽda*

3. Propositio damnata ab Innocent. X. ex principiis S. Augustini.

Aug. de perfect. iustitiæ. cap. 19.

Philem. 14.

Deut. 30. 19.

Psal. 29. 5.

Eccl. 15. 16.

Esa. 1. 19.

Cant. 4. 8.

Rom. 12. 3.

Io. 6. 44.

Aug. lib. 2. de pec. meritis c. 5.

Aug. lib. de corrept. & gratia c. 11.

Digitized by Google

Lib 3. de lib. arb. c. 1. 2. & 4. &, c. 19. to. 6. lib. 2. de actis cum Felice Manich. c. 4. & 5. & l. cont. Secund. c. 13. & 14. & lib. de fide cont. Manich. c. 9. & 10. & lib. 3. cont. Maximinum, Ar. Ep. c. 12. Lib. 1. retr. c. 22. Et to. 7. de Spiritu, & lit. cap. 30. & 31. & lib. 1. ad Bonif. c. 2. Prou. §. 35.

reunquo. Sicut & alios plurimos locos, ex tomo 7. quos breuitatis causâ præteroo: Nemo, inquit, nisi Deus facere arborem potest, sed habet vnusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala, & esse arbor mala, &c. Hoc certè quod nolunt seruare legem, non à gente tenebrarum coguntur; si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt: si autem nolunt, non vtique coguntur vt non faciant, sed voluntate sua nolunt. Hoc ergo quod in eorum voluntate est, vt nolint, peccatum est certè sine aliqua necessitate gentis tenebrarum. Hoc agnosce esse peccatum sine necessitate gentis tenebrarum. Et inde vides, vnde veniant omnes culpæ, vnde merita pœnarum, vnde distributiones pœnarum. *Sicut & bonorum operum.*

Sed exertissimè nisi, inquit, quisque voluntatem mutauerit, bonum operari non potest quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus docet, vbi ait: aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum: quod non est contrarium gratiæ Dei quam prædicamus. In potestate quippe hominis est, mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi à Deo detur, de quo dictum est, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cùm enim hoc sit in potestate, quod cùm volumus, facimus; nihil tam in potestate quàm ipsa voluntas est; sed præparatur voluntas à Deo. Eo modo ergo dat potestatem, sic intelligendum est, & quod dixi in nostra potestate esse, vt vel inseri bonitate Dei, vel excidi eius seueritate mereamur: quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem: quæ cùm fortis & potens, *per gratiam efficacem*, præparatur à Domino, facilè fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impossibile fuit. *Naturæ scilicet soli, & nudis arbitrij viribus.*

Vide dicta V. Christus pro omnib⁹ mortuus, tom. 1. in err. impug.

Superest vt quintam propositionem ab Innocentio iustissimâ censurâ mulctatam, ex eiusdem Doctoris integerrimi sententijs reuincam olim fuisse damnatam. Qui licet vt priori tomo fusè probauimus, Christum maximè pro prædestinatis mortuum scripserit plenissimâ & perfectissimâ redemptione, & amplissimâ pretij sui sanguinis applicatione, efficaciter tamen pro omnibus fidelibus, quibuscumque aliquid gratiæ supernaturalis impendit, esse mortuum sufficienter tandem, pro omnibus omnino hominibus etiam reprobis, eorumque perditissimo Iudâ, copiosissimè ex eiusdem Catholica Doctrina demonstrauimus. Censura sic habet: Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse, falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, vt Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, diuinæ pietati derogantem & hæreticâ declaramus, & vti talem damnamus. *Quanquam, vt dixi, fusissimè iam hæresim istam ab Augustino prædamnatam non semel ostenderim, & hoc tomo iuxta Tertullianum, Christum Dominum* Catholicum Sacerdotem Patris ac templum, nullum excludens, amplissimo sinu, pro omnibus omnino hominibus in ara Crucis seipsum victimam immolantem agnum sine macula peccatum totius mundi tollentem scripserim, *præteritos in hanc rem locos expressissimos ex libris Augustini subnecto; quibus æternum obtrectatoribus eius cum suffusione silentium imponam.* Iudicabit orbem terrarum in æquitate, *ait Psalites. Aduerte lector quanta fiat hac calumniâ patri nostro iniuria, quâ supponitur maximum viuorum omnium ac mortuorum iudicium & supremi iudicis insignem titulum præripere Christo.* Pater omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est: *& vtique pro omnibus hominibus in assumpta humanitate mortuus: quos omnes tantò iustius iudicabit, quanto ab illis iniustius est iudicatus, quamóque ingratius ab ipsis contemptus est, pro quibus est mortuus. Quid super hoc senserit Augustinus absque caligine videamus.* Iudicabit orbem terrarum in æquitate. Non partem, inquit, quia non partem emit: totum iudicare habet, quia pro toto pretium dedit. Audistis Euangelium, quia cùm venerit, inquit, congregabit electos à quatuor ventis cœli. Ergo de toto orbe terrarum, quia & ipse Adam orbem terrarum significat secundùm Græcam linguam. Quatuor enim literæ sunt. A. D. A. & M. Sicut autem Græci loquuntur, quatuor orbis partes has in capite literas habent, ἀνατολὴ dicunt Orientem, δυσμὴν Occidentem, ἄρκτον Aquilonem, μεσημβρίαν Meridiem. Habes Adam. Ipse ergo Adam toto orbe terrarum sparsus est. In vno loco fuit, & cecidit, *vt vas confractum redactum, in puluerem & à vento dispersum*, & quodammodo comminutus impleuit orbem terrarum: sed misericordia Domini, *quæ plena est terra*, vndique collegit fracturas, & conflauit igne charitatis, & fecit vnum quod fractum erat. Nouit illud facere artifex ille, nemo desperet. Multum quidem est, sed qui sit artifex, cogitate. Ille reficit qui fecit. Ille reformauit, qui formauit. Iudicabit orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate. Quæ est æquitas & veritas? Congregabit secum electos suos adiudicandum, cæteros autem separabit ab inuicem. Positurus est enim alios ad dexteram, alios ad sinistram. Quid autem æquius, quid verius, quàm vt non expectent misericordiam de iudice, qui noluerunt facere misericordiam, antequam veniret iudex? Qui autem voluerunt facere misericordiam, cum misericordia iudicabuntur, &c. An quia tu iniustus es iustus non erit iudex? Aut quia tu mendax es, verax non erit veritas? Sed si vis habere misericordiam, esto misericors antequam veniat. Dimitte si quid in te commissum est, da ex eo quod abundas: & de cuius das nisi de illius? Cùm de illius das, redditio est:

5. Propositio damnata ab Innocentio X ex principijs S. Augustini.

Aug. in Psal. 95. a p. & ibid. circa f. Vide eundem, in Psal. 59. circa f. Lib. 2. de Symb. ad Catech. c. 8. Tract. 36. in Io. 8. Ser. 67. de temp. & Ser. 88. Matth. 24. 31.

est: Si de tuo dares; largitio esset: Quid enim habes quod non accepisti? Hæ sunt hostiæ Deo gratissimæ: *Debite omnibus inuicem hominibus, pro quibus omnibus dedit semetipsum redemptionem Christus Dominus*: beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Hebr. 13. 16.

Tam porrò sincerè asserit Augustinus Christum pro omnibus mortuum, vt nullam à mediatoris & redemptoris copiosissima & sufficientissima salute populum, nullam ætatem, sexum, conditionem hominum excluserit, sed nec Reges ipsos & Tyrannos ac persecutores fidelium pro quibus orationes fieri proprio & literali sensu præcepit. Paulus, sciens omnipotentissimam & suauissimam Dei in cordibus etiam durissimis flectendis & molliendis meritis sanguinis agni & omnium redemptoris facultatem. De orando, inquit, Deo agebat Apostolus vt hoc diceret: obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Vt omnes homines, omne genus humanum intelligamus per quascumque differentias distributum, Reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos integri corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, diuites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, iuuenes, seniores, senes: in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus. Quid est enim eorum vnde non Deus per vnigenitũ suũ Dominũ nostrũ per omnes gentes saluos fieri homines velit, & ideò faciat, quia omnipotens velle inaniter non potest, quodcumque voluerit. Præceperat enim Apostolus vt oraretur pro singulis hominibus, & specialiter addiderat, pro Regibus, & iis qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu & superbiâ sæculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens, hoc enim bonum est coram Saluatore nostro Deo, id est, vt etiam pro talibus oretur; statim vt desperationem tolleret, addidit: qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Hoc quippe Deus bonum iudicauit vt orationibus humiliũ, dignaretur salutem præstare humilium. Aug. Enchir. ad Laur. c. 103. 1. Tim. 2. 1. 4. cont. Iul. c. 8. Vide expositionem huius loci apud Bedam hoc loco, & infra ex Prospero & Fulg. fusè. Tertull. Apol. 39. à p. alludit ad hũc Apost. locum.

Tertium subijciam locum ex 2. Cor. 5. quem sic torquet contra Iulianum. Vnus pro omnibus mortuus est. Ex hoc, inquit, probauit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est vnus, impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriaris. Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, vt intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est, &c. Si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget in peccato esse mortuos omnes, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum. *Pro omnibus itaque etiam infantibus non baptizatis, & reprobis, sufficienter mortuus est Christus: Licet, vt ait Concil. Trident. non omnibus sit communicatum & applicatum beneficium redemptionis; sue, vt loquitur D. Thomas, alibi citatus à nobis, non est efficaciter pro omnibus mortuus, quem enim gratiæ redemptoris effectum tot paruuli sine baptismo decedentes, tot Gentiles in originali & actualibus morientes, nullo audito verbo Euangelij percepernat? Quos ex fide certum est, ex aqua & Spiritu sancto non renatos, excludi regno, & sine lege Mosaica, & Euangelica, viuentes, sine lege, Apostolo teste, perituros: quos tamen omnes, voluntate antecedente* saluos fieri voluit; qui mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, qui creauit vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: *in quibus nullus hominum diuinâ, sed suâ culpâ perit, quam vel Adami, vel propriâ voluntate contraxit.* Aug. lib. 6. op. imperfecti contra Iulian. cap. 4. Et ibid. cap. 5. & cap. 9. Sess. 6. cap. 3. D. Thomas. Lect. 2. in 1. Tim. 2. & lect. 5. in Hebr. 9. & lib. 4. cont. genul. c. 55. Io. 3. 5. 1. Tim. 2. 2. Sap. 1. 13.

Satis opinor superque probatum est, nouo diaboli calumniatoris inuento, nonoque commento in hominum errorem serpentis astutiâ inducto, Catholicam Augustini doctrinam, de prædestinatione, gratia, & libero arbitrio, in quinque propositionum damnatione, ab Innocentio X. fuisse proscriptam. Superest, vt & vetera in eandem odia, quæ dennò ab eadem gratiæ & veritatis inimico suscitantur extincta, ijsdem aquis, vinis ex fontibus haustis comprimam.

Eandem Cyclops infernus tundens ac repercutiens incudem, obsoleta senio, & rubigine exesa Pelagianorum iacula ad malleum reuocat denuoque recudit. His indefessum gratiæ diuinæ defensorem, totum de Apostolo armatum, *perduellis aggreditur: quibus nos eadem scuta opponere condecet, & sartam Catholicæ veritatis, innocuo apologetici pacifici antemurali defensare doctrinam. Duo itaque fortissima propugnacula, ex lapide quadro, dedolato & lenigato ligno, atque inuiolabilis commissuræ cæmento Prosperi & Fulgentij optimorum mentis Augustini interpretum, impendijs, & laboribus conlocabo.* Tertull. de Corona. c. 11.

Atque vt prima ex Prospero fundamenta demandem; Hic vir tanta sanctitate, & doctrina conspicuus, vt idem esset S. Papæ Leoni, quod Hieronymus Damaso Pontifici, sic respondet obijcientibus Gallis. Doctrinam quam S. memoriæ Augustinus Episcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrij deceptores, per multos annos APOSTOLICE ASSERVIT, LITERISQVE MANDAVIT. Quibusdam visum est, aut non intelligi eam nolendo, reprehendere: & hoc quasi compendium cognitionis, his qui iudicio eorum ducebantur, afferri: vt quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse iactabant, breuium capitulorum indiculis publicarent S. Prosper. in præfat. ad c. Gallorum.

TALIQVE COMMENTO, ET DETESTATIONEM EIVS QVEM IMPETERENT, obtinerent, & ab his QVÆ INFAMASSENT, CVRAM EXTERRITI LECTORIS AVERTERENT. Ne ergo hanc perſuaſionem temerè quis recipiat, & talem putet ſenſum. CATHOLICI INESSE DOCTORIS, qualem eum qui fruſtra calumniantur, oſtentant, ſingulis capitulis, quæ rationis titulo prænuntiarunt, breui & abſoluta profeſſione reſpondeo; in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in ſancti Viri diſputationibus continentur.

Obiect. 1. Gall. Reſponſio.

Ad objectionem primam, quòd ex prædeſtinatione Dei velut fatali neceſſitate, homines ad peccata compulſi, cogantur in mortem. *Reſpondet*, fati opinio vana eſt, & de falſitate concepta. Prædeſtinationis autem fides multâ ſanctarum authoritate ſcripturarum munita eſt: cui nullo modo, fas eſt, ea quæ ab hominibus malè aguntur adſcribi, qui in procliuitatem cadendi, non ex conditione Dei, ſed ex primi patris prævaricatione venerunt. De cuius pœna nemo liberatur, niſi per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti præparatam & prædeſtinatam in æterno conſilio Dei, ante conſtitutionem mundi.

Obiectio. 2. Gall. Reſponſio.

Objectioni ſecundæ: quòd ab eis qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferat percepta baptiſmi gratia originale peccatum. *R.* qui dicit quòd ab his qui non ſunt prædeſtinati ad vitam, non auferat percepta baptiſmi gratia originale peccatum, non eſt Catholicus; &c. Sed qui recedit à Chriſto, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? Sed non in quod remiſſum eſt, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa quæ remiſſa ſunt, debebatur. Quod quia Dei præſcientiam, nec latuit, nec fefellit, ſine dubio talem numquam elegit, numquam prædeſtinauit, & perituru̇m, numquam ab æterna perditione diſcreuit.

Obiectio. 3. Gall. Reſponſio.

Tertiæ objectioni, quòd non prædeſtinati ad vitam, etiamſi fuerint in Chriſto per baptiſmum generati, & piè iuſtéque vixerint, nihil eis profit, ſed tandiu reſeruantur donec ruant & pereant: nec ante eos ex hac vita, quàm hoc eis contingat, auferri. *R.* A ſanctitate ad immunditiam, à iuſtitia ad iniquitatem, à fide ad impietatem pleroſque tranſire non dubium eſt: & tales ad prædeſtinationem filiorum Dei, cohæredum Chriſti, non pertinere certiſſimum eſt. Quod ergo huiuſmodi hæc prolapſi mala, ſine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt: ſed ideo prædeſtinati non ſunt, *imò verò reprobati ſunt*, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione, præſciti ſunt. Quòd autem illos non eo tempore, quo in fide recta, & bonis moribus erant, ab hac vita abſtulit, ad occulta eius iudicia, quæ tamen numquam ſunt iniuſta, referendum eſt. Quis enim neſciat intra vnam conditionem mortalitatis humanæ, ab vnius horæ infantia, vſque ad annoſiſſimam ſenectutem, exitus morientium impari ætatis fine variari? Neque CVIVSQVAM ANIMAM CITIVS, VEL TARDIVS, QVAM DEVS VOLVERIT, A CORPORE QVOD VIVIFICAT ABSCEDERE. Si ergo aliquis in vitæ ſuæ longitudine DESERVIT DEVM, bono, quod erat ex Deo, malè vſus eſt. Nam longæuitas non eſt niſi ex Deo. Et quod ex Deo eſt, non niſi bonum eſt: & quod bonum eſt, mali cauſa non eſt, &c. Non enim relicti ſunt à Deo, vt relinquerent Deum: ſed RELIQVERVNT, ET RELICTI SVNT, & ex bono in malum propria voluntate mutati ſunt. Atque ob hoc, licetfuerint renati, fuerint iuſtificati, ab eo tamen qui illos tales præſciuit, non ſunt prædeſtinati.

Obiect. 4. Gall. Reſponſio.

Ad quartam. Quòd non omnes homines vocentur ad gratiam. *R.* Si de his loquitur, quibus Chriſtus annuntiatus non eſt, quando vetiti ſunt à Spiritu ſancto Apoſtoli loqui Dei verbum in Aſia, aut Bythinia, quò iidem Apoſtoli tentabant ire, & non permiſit eos Spiritus Ieſu; reprehendi non debet: quia ſcimus quidem in omnes fines terræ Euangelium deſtinatum, ſed non putamus iam in omnibus terræ finibus prædicatum; nec poſſumus dicere quòd ibi ſit gratiæ vocatio, vbi matris Eccleſiæ adhuc nulla eſt regeneratio. Poſtremò reſpiciantur etiam inter Chriſtianos populos tot millia paruulorum, qui ab hac vita ſine baptiſmo tranſierunt, & aliquo modo probentur vocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator *id. baptizator* potuit ſubuenire.

Act. 16. 6. 7.

Obiectio. 5. Reſponſio.

Ad quintam objectionem. Quòd qui vocati ſunt, non æqualiter ſint vocati: ſed alii vt crederent, alii vt non crederent. *R.* Si vocatio in Euangelii tantùm prædicatione intelligatur, non veraciter dicitur, quòd aliis atque aliis, aliter atque aliter prædicetur: cùm vnus ſit Deus, vna fides, vna regeneratio, vna promiſſio. Si autem ad effectum plantationis & rigationis aſpicitur, aliud actum eſt cum eis, quorum exteriores aures corporali voce pulſatæ ſunt: aliud in eis quorum interiorem ſenſum Deus aperuit, & in quorum corde poſuit fidei fundamentum, dilectioniſque feruorem. Quoidam autem ideo vocatos dicere, vt non crederent, nimis abſurdum eſt, quaſi vocatio eis cauſa infidelitatis extiterit, & prædicatio fidei fecerit infideles, &c. Quod ergo prædicatus Chriſtus crucifixus Iudæis erat ſcandalum, & Gentibus ſtultitia, humanæ voluntatis faciebat auerſio. Quòd verò ipſis vocatis Iudæis & Græcis Chriſtus erat Dei virtus, & Dei ſapientia, diuinæ gratiæ præſtabat operatio. *Quod item in Euangelio dixit Chriſtus*, veni vt qui vident cæci fiant, &c. Vt videntes non videant, & audientes non intelligant, excæca cor populi huius, & aures eius aggraua; *& Moyſes*: vt labatur pes eorum: *non ſic intelligendum eſt quaſi cæcitatem lux operetur, aut pietas ipſa induret, vel quòd eo fine venerit,*

1. Cor. 1. 23.

Io. 9. 39.
Eſa. 6. 10.
Deut. 32. 35.

prædicarit, miracula fecerit, qui venit saluum facere quod perierat. *Sed quòd hominum malitiâ, & peruersa voluntate fiat, vt id eueniat, & occasionem malitiæ & improbitatis sumat ex diuina bonitate, quæ ab auersis auertitur; ita vt fiat eorum culpâ, quod à Deo, vel Prophetâ, non optatur, sed prophetatur euenturum.* Luc. 5. 32.

Ad sextum. Quòd liberum arbitrium in homine nihil sit: sed siue ad bonum, siue ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur. *R.* Liberum arbitrium nihil esse, vel non esse, perperam dicitur; sed ante illuminationem fidei in tenebris illud, & in vmbra mortis agere non rectè negatur. Quoniam priusquam à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet, in quod se sua libertate demersit. Amat ergo languores suos, & pro sanitate habet, quòd ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, vt incipiat nosse quòd langueat, & possit opem medici desiderare, quâ surgat. Iustificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio adquirat & meritum: vt quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, *aduerte iam gratiam cooperantem libero arbitrio* etiam per industriam liberi augeatur arbitrij NVMQVAM REMOTO ADIVTORIO DEI, *quod vt nunquam remouet à iusto, nisi iustus, vt præmissimus supra, Deum prior deserat; sic sine eo nihil recti secundùm Deum agere potest*, sine quo nec proficere, nec permanere in bono quisquam potest. Prædestinationem autem Dei siue ad bonum, siue ad malum, in hominibus operati, ineptissimè dicitur, vt ad vtrumque homines quædam necessitas videatur impellere: cùm in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, *qua præparatur voluntas à Domino, operante in ea velle & operari*, in malis autem voluntas intelligenda sine gratia. Prædestinatio quoque Dei semper in bono est: quæ peccatum sola hominis voluntate commissum, aut remittendum nouit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude iustitiæ. Obiectio 5. Gallorum. Responsio. Lib. 1. Responf. Sententia 6. in f.

Obiectioni septimæ, Quòd Deus quibusdam filiis suis quos regenerauerit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non det perseuerantiam, quia non sunt à massa perditionis, præscientiâ Dei & prædestinatione discreti. *R.* Ex regeneratis in Christo Iesu, quosdam relicta fide & piis moribus apostatare à Deo, & impiam vitam in sua auersione finire, multis, quod dolendum est, probatur exemplis. Sed horum lapsum Deo adscribere, immodicæ prauitatis est: quasi ideo ruinæ ipsorum impulsor atque author sit, quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præsciuit: & ob hoc à filiis perditionis, nulla prædestinatione discreuit. Nam quomodo eos haberet præordinata in Christo electio, cùm dubium non sit, donum Dei esse perseuerantiam in bono vsque ad finem: quam istos ex eo ipso quòd non perseuerauerunt, non habuisse, manifestum est. Non est calumniandum Deo, quare istis non dederit, quod aliis dedit: sed confitendum est, & misericorditer eum dedisse quod dedit, & iustè non dedisse quod non dedit: ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso videatur & standi: cùm illud humano fiat opere: hoc diuino impleatur ex munere. Quamuis enim omnipotentia Dei potuerit vires standi præbere lapsuris: gratia tamen eius non prius eos deseruit, quam ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione præuidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit. Obiectio 7. Responsio. Lib. 1. Responf. sententia 7. in fine.

Obiectioni 8. Quòd non omnes homines velit Deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum. *R.* Si circa vniuersitatem generis humani saluandam, & in agnitionem veritatis vocandam, ita indifferens per omnia sæcula asserenda est voluntas Dei, vt vsquequaque neminem hominum prætermisisse monstretur, impenetrabilis iudiciorum Dei altitudo pulsatur. Quare enim in præteritis sæculis dimiserit Deus omnes gentes ingredi vias suas, quando Iacob elegit sibi Dominus, & non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis: & cur qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei sit, & quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur: & vbi dictum est, non plebs mea vos, ibi vocentur filii Dei viui: & quare, quod quærebat Israël non sit consequutus, electio autem consequuta est, cæteri verò excæcati sunt, impossibile est comprehendere, & periculosæ curiositatis est quærere. Cùm tamen, quòd nulla sit apud Deum iniquitas, nemini liceat ignorare: nec aliâ gratiâ aut aliâ fide quemquam hominum, siue ante legem, siue legis tempore iustificatum esse credendum sit, quàm hac eadem, per quam Dominus noster Iesus Christus secundùm consilium voluntatis suæ, in fine sæculorum venit quærere, & saluare quod perierat. Causas verò operum & iudiciorum Dei, quirex toto ad humanas voluntates & actiones, refert *gradum ad fatum, casum, causas secundas, earumque ordinem & influxum*, quas tamen in parvulorum adoptione, aut abdicatione non inuenit, & dispensationes Dei, ex liberi arbitrii vilt mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia iudicia Dei, & vestigabiles vias eius. Et quod Doctor Gentium Paulus non audebat attingere, hic se existimat referatim posse vulgare. Quodque non minoris impietatis est ipsam gratiam quâ saluamur, aut bonis meritis dare rependi, aut malis adfirmat arceri. Remoto ergo obscurarum turbine quæstionum, ad reuelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus, dicamusque cum Apostolo, quomodo Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: & ietum dicamus cum Apostolo: Obiectio 8. Responsio. Act. 14. 15. Pſal. 46. 5. Pſal. 147. 20. Oſée 1. 9. 10. Rom. 9. 10. 1. Tim. 2. 4. & ibid. 4. 10.

Matth. 28. 19. qui eſt Saluator omnium, maximè fidelium. Et audiamus Dominum dicentem Apoſtolis ſuis:
Gen. 22. 18. euntes ergo docete omnes gentes, &c. Audiamus quoque ad Abraham promiſſiones Dei di-
Gal. 4. 28. centis: in ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ. Et ſi filii promiſſionis ſumus, non hęſi-
temus diffidentiâ, ſed cum patre noſtro Abraham demus gloriam Deo, & pleniſſimè creda-
mus, quoniam quod promiſit, potens eſt facere, &c. Hæc ergo eſt illa totius humani generis
Gal. 1. 5. adſumptio, hęc filiorum Dei adoptio, *quos vult ſaluos fieri.* Hæc gentium plenitudo præſcita &
Epheſ. 1. 4. prædeſtinata in Chriſto ante conſtitutionem mundi. Hæc eſt Ieruſalem quæ ab initio vſque in
Epheſ. 2. 20. finem lapidibus viuis & electis ædificatur, vt ciuitas fundata in ipſo angulari lapide Chriſto
Io. 6. 37. Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino: De his lapi-
Io. 10. 26. 27. dibus nihil eiicitur, nihil minuitur, nihil rapitur. Veritas enim dicit, omne quod dat mihi Pater
ad me veniet, & eũ qui venit ad me, non eiiciam foras. Et iterum: non creditis, quia non eſtis
de ouibus meis: oues meæ vocem meam audiunt, & ego noui illas, & ſequuntur me, & ego
vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum, nec quiſquam rapiet eas de manu mea.
Omnium ergo hominum cura eſt Deo: & nemo eſt quem non aut Euangelica prædicatio, aut
legis teſtificatio, aut etiam ipſa natura conueniat. Sed infidelitatem hominum ipſis adſcriba-
mus hominibus; Fidem autem hominum donum Dei eſſe fateamur, ſine cuius gratia nemo
currit ad gratiam. Et cum ducentis quatuor-decim Sacerdotibus, quorum conſtitutionem
contra inimicos gratiæ Dei totus mundus complexus eſt, veraci profeſſione, quemadmodum
ipſorum habet forma, dicamus, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum, non ſolùm ad
cognoſcendam, verum etiam ad faciendam iuſtitiam, Nos PER ACTVS SINGVLOS ADIVVARE,
VT SINE ILLA NIHIL VERÆ SANCTÆQVE PIETATIS HABERE, COGITARE, DICERE, AGERE
VALEAMVS. Neque hæc dona ita ex Deo eſſe opinemur, vt quia ipſe naturæ noſtræ author
eſt; per conditionem, *condendo & creando nos*, iam hæc contuliſſe videatur. Quia dedit qui-
dem ab initio hanc homini facultatem, ſed omnes eam in illo amiſimus, in quo omnes pecca-
uimus. Vnde alia creatione, alioque principio renouari egemus in Chriſto: in quo ſumus no-
2. Cor. 5. 17. ua creatura, nouumque figmentum: & per quem nobis, nullis bonis, & multis malis meritis
Epheſ. 2. 10. præcedentibus donatur, vt ſimus ex vaſis iræ, vaſa miſericordiæ. *Et rurſum*, Qui dicit, quod
lib. 1. Reſponſ. ſententia 8. non omnes homines velit Deus ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius
loquitur quàm loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei: qui & omnes *voluntate*
ſcil. antecedente vult ſaluos fieri, atque in agnitionem venire veritatis, & voluntatis ſuæ propo-
ſitum in eis implet quos præſcitos prædeſtinauit, prædeſtinatos vocauit, vocatos iuſtificauit,
iuſtificatos glorificauit: nihil amittens de plenitudine gentium, & de omni ſemine Iſraël, cui
præparatum eſt in Chriſto regnum æternum ante conſtitutionem mundi. Ex toto enim mun-
do totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur, *id eſt iuxta*
Auguſtinum, ex mundo reprobo, mundus prædeſtinatus, & ex generalitate omnium hominum, generalitas
omnium electorum. Nec poteſt vllo modo per infidelitatem atque inobedientiam multorum,
Dei promiſſio vacillare dicentis ad Abraham, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.
Quod autem promiſit Deus potens eſt facere: vt & qui ſaluantur, ideo ſalui ſint, quia illos
voluit Deus ſaluos fieri, & qui pereunt, ideo pereant, quia perire meruerunt. *Et Vincentio ob-*
Et lib. 2. cap. 2 *jecienti*, quòd Deus nolit omnes ſaluari, etiamſi omnes ſaluari velint. *R.* Qui fieri poteſt, vt
Deus qui etiam illos ſaluat de quibus dici non poteſt quòd ſaluari velint, *vt paret in tot infantibus*
baptizatis morientibus, libertatis vſu carentibus, nolit aliquos ſaluare, etiamſi ſaluari velint; niſi
aliquæ cauſæ exiſtant, de quibus, quamuis ſint nobis incogniſcibiles, ita tamen benè iudicat,
de quo dici non poteſt, aliter eum quicquam facere debuiſſe, quàm fecerit? Remotâ ergo hac
diſcretione, quam diuina ſcientia intra ſecretum iuſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſimè credendum
1. Tim. 2. 1. 2. atque profitendum eſt, Deum velle vt omnes homines ſalui fiant: Si quidem Apoſtolus, cuius
iſta ſententia eſt, ſolicitiſſimè præcipit, quòd in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, vt Deo
pro omnibus ſupplicetur: ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium eſt meritum, quòd multi
ſaluantur, ſaluantis eſt donum: vt enim reus damnetur, inculpabilis eſt Dei iuſtitia; vt autem
reus iuſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt. *Videat in hanc rem lector germanum ſenſum, horum ver-*
borum Apoſtoli apud eundem Proſperum circa finem Epiſtolæ eius ad Ruffinum, eamque totam, ſicut &
Epiſtolam Synodicam Epiſcoporum Africæ apud S. Fulgentium, qui volet genuinum aſſequi ſenſum Au-
guſtini in cauſis prædeſtinationis, gratiæ, & liberi arbitrij.

Obiectio. 9. Reſponſio. *Obiectioni nonæ.* Quòd non pro totius mundi Redemptione Saluator ſit crucifixus. *R.* Nul-
lus omnino eſt ex omnibus hominibus cuius natura in Chriſto Domino ſuſcepta non fuerit,
quamuis ille natus ſit in ſimilitudine carnis peccati, omnis autem homo naſcatur in carne pec-
cati. Deus ergo Dei filius mortalitatis humanæ particeps factus abſque peccato, hoc peccato-
ribus & mortalibus contulit, vt qui natiuitatis eius conſortes fuiſſent, *id eſt regenerati omnes*, vin-
culum peccati & mortis euaderent. Sicut itaque NON SVFFICIT, hominum renouationi na-
tum eſſe hominem Ieſum Chriſtum, niſi in ipſo eodem de quo ipſe ortus eſt, ſpiritu renaſcan-
tur: SIC NON SVFFICIT HOMINVM REDEMPTIONI, crucifixum eſſe Dominum Chriſtum,

niſi commoriantur ei, & conſepeliantur in baptiſmo. Alioquin nato Saluatore in carne ſubſtantiæ noſtræ, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat neceſſarium vt renaſceremur, & ſimilitudini mortis eius complantaremur. Sed cùm ſine hoc Sacramento nemo hominum conſequatur vitam æternam, non eſt ſaluatus Cruce Chriſti, qui non eſt crucifixus in Chriſto. Non eſt autem crucifixus in Chriſto, qui non eſt membrum Corporis Chriſti; qui non per aquam & Spiritum Sanctum, induit Chriſtum. Qui ideò infirmitate noſtra communionem ſubiit mortis, vt nos in virtute eius haberemus conſortium Reſurrectionis. Cùm itaque rectiſſimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit, &c. Vt poſſit ſecundum hoc dici; Redemptor mundi, dedit pro mundo ſanguinem ſuum, & mundus redimi noluit; quia lucem tenebræ non receperunt; *quod intelligit de his quibus prædicatum eſt Euangelium, qui credere noluerunt*: & tenebræ receperunt, quibus dicit Apoſtolus, fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ipſe verò Dominus Ieſus qui dixit ſe veniſſe quærere, & ſaluare quod perierat; non veni, inquit, niſi ad oues quæ perierant domus Iſraël, &c. Non qui filij carnis, hi filii Dei, ſed qui filii promiſſionis *etiam ex Gentibus*, æſtimantur in ſemine.

Et rurſum: quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi: Sed qui hoc ſæculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cùm itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium cauſam, à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate ſint eruti; redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt; de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & iam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti; cuius mors non ita impenſa eſt humano generi, vt ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: ſed ita vt quod per vnicum exemplum geſtum eſt pro vniuerſis, per ſingulare Sacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immortalitatis quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute diuina, habet quidem in ſe vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur non medetur.

Proſper in Reſp. ad primam Obiect. tionem Vincent.

Obiectioni decimæ. Quod quibuſdam Euangelii prædicatio à Domino ſubtrahatur, ne perceptâ ſaluentur. *R*. Qui hoc dicit, poteſt obiectionis inuidiam declinare patrocinio ipſius Saluatoris, qui apud quoſdam quos ait fuiſſe credituros, ſi mirabilium eius ſigna vidiſſent, noluit operari. *Tyrios & Sidonios infra dixit* & nõ ſolùm eos, ſed etiam Corozain & Bethſaida potuiſſe conuerti & fideles ex infidelibus fieri, ſi hoc in eis Dominus voluiſſet operari. Nos verò ſi rationem facti, & profunditatem iudicij eius penetrare non poſſumus, manifeſtiſſimè tamen ſcimus, & verum eſſe quod dixit, & iuſtum eſſe quod fecit, & quibuſdam populis, *Aſiaticis & Bithynis, vt præmiſit ſupra*, vetuit Apoſtolos Euangelizare: & nunc aliquas adhuc gentes patitur extra gratiam ſuam degere: cùm tamen conſtantiſſima fide perceptum habeamus, in omnes mundi partes Eccleſiam dilatandam. Nec ante eſſe hoc ſæculum finiendum, quàm in vniuerſos fines terræ Euangelium dirigatur, & omnis lingua confiteatur, quoniam Ieſus in gloria eſt Dei Patris.

Lib. 1. Reſponſ. Sent. 10. Lib. 2. in reſponſ. dubij octaui Matth. 11. 21. Luc. 10. 13.

Matth. 24. 14. Philipp. 2. 11.

Obiectioni vndecimæ. Quòd per potentiam Deus homines ad peccata compellat, *quod coincidit cum obiectione quarta, quinta, ſexta, ſeptima, octaua, nona, decima, vndecima, duodecima, decimatertia, decimaquarta, decimaquinta, & decima ſexta Vincentiana, quibus conficitur ex doctrina Auguſtini peruerſiſſimè à Catholiciſſimo eius ſenſu detorta*, maiorem hominum partem ad hoc creatam, vt pereat in æternum, & ſaluari non poſſit, etiamſi velit. Ad hoc factam vt non Dei, ſed diaboli faciat voluntatem. Vt ſic Deus ſit author noſtrorum criminum, malam condens hominum voluntatem, quæ non poſſit, niſi peccare, ſimilem arbitrio diaboli. Quòd voluntas Dei ſit, vt magna pars Chriſtianorum ſalua eſſe, nec poſſit nec velit, nec in fide Catholica perſeuerare, ſed à ſanctitatis propoſito ruere, & de filiis Dei, velle fieri filios diaboli, quibus latenter ſubtrahit Deus bonas voluntates: qui licet perſeuerantiam petant, non obtinent, nec poſt lapſum poſſe vel velle per pœnitentiam liberari: itaut qui prædeſtinati non ſunt, dum orant: fiat voluntas tua, id petant quod prædeſtinatione decretum eſt, vt cadant, & æterna morte pereant: *His omnibus, uno articulo, ex propriis verbis Proſperi breuiatis clarè reſpondeo.*

Nullus Catholicorum dixit, aut dicit, quòd Deus homines piè rectéque viuentes, per potentiam in peccata compellat, & innocentiæ humanæ poteſtas diuina vim faciat, vt eam à propoſito bonæ conuerſationis excutiat. Non ſunt Dei opera iſta, ſed diaboli, cuius gaudium eſt ruina ſanctorum, &c. Cùm verò aliquos à Deo aut traditos deſideriis ſuis, aut obduratos legimus, aut relictos, magnis peccatis ſuis hoc ipſos meruiſſe profitemur: quia talia eorum crimina præceſſerunt, vt ipſi ſibi pœnas debuerint, quæ eis etiam ſupplicium verterent in reatum. *Hoc ſit peccatum ſequens eſſet pœna præcedentis.* Atque ita neque de iudicio Dei que-

Libro 1. reſponſ. c. 11.

Digitized by Google

tamur, quòd deserit meritos deseri : & misericordiæ eius gratias agimus, quâ liberat non meritos liberari.

De subtractione virium obedientiæ, dupliciter respondet. Primò quidem respondens dubio nono Genuensium. Stupeo, inquit, sanctitatem vestram obiectionem calumniantium à persona defensoris gratiæ non potuisse discernere : & verba obtrectantium ei ipsi qui obtrectatoribus suis respondet, aptasse, &c. Ideo ait : sed aiunt, vt scribitis : & postea, ista cùm dicunt. Ex hoc ergo potuistis aduertere, non ipsum hæc dicere, sed eos de quibus dixit, sed aiunt vt scribitis, & ista cum dicunt. Quod similiter Apostolus ait, sicut aiunt nos, quidam dicere, faciamus mala, vt eueniant bona. *Non inficior tamen Augustinum dicere* definitam de prædestinatione voluntatis Dei sententiam, quòd si qui obediunt, & in regnum eius, & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt, &c. Iam verò quod illis verbis connectitur, miror si vllo modo potest in populo Christiano quisquam infirmus patienter audire ; cùm dicitur eis : si qui obeditis, si prædestinati estis reiiciendi subtrahentur vobis obediendi vires, vt obedire cessetis, &c. Quid enim sententiæ deperit si ira dicatur ; *in tertia persona, ne præsentibus fidelibus imprecari videatur* ; Si qui obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt ; *hoc est reprobi ex præscita eorum voluntaria improbitate, præsciti sunt* temporales sunt, nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt. Nonne & verius & congruentius, eadem res dicitur? &c. Nec existimo debere sufficere, nisi hoc, vel huiusmodi addat in prædestinationis prædicatione, vt dicat : vos itaque etiam ipsam obediendi perseuerantiam à Patre luminum à quo descendit omne datum optimum & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere non vos esse à prædestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc vt faciatis ipse largitur. Absit autem à vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis, &c. Hæc atque hujusmodi cùm dicuntur, siue paucis Christianis, siue multitudini Ecclesiæ, cur metuimus sanctorum prædestinationem, & veram Dei gratiam, id est quæ non secundùm merita nostra datur, sicut eam sancta Scriptura prædicat, prædicare? *Hactenus Augustinus. Prosper autem sic concludit respondens dubio nono Genuensium.* Videtisne obsecro quantum distet hic sermo ab eo quem composuit malignitas obloquentium, qui studuerunt etiam ea quæ rectè dicit, exquisita verborum fraude corrumpere? &c. Quamuis enim nunquam tam insipienter locutus sit ad populum Christianum, & id quod mendax obtrectatio ineptissimè finxit, horruerit : pia tamen constantiquè doctrina abundanter probauit, prædicandam esse Ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ preparatio : & gratiam in qua est prædestinationis effectus : Et præscientiam Dei qui ante sæcula æterna quibus esset collaturus sua dona, præsciuit. CVIVS PRÆDICATIONIS QVISQVIS EST IMPVGNATOR, APERTISSIMVS EST PELAGIANÆ RELATIONIS ADIVTOR.

Lib. 3. in respons. ad dub. 9. Genuensiũ.

Aug. lib. de dono perseuerantiæ c. 22.

Prosper. lib. 3. respons. ad Genuenses c. 9.

Secundò respondet obiectioni præmissæ de subtrahendis viribus obediendi. In talem sensum trahuntur, qui putant in omnibus hoc esse præscientiam Dei quod & voluntatem : Cùm voluntas eius nunquam velit, nisi bona : præscientia autem, & bona nosci & mala : sed bona quæ aut ipse faciat, aut etiam vt nos faciamus imperat : mala autem, quæ omnino ipse non fecit, neque fieri suasit, aut impulit. Qui dicit quod idem sit præscientia, quod prædestinatio, in bonis sine dubio operibus nostris, duo ista permiscet. Quæ enim ex munere Dei habemus, & quæ prescita dicuntur non possunt non esse prædestinata : Et quæ prædestinata appellantur, non possunt non esse præscita. In malis autem operibus nostris, sola præscientia Dei intelligenda est. Quia sicut præsciuit & prædestinauit quæ ipse facit, & vt faceremus dedit; ita præsciuit tantum non etiam prædestinauit, quæ nec ipse fecit, nec vt faceremus exegit. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinauit, sed quia recessurum ab ipsa obedientia esse præuidit, ideo eum non prædestinauit, *sed reprobauit. Nec par ratio est prædestinationis gratuitæ, quæ non respicit futurum meritum, sed præparat donandum; & non prædestinationis, siue reprobationis, quæ præscit, nec vero prædestinat futurum ex libero arbitrio absque vlla necessitate & coactione peccatum. Et rursum Prosper* : Qui dicit quod quibusdam vocatis & piè iustéque viuentibus obedientia subtrahatur, vt obedire desistant, malè opinatur de bonitate Dei atque iustitia, vt videatur ad impietatem pios cogere, & innocentiam bonis adimere cum ipse sit pietatis atque innocentiæ largitor & custos. Qui ergo Deo adhæret Spiritu Dei agitur: qui autem à Deo recedit: propria voluntate obedire desistit.

Lib. 1. respon. ad Gal. cap. 12.

Lib. 1. respons. ad Gallos, c. 15.

Lib. 1. sent. 12.

1. Cor 8. 17. Rom. 8. 14.

Tandem vt paucis absoluam : Non igitur cuiusquam peccati Author est Deus, sed naturæ Creator est: quæ cùm potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit, & decepton suo propria voluntate se subdidit. Nec naturali, sed captiuo motu versatur in vitio, donec moriatur peccato & viuat Deo, quod sine gratia Dei facere non potest, quia libertatem, quam libertate perdidit, nisi Christo liberante non recipit, *&c. Hoc autem inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest; si Deus misereatur, reconciliatio : dæmonibus autem nulla est in æternum seruata conuersio. Sicut ergo præuaricatoribus Angelis, non Deus indidit illam*

Prosper. lib. 2. cap. 5. in respons. ad obiect. Vincent.

quæ in veritate non ſtetit, voluntatem: ita nec hominibus hunc affectum quo diabolum imitarentur, inſeruit, &c. Sed nullo modo credendum eſt hujuſmodi homines in hanc deſperationem ex Dei voluntate cecidiſſe, cùm alleuet Dominus omnes qui corruunt, & erigat omnes eliſos. Nemo enim niſi illius gratiâ erigitur, nemo niſi illius gratiâ ſtabilitur. Dei ergo voluntas eſt, vt in bonâ voluntate maneatur: qui & priuſquam deſeratur, neminem deſerit; & multos deſertores ſæpè conuertit, &c. Non ergo caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei, aut excitauit, aut ſuaſit, aut impulit: ſed planè prædeſtinauit iudicium ſuum, quo vnicuique retributurus eſt, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum; quod iudicium futurum omnino non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifeſtiſſimè: & erit omnis homo quem diſcretio diuinæ ſcientiæ in ſiniſtra conſtituerit parte, damnabitur, quia non Dei, ſed ſuam executus eſt voluntatem, &c. Ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nemini eſt cauſa labendi, &c. Receſſurum non deſerit, antequam deſerat, & facit plerumque ne deſerat, aut etiamſi diſceſſit, vt redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum veſtigare; cùm ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe quòd ſtatur, & non ab illo eſſe quòd ruitur, &c. Non eſt ergo conſequens, ſicut putant qui talia objiciunt, vt Deus, quibus pœnitentiam non dederit, reſipiſcentiam abſtulerit: & quos non leuauerit, alliſerit: cùm adhuc ſit inſontem in crimen egiſſe, quod alienum eſt à Deo: aliud criminoſo veniam non dediſſe, quòd de peccatoris eſt merito, &c. Igitur qui facturi non ſunt voluntatem Dei, & petunt vt fiat voluntas Dei, in eo quod voluntate Dei faciendum eſt, audiuntur, vt imitatores diaboli, cum diabolo iudicentur. Qui enim voluntatem Dei ſpreuerunt inuitantem, voluntatem Dei ſentient vindicantem.

Ibid. cap. 7.

Ibid. cap. 10.

Ibid. cap. 11.

Ibid. cap. 14.

Ibid. cap. 15.

Ibid. cap. 16.

Item qui dicit quòd quidam homines non ad hoc à Deo creati ſunt, vt vitam adipiſcerentur æternam, ſed vt habitum tantummodo ſæculi præſentis ornarent, & ad vtilitatem naſcerentur aliorum: meliùs loqueretur dicens, quòd Deus qui creator eſt omnium, non fruſtra etiam eos condat, quos præuidit vitæ æternæ participes non futuros: quia etiam in malis hominibus; bonum Dei opus eſt ipſa natura, & laudabilis eſt in impiorum damnatione iuſtitia. Non poteſt autem meritò reprehendi qui dicit, quòd etiam talium conditione mundus ornetur, & quod ſi qui ſibi ſua iniquitate nocituri ſunt, ad vtilitatem naſcantur aliorum: neque enim quamlibet innumerabilis multitudo impiorum, indecora eſt mundo, aut inutilis Dei regno; cùm etiam per ipſorum veniat propaginem regeneranda generatio, & in eis tolerandis ac diligendis, populus Dei fiat illuſtrior, ducens bonitatem & patientiam ab illo, qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.

Libro 1. Reſponſ. ſent. 13.

Matth. 5. 45.

Item qui dicit quòd quidam Euangelicæ prædicationi non credunt; ex Dei prædeſtinatione non credant, & quòd Deus ita definierit, non eſt Catholicus. Sicut enim fides quæ per dilectionem operatur, Dei donum eſt: ita infidelitas *ex hominis mala voluntate eſt*, & conſtitutio Dei non eſt: quia Deus pœnas criminum nouit ordinare, non crimina. Nec conſequens eſt, vt quod non remiſerit, ipſe commiſerit. Prædeſtinatus itaque viuit ex fide ſibi donata: non prædeſtinatus perit infidelitate voluntariâ, non coactâ.

Proſper. lib. 1. Reſp. ſent. 14.

Ac ne quem obtrectatorem Auguſtini præteriret; Ioannis Caſſiani collat. 13. de protectione Dei, vbi fidei initia, non ex Dei gratia, ſed ex liberi arbitrij meritis oriri contendit, ſic colligit ſummam circa finem. His itaque definitionibus hoc docetur quòd Adam peccante, anima ejus læſa non fuerit, ſanumque in eo manſerit vnde peccauit. Nec potuerint poſteri ejus id perdere, cujus damnum nec ille pertulerit: ineſſe autem omni animæ naturaliter virtutum ſemina beneficio Creatoris inſerta, vt poſſit qui voluerit, iudicio naturali ad Dei gratiam peruenire, & adjutorium eius, quo facilius ad perfectionem perueniat promereri: quia nullius ſit laudis ac meriti, qui donatis donis non proprijs adornatur. Cauendum quoque eſſe, ne ita ad Deum omnia ſanctorum merita referantur, quaſi per ſe nihil poſſit agere ipſa humana natura: cùm tanta ſit virium ejus integritas, vt contra ipſum diabolum ſæuitiamque eius, vſque ad extrema ſupplicia valeat dimicare. Hanc autem poſſibilitatem in omnibus hominibus eſſe naturalem, ſed non omnes ingeneratis ſibi vti velle virtutibus. Tantam autē circa vniuerſos homines bonitatem eſſe Creatoris, vt alij ab eo, quia ſponte veniant, ſuſcipiantur laudati, alij quia reſiſtunt, attrahuntur inuiti: atque ideo volentium ſuſceptor, nolentiū Saluator ſit. Et cùm pars Eccleſiæ ex gratia; pars ex libero iuſtificetur arbitrio, glorioſiores ſunt quos natura prouexerit, quàm quos gratia liberarit: quia ad omne opus bonum tam libera ſit voluntas in Adę poſteris, quàm in Adam fuit ante peccatum, *quod nos in alphabeto errorum Tertulliani dogma Pelagio, & Caſſiano præuium confutauimus.* En cuius dogmatis ſunt magiſtri, qui vt Catholicarum mentium caſtitatem, GRATIÆ DEFENSORIBVS, CALVMNIANDO corrumpant, præcipuum noſtro tempore IN DOCTRINA ECCLESIASTICA VIRVM rabido ore diſcerpunt, creduntque ſe omnia authoritatum munimina poſſe conuellere, ſi HANC PASTORALIS SPECVLÆ VALIDISSIMAM TVRRIM, crebra Pelagiani arietis illiſione pulſauerint, &c. Nec alia poſſunt dicere, quàm quę damnatorum querelis, &

Lib. 4. Reſp. pro S. Aug. aduerſus collatorem circa finem.

procaciſſimis Iuliani ſunt vulgata conuitijs. *Vbi poſt multa ſummorum Pontificum in commendationem doctrinæ Auguſtini relata*: Apoſtolica, inquit, ſedes quod à percognitis ſibi non diſcrepat, cum præcognitis probat: Et quod iudicio iungit, laude non diuidit, &c. Igitur hujuſmodi hominum prauitati, non tam diſputationum ſtudio, quàm de authoritatum priuilegio eſt reſiſtendum, vt de proſtrati dudum dogmatis corpore, nullum membrum ſinatur aſſurgere. *Cauendum porro quam maximè, ne poſterioris hæreſis Lutheri, & Caluini laudatiſſimo proſternendæ Zelo, non ſecundum ſcientiam ſanctorum, Pelagianam vetuſtam hæreſim renouatam ſuſcitemus, aut viciſſim præpoſterè Pelagianam euertentes, Caluinianam, aut Lutheranam aliqua ex parte foueamus. Sed veteribus & nouis penitus profligandis, probè intellecta, iuxta memoratum Proſperum, vna ſat eſt Auguſtini doctrina.* Quod confidimus Domini protectione præſtandum, vt quod operatus eſt in Innocentio, Zozymo, Bonifacio, Celeſtino, *addo & Gelaſio, Hormiſda, Felice, Ioanne 2. Clemente 8. operetur & in Alexandro 7.* & in cuſtodia Dominici gregis hæc ſit pars gloriæ huic reſeruata Paſtori, vt ſicut illi lupos abegere manifeſtos, ita hic depellat occultos. Sufficienter vt arbitror demonſtratum eſt, reprehenſores S. Auguſtini, & vana objicere, & recta impugnare, & praua defendere, peremptorumque armis, inteſtinum bellum mouentes, dictis diuinis, atque humanis conſtitutionibus rebellare.

Proſper. in concluſione lib. 4. Reſponſ.

Atque vt nihil huic ſanæ doctrinæ ſancti Auguſtini tutanda deſiderari poſsit, duas Epiſtolas, Proſperi ad Ruffinum, & Fulgentij, ac 265. Epiſcoporum Africæ Synodalis oraculi, velut duo inexpugnabilia propugnacula ſubijcio, quæ totius diſciplinæ integerrimi Doctoris continent ſummam.

EPISTOLA S. PROSPERI AQVITANICI DE GRATIA ET LIBERO Arbitrio, ad Ruffinum quæ habetur inter eius opera, to. 5. Bibliot. PP. parte 3. p. 82.

ACcepi per communem amicum fraternæ erga me ſolicitudinis tuæ ſigna, & curam ſinceriſſimæ charitatis gratulanter agnoui. Ac ne quid mali rumores, in quantum ſe auribus tuis ſubtrahere nequeunt, formidinis tibi aut anxietatis inferrent, abſoluere te ab omni ſcrupulo, quantum epiſtolari licuit ſermone curaui: in tantum ſtudens omnia pleniſſimâ tibi veritate pandere, vt quia non potuiſti in totum quæ ab aduerſantibus diſſeminantur, audire: per meipſum queas quicquid de nobis ad inanem inuidiam fertur, referturque, cognoſcere. Sed inſinuanda prius ſanctitati tuæ eſt qualitas quæſtionis, de qua iſta naſcuntur: quò tibi magis pateat falſitas obloquentium: & videas quam lucem, quibus tenebris conentur obducere.

Pelagiana igitur hæreſis, quo dogmate Catholicam fidem deſtruere adorſa ſit, & quibus impietatum venenis viſcera Eccleſiæ, atque ipſa vitalia corporis Chriſti voluerit occupare, notiora ſunt, quàm vt opere narrationis indigeant. Ex his tamen vna eſt blaſphemia, nequiſſimum & ſubtiliſſimum germen aliarum, quâ dicunt, GRATIAM DEI SECVNDVM MERITA HOMINVM DARI. Cùm enim primùm tantam naturę humanæ vellent aſtruere ſanitatem, (*alij ſanctitatem*) vt per ſolum liberum arbitrium poſſet aſſequi Dei regnum: eo quòd tam plenè ipſo conditionis ſuæ præſidio iuuaretur, vt habens naturaliter rationalem intellectum, facilè bonum eligeret, malumque vitaret: & vbi in vtraque parte libera eſſent opera voluntatis, non facultatem his qui mali ſunt, ad bonum deeſſe, ſed ſtudium. Cùm ergo, vt dixi, totam iuſtitiam hominis, ex naturali vellent rectitudine, ac poſſibilitate ſubſiſtere, atque hanc definitionem doctrina ſana reſpueret, damnatum à Catholicis ſenſum, & multis poſtea hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud ſe ingenio ſeruauerunt, vt ad incipiendum, & ad proficiendum, & ad perſeuerandum in bonum, neceſſariam homini Dei gratiam profiterentur. Sed in hac profeſſione, quomodo vaſa iræ molirentur irrepere, ipſa Dei gratia vaſis miſericordiæ reuelauit. Intellectum eſt enim, ſaluberrimèque perſpectum, hoc tantùm eos de gratia confiteri, quòd quædam libero arbitrio ſit magiſtra, ſeque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perque terrores extrinſecus iudicio eius oſtendat, quo vnuſquiſque ſecundùm voluntatis ſuæ motum, ſi quæſierit, inueniat: ſi petierit, recipiat: ſi pulſauerit, introeat. Quia ſcilicet gratiæ ipſius vocatio, hoc primùm circa nos agat, vt noſtræ facultatis arbitrium admoneat; nec aliud ſit gratia, quàm lex, quàm propheta, quàm doctor; cui circa omnes homines per vniuerſum mundum commune & generale ſit ſtudium, vt qui voluerint, credant, & qui crediderint, iuſtificationem merito fidei, & bonæ voluntatis accipiant: ac ſic gratia Dei ſecundùm hominum meritum tribuatur: atque hoc modo gratia non ſit gratia: quia ſi meritis redditur, & non ipſa eſt bonorum creatrix, fruſtrà gratia nominatur.

Has autem verſutias, quibus ſe filij tenebrarum in ſimilitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cùm & Orientalium Epiſcoporum iudicia, & Apoſtolicæ ſedis authoritas,

&c

gitized by Google

& Africanorum Conciliorum vigilantia deprehenderit : beatiſſimus quoque Auguſtinus, præcipua vtique in hoc tempore portio Dòmini Sacerdotum copiosè & pulchrè in multis voluminum diſputationibus deſtruxit: vt pote inter multa Dei dona quibus illum abundantiſſimè ſpiritus veritatis impleuit, habens etiam hanc ſcientiæ & ſapientiæ ex Dei charitate virtutem, vt non ſolùm iſtam adhuc in ſuis detruncationibus palpitantem, ſed etiam multas prius hæreſes inuicto Dei verbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Eccleſiæ, & ad gloriam Chriſti, quâ ipſe illuſtratus eſt, perfulgenti, quidam noſtrorum, quod de ipſis multum dolendum eſt, occultis, ſed non incognitis ſuſurrationibus obloquuntur : & provt ſibi obnoxias aliquorum aures, opportunaſque repererint, ſcripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant : dicentes eum liberum arbitrium penitus ſubmouere, & ſub gratiæ nomine, neceſſitatem prædicare fatalem. Adjicientes etiam illum duas humani generis maſſas, & duas credi velle naturas : vt ſcilicet tantæ pietatis viro, paganorum & Manichæorum aſcribatur impietas. Quæ ſi vera ſunt, cur ipſi tam negligentes, ne dicam tam impij ſunt, vt tam abruptam perniciem ab Eccleſia non repellant. Tam inſanis prædicationibus non reſiſtant? nec ſaltem aliquibus ſcriptis, eum à quo talis emanat doctrina, conueniant? Magnâ enim gloriâ ſuâ humano generi conſuluerint, ſi Auguſtinum ab errore reuocauerint : niſi fortè modeſti homines nouique cenſores, magnorum priùs meritorum ſeni honorabiliter ac miſericorditer parcũt; & ſecuri, quia libros ejus nemo vſque recipiat, conquieſcunt atque ignouerunt. Imò nouerunt, non ſolùm Romanam Africanamque Eccleſiam, & per omnes mundi partes vniuerſos promiſſionis filios, cum doctrina hujus viri, ſicut in tota fide, ita in gratiæ confeſſione congruere. Sed etiam in ipſis his locis, in quibus aduerſus eum querimonia concitatur, eſſe propitio Deo plurimos, qui AD PERCEPTIONEM EVANGELICÆ APOSTOLICÆQVE DOCTRINÆ, SALVBERRIMIS EIVS DISPVTATIONIBVS IMBVVNTVR, & quotidie in membris Corporis Chriſti, in quantum ea ipſe multiplicat, dilatantur. Si rectè reprehendimur, cur non conſtanter arguimur? Si arguendi non ſumus, cur occulta obtrectatione mordemur? Sed quis neſcit, cur iſta priuatim de ſtomacho garriant, & publicè de conſilio conticeſcant? volentes enim in ſua iuſtitia magìs, quàm in Dei gratia gloriari, moleſtè ferunt, quòd his quę aduerſum EXCELLENTISSIMÆ AVTHORITATIS VIRVM, inter multas collationes aſſeruere, reſiſtimus. Nec dubitant, ſi quam hinc mouerint quæſtionem, in qualibet frequentia Sacerdotum, in qualibet congregatione populorum, centenis ſibi beatiſſimi Auguſtini voluminibus obuiandum. Quæ cùm cordibus audientium manifeſtare cœperint, potentiſſimam Chriſtianæ fidei veritatem, & de fontibus diuini eloquii præſentium animos inundare, quis fidelium; quis piorum, recognitis & commendatis ſibi ſalutis ſuæ cauſis amaritudinem iſtam volet fumoſæ reciperé vanitatis? Ego quidem etiam hoc de diuitijs miſericordiæ Dei ſpero, quòd quos nunc libero falli arbitrio ſuo, & ab humanitatis via patitur euagari, non vſquequaque, neque in finem ſit intelligentiâ fraudaturus: ſed hunc ipſum in longiora progreſſum, ideo ab eo tardius reuocari, vt opus gratiæ ejus majore gloria celebretur, cùm ſibi etiam aduerſantium corda ſubdiderit, quibus de virtutum ſtudio exortum eſt periculum, & de morum probitate diſcrimen. Non quia quiſquam carere his debeat, ſed quia miſerrimus eorum vſus eſt, cùm ex naturali putantur facultate prodiſſe, aut ex largitate quidem gratiæ, ſed aliquo vel boni operis, vel bonæ voluntatis merito præcedente veniſſe.

Aſſerunt quidam hæc quibuſdam ſanctarum Scripturarum teſtimonijs, ſed non rationabiliter adſumptis. Ad defenſionem enim alicujus definitionis, ea promenda ſunt, quæ alteri intellectui, à quo videtur definitio diſſonare, non cedant, & eam regulam, cui ſunt aptata, non deſerant. Dictum ergo aiunt libero arbitrio vtentibus : venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quoniam mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Quod ad omnes homines volunt pertinere laborantes in incerto iſtius vitæ, oneratoſque peccatis : vt qui voluerint manſuetudinem & humilitatem Saluatoris imitari, & iugum mandatorum eius ſubire, inueniant requiem animabus ſuis in ſpe vitæ æternæ: qui autem hęc facere noluerint, ſua culpa careant ſalute : quam ſi voluiſſent, potuerant obtinere. Sed audiant & dictum à Domino libero arbitrio vtentibus: ſine me nihil poteſtis facere. Et, nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, attraxerit eum. Et, nemo poteſt venire ad me, niſi datum ei fuerit à Patre meo. Et, ſicut Pater viuificat mortuos, ita & filius, quos vult viuificat. Et, nemo nouit filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi filius, & cui filius voluerit reuelare. Quæ omnia, cùm ſint incommutabilia & nequeant vlla interpretatione in ſenſum alium detorqueri, quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generauerit? Alioquin ſufficeret moneri hominem, non etiam in ipſo nouam fieri voluntatem: ſicut ſcriptum eſt: præparatur voluntas à Domino. Et ſicut ait Apoſtolus: Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Pro qua bona voluntate, niſi quam

Matth. 11. 28.
Io. 15. 5.
Io. 6. 44.
Io. 5. 21.
Luc. 10. 22.
Prou. 8. 35.
Philipp. 2. 13.

in ipsis operatus est Deus, vt quod donauerat velle, donaret & facere?

Dicunt etiam ad demonstrandam liberi arbitrij facultatem, magnum in Centurione Cornelio, extare documentum: eo quòd ante gratiæ perceptionem, timens atque orans Deum, eleemosynis, & iejunijs, & orationi spontaneo studio fuerit intentus, atque ob hoc diuino testimonio laudatus, donum regenerationis acceperit: neque intelligunt omnem illam præparationem Cornelij, per Dei gratiam fuisse collatam, *quem nec timuisset, nec inuocasset nisi iam accepta fide mundante cor, Deo credens placuisset.* Siquidem cùm S. Petrus per visionem omne genus animalium de baptizando Cornelio, ac perinde de omnibus gentibus doceretur, atque ille immundum & indiscretum cibum Iudaicâ obseruantiâ recusaret, trina ad eum vox facta sit
Act. 10. 15. dicens: quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Quo satis apertè ostenditur omnia bona opera quæ in Cornelio præcesserunt, Dei gratia ad emundationem ipsius inchoasse: vt cui Dominus iam impertierat hoc donum, non dubitaret Apostolus conferre Sacramentum: ne nouæ & necdum reuelatæ vocationis vacillaret exordium, nisi per ipsa indicia præcedentium
2. Thess. 3. 2. studiorum Deum in adsumendis constaret operatum. Non enim omnium est fides, nec omnes credunt Euangelio: sed qui credunt, Dei aguntur Spiritu: qui non credunt, libero auertuntur arbitrio.

Conuersio ergo nostra ad Deum, non ex nobis, sed ex Deo est: sicut Apostolus dicit; gra-
Ephes. 2. 8. tia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donũ est: & non ex operibus, ne quis glorietur: Agnoscat se humana debilitas, & in primo homine vniuersarũ generationum damnata successio: & cùm mortui viuificantur, cùm cæci illuminantur, cùm impij iustificantur, confiteantur vitam, & lumen, & iustitiam suam Iesum Christum. Et qui gloriatur, in Domino glorietur, non in se. Qui cùm esset impius, & cæcus, & mortuus, à liberatore suo gratis accepit & iustitiam, & lumen, & vitam. Non enim iustè agebat, & aucta est iustitia eius: nec ad Deum gradiebatur; & confirmatus est cursus eius: nec diligebat Deum, & inflammata est charitas eius. Sed cùm esset sine fide, ac perinde impius, accepit spiritum fidei, & factus est
Rom. 1. 17. Hebr. 11. 6. iustus. Iustus autem ex fide viuit: & sine fide nemo potest placere Deo. Et omne quod non
Rom. 14. 23. est ex fide, peccatum est. Vt scilicet intelligat IVSTITIAM INFIDELIVM NON ESSE IVSTITIAM: *veram scilicet, & secundùm Deum:* quia sordet natura sine gratia. Amissâ quippe naturali innocentiâ, homo exul ac perditus, ambulans sine via, profundiores intrabat errores: sed quæsitus, & inuentus, & reportatus est, & in via, quæ veritas, & vita est, introductus ad dilectionem in Deum qui illum non diligentem prior dilexit, agnitus est: sicut dicit B. Apostolus
1. Io. 4. 10. Ioannes: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos, Et iterum: nos
Ibid. 19. ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Et idem dicit: charissimi, diligamus
Ibid. 7. inuicem quoniam charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quia Deus charitas est. Cui B. Paulus congruit,
Gal. 5. 6, dicens: in Christo Iesu, neque Circumcisio neque præputium valet aliquid: sed fides quæ per dilectionem operatur. Vnde habetur hæc fides connexa charitati, nisi vnde eam ipse monstrat
Philipp. 1. 29. acceptam? dicens: quia vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro ipso patiamini. Quod vtique fieri sine magnâ charitate non poterat. Et iterum:
Rom. 5. 5. charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Sine qua
1. Cor. 13. 1. & seq. charitate Apostolus, quantam fidem, quantamque scientiam, quas virtutes, quæ studia, quos labores, nihil prodesse testatur. Quia scilicet multa laudabilia atque miranda possunt in homine reperiri, quæ sine charitatis medullis habent quidem pietatis similitudinem, sed non habent veritatem. Hoc ergo tanto, & tam ineffabili bono nemo inuentus est dignus. Sed quicumque electus est à Deo, factus est dignus; sicut dicit Apostolus: gratias agentes Patri, qui
Coloss. 1. 12. dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum,
2. Tim. 1. 8. & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Et idem ad Timotheum: conlabora, inquit, Euangelio secundùm virtutem Dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta; non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tem-
Tit. 3. 3. pora sæcularia. Et ad Titum: Eramus, inquit, & nos aliquando insipientes & increduli, errantes & seruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit, gratia igitur Dei quoscumque iustificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos fecit: postea, per profectum; ex bonis factura meliores: non adempto libero arbitrio, sed liberato. Quod donec sine Deo solum fuit, mortuum fuit iustitiæ, vixitque peccato. Vbi autem ipsum illuminauit misericordia Christi, erutum est à regno diaboli, & factum est regnum Dei, in quo vt permanere possit, ne ea quidem facultate sufficit sibi, nisi inde accipiat perseuerantiam, vnde accepit industriam.

Quoniam & ipsius S. Petri ardentissima fides, in tentationibus defecisset, nisi pro eo Do-
Luc. 22. 31. minus supplicasset: sicut Euangelista manifestat dicens: dixit autem Iesus Petro: Simon Si-

mon, ecce Satanas postulauit vt vos cribraret velut triticum. Ego autem rogaui pro te ne deficiat fides tua; *scilicet totali defectu, & vsque in finem absque reditu. Vel ei locutus est hoc in persona totius Ecclesiæ nunquam defecturæ*: & tu tandem conuersus, confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem: & vt magis probaretur liberum arbitrium nihil posse sine gratia: cui dictum fuerat: confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem: cùique respondit, vtique de libero arbitrio; Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire: eidem prædicitur, quòd priusquam gallus cantet, ter Dominum negaturus sit. Quod quid est aliud, quàm quòd in fine defecturus sit? Certè rogauerat pro eo Dominus, ne deficeret fides ipsius. Nec vtique frustra rogauerat, cuius vna erat cum eo quem rogauerat, operatio. Sed ne libero arbitrio videretur stare, qui de se magna promiserat, permittitur periclitari, vt conturbatum ac deficientem ille respiciat, & reficiat, sine quo nemo consistit, nemo persistit.

Ab hac autem confessione gratiæ Dei, ideo quidam resiliunt, ne cùm eam talem confessi fuerint, qualis diuino eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quòd ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum, certus apud Deum definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundùm propositum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quàm ipsi gratiæ contraire. Neque enim remotum est ab inspectione communi quot sæculis, quàm innumera hominum millia erroribus suis impietatibusque dimissa, sine vlla veri Dei cognitione defecerint: sicut etiam in actibus Apostolorum, Pauli & Barnabæ verba declarant, dicentium Iconijs. Viri fratres, quid hæc facitis? & nos sumus mortales similes vobis homines, adnuntiantes vobis; vt ab his vanis conuertamini ad Deum viuum qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum relinquens, benefaciens eis, de cœlo dans pluuiam & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Cùm vtique si eis vel naturalis intelligentia, vel vsus beneficiorum Dei ad capessendam vitam æternam sufficere potuisset, nostro etiam tempore rationalis nos contemplatio, & temperies aëris, & fructuum copia, ciborumque saluaret: quia scilicet melius naturâ vtentes; Creatorem nostrum propter quotidiana ipsius dona coleremus. Sed absit ab animis piorum, & Christi sanguine redemptorum stulta nimium & perniciosa persuasio. Naturam humanam non liberat extra vnum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum: sine illo nemini salus. Sicut ipse fecit nos, & non ipsi nos: ita ipse reficit nos, & non ipsi nos. Ac ne sibi facultas hominis, pretium reparationis huius; vel post restitutionem sui, per opera videretur iustitiæ repensare, effuderunt se diuitiæ bonitatis Dei, in ipsa quorundam primordia paruulorum: in quibus nec præcedens eligitur, nec secutura deuotio, non obedientia, nec discretio, non voluntas. De his enim loquor, qui mox vt nati sunt, renascuntur: & rapti ab hac vita, æternæ beatitudini deputantur: cùm tamen innumerabilis multitudo, ejusdem naturæ, ejusdemque conditionis infantium, sine regeneratione decedat, de qua dubitari non potest, quod partem in Dei ciuitate non habeat.

Act. 14. 14.

Psal. 32. 3.

Et vbi est illud quod nobis quasi contrarium, à non intelligentibus semper opponitur? Quòd Deus omnes homines velit saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Numquid non sunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus vsque in hoc tempus sine Dei cognitione perierunt? Et si majoribus natu, quod rectè non dicitur, mala opera quæ libero arbitrio commiserant, obfuerunt; quasi boni, non mali gratiâ liberentur, inter saluatos paruulos, & non saluatos paruulos, quæ meritorum potuit esse discretio? Quid istos introduxit in regnum Dei? Quid istos excluſit à Dei regno? Equidem si meritum consideres, non vna pars saluari meruit sed vtraque damnari: quia omnibus in Adæ præuaricatione prostratis, nisi quosdam adsumeret misericors gratia, maneret super vniuersos inculpata iustitia. Quæ autem sit discretionis istius in secreto Dei consilio causa vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur; modò confiteamur neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari: & omnipotentissimam Domini bonitatem, omnes saluare, & omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos vult omnes fieri saluos, & ad agnitionem veritatis venire. Nisi enim ipso vocante, docente, saluante, nemo venit, nemo eruditur, nemo saluatur. Quia ipsi indifferenter omnibus hominibus iubentur prædicare Doctores, & semen verbi vbique differere, tamen neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Vnde cùm Apostoli gentibus Euangelium prædicare cœpissent, de parte quadam eorum qui audierant, scriptura commemorat, dicens: Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Dei, & crediderunt quotquot erant prædestinati in vitam æternam. Et alibi cùm multæ mulieres audirent Paulum docentem: quædam, inquit, mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Tyatyrorum colens Deum, audiuit: cujus Dominus aperuit cor, vt intenderet his quæ

1. Tim. 2. 4.

1. Cor. 3. 7.

Act. 13. 48.

Ibid. 16. 14.

dicebantur à Paulo. Et rursum, eo ipso tempore quo ad omnes gentes prædicatio Euangelij mittebatur, quædam loca Apostolis adire prohibebatur ab eo qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Multis vtique in illa retardatis & auersis Euangelij morâ, sine agnitione veritatis, & sine regenerationis consecratione moriturís. Dicat ergo
Act. 16. 6. scriptura quod gestum est: Transeuntes autem, inquit, Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti sunt à sancto Spiritu loqui verbum in Asia. Cùm venissent autem in Mysiam tentabant ire in Bithyniam, & non permisit illis Spiritus Iesu.

Quid autem mirum si inter ipsa Euangelicæ prædicationis exordia, non poterant ire Apostoli, nisi quò eos Spiritus Dei ire voluisset; cum videamus pleraſque gentes modò primum Christianæ gratiæ fieri cœpisse participes: alias autem nullum adhuc odorem boni illius attigisse? an dicendum est voluntati Dei humanas obsistere voluntates, & tam feros, tamque intractabiles horum hominum mores, vt Euangelium ideo non audiant, quia prædicationi impia corda non pateant? Et quis istis corda mutauit, nisi qui finxit singillatim corda eorum?
Psal. 32. 15. Quis hujus rigoris duritiem ad obediendi molliuit affectum, nisi qui potens est de lapidibus
Matth. 3. 9. Abrahæ filios suscitare? Et quis dabit prædicantibus intrepidam, illæsamque constantiam, nisi
Act. 18. 9. ille qui ait Paulo; noli timere, sed loquere, & ne taceas propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi vt noceat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate? Puto autem, quòd nemo audeat dicere vllam mundi gentem, vllam terræ prætermittendam esse regionem in qua non sint Ecclesiæ tabernacula dilatanda, dicente Deo postula à me, & dabo tibi gentes
Psal. 2. 8. hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et iterum: Reminiscentur, &
Psal. 21. 28. & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius, vniuersæ
Matth. 24. 14. patriæ gentium, dicente quoque ipso Domino: prædicabitur Euangelium in vniuerso mundo, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Quæcumque ergo gentes nondum
Act. 13. 48. audierunt, audient Euangelium, & credent quotquot ex eis præordinati sunt in vitam æternam. Non enim alij venient in consortium hæreditatis Christi, quàm qui ante constitutionem
Ephes. 1. 11. mundi electi sunt, & prædestinati atque præsciti, secundùm propositum eius qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ.

Confiteamur igitur opera Domini & glorificemus misericordias eius. Nec impatienter feramus, quòd quæ aut quanta sint electionis vasa non nouimus. Quia & in anterioribus sæculis
Psal. 75. 1. quando de vnius gentis populo dicebatur: Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius: futura gentium latebat electio, & post modum innotuit, quòd reuelatum ante non fuerat;
Ephes. 3. 5. sicut dicit Apostolus: quòd in alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut
Act. 10. 45. nunc reuelatum est sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu sancto, esse gentes cohæredes, & concorporales, & cõparticipes promissionis, in Christo Iesu & in Actibus Apostolorũ: obstupuerunt, inquit, ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Si enim consilium vocationis suæ Dominus quandiu voluit, abscondit, ac distulit, & quando voluit reuelauit; *quàm clarum est, noluisse Deum tot gentiles ad*
Psal. 147. 9. *agnitionem veritatis venire, cùm notus tantùm in Iudæa esset Deus, & iudicia sua non manifestaret eis,*
Act. 14. 15. *nec taliter faceret omni Nationi, dimittens gentes ingredi vias suas, ambulare in adinuentionibus suis,*
Psal. 80. 13. *exceptis panciſſimis, vno inter Orientales Iob, Melchisedech, & duobus Centurionibus, Euangelij & Actorum fidelibus, in scriptura memoratis*; sanctisque eius ignorantia ista non nocuit, cur spei nostræ obesse credimus, si in quo numero, quibusue hominibus, vasa misericordiæ in gloriam præparantur, occulitur? Cùm tamen constet regnum cœlorum omnes ingressuros bonos, eis donante Dei gratia: *& hi sunt, quos vult omnes saluos fieri, nullum ex eis perire, aut perdere, ex omnibus gentibus, & populis, & linguis, & tribubus*: & nullos ingressuros malos, hoc ipsorum merente nequitia.

Nimiùm verò ineptè nimiùmque inconsideratè ab aduersantibus dicitur, quòd per hanc Dei gratiam, libero nihil relinquatur arbitrio. Quamuis enim in paruulis baptismum transeuntibus manifestissimè nullum opus, nullusque appetitus eorum voluntatis existat: & plerosque vtentes quidem libero arbitrio, sed auersos à vero Deo, vitamque id flagitijs exigentes, liberatrix regeneratio in ipso exhalandi spiritus fine sanctificet: tamen si eam filiorum Dei partem, quæ ad pietatis opera reseruatur, pio consideramus intuitu, nonne in eis non peremptum inueniemus liberum arbitrium, sed renatum? Quod vtique cùm solum esset, sibique permissum, non nisi in suam perniciem mouebatur. Ipsum enim se excæcauerat, & ipsum se illuminare non poterat. Nunc autem idem arbitrium conuersum est, non euersum. Et donatum est ei, aliter velle, aliter sapere, aliter agere, & incolumitatem suam non in se, sed medico collocare. Quia necdum tam perfecta vtitur sanitate, vt ea quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere: aut ab insalubribus possit iam suis viribus temperare. Proinde homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus; sed per se malus, per Deum bonus. Qui eum ita in illum initialem honorem, *status innocentiæ* alio initio reformauit, vt ei non solùm culpam malæ voluntatis, & actionis remitteret, sed etiam benè velle, benè agere,

atque in his permanere donaret. Omne enim, inquit, Apostolus Iacobus, datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à patre luminum. Qui quale sit liberum arbitrium, quòd humano spiritu agitur, & quale sit quod à Deo regitur, euidenter ostendit, dicens: Quòd si zelum amarum habetis; & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari aduersùm veritatem, & mendaces esse, Non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem de sursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiæ & fructibus bonis, non diiudicans, sine simulatione. Quicumque ergo his virtutibus studeut atque inhærent, non sua, sed superna sapientia illustrati sunt: quoniam Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus. Et hæc eorum verissima gloria est, si non in se, sed in Domino glorientur. Iac. 1. 17. Iac. 3. 14. Prou. 2. 6.

Ea autem quæ de fato, & de duabus massis, duabusque naturis, stultissimo mendacio, intenti viri iniuriæ iactitant, neque ipsum quidem onerant, in cuius libris copiosissimè huiusmodi destruuntur errores, nec nos perturbant, qui tales opiniones cum suis autoribus execramur. Sed videant quomodo se à dedecore istius exuant falsitatis, qui possunt tam inepta confingere, si hi quorum abutuntur auribus, aliquantulùm diligentiæ ad cognoscenda ea quæ PRÆSTANTISSIMVS MINISTER GRATIÆ disputauit intenderit. Licet omnem istius inquisitionis moram, ipsi qui hæc loquuntur præuenire deberent, proferendo atque explicando libros; vllamue eorum particulam demonstrando, quam per dubium saltem intellectum, tali interpretationi obnoxiam vir sanctus ediderit. Sed prorsus nihil apud nos tale audierunt, nihil tale legerunt: quia non fato quicquam geri, sed omnia Dei iudicio nouimus ordinari. Nec ex duabus massis, duabusve naturis, sed ex vna massa quæ est caro primi hominis, vnam scimus omnium hominum creatam crearique naturam, & eandem per ipsius primi hominis liberum arbitrium, in quo omnes peccauerunt esse prostratam: nec vllo modo ab æternæ mortis debito liberam, nisi eam ad imaginem Dei, secundæ creationis Christi gratia reformauerit. LIBERVMQVE EIVS ARBITRIVM AGENDO, SPIRANDO, AVXILIANDO, ET VSQVE IN FINEM PRÆVNDO SERVAVERIT, Act. 17. 26. Rom. 5. 12.

Vnde quia perspicit sanctitas tua, si tamen sermonis mei non obstitit obscuritas, frustra quosdam de nobis conqueri: & omnes illas ineptas criminationes, ad exasperandos, auertendosque animos eorum quibus aliud volunt persuadere, contexi. Confide ergo in virtutem misericordiæ Dei, quoniam hæc contradictio, sicut in alijs mundi partibus, ita & in his regionibus conquiescit: VT PRÆDICATIO SVMMI HOC TEMPORE IN ECCLESIA VIRI, etiam ab his à quibus ad præsens reuellitur, adiuuetur. Tu autem dilectissime & venerandissime mihi frater, SI VERE DE HIS QVÆSTIONIBVS INSTRVI DESIDERAS SICVT DESIDERARE, TE CONVENIT, IPSIS B. AVGVSTINI DISPVTATIONIBVS COGNOSCENDIS IMPENDE CVRAM: VT IN CONFITENDA DEI GRATIA DEFÆCATISSIMAM AC SALVBERRIMAM EVANGELICÆ APOSTOLICÆQVE DOCTRINÆ INTELLIGENTIAM CONSEQVARIS. Gratia Dei & pax Domini Iesu Christi custodiat te in omni tempore, & per viam veritatis dirigat in vitam æternam.

EPISTOLA SYNODICA 265. EPISCOPORVM AFRICÆ

In Sardinia exulum, cuius Author esse creditur S. Fulgentius, & habetur inter opera eius, & refertur to. 6. parte 2. Bibliothecæ Patrum. pag. 150.

Baron. an. 504. ex Theoph. 220. ex Sigeb. & Marian. Scot. 225.

DEi gratiâ plurimùm amplectendis sanctis fratribus, Ioanni Presbytero & Archimandritæ, & Venerio Diacono, & fidelibus viris, quorum in vestra Epistola subscriptio continetur, Dacianus, Fortunatus, Boëthus, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus, famuli Christi, in Domino salutem.

Quantùm membra Ecclesiastici corporis, per Christi gratiam in vnitate fidei compages retinet charitatis; tantùm necesse est, vt per inuicem solicita sint membra, vt repulso cuiuslibet praui dogmatis verbo, non solùm seruandæ verùm etiam reparandæ sanitati, iugis atque indefessa tam sermonis, quàm orationis impendatur instantia. Sic enim fit, vt dum solicitudo fraternæ puritatis inuigilat, ipse Spiritus sanctus, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, diligentibus Dominum, & in Domino proximum, omnia cooperentur in bonum. Quia sicut ipsam dilectionem dono gratiæ spiritualis accipimus, ita dum pro fratribus soliciti sumus, non solùm diuinam inesse nobis gratiam demonstramus, verùm etiam, quantò magis à nobis puritas charitatis impenditur, tantò magis gratia nobis diuinæ retributionis augetur. Accepimus itaque vestræ charitatis Epistolam, quæ nostrum ex parte releuauit, ex parte verò mœstificauit exilium. Gaudemus enim quia rectam tenetis de gratia Dei senten- Rom. 5. 5. Rom. 8. 28.

Digitized by Google

tem, cuius lumine illuminatur, & iuuamine gubernatur liberum humanæ mentis arbitrium. Sed quadam fumus nebula mœroris affecti, quia significastis quosdam fratres in quæstione de gratia Dei, & humano arbitrio. NON RECTVM TENERE FIDEI CATHOLICÆ TRAMITEM: SED AVERSVS DEI GRATIAM ELEVARE VELLE HVMANI ARBITRII LIBERTATEM. Vbi primùm, dilectissimi, deberis agnoscere, immo vos non ambigimus agnouisse, ad hoc diuinitus ista permitti, vt hinc diuinæ gratiæ virtus documento possit indicij manifestioris intelligi. Quandoquidem ipsa gratia nullatenus agnoscitur, nisi detur: quæ quandiu non est in homine, tandiu necesse est vt ei aut sermone repugnet, aut opere. Nam sermone repugnat gratiç Dei, qui sensum gerit fidei Christianæ contrarium: repugnat autem opere, qui in moribus suis Christianæ vitæ non tenet institutum.

Hoc quippe in homine agit gratia diuinitus data vt animus dono fidei charitatisque præcepto, & sermonem bonum proferat, & studio bonæ operationis insistat. Quod fidelibus diuinitùs dari, beatus & ostendit & poposcit Apostolus dicens: Ipse autem Dominus noster Iesus
2. Thess. 2. 16. Christus & Deus Pater noster qui dilexit nos, & dedit consolationem çternam & spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere bono & sermone. A Deo itaque nobis est omnis gratia boni sermonis, & operis, à quo nobis etiam ipsius cogitationis bonæ manifestum est sufficientiam tribui: vt discat homo non in se, sed in Domino gloriari. Diuinæ quippe gratiæ bonam cogitationem hominis B. assignabat Apostolus, quando
2. Cor. 3. 4. dicebat; fiduciam autem talem habemus ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Proinde & si quidam gratiam necdum habentes, non se intelligunt, non habere: illi tamen qui gratiam diuinitùs acceperunt, eò magis debent in ipsius gratiæ assertione firmari, quò eam vident non omnibus tribui. Necesse est autem, vt ab eis quibus non tribuitur, ignoretur: & ab eis agnoscatur, quibus di-
1. Cor. 2. 12. & seq. uina largitate donatur. Testatur enim Apostolus dona Spiritus sancti ejusdem Spiritus sancti acceptione cognosci: ideo ait; Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: Stultitia est enim illi: & non potest intelligere, quia spiritaliter dijudicantur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur: per sanctum ergo Spiritum gratiam accipimus, quo accepto fit in nobis, vt quod accepimus, nouerimus: Proinde scienda est, dilectissimi, & recto tenore veræ fidei profitenda, tam humani arbitrij egena paupertas, quàm diuinæ gratiæ indeficiens largitas. Quid
1. Cor. 4. 7. enim habes, ait Apostolus, quod non accepisti, si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Ante largitatem quippe gratiæ, est in homine quidem liberum arbitrium; sed non bonum, quia non illuminatum. Proinde nisi gratia detur bonum ipsum arbitrium non habetur. Sic namque est liberum hominis arbitrium absque dono gratiæ, sicut est oculus sine luce, Nam & oculus ad videndum factus est: sed nisi lumen acceperit, non videbit. Illa autem est
Ioa. 1. 9. lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illuminat autem hominem [illegible]ipsam dando per gratiam: Sicut ergo corporis oculus semper indiget lumen accipere, vt ipsum possit aspicere: sic & libero arbitrio hominis nulla potest gratiæ suffragari cognitio, nisi detur ipsius gratiæ spiritalis infusio.

Proinde vt de ijs quæ vestris litteris indidistis, QVID HABEAT CATHOLICI DOGMATIS VERITAS, INTIMEMVS, singula breuiter definire curauimus, sequentes donum ejusdem gratiæ, quod sanctorum Patrum cordibus & linguis ipsa est dignata infundere. Dixistis itaque, quòd vobis dicentibus, quòd Esaü & Iacob necdum natis, Iacob per misericordiam gratuitam eligitur, Esaü autem originali peccato detentus, iusto iudicio Dei est odio habitus. Illi è contrario dicunt, in Esaü figuram esse populi Iudæorum, ex futuris malis operibus condemnandi. In Iacob verò esse figuram populi gentium, ex futuris operibus bonis saluandi. Hæc duo quæ singula proponitis, bonum est vt Catholica consensione iungatis. Sic enim & ab illis Dei gratia competenter agnoscitur, & à vobis Propheticum mysterium non negatur. In illis namque duobus fratribus dignè accipitur duorum significatio populorum præsertim cùm ipsi Rebeccæ Dominum consulenti duo prænuntientur populi, ab eius vtero separandi. Veruntamen agnoscenda est in illa discretione & gratuita bonitas, & iusta seueritas. Nam quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum, & gratiâ discernuntur, quicumque saluantur: profectò non sunt electa, neque dilecta in Iacob humana
Rom. 3. 5. opera, sed dona diuina. Rursus quia iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, proculdubio in Esaü humanæ iniquitatis est, damnata nequitia. In eo quippe gratuitum in Iacob Dominus ostẽdit beneficiũ misericordiæ suæ, inquo eum nõ pro meritis futuræ cujusquã bonæ operationis elegit, cui seipsum, & fidẽ, & bona opera donaturũ esse præsciuit. Inde est quod semini Abrahæ,
Ephes. 2. 8. cuius in Iacob figura præcessit, B. Apostolus dicit gratia salui facti estis per fidem. Vt ostenderet fidem non aliquibus bonis meritis dari, sed ipsius fidei dono omne bonum meritum inchoari,

ipſamque donum Dei eſſe, ſecutus adiunxit; & non ex vobis, ſed donum Dei eſt. Ac ne quiſquam ſibi quorumlibet bonorum operum audeat meritum vendicare, & pro quibuſcumque operibus fidem ſe æſtimet accepiſſe, ſubiecit: non ex operibus, ne quis glorietur. Vt autem oſtenderet non ſolùm fidem, ſed etiam bona opera diuinitus tribui, continuò ſubdidit: ipſius enim factura ſumus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis. Quæ non ſolùm à Deo donata, ſed ab ipſo præparata teſtatur, dicens: quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Gratiâ itaque Iacob ſaluus factus eſt per fidem, gratiâ conſecutus eſt bonorum operum facultatem. Quocirca, quia certum eſt Eſaü fuiſſe vas iræ, Iacob autem vas miſericordiæ; certiſſimè tenendum eſt, quod & ille vt damnaretur, iram iuſtè meruit: non enim iniuſtus Dominus qui iram infert: & iſte vt ſaluaretur, gratis donum miſericordiæ præuenientis accepit. Iacob itaque iuſtificatus gratis per gratiam Dei, factus eſt vas miſericordiæ per indebitam gratiam, & per ipſam miſericorditer eſt præparatus ad gloriam: Eſaü verò per iram iuſtam, iuſtè eſt præparatus ad pœnam. Iniquitas autem noſtra iuſtitiam Dei commendat. Deus ergo in Iacob miſericordiam gratuitæ bonitatis, in Eſaü verò iudicium iuſtæ ſeueritatis oſtendit: qui Sacramento quidem circumciſionis octauo die, ſecundùm tenorem diuinæ conſtitutionis acccepto, reatu peccati originalis caruit, ſed per nequitiam cordis, in hominis terreni vetuſtate permanſit; illius ibi IVDICIO DERELICTVS, *quem prior delinquendo dereliquerat*, qui gratis ſaluat, iuſtéque damnat.

Ibid 9. Ibid.10. Rom.5.5. Rom.5.5.

In cuius perſona ſignificati ſunt non illi tantùm; qui fidem negant; ſed & illi qui vſque in finem vitæ ſuæ intra Eccleſiam poſiti, in malis operibus perſeuerant. De quibus Apoſtolus ait. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Nam ſicut ille circumciſus periit, quia dilexit tenebras magis quàm lucem: ſic omnis qui non depoſuit veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris, condemnabitur in iudicio, quia non condignè vſus eſt baptiſmatis ſacramento. Ad eundem quippe veterem hominem pertinent, non ſolùm illi qui ignorant Dominum, ſed etiam illi de quibus dicit Apoſtolus: confitentur ſe noſſe Dominum, factis autem negant.

Gal.5.21. Io.3.19. Tit.1.16.

De paruulis verò, indubitanter tenenda Catholicæ regula veritatis: quia paruulus qui baptizatur, gratuita Dei bonitate ſaluatur: qui verò ſine baptiſmate moritur, propter peccatum originale damnatur. Nec aliquo dicendus eſt Dei beneficio futuræ impietati præreptus, qui abſque iuſtificationis gratia mortuus, eſt impiorum conſortio deputatus: à qua impietate ſiue paruulus, ſiue maioris ætatis, ſolo quiſque remedio eripitur, ſi Chriſti ſanguine redimatur.

De gratia verò non dignè ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari: cùm non ſolùm non omnium ſit fides, ſed adhuc nonnullæ gentes inueniantur, ad quas fidei prædicatio non peruenit. B. autem Apoſtolus dicit: quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Non itaque gratia omnibus datur, quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui fideles non ſunt; nec poſſunt credere, ad quos inuenitur ipſe fidei auditus minimè peruenisſe. Ipſa verò gratia quibuſcumque datur, non æqualiter datur, ſed ſecundùm menſuram donationis Chriſti, & vnicuique ſicut Dominus diuiſit, menſuram fidei: qui non hominum perſonas accipit, ſed omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens propria ſingulis prout vult.

2.Theſſ.3.2. Rom.10.14. Epheſ.4.7. Rom.12.3. 1.Cor.12.11.

Quod autem vos dicitis ſolâ Dei miſericordiâ ſaluari hominem: illi autem dicunt, niſi quis propria voluntate cucurrerit, & elaborauerit, ſaluus eſſe non poterit: dignè vtrumque tenetur, ſi rectus ordo ſeruetur, diuinæ miſericordiæ, & voluntatis humanæ: vt illa præueniat, hæc ſequatur: ſola Dei miſericordia initium ſalutis conferat, cui deinde voluntas hominis cooperatrix ſuæ ſalutis exiſtat. Vt miſericordia Dei præueniens, voluntatis humanæ dirigat curſum; & humana voluntas obediens: eadem miſericordiâ ſubſequente, ſecundùm intentionem curtat ad brauium. Per hoc humana voluntas in eo quod currit vtiliter & laborat, ex Dei miſericordia ſibi eſſe donum curſus ac laboris agnoſcat: nec ſit ingrata miſericordiæ, per quam ſalutis accipit initium vt per ipſam perueniat ad plenum ſempiternæ ſalutis effectum: quia tunc erit bona, ſi Dei præueniatur dono; & tunc permanebit bona, ſi eius non deſtituatur auxilio.

Errat autem, quiſquis pntat ſic à Domino tribui, velut ſi quis accepto idoneo pignore, pecuniam det: cùm Dominus vtique & pignus Spiritus ſancti, ipſe quibus vult conferat; & pecuniam ſuam à numulariis expetendam, ſicut ipſe loquitur in Euangelio, ſeruorum ſuorum curæ officioque diſtribuat. Illa verò Apoſtoli ſententia, quâ dicitur, Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat: meliùs quidem ex perſona confirmantis accipitur. Quam ſi quis non vult ex perſona confirmantis accipere, illud ſine contentione attendat quod ſubſequenter dicitur: An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Et cùm in vtroque vaſe faciendo figuli cognouerit poteſtatem, in vaſe honoris indebitam gratiam Dei miſerantis intelligat; & in vaſe contumeliæ debitum iudicium Dei obdurantis, id eſt deſerentis agnoſcat. Deus autem obdurare

Matth.25.27. Rom.9.18. Rom.9.22.

dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, ſed cùm ab iniquitate non eripit, quod quia iuſtus eſt, iuſtè facit: Deo ergo miſerante, ſine ſuis meritis homo ſaluatur; obdurante autem, iuſtè recipit quod meretur. Dominus quippe dono bonitatis ſaluat; iudicio ſeueritatis obdurat.

Philip 2. 12. Eſa. 1. 19. Illud etiam quod vos dicitis; Dominus eſt enim qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate: illi autem dicunt, ſi volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: ſi vtrumque, ſicut oportet, animus in fide tranquillus acceperit, nulla de gratia, & libero arbitrio quæſtio remanebit. Iubet enim Deus homini, vt velit, ſed Dominus in homine operatur & velle: iubet vt faciat, ſed operatur & facere. Ideò vtrumque beatus iungit Apoſtolus, dicens: cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini: Philip. 2. 12. Dominus eſt enim qui operatur in vobis, &c. Vt ergo cum timore & tremore ſuam quiſque operetur ſalutem, opus eſt volentis hominis; ſed hoc ipſum Dominus, operatur in ſuis. Ac per hoc quoniam habet homo liberum arbitrium, audit præcepta quæ faciat; ſed ad implenda præcepta, liberum arbitrium idoneum nullatenus efficitur, niſi diuinitus adjuuetur. Ita fit, vt ſe operari debere homo cognoſcat, dum præceptum accipit; & Domino ſe ſciat ſemper omne bonum debere, quod vult ac facit: quem teſte Apoſtolo, cognoſcat operari in homine, & velle, & perficere pro bona voluntate: qui ſuis fidelibus hanc dignatus eſt gratiam promittere per Prophetam Ezech. 36. 27. dicens; Spiritum meum dabo in vobis, & faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis. Cùm ergo Dominus in homine operari cœperit velle, tunc homo ad Dominum conuertitur, & eodem in ſe operante, vnde ipſi placeat, operatur. De Domino enim dicit Apoſtolus: Aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciens in vobis quod placeat coram ſe. Heb. 13. 21. Ad vitam quoque in tantũ poteſt homo manũ porrigere, in quantum habuerit Dominum protectionem ſuam ſuper manum dexteram ſuam. *Alludit ad illud* Eccl. 15. 17. & ſeq. *Eccli.* Ante hominem vita, & mors, &c. ad quod volueris extende manum tuam, *& illud* Pſal. 120. 5. *Pſalmi*: Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.

Nimis autem abſurdum, illos putare vaſa miſericordiæ, qui vel ſæcularem habent, vel Eccleſiaſticam dignitatem: *ſicut & abſurdè de temporalibus bonis, aut malis accipiunt illud, Iacob dilexi, Eſaũ odio habui*: vaſa verò contumeliæ, Clericos, & Monachos, ac Laïcos *plebeios* æſtimare: cùm vtique Apoſtolus vaſa miſericordiæ illa dicat: quæ præparauit Dominus in gloriam, non præſentem vtique, ſed futuram: quibus dicit; cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, Rom. 9. 13. 23. ibid. Coloſſ. 3. 4. Ibid. 2. tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Ideo paulò ſuperius eis ait: quæ ſurſum ſunt ſapite, Matth. 25. 34. non quæ ſuper terram. Vaſa quippe miſericordiæ ſunt, quibus dicitur, venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Vaſa verò contumeliæ ſunt, quibus dicitur; ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. Vaſa itaque miſericordiæ, non Eccleſiaſtica, vel ſæcularis dignitas, ſed in Eccleſia ſpiritalis charitas facit. Quapropter, in quacumque profeſſione tenuerit homo fidem, quæ per charitatem operatur, erit vas in honorem, ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. 2. Tim. 2. 21.

Contra prædeſtinationem verò ſanctorum, magnæ peruicaciæ eſt, aliquem vel parare, vel habere conflictum; cùm Apoſtolicæ prædicationi nullus audeat refragari, quâ non ſolùm Rom. 8. 29. dicitur de Domino: Quos autem præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij eius: Epheſ. 1. 5. & alio loco: prædeſtinauit nos: in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum: verùm etiam caput noſtrum, ipſum primogenitum in multis fratribus, B. Paulus prædeſtinatum confidenter prædicat dicens: qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis. Quiſquis ergo prædeſtinatum Chriſtum & ſanctos eius negat, Apoſtolicam fidem peruerſus oppugnat. Rom. 1. 4.

OMNES AVTEM PRÆDESTINATI IPSI SVNT, QVOS VVLT SALVOS FIERI, ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE. QVI PROPTEREA OMNES DICVNTVR, QVIA IN VTROQVE SEXV, EX OMNI HOMINVM GENERE, GRADV, ÆTATE, ET CONDITIONE SALVANTVR. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur; quia poteſtas eius nullatenus vincitur. Ipſe eſt enim qui omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis: & cuius voluntati nemo reſiſtit. Verum namque eſt quod Pſal. 134 6. Gen. 50. 19. Eſther. 13. 9. Io. 5. 21. de ſe teſtatus eſt filius, quia in viuificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat; ſed ipſam voluntatem bonam faciendo viuificat. Hoc in maioribus. Paruulos autem, in quibus necdum poteſt bona voluntas fieri, ſolius gratiæ facit operatione ſaluari. Liberum verò arbitrium, quod fuit in primo homine ſanum ante peccatum, nunc in filiis Dei propriâ quidem infirmitate concutitur, ſed majore diuini muneris gratiâ ſubleuatur.

Quæſtionem verò animarum *à Concilio Lateranenſi ſub Leone X. Anno 1513. determinatam*, aut tacitam debemus relinquere, aut ſine contentione tractare. Quia ſiue ex propagine veniant, ſiue nouæ ſingulis corporibus fiant, quod ſanctarum ſcripturarum authoritas non manifeſtè pronuntiat, cum cautela debet inquiri, maximè quod ſine fidei detrimento, poteſt à fidelibus ignorari. Illud præcipuè obſeruandum eſt, & tenendum, paruulorum animas nexu peccati originalis obſtrictas: omnibuſque neceſſarium eſſe ſancti baptiſmatis Sacramentum, quo dimittitur

mittitur peccati originalis vinculum, & amissa in primo homine, per secundum hominem recipitur adoptio filiorum.

Vos itaque dilectissimi fratres, per gratiam Dei estote stabiles, & immobiles, ac TENETE VERAM FIDEM, exhibete fratribus aliter sentientibus charitatem; nec de aliquo desperetis: quia qui hodie veritatem in aliquo non agnoscit, potest cras DEO REVELANTE cognoscere. Sap. 12. 18. Deo enim subest, cùm volet, posse. OREMVS ERGO PRO EIS, VT DOMINVS OPERETVR IN EIS. Exhibeamus eis bonam voluntatem de qua nos possumus habere mercedem: scientes quoniam in conspectu Dei, quisquis de numero prædestinatorum fuerit, non peribit; ET IN OMNIBVS VOLVNTAS OMNIPOTENTIS IMPLEBITVR, VT PER GRATIAM SALVI FIANT, ET AGNITIONEM VERITATIS, DOMINO ILLVMINANTE PERCIPIANT.

Præ omnibus studium gerite libros Sancti Augustini, quos ad Prosperum & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere: quorum mentionem B. memoriæ Hormisdas Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in Epistola quam consulenti se sancto Fratri Consacerdotique nostro Possessori rescripsit, CVM MAGNO PRÆCONIO CATHOLICÆ LAVDIS inseruit: cuius hæc verba sunt: DE ARBITRIO TAMEN LIBERO, ET GRATIA DEI, QVID ROMANA, HOC EST CATHOLICA SEQVATVR ET SERVET ECCLESIA LICET IN VARIIS LIBRIS B. AVGVSTINI, ET MAXIME AD PROSPERVM ET HILARIVM ABVNDE POSSIT AGNOSCI, *sunt Libri de Prædest. Sanct. & de dono perseverantiæ*, TAMEN ET IN SCRINIIS ECCLESIASTICIS EXPRESSA CAPITVLA CONTINENTVR. Hæc itaque dilectissimi fratres, interrogantibus vobis breuiter communi voluimus respondere rescripto. Cæterùm vnus ex nobis, *ipse Fulgentius se esse modestè subticuit*, in quantùm Dominus seruis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus quæ memoratos fratres aduersus gratiam & prædestinationem intimastis vel sentire, vel dicere, tribus libris vestro nomine dedicatis *hi sunt tres Fulgentij libri de veritate prædestinationis & gratiæ Dei*, sufficienti disputatione respondit. Quique aduersus duos libros Fausti Galli septem libros edidit, quos cùm recensueritis, agnoscetis protinus quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica discussio prodidit, ratio manifesta conuicit, authoritas diuina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsus attestatio confutauit. Speramus autem in Domino, quoniam gratiæ suæ ita subsidium largietur, vt & benè sentientibus tribuat augmentum, & aliter quàm oportet credentibus donet agnoscendæ veritatis intuitum. Ipse enim facit gratiæ suæ participes quos prædestinauit ad vitam, VT IN OMNIBVS BONIS SVIS HVMANÆ ARBITRIVM VOLVNTATIS GRATIÆ DEI SVBIICIANT: Et ab ipso sibi cognoscant descendere omne datum optimum, & omne donum perfectum: sciant etiam ab ipso expectandum sem- Iac. 1. 17. per auxilium, qui prædestinatis suis & gratiam, & perseuerantiam donat: vt gratiam pro gratia, donum vitæ perennis accipiant.

VINDICIARVM PACIFICARVM PRO DOCTRINA S. P. AVGVSTINI, Illustratoris proclarissimi Tertulliani, eiusdemque Censoris æquissimi

EPILOGVS.

DVo hactenus firmissima Augustiniana doctrinæ propugnacula præmisimus, quæ nemo nisi temerè expugnauit, vt pote in Euangelica, Apostolicâque doctrina fundata, nullus vt in Dominica incōcussibili petra conlocatæ poterit euertere: nec portæ inferi aduersùs eam præualere. *Quidquid* Matth. 16. 18. *Satanas clanculariæ dolis ab sanctæ Augustini doctrinæ incautis & puerorum sensu à salubérrimis eius scriptis moliatur auertere emendato damnationis Innocentij X. prætextu qui sano ac sapido*, delicioso Gregor. magnus. insuper volet pabulo saginari, Augustini perlegat opera, *vtq hoc nostro in Tertullianum conatu lectissimè dispersa: cui nunc, olim & dum viuret humanæ gloriæ contemptori, & laudi mortuo, lubet plenè iam in Domino glorianti applaudere, & hic ad eum verbis Vindiciæ nostræ claudere, cum Macedonio*: Miro modo afficior sapientiâ tuâ, & in illis quę edidisti, & in his quæ interueniens Apud Aug. Ep. 51. prò solicitis, mittere non grauaris. Nam & illa tantùm habent acuminis, scientiæ, sanctitatis, VT NIHIL SVPRA SIT: & hæc tantùm verecundiæ, vt nisi faciam quod mandas, culpam penes me remanere, non in negotio esse dijudicem, Domine meritò Venerabilis & verè suscipiende Pater. *Et cum Nebridio*: Epistolas tuas perplacet ita seruare vt oculos meos. Sunt Ibid. Ep. 71. enim magnæ, non quantitate, sed rebus: & magnarum rerum magnas continent probationes. Illæ mihi Christum, illæ Platonem, illæ Plotinum sonabunt. Erunt igitur mihi, & ad audiendum, propter eloquentiam dulces; & ad legendum, propter breuitatem faciles; & ad intelligendum, propter sapientiam salubres. *Audebo & cum Audace proloqui*: Tunc bonæ Ibid. Ep. 139. fidei filiis datur audacia, cùm Paterni fontis imbribus fuerit irrorata. Prouocaui itaque, dul- Audacis ad cis Antistes, non vt præ-largi pectoris pusillum libamen acciperem: sed vt ingens diuitis Aug. vberum flumen hauirem. Thesaurum sapientiæ desideraui, sed minus accepi quàm volui:

Digitized by Google

licet minus non debet dici, ſed munus, quod ORACVLVM LEGIS contulerit. AVGVSTINVS SACRATOR IVSTITIÆ INSTAVRATOR SPIRITALIS GLORIÆ DISPENSATOR SALVTIS ÆTERNÆ: TAM TIBI MVNDANVS ORBIS NOTVS EST, QVAM NOTATVS: TAM TV EI COGNITVS, QVAM PROBATVS, opto itaque ſapientiæ floribus paſci, & viui fontis hoſtibus irrigari. *Cum Paulino item ad Alipium.* Ibid. Ep. 35. Accepimus inſigne & præcipuæ dilectionis, & ſolicitudinis opus Sancti & perfecti in Domino Chriſto viri, fratris noſtri Auguſtini libris quinque confectum, quod ita miramur atque ſuſpicimus, VT DICTATA DIVINITVS VERBA CREDAMVS. *Cum eodem iterùm Paulino paulò fuſiùs*; Apud Aug. Ep. 31. Infantem adhuc verbo Dei & ſpiritali ætate lactentem *te Lectorem puta*, educa verbis tuis, vberibus fidei, ſapientiæ, charitatis inhiantem, &c. foue igitur & corrobosa me in ſacris literis, & ſpiritalibus ſtudiis, &c. Tu qui iam ſolido littore conſtitutus, tuto excipe ſinu, &c. Interea me de periculis vitæ iſtius, & de fundo peccatorum euadere nitentem, orationibus tuis tanquam tabulâ ſuſtine, vt de hoc mundo quaſi de naufragio nudus euadam. Idcirco enim me leuare ſarcinis, & veſtimentis onerantibus exuere curaui, vt vndoſum hoc quod inter nos & Deum peccatis interlatrantibus ſeparat, præſentis vitæ ſalum, omni amictu carnis, & curâ diei ſequentis, iubente & adiuuante Chriſto enatem. Neque id me perfecitſe glorior: quod & ſi gloriari poſſem, in Domino gloriarer, cuius eſt perficere quod nobis adiacet velle. *Rurſum cum Paulino & Therapia, adblandiar, cuicumque Lectori meo ad poſtulans quod ipſi pro Licentio optabant ſcribentes Romaniano.* Apud Aug. Ep. 36. Vtinam hæc nunc Domini tuba quâ per Auguſtinum intonat, filij noſtri Licentij impulſet auditus. Sed vt illâ audiat aure, quâ Chriſtus ingreditur, de qua non rapit Dei ſemen inimicus. Tunc verè ſibi Summus Chriſti Pontifex Auguſtinus videbitur, quia ſe tunc exauditum ſentiet ab excelſo, ſi quem tibi dignum genuit in literis, hunc & ſibi dignè filium pariat in Chriſto. Nam & nunc velim credas, flagrantiſſima nobis ſolicitudine ſcripſit. Credimus in omnipotentem Chriſtum, *de nolentibus volentes facientem*, quod adoleſcentis noſtri votis carnalibus, ſpiritalia vota Auguſtini prævaleant, Vincetur, vel inuitus, *abſque neceſſitate tamen & coactione, licet concupiſcentiâ reluctante*, mihi crede, vincetur piiſſimi parentis fide, ne malâ victoriâ vincat; ſi maluerit in perniciem ſuam vincere, quam pro ſalute ſuperari, &c. Paucis ad ipſum loquamur, ne neget ſibi ſcriptum, quod de ſe tibi ſcriptum eſt. Æſchino enim dicitur quod audit Micio, &c. Audi ergo Fili legem Patris tui, id eſt fidem Auguſtini, & noli repellere conſilia matris tuæ; quod æquè nomen in te Auguſtini pietas iure ſibi vendicat, qui te tantillum geſtauit ſinu ſuo, & à paruulis primo lacte ſapientiæ ſecularis imbutum, nunc etiam ſpiritalibus lactare, & enutrire Domino geſtit vberibus, &c. Si tamen Auguſtini doctrina tanquam manus matris & vlna nutricis inſtabilem regat paruulum. Quem ſi audias & ſequaris, vt rurſum te ſermone Salomonis alliciam; fili coronam accipies gratiarum tuo vertici. Et tunc verè eris ille non phantaſmate ſomniatus, ſed ab ipſa veritate formatus Conſul & Pontifex, vacuas imagines falſi operis implente Chriſto ſolidis ſuæ operationis effectibus. Verè enim Pontifex, & verè Conſul, Licenti, eris, SI AVGVSTINI VESTIGIIS PROPHETICIS, & APOSTOLICIS DISCIPLINIS, vt Sacrato Beatus Heliſæus Heliæ, vt illuſtri Apoſtolo Timotheus adóleſcens adhæreas, indiuulſo per itinera diuina comitatu: vt & Sacerdotium corde perfecto diſcas mereri, & populis ad ſalutem, magiſtri ore conſulere. Sat hoc monitis & hortatui. *Sat Vindiciis pro Auguſtini doctrinæ pacificæ.* Prou. 1. 8.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIO Ludouici XIV. Chriſtianiſſimi Regis diplomate cautum eſt, ſub mulctis ibidem expreſſis, ne quis in ſuo Regno, aut alijs quibuſcunque locis ditioni Maieſtatis ſuæ ſubditis, intra proximos nouem annos à die editionis primæ computandos, excudat, vendat, excudendũ, vendendumque quoquo modo tradat librum inſcriptum, *Tertulliani Omnilequium Alphabeticum brevibus ſcholijs ad ſingula obſcura expoſitum; & vbique per ſelectiſſimas ex medulla S. Auguſtini locos illuſtratum, in omnibus dicendi ſcribendique materijs, à* F. CAROLO MORRAV *Auguſtiniano compoſitum*, præter IACOBVM D'ALLIN Bibliopolam Pariſienſem, cui dictus author ius ſui Priuilegij ceſſit. Datum Pariſijs anno Domini 1653. menſis Februarij tertio.

Signatum, de mandato Regis,

GVYOT.

Quod regiſtratum eſt in libro Communitatis Bibliopolarum per BALARD *Syndicum.*

Digitized by Google

Permiſſio Reuerendiſſimi Patris Vicarij Apoſtolici totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, poſt lectam Doctorum Facultatis Pariſienſis eiuſdem Ordinis, ab eo deputatorum approbationem.

MAGISTER Frater SalvatorSeverinus Fabrianenſis, totius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Vicarius Apoſtolicus, licet indignus.

Venerabili nobis in Chriſto Patri, Fratri CAROLO MOREAV Provinciæ noſtræ S. Guillelmi, aliàs Communitatis Bituricenſis, eiuſdem ordinis, & voti. Salutem.

Vt Opus inſcriptum, *Omniloquium Alphabeticum Tertulliani*, per ſelectiſſimos ex medulla S. P. Auguſtini locos illuſtratum, à te elucubratum, & à RR. PP. MM. Hieronymo Morel, & Iohanne Simon, Facultatis Pariſienſis Doctoribus, per nos deputatis recognitum & approbatum, typis dare poſſis, harum vi litterarum, & noſtri muneris authoritate, quantùm ad nos ſpectat, & ſervatis ſeruandis, licentiam impartimur.

Datum Romæ 12. Maij anno Domini 1649.

F. SALVATOR SEVERINVS FABRIANENSIS, Vicarius Apoſtolicus, licet indignus.

Noſtri muneris affixo ſigillo F. Angelus Fabrianenſis, pro Secret. Regiſtrata libro primo.

Approbatio Doctorum Sorbonicorum à ſacra Facultate Pariſienſi ad examen huius Operis deputatorum.

NON abs re, *Omniloquium Tertulliani*, inſcriptum eſt Opus Reverendi admodum Patris F. CAROLI MOREAV Pariſini, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ex Communitate Bituricenſi; eſt enim omnibus materiis refertum, omnibus cuiuſvis litteraturæ viris maximè vtile, methodo ab omnibus hactenus intentatâ commendabile, per omnia verò putoque, ſi vnquam, Tertulliani cenſui conſonum, omnibus in Præfatione ab Authore promiſſis fideliter reſpondens. in omnibus Catholicam Apoſtolicam ac Romanam doctrinam propalans. Opus denique omni luce dignum: ſicut Author, omni laude. Hoc & amplius de illo Opere, & eius Authore, futurum ab omnibus iudicium ſperamus, & interim tale noſtrum eſſe teſtamur. Nos in ſacra Theologiæ Facultate Pariſienſi Doctores Sorbonici, die prima Octobris, anni 1649.

DE FLAVIGNY. F. HERON. I. BANNERET.

Approbatio Reverendi admodum Patris Provincialis Communitatis Bituricenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

OPVS, cui titulus eſt, *Tertulliani Omniloquium, &c.* Authore R.P. F. Carolo Moreau, eiuſdem Ordinis & voti. Ego F. Polycarpus Minault, eiuſdem Ordinis, ac Provinciæ S. Guillelmi, aliàs Communitatis Bituricenſis Provincialis, magnâ equidem animi voluptate, vidi Opus mirâ eruditione, & doctrinâ, refertum & fidei Orthodoxæ, & Chriſtianæ pietati, per omnia conſonum: novum inſuper, nec vſpiam tentatum, quibuſcunque Scriptoribus, & Oratoribus, perutile, nec fruſtra Omniloquium inſcriptum; ſed per omnia, & in omnibus, in Præfatione ad Lectorem neceſſaria, promiſſis reſpondens; meritò propterea Approbatum à Sapientiſſimis Magiſtris, & Dominis Doctoribus Sorbonicis, D. D. de Flavigny, Heron, & Banneret, à ſacratiſſima Facultate, ad illius examen deputatis, & permiſſum à Reuerendiſſimo Patre Vicario Apoſtolico, & Generali totius noſtri Ordinis, vt typis mandetur. Quibus & ego Approbationem meam ſubjicio, ac licentiam pro mea parte, facultatemque, vt in lucem prodeat. Pariſiis in noſtro Regio S. Nicolai Tolentinatis Conventu, anno Domini 1654. die 26. Februarii.

F. POLYCARPVS MINAVLT, Provincialis.

EGO F. Raphael Aloncle Exprovincialis, Doctor Theologus, olim à R. P. Magiſtro Petrello, Ordinis Eremetici Generali deputatus cum Magiſtro Alipio Rouſſel Doctore Pariſienſi, ad examinanda quæcumque Opera R. P. F. Caroli Moreau, Doctorum Sorbonicorum, & R. P. Provincialis Approbationi ſubens, viſâ & recognitâ Omniloquii Tertulliani, Operis vtiliſſimi omnique orthodoxâ doctrinâ refertiſſimi veritate ſubſcribo, in eodem Conventu, anno, ac die.

F. RAPHAEL ALONCLE, Exprovincialis.

Digitized by Google

OMNILOQVIVM TERTVLLIANI ORDINE ALPHABETICO ET RATIONALI DIGESTVM.

ABRAHAM.

1. *Abrahæ ſinus, non Iudæis tantùm, ſed & fidelibus Gentilibus inter Abrahæ filios recenſendis, locus refrigerij, longè diſtans ab inferis damnatorum.*
4. Cont. Marc. cap. 34. à m.

MARCION aliorſum cogit, ſcilicet vtramque mercedem Creatoris, ſiue tormenti, ſiue refrigerij apud inferos, determinat eis poſitam, qui Legi & Prophetis obedierint; Chriſti verò, & Dei ſui, cœleſtem definit ſinum & portum. Reſpondebimus, & hac ipſa ſcripturâ reuincente oculos eius, quæ ab inferis, diſcernit Abrahæ ſinum pauperi. Aliud enim inferi, vt puto, aliud quoque Abrahæ ſinus. Nam & [a] *Magnum ait intercedere regiones iſtas profundum, & tranſitum vtrimque prohibere.* Sed nec alleuaſſet diues oculos, & quidem de longinquo, niſi in ſuperiora, & de altitudinis longinquo, per immenſam illam diſtantiam ſublimitatis, & profunditatis. Vnde apparet ſapienti cuique, qui aliquando Elyſios audierit, eſſe aliquam localem determinationem, quæ ſinus dicta ſit Abrahæ, ad recipiendas animas filiorum eius, etiam ex Nationibus; [b] *Patris ſcilicet multarum Nationum* in Abrahæ cenſum deputandarum, & ex eadem fide, quâ & Abraham Deo credidit, nullo ſub iugo legis, nec in ſigno circumciſionis. Eam itaque regionem, ſinum dico Abrahæ, etſi non cæleſtem, ſublimiorem tamen inferis.

[a] Luc. 16. 22. & ſeq.

[b] Gen. 17. 4. 5.

IN OMNILOQVIVM ALPHABETICVM TERTVLLIANI SCHOLIA.

In quibus verba difficilia Tertulliani capitalibus litteris, Scripturæ, Patrum, & maximè Auguſtini, aliorumque probatiſſimorum authorum, Ciceronianis, noſtra Italicis exarata ſunt.

ABRAHAM. I. SCHOLIA.

MARCION ALIORSVM COGIT. *id eſt, in ſenſum violentum torquet. Deum enim ſuum tantummodò bonum, & vltionis neſcium ſibi fingens; Deum noſtrum Creatorem, pœnæ, vel mercedis authorem, dixit inferis præſidentem, ſicut & veteris Legis Authorem; ſuum Deum extollit, vt cœleſtium bonorum largitorem.* HAC IPSA SCRIPTVRA: *Euangelio Lucæ, quod ipſe Marcion recipit, eum conuincimus* Omniloquium, *ſuo aperte liquet, Chriſtum* A *loqui de Abrahæ ſinu, & loco refrigerij, longè diſſito à loco tormentorum, abſque diſcrimine duorum Deorum; licet duo diuerſi ſint exitus, & mercedes, diuitis, & Lazari. Luc. 16. 22.* Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. *Tranſlat. Syr.* quinetiam diues ille mortuus eſt, ac ſepultus. Cumque torqueretur in inferis, &c. *Et ex Græco*; mortuus eſt & diues, & ſepultus: in inferno autem eleuans oculos, &c. *Proſe-*

Digitized by Google

quitur Vulgata. Eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius, *quod Tertull. iuxta Syriacam* eminus, *dixit*, de longinquo, *quod confirmant verba Abrahæ ad diuitem versu 26*. Et in his omnibus inter vos Chaos magnum firmatum est: *Syr. & cum his omnibus est ingens hiatus positus inter nos, & vos:* vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. ALIVD INFERI. *Hic*
S. August. *menti Tertulliani plenè respondet S. P. Augustinus Ep.* 99 Nè ipsos quidem inferos vspiam Scripturarum, in bono appellatos potui reperire. Quòd si nusquam in diuinis authoritatibus legitur; non vtique sinus ille Abrahæ, id est secretæ cuiusdam quietis habitatio, aliqua pars inferorum esse credenda est: quamquam in his ipsis tanti magistri verbis, vbi ait, dixisse Abraham: inter vos, & nos Chaos magnum firmatum; satis vt opinor appareat, non esse partem, & quasi membrum inferorum, tantæ illius fœlicitatis sinum. EX NATIONIBVS, *Gentilibus*. ABRAHÆ CENSVM. *Frequens est Tertullianus in hac voce ex iure deprompta. derivatur à* Censeo: *quod multipliciter sumitur, idem enim significat, quod existimo, delibero, sententiam dico. Item facultates æstimo, easque in censum redigo: quod quinto quoque anno Censores Romæ præstabant. Ita Cicero de legibus:* Censores populi, ciuitatis soboles, familias, pecuniasque censento. *Significat item apud Censorem profiteri bona sua. Ita idem Cicero pro Flacco:* in qua tribu ista prædia censuisti? *Hinc Census, valorem, æstimationem, album seu registrum reddituum, & etiam tribum, & originem, siue principium rei alicuius significat. Hæc prænotata lucem multis locis Tertulliani afferent.*

Quantum ad præsens, aduerte, nationibus, siue Gentilibus id fuisse Elisyos campos, quod Iudæis in Deo morientibus, ante Christi mortem & Ascensionem, erat Abrahæ sinus. Qui quia adhuc incircumcisus, quod Gentiles, Deo credidit, vt & postea circumcisus; Censetur pater Gentilium incircumciforum, ad fidem conuerforum, non minus quàm Iudæorum circumciforum. Dixit ergo Gentiles, in Censum Abrahæ deputandos; *vel quòd eidem cum Patre Abrahamo, albo fidei inscribendi sint, & Censui tributoque fidei, Deo pendendo annumerandi, facti Iudæorum contribules, quasi ex eodem cum ipsis Abrahæ Censu, & origine nati: vel, Censum, id est reddituum fidei Abrahæ augendum, adiectis arenis innumeris Gentilium, stellis innumerabilibus Hebræorum; Deo sic promittente, Gen.* 22.17. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, *Hebr. Septuag. & Chald. maiore emphasi multiplicando multiplicabo*; sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. *Gentiles nos Censui Abrahæ imputandos, secundùm Tertullianum docuit Augustinus in psalmum* Aug.
112. circa fin. Quamuis tota frumenti massa, in comparatione seiunctæ paleæ, paucos habere videatur, per se tamen considerata, copiosa est. Multi enim filii desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Esa.54.1. & seq. multi filii eius, quæ per gratiam in senectute concepit, quàm eius quæ ab ineunte ætate legis vinculo maritata est. Et ego quidem dico, in senectute concepit, intuens Saram matrem nostram in vno Isaac. Gal.4.26. quæ per omnes gentes mater fidelium vocatur, &c. habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra: semen Abraham sicut stellas cœli, sanctitate sublimi, in supernis sedibus collocat, & sicut arena in ora maris, misericordiam atque innumeram multitudinem à sinistris fluctibus, atque amaritudine impia segregat. *In psalmum autem sequentem 113. post initium, probat nos Gentiles incircumcisos, Censui Abrahæ imputandos.* Si, inquit, gratiam Dei quæ data est Aug.
nobis, firmo corde retinemus, nos sumus Israël, semen Abrahæ. Nobis dicit Apostolus, Gal. 3. 29. Ergo semen Abrahæ estis: quia sicut alio loco dixit, non in circumcisione, sed in præputio deputata est Abrahæ fides ad iustitiam, & signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, Rom. 4. 9. vt deputetur & illis ad iustitiam; vt sit Pater circumcisionis, his qui non solum ex circumcisione sunt, sed & his qui sequuntur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. *id est, quâ credidit Abraham priusquàm circumcideretur* Non enim carnaliter circumcisæ genti tantummodò factus est Pater, cui dictum est: Patrem multarum Gentium posui te. Gen.17. 4. multarum autem, non quarumdam, sed omnium: quod apertè dicitur, cùm ei dicitur; & benedicentur in te omnes gentes, Gen. 12. 3. Nullus itaque Christianorum se à nomine Israël arbitretur extraneum. Illis enim qui crediderunt ex Iudæis, in quorum numero principaliter Apostolos inuenimus, in angulari lapide copulantur. *Sic potentiam suam ostendit, in lapidibus, imò & lapides colentibus excitandis in filios Abrahæ, qui non iam Elisyis campis, aut sinu Abrahæ, sed cœlo Empireo post mortem excipiantur.*

2. *Abrahæ filij, sunt etiam fideles ex Gentibus, conuersi ad cultum eiusdem Dei Creatoris.*
5. *Cont. Marc. cap. 3. in fin.*

[a] Ad Galat.3.26.

QVum adijcit, [a] *Omnes filij estis fidei*; ostenditur quid suprà hæretica industria eraserit; mentionem scilicet Abrahæ, quâ nos Apostolus filios Abrahæ per fidem affirmat, secundùm quam mentionem, hîc quoque filios fidei notauit. Cæterùm, quomodo filij fidei? Et cuius fidei, si non Abrahæ? Si enim [b] *Abraham Deo credidit, & deputatum est iustitiæ*, atque exinde *pater multarum nationum meruit nuncupari:* Nos autem credendo Deo, magis proinde iustificamur, sicut Abraham; & vitam proinde consequimur, sicut [c] *iustus ex fide vivit;* sic fit vt & suprà, filios nos Abrahæ pronuntiarit, quâ patris fidei, & hîc filios fidei, per quam Abraham pater natic num fuerat repromissus. Ipsum, quòd fidem à circumcisione reuocabat, nonnè Abrahæ filios constituere quærebat, qui in carnis integritate crediderat? Denique, alterius Dei fides, ad formam Dei alterius non potest admitti; vt credentes iustitiæ deputet, vt iustos viuere faciat, vt nationes filios fidei dicat: Totum hoc eius est, apud quem antè iam notum est sub eadem Abrahæ mentione, dum ipso sensu reuincatur.

[b] Gen. 15. 6. Rom. 4.3. Gal. 3. 6.

[c] Habac. 2. 4. ad Gal. 3. 11.

ABRAHAM II. SCHOL.

OMNES *Gal.*3. 26. Omnes enim Filij Dei estis, per fidem, quæ est in Christo Iesu. *Ita & Ie.*1. D 12. Potestatem dedit Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. *In quem locum S. P. Augustinus.* S. Aug.

tract. 2. Isti quia Filij Dei facti, & Fratres Christi vtique nascuntur. Nam si non nascentur, filij quomodo esse possunt. Sed filij hominum nascuntur ex carne & sanguine, & ex voluntate viri, & ex cõplexu coniugij: Illi autẽ quomodo illi nascuntur? &c. Non ex voluntate carnis, neque, &c. vt autem homines nascerentur ex Deo, primò ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, & Christus natus ex hominibus, non quæsiuit quidem nisi matrem in terra, quia iam Patrem habebat in cœlo: Natus ex Deo, per quem efficerentur; Natus ex fœmina per quam reficeremur. DEO CREDIDIT. *Gal.* 3. 6. Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. *S. P. Augustinus in* August. *expositione cap. 3. ad Galatas*: Hoc, inquit, maximè in eo victoriosum est, quòd antequam circumcideretur, deputata est fides eius ad iustitiam. Et ad hoc rectissimè refertur, quod ei dictum est Gen. 12. 3. quia benedicentur in te omnes Gentes: Imitatione vtique fidei eius, qua iustificatus est, etiam ante Sacramentum Circumcisionis, quod fidei signaculum accepit, & ante omnem seruitutem legis, quæ multò post data est. Quod autem ait, quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt legis; sub timore vult intelligi, non in libertate: vt scilicet corporali præsentique vindicta vindicaretur in eos, qui non permanerent in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt facerent ea. Huc quoque accedebat, vt ipsâ corporum pœnâ, *Probrosa simul, ac dolorosa Circumcisione è qua Galatas deterrebat*: Etiam maledicti ignominiam formidarent. Ille autem iustificatur apud Deum, qui eum gratis colit: Non scilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipso, præter ipsum, aut timore amittendi. In ipso enim solo vera nostra beatitudo atque perfecta est. Et quoniam inuisibilis est oculis carneis, fide colitur, quandiu in hac carne viuimus: sicut supra dixit, quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei: Et ipsa est iustitia. Quò pertinet quod dictũ est, Habacuc 2. quia iustus ex fide viuit: Hinc enim ostẽdere voluit, quia in lege nemo iustificatur, quia scriptum est, iustum ex fide viuere. MAGIS PROINDE IVSTIFICAMVR. *Magis conformes sumus fidei Abrahæ, nos qui incircumcisi sumus, & filij eius dicendi sumus, qui credidit etiam antequam circumcideretur, quàm Iudæi circumcisi.*

Quam in rem S. Aug. tract. 32. in cap. 8. Io. vbi de Iudæis agebat, qui se filios Abrahæ iactabant: Non negat, inquit, eorum originem, sed facta condemnat: caro eorum ex illo erat, sed vita non erat. Aug. Nos autem, Charissimi, numquid de genere venimus Abrahæ, aut vllo modo Pater noster fuit secundùm carnem? Originem de carne eius caro Iudæorum ducit, non caro Christianorum; nos de aliis Gentibus venimus, & tamen imitando Abrahæ fidem, filij facti sumus: Audi Apostolum Gal. 3. 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, inquit, & seminibus, quasi in multis, sed tamquam in vno & semini tuo, quod est Christus. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissionem hæredes ibidem 29. Nos ergo facti sumus semen Abrahæ gratia Dei; non de carne Abrahæ. Fecit illi cohæredes Deus, Illos exhæredauit, istos adoptauit; & de arbore illa oliuæ, cuius radix est in Patriarchis, ramos naturales superbos amputauit, humilem oleastrum inseruit Rom. 11. 17. ideo cùm venirent ad Ioannem Baptizandi Iudæi, erupit in illos, & ait illis Math. 3. 8. genetia Viperarum, &c. ne

S. Aug. Omniloquium.

A veliris dicere intra vos; Patrem habemus Abraham, &c. maximè quippe de altitudine originis gloriabantur: ille autem generationem eos dixit viperarum; non saltem hominum, sed viperarum. Hominum formam videbat, sed venenum agnoscebat. Venerant tamen mundandi, quia vtique baptizandi, &c. Habet vnde excitet filios Abrahæ; fient filij, qui fidem fuerint imitati, &c. Nos sumus: in parentibus lapides eramus, quando pro Deo lapides colebamus. De talibus lapidibus familiam Deus fecit Abrahæ, &c. Si filij Abrahæ estis, factis probate, non verbis. *Vnde Iacobus*: Fides inquit, sine operibus mortua est. IPSVM QVÒD FIDEM. *Eo ipso quòd Galatas à circumcisione* B *prohibebat, vel ipso facto, quòd initium fidei Abrahæ, non iam ab ipsa circumcisione, sed ante ipsam repetebat.* IN CARNIS INTEGRITATE, *Id est integra adhuc & incircumcisa carne. Ante circumcisionem, quam Paulus vocat* carnis expoliationem. AD FORMAM DEI ALTERIVS. *Precisè contra Marcionem, quem conuincit recto Apostoli sensu; qui cùm esset prædicator noui testamenti, exemplis & locis veteris testamenti vsus non esset, si duos Deos agnouisset, nec testimonium ab Authore veteris testamenti mendicasset. Vnde vtrumque patet testamentum eiusdem esse Dei Creatoris. Hinc frustra Marcion hæreticorum mare, & inanitia, mentionem Abrahæ de textu Pauli erasit. Deus itaque idem est, cui Abraham ante, & post circumcisionem credidit: qui non Iudæorum tantùm, sed multò magis Gentium* C *Pater effectus est, qua fide & ipsi viuimus, & filij Abrahæ sumus, secundùm promissionem.*

Pulchrè S. P. Aug. in Psal. 113. post initium. In verbis S. Aug. *Psalmi*, In exitu Israël de Ægypto, &c. Populus ergo Christianus MAGIS ISRAEL, *id est videns Deũ, id est per fidem videlicet*: Et ipse potius domus Iacob: idẽ quippe Israël, qui & Iacob. Illa verò turba Iudæorum quæ merito perfidiæ reprobata est, voluptate carnali vendidit primogenita sua, vt non ad Iacob, sed ad Esau potius pertineret. Scitis namque in hoc mysterio dictum esse Gen. 25. quia Maior seruiet minori. Ægyptus autem, quoniam interpretatur afflictio, vel affligens, vel comprimens, sæpè in imagine ponitur huius sæculi, à quo spiritaliter recedendum est, ne simus lugum ducentes cum infidelibus. 2. Cor. 6. Sic enim quisque cœlestis Ierusalem fit ciuis Idoneus, cùm prunùm huic sæculo renuntiauerit, &c. Sed sicut ille populus non inde discessit, nisi diuino liberatus auxilio: Sic nemo corde ab hoc sæculo auertitur, nisi diuinæ misericordiæ munere adiutus, &c. Hæc autem figuræ nostræ factæ sunt. 1. Cor. 10. quid vultis amplius, fratres dilectissimi? certè manifestum est: Non humana suspicione, sed Apostolo, id est diuino & Dominico magisterio. *Amplius tamen & iuxta Tertullianum de repromissione facta Abrahæ de filiis innumeris ex Gentibus colligendis. Libro de Prædest. sanctorum cap.* 10. Quando, inquit, promisit S. Aug. Deus Abrahæ, in semine eius fidem Gentium, dicens; Patrem multarum Gentium posui te; vnde dicit Apostolus, ideo ex fide, vt secundùm gratiam, firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines: quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt, vt ipse faciat quod promisit. Alioquin vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. *Vt per fidem quam Gentes habent ex seipsis, seipsos facientes Abrahæ filios,*

ipſum per conſequens iuxta promiſſum Dei, faciant Patrem multarum nationum. Non autem ſic credidit Abraham; ſed credidit, dans gloriam Deo, quoniam quæ promiſit, potens eſt facere. Non ait, prædicere; non ait, præſcire: nam & aliena facta poteſt prædicere, atque præſcire: ſed ait, potens eſt facere; ac per hoc, facta non aliena, ſed ſua. *Vnde ait Chriſtus, hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum.* An fortè opera bona Gentium Deus promiſit Abrahæ in ſemine ipſius, vt hoc promitteret, quod ipſe facit; non autem promiſit fidem Gentium, quam ſibi homines faciunt, ſed vt promitteret quod ipſe facit, illam præſciuit homines eſſe facturos? Non quidem loquitur ſic Apoſtolus: filios quippe B promiſit Deus Abrahæ, qui fidei eius veſtigia ſectarentur, quod apertiſſimè dicit. Sed ſi opera gentium promiſit, non fidem, profectò: quoniam non ſunt bona opera niſi ex fide. Iuſtus enim ex fide viuit: & omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt: & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo: nihilominus vt impleatur quod promiſit Deus, in hominum eſt poteſtate. Niſi enim homo faciat quod A Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipſe quod donet: Hoc eſt, niſi habeat homo fidem ex ſeipſo, non implet Deus quod promiſit, vt opera iuſtitiæ dentur ex Deo: ac per hoc, vt promiſſa ſua Deus poſſit implere, non eſt in Dei, ſed in hominis poteſtate. Quòd ſi veritas & pietas nos credere vetat; credamus cum Abraham, quoniam quæ promiſit, potens eſt facere. Rom. 4. 21. promiſit autem filios Abrahæ, quod eſſe non poſſunt, ſi non habeant fidem. Ergo ipſe donat & fidem. TOTVM HOC EIVS EST. *Optimè præuenit ſenſum S. P. Auguſtini, qui ſecutus eſt Pauli.* Quid enim habes quod non accepiſti? Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, &c. *Et quod eſt illud totum?* Vt credentes iuſtitiæ deputet, vt iuſtos viuere faciat, vt nationes filios fidei dicat, *Quin & faciat. Hoc totum eiuſdem eſt Dei Creatoris facere, & implere in noua lege, quod in veteri legimus promiſſum Abrahæ. Quod plenè intelliget, conuincere Marcionem, quiſquis ſanum ſenſum Apoſtoli conſequetur.*

ABSTINENTIA.

1. *Abſtinentia veterum Romanorum, & modeſtia circa theatra, & ornamenta mulierum verſa in luxum. Apol. cap. 6. à p.*

QVonam illæ leges abierunt, ſumptum & ambitionem comprimentes? quæ centum æra, non amplius, in cœnam ſubſcribi iubebant, nec amplius quàm vnam inferri gallinam, & eam non ſaginatam? quæ patricium, quòd decem pondo argenti habuiſſet, pro magno titulo ambitionis, ſenatu ſummouebant? quæ theatra ſtuprandis moribus orientia ſtatim deſtruebant? quæ dignitatum, & honeſtorum natalium inſignia, non temerè nec impunè vſurpari ſinebant? Video enim & centenarias cœnas, à centenis iam ſeſtertiis dicendas: & in lances (parum eſt ſi ſenatorum, & non libertinorum, vel adhuc flagra rumpentium) argentaria metalla producta. Video & theatra, nec ſingula ſatis eſſe, nec nuda. Nam nè vel hieme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonij odium pænulæ ludis excogitauerunt. Video & inter matronas, atque proſtibulas, nullum de habitu diſcrimen relictum. Circa feminas quidem, etiam illa majorum inſtitutâ ceciderunt, quæ modeſtiæ, quæ ſobrietati patrocinabantur: cùm aurum nulla norat, præter vnico digito, quem ſponſus oppigneraſſet pronubo annulo; cùm mulieres vſqueadeo vino abſtinerentur, vt matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos, ſui inedia necarint. ſub Romulo verò quæ vinum attigerat, impunè à Mecenio marito trucidata eſt. idcirco & oſcula propinquis offerre neceſſitas erat, vt ſpiritu iudicarentur. Vbi eſt illa felicitas matrimoniorum, de moribus vtique proſperata, qua per annos fermè ſexcentos ab Vrbe condita, nulla repudium domus ſcripſit? Nunc in feminis præ auro nullum leue eſt membrum: præ vino nullum liberum eſt oſculum: repudium verò, iam & votum eſt, quaſi matrimonij fructus.

ABSTINENTIA I. SCHOL.

QVONAM ILLÆ LEGES. *Ridet Romanos* A *deſertores legum ſumptuariarum: quales fuere Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Æmilia, Auria, Iulia, Cecilia, Oppia. Quas ex parte Auguſtus Imperator abrogauit, partim ex integro ſanxit, teſte Suetonio in Octauio. cap. 34* CENTVM ÆRA. *A Lucilio Poeta Centaſiis hac cœna dicebatur: aſsis quippe ſimpliciter pro ære accipitur. Crinitus de Honeſt. Diſcipl. lib. 14 cap. 6.* Ludis Romanis plebeis, & Saturnalibus, & aliis quibuſdam diebus, æra centena in dies impendunto. *S. P. Aug. lib. 3. de Ciuit.* S. Auguſt. *cap. 21. Generaliter luxum Romanorum notat.* Tunc B primùm, inquit, per Cneium Manlium Proconſulem, de Gallogræcis triumphantem, Aſiatica luxuria, Romam, omni hoſte peior, irrepſit. Tunc enim primùm lecti ærati, & pretioſa ſtragula viſa perhibentur. Tunc inductæ in conuiuia pſaltriæ, & alia licentioſa nequitia. *Et lib. 2. de ciuit. cap. 18. iuxta Saluſtium.* Quid iam de conſequenti ætate dicendum, aut cogitandum arbitramur, cùm paulatim mutata, vt eiuſdem hiſtorici verbis vtar, ex pulcherrima atque optima, peſſima ac flagitioſiſſima facta eſt, poſt Carthaginis videlicet, vt commemorauit, Excidium? quæ tempora ipſe Saluſtius quemadmodum breuiter recolat, & deſcribat, in eius hiſtoria legi poteſt; quantis malis morum, quæ ſecundis rebus exorta ſunt, vſque ad bella ciuilia, demonſtret eſſe peruentum. Ex quo tempore, vt ait, maiorum mores non paulatim vt antea, ſed torrentis modo præcipitati, adeo iuuentus luxu, atque auaritia corrupta eſt, vt meritò dicatur, genitos eſſe, qui neque ipſi habere poſſent res familiares, neque alios pati. Dicit deinde plura Saluſtius de Syllæ vitiis, cætera que fœditate Reipublicæ, & alij ſcriptores in hæc conſentiunt, quamuis eloquio multum impari. INFRA- Aug.

Digitized by G

RI GALLINAM *Plin. lib. 10. cap. 50.* Gallinas saginare Deliaci cœpere: Vnde pestis exorta, opimas aues & suopte corpore vnctas deuorandi. Hoc primùm antiquis cœnarum interdictis exceptum inuenio iam lege C. Fannij Coss. vndecim annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur, præter vnam gallinam, quæ non esset altilis: quod deinde caput translatum per omnes leges ambulauit. Inuentumque diuerticulum est, in fraude earum, Gallinaceos quoque pascendi lacte, madidis cibis: multò ita gratiores approbantur. QVÆ PATRICIVM *Valerius Maximus notat, Cornelium Rufinum Senatu motum à Censore Fabricio, quòd decem pondo vasa argentea comparasset, malo exemplo. Et Plin. libro 33. c. 11.* Propter quinque pondo notatũ à censoribus triũphalem senem, fabulosum iam videtur. QVÆ THEATRA. *Idem Tertull. lib. de Spectac.* Sæpè, inquit, censores renascentia theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens, de lasciuia prouidebant. QVÆ DIGNITATVM. *Apud veteres Romanos, erant non modò ingenuorum, sed etiam Consulum, Senatorum, Quæstorum, & Equitum insignia, de quibus legendus Petrus Faber lib. 2. cap. 6. & 12. vsque ad 19. maximè de anulis aureis, qui à tempore Augusti libertinis dari cœpere.*

CENTENARIAS COENAS. *In quarum singulis centena sestertia impendebantur.* A CENTENIS SESTERTIIS. *Meminit rursum Sestertiorum libro de Præscriptionibus, vbi de Marcione Apostata:* Marcion quidem cum ducentis Sestertiis suis quæ Ecclesiæ intulerat. *Ducenta Sestertia ex Budæi supputatione, aureorum quinque millibus æstimantur. Sestertiorum antiqua nota hæc fuit, H. S. Alij sic delineabant. L. L. quâ notâ dupondium siue duas libras significabant. Et per S. qua semissis, vel dimidia libra Notabatur. Quæ tres litera media intercedente linea, sic fuere coniuncta H. S. Sestertius moneta erat argentea Romanis, æquualens quartæ parti argentei denarij, & nostris decem denariolis Turonicis & semissi. Et alio nomine dicebatur nummus. Sestertius porro dictus est quasi semitertius, quòd duos asses, & tertium dimidiatum contineret. Sestertium autem in genere neutro mille numos æquualebat. Et singula sestertia continebant duas libras Romanas, & semissem. Singula verò libræ Drachmas vel denarios centum, id est Sestertios quadringentos. Decem itaque sestertia valebant decem millia numorum. Decies autem Sestertium, decies centena millia numorum.* LANCES. *Ex argento producebantur, non iam in vsum Senatorum, sed & recenter manumissorum, vel adhuc subiectorum flagris. De quibus Iuuenal. Sat. 6.* Hic frangit ferulas, rubet ille flagello. NECNVDA. *Theatra plurimùm sine tecto, & nuda fuerunt. Vnde Chrysost. Homil. 4. in Isa.* Sudant in theatro, nudo capite Solis ardorem excipiunt, vt fiant captiui mortis, & scorti mancipia. *Luxu abundante, velis & carbasis contra cœli iniurias operiri cœpere.* PRIMI LACEDÆMONII. *Contra frigus penulis vsi sunt, & vt maiori voluptate, sine incommodo ludos spectarent. De quo Nonus:* Penula est vestis, quam supra tunicam accipimus, à Laconibus reperta est, ne frigore contingerentur. ODIVM PENVLÆ. *Aliq simpliciter legunt; penulam.* Odium dixit, quòd bellicosi Lacedæmones etiam hyeme bellantes, ad dura magis nati essent, quàm ad mollitiem theatri, in quo spectacula Venerea exhibebantur. AVRVM NVLLA NORAT. *Plin. lib. 33. cap. 1. Notat quod olim anulum ferreum sponsæ mittebat sponsus, qui idcirco pronubus dicebatur, sed crescente luxu ferreus in aureum mutatus est. Isidorus lib. 19. Originum cap. 32.* Primus, inquit, Prometheus fertur circulum ferreum incluso lapide digito circumdedisse, & cæt. Anulos primùm homines gestare cœperunt quarto ab pollice digito, quòd eo vena quædam vsque ad cor pertingat, quam notandam ornandamque aliquo insigni veteres putauerunt. Apud Romanos anuli de publico dabantur, & non sine discrimine. Nam dignitate præcipuis viris gemmati dabantur, cæteris solidi. Anulum aureum neque seruus, neque libertinus gestabat, aut in publico, sed anulo aureo liberi vtebantur, libertini argenteo, serui ferreo vtebantur. Apud veteres vltra vnum anulum vti, infame habitum viro. Gracchus in Meuium. Considerate, Quirites, sinistram eius; En cuius authoritatem sequimini, qui propter mulierum cupiditatem, vt mulier est ornatus. Crassus qui apud Parthos periit, in senectute duos habuit anulos, causam præferens, quòd pecunia ei immensã creuisset. Multi etiam Romanorum pro grauitate anulũ gestare in digito abstinuerunt: fœminæ non vsæ sunt anulis, nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius quàm binos anulos aureos in digitis habere solebant. At nunc præ auro nullum fœminis leue est atque immune membrum: *Et lib 2. de Officiis Eccl. cap. 19.* Illud, inquit, quod in primis anulus à sponso sponsæ datur, fit hoc nimirum, vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis vt eodem pignore eorum corda iungantur. Vnde & quarto digito anulus idem inseritur, quod per eum vena quædam, vt fertur, sanguinis ad cor vsque perueniat. Antiquitus autem non amplius vno dabatur: ne pluralitas amorem vnum carperet. *Referente Phocio, Theosebius Philosophus, volens deinceps casta vxori conuiuere:* Tibi, inquit, olim dedi anulum, pignus conuictus ad prolem: iam tibi do hunc anulum, temperantiæ pignus. VINO ABSTINERENTVR. *Pro, abstinerent. Plin. lib. 14. cap. 13.* Non licebat, inquit, id fœminis Romæ bibere. Inuenimus inter exempla Egnatij, Mecennij vxorem, quòd vinum bibisset è dolio, interfectam fuste à Marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Fabius Pictor in annalibus suis scripsit: Matronam, quòd loculos, in quibus erant claues vinariæ cellæ, resignauisset, à suis inedia mori coactam. Cato ideo propinquos fœminis osculum dari, vt scirent an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat: Vnde & temulentia appellata. Cn. Domitius Iudex pronuntiauit, mulierem videri plus vini bibisse, quàm valetudinis causa, viro insciente, & dote mulctauit. *Lactantius item lib. 1. cap. 22. narrat Faunam Fauni vxorem ebriatam vino, virgis myrteis à viro vsque ad mortem cæsam!* OSCVLA PROPINQVIS. *Vt ex halitu diiudicarent si essent sobriæ.* Et ne in aliquod dedecus prolaberentur, *ait Valerius Max. Id quoque obseruauit Arnobius lib. 2. contra Gentes.* Affinibus, & propinquis osculari eas ius est, vt sobrias comprobarent, atque abstemias esse.

NVLLA REPVDIVM *Teste Festo,* Repudium Verres ait dictum, quòd fit ob rem pudendam. *Referunt aliqui, primum sterilitatis causa vxorem dimisisse Carbilium Spurium. Legendus Agellius lib. 4. Valerius Max. lib. 2. acutè Seneca contra frequens repudium, lib 3. de Beneficiis cap. 16.* Numquid iam vlla repudio erubescit, postquàm illustres quædam ac nobiles fœminæ, non Consulum numero, sed maritorum, annos suos computant, & exeunt matrimonij causa, nubunt repudij? *Iure ergo Tertullianus repudium hic* VOTVM *dixit, quasi vnicum fructum nubentibus optatum, vt nouis subinde matrimoniis luxurientur. Apud Christianos, nullo*

S. Aug. *diuortio soluitur coniugij vinculum. De quo sic D. Augustinus lib. de bono coniugali cap. 8* Interueniente, inquit, diuortio, non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita vt sibi coniuges sint etiam separati: cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati; vel illa viro, vel ille mulieri: nec tamen nisi in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius, Talis est causa cum vxore. Cæterùm aliter se habere iura Gentilium quis ignorat, vbi interposito repudio, sine reatu aliquo vltionis humanæ, & illa cui voluerit, nubit, & ille quam voluerit, ducit? Cui consuetudini simile aliquid propter Israëlitarum duritiam, videtur permisisse Moyses de libello repudij. Qua in re exprobratio diuortij magis apparet quàm approbatio. *Cæterùm cùm toto* B *Apologetico Tertullianus, probra Christianis à Gentilibus falsò imposita, meritissimè in eorum capita scelerata reuoluat, & eodem cum ipso instituto Augustinus scripserit libros de Ciuitate, vt linguas eorum blasphemas comprimeret, quibus calamitosa tempora Christianis affingebant, non suis propriis criminibus, sed fidelium erga Deos impietati; aptissimè hunc locum Augustini textu concludo. Vbi cum supra libro 2. de Ciuit. cap. 18. egisset ad Tertulliani mentem de corruptis Romanorum moribus, sic prosequitur:* Cernis vt opinor, & Aug. quisquis aduerterit, facillimè perspicit, colluuiem morum pessimorum, quò illa ciuitas collapsa fuerit, ante nostri supernì Regis aduentum. Hæc enim gesta sunt, non solùm ante quàm Christus in carne præsens docere cœpisset, (*& inter cætera, non licere homini dimittere vxorem, nisi ex sola fornicationis causa, eâque dimissâ viuente, neutri sub fornicationis pœna, licitum nubere:*) verùm etiam antequam de virgine natus esset: cùm igitur tot & tanta mala temporum illorum, vel tolerabiliora superius, vel post euersam Carthaginem intoleranda & horrenda diis suis imputare non audeant; Opinionis humanis mentibus, vnde talia vitia sylucscerent, malignâ astutiâ inserentibus, cur mala præsentia Christo imputant, qui doctrina saluberrima, & falsos ac fallaces Deos coli vetat, & istas hominum noxias flagitiosasque cupiditates, (*de quibus hic, luxum, gulam, ebrietatem, luxuriam, notat, noster Author,*) diuina authoritate detestans, atque condemnans; his malis tabescenti ac labenti mundo, vbique familiam suam sensim subtrahit, quâ condat æternam; & non plausu vanitatis, sed iudicio veritatis gloriosissimam ciuitatem.

2. *Abstinentia, vt & indulgentia ciborum, venit ab eodem Deo Creatore, pro diuersitate temporum. 5. Cont. Marc. cap. 7. in fi.*

1. Cor. 10. 25. Esai. 65. 11. MAgnum argumentum Dei alterius, *Permissio omnium obsoniorum, aduersus Legem.* Quasi non & ipsi confirmamur Legis onera dimissa: sed ab eo qui imposuit, qui nouationem repromisit; ita & cibos qui abstulit, reddidit, quod & à primordio præstitit. Cæterùm, si quis alius Deus fuisset destructor Dei nostri, nihil magis suos prohibuisset, quàm de copiis aduersarij viuere.

ABSTINENTIA. II. SCHOL.

MAGNVM ARGVMENTVM. *Ironicè dicta sunt ista. Erras Marcion, colligens duos esse Deos, eo quòd diuersa legas pro diuersa congruitate temporum indulta, vel coërcita. Idem prorsus Deus & cibos quosdam permisit, & quosdam prohibuit: nec potuit permittere seruis suis vnus Deus, vti aduersarij sui alterius Dei bonis.* PERMISSIO OMNIVM. 1. *Cor.* 10. Omne quod in macello Vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. *Id est ne contra scrupulum, & ex conscientia erronea quod illicitum putatis & Idolis immolatum comedatis. Sic iam præceperat vel indulserat Christus Luc. 10. 7.* In B eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt, &c. Manducate quæ apponuntur vobis. *S. P. Aug. in Ep. ad Publicolam:* Si illud, S. Aug. inquit, quod in agris nascitur, consecratur Idolo, vel sacrificatur, tunc inter Idolothyta deputandum est. Itaque aut certum est esse Idolothytum, aut certum est, non esse: aut ignoratur. Si ergo certum est esse, melius Christiana virtute respuitur, si autem vel non est, vel nescitur, sine vllo conscientiæ scrupulo in vsum necessitatis assumitur. S. Aug. *Et rursum in eadem Ep. 154.* Olus, inquit, vel quilibet fructus in quolibet agro natus, eius est qui creauit: quia Domini est terra, & plenitudo eius. Psal. 23. 1. & omnis creatura Dei bona est 1. Tim. 4. cauendum est, ne si putauerimus non vescendum olere quod nascitur in horto templi Idoli; consequens sit vt existimemus non debuisse Apostolos apud Athenas cibum sumere, quia ciuitas erat Mineruæ, ciusque numini consecrata: hoc & de pureo responderim, vel fonte qui in templo est, &c. Quid enim est in vsu hominum bono A vel licito, vnde non possit etiam pernicies irrogari? *Et iterum ibidem:* Si quis dubitat de aliqua carne, vtrum immolatitia sit, & non est immolati- Aug. tia; si eam cogitationem tenuerit, quòd immolatitia non sit, & ea vescatur, non vtique peccat: quia nec est, nec iam putatur immolatitia, etsi antea putabatur, neque enim non licet corrigere cogitationes à falsitate, in veritatem. Si quis autem bonum putauerit esse quod malum est, & fecerit hoc putando, vtique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat, quod malè fit. ADVERSVS LEGEM, *Mosaicam scil. quacùm permisisset primò Deus Gen. 9. 3.* Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. *Vel iuxta Hebr. & Chald.* Carnem cum anima eius, sanguinem eius non comedetis: *Postea Leuitici. 11. 4. cum maiori restrictione:* Quidquid ruminat quidem & habet vngulam, sed non diuidit eam sicut Camelus, &c. non comedetis illud, & inter immunda reputabitur. NOVATIONEM. *Nouam legem Esa. 65. 17.*

C Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, &c. *De mutatione veteris legis in nouam fusius suo loco dicemus cum Augustino porro de Marcionem Tertulli, sic Manichæum arguit S. P. Aug. vterque* S. Aug. *enim de dudlici principio, & Deo bono, & malo consentiebat hæresiarcha. Et quod præcisè spectat ad cibos vetitos, Augustinus libro de moribus Manichæorum, vbi capite 15 totum caput. 1. Cor. 10. de Idolothytis decurrit, abstinentiam eorum superstitiosam tangit cap. 13.* Quod, inquit, non vesci-

Digitized by Google

mini carnibus, & vinum non bibitis, ſignaculum oris mirandum & laudandum putatis. Quod quæro à vobis, quo fine faciatis, &c. poſſunt & Catholici Chriſtiani veſtram à vino & carnibus abſtinentiam, iumentis, & multis paſſeribus, poſtremò etiam innumerabilibus generibus vermium comparare, &c. Si ergo parſimoniæ gratia & coercendæ libidinis, quà eſcis talibus & potu delectamur & capimur, audio & probo; ſed non ita eſt. *Subiecit exinde legumes fi res, quibus bonum eſt abſtinere cap. 14. eos ſic inducens pro ſe teſtimonium dicente Paulo:* At enim, ait Apoſtolus, bonum eſt, fratres, non manducare carnem, neque bibere vinum. Quaſi verò quiſquam noſtrûm id bonum neget: ſed aut eo fine, quem ſuperius commemorauí, ſecundùm quem dicitur; & carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis: aut eis, quos rurſus idem Paulus oſtendit: id eſt, aut refrænandæ gulæ cauſa, quæ his rebus ſolet rabidius immoderatiſque raptari: aut ne frater offendatur: aut ab infirmis Idolis communicetur. Eo enim tempore, quo hæc ſcribebat Apoſtolus, multa immolatitia caro in macello vendebatur. Et quia etiam vino libabatur diis Gentium, multi fratres infirmiores, qui etiam rebus his venalibus vtebantur, penitus à carnibus ſe & vino cohibere maluerunt, quàm vel neſcientes incidere in eam, quam putabant cum Idolis communicationem. *Vnde Paulus non tantum menſam, ſed & Calicem ibidem prohibet daemoniorum, menſa, & Calici Domini participantibus. Concludit ibidem. S. Auguſt.* Apparet igitur, vt opinor, quo fine à carnibus & vino ſit abſtinendum, &c. Vos autem immunda eſſe obſonia dicitis; cùm Apoſtolus dicat, Rom. 14. 20. Omnia munda eſſe, ſed ei malum eſſe, qui per offenſionem manducat, *id eſt, cum ſcandalo, proximi*, & prorſus credo vos iſtis epulis inquinari, eo ipſo quo immunda eſſe arbitramini. Ait enim verſu. 14. Credo & confido, *Vulgata, ſcio, Syr. noui ſiquidem, & perſuaſum habeo*, in Domino Ieſu, quia nihil commune *immundum* per ſeipſum, *Syr. ex ſeipſo*, ſed ei qui exiſtimat aliquid commune eſſe, illi commune eſt. Cui autem dubium eſt, communem illum, immundum, & inquinatum vocaſſe. *Tum verò ſuperſtitionem aperit abſtinentiæ illorum*: Quoniam, inquit, membrum Dei malorum ſubſtantiæ commixtum eſt, vt eam refrænaret, atque à ſummo furore comprimeret; ſic enim diciris, de commixta vtraque natura, id eſt boni & mali, mundus eſt fabricatus, &c.

Aug. S. Aug. S. Aug.

3. *Abſtinentia à quibuſdam cibis, & xerophagia, ſeu eſca cruda & ſicca, portio Ieiunij eſt; quæ ſpeciem corporis, & animi lumen auget, & Angelorum conſolationem, & interpretationem ſomniorum meretur, de Ieiun. cap. 9. in p. ad m.*

PRincipalis hæc ſpecies in caſtigatione victus, poteſt iam de inferioribus quoque abſtinentiæ operationibus præiudicare, vt & ipſis pro modo vtilibus, aut neceſſariis. Nam exceptio eduliorum quorundam, portionale ieiunium eſt. Inſpiciamus igitur & xerophagiarum nouitatem, aut vanitatem, ſi non & in his tam antiquiſſimæ, quàm efficaciſſimæ religionis operatio eſt. Redeo ad Danielem, & fratres eius, leguminum pabulum, & aquæ potum ferculis, & œnophoris regiis præferentes, atque exinde formoſiores; nè qui de ſpecie quoque corpuſculi metuat; cæterùm ſpiritu inſuper cultos. [a] *Dedit enim Deus adoleſcentulis ſcientiam, & intelligentiam in omni litteratura, & Danieli in omni verbo, & in ſomniis, & in omni ſophia*, Quà hoc ipſum quoque ſaperet, quibus modis de Deo impetraretur agnitio Sacramentorum. Anno denique tertio Cyri regis Perſarum, cùm in recogitatum incidiſſet viſionis, aliam formam humiliationis proſpexit. [b] *In illis, inquit, diebus, ego Daniel eram lugens, per tres hebdomadas, panem ſuauem non edi, caro & vinum non introierunt in os meum, oleo vnctus non ſum, donec conſummarentur tres hebdomades*; Quibus tranſactis angelus emiſſus eſt taliter adloquens: [c] *Daniel, homo es miſerabilis; nè timueris; quoniam ex die prima quâ dediſti animam tuam recogitatui, & humiliationi coram Deo, exauditum eſt verbum tuum, & ego introiui verbo tuo.* Ita xerophagiarum miſeratio, & humiliatio metum expellunt, & aures Dei aduertunt, & occultorum compotes faciunt. Reuertor etiam ad Heliam, cùm corui illum pane, & carne ſaturare conſueſſent, cur poſtmodum apud Berſabee Iudææ, excitato ei de ſomno, quidam ille angelus ſine dubio panem ſolum & aquam obtulit? defecerant corui qui eum liberalius paſcerent? an difficilè angelo fuerat aliquem alicunde de conuiuio regis miniſtrum, cum inſtructiſſimo ferculo, raptum ad Heliam transferre; ſicut Danieli in lacum leonum eſurienti prandium metentium exhibitum eſt? Sed conſtitui oportebat exemplum, docens in tempore preſſuræ, & perſecutionis, & cuiuſcunque circunſtantiæ, xerophagiis eſſe viuendum. Tali victu Dauid exomologeſin ſuam expreſſit, [d] *Cinerem quidem edens velut panem*, id eſt, panem velut cinerem aridum & ſordidum, *potum verò fletu miſcens*, vtique pro vino.

[a] Dan. 1. 16. 17.
[b] Dan. 10. 2. 3.
[c] Ibid. verſu 11. & 12.
3. Reg. 17. 6.
3. Reg. 19. 2.
Dan. 14. 35. 36.
[d] Pſal. 101. 10.

ABSTINENTIA. III. SCHOL.

HÆC SPECIES. *Ieiunium ſcil. de quo cap. 8. diximus, & exemplo Annæ Prophetiſſæ, Chriſti, Centurionis, & Pauli.* EXCEPTIO EDVLIORVM. *Abſtinentia ab aliquibus cibis, portio Ieiunij eſt, ſine ſpecies, & pars eius. Sic dixit de vel. Virg. cap. 4.* Portionale omne, ſubiectum eſt generali. XEROPHAGIARVM NOVITATEM. *Defecerat ab Eccleſia ad Montanum, dum hæc ſcriberet; & fingit ſibi obuici à Catholicis, in quo librum inſcripſit quaſi animales; cùm diſcipuli Montani paracleti, ſpiritales cenſeret,* XEROPHAGIARVM NOVITATEM. *Xerophagias autem ipſemet hoc libro de Ieiuniis cap. 1. vocat ſiccas & aridas eſcas.* Quod, inquit, xerophagias obſeruemus, ſiccantes cibum ab omni carne, & omni iurulentia, *humore, vel iuſculi ſumptione* & viridioribus quibuſque pomis, ne quid vinoſitatis vel edamus, vel potemus; lauacri quoque abſtinentiam con-

A

B

Digitized by Google

grugntem arido victui. *Sic Epiph. in Epit. Catbol. & Apoſtol. fidei, xerophagiam vſurpat, pro cibo crudiori, vt & Caſſ. lib. 4. c. 22. & quidem vanè ſatis de nouitate gloriaretur, vt & ſtultè eadem nouitas ipſi obiceretur; Cùm Philo, Alexandrinorum Aſcetarum abſtinentiam narret, maximè circa tempus Dominica paſſionis: qui iuxta Euſeb. lib. 2. cap. 16. tunc prorſus abſtinebant vino, omni cibo ſanguinis participe, ſola aqua in potum, ſale & hyſſopo in panem contenti: Meminiſſe debuerat ipſe Tertullianus quod dixerat de Pœnitentia cap. 9. fideles pœnitentes.* Paſtum & potum pura noſſe. *Id eſt panem & aquam: ſed longè ante, S. Clemens Rom. lib. 5. Conſtit. Apoſtolicarum. c. 19. & 21. docet diebus Ieiunij à vino & carnibus abſtinendum; & concedit vſum ſolius panis, ſalis, & olerum. Et lib. 7. Recognit. talem fuiſſe praxim D. Petri notat. Euſebius item lib. 5. cap. 1. refert Martyres Lugdunenſes S. Irenei ætate.* Ne mutorum quidem animalium veſci carnibus, *Reſpondiſſe Ethnicis imponentibus Chriſtianis, eos paſci humana carne & ſanguine. Canon porro Apoſtolicus. 51. improbat abſtinentiam à vino, & carnibus, ſi per errorem, tanquam mala reſpuantur, non autem ſi continentia, aut abſtinentiæ cauſa, relinquantur.* FRATRES EIVS. *Tres pueros, ex fide germanos.* OENOPHORIS. *Apud Tullium de finibus, Oenophorum eſt vas vinarium.* NE QVI. *Ne quis formæ detrimentum ex abſtinentia prætexat.* SOPHIA. *Referenda vox hæc ad ſocios Danielis. Sic enim habet Vulgata Dan. 1. 17.* Pueris autem his dedit Deus ſcientiam, & diſciplinam in omni libro, & ſapientia; Danieli autem, intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum. 70. *Pariter:* Dedit eis Deus intellectum, & prudentiam in omni litteratura & ſapientia. Et Daniel intellexit in omni viſione, & ſomnio. PANEM SVAVEM. *Dan. 10. 2.* In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem, *Hebr. & 70. deſideriorum* Non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meũ, ſed neque vnguento vnctus ſum, donec complerentur trium Hebdomadarum dies. HOMO ES MISERABILIS. *Nec apud 70. nec in Vulgata ſic legitur, ſed habetur verſu 11.* Daniel vir deſideriorum, intellige verba quæ ego loquor ad te, & ſta in gradu tuo: nunc enim ſum miſſus ad te. Cúmque dixiſſet mihi ſermonem iſtum, ſteti tremens. 70. *Surrexi.* Et ait ad me: noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos. 70. In verbis tuis. AVRES ADVERTVNT. *Aduertere faciunt.* CIRCVNSTANTIÆ, *Obſidionis quorumcumque aduerſantium.*

Pſalmo. 34. Cùm mihi moleſti eſſent, induebar Cilicio, humiliabam in Ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertretur. *Aug. ibid.*

S. Auguſt. Docemur quidem, fratres, quia pertinemus ad Corpus Chriſti, quia ſumus membra Chriſti, & admonemur in omni tribulatione noſtra, non cogitare quemadmodum reſpondeamus inimicis noſtris, ſed quemadmodum orando Deum propitiemus, & maximè ne tentatione vincamur. Deinde vt etiam illi, qui nos perſequuntur, ad ſanitatem iuſtitiæ conuertantur. Nullum maius, nullum melius negotium eſt in tribulatione, quàm recedere ab eo ſtrepitu qui foris eſt, *ſicut fecit Daniel, dans animam ſuam, ponens cor ſuum ad recogitandum;* Et ire in interiora mentis ſecretaria: ibi Deum inuocare, vbi nemo videt gementem, & ſubuenientem. *Sicut Daniel hic dicit verſu 7. vidi autem ego Daniel ſolus viſionem.* Illius cubiculi ad-

A verſus omnem extrinſecus illatam moleſtiã, oſtium claudere, humiliare ſeipſum in confeſſione peccati, magnificare & laudare Deum, & corripientem, & conſulentem. Prorſus hoc omni modo tenendum eſt. EXOMOLOGESIN, *Pœnitentiam, confeſſionem, ſatisfactionem pro peccato. De qua alibi fuſius dicemus.* CINEREM EDENS. *Pſal. 101. 10.* Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. *Quod licet benè ad litteram Tertullianus applicet pœnitenti; & D. Aug. ibid. hortetur ad pœnitentiam:* Manduca, inquit, Aug. cinerem velut panem, & potum tuum cum fletũ miſce; per hoc conuiuium venies ad menſam Dei. Noli deſperare, promiſſa eſt indulgentia tibi.

B *Tamen ibidem, paulo ſupra, applicans hæc verba Chriſto, de conuerſione peccatorum epulas ſuas facienti, adhortatur inſultantes peccatoribus, vt Chriſtum imitentur.* Si nulla, inquit, peccatorum eſt indul- Aug. gentia, vbi eris? Quò ibis? certè & pro te factum eſt, vt pauper iſte, *Chriſtus*, cinerem ſicut panem manducaret, &c. Non te iam delectat tale conuiuium? *Et Greg. Magnus exponens ſeptem pſalmos pœnit. in hunc verſum, contra Phariſæos indignabundos, quòd Chriſtus cum peccatoribus manducaret.* Cineres, inquit, Redemptor noſter manducabat, quando

C in corpus ſuum eos trahiciebat. Cineres namque erant: quia dum principem tenebrarum, magis quàm authorem ſequerentur luminis, in eorum cordibus quaſi extinctus fuerat, diuini prorſus ignis amoris. Cineres inquam erant, videlicet nullo apti vſui, & ſine Charitatis glutino omninò diſſoluti. Quis non has miretur miſericordiæ Dei diuitias? quis iam de Remiſſione peccatorum deſperet? &c. Quæ autem eſuries eius, vel ſitis fuerit, ipſe euidenter oſtendit, cùm ait Io. 4. meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei, &c. Quid enim ſitit Deus, niſi fidem noſtram? Vndè & à muliere Samaritana quæſiuit bibere, de cuius eum non legimus aqua bibiſſe; ſed ſpiritalem potum ei mulier obtulit, cum mundi eum Saluatorem agnouit. In cruce quoque poſitus ſitiebat, &

D pœnitentiam peccantium, & fidem exoptabat perfidorum. *Vnde & Bern.* Cibus eius, pœnitentia mea. An non cinerem tanquam panem manducat?

Sed tremendum eſt quod ibidem ſubiecit Gregorius. Poculum, inquit, Deo cum fletu miſcere, eſt alios ab exterioribus introrſus trahere, alios ab interioribus exterius iactare. Scimus enim quia potus ab exterioribus interius trahitur, fletus ab interioribus exterius deriuatur. Quia ergo conditor noſter occulta noſtra examinat, & non ſolùm opera, verùm etiam intentiones radicitùs penſat, occulto eius iudicio fit, vt quoſdam, qui in oculis hominum iuſti eſſe videntur, *auſteri in victu & potu, pœnitentes, exterminantes facies ſuas*, reprobet: quoſdam criminibus reos, per pœnitentiam correctos ſaluet. Et cùm iuxta Apoſtoli

E ſententiam, neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis ſit Dei, alios qui corruerant miſericorditer erigit, *Sicut & Danielem pœnitentem Dan. 10. 10. Ecce manus tetigit me, & erexit me ſuper genua mea, & ſuper articulos manuum mearum, &c. Et ſteti tremens.* Alios qui ſtare videbantur, cadere iuſtè permittit. Ex peccato namque primi parentis accepimus, vt nec in ipſa iuſtitia ſtabiles eſſe poſſimus: ſed aut contra Deum, nobis bonum quod fecimus imputando, erigimur, aut contra proximos in ſuperbiam leuamur. *Ita Phariſæus contra publicanum ſtans apud ſe orabat bis ieiunans Sabbato. Bellè D. P. Auguſtinus præclarè eſſe-*

Eius

Eius abſtinentiæ hic à Tertulliano relatos, iiſdem probat exemplis Ser. 65. de Temp. Sancto, inquit, Eliæ ieiunanti etiam elementa famulata ſunt. Hic denique tribus annis & ſex menſibus cœlum clauſit: ad cuius vocem etiam ſupernum deſcēdit incendium. Et cùm eum Iezabel Regina vellet occidere, & feſſus ſub arbore frondoſa iaceret in ſolitudine, Angelus ad eum mittitur, & dicit ei; ſume paululum panis & aquæ, &c. Etiam præcipit vt longius fugiat perſequentem, &c. quadraginta dierum ieiunio perrecturus erat per deſertum, vſque ad montem Sina. Nunquid enim Dominus qui cœlum & terram fecerat, cuius eſt omnis creatura, non potuit in eremo per Angelum prandium A mittere, ſicut Danieli in lacum Leonum per Habacuc miſit? Sed ſciebat Deus, prophetam ſuum tentantem diabolum aliter ſuperare non poſſe, nisi ieiuniis eruditus, inſidiantis inimici tentamenta repelleret, Daniel quoque ille futurorum gnarus, & Aduentus Domini conſcius, & euerſionis Ieruſalem manifeſtiſſimus prædicator, ideo vir deſideriorum appellatus eſt, quia panem deſiderij non comedit, & potum concupiſcentiæ non bibit; quia magis Chriſtum quàm epulas deſiderabat. *Scilicet iuxta* verum panem, qui de cœlo deſcendit B Io. 6. & frumentum electorum, & vinum Germinans virgines. Zach. 9.

Augusti.

4. *Abſtinentiam mediam nonvult Deus à ſolo cibo, ſed & à potu vini, quæ conſecrat hominem; contrà, ebrietas Sacerdoti eſt mortifera, de Ieiun. cap. 9. in m. ad fin.*

ABSTINENTIA.

HAbet & abſtinentia vini ſuos titulos, quæ & Samuelem Deo vouerat, & Aaronem conſecrarat. Nam de Samuele mater, [a] *Et vinum, inquit, & ebriamen non bibet:* Talis enim & ipſa Deum orabat. Et Dominus ad Aaron, [b] *Vinum & ſiceram non bibetis, tu & filij tui poſte, ſi quando ingrediemini tabernaculum, vel aſcendetis ad altare, & non moriemini.* Adeò morientur, qui non ſobrij in Eccleſia miniſtrauerint. Sic & Iſraëli proximo exprobrat, [c] *Et potum dabatis ſanctificatis meis vinum.* Et hæc autem ſtrictura potus, xerophagiæ portio eſt: quamquam vbi abſtinentia vini aut à Deo exigitur, aut ab homine vouetur, illic intelligatur etiam pabuli preſſura, formam præſtruens potui. Qualis enim eſus, talis & potus. Veriſimile non eſt, vt quis dimidiam gulam Deo immolet, aquis ſobrius, & cibis ebrius. An autem & Apoſtolus xerophagias norit, qui majora celebrauerat, *Sitim, & famem, & multa ieiunia; qui ebrietates & comeſſationes recuſauerat;* vel de diſcipulo Timotheo argumenti ſatis eſt, quem, [d] *Propter ſtomachum, & aſſiduas imbecillitates, modico vino monens vti*, Quo illo non ex inſtitutione, ſed ex deuotione abſtinebat; (cæterum, ſtomacho magis conſuetudo proderat) hoc ipſo abſtinentiam vini dignam Deo ſuaſit, quam ex neceſſitate diſſuaſit.

[a] 1. Reg. 1. 11. ibid. verſu 15. [b] Leuit. 10. 9. [c] Amos 2. 12. 2. Cor. 11. 27. Rom. 13. 13. [d] 1. Tim. 5. 23.

ABSTINENTIA. IV. SCHOL.

SVOS TITVLOS. *Prærogatiuas honoris. &* VINVM. 1. *Reg. 1. 11. Vulgata & Hebræa tranſlatio Pagnini nil habet de vino, ſed ſimpliciter legit*, Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius. *Sed ſecutus eſt* 70. *Interpretes, qui ſic legunt*: Dabo eum coram te datum vſque ad diem mortis eius, & vinum, & inebriamentum non bibet, & ferrum non aſcendet ſuper caput eius. TALIS ET IPSA. *Anna mater Samuelis vino abſtinens. Ibidem verſu* 15. æſtimauit eam Heli temulentam, dixitque ei: Vſquequo ebria eris? digere pauliſper vinum, quo mades. Reſpondens Anna, nequaquam, inquit, Domine mi: nam mulier infelix nimis ego ſum, vinumque, & omne quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini. 70. *Paulò aliter*: aufer vinum tuum, & vade à facie Domini, &c. mulier dura dies ego ſum: *Sanct. Pagn. mulier dura ſpiritus ſum. q. d. præ dolore lapideſco, nullum diem lætum ago, vino cor non lætifico*, Et vinum & inebriamentum non bibi, &c. *Samuel porro, ex voto matris abſtemius eſſe debebat. Hæc enim erat lex Nazaræorum & conſecratorum Domino. Leuit.* 10. 8. Dixit Dominus ad Aaron; vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. Et vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & Prophanum, inter pollutum & mundum. 70. *nil differunt, niſi quòd inebriamentum ſpecificant*: Vinum, & ſiceram non bibetis. *De Nazaræis* Omniloquium *numerorum* 6. 2. Vir ſi-

C ue mulier, cùm fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare: *Sanct. Pagn. Ex Hebr. cum ſeparauerit ſe vouendo votum Nazarai, vt ſeparet ſe Domino*; 70. *autem: quicumque magna vouerit votum purificandi puritatem Domino:* A vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. 70. *A vino & ſicera temperabit*, Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de vua exprimitur, non bibent: vuas recentes ſiccaſque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino conſecrantur: quidquid ex vinea eſſe poteſt, ab vua paſſa, vſque ad acinum non comedent. Omni tempore ſeparationis ſuæ *Hebr. Nazaræatus*, 70. *Purificationis*, nouacula non tranſibit per caput eius, ADEO MORIENTVR. *Exemplum ponitur Leuitici* 10. 1. *de Nadab, & Abiud, igne ſuccenſis, quòd Ebrij ignem prophanum, pro ſacro, thuribulis impoſuiſſent; de quibus præclarè Chryſologus Ser.* 26 Diſpenſator, inquit, diuini Verbi, & cœleſtis doctrinæ prorogator, qui ante Dominum ſtat iugiter, verſatur inter altaria ſemper, neque à Dei oculis recedit vnquam; qui peccatorum cauſas, dolores populi ſuſcipit, offert, ingerit preces, accipit, refert, reſtituit impetrata, ex homine totus in Angelum ſubſtitutus, non poteſt niſi in ipſa Dei facie, inter ſanctorum ſancta peccare: vt inde ſibi ſumat crimen, vnde aliis veniam conſueuerat reportare. Denique Nadab, & Abiud Sacerdotes filij Aaron Sacerdotis, dum contaminare externo igne altaria præſumunt, ipſius altaris conſumuntur incendio: vt ſumerent de ſacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum, quod peccatum illis

Digitized by Google

ſuccitarat ebrietas: *Qua ſanctum à prophano diſcernere non poterant, iuxta premiſſa*: Nam vini odor odorem fugarat incenſi, & ebrietatis ignis flammã prouocarat altaris: vnde quia alienati vino alienum portauerant ignem, mox diuino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen eſt, in Sacerdote ſacrilegium: quia alter animam ſuam necat vino; Sacerdos Spiritum ſanctum extinguit: dicente Apoſtolo 1. Theſſ. 5. 19. Spiritum nolite extinguere. Meritò inter cætera quæ in diſpenſatore malo arguit hodiernus ſermo Luc. 12. Vini condemnat inſaniam, dicendo: Si dicat ſeruus ille, moram facit Dominus meus venire; & cœperit percutere pueros & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari, &c. Propriè dixit, edere & bibere, & inebriari, & percutere. Ebrietas cædis mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter eſt magiſtra: hanc qui habet, ſe non habet: hanc qui habet, homo non eſt: hanc qui habet, non peccatum facit, ſed eſt ipſe peccatum. Ebrietas eſt dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, inuitatus hoſtis, illecebra honeſtatis, & pudoris iniuria. Hanc nullus nouerit Chriſtianus, ne auditu quidem Sacerdos attingat; ne qui eſt forma virtutum, vitiorum inde fiat, & inueniatur exemplum.

NON SOBRII IN ECCLESIA. *Cùm ſacerdotium veteris ſolis eſſet noui figura, longè grauior eſt nunc in noſtris Clericis ebrietatis macula, de qua D. Auguſtinus Ser. 232. de Temp. Vbi damna ebrietatis perſtringit.* Oculorum, inquit, ſuffuſionem atque caliginem, capitis vertiginem, & membrorum tremorem ex paueſcant, qui inferni ſupplicia non formidant. Et hæc quidem non ſolùm laïcis, ſed etiam Clericis dicimus: quia, quod peius eſt, multi ſunt etiam maioris ordinis Clerici, qui cùm aliis ſobrietatis bonum deberent iugiter prædicare, non ſolùm hoc non faciunt, ſed etiam & ſe, alioſque inebriant: non erubeſcunt, nec metuunt. Sed agnoſcant & doleant quicumque tales ſunt: quia ſi ſe noluerint emendare, & pro ſe, & pro aliis, neceſſe eſt eos æterna ſupplicia ſuſtinere. Illud verò quale eſt, quòd iam tranſacto conuiuio, expletâ ſiti, cùm amplius bibere non poſſint, aut debeant, tunc quaſi nouelli, quaſi & qui ipſa hora ſuperuenerint, diuerſis nominibus incipiunt bibere, non ſolum viuorum hominum, ſed etiam Angelorum, & reliquorum antiquorum ſanctorum; æſtimantes quòd maximum illis honorem impendant, ſi ſe in illorum nominibus, nimia ebrietate ſepeliant, ignorantes quòd nullus tam grauem iniuriam ſanctis Angelis, vel ſanctis hominibus agnoſcitur irrogare, quàm illi, qui in eorum nominibus bibendo, per ebrietatem ſuas animas probantur occidere, &c. Etiam ſi reliqua peccata Chriſtiani non admittunt, ſola eos ſi frequens fuerit ebrietas, & emendatio ac pœnitentia non ſubuenerit, in inferni profunda præcipitat. Secundùm illud 1. Cor. 6. neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt, &c. Nemo ſe decipiat, fratres, duo enim loca ſunt, & tertius non eſt vllis. *Supple poſt iudicium extremum*, qui cum Chriſto regnare non meruerit, cum diabolo abſque dubitatione vlla peribit. *Quod ad ſalutationem dierum inter pocula, morem hunc Gentilem inſinuat Daniel 5. 4. dum vaſa templi temulentus Balthaſſar polluceret in eis bibens cum optimatibus, & vxoribus, & concubinis ſuis.* Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque & lapideos. *Quid eſt, laudabant? niſi præſtando & præbendo, per ſingula Numina eorum-que in honorem crapulabantur, ſua ſingulis dantes elogia. Vnde & Ibid. ſupra D. Aug.* Hæc ſi pagani qui Deum ignorant, faciunt, nec mirandum eſt, nec nimis dolendum, quia & in Deo ſpem non habent, & antiquam parentum ſuorum conſuetudinem ſeruant. Chriſtiani verò, quos Deus de tenebris duxit ad lucem, de morte vocauit ad vitam, quibus omnes ſcripturæ clamant ebrietatem fugere, ſobrietatem diligere, quare turpiſſimas illorum ebrietates comitantur, de quorum perfidia liberari per Dei miſericordiam meruerunt? ISRAELI PROXIMO. *Electo populo, cui dicit tanquam Pater*: Filios exaltaui, & enutriui, &c. Populus quem elegit in hæreditatem ſibi. SANCTIFICATIS MEIS. *Amos 2. 12. cùm exprobraſſet ſuam in Iſraël teneritudinem amoris, eis exprobrat voti violationem:* Et propinabatis Nazaræis vinum. 70. *legunt*, ſanctificatis.

STRICTVRA POTVS, *Vini abſtinentia ſtrictior. Vnde & Eſa. 50. 20. ſimul iungit cibi & potus abſtinentiam.* & dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Panem anguſtiæ, & aquam oppreſſionis. 70. *verò*: Panem tribulationis, & aquam anguſtam. *Quam ſtatim vocat Author noſter*, Pabuli preſſuram, *Quæ dum in anguſtias comprimitur, modum etiam potus ad aquam reſtringendi præſcribit.* DIMIDIAM GVLAM, *ſolius eſca, vel potus abſtinentiam. Nec enim ſimplicem hoſtiam, ſed holocauſtum plenum exigit perfecta abſtinentia.* XEROPHAGIAS, *ſupra dixi, aridas eſcas.* MAIORA CELEBRAVERAT, *ſacrificia ſcilicet abſtinentiæ. 2. Cor. 11. 27.* In labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore, & nuditate. RECVSAVERAT. *Prohibuerat. Rom. 13. 13.* Non in comeſſationibus & ebrietatibus. *Hunc locum exponit S. P. Aug. Ep. 64. ad Aurelium.* Ait, inquit, vas electionis: Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & dolo, ſed induite vos Dominum Ieſum Chriſtũ, & carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis. Horum ergo triũ, cubilia & impudicitiæ, tàm magnũ crimen putatur, vt nemo dignus nõ modo Eccleſiaſtico miniſterio, ſed ipſa etiam Sacramentorum communione videatur, qui ſe iſto peccato maculauerit. Et rectè omnino. Sed quare ſolum? comeſſationes enim & ebrietates ita conceſſæ & licitæ putantur, vt in honorem etiam beatiſſimorum martyrum, non ſolùm per dies ſolemnes, quod ipſum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inſpicit; ſed etiam quotidie celebrentur. Quam fœditatem, ſi tantùm flagitioſa, & non etiam ſacrilega eſſet, quibuſcumque tolerantiæ viribus ſuſtentandam putaremus. Quanquam vbi eſt illud, quod cùm multa vitia enumeraſſet idem Apoſtolus, inter quæ poſuit ebrioſos, ita concluſit, vt diceret 1. cor. 5. cum talibus nec panem edere. Sed feramus hæc in luxu & labe domeſtica, & eorum conuiuiorum, quæ priuatis parietibus continentur, accipiamuſque cum eis Corpus Chriſti, cum quibus panem edere prohibemur: Saltem de ſanctorum corporum ſepulcris, ſaltem de locis ſacrorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim auderet negare, *alij legunt vetare*, priuatim, quod cùm frequentatur in ſanctis locis, honor Martyrum nominatur? PROPTER STOMACHVM. 1. *Tim. 5. 23.* Noli adhuc *Syr. poſthac* aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

NON EX INSTITVTIONE. *Nullo præcepto, vel voto obligante.* DIGNAM DEO. *Alias Paulus di-*

Digitized by Google

xit, Hostiam Deo placentem. *Sed si ex necessitate infirmitatis, vinum modicum non sumpsisset, carnem animal, indignum Deo obtulisset, cùm Paulus* Hostiam Deo placentem, rationale obsequium *appellauerit.* S. Aug. *Contra ebriosos inuehitur Aug. Ser. 221. de Temp. maximè contra cogentes alios ad bibendum.* Qui, inquit, alterum cogit, vt se, plus quàm opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quàm animam eius per ebrietatem necaret. *Tum inuacit obiicientes, amicos non haberi, qui abundanti vino non ebrianter. Paulus quidem inuitat Timotheum ad bibendum vinum, sed modicum, propter necessitatem.* Ingratum habeo amicum meũ, si quoties illum ad conuiuium vocauero, potum ei, quantum voluerit ipse, non dedero. *Cui sic respondet D. Augustinus:* Non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus, & suus est inimicus. Si & te, & alium inebriaueris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et ideo sapienter considera, si iustum sit, vt te à Deo separes, dum te ebrioso coniungis. *Eiser. 232.*

A *de Temp. contra iactantes se esse viros, & fortes, multo vino se ingurgitantes, quibus imprecatur Isaias cap.* 5. 21. Vt qui potentes estis ad bibendum vinum, S. Aug. & viri fortes ad miscendam ebrietatem. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Hominibus robustis ad miscendum inebriatiua. *Vel cibos salsos, vel mixta pocula aromatibus, & inebriantia intelligit.* 70. Væ valentes vestri, qui bibunt vinum, & potentes qui miscent siceram. *D. Aug. sic appositissimè ad locum Esaiæ:* Videte, inquit, miseriam ebriosorum: Se dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloaca iacent; & illos dicunt non esse viros, qui honestè, & sobriè stant. B Iacent prostrati, & viri sunt: stant erecti, & viri non sunt? victor ebrietatis vituperatur, & victus ebrietate laudatur: Irridetur sobrius, qui se & alios potest regere; & non irridetur, imò non plangitur ebriosus, qui nec se, nec alios potest agnoscere, &c. etiam si ad hoc veniretur, vt tibi diceretur; aut bibas, aut morieris: melius erat vt caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. S. Aug.

5. *Abstinentia frenum luxuriæ. V. Verbum, lex vetus benedicta. Num 6. Vide. V. Ieiunium.*

ACTA APOSTOLORVM CANONICA.

1. *De Prescr. cap. 22. in fin.*

IMpleuit repromissum, probantibus Actis Apostolorum, descensum Spiritus Sancti. Quam scripturam qui non recipiunt, nec Spiritus Sancti esse possunt, qui necdum spiritum possint agnoscere discentibus missum; sed nec Ecclesiam defendere, qui, quando, & quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent. Tanti est enim illis, non habere probationes eorum quæ defendunt, nè pariter admittantur traductiones eorum quæ mentiuntur. Act. 1. 3. & seq.

2. *Acta Apostolorum stultè reiecit Marcion; Cùm tractent æqualiter de conuersione Pauli & de Iudaismo resecto in Epistola ad Galatas, & ex his tantùm probetur Spiritus Sanctus datus Apostolis 5. Cont. Marc. cap. 2. à m. ad fin.*

DEcurrens ordinem conuersionis suæ, de persecutore in Apostolum; scripturam Actorum Apostolicorum confirmat, apud quam ipsa etiam epistolæ istius materia recognoscitur; [a] *Intercessisse quosdam, qui dicerent circumcidi oportere, & obseruandam esse Moysi legem:* Tunc Apostolos de ista quæstione consultos, ex auctoritate Spiritus renuntiasse, [b] *Non esse imponenda onera hominibus, quæ patres ipsi non potuissent sustinere.* Quòd si & ex hoc, congruunt Paulo Apostolorum Acta, cur ea respuatis iam apparet; vt Deum scilicet non alium prædicantia, quàm Creatorem, nec Christum alterius, quàm Creatoris, quando nec promissio Spiritus sancti aliunde probetur exhibita, quàm de instrumento Actorum. Quæ vtique verisimile non est, ex parte quidem Apostolo conuenire, quum ordinem eius secundùm ipsius testimonium ostendant; ex parte verò dissidere, quum diuinitatem in Christo Creatoris annuntiant; vt prædicationem quidem Apostolorum omnino sit secutus Paulus, qui formam ab eis dedocendæ legis accepit. Gal. 1. 13. [a] ad Gal. 5. 1. [b] Act. 15. 10. Act. 2. 2.

ACTA APOSTOLORVM. I. II. SCHOL.

REPROMISSVM. *Frequens est in compositis. Hîc ponit pro,* promissum. *Quamquam & sæpiùs promiserit Spiritus sancti missionem, tam in veteri quàm in nouo Testamento.* ESSE POSSVNT. *Ad Spiritum sanctum, & ad gratiam, & fidem ab eo infusam omni credenti, pertinere non possunt.* DISCENTIBVS. *Frequenter vsus est hac voce pro,* Discipulis. HOC CORPVS. *De quo Paulus Coloss. 2 24.* Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia. *Ephes. 4 4.* Vnum corpus & vnus spiritus. *Ibid. 12.* Opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi. TANTI EST ILLIS. *Malunt haruspices esse Acta Apostolorum,* Omniloquium.

A *ex quibus probare possunt ea, quæ nobiscum credunt; quàm eis receptis, palam exponi & conuinci eorum mendacia. Iuxta Tertullianum. D. Aug. tract. 6. in* S. Aug. *caput 1. Io.* Actus, inquit, Apostolorum testes sunt. Ille liber canonicus omni Anno in Ecclesia recitandus. Anniuersaria solemnitate, post passionem Domini, nostris illum librum recitare, vbi scriptum est quomodo conuersus sit Apostolus, & ex persecutore prædicator factus; vbi etiam die Pentecostes missus est Spiritus sanctus, in linguis diuisis velut ignis.

2. DECVRRENS ORDINEM. *Seriem conuersionis suæ, quam pariter in Actis Apostolorum descri-*

bit, ſicut in Ep. ad Gal. cap. 1. 13. Audiſtis conuerſationẽm meam aliquando in Iudaïſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, &c. Cùm autem placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, &c. *Huius autem Act. 9. 1. & ſeq. Et cap. 22. 1. & ſeq.* INTERCESSISSE QVOSDAM. *Interuenisse & ſe opposuisse. Gal. 5. 1.* State *Syr. in libertate illa qua Messias vos donauit, stare*; & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit. Teſtificor autẽ rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ. *Quia ſtigma precipuum ſeruitutis, & per conſequens obligationum totius legis, in maximo eius Sacramento circumciſi ſumebant.* AVCTORITATE SPIRITVS. *Act.* 15. 8. *Petrus ſic loquitur*; Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit dans illis Spiritum ſanctum ſicut & nobis. *Interceſſiſſe autẽ ſine interuenisse quoſdam dixit hic Tertullianus, reſpiciens ad caput 15. 5. Act.* Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum *Syr. ex doctrina*, qui crediderunt, *conuerſi ad Chriſtum*, dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi. RENVNTIASSE, dixiſſe Petrum, vt miſſum Apoſtolum, & nuntium Spiritus. *Act.* 15. 10. Nunc ergo quid tentaris Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus? ET EX HOC, *ſupple teſtimonio citato ex Ep. ad Gal. dictis, & factis Pauli, conuincuntur Acta Apoſtolorum conſonare.* PROBETVR EXHIBITA. *Nullibi quàm in Actis, promiſſa in Euangelio miſſio Spiritus ſancti, & longè ante in Prophetis, probatur exhibita. Act.* 2. 1. Cùm complerentur dies Pentecoſtes, &c. Et factus eſt repente de cœlo ſonus, &c. & apparuerunt illis diſperritæ linguæ tanquã ignis, &c. & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, &c. DE INSTRVMENTO. *Vox dicta ab inſtruo. Inſtrumentum eſt monumentum ſcripturarum ad res geſtas pertinentium. Suetonius in Veſpas.* Vndique inueſtigatis exemplaribus, inſtrumentũ imperij pulcherrimum ac vetuſtiſſimum confecit. CVRA EA RESPVATIS. *Quia ſcil. Marcionita reſpuebant vetus teſtamentum, tanquam à Deo Creatore conditum, aduerſario Dei, & Chriſti ſui: cùm tamen in nouo, eius ſcil. Actis, legatur impleta miſſio Spiritus ſancti, promiſſa Ioël. 2. 28. & Iſa. 44. 3. Petro ſic teſtante Act. 2. 16.* Non enim, inquit, ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia: ſed hoc eſt *impletum ſcil.* quod dictum eſt per Prophetam Ioël: & erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & Seniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt, &c. *Quod totum conſequenter habetur apud Iohem. Nam apud Eſaiam 44. 3. ſic.* Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper arida: effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, &c. *Acta itaque Apoſtolorum reiiciebat vt ſpuria Marcion, quod Deum Creatorem, & Chriſtũ eius filium prædicarent, quæ tamen ab omnio ante Tertullianum vt Canonica ſuſceperunt, Irenæus, Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus: poſt Tertullianum verò Cyprianus, Hieronymus, cæteriquè deinceps. Inter quos D. Auguſtinus præter ſupra citatum locum, hæc habet to. 6. lib. de vtilitate credendi contra Manichæos cap. 3. vbi notat, eos etiam reſpuiſſe hunc librum, quòd in eis Spiritus ſanctus miſſus dicatur Apoſtolis, quem ſuo Mani malebant, & credebant miſſum. Sic itaque loquitur Honorato à Manichæis ſeducto:* Noſti, inquit, quòd authoris ſui Manichæi perſonam in Apoſtolorum numerum inducere molientes, dicunt Spiritum ſanctum, quem Dominus diſcipulis ſe miſſurum eſſe promiſit, per ipſum ad nos veniſſe. Itaque ſi illos Actus Apoſtolorum reciperent, in quibus euidenter aduentus S. Spiritus prædicatur, non inuenirent quomodo immiſſum eſſe dicerent. Volunt enim neſcio quos corruptores diuinorum librorum, ante ipſius Manichæi tempora fuiſſe: corrupiſſe autem illos, qui Iudæorum legem, Euangelio miſcere cupiebant. *Idem repetit lib. 19. contra Fauſtum Manich. cap. 31. Vbi Acta Apoſtolorum Canonica vocat.* In Actibus, inquit, Apoſtolorum Canonicis, quos iſti non accipiunt, ne de Aduentu veti Paracleti, quem promiſit Dominus, conuincantur. Auguſt. Auguſt.

Adulterium Herodis Ioannes arguit, quòd ageret contra legem Creatoris. 4. cont. Marc. c. 34. in. m.

Math. 14. 4. Marc. 6. 17. Luc. 3. 19. Leuit. 20. 21. Deut. 25. 5. Luc. 16. 16. 18. & ſeq.

IOannes retundens Herodem, quòd aduerſus legem, vxorem fratris ſui defuncti duxiſſet, habentis filiam ex illa, (non aliàs hoc permittente, immò & præcipiente lege, quàm ſi frater illiberis deceſſerit; vt à fratre ipſius, & ex coſta ipſius ſupparetur ſemen illi) conjectus in carcerem fuerat, ab eodem Herode poſtmodum, & occiſus. Factâ igitur mentione Ioannis Dominus, & vtique ſucceſſus exitus ejus, illicitorum matrimoniorum, & adulterij figuras jaculatus eſt in Herodem; adulterum pronuntians, etiam qui dimiſſam à viro duxerit: quò magis impietatem Herodis oneraret, qui non minus morte, quàm repudio dimiſſam à viro duxerat; & hoc fratre habente ex illa filiam, & vel eo nomine illicitè; ex libidinis, non ex legis inſtinctu; ac propterea Propheten quoque adſertorem legis occiderat.

ADVLTERIVM. SCHOL.

RETVNDENS HERODEM. *Frequenter arguens. Matth.* 14 3. Herodes tenuit Ioannem, & alligauit eum: & poſuit in carcerem, propter Herodiadem vxorem fratris ſui. Dicebat enim illi Ioannes: non licet tibi habere vxorem fratris tui. *Marcus cap. 6. idem repetit, & addit:* Metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum, & cuſtodiebat eum; & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. *Sed cùm Marcion ſolum Lucam admitteret; ſic refert: cap. 3. 19* Herodes Tetrarcha, cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris ſui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes, adiecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Ioannem in carcere ADVERSVS LEGEM. *Non eam quidem, Author, intelligit, de qua Leuit. 20. 21.* Qui duxerit vxorem fratris ſui rem facit illicitam, turpitudinem fratris ſui reuelauit: abſque liberis erunt. *Sed magis reſtricit legem Deut.* 25. 5.

Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui. *In quem locum Aug. to. 4. lib. 5. qq. in Deut. q. 46.* Videtur, inquit, hoc præcepisse lex de fratris vxore ducenda, non ob aliud, nisi vt semẽ suscitet fratri, qui sine liberis defunctus est. *Quod Tertullianus dixit, illiberis.* Quod autem ait, constituetur ex defuncti nomine, & non delebitur nomen eius, id est nomen defuncti ex Israël. Ex hoc videtur dictum, vt ille qui nascitur, hoc nomine appelletur, quo appellabatur defunctus, cui quodammodo propagatur. *Et quidem sic videtur sentire vulgata lectio supra versu 6.* Et primogenitum ex ea filium, nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israël. *Quod tamen & aliter exponi posse notat ibid. D. Aug.* Potest, inquit, & ita intelligi, non quòd nomen eius puer consequenter accipiat; sed quòd ille non sine posteritate mortuus esse videbitur; & ideo permanet nomen eius, hoc est memoria. *Et id magis respondet Hebræa lectioni, iuxta Santtem Pagninum.* Et erit, primogenitus quem pariet, stabit nomine fratris sui defuncti, *id est pro eo, eius vice, hæres erit*, & non delebitur nomen eius ex Israël. HABENTIS FILIAM. *Cum Hebræa, & Vulgata, & Paraph. Chald. primogenitum filium exprimat*, 70. *fauere videntur Tertulliano, indifferenter prolem seu masculam, seu fœmineam ponentes*: Et erit infans, quicumque natus fuerit, constituetur ex defuncti nomine. Ex COSTA IPSIVS. *Vxore eius vidua. Sic enim & prima mulier vxor Adæ, costa dicitur*: Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem. *Gen. 2. 22. 1. 5. Omnino ad mentem Tertulliani Augustinus in supplemento* TH. *1. ser. 2. in Nat. S. Ioan. Bapt.* Legimus Ioannem passum pro veritate: Numquid pro Christo? Non pro Christo, si non veritas Christus. Non omnino pro ipsius nomine, sed tamẽ pro ipsa veritate. Neque enim ideo decollatus est Ioannes, quia confessus est Christum; sed monebat temperantiam, monebat iustitiam. *Et si Dei virtus & sapientia Christus, nũquid & ipsa iustitia, & temperantia, & virtus omnis Christus, pro quibus quicumque moritur, pro Christo moritur.* Dicebat: non tibi licet habere vxorem fratris tui. Lex enim erat, quæ hoc iusserat; & illis iusserat qui morerentur sine liberis, vt acciperent fratres vxores fratrum suorum, & resuscitarent semen fratribus suis, vbi ista causa non erat, nihil nisi libido erat. Hanc libidinem Ioannes arguebat, castus incestum. *Habebat quippe Herodias ex Philippo filiam.* SVPPARETVR. *Par proles substituatur.* MENTIONE IOANNIS. *Luc. 16. 16. dixerat Christus*: Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, & post versum alterum, statim. FIGVRAS, *id est species adulterij torsit in Herodem, cuius exitum, sub figura diuitis in inferno sepulti delineauit: dicendo versu* 18. Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur. *Tum epulas diuitis subnectit.* Homo quidam erat diues, &c. *Quod Tertullianus hoc ipso capite 34. contra Marcionem torquet, veterem legem, cum Moyse, & Prophetis reprobantem;*

cum Ioannem, finem legis Christus dixerit, quem in splendido natalis sui conuiuio decollari præcepit, vt Herodiadis filiæ placeret, quam illa ex defuncto fratre Herodis Antipa susceperat. Ipsum, inquit, cohæret mentioni Ioannis malè tractati, & suggillati Herodis, malè meritati, vtriusque exitum deformans *de ineans formam, & figuram* Herodis tormenta, & Ioannis refrigeria: vt iam audiret Herodes; habent illic Moysem, & Prophetas. *Auerte nullum ex Euangelistis præcitatis, defunctum dixisse Philippum. De quo apud Authores controuersia est. Cæterùm subinsinuat errorem suum de secundis nuptiis, quas pro stupris, & adulteriis habebat, quem in Alphabeto errorum Verbo*, Nuptiæ secundæ, *refutabimus. Hîc autem ait*, Non minus morte, quàm repudio dimissam à viro. *Quod falsum est. Licuisset enim ipsi alteri nubere, si frater non fuisset superstes: sed benè est quod addidit*, EO NOMINE ILLICITE, *Quod scilicet duxisset vxorem fratris, habentem ex illo filiam superstitem; quod expressè notatur in textu Matth. 14. 6.* Die autem natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi, &c. At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hîc in disco caput Ioannis Baptistæ, &c. & Datum est puellæ, & attulit matri suæ, &c. *Ita & Marci 16. 22. licet hæc apud Lucam non referantur. De Philippo Herodis fratre, diuersi diuersa senserunt. Euangelista dicunt Philippum, virum fuisse Herodiadis. Ioseph autem lib. 18. Antiq. cap. 6. 7. & 9. vocat eum Herodem, fratrem alterius Herodis, qui cum esset frater germanus, subduxit vxorem fratris viuenti, vt narrat Iosephus ibidem cap. 10. Herodiadem Iosephus Aristobuli fratris Herodis, & Philippi, filiam. Hieronymus autem in Matth. 14. Ruffinus libro 1. Hist. Eccl. cap. 23. Beda & Strabus referunt eam fuisse filiam Aretæ Regis. Quomodo autem abstulerit eam narrat Ioseph lib. 18. cap. 9. & Hegesippus lib. 2. cap. 12. Cùm Herodes Romam pergeret, à fratre, qui ab Euangelistis Philippus, ab aliis etiam Herodes appellatur, exceptus est hospitio. Vbi cùm moras ageret, Herodiadis amore captus, cum ea pepigit, post reditum Româ, relicto viro, nuptias cum ipsa contracturum. Hinc & Ecclesia in secundo responsorio primi nocturni festi Decollationis S. Ioannis*: Ioannes Baptista arguebat Herodem, propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo viuenti vxorem. *Quod & Eusebius, lib. 1. Hist. cap. 10. Hieron. supra, vt & Beda, & Aymo, Nicephorus lib. 1. c. 19. tenuerunt. Chrysostomus autem, Theophilactus, & Euthymius Tertulliano consentiunt, defunctum fuisse Philippum, cùm Herodes Antipas duxit in vxorem Herodiadem, quæ ex Philippo puellam Salomen susceperat. D. autem Augustinus lib. de fide, & operibus, cap. 19. propter diuersas sententias, anceps in hac quæstione manet.* Illud, inquit, ambiguum est, vtrum Herodes mortui duxerit, an viui fratris vxorem: Et ideo non ita claret, quid Ioãnes ei non licere dicebat. *Quòd si Iosephus sequendus est profectò superstitem Herodem illũ virum Herodiadis, dicendum est, quia lib. 18. c. 17. bellum intercessit inter Herodem Antipam, & Regem Aretam, quod filiam suam repudiasset, vt duceret Herodiadem, & eam à viro suo superstite abduceret.*

S. Aug. Aug. Aug. S. August.

ÆONVM FABVLÆ.

Æonum fabula iam prauisa & damnata à Paulo, ipsâ detectione destruuntur. Cont. Valent. cap. 3. in m. ad. f.

IAm si & in totam fabulam initietur, nonnè tale aliquid dabitur, te in infantia inter somni difficultates à nutriculâ audisse, Lamiæ turres, & pectines Solis? Sed qui ex alia conscientia venerit fidei, si statim inueniat tot nomina Æonum, tot conjugia, tot genimina, tot exitus, tot euentus, felicitates, infelicitates, dispersæ atque cõcisæ diuinitatis, dubitabitnè ibidem

a 1. Tim. 1. 4. & ad Tit. 3. 9. pronuntiare, has esse fabulas, & [a] *genealogias indeterminatas*, quas Apostoli spiritus, his jam tunc pullulantibus seminibus hæreticis, damnare præuenit? Meritò itaque non simplices, meritò tantummodò prudentes, qui talia neque facilè producunt, neque exertè defendunt, sed nec omnes quos edocent, perdocent; vtique astutè, vt pudenda: cæterùm inhumanè, si honesta. Et tamen simplices nos, omnia scimus. Denique hunc primum cuneum congressionis armauimus, detectorem, & designatorem totius conscientiæ illorum, primamque hanc victoriam auspicamur: quia quod tanto impendio absconditur, etiam solummodò demonstrare, destruere est.

ÆONVM FABVLÆ. SCHOL.

IN TOTAM FABVLAM INITIETVR. *Si Ænum fabulam auspicemur, & ex integro enarrare incipiamus. Vel si quis plenè velit imbui, initiari, consecrari arcanis & fabulosis Æonum mysteriis.* TALE ALIQVID DABITVR. *Recordaberis fortè tibi olim infantulo, à nutricula similibus fabellis, somnum inductum. Dum inde terrebat te lamiis & spectris, ni citò somnum caperes; vel pectinibus Solis demulcebat, vt blandius obdormires. Intonsus enim & aureis comis Apollo, pectinibus eburneis comari poscebat.* LAMIÆ TVRRES. *Lamia, piscis est species voracissima, dicta à λαμὸς, id est guttur, quòd tanto polleat oris rictu, vt loricatum hominem deuorasse compertum sit. Talis fuit qui Ionam deglutiit. Lamiæ & Cati meminit Plin. lib. 9. cap. 24. Alij Lamias putant Striges, aues nocturnas, ab importuno stridore dictas. De quibus Plin. lib. 11. c. 39.* Fabulosum, inquit, arbitror de Strigibus, vbera eas infantium labris immulgere. Esse in maledictis iam antiquis Strigen conuenit, sed quæ sit auium, constare non arbitror. *Calius Rhodig. lib. 29. cap. 5. Lamias, mormolitias vocat.* Lamias turres *dixit, Author: quòd Lamia Regina Lybiæ, ingentem specum ad rupis radices incoluisse narretur in fabulis: In qua, velut turri munitissima secura viuebat.* PECTINES SOLIS. *Dicti ob lineas, & internalla radiorum, vnde & intonsus & comatus Apollo, aureo pectine flauam Cæsariem discriminare fabulantur.* CONSCIENTIA FIDEI. *Qui fidelis, & vnius veri Dei cultor ad Æonum fabulosorũ secreta admissus fuerit, & tot inepta eorum nomina; statim nihil hæsitans dicet, Paulum iam inde Coanum Cerdoni Patriarchæ Valentinianorum, nascentes has fabulas condemnasse.* GENEALOGIAS INDETERMINATAS. *Ita libro de Præscr. cap. 7. dixit;* Fabulas & genealogias indeterminabiles. *Et Ireneus initio libri 1.* Genealogias infinitas: *Quòd in Deos innumerabiles excrescant. De his Paulus 1. Tim. 1. 3.* Rogaui te, vt remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, vt denuntiares quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, *Syr. nec attenderent fabulis, & narrationibus generationum, quibus non est finis:* Quæ quæstiones *Syr. contentiones* præstant magis, quàm ædificationem Dei, quæ est in fide. *Chrysost. Homil. 1. in Caput 1. ad Tim. interminatas vocat, nullum finem, & vtilitatem habentes & Gentilibus applicat, deorum suorum seriem texentibus. Item fato, & Genesi cuius necessitati omnia subiiciebant. D. Tho. ibidem iuxta S. Augustinum refellit hæreticos, cum Marcionitis vetus testamentum reprobantibus, dicentes, hi. Paulum risisse historias veteris testamenti, quasi fabulosas: cùm ipse Paulus vt historiam veram, & non fabulam referat, Gal. 4. Abraham duos habuisse filios, &c. Fabulam ergo dicit, non vt vult Quintinus, fabulatos Iudæos de Patribus Abraham, Isaac, & Iacob, gloriantes: verè enim erant eorum filij: sed carpit Paulus librum dictum,* Thalmud Iudæorum, *Plenum fabulis, qualis fuit, quòd Adam prater Euam, aliam vxorem habuerit, de qua nati sunt dæmones. S. P. Aug. lib. 2. contra Aduer. legis & Prophet. cap. 1. notat Iudæos habuisse quasdam traditiones non scriptas, ex ore vnius ad alterum verbo transfusas, quas vocant* Deuteroses, *Ex quibus texunt genealogias. Sic de illis loquitur:* Quòd prophanas & aniles fabulas, & genealogias infinitas, appellasse Apostolum existimat, diuina eloquia legis & propheterarum, quia dixit. 1. Tim. 4. 7. prophanas & aniles fabulas deuita. Et 1. Tim. 1. 4. ne intendas fabulis Iudaïcis, & genealogiis infinitis, &c. Quis ita, nisi hæreticus multùm cæcus erraret? Cur enim hoc Apostolus non fecit, si has aniles fabulas iudicauit? cur dicit ad Gal. 4. 22. Quod Abraham duos filios habuit, &c. 1. Cor. 10. 1. omnes sub nube fuerunt, &c. Nescit autem habere præter scripturas legitimas & Propheticas, Iudæos quasdam traditiones suas, quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quam Deuterosin vocant. Vbi etiam dicere audent & credere, Deum primo homini duas creasse mulieres, ex quibus texunt Genealogias, verè, sicut ait Apostolus, infinitas, parientes infructuosissimas quæstiones.* S. Aug.

ASTVTE VT PVDENDA. *Carpit hæreticorum mysteria, quæ si honesta essent, palam facerent.* OMNIA SCIMVS. *Quia simplex oculus fidei, primo intuitu, vt Sol oriens, detegit omnia, & dissipat noctem fabularum, vt & verum Deum, absque vlla quæstione attingit. Hinc Chrysostomus supra:* Vbi fides est, nulla quæstionis necessitas. Non permittit de vlla re ambigere, aut contendere. Quæ fides peragit, atque ædificat, ea quæstioprorsus euertit. NOS SIMPLICES. *Quod tamen simul exigit Christus:* Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. PERDOCENT. *Plenè de omnibus instruunt.* PRIMVM CVNEVM, *Metaphorâ à conflictu Martio translatâ ad certamen literarium. Cuneus Vegetio libro 2. est multitudo peditum, in formam cunei redacta, cuius prima pars acutior est, sequens latior.* DETECTOREM. *Sic antecursores detegunt copias hostiles, & numerum eorum designant, & insidias, &c. Detegere autem fabulas hæreticorum satis est vt euertas, nihil enim habent solidi.*

V. Verbum. Valentiniana fabula. Aëris Elogia. Aër. cont. Val. cap. 23. in m.

NEc aërem haberet, reciprocandi spiritus spatium, teneram omnium corporum vestem, colorum omnium indicem, organum temporum.

AER. SCHOL.

NEC AEREM. *Agit de Demiurgo, Valentinianorum Æone, filio Achamoth; quem Tertullianus censet diabolum,* Rectorem ac principem mundi huius, tenebrarum harum. *Id est iuxta Au-*

guſtinum, caliginoſi aëris quem inhabitat. D. Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 10. iuxta ſenſum veterum Patrum, corpora aërea tribuit Angelis, & damonibus. Si, inquit, transgreſſores illi, antequam transgrederentur, cœleſtia corpora gerebant; neque hoc mirum eſt, ſi comerſa ſunt ex pœna in aëream qualitatem, vt iam poſſint ab igne, id eſt ab elemento naturæ ſuperioris aliquid pati; nec aëris ſaltem ſpatia ſuperiora atque puriora, ſed iſta caliginoſa tenere permiſſi ſunt, qui eis pro ſuo genere quidam quaſi carcer eſt, vſque ad tempus Iudicij. RECIPROCANDI SPIRITVS SPATIVM. *Medium, quo alternis ſiſtoles, & diaſtoles motibus follicantes, aſpiramus & expiramus; aërem admittentes & emittentes, ſpiritum ducimus.* TENERAM VESTEM. *Quid enim mollius aëre, quo vndique circumueſtimur?* Locus enim eſt ſuperficies tenuis & extima aëris ambientis. COLORVM INDICEM. *Aër enim illuminatus eſt medium quo videmus, diſcernimuſque colores.* ORGANVM TEMPORVM. *Organum Columellæ lib. 5. eſt inſtrumentum ad metiendum. Quintiliano lib. 9. c. 4. ſumitur pro omni inſtrumento muſico. Vitruuio lib. 10. cap. 1. pro omni machina architectorum. Tertull. aërem dicit:* Organum temporum, *Tanquam inſtrumentum aptiſſimum, & mobile omni tempeſtati. Iob* 28. 25. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura. Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis ſonantibus. S. Pagnin. ex Hebr. Et viam coruſcationi, & tonitruis. *Totum locum 70. ſic vertunt:* Ventorum libramentum, aquarum menſuras quando fecit. Sic videns numerauit, & viam in concuſſione vocis. *Diuina prouidentia, quæ* tempora poſuit in poteſtate ſua, *Hoc organum pro libito pulſat, & lætum, vel triſte ſonat: nunc ſerenum, nunc nubilum nobis aërem proferens. Multo magis regit & moderatur ipſos rectores aeris, & tentationum ventos vt electi, velut organa, reſonent Dei laudes in omni tempore. Sic enim ventis illis imponit pondus, ſic aquas tribulationum appendit in menſura patientiæ. In quem* Aug. *locum Iob S. P. Auguſtinus in Annot. cap. 28. in f.* Ventorum libramenta, &c. tota, inquit, creatura, per partem ſignificatur. Et benè pondere, menſura, & numero omnia dixit facta Sap. 11. in quibus intelligitur Creator, Quando fecit, ſicut vidit, numerauit. Non extra vidit, vt faceret, ſed in ſemetipſo, ſicut artifex. Et viam tempeſtatum vocibus. Tempeſtatum, pro tentatione poſitum eſt. Tentationem autem, pro his qui tentantur; quo modo dicerentur, voces naufragij, pro, vocibus naufragorum. Tunc vidit eam, & expoſuit eam. In prædeſtinatione Dominus vidit viam qua ſe conuertent tentati, parauit, & inueſtigauit, in prædeſtinatione, non in actione. *Rurſus idem ſanctiſſimus Doctor, in Annot. cap. 39. de principe aëris huius mundi ſubtiliter inſinuat, & aërem non ſolum colorum omnium iudicem, eſſe, ſed & odorum vehiculum, & animas iuſtas, & generoſas non tantùm trahi in odorem vnguentorum ſponſi, ſed & procul odorari venientem ad pugnam principem tenebrarum: vbi enim Iob de equo pugnaci;* cùm tuba cecinerit, dicet, Euge. Cùm inquit tempus tentationis venerit, tunc verò placebit ei anima eius, ſi gloriatur in tribulationibus. Quia tribulatio patientiam operatur, Aug. patientia verò probationem, probatio verò ſpem; vt iam non dicat animæ ſuæ irascens: vt quid conturbas me? ſed glorians dicat, lauda anima Deum. Et procul odoratur pugnam. Non quaſi in hominibus, perſequentibus, qui videntur, ſed procul, hoc eſt pro, longè ab oculis. *Vnde & idem Iob alibi de principe aëris huius; quis reuelabit faciem indumenti eius? Adeo verſicolor eſt veſtis eius, vt videri non poſſit, niſi in obſcuro aëre lux gratiæ irradiet.* Sciens S. Aug. quia non eſt colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & rectores, & poteſtates mundi, tenebrarum harum; aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus; hoc eſt procul. *Sine quod in cœlo nequitiam exercuerint, ſiue quòd à cœleſtibus nos prohibeant, ſiue quòd in cœlo, id eſt aëre caliginoſo verſentur.* Aptè autem dictum eſt, odoratur, S. Aug. propter principem poteſtatis aëris huius. Odores quippe olfactu ſentiuntur, ſiue boni, ſiue mali. Odoratur ergo pugnam, qui intelligit principem poteſtatis aëris huius, operari in filiis diffidentiæ; quorum perſequentium iras, aut inſidias patitur, vt aduerſus ſpiritalia nequitiæ, ſpiritalibus armis dimicet, non corporalibus, aduerſus carnem, & ſanguinem, id eſt malos, & perditos homines, quos carneis oculis videt. *Proſequitur exponens ſequentia Iob:* Tonitruum ducum, & clamorem. Subaudiendum, inquit, eſt, odoratur. *Addam & ego, propter aërem, organum temporum, & procul virum iuſtum audire tonitruum; non minus enim ſonum auribus aer adnebit, quàm odorem olfactui, oculiſque colorem.* Tonitruum autem, propter ipſum aërem puto dictum eſſe, in quo clauſa ſpiritalia nequitiæ verſantur. Non enim rectores mundi dicti ſunt hi ſpiritus, *ſicut Demiurgus Valentinum, de quo hîc ad liueram Tertullianus.* Quia cœlum & terram regunt, ſed impiorum, quibus ad Dominum conuerſis dixit Epheſ. 5. fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. In voluntate enim cuiuſque eſt, *In quantum liberum arbitrium conuertibile eſt ad vtrumque*, vtrum tenebræ ſit, an lux. Sed cùm tenebræ, in ſeipſo, hoc eſt, peccatis quæ ipſius ſunt propria: cùm autem lux, non in ſeipſo, ſed in Domino, à quo illuminatur; vt quemadmodum dixit Eſaias 58. tenebræ eius ſint velut meridies. Dicitur & in Pſalmis, illuminabis tenebras meas. Quos ergo dicit Apoſtolus rectores tenebrarum, ipſi & in hoc verſu dicti ſunt duces. Ducuntur enim & ab his tenebræ, hoc eſt impij, vt perſequantur pios, id eſt, eos qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam; non eos, qui patiuntur propter impietates, & iniquitates ſuas. Ducum autem talium clamorem dicit odorari Martyrem, non quia ſonitus aliquis inde auditur auribus corporis, ſed quia cordis auribus per fidem clament, quanta diabolus, & Angeli eius aduerſus Dei ſeruos machinentur. Ait enim Apoſtolus 2. Cor. 2. Non enim ignoramus aſtutiam eius. Aduerſus quem clamorem ducum, ſurdæ vtique ſunt aures infidelium. *Sicut & oculi cæci ne videant reuelatam faciem verſiculoris indumenti diaboli, & obtuſa nares, ne præſentiant fœtorem ſulphureum ſuggeſtionum illius, qui dicitur à pſalte:* Negotium perambulans in tenebris, *à Paulo, rector tenebrarum, quem cum ſuis Angelis apoſtaticis, ab lucido & ſereno cœli empirei aëre, in caliginoſum hunc aërem releganit Deus. Et hæc non contra Demiurgum Valentini fabuloſum, ſed verum principem tenebrarum, occaſione graphicæ deſcriptionis aëris, cœli Empyrei, quo inſtè priuatus eſt, dicta ſufficient.*

ÆTERNITAS.

1. *Æterna homini, vt & temporalia, à Deo dispositа sunt. De Resur. cap. 59. in p.*

SEd futurum, inquis, æuum, alterius est dispositionis, & æternæ: igitur hujus æui substantiam non æternam, diuersa possidere non posse. Planè, si homo propter dispositionem futuram, & non dispositio propter hominem. Sed enim Apostolus scribens, [a] *Sive mundus, sive vita, sive mors, sive futura, sive præsentia, omnia vestra sunt,* eosdem constituit hæredes etiam futurorum.

a 1. Cor. 3. 22.

ÆTERNITAS. I. SCHOL.

SED FVTVRVM ÆVVM. *Obiicit sibi ab hæreticis resurrectionem eiusdem carnis negantibus; mensuram rei corruptibilis, qualis est caro, esse tempus; ac proinde durationem eius propriam esse temporaneam, & transitoriam: & per consequens, statum æternum non ei competere.* PLANE SI HOMO. *Respondet hominem, maximè electum, finem esse, cui iuxta Paulum, omnia etiam futura, & æterna, præparata sint, & disposita.* SIVE MVNDVS. 1. *Cor.* 3. 22. Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura; omnia enim vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei. *D. Thomas in hunc locum, per mundum, intelligit continentiam omnium creaturarum, quæ pertinent ad electos, quia per eas iuuantur, vel quantum ad necessitatem corporalem, vel ad cognitionem Dei. Rom.* 1. Inuisibilia ipsius, à creatura mundi; *Id est homine, qui per Emphasim est creatura Dei, & mundi Domina;* Per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, *Deinde subiecit quæ pertinent ad ipsam hominis dispositionem.* SIVE VITA, &c. *Quia iustis vita est vtilis, in qua merentur: & mors, qua ad æternam vitam perueniunt. Rom.* 14. Siue morimur, siue viuimus, Domini sumus. *Et Philipp.* 1. Nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. *Ad hæc autem duo reducuntur omnia, bona, vel mala huius mundi: quia per bona, conseruantur; per mala, peruenitur ad mortem. Tandem ponit pertinentia ad hominis statum præsentem vel futurum.* SIVE PRÆSENTIA. *Id est res huius vitæ præsentis, quibus iuuamur ad merendum.* SIVE FVTVRA, *Quæ vobis reseruantur ad præmium.* Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. *Hebr. vltimo.* OMNIA VESTRA SVNT. *Vestræ vtilitati deseruiunt. Rom.* 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. *Hunc locum cùm Pelagiani corrumperent,* Propositum, *ad hominis arbitrium, non ad Dei circa electos decretum referentes, quo, omnia electorum sunt, omnia in bonum proficiunt; ita correxit D. Aug. lib.* 2. *ad Bonifacium c.* 9. Hoc, inquit, ita dicunt, velut homo à seipso sine adiutorio Dei, habeat propositum bonum, studiumque virtutis: quo merito præcedente, dignus sit adiuuari Dei gratia subsequente. Putant enim, fortasse ita dixisse Apostolum: scimus quia diligentibus Deum, &c. vt propositum hominis vellet intelligi, quod propositum, tanquam bonum meritum, sequatur misericordia vocantis Dei: ignorantes, ideo dictum esse, qui secundùm propositum vocati sunt; vt Dei, non hominis propositum intelligatur, quo eos, quos præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij sui, elegit ante mundi constitutionem. Non enim omnes vocati, secundùm propositum sunt vocati: quoniam multi vocati, pauci electi. Ipsi ergo secundùm propositum vocati, qui electi ante mundi constitutionem. De hoc proposito Dei, dictum est & illud Rom. 9. de geminis Esaü, & Iacob, vt secundùm electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: maior seruiet minori. *Non obsequendo, sed persequendo, adeò omnia secundùm propositum vocatis cooperantur in bonum* Hoc propositum Dei, & illo cõmemoratur loco 2. Tim. 1. 9. vbi ad Timotheũ scribens ait: collabora Euangelio secundùm virtutem Dei saluos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora sæcularia, manifestata autem nunc per aduentum Saluatoris nostri Iesu Christi. Hoc est propositum Dei, vnde dicitur, omnia cooperantur in bonum, &c. hominis autem propositum bonum adiuuat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia. Studium quoque hominis quod dicitur bonum, quamuis cùm esse cœperit, adiuuetur gratiâ, non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus 1. Cor. 8. gratias autẽ Deo qui dedit idem studiũ pro vobis in corde Titi. Si studium quisque, vt pro aliis habeat, Deus dat, vt pro seipso habeat, quis alius est daturus? *Quamrectè ergo Paulus, cùm omnia electorũ esse, temporalia, & æterna dixisset, omnia cum electis, ad Christi capitis electorum gloriam, & Christum ipsum ad Deũ retulit, vt æternum & vltimum omnium finem, cui psalles:* Tu es gloria mea, & exaltans caput meũ. *Rursum S. P. Augustinus omnia in nobis operari Dei gratiam, & per eam, in bonum omnia cooperari, & nostra fieri dixit libro de gratia & lib. Arbit. c.* 17 De operante illo, inquit, vt velimus, dictum est Philipp. 2. Deus est qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cùm iam volumus, & volendo facimus: scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur ad bonum. Quid est omnia, nisi & ipsas terribiles, sæuasque passiones? Sarcina quippe illa, quæ infirmitati grauis est, leuis efficitur charitati. *Vt mirum non sit, corruptibili iam carni, & vanitati subiectæ, cùm incorruptibilitatem induerit, facta membrum triumphantis Ecclesiæ, amicta Sole, & supra lunam erecta, hoc est supra omnem mutabilitatem seculi, videre ei non modo temporalem omnium rerum dispositionem à Deo fuisse subiectã, sed æternam quoque mansionẽ, & immarcessibilem gloriæ coronam fuisse dispositam; licet eadem caro maneat, in domicilium animæ sempiternum, quoad substantiæ identitatem, licet mutetur à corruptibili in æternam. Mirè & subtiliter in rem Tertulliani, locum Pauli explicat idem S. P. Augustinus. lib.* 83. *qq. q.* 57. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Si, inquit,

à capite

5. August.

S Aug.

Augustin.

Digitized by Google

à capite numerentur, inueniuntur vnum, duo, tria, quatuor. Item, caput mulieris vir, caput viri Chriſtus, caput autẽ Chriſti Deus. Si eodem modo numerentur, inueniuntur ſimiliter vnum, duo, tria, & quatuor. Porro vnum, & duo, & tria & quatuor, ſimul ducta, fiunt decem. Quapropter diſciplinam quæ inſinuat conditorem Deũ, & conditam creaturã, rectè ſignificat denarius numerus. Et cùm corpus perfectum, atque inexterminabile, *hominis caro ex omnibus creaturis compacta, poſt reſurrectionem incorrupta & æterna*, ſubdetur animæ perfectæ atque inexterminabili, rurſuſque ipſa ſubdatur Chriſto, & ille non tanquam diſſimilis, aut alterius naturæ, ſed tanquam Patri filius; hoc totum eodem numero denario rectè ſignificatur quod poſt reſurrectionem corporis ſperatur futurum in æternum, & fortaſſe propterea qui conducuntur ad vineam, denarium accipiunt mercedis nomine. *Hunc locum S. P. Noſtri, ne quem fortaſſe tardiorem prætereat, ſic expono.* Si à capite numerentur, *id eſt, ſi à Deo qui omnium caput eſt, numeres terminos, quatuor inuenies, Deum, Chriſtum, electos, omnia, quæ in mundo ſunt. Vel* ſi à capite numerentur, *id eſt ab ipſo huius ſententiæ principio, inuenies rurſum quatuor. Omnia, quæ ad electos referuntur, propter quos facta ſunt. Secundò electos, quibus loquebatur Paulus, qui ad Chriſtum vt caput ſuum, de cuius plenitudine acceperunt, referuntur. Tertiò Chriſtum; quartò Deum Patrem, ad cuius gloriam Chriſtus omnia referebat.* Porrò vnum, & duo, &c. *Si enim vnum iungas duobus, tria facient; ſi tria ſimul adiungas, ſex computabis: ſi numero ſenario quatuor adiicias, tota ſumma ad denarium perueniet; Qui numerus myſticè ſignificat Catholicam fidem, & diſciplinam Chriſtianam, quæ nos docet omnem creaturam à Deo conditam propter hominem, dicente pſalmiſta*, Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: *Vt bene vtendo creaturis, Creatori ſeruiret, & eo in æternum frueretur.* Et cum corpus inexterminabile & perfectum, &c. *Hoc erit in æternum electorum corporibus perfectis in reſurrectione, vbi nulla erit ſuperfluitas, aut defectus; nec vt Adam paradiſo, proprio beatitudinis termino & loco expelletur. Et tunc perfectè ſubiicietur animæ, cui nunc pondere, granitate, infirmitate, concupiſcentia reluctatur. Anima quoque omni maculâ & imperfectione purgata & reùnita corpori vt proprio termino*, Recurrente vittâ aureâ pro rupto funiculo argenteo, *Indiſſolubiliter vnietur, nec ſuo termino eliminabitur.* Non tanquam diſſimilis, *id eſt etiam in forma Dei, quâ refertur ad Patrem verâ relatione, & propter vnicum ſuppoſitum Verbi, cùm actiones ſint ſuppoſitorum, ipſa ſubiectio, per communicationem idiomatum, ſicut & mors, & deſcenſus imputatur etiam filio, vt ex eodem Auguſtino intelligendum eſt illud Ioannis:* Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. *Subiicit*: Hoc totum eodem numero, &c. *Nempe tota & æterna animæ & corporis beatitudo exprimitur per denarium diurnum retribuendum bene operantibus, & decalogum, ſine denarium mandatorum obſeruantibus.* Si vis ingredi ad vitam, ſerua mandata. *Pulchrè concludit Tertullianus, de electis ad æternam gloriam in electorum capite Chriſto, quem ex Paulo;* Conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula: eoſdem inquit conſtituit hæredes etiam futurorum.

S. Auguſt.

2. Æternitas, & Reſurrectio, corporibus noſtris promiſſa. cont. Hermog. cap. 34. in f.

REuertor igitur ad cauſam, definientem omnia ex nihilo edita, in nihilum peruentura. Ex æterno enim, id eſt ex materia, nihil Deus interibile feciſſet; nec ex majoribus minora condidiſſet, cui magis congruat ex minoribus majora producere, id eſt ex interibili æternum: quod & carni noſtræ pollicetur, cujus virtutis & poteſtatis ſuæ hunc jam arrabonem voluit in nobis collocaſſe; vt credamus, etiam illum, vniuerſitatem ex nihilo velut emortuam, quæ ſcilicet non erat, in hoc, vt eſſet, ſuſcitaſſe.

ÆTERNITAS. II. SCHOL.

REVERTOR IGITVR. *Supra agebat contra Hermogenem, iactantem æternitatem materiæ, & probabat non ex ea, ſed ex nihilo omnia facta, & in nihilum reuerſura. Non quòd intelligat perfectam & abſolutam rerum annihilationem, ſed totius mundi per ignem ſolutionem.* EX ÆTERNO ENIM. *Si enim ex materia æterna conſtarent omnia, nihil corruptioni ſubiaceret. Quid quòd & virtus diuina quæ ſolet ſe ipſam probare, magna ex parvis, & ex corruptibilibus æterna formando, deficeret; corruptibilia ex materia æterna faciendo.* QVOD ET CARNI NOSTRÆ *Promiſit enim Deus corporibus noſtris, in reſurrectione æternam vitam & incorruptibilitatem, licet ea fecerit ex corruptibilibus elementis.* HVNC IAM ARRABONEM. *Quaſi diceret; eo ipſo quòd Deus pollicetur nobis, parvulis mundi portionibus, quòd licet corruptibilia corpora acceperimus, ea in æternum incorruptibilia recepturi ſumus; voluit nos credere ipſum, mundum vniuerſum non ex materia, ſed ex nihilo quaſi mortuum excitaſſe. Aliter intelligo;* iam arrabonem, *in Chriſti carne, ex morte ſuſcitata, & æterna, nòs natura noſtra mortalis, æternam cum ipſo regnatura, arras accepiſſe. Vnde Auguſtinus ſer.* 176. *de temp.* Dum, inquit, humanam conditionem ſyderibus importauit, credentibus cœlum patere poſſe monſtrauit; & dum victorem mortis in cœleſtia eleuauit, victoribus, quò ſequantur, oſtendit. Aſcenſio ergo Domini, *& proinde reſurrectio*, Catholicæ fidei confirmatio fuit; vt ſecuri in poſterum crederemus miraculi illius donum, cuius iam in præſenti percepiſſemus effectum: & fidelis quiſque, cùm iam tanta perceperit, per ea quæ cognoſcit præſtita, diſcat ſperare promiſſa, ac Dei ſui præteritam, præſentemque bonitatem, quaſi futurorum teneat cautionem. *Et ibidem.* In illo noſtri generis corpore, nos Chriſti mors viuificauit, nos reſurrectio erexit, nos aſcenſio conſecrauit. In illo noſtræ originis corpore, cœleſtibus regnis, arram noſtræ conditionis impoſuit: *Donec totam, iuxta promiſſum electorum corporum ſummam ſecum trahat. S. Remigius Epiſcopus Remenſis in caput 1. ad Epheſ. ponit differentiam inter pignus, & arram. Pignus eſt vadimonium, quod ideo, datur, vt ſatisfactâ parte, iterum reſumatur: arrha autem eſt pars ſumma, quam ſolent dare negotiatores, his à quibus aliquid ſumunt: Ita autem datur, vt poſtea non re-*

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Aug.

Digitized by Google

ſumatur, ſed vt quod deeſt pretio ſuppleatur: Vnde dicitur arrha, à re complenda, pro qua datur. Paſchaſius contra Macedonium cap. 11. In terrenis, inquit, negotiis, arrhæ quantitas, contractus illius, pro quo interceſſerit, quædam portio eſt; pignoris verò ratio, meritũ rei pro qua poni videtur, excedit. *Arrham igitur, ſiue vt loquitur Tertull.* Arrhabonem *Deus in nobis collocauit; vt ſuadeat nobis ſe omnia ex nihilo ſuſcitaſſe; cùm & carnem noſtram, vilem tantummodo vniuerſi portionem, ſit ſuſcitaturus ex puluere, rurſum, iuxta Patres, pignus noſtræ reſurrectionis accepimus, cùm Deus ab initio mundi ex nihilo omnia excitauerit, quod à maiori potentiæ diuinæ effectu, ad minorem concludere debemus: Sic Tertullianus de Reſur. cap. 11.* Siue ex nihilo Deus molitus eſt cuncta, poterit & carnem in nihilum perductam (*annihilatis & deſtructis prorſus carnis, & oſſium formis partialibus,*) exprimere de nihilo, &c. *Et capite 12. ex omnium reſurrectione rerum, carnis ſuſcitationem infert.* Totus, inquit, hic ordo reuolubilis rerum, teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum: operibus eam præſcripſit Deus, antequam literis: viribus prædicauit, antequam vocibus. *Et cap. 57.* Minoribus, inquit, maiora præſcribunt. *D. Aug. item Ser. 64. de verb. Do.* Si Deus fecit hominem qui non erat, non reparare poteſt quod erat? &c. Vide qui facit illi dicitur quòd ſuſcitabit te, qui creauit te. Non eras, & es; & factus non eris? abſit, ne credas. Mirabilius aliquid fecit Deus, quãdo fecit quod nõ erat; & non creditur reparaturus quod erat, ab eis ipſis quos fecit quod non erant, hoc eſt quod rependimus Deo, qui non eramus, & facti ſumus? Hoc illi rependimus, vt eum reſſuſcitare quod fecit, non poſſe credamus? Hæc eſt merces, quam illi reddit creatura ſua? ideo te feci, dicit tibi Deus, ô homo, antequàm eſſes, vt non mihi credas futurum te eſſe qui eras, qui potuiſti eſſe quod non eras? Argum. A B

3. *Æternitas gloriæ, & pœnæ, poſt Iudicium ſtabit: Et vt ex contrariis, & diuerſis omnia conſtant, ſic mundus præſenti tempore, & ſequente æternitate. Apol. cap. 48. à m. ad circa fin.*

ERgo, inquitis, ſemper moriendum erit, & ſemper reſurgendum. Si ita rerum dominus deſtinaſſet, ingratis experireris conditionis tuæ legem. At nunc non aliter deſtinauit, quàm prædicauit. Quæ ratio vniuerſitatem ex diuerſitate compoſuit, vt omnia æmulis ſubſtantiis, ſub vnitate conſtarent, ex vacuo & ſolido, ex animali & inanimali, ex comprehenſibili & incomprehenſibili, ex luce & tenebris, ex ipſa vita & morte, eadem æuum quoque ita deſtinata ac diſtincta conditione conſeruit, vt prima hæc pars ab exordio rerum quam incolimus, temporali ætate ad finem defluat: ſequens verò, quam expectamus, in infinitam æternitatem propagetur. Cùm ergo finis & limes medius, qui interhiat, adfuerit, vt etiam mundi ipſius ſpecies transferatur, æquè temporalis, quæ illi diſpoſitioni æternitatis, aulæi vice oppanſa eſt, tunc reſtituetur omne humanum genus, ad expungendum quod in iſto æuo boni ſeu mali meruit, & exinde pendendum in immenſam æternitatis perpetuitatem. Ideoque nec mors jam, nec rurſus ac rurſus reſurrectio, ſed erimus ijdem qui nunc, nec alij poſt; Dei quidem cultores apud Deum ſemper, ſuperinduti ſubſtantia propria æternitatis; profani verò, & qui non integrè ad Deum, in pœnam æquè jugis ignis, habentes ex ipſa natura ejus, diuina ſcilicet, ſubminiſtrationem incorruptibilitatis.

ÆTERNITAS. III. SCHOL.

SEMPER MORIENDVM? *Obiicit ſibi ex ſuperius dictis, de rerum omnium per vices recidiuatu, ſeu relapſu reuolubili in mortem, & vitam; ſi hoc ita ſit, perpetuus erit curſus & recurſus, vita in mortem, & mortis in vitam.* INGRATIS. *Compoſita vox, vt ſolitum eſt Tertulliano vti compoſitis pro ſimplicibus: ſic dicit, abuter, pro vtor.* Sublimis inculcat, *Pro limis, & obliquis oculis, & calcat. ita hîc* ingratis, *pro, gratis. Senſus ergo eſt; gratis, & fruſtra iuxta Paulum te ſemel mortalem condidiſſet Deus, vbi dixit:* Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori: *ſicut &* Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus, iam non moritur. *Fruſtra, inquam, hanc legem ſubiremus, quâ eſt addicta morti humana noſtra conditio, ſi poſt reſurrectionem in fine ſeculi faciendam, iterum nobis moriendum eſſet. Vel* ingratis, *id eſt inuitus ac nolens, & rem ingratam & aduerſam voluntati ſuſtinens, huic reuolutioni perpetuæ ſubiaceret, ſi Deus talem condidiſſet, vt alternis ſemper vicibus, de vita in mortem redeundum eſſet.* AT NVNC. *Sed conſtat Deum non aliter voluiſſe fieri, quàm per fidem, & ſcripturam propheticam reuelauit.* QVÆ RATIO. *Eadem Dei ſapientia, quæ omnes mundi creaturas compoſuit ex rebus diuerſis, voluit etiam rerum durationem conſtare, primam quidem temporali & corruptibili, poſteriorem & ſecundam, ex æterna & incommutabili.* ÆMVLIS SVBSTANTIIS SVB VNITATE. *In vno eodemque mundo, ſub vno rectore & primo principio, omnia ex diuerſis, aduerſiſque conſtant. Alludit ad illud Eccli. 33. 14.* Omnes viæ eius ſecundùm diſpoſitionem eius: ſic homo in manu illius, qui ſe fecit, & reddet illi ſecundum iudicium ſuum. *Sicut ergo diſpoſuit de cæteris, ſic & de homine, vt in iudicio æterna recipiat præmia, vel ſupplicia, prout geſſerit in tempore incolatus ſui in corpore, pro malo, & tormento temporali, æternum gaudium: pro bono & voluptate temporali, æternum ſupplicium.* Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum iuſtum, peccator. Et ſic intuere in omnia opera altiſſimi. Duo & duo, & vnum contra vnum. EX VACVO. *Vacuum non dari non ignorauit, ſed vacuum dicit, corpus aëris, ignis, ventî, aliorumque rariorum, reſpectu terræ ſolidæ, & cæterum, qui teſte Iob,* Solidi quaſi ære fuſi ſunt. *Quid quòd & ipſa terra adhuc incompoſita, necdum veſtita plantis, & arboribus, non plena dicitur, ſed* erat inanis, & vacua. LIMES MEDIVS. *Cùm præterierit medium interiacens inter initium, & finem mundi. Sed magis alludit ad errorem ſuũ, quem in Alphabeto erroris refutauimus; Verbo* Mille anni. *Quo voluit, in iſto medio interiacente inter finem mundi, & aſſumptionem corporum beatorum in cælum & regnum æternum, futuros mille annos, in quibus electi Dei, omni lætitiâ perfruentur.* C D

MVNDI SPECIES TRANSFERATVR, *Non quidem illa quæ nunc* Præterit figura huius mundi, *sed ipsa terra renouata, & mundi speciosi, ad honestam iustorum voluptatem compositi, mutabitur, elementis omnibus vltima conflagratione solutis.* ÆQVE TEMPORALIS, *Quia per tempus mille Annorum tantùm duratura est venustas illa.* AVLÆI VICE. *Quia sicut in theatro vela picta & tapetes, non solum aditores tegebant, antequàm prodirent in scenam, sed etiam representabant, velut in emblemate, quæ actitaturi erant in theatro: Vnde Plautus vocat huiusmodi* aulæa oppansa, *id est ante spectatores expansa,* Belluata; *Quòd in eis picta essent bellua, quæ certaturæ erant in arena, vel ad spectaculum populo producenda. Sic igitur* medius ille limes interhians, *fungitur vice aulei oppansi, quòd felicitate sua repræsentet beatitudinem æternam, latentem adhuc, dispositam à Deo, de qua Paulus iuxta Esaiam,* Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. *D. Aug. in Soliloq. cap. 35.* Ibi erit, inquit, omne bonum, & non erit aliquod malum. Vbi erit quidquid voles, & non erit quidquid noles. Vbi non erit hostis impugnans, nec vlla illecebra, sed summa & certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda fœlicitas, fœlix æternitas, æterna beatitudo, & beata Trinitas, & Trinitatis vnitas, & vnitatis Deitas, & Deitatis beata visio, quæ est gaudium Domini tui. O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudiũ, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, vt videam Deum meum qui habitat in te! Ibo illuc, & videbo visionem hanc grandem. Quid est quod me detinet? *Carcer certè corporis, exilium huius vitæ, sed velum oppansum rerum præsentium irrumpit fides & spes æternorum, quæ teste Paulo,* Procedit vsque ad interiora velaminis. *Prosequitur ibidem D. Augustinum, eruis exilio gratulans.* O verè fœlices, inquit, qui de pelago ad littus, de exilio ad patriam, de carcere ad palatium peruenerunt, optata iam quiete beati; qui brauium illud perpetuæ gloriæ, quod hîc per multas tribulationes quæsierunt, iam fœlici iucunditate adepti, in perpetuum lætantur, &c. LIMES *dicitur, quia finis est malorum.* MEDIVS *dicitur, quia post finem malorum, adhuc interiacet, inter eum, & æternam beatitudinem.* TVNC RESTITVETVR. *Sic Petrus Act. 3. resurrectionem vocat,* Tempora restitutionis omnium. AD EXPVNGENDVM, *Consummandum, perficit præstandum, plenè persoluendum.* DEPENDENDVM. Alij, pendendum, prehendendum. *Ad reddendam de omni vita rationem.* IIDEM QVI NVNC. *Eiusdem substantia, licet alterius qualitatis. Vel iidem, id est vini, nec alij, id est iterum morituri post resurrectionem.* SVPERINDVTI, *Iuxta Paulum 2. Cor. 5.* Nolumus expoliari, sed superuestiri. *In quem locum Augustinus lib. 14. de Ciuit. cap. 3.* S. Aug. Aggrauamur igitur corruptibili corpore, & ipsius aggrauationis causam, non naturam substantiamque corporis, sed eius corruptionem scientes, nolumus corpore expoliari, sed eius immortalitate superuestiri. Et tunc ergo erit corpus; sed quia corruptibile non erit, non aggrauabit. Aggrauat ergo nunc animam corruptibile, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Verumtamen qui omnia animæ mala ex corpore putãt accidisse, in errore sunt, &c. Nam corruptio corporis quæ aggrauat animam, non peccati primi est causa, sed pœna: Nec caro corruptibilis animam peccatricem, sed anima peccatrix fecit esse corruptibilem carnem. Ex qua corruptione carnis, licet existant quædam incitamenta vitiorum, & ipsa desideria vitiosa: Non tamen omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni, ne ab his omnibus purgemus diabolum, qui non habet carnem. Etsi enim diabolus fornicator, vel ebriosus, vel si quid aliud huiusmodi mali est, quod ad carnis pertinet voluptates, non potest dici, cùm sit etiam talium peccatorum suasor & instigator occultus: est tamen maximè superbus atque inuidus. Quæ illum vitiositas, sic obtinuit, vt propter hanc esset in carceribus caliginosi huius aëris æterno supplicio destinatus. SVBSTANTIA PROPRIA ÆTERNITATIS. *Id est incorruptibili, & conueniente soli & semper, æternitatis statui.* QVI NON INTEGRI. *Alij,* integri. *Qui non perfectè conuersi, qui duabus viis claudicantes, qui per solam naturam rationalem, & non etiam per gratiam in se Dei imaginem referunt, qui ad Deum, quasi ad vltimum finem se suaque omnia integrè non dirigunt.* HABENTES EX IPSA NATVRA. *Alij legunt,* habentis: *Vt vel de ingi & æterno igne, vel de ipsis Prophanis intelligat, quibus Deus incorruptibilis subministrabit incorruptibilitatem. De quibus Augustinus 9. de Ciuit. cap. 9.* Nec sic existimandum est, eorum corpus, tanquam honoratorum æternum vehiculum, sed æternum vinculum damnatorum. S. Aug.

4. Æternitas gloriæ animarum, & corporum, absque vlla infirmitate, probatur exemplis serui manumissi, vestium, & calceorum Hebræorum, trium puerorum, Ionæ, Enoch, & Eliæ. de Resur. cap. 57. à m. ad f. & 58. per totum.

PVto autem & Thessalonicensibus omnis substantiæ integritatem repromisit. Itaque nec in posterum timebuntur corporũ labes. Nihil poterit amittere integritas, vel conseruata, vel restituta, ex quo illi etiam si quid amiserat, redditur. Præscribens enim adhuc easdem passiones obiturã carnem, si eadem resurrectura dicatur, naturam aduersus Dominum suum temerè defendis, legem aduersus gratiã impiè asseris: quasi Domino Deo non liceat & mutare naturã, & sine lege seruare. Quomodo ergo legimus, [a] *Quæ impossibilia apud homines, possibilia apud Deum sunt?* &, [b] *Stulta mundi elegit Deus, vt sapientiam mundi confundat?* Oro te, si famulum tuum libertate mutaueris, quia eadem caro atque anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & stigmãtibus obnoxiæ retro fuerant; idcirconè illa eadem pati oportebit? non opinor. Atquin & vestis albæ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, ac tribu, mensaque honoratur. Permitte hanc & Deo potestatem, per vim illius demutationis, conditionem, non naturam reformandi; dum & passiones auferuntur, & munitiones conferuntur. Ita manebit quidem caro etiam post resurrectionem, eatenus passibilis, quà ipsa, quà eadem; ea tamen impassibilis, quà in hoc ipsum manumissa à Domino, ne vltra pati possit. [c] *Iocundi-*

1. Thess. 5. 23.

a Matth. 19. 26.

b 1. Cor. 1. 27.

CAP. LVIII.

c Esa. 35. 10.

d Ibid. *tas, inquit Esaias, eterna super caput eorum.* Nihil æternum, nisi post resurrectionem. d *Au-*
e Apoc. 7. 28. *fugit, inquit, dolor & mœror, & gemitus ab illis.* Proinde & Ioanni angelus: e *Et delebit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* Vtique ex ijsdem oculis qui retrò fleuerant, quique adhuc fle-
f Apoc. 21. 4. re potuissent, si non omnem lacrymæ imbrem indulgentia diuina siccaret. Et rursus: f *Deus enim delebit omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors hactenus.* Igitur & corruptela hactenus; proinde per incorruptelam fugata, quemadmodum mors per immortalitatem. Si dolor, & mœror, & gemitus, ipsaque mors ex læsuris & animæ & carnis obueniunt, quomodo auferentur, nisi cessauerint causæ, scilicet læsuræ carnis atque animæ? vbi casus aduersi apud Deum? aut vbi incursus infesti apud Christum? vbi dæmoniaci impetus apud Spiritum sanctum, jam & ipso diabolo cum angelis suis ignibus merso? Vbi necessitas, aut quod dicitur fortuna, vel fatum? quæ resuscitatis plaga post veniam? quæ reconciliatis ira post gratiam?
Deut. 29. 5. quæ infirmitas post virtutem? quæ imbecillitas post salutem? Quòd vestimenta & calciamenta filiorum Israëlis quadraginta illis annis indetrita, & inobsoleta manserunt: quòd & in ipsis corporibus vnguium, & capillorum facilia crementa; habilitatis & dignitatis justitia
Dan. 3. 94. defixit; nè etiam enormitas corruptelæ deputaretur: quòd Babylonij ignes, trium fratrum
Ionæ. 2. 11. nec tiaras, nec sarabara, quamquam Iudæis aliena, læserunt: quod Ionas deuoratus à bellua maris, in cujus aluo naufragia digerebantur, triduo pòst incolumis expuitur: quòd hodie
Gen. 5. 24. Enoch & Helias, nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; quà tamen de
4. reg. 2. 1. orbe translati, & hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni injuria & contumelia emunitatem carnis ediscunt; cuinam fideitestimonium signant, nisi qua credi oportet, hæc futuræ integritatis esse documenta? ¶ *Figuræ enim nostræ fuerunt*
g 1. Cor. 10. 6. & 11. Apostolo auctore, quæ scripta sunt, vt & Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, & carnis magis vtique conseruatorem, cujus etiam vestimenta, etiam calcia-
Deut. 29. 5. menta protexit.

ÆTERNITAS. IV. SCHOL.

THESSALONICENSIBVS 1. *Thess* 5. 23. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela, *Syr. vt culpa careatis*, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui vocauit vos: qui etiam faciet. *Vel vt habet Syriaca translatio*: Vt hoc faciat. *Ex quo constat secundùm D.*
S. Aug. *Augustinum frequentissime Deum operari & facere in nobis quidquid ipsi boni facimus. Nunc sufficiet fragmentum sermonis eius ad populum contra Pelagianos to. 10. vbi inducit Paulum*: Oramus ad Deum ne quid faciatis mali, poterat dicere, monemus vos ne quid faciatis mali. Docemus vos, ne quid faciatis mali, iubemus vobis, præcipimus vobis. Quod quidem si diceret, certum diceret, quia & voluntas nostra agit aliquid: non enim voluntas nostra nihil agit, sed sola non sufficit. Maluit tamen dicere, oramus; vt ipsam gratiam commendaret. Vt intelligerent illi, quando non faciunt aliquid mali, non sola sua voluntate se vitare malum, sed adiutorio Dei implere quod iussum est. Ergo, fratres, quando præcipitur, agnoscite voluntatis arbitrium; quando oratur quod præcipitur, agnoscite gratiæ beneficium. Vtrumque enim in scriptura habes: & præcipitur, & oratur: quod præcipitur, hoc oratur. *Sic hoc loco à Tertulliano citato erat Paulus Deum pacis. Quod autem dixit sine querela, idem D. Augustinus libro de perfectione iustitia contra Celestium, ipsi ex Luce 1. obiicienti de Zacharia & Elizabeth iustis ante Deum & sine querela:*
S. Aug. *respondet*, Iusti, inquit, ambo legerant inter ipsa mandata, quemadmodum peccata sua mundarent. Nam Zacharias, quod de omni Sacerdote ex hominibus accepto in Ep. ad Hebr. dicitur, etiam pro suis peccatis vtique hostias offerebat, &c. & beatus Apostolus Ephes. 1. vt simus sancti & immaculati in conspectu eius. Hoc agitur, vt hoc simus: si immaculati intelligendi sunt, qui omnino sine peccato sunt, *Quod status vitæ non patitur*, Si autem immaculati sunt, qui sunt sine crimine, etiam in hac vita fuisse, atque esse negare non possumus: quia non ideo sine vllo peccato est aliquis, quoniam non habet maculam criminis. Vnde & Apostolus cùm ministros eligeret ordinandos, non ait, ad Tit. 1. si quis sine peccato; quod inuenire non posset: sed ait, sine crimine, quod vtique posset. *Prossius ad mentem Tertulliani totum Pauli locum exponit tract. 52. in Io. 12. Vbi cum dixisset de principe mundi captiuos tenente eiiciendo foras:* Et ego si exaltatus fuero à terra omnia trahã post me. Quæ omnia, inquit, nisi ex quibus ille eiicitur foras? Non autẽ dixit omnes, sed omnia: nõ enim omnium est fides. Non itaque hoc ad vniuersitatẽ hominũ retulit, sed ad creaturæ integritatem, id est spiritũ, animam, & corpus: & illud quo intelligimus, & illud quo viuimus, & illud quo visibiles & contrectabiles sumus. Qui enim dixit, capillus capitis vestri non peribit, omnia trahit post se. Aut si omnia ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutẽ possumus intelligere, ex quibus omnibus ait nihil esse perituru, cùm supra de suis ouibus loqueretur. PRÆSCRIBENS. *Stilo forensi* præscribere idem est, quod defendere, se tueri, respondere postulationi, vel causæ criminantis. OROTE SI PAMVLVM, &c. *Probat carnem qua ancilla quadam est spiritus, & innumeris hìc dolorum & corruptionis flagellis subditur, in resurrectione manumissam, eandem iuxta Paulum à corruptione liberandam; vt idem manet famulus in libertatem assertus.* ATQVIN ET VESTIS ALBÆ, &c. *Id non modo eripitur seruorum calamitati, sed & libertorum ingenuorumque adscribitur dignitati. Nota ex Manutio lib. 3. quæst. Epist. 1. legibus Romanis vetitos, togam albam induisse, proindeque seruos manumissos hoc iure ciuium Romanorum fuisse potitos.* AVREI ANNVLI, &c. *Honor erat equestris, ius annuli aurei, vnde & seruo, cum libertate, & annulo aureo, equestris dignitas tradebatur. Sic Plin. lib. 33. c. 1.* Annuli distinxere alterum ordinem à plebe, vt semel cœperunt esse celebres. *Alexander Neap. lib. 2. c. 19.* Erat constitutum, vt qui libertus annulo donare-

tur, exploſo veteri nomine, equeſtre aſſumeret. *Et Juſtinianus, Novell. 78. Generali conſtitutione induſſit omnibus Libertinis, quod olim privilegio dabatur, ſicut & ius Quiritum; & Jacobus Cuiacius ad Tit. Pandect. de excuſationibus. ad L. primam* Libertus qui ius anulorum impetrauit, pro ingenuo habetur, vt dario teneat, id. vt datus ei tutor ingenuus, non excuſet ſe, &c. *Et rurſum ibidem* his conſequitur, vt dario teneat, ſi Libertus impetrato iure anulorum, datus ſit tutor pupillo libertino, non poterit ſe quaſi ingenuus excuſare. *Idem Cuiacius in Paratit. in lib. 50. Digeſt. tit. 10. de iure aureorum anulorum:* Regulariter ſerui manumiſſione Libertini fiunt, ſed vno caſu etiam iura ingenuitatis habent, ſaluo iure Patronatus, vt puta ſi ius anulorum aureorum à principe impetrauerit: Id. equeſtrem dignitatem, aut beneficium equeſtri dignitati compar. Hâc enim dignitate quæſitâ, deponebant ferreum anulum, ſumebant aureum. *Sic & filius prodigus, vile factus porcorum mancipium; priſtina & ingenua à patre redditus libertati, cum prima ſtola alba, annulum recipit prima ingenuitatis. Vide Petrũ Fabrum in ſemeſtribus de veſte alba & anulo aureo.* ET PATRONI NOMINE, &c. *id. etiam iuxta Euangelium*, Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. *O puſillum gregem, vere beatum, adſcriptum ad Regnum Chriſti Regis, tribum & menſam, cui perfecta libertate donato, ipſe etiam Rex & Dominus pracingens ſe, & tranſiens miniſtret. Luc. 12.*

PATRONI NOMINE, &c. *Serui manumiſſus nomine quoque Patroni ſui donabatur. Sic Mileſius Alexander Cornelius dictus eſt à Cornelio Lentulo ex Suida in collect; ſic Dionyſius, vocatus eſt Marcus Pomponius Dionyſius; & Eubichides Titus Caſilius ex Cic. lib. 4. ep. ad Atticum.* AC TRIBV. *Cuiacius to. 5. lib. 7. obſeruat. c. 14. de iure anulorum, & iure tribus vrbana. Ubi ſic:* Libertinis dato iure anulorum aureorum, equeſtrem dignitatem dari conſtat, quæ res efficit, vt in multis iuris partibus, donati anulis libertini, pro ingenuis habeantur, &c. Referabantur etiam Libertini ciues Romani, in tribus vrbanas, ſed non ſimul ac libertatem nacti erant; ſicut L. Cornelio tribus conceſſa non fuit, ſimul ac ciuitas, vt Cicero ſcribit pro L. Cornelio. *Linius lib. 1. tribus non à numero ternario dictas putat, ſed à conferendo tributo. Cui conſonat Plinius, qui quatuor ab initio vrbanas tribus fuiſſe aſſerit, Suburranam, Palatinam, Collinam, & Exquilinam, ſic dictas à partibus vrbis, quas incolebant. Ætate Ciceronis erant 35. tribus. Pulchrè Chriſtianis hic locus conuenit, Chriſti nomine veri Patroni nomine donatis, vt & anulo fidei, ciuitate Sanctorum*, Tribu inter duodecim tribus Iſraël, Regia, & Sacerdotali, iuxta Petrum, *&c. Quibus* participatio eius in idipſum. Illuc aſcenderunt tribus, tribus Domini, &c. Volo, inquit, Patronus, verè liberans filius, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus. Faciet illos diſcumbere, *Illos inquam libertinos ſuos, &c.* MENSAQVE HONORATVR. *Stuchius aduerſis Romanos nuſquam ad menſam admiſiſſe ſeruos, niſi manumiſſos, vt communicatio menſæ ſignum eſſet datæ libertatis. Sic & lege Iunia Narbona, conuiuij exhibitione manumittebantur. Sed quid hæc ad Chriſti Domini largitatem, qui ſeruos ſuos ad Dominicam Cænam, Euchariſticam, & gloriæ vocat? Sed prius ſupponit manumiſſos à ſeruitute peccati. Non abſre fuerit, hîc texere, quod Cicero in Piſon.* Stipendium militibus per omnes annos à ciuitatibus, menſis palam propoſitis eſſe numeratum. *Stipendium ſerui peccati ſecundum Paulum, mors eſt; gratia Dei, ſed bona gratîa Euchariſtia, vita æterna. O quantum ſeruo & militi Chriſti de hac menſa quotidie profertur ſtipendium!* ILLIVS IMMVTATIONIS. *De qua Paulus agens de reſurrectione 1. Cor. 15.* 52. Mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. CONDITIONEM, *Qualitatem corruptibilem, in incorruptam.* REFORMANDI. Reformabit corpus humilitatis noſtræ. PASSIONES, *Quia & anima, & corpus, & totus homo erit impaſſibilis.* MVNITIONES. *Quatuor dotes intelligit ibidem ſupra 53.* Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, &c. *& verſu* 42. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. EATENVS PASSIBILIS. *Quia ve ſubiicit, ea ipſa erit, quoad ſubſtantiam, qua prius fuerat paſſibilis quoad qualitatem.* MANVMISSA. *Alludit rurſum ad libertinos. Et ad locum Pauli Rom. 8. 21.* Et ipſa creatura, *Corpus creatum* liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Aug. propoſ. 53. in Ep. ad Rom.* Non ſponte, inquit, dicit eſſe ſubiectam vanitati creaturam, quoniam pœnalis eſt iſta ſubiectio. Non enim homo ſicut ſponte peccauit, ſic etiam ſponte damnatus eſt: quæ tamen damnatio non ſine ſpe reparationis, irrogata eſt naturæ noſtræ, & ideo propter eum, inquit, qui ſubiecit eam in ſpe, quia & ipſa creatura liberabitur, &c. id eſt, etiam ipſa natura quæ tantummodo creatura eſt, nondum per fidem aggregata numero filiorum Dei: Sed tamen in eis qui creaturi erant, videbat Apoſtolus quod dicit, quia creatura liberabitur à ſeruitute interitus, vt interitui non ſeruiat cui ſeruiunt omnes peccatores: peccatori enim dictum eſt, morte morieris. Liberabitur autem in libertatem gloriæ Filiorum Dei, id eſt, vt & ipſa perueniat ad libertatem gloriæ filiorum Dei per fidem, quæ fides, cùm in ea non erat, tantummodo creatura dicebatur. *Et Beda in hunc locum tranſcribit ex Auguſtino ſumpta, ex libro 83. queſt.* Ipſa, inquit, creatura, id eſt ipſe homo, cum iam ſignaculo imaginis propter peccatum amiſſo, remanſit tantummodo creatura, &c. Ipſa quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, &c. Liberabitur, &c. & de ipſis non eſt deſperandum, qui nondum vocantur Filij Dei, quia nondum crediderunt, ſed tantum creatura: quia & ipſi credituri ſunt, &c. Erunt & ipſi ex ſeruis liberi, & ex mortuis glorioſi, in vita perfecta, quam habebunt Filij Dei. *Bene ſubiicit Tertull. poſt manumiſſam carnem, locum Eſaiæ 35. 10.* Et redempti à Domino conuertentur, 70. *Congregati per Dominum reuertentur,* & venient in Sion cum laude: & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt: & fugiet dolor & gemitus. 70. *Fugit dolor, & triſtitia, & gemitus.* DELEBIT. *Vulgata, abſterget.* HACTENVS. Mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt. IGNIBVS MERSO. *Apoc. 20. 9.* Deſcendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos, & diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris: vbi & beſtia, & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.

HABILITATIS, ET DIGNITATIS IVSTITIA DEFIXIT. *Id eſt Dei prouidentia defixit, & præfixit vnguibus, & capillis itinerantium Iudæorum per 40. Annos in deſerto, iuſtam menſuram, & conuenientem vſui habili, & humanæ dignitati, ne ſuperexcreſcerent, tum ne humoris ſuperabundantia corruptioni imputaretur*, vt patet in excrementis humanorum cadauerum, humenti in loco ſepultorum *quæ manna paſtos, Angelorum pane, dedecebat, incorruptibilitatem & immortalitatem, tam ſtatui innocentiæ, quàm*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

resurrectionis glorioſæ adumbrantes: tum vt eorum labori parceretur, tum vt os, oculi, manus habiles eſſent, nec redundantia prapedirentur, denique vt moderata excrementa, dignitatem humanam referrent, & non Aquila, aut Leonis feritatem: ſicut de Nabuchodonoſor ab hominibus ejecto, à Daniele refertur. c. 4. Donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi auium. *Apud 70.* Donec capilli eius quaſi Leonum creuerunt, & vngues eius, quaſi auium. NEC SARABARA QVAMQVAM A IVDÆIS ALIENA, &c. *Aquila & Theodotion* Saraballa *dixerunt, qua lingua Chaldæorum, crura vocantur, & tibia, quæ* Saraballa *bracca erant quaſi crurales, & tibiales. Theodoretus* Sarabara *tenet Perſici veſtimenti genus. Alij* Sara, vel Sarra *purpuram, vel purpureamveſtem apud Tyrios eſſe autumant:* Bal *verò Dominum ſignificat. Quod Tyrij mutata tenui in aſperam,* Bar *dixerunt. Eadem voce Sarabara vitur Tertul. de Pallio c. 4.* Iudæis aliena *ideo dixit, quòd vel Tyriorum, vel Perſarum, aut Chaldæorum eſſent propria.* IN CVIVS ALVO NAVTRAGIA DIGERERANTVR, &c. *Apta loquendi formula, & concinna Chriſti & noſtra ad vitæ immortalem reſurrectionem. Alunt Ceti, ſolita digerere naufraga hominum corpora, crudum, & vivum, & indigeſtum exputt in littus corpus Jonæ. Hinc Baſil. Sel. orat. 13.* Triduum, inquit, ſubi ſepulchrum, ſuſtine incarnationis dominicæ caſus, &c. Reſurrectionis gere ſymbola, expedi te ceto tanquam monumento. Iudæis tuis perſuade, quod ſepulchra ſoluentur, &c. *Sic & Irenæus lib. 5. c. 5.* In ventrem ceti abſorptus, ſaluus iterum exputus eſt terræ, iuſſu Dei. NONDVM RESVRRECTIONE DISPVNCTI, *Id. nondum eraſi ex albo morientium, mortem ſiquidem non euaſerunt, ſed diſtulerunt;* Quis eſt enim homo qui viuet, & non videbit mortem? Pſal. 88. ÆTERNITATIS CANDITATI. *Sic de Anima cap. 55. & Com. Iud. cap. 52. vocat Enoch & Eliam; tyrones ſcilicet in paradiſo terreſtri, velut atrio cæleſtis,* EDISCVNT EMVNITATEM CARNIS: *Id. immunitatem à muniis & officiis corruptibilis carnis.* OMNI CORPORVM LEGE. *Id. Deum eſſe potentiorem ad liberandam carnem à ſeruitute corruptionis, cui lege & principio innatæ ex elementis contrariis corruptibilitatis ſubiacet.*

5. *Æternitas pœnæ, & gloriæ, ad pœnitentiam inducit de pœnit. cap.* 11. *in m. &* 12. *ad m.*

SEd enim illos, qui ambitus obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ & corporis, nec incommodis tantùm, verùm & contumeliis omnibus eniti, in cauſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant? quæ non atria nocturnis & crudis ſalutationibus occupant? ad omnem occurſum majoris cujuſque perſonæ decreſentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comeſſationib. congreges, ſed exules à libertatis & lætitiæ felicitate: idque totum, propter vnius anni volaticum gaudium. Nos quod ſecurium virgarumve petitio ſuſtinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? & caſtigationem victus atq. cultus offenſo Domino præſtare ceſſabimus, quæ Gentiles nemine omnino læſo ſibi irrogant? Hi ſunt de quibus ſcriptura commemorat: *Væ illis, qui delicta ſua velut procero fune nectunt.* Si de exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet: & pœnę prius magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites. Quid illum theſaurum ignis æterni æſtimamus, quum fumariola quædam eius tales flammarum ictus ſuſcitent, vt proximæ vrbes aut jam nullæ extent, aut idem ſibi de die ſperent? Diſſiliunt ſuperbiſſimi montes ignis intrinſecus fœtus; &, quod nobis judicij perpetuitatem probat, cùm diſſiliant, cùm deuorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis hæc ſupplicia interim montium, non judicij minantis exemplaria deputabit? quis ſcintillas tales, non magni alicuius & inæſtimabilis foci miſſilia quædam & exercitoria jacula conſentiet? Igitur cùm ſcias aduerſus gehennam, poſt prima illa intinctionis Dominicæ munimenta, eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? cur ceſſas aggredi quod ſcias mederi tibi?

Cap. xii. Eſa. 5. 18.

ÆTERNITAS. V. SCHOLIA.

QVI AMBITVS OBEVNT, &c. *Et Varro. lib. 4. de lingua Lat. iter eſt, quod circumeundo peritur: nam ambitus, circumitus eſt. Ita in 12. tabulis vocatur ſpatium, quod intercedere debebat inter vicinas ædes. Hinc honorum ambitus appellatus, quòd candidati circumire populum, & prehenſare ſolerent. Cuius reprimendi cauſa lata eſt Iulia lex, de qua conſulendus Tit. ad L. Iulian. de ambitu.* NEQVE PVDET NEQVE PIGET, &c. *Deſcribit quodnis pudendum, ignobile, laborioſum aggredi ambitioſos.* O ambitio, ait, Ber. ambientium crux! *Et Cypr. Bellè deſcribit eorum crucem multimodam. In ep. ad Donatum:* Qui amictu clariore conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura, quibus hoc ſordibus emit, vt fulgeat? quos arrogantium faſtus prius non perrulit? quas ſuperbas fores matutinus ſaltuator obſedit? *& Tertull.* NOCTVRNAS ET CRVDAS SALVTATIONES *vocat, quòd ſummo mane, crudo adhuc & indigeſto ſtomacho, occuparent optimatum fores. proſequitur Cyprianus.* Quot tumentiũ contumelioſa veſtigia ſtipatus clientiũ cuneis ante præceſſit, vt ipſum etiam ſalutantũ comes poſtmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, ſed poteſtati? Nec enim coli moribus meruit ille, ſed faſcibus. DECRESCENTES, &c. *Humiliato ſcilicet capite, poplite profundè ſubmiſſo, & curuo humero.* Hinc *Arnob. lib 7.* Saluteť aceliuis ancillæ aut ſeruuli pauibundas trepidationes imitatus. *Et Ammianus lib. 28. notat* Salutaſſe Romanos humum penè contingentibus membris. VNIVS ANNI VOLATICVM GAVDIVM. *Cicero. ad Atticum lib. 3. & de Aruſp. c. 43. volaticum pro inconſtantiſſimo ſumit. Nihil porro ſtabile in gaudiis humanis docuit Martinus 5. Pont. Max. apud Tipot. in Hierograph. dum in igne pingi voluit omnia Pontificum, Imperatorum, Cardinalium, Conſulum, aliorumque optimatum inſignia, cum hac Epigraphe,* Sic omnis mundi gloria. *Conſulatus autem vnius tantum anni ſpatio durabat, ne diuturnitate*

Auguſt. *poteſtatis inſoleſcerent. Aug. 3. de Ciuit. c. 16. ex Saluſtio.* Breuiſſimo tépore quàm funeſtus ille annus fuit, quo primi Conſules creati ſunt, expulsâ Regiâ poteſtate: annum quippe ſuum non compleuerunt. Nam Iunius Brutus exhonoratum eiecit Vrbe Collegam Lucium Tarquinium Collatinum, deinde mox ipſe in bello cecidit mutuis cum hoſte vulneribus, &c. Lucretius quoque, qui in locum Bruti fuerat ſubrogatus, morbo, antequam idem annus terminaretur, abſumptus eſt. Ita P. Valerius, qui ſucceſſerat Collatino, & M. Horatius, qui pro defuncto Lucretio ſuffectus fuerat, annum illum funereum, atque Tartareum, qui Conſules quinque habuit, compleuerunt. *Ius horum duorum Conſulum Annuorum, qui exactis regibus ſuffecti ſunt, ſic breuiter narrat Cicero 3. de leg.* Militiæ ſummum ius habento, nemini parento, ollis ſalus populi ſuprema lex eſto. Nos QVOD SECVRIVM, &c. *Fiebant faſces detractis ex Betula à batuendo, id. cedendo dicta, quaſi Batula arbore virgis; Ita includebatur ſecuris, vt acies ferri ſecuris in ſummitate emineret, reliqua pars circumducto loro tegeretur. Rei corrigibiles virga emendabantur, deplorati, ſecuri amputabantur. Sic autem diſpoſiti & compacti erant faſces teſte Plutarcho in problem. vt innuerent iram Conſulum in ſumenda vindicta non debere eſſe præcipitem, faſceſque præferri ligatos, quòd ſine iuſta cauſa diſſolui non deberent. Duodecim porro faſces præibant Conſulibus, quos portabant lictores. Proconſulibus autem & Prætoribus ſeni. Cypr. Ep.* 16. Eant nunc Magiſtratus & Conſules, ſiue Proconſules annuæ dignitatis inſignibus, & duodecim faſcibus glorientur. *Vbi ſine differentia eumdem numerum faſcium vtriſque tradidit. De faſcibus conſule Budæum in L. Proconſules. de Offic. Proconſul.* IN PERICVLO ÆTERNITATIS, &c. *Gloriæ ſcilicet, & gaudij æterni, non Magiſtratus annui amittendi; & pœnæ æternæ incurrendæ.* VÆ ILLIS, &c. *Sequitur vt vbique 70. Interpretes. Iſa.* 5. Væ qui trahunt peccata quaſi funiculo longo, & quaſi iugi corrigia vitulæ, iniquitates. SI DE EXOMOLOGESI, &c. *Vox Græca* ἐξομολόγησις *quæ apud Suidam gratiarum actionem, confeſſionem, rerum in vita geſtarum enarrationem ſignificat. Sed licet aliqui pro confeſſione auriculari hanc vocem accipiant, apud Patres tamen, maximéque Cyprianum, Magiſtrumque eius Tertullianum, indicat ritus exteriores ingemiſcendi, in ſacco & cinere, longa & publica pœnitentia, Deo & proximo ſatisfaciendi actibus. Neminem latet primis ſæculis floruiſſe longam & laborioſam pœnitentiam, eaque perfunctos pro veſtibulis ſacrarum ædium conſtitiſſe ad teſtandum publicè internum de peccato conceptum animi ſui dolorem; lacuiſſe humi, Epiſcoporum pedibus, amplexatos genua Martyrum, fidelium omnium orationes ſibi apud Deum poſtulaſſe, opertos ſacco, ſqualoreque confectos. Quò alluſit ſupra Tertull. de ignobilitate veſtium, atriorum nocturnis ſalutationibus, decreſcentia ad omnem occurſum, &c. Peracta hac prima ſpecie pœnitentiæ Epiſcopus deductos ex adito in medium templi, ante Preſbyteros, Diaconos, viduas, vulguſque ſiſtebat; vbi rurſum crimina ſua deteſtantes humi proluti, flentes vbertim, omnium precibus ſe obnixè commendantes, nunquam ſe relapſuros in eadem promittebant. Sic Tertull. de pœnit. cap.* 9. Tanto operoſior probatio eſt, vt non ſola conſcientia præferatur. Sed etiam aliquo actu adminiſtretur is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologeſis eſt. *Et rurſum idem Author.* Exomologeſis, proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, conuerſationem iniungens miſericordiæ illiciti. *In lib. autem de Pudic. vltimos actus publica pœnitentiæ ſic expreſſit.* Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens concilio latum, & concineratum cum dedecore & horrore compoſitum, proſternens in medium, ante viduas, ante Preſbyteros, omnium lachrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem. *Quod igitur non ſignificet priuatam & auricularem confeſſionem, conuincunt ſequentia, primò quod Tertul. ideo dixerit publicè inter cæteros reos pœnitenti.* Quid conſortes caſuum tuorum vereris? *Secundò; quod de Nabuchodonoſor de pœnit. cap.* 12. *ſic loquatur, vt & de Adam,* Diu pœnitentiam Domino immolarat, ſeptenni ſqualore Exomologeſin operatus, vnguium acquilinum in morem efferatione, & capilli incuria horrorem leoninum præferente, &c. Stirpis humanæ & offenſæ in Dominũ princeps Adam Exomologeſi reſtitutus in Paradiſum ſuum. *Non terreſtrẽ quidem quo eum Cherubin verſatilis gladius repedare non ſinit: ſed ſuum pœnitentiæ violentiâ, & pretio, raptum, & quæſitum. Tertiò quod habet Cypr. lib. 3. ep. 17. apud Diaconum poſſe fieri Exomologeſin:* Qui libellos à Martyribus acceperunt, *id eſt ſupplicatorias Indulgentiæ apud Epiſcopum litteras,* ſi incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, quin apud Preſbyterum quemcumque præſentem, vel ſi Preſbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud diaconum quoque Exomologeſim facere delicti ſui poſſint. *Queritur idem Cyprianus, pacem & Euchariſtiam datam in graue ſcelus prolapſis, ante Exomologeſim impletam. lib. 3. Epiſt.* 15. Nunc cum maximo animi dolore cognoſco non tantùm illic vobis non ſuggeri diuina præcepta, *Martyribus carceratis loquitur,* ſed adhuc potius impediri, vt ea quæ à vobis ipſis, & circa Deum cautè, & circa Sacerdotem Dei *Epiſcopum* honorificè fiunt, à quibuſdam preſbyteris reſoluantur, qui nec timorem Dei, nec Epiſcopi honorem cogitantes, cùm vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdam lapſis pacem dari poſtulatis, cùm perſecutione finita, conuenire in vnum cum Clero, & recolligi cœperimus. Illi contra Euangelij legem, contra veſtram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante Exomolegeſin grauiſſimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo & Clero in pœnitentiam impoſitam, offerre lapſis pacem, & Euchariſtiam dare, id eſt Sanctum Domini Corpus prophanare audeant, cùm ſcriptum ſit: qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Et lapſis quidem poteſt in hoc venia concedi. Quis enim mortuus non viuificari properet? Quis non ad ſalutem ſuam venire feſtinet? Sed præpoſitorum eſt præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes inſtruere, ne qui ouium Paſtores eſſe debent, lanij fiant. Ea enim concedere quæ in perniciem vertant, decipere eſt: nec erigitur ſic lapſus, ſed per Dei offenſam, magis impellitur ad ruinam, &c. Et quoniam audio, fortiſſimi & chariſſimi fratres, impudentiâ vos quorumdam premi, & verecundiam veſtram vim pati, oro vos, quibus poſſum precibus, vt Euangelij memores, & conſiderantes quæ & qualia in præteritum anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quàm ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſollicitè & cautè petentium deſideria pondereris, vtpote amici Domini, & cum illo poſtmodum iudicaturi, inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorũ, ipſorum quoque de-

lictorum genera, & qualitates cogitetis: ne si quid abruptè, & indignè, vel à vobis promissum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos, Ecclesia nostra erubescere incipiat. RETRACTAS. *Licet sapissimè Tertull.* Retracto, *sumat suo componendi vsu, ore tracto, literamque, pro, denuo, & diligentius, tracto; Tamen hîc sumitur pro subterfugio, tergiuersor, detrecto. Sicut Columella lib. 2. c. 2. Iuuencum vocat retractantem, qui iugum subterfugit, & inuitus paret Bubulco.* FVMARIOLA QVÆDAM, &c. *Vocat Vulcani montes spiracula quædam & fumariola ignis inferni. Sic Augustinus 3. de Ciuit. cap. 31.*

S. Auguſt.

Legimus apud eos Ætnæis ignibus ab ipso montis vertice, vsque ad littus proximum decurrentibus, ita feruisse mare, vt rupes exurerentur, & pices nauium soluerentur, &c. eodem rursus æstu ignium tanta vi fauillæ scripserunt oppletam esse Siciliam, vt Catinensis vrbis tecta obruta, & oppressa diruerent. *Vide Orosium lib. 2. ca. 18. & lib. 5. ca. 6. & 10. Iustinus autem causam perpetui incendii sic describit lib. 4.* Sicilia terra est cauernosa & fistulosa; quò fit, vt ventorum flatibus pateat, vnde ignis concipitur: Intrinsecus sulphur habet & bitumen; vbi ventus per spiramenta cauernarum incubuit, diu luctatus concipit ignem. *Hinc Tertull.* IGNIS INTRINSECVS FOETV. *Clam enim in visceribus fomes materiam ignis.* DE DIE SPERENT. *Id est, quotidie idem expectant, & timent. Sic Lampridius in Alex. Sophocles in Trachin, & Thucydides lib. 8. Ita accipiunt, pro timere* IVDICII PERPETVITATEM, &c. *Id. sententiam immotam, & aternam, ferendam in iudicio, repræsentant Sicilia montes, inexhausti flammis: dicet enim in iudicio fulminans Christus, Matth. 25* Discedite à me maledicti in ignem æternum. EXERCITORIA IACVLA. *Sic Seneca lib. 2. Nat. quæst. c. 44.* Illos verò viros altissimos error iste non tenuit, vt putarent Iouem modo leuioribus fulminibus, & lusoriis vti, &c. *Sic & psaltes æternitatem pœnæ meditans, exercitoria iacula in scopum timoris Domini dirigebat. Psal. 76.* Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum. PRIMA INTINCTIONIS DOMINICÆ MVNIMENTA, &c. *Id est, post baptismum à Domino institutum, cuius aqua gehennam extinguit, & nos munit infusâ gratiâ ad resistendum peccato, ignis æterni sulphurea materia, & fomiti.* SECVNDA SVBSIDIA. *Pœnitentia, secunda post naufragiũ tabula, fons secũdus, quo supra dixit extingui ignẽ. Æterna pœnæ meditatione, ad pœnitentiæ austeritatem, Virginem lapsam hortabatur Ambrosius cap. 8.* Pœnitudo, inquit, lapsis necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamina. Sed quanta putas, & qualis necessaria pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat? Vide ergo si simplex hoc peccatum adulterij est, an duplex fit per illam necem, quæ facta dicitur in occulto, & secundum conscientiæ molem, exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergo non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit: (de *albo Virginum*) & si te iam credas propè ipsas positam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine. Cùm hæc certè fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse est præuaricatricem animam tartareis pœnis, & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constiturum esse post baptismum, quàm pœnitentiæ solatium, quantamuis afflictionem, quantumuis laborem subire esto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, proprij facti tui ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita, &c. peccator si sibi ipse non pepercerit, à Deo illi parcetur. Et si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitæ spatio compensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ altâ & prolixâ opus est medicinâ. Grande sceleris habet necessariam satisfactionem, &c. Et ideo fortius est dolendum, quia peccatum est fortius. *Apissimè in hanc causam æternitatis supplicij per Exomologesin & pœnitentiam euadendi Augustinus homil. 17.* Quantum possumus, inquit, fructus iustitiæ (*fructus dignos pœnitentiæ*) studeamus afferre, timentes illud quod Dominus dixit, omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Hæc sententia euidenter ostendit, quia non solum malum feciſſe, sed etiam bonum non egisse, damnabile erit. Et ideo ista quæ diximus, attentis cordibus iugiter cogitemus: ne nos tardè pœniteat, sub conspectu ignis æterni, qui interrogabit medullas, ossa, & cogitationes nostras. Quoniam tunc vnusquisque puniendus, optabit ne vnquam mulierem alienam concupiſſet, ne vnquam corporis sui veſtem, ne vnquam baptismi holosericam maculasset, ne vnquam præteriſſet consilia & monita Sacerdotum. Nam si Sacerdotibus grande periculum est aliqua peccata non arguere, quanto periculosius erit propria noluisse corrigere? Atque ea non solum non emendasse, verùm etiam defendisse, & defendendo cumulasse? Et ideo expiatura erit illic inextinguibilis concremacio, quidquid hic medicabilis satisfactio, quidquid hic salutifera dissimulauerat sanare conuersio. *Vide verbo, Infernus. num. 3. Et Exomologesis fuit.*

Auguſt.

6. *Æternitas pœnæ, ad innocentiam seruandam impellit. V. Verbum Christianorum innocentia longè plenior. num. 5.*

7. *Æternorum, non autem temporalium natura immutabilis est; vnde si materia æterna est, immutabilis est. Cont. Hermog. cap. 12. à. p.*

a Matth. 3. 7.

HOc loco dicet aliquis: Ergo a *de lapidibus filij Abrahæ non suscitabuntur, & genimina viperarum* non facient pœnitentiæ fructum, & filij iræ non fient filij pacis, si natura mutabilis non erit. Temerè ad ista exempla respicies, ô homo: non enim competunt ad causam materiæ, quæ innata est, ea quæ nata sunt, lapides, & viperæ, & homines. horum enim natura habendo institutionem, habere poterit & cessationem. Materiam verò tene semel æternam determinatam, vt infectam, vt innatam: & ideo indemutabilis & incorruptibilis naturæ credendam, ex ipsius etiam sententia Hermogenis, quam opponit, cùm Deum negat

ex

ex semetipso facere potuisse: quia non demutetur quod sit æternum, amissurum scilicet quod fuerat, dum fit ex demutatione quod non erat, si non esset æternum. Dominum verò æternum, aliud esse non posse, quàm quod est semper. Hac & ego definitione meritò illum repercutiam; Materiam æquè reprehendo, cùm ex illa mala, pessima etiam, bona atque optima à Deo fiunt: [b] *Et vidit Deus quia bona, & benedixit ea Deus*, vtique quà optima, non certè quà mala ac pessima. Demutationem igitur admisit materia, & si ita est, statum æternitatis amisit: mortua est denique sine sua forma. Sed æternitas amitti non potest: quia nisi amitti non possit, æternitas non est. Ergo nec demutationem potuit admisisse: quia si æternitas est, demutari nullo modo potest.

b Genes. 1. 31.

ÆTERNITAS. VII. SCHOL.

ERGO DE LAPIDIBVS, &c. *Hic argutè probat contra Hermogenem materiam non esse malam; quia si mala esset, mutabilis consequenter esset, & proinde non esset eterna: alioquin malum ab eterno esset. Aut ergo malam non dicat esse materiam, de qua Deus bonus omnia bona valde fecit; aut si malam putat, eternam non dicat. Deinde inducit aliquem Hermogenianum opponentem locum Matth. 3. corrupto ordine textus:* Ergo de lapidibus filij Abrahæ non suscitabuntur, &c. *Quasi vellet dicere, eodem modo materiam innatam & eternam, ex parte priori & ratione æternitatis, bonam; potuisse à posteriori, malam fieri, & sic mutari; Sicut de lapidibus, viperis, vel filiis malis, filios bonos, Abrahæ, filios pacis fecit.* Aug. *Aug lib. 12. confess. c. 7.* Fecisti cœlum & terram, non de te: nam esset æquale vnigenito tuo, ac per hoc & tibi: & nullo modo justum esset vt æquale tibi esset, quod de te non esset. Et aliud præter te non erat, vnde faceres ea Deus vna Trinitas, & trina vnitas, & ideo de nihilo fecisti cœlum & terram, magnum quiddam, & paruum quiddam, quoniam omni potens, & bonus es ad facienda omnia bona, magnum cœlum & paruam terram. Tu eras, & aliud nihil vnde fecisti cœlum & terram, duo quædam, vnum prope te, alterum prope nihil: Vnum quo superior tu esses, alterum quo inferius nihil esset. MORTVA EST, &c. *Mortuam dicit materiam, quia formam suam amisit, mutata ex bona in malam. Vnde æterna non est, si mutari potest. Cum ex ea Deus res corporeas condidit malas. Sed respondet Tertul.* TEMERE AD ISTA EXEMPLA, &c. *Id. par ratio non est, innatæ & æternæ materiæ, & rerum creatarum, quales sunt lapides, vipera, homines: quæ omnia vt principium habent, (quod non materia,) finem quoque habent, proindeque mutari possunt, ex malis in bona. Quod autem æternum est, immutabile est; nam si mutetur, erit aliud, & non ipsum quod erat.* REPERCVTIAM, *retorquebo iaculum in aduersarium: admitto, inquit, materiam malam esse, quin etiam pessimam: sed magnam Dei Creatoris bonitatem, admittas necesse est; qui si per te absque materiæ mala, quidquam condere non potuit, non bona tantum, sed & bona valde atque optima fecit, nec nisi bonis, benedictionem suam potuit impertiri.*

A

B

Aug.

ALIMENTVM.

* *Alimenta scientiæ, animam quidem sapientûm nutriunt, vt rusticorum, prudentia naturalis; sed eam in corpore sola alimenta corporea retinent. de Anim. cap. 6. à m.*

DE insignioribus argumentationibus, erit etiam illa; quòd omne corpus corporalibus alij iudicant: Animam verò vt incorporalem incorporalibus, sapientiæ scilicet studiis. Sed nec hic gradus stabit, etiam Sorano methodicæ medicinæ instructissimo auctore respondente, animam corporalibus quoque ali: denique deficientem eam, cibo plerumque sulciri. Quidni? quo adempto in totum dilabitur ex corpore. Ita etiam ipse Soranus pleniſſimè super anima commentatus quatuor voluminibus, & cum omnibus Philosophorum sententiis expertus, corporalem animæ substantiam vindicat, etsi illam immortalitate fraudauit. [a] *Non enim omnium est credere*, quod Christianorum est. Sicut ergo Soranus ipse rebus ostendit animam corporalibus ali, proinde & Philosophus exhibeat illam incorporalibus pasci: sed nemo vnquam cunctanti de exitu animæ, mulsam aquam de eloquio Platonis infudit; aut micas de minutiloquio Aristotelis inserit. Quid autem facient tot ac tantæ animæ rupicum, & baronum, quibus alimenta sapientiæ desunt, tamen indoctæ prudentia pollent, & sine academiis, & porticibus Atticis, & carceribus Socratis: denique jejunantes philosophia, nihilominus viuunt. Non enim substantiæ ipsi, alimenta proficiunt studiorum, sed disciplinæ; quia nec opimiorem animam efficiunt, sed ornatiorem. *Vide V. Carnis excellentia in Ord. ad animam. Num. 3.*

a 2. Thess. 3. 2.

ALIMENTVM. SCHOLIA.

DE INSIGNIORIBVS, &c. *Tertullianus vbique animam facit corpoream, & hic obicit, sibi contrarium opinioni suæ argumentum, nempe animam sapientiæ disciplinis enutriri, iisque incorporalibus, ipsamque proinde incoream. Naz. in Apol. de alimonia animi, dixit,* pulchrè saginatum. *Vt & Aristides in Panathen litteras & artes,* alimentum verè purum, & hominis proprium. *Cassiod. c. 19. agens de anima cœlestia contemplante;* opinari quidem possumus, spiritalis homo quarum causarum delectatione saginetur. *Xenocrates item apud S. Nemesium cap. 2. de natura hom. sic argumentatur contra sententiam Tertulliani.* Si non alitur anima, omne autem corpus animalis alitur; anima non est cor-

A

Omniloquium.

D

pus. *Infra autem Tertul. opponit Stoïcos Platonicis dicentibus animam aliartibus, & diſciplinis.* Et artes Stoïci corporales affirmant. *Ita Seneca Ep.* 117. Sapientiam bonam eſſe dicunt; ſequitur vt neceſſe ſit illam corporalem quoque dicere; axioma Stoïcorum erat, omne quod eſt, eſſe corpus. *Sextus Empiricus contra Mathematicos. de Stoïcis ait,* Ex incorporeis Stoici numerant quatuor ſpecies, id quod dicitur, ſcilicet verbum, vacuum, locus, tempus: præter hæc cætera omnia corporea faciunt. *Et proinde virtutes omnes & artes. Artes porro, hic Tertul. non tantum ſumit pro actu exercito ipſarum artium, ſed vt artem definit Ariſtoteles* 6. Ethic. Habitum quemdam cum ratione vera coniunctum, ad efficiendum idoneum. *Unde pro anima corporea concludit, quòd alatur ſimilibus ſui, corporalibus artibus.* SED NEC HIC GRADVS, &c. *Frequens vbique vox Tertul. ab athletis ſumptâ Metaphora, qui nunc gradum figunt ſtantes firmiter; nunc cedunt gradu, nunc conferunt, monent, &c. Hîc* non ſtabit, *Firmus non erit, non conſiſtet, facilè poterit infirmari, & loco moueri.* SORANO METHODICÆ, &c. *Aug. lib. 5. contra Iulianum Pelag. c. 9. & 2. Retract. c. 62. Meminit Sorani Medici, priori quidem loco tractans de affectibus animi & corporis in inuicem tranſeuntibus*; Quo modo, inquit, de corpore ad ſpiritum, eo modo tranſeunt de ſpiritu ad corpus. Nam colores virgarum quas variauit Iacob, afficiendo tranſierunt in animas pecorum matrum, atque inde rurſus eadem affectione tranſeundo, apparuerunt in corporibus filiorum. Tale verò aliquid etiam in fœtibus humanis poſſe contingere, Soranus Medicinæ author nobiliſſimus ſcribit, & exemplo confirmat hiſtoriæ. Nam Dionyſium Tyrannum narrat, eo quòd ipſe deformis eſſet, nec tales habere filios vellet, vxori ſuæ in concubitu formoſam proponere ſolere picturam, cuius pulchritudinem concupiſcendo quodammodo raperet, & in prolem quam concipiebat, afficiendo tranſmitteret. *Poſteriori autem loco* 2. *Retract. cap.* 62. *vbi agit de libris contra Iulianum ſcriptis.* In huius, inquit, tanti, tamque elaborati operis quinto volumine, vbi commemoraui, deformem maritum coniugi ſuæ, ne deformes pareret, proponere in concubitu formoſam ſolere picturam: Nomen hominis qui hoc facere ſolebat, quaſi certum poſui, cùm ſit incertum, quia memoria me fefellit. Hoc autem Soranus author, Medicinæ artis magiſter ſcripſit Regem Cyprum facere ſolere, ſed nomen proprium non expreſſit. *Cypr. Ep.* 76. *ad Magnum, & Suidas meminere Sorani. Quem Tertul. frequenter citat. Suidas trium Soranorum mentionem facit, Epheſij, & alterius etiam Epheſini Iunioris, & denique Sorani cognomento Mallotis. Medicorum diſciplina in dogmatiam, cuius Princeps fuit Hypocrates; Methodicen, cuius Soranus dicitur à Tertul.* Inſtructiſſimus Auctor; *Cuius infra commendat quatuor de anima volumina: de quibus ſic Suidas:* Volumina compoſuit plurima, & pulcherrima.

NON ENIM OMNIVM. *Id traxit ex* 2. *Theſſ.* 3. 2. Non enim omnium eſt fides. *Quo loco Beda iuxta Proſperum in Sententiis:* Poſſe, inquit habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, natura eſt hominum: habere autem fidem ſicut habere charitatem, gratia eſt fidelium. Sed cùm voluntas credendi aliis præparatur, aliis non præparatur à Domino, diſcernendum eſt, quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio. Vniuerſæ enim viæ Domini, miſericordia & veritas. Inueſtigabiles autem ſunt viæ ipſius. Inueſtigabiles ergo ſunt, & miſericordia qua gratis liberat, & veritas qua iuſtè iudicat. *Sic & ipſe Proſper to. 5. Biblioth. Patrum, parte 3. pag.* 82. *Epiſt. ad Ruffinum.* Non omnium eſt fides, nec omnes credunt Euangelio: ſed qui credunt Dei ſpiritu aguntur, vt credant. Qui non credunt, libero auertuntur arbitrio. Gratiâ ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt: Et non ex operibus, ne quis glorietur. *Subiicit & exemplum Actorum 16. 6. Vbi probat non omnibus dari fidem, ſed quibus vult eam Deus ex gratia dari. De Paulo enim & Timotheo circumciſo dicitur:* Tranſeuntes Phrygiam & Galatiæ regionem veriti ſunt loqui Verbum Dei in Aſia. Cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam; & non permiſit eos ſpiritus Ieſu. Cùm autem pertranſiſſent Myſiam, deſcenderunt Troadem, & viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam *Angelus Macedonum* erat ſtans, & deprecans eum & dicens: tranſiens in Macedoniam, adiuua nos, &c. *Vbinc cùm eſſent apud Philippos Vrbem, quæ eſt prima Macedoniæ Colonia.* Sedentes, inquit, loquebantur mulieribus quæ conuenerant. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit: Cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo. *Cuius mulieris exemplo vtitur Auguſtinus lib. 2. operis perfecti contra Iulianum Sectione* 168. *Vbi iuxta Paulum Philipp.* 3. Quæ ex fide eſt iuſtitia, ex Deo. Ex fide, inquit, iuſtitia ideo dicit eſſe ex Deo, quia Deus vnicuique partitur menſuram fidei, & ad fidem pertinet, credere quòd in nobis Deus operetur & velle; ſicut operabatur in illa purpuraria, cuius aperuerat ſenſum, vt intenderet in ea, quæ à Paulo dicebantur. *Et in Supplem. parte 1. ſer. 1. ex Matth.* 13. 9. Qui habet aures audiendi, audiat. Nam cùm omnium commune ſit habere aures, tamen audiendi aures, non commune eſt. *D. Fulgentius lib. 1. de Veritate Prædeſt. cap.* 17. Fidem, inquit, non omnibus dari, B. Paulus aſſerit dicens: non enim omnium eſt fides: & rurſum, non omnes obediunt Euangelio, &c. Vt ergo Apoſtoli crederent, voluntas non defuit: ſed in eis ipſam voluntatem Dominus præparauit. Nam vt homo non credat, ex ſe habet infidelitatem: vt autem in Deum credat, à Deo accepit fidem: Et vt in eo fides augmento ſubſequente perficiatur, non hoc virtus humanæ voluntatis, ſed diuina gratia facit, &c. Propter quòd, in Epiſtola quæ ad Hebræos eſt ſcripta, ſic dicitur: aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum. Proinde ſi ex ſe homo fidem habet, non author fidei Ieſus: Et ſi viribus ſuis homo fidem perficit, non eſt conſummator fidei Ieſus. *Plura in hanc rem vide V. fides num.* 24. *hæc interea in rem Tertulliani ad gratulantis Chriſtianis ſupra Soranum Medicum intelligentibus, & animæ immortalitatem vera fide Chriſtianis propria credentibus, quam non omnibus Deus largitur,* Fiunt enim, non naſcuntur Chriſtiani, *vt alibi dixit.* NEMO VNQVAM CVNCTANTI, &c. *Id. Nemo contradicenti vel dubitanti Sorano de ſorte animæ, incorpoream & immortalis, id illi perſuadere niſus eſt argumentis, ex Ariſtotele, vel Platone deſumptis. Niſi malis ſic exponere, & ad litteram preſſius; cùm ſupra dixerit, detracto cibo corpore animam prorſus dilabi ex corpore*; Cunctanti de exitu animæ: *Id. moribundo, & iam efflanti animam, nuſquam retentam in corpore, de Platone, vel Ariſtotele ſumpto alimento.* MVLSAM AQVAM, &c. *Aquam melle mixtam intelligit, ob mellitum & abundans Platonis eloquium; cuius infantis in ore vt & D. Ambroſij, & noſtræ ſanctæ Ritæ apes mellificaſſe narrantur.* MICAS DE MINVTILOQVIO, &c. *Greg. Naz. orat. 1. de Tutel.*

Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Auguſt.

Abiice mihi Aristotelis Minutiloquiũ, sagacitatẽ, & artificium *Mamertus lib. 2. de statu animæ, c. 7. dixit*, Nexuosissimas quæstionum minutias. *Gen. lib. 2. c. 19.* Minutiloquium autem & sublimitatem circa quæstiones, cùm sit Aristotelicum, inferre fidei conantur. INFERSIT. *Quasi minutatim concisas diuisiones & distinctiones, præmansas à nutrice, ingestas in os Infantis. Sic Cicero. lib. 2. de orat.* Ego autem si quem nunc planè rudem institui ad dicendum, &c. omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa, vt aiunt, nutrices infantibus pueris in os inferant. RVPICVM ET BARONVM, *Legunt alij* Barbarorum. *Cicero. lib. 9. Ep. 9. pro barbo & stolido sumit.* Ille Baro te putabat quæ- B siturum, vnum cœlum esset, an innumerabiles. *Item de diuinat. 2. & de finibus 2.* RVPICVM *Id. Rupes & Syluas colentium. Vt Apol. 21.* Rupices & adhuc feros homines *dixit. Et de Pall. c. 4. Chironem*, Rupicem, & syluicolam. INDOCTÆ PRVDENTIA, &c. *Id. licet sint ignorantes animæ, sensu tamen communi vigent.* SINE ACADEMIIS, &c. *Academia locus est nemorosus, ab Athenis distans mille passus. Ibi Philosophiam magna discipulorum frequentia docuit Plato. vnde & eius sectatores dicti sunt Academici, vt à Stoa, qua Græcis porticus est,* STOICI. CARCERIBVS SOCRATIS. *Meminit eiusdem carceris eodem lib. de Anima c. 1.* Etiam in car- C cere Socratis de animæ statu velitatum est. *Id. disputatum, alludit ad Phædonem Platonis toto hoc cap. 1. in quo dialogo plenè agit de immortalitate animæ, & latè recensẽt disputationem Socratis carcerati. Sic de eo Laërtius lib. 2.* Continuò coniectus in vincula, post paucos dies cicutam bibit, multa prius de immortalitate animorum, ac præclara disserens, quæ in Phædone Plato digessit. IRIVNANTES, &c. *Id. nihil alimenti ex Philosophia sumentes.* NON SVBSTANTIÆ IPSI. *Scilicet animæ nutriendæ;* SED DISCIPLINÆ. *Id. scientiæ augendæ.* NEC OPIMIO- D REM, &c. *Pinguiorem, aut corpulentiorem animam, vt ipse corpoream censuit, sed cultiorem. Contra tamen est quod ipse Tertul. de pudic. c. 9.* Exinde opimitate dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet. *Et de Resur. c. 8.* Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur. *De errore Tertul. circa corporalitatem animæ plura diximus suo loco in Alphabeto errorum Tertul. V. Anima corporea. Aug. to. 1. lib. de B. vita longè à principio totũ hoc caput Tertulliani pulchrè explicat, vbi cum Licentio, Nauigio fratre suo, aliisque præsente Matre Monica conferebat.*

Nemo dubitat cibis subtractis omnium animantium corpora macrescere. Macrescere, inquit, Licentius, non decrescere. Satis est mihi, inquam, ad id quod volo. Etenim quæstio est, vtrum ad corpus cibus pertineat; pertinet autem, cùm eo subducto ad maciem deducitur. Omnes ita esse censuerunt. Quid ergo anima, inquam, nullane habet alimenta propria? an eius esca scientia nobis videtur? Planè, inquit mater, nulla re alia credo ali animam, quàm intellectu rerum, atque scientia. De qua sententia cùm Trigetius dubium se ostenderet, hodie, inquit, illa, tu ipse nonne docuisti, vnde, aut vbi anima pascatur? Nam post aliquantam prandij partem, te dixisti non aduertisse quo vasculo vteremur, quòd a.a nescio quæ cogitasses, nec tamen ab ipsa ciborum parte abstinueras manus atque morsus; vbi igitur erat animus tuus quo tempore illud te vescente non attendebat? inde mihi crede & talibus epulis animus pascitur, id est Theoriis & cogitationibus suis, si super eas aliquid percipere possit. De qua re cùm dubitanter streperent, nonne inquam conceditis hominum doctissimorum animos, multo esse quàm imperitorum, quasi in suo genere, pleniores atque maiores? manifestum esse dixerunt. Rectè igitur dicemus, eorum animos, qui nullis disciplinis eruditi sunt, nihilque bonarum artium hauserunt, ieiunos, & quasi famelicos esse, &c. Quæ cùm ita sint, arbitror die natali meo, quoniam duo quædam esse in homine conuenit inter nos, id est corpus atque animam, non me prandium paulò lautius corporibus nostris solum, sed & animis etiam exhibere debere. Quod autẽ hoc sit prandium, si esuritis proferam, &c. Beatos esse nos volumus, inquam. Vix hoc effuderam, occurrerunt vna voce consentientes. Videtur ne vobis, inquam, beatus esse, qui quod vult non habet? negauerunt. Quid? omnis qui quod vult habet, beatus est? tum Mater, si bona, inquit, velit & habeat, beatus est. Si autem mala velit, quamuis habeat, miser est. Cui ego arridens, atque gestiens, ipsam, inquam, prorsus Mater arcem Philosophiæ tenuisti, &c. in quibus verbis sic exclamabat, vt obliti penitus sexus eius, magnum aliquem virum cõsidere nobiscum crederemus, me interim quantum poteram intelligente, ex quo illa, & quàm diuino fonte manarent. *Prosequitur ex similitudine prandij, colloquio de Beata vita tenuinas pascere.* S. Aug.

AMOR DEI.

* 1. *Amor perfectus timorem martyrij pellit. de Fuga in perseq. c. 9. in fin.*

MEmor Apocalypsis suæ, in qua timidorum exitum audierat, de sensu admonet & ipse, timorem reijciendum. [a] *Timor, inquit, non est in dilectione. Sedenim perfecta dilectio foras mittit timorem; quia timor suppliciamentum habet*, vtique [b] *ignem stagni. Qui autem timet, non est perfectus;* in dilectione Dei scilicet. Porrò, quis fugiet persecutionem, nisi qui timebit? Quis timebit, nisi qui non amauit? Spiritum verò si consulas, quid magis sermone illo Spiritus probat? Namque omnes penè ad martyrium exhortatur, non ad fugam, vt & illius commemoremur, *Publicaris*, inquit, *bonum tibi est. Qui enim non publicatur in hominibus, publicatur in Domino.* Ne confundaris, iustitia te producit in medium. Quid confunderis, laudem ferens? Potestas fit, cùm conspiceris ab hominibus. Sic & alibi, *Nolite in lectulis, nec in aberssibus, & febribus mollibus optare exire, sed in martyriis; vt glorificetur qui est passus pro vobis.* V. Verbo timor probrosus num. 3.

Apoc. 21. 8.
a 1. Io. 4. 18.
b Apoc. 21. 8.
1. Io 4. 18.

AMOR DEI. I. SCHOL.

MEMOR APOCALYPSIS, &c. *Alludit ad cap. 21. Apoc. vbi sic loquitur Ioannes, vel potius inducit sedentem in throno sic loquentẽ*, timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, &c

fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus; pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure: quod eſt mors ſecunda. DE SENSV ADMONET, &c. *Alij addunt* ſuo, *quòd ſui ſimilis Ioannes, tam in Apoc. quàm in Epiſt. eodem ſenſu timorem perfectionis reprobet.* SVPPLICIAMENTVM. *Verſio communis* timor pœnam habet. *Hunc locum Ioannis pulchrè exponit Auguſt. tractat. 9. de cap. 4. 1. Io.* Timor non eſt in charitate. Sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo? Perfecta, inquit, Charitas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor. Quia initium ſapientiæ timor Domini. Timor quaſi locum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparauit locum. Quantum enim illa creſcit, ille decreſcit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior charitas, minor timor. Si autem nullus timor, non eſt qua intret charitas, &c. *Vide multa præclara ibid. & Serm. 214. de Temp.*

S. Auguſt.

S. Auguſt.

Cùm fortis ille dicatur qui neminem timet, peruersè fortis eſt, qui primò Deum non vult timere, vt timendo audiat, audiendo diligat, & diligendo non timeat. Tunc erit verè fortiſſimus, non ſuperbâ duritiâ, ſed curâ iuſtitiæ. Sic etiam ſcriptum eſt Prou 14. timor Domini ſpes fortitudinis. Cùm enim timetur pœna quam minatur, diſcitur amari præmium quod pollicetur; ac ſic per timorem pœnæ, bona vita retinetur: per bonam vitam, bona conſcientia comparatur, vt per bonã conſcientiam nulla pœna timeatur. Quapropter diſcat timere, qui non vult timere. Diſcat ad tempus eſſe ſolicitus, qui ſemper vult eſſe ſecurus. Vt enim dixit Ioannes, timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem. Dixit ſanè, & veraciter dixit. Si ergo habere non vis timorem, prius vide vtrum iam perfectam habeas charitatem; quæ foras mittit timorem. Si verò ante iſtam perfectionẽ timor excluditur, ſuperbia inflat, charitas ædificat. Nam ſicut in bona valetudine, fames non faſtidio, ſed cibo pellitur: ita in bona mente timor non vanitate, ſed charitate pellendus eſt. Diſcute itaque conſcientiam tuam, quiſquis timere iam non vis. Noli ſuperficiem compalpare; deſcende in te, penetra interiora cordis tui, rimare diligenter, vtrum nulla tibi vena venenata tabificum amorem ſæculi ſugat, & ſorbeat: Vtrum nulla carnalis voluptatis mouearis & capiaris illecebra: nulla inani jactantia tumidus extollaris; nulla cura vanitatis exæſtues; ſi iam iniquitatis diligentia non fatigat, vtrum æquitatis negligentia nulla ſurrepat. Si hæc ita ſunt, rectè gaudes eſſe te ſine timore. Excluſerit eum Charitas Dei, quem diligis ex toto corde, &c. Excluſerit eum & Charitas proximi, quem diligis tamquam teipſum. Et ideo pro illo ſatagis, vt etiam ipſe tecum ex toto corde, &c. diligat Deum, quia non aliter rectè diligis & teipſum, niſi quia ſic diligis Deum, vt non propterea minus eum diligas, quia conuerteris vel ad teipſum. Si autem quamuis intra teipſum nulla irritaris cupiditate, quod quidem de ſe quis audeat gloriari? tamen ſi teipſum in teipſo diligis, & de teipſo tibi places, hoc ipſum vehementius timere debes, quia nihil times. Non enim quacumque dilectione foras mittendus eſt timor, ſed recta dilectione, qua tota diligimus Deum, & propterea proximum, vt ſic & ipſe diligat Deum. Se autem in ſe diligere, & ſibi placere, non eſt iuſtitiæ charitas, ſed ſuperbiæ vanitas. Ac per hoc Apoſtolus iuſta reprehenſione perculſit ſeipſos amantes, & ſibi placentes. Perfecta ergo Charitas foras mittit timorem. Sed ea dicenda eſt charitas, quæ non eſt vilitas. Quid autem vilius quàm homo ſine Deo? Ecce quid amat, qui ſeipſum, non in Deo, ſed in ſeipſo amat! rectè huic dicitur, Rom. 11. noli altum ſapere, ſed time, &c. *Debine ſubjecit:* tanto minor fit timor, quanto patria quò tendimus, propior: Maior enim timor debet eſſe peregrinantium, minor propinquantium, nullus peruenientium. Sic & timor perducit ad charitatem, & perfecta charitas foras mittit timorem. Timeat autem Chriſtianus non eos, qui corpus occidunt, &c. ſed eum qui habet poteſtatem, &c. Eſt autem alius timor Domini caſtus permanens in ſæculum ſæculi. Non ergo eum foras perfecta charitas mittit; alioqui non permaneret in ſæculum ſæculi, &c. Cùm cauet anima, ne Deus illum deſertus deſerat, timor eſt caſtus permanens in ſæculum ſæculi.

Auguſt.

SPIRITVI VERÒ. *Forte reſpicit initium cap. 4. 1. Io.* Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. *Sed vt credo potius ad ſtabiliendum errorem ſuum de fuga in perſecutione illicita, Paracletum ſuum Montanum intelligit, cuius prophetiæ verba ſubjicit* VT ILLIVS COMMEMOREMVR. *Vel vt eius mentionem faciamus; vel magis ad ſenſum, vt in eius albo recenſeamur, inter eius electos numeremur.* PVBLICARIS. *Publicare ſumitur pro redigere in erarium reipublicæ. Cicer. 2. de Inuent.* Lex eſt apud Rhodios, vt ſi qua roſtrata in portu nauis deprehenſa ſit, publicetur. *Item Plautus in bacch. mulierem publicari. id eſt exponi publicæ libidini* illam, quæ corpus publicauit vulgo ſuum: *eſt propriè, in theatro exponi. Vel ex aliis venalem publicè exponi.* IVSTITIA TE PRODVCIT. *Ex Euangelio ſumptum.* B. qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. POTESTAS FIT. *Magna vtique poteſtas, poſſe ad dignitatem Martyrum ſurgere.* Poteſtis bibere calicem, &c. *& rurſum:* 1. Petri 4. ſi exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus ſuper vos requieſcit. NOLITE IN LECTVLIS. *Altera prophetia eſt cuius ipſe meminit penè iiſdem, verbis, de Ani. c. 55.* Agnoſce differentiam Ethnici & fidelis in morte. Si pro Deo occumbas, vt Paracletus monet, non in mollibus febribus, & in lectulis, ſed in Martyriis, ſi crucem tuam tollas, & ſequaris Dominum, vt ipſe præcepit.

AMOR DEI.

2. *Amor Dei, omnibus Spiritus donis præcellit. 5. cont. Marc. cap. 8. à. m.*

1. Cor. 12, 12.
1. Cor. 13. 1. & ſeq.
a Mat. 22. 37.

POſſum dicere, ipſum qui corporis noſtri per multa & diuerſa membra vnitatem, chariſmatum variorum compagini adæquauit; eundem & corporis humani, & Spiritus ſancti Dominum oſtendit; qui meritum chariſmatum, noluerit eſſe in corpore ſpiritus, quæ nec in corpore humano collocauit; qui de dilectione quoque omnibus chariſmatibus præponenda, Apoſtolum inſtruxerit principali præcepto, quod probauit & Chriſtus; a *Diliges*

Dominum de totis precordiis, & totis viribus, & tota anima tua; & proximum tibi tanquam teipsum. Quod, etsi in lege scriptum esset, commemorat: in aliis linguis, & in aliis labiis locuturum Creatorem, cùm hac commemoratione charisma linguarum confirmat; nec hic potest videri alienum charisma Creatoris prædicatione confirmasse. Luc. 10. 27. Deut. 6.5. 1. Cor. 14. 21. Esa. 28. 11.

AMOR DEI II. SCHOL.

POSSVM DICERE. *Imo affero, quod Apostolus ostendit, ipsummet Deum Creatorem authorem vtriusque testamenti, non tantum rerum spiritalium, sed & corporalium Dominum esse, qui & ipsa dona Spiritus sancti variis corporis membris comparauit. Sic* 1. *Cor.* 12. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum. Alteri fides in eodem Spiritu, &c. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus diuidens singulis prout vult. Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt, &c. SPIRITVS SANCTI DOMINVM. *Error est, si personam Spiritus Sancti intelligas. Principium quidem & origo, Pater est cum Filio, Spiritus Sancti: non Dominus; quinimò,* SPIRITVS SANCTVS DOMINVS A PAVLO VOCATVR; 2. *Cor.* 3. Dominus autem Spiritus est, &c. Transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domino Spiritu. *Vnde* Aug. *Aug. lib.* 2. *de Trin. c.* 10. *Cùm probasset ex scriptura, Patrem & filium dictum Dominum;* Et Spiritus, inquit, Sanctus, Dominus dictus inuenitur. Vbi Apostolus ait, Dominus autem Spiritus est. Et ne quisquam arbitraretur Filium significatum, & ideo dictum Spiritum, propter incorpoream substantiam; secutus contexuit: vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas; Spiritum autem Domini, & Spiritum Sanctum esse nemo dubitauerit. *Igitur vt benignè Tertullianum excusem, effectum pro causa sumam; & dona Sancti Spiritus, pro ipsa persona sua dona diuidente intelligam; & minuscula litera scribam spiritus sancti Dominum.* CORPORE SPIRITVS, &c. *Per spiritum accipe animam, cui vbique corpus affingit: & claret sic intelligendum, cùm opponat in eadem sententia,* Corpus humanum, & Corpus spiritus. *Quasi dicat eumdem Deum, & Dominum Creatorem & humani corporis, & spiritus corporei, id anima; qui noluit meritum Charismatum in ipsa anima corporea substantia ponere; cùm meritum, eiusque principium, non sit anima, sed ipsa gratia Sancti Spiritus:* QVÆ NEC IN CORPORE, &c. *Quod capax non est gratiæ; licet diuersa dona spiritalia, diuersis membris corporeis comparauerit. Mentem Tertulliani intactam hoc loco, sicut pluribus aliis difficilioribus ab interpretibus eius fieri contigit, aperio.* AGIT CONTRA MARCIONEM, *vetus Testamentum, & Creatorem Authorem eius, & humani corporis, tanquam mali, reprobantem; nouum verò Testamentum, & Deum bonum rerum spiritalium, & Spiritus Sancti Charismatum Dominum approbantem. Contra quem sic argumentatur: Tu Marcion, Creatorem, qui fecit hominem id. corpus hominis, & membra eius de limo terræ, vt refert lib. Geneseos, reprobas: Vnde ergo Paulus scripter ex parte nouæ legis, quem recipis, dona Spiritus Sancti comparat potius membris corporis, quàm spiritus, & animæ corpori, cui nos effigiem, lineamenta, membraque, licet tenuiora, & spiritum decentia describimus? Admittas proinde necesse est, & vetus Testamentum bonum esse, & res corporeas bonas à bono Creatore conditas; Eumdemque esse Deum, & vtriusque Testamenti, & vtriusque pariter substantiæ, corporis humani, & spiritus corporei, spiritualiumque Charismatum Conditorem: Cum Paulus Scriptor & Prædicator noui Testamenti alias* spiritalibus spiritalia comparans. 1. Cor. 2. *Hic maluerit comparare spiritalia dona corporeis membris, quàm spiritalibus animæ rationalis facultatibus.* CHARISMATIBVS PRÆPONENDA. *Toto cap.* 13. 1. *Cor. Paulus extollit, Charitatem super omnia dona, deinde concludit* maior horum est Charitas. *Aug. lib.* 15. *de Trin. c.* 17. Deus igitur Spiritus Sanctus, qui procedit ex Deo, cùm datus fuerit homini, accendit eum in dilectione Dei, & proximi. Et ipse dilectio est. non enim habet homo vnde diligat Deum, nisi ex Deo. Propter quod dicit Io. 1. 4. nos eum diligimus, quia ipse prior dilexit nos. Apostolus quoque Paulus Rom. 5. dilectio, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum est quod diuidit inter filios Regni Dei æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum munera, sed sine charitate nihil prosunt; &c. *Deinde prosequitur cum Paulo dicere de linguis, fide, eleemosyna, traditione corporis in ignem, &c. quæ omnia sine charitate nihil prosunt.* Sine charitate, inquit, potest quidem fides esse, sed non prodesse, &c. dilectio igitur quæ ex Deo est, & Deus, propriè Spiritus Sanctus est; per quem diffunditur in cordibus nostris Deus Charitas, per quam nos tota inhabitet Trinitas. Quocirca rectissimè Spiritus Sanctus, cùm sit Deus, vocatur etiam donum Dei. Quod donum propriè quid nisi Charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deum, & sine qua quodlibet aliud Dei donum, non perducit ad Deum? PRINCIPALI PRÆCEPTO. *Math.* 22. Hoc est maximum & primum mandatum.

Nec mirum si principale præceptum, post Christum, dixit Tertullianus, quod & cunctis prætulit donis Apostolus. 1. *Cor.* 13. Si linguis hominum loquar, &c. Si sciero omnia Sacramenta, &c. *In quem locum Aug. tract.* 9. *in Io.* 2 Ne putetis, inquit, vilem esse Augst. charitatem: quomodo autem vilis est, quando omnia, quæ dicuntur non vilia, chara dicuntur? sic autem commendatur charitas ab Apostolo, vt dicat: supereminentiorem viam vobis demonstro: si linguis hominum loquar & Angelorum, &c. Quanta est ergo charitas, quæ si desit, frustra habentur cætera; si assit, rectè habentur omnia. Tamen charitatem laudans Apostolus copiosissimè atque vberrimè, minus de illa dixit, quàm quod ait breuiter Apostolus Ioannes: neque enim dubitauit dicere, 1. 4. Deus charitas est: scriptum est etiã Rom. 5. quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quis ergo nominet Patrem & Filium, & non ibi intelligat charitatem Patris & Filij? quam cùm habere cœperit, Spiritum sanctum habebit: quam si non habuerit, sine Spiritu sancto erit. Et quomodo corpus tuum sine spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est: sic anima tua sine Spiritu sancto, id est, sine charitate si fuerit, mortua deputabitur. *Et ser.* 59. *de Verb. Do. secundum Io.* Ecce venitur ad passionem, ecce venitur & ad sanguinis S. Aug. effusionem, venitur & ad corporum incensionem,

& tamen nihil prodeſt, quia charitas deeſt. Adde charitatem, proſunt omnia. Detrahe charitatem, nihil proſunt cætera. Quale bonum eſt charitas iſta, fratres? quid pretioſius, quid luminoſius, quid firmius, quid vtilius, quid ſecurius? *Et ſer. 53. de Verb. Do. ſecundum Io.* Vtinam poſſint omnes S. Aug. de vna charitate cogitare. Sola eſt enim, quæ & vincit omnia, & ſine qua nihil valent omnia, & quæ vbicumque fuerit, trahit ad ſe omnia. Ipſa eſt, quæ non æmulatur. Quæris cauſam? attende quod ſequitur, non inflatur, &c. Amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem. Scientia ſi ſola ſit, inflat, &c. Ibi inflat ſcientia, vbi charitas non ædificat: vbi autem ædificat, ſolidata B eſt. Non eſt ibi inflatio, vbi petra eſt fundamentum. Quando autem tentat inflatio, hoc eſt elatio? vtique quando charitas deeſt. *De ſupereminentia charitatis, maximè ſuper linguas Angelorum & hominum, idem Aug. tract. 6. in Io. 1. vbi de columba oleam referente.* S. Aug. Fructus, inquit, iſte oliuæ, ſi diſcutiatur, inuenies quid erat. Oliuæ fructus charitatem ſignificat. Vnde hoc probamus? quomodo enim oleum à nullo humore premitur, ſed diruptis omnibus, exilit & ſupereminet: ſic & charitas non poteſt premi in ima, neceſſe eſt vt ad ſuperna emineat. Propterea de illa dicit Apoſtolus, 1. Cor. 12. adhuc ſupereminentiorem viam vobis demonſtro, &c. Audiamus quid ſequitur 1. Cor. 13. ſi linguis C hominum loquar, &c. I. nunc Donate, & clama, diſertus ſum: i nunc, & clama, doctus ſum. Quantum diſertus, quantum doctus? Numquid linguis Angelorum locuturus es? Et tamen ſi linguis Angelorum loquereris, charitatem non habens, audirem æra ſonantia, & cymbala tinnientia. Soliditatem aliquam quæro, fructum in foliis inueniam, non ſint ſola verba, habeant oliuam, redeant ad arcam. Sed inquies, habeo Sacramentum; verùm dicis, Sacramentum diuinum eſt, habes baptiſma, & ego confiteor. Sed quid dicit Apoſtolus? Si ſciero omnia Sacramenta, & habuero prophetiam, & D omnem fidem, &c. Ne forte & hoc diceres, credidi, ſufficit mihi. Sed quid dicit Iacobus, &c. & dæmones credunt, & contremiſcunt, &c. confitebantur Chriſtum credendo, ſed non diligendo. Iactant ſe, quia eleemoſynas multas faciunt, dant pauperibus, quia patiuntur moleſtias, ſed pro Donato, non pro Chriſto. ET SI IN LEGE SCRIPTVM ESSET. *Deut. ſcil. cap. 6. vt conuincat Marcionem, Apoſtolum in noua lege, probare vetus Teſtamentum, & D. Lucam c. 10. iiſdem verbis agere de dilectione Dei, cuius Euangelio vtitur Marcion.* IN ALIIS LINGVIS, &c. *Id. Creatorem prænunciaſſe per Iſaiam veteris legis Prophetam dona linguarum, quæ in nouæ legè, tam Actor. 2. quàm 1. Cor. 13. & 1. Cor. 14. Paulus commemorat. cap. 13. quidem.* Si linguis hominum loquar, &c. *Et cap. 14.* In lege ſcriptum eſt: quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic: *Quod Paulus ſumpſit ex Iſa. 28. iuxta 70.* Propter irriſionem labiorum, propter linguam alteram; quia loquentur populo huic. *Vnde Paulus irriſionem & contemptum infidelium Iudæorum ſic exprimit:* Et nec ſic exaudient me, dicit Dominus.

Cur variis linguis Apoſtoli loquerentur, breuiter docuit Auguſtinus ſer. 9. de verbis Apoſt. Venit & promiſſio ipſius, venit Spiritus ſanctus, implcuit diſcipulos, cœperunt loqui linguis omnium gentium, ſignum in illis præcedebat vnitatis: loquebatur enim tunc vnus homo omnibus linguis, quia locutura erat vnitas Eccleſiæ in omnibus linguis. *Et ſer. 11. de Verb. Do. ſecundum Math.* Propter hanc ſo- Aug. rietatem Spiritus, *de qua agebat iuxta Paulum Philipp. 2* Illi, in quos primitus venit, linguis omnium gentium ſunt locuti, quia per linguas conſociatior eſt ſocietas generis humani. Sic oportebat per linguas omnium gentium ſignificari iſtam ſocietatem filiorum Dei, & membrorum Chriſti, futuram in omnibus gentibus, vt quemadmodum tunc ille apparebat accepiſſe Spiritum ſanctum qui loquebatur linguis omnium gentium: ita ſe nunc ille agnoſcat accepiſſe Spiritum ſanctum, qui tenetur vinculo pacis Eccleſiæ quæ diffunditur in omnibus gentibus. Vnde dicit Apoſtolus Epheſ. 4. ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. *Et tract. 32. in Io. 7.* Si habet Spiritum ſanctum, det ſignum quod tunc dabatur. Quid eſt, det ſignum quod tunc dabatur? loquatur omnibus linguis: reſpondet; quid enim? tu loqueris omnibus linguis? loquor planè, quia omnis lingua mea eſt, id eſt eius corporis, cuius membrum ſum. Diffuſa Eccleſia per omnes gentes, loquitur omnibus linguis. Eccleſia eſt Corpus Chriſti: in hoc corpore membrum es. Cùm ergo membrum ſis eius corporis, quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis. Vnitas enim membrorum charitate concordat; & ipſa vnitas loquitur, quomodo tunc vnus homo loquebatur. Accipimus ergo & nos Spiritum ſanctum, ſi amamus Eccleſiam, ſi vnitate compaginamur, ſi Catholico nomine, & fide gaudemus. ALIENVM CHARISMA. *Id. idem omnino donum linguarum à Creatore promiſſum, Apoſtolus confirmauit, & non alienum, ſiue alterum, & diuerſum. Et licet in veteri teſtamento id ſcriptum eſſet, Paulus noui teſtamenti prædicator illud non reſpuit, ſed retulit, Deum Creatorem, vtriuſque autorem hoc ipſo conteſtans, & comprobans.*

3. *Amor Dei Creatoris, vita præſenti, ſed magis æterna, (de qua rogabat legiperitus) muneratur. 4. cont. Marc. cap. 25. à. m. ad fin.*

a Luc. 10. 25. Exod. 20. 31. b Deut. 6. 5. Luc. 10. 27.

IN Euangelio veritatis, legis doctor Dominum aggreſſus, a *Quid faciens*, inquit, *vitam æternam conſequar?* In hæretico, vita ſolummodo poſita eſt, ſine æternæ mentione, vt doctor de ea vita videatur conſuluiſſe, quæ in lege promittitur à Creatore longæua; & Dominus ideo illi ſecundùm legem reſponſum dediſſe, b *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & totis viribus tuis*; quoniam de lege vitæ ſciſcitabatur. Sed ſciebat vtique legis doctor, quo pacto vitam legalem conſequi poſſet, vt non de ea interrogaſſet, cuius regulas etiam docebat. Sed quia & mortui jam ſuſcitabantur à Chriſto, exſuſcitatus ad ſpem æternæ vitæ, per exempla recidiuæ, ne plus aliquid obſeruationis exigeret ſublimior ſpes, idcirco conſuluit de æternæ vitæ conſecutione. Itaque Dominus, vt nec ipſe alius, nec aliud nouum inferens præceptum, quàm quod principaliter ad omnem ſalutem, & vtramque vitam facit, ipſum caput ei legis opponit omnifariam diligendi Dominum

Deum ſuum. Denique, ſi de vita longæua & ille conſuluit, & Chriſtus reſpondit, quæ ſit penes Creatorem; non de æterna, quæ ſit penes Marcionis Deum, quomodo conſequitur æternam? Non vtique eodem modo, quo & longæuam. Pro differentia enim mercedum, operarum quoque credenda diſtantia eſt. Ergo non ex dilectione Dei tui conſequetur vitam æternam Marcionites, ſicut longæuam dilector Creatoris. Sed quale eſt, vt non magis diligendus ſit qui æternam pollicetur, ſi diligendus eſt qui longęuam repromittit? Ergo eiuſdem erit vtraque vita, quum eadem eſt vtrique vitæ captanda diſciplina. Quod Creator docet, id & Chriſto opus eſt diligi, vt præſtet, interueniente & hîc illa præſcriptione, quâ facilius apud eum debeant credi majora, apud quem minora præcedunt; quàm apud eum, cui nullam de majoribus fidem aliqua minora præparauerunt. Viderit nunc, *ſi æternam* noſtri addiderunt. Hoc mihi ſatis eſt, quòd Chriſtus ille æternæ, non longæ vitæ inuitator, de longæua conſultus quam deſtruebat, non ad æternam potius exhortatus eſt hominem, quam inferebat. Quid, oro te, feciſſet Chriſtus Creatoris, ſi, qui Creatori diligendo ædificauerat hominem, non erat Creatoris? Credo negaſſet diligendum Creatorem.

AMOR DEI. III. SCHOL.

IN EVANGELIO VERITATIS. *Euangelium Lucæ hîc intelligit, prout integrè legitur, quod opponit eidem à Marcione corrupto, in quo truncauit, hæretico more*, Æternam. *Fortiter conuincit Marcionem; legisperitum non interrogaſſe Chriſtum de modo conſequendæ vitæ temporalis, iuxta legem, quam ipſe ignorare non debebat, qui ipſam docebat; ſed de æternæ vita mediis. Cùm enim videret mortuos à Chriſto ſuſcitari, ipſe excitatus in ſpem æternæ vitæ*, PER EXEMPLA RECIDIVÆ, *Id. viſis mortuis rediuiuis, & ad vitam redeuntibus iterum moituram, ſpem concepit poteſtatis in Chriſto; quòd qui vitam mortalem reparabat, poſſet & conferre æternam.* Veni, inquit, vt viram habeant, & abundantius habeant. Io. 10. *Et rurſum ibidem*, Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.

Sed quid eſt quod mandata ſeruanti, hoc eſt Deum & proximum diligenti, vitam æternam promittit? Ex alio quæſito, & reſponſo Auguſtini, accipite & diſcite tract. 32. in Io. 7. Vbi rurſum de ſupereminentè via charitatis, qua ad vitam æternam peruenitur. Auguſt. Præpoſuit, inquit, eam linguis hominum & Angelorum: præpoſuit miraculis fidei, præpoſuit ſcientiæ & prophetiæ: Præpoſuit etiam illam magno operi miſericordiæ, quo ſua quæ poſſidet, diſtribuit quiſque pauperibus: & ad extremũ præpoſuit eam etiã corporis paſſionibus. His omnibus tam magnis rebus præpoſuit charitatem: ipſam habeto, & cuncta habebis: quia ſine illa nihil proderit quidquidhabere potueris. *Cætera porrò in cælo non erunt, charitas ſola remanebit, quia* Maior horum eſt charitas. Aug. *Tum querit Auguſtinus:* Quia verò ad Spiritum ſanctum pertinet charitas, de qua loquimur, &c. Et charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, &c. Quare Dominus Spiritum, cuius maxima beneficia ſunt in nobis, poſt reſurrectionem ſuam dare voluit? quid ſignificauit? vt in reſurrectione noſtra charitas flagret, & ab amore ſæculi ſeparetur, *Vt vitam longæuam ſuper terram pro amoris mercede & mandati obſeruatione non ſperemus*; Vt tota currat in Deum. Hîc enim naſcimur & morimur. Hoc non amemus, charitate migremus, charitate ſurſum habitemus, charitate illa qua diligimus Deũ. Nihil aliud inhac vitâ peregrinationis noſtræ meditemur, niſi quia & hîc non ſemper erimus, & ibi nobis locum bene viuendo præparabimus, vnde nunquam migremus. Dominus enim noſter Ieſus poſtquam reſurrexit, iam non moritur, Rom. 6. &c. Ecce quod amemus ſi viuimus, ſi in ipſum credimus qui reſurrexit, & dabit nobis, non quod hîc amant homines, qui Deum non amant, aut tanto plus amant, quanto illum minus amant; tanto autem hoc minus amant, quanto illum plus amant. Sed videamus quid nobis promiſit: non diuitias terrenas, &c. Non honores, &c. Videtis enim omnia hæc dari & hominibus malis, ne magni pendantur à bonis, &c. Non vitam longam: quid eſt enim longum, quod aliquando finitur? Non pro magno nobis credentibus promiſit longæuitatem, aut decrepitam ſenectutem, quam omnes optant antequam veniat, omnes de illa cum venerit murmurant, &c. Vitam æternam promiſit, vbi nihil timeamus, vbi non conturbemur, vnde non migremus, vbi non moriamur, vbi nec deceſſor plangatur, nec ſucceſſor ſperetur. Quia ergo tale eſt quod nobis promiſit amantibus, & per Spiritus ſancti charitatem feruentibus, ideo ipſum Spiritum noluit dare, niſi cum eſſet glorificatus: vt in ſuo corpore oſtenderet vitam, quam modo non habemus, ſed in reſurrectione ſperamus. NE PLVS ALIQVID, &c. *Id. rationabiliter credens, plus operis exigi pro vita æterna conſequenda, promiſſa in noua lege, quàm pro longæua, in veteri poſcita.* NEC IPSE ALIVS. *Idem author vtriuſque legis, & vitæ, idem præceptum pietatis erga communem omnium Deum & Patrem.* Vnum neceſſariũ, *Præſcripſit.* AD OMNEM SALVTEM, &c. 1. *Tim.* 4. Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. OMNIFARIAM. *Id. ex toto corde, anima, mente, viribus, in omnibus & ſuper omnia.* „ *Aug. Ser. 7. de Ver. Domini, ex Cant. 2.* Quid eſt, ordinate in me charitatem? facite S. Aug. gradus, & cuique quod debetur, reſtituite. Nolite anteriora poſterioribus ſubdere; Amate parentes, ſed præponite Deum parentibus. *Et in Pſal. 77.* S. Aug. Quia Deus rebus omnibus maior & melior inuenitur, plus omnibus diligendus eſt, vt colatur. *Et alibi*; Totum exigit, qui totum fecit. *Quantum porro attinet ad interrogationem legisperiti, pulchrè S. Doctor in verba Pſal. 118.* Incola ego ſum in terra, S. Aug. non abſcondas à me mandata tua. *Sic ratiocinatur.* Qui tandem ſunt, à quibus Deus abſcondit mandata ſua? nonne vbique Deus voluit illa prædicari? Vtinam quàm multis clara ſunt, tam multis chara ſint. Nam quid eſt clarius, quàm, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. An quia Deum noſſe difficile eſt? conſequens eſt vtique vt diligas Dominum Deum tuum, difficile intelligatur, & interrogetur, ne aliud pro alio diligatur. QVOMODO CONSEQVITVR ÆTERNAM? *Fieri non poteſt, vt ſi conſuluerit de vita legali, id. longæua in lege promiſſa, lege inquam Creatoris, vt Chriſtus Marcionis reſponderit iuxta legem creatoris; non enim poterit conſequi æternam vitam, quam*

dat ſolus Deus Marcionis, implendo præceptum Dei mali, aduerſarij ſui. Porro cùm plus diligendus ſit, qui æternam vitam promiſit, quàm qui temporalem, quomodo non implebit præceptum Dei Creatoris, cultor Dei Marcionis, amplius ſuper omnia diligendi? ſequitur ergo, vt idem ſit Deus dilectionem imperans, & vtramque vitam promittens, & donans. ID CHRISTO OPVS EST DILIGI, &c. *Id. debuit Chriſtus reſpondere legiſperito, eumdem Creatorem diligendum, ſpe præſtanda æterna vitæ, qui ſe docet diligendum ſpe longæua; cùm maior ei fides, ſpes, dilectio, iure debeatur pro æternis, qui iam temporalia conceſſit, quàm qui nulla adhuc creauit & præſtitit; qualis eſt Deus Marcionis vſque ad legem nouam otioſus.* SI ÆTERNAM NOSTRI ADDIDERVNT. *Nil prorſus additum, cùm exemplaria omnia, Syriaca, Græca, & Latina,* Vitam æternam, *Legant: ſed ex abundantia iuris id cedit aduerſario.*

Apud eumdem Lucam c. 16. Facite vobis amicos, &c. vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. *Et iterum Luc.* 18. Interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſſidebo? *Et ibid.* Nemo eſt qui reliquit domum, aut parentes, &c. Et non recipiat multo plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam. HOC MIHI SATIS, &c. *Satis eſt, inquit, quod Chriſtus non iam ſpe longæua vitæ hominem ad amorem Dei excitabat; Parua certè merces eſſet charitatis hæc vita longæua, quæ propriè vita dicenda non eſt. Audi Auguſtinum tract. 22. in Io.* S. Aug. 5. Qui Verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, vt in iudicium non veniat, ſed tranſeat à morte ad vitam. In hac vita, A inquit, quæ nondum eſt vita, hinc tranſimus à morte ad vitam. Quis eſt ille tranſitus? qui audit verba mea, &c. Seruas iſta? & credis, & tranſis, &c. Quare autem dixi quæ nondum eſt vita? Si vita eſſet iſta, non diceret Dominus cuidam Matth. 19. Si vis venire ad vitam, ſerua mandata. Non enim ait illi, ſi vis venire ad vitam æternam, non addidit, æternam, ſed tantùm dixit vitam. Nec vita nominanda eſt, quia non eſt vera vita. Quæ eſt vera vita, niſi quæ eſt æterna vita? Audi Apoſtolum dicentem 1. Tim. 6. 17. præcipe diuitibus huius ſæculi, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundanter ad fruendum: benefaciant B diuites, ſint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent. vt quid hoc? audi quod ſequitur: theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Profectò iſta, in qua erant, falſa vita eſt; nam vt quid velis apprehendere verã, ſi jam tenes veram? ſi autẽ apprehendenda eſt vera, migradũ eſt à falſa, & quâ migrandum? quo? Audi, crede, & tranſitum facis de morte ad vitã, & in iudiciũ non venit, &c. Quid eſt in iudicium non veniet, in damnationem non veniet? DESTRVEBAT, *Non deſtructor quidem legis veteris, ſed impletor, hanc vitam contemnendam docuit, & æternam amandam, cùm diceret Io.* 12. Qui amat animam ſuam perdet eam: & qui odit animam ſuam C in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. *Et concludit,* QVI CREATORI DILIGENDO, &c. *Certè ſi Chriſtus nouæ legis non fuiſſet Chriſtus Dei Creatoris, non ædificaſſet, inſtruxiſſet, docuiſſet, diligendum Creatorem.*

ANATOMIA.

Anatomia vix corpus hominis nouit. De Ani. cap. 10. à. p.

HErophilus ille, medicus, aut lanius, qui ſexcentos exſecuit, vt naturam ſcrutaretur, qui hominem odit, vt noſſet, neſcio an omnia interna ejus liquidò exploraſſet, ipſa morte mutante quæ vixerant, & morte non ſimplici, ſed ipſa inter artificia exſectionis errante.

ANATOMIA. SCHOL.

HEROPHILVS ILLE MEDICVS AVT LANIVS. *Alij cum Iunio legunt*, an Lanius? *Ideo verò Lanius, à laniandis, & diſſecandis Anatomicè hominum reorum, damnatorũ ad mortem, viuis corporibus. Vnde ſubdit* SEXCENTOS EXSECVIT; *Alij* Septingentos; *Numero definito ſumpto pro indefinito. Qui idcirco dicitur,* HOMINEM ODISSE, &c. *Quaſi tortor & oſor humani generis eſſet, qui naturæ ſcrutandæ zelo eam ſic barbarè tractaret. Aug. to. 7. lib. 4. de Orig. animæ cap.* 2. S. Aug. Medici, qui appellantur anatomici, per membra, per venas, per neruos, per oſſa, per medullas, per interiora vitalia, etiam viuos homines, quandiu inter manus rimantium viuere E potuerunt, diſſecando ſcrutati ſunt. DE HEROPHILO *Scribonius Largus epiſt. ad Iul. Calliſtum*: Inter maximos quondam habitus medicos Herophilus fertur dixiſſe, medicamenta deorum immortalium manus eſſe. *De eo, eiuſque laudibus frequenter agit Plinius in Hiſt. Nat. Cornelius Celſus initio libri* 1. *de re Medica contra Empyricos diſputans*; Cùm in interioribus partibus & dolores, & morborum varia genera naſcantur, neminem putant his adhibere poſſe remedia, quæ ipſe ignoret. Neceſſarium ergo incidere corpora mortuorum, eorumque viſcera, atque inteſtina ſcrutari. Longéque optimè feciſſe Herophilum, & Eraſiſtratum, qui nocentes homines à Regibus ex carcere acceptos, viuos inciderint, conſiderarintque etiam ſpiritu manente, ea, quæ natura ante clauſiſſet, eorumque poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem; duritiem, mollitiem, &c. Neque enim cùm dolor totus incidit, ſcire quid doleat, cùm qui pro parte, quodque viſcus inteſtinum ſit, non cognouerit, &c. Neque eſſe crudele, ſicut plerique proponunt, hominum nocentium, & horum quoque paucorum ſupplicijs remedia populis innocentibus ſæculorum omnium quæri. *Fuit Galeno teſte* 8. *de placit. &* 2. *Anatomicæ admin. Eraſiſtrato, Diocli, & Herophilo mos diſſecandi viuos. Sed nec ſic perfectè explorari poſſe corpus humanum docet Tertul. morte immutante inteſtina ipſa, & Arte maximè errante inter artificia Anatomiæ, dum variæ partes hinc inde, ſuccidantur. Præclarè D. P. Auguſtinus* 22. *de* Augst. *Ciuit. c.* 24. *difficultatem rimandi per Anatomiam corporis humani, ſic deſcribit*; Quæ tecta ſunt, atque à noſtris remota conſpectibus, ſicut tanta eſt perplexitas venarum, atque neruorum, & viſcerum, ſecreta vitalium inuenire nullus poteſt. Quia etſi Medicorũ diligentia nonnulla crudelis quos Anatomicos

tomicos appellant, laniauit corpora mortuorum, siue etiam inter manus secantis & perscrutantis morientium, atque in carnibus humanis inhumanè abdita cuncta rimata est; vt, quid & quomodo, & quibus locus curandum esset, addisceret, numeros tamen de quibus loquor, quibus coaptatio, quæ harmonia Græcè dicitur, tanquam cuiusdam organi extrinsecus atque intrinsecus totius corporis constat: Quid dicam? nemo valuit inuenire, quos nemo ausus est quærere.

ANGELVS.

1. Angelos agnouit Plato. Apol. cap. 22. à. p.

ANgelos quoque etiam Plato non negauit. Vtriusque nominis testes esse vel magi adsunt.

ANGELVS. I. SCHOL.

ANGELOS QVOQVE, &c. *Dæmonas prius dixerat nosse Philosophos. Theodor. Orat. 4. de materia & mundo*, Plato, inquit, Deos & dæmonas dixit, quos nos Angelos appellamus. *Aug. concione 1. in Psal. 103.* Quamuis, inquit, non videamus apparitionem Angelorum, abscondita est enim ab oculis nostris, & est in quadam republica magna imperatoris Dei: tamen esse Angelos nouimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus, & tenemus: nec inde dubitare fas nobis est, VTRIVSQVE NOMINIS, &c. *Id. Angeli, & dæmonis.* TESTES ESSE, &c. *Alij legunt*; vel Magos asserunt. *Antiqui Poteani, vt nos posuimus.* ADSVNT. *Dicendo testimonio. Minutius.* Aug. A Magi, inquit, non tantùm sciunt dæmonas, sed etiam quidquid miraculi ludunt, per dæmones faciunt, &c. eorum & eloquio, & negotio primus Hostanes, & verum Deum meritâ maiestate prosequitur, & Angelos, id. ministros, & Nuntios Dei, sed veri, venerationi nouit assistere. *Aug. 9. de Ciuit. c. 19.* Quoniam nonnulli istorum, vt ita dixerim, dæmonicolarum, in quibus & Labeo est, eosdem perhibent ab aliis Angelos dici, quos ipsi dæmones nuncupant, &c. Nos autem sicut scriptura loquitur, secundùm quam Christiani sumus, Angelos quidem partim bonos, partim malos, nunquam verò bonos dæmones, legimus. S. Aug.

2. Angelus primus naturâ bonus, voluntate corruptus. 2. cont. Marc. cap. 10. à. p. ad circa fin.

ET si euoluas Ezechielis prophetiam, facilè animaduertes, tam institutione bonum angelum illum, quàm sponte corruptum. In persona enim principis Sor, ad diabolum pronuntiatur: [a] *Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis sume planctum super principem Sor; & dices, Hæc dicit Dominus; Tu es resignaculum similitudinis*; qui scilicet integritatem imaginis; & similitudinis resignaueris; *Plenus sapientia, corona decoris*; hoc vt eminentissimo angelorum, vt archangelo, vt sapientissimo omnium; [b] *In deliciis paradisi Dei tui natus es*; Illic enim vbi Deus, in secunda animalium figuræ formatione angelos fecerat. *Lapidem optimum indutus es; Sardium, topazium, smaragdum, carbunculum, saphirum, jaspin, lyncurium, achaten, amethystum, chrysolithum, beryllum, onychinum; & auro repleti horrea tua, & thesauros tuos. Ex qua die conditus es, cum Cherub posui te in monte sancto Dei. fuisti in medio lapidum igneorum. fuisti inuituperabilis in diebus tuis, ex qua die conditus es; donec inuenta sunt delicta tua. De multitudine negotiationis tuæ plenas tuas repleti, & deliquisti:* Et cætera. Quæ ad sugillationem angeli, non ad illius principis, propriè pertinere manifestum est; eo quod nemo hominum in paradiso Dei natus sit; ne ipse quidem Adam, translatus potius illuc: nec cum Cherub positus in monte sancto Dei, id est, in sublimitate cœlesti, de qua Satanam Dominus quoque decidisse testatur; nec inter lapides igneos demoratus, inter gemmantes siderum ardentium radios, vnde etiam quasi fulgur dejectus est Satanas. Sed ipse auctor delicti, in persona peccatoris viri denotabatur; retro quidem [c] *inituperabilis à die conditionis suæ*, à Deo in bonum conditus, vt à bono conditore inituperabilium conditionum, & exultus omni gloria angelica, & apud Deum constitutus, quà bonus apud bonum: postea verò à semet ipso translatus in malum. [d] *Ex quo enim*, inquit, *apparuerunt delicta tua*: illi eas reputans, quibus scilicet læsit hominem ejectum à Dei obsequio: & ex illo deliquit, ex quo delictum seminauit; atque ita exinde negotiationis, id est malitiæ suæ multitudinem exercuit; delictorum scilicet, & censuum; non minus & ipse liberi arbitrij institutus, vt spiritus. Nihil enim Deus proximum sibi non libertate ejus modi ordinasset. Quem tamen & prædamnando testatus est ab institutionis formâ, libidine propria conceptæ vltro malitiæ exorbitasse; & commeatum operationibus ejus admetiendo, rationem bonitatis suæ egit eodem consilio differens extinctionem diaboli, quo hominis restitutionem.

[a] Ezech. 28. 11. 12. & seq.
[b] Ibid 13. Ibid & seq.
Ibid 16. Genes. 2. 15. Ezech. 28 14. Luc. 10. 18.
[c] Ezec. 28. 14.
[d] Ibid 15.

ANGELVS. II. SCHOL.

INSTITVTIONE BONVM, &c. *Augustinus lib. 11. de Ciuit. c. 17* Propter naturam, non propter malitiam diaboli, dictum rectè intelligimus, Iob 40. Hoc est initium figmenti Domini: quia sine dubio, vbi esset vitium malitiæ, natura non vitiata præcessit. Vitium autem ita contra naAug. turam est, vt non possit nisi nocere naturæ. Non itaque esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ, cuius id vitium est, potius competeret esse cum Deo. Quapropter etiam voluntas mala, grande testimonium est naturæ bonæ. *Et 14. de Ciuit. c. 6.* Nemo naturâ, sed quisquis malus est, vitio malus est. *Et* S. Aug.

Digitized by Google

S. Aug. 19. *de Ciuit. c.* 15. Natura eſt, in qua nullum malum eſt, vel etiam in qua nullum poteſt eſſe malum; eſſe autem natura, in qua nullum bonum ſit, non poteſt. Proinde nec ipſius diaboli natura, in quantum natura eſt, malum eſt; ſed peruerſitas eam malam facit. *Vide eumdem in Enchir. cap. 13. & 14. Vbi probat ipſam naturam & voluntatem eſſe bonam, ex eo ipſo quod ſit mala; ſit enim mala dum privatur bonitate debita: & non omnino deſtruitur; alioquin iam non eſſet mala, ſed omnino non eſſet.*

PRINCIPIS SOR, &c. *Hic Tertul. vocem Hebraicam ſeruauit, quæ vbique ponit Sor, vbi Graci Latinique Codices Principem Tyri legunt. Notatu tamen dignum quod Ezechiel ſupra cap. 27. iuxta 70. Interpretes, quater vtitur eadem voce Sor.* Aſſume ſuper Sor lamentum; & dices, Sor, &c. dicit Dominus ad Sor, &c. Sapientes tui Sor, &c. *Vnde fortè factum eſt vt Tertul. Eandem vocem retinuerit producens locum Ezech. 28. licet in Græco habeatur ibidem,* λάβε θρῆνον ἐπὶ τὸν ἄρχοντα τύρου. Sume planctum ſuper Principem Tyri: TV ES RESIGNACVLVM, &c. *Signaculum, eſt ſigilli expreſſio perfecta, quale littera clauſa imponitur. Sumitur etiam pro ipſo ſigillo Deum opificem & ſculptorem referente. Quaſi dicat tu opus completum & abſolutum, cui Deus extremam manum impoſuit. Vnde Vatablus vertit,* Tu es omnibus numeris abſolutum exemplar. *S. Hiero. in Ezech.* In Latinis, inquit, Codicibus pro ſignaculo, reſignaculum legitur, &c. Vnde quidam ſic intelligunt, quod ſignaculum Dei & figuram, quæ velut in cera molliſſima expreſſa ſit, Rex Tyri reſignauerit, atque perdiderit, vt pro ſignaculo fieret reſignaculum. IN DELITIIS PARADISI, &c. *In cœlo Empireo creatus eſt ex S. Hieronymo.* IN SECVNDA ANIMALIVM, &c. *Sic facilius conſtrue, ibi, in cœlo empireo ſcilicet fecerat Angelos in ſecunda formatione figuræ animalium, repræſentantium ſcilicet, vt Imago, ſimilitudo, ſignaculum, prototypum ſuum. Quod vt capias; homo rationale animal, ad imaginem Dei factus eſt, & primò in ſcriptura nominatur, translatus in Paradiſum. Deinde ſecunda figura animalium ponitur in oſtio Paradiſi, Cherubin ſcilicet, cum gladio verſatili, ad cuſtodiendum oſtium Paradiſi. Præterea cùm Ezech. 1. quatuor animalia quatuor primarios Angelos repræſentantia, deſcribuntur. Primò quidem facies hominis ponitur. Deinde cap. 10. dicta animalia, vocantur Cherub, quæ vox in Hebr. ſignificat,* Sciuit multum vel à Ke, id. quaſi & Rab. Rabi, quaſi Doctor. *Animalia igitur Cherubin vocantur in ſcriptura. Præterea & apud Iſaiam duo Seraphin referuntur ſpecie hominis animalis rationalis, cum humana facie, & pedibus. Igitur ſecunda animalium figura, eſt figura Cherubin, inferior primâ, quæ eſt Seraphin. Et hoc ſenſu Lucifer Cherub hic dicitur, poſitus in monte Sancto Dei* SARDIVM, TOPAZION, &c. *Hic iuxta 70. duodecim Gemmas enumerat, quæ teſte Hieronimo erant tam Exodi 28. in Rationali Pontificis, quàm in fundamentis. Apoc. 21. in verſione Latina nouem tantum recenſentur, quæ iuxta Greg. 32. Mor. c. 18. nouem choros Angelorum eorumque perfectiones adumbrant, quas primus omnium Lucifer eminenter in ſe continebat.* LAPIDES IGNEOS. *Nil iam miror Anaxagoram dicentem, Solem eſſe lapidem ignitum, cùm hîc Tertullianus aſtra fulgurantia igneos lapides vocet: & ipſe Sapiens, de plaga tenebrarum Ægypti loquens. Sap.* 17. 5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſiderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. LÆSVRÆTVÆ, *apud* 70. Inuentæ ſunt iniquitates in te. *Benè læſura, ſiquidem nemo ladi-tur, niſi à ſeipſo. Vel vt Tertul. ſubiicit infra, quòd,* læſit hominem, *Peſſimâ plagâ, intellectu obcæcato, voluntate prius liberâ, in ſeruitutem peccati ſubactâ; corpore mille morbis mortique ſubiecto.* Homicida ab initio *id. ex Aug.* Ex quo fieri potuit homicidium. Aug. RETRO QVIDEM, &c. *Id. ante peccatum.* CONDITIONVM. *Rerum conditarum.* DELICTORVM ET CENSVVM. *Vſuras iniquitatis diceret Pſaltes nos damnabiles redditus, & tributa miſeranda peccatorum, & iuxta Auguſtinum frequenter, aliorum peccatorum actualium, quæ vel originali, vel actuali additur, velut appendices ſortis principalis. Et hanc dicit* NEGOTIATIONEM, QVA PROMAS SVAS REPLET, *Id. promptuaria, in laſuram ſibi; vt ex Ber.* Videat, & inuideat, & ipſa inuidia torqueatur. LIBERI ARBITRII, &c. VT SPIRITVS. 2. *Cor.* 3. Vbi ſpiritus, libertas: *In hoc enim poſita eſt Imago & ſimilitudo; non tamen, vt ſicut* Deus ſpiritus eſt, *ſic &* faciat Angelos ſuos ſpiritus: *Sed vt libertate agit Deus, ſine iuxta Iacobum,* Voluntariè nos generans verbo veritatis, *ſine iuxta Paulum,* Diuidens ſingulis prout vult; *Sine denique vltionem ſumens ſecundum Pſalten,* Deus vltionum Dominus, liberè egit, *Sic & hominis & Angeli ſpiritum liberum condidit.* SIBI PROXIMVM, *Id. ſimilem, cum quo delitiaretur.* PRÆDAMNANDO. *Electus Angelus bonus ad gloriam, ex præviſione meriti; non* Prædamnatus *Angelus malus, ſine præviſione peccati, quia actus iuſtitiæ reprobantis ſupponit cognitionem cauſæ, Angeli vel hominis peccantis.* Prædamnauit *Item Angelum reprobum, & præparauit Diabolo ignem æternum, prius quam homini. Matth.* 19. COMMEATVM, &c. *Ex Feſto lib. 3. ſignificat tempus, quo quis ire, & redire poſſit. l. 1. & l. 3. §. qui ad diem. Et l. 14. ff. de re militari. Sumitur & pro tranſitu multitudinis, & magno comitatu. Sic Apuleius libro 6. dixit.* Cuneatim ſtipato commeatu. *Tertull. ergo* Commeatum *dicit* datum Angelo, commenſuratum operationibus eius, *Vt quia eius natura iuxta Auguſtinum per lucem ſignificata in Geneſi, qua in inſtanti illuminat; pro tempore commeatus ſui habueris inſtans, ad benè vel malè operandum, vtendumque vel abutendum pro libito gratia ſufficiente ſibi data, & arbitrio voluntatis ſuæ ſubiectâ, vel, quòd magis eſt ad mentem auctoris; quòd Deus agens ſecundum bonitatem ſuam, ad ſalutem electorum, quibus omnia cooperantur in bonum, totum ſpatium durationis mundi, & omne tempus quod tranſmeat & præterfluit ab exordio, ad finem ſæculi, dederit diabolo, vt tentare poſſet hominem.* ADMETIENDO. *Alludit ad illud Iob. 40. 14.* Qui fecit eum, applicauit gladium eius. *In quem locum Greg. lib. 32. Mor. cap.* 19. Gladius, inquit, Behemoth iſtius ipſa nocendi malitia eſt. Sed ab eo à quo bonus per naturam factus eſt, eius gladius applicatur: quia eius malitia, diuinâ diſpenſatione reſtringitur, ne ferire tantum mentes hominum, quantum appetit, permittatur. *Quod in Sancto Iob notat, in cuius bona, filios, corpus, poteſtatem accepit;* Sed eius, inquit, gladius, à conditore replicatur, cùm dicitur, animam illius ſerua, &c. *Cui ſi poteſtas ſumma licentiam non præberet, nec graſſari in pecorum gregem valeret.* EXTINCTIONEM DIABOLI. *Non naturam eius annihilando, ſed* omnia inimici tela ignea, ſcuto fidei, & bonæ voluntatis extinguendo; & proiiciendo accuſatorem fratrum ſuorum in ſtagnum ignis & ſulphuris; *Nuſquam electis nociturum.* In tempore enim reſtitutionis omnium, *In reſurrectione gloriosa, electos reſtituet vitæ.* Reddet nobis annos quos locuſta comedit, *id eſt vel ex arbore corruens eliſus & clauus Adæ ſicut locuſta, vel ſerpens pectore & ventre repens. Interim ſic de commeatu*

illi dato Apoc. 22. Tempus prope est; qui nocet, nocet adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc. *Eandem* commeatum operationibus eius admetiens, *Comitatum angelicum nobis multo numerosiorem diuina prouidit bonitas, contra militiam diaboli; vt cum Eliseo,* Plures videamus pro nobis, quàm contra nos. *Bellè in hanc rem Augustinus lib.* 11. *de Ciuit. cap.* 17. Deus, inquit, sicut **S. Aug.** naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum iustissimus ordinator; vt cùm malè illæ vtuntur naturis bonis, ipse bene vtatur etiam voluntatibus malis. Itaque fecit, vt diabolus institutione illius bonus, voluntate sua malus, in inferioribus ordinatus, illuderetur ab Angelis eius; id est, vt profint tentationes eius sanctis, quibus eas obesse desiderat. Et quoniã Deus cùm eũ conderet, futuræ malignitatis eius non erat vtique ignarus, & præuidebat quæ bona de malo eius esset ipse facturus; propterea psal. ait, 103. draco hic quem finxisti ad illudendum ei: vt in eo ipso quod eum finxit, licet per suam bonitatem bonum, iam per suam præscientiam præparasse intelligatur, quomodo illo vteretur & malo. *de Angeli casu plenè iam cum eodem Augustino dicamus lib.* 11. *de Gen. ad lit. cap.* **Aug.** 23. Quod putatur, inquit, nunquam diabolus in veritate stetisse, nunquam cum Angelis beatam duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, vt non propria voluntate deprauatus, sed malus à bono Deo creatus putetur; Alioquin non ab initio, *id est post initium conditionis suæ quâ cum natura accepit gratiam quâ posset non cadere*; cecidisse diceretur. Neque enim cecidit, si talis est factus: sed factus, *Bonus & rectus sicut homo* continuò se à luce veritatis auertit superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus: vnde Beatæ atque Angelicæ vitæ dulcedinem non gustauit, quam non vtique acceptam fastidiuit; sed nolendo accipere *Per meritum subiectæ Deo actu voluntario libertatis, sicut subiecere boni Angeli Michaëlis cum suo principe*, deseruit, & amisit. Proinde nec sui casus esse præscius potuit, quæ sapientia pietatis est fructus. Ille autem continuo impius, & mente cæcus, non ex eo quod acceperat cecidit, sed ex eo quod acciperet, si subdi voluisset Deo; quod profectò quia noluit, & ab eo quod accepturus erat, cecidit; & potestatem illius sub quo esse noluit, non euasit: factumque in illo est pondere meritorum, vt nec iustitiæ possit lumine delectari, nec ab eius sententia liberari. *Idem Sanctissimus doctor lapsum Angelorum, vel perseuerantiam, bono, vel malo, eorum tribuit vsui* **Auguſt.** *arbitrij lib. de corrept. & gratia cap.* 10 Salubertimè, inquit, confitemur, quod rectissimè credimus, Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium. *Et lib. de dono* **Aug.** *perseuerantiæ cap.* 7. Libertas, inquit, voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, peruenire meruerunt. *Et lib. de* **Aug.** *corrept. & grat. cap.* 10. Angeli quidã, quorũ princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt: refugientes tamen eius bonitatem qua beati fuerunt, *Vnde & dictum est, in delitijs Paradisi Dei tui natus es.* Non potuerunt eius effugere iudicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu numquam futuro certissimam habere meruerunt. Si enim nos de scripturis sanctis nosse potuimus, sanctos Angelos iam nullos esse casuros; quantò magis hoc ipsi reuelatâ sibi sublimius veritate nouerunt? nobis quippe vita beata sine fine promissa est, & æqualitas angelorum, &c. Diabolus verò, & Angeli eius, etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant; erat tamen adhuc quod eorum beatitudini adderetur, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec illam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent; id est vt magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere vlterius omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem, beatitudinis non habebant; sed quia nesciebãt suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine vllo vitio fruebantur. Nam si suum casum futurum nossent, æternumque supplicium, beati vtique esse non possent, quos huius tanti mali metus, iam tunc miseros esse compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, *Pulchrè in rem Tertulliani hoc loco discernis nihil Deum proximum sibi non libertate eiusmodi ordinasse. Et quid proximius quam Imago & similitudo?* Et quamuis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miserum fieri, in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto, ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine vllo mortis & infœlicitatis experimento acciperet illam, merito huiusmodi permansionis, *Perseuerantiæ* Beatitudinis plenitudinem, qua & Angeli sancti sunt Beati; id est, vt cadere non posset vlterius, & hoc certissimè sciret. Nam neque ipse posset etiam in paradiso beatus esse, imò ibi non esset, vbi esse miserum non deceret, si eum sui casus præscientia, timore tanti mali miserum faceret. Quia verò per liberum arbitrium Deum deseruit, iustum iudicium Dei expertus est, vt cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita, tota cum illo peccauerat, damnaretur. *Et cap.* 11. *circa finem.* Sed quia noluit permanere, profectò eius cul- **S. Aug.** pa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset. Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, *Et vt ait hic Tertullianus libidine propria concepta vltro malitia exorbitantibus*, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, quâ eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adiutoriũ vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet: Non vtique suâ culpâ cecidissent: Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. *De lapsu Angeli ad mentem Tertullianus hactenus Augustinus.*

3. *Angeli mundum administrant homini. 5. cont. Marc. cap. 7. à p.*

PRouidentia Spiritus sancti demonstrauit quinam dixisset [a] *Spectaculum facti sumus mundo* a 1. Cor. 4 9.
dum *angelis* qui mundum ministrant, *& hominibus* quibus ministrant.

ANGELVS. III. SCHOL.

AGIT *contra Marcionem deprauantem ſenſum Pauli, & intelligentem nomine mundi, Deum mundi.* PROVIDENTIA SPIRITVS, *&c. id eſt, Spiritus ſanctus prouidè Paulo inſpiranit, vt ſic ſcriberet; & cùm priùs diuiſſet in genere, de mundo, intelligibili ſcilicet & rationali, poſtea clariùs diſtingueret, quis eſſet hic mundus, nempe ex Angelis & hominibus compoſitus, ſpectandi, approbandi, vel reprobandi, capacibus.* SPECTACVLVM *D. Tho. in* 1. *Cor.* 4. Quando, inquit, aliqui ſunt condemnati ad mortem, conuocantur homines ad eorum occiſionem, quaſi ad ſpectaculum. Et hoc maximè fiebat circa eos, qui damnabantur ad beſtias, &c. *Exponit autem quid nomine mundi intelligat, cum ſubdit:* Et Angelis & hominibus, ſcilicet bonis & malis. Concurrebant enim ad eorum ſpectaculum boni Angeli, ad confortandum; mali autem, ad impugnandum: boni homines, ad compatiendum, & exemplum patientiæ ſumendum: mali homines, ad perſequendum & irridendum. *Auguſtinus in Pſal.* 38. *in verſum*, opprobrium inſipienti dediſti me. *Sic exponit locum Pauli à Terulliano relatum:* Inter eos me viuere voluiſti, inter eos prædicare veritatem, qui amant vanitatem, & non poſſum niſi irrideri ab eis: quia ſpectaculum facti ſumus, &c. Angelis laudantibus, hominibus opprobrantibus; imo & Angelis laudantibus, & vituperantibus; & hominibus laudantibus, & vituperantibus. 2. *Cor.* 6. à dextris & à ſiniſtris habemus arma, in quibus militamus, per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; vt ſeductores, & veraces. Hæc apud Angelos, hæc apud homines: quia & apud Angelos, ſunt Sancti Angeli quibus bene viuẽdo placemus, & ſunt præuaricatores Angeli, quibus bene viuendo diſplicemus. Et inter homines ſunt Sancti viri, quibus placeat vita noſtra: ſunt nequiſſimi homines, qui irrident bonam vitam noſtram. Et hæc arma ſunt; illa dextra, illa ſiniſtra; vtraque tamen arma ſunt. Vtriſque armis & dextris, & ſiniſtris vtor: & laudantibus & vituperantibus: & honorem deferentibus, & ignominiam irrogantibus. In his vtriſque armis confligo cum diabolo, vtriſque eum ferio; proſperis, ſi non corrumpor; aduerſis, ſi non frangor. QVI MVNDVM MINISTRANT. Omnes, ait Paulus, ſunt adminiſtratorij ſpiritus, &c. *Aug. lib.* 3. *de Trin.* hic, inquit, oſtendit illa omnia, non ſolum per Angelos facta, ſed etiam propter nos facta. *Et* 10. *de ciuit. c.* 15. *ſic de Angelis loquitur*, quod apud illum (*ſcilicet Deum*) ſincerius audiunt, non corporis aure, ſed mentis, miniſtri eius & nuntij, qui eius veritate incommutabili perfruuntur, immortaliter beati: Et quod faciendum modis ineffabilibus audiunt; & vſque in iſta, viſibilia atque ſenſibilia perducendum, incunctanter atque indifficulter efficiunt.

Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

4. *Angeli fœtui in vtero; & ex vtero, alendo & fouendo, & conſeruando, præſunt. De Anim. cap.* 37. *in p.*

ANGELVS. IV. SCHOL.

OMNEM AVTEM, *&c. id. Dei prouidentia vtitur Angelica poteſtate curam habente ſeminis, ſtructuræ, & formationis fœtus in vtero materno, quocumque tandem modo & ratione id præſtet, alij legunt*, quamcumque illam portionem agitare ſortita. *Vbi portionem ſubſtantiæ paternæ in ſemine intelligit.* ALEMONAM, *&c. Alij* ALIMONAM. *Aug.* 4. *de Ciuit. c.* 11. *vbi videt Doctores gentilium vni Ioui ſummo Deo, Plebeiorum Numinum officia implenti circa curam rerum omnium, maximè humanarum, imputantes.* Ipſe præſit nomine Liberi, virorum ſeminibus, & nomine Liberæ fœminarum. Ipſe ſit DIESPITER, qui pactum perducat ad diem; ipſe ſit Dea Mena, quam præfecerunt menſtruis fœminarum. Ipſe Lucina, quæ à parturientibus inuocetur. Ipſe opem ferat naſcentibus, eos excipiens ſinu terræ; & vocetur Opis. Ipſe in vagitu os aperiat, & vocetur Deus Vaticanus. Ipſe leuet de terra, & vocetur Dea Leuana. Ipſe cunas tueatur, & vocetur Dea Cunina, &c. In Diua Rumina (*Rumam veteres dixere Mammam & irrumare, id. lactare, & Rumine ex Plut. qu. Rom.* 37. *mulieres non vinum, ſed lac offerebant.* Mammam paruulo immulgeat, quia Rumam dixerunt veteres Mammam. In Diua Potina, potionem miniſtret. In Diua Educa, eſcam præbeat, &c. *Et* NONAM, *&* DECIMAM, *vocat menſes ſolicitiores, vel quod maximè ſolicitæ eſſent his menſibus dicta Dea ritu Gentilium, vel quod his menſibus ſolicita ſit mater grauida de partu. Legendus Gellius lib* 3. *c.*16. multa, inquit, opinio eſt, eaque iam pro vero recepta: poſtquam mulieris vterus conceperit ſemen, gigni hominem ſeptimo rarenter, nunquam octauo, ſæpè nono, ſæpenumero decimo menſe: eumque eſſe hominem gignendi ſummum finem, decem menſes non inceptos, ſed exactos, &c. Antiquos autem Romanos Varro dicit non recepiſſe huiuſcemodi quaſi monſtroſas raritates, (*ſcilicet emiſſi partus octauo, vel vndecimo menſe*,) ſed nono menſe, aut decimo: neque præter hos, aliis partionem mulieris ſecundum naturam fieri exiſtimaſſe. Idcircoque eos nomina Parcis tribus feciſſe, à pariendo, *Parcæ quaſi Parta, à partu dicta.* Item Nona, & Decima à partus tempeſtiui tempore. *Mortam addit Parcarum tertiam; vt qui ante nonum, & decimum menſem in lucem prodeunt, aut mortui naſcantur, aut non longè poſt moriantur. Ita Spontinus ex Marciano. Scitè Aug* 4. *de Ciu. c.* 34. *Dei Angelorumque prouidentiam circa Ægyptios, abſque tot Deorum minutiis fuiſſe conuincit.* Nec Lucinam mulieres illæ inuocauerunt, quando earum partus, vt miris modis multiplicarentur, & Gens illa incredibiliter creſceret, ab Ægyptiorum perſequentium, & infantes omnes necare volentium, manibus ipſe liberauit,

S. Aug.

C

D

Aug.

ipſe ſeruauit. Sine Dea Rumina fuxerunt: ſine Cunina in cunis fuerunt; ſine Edulica, & Potina, eſcam potumque ſumpſerunt: ſine tot Diis puerilibus educati ſunt: ſine Diis coniugalibus coniugari: ſine cultu Priapi, coniugibus mixti: ſine inuocatione Neptuni mare tranſeuntibus diuiſum patuit, & ſequentes eorum inimicos fluctibus in ſe redeuntibus obruit. Nec conſecrauerunt aliquam Deam Manniam, quando de cœlo manna ſumpſerunt: nec quando ſitientibus aquam percuſſa petra profudit, Nymphas, Lymphaſque coluerunt. Sine inſanis ſacris Martis, & Bellonæ, bella geſſerunt, & ſine Victoria quidem non vicerunt; non eam tamen Deam, ſed Dei ſui munus habuerunt, &c. NOS OFFICIA DIVINA. *Officia Angelorum in nos, mutuis charitatis Officiis repenſari debere docet.* Aug. *Aug. lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 30.* Si vel cui præbendum eſt, vel à quo nobis præbendum eſt officium miſericordiæ, rectè proximus dicitur; manifeſtum eſt, hoc præcepto quo iubemur diligere proximum, etiam ſanctos Angelos contineri, à quibus tanta miſericordiæ officia impenduntur, quanta multis diuinarum ſcripturarum locis animaduertere facile eſt. Ex quo & ipſe Deus, & Dominus noſter (*Angelus teſtamenti*) proximum ſe noſtrum dici voluit. Nam & ſeipſum ſignificat Dominus Ieſus Chriſtus opitulatum eſſe ſemiuiuo iacenti in via afflicto & relicto à latronibus. Et propheta, ſicut proximum ſicut fratrem noſtrum. *Pſal. 34. Formula iuris eſt: qua officium ſeruile miniſterium nonnumquam ſignificat, L. 46. §. Actores. ff. de iure fiſc. Angelos igitur vocat, officia diuina, quòd eorum miniſterio vtatur Deus in adminiſtratione mundi, & maximè hominis. Auguſtinus concione 1. in Pſal. 103.* Aug. Spiritus, inquit, Angeli ſunt: & cùm Spiritus ſunt, non ſunt Angeli: cùm verò mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim officij nomen eſt, non naturæ. Quæris nomen eius naturæ, ſpiritus eſt: quæris officium, Angelus eſt. Ex eo quod eſt, ſpiritus eſt: Ex eo quod agit, Angelus eſt, &c. qui erant iam ſpiritus conditi à Creatore Deo, facit eos Angelos, mittendo eos nuntiare quod iuſſerit. *Et lib. 7. de Ciuit. c. 30.* Aug. Hæc, inquit, facit atque agit vnus verus Deus, &c. ſic adminiſtrat omnia quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere, & agere motus ſinat. Quamuis enim nihil eſſe poſſit, ſine ipſo non tamen ſunt vlla quod ipſe. Agit autem multa etiam per Angelos, ſed non niſi ex ſeipſo beatificat Angelos. Ita quamuis propter aliquas cauſas hominibus Angelos mittat: non tamen ex Angelis, homines, ſed ex ſeipſo, ſicut Angelos, beatificat. *De cætero, conſtat ex communi doctrina Theologorum, in vtero & ab vtero ad extremum vſque ſpiritum, iuxta pſalmum 90,* Angelis ſuis mandaſſe Deum, vt cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris. *Auguſtinus Soliloquiorum cap. 27. deſcribit varia Angelorum circa nos officia.* Aug. Dederas, inquit, quicquid cœli ambitu continetur, &c. quaſi parua reputas hæc, quæ ſub cœlo ſunt, niſi adderes etiam ea quæ ſunt ſuper cœlos, &c. Hi ſunt cuſtodes ſuper muros ciuitatis tuæ nouæ Ieruſalem, & montes in circuitu eius, vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem tuum, nequando rapiat vt leo animas noſtras, dùm non eſſet qui eriperet, &c. Adiuuant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus; de te, inquam, gaudentibus; compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus.

Et lib. 2. ad Nat. cap. 11. NOMINA. *Vmbra vacua. Nomen ſibi, demonum [illegible] & famam diuinitatis conciliant, à rebus [illegible] hominis ſtatui,*

à conceptus exordio ſeruientibus, quibus ſua ſingule diuinitates præfecta credantur. Hic ego propter lacunas plurimas huius capitis, quæ deſunt ex Auguſtino, ſuppleo, exceptis pramiſſis de Libero, Dieſpitre, Mena, Lucina, Ope, Vaticano, Leuana, Cunina, Rumina, Potina & Educa. Libro itaque de ciuit. 4. cap. 11. vbi ſecundum ſapientiores ex gentilibus vnum Deum dicit per cuncta diffuſum, agentem omnia, & pro rerum ſingularum adminiſtratione varia ſortitum nomina. Modo, inquit, ſit Iupiter, corpori huius mundi animus, qui vniuerſam iſtam molem ex quatuor, vel quot eis placet elementis conſtructam atque compactam implet & mouet. Inde ſuas partes ſoroS. Aug. ri, & fratribus cedat: modò ſit æther, vt aërem Iunonem ſubterfuſam deſuper amplectatur: modò totum ſimul cum aëre ſit ipſe cœlum, terram verò tanquam coniugem, eandemque matrem, quia hoc in diuinis turpe non eſt, fœcundis imbribus & ſeminibus fœtet: modò autem, nè ſit neceſſe per cuncta diſcurrere, Deus vnus, de qua multi à Poeta nobiliſſimo dictum putant: Deum namque ire per omnes terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum ipſe in æthere ſit Iupiter, ipſe in aëre Iuno, ipſe in mari Neptunus: in inferioribus etiam maris ipſe Salacia, in terra Pluto, in terra inferiore Proſerpina, in focis domeſticis Veſta, in fabrorum fornace Vulcanus, in ſideribus Sol, Luna, & Stellæ: in diuinantibus Apollo, in merce Mercurius, in Iano initiator, in termino Terminator: Saturnus in tempore, Mars & Bellona in bel's, Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in ſiluis, Minerua in ingeniis. Ipſe ſit poſtremò etiam illa turba quaſi Plebeiorum Deorum, &c. non ſit alius, ſed ipſe in Deabus illis quæ fata naſcentibus canunt, & vocantur carmentes. *Agellius lib. 16. cap. 16. dicit his aras Romæ ſtatutas, difficilis partus auertendi gratia, quarum vna Poſtuerta, altera Proſa dicta, à nomine & poteſtate recti peruerſique partus.* Præſit fortuitis, voceturque Fortuna, &c. de pauore infantum Pauentina nuncupetur: de ſpe quæ venit, Venilia, de voluptate, Volupia, de actu, Agenoria, de ſtimulis quibus ad nimium actum homo impellitur, dea Stimula nominetur. Strenua dea ſit, ſtrenuum faciendo: Numeria quæ numerare doceat: Camœna, quæ canere. Ipſe ſit & Deus Conſus, præbendo conſilia, & dea Sentia, ſententias inſpirando: ipſe dea Iuuentas, quæ poſt prætextam excipiat iuuenilis ætatis exordia. Ipſe ſit fortuna barbata, quæ adultos barba induit, quos honorare voluerit: vt hoc qualecumque numen ſaltem maſculum Deum, vel à barba barbatum, ſicut à nodis Nodotum: vel certè non Fortunam, ſed quia barbas habet, fortunium nominarent. Ipſe in Iugarino Deo coniuges iungat, & cùm virgini vxori zona ſoluitur, ipſe inuocetur, & dea Virginenſis vocetur. Ipſe ſit Mutinus, qui eſt apud Græcos Priapus, ſi non pudet. *Vnde & Tertullianus: Parcite Dei impudentes.* Hæc omnia quæ dixi, & quæcumque non dixi, non enim omnia dicenda arbitratus ſum, hi omnes dij, deæque ſit vnus Iupiter: ſiue ſint, vt quidam volunt, omnia iſta partes eius, ſiue virtutes eius, ſicut eis videtur, quibus eum placet eſſe mundi animum; quæ ſententia velut magnorum multorum doctorum eſt: hæc ſi ita ſint, quod quale ſit nondum interim quæro; quid perderent ſi vnum Deum colerent prudentiore compendio? &c Nulla quippe earum prætermitteretur, cum ipſe vnus qui haberet omnia, coleretur. RVNCINIA. *Aug. lib. 4. de Ciuit. c. 8.* cùm runcantur id eſt à terra auferuntur ſegetes deam Runcinam. MVTVNVS ET TYTVNVS. *Dij præſides amo-*

S. Aug. *rum coniugum, qui inuicem meum tuumque reciprocant. Et* SVBIGVS ET PREMA. *Aug. libro 6. de Ciuit. cap. 9.* Hæccine sunt Numina salubria vrbium, magis ridenda quàm ludibria Poëtarum & theatrorum? Cùm mas & fœmina coniunguntur, adhibetur Deus Iugatinus. Sit hoc ferendum; sed domum est ducenda quæ nubit, adhibetur Deus Domiducus; vt in domo sit, adhibetur Deus Domitius; Vt maneat cum viro, additur Dea Manturna. PARCITE DEI IMPVDENTES. *Aug. ibidem subijcit:* Quid vltra quæritur? Parcatur humanæ verecundiæ: peragat cætera concupiscentia carnis & sanguinis procurato secreto pudoris. Quid impletur cubiculum turba numinum, quando & paranymphi inde discedunt? Et ad hoc impletur, non vt eorum præsentiâ cogitatâ maior sit cura pudicitiæ, sed vt fœminæ sexu infirmæ nouitate pauidæ, illis cooperantibus, sine vlla difficultate virginitas auferatur. Adest enim Dea Virginensis, & Deus pater Subigus, & Dea mater Prema; & Dea Partunda, & Venus, & Priapus. Quid est hoc? Si omnino laborantem in illo opere virum à Diis adjuuari oportebat, non sufficiebat aliquis vnus, vel aliqua vna? Numquid Venus sola parum esset, quæ ob hoc etiam dicitur nuncupata, quod sine eius vi, Virgo esse non desinat? FVRIS ERVBESCVNT. *Etsi nuptiæ in votis habeant, tamen & ipsi mittuntur foras pudore suffusi. Aug. ibid. prosequitur:* si S. Aug. vlla est frons in hominibus, quæ non est in Numinibus, nonnè cùm credunt coniugari tot Deos vtriusque sexus esse præsentes, & huic operi instantes, ita pudore afficiuntur, vt & ille minus moueatur, & illa plus reluctetur? Et certè si adest Virginensis Dea, vt Virgini Zona soluatur, si adest Deus Subigus, vt viro subigatur, &c. Dea Partunda ibi quid facit? Erubescat, eat foras, agat aliquid & maritus: Valde inhonestum est, vt quod vocatur illa, impleat quisquam nisi ille. *Idem Augustinus lib. 4. de Ciuit. cap. 21. Vanitatem subsannat Gentilium, tot Deos deasque hominai præficientium, quibus vna Vitas fœlicitasque sufficeret.* Consideratis, inquit officiis deorum dearumque omnium, quæ sicut voluerunt pro sua opinatione finxerunt: inueniant si possunt aliquid quod ab aliquo Deo præstari possit homini habenti virtutem, habenti fœlicitatem. Quid doctrinæ, vel à Mercurio, vel à Minerua petendum esset, cùm virtus, omnia haberet? &c. Quid opus erat Deo Catio patre, qui Catos facere posset, id est acutos, cùm hoc posset conferre fœlicitas? Ingeniosum quippe nasci fœlicitatis est. & cæt. Quid opus erat parturientibus inuocare Lucinam, cùm si adesset fœlicitas, non solùm benè parerent, sed etiam bonos? Quid necesse erat Opi Deæ commendare nascentes, Deo Vaticano vagientes, Deæ Cuninæ iacentes, Deæ Ruminæ sugentes, Deo Statilino stantes, Deæ Adeonæ adeuntes, Abeonæ abeuntes, Deæ Menti, vt bonam haberent mentem, Deo Volumno, & Deæ Volumnæ, vt bona vellent: Diis Nuptialibus, vt benè coniugarentur: Diis agrestibus, vt fructus vberrimos caperent, & maximè ipsi diuæ Fructosæ; Marti & Bellonæ, vt benè belligerarent: Deæ Victoriæ, vt vincerent: Deo Honori, vt honorarentur: Deæ pecuniæ, vt pecuniosi essent: Deo Æsculano & filio eius Argentino, vt habeant æream argenteamque pecuniam? Nam ideo patrem Argentini Æsculanũ proferunt, quia prius ærea pecunia in vsu esse cœpit, post argentea, & cæt. Cur esset inuocanda propter fessos, Dea Fessonia, propter hostes depellendos, Diua Pellonia, propter ægros Medicus vel Apollo, vel Æsculapius, vel ambo simul quando esset grande periculum? Nec Deus Spinensis, vt spinas ex agris eradicaret: nec Dea Rubigo, vt non accederet, rogaretur: vna fœlicitate præsente & tuente, vel nulla mala exorirentur, vel facillimè pellerentur. *Sed vna Dei veri prouidentia, & Angeli custodia, omnia bona præstat, & mala depellit, vt in Raphaële patuit.*

5 *Angelus aquis baptismi præest, vt olim piscinæ. De bapt. cap. 5. circa fin.*

QVorsum ista retulimus? ne quis durius credat, angelum Dei sanctum aquis in salutem hominis temperandis adesse, cùm angelus malus prophanum commercium ejusdem elementi, in perniciem hominis frequentet. Angelum aquis interuenire, si nouum videtur, a Ioan. 5. exemplum futuri præcucurrit. [a] *Piscinam Bethsaidam angelus interueniens commouebat: obser-* 2. 4. *uabant qui valetudinem querebantur. Nam si quis præuenerat descendere illuc, queri post lauacrum desinebat.* Figura ista medicinæ corporalis, spiritalem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt. Proficiente itaque hominibus gratia Dei, plus aquis & angelo accessit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant: qui vnum semel anno liberaIo. 5. 4. bant, nunc quotidie populos conseruant, deletâ morte per ablutionem delictorum.

ANGELVS. V. SCHOL.

QVORSVM ISTA, &c. *Scilicet arte dæmonum in aqua necatos homines retulimus.* NE QVIS DVRIVS, &c. *Id. difficilius credat bonos Angelos aquis salubriter temperandis adesse, cùm dæmones Deo permittente iisdẽ aquis abuti possint ad hominum ruinam.* PROPHANVM COMMERCIVM. *Id.* Negotium perambulans in tenebris. *Non modo nubibilium aërem, & fulmina, sed tempestates in mari commouendo: sed Dei prouidentia per bonos Angelos, cœrcet incursus dæmonum. Apoc. 7.* Vidi alterum Angelũ ascendentẽ ab ortu Solis habentẽ signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, &c. *Non tantùm aquas, sed & corpora omnia, etiam & spiritus prasubditos Angelis sanctis docet Augustinus lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 24.* Sublimibus, inquit, Angelis Deo Aug. subditè fruentibus, & Deo beatè seruientibus, subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas, vel infirma, vel praua: vt hoc de subditis, vel cum subditis agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus, iubente illo, cui subiecta sunt omnia. Proinde illi, in illo veritatem incommutabilem vident, & secundùm eam, suas dirigunt voluntates. ANGELVM AQVIS. *Error fuisset Tertulliano credere, Angelum authorem vel instituerem gratia baptismalis, Rabby Moyses notat Hebræos solitos votare. Angelos, virtutes omnes, quibus Deus supra naturam aliquid operatur. Aliqui crediderunt Angelum motorem piscinæ fuisse Ra-*

phaëlem, cuius nomen sonat; Medicinam Dei. *Alij cum Pantaleone Diacono apud Lippomanum existimant fuisse Michaëlem Archangelum: sed nil periculi video, quòd Angelus præsit aquis, easque purificet contra immundos Spiritus, eas præparans gratiæ baptismali, cuius Spiritus Sanctus solus est author, quamque ipse ab initio mundi sanctificationi nostræ deputauit, & Christus in Iordane sui corporis attactu sanctificauit, & aquâ fluente de latere, ad Sacramenti dignitatem suæ passionis merito eleuauit.* PISCINAM BETHSAIDAM. *Figuram baptismi in ea præcessisse notat, cuius vim Adricomius in descript. Ierus. fluxisse narrat ab igne sacro ibi posito ante captiuitatem Babylonicam. Magister historiæ Schol. à Crucis ligno, quod spiritu prophetico Regina Saba in monte Libano præsignauit Salomoni, fore Christi patibulum; quod succidit Salomon, & in terram altè defodit; vbi deinde facta est piscina: Ex cuius fundo tempore passionis enatauit. Theophilactus ex ablutione victimarum, quæ à templo, & mari æneo, per tubum subterraneum in piscinam defluebat. Inde & probatica dicta ab ouibus. Melius Chrysost. ad literam, Augustinus, & alij à motu Angeli descendentis.* VALETVDINEM QVERENTVR, *aduersam scilicet Bethsaidam. Lyranus exponit*, domum ouium. *Maldonatus* piscosum locum, locum effusionis, vel domum misericordiæ. QVI VNVM SEMEL IN ANNO. *Ioannis 5. immediatè ante mentionem piscinæ ait*, post hæc erat dies festus Iudæorum. *Et Biblia Sixti in margine, remittit ad Leuit. 23. & Deut. 16. vbi de festo Azymorum agitur, hoc est Paschate. Et subiicit Ioannes*, Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, &c. *Alij putant id fieri solitum in omnibus præcipuis Iudæorum festis; alij tantum Paschæ; alij Pentecostes, vt Ammonius, & Cyrillus. Ambr. tuetur opinionem Tertul. lib. de iis qui init. mysteriis, c. 4. & lib. de Sacr. c. 2.* Hæc piscina in Ierosolymis erat, in qua vnus Annuus sanabatur. Sed nemo ante sanabatur, quàm descendisset Angelus: vt esset indicium, quia descenderat Angelus, mouebatur aqua propter incredulos. Illis signum, tibi fides: Illis Angelus descendebat, tibi Spiritus Sanctus. Illis Creatura mouebatur, tibi Christus operatur, ipse Dominus Creaturis. Tunc curabatur vnus, nunc omnes sanantur, aut certè vnus solus populus Christianus. *Vide Augustinum mysticè explicantem serm. 42. de verb. Dom. secundùm Io.* Aug. Aqua, inquit, illa Iudaïcus populus erat; quinque porticus, lex: quinque enim libros scripsit Moyses. Ergo aqua quinque porticibus cingebatur, sicut ille populus lege coërcebatur. Aquæ perturbatio, in illo populo est Domini passio. Qui descendebat sanabatur non nisi vnus, quia ipse est vnitas. *id est significat Ecclesiæ vnitatem, extra quam non est sanitas.* Quibuscumque ista displicet Christi passio, superbi sunt, nolunt descendere, non sanantur, &c.

A Superbo videtur humilitas Domini indigna, ideò à talibus longè fit sanitas. Noli te extollere, si vis sanari, descende, *Et in Psal. 70. concione prima.* Illis S. Aug. quinque porticibus, in figura quinque librorum; prodebantur potius, quàm sanabantur ægroti. Quid ergo ibi tunc sanabat ægrotum? Motus aquæ. Piscinâ illâ motâ descendebat ægrotus, & sanabatur vnus, quia vnitas. (*Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, vna Ecclesia.*) Quisquis alius ante ipsum motum descenderat, non sanabatur, &c. significabat ergo piscinæ motus perturbationem populi Iudæorum, quando venit Dominus Iesus Christus. Angeli enim aduentu intelligebatur moueri aqua in piscina. Aqua ergo cincta porticibus quinque, gens erat Iudæa cincta lege. Et in porticibus ægroti iacebant, & in sola aqua turbata & mota sanabantur. Venit Dominus, turbata est aqua; crucifixus est: descendat vt sanetur ægrotus. *supra dixerat de lege in quinque libris non implenda sine gratia.* Nescis necessariam esse gratiam adiuuantis, S. Aug. vt impleatur præceptum iubentis, &c. Meritò lex per Moysem data, gratia & veritas per Iesum Christum facta. Io. 1. Ergo quicumque amatis literam sine gratia, in porticibus remanebitis: Ægri eritis, C iacentes, non conualescentes: de litera enim præsumitis. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Gal. 3. sed data est lex, vt reos vos faceret, (*occasione acceptâ per mandatum, &c.* rei facti timeretis, timentes indulgentiam peteretis, iam de viribus vestris non præsumeretis, de litera vos non extolleretis. *Vide eumdem in psal.* 102. *in versum*, Notas fecit vias suas Moysi. *Et* S. Aug. *tract. 17. in Ioh. 5. vbi sic breuiter.* Populus ille quinque libris Moysi, tanquã quinque porticibus claudebatur. Sed illi libri prodebant languidos, non sanabant: Lex enim peccatores conuincebat, non soluebat. Ideo litera sine gratia reos faciebat, quos D confitentes gratia liberabat, &c. Subitò videbatur aqua turbata, & à quo turbabatur, non videbatur, &c. quid sibi ergo vult, nisi quia venit vnus Christus ad populum Iudæorum, (*Angelus testamenti*) & faciendo magna, docendo vtilia, turbauit peccatores, turbauit aquam præsentiâ suâ, & excitauit ad passionem suam; sed latens turbauit; si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. 1. *Cor.* 2. descendere ergo in aquam turbatam, hoc est humiliter credere in E Domini passionem, ibi sanabatur vnus, significans vnitatem. Postea quisquis veniret, non sanabatur; quia quisquis præter vnitatem fuerit, sanari non poterit. *Nulla autem apud historicos prophanos tam prodigiosa piscina facta est mentio, tum quod credibile sit, vel tempore tantum Christi, vel non multo ante, miracula cœpta fieri, paulò post Christi mortem fieri destitisse, sicque memoriam eius euanuisse. Sine quod authores prophani non omnium rerum, maximè ad religionem pertinentium meminerint.*

6. *Angelus orationi præest De. orat. cap. 12. in fin.*

SI quidem irreuerens est assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem quàm maximè reuerearis, ac venereris: quantò magis sub conspectu Dei viui angelo adhuc orationis astante factum istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigauerit.

ANGELVS. VI. SCHOL.

ANGELO ADHVC ORATIONIS, &c. *Si irreligiosum & irreuerens est sedere coram principe, quantò magis coram Deo, cuius in conspectu stas*

A *Angelus orationis? id. vel orationi præsidens, vel qui totus orationi, & adorationi vacat. Sic Tobiæ* 12. Quãdo orabas cum lacrymis, &c. Ego obtuli orationem

tuam Domino. *Aug. ser. 116. de temp. vbi de mini-*
S. Auguſt. *ſterijs omnibus per Raphaëlem Tobiæ exhibitis inducis Raphaëlem ſic loquentem*: Quid de mea mercede ſatis ſuperfluè cogitatis? habete quod vobis donauit Pater ille cœleſtis. Ego miniſter ſum curationis, ille eſt author ſanitatis. Neſcitis cuius mercenarij ope perfrui meruiſtis, &c. Ego Domino medullata intuli Sacrificia pro venerabili ſepultura, &c. mortuum ſepeliſtis, & mortis aculeum non timuiſtis. Ipſe ſepultus pro vobis voce tacita proclamauit, &c. Videte chariſſimi quantum ſit eleemoſinæ meritum. Angelum meruit habere operarium. Videtis quantum proficit mortuos ſepelire, vt oblatio eius per Angelum Raphaëlem ad cœleſtem aſcenderet maieſtatem. Videtis, quia eleemoſina à morte liberat, & ipſa purgat peccata. Facit purgationem oculorum, liberat à tenebris peccatorum. Tobias via ſua deducitur, Sara tot viris contriſtata, per
S. Aug. Angelum matrimonio copulatur. *Et ſer. 7. de temp.* Putamus quàm dulce eſt, quando vota noſtra talia qualia dixi, Angeli, qui cuſtodes vitæ noſtræ ſunt, ante conſpectum diuinæ maieſtatis obtulerunt.

A *Luc. 1.* Omnis multitudo populi erat orans foris, hora incenſi. Apparuit autem illi Angelus Domini ſtans à dextris altaris incenſi *Act. 10. Cornelius Centurio*, Vidit in viſu manifeſtè quaſi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, &c. orationes tuæ, & eleemoſinæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. *Auguſt. Soliloq. cap.* Aug.
27. Diligunt, inquit, conciues ſuos, per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras reſtaurari expectant. Ideòque magna cura, & vigilanti ſtudio adſunt nobis, omnibus horis, & locis, ſuccurrentes & prouidentes
B neceſſitatibus noſtris; & ſoliciti diſcurrentes inter nos, & te Domine; gemitus noſtros atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem benignitatis tuæ propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem. *De Reuerentia Conſtantini orantis ſic Euſeb. lib. 4. in vita eius c. 21.* Solus cùm ſolo Deo loquebatur, proiectúſque in genua, & demiſſis in terram oculis, inſtabat ſupplicibus precationibus illa conſequi, quæ deſiderabat.

7. *Angelus animarum vocator, animam circa egreſſum, facie ſua diuersâ, vel lætificat, vel contriſtat. De Ani. cap. 53. in fin.*

TVnc & enuntiat quæ videt, tunc exultat, aut trepidat; provt paraturam deuerſorij ſui ſentit; de ipſius ſtatim angeli facie, vocatoris animarum, Mercurij poëtarum.

ANGELVS. VII. SCHOL.

TVNC ET ENVNTIAT, &c. *Agit de Anima proximè egreſſura de corpore, quam vult vel collectis viribus, facis in morem breui extinguenda, vel iam de propinquo diſtinctius acutiuſque cernentem, nuntiare quæ videt.* PROVT PARATVRAM, *&c. id. ſicut futurum coniicit locum ſuum, quo egreſſura migrare debet.* ANGELI FACIE. *Innuit cuique Angelum cuſtodem adeſſe morienti, & ex læta vel triſti eius fa-*
S. Aug. *cie, ſtatum ſuum ſingulas animas agnoſcere. Aug. lib. 8. de Ciuit. c. 25. vbi agit de capranda Sanctorum Angelorum benevolentia. vt per eos cum ipſis in morte, eadem beatitudine ſociemur.* Nullo modo quaſi per dæmonum medicatem ambiendum eſt ad beneuolentiam, ſeu beneficentiam deorum, vel potius bonorum Angelorum; ſed per bonæ voluntatis ſimilitudinem, quâ cum illis ſumus, & cum illis viuimus, & cum illis Deum, quem colunt, colimus; etſi eos carnalibus oculis videre non poſſumus: in quantum autem diſſimilitudine voluntatis, & fragilitate infirmitatis miſeri ſumus, in tantum ab eis longè ſumus, vitæ merito, non corporis loco. Non enim quia in terrena conditione carnis habitamus, ſed
C ſi per immunditiam cordis terrena ſapimus, non eis iungimur. Cum verò ſanamur, vt quales ipſi ſunt, ſimus; fide interim illis propinquamus, ſi ab illo nos fieri beatos, à quo & ipſi facti ſunt, etiam
Auguſt. ipſis fauentibus credimus. *Et lib. 9. de Ciuit. c. 5. diuerſam Angelorum vel conſolantium, vel Deo iubente, punientium, faciem ſic exprimit.* Sancti Angeli cùm & ſine ira puniant, quos accipiunt æterna Dei lege puniendos, & miſeris ſine miſeriæ compaſſione ſubueniant, & periclitantibus eis, quos diligunt ſi-
D ne timore opitulentur: tamen iſtarum nomina paſſionum conſuetudine locutionis humanæ etiam in eos vſurpantur, propter quandam operum ſimilitudinem, non propter affectionum infirmitatem.
Aug. *Rurſum de diuerſa Angelorum facie, læta, vel triſti, iuxta diſpoſitionem noſtram; idem Aug. Solil. cap. 27.* Diligunt, inquit, quos tu diligis; cuſtodiunt, quos tu cuſtodis, & deſerunt, quos tu deſeris, &c. Quoties benè agimus, gaudent Angeli, & triſtantur A dæmones. Quoties à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos tuos ſuo gaudio defraudamus. Da igitur, Pater eis ſemper gaudere de nobis, vt & tu ſemper per eos laudaris in nobis, & nos cum eis in vnum ouile tuum adducamur, vt confiteamur nomini ſancto tuo, Creator hominum, & Angelorum. VOCATORIS ANIMARVM. *Malim hîc intelligere S. Michaëlem; quem confert Mercurio Poëtarum, de quo Virg. Æn. 4.*

Tum virgam capit, hac animas ille euocat Orco
B Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit.

Et Horat. lib. 1. Carminum Od. 10. ad Mercur. Tu pias lætis animas reponis ſedibus. *Plato in Phædone dicit*, Vnumquemque mortuum, cuiuſque dæmon, qui viuum ſorte obtinuit, ad quemdam locum ducere aggreditur, vbi congregatos iudicari oportet. *Hoc iudicium priuatum & particulare, Deum exercere per Michaëlem Archangelum multi tenent cum Echio homilia 8. in Feſto S. Michaëlis. Viega in c. 12. Apoc. num. 5. Seravia in Ioſue c. 5. num. 3. vbi multis rationibus id probat. Suarez to. 2. in 3. part. diſp. 52. ſect. 2. in fi. Abulenſis in Matth. 24. quæſt. 239. Soto in 4. diſt. 45. quæſt. 1. art. 3. Georgius Venet. M. 1. ſect. 5. problem. 343. vocat Michaëlem Mitraton Hebræorum, Principem ſacrorum, qui Moyſem cum opus eſſet, ad faciem Dei introduceret. Et to. 6. ſect. 1. Problem. 41. ex ſecrecioribus Theologis notat Mitraton officium eſſe, introducere amicos Dei ad faciem, & præſentiam eius, &c. Et quidem Eccleſiæ*, Signifer Sanctus Michaël repræſentet eas in lucem ſanctam. *Et rurſum*, Michael Archangele, conſtitui te Principem, ſuper omnes animas ſuſcipiendas. *Nec fruſtra gladium, & libram portat. Gladium quidem ſimilem flammeo & verſatili, cùm cuſtodiat oſtium paradiſi: Et dicat Paulus Rom. 13.* Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, (*ô verſatilem gladium, ex vtraque parte acutum, propugnantem te, contra te pugnantem!*) time: non enim

enim fine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter A eſt: vindex in iram ei qui malum agit. *Libram autem, non iam Critolai, de qua Cicero 4. de fin. & Tuſcul. 5. inter ſydera relata; quam Aſtrologi mediam ponunt, inter remiſſam in ſeueritate, & nimiam in pietate Virginem, & nimium extremamque in aſperitate Scorpionem: Sed Libram Iuſtitiæ quam exercet in iudicio particulari:* Omnis, ait Greg. qui iuſtè iudicat, ſtateram in manu portat *Vnde Georgius Venet. to. 6. ſect. 9. probl. 368. vbi de Michaele.* Ipſe, inquit, Sacerdos cœli coæquat ſummâ juſtitiâ vniuſcuiuſque merita cum præmio ſibi dando. Omnia namque ſubtiliſſimè diſcutiuntur in tribunali diuinæ juſtitiæ; cuius loci inter Angelos ibi adſtantes, Michaël Principarum tenet.

8. Angelus, velo rupto, Synagogam deſeruit. 4. cont. Marc. cap. 42. à m.

Sciſſum [a] *eſt & templi velum,* angeli eruptione, *derelinquentis* [b] *filiam Sionis, tanquam in vinea ſpeculam, & in cucumerario caſulam.*

[a] Luc. 24. 4.
[b] Deut. 19 15.

ANGELVS. VIII. SCHOLIA.

SCISSVM EST, &c. *Ex Ioſepho lib. 6. de Bello. cap. 6. duplex erat velum templi, vnum quo intima pars templi dicta Sancta Sanctorum, operiebatur. Alterum Babylonium admirabili opere factum ex hyacintho, byſſo, cocco, & purpurâ variatum, 55. cubitis latum, altum 16. Iuxta proportionem portarum primi tabernaculi, vbi erat candelabrum, menſa, & thuribulum. Et hoc ſciſſum eſt, teſte Hiero. ep. 150. q. 8. Quod exterius erat cunctis perſpicuum, & populum ſegregabat à Sacerdotibus. Multi tamen, & plures Interpretes interius velum ſciſſum volunt, vt hoc miraculo mouerentur Sacerdotes ad pœnitentiam. Aug. ſer. 114. de Temp. & Cæſarius Homilia 4. de Paſcha, in hac ſciſſione, diſſolutionem Sinagogæ, & abrogationem eius.* Aug. *Auguſt. in Pſal. 70. & alibi, vela, & vmbras legis abruptas veritate patente. Aug. in Pſal. 64.* Propitiatis, inquit, peccatis noſtris & impietatibus per illud ſacrificium Verſpertinum, *quo in Cruce Chriſtus elenauit manus ſuas,* tranſimus ad Dominum, vt auferatur velamen: *Et reuelatâ facie gloriam Domini ſpeculemur;* Propterea & Domino Crucifixo, Aug. velum templi ſciſſum eſt. *Et Homil. 27.* Præceſſit nubes, manifeſtæ veritatis ſerenitas facta eſt; quia præceſſit & velum, per quod loquebatur Moyſes. Hoc velum in templo pendebat, ne templi ſecreta panderentur. Sed in cruce Domini velum conſciſſum eſt, vt paterent. *Et Ser. 49. de verbis Do. ſec. Io.* Aug. Perſonam eius gerebat Moyſes, & velum ante ſe ideo ponebat, quando loquebatur populo; quia quandiu illi in lege carnalibus gaudiis & voluptatibus dediti erant, & regnum terrenum quærebant, velamen poſitum erat contra faciem eorum, ne viderent Chriſtum in ſcripturis. Ablato enim velamine, poſtea quam paſſus eſt Dominus, viſa, ſunt ſecreta templi. Ideo cùm in cruce penderet, ſciſſum eſt velum templi à ſummo vſque deorſum, & apertè dicit Apoſtolus Paulus. 2. Cor. 3. Cùm autem tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen. Qui autem non tranſierit ad Chriſtum, quamuis legat Moyſem, velamen poſitum eſt ſuper cor eius, ſicut dicit Apoſtolus. *Cyril. Ieroſ. Catech. 13. animæ* B *Chriſti à Carne ſeparationem, vult fuiſſ ſignificatam per veli templi fractionem, vel ſciſſionem carnis eius quæ velabat animam. Sedulius lib. 5. Carm. Iuſſum templi, veſtem ſuam proſcindentis, more Iudæorum. Hilar. in Matth. diuiſionem & diſſipationem Iudæorum. Theophilactus profanandum templum. Paulus Hebr. 9. viam cœli & ianuam prius clauſam paſſione Chriſti apertam omnibus.* ANGELI ERVPTIONE. *S. Ephrem Ser. de paſſione, narrat ſciſſo velo, viſam columbam euolare de templo. Hæc vel Spiritum Sanctum, vel Angelum Sinagoga Michaëlem, legis etiam Moyſi datorem, vt refert Pantaleon, apud Lyppomanum, repræſentabat.* DERELINQVENTIS FILIAM SIONIS. *Sic Iſa. 1. Iuxta 70.* Derelinquetur filia Sion ſicut tabernaculum in vinea. Et ſicut pomorum cuſtodia in cucumerario, ſicut ciuitas expugnata. C

9. Angeli duo, teſtes Reſurrectionis. 4. Cont. Marc. cap. 43. à p.

SEd & duo ibidem angeli apparuerunt. Tot fere laterenſibus vti ſolebat, *in duobus teſtibus conſiſtens Dei ſermo.* Luc. 24. 45. Iſ. 1. 8.

ANGELVS. IX. SCHOL.

DVO IBIDEM ANGELI, &c. *Sic Luce 24.* Ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti. LATERENSIBVS. *Id. comitantibus, aſſiſtentibus ex vtroque latere. Sic natus in medio duorum animalium, tranſiguratus inter Moyſem & Eliam, crucifixus inter duos latrones, poſt Reſurrectionem apparuit & ſtetit apud eumdem Lucam cap. 24. inter duos diſcipulos euntes in Emmaus. De laterenſibus, tam in malam quàm in bonam partem, breuiter Auguſtinus.* S. Aug. *In malam Pſal. 47.* Latera Aquilonis. Latera vtique, quia inhæſerant diabolo. Quicumque enim alicui cohærent, latera ipſius dicuntur. Nam & de aliquibus hominibus ſolemus ita loqui: bonus homo eſt, ſed mala latera habet: id eſt ipſe quidem probitate præſtat, ſed maligni ſunt qui ei coniuncti S. Aug. ſunt. *In bonam autem partem Pſal. 127.* In lateribus domus tuæ. Latera dicimus domus, eos, qui inhærent Chriſto, &c. Et bona latera habet, bonis con- D filiis viuit, &c. Nec ſine cauſa & ipſa coniux Eccleſia, de latere facta eſt Chriſto moriente. *Et dictum,* adhærebit vxori ſuæ. IN DVOBVS TESTIBVS, &c. *Deut. 19.* Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem, quidquid illud peccati & facinoris fuerit: ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum. *Apud 70. ſic legitur:* Super os duorum teſtium, & ſuper os trium teſtium ſtabit omne Verbum. *De duobus Angelis, non parua difficultas ab Auguſtino tangitur lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 14.* Poteſt, inquit, mouere quomodo ſecundum Matthæum Angelus ſuper lapidem ſedebat reuolutum E à monumento. Marcus enim introeuntes eas *Mulieres ſcil.* in monumentum, dicit vidiſſe iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuiſſe. Marci 16. Niſi intelligamus, aut Matthæum tacuiſſe de illo Angelo, quem intrantes viderunt: Marcum verò de illo tacuiſſe, quem foris vi- S. Aug.

Digitized by Google

runt ſedentem ſuper lapidem: vt duos viderint, & à duobus ſingillatim audierint, quæ dixerunt Angeli de Ieſu: prius ab illo, quem foris viderint ſedentem ſuper lapidem; deinde ab illo, quem viderunt intrantes in monumentum ſedentem à dextris; quò vt intrarent, illius qui foris ſedebat verbis exhortatæ ſunt dicentis; venite & videte locum, vbi poſitus erat Dominus. Quò venientes, vt dictum eſt, & intrantes, viderunt eum de quo Matthæus tacet, Marcus autem loquitur ſedentem à dextris, à quo talia ſimiliter audierunt, &c. Illud etiam quod *Io. 20. narrat*, duo Angeli viſi ſunt, concordat cum Luca. Sed quòd ille ſtantes dicit Angelos viſos, iſte autem ſedentes, & cætera quæ illi *Matthæus ſcil. & Marcus* non dicunt, quomodo hinc poſſint intelligi non diſcrepare à cæteris, & qui ordine geſta ſint, niſi diligenter conſiderentur, repugnantia poſſunt videri, &c. Maria dum fleret inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos, ſicut dicit Ioannes, in albis ſedentes; vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Dicunt ei illi; mulier quid ploras? Hinc intelligendi ſunt ſurrexiſſe Angeli, vt etiam ſtantes viderentur, ſicut eos Lucas viſos fuiſſe commemorat, & dixiſſe ſecundum eumdem Lucam timentibus mulieribus, & vultum in terram declinantibus, quid quæritis, viuentem cum mortuis? *Et ſic qua videntur de duobus Angelis contraria, concilientur.*

10. *Angelos Deus vocat, ſuæ virtutis miniſtros homines Cont. Ind. cap. 9. à m.*

[a] Exod. 23. 20. Ioſ. 5. 1. & ſeq. Ioſ. 10. 12. [b] Malac. 3. 1. Matth. 11. 10. Luc. 1. 2. Luc. 7. 27. Pſal. 103. 5.

COnſtat ipſum Dei filium Moyſi eſſe loquutum, & dixiſſe ad populum: [a] *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, id eſt populi, *qui te cuſtodiat in itinere, & introducat in terram quam præparaui tibi: Intende illi, & audi eum, & ne inobediens fueris ei: non enim celauit te, quoniam nomen meum ſuper illum eſt.* Populum enim introducturus erat Ieſus in terram repromiſſionis, non Moyſes. Angelum quidem dixit eum, ob magnitudinem virtutum, quas erat editurus (quas virtutes fecit Ieſus Naue, & ipſi legitis) & ob officium Prophetæ, nuntiantis ſcilicet diuinam voluntatem, ſicuti & præcurſorem Chriſti Ioannem, futurum angelum appellat per Propheram Spiritus, dicens ex perſona Patris: [b] *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, id eſt Chriſti, *qui præparabit viam tuam ante te.* Nec nouum eſt Spiritui ſancto angelos appellare eos, quos *miniſtros* ſuæ virtutis Deus præfecit.

ANGELVS. X. SCHOL.

DEI FILIVM. *Id deducit ex præcedentibus, vbi,* Qui ad Moyſem loquebatur, ipſe erat Dei filius, qui & ſemper videbatur. *Auguſtinus to. 6. lib. 3. contra Maximinum Arrianorum Epiſcopum, fuſè diſputat c. 26. qui conſentiebat Tertulliano eodem loco* 2. *Tim. 6.* Quem nemo hominum vidit, nec videre poteſt. *De ſolo Deo Patre dictum, filium vero ex initio generis humani, ſolitum eſſe videri ab hominibus. Vbi per totum caput, notat nuſquam ex ſcripturis probari poſſe, in omnibus Dei apparitionibus, vllam fuiſſe ad filium determinatam.* NOMEN MEVM. *Cum filium credat locutum Moyſi, & Ieſus vocatus ſit Ioſue, nomen filij ipſi impoſitum in figuram docet, vt alibi dicemus.* IESVS IN TERRAM, &c. *Moyſes enim ante ingreſſum terra mortuus eſt: dictum enim ei fuerat:* Vidiſti terram, non ingredieris ad eam. QVAS VIRTVTES, &c. *Alludit ad prodigia aquæ Iordanis, ſtantis ad præſentiam Arcæ, Ioſue iubente ſtare Sacerdotes portantes Arcam, in introitu aquæ Iordanis. Joſue 3. Ad muros Iericho euerſos, eodem Joſue præcipiente Arcam circumduci, & ſeptem buccinas perſonare, cum circuitu ſeptimo vrbis, Ioſue c. 6. Denique ad nutum eiuſdem Solem & Lunam ſtetiſſe, Ioſue 10.* Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei. Non fuit antea, nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis. *Et notatu dignißimum quod textus habet paulò ſuperius.* Tunc locutus eſt Ioſue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne moueris, & Luna contra vallem Aialon. PER PROPHETAM. *Malachiam ſcilicet cap. 3. quod Chriſtus Matth. 11. Marci. 1. & Luc. 7. Ioanni Baptiſtæ applicat. Apud Malachiam non legitur, ante faciem tuam, ſed* ante faciem meam. *Verum idem ſenſus eſt. Nam apud Prophetam, Pater de filio loquitur, vt etiam hic expoſit Tertullianus. In Euangelio autem Chriſtus inducit Patrem de ſeipſo loquentem. Et Author noſter hic tres perſonas Trinitatis clarè diſtinguit, vt legenti patet. Porro Author Operis imperfecti in Matth. dicit Ioannem non ſolum æquaſſe Angelos, ſed ſuperaſſe: quia cùm homo verus eſſet, & non Angelus, non humanam tamen vitam, ſed Angelicam duxerit: adeo vt teſte Euſebio lib. 9. demonſtr. Euang. c. 5. multi Iudæorum eum veri Angelum fuiſſe crediderint. Chryſol. ſummatim ſic eius Elogia complectitur ſer. 127. in 9.* Ioannes virtutum ſchola, Magiſterium vitæ, Sanctitatis forma, Norma iuſtitiæ, virginitatis ſpeculum, &c. Ioannes maior homine, par Angelis, legis ſumma, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum, &c. Merator Domini, *id eſt vel præcurſor, vel meta & limes vtriuſque teſtamenti, vel menſuram Dominici Corporis ſumens, inde ſe indignum dicens Calceamenta portare & ſoluere, inde dignus factus caput eius in Jordane Baptizare.* Dei teſtis, *vel quia Martyr, vel quia teſtimonium perhibuit de lumine,* Totius medius Trinitatis. *Dum ſcilicet à tota Trinitate mittitur vt medius internuntius; vel dum inter perſonam Patris loquentis, & filij Baptizati, cum medio Spiritu ſpecie columbæ, Baptiſmi Chriſti miniſter aſſiſtit.* NEC NOVVM. *Imò vſitatum, Angelos Dei miniſtros appellari. Auguſtinus concione 1. in Pſal.* 103. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, &c. *Cum ad literam de Angelis expoſuiſſet:* Quid eſt, inquit, in Eccleſia figuratè? Quomodo accipimus, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, &c. Spiritus ſpiritales dicit, benè facit Angelos ſuos ſpiritales, id eſt, nuntios Verbi ſui. Spiritalis enim omnia iudicat. 1. Cor. 2. vide ſpiritalem factum Angelum Dei. 1. Cor. 3. Non potui, inquit, vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus. De ſpiritali quadam affectione miſſus eſt ad carnales, tanquam Angelus de cœlo ad terram. Quomodo dicit, & miniſtros ſuos ignem flagrantem, niſi quomodo dicit Rom. 12. ſpiritu feruentes? Sic Auguſt.

itized by Goo

enim feruens ſpiritu, ignis ardens eſt omnis miniſter Dei. Nonne ardebat Stephanus? Quo igne ardebat? Et quis ille ignis erat quando lapidabatur, & pro eis, à quibus lapidabatur, rogabat? *Innuit ibidem verbi miniſtros Angelos ſimiles Cherubin Paradiſi rompheam igneam & verſatilem tenenti.* Aug. Hunc inquit, ignem ſe miſſurum Dominus in terram dicebat, cum ait Luc.12. ignem veni mittere in terram. Quomodo gladium ſic ignem. Matth. 10. gladius diuidit affectum carnalem, *ſic & ignis mixta metalla diſſoluit: Non veni pacem mittere, ſed gladium, veni enim ſeparare, &c.* Ignis abſumit. totum in verbo Dei intellige, totum in Spiritu Dei cognoſce. Incipe feruere charitate, per verbum quod audis, & vide quid in te fecerit ignis miniſter Dei. NEC NOVVM EST, *&c. Ita Aug. lib.* Aug. 15. *de Ciuit. c.* 23. Angelos, fuiſſe etiam homines Dei nuncupatos, eadem ſcriptura ſancta locupletiſſimè teſtis eſt: Nam & de Ioanne ſcriptum eſt: Ecce mitto Angelum meum, &c. Et Malachias propheta, propriâ quadam, id eſt, ſibi propriè impertita gratia, dictus eſt Angelus. *Vide eumdem libro* 1. *quæſtionum in Geneſ. quæſtion.* 3. A *Et lib. quæſtion. ex veteri Teſtamento, quæſtione* 20. S. Aug. Quid eſt quod dicitur, panem Angelorum manducauit homo, cùm Angeli, non egeant cibo, quippe cùm ſint naturâ ſimplices, & potentia ſpiritali vigentes, &c? Ideo Angelorum panis dictus eſt, quia ea virtute creatus eſt, qua Angelica natura ſubſiſtit & viuit; ſine Deo enim nulla vita eſt, &c. Vt quod tunc factũ eſt, eius rei quæ nunc in Eccleſia offertur, figura fuiſſe exiſtimetur: vt Chriſtiani populi, quos in Angelis ſignificauit ſcriptura, panẽ manducarent homines, id eſt Iudæi. Et quia maior gratia eſt nunc, quàm in prophetis, & libertas data per Chriſtum, *cùm ſerui eſſent homines ſub lege Iudæi:* quia vbi Spiritus Domini, ibi & libertas data per Chriſtum. 1.Cor.3. *Hinc Paulus eſcam ſpiritalem dixit, corpus Chriſti ſpiritale, dandã ſpiritalibus ab eo qui facit Angelos ſuos ſpiritus:* ad comparationem temporum & gratiarum, Chriſtiani Angeli dicti ſunt: quorum pane *in figura*, qui Chriſtus eſt, ſatiati ſunt Iudæi, quos homines dixit. Horum enim magis Chriſtus eſt, quibus & reuelatus eſt & qui hoc nomine vocati cenſentur. B

ANIMA.

1. *De Anima, varia Philoſophorum ſententia. de Ani. cap. 2. circa. m.*

NEc ignoro quanta ſit ſilua materiæ iſtius apud Philoſophos, pro numero etiam ipſorum commentatorum, quot varietates ſententiarum, quot palæſtræ opinionum, quot propagines quæſtionum, quot implicationes expeditionum.

ANIMA. I. SCHOL.

PALÆSTRÆ OPINIONVM, &c. *Palæſtra luctationem, & concertationem ſignificat. Aug.* Aug. *de vera Relig. c.* 1. *vbi de diuerſitate & contrarietate opinionum inter Philoſophos* eorum ſapientes, quos Philoſophos vocant, ſcholas habebant diſſentientes, & templa communia, &c. omnes cum ſectatoribus ſuis, diuerſa, & aduerſa ſentientibus, ad ſacra communia, nullo prohibente, conuenie- A bant. PROPAGINES QVÆSTIONVM. *Vocat quæſtiunculas; ex aliis quæſtionibus natas. Deſumptum à ſimilitudine vineæ. Cicero in Cat. maiore.* Propagatio vitium ſarmentorumque, &c. *dicta propago, quod porrò pangatur.* QVOT IMPLICATIONES, *&c. Quia Philoſophi plerumque ex a pediendo, enodando, explicando quæſtiones de Anima, eas magis implicant, & intricant.*

2. *Et Ibid. cap.* 3. *in m.*

ALij immortalem negant animam, alij pluſquam immortalem adfirmant: alij de ſubſtantia, alij de forma, alij de vnaquaque diſpoſitione diſceptant: hi ſtatum eius aliunde ducunt, hi exitum aliorſum abducunt, provt aut Platonis honor, aut Zenonis vigor, aut Ariſtotelis tenor, aut Epicuri ſtupor, aut Heracliti mœror, aut Empedoclis furor perſuaſerunt.

ANIMA. II. SCHOL.

ALII IMMORTALEM NEGANT, *&c. ſic Valentiniani, quibus id obijcit Tertul. cont. Valent. c.*3. Anima mortalis apud illos, niſi quæ ſalutem fide inuenerit. *Et de Præſcript. cont. hæret. c.*7. *vbi fusè probat hæreticos, errores ſuos mutuatos eſſe à Philoſophis.* Et vti anima interire dicatur, ab Epicureis obſeruatur. *Sic Arabici, teſte Euſebio lib.*6. *c.* 30. *Sicut Sozimus Presbyter ex Iſid. Pel. lib.* 3. *ep.* 235. *dicebant Animas cum corpore mori. Aug.* S. Aug. *lib. de hæreſibus, hæreſi* 83. *referens Euſebium.* Itaque hos hæreticos, quoniam nullum eorum ponit Authorem, Arabicos poſſumus nuncupare, qui dixerunt Animas cum corporibus mori atque diſſolui; & in fine ſæculi vtrumque reſurgere. ALII PLVSQVAM IMMORTALEM, *diuinam ſcilicet, & eiuſdem cum Deo ſubſtantiæ. Sic ſentiebant Gnoſtici apud Iren. lib.*1. *c.*24. *& alibi. Sic ex Epiph. hæreſi* 66. A *Gnoſticorum Diſcipuli, Manichæi. Sic ex Aug. hæreſi* S. Aug. 70. *Priſcillianiſtæ. Idem Aug. contra Fortunatum diſputans, teſtatur tam tenuiſſe Animam eſſe filiam Dei, ſubſtantiam & portionem eius. Hoc hæretici à Platone & Stoicis hauſerunt. De Stoicis ſic Epiph. hæreſ.*3. Partem Dei, & immortalem Animam ducunt. *Habuerunt Principem Zenonem ſub Stoa. id. portic. Plato* 5. *de leg.* animus poſt Deos omnium diuiniſſimus, & poſt Deos colendus. *Et Tullius prima Tuſc.* Ergo Animus, qui vt dico diuinus, vt Euripides audet dicere, Deus eſt. *Sic pluſquam immortalem aſſerunt.* ALII DE SVBSTANTIA. *De ea diſputant, an corporea ſit. Aug. lib. de fide contra Manich. c.* 37. *Exprobrat Fauſto Manichæo, quòd cenſuerit Animas pecorum ſimiles animabus hominum.* Quomodo tam multas Animas necandas dæmonibus in S. Aug. porcis tradidit, cum tales Animas dicatis eſſe por-

Digitized by Google

corum, quales sunt hominum? Aut quomodo arborem, in qua fructus, quia non erat tempus, non inuenit, verbo aridam fecit, quam animam intelligentem dicitis habere? ALII EX FORMA. *Id. de effigie. Pythagorici ad Animam figurandam vtebantur figuris Mathematicis. Antistenes credidit eam figura sui corporis, quod informat, coaptari.* DISPOSITIONE, *id. an potentia ab Anima, vel à se inuicem distinguantur. An Anima & Animus, & Spiritus distinguantur. An duæ sint Animæ, vna quæ rationem ministret, superior & spiritalis; alia animalis & inferior, quæ corpus informet & sensus animales.* HI STATVM, *&c. Sic ipse de Testimonio Animæ cap.* 1. Seu de cœlo exciperis, seu de terra conciperis, seu cum corpore incœperis, seu post corpus induceris. *Vbi carpit Saturninum, Carpocratem, Apellem, Valentinianos, cum Platone, Animam de Cœlo deferentes: Et Stoicos, qui effuso iam partu Animam extrinsecus imprimi volebant. Hiero. ep. ad Marcellinum notat Apollinaristas, quòd senserint Animam nasci ex*
S. Aug. *alia, sicut corpus ex corpore. Et Aug. hæresi* 81. Luciferiani, cùm teneant in omnibus Catholicam veritatem, in hunc errorem stultissimum prolabuntur, vt animam dicant ex transfusione generari, eamdemque dicant & de carne, & carnis esse substantiam. *Per* statum *igitur Tertull. intelligit originem Animæ.* HI EXITVM. *hîc pungit Simonem Magum, & Carpocratem, eodem libro de Anima inferius, cum Platone transmigrationem Animarum adstruentes; vt Anima in exitu*, aliorsum, *id. in alia corpora demigrare. Aug. & Epiphanius Manichæos notant, quod Animas exeuntes humanis corporibus, ad Lunam & Solem commigrare finxissent.* PLATONIS HONOR. *id referri potest, vel ob honorem, quo dignatus est Animas, eas de Cœlo ortas dicens, vel ad honorem ipsi exhibitum, cùm ex Aug.*
S. Aug. *2. de Ciuit. c.* 14 Hunc Platonem Labeo inter semideos commemorandum putauit, &c. verumtamen istum, quem appellat semideum, non heroïbus tantum, sed etiam Diis ipsis præferendum esse non dubito. *Aristoteles Aram ei struxit, & defuncto Magi sicut Deo immolauerunt, teste Tullio.* ZENONIS VIGOR. *Hoc elogium Zenoni tribuit, vel ob acumen ingenij, qui ex Aug. 9. de Ciuit. c* 5. *cum*
Aug. *Chrysippo Stoica secta primas partes habuit. Et S. de Ciuit. c.* 7. *vbi de Stoicis* vehementer amauerunt A solertiam disputandi, quam Dialecticam nominant. *Vel vigor ipsi conceditur, quod iuxta Epiph. Animam plusquam immortalem fuisse asserat, vt partem Dei. Otho Zenones refert Laërtius, sed duos nobiliores. Epiphanius hæresi* 5. *adnotat, Citiensem, de quo hîc Tertul. Et Eleatam.* ARISTOTELIS TENOR. *id ei datur, ob æquabilitatem, in scribendo; vel ob methodum & ordinem, qua singula disposuit, & distribuit, de quibuscunque dixerat, maximè agens, vt loquitur Tertul.* de dispositione animæ. EPICVRI STVPOR. *Quid enim stupidius, quàm* B *Deo prouidentiam, Animæ immortalitatem negare, omnia tribuere voluptati? Bene Seneca, brutam dixit Philosophiam Epicuri. Et Lactan.* Democritus, inquit, hæreditatem stultitiæ reliquit Epicuro, &c quo sano & vigente nullus æger ineptius delirauit. HERACLITI MOEROR. *Continuas eius lacrymas quis ignorat? Miseriam humanam continuò lamentabatur. Mœrorem appingit huic protitulo; & sicut tota eius Anima in aquam solui videbatur, quæ naturæ mobilis est & inconstantis, sic sibi ipse non constabat de substantia Animæ dis-*
putans, nunc eam ex igne, nunc ex aëre constare di-
C *cens.* FVROR EMPEDOCLIS. *Tam quòd Animam egressam in bestiam transfundi demens putauit, quàm quòd amens, vt haberetur Deus, se in Æthnam dederit præcipitem. Huic illudit Tertul. de Pallio c.* 4. alius & sericatus, & crepidam aratus incessit, &c. qui se cœlitem delirârat. *Vnam ex crepidis flammeo vortice reiectam notant historici. Taciamus orat. contra Græcos.* Empedoclis arrogantiam Æthnæ crateres coarguerunt; quod cum homo esset, Deum se ab hominibus credi falsò moliretur. *Crater non solum significat vas capacius, quo vtebantur in libationibus, & solemnioribus epulis. Vt Virg.*
D *Æn.* 9. Sed magnum metuens se post cratera tegebat. *Vt & Crater Philotesius amicis porrigebatur: Sed & signat receptaculum fontis. Et in huius vasis fermam, foramen quo Æthna ignem exomit, Crater dicitur. Fortè in Æthnam insiliit conuertendus in ignem, quem Stoici teste Aug. 8. de Ciuit. cap. 5. Deum credebant: vel cum ex aliis, ipse Empedocles animam vellet esse naturæ igneæ, credidit, post exitum, transire in animal, vel plantam similis naturæ, & proinde vel in leonem igneum, vel laurum pariter igneam commigrare.*

3. *De Anima tractat Medicina, Philosophiæ soror. De Ani. cap. 2. circa fin.*

SEd & Medicinam inspexi, sororem (vt aiunt) Philosophiæ, sibi quoque hoc negotium vindicantem, vt ad quam magis animæ ratio pertinere videatur, per corporis curam. vnde & plurimum sorori refragatur, quòd animam quasi coram in domicilio suo tractando magis norit. Sed viderit vtriusque præstantię ambitio. Habuit & Philosophia libertatem ingenij, & Medicina necessitatem artificij, ad extendendos de anima retractatus. latè quæruntur incerta, latiùs disputantur. præsumpta. quanta difficultas probandi, tanta operositas suadendi; vt meritò Heraclitus ille tenebrosus vastiores caliginés animaduertens apud examinatores animæ tædio quæstionum pronuntiarit, terminos animæ nequaquam inuenisse omnem viam ingrediendo.

ANIMA. III. SCHOL.

MEDICINAM INSPEXI SOROREM. *Loquitur iuxta sensum Platonis, Aristotelis, & Galeni, dicentium Philosophiam & Medicinam esse sorores, quod cognatas hominis partes substantiales curent, Animam Philosophia, corpus Medicina. Philo quoque Larissæus similem dixit Philosophum Medico. Et Isid. lib.* 4. *c.* 13. Medicina, inquit, secunda Philosophia dicitur, vtraque enim Disciplina, totum sibi hominem vendicat: Nam sicut per illam anima, ita per hanc corpus curatur. *Demo-*
A *critus in ep. ad Hippocratem.* Sapientiæ cognitionem, Medicinæ sororem & familiarem esse duco. Sapientia siquidem animi perturbationes exhaurit, at Medicina corporum morbos pellit. *Et Hippocrates ipse lib. de habitu decenti:* traducere oportet sapientiam ad Medicinam, & Medicinam ad sapientiam; nam Medicus Philosophus Deo par est. *Quia animam & corpus conseruat. Solus Christus, Deus, & sapiens, & Medicus, de quo psalles,* qui sanat omnes infirmitates tuas. *Aug. in psal.* 102. Sa-

Aug. nabuntur omnes languores tui, noli timere: magni sunt, inquies, sed maior est Medicus. Omnipotenti Medico nullus languor insanabilis occurrit; tantùm tu curari te sine; manus eius ne repellas, nouit quid agat. Non tantùm delecteris, cùm fouet, sed etiam toleres cùm secat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. *Et lib 8. de Gen. ad lit. cap. 12. perpetuum huius Medici sapientissimi, ob languorem continuum, requirit influxum.* Aug. Neque tale aliquid est homo factus, vt deserente eo qui fecit, possit aliquid agere benè, tanquam ex seipso: sed tota eius actio bona est, conuerti ad eum, à quo factus est; & ab eo iustus, B pius, sapiens, beatúsque semper fieri: non fieri, & recedere: sicut à corporis medico sanari, & abire: quia medicus, corporis operarius fuit extrinsecus, seruiens naturæ intrinsecus operanti sub Deo, qui operatur omnem salutem gemino illo opere prouidentiæ, de quo supra locuti sumus. *Medicus quamtumuis Philosophus, vix nouit, & curat corporis morbos, quanto minus animæ? Et tamen pro Deo censetur. Vnus Christus verè Deus omnem hominem sanat.* ANIMÆ RATIO, &c. *Scitè dixit per corporis curam, medicum magis animam curare, & ius habere de ea tractandi. Nam & Democritus supra citato loco, sic prosequitur.* Mens interescit cum adest sanitas, cuius C curam habere eos qui rectè sentiunt, præclarum est. Vbi verò corporis habitus dolet, mens ad virtutis exercitationem nullam adhibet diligentiam. Præsens enim morbus animum vehementer hebetat, & intelligentiam in affectus cognationem, secum adducit, *Longè alio sensu Paulus*: Cum infirmor *corpore scilicet*, Tunc potens sum: *Spiritu scilicet. Aug. ser. de Verbis Euangelij c. 19. ex Psal. 67.* Aug. Infirmata est, tu vero perfecisti eam; non firmaA retur, si non infirmaretur, vt abs te in te perficeretur. *Et tract. 7. in Io.* Bonum est, vt de salute corporis non satagas, nisi vt à Deo illam petas. Si scit tibi prodesse, dabit illam tibi: si non tibi dederit, non tibi proderit habere illam. Quàm multi ægrotant in lecto innocentes, & si sani fuerint, procedunt ad scelera committenda. Quam multis obest sanitas, &c. REFRAGATVR. *Dissentiunt siquidem sæpè Medici à Philosophis, circa naturam animæ. Et ipse Galenus aduersatur Philosophis, dum animam dixit,* Temperamentum in proportione essentiæ aëreæ & igneæ. CORAM IN DOMICILIO. *Id palam in aperto, tractando corpus, &c.* PRÆSTANTIÆ AMBITIO. *Virimque enim certant Medici & Philosophi quæ disciplina præstet, quis verius tractet de anima.* LIBERTATEM, &c. *Philosophus ingenij libertate, & animi gratia multa quærit & disputat de Anima; Medicus artis necessitate & corporis medendi cura, multa inuestigat.* INCERTA *Philosophus*, PRÆSVMPTA, *ob multam experientiam medicus disputat.* HERACLITVS TENEBROSVS. *Clem. Alex. 5. Strom.* Liber, inquit, Heracliti de natura, &c. qui etiam propterea appellatus est Scotinus, id. obscurus ac tenebricosus. *Et Hiero. 1. cont. Iouin.* Heraclitum quoque cognomento Scotinum sudantes Philosophi vix intelligunt. *Qui adeo obscuritatem ex Latino de industria affectauit,* Vt, inquit, soli eruditi intelligerent; ne si à vulgo passim legeretur, contemptibilis esset. TERMINOS ANIMÆ, &c. *Sic de eo Laërtius lib. 9.* Numquam naturam Animæ reperiri posse, quantalibet quis vix conficiat spatia. *Et Lact. de Opif. c. 17.* Quid est anima non potest exprimi, sicut nec ipsa videri. S. Aug.

4. *Animæ vnde procedant, variæ Philosophorum & Hæreticorum, sententiæ. De Ani. cap. 23. per totum.*

QVidam de cœlis deuenisse se credunt, tanta persuasione, quanta & illuc indubitatè regressuros repromittunt; vt Saturninus Menandri Simoniani discipulus induxit, hominem affirmans ab angelis factum, primóque opus futile, & inualidum, & instabile, in terra vermis instar palpitasse, quod consistendi vires deessent. Dehinc ex misericordia summæ potestatis, ad cuius effigiem, nec tamen plenè perspectam, temerè structus fuisset, scintillulam vitæ consecutum, quæ illud exsuscitarit, & erexerit, & constantius animarit, & post decessum vitæ ad matricem relatura sit. Sed & Carpocrates tantundem sibi de superioribus vindicat, vt discipuli eius animas suas iam & Christo, nedum Apostolis, & peræquent, & cùm volunt, præferant; quas perinde de sublimi virtute conceperint, despectrice mundi potentium principatuum. Apelles sollicitatas refert animas terrenis escis, de super cœlestibus sedibus, ab igneo angelo, Deo Israël, & nostro, qui exinde illis peccatricem circunfinxerit carnem. Examen Valentini, semen Sophiæ insulcit animæ, per quod historias, atque Mileſias Æonum suorum ex imaginibus visibilium recognoscunt. Doleo bona fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum. Illius est enim & in Phædone, quòd animæ hinc euntes sint illuc, & inde huc. Item in Timæo, quòd genimina Dei, delegata sibi mortalium genitura, accepto initio animæ immortali, mortale ei circumgelauerint corpus. Tum quòd mundus hic imago sit alterius alicuius. Quæ omnia vt fidei commendet, & animam retro in superioribus cum Deo egisse in commercio Idearum, & inde huc transuenire, & hic quæ retro norit de exemplarib. recensere, nouum elaborauit argumentum, μαθήσεις ἀναμνήσεις, id est, discentias, reminiscentias esse. Venientes enim inde huc animas obliuiscì eorum in quibus prius fuerint, dehinc ex his visibilibus edoctas recordari. Cùm igitur huiusmodi argumento illa insinuentur à Platone, quæ hæretici mutuantur, satis hæreticos repercutiam, si argumentum Platonis elidam.

ANIMA. IV. SCHOL.

QVIDAM EX CŒLIS. *Hæretici Patriarchis Philosophis nati, Animas suas de cœlo fluxisse,* D *deóque contendunt. Seneca cap. 6. ad Heluid.* Animus, inquit, si primam eius originem inspexeris,

Digitized by Google

non ex terreno grauique concretus corpore, ex illo cœlesti spiritu descendit. *Origines 1. Periarch. c. 3. & lib. 2. c. 8. tenuit omnes Animas fuisse à Deo conditas cum Angelis in cœlo, vbi cum peccassent, in pœnam deiectæ sunt in corpora. Nyssenus lib. 2. de Philosoph. c. 6. putauit omnes simul animas creatas, cùm Deus creauit animam primi hominis; deinde mitti singillatim in organizata corpora. Alij censuerũt animas quidẽ simul factas, sed nec in corpus quasi in carcerem ob peccata cõpingi, neque à Deo infundi, sed sponte sua illabi in corpora eorum desiderio. Hilarius autem in Psal. 129. Solam animam primi hominis ante corpus factam: eo quòd Gen. 1. dicitur Deum fecisse hominem ad imaginem suam. Deinde Gen. 4. formasse hominem ex limo terræ. Manichæi ex Aug. sæpè, animam partem substantiæ Dei excisam ex ipso. Aly ex Tertul. de Testim. Animæ, è terra sumptam. Alij ex collisione ferri & silicis, sic ex cœitu maris & fœminæ animam scintillare. Luciferiani, simul cum semine traduci à parentibus. Tertull. Apollinaris, Lactantius, multique Latini, teste Hiero. in ep. ad Marcellinum, animam filij fieri ab anima Patris, vt caro à carne. Auicenna Seleuciani & Herminiani iuxta Philastrium in Catal. Heret. fieri ab Angelis. Hieronym. & deinceps Ecclesia à solo Deo ex nihilo. Aliqui veteres à Deo quidem, sed extra corpus factam animam, deinde infusam corpori à Deo censuerunt; Augustinus Epistola 28. ad Hieronymum, magna humilitate eum interrogat inter varias sententias, quam veram sentiat de origine animarum.* Doce, inquit, quæso, quod doceam, doce quod teneam, & dic mihi, si animæ singillatim in singulis hodiéque nascentibus fiunt, &c. Obsecro te, quomodo hæc opinio defenditur, qua creduntur animæ non ex illa vna primi hominis fieri omnes, sed sicut illa vna vni, ita singulis singulæ? &c. Verùm iis, qui hæc ideo dicunt, ne credatur modo Deus, sicut illam vnam, *Adami sci'* nouas animas, quæ non erant, facere, sed ex illa vna, quæ iam erat, eas creare, vel ex fonte aliquo, siue thesauro quodam, quem tunc fecit, eas mittere; facilè respondetur, etiam illis sex diebus multa Deum creasse ex iis naturis, quas iam creauerat, sicut ex aquis alites, & pisces; ex terra autem arbores, fœnum, animalia, &c. Benè intelligitur ab iis creatis requieuisse, quæ non erant, & creata, sunt: id est cessasse, ne vltra quæ nonerãt, crearentur. Sed nunc quod dicitur, animas non in nescio quo fonte iam existentes mittere, nec de seipso tanquam suas particulas irrorare, nec de illa vna originaliter trahere, nec pro delictis ante carnem commissis, carneis vinculis compedire, sed nouas creare, singulas singulis, suam cuique nascenti, non aliquid facere dicitur, quod ante non fecerat: Iam enim sexto die fecerat hominem ad imaginem suam. Quod vtique secundùm animã rationalem fecisse intelligitur. Tandem post longam meditationem, Ecclesiasticam confirmasti sententiam. Hoc & nunc facit, non, instituendo quod non erat, sed multiplicando quod erat. Vnde & illud verum est, quod à rebus, quæ non erant, instituendis requieuit; & hoc verum est, quòd non solùm gubernando quæ fecit, verùm etiam aliquid, non quod nondum, sed quod iam creauerat, numerosius creando, vsque nunc operatur, &c. *Circa finem autem Epistolæ*, In alia superiore vita peccare animas, & inde præcipitari in carceres carneos, non credo, non acquiesco, non consentio. Primò quoniam nescio per quos fieri circumitus id aiunt isti, vt post nescio quanta volumina sæculorum, iterum ad istam sarcinam corruptibilis carnis, & supplicia pendenda redeundum sit. Qua opinione quid horribilius cogitari possit ignoro. Deinde quis tandem iustus de[illegible]tus est, de quo non, si isti vera dicant, soliciti esse debeamus, ne in sinu Abrahæ peccans, in flammas illius diuitis deiiciatur? Cur enim non & post hoc corpus peccari possit, si & ante potuit? *Iam retuleras diuersas de origine animæ sententias libro 3. de lib. arb. c. 21.* Harum quatuor de anima sententiarum, vtrum Aug. de propagine veniant, an in singulis quibusque nascentibus nouæ fiant, an in corpora nascentium, iam alicubi existentes, vel mittantur diuinitus, vel inde sua sponte labantur, nullam temere affirmare oportebit. *Nunc Theologi non ex corpore, nec extra corpus, sed ex nihilo in corpore creari pronuntiant.* Regressvros. *Quasi ad originem. Sic Naz. meliorisque vitæ*: Anima est flatus Dei, *qua scilicet insufflante Deo, & emittente Spiritum creata est*, Et meliorem cœlestium sortem semper appetit; est & riuus à fonte decurrens, vt ignis ardens, qui viam vnam nouit, vt sursum feratur. Satvrninvs. *De eodem tractat lib. de præscriptionibus cap. 46.* Ad matricem *id. originem. Sic Plato in Timæo.* Coagmentata mox vniuersæ rei machina, delegit animas stellarum numero pares, singulasque singulis comparauit; easque vehiculis competentibus super impositas, vniuersæ rei naturam spectare iussit, &c. & victricibus quidem ad comparis stellæ contubernium sedemque reditum petere, acturis deinceps vitam veram, & beatam. *Nec mirũ videri debet, si Augustinus de origine Animæ fluctuans hæserit, nec certam de ea sit ausus proferre sententiam; cùm ante eum Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus & Hieronymi Magister, in Carm. de Anima, tantam fateatur eius indagandæ difficultatem vt ad eam soluendam, impares humanas vires asserat, & rem totam Deo, qui ipsas creauit animas committendam tradat. Quin etiam Hieronymo & Augustino posterior Gregorius Magnus cùm exertè dixisset Animam Adæ in peccato mortuam libro 6. Epistolarum, indictione 15. ep. 31.* Si, inquit, Adæ qui primus peccauit, anima in peccato mortua non est, quomodo de ligno vetito ei dictum est; in quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini? Et certè comedit Adam & Eua de ligno vetito, & tamen in carne sua vltra nongentos annos postmodum vixerunt. Constat itaque, quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus non est, quod dici nefas est, falsam sententiam de illo protulit Deus, qui dixit, qua die comederet moreretur. Sed absit hic error, absit à vera fide. Nos enim primum hominem, qua die peccauit, animâ mortuum dicimus, atque per hunc omne genus humanum in hac mortis & corruptionis pœna damnatum, &c. Adæ animam mortuam in peccato dicimus, non à substantia viuendi, sed à qualitate viuendi. Quia enim aliud est substantia, atque aliud qualitas; non est eius anima ita mortua, vt non esset; sed ita mortua, vt beata non esset. *Cùm, inquam, absque dubio omnes animas in Adamo humani generis principe peccante; peccatum originale contraxisse fateatur, de ipsarum animarum origine, & antiquiorum se Patrum, & suam ingenuè refert perplexitatem, lib. 7. Epistolarum indictione 2. Epist. 54. ad Secundinum.* Hac de re, inquit, dulcissima mihi tua charitas sciat, quia de origine Animæ inter Sanctos Patres requisitio non parua versata est: sed vtrum ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit; eamque in hac vita insolubilem fatli sunt esse quæstionem. Grauis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi: quia si de Adam substantia, anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si verò cum carne

S. Augst.

Digitized by Google

non naſcitur, cur in ea carne, quæ de Adam prolata eſt, obligata peccatis tenetur? Sed cùm hoc ſit incertum, illud incertum non eſt: quia niſi ſacri baptiſmatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis eſt obſtricta. Hinc enim ſcriptum eſt: Non eſt mundus in conſpectu eius, nec vnius diei infans ſuper terram. Hinc Dauid ait; In iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea. Hinc ipſa Veritas dicit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Hinc Paulus Apoſtolus ait; ſicut in Adam omnes moriuntur, &c. Cur ergo infans qui nihil egit in conſpectu omnipotentis Dei non valet eſſe mundus? Cur Pſalmiſta ex legitimo coniugio prolatus, in iniquitate conceptus eſt? Cur, niſi qui mundatus aqua baptiſmatis fuerit, mundus non eſt? Cur in Adam omnis homo moritur, ſi originalis peccati vinculis non tenetur? Sed quia genus humanum in parente primo, velut in radice putruit, & ariditatem traxit in ramis: & inde omnis homo cum peccato naſcitur, vnde primus homo permanere noluit ſine peccato. *Vide plura in alphab. errorum. v. animæ origo, num.* 7. CARPOCRATES TANTVMDEM, *&c. de eodem agit lib. de præſcr. cap.* 35. *&* 48. *his & ſibi ſuperiores cœli fornices, iuxta Platonem vindicabat. Vide Epiph. hæreſi* 27. ad magnum, inquit, faſtum progreſſi, ſeipſos Ieſu præferendos putant: alij non quidem Ieſu, ſed Petro, & Andreæ & Paulo, & aliis Apoſtolis ſe præſtantiores eſſe ob excellentiam cognitionis, & propter ampliorem peractionem diuerſorum tranſituum, PERÆQVENT. *Epiph. ibidem.* Alij verò ex ipſis dicunt ſe nihil differre à Chriſto Ieſu Domino noſtro. Animæ enim eadem circumferentia ſunt, & ſimiliter velut Anima Ieſu, omnia contempſerunt. DESPECTRICE, *&c. quia ſingebant ſe concepiſſe, ſeu recepiſſe Animas à ſumma virtute Dei, omnium inferiorum poteſtatum*, id. Angelorum, *contemptrice. Inde Epiphan. ibid.* Si vero quis rurſus poſſit ſupra Ieſum contemnere, excellentior ipſo erit. *Per Principatus mundi intelligit Angelos mundi factores Carpocratiſtarum errore.* AB IGNEO ANGELO, *Angelum vocat Deum Iſraelis & noſtrum, in odium Martionis & Apellis, contemnentium Angelum pro Deo apparentem in rubo, & legem in igne dantem.* EXAMEN VALENTINI, *&c. Alludit ad numeroſos Æonas, de quibus ſuprà contra Valent. vel per examen intelligit cæteram Valentinianorum, qui fingebant Sophiam ſemen quoddam ſpirituale infudiſſe animæ hominis.* INFVLCIT, *id. infundit, fortè & generoſum ſemen ad fulcimentum errorum.* MILESIAS, *id. hiſtorias millenas, & innumeras nugas. Propriè ſunt fabulæ magnifica ex Iulio Capitolino. Mileſiæ videntur dictæ ob gloriam vanam conceptam à Mileſio, de oraculo Apollinis, de quo multas fabulas texuerunt. Vide Strab. lib.* 14. *Geogr. fuit & Roſa Mileſia apud Plin. lib.* 21. *c.* 4. *ardentiſſimi coloris, duodecim foliorum in coronis texendis præcipua.* CONDIMENTARIVM, *quaſi hæretici ſale doctrinæ Platonicæ ſuas hæreſes condierint.* HINNIENTES, *&c. verba ſunt ex Platone ſumpta.* GENIMINA DEI, *Angelos intelligit quos Plato vocat filios & Nepotes Dei, quibus formandi hominis curam dedit ſummus Deus.* CIRCVMGILAVERINT, &c. *Id coagulauerint, compegerint Angeli corpus, & animæ immortali aptauerint. Hæc pene ad verbum ex Platone in Timæo deſumpſit.* Iuxta mandatam informationem, immortali ſumpto initio, A mortalis animantis, ex mundi materiis, igni, terraque & aqua, cum ſpiritu fœnus elementarium mutuati; quod redderetur cum opus foret, *In morte ſcilicet* ea quæ acceperant, conglutinabant, &c. apparatæ materiæ circuitus, immortalis animæ circumligabant irriguo fluidóque corpori. IMAGO SIT ALTERIVS. *Sic Plato ibid. mundum intelligibilem ponit, cuius hic mundus ſit imago, ſicut ſupra Tertul. dixit Valentinianos ex imaginibus rerum viſibilium hiſtorias Æonum ſuorum recognoſcere, his verbis Plato:* Mundus hic, nondum cuncta continebat animalia, perinde vt intelligilis: ad cuius æmulationem fiebat; *id eſt imitationem.* VT FIDEI COMMENDET. *Id. vt perſuadeat, eſſe mundum intelligibilem*, ET ANIMAM RETRO, *Id eſt priuſquam includeretur corpore, apud Deum fuiſſe, & Ideas in eo vidiſſe rerum iſtarum. Auguſtinus lib.* 7. *de Geneſi ad litteram cap.* 23. An fortè, inquit, in illius diei natura, quem primitùs condidit, ſi ſpiritus, intellectualis dies ille rectè accipitur, hanc faciendæ animæ cauſalem rationem Deus inſeruit, cùm ſexto die fecit hominem ad imaginem ſuam: cauſam ſcilicet rationemque præfigens, ſecundùm quam eum poſt illos ſeptem dies faceret, vt videlicet corporis eius cauſalem rationem in natura terræ, animæ autem in natura illius diei creaſſe credatur? Sed quid aliud dicitur, cùm hoc dicitur, niſi Angelicum ſpiritum quaſi parentem eſſe animæ humanæ, ſi ſic in illo eſt animæ humanæ creandæ præcondita ratio, ſicut in homine, futuræ prolis ſuæ? vt corporum quidem humanorum parentes homines, animarum autem Angeli; Creator verò & animarum & corporum, Deus: ſed corporum ex hominibus, animarum ex Angelis: aut prioris corporis ex terra, & prioris animæ ex angelica natura, vbi rationes eorum cauſales præfixerat, quando primitus fecit hominem, in iis quæ ſimul omnia creauit: deinceps verò iam homines ex hominibus, corpus ex corpore, animam ex anima? Durum eſt hoc, Angeli, aut Angelorum filiam dicere eſſe animam, ſed multo durius, cœli corporei: quanto magis ergo maris & terræ? multo minus igitur in aliqua corporali creatura, cauſalis animæ ratio præcondita eſt, cùm fateret Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, antequam eum ſuo tempore de limo formatum flatu animaret, ſi abſurdè creditur animam cauſaliter in natura Angelica condidiſſe. *Multa proſequitur in hac rem inquirens & dubius, quò remitto lectorem, ne prolixitate animum eius obruam.* NOVVM ARGVMENTVM, *&c. quo aſſerit diſcentias, reminiſcentias eſſe. Philoponus lib.* 1. *de Anima ſic exponit:* Anima ratione prædita habet rationes rerum ſuæ ſubſtantiæ impreſſas, & quaſi conſubſtantiatas; ſed dum Anima corpori inſeritur, notiones iſtæ ſub materia oppreſſæ, ſicut ſcintillæ obrutæ cinere celantur, ſed ſicut effoſſo parum cinere, ſcintilla ſtatim emicat, quam non facit effodiens, ſed tantum remouet prohibens: Sic & opinio à ſenſu excitata, eorum quæ ſunt, rationes proponit. Sic & præceptores, vt Platonici dicunt, non nobis cognitionem ingerunt, ſed in nobis abſconditam exſuſcitant & demonſtrant. *Cebes in ſua tabula fingit iuxta portam, qua turba Animarum mundum tunc inferiorem ingreditur, ſtilo vultu, ſolio ſedentem impoſturam, quæ omnes homines ſeducit, & eis poculum erroris & ignorantiæ propinat, quâ potâ plus minuſve ignorantes veniunt in vitam.*

S. Aug.

5. Animam Hermogenes de materia eductam mentitus est. De Ani. cap. 1. in p.

DE solo censu animæ congressus Hermogeni, quatenus & istum ex materiæ potius suggestu, quàm ex Dei flatu constitisse præsumpsit; nunc ad reliquas conuersus quæstiones, plurimùm videbor cum Philosophis dimicaturus.

ANIMA. V. SCHOL.

CENSV ANIMÆ. *Id. origine, & vnde ortum censeatur. Aug. to. 3. lib. 7. de Gen. ad lit. negat de materia creatam animam, sed de nihilo dicit à Deo productam:* De anim aquam Deus insprauit homini, sufflando in eius faciem, nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, vt non sit substantia Dei, & sic incorporea, vt non sit corpus, sed spiritus, non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus à Deo. Nec ita factus, vt in eius naturam, natura vlla corporis, vel irrationalis animæ verteretur, ac per hoc de nihilo. CONGRESSVS HERMOGENI. *Subaudi,* sum; *Iam disputaui cum Hermogene; vel congressus. Id. disputatio particularis, iam nobis fuit cum eo, quo indicat prater hunc de anima librum, alium contra Hermogenem specialiter scripsisse de censu, id est de origine Animæ. Id cap. 3. de anima indicat dicens:* Vna iam congressione decisa aduersus Hermogenem, vt præfati sumus, qui animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus. *Et rursum cap. 11.* SVGGESTV. *Tertul. suggestum modo sumit pro edito & eminenti loco, quasi de specula, sicut, ait, animam exeuntem de corpore ex* Maiore suggestu enuntiare quæ videt. *Modò pro ornatu & apparatu. Hic autem opponit* suggestum, flatui; *Quod Hermogenes materiam fingens coæternam Deo, mundum condiderit suggerente & subministrante res omnes materia, proindeque & ipsam hominis animam.*

Augustin.

6. Et de Ani. cap. 11. à p.

CÆterùm aduersus Hermogenem, qui eam ex materia, non ex Dei flatu contendit, flatum propriè tuemur. Ille enim, aduersus ipsius scripturæ fidem, flatum in spiritum vertit: vt dum incredibile est, spiritum Dei in delictum, & mox in iudicium deuenire, ex materia potius anima credatur, quàm ex Dei spiritu.

ANIMA. VI. SCHOL.

FLATVM IN SPIRITVM. *Notat Hermogenem scripturæ corruptorem, qui spiritum pro flatu legat. Flatu enim factus est homo in animam viuentem. Et scriptura satis declarat differentiam animæ & spiritus. Gen. 2. vbi est sermo de anima* ψυχὴ, *legitur, & non* πνεῦμα, *vt scripsit Hermogenes. In Hebræo autem flatus potius & spiraculum, quàm spiritus intelligendus est. Aug. 13. de Ciuit. c. 24. cum dixisset ex Ioannis 20. Christum insufflasse dando Spiritum sanctum Apostolis;* Semper, inquit, iste Spiritus in Scripturis sanctis Græco vocabulo πνεῦμα, dicitur, sicut eum & hoc loco Dominus appellauit, quando eum corporali sui oris flatu significans, discipulis suis dedit: & locis omnibus diuinorum eloquiorum non mihi aliter vnquam nuncupatus occurrit. Hic vero vbi legitur, &c. Insufflauit siue inspirauit in faciem eius spiritum vitæ: non ait Græcus πνεῦμα, quod solet dici Spiritus Sanctus; sed ψυχὴ, quod nomen in creatura, quàm in creatore frequentius legitur: Vnde nonnulli etiam Latini, *Vt Tertul.* propter differentiam hoc vocabulum non spiritum, sed flatum appellare maluerunt. VT DVM INCREDIBILE, &c. *Id. non quod Hermogenes, Philastrius, & similes, Genesim non admittant, sed quò facilius, credibile suadeant, animam de materia, quam spiritum Dei, id est de Deo productum, in peccatum, & per hoc in iudicium labi. Supponunt igitur, ante insufflatum Spiritum Dei, spiritum inquam gratiæ inspiratum, iam animatum puluerem & limum humanâ animâ de materiâ productâ. Vnde nec homo sine ea appellatus esset, vt notat Augustinus loco præcitato, sic obiiciens pro ipsis, eosque refellens:* Sed enim Dei flatus, inquiunt, Dei ore exisse intelligitur; quem si animam crediderimus, consequens erit, vt eiusdem fateamur esse substantiæ, paremque illius Sapientiæ quæ dicit: Ego ex ore altissimi prodiui. Non quidem dixit sapientia, ore Dei efflatam se fuisse; sed ex eius ore prodisse. Sicut autem nos possumus, non de nostra qua homines sumus, sed de isto aëre circumfuso, quem spirando ac respirando ducimus ac reducimus, flatum facere, cum sufflamus: ita omnipotens Deus non de sua natura, neque de subiacenti creatura, sed etiam de nihilo potuit facere flatum, quem corpori hominis inferendo inspirasse, vel insufflasse, conuenientissimè dictus est, incorporeus incorporeum; sed immutabilis mutabilem, quia non creatus creatum.

S. Aug.

Aug.

7. Anima ex Dei flatu nata & facta, contra Platonem. De Ani. cap. 3. in fin. & 4. in p.

VNa iam congressione decisa aduersus Hermogenem, vt præfati sumus: quia animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus; muniti & illic diuinæ determinationis inobscurabili regula, [a] *Et flauit,* inquit, *Deus flatum vitæ in faciem hominis, & factus est homo in animam viuam,* Vtique ex Dei flatu, de isto nihil amplius reuoluendum; habet suum titulum; & suum hæreticum. Cæteris hinc exordium inducam. Post definitionem census, quæstionem status patitur. Consequens enim est, vt ex Dei flatu animam professi, initium ei deputemus. Hoc Plato excludit, innatam & infectam animam volens: & natam autem docemus, & factam, ex initij constitutione. Nec statim erraumus, vtrumque dicentes; quia scilicet aliud sit natum, aliud factum, vtpote illud animalibus competens. Differen-

[a] Gen. 2. 7.

tia

tiæ autem, ſua habendo loca & tempora, habent aliquando & paſſiuitatis commercia. Capit itaque & facturam dici generari, pro in eſſe poni, ſiquidem omne quod quoquo modo accipit eſſe, generatur. Nam & factor ipſe, parens facti poteſt dici; ſic & Plato vtitur. Igitur quantum ad fidem noſtram, factæ natæve animæ, depulſa eſt philoſophi opinio, auctoritate prophetiæ quoque.

ANIMA. VII. SCHOL.

DETERMINATIONIS INOBSCVRABILI REGVLA. *Id. clara patenti, & quæ nidoribus Philoſophicis, vt paulò ſupra dixit, infuſcari non poteſt; adeo liquidè animam, Dei flatum, ſeu ex Dei afflatu productam teſtatur.* HABET SVVM TITVLVM, &c. *Iterum tangit librum ſuum inſcriptum de Cenſu Animæ, qui contra* ſuum hæreticum *Hermogenem ſcilicet, ſcriptus eſt.* DEFINITIONEM CENSVS. *Id. originis.* STATVS. *Id. quid ſit, & qualis ſit anima quærendum eſt.* INITIVM, &c. *Quia anima æterna non eſt, vt voluit Plato innatam & infectam, vt aſſerit in Phædro, licet contrarium dicat in Timæo; vt notat Beda lib. de mundi cœl. & terreſtr. conſtit.* Vtrumque Plato aſſerit illam eſſe, diuerſis tamen reſpectibus. Generatam enim vult illam intelligi in Timæo, vbi dicit, præſtantiſſima à præſtantiſſimo facta eſt, &c. Non generatam verò innuit, in Phædro cum dicit, anima nec nata, & ideo æterna. *Conciliat autem hanc contrarietatem. Ingeneratam quidem, quod omnia generata, compoſita ex partibus, excepto mundo, naturaliter diſſoluantur. Vnde cum anima ſit ſimplex, nec compoſita, nec diſſoluenda, ingenerata dicitur. Rurſum generatam dicit, quod iuxta multos præiacentem habuerit materiam, Hilen quod licet nuſquam Plato teſtetur, nuſquam tamen contradicit. Contra errorem aſſerentium animas ab æterno fuiſſe, legendus Aug.* 10. *de Ciuit. c.* 31. *vbi concludit:* Cur non potius diuinitati credimus de his rebus, quas humano ingenio perueſtigare non poſſumus, quæ animam quoque ipſam non Deo coæternam, ſed creatam dicit eſſe, quæ non erat? *Tum de anima futura in æternum beata, licet beatitudinem ab æterno non habuerit;* Si aliquid in illa, quod ex æterno non fuit, eſſe cœpit ex tempore; cur non fieri potuit, vt ipſa eſſet ex tempore, quæ antea non fuiſſet? deinde beatitudo quoque eius poſt experimentum malorum firmior, & ſine fine manſura, ſicut iſte confitetur, proculdubio cœpit ex tempore, & tamen ſemper erit. Illa igitur omnis argumentatio diſſoluta eſt, qua putatur nihil eſſe poſſe ſine fine temporis, niſi quod initium non habet temporis. Inuenta eſt enim animæ beatitudo, quæ cum initium temporis habuerit, finem temporis non habebit. PASSIVITATIS COMMERCIA. *Id. ius paſſim reciprocandi; vt differentia, pro diuerſis circunſtantiis, quaſi inter ſe non differentes, altera pro altera promiſcuè ſumantur. Et licet* natum *proprie animali conueniat, &* factum, *Omni rei vndecumque productæ, natum tamen pro facto, & factum pro nato ſumitur.* CAPIT ITAQVE, &c. *Id. Vt ſæpe ipſe vſurpat, patitur ſic dici, poteſt ſic efferri, nil prohibet ſic loqui.* SIC PLATO, &c. *Lib. de ente, ſiue contra Sophiſtas.* Quotic. quid antea non erat, in eſſentiam, ſeu in eſſe quis perducit, quod agit, facere; quod agitur, fieri dicemus. AVTHORITATE PROPHETIÆ. *Aug. lib.* 10. *de Ciuit. c.* 31. *iiſdem pene verbis concludit de anima creata.* Quapropter diuinæ authoritati, humana cedat infirmitas. *Per prophetiam, intelligis proculdubio Eſai* 57. *iuxta* 70. Spiritus à me egredietur: & flatum omnem ego feci. *Quem locum citat & Auguſtinus* 13. *de Ciuit. c.* 24. Hoc, inquit, eſt in Græco etiam illo loco apud Eſaiam, vbi Deus dicit: omnem flatum ego feci; omnem animam ſine dubitatione ſignificans.

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

8. *Animæ demonſtratio, & definitio, à Deo ſolo, Chriſtiano quærenda eſt. De Ani. cap.* 1. *in fin.*

INterea in iſto tenebroſiore carcere ſæculi, inter ſuos Cebetas, & ſuos Phædonas, ſi quid de anima examinandum eſt, ad Dei regulas dirigat. Certè nullum alium potiorem animæ demonſtratorem, quàm auctorem reperiet. à Deo diſcat, quod à Deo habeat; aut nec ab alio, ſi nec à Deo. Quis enim reuelabit quod Deus texit? inde ſciſcitandum eſt, vnde & ignorare tutiſſimum eſt. præſtat per Deum neſcire, quia non reuelauerit, quàm per hominem ſcire, quia ipſe præſumpſerit. S. Aug.

ANIMA. VIII. SCHOL.

TENEBROSIORE, &c. *Opponit horridiorem Martyrum carcerem, carceri Socratis, de quo initio eiuſdem capitis:* Etiam in carcere Socratis, de animæ ſtatu velitatum eſt. SÆCVLI. *Id. Poteſtatum & Tyrannorum ſæculi, vt patet ex præcedentibus:* Non vnius vrbis, ſed vniuerſi orbis iniquam ſententiam ſuſtinens pro nomine veritatis. INTER SVOS CEBETAS, &c. Suos, *Non ad Martyres, patibulo, vel igni addictos, referendum; ſed ad Socratem, cuius diſcipuli fuere Cebes & Phædon. Plato enim inſcripſit diſputationem Socratis de anima, titulo Phædonis; & inter eos, qui Socrati aderant de immortalitate animæ diſputanti, ſic ait,* Aderant peregrini Simmias, Thebanus & Cebes, & Phædondes. *Vel per carcerem tenebroſiorem ſæculi, intellige hanc vitam ſecularem & mundanam, in qua multi magis, ſecundum* ſuos Cebetas, &c. *Id. ſecundum Philoſophos, & rationis regulam, quàm Dei & fidei & ſcripturæ, benè de animæ immortalitate ſentiunt.* CERTE NVLLVM ALIVM, &c. *Ambroſius de animæ dignitate loquens in cap.* 12. *Luc.* Idoneus, inquit, ſui operis æſtimator, &c. *Et Euſeb. Gall. Homil.* 2. *de Symbolo,* Quàm pretioſus ſis, ſi factori fortè non credis, interroga redemptorem. QVIS REVELABIT, &c. *Chryſol. ſer.* 59. Quod ſcire licet, diſcutere non licet; credere conuenit, non conuenit perſcrutari. *Et ſer.* 141. *in med. ex Pſal.* 32. *omnia opera eius in fide.* Fide percipe, quia nec minima quidem opera Dei aſſequi poteris ſine fide, dicente ſcriptura, omnia opera eius in fide. Sed tu hîc totum vis de ratione conſtare, vbi totum conſiſtit in fide; quod tamen non ſine ratione ſubſiſtit, ſed ratione Dei, non tuâ homo. Quid tam rationabile, niſi vt Deus quidquid voluerit, poſſit? qui quod vult non poteſt, Deus non eſt. *Aug. libro* 3. *de lib. arbit. cap.* 21. *vbi tractabat de origine animæ.* Aut, inquit, nondum iſta quæſtio à diuinorum librorum Catholicis tractatoribus, pro merito ſuæ S. Aug.

traValent. c. 12. ſigillarium ſumit, proimagine: Sigillarium extrinſecus quoque inornarent. *Et ibid. c. 18.* A qua occultò, nihil ſentiens eius, & velut ſigillario extrinſecus ductu in omnem operationem mouebatur. *Imaginculas intelligit, quæ occulto artificio, & neruis, ac fidibus hinc inde mouentur, quaſi animatæ eſſent, oculos, labia, manus, pedes, totum corpus circumagendo. Ariſtoteles lib. de mundo cap. 6. Deum animam mundi, iuxta Platonem etiam & mentem, totam infuſam per artus molem hanc agitantem inducit, vt Microcoſmon, ſuum inquam corpus anima moueat.* Illud diuinitati maximè conſentaneum, B vt formas rerum omnium citra difficultatem ſimplicique motu abſoluat: non ſecus atque illi machinatores ſolent, qui inſtrumento vno demittendo, multos & varios effectus edunt: aut vt illi præſtigiatores faciunt, quos Neuroſpaſtas ob id appellant, quod imagunculas animatas eſſe, fidiculis ductitandis mentiuntur: qui cum funiculum ipſi, aut neruum adduxerunt, cieri ceruicem, & manum, quaſi animantis ſimulachri, humerumque identidem & oculum faciunt, interdum etiam omnia membra. Idque quadam cum venuſtate & æquabilitate motus. Hoc igitur modo natura diuina, ab vno eodemque ſimplici motu primo, vim ſuam immittit in ea quæ ſunt primò continentia, in eaque ſubinde quæ longius, atque longius abſunt, quod permeauerit per vniuerſa. *Nec inepte corporis humani ſuperficies horologio comparabitur, cuius latentia libramenta rotarumque reuolubiles motus, horas ſingulas in ſuperficie per circumlatam acum veluti ſigillatas indigitant*; Sigillario motu intus agitante, ſuperficiem.

2. *Anima eadem, per corpus corporalia, per ſpiritum ſpiritalia ſentit, & intelligit; cui ſentire, & intelligere idem eſt. De Ani. cap. 18. circa m.*

ET nunc ad differentiam ſenſualium & intellectualium, non aliud admittimus, quàm rerum diuerſitates: corporalium, & ſpiritualium; viſibilium, & inuiſibilium; publicatarum, & arcanarum; quòd illæ ſenſui, iſtæ intellectui adtribuantur; apud animam tamen, & iſtis, & illis, obſequio deputatis, quæ perinde per corpus, corporalia ſentiat; quemadmodum per animum, incorporalia intelligat; ſaluo eo, vt etiam ſentiat, dum intelligit: Non enim & ſentire, intelligere eſt; & intelligere, ſentire eſt? Aut quid erit ſenſus, niſi eius rei, quæ ſentitur, intellectus? quid erit intellectus, niſi eius rei quæ intelligitur, ſenſus? Vnde iſta tormenta cruciandæ ſimplicitatis, & ſuſpendendæ veritatis? Quis mihi exhibebit ſenſum, non intelligentem quod ſentit? aut intellectum non ſentientem quod intelligit? vt probet alterum ſine altero poſſe? Si corporalia quidem ſentiuntur, incorporalia verò intelliguntur; rerum genera diuerſa ſunt, non domicilia ſenſus, & intellectus; id eſt, non anima, & animus. Denique, à quo ſentiuntur corporalia? Si ab animo, ergo iam & ſenſualis eſt animus, non tantùm intellectualis. nam dum intelligit, ſentit; quia ſi non ſentit, nec intelligit. Si verò ab anima corporalia ſentiuntur, iam ergo intellectualis eſt vis animæ, non tantum ſenſualis. nam dum ſentit, intelligit: quia ſi non intelligit, nec ſentit. Proinde, à quo intelliguntur incorporalia? ſi ab animo, vbi erit anima? ſi ab anima, vbi erit animus? Quæ enim diſtant, abeſſe inuicem debent, cùm ſuis muneribus operantur. Putabis quidem abeſſe animum ab anima, ſi quando animo ita afficimur, vt neſciamus nos vidiſſe quid, vel audiſſe, quia alibi fuerit animus; adeò contendam, immò ipſam animam nec vidiſſe, nec audiſſe, quia alibi fuerit cum ſua vi, id eſt animo. Nam & quum dementit homo, dementit anima; non peregrinante, ſed compatiente tunc animo.

ANIMÆ VIS. II. SCHOL.

AD DIFFERENTIAM SENSVALIVM, &c. *Toto hoc capite probat ſenſum & intellectum idem eſſe, & animum ab anima eſſentialiter non differre; contra eos qui putabant, per animam percipi corporalia, per animum intellectualia, & diſputat contra aliquos, partes animæ diſtinguentes, qui, rationalem partem, vel omnino ſeparabant ab irrationali & ſenſitiua, vel animam rationalem tantùm aſſiſtentem corpori, non autem informantem aſſerebant. Itaque concludit Tertul. contra eos, qui omnino diſtinguebant ſpiritum, ſiue animum ab anima, dicenteſque res diuerſas cognoſci, per diuerſa omnino principia, Spiritales, per ſpiritalia; corporales per corporalia; & concludit,* D *ſenſus & intellectus domicilia non diſtingui. Non quòd domicilia, intelligat organa, ſeu potentias ſentiendi, & intelligendi; ſed fundamenta, radices & fontes iſtarum operationum. Notandum ergo, quoties ſenſum & intellectum, eundem eſſe dicit, eundem intelligere radicaliter, non formaliter, ſeu inſtrumentaliter. Eadem eſt enim radix & principium intelligendi, & ſentiendi, anima.* VNDE ISTA TORMENTA. *Ambr. lib. 1. de fide cap. 3.* vocat Tormenta quæſtionum. *Et Aug. lib. 1. cont.* C *Jul.* Neſcio quas anſas, atque vncos, arte neſcio cuius perplexitatis inſeritis, ne ſimplicia pateant, & clara luceant. *Quaſi diceret Tertul. quid tot nexibus diuiſionum inutilium, nudam & ſimplicem terquetis veritatem, quaſi idem non ſit animus intelligens, & anima ſentiens? aut ſentire poſſit & percipere anima, quod non intelligat? aut animus intelligere quod non ſentiat?* DVM INTELLIGIT, SENTIT. *Vnde & indicanti & æſtimanti dicimus, quid ſentis? & vt intra probet nec animam quidquam ſentire niſi aduertat quod ſentit, & ſe ſenſiſſe intelligat; dat exemplum hominis vehementer affecti & applicati meditationi,* D *vt oculo videns amicum, non videat, non ſentiat, quia ſe ſentire non intelligat & aduertat; animo ſcilicet, qui eſt vis animæ, alibi intento.* CVM DEMENTIT HOMO, *&c. id. cum alienatur à mente: qui diſtinguebant animum ab anima, dicebant peregrinari animum in demente remanente anima. Sic Lact. lib. 7. cap.* 12 Aliud, inquit, eſt quo viuimus, aliud quo cogitamus: nam dormientium mens, non anima ſopitur: & in furioſis mens extinguitur, anima manet: & ideo non exanimes, ſed amentes vocantur. S. Aug

5. Animæ inditum naturæ lumen, literas omnes, & scientias præcedit. De Testim. Ani. cap. 5. in. m.

QVi eiusmodi eruptiones animæ non putauit doctrinam esse naturæ congenitæ, & ingenitæ conscientiæ tacita commissa, dicet potius diuentilatis in vulgus opinionibus publicatarum literarum vsum iam & quasi vitium corroboratum taliter sermocinandi. Certè prior anima, quàm litera; & prior sermo, quàm liber; & prior sensus, quàm stilus; & prior homo ipse, quàm philosophus, & poëta. Nunquid ergo credendum est, ante literaturam, & diuulgationem eius, mutos ab huiusmodi pronuntiationibus homines vixisse? Nemo Deum, & bonitatem eius, nemo mortem, nemo inferos loquebatur: mendicabat sermo, opinor; immò nec vllus esse poterat, cessantibus etiam tunc, sine quibus etiam hodie beatior, & locupletior, & prudentior esse non potest: si ea quæ tam facilia, tam assidua, tam proxima hodie sunt, in ipsis quodammodo labiis parta, retro non fuerunt, antequam literæ in sæculo germinassent, antequam Mercurius (opinor) natus fuisset. Et vnde ordo ipsis literis contingit, nosse, & in vsum loquelæ disseminare, quæ nulla vnquam mens conceperat, aut lingua protulerat, aut auris exceperat?

ANIMÆ VIS. III. SCHOL.

ERVPTIONES ANIMÆ. *Egerat prius de inditis à Deo, naturæ, & animæ primis principiis, quibus* Ab aduersario circumuenta, sui meminit authoris; *Vt Deum naturaliter agnoscat, ad eumque statim recurrat in aduersis. Hos impetus vocat* TACITA COMMISSA. *Commissum, hîc intelligit naturæ creditum, seu mandatum & præceptum naturale. Sic Cicero lib. 6. Epist.* Rem magnam, difficilemque commisit. *Est igitur tacita naturæ lex.* DICET POTIVS, &c. *Id. qui negat hanc naturæ legem, dictas eruptiones animæ censebit imputandas præcedentibus literis, vsui & vitio loquendi corroboratis.* CERTE PRIOR, &c. *Id. libros omnes & literas præcessit anima ipsa literarum inuentrix, & lingua vsus præextitit libris, & prior est homo rationalis, quàm fiat Philosophus.* ANTEQVAM MERCVRIVS. *Aug. lib. 7. de Ciuit. c. 14.* Ideo Mercurius, quasi medius currens dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius, &c. *Budæus & Turnebus Logion vocant Mercurium, quasi Studiorum, literarum & eloquentiæ præsidem. Et Naz. in orat. 1. in Iul. in eum inuehitur, quod Christianis liberalium artium studia prohibuisset.* Quis Mercurius Logius, tibi hoc in mẽ-

S. Aug.

A tem induxit? *Cæterum vel non sibi constat Tertul. hîc primum inuenis literarum inuentorem Mercurium, cum Apol. c. 10. id adscribat Saturno; vel quod probabilius est iuxta Plinium, Higinum, aliosque referentes diuersis authoribus, diuersas literas, diuersimodè sensit in variis locis. Certè Diodorus, scribit Mercurium Ægyptium huius nominis quintum, literarum authorem fuisse. Alij cum Plinio primas Assyriis tribuunt literas, & ab his ad Phœnices in Ægyptum & Græciam, à Græcis ad Latinos derivatas. Iosephus in Antiq. Iud. scribit in duabus columnis scriptam fuisse rerum cœlestium disciplinam à filiis Seth: quarum lapideam asserit ad suum vsque tempus in Syria perstitisse. Eusebius autem in præp. Euang. multis argumentis probat tradita primùm esse ab Hebræis literarum elementa.* ET VNDE, &c. NISSE. *Sic construendum. Et nosse, id est vnde ipsa notitia venit, quomodo & vnde fluxit ordo literarum? vnde didicit homo iisdem literarum seminibus certo ordine sparsis, nomina & verba formanda, loquelamque concinnandam, si quomodo id agendum sit, nulla prius mens conceperit, lingua dictârit, auris audierit?*

B

* *4. Animæ innata sunt sapientiæ semina, substantialiter æqualia in omnibus; licet diuersa, pro diuersitate organi, loci, casus, informationis, &c. De An. cap. 20. per totum.*

ET hîc itaque concludimus, omnia naturalia animæ, vt substantiua eius, ipsi inesse, & cum ipsa procedere, atque proficere, ex quo ipsa censetur. Sicut & Seneca sæpè noster: Insita sunt nobis omnium artium & ætatum semina; magistérque ex occulto Deus producit ingenia. ex seminibus scilicet insitis, & occultis per infantiam, quæ sunt & intellectus. ex his enim producuntur ingenia. Porro, vt frugum seminibus vna generis cuiusque forma est, processus tamen varij; alia integro statu euadunt, alia etiam meliora respondent, alia degenerant, pro conditione cœli, & soli; pro ratione operis & curæ; pro temporum euentu, pro licentia casuum: ita & animam licebit, semine vniformem, fœtu multiformem. nam & hîc etiam de locis interest. Thebis hebetes & brutos nasci relatum est; Athenis sapiendi dicendique acutissimos; vbi penes Colytum, pueri mense citius eloquuntur, præcoce lingua. Siquidem & Plato in Timæo, Mineruam adfirmat, cùm vrbem illam moliretur, nihil aliud quàm regionis naturam prospexisse, talia ingenia pollicitam. Vnde & ipse in legibus, Megillo, & Cliniæ præcipit, condendæ ciuitati locum procurare. Sed Empedocles, causam argutæ indolis, & obtusæ, in sanguinis qualitate constituit; perfectum, ac profectum de doctrina disciplinaque deducit. Tamen vulgata iam res est gentilium proprietatum. Comici Phrygas timidos illudunt; Sallustius vanos Mauros, & feroces Dalmatas pulsat; [a] *Mendaces Cretas* etiam Apostolus inurit. Fortassean & de corpore, & de valetudine aliquid accedat. opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit, paralysis mentem prodigit, phtisis seruat. quanto magis de accidentibus habebuntur, quæ citra corpulentiam & valentiam, vel acuunt,

a Tit. 1. 12.

Digitized by G

vel obtundunt. acuunt doctrinæ, diſciplinæ, artes, & experientia, negotia, ſtudia. obtundunt inſcitiæ, ignauiæ, deſidiæ, libidines, inexperientiæ, otia, vitia. Super hæc, ſi & alia, quæ præſunt poteſtates. enim-verò præſunt, ſecundùm nos quidem Deus Dominus, & diabolus æmulus; ſecundùm communem autem opinionem prouidentiæ, fatum, & neceſſitas, & fortunæ, arbitrij libertas. nam hæc, & philoſophi diſtinguunt, & nos ſecundùm fidem differenda ſuo iam vouimus titulo. Apparet quanta ſint quæ vnam animæ naturam variè collocarint, vt vulgo naturæ deputentur, quando non ſpecies ſint, ſed ſortes naturæ & ſubſtantiæ vnius, illius ſcilicet quam Deus in Adam contulit, & matricem omnium fecit: atque adeò ſortes erunt, non ſpecies ſubſtantiæ vnius, id eſt varietas iſta moralis, quanta nunc eſt, tanta non fuerit in ipſo principe generis Adam. Debuerant enim fuiſſe hæc omnia in illo, vt in fonte naturæ: atque inde cum tota varietate manaſſe, ſi varietas naturæ fuiſſet.

ANIMÆ VIS. IV. SCHOL.

EX QVO IPSA CENSETVR. *Anima intellectus, ſenſus, cæteraque omnia principia ab eodem Deo indita, ex quo ipſa cenſetur, id. ex quo & à quo ipſa facta eſt, & ducit originem.* SENECA SÆPE NOSTER. *Quia in pleriſque cum Chriſtianis ſentit. Senecam Hieronymus inſerit Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, quòd legerentur à multis Epiſtolæ Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. Cui ſuffragatur Auguſtinus 6. de Ciuit. c. 10. eum contemporaneum Apoſtolis, fabuloſorúmque Deorum reprehenſorem refert fuiſſe, his verbis eum Varroni præferens.* Libertas ſanè quæ huic defuit, ne iſtam vrbanam Theologiam theatricæ ſimillimam, apertè ſicut illam reprehendere auderet, Annæo Senecæ, quem nonnullis indiciis inuenimus Apoſtolorũ noſtrorum claruiſſe temporibus, non quidem ex toto, verum ex aliqua parte non defuit. Affuit enim ſcribenti, viuenti defuit, &c. Cum enim de ſimulachris ageret, ſacros, inquit, immortales, inuiolabileſque Deos in materia viliſſima atque ignobili dedicant, habitus illis hominum, ferarumque & piſcium; quidam vero mixto ſexu diuerſis corporibus induunt. Numina vocant, quæ ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, monſtra haberentur, *Et eo. 2. ep. 54. ad Macedonium* merito ait Seneca, qui temporibus Apoſtolorum fuit, cuius etiam quædam ad Paulum Apoſtolum leguntur epiſtolæ; omnes odit qui malos odit: Et tamen ideo diligendi ſunt mali, vt non ſint mali: quemadmodum non vt permaneant, ſed vt ſanentur, à Medicis diliguntur ægroti. *Quin & Concilium Turon. 2. cap. 15. arguens Laicos adulteros, adulterium de aliis ſuſpicantes, citauit Senecam.* Hoc quod de ſe ſciunt, in aliis ſuſpicantur; ſicut, ait Seneca, potiſſimum in eo vitium eſſe, qui in id quod inſanit, cæteros putat furere. *Cæterum reſpexit author noſter ad locum Senecæ 4. de benef. c. 6. vbi cum Deo retuliſſet, eo Magiſtro doctos nos carmen inconditum calamo cantare*, tot artes, inquit, tot vocum varietates, tot ſonos, alios ſpiritu noſtro, alios externo, cantus edituros commentus eſt. Neque enim noſtra, iſta quæ inuenimus, dixeris; non magis quam quod creſcimus, quam quod ad conſtitutum temporis, ſua corpori officia reſpondent, &c. *Et concludit*, Inſita ſunt nobis omnium ætatum, omniumque artium ſemina, magiſterque ex occulto Dens producit ingenia. EX SEMINIBVS, *&c. Non hoc habet Seneca, quem in ſuum errorem de Anima ex traduce ſemine, traducere conatur, corporalia enim tantum ex ſemine deducit, non animas, 8. quæſt. 29.* in ſemine omnis futuri hominis ratio comprehenſa eſt, & legem barbæ & canorum, nondum natus infans habet; totius enim corporis *nota, corporis, non autem vt hic Tertull.* QVÆ SVNT ET INTELLECTVS. Et ſequentis ætatis in paruo occultoque lineamenta ſunt. SEMINÆ VNIFORMEM. *Id etiam pertinet ad errorem de Animæ ex traduce.* THEBIS HEBETES. *Thebas accipe Bœotiæ. Inde prouerbiũ*, Sus Bœotica. *Quod torqueretur in pingue ingenium. Sic Dionyſius Halicarnaſſeus* Athenienſes acuti, loquaces, prudentes; Iones molles, remiſſi: Bœotij ſtupidi *Inde Horat. lib. 2. epiſt. 1.* Bœotium in craſſo iurares aëre natum. *Per Synecdochem Tertul. ſumit Thebanos pro Bœotiis.* ATHENIS. *Plato Dial. 1. de leg. vocat Ciuitatem eloquentiæ, & multi ſermonis ſtudioſam.* PENES COLYTVM. *id. apud. Fuit patria Platonis eloquentiſſimi; iuxta Laertium in eius vita præcocem memorat, & præproperam puererũ vix vnius menſis linguam, quod non ſine aliqua exaggeratione dixiſſe credendus eſt. Philoſtratus lib. 2. in Alexandro Sophiſta; ſcribit Herodem donaſſe Alexandro inter alia duos pueros Colytenſes, ob loquacitatem feſtinam.* MINERVAM, *&c. Sic Plato in Timæo Athenienſibus loquitur.* Hac exornatione priorem veſtram vrbem ſepſit, honeſtauitque Numen illud quod condidit, electo ſalubri, ſubtiliumque ingeniorum, & prudentiæ feraci loco. Quippe bellicoſa & ſapiens Dea, regionem talem cenſuit eligendam, quæ eſſet ſui ſimiles homines editura. *Idem Plato ibidem notat*, mores pro cœli regionibus temperari. MEGILLO ET CLINIÆ. *Lib. 6. Dial. de legibus, Plato interlocutores ponit Cliniam Cretenſem, Megillum Lacedæmonium & Athenienſem hoſpitem: 4. autem de legibus, Cliniam & Megillum inducit, locum ſalubrem eligentes, non tam corporis valetudini, quàm virtutis contra vitia robori conſulentes.* SANGVINIS QVALITATE. *Empedocles ingenium cuiuſque coniectabat ex circumcordiali ſanguine, vt & meminit Tertul. ſupra cap. 15. ſic enim Empedocles:* Sanguine cordis enim noſter viget intellectus. PERFECTVM AC PROFECTVM, *&c. Indolem diſtinguit, ſeu naturam arguti ingenij, ab eius profectu, & perfectione. Primum à ſanguinis qualitate, poſtremum à doctrina & inſtitutione.* VVLGATA GENTILIVM, *&c. in prouerbium abiit, patriæ, & Gentis qualitas.* COMICI PHRYGAS. *Euripides in Oreſte.* Neminem Phrygem metuo. Quales poſſint eſſe Curatores ſpeculorum & vnguentorum. *Tales enim, & muliebria curantes, molles, effœminati, proindeque timidi. Hinc Phryges ſerui, iuxta Suidam ignauiores, quos timor verberum facit diligentiores. Hinc Æneid. 12.*

da ſternere corpus
Semiuiri Phrygis, & fœdare in puluere crines
Vibratos calido ferro myrrhaque madentes.

VANOS MAVROS. *Mauritania à Romanis ſubacta teſte Strabone & Herodiano, Numidia dicta. Saluſt. in bello Iugurt.* Vulgus, vti plerumque ſolet, & maximè Numidarum, ingenio mobili, ſeditioſum atque diſcordioſum erat, cupidum nouarum

rerum, quieti & otio aduerſum. *Et Ammianus Marcell.* dicit voraces militarium faſtus, & flabiles Gentes Mauricas. FEROCES DALMATAS. *Florus* vocat efferum genus & Syluicolum addictum latrociniis MENDACES CRETAS *ad Tit.* 1. *ex Epimenide hauſit Apoſtolus quem vocat,* Proprium ipſorum prophetam. *Quia referente in eundem locum D. Thoma*, propriè deſcripſit eorum conditiones. *Et ſubdit Cretenſes corruptos fuiſſe in potentia rationali per mendacium, oppoſitum veritati, bono intellectus in irascibili, quia male & crudeles beſtiæ; in concupiſcibili, quia ventres pigri. Poëta porrò Gentilibus Vaticinantes, & Prophetæ habiti.* INVRIT. *Quaſi ſeruos, proprio ſtigmate, mendacium enim eſt ſeruile.* FORTASSE AN. *Vox authoris ſignificans forſitan.* OPIMITAS. *id. pinguedo impedit animi libertatem. Sic de obeſis Chryſoſt.* Arbitror eos ſuibus minorem habere animum. PARALYSIS, *eſt ſenſus & motus priuatio, quæ dum caput afficit, dementat animam, quod Tertul. affert*, verbo prodigit, *id eſt diſſoluit.* PHTHISIS SARVAT. *Cum enim hic morbus caput exoneret & oculos, in pulmonem & thoracem influens iuxta Galenum & Hippocr. mentē ſeruat à ſuperfluis humoribus liberiorem.* QVANTO MAGIS, *&c. proſequitur dicere de his quæ anima accidunt, præter eius ſubſtantiam & naturalia, quæque præter ipſam corporis & valetudinis conſtitutionem, vel obtundere vel acuere poſſunt ingenium.* QVÆ PRÆSVNT POTESTATES. *Inter eas numerat Deum, eius* A *aduerſarium Diabolum, obſeſſione, poſſeſſione, terroribus, ſpectris, mille nocendi artibus, animum turbantem. Vel arte Magica & Medica organa ingenij, aeuentem. Adderem Angelum bonum aptè phantaſmata componentem.* FATVM NECESSITAS, *&c. Vulgus ait, hæc omnia confundere, quæ Philoſophi diſtinguunt. Plato in Timæo hæc quinque diſtinguit, Prouidentiam, fatum, hominis arbitrium, fortunam & caſum Iuxta Triſmegiſtum & Platonē, Prouidentia eſt ratio & ſcientia diuina in rerū gubernatione, fatum lex & decretum à Prouidentia manans, & dicitur à fando, ſiue dicendo. Neceſſitas eſt infallibilis & neceſſarius euentus ex decreto Dei circa cauſas naturales. Fortuna vero opponitur hominis libertati.* B *Hæc enim electionis eſt, iſta præter voluntatem accidit.* VOVIMVS TITVLO, *alij legunt, nouimus. Inſinuat ſe librum ſpecialem inſcripſiſſe de fato, qui quidem periit. Fragmentum eius ſolum hic citauit Tertullianus, cuius etiam meminit Fulgentius Placiades, de vocibus antiquis.* Nam & Tertullianus in libro quem de fato ſcripſit, ita ait: redde huic fati primum problematis mancipatum. NON SPECIES, SED SORTES. *Accidentia vult dicere, magis minuſue ſubtilia, ingenia cauſantia, quæ non variant ſpecies.* MATRICEM OMNIVM. *Iterum retexit errorem ſuum de anima ab Adam in poſteros tranſfuſa, quæ in omnibus vnius eiuſdemque eſt naturæ ſpeciei, & ſubſtantiæ, ſed pro locis, temperamentis, inſtitutionibus diuerſimodo efficitur.*

5. *Anima qualibet naturaliter diuinat, & Deum cognoſcit, & boni, malique capax eſt. De An. cap. 24. circa fin.*

SEd nec quiſquam hominum, non & ipſe aliquando præſagam animam ſuam ſentit, aut ominis, aut periculi, aut gaudij augurem.

ANIMÆ VIS. V. SCHOL.

PRÆSAGAM ANIMAM, &c. *Iuxta Platonem, immediatè ante citatum dicit, animam interdum naturaliter diuinare, quæ ipſi homini uentura ſunt.* Multa', inquit, documenta, teſte ipſo Platone, diuinationem animæ probauerunt. *Sic enim in Phædro*, Anima vaticinandi quamdam vim habet. *De quinque modis diuinationis naturalis conſulendus eſt Mirandulanus toto libro 3. de rerum prænotione. cap. autem 8. multimodas aduertit prognoſticorum ſpecies, quas inſtituti noſtri compendioſa ratio non patitur hic attexere. Vnum liquet, quod ſi ſecundum Ariſtotelem 9. Hiſt. Animalium c. 31. aues ipſe augurantur naturali præſenſione, pluuias, tempeſtateſque inſtantes, cantu, volatu, garritu, prædicendo; rationalem animā longè nobiliorem ſenſitiua volucrum, poſſe ſubtilius augurari. Aug. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 13.* Nonnulli quidem volunt animam humanam habere vim quandam diuinationis in ſeipſa. Sed ſi ita eſt, cur non ſemper poteſt, cum ſemper velit? an quia non ſemper adiuuatur vt poſſit? Cum ergo adiuuatur, nunquid à nullo, aut à corpore ad hoc ad- C iuuari poteſt? proinde reſtat vt à ſpiritu adiuuetur. Deinde quomodo adiuuatur? vtrum in corpore fit aliquid, vt inde quaſi relaxetur & emicet eius intentio, quo in id veniat, vbi in ſeipſa videat ſignificantes ſimilitudines quæ ibi iam erant, nec videbantur, ſicut multa habemus & in memoria, quæ non ſemper intuemur? An fiunt illic, quæ ante non fuerant, vel in aliquo ſpiritu ſunt, quo illa erumpens & emergens, ibi eas videat? Sed ſi iam in illa erant quaſi propriè, cur eas non etiam conſequenter intelligit? &c. An ſicut ſpiritus eius D adiutus eſt vt eas in ſe videret, ita & mens niſi adiuuetur, ea quæ habet ſpiritus, intelligere non poteſt? An forte non corporea remouentur, vel quaſi relaxantur impedimenta, vt ſuo impetu anima in ea quæ videnda ſunt exeratur: ſed ipſa prorſus in hæc aſſumitur, ſiue tantum ſpiritualiter cernenda, ſiue etiam intellectualiter cognoſcenda? an aliquando in ſeipſa videt iſta, aliquando per alterius ſpiritus commixtionem? quidquid horum eſt, temere affirmari non oportet.

S. Aug.

6. *Et de Anima cap. 41. à m.*

IN peſſimis aliquid boni, & in optimis nonnihil peſſimi. Solus enim Deus ſine peccato, & ſolus homo ſine peccato Chriſtus, quia & Deus Chriſtus. Sic & diuinitas animæ in præſagia erumpit, ex bono priore; & conſcientia Dei in teſtimonium prodit. Deus bonus; Deus videt; & Deo commendo. propterea nulla anima ſine crimine, quia nulla ſine boni ſemine.

Digiti

ANIMÆ VIS. VI. SCHOL.

IN PESSIMIS. *Nullus enim adeò peruersus est, qui non interdum ex ingenito lumine rectè sapiat.* IN OPTIMIS. *Nullus item adeo instus, cui aliquid non accidat pessimi, ex cognata fragilitate peccandi. S. Philo Carpathius in Cant. 7.* Ea est rerum diuinarum humanarumque natura, vt quæ in sua dignitate & excellentia, optima esse debent, ac summa, eadem mutato ordine pessima fiant, atque infima. *Agit hic Tertullianus de anima rationali, in magna luce & gratia condita, quæ per peccatum à diabolo corrupta est, non quidem penitus extincta naturali luce, sed oppressa. Vnde dicit & in pessimis aliquid boni; & rursum in optimis quibusque aliquid pessimi. Quid enim damnosius & deterius intellectui, quàm* B *ignorantia; quid voluntati pernicioſius quàm peccatum? Quis porro sine peccato, nisi Deus impeccabilis? Quis homo, nisi Christus homo Deus? Siquidem regio propheta teste Psal. 13.* Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in affectionibus suis, *Vt legit Augustinus:* Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Vsque ad vnum, vel cum ipso vno potest intelligi, vt nullus hominum intelligatur vel præter vnum, vt excipiatur Dominus Christus. Sicut dicimus, iste ager vsque ad mare est. Et iste est melior intellectus, vt nemo intelligatur fecisse bonitatem vsque ad Christum. *Hactenus Augustinus.* Aug.

A DIVINITAS ANIMÆ. *Vocat diuinam animam; tum quod à Deo facta sit, Imago Dei; & vt iterat sæpius,* Dei afflatus; *Vel quod maximè hic intendit, quasi afflata prophetico spiritu, futura quædam, vt supra diximus, prænuntiet. Hinc diuina à diuinando. Isa. 41.* Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos. EX BONO PRIORE. *Quo scilicet* valde bona vidit, cuncta quæ fecerat; *Præ cæteris autem animam rationalem, quæ in Adam, in somno extatico, prophetauit eductam ex sua costa mulierem; futurumque Verbi cum carne, Christi cum Ecclesia connubium præmonstrauit, sic postea explicante Apostolo vel simplicius.* Ex bono priore, *id est, ex insito lumine naturali, & lege naturæ.* Signatum enim est super nos, lumen vultus tui, Domine; *Nec sic ignorantia & peccati tenebris obruitur, vt non erumpat interdum in præfagia.* ET CONSCIENTIA DEI, *Syndereſi, & dictamine rationis, Deum esse testatur, bonitatem eius, præsentiam intimam omnibus, omnium cognitionem confitetur.* SINE CRIMINE. *Quia nulla anima sine lege naturali venit, sine ratione, sine libertate. Vnde fit, vt nulla sit sine crimine, cum scilicet agit contra rectam rationem. Peccatum enim est præuaricatio legis, & maximè naturalis.*

* *7. Anima crescit cum carne, non substantia quidem, sed virtute. De An. cap. 37. in fin. & 38. in p.*

SImul crescunt, sed diuisa ratione, pro generum conditione; caro modulo, anima ingenio; caro habitu, anima sensu: cæterùm, animam substantiâ crescere negandum est, ne etiam decrescere substantiâ dicatur, atque ita & defectura credatur. sed vis eius, in qua naturalia peculia consita retinentur, saluo substantiæ modulo, quo à primordio inflata est, paulatim cum carne producitur. Constitue certum pondus auri, vel argenti, rudem adhuc massam; collectus habitus est illi, & futuro interim minor, tamen continens intra lineam moduli, totum quod natura est auri, vel argenti. dehinc, cùm in laminam massa laxatur, maior efficitur initio suo, per dilatationem ponderis certi, non per adiectionem; dum extenditur, non dum augetur. Etsi sic quoque augetur, dum extenditur. licet enim habitu augeri, cùm statu non licet, tunc & splendor ipse prouehitur auri, vel argenti, qui fuerat quidem & in massa, sed obscurior, non tamen nullus. tunc & alij, atque alij habitus accedunt pro facilitate materiæ, quâ duxerit eam qui agit, nihil conferens modulo nisi effigiem. Ita & animæ crementa reputanda, non substantiua, sed prouocatiua. Quanquam autem & retrò præstruxerimus, omnia naturalia animæ ipsi substantiæ inesse, pertinentia ad sensum, & intellectum, & ex ingenito animæ censu, sed paulatim per ætatis spatia procedere, & variè per accidentia euadere, pro artibus, pro institutis, pro locis. CAP. XXXVII.

ANIMÆ VIS. VII. SCHOL.

SIMVL CRESCVNT. *Anima scilicet & corpus, Non vult animæ substantiam augeri, vel minui, sed vnà cum organis paulatim explicari vim eius, & sensum. Sicut massa auri vel argenti, siue extendatur, siue producatur eadem massa est, licet sit diuersa figura. Sic incrementa animæ non fiunt secundum substantiam, sed iuxta perfectiorem operandi modum.* NATVRALIA PECVLIA. *Id. diuitia naturales quasi in thesauro obscuro nondum explicata per organa diductæ rationis, absconditæ.* INFLATA EST. *Quia afflatus Dei est, vel alludit ad folliculum seminis, cum quo ipsa seritur, secundum errorem suum. Sic enim initio capitis 37.* Dixit hominis in vtero serendi, struendi, fingendi, paraturam. *Et in exordio capitis 36.* Constitueramus animam in ipso, & ex ipso seri homine, &c. Anima C in vtero seminata pariter cum carne, &c. PAVLATIM CVM CARNE PRODVCITVR. *Aug. lib. 10. de Gen. ad lit. cap. vltimo.* Noluit, inquit, Tertul. animam crescere substantiâ, sicut corpus; adserens etiam timoris sui causam; ne etiam substantiâ decrescere dicatur, atque ita & defectura credatur. Et tamen quia eam per corpus localiter tendit, non inuenit exitum incrementorum eius, quam vult de semine exiguo æquari corporis quantitati. *Postea ridet similitudinem eius de massa auri.* Quid absurdius, inquit, quàm putare massam cuiuspiam metalli ex aliqua parte crescere posse dum tunditur, nisi decrescat ex altera? vel augeri latitudine, nisi crassitudine minuatur? aut vllum esse corpus manente naturæ suæ quantitate, quod vndique crescat, nisi rarescat? Quomodo igitur implebit S. Aug. S. Aug. D

Digitized by Google

anima ex illa ſtilla ſeminis, magnitudinem corporis quod animat, ſi & ipſa corpus eſt, cuius ſubſtantia nullo acceſſu creſcat? quomodo, inquam, implebit carnem quam viuificat, niſi tanto rarior fuerit, quanto grandius quod animauerit? timuit videlicet, ne deficeret etiam minuendo, ſi creſceret; & non timuit, ne deficeret rareſcendo, cum non creſceret. PROVOCATIVA. *Alij legunt prouectiua, ſicut prius dixerat* Splendor ipſe prouehitur auri. *Elegantius lego*, Prouocatiua: *Quaſi euocetur & educatur ex cauea ſepulta anima, in ſpatioſiorem lucem; ſicut ſubiicit*, Paulatim per ætatis ſpatia procedere, &c. pro artibus, pro Inſtitutis; pro locis. *Hæc enim ſupra vidimus augere ſenſum & intellectum. Qui licet inſit anima ſubſtantiæ, vt dicit,* EX INGENITO ANIMÆ CENSV, *Id. vi ipſius originis animæ, quaſi peculium naturale à Deo tributum, perficitur tamen procedente ætate & vſu, vt & de ipſo puero Ieſu, vero homine ſit dictum Luc. 2.* Puer autem creſcebat ætate & ſapientia, *Experimentali ſcilicet, vel actus ſapientiæ, quam pleniſſimè concepens hauſerat, ætate proficiens, hominibus manifeſtando.*

8. *Animæ plena pubertas, & boni, malique integra diſcretio eſt ab anno ætatis decimoquarto. De An. cap. 38. à p. ad m.*

QVod faciat ad carnis animæque propoſitam nunc ſocietatem, pubertatem quoque animalem, cum carnali dicimus conuenire, pariterque & illam ſuggeſtu ſenſuum, & iſtam proceſſu membrorum exſurgere, à quartodecimo ferè anno. non quia Aſclepiades inde ſapientiam ſupputat; nec quia iura ciuilia abhinc agendis rebus adtemperant, ſed quoniam & hæc de primordio ratio eſt. Si enim Adam, & Eua, ex agnitione boni & mali pudenda tegere ſenſerunt, ex quo idipſum ſentimus, agnitionem boni & mali profitemur. Ab his autem annis, & ſuffuſior & veſtitior ſexus eſt, & concupiſcentia oculis arbitris vtitur, & communicat placitum, & intelligit quæ ſint, & fines ſuos adinſtar ficulneæ, contagionis prurigine accingit, & hominem de paradiſo integritatis educit; exinde ſcabida etiam in cæteras culpas, & delinquendi non naturales, cùm iam non ex inſtituto naturæ, ſed ex vitio.

ANIMÆ VIS. VIII. SCHOL.

PVBERTATEM QVOQVE ANIMALEM. *Id eſt animæ. Quod animæ vis cum corporis incremento ſe explicet.* ILLAM SVGGESTV' SENSVVM. *Id. Maiori & eminentiori luce intellectus, clariori ſenſu, & perſpicaciori diſcretione, bonum à malo, verum à falſo diſcernendo.* Suggeſtum *Perro frequenter vſurpat Tertul. pro ornatu & apparatu, tranſumptâ voce à loco editiore, vnde oratio haberi ſolet ad populum. Dictus autem ſuggeſtus, vel ſuggeſtum, quod conſtet ex congeſta materia, vel quod inde populo ſuggereretur quod dicendum erat. Cicero 1. de diuin.* Neque illud in ſuggeſtum, in quo cauſam dixerat aſcendenti, &c. *Sic Tertul. de cultu fœm. vocat* Elaboratæ libidinis ſuggeſtum. *De vel. Virg.* Redundantiam capillorum, &c. vt concumulata in verticem, ipſam capitis arcem, ambitu crinium contegat. *Sic de Idol. dixit*, Suggeſtum & apparatum honoris, ſuggeſtum & faſtigium dignitatis. *Apol.* Imaginum ſuggeſtus in ſignis. *De Spect.* Pompatiorem ſuggeſtum. A QVARTO DECIMO, &c. *Pubertatem ab hoc fere anno, tam animæ iam ex editiore & ornatiore ſenſu rerum & ſuggeſtu; quam carni ex* membrorum proceſſu *tribuit.* NON QVIA ASCLEPIADES, &c. *Quis ille fuerit non explicat, an Poëta, à quo Carmen Aſclepiadeum dictum. An Pruſienſis Medicus, qui lapſus ex ſcala interiit. An Philoſophus cæcus, de quo Tullius 5. Tuſc. refert, rogatum quid ei cæcitas contuliſſet; reſpondiſſe, quod vno puero eſſet comitatior. Quiſquis ille ſit, eius ſcripta non extant.* IVRA CIVILIA. *Cuiacius de diuerſ. temp. præſcr. & term. c. 27.* Pubertas in maſculo æſtimatur ex annis 14. in fœmina ex 12. l. 2. C. Quando tut. vel cur. eſſe deſ. l. 5. ff. qui teſt. fac. poſſ. §. 1. Inſtit. de Nupt. l. 2. ff. de vul. ſubſt. Nouella 119. de maſculo fuit olim dubitatum. Sed obtinuit etiam in maſculo pubertatem annis æſtimari, non habitu corporis. Hæc autem definitio ætatis ad multa pertinet. Non poteſt impubes teſtamentum facere, non poteſt teſtimonium dicere l. inuiti. ff. de teſtibus. Non torqueri l. de minore ff. de quæſt. non nuptias contrahere, nõ obligari ſine tutoris authoritate. Pubes poteſt. Sunt & alia multa. Plena pubertas in maſculo æſtimatur ex annis 17. vel 18. quem Græci vocauere Exephebũ, vt Cenſorinus ſcribit. Proximum pubertati mel-lephebum. Puberem Ephebũ. Plenè puberem Exephebũ in fœmina, ex 14. l. Mela. ff. de Alim. leg. l. adrogato. ff. de Adopt. &c. leges Longobardorum ex anno 18. non plenam tantùm pubertatem, ſed & legitimam ætatem, conſtituunt. Tit. de Æt. legitima. At lege Lætoria, & Prætoris edicto, conſtat ex annis 25. tam in fœmina, quàm in maſculo perfectam & legitimam ætatem æſtimari. Ex venia principis in maſculo ex annis 20, in fœmina ex annis 18. l. 2. Codice de iis qui Ven. ætt. Imp. *Hucvſque Cuiacius. Cæterùm pubertas eſt ætas in pueris, puelliſque, qua pudenda primâ lanugine obducuntur, quaque idonei ſunt generationi. Idem Cuiacius Comment. ad tit. de minoribus 25. annis ad l. minor.* Dicimus pubertatem æſtimari ex annis, & non ex aſpectu, *id. ex Proculianorum, non ex Caſſianorum ſententia. vt Vlpian. refert in fragm. titul. de tutel. Tertul. lib. de virg. vel.* Tempus, inquit, Ethnici obſeruant, vt ex lege naturæ, iura ſua ætatibus reddant. Nam fœminas quidem à 12. annis, maſculos vero à duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non ſponſalibus, aut nuptiis decernentes. *Idem in lib. de Anima:* Iura Ciuilia à 14. anno agendis rebus adtemperant. *Priſcus ex vtroque pubertatem æſtimabat, quod videtur olim obtinuiſſe. Jure enim, Seruius ait, Ecloga 8. Pubertatem ex vtroque colligi.* Quamuis autem nunc pubertatem ex annis æſtimari placeat, tamen ſi de annis dubitetur, hi quandoque ex aſpectu probabuntur. *Quintilianus declam. 279.* Nudari filium atque in conſpectu iudicis conſtitui cogit. *Sic Plato. 11. de leg. iuſſit pueros inſpici. Juſtinianus. §. 1. Inſtit. quibus modis tut.* Noſtra maieſtas dignum eſſe caſtitate noſtrorum temporum exiſtimans, bene putauit, quod in fœminis etiam

anti-

antiquis, impudicum viſum eſt, hoc eſt inſpectionem habitudinis corporis, hoc etiam ad maſculos extendere. *Vt videlicet hæc inſpectio prohibeatur pro vtroque ſexu, vt parcatur verecundiæ.* DE PRIMORDIO RATIO. *Seipſum explicat, exemplo Adæ & Euæ verenda tegentium, apertis oculis. Sic enim dum plenè aperiuntur oculi rationis, pudor exſurgit ex inſpecta nuditate, & ex ipſo pudore, boni, malique cognitio dignoſcitur. Hinc prudenter inuiſperiti ex coëundi pruritu & facultate, rationis vſum colligunt ad res gerendas, quaſi natura non committat vſum libidinis, niſi compoti rationis ad eam frænandam. Alias honeſtiores pubertatis probandæ modos ſupra refert Cuiacius ad legem Minor.* Ætates etiam probantur ex natalibus profeſſionibus ἐκ τῶν γενεθλιακῶν l. 2. de excuſat. tut. Itemque ex cenſualibus l. ætatem infr. de cenſibus. Item teſtibus, puta obſtetricibus, vicinis, propinquis. SVPERSIOR ET VESTITIOR, &c. *Hæc enim ætate 14. amorum & pudore ſuffundimur, & veſtimur pube, id. lanugine pilorum adnaſcentium puerilibus pudendis.* OCVLIS ARBITRIS. *Oculos facit concupiſcentiæ arbitros & iudices; vnde & ſubiicit,* INTELLIGIT QVÆ SINT. *Omnes quippe cauſæ foris concupiſcentiæ carnalis, mediis oculis aſſiſtantur. Hinc Philo lib. de Iudice,* Oculi rebus ipſis interueniunt, & tractant quodammodo negotia, totaque percipiunt. *Et Ambr. lib. de Cain c. 4.* Quid, inquit, tam meretricium, quàm ſæcularis voluptas, quæ à feneſtra domus ſuæ, intrat oculis, prima teſtamenta præludens. *Aug. in Pſal. vocat oculos feneſtras animæ. Ita & Saluianus lib. 3. de Prouid. Clemens Alex. 3. Pedag. c. 11. vocat oculos primam originem inſtrumentumque amatoriæ faſcinationis. Baſil. lib. de virg. Animæ noſtræ pronubos, qui ſcilicet iuxta Donatum deducunt vxorem in domum mariti. Rectè autem & prouidè oculos, quos Petrus 2. 4. vocat,* Plenos adulterij & inceſſabilis delicti, *Natura primos in membris corporis emori voluit, per quos primò* Feneſtras mors intrauit. *Vltimò viuunt, primò moriuntur, teſte Clem. Alex. loco citato.* FINES SVOS. *Id. pudenda, qui propriè fines ſunt concupiſcentiæ.* AD INSTAR FICVLNEÆ. *Alludit ad perizomata, ex foliis ficus contexta, quorum aſperitudine vt quodam cilicio membrorum pruriginem repreſſerunt. Crediderim potius ficulneæ arboris vetitæ iuxta aliquos, fructum intelligere, cuius eſu prima prurigo ſurrexit. Pulchrè Aug. 14. de Ciuit. c. 17. & fusè de oculis apertis, pudore, foliis ficus in compeſtria, ſine ſuccinctoria conſutis, quod iuuenes exercitati in campo nudi pudenda his tegerent.* Aperti ſunt oculi eorum, non ad videndum, nam antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum in quod ceciderant, &c. Proinde confuſi inobedientia carnis ſuæ, tanquam teſte pœna inobedientiæ ſuæ, conſuerunt folia fici, & fecerunt ſibi campeſtria, id. ſuccinctoria genitalium. *Et libro 2. de peccato originali cap. 36.* Primarum nuptiarum ſine libidinis paſſione tranquillitas, & motus genitalium ſicut aliorum membrorum, non ad effrenati caloris incitamentum, ſed ad voluntatis arbitrium; quales nuptiæ perſeueraſſent, ſi peccati non interueniſſet opprobrium; nunc oſtendi non poteſt, ſed ex iis quæ diuinâ authoritate conſcripta ſunt, non immeritò credi poteſt. Sic enim modo non inuenio ſine pruriente libidine concumbentem, ſicut non inuenio ſine dolore & gemitu parturientem, ſine futura morte naſcentem: & tamen ſecundum ſcripturarum ſanctarum veritatem, gemitus parturientis, & mors hominis non fuiſſent, ſi peccatum non præceſſiſſet. Sic nec illud vnde erubuerunt, qui membra illa texerunt, quia & hoc in eiſdem ſanctis litteris præcedente peccato ſcriptum eſt conſecutum. Membra quippe illa, niſi indecens motus oculis eorum, non vtique clauſis, ſed in hoc apertis, non hoc eſt non attentis, animaduertenda nuntiaſſet, nihil in ſuo corpore, quod vtique totum Deus laudabile fecerat, pudendum velandumque ſenſiſſent: quia niſi præiſſet facinus, quod inobedientia eſt auſa committere, non ſequeretur dedecus, quod verecundia vellet abſcondere. *Et lib. 4. contra Iulianum cap. 13.* Poterat, inquit, planè etiam antea moueri, ſed non erat indecens, vt puderet, quando id mouebat voluntatis imperium, non caro concupiſcens aduerſus ſpiritum. In hoc enim extitit nouitas pudenda, quam defendit impudenter nouitas veſtra. *Hæreſis noua Pelagiana.* Numquam vero ego motum genitalium reprehendi generaliter, quod tu dicis dedicatiuè; ſed illum motum reprehendi, quem facit concupiſcentia, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: quam velut bonum cùm defendat error tuus, neſcio quemadmodum aduerſus illam, velut aduerſus malum concupiſcat ſpiritus tuus. Si in fructu ligni illius, inquis, hæc fuit libido, à Deo facta eſſe monſtratur, & per hoc bona quoque eſſe defenditur. Sed reſpondetur tibi, non in fructu ligni fuit libido, & ideo bonum erat lignum: ſed mala eſt inobedientia libidinis, quæ aduerſus hominis inobedientiam, quam in ligno admiſit, Deo deferente ſurrexit. Abſit enim vt Deus de ligno bono cuicumque ætati illorum hominum, quocumque tempore beneficium tale conferret, vt haberent in membris aduerſarium, contra quem pudicitia dimicaret. DE PARADISO INTEGRITATIS. *Quia ex Ambr.* Patria virginitatis paradiſus eſt. *Et quidem in paradiſo terreſtri virgines fuere primi parentes: nec cognouit Adam vxorem ſuam, niſi eiectus paradiſo. Et concupiſcentia ex mente Tertul. hominem expellit* Paradiſo integritatis. SCABIDA, &c. *Quia ſcabies pruriginem excitat, & libido in alias culpas impellit,* NON NATVRALES: *Id. non à dictu naturæ in finem prolis, vel ſocietatis coniugalis obſeruandæ, ſed in vitia & ſordes quas natura horret, & calamus fugit deſcribere.* CÆTERAS CVLPAS; *Dicit; non quod coniugalem actum culpabilem arguat, niſi forte ob miniam libidinem; vel quod culpa ſit, vel potius pœna primæ concupiſcentiæ, quòd ex inuoluntariis motibus qui in natura non erant, pòtius ex libidinis impetu, quàm ex imperio rationis, ferantur homines in actum coniugalem. Vide plurima per totam quæſtionem, ex Auguſtino, to. 1. Quæſt. de actu coniugali in alphab. errorum imputatorum Auguſtino.*

Aug. Aug. Aug. S. Aug. S. Aug.

9. *Anima vis ſuperior, mens eſt, quæ non diſcernitur ab anima. De An. cap. 12. inp.*

PRoinde, & animum, ſiue mens eſt, NOYC apud Græcos, non aliud quid intelligimus quàm ſuggeſtum animæ ingenitum & inſitum, & natiuitùs proprium, quo agit, quo ſapit, quem ſecum habens, ex ſemetipſa ſe commoueat in ſemetipſa, atque ita moueri videatur ab illo tanquam ſubſtantia alia, vt volunt qui etiam vniuerſitatis motatorem animum decernunt, illum Deum Socratis.

ANIMÆ VIS. IX. SCHOL.

MENSIST. *Græcis vñc S. Isid.* 11. *Orig. c.* 1. Dum viuificat corpus, anima est; dum scit, mens est; dum vult, animus est; dum recolit, memoria est; dum rectum iudicat, ratio est; dum spirat, spiritus est; dum aliquid sentit, sensus est. NON ALIVE, &c. QVAM SVGGESTVM. *Id. mentem puto eminentiorem animæ facultatem, quæ sit penus & promptuarium, vnde ipsa suggerit sublimiores sensus: & veluti de summa puppi gubernator, seipsam sibique subditam corporis nauim gubernet.* NATIVITVS. *Id à natura proprium.* MOVERI VIDEATVR, &c. VT VOLVNT, &c. *Hic loquitur iuxta sensum eorum, qui mundum animatum fingunt, cuius animus sit Deus,* Totamque infusa per artus mens agitans molem, & magno se corpore miscens. *Aug.* 7. *de Ciuit. c.* 6. Dicit ergo idem Varro adhuc de naturali Theologia præloquens, Deum se arbitrari esse animam mundi, &c. *Et lib.* 13. *de Ciuit. c.* 17. Istum mundum existimant esse animantem, anima scilicet, sicut asserunt rationali, vel intellectuali, in tam magna mole corporis eius inclusa. QVI DECERNVNT, &c. *Aliqui putant hic intelligi Thaletem, quem refert Arist.* 1. *de anima c.* 5. *credidisse mundum animatum, & Deum eius animam. Tertul. ipse Apol.* 21. *Zenonem, Lactantius, Pythagoram. Iustinus in Apol.* 2. *Socratem. Sed audiamus ipsummet Tertul. Apol.* 47. Platonici, inquit, curantem rerum, contrà Epicurei otiosum & inexercitum, & vt ita dixerim, neminem humanis rebus. Positum vero extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc. Intra mundum Platonici qui gubernatoris exemplo intra illud maneat, quod regat. MOTATOREM, *Alij mutatorem. Nec quidem aliud est motare, seu monere, quàm mutare.* ILLVM DEVM SOCRATIS. *Sic Iustinus Apol.* 2. *Socrati adiudicat, quæ Plato hac in re de Deo dixit. De facto in Phædro & Philebo Platonis, sic Socrates Deum mundi animam dicit.*

A

B

6. Aug.

5. Aug.

10. *Animæ principalitas danda est, non animo. De An. cap.* 13. *per totum.*

AD hoc dispicere superest, principalitas vbi sit, id est, quid cui præest; vt, cuius principalitas apparuerit, illa sit substantiæ massa; id autem cui massa substantiæ præerit, in officium naturale substantiæ deputetur. Enimverò, quis non animæ dabit summam omnem, cuius nomine totius hominis mentio titulata est. Quantas animas pasco, ait diues, non animos: Et animas saluas optat gubernator, non animos: Et rusticus in opere, & in prælio miles, animam se, non animum ponere affirmat. Cuius nominatiora pericula, aut vota sunt? animi, an animæ? Quid autem agere dicuntur moribundi? animum, an animam? Ipsi postremo Philosophi, ipsique Medici, quamuis de animo quoque disputaturi, faciem tamen operis frontemque materiæ de anima vnusquisque proscripsit. Vt autem & à Deo discas, animam Deus semper adloquitur, animam compellat atque aduocat, vt animum sibi aduertat. Illam [a] *Saluam venit facere* Christus; illam *perdere in gehennam* comminatur; illam *pluris fieri* vetat; illam & [b] *ipse bonus pastor pro pecudibus suis ponit.* Habes animæ principalitatem, habes in illa & substantiæ vnionem, cuius intelligas instrumentum esse animum, non patrocinium.

Leuit. 4. 2. 27.
Leuit. 5. 1. 2.
Esa. 49. 7.
a Matt. 10. 28. 37. 39.
b Io. 10. 11. 11. 18.
Luc 14. 26.

ANIMÆ VIS. X. SCHOL.

PRINCIPALITAS: *Id. quid sit principalius anima, vel animus.* SVBSTANTIÆ MASSA. *Superius comparauerat massæ auri. Per massam autem substantia spiritalis, intelligit quod eminentius est.* OFFICIVM NATVRALE. *Id. instrumentum à natura inditum, vt massæ substantiæ & principali seruiat. In iure, officium non tantum significat, munus publicum & honorem: sed & officiales ipsos & ministros Magistratuum & Præsidũ l.* 6. §. *ne tenuis, ff. de off. Præsid. l.* 74. *ff. de editionibus l.* 1. §. *penult. ff. de serv. fugit &c.* TITVLATA EST. *Id. insignita & inscripta titulo totius hominis. Probat autem, & vsu loquendi communi, & scripturæ sacræ Idiomate, totum hominem,* Anima, *Non autem* Animo, *exprimi. Sic dines qui numerosam alit liberorum & seruorum familiam, sic gubernator pascit & regit* Animas, &c. NOMINATIORA. *Id est magis appellationem sumunt ab anima.* PROSCRIPSIT. *Id est inscripsit.* A DEO DISCAS. *Quia in scriptura dum toti homini loquitur Deus, iussum suum aut monitum dirigit animæ in veteri testamento.* VT ANIMVM, &c. *Id. vt mens aduertat quid moneat Deus; & instrumento suo animo vtatur anima ad reflexionem & animaduersionem. Sic Gen.* 9. Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarũ. *Statim post explicat:* Quicumque effuderit humanum sanguinem, &c. *Gen.* 12. Tulitque Sarai vxorem suam, & Loth filium fratris sui, &c. & animas, quas fecerant in Haran. *Gen.* 14. Dixit Rex Sodomorum ad Abram: da mihi animas, cætera tolle tibi. *Gen.* 19. Salua animam tuam, &c. vt saluares animam meam, &c. & viuet anima mea. *Leuit.* 4. 2. Anima quæ peccauerit per ignorantiam, &c. *Leuit.* 5. Si peccauerit anima, &c. Anima quæ tetigerit, &c. *Isa.* 49. Hæc dicit Dominus redemptor Israël, sanctus eius, ad contemptibilem animam. *Isa.* 55. Comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra, &c. & viuet anima vestra. *Aug. lib.* 1. *qq. in Gen. q.* 150. Quod dicit scriptura tot animas peperisse Liam: vel tot aut tot animas exiisse de femoribus Iacob: videndum est quid hinc respondeatur eis, qui hoc testimonio confirmare nituntur à parentibus simul animas cum corporibus propagari. Animas enim dictas pro hominibus, à parte totum significante locutione, nullus ambigit *Quod repetit lib.* 83. *qq. q.* 80. A parte totum plerumque nominata sola anima homo intelligitur: sicut est illud; tot animæ descenderunt in Ægyptum. ILLAM SALVAM, &c. *Hic subiicit locos noui Testamenti, quibus idem confirmat.* ILLAM PLVRIS FIERI. *Matth.* 10.

C

D

Aug.

Aug.

Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus, &c. qui inuenit animam ſuam, perdet illam; & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet illam. *Luc.* 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, &c. adhuc autem & animam ſuam, &c. SVBSTANTIÆ VNIONEM. *Id. maſſàm totalem compoſiti hominis, & totius vnionem, ſolius animæ, vt principalis, nomine ſignificatam.* NON PATROCINIVM. *Intelligit principalitatem. Patrocinium ſignificat præſidium, tutelam, defenſionem, quo nomine dignitas animæ exprimitur, quæ animo reliquiſque facultatibus vtitur, velut adminiſtris, ancillis, inſtrumentis.*

II. *Animæ & vitæ ſummus apex, magis eſt in corde, quàm in cerebro, vel alibi: nec in homine ſumenda eſt experientia ab aliis animalibus, ablato corde, vel capite, viuentibus*
De An. cap. 15. per totum.

IN primis an ſit aliquis ſummus in anima gradus vitalis, & ſapientialis, quod ἡγεμονικὸν appellant, id eſt principale. Si negetur, totus animæ ſtatus periclitatur. Denique qui negant principale, ipſam prius animam nihil cenſuerunt. Meſſenius aliqui Dicæarchus, ex Medicis autem Andreas, & Aſclepiades, ita abſtulerunt principale, dum in animo ipſo volunt eſſe ſenſus, quorum vindicatur principale. Aſclepiades etiam illa argumentatione vectatur, quòd pleraque animalia, ademptis eis partibus corporis, in quibus plurimum exiſtimatur principale conſiſtere, & inſuper viuant aliquatenus, & ſapiant nihilominus: vt muſcæ, & veſpæ, & locuſtæ, ſi capita decideris: vt capræ, & teſtudines, & anguillæ, ſi corda detraxeris: itaque principale non eſſe. quod ſi fuiſſet, amiſſo cum ſuis, vigor animæ non perſeueraret. Sed plures & Philoſophi aduerſus Dicæarchum, Plato, Strato, Epicurus, Democritus, Empedocles, Socrates, Ariſtoteles: & Medici aduerſus Andream, & Aſclepiadem, Herophilus, Eraſiſtratus, Diocles, Hippocrates, & ipſe Soranus: Iamque omnibus plures Chriſtiani, qui apud Deum de vtroque ducimur, & eſſe principale in anima, & certo in corporis receſſu conſecratum. Si enim ſcrutatorem & diſpectorem cordis Deum legimus; ſi etiam Prophetes eius occulta cordis traducendo probatur: ſi Deus ipſe recogitatus cordis in populo præuenit, [a] *Quid cogitatis in cordibus veſtris nequam?* Si & Dauid, [b] *Cor mundum crea in me Deus:* Et Paulus, [c] *Corde, ait, credi in iuſtitiam:* & Ioannes, [d] *Corde, ait, ſuo vnumquemque reprehendi:* Si poſtremò, [e] *Qui viderit feminam ad concupiſcendum, iam adulterauit in corde*, ſimul vtrumque dilucet; & eſſe principale in anima, quo intenſio diuina conueniat: id eſt, vim ſapientialem, atque vitalem; quod enim ſapit, viuidum eſt; & in eo theſauro corporis haberi, ad quem Deus reſpicit. vt neque extrinſecus agitari putes principale iſtud, ſecundùm Heraclitum; neque per totum corpus ventilari, ſecundùm Moſchionem; neque in capite concludi, ſecundùm Platonem; neque in vertice potius præſidere, ſecundùm Xenocratem; neque in cerebro cubare, ſecundùm Hippocratem, ſed nec circa cerebri fundamentum, vt Herophilus; nec in membranulis, vt Strato, & Eraſiſtratus; nec in ſuperciliorum meditullio, vt Strato Phyſicus; nec in tota lorica pectoris, vt Epicurus; ſed quod & Ægyptij renuntiauerunt, & qui diuinarum commemoratores videbantur, vt & ille verſus Orphei, vel Empedoclis: Namque homini ſanguis circumcordialis eſt, ſenſus. Etiam Protagoras, etiam Apollodorus, & Chryſippus hæc ſapiunt; vt vel ab iſtis retuſus Aſclepiades, capras ſuas quærat ſine corde balantes, & muſcas ſuas abigat ſine capite volitantes; & omnes iam ſciant, ſe potius ſine corde, & cerebro viuere, qui diſpoſitionem animæ humanæ de conditione beſtiarum præiudicarint.

[a] Sap. 1. 6. 4. reg. 5. 26.
[b] Pſal. 50. 11.
[c] Rom. 10. 10.
[d] 1. Io. 3. 21.
[e] Matth. 5. 28.

ANIMÆ VIS. XI. SCHOLIA.

HEGEMONICON. *Id. Animæ ſummum vitalem & ſapientialem gradum in corde ponit; præferens Chriſtianam opinionem in ſcriptura fundatam, omnibus Philoſophorum & Medicorum opinionibus, contrarium ſentientibus* DICÆARCHVS. *Suidas teſtatur fuiſſe Ariſtotelis diſcipulum. Hic animam nihil eſſe dicebat. De quo ſic Tullius 4. Academ.* Tenemuſne quod animus ſit? Vbi ſit? denique ſitne, aut vt Dicæarcho viſum eſt ne ſit quidem vllus. *Siculus fuit è Meſſana, ſiue Meſſene.* ANDREAS. *Magnus fuit Medicus de quo Plin. in Hiſt. Nat. à Dioſcoride & Galeno citatur. Scripſit de ſerpentibus, &c.* ASCLEPIADES. *Pruſenſis fuit citatus à Galeno & Sorano. ex Apulæio 4. Florid. mortuum à Rogo veſpillonum manibus domum retulit & ſuſcitauit. De eo Cornelius Celſus lib. 2. c. 6.* Aſclepiades funeri obuius, intellexit quemdam viuere qui efferebatur.

Omniloquium.

II *Calcidius Platonicus in Timæum, ſic Aſclepiadis mentem explicat.* Cum dicant corpus eſſe antiquius animâ, dant corpori principatum. Id porro ſemper fluit atque immutatur. Et anima igitur quæ ſecundæ conditionis eſt, eadem patietur, quæ corpus, &c. ARGVMENTATIONE VECTATVR. *Quaſi curru triumphali de ſua ſententia pompatiens. Sic Chalcidius:* Negant animæ vim principalem conſiſtere in capite, quod pleraque animalia ſecto capite viuant vt apes & fuci, &c. Illud etiam in corde negant. Crocodilos enim auulſis cordibus, aliquandiu viuere, &c. Hoc idem in teſtudinibus obſeruarum marinis, & terreſtribus capris. VT CAPRÆ. *Forte id dicit, ex obſeruatione boſtiarum, quæ abſque corde reperta ſint de quibus lege Plin. lib. 11. c. 17. Tull. 2. de diuin. Valer. lib. 1. c. 6* PLVRES PHILOSOPHI. *Hos citat; Platonem quidem in dialogis. Quorum doctri-*

ua tribuitur Magiſtro Sacrati. Ariſtoteles 1. *Etich.* c. 13. *agit de Hegemonico. Et* 4. *de anima* c. 4. *&* 5. *&c.* ERASISTRATVS. *Fuit Chryſippi diſcipulus. A Macrob. vlt. Satur.* c. 15. *dicitur veterum Medicorum nobiliſſimus hic.* Apud Plutar. Appianum, Lucianum, videas hiſtoriam. *Arte mira deprehendit morbum Antiochi ex amore Stratonices nouercæ.* DIOCLES. *A Plinio dicitur ſecundus ætate & famâ ab Hippocrate.* PLVRES CHRISTIANI. *Sic Hiero. lib.* 2. *in Matth.* c. 14. *contrariam de cerebro ſententiam refutat. Sic Theod. Beda, iuxta Stoices in corde ponunt Dionyſius Areop. de diuin. nominibus, Greg. Nyſſ. lib. de opif.* c. 12. *negat in corde reſidere animam, & ſatisfacit citatis ex ſcriptura locis.* CONSECRATVM. *Athenæus lib.* 2. *ideo ab Antiquis, caput dictum* Sacrum, *Ex Cœlio lib.* 3. c. 23. *per caput iurabant. Et in iure ciuili l.* 44. *de Relig. & ſumpt. fun. locus ſepulti capitis Religioſus erat. Nyſſ. ſupra* Cerebro qui ratiocinandi vim conſecrant, caput à natura tanquam arcem quamdam totius corporis extructum eſſe affirmant. Hac in arce mentis veluti Regis domicilium eſſe, quæ vndique ſenſuum organis, tanquam apparitorum ſtipatorumque ſatellitio muniatur. *Alij ſacrum & ſanctum pectus. Vt Ennodius & Symmachus in Epiſtolis. Ita ex Euſebio, Origenis filij dormientis, pectus Leonides oſculabatur, vt ex Eunapio Proceresij,* PROPHETES. *Sic Eliſæus Prophetem probauit corde præſentem Gieſi: Sic Chriſtus Samaritanæ cor detegens Prophetæ apparuit Io.* 4. *Tertul. de Reſur.* Arcem etiam animæ Dominus in ſuggillatione cogitatuum taxat, quid cogitatis? &c. CONVENIAT. *Id eſt penetret, iudicet, ad tribunal vocet, interroget.* THESAVRO CORPORIS. *Id eſt corde. Vnde vis omnis & vita quaſi ex theſauro depromitur.* SECVNDVM HERACLITVM. *Expreſsè Plutar.* 4. *de placitis* c. 3. *dicit eum definiſſe animam eſſe exhalationem. Iuſtinus Martyr tacito eius nomine arguit, & ridet dicentem animam extrinſecus circa nos, aërem, vel exhalationem.* MOSCHIONEM. *Non hic Comicum arguit citatum à Clem. Alex. & Stob. ſed medicum. Cuius & ſententiæ fuit Xenocrates ex Lactantio de opif.* c. 16. SECVNDVM PLATONEM. *Chalcidius in Tim.* Principalem animæ poteſtatem, aſſerit in capite ſedem habere. *Aug. lib.* 7. *de Gen. ad lit.* c. 17. *In cerebro ponit originem omnium ſenſuum. Et ipſam animæ rationalis ſedem.* Quoniam, inquit, pars cerebri anterior, vnde ſenſus omnes diſtribuuntur, ad frontem collocata eſt, atque in facie ſunt ipſa velut organa ſentiendi, &c. *Ideo ſcriptum arbitror, quod in faciem ſuſſlauerit homini flatum vitæ, cum factus eſt in animam viuam, &c. & cap.* 18. Tres tanquam ventriculi cerebri demonſtrantur. Vnus anterior ad faciem, vnde ſenſus omnes; alter poſterior ad ceruicem, à quo motus omnes: tertius inter vtrumque, in quo memoriam vigere demonſtrant, &c. *Et paulo poſt*, ſed anima in iſtis tanquam in organis agit, nihil horum eſt ipſa, ſed viuificat & regit omnia, & per hæc corpori conſulit, & huic vitæ, in qua factus eſt homo in animam viuam. *Ex quibus liquet, animam ex arce capitis reginam imperare, potiuſque inſufflatam faciei, quam cordi. Corque primum viuens eſſe reſpectu animæ ſenſitiuæ, cerebrum autem eſſe organum rationalis.* NEQVE IN VERTICE. *Galenus in Hiſt. Philoſo. ſe- iuxta Tertul. ſedem principalem animæ ſic tradit*; Democritus & Plato ſedem præcipuæ partis animæ, in toto capite ſtatuunt. Strato in ea capitis parte, quæ ſupercilijs reſponder. Eraſiſtratus in membrana, quæ inuoluit cerebrum. Herophilus in concauitatibus cerebri. Parmenides & Epicurus in toto pectore. *Sic infra Tertul.* IN TOTA LORICA PECTORIS. *Id. toto thorace.* Stoici cuncti in toto corde, vel in ſpiritu cordis. Diogenes in arteriis cordis ſolum quæ ſpiritum continent. Empedocles in ſanguine. Quidam in ceruice cordis. Alij in membrana veſtiente cor: nonnulli in ſepto tranſuerſo, &c. Pythagoras vitalem facultatem in corde, mentem autem & rationem in capite, tanquam in arce habitare credidit. CEREBRI FVNDAMENTVM. *Theodoretus*, Herophilus in ventre cerebri. *Plutarchus*, Herophilus in cerebri ventre, qui eſt & baſis, ſeu fundamentum. IN MEMBRANVLIS. *Sic Theodor.* Eraſiſtratus medicus, iuxta membranam cerebri, quam epicranidem, hoc eſt ſupercipitium, ſiue ſupercalutium vocat. SVPERCILIORVM, &c. *Plin. lib.* 11. c. 52. Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles ſignificant, quibus iuxta naſum flexa ſunt, auſteros: quibus iuxta tempora inflexa ſunt, deriſores: quibus in totum demiſſa, maleuolos & inuidos. ÆGYPTII RENVNTIAVERVNT, &c. *Hic notatur Mercurius Triſmegiſtus. Nempe renuntiauerunt, id. affirmauerunt ſe à Triſmegiſto accepiſſe opinionem ſuam de ſede animæ & ſapientia, quippiſs videbatur diuinus interpres, maximè in commentarijs ſacris. In hoc commentario Iſis Ægypti dea narrat filio ſuo Horo lamentationem animarum iuſſarum ingredi corpora: quæ inter cætera, cor præcipuam ſedem ponunt.* Iam domus nos pro ſublimi hoc mundo, parua cordis moles manet. *Notatu dignum quod habet Horus Appollo lib.* 1. *Hierogl.* Ægyptijs accipiter Baieth dicitur: quod nomen ſi diuiſeris, animam & cor ſonat. Baï enim anima eſt, Eth cor. Cor autem ex Ægyptiorum ſententia, animæ ambitus eſt. Itaque nominis compoſitio animam cordatam notat. Quapropter accipiter ob eam, quam cum anima habet naturæ conſenſionem, aquam omnino non bibit, ſed ſanguinem, quo & ipſa nutritur anima. STRATO PHYSICVS. *Ad differentiam Medici quem ſupra Tertul. retulit.* ORPHEI VEL EMPEDOCLIS. *Bene monuit,* vel Empedoclis: *Neque enim inuenitur inter verſus Orphei. Ariſtoteles lib. de Anima.* c. 2. *tribuit Empedocli. Lorinus in caput* 17. *Lauit. illum aſſignat Critiæ.* PROTHAGORAS. *Alij legunt* Praxagoras, *qui fuit Medicus à Plinio & Athenæo commendatus. Prothagoras verò non fuit Medicus, ſed Philoſophus Abderites apud Laërtium. Malunt alij legere Prothagoram, inſignem apud Stoicos Philoſophum.* APOLLODORVS. *& hic fuit Stoicus, teſte Laërtio in Zenone.* CHRYSIPPVS. *Item princeps inter Stoicos. De quo ſic Chalcidius refert ſententiam, pro ſede animæ:* Sicut aranea, inquit, in medietate caſſis, omnia filorum tenet pedibus exordia, vt cum quod ex beſtiolis plagas incurrerit, ex quacumque parte de proximo ſentiat, ſic animæ principale poſitum in media ſede cordis, ſenſuum exordia retinere, vt cum quid nuntiabunt, de proximo recognoſcat. RETVSVS ASCLEPIADES. *Confutatus, repulſus, explosus, &c.* SINE CORDE, &c. *Sciant ſe excerebras & excordes, qui de capris & mulcis, aliiſque beſtiis argumenta ſumunt, quibus præiudicent & concludant, poſſe hominem ſine cerebro & corde viuere.*

S. Aug.

S. Aug.

12. *Anima rationalis vis expreſsior eſt in ſenſu, id eſt in cognitione, qua ſeipſam, & Deum ignorare non poteſt. De Car. Chri. cap. 12. à p.*

SI ergo ignoramus animam, ipſa ſe ignorat. Itaque ſupereſt hoc ſolummodo inſpicere, an ſe anima hic ignorarit, vt nota quoquo modo fieret. Opinor ſenſualis eſt animæ natura. Adeo nihil animale, ſine ſenſu; nihil ſenſuale, ſine anima. Et vt impreſſius dixerim, animæ anima ſenſus eſt. Igitur cùm omnibus anima ſentire præſtet, & ipſa ſentiat omnium etiam ſenſus, nedum qualitates, quî veriſimile eſt, vt ipſa ſenſum ſui ab initio ſortita non ſit? Vnde illi ſcire quod interdum ſibi ſit neceſſarium, ex naturalium neceſſitate, ſi non ſcit ſuam qualitatem, cui quid neceſſarium eſt? Hoc quidem in omni anima recognoſcere eſt; notitiam ſui dico; ſine qua notitia ſui, nulla anima ſe miniſtrare potuiſſet. Puto autem magis hominem, animal ſolum rationale, compotem & animam eſſe ſortitum, quæ illum facit animal rationale, ipſa in primis rationalis. Porro, quomodo rationalis, quæ efficit hominem rationale animal, ſi ipſa rationem ſuam neſcit; ignorans ſemetipſam? Sed adeò non ignorat, vt auctorem, & arbitrum, & ſtatum ſuum norit. Nihil adhuc de Deo diſcens, Deum nominat. Nihil adhuc de iudicio eius admittens, Deo commendare ſe dicit. Nihil magis audiens, quàm ſpem nullam eſſe poſt mortem, & benè & malè defuncto cuique imprecatur. Plenius hæc proſequitur libellus, quem ſcripſimus de teſtimonio animæ. Alioquin, ſi anima ſemetipſam ignorans erat ab initio, nihil à Chriſto cognouiſſe debuerat, niſi qualis eſſet. Nunc autem non effigiem ſuam didicit à Chriſto, ſed ſalutem.

ANIMÆ VIS. XII. SCHOL.

SI ERGO, &c. *Quia iuxta Plotinum lib. 7. de Immort. c.* 1. Anima præcipuè eſt ipſe homo. *Vnde concludit Tertul. animam ſeipſam ignorare, ſi ipſam ignoramus.* SENSVALIS EST. *Id. omnes ſenſus callet, ſenſum id. Intellectum, & cognitionem omnium poſſidet. Per ſenſum igitur, ſeu ſenſualitatem, accipe vim cognoſcitiuam. Sicut ex Ariſtotele 2. de anima. Empedocles & Homerus ſenſum pro intellectu vſurpant.* IMPRESSIVS. *Id. expreſſius, ſignificantius. Eadem voce vtitur de carne Chriſti c.* 20. *& 3. cont. Marc.* ANIMÆ ANIMA. *Ita Philo. de opif. Mundi.* Homini mentem eximiam dedit, aliam animæ animam. OMNIVM SENSVS. *Id. ſenſationes.* QVALITATES. *Proprietates eſſentiales.* NATVRALI NECESSITATE. *Prima principia intelligit, quibus neceſſario aſſentitur anima; ſicut Deum eſſe, prouidentiam, &c.* SE MINISTRARE. *Seipſam per ſemet exhibere adminiſtram.* SED ADEO NON IGNORAT, &c. *Non ſic ignorantia obſtruitur anima ratio, vt Deum creatorem, & iudicẽ, & ſuum ſtatum poſt corporis mortem, immortalem inſuper non agnoſcat. Et licet rudis adhuc & ſine cultura diſciplinæ, naturali luce Deum inuocat, nihil inſtructionis adhuc* Admittens, *Philoſopho docente; Deum iudicem, & arbitram rerum omnium eius prouidentiam ponit, & ſe ſuaque ei commendat. Quam parum ſe Deumque cognoſcat anima, dum verſatur in corpore, teſtis eſt Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. c.* 5. Etſi nemo ſcit hominũ quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt; tamen eſt aliquid hominis, quod nec ipſe ſcit ſpiritus hominis qui in ipſo eſt: tu autẽ Domine ſcis eius omnia, qui feciſti eum. &c. NIHIL MAGIS AVDIENS, &c. *Quam illud ſcilicet Dicæarchi, Democriti, Epicuri, cæterorumque negantiũ immortalitatem.* Poſt mortem nulla voluptas; *Mortuis tamen quaſi aliquid ſentientibus, benè vel malè precatur.* NIHIL A CHRISTO, &c. *Id. Chriſtus hominibus miſſus doctor & Magiſter. Primò quidem docuiſſet hominem de ſtatu animæ rationalis, ſi abſque hac cognitione ſui naturali creata eſſet anima. Vnde ei dicitur in Canticis, effigiata ad imaginem Dei, proindeque pulcherrimæ:* Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poteſt veſtigia gregum tuorum. *Quaſi ignorantiâ, non iam ex pſalte,* Non intelligens comparetur iumentis, *ſed ex mente D. Bernardi,* Ipſis beſtiis beſtialior videatur anima, ratione vigens, & ratione non viuens. *De hac ignorantia quatenus eſt pœna peccati, ſic Auguſtinus lib. 1. Retract. c. 9.* Ad miſeriam iuſtæ damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis ſuæ, nec ab iſto malo niſi Dei gratia quiſquã liberatur. Quam miſeriã Pelagiani nolunt ex iuſta damnatione deſcendere, negantes originale peccatum: quamuis ignorantia & difficultas, etiãſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpãdus Deus, ſed laudandus eſſet. *Et lib. 3. de libero arbitrio c. 18. de ignorantia:* Sunt reuera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehoneſtat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falſa pro veris, vt errer inuitus, & reſiſtente atque torqueute dolore carnalis vinculi, non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non natura inſtituti hominis eſt, ſed pœna damnati.

S. Aug.

S. Aug.

Aug.

13. *Anima excellens memoria, obliuionis Platonicæ nexum exaggerat, cùm nec in beſtiis, naturalium memoria excidat. De An. cap. 24. à p. ad ci* 1. m.

CEterùm, quæ, vt haberi meritò poſſit ex peræquatione omnium proprietatum, Deus, nulli paſſioni ſubiacebit, ita nec obliuioni, quum tanta ſit iniuria obliuio, quanta eſt gloria eius, cuius iniuria eſt, memoria ſcilicet; quam & ipſe Plato, ſenſuum & intellectuum ſalutem; & Cicero, theſaurum omnium ſtudiorum prædicauit. Nec hoc iam in dubium deducetur, an tam diuina anima memoriam potuerit amittere, ſed an quam amiſerit, recuperare denuò poſſit. Quæ enim non debuit obliuiſci, ſi oblita ſit, neſcio an valeat recordari. Ita vtrumque meæ animæ, non Platonicæ congruet. Secundo gradu opponam: Na-

turâ compotem animam facis idearum illarum, an non? Immò naturâ, inquis. Nemo ergo concedet naturalem scientiam naturalium excidere artium. excidet studiorum, excidet doctrinatum, disciplinarum. excidet fortasse & ingeniorum, & affectuum, quæ naturæ videntur, non tamen sunt; quia, vt præmisimus, & pro locis, & pro institutionibus, & pro corpulentiis, ac valetudinibus, & pro potestatibus dominatricibus, pro libertatibus arbitrij, ex accidentibus constant. Naturalium verò scientia, ne in bestiis quidem deficit. Planè obliuiscetur feritatis leo, mansuetudinis eruditione præuentus, & cum toto suggestu iubarum, delicium fiet Berenices alicuius reginæ, linguâ genas eius emaculans. mores bestiam relinquent, scientia naturalium permanebit. non obliuiscetur idem naturalium pabulorum, naturalium remediorum, naturalium terrorum. & si de piscibus, & si de placentis regina ei obtulerit, carnem desiderabit: & si languenti theriacam composuerit, simiam leo requiret: & si nullum illi venabulum obfirmabit, gallum tamen formidabit. Perinde & homini, omnium forsitan obliuiosissimo, inoblitterata perseuerabit sola scientia naturalium, vt sola scilicet naturalis; memor semper manducandi in esurie, & bibendi in siti; & oculis videndum, & auribus audiendum, & naribus odorandum, & ore gustandum, & manu contrectandum. Hi sunt certè sensus, quos philosophia depreciat intellectualium prælatione. Igitur si naturalis scientia sensualium permanet, quomodo intellectualium, quæ potior habetur, intercidit?

ANIMÆ VIS. XIII. SCHOL.

EX PERÆQVATIONE, &c. *Hic ridet Platonem qui cum animam Deo adæquaret proprietatum similitudine, propter immortalitatem, incorruptibilitatem, inuisibilitatem, &c. Eam tamen obliuiosam singeret, quod indignum dicit anima pro Deo habita, cum nec ipsa fera naturalium principiorum & instinctuum obliuiscantur.* INIVRIA OBLIVIO. *Contra obliuionem Platonicam sic Augustinus lib. 1. retract. c. 4.* S. Aug. Quodam loco dixi, quod disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas obliuione obrutas eruunt discendo, & quodammodo refodiunt. Sed hoc quoque improbo. Credibilius est enim, propterea vera respondere de quibusdam disciplinis, etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, vbi hæc immutabilia vera conspiciunt, non quia ea nouerunt aliquando, & obliti sunt, quod Platoni, vel talibus visum est. Contra quorum opinionem, quanta pro suscepta opera dabatur occasio, in lib. 12. de Trinit. c. 15. disserui. *Vbi inter cætera*: Plato, inquit, ille Philosophus nobilis persuadere conatus est, vixisse hîc animas hominum, & antequam ista corpora gererent. Ethinc esse, quòd ea quæ discuntur, reminiscuntur potius cognita, quàm cognoscuntur noua. Retulit enim puerum quemdam nescio quæ de geometria interrogatum, sic respondisse, tanquam esset illius peritissimus disciplinæ. Gradatim quippè atque artificiosè interrogatus, videbat quod videndum erat, dicebatque quod viderat. Sed si recordatio hæc esset rerum antea cognitarum, non vtique omnes, vel penè omnes cum illo modo interrogarentur, hoc possent. Non enim omnes in priore vita geometræ fuerunt, cùm tam rari sint in genere humano, vt vix possit aliquis inueniri: sed potius credendum est, mentis intellectualis ita conditam esse naturam, vt rebus intelligibilibus naturali ordine disponente conditore subiuncta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quæ in hac corporea luce circumadiacent, cuius lucis capax eique congruens est creatus. IPSE PLATO. *Sic in Philebo Platonis Socrates*: Salutem sensus memoriam si quis dixerit, rectè quidem nuncupabit. *Per sensum accipit intelligentiam. Memoriam item commendat in Theæteto* donum hoc esse dicamus, musarum matris memoriæ, &c. CICERO *1. de orat. nominat* Thesaurum rerum omnium memoriam. NATVRA INQVIS. *Cùm Platone contendit, volente animam habere innatam idearum notitiam. Vnde arguit nec naturalem scientiam, naturalium artium posse excidere memoriâ. Per artes autem, vt statim apertè declarat, non artes aut scientias liberales, sed instinctus, & primorum principiorum notitiam intellexit.* VT PRÆMISIMVS. *Vide dicta V. Animæ Vis 4.* CVM TOTO SVGGESTV, &c. *Id. fero & superbo apparatu, & exuberantia Iubarum.* DELITIVM. *Id. cum eo delitiabitur, recreabit se comendo & pectendo ludet quasi cum catulo, fele, simia.* BERENICES. *Vna fuit Ptolomæi Lagi vxor, Regina Ægypti, cuius nomine vrbem condidit Ptolomæus Philadelphus eius filius, in sinu Arabico. Fuit & alia Ægypti Regina dicti Philadelphi filia, quæ nupsit Eurgetæ fratri, quæ statim post nuptias in Asiam profecto, Berenice crinem se detonsuram, & dicaturam Veneri vouit, si rediret sponsus incolumis. Quo reuerso, comâque appensâ Veneris templo, cum postridie non apparuisset, dolenti Regi Conon eius Mathematicus, vxoris comam inter sydera relatam affirmauit, & ei septem stellas in cauda Leonis ostendit, quas capillos sponsæ esse dixit. Sic Hyginus in Leone. Meminit & Plin. lib. 2. c. 70.* Quem vocant Berenices crinem. *Cæterùm hîc author iuxta Ælianum de cicurato leone loquitur.* Cum Berenice mansuefactus Leo viuebat, tanquam vnus ex comptoribus; linguaque eius faciei blandiebatur leniter abstergens, & complanans rugas, demulcebat: cum eaque in mensa conuiuebat, humaniter & aptè comedens. Onemarchus Catanæ Tyrannus, & Cleomenis filius, etiam leones habuerunt conuictores. *Plin. lib. 8. c 16.* Credit Libya intellectum peruenire ad eos precum. Captiuam certè Getuliæ reducem audiui, multorum in Siluis impetum à se mitigatum alloquio, ausam dicere se fœminam profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi, cæterisque imperantis, indignam eius gloriâ prædam. *Sic captiuantur leones mulierum alloquio.* NATVRALIVM PABVLORVM, *Id. carnis, vt placentas regias, & pisces delicatiores oblatos respuat.* NATVRALIVM REMEDIORVM *Vt pro omni theriaca Simiam requirat. Ambr. in Exam.* Leo æger simiam quærit vt deuoret, quo sanari possit. *Plin. lib. 8. c. 16.* ægritudinem fastidij, *Ex nimia scilicet repletione*, tantum sentit, in qua

medetur ei contumelia, in rabiem agente annexarum lasciuia Simiarum. Gustatus deinde sanguis in remedio est. NATVRALIVM TERRORVM. *Vt plus Gallum formidet quàm intentatum venabulum, id est telum venatorium aciei longissimæ, Gallicè* Espieu. *Sic Plin. supra* tam sæuum animal rotarum orbes circumacti, currusque inanes, & Gallinaceorum cristæ cantusque etiam magis terrent, sed maximè ignes. *Ambr. in Hexa.* Leo gallum & maximè album veretur. INTELLECTVALIVM PRÆLATIONE, vt iuxta superius allata sensus intellectuales, & corporeos distinguat, carnalibus longè inferioris pretij reputandis.

14. *Ingenia subtiliora, in regionibus calidis, magis quàm frigidis. De An. cap. 25. circa fin.*

SI aëris rigor thesaurus est animæ, extra Germanias, & Scythias, & Alpes, & Argæos nemo debuit nasci. Atquin & populi frequentiores apud orientalem, & meridialem temperaturam, & ingenia expeditiora, omnibus Sarmatis etiam mente torpentibus. Et animi enim de rigoribus scitiores prouenirent, si animæ de frigusculis euenirent. cum substantia enim, & vis.

ANIMÆ VIS. XIV. SCHOL.

AERIS RIGOR THESAVRVS. *Agit contra Hicesium, qui animam ex aëris frigidi pulsu, quasi ex thesauro produci, & in corpus pueri in egressu ex vtero infundi credebat.* EXTRA GERMANIAS, &c. *Bene concludit, nullum hominem in calidis regionibus debuisse nasci, si anima procedat tantum ex aëre frigido.* ALPES. *Sabini Alpum vocant quod nos album & Graci ἄλφον. Quod niuibus continuis albescant, dicta Alpes.* ARGÆOS. *Strabo lib. 12. Geograph.* Sita est sub Argæo monte omnium altissimo, cuius vertex nunquam niuibus priuatur. *Ita & Solin. c. 57.* Argæus niualibus iugis arduus, &c. SARMATIS. *Florus lib. 4. c. 12. & Iornandis lib. 1. de Regn. &c.* Nihil aliud vbi degunt præter niues, pruinasque, & Syluas habent, tantaque barbaries in illis est, vt non intelligant pacē. *Aristot. autem in Polit. notat Regionū frigidarū, incolas abundare quidem animo, id est fortes & bellicosos esse, ingenij vero & artificij vix aliquid possidere.* SCITIORES. *Id. ingenia aptiora scientiæ.* DE FRIGVSCVLIS. *Id. Flabellis aëris frigidi.* CVM SVBTANTIA, &c. *Alludit ad supra dicta de massa substantiua animæ, cuius hic vt & alibi vim, & subtilitatem à Regione prouenire docuit. Quasi diceret, si ipsa anima substantia procedit ex aëre natali frigido, vis etiam animi & ingenij, quod officium & instrumentum est animæ, scientia aptior erit ex eodem frigore. Quidquid sit de causis, subtilioris, vel crassioris intellectus, Augustinus peccato originali hebetudinem attribuit, Epist. 28. ad Hiero. de natura & origine animarum*: De ingeniorum diuersitate, immo absurditate quid dicam, quæ quidem in paruulis latet, sed ab ipsis exordiis naturalibus ducta, apparet in grandibus? quorum nonnulli, tam tardi & obliuiosi sunt, vt ne prima quidem discere literarum elementa potuerint: quidam vero tantæ sunt fatuitatis, vt non multum à pecoribus differant, quos moriones vulgo vocant. Respondetur fortasse, corpora hoc faciunt. Sed numquid secundum hanc sententiam quam defendere volumus, anima sibi corpus elegit, & in eligendo, cum falleretur, erranit? aut cum in corpus cogeretur intrare necessitate nascendi, alia corpora præoccupantibus animarum tubis, ipsa aliud non inuenit? Et sicut in spectaculo aliquo locum, ita carnem, non quam voluit, sed quam valuit, occuparit? Numquid hæc & talia vel dicere possumus, vel sentire debemus? &c. *Et in Psal.* 118. Animam factam potius dicunt esse quam fictam, quia non est corpus, sed spiritus, &c. *Quia dictum est Esa. 57. omnem flatum ego fici; de corpore autem Gen. 2. finxit hominem de pulvere terræ, &c.* Nec aliquid omnino siue de mundi elementis *Calidis, frigidis; siccis, humidis, & in regionibus huiusmodi*, siue de genitoribus, siue de seminibus nascitur, si ea non operetur Deus, &c. Sed numquid sine intellectu fecit hominem Deus, siue primum, sine vnumquemque nascentium, vt nunc dicat ei, manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me, da mihi intellectum? nonne ipsi naturæ humanæ intellectus est inditus, vt discernatur à pecore? aut sic est deformata peccando, vt etiam hoc in ea reformandum sit? propter quod & Apostolus omnibus ad regenerationem pertinentibus dicit, renouamini spiritu mentis vestræ: & vtique intellectus in mente est, &c. Propter hos igitur interiores oculos, quorum cæcitas est, Deum non intelligere, vt aperiantur & magis magisque serenentur, fide corda mundentur: da mihi, inquit, intellectum, vt discam mandata tua.

Aug. S. Aug.

15 *Animæ vis à diabolo quidem obumbrari potest, extingui non potest. De An. cap. 41. inp.*

MAlum animæ, præter quod ex obuentu spiritus nequam superstruitur, ex originis vitio antecedit, naturale quodammodo. Nam vt diximus, naturæ corruptio alia natura est, habens suum deum, & patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem; vt tamen insit & bonum animæ, illud principale, illud diuinum atque germanum, & propriè naturale. Quod enim à Deo est, non tam extinguitur, quàm obumbratur. Potest enim obumbrari, quia non est Deus; extingui non potest, quia à Deo est. Itaque, sicut lumen aliquo obstaculo impeditum, manet, sed non comparet, si tanta densitas obstaculi fuerit; ita & bonum in anima à malo oppressum, pro qualitate eius, aut in totum vacat, occultata luce, aut qua datur radiat, inuenta libertate.

Digitized by Google

ANIMÆ VIS. XV. SCHOL.

MALVM IGITVR. *Primum anime malum dicit quod ex primo parente, humani generis origine trahitur,* NATVRALE QVODAMMODO, *Non omnino naturale, quod bonum nature debilitat, rationis lumen, & voluntatis libertatem infirmando. Bonum enim nature plenum à Deo conditum est. Postea ex Ade peccato, ceteris eius posteris, originale malum, factum est quodammodo naturale.* Nascimur enim filij Iræ. PRÆTER QVOD EX OBVENTV SPIRITVS. *Id est, taceo & omitto malum, quod à demone inimico, zizaniorum authore superseminatur.* ALIA NATVRA EST. *Repetit quod dixerat,* Quodammodo naturale. *Deinde subiicit, diabolum authorem peccati, Deum esse, & Patrem nature corrupte, sicut Deus integre, quæ præcessit in homine: quæque extingui omnino non potest: Nec enim peccatum rationis lumen & libertatem prorsus ademit, sed velut sub quodam medio carnis & appetitus sensitiui spisso ac denso obnubilauit, unde vt potest erumpit.* OBVMBRARI QVIA DEVS NON EST. *Sic Iacobi.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum; apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. QVIA A DEO EST. *Mutari potuit à bono in malum, ab integro & perfecto ad vitiatum & mutilum, quia creatura defectibilis est. Extingui prorsus & annihilari non potuit per peccatum, quia Imago Dei est, quia immortalis est. Inde subdidit statim Iacobus,* Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. *Per creationem primò habentes principatum super ceteras creaturas, rationem possidentes; deinde* Verbo vitæ in lauacro aquæ, *Gratiæ filij, & secundum Petrum,* Diuinæ consortes naturæ, *Vt postea* in mensuram ætatis plenitudinis Christi, in virum perfectum, *Consummata simus creatura, per gloriam: cum iuxta Ioannem,* Similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. *Rursum illud* obumbrari potest *Sic accipe ab Aug. ser. de Symbolo:* Et anima humana secundum quemdam modum dicitur immortalis, sed non est vera immortalitas, vbi tanta est mutabilitas, per quam & deficere, & proficere potest. Vnde mors eius est alienatio à vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illa. Vita vero eius, concurrere ad fontem vitæ, vt in lumine Dei videat lumen. *Respicis Paulum dicentem Ephes. 4.* Non ambuletis sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum. *Quod sic explicat idem Aug. in Psal. 41,* Ipse fons & lumen est, &c. Si & fons & lumen est, merito & intellectus est, quia & satiat animam auidam sciendi, & omnis qui intelligit, luce quadam non corporali, non carnali, non exteriore, sed interiore illustratur, &c. Vnde Apostolus obsecrans dicit, non ambuletis sicut & Gentes, &c.

Aug.

Aug.

ANIMÆ PASSIBILITAS.

1. *Anima passibilis est, & commiscibilis, contra Aristotelem. de An. cap.* 12. *à p.*

INitium omnium commentatus animum, & vniuersitatis oscillum de illius axe suspendens, purumque eum adfirmans, & simplicem & incommiscibilem, hoc vel maximè titulo segregat ab animæ commistione; & tamen eundem alibi animæ addicit. Hoc etiam Aristoteles denotauit, nescio an sua paratior implere, quàm aliena inanire. Denique & ipse definitionem animi quum differret, interim alterum animi genus pronuntiauit, illum diuinum, quem rursus & impassibilem subostendens, abstulit & ipse eum à consortio animæ. Cùm enim animam passibilem constet eorum quæ sortita est pati; aut per animum, & cum animo patietur: si concreta est animo, non potest animus impassibilis induci; aut si non per animum, nec cum animo patietur anima, non erit concreta illi, cum quo nihil, & qui nihil patitur. Porro si nihil per illum & cum illo anima patietur, iam nec sentiet; nec sapiet, nec mouebitur per illum, vt volunt. Nam & sensus passiones facit Aristoteles. Quidni? & sentire enim pati est, quia pati sentire est. Proinde & sapere sentire est, & moueri sentire est: ita totum pati est. Videmus autem nihil istorum animam experiri, vt non & animo deputetur, quia per illum & cum illo transigatur. Iam ergo & commiscibilis est animus, aduersus Anaxagoram; & passibilis, aduersus Aristotelem. Cæterùm, si discretio admittitur, vt substantia duæ res sint, animus atque anima, alterius erit & passio, & sensus, & sapor omnis, & actus, & motus: alterius autem otium, & quies, & stupor, & nulla iam causa; & aut animus vacabit, aut anima. Quod si constat ambobus hæc omnia reputari, ergo vnum erunt vtrumque, & Democritus obtinebit, differentiam tollens, & quæretur quomodo vnum vtrumque? ex duarum substantiarum confusione, an ex vnius dispositione? Nos autem animum ita dicimus animæ concretum, non vt substantiâ alium, sed vt substantiæ officium.

ANIMÆ PASSIBILITAS. I. SCHOL.

INITIVM OMNIVM. *Immediatè ante dixerat,* Turbatam Anaxagoræ sententiam. *Cum enim dixisset animum initium esse omnium, & suspendisset eum tanquam* OSCILLVM, *id est os, faciem, caput parua imaguncula, ab* AXE *mundi, suspendum, tanquam vniuersitatis caput, vnde cetera pendeant, quem, vt Microcosmon, & totius creature compendium, & iuxta Salomonem,* Hoc quod continet omnia, *Omnia suspiciant: um inquam Anaxagoras, animum suspendisset, præcunctis eleuasset, vt veteres faciebant Deorum*

Digiti

Deorum imagunculas; *vt Virgilius 2. Georg.* Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu, *Id. cereas imagines*; Et purum animum & ſimplicem, & incommiſcibilem, *Finxiſſet, & ſic eum ab anima diſtinxiſſet: alio tamen loco eundem animum cum anima commiſcet, & confundit: quod & in eo Ariſtoteles arguit, 1. de Anima c. 2.* Anaxagoras, inquit, multis in locis boni rectique mentem cauſam eſſe dicit: alibi autem animam ipſam mentem eſſe aſſerit. *De anima velut ab axe mundi ſuſpenſa, & puſt Deum omnibus eminente, quem vt imago repræſentat, vt vniuerſitatis Domina, quæ apud Deum habitet, & acceptis ab eo eminentia, de eminentia ſua ſupremo gradu cæteris imperet creaturis corporeis; fuſè diſſerit Aug. to. 1. per totum librum de Quantitate Animæ, in quo interroganti reſpondet*, Propriam quandam habitationem animæ ac patriam, Deum ipſum credo eſſe, à quo creata eſt. Subſtantiam verò eius nominare non poſſum, non enim eam puto eſſe ex iis vſitatis notiſque naturis, quas iſtis corporis ſenſibus tangimus, &c. videtur mihi eſſe ſimilis Deo, &c. *Et cap. 3.* Non vllo modo aut longa, aut lata, aut quaſi valida ſuſpicanda eſt anima, corporea iſta ſunt, vt mihi videtur, & de conſuetudine corporum, ſic animam quærimus. Ideoque benè præcipitur etiam in myſteriis, *Baptiſmi ſcilicet*, vt omnia corporea contemnat, vniuerſoque huic mundo renuntiet, qui vt videmus, corporeus eſt, quiſquis ſe talem reddi deſiderat, qualis à Deo factus eſt, id eſt ſimilem Deo. *En oſcillum, id eſt, os parvum, referens, vt imaguncula ſuſpenſa & eminens cunctis corporibus, Deum toti mundo præſidentem. De eadem anima excellentia Aug. in Pſal. 145.* Semper corpus, quoniam corpus eſt, infra animam eſt, & quæuis anima vilis excellentiſſimo corpore excellentior inuenitur. Nec vobis hoc quaſi mirabile videatur, quia & vilis anima quælibet peccatrix, melior eſt quolibet magno & præſtantiſſimo corpore. *Deinde ſe explicat.* Non eſt melior, inquit, meritis, ſed natura. Eſt quidem anima peccatrix, eſt quibuſdam concupiſcentiarum ſordibus inquinata, tamen melius eſt, & ſi ſordidum aurum, quàm purgatiſſimum plumbum, &c. *Idem dicit de homine peſſimo comparato equo optimo, Iuriſperito etiam multas leges ignorante, cum optimo ſutore.* Sutorem laudaſti, Iuriſperitum reprehendiſti. Ex his tamen duobus quære quis ſit melior, Imperitior Iuriſperitus, perfecto ſutori præponitur, &c. Natura animæ præſtantior eſt, quàm natura corporis, excellit multum, res ſpiritalis eſt, res incorporea eſt, vicina eſt ſubſtantiæ Dei. Inuiſibile quiddam eſt, regit corpus, mouet membra, dirigit ſenſus, præparat cogitationes, exerit actiones, capit rerum infimitarum imagines: Et quis eſt tandem, fratres chariſſimi, qui ſufficiat laudibus animæ? & ſi in animæ laudibus deficitur, quæ laus eſt eius, qui animam condidit? & tamen tanta eſt eius *Animæ ſcilicet* gratia, vt dicat homo iſte, lauda anima mea Dominum. Quis poteſt laudare Deum? Si diceret teipſam lauda, forſaſſe deficeret. Lauda, inquit, Deum; conare pietatis affectu, deficies in laudibus eius. Expedit tibi deficere laudando Deum, quàm proficere laudando te. Cum enim laudas Deum, non explicas quod vis. Extenditur in interiora cogitatio tua, ipſa extenſio capaciorem te facit eius quem laudas. Quis ergo eſt, vt dicere cœperam, qui dicit, lauda anima mea Dominum? caro non dicit. Sit licet corpus Angelicum, inferius eſt quàm anima, conſilium ſuperiori dare non poteſt. Infœlix eſt ipſa anima, ſi à corpore expectet conſilium. *Deinde in rem Tertulliani tractantis hic de commiſſibilitate, id eſt identitate animi & animæ; interdum ſua animum ſuperiorem animæ partem probat his verbis.* Quis eſt ergo, inquit, qui dicit, lauda anima mea Dominum? nihil inuenimus amplius in homine quàm carnem & animam; totus homo, hoc eſt ſpiritus & Caro. An fortè ipſa anima ſibi dicit, & ſibi quodāmodo imperat, & ſe exhortatur atq; excitat? Quibuſdam enim perturbationibus ex quadam ſui parte fluitabat, ex quadam vero parte, quam vocant mentem rationalem, illam qua cogitat ſapientiam, inhærens Domino iam & ſuſpirans in illum, animaduertit quaſdam ſuas inferiores partes perturbari motibus ſæcularibus & cupiditate quadam terrenorum deſideriorum ire in exteriora, relinquere interiorem Deum: reuocat ſe ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad ſuperiora, & dicit, lauda anima mea Dominum. Quid tibi placet in ſæculo? quid eſt quod vis laudare, quid eſt quod vis amare? &c. Quomodo laudandus eſt qui fecit illa quæ laudas? Iam ergo diu occupata vixiſti, & deſideriorum diuerſitate verberata, portas plagas ſaucia, diuiſa per amores multos, vbique inquieta, nuſquam ſecura. Colligere ad teipſam; quidquid tibi foris placebat, quære quem habeat authorem, &c. Vndique pulchritudo operis tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem, non occuperis in eo quod factum eſt, & recedas ab illo qui fecit. Hæc enim quibus occuparis ſub te fecit, quia ſub ſeipſo te fecit. Si hærebis ſuperiori, calcabis inferiora. *Sic à ſummo omnium axe, id eſt Deo pendens anima, omnia à ſe dependentia habebit, ſic incommiſcibilis rebus conditis, Deo adhærere inerebitur. Porro* turbatam ſententiam, *rectè cum oſcillis comparat. Ludus enim oſcillorum, ſive oſcillatio, qua fiebat à pueris ludentibus oſſeis imagunculis, modo, vt caſus ferebat, oſcilla ſurſum modo deorſum iactabat. Sic turbatur & confunditur Anaxagoræ ſententia.* ALIENA IMANIRE. *Id. exinanire. Dives eſt Ariſtoteles, quem hic vellicat, in refellendis aliorum placitis; qui & conſentit Anaxagoræ ſegregans animum* A conſortio animæ. *Ariſtoteles lib. 10. de anima c. 4.* Intellectus, inquit, diuinum quid eſt fortaſſe, paſſione que vacat. *Et lib. 2. de generat. Animal. c. 3.* Reſtat vt mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit: nihil enim cum eius actione communicat, actio corporalis: ſed enim omnis animæ ſiue virtus, ſiue potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quàm ea quæ elementa appellantur. AVT PER ANIMVM, &c. *Sic ratiocinatur, ſi anima inſeparabiliter coniuncta eſt animo, vel per animum quaſi inſtrumentum patiendi & ſentiendi patietur, vel cum eo, quaſi inſeparabiliter coniuncto. Quod ſi nec per animum, nec cum animo patiatur, iam nec anima per animum mouebitur, ſapiet aut ſentiet, quod tamen vult ipſe Ariſtoteles qui admittit ſenſus, paſſiones eſſe.* Sentire enim eſt quoddam pati. *Quod tota Philoſophia cum Ariſtotele concedis, lib. 2. de Anima c. 5.* Fit autem ſenſus cùm mouetur, atque patitur. SAPERE SENTIRE EST. *Iſidorus lib. 11. Orig. c. 1.* Animus, inquit, ſenſus dicitur pro iis quæ ſentit, vnde & ſententia nomen accepit. SVBSTANTIA DVÆ RES. *Id. realiter diſtincta ſint ab invicem. Agit contra eos qui non commiſcibiles, ſed diſtinctas ſubſtantias credebant, animum & animam; & arguit, omnem actum alterutri dandum, alteri vacationem & otium.* QVÆRETVR QVOMODO, &c. *Iam non erit quæſtio de vtriuſque ſubſtantia differentia, ſed de vtriuſque identitate.* NOS AVTEM, &c. *ſentio, inquit, Tertul. animum & animam ſic commiſceri; & in vnū coaleſcere, non quaſi duas ſubſtantias in vnam con-*

Aug. Aug. Aug. 5. Aug.

ortus, sed animam vti amino, quasi instrumento suo & officio. Vide supra dicta. Verbo Anima Vis 10. A *4. p. & in Schol. vbi explicui nomen,* OFFICIVM.

* 2. *Anima corpori, & corpus animæ compatitur. De An. cap. 5. circa. fin.*

ANimam compati corpori, cui læso ictibus, vulneribus, vlceribus condolescit; & corpus animæ, cui afflictæ cura, angore, amore, coægrescit, per detrimentum scilicet vigoris, cuius pudorem & pauorem rubore atque pallore testetur.

ANIMÆ PASSIBILITAS. II. SCHOL.

ANIMAM COMPATI. *Probat iuxta Cleantem animam corpoream: de quo S. Nemesius c. 2.* Nullum non corpus consentit cum corpore, sed corpus cum corpore. Consentit autem anima cum corpore, dum ægrotat & secatur: corpus item cum anima, quòd dum pudore afficitur, rubescat; dum timet, pallescat: corpus igitur anima. *Sed idem negans maiorem, sic eludit consequentiam his verbis:* Similiter dicunt, vt si quis ita ratiocinetur: nullum animal superiorem maxillam mouet, crocodilus autem superiorem maxillam mouet, non ergo animal est crocodilus. *Vnius itaque hominis cõpositi ex duabus partibus omnino diuersis, vna spirituali, altera corporea, consensus, facit vt anima principium sentiendi corpori, ipsi laso condoleat, vt inde etiam fit, vt corpus, animæ læta vel tristia, pudenda vel laudanda cogitanti, meditantiq; se, interius calefacto, vel congelato sanguine, etiam extèrius, vel pallore, vel rubore, compassam prodat. De crocodilo Aug. l. 2. Soliloq. c. 8.* An ignoras cum per omnium animalium genera cucurreris solum Crocodilum inueniri, qui superiorem in mandendo partem mouerat? S. Aug. *De anima sensu, compatiente corpori. Aug. lib. 14. de Ciuit. c. 15.* Dolores qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne, & ex carne. Quid enim caro per seipsã sine anima, vel dolet, vel cõcupiscit? sed quod cõcupiscere caro dicitur, vel dolere, aut ipse homo est, sicut diximus, aut aliquid animæ, quod carnis afficit passio, vel aspera, vt faciat dolorem, vel lenis, vt voluptatem. Sed dolor carnis tantummodo offensio est animæ ex carne, & quædam ab eius passione dissensio, sicut animæ dolor, quæ tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt. *Et lib. 21. c. 3.* Si considerem diligentius, dolor qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet; animæ enim est dolere, non corporis, etiam quando ei dolendi causa exsistit à corpore, cum in eo loco dolet, vbi læditur corpus. Sicut ergo dicimus corpora sentientia, & corpora viuentia, cum ab anima sit corporis sensus & vita; ita & corpora dicimus dolentia, cum dolor corporis, nisi ab anima, esse non possit. Dolet itaque anima cum corpore, in eo loco eius, vbi aliquid contingit vt doleat, dolet & sola, quamuis sit in corpore, cum aliqua causa etiam inuisibili tristis est ipsa, corpore incolumi, &c. *Tum paulo post contra Platonicos.* Dixerunt quidam Platonici, ex terrenis corporibus moribundisque membris, esse animæ, & metuere, & cupere, & dolere, atque gaudere. Vnde Virgilius: hinc, inquit, id est ex moribundis terreni corporis membris, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, sed conuincimus eos in 14. huius operis libro habere animas, secundum ipsos, ab omni etiam corporis labe purgatas, diram cupiditatem, qua rursum incipiunt in corpora velle reuerti. Vbi autem potest esse cupiditas, profecto etiam dolor esse potest. Frustrata quippe cupiditas, siue non perueniendo quò tendebat, siue amittendo quò peruenerat, vertitur in dolorem. Aug.

* 3. *Animas separatas, etiam ante resurrectionem, iuxta merita pati decet, vel munerari post mortem, quæ etiam dum sunt in carne, independenter ab ea dolere & gaudere possunt. De Anima. cap. 58. in p. ad circa finem.*

OMnes animæ penes inferos? inquis. Velis ac nolis, & supplicia iam illic & refrigeria. habes pauperem, & diuitem. & quia distuli nescio quid ad hanc partem, iam opportune in clausula reddam. Cur enim non putes, animam & puniri & foueri in inferis interim sub expectatione vtriusque iudicij, in quadam vsurpatione & candida eius? Quia saluum debet esse, inquis, in iudicio diuino negotium suum, sine vlla prælibatione sententiæ: tum quia & carnis operienda est restitutio, vt consortis operarum, atque mercedum. Quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? Atenim animæ nec in viuentibus dormiunt; corporum enim est somnus, quorum & ipsa mors, cum speculo suo, somno. Aut nihil vis agi illic, quò vniuersa humanitas trahitur? quò spes omnis sequestratur? Delibari putas iudicium, an incipi? præcipitari, an præministrari? Iam verò, quàm iniquissimum etiam apud inferos, si & nocentibus adhuc illic benè est, & innocentibus nondum? Quid? ampliationem vis esse post mortem, confusâ spe, & incertâ expectatione ludentem, an vitæ recensum iam & ordinationem iudicij inhorrentem? Semper autem expectat anima corpus, vt doleat, aut gaudeat? nonne & de suo sufficit sibi ad vtrumque titulum passionis? Quoties illæso corpore anima sola torquetur bile, ira, tædio plerumque nec sibi noto? quoties item corpore adflicto, furtiuum sibi anima gaudium exquirit, & à corporis importuna tunc societate secedit? Mentior, si non de ipsis cruciatibus corporis, & gloriari, & gaudere sola consueuit. Respice ad Mutij animam, cùm dexteram suam ignibus soluit. Respice ad Zenonis, cùm illam Dionysij tormenta prætereunt. Morsus ferarum ornamenta sunt iuuentutis, vt in Cyro, vrsi cicatrices. Adeò nouit & apud inferos anima & dolere, & gaudere sine carne; quia & in carne illæsa, si velit, dolet; & læsa, si velit, gaudet. Hoc si ex arbitrio suo in vita, quanto magis

ex iudicio Dei post mortem? Sed nec omnia opera cum carnis ministerio anima partitur; nam & solos cogitatus, & nudas voluntates censura diuina persequitur: [a] *Qui viderit ad concupiscendum, iam adulterauit in corde.* Ergo propter hoc, congruentissimum est, animam, licet non exspectatâ carne, puniri, quod non sociata carne commisit. Sic & ob cogitatus pios, & beneuolos, in quibus carne non eguit, sine carne recreabitur. Quid nunc, si & in carnalibus prior est, quæ concipit, quæ disponit, quæ mandat, quæ impellit? Et, si quando inuita, prior tamen tractat, quod per corpus actura est. nunquam denique conscientia posterior erit facto. ita huic quoque ordini competit, eam priorem pensare mercedes, cui priori debeantur. In summa, quum [b] *Carcerem* illum, quem Euangelium demonstrat, infetos intelligamus, & *Nouissimum quadrantem*, modicum quodque delictum morâ resurrectionis illic luendum interpretemur; nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos salua resurrectionis plenitudine, per carnem quoque.

[a] Matth. 5. 28.

[b] Matth. 5. 25. & seq.

ANIMÆ PASSIBILITAS. III. SCHOL.

OMNES ERGO ANIMÆ. *Error est Tertulliani, qui omnes animas, exceptis martyrum, vsque ad iudicium, in inferis pœnam, vel refrigerium habere credebat.* VTRIVSQVE IVDICII. *Vtriusque scilicet, bonis & malis pronuntiandi.* CANDIDATI. *Candidati dicti à candida veste, quam gestabãt, qui nondum consecuti erant honorem, quem ambiebant. Vide Festum lib. 2. c. 7. transit titiè autem candidati, etiam aliarum rerum petitores, vel præstolantes dicti sunt, quo sensu & ipse Tertul. 2. Cont. Marc. dixit* Candidatos restitutionis. OPERIENDA EST. *Exspectanda.* CVM SPECVLO *id. imagine mortis.* VNIVERSA. *Iterum suum errorem insinuat de omni anima apud inferos expectante.* DELIBARI, *Anticipari; quasi fiat aliqua iniuria integritati iudicij. Agit errore suo, contra errorem dicentium iudicium omne differri vsque ad resurrectionem, eo quod corpus animæ cooperetur, in bono & malo.* NOCENTIBVS ADHVC ILLIC, &c. *Id. iam, peccatoribus pœna digna, aliqua beneficentia præstatur, dum nil patiuntur interim in inferis.* AMPLIATIONEM, &c. *Id. dilationem iudicij, manente anima incerta & delusa, dum tandiu pendet sententia. Nota* ampliationem *Vocem esse iuris qua propriissimè hic vtitur Tertul. ad exprimendam diuturnam iudicij suspensionem. Differt enim ampliatio à comperendinatione, quòd hac in tertium diem, hoc est, perendinum & quasi post crastinum ex Budæo differatur. Et semel tantum iudex actionem procrastinare poterat. Ampliatio autem libera erat, & in iudicum potestate posita, & in id tempus, & quoties videbatur protrahebatur. Et terminis iuris* Amplius pronuntiare iudex dicebatur. VITÆ RECENSVM. *A* recenseo *dictus recensus, quasi examen & censura vitæ.* VTRVMQVE TITVLVM. *Inscribitur enim passio, nomine gaudij & doloris, & vtriusque, animæ sola, absq; carne, capax est.* QVOTIENS, &c. *Pro quoties sæpè vsurpat. Et hic probat animã propias suas tristitias & gaudia habere absque dependentia corporis, tum experientia cõmuni omnium, tum ex Martyrum gaudio in tormentis, pro quibus Paulus*; Superabundo gaudio in omni tribulatione: *Tum paganorum.* MVTII ANIMAM. *Sic de Mutio Scæuola in propriam dexteram, errantem in Rege Porsenna, sentente ipse Tertul. Apol.* 50. Mutius dexteram suam libens in Ara reliquit: ô sublimitas animi! nihil enim si conferatur cum fortitudine martyrum. *Et Minutius fælix*: Mutium Scæuolam, qui cum erraset in Regem, periisset in hostibus, nisi dexteram perdidisset. Et quot ex nostris, non dexteram, sed totorum corpus vri pertulerunt? Viros cum Mutio, vel cum Attilio Regulo comparo: Pueri & mulierculæ nostræ omnes, suppliciorum terriculas inspirata patientia doloris illudunt. AD ZENONIS, *Supple animam. Bene Zenonis refert exemplum, principis Stoicorum ex Laërtio. De quibus sic Augustinus*

A *lib. 8. de ciuit. c. 7.* Meritò cæteris anteponimus, qui discreuerunt ea, quæ mente conspiciuntur, ab iis, quæ sensibus attinguntur: nec sensibus adimentes quod possunt, nec eis dantes vltra quam possunt. *Sic ergo Zeno occupatus mente, Dionysij tormenta præteribat, anima non aduertente. De quo idem Tertul. in Apol. c. 4.* Zeno Eleates consultus à Dionysio, quodnam Philosophia præstaret, cum respondisset, contemptum mortis; impassibilis flagellis tyranni obiectus, sententiam suam ad mortem vsque signabat. ORNAMENTA, &c. *Vel quòd venatione, vel circo contra feras iuuentus pugnans, vulneribus gloriaretur, vt fortitudinis insignibus.* IN CYRO. *Rem narrat Herodotus, Iustinus & Xenophon lib. 1. de Cyri minoris expedit. Quod in Venatione cum vrso congressus, abstractus ab equo, vulneratus, feram tandem peremerit. Deinde Tertul. Idem probat ex animæ separatæ gaudio vel dolore, Deo eam adindicante dolori, vel gaudio.* SI QVANDO INVITA. *Id. licet reluctante ratione, vel vi suggestionis diabolicæ, vel impulsu boni Angeli & inspiratione Dei, & sic quasi non tamen necessitate vel coactione compulsa inuita, ad bonum vel malum, per carnem perficiendum, prior anima apud se, foris agenda tractat.* CONSCIENTIA POSTERIOR, &c. *Semper enim factum præcedit rationis & conscientiæ dispositio.* PRIOREM PENSARE. *Pendere, reportare, recipere debitam mercedem.* INFEROS INTELLIGAMVS. *Carcerem Euangelij, inferos damnatorum Augustinus intelligit, vnde nunquam exituros constat, licet dicatur,* Donec reddas nouissimum quadrantem: *Id. Inas minimum debitum, quanquam æterna pœna sit, non tamen æqualis gradus & grauitatis, sicut est talento, & peccato mortali debita. Sic ergo lib. 1. de sermone Domini in monte cap.* 21. Quemadmodum ibi intelligitur. 1. Cor. 15. de quo dictum est, oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis: ita hîc accipi potest, de quo dictum est; non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem, semper non exiturum esse, quia semper soluit nouissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit. Neque ita hoc dixerim, vt diligentiorem tractationem videar ademisse de pœnis peccatorum, quomodo in scripturis dicantur æternæ, quanquam quolibet modo vitandæ sint potius, quàm scindæ. MORA RESVRRECTIONIS. *Non intelligit momentum illud, quo* in ictu oculi *actione instantanea resurgent mortui. Cum hac mora communis sit omnibus, etiam martyribus purgatorio non egentibus, & reprobis, eo indignis, æternoque iam supplicio damnatis. Accipienda igitur est mora secundùm parabolam virginum somno mortis dormientium, vsque ad diem iudicij*: Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. RESVRRE-

S. Aug.

S. Aug.

ETIONIS PLENITVDINE. *Quia tàm plenum à corporis, redditur quoque carni debitum suum in re-iudicium fit retributio meretdis, tam animæ, quàm surrectione.*

* 4. *Anima nudata carne patitur pœnas pro peccatis; plenius passura in Resurrectione.*
De Resur. cap. 17. circa. m.

QVantum ad agendum de suo sufficit, tantum & ad patiendum. Ad agendum autem, minus de suo sufficit. Habet enim de suo solummodò cogitare, velle, cupere, disponere: ad perficiendum autem, operam carnis expectat. Sic itaque & ad patiendum, societatem carnis expostulat; vt tam plenè per eam pati possit, quàm sine ea plenè agere non potuit. Et ideo in quæ de suo sufficit, eorum interim sententiam pendit, concupiscentiæ, & cogitatus, & voluntatis. Porro, si hæc satis essent ad plenitudinem meritorum, vt non requirerentur & facta, sufficeret in totum anima ad perfectionem iudicij, de his iudicanda, in quæ agenda sola suffecerat. Quum verò etiam facta deuincta sint meritis; facta autem per carnem administrentur; iam non sufficit animam sine carne foueri, siue cruciari, pro operibus etiam carnis; etsi habet corpus, etsi habet membra, quæ proinde illi non sufficiunt ad sentiendum plenè, quemadmodum nec ad agendum perfectè. Idcirco, pro quoquo modo egit, pro eo & patitur apud inferos, prior degustans iudicium, sicut prior induxit admissum: expectans tamen & carnem, vt per illam etiam facta compenset, cui cogitata mandauit.

ANIMÆ PASSIBILITAS. IV. SCHOL.

FACTA DEVINCTA. *Id. obligata & connexa meritis pœnæ, vel mercedis.* ANIMAM SINE CARNE, *Id. separatam à carne. De anima sine carne patiente, Aug. lib. 14. de ciuit. c. 5.* Secundum ipsos vt locutor nobilis ait *Maro 6. Æn* dira cupido vsque adeo non est ex corpore vt ab omni corporea pelle purgatam, & extra omne corpus animam constitutam, ipsam compellat esse in corpore. Vnde etiam illis fatentibus, non ex carne tantum afficitur anima, vt cupiat, metuat, lætetur, & tristetur; verum etiam ex seipsa his potest motibus agitari. *Et lib. 21. de Ciuit. cap. 3* Dolet etiam non in corpore constituta: nam vtique dolebat diues ille apud inferos, quando dicebat: cruciot in hac flamma. Corpus autem nec exanime dolet, nec animatum sine anima dolet. *Et in Psal. 87.* Repleta est malis anima mea, *Vbi de Anima Christi* Non vitiis, per quæ homini dominatur iniquitas, animam istam repletam possumus dicere, sed fortè doloribus, quibus anima suæ carni in eius passione compatitur. Non enim vel ipse qui dicit corporis dolor, potest esse sine anima, quem ineuitabiliter imminentem præcedit mœstitia, quæ solius animæ dolor est. Dolere ergo anima, etiam non dolente corpore potest, dolere autem corpus sine anima non potest. PRO OPERIBVS, &c. *Quia vsa est vel abu, a carne ad opera bona, vel mala.* ET SI HABET CORPVS. Error authoris, est qui credidit animam esse corpoream. COGITATA MANDAVIT, vt scilicet ea exequeretur.

A

B

ANIMA SEPARATA.

1. *Anima circa separationem à corpore, fit oculatior, & diuinat. De An. cap. 53. circa. fin.*

HInc denique euenit sæpè, animam in ipso diuortio potentius agitari, sollicitiore obtutu, extraordinariâ loquacitate, dum ex maiore suggestu, iam in libero constituta, per superfluum quod adhuc cunctatur in corpore, enuntiat quæ videt, quæ audit, quæ incipit nosse. Si enim corpus istud Platonicâ sententiâ carcer, cæterùm Apostolicâ, [a] *Dei templum*, Cùm in Christo est; sed interim animam consepto suo obstruit, & obscurat, & concretione carnis infæcat; vnde illi, velut per corneum specular, obsoletior lux rerum est; procul dubio cùm vi mortis exprimitur de concretione carnis, & ipsa expressione colatur, certè de oppanso corporis erumpit in apertum, ad meram, & puram, & suam lucem, statim semetipsam in expeditione substantiæ recognoscit, & in diuinitatem ipsa libertate respiscit, vt de somno emergens, ab imaginibus ad veritates.

a 1. Cor 3. 16. & seq.

ANIMA SEPARATA. I. SCHOL.

IN IPSO DIVORTIO. *Id. separationis, & mortis tempore præcedenti. Describit animam circa egressum ex corpore colligentem vires, acutè cernentem, & veluti prophetantem, insuetè loquendo. Sic Tullius lib. de diuin.* Appropinquante morte multò es diuinior. Nam & idipsum vident, qui sunt morbo graui, & mortifero affecti, instare mortem. Itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum: tumque vel maximè laudi student: eosque, qui secus quam decuit, vixerunt, tum maximè pœnitet. *Plato item 1. de leg. idem probat, & Mirandul. lib. 2. de rerum prænot. c. 6.* EX MAIORE SVGGESTV. *Quasi pro rostris & eminentiore loco, collecta in sese anima, & grandiora suggerente mente, extraordinaria loquitur.* PER SVPERFLVVM, &c. *Mera scilicet quam frustra deinceps agit in corpore, à cuius iam sensibus animandis abstrahitur, & ante abstractionem extremo obitu sollicitius videt, & audit, loquitur: & postea sensibus clausis in se collecta videt & audit, & nosci spiritalia, eaque enuntiat vltimis prophetans verbis.* CARCER. *Bene ex Plat. sic loquitur cui & consensit Origenes, animas ob delicta in cor-*

C

porum carceres à Deo detruſas pronunciant. DEI TEMPLVM 1. *Cor.* 3. Neſcitis quia templum Dei eſtis. *Et ibid.* Templum Dei ſanctum eſt, quod vos eſtis. 1. *Cor.* 6. Neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? CVM IN CHRISTO EST. *Qui de ſuo corpore dixit*, Soluite templum hoc. *In Chriſto porro dixit eſſe dum.* 1. *Cor.* 6. *non miſcetur fornicariæ.* Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? &c. Neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? erunt enim, inquit, duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. *Pulchrè autem Aug.* 13. *de Civit. c.* 16. *Platonicos ridet, pro magno munere dicentes à ſummo Deo indiſſolubilia corpora diis minoribus conceſſa. Tum de vera Chriſtianorum ſententia loquens,*

Aug. Operoſius, inquit, mihi diſputandum eſſet, quo demonſtrarem non corpus eſſe animæ, ſed corruptibile corpus oneroſum. Sap. 9. corpus corruptibile aggrauat animam. *Auguſtinus in Pſal.* 41. *ſuis probat animam quo magis abſtrahitur à ſenſibus, acutius cernere & res inuiſibiles, qualis eſt ſapien-*

Aug. *tia, iuſtitia, ipſamet anima.* Dicatur mihi quem colorem habeat ſapientia? cùm cogitamus iuſtitiam, qua eius intus in ipſa cogitatione pulchritudine fruimur, quid tanquam ſonus ad aures? Quid tanquam vaporeum ſurgit ad nares? Quid odore infertur? Quid manu tractatur & delectat? & intus eſt, & pulchra eſt, & laudatur, & videtur, & ſi in tenebris ſunt oculi iſti, animus illius luce perfruitur. Quid eſt illud quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus conſilium vitæ dabat? Eſt ergo aliquid quod animus ipſe corporis dominator, rector, habitator videt: quod non per oculos corporis ſentit; non per aures, non per nares, non per palatum, non per corporis tactum, ſed per ſeipſum: Et vtique melius quod per ſeipſum, quàm quod per ſeruum ſuum quod eſt corpus. Seipſum enim per ſeipſum videt, & animus ipſe vt notit ſe, videt ſe. Sed nec vtique vt videat ſe, corporalium oculorum quærit auxilium, imò verò ab omnibus corporis ſenſibus, tanquam impedientibus & perſtrepentibus, abſtrahit ſe à ſe, vt videat ſe in ſe, vt nouerit ſe apud ſe. *Quanto magis circa mortem deſinens ſenſus corporis informare, in ſeipſam collecta & virtute vnitâ, ſeipſam, & res ſibi ſimiles, inuiſibiles, immortaleſque cognoſcit & videt acutius? & lib. de quantitate animæ cap.*

Aug. 35 Quærimus, inquit, de animæ potentia, & fieri poteſt vt hæc omnia ſimul agat, ſed id ſolum ſibi agere videatur, quod agit cum difficultate, aut certè cum timore. Agit enim hoc multo quàm cætera attentius. *Cùm igitur anima circa mortem nihil penè agat per ſenſus corporis, & vicinior æternitati, ex futurorum timore agat, attentius ac profundius cogitat, vt meditatur Tertullianus.* COMSEPTO. *Id eſt muro. Inde Philo carnem dixit macerium.* INPÆCAT. *Fœtor euaporante exhalationes craſſiores, obnubilat.* CORNEVM SPECVLAR. *Vox à Platone ſumpta in Chaſmide. Vnde ſit, vt per medium craſſum & pingue, cognitio rerum ſit illi* OBSOLETIOR. *Id. obſcurior, indoctior, obſcœnior, ſordidior. Et dum convertitur ad Phantaſmata ſpeculando, non clarè in carne poſita, res diſcernit.* DE OPPANSO CORPORIS. *Suppletò velo oppoſito. Alludit ad actorem prodeuntem in theatrum remoto velo.* SVAM LVCEM, *Sibi naturalem, plenamque rationem, in qua propriè conſiſtit vita hominis, quatenus homo eſt, & rationalis. Io.* 1. Vita erat lux hominis. IN EXPEDITIONE, *Quaſi expedita vinculis carnis. Vnde & Plato*, Animæ ex hac vita diſceſſum, ait eſſe fugam è ſpelunca, & ſolutionem vinculorum. IN DIVINITATEM, &c. *Suaſerat ſerpens diuinitatem inuaſuros primos parentes ex fructu ligni ſcientiæ*; Eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum. RESIPISCIT, *Quaſi iumentum factus homo in pœnam ſuperbiæ*, non intellexit: *Vt & princeps Tyri, figura Luciferi, ſapientiam perdidit:* Reſipiſcit anima ipſa libertate, in diuinitatem; *Sapientiam reſumit, iam liberior facta, diuinat, & prophetat.* VT DE SOMNO EMERGENS. *Quaſi ſomnia ſint reſpectu veritatum, quas dilucidè videt anima ſub mortem, quacumque tota in vita cognouit. Greg in Dial. multa exempla refert prophetantium in morte, euentu vero* 4. *autem dial. c.* 41. *Petro roganti, cur in hoc extremo tempore, tam multa prius ignota clareſcant de animarum ſtatu*; Quantò, inquit, præſens ſæculum, propinquat ad finem, tanto futurum ſæculum ipſa iam quaſi propinquitate tangitur, & ſignis manifeſtioribus aperitur. Quia enim in hoc cogitationes noſtras viciſſim minimè videmus, in illo autem noſtra in alterutrum corda conſpicimus; quid hoc ſæculum niſi noctem, & quid futurum niſi diem dixerim? Sed quemadmodum cum nox finiri, & dies incipit oriri, ante ſolis ortum ſimul aliquo modo tenebræ cum luce commixtæ ſunt, quouſque diſcedentis noctis reliquiæ in lucem diei ſubſequentis perfectè vertantur: Ita huius mundi finis iam cum futuri ſæculi exordio permiſcetur, atque ipſæ reliquiarum eius tenebræ, quadam iam rerum ſpiritalium permixtione tranſlucent. Et quæ illius mundi ſunt, multa iam cernimus, ſed necdum perfectè cognoſcimus: quia quaſi in quodam mentis crepuſculo, hæc velut ante ſolem, videmus. *Ita ſub mortem anima quaſi in medio ſtatu & horizonte præſentis & futuri ſæculi de vtriuſque cognitione participat. Vel anima iam ceſſans ſenſus corporis informare, magis vnita in ſe fortius operatur, & clariuſſe, vt ita dicam, de futuris informat & inſtruit.*

2. *Anima ſeparata, iuxta Platonem, vel abſtracta à ſenſibus, melius attingit veritatem.* *De An. cap.* 18. *in. p.*

COnuertor ad intellectualium partem, quemadmodum illam Plato à corporalibus ſeparatam hæreticis commendauerit, agnitionem ante mortem conſecutus. Ait enim in Phædone: Quid tum erga ipſam prudentiæ poſſeſſionem? Vtrumne impedimentum erit corpus, an non, ſi quis illud ſocium adſumpſerit in quæſtionem? Tale quid dico, habetne veritatem aliquam viſio, & auditio hominibus, an non? An non etiam Poëtæ hæc nobis ſemper obmuſſant, quod neque audiamus certum, neque videamus? Meminerat ſcilicet & Epicharmi Comici: Animus cernit, animus audit, reliqua ſurda & cæca ſunt. Itaque rurſus, illum ergo ait ſuperſapere, qui mente maximè ſapiat, neque viſionem proponens, neque vllum eiuſmodi ſenſum attrahens animo, ſed ipſa mente ſincera vtens in recogitando, ad capiendum ſincerum quodque rerum, ſegreſſus potiſſimum ab oculis, & auribus, &, quod

dicendum ſit, à toto corpore, vt turbante, & non permittente animæ poſſidere veritatem atque prudentiam, quando communicat. Videmus igitur aduerſus ſenſus corporales aliam portendi paraturam, vt multo idoniorem, vires ſcilicet animæ, intellectum operantes eius veritatis, cuius res non ſint coram, nec ſubiaceant corporalibus ſenſibus, ſed abſint longè à communi conſcientia, in arcano, & in ſuperioribus, & apud ipſum Deum.

ANIMA SEPARATA. II. SCHOLIA.

CONVERTOR, &c. *Iam tracto de rebus intellectualibus: quæ licet realiter à ſenſualibus diſtinguantur, non tamen in anima ſeparantur, quæ ſentit dum intelligit, & intelligit dum ſentit, in qua ſentire ipſũ eſt intelligere. Vnde & animi ſententia dicta.* PLATO A CORPORALIBVS, &c. *Quia cum Plato certam ac planam veritatis cognitionem remiſerit poſt ſeparationem à corpore, tamen adhuc viuens ipſe ante mortem contrarium agnouit.* CONSECVTVS, *Quaſi ex priuilegio, in quantum ſcilicet Plato diuinus.* HÆRETICIS COMMENDAVERIT, *Scilicet Gnoſticis & Valentinianis: de quibus infra*, Relucentne iam hæretica ſemina Gnoſticorum & Valentinianorum. hinc enim arripiunt differentiam corporalium ſenſuum & intellectualium virium, &c. *Vt veritates ſint Idea in corporea, cætera autem viſibilia & perceptibilia corporeis ſenſibus, deceptibilibus, ſint tantum earum imagines.* AIT IN PHOEDONE. *Sequentia verba deſumpta ſunt ex Platone quæ ſic habent:* Quid vero circa ipſam ſapientiæ adeptionem? num impedimento eſt corpus aut non, ſi quis ipſum in inquiſitione ſimul ſocium adſumat? tale vero eſt quod dico, num veritatem aliquam habet viſus & auditus in hominibus? quod neque audimus quid exactè neque, videmus? MEMINERAT, &c. *Id deſumpſerat Plato, vt & alia multa ab Epicharmo Poëta. Ariſtoteles reſpondens problemati* 33. *ſect.* 11. Cur nox ad audiendum aptior ſit quam dies? *Reſpondet* an quod corpora multifariam interdiu vim intelligendi diſpertiuntur, inque res varias deducunt, itaque clara audiendi eripitur ſenſio? &c. An verò noctu cum noſter intuitus omni ſit munere liberatus, magiſque intelligẽtia requieſcat? &c. Sic melius ſonos referre ad intelligentiam poteſt, &c. COMICI. *Ad differentiam Epicharmi Medici, cuius meminit Laërtius in Platone.* ITAQVE RVRSVS. *In eodem ſcilicet Phædone. Hæc ſunt verba Platonis:* Nonne igitur puriſſimè hoc fecerit, qui ipſa cogitatione, ad vnumquodque progreſſus fuerit, neque viſum adhibens, neque vllum alium ſenſum cum ratiocinatione adtrahens; ſed ipſa per ſeipſam ſincera cogitatione vtens, vnamquamque rem per ſeipſam ſincerã venari conatur, ſeparatus, quantum eius fieri poterit, ab oculis & auribus, & vt ita dicam, ab vniuerſo corpore, vt quod conturbet, & non ſinat animã adipiſci veritatem ac ſapientiam, ſi ad cõmunionem admittatur. ALIAM PORTENDI PARATVRAM. *Id. aliud genus argumentationis obtendi & opponi contra ſenſus corporeos, vires ſcilicet & potentias puras animæ, formantes conceptum veritatis, circa res, non* CORAM, *in proſpectu ſenſuum poſitas.* A COMMVNI CONSCIENTIA. *Quarum ſenſus ipſi conſcij non ſint: ſed* IN ARCANO, &c. *Id eſt abſcondita ſunt ſupra omnia ſenſibilia, in ipſo Deo, mundo archetypo. Ideas Platonicas intelligẽtes, quas ſubiicit* Eſſe quaſdam ſubſtantias inuiſibiles, incorporales, ſupermundiales, diuinas, & æternas: quas appellat Idæas, id. formas exemplares, & cauſas naturalium iſtorum manifeſtorum & ſubiacentium corporalibus ſenſibus; & illas quidem eſſe veritates, hæc autem, imagines earum. *Tandem quod anima ſeparata à corpore, vel à ſenſibus eius abſtracta ſincerius attingat veritatem, perbellè definit D. Thomas lib.* 2. *Cont. Gentiles cap.* 81. Eſſe animæ ſeparatæ eſt ipſi ſoli abſque corpore. Vnde nec eius operatio quæ eſt intelligere, explebitur per reſpectum ad aliqua obiecta in corporeis organis exiſtentia, quæ ſunt phantaſmata: ſed intelliget per ſeipſam per modum ſubſtantiarum quæ ſunt totaliter ſecundum eſſe à corporibus ſeparatæ, de quibus infra agetur. A quibus etiam tanquam à ſuperioribus vberius influentiam recipere poterit ad perfectius intelligendum. Cuius enim ſignum etiã in viuentibus apparet. Nam anima quando impeditur occupatione circa corpus proprium, redditur debilior ad intelligendum aliqua altiora. Vnde & virtus temperantiæ, quæ à corporeis delectationibus retrahit animam, præcipuè facit homines ad intelligendum aptos. Homines etiam dormientes, quando corporeis ſenſibus non vtuntur, nec eſt aliqua perturbatio humorum aut fumoſitatum impediens, percipiunt de futuris ex ſuperiorum impreſſione aliqua, quæ modum ratiocinationis humanæ excedunt, & hoc multo magis accidit in ſyncopizantibus, & extaſim paſſis: quanto magis fit retractio à corporeis ſenſibus. Nec immeritò hoc accidit: quia cum anima humana ſit in confinio corporum & incorporearum ſubſtantiarum, quaſi in horizonte exiſtens æternitatis & temporis, recedens ab finito, appropinquat ad ſummum. Vnde & quando totaliter erit à corpore ſeparata, perfectè aſſimilabitur ſubſtantiis ſeparatis, quantum ad modum intelligendi: Et vberius influentiam earum recipiet. Sic igitur etſi intelligere noſtrum ſecundum modum præſentis vitæ, corrupto corpore corrumpatur, ſuccedet tamen alius modus intelligendi altior. Reminiſci autem cum ſit actus per corporeum organũ exercitus, vt in libro de memoria & reminiſcentia Ariſtoteles probat; non poterit poſt corpus in anima remanere: niſi reminiſci æquiuocè ſumatur, pro intelligentia eorũ, quæ quis prius nouit: quam oportet animæ ſeparatæ adeſſe, etiam eorum quæ nouit in vita; cùm ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili indelebiliter recipiantur, vt dictum eſt ſupra. *Cum autem ex Auguſtino abſtracta ſint nobiliora concretis & iuxta ſapientem,* Corpus quod corrumpitur aggrauet animam, & deprimat terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem; *Quantò magis anima abſtrahitur à corpore, tantò purius & perfectiùs intelliget. De hoc Auguſtinus to.* 3. *lib.* 3. *de Gen. ad lit. cap.* 26. Aug. Cum rapitur anima in ea vita quæ ſpiritu cernuntur ſimilia corporibus, ita vt omnino à ſenſibus corporis auertatur amplius quàm in ſomno ſolem, ſed minus quàm in morte; iam diuinæ admonitionis eſt, & adiutorij, vt ſe, non corpora, ſed viſa corporum ſimilia ſpiritualiter nouerit cernere; ſicuti quæ in ſomnis videre, etiam antequam euigilent, ſciunt. Ibi ſi etiam videntur futura, itaut omnino futura noſcantur, quorum imagines præſentes videntur, ſiue ipſa hominis mente diuinitus adiuta, ſiue aliquo, inter ipſa viſa, quid ſignificent exponente, ſicut in Apocalypſi, Ioanni exponebatur, magna reuelatio eſt: Etiamſi forte ignoret ille, cui hæc demonſtrantur,

vtrum ex corpore exierit; an adhuc sit in corpore; A sed spiritu à sensibus corporis alienato ista videat, potest enim sic raptus id ignorare, si ei & hoc non ostendatur. Porrò autem, si quemadmodum raptus est à sensibus corporis, vt esset in istis similitudinibus corporum, quæ spiritu videntur, Ita & ab ipsis rapiatur, vt in illam quasi regionem intellectualium, vel intelligibilium subuehatur; ibi sine vlla corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis offuscatur. Ibi virtutes animæ non sunt operosæ ac laboriosæ. Neque enim opere temperantiæ libido frænatur; *Animam cerne animans ad speculationis tranquillitatem dum est in corpore, à quatuor virtutibus Cardinalibus.* B Aut opere fortitudinis tolerantur aduersa; aut opere iustitiæ iniqua puniuntur; aut opere prudentiæ mala deuitantur. Vna ibi & tota virtus est, amare quod videas, & summa fœlicitas habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur, vnde aspergitur aliquid humanæ vitæ, vt in tentationibus huius sæculi, temperanter, fortiter, iustè, prudenterque viuatur. Propter illud quippe adipiscendum, vbi secura quies erit, & ineffabilis visio veritatis, labor suscipitur, & continendi à voluptate & sustinendi aduersitates, & subueniendi indigentibus, & resistendi decipientibus. Ibi videtur claritas Domini non per visionem significantem, siue corporalem, sicut visa est in monte Sina: siue spiritalem, sicut vidit Esaias, vel Ioannes in Apocalypsi, sed per speciem, non per ænigmata quantum eam capere mens humana potest, secundum assumentis Dei gratiam, vt os ad os loquatur ei, quem dignum tali Deus colloquio fecerit: non os corporis, sed mentis. *Quod voluit Tertullianus his verbis.* Aduersus sensus corporales aliam portendi paraturam, &c. Longè à communi conscientia, in arcano, & in superioribus, & apud ipsum Deum.

3. *Animabus Philosophorum separatis, locus superior à Gentilibus Philosophis assignatur.*

De An. cap. 54. in. p.

QVò deducetur anima, iam hinc reddimus. Omnes fermè philosophi, qui immortalitatem animæ, qualiter volunt, tamen vindicant, vt Pythagoras, vt Empedocles, vt Plato, quique aliquod illi tempus indulgent, ab excessu, vsque in conflagrationem vniuersitatis, vt Stoïci, suas solas, id est sapientum animas, in supernis mansionibus collocant. Plato quidem non temerè Philosophorum animabus hoc præstat, sed eorum qui Philosophiam scilicet exornauerint amore puerorum. Adeò etiam inter philosophos magnum habet priuilegium impuritas. Itaque apud illum in ætherem sublimantur animæ sapientes: apud Arium, in aërem; apud Stoïcos, sub lunam. Quos quidem miror, quòd imprudentes animas circa terram prosternant, cùm illas à sapientibus multo superioribus eruditi affirment. Vbi erit scholæ regio, in tanta distantia diuersoriorum? qua ratione, discipulæ ad magistras conuentabunt, tanto discrimine inuicem absentes? quis autem illis postumæ eruditionis vsus ac fructus, iamjam conflagratione perituris? Reliquas animas ad inferos deiiciunt.

ANIMA SEPARATA. III. SCHOL.

REDDIMVS. *Responsum scilicet quæstioni factæ, C quò anima separata recedat.* QVALITER VOLVNT, &c. *Non enim omnes pariter admittunt. Stoïci enim ex Laërtio in Zen. & Cicero Tuscul. 1. Animam post mortem manere volunt, & cornicum instar, diu viuere, sed non semper permanere.* VSQVE AD CONFLAGRATIONEM. *Sic Cleantes apud Laërtium, & Epictetus:* Deus cum necessaria tibi eripit, victum, vestem, sensus istos, receptui nempe canit, ianuam aperit, & venire te iubet. Quo? non ad aliquid graue, sed ad illa è quibus ortus es, ad amica, & cognata, ad elementa. *Et Seneca cap. vlt. consol. ad Mar.* In antiqua elementa vertemur. AMORE PVERORVM. *Sic Plato in conuiuio. Sic & Socrates Platonicus, æquè amans puerorum. De Platone Aristophanis Scholiastes.* Itabat ad gymnasia, vt nudos & luctantes adolescentes videret. *De Socrate Libanius declam. 29.* Spurcus, inquit, & impurus Sophista, & adolescentium pestis. HABET PRIVILEGIVM. *Cyril. Alex. lib. 6. Cont. Iul. Platonem arguit, quòd impudicis hoc priuilegium dederit in Philebo, & Symposio, vt impunè apud Deos peierare possint. Sextus Empiricus, inter priuilegia refert, cum aliena vxore misceri, veneris indifferens esse. De impudicitia Philosophorum consule Chrysost. de S. Babyla. Basil. in caput 10. Isa. Hiero. in caput 2. Isa.* IN ÆTHEREM SVBLIMANTVR. *In sublime tolluntur. Sic Plato in Phædro, & in Gorgia.* APVD ARIVM. *Fuit Philosophus Alexandrinus apud Augustum Cæsarem plurimùm pollens. Pythagoras item ex Laërtio aërem plenum dicebat animabus.* SVB LVNAM, *Sic Lucanus. Tullius prima Tusc. & 4. Acad.* Habitari ait Xenophanes in Luna, eamque esse terram multarum vrbium & montium. SCHOLÆ REGIO, *Orig. lib. 1. de principiis:* Puto, inquit, quod sancti quique discedentes de hac vita, permanent in loco aliquo in terra posito, quem Paradisum dicit scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, & vt ita dixerim, in schola vel auditorio animarum, in quo de omnibus his, quæ in terra viderint, doceantur, &c. Si quis mundus corde, & purior mente, & exercitatior sensu fuerit velocius perficiens, ad aëris locum ascendet, & ad cœlorum regna perueniet, &c. POSTVMÆ ERVDITIONIS, &c. *Id. scientiæ acceptæ post mortem, quis fructus, cum vel interire debeant Animæ mundi conflagratione, vel in elementa prima resolui iuxta Stoïcos?* AD INFEROS DEIICIVNT, *Malorum scilicet animas. Chrysost. Hom. 8. in Ep. ad Thess.* Et Poëtæ, & Philosophi, & fabularum fictores, & omnes in vniuersum homines, de rètributione futura Philosophati sunt, & in inferno complures puniri dixerunt. *Sanius Philosophis de locis animæ separatæ Augustinus sæpè edisserit, vtpote to. 3. in Enchir. ad Laur. cap. 109.* Tempus quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est vel requie, vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne cum viueret. *Non sic Philosophi qui impuras Philosophorum* S. Aug.

animas in sublimi collocant. Idem Aug. lib. 12. de
S. Aug. *Gen. ad lit. cap. 32.* Si quæritur cum anima de corpore exierit, vtrum ad aliqua loca corporalia feratur, an ad incorporalia corporalibus similia; an vero nec ad ipsa, sed ad illud quod & corporibus, & similitudinibus corporum est excellentius: cito quidem respondeam ad corporalia loca eam, vel non ferri nisi in aliquo corpore, vel non localiter ferri. Iam vtrum habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, ostendat qui potest: Ego autem non puto. Spiritalem enim arbitror esse, non corporalem. Ad spiritalia verò pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia simulia corporibus. *Quod probat exemplo diuitis & Lazari lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 5.*

ANIMÆ IMMORTALITAS.

1. Animæ immortalitas ab omnibus penè credita, & sensu communi probata, à Lucano negata. De Resur. cap. 2. in fin. & 3. in p.

ANimæ salutem credo retractatu carere. Omnes enim ferè hæretici eam quoquo modo velint, tamen non negant. Viderit vnus aliquis Lucanus, nec huic quidem substantiæ parcens, quam secundùm Aristotelem dissoluens, aliud quid pro ea subijcit, quasi sit tertium quiddam resurrecturum, neque anima, neque caro, id est non homo; sed vrsus forsitan, quà Lucanus. Habet & iste à nobis plenissimum de omni statu animæ stilum, quam in primis immortalem tuentes, solius carnis & defectionem agnoscimus, & refectionem cùm maximè adserimus; redactis in ordinarium materiæ corpus, si qua & alibi pro causarum incursione præstricta distulimus. Nam vt quædam prælibari solenne est, ita & differri necesse est,
CAP. III. dummodo & prælibata suppleatur suo corpore, & dilata reddantur suo nomine. Est quidem & de communibus sensibus sapere in Dei rebus; sed in testimonium veri, non in adiutorium falsi; quod sit secundùm diuinam, non contra diuinam dispositionem. Quædam enim & natura nota sunt: vt immortalitas animæ penes plures: vt Deus noster penes omnes. Vtar ergo & sententia Platonis alicuius pronuntiantis, Omnis anima immortalis. Vtar & conscientia populi, contestantis Deum deorum. vtar & reliquis communibus sensibus, qui Deum iudicem prædicant; Deus videt; &, Deo commendo. At cùm
a Isa 44. 20. & 25. aiunt, Mortuum, quod mortuum; & Viue, dum viuis; &, Post mortem omnia finiuntur, etiam ipsa; tunc meminero, & [a] *Cor vulgi cinerem à Deo deputatum,* [b] *& ipsam sapientiam*
b 1. Cor. 1. 20. *sæculi, stultitiam pronuntiatam.*

ANIMÆ IMMORTALITAS. I. SCHOL.

ANIMÆ SALVTEM. *Non respicit hæc vox statum gratiæ & gloriæ, sed solum saluam substantiam, & immortalitatem animæ naturalem intelligit. Quo sensu aliqui Patres intelligunt D. Paulum 1. Cor. 3.* Saluus erit, sic tamen quasi per ignem. *Id. integra manebit & salua anima substantia, etiam in inferni igne, non corrumpetur.* RETRACTATV. *More suo, composito vtitur, & hac voce frequenter, pro tractatu. Non est, inquit, opus contra hæreticos tractare de immortalitate, quam non abnegant.* ALIQVI, *Pro, aliquis.* LVCANVS. *Hæreticus fuit, discipulus Marcionis.* SECVNDVM ARISTOTELEM. *Quid rectè Aristoteles de immortalitate animæ censuerit, dubium relinquunt grauissimi authores, vtrinque, inde mortalem, inde immortalem sensisse dicentes. Mortalem quidem Iustinus in Paræneſi. Nyss. lib. 2. de anima c. 4. Theod. de Cur. Grat. Affect. lib. 3. Galen. in Hist. Philos. &c. Immortalem, vterque Ammonius Olympiodorus, Auicenna, D. Tho. 2. Cont. Gent. c. 79. Albertus tract. 2. de anima. Et credibilior omnibus Theophrastus Aristotelis discipulus. Tertul. ambiguè prodit Aristotelem, nam lib. de anima citat eum pro immortalitate hîc pro mortalitate.* QVA LVCANVS. *Scitè quidem dum tertium aliquid resurrecturũ vult Lucanus, vt ipse fatetur* Vrsus. *Nam ex Varrone lib. 4. de lingua Latina, nomen Vrsi origine Lucanum est. Orti enim in Lucania* Vrsentini sunt dicti. *Plin. lib. 3. Hist. Nat. inter Lucanos,* Vrsentinos *ponit. Vnde & Romani Lucana voce* Vrsum *appellarunt. Sic Tertul. Illudit Lucano, quem neque in anima & carne humana secundum eius opinionem, sed in tertia quadam substantia,* Vrsi forsitan *resurrecturum dicit. Theophrastus autem dicit ossa carnes Vrsi, si ad tempus seruentur, reuiuiscere.* STIGIVM. *Librum de anima intelligit.* REDACTIS, *&c. Nobis scilicet in terram, quæ est materia ordinaria ex qua corpus constat, & principium in quod resoluitur. Quod licet redactum sit in ordinarium corpus, id. substantiam communem materiæ terrenæ; resurget tamen, reficietur, reformabitur ex illa massa & corpore, iam non ordinarium corruptibile inanime, sed animatum, & extraordinarii quia incorruptibile. Malim tamen simplicius & literalius sic connectere.* REDACTIS, &c. SI QVA ETALIBI. *Quasi diceret, nunc quæstio non est de anima, redegimus quod de ea dicendũ est in corpus, id est opus proprium & ordinarium talis materiæ, id est subiecti & argumenti.* PRÆSTRICTA. *Alij perstricta, pro occursu quæstionum nunc breuiter attingimus, plenius proprio loco dicturi.* SOLEMNE *id. solitum, & consuetum. Cicero ad Atticum lib. 7.* Nostrum illud solemne seruemus, vt ne quem illuc euntem sine literis dimittamus. PRÆLIBATA, *&c. Capta absoluantur.* SVO NOMINE *Id. titulo & propria inscriptione, vel ratione & nomine debiti, cum solutio dilata obliget responsioni dandæ.* EST SAPERE, *&c. Id. datur, licet Deum cognoscere & res eius secundum veritatem, sumpto argumento à communi omnium sensu, & ex principiis lumine naturali notis. Augustinus 13. de Trinit. c 9. asserit quosdam Philosophos, naturali ratione animarum immortalitatem vix inuenisse. Chrysost. homil. 4. de prouid. dicit eos qui dubitant de immortalitate animæ, dubitare si dies luceat in meridie.* SENTENTIA PLATONIS. *In Phædone scilicet.*

CONSCIENTIA

CONSCIENTIA POPVLI *Id. diſſlamine rationis communis. Ex Homero & aliis Iouem Deorum Patrem. Ex Pſalte Regio*, Deus Deorum Dominus locutus eſt, &c. *Et rurſum*, Deus ſtetit in Synagoga Deorum. *Sed vt bene ſupra monuit*, In teſtimonium veri, *Scilicet Dei.* ATQVM AJVNT, &c. *Sic* 1. *Cor.* 15. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Nolite ſeduci: corrumpunt mores bonos colloquia mala. MORTVVM QVOD MORTVVM *Id. numquam reſurget.* ETIAM IPSA, *Mors ſcilicet. Hanc vulgi ſententiam reſtituit ex Seneca.* COR VVLGI. *Sic* 70. *Iſa.* 44. 20. Scito quia cinis cor eorum, & errant. *Id eſt ex Cyrillo*, Quod ſapit cor eorum, cinis eſt. STVLTITIAM. *Hoc ſecundùm Paulum* 1 *Cor.* 1 Nonnè ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? *Senſus eſt: cùm ſenſus communis etiam Paganorum, veritati & rectæ fidei conſonabit, vtar eorum ſenſu communi; cum errabit, recordabor cor vulgi cinerem; & infatuatos Philoſophos mundi; & ab eorum opinione recedam. Animæ immortalitatem, ex communi ſenſu & innato appetitu beatitudinis, probat Auguſtinus libro* 13. *de Trinitate cap.* 7. Beato, inquit, qualos ſe eſſe omnes volunt, non rectè nec verè dicitur, non poteſt fieri quod vis. Si enim beatus eſt, quicquid vult fieri poteſt, quia non vult quod fieri non poteſt. Sed non eſt mortalitatis huius hæc vita, nec erit niſi quando & immortalitas erit. Quæ ſi nullo modo dari homini poſſet, fruſtra etiam beatitudo quæreretur, quia ſine immortalitate non poteſt eſſe. *Et cap.* 8. Cùm ergo beati eſſe omnes homines volunt, ſi verè volunt, profectò & eſſe immortales volunt: Aliter enim beati eſſe non poſſunt. Denique & de immortalitate interrogati, ſicut & de beatitudine, omnes eam ſeſe velle reſpondent. Sed qualiſcunque beatitudo, quæ potius vocetur quàm ſit, in hac vita quæritur, immò verò fingitur, dum immortalitas deſperatur, ſine qua vita beatitudo eſſe non poteſt. Ille quippe beatè viuit, quod iam ſuperius diximus, & aſtruendo ſanx fiximus, qui viuit vt vult, nec malè aliquid vult. Nemo autem malè vult immortalitatem, ſi eius humana capax eſt, Deo donante, natura, cuius ſi capax non eſt, nec beatitudinis capax eſt. Vt enim homo beatè viuat, oportet vt viuat. Quem porro morientem vita ipſa deſerit, beata vita cum illo manere quomodo poteſt? cùm autem deſerit, aut nolentem deſerit, proculdubio, aut volentem, aut neutrum. Si nolentem, quomodo beata vita eſt, quæ ita eſt in voluntate, vt non ſit in poteſtate? Cúmque beatus nemo ſit aliquid volendo nec habendo, quantò minus eſt beatus, qui non honore, non poſſeſſione, non qualibet alia re, ſed ipſa beata vita nolens deſeritur, quando ei nulla vita erit? Vnde & ſi nullus ſenſus relinquitur, quo ſit miſera, propterea enim beata vita diſcedit, quoniam tota vita diſcedit: miſer eſt tamen quandiu ſentit, quia ſcit ſe nolentem conſumi, propter quod cætera, & quod præ cæteris diligit. Non igitur poteſt vita & beata eſſe, & nolentem deſerere, quia beatus nolens nemo fit: ac per hoc quantò magis nolentem deſerendo miſerum facit, quæ ſi nolenti præſtò eſſet, miſerum faceret? Si autem volentem deſerit, etiam ſic quomodo beata erat, quam perire voluit, qui habebat? Reſtat vt dicant neutrum eſſe in animo beati; id eſt eum deſeri à beata vita, cùm per mortem deſerit tota vita, nec nolle, nec velle, ad vtrumque enim parato & æquo animo conſiſtere. Sed nec ipſa beata eſt vita, quia talis eſt, vt quem beatum facit, amore eius indigna ſit Quomodo enim eſt beata vita, quam non amat beatus? Aut quomodo amatur, quod vtrum vigeat, an pereat indifferenter accipitur? Niſi fortè virtutes, quas propter ſolam beatitudinem ſic amamus, perſuadere nobis audent, vt ipſam beatitudinem non amemus? Quod ſi faciunt, etiam ipſas vtique amare deſiſtimus, quando illam, propter quam ſolam iſtas amauimus, non amamus. Deinde quo modo erit vera illa tam perfecta, tam examinata, tam eliquata, tam certa ſententia, beatos eſſe omnes homines velle, ſi ipſi, qui iam beati ſunt, beati eſſe nec nolunt, nec volunt? Aut ſi volunt, vt veritas clamat, vt natura compellit, qui ſummè bonus & immutabiliter beatus creator indidit hoc; ſi volunt, inquam, beati eſſe qui beati ſunt, beati vtique non eſſe nolunt. Si autem beati non eſſe nolunt, proculdubiò nolunt conſumi & perire quod beati ſunt, nec niſi viuentes beati eſſe poſſunt. Nolunt igitur perire quod viuunt. Immortales ergo eſſe volunt, quicumque verè beati vel ſunt, vel eſſe cupiunt. Non autem viuit beatè, cui non adeſt quod vult. Nullo modo igitur eſſe poterit vita veraciter beata, niſi fuerit ſempiterna. Hanc vtrum capiat humana natura, quam tamen deſiderabilem confiterur, non parua quæſtio eſt. Sed ſi fides aſſit, quæ ineſt eis quibus dedit poteſtatem Ieſus filios Dei fieri, nulla quæſtio. Humanis quippe argumentationibus hæc inuenire conantes, vix pauci magno prædoti ingenio, abundantes otio, doctriniſque ſubtiliſſimis eruditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem peruenire potuerunt Cui tamen animæ beatam vitam non inuenerunt ſtabilem, id eſt veram. Ad miſerias eam quippe vitæ huius etiam poſt beatitudinem redire dixerunt. Et qui eorum de hac erubuerunt ſententia, & animam purgatam in ſempiternam beatitudinem ſine corpore collocandam putauerunt, talia de mundi retrorſus æternitate ſentiunt, vt hanc de anima ſententiam ſuam ipſi redarguant.

2. *De animæ immortalitate, morti proximus Socrates ſanè ſentire non potuit. De An. cap.* 1 *à p. ad m.*

ETiam in carcere Socratis de animæ ſtatu velitatum eſt. Neſcio iam hoc primum, an opportuno in tempore, Magiſtri, et ſi nihil de loco, intereſt. Quid enim liquidò ſaperet anima tunc Socratis, iam ſacro nauigio regreſſo, iam cicutis damnationis exhauſtis, iam morte præſente, vtique conſternata ad aliquem motum ſecundùm naturam, aut exſternata, ſi non ſecundùm naturam. Quamuis enim placida atque tranquilla, quam nec coniugis fletus ſtatim viduæ, nec liberorum conſpectus exinde pupillorum, lege pietatis inflexerat, vel in hoc tamen mota, ne moueretur, ipſa conſtantia concuſſa eſt aduerſus inconſtantiæ concuſſionem. Quid autem aliud ſaperet vir quilibet iniurià damnatus, præter iniuriæ ſolamen? nedum philoſophus, gloriæ animal, cui nec conſolanda iniuria, ſed potius inſultanda. Denique, poſt ſententiam obuiæ coniugi, & muliebriter inclamanti, Iniuſtè damnatus es Socrates; iam & de gratulatione reſponderat, Volebas autem iuſtè? Nihil mirandum, ſi

& in carcere lemniſcatas Anyti, & Meliti palmas geſtiens infringere, ipſa morte coram, immortalitatem vindicat animæ, neceſſaria præſumptione ad iniuriæ fruſtrationem. Adeo omnis illa tunc ſapientia Socratis de induſtria venerat conſultæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis.

ANIMÆ IMMORTALITAS. II. SCHOL.

VELITATVM. *Diſputatum à Socrate carcerato ante mortem. Veles quaſi* Voles, *Miles eſt expeditior ad curſum ob leuem armaturam; & velites, quaſi* Volites; *Vel à iaculando, imò τὰ βέλεμνα à mittendis iaculis. Vnde dictum* Velitor. *Tralatitiè ſumitur pro diſputare. Plautus* Neſcio quid velitati eſtis inter vos. *Legendus Phædo Platonis, in quo fusè tractat de diſputatione Socratis circa immortalitatem animæ in carcere, die quo bibit venenum. Hîcliceat Tertul. immortalitatem à Socrate tractatam admittat, hanc tamen veritatem non benè & planè ab hoc Philoſopho morti damnato, & aliqua ex parte perturbato expectandam decet.* MAGISTRI, *ô Magiſtri! conuertit enim ſermonem ad Philoſophos.* SACRO NAVIGIO. *Plato in Phædone meminit huius nauigij; Athenienſes enim, à regreſſu Theſei incolumis è Creta, quotannis in Delum mittebant nauigium in honorem Appollinis: quo tempore donec regreſſa ſit nauis, neminem necant publicè.* In vinculis vero diu fuit Socrates donec Theoris id. publica Sacraque nauis Delo rediret. Neque enim cum illa diſceſſerat, antequam eſſet reuerſa, quemquam iudicio damnatum occidere licebat. Cum autem Criton ipſi ſuaſiſſet fugam, ille fugere noluit, dicens non oportere leges violare. *Hæc Suidas.* IAM CICVTIS, &c. *Tertul. intelligit iam animo hauſiſſe cicutam, audito decreto condemnationis ſuæ. Conſtat enim ex Plat. in fine Phæd. accepiſſe tantùm de facto poculum, poſt hanc diſputationem.* CONSTERNATA, &c. AVT EXTERNATA. *Alij legunt*, Aut externum, *Scilicet motum. Elegantius legit Rigaltius, vt externata dicatur anima Socratis, motu alieno à naturali conſtantia Philoſophi. Externum motum refert ad coniugis & liberorum aſpectum; internum & ſecundùm naturam Philoſophi ad ipſam* Conſtantiam concuſſam aduerſus inconſtantiæ concuſſionem. INIVRIA DAMNATVS. *S. Iuſtinus in Apol. 2. cauſam damnationis refert quòd Socrates populo malitiam dæmonum detexiſſet, & pro diis colendos non eſſe docuiſſet. Vnde quaſi Atheus & impius vir damnatus eſt. Laërtius inuidiâ damnatum, quòd Oraculo Pythiæ omnibus ſit prælatus hoc verſu,* Mortalium vnus Socrates verè ſapit. *Hinc Anytus Ariſtophanem in eum incitauit, vt maledictis onerareet. Melitum etiam, vt illi crimen impietatis & adoleſcentum corruptiones coram iudicibus obiiceret. Inde ipſa* Lemniſcatas Anyti & Meliti palmas

A *meminit. Alij legunt* Minichatas, ſeu miniculatas, id eſt minio vermiculatas, alij inuiſcatas. *Quaſi captatrices, quod Anytus primus ſuffragia mercatus eſſet apud Athenienſes, vt refert Alex. Neap.* Lemniſcatas *Melim, vſa Tertul. cap. 12. & 21. de Cor. mil. coronas palmeas, manu vel capite geſtatas. Cic. pro Roſcio*, Multas eſſe infames palmas: hanc primùm tamen eſſe lemniſcatam, quæ Romæ deferatur. *Lemniſci proprie erant faſciola colorate ex coronis dependentes, vel tunicule Tilie arboris,* B *quas alij vocant Phyliras.* GLORIÆ ANIMAL. *Cyril. Alex. lib. 6. cont. Iul. iuxta Ariſtoxenem iracundum, ſecundum Porphirium libidinoſum arguit Socratem. Xenophon autem in Apol. Socratem inducit ſe bellè iactantem coram iudicibus. Hermotinus apud Lucianum*: Sæpenumero affirmantes audiui, epicureos quidem eſſe corruptos deliciis, Peripateticos cumulandis diuitiis inſeruire, & quoſdam ex illis immodicè contentioſos. Platonicos arrogantes, & nimio faſtu turgidos gloriæque cupientiſſimos. *Hiero. ep. ad Iulian.* Philoſophus eſt gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium. *Aug. 5. de ciuit. c. 20. ſic Philoſophos ridet, vana gloria virtutes omnes ſubiicientes*, Licet iſta gloria delicata mulier non ſit, inflata tamen eſt, & Aug. C multum inanitatis habet; vnde non ei dignè ſeruit ſoliditas quædã firmitaſque virtutum: vt nihil prouideat prudentia, nihil diſtribuat iuſtitia, nihil toleret fortitudo, nihil tẽperantia moderetur, niſi vnde placeatur hominibus, & ventoſæ gloriæ ſeruiatur. *Sic Socrates inſultans iniuriæ*, Lemniſcatas Anyti & Meliti palmas geſtiens infringere etiã in carcere, *Id eſt accuſatoribus: ſuis inuidis fama ſuæ palmas preripere. De facto ex Laërtio Athenienſes poſt mortẽ Socratis, paleſtras & gymnaſia clauſerunt, Anytum,* D *ipſo die exterminarunt, Melitum poſtea morte mulctarunt, Socratis imaginem æneam arte Lyſippi loco celeberrimo vrbis ſtatuerunt.* NECESSARIA PRÆSVMPTIONE, *vel referendum eſt ad ſuperbiam & appetitum laudis, cuius intuitu, affectata æquanimitate mortem contemnebat; vel quod præſumeret, & ſibi ſuaderet animæ immortalitatem, non tam conuictus, & plenè fidens apertè veritati, quam vt iniuriam ſibi factam de honore & vita prærepta ab inuidis, fruſtraretur, iactans ſe à vita mortali, ad immortalem, à miſera ad fœlicem, ab hominum & animalium conſortio, ad honorabilem diuerum & heroum cœtum commigrare.*

3. *Anima immortalitatem Philoſophi veteres, aliquando cum vulgo negant, aliàs fatentur. De Reſur. cap. 1. in. m. ad fin.*

PLanè cum vulgo interdum & ſapientes ſententiam ſuam iungunt. Nihil eſſe poſt mortem, Epicuri ſchola eſt. Ait & Seneca, omnia poſt mortem finiri, etiam ipſam. Satis eſt autem, ſi non minor philoſophia Pythagoræ, & Empedocli. Sed Platonici immortalem animam è contrario reclamant: immò adhuc proximè etiam in corpora remeabilem affirmant; etſi non in eadem, etſi non in humana tantummodò; vt Euphorbus in Pythagoram, Homerus in pauum, recenſeantur. Certè recidiuatum animæ corporalem pronuntiauerunt; tolerabilius mutata, quàm negata qualitate: pulſata ſaltem, licet non adita veritate. Ita ſeculum, reſurrectionem mortuorum, nec quum errat, ignorat.

ANIMÆ IMMORTALITAS. III. SCHOLIA.

PLANE CVM VVLGO. *Hic videt Philoſophorum inconſtantiam, modò neganium cum plebe animam immortalem, ſicut Epicurus, & Seneca, de quo ſupra num. 1. modò aſſumaminm.* PHILOSOPHIA PYTHAGORÆ. *Sectatorem etiam eius Empedoclem vellicat, quod vterque animas transferri in beſtias dixerit.* SED PLATONICI, &c. *Ex parte laudat, quod immortalem dicant animam, culpat verò quod in alia corpora etiam non humana, remeabilem fingant.* EVPHORBVS. *Lact. lib. 5. c. 23.* Pythagoras transfire animas in noua corpora diſputauit, ſed ineptè quod ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines, & ſeipſum ex Euphorbo eſſe reparatum. HOMERVS IN PAVVM. *Sic idem Tertul. c. 33. de anima,* Pauum ſe meminit Homerus Ennio ſomniante; ſed Poëtis nec vigilantibus credam. REDIVATVM. *Vox Tertullianica frequens ſignificans reſtitutionem ex caſu, ſeu reditum.* TOLERABILIVS, &c. *Id. magis tolerari poſſunt qui omnino non negant qualitatem immortalitatis, licet errent dicendo animas redire in alia corpora, quàm ij qui mortalem prorſus fingunt animam.* PVLSATA SALVTE *Id. integritate, incorruptibilitate animæ ſaltem deguſtata, & tacta; ſumpta metaphora à pulſante fores, qui tamen adyta templi, & interiora non intrat.* ITA SÆCVLVM. *Id. Gentiles etiam errantes à vera fide, reſurrectionem penitus non ignorant. animam quidem immortalem, ſed non ſicut Deus eſt, dixit Aug. ep. 28. ad Hiero.* Anima hominis immortalis eſt ſecundùm quendam modum ſuum. Non enim omnimodo ſicut Deus, de quo dictum eſt, quia ſolus habet immortalitatem. Nam de animæ mortibus ſancta ſcriptura multa commemorat, vnde illud eſt: ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos Matth. 10. 22. ſed quod ita moritur alienata à vita Dei, vt tamen in natura ſua viuere non omnino deſiſtat. Ita mortalis ex aliqua cauſa inuenitur, vt etiam immortalis non ſine ratione dicatur. S. Aug.

4. *Animæ immortalitatem & carnis reſurrectionem negantes Gentiles verbo, facto fatentur. De Reſur. cap. 1. à p. ad m.*

SEd vulgus intidet, exiſtimans nihil ſupereſſe poſt mortem: Et tamen defunctis parentant; & quidem impenſiſſimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus eſculentorum; vt quos negant ſentire quicquam, eſcam deſiderare præſumant. At ego magis ridebo vulgus, tunc quoque, quum ipſos defunctos atrociſſimè exurit, quos poſtmodum guloſiſſimè nutrit; iiſdem ignibus & promerens, & offendens. O pietatem de crudelitate ludentem! ſacrificat, an inſultat, quum crematis cremat?

5. *Et de carne Chriſti cap. 32. V. anima Vis. 12. in fin.*

INRIDET. *Phraſis auctoris, pro* irridet, *Plebeia Gentilitas.* PARENTANT. *Id. parentibus funebre officium præſtant. Zeno. Veron. ſer. de Reſur.* Gentes, quæ ita non credunt, tamen cum libamine infauſto ad ſepulchra concurrunt, & à mortuis, quos in quiete tacitæ noctis agnouerint, expetiſſe aliquotiens alimenta contendunt, ac ſic fidem rei quam reprobant, faciunt. *Aug. c. 34. de moribus Eccleſiæ:* Noui multos, eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores, noui multos, qui cum luxurioſiſſimè ſuper mortuos bibunt, & epulas cadaueribus exhibentes, ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliunt. PRO MORIBVS EORVM. *Vel quod quæque natio pro patria more, vel pro conſuetudine & appetitu defuncti cibos apponerent.* PRO TEMPORIBVS, &c. *Vel horas reſpicit, quibus cibum ſumere ſolebat defunctus, vel tempus, quo ſingula edulia terra producit. Ita Plutarchus in Problem. in funeralibus epulis omnis generis legumina appoſita tradit. Inde Tertul. alibi,* Ipſorum temporum propria gula. ESCAM DESIDERARE. *Aug.* Quaſi egreſſæ de corporibus animæ, carnales cibos requirant. ATROCISSIME EXVRIT. *Rogos intellige, quibus inhumaniter defunctorum corpora cremabant.* IISDEM IGNIBVS, &c. *Eſcas etiam poſt vſta cadauera cremabant, pij erant oblationes eſcarum, crudeles exuſtiones cadauerum. Arnob. lib. 7.* Pulticulæ, thura, cum carnibus rapacium alimenta ſunt ignium, & parentalibus coniunctiſſima mortuorum. *Sic Ambr. inuehitur in fideles ſuperſtitioſos & ebrioſos de Elia & ieiunio:* Calices, inquit, ad ſepulchra martyrum deferunt, atque illic in veſperam bibunt, & aliter ſe exauduri non credunt. O Stultitia hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant, qui eſtimant illos ebrietate placare, qui ieiunia ſuſtinere didicerunt. Aug. S. Aug.

Vide iam dicta, V. Animæ vis 12. a. m. & in Schol. ibid.

6. *Animæ eiuſdem immortalitatem, in iudicio rationem reddituræ, credidit Mercurius Ægyptius. De An. cap. 33. à p.*

ET hîc dicam: Si demutantur, non ipſæ diſpungentur quæ merebuntur. euacuabitur ratio iudicij, ſi meritorum deeritſenſus. deerit autem ſenſus meritorum, ſi ſtatus verterit animarum. Vertit autem ſtatus animarum, ſi non eædem perſeuerauerint. Æquè ſi perſeuerauerint in iudicium: quod & Mercurius Ægyptius nouit, dicens animam digreſſam à corpore, non reſundi in animam vniuerſi, ſed manere determinatam, vti rationem (inquit) patri reddat, eorum quæ in corpore geſſerit.

Digitized by Google

ANIMÆ IMMORTALITAS. VI. SCHOL.

ET HIC DICAM. *Hic impugnat transmigrationem animarum ex neceſſitate Iudicij diuini; qua probatur immortalitas animarum, quæ ipſemet immutabiles, nec in animalia transformatæ debent repræſentari tribunali iudicis. Optimum quidem argumentum ad probandam animæ rationalis immortalitatem, quam & pagani agnouerunt, nempe quod eadem anima debeat rationem reddere poſt exceſſum à corpore, in iudicio, non tantum vniuerſali, ſed & priuato, dicente Paulo ad Hebr.* Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium. *Auguſtinus to. 3. lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 9. ex Eccle. 12. id pulchrè inſinuat vbi ait:* Illud quod apud Eccleſiaſtem ſcriptum eſt, & conuertatur puluis in terram ſicut fuit, & ſpiritus reuertatur ad Deum qui dedit eum, neutri ſententiæ contra alteram ſuffragatur, ſed in vtraque conſiſtit. Cum enim illi dixerint hinc probari non à parentibus, ſed à Deo animam dari, quod conuerſo *id eſt reuerſo*, puluere in terram ſuam, id eſt carne, quæ de puluere facta eſt, reuertetur ſpiritus ad Deum qui dedit illum. *Vt ſcilicet reddat rationem eorum, quæ geſſit in carne, vnde ibidem Eccleſiaſtes; ſcito quod de omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Reſpondent illi, vtique ita eſt, redit enim ſpiritus ad Deum, qui eum dedit homini primo, quando in eius faciem ſufflauit, conuerſo puluere, id eſt humano corpore in terram ſuam vnde primitus factum eſt. Neque enim ad parentes erat ſpiritus rediturus, quamuis inde ſit creatus ex vno illo, qui homini primo datus eſt: *Tangis errorem eorum qui animam ex traduce ortam ſenſerunt, ſicut & ipſe Tertullianus credidit:* Sicut nec ipſa poſt mortẽ ad parentes reuertitur, à quibus eam certè conſtat non eſſe propagatam. Quemadmodũ ergo caro non redit ad homines, ex quibus creata eſt, ſed ad terram, vnde primo homini formata eſt: ita & ſpiritus non redit ad homines, à quibus transfuſus eſt, ſed ad Deum à quo primæ illi carni datus eſt. Quo teſtimonio ſanè ſatis admonemur ex nihilo Deum feciſſe animam, quam primo homini dedit, non ex aliqua iam facta creatura, ſicut corpus ex terra: & ideo cum redit, non habet quò redeat, niſi ad authorem qui eam dedit: non ad eam creaturam ex qua facta eſt, ſicut corpus ad terram. Nulla eſt enim creatura ex qua facta eſt, quia ex nihilo facta eſt: ac per hoc ad factorem ſuum redit quæ redit, à quo ex nihilo facta eſt. *Vt de factis ſuis reddat rationem, quæ licet de nihilo facta, in nihilum non redit, nec in aliud mutatur, ſed eadem immortalis redit ad authorem & iudicem iudicanda pro geſtis in carne. Idipſum docuit Pſalm. 81.* Ego dixi dij eſtis. *Quos etiam Ethnici immortales, quamquam homines cenſebant,* & filij excelſi omnes. *Et per hoc ad imaginem Dei immortalis facti immortales quoad animam.* Vos autem ſicut homines moriemini. *Non ſicut iumenta, quæ etiam animâ moriuntur.* Et ſicut vnus, *id eſt, vſus ſcripturæ, primus* Ex principibus cadetis. *Id eſt moriemini, ſicut primus principum generis humani Adam. Aug. in hunc locum* Ego, inquit, dixi, dij eſtis & filij altiſſimi omnes: id eſt omnibus vobis. *Tanquam immortalibus.* Promiſi fœlicitatem cœleſtem: Vos autem per infirmitatem carnis. *Quia anima ſemper viuida & immortalis manet.* Sicut homines moriemini; & per elationem animi ſicut vnus ex principibus, id eſt diabolus, non extollemini, ſed cadetis. *Vt autem immortalis eſt diabolus & ſtatim iudicatus diuiſis tenebris à luce, ſic anima immortalis iudicabitur, & rea diſcernetur à fidelibus Iudic.* DISPVNGENTVR. *Id. examinabuntur, rationem reddent, non eadem quæ bene vel malè fuerint merita.* ERIT SENSVS. *Senſus meriti eſt ipſum ſubiectum animæ rationalis; quæ in beſtiam transformata, proinde mutato ſtatu, iudicio ſubiici non poterit. Vnde Ber. melius futurum dicit iumento, aut lapidi, quàm homini ratione vigenti, & ratione non vtenti:* Quæ, quia iudicium non haberet, ad iudicium non veniret, nec per hoc ad ſupplicium. ÆQVE SI PERSEVERAVERINT. *Id. ſi eadem manſerint, iudicio ſubdentur, vel* Æquè ſi perſeuerauerint. *Subaudi ex prioris ſententiæ,* vertit ſtatus animarum, *Qui ſenſibilis eſſe debet gaudij vel pœnæ, etiam poſt exitum à corpore, ſi* Perſeuerauerint in iudicium, *Id eſt vſque ad diem iudicij & reſurrectionis, abſque vllo ſenſu pœnæ vel refrigerij, quæ pertinent ad ſtatum animæ ſeparatæ.* MERCVRIVS ÆGYPTIVS. *Sic ipſe Mercurius in Aſclep. dial.* 10. Audi ergo ô Aſclepi, cum fuerit animæ è corpore facta diſceſſio, tunc arbitrium examenque meriti eius tranſiliet in ſummi dæmonis poteſtatem; iſque eam, cum piam inſtamque præuiderit, in ſuis competentibus locis manere permittet. Sin autem delictorum illitam maculis, vitiiſque oblitam viderit, deſuper ad ima deturbans, procellis turbinibuſque aëris, ignis, & aquæ ſæpè diſcordantibus tradet, atque inter cœlum & terram mundanis fluctibus, in diuerſa ſemper, æternis pœnis agitata raptabitur; vt in hoc obſit animæ æternitas, quod ſit immortali ſententiæ æterno iudicio ſubiugata. Ergo ne his implicemur, verendum, timendum, cauendumque eſſe, cognoſce. Incredibiles enim, poſt delicta cogentur credere, non verbis, ſed exemplis: nec minis, ſed ipſa paſſione pœnarum. *Quid fidei orthodoxæ conformius? ANIMAM VNIVERSI. Ex qua multi gentiles quaſi eius portionem, vnamquamque animam exciſum credebant, & ſic poſt exceſſum à corpore, in eandem refundi, rurſuſque cum ea confundi.* DETERMINATAM. *Id. priuatam, particularem, individualem manere iuxta Pſalmum:* Qui finxit ſingillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. *Et ſecundum Eccle.* 12. Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat: & ſpiritus redeat ad Deũ, qui dedit illum. *Et paucis interiectis:* Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato ſiue bonum, ſiue malum illud ſit. *Non quod velit errorem aliquod eſſe bonum, ſed interruptione factâ, referendum ad priorem ſententiæ partem,* Cuncta quæ fiunt, ſiue bonum, ſiue malum.

S. Aug.

7. Animæ & quidem eiuſdem immortalitatem, pœnamque eius, & præmia poſt mortem, omnis anima naturaliter nouit, & appetitu famæ poſt mortem acquirendæ, mortem ipſam temnit. De teſt. Animæ, cap. 4. per totum.

IAm nunc quod ad neceſſariorem ſententiam tuam ſpectet, quantum & ad ipſum ſtatum tuum tendit, affirmamus te manere poſt vitæ diſpunctionem, & expectare diem iudicij

proque meritis; aut cruciatui deſtinari, aut refrigerio, vtroque ſempiterno. Quibus ſuſtinendis neceſſariò tibi ſubſtantiam priſtinam, eiuſdemque hominis materiam & memoriam reuerſuram, quòd & nihil mali ac boni ſentire poſſis, ſine carnis paſſionalis facultate, & nulla ratio ſit iudicij, ſine ipſius exhibitione, qui meruit iudicij paſſionem. Ea opinio Chriſtiana, etſi honeſtior multo Pythagorica, quæ te non in beſtias transfert; etſi plenior Platonica, quæ tibi etiam dotem corporis reddit; etſi Epicurea grauior, quæ te ab interitu defendit: tamen propter nomen ſolum vanitati, & ſtupori, &, vt dicitur, præſumptioni deputatur. Sed non erubeſcimus, ſi tecum erit noſtra præſumptio. Primò enim cùm alicuius defuncti recordaris, miſellum vocas eum: non vtì de bono vitæ ereptum, ſed vt pœnæ, & iudicio iam aſcriptum. cæterùm aliàs ſecuros vocas defunctos. Profitetis & vitæ incõmodum, & mortis beneficiũ. Vocas porrò ſecuros, ſi quando extra portam, cum obſoniis, & matteis tibi potius parentans ad buſta recedis, aut à buſtis dilutior redis. At ego ſobriam tuam ſententiam exigo: miſellos vocas mortuos, cùm de tuo loquens, cùm ab eis longè es. nam in conuiuio cum quaſi præſentibus & conrecumbentibus ſortem ſuam exprobrare non poſſis, debes adulari propter quos lautiùs viuis. Miſellum ergo vocas qui nihil ſentit? quid quod vt ſentienti maledicis, cuius memoriam cum alicuius offenſæ morſu facis? terram grauem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum. æquè ex bona parte, cui gratiam debes, oſſibus & cineribus eius refrigerium comprecaris, & vt benè requieſcat apud inferos cupis. Si nihil paſſionis eſt tibi poſt mortem, ſi nulla ſenſus perſeuerantia, ſi denique nihil es ipſa, vbi corpus reliquiſti, cur mentiris in te, quaſi aliquid vltra pati poſſis? immò cur in totum times mortem, ſi nihil eſt tibi timendum poſt mortem, quà nec experiundum poſt mortem? Nam etſi dici poteſt, ideo mortem timeri, non vltra quid minantem, ſed vt commodum vitæ amputantem: atquin cùm & incommoda longè plura vitæ pariter excedant, lucratione grauioris partis metum diluit. nec iam timenda eſt amiſſio bonorum, quæ altero bono, id eſt, incommodorum pace, penſatur. Non eſt timendum quod nos liberat ab omni timendo. Si times vita decedere, quia optimam noſti: certè mortem timere non debes, quam malam neſcis. At cùm times, ſcis malam. Non ſcires autem malam, quia nec timeres, ſi non ſcires aliquid eſſe poſt mortem, quod eam malam faciat, vt timeas. Omittamus nunc naturalem formam timendi mortem. Nemo timeat quod euadere non poteſt. Ex altera parte congredior, lætioris ſpei poſt mortem. Nam omnibus ferè ingenita eſt famæ poſt mortem cupido. Longum eſt retexere Curtios, & Regulos, vel Græcos viros, quorum innumera elogia ſunt contemptæ mortis propter poſthumam famam. Quis non hodie memoriæ poſt mortem frequentandæ ita ſtudet, vel vt literaturæ operibus, vel ſimplici laude morum, vel ipſorum ſepulcrorum ambitione nomen ſuum ſeruet? Vnde animæ hodie affectare aliquid quod velit poſt mortem, & tantopere præparare quæ ſit vſura poſt obitum? Nihil vtique de poſtero curaret, ſi nihil de poſtero ſciret. Sed forſitan de ſenſu poſt exceſſum tui certior es, quàm de reſurrectione quandoque, cuius nos præſumptores denotamur. Atquin hoc quoque ab anima prædicatur. Nam ſi de aliquo iampridem defuncto tanquam viuo quis requirat, præ manu occurrit dicere, abiit iam, & reuerti debet.

ANIMÆ IMMORTALITAS. VII. SCHOL.

NECESSARIOREM, &c. *Alloquitur animam, & dicit neceſſariam præ cunctis ſententiam, ſeu ſcientiam & fidem, quæ ſtatum eius & permanentiã poſt exceſſum ex corpore aſſerit.* DISPVNCTIONEM. *Budæo, eſt recognoſcere accepta, & data. Papiniano, de verb. ſign. conferre accepta & data; hic malim ſimpliciter* Vitæ diſpunctionem, *Intelligere numerum dierum vitæ in libro Dei exaratum, impletum, & perſolutum, vt diſpungitur calamo, quod in regiſtro perſolutum, & abſolutum notatur. Eſt, qui non ineptè iudicium priuatum poſt mortem intelligat; poſt quod extremum iudicium expectet anima ſubitura cum corpore ſuſcitato, pœnam vel mercedem æternam: Non minus interea paſſibilis doloris vel gaudij, vt alibi probat exemplo Diuitis, & Lazari.* MEMORIAM REVERSVRAM. *Hîc pungit oblivionem Platonicam.* HONESTIOR PYTHAGORICA, &c. *Quàm enim indecorum eſt, rationalem animam mutari in beſtiam!* PLENIOR PLATONICA, *Licet in corpus remeabilem dicat: plenior enim opinio Chriſtiana, nunquam diſſoluendam à reſumpto corpore animam aſſerens, & corpus longè nobilioribus dotibus exornandum.* SVVM NOMEN. *Quia Chriſtiani nomen paganis exoſum; ſic enim vanos, & ſtupidos, nec non etiam præſumptuoſos fideles æſtimabant, reſurrectioni credẽtes. Et ipſe Paulus de reſurrectione differens, Athenis audiuit, Actor.* 17. Quid vult ſeminiuerbius hic dicere? alij verò nouorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe, &c. Cùm audiſſent autem reſurrectionem mortuorum quidam quidem irridebant, &c. ALIAS SECVROS. *Cypr. de mortalitate,* De iſtius mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum perimus, quando expuncta hâc morte ad immortalitatem venimus. *Senſus Tertul. eſt* alias, &c. *Id. ſecuros diceres mortuos, non* Miſellos, *Niſi crederes iudicio diuino ſubiectos, proindeque animas immortales. Et poſito quod anima cum corpore moreretur, ſi miſerum defunctum diceres, ſanè & vitam incommodam, & mortem miſeriarum vitæ terminum, proindeque beneficam, in portu ponentem profiteueris.* VOCAS PORRO, &c. *Tunc nempe in ſecuro poſitam animam nil iam timentem, de nullo ſollicitam, vt penitus mortuam dicis, cùm benè paſtus & potus,* EXTRA PORTAM, *Vbi apud Sacres & Prophanos ſepulchra &* bu-

ſta ponebantur, rationis vigorem epularum & vini fumis, tibi potius quàm defuncto PARENTANS *Obſopiſti.* MATTEIS *aly* Mattyis, vel mactyis. *Eſt autem Matrya pretioſum edulium, appoſitum mortuo, cui* Parentabatur, *Id. pompa funebris, & ferale conuiuium exhibebatur. Vide Lipſium, Tacitum, Athenæum, Martialem.* AT EGO SOBRIAM, &c. *Id. interrogo te, dum ſobrius es, antequam pretioſè epuleris, ad mortui buſtum. Tum enim adularis mortuo, nec miſerum vocas, diſtricta ſententia ſubditum; ſed iam ſecurum, omnique pœna ſubductum: ſed cùm ſanæ mentis es, & tui compos, omni adulatione ſummota, benè vel malè precaris, leuem grauemue terram oſſibus optas.* IN TOTVM. *Id. abſolutè.* LVCRATIONE GRAVIORIS. *Rect. Paulus,* Mori lucrum, *dixit, dum mors nos vitæ incommodis longè pluribus, quàm commodis expediens, magno lucro, & compendioſo commercio, nos ad bona æterna tranſferat.* LIBERAT AB OMNI. *Aug. 1. de Ciuit. c. 11.* Cùm vnicuique mortalium, ſub quotidianis vitæ huius caſibus innumerabiles mortes quotidie comminentur, quamdiu incertum eſt quænam earum ventura ſit, quæro vtrum ſatius ſit vnam perpeti moriendo, an omnes timere viuendo. Nec ignoro quàm inertius eligatur diu viuere ſub timore tot mortium, quàm ſemel moriendo, nullam deinceps formidare, &c. Non itaque multum curandum eſt is, qui neceſſariò morituri ſunt, quid accidat vt moriantur, ſed moriendo, quò ire cogantur. NEMO TIMEAT. *Aug. in pſal. 48.* Cur timebo in die mala? magis ergo debet timere, ſi iniquitas calcanei eius circumdabit eum. Non enim timeat, inquit, homo, quod non habeat in poteſtate deuitare. Verbi gratia, qui timet mortem, quid facturus eſt vt non moriatur? dicat mihi quo vadat? debet quod Adam, qui natus eſt ex Adam. *Non timendam mortem corporis, ſed animæ immortalis ex natura, mortalis ex culpa, docet. Aug. Ser. 13. ex 17. additis à Pariſienſibus.* Hominem ex viſibili & inuiſibili creauit: viſibilem de terra fecit, inuiſibilem flatu ſuo animauit; ſubſtantia ergo inuiſibilis, hoc eſt anima, quæ iacentem terram erexit de terra, non timet cùm percutis terram. Potes ferire habitaculum, nunquid habitatorem? fugit percuſſo vinculo colligatus, & erit in occulto coronatus. Quid ergo minaris, qui animæ nihil facere potes? per meritum eius, cui facere nihil potes, reſurget cui facere aliquid potes. Per meritum enim animæ reſurget & caro: & habitatori reddetur iam non ruitura, ſed manſura, &c. *Deinde ſubdit aliquo modo eſſe mortalem.* Anima immortalis perhibetur, & eſt immortalis ſecundùm quemdam modum ſuum, quia eſt quædam vita, quæ poteſt præſentia ſua carnem viuificare. Per animam quippè caro viuit. Hæc vita mori non poteſt, & ideo anima immortalis eſt. Quare ergo dixi ſecundùm modum ſuum? Audite quare. Quoniam eſt quædam immortalitas vera, immortalitas quæ eſt omnimoda, incommutabilitas de qua dicit Apoſtolus, loquens de Deo, qui ſolus habet immortalitatem, &c. Si ergo Deus ſolus habet immortalitatem, certè anima mortalis eſt, &c. Audeo dicere & immortalis eſt, & occidi poteſt, &c. Nam ſi anima non poteſt occidi, quomodo dixit ipſe Dominus, cùm terreret nos; eum timete, qui poteſtatem habet & corpus & animam occidere in gehenna, &c. Ecce poteſt mori, & immortalis eſt. Quomodo ergo immortalis eſt? quia ſemper aliqua vita eſt, quæ in illa nunquam extinguitur. Quomodo moritur? Non vt ſit vita, ſed amittendo vitam. Etenim anima & vita eſt alicui rei, & habet etiam ipſa vitam ſuam, &c. Anima deſerente moritur corpus, & jacet cadauer paulò ante appetibile, modò aſpernabile; inſunt membra, oculi, aures, ſed hæ feneſtræ ſunt domus, habitator abſceſſit. qui plangit mortuum, ad feneſtras habitaculi fruſtra clamat, non eſt intus qui audiat, &c. Enumerat mores, enumerat indicia beneuolentiæ circa ſe, &c. *Quod applicat animæ corpus quidem viuificanti, ſed in peccato mortuæ & ſubijcit.* Tanta res eſt anima, tam excellens creatura, vt idonea ſit etiam mortua carnem viuificare. *Quod probat ex ſenſibus, & motibus; tum de motibus & ſenſibus animæ:* Ambulant pedes, intelligo corpus viuere, ſed quo ambulant? ad adulterium. Ergo mortua eſt anima. Sic enim veraciſſima ſcriptura dixit, mortua eſt vidua, quæ in deliciis viuit. Cùm multum interſit inter delicias, & adulterium; quomodo poteſt anima, quæ in deliciis mortua dicitur, in adulterio viuere? &c. loquentem audio, viuit corpus, &c. ſed interrogo, vtrum & anima viuat, &c? quid loquitur? mendacium loquitur. Si mendacium loquitur, ergo mortua eſt. Vnde hoc probamus? ipſam veritatem interrogemus, quæ ait: os quod mentitur, occidit animam. Quæro quare mortua eſt anima? quia deſeruit eam vita eius Deus, &c. Plangis mortuum, magis plange impium, &c. ſcriptum eſt enim Eccli. 23. luctus mortui ſeptem dies: fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum. An verò non in te ſunt viſcera chriſtianæ miſerationis, vt plangas corpus, à quo diſceſſit anima, & non plangas animam à qua receſſit Deus? &c. Timeat ergo anima mortem ſuam, & non timeat mortem corporis ſui. Quia ſi timuerit mortem ſuã, & vixerit in Deo ſuo, non eum offendendo, & à ſe repellendo, merebitur in fine recipere corpus ſuum non ad pœnam æternam ſicut impij, ſed ad vitam æternam ſicut iuſti. *Et per hæc docte, & moraliter Auguſtinus medullam textus Tertulliani illuſtrauit.* CONGREDIOR, *Altero argumento vtor* Ex parte ſpei lætioris; *Quam ſcilicet concipiunt Gentiles, & omnes ferè homines, qui mortem contempſerunt ob* poſthumam famam. *Quod ſcilicet poſt humo traditum corpus, ipſorum fama in hominum memoria ſuperſtes vivat.* CVRTIOS, ET REGVLOS. *Aug. 4. de Ciuit. c. 20.* Affuit Curtio, cùm ſe pro patria, in abruptam terram præcipitem dedit. *Idem Aug. lib. 1. de Ciuit. c. 15. eiuſdem meminit Regli, qui imperator Romanorum, captus à Carthaginenſibus, obſtrictus redeundi fide, miſſus ad ſuos, vt de reddendis mutuò captiuis tranſigeret, Romanis ipſe perſuaſit non eſſe vtile Reipublicæ mutare captiuos. Rediit tamen Carthaginem,* Et incluſum, inquit, angusto ligno vbi ſtare cogeretur, clauiſque acutiſſimis vndique conxo, vt ſe in nullam eius partem ſine pœnis atrociſſimis inclinaret, etiam vigilando, *Id eſt vel hac pœna quod in ſomnis eſſet,* peremerunt. VEL GRÆCOS VIROS. *Socratem intellige, de quo ſupra, Cleombrotum, qui à Lactantio à patria Ambraciotes dictus, lecto Platonis libro de immortalitate, præcipitio ſe eliſit. Idem de Cleante Philoſopho, Chryſippo, & Zenone narrat.* SEPVLCHRORVM AMBITIONE. *Sic multi manſoleis ſuperbis inſcripſere nomina. De quibus Job:* Dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum Regibus & Conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines. *Id. extra vrbes, in ſolitudine ſepulchra, in quibus ſeorſim in ſepultura prohibitiua & priuata quieſcant poſt dormitionem. Xiphilinus in vita Traiani:* In foro ſuo columnam maximam collocauit, partim ſepeliendi ſui cauſa, partim vt opus quod ipſe fecerat circa forum, poſteris oſtenderet. VBDE ANIMÆ, &c. *Id. quid affectat? vnde illi hoc deſiderium? &c.* QVÆ SIT VANA, &c.

Alij legunt, Quò sit vsura. SED FORSITAN, &c. *Forte anima, post obitum* Certior est, de sensu. *De statu suo sensibili, & capaci pœnæ vel gloriæ, quàm de corporis resurrectione.* PRÆSVMPTORES DENOTAMVR, *arguimur sine ratione & fundamento, assertores.* PRÆMAEV. *In promptu est, vt ipsa anima hoc testimonium corpori surrecturo præstet:* ABIIT A IAM, ET REVERTI DEBET. *Festus*, Abitionem antiqui dicebant mortem. *Nyss. in vita B. Macrinæ sic refert, eam de obitu viri sui locutam*: Profectum esse peregrè, non mortuum. *Et Christus, de propria morte*, Ego vadò. *Et rursum se comparat nobili peregrè profecto, qui* abiit accipere sibi regnum, & reuerti.

8. *Anima immortalis probatur, quòd careat somno, imagine mortis. De Resur. cap.* 18. *à m.*

ANima porro, nec vocabulo cadit, quia nec habitu ruit. Atquin ipsa est, quæ ruinam corpori infert, quum efflata est: sicut ipsa est, quæ illud de terra suscitabit ingressa. Non potest cadere, quæ suscitauit ingressa. Non potest ruere, quæ elidit egressa. Artius dicam, ne in somnum quidem cadit anima cum corpore, ne tum quidem sternitur cum carne. Etenim agitatur in somnis & iactitatur; quiesceret autem, si jaceret; & iaceret, si caderet. Ita nec in veritatem mortis cadit, quænec in imaginem eius ruit. Sequens nunc vocabulum, Mortuorum, æquè dispice, cui substantiæ insidat: quamquam in hac materia admittamus, interdum mortalitatem animæ assignari ab hæreticis: vt, si anima mortalis relurrectionem consecutura est, præiudicium sit & carni non minus mortali resurrectionem communicaturæ. Sed nunc proprietas vocabuli vindicanda est suæ sorti.

ANIMÆ IMMORTALITAS. VIII. SCHOLIA.

NE VOCABVLO CADIT. *Casus mortis, non convenit animæ, nec ipsum nomen, Cadaver autem à cadendo dictum. Aug. 20. de ciuit. c. 21. ex Esaia 26.* Terra impiorum cadet. Quis autem non videat
Aug. à cadendo esse appellata cadauera. *S. autem Epiph. hæresi 41. Cont. Marcionem.* Quomodo resurget anima quæ non cecidit? Resurrectio vero quomodo vocabitur nunquam lapsæ? quidquid enim labitur resurrectione opus habet. Cadit autem non anima, sed corpus. Vnde etiam meritò consuetudo solet ipsum cadauer vocare; & ipse quoque Dominus, vbi dixit, vbi cadauer, ibi congregabuntur aquilæ. NEC HABITV RVIT. *Id. vel ex natura immortalis, vel quia habitus iacentis post lapsum & prostrati, corpori conuenit, non animæ.* CVM EFFLATA EST. *Sicut nempe afflata & insufflata in corpus de limo factum, suscitauit*, Et factus est homo in animam viuentem, *Id. est animal viuum, sic cum efflatur anima, ipsa quidem non ruit, sed corpus* Elidit, *Dum in primam terram & limum factum exanime reuertitur.* ARTIVS DICAM. *Pro* actius *Id. pressius.* NE IN SOMNVM, &c. *Sic Lact. de ira Dei c.* 17. Nec somnus habet quietem; nam dum soporati sumus, corpus quidem quiescit, animus autem irrequietus agitatur: Imagines sibi quas cernat, effingit, vt naturalem suum motum exerceat. IMAGINEM EIVS. *Somnum scilicet. Vnde ex eodem Tertul.* Inde deducimus imaginem mortis, &c. Somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem. *Athenagoras lib. de Resur.* Existimo nonnullos somnum fratrem mortis appellitare, non quod genus vtriusque indicare velint, quasi ex iisdem maioribus, & parentibus sint nati; sed quòd similia accidant sopitis & defunctis, ratione quietis otiique sensuum, cùm nihil intelligant de rebus præsentibus, aut quæ tum fiunt, imò nec seipsos esse, aut viuere sentiant. *Supra ipse Tertul. dixerat*, Somnum, mortis speculum; *Quod ipsam repræsentet.*

Aug. *Augustinus lib. de immortalitate animæ cap.* 14. *Tertulliano cohæret in argumento somni.* An quia, inquit, inuitos nos plerumque opprimit somnus, metuendum est, ne quo tali defectu animus conuertatur in corpus? Quasi verò quoniam somno membra nostra marcescunt, idcirco animus sit vlla ex parte debilior. Sensibilia tantum non sentit, B quia quicquid illud est, quod somnum facit, è corpore est, atque in corpore operatur. Corporeos enim sensus sopit, & claudit quodammodo: ita sanè vt tali commutationi corporis cedat anima cum voluptate; quia secundùm naturam est talis commutatio quæ reficit corpus à laboribus: non tamen hæc adimit animo, vel sentiendi vim, vel intelligendi. Nam & imagines sensibilium præsto habet, tanta expressione similitudinis, vt eo ipso tempore discerni nequeant ab iis rebus, quarum imagines sunt: & si quid intelligit, æquè dormienti ac vigilanti verum est. Nam verbi gratia si per somnium disputare sibi visus fuerit, veraseque rationes secutus, disputando didicerit aliquid, & iam expergefacto eædem incommutabiles manent, quamuis falsa reperiantur cætera: veluti locus, vbi disputatio, & persona cum qua disputatio fuisse visa erat, & verba ipsa, quod ad sonum attinet, quibus disputari videbarur, & alia huiusmodi, quæ etiam cùm ipsis sensibus sentiuntur, aguntur que à vigilantibus, prætereunt tamen, nec vlla ex parte sempiternam præsentiam verarum rationum assequuntur. Ex quo colligitur tali commutatione corporis, qualis somnus est, vsum eiusdem corporis, non animæ vim propriam posse minui. VOCABVLVM MORTVORVM. *Aliud vocabulum erat*, Resurrectio, *Quod vt monstrauit animæ non quadrare, sic nec*, Mortuorum; INSIDAT. *Alij legunt*, incidat, *Quod perinde est. Videndum, inquit, in quam ex duabus substantiis cadat, cui maneat, mortui nomen, animæ an carni.* AB HÆRETICIS. *Vel Lucanum hæreticum accipe, quem supra notauit, hoc errore deceptum. Vel Arabes quos Origenes ad rectam fidem conuictos conuertit, teste Eusebio in hist. qui mortalem animam dicebant, sed vna cum corpore suscitandam, de qua hæresi sic Aug. to. 6. lib. de Hæres. hæresi* S. Aug. 83 In sexto libro ponit Eusebius narrans eam extitisse in Arabia. Itaque hos hæreticos, quoniã nullũ eorum ponit authorem, Arabicos possumus nuncupare, quidixerunt animas cũ corporibus mori atque dissolui, & in fine sæculi vtrũque resurgere, sed hos disputatione Origenis præsentis, & eos alloquentis, celerrimè dicit fuisse correctos. PRÆIVDICIVM SIT, &c. *Id. esto, admittamus cum istis mortalem animam suscitandam, vel hinc præiudica-*

Digitized by Google

tam ſententiam, & à fortiori, pro reſurrectione corporum argumentabimur. Si enim anima mortalis reſurgit, cui minus, vt vitæ corporis principio mors conuenit, quantò magis corpus propriè & de ſuo mortale & corruptibile reſurget. VINDICANDA EST, *Adiudicanda eſt,* SVÆ SORTI, *Subſtantiæ ſcilicet mortali ſuæ ſorte & naturæ mortali corpori.*

* 9. *Et de anima cap. 43. circa fin.*

SEd & illa ſic patitur, vt alibi agere videatur, diſſimulatione præſentiæ futuram abſentiam ediſcens; & tamen interim ſomniat, nec quieſcit, nec ignaueſcit omnino, nec naturam immortalitatis ſeruam ſopori addicit. probat ſe mobilem ſemper; terra, mari, peregrinatur, negotiatur, agitatur, laborat, ludit, dolet, gaudet, licita atque inlicita perſequitur; oſtendit quod ſine corpore etiam plurimum poſſit, quod & ſuis inſtructa ſit membris, ſed nihilominus neceſſitatem habeat rurſus corporis agitandi.

10. *Et ibidem à p.*

SVpereſt, ſi fortè, cum Stoïcis, reſolutionem ſenſualis vigoris ſomnum determinemus, quia corporis ſolius quietem procuret, non & animæ. Animam enim vt ſemper mobilem & ſemper exercitam, nunquam ſuccidere quieti, alienæ ſcilicet à ſtatu immortalitatis; nihil enim immortale finem operis ſui admittit. ſomnus autem finis eſt operis. Denique corpori cui immortalitas competit, ei ſoli quies finem operis adulatur.

* 11. *De anima cap. 45. in p. ad m.*

TEnemur hîc, de ſomniis quoque Chriſtianam ſententiam expromere, vt de accidentibus ſomni; & non modicis iactationibus animæ, quam ediximus negotioſam, & exercitam ſemper ex perpetuitate motationis, quod diuinitatis & immortalitatis eſt ratio. Igitur, cùm quies corporibus euenit, quorum ſolatium proprium eſt, vacans illa à ſolatio alieno, non quieſcit; & ſi caret opera membrorum corporalium, ſuis vtitur. Concipe gladiatorem ſine armis, vel aurigam ſine curriculis, geſticulantes omnem habitum artis ſuæ atque conatum. pugnatur, certatur; ſed vacua iactatio eſt. nihilominus tamen fieri videntur, quæ fieri tamen non videntur. actu enim fiunt, effectu vero non fiunt. Hanc vim ecſtaſin dicimus, exceſſum ſenſus, & amentiæ inſtar.

ANIMÆ IMMORTALITAS. IX. X. XI. SCHOL.

SIC PATITVR. *Anima ſcilicet tempore ſomni.* VT ALIBI. *Id. extra corpus eſſe ſibi videatur.* DISSIMVLATIONE, &c. *Licet de facto præſens ſit corpori quod animat, ſimulat ſe non eſſe præſentem. Nam ex Aug. in Pſal.* Præſentem eſſe, eſt ſenſu adeſſe: abſentem eſſe, ſenſu abeſſe. *Hinc ſopitis ſenſibus corporeis benè præſentiam ſuam diſſimulat.* ABSENTIAM EDISCENS. *Studet nempe & diſcit ex ſomno, integram futuram poſt mortem à corpore realem abſentiam.* AGITATVR. *Alij* Aginatur. *Agina Feſto eſt, cui inſeritur ſcapus trutinæ, ab agendo dicta, in quo trutina vertitur minimo pondere hinc illucque facilè agitata. Hinc aginatores aurigæ, qui in ludis circenſibus currus facilè flectebant. Vel ſignificat hominem parvo lucro mobilem. Quod bellè conuenit animæ in corpore ſopito.* MEMBRIS. *Hic ſuum errorem de anima corporea inſinuat.* RVRSVS. *Quia iterum excuſſo ſomno, motum corpori & ſenſibus eius neceſſario reddet, cùm ſit actus eius & forma quoad hæc officia neceſſaria.*

IO. CVM STOICIS. *Galenus & Plutarchus pariter ſentiunt*: Plato & Stoïci, ſomnum fieri remiſſione ſenſitiui ſpiritus, putauerunt. ALIENÆ, &c. *Quia quies numquam eſt rei immortali, quæ* Numquam ſuccidit quieti, *Id. ſuccumbit. Inde ex* S. Aug. *Aug. Deus immortalis*, Semper agens, & ſemper quietus. *Quia indefeſſa actio* Vſque modo operantis Patris & Filij, *Quietem eius & pacem non perturbat: nec quies æterna immutabilis ſubſtantia, infatigabilem ſemper agentis operationem, vel mento ſuſpendit. Sic ſapientia*, Omnibus mobilibus, mobilior eſt. *Sic Seraphin Deo proximi & ſimillimi* Stant & volant. *Sic ſpiritus immortales, in myſtica ſcala* Aſcendunt & deſcendunt. *Sic à pari nec anima ſomno quieſcit*, Finem operis ſui non admittens. ADVLATVR. *Quaſi iam blanditur ex ſomno, operis præcedentis fini, promittit, gratulatur, ſpondet in mortis ſomno diuturnum laborum & dolorum quietem vſque ad reſurrectionem.*

II. ACCIDENTIBVS SOMNI. *Somnia enim in ſomno accidunt, de quibus ſententia Chriſtiana probatur, aſſerens animam immortalem.* VACANS ILLA. *Anima ſcilicet non participans ſolatio corporis, vt à ſe alieno.* SVIS VTITVR. *Rurſum corpoream fingit animam, cui membra tribuit.* ACTV FIVNT. *Gladiatores enim ante verum certamen, in aula actis præludunt, ſed effectu vulnera non imprimunt, ſanguinem non fundunt.* ECSTASIM DICIMVS. *Diſtinguit eam à ſomno: ſomnus enim corpori dat quietem, Ecſtaſis animæ inquietudinem.* EXCESSVM SENSVS, *Quòd anima ſupra ſopitos ſenſus ſe exerat, & vndequaque vagetur. Lact. de opif.* An poteſt aliquis non admirari quòd ſenſus ille viuus atque cœleſtis, qui mens vel animus nuncupatur, tantæ mobilitatis eſt, vt ne tum quidem cùm ſopitus eſt conquieſcat: Tantæ celeritatis, vt vno temporis puncto cœlum omne colluſtret: & ſi velit maria peruolet, terras ac vrbes peragret. *Concinnè ad Tertulliani mentem de vi animæ immortalis, nec ſomno impeditæ Auguſtinus to. 1. de immortalitate animæ c. 14. ſupra citato num. 8.*

12. *Anima non minus immortalis est, licet cibos appetat corpori, quibus in eo conseruetur: suos enim proprios cibos habet. De An. cap.* 38. *in m. ad fin. & 39. in p.*

PRopriè naturalis concupiſcentia vnica eſt, alimentorum ſolummodò, quam Deus & in primordio contulit. [a] *Ex omni ligno, inquit, edetis*; & ſecundæ poſt diluuium genituræ ſupermenſus eſt, [b] *Ecce dedi vobis omnia in eſcam, tanquam olera fœni*; proſpectans, non tam animæ quàm carni, etſi propter animam. Auferenda eſt enim argumentatoris occaſio, qui quòd anima deſiderare videatur alimenta, hinc quoque mortalem eam intelligi cupit, quæ cibis ſuſtineatur: denique derogatis eis euigeſcat: poſtremò ſubtractis intercidat. Porro, non ſolum proponendum eſt quinam ea deſideret, ſed & cui. & ſi propter ſe, ſed & cur, & quando, & quonam vſque; tum quòd aliud naturâ deſideret, aliud neceſſitate, aliud ſecundum proprietatem, aliud in cauſam. Deſiderabit igitur cibos anima, ſibi quidem ex cauſa neceſſitatis, carni verò ex natura proprietatis. Certè enim domus animæ caro eſt, & inquilinus carnis anima. Deſiderabit itaque inquilinus ex cauſa, & neceſſitate huius nominis profutura domui, toto inquilinatus ſui tempore; non vt ipſe ſubſtruendus, nec vt ipſe loricandus, nec vt ipſe tibicinandus; ſed tantummodò continendus: quia non aliter contineri poſſit, quàm domo fulta. alioquin licebit animæ, dilapſa domo ex deſtitutione propriorum ſubſidiorum, incolumi abire, habenti ſua firmamenta, & propriæ conditionis alimenta, immortalitatem, rationalitatem, ſenſualitatem, intellectualitatem, arbitrij libertatem. Quæ omnia natiuitùs animæ conlata, idem qui in primordio inuidit, nunc quoque obumbrat atque deprauat, quominus aut vltro proſpiciantur, aut quà oportet adminiſtrentur.

a Gen. 2. 16.
b Gen. 9. 3. 4.

CAP. XXXIX.

ANIMÆ IMMORTALITAS XII. SCHOL.

PROPRIE NATVRALIS, &c. *Id. ab initio natiuitatis & originis vnica concupiſcentia licita eſt, nempe ciborum appetitus & vſus. Immediatè enim ante dixerat oculorum concupiſcentiam*, Exinde ſcabidam etiam in cæteras culpas, & delinquendi non naturales. EX OMNI LIGNO, &c. *Sic Gen.* 2. 70. Ex omni ligno quod eſt in paradiſo eſca edes: de ligno autem cognoſcendi bonum & malum, non edetis de illo. GENITVRÆ. *Id. hominibus poſt diluuium genitis à Noë quaſi ſecundo genitore poſt Adam, & filiis eius.* SVPERMENSVS. *Quia ciborum menſuram amplianit, ſuper eſcam fructuum, etiam carnes volucrum & beſtiarum largiens. Gen.* 9. *ex* 70. Tremor & timor veſtri erit in omnibus beſtiis terræ, ſuper omnia volatilia cœli, & omnia quæ mouentur ſuper terram, & ſuper omnes piſces maris, ſub manus vobis dedi: & omne reptile quod eſt viuum vobis erit ad eſcã, ſicut olera pabuli dedi vobis omnia. PROPTER ANIMAM, *Quia caro ordinatur ad animam, cui in carne retinendæ Deus prouidit alimenta.* AVFERENDA EST. *Prauenienda Sophiſta obiectio, qui mortalem concludit animam, ex cibi appetitu. Soranum eiuſque ſequaces intelligit argumentatoris nomine.* DEROGATIS EVIGESCAT. *Voces duæ contrariæ erogationi & vigori. Quaſi diceret ſubtractis cibis langueſcat, vel imminuatur.* ALIVD NATVRA. *Idem repetit ſubdens*, Secundum proprietatem. *Iuxta quam anima proprios & naturales cibos ſapientiæ deſiderat, de quibus vide iam dicta verbo* Alimentum, *& in Schol. de quibus & Pſalter*, Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. *Et Chriſtus in Euang.* B. qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. ALIVD NECESSITATE. *Rurſum idem inculcat ſubiiciens*, Aliud in cauſam. *Cibi enim neceſſarij ſunt corpori ob cauſam conſumpti humidi radicalis à calore naturali, qui neceſſariò reparandus eſt alimento, vt anima ſubſiſtat in corpore, & ne languida ſint operationes eius, deficientibus & languentibus organis.* INQVILINVS. *Eſt qui in alieno vel conducto loco habitat. Sic Cicero* 2. *Philip. & Suet. in Claudio. Bene animus in hac vita quaſi inquilinus conductitia in domo, migraturus habitat. Vnde & Paulus*, Non habemus hîc ciuitatem manentem: *Iob* Domum luteam *vocat, eterna erit in reſurrectione domus, cuius animus propriè tum erit Dominus.* SVBSTRVENDVS. *Nec enim cibo ipſe animus ſubſtruitur, & ſuſtentatur.* LORICANDVS. *Paulus de Verb. ſignif.* Incruſtationes, loricationes, picturas, & ornatus ædium dixit. *Hinc loricandus, quaſi obfirmandus. Varro de re Ruſtica.* Parietes opere tectorio marmorato, loricandi. *Muniendi.* TIBICINANDVS *Vel inflandus inſtar tibicinis pleno ore ſufflantis in tibiam; vel continuata ex ædibus ſumpta Metaphora, ſenſu Iuuenalis, Ouidij, Virgilij*, Tibicines, vnde vox tibicinandi *derivata, tigna ſunt, & fulcra, quibus ædificia inclinata, & alioqui ruitura, ſuſtinentur.* INVIDIT. *Diabolus ſcilicet* Homicida ab initio. *Inuidit natiuos animæ cibos, infuſam à Deo ſapientiam, immortalitatem à gratia pendentem, dequâ Paulus*, Gratia Dei vita æterna; *Libertatem quâ ex Aug. acceperat*, poſſe non peccare, poſſe nõ mori, *Acceptura cum Angelis bonis, merito boni vſus arbitrij*, non poſſe mori, nõ poſſe peccare. *Lignum inſuper vitæ, quo, & corpus immortale conſeruaret. Inuidit autem hæc alimenta diabolus, quæ & nunc* obumbrat, *ne homo ea quærat, & inueniat. De Veris & propriis animæ rationalis cibis conſulendus Auguſtinus ſer.* 64. *de verbis Dñi. vbi de vita æterna*: Scimus cùm apparuerit ei ſimiles erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Ecce ad quid nutrimur cupiendum, ecce ad quid nutrimur percipiendum, comedendum: vt tamen quod comeditur non minuatur, & qui comedit vegetetur. Nam modo cibus vegetat comedendo, ſed minuitur cibus qui comeditur. Quando autem cœperimus comedere iuſtitiam, comedere ſapientiam, comedere illum immortalem cibum, & nos vegetamur, & cibus ille non minuitur. Si enim nouit oculus paſci luce, nec tamen minuit lucem; non enim minor erit lux, quia videtur à pluribus, plurium oculos paſcit, & tamen tanta eſt quanta erat, & illi paſcuntur, & illa non minui-

S. Aug.

tur. Si Deus dedit hoc luci, quam fecit ad oculos A carnis, quid est ipse lux ad oculos cordis? Si ergo laudaretur tibi aliquis cibus magnus quem praesturus esses, parares ventrem: laudatur tibi Deus; para mentē. *Et to. 4. lib. 2. de Ser. Do. in mon. cap. 7.* Quotidianus cibus nunc dicitur, quamdiu vita ista temporalis per dies decedentes succedéreique peragitur. Et reuera quamdiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est nunc in spiritalia, nunc in carnalia, animi affectus alternant, tanquam ei qui aliquando pascitur cibo, aliquando famem patitur, quotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens, & relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hac vita, ante illam scilicet immutationem, cibo reficitur, quia sentit dispendium: sic & animus, quoniam temporalibus affectibus quasi dispendium ab intentione Dei patitur, præceptorum cibo refitiatur. *Et lib. 7. Confess. c. 18. vbi de anima cibo immortali animā immortalem pascente & roborante*: Quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, nec inueniebam, donec amplecterer mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vocantem, & dicentem, Ego sum via veritas & vita. Et cibum cui inualidus eram, miscentem carni: quoniam Verbum Caro factum est, vt infantiæ nostræ lacteſceret sapientia tua, per quam creasti omnia. S. Aug.

13. *Anima immortalis est, quia simplex est substantia, & indiuisibilis: quam si bene diuidunt Philosophi, non in membra, sed officia distinguent. De An. cap 14. per totum.*

SIngularis alioquin, & simplex, & de suo tota est, non magis instructilis aliunde, quàm diuisibilis ex se, quia nec dissolubilis. Si enim structilis, & dissolubilis; si dissolubilis, iam non immortalis. Itaque quia non mortalis, neque dissolubilis, neque diuisibilis. Nam & diuidi dissolui est, & dissolui mori est. Dividetur autem in partes, nunc in duas à Platone; nunc in tres à Zenone, nunc in quinque, & in sex à Panætio, in septem à Sorano, etiam in octo penes Chrysippum, etiam in nouem penes Apollophanem, sed & in decem apud quosdam Stoïcorum, & in duas amplius apud Posidonium, qui à duobus exorsus titulis, principali, quod aiunt ἡγεμονικὸν, & à rationali, quod aiunt λογικὸν, in duodecim exinde prosecuit: ita aliæ ex aliis species diuidunt animam. Huiusmodi autem, non tam partes animæ habebuntur, quàm vires, & efficaciæ, & operæ, sicut de quibusdam & Aristoteles iudicauit. Non enim membra sunt substantiæ animalis, sed ingenia: vt motorium, vt actorium, vt cogitatorium, & si qua in hunc modum distinguunt; vt & ipsi illi quinque notissimi sensus, visus, auditus, gustus, tactus, odoratus. Quibus omnibus etsi certa singulis domicilia in corpore determinauerunt, non idcirco hæc quoque distributio animæ, ad animæ sectiones pertinebit; quando ne ipsum quidem corpus ita diuidatur in membra, vt illi volunt animam. Atquin ex multitudine membrorum vnum corpus efficitur, vt concretio sit potius ipsa diuisio. Specta portentosissimam Archimedis munificentiam, organum hydraulicū dico, tot membra, tot partes, tot cōpagines, tot itinera vocum, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & vna moles erunt omnia. Sic & spiritus, qui illic de tormento aquæ anhelat, non ideo separabitur in partes, quia per partes administratur, substantiâ quidem solidus, operâ verò diuisus. Non longè hoc exemplum est à Stratone, & Æneside mo, & Heraclito: nam & ipsi vnitatem animæ tuentur, quæ in totum corpus defusa, & vbique ipsa, velut flatus in calamo per cauernas, ita per sensualia variis modis emicet, non tam concisa, quàm dispensata. Hæc omnia quibus titulis nuncupentur, & quibus ex se diuisionibus detineantur, & quibus in corpore metationibus sequestrentur, Medici potius cum Philosophis considerabunt, nobis pauca conuenient.

ANIMÆ IMMORTALITAS. XIII. SCHOL.

SINGVLARIS, &c. *Probat hic animam esse indiuisibilem, incompositam ex se, & proinde totam, pariterque singularem, quæ nullo alio indigeat, vt eius simplex substantia compleatur: quia si structilis, id est composita & structa esset, diuisibilis esset, & dissolubilis in ea, ex quibus structa esset & composita, proindeque mortalis. Quod si à Philosophis & Medicis, in partes diuersimode diuidatur, non membra, sed vires & potentia intelligenda sunt.* IN PARTES. *Loquitur secundùm Platonicos & Stoïcos. Aristoteles vocat* Facultates. *Varro* Gradus. *A præstantia scilicet, qua vna facultas transcendit alteram. Sic Theodoretus:* Xenocrates auditor Spusippi nepotis Platonis animam partitus est, in vim rationis, & facultatem sentiendi: IN TRES A ZENONE. *Princeps fuit Stoicorum. Seneca & ipse Stoïcus.* In hoc, inquit, principali, est aliquid irrationale, & rationale: Illud huic seruit, &c. Irrationalis pars animi duas habet partes, alterā animosam, ambitiosam, impotentē, positam in affectionibus; alteram humilem, languidam, voluptatibus deditā. A PANÆTIO. *Hic ex Tullio discipulus Antipatri fuit, & Posidonij Doctor, quo, Scipio Africanus domi semper & foris ad legariones vtebatur.* IN SEPTEM A SORANO. *Cum libri eius quatuor de anima non extent, coniicio ipsum adiecisse ad quinque sensus cum Panatio Egemonicon, & vt Medicus Spermaticam facultatem. Seneca item septem ponit, mouendi, alendi, ratiocinandi; deinde subdiuidit rationalem & irrationalem: & tandem irrationalem, in concupiscibilem & irascibilem.* IN OCTO, &c.

B

Chryſippus ſectator Zenonis. Sic Laërtius in communi de Stoicis. Chalcidius ſpecialiter de Chryſippo, Hæc octo in partes diuiſa inuenitur. Conſtat enim è principali, & quinque ſenſibus, etiam vocali ſubſtantia, & ſerendi procreandique potentia. IN NOVEM *Apollophanem Stoicum accepe, de quo Laertius. Non Sophiſtam condiſcipulum Dionyſij Areopagitæ, nec Athenienſem Comicum, de quo Suidas, nec Medicum, de quo Plinius.* IN DECEM, &c. *Lypſius vim alendi & monendi; Iunius phantaſticam & ſpermaticam volunt addidiſſe quoſdam Stoicos.* APVD POSSIDONIVM. *Hunc puto à Seneca laudatum*, Vnum ex his qui plurimum Philoſophiæ contulerunt. IN DVAS AMPLIVS. *Id. duas addidit denario numero, vt duodecim impleret.* HEGEMONICON. *Cicero principatum. Laërtius principalem & primariam animæ partem; Plutarch. ſupremam vocat.* SPECIES. *Democritus & S. Nemeſius, animæ facultates, ſpecies vocant.* ARISTOTELES, *Et cum eo S. Dionyſius Areop. & D. Nemeſius vires & facultates appellat.* INGENIA, *Officia dixi alibi, & ingenitas vires* MOTORIVM. *Eſt potentia mouendi ſe ad locum.* ACTORIVM. *Malunt legere alij* Auctorium. *Eſt facultas vegetatiua, ſiu vis alendi, augendi, nutriendi.* COGITATORIVM. *Vis eſt & potentia cogitandi. Quibus partibus ſua ſunt domicilia, quæ tamen non diuidunt animam; vnde cum nec ipſi Stoici corpus ipſum tam membratim diuidant, vt etiam velint membrorum diuiſionem, potius facere concretionem & coagmentationem vnius cuiuſcunque corporis, quomodo non magis partitiones iſtas animæ rationalis, non dicunt vnam & ſimplicem ſubſtantiam per ſe diuerſa opera præſtantem, qua vocetur memoria dum recordatur, intellectus & ratio dum ratiocinatur, &c.* SPECTA PORTENTOSISSIMAM. *Probat prædicta exemplo inſtrumenti & organi muſici per aquam agitati, opera Archimedis, quod videtur veluti animatum, ob motus & concentus diuerſos, quod licet tot membris, & tanta tibiarum modulantium acie ordinatum cernatur, vnicum tamen eſt ſic anima, &c.* ARCHIMEDIS MVNIFICENTIAM *Ariſtoteles narrat Platonem inſtrumentum quoddam hydraulicũ ad nocturnũ horologium, ſimile Clepſydræ cõpoſuiſſe. Athenæus refert Cteſibium Alexandrinum primũ excogitaſſe hydraulicũ inſtrumentum. Non igitur Archimedem inuentorem facit Tertullianus noſter, ſed liberaliorem portentoſæ machinæ artificem. Lege Vitruuium lib. 10. c. 13.* SPIRITVS DE TORMENTO, &c. *Id. ventus & aër ex commotione aquæ agitatus in fiſtulis, ſonum gratum anhelat & producit.* NON LONGE HOC EXEMPLVM, &c. *Strato hic Philoſophus fuit, non medicus, diſcipulus Eraſiſtrati, qui cum Æneſidemo & Heraclito animam aëream, vel quaſi aëream dicebat, nec diſtinguebat animam ab ſpiritu reſpirationis. Vnde animam flatum dicebant.* PER SENSVALIA. *Per organa ſenſuum multimodè ſe prædat & oſtendat vires ſuas.* QVIBVS TITVLIS. *Id. nominibus.* METATIONIBVS. *Id. locis diſcretis & terminis ſeparentur; ad medicos & Philoſophos magis pertinet diſquirere. De diuiſionibus, & gradibus animæ. Aug. lib. 7. de Ciuit. c. 23.* Varro libro de diis ſelectis, tres eſſe affirmat animæ gradus, &c. Vnum, qui omnes partes corporis quæ viuunt, tranſit, & non habet ſenſum, ſed tantum ad viuendum valetudinem; hanc vim in noſtro corpore permanare dicit in oſſa, vngues, capillos: ſicut in mundo arbores ſine ſenſu aluntur & creſcunt, & modo quodam ſuo viuunt. Secundum gradum animæ dicit, in quo ſenſus eſt. Hanc vim peruenire in oculos, aures, nares, os, tactum. Tertium gradum animæ eſſe ſummum, qui vocatur animus, in quo intelligentia præeminet: hoc præter hominem omnes carere mortales: In qua, quoniam homines Deo videntur eſſe ſimiles, hanc partem animæ mundi, dicit Deum, in nobis autem genium vocari. *Et lib. 14. de Ciuit. cap. 19. vbi iuxta Zenonem eiuſque ſequaces animam in tres partes diſtinguit, in irascibilem, concupiſcibilem, & rationalem*: Hinc eſt quod & illi Philoſophi, qui veritate propius acceſſerunt, iram atque libidinem *irascibilem & concupiſcibilem* vitioſas animi partes eſſe confeſſi ſunt; eo quòd turbidè, atque inordinatè mouerentur, ad ea etiam, quæ ſapientia perpetrari non vetat: ac per hoc opus habere moderatrice mente atque ratione, quam partem animi tertiam velut in arce quadã ad iſtas regendas perhibent collocatã; vt illa imperãte, iſtis ſeruientibus poſſit in homine iuſtitia ex omni parte conſeruari. *Organis autem & ſenſibus ſuis vnam eandemque indiuiſam animam, vti docuit idem Aug. in Pſal. 48.* Aperiam in pſalterio propoſitionem meã, quod eſt iam loqui per corpus: ſic enim vtitur anima corpore, quomodo vtitur Cytharistapſalterio. *Et in Pſal. 145.* Lauda anima mea Dominũ, &c. Quis eſt qui dicit lauda, &c. Infelix eſt ipſa anima, ſi à corpore expectet conſilium. Caro bene obediens famula eſt animæ. Illæ regit hæc regitur, illa imperat, iſta famulatur, &c. *De diuiſione animæ vtentis organis ſenſuum Ser. 23. de Ver. Do.* Omnis anima in corpore, ideo quinario numero cenſetur, quia quinque ſenſibus vtitur. Nihil eſt enim quod ſentimus in corpore, niſi ianua quinque partita, aut videndo, aut audiendo, aut odorando, aut guſtãdo, aut tangendo. *Quod autem anima non ſit idem ipſa quod organa, quibus vtitur, ſic diſſerit to. 3. lib. 7. de Gen. ad lit. c. 17.* Quoniam pars cerebri anterior, vnde ſenſus omnes diſtribuuntur, ad frontem collocata eſt, atque in facie ſunt ipſa velut organa ſentiendi, &c. Ideo ſcriptum arbitror, quod in faciem Deus ſufflauerit homini flatum vitæ, cum factus eſt in animam viuam, &c. *Et cap. 18.* Anima in iſtis tanquam organis agit, nihil horum eſt ipſa, ſed viuificat & regit omnia, & per hæc corpori conſulit, & huic vitæ, in qua factus eſt homo in animam viuam. *Et cap. 19.* Dum hæc eius miniſteria, vitio quolibet, ſeu perturbatione, omnimodò deficiunt, deſiſtentibus nuntiis ſentiendi, & miniſtris mouendi, tanquam non habens cur adſit, abſcedit. Si autem non ita deficiunt vt in morte aſſolet, turbatur eius intentio, tanquam conantis redintegrare labentia, nec valentis. Et in quibus turbatur, inde cognoſcitur, quæ pars miniſteriorum in cauſa ſit, vt ſi potuerit, medicina ſuccurrat. Namque aliud eſſe ipſam, aliud hæc eius corporalia miniſteria, vel vaſa, vel organa, vel ſi quid aptius dici poſſunt, hinc euidenter elucet, quod plerumque ſe vehementi cogitationis intentione, auertit ab omnibus, vt præ oculis patentibus, rectéque valentibus, multa poſita neſciat, & ſi maior intentio eſt, dum ambulabat, repente ſubſiſtat, auertens vtique imperandi notum à miniſterio motionis, qua pedes agebantur. *Cum ergo ſit anima independens à corporeis organis, & materia corruptionis principio, ipſa eſt incorruptibilis & immortalis. Hinc Aug. ibidem c. 19.* Vnde ergo ſit ipſa, id eſt de qua velut materie Deus hunc flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum debet occurrere. Sicut enim Deus omnem creaturam, ſic anima omnem corpoream creaturam, naturæ dignitate præcellit.

Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

ANIMÆ DIGNITAS.

1. *Anima cum Deo ſimilitudo, ex Platone. De An. cap. 24. in p.*

PRimò quidem obliuionis capacem animam non cedam, quia tantam illi conceſſit diuinitatem, vt Deo adæquetur. innatam eam facit, quod & ſolum armare potuiſſem, ad teſtimonium plenæ diuinitatis: adiicit immortalem, incorruptibilem, incorporalem, quia hoc & Deum credidit, inuiſibilem, ineffigiabilem, vniformem, principalem, rationalem, intellectualem. Quid amplius proſcriberet animam, ſi eam Deum nuncuparet? Nos autem qui nihil Deo appendimus, hoc ipſo animam longè infra Deum expendimus, quòd natam eam agnoſcimus, ac per hoc dilutioris diuinitatis, & exilioris felicitatis; vt flatum, non vt ſpiritum; & ſi immortalem, vt hoc ſit diuinitatis; tamen paſſibilem, vt hoc ſit natiuitatis. ideoque & à primordio exorbitationis capacem, & inde etiam obliuionis affinem. Satis de iſto cum Hermogene.

ANIMÆ DIGNITAS. I. SCHOL.

CONCESSIT DIVINITATEM. *Arguit Platonem qui diuinam, Deoque ſimillimam deſcribens animam, obliuioſam tamen indigne facit: ſuggillat hic tacitè Platonem vt aduerſum ſibi, quod animam credat incorporalem. Caſſiod.* Magnum beneficium obliuionis neſcire defectum, & quædam ſimilitudo verè cœleſtium eſt. INEFFIGIABILEM. *Et in hoc diſſonat à Platone, anima tribuens effigiem.* PRINCIPALEM. *Hegemonicum innuit, de quo ſupra.* PROSCRIBERET. *Compoſitum Tertulliani, pro* ſcriberet. APPENDIMVS. *Plato animam vocat appendicem Dei facit. Vel ſuggillat, vt ſupra vidimus oſcillum ab axe ſuſpenſum dum egit de commiſcibilitate anima. Litteralius,* Nihil Deo appendimus, *Quaſi æquale & collateraneum, immo* Longè infra Deum expendimus animam. NATAM. *Nec enim Plato in Timæo negauit creatam. Sed hic tacitus inſinuat Tertul. errorem ſuum ex anima traduce ab Adam per proſeminationem.* DILVTIORIS. *Id. minoris.* VT PLATVM, &c. *Quia alibi filium Dei vocat.* Dei ſpiritum & Io. 4. Deus ſpiritus eſt. *Anima autem flatus eſt, inſufflatus in faciem Adæ, & creatus, non creator Spiritus.* EXORBITATIONIS. *Id. peccati & erroris.* OBLIVIONIS AFFINEM. A *Quia ſcilicet vt peccati & erroris, ſic obliuionis capax fuit. Et de facto in pœnam peccati originalis multa obliniſcimur, & ignoramus. Quod attinet ad animæ dignitatem, eam quidem magnam, ſed ſub Deo longè minorē cenſuit. Auguſtinus iuxta Tertull. Epiſt. 28. ad Hiero.* S. Aug. Non eſt pars Dei anima, ſi enim hoc eſſet, omnino incommutabilis atque incorruptibilis eſſet. Quod ſi eſſet, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius: Nec aliquid in ſemetipſa vel inciperet habere, quod nō habebat, vel deſineret habere quod habebat, quantū ad eius ipſius affectiones pertinet. Quū vero aliter ſe habeat, non opus eſt extrinſecus teſtimonio, quiſquis ſeipſum aduertit, agnoſcit. Fruſtra autem dicitur ab eis, qui animam Dei partem eſſe volunt, hanc eius labem ac turpitudinem B quam videmus in nequiſſimis hominibus hanc denique infirmitatem & ægritudinem, quam ſentimus in omnibus hominibus, non ex ipſa illi eſſe, ſed ex corpore, &c. Non eſt itaque natura incommutabilis quæ aliquo modo, aliqua cauſa, aliqua parte mutabilis eſt. Deum autem nefas eſt niſi verè ſummèque incommutabilem credere: Non eſt igitur Anima pars Dei.

2. *Anima non de Spiritu Dei, quaſi eius portio, ſed de eius afflatu tantùm imago Spiritus Dei; omnia penè Dei, præter eius impeccabilitatem exprimens; in qua eius infirmitas noſcitur. 2. Cont. Marc. cap. 9. in p. ad circa fin.*

Gen. 2. 3. QVoquo tamen, inquis, modo, ſubſtantia Creatoris delicti capax inuenitur, quum adflatus Dei, id eſt anima, in homine deliquit. nec poteſt non ad originem ſummam referri corruptio portionis. Ad hoc interpretanda erit qualitas animæ. In primis tenendum, quod Græca ſcriptura ſignauit, adflatum nominans, non ſpiritum. Quidam enim de Græco interpretantes, non recogitata differentia, nec curata proprietate verborum, pro adflatu, ſpiritum ponunt, & dant hæreticis occaſionem, ſpiritum Dei delicto infuſcandi, id eſt, ipſum Deum. & vſurpata iam quæſtio eſt. Intellige itaque adflatum minorem ſpiritu eſſe, etſi de ſpiritu accidit, vt aurulam eius, non tamen ſpiritum. nam & aura vento rarior, etſi de vento aura, non tamen ventus aura. Capit etiam imaginem ſpiritus dicere flatum. nam & ideò homo imago Dei, id eſt, ſpiritus: [a] *Deus* enim *Spiritus*. Imago ergo ſpiritus, flatus. Porrò, imago veritati non vſquequaque adæquabitur. Aliud eſt enim ſecundùm veritatem eſſe; aliud ipſam veritatem eſſe. Sic & adflatus, quum imago ſit ſpiritus, non poteſt ita imaginem Dei comparare, vt quia veritas, id eſt ſpiritus, id eſt Deus, ſine delicto eſt; ideò & adflatus, id eſt imago, non debuerit admiſiſſe delictum. In hoc erit imago minor veritate, & adflatus ſpiritu inferior, habens illas vtique lineas Dei, quà immortalis anima, quà libera, & ſui arbitrij, quà præſcia plerumque, quà rationalis, capax intellectus & ſcientiæ: tamen & in his imago, & non vſque ad ipſam vim diuinitatis; ſic nec vſque ad integritatem à delicto; quia hoc ſoli Deo cedit, id eſt veritati; & hoc ſolum imagini non licet. Sicut enim imago, quum omnes lines linprimat veritatis, vi tamen ipſa caret, non habens motum: ita & anima

[a] Io. 4. 24.

imago ſpiritus, ſolam vim eius exprimere non valuit, id eſt, non delinquendi felicitatem. Ceterùm, non eſſet anima, ſed ſpiritus; nec homo, qui animam ſortitus eſt, ſed Deus. Et aliàs autem, non omne quod Dei erit, Deus habebitur: vt expoſtules Deum & adflatum, id eſt, vacuum à delicto, quia Dei ſit adflatus. Nec tu enim ſi in tibiam flaueris, hominem tibiam feceris, quamquam de anima tua flaueris, ſicut & Deus de ſpiritu ſuo. Denique, quum manifeſtè ſcriptura dicat: [b] *Flaſſe Deum in faciem hominis, & factum hominem in animam viuam*, Non in ſpiritum viuificatorem; ſeparauit eam à conditione factoris. Opus enim aliud ſit neceſſe eſt ab artifice, id eſt, inferius artifice. Nec vrceus enim factus à figulo, ipſe erit figulus; ita nec adflatus factus à ſpiritu, ideo erit ſpiritus. Ipſum quod anima, vocitatus eſt flatus. Vide etiam ne de adflatus conditione tranſierit in aliquam diminutiorem qualitatem. Ergo, inquis, dediſti animæ infirmitatem ſuprà negatam. Planè quum illam exigis Deo parem, id eſt, delicti immunem, dico infirmam. quum verò ad angelum prouocatur, fortiorem defendam neceſſe eſt Dominum vniuerſitatis; cui iam [c] *Angeli adminiſtrant*; Qui etiam [d] *Angelos iudicaturus eſt*, Si in Dei lege conſtiterit, quod in primordio noluit.

[b] Gen. 2. 3.

[c] Hebr. 1. 7. 14.

[d] 1. Cor. 6. 3.

ANIMÆ DIGNITAS. II. SCHOLIA.

QVOQVO TAMEN INQVIS, &c. *Hic inducit Marcionem obiicientem ſibi, concludi Deum Creatorem anima rationalis peccati labe pollutum, cum anima hominis de eius flatu producta, quaſi eius portio, peccauerit: Unde* ad ſummam eius originem portio *Corruptionis referri debet.* AD HOC, &c. *Reſpondet obiectioni ſuè probando non ideo Deo anima Creatori imputandum eſſe delictum; quia vbique vox Graca ſignificans animam hominis, non πνῦμα, id. ſpiritus; ſed ψυχὴ, id. flatus habetur. De quo vide dicta ſupra Verbo Anima. 6. & in Schol. per totum. Vide etiam quæ habet Tertul. de anima cap. 11. in p. vbi & animam ſpiritum vocat.* Spiritum, inquit, neceſſe eſt certa conditione dicamus: non ſtatus nomine ſed actus, nec ſubſtantiæ *Supple ſpiritalis, ſeparatæ, qualis eſt Angelus, & multo magis Deus*, Titulo, ſed operæ; quia ſpirat, non quia ſpiritus propriè eſt: nam & flare ſpirare eſt. Ita & animam, quam flatum ex proprietate defendimus, ſpiritum nunc ex neceſſitate *Scilicet propter hæreticos, vt ſubiicit negantes animam eſſe ſpiritum* pronuntiamus. Cæterùm aduerſus Hermogenem qui eam ex materia, non ex Dei flatu contendit, flatum propriè tuemur. Ille enim aduerſus ipſius ſcripturæ fidem, flatum in ſpiritum vertit. *Id eſt pro flatu, vt habetur in Græco, poſuit ſpiritum. Vt hinc arriperet occaſionem* Infuſcandi delicto animæ, ipſum Deum & Dei ſpiritum. VSVRPATA, &c. *Id iam de hac quæſtione alio loco prælibauimus.* ACCIDIT, *Id. productus eſt adflatus à ſpiritu Dei*, Vt eius aurula, ſed longè minor & rarior ipſo Spiritu *Et vento principali.* CAPIT ETIAM. *Vox frequens Tertul. poſſum, inquit, dicere flatum, id animam hominis imaginem eſſe ſpiritus, id. ipſius Dei, quem Chriſtus Io. 4. ſpiritum vocat. Deinde probat hanc imaginem licet multa habeat lineamenta Dei, non tamen ei perfectè adæquari, quia creatura eſt, proindeque defectibilis, & peccati capax, quod Deus eius prototypus immutabilis, committere non poteſt. Excellentiam animæ rationalis, formatam & reformatam ad imaginem Dei, longè inferiorem Deo probat. Aug. Ser. 30. de Verbis Apoſt.* Natura, quæ corrupta fuerat, reparatur, natura, quæ lapſa fuerat, erigitur, natura quæ deformis iacebat, gratia reformatur. Solus enim Creator, Pater, Filius, Spiritus ſanctus, ſed trina vnitas, vna trinitas, ſola illa natura immutabilis, nec defectui, nec profectui obnoxia, nec cadit vt minus ſit, nec tranſcendit vt plus ſit, perfecta, ſempiterna, omnimodò immutabilis ſola natura. Creatura verò bona, ſed creatori impar valde, vis adhærere diabolo deſertori, ſi æquare contendis conditæ creatori. Agnoſcat anima conditionem ſuam: non eſt Deus. Cum ſe anima putat Deum, offendit Deum; non inuenit ſaluatorem, ſed inuenit damnatorem. *Quam præſtans ſit anima rationalis, ad imaginem Dei facta, & Angelis æqualis, ſic diſſerit in Pſal. 32.* Quid eſt animus tuus? attende ne forte contemnens animum tuum, & putans neſcio quid vile eſſe & abiectum, viliora quæras, quibus beatificetur animus tuus. In animo tuo eſt Imago Dei, mens hominis capit eam. Accepit eam, & inclinando ſe ad peccatum, decolorauit eam. Ipſe ad eam venit reformator, qui erat eius ante formator: quia per Verbum facta ſunt omnia, & per Verbum impreſſa eſt hæc imago. Venit ipſum Verbum, vt audiremus ab Apoſtolo reformamini in nouitate mentis veſtræ. Iam ergo ſupereſt, vt quæras quid ſit melius quàm animus tuus. Quid erit obſecro, niſi Deus tuus? Non inuenis aliquid melius animo tuo, quia cum perfecta fuerit natura tua, Angelis æquabitur. Iam ſupra non eſt niſi creator. Erige te ad illum, noli deſperare, noli dicere, multum eſt ad me. Magis multum eſt ad te habere aurum quod quæris *Quia difficilius inuenis* Aurum etſi volueris, fortè non habebis: Deum cum volueris, habebis: quia & antequam velis venit ad te, & cum auerſa voluntate eſſes, vocauit te, & cum conuerſus eſſes, terruit te, & cum territus confiterereris, conſolatus eſt te. VT QVIA VERITAS. *Id. Deus, qui verè & propriè Spiritus eſt, per eſſentiam, iuxta Paulum* immortalis & inuiſibilis; *Ideo ſit impeccabilis anima, quia afflatus eſt & Imago Spiritus.* IPSAM VIM. *Id. proprietatem diuinitatis, qua vi eſſentiæ immutabilis eſt.* INTEGRITATEM. *Qua ſanctitas tam nullo vel leui peccato minui poteſt, vt etiam Poëta Lyricus cecinit.* Integer vitæ ſceleriſque purus. DEO CEDIT. *Id. ad ſolum Deum pertinet.* LINEAS EXPRIMAT VERITATIS. *Id. veri & viuentis prototypi.* VI TAMEN, &c. *Id. anima, principio motus.* CÆTERVM, &c. *Aliàs ſi anima impeccabilis eſſet cum ipſa, Deus eſſet, & Spiritus immutabilis.* IPSVM QVOD ANIMA, &c. *Id. eo ipſo quod anima dicta eſt flatus, hinc indica ex conditione flatus, minorem intelligi debere factam à Spiritu creante & viuificante.* ERGO INQVIS, &c. *Rurſum inducis Marcionem obiicientem ſibi, hinc concludi magnam animæ infirmitatem. Hanc, inquit, fateor infirmam compoſitam Deo, in cuius conſpectu* Cæli non ſunt mundi, ſponſa ipſa tota pulchra ſine macula & ruga, & Momo, & reprehenſione; nigra eſt, & in

Angelis repetit prauitatem. PROVOCATVR. A *Quasi ad certamen & contentionem de fortitudine & gratia cum Angelo conferenda, quin etiam si de solo naturæ ordine, & vniuersitatis dominio agatur, Angelo superior homo inuenietur. Nec enim Angelo dictum est quod homini.* Dominamini piscibus maris & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, &c. *Pulchrè Chrysol. ser. 148. a. p.* Homo, quare tam tibi vilis es, qui tam pretiosus es Deo? quare sic honoratus à Deo, teipsum taliter inhonoras? quare quæris vnde factus sis, & ad quid factus sis non requiris? nonne tota ista quam vides tibi facta est mundi domus? &c. Fecit vt esset tibi cum Deo ratio communis, corpus commune cum iumentis; dedit tibi animam de cœlo, dedit tibi B corpus de terra, vt in te nexa cœli terræque concordia seruaretur. Adhuc tamen quid adiiciat ad honorem tuum, tuus creator excogitat: In te imaginem suam ponit, vt terris inuisibilem conditorem visibilis imago præsentem poneret: & in terrenis dedit tibi vices suas, vt non fraudaretur Domini Vicario, mundi tam larga possessio. IAM ANGELI. *Id. etiam Angeli, iuxta Paulum Hebr.* 1. Omnes sunt administratorij spiritus. ANGELOS, &c 1. *Cor.* 6. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? CONSTITERIT, *Perseueranerit. Alludit ad Sathanam, qui* In veritate non stetit. IN PRIMORDIO, &c. *Quia noluit bene vti libero arbitrio, quo ex Aug. factus homo rectus & innocens, adiuuante gratia acceperat* Posse non peccare; *Vt alibi diximus. Totum hunc Tertulliani sensum capit sequens locus Aug. to. 6. in disput. contra Fortunatum*: Si quæris vtrum à Deo descenderit anima, magna quidem quæstio est. Sed siue à Deo descendit, siue non, illud de anima respondeo, non esse Deum: aliud esse Deum, aliud animam Deum esse inuiolabilem, incorruptibilé, & impenetrabilem, & incoinquinabilem, &c. Animam vero videmus & peccatricem esse, & in ærumna versari, & veritatem quærere, & liberatore indigere, &c Si anima substãtia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrũpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur, quod nefas est dicere, &c. Animã sic negaui esse substantiã Dei vt negem illi esse Deum: sed tamen ex Deo authore esse, quia facta est à Deo. Aliud est qui fecit, aliud quod fecit. Qui fecit, corruptilis esse omnino non potest: quod autem fecit, omino non potest æquale esse illi qui fecit, &c. Animam dico esse factam à Deo, vt cætera omnia, quæ à Deo facta sunt, & inter illa, quæ Deus omnipotens fecit, principalem locum datum esse animæ. Si autem quæris vnde Deus animam fecit, memento me confiteri tecum esse Deum omnipotentem. Omnipotens autem non est, qui quærit adiuuari aliqua materia, vnde faciat quod velit. Ex quo est consequens, vt secundum hdem nostram omnia quæ Deus fecit, per verbum & sapientiam suam de nihilo fecerit. Aug.

* 3. *Anima effigies pulchra iuxta Platonem. De An. cap. 9. à p.*

QVid nunc, quòd & effigiem animæ damus? Platone nolente, quasi periclitetur de animæ immortalitate? Omne enim effigiatum compositum & structile adfirmat. dissolubile autem, omne composititicium & structile: sed animam immortalem: igitur indissolubilem quà immortalem, & ineffigiatam quà indissolubilem. cæterùm compositiuiam & structilem, si effigiatam; tanquam alio eam modo effigians intellectualibus formis; pulcram, iustitiâ & disciplinis philosophiæ, deformem verò, contrariis artibus.

ANIMÆ DIGNITAS. III. SCHOL.

EFFIGIEM. *Hic error authoris contra Platonem, qui animam ex effigie & membrorum contextu compositam, & proinde dissolubilem & mortalem concludit. Certè malim ego sequi Platonem pulchram assignantem animæ effigiem ex apta virtutum compage, & deformem vitiis, quàm cum Tertul. ei corpus & membra effigiemque confingere. Nec est quod quis Irenæum pro Tertulliano profert, cum dicit agens de Lazaro & diuite animas* Characterem corporis eumdem, in quo adaptantur, custodire, & habere hominis figuram, vt etiam cognoscantur. *Vult enim tantum animas sic apparuisse, vt dignosci possent, & hic character signat tantum inclinationem, quam retinent animæ in propria corpora.* PVLCHRAM IVSTITIA. *De hac interiori animæ pulchritudine, videndus Augustinus to. 2. ep. 222. ad Consentium sub finem: interiorem animæ pulchritudinem sic definit iuxta Tertullianum dicentem eam esse pulchram iustitiâ*: Quid est aliud iustitia cum in nobis est, vel quælibet virtus quâ rectè sapienterque viuitur, quàm interioris hominis pulchritudo? etiam secundùm hanc pulchritudinem, magis quàm secundùm corpus, facti sumus ad imaginem Dei. Vnde nobis dicitur Rom. 12. 2. Nolite conformari huic seculo, sed renouamini in nouitate mentis vestræ, &c. Si ergo non in mole, neque in distantibus per loca sua partibus, sicut corpora, siue cernuntur, siue cogitantur: Sed in virtute intelligibili qualis est iustitia, mentem dicimus, seu nouimus, seu volumus pulchram, & secundùm hanc pulchritudinem reformamur ad imaginem Dei: profectò, ob ipsius Dei, qui nos reformauit, & reformat ad imaginem suam, non aliqua mole corporea suspicienda est pulchritudo, eóque iustorum mentibus credendus est incomparabiliter pulchrior, quò est incomparabiliter iustior. *Et in Psal. 44. vbi de Christo vbique pulchro.* Summa & verra pulchritudo, iustitia est. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniustum. Si vbique iustus, vbique decorus. *Et rursum* Intus amat, qui intus videt: Intus amat, vt intus ametur, qui interiorem facit & ipsam pulchritudinem. &c. Omnis gloria eius filiæ regis intrinsecus, extrinsecus non solùm vestis est aurea, & varia, sed intus pulchram nouit, qui speciem eius amauit. Quæ sunt interiora pulchritudinis? conscientia. Ibi videt Christus, ibi amat Christus, ibi alloquitur Christus, ibi punit Christus, ibi coronat Christus. *Et ser. 17. de Ver. Apostoll.* Inuisibilibus similis est Deus, & ea in nobis sunt meliora, quæ sunt inuisibilia: melior est fides quàm caro, melior est fides quàm aurum, &c. Et ista omnia videntur, fides non videtur, &c. Habes duos seruos, vnum deformem corpore, alium pulcherrimum, sed illum deformem fidelem, alterum infidelem. Dic mihi quem plus dili- Aug. Aug.

Digitized by Google

gas, & video te amare inuisibilia. Quid ergo? quando plus amas seruum fidelem, licet corpore deformem quam pulchrum infidelem, errasti, & fœda pulchris præposuisti? vtique non, &c. con-A tempsisti enim oculos carnis, & erexisti oculos cordis, &c. Istum inuenisti fœdum carne, illum pulchrum: sed pronuntiasti & dixisti, quid fide pulchrius? quid infidelitate deformius? &c.

4. *Anima vna, quàm chara Deo V. verbum Pœnitentia num. 7.*

5. *Anima Christi sanguine redempta, denarius Dei est imagine inscriptus, inæstimabilis pretij. V. Verbum fuga in perseq. num. 6. circa fin.*

6. *Anima cura carni præponenda. Ad Mart. cap. 1. à p.*

CApice aliquid & à nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum. Carnem enim saginari, & spiritum esurire non prodest. Immò si quod infirmum est, curatur, æquè quod infirmius est, negligi non debet.

CAPITE ALIQVID, &c. *Exhortatur fideles carceratos, Martyrio designatos, vt spiritalia animæ nutrimenta sumant à se, & verba consolatoria, quibus Ecclesia tanquam mater de vberibus communibus, & gazophilatio pauperum necessaria, & singuli fratres de operibus propriis ministrabant.* SPIRITVM ESVRIRE, &c. Melior enim est refectio mentis, quàm ventris. *Iuxta D. Aug. & idem ipse in Reg.* Ne forte vobis fauces sumant cibum, sed & aures esurtant Dei Verbum. QVOD INFIRMIVS, &c. *Mirum quod animam hîc dicat infirmiorem carne, cum dixerit Christus*, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Et sapiens*, Corpus quod corrumpitur, aggrauat animã, & deprimit terrena inhabitatio sensum *Id est intellectum & mentem* Multa cogitantem. *Sed inquirtur vt alibi de anima, quæ sæpè succumbit carni, proindeque ipsa carne tũ inferior infirmiorque agnoscitur dum vel molliter cedit voluptati titillanti, vel tormento sæuienti. Vnde non mirum, si exhortans carceri mancipatos, infirmos spiritu & ex humana fragilitate pœna vel præmio flexibiles verbis suis, vt alimento solido fulcire conetur. Cæterùm quanti facienda sit anima, quamque non carni tantum, sed & omnibus post Deum præferenda, docuit Aug. to. 1. lib. de quantitate animæ, cap. 34.* Quemadmodum fatendum est animum humanum non esse quod Deus est. Ita præsumendum nihil inter omnia quæ creauit, Deo, esse propinquius. Ideoque diuinè ac singulariter in Ecclesia Catholica traditur, nullam creaturam colendam esse animæ, &c. Sed ipsum tantummodo rerum quæ sunt, omnium creatorem, &c. Si quid vero aliud est in rerum natura, præter ista, quæ sensibus nota sunt, & prorsus quæ aliquod spatium loci obtinent, quibus omnibus præstantiorem animam humanam esse diximus: si quid ergo aliud est eorum quæ Deus creauit, quiddam est deterius, quiddam par: deterius, vt anima pecoris: par, vt Angeli; melius autem nihil. Et si quando est aliquid horum melius, hoc peccato eius fit, non naturâ.

Aug.

B

C

S. Aug.

ANNVLVS.

1. *Annulus pronubus, solus olim in vsu. V. Verbum Abstinentia num. 1. à m.*

2. *Annulorum modio, cædes hostium Annibal metiebatur. Apol. cap. 40. à m.*

NEmo adhuc Romæ Deum verum adorabat, cùm Annibal apud Cannas Romanos annulos, cæde sua, modio metiebatur.

ANNVLVS SCHOLIA.

NEMO ADHVC ROMÆ, &c. *Frustra, inquit, Gentiles veri Dei cultui, & idololatriæ impugnationi, Romanas Clades imputant, cum tantam stragem Romanorum ageret Annibal, vt Optimatum & equitum, Nobilium que virorum, Annulis insignitorum cædes, non numeraret, sed mensuraret Annulorum modiis. Eodem sensu Aug. 3. de Ciuit. c. 19. Gentilibus exprobrat deorum suorum vel ignorantiam vel impotentiam quod Romanos à tanta cæde non liberassent.* Tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit: quo intelligerent tantam in illo prælio dignitatem cecidisse Romanam, vt facilius eam caperet mensura quam numerus: atque hinc strages turbæ cæteræ, tantò vtique numerosioris, quantò infirmioris, quæ sine annulis iacebat, conjicienda potius, quàm nuntianda putaretur.

D

S. Aug.

ANTICHRISTVS.

1. *Antichristus homo peccati, missus à Deo Creatore, in vltionem incredulorum; inter cæteros præcursores habuit Marcionem 5. cont. Marc. cap. 16. in m.*

QVis autem est a *Homo delicti, filius perditionis*, Quem reuelari prius oportet ante Domini aduentum, *Extollens se super omne quod Deus dicitur, & omnem religionem; consessurus in templo Dei, & Deum se iactaturus?* Secundùm nos quidem Antichristus, vt do-

a 2. Thess. 2. 3.

Digitized by Google

cent veteres, & nouæ prophetiæ; vt Ioannes Apoſtolus. qui [b] *Iam Antichriſtos dicit prorefſiſſe in mundum, præcurſores Antichriſti ſpiritus, negantes Chriſtum in carne veniſſe, & ſoluentes Ieſum*, Scilicet in Deo Creatore. Secundùm verò Marcionem, neſcio; ne Chriſtus ſit Creatoris: nondum enim venit apud illum. Quiſquis eſt autem ex duobus, quæro, cur [c] *Veniat in omni virtute, & ſignis, & oſtentis mendacy? Propterea, inquit, quod dilectionem veritatis non ſuſceperint, vt ſalui eſſent; & propter hoc erit eis inſtinctum fallacia, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Igitur ſi Antichriſtus eſt ſecundùm nos, & Deus; Deus erit Creator, qui eum mittit ad impingendos eos in errorem, qui non crediderunt veritati vt ſalui fierent; eiuſdem erit veritas, & ſalus, qui ex ſubmiſſu erroris vlciſcitur, id eſt Creatoris, cui & competit zelus ipſe, errore decipere, quos veritate non cepit. Si verò non eſt Antichriſtus ſecundùm nos, ergo Chriſtus eſt Creatoris ſecundùm Marcionem. Et quale erit, vt ad vlciſcendam veritatem ſuam, Chriſtum Creatori ſubmittat?

[b] 1. Io. 2. 18.
1 Io. 4. 2. 3.
[c] 2. Theſſ. 2. 9.

ANTICHRISTVS. I. SCHOLIA.

HOMO DELICTI, &c. *Sic Paulus 1. Theſ.* 2. Ne quis vos ſeducat vllo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, & quod colitur, itaut in templo Dei, ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus. *D. Thomas in hunc locum, diſceſſionem intelligit vel à fide, vel ab imperio Romano, cui totus mundus erat ſubditus. Nondum autem ceſſauit illud imperium, ſed mutatum eſt de temporali in ſpirituale. Vnde hæc diſceſſio debet intelligi de ſpirituali defectione, à fide Catholica Romana Eccleſia*: Eſt, inquit, conueniens hoc ſignum; quod ſicut Chriſtus venit quando imperium Romanum omnibus dominabatur: ita è conuerſo ſignum Antichriſti eſt diſceſſio ab eo. *Subdit, hominem peccati, &c. Vt ſicut Chriſtus plenus fuit virtute, & melior omnibus Sanctis, ſic ille plenus peccatis, & peior omnibus malis. Filius perditionis, id eſt deputatus extremæ perditioni. Vel Filius diaboli, non per naturam, ſed per complementum malitiæ. Deo aduerſabitur, & Deum ſe dicet, iuxta Dan.* 11. Eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum deorum loquetur magnifica. *Sedebit in templo, quia Iudæi primò eum recipient, & readificabunt templum in Ieruſalem. Vel melius in templo Dei id. Eccleſia, quia multi de Eccleſia eum recipient. Vel ſecundùm Auguſtinum, quia principabitur & dominabitur, tanquam ipſe cum ſuis ſit templum Dei, ſicut Chriſtus eſt cum ſuis.* NOVÆ PROPHETIÆ. *Vel errorem ſuum inſinuat de Paracleto Montani quem ſæpè hac voce intelligit, vel veterem & nouam Prophetiam, Iſaiam & Danielem, Paulum & Ioannem de Antichriſto prefatos.* IOANNES APOSTOLVS. 1. *Io.* 2. Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt. *Præter perſonam ſingularem Antichriſti, de quo ſupra, plures dicit Antichriſtos, eius ſcilicet vnici præcurſores hæreticos. Sic S. Hilarius ſcribens Conſtantio Imperatori Arriano, eum vocat Antichriſtum. Sic Rabanus tractatu de Antich. Anthiocum, Neronem, Domitianum, & quoſcumque impios vocat. Magis ad litteram Ioannes ſui ævi hæreticos notat, Ebionem, Cherinthum, Saturninum, Baſilidem, Menandrum intelligit. Et prima Io.* 4. Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. *Aug.* Ille venit colligere, tu venis ſoluere. Quomodo non negas Chriſtum veniſſe in carne, qui diſrumpis Eccleſiam, quam ille congregauit. *Sed propriè Chriſtum ſoluit Neſtorius duas in Chriſto perſonas aſſerens. Tertul. antè Marcionem hic pungit qui* Soluebat Ieſum, ſcilicet in Deo Creatore. *Tum quod A Chriſto veram carnẽ denegaret & ſic ſolueret & exſufflaret incarnationem eius; tum quod à Deo Creatore miſſum non crederet. Ioannes porro Chriſtum ſoluentem dixit Antichriſtum. Ex Græco*; Hic eſt Antichriſti, *Syrus*, Hic eſt ab ipſo pſeudo Chriſto *Cypr. Cont. Iud.* Qui autem negat in carne veniſſe, de Deo non eſt, ſed de Antichriſti ſpiritu. *Sic Chriſti præcurſor Matth.* 17. *dicitur Elias, non in perſona, ſed in officio, & ſpiritu præcurſoris. Quia vt Elias ſecundum, Ioannes primum Chriſti præmisit Aduentum.* SECVNDVM MARCIONEM. *Secundum membrum eſt diuiſionis: prius enim dixerat*, Secundùm nos quidem Antichriſtus, &c. *Id. nos quidem iuxta ſcripturas, Antichriſtum venturum credimus ante ſecundum Chriſti aduentum, & multos Antichriſtos poſt eius primum aduentum iam veniſſe credimus, venturum illum vnicum & ſingularem hominem peccati. Veniſſe multos hæreticos, ex neceſſitate manifeſtandorum fidelium & electorum iuxta Paulum, nec ſine nutu & permiſſu Creatoris, hunc, & illos, ad probationem bonorum, & vindictam & pœnam incredulitatis malorum, aſſerimus.* NESCIO. *Scilicet quid hic dicat Marcion.* NE CHRISTVS SIT CREATORIS. *Id. ne Antichriſtum cogatur admittere, Chriſtum ipſum futurum Creatoris, & à Creatore mittendum, quia ſecundùm opinionem Marcionis Chriſtus nondum venit. Vel aliter*: Ne Chriſtus ſit Creatoris. *Id. nè cogatur fateri Chriſtum, quem ipſe expectat adhuc, à Deo Creatore mittendum, quem præueniat Antichriſtus. Qui quidem cũ ex Paulo mittendus ſit, in pœnam & vindictam eorum* Qui non crediderunt veritati, &c. *Neceſſariò cogetur Marcion confiteri eiuſdem Dei Creatoris eſſe veritatem & ſalutem, cuius & vlcio & iudicium. Submittit errorem, & inſtinctum*, neutraliter accipit *fallacia. Et quod abſurdius eſt; ſi Chriſtus Creatoris ſumitur à Marcione pro Antichriſto; quomodo Marcion potuit ſibi fingere, Deum ſuum bonum, & mitem tantum, vt Chriſto aduerſarij ſui: & dicendum potius Antichriſto, ad vlciſcendam veritatem ſuam. Locus verò Pauli ſic habet* 2. *Theſſ.* 2. Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus & in omni ſeductione iniquitatis, iis qui pereunt: eò quod charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. *Et Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 19. exponit Apoſtolum ſub finem capitis*: Ideo, inquit, mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio Deus enim

B

C

D

S. Aug.

Aug.

mittet;

mittet; Quia Deus diabolum facere iſta permittet iuſto ipſius iudicio: quamuis faciat ille iniquo malignoque conſilio. Vt iudicentur, inquit, omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Proinde iudicati ſeducentur, & ſeducti iudicabuntur. Sed iudicati ſeducentur illi iudiciis Dei occultè iuſtis, & iuſtè occultis, quibus ab initio peccati rationalis creaturæ numquam iudicare ceſſauit. Seducti autem iudicabuntur nouiſſimo, manifeſtoque iudicio per Ieſum Chriſtũ, iuſtiſſimè iudicaturum iniuſtiſſimè iudicatum. *Et rurſum rem attigit Tertulliani Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. 19.* Ad ipſum, inquit, myſterium pertinere arbitrantur, quod ait in Epiſtola ſua Ioannes Euangeliſta: pueri nouiſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quòd Antichriſtus ſit venturus. Nunc autem Antichriſti multi facti ſunt. Vnde cognoſcimus, quòd nouiſſima ſit hora. Ex nobis exierunt; ſed non erant ex nobis. Quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Sicut ergo ante finem in hac hora, inquiunt, quam Ioannes nouiſſimam dicit, exierunt multi hæretici de medio Eccleſiæ, quos multos dicit Antichriſtos: ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Chriſtum, ſed ad illum nouiſſimum Antichriſtum pertinebunt, & tunc

Aug.

A reuelabitur. Alius ergo ſic, alius autem ſic Apoſtoli obſcura verba coniectat: quod tamen eum dixiſſe non dubium eſt: non veniet ad viuos & mortuos iudicandos Chriſtus, niſi prius venerit ad ſeducendos in anima mortuos aduerſarius eius Antichriſtus, quamuis ad occultum iam iudicium Dei pertineat, quòd ab illo ſeducentur. Præſentia quippè eius erit ſicut dictum eſt, ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacij, & in omni ſeductione iniquitatis, his qui pereunt. Tunc enim ſoluetur Satanas: & per illum Antichriſtum in omni ſua virtute mirabiliter quidem, ſed mendaciter operabitur. DEVS DEVS ERIT, &c. *Emphaticè repetit contra Marcionem, vt probet Deum Creatorem eumdem eſſe, cuius eſt veritas & ſalus, qui Antichriſtum mittet, in pœnam incredulorum*, Ad impingendos *Id. mittendos in errorem, &c.* EX SVBMISSV, &c. *Qui per immiſſum errorem vleiſcitur.* ZELVS IPSE, ERRORE DECIPERE. *In hoc zelus eius conſiſtit, vt errore decipiat, quos non cepit, id eſt conuertit veritate. Non quod Deus author ſit peccati; ſed ex Auguſtino, quod in pœnam peccati, ſinat homines à diabolo decipi.*

B

2. *Antichriſtus à Chriſto, vel Angelo Creatoris occidendus. Ibid. in. m. ad. fin.*

SEd & ſi de Antichriſto conſentit. Proinde dixerim, quale eſt, vt [a] *Illi Satanas angelus Creatoris ſit neceſſarius? & occidatur ab eo, habens fallaciæ operatione fungi Creatori?* In ſumma, ſi indubitatum eſt eius eſſe & angelum, & veritatem, & ſalutem, cuius & ira, & æmulatio, & fallaciæ immiſſio aduerſus contemptores & deſultores, etiam aduerſus ignorantes, (vt iam & Marcion de gradu cedat, Deum quoque ſuum zeloten concedens) quis dignius iraſcetur? puto qui à primordio rerum naturam, operibus, beneficiis, plagis, prædicationibus teſtibus, ad agnitionem ſui præſtruxit, nec tamen agnitus eſt: an qui ſemel vnico Euangelij inſtrumento, & ipſo incerto, nec palam alium Deum prædicante, productus eſt? Ita cui competit vindicta, ei competet materia vindictæ: Euangelium dico, & veritas, & ſalus.

[a] Eſa. 11. 4. 2. Theſſ. 2. 8.

ANTICHRISTVS. II. SCHOLIA.

SI DE ANTICHRISTO, &c. *Id. ſi Marcion C nobiſcum idem ſentit, non Chriſtum eſſe, ſed eius aduerſarium*; PROINDE DIXERIM, &c. *Non minus captus eſt Marcion. quomodo enim Satan, qui Angelus eſt & miniſter Creatoris, illi neceſſarius eſt, vt ei vires, opes, ſigna, & portenta ſuggerat & miniſtret? Quomodo à Chriſto Creatoris occiditur Antichriſtus iuxta Iſa. c. 11.* Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. *Et 2. Theſſ. 2.* Reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet Spiritu oris ſui; & deſtruet illuſtratione aduentus ſui, eum, cuius eſt aduentus ſecundùm operationem Satanæ. *Ex D. Thoma*, Spiritus Chriſti eſt Amor Chriſti; & hic Zelus eſt Spiritus ſancti, quem habet ad Eccleſiam; vel ſpiritu oris ſui, Id. D mandato ſuo. Quia Michaël interfecturus eſt eum in monte oliueti, vnde Chriſtus Aſcendit. *Hæc D. Thomas in hunc locum. Auguſtinus ſic de Antichriſto, eius ſeductione, morte & cæteris, quæ hic à Tertulliano, referuntur lib. 20. de Ciuit. cap. 19.*

Aug.

Nullo modo eſt prætereundus Apoſtolus Paulus, qui ſcribens ad Theſſal. Rogamus, inquit, vos, fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, vt non cito moueamini mente, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per verbum, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo: quoniam niſi venerit refuga primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius interitus, &c. reuelabitur iniquus ille, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui: Et euacuabit illuminatione præſentię ſuæ eũ, cuius eſt præſentia ſecundũ operationẽ Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacij, & in omni ſeductione iniquitatis, his qui pereunt: pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Et ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Nulli dubium eſt, eum de Antichriſto iſta dixiſſe, diéque iudicij. Hunc enim appellat diem Domini non eſſe venturum, niſi ille prior venerit, quem refugam vocat: vtique à Domino Deo. Quòd ſi de omnibus impiis meritò dici poteſt, quanto magis de iſto: Sed in quo templo Dei, vt Deus ſit ieſturus, incertum eſt: vtrum in illa ruina templi, quod à Salomone rege conſtructum eſt: an verò in Eccleſia. Non enim templum alicuius idoli, aut dæmonis, templum Dei Apoſtolus diceret. *Hoc poſito quærit Tertul. quomodo creato Angelo malo vtatur ad operationem fallaciæ, & bono ad occidendum Antichriſtum, quo ipſe fungatur ad vltionem.* IN SVMMA. *Tandem ſi certum eſt eiuſdem Dei eſſe Angelum, veritatem, ſalutem, cuius eſt ira, & Zelus, & vltio; & Marcion nouum teſtamentum admittens, eiuſque authorem Deum ſuum credat, qui & vtatur Antichriſto in vindictam rebellium ſibi; & ipſum Antichriſtum Chriſti ſui ſpiritu occidat.* DE GRA-

M

Omniloquium.

DV CEDAT, *Palinodiam cantet, retractet, quod prius senserat, fateatur, & Deum suum, Zeli & vltionis, & iræ Deum; nec tantum bonum, sed & iustum. Quo posito,* QVIS DIGNIVS IRASCETVR? *E duobus scilicet diis, an noster qui ab initio seipsum fecit agnoscere suis, operibus prophetiis, beneficiis, tribulationibus, quasi tot testibus veritatis & diuinitatis suæ, qui tamen post tot clara testimonia agnitus non est? An Deus Marcionis,* QVI SEMEL VNICO, &c. *Non antea prænuntiato, per prophetas,* Quos Marcion cum toto veteri instrumento reiicit, *Nouo testamento, proindeque incerto, in quo non apertè Deus alius ereA dendus declaratur?* ITA QVI COMPETIT, &c. *Vnde concluditur Euangelium & nouum testamentum, in eoque scriptam veritatem & salutem; cuius neglectus, materia est prouocans vindictam & zelum; ad eumdem Deum pertinere, qui Deus vltionum, Deus Sabbaath, & Zelotes in toto veteri Testamento dicitur. Et per hoc conuincitur commenticium esse Deum Marcionis, qui nullo præcedente veteri testamento, fidem sibi præstruxerit; & vnum eumdemque esse verum Deum quem colimus, Creatorem, vtriusque testamenti authorem, bonum simul, & iustum.*

APELLES.

1. *Apellem vsurum operâ Philumenis possesse ab Angelo malo, prædixit Apostolus. De præscr. cap. 6. in fin.*

a Ad Gal. 1. 8. b 2. Cor. 11. 14.

ITaque [a] *Etiamsi Angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis.* Prouiderat iam tunc Spiritus sanctus futurum in virgine quadam Philumene [b] *Angelum seductionis; transfigurantem se in angelum lucis*, Cuius signis & præstigiis Apelles inductus, nouam hæresin induxit.

APELLES I. SCHOLIA.

PROVIDERAT IAM. *Dicit spiritum Sanctum inspirasse D. Paulo, vt prædiceret Apellis errorem, qui inductus à virgine Philumene per Satanam transfiguratum in Angelum lucis, contra Euangelium veritatis, contra veram Christi carnem scriberet. De Philumene sic Aug. lib. de hæresibus, hæresi 24.* Philumenam quandam puellam dicebat inspiratam diuinitus ad prænuntianda futura; ad quam somnia atque æstus sui animi referens, diuinationibus, seu præsagiis eius secretum, erat solitus præmoneri; eodem phantasmate eidem Philumenæ pueri habitu se demonstrante, qui puer apparens Christum se aliquando, aliquando esse affereret Paulum, à quo phantasmate scisciians, ea soleret respondere, quæ B se audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari solitam, inter quæ illud præcipuum, quod in angustissimi oris ampullam vitream, panem grandem immitteret, cumque extremis digitulis leuare soleret illæsum, eoque solo, quasi diuinitus sibi cibo dato, fuisse contentam. NOVAM HÆRESIM. *Sic de ea Aug. supra hæresi 23.* Duos quidem introducit Deos, vnum bonum, alterum malum; non tamen in duobus diuersis, atque inter se aduersis esse principiis, sed vnum esse principium, Deum scil. bonum, & ab illo factum alterum: qui cum malignus esset, inuentus est in sua mundum malignitate feciisse.

S. Aug. Aug.

2. *Apelles primò vsus muliere, secundò virgine Philumene, factus hereticus. De præscr. cap. 30. circa m.*

SI & Apellis stemma retractandum est, tam non vetus & ipse, quàm Marcion institutor & præformator eius: sed lapsus in feminam, desertor continentiæ Marcionensis, ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. inde post annos regressus non melior, nisi tantum quà iam non Marcionites, in alteram feminam impegit, illam virginem Philumenen, quam suprà edidimus, postea verò immane prostibulum & ipsam, cuius energemate circumuentus, quas ab ea didicit Phaneroseis scripsit.

APELLES II. SCHOLIA.

APELLIS STEMMA. *Id. Antiquitatem, originem, successionem, doctrinam, si tractare vellimus. Iunior quidem est Marcione magistro.* CONTINENTIÆ MARCIONENSIS, *Quia nuptias prohibebat, in quas lapsus est Apelles nubens feminæ.* IAM NON MARCIONITES, *Quia vxoratus.* IMMANE PROSTIBVLVM. *Adeo corrupta virgo Philumene,* ENERGEMATE, &c. *Efficacia & operatione dæmonis deceptus, qua mentem Philumenes agitabat.* PHANEROSEIS, *manifestationes & reuelationes eius redegit in librum. Vide supra dicta ex August. to. 6. lib. de Hæres. & infra dicenda.* C

3. *Apelles discipulus Marcionis lubricus, frustra carnem Christi sydeream fingit, vt Angelorum, qui vt mori non venerant, sic nec nasci. De Car. Chri. cap. 6. in p. ad. m.*

SEd quidam discentes Pontici illius, supra magistrum sapere compulsi, concedunt Christo carnis veritatem, sine præiudicio tamen renuendæ natiuitatis. Habuerit, inquiunt, carnem, dum omnino non natam. Peruenimus igitur de calcaria (quod dici solet) in carbonariam, à Marcione ad Apellem, qui posteaquàm à disciplina Marcionis, in mulierem carne lapsus, dehinc in virginem Philumenem spiritu euersus est, solidum Christi corpus, sed sine natiuitate, suscepit ab ea prædicare. Et angelo quidem illi Philumenes, eâdem

Digitized by Google

voce Apoſtolus reſpondebit, qua ipſum illum iam tunc præcinebat, dicens: [a]*Etiamſi angelus de cælis aliter euangelizauerit vobis, quam nos euangelizauimus, anathema ſit.* His vero quæ in- [a] Ad Gal. 1. 8.
ſuper argumentantur, nos reſiſtemus. Confitentur verè corpus habuiſſe Chriſtum. Vnde materia, ſi non ex ea qualitate, in qua videbatur? Vnde corpus, ſi non caro corpus? Vnde caro, ſi non nata? quia naſci haberet ea futura quæ naſcitur, De ſideribus, inquiunt, & de ſubſtantiis ſuperioris mundi mutuatus eſt carnem. Et vtique proponunt, non eſſe mirandum corpus ſine natiuitate, cum & apud nos angelis licuerit, nullâ vteri operâ in carne proceſſiſſe. Agnoſcimus quidem ita relatum; ſed tamen quale eſt, vt alterius regulæ fides, ab ea fide quam impugnat, inſtrumentum argumentationibus ſuis mutuetur? Quid illi cum Moyſe, qui Deum Moyſi rejicit? Si alius Deus eſt, aliter ſint res eius. Sed vtantur hæretici omnes ſcripturis eius, cuius vtuntur etiam mundo. Erit illis hoc quoque in teſtimonium iudicij, quòd de exemplis ipſius blaſphemias ſuas inſtruunt. Facile eſt veritati etiam nihil tale aduerſus eos præſcribenti obtinere. Igitur, qui carnem Chriſti ad exemplum proponunt angelorum, non natam dicentes, licet carnem; comparent velim & cauſas tam Chriſti, quàm angelorum, ob quas in carne proceſſerint. Nullus vnquam angelus ideo deſcendit, vt crucifigeretur, vt mortem experiretur, vt à morte ſuſcitaretur. Si nunquam eiuſmodi fuit cauſa angelorum corporandorum, habes cauſam cur non naſcendo acceperint carnem. Non venerant mori, ideo nec naſci. At verò Chriſtus mori miſſus, naſci quoque neceſſariò habuit, vt mori poſſet, Non enim mori ſolet, niſi quod naſcitur. Mutuum debitum eſt inter ſe, natiuitati cum mortalitate. Forma moriendi, cauſa naſcendi eſt. Si propter id quod moritur, mortuus eſt Chriſtus; id autem moritur, quod & naſcitur; conſequens erat, immò præcedens, vt æquè naſceretur propter id, quod naſcitur; quia propter idipſum mori habebat, quod, quia naſcitur, moritur. Non competebat non naſci, pro quo mori competebat.

APELLES III. SCHOL.

DISCENTES PONTICI. *Id. diſcipuli Marcionis, qui natione Ponticus erat, ex ciuitate Sinope.* SVPRA MAGISTRVM. *Alludit ad verbum Euangelij*, Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrũ. COMPVLSI *à ſpiritu ſcilicet Philumenes. Vel ob ineptum dogma Marcionis, compulſi validis argumentis, veram Chriſto carnem tribuere ſunt coacti. Sic tamen vt renuerent natam.* DE CALCARIA, &c. *Id. à Calce Marcionis & ſepulchro dealbato, & inficiente errore, ſub prætextu præpoſtera caſtitatis, quâ nuptias prohibebat; vel ſpecie honoris, qua veram carnem, vt indignam, Chriſto negabat:* IN CARBONARIAM. *Non minus nigredine ſua deturpantem, eum à Marcione caſto deficiens, in lapſum carnis cum muliere, cecidit ab eximio candore caſtitatis; inde, intellectu peruerſus eſt, ſeducente virgine Philumene.* SVSCEPIT *Doctrinam ſcilicet hauſit, munus accepit prædicandi verum quidem Chriſti corpus, ſed non natum.* ET ANGELO QVIDEM, *Alij legunt*, Vt Angelus quidem illius Philumenes, id eſt tanquam miſſus ab eo nuntius & Propheta. EADEM APOSTOLVS. *Ad Gal. ſcilicet 1. Vide ſupra dicta verbo Apelles. Vel, vt angelus ſive damon Philumenes inſpirabat. Sed melius cum Rigaltio lego*: Et angelo quidem, &c. APOSTOLVS, *Gal.* 1.8. Sed licet nos aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit. *In quem locum Aug. in expoſit. cap. 1. ad Gal.* Veritas, inquit, propter ſeipſam diligenda Aug. eſt, non propter hominem, aut propter Angelum, per quem annuntiatur. Qui enim propter annuntiatores diligit illam, poteſt etiam mendacia diligere, ſi qua fortè ipſi ſua protulerint. *Et ſer. de Cal. Januarij citato à Beda*: Videbat, inquit, poſſe falſum mediatorem transfigurare ſe in angelum Aug. lucis, & aliquid falſum annuntiare. Sicut ergo ſuperbi homines volunt ſe adorari pro Deo, ſibi arrogare quidquid poſſunt, ſe nominari, & ſi fieri poteſt, Chriſtum, & in ipſius gloriam tranſire:

Omniloquium.

Ita diabolus, & angeli eius. Donatum Donatiſtæ pro Chriſto habent. Si audiant aliquem paganum detrahentem Chriſto, forſitan patienter ferunt, *Patientius*, quàm ſi audiant detrahentem Donato. *Et concione 2. circa f. in Pſal.* 103. Licet ſi nos & S. Aug.
quantus mons dixit hoc, quàm vberrimæ aquæ fluebãt de conualle eius, &c. Licet ſi nos, inquit, & tu Paule, potes aliquid aliter prædicare? De Paulo quæſtio: audi quod ſequitur: licet ſi nos, aut angelus de cœlo, &c. Si veniat mons aliud Euangelizans, anathematizetur. Si veniat angelus aliud Euangelizans, anathematizetur. Vnde hoc? Quia de priuato vult fluere, non de medio. Et hoc fortè homo carnali nebula præpeditus, & à fonte communi ad propriam ſuam falſitatem redactus poſſit hoc facere: Numquid & angelus? Verè nunquam & angelus? Si angelus de proprio fluens in paradiſo non eſſet auditus, *Mendacium de propriis loquens, mendax & pater eius*, non præcipitaremur in mortẽ. Media aqua poſita erat hominibus, præceptũ Dei, *Alludit ad illud: appoſui tibi ignem & aquam, legem igneam ſapientiæ ſalutaris aquam*; *vel aquam fluminis & torrente voluptatis gloriæ, & ignem, ſive fluuium igneum iræ Dei egredientem à facie eius, vel obedienti vel inobedienti præcepto eius. Aquam fontis paradiſi manenti in lege, vel ignem verſatilis gladij, legis tranſgreſſori, & eiecto de medio virtutis.* Aqua media, aqua quodammodo publica, ſine labe, ſine cœno fluebat. Si ipſa aqua ſemper biberetur, ſemper viueretur. Venit angelus lapſus de cœlo, factus ſerpens, quia inſidiosè iam venena ſpargere cupiebat. Emiſit venenum, de proprio locutus eſt, de ſuo: quia qui loquitur mendacium, de ſuo loquitur Io. 8. & miſeri audiendo dimiſerunt quod cõmune erat, vnde beati erant, & ad ſuum proprium redacti, cùm volunt peruersè eſſe ſimiles Deo: hoc enim eis dixerat, guſtate, & eritis ſicut dij: Appetentes quod non erant, quod acceperant, amiſerunt, &c. Fontes vt fluant de vobis, conualles

estote, & cum omnibus conferte quod de Deo habetis. Inter medium fluant aquæ: nulli inuideatis, bibite, saturamini: manate, saturate. Vbique communis aqua Dei habeat gloriam, non hominum priuata mendacia. *Qualia erant Apellis, Philumenes, & Angeis eius.* VNDE MATERIA, &c. *Si quærat Apelles, materiam corporis Christi; dicam eam esse quæ videbatur, nec aliunde potuisse existere, nisi ex carne, quæ caro necessario fuerit nata, cum nasci deberet ea & futura talis, qualis est, quæ nunc nascitur.* DESIDERIVS, &c. *Aug. lib. de hæresibus hæresi 23.*

S. Aug. Apellem dicunt quidam etiam de Christo tam falsa sensisse, vt diceret eum, non quidem carnem duxisse de cœlo, sed ex elementis mundi accepisse, quæ mundo reddidit, cum sine carne resurgens in cœlum ascendit. *De eodem sic Tertul. de Præscript.* Christum neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, vt Euangelium docet, sed eo quod è superioribus partibus descenderet, ipso descensu suo sydeream sibi carnem & aëriam contexuisse: hunc in resurrectione, singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuisset, in ascensu reddidisse, & sic dispersis quibusque corporis sui partibus in cœlum Spiritu tantum rediisse. PROPONVNT, &c. *Hoc argumento vtuntur, vt probent, nil prohibere credi Christum habuisse veram carnem, licet eam de matre natam non acceperit,* CVM APVD NOS, *Et hic errorem suum de vera Angelorum carne aperit,* NVLLA VTERI OPERA, *Nulla matre geniti, in vera carne processerint.* ITA RELATVM. *Frequenter in veteri testamento & libris Moysi Angeli velut corporei referuntur. Sed hunc errorem suo loco in Alphabeto errorum Tertul. refellemus.* QVALIS EST, &c. *Qua fronte Apelles regulam suæ fidei munire præsumis deductis argumentis a veteri testamento, quod cum Marcione suo Magistro impugnat?* ALITER SINT, &c. *Alio modo se habent scripturæ eius.*

A *Si diuersus Deus, diuersæ opiniones erunt; reprobet vnus, quod alter probat.* SED VTANTVR, &c. *Esto, inquit, vti possunt scripturis, cuius & mundo corporali & visibili vtuntur, quem tamen à malo principio, malum perinde fingunt, sine quo tamen vitam ducere non possunt.* ERIT ILLIS, &c. *Et hoc quoque faciet ad conuincendos eos in indicio, quod blasphemias suas, de exemplis deductis ex scripturis ipsius, instruant. Dum negant veram carnem Christi natam ex matre Virgine, exemplo carnis Angelorum.* FACILE EST, *Veritas adhuc obtinebit causam, licet non præscriberet aduersus eos, nec reuinceret dicens;* B *quid vtimini scriptura mea quam non admittitis?* NVLLVS VNQVAM ANGELVS. *Probat longè diuersam causam Angelorum & Christi. Angeli sumpserunt corpora vt apparerent hominibus, non vt morerentur pro hominibus; vnde cum non mori deberent, nec nasci debuerunt. Christus vero, cum verè veniisset mori, verè debuit & nasci.* MVTVVM DEBITVM, &c PLVTARCHVS *Inmor.* Vt mutuata pecunia æquo animo reddenda est; sic vitæ munus, quod mutuo accepimus à diis citra querimoniam est rependendum. *Et Seneca de Remed. fortuit.* Morieris. Nihil graue est quod semel est. Æs alienum meum noui. Hoc quidem cum co C creditore contraxi, cui decoquere non possum. FORMA MORIENDI. *Quasi conditio mortis sit velut finalis nascendi causa, & contractus vitæ factus sit sub hac forma, pacto & conditione moriendi. Seneca supra.* Morieris. Hac conditione intraui vt exirem, &c. Ad hanc conditionem cuncta gignuntur, quod cœpit, & desinit. SI PROPTER ID. &c. *id. propter humanum genus, quod morti subiacet, tum quod mortale nascitur, & corruptibili & mortali corpore constat, & morti addictum est ex pœna peccati. Nec nasceretur nisi cum lege moriendi. Debuit Christus verè nasci, qui verè mori debebat pro homine, qui & nascitur vt moriatur, & moritur quia nascitur.*

APOSTATÆ.

Apostata ab Ecclesia, & Religione, purgant aream Christi, & electos produnt, nec sequendi sunt. De Præscr. cap. 3. in fin.

a Matth. 3. 12. b Ioa. 6. 68. c Ioa. 6. 67. 2. Tim. 1. 20. 2. Tim. 1. 15. 2. Tim. 2. 17. d 1. Ioa. 2. 19.

a *VEntilabrum in manu portat ad purgandam aream suam.* Auolent quantum volent paleæ leuis fidei, quocunque afflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandalizati deuerterunt? Nec tamen propterea cæteri quoque discedendum à vestigiis eius putauerũt. Sed qui scierunt illum b *Vitæ esse verbum, & à Deo venisse,* perseuerauerunt in comitatu eius vsque ad finem: cum illis, c *Si vellent & ipsi discedere, placidè obtulisset.* Minus est si & Apostolum eius aliqui Phygellus, & Hermogenes, & Philetus, & Hymenæus reliquerunt: ipse traditor Christi de Apostolis fuit. Miramur de Ecclesiis eius, si à quibusdam deseruntur, cùm ea nos ostendant Christianos, quæ patimur ad exemplum ipsius Christi: d *Ex nobis, inquit, prodierunt, sed non fuerunt ex nobis. si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.*

APOSTATÆ. SCHOLIA.

VENTILABRVM. *Alij legunt.* Palam in manu portat. *Mixtum siquidem est in area Ecclesia militantis triticum paleis, in agro frumentum Zizaniis; in sagena permixti boni pisces malis, & in eodem Sanctitatis Collegio conuiuunt prudentes virgines fatuis. Veniet iudicij tempus, cum* Angeli separabunt malos de medio iustorum. *Interea venit ventilabrum & cribrum persecutionis, siue pala,* Instrumentum rusticanum, dictum à pangendo, mutato g, in l, quasi paga iuxta Varronem, quod pangat, siue spargat in ventum vt separet palcas & puluerem à grano *qua* Electi manifesti fiant. A VOLENT, &c. *Bene* D *hæreticos confert paleis, quia,* Circumferuntur omni vento doctrinæ. *Sic Vincentius Lirinensis lib. contra hæreses* Cum quæque nouitas ebullit, statim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum. Tunc sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream terebatur. Namque alij illico prorsus auolant, alij vero tantummodo excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt, saucij, semineces, semiuiui. *Pulchrè Aug. in Psal.* Aug. 34. *in versum* Confitebor tibi Domine in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te. In ista, inquit, omni multitudine, id est in Ecclesia quæ toto orbe

terrarum diffusa est, palea est, & frumentum. Palea volat, frumentum manet, ideo in populo graui laudabo te. In graui populo, quem ventus tentationis non aufert, in his Deus laudatur. Nam in palea blasphematur semper. QVIDAM DISCENTIVM. *Vox vsitata Tertul. pro discipulorum. Tangit locum Ioannis 6. vt probet non esse mirum quod aliqui à fide discedant, cum & multi scandalizati ex discipulis ob sermonem de Corpore Christi, & sanguine dandis in escam & potum, ab eo recesserint.* PLACIDE DE TVLISSET. Nunquid & vos vultis abire? MINVS EST, &c. *Nec enim tam mirum fuit hic memoratis hæreticis Paulum deseruisse, cum & Christum discipuli multi reliquerint, & Iudas Apostolus.* OSTENDANT CHRISTIANOS. *Vel hoc vno testimonio probamur Christiani, quod nos hæretici deserant, sicut infideles discipuli Christum*: Vt qui electi sunt, manifesti fiant. *Neque enim palam & aperte videntur grana solida populi grauis, multâ paleâ permixta, donec* PALA, ET VENTILABRO *separentur.* EX NOBIS PRODIERVNT. *Aug. tract. 3. in 1. Io.* 2. Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id. ex Ecclesia exeunt: sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent, ergo, non erant ex nobis. Si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus sunt, non exierunt, & tamen Antichristi sunt. *Subdit Antichristum non tantum dictum, quod ante Christum venturus sit homo peccatis singularis, sed omnem etiam qui est contrarius Christo, contrarium autem Christo non esse qui inter eius membra computatur. Præterea dicit in Corpore Christi, id est Ecclesia, non futuram perfectam sanitatem, & omnibus malis humoribus vacuam, nisi in resurrectione.* Sunt, inquit, qui intus sic sunt in corpore Domini nostri Iesu Christi, quandoquidem adhuc curatur corpus ipsius, & sanitas perfecta non erit nisi in resurrectione mortuorum: sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali. Quando euomuntur, releuatur corpus; sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur. Et dicit quando eos euomit atque proiicit corpus, ex me exierunt humores isti; sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cum inessent. Ex nobis exierunt, sed nolite tristes esse non erant ex nobis. Vnde probas? quod si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Hinc ergo videat charitas vestra, quia multi qui non sunt ex nobis, accipiunt nobiscum Sacramenta, &c. Et non sunt ex nobis. Tentatio probat quia non sunt ex nobis. Quando illis tentatio venerit, velut occasione venti volant foras, quia grana non erant. Omnes autem tunc volabunt, quod sæpè dicendum est, cum Area dominica cœperit ventilari in die iudicij. Ex nobis exierunt, &c. Vultis nosse charissimi, quam certissimè dicatur hoc, vt qui forte exierunt, & redeunt, non sint Antichristi, non sint contrarij Christo? qui non sunt Antichristi, non potest fieri vt remaneant foris; sed de voluntate sua vnusquisque aut Antichristus, aut in Christo est. Aut in membris sumus, aut in humoribus malis. Qui se in melius commutat, in corpore membrum est: qui autem in malitia permanet, humor malus est: & quando exierit releuabuntur, qui premebantur, &c. *Concludit ex sequentibus verbis Ioannis, sed vt manifestarentur quod non omnes erant ex nobis.* Ideo, inquit, addidit vt manifestarentur; quia & intus cum sunt, non ex nobis sunt; non tamen manifesti sunt, sed exeundo manifestantur.

Aug.

Aug.

APOSTOLI.

1. *Apostolos piscatores Christus elegit, iuxta prophetiam. 4. Cont. Marc. cap. 9. in. p.*

DE tot generibus operum, quid vtique ad piscaturam respexit, vt ab illa in Apostolos sumeret Simonem, & filios Zebedæi? Non enim simplex factum videri potest, de quo argumentum processurum erat, dicens Petro trepidanti de copiosa indagine piscium: [a] *Ne time, abhinc enim homines eris capiens.* Hoc enim dicto, intellectum illis suggerebat adimpletæ prophetiæ, se eum esse qui per Hieremiam pronuntiarat, [b] *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur illos;* Homines scilicet. Denique [c] *Relictis nauiculis secuti sunt eum;* Ipsum intelligentes, qui cœperat facere quod edixerat. Aliud est, si adfectabit de nauicularium collegio adlegere, habiturus Apostolum quandoque nauclerum Marcionem.

a Luc 5. 10.
b Ierem. 16. 16.
c Luc 5. 11.

APOSTOLI. I. SCHOLIA.

Aug. OPERVM. *Id. vacationum.* SIMONEM, *Aug. ser. 28.* Dum insidiatur Petrus gregibus æquoreis piscium in mari, ipse in rete incidit Saluatoris; & volens concludere piscem, ipsum Christus tenuit piscatorem. SIMPLEX FACTVM. *Sed ex intentione, & data opera Saluatoris, occasio sumpta, vt ex multa & miraculosa piscatione concluderet, quondam fore, vt Petrus verbi diuini retia laxans, multos homines in nauim Ecclesiæ, de mari piscatos adduceret.* INDAGINE. *Plagam intelligit seu rete quibus ferarum saltus cinguntur à venatoribus. Virg. Æneid. 4.* Saltusque indagine cingunt *Potest & sumi pro veti. Tacitus per translationem sumit pro captione, quam quis non facilè potest effugere.* SE EVM ESSE, &c. *Christus se authorem esse vtriusque testamenti contra Marcionem hoc dicto probabat, qui per Ierem. c. 16. prædixerat* Ecce ego mittam, &c. Et post hæc mittam eis multos venatores. *Hic Tertul. & postea vulgata Biblia: cùm apud 70. legatur,* Ecce ego mitto, &c. *Piscationis huius fructum copiosum sic edisserit Augustinus ser. 63. de diuersis.* Ille qui discipulos suos fecit piscatores hominum, intra retia sua, omne genus authoritatis inclusit. Si multitudini credere est, quid copiosius Ecclesia in toto orbe diffusa? Si diuitibus credendum est, attendant, quod diuites cepit. Quod si pauperibus credendum est, attendant pauperum millia. Si nobilibus, intus iam penè tota nobilitas. Si Regibus, videant omnes subditos Christo. Si eloquentioribus, & prudentioribus, intueantur quanti oratores, quanti periti, quanti Philosophi mundi ab illis piscatoribus irretiti sunt. IPSVM INTELLIGENTES, &c. *Eumdem esse qui implebat, quod per Ieremiam*

S. Aug.

edixerit, & prædixerat. SI APPREHENDERIT, &c. *Scitè cœpit Marcionem aduersarium veteris testamenti, quem nouum Apostolum & Nauclerum vocat Pontichus de Præscr. c. 30. 3. Cont. Marc. c. 6. & lib.* A *5. inp. non quidem quod opere nauclerus fuerit, sed quod* Vt rectè post Rhenanum aduertit Pamelius *Quòd Ponto oriundus esset, quem frequentes Nauclerii accolebant.*

2. *Apostoli duodecim numero non simpliciter electi, sed & prophetati. 4. Cont. Marc. cap. 13. a p. ad. m.*

CVr autem duodecim Apostolos elegit, & non alium quemlibet numerum? Næ & ex hoc meum Christum interpretari possem, non tantùm vocibus Prophetarum, sed & argumentis rerum prædicatum. Huius enim numeri figuras apud Creatorem deprehendo:
a Num. 33. 9. ² *Duodecim fontes Elim*; & ᵇ *Duodecim gemmas in tunica sacerdotali Aaronis*; ᵇ *Et duodecim lapides ab Iesu de Iordane electos*, Et in arcam testamenti conditos. Totidem enim
b Exod. 28. 17. 18. Apostoli portendebantur; proinde vt fontes, & amnes, rigaturi aridum retrò & desertum
c Iosue 4. 5. à notitia orbem Nationum; sicut & per Esaïam, ᵈ *Ponam in terra inaquosa flumina.* Proinde vt gemmæ, illuminaturi sacram Ecclesiæ vestem, quam induit Christus Pontifex Patris.
d Esa. 43. 20. Proinde vt & lapides, solidi fide, quos de lauacro Iordanis Iesus verus elegit, & in sacrarium testamenti sui recepit. Quid tale de numeri defensione competit Christo Marcionis? Non potest simpliciter factum ab illo quid videri, quod potest videri non simpliciter factum à meo. Eius erit res, apud quem inuenitur rei præparatura.

APOSTOLI. II. SCHOL.

NÆ ET EX HOC, &c. *Certè Christum vel hinc contra opinionem Marcionis, non tantum prædictum oraculis prophetarum, sed & gestis & factis, rebusque in historiis veteris testamenti præfiguratum possum dicere, cuius Apostoli* APVD CREATOREM, *Id est in veteri testamento, condito à Deo Creatore, in duodenario numero, fontium Elim, gemmarum rationalis, & lapidum Iordanis figurati leguntur.* AB IESV, &c. *Iosue scilicet qui vocatus est Iesus Naue.* CONDITOS, &c. IN ARCAM, &c. ET IN SACRARIVM TESTAMENTI SVI RECEPIT. *Locus hic difficilis. Neque enim Iosue 4. leguntur isti lapides in Arcam, sive Sacrarium testamenti reconditi, seu recepti. Sic enim ibi legitur*: Elige duodecim viros, singulos per singulas tribus: & præcipe eis vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco Castrorum, vbi fixeritis hac nocte tentoria. *Primò enim Hebr. 9. vbi de reliquiis veteris testamenti in Arca, velut Sacrario reconditis, nulla fit mentio horum lapidum, sed tria tantum in ea fuisse reposita refert Apostolus*, In qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. *Secundò cum Arca non esset multum ampla, quomodo continere potuisset duodecim lapides pragrandes, quorum baiulis sic locutus est Iosue*, Ite ante Arcam Domini Dei vestri, ad Iordanis medium, portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, iuxta numerum filiorum Israël. *Non dixit portate manibus, sed humeris, & electi sunt duodecim viri, non pueri, sed viri robusti. Tertiò cùm isti lapides ponerentur in signum* Vt, inquit, sit signum inter vos: & quando interrogauerint vos filij vestri cras, *Id est in posterum* Dicentes: quid sibi volunt isti lapides? Respondebitis eis, defecerunt aquæ Iordanis ante Arcam fœderis Domini, cùm transiret eum: Ideirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israël vsque in æternum. *De facto sub finem capitis 4.* Castrametati sunt in Galgalis contra Orientalem plagam vrbis Iericho. Duodecim quoque lapides, quos de Iordanis aluco sumpserant, posuit Iosue in Galgalis. *Cum igitur essent positi in signum & memoriale, vt nepotes videntes recordarentur via facta in Iordane, non debuerunt condi & abscondi in Arca, sed palam ostendi. Præterea Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ*: Iuuita est castra Galgalæ, & aceruum præputiorum, & secundæ circumcisionis mysterium, & duodecim lapides qui de Iordanis illuc translati alueo, duodecim Apostolorum fundamenta firmauerant. *Tertullianis opinionem sequitur hac ætate Lorichius Hadamarius. Sed vterque sic exponendus est, vt non in Arca, sed iuxta arcam intra tabernaculum & Sacrarium conditi, recepti, repositi fuerint; cùm Arca poneretur semper in medio Castrorum ad ea protegenda, vt propitium haberent Deũ defensorem. Fauet Raby Leui, alias dictus à Iudæis Ralbag, in commentario huius loci Iosue, dicens hos lapides iuxta Arcam, sive apud Arcam depositos. Iosephus ait Iosue ex his lapidibus extruxisse altare; quod non placuit Abulensi. Addunt alij lapides compactos Calce, & septem linguis lege diuina inscriptos.* CONDITOS *Ergo* IN ARCAM TESTAMENTI. *Potuit intelligere Tertul. non quidem absconditos in Arca, sed in Arcam, id est formam Arcæ conditos, & constructos. Vel in Arcam, Id. circa Arcam, intra Sacrarium & tabernaculum repositos. Apostolos sparsim comparat Augustinus lapidibus pretiosis rationalis, vt & duodecim fundamentis Ierusalem: duodecim portis ex Margaritis; duodecim bobus mare Æneum Baptismi & pœnitentiæ toto orbe portantibus, &c. Sed aptissimè in rem Tertulliani eos confert duodecim lapidibus Iordanis Ser. 106. de temp.* S. Aug. Tulit autem Iesus duodecim lapides & posuit in Iordane. Ex ipso Iordane tulit alios duodecim, & fixit in loca Castrorum. Illi duodecim qui missi sunt in Iordane, videntur mihi typum habuisse Patriarcharum Illi verò qui leuati sunt de Iordane, figurã habuisse Apostolorum. Post mortem enim Moysi, sepultis Patriarchis, Apostoli surrexerunt. Sic & in psalmo legimus, pro patribus, inquit, tuis, nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Sic sepultis Patriarchis, Apostoli nascuntur; quomodo sepulto seniore populo, Iunior populus Iesu duce in terram repromissionis inducitur. Senior ille populus typum habuit Iudæorũ, iunior verò figuram habuit gentium. Ille populus Aug.

senior transito mari rubro, sepelitur in Eremo; iunior verò populus ad hoc transiit Iordanem fluuium, vt acciperet regnum. DESERTVM A NOTITIA. *Populum Gentilem intellige, qui Deum non nouerat.* QVAM INDVIT CHRISTVS. *Ecclesiam Christi vestem esse ex diuersis pannis & membris consutam filo serico Charitatis, polymitam ex diuersitate linguarum quis ignorat, Augustino docente in Psal. 44. & sæpè tunicam inconsutilem, vnitatem Ecclesiæ interpretante. Vt sicut baptizati fideles secundùm Paulum, Christum induunt, sic vicissim Christus fidelibus Ecclesiam constantibus induatur. Cuius Ecclesiæ vestis ornamenta præcipua & lumina sunt Apostoli.* DE LAVACRO IORDANIS, *Baptismo scilicet, cui attactu suo iuxta Nazianzenum vim sanctificationis infudit, & baptismi lauacro destinauit,* VERVS IESVS, *in Iosue figuratiuo delineatus.* IN SACRARIVM, &c. *In nouum Testamentum & legem gratiæ præcipuos consortes admisit.* QVID TALE, &c. *Non habet Marcion, quo hunc numerum Christo suo adstruat, cum vetus testamentum reiiciat.* NON POTEST SIMPLICITER, &c. *Nullo modo credibile est Christum Marcionis duodecim habere Apostolos: de Christo meo id tanto facilius creditur, quod* NON SIMPLICITER, *Id est non tantum de facto, & in rei veritate duodecim elegit Apostolos, sed & in veteri testamento iam præfiguraui. Vt vel inde clareat* REM EIVS ESSE, *Id est ad eum propriè pertinere duodecim Apostolos, cuius in veteri testamento numeri præparatio & præfiguratio inuenitur.*

3. *Apostoli, & fideles nouæ legis viderunt eundem Christum, quem prophetæ prædixerunt.*
4. *Cont. Marc. cap. 25 à m.*

a Luc. 10. 23.

a *Beati oculi qui vident quæ videtis: Dico enim vobis, quia Prophetæ non viderunt quæ vos videtis;* De superiori sensu descendunt; adeò neminem, vt decuit, Deum cognouisse; quando nec Prophetæ vidissent, quæ sub Christo videbantur. Nam si non meus esset Christus, nec Prophetarum hoc in loco mentionem collocasset. Quid enim mirum, si non viderant res Dei ignoti, & tanto pòst æuo reuelati? Quæ autem fuisset felicitas eorum, qui tunc videbant quæ alij meritò vidisse non poterant, si non erant consecuti repræsentationem eorum quæ nunquam prædicarant, nisi quoniam poterant vidisse, qui Dei sui res quas etiam prædicauerant, non tamen viderant? Hæc autem felicitas erit aliorum, qui videbant, quæ alij tantùm prædicauerant. Denique ostendemus, & iam ostendimus, ea visa in Christo, quæ fuerant prædicata; abscondita tamen & ab ipsis Prophetis, vt b *absconderentur & à sapientibus & à prudentibus seculi.*

b Matt. 11. 25.

APOSTOLI III. SCHOLIA.

DE SVPERIORI SENSV. *Hoc est, ex præcedentibus Christi verbis hæc sequuntur, prius enim eodem capite Luc. 10. dixerat Christus;* Nemo scit quis sit filius nisi Pater; & quis sit Pater nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et conuersus ad discipulos suos dixit: Beati oculi, &c. *Ex quibus Tertul. duo concludit, primò hic Christum prophetas veteris testamenti approbare tanquam suos; secundò Deum non benè cognitum, donec visus sit Christus incarnatus, per quem vt lumen gentium promissum, Deus fuit clarius agnitus.* QVANDO NEC PROPHETÆ, &c. *Quanta erat in Gentibus ignorantia,* Si cæcus populus eius, si cæcitas ex parte Israël facta est? *quando & ipsi prophetæ, dicti* Videntes non viderant, neque audierant, quæ Christus reuelabat Apostolis. QVID MIRVM, &c. *Id. frustra Christus diceret prophetas ignorasse & non vidisse res Dei incogniti; hoc enim mirandum non esset, nec cum tanta emphasi exclamasset Christus.* Beati oculi, &c. Dico enim vobis, &c. *Quod si beati Apostolorum oculi verè à Christo dicti sunt, quòd viderent eum* In quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter; *Quem cum tot prophetis & regibus optauerat videre Rex Ezechias, id vnum dolens, se non visurum intentata sibi morte per prophetam Isaiam, cùm diceret:* Non videbo Dominum Deum in terra viuentium; *Esa. 38. 11. quantò beatiores, quibus non iam prophetas implentem, sed reuelata facie, excusso Ænigmate fidei, & obscuro prophetico lucernæ lumine, videndum se præbebit sicuti est. Sed prius audienda fuit prophetia Dei Creatoris, prius quam videretur filius eiusdem Dei Creatoris. Beati tunc aure, fide, spe, antequam dicerentur Apostoli, Beati re. Vnde Augustinus ser. 31. de Verbis Do. secundum Lucam* Crede, inquit, quia C uenturus est. *Longè beatiores oculos sanctorum redditurus, quàm cùm mortalis apparuit.* Ista omnia quæ vides, non erant. Christianus populus toto orbe terrarum aliquando non erat. *Christus lumen gentium nondum apparuerat.* In prophetia legebatur, in terra non videbatur: modò autem & legitur, & videtur. Ipsa Ecclesia sic est completa. Non ei dictum est, vide filia, & audi: sed, audi, & vide. Audi prædicta, vide completa. Quomodo ergo non erat Christus natus de virgine; promissus est, & natus est, &c. Sic & dies iudicij nondum est, sed quia prædictus est, implebitur. An fieri potest, vt qui in tantis verax apparuit, de die iudicij mendax sit? promissorum suorum nobis Chirographum fecit, non debendo, sed promittendo debitorem se Deus fecit, id est non mutuò accipiendo. Non possumus ergo ei dicere, redde quod accepisti; sed planè dicimus, redde quod promisisti. Inde namque est quod audemus dicere quotidie, adueniat regnum tuum, vt aduenientе regno eius, & nos cum illo regnemus. O Beati tunc oculi, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum simul, & hominem Christum Regem in decore suo videbunt *Pulchrè rursum Augustinus, tract. 37. in Io.* 8. Prophetas audi, ô homo mortue, & vermescendo calumniose. *Diceres loqui Marcioni, Deum Creatorem, & prophetas eius calumniantí;* Prophetas audi, lege; audi quia ante Dominum venerunt, habemus, inquit Apostolus Petrus, *de viso Domino transfigurato loquens 2. Pet. 1.* Certiorem propheticum sermonem, *Doctis scilicet fabulis, deorum apparitiones narrantibus;* Cui benefacitis attendentes, sicut lucernæ in obscuro loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris, &c. Tunc præsenti tali die, lucer-

S. Aug.

S Aug.

næ non erunt neceſſariæ. Non legetur nobis prophęta, non aperietur codex Apoſtoli, non requiretur teſtimonium Ioannis, non ipſo indigebimus Euangelio. Ergo omnes ſcripturæ tollenturde medio, quæ nobis in huius ſæculi nocte, tanquam lucernæ accendebantur, ne in tenebris remaneremus: iſtis omnibus ſublatis, ne quaſi nobis luceant indigentibus, & ipſis hominibus Dei, per quos hæc miniſtrata ſunt, nobis cum lumen illud verum clarumque videntibus, quid videbimus? Vnde paſceretur mens noſtra? vnde obtutus iſte lætabitur? vnde illud gaudium quod nec oculus vidit? &c. Quid videbimus? obſecro vos amare mecum, currite credendo mecum, patriam ſupernam deſideremus, ſupernæ patriæ ſuſpiremus, peregrinos nos eſſe hic ſentiamus. Quid tunc videbimus? dicat nunc Euangelium. In principio erat Verbum, &c. Vnde tibi ros inſperſus eſt, ad fontem venies. Vnde radius per obliqua, & per anfractuoſa tibi ad cor tenebroſum miſſus eſt, nudus ipſam lucem videbis, cui videndæ ferendæque mundaris. *Quia autem eiuſdem Dei & Chriſti prophetæ erant, eius myſteria, obſcurè cognita, cupiebant amplè videre impleta.* QVÆ AVTEM, &c. *Vnde fuiſſent beati oculi, niſi* CONSECVTI REPRÆSENTATIONEM, *Id. rerum prædictarum præſentia potiti, quibus prophetæ præſentes non fuerant. Nec Prophetæ proinde aliqua beatitudine priuati fuiſſent, niſi prædixiſſent & prædidiſſent myſteria eiuſdem Dei & Chriſti, quorum adimpletione potiti non eſſent. Vnde ſuper eos beati qui de facto videbant, quæ alij tantummodo prædicauerant.* ABSCONDITA TAMEN, &c. *Id. obſcurius cognita.* VT ABSCONDERENTVR, &c. *Vt penitus latarent, prudentes ſæculi, tumidos ſcilicet, & ſuperbos Gentilium Philoſophos. Vnde & de Auguſtino ante fidem dicitur*, Quod tumens inani Philoſophia, nec ſuſpicari quidem poterat, quid Sacramenti haberet, Verbum Caro factum eſt. *Libro 7. Confeſſ. cap. 8. Priorem ſuum tumorem in vana mundi ſapientia compunctus agnoſcens*: Reſidebat, inquit, tumor meus ex occulta manu medicinæ tuæ, acieſque conturbata & contenebrata mentis meæ acri collyrio ſalubrium dolorum meorum, de die in diem ſanabatur. Et primo volens oſtendere, quam reſiſtas ſuperbis, humilibus autem des gratiam, & quanta miſericordia tua demonſtrata ſit hominibus via humilitatis, quod Verbum tuum caro factum eſt, & habitauit inter homines: procurafti mihi per quemdam hominem immaniſſimo typho turgidum *Immanibus autem abſcondit lucem teſte Iob, id eſt ſuperbis iuxta Gregorium*, Quoſdam Platonicorum libros, ex Græca lingua in Latinam verſos: Et ibi legi, non quidem his verbis, ſed hoc idem omnino multis, & multiplicibus perſuaderi rationibus, quod in principio erat Verbũ, &c. Quia vero in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt, &c. Non ibi legi. Item ibi legi, quia Deus Verbum non ex carne, non ex ſanguine, non ex voluntate viri, neq; ex volũtate carnis, ſed ex Deo natus eſt: ſed quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, non ibi legi, &c. Abſcondiſti enim hæc à ſapientibus, & reuelaſti ea parvulis, vt venirent ad eum laborantes & onerati, & reficeret eos, quoniam mitis eſt & humilis corde, &c. Qui autem cothurno, tanquam doctrinæ ſublimioris clari, non audiunt dicentem, diſcite à me quia mitis ſum, &c. Et ſi cognoſcunt Deum, non ſicut Deum glorificant, aut gratias agunt, ſed euaneſcunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratur inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti fiunt, &c. *Et cap. 19.* Quid autem Sacramenti haberet Verbum caro factum eſt, ne ſuſpicari quidem poteram, &c. *Et cap. 20.* Garriebam planè quaſi peritus, & niſi in Chriſto Saluatore noſtro viam tuam quærerem, non peritus, ſed periturus eſſem. Iam enim cœperam velle videri ſapiens, plenus pœna mea, & non flebam, inſuper inflabar ſcientia. Vbi enim erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis quod eſt Chriſtus Ieſus? &c. *Supra dixerat cap. 7. in fine* Tumore meo ſeparabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

4. *Apoſtolorum prædicatio & paſſio prophetata. 3. Cont. Marc. cap. 22. in p. ad m.*

HAbes & Apoſtolorum opus prædicatum, [a] *Quam tempeſtiui pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona*, Non bellum, nec mala. Reſpondit & Pſalmus, [b] *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in terminos terræ voces eorum; circumferentium ſcilicet* [c] *Legem ex Sion profectam, & ſermonem Domini ex Hieruſalem*; Vt fieret quod ſcriptum eſt. [d] *Longè quique à iuſtitia mea, appropinquauerunt iuſtitiæ meæ, & veritati.* Quum huic negotio accingerentur Apoſtoli, [e] *Renuntiauerunt presbyteris & archontibus, & ſacerdotibus Iudæorum.* An non vel maximè, inquit, vt alterius Dei prædicatores? Atquin ipſius eiuſdem, cuius ſcripturam cùm maximè implebant. [f] *Diuertite, diuertite, inclamat Eſaïas, excedite illinc, & immundum ne attigeritis*; Blaſphemiam ſcilicet in Chriſtum. *Excedite de medio eius*, Vtique ſynagogæ; *Separamini qui Dominica vaſa portatis.* Iam enim, ſecundùm ſuprà ſcripta, [g] *Reuelauerat Dominus brachio ſuo ſanctum*, Id eſt, virtute ſua, Chriſtum coram nationibus, vt [h] *Viderint vniuerſæ nationes, & ſumma terræ ſalutem, quæ erat à Deo.* Sic & ab ipſo Iudaïſmo diuertentes, cùm legis obligamenta & onera, Euangelicâ iam libertate mutarent, pſalmum exequebantur, [i] *Diſrumpamus vincula eorum, & abiciamus à nobis iugum eorum*: Poſtea certè quàm *Tumultuatæ ſunt gentes, & populi meditati ſunt inania: Aſtiterunt reges terræ, & principes congregati ſunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.*

a Eſai 52. 7. Rom. 10. 15.
b Pſal. 18. 4.
c Iſa. 2. 3.
d Iſa. 46. 12. 13.
e Act. 4. 19. Act. 13. 46.
f Iſa. 52. 11. Ioa. 12. 28.
g Iſa. 52. 10.
h Pſal. 97. 2. 3.
i Pſal. 2. 3.

APOSTOLI. IV. SCHOLIA.

APOSTOLORVM OPVS. *Prædicatio ſcilicet Euangelij, quam Prophetæ prædixerunt, de quo Paulus Rom. 10.* Quam ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. *Apud Eſaiam cap. 52. In vulgata editione*: Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem. *Apud 70.* Sicut hora ſuper montes, ſicut pedes Euangelizantis auditum pacis, ſicut Euangelizans bona. Quia auditam faciam ſalutem meam. Tertul.

A

QVAM TEMPESTIVI PEDES. *Vt dixit alibi Chriſtum* Tempeſtiuum decore, *Id. plena maturitate formoſum: ſicut fructus dicitur tempeſtiuus, hora ſua & tempore ad plenam maturitatem excoctus. Sic* Tempeſtiui pedes, *Opportuno & prædicto tempore ad pacem portandam accurrentes. 70. De hora in monte loquentes, vel alludunt ad horas in monte per præconem nuntiatas, vnde & alter interrogat*, Cuſtos quid de nocte? *Quota nocte vigilia, Quota hora eſt? Vel memoriam refricant, ſtatua Memnonis in monte, tanto artificio elaborata, vt Solis radiis eius labia ſoluentibus vocem emitteret in horologij vicem. Sic qui ſoluere veniebat ora mutorum, elingues prius piſcatores, & mutos vt piſces, ſuis radiis colluſtratos, in Eccleſiæ monte poſitos, ſic erudiit, vt omnem oratorum eloquentiam obmuteſcere coëgerint. Quinc & iuxta Auguſtinum, facti ſunt Apoſtoli prius noctis & ignorantiæ filij.* Filij lucis *Et duodecim hora diei*: Prædicent, inquit, horæ diem, illuſtrentur horæ à die, & per horarum prædicationem, credat mundus in diem. *Ὥρα. Ex Hiero. ſignificat tempus, pulchritudinem, curam, & ſollicitudinem. Vt bene verterit Tertullianus*, Tempeſtiui pedes. *Id eſt ſuo tempore accurrentes, magna cura & ſollicitudine pulchram pacem annunciantes. Auguſt. Apoſtolos rurſum* 12. *Solis radiis comparat, quòd ſpiritu S. Calos ornante, facti ſint velut alæ Solis & penna quibus tempeſtiuam & celerem ſanitatem ægris afferret. Sic habet ſer.* 185. *de Temp.* Affuit, inquit, *Supple Spiritus S.* In hac die fidelibus ſuis, non iam per gratiam viſitationis & operationis; ſed per ipſam præſentiam maieſtatis; atque in vaſa non iam odor baſſami; ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit vnguenti: ex cuius fragrantia latitudo totius orbis impleretur: & appropinquantes ad eorum doctrinam Dei fierent capaces atque participes. Sedit ergo ſuper ſingulos quaſi ignis: de quo ſaluator noſter teſtatur. Ignem veni mittere in terram; de quo dictum eſt: Deus noſter ignis conſumens eſt. Ipſe itaque Apoſtolos ſuos vitæ lucis fonte perfudit: vt ipſi poſtmodum vniuerſum mundum tanquam duodecim Solis radij, ac totidem lampades veritatis illuminent; & inebriante nouo vino, repleant atque irrigent ſitientia corda populorum. NON BELLVM NEC MALA. *Quæ ſcilicet Prophetæ Dei Sabbaoth, & Domini vltionum prædicabant.* LONGE QVIQVE, &c. *Tertul. ſæpiſſimè, licet ſequatur verſionem 70. non textum reddit integrum ſed æquipollens, & paraphraſticè ſuo more. Sic habent 70.* Audite me, qui perdidiſtis cor: *Vulgata, duro corde.* Qui longe eſtis à iuſtitia. Prope feci iuſtitiam meam: & ſalutem quæ à me eſt, tardare non faciam. *Vulgata autem ſic*: Prope feci iuſtitiã meam, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur. RENVNTIAVERVNT PRESBYTERIS. *Renuntiare ſæpè ſumit Tertul. pro demonſtrare. Hîc, pro relinquere ſeu abiurare, vti dixit libro de Bapt.* Nos renuntiare diabolo. ARCHONTIBVS. *Id. principibus. Reſpicit autem locum Actorũ 4. vbi Petrus, congregatis principibus & Senioribus & ſcribis cum Ioanne, & mirantibus, quod cum* Homines eſſent ſine literis & Idiotæ, &c. Petrus & Ioannes reſpondentes dixerunt ad eos; ſi iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate. *Vel illud Actor.* 13. Paulus & Barnabas dixerunt: vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniã repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gentes. ANNON, &c. *Hoc obiicit Marcioni, id dixiſſe Apoſtolos quaſi prædicatores noui Dei ſui, & Creatoris populũ auerſatos.* Atquin, &c. *Reſpõdet Tertul. Dei prorſus Creatoris & Chriſti eius Apoſtolos hoc facto probari, quo vetus teſtamentũ implebant, & Prophetiã Iſaiæ* 52 DIVERTITE, &c. *Vulgata* Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: Exite de medio eius, mundamini qui ferris vaſa Domini. 70. *vero* Separamini qui portatis vaſa Domini. *Alij apud Tertul. legunt* Qui Domini cauſam portatis, *Quod idem ſonat, causam enim Dominẽ agebat Paulus*, Vas electionis, pro Chriſto legatione fungens. REVELAVERAT, &c. *Hunc locum ſuo modo traduxit Tertul. quem quidem Io. 12. ſic legimus* Cum tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur: Domine quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? *Sic habetur ad verbum tam in Vulgata, quàm apud 70. Paulus autem Rom. 10. partem tantùm ſententiæ poſuit, cum reticentia alterius.* Domine quis credidit auditui noſtro? *Nullâ factâ mentione brachij.* SVMMA TERRÆ SALVTEM. *Vtrobique legitur*, Fines terræ ſalutare Dei noſtri. AB IPSO IVDAISMO, &c. *Cum nempe dicebat Petrus in Actis*, Quid tentatis iugum imponere ſuper ceruices diſcipulorum, &c. PSALMVM EXEQVEBANTVR, *Pſaltis Prophetiam implebant.*

A B C D

Aug. Aug.

5. Apoſtoli à Spiritu ſancto omnem doctrinam ſaluti neceſſariam acceperunt. De Præſcr. cap. 22. à p. ad. fin. & 23. in p.

SOlent dicere, non omnia Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia qua rurſus conuertunt: Omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe; in vtroque Chriſtum reprehenſioni ſubjicientes, qui aut minus inſtructos, aut parùm ſimplices Apoſtolos miſerit. Quis igitur integræ mentis credere poteſt aliquid eos ignoraſſe, quos magiſtros Dominus dedit, indiuiduos habens in comitatu, in diſcipulatu, in conuictu; quibus obſcura quæque ſeorſim diſſerebat, illis dicens, [a] *Datum eſſe cognoſcere arcana, quæ populo intelligere non liceret?* Latuit aliquid Petrum, [b] *Ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues regni cælorum conſecutum, & ſoluendi, & alligandi in cælis, & in terris poteſtatem?* Latuit & Ioannem aliquid, dilectiſſimum Domino, pectori eius incubantem, cui ſoli Dominus Iudam traditorem præmonſtrauit, quem loco ſuo filium Mariæ demandauit? Quid eos ignoraſſe voluit, quibus etiam gloriam ſuam exhibuit, & Moyſen & Heliam, & inſuper de cœlo Patris vocem? non quaſi ceteros reprobans, ſed quoniam [c] *In tribus teſtibus ſtabit omne verbum.* Ignorauerunt itaque & illi, quibus poſt reſurrectionem quoque in itinere omnes ſcripturas ediſſerere dignatus eſt. Dixerat planè aliquando; [d] *Multa habeo adhuc vobis loqui, ſed non poteſtis modò ea ſuſtinere.* Tamen adijciens: [e] *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, ipſe vos deducet in omnem veritatem*: Oſtendit illos nihil ignoraſſe, quos omnem veritatem

a Matth. 13. 11. Luc. 8. 10.
b Math. 16. 18. Io. 21. 20. Io. 13. 24. Io. 19. 26. Math. 17. 3. Luc. 9. 33. 35.
c Deut. 19. 15.
d Luc. 24. 25. Io. 16. 12.
e Ibid. 13.

Act. 2. 2. consecuturos per Spiritum veritatis repromiserat; & vtique impleuit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritus sancti. Quam scripturam qui non recipiunt, nec Spiritus sancti esse possunt, qui necdum Spiritum possint agnoscere discentibus missum, sed nec Ecclesiam defendere, qui quando, & quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent. Tantì est enim illis non habere probationes eorum quæ defendunt, ne pariter admittantur traductiones eorum quæ menti untur. Proponunt ergo ad suggillandam ignorantiam aliquam Apostolorum, quòd Petrus, & qui cum eo, reprehensi sint à Paulo. Adeò, inquiunt, aliquid eis defuit, vt ex hoc etiam illud struant, potuisse postea pleniorem scientiam superuenire, qualis obuenerit Paulo reprehendenti antecessores.

Cap. xxiii. Gal. 2. 11.

APOSTOLI. V. SCHOLIA.

SOLENT DICERE, &c. *Hæc communis vox hæreticorum, vt noua dogmata sua ingerant, vt dicant Deum non omnia necessaria reuelasse Apostolis, vt sibi nempe reuelanda seruauerit quasi nouis & dignioribus Apostolis.* RVRSVS CONVERTVNT. *Tanta est & ingenita mentibus hæreticorum contradictio, vt dicant Apostolos omnia ædificanda Ecclesia necessaria nosse, sed tamen ea discipulis, & posteris non tradidisse.* PARVM SIMPLICES. *Id. fraudulentos, corde duplices, seductores, cum noluerint aliis tradere, quod tradendum à Christo acceperant.* QVOS MAGISTROS. *His verbis doctores vniuersi instituit, cùm proximè ascensurus ad Patrem, ait Matth.* 28. Euntes docete omnes gentes. GLORIAM SVAM EXHIBVIT. *Humanitatis suæ scilicet transfiguratæ in monte Thabor; nisi velis intelligere per gloriam, testimonium Patris voce delapsa de nube, filium clarificantis, cum* Gloria sit clara cum laude notitia. CÆTEROS REPROBANS. *Non quod alios Apostolos reprobauerit, quos ad videndam transfigurationem non assumpsit, sed vt impleret legem veterem Deut. 19.* In tribus testibus stabit omne verbum. OMNES SCRIPTVRAS. *Intelligis discipulos Emmaüs, quibus Luc 24.* Incipiensà Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. *Etrursum* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas. QVAM SCRIPTVRAM. *Alterum scilicet, non recipit Manichæus, & qui cum eo Spiritum sanctum non in Apostolos, sed in Manem descendisse fabulantur. Qui autem librum Actuum non recipiunt, nec scire possunt Spiritum sanctum missum* DISCENTIBVS *Id. discipulis, actis à discipulis, vt hæc à discendo teste Isidoro; vt nec Ecclesiam tueri possunt, vt facere iactant, eius exordia ignorantes, quæ tantum ex actis probari possunt.* TANTI ENIM, &c. *Ideo inquit & data opera negant authoritatem librorum scriptura, qua probari possint ea ipsa quæ ipsimet tenent & credunt; ne simul cogantur admittere* TRADVCTIONES. *Id. documenta certa, quibus ipsorum mendacia* Traducantur *Et propalentur irridenda. Vox autem* Traductio *apud Tertul. significat demonstrationem, detectionem, illustrationem. Ad Scap.* Dæmones quotidie traducimus. *Id. latebris corporum possessorum educimus, fraudes eorum detegimus.* Traducta veritas, *Id. exposita in lucem. Et de Præscript. cap. 35.* Sic facilius traducentur. *Id. detegentur. Hoc sensu* Traductiones eorum, &c. *Quasi diceret hæretici multa defendunt, docent, sustinent, fidei congrua, in multis nobiscum sentiunt,* Quoniam inter multos *articulos scilicet fidei* Erant mecum: *Sed nolunt vti ad eorum confirmationem authoritate scripturæ: ne ex iisdem Scripturæ locis eorum mendacia conuincantur, &* Traductiones eorum, *detectiones admittantur, recipiantur, cognoscantur.* SVGGILLANDAM *Arguendam.* ANTECESSORES. *Petrum cæteróſque Apostolos intelligit, qui ante Paulum vocati sunt.* REPREHENSI SVNT. *Ad Gal. 2. Sic Paulus narrat se reprehendisse Petrum.* Cum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant, & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, itaut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem: Sed cum vidissem quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu Iudæus cum sis, Gentiliter viuis, & non Iudaïcè quomodo cogis Gentes Iudaïzare? *Hinc Valentinus & Marcion Apostolorum ignorantiam, & defectum agnitæ veritatis frustra colligunt. Non enim errabat Petrus in fide, sed in conuersatione, edebat cum gentibus cibos Iudæis vetitos, sed cum crederet se potius tueri debere Iudæorum partes, quàm Gentilium, aduentantibus Iudæis, se subtrahebat à Gentilibus, ne Iudæos scandalizaret. In hoc iuxta Aug. reprehensibilis quod simulatione vteretur.* VTEX HOC, &c. *Inde hæretici, vt sibi blandiantur de nouellis suis dogmatibus, persuadere volũt sibi etiã à Deo multa posse reuelari postremis temporibus, quæ non cognouerint Apostoli vel doctores; cum Paulus plura cognouerit quàm sui antecessores, adeo vt & Petrum ipsum potuerit reprehendere & docere. De Petro, cæterisque reprehensis à Paulo, frequenter Augustinus, sed disertissimè Epistola 19. ad Hiero.* Si, inquit, hoc fecit Petrus quod facere debuit: mentitus est Paulus, quòd eum viderit nõ rectè ingredientẽ ad veritatẽ Euãgelij. Quisquis enim hoc facit quod facere debet, rectè vtique facit. Et ideo falsum de illo dicit, qui dicit eum non rectè fecisse, quod eum nouit facere debuisse. Si autem verum scripsit Paulus, verum est quod Petrus non rectè tunc ingrediebatur ad veritatem Euangelij. Id vero faciebat quod facere non debebat: & si tale aliquid Paulus ipse iam fecerat, correctum potiùs etiam ipsum credam Coapostoli sui correctionem potuisse negligere, quàm mendaciter aliquid in sua epistola posuisse, & si in Epistola qualibet, quantò magis in illa, in qua præloquutus ait, Galat. 1. Quæ autẽ scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Ego quidem illud Petrum sic egisse credo, vt Gentes cogeret Iudaïzare. Hoc enim lego scripsisse Paulum, quem mentitum esse non credo, & ideo non rectè agebat hoc Petrus. Erat enim contra Euangelij veritatem, vt putarent, qui credebant in Christum, sine illis veteribus Sacramentis saluos se esse non posse.

Aug.

6. Apostoli, maximè autem Petrus, Iacobus, & Ioannes, & Paulus verbi diuini intelligentiam acceperunt, qui & ipsius Christi gloriæ testes fuerunt Scorp. cap. 12. in p.

QVis nunc medullas scripturarum magis nosset, quàm ipsa Christi schola? quos & sibi discipulos Dominus adoptauit, omnia vtique edocendos; & nobis magistros adornauit, omnia vtique docturos. Cui potius figuram vocis suæ declarasset, quàm cui effigiem gloriæ suæ reuelauit, Petro, Iacobo, Ioanni, & postea Paulo? quem paradisi quoque compotem fecit ante martyrium. Matth. 17. 5. 6. 2. Cor. 12. 4.

APOSTOLI. VI. SCHOL.

ADOPTAVIT. *Licet proprie hoc verbum de adscitis in filios vsurpetur in iure. Sumitur tamen in aliis rebus. Sic Cicero prima Verrina.* Quem sibi illa defensorem sui iuris, vltorem iniuriarum, actorem totius causæ adoptauit. ADORNAVIT. *Id. instruxit, comparauit. Sic Tacitus,* Equos venatui adornatos *dixit.* FIGVRAM VOCIS. *Intellige explicatas parabolas & figuras verbi diuini declaratas Apostolis.* EFFIGIEM GLORIÆ, *Id. faciem gloriosam in transfiguratione.* POSTEA PAVLO, *Iuxta illud Ananiæ Act. 9.* Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via. *Et ipse Paulus:* Nonne sum Apostolus? nonne vidi Dominum? *Et ad Gal. 1.* Neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. ANTE MARTYRIVM. *Cum magna emphasi id dixit, sed errorem suum insinuans, quo solas martyrum animas ante resurrectionem in cœlum admitti credidit, propter solas martyrum animas à Ioanne visas sub altari. Hinc Paulum exaltat 3. potitum cœlo etiam ante martyrium. De Apostolis à Christo edoctis, vt futuris Ecclesiæ Magistris ita ipse Christus:* Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, &c. *Et Ioannis 15.* Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre meo *scil. pro tempore dicenda vobis,* nota feci vobis. *Quem locum Augustinus exponit to. 1. libro 1. de Gen. contra Manich. cap. 7.* Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis: non quia iam factum erat, sed quia certissimè futurum erat. Nam pòst paululum dicit illis: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Vt quid ergo dixerat: Omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis, nisi quia se sciebat hoc esse facturum? Sic etiam cœlum & terra potuit dici materia vnde nondum erat factum cœlum & terra, sed tamen non erat aliunde faciendum. *Et rursum in Io. tract. 86. in cap. 15.* Meritò quidem, inquit, quæritur quomodo accipiendum sit quod ait Dominus, vos autem dixi amicos, &c. Quis autem audeat affirmare, vel credere vllum hominem scire omnia quæcumque à patre audiuit vnigenitus filius, quando nec hoc quidem quisquam capit, quomodo à patre audiat vllum verbum, cum ipse sit patris vnicum verbum? Quid est quod aliquanto post in hoc ipso tamen sermone, quem post cœnam ante passionem ad discipulos habuit: multa, inquit, habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo? Quo igitur pacto intellecturi sumus omnia eum nota feciisse discipulis, quæcumque audiuit à patre, cum propterea quædam multa non dicat, quia scit eos modo portare non posse? Sed nimirum quod facturus est, feciisse se dicit, qui ea quæ futura sunt, fecit: sicut enim dicit per Prophetam, foderunt manus meas & pedes meos: nec ait, fossuri sunt: velut præterita dicens, & ea tamen futura prædicens: ita & hoc loco ait, omnia se nota feciisse discipulis, quæ se nouit nota esse facturum *Hactenus Augustinus.*

Aug.

7. Apostoli magistri nationum, & fundatores Ecclesiarum matricum. De Præscr. cap. 20. à p.

EX quibus, duodecim præcipuos lateri suo adlegerat destinatos Nationibus magistros. Itaque vno eorum decusso, reliquos vndecim, digrediens ad patrem post resurrectionem, [a] *Iussit ire, & docere Nationes, intinguendas in Patrem, & in Filium, & in Spiritum sanctum.* Statim igitur Apostoli (quos hæc appellatio Missos interpretatur) assumpto per sortem duodecimo Matthia in locum Iudæ, ex auctoritate prophetiæ, quæ est in psalmo Dauid, consecuti promissam vim Spiritus sancti, ad virtutes, & eloquium, primò per Iudæam contestata fide in Iesum Christum, & Ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei Nationibus promulgauerunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Matth. 10. 2. Matth. 27. 3. [a] Matth. 28. 19. Act. 1. 26. Psal. 108. 7. Act. 2. 5. Act. 8. 9. 11. Act. 13. 15. Act. 14. 20. & seq.

APOSTOLI. VII. SCHOL.

EX QVIBVS *Discipulis scilicet* LATERI SVO. *Quasi legatos à latere.* MAGISTROS, *quibus dixerat Matth. 28.* Euntes docete omnes gentes. VNO DECVSSO. *Iuda, de quo sic Cyprianus* Vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea ex area exsufflatus est. INTINGVENDAS. *Alij tinguendas, id est tingendas, vox Tertulliano frequens baptismo applicata.* IN PATREM, *Rc.* In nomine Patris, &c MISSOS. *Missivum Id. mitto.* Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. *Et rursum.* Qui vos audit, me audit. *Messias Christus, & Apostoli* MISSI. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? IN PSALMO DAVID *Quem citat Petrus Act. 1. ex Psal. 108.* Episcopatum eius accipiat alter ADVIRTVTES IT ELOQVIVM. *Vt loquerentur omnibus linguis, & miracula facerent.*

Omniloquium.

Digitized by

CONTESTATA FIDE. *Quam primùm Apoſtoli ſimul in Iudæa prædicauerunt, teſtes mortis & Reſurrectionis Chriſti, vel ſymbolo à ſingulis Apoſtolis collato, quod innuit conteſtata fides.* TRADVCEM FIDEI. *Tranſlatio eſt à re ruſtica, quando plures ramuſculi ex vno trunco, vel ex vno vitis brachio diffunduntur, & connexi ſimul, in alium locum deducuntur. Vt hoc ſenſu alia Eccleſia, à prima fundata in Iudæa, ſint tradućta propagines, & vt infra vocat* SOBOLES APOSTOLICARVM ECCLESIARVM. *Apoſtolos Eccleſiarũ Matricum fundatores exertè probat Auguſtinus to. 7. libro de vnitate Eccleſiæ cap. 10. circa finem. Vbi cum prius ex aliis Apoſtolorum decurriſſet prædicationem Apoſtolorum tanquam Magiſtrorum à Chriſto & Spiritu ſancto miſſorum ad inſtruendam Iudæam, Samariam, &c. Sic agit contra Donatiſtas Eccleſiam in ſola Africa, idque in ſua ſecta manſiſſe, & alibi periiſſe iactantes, cum vt ſupra dixerat Auguſtinus, quatuor anguli lintei pleni animalibus immundis, qua iuſſus eſt Petrus manducare, quatuor orbis partes per ipſum, & Coapoſtolos conuertendas ad fidem, & ad vnam Eccleſiam firmiter in Chriſto, & in Apoſtolis fundandam delinearent. Sic ergo concludit in rem Tertulliani:* Quis, inquit, deleuit Eccleſias, Apoſtolico labore fundatas? In extremis Epiſtolæ ad Romanos dicit idem Apoſtolus Doctor Gentium, Audacius autem ſcripſi vobis ex parte, tanquam commemorans vos, reducens propter gratiam quæ data eſt mihi à Deo, vt miniſter ſim Chriſti Ieſu in gentibus conſecrans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium acceptabilis, ſanctificata in Spiritu ſancto. Habeo ergo gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum. Non enim audeo quicquam eorum loqui quorum nõ perfecit Chriſtus per me inobedientiam gentium verbo & opere in poteſtate ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti, ita vt ego ab Hieruſalem & in circuitu vſque in Illyricum repleuerim Euangeliũ Chriſti. Quærite Donatiſtæ, ſi neſcitis; quærite ab Ieruſalem per terrena itinera in circuitu vſque in Illyricũ quot manſiones ſint, ſi tot Eccleſias computemus. Dicite quemadmodum per Africanas contentiones perire potuerunt, ad Corinthios, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Theſſalonicenſes, ad Coloſſenſes. Vos ſolas Apoſtoli Epiſtolas in lectione, nos autem Epiſtolas in lectione ac fide, & ipſas Eccleſias in communione retinemus. Iam verò Galatia non vna Eccleſia eſt, ſed in ea regiones innumerabiles. Corinthios autem videte quemadmodum ſalutauerit: Paulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum Sanctis omnibus qui ſunt in vniuerſa Achaia. Quot putatis eſſe Eccleſias in vniuerſa Achaia? fortaſsè vbi Achaia ſit, neſcitis, & de tam incognita prouincia tanta cæcitate iudicaris, vt eam criminibus Afrorum periiſſe dicatis. Nonne plena ſunt florentiſſimis Eccleſiis omnia loca quæ Petrus nominauit; Pontus, Galatia, Cappadocia, Aſia, Bithynia? Quid Ioannes, quibus ſcripſit, Smyrnæ, Pergami, Sardis, Thyatiræ, Philadelphiæ, Laodiciæ, quæ ſunt Eccleſiæ? Iam enim Epheſum commemorauimus. Dicat mihi aliquis veſtrûm, vbi ſint, quantum ab inuicem diſtent. Fortaſſe modò id quæritis, vel legendo, vel audiendo cognoſcere.

S. Aug. A B C Aug.

8. *Apoſtoli arguentes Galatarum, aut Corinthiorum Eccleſias, eas emendatas reliquerunt. De Præſcr. cap. 27. per totum.*

SI ergo incredibile eſt, vel ignoraſſe Apoſtolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidiſſe, videamus ne fortè Apoſtoli quidem ſimpliciter & plenè, Eccleſiæ autem ſuo vitio aliter acceperint, quàm Apoſtoli proferebant. Omnia iſta ſcrupuloſitatis incitamenta inuenias prætendi ab hæreticis. Tenent correptas ab Apoſtolo Eccleſias, [a] *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit?* &c, [b] *Tam benè currebatis; quis vos impedit?* Ipſumque principium, [c] *Miror quod ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratia, ad aliud Euangelium.* Item ad Corinthios ſcriptum, quòd [d] *Eſſent adhuc carnales, qui lacte educarentur, nondum idonei ad palulum;* [e] *Qui putarent ſe ſcire aliquid, quandò nondum ſcirent quemadmodum ſcire oporteret.* Cùm correptas Eccleſias opponunt, credant emendatas. ſed & illas recognoſcant, de quarum fide, & ſcientia, & conuerſatione Apoſtolus gaudet, & Deo gratias agit: quæ tamen hodie cum illis correptis vnius inſtitutionis iura miſcent.

a Ad Gal. 3. 1.
b Gal. 5. 7.
c Gal. 1. 6.
d 1. Cor. 3. 2.
e 1. Cor. 8. 2.
Rom. 1. 8.
Rom. 15. 14.
Epheſ. 1. 15. 16.
Philipp. 1. 3.

APOSTOLI. VIII. SCHOLIA.

PLENITVDINEM PRÆDICATIONIS. *Id. omnia quæ prædicare debebant, ad plenam fidelium inſtructionem.* ORDINEM REGVLÆ, *Exactam ſcilicet fidei Regulam & diſciplinæ Eccleſiaſticæ.* SIMPLICITER ET PLENE. Plenè *quoad Apoſtolos repletos Spiritu:* Simpliciter *Quoad Eccleſias, planè & ſine dolo, & retentione inſtructas. Neque enim erãt Apoſtoli Scribis ſimiles, quibus exprobrabat Chriſtus.* Tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis *Luc* 11. SCRVPVLOSITATIS INCITAMENTA. *Hæc quæ ſcrupulos excitant, & dubietatis nebulas offundunt mẽti, mera ſunt hæreticorum inuenta.* TENENT CORREPTAS, &c. *Habent multos Pauli textus, quibus probent Eccleſias in principio fundatas ab Apoſtolis, correptas fuiſſe vt à recto aberrantes: ſed & cognoſcunt ipſum Paulum Deo gratias agere, variis locis in margine textus Tertulliani citatis; propter alias Eccleſias plenas fide, ſcientia, conuerſatione bona, quæ cum emendatis, eadem inſtituta & Regulam fidei vniformem ſeruant, vel vt ipſe loquitur,* Vnius inſtitutionis iura commiſcent IPSVMQVE PRINCIPIVM *Epiſtola nempe ad Gal. vbi poſt præambulum ſtatim ſubiicit* Miror quod ſic tam cito, &c. *Hunc locum Pauli à Tertulliano citatum ſic explicat Aug. to. 4. lib. expoſit. Epiſtolæ ad Gal. cap. 3.* O ſtulti Galatæ quis vos faſcinauit? Quod non rectè diceretur de his qui nunquam profeciſſent, ſed de his, qui ex profectu defeciſſent, ante quorum oculos Chriſtus Ieſus proſcriptus eſt Crucifixus; hoc eſt, quibus videntibus Chriſtus Ieſus hæreditatem ſuam poſſeſſionemque ſuam amiſit, his vtique

D E Aug.

auferentibus eam, dominumque inde expellentibus, qui ex gratia fidei, per quam Christus possidet gentes, ad legis opera eos qui crediderant, reuocabant, Christo auferendo possessionem suam: id est, eos quibus iure gratiæ fideique inhabitabat. Quod in ipsis Galatis accidisse vult videri Apostolus. *Et rursum in cap.* 5. Bene, inquit, currebatis; quis vos impediuit veritati obedire? Hoc est quod superius ait, quis vos fascinauit? Aug. *Quid sit autem bene currere docet idem Aug. tract.* 10. *in Ep.* 1. *Io.* Opera, inquit, tua præterita antequam crederes, vel nulla erant, vel si bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erant, sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens. Si autem bona videbantur antequam crederes, currebas quidem; sed præter viam currendo errabas potius quàm perueniebas. Est ergo nobis & currendum, & in via currendum. Qui præter viam currit, inaniter currit, imò ad laborem currit. Tantò plus errat, quantò præter viam currit. Quæ est via per quam currimus? Christus dixit, Ego sum via. Quæ patria quò currimus? Christus dixit, ego sum veritas. *Ait enim Christus hæc est vita æterna, hoc est patria, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Per illum curris, ad illum curris, in ipso requiescis. Sed vt curramus per illum, extendit se vsque ad nos, longe enim eramus, & longè peregrinabamur. Parum est qui longè peregrinabamur, & languidi nos mouere non poteramus. Medicus venit ad ægrotos, via porrecta est ad peregrinos. Saluemur ab ipso, ambulemus per ipsum. *Atque hunc à vera via Christo, & lege noua, ad veteris legis cerimonias defectum arguit Apostolus. In quo tamen male hæretici concludunt Ecclesiam ab exordio defecisse, non enim omnes Galatæ aut Corinthij, sed pars aliqua peruersa fuerat, sed ab Apostolo correcta & conuersa Galatarum & Corinthiorum ex parte Ecclesia.*

9. *Apostoli cælibes. De monog. cap.* 8. *circa m.*

CEteros cùm maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes. Nec enim si penes Græcos communi vocabulo censentur mulieres, & vxores, pro consuetudinis facilitate, (ceterùm, est proprium vocabulum vxorum) ideò Paulum sic interpretabimur, quasi demonstret vxores Apostolos habuisse. Si enim de matrimoniis disputaret, (quod in sequentibus facit, vbi magis Apostolus aliquod exemplum nominare potuisset,) rectè videretur dicere, [a] *Non enim habemus potestatem vxores circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & Cephas*? At vbi ea subjungit, quæ de victuaria exhibitione, abstinentiam eius ostendunt, dicentis: [b] *Non enim potestatem habemus manducandi, & bibendi*? Non vxores demonstrat ab Apostolis circumductas? quas & qui non habent, potestatem tamen manducandi & bibendi habent; sed simpliciter mulieres, quæ illos eodem instituto, quo & Dominum comitantes, ministrabant. Iam verò si Christus reprobat Scribas & Pharisæos, [c] *Sedentes in cathedra Moysi, nec facientes quæ docerent*; Quale est vt & ipse super cathedram suam collocaret, qui sanctitatem carnis præcipere magis, non etiam obire meminissent, quam illis omnibus modis insinuarat, & docendam & agendam? in primis de suo exemplo, tunc de ceteris argumentis.

[a] 1. Cor. 9. 5.
[b] Ibid. 4.
[c] Matth. 23. 2.

APOSTOLI. IX. SCHOLIA.

CÆTEROS CVM MARITOS, &c. *Paulò supra dixerat* Petrum solum inuenio maritum per Socrum, *Quia scilicet legit in Euang.* Socrus Petri tenebatur magnis febribus. *Cæteros Apostolos, inquit, non inuenio maritatos.* AVT SPADONES, Qui se castrauerunt propter Regnum cœlorum, *Et prorsus virgines & ab omni voluptate carnis segreges.* AVT CONTINENTES; *Explicat quod supra dixerat, de Petro loquens,* Monogamum præsumo per Ecclesiam quæ super illum ædificata, omnem gradum ordinis sui, de monogamis erat collocatura. *Exclusura scilicet erat Ecclesia vnimira Petro, sicut & Christo, à suscipiendis ordinibus bigamos, & solos ab vna vxore continentes, ex quo ordines sustepissent. Sic* 1. *Tim.* 3. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, &c. Pudicum, &c. Filios habentem subditos cum omni castitate, &c. Diaconi sint vnius vxoris viri: qui filiis suis bene præsint. *Et ad Tit.* 1. Constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. *Quales erant filij Heli*, Dormientes cum mulieribus, quæ excubabant ad ostium tabernaculi. *Non vult Paulus præcipere, sicut nostri Nouatores insulsè garriunt, Episcopos, Presbyteros, Diaconos vxorem vnam habere, & aliàs innuptos inhabiles esse ordinibus; sed si nupserint, semel nupserint: si vxores habeant & filios, continenter ab illis, istos cum omni castitate instruant.* SI PENES GRÆCOS. *Nec est, inquit, quod pro se obijciant incontinentes, quod Paulus* 1. *Cor.* 9. *dicat*; Numquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? *Non enim hic vxores habuisse dicit Apostolos, sed signanter,* Mulierem sororem, *Piam & sanctam, fidelem, necessaria ministrantem. Cum & alibi probet Tertul. virginem dici mulierem. Græci eadem voce pro vsus facilitate, nominant mulieres & vxores.* CÆTERVM, *Vxor proprium nomen habet,* γυνὴ enim nomen commune est mulieri & vxori; γαμετὴ verò, vxori proprium. *Deinde probat hic Apostolum non agere de re matrimonij, aliud enim de eo exemplum proprium attulisset, vt alibi facit de dilectione mutua, de reddendo debito, &c. Sed cum hic agatur tantum de re victuaria, quam suis sibi manibus Paulus cum Barnaba ministrabat,* ABSTINENTIAM VIVS, *Probat se abstinuisse tam ab vsu victualium, quæ de communi Gazophilatio pauperum, & ærario Ecclesiæ promebantur cæteris Apostolis, quàm à famulatu piarum mulierum, quæ ipsis necessaria præparabant.* EODEM INSTITVTO. *Ipsemet fuse, quo & sanctæ mulieres, Christum comitantes, vt ei ministrarent in necessariis victui.* Luc. 8. Iter faciebat per ciuitates & castella prædicans & Euangelizans Regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur

Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis. QVALE EST, &c. *Quasi diceret Christo potuisset exprobrari, quod ipse scribis & Pharisæis sedentibus in Cathedra Moysi, & facientibus contra doctrinam suam, si Apostoli eius, quos ipse in Cathedra Ecclesiæ constituerat, verbo solum castitatem, & non etiam exemplo seruassent, ad quam Christus Virgo de Virgine, tot argumentis & sermonibus fuerat adhortatus.* CÆTERIS ARGVMENTIS. *Hæc argumenta prosequitur reliqua parte capitis & sequenti vna exponentur suo loco. Quoniam hæretici inimici continentiæ ex hoc Apostoli loco Tertull. citato non cælibes, sed vxoratos fuisse dilitant; aduertant primò nullum præter Petrum vxorem duxisse, posse ex Euangelio colligi. Secundò ipsum Petrum & propriam vxorem dimisisse. Tertiò Petrum pro se cæterisque Apostolis Christo dixisse,* Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Quartò Christum respondisse*: Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem aut vxorem, &c. *Quintò dixisse item*: Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Discant porro ab Augustino quomodo sit intelligendus Apostolus, quem sic exponit tom. 3. lib. de opere Monachorum cap. 4.* Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? &c. Hoc quidam non intelligentes, non sororem mulierem, cum ille diceret, numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi. Sed vxorem interpretati sunt: Fefellit eos verbi Græci ambiguitas, quod & vxor & mulier eodem verbo Græcè dicitur: quamquam hoc ita posuerit Apostolus vt falli non debuerint, quia neque mulierem tantummodo ait, sed sororem mulierem; neque ducendi, sed circumducendi: verumtamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas, & mulierem non vxorem interpretati sunt. Quod quisquis putat non potuisse ab Apostolis fieri, vt cum eis sanctæ conuersationis mulieres circuirent quacumque Euangelium prædicabant, vt eis de sua substantia ministrarent necessaria, Euangelium audiant, & cognoscant quemadmodum hoc ipsius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noster more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei possent Angeli ministrare, &c. mulieres voluit vt se ad præparanda & ministranda necessaria sequerentur; ostendens quid Euangelistis & ministris Dei tanquam militibus à plebibus Dei tanquam prouincialibus deberetur, vt si quis eo quod sibi deberetur vti nollet, sicut Apost. Paulus vti noluit, amplius impenderent Ecclesiæ, non exigendo stipendium debitum, sed quotidianum victum de suis laboribus transigendo.

S. Aug.

APPETITVS.

Appetitus concupiscibilis, & irascibilis, quomodo rationalis, vel irrationalis fiat: Et in Christo omnis appetitus sit rationalis. De An. cap. 16. in. m. ad circa fin.

PLato soli Deo segregans rationale, duo genera subdiuidit ex rationali: indignatiuum, quod appellant θυμικὸν, & concupiscentiuum, quod vocant ἐπιθυμητικὸν: vt illud quidem commune sit nobis, & leonibus; istud verò cum muscis; rationale porro cum Deo: video & de hoc mihi esse retractandum, propter ea, quæ in Christo deprehenduntur. Ecce enim tota hæc trinitas & in domino. rationale quo docet, quo differit, quo salutis vias sternit; indignatiuum, quo inuehitur in Scribas & Pharisæos; & concupiscentiuum, quo pascha cum discipulis suis edere concupiscit. Igitur apud nos non semper ex irrationali censenda sunt, indignatiuum & concupiscentiuum, quæ certi sumus in Dominum rationaliter decucurrisse. Indignabitur Deus rationaliter, quibus scilicet debet; & concupiscet Deus rationaliter, quæ digna sunt ipso. Nam & malo indignabitur, & bono concupiscet salutem. Dat & Apostolus nobis concupiscentiam. [a] *Si quis episcopatum concupiscit, bonum opus concupiscit.* Et bonum opus dicens, rationalem concupiscentiam ostendit. Concedit & indignationem. Quidni, quam & ipse suscepit? [b] *Vtinam & precidantur, inquit, qui vos subuertunt.* Rationalis & indignatio, quæ ex affectu disciplinæ est. At cùm dicit: *Fuimus aliquando naturâ filij Iræ*, irrationale indignatiuum suggillat, quod non sit ex ea natura quæ à Deo est, sed ex illa, quam diabolus induxit.

a 1. Tim. 3. 1.
b Gal. 5. 12.
Ephes. 2. 3.

APPETITVS. SCHOLIA.

PLATO SOLI DEO, &c. In Timæo *Recta opinionis omnis vir particeps: intellectus verò, id est ratio,* Dei proprius. *Sic Philo & ipse Platonicus in multis.* Bruta rationali carent, reguntur autem à Deo, qui rationis est fons antiquissimus; ergo vis illa, quæ nobis commutuis est cum brutis, essentiam accepit sanguinem: at illa quæ à rationali fonte dimanat, spiritus est, non aër motus, sed character quidam & effigies diuinæ potentiæ, quam nomine proprio Moyses vocat imaginem; significans, quod archetypon rationalis naturæ, Deus est; homo verò, imago. *Appetitus rationalis apicem attigit D. P. Augustinus libro de quantitate Animæ cap. 33.* Aliud, inquit, est efficere, aliud tenere puritatem. Et alia prorsus actio, quâ anima se inquinatam redintegrat, alia, quâ non patitur se rursus inquinari. In hoc gradu omnifariam concipit, quanta sit: quod cùm conceperit, tunc verò ingenti quadam & incredibili fiducia pergit in Deum, id est in ipsam contemplationem veritatis, & illud propter quod tantum laboratum est, altissimum & sacratissimum præmium. Alij legunt secretissimum. Sed hæc actio, id est appetitio intelligendi ea quæ verè summéque sunt, summus aspectus est animæ, quo perfectiorem, meliorem, rectioremque non habet. EX RATIONALI *Id. præter rationale, est alius duplex appetitus irrationalis. Vnde alij legunt*, Subdiuidit ex irrationali; INDIGNATIVVM, *Nos irascibilem dicimus & concupiscibilem.* RETRACTANDVM, *Alibi dixi vsi Tertul. sumi pro* tractandum

S. Aug.

TOTA HÆC TRINITAS, *ſcilicet appetitum, &c.* NON SEMPER, &c. *Duo iſta, appetitus ſcilicet concupiſcibilis & iraſcibilis, erunt irrationalia, cum & Chriſtus vtrumque rationabiliter exercuerit, & bonum rationabiliter iuxta Paulum concupiſci poſſit, & poſſimus cum ipſo rationabiliter & iuſtè iraſci.* IRRATIONALE INDIGNATIVVM. *Solum memini Tertullianum ſic expoſuiſſe hunc locum Pauli; omnes enim* Filios iræ *referunt ad iram Dei, cuius obiectum eramus in peccato originali conſtituti ex natura corrupta in Adam. Sic Auguſtinus*: Si filij iræ, filij Gehennæ, filij vinctæ. *Qua vtique ira & vindicta, ex parte Dei iuſtiſſima eſt, & maximè rationalis. Cui tum conuenit illud Tertul. ſupra* Indignabitur Deus rationaliter, quibus ſcilicet debet. *Pulchrè tamen & doctè Tertul.* Irrationale indignatiuum, *Applicat loco Pauli, & iure dicit natura ſcilicet corruptâ* Filios iræ; *Cùm enim ex reliquiis peccati originalis, ſimus ſub poteſtate noſtrarum paſſionum, nec noſtri iuris, ſed velut ſub patria poteſtate, bene dixit, iræ filios. Et hanc paſſionem pra omnibus nominauit, tum quod ipſâ fueri:* Saulus ille ſpirans minarum & cædis; *Tum quod hæc paſſio plus omnibus perturbet rationem, & Solem illum parui mundi intelligibilis obnubilet, quem monet Apoſtolus non debere* Occidere ſuper iracundiam. *Dicente etiam Pſalmiſta* Supercecidit ignis, *Ira ſcilicet*, Et non viderunt Solem. *Adeo rectè in hanc rem legitur in Apoc. fumus putei obſcuraſſe Solem.* QVAM DIABOLVS. *Idem Tertul. alibi.* Ait, communi naturæ omnium hominum, & delicta, & concupiſcentias carnis, & incredulitatem, & iracundiam reputari, diabolo captante naturam, quam & ipſe ſuam fecit delicti ſemine illato. *De gemino appetitu, concupiſcibili, & iraſcibili, quo ſibi ſerpens in primo homine ſubiecit terrenos omnes, quorum perditione paſcitur & lætatur, præclarè S. P. Aug. libro 2. de Geneſi contra Manich. cap.* 17. Pœna, inquit, eius dicitur, quæ nobis cauendus eſt. pœna enim eius eſt, vt in poteſtate habeat eos, qui Dei præcepta contemnunt. Hoc enim explicatur his verbis, quibus in eum ſententia profertur; & inde maior pœna eſt, quia de hac tam infœlici poteſtate lætatur, qui ſolebat, antequam caderet, ſublimi veritate gaudere, in qua non ſterit: & ideo illi etiam pecora præponuntur, *Maleaictus enim eſt ſuper omnes beſtias terræ, quibus eſt aſtutior*: Non in poteſtate, ſed in conuerſatione naturæ ſuæ: quia pecora non amiſerunt beatitudinem aliquam cœleſtem, quam numquam habuerunt, ſed in ſua natura quam acceperunt, peragunt vitam. Dicitur ergo huic: pectore & ventre repes. Quod quidem & in colubro animaduertitur, & ex illo animante viſibili, ad hunc inuiſibilem inimicum noſtrum locutio figuratur. Nomine enim pectoris, ſignificatur ſuperbia, quia ibi dominatur impetus animi. *Et pro tuendo proprie gloria appetitu, iraſcibilis appetitus excandeſcit.* Nomine autem ventris, ſignificatur carnale deſiderium, quia hæc pars mollior ſentitur in corpore, & quia his rebus ille ſerpit ad eos, quos vult decipere, propterea dictum eſt, pectore & ventre repes. Et terram, inquit, manducabis omnibus diebus vitæ tuæ: id eſt, omnibus diebus quibus agis hanc poteſtatem, ante illam vltimam pœnam iudicij. Hæc enim vita eius videtur, de qua gaudet, atque gloriatur. Terram ergo manducabis, duobus modis intelligi poteſt. Vel, ad te pertinebunt, qnos terrena cupiditate deceperis, ideſt, peccatores qui terræ nomine ſignificantur: vel certè genus tentationis his verbis figuratur, quod eſt curioſitas. *Qui eſt appetitus inueſtigandi & ſciendi latentia.* Terram enim qui manducat, profunda & tenebroſa penetrat, & tantùm temporalia, atque terrena.

S. Aug. Aug. S. Aug.

AQVA.

1. *Aquæ ebriantes, venenatæ, medicæ, vitales. De An. cap.* 50. *in m.*

LEgimus quidem pleraque aquarum genera miranda. Sed aut ebrioſos reddit Lynceſtarum vena vinoſa; aut lymphaticos efficit Colophonis ſcaturigo dæmonica; aut Alexandro accidit Nonacris Arcadiæ venenata. Fuit & Iudææ lacus medicus ante Chriſtum. Planè Stygias paludes poëta tradidit mortem diluentes. Sed & Thetis filium planxit. Quamquam ſi & Menander in Stygem mergit, moriendum erit nihilominus, vt ad Stygem venias. Apud inferos enim dicitur.

AQVA. I. SCHOLIA.

LEGIMVS QVIDEM. *Mirabiles aquas hîc recenſet, vt Menandri ſamaritani baptiſma rideat, quo fingebat ablutos vel immortales, vel ſtatim ſurrecturos.* LYNCESTARVM. *Plin. lib. 2. Nat. Hiſt. c.* 103. Lynceſtis aqua *in Macedonia* quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit. Item in Paphlagonia, & in agro Caleuo. In Andro, inſulatemplo Liberi patris fontem nonis Ianuariis ſemper vini ſapore fluere, Mutianus ter Cõſul credit. LYMPHATICOS, &c. *Plin. ibid.* Colophone *In Ionia* In Apollinis Clarij ſpecu lacuna eſt, cuius potu mira redduntur oracula, bibentium breuiore vita. *Hinc Tertul. vocat eam aquam* DÆMONICAM, *Quia ex Iamblico de myſteriis:* Videtur tranſiſſe per eam aquam in Sacerdotem diuinatorius ſpiritus quidam. *Breuiat autem vitam, quia ſpiritus Dæmonis Lymphatum agitat & torquet. Et in furias agit.* DÆMONICAM. *Simiam Spiritus ſancti dæmonem ſæpius dixit Author noſter, qui & ſe miſcet aquis, quibus Lymphatos, & ſtultos homines faciat, ſuis illuſionibus, & mendaciis adhærentes. De aqua mendaci Menandri hoc loco tractat Tertullianus, & aquam baptiſmi extra ſectam Donati datam, dæmonicam & mendacem, obiiciebant D. Auguſtino Donatiſtæ, vt habet to. 7. lib. de vnitate Eccleſiæ cap.* 19. Atenim, inquiunt, dixit Ieremias 15. facta eſt mihi vt aqua mendax, non habens fidem. Non de hac aqua dixit quam putas: lege diligenter. Ipſam enim hominum mendacium multitudinem, dixit aquam mendacem, more prophetico, ſicut figuratè loqui ſolent; ſicut in Apoc. 17. populos, aquarum nomine nouimus appellatos. Nam ſic ait Ieremias; vt quid qui contriſtant me præualent? plaga mea valida eſt; vnde ſanabor? Facta eſt mihi vt aqua mendax, non habens fidem. Plagam ſuam ſibi dixit factam vt aquam mendacem; eandem verò plagam ſuam eos appellauit, qui ſe contriſtabant, &c. Sic & illic facitis, vbi ſcriptum eſt Prouerb. 5. ab Aqua aliena abſtine te, & de fonte alieno ne biberis.

S. Aug.

Putatis enim de baptiſmo dictum qui eſt apud hæ- A reticos, vt ideo ſit aqua aliena, quia hæretici regnum Dei non poſſidebunt? Quaſi non ita ſit, & apud ebrioſos, & apud inuidos, & cæteros huiuſmodi, de quibus dictum eſt pariter, regnum Dei non poſſidebunt: & tamen in omnibus talibus, ſi ſecundùm Euangelium baptizati ſunt, Chriſti eſt baptiſmus, non ipſorum. Vnde aqua illa non eſt aliena, cùm ipſi alieni ſint, quibus dicturus eſt, non noui vos. Cur non ergo potius intelligam, aquam alienam, & fontem alienum, doctrinam eſſe maligni ſpiritus, qua decipiantur, & ſeducantur alienati *Quaſi ebry* à Deo, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis eorum? Hoc expreſſius commendante Apoſtolo 1. Tim. 4. recedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum hæc eſt aqua aliena, & fons alienus. *Lynceſta, Nonacris, damonica: noſtra autem, lacus poſt Chriſtum medicus.* NONACRIS, &c. *Plin. ibid.* Iuxta Nonacrim Arcadiæ Styx, nec odore differens, nec colore, *Supple à vino de quo prius agebat fontem Liberi deſcribens* Epota illico necat. Item in Beroſo Taurorum colle tres fontes, ſine remedio, ſine dolore mortiferi. *De Styge Pauſanias in Arcadicis refert mortiferam hominibus & animalibus, & vaſa omnia etiam aurea & ferrea diſſoluere præter vngulam equi, vel muli, iuxta Vitruuium*, Quâ inquit, Alexander, per Iollam filium perlatâ, ab ea necatus eſſe refertur. IVDÆÆ LACVS. *Probatica piſcina Io. 5.* MORTEM BILVENTES. *Abſtergentes tollentes lotione ſua, & dantes immortalitatem. Hinc Ouid. lib. 4. Eleg. 5.*

Et tutare caput, nulli ſernabile, ſi non C Qui merſit Stygia ſubleuet illud aqua.

SED ET THETIS. *Legendus Homerus Iliade 24. Plato 2. de Repub. Aliique deſcribentes Thetidem plangentem, quod cùm Achillem filium puerum Stygiis aquis immerſiſſet, nulla ex parte vulnerabilem, præterquam in pedibus illotis ſolis, ſagitta Paridis percuſſum in pedibus planxit, & de Appolline longaeuum ſpondente conqueſta eſt. Sed & Euridicem in pede momordit ſerpens; & calcaneo mulieris inſidiatur, cupiditatum ſymbolo. Et Virgilio teſte, Dido moritura vnum calceum exuit; & Iaſon aureum vellus quærens, vnum calceum amiſit. Quid hæc?* Non mouetur *Ait Auguſtinus* Anima pedibus, ſed affectibus. *Et vix eſt qui hac parte etiam moriens ſit plenè tectus, & à puluere, vento, ſerpente Illæſus. Hinc Chriſtus Petro pedes abluens* Si non lauero te, non habebis partem mecum. ETSI MENANDER, &c. *Licet baptiſmo ſuo mirabili, velut Styge, ſpondeat ſuos immortales,* &c. AD STYGEM VENIAS, &c. *Non minus morieris, & ad infernum venies, vbi Poëtæ Stygem collocant.* MORIENDVM ERIT. *Aqua prorſus Menandri mendax, mortem inferens, cùm ſpiritui maligno credentem in ſtygem damnet, nec gratiam vitalem conferat, ſicut aqua Spiritus ſancti. Accipe D. Aug. lib. de vnitate Eccl. c. 19.* Si aqua in bono intelligitur, & Spiritus ſanctus, cur non aqua in malo intelligatur, & ſpiritus malignus? &c. Si quis ſitit veniat, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. Et ſequitur Euangeliſta, & exponit vnde ſit dictum, hoc autem, inquit, dixit de ſpiritu, quem accepturi erant ij, qui in eum erant credituri. Aug.

2. *Aquis luſtralibus, diabolus æmulus Dei magis inquinat, quàm mundat: Noſtra autem aqua à Deo ſanctificata, purgat. De Bapt. cap. 4. in fin. & 5. inp. ad vltrp. m.*

CAP. V. IGitur medicatis quodammodo aquis per angeli interuentum, & ſpiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eiſdem ſpiritaliter mundatur. Sedenim nationes extraneæ ab omni intellectu ſpiritalium poteſtatum, eadem efficacia idolis ſuis ſubminiſtrant. Sed vidui aquis ſibi mentiuntur. Nam & ſacris quibuſdam per lauacrum initiantur, Iſidis alicuius, aut Mithræ. ipſos etiam Deos ſuos lauationibus efferunt. cæterùm, villas, domos, templa, totaſque vrbes aſpergine circumlatæ aquæ expiant paſſim. Certè ludis Apollinaribus, & Eleuſiniis tinguntur: idque ſe in regenerationem & impunitatem periuriorum ſuorum agere præſumunt. Item penes veteres, quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat. Igitur ſi de ſola natura, aquis, quod propria materia ſit abluendi, in auſpicia emundationis blandiuntur, quanto id verius aquæ præſtabunt per Dei auctoritatem, à quo omnis natura earum conſtituta eſt? Si religione aquam medicari putant, quæ potior religio quàm Dei viui? Quo agnito, hîc quoque ſtudium diaboli cognoſcimus res Dei æmulantis, cùm & ipſe baptiſmum in ſuis exercet, Quid ſimile? Immundus emundat, perditor liberat, damnatus abſoluit. ſuam videlicet operam deſtruet diluens delicta, quæ inſpirat ipſe. Hæc quidem in teſtimonium poſita ſunt repellentibus fidem, ſi minimè credant rebus Dei, quarum adfectationibus apud æmulum Dei credunt. An non & aliàs ſine vllo ſacramento, immundi ſpiritus aquis incubant, adfectantes illam in primordio diuini Spiritus geſtationem? Sciunt opaci quique fontes, & aui quique riui, & in balneis piſcinæ, & euripi in domibus, vel ciſternæ, & putei, qui rapere dicuntur, ſcilicet per vim ſpiritus nocentis. Nam & apopnictos, & lymphatos, & hydrophobos vocant, quos aquæ necauerunt, aut amentia, vel formidine exercuerunt. Quorſum iſta retulimus? ne quis durius credat, angelum Dei ſanctum aquis in ſalutem hominis temperandis adeſſe, cùm angelus malus prophanum commercium eiuſdem elementi in perniciem hominis frequentet.

AQVA. II. SCHOLIA.

MEDICATIS. *Sicut aqua piſcinæ per Angeli motum vim medicam hauriebat. Per Angelum autem vel Spiritum ſanctum intelligit, vel Sacerdotem benedicentem Aquam.* CORPORALITER, D *Quia mediante corpore anima abſtergitur, dum aſpergitur.* SPIRITALITER. *Quia mutuo ſpiritalis animæ gratia redundat in corpus. Vt ſicut trina merſione, corpus ob memoriam triduj Chriſti corporis*

ris ſepulti, Conſepultum eſt Chriſto per baptiſmum, *& Anima Chriſti morte, & aqua fluente* de latere dextro *Templi Corporis Crucifixi, vinificatur; ſic & corpus ipſum de ſpiritu* Renato ex aqua & Spiritu ſancto, *Vinificatum, reſurgat merito reſurrectionis Chriſti, tertia die reſurgentis.* EXTRANEÆ. *Gentiles qui ignorant Angelos, qui ſunt ſpiritales poteſtates; etiam idolis ſuis licet deluſi, & vanè putantes magnam efficaciam in Sacris ſuis, tanto zelo diis ſuis mendacibus famulantur, licet aqua quibus ſe abluunt careant vi Spiritus ſancti, quaſi effectum eius conſequerentur.* VIDVIS AQVIS. *Aquam baptiſmi noſtri viduam non ſinit Spiritus ſanctus. Accipite Chryſol. ſer.* 127. *in mea* Hinc eſt, fratres, quod virginem fontis vterum, cœleſtis ſpiritus arcana luminis ſui admixtione fœcundat, vt quos origo limoſæ ſturpis produxerat, ſub miſera conditione terrenos, cœleſtes pariat & ad ſimilitudinem ſui perducat authoris. *Viduæ autem ſunt aquæ Gentilium, quia ſteriles.* ISIDIS ALICVIS. *Aug.* 18. *de Ciuit. c.* 3. Io filia Inachi poſtea Iſis appellata, vt magna dea culta eſt in Ægypto: quamuis alij ſcribant eam ex Æthyopia in Ægyptum veniſſe Reginam, & quod latè iuſtéque imperauerit, eiſque multa commoda & literas inſtituerit, hunc honorem illi habitum eſſe diuinum, poſtquam ibi mortua eſt, & tantum honorem, vt capitali crimine reus fieret, ſi quis eam fuiſſe hominem diceret. *Quidam putant Iſim fuiſſe Euam. Et Latinis & Græcis Iſim corruptè pro* Iſſa, *ex* Iſcha. AVT MITRÆ. *Aliqui putant Oſirim, alterum genium Ægypti. Alij Solem Perſarum Deum. Aug. quidem* 18. *de Ciu. c.* 5. *de Api Rege Argiuorum facto Serapi Deo Ægyptiorum; ſimul cultum cum Iſide refert:* Conſtitutum eſt etiam de illo, vt quiſquis eum hominem dixiſſet fuiſſe, capitalem penderet pœnam. *Nec mirum cultum fuiſſe vtrumque Ægypti Dei, lotionibus & luſtrationibus per aquã factis, quod crederent incrementum Nili à lachrymis Iſidis pro Oſiri mortuo profluxiſſe, & Ruſino teſte, menſuram crementi eiuſdem fluminis quotannis in templum Serapis ferri ſolitam, iuſſu Conſtantini poſtea in veri Dei templum allatam accepimus. Caterum ipſe Tertul. de Præſcr. diabolum huius lauacri authorem & Dei Simiam, baptiſma fidelium affectantem ſic inducit.* Tinguit & ipſe quoſdam vtique credentes & fideles ſuos, expiatoria delictorum de lauacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithræ. *Arnobius cont. Gent* Lauatio Deûm Matris eſt hodie; ſordeſcunt enim diui, & ad ſordes eluendas, lauantibus aquis opus eſt. *Quin & Tacitus de Germanis.* Numen ipſum ſecreto lacu abluitur. *Et Aug. 2. de Ciuit. c.* 4. *ſe ſpectatorem ludorum & ſuperſtitionum Gentilium narrat, cum adoleſcens eſſet. Et inter cætera.* Cœleſti Virgini & Berecinthiæ Matri deorum omnium, ante eius lecticam, die ſolemni lauationis eius, talia per publicum cantitabantur à nequiſſimis ſcenicis, qualia non dico Matrem deorum, ſed matrem qualiumcumque Senatorum, vel quorumlibet honeſtorum virorum, imo vero, qualia nec Matrem ipſorum ſcenicorum deceret audire. APOLLINARIBVS. *In laudem Apollinis & Mithræ. Et* ELEVSINIIS *In honorem ſcilicet Cereris, alij legunt:* Peluſiis *à Peluſio oppido Ægypti, in quo Iſis colebatur.* IMPVNITATEM PERIVRIORVM *Erant apud Gentiles aqua expiatrices periuriorum, vel ea prodentes. Sic Ariſtoteles libro de mirab. in Capadocia, Solinus in Sardinia, Plinius in Bithynia, Herodotus in Arcadia.* IN REGENERATIONE. *Quaſi modo geniti de lauacro regenerationis prodirent.* HOMICIDIO. *Sic Pauſanias de eo qui Pythonem Apollinis occiderat, de Theſeo, caſis Pallantis filiis. Alex. ab Alex.* Si quis nece aliqua pollutus fuiſſet, bis ſeptem vicibus inundationibuſque veſtes abluebat aqua; his pigmentis ab immunditia immaculari arbitratus. *Septenarius numerus ſacer Pythagoræ; quin & virgo, qui ſolus intra denarium concluſus, nec generatur à ſimili, nec generat ſimilem. Vt mirum non ſit, ſi purget crimina.* QVÆ POTIOR RELIGIO QVAM DEI VIVI. *Veram religionem penes Chriſtianos eſſe docuit. D.* Auguſtinus *to.* 1. *libro de vera Religione cap.* 5. Quoquo modo, inquit, ſe habeat Philoſophorum iactantia, illud cuiuis intelligere facile eſt, Religionem ab eis non eſſe quærendam, qui eadem ſacra ſuſcipiebant cum populis, & de ſuorum deorum natura, ac ſummo bono, diuerſas contrariaſque ſententias in ſcholis ſuis, eadem teſte multitudine perſonabant. Quòd ſi hoc vnum tantùm vitium Chriſtianâ diſciplinâ ſanatum videremus, ineffabili laude prædicandum eſſe nemunem negare oporteret. Hæreſes namque tam innumerabiles à Regula Chriſtianitatis auerſæ, teſtes ſunt, non admitti ad communicanda Sacramenta, eos qui de Patre Deo, & ſapientia eius, & munere diuino, *Id eſt Spiritu ſancto, dono Dei, & ſancta Trinitate; quia baptiſma verum, in vera aqua, & nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & in vera intentione Eccleſia conferri debet*; Aliter ſentiunt, & hominibus perſuadere conantur, quàm veritas poſtulat. Sic enim creditur, & docetur, quod eſt humanæ ſalutis caput, non aliam eſſe Philoſophiam, id eſt ſapientiæ ſtudium, & aliam Religionem, cùm ij, quorum doctrinam non approbamus, nec Sacramenta noſtra cum communicant. Quod in illis minus mirandum eſt, qui eorum quoque Sacramentorum ritu diſpares eſſe voluerunt, ſicut neſcio qui ſerpentini, qui appellantur Manichæi, ſicut alij nonnulli. Sed in illis magis animaduertendum hoc magiſque prædicandum, qui paria Sacramenta celebrantes, tamen quia ſententia diſpares ſunt, & errores ſuos animoſius defendere, quàm cautius corrigere maluerunt, excluſi à Catholica communione, & à participatione quamuis parium Sacramentorum, propria vocabula, proprioſque conuentus, non in ſermone tantùm, ſed etiam in ſuperſtitione meruerunt, &c. *Excludis ergo vera religio omnem ab aquis ſuis luſtralibus, & expiatricibus ſuperſtitionem, & verè omnem maculam abluit, non tantùm eorum qui communi ſe* HOMICIDIO INFECERVNT. *Sed & qui ipſum Dei filium crucifixerunt. Aug tract. 1. in Ep. Io.* Sanguis Ieſu Chriſti filij eius purgabit nos ab omni delicto. Magnam, inquit, ſecuritatem dedit Deus. Meritò Paſcha celebramus, vbi fuſus eſt ſanguis Domini, quo purgamur ab omni delicto. Sumus ſecuri: cautionem contra nos diabolus ſeruitutis tenebat, ſed ſanguine Chriſti deleta eſt: Sanguis, inquit, filij eius purgabit nos ab omni delicto. Quid eſt ab omni delicto? Attendite, ecce iam in nomine Chriſti, per ſanguinem crucis Domini, quem nunc confeſſi ſunt iſti qui appellantur infantes, mundata ſunt omnia peccata ipſorum: veteres intrauerunt, & noui exierunt. IN AVSPICIA EMVNDATIONIS. *Alij legunt*, Auſpicij & mundationis. *Si gentiles nuda & ſimplici aqua materia, ſibi perſuadent, & bene auſpicantur, ominanturque fore omnia munda, facta luſtratione per aquam, & ſe per eam auſpicatos, & ſacros diis ſacerdotes; quanto magis, ſi Deus verus aqua materiam elegerit, & exeruerit ipſe natura author ad dignitatem Sacramenti &*

effectum gratiæ? SI RELIGIONE, &c. *Id. cultu superstitioso & prophano, &c.* ÆMVLANTIS. *Sic Iustinus in Apol. æmulum Dei diabolum notat.* Lauationem hanc cum audissent dæmones per Prophetam promulgatam, lauamini, mundi estote, &c. Vt ingressuri in delubra eorum, seipsos aquæ asperſione lustrarent, effecerunt: quin vt toto quoque corpore lauentur, &c. QVID SIMILE? 2. *Cor.* 6. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? IMMVNDVS. *Eccli.* 34. Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? APVD ÆMVLVM. *Diabolum scilicet, cui credunt res Dei imitanti, nec credunt vero Deo per aquam mundanti.* AQVIS INCVBANT. *Rellè, affectare dicit diabolum & malignum spiritum, Spiritum sanctũ, qui ab initio mundi, Gen.* 1. Ferebatur super aquas. *Vel ex alia versione.* Incubabat aquis SCIVNT OPACI, &c. *Dæmones aquis incubantes, Scholiastes Theocriti vocat* Aquaticos dæmones, Nymphas, dæmonia in forma fœminea. *Alij Naiadas, Nereidas, & Dryadas vocant. De lacu Arsenio & puteo ibidem Ammianus. Pausanias in Corinth. de Palude Alcionia. Plin. lib. 2. cap. 3. de tribus fontibus quos supra retuli, &c.* EVRIPI. *Sunt canales & ductus aquarum, in sublime salientium.* RAPERE DICVNTVR. *Sic Poëta narrant Hilam raptum à Nymphis.* APOPHICTOS. *Aliàs* Apophnictos *Ephesios, ab ἔνω. Id. urticis vel exulles. Alij* Enelles. LYMPHATOS. *Ibid.* Lymphaticus quod aquam timeat, quem Græci Hydrophobon vocant, propriè dicitur, qui vitium ex aqua contrahit: cuius vitium est. Huc atque illuc currere aut affluere, aquæ sumpto vitio. *Plin.* Magi tradunt Lymphatos sanguine talpæ aspersо resipiscere. *Orig.* 1. *Cont. Celsum:* Nomen IESV lymphatos sanat, dæmones exigit. *Id. abigit. Petrus Abbas Æthiopi in ritu baptizandi Abyssinorum, quem misit ad Paulum tertium, notat in benedictione fontis hæc inseri:* Ab ea fugiant omnes dæmones qui sunt in aqua. *Sic olim exorcismus fiebat super aquam baptismalem. Catoèm Tertul. tria dicta aqua maleficia pulchrè exponit dicens,* Apopnictos, quos aquæ necauerunt, Lymphatos quos amentia, Hydrophobos, quos formidine exercuerunt. ANGELVM DEI. *Miror Lacerdam hic vindicare Tertullianum quasi à magno errore, non vult enim eum intellexisse, per verum Angelum aquas reddi salutiferas homini. Quasi ignorasset Tertullianus quod tam expressè dicit hoc libro, aquas vim sanctificandi hausisse à Spiritu sancto, aut dubitet ministrum baptismi esse Episcopum vel Sacerdotem in solemni: quem scriptura Angelum Dei vocat. Verè enim & ad literam loquitur de Angelo bono, qui opponitur dæmoni, quem abigit aquis, quas immundus ille inficit. Hinc expressè dicit* Ne quis durius credat, *id. difficilius,* Angelum Dei sanctum, &c. Cùm Angelus malus, &c. *Confirmatur ex immediatè sequentibus.* Angelum aquis interuenire, si nouum videtur, exemplum futuri præcucurrit; piscinam Bethsaidam Angelus interueniens commouebat, &c. *Cùm autem de ministro Sacramenti loquitur, sic Angelum vocat, arbitrum baptismi, sub quo emundamur.*

3. *Aquæ elogia, petita ab origine antiqua, puritate, Spiritus sancti vehiculo, vsu Dei, &c.*
De Bapt. cap. 3. *per totum. &* 4. *in p.*

HVius memores pronuntiationis, tanquam præscriptionis, nihilominus quàm stultum, & impossibile sit aqua reformari, tractemus. quid vtique ista materia tantæ dignationis meruerit officium? vt opinor, auctoritas liquidi elementi exigenda est. Atquin plurima supperit, & quidem à primordio. Nam vnum ex his est, quæ ante omnem mundi suggestum, impolita adhuc specie, penes Deum quiescebant. a *In primordio (inquit) fecit Deus cælum, & terram. Terra autem erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, & spiritus Dei super aquas ferebatur.* Habes homo in primis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua substantia; dehinc dignationem, quòd diuini spiritus sedes, gratior scilicet ceteris tunc elementis. Nam & tenebræ totæ adhuc sine cultu siderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cœlum rude: solus liquor, semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subjiciebat. Quid quòd exinde dispositio mundi modulatribus quodammodo aquis Deo constitit. Nam vt firmamentum cœleste suspenderet in medietate, distinctis aquis fecit: & vt terram aridam suspenderet, segregatis aquis expediit. ordinato dehinc per elementa mundo, cùm incolæ darentur, primis aquis præceptum est animas proferre: primus liquor quod viueret edidit, ne mirum sit, in baptismo si aquæ animare mouerunt. Nam ipsius quoque hominis figulandi opus, sociantibus aquis absolutum est. de terra materia conuenit, non tamen habilis, nisi humecta, & succida, quam scilicet ante quartum diem segregatæ aquæ in stationem suam, superstite humore, limo temperarant. Si exinde vniuersa, vel plura prosequar, quæ de elementi istius auctoritate commemorem, quanta vis eius aut gratia! quot ingenia, quot officia, quantum instrumentum mundo ferat! vereor ne laudes aquæ potius, quàm baptismi rationes videar congregasse; licet eo plenius docerem non esse dubitandum, si materiam, quam in omnibus rebus & operibus suis Deus disposuit, etiam in Sacramentis propriis parere fecit: si quæ vitam terrenam gubernat, & in cœlesti procurat. Sed ea satis erit præcerpsisse, in quibus & ratio baptismi recognoscitur prima illa, quæ iam tunc etiam ipso habitu prænotabatur ad baptismi figuram, Dei Spiritum, qui ab initio superuectabatur, super aquas intinctorum moraturum. Sanctum autem, vtique super sanctum ferebatur, aut ab eo quod superferebatur, id quod ferebat, sanctitatem mutuabatur. Quoniam subiecta quæque materia, eius quæ desuper imminet, qualitatem rapiat necesse est, maximè corporalis spiritalem, & penetrare, & infide-

a Gen. 1. 1.
Gen. 1. 6. 7
Prouerb. 8. 28.
Isa. 40. 12.
CAP. IV.

re facilem, per ſubſtantiæ ſuæ ſubtilitatem. Ita de ſancto ſanctificata natura aquarum, & ipſa ſanctificare concepit.

AQVA. III. SCHOLIA.

MEMORES PRONVNTIATIONIS. *De aqua ſcilicet paulo ante ex Apoſtolo ſumpta & Euangelio. Qua, difficilia imo* Et impoſſibilia apud homines, poſſibilia apud, Deum *retulit Chriſtus Matth. 19. & Paulus Cor. 1.* Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus, &c. *Contra Quintillam exprobrantem ſimplicitatem aquæ, poſſet vti prædictis locis tanquam præſcriptione, vel ex eo aquam idoneam regenerationi, quod ſimplex ſubſtantia ſit, & ignobilis, quia Deus eligit ignobilia.* AVCTORITAS LIQVIDI, &c. *Tractanda eſt excellentia aquæ ex ſeipſa, & quam ab initio mundi habebat.* SVGGESTVM. *Id. ornatum mundi.* HABES HOMO, *&c. Eſt quod in aqua præ cæteris elementis ſuſpicias, primò quod non tantum cœuna cæteris, ſed præelecta omnibus, cui vt throno ſanctus Spiritus inſideret.* SPIRITVS DEI. *Sic legis apud 70. vnde alibi nuſquam Dominum in Geneſi dictum Dominum notat, niſi in formatione hominis. Notandum autem quod cùm hîc & capite 4. & 5. & 4. cont. Marc. c. 16. Perſonam Spiritus ſancti fuiſſe dicat, qui ferebatur ſuper aquas; ſcribens tamen contra Hermog. c. 32. probat ſpiritum illum fuiſſe ventum his verbis*: Non vt quidam putant, ipſum Deum ſignificari ſpiritum, quia Deus Spiritus: neque enim aquæ Dominum ſuſtinere ſufficerent; ſed ſpiritum dicit, de quo etiam venti conſtiterunt. *Calixtanus illum ſpiritum, putat fuiſſe Angelum, qui motum imprimebat & cuto. Ita & Procopius. Ægidius, Deum ab initio mouiſſe cœlum, & ſimul aquas. Valleſius ignem, cuius calore fœcundata ſit aqua. Nyſſ. Deum explicat eminentem, ſuper naturam Angelicam. Chryſoſt. vim quamdam vitalem inditam aquis. Teſtatus mentem Dei opificis conſiderantem materiam ſibi ſubiectam. Sic Aug. de Gen. ad lit. imperfect. c. 4.* Aquæ nomine ſignificatur materia ſubiecta operi artificis; aqua enim mobilior eſt quàm terra, &c. aqua ſubiecta ſpiritui ad habitandum, formaſque capiendas: ideo ſuper aquam ferebatur Spiritus Dei, vt ſpiritum operantem, aquam verò, vnde operaretur, intelligamus, id eſt materiam fabricabilem, &c. Item cauendum eſt ne quaſi ſpatiis, Dei ſpiritum ſuperferri materiæ putemus, ſed vi quadam effectoria & fabricatoria, vt illud cui ſuperfertur, efficiatur & fabricetur. Sicut ſuperfertur voluntas artificis ligno, &c. *Tertul. itaque ſic conciliari poteſt; vt hic myſticè, verè tamen de Spiritu ſancto loquatur; contra Hermogenem autem ad litteram de aëre & vento. Sic enim & ipſe Auguſtinus tres dat loco ſupra citato huius loci expoſitiones; primam de perſona Spiritus ſancti, 2. De vi quadam diuina operante generationem in aquis. 3. De ſpiritu elemento aëris.* GRATIOR. *Quærit Plutarchus aqua an dignior igne & eam præfert cum Pindaro. Vide aquæ elogia apud Ambr. & Baſil. in Hexa. Theod. ſer. 2. de pœnid.* ABYSSVS, *Certè non aquam intelligit, quam dicit latam, terram iuxta* 70. Inuiſibilem & incompoſitam, & imparatam *vocat per cœlum rude accipit aërem. Et cum omnibus elementis præferat aquam, reſtat vt ignem per abyſſum intelligat, quem multi Philoſophi ſubterraneum elementum putant. Vnde Clem. Alex. dixit Platonem terræ fundum, vel abyſſum, & Pythagorici teſte Ariſtotele, & Philolaus ex Plutarcho Iouis cuſtodiam igneam, in medio terræ ponunt. Quin & Tertul. ipſe Cont. Hermog. cap. 31. abyſſum ponit infra terram. Vnde & Hiero. in Pſal. 76.* Iſta eſt abyſſus ad quam dæmones poſtulant, ne mittantur à Ieſu. *Abyſſus autem quaſi ſine luce, & ignis inferni tenebroſus eſt.* MODVLATRICIBVS. *Plato certè ſingulis Spheris, Sirenas inſidere credidit; nota eſt muſica Pythagoræ, & concentus cœli Iob. Boëtius in elementis notat harmoniam. Pſaltes quidem*, Multitudo ſonitus aquarum. *Simpliciter modulatrices vocat, quia his mediis quaſi inſtrumentis ad omnem modum motumque flexibilibus, harmoniam mundi Deus contexuit.* FIRMAMENTVM COELESTE. *Aliqui iuxta Iob. 28.* Aquas appendit in menſura, *Aërem intelligunt. Auguſtinus tamen lib. 11. de Ciuit. c. 34.* S. Aug. Hi qui in nomine aquarum quæ ſuper cœlos ſunt, Angelos intelligi volunt, ponderibus elementorum mouentur, & ideo non putant aquarum fluidam grauémque naturam in ſuperioribus mundi locis potuiſſe conſtitui: qui ſecundum rationes ſuas, ſi ipſi hominem facere poſſent, non ei pituitam, quod Græcè Phlegma dicitur, & tanquam in elementis corporis noſtri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim ſedes eſt phlegmatis ſecundum Dei opus vtique aptiſſimè. ARIDAM SVSPENDERET. *Id traxit ex Prouerb. 8.* Quando appendebat fundamenta terræ. *Et Eſa. 40.* Quis appendit tribus digitis molem terræ. SEGREGATIS AQVIS. *Gen. 1.* Congregentur aquæ in locum vnũ. INCOLÆ. *Id. animalia producerentur.* PRIMIS AQVIS, &c. *Non quod terra prius animam vegetantem non produxerit in planis. Sed quia Moyſes vocauit tantum animas viuentes vita ſenſitiua.* SI AQVÆ ANIMARE, &c. *Vita ſcilicet gratia, quæ ex Paulo vita æterna eſt, vt ſit* Fons aquæ ſalientis in vitam æternam; *Jo. 4. aqua fontis baptiſmi; cùm & primus aqua liquor produxerit piſces & aues viuentes. Hinc ſcitè Hiero. ad Oceanum*, Primum de aquis quod viuit egreditur, & pennatos fideles de terra ad cœlum leuat. IN STATIONEM SVAM 70. *ſic efferunt* Congregata eſt aqua quæ ſub cœlo, in congregationes ſuas. *Stationem dixit; quod dixerit Mari*, Huc vſque venies, & non tranſibis, &c. *Et rurſum*, Terminum poſuiſti quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram. PARERE FECIT. *Id. apparere, vel Theologicè loquendo, per potentiam obedientialem qua omnia prima cauſa ſubiiciuntur, vt* Pareant *diuino nutui, aquam ad eſſe materiale remotum, ablutionem, autem aquæ elementaris ad eſſe materiale proximum Sacramenti Baptiſmi eleuanti.* IN COELESTI PROCVRAT. *Vt res humanas, non ſolum in temporalibus, ſed & cœleſtibus & æternis, Dei prouidentia per aquam procuret. Zeno ſer. 2. ad Neoph.* Cum omnium aquarum natura ſit talis, vt cum in profundum homines ſuſceperit viuos, euomat mortuos: aqua noſtra ſuſcipit mortuos & euomit viuos; ex animalibus veros homines factos, ex hominibus in Angelos tranſituros, ſi prouectus ætatis, eorum infantiam non mutauerit. *Id.* Si malitia non mutet intellectum, & non fiant inueterati dierum malorum. PRÆCESSISSE. *Præliquaſſe, præmiſiſſe.* HABITV PRÆNOTABATVR. *Præfigurabatur, futurum aliquando*, Intinctos *Id. Baptizatos ſanctificaturum in baptiſmi aquis eumdem ſpiritum qui in principio*, Ferebatur ſuper aquas. *Nos cum Rigaltio legimus* Super aquas intinctorum moraturum. *Pro eo quod in-*

Sunt alij, Intinctos reformaturum. *Quod perinde est; reformat enim gratia formam, macula peccati originalis deformatam, qua priuati nascimur; moratur autem idem Spiritus; tum quia*, Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. *Tum quia fons ille signatus est, & characterem imprimit indelebilem, in Sacramento illuminationis, & signaculo fidei*, Signatum super nos lumen personæ diuinæ, *Vt alibi transfert Tertullianus.* SANCTVM AVTEM, &c. *Numen scilicet Spiritus sancti, super sanctum elementum.* CORPORALIS SPIRITVALEM *Aqua elementaris Sanctificandi virtutem, à Spiritu prædominante, & Sanctificante hauriebat.* PENETRABILEM. *Propria est enim qualitas spiritus, penetratio.* SANCTIFICARE *Id. Sanctificandi virtutem.*

4. *Cum Aquis frequens Christus, in omni vita. De Bapt. cap. 9. in. m. ad. fin.*

1. Cor. 10. 4. Matth. 3. 16. Io. 2. 8. Io. 7. 37. Matth. 10. 42. Io. 4. 6. Matth. 14. 25. Io. 13. 4. Matth. 27. 24. Io. 19. 34.

HÆc est aqua, quæ de comite petra populo defluebat. Si enim petra Christus, sine dubio aquæ in Christo baptismum videmus benedici. Quanta aquæ gratia penes Deum & Christum eius est ad baptismi confirmationem! Numquam sine aqua Christus. Siquidem & ipse aquâ tinguitur. Prima rudimenta potestatis suæ, vocatus ad nuptias, aquâ auspicatur. Quum sermonem facit, sitientes ad aquam suam inuitat sempiternam. Quum de agape docet, aquæ calicem pauperi oblatum inter opera dilectionis probat. apud puteum vires resumit. super aquam incedit. libenter transfretat. aquam discentibus ministrat. perseuerat testimonium baptismi vsque ad passionem. quum deditur in crucem, aqua interuenit: sciunt Pilati manus. quum vulneratur, aqua de latere prorumpit: scit lancea militis.

AQVA. IV. SCHOLIA.

S. Aug.

COMITE PETRA. *Consequentem dicit Paulus* 1. *Cor.* 10. Bibebant de spiritali consequente eos petra, Petra autem erat Christus. *Quem locum licet Aug. ser.* 108. *de temp. sanguini Christi applicet,* Sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit; *De aqua tamen fidei, qua in baptismo infunditur, sic habet ser.* 93. *de temp. vbi percussionem petræ Christo Crucifixo applicat.* Hæc petra nisi percussa fuerit, aquas omnino non habet: percussa vero fontes producit & flumina, &c. percussus Christus in cruce noui testamenti fontes eduxit. NVMQVAM SINE AQVA. *Vt sicut ex Cyrill. Ierosol. in veteri testamento, nullum fœdus sine aqua, cum Noë post diluuium in Iride; cum Israële, in lana rubea hyssopo & aqua, cum Elia assumpto, sed prius transito Iordane. Sic Christus* Melioris testamenti mediator, IPSE AQVA TINGVITVR. *Baptizatus in Iordane.* PRIMA RVDIMENTA. *Io.* 2. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileæ. INVITAT. *Io.* 7. Si quis sitit veniat ad me, & bibat. AGAPE, *Id. conuiuio charitatis, quod pauperibus exhibendi docet Matth.* 10. Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli. Amen dico vobis non perdet mercedem suam. APVD PVTEVM *Io.* 4. Fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. SVPER AQVAM, &c. *Matth.* 14. Venit ad eos ambulans super mare. *Et iterum pro alia vice Io.* 6. Vidit Iesum ambulantẽ supra mare, AQVAM DISCENTIBVS. *Id. discipulis lauat pedes Io.* 13. Mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum. SCIVNT PILATI MANVS. *Matth.* 27. Lauit manus coram populo dicens, innocens ego sum à sanguine iusti huius. *Vide numero præcedenti scholia de aquis expiatricibus. Non hic præteribo quod Magister meus vtriusque iuris peritissimus Doctor, Emundus Merillius in suis notis ad Passionem Christi adnotauit, Pilatum non tam Iudæorum morem, cum Romanus esset, quàm Gentium obseruasse.* Mos enim erat antiquis quando cædem hominis vel alias maculationes fecerant, aqua lauare manus ad expiationem pollutionis, *ait scholiastes Sophoclis. Sic & Romani à Græcis accepta forma teste Dion. Halicarl. lib.* 7. *Orig. Seruio ad* 12. *Æneid. & Plin.* Magistratus & Sacrificaturi togam prætextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant. *Quin & Clem. Rom. lib.* 2. *cap.* 52. *scribit iudices mortis sententiam laturos manibus in Solem sublatis, et suas solitos innocentiam suam: & tunc probabile est manus abluisse, vt puriores in cœlum tollerent. Hæc Merillius.* SCIT LANCEA MILITIS *Io.* 19. Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit. *Idem author ex Suet. in Claudio, & Iosepho lib.* 3. *de bello Iudaïco cap.* 8. *Vespasianus habuit speculatores lancearios. Et ex Orig. tract.* 35. *in Matth. Id in Christo factum est more Romano, vt satellites, qui damnatis supplicium sumebant, Crucifixorum latus, lancea foderent, vel vt cisius morerentur, vel vt deprehenderent an essent mortui. Subdit probabile esse hunc militem fuisse Centurionem, qui iuxta Tacitum* 3. *Annal. renuntiare debuit mortem esse secutam, quod vt certo sciret, id lancea explorabat.* Nuntiante centurione, vt mos militiæ, factum esse quod imperasset.

5 *Aqua omnis per Spiritum sanctum ab initio sanctificata, baptismo destinata est. De Bapt. cap.* 4. *à p.*

NEmo dicat, Numquid ipsis enim aquis tinguimur, quæ tunc in primordio fuerunt? non vtique ipsis, nisi ex eâ parte, qua genus quidem vnum, species verò complures. Quod autem generi adtributum est, etiam in specie redundat. Ideoque nulla distinctio est, mari quis, an stagno, flumine, an fonte, lacu, an alueo diluatur. nec quicquam refert inter eos quos Ioannes in Iordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit. nisi & ille spado, quem Philippus inter vias fortuitâ aquâ tinxit, plus salutis, aut minus retulit. Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogatiua, Sacramentum sanctificationis consequuntur, inuocato Deo.

Superuenit enim ſtatim ſpiritus de cœlis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ, vim ſanctificandi combibunt. Quamquam ad ſimplicem actum competat ſimilitudo, vt quoniam vice ſordium delictis inquinamur, aquis abluamur.

AQVA. V. SCHOL.

NVMQVID IPSIS, &c. TINOVIMVR. *Non eſt quod obiiciat gratiæ baptiſmatis incredulus, nos non iiſdem aquis baptizari, quas initio mundi Spiritus ſanctus incubans, ſanctificauit. Cum omnis aqua elementaris ſit eſſentialiter aqua, & genus aquæ in omnes redundet ſpecies. De aqua baptiſmi, quam Spiritus ſanctus ab exordio mundi ſanctificauit, quam & Patres Graci vocant lumen, quòd lumen fidei per eam Deus infundat pellens tenebras infidelitatis, ſic ab eis ereptus gratias refert Trinitati Auguſtinus, cuius in nomine baptizantur omnes. Libro. 13. Confeſ. cap. 12.*

Aug. Procede, inquit, in confeſſione fides mea, dic Domino Deo tuo, Sancte, Sancte, Sancte Domine Deus meus, in nomine tuo baptizati ſumus, Pater & Fili & Spiritus ſancte, in nomine tuo baptizamus: Pater, & Fili & Spiritus ſancte: quia & apud nos in Chriſto ſuo fecit Deus cœlum, & terram, ſpiritales, & carnales Eccleſiæ ſuæ, & terra noſtra antequam acciperet formam doctrinæ inuiſibilis erat, & incompoſita: & ignorantiæ tenebris tegebamur, quoniam pro iniquitate erudiſti hominem, & iudicia tua abyſſus multa. Sed quia Spiritus tuus ſuperferebatur ſuper aquam, non reliquit miſeriam noſtram miſericordia tua, & dixiſti: fiat lux. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, pœnitentiam agite, fiat lux, & facta eſt lux. Et quoniam conturbata erat ad nos ipſos anima noſtra; commemorati ſumus tui Domine, de terra Iordanis, & de monte æquali tibi, ſed paruo propter nos: & diſplicuerunt nobis tenebræ noſtræ, & conuerſi ſumus ad te, & facta eſt lux. Et Ecce fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. IDEOQVE NVLLA DISTINCTIO &c. *Id. qualibet aqua modo ſit elementaris, apta eſt baptiſmo materia.* QVOS IOANNES, &c. *Non confert hic valorem baptiſmi Joannis, quod loco ſuo præparatorium tantum, non effectiuum gratiæ afferit, cum baptiſmo Chriſti, quod & Petrus Romæ conferebat. Sed aquam Iordanis & Tyberis æqualem eſſe materiam.* ILLE SPADO. *Act.* 8. Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum. QVEM PHILIPPVS *Non Apoſtolus, ſed Diaconus*, FVRTVITA AQVA TINXIT, *Baptizauit occurrente aqua in*

B *via. Act. 8.* Et dum irent per viam venerunt ad quamdam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? PRÆROGATIVA *Id. prima ſanctificatione per ſpiritum incubantem, & elementi elenatione, ad dignitatem Sacramenti* COMBIBVNT, *Hauriunt, accipiunt.* INVOCATO DEO. *Non tantum in benedictionem aquæ, ſed vi formæ, in qua ſanctiſſima Trinitas innocatur. Philippus bene ſpiritu coëtaneus S. Bernardi, lib. de ſilentio Cleric.* Miniſtrum videmus in fontem myſticum inſufflare, vt ſignet. Illi fonti viuificantem ſpiritum aduentare. SIMILITVDO *Hinc Naz. Orat. 40. Aquam baptiſmi vocat typicam. Et Nicetas in hunc locũ:* Vt corpus ab aqua, ſic anima à ſpiritu luſtratur: atque ita

C res in oculos cadens, rei inuiſibilis ſignum eſt. SIMPLICEM ACTVM. *Lauandi ſcilicet & purgandi aquæ propria eſt, vt ſit ſignum & proinde Sacramentum interna ablutionis.* VICE SORDIVM. *Delicta enim vicem gerunt ſordium.*

6. *Aqua baptiſmi figurata in mari rubro, & aquis dulceratis. De Bapt. cap. 9. inp. ad. m.*

QVot igitur patrocinia naturæ, quot priuilegia gratiæ, quot ſolemnia diſciplinæ, figuræ, præſtructiones, precationes, religionem aquæ ordinauerunt? Primò quidem quum populus de Ægypto expeditus, vim regis Ægypti per aquam transgreſſus euadit, ipſum regem cum totis copijs aqua extinxit. Quæ figura manifeſtior in baptiſmi ſacramento? Liberantur de ſeculo nationes, per aquam ſcilicet, & diabolum dominatorem priſtinum, in aqua oppreſſum derelinquunt. Item aqua de amaritudinis vitio, in vſum commodum ſuauitatis Moſei ligno remediatur. Lignum illud erat Chriſtus; venenatæ, & amaræ retrò naturæ venas, in ſaluberrimas aquas baptiſmi, ſcilicet ex ſeſe remedians. Exo. 14. 22. 27. Exo. 15. 26.

AQVA. VI. SCHOLIA.

PATROCINIA. *Natura enim tota conſpirat in laudes aquæ.* GRATIÆ *Quam ſignificat & confert cum charactere fidelis.* SOLEMNIA *Vt ſupra vidimus in diſciplina & moribus gentium.* FIGVRÆ *Quas ſubiicis de mari rubro, aqua Maraih, & de petra percuſſa, &c.* PRÆSTRVCTIONES. *Præparationes tam ex parte ſpiritus incubantis, & Chriſti attactu ſuo Jordanem ſanctificantis, quã benedictionis aquæ ſolemnis in Eccleſia, quibus aquæ religio præſtruitur & præparatur.* PRIMO QVIDEM. *Prima figura eſt in tranſitu maris rubri Exo. 14. de quo 1. Cor. 10.* Omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.

Aug. *Aug. ſer. 30. de temp.* Educitur per mare rubrum Chriſti ſanguine rubicundum, & quodammodo iam tunc myſterio conſecratum tanquam per baptiſmi Sacramentum, Pharaone ſubmerſo populus Dei eripitur. Et verè ita fit fratres, quando in ſalutari lauacro, tertiò Chriſtiani merguntur, tunc Ægyptij id. originalia peccata, vel actualia crimina quaſi in mari rubrò ſepeliuntur; & filius Iſraël pertranſeuntibus ad Dei ſeruitium ſola patiuntur peccata naufragium. Et ne aliquis dubitet, & putet non omnia peccata ſopiri per baptiſmum; agnoſcat & intelligat, quia quomodo nullus remanſit Ægyptiorum, ſic nihil remanet penitus peccatorum. LIGNO REMEDIATVR. *Exo.* 15. Cum miſiſſet lignum in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. *Aug. ſer. 91. de temp. ex profeſſo id tractat: vbi cùm oſtenaiſſet amaritudinem legis Circumciſionis, quam bibere non poterat Chriſtianus, indulcatam probat à* S. Aug. *Chriſto aquam baptiſmi ſubſtituente ſanguini circumciſionis, cùm ipſe ſit lignum vitæ. &c. Prou. 3. & concludit,* Hæc ſciens Paulus Apoſtolus dicebat 2. Cor. 3. quia litera occidit. Hoc eſt apertè dicere, quia

aqua amara occidit, si non per spiritum in dulcedinem conuertatur. Lignum ergo in aquam mittitur, vt in dulcedinem commutetur. Verum est fratres. A tunc amaritudo ab aqua tollitur, quando crucis lignum baptismi Sacramento coniungitur.

7. Aqua materia baptismi simplex, Dei potentiam exaltat in effectu mirabili. V. Verbum Dei potentia num. 2.

8. In aqua baptismi, pisces iuxta Christum nascimur. De Bapt. cap. 1. in. m. ad fin.

NVper conuersata istic quædam de Caïana hæresi vipera, venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, in primis baptismum destruens. planè secundùm naturam: nam ferè viperæ, & alpides ipsiue reguli serpentes, arida & inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum ἰχθῦν nostrum Iesum Christum, in aqua nascimur. nec aliter quàm in aqua permanendo salui sumus. Ita Quintilla monstrosissima, cui nec integrè quidem docendi ius erat, optimè norat pisciculos necare, de aqua auferens. *Vide V. Baptismus.*

AQVA. VIII. SCHOLIA.

CONVERSATA ISTIC DE CAIANA HÆRESI. *Quintillam infra nominat, sectatricem Marcosiana hæresis, quam Caiani complexi sunt, tollentes aquam baptismi. Epiphanius enim notat Caianos discipulos fuisse Marcosij, seu Gnosticorum, qui ex Irenæo negabant baptismum fieri per visibiles Creaturas, vnde nec per aquam administrari posse credebant. Tertul. de præscript. vocat Caineos.* Erupit alia quoque hæresis, quæ dicitur Caineorum, & ipsi enim magnificabant Cain. *Ex Epiph.* Cain Patrem suum appellant. *Hiero. ep. 43. ad Oceanum*, consurgit mihi Caiana hæresis, atque olim emortua vipera contritum caput leuat, quod non ex parte, vt antea consueuerat, sed totum Christi subruit Sacramentum; dicit enim esse aliqua peccata, quæ Christus non possit purgare sanguine suo. *Aug. hæresi* 18. *meminit Caianæ hæresis, sed nil de baptismi materia refert.* S. Aug. SECVNDVM NATVRAM. *Probat viperas inaquosa sectari, vnde cum viperam Quintillam dixisset, eam aduersam aquæ baptismi rectè concludit. Sic Isid. ex Hiero.* Reguli, sicut scorpiones arentia quæque sectantur. NOS PISCICVLI SECVNDVM ἰχθῦν &c. *Id. iuxta Christum in Iordane baptizatum, renascimur.* NEC ALITER, &c. *Quam manendo in fide lauacri aqua, salui esse possumus. Piscem Christum dicit Aug. tractatu* 123. *in Io. ser. 28. de sanctis. Et 18. de Ciuit. c. 23. vbi notat primas literas Græcas capitales huius sententiæ*, Iesus Christus Dei filius saluator, *Simul iunctas facere* ἰχθῦς *in quo* Χριστὸν Θεοῦ υἱὸν σωτῆρα. *Et concludit post versus Sibyllæ Extrema are-*cēsior; In quo nomine mysticè intelligitur Christus, eo quod in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate viuus, hoc est sine peccato esse potuerit. *Et ser. 4. in festo SS. Petri & Pauli.* Est Christus piscis iste qui ad Tobiam ascendit de flumine viuus, cuius fecore per passionem assato, fugatus est diabolus, & per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, & illuminatus est mundus. *Et* D S. Aug. *Beda in cap. 21. Io.* Piscis assus, Christus est passus. Inde Clem. Alex. in Pedag volebat Christianos in annulis insculpere piscem, fortè ob memoriam Christi vel baptismi Sacramenti fidei: & Rabanus Maurus *lib. 2. in Matth. c. 7. in hac verba, si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? &c.* Piscis est fides inuisibilium, vel propter aquam baptismi, vel quia de inuisibilibus locis capitur: quod etiam B fides huius mundi fluctibus circumlatrata non frangitur, rectè pisci comparatur. Cui contrarium posuit serpentem, propter venena fallaciæ, quæ etiam primo homini malè suadendo præseminauit. *Dico ego ad rem meam propter arida loca, in quibus vipera, regulia, aspides, delectantur. Nec omittam sygillum summi Pontificis, esse* Annulum piscatoris. *Ea quod tradit Conradus Celtes Anno* 1267. *in stagno circa Haillum imperialem Suenia vrbem, captum Lucium piscem, cuius in branchiis sub cute repertus est annulus ex ære Cyprio, in quo scriptum erat Græcè,* Ego sum ille piscis huic stagno omnium primus impositus per mundi Rectoris Friderici II. manus die quinta Octobris. QVINTILLA MONSTROSISSIMA. *Benè hercle ex tribus venenosis bestiis chimæra noua compacta, viperâ, Regule, & aspide. Vel quod monstrosum baptisma faceret, cæteras ei cæremonias relinquens, aqua materia empta.* NEC INTEGRE. *Aly integrè, id. nondum corrupta hæresi, & adhuc fideli. Vel simpliciter* integrè *Id. absolutè, prorsus ex integro, in totum, Paulus docere prohibuit*, 1. *Cor.* 14. Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, &c. turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. *Aug. Hæresi* 27. Pepu- Aug. siani à loco quodam nominati sunt, quam ciuitatem desertam dicit Epiphanius. Hanc autem isti diuinum aliquid esse arbitrantes Ierusalem vocant: tantum dantes mulieribus principatum, vt sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintillæ & Priscillæ in eadem ciuitate Pepusa Christum specie fœminæ reuelatum: vnde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur, &c. Denique alij hanc Pepusam non esse ciuitatem, sed villam dicunt fuisse Montani, & prophetissarum eius Priscæ & Maximillæ, & quia ibi vixerunt, ideo locum meruisse appellari Ierusalem. *Notandum Quintillam factam postea Montani Prophetissam, cum eo mortuos baptizasse, & viuos rebaptizasse, referente Philastrio. Concedebat enim baptismum Montanus, licet in forma variaret, & ritui Ecclesiæ non seruaret. Inde factum est, quod cum ex Epiphanio Cataphryges, Priscilliani, & Quintilliani consentirent in fide & cæremoniis; vt Concilium Nicænum inserit rebaptizari, qui ex Cataphrygibus ad Ecclesiam redirent, ac per consequens eorum baptisma nullum erat.*

AQVILA.

Aquila pullos probat ad Solem. de An. cap. 8. V. Verbum. Inter Err. Tertul. Anima corpor. num. 2. à m.

ARS.

1. *Artem omnem, Idololatria, vel alteri peccato seruientem, abiiciat Christianus, absque praetextu vitæ, inde suis quærenda. De Idol. cap.* 11. *in fin. & 12. per totum, & 13. in p.*

NVlla ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid aut instruendis, aut formandis idolis administrat, carere poterit titulo idololatriæ: nisi si aliud omnino interpretemur idololatriam, quàm famulatum idolorum colendorum. Malè nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus, Non habeo quo viuam. Iam hîc enim plenius illi abruptæ propositioni respondebo, Serò dicitur. antè enim fuit deliberandum, ex similitudine prouidentissimi ædificis illius, qui priùs sumptus operis cum viribus suis supputat, ne, vbi ceperit, defectus, postea erubescat. Sed & nunc habes dicta Domini, & exempla adimentia tibi omnem causationem. Quid enim dicis? Egebo. Sed felices egenos Dominus appellat. Victum non habebo: Sed nolite, inquit, cogitare de victu. Et vestitus habemus exemplum, lilia. Substantia mihi opus erat: Atquin omnia vendenda sunt, & egentibus diuidenda. Sed filiis, & posteritati prouidendum: Nemo aratro manum imponens & retro spectans, aptus est operi. Sed conditionalis eram: [a] *Nemo duobus Dominis seruire potest.* [b] *Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, & Dominum sequaris* necesse est; id est, angustias & cruciatus tuos, vel corpus solum, quod in modum crucis est. Parentes, coniuges, liberi propter Deum relinquendi erunt. De artibus, & negotiationibus, & de professionibus, etiamliberorum, & parentum causâ dubitas? jam tunc demonstratum est nobis & pignera, & artificia, & negotia propter Dominum derelinquenda, cùm Iacobus, & Ioannes vocati à Domino, & patrem nauemq; derelinquunt. cùm Matthæus de teloneo suscitatur. cùm etiam sepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum quos Dominus allegit, Non habeo, dixit, quo viuam. Fides famem non timet. Scit etiam famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quanto magis victum? Quotusquisque hæc adimpleuit? Sed quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia. Sic tamen nobis de manuetudine & clementia Dei blandiamur, vt non vsque ad idololatriæ adfinitates necessitatibus largiamur. Sed omnem adflatum ejus vice pestis etiam de longinquo deuitemus, non in his tantùm quæ præmisimus, sed in vniuersa serie humanæ superstitionis, siue deis suis, siue defunctis, siue regibus mancipatæ, vt ad eosdem spiritus immundos pertinentis, modò per sacrificia & sacerdotia, modò per spectacula, & hoc genus, modò per festos dies.

Cap. xii.

Luc. 14. 28

Matt. 5. 3.
Matt. 6. 25
Ibid. 30.
Matth. 19. 21.
[a] Luc. 9. 62.
[b] Matt. 6. 24.
Matt. 16. 24.
Marc. 10. 29.
Matt. 4. 22
Matt. 9. 9
Matt. 8. 21.
Rom. 8. 35.
Luc. 18. 27
Marc. 10. 27.

Cap. xiii

ARS. I. SCHOLIA.

NVLLA ARS. *Quæ idola fabricare docet, templa & ædes extruere.* NVLLA PROFESSIO. *Mathematica, Astrologia: Ludimagisterij.* NVLLA NEGOTIATIO, *Quæ vacat vel tiuribus inquirendis, aut aliis idolorum ornamentis, &c.* INSTRVENDIS *Scilicet templis,* FORMANDIS *Idolis.* FAMVLATVM. *Propria vox iuxta Paulum* Idolorum seruitus. HVMANÆ EXHIBITIONIS. *Impiè nobis gratulamur, si pretextu, præstanda nobis aut nostris necessitatis humanæ victus & vestitus, arti illicitæ operam damus. Prater alibi dicenda ex Aug. in Psal.* 128. *Verbo idololatriæ participes. 6. Hæc breuiter accipe ex eodem to.* 3. *lib.* 2. *de Doct. Christiana cap.* 40. Doctrinæ, inquit, omnes Aug. Gentilium simulata & superstitiosa figmenta, grauesque sarcinas superuacanea laboris habent, *Ad quid enim vtile potest esse idolum magno cultoris labore confictum, quod ex Apostolo nihil est, & quo artifex viuens, sentiens, ratione vtens longe melior est?* Quæ vnusquisque nostrûm duce Christo de societate gentilium exiens, debet abominari atque deuitare. OBSIGNATAM *scilicet in baptismo, quo multo nobilius obsignamur, quàm Abraham Rom.* 4. signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio. SERO DICITVR, *supple quod premisit*: non habeo quo viuam. *Hoc dicendum erat ante baptismum.* ÆDIFICIS ILLIVS, *alludit ad Architectum de quo Christus, Luc.* 14. *qui* prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei. DEFECTVS. *Supple ædificij interrupti, erubescat. Alij legunt* defunctus, *id. cessans ab opere propter inopiam.* CAVSATIONEM, *id. excusationem & pretextum.* FELICES *Matth.* 5. Beati pauperes spiritu. NOLITE. *Matth.* 6. ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. VESTITVS. *Ibidem.* Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, &c. VENDENDA *Matth.* 19. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. ARATRO *Luc.* 9. nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno Dei. CONDITIONALIS. *dicitur, quod ea conditione munus tabularij, id. eius qui fides publicas, instrumenta publica conficit, & refert in tabulis, aliàs Tabellio dictus, quod ad munus aliud non aspiret. Non hoc vult hoc loco Tertul. sed simpliciter; seruum, & seruilem conditionem sonat, vnde alij legunt* operâ conditionalis eram. *id. operarius eram; operam meam locans, certis conditionibus. ad rem præsens, locauerum operam templo instruendo, vel formando Idolo. patet ex responsione Tertul. ex Matth.* 6. & 16. VEL CORPVS SOLVM. *magna crux animæ* corpus quod corrumpitur, aggrauans animam, *vel dum iuxta Paulum* caro crucifigitur cum vitiis & concupiscentiis. *vel vt Tertul. in Apol.* paratus est ad omne supplicium, ipse habitus orantis Christiani. *quia ex eod. Tertul.* orantes, passionem Christi modulamur, *dum in modum crucis brachia extem-*

A

B

dimus. PARENTES. *Matth.*10. nemo est qui reliquerit domum, aut fratres aut sorores, &c. DE ARTIBVS *&c. vide supra in p. Schol. in p.* PIGNERA. *alij legunt pignora. id est ea quæ charissima sunt, vt parentes & filij, quos reliquerunt Apostoli.* ARTIFICIA: *sicut Jacobus & Ioannes piscationem.* NEGOTIA *sicut Matthæus telonium.* SVSCITATVR. *Chrysol. serm. 29.* sedebat vtique qui stare non poterat, pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incuruus. *Suscitatum dixit quasi mortuum. Chrysol. ser. 28. in fin.* quod est dare vitam mortuo, hoc largiratem tribuere est auaro. *Et valde notabile est de S. Matthæo esse locutum, sicut & 29.* TARDVM FVIT. *quia tam cito voluit sequi, vt nec permiserit sepelire Patrem. Matth. 8.* sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. ALLEGIT *Apostolico Collegio vel discipulorum numero.* FIDES FAMEM, *&c. licet dixerit Salomon*, pauor paupertum egestas eorum. *non est quod timeas fidelis, credens se habere Patrem*, qui dat escam omni carni, &c. A *qui non modo cornos pascit, sed & Heliam & Paulum primum Eremitam, per cornes. qui passeres non obliuiscitur. Et quomodo justus famem timeat, cum* justus ex fide viuat, nec in solo pane, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, *cuius omnipotens sermo, sermo potestate plenus; potens est, non tantùm de lapidibus panes, sed & homines facere, quanto magis & pascere?* SCIT ETIAM: *respicit locum Apostoli Rom. 8. vbi inter cætera mortis genera recenset famem.* Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? DIFFICILIA *Luc.* 18. quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. ADFINITATES. *Confinia, proxima, pertinentia quoquomodo ad idololatriam.* SVPERSTITIONIS. *hanc extendit ad Deos, mortuos, & Reges: quia hæc tria genera personarum diuino cultu honorabantur à gentilibus, qui redundabat in dæmones.* SACRIFICIA, *Deos,* SPECTACVLA *defunctos, maximè in ludis gladiatoriis,* FESTOS DIES, *Reges respicit, vines enim Reges festis honorabant.* B

2. *Artes honestas ad victum colat Christianus; & non illicitis vacet, vt Idolificis. de Idol. cap. 8. à p. ad fin.*

Si ita necessitas exhibitionis obtenditur, habent & alias species, quæ sine exorbitatione disciplinæ, id est, sine idoli confictura opem victus præstent. Scit albarius tector & tecta farcire, & rectoria inducere, & cisternam liare, & cymatia distendere, & multa alia ornamenta præter simulacra parietibus incrispare. Scit & pictor, & marmorarius, & ærarius, & quicunque cælator, latitudines suas vtique multo faciliores. Nam qui signum describit, quanto facilius abacum linit? qui de tilia Martem exsculpit, quanto citius armarium compingit? Nulla ars non alterius artis, aut mater, aut propinqua est. Nihil alterius vacat. Tot sunt artium venæ, quot hominum concupiscentiæ. Sed de mercedibus & manuspretiis interest. Proinde interest & de labore. Minor merces frequentiore actu repensatur. Quot parietes signa desiderant? quot templa & ædes idolis ædificantur? Domus verò, & prætoria, & balnea, & insulæ quantæ? Soccus, & baxa quotidie deaurantur; Mercurius, & Serapis non quotidie. Sufficiat ad quæstum artificiorum. frequentior est omni superstitione luxuria & ambitio. Lances & scyphos facilius ambitio, quàm superstitio desiderabit. Coronas quoque magis luxuria, quàm solemnitas erogat. Cum igitur ad hæc artificiorum genera cohortemur, quæ idolum quidem, & quæ idolo competunt, non attingant, sint autem & hominibus communia sæpè quæ & idolis, hoc quoque cauere debemus, ne quid scientibus nobis ab aliquibus de manibus nostris in rem idolorum postuletur. Quod si concesserimus, & non remediis jam vsitatis egerimus, non puto nos à contagio idololatriæ vacare, quorum manus non ignorantium, in officio, vel in honore, & vsu dæmoniorum deprehenduntur.

ARS. II. SCHOLIA.

EXTENDITVR. *melius quàm* obtenditur, attenditur. *Necessitas enim exhibendi sibi & præstandi victus extenditur eousque, vt obiiciant aliqui se non posse vitam transigere, nisi labore manuum.* EXORBITATIONE. *violatione legis diuinæ & conscientiæ.* ALIAS SPECIES. *id. modos quærendi victus etiam in arte sua absque confectione Idolorum. Quibus artibus victus honestè & sine Dei offensa quærendus sit docet Aug. to. 3. lib. de opere Monach. cap. 13. vbi quærentibus qua arte & opere D. Paulus victitaret, sic respondet* quid, inquit, à me quærunt, vel quale opus faciebat, vel quando faciebat? Vnum scio, qui ia nec furta faciebat, nec effractor aut latro erat, nec auriga, aut Venator, aut histrio, aut turpilucrus: *multo minus simulacrorum artifex, quæ & in Athenienſibus reprehendit*, sed innocenter & honestè quæ apta sunt humanis vsibus operabatur, sicut sese habent opera fabrorum, structorum, sutorum, rusticorum, & his similia. Neque enim honestas ipsa reprehendit, quod reprehendit superbia eorum, qui vocari honesti amant, sed esse non amant. SCIT ALBARIVS. *qui calce alba tecta reficit, &* S. Aug. C *calce inducit.* TECTORIA INDVCERE, *id. tegere calce muros & dealbare, vel Cryptas intus calce obducere.* CISTERNAM LIARE, *id. linere, expolire, cæmento colligare, ne aqua pereffluant.* CYMATIA. *Hesychius vult esse prominentias in ædificio, quæ in modum vndæ sinuantur. vnde & Vestis Cymatilis dicta, quæ vndarum colorem refert.* INCRISPARE. *alij legunt incrustare. Cypr. ep. 2.* pretiosi marmoris crustis vestita domicilia. *Hiero. ad Heliod.* lacentis elementi terga crispentur. LATITVDINES SVAS. *supra dixerat.* Extenditur. *scit quilibet artifex ad quam multa, præter Idola, se extendat, & quam latè pateat cælandi & scalpendi opera multo facilior.* SIGNVM DESCRIBIT *Idolum delineat aut* D *scalpit.* ABACVM LINI. *mensa est, vel tabula, super quam vasa pretiosa exponuntur. Cicero 4. Tuscul. vel in qua Mathematici suas lineas ducunt ex Persio. Apuleius mensam vocat Pythagoricam. Alij structuram ex marmore polito ad sessionem aptam. Vitruuius sumit pro tabula quadrata, qua Epistylio supponitur, qua basis est columnæ.* NVLLA ARS. *affinitatem artium notat, vt qui scit sculpere & cælare, facilius faciat armarium*

marium aut ſellam. VARRO. *nil otioſum eſt in vna arte, quod alteri non poſſit inſeruire. Plato in politicis probat mutuum artium nexum.* VENÆ, *&c.* CONCVPISCENTIÆ. *quaſi dicat, ars qualibet fons eſt, & quinus homo ſimiliter eſt fons, & vtriuſque vena ſibi mutuò reſpondent, vt hominum concupiſcentiis & curioſitatibus diuerſis, ſatisfacere poſſint artium & artificum ingenia.* MAGNVPRETIIS INTERREST. *Vox Seneca, & Plinij, & Briſſonij, ſignificans mercedem condignam operæ manus opificis. hic inducit obijcientem artificem multum differre pretium armarij & Idoli. Et reſpondet,* PROINDE, *&c. longè laborioſior, & maioris temporis operam exigit.* REPENSATVR. *compenſatur, repetito ſæpius actu minoris laboris duplicata merces.* QVOT PARIETES *pauci & rarò, parietes Idola expetunt refici, ſemel enim ſculpta diu durant, templa item, cum multo plures domus quotidie fiant:* PRÆTORIA, *Ruſtica intelligit ob frequentiam & coniunctionem cum balneis. Eſt autem Pretorium pars illa villæ, quam habitat dominus agens ruri. Ex Columella villæ tres partes erant, Pretorium, ſiue villa Vrbana quam inhabitabat dominus: villa ruſtica in qua erat colonus: villa fructuaria, in qua condebantur fructus.* IVGERA *hic ſumuntur pro magnis domibus & Palatiis in Vrbe, vicos vndique habentibus. Ita Budæus, quo ſenſu Spartianus ſcribit. 335. Inſulas olim Romæ, igni conſumptas. Et Cicero pro M. Cælio dixit,* P. CLODII Inſulam A eſſe venalem. *Ita & Vlp. l. ſtipulationes non diuiduntur, ff. de verb. oblig. Durantus autem lib. 1. de Rit. Eccleſ. iuxta Cyril. & Hiero. dicit Eccleſias Inſulas, quod ab omnibus ædibus diſtincte & ſeparatæ eſſe debeant.* SVBVLA. *Calceamentum eſt Comicum Martiali. Suetonio autem in Vitellio de Meſſalina fœmineum elegans.* BAXA. *ſiue baxea ex Apuleio & Plauto, eſt calceus & crepida Philoſophorum.* FREQVENTIORES *&c. dicit plus lucri habere artifices ex occaſione ambitionis & luxuriæ hominum, quàm ratione ſuperſtitioſi cultus, & plures cyphos & lances, vaſaque pretioſa omniniis impendi, quàm Sacrificiis.* CORONAS EROGAT. *Corona non tantum Sacerdotibus & victimis, ſed multò frequentius conuiuis, & maximè Symposiarchis, hoc eſt menſæ Regibus, quos aly* modiperatores *dicunt, impendebantur.* EROGAT *id. conſumit, deſtruit. Neque enim tantum ſignificat idem quod tribuo & largior. Eccli. 31.* omni cura tua explicita recumbe, vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam. COHORTEMVR. *non quod incitet artifices, vt ſeruiant ambitioni & luxui, ſed quod ad minus det licentiam, ex his quæ communiter ſeruiunt, tam Idolis, quàm humano vſui.* NON IGNORANTIAM. *curandum monet, ne ſcientes aliquid petii ab artifice Idolis, aut Diis & dæmonibus impendendum, illud ipſe præſtet, aliàs reus eris Idololatriæ.*

B

3. *Artes elaborat & multiplicas hominum ambitio & concupiſcentia. Ibid.*

* ASTROLOGIA ET ASTROLOGI.

1. *Aſtrologia ſpecies eſt Idololatriæ, magiæ vicina, à diabolo ſuggeſta, cui ſanctorum Magorum pietas non ſuffragatur. de Idol. cap. 9. in p. ad m.*

ANimaduertimus inter artes, etiam profeſſiones quaſdam obnoxias idololatriæ. De Aſtrologis, ne loquendum quidem eſt. Sed quoniam quidam iſtis diebus prouocauit, defendens ſibi perſeuerantiam profeſſionis iſtius, paucis vtar. Non allego quod idola honoret, quorum nomina cœlo inſcripſit, quibus omnem Dei poteſtatem addixit: quod propterea homines non putant Deum requirendum, præſumentes ſtellarum nos immutabili arbitrio agi. vnum propono, Angelos eſſe illos deſertores Dei, amatores feminarum, proditores etiam huius curioſitatis, propterea quoque damnatos à Deo. O diuina ſententia, vſque ad terram pertinax, qui etiam ignorantes teſtimonium reddunt! Expelluntur Mathematici, ſicut angeli eorum. Vrbs & Italia interdicitur Mathematicis, ſicut cœlum angelis eorum. eadem pœna eſt exilij diſcipulis, & magiſtris. Sed [a] *Magi & Aſtrologi ab Oriente venerunt.* Scimus Magiæ, & Aſtrologiæ inter ſe ſocietatem. Primi igitur ſtellarum interpretes natum Chriſtum annuntiauerunt, primi munerauerunt. Hoc nomine Chriſtum (opinor) ſibi obligauerunt. Quid tum? Ideò nunc & Mathematicis patrocinabitur illorum Magorum religio? De Chriſto ſcilicet eſt matheſis hodie, ſtellam Chriſti, non Saturni, & Martis, & cujuſque ex eodem ordine mortuorum obſeruat & prædicat. At enim ſcientia iſta vſque ad Euangelium fuit conceſſa, vt Chriſto edito, nemo exinde natiuitatem alicujus de cœlo interpretetur. Nam & thus illud, & myrrham, & aurum ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quaſi clauſulam ſacrificationis & gloriæ ſecularis, quam Chriſtus erat adempturus.

[a] Matt. 2. 1. 2.

Matt. 2. 11.

ASTROLOGIA ET ASTROLOGI. I. SCHOLIA.

PROFESSIONES. *Differentia eſt inter artes & profeſſiones. Ars enim extenditur, ad manuales & intellectuales, profeſſio reſtringitur tantum ad ea quæ publicè docentur. Vt non tantum ſic artes mechanicas Idololatriæ ſeruientes reprobet, ſed & facultates literarias, fidei aduerſas.* DE ASTROLOGIS, *&c. clarum eſt, nec diſputandum. Tacerem de Aſtrologia, niſi quis nouiſſimè me prouocaſſet ad dicendum de ea, ſuſtinens ſe poſſe eam profiteri vt prius faciebat.* NOMINA CŒLO, *&c. dum Ioue, Martis, &c. Planetas & cœlos, nominibus inſcripſerunt. S. Aug. in pſal. 140.* Se-

C dent, inquit, & computant ſydera, interualla, curſus, volubilitates, ſtatus, motus intendunt, deſcribunt, coniiciunt. Docti magni videntur, totum hoc doctum & magnum, defenſio peccati eſt. Eris adulter, quia ſic habes Venerem: eris homicida, quia ſic habes Martem. Mars ergo homicida, non tu: Et Venus adultera, non tu, &c. Porro ipſe Mathematicus, qui tibi fabulas laqueorum tuorum etiam vendit, vt non vel gratuitam compares mortem. Emis enim mortem à Mathematico pretio, qui contempſiſti vitam gratis à Chriſto: ipſe enim

S. Aug.

Mathematicus ſi vxorem ſuam paulò petulantius viderit conuerſari, aut aliquos alienos improbè attendere, aut feneſtram crebrò repetere, nonne arripit, verberat, & dat diſciplinam in domo ſua? Reſpondeat illi vxor, ſi poteſt; Venerem cæde. Nonne & ille reſpondet, fatua, aliud eſt quod competit rectori, aliud quod profertur emptori. *Et in pſalm. 61. vbi agit de Mathematico conuerſo præſente.* Iſte, inquit, ex Chriſtiano & fideli, pœnitens redit, & territus poteſtate Domini, conuertitur ad miſericordiam Domini. Seductus enim ab inimico, cùm eſſet fidelis, diu Mathematicus fuit, ſeductus ſeducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus eſt contra Deum, qui dedit poteſtatem hominibus faciendi quod bonum eſt, & non faciendi quod malum eſt. *Hoc eſt, dedit liberum arbitrium in vtrumlibet flexibile.* Iſte dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus: & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars: Et iuſtum non faciebat Deus, ſed Iouis: & alia multa ſacrilega non parua. *Quibus & aſtra nominabat Deos, & Deo vero, & humanæ voluntati propria detrahebat.* Quàm multos eum putatis Chriſtianis nummos abſtuliſſe? Quàm multi ab illo emerunt mendacium, quibus dicebamus: filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? DEI POTESTATEM. *quia Deos vocant aſtra, his regi mundum, his quaſi fatis omnium etiam hominum motu & inexitabili neceſſitate bonos maloſue euentus pendere credunt, proindeque Deum fruſtra orari & coli, cum certa ſtent omnia lege.* AMATORES FŒMINARVM. *Error Tertul. excutiendus ſuo loco, quod appetitu fœminarum peccauerint.* PRODITORES, *detectores, & Doctores Aſtrologiæ, Iudiciaria curioſæ. Aug.*

S. Aug. non immeritò creditur cum Aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt, falſas & noxias opiniones de Aſtralibus, fatis, inſerere humanis mentibus atque firmare. AD TERRAM PERTINAX. *pertingens, & perueniens vſque ad terram, vt ſicut mundi rector abegit cælo Angelos malos, primos Aſtrologiæ, & per eam Idololatriæ Doctores, ſic terræ Principes Aſtrologos, & Mathematicos Roma & Italia abegerint, licet ignorantes judicium Dei, & tamen teſtimonium præſtant, & ſuffraganntur ſimili pœna diſcipulis indicta in terra quæ Magiſtris in cælo impoſita fuerat. Sic Suet. de Vitellio.* Nullis infenſior quàm vernaculis & Mathematicis, vt quiſque deferretur, inauditum capite puniebat. *Sic Valer. Max. authoritate Conſulum & Prætoris Edicto Chaldæi vrbe & Italia pulſi. Et Tacitus Senatuſconſulta contra Mathematicos & Magos facta recenſet. A ſacris Canonibus. Conciliorum & Pontificum decretis. Patribus omnibus, & Iuriſconſultis condemnantur.* SED MAGI. *Inducis obiicientem pietatem Magorum Chriſtum adorantium, prædicantium in Ieruſalem, muneribus colentium in Bethleem. De Magis, non iam ſtellarum, ſed Chriſti veræ lucis adoratoribus, deque ſtellis nil in Chriſtum, vel hominum libertatem valentibus, alibi dicturis, nunc ſufficiet fatum eierare; nec Magos, aut alios quoſcumque fato, ſed Dei gratiæ eiuſque bonæ voluntati, non hominum meritis, iuſtificationem adſcribere. Ita D. Aug. lib. 2. ad Bonifac. c. 6.* Fatum, inquit, qui affirmant, de ſyderum poſitione ad tempus quo concipitur quiſque, vel naſcitur, quas conſtellationes vocant, non ſolùm actus & euenta, verùmetiam ipſas noſtras voluntates pendere contendunt: Dei verò gratia, non ſolùm omnia ſydera, & omnes cœlos, verùm etiam omnes Angelos ſupergrediţur. Deinde fati aſſertores, & bona, & mala hominum, fato tribuunt: Deus autem, in malis hominum merita eorum debita retributione perſequitur: bona verò per indebitam gratiam miſericordi voluntate largitur: vtrumque faciens, non per ſtellarum temporale conſortium, ſed per ſuæ ſeueritatis, & bonitatis, æternum altumque conſilium. Neutrum ergo pertinere videmus ad fatum. SCIMVS, *&c. reſpondet ex eo quod Sancti illi Magi fuerint Aſtrologi, & ſtellarum interpretes, ſe non ignorare ſocietatem vtriuſque artis, & vix Aſtrologum non eſſe magia addictum. Vnde Naz. vtramque artem exprobrat Iuliano. Vnde ex Nicetæ Choniatæ in vita Manuelis. Hic Imperator damnauit Aſtronomos, qui verbo quidem Aſtrologia vacabant, opere autem Magiæ.* MATHESIS. *dictum Ironicè quaſi diceret, quaſi vero hodie dum contra Aſtrologos inuehor, de Chriſti Matheſi, diſciplina, doctrina, ſit ſermo. Et infert* STELLAM CHRISTI, *&c. ſupple. Aſtrologia ſanctorum Magorum obſeruat; non Martis aut Saturni, aut alicuius hominis mortalis, & mortui tranſcripti in aſtra, ſed Chriſti* ſecundi Adam de cœlo cœleſtis. *Alij ſic legunt:* de Chriſto ſcilicet eſt Matheſis hodie, ſtella Chriſti, &c. *Hoc ſenſu vt dicat, Matheſis obſeruat, & prædicat ſtellas non Chriſti, ſed Saturni, &c. quaſi dicat Matheſis, id eſt diſciplina, & maximè Aſtrologica, non eſt ex Chriſti doctrina, quia, nulla hodie ſtella eſt, quæ vocetur Chriſtus, aut Ieſus, ſed Saturnus, Mars, &c.* CONCESSA. *Non quidem diuina lege, cum ea interdicatur in Scriptura Leuit. 19.* Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos Ego Dominus Deus veſter. *Et 1. Reg. 27.* Saül abſtulit Magos & ariolos de terra *Iſa. 44.* Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum Irrita faciens ſigna diuinorum & Ariolos in furorem vertens. *Conceſſum igitur dicit hoc eſt apud Gentiles vt plurimum licitam, qua & Magi py, & Sancti in bonum vſum, & ad Chriſtum agnoſcendum vti poſſent.* VT CHRISTO EDITO, *vt poſt Chriſtum natum, & eius natalem ex ſtella cognitum, exhauſta ſit omnis Aſtrologia Iudiciaria, & fas non ſit deinceps vti hac ſcientia ad prædicenda ea, quæ liberas hominis actiones contingunt. A vanitate Aſtrologiæ, cui erat addictiſſimus Auguſtinus, abductum ſe bellè diſſeri: lib. 4. Confeſſ. cap. 3.* Illos, inquit, Planetarios, Aug. quos Mathematicos vocant, planè conſulere non deſiſtebam, quòd quaſi eis nullum eſſe ſacrificium, & nullæ preces ad aliquem ſpiritum, ob diuinationem dirigerentur, quod tamen Chriſtiana, & vera pietas conſequenter, repellit & damnat, &c. quam toram illi ſalubritatem interficere conantur, cùm dicunt: de cœlo tibi eſt inexitabilis cauſa peccandi, & Venus hoc facit, aut Saturnus, aut Mars, ſcilicet vt homo ſine culpa ſit, caro, & ſanguis, & ſuperba putredo: Culpandus ſit autem cœli ac ſyderum Creator & ordinator. *Dehinc in ludo literario ſe coronatum ab Agonotheta Præſide certaminis, olim famoſiſſimo Aſtrologo, ab hac arte deterritum narrat.* Erat, inquit, eo tempore vir ſagax, Medicinæ artis Aug. peritiſſimus, atque in ea nobiliſſimus, qui Proconſul manu ſua coronam illam Agoniſticam impoſuerat non ſano capiti meo, ſed non vt Medicus. Nam illius morbi tu ſanator: qui reſiſtis ſuperbis, humilibus autem das gratiam. Numquid tamen etiam per illum ſenem defuiſti mihi, aut deſtitiſti mederi animæ meæ? &c. Vbi cognouit ex colloquio meo libris Genethliacorum eſſe me deditum, benignè & paternè monuit, vt eos abiicerem, neque curam & operam rebus vtilibus neceſſariam, illi vanitati fruſtra impenderem. Dicens ita ſe illam didiciſſe, vt eius profeſſionem primis annis ætatis ſuæ deferre

voluisset, qua viram degeret, &c. Non ob aliam A causam se postea illis relictis Medicinam assecutum, nisi quòd eas falsissimas comperisset, & nollet vir grauis decipiendis hominibus victum quærere. *Libro autem 5. de Ciuit. à cap. 1. & seq. vsque ad 9. contra Astrologos scribit. Inter cetera cap. 5. cùm superius egisset cap. 3. contra quemdam figulum Mathematicum, Nigidium nomine, cui cùm obiiceretur; Iacob & Esaü, aliosque geminos, plerumque dissimiles moribus, causam refudit in diuersam positionem syderum; quod ostendit exemplo rotæ, in qua magno impetu circumacta, duo puncta quàm citò potuit notauit, quæ, cessante motu, longè à se dissita monstrauit: quo cælorum motus incomparabiliter veleciores, vno momento, omnem syderum positionem variare monstrauit: Pulchrè* Aug. *Augustinus cap. 5.* Quid, inquit, hic agit rota illa figuli, nisi vt homines luteum cor habentes in gyrum B mittantur, ne Mathematicorum vaniloquia conuincantur? Quid denique iidem ipsi quorum morbum eodem tempore grauior leuiorque apparebat amborum, medicinaliter inspiciens Hyppocrates, geminos suspicatus est? Nonne satis istos redarguunt, qui volunt syderibus dare, quod de corporum simili temperatione veniebat? *Deinde conuincit* Aug. *Mathematicos erroris:* Si, inquit, dispar nascendi mora mutauit horoscopum, & disparilitatem intulit cæteris rebus, cur illud in ægritudinibus mansit, quod habebat in temporis æqualitate conceptus? &c. Aug. *Deinde, quod maximi apud nobiles est momenti, honor primogeniture inter geminos:* quæro, inquit, si tanta distantia est temporis in natiuitate geminorum, vt per hanc oporteat eis constellationes C fieri diuersas, propter diuersum horoscopum, & ob hoc diuersos omnino cardines; vbi tanta vis disponitur, vt hinc etiam diuersa sint fata: vnde hoc accidere, potuit, cum eorum conceptus diuersum tempus habere non possit? &c. Nam si vnum momentum, quo ambo concepti sunt, non impediuit, vt alter prior, alter posterior nasceretur: cur vno momento, si duo nascuntur, impediat aliquid, vt alter prior, alter posterior moriatur? &c. Aut si propterea mutantur fata geminorum, quia temporibus diuersis nascuntur; cur non potius intelligamus iam fuisse mutata, vt diuersis temporibus nascerentur? Itane non mutat fata natiuitatis voluntas viuentium, cùm mutet fata conceptionis ordo nascentium? *Eandem vanitatem inculcat, cap. 6. de sexu diuerso geminorum in eodem instanti conceptorum.* S. Aug. Quanquam, inquit, & in ipsis geminorum conceptibus, vbi certè amborum eadem momenta sunt temporum, sæpè fit, vt sub eadem constellatione fatali, alter concipiatur masculus, altera fœmina. Nouimus geminos diuersi sexus; amboadhuc viuunt, ambo ætate vigent adhuc. Quorum cùm sint inter se similes corporum species, quantum in diuerso sexu potest, instituto tamen & proposito vitæ ita sunt dispares, vt præter actus quos necesse est à virilibus distare fœmineos, ille in officio comitis militat, & à domo sua semper peregrinatur: illa de solo patrio, & de rure proprio non recedit. Insuper quod est incredibilius, si astralia fata credantur; non autem mirum, si voluntates hominum, & Dei munera cogitentur: Ille coniugatus, illa virgo sacra est: ille numerosam prolem genuit, illa nec nupsit. *Et cæt.* Quid tam ad corpus pertinens, quàm corporis sexûs? Et tamen sub eadem positione syderum, diuersi sexus gemini concipi potuerunt. Vnde quid insipientius dici aut credi potest, quàm syderum positionem, quæ ad horam conceptionis eadem ambobus fuit, facere non potuisse, vt cum quo habebat eandem constellationem, sexum diuersum à fratre non haberet: & positionem syderum, quæ fuit ad horam nascentium, facere potuisse, vt ab eo tam multum virginali sanctitate distaret? CLAVSVLAM. *vel quod Christus finem imponat Idololatriæ, recipiens munera sibi vt Deo, vt Regi, vt mortali debita, quæ amplius nollet offerri Diis mortalibus: vel quod ipsi Christi pedibus cum suis muneribus, omnem gloriam regni secularis abiicientes, omni deinceps Astrologiæ, & Pompæ seculari renunciarent, vt Christi humilitatem verbo & exemplo prædicarent; vel magis ad rem & Emphasim Textus, Christus adempturus erat in morte omnem gloriam Idolorum, & Regum, qui vel thure, vel auro, vel myrrha vnctis corporibus incorruptibilitatem, & immortalitatem mentiebantur, dum* Rex Regum & Dominus Dominantium *post mortem agnitus est, qui natus in Magis* abstulit fortitudinem Damasci & spolia Samariæ.

2. *Astrologi Iudiciarij, maximè Marcionitæ illuduntur. 1. cont. Marc. cap. 18. v. Verbum. Marcionis Deus. num. 9.*

3. *Astrologos Romani de Cæsaris capite [illegible], alunt; Christiani nec in sua causa, vtpote quos Discipulos dæmonum credunt. Apol. cap. 35. in f.*

EAdem officia dependunt & qui astrologos, & aruspices, & augures, & magos de Cæsarum capite consultant; quas artes vt ab angelis desertoribus proditas, & à Deo interdictas, ne suis quidem causis adhibent Christiani. Cui autem opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi à quo aliquid aduersus illam cogitatur, vel optatur? aut post illam speratur, & sustinetur? non enim ea mente de caris consulitur, qua de dominis. aliter curiosa est solicitudo sanguinis, aliter seruitutis

ASTROLOGI. III. SCHOLIA.

EADEM OFFICIA. *Contextus est & continuatio* D *conspirationum & factionum contra Principes, à quibus alienos probat Christianos; qui non iam de vita Imperatorum consulebant Augures, sed nec in propriis causis, negotiis, morbis, &c. tum quod artes huiusmodi diaboli inuenta essent, tum quod à Deo essent prohibita.* ARVSPICES. *dicti à victimis in Ara inspiciendis, vt futura prædicerent. Dicti sunt & arioli. præsertim cor, sed maximè iecur attendebant. vnde ex Aug. lib. 2. de Ciuit. c. 24. Posthumius Aruspex inuento iecore vituli corona aurea insignito, Sylla edendum apposuit in signum victoriæ. Hoc loco multa congerit auspicia data Sylla, vbi inter cætera.* Cum primùm, inquit, ad S. Aug. vrbem contra Marium castra mouisset, adeo læta extra immolanti fuisse scribit Liuius, vt custodiri se Posthumius aruspex voluerit, capitis supplicium subiturus, nisi ea quæ in animo Sylla haberet, Diis iuuantibus impleuisset. Ecce non discesserant ady-

tis ariſque relictis Dij, quando de rerum euentu prædicebant, nihilque de ipſius Syllæ correctione curabant. Promittebant præſagiendo fœlicitatem magnam, nec malam cupiditatem minando frangebant, &c. non clamauit ille *Aruſpex* ab ſceleribus parce Sylla, quæ ille victor tam horrenda confmiſit, cui corona aurea ipſius victoriæ illuſtriſſimum ſignum in vitulino jecore apparuit. qualia ſigna ſi Dij iuſti dare ſolerent, ac non dæmones impij profecto illis extis, nefaria potius atque ipſi Syllæ grauiter noxia mala futura monſtrarent *Horum pœna Aruſpicum, fuit ignis, aut gladius: l. 3. & l. nemo C. de malef. & Mathem.* AVGVRES *ab auium garritu dicti. Trifariam auguria ſumebantur ab auibus, à volatu, cantu, eſu. Augures, maleficorum appellatione contineri ſanxit Conſtantius, eos conſuli prohibens. Lnemo 5. C. de malef. & mathem. Idque ſublata Romuli lege, iubentis ne quid inaugurato fieret. Scitu dignum quod habet Auguſtinus de contemptu Aruſpicum*

S. Aug. *lib. 4. Confeſſ. cap. 2.* Recolo, inquit, cum mihi theatrici carminis certamen inire placuiſſet, mandaſſe mihi neſcio quem Aruſpicem, quid ei dare mercedis vellem, vt vincerem. me autem fœda illa ſacramenta deteſtatum, & abominatum reſpondiſſe: nec ſi corona illa eſſet immortaliter aurea, muſcam pro victoria mea ſinerem necari. Necaturus enim erat ille in ſacrificiis ſuis animantia, & illis honoribus inuitaturus mihi ſuffragatura dæmonia videbatur. Sed hoc quoque malum, non ex tua charitate repudiaui, Deus cordis mei: non enim amare te noueram qui *vtpote Manichæus Secta*, niſi fulgores corporeos cogitare non noueram. Talibus enim figmentis ſuſpirans anima, nonne fornicatur abs te, & fidit in falſis, & paſcit ventos? Sed videlicet ſacrificari pro me nollem dæmonibus, quibus me illa ſuperſtitione ipſe ſacrificabam. Quid eſt enim aliud ventos paſcere, quàm ipſos paſcere, hoc eſt, errando eis eſſe voluptati atque deriſui. PERSCRVTARI. *tum extarimando & inteſtina animalium, tum à Magis & Aſtrologis occulta ſciſcitando, ſuper breui aut longa vita Imperatoris. Et probat id non poſſe quæri, niſi ab his qui vel malè cogitant, aut optant Principi; aut qui poſt eius mortem aliquid expectant, & differunt agere.* DE DOMINIS. *quia ſeruitus eſt oneroſa. Et cum de Amicis, & Conſanguineis ſollicitè aliquid inquiritur à Diuinis, id ex affectu vel timore laudabili procedit; ſecus cùm conſulitur Magus de vita Principis. Hinc Tacitus in Annal. puellam Seruiliam excuſat: quod pecuniam dediſſet Magis, quos conſuluerat de diſcrimine Patris.* acciderat ſanè pietate Seruiliæ; quæ charitate erga parentem, ſimul imprudentia ætatis, non tamen aliud conſuluerat quàm de incolumitate domus, & an placabilis Nero, an cognitio Senatus nihil atrox adferret.

ATHEI, ET ATHEISMVS.

1. *Atheiſmus eſt ſumma delicti. Apol. cap. 17. in m. ad fin.*

HÆc eſt ſumma delicti, nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt. Vultis ex operibus ipſius tot ac talibus quibus continemur, quibus ſuſtinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur? vultis ex animæ ipſius teſtimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis preſſa, licet inſtitutionibus prauis circumſcripta, licet libidinibus ac concupiſcentiis euigorata, licet falſis deis exancillata, cùm tamen reſipiſcit, vt ex crapula, vt ex ſomno, vt ex aliqua valetudine, & ſanitatem ſuam potitur, Deum nominat, hoc ſolo nomine, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus, &c, Quod Deus dederit, omnium vox eſt. judicem quoque conteſtatur illum, Deus videt, &c, Deo commendo, &c, Deus mihi reddet. ô teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ. denique pronuntians hæc, non ad capitolium, ſed ad cœlum reſpicit. nouit enim ſedem Dei viui. ab illo, & inde deſcendit.

ATHEI, ET ATHEISMVS. I. SCHOLIA.

SVMMA DELICTI *peccatum ſcilicet incredulitatis, & Atheiſmus ſummum peccatum eſt. & ex abundanti malitia contra lumen naturæ nolle Deum cognoſcere, quem tot conuicti rationibus & ſenſu communi omnium non poſſunt ignorare. Iure ſummam delicti Atheiſmum eſſe conuincit, quòd cùm impij quique de maximis etiam criminibus ſoleant gloriari, Atheiſmum exterius profiteri nullus audeat. De cæteris ſceleribus teſtis ſapiens dum ait:* lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis. *Cuius rei & figuram expreſſit Ioannes in Apoc. vbi deſcribit draconem cum ſeptem capitibus, id eſt ſeptem peccatis mortalibus, decem cornibus contra decem mandata erecta ſuperbia, & diadematibus quibus gloriantur & exultant in rebus peſſimis. De Atheiſmo autem ſic Pſalm. 13.* Dixit inſipiens in corde ſuo,

S. Aug. non eſt Deus. *in quem loc. Aug.* Nec, inquit, ipſi enim ſacrilegi & deteſtandi, quidam philoſophi, qui peruerſa & falſa de Deo ſentiunt, auſi ſunt dicere, non eſt Deus. Ideo ergo dixit, in corde ſuo: quia hoc nemo audet dicere, etiam ſi auſus fuerit cogitare *& ſequenti verſu*, corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in affectionibus ſuis. Id eſt dum amant hoc ſæculum, non amant Deum. Ipſæ ſunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & ſic exeœcant, vt poſſit etiam dicere imprudés in corde ſuo, non eſt Deus. Sicut enim non probauerunt Deum habere in notitia, dedit illos Deus in reprobum ſenſum. CONTINEMVR *vt mundo & cœlo ſuſtinemur, Dei prouidentiâ neceſſaria nobis ad ſuſtinendam vitam largiente.* OBLECTAMVR. *Seneca*, vſque ad delitias amamur. EXTERREMVR, *vt tonitruis, ventis, terræ motibus, & hiatibus vrbes ſæpè abſorbentibus, diluuiis, igniſpluuiis, monſtris, &c.* CARCERE CORPORIS. *Seneca* corpus hoc animæ pondus & pœna eſt, premente illo vrgetur, in vinculis eſt, niſi acceſſit Philoſophia, &c Animus in hoc triſti & obſcuro domicilio cluſus. INSTITVTIONIBVS, doctrinis variis & peregrinis abducta. EVIGORATA, *enervata, & fracta.* EXANGILLATA *ſeruientia dolorum mancipata. Aly legunt* exanculata. *id. confecta iugi falſorum Deorum famulatu.* VALETVDINE, *egra ſcilicet* PATITVR. *recipit. aly legunt* potitur RESIPISCIT. *Seneca* ſubducit interim ſe cuſtodiæ qua tenetur, & cœlo reficitur, &c. quoties poteſt, apertum petit. NATVRALITER CHRISTIANÆ. *Minucius Felix*

audio & vulgus, cum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quàm Deum dicunt; &, Deus magnus eſt; &, Deus verus eſt; &, ſi Deus dederit. Vulgi iſte naturalis eſt ſermo, an Chriſtiani confitentis oratio? *Et Tertul. de ſpectac.* nemo ignorat, quod vltro natura ſuggerit, Deum eſſe vniuerſitatis conditorem. *Et Theoph. Antioch.* vt ſi quis cernat nauem ſuis armamentis inſtructam ſulcare mare, & in portum appellere, certè credit aliquem à quo gubernatur in ea eſſe gubernatorem. ſic certè, &c. NON AD CAPITOLIVM. *qui Deum atteſtatur, non Capitolij arcem, ſed cœlum inſpicit quod Dei ſedem profitetur. Matth. 5.* dico vobis non iurare omnino neque per cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius. INDE DESCENDIT *anima ſcilicet à Deo creata, cui cœleſtis origo eſt, & ſubſtantia incorruptibilis.*

2. *Athei & libertini non credentes Chriſtum, iudicium, ignem æternum, dæmonibus ſunt peiores. Apol. cap. 23. in fi.*

OMnis hæc noſtra in illos dominatio & poteſtas, de nominatione Chriſti valet, & de commemoratione eorum quæ ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum imminentia expectant. Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto, ſubjiciuntur ſeruis Dei & Chriſti. ita de contactu, deque afflatu noſtro, contemplatione & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes. Credite illis cùm verum de ſe loquuntur, qui mentientibus creditis. nemo ad ſuum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. magis fides proxima eſt aduerſus ſemetipſos confitentes, quàm pro ſemetipſis negantes. Hæc denique teſtimonia deorum veſtrorum Chriſtianos facere conſuetunt, quia plurimum illis credendo, in Chriſto domino credimus. ipſi literarum noſtrarum fidem accendunt. ipſi ſpei noſtræ fidentiam ædificant. colitis illos, quod ſciam, etiam de ſanguine Chriſtianorum. nollent itaque vos, tam fructuoſos, tam officioſos ſibi amittere, vel ne à vobis quandoque an Chriſtanis fugentur, ſi illis ſub Chriſtiano, volente vobis veritatem probare, mentiri liceret.

ATHEI. II. SCHOLIA.

DOMINATIO *agit de dæmonibus, quibus fideles imperabant, non vt Magi innocatione ſortilega, ſed poteſtate abſoluta à Chriſto omnipotente data, ſuper eum, de quo Iob*; non eſt poteſtas, quæ comparetur ei ſuper terram, qui factus eſt, vt nullum timeret. *Et cum de eodem dicat*, quis reuelabit faciem indumenti eius, *multicoloris ſcilicet ob varietatem technarum:* & portas vultus eius quis aperiet? *propter varias transfigurationes eius*, cui nomina mille, mille nocendi artes; *Eas tamen detegit Chriſtianus.* Illudit & quaſi aui, quem ligat Deus ancillis ſuis. *cum tenera Virgines ancillæ Chriſti accepto robore ab eo, qui* fortior ſuperueniens forti, omnia eius arma diripuit. *vt Martha, vt Margareta, tacitis mille aliis*, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulant, & conculcant leonem & draconem. *Pulchrè Tertul. lib. de Anima*, nec inuitatoria operatione *ſicut Magi*, ſed expugnatoria dominatione tractamus multiformem lucem mentis humanæ. [redacted]MINATIONE CHRISTI. *ſic enim promiſerat*, ſigna eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eiicient. COMMEMORATIONE. *ſolis autem exeunt minis & memoria, ignis inferni, & confuſionis accipienda in iudicio, arbitro & iudice Chriſto, dicturo Matth. 25.* Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. *Infideles & Atheos dæmonibus eſſe peiores & increduliores probat hoc capite Tertullianus:* dæmones enim credunt & contremiſcunt. *Et quidem non aliter ſenſit Auguſtinus, qui & fidem ipſam ſine dilectione, fidem dæmonibus non imparem ſenſit, & peiores dæmonibus incredulos & Atheos.* Aug. *Sic enim tract. 10. in primam epiſt. Ioannis cap. 5.* Hoc eſt credere quod Ieſus Chriſtus eſt, quomodo credunt Chriſtiani, qui non ſolum nomine Chriſtiani ſunt, ſed factis & vita: non quomodo credunt dæmones, nam & dæmones credunt & contremiſcunt: ſic dixit ſcriptura. Quid potuerunt dæmones plus credere quam vt dicerent, Scimus, quis ſis, tu es filius Dei? quod dixerunt dæmones, hoc dixit & Petrus cùm Dominus quæreret, quis eſſet, quem illum dicerent homines? &c. Dicit Petrus, tu es Chriſtus filius Dei viui: dicunt & dæmones, Scimus quis ſis, tu es filius Dei viui, Sanctus Dei; hoc Petrus, hoc & dæmones: eadem verba, non idem animus. Et vnde conſtat? quia hoc Petrus cum dilectione dicebat, quia fides Chriſtiani cum dilectione eſt, dæmonis autem ſine dilectione, &c. Qui autem non credunt *ſicut Infideles & Athei* peiores ſunt quàm dæmones, & tardiores quàm dæmones. Neſcio quis non vult credere in Chriſtum; adhuc nec dæmones imitatur. Iam credit aliquis in Chriſto, ſed odit Chriſtum; habet confeſſionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: nam & illi puniri timebant. *Quod hic Auguſtinus de dæmonibus credentibus Chriſto & pœnam timentibus dixit, hoc Tertullianus de iiſdem in præſentia Chriſtianorum vi nominis Chriſti compulſis fidem Chriſti judicis teſtari dixit, & vterque infideles & Atheos, nec Deum, nec Chriſtum, nec Iudicium, nec infernum credentes dæmonibus eſſe peiores, apertè conuincit.* DEVM IN CHRISTO. *2. Cor. 5.* Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, *& rurſum ipſe Chriſtus Philippo*, neſcitis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? *timent autem dæmones Deum in Chriſto, quia* non duo, ſed vnus eſt Chriſtus, Deus homo. VOBIS PRÆSENTIBVS. *Vobis Gentilibus videntibus, erubeſcunt ſolo afflatu exſufflari tam potentes ventos. Cypr. ad Demetrianum.* Eiurantes & gementes, voce humana & poteſtate diuina, flagella & verbera ſentientes, venturum Iudicium confitentur. FIDES PLENA. *Minus dubia, ſed plena & certa adhiberi debet dæmonibus, confitentibus etiam præiudicio errorum quibus Gentiles ſeduxerunt, fidei firmitatem, circa Chriſtum Deum, eius Iudicium, cæteroſque articulos fidei Chriſtianæ; quàm, cum pro ſe & ſua parte eoſdem articulos negant.* ILLIS CREDENDO, &c. *cauſa ſunt, cur Deo credamus; teſtimonia enim illorum contra ſeipſos*, credibilia facta ſunt nimis. *Sic Ambr. de Iuda.* reus ſine excuſatione

Digitized by Google

est qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur, &c. omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia, suâ sententiâ condemnatur. LITERARVM NOSTRARVM. *Scriptura sacræ fidem illuminant, & sapè in Energumenis, Exorcismis coactis, locos difficiles explicant, veritatem fidei confirmant, & spem edificant.* Domus non manufactæ æternæ quam habemus in cœlis. DE SANGVINE. *Immolatis enim dæmonibus Christianos, qui dæmones & Deos vestros colere recusant.* NOLLENT ITAQVE, *&c. nisi cogerentur vi fidei nostræ, cui mentiri non licet ipsi diabolo, dum* sub Christiano volente vobis veritatem probare, cogitur confiteri; *non tot sibi & honori suo contraria diceret, nisi vera essent, exponeret enim se vestrorum ludibrio, & periculo vos amittendi; qui ipsis tam officiosi estis, vt non iam animalium, sed & hominum, & Christianorum sanguinem offeratis, tam fructuosi, vt nouos illis quotidie seruos, vi tormentorum, munerum, etiam & blandiciarum prolectamentis acquiratis.*

AVARITIA.

1. *Auaritia mercatorum Idololatriæ particeps. de Idol. cap. 11. in p. ad vltra m.*

a 1. Tim. 10. Ephes. 5 5. Matt. 5. 34

DE negotiationibus cetera delictorum recogitemus, in primis cupiditatem, a *radicem omnium malorum, qua quidam irretiti, circa fidem naufragium sunt passi:* quamuis & idololatria ab eodem Apostolo dicta sit cupiditas. Tum mendacium, cupiditatis ministrum. Taceo de perjurio, quando ne jurare quidem liceat. Negotiatio seruo Dei apta est? Ceterùm si cupiditas abscedat, quæ est causa adquirendi, cessante causa adquirendi, non erit necessitas negotiandi. Sit nunc aliqua justitia quæstus, secura de cupiditatis & mendacii obseruatione, in crimen offendere idololatriæ eam opinor, quæ ad ipsam idolorum animam & spiritum pertinet, quæ omne dæmonium saginat. Sanè, non illa principalis idololatria? Viderint si eædem merces. tura dico, & cetera peregrinitatis ad sacrificium idolorum, etiam hominib. ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ vsui sunt. Certè cùm pompæ, cùm sacerdotia, cùm sacrificia idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursibus negotiationibusve instruuntur, quid aliud quàm procurator idolorum demonstraris? Nemo contendat, posse hoc modo omnibus negotiationibus controuersiam fieri. Grauiora delicta quæque, pro magnitudine periculi diligentiam extendunt obseruationis, vt non ab his tantum abscedamus, sed & ab iis per quæ fiunt. Licet enim ab aliis fiat, non interest si per me. In nullo necessarius esse debeo alii, cùm facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere, intelligere debeo curandum mihi esse ne fiat per me. Denique in alia causa non leuioris reatus, præjudicium istud obseruo. Nam quod mihi de stupro interdictum sit, aliis ad eam rem nihil aut operæ aut conscientiæ exhibeo. Nam quod ipsam carnem meam à lupanaribus segregaui, agnosco me, neque lenocinium, neque id genus lucrum, alterius causa exercere posse. Sic & homicidij interdictio ostendit mihi lanistam quoque ab ecclesia arceri: nec per se non faciet quod faciendum aliis subministrat.

2. *Auaritiam Gentilium propriam, pudeat fideles exercere. v. verbum Eleemosyna, num. 4.*

AVARITIA. I. SCHOLIA.

DE NEGOTIATIONIBVS. *toto hoc capite probat negotiatores mercium quæ Idolorum cultui deseruiunt, quales sunt nundinatores, thuris, & huiusmodi rerum non esse immunes ab Idololatria culpa. alij legunt;* de generationibus si cætera, &c. *quæ antiquior est lectio. Et per generationes intelligit, propagines vitiorum, quæ inter se concatenata & connexa sunt.* Cupiditatem *iuxta Apostolum radicem, & matrem ponit, inde mendacium, eius filium & administrum, inde ex mendacio periurium. Tum probat negotiationem eo ipso quòd cupiditatis est filia, affinem esse Idololatriæ; cum ex Apostolo cupidi circa fidem naufragentur, vt & Idololatræ. Hunc locum Pauli 1. ad Tim. 6. sic*

S. Aug. *explicat Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 15.* Si, inquit, Auaritiam generalem intelligamus, qua quisque, appetit aliquid amplius quàm oportet, propter excellentiam suam, & quemdam propriæ rei amorem: cui sapienter nomen latina lingua indidit, cùm appellauit priuatum, quòd potius à detrimento quam ab incremento dictum elucet. Omnis enim priuatio minuit: vnde itaque vult eminere superbia, inde in angustias egestatemque contruditur cum ex communi ad proprium damnoso sui amore redigitur. Specialis est autem auaritia, quæ vsitatius appellatur amor pecuniæ, Cuius nomine

B Apostolus per speciem genus significans, vniuersalem auaritiam volebat intelligi dicendo: radix omnium malorum est auaritia. *De pretextu autem quærendi victus quo vtuntur negotiatores & mali artifices, quales hic taxat Tertullianus [illegible]atores Idolorum; sic tractat Augustinus in psal. 128.* Audent etiam, inquit, Aug. fœneratores dicere, Non habeo aliud vnde viuam. Hoc mihi & latro diceret, deprehensus in fauce: hoc & effractor diceret, deprehensus circa parietem alienum: hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad prostitutionem: hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam suam. *Adderet & Tertullianus, hoc & mihi diceret Idolorum artifex, vendens artem suam, &c.* Quicquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent vnde viuerent, quia inde se pascerent: quasi non hoc ipsum in illis maximè puniendum est, quia artem nequitiæ delegerunt vnde vitam transigant, & C inde se volunt pascere vnde offendant eum, à quo omnes pascuntur. *Tandem eumdem Pauli locum retexendo sic ab Auaritia deterret Serm. 205. de temp. in fine:* Auaritia, inquit, est velle esse diuitem, non iam Aug. esse diuitem. Ipsa est auaritia. Mergi non times in interitum & perditionem? Non times radicem omnium malorum auaritiam? De agro tuo extirpas

radicem ſpinarum, & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum? purgas agrum tuũ vnde fructum capiat venter tuus, & non purgas cor tuum, vbi habitet Deus tuus. *Quin & ipſa auaritia à Paulo dicitur* Idolorum ſeruitus. RADICEM OMNIVM. *D. Tho. in 1. Tim. 6.* loquitur de cupiditate ſecundum quod eſt ſpeciale peccatum, ſcilicet inordinatus amor habendi diuitias. Vnde dicit, qui volunt diuites fieri, &c. Et ideo dico quod Auaritia eſt radix omnium. Omnia enim peccata conſiſtunt in appetitu, & ideo origo peccatorum, eſt ſecundum originem appetibilium. Origo enim appetibilium procedit ex fine. Et ideo quantò aliquod peccatum habet finem magis deſiderabilem, tantò eſt peius. Finis autem alicuius peccati eſt deſiderabilis propter duo; ſcilicet propter ſeipſum: & hæc eſt excellentia: quia ad hoc homo vult illud bonum, vt excellat. Et hæc eſt ſuperbia: & ideo ſuperbia eſt initium omnium peccatorum. *Addam & ego inde Paulum ſubiicere, diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere.* Item propter aliud, & hoc eſt, quod ad omnia valet; & huiuſmodi ſunt diuitiæ, quia per hoc credunt ſe habere omnia. Ex iſta parte Auaritia eſt radix omnium malorum. *Hucuſque D. Thomas.* QVA QVIDAM IRRETITI. *Apud Paulum* appetentes. *D. Thomas ibidem*, dicit appetentes: quia quantò magis habentur diuitiæ, tantò magis deſiderantur. Eccl. 5. Auarus non implebitur pecunia. Et incidit in damnum ſpirituale. Vnde dicit, Errauerunt à fide. Cuius ratio eſt, quia per ſanam doctrinam fidei prohibentur multa illicita lucra, à quibus deſiſtere nolunt: & inueniunt ſibi aliam doctrinam, vbi eis ſit ſpes ſalutis, & hoc ſpecialiter faciunt vſurarij. 2. quia inſeruerunt ſe doloribus multis, etiam in præſenti: quia ſollicitudo in acquirendo, timor in poſſidendo, dolor in amittendo. Iob. 20. cum ſatiatus fuerit diuitiis arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor inueniet eum, &c. Et multo magis in futuro. IDOLOLATRIA. *Epheſ. 5.* eſt Idolorum ſeruitus: *D. Thom. ibid.* nota quod vocat hic auaritiam Idololatriam: quoniam Idololatria eſt, quando honor ſoli Deo debitus, impenditur creaturæ. Nunc autẽ Deo dupliciter debetur, ſcil. vt in eo finem noſtrum conſtituamus: & vt in eo fiduciam noſtram finaliter ponamus. Ergo qui hoc in creaturis ponit, reus eſt Idololatriæ. Hoc autem fecit Auarus, &c. Oſeæ 8. argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi Idola vt interirent & hoc, quia vt dicitur Prouerb. 11. qui confidit in diuitiis ſuis corruet. Sed cum in aliis peccatis ponat homo finem ſuum in creatura cui amore inhæret: quare etiam in illis non dicitur peccator Idololatra? Reſpondeo Idololatrare eſt aliquid exterius *vel interius* indebitè colere: Nunc autem in aliis peccatis ponitur finis in interioribus, quaſi in propria exaltatione. Sed qui ponit finem in diuitiis ponit in eis finem vt in re exteriori: ſicut Idololatra. Sed numquid auari honorem Deo debitum, exhibentes creaturæ realiter ſunt Idololatræ, & per ſe? Dico quod non: quia in moralibus, actus, ſeu opera iudicantur ex fine: Ille ergo per ſe eſt Idololatra, qui intendit per ſe cultum exhibere creaturæ. Hoc autem non intendit auarus per ſe, ſed per accidens hoc facit, in quantum ſuperfluè & inordinatè diligit. IVRARE *Matth. 5.* dico vobis non iurare omnino. SERVO DEI. *vt opponat ſeruitutem Idolorum, cui conſinis eſt negotiatio rerum ad cultum Idolorum pertinentium: dedecere ſeruitutem Dei.* SIT HVNC. *ſit aliquis iuſtus quæſtus, in quantum alienus à cupiditate, & mendacio; ſed iuſtus ille non erit, qui propriè verſatur circa cultum Idolorum* SAGINAT. *nidor ſcilicet & fumus incenſi quaſi Anima, & ſpiritus eſt Idololatriæ, quo ſpiritus dæmonum maximè delectantur.* VIDERINT, *&c. quaſi diceret ne obtendat mercator thuris & huiuſmodi rerum, eas bonis vſibus interdum applicari ad pigmenta, id. confectiones ex diuerſis ſpecibus ſuaueolentibus, vnde & dicti pigmentarij; ad medicinam, vngendaque cadauera inſeruire. Non enim inde minus procurat Idolis, qui tot periculis & incommodis hæc de longè afferat, quæ exhibeantur Idolis.* CÆTERA PEREGRINITATIS. *id. alia odoramenta ex Arabia, & peregrinis Regionibus conquiſita. Vel pigmenta intelligit, vt Ceruſſam & alia id genus fuci, quibus mulieres candorem, aut ruborem peregrinum adſtruunt, quæ omnia verè ſunt peregrina & aliena à fidelibus, & Idololatriam ſapiunt, quæ inxta Bernardum mulieres ſe exhibent* quaſi Idolum hominibus adorandum. *Et Pſaltes inuehitur pſal. 143.* Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi: *id. vt ſimilitudines & Idola Deorum ſculpta & picta.* POMPA *teſte Valla eſt apparatus ſolemnis cum oſtentatione ſiue in triumpho, ſiue in nuptiis, ſiue in exequiis, ſiue in ſacris:* NEMO CONTENDAT, *nemo exiſtimet me omnes negotiationes condemnare, quaſi vetitas: ſed hoc dico, quia maiora quæque crimina augent diligentiam, & cautionem ratione periculi, vt non tantum ab illis caueamus, ſed etiam à mediis, quibus ad ea patranda peruenitur. Nec enim prohibeor tantum ego ipſe thus idolis adolere, ſed & vendere quod alij offerant.* IN ALIA CAVSA. *Exemplum ponit de ſtupro & homicidio, quæ non ſolum vetantur, ſed & media ipſa quibus ea committuntur.* LANISTAM. *Magiſter eſt gladiatorum, qui docet artem gladiatoriam. Ammianus carpit ſingularem Ludimagiſtrum & gladiatorum prefectum.* Paulus peritus artium cruentarum, vt Laniſta ex commercijs Libitinæ vel ludij. *Et Cypr. Ep. ad Donatum:* homo occiditur in hominis voluptatem, & vt quis poſſit occidere, peritia eſt, vſus eſt, ars eſt: ſcelus non tantum geritur, ſed & docetur. Quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? Diſciplina eſt, vt perimere quis poſſit? & gloria eſt quod perimit? AB ECCLESIA ARCERI. *ſic Tertul. in Apol.* à communicatione orationis, & conuentus, & omnis Sancti commercij relegetur. *Et quidem ſi omnis homicida Excommunicationi ſubiacet, quid, inquit, Laniſta, qui alios inſtruit ad patranda homicidia? tot homicidiorum reus per ſe qui artem docet & ſubminiſtrat aliis, quã homicidia perpetrent.*

AVRVM.

1. *Aurum & argentum conſanguineum ferro, neceſſitate operis vilius, pœna Martyrum, & rerum, vaſis ſparcis ſeruit, vt ornamentis. 1. de cult. fœm. cap. 5. per totum.*

AVrum & argentum principes materiæ cultus ſecularis aſſint neceſſe eſt, vnde ſunt: Terra ſcilicet planè glorioſior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis pœnali opere deplorata nomen terræ in igni reliquit, atque exinde de tormentis in orna-

menta, de ſuppliciis in delicias, de ignominiis in honores, metalli refuga mutatur. Sed & ferri, & æris, & aliarum viliſſimarum materiarum par conditio eſt, & terreni generis, & metallici operis: quo nihilo generoſior judicari poſſit auri & argenti ſubſtantia penes naturam. Quod ſi de qualitate vſus gloria eſt auro & argento: atquin magis ferro & æri: quorum ita diſpoſita eſt vtenſilitas, vt & proprias operas plures, & neceſſariores exhibeant rebus humanis, & nihilominus auri & argenti de ſuo vicem accommodent iuſtioribus cauſis. Nam & annuli ferro fiunt. quædam eſui & potui vaſcula ex ære adhuc ſeruat memoria antiquitatis. Viderit ſi etiam ad ſpurca, inſtrumentis auri, & argenti demens copia deſeruit. Certè nec ager auri opere paratur, nec nauis argenti vigore contexitur. Nullum bidens aurum demergit in terram, nullus clauus argentum intimat tabulis. Taceo totius vitæ neceſſitates ferro, & æri innixas: cùm illæ ipſæ diuites materiæ, & de metallis refodi, & in quocunque vſu procudi, ſine ferri, & æris operario vigore non poſſint. Iam igitur æſtimandum eſt vnde obueniat tanta dignitas auro, & argento, cùm & conſanguineis quantum ad genus, & potioribus quantum ad vtenſilitatem materiis præferantur.

AVRVM. I. SCHOLIA.

PRINCIPES MATERIÆ. *Quia præteris ad ornamenta & cultum impendantur.* ASSINT *alij legunt* id ſint, *&c. id eſt terra ſunt, quia de terra oriuntur. Chryſol. ſer. 22. in m.* aurum de profundo terræ. MALEDICTORVM METALLORVM. *Quia damnati ad metalla multa pœna ſuderibus & lachrymis ea de terra eruunt.* FERALIBVS OFFICINIS. *Quod plerumque in fodinis vel fabrorum officinis mercenarij ad metalla condemnati.* NOMEN TERRÆ, *excellum in igne, metallum aurum nuncupatur, & terra deſinit appellari.* DE TORMENTIS, *rerum, & ſæpè innocentium Chriſtianorum, earumque ignominiis, in ornamenta, delicias, honorem & cultum mulierum tranſit.* METALLI REFVGA *quia vt ferrum à pœna fugit, ſic aurum primò terra nomen, ſecundo & metalli auri refugit: adeo glorioſum eſt & ſuperbum, vt velit deinceps appellari, torquis, armilla, monile, annulus, &c.* DE SVPPLICIIS. *in liturgia Iacobi fratris Domini, qui minor dicitur, pro Sanctis damnatis ad metalla dicitur*; memento Domine eorum qui ad metalla damnati ſunt. *Aug. tract. 10. in Ep. 1. Ioannis, ſic de auro & auaritia, animum torquente:* Homo, inquit, qui laborabas amando auaritiam, cum labore amatur, quod amas: ſine labore amatur Deus. Auaritia iuſſura eſt labores, pericula, tribulationes, & obtemperaturus es. Quo fine? vt habeas vnde impleas arcam, perdas ſecuritatem. Securior forte eras antequam haberes, quàm cum habere cœpiſti. Ecce quid tibi inſſit auaritia, fac, & feciſti. Quid tibi iubet Deus? Dilige me. Aurum diligis, quæſturus es aurum, & fortè non inuenturus: Quiſquis me quærit, cum illo ſum. Amaturus es honorem, & fortè non peruenturus: Quis me amauit, & non ad me peruenit? Dicit tibi Deus, patronum vis facere, aut amicum potentem, ambis per alium interiorem. Me ama dicit tibi Deus, non ad me ambitur per aliquem: ipſe amor præſentem me tibi fecit. DILORATA. *Alij legunt* depurata *ſcilicet excelſa terra in igne.* SED ET FERRI. *Deperiat aurum & argentum vilitate germana ferri & æris; quia omnia de terra pariter procreantur. Ambr. to. 5. ſer. 67. in ſ. ex 1. Tim. 6.* Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere & neque in incerto diuitiarum ſperare. Vides ergo ô Dives, quia ſunt tuæ incertæ diuitiæ. Quid ergo aurum congregas, in quo nulla certa fiducia eſt? Auri tui auaritia ceſſet, & terra eſt: ſolidi tui cupiditas auferatur, & ſordes ſunt. Aurum enim & argentum vilis eſt & abiecta materies, vbi aurum increuit & humana concupiſcentia, tunc & his ſpeciebus accreuit ambitio. Aurum enim & argentum non pretioſum natura inſtituit, ſed hominum voluntas effecit. *Et eodem to. lib. 5. epiſt. ep. 42. Clementiano, vbi de ſuperædificante aurum, argentum, &c. 1. Cor. 3.* aurum melioratur igne, melioratur &c. hoc aurum & argentum onus habet, fructum non habet. Onus quæreutis eſt, ſumptus hæredis. Hoc aurum ſicut lignum exuritur, non perpetuatur: Hoc argentum in die illo detrimentum vitæ tuæ, non lucrum affert. Aliud aurum, aliud argentum à te quæritur, hoc eſt ſenſus bonus, verbum optimum, &c. Argentum igne examinatum, &c. Hoc mercedem habet & migrat nobiſcum, illud detrimentum habet quod hic relinquitur. QVALITATE VSVS. *Pergis ferrum & æs auro præponere quantum ad vſum. Primò quod ad plura, & neceſſaria ſe extendat vſus ferri & æris, ſecundò quod* DE SVA VICE *id. re ſua, & de ſeipſis compleant, opera auri & argenti inſtioribus cauſis. Cum ſcilicet vaſa aurea & argentea ſunt ad vſum templi & ſanctis altaris.* NAM ET ANNVLI *probat inſtiores operas ferri & æris, quàm auri & argenti. Fiebant Annuli inſta cauſa ad ſignandum ſcilicet, & ex ferro: & ex Plinio, licet triumphantis cerua aurea eſſet*, Annulus tamen in digito ferreus erat, *vt meminiſſent ſeruilis conditionis, quam aduerſa fortunâ ſubire poterant. Refert Apuleius* in nequiſſimi ſerui manibus deprehenſum Anulum ferreum, quem miniſtri magiſtratus, cum ſigno ſaculi contulerunt. *Vt inde ſciat ſolitam ſignari pecuniam inclusam ſacco, & Annulos ferreos fuiſſe ſignatos.* SERVATA MEMORIA. *Plin. hiſt. Nat. lib. 34. c. 3.* Triclinia ærata, abacoſq; & monopodia, *id eſt menſa vnico tantum pede ſubnixa*, Cnecium Manlium Aſia deuicta primũ inueniſſe triumpho ſuo, quem duxit vrbis Anno 567. Lucius Piſo auctor eſt. *Item Livius 9. bell. Maced.* Quæ tum magnificæ ſupellectilis habebantur Monopodia, & Abacos Romam adexerunt. *Porro triclinia, Abaci, monopodia vaſis æreis onuſta in vſum menſæ & ciborum erant. Et huiuſmodi vaſa antiqua aſſeruata notat Tertul. vt aurum adhuc abijciat.* ADSERVCA, *&c. Pergit exaggerare auri vilitatem, dicens fallum eſſe; vt inſana eius copia etiam ad excretationem & ſputa, ad vrinam & ſtercora deponenda ſeruire. Lampridius de Heliogabalo:* onus ventris auro excepit. *Clem. Alex. in pædag. ridet*, argentea vrinæ, & excrementorum receptacula. NVLLVS VIDENS. *iterum inutile probat aurum colendo agro, compingendæ naui, &c.* bidens autem *inſtrumentum eſt fuſſorium duos habens dentes, qui ex auro non ſit, vt fodiendæ terræ dici poſſit aurum in terram demergi.* NVLLVS CLAVVS *ex Argento fabrefactus vigore ſuo ferrei claui cuſpidem æquat,*

æquat, vt intimas penetret tabulas. TACEO, *&c. præfert iterum ferrum & æs auro & argento, quòd sine instrumentis ferreis vel æneis, aurum & argentum de terra erui, in metalla formari, aut in vasa quælibet vsumque procudi non possint.* IAM IGITVR. *Vnde igitur putas, gloria auro & argento de eadem terra nato, quod & inferius est in vsu, & vtilitate ære & ferro? Vis concludere liceat cum Seneca ep. 94.* Vis scire quàm falsus oculos tuos decipit fulgor? *Aurum non tantum inutile, vt hic dolè probat Tertullianus, sed & noxium super omnia metalla probat Augustinus sermone 26. de verbis Apostoli relatus in Appendice absque ascensura sermone 10. de diuersis.* Ita, inquit, est in abscondito, vt illud videatur prouidens hominibus natura damnasse, nec expotuisse in rem successurum oculis cupidorum: atque vt adiuuaretur pauperras difficultate parandarum diuitiarum, cum labore fecit quæri, quod noluerat inueniri. Ergo videamus qui aurum non habet, *vt Petrus de quo hoc tractat dicens ciando, argentum & aurum non est mihi, &c.* quid habet? Fidem habet, virtutem habet. Expendamus quod diximus, quid amplius coruscet? Aurum quod ærumna perquirit, quod auaritia cupit, quod solicitudo custodit: aurum materia laborum, periculosa possessio, aurum eneruario virtutum, aurum malus Dominus, proditor seruus. Ergo qui aurum non habet, quid habet? Fidem habet. Videamus, vt diximus, quid amplius coruscet; aurum quod nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit; aurum quod in perniciem Domini fulget; aurum quod per tenebras quæritur, per tenebras custoditur; aurum cuius inquisitio damnatos habet, cuius amor Iudam fecit: & ne alicui sit nomen ignotum, de Apostolo proditorem, aurum quod apud auarum animæ præfertur & Christo. In cuius appetitu congrua magister gentium Auctoritate detonuit, dicens: Auaritia, quæ est idolorum seruitus. Quid ergo amplius refulget, aurum quod sordidus Dominus habet, aurum quod amplius cruciat, apud quem largius fuerit; aurum, quod amanti se nihil de sua possessione permittit, refundens ei reatum suum, cui vium suum negat; grauis acquisitio, ærumnosa possessio? Nec tamen cùm hæc dicimus, Dei creatura damnatur: sed quoniam obcæcatâ prudentiâ hominum id in magnum pretium receptum est, iam in infamiam redundat, quidquid de mala cupiditate suscipitur. Ideo ergo res illa vituperatur, vt auaritia condemnetur. Cæterum Dominus ait per Prophetam, Aurum & argentum meum est. At si per se mala res esset, Dei esse non posset. Verum præbet materiam misericordiæ apud bonos amicos, & nouo genere, tunc magis prodest quando contemnitur, vt ipsa sui conditione testetur: quoniam mala est rei eius possessio, cuius abdicatio fructuosa est. Præbet ergo materiam subueniendi. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Vis ergo nosse, quàm iusti iudicis res sint aurum & argentum? Auarus inde torquetur, inde misericors adiuuatur. Exercetur ergo rei contemptus, per contemptum vtilis. Ad possessionem eius non omnes idonei, ad contemptum eius omnes idonei. *Prolixum quidem locum, sed cui vel vnum verbum detrahere nefas esse duxi.*

2. *Aurei compedes dati reis. 1. de cult. fœm. cap. 7. a. p.*

SEmper abundantia contumelioſa in ſemetipſam eſt. Apud barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum, & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Aliquando re vera inuentum, quomodo aurum non ametur.

AVRVM. II. SCHOLIA.

ABVNDANTIA CONTVMELIOSA. *Res quæ abundant ſibimetipſis iniuria ſunt, & minimum pretium, quod tribuit raritas. Seneca.* Multi aperta tranſeunt, condita & abſtruſa rimantur, &c. furem ſignata ſollicitant, vile videtur quidquid patet, aperta effractarius præterit. *Ex Thoma Mauro Anglia Cancellario in inſula Abraxa lata & profunda fouea eſt, in quam aurum argentumque quæ ſordes publicas proiiciunt.* QVIA VERNACVLVM. *Quia in proprio ſolo naſcitur*, vernaculum enim Ciceroni idem eſt ac domeſticum, domi noſtræ, vel in patria natum. *Clemens Alexand. in pædag. per barbaros Æthiopes intelligit iuxta Plutarchum, quibus ex Dione Chryſoſt. aurum abiectius eſt, quàm apud nos plumbum. Sic Clem. Alex.* dicunt apud barbaros vinciri auro maleficos. Solinus, ornantur ære, auro vincula faciunt noxiorum. TANTO LOCVPLETIORES, *&c. quia pro modo criminis, vincula & compedes aggrauabant. Memini & apud Macrobium Æthyopia populos carcerem vocari theſaurum; quod nempe aurum eſſet* RE VERA INVENTVM EST. *Qua enim auri vincula & carceres? Martyres olim ad metalla damnati: reis Macrobitarum carceres & compedes ex auro compacti ſunt: ſed auri & auaritiæ ſeruis, duriores, carceres, vincula, tyranni præfecti ſunt, qui velut Martyres ſuos vinctos, quocunque trahunt. Sic Auguſtinus citatus à Beda ſub titulo ſermonis in Natali Martyrum,* Quid inquit, miramini fratres: Si amatores Dei Martyres tanta pertulerunt vt acquirerent Deum? Amatores auri videte quanta patiantur. Hyemalibus aſperitatibus ſe nauigando committunt. Sic ſeruet auaritia, vt nulla formidet frigora. Iactantur ventis, ſuſpenduntur fluctibus, ineffabilibus periculis vſque ad mortem agitantur. Dicant & ipſi auro, propter te mortificamur tota die: dicant martyres Chriſto propter te, & cæt. dicant auari auro, propter te mortificamur tota die. Vox ſimilis, ſed cauſa diſſimilis. Ecce vtrique dixerunt: iſti Chriſto: Illi auro: propter te mortificamur tota die. Reſpondeat Martyribus Chriſtus. Si morieris, inuenies me; Reſpondeat aurum auaris. Si naufragaueris, &c me perdes, & te.

3. *Auri damna, idololatria, & Gehenna. 2. de cult. fœm. cap. 13. à m.*

NE dilexeritis aurum, in quo omnia delicta populi Iſraël denotantur. Odiſſe debetis quod patres perdidit, quod relinquentibus Deum adoratum eſt: etiam tunc aurum ignis eſt: Cæterùm tempora Chriſtianis ſemper, & nunc vel maximè, non auro, ſed ferro tranſiguntur: Stolæ martyriorum præparantur, Angelis baiulis ſuſtinentur. Exo. 32. 6.

AVRVM. III. SCHOLIA.

QVOD IVDÆOS PERDIDIT. *Cypr. de disc. cipl. & habitu Virg.* Quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle quod & nocuerit semper & noceat; & putare, quod inde ipsa non pereas, vnde alios periisse cognoscas! OMNIA DELICTA. *Quia vt ipse alibi, cum summum delictorum sit idololatria, in hoc vno eminenter omnium aliorum grauitas continetur: vel quia omnes mulieres inaures suas, armillas, torques, in vnum vitulum conflandum contulerunt circa quem luserunt omnes adorantes, ideo in eo omnia delicta. Vel vt alij legunt* prima delicta denotantur. *id. probro infamantur. Sic Suet. in Caligula* mollem effœminatum denotare omni probro consueuerat. TVNC AVRVM IGNIS EST. *Iam ex eo tempore vitulus aureus à Moyse damnatus est igni. Exo. 32.* arripiens vitulum quem fecerant combussit, & contriuit vsque ad puluerem. TVNC. *vt vel inde ignem gehennæ sibi metuant; qui auaritiæ, & auro seruiunt. Sic Chrysol. ser. 29. in p. de peccato Hebræorum, cui similes facit Auaros & auaritiam eorum idololatriæ comparat* sic conuertit homines in iumenta, vt vituli caput, caput suum crederent, & omnium rerum capiti, caput pecudis anteferrent. IVDÆOS PERDIDIT. *Exod. 32. Sic Moyses* ponat vir gladium super femur suum; ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & Amicum & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, ceciderunteque in die illa quasi viginti tria millia hominum. FERRO TRANSIGVNTVR. *Martyrium & pœnam auri cupidorum, & torrentem cupiditatem qua auarus separari non potest ab amore diuitiarum, graphicè descripsit Augustinus ser. 6. de Martyribus:* Quantas, inquit, angustias patiuntur, qui volunt rapere res alienas: An persecutio, ait? Et ipsa non frangit. Auaritia terretur, auarus rapit ac timet pœnam, actus in rapinam. Multi enim famem patiuntur, dum acquirunt & faciunt lucra, quibus præcipimus ieiunare & excusant se stomacho. Vacat illis toto die solidos numerare, & ieiuni dormiunt. An nuditas, ait? Quid dicam de nuditate? Quotidie negotiatores de naufragio nudi euadunt, & iterum nauigant ad periculum. Vnde quotidie periclitantur homines, nisi propter diuitias acquirendas? Nec gladius prohibet. Capitale crimen est falsitas, & tamen comitatur hæreditas. Si ergo hoc mereatur temporalis cupiditas, quare non mereatur Christi hæreditas? Auarus dicit in corde suo, qui fortè non audet lingua sua: Quis nos separabit à cupiditate auri? Tribulatio, an angustia, an persecutio? Possunt & auari dicere auro, propter te occidimur tota die. Optimè ergo dicunt sancti Martyres in psalmo, Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Discerne, inquit, tribulationem meam, tribulantur & auari. Discerne angustias meas, patiuntur angustias & auari. Discerne persecutiones meas, patiuntur & auari. Discerne famem meam: pro auro acquirendo esuriunt & auari. Discerne nuditatem meam: pro auro despoliantur & auari. Discerne mortem meam: pro auro moriuntur & auari. Quid est discerne causam meam? propter te mortificamur tota die. Illi propter auri, nos propter te. Similes pœnæ, sed diuersa causa. Vbi ergo discreta est causa, certa est victoria. *Ob frequentiam Martyrum etiam fœminarum, quæ non torquibus, monilibus, armillis aureis, sed compedibus, manicis, catenis ferreis colla, manus, pedesque vinctæ tempora sua persecutionis plena transigebant. Stola Martyrum. Apoc. 6.* Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. *Has Angeli baiuli ostentant, ad præmium inuitantes. Dicta alibi in hanc rem habes ab Augustino.*

S. Aug.

Azyma, & fermentum, eiusdem Dei Creatoris sunt authoris vtriusque testamenti. 4. cont. Marc. cap. 30. in m.

Luc. 13. 21. Exo. 12. 15. Exo. 23. 15. & 34. 17. Lucæ 12. 27. Matt. 13. 30.

DE sequenti planè similitudine vereor, ne fortè alterius Dei regno portendat. Fermento enim comparauit illud: non azymis; quæ familiariora sunt Creatori. Congruit & hæc coniectura mendicantibus argumenta. Itaque & ego vanitatem vanitate depellam, fermentationem quoque congruere dicens regno Creatoris, quia post illam clibanus, vel furnus gehennæ sequatur.

AZYMA. SCHOLIA.

VERIOR: *suo more eleganti fingit metuere se aduersarium Marcionem, quod apud Lucam quem ipse recipit, fiat mentio fermenti, cui regnum cœlorum comparat* cui simile æstimabo Regnum Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentatum est totum. *Regnum Dei, verbum Dei, vel Ecclesia quæ à diuina sapientia abscondita in fide Trinitatis vt fermentum excreuit & implenit mundum. Fermentum Phariseorum sic Chrysol. explicat ser. 127. Iuxta Apostolum* illos scientia inflabat ad superbiam, non instruebat ad salutem. NE ALTERIVS DEI REGNO, &c. *Dei scilicet Marcionis augurium det, & aliquid ominetur.* NON AZYMIS. *Creatori enim veteris testamenti authori frequentissimè vti Azymis, nam Exod. 12. Azyma comedi iubet.* Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. *Exo. 23.* Solemnitatem Azymorum custodies. Septem diebus comedes Azyma. *Exod. 34.* Solemnitatem Azymorũ custodies. Septem diebus vescetur Azymis, sicut præcepi tibi in tempore mensis nouorum: mense enim veris temporis egressus es de Ægypto *Fermentum porro frequenter & fere semper in veteri testamento à sacris excluditur. Exod. 12.* Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, à primo die vsque ad diem septimum. *Exod. 23.* Crustulam absque fermento, quæ consperſa sit oleo. CONGRVIT, &c. *Respondet, sic inopem Marcionem, & probationibus vacuum, vt vel leues coniecturas arripiat.* VANITATEM VANITATE, &c. *Et ego fundem eius obiectionem qua vult excindere vetus testamentum, & alium Authorem nouũ inducere, quòd nouum vtatur fermento, quod vetus reprobat; coniectura simili refellam.* FERMENTATIONEM QVOQVE, &c. *probo & ego ad Creatorem pertinere fermentum. Quomodo? quia tu Marcion Deum tuum mitem tantum, & non vindicem & punitorem censes, ad Creatorem vindicta pertinet: Sit ita. Sed eodem Lucæ contextu sic mentio vindictæ, & clibani, & gehennæ: Ergo eiusdem erit & fermentum, cuius & Clibanus. Sic autem Luc. 13. post regnum comparatum fermento quidam interrogat Christum:* Domine, si pauci sunt qui

saluantur, &c. Et dicet vobis, Nescio vos vnde sitis: Discedite à me operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & stridor dentium. *Quod vtique de gehenna intelligendum est. Vnde & Luc. 12. cum de fermento Phariseorum hypocrisi dixisset, concludit* timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. *Apud Matthaum autem post parabolam fermenti, & explicationem zizaniorum concludit Matt. 13.* Mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. *Vtriusque legis Authorem vnicum esse Deum Creatorem satis probat, quòd in reprobatione fermenti & exclusione eius ab oblatione & Sacrificio, & Azymorum in iisdem commendatione vtraque consentiat; vt insinuat Aug. to. 10. ser. 6. de verb. Apost. cap. 5.* In magno, inquit, Mysterio, videte concordiam, videte distantiam. Concordiam legis, distantiam plebis. Celebratur Pascha in veteri populo, sicut nostis occisione agni cum azymis; vbi occisio ouis Aug. A Christum significat; azyma autem nouam vitam, hoc est, sine vetustate fermenti. Vnde nobis Apostolus dicit, Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi: Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Celebratum est ergo in illo veteri populo, nondum in luce fulgente: sed in vmbra significante celebratum est. *Fermentum autem licet frequentius reprobetur, tamen etiam mystice in bonam partem sumitur, vt notatur ab Augustino libro 1. Euang. quæst. quæst. 12.* Fermentum, inquit, quod accepit mulier, & abscondit in farinæ satis tribus. Mulierem, sapientiam dicit: fermentum dilectionem: quod feruere facit & excitat. In farinæ autem satis tribus, vel tria illa in homine, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: vel tria illa fructifera, centesimum, sexagesimum, tricesimum: vel tria illa genera hominum, Noë, Daniel, & Iob. S. Aug.

BAPTISMVS.

BAPTISMVS IOANNIS.

1. *Baptismus Ioannis cœlestis, quà datus ab homine misso à Deo; terrenus, quà gratiam non conferebat. De Bapt. cap. 10. à p. ad m.*

BAptismus ab Ioanne denuntiatus jam tunc habuit quæstionem, ab ipso quidem Domino propositam Pharisæis, cœlestis ne is baptismus esset. an verò terrenus? De quo illi non valuerunt constanter respondere, vtpote non intelligentes, quia nec credentes. Nos porro; quantula fide sumus, tantulo & intellectu possumus æstimare, diuinum quidē eum baptismum fuisse, mandatu tamen, non & potestate; quòd & Ioannem à Domino missum legimus in hoc munus, cæterùm humanum conditione. Nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate. Denique legis Doctores, & Pharisæi, qui credere noluerunt, nec pœnitentiam egere. Quod si pœnitentia humanum est, & baptismus ipsius eiusdem conditionis fuerit necesse est: aut daret & Spiritum sanctum, & remissionem delictorum, si cœlestis fuisset. Sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, nisi Deus solus. Etiam ipse Dominus, nisi ipse prius ascenderet ad Patrem, aliter negauit Spiritum descensurum. id quod Dominus nondum conferebat, seruus vtique præstare posset? Adeò postea in Actis Apostolorum inuenimus, quoniam qui Ioannis baptismum habebant, non accepissent Spiritum sanctum, quem ne auditu quidem nouerant. Ergo non erat cœleste, quod cœlestia non exhibebat.

Matth. 21. 25. Luc. 20. 4. Isa. 7. 9. Marc. 2. 7. Luc. 5. 21. Io. 16. 7. Act. 19. 4.

BAPTISMVS IOANNIS. I. SCHOLIA.

HABVIT QVÆSTIONEM. *Matth. 21.* Baptismus Ioannis vnde erat? è cœlo, an ex hominibus? NON VALVERVNT. *ibidem* at illi cogitabant inter se dicentes; si dixerimus è cœlo, dicet nobis: quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem sicut Prophetam. Et respondentes Iesu, dixerunt: nescimus. CONSTANTER, *intrepidè, & liberè. Vnde & dixit Matthæus*, timemus turbam. NON INTELLIGENTES, *&c. id traxit Tertul. ex Isa. 7. iuxta 70.* nisi credideritis, non intelligetis. *Pro eo quod S. Hieronimus ex Symmacho, legis in vulgata*, non permanebitis. *Hinc subdit Tertul.* quantula fide, &c. *Quia pro modo fidei datur intelligentia verborum Dei.* MANDATV, *pro mandato vel commissione denuntiandi, seu prædicandi baptisma pœnitentiæ.* NON ET POTESTATE, *quia gratiam non conferebat, nec poterat propria sua conditione qua humanum erat, & non diuinum Sacramentum, conferre gratiam. Hinc ipse Ioannes se huius baptismi authorem aperte declarat Matth. 3.* videns autem multos Phariseorum & Saducæorum venientes ad baptismum suum, &c. COELESTIBVS PRÆMINISTRABAT. *id. præparabat & disponebat ad gratiam & characterem cœlestem, Baptis-*

B *mum Ioannis de cœlo fuisse testatur. Augustinus tractans de capiendis vulpeculis duas foueas habentibus, vt hinc vel inde possint euadere. Sic breuiter disseruit in hunc locum de baptismo Ioannis à Tertulliano in medium adducto in psal. 80.* Contradicentibus vulpeculis Domino, & dicentibus. In qua potestate ista facis? Respondete mihi, & vos, inquit, vnum sermonem. Baptismus Ioannis vnde est, de cœlo, an ex hominibus? Vulpes autem solent habere tales foueas, vt ex vna parte intrent, & ex alia parte exeant. Ad vtrumque foramen captor vulpium retia posuit. Dicite mihi, de cœlo est, an ex hominibus? C Sentiunt illi eum ex vtraque parte tetendisse vnde caperet, & aiunt apud se; si dixerimus, inquiunt, de cœlo, dicturus est nobis, quare ergo non credidistis? Ille enim testimonium Christo perhibuit: Si dixerimus de terra, lapidabit nos populus; quia vt propheta eum habent. Sentientes ergo hàc atque hàc esse vnde caperentur, responderunt, nescimus. Et Dominus, nec ego vobis dico in qua potestate ista facio. Vos dicitis, vos nescire quod scitis, ego vobis non dico quod quæritis: quia ex nulla parte exire ausi estis, in vestris tenebris remansistis. *Hinc S. Iustinus.* Baptismus Ioannis præmium Euangelij gratiæ. *Et Aug.* perfecta munda- S. Aug. S. Aug.

tio non Ioannis, ſed in Nomine Domini baptiſma eſt *Ambr. prefat. in pſal. 37.* Baptiſmus Ioannis oculus ſuppliciorum eſt; baptiſmus Chriſti, oculus gratiarum. *Sine quod oculus Ioannis torue intuens Phariſæos & Saducæos venientes ad baptiſmum ſuum, dicret, Matth. 3.* progenies viperarum, quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira? &c. omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, &c Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. *Hinc Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 1.* Si quis dixerit baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti, Anathema ſit. POENITENTIÆ PRÆPOSITVS. *Matth. 3.* Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, &c. *Et ibid. ſupra.* Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua. HVMANVM EST, *id. res humana.* NISI DEVS SOLVS. *Luc. 5.* Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? IPSE DOMINVS. *Ioannis 16.* Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. IN ACTIS *Act. 19.* Paulus Epheſinos interrogat, ſi Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus. Ille vero ait: in quo baptizati eſtis? Qui dixerunt: in Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt in Ieſum. His auditis baptizati ſunt in Nomine Domini Ieſu Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabant.

2. *Baptiſmum Ioannis, Creatoris fuiſſe convincitur, quia Chriſtus interrogauit, de cælo, an terra Creatoris eſſet. & Chriſtus ſe Creatoris eſſe probauit, æquè malum pro malo referens.*

4. *conf. Marc. cap. 38. in p.*

Luc. 20. 4. SCiebat Chriſtus baptiſma Ioannis vnde eſſet, & cur quaſi neſciens interrogabat? Sciebat non reſponſuros ſibi Phariſæos. & cur fruſtra interrogabat? An vt ex ore ipſorum judicaret illos, vel ex corde? Refer ergo & hæc ad excuſationem Creatoris, & ad comparationem Chriſti; & conſidera iam quid ſecuturum eſſet, ſi quid Phariſæi ad interrogationem
Luc. 20. 6. renuntiaſſent. Puta illos renuntiaſſe humanum Ioannis baptiſma, ſtatim lapidibus eliſi fuiſſent. Exiſteret aliqui Marcion aduerſus Marcionem, qui diceret; O Deum optimum! ô Deum diuerſum à Creatoris exemplis! Sciens præceps ituros homines, ipſe illos in præruptum impo-
Gen. 2. 17. ſuit. Sic enim & de Creatore, in arboris lege, tractatur. Sed de cœlis fuit baptiſma Ioannis. *Et*
a Marc. 11. 31. a *quare*, inquit Chriſtus, *non credidiſtis ei?* Ergo qui credi voluerat Ioanni, increpaturus quod non credidiſſent, eius erat cuius ſacramentum Ioannes adminiſtrabat. Certè nolentibus re-
b Luc. 20. 7. nuntiare quid ſaperent, quum & ipſe vicem opponit; b *Et ego non dico vobis in qua virtute hæc facio;* malum pro malo reddit.

BAPTISMVS IOANNIS. II. SCHOLIA.

IVDICARET ILLOS. *Toto hoc capite ex Euangelio Luca quod Marcion admittebat vt opus Dei ſui, vetus teſtamentum vt creatoris mali & vindicis reprobans, cõuincit, & hic Deum quicunque ille ſit, ſit & Marcionis, vindicẽ eſſe, ac iudicem. quinimo & ideo interrogare, vel neſcientem quid reſponſuri eſſent, & ſic Deum Marcionis ignorantem; vel ſcientem, vt ex ore vel corde, eos iudicaret, proindeque vindex ac index, ſi reſpondiſſent baptiſma de terra, vt eos lapidibus elideret, & in precipitium mitteret. In quo omnino ſimilis arguitur Deo Creatori, qui ſciens hominem de arbore vetita contra legem Dei manducaturum, legem tamen indixit. Si de cœlo baptiſma Ioannis fuiſſe reſpondiſſent, & in hoc quoque auſterus, & increpaturus eorum incredulitatem. Tandem nolentibus reſpondere, & ipſe ſe vltorem comprobauit, vicemque rependit, & iuxta Creatorem in veteri lege, pœna talionis multauit, & malum pro malo reddidit; & nolentibus reſpondere, reſpondere quoque ipſe noluit.* REFER ERGO. *id. hinc excuſa Creatorem iudicem, cui Chriſtus tuus ſit ſimilis ô Marcion.* RENVNTIASSENT, *reſpondiſſent.* STATIM LAPIDIBVS. *Luc. 20.* baptiſmus Ioannis de cœlo erat, an ex hominibus? at illi cogitabant intra ſe dicentes: quia ſi dixerimus, de cœlo, dicet, quare ergo non credidiſtis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, plebs vniuerſa lapidabit nos: certi ſunt enim Ioannem Prophetam eſſe. ALIQVI MARCION. *id. aliquis ex parte Marcionis, qui tamen contra Magiſtrum ſuum Marcionem dicerit:* O DEVM BENIGNISSIMVM. *ironicè dictum à Tertullian. contra Marcionis Deum noui teſtamenti optimum, & exempla tantùm benignitatis dantem, neminem impellentem in errorem & damnum. vt Creator fecit.* SCIENS PRÆCEPS, *&c.* IN PRÆRVPTVM. *alij legunt,* præruptum, præcipitium. SIC ENIM, *&c. Iam ipſe Tertul. reſpondet hoc ipſum bene opponere poſſe diſcipulum Marcionis, Magiſtro Marcioni,* argumento facto ad hominem, *contra Creatorem ſic argumentaris, ſic malum, & tentationis inductorem & auctorem precipitij probas, quod ſciens Adam eſurum, de ligno vetito, de eo edere prohibuerit. Et ſic intelligitur* IN LEGE ARBORIS. BIVSERAT, *id. Ioannes pertinebat ad Chriſtum increpatorem & iudicem,* CVIVS SACRAMENTVM. *non ſumitur hoc nomen pro Sacramento propriè dicto, quia non erat ſignum rei ſactæ, ſed figura ſacramenti. Baptiſma Ioannis ſignificium fuiſſe, ac proinde cæleſte Chriſti ſcil. baptiſma figurans, vt docet Aug. queſt. ex noue Teſtamento q. 29.* Aug. Baptiſmum, inquit, Ioannis cœptum non ceſſauit, ſed additum eſt ei quod deerat. Ioannes enim tantum baptizauit, non Spiritum ſanctum credentibus dedit: ſicut & ipſe de Saluatore dicit. Ego baptiſo vos in aqua in pœnitentiam, ipſe autem vos baptizabit in Spiritu ſancto: hoc eſt quod dicit, per me remiſſio peccatorum. Non tamen datur Spiritus ſanctus vt purificati filij dicantur, hoc enim Saluatori reſeruatum eſt, vtpote Domino, vt filij Dei non fierent, niſi accepto à filio Dei Spiritu ſancto. Effectus ergo baptiſmi Ioannis, quod tacitè operabatur ſine interrogatione, non tamen ſine Saluatoris mentione vt firmum eſſet quod agebat, Trinitatis eſt donum, quod dignatio Saluatoris oſtendit, dans formam trium nominum, quæ à primordio ſub vnius Dei nomine vel perſona vnum opus & indifferens operata ſunt. Interpretatio ergo acceſſit ad baptiſmum

Ioannis cum significatione latentis dudum mysterij, accessit & amplius donum, vt baptizati accepto Spiritu sancto sint filij Dei. Amplificatum ergo est, non euacuatum. QVID SAPERENT *quid sentirent de baptismo Ioannis.* VICEM OPPONIT, *pro rependit, & similiter respondet* MALVM PRO A MALO. Oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. *Vt hinc & malus Christus dici possit aequè ac Creator ac proinde nouum testamentum veteri respondere & vnum eundemque esse vtriusque authorem, proindeque Christum noui Testamenti, ad Creatorem veteris pertinere.*

3. *Baptismus Ioannis praeparatorius fuit ad baptismi Sacramentum. V. Verbum baptismi effectus. num. 6.*

4. *Baptismo Ioannis baptizati sunt Apostoli. De bapt. cap. 12. à p. ad m.*

ET nunc illis, vt potero, respondebo, qui negant Apostolos tinctos. Nam si humanum Ioannis baptismum inierant, & Dominicum desiderabant, quatenus vnum baptismum definierat ipse Dominus, dicens Petro perfundi nolenti: [a] *Qui semel lauit, non habet necesse* a Io. 13. 6.
rursum: quod vtique non tincto non omnimo dixisset: & haec est probatio exerta aduersus illos, qui adimunt Apostolis etiam Ioannis baptismum, vt destruant aquae sacramentum. An credibile videri potest, in his personis viam tunc Domini non praeparatam, id est baptismum Ioannis, quae ad viam Domini per totum orbem aperiendam destinabantur? Ipse Dominus nullius poenitentiae debitor tinctus est, peccatoribus non fuit necesse? Quid ergo? alii tincti non sunt. non tamen comites Christi, sed aemuli fidei, legis Doctores, & Pharisaei. Vnde & suggeritur, quum aduersantes Domino tingui noluerint, eos qui Dominum sequebantur, tinctos fuisse, nec cum aemulis suis sapuisse, maximè quando Dominus, cui adhaerebant, testimonio Ioannem extulisset, [b] *Nemo* dicens *maior inter natos fœminarum Ioanne baptizatore.* b Matt. 11. 11.

BAPTISMVS IOANNIS. IV. SCHOLIA.

TINCTOS, *baptizatos, Probat Apostolos baptizatos fuisse baptismo Ioannis; & conuincit ex verbis Christi dicentis Petro* nolenti perfundi *id. sibi pedes lauari;* qui semel lauit, &c. Ioannis 13. qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, *lotus saltem lotione Ioannis. Concludit autem ex eo Tertul. non fuisse necesse Petro iterum baptizari, qui semel baptizatus fuerat à Ioanne.* DOMINICVM DESIDERABANT. *Nondum enim fuerat Christi baptisma praeceptum.* VNVM BAPTISMVM *dicendo, scilicet, quod ipse subiicit, licet addiderit* semel & rursum. *Docens pro eo tempore necdum Christi baptismum obligatorium fuisse. Dicam tamen & ex Christi verbis ad Petrum posse colligi, baptismi Christi necessitatem. Vt enim Ioannis 3. de futura* C *necessitate iam dixerat*, nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei: *Sic & Ioannis 13. pro eadem necessitate baptismi, qua janua erat, qua in Regnum Dei, id. Ecclesiam sit introitus, & quod ad sumendam Eucharistiam praesupponitur, Petro recusanti dixit*, si non lauero te, non habebis partem mecum. NON TINCTO *sipple baptismo Ioannis. Aug. ep. 108. ad Seleucianum* tunc, inquit, quando Iesus Ioannis 3. ab Hierosolymis exiit cum Discipulis suis in Iudaeam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat non per seipsum, sed per Discipulos suos, quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis sicut nonnulli arbitrantur, siue quod magis credibile D est, baptismo Christi. Neque enim ministerio baptizandi defuit, vt haberet baptizatos seruos, per quos ceteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis lauit pedes, & petenti Petro vt non tantum pedes verum etiam manus & caput lauaret, respondit, qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus: vbi intelligitur quod iam Petrus baptizatus fuerat. EXERTA, *aperta, manifesta probatio contra aduersarios aquae materiae baptismi, qui eius necessitatem sic impugnant, vt eam Apostolos neglexisse, vt & Ioannis baptisma contempsisse contendant.* AN CREDIBILE, *&c. non est probabile Apostolos, qui toto orbe* Aug. B *eiam Christo parare debebant, & introitum in omnes Animas etiam Gentilium, per baptismum, non fuisse prius paratos & praedispositos ad Christi baptismum, per baptismum paenitentiae Ioannis, qui prior vox erat Domini, & Angelus viae eius praeparans?* IPSE DOMINVS, *innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & per hoc ad nullam paenitentiam & baptisma obligatus, baptizatus est tamen: quis ergo negat Apostolis peccatoribus non fuisse necesse?* QVID ERGO? *Quid hic opponat aduersarius? dicet forsasse multos alios Ioannis baptisma non suscepisse. Quid inde? Licet id dici posse de* aemulis fidei, *id. Aduersariis Christi, non tamen de* Comitibus Christi, *affectis & discipulis eius. Quinimo inde* & suggeritur, *id est nouae probatio inde nascitur, vel inde concluditur baptizatos Apostolos quod cum aduersariis Christi consentire non deberent, & contra spernentes baptismum Ioannis, illum magni facere & suscipere, maximè audito de Ioanne testimonio Christi, Ioannem super omnes natos mulierum extollentis. De* quo sic *Augustinus:* Quisquis Ioanne plus est, non S. Aug. tantum homo, sed & Deus est. *Caeterum si aduertisset Tertul. quod scriptum est Matth. 3. non dixisset Pharisaeos baptisma Ioannis neglexisse, sed validius argumentum in rem suam contra aduersarios deprompsisset. Si enim etiam superbi Pharisaei magna turba ad Ioannem concurrebant confitentes peccata sua, quanto magis humiles Apostoli, quorum aliqui, maximè D. Andreas, Discipuli erant, sic enim supra retulimus Matth. 3.* Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudaea, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisaeorum & Sadducaeorum venientes ad baptismum suum, dixit eis; progenies viperarum quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum paenitentiae. *Licet ergo exprobret ipsis hypocrisin, & fructus similes Gomorrhae pomis, proindeque indignos paenitentia nomine, Apostoli tamen vero & simplici corde cum veris & dignis paenitentiae fructibus, ad lauacrum Ioannis accesserant.*

5. Baptiſmum Ioannis præparatorium Apoſtoli vivente adhuc Chriſto conferebant. de bapt. c.11. in f.

ITaque, tinguebant diſcipuli ejus, vt miniſtri, vt Ioannes antè præcurſor, eodem baptiſmo Ioannis, ne qui alio putet, quia nec exſtat alius niſi poſtea Chriſti, qui tunc vtique à diſcentibus dari non poterat, vtpote nondum adimpleta gloria Domini, nec inſtructa efficacia lauacri per paſſionem, & reſurrectionem: quia nec mors noſtra diſſolui poſſet, niſi Domini paſſione, nec vita reſtitui ſine reſurrectione ipſius.

BAPTISMVS IOANNIS. V. SCHOLIA.

TINGVEBANT DISCIPVLI, *Apoſtoli baptizabant, baptiſmo ſcilicet Ioannis. quia nullus alius erat tunc, nec Chriſti baptiſma fuerat adhuc inſtitutum.* A DISCENTIBVS, *Diſcipulis.* NE QVI. *vſus Tertul. frequens, pro* ne quis. DARI NON POTERAT. *benignè hic interpretandus eſt Tertul. & dicendum vivente adhuc Chriſto necdum plenam baptiſmo de eius latere, ſanguinem & aquam manante, fluxiſſe virtutem. Sic D. Leo ep. 4. ad Epiſcopos Sicilie.* Poſteaquam reſurrexit à mortuis diſcipulis ſuis, in quibus omnes Eccleſiarum Præſules docebantur, & formam, & poteſtatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes ergo nunc docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. de quo vtique ante paſſionem eos potuiſſet inſtruere, niſi propriè voluiſſet intelligi regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe. *Quod vtique intelligendum eſt de baptiſmo obligatorio, nam antea, priuſquam lex promulgaretur, baptiſma Chriſti obligatorium non erat, & qui volebant, vti poterant baptiſmo Ioannis. Nec tamen ex loco Tertulliani & Leonis, non loquentis ex Cathedra, ſed inſtar priuati Doctoris, concludi poteſt, adhuc vivente Chriſto, nullum Chriſti baptiſmo, aut fuiſſe baptizatum, aut potuiſſe baptizari, cum prima inſtitutio baptiſmi indicta fuerit, cum ipſe Chriſtus Iordanem ſanctificans baptizatus eſt à Ioanne, vt ipſe Tertul. contra Iudæos. Hilar. in Matt. Ambr. in Luc. Hiero. cont. Luciferi. & multi alij fatentur. Vnde credibilius eſt Apoſtolos qui vivente Chriſto aliquos baptizauerunt, eos non Ioannis, ſed Chriſti lauacro baptizaſſe. nec vrget multum quod dixit Tertul.* nondum inſtructam efficaciam lauacri, &c. *quamvis id ex Apoſtolo ſumat Rom. 4.* Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. *Et rurſum Rom. 5.* quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. *quia & præcipuum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit ante paſſionem. Aug. de baptiſmo Ioannis, & Chriſti, ſæpè ſcripſit in Ioannis Euang. Sic inter cætera tract. 5.* Authoritatem dare baptiſmo ſuo hinc dignatus eſt, vt cognoſcerent ſervi, quanta alacritate deberent currere ad baptiſmum Domini, quando ipſe non dedignatus eſt ſuſcipere baptiſmum ſervi. Donatum enim erat hoc Ioanni, vt ipſius baptiſmus diceretur, &c. ſolus tale donum accepit, &c. quomodo creauit Mariam, & creatus eſt per Mariam, ſic dedit baptiſmum Ioanni, & baptizatus eſt à Ioanne. ad hoc ergo accepit baptiſmum à Ioanne, vt accipiens quod inferius erat ab inferiore, ad id quod ſuperius erat, hortaretur inferiores, &c. Baptiſma tale eſt qualis eſt ille, in cuius poteſtate datur, non qualis eſt ille per cuius miniſterium datur. talis erat baptiſmus Ioannis, qualis Ioannes, baptiſmus iuſtus, tanquam iuſti, tamen hominis, &c. tale autem baptiſma Domini, qualis Dominus: ergo baptiſma Domini diuinum, quia Dominus Deus, &c. *Idem Aug. tract. 13. in cap. 3. Io. in hac verba*, venit Ieſus & Diſcipuli eius, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. baptizatus baptizabat. Non eo baptiſmo baptizabat, quo baptizatus eſt. dat baptiſmum Dominus, baptizatus à ſervo, &c. *porro diligenter aduertendum, Chriſtum per ſeipſum nullum baptizaſſe, ſed per Apoſtolos ſuos. Sic enim tract. 5. à p.* Dominus Ieſus Chriſtus baptiſmum ſuum noluit alicui dare, non vt nemo baptizaretur baptiſmo Domini, ſed vt ſemper ipſe Dominus baptizaret: id actum eſt, vt & per miniſtros Dominus baptizaret, id eſt, vt quos miniſtri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud eſt enim baptizare per miniſterium, aliud baptizare per poteſtatem, &c. *Subiicis ex Paulo 1. Cor. 1.* Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? baptizauit ergo Paulus tanquam miniſter, non tanquam ipſa poteſtas. baptizauit autem Dominus tanquam poteſtas. *Fateor ambiguum eſſe an velis Chriſtum propria manu, nullum baptizaſſe, ne qui ab aliis, licet baptiſmo ſuo, baptizati eſſent, minorem gratiam accepiſſe ſe crederent. An ſolum intelligas, Chriſtum noluiſſe cuiquam dare poteſtatem ſuam cum omni plenitudine, ne quis ſpem poneret in homine: quod poſtremum magis placet. ſic ergo exponi poteſt locus Ioannis, in quo Chriſtus dicitur baptizaſſe, aut per ſe ſcilicet, aut per Apoſtolos ſuos, qui enim per alium facit per ſeipſum facere dicitur.*

A
B
C
Aug.
Aug.
S. Aug.

AD BAPTISMI SACRAMENTVM PRÆPARATIO.

1. Baptiſmum ſuſcepturi; per orationem, & confeſſionem ſe diſponebant. de bapt. cap. 20. in p.

INgreſſuros baptiſmum, orationibus crebris, ieiuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum, vt exponant etiam baptiſmum Ioannis: [a] *Tinguebantur*, inquit, *confitentes delicta ſua.*

a Matt. 3. 6.

AD BAPTISMVM CHRISTI PRÆPARATIO. I. SCHOLIA.

INGRESSVROS BAPTISMVM. *Hic agit de Baptiſmo ſolemni, quem ſuſcepturus aliquâ ſe pœnitentia diſponebat, & hic Tertul. tangit eam quæ in Cathecumenatu fiebat & vocabatur prima pœnitentia, ſecunda, quæ nouis poſt baptiſmum criminibus commiſſis imponebatur. Erat & tertium pœnitentiæ genus, pro eo qui adhuc Cathecumenus ante baptiſmum aliquo ſe crimine maculauerat, & tempus eius Cathecumenatus prætrahebatur, & retrocedebat.* ORATIONIBVS CREBRIS. *Ex S. Iuſtino erant quædam orationes pœnitentiales, quas quotidie fundebant, pro peccatis infidelitatis.* IEIVNIIS. *Gratianus de conſecr. diſt. 4. cap. 4. Baptizandi ex Concilio Carthag. 4.* Baptizandi nomen ſuumdent, & diu ſub abſtinentia vini, carnium, ac

A

manus impositione crebra examinati, baptismum percipiant. GENICVLATIONIBVS. *id. genuflexionibus, hac voce omnem humilitatis modum expressit compendiosè, quem fusius descripsit Augustinus lib. 4. de Symbolo c. 1* omnia Sacramenta quæ acta sunt, & aguntur in nobis per ministerium seruorum Dei, exorcismis, orationibus, Canticis spiritualibus, insufflationibus, Cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum, pauor ipse omni securitate appetendus, hæc omnia vt dixi, escæ sunt, quæ vos reficiunt in vtero, vt renatos ex baptismo, hilares vos mater exhibeat Christo. PERVIGILIIS. *Noctes insomnes ad sepulchra Martyrum ducebant orantes. Aug. serm. ad Catbecum.* Inuenietis nos in nocte, non opera noctis, sed diei peregisse. Nec enim delectatione, sed vigilando, psallendo, contra aduersarium diabolum, dimicando, in nocte, opera diei peregimus. CVM CONFESSIONE, *id moris ante baptismum confitendi fluxit primo à baptismo Ioannis, quem* exponebant, *id. exprimebant baptizandi baptismo Christi.* TINGVEBANTVR *id baptizabantur* confitentes delicta sua. *Perseuerauit in Ecclesia hic mos, cum Naz. erat. 40. sic alloquatur Catbecumenos* nec peccatum tuum confiteri graue ducas. Sciens quo pacto Ioannes baptizauerit, vt per huius vitæ pudorem, futuri sæculi pudorem ignominiamque fugias. *Et Socrates lib. 9.* In Alexandrina Ciuitate plurimi ad baptismum festinabant & peccata confitentes baptizabantur. *Nec generatim: sed sigillatim. Nã ex Basil. ser. 1. de bapt. in baptismo Ioannis, quantacumque, & qualiacumque confitebantur. Alius Nazianzenus frustra pudoris & ignominiæ meminisset, quæ in confessione generatim facta non oriuntur. Quis enim erubescat se in genere dicendo peccauerim?* RETRO DELICTORVM. *id. ante cõmissorum. Aug. homil. 27. in p.* Neque ad baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quisquã bene accedit, nisi agendo pœnitentiam de vita pristina. Nemo enim eligit vitam nouam, nisi quem veteris pœnitet. Hoc autem etiam authoritate diuinorum librorum probare debemus, vtrum baptizandi egerint pœnitentiam. Quando Spiritus sanctus missus est, antè promissus, & impleuit Dominus fidem pollicitationis suæ, accepto à discipulis Spiritu sancto, vt nostis, cœperunt loqui omnibus linguis, vt in illis qui aderant linguam suam quisque cognosceret. Hoc autem miraculo territi, consilium vitæ ab Apostolis quæsierunt. Tunc Petrus annunciauit eis, eum colendum quem crucifixerunt, vt eius sanguinem biberent credentes, quem effuderant sæuientes. Ait illis Petrus, pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi; & remittentur vobis peccata vestra. Quicquid de vita præterita remordebat, quicquid angebat conscientiam, quicquid omnino vel magnum vel paruum, vel dicendum, vel non dicendum, non dubitet posse dimitti, ne fortè quod vult Dei miseratio dimittere, contra se teneat humana tentatio.

Aug. Aug. S. Aug.

2. *Ante baptismum in fide instructi, fidei jugum rationabilius portant. de bapt. cap. 1. à p.*

NOn erit otiosum digestum istud, instruens tam eos qui cùm maximè formantur, quàm & illos qui simpliciter credidisse contenti, non exploratis rationibus traditionum, intentatam probabilem fidem per imperitiam portant.

AD BAPTISMVM PRÆPARATIO. II. SCHOLIA.

OTIOSVM DIGESTVM. *Opus inutile. Sic Tertul. 4. cont. Marc. c. 3. Euangelia vocat* digesta nostra, & cap. 3. digestum Lucæ. *Cic. lib. de Oratore* 6 quis omne Ius Ciuile in genera digerat. *Digerere autem est ordinare dividendo. Vnde & Iustinianus nomen imposuit Digestis seu Pandectis*, quia omnes disputationes ac decisiones in se habent legitimas, & quod vndique fuit collectum, hoc in sinus suos receperunt. *Vt loquitur ipse Iustinianus in ep. ad Senatum.* CVM MAXIME FORMANTVR. *id. tam eos qui validiores fiunt in fide, & pleniore rerum fidei informatione imbuuntur, donec iuxta Paulum, pleno atque integro partu*, formetur in eis Christus; *quam rudiores & simpliciores, qui* INTENTATAM, *inexpertam.* PROBABILEM *nondum probatam.* FIDEM PORTANT, *quasi crassam, rudem, oneriosam sarcinam, non vt habitum inhærentem, & velut alas sublimantes animam ad cognoscenda ea quæ sunt vltra sursum.* NON EXPLORATIS RATIONIBVS TRADITIONVM. *Hic exigit à baptizandis, vt plenè instruantur dum sunt Catbecumeni, & ipsi explorent & interrogent à Magistris rationes traditionum circa ceremonias baptismi, vt pluris faciant Sacramentum, nec ei postea superueniente tentatione iniuriam faciant. Augustinus tomo 4. lib. de fide & operibus cap. 8.* Quid, inquit, aliud agit totum tempus quo Catechumenorum locum & nomen tenent, nisi vt audiant quæ fides & qualis vita debeat esse Christiani: vt cum seipsos probauerint, tunc clementia Domini manducent, & de calice bibant. S. Aug.

BAPTISMI MATERIA.

1. *Baptismo aquam abstulit Quintilla mulier viperina. de Bapt. cap. 2. v. Verbum. Aqua. num. 8.*
2. *Baptismi materia, aqua Elementaris. v. Verbum Aqua, num. 5. 6. 7. & 8.*
3. *Baptismi, ablutio qualibet, non est materia sufficiens, sed tantum quæ fit ex fide Ecclesiæ. De Bapt. cap. 12. in m.*

ALij planè satis coactè iniiciunt, tunc Apostolos baptismi vicem implesse, quum in naui- Matt. 8. 24 Matt. 14. 29.
cula fluctibus adspersi operti sunt; ipsum quoque Petrum per mare ingredientem satis mersum. Vt opinor autem, aliud est adspergi, vel intercipi violentia maris, aliud tingui disciplinâ religionis.

BAPTISMI MATERIA. III. SCHOLIA.

COACTE, *non ad rem, insulsè dicunt,* VICEM SIMPLESSE *functos esse baptismo, cum Matth. 8.* Motus factus est in mari, itaut nauicula operiretur fluctibus. PETRVM. *Matth. 14.* Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum timuit: Et cum cœpisset mergi, clamauit dicens, Domine saluum me fac. TINGVI, *&c. lauari, baptizari ex Instituto Sacramenti, & in fide & intentione Ecclesiæ & Religionis Christiana. De baptismi materia hæc breuiter accipe à D. Patre Augustino tract. 15. in Ioan 4.* Vis, inquit, nosse quia ipse baptizabat, non solum spiritu, sed etiam aqua? Audi Apostolum: Sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam suam, & seipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Mundans eam. Vnde? lauacro aquæ in verbo. Quid est baptismus Christi? Lauacrũ aquæ in verbo. Tolle aquam non est baptismus: Tolle verbum, & non est baptismus. *Et serm. 29. de temp.* Insinuauit nobis mũneris sui beneficium per secundæ natiuitatis exemplum, & quod facere voluit, prior ipse fecit. Legimus Iudæos diuersa sub lege habuisse baptismata, sed nullum ex his contra præuaricationis malum generalem potuit conferre medicinam. Et ideo pro absolutione totius mundi indigebant regenerationis aqua cælitus sanctificari. Et quia per vniuersum mundum sacramentum baptismi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictionem dedit, quando in Iordanis alueum vnica ac singulari pietate descendit. Tunc enim Christum Dominum non tam lauit vnda quàm lota est, &c. A tactu membra tinguntur, & fluenta ditantur. Vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore. Descendere in se fontem suum felix vnda miratur, sub vno momento remedia æterna concipiens, & noua Deum regenerationis fœcunditate parturiens, quod acceperat hoc reddens, & quod non habebat, accipiens.

S. Aug.

Aug.

BAPTISMI FORMA.

Baptismi forma datur in Nomine Trinitatis, ex fide Ecclesiæ. De bapt. cap. 6. à p. ad f.

HIc quoque figura præcessit. Sic enim Ioannes ante præcursor Domini fuit, præparans vias eius: ita & angelus baptismi arbiter, superuenturo Spiritui sancto vias dirigit, ablutione delictorum, quam fides impetrat, obsignata in Patre, & Filio, Spiritu sancto. Nam si [a] *in tribus testibus stabit omne verbum*, quanto magis, dum habemus per benedictionem, eosdem arbitros fidei, quos & sponsores salutis? sufficit ad fiduciam spei nostræ, etiam numerus nominum diuinorum! Quum autem sub tribus, & testatio fidei, & sponsio salutis pignerentur, necessariò adiicitur Ecclesiæ mentio: quoniam vbi tres, id est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est.

[a] Deut. 19 15. Matth. 18. 15. & seq.

BAPTISMI FORMA. SCHOLIA.

FIGVRA PRÆCESSIT. *Hanc fabricit in Ioanne præcursore; quia sicut ille viam præparauit Domino, qui Angelus dictus est,* Ecce mitto Angelum meum, &c. *sic Sacerdos in Scriptura dictus Angelus, viam parat Spiritui sancto, purgans delicta in baptismo, cuius est* ARBITER, *minister, vel Iudex, discernens an Adulti petentes baptismum sint satis instructi.* SVPERVENTVRO. *Nota Autorem non velle dicere, Baptismum non conferre gratiam, & Spiritum sanctum non descendere in Animam baptizatam, qui Christo specie Columbæ baptizato in nostri figuram datus est: sed sicut Angelus B. Virgini, iam gratia & Spiritu sancto plene dixit,* Spiritus sanctus superueniet in te: *sic Angelus, id est Sacerdos, vel Episcopus Sacramenti minister licet vi baptismi deleat delicta, ex opere operato, & proinde, Spiritum sanctum conferat, viam tamen dicitur præparare* superuenturo Spiritui sancto, *qui plenius, ad confirmandam fidem & iam receptam in baptismo gratiam, in Sacramento confirmationis datur, per Episcopum Angelum superioris Ordinis, siquidem Presbyter fuit Angelus & minister baptismi. Quo sensu intelligenda sunt verba Tertulliani præcedentia:* Non quod in aquis Spiritum sanctum consequamur, *plene scilicet & consummate,* sed in aqua emundati, *per gratiam scilicet sanctificantem* sub Angelo Spiritu sancto præparemur *Vbi, vel per appositionem, Spiritum sanctum, Angelum vocat, qui Spiritum Spiritus est Dominus, vel quod vt Angelus, nobiliori tamen modo, mittatur à Patre & Filio. Vel quod à S. Cyrillo Ieros. dicatur Spiritus sanctus,* magnus Antistes, præsul, & gratiarum parochus. *Qui sibi ipsi, ad plenitudinem suæ charitatis, donorumque diffusionem in Confirmatione faciendam, viam parat in baptismate.* FIDES IMPETRAT, *ablutionem scilicet delictorum, quam Catechumeni bene instructi petunt, & impetrant de collegio.* OBSIGNATA IN PATRE, *&c. Non tantum quod fides præcipuè versetur circa Trinitatem, quæ, signum crucis formâdo pronunciatur. Sed quod fides ipsa quæ impetrat baptismum, in baptismo plenius infundatur, & collato Sacramento* in Nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, *forma sua Sacramentum caracterem imprimens obsignetur. Vnde & Cyril. Hieros. dicit Spiritum sanctum obsignare Animas in baptismate.* ἐν βαπτίσματι σφραγίζεται ψυχὰς. *Et Augst.* signo Christi *crucis scilicet* signatur baptismus. *Et Zeno. Veron. de forma baptismi, signante Sacramentum, & Animam diuino Trinitatis caractere, vocat eam.* Denarium aureum triplicis Numismatis vnione signatum. *Concil. Later. sub Innocentio III. cap. 1.* Sacramentum baptismi, quod ad inuocationem individuæ Trinitatis, videlicet Patris & Filij, & Spiritus sancti, consecratur in aqua, tam paruulis, quam adultis, in forma Ecclesiæ, à quocunque ritè collatum proficit ad salutem. *Certis verbis ex Euangelio depromptis, baptismum confici ad salutem monuit. Aug. lib. 6. de baptismo cap. 25.* Sedatus à Tubórbo dixit in quantum aqua Sacerdotis preces in Ecclesia sanctificata abluit delicta, in tantum hæretico sermone velut cancere infecta cumulat peccata. Quare omnibus pacificis quidem viribus nitendum

Aug.

nitendum est, ne quis hæretico errore infectus & tinctus, singulare & verum baptisma detrectet accipere, quo quisque non fuerit baptizatus, à regno cœlorum, fiat alienus. Huic respondetur; quia si non sanctificatur aqua cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non solùm mali, sed etiam boni fratres in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, si à doctoribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra Catholicam fidem. Numquid si manifestetur aliquos baptizatos, cùm illæ preces dictæ super aquam fuissent, jubebuntur denuò baptizari? Quid ita? Quia plerumque precis vitium superat precantis affectus. Et quia certa illa Euangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, vt per illa sic euacuentur quæcumque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur, &c. Et si in aliquibus peruersam precem afferat, Deus adest verbis Euangelicis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest, & ipse sanctificat Sacramentum suum, vt homini siue antequam baptizetur, siue cum baptizatur, siue postea quandoque ad se veraciter conuerso, idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem nisi conuerteretur valeret. PER BENEDICTIONEM. *Sacerdotis scilicet, orantis & benedicentis baptizandum, post interrogationes, trinam fidei confessionem, & recitationem Symboli, tum enim Sacerdos inuocabat Trinitatem, precando salutem baptizando, Nomine illius spondens ei salutem, qui professus fuerat fidem Trinitatis. Sic de hac Dion. Areop. lib. 2. Eccl. hierarch.* Postquam baptizandus ter rursum professus est, rursus Sacerdos, cum precatus est, benedicit, manusque imponit. ARBITROS ET SPONSORES. *Testes & promissores seu fidei-iussores. Testis enim dicitur arbiter. Vnde & dicitur aliquid fieri.* Sine arbitris. *Deus autem Trinus & vnus vtroque modo arbiter est: Iudex scilicet & testis. Vnde & psaltes thronum vt judici statuit, cuius oculum vt Solis nihil lateat, & simul testem agnoscit.* Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum &, testis in cœlo fidelis. *Et 1. Io. 5.* Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c, *Et ibid.* Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. NOMINVM DIVINORVM. *Intellige personarum.* PIGNERENTVR. *Alij* pignorentur. *Sumendum non passiuè, sed deponenter. Magna energia dictum, vt vtrimque ad fidei baptizandi firmitatem inuiolabilem, & vicissim Dei adoptantis, & salutem æternam promittentis baptizato, inuiolabilem sponsionem, vicissim pro pignore & cautione, tres personæ Trinitatis adducantur. Si enim in tribus hominum personis idipsum testantibus stat omne verbum, quanto magis in diuinis? Licet modica aqua de latere Christi fluxerit in baptismi figuram, apertum tamen latus est vt ostium arcæ, id est Ecclesia, quæ est corpus Christi; sufficit tamen aqua parua baptismi vt omnes lauentur; & latus porta ampla ad ingressum Ecclesiæ. Aug. homil. 27.* Quid sibi velit mare, nubes, manna, hoc non exposuit; sed petra quis esset ostendit. Per mare transitus, est baptismus. Sed quia baptismus, id est, salutis aqua, non est salutis, nisi in Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur. Hoc vt significaret ille baptismus, mare rubrum fuit. *Et to. 7. lib. 2. contra literas Petiliani, sic ei respondet; aquam à malis ministris pollui dictitanti cap. 2.* Nec, inquit, aqua nostra inquinamur, nec vestra mundamur: Sed aqua baptismi, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum datur alicui, nec nostra nec vestra est, sed illius, de quo Ioanni dictum est, super quem videris Spiritum sicut columbam descendentem & manentem super eum. hic est qui baptizat in Spiritu sancto. ECCLESIÆ MENTIO. *Intelligendum de interrogatione & Symbolo, interrogatus enim Catechumenus de symbolo, post confessionem trium personarum.* Credisne sanctam Ecclesiam Catholicam? *Huius interrogationis mentionem facit Aug. hom. ad Neoph. & 5. contra Donatist. cap. 20. Hiero. cont. Lucif. & Cypr. in epist.* TRIVM CORPVS EST. *De hoc errore alibi diximus in Alphabeto errorum Tertul. Interea respicit illud Matth. 18. Vbi cum dixisset Christus,* dic Ecclesiæ; *paulo post subijcit,* vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Dixit autem Ecclesiam corpus trium sine quod in tribus sit Ecclesia vt de facto ab initio mundi fuit in duobus Adam & Eua, in octo animabus reclusis in Arca; in Iesu Maria & Ioseph, &c. Vel quia Ecclesia sponsa est Dei vnius & Trini; sponsa enim iuxta Paulum corpus est, cuius caput est vir. Propriè tamen corpus Christi est, in quo & tres testimonium dant in terra, spiritus, quem emisit moriens,* aqua & sanguis *de latere fluens.*

A

B

C

D

S. Aug.

S. Aug.

BAPTISMI NECESSITAS.

Baptismus in re, vel in voto necessarius, suppletus in Apostolis, vocationis sublimitate, & fide.
De bapt. cap. 12. per totum, & 13. in p.

QVum verò præscribitur, nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maximè pronuntiatione Domini, qui ait; *Nisi natus ex aqua quis erit*, suboriuntur scrupulosi, imò temerarii retractatus quorumdam, quomodo ex ista præscriptione Apostolis salus competat, quos tinctos non inuenimus in Domino, præter Paulum. Immò cùm Paulus solus ex illis baptismum Christi induerit, aut præiudicatum esse de cæterorum periculo, qui careant aqua Christi, vt præscriptio salua sit; aut rescindi præscriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est. Audiui, Domino teste, eiusmodi; ne quis me tam perditum existimet, vt vltro exagitem libidine stili, quæ aliis scrupulum incutiant. *Et ibidem.* Nunc siue tincti quoquo modo fuerunt, siue inloti perseuerauerunt, vt & illud dictum Domini, de vno lauacro, sub Petri persona, ad nos tantummodò spectet; de salute tamen Apostolorum, satis temerarium est æstimare, quia non illis, vel primæ adlectionis, & exinde indiuiduæ familiaritatis prærogatiua, compendium baptismi conferre posset, cùm illi, opinor, sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur: [a] *Fides tua te*, aiebat, *saluum fecit; &*, *Remittuntur tibi peccata*, credenti vtique, nec tamen tincto. Id si Apostolis defuit, nescio; quorum fides vno verbo Domini suscitata, teloneum dereliquit; patrem, & nauem, & artem qua vitam sustentabat, deseruit: patris exequias despexit: summum illud Domini præce-

Io. 3. 5.

Act. 9. 6.

a Matth. 9. 5. Marc. 10. 52. Matt. 9. 9. Matth. 4. 21. 22. Matt. 8. 21.

ceptum, [b] *Qui patrem, aut matrem mihi praetulerit, non est me dignus*, antè perfecit, quàm audiuit. Hîc ergo scelestissimi illi prouocant quæstiones. Adeò dicunt, baptismus non est necessarius, quibus fides satis est. nam & Abraham, nullius aquæ, nisi fidei sacramento, Deo placuit. Sed in omnibus posteriora concludunt, & sequentia antecedentibus prævalent. Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem, & resurrectionem. at vbi fides aucta est credendi in natiuitatem, passionem, resurrectionemque eius, addita est ampliatio sacramento, obsignatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potest jam sine sua lege. Lex enim tinguendi imposita est, & forma præscripta. *Ite,* [c] *inquit, docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Huic legi collata definitio illa: [d] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu, non intrabit in regnum cælorum.* obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tinguebantur. Tunc & Paulus, vbi credidit, tinctus est. Et hoc est quod Dominus in illa plaga orbationis, præceperat, [e] *Exurge dicens, & introi Damascum, illic tibi demonstrabitur, quid debeas agere*, scilicet tingui, quod solum ei deerat. Alioquin satis didicerat, atque crediderat, Nazarenum esse Dominum, Dei filium.

[b] Matt. 10. 37.

CAP. XIII Gen. 15. 6.

[c] Matt. 28. 19.

[d] Ioa. 3. 5.

[e] Act. 9. 6.

BAPTISMI NECESSITAS. SCHOLIA.

RETRACTATVS, *id. tractatus, vel scripti, vel de pulpito prædicati. Vox frequentissima Tertulliano.* TINCTOS IN DOMINO, *id. baptismo Christi Baptizatos. Nicephorus refert fragmentum Epistolæ Enodij* Christus manibus suis Petrum tantummodo Baptizauit, Petrus porro Andream & filios Zebedæi, idenique reliquos Apostolos: septuaginta autem illos, Petrus & Ioannes Theologus dictus Baptizauit. *Ita & Clemens Alex.* in illud Apostoli, Gratias ago quia neminem vestrûm Baptizaui. *sic habet* Christus dicitur Petrum solum baptizasse; Petrus Andræam, Iacobum, & Ioannem; illi autem reliquos. PRÆTER PAVLVM. *Act. 9. ab Ananiâ baptizatus est:* abijt Ananias & introiuit in domum & imponens ei manus dixit, Saule frater, Dominus misit me IESVS, qui apparuit tibi in via qua veniebas, vt videas & implearis Spiritu Sancto, & confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est. *Aug. Ep. 108. in m.* Scriptum est quando baptizatus sit Apostolus Paulus, & scriptum non est quando baptizati sint alij Apostoli, veruntamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus: quemadmodum scriptum est quando baptizatæ sunt plebes Ecclesiarum in Ierusalem & Samaria. *Actu. 2.* qui receperunt sermonem eius *Petri* baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa Animæ circiter tria millia. *& rursum ibidem* vtrumque de Domino scriptum est Ioannis 4. *audierunt Pharisæi quod Iesus plures Discipulos facit, & baptizat quam Ioannes, quamquam Iesus non baptizabat, sed Discipuli eius,* baptizabat non per seipsum, sed per Discipulos suos, quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur, siue quod magis credibile est, baptismo Christi DE CÆTERORVM PERICVLO. *Aug. supra cum dixisset baptismum non contemnendum à quouis Sancto, etiam accepto Spiritu Sancto, sicut Actu. 10. Cornelius & eius socij iam accepto Spiritu Sancto baptizatisum: & probasset iustos in veteri lege ante præceptum Circumcisionis sine illa salvari potuisse, tamen post præceptum sub graui peccato fuisse obligatos; sic postquam lex baptismi data est Ioannis 3. nisi quis renatus, &c.* iam non debemus quærere, quando quisque fuerit baptizatus, sed quolcumque legimus in corpore Christi quod est Ecclesia, pertinere ad Regnum Cœlorum, non nisi bapizatos intelligere debemus: nisi fortè quos angustia passionis inuenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur occisi sunt, quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Sed nunquid hoc possumus de Apostolis dicere, qui vsque adeo largum tempus habuerint, quo baptizarentur, vt alios etiam baptizauerint? Sed non omnia quæ facta sunt, etiam scripta inueniuntur, verumtamen facta esse, ex cæteris documentis probantur. DE VNO LAVACRO qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, &c. *demus, inquit, vel baptizatos, vel non baptizatos Apostolos, temerarium certè est, dubiam eorum salutem facere, in quibus, vel vocationis sublimitate, vel assiduitate consortij potuit gratiam baptismi supplere.* AD NOS TANTVMMODO SPECTET. *In persona Petri quod dixit Christus, nos tangebat, quibus vnum baptisma necessarium est, non enim Christi baptismus. Characterem imprimens repetitur. Petrus verò alijque Apostoli, poterant baptismo Ioannis baptizati, subire baptismum Christi. Sed quidquid sit, susceperint baptismum, vel non susceperint, fas non est de eorum salute dubitare, qui fidei & charitatis merito Christo adherentes, non erant postponendi vel cæco Iericho, cui dixit Marc. 10.* Fides tua te saluum fecit: *vel Paralytico, Matth. 9.* Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: *nec tamen baptizatus fuerat.* NESCIO *scilicet si baptismus defuit Apostolis, sed scio fidem ipsorum longè superiorem; cum & eorum vnus, Matthæus scilicet, vno verbo* sequere me *telonium reliquerit, & Matth. 4. filij Zebedæi, & patrem & matrem deseruerint; & Matth. 8. alius discipulus patrem sepelire neglexerit, quod aliqui de Ioanne Euangelista explicant, qui ante perfecit magnum illud mandatũ, quod postea Christus edixit. Matth. 10.* qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. A DEO DICTVM. *non est, inquit, quod impij inde concludant baptismum non esse necessarium, cum sola fides ad iustificationem sufficiat, tum Apostolis, si baptizati non fuerint, tum Abrahæ nondum circumciso Gen. 15. & Rom. 4.* Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. POSTERIORA. *Leges enim vltimæ prioribus derogant.* RETRO. *Esto, ante Christi resurrectionem, addo ante diem Pentecostes, quo lex noua fuit promulgata, fuerit satis ad salutem, pura & nuda fides. Sed iam auctâ fide explicita in Christi mysteria;* AMPLIATIO, *scilicet adiecta est obligatio suscipiendi Sacramentum baptismi.* OBSIGNATIO BAPTISMI. *Character fidei Sacramẽto impressus discernens fidelem ab infideli. vel quo fidelis suam fidem obsignat fidelitatem vouens sua seruitutis Christo Domino.* VESTIMENTVM. *non tantum quia intra Paulum baptizatus Christum induit; sed maximè, quia nuda & simplex fides Catechumeni Sacramenti veste regenerandum tingitur. De quo lauacro ostendit anima decalbatæ velut ouis, in sanguine Agni lota stola: & domestica facta diuinæ sapientiæ vestita est duplicibus, bysso iustitiæ, & purpura charitatis. De qua Iob. 28.* non adæquabi-

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

tur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundiſſimæ componetur. *quem locum ſic exponit Greg.* tincturæ mundiſſimæ vocantur hi qui veraciter ſunt humiles & Sancti, qui ſciunt quidem, quia ex ſemetipſis virtutum ſpeciem non habent, ſed hanc ex dono gratiæ ſuperueniẽtis tenent. Tincti enim non eſſent, ſi ſanctitatem naturaliter habuiſſent. *Vbi nota gloſſam interlinearem hoc loco per* tincturam mundiſſimam intelligere baptiſmum. *quo vtique peccatum naturale ſiue originale in omnibus, & actualia omnia in adultis immaculato Agni ſanguine emundantur.* NEC POTEST IAM. *alij legunt* nec potentiam habuit. *id. fides veterum Patrum, eos ſaluare non potuit, poſtquam lex Circumciſionis impoſita eſt: nec iam nuda fides. ſine obſeruatione legis baptiſmi.* COLLATA DEFINITIO. *id. legi impoſitæ baptizandi omnes gentes, iunctæ Chriſti ſententiæ definitiuæ. Io. 3.* niſi quis renatus, &c. *duplex vinculum eſt obligans credentem, ad baptiſmum ſuſcipiendum.* FORMA PRÆSCRIPTA. *Matth. 28.* baptizantes eos in nomine Patris, &c. *multi tamen credunt iuxta Actor. 2. baptizatos fuiſſe in nomine Ieſu Chriſti. Sic Magiſter ſent. Caietanus, Nicolaus & Stephanus Pontifices. Ambr. lib. de Spiritu ſancto. vbi aduerſit in nomine Chriſti tres perſonas comprehendi. Qui enim Chriſtum nominat, filium intelligit, qui vnctus eſt, & Patrem à quo vnctus eſt, & Spiritum quo vnctus eſt. Probabile eſt hanc formam fuiſſe in initio ad imprimendum Iudeis Chriſti à Patribus eorum crucifixi honorem. De quibus ſic Acto. 2. Petrus* pœnitentiam agite & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum. PLAGA ORBATIONIS *quando cæcitate percuſſus eſt, Act. 9.*

BAPTISMI MINISTER.

I. *Baptiſmum Chriſtus non per ſeipſum, ſed per Apoſtolos miniſtrabat. De bapt. cap. 11. in p. adm.*

SEd ecce, *inquiunt*, venit Dominus, & non tinxit. Legimus enim: *Et* [a] *tamen is non tingebat, verùm diſcipuli eius*; quia reuerà ipſum ſuis manibus tincturum Ioannes prædicaſſet. Non vtique ſic intelligendum eſt, ſed ſimpliciter dictum more communi. Sicut eſt, verbi gratia, Imperator propoſuit edictum, aut, Præfectus fuſtibus cecidit: nunquid ipſe proponit, aut nunquid ipſe cædit? ſemper is dicitur facere, cui præminiſtratur. Ita erit accipiendum: [b] *Ipſe vos tinguet*, pro eo quod eſt, per ipſum tinguemini, vel in ipſum! Sed ne moueat quoſdam, quòd non ipſe tinguebat. In quem enim tingueret? in pœnitentiam? quò ergo illi præcurſorem? in peccatorum remiſſionem? quam verbo dabat; in ſemetipſum? quem humilitate celabat; in Spiritum ſanctum? qui nondum à Patre deſcenderat; in Eccleſiam? quam nondum Apoſtoli ſtruxerant.

[a] Io. 4. 2.
Luc. 3. 16.
[b] Luc. 3. 16

V. Verbum Baptiſmus Ioan. num. 2.

BAPTISMI MINISTER. I. SCHOLIA.

SED ECCE INQVIVNT. *obiiciunt Quintille ſectatores, aliique impugnatores baptiſmi: Chriſtum neminem baptizaſſe Io. 4. Et tamen Ioannes eum baptizaturum prædixerat, Luc. 3.* Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni. *Reſpondet Tertullianus, id intelligendum ſicut Imperator, & Præfectus dicuntur facere, quod faciunt per miniſtros: à miniſtri porro malitia, vel bonitate valorem baptiſmi non pendere docuit Auguſtinus to. 7. lib. 2. cont. literas Petiliani cap. 3. vbi inducit eum ſic loquentem.* Petilianus dixit, conſcientia dantis attenditur, qui abluat accipientis. Auguſtinus reſpondit; de conſcientia ergo Chriſti ſecuri ſumus; *qui ſanctificator eſt, & inſtituor baptiſmi, non ſimplex miniſter.* Nam ſi quemlibet hominem ponas, incerta erit accipientis mundatio, quia incerta conſcientia eſt abluentis Petilianus dixit: qui fidem à perfido ſumpſerit, non fidem percipit ſed reatum. Auguſtinus reſpondit; Non eſt perfidus Chriſtus, à quo fidelis homo fidem percipit, non reatum. Credit quippe in eum qui iuſtificat impium, vt deputetur fides eius ad juſtitiam. Petilianus dixit; omnis res origine, & radice conſiſtit, & ſi caput non habet aliquid, nihil eſt: nec quicquam benè regeneratur, niſi bono ſemine regeneretur. Auguſtinus reſpondit: quid te pro Chriſto vis opponere, ſub quo te non vis ponere? Ille eſt origo, & radix, caputque naſcentis, de quo non timemus, ſicut de homine quolibet, ne fortè ſit fictus & peſſimus, & de origine peſſima oriamur, de peſſima radice ſurgamus, peſſimo capiti conformemur. Quis enim homo de homine ſecurus ſit, cùm ſcriptum ſit, maledictus omnis qui ſpem ſuam ponit in homine. ſemen autem quo regeneramur, verbum Dei eſt, id eſt Euangelium. Vnde Apoſtolus dicit. 1. Cor. 4. in Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui: qui tamen etiam non caſtè annuntiantes, Euangelium annuntiare permittit. Philip. 1. 18. Et in hoc gaudet, quia etſi non caſtè annuntiabant, ſua quærentes non quæ Ieſu Chriſti, caſtum tamen erat quod annuntiabant. Et dixerat Dominus de quibuſdam talibus Matth. 23. quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Si ergo caſtè annuntiatur quod caſtum eſt, etiam ipſe annuntiator, quia verbo conſociatur, credentem congenerat: ſi autem ipſe non regeneretur, caſtum tamen ſit quod annuntiat, naſcitur credens, non ex miniſtri ſterilitate, ſed ex veritatis fœcunditate. *Et tract. 15. in Io. 4. præcisè in rem Tertul.* An vtrumque eſt, quia Ieſus baptizabat & non baptizabat? Baptizabat enim, quia mundabat: non baptizabat, quia ipſe non tingebat. Præbebant diſcipuli miniſterium corporis, præbebat ille adiutorium maieſtatis. Quando enim ceſſaret à baptizando, quando non ceſſat à mundando? de quo dictum eſt ab eodem Ioanne per Ioannis Baptiſtæ perſonam, dicentis; hic eſt qui baptizat. Ergo Ieſus adhuc baptizat. Et quouſque baptizandi ſumus, Ieſus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem miniſtrum, habet enim ſuperiorem magiſtrum, &c. Vis noſſe quia ipſe baptizabat, non ſolùm ſpiritu, ſed etiam aqua? Audi Apoſtolum Epheſ. 5. ſicut Chriſtus, inquit, dilexit Eccleſiam ſuam, & ſeipſum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipſe ſibi gloriоſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam; aut aliquid huiuſmodi. Mundans eam. Vnde? lauacro aquæ, in verbo. Quid eſt baptiſmus Chriſti? lauacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non eſt

Aug.
Aug.

baptiſmus: tolle verbum, & non eſt baptiſmus. *Idipſum iam ampliſſimè dixerat tract. 5. in cap. 1. Ioannis ſub finem, vbi ſimul baptiſma Chriſti, Ioannis baptiſmo preferebat.* Non, inquit, tu melior quàm Ioannes: ſed baptiſma quod per te datur, melius quàm Ioannis. Ipſum enim Chriſti eſt, iſtud autem Ioannis. Et quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro, Chriſti eſt, & quod dabatur à Iuda, Chriſti erat. Dedit Iudas & non baptizatum eſt; *non repetitum eſt baptiſma*, poſt Iudam: dedit Ioannes, & baptizatum eſt poſt Ioannem: quia ſi datum eſt à Iuda, baptiſmum Chriſti erat: quod autem à Ioanne datum eſt, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, ſed baptiſmum Chriſti, etiam per Iudæ manus datum, baptiſmo Ioannis, etiam per manus Ioannis dato rectè præponimus. Etenim dictum eſt de Domino, antequam pateretur, Io. 4. quia baptizabat plures, quàm Ioannes: Deinde ſubiunctum eſt: quamuis ipſe non baptizaret, ſed diſcipuli eius. Ipſe, & non ipſe: ipſe poteſtate, illi miniſterio. Seruitutem ad baptizandum illi admouebant: poteſtas baptizandi in Chriſto permanebat. Ergo baptizabant diſcipuli eius, & ibi adhuc erat Iudas inter diſcipulos eius. Si quos ergo baptizabat Iudas, non ſunt iterum baptizati, & quos baptizauit Ioannes iterum baptizati ſunt? planè iterum: ſed non idem erat baptiſmus. Quos enim baptizauit Ioannes, Ioannes baptizauit: quos autem baptizauit Iudas, Chriſtus baptizauit. Sic ergo quos baptizauit ebrioſus, *non dixit ebrius; rationis vſum non habens*, quos baptizauit homicida, quod baptizauit adulter, ſi baptiſma Chriſti erat, Chriſtus baptizauit. Non timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic eſt qui baptizat. Cæterùm, fratres mei, delirum eſt dicere, quia melioris meriti fuit, non dico Iudas, ſed quilibet hominum, quàm ille de quo dictum eſt, in natis mulierum, nemo ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Non ergo huic quiſquam ſeruus, ſed baptiſma Domini, etiam per ſeruum malum datum, baptiſmati etiam amici ſerui præponitur. QVIA RE VERA. *alij legunt*, quaſi re vera. *vt dicat ironicè quaſi vero Chriſtus ipſe per ſe & non per diſcipulos baptizaturus eſſet. Euthymius tamen ſic ait.* Scribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quod Chriſtus Petrum, ac Virginem matrem baptizauerit. *Et Albertus magnus ſcribens ſuper Miſſus eſt Angelus, ſic de B. Virgine loquitur.* Per baptiſmum & characteris impreſſionem, & virtutum exercitationem, & meritorum augmentationem ſuſcepit. IN QVEM ENIM TINGVERET? *Non in pœnitentiam, hoc enim egerat Præcurſor: non in remiſſionem peccatorum, quam ſolo verbo dabat. non in ſeipſum, quia non ſe humilis commendabat. Non in Spiritum, quem Actu. 1. promiſerat.* Baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies. NONDVM STRVXERANT. *non quod iam Chriſtus Eccleſiam non incœpiſſet conſtruere, prima eius fundamenta in Petro & Apoſtolis locans, ſed quia Apoſtoli nondum eam ſuis ordinationibus & inſtitutis inſtruxerant, & quia lex nouæ, proindeque ipſa Eccleſia cœpit ædificari in die Pentecoſtes nouis linguis datis Apoſtolis, ſicut confuſis linguis cœpit diſſipari & confundi ædificatio Babylonica turris.*

S. Aug.

2. *Baptiſmi miniſter quis ex officio, vel ex neceſſitate. De bapt. cap. 17. per totum.*

SVpereſt ad concludendam materiolam, de obſeruatione quoque dandi & accipiendi baptiſmum commonefacere. Dandi quidem habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. dehinc Presbyteri, & Diaconi: non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem; quo ſaluo, ſalua pax eſt. Alioquin etiam laicis jus eſt. quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt. niſi Epiſcopi jam, aut Preſbyteri, aut Diaconi vocantur, diſcentes. Domini ſermo non debet abſcondi ab vllo. Proinde & baptiſmus, æquè Dei cenſus, ab omnibus exerceri poteſt: ſed quantò magis laicis diſciplina verecundiæ, & modeſtiæ incumbit? cùm ea majoribus competant, ne ſibi adiumant dicatum Epiſcopis, officium Epiſcopatus. Æmulatio, ſchiſmatum mater eſt. [a] *Omnia licere* dixit ſanctiſſimus Apoſtolus, *ſed non omnia expedire.* Sufficiat ſcilicet, in neceſſitatibus vtaris, ſicubi, aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur; cùm vrget circunſtantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod liberè potuit. Petulantia autem mulieris, quæ vſurpauit docere, vtique non etiam tinguendi jus ſibi pariet: niſi ſi quæ noua beſtia euenerit ſimilis priſtinæ: vt quemadmodum illa baptiſmum auferebat, ita aliqua per ſe eum conferat. Quòd ſi quæ Paulo perperam adſcripta ſunt, ad licentiam mulierum, docendi, tinguendique defendunt; ſciant in Aſia presbyterum, qui eam ſcripturam conſtruxit, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans, conuictum atque confeſſum id ſe amore Pauli feciſſe, loco deceſſiſſe. Quàm enim fidei proximum videretur, vt is docendi & tinguendi daret feminæ poteſtatem, qui ne diſcere quidem, conſtanter mulieri permiſit? [b] *Taceant, inquit, & domi maritos ſuos conſulant.*

a 1. Cor. 6. 12.

b 1. Cor. 14. 34.

BAPTISMI MINISTER. II. SCHOLIA.

SVMMVS SACERDOS. *Nota dignitatem Epiſcopi, qui tam à Damaſo Papa, quàm ab Auguſt. ſummus Sacerdos dicitur.* Quid eſt Episcopus? niſi primus Preſbyter, id eſt Episcopus. SINE EPISCOPI AVTHORITATE. *Preſbyteri quibus incumbit in Parochia, abſque Epiſcopi licentia baptizare poſſunt. Hinc Iſid. de diuinis officiis.* Conſtat baptiſmum Sacerdotibus eſſe traditum, nec ipſis Diaconibus exſplere licitum eſt, abſque Epiſcopis, vel Preſbyteris. *Pontificale tamen Romanum, dicit in Diaconatu dicit*, Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare: *quia plus habet iuris in miniſtrando baptiſmo, quam laicus. Hieron. contra Luciferi.* Inde venit vt ſine Chriſmate, & Epiſcopi iuſſione, neque Preſbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi. *Rationem ſubiecit Tertul.* PROPTER ECCLESIÆ HONOREM. *propter reuerentiam debitam Hierarchiæ. Nec prætereundum quod vnum tantum olim erat baptiſterium, vnde non poterat miniſtrari hoc Sacramentum ſine Epiſcopi licentia.* SALVA PAX

BET. *dum scilicet unusquisque stat in gradu suo, nec laicus præsente Diacono, iste præsente Presbytero, & hic astante Episcopo baptizare non præsumit. August. lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. vbi de laico in necessitate baptizante & de indelebili baptismi charactere*; Et si laicus, inquit, aliqua pereuntis dederit necessitate compulsus, quod cùm ipse acciperet, dandum esse addidicit, nescio an piè quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est: si autem necessitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed & si nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis rectè dici possit illicitè datum. Illicitam ergo vsurpationem corrigit reminiscentis, & pœnitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad pœnam vsurparoris quod datum est, vel eius qui illicitè dedit, vel eius qui illicitè accepit, non tamen pro non dato habebitur. Neque vllo modo per deuotum militem quod à priuatis vsurpatum est, signum regale violabitur. Si enim aliqui furtim & extraordinariè, non in monetis publicis aurum vel argentum, sed æs percutiendo signauerint, cùm fuerit deprehensum, nonne illis punitis, aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus cogetur inferri? Aut si quisquam est, siue desertor, siue qui nunquam omnino militauit, qui nota militari priuatum aliquem signet, nonne vbi fuerit deprehensus ille signatus, pro desertore punietur, & eò grauius quo probari potuerit numquam omnino se militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si fortè illum militiæ characterem in corpore suo, non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa & impetrata iam venia militare cœperit, numquid homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An fortè minus hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec Apostatas carere baptismate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse iudicatur? An ducenda de militia similitudo non fuit, cùm & Apostolus de agonisticis certaminibus clamet, & apertè dicat; Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus: vt ei placeat cui se probauit? ALIOQVIN. *id. excepta reuerentia, & iure, & ordine Ecclesiastico, in necessitate laicus ius habet baptizandi.* QVOD ENIM EX AQVO. *sic Hieron.* vt enim accipit quis, ita & dare potest. NISI EPISCOPI IAM, *&c. quasi diceret; possunt quidem & laici baptizare æquè valide, modò tamen non vocentur Episcopi, Presbyteri, Diaconi.* DISCENTES, *id. discipuli, & Apostoli Christi*, horum enim loco successerunt Episcopi, &c. *alij legunt*, dicentes: Domini sermo non debet abscondi ab vllo; proinde, &c. *quasi diceret, esto, baptizent laici, quod proprium est ex officio Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum; hoc tamen excipio, vt se Christi discipulos, Episcopos &c. esse non iactent; nec dicant, promiscuè, & vbique, & quandocumque baptizare posse, hoc nixi prætextu; quòd sermo Dei, &* verbum vitæ in lauacro aquæ *nemini tolli debeat, & baptismus* DEI CENSVS, *id. res Dei exerceri potest ab omnibus.* QVANTO MAGIS, *si maiores laicis, Diaconi & Presbyteri non assumunt* Episcopi, *id. quasi Episcopi essent. Episcopale munus, quanto magis ab eo laici, modestè abstinere debent.* DEI CENSVS. *Census erat albus, & liber in quo opes scribebantur. Sic in baptismo in peculium Christi adscribuntur baptizati; vel quia fructus, & reditus passionis Christi in baptismo continetur.* CONSTANTIA SVCCVRRENTIS. *id. quædam veluti audacia laici, in necessitate præstantis, quod alij ex officio præstant, excusat.* PETVLANTIA AVTEM MVLIERIS. *Quintillam intellige. alij legunt* mulierum, *Priscilla scilicet, & Maximilla prophetissarum Montani. Concilium 4. Carthag. can. 100.* Mulier quantumuis sancta, baptizare non præsumat, nisi cogente necessitate. TINGVENDI IVS. *Sic idem de Vel. Virg.* Non permittitur mulieri tinguere. *Et de præscr.* Mulieres hæreticæ audent forsitan & tinguere. *Quod & Marcionistis obiecit Epiphanius. Qui nec beatissimæ Virgini concessum fuisse dicit vt baptizaret. Quod deprompsit ex lib. 3. c. 9. Constit. Apostolicarum. Iam Quintilla sibi arrogauerat Ius docendi, & timebat ne* NOVA BESTIA, *ei similis adueniret, vel ipsamet* vt muliere nil inconstantius, *ius sibi pareret, solemniter, aut sine necessitate baptizandi, quæ Sacramento baptismi aquam prius abstulerat: sicut Maximilla, & Priscilla Sacerdotium vsurpauerant.* PAVLO PERPERAM *Nec, inquit, Fabellam ex Apocryphis D. Pauli proferant mulieres, & se exemplo Theclæ tueantur, cum Asiaticus Presbyter commentum suum fuerit confessus, & loco proiectus.* TITVLO PAVLI, *&c. Augens Epistolarum numerum, suam fabulam venditans sub Pauli nomine. Hiero. in Catal. Script. Eccl. in Luca monet cauendas esse* periodos Pauli, & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter Apocryphas computamus: quale enim est, vt Lucas, indiuiduus comes Apostoli inter eius res, hoc solum ignorauerit. *Aduersus duos libros S. Basilij Seleucie Episcopi inscriptos*, actus sanctæ Apostolæ, & Prothomartyris Theclæ. *In quibus nullam facit dicti Leonis baptizati mentionem. Eam tamen baptizasse, & docuisse narrat Tryphænam, & totam eius familiam.* Sermonem inquit, de fide habuit, Christo conciliauit & per signaculum, *id est baptismum* albo ipsius milites adscripsit. *Quod si bona fide, absentibus viris fecisset, culpa caruisset, aliàs id mulieri non licet.* DISCERE CONSTANTER. *1. Cor. 14.* Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit; *Gen. scilicet 3. v. 16. sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. *Hinc Tertul.* constanter *dixit, quasi ex æquo congressu, interrogando, & dijudicando de dubiis. Nota ex Isidoro Ægyptio, cùm mulieres in Ecclesia ab importuna loquacitate coerceri non possent, indultum fuisse vt canerent, sed cum abuti cepissent, tantum ipsis Isidorus ipse interdixit.*

3. *Baptismum non temerè ministrandum, ne fiat iniuria Sacramento; Et interdum vtiliter differtur. De Bapt. cap. 18. per totum.*

CEterùm, baptismum non temerè credendum esse, sciant quorum officium est. [a] *Omni petenti te dato*, suum habet titulum; proinde ad eleemosynam pertinentem. Immò illud potius perspiciendum, [b] *Nolite dare sanctum canibus, & porcis proicere margarita vestra; &* [c] *Manus ne facilè impposueris, ne participes alienis delictis.* Si Philippus tam facilè tinxit eunuchum, cogitemus manifestam, & exertam dignationem Domini intercessisse. Spiritus Philippo præoperat in eam viam pertendere; spado & ipse inuentus est non otiosus, nec

a Luc. 6. 30.
b Matt. 7. 6.
c 1. Tim. 5. 22 Act. 8. 38.

qui ſubitò tingui concupiſceret: ſed ad templum orandi gratiâ profectus, ſcripturæ diuinæ impreſſus; ſic oportebat deprehendi, cui vltro Deus Apoſtolum miſerat; ad quem rurſus ſpiritus, vt ſe curriculo eunuchi adjungeret, juſſit; ſcriptura ipſius fidei occurrit; in tempore exhortatus, adſumitur, Dominus oſtenditur; fides non moratur; aquâ non expectatur; Act. 9. 6. Apoſtolus perfecto negotio, eripitur. Sed & Paulus reuerà citò tinctus eſt. Citò enim cognouerat Simon hoſpes, vas eum eſſe electionis conſtitutum. Dei dignatio ſuas præmittit prærogatiuas; omnis petitio, & decipere, & decipi poteſt. Itaque pro cuiuſque perſonæ conditione, ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio baptiſmi vtilior eſt: præcipuè tamen circa paruulos. Quid enim neceſſe eſt ſponſores etiam periculo ingeri? quia & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & prouentu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus, [d] *Nolite illos prohibere ad me venire.* Veniant ergo, dum adoleſcunt; veniant dum diſcunt, dum quò veniant docentur; fiant Chriſtiani, quum Chriſtum noſſe potuerint. quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum? cautius agetur in ſecularibus; vt cui ſubſtantia terrena non creditur, diuina credatur. norint petere ſalutem, vt petenti dediſſe videaris. Non minore de cauſa, innupti quoque procraſtinandi, in quibus tentatio præparata eſt, tam virginibus per maturitatem, quàm viduis per vacationem, donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur. Si qui pondus intelligant baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quàm dilationem: fides integra, ſecura eſt de ſalute.

[d] Matt. 19. 14.

BAPTISMI MINISTER. III. SCHOLIA.

CREDENDVM. *Termino fori dictum, pro committendum, præſtandum. Dicit baptiſmum non dandum velut eleemoſynam omni petenti.* NEC MARGARITA VESTRA, *aly margaritas, id. pretioſa dona Dei.* MANVS NE FACILE. *1. Tim. 5.* Manus citò nemini impoſueris, neque communicaueris delictis alienis. *Intelligi poteſt vel de benedictione Epiſcopi vel Presbyteri, quæ dabatur baptizando, vel de Sacramento Confirmationis, vel Ordinis, per impoſitionem manuum. Sic enim in Actis baptizatis in Nomine Domini Ieſu*, imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. *Chryſoſtomus, tamen Oecumen. & Theoph. volunt Apoſtolum hic monuiſſe Timotheum Epiſcopum ne imprudenter quemquam Presbyterum Ordinaret.* APOSTOLVM MISERAT. *Bis hic Philippum Apoſtolum nominat, vt & Clemens in Conſtit. Apoſt. Euſeb. & Aug. in Proœm. lib.* S. Aug. *1. de Doctr. Chriſtian. & tractat. 6. in Ioan dubitat an fuerit Apoſtolus, vel Diaconus. Sed & D. Lucas Actor. 21. vocat eundem Euangeliſtam. Sed ibidem eodem contextu fuiſſe dicit vnum de ſeptem Diaconis.* Venimus Cæſaream. Et intrantes domum Philippi Euangeliſtæ, qui erat vnus de ſeptem, manſimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. *Actor. 6. ſecundus nominatur inter Diaconos.* Elegerunt Stephanum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum & Prochorum & Nicanorem, & Timonem & Parmenam, & Nicolaum adianam Antiochenum. *De eodem Philippo Act. 8.* Philippus autem deſcendens in Ciuitatem Samariæ prædicabat illis Chriſtum, &c. Cum vero credidiſſent Philippo euangelizanti de Regno Dei, in Nomine Ieſu Chriſti, baptizabantur viri ac mulieres. Tunc Simon & ipſe credidit: Et cum baptizatus eſſet adhærebat Philippo. *Et eodem capite de eodem, Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum baptizaſſe fusè narrat. Vnde & D. Iſidorus Peluſ. iuxta textum Actorum, non eum Apoſtolum vnum ex duodecim, ſed Diaconum dicit* ille eſt qui & Eunuchum baptizauit, & Simonem *Magum* ſcilicet Chriſtianâ fide imbuit. *Et probat ex eo quod D. Lucas in Act. occiſo Stephano, in magna perſecutione facta Ieroſolymis, fideles omnes diſperſos fuiſſe, per Regiones Iudeæ & Samariæ, exceptis Apoſtolis qui remanſerunt in Ieruſalem. Ac per conſequens cum eis ſanctus Philippus Apoſtolus. Secundo quia Philippo in Samaria baptizanti Actor. 8. miſerunt Apoſtoli qui erant Ieroſolymis Petrum & Ioannem, qui baptizatis à Philippo Diacono, tanquam Apoſtoli & Epiſcopi primi, imponebant manus vt acciperent Spiritum ſanctum. Et gratiam baptiſmalem per confirmationem implerent. Tertul. igitur Apoſtolum vocat Philippum, quod ſpecialiter miſſus fuiſſet, Angelo etiam monente, ad baptizandum Eunuchum.* IMPRESSVS. *Affixus, & valde intentus lectioni.* EXHORTATVS *Exhortationis.* OCCVRRIT. *Non caſu, ſed Deo ſic volente, incidit in locum Iſaiæ 53.* Sicut ouis ad occiſionem ducetur, *quo fides eius in Chriſtum firmaretur.* ERIPITVR. *Act. 8.* Spiritus Domini rapuit Philippum & amplius non vidit eum Eunuchus. *Vide plura in expoſitionem eiuſdem loci, V. Gratia. 2. Vbi fusè de S. Philippo quis ille fuerit.* CITO COGNOVERAT SIMON HOSPES. *Pamelius correctius hic legit*, Iudas hoſpes. *Mirum Tertullianum ignorare potuiſſe Act. 8. in ſ. Petri hoſpitem fuiſſe Simonem Coriarium.* Factum eſt vt dies multos moraretur in Ioppe apud Simonem quemdam Coriarium. *Et eodem capite dictum, Paulum cæcum introductum Damaſcum, habuiſſe hoſpitem Nomine Iudam, dictumque Ananiæ verſu 11.* Surge & vade in vicum qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine, Tarſenſem: Ecce enim orat. *Vt fame tam Tertulliani, quàm Rigaltij conſulam, in mendoſis Codicibus id ſcriptum dicam.* CVNCTATIO BAPTISMI *Fruſtra hic ſibi blandiuntur Caluiniſtæ. Nam Tertul. excluſit caſum neceſſitatis, cùm expreſsè dicat cap. 12.* Nemini ſine baptiſmo competere ſalutem. SPONSORES, *rationem reddit cur vtilior ſit* baptiſmi cunctatio, *id. dilatio, quia dum pueri nondum rationabiles ſunt. Patrinorum ſponſio & cautio fallacia exponitur, poſſunt enim ipſi mori antequam prouehant ad plenam inſtructionem baptizatos, qui interim ſuſceptorum ope deſtituti, proprio motu per leuitatem poſſunt reſilire, & iniuriam facere Sacramento.* INNOCENS ÆTAS. *id. doli incapax* AD REMISSIONEM, *&c. intelligit pœnitentiam Catechumenorum, quæ baptiſmum precedebat. Aliàs non ignorauit polluram etiam peccato originali, nec* innocentem eſſe, cuius eſt vita vnius diei ſuper terram. *Et liquet eum non loqui de recens nato puero, cùm locum Matthæi 19. afferat*, ſinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire. CAVTIVS AGETVR. Prudentiores erant filij huius ſeculi, *vt bona temporalia non committerent pueris, ſed eorum maioribus.* INNVPTI PROCRASTINANDI. *Conſilium*

Tertulliani non abſurdum, differendi baptiſma ad aliquod tempus, vt pluris fiat Sacramentum, & à ſuſcipiente plenius inſtructo, maiori cum reuerentia ſumatur. Sic ſancta Monica diſtulit baptiſmum Auguſtini, de quo ſic ipſe libro 1. Confeſſ. cap. 11. Aug. Vidiſti, inquit, Domine, cùm adhuc puer eſſem, & quodam die preſſus ſtomachi dolore, repente æſtuarem penè moriturus; Vidiſti Deus meus, quoniam cuſtos meus iam eras, quo motu animi, & qua fide baptiſmum Chriſti tui, Dei & Domini mei, flagitaui à pietate matris meæ, & matris omnium noſtrùm, Eccleſiæ tuæ. Et conturbata mater carnis meæ, quoniam & ſempiternam ſalutem meam carius parturiebat corde caſto, in fide tua, iam curaret feſtinabunda, vt Sacramentis ſalutaribus initiarer, & ablueret, te Domine Ieſu confitens in remiſſionem peccatorum, niſi ſtatim recreatus eſſem. Dilata eſt itaque mundatio mea, quaſi neceſſe eſſet adhuc ſordidari, ſi viuerem, quia videlicet poſt lauacrum illud, maior & periculoſior in ſordibus delictorum reatus foret. Ita iam credebam, & illa, & omnis domus, niſi Pater ſolus, qui tamen non euicit in me ius maternæ pietatis, quo minùs in Chriſtum crederem, ſicut ille nondum crediderat. Nam illa ſatagebat, vt tu mihi Pater eſſes, Deus meus, potiùs quàm ille: & in hoc adiuuabas eam vt ſuperaret virum, cui melior ſeruiebat, quia & in hoc tibi vtique id iubenti ſeruiebat. Rogo te Deus meus, vellem ſcire, ſi etiam velles, quo conſilio dilatus ſum, ne tunc baptizarer; vtrùm bono meo mihi; quaſi laxata ſint lora peccandi, an non laxata ſint? Vnde ergo etiam nunc, de aliis, atque aliis ſonat vndique in auribus noſtris; ſine illum, faciat quod vult, nondum enim baptizatus eſt: & tamen in ſalute corporis non dicimus, ſine, vulneretur amplius, nondum enim ſanatus eſt? Quantò ergo melius vt citò ſanarer, & id ageretur mecum, mea meorumque diligentia, vt recepta ſalus animæ meæ, tuta eſſet tutela tua, qui dediſſes eam? Melius verò. Sed quot, & quanti fluctus impendere tentationum poſt pueritiam videbantur? Nouerat eos iam illa mater, & tibi tam eos, vnde poſtea formarer, quàm ipſam iam effigiem, *per formam, intelligit nouam in Chriſto natiuitatem per baptiſmum; per effigiem, vitam Chriſtiani, & Chriſti imitati imaginem*, committere volebat. TAM VIRGINIBVS, *&c. quia dum mature ſunt viro, acrioribus carnis tentationibus vrgentur, & ſic expoſitæ ſunt periculo amittendi gratiam baptiſmi.* QVAM VIDVIS PER VACATIONEM. *alij legunt*, vagationem. *Quia ſoluta lege viri per mortem, libera ſunt; & vagari poſſunt, & vacare libidini, & vacante copula legitima, tentari frequenter & labi.* CONTINENTIÆ CORROBORENTVR. *Non hic loquitur de conſecratione Virginum, quæ baptiſmum non precedebat, ſed de firmo propoſito vel voto caſtitatis & continentiæ, cui Catechumenæ virgines aut viduæ ſe adſtringebant.* FIDES INTEGRA, *&c. non intendit fauere hereticis, credentibus in fide Parentum, vel ſola ſua fide ſaluari non baptizatos; clarè enim ſupra definierat, non ſufficere fidem ſolam abſque baptiſmo, ad ſalutem. Sed vult tantùm, Catechumenum firmiter credentem, fide inquam*, quæ per dilectionem operatur, *morte preuentum, ſecurum de ſalute mari, baptiſmo flaminis, & voti, tunc ſupplente baptiſmum fluminis. Vnde dolè vocat* fidem integram. *Et proinde non informem, ſed charitate formatam.*

BAPTISMI CERIMONIÆ.

Baptizati vertex Vnctus Chriſmate, quid ſignificet. De bapt. cap. 7. per totum.

EXinde egreſſi de lauacro perunguimur benedicta vnctione, de priſtina diſciplina, quâ vngui oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant. Ex quo Aaron à Moyſe vnctus eſt; vnde Chriſtus dicitur à chriſmate, quod eſt vnctio, quæ Domino nomen accommodauit, facta ſpiritalis, quia ſpiritu vnctus eſt à Deo patre, ſicut in Actis: [a] *Collecti ſunt enim verè in iſta ciuitate aduerſus ſanctum filium tuum, quem vnxiſti.* Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, ſed ſpiritaliter proficit: quomodo & ipſius baptiſmi, carnalis actus, quòd in aqua mergimur; ſpiritalis effectus, quòd delictis liberamur. [a] Act. 4. 6.

BAPTIZATVS VNGITVR. I. SCHOLIA.

PER VNGVIMVR, *de more vngendi baptizatos ſtatim in vertice, legendus Damaſus in vita S. Silu. Innocentius, Ambroſius, Hiero. contra Lucifer.* DE PRISTINA DISCIPLINA. *id inſtructi figura veteris Teſtamenti. Exod. 29. juſſu Deus Moyſi:* Aaron ac filios eius applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii. Cumque laueris Patrem cum filiis ſuis aqua, indues Aaron veſtimentis ſuis, &c. & oleum vnctionis fundes ſuper caput eius. *Ita Rabanus.* De priſtina Diſciplina tractum eſt exemplum, qua vngui in Sacerdotium & Regnum ſolebant Antiqui. A CHRISMATE, *&c.* FACTA SPIRITALIS. *Aug. lib. 15. de Trin. c. 26.* Manifeſtius de illo *Chriſto ſcilicet* ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum; Aug. quoniam vnxit eum Deus Spiritu ſancto, non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quæ viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vngit Eccleſia. *Et in tit. pſal. 26.* Priuſquam liniretur, hoc eſt Aug. vngeretur Dauid. *Notas Chriſtum ſimul regem & Sacerdotem, deinde & nos vnctos in Sacramento, ſignante æternam vnctionem Regni & Sacerdotij in eâ gloria:* Non ſolum, inquit, caput noſtrum vnctum eſt, ſed & corpus eius noſipſi, &c. Vngimur modo in Sacramento, & Sacramento ipſo præfiguratur quiddam quod futuri ſumus. *Et D. Proſper in ſent. 342.* Chriſti nomen à Chriſmate, id eſt ab vnctione. Quia ideo omnis Chriſtianus ſanctificatur, vt intelligat ſe non ſolũ Sacerdotalis & Regiæ dignitatis eſſe conſortem, ſed etiam contra Diabolum fieri luctatorem. *Duplex autem fiebat in baptizato Vnctio vna in ſummo vertice, & aliis corporis partibus, à Preſbytero, altera in fronte ab Epiſcopo confirmante.* CARNALITER CVRRIT. *id eſt, ſuper carnem exterius fluit, &c. Et nota, actum externum lotionis & vnctionis ſignificare effectum gratiæ ſanctificantis & purgantis peccata. Sic Rabanus*; quod dum carnaliter currit, Spiritaliter proficit, quomodo & ipſius baptiſmi gratiæ viſibilis actus, quòd in aqua mergimur; ſed ſpiritalis effectus, quòd à delictis mundamur. S. Aug.

2. *Baptizato impoſita manus, & benedictio data in Sacramento Confirmationis. De bapt. cap. 8. in p. ad circa f.*

DE hinc manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum ſanctum. Sanè humano ingenio licebit ſpiritum in aquam arceſſere, & concor porationem eorum, accommodatis deſuper manibus, alio ſpiritu tantæ claritatis animare; Deo autem, in ſuo organo non licebit, per manus ſanctas, ſublimitatem modulari ſpiritalem? Sed eſt hoc
Gen. 48. 13. & ſeq. quoque de veteri Sacramento, quo nepotes ſuos ex Ioſeph, Ephraïm & Manaſſem, Iacob capitibus impoſitis, & intermutatis manibus benedixerit, & quidem ita tranſuerſim obliquatis in ſe, vt Chriſtum deformantes, jam tunc portenderent benedictionem in Chriſtum
Matth. 5. 16. futuram. Tunc ille ſanctiſſimus Spiritus, ſuper emundata, & benedicta corpora libens à Patre deſcendit, ſuper baptiſmi aquas, tanquam priſtinam ſedem recognoſcens conquieſcit, columbæ figurâ delapſus in Dominum; vt natura Spiritus ſancti declararetur per animal ſimpli-
a Matth. 10. 16. citatis, & innocentiæ: quòd etiam corporaliter ipſo felle careat columba. ideoque, a *Eſtote*, inquit, *ſimplices ſicut columbæ.* ne hoc quidem ſine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodum enim, poſt aquas diluuii, quibus iniquitas antiqua purgata eſt, poſt baptiſmum (vt
Gen. 8. 11. ita dixerim) mundi, pacem cœleſtis iræ, præco columba terris adnuntiauit demiſſa ex arca, & cum olea reuerſa: quod ſignum etiam apud nationes paci prætenditur: eadem diſpoſitione ſpiritalis effectus, terræ, id eſt, carni noſtræ, emergenti de lauacro poſt vetera delicta, columba ſancti Spiritus aduolat, pacem Dei adferens, emiſſa de cœlis, vbi Eccleſia eſt arcâ figurata.

BAPTISMI CÆRIMONIÆ. II. SCHOLIA.

MANVS IMPONITVR. *Intelligit Sacramentum Confirmationis quo conſummatur Chriſtianus, & plenitudo Spiritus ſancti innocati infunditur. Vide Dionyſ. Areop. 2. de Eccleſ. Hierarch. Sic in Actis de baptizatis in Nomine Ieſu* imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. *Sic & Vrbanus cap. omnes de conſecr. diſt. 5.* Omnes fideles, per manus impoſitionem Epiſcoporum, Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debét, vt plenè Chriſtiani inueniantur. *Et D. Laur. Nonar. hom. de pœnit.* Vt aſcendiſti de lauacro, indutus es veſte alba, & vnctus es vnguento myſtico: facta es ſuper te inuocatio, & venit ſuper te trina virtus. *Hæc eſt enim forma Confirmationis* ſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, vt repleariscodem Spiritu ſancto, & habeas vitam æternam, Amen. *Quamquam extrema verba non ſint de eſſentia.* HVMANO INGENIO. *Quaſi diceret, ſi hydromantia, arte magica, & incantationibus, infuſo cum aqua oleo* (ſicut Turcæ faciunt in vas vitreum, occulta quærendo, & ex Heſychio Chylta ſpecie diuinationis, quæ per aquam & oleum fit *ſpiritus, id eſt, demon tranſiguratus in Angelum lucis aduocatur vt occulta reuelet. Quanto magis Deus inuocatus, per manus Epiſcoporum conſecratus poterit.* MODVLARI, *id eſt ſimili modo efficere ſublimitatem gratiæ baptiſmali ſupereminentis*; modulari, *dixit; & meminit organi, id eſt aquæ & olei, quæ inſtrumenta ſint à Deo elevata, quibus accinit gratia reſpondens ſigno, mundans & corroborans. Vel alludit ad Magicos verſus & modulos, quibus innocabantur dæmones.* VETERI SACRAMENTO, *id eſt figura veteris teſtamenti exprimente myſterium Confirmationis. In quo manus Epiſcopi, manus Iacob, & Chriſti in Cruce* DEFORMANT. *Repræſentant Chriſtum deformatum & Crucifixum. Gen. 48.* Extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris: Siniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat commutans manus. CORPORA, *tam aquæ, quàm baptizatorum.* PRISTINAM SEDEM. *Quia ab initio mundi ferebatur, ſuper aquas. Vel in diluuio, emiſſa columba.* SIMPLICITATIS. *Simplex, vel ſymbolum ſimplicitatis.* COLVMBÆ FIGVRA. *Licet Aug. 15. de Trinit. c. 26. Nolit Chriſtum vnctum columba in Iordane, ſed iam à primo Incarnationis inſtanti Spiritu ſancto plenum, & vnctum oleo ſpirituali præ conſortibus. Hæc ſunt verba Aug.* Dominus ipſe Ieſus ſpiritum ſanctum, non ſolum dedit vt Deus, ſed etiam accepit vt homo, propterea dictus eſt plenus gratia. Et manifeſtius de illo ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum; Quoniam vnxit eum Deus Spiritu ſancto. Non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptizatos vngit Eccleſia. Nec ſanè tunc vnctus eſt Chriſtus Spiritu ſancto, quando ſuper eum baptizatum velut columba deſcendit. Tunc enim corpus ſuum, id eſt Eccleſiam ſuã præfigurare dignatus eſt, in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum ſanctum. Sed iſta myſtica & inuiſibili vnctione tunc intelligendus eſt vnctus, quando verbum Dei caro factum eſt, id eſt quando humana natura, ſine vllis præcedentibus bonorum operum meritis, Dei verbo eſt in vtero virginis copulata, ita vt cum illo fieret vna perſona: Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu ſancto, & Virgine Maria: Abſurdiſſimum eſt enim vt credamus eum, cùm iam triginta eſſet annorum, eius enim ætatis à Ioanne baptizatus eſt, accepiſſe Spiritum ſanctum; ſed veniſſe illum ad baptiſma ſicut ſine vllo omnino peccato; ita non ſine Spiritu ſancto. Si enim de famulo eius & præcurſore ipſo Ioanne ſcriptum eſt, Spiritu ſancto replebitur iam inde ab vtero matris ſuæ, quoniam quamuis ſeminatur à Patre, tamen Spiritum ſanctum in vtero formatus accepit; quid de homine Chriſto intelligendum eſt vel credendum, cuius carnis ipſa cõceptio non carnalis, ſed ſpiritalis fuit? *Non implicat tamen ſignum vnctionis fuiſſe columbam, vt deſuper plenitudine eius accipiant baptizati gratiam confirmationis. Sic enim & ipſe videtur fuiſſe confirmatus à Spiritu ſancto, à quo vt pugil fortiſſimus. Matth. 4.* Ductus in deſertum vt tentaretur à Diabolo. *De qua confirmatione & pſalles pſal. 79.* Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi. *Optatus Mileuit.* Venturum, inquit, oleum aqua debuit antecedere, ad myſte-

Aug.

A

B

C

ria

gia initianda, & ordinanda, & implenda baptiſmatis. Apertum eſt cœlum, Deo Patre vngente, ſpirituale oleum deſcendit in imagine columbæ, & inſedit capiti eius, & perfudit eum; cui ne impoſitio manus defuiſſe videretur, vox audita eſt Dei. *Subdit Tertul. id etiam præfiguratum poſt magnum illud baptiſma mundi, diluuium ſcilicet, poſt quod columba* A *in arcam regreſſa eſt, olea ramum roſtro ferens in ſignum gratiæ & pacis.* ADVB NATIONES *id. gentiles* pacíferæque manu ramum prætendit oliuæ. *Æneid. 8.* ECCLESIA. *Non refert Tertul. figuram ad cœlos, cùm ſit viſibilis Eccleſia, ſed ad Arcam Noë, quæ Eccleſiam figurabat viſibilem.*

3. *Baptizatis ter merſis, lac, & mel, datum. De Cor. cap. 3 ad p.*

DEnique vt à baptiſmate ingrediar, Aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius, in eccleſia ſub antiſtitis manu, conteſtamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit. inde ſuſcepti, lactis, & mellis concordiam præguſtamus, exque ea die, lauacro quotidiano per totam hebdomadem abſtinemus.

BAPTIZATIS LAC, &c. III. SCHOLIA.

TOto hoc capite *Tertul. de traditionibus agit ab Eccleſia ſeruatis, etiam ſi Scriptura nil expreſsè iubeat circa earum obſeruationem. Et incipit à Cæremoniis baptiſmi.* PRIVS IN ECCLESIA, *&c. Et Dion. Areop. de Eccl. Hierarc. c. 2. Antiſtes ſiue Epiſcopus manum imponebat capiti baptizandi, & iubebat eum proferre verba abrenunciationis, quod fiebat in Eccleſia. Tum ducebatur ad baptiſterium quod Dion. vocat, matrem adoptionis: quod in eius veluti ſinu matris à Spiritu ſancto, in filium adoptiuum baptizandus aſſumeretur.* AVITVRI, *Verbum Sacris aptum. Cicero de leg.* ad Diuos adeunto caſtè. RENVNTIARE. *Sic ipſe Conſtantinus de ſeipſo* per manus impoſitionem clericorum, vſque ad ipſum Præſulem veni, ibique renuntians Sathanæ, pŏpis & operibus eius, & vniuerſis idolis manufactis, credere me in Deum Patrem ſpontanea voluntate coram omni populo profeſſus ſum. TER MERGITAMVR, *mergimur, tinguimur, abluimur. Hoc etiamnum Græci ſeruant: Latini vna merſione contenti. De trina, mentionem facit Dionyſius ſupra. Baſil. de Spiritu ſancto, Ambr. de Sacram. Hiero. contra Lucif. Bern. de Cœna Do. & Can. Apoſt. 49. deponit Epiſcopum vel Preſbyterum qui baptizatum ter non merſerit. De trina merſione, ſepulturam, & reſurrectionem Dominicam adumbrante, D. Leo Epiſtola 4. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 4.* Potentia, inquit, baptiſmatis nouam creaturam condit ex veteri: vt in renaſcentibus, & mors Chriſti operetur, & vita, dicente Apoſtolo Paulo, *Rom. 6.* An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus. Et cætera, quæ latius Magiſter gentium, ad commendandum Sacramentum baptiſmatis diſputauit: vt appareret ex huius doctrinæ Spiritu, regenerandis filijs hominum, & in Dei filios adoptandis, illum diem eſſe, & illud tempus electum, in quo per ſimilitudinem, formamque myſterij, ea quæruntur in membris, quæ in ipſo capite ſunt geſta, congruere, dum in baptiſmatis regula, & mors interuenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio, & ab aquis eleuatio, reſurgentiſque ad inſtar eſt de ſepulchro. *D. noſter Auguſtinus in Enchiridio cap. 52. eundem Paulum referens:* Sacri, inquit, baptiſmatis in cruce Chriſti grande myſterium commendauit eo modo vt intelligamus nihil aliud eſſe in Chriſto baptiſmum, niſi mortis Chriſti ſimilitudinem: nihil autem aliud mortem Chriſti crucibus, niſi remiſſionis

B

C

D

S. Aug.

S. Aug.

peccati ſimilitudinẽ, vt quemadmodum in illo verâ mors facta eſt, ſic in nobis vera remiſſio peccatorũ. Et quemadmodũ in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera juſtificatio, &c. Quidquid igitur geſtum eſt in cruce Chriſti, in ſepultura, in reſurrectione tertio die, in Aſcenſione in cœlum, & in ſede ad dexteram Patris, ita geſtum eſt, vt his rebus non myſticè tantum dictis, ſed etiam geſtis, configuraretur vita Chriſtiani, quæ hîc geritur. Nam propter eius crucem dictum eſt Gal. 5. Qui autem Ieſu Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis propter ſepulturam, conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem. Rom. 6. propter reſurrectionem, vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus Propter aſcenſionem ſedemque, &c. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, &c. Coloſſ. 3. *Hæc traditio ſanctè & laudabiliter vſitata, vel in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, vel triduæ ſepulturæ Chriſti, vt teſte Paulo,* peccatis mortui juſtitiæ viuamus, conſepulti Chriſto per baptiſmum, &c *De trina merſione olim in baptiſmo frequentata ſic fatur Aug. ſer. 90. de temp.* Videamus fratres, dilectiſſimi, quid ſit illud quod dixit Moyſes, viam trium dierum ibimus in deſertum, vt ſacrificemus Domino Deo noſtro. Hæc quidem volebat Moyſes, ſed contradicebat Pharao, & non volebat filios Iſrael à ſe longe diſcedere. Non volebat Princeps huius mundi exercitum Domini trium dierum Sacramenta cognoſcere: Illa vtique Sacramenta, de quibus Propheta dixit, Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertio ſuſcitabit nos. Prima dies paſſio Domini ſaluatoris eſt. Secunda, qua deſcendit ad infernum. Tertia autem reſurrectionis eſt dies. Et ideo in die tertia Deus antecedebat eos per diem in columna nubis, per noctem autem in columna ignis, ducturque populus per mare rubrum. Tres enim dies non incongruè poſſumus dicere, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, quia & Pater dies eſt, & Filius dies eſt, & Spiritus ſanctus dies eſt, & hi tres vnus dies. Via trium dierum, qua exitur de Ægypto rectè intelligitur ille qui dixit, Ego ſum via & veritas & vita, quia nemo venit ad patrem niſi per ipſum. Ipſe eſt via per quam populus, qui Deo conjungitur de Ægypto, id eſt de idolorum obſeruatione, educitur per mare rubrum Chriſti ſanguine rubicundum, & quodammodo iam tunc myſterio conſecratum, tanquam per baptiſmi Sacramentum Pharaone ſubmerſo populus Dei eripitur. Et verè ita fit fratres, quando in ſalutari lauacro tertio Chriſtiani merguntur, tunc Ægyptij, id eſt, originalia peccata vel actualia crimina quaſi in rubro mari ſepeliuntur, & filiis Iſ-

rael pertranſeuntibus ad Dei ſeruitium, ſola pa-
tiuntur peccata naufragium. Et ne aliquis dubitet
& putet non omnia peccata ſopiri per baptiſmum,
agnoſcat & intelligat, quia quomodo nullus re-
manſit Ægyptiorum, ſic nihil remanet penitus
peccatorum. AMPLIVS ALIQVID, *&c. vt inde*
ſciat, & nouerint hæretici, plus ab antiqua Eccleſia di-
ctum & factum, quàm ſcriptura præſcribat. Simpliciter
enim exigit, vt renaſcamur ex aqua & Spiritu ſancto,
& baptizemur in Nomine Patris, &c. interrogati ſi-
quidem de Symbolo reſpondebant; item ſi renuntiarent
Sathanæ; & hoc fiebat verſo vultu ad occidentem, ex
Hiero. & Interpres Dionyſij occidentem verſus il-
lum ſtatuens intendentem, manuſque impingen-
tem in eamdem regionem conuerſas, inſufflare il-
lum ter Sathanam jubet, ac præterea abrenuntia-
tionem profiteri *quod ſequenti capite Tertul. dicit*
impulſione manum obſcuræ militiæ conſortia re-
nuere & exſufflare. INDE SVSCEPTI, *&c. quaſi*
modo geniti, à ſuſceptoribus patrinis, quos Tertul. ſpon-
S. Aug. ſores *vocat, Auguſt. ſæpè* fidei-juſſores, fidei-du-
ctores, *quibus ſic loquitur de rectitudine Catheſ. con-*
uerſat. Quos ex baptiſmo ſuſcepiſtis, docete, &
caſtigate. LACTIS ET MELLIS CONCORDIA.
id. ſimul vtrumque mixtum ante quemlibet cibum gu-
ſtamus. Tertul. 1. cont. Marc. Ille, inquit, vſque
nunc nec aquam reprobauit creatoris, qua ſuos
abluit. nec oleum, quo ſuos vnguit; nec mellis &
lactis ſocietatem, qua ſuos infantat. *Chryſoſt. hom.*
quod Chriſtus ſit Deus, id notat fieri in memoriam
Chriſti pueri hoc cibo vtentis iuxta Prophetam, buty-
rum & mel comedit, mos enim eſt, vt his cibis pe-
culiariter paſcantur pueri, mox vt nati fuerint. *Sic*
Ambr. de S. Agnete. Lac & mel ex ore eius ſuſcepi.
Hiero. cont. Lucif. de traditionibus ſimiliter agens no-
tat ter caput lauacro mergitari, deinde egreſſos,
lactis & mellis præguſtare concordiam, ad infan-
tiæ ſignificationem. *Inde, feria ſecunda Paſchæ is-*
troitus, quo tempore baptiſma ſolemne conferebatur:
Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac &
mel. *Hæc autem benedictio habetur in ordine Romano*
in Sabbatho Paſcha. Benedic Domine has creaturas
lactis & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni,
qui eſt Spiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte
& melle. LAVACRO QVOTIDIANO. *Non hic,*
credo, per lauacrum intelligit deliciosum balneum, quo
credibile non eſt Chriſtianos vſos quotidie. Loquitur ergo
de lotione communi, qua fiebat ad conuiuium menſa,
ſcilicet ob reuerentiam aquæ baptiſmatis, quò referri
etiam poteſt dictum Chriſti ad Petrum Io. 13. Qui lo-
tus eſt, *id eſt baptizatus*, non indiget niſi vt pedes
lauet, ſed eſt mundus totus. *Rurſum vt de lacte diſſe-*
ram forſitan propter candorem lactis, quod cum melle
recens baptizati ſumere ſolebant; Auguſtinus eos vo-
S. Aug. *cauit* Chriſti candidatos. *Sic enim ſer. 62. de verb.*
Domini circa m. Congruenter viuite, maximè vos
candidati Chriſti, recens baptizati, modo regene-
rati, ſicut vos ante admonui, & modo dico, &
ſolicitudinem meam pronuntio, quia timorem
mihi maiorem ingeſſit præſens Euangelica lectio.
Paulò ſupra dixerat; ſi nos cum timore paſtimus, &
timemus pro ouibus; ipſæ oues quomodo pro ſe debent ti-
mere? Perueniat ergo ad nos cura, ad oues obedientia: ad
nos vigilantia paſtoralis, ad oues humilitas gregis. Obſer-
uate vos, nolite imitari malos Chriſtianos. Nolite
S. Aug. dicere, faciam hoc, quia multi fideles hoc faciunt.
Hoc non eſt defenſionem parare animæ, ſed comites
ad gehennam inquirere. Creſcite, *alludit ad Exorcis-*
mum iſtos candidatos, quaſi modo genitos infantes
lac concupiſcere, vt cum eo creſcant in ſalutem: in hac
area Dominica; in hac inuenietis bonos, qui &
vobis placent, ſi & vos boni fueritis. *Vnde ergo de ip-*

A *ſo Chriſto lac matris ſugente, & puerilium nutrimentâ*
ſumente, pleno nihilominus tam ratione, quàm diſcre-
tione ſpirituum dicitur, butyrum & mel comedet, vt
ſciat reprobare malum, & eligere bonum: *Et bap-*
tizatis, candidatis lacte, ex quo ſit butyrum, dicitur,
qualiuodo geniti infantes rationabiles ſine dolo
lac concupiſcite. *Nempe vt ſciant per diſcretionem*
ſpirituum, bonorum conſortium eligere, malorum au-
tem reprobare. Vel Aug. candidatos dixit, propter can- Aug.
didam veſtem, quam ſumptam in baptiſmo, depone-
bant Dominica in albis. Sed innocentiæ veſtem ſer-
uandam monet cum Ioanne, in Apoc. Beatus qui ſer-
B uat veſtimenta ſua candida; *& rurſum*: ambulabunt
mecum in albis, quoniam digni ſunt. *Sic ſponſus in*
Cant. ſtupet candorem velleris animæ baptizatæ ſponſæ
ſuæ: Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata. *Sic de Iuda*
confeſſionem ſignificante, & baptizatum repræſentante:
Dentes eius candidiores lacte, *ob lac dandum fideli-*
bus in baptiſmo. Sic dentes ſponſæ; ſicut greges tonſa-
rum quæ aſcenderunt de lauacro. *Quod ſic explicat*
Aug. lib 2. de Doct. Chriſt. c 7. Intueor ſanctos *paſ-* Aug.
ſtores Eccleſiæ intelligit, quaſi dentes Eccleſiæ præci-
dere ab erroribus hominum, atque in eius corpus,
emollita duritia quaſi demerſos, manſuetoſque
transferre. Oues etiam iucundiſſimè agnoſco de-
tonſas, oneribus ſæcularibus tanquam velleribus
depoſitis, & aſcendere de lauacro, id eſt de baptiſ-
mate, creare omnes genuinos, id eſt duo præcepta
C dilectionis, & nullam eſſe ab iſto ſancto fructu ſte-
rilem video. *Et hic quidem merita diſcernenda non*
ſunt, ſi bonum tantum & amicum diligas; nam & ini-
micos, pro manſuetudine, ſicut oues diligere, & eis lac
& vellus præbere debemus. Quid quod & ſponſus in bap-
tiſmo ſibi candidas ſponſas ſumens, à fide ad charitatem
creſcere monet, dum ait, juxta verſionem Septuaginta, Aug.
quam ſequitur Aug. ſer. 29. de verb. Dom. In fide de-
ſponſata eſt illa, cui dicitur in Cantic. Canticorum;
Veni de Libano ſponſa mea; *hoc eſt de candore bap-*
tiſmi. Venies & pertranſies ab initio fidei. Ideo &
deſponſata, quia & deſponſatis initio fides eſt.
Promittitur enim ab ipſis aliquid, & promiſsâ fide
detinentur. *Tranſeundum igitur eſt à lacte fidei, &*
candore, quod lac ſugunt pueri etiam clauſis noctu ratio-
nis oculis; ad charitatem, eamque perfectam. Nec enim
ſola fides niſi per dilectionem operetur, ſufficit; ſed mor-
tua eſt, unde dixit Aug. ſupra, Congruenter viuite, Aug.
maximè vos candidati Chriſti. *Et qui vult pertranſi-*
re cum fructu Iordanem, & lepram cum Naaman in eo
deponere; qui cum Iſraelitis tranſito Iordane, terram
fluentem lacte & melle ingredi, hoc eſt in cœli gloriam,
ad torrentem voluptatis; cum Eliſeo pallium Eliæ can-
didum ſumat; euadat fluuium judicij, Chriſtum Solem
juſtitiæ induens in baptiſmo; quem etiam Elias Græco
nomine Solem ſignificans expreſſit: *qui* amictus eſt lu-
mine & candore lucis ſicut veſtimento, *quod toti*
Eccleſiæ ſinguliſque eius membris cum baptiſmo tradi-
tur. Inde mulier Apoc. amicta Sole. *Tandem ſicut à*
E *Tertull. Elias & Enoch dicuntur*, immortalitatis can-
didati: *ſic baptizati conſepulti Chriſto, debent, ſicut*
ille non moritur; non amplius mori peccato, ſed ſimiles
ſpiritibus angelicis, in albis ſedentibus in Chriſti ſepul-
cro, veſtimenta ſeruare candida. Denique & confor-
mari Chriſto, lauatis ſtolis in ſanguine agni; qui
cùm ſit candidus & rubicundus, veniens in aqua
& ſanguine, *duplici baptiſmo, quod ſuſcepit; ſic non*
tantum vt oues de lauacro, & Nazarei candidi facti,
nitidiores lacte; ſed & rubicundiores ebore antiquo,
ſicut pelles arietum rubricatæ, *parati eſſe debent ad*
fundendum ſanguinem pro Chriſto, & aduerſus pec-
catum pugnare vſque ad ſanguinem, & per aſcen-
ſum purpureum aſcendere in ferculum, *lætitiam &*
requiem veri Salomonis.

BAPTISMI SOLEMNIS TEMPVS.

Baptismus de Christi passione vim habens, solemniter in Paschate, & medio ab eo ad Pentecostem tempore susceptus. De bapt. cap. 19. per totum.

DIem baptismo solenniorem Pascha præstat; cùm & passio Domini, in quam tinguimur, adimpleta est. Nec incongruenter quis ad figuram interpretabitur, quòd cùm vltimum Pascha Dominus esset acturus, missis discipulis ad præparandum: [a] *Inuenietis*, inquit, *hominem aquam bajulantem*. Paschæ celebrandæ locum de signo aquæ ostendit. Exinde Pentecoste ordinandis lauacris latissimum spatium est, quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, & gratia Spiritus sancti dedicata, & spes aduentus Domini subostensa, quòd tunc in cœlos recuperato eo, angeli ad Apostolos dixerunt, [b] *sic venturum quemadmodum & in cœlos conscendit*; vtique in Pentecoste. Sed enim Hieremias cùm dicit: [c] *Et congregabo illos ab extremis terræ in die festo*, Paschæ diem significat, & Pentecostes, qui est propriè dies festus. Cæterùm omnis dies, Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo: si de solennitate interest, de gratia nihil refert.

a Marc. 14. 12. Luc. 22. 10
Act. 2. 2.
b Act. 1. 11.
c Ier. 31. 8.

BAPTISMI SOLEMNIS TEMPVS. SCHOLIA.

PASCHA PRÆSTAT. *Sapienter, vt decebat Ecclesiam, æterna sapientiæ sponsam, ab Ecclesia prouisum est, vt baptismi solemnis tempus Vigiliæ Paschatis, & similiter Pentecostes assignaretur. Paschatis quidem, quia vt Augustinus post Paulum laudat* consepultos & commorientes Christo per baptismum; *vt sicut Sabbato Sancto fit memoria Dominicæ sepulturæ, sic eodem die baptismus solemnis celebraretur: & sicut post Agnum Paschalem per mare rubrum baptizati sunt Hebræi, sic post diem institutionis Sacramenti veri agni per aquam & mare rubrum sanguinis eius ex latere lanceæ eruptis die Veneris Sancto, die Sabbati Vigiliæ Paschatis omnes solemniter per aquam baptismi transirent. Vigilia autem Pentecostes; quia Spiritus sanctus ex Tertulliano & Patribus ab initio ferebatur super aquas eas sanctificans, quod & notauimus alibi ex Augustino; & quia Ioannes dixerat*, ille vos baptizabit in aqua & Spiritu sancto: *Vel denique quia ex D. Basilio*, Spiritus sanctus est sigillum verbi, *quo nempe perficitur forma & sanctificatio baptismi. De solemni baptismo in Paschate sic fatur Augustinus to. 10. ser. 46. de verb. Dn.* Aug. Ecce, inquit, Pascha est, da nomen ad baptismum. Si non te excitat festiuitas, ducat ipsa curiositas: *Tum propter solemnitatem & apparatum tot baptizandorum, tum vt videant communicantes quod adhuc non viderant Catechumeni remoti à Sacris. & to. 4. libro* Aug. *de fide & operibus cap. 6.* Non inuenimur alios, *prius de seipso locutus fuerat*, qui per annos singulos, ad lauacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur, quanta vigilantia conueniant, quo studio ferueant, qua cura pendeant. *Et de suo quidem baptismo tempore Paschali vt supra suscepto, sic habet libro* Aug. *9. Confess. cap. 6.* Vbi tempus aduenit quo me nomen dare oporteret, *scilicet iuxta morem ante Pascha*, relicto rure Mediolanum remeauimus. Placuit & Alipio renasci in te mecum, &c. Adiunximus etiam nobis puerum Adeodatum ex me natum carnaliter de peccato meo. *Plures quippe simul in illa solemnitate* Aug. *baptizabãtur. quod & innuit in psal. 36.* Vbi baptizati, inquit, sumus, Ecclesia est nota vniuerso orbi terrarum: Et multi fratres nostri sunt, qui & nouerunt quia & baptizati sumus, & nobiscum baptizati sunt. *Tandem de Vigilia Paschalis baptismo solemni* Aug. *destinata scribit ser. 131. de temp. à p.* Dignè, inquit, ergo & attentiores, & frequentiores, & pro ratione temporis ipsius puriores ad audiendum symbolum conuenistis. *Et ibidem in f. de solemni baptismo in Pentecoste*: Audiendo, inquit, Symbolum, *de quo maximè interrogabantur proximè baptizandi* non in tenebris vel in vlla materia, sed in cordibus scribitur; præstabit ille qui vos vocauit ad suum regnum, vt eius gratia regeneratis vobis, etiam Spiritu sancto scribatur in cordibus vestris. *Et Ser. 1. In Vigilia Pentecostes*: Notum est inquit dilectissimi charitati vestræ, quod milites sæculi beneficia temporalia à temporalibus Dominis accepturi, prius sacramentis militaribus obligantur, & Dominis suis fidem se seruaturos profitentur. Quanto magis ergo æterno regi militaturi & æterna præmia percepturi, debent sacramentis cœlestibus obligari, & fidem per quam et placituri sunt, publicè profiteri. *D. Leo epist. 78. Indignatur contra quosdam administrantes extra casum necessitatis, Sacrum baptisma, quam in die Paschæ & Pentecostes*, Admonemus igitur, & non sine periculo status eorum, qui hoc faciunt, protestamur, vt ab hac præsumptione cesserur: & summam hanc potissimamque Dei gratiam, non nisi in Paschali festiuitate & Pentecostes die desiderantibus & credentibus conferatis. *Inde etiamnum licet ex Ruperto multiplicato fidelium numero, & propter parentum & Presbyterorum negligentiam, desiit hæc consuetudo. Licet in memoriam traditi olim baptismi Sabbato sancto & Vigiliæ Pentecostes, adhuc hodie iisdem diebus fons baptismalis benedicitur. Rabanus in Instit. eausam dat collati baptismi his diebus*, in Sabbatho sancto Pentecostes, sicut in Sabbato sancto Paschæ baptismus celebratur, &c. quia ipse vnigenitus Dei filius in fide credentium, & in virtute operum, nullam inter se & Spiritum sanctum voluit esse distantiam, quia nulla diuersitas in natura. IN QVA TINGVIMVR *quia Rom. 6.* in morte ipsius baptizati sumus. *Sic D. Leo notat baptismum imitari in membris, quod in Christo capite præcesserit*, vt quæ geruntur in membris, his quæ sunt in ipso capite gesta congruerent: dum in baptismatis Regula, & mors interuenit, interfectione peccati; & sepulturam triduanam imitatur trina demersio. & ab aquis eleuatio, resurgentis est instar de sepulchro. Ipsa igitur operis qualitas docet, celebrandæ generaliter gratiæ, eum esse legitimum diem, in quo orta est & virtus muneris, & species actionis. LOCVM DESIGNO AQVÆ. *Non locum tantum Cenaculi, sed tempus Paschæ monstrauit aquæ signo. Marc. 14.* quo vis eamus & paremus tibi, vt manduces Pascha? & mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis. Ite in Ciuitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum, *& Luc. 22.* occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans. LATISSIMVM SPATIVM. *non quod velit tot*

A
B
C

medio tempore inter Paſcha & Pentecoſten baptiſma ſuſcipi ſolitum; ſed ordinandis lauacris, *id. præparationi ad baptiſmum hoc tempus indultum.* FREQVENTATA EST, *in frequentibus ſcilicet apparitionibus Act. 1.* per dies quadraginta apparens eis DEDICATA *quia hoc die ſolemniter & viſibiliter in linguis effuſa.* RECVPERATO. *alij legunt* reciperato *quod idem eſt, recepto ſcilicet Chriſto in cœlum vt nempe reddito in Chriſto homine paradiſo cœleſti, per* ſecundum Adam, de cœlo cœleſtem, *qui à terreno in limoſo Adam primo fuerat electus; & Spiritu ſancto ſimiliter in terram recepto, qui terris exceſſerat,* non permanſurus in homine, quia caro erat, & corruperat viam ſuam: *ſic etiam tum homo recipiat & recuperet gratiam quam perdiderat lauacro ſancto dilutus.* VTIQVE IN PENTECOSTE. *Innuit ex verbis Angeli ſtupentibus Apoſtolis aſcendentem in cœlum:* hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum: *Venturum ad Iudicium ſub tempus Aſcenſionis & Pentecoſtes. Lactantius putat venturum eadem hora qua reſurrexit.* IEREMIAS *apud LXX. ſcilicet,* congregabo eos ab extremo terræ in ſolemnitate Phaſee. *Nil apud LXX. de Pentecoſte. In Hebr. autem apud Sanctem Pagninum nil de feſto, nec Paſcha, nec Pentecoſtes.* SIDESOLEMNITATE. *Intereſt, inquit, quo tempore ſolemne baptiſma ſuſcipiatur: ſed quantum ad gratiam nihil refert, nam in caſu neceſſitatis æqualem ſemper confert gratiam.*

BAPTISMI EFFECTVS.

1. *Baptiſmus nos configurat morti, & Reſurrectioni Chriſti: & vitam dat animæ, & corpori. de Reſur. cap. 47. in m. ad circa fi.*

ITa per totam hanc ſenſuum ſeriem, ab injuſtitia, & delinquentia, membra noſtra diuellens, & juſtitiæ, & ſanctimoniæ adjungens, & transferens eadem à ſtipendio mortis, ad donatiuum vitæ æternæ, carni vtique compenſationem ſalutis repromittit, cui nullam omnino competiſſet imperari propriam ſanctimoniæ, & juſtitiæ diſciplinam, ſi non ipſius eſſet & præmium diſciplinæ: ſed nec ipſum baptiſma committi, ſi per regenerationem, non etiam reſtitutioni inauguraretur, hoc quoque Apoſtolo ingerente: [a] *An ignoratis, quod quicunque in Chriſtum Ieſum tincti ſumus, in mortem eius tincti ſumus? conſepulti ergo illi ſumus per baptiſma in mortem, vti quemadmodum ſurrexit Chriſtus à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ incedamus.* Ac ne de iſta tantùm vita putes dictum, quæ ex fide per baptiſma in nouitate viuenda eſt, prouidentiſſimè adſtruit: [b] *Si enim complantati fuerimus ſimulacro mortis Chriſti, ita & reſurrectionis erimus.* Per ſimulacrum enim morimur in baptiſmate, ſed per veritatem reſurgimus in carne, ſicut & Chriſtus. [c] *vt ſicut regnauit in morte delictum; ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam ſempiternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quomodo ita, ſi non æquè in carne? Vbi enim mors, ibi & vita poſt mortem; quia & vita ibi antè, vbi poſtea mors. Nam ſi regnum mortis nihil operatur, quàm carnis diſſolutionem; proinde, vitam contrariam morti, contrarium oportet operari; id eſt, carnis redintegrationem; vti ſicut deuorauerat mors inualeſcendo, ita & mortali deuorato ab immortalitate, audire poſſit, [d] *Vbi eſt, mors, aculeus tuus? vbi eſt, mors, contentio tua?* Sic enim & [e] *gratia illic ſuperabundabit, vbi & iniquitas abundauit.* Sic & [f] *virtus in infirmitate perficietur; & quod periit, ſaluum faciens; quod mortuum eſt, viuificans; quod percuſſum eſt, ſanans; quod languit, medicans; quod ereptum eſt, redimens; quod famulatum eſt, liberans; quod ſeductum eſt, renocans; quod eliſum eſt, ſuſcitans.* & quidem de terra in cœlum, vbi noſtrum municipatum Philippenſes quoque ab Apoſtolo diſcunt: [h] *Vnde & ſaluatorem noſtrum expectamus Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit corpus noſtræ humilitatis, conformabile corpori gloriæ ſuæ;* ſine dubio poſt reſurrectionem, quia nec ipſe Chriſte glorificatus eſt ante paſſionem. Hæc erunt corpora noſtra, quæ Romanos [i] *obſecrat exhibere, hoſtiam viuam, ſanctam, placibilem Deo.* Quomodo viuam, ſi peritura ſunt? quomodo ſanctam, ſi prophana ſunt? quomodo placibilem, ſi damnata ſunt?

a Rom. 6. 3.
b Ibid. 5.
c Rom. 5. 21.
d 1. Cor. 15. 55.
e Rom. 5. 20.
f 2. Cor. 12. 9.
g Ezech. 34. 16.
h ad Philipp. 3. 20.
i Rom. 12. 1.

BAPTISMI EFFECTVS. I. SCHOLIA.

PER TOTAM HANC. *alij legunt,* per portam hanc ſenſuum, ſerieinque, &c. *id. per omnes ſenſus, quibus peccati mors intrauit, omnia membra noſtra, & ſenſus à peccato & delicto; proindeque morte & corruptione, eiuſque glutino diuellens Apoſtolus, nos Sanctitati coniungit, & proinde transfert in ius vitæ æternæ, & præmium gloriæ. quod deducit ex precitatis verbis Apoſtoli:* ſicut exhibuiſtis membra veſtra, &c. COMPENSATIONEM SALVTIS, *id. mercedem reſurrectionis.* PROPRIAM SANCTIMONIÆ, *&c. quia Apoſtolus imperat mortificationem carnis & caſtitatem. Ex qua concludit, & eidem corpori congruere præmium caſtitatis & pœnæ.* NEC IPSVM BAPTISMA. *nec corpus ablueretur in baptiſmo, niſi in eo ſimul cum anima regeneraretur, carni etiam reſurrectio promitteretur.* INAVGVRARETVR; *id. quaſi iam tum aqua & vnctione conſecraretur, Chriſto conregnaturæ in gloria. quod probat ex loco Pauli in textu poſito. Ex quo conuincit nouitatem vitæ non ſolùm intelligi de innocentia animæ, ſed & de Carne, poſt reſurrectionem quam ſignificat baptiſma.* SI ENIM COMPLANTATI, *&c. alij legunt* conſati, conſiti, conſerti. *quod fit in baptiſmi merſione, velut radix plantæ vel ſemen terræ immergitur & abſconditur, ſepulturam Chriſti repræſentans, iuxta Paulum* conſepulti Chriſto in baptiſmo, &c. *Et rurſum,* mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. PER SIMVLACRVM, *&c. per ſimilitudinem, configurati ſepulturæ Chriſti. Licet enim verè & propriè carne immerſa & quaſi ſepulta lauacro, anima peccato moria-*

by Google

tur; caro tamen non verè sed figuratiuè tantum moritur & sepelitur. Sed verè resurget in iudicio. Sic Oecumenius; vide, inquit, Dei bonitatem, morte quidem Domini, quasi per similitudinem mortui sumus, Resurrectionem autem verè participamus. *Et Athan.* Sicut Christus mortuus est, & tertia die resurrexit; sic & nos in baptismo morientes resurgemus: nam quod infantem ter in aquam immergimus, & ter educimus, mortem & triduanam Christi resurrectionem significat. *Diuus Aug. ser. 28. de temp. Hunc effectum baptismi sic prosequitur:* consepulti enim sumus, sicut ait Apostolus, cum illo per baptismum in mortem. Baptismus, inquam, Saluatoris nobis est sepultura, quia ibi perdidimus quod ante viximus, & ibi denuò accipimus vt viuamus. Magna igitur sepulturæ huius est gratia, in qua nobis & vtilis mors infertur, & vtilior condonatur. Magna, inquam, sepulturæ huius gratia, quæ & purificat peccatorem, & viuificat morientem. VBI EST MORS CONTENTIO TVA? *5. cont. Marc. aliter legit*: Vbi est mors victoria tua, vel contentio tua? vbi est aculeus tuus? *1. Cor. 15. vulgata sic legunt*, cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: absorpta est mors in victoria. vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? *Scriptus est autem hic sermo Oseæ 13.* Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne. *Diuersitas porro lectionis in verbis*, contentio & victoria, *venit ex affinitate vocum græcarum. alij enim legunt νικος siue νικος. id. victoria. alij. νεικος id. rixa, jurgium, altercatio. alij δικη. id. forensis causa, ius, sententia, pœna. Hiero. etiam legit apud Oseæ 13. δικη. Contentio tua versu 14. sic habent LXX.* vbi est causa tua mors? vbi aculeus tuus inferne? *quasi diceret; ô mors vbi contentiosa est causa tua, qua peccatores, vt reos mortis ad Dei tribunal sistebas? Vbi sententia tua quam in omnes vt legislator vniuersalis pronuntianeras? vbi pœna mortis quam de omnibus exigebas? vbi ius, quo omnibus imperabas? vbi aculeus, quo vrgebas omnes ad mortem? stimulum nempe vt apis, in carne Christi reliquisti, velut apis moritura. Cum mors à serpente veneris, & vita anima, & resurrectio immortalis corpori, à Christo, figurato in serpente aneo, pendente in stipite: cuius ex crucifixi latere, aqua baptismi viuifica fluxit, mortem penitùs extincturа. Perbellè Augustinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 27. vbi de regeneratione percontanti Nicodemo Christus inter cetera de homine denuò ex necessitate renascente, de serpente à Moyse exaltato locutus est:* Sicut, inquit, generatio carnis peccati per vnum Adam, in condemnationem trahit omnes qui eo modo generantur, sic generatio Spiritus gratiæ, per vnum Iesum Christum, ad justificationem vitæ æternæ ducit omnes qui eo modo prædestinati regenerantur. *quia nulli prædestinati aliter iustificantur, ex quo baptismus institutus est.* Sacramentum autem baptismi, profectò Sacramentum regenerationis est. Quocirca, sicut homo qui non vixerit, mori non potest: & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente, renasci potuisse non natum. Oportet autem, vt si natus fuerit, renascatur, quia nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Oportet igitur vt Sacramento regenerationis, ne sine illo, malè de hac vita exeat, etiam paruulus imbuatur. Quod non fit nisi in remissione peccatorum: quod etiam ipso loco Christus ostendit, cùm interrogatus, quomodo possent ista fieri, commemoranit quid Moyses fecerit in exaltatione serpentis. Cùm itaque per baptismi Sacramentum, morti Christi conformantur infantes, eos à serpentis morsu fatendum est liberari, si à Christiana fidei regula nolumus aberrare. Quem tamen morsum, *de quo supra Oseas*, non in sua vita propria, sed in illo, cui primitùs inflictus est, acceperunt, &c. Quia renouati parentes, non ex primitiis nouitatis, *id est, non per hoc, quòd prius, & ante filios suos genitos, per baptismum renouati sunt, sed per concupiscentiam ex veteri Adam relictam, & non extinctam baptismi aqua*, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt: Et filij ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam, sacramento spiritualis regenerationis, & renouationis euadunt. Illud namque præcipuè propter quæstiones, quæ de hac re motæ sunt, vel moueri adhuc possunt, attendere ac meminisse debemus: tantummodò peccatorum omnium plenam perfectamque remissionem baptismo fieri; hominis verò ipsius qualitatem, non tam continuò communitari; *quod tamen facit pro sequenti Scholio contra Menandrum, statim promittentem immortalitatem filijs baptizatis*; sed spiritales primitias in benè proficientibus, de die in diem nouitate crescente; commutare in se quod carnaliter vetus est: donec totum ita renouetur, vt animalis etiam infirmitas corporis, ad firmitatem spiritalem, incorruptionemque perueniat. *Tunc verè, non vtique nunc*, fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria, &c. *Tunc caro quæ nunc sepelitur aquis velut mortua, & verè moritura, & debitum peccati solutura, resurget immortalis, merito mortis, & resurrectionis Christi, quod nobis per baptismum applicatur.* MVNICIPATVM *pro eo quod vulgata, ad Philip. 3.* nostra conuersatio in cœlis est. *Est enim municipatus, conuersatio ciuica, & Curialis. Vnde & Cuiacio Municipes & Curiales iidem sunt. Et idem ad lib. 10. Cod. tit 38. de municipibus, & Originariis.* tria sunt quæ municipes faciunt, natiuitas, manumissio, Adoptio. Originales sunt non nati tantum, sed etiam manumissi & adoptati. Alij sunt municipes voluntarij, quos facit adlectio, vel incolatus. QVOD PERIIT, *&c. Sic suo modo paraphrastico, & terminis æquiualentibus refert quod LXX. sic habent Ezechielis 34.* quod perierat requiram, & quod errabat reducam, & quod contritum alligabo, & quod defecerat confortabo. Et quod fortè, custodiam, &c. SALVTIFICATOREM. *ad Philip. 3.* Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, quâ etiam possit subiicere sibi omnia. CONFORMALE. *Conforme.* PLACIBILEM. *Rom. 12.* Deo placentem. QVOMODO VIVAM, *&c. id torquet in eos qui vilificant carnem, eam malam putantes, & Sanctitatis & gloriæ incapacem.* SI DAMNATA SVNT. *id. interitui & morti absque spe Resurrectionis condemnata. Vel simplicius, Deo placita non sunt membra, nec ex his hostia Deo grata exhiberi potest, si mala & reprobа sunt. Sed Paulo teste fiunt hostia Deo placita, ergo non sunt mala: per quæ lota si anima resurgit à peccati morte, debent ipsa à propria morte resurgere vi lauacri, & merito anima suscitata, quorum ipsa est forma & vita.*

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

2. Baptiſmus Menandri fruſtra ſuos morte eximit. de An. cap. 50. in fi.

QVænam & vbinam iſta felicitas aquarum, quas nec Ioannes baptizator præminiſtrauit? nec Chriſtus ipſe diſcipulis demonſtrauit? Quod hoc Menandri balneum? magicum credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo pauciſſimi lauant? Suſpectam enim faciam tantam raritatem ſecuriſſimi atque tutiſſimi ſacramenti, apud quod nec pro Deo ipſo mori
a Eſa. 2. 3. lex eſt; cùm contrà, omnes jam nationes, a *aſcendant in montem Domini, & in ædem Dei Iacob,* mortem per martyrium quoque flagitantis, quam de Chriſto etiam ſuo exegit? Nec magiæ tantum dabit quiſquam, vt eximat mortem, aut repaſtinet vitis modo vitam, ætate renouata. Hoc enim ne Medeæ quidem licuit in hominem, etſi licuit in veruecem. Tranſlatus eſt Enoch, & Helias, nec mors eorum reperta eſt: dilata ſcilicet. cæterùm, morituri reſeruantur, vt Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant. Obiit & Ioannes, quem in aduentum Domini remanſurum fruſtra fuerat ſpes. Ferè enim hæreſes ad noſtra exempla proſiliunt, inde ſumentes præſidia quò pugnant. Poſtremò, compendium eſt, Vbi ſunt illi, quos Menander ipſe perfudit? quos in Stygem ſuam merſit? Apoſtoli perennes veniant, adſiſtant; videat illos meus Thomas, audiat, contrectet, & credidit.

BAPTISMVS MENANDRI. SCHOLIA.

FOELICITAS AQVARVM. *De baptiſmo Menandri, immortalitatem ſpondentis ſuis baptizatis iam ſupra diximus. Fœlices quidem fuiſſent aquæ, ſi à morte corporis præſeruaſſent. Quam vim nec Ioannis, nec Chriſti baptiſma obtinuit:* quis eſt enim homo qui viuet, & non videbit mortem, &c? Numquid Medici ſuſcitabunt? &c. MAGICVM CREDO. *alij legunt* comicum. *Nota duos fuiſſe Menandros, vnum Comicum, hæreticum alterum. Comicus ſuis verſibus pinxit balneum; hæreticus ſuum finxit baptiſmum. Comici meminit S. Ireneus. Clemens Alex. 7. Strom. ex Menandro Comico hos citat verſus.*

Iam profuturum crede, ſi te fœminæ
Luſtrent in orbem, fontibus lauent tribus;
Iungantque lentem pariter & multum ſalem.
Bene es piatus, conſcius tibi bene.

SECVRISSIMI, *&c. adeo tutum hoc baptiſma, vt ſecuros de morte reddat, vt nec pro Deo moriendum ſit Martyri, nec tributum mortis commune ſoluendum, quod Chriſtus ipſe perſoluit. Quis vnquam Magus arte ſua ſic proluit, vt quemquam abſolutè mori prohibuerit? Vel vitam renouet, tanquam vitem, repaſtina refoſſam: repaſtina inſtrumentum eſt, quo refoditur terra, ferramentum bifurcum.* NE MEDEÆ QVIDEM. *alludit Tertullianus, non ad vellus aureum à* MEDEA *ſurreptum, ſed ad Pelia inſidias; cùm Medea reſuſcitauit & renouauit arietem in agnum, Peliam tamen reliquit mortuum. Rem narrat Pauſanias in Arcadicis; dicens Medeam volentem Iaſonem ad Regnum prouehere, Pelia inſidiatam. Itaque perſuaſiſſe filiabus Regis Pelie, ſi eorum Patrem Regem à ſumma ſenectute ſuis medicaminibus ad iuuentutem poſſe renocare. Quod vt faciliùs ſuaderet, vetulum arietem jugulatum; & inter herbas excoctum, ipſis cementibus arte Magica illudens ſenſibus, nouellum agnum eduxit è lebete. Qua facta experientia, Peliam in fruſta conciſum miſit in lebetem, ſed nil integrum ex reſoluto corpore miſellis ſuperfuit filiabus, quod de Patre ſepelirent. Legendus Ouidius 7. Metamorph. hinc claret locus Tertull. quòd*, ne Medeæ quidem licuit in hominem, & ſi licuit in veruecem. OBIIT ET IOANNES. *Et ipſi Apoſtoli de morte Ioannis dubitarunt*, Exiit ſermo inter fratres, quòd diſcipulus ille non moritur, &c. *Et ipſe Aug. in hunc locum:* quantum ſapio, quantum capio, quid
S. Aug. eſt hoc? niſi tu me ſequere perferendo temporalia mala, ille maneat, donec venio ſempiterna redditurus bona. *Preualuit tamen Tertulliani opinio, quam Hieron. & Polycrates, Epiſcopus Epheſ. tuentur:* qui ſupra pectus Domini, &c. Quique cum eſſet Sacerdos Petalon id eſt laminam auream geſtauit, qui martyr & Doctor extitit, qui tandem Epheſi morte conſepultus occubuit. *De Enoch Paulus ad Hebr. 11.* Fide tranſlatus eſt Enoch, ne videret mortem. AD NOSTRA EXEMPLA. *plerumque & ferè ſemper hæretici de noſtris Scripturis & exemplis arma ſumunt, quibus pugnent contra nos. Sic Menander & ſuos baptizatos immortales fore ſuadet, ſed fruſtra cum Sanctiſſimi quique in vtraque lege vel mortui, vel morituri ſint: nec de balneo ſuo Stygio blandiatur, licet Styx fabuloſa faciat immortales. Et quamquam teſte Ireneo Menander ſe Chriſtum, & diſcipulos ſuos Apoſtolos finxerit,* COMPENDIVM EST, *via facilis eſt, probari in promptu poteſt; ſi mortui non ſunt, prodeant. Stygiam aquam baptiſmi ſui fictitiam iactet Menander; immortalitatem ſpondeat baptizatis ſuis: Hoc verè* B *præſtat vnicus Chriſti baptiſmus, & animam à morte peccati ſuſcitans, & corpori electorum immortalitatem ſpondens, in mari rubro delineatus; de quo Auguſtinus homilia 27.* Mare, inquit, rubrum, baptiſmus eſt, Aug. populus tranſiens baptizabatur. Tranſitus iſte baptiſmus erat, *baptizati enim ſunt in nube & in mari. 1. Cor. 10. 2.* ſed in nube adhuc nubilabatur, quod prænuntiabatur. Iam modo præceſſit nubes, manifeſtæ veritatis ſerenitas facta eſt, quia præceſſit & velum per quod loquebatur Moyſes. Hoc velum in templo pendebat, ne templi ſecreta panderentur: ſed in cruce Domini velum conſciſſum eſt, vt paterent. Veni ergo ad baptiſmum, ingredere intrepidus viam per mare rubrum. Noli eſſe de peccato præterito, tanquam de Ægypto ſolicitus. Premebant te peccata tua duro onere ſeruituris; C ſed hoc in Ægypto, ſcilicet in amore huius ſæculi, in peregrinatione longinqua. Cogebant te ſectari opera terrena tanquam lateres facere, opera lutea operabaris. Premunt te peccata, veni ſecurus ad Baptiſmum: vſque ad aquam hoſtis ſequi poterit, ibique morietur. Time aliquid de vita præterita, crede aliquid remanſurum tuorum peccatorum, ſi aliquis remanſit Ægyptiorum, &c. de futuris quid tibi hoſtes meditaris? quod iam feciſti, etiam ſi nolueris, erit. Idem facturum te putas, ſi volueris non erit: *quia peccatum voluntarium eſt. Quod tamen voluntas ſuis viribus vitare non poteſt, niſi præparetur voluntas à Domino, & ab eius gratia adiuuetur, vnde petit quotidie, ne in tentationem inducatur, quod non peteret, ſi per ſe poſſet.* Sed periculoſa vita eſt; neque enim cum mare rubrum tranſiero, iam ero in terra repromiſſionis, &c. quid ergo? putas tibi defutu-

tum auxiliatorem in via, eum, qui te eruit de vetusta captiuitate? nouos tuos inimicos times? Non quieſcit qui te à vetuſtis hoſtibus liberauit, & cæt. Planè hoſtem itineri tuo habebis Amalech. Populus ille habebat hoſtem Amalech, tunc orabat Moyſes, tunc extendebat manus, & deficiebat Amalech. Et tuæ manus extenſæ ſint, vt deficiat Amalech, tentator, & huius itineris impeditor. Eſto vigil, & ſobrius, in orationibus, in operibus bonis, non tamen præter Chriſtum: Quia extenſio illa manuum, Chriſti crux fuit. In illa extenditur Apoſtolus, cùm dicit Gal. 6. Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, &c. Certè mortuus eſt omnis Ægyptius qui ſequebatur. Si nil de ſequentibus hoſtibus reſiduum factum eſt, quid oramus vt dimittatur, niſi propter manus deficientes contra Amalech, &c. *ſubjicit & de operibus eleemoſyna.* Hæc eſt, inquit, extenſio manuum, ſub qua defecit Amalech, & cæt. operare ergo intrepidus, extende manus, vt deficiat Amalech. *Sed neque nubes, neque mare, nec ipſum manna, aut extenſio manuum. Moyſen ipſum, nedum populum à morte, vt nec Chriſti baptiſma liberat, licet & animæ nunc, & corpori immortalitatem in reſurrectione præſtabit. Quamuis enim ſit redintegratio quoad gratiam perditam in Adam, non eſt tamen in integrum reſtitutio vt fiat homo innocens ſicut Adam, & abſque concupiſcentia, & obligatione mortis; ſicut nec Pelias in fruſta conciſus integer non fuit eductus è lebete, vt ridiculum Menandrum meritò ſubſannet Tertullianus. Baptiſmum porro non plenè hominem renouare, & integritati ſuæ quoad omnia reſtituere ſæpius inculcauit Auguſtinus. Inter hæc accipe quæ habet libro 2. de peccat. meritis c.ip. 7* Non aduertunt inquit, eò quoſque fieri filios Dei, quo eſſe incipiunt in nouitate Spiritus, & renouari in interiorem hominem, ſecundùm imaginem eius qui creauit eos. Non enim ex qua hora quiſque baptizatur, omnis vetus infirmitas eius abſumitur; ſed renouatio incipit à remiſſione omnium peccatorum; & in quantum quiſque ſpiritalia ſapit, qui iam ſapit, in tantum renouatur. Cætera verò in ſpe facta ſunt, donec etiam in re fiant, vſque ad ipſius corporis renouationem in meliorem ſtatum immortalitatis, & incorruptionis, qua induemur in reſurrectione mortuorum. *Quam promittebat ſine morte regenerate ſuis aqua ſua virtute Menander.* Nam & ipſam Dominus regenerationem vocat, non vtique talem, qualis fit per baptiſmum, ſed in qua etiam in corpore perficietur, quod nunc Spiritu inchoatur. In regeneratione, inquit, cum ſederit filius hominis, &c. Nam in baptiſmo quamuis tota & plena fiat remiſſio peccatorum, tamen ſi continuò tota & plena etiam hominis in æternam nouitatem mutatio fieret, non dico & in corpore, quod certè manifeſtum eſt adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine poſtea renouandum, quando verè tota nouitas erit: ſed excepto corpore, ſi in ipſo animo qui eſt homo interior, perfecta in baptiſmo nouitas fieret, non diceret Apoſtolus, & ſi exterior homo noſter corrumpitur, ſed interior renouatur de die in diem. Profecto enim, qui de die in diem adhuc renouatur, nondum totus eſt renouatus: Et in quantum nondum eſt renouatus, in tantum adhuc in vetuſtate eſt, &c. Et vt hoc faciant, iam baptizatos fidelesque adhortatur, quod adhuc monendi non eſſent, ſi hoc in baptiſmo iam perfectè factum eſſet: & tamen factum eſt, ſicut & ſalui facti ſumus: ſaluos enim nos fecit per lauacrum regenerationis: ſed alio loco dicit, quemadmodum hoc factum ſit. Rom. 8. Non ſolum, inquit, ſed etiam nos ipſi primitias habentes ſpiritus, & ipſi in nobis ingemiſcimus adoptionem expectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus. *Idipſum confirmat libro 3. ad Bonifacium cap. 3.* Hæc eſt, inquit, infirmitas, cum qua vſque ad corporis mortem, defectu & profectu alternante contendimus: Magnumque intereſt quid vincat in nobis *concupiſcentia, an gratia* donec regeneratione alia conſumatur. *Vel conſumetur* de qua Dominus dicit, in regeneratione cùm ſederit filius hominis, &c. regenerationem quippe hoc loco ambigente nullo, nouiſſimâ regenerationē vocat, quam Paulus quoque Apoſtolus & adoptionem & redēptionem nuncupat, &c. Numquid non per lauacrum ſanctum regenerati, adoptati, & redempti ſumus? Et tamen reſtat regeneratio, adoptio, redemptio, quam in fine venturam nunc patienter expectare debemus, vt tunc filii huius ſæculi ex nulla iam parte ſimus. Quiſquis igitur baptiſmati derogat, quod modò per illud percipimus, corrumpit fidem: Quiſquis autem iam nunc ei tribuit, quod quidem per ipſum, ſed tamen poſtea acceptu-ri ſumus, amputat ſpem, &c. Salus ergo hominis in baptiſmate facta eſt. Quia dimiſſum eſt peccatum quod à parentibus traxit, vel quicquid etiam propriè ante baptiſmum, peccauit: ſalus verò hominis tanta eſſe poterit, vt peccare omnino non poſſit. VIDEAT ILLOS, *immortales Menandri diſcipulos*; MEVS THOMAS, *incredulus ſcilicet, & de vera Chriſti reſurrectione; verus Apoſtolus, & idea meus: quinimò meus, quia huic lauacro Menandri, veri Antichriſti ſuppoſiti, & Apoſtolorum eius immortalium, baptiſmo ſum incredulus.*

Aug.

Aug.

S. Aug.

3. *Baptiſmus cæcitate liberat, & dat vitam æternam. De bap. cap. 1. in p.*

FElix Sacramentum aquæ noſtræ, qua abluti delictis priſtinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur.

BAPTISMI EFFECTVS. III. SCHOLIA.

FOELIX SACRAMENTVM. Fœlices arbores Varro vocat, quæ fructum ferunt; infœlices infrugiferas. *Quam fœlix aqua, quæ Circumciſionis ſanguinem exhibuit. Quam fœlix, quæ non ſolum ſignificat, ſed & confert gratiam. Quam fœlix quæ non iam in ſinum Abrahæ, ſed in cœlum tranſmittit Empyreum; vt ſint baptizatæ* Fons aquæ ſalientis in vitam æternam. *Fons Dodonius, fons lucis, in quo extincta face originalis peccati, cuius fuligine cæci omnes naſcimur, immerſi, ſuſcepto fidei lumine, renaſcimur; & à vero lumine, veram hominis Chriſtiani vitam, illuminati, recipimus; & ſepulta morte, in vitam renaſcimur ſempiternam. Chriſto baptizato aperti ſunt Cœli, vt adoptati ius habeam vnigeniti, vti recens baptizati mors euenerit, impleatur illud*; cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filij, &c. *Aquam baptiſmi, animas noſtras mundare videndo Deo, poſt Paulum docuit Auguſtinus; & vitæ æternæ quæ conſiſtit in viſione beatifica, dicente Chriſto*, hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, &c. *apram, poſt* S. Aug.

S. Aug. *Tertullianum sic disserit tr. 9. tract. 80. in Io. 15.* Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur: Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris: corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: vnde in Actibus Apostolorum legimus: fide mundans corda eorum: Et in Epistola sua B. Petrus, sic & vos, inquit, baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio: hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio vt mundare possit, consecratur & baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre agricola, dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & vide quid adiungat: vt eam sanctificaret, inquit, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur, in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum A mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. *Et to. 10. ser. 29. de temp.* Proxima, inquit, ab hac die, fratres charissimi, sacri natalis die natus est Dominus, nunc baptizatus. Tunc nos genuit ad vitam, nunc regenerat ad salutem: tunc Adam suscepit perditum, nunc abluit peccatorem. Venit ergo ad baptismum sicut scriptum est. Sed quid abluit, qui mundus erat? Vtique vt mundus abluere immundos. Illum ergo currentes aquæ tunc infundebant, sed peccata nostra secum portabant. De illo guttæ baptismatis fluebant, sed nostra in guttis crimina fluebant. O misericordia simul & potentia Dei, necdum eramus in mundo, & iam abluebamur in baptismo. Mundati in illo sumus antequam nati. Nam ipsi fuit baptismatis ratio, vt aquæ quæ purgaturæ nos erant, ab illo ante purgarentur. Et cum ascendisset, inquit, scriptura de aqua, vidit apertos cœlos. Numquid tunc ei cœlum apertum fuerat, cuius oculi cœlorum interiora cernebant? Sed ideo cœlum aperitur, vt mysterium baptismatis in hoc declaretur: quia quando homo de baptismo egreditur, tunc ei ianua regni cœlestis aperitur. B Aug.

4. Baptismus animam regenerat, eamque Spiritui sancto vt sponsæ jungit, & carnem famulam ei subjicit. De An. cap. 41. in f.

CVm ad fidem peruenit reformata per secundam natiuitatem ex aqua & superna virtute, detracto corruptionis pristinæ aulæo, totam lucem suam conspicit. Excipitur etiam à Spiritu sancto, sicut in pristina natiuitate à spiritu profano. Sequitur animam nubentem spiritui caro, vt dotale mancipium, & jam non animæ famula, sed spiritus. O beatum connubium, si non admiserit adulterium!

BAPTISMI EFFECTVS. IV. SCHOLIA.

CVM AD FIDEM, *agit de Anima, quæ secundum Paulum fit*, noua creatura, *& verè reformatur in baptismo*, signato super eam lumine vultus Dei. SECVNDAM NATIVITATEM. *In prima enim, natura filij ire sumus.* EX AQVA, *&c. Ioan. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. *Quem intelligit in* superna virtute. AVIÆO. *id: velo oppanso & nubilo peccati originalis, & ignorantiæ agnate.* TOTAM LVCEM SVAM. *Deum scilicet*, lucem veram, quæ illuminat omnem hominem, *& in lumine fidei videt lumen Diuinitatis. In baptismo reformari in meliorem Natiuitatem per Spiritum* S. Aug. *sanctum animæ sponsum insinuat Augustinus to. 3. in Enchir. ad Laur. cap. 48.* Illud vnum peccatum, quod tam magnum in loco, & habitu tantæ fœlicitatis admissum est, vt in vno homine originaliter, atque, vt ita dixerim, radicaliter totum genus humanum damnaretur, non soluitur ac diluitur nisi per vnum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, qui solus potuit ita nasci, vt ei opus non esset renasci. Non enim renascebantur qui baptismate Ioannis baptizabantur, à quo & ipse baptizatus est, sed quodam præcursorio illius ministerio qui dicebat, parate viam Domino: Huic vni in quo solo renasci poterant, parabantur. Huius enim baptismus est non in aqua tantum, sicut fuit Ioannis, verum etiam in Spiritu sancto, vt de illo C spiritu regenereretur quisquis in Christum credit, de quo Christus generatus regeneratione non egeret. Vnde voxilla Patris, quæ super baptizatum facta est, Ego hodie genui te: non vnum illum temporis diem quo baptizatus est, sed immutabilis æternitatis ostendit, vt illum hominem ad vnigeniti personam pertinere monstraret. Vbi enim dies, nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est. A SPIRITV PROPHANO. *Immundo damonio, cuius est soror* venundata sub peccato. SEQVITVR ANIMAM NVBENTEM. *Fit Anima sponsa Spiritus sancti, cui confœderatur fidei Annulo, & gratia, & Charitatis glutino. Hanc sequitur caro.* VT DOTALE MANCIPIVM. *Quod Spiritus sanctus, plenè subijcit Anima imperio, & quasi dotis nomine, sponsus Spiritus, carnem dat animæ, vt famulam; vt sequatur potius ductum Spiritus sancti, quàm ipsius animæ. Si enim, vel in ipsa corrupta natura, jussum est Animæ de appetitu carnali, sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius; quantò magis in gratia constituta? Vt animalia, sensus inquam & appetitus animales carnis*, vbi erit Spiritus impetus, illuc gradientur. O BEATVM CONNVBIVM, *animæ cum Spiritu sancto, si non admittat peccati adulterium. Et nullam in nuptiali cordis thalamo admittat extraneam Creaturam, ne illud propheta exprobret*, Dilatasti cubile tuum.

5. Baptismus & pœnitentia breui omnes maculas abluit. V. Verbum. Gentilis leprosus.

6. Baptismus reparat lapsam similitudinem Dei, à culpa & pœna liberat. De bapt. cap. 5. in f.

EXempto scilicet reatu, eximitur & pœna. Ita restituitur homo Deo ad similitudinem eius, qui retro ad imaginem Dei fuerat. Imago in effigie, similitudo in æternitate consti-

tus

tur. Recipit enim illum Dei ſpiritum, quem tunc de adflatu eius acceperat, ſed pòſt amiſerat per delictum.

BAPTISMI EFFECTVS. VI. SCHOLIA.

Aug.

EXEMPTO. *Sublata cauſa tollitur effectus. Et reatu culpæ ſublato, pœna proindè in baptiſmo tollitur.* RESTITVITVR. *in integrum ſcilicet. Homo iuxta Tertul. & multos Patres, imago Dei eſt in naturalibus donis, ſimilitudo in ſupernaturalibus.* IMAGO IN EFFIGIE. *Quod Deum imitetur in eximia ſua forma naturali. Similitudo, &c. ſic contra Hermogenem* quis alius Dei ſenſus quam æternitas? *Res Dei, æternitas & immortalitas, homo Deo ſimilis in gratia conditus, quæ ex Paulo* eſt vita æterna. DE AFFLATV. *Vult ſimul ex eadem inſufflatione hominem accepiſſe & animam viuentem, & Spiritum viuificantem gratiæ, quam qui amiſerat per delictum Adæ recipit in baptiſmo per Chriſtum; Quòd baptiſmus culpam omnem deleat & reparet lapſam Dei ſimilitudinem, diſcamus ab Aug. lib. 14. de Trinit. cap. 16.* Qui, inquit, commemorati conuertuntur ad Dominum ab ea deformitate, qua per cupiditates ſeculares conformabantur huic ſæculo, reformantur ex illo, audientes Apoſtolum dicentem, Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate mentis veſtræ, vt incipiat illa imago ab illo reformari, à quo formata eſt. Non enim reformare ſeipſam poteſt, ſicut potuit deformare. Dicit etiam alibi, Renouamini Spiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, eum qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis. Quod ait, ſecundum Deum creatum: hoc alio loco dicitur ad imaginem Dei. Sed peccando, juſtitiam & ſanctitatem veritatis amiſit; propter quod hæc imago deformis & decolor facta eſt; hanc recipit cùm reformatur & renouatur, &c. Expoliantes vos, inquit, veterem hominem cum actibus eius, induite nouum hominem, qui renouatur in agnitione Dei ſecundum imaginẽ eius qui creauit illum. Quod ergo ibi legitur, induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt: Hoc illo loco, induite nouum hominem, qui renouatur ſecundum imaginem eius qui creauit eum. Pro eo vero quòd ibi poſuit, In juſtitia & ſanctitate veritatis: Hoc poſuit hic, In agnitione Dei. Fit ergo iſta renouatio reformatioque mentis, ſecundum Deum, vel ſecundum imaginem Dei. Sed ideo dicitur, ſecundum Deum: ne ſecundum aliam creaturam fieri putetur. Ideo autem ſecundum imaginem Dei: vt in ea re intelligatur fieri, hæc renouatio, vbi eſt imago Dei, id eſt in mente. Quemadmodum dicimus, ſecundum corpus mortuum, non ſecundum ſpiritum, cum qui de corpore fidelis & iuſtus abſcedit, &c. Sane iſta renouatio non momento vno fit ipſius conuerſionis, ſicut momento vno fit illa in baptiſmo renouatio remiſſione omnium peccatorum. neque enim vel vnum quantulumcumque remanet quod non remittatur: ſed quemadmodum aliud eſt carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta eſt, reualeſcere; itemque aliud eſt infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod ea factum eſt ſecunda curatione ſanare: ita prima curatio eſt cauſam remouere languoris, quod per omnium ſit indulgentiam peccatorum, ſecunda ipſum ſanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. *Et tract. 5. in Io. 1.* Attendat, inquit, vnuſquiſque veſtrum fratres mei, quid habeat Chriſtianus. Quod homo eſt, commune cum multis: quod Chriſtianus eſt, ſecernitur à multis, & plus ad illum pertinet quod Chriſtianus, quam quod homo: nam quod Chriſtianus, renouatur ad imaginem Dei à quo homo factus eſt ad imaginem Dei: quod autem homo, poſſet & malus, poſſet & paganus, poſſet & idololatra? Hoc tu perſequeris in Chriſtiano quod melius habet: hoc enim illi vis auferre vnde viuit. Viuit enim temporaliter ſecundum ſpiritum vitæ, quo corpus animatur: Viuit autem ad æternitatem ſecundum baptiſma, quod accepit à Domino: Hoc illi vis tollere, vnde viuit. *Quoniam* juſtus ex fide viuit *quam in baptiſmo accepit æternum victurus, & ad vitam regenerandus ſempiternam.*

S. Aug.

A

B

C

D

S. Aug.

7. Baptiſmus veſtis eſt fidei, caracterem imprimens, & ſeruum Dei propria ſynthesi diſcernens V. ſupra Verbum. Baptiſmi neceſſitas; circa f.

BAPTISMVS NON REITERATVR.

1. *V. Verbum. Baptiſmus Ioannis, num. 4.*

2. *Baptiſmus vnus eſt; hæreticorum autem, Tertulliani tempore, defectu materiæ, vel formæ, nullus. De Bapt. cap. 15. à p. ad f.*

VNus omnino baptiſmus eſt nobis, tam ex Domini euangelio, quàm ex Apoſtoli litteris; [a] *quoniam vnus Deus, & vnum baptiſma*, & vna Eccleſia in cœlis. Sed circa hæreticos ſanè quid cuſtodiendum ſit, dignè quis retractet. ad nos enim editum eſt. Hæretici autem nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ, quos extraneos vtique teſtatur ipſa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoſcere quod mihi eſt præceptum, quia non idem Deus eſt nobis, & illis, nec vnus Chriſtus, id eſt, idem: ideoque nec baptiſmus vnus, quia non idem: quem quum ritè non habeant, ſine dubio non habent: nec capit numerari, quod non habetur. Ita nec poſſunt accipere, quia non habent. Sed de iſto plenius jam nobis in Græco digeſtum eſt. Semel ergo lauacrum inimus, ſemel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet. Ceterùm, Iſrael Iudæus quotidie lauat, quia quotidie inquinatur. Quod ne in nobis quoque factitaretur, propterea de vno lauacro definitum eſt. Felix aqua quæ ſemel abluit, quæ lubrio peccatoribus non eſt, quæ non adſiduitate ſordium infecta, rurſus quos diluit, inquinat.

[a] Epheſ. 4.

Digitized by Google

BAPTISMVS VNVS. II. SCHOLIA.

EX EVANGELIO. *idiam præscripserat de baptismo c. 12.* Vnum baptismum definierat ipse Dominus, dicens Petro perfundi nolenti: qui semel lauit, non habet necesse rursum. APOSTOLI LITERIS. *Eph. 4.* Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. VNA ECCLESIA. *Aug. ad Crescent.* Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, vna incorrupta Catholica Ecclesia; non in qua sola vnus Deus colitur, sed in qua sola vnus Deus, piè colitur. IN COELIS. *Vel hoc insinuat errorẽ suum de Ecclesia quæ* trium corpus est, *vt supra vidimus. Vel melius intellige Ecclesiam in cœlis, non excludendo eam esse in terris, quæ consociata est charitate, & vnitate Spiritus cum Ecclesia cœlesti. Vel quia*, vt sæpè loquitur Augustinus, *Christus corpus & caput est. Qui cum sit in cœlis* caput super omnem Ecclesiam, *hoc sensu dici potest esse vna Ecclesia in Cœlis.* DIGNE QVIS RETRACTET. *id est plenè tractet.* AD NOS ENIM. *Hic aperit clarè mentem suam, in Ecclesia Catholica sub vera materia & forma traditum esse baptismum.* AB EMPTIO COMMVNICATIONIS *Excommunicationem intellige. D. Leo*: Vipereæ hæreticorũ deuitate colloquia, nihil nobis commune sit cum eis, qui cum Catholica aduersantes fidei, solo sunt nomine Christiani. NON IDEM DEVS. *Deum enim credunt, non diuina, sed humana fide & opinione. Sic D. Thomas* non credunt Deum esse sub his conditionibus quas fides determinat, & ideo non vere Deum credunt. QVIA NON IDEM. *Baptismus enim Caianorum defectu materiæ, & Cataphrygum defectu formæ non idem cum nostro, deficiens in essentialibus. Vnde in Concilio Nicæno Cataphryges conuersi ad Ecclesiam rebaptizari jubentur. Synodus sexta celebrata in Trullo, idem jubet de Valentinianis, Marcionistis, & similibus corrumpentibus essentiam baptismi. Vt dubium sit Tertullianum hic impingere in errorem Cypriani de rebaptizandis hæreticis; D. Hiero. Et Aug. qui plenissimè Cyprianum eiusque antecessorem Agrippinum de Anabaptismo refutarant, nullam de Tertulliano fecere memoriam, maximè cum Hiero. legerit & citauerit hunc Tertulliani librum de baptismo. Sunt tamen multi qui hoc loco ipsum durius intelligant.* CVM RITE, *&c. non hic taxat defectum solius cæremoniæ, sed materiæ, vel formæ;* NEC CAPIT. *id. non potest nec debet numerari.* IN GRÆCO. *Non extat, sed græcè scripserat de baptismo.* SEMEL ERGO. *Aug. ser. de Ablutione pedum.* Quem sui Reuerentia non patitur iterari. *Et lege 58. Cod. Theodos. de hæret.* In modum semel nati hominis, baptisma semel conceditur à Deo. *D. Zeno.* Cupiditate ac velocitate ceruina lacteum genitalis fontis ad lauacrum conuolate, fortiter bibite, vt semper vobis aqua sufficiat: hoc principaliter scientes, quia hanc nec effundere licitum est, nec rursus haurire. *Iterari non oportet. Quia iuxta Paulum* impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiam donũ cœleste, & participes facti sũt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renouari ad pœnitentiam. *Non quod relapsos excludat Paulus à pœnitentia Sacramento: sed à pœnitentia, quæ baptismum præcedebat in adultis, & erat renuntio præparatoria regenerationis baptismi, quo illuminantur vera fide, baptizati. Optat ergo Tertul. vt sicut baptisma non reiteratur, nec iterari debita.* QVOTIDIE LAuat. *Vultnos differre à Iudæis, & maximè Pharisæis, qui Marci 7. frequenter lauabant.* Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus non manducant, tenentes traditionem seniorum: & à foro nisi baptizentur non comedunt: & alia multa sunt quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & Vtcorum, & æramentorum, & lectorum. IN RECTA RVRSVS, *&c. & bene. Si enim sordes in aqua deponimus, & iterum in eandem aquam mergimur, potius inquinamur, quam lauamur. Valent. & Gratianus l. 1. tit. 6. Cod.* Alio rursus baptismate non purificant, sed infestant, lauacri nomine polluentes, *Tandem Aug. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 5. vnicum esse baptisma, nec reiterandum docet his verbis.* Nec ideo non accepisse baptismum existimantur, aut talem baptismum accepisse dicuntur, qualis fuit error ipsorum, sed in eis & Sacramenti integritas honoratur, & mentis vanitas emendatur: etiam si confirmata, & fortasse multis contentionibus defensa coaluerat. Quapropter & hæreticus qui perspicuè foris est, si baptismum illic Euangelicum accepit, & non talem vtique baptismum accepit quali errore cæcatur, & propterea si resipiscens viderit relinquendum esse quod malè tenuerat: non simul ei relinquendum est bonum quod acceperat, nec quia error illius improbandus est, propterea baptismus Christi in illo exsufflandus est, iam enim ex iis quos intus corrigit de Deo falsa opinantes baptizari, satis elucet discernendam esse Sacramenti veritatem à male credentis errore, quamuis vtrumque in homine vno valeat inueniri, & ideo cum etiam foris in errore aliquo constitutus, vero tamen Sacramento foris baptizatus Ecclesiæ redditur vnitati, sicut falsæ fidei vera succedit, non sic potest etiam vero baptismo verus baptismus succedere, quia idem ipse sibi succedere non potest, quia nec decedere potest. Ad hoc ergo hæretici ad Catholicam veniunt, vt quod eorum malum est corrigatur, non quod bonum Dei est repetatur. *Et cap. 17.* Nec, inquit, adultera est aqua in baptismo hæreticorum, quia nec ipsa creatura quam Deus condidit mala est, nec verba Euangelica in quibuslibet errantibus reprehendenda sunt, sed error in quo adultera est anima, & si à legitimo viro Sacramenti habeat ornamentum. Potest igitur nobis & hæreticis baptisma esse commune, cum quibus potest & Euangelium esse commune, quamuis à fide nostra error distet illorum, siue aliud de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto sentiant quàm veritas habet, siue ab vnitate præcisi non colligant cum Christo, sed spargant, quia potest nobis si frumenta Dominica sumus, etiam intus cum auaris, cum raptoribus, cum ebriosis, & cæteris eiusmodi pestibus, de quibus dicitur, regnum Dei non possidebunt, & baptismatis Sacramentum esse commune; & tamen vitia quibus à regno Dei separantur, non esse communia. *Et tract. 5. in cap. 1. Io. vbi cont. Donatistas.* Hi tollunt animam, & alteri tollũt, & ipsi duas animas non habent. Quid ergo vis auferre? Vnde tibi displicet, quem vis rebaptizare? Dare non potes quod jam habet, sed facies negare quod habet. Quid acerbius faciebat paganus, persecutor Ecclesiæ? Exerebantur gladij aduersus martyres, emittebantur bestiæ, ignes admouebantur. Vt quid ista? vt diceret qui ista patiebatur, non sum Christianus. Quid doces tu eum, quem vis rebaptizare, nisi vt primo dicat, non sum Christianus? Ad quod aliquando persecutor proferebat flammam, ad hoc tu producis linguam. Seducendo facis, quod ille occidendo non fecit, &c. Interrogas, habes baptisma? Habeo dicit. Quandiu dicit, habeo, Non sum, inquis, daturus. Et noli dare:

8 Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

Aug.

Aug.

Aug. quod enim vis dare, hærere in me non potest, quia quod accepi, auferri à me non potest: sed tamen expecta, videam quid me vis docere. Dic, inquit, primò, non habeo: sed hoc habeo. Si dixero non habeo, mentiar. Quod enim habeo, habeo. Non habes, inquit; Doce quia non habeo: malus tibi dedit: si malus Christus, malus mihi dedit: Non, inquit, malus Christus: sed non tibi Christus dedit. Quis ergo mihi dedit? Respondè, Ego me à Christo scio accepisse. Dedit tibi, inquit, sed traditor nescio quis, non Christus. Videro quis fuerit minister videro, quis fuerit præco. De officiali non disputo, judicem attendo: & fortè quod obiicis officiali mentiris, &c. A Christo sum baptizatus, Ego noui. Vnde nosti? Docuit me columba, quam vidit Ioannes. O miluo male, non me dilanias à visceribus columbæ. In columbæ membris numeror, quia quod columba docuit, hoc noui, & docuit hoc? nescio. Tu mihi dicis, ille te baptizauit, aut ille te baptizauit: per columbam mihi & tibi dicitur, Hic est qui baptizat. Cui credo, miluo an columbæ? *Vide pulcherrima in Alphabeto errorum Tertull. V. Baptismus hæreticorum.*

BAPTISMVS SANGVINIS.

1. *Baptismus Sanguinis, & fluminis de Christi Sanguine fluxit. De pudic. cap. 22. circa f.*

IAm & martyrium, aliud erit baptisma. [a] *Habeo enim, inquit, & aliud baptisma.* Vnde & ex vulnere lateris Dominici aqua & sanguis, vtriusque lauacri paratura, manauit. a Luc. 12. 50. Io. 19. 34.

BAPTISMVS SANGVINIS. I. SCHOLIA.

HABEO ENIM. *Luc. 12.* Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsquedum perficiatur. ? *Nota Christum prius dixisse immediatè,* ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Baptismo autẽ, &c. *Euthy. & Theoph. per ignem charitatem & zelum intelligunt. Tertul. autem 1. cont. Marc. 4. per ignem intellexit afflictionem & persecutionem. Vnde bene Christus subiecit de baptismo sanguinis sui & mortis vt eum Tertul. Cyprianus & Philastrius censuerunt: coarctabatur autem, non tristitia, vt Lyranus voluit, sed potius zelo & ardore desiderabat, vt accenderetur ignis ille Iudeorum* sicut ignis in spinis. *Vnde Ambr. hoc loco.* Tristis est anima mea vsque ad mortem. Non propter mortem, sed vsque ad mortem tristis est Dominus, quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. *Quasi diceret, affectu gloriæ sui corporis, per passionem acquirendæ, tristem fuisse donec moreretur. Et eius mensura ad gloriam.* VTRIVSQVE LAVACRI PARATVRA. *Quia de Christi latere duplex baptisma profluxit; aqua enim baptismum fluminis disposuit, sanguine martyres ad baptismum sanguinis subeundum præparauit. Aug. to. 7. lib. 1. de anima, & eius origine* S. Aug. *c. 9.* Ex quo, inquit, ab illo dictum est, nisi quis renatus fuerit, &c. Et alio loco: qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam: Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo. Vnde & latro ille non ante crucem Domini sectator, sed in cruce confessor, de quo nonnunquam præiudicium capeatur, siue tentatur contra baptismatis Sacramentum; à Cypriano sancto inter Martyres computatur, qui suo sanguine baptizantur, quod plerisque non baptizatis, feruente persecutione prodenit. Tanto namque pondere appensum est, tantumque valuit apud eum qui hæc nouit appendere, quod confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando Discipulorum marcuit, nisi cuius mortis terrore marcuerat, eius resurrectione reuiresceret. Illi enim desperauerunt de moriente, ille sperauit in commoriente. Refugerunt illi authorem vitæ, rogauit ille consortem pœnæ. Doluerunt illi tanquam hominis mortem, credidit ille regnaturum esse post mortem. Deseruerunt illi sponsorem salutis, *fidei-iussorem, cautionem, de quo sapiens: gratiam fidei-iussoris tui ne obliniscaris, posuit enim animam suam pro te,* honorauit ille socium crucis. Inuenta est in eo mensura Martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui futuri erãt Martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non baptizato, tãquam Martyrij sanguine abluto, tantam fœlicitatem statim contulit. Sed etiam nostrûm quis non consideret quanta fide, quanta spe, quanta charitate mortem pro Christo viuente suscipere potuit, qui vitam in moriente quæsiuit. Huc accedit quia non incredibiliter dicitur, latronem qui tunc credidit, iuxta Dominum crucifixum, aqua illa quæ de vulnere lateris eius emicuit, tanquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum. *Euthymius in Io. 19.* Sanguinem & aquam scaturire facit, duo designans baptismata. Vnum quidem per sanguinis martyrium; alterum verò per aquæ regenerationem: atque horum fluxu peccati fluxum demergit. *De baptismo sanguinis habes Augustinum Scholio sequenti.*

2. *Baptismus sanguinis, supplet defectum fluminis, & vterque latus Christi originem agnoscit. De bapt. cap. 16. per totum.*

EST quidem nobis etiam secundum lauacrum, vnum & ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus: [a] *Habeo, inquit, baptismo tingui,* quum iam tinctus fuisset. [b] *Venerat enim per aquam & sanguinem,* sicut Ioannes scripsit, vt aquâ tingueretur, sanguine glorificaretur; proinde, nos faceret aquâ vocatos, sanguine electos. Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit; quatenus qui in sanguinem eius crederent, aquâ lauarentur: qui aquâ lauissent, etiam sanguinem potarent. Hic est baptismus, qui lauacrum & non acceptum repræsentat, & perditum reddit. a Luc. 12. 50. b 1. Io. 5. 8. Io. 19. 34.

BAPTISMVS SANGVINIS. II. SCHOLIA.

VNVM ET IPSVM. *Effectus ſcilicet remiſſionis peccatorum, & ex vna eadem cauſa meritoria fluens, Chriſti ſcilicet paſſione & ſanguine.* CVM IAM, *&c. baptizatus fuiſſet à Ioanne.* VENERAT ENIM, *1. Io. 5.* Sic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, IESVS-CHRISTVS, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine, &c. & tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua & ſanguis.

S.Aug. *Quem locum Auguſtinus tom. 6. lib. 3. cont. Maximinum Arrianum cap. 22. explicat de Chriſto emittente Spiritum. Et ſanguine & aqua manante ex eius latere, dixitque Spiritum Patrem, ſanguinem Filium, aquam Spiritum ſanctum repreſentare, & baptiſmum vnum datum in Nomine Trinitatis.* SANGVINE GLORIFICARETVR. *Hinc Cyrill. Ieroſ. vocat crucem & paſſionem Chriſti* gloriationem gloriationum. AQVA VOCATOS. *Non enim omnes baptizati, qui vocantur ad fidem, ſunt electi. Multi enim deficiunt; ſed qui* perſeuerauerit vſque ad mortem, hic ſaluus erit. *Vnde ſecurius eſt baptiſma ſanguinis pro adulto, quàm fluminis.* EX VVLNERE, *Io. 19.* Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua, & qui vidit teſtimonium perhibuit. *Aug. tract. 120. in Io.* Vigilanti verbo Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret latus eius

S. Aug. percuſſit, aut vulnerauit, aut quid aliud, ſed aperuit; vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde Sacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus, ad vitam quæ verè vita eſt, non intratur. Iſte ſanguis in remiſſionem fuſus eſt peccatorum; Aqua illa ſalutare temperat poculum, hæc & lauacrum præſtat, & potum. Hoc prænuntiabat quod Noë in latere arcæ oſtium facere iuſſus eſt, qua intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia. Propter hoc prima mulier eſt facta de latere viri dormientis, & appellata eſt vita materque viuorum. Magnum quippe ſignificauit bonum, ante magnum præuaricationis malum. Hic ſecundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, vt inde formaretur ei coniunx, quod de latere dormientis effluit. O mors vnde mortui reuiuiſcunt! quid iſto ſanguine mundius? Quid vulnere ſalubrius? *Et idem de 4. feria cap. 4. to. 10.* Quid,

S.Aug. inquit, manauit, ex illo latere crucifixi? Sanguis & aqua? Ex ſanguine rubor, ex aqua ſplendor. *Et cap 5.* Quam ſpecioſæ ſunt genæ tuæ, &c. *Et induxit animam reſpondentem:* Humilitas tua facta eſt exaltatio mea, fœditas tua facta eſt pulchritudo mea. Niſi enim tu de Cruce vulneratus deſcenderes, ego dealbara de fonte non aſcenderem Duos BAPTISMOS. *Aug. ep. 108. vbi cœlum non baptizatis clauſum dicit:* Niſi forte qui antequam baptizarentur occiſi ſunt, quibus ipſa paſſio pro baptiſmo deputata eſt. *Et lib 13. de Ciuit. c. 7.* Quicumque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmatis. Qui enim dixit, niſi quis renatus, &c. alia ſententia iſtos fecit exceptos, vbi non minus generaliter dixit, qui me confeſſus fuerit, &c. Et alio loco, qui perdiderit animam, &c. Hinc eſt quod ſcriptum eſt: pretioſa in conſpectu, &c. Quid enim pretioſius quàm mors, per quam fit vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita, cumulatius augeantur? Neque enim tanti ſunt meriti, qui cum mortem differre non poſſent, baptizati ſunt, deletiſque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt: quanti ſunt hi, qui mortem differre cum poſſent, ideo non diſtulerunt: quia maluerunt Chriſtum confitendo, finire hanc vitam, quàm enim negando ad eius baptiſmum peruenire: quod vtique ſi feciſſent etiam hoc eis in illo lauacro dimitteretur, &c. *Et paulo poſt, ſubdit etiam Chriſti ſanguinem & aquam fundentibus, per baptiſmum, ſpondente Petro, remittendum Deicidium, quanto magis metu negantibus Chriſtum? Et concludit prædominari martyrium ſanguinis:* Sed quando, niſi abundantia gratiæ Spiritus illius, qui vbi vult ſpirat, tantum Chriſtum amare poſſent, vt eum in tanto vitæ diſcrimine, tanta ſub ſpe veniæ *etiam negationis ipſius, per baptiſmum aquæ; obtinendæ* negare non poſſent? SANGVINEM POTARENT. *Chryſoſt. hom. ad Neoph.* Non ait, exiuit ſanguis & aqua, ſed exiuit aqua primum, & ſanguis: *ſic & legit Euthymius cum Chryſoſt. ſecundum aliquos codices Græcos* quia prius baptiſmo diluimur, & poſtea myſterio dedicamur. REPRÆSENTAT, *&c. id eſt vices gerit, & gratiam baptiſmi aquæ, perditam peccato aliquo mortali commiſſo poſt baptiſmum, reparat. Adde & dilutum aqua lateris, & potatum ſanguine, excitari ad fundendum in Martyrio ſanguinem, vnde Leo.* Martyrum exercitus, noſtris Azymis ſaginatus. *Et Aug. in pſal. 48* Exigitur de manducante, quod manducat. *Et rurſum Aug. in Pſ. 148.* ſic manduca, vt eructes; ſic accipe, vt des.

BENEDICTIO.

Benedictio, & maledictio, ab eodem Deo procedit. 5. Cont. Marc. cap. 3. circa f.

SI in lege maledictio eſt, in fide verò benedictio; vtrumque habes propoſitum apud Creatorem. [a] *Ecce poſui*, inquit, *ante te maledictionem, & benedictionem.* Non potes diſtantiam vindicare: quæ etſi rerum eſt, non ideo auctorum; quæ ab vno auctore proponitur.

ad Gal. 3. 9. 10. 13. a Deut 11. 26.

BENEDICTIO. SCHOLIA.

SI IN LEGE MALEDICTIO. *Argumentatur contra Marcionem reprobantem vetus teſtamentum, & pro ſe afferentem locum Pauli ad Gal. 3.* Quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim; maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt quia juſtus ex fide viuit. *Scriptum porro eſt Deut. 27. verſu vltimo. Reſpondet Tertul. Marcioni* VTRVMQVE HABES. *id eſt & benedictionem & maledictionem in veteri Teſtamento Creatoris. Vtpateat quod iuxta Auguſtinum,* vno Spiritu inflentur ambæ tibiæ. *Sic enim Deut. 11.* En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem, &c. DISTANTIAM VINDICARE. *id eſt aſſerere diuerſitatem Deorum.*

Aug.

& Authorum vtriuſque teſtamenti; licet longius diſtent benedictio, & maledictio, quàm montes Garizin, in quo poſita eſt benedictio, & Hebal, in quo maledictio. Deut. 11. cautè autem penſandum eſt cum D. Thoma, quod dixit Paulus, quicumque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. *Non enim ſunt maledicti & damnati Patres, qui opera legis ſeruauerunt; ſed qui in operibus legis confidunt, & putant ſe juſtificari per ea. In quantum ergo lex cognitionem dat peccati, & non præbet auxilium contra peccatum, ponit eos qui in operibus legis ſunt, ſub maledicto. Vnde juſtus ex fide infuſa à Deo, qua per dilectionem operatur, viuit, & benedictionem accipit. Auguſtinus autem maledictionem legis literam occidentem intelligit lib. de Spiritu & litera cap. 17. & 18. iuxta Paulum 2. Cor. 3.* Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non literæ, ſed Spiritus. Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat. Proinde quia lex, ſicut alibi dicit, A præuaricationis gratiâ poſita eſt, id eſt littera illa extra hominem ſcripta, *de qua paulò ante præmiſerat, Ecce quemadmodum oſtendit quia illud extra hominem ſcribitur, vt eum forinſecus terrificet, hoc in ipſo homine vt eum intrinſecus juſtificet*; Propterea eam & miniſtrationem mortis, & miniſtrationem damnationis appellat: Hanc autem, id eſt Nouum Teſtamentum, miniſtrationem Spiritus, & miniſtrationem juſtitiæ dicit, *& proinde benedictionis, contra maledictionem pronuntiatam in tranſgreſſores legis*, quia per donum ſpiritus, operamur juſtitiam, & à præuaricationis damnatione liberamur. Ideo illud euacuatur, hoc manet: quoniam terrenus pædagogus, *virgam maledictionis intentans* auferetur, cum timori ſucceſſerit charitas; vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas *Eiecta Agar, & filio eius in ſeruitutem generato; filij libera Sara benedictionem conſequentur.*

Aug. 3. Aug.

Aug.

Aug.

3. Aug.

BLASPHEMIA.

Blaſphemi, canes ſunt fruſtra latrantes in Dei bonitatem, quòd hominis lapſum permiſerit.
2. Cont. Marc. cap. 5. in p. ad vltra. m.

O Canes, quos foras Apoſtolus expellit, latrantes in Deum veritatis! hæc ſunt argumentationum oſſa quæ obroditis. Si Deus bonus, & præſcius futuri, & auertendi mali potens, cur hominem, & quidem imaginem, & ſimilitudinem ſuam, immò & ſubſtantiam ſuam, per animæ ſcilicet cenſum, paſſus eſt labi de obſequio legis in mortem, circumuentum à diabolo? Si enim & bonus, qui euenire tale quid nollet, & præſcius, qui euenturum non ignoraret, & potens, qui depellere valeret; nullo modo euenisſet, quod ſub his tribus conditionibus diuinæ majeſtatis euenire non poſſet. Quòd ſi euenit, abſolutum eſt è contrario, Deum neque bonum credendum, neque præſcium, neque potentem. Si quidem in quantum nihil tale euenisſet, ſi talis Deus, id eſt bonus, & præſcius, & potens; in tantùm ideò euenit, quia non talis Deus. Ad hæc, Prius eſt iſtas ſpecies in Creatore defendere, quæ in dubium vocantur; bonitatem dico, & præſcientiam, & potentiam. Nec immorabor huic articulo, præeunte definitione etiam ipſius Chriſti. Ex operibus ineundæ probationes. Opera Creatoris vtrumque teſtantur, & bonitatem eius, quà bona, ſicut oſtendimus; & potentiam quà tanta; & quidem ex nihilo. Nam etſi ex aliqua materia, vt quidam volunt, hoc ipſo tamen ex nihilo, dum non id fuerunt, quod ſunt. Poſtremò, vel ſic magna, dum bona: vel ſic Deus potens, dum omnia ipſius, vnde & omnipotens. De præſcientia verò quid dicam? quæ tantos habet teſtes, quantos fecit prophetas? Quamquam quis præſcientiæ titulus in omnium auctore, qua vniuerſa vtique diſponendo præſciit, & præſciendo diſpoſuit. certè ipſam tranſgreſſionem, quam niſi præſciſſet, nec cautionem eius delegaſſet ſub metu mortis. Igitur ſi & fuerunt in Deo iſtæ facultates, præ quibus nihil mali euenire homini aut potuiſſet, aut debuiſſet, & nihilominus euenit; videamus & hominis conditionem, ne per illam potius euenerit, quod per Deum euenire non potuit. Apoc. 22. 15.

Ioan. 10. 25.

BLASPHEMIA. SCHOLIA.

O Canes. *Sic Apoc. 22. Regno cæleſti excludit veneficos, impudicos Idololatras, ſed pra cæteris in capite ponit.* Foris canes. *Blaſphemos ſcilicet, oblatrantes Deo, quem iuxta Pſalten vocat*, Deum veritatis. *id eſt Deum verum, Patrem filij vnigeniti, qui de ſe dixit*, Ego ſum via & veritas. *Et bene canes impij & blaſphemi dicuntur, pra cæteris Marcionita, contra quos hic agit; quibus plaga Cyniphum bellè congruit, id eſt muſcarum caninarum. Ideo enim ex Aug.* Canes cæci naſcuntur, quia nil tam caninum, quàm non agnoſcere parentes. *Quantò magis in omnium parentem Creatorem inſurgere!* Ossa, *quaſi validiora argumenta ſunt, qua frequenti morſu arrodunt Marcionita.* Cur hominem. *Sap. 1.* in cogitationibus impij interrogatio erit. *Primus impiorum ſerpens antiquus Euam interrogauit. Gen. 3.* Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi? *Eius genimina Marcionita ſimiliter interrogant. Cur* B *præſciens Deus hominem,* SVBSTANTIAM SVAM *hic ſenſus eſt Marcionis non Tertulliani, qui animam*, licet rem Dei, & de eius adflatu, & hominem, per animæ cenſum, inter Dei diuitias, proindeque grandem theſauri eius ſubſtantiam credat, non tamen Dei portionem, *peccaturum, & poſſet impedire peccatum, permiſiteum à diabolo decipi, & labi in peccatum?* Aduersus &c. *reſpondet Tertull. primò* ſpecies & conditiones iſtas, *id eſt attributa præſcientiæ bonitatis & potentiæ tuendas eſſe, quas in dubium vocat Marcion dicens*, ſi Deus bonus, &c. DEFINITIONE. *rem indubiam definiuit Chriſtus dicens probationem conuincentem vera diuinitatis, præſcientia, bonitate, potentia plena, ex operibus eſſe ſumendam. ſic enim ipſe Ioannis 10.* Vos dicitis quia blaſphemas; quia dixi Filius Dei ſum: ſi non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio: Et ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſca-

Aug.

Digitized by Google

tis quia Pater in me est, & ego in Patre. VT QVIDAM VOLVNT, *Hermogeniani scilicet credentes materiam coæuam Deo, ex qua omnia fecerit.* NON IDEVERSVRET. *Intellige quoad formam, nam secundùm Hermogenem in materia fuerunt.* HABET TESTES, *quia Prophetæ dicti videntes, à præscientia & visione accepta à Deo. Hinc frequens illud*, factum est Verbum Domini, &c. PRÆSCIENTIÆ TITVLVS. *id est attributum Creatoris omnium, qui cuncta quæ facturus erat præscivit.* CAVTIONEM DELEGASSET. *Non significat tantum legatum mittere, vel alium pro se debitorem dare, termino juris, sed & simpliciter deputare, præficere, mandare. Dicit ergo Deum delegasse cautionem præscientiæ suæ circa transgressionem primi hominis, metum mortis. Addo & hunc metum intentatum cautionem fuisse, bonitatis eius, quæ nollet hominem incurrere mortem, quam intentabat, & potentiæ, & iustitiæ, quâ poterat iuxta peccati meritum*, animam & corpus perdere in gehennam; *simul & misericordiæ, quæ filium ante peccatum ad eius remedium incarnari & mori decreuerat.* HOMINIS CONDITIONEM. *Cum igitur Deo non sit imputandum peccatum, per defectibilitatem conditionis creaturæ, ex nihilo in nihilum relabentis, & malo vsu liberi arbitrij boni conditi, homo peccauit. quem Deus bonus & potens peccaturum* A *præscium non impediuit, tum vt naturam libertatis proderet, & quam liberam condiderat, conseruaret, tum vt in liberatis misericordiam, in damnatis iustitiam, in nullo iniustitiam demonstraret. Legendus Aug. to. 3. Enchir. c. 25. 26. & 27. vbi concludit:* melius iudicauit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. *Et 12. de Ciuit. c. 22.* nec ignorabat Deus hominem peccaturum, & morti iam obnoxium morituros propagaturum, &c. sed præuidebat etiam Deus gratia sua populum piorum in adoptionem vocandum, remissisque peccatis, iustificatum, Spiritu sancto sanctis Angelis in æterna pace sociandum, nouissima inimica morte destructa. *Sic & lib. quæst. in Exodum, quæst. 32.* nouit Deus bene vti malis, in quibus tamen naturam humanam, non ad malitiam creat: sed perfert eos patiens quousque scit oportere, non inaniter, sed vtens eis ad admonitionem, vel exercitationem bonorum. *Et D. Prosper in sent. ex Aug. deductis* nullum Deus vel Angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum vsibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum, quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam antithetis honestaret. Aug. Aug.

B

BOMBYX.

Bombicis sericum operantis descriptio. De Pall. cap. 3. circa f.

PRorsus haud latet bombycem, vermiculi genus est, quæ per aërem liquando, araneorum horoscopis idonius sedes tendit, dehinc deuorat, mox aluo reddere; proinde si necaueris animata jam stamina volues.

BOMBYX. SCHOLIA.

BOMBYCEM. *toto capite varias decurrit & graphicè describit mutationes & transformationes animalium, pelliumque ac plumarum aut colorum varietates, quibus se tuetur pro mutatione Togæ in Pallium contra obtrectatores. Bombyx autem superiori sensu & Christi & nostram Resurrectionem, post expoliationem corporis repræsentat. De nostra Paulus,* nolumus exspoliari, sed superuestiri *Christi vero sepulchrum gloriosum, qui solus est* inter mortuos liber, *repræsentat bombyx, nouo tumulo ex stamine serico, sponte reclusus: nisi quod Christus illæso sepulcro iam non vermis contemptibilis, sed Deus homo gloriosus alis resurrectionis assumptis ex mortis visceribus euoluit. Clemens Alex. 2. pedag. c. 10.* Est bombyx primùm vermis, deinde aspera ex eo nascitur eruca, post quam in tertia metamorphosi nascitur Papilio, quem nonnulli *νεκυδαίαν* appellant; ex quo nascitur longum stamen: quemadmodum ex aranea, tela aranex. *De his Plin. lib. 11. nat. hist. c. 22.* telas araneorum modo texunt ad vestem luxumque fœminarum, quæ bombycina appellatur. *Isid. lib. 12. orig. c. 5.* Bombyx froudium vermix, ex cuius textura bombycinum conficitur. Appellatur autem hoc nomine quod euacuetur dum fila generat, & aër solus in eo remaneat. *mira lectionum diuersitas in hoc loco Tertul. propono primo, & expono Rigaltij lectionem. Et aduerte, lector. à bombyce fœminini generis* quæ per aërem, &c. *transire ad masculinum* Idonius, *id est idoneus; supple vermiculus, de quo supra.* PER AEREM LIQVANDO, *id est liquescendo quodammodo dum suspenditur in aëre, & in telas sericas aluum suam effundendo:* ARANEORVM HOROSCOPIS IDONIVS, *&c. id. adaptatus similis, araneorum textilibus operibus, qua horologij per lineas distincti figuram exprimunt. Iuxta* S. August. *Aug. de Ciuit. 4. 4. c. 2.* Horoscopus est horæ inspectio C atque notatio, *quam hic Tertul. transfert ad texturam aranei ob figuræ cum horologio similitudinem.* SEDES TENDIT *extendit fila, quibus insideat.* DEHINC DEVORAT, *deinde folia præcipuè mori, quibus libentius pascitur, auidè corrodit.* MOX ALVO REDDERE, *supple idoneus vermiculus, exonerare ventrem excremento foliorum, vel aptus conuersum in fila serica alimentum aluo extrahere!* PROINDE SI NECAVERIS, *bombycem scilicet,* ANIMATA IAM STAMINA, *id. ex animali sumpta quæ in eo iam prius & immediatè ante mortem, viuebant, euoluet. Sic autem legunt alij*; per aërem aliquando, araneorum more, scopis se distendit, *id est, vel fila sua scopis implicat, vel se foliis arboris & Ramorum distendit, repleto ventre.* Dehinc deuorat, mox se quieti reddere. *supple, haud latet bombycem*, alij sic legunt, mox æquè reddere, *id. excrementa effundere.* Proinde si necaueris, *id est quasi si necatus sit*, obdormit. *alij*, perinde ac si neueris mox æquè reddere. *id. tale opus aluo sua effundere, quasi tu homo magna arte neueris.* Animata iam stamina volues, *id est, sana & integra. Alij*; animata mox stamine aluo *id est, postquam omne opus suum euoluit, aluus vermiculi, qui prius videbatur emortuus & contractus, animata reperitur; dum resurgit Papilio alatus; & ex coitu maris & fœmine, paruula grana in semen bombycum effundit. Nec prætereo quod aliqui legunt, pro* deuorat, deuorsat, *id. in speciem glomi conuoluit sua fila serica. Resurrectionis carnis imago est bombyx, de quo Basilius homil. 8. in hexameron.* Quid, inquit, dicitis vos quæso, qui D. Paulo non creditis, de ea mutatione quam in Resurrectione fore dicit, qui pleraſque videtis aëris animantes, formas permutare. Qualia de verme quoque illo Indico cornua protendenti gemina, narrari solent. Hic in erucam vertitur primùm: fit deinde temporis pro-

greſſu, id quod bombyx appellatur. Et neque hac in forma perſiſtit, ſed illis præmollibus corniculorum bracteolis ſeſe ſenſim prolatantibus in alarum ſpeciem, ita demum fit volucris. Cùm igitur vos mulieres repetitis vicibus ordimini, & retorqueris veſtram operationem ſedentariam, fila nimirum, quæ ad vos vſque Seres tranſmittunt, ad raras iſtas, ac præmolles veſtes concinnandas; veniat vobis in mentem huiuſce varietas animalis in formas, atque mutatio; indeque reſurrectionis dilucidam certamque ſententiam ſumite, neu fidem futuræ immutationi abrogeris ei quam hominibus omnibus communem fore ipſe D. Paulus pollicetur. *Idipſum in Chriſto, cauſa meritoria, & exemplari noſtræ reſurrectionis, inſinuauit D. Auguſtinus Epiſt. 49. ad Deo gratias cap. 8. vbi de vermi maturino, cucurbitam Ionæ rodente, id eſt Chriſto vmbras Prophetias auferente, & promiſſa temporalia, in æternam reſurrectionis gloriam commutante:* Vmbraculum, inquit, cucurbitæ ſuper caput eius, promiſſiones erant veteris teſtamenti, vel ipſa iam munera, in quibus erat vtique, ſicut dicit Apoſtolus, vmbra futurorum, tamquam ab æſtu temporalium malorum in terra promiſſionis defenſaculum præbens, &c. Adhuc cachinnentur pagani etiam vermem Chriſtum, & hanc interpretationem prophetici Sacramenti ſuperbiore garrulitate derideant, dum tamen & ipſos ſenſim paulatimque conſumat. *Tum præclarè adnotat titulum pſalmi 21. conſonare cum verme, in Reſurrectionis Symbolum.* Nos, inquit, agnoſcamus vermem maturinum; quia & in illo pſalmo 21. Cuius titulus inſcribitur, pro ſuſceptione matutinâ; hoc ſeipſe nomine appellare dignatus eſt: Ego, inquit, ſum vermis, & non homo, &c. Vermis eſt propter humilitatem carnis, fortaſſis etiam propter virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne, vel de quacumque re terrena, ſine vllo concubitu naſcitur. Matutinus eſt, quia diluculo reſurrexit, &c. Poſtremò ſi habebat Deus adhuc vermem neceſſarium, quid opus erat addere matutinum, niſi vt ille vermis agnoſceretur, qui cantat pro ſuſceptione matutina: Ego autem ſum vermis & non homo? *Nec ſolum cùm mane reſurgens cum bombyce, de ſepulcro glorioſo dixit Patri.* Et cum gloria ſuſcepiſti me: *ſed & cum ex vtero Matris ante Luciferum genitus eſt. Ita Aug. ſer. 181. de temp.* Sicut enim vermis calefaciente Sole de puro limo formatur: ſic Spiritu ſancto illuſtrante & ſanctificante cor virginis, caro Chriſti de ſola carne virginis, nulla ſementina carnis origine operante concepta eſt. Ego, inquit, ſum vermis & non homo: id eſt non conceptus more humano.

BONITAS ET BONVM.

1. Bonitas ſine ratione mala eſt, & viciſſim. 2. cont. Marc. cap. 6. à p.

BOnitas Dei, & ratio ejus, huic quoque inſtituto patrocinabuntur, in omnibus conſpirantes apud Deum noſtrum. Nec ratio enim ſine bonitate, ratio eſt; nec bonitas ſine ratione, bonitas: niſi fortè penes Deum Marcionis irrationaliter bonum, ſicut oſtendimus. Oportebat Deum cognoſci: bonum hoc vtique, & rationale.

BONITAS. 1. SCHOLIA.

BONITAS DEI ET RATIO EIVS, *&c. Hic refellit Marcionem, arguentem bonitatem Creatoris, quod dederit liberum arbitrium homini, quo ſciebat ipſum abuſurum ad peccatum. Et probat rationabilem fuiſſe Dei bonitatem, qua cum vellet cognoſci & amari, debuit iuxta rationem, condere creaturam ad imaginem ſuam, rationis vtique, cognitionis, amoris, libertatiſque capacem. Nec enim vera bonitas ſine ratione conſiſtere poteſt niſi apud Deum Marcionis phantaſticum, quem ſtupidum multis locis conuincit Tertul. vt & vioſum & inſenſibilem. Idem ipſe Tertul. lib. de panit. cap. 1. loquens de panit.* A ratione eius tantum abſunt, quantum ab ipſo rationis authore. Quippe res Dei ratio. Quia Deus omnium conditor, nihil non ratione prouidit, diſpoſuit, ordinauit; nihil non ratione tractari intelligique voluit. Igitur ignorantes quique Deum, rem quoque eius ignorent neceſſe eſt, quia nullus omnino theſaurus extraneis patet. *Dei bonitatem rationabilem in omnibus pulchrè aſſerit Auguſtinus lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 12.* Dat quibus vult, quoniam miſericors eſt: quòd etſi non det, juſtus eſt: Et non dat quibus non vult, vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Dando enim quibuſdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram ſuam eſſe gratiam voluit. Non omnibus dando, quid omnes mereantur, oſtendit. Bonus in beneficio certorum, juſtus in ſupplicio exterorum. Et bonus in omnibus; quoniam bonum eſt, cum debitum redditur. Et juſtus in omnibus, quoniam juſtum eſt cùm debitum ſine cuiuſquam fraude donatur. *Bonitatem Dei & juſtitiam in danda vel neganda gratia commendauerat prius eodem libro cap. 8. vbi Pelagianus interrogauit:* Sed cur, inquit, gratia Dei non ſecundùm merita hominum datur? Reſpondeo, *inquit Auguſtinus*, quoniam Deus miſericors eſt. Cur ergo, inquit, non omnibus? Et hîc reſpondeo, quoniam Deus judex juſtus eſt: ac per hoc & gratis ab eo datur gratia: & juſto eius in aliis judicio demonſtratur, quid eis quibus datur, conferat gratia. Non itaque ſumus ingrati, quòd ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, tam multos liberat miſericors Deus, de tam debita perditione, vt ſi inde neminem liberaret, non eſſet injuſtus. Ex vno quippe omnes in condemnationem, non iniuſtam, judicati ſunt ire, ſed juſtam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur debitum agnoſcat. Si in remittendo debitum, bonitas; in exigendo æquitas intelligitur, nuſquam eſſe apud Deum iniquitas inuenitur. *Vide ſcholia V. Blaſphemia.*

2. Bonitas rerum, non ex hominum, ſed Dei ſenſu, & rei ſtatu penſanda eſt. De fuga in perſeq. Cap. 4. à p. adm.

ET nunquid ideo in Geneſi ſic poſitum eſt, [a] *Et vidit Deus quia bonum eſt*; non quòd ignoraret bonum eſſe, niſi vidiſſet; ſed vt hoc ſono portenderet bonum eſſe, quod Deo vi-

[a] Gen. 1. per totũ, & 31.

sum est? Multa quidem sunt, quæ à Deo eueniant, & alicujus malo eueniant. Immò bonum bonum est ideò, quia à Deo euenit, vt diuinum, & rationale. Quid enim diuinum, non rationale, non bonum? Quid bonum, non diuinum? Si autem sensui cuiusque videtur, non sensus hominis præjudicat statui, sed status sensui. Status enim vniuscujusque certum quid est, & dat sensui legem, ita sentiendi statum, sicuti est. Si autem statu quidem bonum quod à Deo venit: (nihil enim à Deo non bonum, quia diuinum, quia rationale) sensui verò malum videtur, erit status in tuto, sensus in vitio. Statu optima res Pudicitia, & Veritas, & Iustitia, quæ à multorum sensu displicent. Nunquid ideò status sensui addicitur? Ita & persecutio statu bona est, quia diuina, & rationalis dispositio; sensui eorum verò quorum malo venit, displicet. Vides etiam illud malum rationem apud Deum habere, cùm quis in persecutione euertitur de salute, sicut & illud bonum ratione contingere, cùm quis ex persecutione proficit in salute? Nisi si irrationaliter quis aut perit apud Dominum, aut saluus est: is non poterit persecutionem malum dicere, quæ etiam in mali parte bonum est, dum ratione administratur.

BONITAS. II. SCHOLIA.

VT HOC SONO PORTENDERET. *id est hac vnce significaret, bonum esse & rationale, quidquid Deo sic visum esse, & placitum fieri.* NON RATIONALE *vide dicta Scholio precedenti.* NON SENSVS HOMINIS. *Titulus sensum dedit & explicauit.* STATV OPTIMA, *id. vt ipsa.* A MVLTORVM SENSV, *multorum sensui; vel secundum sensum.* RATIONEM APVD DEVM. *Neque enim sine justa causa figulus in fornace duo vasa probans, hoc perfici, illud patitur & finit confringi.* ET IAM IN MALI PARTE. *id est in quantum malus & reprobus succumbis tentationi, etiam bonum justitiæ diuinæ elucet, qua ratione summa administratur. Vide dicta precedenti Scholio. Et vt noueris nil non agi diuina ratione & prouidentia, memento toto veteri & nouo testamento cantatum, à Deo tribulationes immitti.* Si est malum (*pœna scilicet*) in Ciuitate, quod non fecerit Dominus, immissiones, per Angelos malos: catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi, petiit vt tentaret Iob; Apostolos vt cribraret sicut triticum, vnde & Iudas *teste Cypriano* quasi palea ex area exsufflatus est Petiit & legio vt intraret in porcos; vt luceat *ait Chrysol. ser. 16.* dæmonibus in homines nil licere, quibus in porcos jussum est vt liceret. *Et serm. 17.* Age Christiane incede securus. Quid possunt præsumere dæmones, qui nec porcos quidem contingere prævalent, nisi eos potestas diuina permiserit. *Idem Chrysol. ser. 97. de inimico homine superseminante zizania.* Et tu quare hoc cum videres Domine permisisti? Quare? Quia timere fraudes non potest cui nihil potest deperire: Et quia plus est mystica discernere, id *est sub hac parabola latentes paucos electos in tritico, à multis reproborum zizaniis* A *quam prohibere mysterium: id est impedire, superseminari zizania, & cum tritico electo commisceri.* Maius est reparare perdita, quam illæsa reseruare. *Sicut reprobo Iudæ subrogauit Matthiam, & ruinas desertorum Angelorum, implebit hominibus, & stellis cadentibus de cœlo, substituet globum, & Angelis tenebrarum filios lucis* simul quia oportet Zizania esse, vt qui probati sunt manifesti fiant. *Tandem Augustinus longè diuerso euentu notat Dei prouidentiam bonos malosque tribulationibus probare 1. de Ciuit. c. 8.* Quicumque, inquit, boni malique pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est quod vtrique perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum, etiam in similitudine passionum, & licet sub eodem tormento, non est idem virtus & vitium. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eadem tribula stipula comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca *fex est olei, & quod expresso oleo manet ex olina* confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita vna eademque vis ignis bonos probat, purificat, eliquat: malos damnat, vastat, exterminat Vnde in eadem afflictione, mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur & laudant. tantum interest non qualia sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum. *Nihil porro tetet odor blasphemorum, & negantium in persecutione inficit vnguenta diuinæ prouidentiæ. Sinit vtraque crescere vsque ad messem frumenta purgata, vt in horreum colligat; Zizania vsque ad summam peccati mensuram, in fasciculos colligenda, vt comburat.* Aug.

3. *Bonorum temporalium abundantia, oblivionem Dei inducit, iuxta vtrumque Testamentum.*
4. cont. Marc. cap. 39. circa f.

a Luc. 21. 34. 35. Deut. 8 12 Deut. 32. 25. b Psal. 90. 5.

ADmoneantur & discipuli, [a] *ne quando grauentur corda eorum crapula & ebrietate, & secularibus curis; & insistat eis repentinus dies ille, velut laqueus;* vtique oblitis Deum, ex plenitudine, & cogitatione mundi, Moysi erit admonitio. Adeò is [b] *liberabit à laqueo* diei illius, qui hanc admonitionem retrò intulit.

BONORVM. III. SCHOLIA.

ADMONEANTVR, *&c. Hic suo more commincit Marcionem, Deum Creatorem eadem in substantia sensisse in veteri testamento apud Moysem quæ Christus in nouo, & vtrobique crapulam & abundantiam oblivionem Dei inducere, pariterque sub vtraque lege viuentibus, oculum Dei judicium de repente supernenturum. Sic igitur D. Lucas, quem admittit Marcion capite 21.* Interrogauerant illum dicentes: præceptor, quando hæc erunt, &c. *Tum post multa signa* A *futuri judicij;* Attendite autem vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. MOYSI ERIT ADMONITIO *hic doctissimus caterogui Pamelius se fatetur ignorare, quo loco de hoc monuerit Moyses: scipplebo: Et quidem clarè, cum enim Tertul. præmisisset.* VTIQVE OBLITIS DEVM EX PLENITVDINE,

ne, *manifestè id monuit Moyses Deuteron. scilicet* A *8. Vbi omnia beneficia Dei preterita commemorat, & futura terra promissa prædicit, tum monet:* Obserua & caue nequando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atque judicia & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie: ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris & habitaueris in eis, habuerisque armenta boum, & ouium greges, argenti & auri cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, &c. *Similiter & Deut. 32. Vbi sic de populo Hebræo.* Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum & arietum filiorum Bazan: & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum & recessit à Deo salutari suo. *Et post multa de occulta die judicij:* Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? Mea est vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum: Iuxta est dies perditionis & adesse festinant tempora. Iudicabit Dominus populum suum, &c. *Et cum de judicio loquens Christus de subito eius aduentu, dixerit:* sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque occidentem: ita erit aduentus filij hominis. *Matth. 24. & Luc. 17.* Sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget: Ita erit filius hominis in die sua. *Id est subitò apparebit. Vnde statim subijcit* sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant: vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, &c. Et venit diluuium & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth: edebant & bibebant: emebant & vendebant: plantabant & ædificabant: *ha sunt scelerum cura, & cogitationes mundi, de quibus hic Tertull.* Qua die autem exiit Loth à Sodomis: pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit. LIBERABIT A LAQVEO. *Idem scilicet Deus vtriusque legis. De quo laqueo Psalmo 90.* Ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. *Laqueus est repentinus aduentus judicis comprehendens peccatores in laqueo peccatorum. De quo & Psalmo de die incognito loquens*; veniat illi laqueus quem ignorat: *Et Eccles. 9.* Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit. *Hoc tempus malum, tempus est judicij:* Auditio mala verbum asperum *de quò loquitur psalmus, est illud judicij Matth. 25.* Discedite à me maledicti in ignem æternum. *Per bona temporalia hominem à diabolo seduci, & in Dei oblivionem induci, fidemque tolleri, & tandem hominem in se conuertere, sicut & ipse diabolus bonorum spiritalium abundantiâ inflatus, oblitus est Dei beneficentiæ sui, monuit Aug. to. 3. lib. de Agone Christiano cap. 1.* Quia naturam nostram deceperat, dignatus est Dei filius ipsam naturam nostram suscipere, vt de ipsa diabolus vinceretur; & quem semper ipse sub se habet, etiam sub nobis cum esse faceret, ipsum significardicens; Princeps huius mundi missus est foras Non quia extra mundum missus est quomodo quidem hæretici putant, sed foras ab animis eorum qui cohærent verbo Dei, & non diligunt mundum, cuius ille princeps est, quia dominatur eis qui diligunt temporalia bona quæ hoc visibili mundo continentur; non quia ipse dominus est huius mundi, sed princeps cupiditatum earum quibus concupiscitur omne quod transit, vt ei subiaceant, qui negligunt æternum Deum, & diligunt instabilia & mutabilia. Radix enim est omnium malorum cupiditas. Quam quidam appetentes à fide errauerunt, & inseruerunt se doloribus multis. Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, & cor eius tenet. Tales sunt omnes qui diligunt istum mundum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde huic mundo renuntiatur. *Et cap. 2.* Quando dictum est diabolo, Terram manducabis: dictum est peccatori, Terra es, & in terram ibis. Datus est ergo in cibum diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari à serpente. Sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus conuertimus, vt cibus ipse secundùm corpus hoc efficiatur quod nos sumus: sic malis moribus per nequitiam & superbiam & impietatem hoc efficitur quisque quod diabolus est, id est similis eius: & subiicitur ei, sicut subiectum est nobis corpus nostrum. Et hoc est quod dicitur, manducari à serpente. Quisquis itaque timet illum ignem, qui paratus est diabolo & angelis eius, det operam triumphare de illo in semetipso. Eos enim qui foris nos oppugnant, intus vincimus vincendo concupiscentias per quas nobis dominantur. Et quo si nuenerint sui similes, secum ad pœnas trahunt. *Et cap. 7.* Quicumque mali sunt, sic ordinati sunt: Quia & vnusquisque sibi, & omnes inuicem sibi nocent. Hoc enim appetunt quod perniciosè diligitur, & quod eis facilè auferri potest, & hoc sibi auferunt inuicem quando se persequuntur. Et ideo cruciantur quibus auferuntur temporalia, quia diligunt ea. Illi autem qui auferunt gaudent. Sed talis lætitia cæcitas est, & summa miseria: ipsa enim magis implicat animam, & ad maiora tormenta perducit *diaboli* Nam gaudet & piscis, quando hamum non videns escam deuorat; sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primò, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant; Hamum enim acceperunt, & cum illo sibi vagantur. Veniet tempus vt sentiant quanta tormenta cum auiditate deuorauerint. Et ideo bonis nihil nocent, quia hoc eis auferunt, quod non diligunt: nam quod diligunt, & vnde beati sunt, auferre illis nemo potest.

B C D

S. Aug. S. Aug. S. Aug.

4. *Bonorum temporalium jactura, fidelium negotiatio est. Ad Mart. cap. 2. à p.*

CONtristetur illic, qui fructum seculi suspirat. Christianus etiam extra carcerem, seculo renuntiauit, in carcere autem etiam carceri. Nihil interest vbi sitis in seculo, extra seculum estis. Et si aliqua amisistis vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere vt majora lucreris.

BONORVM. IV. SCHOLIA.

ILLIC. *id est in carcere, de quo supra tractabat.* FRVCTVM SÆCVLI, *quem carpit mundanus, videlicet conuersationem, spectacula, gaudia.* SÆCVLO RENVNTIAVIT. *Cypr. de habitu Virg.* Quæ-

gressu ad Dominum venimus. ETIAM CARCERI. *Tam mortui & insensibiles sunt Christiani rebus omnibus mundi, vt & ipsi carceri quo conclusi sunt, vel cuilibet loco, quo necessariò corpora eorum contineri debent, dum viuunt, non adstringantur. Dicunt enim cum Paulo* vincto, & in carceribus frequenter; nostra conuersatio in cœlis est: vbi enim Spiritus est, ibi libertas. *Nisi malis per carcerem, intelligere corpus, cui anima fidelis etiam renuntiauit;* desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. *Dicit & sæpè cum Psalte 141.* Educ de custodia animam meam. *Vel vt vertit Aug.* Educ de carcere animam meam, *& notat titulum psalmi esse*, intellectus ipsi Dauid, cum esset in spelunca. *Vbi inter cætera sic ait:* Quæ spelunca, ipse & carcer, &c. quibusdam ergo visum est, quod spelunca & carcer mundus iste sit, &c. aliqui autem dixerunt carcerem istum & speluncam corpus hoc esse, &c. Non quia carcer est quod fecit Deus, sed quia pœnale & mortale. Duo enim consideranda sunt in nostro corpore, figmentum Dei, & pœna meriti, &c. Corpus tuum fecit Deus bonum, quia bonus est: corruptionem intulit justus, quia judex est. Illud habes de beneficio, illud habes de supplicio. Hoc ergo forte dixit; educ de carcere animam meam, educ de corruptione animam meam. NEGOTIATIO EST. *Quàm lucrosa negotiatio pro Christo pati jacturam bonorum, libertatis, ipsius vitæ. Cùm bona temporalia velent oculos, vt æterna bona nec possint aspicere, magno lucro & negotiatione fructifera eorum iacturam Deo sic volente patimur, vt quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram. Sic Augustinus to. 10. ser. 12. de verb. Dom.* O si scires, inquit, quid sit bonum! Quod habere non vis, est valde bonum; quod esse non vis, hoc est bonum. Vis enim habere sanitatem corporis, hoc est bonum; nec tamen putes magnum bonum esse quod habet & malus. Aurum & argentum habere vis, ecce & hoc dico bonum est, sed si bene vsus fueris. Bene autem non vteris, si malus fueris; ac per hoc aurum & argentum malis malum est; bonis bonum est: non quia eos bonos aurum & argentum facit, sed quia bonos inuenit, in vsum bonum conuertitur. Honorem habere vis, bonum est; sed hoc, si bene vteris. *Quàm multis honor occasio exitij fuit. Quam multis honor ministerium boni operis fuit:* Discernamus ergo ista bona, si possumus, quia de bonis arboribus loquimur. Et hic nihil est quod sic quisque cogitare debeat, nisi vt in semetipsum oculos conuertat: In se discat, se inspiciat, se discutiat, se quærat, & se inueniat: Et quod displicet necet, quod placet optet & plantet. Cum enim se homo inanem inuenerit meliorum bonorum, & quid est auidus externorum bonorum? Ecce, quid prodest plena bonis arca, inanis conscientia? Bona vis habere, & bonus non vis esse. Non vides te erubescere debere de bonis tuis, si domus tua plena est bonis, & te habet malum? Quid enim est quod velis habere malum? dic mihi. Nihil omnino. Non vxorem, non filium, non filiam, non seruum, non ancillam, non villam, non tunicam, postremo non caligam; & tamen velis habere malam vitam. Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ. Omnia quæ circa jacent oculis tuis, elegantia, & pulchra, tibi chara sunt, & tibi ipsi vilis es, fœdus es. Si tibi possent respondere bona, quibus est plena domus tua, quæ habere optasti, quæ perdere timuisti, nonne & tibi clamarent, sicut tu nos bona vis habere, sic & nos volumus bonum habere Dominum? Tacita voce interpellant contra te Dominum tuum; Ecce bona tanta dedisti huic, & ipse malus est. Quid ei prodest quod habet, quando eum qui omnia dedit, non habet? Quærit ergo aliquis admonitus his verbis meis, & forte compunctus quærit, quid sit bonum, quale bonum, vnde bonum? Bene intellexisti hoc te quærere, debere respondebo quærenti: & dicam: Hoc est bonum, quod non potes inuitus amittere. Potes enim aurum perdere, & noles; potes domum, potes honores, potes ipsam carnis salutem; bonum vero quo vere bonus est nec inuitus accipis, nec inuitus amittis. Quære ergo quale sit hoc bonum. Psalmus quidam admonet nos rem magnam fortè, quam quærimus. Ait enim, filij hominum quousque graues corde? Quousque arbor illa in triennio? *nullum fructum ferens, licet impinguata & fimigata bonis temporalibus, quæ Paulus arbitrabatur vt stercora, vt etiam bonum vitæ præsentis amissum lucrum maximum computaret*, filij hominum quousque graues corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et à tergo ait quod quærendum est, Scitote quoniam Dominus magnificauit sanctum suum. Iam & Christus venit, iam magnificatus est, iam surrexit, & ascendit in cœlum, iam nomen eius toto mundo prædicatur; quousque graues corde? Sufficiant præterita tempora; iam magnificato illo sancto, quousque graues corde? Post triennium quid restat nisi securis? quousque graues corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Adhuc vana, adhuc inutilia, adhuc pompatica & volatica: Ita, Christo sancto magnificato, adhuc ista requiruntur? Iam clamat veritas, & adhuc quæritur vanitas? Quousque graues corde? *Bellè Basil. Seleuc.* Naturæ fluctus sustollit, vt nundinatores faciat amicitiæ Dei. *Quis nauta oneratam lapidibus, lignis, arena nauim, fluctibus elatis ingruente naufragio, exonerare, & projcere hæc vilia compulsus; si vento violento licet in litus mittatur auro, gemmisque pretiosis plenum sibi de damno tam lucroso non gratuletur? Sic Dei prouidentia cogit vi tempestatis & persecutionis, terrena amittere, vt cœlestia lucremur, aufert modicum, & affert centuplum, aripit domum, & accipis regnum, mittit in carcerem temporalem vt cum aula regia sumas libertatem æternam, optimam partem non auferendam. Quid non lucrosum, cum & Paulo vitam amittere, cuius causa omnia bona profunduntur, fuerit lucrum?* Quæ inquit, mihi fuerunt lucra propter Christum arbitratus sum detrimenta, & cæt. omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucri faciam, &c. mihi viuere Christus est, & mori lucrum. *Vt verè dixerit Psaltes:* Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. *Et verè pretiosa, quæ emit immortalitatem. Læti luctus, in gaudium commutandi.* Tristitia vestra conuertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Adhuc pressius ad mentem Tertulliani facit quod habet idem Augustinus sermone 5. de verbis Domini. vbi loquitur de lucrosa iactura.* Vide, inquit, quid minuatur, & quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur justitia. Illud minuitur, quod eras dimissurus, illud minuitur quod eras redditurus. *Tanquam dispensator, & non dominus* illud augetur quod in æternum es possessurus. Consilium do lucrorum, discere mercari. Laudas enim mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum, & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit iustitiam. *Et serm 6. de verbis Dom.* Insidiatur contra te potens, acuit nouaculam vnde capillos radat, non vnde caput incidat. Quòd dixi modo, audistis in psalmo, sicut nouacula acuta fecisti dolum. Quare dolum potentis malæ nouaculæ comparauit? Quia non admittitur nisi ad superflua nostra. Sicut capilli in corpore nostro tanquam superflui videntur, & sine detrimento carnis raduntur, sic quicquid potest tibi facere iratus potens

inter ſuperflua tua numera. Tollit paupertatem tuam, numquid tollit diuitias tuas? Paupertas tua diuitiæ tuæ in cõrde tuo. Superflua tua potuit tollere, damno potuit afficere permiſſus & vſque ad lædendum corpus. Etiam iſta vita cogitantibus etiam vitam, iſta, inquam, vita inter ſuperflua depuranda eſt. Nam & martyres contempſerunt illam. Non vitam perdiderunt, ſed vitam acquiſierunt. *Et rurſum.* Para capillos, inquit, nouaculam acuit, ablaturus eſt ſuperflua tua, raſurus quicquid relicturus es. Tollat quicquid permanebit ſi poteſt. Quid tulit potens nocens? quid magnum tulit? Quod fur, quod effractor, vt multum ſæuiat quod latro. Si & adipſum corpus occidendum permiſſus fuerit, quid tollit, niſi quod latro? Honoraui cum dixi latro. Nam qualiſcumque latro, homo eſt. A Quod febris, quod ſcorpius, quod fungus malus, iſta tota potentia ſæuientium eſt, facere quod fungus. Manducant homines fungum malum, & moriuntur. Ecce in qua fragilitate eſt vita humana, quam quandoque relicturus es. noli pro illa ſic pugnare vt tu relinquaris, &c. Sed times ne perdas argentum tuum, quia ad argentum tuum cum magno labore peruenisti. Si ad argentum, quod quandoque vel moriens amiſſurus es, non peruenisti ſine labore, ad vitam æternam ſine labore vis peruenire? Charior tibi ſit illa ad quam poſt omnes labores ſic peruenies vt numquam amittas. Si hoc tibi charum eſt ad quod poſt omnes labores ſic peruenisti, vt aliquando amiſſurus ſis, quantò magis illa perpetua deſiderare debemus?

Aug.

CALCEVS.

1. *Calceorum vanitas & tormentum. De Pal. cap. 5. à p.*

CAlceos nihil dicimus, proprium togæ tormentum, immundiſſimam pedum tutelam, verùm & falſam. Quem enim non expediat in algore, & ardore rigere nudipedem, quàm in calceo vincipedem? magnum inceſſui munimentum ſutrinæ Venetiæ proſpexere, perones effeminatos.

CALCEVS. I. SCHOLIA.

NIHIL DICIMVS. *Præterimus non hic carpimus.* TORMENTVM. *Quibus Togati, id eſt Ciues Romani propria torquentur: Tibiatim enim, juxta Titinnium apud Feſtum ad Crus vſque medium producebantur hi calcei. Dicam &* tormentum togæ, *vel quod calcei ſordes colligerent, & inſigerent togæ; vel quod vanitas eſſet in compti & politis calceis, quos cum oſtendere & oſtentare vellent togati, id non poterant præſtare niſi cum tormento togæ, quam opus erat contrahere & leuare, vnde & ſtudioſus tiliarum eius id eſt plicaturarum eius ornatus perturbaretur.* IMMVNDISSIMAM, *&c. Quia corium ex quo calcei compacti erant, tum hærebat pedibus, non adhuc inuento caligarum vſu, vnde ſudore pedes immundi, malè olebant. Vel quia immunditiem pulueris, & luti colligebant.* VERVM ET FALSAM *Rationem ſubdit, quòd ſatius ſit ficcari calore, & obrigeſcere ardore pedes, & puluere mixto cum ſudore, vel hyemali frigore* NVDIPEDEM, QVAM IN CALCEO VINCIPEDEM. *id eſt conſtricto & vincto pede in Calceo vrgente, in quo nec calor, nec frigus arcetur, & difficilius vel hyeme calor, vel æſtate frigus capiatur, & præterea ex coriaceo ergaſtulo & compede, dolor queritur. Alij legunt* vncipedem *quod vncinati & repandi eſſent Calcei Romani, & ad calcaneum alti, ad digitos inflexi & depreſſi, quales Iunoni hoſpita dat Calceos Tullius lib. 1. de Nat. Deorum. Alij denique legunt* vngipedem *quod vngerent pedes ad mollitiem, ex Athenæo, & Lucretio, antequam ſumerent Calceos. Addam & ego, quò mollius pedes & facilius, vncti in ſtrictos calceos illaberentur.* MAGNVM INCESSVI, *&c. Ironicè dictum, quòd nec munirent contra frigus & calorem, nimium delicati, & greſſum impedirent vncti & ſtricti.* SVTRINÆ VENETIÆ. *Officina Sutorum Venetorum, quo conſtet iam olim effœminatos & molles Venetos. Alij legunt,* Venetiæ *quaſi Veneris & libidinis adminiſtra. Vel quod Venus mater populi Romani eſſet: Vel quod Veneri & Venuſtati ſeruirent.* PROSPEXERE *adinuenere.* PERONES EFFŒMINATOS. *Perſius dixit ruſticum calciamentum.* Peronatus arator. *Et Iuuenalis,* quem non pudet alto per glaciem perone tegi. *Hic effœminatos & molles carpit: ſicut de habitu mulierum,* in peronibus vniones emergere de luto cupiunt.

2. *Calceamenta portare vetuit Apoſtolos, idem ipſe Deus, qui Hebræorum ſeruauit in deſerto, 4. cent. Marc. cap. 24. à p.*

ETiam calciamenta portare vetuit illos. Ipſe enim erat, ſub quo nec in ſolitudine per tot annos populus calciamenta detriuerat. Luc. 10. 4. Deut. 29. 5.

CALCEVS. II. SCHOLIA.

VETVIT. *Luc. ſcilicet 10.* Nolite portare ſaccum, neque peram, neque calceamenta *non quod nudipedes voluerit incedere Apoſtolos, qui & ipſe exemplum dederat Calceamenta portandi. Ita enim Auguſtinus ſer. 42. de Sanctis & 1. de Apoſtolis, & ſe ſuoſque exemitas calceatus probat exemplo Chriſti Domini.* Calceamenta quid ſunt? Calceamenta quibus vtimur coria mortuorum ſunt, nobis tegmina pedum. Per hoc ergo jubemur renuntiare mortuis operibus, &c. Nam de his calceamentis quibus calceati ambulamus, conſolatur me idem ipſe Dominus meus, ſi enim ipſe calceatus non eſſet, non de illo Ioannes diceret, non ſum dignus corrigiam ſoluere calceamentorũ eius. Sit ergo obedientia, non ſubrepat ſuperba duritia. Ego, inquis, Euangelium impleo, quia nudo pede ambulo: tu pote, ego non poſſum: quod ſimul accepimus, cuſtodiamus: quomodo charitate flagremus, inuicem diligamus ac ſic fit, vt ego animem fortitudinem tuam, & tu portes infirmitatem meam. *Et tom. 6. lib. de hæreſ. hæreſi 68.* Eſt alia hæreſis nudis pedibus ambulantium, ex eo quod Dominus dixerit ad Moyſen, S. Aug.

S. Augst. vel ad Iosue solue calceamentũ de pedibus tuis, &c. Inde ergo hæresis est, non quia propter castigationem & afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia taliter intelligunt. *Apostolis autem Christus portare vetuit, duplicia scilicet & alia, præter ea, quæ habebant in pedibus. Aug. 2. de consensu Euang. c. 30. circa finem. Iuuencus lib. 2. hist. Euang. D. Thomas, &c. qui & cum D. Chrysostomo, Oecumenio, vsum Sandaliorum Apostolis indictum ante passionem, dum per Iudeam mittebat Apostolos, sed omnium prius interdictorum vsum non modo virgæ, perę, tunicæ, calceamenti, sed & gladij, Christum permisisse Apostolis ante mortem: nec enim par erat peragraturos orbem, incedere nudipedes, seu sandaliis calceatos. Sic D. Thomas in Matth. 10. expresiè de Christi, & Apostolorum, & D. Augustini omniumque Regulam eius obseruantium Calceamentis propriè dictis vide Vindicias nostras Quadripartitas pro D. Augustino tota parte 3. Ad rem Tertulliani redeo, hoc ipso loco pro hac calceamentorum prohibitione Apostolis ad tempus facta monentis.* Considera causarum offerentiam & intelliges vnam & eamdem potestatem, quæ secundum penuriam & copiam, expeditionem suorum dispoſuit; proinde per Ciuitates abundaturam Circumcidens; *quia* A *ex D. Thoma in Matth. 10. nec erat Iudæis satis prouidere Magistris* sicut & egituram per solitudinem struxerat. Etiam calceamenta portare vetuit illos. Ipse enim erat, sub quo nec in solitudine per tot annos populus calceamenta detriuerat. *Vt duplicia scilicet calceamenta ferre solliciti non essent Apostoli, & futuri prouidi cum posset, sicut in deserto, calceamenta eorum conseruare. Sic enim Deut. 29.* Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt. *Tertull. denique dicendo* IPSE ENIM ERAT, *&c. probat contra* B *Marcionem, Calceamenta interdicta Apostolis, & conseruata Hebræis, non inferre contrarium esse nouum Testamentum veteri, diuersumque vtrinque autorem, sed eumdem ipsum pro occursu & offerentia, & differentia causarum, diuersimodè egisse, & mandasse: Immò vero & eumdem Christum, eisdem Apostolis, & loculos, & virgam, & calceamenta, abstulisse in Iudæa, & tantum Sandaliis vti permisisse in vicinis & temperatis Regionibus; postea vero, peragraturis totum orbem, Calceamenta eorum pedum obtegentia, loculos, cæteraque vitæ necessaria permisisse.*

CAPILLVS.

1. Capillum fucantes, & mutantes, Deo & sibi iniuriæ sunt. 2. de cult. fem. cap. 6. & 7. per totum. & 8. in p.

VIdeo quasdam capillum croco vertere. Pudet eas etiam nationis, quòd non Germaniæ, atque Galliæ sint procreatæ. Ita jam capillos transferunt. malè ac pessimè sibi auspicantur flammeo capite, & decorum putant quod inquinant. Atquin & detrimentum crinibus medicaminum vis inurit, & cerebro perniciem etiam cuiusliber sinceri humoris assiduitas reseruat, tum solis, animando simul, & siccando capillo, exoptabilis ardor nocet. Quis decor cum injuria? quæ cum immunditiis pulcritudo? Crocum capiti suo mulier Christiana ingeret vt in aram? Quodcunque enim immundo spiritui excremari solet, id nisi probis, & necessariis, & salutaribus vsibus adhibeatur, ad quod Dei creatura prospecta est, sacrificium videri potest. Sed enim Dominus ait, [a] *Quis vestrum potest capillum album ex albo facere, aut album ex atro?* Itaque reuincunt Deum. Ecce, inquiunt, pro albo vel atro, flauum facimus, gratiâ facilliorem. quamuis & atrum ex albo conantur facere, quas pœniteat senectam vsque vixisse. Proh temeritas! Erubescit ætas exoptata votis, furtum conficitur, adolescentia in qua delinquimus suspiratur, occasio grauitatis interpolatur. Absit sapientiæ filiabus stultitia tanta. Senectus cùm plus occultari studuerit, plus detinetur. Hæc est æternitas vera de capilli juuentute? Hanc incorruptibilitatem habemus superinduere ad nouam domum, quam monarchia pollicetur? Benè properatis ad Dominum. benè festinatis excedere de iniquissimo seculo; quibus ad finem propinquare deforme est. Quid item tanta ordinandi crinis operositas ad salutem subministret? quod crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis; modo suscitatis, modo elisis? Aliæ gestiunt in cincinnos coërcere; aliæ vt vagi & volucres elabantur, non bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates capillamentorum, nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis, & operculum verticis; nunc in ceruicum retrò suggestum. Mirum quòd non contra Dominica præcepta contenditur. [b] *Ad mensuram neminem sibi adjicere posse* pronuntiatum est. Vos verò adjicitis ad pondus, colluras quasdam, vel scutorum vmbilicos ceruicibus astruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti: ne exuuias alieni capitis, forsan immundi, forsan nocentis & gehennæ destinati, sancto & Christiano capiti supparetis. Immò omnem hanc ornatus seruitutem à libero capite depellite. Frustra laboratis ornatæ videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis, Deus vos velari jubet. Gredo ne quarundam capita videantur. Atque vtinam misertimus ego, in illa die Christianæ exultationis, vel infra calcanea vestra caput elauem: videbo, an cum ceruſſa, & purpurisso, & croco, & illo ambitu capitis resurgatis: an taliter expiatas angeli [c] *in nubila sublimem obuiam Christo in aëre.* Si nunc bona & Dei sunt, tunc quoque occurrent resurgentibus corporibus, & sua loca agnoscent. Sed non potest resurgere nisi caro, & spiritus solus, ac purus. Damnata sunt igitur quæ in carne, & spiritu non resurgunt, quia Dei non sunt. Damnatis hodie abstinete. Hodie vos Deus tales videat, quales tunc videbit. Videlicet nunc vir, vt sexu nudus, feminas à suis depello.

a Matt. 5. 36.

1. Cor. 15. 53.

2. Cor. 5 1

CAP. VII.

b Matt. 6. 27.

1. Cor. 11. 5. 10.

c 1. Thess. 4. 17.

CAP. VIII.

Digitized by Google

CAPILLVS. I. SCHOLIA.

CROCO VERTERE. *id est mutare in colorem croci seu rufum facere, quod paulo infra vocat flammeum reddere caput*, malè ac pessimè sibi auspicantur flammeo capite. *id est præsagium sibi ignis inferni. Hieron. in ep. ad Letam de Instit. filiæ* caue, inquit, ne capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris. *Eodem sensu Cypr.* Audaci conatu, & sacrilego contemptu crines tuos infectis, malo præsagio futurorum, capillos iam tibi flammeos auspicaris. *Sic & albo puluere consperſos capillos mortis augures facit Bleſensis* jam canos induimus, horæ finalis prænuntios. PVDET EAS, *&c. Cum Africæ sint mulieres, Germanas & Gallas se mentiuntur: Hiero. in vita Hilar.* Rutilus coma & candore corporis indicans prouinciam. RESERVAT, *aly reſerat, id est viam aperit morbo cerebri; theſaurisat, & lento licet pernicium accumulat quilibet etiam innoxius humor extraneus.* SOLIS EXOPTABILIS ARDOR, *cui aniles capillicij fœmina inuitos ereto alienæ fœtæ crines exſiccandos & denuandos exponebam.* VT IN ARAM. *Quaſi caput mulieris ſit aris diaboli, in qua libidinis ignis aut vanitatis accendatur. Sacrificium enim dici poteſt oblatum Diabolo, quidquid eo ſuggerente impenditur aliis vſibus quam quibus à Deo omnis creatura promiſa eſt. Tam probat contra Deum pugnare, & authoritatem verbi eius velle vincere qui dicit Matth. 5.* Neque per caput tuum juraueris, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. ATRVM EX ALBO. *id pingit Poëta Mart* Tam ſubito coruus, qui modo cygnus erat. ENVBISCIT ÆTAS, *&c. udet peruenisse ad ſenectutis ætatem, ad quam peruenire votis etiam importunis perierat à Deo.* FVRTVM CONFITETVR. *fucum & mendacium faciem qua capillum mutauit, & colorem alienum & proprium etati virili vſurpaſſe, vel furis inſtar aduenaſſe ſenectuti imperceptibilis greſſu, & ſpolium adoleſcentiæ abſtuliſſe.* SVSPIRATVR, *deſideratur ætas illa, quo deliciis frequentur abundat.* INTERPOLATVR. *id. renouatur & inſtauratur macies & ætaſis vanitatis & libidinis. Sic veſtimenta interpolata dicuntur, quibus à fullonibus ita nouæ lanæ indulta eſt vt pro nouis vendantur. Sic Cicero:* vult Appius eundem renouare Magiſtratum, quo minus Togam prætextam quotannis interpolet. *Sic & Plin.* Alexandriæ thura interpolantur, id est rudia eùm ſint, poliuntur. *Sic & vetera mancipia ornantur & fingunter, vt pro nouis à venalitiariis vendantur. Sic Vlpian. l. præcipimus ædiles ff. de ædil. Edict.* Quia igitur venalitiarij ſciunt facilè decurri ad nouitiorum emptionem, ideirco interpolant veteratores, & pro nouitiis vendunt. FLVI DETINETVR *quia ſcilicet quod occultatum eſt & clauſum minus euadit, & fruſtra ſenex occultat ſuam canitiem, quæ non minus ingraueſcit ſub mentito capillo, imò captum magis etati ſub hac ſeruitute, & noxiis humoribus ex pigmento collectis angetur. Vel ſi referas ad furtum*, plus detinetur, *id est tenetur rerus furti, & mendacij.* HÆC EST ÆTERNITAS, *&c. ironicè dictum.* DE CAPILLI ALIO LEGVNT, capitis *quod idem eſt.* SVPERINDVERE *1. Cor. 15.* Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. AD NOVAM DOMVM, *id est in nouam domum, aut pro noua domo carnis reuocanda*, ſicut aquilæ juuenes: *De quo Paulus 2. Corinth. 5.* Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluitur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, non nudi inueniamur. *Veſte ſcilicet nuptiali charitatis & innocentiæ.* MONARCHIA. *id est Trinitas ſancta in vnitate Eſſentiæ. Ita enim Tertul. contra Praxeam frequenter eam vocat. Sic igitur Deus vnus & trinus pollicetur domum æternam* vbi manſiones multæ ſunt apud Patrem. Et *Chriſtus rurſum*, nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. *Vel* Monarchiam, *ſtatum vnici, vnius Regni ſignificat, de quo Ioannes in Apoc.* Fecisti nos Deo noſtro regnum. *Et de quo pſalmus*, cuius participio in idipſum. *Alij legunt* ad domum Domini quam Acacia pollicetur. *Plinius & Medici dicunt eſſe ſpinæ genus in Ægypto, Cappadocia, & Ponto vnde extrahitur ſuccus, cuius tanta vis eſt ad ſpiſſandum vt ea vtantur cotiarij, & mulieres in facie ad ſtringendam cutis latitudinem, & rugas inducendas; capillum etiam pingendum ex Dioſcoride. Meminit & Iul arcellus Acaciæ, in medicamentis, quibus etate ſua vtebantur, ad nigrandos & incriſpandos crines. alij tandem legunt* ἀκακία *id. innocentia, ſimplicitas, puritas à vitiis, & hoc pollicetur pſal. 23.* Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde. BENE PROPERATIS, *&c. proſequitur Ironiam:* BIFORME EST. *nempe cenſetur per ſepulchrum & cunabula, adanticipatum dierum peruenire, cuius capilli albi quaſi lana & tanquam nix. Et quæ deformitas, formoſiſſimo Deo conformari? proximi accedere ad lineamenta Patris cœleſtis, an non optandum potius per finem vitæ, finem illum contingere ad quem condita ſumus?* Et quis noſter eſt finis, niſi peruenire ad regnum cuius nullus eſt finis? *ait Auguſtinus finiens caput vltimum de Ciuitate Dei.* ONEROSITAS. *id est ſtudium multiplex quo mulieres onerantur.* SVBMINISTRAT, *conſert ad ſalutem.* CHŒRCERI. *Hiero. ad Euſtoch.* crines calamiſtri veſtigio rotantur. *Ambr. 1. de Virg.* non intorto crine caput compta, ſed Chriſto; non boſculis redimita, ſed moribus. NON BONA SIMPLICITATE *Aug. Ep. 109.* capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel ſpargat negligentia, vel componat induſtria. ENORMITATES, *&c. Hiero. ad Demetriadem:* quando etas in ſæculo, ea quæ erant ſæculi diligebas, polire faciem purpuriſſo, & Ceruſſa ora depingere, ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem ſtruere. *Petronius in fragmentis Corymbium vocat appoſititiam comam.* SVGGESTVM. *id. eleuatum à parte auerſa capitis.* AD MENSVRAM. *Matth. 6.* quis autem veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam, cubitum vnum? COLLYRAS. *alij legunt, Collyridas. ſunt quædam placentulæ panis rotundæ in formam vmbilici ſciuí, in cuius modum armatum quendam capiti imponebant. Scaliger legit* ſputorum vmbilices *Sputum autem intelligit tenue corium aut cruſtam, vt Polybius tenuem laminam vocat* ſputamentum, *quaſi ſubputamentum, vel ſubputamen, ſeu corticem interiorem.* SVPPARETIS. *aly* ſuppares. SVPPARO, *verbum vſitatum Tertulliano. id. ſubſtituo, vnde & ſuppara dicta quaſi velorum ſupplementa. Ita & capillamenta adſcita ex alieno capite ſuppara dicuntur.* VOS VELARI IVBET, *1. Cor. 11.* omnis mulier orans aut prophetans, *id est ex D. Thoma in mulierum collegiis, legens prophetias, aut aliud Scripturas* non velato capite, decurpat caput ſuum, &c. debet mulier poteſtatem habere *id. velamen quod eſt ſignum ſubiectionis & obedientiæ debitæ viro ſub*

cuius poteſtate poſita eſt propter Angelos. *id eſt vel propter cœleſtes ſpiritus, qui locis ſacris & orationi præſunt: vel propter Epiſcopos & Sacerdotes dictos Angelos in Scripturis: quorum omnium in præſentia debent mulieres caſtè & modeſtè componi* EXVLTATIONIS, *reſurrectionis*, Exultabunt enim Sancti in gloria. IN NVBILA. *1. Theſſ. 4.* Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra *agilitate ſcilicet dote propria corporis glorioſi, non ex neceſſitate, ſed triumphi exuberantia habuiſſe Angelis.* SI NVNC BONA, *&c. id eſt, ſi colores illi, capilli, ornatus, ambitio capitis, & corona adſcita Dei bona ſunt, &c. cum eis reſurgetis.* VIDELICET, *&c. dicetis me vt virum, æmulum & contrarium fœminæ. Ex Zelo aduerſus fœminas jaculari, & à propriis bonis, fucis ſcilicet & ornamentis, quaſi à poſſeſſione legitima velle mulieres excutere. De Capillorum ornatu, vide alibi dicta, ab Auguſtino aliiſque Patribus.*

S. Auguſt. *non eſſe in humana poteſtate poſitum vel colorem capillorum mutare, docuit Auguſtinus to. 4. lib. 1. de ſerm. Do. in monte c. 31. Vbi exponit illud Matthæi 5.* Neque per caput tuum juraueris, &c. ſic fatur. Quid, inquit, poterat quiſque magis ad ſe pertinere arbitrari quã caput ſuum? ſed quomodo noſtrum eſt, vbi poteſtatem faciendi vnius capilli albi aut nigri non habemus? *Et tamen mulieres & viri capillos mutant colore, & contra Chriſti veridici verba, re non ſua abutuntur; magis enim Dei opus eſt capillorum naturalis ornatus, quia eius opifex eſt, quàm ipſius hominis. De ſtatura autem idem ipſe Aug. lib. 2. de ſer. Dom. in monte cap. 23. in verba Matth. 6. 27.* quis autem veſtrum curans *cogitans* poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? id eſt, cuius poteſtate atque dominatu factum eſt vt ad hanc ſtaturam corpus veſtrum produceretur, eius prouidentia etiam veſtiri poteſt. Non autem veſtra cura factum eſſe, vt ad hanc ſtaturam veniret corpus veſtrum, ex hoc intelligi poteſt, quod ſi quæratis, & velitis adiicere vnum cubitum huic ſtaturæ, non poteſtis. Illi ergo iam tegendi corporis cura relinquitur, cuius videtis cura factum eſſe, vt tantæ ſtaturæ corpus habeatis. Dandum autem erat etiam documentum propter veſtimentum, ſicut datum eſt propter alimentum. Itaque ſequitur & dicit, *allato pro alimento non curando, auium exemplo, quas Deus paſcit* conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant neque nent. *Sunt tamen mulieres quæ ideo ſolicitæ ſunt de veſtimento prælongo, quod cogitent vel ornamento eminente capitis, vel calceamentorum altitudine, adiicere ad ſtaturam ſuam propè cubitum vnum.*

Aug.

2. Capillum ſibi, vt equis pilum, Numidæ radunt, excepto vertice. De Pal. cap. 4. ap.

VNde apud aliquo Numidas, etiam equis cæſariatos, juxta cutem tonſor, & cultri vertex ſolus immunis? Vnde apud hirtos & hirſutos, tam rapax à culo reſina, tam furax à mento volſella? Prodigium eſt hæc ſine pallio fieri. Illius eſt, hæc tota res Aſiæ. Quid tibi Libya, & Europa, cum xyſticis munditiis, quas veſtire non noſti? Reuerà enim quale eſt, Græcatim depilari magis, quàm amiciri?

CAPILLVS. II. SCHOLIA.

ALIQVO NVMIDAS. *id. Carthaginenſes, qui ob vicinitatem Numidarum ſunt* aliquo *id eſt in aliquo. & quodammodo Numidæ. Alij legunt*, vnde apud aliquos. *Acutè pungit Carthaginenſes qui cùm prorſus vt Chriſtiani & fideles ſimplices, cultum carnis & capilli etiam mulieribus interdictum à Paulo negligere deberent, Numidas potius gentiles imitantur, & perverse æmulantur Samſonem in crinibus ſuum robur habentem. O ſi in ſeptem crinibus ſeptem dona Spiritus ſancti intelligerent, & curarent inde ornatum animæ, neglecta capillo capitis, iam Numidæ non eſſent in aliquo, ſed in totum fideles. Vinum & Chriſtum depilatum & decaluatum in Caluaria, in Samſone raſum, & illuſum, à Philiſtæis Iudæis dico, per milites Gentiles à Pilato traditum cogitarent; nec viri nec mulieres*, Soli exoptabili ardori *vt Scholio precedenti cum Tertulliano vidimus, croco & pigmentis delibutos crines deaurandos exponerent. Soli. ſed Samſoni, id eſt ex Hebræo, eorum, ſupple fidelium* Soli *charitate decorandos. Certè Aug Samſonem Chriſti figurã dixit ſer. 107 de temp. qui*

S. Aug. *eſt in Do. paſſionis primus.* Quid eſt quod & in capillis virtutem habebat? Et hoc fratres diligenter adnertite; virtutem non habuit in manu, non in pede, non in pectore, non in ipſo capite, ſed in capillis, in crinibus. Quid ſunt capilli? quid coma? & nos videmus, & interrogatus Apoſtolus reſpondet nobis. 1. Cor. 11. Coma velamentum eſt; & in velamento Chriſtus habebat virtutem, quando vmbræ veteris legis eum tegebant; Coma ergo Samſon in velamento erat, *id eſt figura*, quia in Chriſto aliud videbatur aliud intelligebatur: *ſicut in Carthaginenſibus videbatur Numidarum Cæſaries, & aliud quàm Chriſtiani intelligebantur ex coma.*

Quid ſibi autem vult, quod proditum eſt ſecretum, *à Dalila Philiſthæis reuelante*, & decaluatus eſt Samſon? Contempta eſt lex, *homicidium maximè regit proprij prohibens*; & paſſus eſt Chriſtus, &c. *ſi decaluari, & crucifigi*, dicebant Iudici, nobis non licet occidere aliquem. Decaluatus eſt Samſon, reuelata ſunt condenſa, *myſteria & figuræ veteris legis*, remotum eſt velamentum, & Chriſtus qui latebat, apparuit. Capilli autem rediuiui caput iterum veſtierunt, quia Iudæi nec reſurgentem Chriſtum agnoſcere voluerunt. *Numidæ dicuntur etiam equis Cæſariem alere. Vnde ergo, inquit, ſit vt cùm ſint vſque ad equos Cæſariati, vt tonſore vtantur rudente vſque ad cutem, reſeruata ſolum Cæſarie ſummæ capitis, nonne hoc à Græcia & Aſia didicerunt? vnde vos qui in aliquo Numidæ eſtis, qui vt aliqui Numidæ videmini, de cætero raſi, in ſummo vertice aliquos crines colligitis, ſicut Numidæ. Vt vult Salmaſius, etiam equis Cæſariati dicuntur, quòd præter comam propriam, etiam, ſetas equinas ſibi ſuperſtruant.* APVD HIRTOS. *Hirti dicuntur ob pilos cruris & axillarum: hirſuti, ob barbam. Quomodo ſit, vt qui naturâ piloſi ſunt; & hirſuti, cultu amens reſinam rapacem, unſque unguibus vtantur ad ſubtrahendos pilos ab natibus, alij legunt* ab ala, *id eſt ſub axilla. Plin. de reſina loquens*, pudet fateri maximum honorem eius in euellendis corporum virorum pilis. FVRAX VOLSELLA *à vellendo dicta, inſtrumentum eſt, forficula, tenſilis.* SVFFVRANS *tenuiſſimos in manco pilos.* PRODIGIVM EST HÆC SINE PALLIO FIERI. *Cum qui ſic radunturpallium etiam ſimul geſtare ſolent.* ILLIVS EST, HÆC TOTA RES ASIÆ. *Pallij ſcilicet res & hæc quinum eſt. Ad pallium hoc mollities & curioſus pond*

net: quam Græci palliati aduexerant, & ex Græcis Carthaginenſes iam togati. Quos ideo arguit Author; quod rem Græcorum palliatorum mollium, ex Aſia adnectam, in toga vſurparent. QVID TIBI LYBIA. *Vt quid Africa aliene gentis mundities affectas, cuius pallium excuſſiſti? Vnde igitur, &c.* PRODIGIVM EST. *Species eſt monſtri, in vnum miſcere Aſiaticum morem cum Lybico, Græcum cum Africano, depilatum cum Togato. Vnde igitur in Lybiam & Europam inducitur, & Pallium non inuehitur? Quid tibi Africa cum peregrinis & Aſiaticis munditiis quas veſtire non noſti? extranea tibi ſunt.* XISTICIS. *Athletæ exercebantur in Xiſtis, id eſt porticibus, nudi; vnde ſummè curabant munditiem corporis. Alij legunt*, exoticis; *id eſt extraneis & peregrinis.* GRÆCATIM DEPILARIS *&c. id eſt pilis abradi, & denudari, more Græco. alij legunt*, depalliari. *id eſt, malè palliari, ſcilicet palliari rotundo, & non quadrangulo pallio, &c. quaſi diceret, abſurdum eſt vti veſte diſconueniente illis munditiis, quaſi græcum & non græcum; & vos non tam palliatos, quàm depalliatos apparere. Simplicius, & ad mentem Tertulliani proximius*, quale eſt Græcatim depilari, magis quàm amiciri? *Cur potius Græcos imitaminiin depilatione, quàm in amictu & veſte? cur togam cum Romanis, & raſuram ſeruatis cum Græcis? Deceret magis, omni ex parte, Græcum, aut Romanum morem ſequi.*

CARCER.

1. *Carcer domus eſt diaboli; in qua ipſe eſt patientiâ, & concordiâ noſtra calcandus.*
Ad Mart. cap. 1. circa f.

DOmus quidem diaboli eſt & carcer, in qua familiam ſuam continet. Sed vos ideo in carcerem perueniſtis, vt illum etiam in domo ſua conculcetis. Iam enim foris congreſſi conculcaueratis. Non ergo dicat: In meo ſunt, tentabo illos vilibus ſcidiis, affectionibus, aut inter ſe diſſenſionibus. Fugiat conſpectum veſtrum, & in ima ſua deliteſcat, contractus, & torpens, tanquam colùber excantatus, aut effumigatus. Nec illi tam benè ſit in ſuo regno, vt vos committat: ſed inueniat munitos, & concordiâ armatos: quia pax veſtra bellum eſt illi.

CARCER. I. SCHOLIA.

DOMVS DIABOLI *infra regnum eius vocat, in quo* familiam ſuam continet *ex furibus, raptoribus, homicidis, ſceleratis compoſitam.* CONCVLCETIS. *Inſultetis in Regno ſuo Triumphanti. Sic enim & iam ante judices tracti, imò ſpente cum Apoſtolis eunte*s, gaudentes in conſpectu Concilij, quoniam digni habiti pro Nomine Ieſu contumeliam pati. *Sic enim promiſerat Pſalte*s, *& liberis & vinctis, foris & intus confitentibus*, ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. IN MEO SVNT, *tecto ſcilicet & Regno; nec iam opus eſt vt ſicut in paradiſo, Dei loco, à Deo plantato, graui aliqua tentatione, ligno pulchro, & ſuaui fructu, appetitu ſcientiæ diuinæ aggrediar; fortior ſum cuſtodiens atrium meum.* VILIBVS SCIDIIS, *alij legunt* inediis, *alij*, odiis. *id eſt leuibus iurgiis & rixis quiſquiliis, nugis, metu vexationis, proſcriptionis bonorum, quæ omnia reſpectu ligni ſcientiæ boni & mali, ſunt* ſcidiæ, ſiue ſcidia, *quæ Vitruuio ſunt vilia caſarum arborum ſegmina: vnde & dicta diſſidia.* EXCANTATVS. *Incantari ſerpentes carmine nemo neſcit. Plato in Euthydemo*: ars excantatorum viperas, phalangia, ſcorpios, & alia peſtifera animalia lenit ac permulcet. *Sic & Pſaltes de aſpide ſurda & obturante aures*, vt non audiat vocem venefici incantantis ſapienter. EFFVMIGATVS. *Odore bono pereunt ſcarabæi dæmones ſuauitate concordiæ fraternæ.* Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum, *fratres*, *inquam*, *Martyres*, *in Chriſto conſanguineos, in vnum compactos carcerem, in vnum cor, in vnam collectos Animam.* Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam. *In Martyres ſcilicet. Cuius vnguenti odore domus repletur Eccleſia, & effugatur diabolus effumigatus. Aug. in pſal. 132.*

Aug. Aaron quid erat? Sacerdos. Quis eſt Sacerdos, niſi vnus Sacerdos qui intrauit in Sancta Sanctorum? Quis eſt Sacerdos iſte, niſi qui fuit victima? Et quis eſt Sacerdos, niſi ille, qui cum in mundo non inueniret mundum quod offerret, ſeipſum obtulit, &c. à capite venit vnguentum. Caput noſtrum Chriſtus eſt, crucifixum, & ſepultum, reſuſcitatum, aſcendit in cœlum, & venit Spiritus ſanctus à capite. Quò? ad barbam. Barba ſignificat fortes, barba ſignificat iuuenes, ſtrenuos, impigros, alacres Ideo quando tales deſcribimus, barbatus homo eſt, dicimus. Ergo illud primum vnguentum deſcendit in Apoſtolos, deſcendit in illos qui primos impetus ſæculi ſuſtinuerunt. Nam & illi qui primùm in vnum habitare cœperunt, perſecutionem paſſi ſunt. Sed quia deſcenderat vnguentum in barbam, paſſi ſunt, non victi. Etenim & caput iam paſſum præceſſerat, vnde deſcendit vnguentum. Præcedente tali exemplo, quis vinceret barbam? &c. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ora finis veſtimenti eſt. An in ora perfectionem intelligimus, quia in ora veſtimentum perficitur? Et illi perfecti qui norunt habitare in vnum: illi perfecti qui legem implent Quomodo autem impletur lex Chriſti ab his qui habitant fratres in vnum? Audi Apoſtolum Gal. 6. Inuicem onera portate, & ſic implebitis legem Chriſti, &c. quid aliud dicit? Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion. Hoc voluit intelligi, fratres mei, gratiam Dei eſſe, quâ fratres habitant in vnum, non ex ſuis viribus, non ex ſuis meritis, ſed ex illius dono, ſed ex illius gratia, ſicut ros de cœlo. Num enim ſibi terra pluit? Aut non quidquid genuerit areſcit, niſi pluuia deſuper deſcendat? Dicit quodam loco in pſalmo: pluuiam voluntariam ſegregans Deus hæreditati tuæ. Quare dixit voluntariam? quia non meritis noſtris, ſed illius voluntate. Quid enim boni meruimus peccatores? &c. Sed quicumque vultis habitare in vnum, optate rorem iſtum, compluimini inde, alioquin non poteritis tenere quod profitemini; nec profiteri audere poteritis, niſi ille intonuerit; nec permanere poteritis, niſi eius ſagitta non deſit vobis: ipſa enim ſagina deſcendit ſuper montem Sion EFFVMIGATVS, *ſicut in libro Tobiæ fumo aſſati piſcis ejectus eſt Aſmodeus. Sed nullum carmen potentius incantat, nullus fumus ſic effumigat & fugat ſerpentem*

Digitized by Google

antiquum ſicut vnanimitas & concordia fidelium in carcere ſimul orantium & vna voce cum Pſalmiſta cantantium: Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo. *Hinc facit emblema Tipotij, in quo brachiũ obtectum ferro manu Cytharam tenet; quo bellè explicatur hæc Tertulliani ſententia.* PAX VESTRA BELLVM EST ILLI. *nil enim ſic* inimicum ſuperſeminatorem zizaniorum *torquet, ſicut concordia Chriſtianorum.* VT VOS COMMITTAT. *Verbum ductum à ludo gladiatorum, qui inter ſe committebantur, id eſt ſimul in publicam arenam ducebantur, vt manus inter ſe conſererent. Sueton. in Claudio*, præter deſtinatos, etiam leui ſubitaque de cauſa quoſdam commiſit. *Sic & animalia committuntur vt inter ſe confligant. l. 1. §. cum Arietes. ff. ſi qua. Pau. fe. dic.* CONCORDIA ARMATOS. *Scutum quidem veritatis fidei impenetrabile eſt, de quo Paulus:* ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela inimici ignea extinguere. *de quo & Pſalter 90.* Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, &c. *Sed palea leuius infringitur, ſi ſola fides ſine proximi dilectione, & concordia inueniatur. Charitas, & pax, & cor vnum impenetrabile ſcutum. Hinc Emblema apud eumdem Tipotium Caroli Friderici Principis Cliuiæ, in quo ſcutum exprimitur plenum cordibus ſimul iunctis, circumſcripto hemiſtichio* hic murus Ahæneus eſto *pro Epigraphe autem inſcriptum eſt hoc Symbolum Italicum:* beneuolentia boniſſima guardia. *Bene Tertul. carcerem reorum & vitioſorum receptaculum, propriam demonis domum, & regnum dixit; in quo ſeruos ſuos continet, eiſque imperat; ſicut Chriſtus regnat in iuſtis, maximè martyribus carceratis, dum ait;* regnum Dei intra vos eſt, *quod fit maximè per vnitatem & concordiam, qua princeps pacis regnat in pacificis; Quamque turbare odiis & diſſenſionibus conatur diabolus; vt ſicut reis carceratis frequentes ſunt inter ſe diſcordiæ, ſic & iuſtis pro fide carceratis, diſcordias ſuggerat. quod maximè cauendum hìc monet Tertullianus; & hortatur ad pacem; cuius arma, ſunt* arma lucis, *quibus princeps tenebrarum in proprio regno vincitur. qui autem odit proximum teſte Ioanne in tenebris eſt. Vnde nullum erit Martyri ex carcere pro fide meritum & præmium, ſi in aliquo ſchiſmate, ſine ab vnitate Eccleſiæ, ſine à pace & concordia, à fratre deficiat, & odij ſciſſura diuidatur; de quo ſic eleganter Auguſtinus, libro de patientia,* S. Aug. *cap. 26.* Si quis inquit, non habens Charitatem, quæ pertinet ad vnitatem ſpiritus & vinculum pacis, quo Catholica Eccleſia congregata connectitur, in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem, nuditatem, perſecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel beſtias, vel ipſam crucem, timore gehennarum, & ignis æterni; nullo modo iſta culpanda ſunt, imò verò & hæc laudãda patientia eſt. Non enim dicere poterimus, melius ei fuiſſet, vt Chriſtum negando nihil eorum pateretur, quæ paſſus eſt confitendo: ſed exiſtimandum fortaſſe tolerabilius ei futurum iudiciũ, quàm, ſi Chriſtum negando, cuncta illa vitaret: vt illud quod ait Apoſtolus, Si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. nihil prodeſſe intelligatur ad regnum cælorum obtinendum, non ad extremi judicij tolerabilius ſupplicium ſubeundum. *Supra autem dixerat Spiritum ſanctum, Deum pacis & charitatis offendi peccatis, ſed maximè diſcordiæ & iurgij, de quo & dici poteſt in eos, qui pacem cum proximo habere nolunt.* Si quis dixerit verbum contra Spiritum ſanctum, *qui poſtulat pro nobis veniam gemitibus inenarrabilibus, non remittetur ei neque in hoc, neque in futuro ſeculo. ſic itaque idem Aug. libro de patientia cap. 10.* Alius, inquit, eſt patientiæ modus, quo idem ipſe animus quæcumque moleſta & grauia in ſui corporis paſſionibus perfert, non ſicut ſtulti, vel maligni homines propter adipiſcenda vana, vel ſcelera perpetranda, ſed ſicut à Domino definitum eſt, propter juſtitiam. Vtroque modo ſancti martyres certauerunt. Nam & impiorum opprobriis ſaturati ſunt, vbi animus corpore intacto quaſdam veluti plagas ſuas integer ſuſtinet: & in corporibus vincti ſunt, incluſi ſunt, fame ac ſiti affecti ſunt, torti ſunt, ſecti ſunt, dilaniati ſunt, incenſi ſunt, trucidati ſunt: & pietate immobiles ſubdiderunt Deo mentem cùm paterentur in carne, quicquid exquirenti crudelitate venit in mentem. Maius ſanè patientiæ certamen eſt, quando non viſibilis inimicus perſequendo atque ſæuiendo vrget in nefas, qui palàm & apertè à non conſentiente vincatur. Sed ipſe diabolus, qui etiam per filios infidelitatis tanquam per ſua vaſa, filios lucis inſequitur, *& proinde & diuiſos* per ſeipſum occultus impugnat, ſæuiendo inſtans vt contra Deum fiat aliquid, vel dicatur. Aug.

2. *Carceris & morbi neceſſitas fælix, occaſiones peccati tollit, & animam libertate donat. Ad Mart. cap. 2. in m. ad f.*

NIhil adhuc dico de præmio, ad quod Deus martyres inuitat. Ipſam interim conuerſationem ſeculi, & carceris comparemus; ſi non plus in carcere ſpiritus acquirit, quàm caro amittit; immò & quæ juſta ſunt, caro non amittit per curam eccleſiæ, agapen fratrum: & inſuper quæ ſemper vtilia fidei, ſpiritus adipiſcitur. Non vides alienos deos, nõ imaginibus eorum incurris, non ſolennes Nationum dies ipſa commixtione participas, non nidoribus ſpurcis verberaris, non clamoribus ſpectaculorum atrocitates, vel furores, vel impudicitias celebrantium cæderis: non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt: vacas à ſcandalis, à tentationibus, à recordationibus malis, jam & à perſecutione. Hoc præſtat carcer Chriſtiano, quod eremus Prophetis. Ipſe Dominus in ſeceſſu frequentius agebat, vt liberius oraret, vt ſeculo cederet. Gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtrauit. Auferamus carceris nomen, ſeceſſum vocemus. Etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent. Vagare ſpiritu, ſpatiare ſpiritu, & non ſtadia opaca, aut porticus longas proponens tibi, ſed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quotiens eam ſpiritu deambulaueris, totiens in carcere non eris. Nihil eius ſentit in neruo, cum animus in cœlo eſt. Totum hominem animus circumfert, & quo velit transfert. [a] *Vbi autem erit cor tuum, illic erit & theſaurus tuus.* Ibi ergo ſit cor noſtrum, vbi volumus habere theſaurum.

Marc. 1.3. Luc. 4.1. Matt. 17.1. 1.2. Marc. 9.1. Luc. 6.12. Mat. 7. 13. a Matt. 6. 21.

CARCER. II. SCHOLIA.

CONVERSATIONEM SÆCVLI. *ideſt comparemus quomodo ſe habeat homo liber in ſæculo, vel in carcere poſitus pro Chriſto.* QVÆ IVSTA SVNT, *id eſt neceſſaria corpori.* PER CVRAM ECCLESIÆ. *Concil. Aurel. Canone 20. qui tenulus eſt.* Vt incarcerati à Præpoſitis Eccleſiæ diebus Dominicis viſitentur. *Inuenimus autem ſtatutum,* vt qui pro quibuſcumque culpis in carceribus deputantur, ab Archidiacono ſeu à Præpoſito Eccleſiæ ſingulis diebus Dominicis requiratur, vt neceſſitas vinctorum ſecundùm Præceptum diuinum miſericorditer ſubleuetur. Atque à Pontifice inſtituta fideli & diligenti perſona quæ neceſſaria prouideat, competens eis victus de domo Eccleſiæ tribuatur, *Quod ſi tanta cura circa reos, quanto maior olim circa Martyres vinctos. His S. Ignatius Archiep. Conſtantinop. teſte Nicetâ in vita eius, plenè prouidebat,* Sanctorum neceſſitatibus ſecundùm Apoſtolum cõmunicans. *Qua porro maior neceſſitas quàm in carcere famem extrema patientis martyris, ac per conſequens quæ maior miſericordia quàm in huiuſmodi carceratos pro libertate fidei impenſa? quod Deo gratius ſacrificium? Audi Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 5.* In Epiſtola quæ inſcribitur ad Hebræos, benefacere, inquit, & communicatores eſſe nolite obliuiſci: talibus enim ſacrificiis placatur Deus: ac per hoc vbi ſcriptum eſt; Miſericordiam magis volo quàm ſacrificium; nihil aliud quàm ſacrificio ſacrificium prælatum oportet intelligi: quoniam illud quod ab hominibus appellatur ſacrificium, ſignum eſt veri ſacrificij. Porrò autem miſericordia verum ſacrificium eſt: vnde dictum eſt, quod paulò antè commemorauí: Talibus enim ſacrificiis placatur Deus, *Ita & ex Suida,* vndecim erant viri Magiſtratus Athenis, qui curabant condemnatos in carcere. *Et bene vndenarius numerus ex Gregorio Magno tranſgreſſionis reorum proprius, quibus tamen curandis etiam Gentiles vndecim viros Conſulares præficiebant. Quid ergo ſentiendum de charitate in denario numero decalogo poſita, quæ tota impletur in dilectione proximi, teſtante Apoſtolo,* qui diligit proximum, legem impleuit. *Hinc ſubiicit Tertul.* AGAPEN FRATRVM, *quæ vox pro communio charitatis fraterna, vel qualibet Eleemoſyna ex dilectione proximi facta ſumitur. Sic Cypr. dicit* Agapen & dilectionem fraternam religioſè & firmiter exercendam: *quæ tanto ardore præſtabatur, vt nullo perſecutorum impetu tardaretur, licet aliquando Præſidum tyrannorum crudelitas iuberet carceris fores ſuis Annulis obſignari, vt legitur in Actis S. Euplij. Item in Actis S. Glyceriæ. Ex Simeone Metaphr.* Sigillo igitur clauſtris impreſſo iuſſit & exteriora carceris loca cuſtodiri. Cum autem illa intus eſſet & Deum laudaret, Angeli ei cibum afferebant. *Sic Danielis 6. quod ipſe contra Edictum Regis Medorum & Perſarum terin die Deum oraret verſus ad templum. Satrapis vrgentibus miſſus in lacum leonum,* allatuſque eſt lapis vnus & poſitus eſt ſuper os laci: quem obſignauit Rex Annulo ſuo, & Annulo optimatum ſuorum, ne quid fieret contra Danielem: *quaſi ſecurior eſſet Rex de humanitate leonum, quàm hominum. Altera vice poſt detectam fraudem Sacerdotum Bel miſſus in lacum leonum Babylonis ipſum Regem occidere volentibus niſi tradidiſſet Danielem, qui ſex diebus inter 7. leones ieiunus relictus ab affectis diuersum corporum, & duarum ouium cibis per ſingulos dies illatis manſit; vbi per Habacuc prandium ferentem meſſoribus per Angelum ſublatũ paſtus eſt. Dan. 14. Sic deficientibus communibus adiutoribus miraculosè Deus prouidet.* Et vinctos ſuos non deſpexit: *Nec enim ſimiles ſunt Martyrum carceres,* Perſarum cuſtodia, qui ex Simeone Metaph. *in actis S. Ioannis Eleemoſynarij Lethe vocabatur, in quam miſſi nunquam reuocabantur: Et ideo Lethe, id eſt obliuio vocabatur. Quinimo vt de Ioſeph Scriptura teſtatur quod* Deus deſcendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi ſceptrum Regni. *Myſterium, quod pingebant Graci non intelligebant, dum, vt ait Fulius pollux, Mercurium alatum capite & pedibus caduceum tenentem, quo & animas euocabat Orco in janua carceris repræſentabant.* Qui educit vinctos in fortitudine qui volat ſuper Cherubin, qui ſub vmbra alarum ſuarum protegit, qui clauem habet putei abyſſi, qui aperit & nemo claudit, qui facit angelos ſuos ſpiritus: *quibus nihil ſatis clauſum eſt, vel per ſe, vel per Angelos ſuos* accelerat vt eruat eos. VTILIA FIDEI. *vel intelligit Sacrificia & orationes fidelium pro Martyribus captiuis quarum Cyprianus meminit,* & nos quidem veſtri diebus ac noctibus memores; Et quando in Sacrificiis precem cum reliquis facimus, & cum receſſu priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus veſtris, plenam Domini fauentiam poſtulamus. *Vel accipit ipſam captiuitatem pro* fidei vtilitate. *Sic enim 1. Petri 1.* in virtute Dei cuſtodimini per fidem paratam reuelari in tempore nouiſſimo. In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus: vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro, quod per ignem probatur; inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelatione Ieſu Chriſti. NON VIPES ALIENOS DEOS. *vtile & hoc fidei non offendi oculos diis alienis: quamquã & ſæpè in ipſum caruerem. Idola Martyribus adoranda ferebantur, vt in Actis S. Concordis carceris legitur* paruã Iouis ſtatuam illi offerunt. Beatus Martyr, gloriã tibi, inquit, Domine Ieſu Chriſte, & expuit in faciem Iouis. NATIONVM DIES, *id eſt Gentilium ſolemnitates, quibus iniuiti etiam participabant commixtione coniugali cum Idololatra coniuge, ſic Tertul lib. 2. ad vxo.* moratur Dei ancilla cum latibus alienis. Et inter illos omnibus honoribus dæmonum omnibus ſolemnibus Regum, incipiente anno, incipiente menſe, nidore thuris agitabitur VERBERARIA, CÆDERIS, *ſic in Apol. dixit* careruas cæſionum. *ſic multa ſimul obiecta cadebant & ledebant fideles.* ATROCITATES, *gladiatorum* FVROR *beſtiarum,* IMPVDICITIA *hiſtrionum & Comedorum,* LOCA LIBIDINVM IMPINGVNT. *Tertul. de Pall.* vocat Lupas popularium libidinum nundinas. *Hic impingitur vt in ſcopulum caſtitatis.* ET A PERSECVTIONE. *Liber es interim à grauioribus tormentis, vel melius à maxima perſecutione vacas, liber à ſæuientibus in animam, longè periculoſius quàm in carnem, remotus à ſcandalorum occaſionibus.* QVOD EREMVS PROPHETIS. *Sic Ioannes Baptiſta in deſerto Marci 1. ſic & Euangeliſta in Pathmos, & vterque Angelis ſolitarius conuerſatur.* IPSE DOMINVS. *Luc. 4.* plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane & agebatur à Spiritu in deſertum *Luc. 6.* Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. *Matth. 17.* ducit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. VAGARE SPIRITV *ſic Hiero.* Egredere pauliſper de carcere, & tibi ob oculos præſentis labpris pone mercedem. SED ILLAM VIAM. *Matth. 7.* Intrate per angustam portam, &c. quam angusta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam. *arcta quidem eſt, ſed* ambulanti in magnis, & mirabilibus ſuper ſe. *Carcerem autem & humili,* latum mandatum tuum nimis, ſta-

ruisti in loco spatioso pedes meos, & ambulabam in latitudine, viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum: *Et quando dilatasti cor tuum? audi quando:* in tribulatione dilatasti mihi. *Hac via lata Crucis, sequenti Christum qui* via & veritas. *via vtique ad Deum.* quia nemo venit ad Patrem nisi per me *via breuiata, via compendiosa, de*
S. Augustl. *qua Aug.* Factus particeps humilitatis nostræ, compendium præbuit participandæ diuinitati suæ. NERVVM. *apud Chaldæos, carcer dominus ferri dicebatur vel ob portas ferreas, vel ob vincula & compedes. Nervus tamen apud Atticos lignum erat de quo Eusseb. lib. 5. hist.* nonnumquam illorum pedes in ligno extensi distinebantur, & ad quintum vsque foramen distrahebantur. *Erat ergo nervus Equulei genus ligneum variis distinctum foraminibus, in qua pro libidine Tyrannorum, vel reorum meritis, ita inserebantur damnatorum crura, vt supra modum diuaricata & disiuncta lanarentur.* QVO VELIT TRANSFERT. *vt anticipata beatitudine fiat quod de beatis ait Aug.* vbi vo- Augl
let spiritus, ibi erit & corpus. *Sed cum anima sit magis vbi amat, & ibi sit vbi est thesaurus, ipse autem sit in cœlo, quid sentiet in nervo corpus, cum sit eius forma & anima vita & sensus principium, in cœlis?*

CARO HVMANA.

CARNIS HVMANÆ INFIRMITAS.

1. *Caro de terra orta, eiusque partes, aptè cum terra comparantur. De Car. Chr. cap. 9. inp. ad m.*

PRætendimus adhuc; Nihil quod ex alio acceptum sit, vt aliud sit, quàm id de quo sit acceptum, ita aliud esse, vt non suggerat vnde sit acceptum. Omnis materia sine testimo-
Gen. 2. 3. nio originis suæ non est, etsi demutetur in nouam proprietatem. Ipsum certè corpus nostrum, quod de limo figulatum, etiam ad fabulas Nationum veritas transmisit, vtriusque originem elementi confitetur; carne, terram; sanguine, aquam. Nam licet alia sit species qualitatis; hoc est, quod ex alio aliud fit, ceterùm, quid est sanguis, quàm rubens humor? quid caro, quàm terra conuersa in figuras suas? Considera singulas qualitates, musculos vt glebas, ossa vt saxa; etiam circumpapillas, calculos quosdam; aspice neruorum tenaces connexus, vt traduces radicum: & venarum ramosos discursus, vt ambages riuorum; & lanugines vt muscos, & comam vt cespitem; & ipsos medullarum in abdito thesauros, vt metalla carnis. Hæc omnia terrenæ originis signa, & in Christo fuerunt; & sunt quæ illum Dei filium celauêre; non aliàs tantummodo hominem existimatum, quàm extantem humanâ substantiâ corporis.

CARO INFIRMA. I. SCHOLIA.

NIHIL QVOD EX ALIO. *Sustinemus & ite-* B *rum dicimus, nihil esse quod ab alio derivatum sit, licet ab eo in aliquo differat, sic posse immutari & totaliter diuersum fieri, vt primam suam originem non aliquo modo sapiat: hoc est secundum Phrasim Tertul.* Cui non suggerat vnde sic acceptum. *quod iterum repetit aliis verbis dicendo* OMNIS MATERIA, *&c. id est quælibet res testatur semper in aliquo primam suam origi-*
nem, quamuis proprietatem aliquam nouam, qualitatem, differentiam induat. CVI NON SVGGERAT, *alij legunt* quin suggerat. *Rigaltius autem*, vt non suggerat. IPSVM CERTE CORPVS, *&c. affert exemplum huius vana carnis, quæ de limo terræ primo facta, id est de terra ex aqua temperata, virumque elementum repræsentat, sanguine quidem aquam, ipsa corporea massa terram.* AD FABVLAS NATIONVM. *Scripturæ veritas primò testatur corpus hominis de limo figu-* C *latum, id est à summo figulo & opifice Deo factum. Gen.* 2. Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ. *Vnde Gentiles fabulam suam hauserunt, quæ fingunt, Prometheum primos homines de limo formasse. Hu-*
S. Aug. *ius meminit Augustinus lib. 18. de Ciuit. c. 8.* quem propterea ferunt de luto formasse homines, quia optimus sapientiæ Doctor fuisse perhibetur: *sine qua nihil differre videtur homo à massa lutea. Hinc Eusebius ad annum mundi 3520.* secundum quorumdam opinionem, his temporibus fuit Prometheus, à quo homines factos esse commemorant. Et reuera; cum enim sapiens esset, feritatem eorum & nimiam imperitiam ad humanitatem & scientiam transfigurabat. *Tertul. 1. cont. Marc. Deum Creatorem vocat* verum Prometheum. SANGVINEM AQVAM. *alij legunt* aquanam, *alij* aquenam, *id est carnem ratione sanguinis ex aqua temperatam: vt & alij legunt,* carne terream. AVRENS RVMOR. *certè sæpè sanguis vlsit* D *est plures, & ipse Orosio* pluribus in locis scaturiens è fontibus cruor fluxit. *Et ex Sigeberto in Chron.* in Germaniâ vrbe fons sanguinis largissimè fluxit. *Et Deuter. 32.* sanguinem vuæ biberes meracissimum. *Vnde & Nemesius lib. de nat. hominis videtur consentire Tertulliano*, assumimus aquam, aliquando per sanguinem, aliquando per vinum, oleum, & omnia quæ humidi fructus appellantur. Nihil enim aliud est vinum quàm aqua è vite, certa quadam qualitate affecta. *Verum, licet aqua sit primum humidum, ex quo cætera humida participant, non accidente solum, sed specie differunt & essentialiter, nec solo colore. Late igitur intelligendus est loqui Tertullianus, & non stricte, sanguinem vocans humorem rubentem. In hoc enim comparat sanguinem corporis humani, terræ fontibus & fluuiis, quia & fluuius est, & corporis meatu penetrat, & lacenter, hinc inde discurrit. Sic enim subiecit musculos esse, &c. esse* qualitates, *quas non ignoramus substantias, sed dicere volumus mollitie & duritie aliisque qualitatibus affectas.* IN FIGVRAS SVAS. *id est formas nouas, quas singillatim explicat.* MVSCVLOS VT GLEBAS. *aptè quidem, musculus enim iuxta Galenum de vsu partium, quid medium est inter ligamentum, quod durum est, & nervum qui mollior est. Et sicut glebæ non sunt leues vt terra puluerea, nec solidæ vt lapides; sic musculi qui organa sunt motus voluntarij, tales esse debuerunt, vt facilè moueri possent humana membra.* CALCVLOS QVOSDAM. *id est circa mamillarum capitulum, quædam duritiæ: papillæ autem dictæ sunt, quasi parua pabula, quod pabulum præbeant infantibus.* VT TRADVCES, *&c. similes sunt neruorum nexus vinearum & radicum traducibus.* VENARVM RAMOSOS DISCVRSVS, *quia vena in ramos diffunduntur per varias ambages. Sic Seneca*; placet naturæ regi terram, & quidem ad nostrorum cor-

potum exemplar. In quibus & venæ ſunt, & arteriæ: Illæ ſanguinis, hæ ſpiritus receptacula: in terra quoque ſunt alia itinera, per quæ aquæ, & alia per quæ ſpiritus currit: adeoque illam ad ſimilitudinem noſtrorum corporum formauit vt maiores quoque noſtri, aquarum appellauerint venas. Sed quemadmodum in nobis non tantum ſanguis eſt, ſed multa genera humoris; alia neceſſarij, alia corrupti; ac paulo pinguioris; in capite cerebrum, in oſſibus medullæ, muſci, ſaliuæque & lacrymæ, & quoddam additum articulis, per quod citius flectuntur ex lubrico: ſic in terra quoque ſunt humoris genera complura; quædam quæ natura durantur, hinc eſt omnis metallorum humus, ex quibus aurum argentumque petit auaritia, &c. LANVGINES VT MVSCOS. *muſcus herba eſt, quæ corticibus arborum aut paristibus adnaſcitur, cui ſanguinem mentis comparat. Sicut* comam ceſpiti; *id eſt herbida gleba. Vnde Apuleius* videas & viridantibus comis Cæſariatam eſſe terram. METALLA CARNIS. *Non ob duritiem ſimilem, ſed quia medulla ſana ex parte vita theſaurus ſunt, & quia latent abſcondita vt theſaurus, & magna natura cura pretioſa ſeruantur; quas, vt ait Plato in Timæo*, tanquam lapideo ambitu circumuallauit. *Hinc Auguſtinus theſaurum virtutum maximum, ſcilicet charitatem, & puram intentionem Deo ſoli placendi*, qui videt in abſcondito, *medullis* A *comparauit in hac verba pſalmi 65.* holocauſta medullata offeram tibi quid eſt medullata? intus teneam charitatem tuam, non erit in ſuperficie, in medullis meis erit quod diligo te. Nihil enim interius medullis noſtris. Interiora oſſa ſunt carne, medullæ interiores ſunt ipſis oſſibus. Quiſquis ergo in ſuperficie colit Deum, magis placere vult hominibus. Aliud autem intus ſentiens, non offert holocauſta medullarum: cuius autem medullam inſpicit, ipſum totum accipit. CELAVERE *diuinitatem Chriſti, humani corporis forma occultauit, terrena quidem, licet ex Paulo* ſecundus Adam de cœlo cœleſtis. *Sed cœleſtis eſt, non deſcendente de cœlo carne, ſed inconſutili tunica corporis*, deſuper contexta per totum, *Spiritu ſancto ſuperueniente in Mariam, cui ſola Spiritui ſancto collaborauit artifici, præſtitâ cum conſenſu puriſſimi* B *ſanguinis materiâ, nil in hoc opere tribuente Ioſepho.* S. Aug. *Sic ex Aug.* ſuſcepit de terra terram. *ſic ex eodem*, erat in aperto caro, in occulto verbum. *Ideo iuxta eundem* Iudæi videbant indumentum, & contemnebant indutum. *habes ex dictis veram Tertulliani expoſitionem. Subiicit enim* NON ALIAS TANTVMMODO HOMINEM EXISTIMATVM. *non aliter* verè Deum abſconditum; *nudum ac ſimplicem & purum tantum hominem Iudæi credidiſſent, niſi humanam & verè de terra ſumptam contemptibili elementa carnem in eo vidiſſent & palpaſſent.*

2. *Carnis opera, non autem ſubſtantiam, Scriptura condemnat. De Reſur. cap. 46. per totum, & 47. in p.*

TAlem vbique Apoſtolum recognoſcas, ita carnis opera damnantem, vt carnem damnare videatur: ſed ne ita quis exiſtimet, ex aliorum, vel cohærentium ſenſuum ſuggeſtu procurantem. Nam & dicens: [a] *Eos qui in carne ſunt, Deo placere non poſſe*, ſtatim de prauo intellectu, ad integrum reuocat, adijciens: [b] *Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu.* Eos enim quos in carne eſſe conſtabat, negando in carne eſſe, in operibus carnis non eſſe monſtrabat: atque illos demum Deo placere non poſſe; non qui in carne eſſent, ſed qui carnaliter viuerent: placere autem Deo illos, [c] *qui in carne poſiti, ſecundùm ſpiritum incederent.* Et rurſus: [d] *Corpus quidem ait, mortuum, ſed propter delinquentiam: ſicut ſpiritum, vitam, propter juſtitiam.* Vitam autem morti opponens in carne conſtitutæ, ſine dubio illic & vitam repromiſit ex juſtitia, vbi mortem determinauit ex delinquentia. Ceterùm, fruſtrà oppoſuit vitam morti, ſi non eſt illic, vbi eſt & ipſa, cui eam oppoſuit, excludendæ vtique de corpore. Porro, ſi vita mortem de corpore excludit, non poteſt id perficere, niſi illuc penetret vbi eſt quod excludit. Et quid ego nodoſius, cùm Apoſtolus abſolutius? [e] *Si enim, inquit, ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, ſuſcitabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis:* vt & ſi animam quis corpus mortale præſumpſerit, quum hoc & carnem negare non poſſit, carnis quoque reſſuſcitationem cogatur agnoſcere, ſecundùm eiuſdem ſtatus communionem. Ex ſequentibus adhuc diſcas, opera carnis damnari, non ipſam. [f] *Itaque, fratres, ait, debitores ſumus, non carni, vt ſecundùm carnem viuamus: ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, futurum eſt vt moriamini: ſi verò ſpiritu, carnis actus mortificaueritis, viuetis.* Porro, vt ad ſingula quæque reſpondeam, ſi in carne conſtitutis, ſecundùm ſpiritum tamen degentibus, ſalus repromittitur; jam non caro aduerſatur ſaluti, ſed operatio carnis. Operatione autem carnis excluſa, quæ cauſa eſt mortis, ſalua jam caro oſtenditur, cauſa carens mortis. [g] *Lex enim, inquit, ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu manumiſit me à lege delinquentiæ & mortis*: certè quam præmiſit, [h] *habitare in membris noſtris.* Ergo jam membra noſtra lege mortis non tenebuntur, quia nec delinquentiæ, à quibus manumiſſa ſunt. [i] *Quod enim inualidum erat legis, in quo infirmabatur per carnem, miſſo Deus filio ſuo in ſimulacro carnis delinquentiæ, & per delinquentiam damnauit delinquentiam in carne*, non carnem in delinquentia: neque enim domus cum habitatore damnabitur. [k] *Habitare enim peccatum dixit in corpore noſtro.* Damnata autem delinquentia, caro abſoluta eſt: ſicut indemnata ea, legi mortis & delinquentiæ obſtricta eſt. Sic & ſenſum carnis, [l] *mortem appellauit; dehinc & inimicitiam ad Deum*, ſed non carnem ipſam. Cui ergo, dices, reputabitur ſenſus carnis, ſi non ſubſtantiæ ipſi? Planè, ſi probaueris aliquid carnem de ſuo ſapere. Si verò ſine anima nullius eſt ſenſus, intellige ſenſum carnis ad animam eſſe referendum; carni interdum deputatum, quia per carnem adminiſtratur; Et ideo [m] *habitare dixit delinquentiam in carne*, quia & anima,

a Rom. 8. 8.
b Rom. 8. 9.
c Rom. 8. 4.
d Rom. 8. 10.
e Rom. 8. 11.
f Rom. 8. 12.
g Rom. 8. 2.
h Rom. 7. 23.
i Rom. 8. 3.
k Rom. 20.
l Rom. 8. 7.
m Rom. 7. 20.

à qua delinquentia inducitur, inquilina eſt carnis, mortificatæ quidem, ſed non ſuo, verùm delinquentiæ nomine. Nam & alibi: n *Quomodo, inquit, etiam nunc, velut viuentes in mundo, ſententiam fertis?* non ad mortuos ſcribens: ſed ad eos qui deſinere deberent, mundialiter viuere. Hæc enim erit vita mundialis, qua o *veterem hominem dixit confixum eſſe Chriſto;* non corporalitatem, ſed mortalitatem. Ceterum, ſi non ita accipimus, non eſt corporalitas noſtra confixa, nec crucem Chriſti caro noſtra perpeſſa eſt; ſed quemadmodum adjecit, *Vt euacuetur corpus delinquentiæ*; per emendationem vitæ, non per interitum ſubſtantiæ; ſicut ait, *Vt hactenus delinquentiæ ſeruiamus.* & vt hac ratione commortui Chriſto credamus, quod etiam conuiuamus illi. p *Sic enim, inquit, & vos reputate mortuos quidem vos*, Cuinam? carni? non, ſed delinquentiæ. Ergo ſalui erunt carni, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu; per carnem vtique; cui mortui non erunt; delinquentiæ ſcilicet mortui, non carni. Nam & adhuc ingerit: q *Ne ergo regnauerit in corpore veſtro mortali delinquentia, ad obaudiendum illi, & ad exhibendum membra veſtra arma injuſtitiæ, delinquentiæ: ſed exhibete voſmetipſos Deo, velut ex mortuis viuos*; non velut viuos, ſed velut ex mortuis viuos: *& membra veſtra, arma juſtitiæ.* Et rurſus: r *Sicut exhibuiſtis membra veſtra famula immunditiæ & iniquitatis ad iniquitatem; ita & nunc exhibete membra veſtra famula juſtitiæ, in ſanctificatiõ. Quum enim ſerui eſſetis delinquentiæ, liberi eratis juſtitiæ. Quem ergo fructum habebatis ſuper his, de quibus nunc confundimini? finis enim illorum mors. Nunc vero liberi facti à delinquentia, famulati autem Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificium; finem autem, vitam æternam. Stipendia enim delinquentiæ, mors; donatiuum autem Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Ita per totam hanc ſenſuum ſeriem, ab iniuſtitia, & delinquentia membra noſtra diuellens, & iuſtitiæ, & ſanctimoniæ adiungens, & transferens eadem à ſtipendio mortis ad donatiuum vitæ æternæ, carni vtique compenſationem ſalutis repromittit, cui nullam omnino competiſſet imperari propriam ſanctimoniæ, & iuſtitiæ diſciplinam, ſi non ipſius eſſet & præmium diſciplinæ.

n Coloſſ. 2. 20.

CAP XLVII.

o Rom. 6. 6.

p Rom. 6. 11.

q Rom. 6. 12.

r Rom. 6. 19. & ſeq.

CARNIS OPERA. II. SCHOLIA.

TALEM VBIQVE. *id eſt Paulus in omnibus ſuis Epiſtolis ſecundum litera ſonum videtur carnem condemnare tanquam malam, licet de facto ſolum intendat opera carnis, id eſt peccata quæ per carnem tanquam inſtrumentum perficit Anima, condemnet.* SVGGESTV PROCVRANTEM, *ſupple* recognoſcas. *Quaſi diceret, attende ex aliis, & ſimilibus, ſine cohærentibus Apoſtoli locis, quos tibi abundè ſuggerit magno ornatu atque apparatu, ipſum non in ipſam carnis ſubſtantiam inuehi, ſed in prauas eius deſideria & opera.* QVI IN CARNE SVNT. *Aug. in hunc locum* qui voluptatibus carnis acquieſcunt. Ne quis enim de his dictum putaret, qui de hac vita nondum exceſſerunt; opportuniſſimè ſubiunxit. Vos autem non eſtis in carne, ſed in Spiritu. Vtique in hac vita adhuc conſtitutis loquitur, In Spiritu enim erant, quia in hac fide, & ſpe, & Charitate, ſpiritalium rerum acquieſcebant. CORPVS QVIDEM MORTVVM. *id eſt mortale, & mortis neceſſitati ſubiectum. Aug. contra Pelagianos & Philoſophos docentes hominem etiam ante peccatum ex natura neceſſitate mortalem, ſicut etiam tenuis Eugubinus in Geneſ. 2. docet Apoſtolum hic dicere corpus mortuum, non propter naturam, ſed propter peccatum. Secundò mortuum dici, non mortale: quia ante peccatum poterat quidem mori, licet non eſſet moriturum, ſcilicet ſi homo in innocentiæ ſtatu permaneret. Mortuum ergo ſtatim eſt poſt peccatum, id eſt mortis legi ſubiectum. Sic Auguſtinus lib. 1. de peccat. merit. cap. 4.* PROPTER DELINQVENTIAM. *Frequens vox Tertulliano ſignificans peccatum, & delictum, à delinquendo dictum.* SICVT SPIRITVM *Sic Paulus Rom. 8. 10.* Spiritus vero viuit. *Quia Spiritus ſanctus qui in ſe eſt viuens, & vita ipſa increata, & eſſentialis, eſt cauſa vitæ noſtræ ſpiritualis vt viuamus in gratia & Charitate, & non ſecundum carnem. Sic exponunt Chryſoſtomus Ambroſ. & Aug.* PROPTER IVSTITIAM; *ſcilicet infuſam gratiam, quæ eſt cauſa formalis noſtræ juſtificationis. Vnde in textu habetur propter juſtificationem. Et ſic Spiritus ſupra intelligendus erit de Anima noſtra. Vt ſicut corpus in pœnam peccati anima moritur, ſic viuat & corpus, & reſuſcitetur ad gloriam ob meritum animæ juſtificatæ.* NISI ILLVC PENETRET. *Alij legunt* illac vel illud. *id eſt corpus vitæ intima penetrabit, penitus ab eodem corpore excludendo mortem in Reſurrectione.* NODOSIVS. *difficilius & obſcurius.* ABSOLVTIVS, *clarius, nodum omnem & difficultatem ſoluendo.* SI ENIM SPIRITVS EIVS, *&c. Si Dei Spiritus, qui Chriſtum excitauit à mortuis, diffuſa in cordibus noſtris gratia, habitet in nobis; eadem* gratia Dei quæ eſt vita æterna, *principium erit meritorium gloriosæ Reſurrectionis & vitæ æternæ.* SI ANIMAM QVIS, *&c. Si quis ſic temerè præſumat Paulum exponere vt corpus mortale ſuſcitatum, animam intelligat, quia ſupra dixit Apoſtolus Spiritum viuificatum, vt Reſurrectionem ſolum moralem Animæ intelligat & non realem corporis; Audiat Apoſtolum dicentem, mortalia corpora ſuſcitanda, quæ cum carnea ſint, & eidem naturæ corruptibili communicent, quibus propriè dicta mors conuenit, eiſdem quoque conueniet reſurrectio.* DEBITORES SVMVS. *Aug. ſer. 13. de verbis Apoſt.* Accepto adiutorio, porrecto nobis deſuper diuino auxilio brachio Domini, & ipſo brachio Domini porrecto nobis auxilio Spiritu ſancto, debitores ſumus non carni, vt ſecundum carnem ambulemus, quia fides bene operari non poteſt, niſi per dilectionem, &c. vt autem habeamus dilectionem, & ex ea poſſimus habere bonam operationem, nunquid eam nobis dare nos poſſumus? cum ſcriptum ſit Rom. 5. Charitas diffuſa eſt, &c. *Concludit ergo vt & D. Thomas non carni & ſanguini, non humanæ operationi, ſed gratiæ Spiritus ſancti deberi bona omnia ſupernaturalia, cui proinde debitores ſumus.* SI ENIM SECVNDVM CARNEM. *Aug. de verb. Apoſt. ſer. 13.* Non quia caro malum eſt, nam & ipſa Dei natura eſt, & ab eo condita à quo & anima; nec illa, nec iſta pars Dei; ſed illa & iſta, creatura Dei. Ergo caro non eſt malum, ſed ſecundum carnem viuere

A

B

C

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

Aug.

Aug.

malum eſt, &c. tota Trinitas vnus Deus, ſummè bonus, Anima verò, vt dixi creata à ſummo bono, non tamen ſummum bonum, ſed magnum bonum. Ita caro nec ſummum bonum, nec magnum bonum: ſed paruum tamen bonum. Anima ergo magnum bonum, ſed non ſummum bonum, viuens inter ſummum bonum & paruum bonum, id eſt inter Deum & carnem, inferior Deo, carne ſuperior. Quare non viuit ſecundùm ſummum bonum, ſed viuit ſecundùm paruum bonum? &c. Debitrix enim eſt, non carni, vt ſecundùm carnem viuat, caro debet ſecundùm ipſam viuere, non ipſa ſecundùm carnem. Ipſa viuat ſecundùm ipſam, quæ viuit de ipſa, &c. Tunc rectè viuit caro ſecundum animam, ſi anima viuat ſecundùm Deum. MORIEMINI. *D. Thomas in hunc locum* ſequendo concupiſcentias carnis moriemini ſcilicet morte culpæ in præſenti, & morte damnationis in futuro. *1. Tim 5.* quæ in deliciis eſt viuens mortua eſt. SI AVTEM SPIRITV, *&c. D. Tho. ibid. ſi per Spiritum ſanctum mortificaueritis opera quæ ex concupiſcentia carnis proueniunt, viuetis vita gratiæ in præſenti, & vita gloriæ in futuro.* LEX ENIM SPIRITVS. *D. Thomas ibid.* Lex Spiritus liberat hominem à peccato & morte, ſed lex ſpiritus eſt in Ieſu Chriſto. Ergo per hoc quod aliquis eſt in Chriſto Ieſu, liberatur à peccato & morte, quod autem lex ſpiritus liberet, ſic probat. Lex ſpiritus eſt cauſa vitæ: ſed per vitam excluditur peccatum, & mors quæ eſt effectus peccati: Nam & ipſum peccatum eſt ſpiritalis mors animæ. Ergo lex ſpiritus liberat hominem à peccato & morte. Damnatio autem non eſt niſi per peccatum & mortem. Ergo his qui ſunt in Chriſto Ieſu nihil damnationis exiſtit. *Subdit per Spiritum hic intelligi poſſe perſonam Spiritus qui non ſolum docet quid agendum, intellectum illuminans, ſed & affectum mouens ad agendum; vel de dono fidei docentis, & charitatis vrgentis; vel de lege noua quam promiſerat Ieremiæ 31.* Dabo legem meam in viſceribus eorum, *&c. Et notat quatuor leges inſinuatas ab Apoſtolo; Moyſi de qua dicit:* Condelector legi Dei, &c. *legem fomitis:* Video aliam legem in membris meis: *legem naturalem, de qua ſubijcit:* repugnantem legi mentis meæ: *legem ſpiritus:* lex Spiritus. *Subijcit D. Thomas Paulum addidiſſe*, vitæ: quia ſicut Spiritus naturalis facit vitam naturæ, ſic Spiritus diuinus facit vitam gratiæ. Ezech. 1. Spiritus vitæ erat in rotis. Ioan 6. Spiritus eſt qui viuificat, addit autem, in Chriſto Ieſu; quia iſte Spiritus non datur, niſi his qui ſunt in Chriſto Ieſu. Sicut enim Spiritus naturalis non peruenit ad membrum quod non habet connexionem ad caput, ita Spiritus ſanctus non peruenit ad hominem, qui non eſt capiti Chriſto junctus. MANVMISIT ME. *Vulgata*, liberauit me à lege peccati. *D. Thomas*, à lege fomitis quæ inclinat ad peccatum: vel à conſenſu, & operatione peccati, quod hominem tenet ligatum per modum legis. Per Spiritum enim ſanctum remittitur peccatum, Ioan. 20. Accipite Spiritũ ſanctum, quorum remiſeritis, &c. ET MORTIS, non ſolum ſpiritalis, ſed etiam corporalis. Ezech. 37. à quatuor ventis veni Spiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant. ERGO MEMBRA NOSTRA. *Rectè concludit, quod cum meritis Chriſti accepta Spiritus ſancti gratia, anima liberetur à lege peccati, & morte ſpiritali, corpora proinde à lege mortis liberanda: cum ſublato peccato qui eſt cauſa mortis, eius effectus tolli debeat.* INVALIDVM ERAT LEGIS, *&c. D. Thomas ex Hebr. 7.* Nihil ad perfectum adduxit lex, & hoc quidem erat legi impoſſibile, non propter defectum legis, ſed in quo, id eſt in quantum infirmabatur per carnem; id eſt propter infirmitatem carnis, quæ erat in homine ex corruptione fomitis, ex qua proueniebat, quod homo etiam lege data à concupiſcentia vincebatur. IN SIMILACHRO. *Textus habet* Deus filium ſuum mittens, in ſimilitudinem carnis peccati *Non quod vt ait D Thomas phantaſticam carnem aſſumpſerit vt dicunt Manichæi cum Luc. 24. ipſe dixerit:* Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. *Vnde non dixit ſimpliciter, in ſimilitudinem carnis: ſed, in ſimilitudinem carnis peccati. Non enim habuit carnem peccati, id eſt cum peccato conceptam; quia caro eius fuit concepta de Spiritu ſancto qui tollit peccatum, ſimilem igitur habuit carnem carni peccati, in hoc quod erat paſſibilis.* PER DELINQVENTIAM DAMNAVIT, *&c. textus habet:* Et de peccato damnauit peccatum in c... *id eſt juxta D. Thomam:* pro peccato commi... carne Chriſti ab occiſoribus eius, inſtigante diabolo, *Deus veniens ad magnum bonum, peccato Iudæorum*, damnauit, id eſt deſtruxit peccatum; quia cum diabolus, innocentem in quo nihil juris habebat, attentauit morti tradere; juſtum fuit vt poteſtatem amitteret, &c. Col. 2. Exſpolians Principatus & poteſtates, *&c. Vel de peccato, id eſt corpore ſuo, facto hoſtia pro peccato: 2. Cor. 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis Deus fecit peccatum: damnauit, id eſt abſtulit peccatum; pro eo ſatisfaciendo.* HABITARE ENIM PECCATVM. *id ſumpſit ex Rom. 7.* Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum, ſcio enim quòd non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. *D. Thomas:* Dicitur, inquit, peccatum habitare in homine, non quaſi peccatum ſit res aliqua, cùm ſit priuatio boni, ſed deſignatur permanentia concupiſcentiæ inclinantis in malum. Carnem autem accipit ſimul cum membris ſenſitiuis. Bonum autem dicit non habitare in carne, quia Epheſ. 3. dicit: Habitare per fidem Chriſtum in cordibus noſtris. Et per hoc patet, quod hoc verbum non patrocinatur Manichæis, qui volunt carnem non eſſe bonam ſecundùm naturam. NEQVE ENIM DOMVS. *Per domum, carnem intelligit, per habitatorem, peccatum, quod damnat Deus, non autem ipſam domum.* CARO ABSOLVTA EST. *id eſt declarata eſt non eſſe mala, cum ſolum peccatum condemnatum ſit.* SICVT INDEMNATA, *id eſt, quamuis caro mala ex ſe non ſit, nec damnabilis ex natura ſua, tamen quia inſtrumentum eſt animæ peccatricis, quæ propter delictum mortis ſpiritali, & obligationi pœnæ æternæ ſubiecta eſt, ita & caro ipſa legi mortis eſt obſtricta.* SIC ET SENSVM CARNIS, *id eſt ſapientiam & prudentiam carnis. Syr. electionem, mortem dixit & inimicitiam Dei. Theodor.* Non dixit caro, ſed prudentia carnis, hoc eſt perturbationum inſultus, eorum enim qui peccauerunt, mors pœna eſt. REPVTABITVR, *imputabitur.* DE SVO SAPERE *per ſeipſam ex ſeipſa, aliquando tamen imputatur carni, quia per carnem ſentit & ſapit Anima. Sic & peccatum in carne habitare dixit Apoſtolus, quia ipſa Anima quæ peccat, in carne habitat; caro autem morti addicta eſt, non quia mala, ſed propter peccatum ab anima per carnem impletum.* SENTENTIAM PERTIS. *textus ſic habet ad Coloſſ. 2.* Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes mundo deſeruitis? *dicentes ſcilicet, & quaſi ſententiam ferentes* ne tetigeritis, neque guſtaueritis, &c. *D. Thomas ibidem*, ſi mortui eſtis cum Chriſto mortuo legi ab elementis mundi, id eſt à legalibus obſeruantiis; quia Iudæi ſeruiebant Deo Vero, tamen ſub elementis: *id eſt rudimentis cæremoniarum* ſed Gentiles ſub ipſis elementis; *quia eos*

lebant Astra & Elementa tanquam Deos, quid adhuc veritate cognita, tanquam in hoc mundo vt Iudæi decernitis tangenda & comedenda? VTI EVACVETVR CORPVS. *Textus habet Rom. 6.* Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est vt destruatur corpus peccati. *D. Thomas ibid.* Vetustas hominis per peccatum inducta est, in quantum per peccatum bonum naturæ corrumpitur. Quæ quidem vetustis in homine principatur, quandiu homo peccato subiacet Et quia id quod est principale in homine, dicitur esse ipse homo, inde est quod in eo, quod homo peccato subiicitur *tanquam antiquo per habitum Domino* ipsa vetustas peccati dicitur esse vetus homo. *Subdit vetustatem esse, vel fomitem proucnientem ex peccato primi parentis, vel maculam peccatorum actualium, vel habitum peccati vrgentem ad peccandum. Vetus autem iste homo, maximè, peccatum originale, simul cum Christo crucifixus est, quia virtute Christi, & per baptismum penitus moritur macula peccati, & minuitur fomes & consuetudo peccati. Corpus porro peccati est congeries malorum operum, tanquam membrorum in corpore naturali.* NON PER INTERITVM, *&c. sic non caro seu corpus euacuatur & moritur, sed peccatum in carne, aut per carnem commissum emendatur.* VTI HACTENVS. *In textu habetur* vt vltra non seruiamus peccato. *Quasi diceret Tertul. serui fuerimus hactenus, sed non vltra seruiamus.* Tunc enim, inquit, D. Thomas homo peccato seruit, quando concupiscentiæ peccati obedit, per consensum, & operis executionem. Io. 8. qui facit peccatum, seruus est peccati OBAVDIENDVM, *obediendum. Textus habet* non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt
S. Aug. obediatis concupiscentiis eius. *Aug. in psal. 50.* Non dixit, non sit, sed non regnet. Inest peccatum cum delectaris; regnat cum consenseris, &c. si non obediueris, & si est quod suadeat, quod delectet ad malum non obtemperando, facis vt non regnet quod est, & ita fiat postea, vt non sit quod
S. Aug. erat, &c. *Et serm. 12 de verb. Apost.* Et si sunt desideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur, &c. cum non fiunt membra tua arma iniquitatis, est quidem iniquitas in membris tuis, in desideriis illiciris; sed non regnat. Quomodo regnat quæ arma non habet? Pars tua, caro tua, concupiscentia carnis tuæ languore rebellat aduersus te. Languor iste tyrannus est Si vis tyranni te esse victorem, Christum inuoca Imperatorem, &c. CVM SERVI ESSETIS, *&c. August. in Enchir.*
S. Aug. Qualis quæso potest seruti addicti esse libertas, nisi quando eam peccare delectat? Liberaliter enim ſerui, qui sui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc & ad peccandum liber est, qui peccati seruus est. Vnde ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse justitiæ cœperit seruus. Ipsa est vera libertas; propter recti facti lætitiam; simul & pia seruitus, propter præcepti obedientiam. Sed ad benefaciendum ista libertas vnde erit homini addicto & vendito? nisi ille redimat, cuius illa vox est Io. 8. si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. CONFVNDIMINI. *Textus habet*, quem A ergo fructum habuistis: tunc in istis in quibus nunc erubescitis. *Ex D. Thoma iuxta Esai 59* Opera eorum, opera inutilia. *Erubescenda autem, propter eorum turpitudinem. Ierem. 31.* Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum confusione, & erubui. *Aug. tract. in psal. 30.* Est quædam confusio tempo- Aug.
ralis, vtilis perturbatio animi respicientis peccata sua, respectione horrentis, horrore erubescentis, erubescendo corrigentis. Vnde dicit Apostolus; quam enim gloriam habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Ergo erubescere illos dicit jam fideles, non de præsentibus donis, sed de præteritis peccatis. Hanc confusionem non formidet Christianus. Imo si hanc non habuerit, æternam habebit. NVNC VERO, *&c. sic textus.* Nunc
B vero liberati à peccato, serui autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, &c. STIPENDIA. *sic textus*; stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. *Aug. lib. de* Aug.
gratia & lib. arb. Merito stipendium quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Vbi cum posset dicere, & rectè dicere; stipendium autem justitiæ vita æterna; maluit dicere gratia autem Dei vita æterna. Vt hinc intelligeremus non meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere, de quo in psalmo dicit homo eius animæ suæ; qui coronat te in miseratione & misericordia. Nunquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in nobis operatur, de quo dictum est ad Philipp. 2. Deus est enim qui operatur in nobis & velle
C & operari pro bona voluntate, ideo dixit psalmus, coronat te in miseratione, &c. quia eius miseratione bona operamur, quibus corona redditur. DONATIVVM. *Donatiua l. 10. ff. de re militari, sic appellabantur largitiones, quæ ab Imperatoribus in milites conferebantur. Sæpius hac voce vtitur Tertullia. de cor. Christ.* Donatiuum Christi in carne expectat De *cor. mil* Quis miles ab infœderatis, ne dicam hostibus Regibus donatiuum & stipendium captat, nisi planè desertor & transfuga & rebellis? *Differt autem stipendium à Donatiuo. Nam iuxta Hesymonem à stipe pendenda, id est substantia ponderanda dictum, quod olim non tam numerabatur pecunia, quàm ponderabatur; & militibus pro Rege & patria pugnantibus, remuneratio dabatur, ex ærario publico. Donatiuum autem erat largitio, qua dabatur militibus ab Imperatore, pro liberalitate sua. Dabatur autem vel ob victoriam, vel adoptionem, vel testamentum, vel auspicia*
D *Imperij. Bene ergo Tertul. vitam æternam* Donatiuum *dixit, vt & Paulus gratiam, quia vltra condignum datur militibus Christi, victoribus. Quæ enim ait Theod. proportio temporalis laboris cum æterna mercede?* SENSVVM SERIEM. *Sic Paulus eodem sensu, in omnibus præcitatis locis, membra nostra prohibens iniquitati seruire, & sanctitatis operibus mancipari, & à pœna mortis ad mercedem vitæ æternæ vocans, carni nostræ gloriosam resurrectionem spondet; cui castitatis, temperantiæ, virtutis omnis exercitatio non iustè mandaretur, si caro ipsa in resurrectione bonorum operum præmium consequutura non esset.*

3. *Caro Deo non displicet, sed opera carnis à Regno suo excludit.* 5. *cont. Marc. cap.* 10. *à m.*

a 1. Cor. 15. 50. Ad Gal. 5. 19. 21. b Rom. 8. 8. DEnique, quid subjungit? a *Hoc enim dico, fratres, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt:* Opera scilicet carnis, & sanguinis; quibus & ad Galatas scribens, abstulit Dei regnum. solitus & aliàs substantiam pro operibus substantiæ ponere; vt quum dicit, b *Eos qui in carne sunt, Deo placere non posse.* Quando enim placere Deo poterimus, nisi dum in carne hac sumus? aliud tempus operationis nullum opinor est. Sed si in carne quanquam constituti, carnis opera fugiamus; tum, non erimus in carne, dum non in substantia carnis non fu-

mus, sed in culpa. Quod si in nomine carnis opera, non substantiam carnis jubemur exponere; operibus ergo carnis, non substantiæ carnis, in nomine carnis, denegatur Dei regnum. Non enim id damnatur, in quo malè fit, sed id quod fit. Venenum dare, scelus est; calix tamen in quo datur, reus non est. Ita & corpus, carnalium operum vas est, anima est autem, quæ in illo venenum alicuius mali facti temperat. Aug.

CARNIS INFIRMITAS. III. SCHOLIA.

HOC ENIM, *&c. tantus sic*; Hoc autem dico fratres: quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. *Aug. in Ep. ad Consentium.* Ne quisquam putaret, secundùm substantiam carnis hoc Apostolum definiuisse; aperuit quid diceret, subiungendo; neque corruptio incorruptelam possidebit. Tanquam diceret, quod dixi; caro & sanguis, &c. Ideo dixi, quia corruptio incorruptionem non possidebit. Hoc ergo loco nomine carnis & sanguinis, corruptionem mortalitatis intelligi voluit. Denique tanquam ei diceretur quomodo caro erit, & caro non erit? Caro quippe erit, quoniam Dominus post resurrectionem ait; palpate & videte quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Caro autem non erit, quoniam caro & sanguis *supple corruptibiles*, regnum Dei non possidebunt. ABSTVLIT DEI REGNVM. *ad Gal. 5.* Manifesta sunt autem opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *D. Tho. in hunc locum fundatus in doctrina Aug. lib. 14. de Ciuit. c. 2. quæst quomodo cum multa ex numeratis, sint animi vitia, & non carnis, vocentur tamen opera carnis ab Apostolo.* Cur ergo hæc omnia & his similia, Doctor Gentium in fide & veritate opera carnis appellat? nisi quia eo locutionis modo, quo totum significatur à parte, ipsum hominem vult nomine carnis intelligi. *Ait Aug. D. autem Thomas:* Quidquid prouenit ex inordinato amore sui, dicitur opus carnis. Vel dicendum est, quod aliquod peccatum potest dici carnale dupliciter; scilicet quantum ad consummationem; & sic dicuntur carnalia illa tantum, quæ consummantur in delectatione carnis, scilicet luxuria & gula. Et quantum ad radicem; & sic omnia peccata dicuntur carnalia, inquantum ex corruptione carnis anima aggrauatur, vt dicitur Sap. 9. Ex quo intellectus debilitatus facilius decipi potest; & impeditur à sua perfecta operatione. Vnde & ex hoc sequuntur vitia, scilicet hæreses, sectæ & alia huiusmodi. Et hoc modo dicitur, quod fomes, est principium omnium peccatorum. IVBEMVR EXPONERE. *id. deponere.* VAS EST. *Caro instrumentum est, organum, vas figuli boni, vtique bonum, sed in quo venenum peccati, intemperanter temperatur, miscetur, bibitur vtrumque. Deut. 32.* Fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile. *Laudabile vas, damnabile venenum.* Bibant alij mortiferas voluptates, portio calicis mei Dominus æternus est. *Ait Aug. qui & portionem nostræ substantiæ carnisque suscepit, in qua velut calice, vinum suæ diuinitatis, aquam nostræ mortalitatis immiscuit; quo nos inebriari voluit, vt & in pane Azor pinguia delitiarum regibus præbuit, de nostro caro & sanguis totius incorruptibilis eius carnis & sanguine saginati, Regnum Dei possideant, & tormenta voluptatis inhibeantur plenissima.* A B S. Aug.

4. Et ibid. cap. 14. à p.

ET hîc autem ipse edisserens, quomodo nolit esse nos in carne, quum simus in carne; vt scilicet non simus in operibus carnis, ostendit hac ratione scripsisse, [a] *Caro & sanguis regnum Dei consequi non possunt*; non substantiam damnans, sed opera eius: quæ quia possunt non admitti à nobis in carne adhuc positis, non ad reatum substantiæ, sed ad conuersationis pertinebunt. [a] 1. Cor. 15. 50.

CARNIS INFIRMITAS. IV. SCHOLIA.

CARO ET SANGVIS. *Aug. lib. de Agone Christiano cap. 32. Tractat hunc locum à Tertulliano prolatum tanquam obiectionem & argumentum validum quo Marcionitæ abutebantur ad depretiandam humanam carnem: Videlicet.* Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Non intelligentes, ait, quod ipse dicit Apostolus. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum enim hoc factum fuerit, iam non erit caro & sanguis, sed cœleste corpus. Quod & Dominus promittit cum dicit, neque nubent, neque vxores ducent, sed erunt æquales Angelis Dei: Non enim iam hominibus, sed Deo viuent, cùm æquales Angelis facti fuerint. Immutabitur ergo caro & sanguis, & fiet corpus cœleste & Angelicum. Et mortui enim resurgent incorrupti, & nos immutabimur: Vt & illud verum sit, quod resurget caro, & illud verum sit, quod & caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Ista fidei simplicitate & sinceritate lactati nutriamur in Christo, & cum paruuli sumus, maiorum cibos non appetamus, sed nutrimentis salubertimis crescamus in Christo, accedentibus bonis moribus & Christianâ justitiâ, in qua est Charitas Dei & proximi perfecta & firmata: vt vnusquisque nostrûm de diabolo inimico & Angelis eius triumphet in semetipso, in Christo quem induit: quia perfecta Charitas, nec cupiditatem habet sæculi, nec timorem sæculi, id est, nec cupiditatem vt acquirat res temporales, nec timorem ne amittat res temporales. Per quas duas januas intrat & regnat inimicus, qui primo Dei timore, deinde Charitate pellendus est. *Quæ duo operibus carnis à regno æterno exclusis aduersantur. Præter dicta supra, D. Thomas connectit hanc sententiam cum præmissis à D. Paulo 1. Cor. 15.* Si est corpus Animale, est & spiritale, &c. Sicut portauimus imaginem terreni; portemus & imaginem cœlestis; hoc autem dico, fratres; quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. *Vbi sic D. Thomas lect. 7. in 1. Cor. 15. ex Rom. 8.* Quos præscíuit & prædestinauit conformes, &c. Sic ergo debemus conformari cœlesti in Aug.

Digitized by Google

vita gratiæ, quia aliàs non peruenietis ad vitam gloriæ. Et hoc est quod dicit; hoc autem dico, fratres, &c. Quasi diceret, nisi viuatis, scilicet vita gratiæ, non poteritis peruenire ad Regnum Dei, scilicet ad vitam gloriæ. Quia caro & sanguis, &c. Quod quidem non est intelligendum sicut quidam hæretici dicunt, quod non resurget caro & sanguis secundùm substantiam. Sed quod totum corpus verteretur in Spiritum vel in aërem, quod est hæreticum & falsum. Nam Apostolus dicit, quod cõformabit corpus nostrum corpori claritatis suæ; vnde cum Christus post resurrectionem habuerit carnem & sanguinem sicut dicit Luc. 24. Palpate & videte, &c. Constat quia & nos in resurrectione carnem & sanguinem habebimus. Non est intelligendum caro & sanguis, id est substantia carnis & sanguinis, &c. Sed carni & sanguini operam dantes, scilicet homines dediti vitiis & voluptatibus, &c. Et sic accipitur caro, id est homo carnaliter viuens, &c. Vel opera carnis & sanguinis, &c. Quod est contra Iudæos & Saracenos, qui fingunt se habituros post resurrectionem, vxores, fluuios mellis & lactis. Vel caro & sanguis, id est corruptio carnis & sanguinis, &c. Post resurrectionem enim corpus non subiicietur corruptioni secũdum quam hic viuit, &c. Quia resurgemus in gloria. Rom. 8. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis. POSSVNT NON ADMITTI *opera scilicet carnis, quæ libera sunt, & à voluntate libera.* NON AD BEATVM SVBSTANTIÆ. *Opera carnis non pertinent ad substantiam carnis, naturâ sua bonam; quam proinde malam, & culpabilem non faciunt, sed ad malam hominis carne abutentis, voluntatem & conuersationem pranam.*

5. *Carnis desideria pro secundis Nuptiis, extinguenda sunt à more cœlestium, & exemplis continentium. 1. ad Vxor. cap. 4. in m.*

ET tu, aduersus consilia hæc eius, adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nullam formæ vel ætatis occasionem, præmissis maritis, sanctitati anteponunt. Malunt enim Deo nubere: Deo speciosæ, Deo sunt puellæ: cum illo viuunt, cum illo sermocinantur; illum diebus & noctibus tractant: orationes suas velut dotes Domino adsignant: ab eodem dignationem, velut munera dotalia, quotiescumque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum donum Domini occupauerunt, ac iam in terris non nubendo, de familia angelica deputantur. Talium exemplis fœminarum, ad æmulationem te continentiæ exercens, spiritali affectione carnalem illam concupiscentiam humabis; temporalia & volatica desideria formæ, vel ætatis, immortalium bonorum compensatione delendo.

CARNIS INFIRMITAS. V. SCHOLIA.

ADVERSVS CONSILIA, *carnis scilicet, cuius concupiscentia, vt immediatè prædixerat,* ætatis officia defendit, *id est vt inducat ad secundas nuptias, proponit viridem adhuc ætatem vidue iuueni que ætas apta est officiis nuptiarum.* decoris messem requirit. *id est exigit fructum proprium decoris & pulchritudinis floris, scilicet voluptatem, quæ quasi in messe maturu colligitur.* gaudet de contumelia sua. *id est actu carnali, maximè repetito in secundis nuptiis. vnde & Hieron. contra Iouin. vocat* sordes nuptiarum. *Et S. Aldhelmus de Virg. nubentes dixit* næuorum maculis deformatos, sæcularis scoriæ atramento fœdatos, &c. Olidarum polluta nuptiarum contubernia, &c. lurida fœtentis cloacæ volutabra. *Non quòd Patres absoluè damnent actum coniugalem, sed in comparatione virginitatis, depretient. Prosequitur Tertul.* dicit virum necessarium sexui, vt authoritatis & solatij caussa, vel vt à malis rumoribus tuta sit. *Hæc consilia sunt carnis quæ se obtegit sub pretextu infirmitatis sexus, & status viduitatis, qua solatio indiget, authoritate mariti, contra aggressores, & maximè si sit iuuenis, contra suspiciones & rumores. Tum subdit contra hæc consilia carnis adhibenda fidelium & constantium viduarum exempla,* SORORVM NOSTRARVM EXEMPLA. *Plus mouent exempla quàm verba, & potentissima est eloquentia facti. Aug. serm. de Epiph.* vitam piorum non solùm sibi, sed etiam aliis esse vtilem decet, vt quod apud eos agi non potest verbis, obtineatur exemplis. *Et ser. 2. de Catechis. in fi.* Vterque sexus & ætas habet Sanctorum hominum imitationis exemplum. Imitentur senes mores Tobiæ, qui cùm cæcus esset in corpore, viam vitæ filio demonstrabat in corde. Ille enim manu ducebat in terra, & pater monendo perducebat ad cœlum. Imitentur adolescentes Ioseph pulchrum corpore, pulchriorem mente, &c. Imitentur Virgines sanctæ sanctam Domini sui Matrem Mariam. Imitentur viduæ Deo deditam Annam. Imitentur & coniugatæ castam Susannam. Virgo Mater quod vouit impleuit. Anna vidua in orationibus & ieiuniis vsque in finem perseuerantiam tenuit. Susanna casta pro pudicitia coniugali, vsque ad periculum mortis accessit. PRÆMISSIS MARITIS. *id est defunctis.* DEO SVNT PVELLÆ. *tantum pollet apud Deum castitas & continentia vidualis, vt licet amissa primo coniugio virginitas, semel interitura, & nusquam ad primum illibati lilij florem reuersura, pro puella tamen Deo habeatur. Et quidem si iuxta Ambrosium,* fit virgo fide Christi, quæ fuerat adultera corruptione peccati: *quanto magis quæ primo Matrimonio legitimo contenta, casta vidua perseuerat? Et hoc sensu Paulus, 2. Cor. 11. fide & charitate erga vnum sponsum Christum, vocat Ecclesiam Corinthiorum virginem, non tantùm ex virginibus sed & nuptis & viduis compositam. Sic D. Thomas in hunc locum* volens ostendere quod ex omnibus fidelibus fit vnum corpus & vna Ecclesia, quæ debet esse virgo in omnibus membris suis, &c. sic Ecclesia exhibet se Christo virginem quando perseuerat in fide, & Sacramentis absque corruptione alicuius Idololatriæ & infidelitatis. *vnum virum ibidem intelligit Christum,* perfectum virtutis plenitudine, singularem & quantum ad modum conceptionis, & quantum ad modum nascendi, & quantum ad gratiæ plenitudinem. Eccle 7. vnum de millibus virum reperi. DOTES DOMINO ADSIGNANT. *dos variè sumitur, nam & dotes animi sunt virtutes, & dotes corporis, forma, robur, sanitas, Cicero 1. de orat.* Cuius artem cum indotata esset, atque incomitatam & incomptam videres, verborum eam dote locupletasti & ornasti. *Et Plin. dixit* vbmum vite dotatam. *Et dotes prædiorum Iureconsulti dicunt. l. 2. de instruct. leg. & l. amissi de fideiussor. propriè dos est quod datur à muliere marito. L. si rem æstimatam ff. de jure dot. vel ab eius Patre, vel extraneo, §. accedit.*

dit. L. vnica. C. de rei vxor. act. propriè autem dos dicitur, vt ait Varro, quod nuptiarum causa datur; nam ipsa sine matrimonio esse non potest. L. 3. ff. de jure dot. & vbicunque matrimonij nomen non est, nec dos esse potest. L. 48. ff. de jure dot. Propterea autem marito datur à parente vel extraneo, vt vir onera matrimonij sustineat l. 1. l. dotis fructus. Et l. res in dotem. ff. de jure dot. Dos item est proprium patrimonium mulieris. L. 3. §. ergo etiam. ff. de minoribus l. meum. ff. de Relig. & sumpt. fun. l. Pomponius Philadelphus familiæ erciscundæ. erciscere priscâ lingua significat diuidere. Hinc apud Festum. Erctum Patrimonium. id est diuisum. *Dos tandem aut profectitia est, aut aduentitia.* Profectitia *ex Vlpiano in Epitom. tit. de dot.* Est quæ à Patre, vel parente virilis sexus profecta est de bonis, vel facto eius. *L. profectitia. ff. de jure dot.* Aduentitia verò, quam nemo ex paternis bonis, sed quispiam extraneus aliunde dedit: Dos item recepticia specialiter dicitur, quam extraneus dat stipulans cum viro, vt ea sibi redderetur quadam conditione impleta, verbi gratia morte superueniente. *Ita Vlp. cap. infrit. 6. Gaius. l. 31. §. 2. ff de matrimonij causa datis. His positis: dotes & pulchrè Tertul. vocat orationes viduarum*, adsignatas Domino dotes. *Si enim dos patrimonium est mulieris; profectitium quidem, à patre, de bonis & facto eius; meminerit vidua secundum Paulum:* Instare debere se orationibus nocte ac die, *& juxta Tertul. hic Deum sponsum* diebus ac noctibus tractare; *ad memem Psalmi*, apprehendere disciplinam, *& ex alia versione*, oculari filium: *Vt cum sponsa Canticorum suspirans in assidua oratione dicat*, osculetur me osculo oris sui. *Recordetur præterea donum orationis, Dei Patris munus esse; profectitium ex meritis Filij, aduentitium ex dono Spiritus sancti.* Misit enim Deus Spiritum Filij, in quo clamamus Abba Pater. Nescimus enim quid petimus, sed Spiritus postulat pro nobis, *id est postulare facit* gemitibus inenarrabilibus. *Hinc & Propheta meminit, Spiritus precum. Zach. 12.* Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem, Spiritum gratiæ & precum. Sit igitur gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata, *quæ* orationes suas velut dotes profectitias à Patre, adventicias à Filio, receptitias à Spiritu Sancto, Domino adsignat, *gratias agens de accepto dono, nec glorietur se à seipsa habere vt orare possit, cum & Apostoli petierint à Christo*, doce nos orare, *perseueret item in proposito castitatis, vt dos receptitia orationis, vidua data. Nuptiarum cum Christo Domino causâ, repetatur. Sciens dictum à Paulo de Pseudo-vidua:* Quæ in deliciis est viuens mortua est. *Et mortis causa dotem repetendam quæ si repeti & auferri non posset, Psaltes vtique non diceret;* Benedictus Dominus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me. *Vide connexionem misericordiæ Dei, & orationis supplicantis.* Non accepturus, nisi petiturus: *Ait Augustinus. Pretiosissima dos orationis*, oratio justi, claus est cœli. *Vt fatur idem Augustinus.* S. Augustin. *Et Christus*, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. *Sed credat vidua, orationem ipsam Dei donum, & summo Patri acceptam referat dotem, quia* humilibus dat hanc gratiam. MVNERA DOTALIA. *Alij legunt*, maritalia. *Iurisconsulti vocant* dotalitia. *Donationes propter nuptias, vt iis vxor post mortem viri alatur. Caput ex parte de for. compet. cap. Nuper de donat. int. vir. & vxor.* DIGNATIONEM. *Multa possint sub hac voce intelligi, quod dignetur Christus, vel Spiritus sanctus sponsus viduæ casta sensibiles in oratione, lectione, communione, voluptates, & oscula casta prælibare. Quæ toto libro Cantici Canticorum continentur.* SIC ÆTERNVM, *&c. Cum de castitate perseuerante in vidua loquatur, quam præoccupat jam in terra, rectè subijcit,* DE FAMILIA ANGELICA DEPVTARI. *Quod non ad Virgines refert, sed ad viduas, vt patet: alludit enim ad Luc. 20. de muliere quæ successiue septem fratribus sine filiis mortuis, nupsit. Vbi Sadducæis quærentibus à Christo in resurrectione ergo cuius eorum erit vxor? Siquidem septem habuerunt eam vxorem.* Et ait illis Iesus: Filij huius sæculi nubunt & tradunt ad nuptias: Illi verò qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: Neque enim vltra mori poterunt. *Vt ad conseruationem speciei vel nominis familiæ sint deinceps necessaria nuptiæ; æquales enim Angelis sunt,* & Filij sunt Dei cum sint Filij Resurrectionis HVMABIS, *sepelies, quasi putrida & mortua, & vana, in comparatione bonorum æternorum.* BONVM DONVM DOMINI. *Continentiam dixit, quod didicit à Salomone Sap. 8.* Veni ad corpus incoinquinatum. Et vt sciui quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum: Adij Dominum & deprecatus sum illum.

5. *Carnis infirmitatem animi vigor erigat. Ad Mart. cap. 4. in p.*

SCimus ex Dominico Præcepto, quod [a] *caro infirma sit, spiritus promptus.* Non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit, carnem infirmam esse; propterea enim prædixit spiritum promptum esse, vt ostenderet quid cui debeat esse subiectum; scilicet, vt caro seruiat spiritui, infirmior fortiori; vt ab eo etiam ipsa fortitudinem assumat. [a] Matth. 26. 41.

CARNIS INFIRMITAS. VI. SCHOLIA.

EX DOMINICO PRÆCEPTO. *id est ex Euangelio Matth. 26.* Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. PRÆDIXIT. *id prius dixit, præmisit Spiritum promptum esse.* CARO SERVIAT. *Aug. in Psal. 143. Vbi confert Animam marito, & carnem vxori.* Tanquam in domo maritus & vxor, si aduersus se dissentiant, molestus, & periculosus labor: si maritus vincatur, & vxor dominetur pax peruersa. Si autem vxor marito dominanti subiiciatur, pax recta: non tamen aliquid ex alia natura, quia ex homine facta mulier viro. Caro tua coniux tua, famula tua, quodlibet deputato, opus est vt subiiciatur, & si pugnas, vt prosit pugna. Hoc enim expedit, inferius subiici superiori; vt & ille qui sibi subiici vult quod est inferius, se subiiciat superiori suo. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro. Quid justius? Quid pulcrius? Tu maiori, minor tibi. Serui tu ei qui fecit te, vt tibi seruiat quod factum est propter te. Non enim hunc ordinem nouimus, neque hunc ordinem commendamus, tibi caro, & tu Deo: Sed, tu Deo, & tibi caro. Si autem contemnis tu seruire Deo, numquam efficies vt tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à seruo. IPSA FORTITVDINEM. *Quid enim fortius Anima justa*

furni, & Deo totius fortitudinis, *vt eum vocat Rupertus? quæ influet & fortitudinem corpori, vt abstinere possit à deliciis, & fortiter tormenta sustinere. Maximè si proponat anima carni infirmæ gloriam resurrectionis in qua promittit Deus per Prophetam*; mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, volabunt, &

A non deficient. *Sicut enim ex D. Tho. quia anima præexistenti corpori infirmo infunditur, ab eo quoque grauiter aggrauatur & infirmatur: sic quia animæ immortali & gloriosè præexistenti, caro prius corrupta & soluta in puluerem denuo coniungetur, ab ea fortitudinem indissolubilem assumet, mutatâ fortitudine, & ab anima mutatâ.*

7. Et 1. ad Vxor. cap. 4. in p.

SEd carnem legimus infirmam & hinc nobis adulamur in quibusdam. legimus tamen & spiritum firmum. nam in vno sensu vtrumque positum est. Caro, terrena materia est, spiritus verò cœlestis. Cur ergo ad excusationem proniores, quæ in nobis infirma sunt, opponimus; quæ verò fortia, non tuemur? cur cœlestibus terrena non cedant? si spiritus carne fortior, quia & generosior, nostrâ culpâ infirmiorem sectamur.

CARNIS INFIRMITAS. VII. SCHOLIA.

IN VNO SENSV. *id. in vno eodemque contextu dictum est à Christo, & spiritum esse promptum & fortem; & carnem infirmam.* CARO TERRENA, *&c.*

8. Aug. *Aug. in psal. 45.* Lauda anima mea Dominum. Sed quis dicit, & cui dicit? quid dicimus fratres? caro dicit lauda anima mea Dominum? & potes caro bonum consilium animæ suggerere? vt multum sit edomita caro, & à Domino impertitis viribus nostræ seruituti subiecta, vt omnino ita seruiat nobis, sicut conditionale mancipium sufficit, vt non impediat. Deinde charissimi vbique consilia à melioribus petuntur. Et si bonum quiddam est anima nostra, & bonum quiddam est caro nostra, quia vtrumque ille creauit, qui fecit omnia bona valde. Quamuis ergo in generibus propriis vtrumque sit

C bonum: tamen dicit Apostolus Rom. 8. corpus quidem mortuum est propter peccatum &c. sed quale erit aliquando? quale idem Apostolus dicit alio loco, oportet corruptibile hoc induere incorruptionem &c. sed etiam cum fuerit tale corpus nostrum, corpus iam cœleste & spiritale, corpus Angelicum in societate Angelorum, nec sic dabit consilium animæ. semper enim Corpus, quoniam Corpus est, infra animam est, & quæuis anima vilis, excellentissimo corpore excellentior inuenitur. Nec vobis hoc quasi mirabile videatur, quia & vilis quælibet anima peccatrix melior est quolibet magno, & præstantissimo corpore, non est melior

B meritis, sed naturâ. Est quidem anima peccatrix, est quibusdam concupiscentiarum sordibus inquinata: tamen melius est etsi sordidum aurum, quàm purgatissimum plumbum, &c. Imperitior Iurisperitus perfecto sutori præponitur. &c. Corpus licet Angelicum, inferius est quàm anima; Consilium superiori dare non potest. Infelix est ipsa enima, si à corpore expectet consilium, &c. Accepit homo corpus tanquam in famulatum, Deum autem Dominum habens, corpus seruum, habens supra se conditorem. Infra se, quod sub illo conditum est. In medio quodam loco rationalis anima constituta legem accepit, hærere superiori, regere inferiorem. Regere non potest inferiorem, nisi regatur à meliore: trahitur ab inferiore, deseruit ergo meliorem. Non potest regere quod regebat, quia regi noluit à quo regebatur, modo ergo redeat, laudet, consilium sibi det ex luce Dei ipsa anima per rationalem mentem, vnde concepit consilium fixum in æternitate authoris sui. *Et quanta sit anima pro corpore breuiter & pulchrè ibidem scribit.* Natura animæ præstantior est, quàm natura corporis, excellit multum, res spiritalis est, res incorporea est, vicina est substantiæ Dei. Inuisibile quiddam est, regit corpus, mouet membra, dirigit sensus, præparat cogitationes, exerit actiones, capit rerum infinitarum imagines. & quis est tandem, fratres charissimi, qui sufficiat in laudibus animæ? Aug.

CARNIS HVMANÆ DIGNITAS.

1. Caro non ex limi origine, sed ex propria dignitate æstimanda, sicut aurum de terra. De Resur. cap. 6. in fi.

NVnc, etsi scandalum limus; alia jam res est. Carnem jam teneo; non terram: licet & caro audiat, [a] *Terra es, & in terram ibis*: origo recensetur, non substantia reuocatur. Datum est, esse aliquid origine generosius, & demutatione felicius. Nam & aurum terra, quia de terra: hactenus tamen terra: ex quo aurum, longè alia materia, splendidior atque nobilior de obsoletiore matrice. Ita & Deo licuit, carnis aurum, de limi, quibus putas, sordibus, excusato censu eliquasse.

a Gen. 3. 19.

CARNIS DIGNITAS. I. SCHOLIA.

SCANDALVM LIMVS. *Si despector carnis, eiusque depretiator, indignam eam iudicet quæ à Deo susciteur: si scandalum sumat ex vilitatis eius origine, quod nempe de limo facta sit; cogitet, non iam limum esse, sed materiam, speciosa carnis humanæ forma vestitam.* ORIGO RECENSETVR. *alij legunt*, censetur. *id. cum dixit Deus Adæ*; terra es, &c. *ei suam de limo terræ originem, in memoriam reuocat, qua inflatum animum superbiâ, & appetitu scientiæ diuinæ tumidum, primi pulueris & limi emplastro curet prudens Medicus. Sic psal. 103.* auferes spiritum eorum & de-

D ficient & in puluerem suum conuertentur. *Sic enim legit Augustinus, & subiicit*, spiritus eorum, superbia eorum erat, &c. Is superbe conuersus es in puluerem tuum, ablatus est spiritus tuus, iam non te jactas, non te extollis. NON SVBSTANTIA REVOCATVR. *id. substantia carnis, quæ iam alia erat à limi substantia, non vocatur à Deo, simpliciter terra, sed memoria primæ originis, hominem humiliat elatum. frequens enim est author in componendis verbis*, reuocatur, pro vocatur. *Neque enim video cur Lacerda velit intelligi*, Deum non reuocasse opificium suum, Aug.

conuertendo hominem in terram, cùm dixit, terra es. *Solùm enim agit hîc de reuocata in memoriam primi limi origine, cuius tantùm mentionem fecit, quam tantùm vocauit, seu* reuocauit, *dicendo, terra es. Ita enim sæpè dixit,* retracto, pro tracto. *aduerte porrò suo more secutum esse versionem Septuaginta in qua habetur;* in sudore vultus tui edes panem tuum; donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia terra es, & in terram ibis *Vulgata Editio.* Vescêris pane, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in puluerem reuerteris. *Sanctes Pagnin. ex Hebr.* quia ex ea sumptus es, quia ex puluere es, &c. *Chald. Paraph.* Comedes panem tuum, donec reuertaris in terram, de qua creatus es: quia pulvis es, &c. DATVM EST, *&c. homini scilicet, vt caro eius sit habilior limo.* DE MVTATIONE FŒLICIVS. *quòd mutata fuerit terra in carnem, vel quòd in Resurrectione, iuxta Paulum sit immutanda caro corruptibilis in incorruptibilem. Aug. in psal. 68. vbi de limo profundi.* Quid dicit limum tam ipsos qui persecuti sunt? de limo enim factus est homo; sed isti cadendo à iustitia limus profundi facti sunt; qui persequentibus, & ad iniquitatem trahere cupientibus, quisquis non consenserit; de limo suo aurum facit: merebitur enim limus ipse conuerti in habitudinem cœlestem, & socius fieri eorum, de quibus dicit titulus psalmi, *huius* in finem, pro his qui commu-

A

B

Aug.

rabuntur. HACTENVS TAMEN, *&c. id. primo quidem, secundum priorem materiam, antequam aurum fieret, terra erat.* DE OBSOLETIORE MATRICE, *id. sordidiore origine. Sic Liuius lib. 3.* dixit obsoletam vestem, *id. sordidam. significat etiam vetustam, & detritam. Et sic ad primam & veterem respicit materiam. alij legunt* obsolentiore. EXCVSATO CENSV. *alij* Excusato. *quasi diceret Deum excusasse Censum, id. substantiam vilierem, & originem carnis ex limo, & ex causa materiali crassioris limi expurgasse, colasse, eliquasse, dum in carnem hominis commutauit; maximè cum Christi corpus pro Idea, & causa exemplari haberet præoculis, ad cuius instar carnem humanam efformabat. Porrò* Excuso, *idem est quod purgo, quod pulchrè quadrat purgationi & limi & auri. Alij ponunt* Excusatum, pro, excusum, à cudo. *quasi aurum excusum. Philo, de opif. nobilitatem carnis Adæ probat, quod ex terra pura, recenti aqua superfusa, facta sit,* non ex quauis parte humi sumpta videtur Deus hanc humana specie statuam formare voluisse summa cum diligentia: sed selecta vndequaque optima, ex pura materia, ad id quod inerat puriſſimum, excolasse accuratè, quod maximè ad hoc opus aptum erat. Domus enim quædam, aut templum sacratum fabricabatur rationali animæ, quam illa diuina Imago circumferre debebat.

2. *Carnis ex limo vilitas non pensanda, sed Dei supra Phidiam opificis dignitas. De Resur. c. 6. in m.*

QVÒ nunc facit, ad infuscandam originem carnis, nomen terræ ventilare, vt sordentis, vt jacentis elementi? cum, etsi alia materia excudendo homini competisset, artificis fastigium recogitari oporteret, qui illam & eligendo dignam judicasset, & tractando fecisset. Phidiæ manus, Iouem Olympium ex ebore molitæ, adorantur; nec jam bestiæ, & quidem insulsissimæ dens est; sed summum seculi numen; non quia elephantus, sed quia Phidias tantus. Deus viuus, & Deus verus, quamcunque materiæ vilitatem non de sua operatione purgasset, & ab omni infirmitate sanasset? An hoc superierit, vt honestius homo Deum, quàm hominem Deus finxerit?

Aug.

CARNIS DIGNITAS. II. SCHOLIA.

QVÒ NVNC FACIT. *vt quid ad denigrandam carnis originem, ventilas, id. venti indibrio expunis primam paluarem, cùm etiamsi nobilior materia, iudicio tuo, fuisset debuisset formando hominis corpori, ex ipso tamen quod Deus hanc materiam præelegit, tanti opificis dignitas, & electio, & manuum tantarum tractatio dignam fecit, & indicauit. Sic Philo lib. de opif.* opifex bonus erat, arte quoque inter cætera, vt singulæ corporis partes, & priuatim conuenientibus absoluerentur numeris, & aptè in vniuersum cohærerent. Ad eam per omnia quadsãtem commensionem, accessit & habitudo bona, & color appositissimus, vt quàm maximè fieri potest, pulcherrimus, idem qui primus homo aspiceretur. FIXVDENDO. *Metaphoricè dictum ab incude quod proprìè carni de limo non conuenit, sed quia homo ad imaginem Dei Patris Christum scilicet hominem, & de homo virginea formandum fabru est, vt numisma cuditur, & imagine sui Principis insignitur. Sic Paulinus Ep. 4. vbi iuxta Cant. Christum caput hominum vocat aurum optimum.* Hoc enim aurum forma Sanctorum est, qui in capite corporis vt lumina micant, & sunt aurum agnitum Deo: quia videlicet eos per examina passionum in huius mundi fornace conflatos, inuenit, vt scriptum est, dignos se: & in iis sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus & linguis eorum veritatis suæ verbum; eosdemque ipsos statuens numinularios, vt secundùm suam formam probabiles Domino cuderet nummos. Et abolita de nobis figura Cæsaris,

C

Principem intelligit mundi, diabolum; & rectorem tenebrarum harum viuum Regis æterni numisma signarent; vt spiritu Redemptionis inscripti, cerui-ce iam iugo libera, & salutis titulo præmunita fronte, caneremus: signatum est super nos lumen vultus tui Domine. *Et Glycas,* non vt nunc corpus illud corruptibile & fluxum erat, sed tanquam aurea quædam statua, recens è conflatorio educta, & clarè fulgens, ita omni corruptione vacabat. PHIDIÆ MANVS. *Cicero lib. de Orat. testatur nihil perfectius fuisse operibus Phidiæ. Meminit & Epiph. eiusdem ex ebore simulachri, cuius circum pedes oleum effudit, vt immortale opus conseruaret, sicque à furiosi dicis Deum habuisse curam perpetuitatis hominis imaginis suæ. Nec prætermisit Plinius Ionis Olympij eburnei, manu Phidiæ Athenensis elaborati. Vt cunctis eloquentius Quintilianus,* in ebore longè citra æmulum vel nisi Mineruam Athenis, aut Olympium in Elide Iouem feciſſet, cuius pulchritudo adieciſſe aliquid etiam receptæ Religioni videretur, adeo maiestas operis Deum æquauit. INSVLSISSIMÆ. *Quomodo? Animal dictum à Platone Philosophicum, à Philostrato proximum ab homine prudentia & consilio: ab Aristotele, bonis acutisque sensibus, & cæteris intellectu excellens: ab Æliano teste oculato Latinas literas scribens, instar Grammatici; à Cassiodoro Regem agnoscens primo aspectu, & adorans; à Strabone* proximum humanis sensibus, cui insit intellectus sermonis Patrij, & Imperiorum obedientia, officiorum quæ didicerit memoria, amoris & gloriæ voluptas, imo

D

verò quæ etiam in homine rara, probitas, prudentia, æquitas, religio quoque syderum, Solisque ac lunæ veneratio *Quomodo igitur insulsissimum Animal? certè ex donato insulsum dicitur, etiam quod sine saltu & facilitate motus est: vel quod exterior forma Elephantis videatur rudis & insulsa. unde & Plautus hirdos homines & stolidos dicit* Elephantis corio circumtectos. *Si mihi quid hoc loco corrigere liceret, loco* insulsissimæ *legerem*, insultissimæ *vt Lacerda correxit. Sed acumen stili Tertul. hebetaretur; cùm exaggerans dixit* nec iam bestiæ, & quidem insulsissimæ dens est. *vt miretur ex animali tam insulsa & impolita pelli, tam politum dentem emergere, qui materiam præbuit manibus Phidiæ, cuius ars, materiam naturalem longe superauit, vt de Ebore* SVMMVM SÆCVLI B NVMEN, *Iouem scilicet Olympium elaboraret. Vnde concludit, quod si tantus artifex Phidias arte sua materiam tam nobilem superauit, Deum verum vili materia limi purgandæ suis fuisse, aliàs* homo Phidias, Deum Iouem honestius expressisset, quàm Deus verus hominem formasset. ADORANTVR. *frustrà impugnant hanc lectionem aliqui, volentes legere*, adoratur, *supple Iupiter. hic enim Tertulliani mens est, opificem opifici comparare & Deum prepenere Phidiæ, qui possit etiam vilis materiæ supplere defectum; vt manus sint adorandæ, non opus. Sic enim expressè* MOX QVIA ELEPHANTVS *toto nominato pro parte, & Elephante, pro dente,* SED QVIA PHIDIAS TANTVS. *Ita & Quintilianus.* Phidias diis quam hominibus efficiendis melior artifex, &c. adeo maiestas operis Deum æquauit. *id. ars propè diuina fuit, qua Iouem Deum effinxit. Quàm mirus sit opifex humanæ carnis, disce paucis ab Augustino lib. 22. de Ciuit. cap. 23.* In ipso, inquit, corpore, quamuis nobis sit cum C Aug. belluis mortalitate commune, multisque earum reperiatur infirmius, quanta Dei bonitas, quanta prouidentia tanti Creatoris apparet? *plura habes ex Aug. seq. scholiis.*

3. *Carnis dignitas, iuxta Doctissimos, Deo Authore extollitur. De Resur. cap. 5. circa m.*

BEnè autem, quod plures, & duriores quæque doctrinæ, totam hominis figulationem Deo nostro cedunt. Quantus hic sit, satis nosti, qui vnicum credidisti. Incipiat jam tibi caro placere, cujus artifex tantus est.

CARNIS DIGNITAS. IIII. SCHOLIA.

PLVRES ET DVRIORES QVÆQVE, *&c. Alij legunt* quoque. *Duriores dixit, difficiliores creditu, & magis alienas à fidei, & rationis sensu. Quo sensu & Augustinus explicat illud Ioannis 6.* Durus est
8. Aug. hic sermo. Ipsi duri erant, non sermo. *Quasi diceret Tertul. plures sunt solida & firma doctrina, quæ humani corporis formationem Deo tribuunt. Aug. præclarè limi nostri & pulueris vilitatem extollit in psal. 102. Circa finem in verba.* Quoniam ipse cognouit figmen-
3. Aug. tum nostrum, id est, inquit, infirmitatem nostram. Nouit quid fecerit, quomodo lapsum sit, quomodò reficiendum sit, quomodo adoptandum sit, quomodo ditandum sit. Ecce facti sumus de limo. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Misit & filium suum, qui factus est secundus homo, qui ante omnia Deus: Secundus enim in aduentu, prior in reditu. Post multos mortuus est, ante omnes resurrexit, ipse enim D cognouit figmentum nostrum. Quod figmentum? Nos. Vnde loqueris, quia cognouit? Quia miseratus est. Memento quia puluis sumus. Ad ipsum Deum conuersus, ait, memento, quasi obliuiscatur Deus: sic cognouit vt non obliuiscatur. Sed quid est memento? Perseueret erga nos misericordia tua Cognouisti figmentum nostrum quodammodo, ne obliuiscaris figmentum nostrum, ne obliuiscamur gratiam tuam, memento quia puluis sumus. Homo tanquam fœnum dies illius. Attendat quid sit homo, non superbiat: Homo tanquam fœnum dies illius. Quid superbit fœnum ad tem-
5. Aug. pus modo florens, post paululum arescens? Quid superbit fœnum ad tempus vigens, & hoc ad paruum tempus, donec Sol candescat? Bonum est ergo nobis, vt misericordia ipsius sit super nos, & de fœno aurum faciat, &c. Omnis caro fœnum, & claritas hominis vt flos fœni: Fœnum aruit, & flos decidit, verbum autem Domini manet in æternum. Quia ergo quomodo Pater cognouit figmentum nostrum, quia fœnum sumus, & ad tempus florere possumus: Misit nobis verbum suum, & verbum suum quod manet in æternum, fœno quod non manet in æternum, fratrem fecit. Natura vnigenitum, vnicum natum de substantia sua fratrem adoptatis tot fratribus fecit. Noli mirari, quia particeps eris æternitatis illius, factus est ipse prior particeps fœni tui. Quod excelsum est à te, tibi non dedignauit, qui quod humile erat, ex te suscepit, &c. Tu homo, inquit, propter te autem & verbum factum est homo: Tu caro, & propter te Verbum caro factum est. Omnis caro fœnum, & verbum caro est factum. Quanta ergo spes fœni, quando verbum caro factum est? Illud quod manet in æternum, non dedignatum est suscipere fœnum, ne de se desperaret fœnum. Ergo quod ad te attendis, humilitatem tuam cogita, puluerem tuum cogita, noli extolli: quicquid melius eris, gratia illius eris, misericordia illius eris: audi enim quod sequitur: Misericordia verò Domini in sæcula, & in sæculum super timentes. Qui non timetis eum fœnum, & in fœno, & in tormento cum fœno eritis. Resurget enim caro ad tormentum. Gaudeant illi qui timent eum, quia super eos misericordia eius. *Ex idem Aug. citatus à Beda in cap. 3. ad Gal. sub titulo ser. 14. de verbis Euangelij in versum psal. 103. Memento quoniam puluis sumus.* Magnum, inquit, ali-
Aug. quid cæpimus esse: Nemo se contemnat. Nihil fuimus, sed aliquid sumus. Diximus Domino, memento quia puluis sumus. Sed ille de puluere hominem fecit, & pulueri vitam dedit, & in Christo Domino nostro iam ipsum puluerem ad cœli regna perduxit: quia hic accepit carnem: hic accepit terram: & terram leuauit in cœlum, qui fecit terram & cœlum. FIGVLATIONEM. *Appositè, homo enim ab humo, seu humida terra & limo*, opus manuum figuli, *qui ex Paulo* ex eodem luto vnum vas in honorem, aliud in contumeliam facere potuit. QVI VNICVM CREDIDISTI. *Hic alloquitur Christianum credentem vnicum Deum, proindeque tantò majorem, quò status eius. Monarchia est, & potestas impartibilis, proindeque vis vnita imo vnicè fortior. Vnde & Chrysolog. serm. 91. Regnum Dei dixit*, æternitate fœlix, singularitate potens, toto cœlo terraque diffusum, &c. INCIPIAT IAM, *&c. Non amplius dedigneris carnem æstimare, eius artificis cogitans majestatem. Vide Scholia præcedentis numeri, vbi opus laudatur ab opifice.*

4. *Carnis dignitas probatur, quæ fieri non potuit sine summi Dei nutu. De Resur. cap. 5. à p.*

VItuperationem, laudatione depellas. Ita nos Rhetoricari quoque prouocant hæretici, sicut etiam Philosophari: futile & friuolum illud corpusculum, quod malum denique appellare non horrent, etsi Angelorum fuisset operatio, vt Menandro, & Marco placet: etsi ignei alicuius exstructio, æque Angeli, vt Apelles docet; sufficeret ad auctoritatem carnis, secundæ diuinitatis patrocinium. Angelos post Deum nouimus. Iam nunc, quisquis ille summus Deus hæretici cujusque est, non immeritò ab ipso quoque deducerem carnis dignitatem, à quo voluntas producendæ ei adfuisset. Vtique enim prohibuisset fieri, quam fieri, scisset, si fieri noluisset. Ita & secundum illos, æquè caro, Dei res. Nihil operis, non ejus est, qui passus est esse.

CARNIS DIGNITAS. IV. SCHOLIA.

VITVPERATIONEM. *Artem hæreticorum, arte simili repellere & refutare oportet, & Philosophiam Philosophia, & Rhetoricam Rhetorica refutare; vtendo igitur argumento sumpto à contrariis, laudes carnis contra eius vituperatores hæreticos narrabimus.* FVTILE ET FRIVOLVM. *Carnem quam vt rem nihili faciunt, imò & malam dicunt; licet ab Angelis factam suaderet Menander Discipulus Symonis Magi, & Marcus Discipulus Valentini, qui Marcus ab Irenæo Magus quoque fuisse censetur; vel vt Apelles sectator Marcionis, extructam fuisse ab aliquo Angelo igneo, à quo diceba: creatum mundum, vt habet Tert. lib. de Ani. cap. 23 lib. de præscr. cap. 51. & lib. de Carn. Christ. cap. 8. de quo & lib. de Præscr. cap. 34.* Deum legis, & Israëlis illum igneum affirmaes, *carnem tamen sacis commendaret operatio Angelorum; qui post Deum secundum locum obtinent. Hunc errorem hæretici à Platone in Timæo hauserunt, qui Deo in faciendo homine cooperatores Angelos facit.* QVISQVIS ILLE SVMMVS DEVS, *&c. Hæretici pro suo quique arbitrio Deum aliquem summum fingunt, Diis minoribus imperantem, cuius nutu & voluntate minores isti Dij, siue Angeli, corpus hominis efformauerint; quod & si vltro daretur, hinc etiam magna dignitas carni hominis accederet, tum quod opus esset Angelicum ex parte causæ efficientis; & diuinum, ex parte summi Dei imperantis, vel verè consentientis & approbantis, quod non prohibere cum posset, sed passus est fieri. Gnostici in varios sensus diuisi Deum Creatorem diuersimodè fingebant. Apelles dicebat eum, Deum igneum sine Angelum; Marcion Deum justum & malum. Valentinus diabolum natum de trigesimo sæculo; & alios à diabolo genitos, qui fecerunt hunc mundum. Summum autem Deum fingebam longè superiorem Deo Creatore hominis. Sed quidquid sit. Si summus fuit, sciens fuit omnium, & potens impedire creationem hominis, & carnis eius. Voluit igitur; ergo malum esse non potest, quod sciente & volente summo Deo bono conditum est. Sic autem Augustinus de Platonicis in hac causa, 12. de Ciuit. cap. 24.* Illi autem qui Platoni suo credunt, non ab illo Summo Deo qui fabricatus est mundum, sed ab aliis minoribus quos quidem ipse creauerit, permissu siue jussu eius animalia facta esse cuncta mortalia, in quibus homo præcipuum, Diisque ipsis cognatum teneret locum: si superstitione careant, qua quærunt, vnde justè videantur sacra & sacrificia facere quasi conditoribus suis, facilè carebunt etiam huius opinationis errore. Neque enim fas est vllius naturæ quamlibet minimæ mortalisque creatorem, nisi Deum credere ac dicere, etiam antequam possit intelligi. Angeli autem, quos illi Deos libentius appellant, etiamsi adhibent vel jussi, vel permissi, operationem suam rebus quæ gignuntur in mundo, tamen tam non dicimus eos Creatores animalium, quàm nec agricolas, frugum atque arborum. *Plato in Timæo huius erroris est author; primus, post eum Simon Magus, inde Menander Saturninus, & alij. Sed Creationem proprium opus Dei esse, & incommunicabile cuiuis Creaturæ probat D. Tho. 1. p. q. 45. a. 5. Et q. 65. a. 3. & 2 Sent. dist. 17. q. 1. a. 1. Et 2. cont. Gent. c. 21. Vbi multis rationibus id conuincit. Quarum prima est:* Cum secundùm ordinem agentium, sit ordo actionum, eò quod nobilioris agentis nobilior est actio; oportet quod prima actio sit primi agentis propria. Creatio autem est prima actio, eo quod nullam aliam præsupponit, & omnes aliæ præsupponunt eam. Est igitur Creatio propria Dei solius actio, qui est agens primum. *Idem probat Aug. 3. de Trin. cap. 8. & 9. de Gen. ad lit. cap. 15.* Creare naturam tam nullus Angelus potest, quàm nec seipsum. *D. Athan. ser. 3. cont. Arr.* Administrare, creaturarum & seruorum est; condere autem & creare, solius Dei, eiusque verbi, & sapientiæ. *Vnde & D. Basil. lib. 4. cont. Eunom. Hinc probat filium Dei, Deum esse, quod omnia de nihilo creauerit. Et Cyril. Alex. lib. 2. cont. Iulia.* Inaccessa naturæ sunt ea, quæ propriè sunt solius, & omnium summæ substantiæ; quorum vnũ dicimus esse, efficaciter operari posse, vt Creatorem; & producere res quæ aliquando non erant.

5. *Carnis dignitas ex Dei contactu confirmatur. De Resur. cap. 6. in p.*

PErsequar itaque propositum, si tamen tantum possim carni vindicare, quantum contulit ille qui eam fecit, iam tunc gloriantem, quod illa pusillitas, limus, in manus Dei quæcunque sunt, peruenit; satis beatus, etsi solummodo contactus. Quid enim si nullo amplius opere, statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeò magna res agebatur, qua ista materia exstruebatur. Itaque totiens honoratur, quotiens manus Dei patitur; dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur.

CARNIS DIGNITAS. V. SCHOLIA.

ILLA PVSILLITAS. *Hæc materia vilis, limus scilicet.* IN MANVS DEI QVÆCVMQVE *sunt. Quasi diceret, iam non disputo; an corporeæ sint, an spiritales, sufficis mihi tantas manus, tantamque potentiam* omnium artificis sapientiæ, *hanc materiam contrectasse, vt solo suo contactu, gloriosam & beatam*

reddere potuerit. QVID ENIM, *&c. Quid diceres opponenti tibi, Deum vel primo ſtatim contactu, abſque vllo alio manus ſuæ opere, ductu, plaſmatione, elaboratione, potuiſſe formoſum corpus effingere. Quantum ergo additamenti: & perfectionis accepit, cum toties huic materiæ manus ſuas applicuit, tangendo, decerpendo, lineamenta deducendo, tanta forma ornando. Sic Iob ſuum opificem agnoſcit c 10.* Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me totum in circuitu. *Id eſt omni ex parte, per omnia, vel in rota figuli, vel perfectum opus. Tranſlatio Hebr. juxta Sanct. Pagnin.* Manus tuæ figurauerunt me, & diſpoſuerunt me pariter per circuitum. *Sic & Pſaltes Regius 118.* Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me. *Hebr. ex Sanct. Pagnin* Et præparauerunt me. *Nota hunc primum verſum eſſe octonarij decimi cui littera Iod præfigitur, quæ ex Ambr. ibidem*, Confeſſio dicitur, vel certè deſolatio. Nec diſcors ac diſſonans videtur interpretatio. Siquidem qui deſolati ſunt, citius confitentur. Magis enim ſecundis rebus animus extolli ſolet: Cum autem vrgetur aduerſis, tunc demum implorat auxilium. *Et in verſum primum.* Magno commendationis exordio vſus eſt, vt opus Dei eſſe diceret, quo facilius circa operis ſui gratiam fauor inclinaretur authoris, &c. Etſi de luto corporis noſtri ſubſtantia ſit, &c. Tamen quod ſimus pretioſiſſimum opus Dei, nemo dubitauerit. Nam & fabricam ipſam humani corporis ſi quis conſiderare velit, nihil poterit in terra pretioſius judicare, &c. *Legit ipſe.* Parauerunt me. Manus dicit pluraliter, non manu. At vero alibi ait, Ego manu mea ſolidaui cœlum. Et manus mea fecit hæc. In hominis conſtitutione videtur abundare, quod tori mundo vt fieret non abundauit, &c. Cœlum non ad ſimilitudinem, homo ad ſimilitudinem. Angeli ad miniſterium, homo ad imaginem. Eſto vt & Angeli ad imaginem, Scriptura tamen de homine locuta eſt, quod ſit ad imaginem. Habemus enim aliquid, quod fortaſſe Angeli non habeant. Vbi enim abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Nobis natus eſt Chriſtus ex Virgine. Legimus enim puer natus eſt nobis, &c. Nobis carnem ſuſcepit, imo potius nos in illa carne ſuſcepit, quando filium hominis in Dei ſede conſtituit. Non lego Angelos in Dei ſede niſi ſtantes, niſi miniſterium deferentes, &c. Diſce homo vbi grandis, vbi pretioſus ſis. Vilem te terra demonſtrat, ſed glorioſum virtus facit, fides rarum, imago pretioſum, &c. An quidquam tam pretioſum quàm humilitas, vt naturam corporis animæque perſpiciens, altero te ſubiicias, altero te recognoſcas? *Ait ibidem Ambr. vbi toto ſermone videbis magnifica de homine* MANVS DIVINA.

6. Caro non minus nobilis, licet eam immediatè Deus non tractauerit, ſed limum formandæ carni. De Reſur. cap. 7. in p.

SEd dilutior videatur auctoritas carnis, quia non & ipſam propriè manus diuina tractauit, ſicuti limum. Quando in hoc tractauit limum, vt poſtmodum caro fieret ex limo, carnis vtique negotium geſſit.

CARNIS DIGNITAS. VI. SCHOLIA.

SED DILVTIOR. *Non liquidiorem dicam cum Lacerda, & clariorem eminentiam & dignitatem carnis; contrarium enim ſibi ab aduerſario ponit.* Sed diluriot videatur, &c. *id. minor, tenuior, carnis dignitas cenſeatur, quod non eam* PROPRIÈ *id. immediatè primò tractauerit Dei manus, ſicut limum: Eſto: nihil refert, nil diluit, & infirmat eius dignitatem:* ita enim & Cicero diluere, intellexit, ſicut & argumenta diluimus. QVANDO *in eum finem limum tractauerit, vt carnem de eo formaret.* MANVS DIVINA. *Aug. in Pſal. 118 in verſum*; Manus tuæ Domine fecerunt me & finxerunt me. Manus Dei, *inquit*, ſunt poteſtas Dei. Aut ſi pluralis numerus eos mouet, quia non dictum eſt, manus tua, ſed manus tuæ, accipiant manus, Dei virtutem, & ſapientiam Dei, quod vtrumque, vnus dictus eſt Chriſtus: qui etiam intelligitur brachium Domini, vbi legitur; Eſa. 53. & brachium Domini cui reuelatum eſt? aut accipiant manus Domini, filium & Spiritum ſanctum, quia & Spiritus ſanctus cooperator eſt Patris & Filij: Vnde ait Apoſtolus. 1. Cor. 12. omnia hæc operatur vnus atque idem Spiritus. Propterea quippe dixit, vnus atque idem Spiritus, ne tot Spiritus eius, quot opera putarentur; non, quòd ſine Patre & Filio Spiritus operetur.

S. Aug.

7. Carnis excellentia, ex limi per Deum tactu, eiuſque afflatu. De Reſur. cap. 7. in m.

HÆc cùm ita ſint, habes & limum de manu Dei glorioſum, & carnem de adflatu Dei glorioſiorem; quo patiter caro & limi rudimenta depoſuit, & animæ ornamenta ſuſcepit.

CARNIS DIGNITAS. VII. SCHOLIA.

HABET ET LIMVM. *Vtramque cauſam materialem hominis tam remotam, limum ſcilicet, quàm proximam, nempe carnem extulit: limum, quia Dei manibus contrectatum, fecit nobilem, in humanam ſpeciem effingens, in carnemque conformans, pulcherrimis lineamentis expreſſam; carnem autem Dei afflatu, id eſt anima longe nobiliorem.* LIMI RVDIMENTA, *id eſt rudem materiæ primæ formationem à limo.* ANIMÆ ORNAMENTA. *id. vegetos ſenſus, & coloris ſuauitatem. Aug. in pſal. 118. in verſum* Manus tuæ Domine, &c. Nec defuerunt qui duo iſta verba, fecerunt me & finxerunt me, ſic diſtinguerent, vt Animam Deum feciſſe, corpus autem finxiſſe dicerent: quia de Anima dixit Deus Eſa. 57. omnem flatum ego feci: De corpore autem legitur Gen. 2. & finxit Deus hominem de puluere terræ: Tanquam fiat quidem omne quod fingitur: non tamen fingatur omne quod fit: Et ideo Animam factam potius dicunt eſſe quàm fictam. Quia non eſt corpus, ſed Spiritus. Quaſi non ſcriptum ſit: qui finxit ſpiritum hominis in ipſo. Veruntamen quando vtrumque hoc verbum de homine in loco vno ponitur, & vtrumque hominis, id eſt & anima & corpus diuinitus conditum non negatur;

S. Auguſt.

non inelegantèr distribuuntur singulis singula; vt anima facta, corpus autem fictum intelligatur, siue formatum, siue plasmatum, &c. sed vtrum hoc secundùm Adam dictum est, ex quo cum sint omnes homines propagati, quis hominum, quando ille factus est, etiam se factum non potest dicere originis, seminisque ratione? An etiam secundùm hoc rectè dici potuit, manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me; quod vnusquisque non sine A opere Dei, etiam de parentibus sit ipso creante, illis generantibus? quoniam si operatoria Dei potentia rebus subtrahatur, intereunt: nec aliquid omnino, siue de mundi elementis siue de genitoribus, siue de seminibus nascitur, si ea non operetur Deus: propter quod ait Prophetæ Ieremiæ cap. 1. priusquam te formarem in vtero noui te. ORNAMENTA. Decus corporis est animus; Decus animæ, Deus. *ait idem Aug.* S. Aug.

8. *Caro toto mundo nobilior, quæ non solo Dei verbo, sed & manu facta sit.*
De Resurr. cap. 5. in m. ad circa f.

SEd & mundus, inquis, Dei opus est, & tamen [a] *præterit habitus huius mundi;* Apostolo quoque auctore: nec idcirco restitutio mundi præjudicabitur, quia Dei opus est. Et vtique si vniuersitas irreformabilis post decessum, quid portio? Planè, si portio vniuersitati adæquatur. Ad distantiam enim prouocamus. Primò quidem, quòd omnia sermone Dei facta sunt; & sine illo nihil. Caro autem & sermone Dei constitit, propter formam, ne quid sine sermone. [b] *Faciamus* enim *hominem*, antè præmisit. & amplius, manu, propter prælationem; ne vniuersitati compararetur. [c] *Et finxit*, inquit, *Deus hominem.* Magnæ sine dubio differentiæ ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim, quæ fiebant, eo cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox à Deo addicta sunt. Meritò igitur, vt famula, jussu & imperio, & sola vocali potestate vniuersa processerant. Contrà, homo, vt dominus eorum, in hoc ab ipso Deo exstructus est, vt dominus esse posset, dum fit à Domino. [a] 1 Cor. 7. 31. [b] Gen. 1. 26. [c] Ibid. 27.

CARNIS DIGNITAS. VIII. SCHOLIA.

SED ET MVNDVS, *&c. Inducit obiicientes depretiatorem carnis: quid tu mihi tantam carni affingis dignitatem vt cum ipsa portio sit parvula vniuersi, cuius figura habitusque præterit nusquam reuersura* neque enim post finem sæculi iterum plantarum, aut animalium generationes futuræ, *partem vnicam & perinnocuam rei præponens; resurrectionem ipsi carni spondes, habitumque æternum?* PLANE. *Ita sanè bellè argumentaris si hæc portio æqualis esset, & non longè excederet vniuersum, ad distantiam appello. In hoc quidem æqualis mundus carni, quod vtrumque Dei verbo conditum sit, præcellit tamen caro, quia insuper & Dei manu facta est caro, ne ex eminentia sua ad cæterarum creaturarum Communionem, æqualitatemque descenderet. Et iustè quidem summus ille figulus manum admouit luto, quod cæteris prætulit qua carnis vsui, vt vniuersa creaturæ fini subijcierentur, qua omnia, quia* C *dominationi hominis Regis subdebantur, solo jussu & voce mandante de nihilo processerunt: homo autem, id est caro hominis, vt domina à Deo tunc primo Domino nuncupato, etiam manu admota id est potestate formari debuit.* PRÆTERIT HABITVS. *Vulgata legit*; figura *Græcè σχῆμα τοῦτο. Habitus, species, status præterit & decipit: quasi diceret Paulus, nolite huic mundo immoderatè diligendo agglutinari, licet enim figuram ac speciem bonam pulchramque pretendat, fallax tamen est, suosque amatores decipit. Præterit figura volubilis, instar lunæ mutabilis, tota mundi facies & dispositio transitoria est, & aliquando cessabit. Quis firmus stare præsumat, in transeunti? Et* si transibunt quæ fecit Deus, quantò magis quæ condidit Romulus, ait Augustinus. *Ad schema scenæ alluserit Paulus, id est* Aug. *exterium pictura versatile, vt diuersam subinde speciem repræsentaret iuxta Vitruuium, & Seruium. Vnde & noua species mundi post conflagrationem apparebit.* Cœlos nouos, terram nouam, Ecce noua facio omnia. *Sed facies* irreformabilis post decessum. PROPTER FORMAM. *Scilicet loquendi vsitatam Deo, qua* dixit, fiat, *Gen. 1. Et Io. 1.* Sine ipso factum est nihil. *August.* Si dixit, per verbum dixit. PROPTER PRÆLATIONEM. *Aug. in psal. 118. versu,* Manus tuæ Domine, &c. *Notat & verbo & manu de luto factum corpus hominis.* Liberum est igitur quomodo intelligantur manus Dei, dum tamen nec ea quæ facit manibus, verbo facere negetur; nec ea quæ fecit verbo, manibus facere non putetur: nec propter manus forma corporis, aut alia manus sinistra, alia dextera: nec propter verbum fontes oris, aut motus animi transitorius, operanti Deo inesse credatur. *Cæterùm quod spectat ad præstantiam carnis super alias creaturas. Cyrill. Alex.* Deliberatione, manualique, vt ita dicam, operatione, eius structuram dignatus est. *Et Nyss. de opif. hominis*, omnia vno Dei verbo in ortum producta sunt; solius ad hominis fabricationem crearor ille vniuersitatis rerum quadam cum consideratione accedit. FIT A DOMINO. *id etiam cum Tertull. admonuit Anastasius Sinaïta in Hexa. vsque ad creationem hominis non additum fuisse Nomini Dei, Nomen* Domini. *Sic enim Gen. 2.* Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. *Sic & legunt Hebr. & Chald. Et Hugo. Vict.* Hîc autem nota quòd primum vocat Deum Dominum simpliciter, qui tamen verè fuit Dominus, eum scilicet hominem habuit. S. Aug.

9. *Carni formandæ totus Deus intentus, vt limum Christo futuro conformaret.*
De Resurr. cap. 6. à p.

RECogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis adfectione; quæ liniamenta ducebat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & caro sermo, quod & terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad Filium; [a] *Faciamus hominem ad imaginem* [a] Gen. 1. 26.

Digitized by Google

& similitudinem nostram. Et fecit hominem Deus. Id vtique quod finxit. *Ad imaginem Dei fecit illum*, scilicet Christi. *Et sermo enim Deus;* [b] *qui in effigie Dei constitutus; non rapinam existimauit pariari Deo.* Ita limus ille, jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus.

b Ad Philipp. 2. 6.

CARNIS DIGNITAS. IX. SCHOLIA.

RECOGITA TOTVM ILLI, *&c. id. carni intentum.* DVCEBAT, DVCEBAT, DEDITVM. *Alij*, dedicatum. ADFECTIONE. *Alij suspicantur legendum*, adfectatione. *Quasi Deus affectasset exquisitissimo studio, lineamenta primi hominis conformare idea, quam habebat presentem de filio suo, vera vtique imagine suâ, homine futuro.* QVOD ET LIMVS. Suscepit enim de terra terram, *Ait Aug.* SERMO. *id. Verbum Dei. Vitur & affectationis voce Aug. in titulum psal. 33.* Affectabat & tympanizabat ad ostia ciuitatis, &c. Quid est affectabat? affectum habebat. Quid est affectum habere? quia compassus est infirmitatibus nostris, & ideo voluit ipsam carnem suscipere, in qua mortem occideret. Compassus ergo nobis, affectasse dictus est. Ideo reprehendit Apostolus eos qui duri sunt, & sine affectu, reprehendens enim quosdam Rom. 1. ait, sine affectu, sine misericordia. Vbi est affectus, ibi est misericordia, &c. Ergo affectauit, quia peruenit vsque ad mortem crucis, &c. Vt animam suam poneret pro ouibus suis, &c. *Et ibid. vbi Christum comparat Dauid vultum mutanti:* Si exinaniri se nollet, manens in ea forma, in qua æqualis erat Patri sempiternus, in morte remansissemus. *Accepit ergo formam serui,* QVI IN EFFIGIE DEI CONSTITVS. *Ad Philipp. 2.* Qui cum in forma Dei esset, &c.

S. August.

S. Aug.

A *in qua mori posset. Sed & ab initio mundi affectauit Pater ad filium dicens*, Faciamus hominem ad imaginem, &c. *Id est tibi, ô fili, futuro homini, hominem de limo conformemus, sic Nyss. lib. de opif. hom.* Præparata opificij materia, illiusque forma ad eximiæ pulchritudinis exemplar exprimendum designata, fine etiam proposito, ad quem creandus esset, accedit. *Anast. Sin. in Hexa.* sexta die factus est Adam, vt qui præfiguraret imaginem individuarum partium Christi. *Quod pulchre congruit verbis Tertul.* Quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur, &c. *Vt in individuo facies, oculi, nasus, &c. Easdem carnis Christi partes repræsentarent. Rup. ad imaginem Filij factum hominem, ad similitudinem Spiritus sancti.* QVOD ET LIMVS. *id. futurus homo erat Dei filius, proindeque limus, & Verbum caro, & per consequens terra. Vel* quod & limus, *qui scilicet homo dictus est.* Et terra tunc, *caro scilicet primi hominis de terra sumens originem.* PARIARI, *terminus est Tertul. frequens, & sumitur in jure pro assimilari, dicitur pariata causa pariata obligatio.* SED ET PIGNVS. *Vide dicta de pignore, & quære in indice. Vt ipso facto homine ad imaginem Filij Dei secundùm carnem, fidem suam oppignerauerit Deus, post imaginem, nobis ipsius prototypum repræsentare.*

B

CARNIS EXCELLENTIA, EX ORDINE QVEM HABET AD ANIMAM, AD OPERA NATVRÆ.

1. *Caro sic nobilis, vt homo vocetur, adhuc inanimis. De Resurr. cap. 5. in f.*

HOminem autem memento carnem propriè dici, quæ priot vocabulum hominis occupauit: [a] *Et finxit Deus hominem, limum de terra.* Iam homo, qui adhuc limus. *Et insufflauit in faciem eius flatum vitæ; & factus est homo*, id est limus, *in animam viuam.* [b] *Et posuit Deus hominem, quem finxit, in paradiso.* Adeo homo figmentum primò, dehinc totus. Hoc eò commendarim, vti quicquid omnino homini à Deo prospectum atque promissum est, non soli animæ, verùm & carni scias debitum: vt si non ex consortio generis, certè vel ex priuilegio nominis.

a Gen. 2. 3.
b Gen. 2. 8.

CARNIS EXCELLENTIA IN ORDINE AD ANIMAM. I. SCHOLIA.

CARNEM PROPRIÈ. *Reuoca inquit, in memoriam, quod in Genesi scriptum est cap. 2. juxta 70. quidem quos sequitur.* Et finxit Deus hominem, puluerem de terra. *Ex Hebræo.* Formauit Dominus Deus hominem è puluere terræ. *Chald. Paraph.* Et creauit Dominus Deus hominem puluerem de terra. *Ex quibus vides puluerem seu limum prius nomen hominis occupasse, & carnem de limo formatam, vocatam fuisse hominem, & quidem* propriè. *Quia homo ab humo propriè dictus, quasi humido puluere siue limo.* IAM HOMO, *&c. Supple vocatur, qui adhuc tantum limus erat; necdum enim insufflauerat Deus animam rationalem in corpus, deinde eleganter subiungit,* ET INSVFFLAVIT, *&c. Sic habent ad verbum 70. excepto quod legit* viuam, *pro* viuentem. *Versio ex Hebr. respondet omnino vulgatæ:* Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus homo in animam viuentem. *Chald. Paraph.* Inspirauit, &c. Animam vitæ: & fuit homo in Spiritum loquentem. *Quod propria est actio vitæ; & Anima rationalis,*

C *loquela.* ADEO HOMO. *Iterum exaggerat, figmentum, siue limum primo honoratum hominis nomine, quàm totum compositum hominis, seu limum iam animatum, quem transtulit in paradisum. Nec moueat ignarum stili historici Moysi, qui iam totum hominem, & compositum hominis, præcipuè tamen rationalem animam hoc nomine donauerat cap. 1. quia nondum manum admouerat operi Deus, nec limum tractauerat figulus, nec spiraculum insufflauerat* Deus Spiritus, *tantum enim se ad faciendum opus excitauerat dicens,* Faciamus hominem, &c. *& licet versu immediatè sequenti subjeciat,* Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, &c. *id posuit Moyses ob contextum operum sex dierum, & ne præcipuum opus præteriret, quod ideo sexto die factum est, sexta litera Alphabeti Hebraici adumbrata,* Vau *scilicet, in formam vinculi aut vectis figuratam; quod homo vinculum esset, & nexus vniuersi, &* hoc quod continet omnia scientiam habet vocis, *& factus vt supra vidimus,* in Spiritum loquentem. *Cum enim capite 2. breuiter retexeret opera*

sex

Google

sex dierum, subjecit, & homo non erat qui operaretur terram, *quod habent versiones omnes; tum singillatim de utroque hominis parte*, Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ: *En quomodo limum primò vocat hominem*, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ; *alia versio legit vitarum, quod anima rationalis eminenter contineat vegetatiuam plantarum animam, & sensitiuam animalium.* Et factus est homo *secundo dictus ob animam rationalem* in animam viuentem. ET CARNI SCIAS DEBITVM. *Cur debitum? quia promissum* Debitorem enim se
Aug. fecit Deus, non accipiendo, sed promittendo. *Ait*

A *Aug. in psal. præcisè ad rem Tertul. Ideo, inquit, hoc pressius commendauit, carnem primam honoratam fuisse adhuc inanimem, hominis nomine; vt quidquid Dei prouidentia prospexit, aut promisit homini, non animæ tantum, sed & carni debitum intelligas, ipsamque in primis resurrectionis gloriam. Ideo enim sic extollit carnem, vt contra hæreticos probet eam tali gloria non indignam.* SI NON EX CONSORTIO, &c. *Licet anima sit longè nobilior genere, vtpote substantia spiritalis; tamen caro eodem gaudet* priuilegio nominis. *Eodem enim nomine vocatur & prius appellatur homo caro, quam anima.*

* 2. *Caro prius corpus, quàm corpus animale. De Resurr. cap. 53. à p.*

IN qua stilus Apostoli comparet; de qua eum loqui constat; ea erit & [a] *corpus animale, quum seminatur; & spiritale, quum suscitatur.* Nam vt intelligas, manum adhuc porrigit, æquè de ejusdem scripturæ auctoritate, [b] *factum* retexens *primum hominem Adam in animam viuentem.* Si Adam homo primus, caro autem homo ante animam, sine dubio caro erit facta in animam, facta porro in animam, cùm esset corpus, vtique animale corpus est facta. Quid eam appellari velint, quàm quod per animam facta est? quàm quod ante animam non fuit? quàm quod post animam non erit, nisi quum resurgit? Recepta enim anima, rursus animale corpus efficitur, vt fiat spiritale. Non enim resurgit, nisi quod fuit. Ita, vnde carni competit corpus animale dici, inde animæ nullo modo competit. Caro enim antè, corpus, quàm animale corpus. Animata enim, postea facta est corpus animale. Anima verò, etsi corpus; tamen, quia ipsa est corpus non animatum, sed animans potius, animale corpus non potest dici, nec fieri quod facit. Alij enim accidens, facit illud animale: non accidens autem alii, quomodo se faciet animale? Sicut ergo antè animale corpus, caro recipiens animam; ita & postea spiritale, induens spiritum.

[a] 1. Cor. 15. 44.

[b] ibid. 45.

CARNIS EXCELLENTIA IN ORD. AD ANIM. II. SCHOLIA.

IN QVA ERGO, &c. *Hic agit de Carne hominis* B *propriè suscitanda contra hæreticos negantes propriam eius Resurrectionem, qui stultè* corpus animale *ab Apostolo dictum, de Anima intelligebant ne loco Apostoli conuicti cogerentur admittere reditum carnis ad vitam, seu vt loquitur author, eodem capite 53.* Vt illum à carne auocent reciduatum. *Et eum ad Animam transferant à peccato resurgentem. Sensus ergo Tertullieni est quod ea ipsa caro, patenti & apparenti Apostoli stilo dicitur corpus animale, cum seminatur in tumulo, & spiritale cum resurgit. Quod confirmat idem Apostolus & quasi manum porrigit ex eadem scriptura, primam hominis originem repetens ex Genesi, locus integer ex 1. Cor. 15. sic habet vbi manifestè de morte & resurrectione vera loquitur.* Seminatur corpus animale, surget C corpus spiritale. Si est corpus animale, est & spiritale, sicut scriptum est: Gen. 2. factus est primus homo Adam in animam viuentem, Nouissimus Adam in spiritum viuificantem. CARO AVTEM HOMO. *Repetit quod diximus Schol. præcedenti carnem prius dictam hominem, antequam animaretur: vnde rectè concludit corpus factum in Animam viuam, & proinde corpus animale, cum* IN ANIMAM ESSET CORPVS, *scilicet ordinatum, & in eum finem organisatum à Deo, vt in illud prius inanime, siue* inanimum *insufflaretur anima. Vnde cum per animam* D *post infusam, caro facta sit corpus animale, quod antea non erat, nec erit efflatâ animâ, nisi cum rursum in resurrectione infundetur; indubiè caro, corpus animale dici debet, non ipsa anima.* RECEPTA. *Recuperata, & reddita anima corpori rursum caro sit, primo quidem corpus animale, vt totum compositum hominis stet in resurrectione, vt fiat spiritale & superuestiatur anima juxta Paulum glorioſi corporis indumento, spiritali dote ornatum; vt instar corporis Christi possit densum tumuli lapidem penetrare.* NISI QVOD FVIT. *scilicet corpus animale. Idipsum enim debet resurgere quod fuit, & mortuum fuit, & dum in tumulo deponitur mortuum, non vtique corpus animale est, quia mortuum est, sed retinet nomen quod habuit dum vixit: vel quia quoad mortem carnis nil differt ab Animalibus, morti pariter & corruptioni subiectum. Quo sensu, & non de anima, sicut libertini exponunt, dictum illud apud Salomonem:* Idem est exitus hominis & jumenti. CARO ENIM ANTE CORPVS. *Id hausit de fonte Apostolico supra. 1. Cor. 15.* Sed non prius quod spiritale est; sed quod animale; deinde quod spiritale. Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis. *D. Thomas ibidem, vbi differentiam ponit primi & secundi Adam:* Primus homo factus est in animam, nouissimus in spiritum. Ille in animam viuentem solum, ille vero in spiritum viuentem, & viuificantem. Cuius ratio est, quia sicut Adam consequutus est perfectionem sui esse per Animam: ita & Christus perfectionem sui esse, in quantum homo per Spiritum sanctum. Et ideo cum anima non possit nisi proprium corpus viuificare, ideo Adam factus est in Animam, non viuificantem, sed viuentem tantum: sed Christus factus est in vtrumque, & ideo habuit potestatem viuificandi. Io. 1. de plenitudine eius omnes accepimus. Et Io. 10. veni vt vitam habeant & abundantius habeant, &c. *Deinde subjecit ordinem principiorum* non prius quod spiritale, &c. Videmus enim in natura, quod in vno & eodem, prius est imperfectum, quàm perfectum. *Deinde id probat ex Aug. quod primogeniti antiquitus consueuerunt esse animales, sicut Cain ante Abel natus, Ismaël ante Isaac, Esau ante Iacob. id etiam probat ex Paulo subjiciente,* primus Adã de terra terrenus, *de limo terrenus animalis.* Secundus homo de cœlo cœlestis. *quia, inquit, D. Thomas diuina natura, quæ fuit huic naturæ vnita, de cœlo est, & ideo dicitur esse cœlestis, quia decuit eum habere perfectionem spiritalem. Non quod de cœlo assum-*

S. Aug.

Digitized by Google

pſerit carnem quam verè traxit ex virgine, ſed quia di- A *uinitas vnita carni, prior erat carne. de cœlo veniens, miſſus eſt à Patre Filius: vel quia de Spiritu ſancto concepta fuit humanitas.* Qualis terrenus, tales & terreni: Et qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. *quaſi dicat, ſicut primus homo terrenus fuit & mortalis, ita & nos Zach. 13.* Adam exemplum meum. *Ita & Rom. 6.* complantati facti ſumus ſimilitudini, &c. *vt conformemur gratiæ & gloriæ, vitæ ſpiritali & immortali Chriſti.* CARO ANTE CORPVS QVAM, *&c. prius fuit ſimpliciter corpus, quàm corpus animatum. vetus controuerſia quam tractat Nyſſ. lib. de opif. an corpus prius ſit anima. Origeniſtæ animam præcedere dicebant, aly carnem. Nyſſ. autem definit in formatione omnium hominum in vtero, neque corpus, prius vegetatiuum, deinde ſenſibile id eſt animale fieri, quàm anima rationalis infundatur; vt communiter ſenſerunt Philoſophi:* B *ſed animam rationalem ſtatim à principio adeſſe omni fœtus animationi, quæ organiſationem ſibi ipſa faciat.* ETSI CORPVS. *hic tangis errorem ſuum de anima corporea, quem exponemus ſuo loco, in Alphabeto errorum Tertul. Hic autem ad rem ſuam dicit, animam non poſſe dici corpus animale, ſed animans; quia non ipſa ſit corpus animale, ſed infuſa corpori, facit illud animale: nemo enim dat, quod iam non habet, nec fit tale, quod facit tale; eſſe enim iam debet illud ipſum, quod alteri præſtat eſſe tale: quia agere ſupponit eſſe.* ALII ENIM ACCIDENS, *id. adueniens corpori, illud facit animale, &c.* ANTE ANIMALE. *Caro corpus animale, in prima conditione factam eſt, dum recepit animam, ſic in reſurrectione recipiens denuo ſpiritum ſuum, dotemque cum eo ſpiritalem, fiet ſpiritale. D. Thom. in 1. Cor. 15.* Dotem ſubtilitatis hic tangit Apoſtolus dicens, ſurget ſpiritale. Quod quidam malè intelligentes dixerunt, quod corpus in reſurrectione verteretur in ſpiritum, & erit ſimile aëri, aut vento, qui ſpiritus dicitur, Quod maximè excluditur per illud Luc. vlt. palpate & videte, &c. vnde & hic Apoſtolus non dicit, quod reſurget ſpiritus, ſed ſpirituale corpus, &c. ſicut nunc eſt animale, non anima, &c. idem in nobis eſt anima & ſpiritus, ſed anima dicitur ſecundùm quod perficit corpus, ſpiritus autem propriè ſecundùm mentem, &c. in ſtatu reſurrectionis ceſſabunt operationes animales à corpore, vt generatio & nutritio, ſed corpus abſque aliquo impedimento & fatigatione, inceſſanter ſeruiet animæ ad ſpiritales operationes eius. Vnde ſpiritale dicetur, quia plenè ſeruiet ſpiritui. *Hinc Aug. in Ep. ad Dioſcorum.* tam potenti natura Deus fecit animam, vt eius pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum promittitur ſanctis, redunder etiam in inferiorem naturam; quæ eſt corpus: non beatitudo quæ fruentis eſt propria; ſed plenitudo ſanitatis, id eſt incorruptionis vigor. *Aptius tamen ad dotem ſpiritalem dandam corpori vt penetret corpora, ſicut nunc anima denſo corpore impeditur à ſubtili penetratione, & grauitate tardatur à volatu. ſic Auguſtinus 13. de Ciuit. c. 24.* Homines ad Dei gratiam pertinentes, ciues ſanctorum Angelorum in beata vita manentium, ita ſpiritalibus corporibus induentur, vt neque peccent amplius, neque moriantur: ea tamen immortalitate veſtiti, quæ ſicut Angelorum, nec peccato poſſit auferri: natura quidem manente carnis, ſed nulla omnino carnali corruptibilitate vel tarditate remanente. Aug. Aug.

3. *Caro domus eſt animæ, quam ipſa quaſi incola continet & conſernat. De Ani. cap. 38. in f.*

CErtè enim domus animæ caro eſt, & inquilinus carnis anima. Deſiderabit itaque inquilinus ex cauſa, & neceſſitate huius nominis profutura domui, toto inquilinatus ſui tempore; non vt ipſe ſubſtruendus, nec vt ipſe loricandus, nec vt ipſe tibicinandus; ſed tantummodò continendus: quia non aliter contineri poſſit, quàm domo fulta. alioquin licebit animæ, dilapſa domo ex deſtitutione propriorum ſubſidiorum, incolumi abire, habenti ſua firmamenta, & propriæ conditionis alimenta, immortalitatem, rationalitatem, ſenſualitatem. intellectualitatem, arbitrij libertatem. *Vide ſupra V. Alimentum.*

CARNIS EXCELLENTIA IN ORD. AD ANIM. III. SCHOLIA.

DOMVS ANIMÆ CARO. *Ita Paulus 2. Cor. 5.* C Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluitur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. *D. Thomas ibid* Terreſtris domus noſtra corpus eſt. Homo enim dicitur mens, cum ſit principalius in homine; quæ quidem mens ſe habet ad corpus ſicut homo ad domum. Sicut enim deſtructa domo non deſtruitur homo eam inhabitans, ſed manet: ſic deſtructo corpore non deſtruitur mens, ſeu anima rationalis, ſed manet. Corpus ergo terreſtre dicitur domus habitationis, id eſt in qua habitamus. Iob. 4. qui habitant domos D luteas, &c. Ædificium dico domum non manufactam, id eſt non opere hominis, nec opere naturæ, ſed corpus incorruptibile, quod aſſumemus ex operatione diuina. *Explicat ibidem ſtatim diſſolutâ, per mortem domo terrenâ corporis, expectari gloriam cœleſtem, de qua Io. 14.* In domo patris mei manſiones multæ ſunt. *Interim bene Tertul. animum vocat huius terrenæ domus* INQVILINVM. *Eſt autem propriè inquilinus qui gratis vel pretio habitat ſolus in aliena domo, quam totam occupat. nam ſi cum Domino, aut eo qui domus vſum habet, non tam inquilinus quàm hoſpes dicendus eſt. Vlpianus l. 2. & 4. ff. de vſu & habit. dicam ego & hoſpitem animam in corpore, quia habitat cum Domino dicente, Io. Apoc. 21.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. *Et Paulus 2. Cor. 5. quam dixerat domum ſtatim vocat tabernaculum:* Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo. *Et 1. Cor. 3.* Neſcitis quia templum Dei eſtis & Spiritus Dei habitat in vobis? &c. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. *Et 1. Cor. 6.* An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? *Hoſpes ergo animus cum Deo & Domino Spiritu habitans in domo & templo corporis. Rurſum inquilinus, quia, quæque anima* ſicut paſſer ſolitarius in tecto, inuenit domum & nidum ſibi *in qua ſingulariter habitat dicens cum Pſalte,* ſingulariter ſum ego, donec tranſeam, *in domum æternam in cœlis cum millibus Sanctorum: De qua domo Baruch, exclamat* O Iſrael, quam magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! *De hac etiam Pſalmus terrena domo pſalmo 118.* Incola ego ſum in terra. *Vbi ſic Auguſt.* Aliqui noſtri inquilinus, aliqui incola, Aug. nonnulli etiam, aduenam interpretati ſunt. Inquilini non habentes propriam domum, &c. neque

secundùm corpus dictum videri poteſt, incolà, vel aduena, vel inquilinus ſum in terra, cum corpus de terra originem ducat, &c. Propter animam, quæ abſit vt putetur ex terra merito dici potuerit, inquilinus, vel incola, vel aduena ego ſum in terra. Siue ſecundùm totum hominem, quia paradiſi aliquando ciuis fuit, &c. ſiue omnis homo cui patria æterna promiſſa eſt in cœlis, poſſit hoc dicere, &c. *Ego merè ad literam puto hæc Pſaltis animam de ſuo corpore, & terrena inhabitatione:* Incola ſum in terra. DESIDERABIT INQVILINVS, &c. *Animus inquiret & procurabit neceſſaria & profutura carni & domui ſuæ, & Domini ſui, ex obligatione & vi nominis inquilini, qui tenetur ſarta tecta templi & domus conſeruare, ſubſtruere, ne corruat,* loricare & tibicinare, *hoc eſt fulcire & incruſtare, vt commodè poſſit in domo manere: non quod veſtibus, alimentis aliiſque huiuſmodi fulcimentis animus in ſe præciſè ſumptus indigeat; habet enim propria naturæ ſuæ alimenta, quibus etiam dilapſa domo corporis potiatur poſt hanc vitam.* SENSVALITATEM, *id. vim ſentiendi longè ſubtiliorem.* LORICANDVS. *Paulus de verb. ſignif. l. impenſa: quam Alciatus ſic explicat.* Loricationes ſunt ſuperficies integendi cauſa quæ ad pauimenta maximè pertinent, fiuntque ex calce & arena. *Vitruuius vocat incruſtationes in parietibus, vt tegulæ fractæ à pluuia defendantur.* TIBICINES *ſunt parua columnæ, vel ligna ruinoſis ædificiis fulciendis appoſita. Iuuenal. Sat. 3.* Nos vrbem colimus tenui tibicine fultam, magna parte ſui. *Vide dicta verbo Animæ immort. 12.*

4. *Caro Animam omni gemma, gladio, vnguento, pretioſiorem, quaſi theca glorioſa recepit. Le Reſur. cap. 7. in m.*

NOn es diligentior Deo, vtì tu quidem Scythicas, & Indicas gemmas, & rubentis maris grana candentia, non plumbo, non ære, non ferro, nè argento quoque oblaquees; ſed electiſſimo, & inſuper operoſiſſimo deſcrobes auro; vinis item, & vnguentis pretioſiſſimis quibuſque vaſculorum prius congruentiam cures; proinde perfectæ ferruginis gladiis, vaginarum adæques dignitatem: Deus verò animæ ſuæ vmbram, ſpiritus ſui auram, oris ſui operam, viliſſimo alicui commiſerit capulo, & indignè collocando vtique damnauerit.

CARNIS EXCELL. IN ORD. AD ANIMAM. IV. SCHOLIA.

NON ES TV DILIGENTIOR, *&c. Si tu qui diligis, & eligis pretioſa quaque, ſiue gemmarum, ſiue vnguentorum, aut vinorum genera, conuenientes eis thecas prouidas, vt & vaginas gladiis optimis congruentes, quantò magis cauit Deus, ne animam pretioſam, indigna in carne recluderet? Corpus quaſi vaginam & thecam animæ, ſiue inſtrumentum ei coniunctiſſimum aptiſſimumque, aliis verbis expreſſit Aug. lib. 22. de ciu. cap. 23.* Sicut, ait, Apoſtolus de inſtitutione ſpiritali, qua homo ad pietatem iuſtitiamque formatur: Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus: ita etiam hic dici poteſt, nec qui concumbit, nec qui ſeminat eſt aliquid, ſed qui format Deus. Nec Mater quæ conceptum portat, & partum nutrit, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Ipſe namque operatione, qua nunc vſque operatur, facit vt numeros ſuos explicent ſemina, & à quibuſdam latentibus, atque inuiſibilibus inuolucris, in formas viſibiles huius quod aſpicimus decoris euoluant. Ipſe incorpoream corporeamque naturam illam præpoſitam, iſtam ſubiectam miris modis copulans, & connectens, animantem facit, &c Ipſe itaque animæ humanæ mentem dedit, vbi ratio & intelligentia in infante ſopita eſt quodammodo, quaſi nulla ſit, excitanda ſcilicet atque exercenda ætatis acceſſu, qua ſit ſcientiæ capax atque doctrinæ, & habilis perceptioni veritatis & amoris boni. Qua capacitate hauriat ſapientiam virtutibuſque ſit prædita, quibus prudenter, fortiter, temperanter, & iuſtè aduerſus errores & cætera ingenerata vitia dimicet, eaque nullius rei deſiderio, niſi boni illius ſummi atque incommutabilis vincat. Quod etſi non faciat ipſa talium bonorum capacitas in natura rationali diuinitus inſtituta, quantum ſit boni, quàm mirabile opus omnipotentis, quis competenter effatur, aut cogitat? *Ita anima velut lamina gladiuſque ex vagina, emergit, vt hoſtes ſuos cadat, ſic gemma pretioſiſſima aurea ex theca ſuos fulgores explicat; ſic vnguentum eius pretioſum ex congruenti vaſculo ſuauitatem odoris ſui effundit.* SCYTICAS. *Fertilis eſt interior Scythia gemmis, maximè hyacinthis, cuius in interiori ſolitudine foſſa eſt profundiſſima, vnde aliter eruti non poſſunt hyacinthi, niſi excoriati ſummis è ruſpibus agni proſcianturin imum chaos, quibus vi quadam ſympathica, gemma ſolo erutæ, vel ſaxo, adglutinantur carnibus; ad quarum odorem vicinis in montibus nidificantes certatim adnolant aquilæ, & ſurſum euehunt quos vt venatores viderint extra foſſam, relapſuſque periculum jaculantur, & hyacinthos euellunt: Sic refert Anaſtaſius Nicænus q. 38. in ſcript. Scythia item Smaragdis optimis eſt celebris teſte Plinio.* ET INDICAS. *Margaritas intelligit, quas ex Plinio Oceanus indicus præcipuè gignit.* RVBENTIS MARIS, *&c. Vniones ſunt & Margaritæ candidiſſimæ, licet rubro in mari genitæ. Hiero. in vita Marcellæ viduæ, & in ep. ad Virginem Principiam, loquens de luxu Romanarum mulierum:* Illæ ſolent purpuriſſo & ceruſſa ora depingere, ſericis nitere veſtibus, ſplendere Gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris pretioſiſſima grana ſuſpendere. OBLAQVEES. *Inlinas,* DESCROBES, *à ſcrobe dictum, id. inſeras, inſculpes.* FERRVGINIS. *Ferrugo eſt rubigo ferri. Sumitur autem hic pro gladio coloris ferruginei, ſeu nigrioris rubedinis; alij cum Plauto colorem Thalaſſicum ſeu colorem maris exponunt, qui colores, optimos gladios connotant.* ADÆQVES DIGNITATEM. *Vt non ſit vagina indigna gladio, ſed eius reſpondeat dignitati. Vaginam animæ eſſe corpus probat locus Gen. 6 3. Nam vbi verſio communis habet;* non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt *Ex Hebr. Symmachus & Arius vertunt,* non judicabit, non litigabit. *Quaſi diceret humano more loquendo, hactenus cor meum hinc affectu miſericordiæ, inde juſtitiæ litigauit apud ſe propter hominum carnalium peccata, an parcerem, an delerem; ſed diremptâ lite, vindictam ſumam. Alij per Spiritum Dei intelligunt animam rationalem inſufflatam primo homini, qua quia tota tum carnalis erat, & in carnis voluptates propenſa, Deus à corpore, breuiata hominum vita eam exorabere volebat, nec in æternum, id eſt longum tempus, ſicut ante diluuium, in domo corporis commorari. Ita*

Aug.

Chriſoſt. & Ambr. & quidem Hebr. Iaion, *id. exprimit, à radice* Lun, *id eſt manſit, moratus eſt, hoſpitatus eſt. Sed melius Pagninus & Caiet. Cum Chryſoſt. pro,* Iadon, *legunt* Iiddon *à radice* Neden. *id eſt vagina. Vnde & Syri corpus appellant* Nidne, *quod ſit vagina anime. Quaſi diceret: Ex traham animas hominum è vagina corporum, carnales morte mulctabo:* Eruntque dies illius centum viginti annorum. *Non quòd ſinguli homines deinceps victuri tantum eſſent hoc ſpatio, vt voluit Ioſeph, Philo, & Rupert. cùm multi etiam poſt diluuium plus vixerint: ſed quia humanum genus, uſque ad diluuium, hoc tantum ſpatium ad pœnitentiam*
S. Auguſt. *agendam à Deo accepiſſet, ſic Chald. Hiero. Chryſoſt. & Aug. noſter lib. 15. de Ciuit. cap. 24.* Centum viginti anni prædicti ſunt futuri vitæ hominum periturorum, quibus tranſactis, diluuio delerentur. *Sed ex Hiero. in quæſt. Hebr. in Gen. 9. 24.* Quia pœnitentiam agere contempſerunt, noluit Deus tempus expectare decretum, ſed viginti annorum ſpatiis amputatis, induxit diluuium anno centeſimo A agendæ pœnitentiæ deſtinato. *Ita & Chryſoſt. homil. 25. in Gen. melius Aug. loco preciato*; intelligendum eſt, hoc Deum dixiſſe, cùm circa finem quingentorum annorum eſſet Noë: id eſt quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more ſuo ſcriptura quingentos vocat, nomine totius, maximam partem plerumque ſignificans: ſexcenteſimo quippe anno vitæ Noë, ſecundo menſe, factum eſt diluuium. ANIMÆ SVÆ VMBRAM *vitæ ſuæ, & verbi ſui, imaginem.* SPIRITVS SVI ORAM. *Alludit ad Gen. 2.* Inſpiranit in faciem eius ſpiraculum vitæ. ORIS SVI OPERAM. *Quia ad hoc opus ſe accinxit & excitauit dicens*, Faciamus hominem, &c. *Vnde Caſſiod. lib. de Anima.* Inſufflauit, dictum eſt, ad exprimendam operis dignitatem, vt agnoſceretur aliquid eximium, quod eius ore prolatum eſt. CAPVLO, *loco, ſic dicto à capiendo. Tertul. Platoni conſentiens, capulum etiam, dixit ſepulchrum de Reſurr. cap. 32. & 38.* DAMNAVERIT *quaſi in pœnalem Carcerem compegeris. Vide Aug. infra n. 6.* Aug.

5. *Caro veſtis pellicea eſt, Animam tegens, non tamen intelligenda eſt fuiſſe, prima illa tunica pellicea data primis parentibus. De Reſur. cap. 7. à p.*

SEd adhuc velim diſcas, quando, & quomodo caro floruerit ex limo. Neque enim, vt
Gen. 3. 21. quidam volunt, illæ pelliciæ tunicæ, quas Adam & Eua, paradiſum exuti induerunt, ipſæ erunt carnis ex limo reformatio; quum aliquanto prius & Adam, ſubſtantiæ ſuæ traducem,
a Gen. 2. 23. in fœmina iam carne recognouerit: a *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea*; & ipſa delibatio maſculi in fœminam, carne ſuppleta ſit; limo, opinor, ſupplenda, ſi Adam adhuc
b Gen. 2. 3. limus. Oblitteratus igitur & deuoratus eſt limus in carnem. Quando? quum b *factus eſt homo in animam viuam*, de Dei flatu, vapore ſcilicet, idoneo torrere quodammodo limum in aliam qualitatem; quaſi in teſtam, ita in carnem. Sic & figulo licet argillam temperato ignis adflatu in materiam robuſtiorem recorporare, & in aliam ex alia fingere ſpeciem, aptiorem priſtina, & ſui jam generis ac nominis. Nam etſi ſcriptum eſt, c *Numquid argilla dicet figulo*, id
c Rom. 9. 20. eſt, homo Deo? etſi Apoſtolus, *in teſtaceis, ait vaſculis*; tamen & argilla homo, quia limus antè; & teſta caro, quia ex limo per adflatus diuini vaporem, quam poſtea pelliciæ tunicæ, id eſt, cutes ſuperductæ, veſtierunt. Vſque adeò, ſi detraxeris cutem, nudaueris carnem: Ita, quod hodie ſpolium efficitur, ſi detrahatur, hoc fuit indumentum cùm ſuperſtruebatur.
Ad Col. 2. 11. Hinc & Apoſtolus, Circumciſionem, deſpoliationem carnis appellans, tunicam cutem confirmauit.

CARNIS DIGNITAS IN ORD. AD ANIMAM. V. SCHOLIA.

CARO FLORVERIT, *è luto emerſerit florida & ſpecioſa.* PELLICIÆ TVNICÆ. *Ridet hæreſim dicentem tunicas pelliceas quas circumdedit primis parentibus Deus poſt peccatum, fuiſſe carnem, qua eorum animas operuit. Quod falſum eſſe conuincitur ex eo, quod, ante dictas pelliceas tunicas, Adam è ſomno ſuſcitatus, agnouerit Euam vxorem ſuam de ſua coſta, carnem traductam, & ſubſtantiam ſuam accepiſſe, cùm dixit:* Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. *Et ipſa delibatio coſtæ, quæ in fœminam ædificata eſt à Deo,* carne ſuppleta ſit *dicente Scriptura*, & repleuit carnem pro ea. *Nouam ſcilicet loco coſtæ* C *reponendo carnem, vel producendo, vel rarefaciendo vicinam. Quod ſi Adam fuiſſet adhuc limus, necdum caro, coſtam ſanè limo ſuppleſſet, conſimili vique materia. Quod totum factum eſt, antequam paradiſo exularent, exuti innocentiæ veſte, & immortalitatis candida; induendi poſtea*, ſicut diploïde confuſione ſua, *dum primò ſibi* perizomata ficulnea conſuerunt, dehinc induti à Domino tunicas pelliceas. REFORMATIO. *Vſu ſuo vitiur compoſito pro* formatio. *Vel quod formam limi in carnem reformarit, ſiue transformarit.* OBLITTERATVS IGITVR, *&c. Ignominia limi extincta eſt, Dei flatu, quaſi vapore igneo, limum excoquente, & demutante in vas pretio-*
B *ſum carnis. Figulo enim Apoſtolus Deum comparauit & hominem vaſculis in igne conflatis. Vnde ſicut prius argilla, quàm teſta; ſic homo limus, antequam caro. Quem limum mutatum in carnem pelliceam quidem tunicam, id eſt cutes ſuperducta texerunt, ſed longè diuerſa ab his, quas ex mactatis animalibus detractas, in tunicas fecit, qui, vt alibi ait Tertul.* Pellitos orbi, ceu, metallo damnauit. VSQVE ADEO, *&c. Nudabit carnem qui auferet cutem, vt verè indumentum carnis fuiſſe intelligatur cum ſuperinducebatur, quod detractum, ſpolium efficitur. Vnde & Paulus tunicam pelliceam cutem eſſe, & pellem confirmauit Circumciſionem vocans exſpoliationem. Sic ad Coloſſ. 2.* In quo & Circumciſi eſtis, Circumciſione non manu facta in exſpoliatione corporis carnis, ſed in Circumciſione Chriſti: conſepulti ei in Baptiſmo. *Quantum ad hæreſim præcitatam. Origenes interpretatus eſt hæc verba Geneſis 3. juxta 70. Hebr. & vulgat. edit.* Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxoris eius tunicas pelliceas, & induit eos. *Sic inquam vertit*, veſtiunt eos corporibus *quaſi prius eſſent incorporei. Huius & ſententiæ fuerunt Valentiniani ſecundùm Irenæum. Mortalitatem quidem eorum deſignauerunt in pœnam, præſumpta diuinitatis, quam fructu vetito innadere ſe poſſe crediderant. Sic Aug. in Pſal. 103.* Pellis morta- Aug.

Aug. litatem ſignificat. Propterea illi duo homines primi parentes noſtri, authores peccati generis humani Adam & Eua, cum in paradiſo, contempto Dei præcepto, ad ſuggeſtionem ſuaſionemque ſerpentis tranſgreſſi eſſent quod juſſerat Deus; facti mortales dimiſſi ſunt de paradiſo. Vt autem ſignificaretur ipſa mortalitas eorum, induti ſunt tunicis pellicets. De pellibus enim tunicas factas acceperunt: Pelles autem detrahi non ſolent niſi de animalibus mortuis. Ergo pellium nomine mortalitas illa figurata eſt. *Vnum miror hoc Geneſi loco Chaldaicam Paraphraſim ſic ſingulariter habere.* Et fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius veſtimenta honoris ſuper cutem carnis ſuæ, & induit eos. *Niſi intelligat ſic Deum conſuluiſſe vtriuſque* honori, *& peperciſſe verecundiæ, verenda tegendo: vel ironicè dictum eſſe: Quis enim honorin cruda veſte pellicea? Vnde & Tertul. tunicarem ornatus mulierum comprimens, pompaticam fœminam, Euæ commemoratione ſuggillat:* Et adhuc tibi gloriari, ſuper tunicas tuas pelliceas? *Quod & innuit eadem Paraph. Chald. verſu ſequenti,* Et dixit Dominus Deus, Ecce Adam eſt vnicus in A ſæculo, ex ſe ſciens bonum & malum, & tunc fortè extendet manum ſuam, & ſumet etiam de arbore vitæ, & viuet in æternum. *Santtes autem Pagninus ex Hebr.* Ecce Adam fuit fermè vnus ex nobis, ſciendo bonum & malum. *70. Vulgatæ editioni reſpondent. Quod ſi Chald. ſupra ſeriò intelligatur, tum Georgy Veneti ſenſui confirmabitur, qui legit:* Induit eos Ieſum. *Et ſic agni vel oues, quas Deus Angelorum miniſterio mactari & expoliari juſſit, ſignificarunt.* Agnum occiſum ab origine mũdi, qui tunica inconſutili *noſtræ pellis*, deſuper contexta per totum, *nihil cooperante S Ioſepho; toto opere; de Spiritu ſancto perfecto; Adæ nuditatem operuit, & humanum genus ſuo ſanguine lauit, & in baptiſmo* ſeipſum induit, *honoris vtique veſtimento. Et vt totus contextus impleretur, Deus filium incarnandum, & humana carne veſtiendum proſpiciens, verè dixit non ironicè;* Ecce Adam quaſi vnus ex nobis. *Propter identitatem perſonæ, naturam humanam aſſumentis. Non enim* duo, ſed vnus eſt Chriſtus; non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ. *Ait Athan. in Symbolo.*

6. Caro quàm æſtimabilis, quæ intimè jungitur animæ, Deo proximæ; per quam Anima ſenſibus eius, rebus omnibus vtitur, & operâ, arteſque exercet. De Reſur. cap. 7. à m. ad f.

COllocauit autem, an potius inſeruit & immiſcuit carni? tanta quidem concretione, vt incertum haberi poſſit, vtrumne caro animam, an carnem anima circumferat: vtrumne animæ caro, an anima appareat carni: Sed & magis animam inuehi atque dominari credendum eſt, vt magis Deo proximam. hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quòd proximam Deo & continet, & ipſius dominationis compotem præſtat. Quem enim naturæ vſum, quem mundi fructum, quem elementorum ſaporem, non per carnem anima depaſcitur? quidni? per quam omni inſtrumento ſenſuum fulta eſt, viſu, auditu, guſtu, odoratu, contactu; per quam diuina poteſtate reſperſa eſt, nihil non ſermone perficiens, vel tacitè præmiſſo. & ſermo enim de organo carnis eſt; Artes per carnem; ſtudia, ingenia, per carnem; opera, negotia, officia, per carnem: atque adeò totum viuere animæ, carnis eſt, vt non viuere animæ nihil aliud ſit, quàm à carne deuertere. Sic etiam ipſum mori carnis eſt, cuius & viuere. Porro, ſi vniuerſa per carnem ſubjacent animæ, carni quoque ſubjacent. per quod vtaris, cum eo vtaris neceſſe eſt: ita caro, dum miniſtra & famula animæ deputatur, conſors & cohæres inuenitur. ſi temporalium, cur non & æternorum?

CARNIS EXCELL. IN ORD. AD ANIM. VI. SCHOLIA.

COLLOCAVIT. *Animam ſcilicet.* IMMISCVIT. *adglutinauit carni tam perfecta compoſitione, & ſtricta vnione alterius ad alterum, vt vix diſcerni poſſit, quid horum circumferat alterum. Et quamquam anima principatum teneat vi proxima ſimilitudine cum Deo, & rerum omnium mundi dominatu, hoc quoque carnis redundat in gloriam, quod tantam creaturam contineat, eique inſtrumenta & vires præſtet, quibus imperium ſuum exerceat, quod clarè inductione demonſtrat.* INVEHI ATQVE DOMINARI. *inſtar Reginæ, curru triumphali, vehitur anima, carne ſua. Miniſtram animæ carnem in omnibus naturæ & artium operibus, docet Aug. l. 22. de Ciuit. cap. 23.* Nonne, inquit, ita ſunt in Aug. eo loco ſenſuum, & cætera membra diſpoſita, ſpecieſque ipſa ac figura & ſtatura totius corporis ita modificata, vt ad miniſterium animæ rationalis ſe indicet factam? Non enim vt animalia rationis expertia prona eſſe videmus in terram, ita creatus eſt homo, ſed erecta in cœlum corporis forma, admonet eum quæ ſurſum ſunt ſapere. Porro mira mobilitas, quæ linguæ ac manibus attributa eſt ad loquendum & ſcribendum apta atque conueniens, & ad opera artium plurimarum officiorumque complenda, nonne ſatis oſtendit, quali animæ vt ſeruiret tale ſit opus adiunctum? Quanquam & detractis neceſſitatibus operandi, ita omnium partium congruentia numeroſa ſit, & pulchra ſibi paritate reſpondeat, vt neſcias vtrum in eo condendo, maior ſit vtilitatis habita ratio, quàm decoris. Certe enim nihil creatum videmus in hoc corpore vtilitatis cauſa, quod non habeat etiam decoris locum plus autem nobis id apparet, ſi numeros & menſuram, quibus inter ſe cuncta connexa ſunt & coaptata noſſemus, quos forſitan datâ operâ in his quæ foris eminent, humana poſſet inueſtigare ſolertia. Quæ vero tecta ſunt, atque à noſtris remota conſpectibus, ſicuti eſt tanta perplexitas venarum atque neruorum & viſcerum, ſecreta vitalium, inuenire nullus poteſt. APPAREAT *aly* adpareat, pareat, *quod idem eſt. Non quod velit inſtar apparitoris, vel lictoris, ſed miniſtri opus mutuum ſibi inuicem præſtare.* ELEMENTORVM SAPOREM. *ſapere guſtus proprium, transfert ad omnes ſenſus per Metaphoram. Quis enim ſapiens propriè dicat ſe ignem vel aërem ſapere?* DIVINA POTESTATE RESPERSA *eleganter dictum: ſi enim Propheta de Verbo Dei loquens Eſa. 26.* ros lucis, ros tuus: *quem Patres veteres ſuſpirabant clamantes:* rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, &c. *ſi & ipſe Moyſes Deut. 32. de verbo ſuo dixit:* deſcendat pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, ſicut imber ſuper herbam, & ſicut ſtillæ ſuper gramina: &c. *ſi denique*

per verbum omnia facta ſunt, & ſermo illius poteſtate plenus eſt. *Doctè dixit Author animam per organum vocis carneum* diuina poteſtate reſperſam, *ſicut Deus poteſtatem ſuam verbo declarauit cum* dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. VEL TACITE PRÆMISSO. *vel de ſimplici nutu oculi vel manus intelligit qui prænuntius eſt interpreſque ſermonis, vel quia ſcriptum eſt, Sap. 18.* Cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus venit. *vel reſpicit, quod ſæpius in Actis legitur. Act. 13.* poſt lectionem autem legis & Prophetarum, miſerunt Principes Synagogæ ad eos dicentes: viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite. ſurgens autem Paulus, & manu ſilentium indicens ait: viri Iſraëlitæ, & qui timetis Deum, audite. *item Act. 21. Paulus Tribuno dixit:* rogo te permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permiſiſſet, Paulus ſtans in gradibus annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto, allocutus eſt linguâ Hebræâ. ARTES PER CARNEM. *Nil enim eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.* TOTVM VIVERE ANIMÆ, *&c. dum ſcilicet in carne eſt: torpentibus enim ſenſibus, vel fractis aut debilitatis organis, ipſam quoque torpere neceſſe eſt, cum nec intelligat niſi conuerſa ad phantaſmata, per ſenſus hauſta. Ceterùm durius ſæculè dictum eſt* totum viuere animæ, carnis eſt; *viuere enim proprium anima eſt intelligere; Io. 1.* Vita erat lux hominum. *& Pſal. 118.* Intellectum da mihi & viuam *niſi rigorem emollias, interpretando ſecundùm Geneſim,* factus eſt homo in animam viuentem: *ſicut enim nondum inſufflatâ animâ & ſpiraculo vitæ, non viuebat homo luteus vel carneus, ſic moritur efflata.* VT NON VIVERE ANIMÆ, *&c. adhuc durius dictum, cum anima ſit immortalis, & ſuperſtes emortuo corpore, cum* à carne deuerterit, *ſeu, vt alij legunt,* diuerterit; *quaſi à diuerſorio & hoſpitio carnis decedens: niſi Metonimicè interpreteris dictum, vt ſumat animam pro toto homine, cuius totum compoſitum viuens, in morte diſſoluitur, & moritur. vel* viuere, *accipias pro,* vitam dare, & viuificare. MORI CARNIS EST. *hoc propriè dictum eſt, caro enim ſola naturâ ſuâ mortalis eſt, & vitam ſuſcipit, ſeu viuit ex anima; vnde & ei propriè conuenit reſurrectio.* PER CARNEM SVBIACENT, *&c. neceſſe eſt, inquit, vt cum anima immediatè non vtatur ſubiectis omnibus creaturis, niſi carne vtente & fruente prius, per conſequens omnia ipſi carni eſſe ſubiecta. Inde pulchrè Pſaltes de parte inferiori & carnali hominis loquens, ait,* omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. PER QVOD VIARIS. *ſe ipſum explicat in ſequenti, dum non tantum miniſtram animæ dominantis carnem vocat, ſed &* conſortem & cohæredem, *cum non tantum per eam, ſed & cum ea rebus corporeis vtatur.* SI TEMPORALIVM, *&c. ſi in hac vita temporali, cur non in futura æterna, cum meritum omne æternæ gloriæ, ipſumque martyrium, anima non adipiſcatur, niſi per carnem paſſibilem? vt* ſi compatitur, & conglorificetur. *ſic Athenagoras de reſur.* ſicut fuit animæ corpus in actionibus, paſſionibuſque tam virtutum quàm vitiorum, & in Sanctimonia & Martyrio comes, ita debet in pœna vel præmiis habere conſortium, eſt ergo corpus idem reſurrecturum. niſi enim præmia manerent vitæ ſequentis, prouidentia, iuſtitiaque diuina, traheretur in dubium. Homo quinetiam brutis fieret miſerabilior, qui religionis & juſtitiæ gratia corporeis ſe priuat oblectamentis, & incommoda ſubit innumera, &c. nec habet Iuſtitia diuina locum in corpore vel anima: non in corpore, quia iniuſtum foret, animam habere præmia laborum, in quibus magnam partem perpeſſum eſt corpus, &c. non in anima, quia injuſtum eſſet animam ſolam dare pœnas peccatorum quamplurimorum, quæ non commiſiſſet, niſi ei corpus fuiſſet adiunctum.

7. Caro in malis operibus, quæ non per ſe exercet, inſtrumentum ſolum eſt Animæ. De Anim. cap. 40. à p.

ETſi caro peccatrix, ſecundùm quam incedere prohibemur, cuius opera damnantur [a] *concupiſcentis aduerſus ſpiritum*, ob quam carnales notantur, non tamen ſuo nomine caro infamis. Neque enim de proprio ſapit quid, aut ſentit, ad ſuadendam vel imperandam peccatelam. Quidni, quæ miniſterium eſt? & miniſterium, non quale ſeruus, vel minor amicus, animalia nomina; ſed quale calix, vel quid aliud eiuſmodi corpus, non anima. Nam & calix miniſterium ſitientis eſt; niſi tamen qui ſitit, calicem ſibi accommodarit, nihil calix miniſtrabit.

a Ad Gal. 5. 17. & ſeq. 1. Cor. 3. 1. 6.

CARNIS EXCELLENTIA IN ORDINE AD ANIMAM. VII. SCHOLIA.

ETSI CARO PECCATRIX *ſupple nominetur à Paulo, cuius cauſa opera carnis prohibentur, per ſe tamen ipſa non peccat, nihil ſentiens ex ſe, niſi in quantum informatur ab Anima, & monetur à voluntate cuius inſtrumentum ex ſe corporeum eſt, & non de ſe animatum, quales ſunt ſeruus & amicus, quibus intelligentibus & volentibus, vel obedientibus, jubemus vel ſuademus peccatum ipſis conſentientibus;* CARO PECCATRIX. *Rom. 7. Queritur quidem de lege peccati:* Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis, &c. Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. *Et ibidem,* Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. *D. Thomas ibidem.* In carne, inquit, gratia Chriſti non habitat, ſed habitat in mente, &c. Et per hoc patet quod hoc verbum non patrocinatur Manichæis, qui volunt carnem non eſſe bonam ſecundùm naturam, &c. Non enim hic agit de bono naturæ, ſed de bono gratiæ, quo à peccato liberamur. *Et ratio eſt, quia ſubiectum gratiæ, non eſt caro, ſed anima: Proinde cum peccatum ſit gratiæ contrarium, & contraria ſe expellant ab eodem ſubiecto, caro peccatrix, vel caro peccati non propriè dicitur, ſed in quantum, in pœnam peccati originalis mortis corruptioni addicta eſt, & ab Apoſtolo vocatur.* corpus mortis huius; *id eſt mortale, vel quia per ſenſus carnis ſerpentis virus illapſum in Animam, eam induxit in peccatum & rebellionem contra legem Dei: Ideo in pœnam membra importuna lege inſurrexerunt in animam, & concupiſcentiis carnalibus ad peccata actualia pertraxerunt omne genus humanum. Quo ſenſu intelligendus eſt Auguſtinus ſer. de verb. Apoſt.* Vitium concupiſcentiæ eſt, quod Anima non ex ſe, ſed ex carne contraxit. Natura quippe humana non opere Dei, cum vitio eſt ſancita; ita vt non ſit in carne bonum, ſed

Aug.

vitium, quo inficitur Anima. *Vbi per vitium non intelligis ipsum peccatum, sed incitamentum ad peccatum.* CARNALES NOTANTVR, *à Paulo scilicet 1. Cor. 3.* Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. *Et mox sanè:* Adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? ANIMALIA NOMINA. *id. significantia creaturas animatas, & animas rationali vtentes.* CORPVS, *res purè corporeas, & non animatas.*

8. *Et 1. cont. Marc. cap. 24. in m.*

SEd & si carni delicta reputantur, præcedit animæ reatus, & culpæ principatus animæ potius adscribendus, cui caro ministri nomine occurrit. carens denique anima caro, hactenus peccat. Ira & in hoc injusta bonitas, & sic quoque imperfecta; innocentiorem substantiam relinquens in exitium, obsequio, non arbitrio delinquentem: cuius Christus etsi non induit veritatem, vt turæ hæresi visum est, imaginem tamen eius subire dignatus est. Ipsum quod mentitus est illam, aliquid ei debuit debuisse. Quid est autem homo aliud quàm caro? Si quidem nomen hominis, materia corporalis non animalis, ab auctore sortita est. [a] *Et fecit* Gen. 1. *hominem Deus, inquit, limum de terra;* non animam. anima enim de adflatu. [b] *Et factus est* 7. *homo in animam vivam.* Quid? vtique qui de limo. [b] *Et posuit Deus hominem in paradiso: quod* [b] Gen. 2. 8. *finxit*, non quod flauit: qui caro nunc, non qui anima.

CARO MINISTRA TANTVM EST ANIMÆ IN MALO. VIII. SCHOLIA.

AGit hoc capite contra Deum Marcionis in quem retorquet blasphemiam execratam in frontem Dei Creatoris, quem Marcion, male & peccaminosæ carnis Conditorem fingebat, proindeque indignam carnem quam verè Christus assumeret; Deum autem Marcionis imperfecta & injusta bonitatis arguit, quod portionem hominis innocentiorem, nec arbitrio suo peccantem, perpetuo damnet exitio, & justa fraudet resurrectione. Deinde Christum, etsi sensu Marcionis, verè non incarnatus esset, eo ipso tamen quod carnem mentitus est, & phantasma eius solum assumpsit, aliquid carni debuisse gratitudinis causa: vel ob acceptam ab ea imaginem. *Hominem porro, adhuc limum corporeum & inanimem, dictum sæpius & vocatum hominem, & ante afflatum Dei, carnem hominis de limo, & postea sæpe in Scriptura dictam hominem.* REPVTANTVR. *Reputare & deputare, frequenter sumit pro imputare.* PRÆCEDIT ANIMÆ REATVS. Etenim in corde iniquitates operamini in terra: iniustitias manus vestræ concinnant. *Vt sit principatus culpæ in corde & anima, quæ prius cogitat & vult, & imperat carni, & manibus administris, vt opus externum impleant.* HACTENVS PECCAT, *cessat peccare caro, vel servire peccato anima, dum anima recessit à carne, tandiu tantum ei famulans in peccato; quandiu eius forma movetur & impellitur: qua carens, & privata, amplius non peccat.* IN EXITIVM. *id. in mortem irreparabilem, in privationem vitæ irremeabilis; absque vlla spe resurrectionis.* NON ARBITRIO. *Nec enim decernit & mandat caro peccatum, sed arbitrâ & mandante animâ obsequitur famula.* ALIVD QVAM CARO. *Præterquam dicta in Schol. 1.* Ad carnis Excel. in ord. ad animam: *Hic adverte sæpius in Scriptura nomen hominis soli carni impositum, adeo vt caro totum hominem significet, etsi primo de limo formata fuerit. Sic Augustinus vtrumque connectens ad plenam huius loci Tertulliani expositionem, tam de dignitate carnis, quæ dicitur homo, quàm de veritate carnis, quam assumpsit Dei filius factus homo. Sic inquam in Psal. 29.* Vt inter hominem & Deum mediator existeret Verbum caro factum est, id. Verbum homo factum est. Nomine enim carnis appellati sunt homines. Inde est Luc. 3. & videbit omnis caro salutare Dei. Omnis caro dictum est, omnes homines. Et Apostolus Ephes. 6. Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, id. adversus homines, sed adversus principes & potestates, &c. *Ibidem duas hæreses explodit, primò Apollinaristarum, dicentium Verbum quidem assumpsisse carnem, sed non mentem humanam, sed animam tantum, sive intelligentia humana & ratione, cuius defectum suppleverit Verbum, & sapientia Dei. Secundò aliorum dicentium, nec animam sumpsisse, nec mentem, sed tantum carnem, hærentes præcisè dicto Ioannis,* Verbum caro factum est. *Tertiam hæresim etiam Marcionitarum repetit, qui veram carnem Christo negabat.* Si enim multa gessit secundùm corpus ex quibus 5. August. intelligamus quia habuit corpus, non in mendacio, sed in veritate: vtputa quomodo intelligimus quia habuit corpus? ambulauit, sedit, dormiuit, comprehensus est, flagellatus est, colaphizatus est, crucifixus est, mortuus est. Tolle corpus, nihil horum fieri potuit. Quomodo ergo ex his indiciis cognoscimus in Euangelio, quia verum corpus habuit, sicut & ipse etiam post resurrectionem dixit Luc. 24. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere: &c. Sic & ex quibusdam aliis officijs naturalibus quia habuit Animam. Esurire, sitire, animæ sunt ista: *id est corporis verè animati, vel animæ sensitivæ;* tolle animam, corpus hæc exanime non poterit. *Ibidem refellit mentem excludentes à verbo incarnato, quod aliàs verus homo non esset, carens superiori hominis parte, quæ eum facit Dei imaginem, & discernit à pecore.* Vt dicatur talibus Psal. 31. Nolite esse sicut equus & mulus quibus non est intellectus. *Et in Psal. 64.* Ad te 5. Aug. omnis caro veniet. Habemus Dominum dicentem, daram sibi potestatem omnis carnis. Cœpit ergo apparere iam rex ille cùm diceretur, ad te omnis caro veniet. Ad te, inquit, omnis caro veniet. Quare ad illum omnis caro veniet? Quia carnem assumpsit. Quò veniet omnis caro? Tulit inde primitias ex vtero virginali, assumptis primitiis cætera consequentur, vt holocaustũ compleatur. Vnde ergo omnis caro? omnis homo. Et vnde omnis homo? Nunquid omnes credituri prænuntiati sunt in Christum? Nonne multi impij qui etiam damnabuntur? Nonne quotidie multi non credentes in sua infidelitate moriuntur? Secundùm quid ergo intelligimus, Ad te omnis caro veniet? Omnis caro dixit, omnis generis caro, ex omni genere carnis, venietur ad te. Quid est ex omni genere carnis? Nunquid venerunt pauperes, & non venerunt diuites? Nunquid venerunt humiles, & non venerunt sublimes? Nunquid venerunt docti, & non venerunt indocti? Nunquid venerunt viri, & non venerunt fœminæ? Nunquid venerunt domini & non venerunt serui? Nunquid venerunt senes, & non venerunt iuuenes? Aut venerunt iuuenes, & non venerunt adolescentes?

Google

Aut venerunt adoleſcentes, & non venerunt pueri? Aut venerunt pueri, & non allati ſunt infantes? Poſtremò, nunquid Iudæi, nam inde Apoſtoli, inde multa millia primò tradentium, poſtea credentium, & non venerunt Græci? Aut venerunt Græci, & non venerunt Romani? Aut venerunt Romani, & non venerunt Barbari? Et quis numeret omnes gentes venientes ad eum, cui dictum eſt A Ad te omnis caro veniet? QVOD FINXIT. *Limum ſcilicet primò.* FLAVIT. *Poſtea animam viuentem.* CARO HVNC. *Poſt limum, hunc, id. corpus hominis factum eſt caro.* NON QVI ANIMA. *Poſtea factus in animam viuentem.*

CARNIS PRÆROGATIVA EX OPERIBVS GRATIÆ.

1. *Caro tanta eſt, vt nihil gratiæ & ſalutis, nihil ex Sacramentis, ſine ipſa poſſit anima adipiſci. De Reſur. cap. 8. in p.*

ET hæc quidem, velut de publica forma humanæ conditionis in ſuffragium carni procurauerim. Videamus nunc de propria etiam Chriſtiani nominis forma, quanta huic ſubſtantiæ friuolæ ac ſordidæ, apud Deum prærogatiua ſit: etſi ſufficeret illi, quod nulla omnino anima ſalutem poſſit adipiſci, niſi dum eſt in carne, crediderit: adeò caro ſalutis eſt cardo. Denique, cùm anima Deo allegitur, ipſa eſt quæ efficit, vt anima allegi poſſit. Scilicet caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera conjungit.

CARNIS PRÆROGAT. EX OP. GRAT. I. SCHOLIA.

DE PVBLICA FORMA. *Hactenus, inquit, proſecutus ſum laudes carnis, ex apparenti eius humana forma: Nunc proſequar eius priuilegia ſumpta, in quantum homo ſit etiam Chriſtianus; & fidei Catholicæ Sacramentis vtitur per carnem; vt obtrectator eius eſſet ſordidam ei, limi primi originem, vel friuolam, ventoque ludibrioſam pulueris ſortem exprobrare.* CARDO. *Pulchrè ludit in voce* carnis & cardinis, *vt ſalus ex fide pendeat*, fides autem ex auditu *carnis, & verbo per carnem prolato*: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c. qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit condemnabitur. ALLEGITVR, *id eſt in collegium coeptatur, cum homo dat nomen fidei Chriſtianæ, & in chriſti familiam adſciſcitur. Linius*, qui de plebe allegebantur. *Apud Iulium Capitolinum*, Marcus Antonius Philoſophus multos ex amicis in Senatum allegit cum ædilitiis ac Prætoriis dignitatibus. *Vipianus l. generaliter. de Decur.* Allegi eſt per electionem in ordinem aſſumi. SCILICET CARO, *&c. Alij legunt, ſed & caro.* ABLVITVR *in baptiſmo.* VNGVITVR, *in Extrema-Vnctione, vel confirmatione, de qua etiam ſubdit,* CARO SIGNATVR, *&c.* ET MANVS IMPOSITIONE, *&c. Quæ omnia ſunt in Sacramento Confirmationis.* ADVMBRATVR, *ſicut dictum eſt Virgini de ſuperueniente Spiritu*: Virtus altiſſimi obumbrabit tibi. ILLVMINETVR *ſine mente & ſpiritu in eius luce fidei amplius corroborato, ſine Spiritu ſancto longius & plenius in Confirmatione, quam in baptiſmo effuſo, illuminante & corroborante dum obumbrat; ipſo ex Aug. per manus expreſſo, qua in diſtinctos digitos ſeu Dona diuiduntur. De quo etiam Abacuc 3.* Deus ab Auſtro veniet & Sanctus de monte Pharan: *Procedit enim vt Amor: ſicut Auſter calidior eſt plaga*: Per quam viam lux ſpargitur fidei, & diuiditur æſtus amoris ſuper terram. *Iuxta Iob. Cui reſpondebis Abacuc viam Auſtri, plagam eſſe Spiritus ſancti, qui mentem illuminat.* Nam & baptiſmus à Paulo dicitur illuminatio, *& cor accendit & confirmat; & manuum impoſitione & donorum infuſione adumbrat & ornat, ſic enim legitur apud* 70. Deus à Theman veniet, & Sanctus de monte Pharam, vmbroſo & condenſo. *Pharan ſignat montem vmbroſum, ex quo teſte Ruperto venit filius.*

B *Ex Origene interpretatur os viſibile & ſignificat Verbum incarnatum. Vnde concludo quod cum Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedat & mittatur, cum eſſe Deum ſanctum ab Auſtro, & monte Pharan veniente, vt nos ſua protectione obumbrans, ſimul illuminet, & confirmet, & fructificare faciat, cum & Pharan etiam interpretetur fructifer.* DE DEO SAGINETVR *hæc ſuæ vota Pſaltes*; ſicut adipe & pinguedine repleatur mea, &c. Adipe frumenti ſatiat te. Pinguis panis Azer, præbens delicias Regibus; quem manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. *Vt verè de Deo vero; per veram carnem à Verbo aſſumptam, quam caro hominis ſumis, ob identitatem perſonæ, eiuſdemque hominis Dei in hoc manna abſconditi,* anima de Deo ſaginetur. *Hæc vitur voce Leo contra præſumpt. Mauuel. Conſtantinop.* Martyrum exercitus noſtris azymis ſaginatus. NON POSSVNT ERGO, *&c. Concludit carnem debere eſſe mercedis gloria conſortem, quæ ſuit ſocia & præminiſtra operæ & laboris. Et quidem immortalitatem reſurrectionis carni competere, vel ex ſolo corporis Chriſti Sacramento per os carnis prælibato conſtat, cum portentoſa Phœnicis reſurrectio à natura geniis, in eius de cuius rore & Solis radiis puriſſimo nutrimento ponatur. Quis Sol niſi Chriſtus? Quis rex niſi Dei Filius, de quo ſupra? Cui notanter hic adjicio, non tantum præciſſiſſe pluuiam Pſaltes voluntariam, & manna Hebræorum, rorem cœleſtem, ſed & Iſa. 26. Reſurrectionem imputari rori Euchariſtico.* Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent: Expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus. 70. Ros enim qui à te ſanatio eſt. *Et Pſal.* 106. Miſit verbum ſuum & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. *Quin & Chriſtus. Io. 6.* Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. *Chryſoſt.* Quomodo morietur cui panis Chriſtus, cui vita cibus eſt? *Quin etiam de Deo, iuxta Tertull. ſaginatur. Quidni, cùm & prodigus, de vitulo ſaginetur? Aug. ſer. 70. de temp. vbi de Abraham*: Tres, inquit, viros ſuſcepit, tribus menſuris panes appoſuit; quare hoc, fratres, niſi quia myſterium Trinitatis intelligit? Apponit, & vitulum, qui vitulus non eſt durus, ſed tener. Et quid tam tenerum, quid tam bonum, quàm eſt illa qui

C

D

Aug.

Digitized by

qui se pro nobis humiliauit vsque ad mortem? Ipse est ille vitulus saginatus, quem pro recepto pœnitentiæ filio iugulat Pater. Sic enim Deus A dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.

2. Caro Dei Templum, & Christi sepulcrum, mortificationem eius circumferens, vt & vitam eius manifestet suscitata. De Resurr. cap. 44. à p. ad f.

CVm item subiicit, [a] *Semper mortificationem Christi Iesu circumferentes in corpore nostro*; qualis ista res est, quæ post Dei templum, iam & sepulcrum Christi potest dici? Cur autem mortificationem Domini circumferimus in corpore? [b] *vti & vita, inquit, manifestetur*. vbi? *in corpore*. in quo? in mortali. Ergo, in carne planè mortali, secundum culpam; sed & vitali, secundùm gratiam. vide quantam; vt in illa, vita Christi manifestetur. In re ergo aliena salutis, in substantia perpetuæ dissolutionis, manifestabitur vita Christi æterna, jugis, incorrupta, iam & Dei vita? aut cuius temporis vita Domini manifestabitur in corpore nostro? Illa quidem quam vixit vsque in passionem; quæ non modo apud Iudæos in manifesto fuit, verum etiam omnibus nunc gentibus prodita est. Adeo eam significat, quæ [c] *portas adamantinas mortis, & æneas feras inferorum infregit*, quæ exinde jam nostra est. Denique, manifestabitur in corpore. quando? post mortem. quomodo? dum resurgimus in corpore, sicut & Christus. Ne enim quis argumentetur, nunc habere manifestari vitam Iesu in corpore nostro per disciplinam sanctitatis, & patientiæ, & justitiæ, & sapientiæ, quibus Domini vita floruerit, prouidentissima Apostoli intentio ingerit: [d] *Si enim nos qui viuimus, in mortem tradimur, propter Iesum, vt vita ejus manifestetur in corpore nostro mortali*. ideo defunctis nobis hoc ait futurum in corpore nostro. Quod si tunc, quomodo nisi resuscitato eo? proinde & in clausula: [e] *Scientes, ait, quòd qui suscitauit Iesum, & nos suscitabit cum ipso, quia jam resurrexit à mortuis*: nisi quia, cum ipso, sicut ipsum, sapit? Si vero sicut ipsum, non vtique sine carne.

a 2. Cor. 4. 10.
b Ibid. 11.
c Psal. 106. 16.
d 2. Cor. 4. 11.
e Ibid. 14.

CARNIS PRÆROGAT. EX OP. GRATIÆ. II. SCHOLIA.

CVM ITEM, *&c. Prosequitur probare carnis excellentiam, ex praclaro Pauli testimonio, quo arguè conuincit carnem mortificatam exemplo Christi, non tantùm Dei templum & altare, sed & hostiam viuam & jugem cum Paulo* quotidie moriente, immolato, à morte delibato & degustato, *per quotidianas scilicet, vel vltro assumptas, vel placidè susceptas ab aduersariis afflictiones, consecrari. Quin etiam loculum, & feretrum Christi posse dici, maximè vero cum memoriale mortis Christi, Eucharistiam dico suscipit in sepulcro mortificati corporis, si non* nouo in quo nondum quidquam positum fuerit, *saltem per pœnitentiam plenam renouato. Vnde concludit in eodem corpore & carne mortali quidem propter culpam, & sententiam latam; qua,* statutum est omnibus hominibus semel mori, *sed secundum Christi gratiam in æternum victura, repræsentari & manifestari debere æternam Christi & Dei vitam; non passibilem & mortalem satis agnitam Iudæis, sed eam qua portas mortis æneas confregit: nec eam quæ Christi patientiam & sanctitatem imitamur, sed de qua hic clarè ad literam agit Apostolus, quæ in resurrectione dabitur justis, vt Christo, in carne suscitata conformentur.* SEMPER MORTIFICATIONEM. *in Græco non habetur. 2. Cor. 10.* Christi, sed Domini Iesu *sicut nec in vulgata editione.* Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. *Syriaca autem translatio.* Semper enim mortificationem Ieschua in corporibus nostris baiulamus, vt & vita Ieschua in corporibus nostris reueletur. *Mortificationem Ambrosius interpretatur mortem, quam circumferre est quadam similitudine mortem eius exprimere, vt faciebat Apostolus quotidie moriens & multa patiens pro Christi Euangelio, vt merito patientiæ, fidei, & spei, videatur Christus in Paulo resurrexisse, dum ait,* quasi morientes & ecce viuimus. *Serui enim Dei tot imminentibus mortis periculis erepti, videntur quodammodò suscitari, & Christi resurgentis formam exprimere. Ita Gagneus & Menochius. Tirinus autem mentem Ter-*

B *tulliani sequitur, vt dicat fideles cum Paulo in hoc mundi theatro mortem Christi repræsentare suis passionibus, vt in nobiliori judicij theatro in ijsdem corporibus suscitati vitam gloriosam Christi resurgentis exponant. Sic & D. Thomas in 2. Cor. 4. Notat Christum vsque ad mortem carnem habuisse passibilem, sed tamen interius vixisse spirituali vita & gloriosa, quæ post resurrectionem vsque ad corpus deriuata est, & factum est ipsum corpus prius passibile & mortale, post resurrectionem gloriosum & immortale. Deinde subjecit:* Et ideo dicit quod ideo pericula mortis & passiones patienter sustinemus, vt perueniamus ad gloriosam vitam, &c. Vt vita Iesu, id est vita gratiæ quam Iesus dat, vel vita gloriæ, ad quam Iesus per passiones peruenit; Luc. 24. Nonne oportuit Christum pati, &c. Dicit ergo in futura resurrectione, in corporibus nostris non solum in animabus, &c. sicut Iudic. 7. fractis lagunculis apparuerunt lucernæ. *id est vasis corporum testeis prius disruptis, fulgebunt justi sicut Sol*, & ideirco dicit Ambr. non timebat mori propter resurrectionem promissam. CIRCVMFERIMVS. *D. Thomas ibid.* id. vbique portantes & sustinentes: quia quocumque eamus patimur & non cedimus. Et hoc ideo vt vita Iesu quæ latet nunc in corde nostro, in corporibus nostris manifestetur; quando scilicet reformabit corpus humilitatis nostræ Philipp. 3. & 2. Tim. 2. Si commortui sumus & conuiuemus. *Quandiu supra terram corpus circumferimus, eius membra mortificare debemus, vt mortificationem Christi imitemur. Accipite Aug. citatum à Beda sub titulo ser. de resurrectione mortuorum dum scriberet in cap. 3. ad Colos.* Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: Mortificamur, inquit, & resurgimus. Mortificatis ergo istis membris, resurgimus in fide prius. Quomodo autem præcedit mors secundum Spiritum resurrectionem quæ est secundum spiritum: sic præcessura est mors secundum carnem resurrectionem quæ futura est secundum carnem. Audi Scripturam. Initium sapientiæ timor

C

D

S. Aug.

opinione quorundam eſt. propterea nec ignibus funerandum aiunt, parcentes ſuperfluo animæ.

CARNIS DIGNITAS IN ORD. AD INCORRVPT. ET GLORIAM. I. SCHOLIA.

AGit contra quoſdam infirmè probantes immortalitatem Animæ, ex leuibus quibuſdam conjecturis; quibus ſibi perſuadent, etiam poſt mortem quaſdam animas aliqualiter adhuc ſuis herere corporibus; quæ quia vel incorrupta diu manent, vel in his capilli & vngues excreſcunt, arbitrantur hæc non poſſe præſtare abſque aliquo reſiduo animæ. Sed non aduerunt incorruptionem hanc plerumque precedere, vel ex aëre, vel terra, vel ipſo corpore ſuccidente, vel denique morbi & mortis genere conſumente humiditatem, quæ eſt corruptionis principium. Vngues verò ſuccreſcere nervis reſolutis, & carne conſumpta extenſis: capillos autem ſubſiſtere ob ſeruatum in ſecreto cerebri humidum quo non ſolum nutriuntur & conſeruantur, ſed etiam ſuccreſcunt. QVAS NVLT ANIMAS. Legendus Plato in Phædone, Timæo, & Phædro; vbi ſtatim poſt diſceſſum à corpore, expeditas carnis ergaſtulo Animas, tranſmittit in Cœlum. IN POLITIA, id. in Politicis lib. 10. de Republica. Vbi refert quendam Ægyptium occiſum in bello, qui ſanus quidem & integer corpore poſt decimum diem ex mortuorum acervo ſublatus, & domum delatus, cum 12. die ſepeliendus eſſet, poſitus in pyrâ reuixit. Quod credibile non eſt. Sit fides penes Autores. INDIVIDVITATE inſeparabilitate Animæ. DEMOCRITVS, iuxta Laërtium, in ſepulcris habitabat, vnde hæc circa cadauera potuit obſeruare. Et denotare, id eſt notare. Vt plurimum enim vtitur compoſitis. Hunc ridet Varro & ſcitè carpit his verbis: Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcepit vt comburerent, quàm Democritus, qui, vt in melle ſeruarent: quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream, ſi centum denariis calicem mulſi emere poſſemus. *Agit de corporibus conditis à Democrito, ad conſeruationem. Quem irridet & Plinius lib. 7. cap. 55.* Poſt ſepulturam aliæ atque aliæ Manium ambages. Omnibus à ſuprema die eadem, quæ ante primum; nec magis à morte ſenſus vllus, aut corpori, aut animæ, quàm ante natalem. *Hic apertè immortalitatem animæ negat. Et concludit de Democrito:* Similis & de aſſeruandis corporibus hominum, ac reuiuiſcendi promiſſa Democrito vanitas, qui non reuixit ipſe. Quæ iſta dementia eſt, iterari vitam morte? EXSVCCIOR, *minus ſuccida & humida, deſiccata,* EROGARAT, *conſumpſerat. Similitudine ſumpta à rogo, in quo mortuorum cadauera cremabantur.* EXORDIA, *extremitates. Neque enim oriuntur nerui ab vnguibus, ſed originem habent à cerebro. Sic & Actu. 10. Petrus in extaſi:* Vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, *id eſt quatuor angulis & extremitatibus. Et Iacobi 1.* Vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. *Licet enim juxta Græcum & Syrum, velit nos eſſe primitias omnium creaturarum, & principatum habere: Benè tamen intelligi poteſt, juxta vulgatam edit. Quòd ſicut in Scriptura, Angelus (quem Auguſtinus ſub lucis nomine vult primo die conditum)* eſt initium viarum Domini; *ſic homo ſexto die conditus,* aliquod initium eſt creaturæ. *Et quia vltimum opus eſt in executione, primum fuit in intentione, ad vnguem extremum nervorum, referens ſuum prototypum Chriſtum, quem, ſenſu Tertulliani, pre oculis habebat Deus, cùm primum Adam de limo formaret.* CAPILLAGO. *Capillatura, capillitium.* HABES MEDICOS, *qui dicant animam, & corpus ita ſimul connexa, vt reliquiæ animæ conſeruandæ, à corporis conſeruatione pendeant. Sic enim Hippocrates lib. 1. de dieta dixit, Animas hominum creſcere, & minui, nec non etiam corrumpi penitusque deficere, deficiente corpore; inde ei tanta cura condiendorum melle cadaverum. Inde aliqui legunt hunc locum;* habes Medicos; ſupple quos conſulas, & ex quibus diſcas. SI NEC MODICVM. *id. modica ſubſiſtentia, & præſentia animæ reſidet & reſtat adhuc in corpore, quod prorſus euaneſcat tandem, cùm tempus omnem corporis* SCENAM ABOLEVERIT, *conſumpſerit, deleuerit. Tertul. autem.* Habes Medicos. *Qui hoc ſentiant.* Sed nec modicum quid, &c. *Nil omnino ſupereſt animæ in corpore adhuc integro poſt mortem, quod eo penitus diſſoluto, quandoque decedat & prorſus extinguatur. Scena propriè tabernaculum eſt ex frondibus inumbrationis cauſa compoſitum.* σκηνὴ ἀπὸ τῆς σκιᾶς. *Hoc eſt ab vmbra deducto nomine. Vnde & Scenopegia feſtum tabernaculorum Hebræis ſolemne. In memoriam eorum quæ in deſerto peregrini erexerunt. Translata deinde vox ad tragœdos, & comedos, qui ſub tentoriis actitabant. Inde* & ſeruire ſcenæ, *dixit Cicero ad Brutum, id eſt ſeruire tempori. Bene corpori humano, temporis ludibrio quadrat hoc nomen. Hinc Iob illud folio compaxat, & Vmbratico tabernaculo,* contra folium quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, &c. *Et Apoſtolus;* velox eſt depoſitio tabernaculi mei. PARCENTES SVPERFLVO, *&c. Ideo quidam non comburunt corpora, vt animæ reliquias ſuperſtites non abſumant. Sic Phocylides,* non diſſoluimus pulchram hominis harmoniam, etenim ſubitò è terra ſperamus in lucem venturas reliquias defunctorum, qui poſtea Dij fiêt. *Ideo Ægyptij ſale, nitro, & aromatibus; Perſæ cerâ circumlitos diu domi ſeruabant. Contra Romani ignibus ſe animas purgare credebant à ſordibus corporum, & eas extennare, vt ad principium, & naturam ſuam, ſubtiliores remearent. Nos fideles, juxta vetus, & nouum teſtamentum, corpora defunctorum condimus, & honorificè ſepelimus, vt vaſa animæ, vt Spiritus ſancti templa, & organa. Etiam qua credimus ſuprema conflagratione vniuerſi redacta in cineres, ad gloriam immortalem ſuſcitanda, ſic integrè, vt nec vnguis deſit, nec, atteſtante Chriſto,* de capillis omnibus numeratis, vel vnus pereat, *qui ſecundum D. Aug. de Ciuit. ad ſpeciem, & decorem conferat. Monſtruoſum enim, nedum indecorum eſſet, omnes reſtitui capillos, vel morbo defluentes, vel nouacula fluctuſos; aliàs in horridam ſiluam capillago ſuccreſceret. De reſurgentium corporum capillatura ſic Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 12.* Si, inquit, quod ait Apoſtolus, occurſuros nos omnes in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, & illud alterum, quos prædeſtinauit conformes fieri imagini filii ſui: ſic intelligendum eſt, vt ſtatura & modus Chriſti corporis omnium, qui in regno eius erunt, humanorum corporum ſit futurus: multis erit, inquiunt, de magnitudine & longitudine corporis detrahendum. Et vbi jam erit, capillus capitis veſtri non peribit, ſi de ipſa corporis quantitate tam multum peribit? Quamuis & de ipſis capillis poſſit quæri, vtrum redeat quicquid è tondentibus decidit. Quod ſi rediturum eſt, quis non exhorreat illam deformitatem? Nam hoc & de vnguibus videtur, neceſſariò ſecuturum, vt redeat tam multum quod corporis cura deſecuit. Et vbi erit decus, quod certè maius, quàm in iſta eſſe corruptione potuit, in illa immortalitate eſſe debebit? Si autem non redibit, ergo peribit: quomodo ergo, inquiunt, capillus capitis veſtri non peribit? De macie quoque, vel pinguedine ſimiliter diſputant. *Et cap. 14.* In ſententia Domini, vbi ait, ca-

S. Aug.

S. Auguſt.

S. Aug.

pillus capitis vestri non peribit dictum est, non defuturum esse quod fuit: Non autem negatum est, affuturum esse quod defuit, &c. Profectò in resurrectione corporis, detrimenta corporis non timemus: Quia & si æqualitas futura esset omnium, ita vt omnes vsque ad giganteas magnitudines pertinerent, nec illi qui maximi fuerunt, minus haberent aliquid in statura, quod eis contra sententiam Christi periret, qui dixit: nec capillum capitis esse periturum: creatori vtique qui creauit cuncta ex nihilo quomodo deesse posset, vnde adderet quod addendum esse nurus artifex nosset? A

2. *Carnem mors in deposito seruat in Elementis, vel animalibus, tanquam vasis, restituendam homini, tunc Christo immortali & sapienti, futuro simili. De Resurr. cap. 63. in p.*

RESURGET igitur caro, & quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra. In deposito est vbicumque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei & hominum, Iesum Christum, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet, carni spiritum, & spiritui carnem. Vtrumque jam in semetipso federauit, sponsam sponso, & sponsum sponsæ comparauit. Nam & si animam quis contenderit sponsam, vel dotis nomine sequetur animam caro. Non erit anima prostituta, vt nuda suscipiatur à sponso. habet instrumentum, habet cultum, habet mancipium suum carnem; vt collactanea comitabitur. Sed caro est sponsa, quæ & in Christo Iesu spiritum sponsum per sanguinem pacta est. Huius interitum quem putas, secessum scias esse. Non sola anima seponitur. Habet & caro secessus suos interim, in aquis, in ignibus, in alitibus, in bestiis. quum in hæc dissolui videtur, velut in vasa transfunditur. Si etiam ipsa vasa defecerint, quum de illis quoque effluxerit, in suam matricem terram quasi per ambages resorbetur, vt rursus ex illa repræsentetur Adam; auditurus à Domino, [a] *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*: verè tunc compos mali quod euasit, & boni quod inuasit.

[a] Gen. 3. 22.

CARNIS DIGNITAS IN ORD. AD INCORRVPT. ET GLORIAM. II. SCHOLIA.

RESVRGET, *&c. concludit omnem carnem resurrecturam, tam justorum, quàm reproborum. Psaltes*, Ad te omnis caro veniet. *Paulus*, omnes quidem resurgemus. ET QVIDEM IPSA *in individuo, ipsamet substantia. Sic Eutychius primo incredulus, à D. Gregorio Magno conuersus, morti proximus, manum morsu apprehendens*; Credo, inquit, me in hac carne surrecturum. INTEGRA. *Licet prius fuerit trunca, & mutila, vel deformis.* IN DEPOSITO EST. *Inuiolabilis lex depositi. Paulus 2. Tim. 1.* Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. SEQVESTREM DEI. *Mediatorem intelligit inter Deum & hominem, sic Moyses Deut. 5.* Ego sequester, & medius fui inter Dominum & vos. *Vtrumque iunxit doctissimus Iureconsultus Tertullianus.* Depositum enim est contractus realis, quo res aliqua mobilis alicui traditur custodienda, gratis, vt eadem illa res restituatur in specie, quandocumque contrahenti libuerit. *Vulteius l. 3. in Com. Instit. tit. 15. §. 3. num. 1.* Depositum autem in sequestre propriè dicitur, quod à pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur. *l. 6. depos.* Differt autem depositum à sequestro, quòd tam vnus quàm plures deponere possunt; sed apud sequestrum, non nisi plures deponere solent. *l. 17. ff. depos.* QVI ET HOMINI DEVM, *&c. En restitutio depositorum in solidum; vt Christus Patri suo integrum hominem repræsentet & restituat, & Deum homini perfecto; vt immortalitatem Deo propriam, & in statu innocentiæ ex gratia concessam, peccato perditam, & pro nihilo à prodigo venditam redhibeat; carnem spiritui, & spiritum carni: sic sperante Propheta, in die, quam Petrus dixit in Act.* Restitutionis omnium, *diem judicij respiciens*; Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi, pars hæreditatis meæ & calicis mei. *Iob. 38. 14. Hoc mysterium præsenserat.* Restituetur, inquit, vt lutum, signaculum, & stabit sicut vestimentum. *Sanct. Pagnin. ex Hebr.* Vertet se terra, sicut lutum sigilli, & stabunt sicut vestimentum. *Sicut vas luteum calatum, & sigillatum, sic corpus humanum, vas animæ, & vestis eius, stabit rursum excitatum ad vitam, & restituetur eidem animæ; vt rursum homo integer, signaculum, & imago Dei stet, nusquam relapsurus in mortem. Quod & translatio. 70. Interpretum subinsinuat*: Aut tu fumens terram, lutum plasmasti animal, & idoneum ad loquendum eum posuisti super terram. *Quod vt plenè intelligas; suppone ex Tertulliani sententia, lutum, siue limum, ante insufflatam animam appellatum hominem. Secundò eumdem limum bene vocari signaculum, quia notum est ex eiusdem authoris mente, ad imaginem Dei, id est secundum prototypum, & ideam Christi, fecisse Deum primi hominis corpus ex limo, & illud quasi vestimentum animæ præparasse. Hoc posito sensus clarus est, aliàs obscurissimi loci.* Restituetur signaculum. *id est corpus humanum, in primo homine signatum ad imaginem corporis Christi futuri, reuoluetur in primum pulverem in morte: Sed rursum in resurrectione*, stabit sicut vestimentum. *De quo idem Iob*, Pelle & carnibus vestisti me, &c. Sicut vestimentum quod comeditur à tinea. *Vt ergo primò fieret carnis indumentum*, facto homine in animam viuentem, insufflato in faciem eius spiraculo vitæ: *Ita in resurrectione eadem anima Dei signaculum restituetur luto suo reformato, & lutum vicissim animæ; vt stent in æternum. Expositioni nostræ fauet Augustinus in idem caput 38. Iob. Vbi secutus 70. à versu 12. & seq.* Nunquid tecum lucem constitui matutinam. Id est, cum consilio tuo, tempus resurrectionis prædestinaui. Aut cognouit Lucifer ordinem suum? Dominum Luciferum dicit, propter ipsum matutinum resurrectionis exortum. Ipse agnouit ordinem suum; vt esset primitiæ dormientium, primogenitus à mortuis, caput Ecclesiæ, secuturo etiam corpore in futura resurrectione sanctorum. Apprehendere pennas terræ, dictum est, si recipiant pennas meas in directum: Psalmo 138. Virtutes vtique spiritales fidelium, quibus à sæcularibus suspenduntur illecebris. Excutere impios ex ea. Ad hoc enim prior tantò ante resurrexit agnoscens ordinem suum, vt fidem Resurrectionis insinuaret, atque per ipsas pennas Ecclesiæ vbique prædicatus, ministerio circumuolantium nuntiorum, justè apprehendat eas in opus judicandi duodecim tribus Israël, cùm venerit excutere impios ex Ecclesia, Aug.

A B C D

qui nunc ante judicium permixti tolerantur. *Tum*
Aug. *ad præciſatum à nobis locum exponendum veniens*, Et tu ſumens terræ lutum, figuraſti animal. Siue, inquit, ipſum Adam commemoret, ſiue quod nunc ſexta ætate ſæculi, ſicut tunc ſexto die, de peccatoribus, tanquam de luto terræ. Homo factus eſt, ſecundùm imaginem eius qui creauit eum. Non vtique hoc fecit Eccleſia, ſed in hoc potius facta eſt *ſicut Eua de Ada latere*; per Verbum opportuno tempore incarnatum, per quod facta ſunt omnia. Et famoſum eum poſuiſti ſuper terram. Magis iſte homo famoſus poſitus ſuper terram, qui ſexta ætate ſæculi factus eſt, quàm ille qui ſexta die, antequam eſſent cæteri homines per quos diffamaretur: niſi fortè quia tunc ita innotuit. *Quando ſcilicet immiſſo ſopore extatico, agnouit Sacramentum magnum Verbi cum carne & Chriſti cum Eccleſia.* FOEDERAVIT, *Animæ rationali carnem, & carni animam conjunxit in ſeipſo Chriſtus.* COMPARAVIT, *quæſiuit, & iunxit vtrumque partem in vnum compoſitum, perfecto matrimonio, & Verbum perfecta natura humana indiſſolubili nexu, & vnione hypoſtatica nupſit vel*, comparauit, *vſus ſimilitudine & comparatione ſponſi. Pſal. 44.* Ipſe tanquam ſponſus procedens
Aug. de thalamo ſuo. *Aug. in hunc locum Pſal. 18.* Ille tanquam ſponſus, cùm Verbum caro factum eſt, in vtero Virginali thalamum inuenit, atque inde naturæ connectus humanæ, tanquam de caſtiſſimo procedens cubili, humilis miſericordia ir fra omnes, fortis maieſtate ſuper omnes; hoc eſt enim, gygas exultauit ad currendam viam: natus eſt, creuit, docuit, paſſus eſt, reſurrexit, aſcendit. Cucurrit viam, non hæſit in via. *Sic Verbum loquitur naturæ humanæ, Oſea 2.* Sponſabo te mihi in ſempiternum: Et ſponſabo te mihi in juſtitia, & judicio, & in miſericordia & in miſerationibus, & deſpõſabo te mihi in fide. *In æternũ, idem ſignat quod in fide, ſupple inuiolabili fidelitate, & nexu indiſſolubili: in Iudicio, dum pro humana natura, in ea ipſa voluit judicari, & mori, & reſurgere, & in judicium venire poſt reſuſcitatos homines. In miſericordia autem, præeligendo naturam humanam in ſponſam, ſuper Angelicam. Quia ex*
Aug. *ſecundùm carnem prædeſtinatus eſt vt Filius hominis, ex mera gratia & miſericordia, quia non potuit hoc mereri humanitas quia agere & mereri ſupponit eſſe, & rurſum actiones ſunt ſuppoſitorum; nunquam autem fuit natura humana Chriſti, vel vno momẽto, quin fuerit vnita Verbo, vnico Chriſti ſuppoſito, & proinde nunquam fuit niſi ſponſa Verbi, ac per conſequens non potuit has nuptias promereri, antequam fieret, quæ non erat, vt mereri poſſet.* ETSI ANIMAM. *Si quis velis, ſponſam Dei intelligere*

A *Animam, cuiuſque fidelis, æterno vinculo cum Deo in cœli gloria coniunctam;* VEL DOTIS NOMINE, *&c. ſaltem caro dabitur anima ſi non vt pars humani compoſiti*, quod certum eſt *ſaltem tanquam dos, nuptiale munus, veſtis nuptialis*, INSTRVMENTVM, *organum, ſuppellex; ne anima quaſi nuda, deſtituta, quin & proſtituta, tanto ſponſo præſentari videatur. Solet & Reginam, & nouam nuptam indiuidua comes*, COLLACTANEA, *& ſoror nutritia ſequi. Philippus ſolitarius in Dioptra, vocat carnem* coalumnam *Alij legunt apud Tertul. hoc loco* colætaneam, alij collectaneam, alij conſectaneam. *Quia ex Aug. caro* S. Auguſt.
dote agilitatis donata, Nuptiarum cauſa, promptè vt ancilla ornatiſſima parebit animæ imperatis arbitrio: Vbi volet Spiritus, ibi erit & corpus *hoc ſenſu, lubet explicare animalia Ezechielis, vt dicam eſſe*
B *corpora noſtra, quæ* ſeminantur animalia, reſurgent ſpiritalia. *De quibus ſic ipſe Ezech.* Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, &c. Ibant & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. *En ſimul tres dotes, claritatis, ſubtilitatis, agilitatis. Et ne deſit impaſſibilitas, ſiue incorruptibilitas*; & non reuertebantur cùm ambularent. *Supple in primum pulueren & corruptionem. Sic enim ipſe Tertul. de re tacta fulmine:* Qui de cœlo tangitur, ſaluus eſt, vt nullo iam igne decineraſcat. *Quanto magis ipſum corpus fulgurans gloria?* SED CARO IST
SPONSA. *Non jam dico famulam, vel etiam ſponſam anima, ſed Spiritus ſancti ſponſam, quæ fœdus &*
C *pactum Nuptiale cum Spiritu ſancto iniit in Chriſti ſanguine, vt cùm Sephora poſſit dicere,* ſponſus ſanguinum tu mihi es. HVIVS INTERITVM. *Cuius mortem irremeabilem putas, ſcito ſeparationem & receſſum ad tẽpus eſſe: Neque enim anima ſola ſeparata ſubſiſtit, ſeruatur interim carnis materia, ceu theſaurus aliquis pretioſus, in elementis, vel animalibus; in qua dum caro abſorpta videtur diſſolui, tamen vt aurum liquatum in vaſa tranſunditur, quæ licet ipſa deficiant, quibus effluat, vt è ciſterna diſſipata, vel teſta confracta, carnis ſubſtantia, in primum pulueris originem reſoluta, & quaſi per meatus faiſcentis ſoli, dehauſta; è terra tamen iterum* ADAM, *cum tota poſterũm ſuorum electa familia, reproducetur: vt audiat dicentem Deum, non ironicè, ſed ſeriò & verè.* ECCE ADAM, *&c. quaſi vna perſona Trinitatis, ſimilis Dei filio, in carne*
D *gloriosa.* COMPOS, *&c. mortis*; abſorptæ in Victoriam: *Et omnis peccati: & mali pœnæ, quam euaſit, & Boni, immortalitatis, gloriæ, ſimilitudinis, ſcientiæ, quam inuaſit; dicente Ioanne.* Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt.

3. *Caro gloriosa, per veſtimentum luminoſum ſignificata. De Reſur. cap. 7. in p.*

HAbemus etiam veſtimentorum in ſcripturis mentionem, ad ſpem carnis allegorizare; quia & Apocalypſis Ioannis, [a] *Hi ſunt, ait, qui veſtimenta ſua non coinquinauerunt cum mulieribus*; virgines ſcilicet ſignificans, & [b] *qui ſemetipſos caſtrauerunt propter regna cœlorum.* Itaque [c] *in albis erunt veſtibus*, id eſt, in claritate innubæ carnis. Et in Euangelio, [d] *indumentum nuptiale*, ſanctitas carnis agnoſci poteſt. Itaque Eſaïas docens, [e] *quale jejunium elegerit Dominus*, quum ſubjicit de mercede bonitatis, [f] *Tunc, inquit, lumen tuum temporaneum erumpet, & veſtimenta tua citius orientur:* non ſubſericam vtique, nec pallium, ſed carnem volens accipi, ortum carnis reſurrecturæ de mortis occaſu prædicauit. adeo nobis quoque ſuppetit allegorica defenſio corporalis reſurrectionis.

a Apoc. 14
b Matt 19. 12.
c Apoc. 3.
d Matt. 22. 12.
e Eſa. 58. 5.
f Eſa. 58. 8.

CARNIS DIGNITAS IN ORD. AD GLOR. III. SCHOLIA.

HABEMVS ALLEGORIZARE, *&c. præſtat nobis Scriptura plures locos, ex quibus poſſimus, præter expreſſa teſtimonia reſurrectionis, figuratius depromere; dum veſtimentorum nomine, carnem glorioſam interpretamur. Vt enim primo pelle mortali anima veſtita eſt dicente Iob*, pelle & carnibus veſtiſti me: *ſic & regina caro* à dextris vocata adſtabit, in veſtitu deaurato, circundata varietate;

dotum. Amicta lumine sicut vestimento. INNVBÆ CARNIS. *Iam nuptiarum sordibus erepta. Sunt qui legant* in nube carnis *vt Christus ascendit in nube lui. Vel* innubè, *id est absque nube, in perfecta & liquida claritate. Sicut Seneca tragœdus dixit* innubem diem. SANITAS CARNIS, *Virginitas, vel incorruptibilitas.* BONITATIS. *Virtutis.* TEMPORANEVM *Vulgata sic* tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. *Sanctes Pagn. Ex Hebr. paucis immutatis*, veluti aurora lumen tuum, & sanitas tua cito germinabit. 70. *autem* matutinum lumen tuum: & sanitates tuæ cito orientur, &c. Et gloria Dei circundabit te. *temporaneum Tertul. pro eo quod valde mane accidit, sumit. Hinc Christus apud psaltem*, exurgam diluculo: *est & inscriptio Psalmi*, pro cerua vel susceptione matutina. *& alibi psaltes*, de abyssis terræ eduxisti me, & cum gloria suscepisti me. *& Psal. 59.* exultabo mane misericordiam tuam. *vbi sic Aug.* mane, transactis tentationibus, mane cum nox huius sæculi transierit, mane quando iam latronum insidias, & diaboli, & Angelorum eius non expauescimus; mane, quando iam non ad lucernam prophetiæ ambulamus, sed ipsum Dei Verbum tanquam Solem contemplamur, &c. meritò in Psalmo 5. dicitur, mane adstabo tibi & contemplabor. Meritò & ipsius Domini resurrectio diluculo fuit, vt impleretur quod dictum est in alio Psalmo 29. Vespere demorabitur fletus, & in matutino exultatio. Ad vesperam quippe discipuli mortuum planxerunt Dominum nostrum Iesum Christum, diluculo ad Resurrectionem exultauerunt. *sic dicet vnusquisque cum psalte & Christo, post consciſſam carnis vestem,* conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitiâ. *Hieronymus in hunc locum putat aliquos deceptos similitudine vocis, quæ in græco est; ἰαματα,* (curationes, emplastra, sanitates) *legisse, ἱματια, id. vestimenta. ita quidem legis Cyprian. initio Sermo. de eleemosyna, & lib. de Orat. Domin. in fine & D. Augst. sub finem Serm. 172.* tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua citò orientur. *& quidem iustum est vt à iusto iudice merces corpori iuxta gesta in eo reddantur, dixerat prius Esaias,* cum videris nudum, vesti eum, & domesticos seminis tui, *(vel vt Vulgata legit,)* carnem tuam ne despexeris: *æquum erat vt vestimenta carnis splendida de terra orirentur, & resurgerent citò,* in nictu oculi, *pauperem cito vestienti, & sanitas plena redderetur à* sole iustitiæ sanitatem portante in pennis suis: *emplastro charitatis, tegenti & curanti vulnera pauperis.* NON SVBSERICAM *interiorem vestem aut tunicam, vel pallium exterius splendidum, sed secundùm Euangelium,* corpus est plusquàm vestimentum. *Adeo vt* nec Salomon in omni gloria sua coopertus sit, sicut vnum ex istis: *liliis scilicet immarcessibilibus, id est corporibus beatis: pro quibus est titulus Psalmi 44. in quo agitur de Regina adstante à dextris, in vestitu deaurato, circumdata varietate. Ita enim inscribitur:* in finem pro liliis: pro his qui commutabuntur. *Sed testante Paulo non omnes immutabimur.* ORTVM CARNIS. *Quæ scilicet instar Solis, de mortis occasu & tenebris, emerget cum dote claritatis.* ALLEGORICA DEFENSIO. *Probatio resurrectionis ex figuris Scripturæ sumpta ad tuendam eius veritatem, contra aduersarios carnis.*

Aug.

4. *Caro Resurget gloriosa pro ordine meritorum. De Resur. Cap. 48. in m.*

1. Cor. 15 23. VNusquisque *autem in suo ordine*, scilicet quia & in suo corpore. Ordo enim non aliud quàm meritorum dispositor. Merita autem quum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, vt possit esse meritorum.

CARNIS DIGNITAS IN ORD. AD INCORRVPT. ET GLOR. IV. SCHOL.

IN SVO ORDINE. *Sic. 1. Cor. 15.* Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vnusquisque autem in suo ordine. primitiæ Christus. *ordo tam meriti, quam dignitatis & temporis est. D. Thomas in hunc locum:* verum est quod omnes in Christo viuificabuntur, sed tamen differunt, quia differentia erit inter caput & membra. Et differentia erit quantum ad bonos & malos, & ideo dicit quia vnusquisque resurget in suo ordine, scilicet dignitatis. Rom. 13. quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Sed hunc ordinem consequenter manifestat, quia primitiæ Christus; quia ipse est prior tempore & dignitate, quia plus habet de gloria. Ioan. 1. vidimus eum quasi vnigenitum. *Tertul. autem ordinem hunc deducit ex corpore, cuius semper intendit tueri dignitatem, non quod ignoret meritum ab Anima per gratiam elevata radicitus dependere; sed quod verum sit nullum animæ meritum sine corporis instrumento extitisse. Vnde Paulus*, nos omnes manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. *translatio Syriaca,* futurum est enim vt nos omnes sistamur ante tribunal Meschico, vt reportet vnusquisque id quod egit sibi siue bonum, siue malum. *Inde supra. 1. Cor 15. hunc ordinem meritorum notat ex diuersa dispositione corporum*; & corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium, alia claritas Solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum *D Thomas ibi,* sunt corpora cœlestia, vt Sol & Luna & huiusmodi: & sunt corpora terrestria, vt ignis, aqua, &c. sed alia quidem est gloria, id est pulchritudo, & decor corporum cœlestium, &c. Eccli. 43. species cœli, gloria stellarum. Et possunt per cœlestia corpora intelligi contemplatiui, Phil. 3. nostra conuersatio in cœlis est. Per terrestria, actiui, qui circa terrena occupantur. Vnde Marthæ dictum est, Luc. 10. turbaris erga plurima, &c. potest intelligi per Solem Christus Malach. 3. orietur timentibus vobis nomen meum Sol iustitiæ, &c. per Lunam B Virgo, de qua Cant. 6. pulchra vt Luna. Per stellas adinuicem ordinatas, cæteri Sancti, Iudic. 5. Stellæ manentes in ordine suo. *ordo temporis & dignitatis Christo, B. Virgini, sanctorum corporibus qui cum Christo surrexerunt, datus est; sed in communi omnium resurrectione nullus ordo temporis ab Augustino post Paulum agnoscitur. Paulus enim hoc ipso capite* in momento, in ictu oculi, *immutationem corruptibilis & ignominiosæ carnis in incorruptibilem & gloriosam, faciendam esse dicit. Augustinus autem citatus à Reda in 1. Cor. 15. sub titulo libri contra sex quæstiones paganorum, sic habet:* Quod Christi corpus non dissolutum tabe atque putredine die tertio resurrexit, nostra verò post longum tempus ex quadam, quæ soluta discesserint, collatione reparabuntur: humanæ facultati vtrumque impossibile est. Diuinæ autem potestati

Aug.

Vtrumque facillimum: vt enim radius oculi noſtri non citius peruenit ad propinquiora; tardius ad longinquiora; ſed vtraque interualla pari celeritate contingit: ita cum in ictu oculi, ſicut Apoſtolus dicit, ſit reſurrectio mortuorum; omnipotentiæ Dei, & ineffabili nutui tam facilè eſt, quæcumque recentia quàm diuturno tempore dilapſa cadauera ſuſcitare. Incredibilia ſunt hæc quibuſdam; quia inexperta; cum omnis natura rerum tam ſit plena miraculis: vt non quaſi facili peruestigatione rationis; ſed videndi conſuetudine mira non ſint. Quæ ob hoc, nec conſideratione, nec inquiſitione digna videntur. Nam ego & mecum quicumque, inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciunt; aut non minus, aut amplius admiramur in vno ſeminis tam paruulo grano omnia quæ laudantur in arbore, tanquam liciata latuiſſe, quam mundi huius tam ingentem ſinum, quæ de corporibus humanis delabuntur abſumpta: reſurrectioni futuræ tota & integra redditurum. *Ordinem autem meritorum diſtinctum in corporibus beatorum, recognoſcit idem Aug. poſt Paulum, ſcribens ad Conſentium Epiſt. 146.* Si genera carnis, inquit, cùm ſint cuncta mortalia, differunt tamen inter ſe pro diuerſitatibus animantium; & ſi corpora, cùm ſint omnia viſibilia, differunt tamen pro diuerſitatibus locorum; Vnde alia eſt cœleſtium gloria, alia terreſtrium: etſi in locis ſublimibus, cùm ſint cuncta cœleſtia, differunt etiam ipſa claritatibus luminum; non mirum eſt quod in reſurrectione mortuorum diſtabit gloria meritorum. *Ordo porrò meritorum etiam hic eſt, vt cùm mala ſint merita reproborum, licet reſurgant, non tamen immutabuntur, niſi in deterius; vnuſquiſque enim propria corporis referet, & recipiet prout quiſque geſſerit in corpore ſuo.* Qui enim ſeminat in carne, de carne metet corruptionem; & qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. *Vnde Auguſt. ſupra citata Epiſtola:* Ergo inquit, iſtam commutationem in melius ſine dubitatione oportet intelligi, *(ſupple in iuſtis,)* quia omnes & iuſti & iniuſti reſurrecturi ſunt, ſed ſicut Dominus in Euangelio loquitur, qui benè fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui malè egerunt, in reſurrectionem iudicij: Iudicium appellans pœnam ſempiternam; ſicut alio loco, Qui non credit, inquit, iam iudicatus eſt; proinde illi qui ad iudicium reſurrecturi ſunt, non commutabuntur in illam incorruptelam, quæ nec doloris corruptionem pati poteſt. Illa namque fidelium eſt, atque ſanctorum; iſti verò perpetua corruptione cruciabuntur, quia ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Quid ſibi ergo vult iſta diſtinctio, & mortui reſurgent incorrupti, & nos commutabimur; niſi quia omnes incorrupti reſurgent? Sed ex his etiam iuſti immutabuntur in illam incorruptelam, cui omnino nulla poſſit nocere corruptio: ac per hoc qui in ea non commutabuntur, incorrupti quidem reſurgent integritate membrorum, ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum, cum audierint: ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. A quo auditu malo iuſtus non timebit, de illa verò commutatione iuſtorum cum dixiſſet, nos commutabimur; tanquam quæreremus quomodo iſtud fiat, vel qualis illa commutatio futura ſit, adiungit & dicit; oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, & mortale hoc induere immortalitatem. *O quale portentum, tam ſubitam videre in iuſtorum & reproborum corporibus immutationem* Cum apparuerint peccatores ſicut fœnum, *& in gloria carnis, quæ eſt ſicut flos fœni, qui vento & ſpiritu calido pertranſeunte, non ſubſiſtit)* vt intereant in ſæculum ſæculi; *per incorruptibilem, id eſt æternam corruptelam: iuſtos autem, ſecundum Apoſtolum,* modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, conſolidabitque. *Quod fiet in inſtanti, nullo temporis, ſed ſolius meriti ordine ſeruato, dicente Paulo. 1. Cor. 15* In atomo, *ſic enim legit in eadem Epiſtola Auguſtinus, vbi ſic habet:* In atomo, inquit, hoc eſt in puncto temporis, quod diuidi non poteſt; in ictu oculi, hoc eſt in ſumma celeritate. In nouiſſima tuba, hoc eſt in nouiſſimo ſigno, quod dabitur, vt iſta compleantur. Canet enim tuba, inquit, & mortui reſurgent incorrupti, & nos commutabimur. *Sed in illo momento extremi ſonitus tubæ, ſoli iuſti mutabuntur in melius, qui dum viuerent, carnem vt cytharam, tenſis chordis, id eſt nervis omnibus & viribus corporis in Dei laudem impenſis, crucifixerunt; dicentes:* Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara, exurgam diluculo. *Hinc hortatur pſaltes 97.* pſallite Deo noſtro in cythara, in cythara & voce pſalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. *in quem locum Auguſt.* Pſallite non voce ſola, *non enim qui mihi dicit Domine Domine, &c. ſed qui fecerit, intrabit in regnum cœlorum* aſſumite opera; *domando carnem, operibus & fructibus dignis pœnitentiæ,* qui cantat & operatur, pſallit in cythara, & in pſalterio. *alibi dicit pſalterium eſſe animam, quia in ſuperiori parte ſonat, carnem cytharam, quia ex inferiori parte reſonat.* In tubis ductilibus, &c. quid ſibi volunt tubæ ductiles, & tubæ corneæ? Ductiles tubæ æreæ ſunt, tundendo producuntur, vt Publicanus percutiens pectus, productus eſt ad iuſtitiam ſupra Phariſæum. *ſi tundendo, ergo vapulando eriuis tuba ductiles ad laudem Dei productæ.* ſic Paulus tuba verbi Dei, non quaſi aërem verberans & æs ſonans, caſtigabat corpus ſuum, ne aliis prædicando, reprobus efficeretur. *Vox tubæ cornea quid eſt? Cornu excedit carnem, neceſſe eſt vt carnem ſuperando ſit firmum ad perdurandum, & capax vocis. Sed vnde hoc? quia carnem ſuperauit. Qui vult eſſe tuba cornea, ſuperet carnem. Quid eſt ſuperet carnem?* Eam cum Paulo in ſeruitutem redigat. *tranſcendat carnales affectus, vincat carnales libidines. Audi tubas corneas: ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, &c. quid eſt, quæ ſurſum ſunt quærite? id eſt, carnem excedite, &c. cornu & carni hæret, & carnem excedit; & quamquam de carne oriatur, ſuperat carnem: fies ergo ex carnali ſpiritalis,* etiam ante reſurrectionem. *adhuc carne calcans terram, & ſpiritu erumpens in cœlum: in carne enim ambulantes inquit, non ſecundum carnem militamus, &c. tuba cornea te erigat aduerſus diabolum, non tuba cornea aduerſus fratrem tuum, vt ad ſonum tubæ nouiſſimæ, perfecta redemptione etiam carnis ſtatim appropinquante leues caput, & cornu exaltes in gloria: eſto iunc tuba cornea,* nec tardes conuerti de die in diem; ſed hodie ſi vocem Dei audieris, *ſtatim conuertere corde, & carnem mortifica opere pœnitentiæ.*

A

B

C

D

Aug.

S. Auguſt.

S. Aug.

S. Aug.

5. *Caro hominis reſtituenda Paradiſo meliori. De Reſur. cap. 26. in f.*

ETiam, ſi quis audebit terram ſanctam paradiſum potius argumentari, quàm & Patrum dici capiat, Adæ ſcilicet & Euæ: proinde & in paradiſum reſtitutio carni videbitur repromiſſa, quæ eum incolare & cuſtodire ſortita eſt. vt talis illuc homo reuocetur, qualis inde pulſus eſt.

CARNIS DIGNITAS IN ORD. AD INCORR. ET GLOR. V. SCHOLIA.

TERRAM SANCTAM PARADISVM *id. sumpsit ex Esa.* 1. Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis. *Sic habent & 70. vbi aliqui terram sanctam, Iudeam fluentem lacte & melle intelligunt; quæ & juxta Lyr. Cant. 4. horto conclusæ, montibus, & paradiso malorum punicorum comparatur; Tertul. autem:* Si quis audebit terram sanctam, Paradisum, &c. *Licet quis præruptè forsitan interpretetur bona terræ, paradisi terrestris vbertatem,* QVAM ETIAM PATRVM DICI CAPIAT. *id. quæ possit etiam appellari primorum parentum terra, quam colendam dedit plantator Paradisi Deus Adæ & Euæ.* IN PARADISVM RESTITVTIO. *Meliorem vtique non solum terra promissa, sed ipso Paradiso terrestri, ex quo ad terram sanctam, montem inquam Thabor, de suo Paradiso accurrit Helias, contemplaturus cum Moyse, cui Exodi 3. dictum fuerat,* solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est. *Et rursum:* Vidisti terram, non ingredieris ad eam. *Spectaturus inquam exemplar gloriæ corporum, quæ electi Christi gloriæ configurati conformabuntur.* TALIS ILLVC. *Immo longè melior revocabitur in Paradisum cœlestem, quàm pulsus est ex terrestri non habuit enim cùm posset in Paradiso stans innocens, potestatem non peccandi & non moriendi, si voluisset: Habebit autem in resurrectione, vt non possit peccare & mori. Iuxta D. Augustinum lib. 7. libro de Corrept. & Gratia. cap.* 11. Primo, inquit S. Augustin. homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere; datum adjutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei, per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseuerantiæ datur, sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur. *Et paulò suprà de terra corporis immortali per gratiam in Paradiso data si vellet in ea manere:* Prima, inquit, immortalitas erat posse non mori, nouissima erit multo major non posse mori. *Sed id Tertul. vt patet, non suo sensu dixit, sed vt vtatur argumento ad hominem, & temerè interpretantem, bona terræ sanctæ edenda ab homine in Paradiso saltem conuincat, inde, carnem resurrecturam, & restituendam Paradiso, vt ea comedat. Sic enim immediatè ante excludens omnem terram, perituram igneo diluuio dixit:* sed nec vlli omnino terræ salus repromittitur, *id est integritas, stabilitas, existentia, qualis nunc est cum generationibus & corruptionibus, quæ possint alimenta ministrare,* quam oportet cum totius mundi habitu præterire. *Alludit ad Paulum.* Præterit figura huius mundi. *Vel ad Psalmi etiam de Cœlorum renouatione per ignem,* ipsi peribunt, & omnes sicut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, &c. Aug.

6. *Caro in Resurrectione Angelificabitur incorruptilitate. De Resurr. cap. 26. circa m.*

[a] Esa. 1. 19. [b] 1. Cor. 2. 9. [c] Matt. 5. 45. [d] Deut. 8. 5. Matt. 4. 4.

SIc & apud Esaïam, [a] *Bona terræ edetis;* bona carnis intelligentur, quæ illam manent in regno Dei reformatam, & angelificatam, & consecuturam [b] *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, ne in cor hominis ascenderunt.* Alioquin satis vanum, vt ad obsequium Deus fructibus agri, & cibariis vitæ hujus inuitet, quæ etiam in religiosis & blasphemis, semel homini addicta conditione, communicat; [c] *pluens super bonos & malos, & solem suum emittens super justos & injustos.* Felix nimirum fides, si ea consecutura sunt, quibus hostes Dei & Christi non modo vtuntur, verùm etiam abutuntur, ipsam conditionem colentes aduersus conditorem. Bulbos & tubera, in terræ bonis deputabis, Domino pronuntiante, [d] *ne in pane quidem victurum hominem.*

CARNIS DIGNITAS IN ORD. AD INCORR. ET GLOR. VI. SCHOLIA.

BONA TERRÆ. *Vide dicta Schol. precedenti.* C *Cetera clara sunt.* REFORMATAM. *Terminus est Pauli.* Reformabit corpus humilitatis nostræ, &c. *Id est corpus humile & vile secundum originem limi.* ANGELIFICATAM, *id est instar corpora ab Angelis conuersantibus in terra, impassibilem, subtilem, vel instar substantiæ Angelicæ, deinceps immortalem. Vide sequens Schol.* QVÆ NEC OCVLVS. *1. Cor. 2.* Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum. *Præmiserat Paulus* sicut scriptum est. *Isa. scilicet 64.* A sæculo non audierunt; neque auribus perceperunt. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Deus præter te, quæ faciat expectanti eum. 70. A sæculo non audiuimus: neque oculi nostri viderunt Deum præter te & opera tua quæ facies expectantibus misericordiam. *Ex quibus patet Tertullianum secutum esse D. Paulum. Qui locus licet de gloria essentiali communiter exponatur, quæ ex D. Thoma nec color est nec sonus, vt ab oculo vel aure percipi possit, vel ex D. Aug. aliquid inferius hominis corde, vt in illud ascendat,* sed S. Aug. *De gloria tamen accidentali corporis etiam exponi potest, vt inter* bona terræ carnis nostræ promissa *conferi possit. Nil enim simile vidit oculus, nil audiuit auris, nil cor hominis simile concepit gloria corporum beatorum.* ALLOQVIN SATIS VANVM, *&c. Cum* omnia sub Sole vana *sint, & Deus hæc omnia transitoria, etiam data reprobis; quæ* SEMEL ADDICTA HOMINI CONDITIONE, *id est naturali seruitutis conditione, ex qua condita sunt, omni homini indifferenter, bono, & malo, à Deo data sunt; vana esset justorum religio & merces, si hæc tantum reprobis communia expectarent.* FORTIX NIMIRVM FIDES; *ironicè dictum quasi diceret verè infelicem fidem, quæ est* substantia rerum sperandarum, & argumentum non apparentium; *si Deo visibilibus stipendiis militaret.* Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna sunt. *Fœlix proinde fides, quæ fœlicitatem credit & sperat, ideo æternam, quia non apparentem.* CONDITIONEM COLENTES. *id. creaturam conditam adorantes, contra conditoris honorem. Et rectè dictum; cum Deus cuique sit finis suus vltimus & beatitudo.* ABVTVNTVR. *Aug.* Vti fruendis, & frui vtendis, magna abusio. BVLBOS. *Bulbus allium agreste, siue allium marinum cau-* Aug.

lem

dem & folia habens lilio similia, eapegenus est, non ab- A *simile Ascalonia, quod venerem excitat teste Martiali & Colum. generaliter sumitur pro radicibus rotundis.*
ET TVBERA. *Gallicè* Truffes, *Species est Boleti. Plin.* Planè nec terram esse possimus dicere, nec aliud quam terræ callum, &c. Cum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, nascuntur, nec vltra annum durant, &c. *Quomodo, inquit, hæc vilia obsonia gloriosæ terræ carnis nostræ edenda putas, cum Christus, ne in pane quidem longè operosiore cibo, quàm qua vitro terra inarata, & inseminata producit, hominem viuere pronuntiarit?* Vincenti nimirum dabit manna absconditum, edere quoque de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi Dei mei. *Alludit hîc ni fallor ad Ægyptios & ventricolas, paponum & alliorum cultores, caterorumque, de quibus Apostolus ait,* quorum Deus venter est. *Caterum præclarè D. Aug. aliis verbis totum hunc Tertulliani textum elucidat in Psal.* 72. Quid mihi est in cœlo, & à te quid vo- B lui super terram? Defecit cor meum & caro mea, Deus cordis mei, & pars mea Deus in sæcula. Vidit quid ibi sibi seruaretur, & cogitans, & æstuans in cogitatione cuiusdam rei ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: non dixit, illud aut illud, mihi est in cœlo: sed, quid mihi est in cœlo? quid est illud quod habeo in cœlo? quantum est? quale est? quid est? & cum non transit quod habeo in cœlo, à te quid volui super terram? Seruas mihi tu, sed dicam vt possum, sed date veniam, accipite conatum meum, deuotionem nitendi: nam explicandi nulla facultas est, seruas, inquit, mihi tu in cœlo diuitias immortales, teipsum; & ego volui à te in terra, quod habent & impij, quod habent & mali, quod habent & facinorosi; pecuniam, aurum & argentum, gemmas, familias; quod habent & scelerati multi, quod habét multæ fœminæ turpes, multi viri turpes. Hæc pro magno desideraui à Deo meo super terram, cum seruet se mihi in cœlo Deus meus, &c. clamet populus Dei, pars mea Deꝰ meus, non ad tempus pars mea, sed pars mea Deus in sæcula. *Idem Aug. ser. de verb. Apost.* Quod oculus non vidit, &c. Ergo quia hoc bonum tam magnum, tam præclarum, tam ineffabile, non inuenit hominem perceptorem, tenuit Deum promissorem. Magnum est quod promittitur & non videtur, & erigitur fides qua credimus, quod non videmus, vt mereamur videre quod credimus. Quicumque irridet hanc fidem, vt ideo putet non sibi esse credendum, quia non videt: quando venerit quod non credebat, erubescet. Confusus separatur, separatus damnatur. Qui autem crediderit, segregatur ad dexteram, & stabit cum magna fiducia inter illos quibus dicetur, venite benedicti, &c. *Et ser. in nat.* S. Aug. *Martyrum.* Dedit nobis naturam vt essemus; dedit animam, vt viueremus; dedit mentem, vt intelligeremus; dedit alimenta, vt mortalem vitam sustentaremus; dedit lucem de cœlo, dedit fontes de terra; sed hæc omnia communia dona sunt bonorum, & malorum. Si hæc dedit & malis, nihilne proprium seruat bonis? seruat planè. Et quid est illud quod seruat bonis? quod oculus non vidit, &c. Quod enim in cor hominis ascendit, infra cor hominis erat, ideo in cor ascendit, quia supra illud est quo cor ascendit, &c. non quod ascendit in cor tuum, sed quo ascendit cor tuum, hoc seruat bonis, &c. Ero illorum Deus: pretium nobis seipsum promisit; quære aliud si inueneris melius, &c. Det seipsum nobis & sufficit nobis. Philippum audi in Euangelio, Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis.

7. *Et de Resurr. cap.* 62. *in p.*

HVic disceptationi finem Dominica pronuntiatio imponit. [a] *Erunt, inquit, tanquam Angeli.* Si non nubendo, quia nec moriendo; vtique nec vlli simili necessitati succidendo [a] Matt. 22. 30. corporalis conditionis. Quia & Angeli aliquando tanquam homines fuerunt, edendo & bibendo, & pedes lauacro porrigendo. humanam enim induerant superficiem, salua intus substantia propria. Igitur, si Angeli facti tanquam homines, in eadem substantia spiritus carnalem tractationem susceperunt, cur non & homines facti tanquam Angeli, in eadem substantia carnis spiritalem subeant dispositionem; non magis solennibus carnis obnoxij sub angelico indumento, quàm Angeli tunc solennibus spiritus sub humano? Nec ideo non permansuri in carne, quia non & in solennibus carnis, quum nec Angeli ideo non & in spiritu permanserint, quia non & in solennibus spiritus. Denique, non dixit, *Erunt angeli*, ne homines negaret, sed, *tanquam Angeli*, vt homines conseruaret. Non abstulit substantiam, cui similitudinem attribuit.

CARNIS DIGNITAS IN ORD. AD INCORR. ET GLOR. VII. SCHOLIA.

ERVNT TANQVAM ANGELI. *Id pronuntiauit Christus contra Sadducæos negantes resurrectionem, & per risum quærentes, quis ex septem fratribus, juxta Moysi legem Deut.* 25. *viduam absque liberis, successiuè ducentibus, in resurrectione eam sumeret in vxorem: quibus respondit Matt.* 22. Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In Resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Translatio Syriaca* in resurrectione mortuorum, neque ducunt vxores, nec mulieres habent viros: sed sunt instar Angelorum Dei in Cœlis. *Æqualitatem Angelicam, eundem locum tractans Augustinus in Psal.* 43. *sic breuiter exponit:* Noli sperare talia tibi danda à Deo, qualia hîc te jubet contemnere. Hæc enim sperabant Itu- A dei, ideo turbabantur in illa quæstione, &c. Nobis resurrectio talis promittitur, non qua repetantur huiusmodi voluptates, sed qua æterna de ipso Deo gaudia comparentur, &c. Non enim incipient mori: id est non ibi quæritur successor, vbi non erit decessor. Et quid erit? sed erunt, inquit, æquales Angelis Dei. Nisi fortè putas quia Angeli epulis quotidianis, & vino, quo te inebrias, gaudeant; aut hoc fortè arbitraris, quod Angeli vxores habeant; nihil eorum est apud Angelos. Vnde gaudent Angeli nisi vnde Dominus ait, Matth. 18. Nescitis quia Angeli eorum semper vident faciem Patris? Si ergò ad faciem Patris gaudent Angeli, ad tale gaudium te præpara: aut si inuenis melius, quàm videre faciem Dei, illuc te præpara. Væ tali

à morituro, si vel suspicaris aliquid pulchrius, quam A est ille, à quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis. Dominus in carne erat, & apparebat homo hominibus. Qualis apparebat? Iam dixi, homo hominibus. Quid magnum apparebat? Caro carni. Quid magnum apparebat? De quo dictum est Esa.53. Vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem? Quis non habebat speciem, neque decorem? De quo item dicitur, speciosus forma præ filiis hominum Psal.44. vt homo non habebat speciem, &c. sed speciosus forma, ex eo, quod est præ filiis hominum. Ideo formam illam de forma carnis ostendens oculis intuentium, quid ait? Ioan. 14. Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ostendam illi meipsum. Quem videbant, ostensurum se illis promittebat. Sed quid est hoc? Quasi diceret, videtis formam serui, occulta est forma Dei. Per hanc vobis blandior, illam vobis seruo. Hac vos parvulos nutrio, illâ grandes pasco. *Vt nempe qui* nusquam Angelos apprehendit: sed semen Abrahæ, *de quo & panem Angelorum præstitit nobis in lac liquatum postea in gloria pascat sua & Patris facie, sicut grandes, Angelos in cœlo: donec & corpora, Angelica incorruptibilitate glorificet.* SVCCIDENDO, *succumbendo. Nullis corporis necessitatibus erit obnoxia & subdita caro post resurrectionem. Non nuptiis quidem, quia nunc & sexus diuersi coniunctio necessaria, ad conseruandam speciem; vt generatio nouæ, mortis corruptionem reparet. Iuste propter incorruptionem Angelica substantia, nec sexus diuersitas, nec individuorum in tot speciebus multiplicitas necessaria est; in vno enim in individuo immortali, perpetua species conseruatur. Nec cibo, aut potu, aliisue similibus egebit caro, quibus nunc singula individua conseruantur; propter quæ ex Aug. in Psal. 62, dicebat Daniel*, sitiuit tibi anima mea, quam multipliciter tibi, & caro mea. Quia & carni nostræ promittitur resurrectio, &c. in istis omnibus multiplicibus defectionibus nostris, sitimus illam incorruptionem. ANGELI ALIQVANDO *sic ratiocinatur: si Angeli salua substantia propria, exterius abstinebant à* solennibus spiritus, *id. solitis & assuetis, spiritibus propriis officiis, vt hominum conuersationi aptarentur; dum foris videbantur apud Abraham, & Tobiam, tractari, luari, manducare, bibere, &c. Cur non & homines Angelicam incorruptionem induti, solemnia, & solita carnis non vsurpent, manente tamen eadem carnis substantia, sicut manebat Angelica substantia, in similitudine carnali? Aug. to.3. lib.12. de Gen. c.55.* Cum hoc corpus iam non animale, sed per futuram cõmutationem spirituale receperit anima Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, obediens & imperans, viuificata & viuificans tam ineffabili facilitate, vt sit ei gloriæ, quod sarcinæ fuit. *Et in Enchir. c.90.* Tunc erit tanta concordia carnis & spiritus, viuificante Spiritu sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnem. vt nihil nobis repugnet ex nobis: sed sicut foris neminem, ita nec intus, nosmetipsos patiemur inimicos.

Aug.

Aug.

8. *Caro propriè diligenda vt proximus. De Resurr. cap. 63. circa m.*

QVid anima inuides carni? nemo tam proximus tibi, quem post Dominum diligas: nemo magis frater tuus, quæ tecum etiam in Deo nascitur. tu potius illi exorare debueras resurrectionem; per te, si fortè, deliquit.

CARO DILIGENDA. VIII. SCHOLIA.

QVID ANIMA INVIDES. *Hic compellat animam alicuius Marcionistæ & Valentiniani, qua adeò malè de carne sentiebat, vt ratione vilitatis generis, & Creatoris opificis, authoris mali, indigna resurrectione censeretur, vnde etiam addidit Tertul.* Sed nil mirum si odisti, cuius authorem quoque respuisti, quam & in Christo aut negare, aut mutare consuesti. *Et quidem nihil tam contra naturam quam sibi ipsi, & propriæ carni inuidere. Eccli. 14.* Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius, & hęc est redditio malitiæ illius, &c. Nequam est oculus inuidi, & auertens faciem suam, & despiciens animã suam NEMO TAM PROXIMVS. *Alludit ad mandatum Dei*, diliges proximum tuum, sicut teipsum. *Et quid proximius, quid coniunctius nobis & animæ nostræ, quam caro nostra, quæ vnum eumdemque facit hominem? quo in composito tam strictum est vinculum vt* rupto funiculo, argẽteo, *præsentis & corruptibilis vitæ; innatus sit appetitus & carni ad animam, & animæ ad carnem, donec* recurrat virga aurea, *Eccl. 12. in resurrectione scilicet. Adeo vt omnes loculi, tumuli, deposita cinerum, iure dici possint*, sepulchra concupiscentiarum, & memoria desiderij. *Num. 33. 70. vocant* monumenta concupiscentiæ. *Paraph. Chald.* Sepulchra concupiscentium. *Qui locus ad litteram exponitur de subita morte eorum quibus iratus Deus*, pluit sicut pulverem carnes, *annuens concupiscentiis eorum, & tradens eos in desideria cordis eorum. Sed & primogenita mori, fœtus est concupiscentiæ, gula & ligni vetiti. Et sepulchra omnia & monumenta, monimenta sunt & memoria illicitis desiderij primorum parentum, & iusti inmaculatique omnium hominum, quorum cineres in sepulchris, apparent iecorum suis animabus colligari*, sicut & animæ interfectorum sub altari clamant, vindica sanguinem nostrum, *ab inimica scilicet morte, per Deum viuorum & non mortuorum vindicari postulantes.* FRATER TVVS. Quasi proximum & quasi fratrem nostrum, sic complacebam, *ait Psaltes. Carnem esse proximam nostram & animi vxorem diligendam insinuat Aug. ep. 120 ad Honoratum. cap. 13. in versum Psal. 21.* Ne discedas à me, quoniam tribulatio proxima est. Quid est, inquit, tribulatio proxima est, in qua media loquebatur? Sed nimirum illud vult intelligi, quia cum caro in doloribus est & in pœnis, profectò anima tunc habet magnum agonem patientiæ, in qua ne deficiat, laborandum & orandum est. Nihil est autem animæ sua carne propinquius. Ideo mundi huius quamlibet magnus perfectusque contemptor, cum alibi patitur, nihil patitur. Potest enim adhibere vigilem rationem cum amittit bona quæ extrinsecus sunt, & ab animo sapientis qui ex cupiditate non hæret, sine dubio longè sunt, & non curare quod patitur quia nec patitur. *Alibi si quidem non sic in distans.* Cùm verò amittit præcipua corporis bona, id est corporis vitam ac salutem, *id est sanitatem*, jam tribulatio proxima est animi bonis, quibus ipse intus, tanquam corporis est Dominus; quid faciet qualibet ratione vt non doleat cum corpus vulneratur, aut vritur, cui tanto implicatur consortio, vt pati possit, dolere non possit? ideo & diabolus hunc nocendi ordinem tenens, illius magni viri quem postulauerat tentandum, prius externa bona accepit in potestatem, quibus ablatis & perditis, cum illum inconcussum videret; dixe-

Aug.

tur enim, Dominus dedit, &c. Etiam carnem cruciandam vulnere postulauit, tali cum eo conligens certamine, vt bona proxima inuaderet, hoc est corporis bona; quibus ille perditis, si fortè succumberet, atque ad impietatem cor inclinaret, etiam bona animi deperirent, quibus perdendis iam in corpore sæuiens vicinius tentator instabat. Denique ille vir, qui in tanta animi tentatione erat, vbi erat animi bonis proxima tribulatio, quamuis multa propheticè loquatur, longè tamen loquitur aliter, quam cum illa externa bona deperiissent; in quibus filios non amiserat, sed præmiserat. Clamat ergo Martyris anima transfigurata in Christum, cum iam in carne tribulari cœperit, & dicit Deo à quo derelicta est in terrena fœlicitate, sed quæ cum illo est in spe vitæ æternæ: Ne discedas à me quoniam tribulatio proxima est. Non est in agro meo, non in auro, non in pecore, non in tectis atque parietibus, non in meorum orbitatibus, sed in carne mea est, cui copulor, cui connector, cuius sensum non habere non possum, vnde me de proximo vrget. Vt à patientiæ virtute non deficiam, ne discedas à me; quoniam non est qui adjuuet; neque amicus, neque propinquus, neque humana laus, neque præteritæ recordatio voluptatis, neque aliquid eorum quo terrenæ fœlicitatis ruina fulcitur; neque ipsa, quæ in animo est meo, humana virtus; quia si tu deseris, quæ hominis virtus? Quid est enim homo, nisi quod memor es eius? *Et quidem si Paulus de strictissima viri & vxoris coniunctione loquens, cuius causa non iam frater, sed & pater & mater relinquendi sunt*, iam, inquit, non sunt duo, sed vna caro: *Et rursum* nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, *dolle & verè Tertul.* Neminem tam proximum, neminem magis fratrem, neminem post Deum & animam, sic diligendum, *dixit anime, quam carnem, cui coniuncta vnum facit hominem. Præcitatum Apostoli locum bellè explicat Aug. lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 24.* Verum est, inquit, quod ait Apostolus nemo vnquam carnem suam odio habuit. Et quod nonnulli dicunt malle se omnino esse sine corpore, omnino falluntur. Non enim corpus suum, sed corruptiones eius & pondus oderunt. Non itaque nullum corpus, sed incorruptum & integerrimum corpus volunt habere. Sed putant nullum corpus esse si tale fuerit, quia tale aliquid animam esse putant. Quod autem continentia quadam, & laboribus quasi persequi videntur corpora sua; qui hoc rectè faciunt, non id agunt vt non habeant corpus, sed vt habeant subiugatum & paratum ad opera necessaria. Libidines enim malè vtentes corpore, id est consuetudines, & inclinationes animæ ad fruendum inferioribus, per ipsius corporis laboriosam quandam militiam, extinguere affectant. Nam non se interimunt, sed curam suæ valetudinis gerunt. Qui autem peruersè id agunt, quasi naturaliter inimico suo corpori bellum ingerunt. In quo fallit eos quod legunt, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; Hæc enim sibi inuicem aduersantur. Dictum est enim hoc propter indomitam carnalem consuetudinem, aduersus quam Spiritus concupiscit, non vt interimat corpus, sed vt concupiscentiam eius, id est consuetudinem malè domitam, faciat spiritui subjugatam, quod naturalis ordo desiderat. Quia enim hoc erit post resurrectionem, vt corpus omnimodo cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum est, vt consuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus resistat spiritui, quod donec fiat, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: non per odium resistente spiritu, sed per principatum; quia magis quod diligit, vult subditum esse meliori: nec per odium resistente carne, sed per consuetudinis vinculum, quod à parentum etiam propagine inueteratum naturæ lege inoleuit. Id ergo agit spiritus in domanda carne, vt soluat malæ consuetudinis quasi pacta peruersa, & fiat pax consuetudinis bonæ. Tamen nec isti qui falsa opinione deprauati corpora sua detestantur, passi essent vnum oculum, vel sine sensu doloris amittere, etiam si in altero tantus cernendi sensus remaneret, quantus erat in duobus, nisi aliqua res quæ præponenda esset, vrgeret. Istis atque huiusmodi documentis satis ostenditur eis qui sine pertinacia verum requirunt, quàm certa sit sententia Apostoli vbi ait, Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit. Addidit etiam, sed nutrit & fouet eam, sicut Christus Ecclesiam. Modus ergo diligendi præcipiendus est homini, id est, quomodo se diligat, vt prosit sibi. Quin autem se diligat & prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Præcipiendum etiam quomodo corpus suum diligat, vt ei ordinatè prudenterque consulat. Nam quòd diligat etiam corpus suum, idque saluum habere atque integrum velit, atque manifestum est. *Et lib. 1. Retract. cap. 26. vbi explicat quod dixerat to. 4. lib. 83 qq. q. 36.* Charitatem voco, motum animi, quo amatur ea, quæ non sunt præ ipso amante contemnenda, id est quod æternum est, & quod amare ipsum æternum potest. Deus igitur & animus quo amatur, charitas propriè dicitur purgatissima & consummata, si nihil aliud amatur; hanc & dilectionem dici placet: Sed cum Deus magis diligitur quàm animus, vt malit homo eius esse, quam suus, tunc verè animo summéque consulitur: consequenter & corpori, nobis id non curantibus aliquo appetitu satagente, sed tantum prompta & oblata sumentibus. *Sic igitur se explicat prefato loco:* De nutrienda, inquit, charitate, vbi dixi, Deus igitur & animus quo amatur, Charitas propriè dicitur purgatissima, & consummata, si nihil aliud amatur. Quòd si verum est, quomodo ergo Apostolus ait: Nemo vnquam carnem suam odio habuit? Et ex hoc admonet, vt diligantur vxores Sed ideo dictum est; propriè dilectio dicitur; quoniam caro diligitur quidem, nec tamen propriè, sed propter animam cui subiacet ad vsum. Nam & si propter seipsam videtur diligi, quum eam nolumus esse deformem, ad aliud referendum est decus eius, ad illud scilicet, à quo decora sunt omnia. IN DEUM NASCITVR. *Quia fit caro fidelis, dum anima in Baptismo per carnem suscepto nascitur: vel quia sicut duo gemelli frater & soror vno eodemque Deo Patre, animam ex nihilo creante, corpus organisante, producuntur. Sed ni fallor hîc errorem suum insinuat, fratrem vel sororem vocans carnem, quia animam cum semine credidit per viam traducem procedere, vt sic quadret apta cum gemellis simul conceptis & natis similitudo. De quo errore suo loco diximus.* PER TE SI FORTE DELIQVIT. *Debuerat, inquit, ô Anima hæretica non insidere carni, sed potius instanter optare, & petere à Deo resurrectionem. Si enim per te peccauit instrumentum facta peruersæ voluntatis tuæ, tu ad Deum conuersa, & morte peccati soluta, suam, eique propriam debuisti resurrectionem exorare.*

S. Augustin.

S. Aug.

CARTHAGINIENSES.

1. *Carthaginienſium elogia. De pallio. cap.1.in.f.*

PRincipes ſemper Africæ, viri Carthaginienſes, vetuſtate nobiles, nouitate felices.

2. *Carthaginienſes palliati olim, quaſi nouum in Tertulliano pallium arguebant. De pal.cap.1.à f.*

GAudeo vos tam proſperos temporum, cum ita vacat, ac iuuat habitus, denotare, pacis hæc, & annonæ otia: ab imperio & à cœlo benè eſt. Tamen & vobis habitus aliter olim; tunicæ fuere, & quidem in fama de ſubteminis ſtudio, & luminis concilio, & menſuræ temperamento: quod neque trans crura prodigæ, nec intra genua inuerecundæ, nec brachiis parcæ; nec manibus artæ, ſed nec cingulo ſinus diuidere expetitum: quadratâ iuſtitiæ beatâ in viris ſtabant. Pallium, extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus, ab vtroque laterum regeſtus, & ceruicibus circunſtrictus, in fibulæ morſu humeris acquieſcebat. Inſtar eius hodie Æſculapio iam veſtro Sacerdotium eſt. Sic & in proximo ſoror ciuitas veſtiebat, & ſicubi alibi in Africa Tyros. At cùm ſæculariũ ſortium variauit vrna, & Romanis Deus maluit, ſoror quidem ciuitas ſuoptè arbitrio mutare properauit, vt ad pulſum Scipionem ante iam de habitu ſalutaſſet Romanum, præcoqua. Vobis verò poſt iniuriæ beneficium, vt ſenium, non faſtigium exemptis, poſt Gracchi obſcæna omina, & Lepidi violenta ludibria, poſt trinas Pompei aras, & longas Cæſaris moras, vbi mœnia Statilius Taurus impoſuit, ſolennia Sentius Saturninus enarrauit, cùm concordia iuuat, toga oblata eſt. Pro! quantum circumeauit, à Pelaſgis ad Lydos à Lydis ad Romanos, vt ab humeris ſublimioris populi Carthaginienſes circumplecteretur? Exinde tunicam longiorem cinctu arbitrante ſuſpenditis, & pallij iam teretis redundantiam tabulata congregatione fulcitis: & ſi quid præterea conditio, vel dignitas, vel temporalitas veſtit, pallium tamen generaliter veſtrum immemores, etiam denotatis.

3. *Carthaginienſes arietis bellici inuentores, poſt multum tempus à Romanis ſumptum, quaſi nouam Machinam ſtupuerunt. De pallio cap.1.in f. & 2. in p.*

Cap. 2. EQuidem haud miror, præ documento ſuperiore: nam & arietem, non quem Laberius reciprocicornem, lanicutem, teſtitrahum, ſed trabes machina eſt, quæ muros frangere militat, nemini vnquam adhuc libratum, illa dicitur Carthago, *ſtudiis aſperrima belli*, prima omnium armaſſe in oſcillum penduli impetus, commentata vim tormenti, de bile pecoris caput vindicantis. Cùm tamen vltimant tempora patriæ, & aries iam Romanus in muros quondam ſuos audet, ſtupuere illicò Carthaginienſes vt nouum, extraneum ingenium: *tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas*, ſic denique nec pallium agnoſcitur. Sit hunc aliunde res, ne Pœnicum inter Romanos ſur erubeſcat, aut doleat.

4. *Carthaginienſes Græcos mores in turpibus, aut inutilibus ſtudiis imitati. De pal.cap.4.in p.*

QVid nunc, ſi eſt Romanitas omni ſalus, nec honeſtis tamen modis ad Graios eſtis? aut, ni ita eſt, vnde gentium in Prouinciis melius exercitis, quas natura agro potius eluctando commodauit, ſtudia paleſtræ malè feneſcentia, & caſſum laborantia, & lutea vnctio, & puluerea volutatio, & arida ſaginatio?

CARTHAGINIENSES I. II. III. IV. SCHOL.

PRINCIPES. *Sic Apuleius etiam Africanus 3. Florid.* Principes Africæ viros, *Carthaginienſes appellauit. Trecentas vrbes poſſedit Carthago in Africa, & in Metropoli totius Africæ Carthagine, referente Strabone, lib. 17. fuerunt hominum ſeptingenta millia.* VETVSTATE NOBILES. *Quia ante Romam licet dictam mundi caput, Carthago condita eſt. Appianus quinquaginta annis ante Ily ruinam extructam ſcribit, Iuſtinus Septuaginta duobus, ante Romam conditam; Velleius Paterculus Anno Sexageſimo quinto, Dion. Halicar. anno 38. vnde ſi nobilitas ab antiquitate petitur, iuſtè vetuſtate nobiles dicti Carthaginienſes ab antiqua & celebri vrbe nobiles, non minus quàm Tertullianus, commendat Auguſtinus Epiſt.162.* Tantò magis, inquit, timere debuit, ne pax vnitatis violaretur, quantò erat Carthago ciuitas ampla & illuſtris, vnde ſe per totum Africæ corpus, malum, quod ibi eſſet exortum, tanquam à vertice effunderet. Erat etiam tranſmarinis vicina regionibus, & famâ celeberrimâ nobilis: vnde non mediocris vtique authoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non cu- Aug.
tare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit per communicatorias literas eſſe coniunctum. No-

VITATE FELICES. *Siue, vt habet Paulus Iurisconsultus L. fin. ff. de censibus. Quod Carthago beneficio Seueri Imperatoris, sub quo hunc Librum scribebat Tertullianus, facta esset iuris Italici: siue quod vetus Carthago per Scipionem euersa, & Romanis principibus subdita, Carthaginienses à Romanis Principibus restaurande vrbis potestatem accepissent. Sic summatim huius vrbis dignitatem perstringit Salui anus lib. 7 de guber* Vna tantum illic vniuersarum vrbium Principe & quasi matre contentus sum: illa scilicet Romanis arcibus semper æmula, armis quondam & fortitudine, post splendore & dignitate. Carthaginem dico, & vrbi Romæ maximè aduersariam, & in Africano orbe quasi Romam.

II. GAVDEO vos. *Ironicè dictum Gratulor, inquit, prosperitate temporum factum, vt bellicis occupationibus liberi, otiosi, & vacantes, possitis arguere & cauillari, & carpere habitus nostros, maximè verò mutationem togæ in pallium; cum ipsi antiquum habitum non retineatis.* HABITVS DENOTARE. *Pacis hæc, &c. alij iungunt,* habitus denotare pacis. *Perinde mihi est. Toga siquidem Romana pacis erat habitus, sed multò magis pallium Christianum, virum Christi oleo perunctum, proindeque pacificum induens. Hinc Tertul. hoc ipso libro habitum pacis, opponit vesti bellicæ:* plus rempublicam la fere togæ, quam loricæ. *alij punctum interponunt.* pacis hæc & annonæ otia. *id est abundantia pacis vobis otium præstat habitus suggillandi.* AB IMPERIO, *&c. tam Dei beneficentiâ, quàm Imperatorum gratiâ, bene est vobis. Alij puncto discernunt:* BENE EST. *gratulandi formula communis antiquis, sic Prudentius in agone Laurentij.* ALITER OLIM, *supple fuit.* TVNICÆ FVERE. *Per tunicam habitum intelligit, quo tum vtebantur Christiani, & quo olim Carthaginienses; antequam à Iulio Cæsare, Patre & filio ciues Romani Coloni facti essent. Sic Hamilcar apud Iustinum,* procedit sordida seruilique tunica, discinctus. *Verum tam Pœnis quam Romanis alia erant seruorum, alia ingenuorum tunica. Latior quippe erat tunica liberi, strictior autem serui, qualem describit Iustinus Hamilcaris.* INFAMA *in vulgi ore. Sicut Sueton. in August. cap. 70. dixit,* in fabulis. *nisi malis;* in fama *intelligere in laude, gloria & honore. Perperam aliqui legunt* infamata: *non enim hic carpit, sed laudat tunicas.* DE SVBTEMINIS STVDIO. *Quod essent tenui filo & subtili arte, studiosè contexta. Legum alij* subtegminis, *intelligentes duplicaturam, sed malè* subtemen *dictum, quod subit stamini, & quasi subtexitur. Materia vestium stamen & subtemen. Sic habetur L. Vestimentum 22. ff. de auro & argento. Leg. vt habent Pandectæ iuris ciuilis in archetypo Florent. Potest & legi* subtegminis, *quia tunica sub pallio vestiebatur, sicque* subtegmen *dicitur:* ET LVMINIS CONCILIO. *Per lumen intelligit os & aperturam tunicæ, per quam corpori inseritur & induitur. Alij legunt,* consilio, *quasi capto consilio de colore, qui quasi lumen est, quo illustris & splendida fit tunica. Vnde & Plato, in Timæo, colorem dixit esse,* flammam de corporibus fluentem. *Et Trebellius Pollio in Claudio.* Clamydes veri luminis, *id. vere purpuræ. & Arnobius de pomorum colore,* illis color est purpurei luminis suffectione subluteus. *Nomen porro* consilij, *ipsemet Tertull. de Pall. cap. 4. applicat nomini,* vnde & nominis consilium. *& Seneca capillaturæ, de brevitate vitæ cap. 12.* de singulis capillis in consilium itur, quod si manus vti, *concilio,* accipe colorem purpureum & illustrem, tunicæ gratiam conciliasse. PRODIGÆ. *Temperatas tunicas laudat, non prodigas, id. Fluxas & procenssas. Sidon.* vix appropinquans poplitibus exertis. *Ambro. 3. de Virg.* Incincta sinu, quo pudorem tegerent, nec gressum impedirent. *& Clemens Alex.* Æque enim sicut Lacænas Virgines supra genu vestiri honestum est. INVERECVNDÆ. *Id. non tegentes ea quæ natura voluit tegi: vnde & perizomata consuerunt sibi primi parentes, pudori consulentes, & eisdem idcirco Deus fecit tunicas pelliceas; & Noë ebrius, tunicâ ex parte nudatus, verenda præbuit cham filio reprobo irridenda.* NEC BRACHIIS PARCE. *Id. non strictè brachia vestientes, sed manicis tunicarum ad brachia demissis. Alij:* nec brachiis parce, *id est parue.* NEC MANIBVS ARTÆ, *pro arctæ, non stringentes & arctantes internodia, vbi manus iunguntur brachiis.* CINGVLO SINVS DIVIDERE EXPEDITVM. *Non erat tum cura cinguli, in medio stringentis tunicam, & quasi in medio dividentis. Alij legunt,* nec cingulo sinus diuidente, expeditæ. *non impedientes nec colligantes corpus in medio, sed habiles & faciles ad motum. Vbi distinguit punicas tunicas, à Romanis, quæ quia longiores erant, fluxæ & prodigæ, cingulo restringi debebant, ne gressum & motum impedirent. Vnde Virgilius Æneid. 8.* discinctos Afros, *vocat, quod satis expediti essent, ob breues tunicas, cingulo proinde non egentes. Verum postea mutato more, hoc ipso libro & capite exprobrat ipsis Tertul.* exinde tunicam longiorem cinctu arbitrante *supra eodem sensu dixit, dividente,* suspenditis. *Similiter & postea capite 5.* QVADRATA IVSTITIA. *Formam tunicæ tangit, & quadrangulam notat, sicut & paulò post pallium. Et inconstantiam denotat Carthaginiensium, quod non starent in eodem habitu. Beatum dicit hunc statum, ob immutabilitatem, vel vestiendi facilitatem. Sic contra Hermog. dixit:* iustitiam motationis, neutram in partem inclinantis. *Et benè;* in viris *quos magis dedecet mutatio, quam lenes, & subinde mobiles mulieres: alij legunt* atque quadratæ instita. *alij* quadrata instita. *id est fascia. Rulingerus de veste Ponit. legit* expedita atque quadrata instita. *est autem* instita, *fascia lata, oram tunicæ quadrata ambiens, sinus segmentum eiusdem cum tunica, vel pretiosioris panni, vtis eius assumptum, & formæ stabilis ornatus causa. Leo imperator Constit. 80.* τὰ ἔσω τῆς, τὰ τμήματα; *Pœta Limbos vocans exinde vestes ipsas, institas dictas inuenies.* STABANT. *Sic iusta longitudinis, vt per se starent, nec egerent suspendi zona.* PALLIVM, *&c. alij legunt,* in viris autem pallij extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus. *perperam aliqui pallia viris, palias fœminis addicunt. Nam Vipianus lib. 23. de Auro Arg. legato, dicit* pallia communia esse virorum, & mulierum. *vbi subiungit,* sit pallium huiusmodi, quæ sine reprehensione, vel vir, vel vxor vtatur. *quamquam & de vestibus muliebribus agens, inter cætera, viris prohibet pallia quadam ornatiora, propria mulierum, ad tales vsque demissa, quale & apud Plautum, nutricis est pallium. De quo & Isidor. lib. 19. cap. 25.* Palla est quadrum pallium muliebre deductum ad vestigia. *vnde & Vlpianus inter vestes mulierum virisinhibitas, has recenset,* vir non facilè vti potest sine vituperatione, stolis, palliis, tunicis. REGESTVS. *Circum circa remeans vel vtrimque ad dextram & lævam reiici facilis & expeditus.* CIRCVMSTRICTVS. *Alij* circumstructus. *ambiens cervicem. Nec arguat Theodorus Marcilius legentes nobiscum; quod capite 5. dicat Tertul.* nil circumstringi pallio. *Cum subiiciat statim,* IN FIBVLÆ MORSV. *Id. nexu fibulæ mordentis, adstrictæ proinde pallio, quâ solidè quiescebat, & securè pendebat ex humeris. Aduerte Ennium, Varronem, & Plautum, Carthaginienses dicere tunicatos: Vnde & pungit duplicem eorum inconstantiam Tertullianus, olim & tunicas induisse, prius quàm pallium assumerent; quò magis eos repercutiat sibi de semel mutato habitu toga in pallium insultantes. Quo loco Salmasius non contentus omnes & singulos libri de*

pallio interpretes, de inſcitia inſolentiſſimè ſuggillare. *ipſimet Tertulliano quaſi ſapientior inſultat, quod palliatos extrinſecus, veteres Carthaginienſes vocet, quos præcitati authores faciunt tunicatos. Non aduertens ipſe, vocem quam præmiſit Author:* tamen & vobis habitus aliter olim; tunicæ fuere: *vbi olim, præceſſiſſe vſum tunica, quaſi habitus extrinſeci, ſatis clarè inſinuat, antequam ad pallium tranſirent; & hoc ſenſu Ennius, Plautus, Varro dixere tunicatos, quo tempore geſtabant tunicam. Et priuſquam eam mutarent in pallium: ſic cecinit, qui ſibi videbatur oculatiſſimus Salmaſius: quem vnicum idcirco argue, quòd omnis modeſtiæ immemor, vbique ſe efferat, & interpretationes omnium faſtu non ferendo proculcet. Omnium ego, quoad poſſum, labores laudo, omnium lectiones profero; quam lector meliorem, & congruentiorem ſenſerit, præponat cæteris: ſuo enim quiſque, in dubiis, ſenſu abundat.* ÆSCVLAPIO IAM VESTRO. *Taxat nouitatem cultus Æſculapij, qui non ſolum Pergami, & Romæ, ſed & iam Carthagine colatur, non quod Virg. Æneid. 7. Pœnigenam, vt corruptè legunt aliqui, ſed Phœbigenam vocat.* SACERDOTIVM. *Id. Collegium Sacerdotum, hac veſte vtitur, quaſi diceret; etiam veſtri iam Æſculapij Sacerdotes vtuntur pallio. In iure ciuili ponitur,* Sacerdotium, *pro,* *Sacerdotum.* Sicut in eodem iure communis vſus, *hereditatium, parentium, ciuitatium, facultatium, æſtatium, ſeruitutium,* vſurpatur in genitiuo plurali. Clarius: *Inſtar eius pallij, hodie Æſculapij veſtri Sacerdotes pallium induunt.* SOROR CIVITAS. *Vticam intelligit, Carthaginis ſororem. Sic Pomponius Mela:* Vtica & Carthago ambæ inclitæ, ambæ à Phœnicibus conditæ. IN PROXIMO. *Proximè, non ita pridem. Vel* in proximo, quia Vtica non longè diſtat à Carthagine; vt liquet ex Plin. lib. 5. cap. 4. in deſcript. Africæ ſiquidem Appianæ in Libico; diſtans eſt tantùm ſexaginta ſtadiis, id eſt ſeſquiſeptem milliaribus. SOROR. *Quia vtraque authores habuit Phœnices Sorores item dicte Sodoma, & Samaria, apud Ezech. cap. 16.* ET SICVBI ALIBI IN AFRICA TYROS. *Id eſt, ſi quis locus eſt, & colonia aliqua Tyriorum, ſimiliter veſtiens, in Africo ſolo. Adrumetum intelligit, ſed proprio nomine, vt minoris famæ vocare dedignatur. Solinus tamen cap. 30. Tyriorum coloniam expreſſit.* Adrimeto, atque Carthagini author eſt à Tyro populus. *Itaque tres tyri fuere, ſiue tres Tyriorum coloniæ in Africa; Carthago, Vtica, & Adrumetum. Auguſtinus in Pſal. 47. in verſum,* conteres naues Tharſis. *Notat per Tharſim aliquos intelligere Ciliciam, cuius Tharſis erat Metropolis, Vnde Paulus in Actis natus in Tharſo Ciliciæ dicitur. Deinde ſubiicit,* aliqui autem eam Carthaginem intellexerunt, fortaſſis aliquando ita nominatam aut aliqua locutione ita ſignificatam. Namque apud Prophetam Iſaiam cap. 23. ſic inuenitur, vlulate naues Carthaginis. Apud Ezechielem autem cap. 16. à diuerſis interpretibus, ab aliis Carthago, ab aliis Tharſis interpretata eſt, &c. Manifeſtum eſt autem, quòd primordia regni Carthaginis nauibus floruerunt, & ita floruerunt, vt inter cæteras gentes excellerent negotiationibus, & nauigationibus. Nam quando Dido fugiens fratrem, delapſa eſt ad terras Africæ, vbi Carthaginem condidit, naues, quæ paratæ erant ad mercationem, in eius regionem, aſſumpſerat ad fugam, conſentientibus ſibi regionis eius principibus, & ipſæ naues etiam condita Carthagine, ad negotiandum non defecerunt: atque hinc nimium ſuperba facta eſt ciuitas illa, vt dignè per eius naues intelligatur ſuperbia gentium, præſumens in incertis, tanquam in ſtatibus ventorum, &c. quicumque ergo ex incerto huius vitæ tumuerant, euer-

S. Auguſt.

A tantur, & ſubiiciantur Chriſto, &c. quomodo in ſpiritu violento? Timore formidoloſo. Sic enim eum tremuit omnis ſuperbia iudicaturum; vt in humilem crederet, ne excelſum expaueſceret. *Sicigitur Tertul. Adrumetum Tyrium nominat; ſicut alij Carthaginem Tharſim. Afri verò nominati ſunt Tyrij, quòd Carthaginienſes Africæ principes ab iis originem ducerent, & eiſdem veſtibus vterentur: ſicut Chriſtiani dicti ſunt Græci, quòd Græcorum pallio veſtirentur.* AT CVM SÆCVLARIVM SORTIVM. *Et Salmaſius maluit legere,* variauit VRNA. *rerum humanarum viciſſitudinem intelligens. Sæculares quippè ſortes, mundi ſortes ſunt, & ſæculi. Maluit autem Deus, id eſt arbiter vrnæ, magis fauit Romanis.* Et Romanum præcoqua, *populum*
B *habitu præmaturè ſumpto referens. Alij ſic legunt,* ſæcularium ſortium Domina Fortuna, &c. *Alij* Dominia fortunare Romanis Deus maluit; *alij,* ſæcularium ſortium omnia. *Senſus eſt, ſed cùm fortuna ſæcularium ſortium domina, quæ rerum humanarum ſortes verſat; & Deus Fortunæ domina, Dominus, Romanis maluit, id eſt magis fauit;* ſortes enim mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur; *ſoror quidem veſtra Vtica, vltro Carthaginienſem tunicam Romanâ, & pallium togâ mutare feſtinauit, antequam vel ei tota Romana veſtis offerretur, vel ſumere ſubacta cogeretur: vt Scipionem Æmilianum appulſum in Africam & miſſum ad tertium bellum Punicum, in habitu Romano ſaluaret;* Romana præcoqua *id. ante tempus facta*
C *iuris Romani: Vobis verò Carthaginienſibus, oblata eſt toga vnà cum Colonia & Iure Ciuitatis Romanæ,* poſt iniuriæ, *id eſt, excidij Carthaginis* beneficium: *quia pro magno beneficio habendum vobis, quia ſaluare fuit redigi in populi Romani ditionem, & quod* exemptis *ruina, ſenectutem, ſed non faſtigium, id eſt principatum Africæ exuiſtis. Alij legunt,* faſtidium. *Vbi nota inueteratum odium inter Romanos & Carthaginienſes, tandem aliquando deſaniſſe, vt Carthaginenſes in gratiam cum Romanis redierint, & jus togæ acceperint. Exempti ſunt igitur vetuſto odio, ſed non faſtidio, & ſuperbiâ*
D *Romanorum: ſenium autem, pro ſenio poſuit, vſitato helleniſmo, & phraſi Græca.* POST GRACCHI OBSCOENA OMINA. *Vbi aduerte duodecimo anno poſt Carthaginis per Scipionem Æmilianum extremam ruinam, à Caio Graccho Tribuno plebis, populi Romani beneficio deductis Romanorum coloniis, readificari juſſam, & Iunoniam cognominatam, vt refert Solinus: ſed juxta Oroſium, & Appianum, cùm menſores miſſi, ſtipites ad terminorum fines defixiſſent, nocte à lupis reuulſos & corroſos inuenerunt. Et hæc ſunt quæ perſtringit Author* obſcœna Gracchi omina. LEPIDI, *&c. Marcum Æmilium Lepidum Conſulem violetum tangit, qui ad acta Sylla reſcindenda, bellum ciuile mouerat, & à collega ſuo Q. Catulo vrbe pulſus, primo in Etruriam fugit, inde in Sardiniam, vt Africam depopularetur, & Carthaginem coloniam nouam maximè; quaſi*
E *inuidens Cæſaris Octauiani gloriæ, qui eam deducere exorſus fuerat. Conſulendus Dio in fine libri 52.* LVDIBRIA. *Exponit Florus lib. 3.* Quod iſtud ciuile bellum penè citius compreſſum eſt, quàm inciperet. *Et ſic Lepidus ſe expoſuit ludibrio.* POST TRINAS POMPEII ARAS, *id eſt poſt tres triumphos quos Pompeius teſte Plutarcho & Manilio de tribus terræ partibus egit, vt de toto orbe triumphaſſe dicatur. Cùm autem mos eſſet poſt triumphos Aras erigere, cædere maiores hoſtias, hinc Aras pro triumphis poſuit. Nota hic turbatum ordinem; cùm ludibria Lepidi poſthumarint Aras Pompeij. Auguſtinus ſer. 6. de verbis Domini: aras erectas genio Carthaginis, & recumbentes cum paganis fideles ad idolothita, & fratres ſuos ſcãdalizantes ægrè ſuſtinẽs, eos hortatur vt tangãt fimbriam veſtimenti Chriſti, hoc eſt Apoſtolum audiant ſe nouiſſimum veſtis Eccleſiæ*

dicentem, & ab idolothitis prohibentem, ne pereat infirmus pro quo Christus mortuus est Aug. Ne contemnas, inquit, infirmum propter quem Christus mortuus est. Quem vis contemnere, pretium eius attende, & cum morte Christi totum mundum appende, &c. Vides quid faciunt mensæ malæ? Vides quomodo corrumpunt bonos mores colloquia mala 1. Cor. 15. Tu ibi de Euangelio loqui non potes, & de idolis loquentes audis, &c. Ecce in quem Deum verũ peccas, dum discumbis apud Deos falsos Non est, inquit, Deus, quia genium est Carthaginis. Quasi, si Mars, aut Mercurius esset, *aut Æsculapius, de quo supra Tertullianus dixit: Æsculapio, iam vestro:* Deus esset. Sed quomodo ab ipsis habeatur attende, non quid sit. Nam & ego tecum scio, quia lapis est. Si genium ornamentum est aliquod, ciues Carthaginis benè viuant, & ipsi erunt genium Carthaginis: Si autem genium dæmonium est, audisti & ibi. 1. Cor. 10, Quæ immolant gentes, dæmonibus immolant, & non Deo. Nolo vos socios fieri dæmoniorum, &c. Nam & illi quòd numen habeant, & pro numine accipiant illam statuam, ara testatur. Quid illic faciat ara, si illud non habetur pro numine? LONGAS CÆSARIS MORAS. *Fuerunt annorum sexdecim, protracta à Cæsare Octauiano, qui Carthaginem & Corinthum deduxit colonias.* STATILIVS TAVRVS. *Meminit Tacitus libro 12. Tauri Proconsulis Africæ sub Claudio, sed verius est Tertul. loqui de alio cognomine, qui sub Augusto, de Africa triumphauit, & instaurationi Carthaginis præfuit, eamque nouam coloniam factam cinxit mœnibus ea parte qua Lepidus eam euerterat.* SOLENNIA SENSIVS. *Is erat Pontifex & augur qui ceremonias & ritus edixit quibus muri dedicarentur.* CVM CONCORDIA IVVAT. *Alij legunt* pro concordia Iouis vel Iubæ, *quod corruptè legitur, id. cum pax orbe Romano facta fuit, vel pace facta inter Romanos & Carthaginenses.* Iuuat, *id est fauet.* TOGA OBLATA EST. *Ius togæ datum, quo significabatur Ius Ciuium Romanorum concessum. l. sed si accepto. 22. ff. de iure fisci. Sic Seneca quos Claudius ciuitate donauerat, ait* togatos videre voluisse. PROH, &c. *ô superi quantum terrarum ambitum peragrauit toga, priusquam ad vos deuolueretur! à Pelasgis, Arcadibus scilicet, ad Lydos populos minoris Asiæ; ab his ad Romanos venit, vt a potentioris, rerumque omnium potentis populi Romani humeris, vestros etiam complecteretur. Ex eo tempore tunicam Romanam, priori vestræ longiorem, ne pedes implicet, zona suspenditis arbitra, & facienæ, ne nimium breuis aut effusa pareat; & pallij vestri iam rotundi, nec vt olim quadranguli, nimiam laxitatem multitudine tabularũm, siue tiliarum sustinetis ne fluctu & indecenter* Pallij iam teretis, &c. *in togam mutati, quæ redundat circumamictu superfluo, multis rugis curiosè collectis, & in morem tabularum ordinatis, &c.* SI QVID PRÆTEREA, *&c. Si genus vitæ, si Magistratus, si diuersitas temporum, vtpote pacis aut belli, nuptiarum aut funerum, ludorum vel festorum, Romano more vestiri vos cogit, his modis vos aptamini.* PALLIVM TAMEN GENERALITER VESTRVM. *id est quod populariter vobis in vsu prius fuit, vel quod commune habuistis cum tot populis, immemores vsum pallij vestrum esse, nunc quasi probrum mihi & Christianis obijcitis, quòd eo vtamur, depositâ togâ.*

III. EQVIDEM HAVD MIROR. *Vos scilicet immemores vestri olim Pallij, cùm superius & fortius argumentum oblitionis vestræ constet, ex ariete, machina bellica; neque enim loquor de animali, quem Laberius mimographus vocauit* reciprocicornẽ, *id est cornibus reciprocis præditum & repercutientem arietem aduersarium.* Et lanicutem *lanata cute*, & testitrahum *testiculos grandes, & enerosos trahentem. Sunt qui cum Iosepho Scaligero legunt* vestitrahum, vel vestitexum, aut textitrahum *quòd lana in vestes texendas abunder; vel quòd alludat ad historiam Mercurij arietem deglubentis. Sed duo parum attendunt, notanda tamen; primò sit legentes imponere eleganti Labeoni inutilem repetitionem, iam enim dixerat,* lanicutem: *secundò dictum Labeonem mimica scurrilitate vsum, & quidem doctè: insignis enim est Aries parte illa quam* proles, *vocant. Vt Arnobius lib. 5. inducit Iouem mutatum in Arietem inspicientem hanc partem.* FRANGERI MILITAT. *Græcismus est, cuius militia, siue munus est hostiles muros euertere.* NEMINI ADHVC LIBRATVM. *Supple Arietem à nemine, in muros hostiles librando impactum.* SIVE IS ASPERRIMA, *&c. Id sumptum ex Virg. Æn. 1.* IN OSCILLVM. *Oscillatio ex Turnebo, Mercuriali, & Leopardo, erat quædam pensilis gestatio de arboribus, qua se mutuò homines per lusum iactabant; & alternis vicibus leuabant & deprimebant, cuius ludi meminit Athenæus, & Hesychius. Quo ludo exprimebant veteres imaginem vitæ humanæ, in qua interdum depressa eriguntur, erecta deprimuntur. De Ariete bellica machina, consulendus Vitruuius lib. 10. cap. 19. vbi Arietinæ oscillationis inuentionem addixit Carthaginensibus, à quibus Certa Chalcedonius, debinc ab eo Polybius Thessalus, à quo & Diades & Chereas idem tormenti genus acceptum auxerunt.* COMMENTATA. *Carthago scilicet adinuenit vim machinæ bellicæ exemplo sumpta ab ira arietis, cornuto capite se vindicantis. Non absurdè subjiciam,* per oscillum, *intelligi similitudinem oris, & capite Arietini in fronte cornupetæ machinæ impressum.* VLTIMANT. *Alij legunt* vltimarent, *vltima jam essent tẽpora Carthaginis patriæ meæ, & bellicus Aries à Romanis jam usurpatus tanquam suus, in muros Carthaginenses,* quondam suos, *intra quos inuentus & excogitatus olim fuerat,* auderet *Scilicet arietare, & impetum librare, Romanis impellentibus; statim Carthaginenses quasi nouum obstupuere inuentum Romanum.* TANTVM ÆVI, *&c. Adeo potest rerum faciem immutare magnum temporis edacis spatium. Eodem planè modo quo vester Aries, ita & pallium vestrum non agnoscitur à vobis.* SIT NVNC, *&c. Sed iam aliunde argumentatio sumatur.* NE PORNICVM *id. Carthaginensem erubescat quasi exprobrata leuitate, aut doleat quasi exprobrata seruitute, quasi toga ipsa sumpta à Romanis sit symbolum alicuius seruitutis. Sic dicitur Germanicum, & Ibericum, pro Germanis, & Iberis. Vt sit sensus: Argumentatus sum exemplo Carthaginensium ipsorum, licitum esse Christianis, togam mutare Pallio, cùm Pallium toga ipsi mutauerint: Iam ne hic sermo vobis inter Romanos versantibus, pudorè sit, aut dolori, dum videor exprobrare vobis, aut leuitatem, aut aliquam seruitutis vmbram; sit aliunde res; rationes ex alio penu promamus, quibus nostram togæ in pallium mutationem inuitsuperabilem comprobemus.* Certè habitum vertere naturæ totius solemne munus est. *id est, tota natura frequenter vestem ipsam & formam mutat.*

IV QVID NVNC, *scilicet dicam de vobis?* SI EST ROMANITAS OMNI SALVS, *id. si modus agendi, & vestiendi Romanis vsitatus, salubris censetur omni populo à Romanis subacto, proindeque & vobis.* NEC HONESTIS TAMEN MODIS, *&c. Quomodo vos vertitis ad mores Græcos in multis, & quidem minus honestis? Alij legunt;* si est Romanitas omnis alia nec vestis tantum? Admodum Græci estis: an non ita est? *Alij;* si & Romanitas omnis, alia nec vestis, tamen admodũ Græci estis. *Alij;* si est Romanitas omnis alia, nec vestis tamen. *Quasi diceret: Quid reprehensione dignum videtur in nobis, si excepta veste, omnia ex Instituto Ro-*

manorũ gerimus: vos contra facitis, qui sola exceptа veste, Græcos imitamini. AVT NISI A EST, *id. nisi verum dico, unde ergo gentium in Africæ Prouinciis, melius ad cultum vitæ ciuilem exercitis, quas natura agro potius excolendo, quàm studiis, & deliciis Græcorum commodas fecit, vigent studia Græcanica, quibus homines malè & miserè senescunt, & in cassum laborant?* ET LVTEA VNCTIO. *id. Ceroma ex oleo, & terra compactum intelligit, quo Athleta vngebantur.* ET PVLVEREA VOLVTATIO. *Post unctionem, Palæstrita pulvere se aspergebant, ut firmius lubricos artus tenerent. Sic Statius*; tum madidos artus alterno pulvere siccam. ARIDA SAGINATIO. *Xerophagiam alibi vocat, esum ciborum ariderum. Galenus lib. de salutari dieta; monet cauendum Athletis, ne post exercitationem bibant. Plin. lib. 23. c. 7. scribit antiquum eorum cibum fuisse caricas, id. aridas ficus. Pergit Tertul. exprobrare Numidis Carthaginensium vicinis, capilli, & barba curam nimiam; de quibus supra verbo* capillus, *num. 2.*

CASTITAS.

1. *Castitatis excellentia. De Pudic. cap. 1. in p.*

PVdicitia flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis; quamquam rara, nec facilè perfecta, vixque perpetua tamen aliquatenus in seculo morabitur, si natura præstruxerit, si disciplina persuaserit, si censura compresserit. Siquidem omne animi bonum aut nascitur, aut eruditur, aut cogitur.

CASTITATIS EXCELLENTIÆ. I. SCHOLIA.

FLOS MORVM. *Certatim Patres velut apes ex horto concluso Scripturæ varios legum flores, quibus virgineum & castum caput meritis ornent laudibus. Aug. 2* S. August. *de Ciuit. c 26.* Tanta vis est probitatis & castitatis, vt omnis, vel penè omnis moueatur eius laude humana natura, nec vsque adeo sic est turpitudine vitiosa, vt totum amittat sensum honestatis. *Sic Hiero. ep. 11.* Varios testimoniorum flores in vnam pudicitiæ coronam texuimus. *Pulchrè Tertul laudes eius aggressus, florem morum dixit. Sed florem, lilium Aponius intellexit, hæc verba premens Cantici Cant.* Qui pascitur inter lilia: tres pueri, *inquit*, Hebræi, castitatis dilectione missi sunt inter Babylonicas flammas. In eis medius ardente fornace, quasi inter lilia Dominus pascitur; eo quòd semper requiescat in cordibus diligentibus castitatem. *Et Thomas Cantipr.* Beata Virginitas lilio comparatur, tum propter candorem niueum, tum quia ex sex foliis repandis constat: vt cordi primo, deinde quinque sensibus corporis, ab omni contagio illibatissimè caueatur. *Et quidem cùm titulus Psalmi 44. sit inscriptus*, pro liliis: par erat; *vt cùm de Ecclesia, vel B. Virgine sponsa summi Regis, in Epitalamio dixisset, virginitatis lilia non præteriret.* Adducentur Regi Virgines post eam. *Quòd si D. Ambr. per lilia inter quæ pascitur sponsus, Angelos intelligit, ex eodem 1. de Virg.* Castitas Angelos facit; qui eam seruauit Angelus est; qui perdidit diabolus. Hinc Religio etiam nomen accepit. Virgo est quæ Deo nubit, meretrix quæ Deos facit. *An non adultera quæ præter vnum veram animæ virum, pluribus extraneis jungitur? Sic apud Prophetam veteri Synagoga exprobrat, sub omni ligno frondoso, prosternebaris meretrix.* S. Aug. *Aug. ser. 1. de Assumpt. Virg.* Potest lilij nomine vnaquæque Virgo significari. Lilium siquidem flores reliquos candore nimij nitoris præcellit, & odoris nihilominus jucunditate præpollet, &c. iste flos alterius, aquâ, ortus ex tellure sustollitur, & reportandus ad æthera totus aperitur: à foris quoque nimis candidus, intus verò rutilo flammescit aspectu, &c. sic nimirum Virginitas toto nisu, ab infimis ascendens ad ea quæ superna sunt, ambit. Candescit exterius munditia Virgineæ carnis, flammescit interius amore geminæ Charitatis, flagrat passim odore bonæ opinionis, extollitur ad sublimia intentione C continua cordis. *Et quidem si ex Ambrosio, lilia sunt Angeli, videntes faciem Patris, castitas Angelos facit.* Aug. *Augustinus serm. 249. de tempor.* Gloriosum & insignem inter cæteras virtutes castitas & munditia locum tenent, fratres charissimi: quia ipsa sola est quæ mundas mentes hominum præstat videre Deum. Vnde ipsa veritas ait, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ac si è contrario diceret, illi verò miseri sunt, quorum corda sunt carnali concupiscentia polluta, quia æternas merguntur in pœnas. Castitas enim angelica est vita; castitas cũ humilitate Spiritus sancti inerebitæ habitationem, quam expellit immunditia libidinum: dicente Scriptura. Corpus peccatis subditum, Spiritus sanctus effugiet, &c. Qui in castitate viuunt, Angelicam habent in terris conuersationem. Castitas, hominem cœlo coniungit: Angelis facit ciuem. HONOR CORPORVM. *Hinc Paulus contra dedecorantes luxuriâ corpus*, qui fornicatur in proprium corpus peccat. *Et Salomon impudicam mulierem, pretiosam corporis margaritam, & circulum pudicitiæ aureum cœno mergentem, sic arguit:* Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. DECOR SEXVVM. *Licet videatur esse præcipuum ornamentum sexus muliebris, est tamen multo amplius masculi, qui ex Augustino quanto fortior est, tanto indecentius sui sexus decorem deturpat.* INTEGRITAS SANGVINIS. *Quam vtique impudicitia corrumpit. Quòd si attendamus nos* non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natos, & in Christi sanguine agni immaculati regeneratos, *integrum sanguinem à corruptione seruabimus.* FIDES GENERIS. *Humani scilicet, quam sibi comites, ad eiusdem propagationem, in filiorum generatione, oppigerant Sanctus Prosper. Epigr. 46.* Carnis virginitas intacto corpore, habetur: Virginitas animæ, est inuiolata fides. *Tanta porro est pudicitia, vt subiicit esse,* FVNDAMENTVM SANCTITATIS. *Adeò & tyranni, & per eas dæmones fidem Christianorum oppugnantes, hoc sanctitatis & fidei velut fundamentum, & vallum primò impugnare tentauerint.* PRÆIVDICIVM OMNIS BONÆ MENTIS. *Vt qui pudicum hominem, & morum honestate præditum, nactus fuerit; omnia in eo virtutis, & bonitatis, omen inuenerit. Summatim laudes Virginitatis, & perfectæ pudicitiæ complexus est Hildebertus Ep. 36.* Virginitas curarum illecebrarum D

lentium

lentium est, pax carnis, vitiorum redemptio, virtutum principatus. *Et D. Zeno Episcopus Veron. ser. de pudic.* tu in pauperibus diues, in diuitibus ditior, æqualis in omnibus cõsummatis. Tu es honor corporum, tu thesaurus animarum. Tu fundamentum, fructus, & culmen omnium coæquatum. Tu tui propositi insolubilis nodus æternus. *Tanta est difficultas seruandæ perfectæ castitatis sæculo maximè tam corrupto, vt multo magis quàm Tertulliani, & Augustini temporibus fateri debeamus, quod profitetur Augustinus libro 19. de Ciuit. cap. 27* Ipsa, inquit, Aug. nostra justitia, quamuis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, vt potius remissione peccatorum, constet, quàm perfectione virtutum. Testis est oratio totius Ciuitatis Dei, quæ peregrinatur in terris: Per omnia quippe membra sua clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nec pro eis est efficax hæc oratio, quorum fides sine operibus mortua est? Sed pro eis, quorum fides per dilectionem operatur. Quia enim Deo quidem subdita, in hac tamen conditione mortali, & corpore corruptibili, quod aggrauat animam, non perfectè vitiis ratio imperat, ideo necessaria est justis talis oratio. Nam profectò quanquam imperetur, nequaquam sine conflictu vitiis imperatur. Et vtique aliquid subrepit in hoc loco infirmitatis etiam bene confligenti, siue hostibus talibus victis subditisque dominanti: vnde si non facili operatione, certè labili locutione, aut volatili cogitatione peccetur. Et ideo quandiu vi-

A tijs imperatur, plena pax non est: quia & illa quæ resistunt, periculoso debellantur prælio: & illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio. In his ergo tentationibus, de quibus omnibus in diuinis eloquijs breuiter dictum est: Numquid non tentatio est vita humana super terram? Sanatâ immortalitate, *supple morbida iam infirmitate*, atque incorruptione, naturâ, vitia non habebit; nec vnicuique nostrum, vel ab alio, vel à seipso quicquam repugnabit; non opus erit vt ratio vitijs, quæ nulla erunt, imperet: sed imperabit Deus homini, animus corpori: tantaque obediendi ibi erit suauitas & facilitas, quanta viuendi regnandique felicitas. *Nec mirum si in tanta excellentia raritatem, difficultatem, vtique perseueranciam inuenias Terræ. vt sit juxta Paulum perfecta & sancta corpore & spiritu: vt constans sit inter spinas lilium.* ALIQVATENVS IN SÆCVLO. Patria enim virginitatis cœlum est, *ait Ambrosius: quam tamen si non omni labe vel leuissima infuscatam, grauioribus tamen sordibus exemptam impollutamque seruabimus.* SI NATVRA PRÆSTRVXERIT. *id. si jecerit quasi positum fundamentum, corporis temperamentum minus feruidum à natura datum.* SI DISCIPLINA, *&c. id. ratio, exhortatio, consideratio, ipsa denique Christiana disciplina erudierit.* SI CENSVRA. *id. &c. corporis mortificatio, & sensuum custodia coegerit; de quibus infra suo loco. Per censuram tamen magis ad literam intelligie, Ecclesiasticam, scilicet excommunicationem.*

B

2. *Et ibidem à p.*

NOstrorum bonorum status jam exigitur, Christianæ pudicitiæ ratio concutitur; quæ omnia de cœlo trahit, & naturam per lauacrum regenerationis, & disciplinam per instrumentum prædicationis, & censuram per judicia ex vtroque Testamento, & coacta constantius ex metu, & voto, æterni ignis, & regni.

CASTITATIS EXCELLENTIÆ IL SCHOLIA.

NOSTRORVM BONORVM. *Bene vtique nostrorum. Neque enim plena & vera castitas, aut virtus vlla solida, Gentilibus. Vnde paulò supra dicebat*, viderit sæculi pudicitia, &c. RATIO CONCVTITVR. *Funditus euertendus status pudicitiæ Christianæ, si facilis detur machis, ad pœnitentiam adimus. Hanc enim censura vigor seruat incolumem. Hic scopus est Autoris, toto hoc libro, quo machis absolutionem negandam esse contendit, zelo errans.* OMNIA DE COELO TRAHIT. *cœlestis è cœlo origo est pudicitiæ. Sic Ambrosius*, è cœlo accersiuit, quod imitaretur in terris, verbum in ipso sinu Patris inuenit: *De Patre genitum* in splendoribus sanctorum: *vt ex Virginali vtero ante Luciferum; sicut Ioannes*, qui post me venit, ante me factus est; *id. me præcedit dignitate; sic ante Luciferum, id. splendidior Lucifero, nasceretur. Vnde & alia versio:* ex vtero auroræ, ros tibi nativitatis tuæ. *Exclamarat sic Sapiens:* O quam pulchra est casta generatio cum claritate. NATVRAM PER LAVACRVM, *&c. Hic repetit, vel perficit quod supra dixerat*, si natura præstruxerit; &c. Omne animi bonum aut nascitur, aut eruditur, aut cogitur. *Natum quidem fuerat & innatum sine contemnis bonum integrum pudicitiæ, & natura fronte integra in Paradiso constitit: in lauacro autem regenerationis, prius emortuum lilium renascitur fonte baptismatis de medio paradisi Ecclesiæ, fonte inquam vitæ regenerantur. Ambr. libr. 1. in Luc.* Ille sub Elia diuiso amne fluuialium recursus vndarum in originem fluminis,

C

D

sicut dicit Scriptura: *Iordanis conuersus est retrorsum.* Significauit salutaris lauacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint parvuli, à malitia reformantur. INSTRVMENTVM PRÆDICATIONIS. *Qua maximè suadet castitatem. Vt quod natum est ex aqua & Spiritu sancto, vtroque manducante animam & carnem, idem habeat alimentum pudicitiæ, quod fuit elementum; Verbum scilicet, quod junctum fuit lauacro aquæ, & Spiritui sancto. Verbum enim* est aqua sapientiæ salutaris; *Et de Verbo suo Christus*, Verba quæ loquor vobis Spiritus, & vita sunt. CENSVRAM PER IVDICIA. *Quia vtraque lex grauiter arguit impudicos, & judicium diluuij, & ignis in Sodomam recenset.* METV. ET VOTO, *spe & timore gloriæ & pœnæ, firmius excitatur homo ad sanctimoniam. Quis enim effrenem ac lasciuientem carnem freno timoris gehennæ non contineat; quis ad amorem pudicitiæ spe; voto, desiderio, angelicæ similitudinis in regno cœli adipiscendæ, non vrgeat? dum hinc cogitat, sulphureũ Apocalypsis stagnum, quo mersa est Babylon meretrix? dum mente reuoluit edicto Pauli, à parte regni omnem immundum & fornicatorem exclusum? dum Psalte regia prophetante intelligit*, sagittas ardentibus acutas effici. *Inde*, torrente voluptatis inebriandos, de ligno vitæ paradisi, & manna, victores saziandos recognat? *Augustinus timore Dei castitatem suadet; serm. 46. de verb. Domin. in sequenti proximè scholio ad rem appositè citatur.*

3. *Castitas templi Dei, corporis scilicet nostri, custos est.* 2. *De cult. fœm. cap. 1. in p.*

ANcillæ Dei viui, conseruæ & sorores meæ, quo iure deputor vobiscum, postremissimus equidem meo iure conseruitij & fraternitatis, audeo ad vos facere sermonem, non vtique affectationi, sed affectioni procurans in causa vestræ salutis. Ea salus nec feminarum modò, sed etiam virorum, in exhibitione præcipuè pudicitiæ est. Nam cùm omnes templum Dei simus, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, eius templi æditua & antistita
1. Cor. 3. 16. 17. pudicitia est, quæ nihil immundum nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.

CASTITATIS EXCELLENTIA III. SCHOLIA.

QVO IVRE DEPVTOR VOBISCVM. *O Dei formula, non alio iure quàm Christianismi, & communis seruitij, quod pariter Deo viuo exhibemus, vobis de tuenda, per modestiam cultus, pudicitia sermonem facio; non affectationi in hoc seruiens, sed vero affectui, quo & vestram & meam, & sexus vtriusque salutem procuro; quæ magna ex parte pendet à tutela pudicitiæ, eiusque per moderationem cultus & habitus exterioris, ad vitandum scandalum, & proximum ædificandum, externa exhibitione. Cauendum enim est ne Spiritus sanctus, corpus nostrum sibi baptismo consecratum in templum, sordibus luxuriæ inquinatum deserat, ac proinde pudicitia huic templo prefecta Sacerdos & æditua, pro foribus adstet, necesse est, vt Cherub custos vigil Paradisi serpentem excludat, &* Sexaginta fortibus B *constipata,* lectulum Salomonis ambiat, *ne quid spurcum, vel tantillum immundum, tanti sponsi, tamque zelotypi oculos offendat. Memores.* Idoli zeli pro foribus templi; *quas ædituæ pudicitiæ clausas tenere, & fenestras mortis occludere debet, sensus, inquam, custodire; ne* spiritum extinguat, *ventus tentationis. Lampades enim eius, lampades ignis atque flammarum.* POSTREMISSIMVS. *Sic Plautus in Menæc.* exclusissimus sum. *Agellius,* omnium nationum postremissimum nequissimumque existimatote. CONSERVITII. *Sic Desiderius,* consacerdotes, *Paulinus* compallidos. *Cyprianus,* consacerdotes *dixit* ETIAM VIRORVM. *Augustinus* C S. August. hoc delapsa est humana infirmitas, vt vir habeatur victus à libidine, & vir non habeatur victor libidinis, &c. iacent prostrati & viri sunt. *Esto. 10. ser. 46. de verbis Do.* qui coniugati estis fidem thori seruate vxoribus vestris. Reddite quod exigitis. Vir à fœmina castitatem exigis? Præbe illi exemplum, non verbum. Tu es caput, quâ is vide. Hæc enim debes ire, quâ illi non sit periculum sequi, &c. ab imbecilliori sexu exigis fortitudinem; carnis concupiscentiam ambo habetis, qui fortior est prior vincat. Et tamen quod dolendum est, multi viri vincuntur à fœminis, &c. stat corpus, & iacet caput. TEMPLVM DEI SIMVS. *1. Cor. 3.* Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est D quod estis vos. *Et Ephes. 2.* in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei. *D. Thom. ibid.* Est quidem in materiali templo quædam Sacramentalis sanctitas, prout templum Diuino cultui dedicatur: sed in fidelibus Christi est Sanctitas gratiæ, quam consecuti sunt per Baptismum, secundum illud infra. 1. Cor. 6. abluti estis, sanctificati estis. *& Cypr. de Discipl. Virg.* Considerantes pariter ac scientes, quod templa Dei sint membra nostra, ob omni labe contagionis antiquæ, lauacri vitalis sanctificatione purgata. ÆDITVA. *Æditui sunt qui ædes tuentur, qui ædes sa-* A *cras curant, custodiunt, & obseruant. Quam definitionem probat Theophilus. §. tutor. instit. de tutel. Vlp. lib. 3. §. si tabulæ. ff. de tab. exhib. hi sunt quos Hierophylaces, id. Sacrorum custodes vocat Scæuola in l. annua. ff. de An. lega. Porro cum castitas,* thesaurus sit absconditus in agro, *& pudicitia dicatur æditua, seu Hierophylax; pulchrè comparabitur cum gemma dicta Gazophylax, qua olim portis thesaurorum custos imponebatur miro naturæ genio, vel magiæ artificio, fures abigens, statim accedentibus immurmurans, & quodam motu terræ faciens.* ANTISTITA, *Antistes dicitur Episcopus, quod primus sit diœcesis Sacerdos, sic Iustin. §. nos autem. instit. de Attiliano tutore. Apud veteres Antistites dicti sunt primarij cuiusque templi Sacerdotes L. si quemquam. Et L. decernimus. C. de Epis. & Cler. sic Arcadius & Honorius Imp. primarium legis Sacræ Doctorem, Diocletianus etiam liberalium studiorum, Plin. sapientiæ Antistites appellarunt.* NE ILLE DEVS QVI INHABITAT, *&c. Aug. de Nat. Christi:* Dominus noster Iesus Christus ideo per casta Virginis membra venit ad terras, vt ostenderet Deus castitatis esse authorem. Ergo sicut Dominus noster, nos suscepit in se, ita & nos Deum suscipiamus in nobis. Portemus ergo & nos Deum in casto corpore, & cum munda conscientia, quem Virginis casta membra portarunt. Christus enim Magister est castitatis, & ideo qui castitatem non C Aug. haber, Christum portare non valet. *& tract. 4. in Epist. Io.* castificat seipsum, sicut & ipse castus est. Quis, inquit, nos castificat nisi Deus? Sed Deus te nolentem non castificat. Ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum. Castificas te; non de te, sed de illo, qui venit vt habitet in te. *Sicut in cœlo, & templo suo. Ideo* & filiæ Regum Virgines, vestimentorum pudicorum odore, & templis siue domibus eburneis *corporum, vehementer afficiant & oblectant & Christum, & Spiritum sponsum, quem vterque sexus, vt vidimus, offendere, & fugare tetro impuritatis odore non debet. Aug. supra ser. 46. de* Aug. *verb. Dom.* Si ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris. Quales eas vultis ad vos venire, tales vos debent & ipsæ inuenire, &c. Intactam quæris? Intactus esto. puram quæris? Noli esse impurus. D Non enim illa potest, & tu non potes. Si fieri non posset, nec illa posset. Quia vero illa potest, docet te quia fieri potest: Et illam, vt posset, Deus fecit. Sed tu glorioſior eris, si feceris. Quia illam premit parentum custodia, refrænat infirmiorem sexum ipsa verecundia, postremò leges timet quas non times; ideo glorioſior eris si feceris, quia Deum times: habet illa multa quæ timeat præter Deum, tu solum Deum timeas. Sed tu quem times maior est omnibus. Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis, videris; intras, videris. Lucerna ardet, videt te: Extinguitur, videt te. In cubiculum intras, videt te. In corde versaris, videt te. Ipsum time, illum cui cura est vt videat te, & vel

timendo cautus esto. Aut si peccare vis; quære vbi te non videat, & fac quod vis. *Timendum autem pro cunctis malis, ne deserendo templum quod fulcit sua gratia præsentiâ; disperdat, ita vt* non remanear A lapis superlapidem: Vt enim eis cum recesserò ab eis: auferes Spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum reuertentur.

4. Castitas in paradiso terrestri servata. De Exhort. cast. cap. 13. circa f.

QVanti & quantæ in Ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur; qui Deo nubere maluerunt, qui carnis suæ honorem restituerunt, quique se jam illius ævi filios dicauerunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, & totum illud quod intra paradisum non potuit admitti? Vnde præsumendum est, hos qui intra paradisum recipi volent; tandem debere cessare ab ea re, à qua paradisus intactus est.

5. Et de vel. Virg. cap. 5. à p.

CVm hoc genus secundi hominis à Deo factum est in adjutorium hominis; fœmina illa statim mulier est cognominata, adhuc felix, adhuc digna paradiso, adhuc Virgo. Gen. 2. 23.

CASTITAS EXCELLENTIA IV. & V. SCHOLIA.

QVANTÆ IN ECCLESIASTICIS ORDINIBVS, &c. *Pamelius legit*, quantæ igitur & quæ in Ecclesiis, ordinari in Ecclesia solent, *omnia referens ad sexum fœmineum: in quem locum congeries locos Pauli. 1. Tim. 3.* Mulieres similiter pudicas, *ad Tit. 2.* Anus similiter in habitu Sancto. *1. Tim. 5.* Vidua eligatur non minus sexaginta annorum *Non quod Epiphanio teste ordinarentur ad munus aliquod Sacerdotale administrandum in Ecclesia, sed tantum vt Diaconissæ domi viderent adolescentiores, ad Tit. 2. & operam darent lauandis ante Baptismum, mulierum corporibus, & postea abstergendis, item vt habetur Act. 5. Apostolis vitæ necessaria procurarent, B. Clemens Romanus lib. 2. constit. Apost. cap. 30. & lib. 6. cap. 17. de his consulendus, qui ibidem tradit Diaconissam eligi debere Virginem, aut vnius viri viduam. Sexta autem Synodus in Trullo Can. 14. eis nuptias interdicit. Vnde Tertul. hæc dicit* Deo nubere maluerunt, *& paulò ante*, de continentia censentur in Ecclesiasticis ordinibus: *quia veluti Sacra Deo persona reputantur, & quodammodo in albo Ecclesiasticorum ordinum recensentur, gradum specialem honoris habentes in Ecclesia. Idem Canon 14. ætatem sexaginta annorum ab Apostolo præscriptam redegit ad annos 40.* ORDINIBVS. *Nulla in earum ordinatione fiebat manus impositio, & ideo pro Laicis habebantur, vt liquet ex Can. 19 primæ Synodi Nicenæ. Quin etiam presbyterarum; quas Beatus Clemens insinuat fuisse vxores presbyterorum, ordinatio vetita fuit Concilio Laodicæno Can. 11. vbi etiam vocantur in secunda translatione, matriculariæ. Concilia similiter Ananitanum. 1. Can. 26. & Aurelianense 2. Can. 18. Diaconissarum ordinatio fuit prohibita.* HONOREM RESTITVERVNT. *Alij legunt*, instituerunt, *id est institutum & propositum sine votum castitatis susceperunt, restituentes ablatum à primis parentibus integritatis honorem.* ILLIVS ÆVI FILIOS, *&c Id. resurrectionis, qua Angelificabuntur incorrupta corpora. Alij legunt*, illius pudoris filias dicauerunt. *Quod idem est.* QVOD INTRA PARADISVM NON POTVIT ADMITTI. *Scilicet concubitus carnis, quo non fuit polluta Paradisus terrestris, & proinde multo minus in cœlestem admittetur*: nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum, *quo & excluse sunt nuptiæ. Hunc conceptum peperit Tertulliano illud Gen. 4. vbi cum extremo versu capitis tertij didicisset Moyses, post ejectos Paradiso primos parentes*, collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem. *Statim sic ordiuntur cap. 4.* Adam vero cognouit vxorem suam Euam: quæ concepit & peperit Cain. *Vbi aliqui Rabbini cum nostris hæreticis* B *putant Adamum in Paradiso cognouisse Euam. Sed communiter Patres tenent in Paradiso fuisse Virgines, quia Scriptura, quam ad literam volunt hæretici intelligi, nil jam ei omnino superaddi, hoc tantum vice fecit prima copula mentionem; & honesto verbo vsa est: quia Hebræi Virginem vocant*, Alma, *id. absconditam, & incognitam viro, inde eam corrumpere, seu eius turpitudinem reuelare, siue cognoscere, id in est. Leuit. 18. & Gen. 4.* Cognouit Cain vxorem suam, *& rursum.* Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth. *Tostat. in hunc locum.* Methodius Martyr quem multum sequitur Magister Scholasticarum historiarum, dum esset in carcere, orauit à Deo, vt aliqua ei de Principio, & de fine mundi reuelaret, quod sic factum est; scripsit autem illa verbis, licet impolitis, & ait, quod primi parentes Virgines de Paradiso egressi sunt; deinde anno quindecimo vitæ Adæ natus est Cain, & soror eius Calmana. *Chrysost. Hom. 18. in Gen.* tunc primum vsus rei venereæ cœpit, ante inobedientiam enim Angelicam vitam imitabuntur, & nullus de re venerea erat sermo. Ab initio virginitas palmam accepit; sed postquam per desidiam intrauit inobedientia, & aditus patefactus est peccato, illa quidem euolauit, vtpote ab his qui indigni tantæ magnitudinis virtutis fuit erant; subintrauit autem rei venereæ lex. *Nota euolauit. Virginis signo cœlesti soli, Astrologi dant alat quod ex Ambrosio*, Virginitas aëra, cœlos, sideraque transcendat. *Epitaphio Hiero.* Magna iniuria nuptiarum, vt nec inter Leones, Arietes, Tauros, Cancros, & Ægoceratas vxorem maritumque coniunxerint. *Et idem lib. in Iouinian.* Nuptiæ terram replent, Virginitas Paradisum. *& Augustin.* in Paradiso Virginitas, extrà nuptiæ. *& notatu dignum quod ejectis primis parentibus, statim post prurientem libidinis, Paradiso euolante cum innocentia Virginitate, Cherub alatus, custodit atrium Paradisi: in quem Virgo Elias curru igneo raptus admittitur.* Ideo curru igneo raptus in cœlum, ideo Dominici feretur præcursor aduentus, *ait Ambrosius; quod scilicet Virgo foret, & alter Ioannes, qui & ipse*, in spiritu Eliæ venit. *Petrus Blesens. Serm. in Festo omnium Sanctorum.* Virginitas currus igneus est, sursum ferens, quem vehit. Igneum enim, id est sydereum, imo Angelicum est, in carne viuere supra carnem. *Et S. Ephrem tract. de Cast.* O castitas curtus spiritualis, possessorem suum in sublime euehens! *Benè ergo & ab Angelis ministris igneis raptus in Paradisum Elias præcursor secundi aduentus, qui in Paradiso cum* C

ſti, Virgines & caſti omnes, Reſurrectionis filij, non nubent, neque vxores ducent, ſed erunt ſicut Angeli Dei. NON POTVIT ADMITTI. *Crudè dictum cum in Paradiſo dictum fuerit*, creſcite & multiplicamini. *Nec hinc tamen hæretici poſſunt concludere Adam cognouiſſe in Paradiſo vxorem: cum præceptum affirmatiuum fuerit, non obligans ſtatim: nec veriſimile eſt agnitâ culpâ ſuâ, poſt tantas à Deo inflictas pœnas in rem veneream prorupiſſe, tam modico in Paradiſo tempore commoratos, quo ſenſu intelligendus Tertul. cum dixit hunc actum non potuiſſe admitti in Paradiſo. Cæterum Auguſt. 9. de Gen. ad lit. cap. 3.* quamquam iam emiſſi de Paradiſo conueniſſe & genuiſſe cõmemorentur: tamen non video quid prohibere potuerit vt eſſent eis etiam in paradiſo honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus; hoc Deo præſtante fideliter iuſteque viuentibus, eique obedienter ſanctèque ſeruientibus, vt ſine vllo inquieto ardore libidinis, ſine vllo labore ac dolore pariendi, fœtus ex eorum ſemine gignerentur: non vt morientibus parentibus filij ſuccederent, ſed vt illis qui genuiſſent in aliquo formæ ſtatu manentibus, & ex ligno vitæ quod ibi plantatum eſt, corporalem vigorem ſumentibus, & illi qui gignerentur, ad eundem perducerentur ſtatum: donec certo numero impleto, ſi iuſtè omnes obedienterque viuerent, tunc fieret illa commutatio, &c. *qua corpora, animalia ſcilicet, ſpiritalia euadent. Et cap. 5. cùm de Helia rapto dixiſſet, quem ſcriptura expreſsè non dixit cœlibem. Subdit:* quid de Enoch reſpondebit, qui filius genitus, Deo placens, non mortuus, ſed viuus tranſlatus eſt? Cur ergo & Adam & Eua, ſi iuſtè viuentes, caſtè filios procreaſſent, non eis poſſent tranſlatione, non morte ſuccedentibus, cedere? SECVNDI HOMINIS. *Eua ſcilicet, ſecunda poſt Adam in eius adiutorium condita.* COGNOMINATA. ædificauit coſtam in mulierem. ARMVC FELIX, *ob beatum Innocentiæ ſtatum.* DIGNA PARADISO, *propter incorruptam virginitatem.*

S. Auguſt.

Aug.

6. *Caſtitas perfecta hominem Deo aſſimilat. De Monog. cap. 3. à m.*

1. Ioh. 2. 6. a Io. 3. 3. b Leu. 11. 44.

IOannes monens ſic nos incedere debere quemadmodum & Dominus, vtique etiam ſecundùm ſanctitatem carnis admonuit incedere, adeo manifestè. [a] *Et omnis*, inquit, *qui ſpem iſtam in illo habet, caſtificat ſe, ſicut & ipſe caſtus eſt.* Nam & alibi, [b] *Eſtote ſancti, ſicut & ille ſanctus fuit*; ſcilicet carne. De ſpiritu enim non dixiſſet, quia ſpiritus vltro ſanctus agnoſcitur, nec exſpectat ſanctitatis admonitionem, quæ propria natura eſt eius. Caro autem docetur ſanctitatem, quæ & in Chriſto fuit ſancta.

CASTITATIS EXCELLENTIA. 5. SCHOLIA.

IOANNES. *1. 2.* qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. *tranſlat. Syr.* qui dicit in ipſo ſum, oportet vt ille iuxta itinera ipſius ambulet. *Et quæ itinera, quæ via Chriſti? quomodo procedit? vt lux de lumine, per viam intellectus à Patre, virgo in carne de Virgine. Hæc lex viarum eius.* & Beati Immaculati in via qui ambulant in lege Domini, quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, *qui carne & ſpiritu caſtus eſt, qui per* viam lacteam *incedit*, qui inter lilia *candoris & innocentiæ cum illo paſcitur.* ADEO MANIFESTE. *Vel intellige, quod non ſatis ſit mundo corde eſſe, vt Deum videre mereare, ſed & caſtitatem tuam corpore & conuerſatione tota manifeſtes. vel referendum eſt ad id quod ſequitur; nempe quod aper. è dicit Ioannes Chriſtum non tantum mente & ſpiritu, & diuinitate, ſed & carne ſanctum & caſtum fuiſſe, quod probat primò ex 1. Io. 3.* Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. *tranſlat. Syr.* ſcimus autem, cùm ipſe reuelatus fuerit, nos in ſimilitudinem ipſius fore, eumque viſuros, prout ipſe eſt. Et quiſquis habet in eo hanc ſpem, purificat ſeipſum, ſicut & ille purus eſt. *Auguſtinus legit ſicut Tertullianus*, caſtificat ſe ſicut & ille caſtus eſt. *Secundo ex Leuit. 11.* Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum. *Sicut etiam legunt Hebr. Chald. & 70. vbi nota excellentiam Caſtitatis, quæ ex Baſilio hominem Deo Immortali & Incorruptibili aſſimilat. Aug. to. 3. lib. 4. de doct. Chriſt citans Cyprianum*: Eſt apud Cyprianum Virginitatis illa laudatio, &c Opus integrum atque incorruptum Dei Imago reſplendens, *alij reſpondens* ad ſanctimoniã Domini. *Homo enim caſtus verè* eſt fons ſignatus. *Cant. 4. Ambr. epiſt. 25.* fons ſignatus, eo quod Virginitas ſit fons & origo pudicitiæ, quæ inuiolata cuſtodiat integritatis ſignacula; in quo fonte, imago Dei luceat. *ſed longè diuerſo ſigillo caſta anima & caro obſignatur, ab annulo Cæſaris, de quo Dion. lib. 43. Hiſt. Romanæ.* Venerem armatam annulo inſculptam geſtabat, eaque teſſera in rebus ſummis plerumque vtebatur. *Seipſum Diuinus ſponſus, ſeipſum, non Venus ſpurca, ſed Chriſti humanitas*, pulchræ dilectionis mater, *vt ſignaculum imprimit caſto cordi & corpori, dicens Cant. 8.* pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. *Et ſic ſibi proximum & ſimilem faciat in gratia, vt de claritate caſtæ & pulchræ generationis, transformet in eandem imaginem claritatis regenerationis. Sic Sap. 6.* Incorruptio facit eſſe proximum Deo, *id eſt, proximè ad Deum accedere, illique ſimillimum eſſe, tum in animo per ſanctitatem, tum in corpore per continentiam & integritatẽ. Quod & Plin. agnouit in panegir Traiani.* Nil præſtabilius, nil pulchrius, nil diis ſimilius quàm caſtum & Sanctum principem &c. *Aſtra pro diis lucida colebant: & caſtitas teſte Salomone Sap. 4.* in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. *Præcurrere videatur Luna, certet cum aſtris cæteris de præmio lucidi curſus caſtitas coniugalis & thorus immaculatus, proximior terra, vel de vmbra eius maculas colligit: à terra eleuatior eſt continentiæ vidualis, ſtat firma in orationis aſſidua cuſtodia in firmamento cœli Eccleſiæ immota. Præſtat cunctis & palmam præripit Sol virginitatis, Soli iuſtitiæ proximior & ſimilior. Sic de Virginibus Aug. to. 6. lib. de S. Virginitate cap. 27.* ſequimini agnum quocumque ierit: quo ire putaris hunc Agnum? quo nemo eum ſequi, vel audeat, vel valeat niſi vos Virgines. quo putatis eum ire? In quos ſaltus & prata? Vbi credo ſunt grandia gaudia, non gaudia huius ſæculi vana, inſaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipſo Regno Dei cæteris non Virginibus erunt; ſed à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta. Gaudium Virginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia propria Virginum Chriſti non ſunt eadem non Virginum, quamuis Chriſti,

S. Aug.

S Auguſt

Aug.

VLTRO SANCTVS. *Anima, inquit, non ego admonitione vt pura sit & casta, quæ suapte natura immortalis & incorruptibilis est: sed caro corruptibilis, admonetur vt Christi carnem sanctam, & incorruptam imitetur, de qua dictum est* non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Et quod nascetur ex te sanctum. *Vnde & illud D. Andreæ Apostoli:* Sicut Adam caro de terra Virgine, sic Christi corpus de Beata Virgine, terra inculta vito de Spiritu sancto formatum est.

CASTITATIS SPECIES INVICEM COMPARATÆ.

1. *Castitatis tres species. De Exhort. cast. cap. 1. à p.*

ID bonum, Sanctificationem dico, in species distribuo complures, vt in aliqua earum deprehendamur. Prima species est, Virginitas à natiuitate. Secunda, Virginitas à secunda natiuitate, id est à lauacro, quæ aut in matrimonio purificat ex compacto, aut in viduitate perseuerat ex arbitrio. Tertius gradus supereſt Monogamia, quum post matrimonium vnum interceptum, exinde sexui renuntiatur. Prima virginitas, felicitatis est, non nosse in totum, à quo postea optabis liberari. Secunda, virtutis est; contemnere, cuius vim optimè noris. Reliqua species hactenus nubendi post matrimonium morte disjunctum, præter virtutis, etiam modestiæ laus est.

CASTITATIS SPECIES. I. SCHOLIA.

DEPREHENDAMVR. *Plures species distinguit castimonia, quam sanctificationem hic vocat, bonum vtique magnum, sine quo videri non potest summum bonum.* Sine qua nemo videbit Deum. *Excluditur enim omnis fornicator cœlo*, quo nihil intrat coinquinatum. Foris canes & impudici *Qui absque castitatis alia quæ specie pro suo quisque statu deprehendetur & inuenietur in morte.* VIRGINITAS A NATIVITATE. *Qualis est pueri recens nati ex vtero. Sed mihi prodest Virginitas carnis, perdita peccato originali integritate & innocentia mentis.* SECVNDA A LAVACRO. *id. à tempore baptismi, quæ in omni statu pro gradu suo seruanda est. Ambr. tract. de Horat. ad Virg.* Meliores afferat fructus claustro pudoris septa Virginitas, in qua intemerata permaneant signacula castitatis, &c. Nemo resignet, quem genitalis in nobis origo signauit. EX COMPACTO. *Ex compromissa fide coniugali in matrimonio.* EX ARBITRIO. *Quia vidua ex consilio Pauli, non ex imperio, aut præcepto sicut nec Virgines, in sancto proposito, ex libertate, perseverant nisi votum obligauerit.* POST VNVM INTERCEPTVM, *id. dissolutum alterius coniugis morte, operi carnis renuntiatur seruata monogamia.* PRIMA FOELICITATIS. *compar Angelis Virgo est, nil sordium experta, quas nupta gestauit, & quibus sæpè ob dolores partus & impedimenta grauedinis optat liberari.* SECVNDA VIRTVTIS, *in coniugibus, qui ex compacto non solum fidelitatem mutuam seruant, sed vel* ad tempus vt orationi vacent, *vel semper, ex compromisso continent, vim libidinis notam, & expertam despuentes.* HACTENVS NVBENDI. *id. deinceps non nubendo, & Nuptiis modum in primis ponendo, non solum virtutis laudem, quæ superant voluptatem, sed & modestiæ consequuntur.* *Diuersas species sic exprimit, & hortatur Augustinus ser. 46. de verb. Do.* Mementote in quocumque sexu sitis, siue mares, siue fœminæ, Angelorum vitam vos ducere in terra, Angeli non nubunt neque vxores ducũt. Hoc erimus cum surrexerimus. Quanto vos meliores qui iam quod erunt homines post Resurrectionem, hoc vos incipitis esse ante mortem? seruate gradus vestros, seruat enim Deus vobis honores vestros. Comparata est resurrectio mortuorum stellis in cœlo constitutis. Stella enim à stella differt in claritate, vt Apostolus dicit. 1. Cor. 15. Sic & resurrectio mortuorum. Aliter ibi lucebit Virginitas, aliter castitas coniugalis, aliter sancta viduitas, diuersimodè ibi lucebunt, sed omnes ibi erunt. Splendor dispar, & cœlum commune. Cogitantes ergò gradus vestros, seruantes & professiones vestras, accedite ad carnem & sanguinem Domini: Qui se scit non esse talem non accedat. *Quid aptius ad rem Tertulliani tum huius, tum præcedentis paragraphi explicandam, vbi sic concludebat, inuitans ad castitatem carnis:* Caro autem docetur sanctitatem, quæ & in Christo fuit sancta. *Idem Aug. to. 6. lib. de sanct. Virg. c. 27.* Pergite sancti Dei, pueri & puellæ, mares & fœminæ, cœlibes & nuptæ. Pergite perseueranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis vberius: sperate fœlicius, cui seruitis instantius: amate ardentius, cui placeris attentius. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptiis. Vos afferte ad nuptias agni canticum nouum, quod cantabitis in cytharis vestris. *Cythara autem ex eodem in Psalmis carnem significat, quæ ex inferiori parte sonat, vt & tympanum extensum in ligna pallens mortificatam & crucifixam: Psalterium autem à superiori parte resonans, mentem: vt cum Psalte dicant*, cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Deum inquam viuorum & mortuorum. *Quando fuerint* resurrectionis filij neque nubent, neque vxores ducent. *Diuersos gradus castitatis agnouit Augustinus reuelata sibi diuinitus casta dignitate continentiæ, sicut ipse refert libro 8. Conf. cap. 11.* Aperiebatur, inquit, ab ea parte, qua intenderam faciem & quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu non poteris, quod isti, & istæ? An verò isti, & istæ in semetipsis possunt; ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in me stas, & non stas? Proijce te in eum; noli metuere, non te subtrahet, vt cadas. Proijce te securus, excipiet te, & sanabit te. *Est o. 33. apud Augustinum, lib. de Dogmatibus Ecclesiasticis capite 62.* Bonæ sunt nuptiæ, sed causa filiorum, & compescendæ fornicationis obtentu; melior est continentia, sed non sibi sufficit ad beatitudinem si pro solo amore pudicitiæ retinetur; sed si & cum affectu, causa va-

candi Domino eligatur: Alioquin diuortium magis coniugi videbitur esse, quàm appetitio castitatis. Virginitas vtroque bono præcellior est, quia & naturam vincit & pugnam; naturam corporis integritate, pugnam pace castimoniæ, quæ pro soamore pudicitæ in pace est. *Et libro 5. de Continentia cap. 26. Agens de 3. contignationibus Arcæ:* Possunt tres illæ vbertates Euangelicæ, tricena, sexagena, centena intelligi, vt in infimo habitet pudicitia coniugalis, supra vidualis, atque hac superior, virginalis. Aug.

2. Castitas virilis laudabilior muliebri, & continentia vidualis, & conjugalis, licet inferior sit gratia virginali; fortior tamen est. De Vel. Virg. cap. 10. per totum.

SAtis in humanum, si feminæ quidem per omnia viris subditæ, honorigeram notam virginitatis suæ præferant, quasi suspiciantur, & circumspiciantur, & magnificentur à fratribus; viri autem tot virgines, tot spadones voluntarii, cæco bono suo incedant, nihil gestantes, quod & ipsos faceret illustres. Debebunt etiam & ipsi aliqua sibi insignia defendere, aut pennas Garamantum, aut stropulos Barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum, aut stigmata Britonum: aut ex diuerso fiat, capite velati in Ecclesia lateant. Certi sumus Spiritum sanctum magis masculis tale aliquid subscribere potuisse, si feminis subscripsisset: cùm præter sexus auctoritatem, etiam ipsius continentiæ nomine masculos potius honorari oportuisset; quorum quanto sexus auidior & calidior in feminas, tanto continentia maioris ardoris laboratior, ideoque dignior omni ostentatione: si ostentatio, virginitatis est dignitas. Non enim & continentia virginitati antistat, siue viduorum, siue qui ex consensu contumeliam communem jam recusauerunt? Nam virginitas gratia constat, continentia verò virtute. Non concupiscendi, cui concupiscendo inoleueris, grande certamen est. Cujus autem concupiscendi ignoraueris fructum, facilè non concupisces, aduersarium non habens, concupiscentiam fructus. Quomodo ergo non magis viris aliquid tale Deus in honorem subscripsisset, vel quia familiariori, scilicet imagini suæ, vel quia plus laboranti? si autem nihil masculo, multo magis feminæ.

CASTITATIS SPECIES. II. SCHOLIA.

SATIS INHVMANVM. *Duo conficit hoc capite. Primò Virgines humiliat, quibus nulla vult dari singularia & foris apparentia gloriæ insignia,* inhumanum *sint ens, id. contra jura humana, si fœmina quas & Deus in Eua, & Paulus subjecit viris, aliquod insigne honoris, pra viris ferant. Quibus virginitatem suam ostentent, dum tot masculi qui inuita Euangelium* seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum, CAECO BONO SVO LATENTE, *latente & ignorata Virginitatis margarita, incogniti incedunt. Cum possent, sicut & cætera gentes, aliqua sibi propria virilitatis insignia vindicare. Secundo vigoriorem probat, tam viduarum, quàm castorum coniugum ex mutuo consensu continentium, vt superbiam quarumdam virginum insolentium, & apparere volentium comprimat, qua se communi mulierum volandarum legi subducere volebant.* PENNAS GARAMANTVM. *Ideo à Luciano dicti* volucres. *à Luciano lib. de dipsadibus* gens Ieuis; *nisi forte ad frugalitatem referas, quæ eos agiliores faciat. Marinum passerem vocant Garamantes struthionem iuxta Lucianum ibidem, & fortè gaudent speciosis struthionis pennis ornari, hanc enim auem pra cæteris venantur: legum alij,* pinnas Garamantum. *Et cum sit auis marina Struthio Garamantum, pinnas habet, & pennas. Alij referunt ad intortos crines, instar pinnarum.* STROPVLOS BARBARORVM, *tenias & fascias olim Latini dixere strupos, siue stropulos. Alij legũt* CROBYLOS BARBARORVM. *Legunt alij,* Scrobulos, *id. parua foramina aurium, quibus Barbari annulos, aut gemmas appendebant: alij,* Strobulos. *Græcis sunt nuces pineæ, ex auro. Crobyli ex Thucyd. interprete Luciano, & Plutarcho, sunt crinium plexus in acumen desinentes, à fronte media in verticem reducti & reuincti. In viris dicebatur Crobylus, in fœminis Cerymbus, in pueris Scorpius. Addam ex Festo,* Stropum fuisse insigne capitis sacerdotum, quasi strophium, vel coronam; *& apud Fuliscos diem festum fuisse, quem vocabant* Strappeam, *quo coronati ambulabant.* Barbaros, *accipe Asio mineris populos, vt ipse Tertul. initio huius sæculi de vel. Virg. eos vocauit, in quam colonias Græci deduxerunt.* CICADAS ATHENIENSIVM. *Eas in capite pro insigni ferebant. Hinc dicti Tettigophori, quasi* Cicadigeri. *Hoc titulo significare volentes, se esse indigenas, vt sunt Cicadæ, quæ non commigrant. Sic Nazarenus in carm.*

Cecropidæ indigenæ natam tellure Cicadam
Innodant Cirris.

Vbi aduerte Crobylum, de quo supra, fuisse propriam sedem & locum Cicadarum. Ita Thucydides de Athen. loquens, ferre desierunt lineas tunicas, & aureas Cicadas, quas capitis comam religantes, Crobylis inserebant. *Et Clemens Alex. de iisdem Athen.* Crobylo, species est capilli innexi, aureo inducbantur, *id est, ornabãtur,* adiunctis Cicadis. *Et Lucianus in nauigio:* maioribus nostris decorum videbatur, senes comam luxuriare, religantes Crobylum, aurea cicada exceptum. CIRROS GERMANORVM. *id est, capillos intortos, & constrictos nodo ad verticem. Seneca de Ira.* Crinis rufus, & in nodum coactus apud Germanos. *Tacitus de moribus German.* Vbi de Sueuis: insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. *Isid.* nonnullæ gentes non solum in vestibus, sed in corpore, aliqua sibi propria quasi insignia vindicant, & videmus cirros Germanorum granos & cinnabar Gothorum. *Cinnabar autem Plinio draconis est sanies, elisi elephantis pondere. ex permixto vtriusque animalis sanguine. Dioscoridi, in hoc differt à minio, quod minium ex Hispania, cinnabar ex Lybia afferatur. Quod hodie* cinabrium *vocant, conficitur ex sulphure & argento vino simul vstis* STIGMATA BRITONVM *Britanni Picti vocati à pictura corporis, quod ex Sidonio gladiis sibi genas vulnerarent & ferro & igne pingerent. Vnde Cæsar de bello Gallico,* Omnes Britanni se gladio inficiunt. EX DIVERSO FIAT. *id. eum mulieres in Ecclesia velentur, viri pro nota castitatis & modestiæ sub velo lateant.* SVBSCRIBERE. *&c. id. fauere. Sexui enim masculo potius Spiritus Sanctus aliquo scripturæ testimonio, in fauorem virginitatis subscri-*

pſiſſet, cum tacita ſexus authoritate id: excellentia maſculi ſupra fœmellam, & præter naturam melioremvt eam vocat Clemens Alex. *propter maiorem continentiam, aliquo inſigni ſpeciali mereretur honorari. Quantò enim feruidior eſt natura maſculi, tanto operoſior eſt continentia, & præmio proinde dignior. Macrobius ex Plut. & Clem. Alex. calidiorem maſculum. Seneca æqualem fœminam Hyppocrates de morbis mulierum, calidiorem viro facit fœminam.* CONTINENTIA VIRGINITATI ANTISTAT *præcellit nuptorum ex conſenſu, & viduorum continentia, ſed vt ipſe ſubdit, virtute, non gratia. Ita & ſenſit Hiero. Ambr. & Aug. rationem ſubdit quia facilius eſt contemnere inexpertam voluptatem, eamque non concupiſcere, quàm contra aſſuetam & aduerſariam caſtitati voluptatem præliari: qui enim fructum ſuauem guſtauit difficilius abſtinet. Quàm difficilis & operoſa ſit cuſtodia caſtitatis, in expertis carnales voluptates, proindeque in coniugatis, & viduis, præclarè docet Auguſtinus ex propria experientia ſua. Vnde vt ait Tertull. licet Virginitas gradus ſit fœlicior virginum, quàm continentia coniugum, aut viduarum: fortior tamen & generoſior eſt continentia & caſtitas poſtremorum. Sic ſeipſum pingit libro 6. Confeſſ. cap. 12.* Erat, inquit, ipſe *ſcilicet Alipius, cum quo de matrimonio & cœlibatu contendebat,* in ea re etiam tunc caſtiſſimus, ita vt mirum eſſet, quia vel experientiam concubitus ceperat in ingreſſu adoleſcentiæ ſuæ; ſed non hæſerat, magiſque doluerat & ſpreuerat, & deinde iam continentiſſimè viuebat. Ego autem reſiſtebam illi, exemplis eorum qui coniugati coluiſſent ſapientiam, & promeruiſſent Deum, & habuiſſent fideliter ac dilexiſſent amicos; à quorum ego quidem granditate animi longè aberam, & delectatus morbo carnis, mortifera ſuauitate trahebam catenam meam, ſolui timens, & quaſi concuſſo vulnere repellens verba benè ſuadentis, tanquam manum ſoluentis. Inſuper etiam per me ipſi quoque Alipio loquebatur ſerpens, & innectebat, atque ſpargebat per linguam meam dulces laqueos in via eius, quibus illi honeſti, & expediti pedes implicarentur. Cùm enim me ille miraretur, quem non parui penderet, ita hærere viſco illius voluptatis, vt me affirmarem, quotieſcumque inde inter nos quæreremus, cœlibem vitam nullo modo poſſe degere, atque ita me defenderem, cùm illum mirantem viderem, vt dicerem multum intereſſe inter illud, quod ipſe raptim, & furtim expertus eſſet, quod penè iam nec meminiſſet quidem, atque ideò nulla moleſtia facilè conteneret, & delectationes conſuetudinis meæ, ad quas ſi acceſſiſſet honeſtum nomen matrimonij, non eum mirari oportere, cur ego illam vitam nequirem ſpernere: cœperat & ipſe deſiderare coniugium: nequaquam victus libidine talis voluptatis, ſed curioſitatis. Dicebat enim ſcire ſe cupere quidnam eſſet illud, ſine quo vita mea, quæ illi ſic placebat, non mihi vita, ſed pœna videretur. Stupebat enim liber ab illo vinculo animus ſeruitutem meam, & ſtupendo ibat in experiendi cupidinem, venturus in ipſam experientiam, atque inde fortaſsè lapſurus in eam, quam ſtupebat ſeruitutem, quoniam ſponſionem volebat facere cum morte.* CONTVMELIAM COMMVNEM *id. mutuum debitum coniugale. Vtitur hac voce Apoſtolus Ro. 1. vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Quod etſi de illicito concubitu, & contra naturam dixerit, tamen etiam in licito ſemper eſt aliqua ſordium contumelia. Quin & Ambroſius in exhort. Virg. coniugium ipſum contumeliam dixit, & alibi vilitatem & iniuriam, contagium, indignitatem. Et D. Athan. lib. de Virginit.* à viro corpus fœminæ maculatur. GRATIA CONSTAT. *Merum Dei donum qualibet continentia, teſte Salomone ſap. 8.* ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det. *Flos tamen Virgineus gratior & rarior: ſed continentia fortior. Et ſiquidem ex Bernardo,* differunt inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed fœlicitate, non virtute: etſi huius fœlicior, huius tamen fortior inuenitur. *Sint ergo virgines Angeli; terreſtres fœlicitate erunt continentes fortiori virtute.* ALIQVID IALE. *Aliquod inſigne conceſſiſſet. Virgo non appetat videri ſingularis in Eccleſia ſine velo, quaſi Paulus ſolas nuptas velari voluerit. Debet enim eo humilior eſſe, quo caſtior eſt. Sic contra huiuſmodi, virgines Auguſtinus in pſal. 75.* Virgo eſt, inquit, caſtimonialis iam dicata Deo habebat & cætera, quæ verè ornant ipſam virginitatem, & ſine quibus illa virginitas turpis eſt. Quid ſi enim ſit corpore integra, & mente corrupta? Quid eſt quod dixi? quid ſi nullus tetigerit corpus, ſed ſi fortè ebriosa ſit, ſuperba ſit, lingiosa ſit, linguosa ſit? Hæc omnia dãnat Deus. Si antequam vouiſſet nupſiſſet, non damnaretur. Elegit aliquid melius, ſuperauit quod et licebat: ſuperbit, & illicita tanta committit? Hoc dico: nubere licet antequam voueat, ſuperbire nunquam licet. O tu Virgo Dei nubere noluiſti quod licet, ex tollis te quod non licet? Melior Virgo humilis, quàm maritata humilis: ſed melior maritata humilis, quam virgo ſuperba. *Hinc benè Tertull. continentiam virorum extollens.* ALIQVID TALE, *hoc eſt aliquod inſigne ipſis debitum præ Virginibus dixit.* FAMILIARIORI, *quem frequentius in ſcriptura alloquitur.* IMAGINI SVÆ. *Certè Athanaſius Apol. Cont. Gent. tam de fœmina quàm de homine* humanum genus ad ſuam ipſius imaginem fecit. *1. Cor. 11.* vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt: mulier autem gloria viri eſt, *D. Tho. in hunc locum.* Excluditur quorundam error dicentium, quòd homo ſolùm eſt ad imaginem Dei, non autem imago. Cuius contrarium hic Apoſtolus dicit: dicebant autem quod ſolus filius eſt imago ſecundùm illud Coloſſ. 1. qui eſt imago inuiſibilis Dei. Eſt ergo dicendum quod homo imago Dei dicitur, & ad imaginem: eſt enim imago imperfecta, filius autem dicitur imago non ad imaginem, quia eſt imago perfecta. *Subiicit ad plenam intelligentiam, de ratione imaginis in communi duo eſſe; primo ſimilitudinem in ſpecie, ſicut filius aſſimilatur ſuo patri, vel ſimilitudinem in aliquo ſigno ſpeciei, qualis eſt figura in rebus corporalibus, ſicut figura equi dicitur eius imago. Secundo requiri originem. Aliàs vnus homo licet eiuſdem ſpeciei, proprie non dicitur imago alterius, ſed filius ex patre. Tertio ad rationem perfectæ imaginis requiritur æqualitas. Et ſic ſolus filius Dei perfecta eſt imago Patris. Homo imperfecta, quia Deo ſimilatur tantum quoad tres animæ potentias quas accepit à Deo, & quæ pertinent ad ſpeciem naturæ intellectualis. Subiicit hominem dici gloriam Dei, quia claritas & excellentia naturæ humanæ à Deo immediate deriuata eſt ſuper virum, ſignato ſuper eum lumine vultus Dei: & à viro in fœminam de viro ſumptam. Et concludit contra obiicientes hominem imaginem eſſe Dei per animam, & non per corpus, proindeque, cum non ſit ſexus animarum ſed corporum, mulierem æque eſſe imaginem Dei. Reſpondet virum primò & ſpecialius dici imaginem, tum quod ratio in eo vigoroſior, tum quod principium eſt totius humani generis, ſicut Deus, omnis creaturæ. Tum maximè quod non tantum mulier ex viro formata ſit, ſed & propter virum, imperfectius ob perfectum, vt patiens propter agens, vt materia propter formam, vt adiutorium ordinatum ad finem. Vnde ſequitur in ipſo textu Pauli* non enim vir

Aug.

S. Aug.

ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier velamen habere super caput suum. *Supra dixerat*, omnis mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. *Consequenter & omnis Virgo, cum & Eua prima mulier dicta sit adhuc Virgo. Ob signum subiectionis debita viro naturali capiti & Domino suo; unde & velamen Paulus dixit potestatem, hoc est signum potestatis viri in se, & excellentia omnis viri super omnem sexum fœminei. Hinc concludit bene Tertul. juxta Paulum omnem etiam Virginem indistinctim debere velari. Et ratio D. Pauli est, quia cum homo immediatè Deo subsit, & gloriam eius & imperium representet, vt imago potestatis illius, debet aperta facie, sine velo eius gloriam manifestare, maximè sensu Tertulliani cum hominis caro facta sit ad imaginem Christi incarnandi: quem Pater habebat pre oculis quasi exemplar, cum de luto formaret Adam: mulier autem cum prater, homini etiam naturaliter subsit, & Virgo etiam sexu inferior, debet velari in signum subiectionis: Rursum quia gloria est virisà viro derivata, virum referens, cuius gloria debet abscondi vt soli Deo detur gloria, debet ipsa velari, & maximè Virgo quæ Hebræis dicta est Alma, id est abscondita.*

3. *Castitas gentilium infructuosa. De Pudic. cap. 1. à p.*

VIderit seculi pudicitia cum sæculo ipso, cum suo ingenio si nascebatur, cum suo studio si erudiebatur, cum suo seruitio si cogebatur; nisi quòd infelicior etiam, si stetisset, vt infructuosa, quæ non apud Deum egisset. Malim nullum bonum, quàm vanum. Quid prodest esse, quod esse non prodest?

CASTITATIS SPECIES. III. SCHOLIA.

VIDERIT SÆCVLI PVDICITIA. *id. Gentilium apud quos aliqua etiam pudicitiæ species in vsu fuit.* CVM SVO INGENIO. *id. genio, & naturæ temperamento frigido, composito, temperato,* SI NASCEBATVR. *id repetit ex præcedentibus, vbi dixerat*: omne animi bonum, aut nascitur, aut eruditur, aut cogitur. *Vbi studium ad eruditionem, ingenium ad naturam, seruitutem ad coactionem reduxit. Deinde pudicitiam Gentilem etiam perseuerantem infœlicem probat, quod & fructu prolis careret, & serua pœnis addicta in Vestalibus, & coacta proinde perseuerare, & vera mercede solidè destituta.* MALIM NVLLVM BONVM, *&c. cum ex Philosophis, verum & bonum conuertantur, vanum bonum proprie bonum non est: vnde nec prodest esse castum, cui nullus fructus est aut merces castitatis.* NON APVD DEVM; *&c. Extra fidem veram boni operis radicem, nullus actus fructuosus, quia nec bonus actus est absque fide, vt pluribus locis probat Augustinus. Fœlix ergo qui apud Deum egit, qui in Ecclesia & vera fide versatus.* Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio: *qui dicit*, Ego merces tua nimis magna. *Vide plurà de vanitate imo verò nullitate, addam etiam malitiâ operum Gentilium, ipsaque castitate eorum, paragrapho sequenti.* APVD DEVM. *Cuius templum licèt Virgines Christianæ sint, extra templum sunt Virgines Gentilium. Dolè Tertull. suprà edituam dixit pudicitiam templi Spiritus sancti, hoc est corporis casti, quod ædem Dei tueatur, quod fores eius claudat, vt ornamenta eius seruet à latronibus. Antistitem autem, quod in hoc templo hostiam viuam Deo, ipsum corpus exhibeat. Templum porro Spiritus sancti esse corpus castum insinuat Psalter 44. Vti de Virginibus quæ exemplo reginæ Ecclesiæ & eius proximæ morum similitudine, afferuntur, vt munus gratissimum agno & regi virginum Christo.* Non enim, inquit ibidem, quæ afferuntur, alienæ sunt, sed proximæ eius, ad eam pertinentes, &c. Adducentur in templum regis. Templum regis ipsa Ecclesia. Intrat in templum ipsa Ecclesia. Vnde construitur templum? De hominibus qui intrant in templum. Lapides viui qui sunt, nisi fideles Dei? Adducentur in templum regis. Sunt enim Virgines extra templum regis. Hæreticæ *& Gentiles, quales erant Vestales* sanctimoniales, sunt quidem Virgines; sed quid proderit eis nisi adducantur in templum regis? *Et ser. 23. Ex codice Biblioth. regia, & ex altero S. Victoris Paris.* Maius, inquit, peccatum est Christum negare, quàm adulterium perpetrare. Adulterium carnis est, illicitè concumbere: Adulterium cordis est, veritatem negare. In fide, in mente, ibi debet esse castitas. Prima ibi est parens Eua corrupta. *Et ser. 23. de Verb. Dom.* Non solet dici Virginitas vtique in coniugatis; tamen etiam ibi est fidei Virginitas quæ exhibet pudicitiam coniugalem, &c. Tota Ecclesia quæ constat ex Virginibus & pueris, & maritatis fœminis, & vxoratis viris vno nomine Virgo est appellata, &c. In corpore virginitatem pauci habent, in corde omnes habere debent. *Aliàs extra templum sunt regis. Gentiles Virgines non esse templum Dei, Aug. in ep. ad Dardanum, rursus probat:* Multum, inquit, mirabilis res est, quemadmodum quorundam non cognoscentium Deum; fit inhabitator Deus, & quorundam cognoscentium non fit. Nec illi enim ad templum Dei pertinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; & ad templum Dei pertinent paruuli, sanctificati Sacramento Christi, Spiritu sancto regenerati: qui certè per ætatem nondum possunt cognoscere Deum. Vnde quem potuerunt illi nosse, nec habere; isti potuerunt habere, antequam nosse. Beatissimi autem sunt quibus hoc est Deum habere, quod nosse. Ipsa quippe notitia plenissima, verissima ac felicissima est. Neque hoc in paruulis mirum debet videri, cum Apostolus quibusdam maioribus etiam dicat, Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? *Et rursum de ijsdem Gentilibus loquens:* Colendo, inquit, & seruiendo creaturæ potiùs quam Creatori, non vnius veri Dei templum se esse voluerunt; atque ita dum eum volunt habere cum multis, facilius effecerunt vt eum non haberent, quàm vt Diis multis falsisue miscerent.

S. Augustin.

4. Castitas gentilium, vt & alia virtus, vera non est: quorum mulieres casta ornantur, vt appetantur. 2. de cult. fœm. cap. 1. circa. m.

PLeræque, quod ipsum mihi vtique reprehendendo in omnibus reprehendere Deus permittat, aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audaciter, ita ingrediuntur, quasi pudicitia in sola carnis integritate, & stupri auersatione consistat, nec quidquam ei extrinsecus opus sit, de cultus dico & ornatus dispositione, studiis formæ, & nitoris, eamdem superficiem circumferentes quam feminæ Nationum, à quibus abest conscientia veræ pudicitiæ: quia nihil verum in his qui Deum nesciunt, præsidem & magistrum veritatis. Nam etsi qua in Gentilibus pudicitia credi potest, vsque adeo imperfectam & inconditam constat, vt licèt in animo aliquatenus tenax sui agat, in habitus tamen licentias se dissoluat, pro peruersitate Gentilium, appetendo, cuius rei deuitat effectum. Quota denique est quæ ne placere quidem extraneis concupiscat? quæ non vel idcirco se expingi curet? & neget appetitam? Quamquam & hoc Gentili pudicitiæ familiare sit non delinquere, attamen velle, vel etiam nolle, attamen non denegare. Quid mirum? peruersa sunt omnia quæ Dei non sunt. Viderint igitur quæ non totum bonum obtinendo, facilè & quod obtinent, malo commiscent.

CASTITATIS SPECIES. IV. SCHOLIA.

PLERAQVE, *multæ sunt fœminæ, quæ vel simplicitate ignorant, aut temere dissimulant, quasi pudicitia, præter illæsam carnem, & stupri auersionem, nihil in externo cultu modestiæ requirat. Vnde fit vt in eodem cum Gentilibus fœminis ornatu perseuerent, quæ vt Deum verum ignorantes, veram proinde pudicitiam nihil curant. Licet enim aliqua sit in Gentilibus fœminis pudicitiæ species, tamen valde imperfecta commincitur, quamuis enim in animo tenax, & integra maneat, licentia tamen habitus ex Gentili vanitate, & appetitu placendi, ex forma compta dissoluitur. Solatium quippe appetit masculini affectus, cui placere contendit, licet eff ctum libidinis euitet. Et quamquam commune sit Gentili fœmina, non delinquere corpore; velle tamen, id est animo delinquere, est etiam commune, & familiare. Nullam in Gentilibus fœminis esse pudicitiam docuit Augustinus,* Aug. *qui libro 4. cont. Iul. cap. 3. sic Pelagianis obycit:* Solctis, negantes Dei dona esse virtutes, quibus rectè viuitur, & eas naturæ voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc vti argumento, quòd eas nonnunquam habeant infideles: ita conantes euacuare quod dicimus, neminem rectè viuere, nisi ex fide per Iesum Christum Dominum nostrum, vnum Dei & hominum Mediatorem, vbi vos eius aduersarios apertè profitemini, &c. Ego dixi pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum veram fidem connubii seruat vxori, &c. Cùm enim virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia; omnesque virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent, quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur? Deinde, ne quisquam nostrum negaret animum infidelium fornicari, adhibui testimonium de Scriptura sancta, vbi legitur Psal. 72. Ecce enim qui longè se faciunt à te, peribunt, perdidisti omnem qui fornicatur abs te, &c. Vide ergo quid horum negandum arbitreris. Virtutem esse pudicitiam coniugalem, promptissimè confiteris: Omnes virtutes, etiam quæ per corpus operantur, in animo habitare non negas. Porro infidelis animum fornicari à Deo, ille potest negare, qui se palàm sanctarum Scripturarum aduersarium profitetur. Ex quibus omnibus hæc summa conficitur: aut in animo fornicante pudicitia vera esse possit, quod cernis quàm sit absurdum: aut in animo infidelis pudicitia esse non possit. ATTAMEN VELLE, VEL ETIAM NOLLE, ATTAMEN NON DENEGARE, *Pamelius legit:* Omniloquium.

A Attamen non denegare, mirum: quia peruersa sunt omnia, &c. *Quasi diceret mirum est cùm Gentilis non denegat masculo petenti concubitum? licet forte aliquibus Gentilium fœminis commune sit, nolle peccatum committere propter pudorem innatum sexui, & metum famæ dedecori exponendæ.* PRO PERVERSITATE. *Propter inordinatam concupiscentiam Gentilem, id etiam appetit voluntate, quod effectu implere non vult. Pamelius legit.* Propter veritatem Gentilium, *id est quia verè Gentiles sunt, & infideles.* SOLATIVM APPETENDO *in cogitatione quærendo voluptatem.* MIRVM. *Legunt alqui. Not clarius.* QVID MIRVM? *Cùm peruersum sit, quidquid non est à Deo. Clarius: & si frequens sit Gentilibus fœminis, idque propter verecundiam naturalem, & famæ curam. vt actu & opere non delinquant & fornicentur: tamen aque frequens est & familiare eisdem, vt saltem animo & voluntate peccent, & nolint denegare sui copiam; licet masculis id petentibus, humano respectu recusent. Adeo vt mirum sit, & rarum, si qua Gentiles affectu saltem, & appetitu non peccent, quem ornatu exteriore satis produnt, quo masculis placere gestiunt. Familiare itaque est, non delinquere corpore, familiare item est, velle delinquere, & nolle denegare concubitum, ni respectus humanus obstaret.* VIDERINT IGITVR, *&c. Videant, & procul faccessant Gentiles cum sua dimidiata pudicitia, quam multis malis inficiunt, medicum bonum apparens, quod habent.*

Cæterùm hìc Tertulliani mentem subycie. Nihil verum in his quæ Deum nesciunt, *& meram esse vanitatem, virtutem Gentilium, & bonum malo permixtum. Duos in hunc locum Pauli textus profero. Rom. 14.* Omne quod non est ex fide, peccatum est. *Quod quidè ad literam dicitur de manducante cibum prohibitum, qui quidem dupliciter peccat contra fidem, primò quia sciens, discernens esse vetitum, agit contra conscientiam, & cognitam veritatem. Secundò quia cùm fides prohibeat participare cum idolis, & ipse hoc sciat, credatque prohibitum, in hoc etiam peccat contra fidei veritatem. Sic D. Tho. ibidem. Iam autem ad rem nostram subycit ex glossa huius loci,* Ex quo videtur, quod, sicut dicitur in glossa, omnis vita infidelium peccatum sit: sicut omnis vita fidelium est meritoria, in quantum ad gloriam Dei ordinatur. Secundùm illud 1. Cor. 10. siue manducatis, &c. Omnia in gloriam Dei facite. Sed dicendum est quod aliter se habet fidelis ad bonum, & infidelis ad malum. Nam in homine qui habet

fidem formatam, nihil eſt damnationis. Sed in homine infideli, cum infidelitate eſt bonum naturæ. Et ideo cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat. Non tamen opus eius eſt meritorium, quia non eſt gratia informatum, & hoc eſt quod in gloſſa dicitur, ſumpta ex D. Proſpero in lib. ſent. omnis infidelium vita peccatum eſt, & nihil bonum, ſine ſummo bono. Vbi enim deeſt agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt etiam in optimis moribus. *Hac D. Thomas, cui addo ſecundum locum ad Titum. 1.* omnia munda mundis, coinquinatis autem & Infidelibus nihil eſt mundum; ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia. Confirentur ſe noſſe Deum, factis autem negant; cùm ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. *D. Thomas.* Nihil eis perfectè mundum eſt, quia nihil eſt mundum in actibus, niſi in finem debitum ordinatum ſit. *Atqui ſola fides verum vltimum finem conſiderat, & ad eum actus ordinat. Cùm ergo gentiles hac fide careant, & amore proprio corrupti ſint,* & omnia opera ſua faciant vt videantur ab hominibus, vel ſaltem vt ſibi complaceant; & bonum ſit ex integra causa, malum ex quocumque defectu; quis bonum opus & purũ etiam morale dicat, niſi materialiter ſumptum in gentili, niſi multis defectibus ad militum. *Sic Aug. Lib. 3. ad Bonifacium c. 5.* ſine fide etiam, Aug. quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. *Et præfat. in Pſal. 31.* Nemo computet bona opera Aug. ſua ante fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, ſed quid cum facit, aſpiciat. *Et lib. de geſtis Pelag. c. 14.* quantumlibet opera infidelium Aug. prædicentur, Apoſtoli ſententiam veram nouimus & inuictam, omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. *Tandem concludat in rem præſtè noſtram de caſtitate gentili D. Thomas;* omne quod eſt contra fidem, vel contra conſcientiam, peccatum eſt: etſi ex genere ſuo bonum eſſe videatur: puta ſi paganus ad honorem ſuorum Deorum virginitatem ſeruet, vel Eleemoſynam det hoc ipſo peccat. *Mortaliter quidem, quia contra fidem veri Dei: venialiter, ſi caſtitatem ſeruat vt honoretur, vel ſic huic bono cultus ſuperſtui vanitatem, aut aliud huiuſmodi permiſceat.*

CASTITATIS AMOR, ET CVSTODIA, QVIBVS IVVENTVR.

1. Caſtitas nobis ad æternam vitam, & gloriam Martyrij amanda, quam Diabolus ſuis indicit ad gehennam. 1. ad vxo. cap. 6. à p. ad f. & 7. in p.

DVrum planè & arduum ſatis, continentia ſanctæ feminæ poſt viri exceſſum, Dei causâ, cùm Gentiles Satanæ ſuo, & virginitatis, & viduitatis ſacerdotio perferant, Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auſpicia pœnæ ſuæ cum ipſo dracone curantes, de virginitate cenſentur. Achææ Iunoni apud Ægium oppidum virgo ſortitur: & quæ Delphis inſaniunt, nubere neſciunt. Cæterùm viduas Africanæ Cereri aſſiſtere ſcimus, duriſſima quidem obliuione à matrimonio allectas. Nam manentibus in vita viris, non modo decedunt, ſed & alias, eis vtique ridentibus loco ſuo inſinuant, adempto omni contactu vſque ad oſculum filiorum: & tamen durante vſu, perſeuerant in tali viduitatis diſciplina, quæ pietatis etiam ſanctæ ſolatia excludit. Hæc diabolus ſuis præcipit, & auditur. prouocat nimirum Dei ſeruos continentiâ ſuorum, quaſi ex æquo. Continent etiam gehennæ ſacerdotes. Nam inuenit quomodo homines etiam in bonis ſectationibus perderet: & nihil apud eum refert, alios luxuriâ, alios continentiâ occidere. Nobis continentia ad inſtrumentum æternitatis demonſtrata eſt à Domino ſalutis, ad teſtimonium fidei, ad commendationem carnis iſtius exhibendæ ſuperuenturo indumento incorruptibilitatis, ad ſuſtinendam nouiſſimè voluntatem Dei.

Cap. vii.

CASTITATIS CVSTODIA. I. SCHOLIA.

DVRVM PLANÈ. *Ironicè dictum.* SANCTÆ FEMINÆ. *fideles, in quantum Chriſtianæ, ſanctæ Dei ancillæ, poſt virorum obitum continere deberent, cùm Gentiles id iugum ſubeant, virginitatis aut viduitatis ſuperſtitioni mancipatæ.* SATANÆ SVO. *Dicata diabolo, ſeipſas hoc pacto immolantes. Virginitatis quidem vt Veſtales Romanæ, ignis inextinguibilis cuſtodes, quod illis omen erat æternæ pœnæ, cui cum diabolo dracone damnabuntur; cuius vel iconem ex auro capite gerebant, vt & libro de Corona militis.* Quid inquit, caput ſtrophio, vel dracontario damnas *obſtringis* diademati deſtinatum; *vel Æſculapium ſub draconis forma colebant, cuius ſacerdotes,* de virginitate cenſebantur, *id eſt de numero virginum & ordine, in album ſacerdotum tranſcribebantur. Item in Ægio oppido Achaiæ, virgo ſorte eligebatur cuſtos Iunonis templi. Tandem Delphis, vbi inſanæ virgines, & innuptæ edebant oracula. Tum ſubiicit de viduis Africæ, quæ duriſſima viduitate Cereri famulabantur, vt poteviuentibus viris, rem matrimonij prorſus oblitæ, ab ipſo oſculo filiorum, extremo quidem pietatis ſolatio abſtinebant, & alias vxores loco ſuo inſinuabant virorũ ſuperſtitum amplexibus, qui de huiuſmodi ſacrificularum ſtultitia ridebant.* DVRANTE VSV. *Non hic copulam intelligit, quam expreſsè excludebat huiuſmodi viduarum Sacerdotium: ſed vſum ſacerdotij. De iiſdem viduis lib. de Monog.* Cereris Sacerdotes, viuentibus etiam viris, & conſentientibus amica ſeparatione viduantur *& de exhort. caſt.* Fœminæ verò Cereris Affricanæ, cui etiam ſponte abdicato matrimonio adſeneſcunt, exinde adempto cõtactu maſculorum, vſque ad oſcula filiorum. CONTINENTIAM ETIAM. *Alij legunt* ó continentiam gehennæ Sacerdotem *quæ inferno ſacrificat!* BONIS SECTATIONIBVS, *alij legunt* boni ſectationibus. *quod idem eſt, dum bona imitantur, ſectantur, & affectant.* ALIOS CONTINENTIA OCCIDERE. *perinde eſt damoni, an aperto vitio, an apparenti bono & virtute ſibi dicata homines perdat. Imo vero tanto miſerabilius damnat, dum virtutem Deo debitam vt authori omnis boni, eiuſque gloriæ & honori conſecrandam ad ſalutem propriam veri cultoris eius, ſibi impius*

Dei famulus ad ſui ſuperſtitioſi cultoris diuinationem obſeruari & conſecrari procurat. NOBIS CONTINENTIA AD INSTRVMENTVM. *alij* ad ſtrumentum, *ſic in pœnit. Rom. tit. 6. de Incant. cap. 3.* ſeptima Luna, ſtrumenta confici non debent *Sic S. Maximus hom. 1. de S. Lazar.* Iudas Scarioth. *pro, Iſcharioth Hic Tertul. vocat continentiam inſtrumentum aeternitatis, id eſt viam, & medium à Chriſto Saluatore monſtratum, quo ad gloriam veniamus.* TESTIMONIVM FIDEI *Si enim* fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, *rurſum Ioannes*, qui habet ſpem hanc, caſtificat ſeipſum ſicut & ille caſtus eſt: *& iterum ſcriptura*, beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbant. *Et videntes vtique*, ſimiles ei erimus; *ſi caſti fuerimus. Et notatu dignum, quod habet Pauſanias in Achaicis:* Iunonis ſimulacrum nemini præter eam mulierem, cui Sacerdotium obtigit, fas eſt aſpicere. *Et nemini niſi caſto, Deum cernere. Sic Greg. Magn. in verba*, non videbit me homo, & viuet: nemo carnaliter viuit, & Deum videt. SUPERVENTVRO INDVMENTO, *&c. Alludit ad Paulum*, nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri. Cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem. *Cui luminis & gloriæ veſtimento incorruptibili caro per caſtitatem exhibenda præparatur. Memini & pallium Archiepiſcopale à Sacris Virginibus neri & texi ſolitum. Et notaſſe Scholiaſtem Euripidis in Hecuba*: moris erat Athenis, vt virgines peplum Mineruæ texerent, quod Deæ bellicoſæ fortia facta contineret, & ea quæ aduerſus Gygantes cum Ioue geſſit. Texebant autem in panathenæis; Panathenæa feſta erant Mineruæ pluribus diebus celebrati ſolita, adquæ Athenienſes aliique Græci confluebant ad feſtum celebrandum. *Noſtræ virgines fortia ſua facta in prœliis caſtitatis, propriis inuctis, & in ipſa pelle virginea deſcripta ferunt, tota vita feriantes in Chriſti Domini Sabbatho, veræ Patris ſapientiæ, non de fabuloſi Iouis cerebro, ſed Patris intellectu genitæ: necnon in honorem Beatiſſimæ virginis, quæ* terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata, ſerpentis caput conterens. *Nec impares ſummo Sacerdoti*, in veſte poderis totum orbem terrarum *ſibi ſubiectum deſcribunt*, veſtitæ in conſummatione virtutis. AD SVSTINENDAM. *id. denique nobis caſtitas à Deo commendatur; vt patienter feramus ſtatum viduitatis, quem voluntas Dei præſcribere videtur, dum matrimonium alterutrius coniugis morte diſſoluit. ſic enim Tertul. poſtea probat, non ſine voluntate Dei, morte virum aut vxorem præripi, quò inducat ſuperſtitem ad ſeruandam continentiam. Vel per voluntatem Dei ſuſtinendam intelligit Martyrium, ad quod diſponit caſtitas genus Martyrij. Aug. ſer. 250. de temp.* Quia, inquit, libidinem fugiendam eſſe ſuggerimus, Apoſtolus Paulus euidenter oſtendit, qui cum omnibus vitiis prædicauerit reſiſtendum, dùm contra libidinem loqueretur, non dixit reſiſtite: ſed fugite fornicationem. Ac ſic contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in præſenti reſiſtere: libidinem verò fugiendo ſuperare. Sic & alibi in ſcripturis diuinis legimus, noli, inquit, in faciem virginis intendere, ne te ſcandalizet vultus eius, &c. Et ideo fratres chariſſimi contra blandimenta, & contra adiutores diaboli, qui familiaritatem ſuſpectam habere, nec metuunt, nec erubeſcunt: ne nos exemplo ſuo decipiant, adiutorium imploremus iugiter; vt nos de laqueo venantium liberare dignetur: ſcientes in malis omnibus quæ ſupra diximus, Chriſtianis quotidiana martyria deeſſe non poſſunt. Si enim caſtitas & veritas & Iuſtitia Chriſtus eſt: ſi & ille qui eis inſidiatur perſecutor eſt & ille qui & in aliis defendere, & in ſe cuſtodire voluerit, martyr erit. Et ideo qui hæc tota animi virtute & ipſe diligit, & vt alij diligant, & verbis ſimul & exemplis oſtendit, & vbicúque veritas, vel Iuſtitia, ſiue caſtitas laborant, quantum præualet, etiam vltrò, iugiter, & ſecundùm quod vires habuerit defendere contendit, non vnam, ſed plures coronas, Deo remunerante percipiet, &c: *ſer 25. ex nouis à Simundo collectis*, ipſi ſunt perfecti, qui aduerſus peccatum vſque ad ſanguinem certauerunt. Quid eſt aduerſus peccatum: aduerſus magnum peccatum, aduerſus negationem Chriſti. *Hinc Tertull. quis, inquit, magis negauit Chriſtum, qui eum vexatus, an qui delectatus amiſit?* Noſtis quomodo certauerit aduerſus peccatum Suſanna vſque ad ſanguinem? *vſque ad periculum vitæ.* Sed ne ſolæ fœminæ hinc habeant conſolationem, & viri de numero ſuo quærant aliquid tale, quale in Suſanna extitit. Noſtis quemadmodum Ioſeph contra peccatum vſque ad ſanguinem certauit. Similis eſt cauſa. Et illa habuit falſos teſtes eos ipſos, quibus conſentire noluit, ne peccaret: & ille eam ipſam cui noluit conſentire. Vtrique quibus non eſt ad peccatum conſenſum, falſum dixerunt teſtimonium, & qui audierunt, crediderunt: ſed Deum non vicerunt. Liberatur illa, liberatur & ille. Quid & ſi morerentur, nonne amplius liberarentur, quando ſecuri coronarentur? quare dixi, ſecuri coronarentur? quia nulla tentatio remaneret. Nam etſi liberata eſt Suſanna, adhuc tentanda: & ipſe Ioſeph adhuc tentandus liberatus eſt. Vnde tentandus? quia tentatio eſt vita humana ſuper terram. Vſque ad mortem tota tentatio, poſt mortem ſola beatitudo, ſed ſanctorum quorum mors pretioſa eſt in conſpectu Dei. *Aduerte hunc ſermonem extractum fuiſſe ex codice Bibliothecæ Regiæ, & altero Sancti Victoris, qui eſt de inuentione S. Stephani: vt quandam paritatem agnoſcat inter caſtos & Martyres.*

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

2 *Caſtitas iam corruptiore ſeculo minor & difficilior: de pudic. cap. 1. à p.*

VT mala magis vincunt, quod vltimorum temporum ratio eſt; bona iam nec naſci licet, ita corrupta ſunt ſemina; nec erudiri, ita deſerta ſunt ſtudia; nec cogi, ita exarmata ſunt iura. Denique, de qua incipimus, eouſque iam exoleuit, vt non eiuratio, ſed moderatio libidinum Pudicitia credatur; itque ſatis caſtus habeatur, qui minus caſtus fuerit.

CASTITATIS CVSTODIA. II. SCHOLIA.

MALA MAGIS VINCVNT. *Portiora ſunt corrupte naturæ incitamenta in malum.* Vltimorum temporum, *quo magis à fonte recedimus, eo ſunt aquæ turbidiores. Et iuxta Lyricum* ætas parentum peior auis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem. NEC NASCI LICET. *Iterum repetit particionem ſupra bis allatam*, ſi natura præſtruxerit, ſi diſciplina perſuaſerit, ſi cenſura compreſſerit: *& ob naturæ corruptionem ſuperadditam peccato originali, trahunt ex feruidiori per libidinem ſe-*

mine, filij inclinationem incontinentiæ. Ideo verè dicit nec nasci licet, ITA CORRVPTA SEMINA: *vtenim pater leprosus, laborans podagra, aut alio morbo, posteros suos sibi similes gignit, ita libidinosi libidinosos. Et cum aliud instrumentum castitatis superfit, ad naturæ defectum corrigendum, eruditio scilicet & disciplina, quæritur* deserta studia *virtutis, nec disciplinam & eruditionem pati insolentem libidinem. Tandem nec legibus coërceri posse, vim omnem legis exarmatam. Lactantius arma libidinis contra leges castitatis pugnantia, sic prosequitur.* Arma sunt illius, cuius opus vnum est expugnare virtutem, iustitiamque ex omnibus excludere. *Sed custodientes lectulum Salomonis, ad bella doctissimi sexaginta fortes, gladio verbi Dei & immaculata legis ad femur appositio, carnales debent frenare voluptates. Ambrosius in verba Esa. c. 8.* Lex in adiutorium data est: quia, inquit, ipsi naturæ quodammodo inserta sunt iustitiæ semina; addita lex est, cuius authoritate, & magisterio, ingenium naturæ proficeret ad fructum iustitiæ faciendum. Sicut enim natiuitas interit, nisi nutrimenta habeat, quibus fota adolescat. Ita & naturale iustitiæ ingenium, nisi habeat quod respiciat & veneretur, non facilè proficit, sed ægrotat, & superuenientibus cedit peccatis. Consuetudine enim delinquendi premitur, nec crescit in fructum, & per hoc extinguitur. EXARMATA IVRA, *intelligit censuræ Ecclesiæ remissum vigorem, de quo præcipuè quæritur, quòd tam facilè mœchos Ecclesia Romana reciperet ad pœnitentiam.* DE QVA INCIPIMVS, *scilicet tractare hoc libro de pudicitia, sic vili penditur, vt non iam omnimoda voluptatum renũtiatio, vel voto, vel Monogamia, vel ex consensu mutuo seruata castitas, sed qualiscumque moderatio libidinum pro pudicitia habeatur, vt qui minimum castitatis habuerit, satis castus esse reputetur.*

Ad mentem Tertulliani toto hoc loco illustrandam de castitatis custodia difficili post corruptam naturam, præclarissimum Augustini locum profero libro 4. Operis imperfecti contra Iulianum cap 2. vbi de concupiscentia relicta: Quid agit, inquit, in carne sanctorum continentium ista concupiscentia, nisi peccandi desideria, quibus non consentientes exercent, vt confiteris, gloriosa certamina? Neque enim saltem connubij desiderium in illa continentiæ professione potest esse non malum. Quid ergo illic agit, vbi malum est quicquid agit, ac si ei consentiatur, & peragit? Quid ibi agit hæc concupiscentia, vbi nihil boni concupiscitur ex illa? Quid ibi agit libido, vbi nihil boni libebit ex illa? Non importunè in coniugatis esse dicatur. Si enim summum culmen obtinent pudicitiæ coniugalis, faciunt boni aliquid per illam, quamuis nihil faciant propter illam. In sanctis autem virginibus & continentibus quid agit obsecro te? Quid agit tua ista susceptа quum desipis, aduersaria? Si sapis, quid agit, vbi nihil boni agit ipsa, nihil boni agitur de ipsa? Quid agit in eis quos contra se compellit vigilare atque pugnare, & si quando ab eis vllum vel in somnis furatur assensum, cùm euigilauerint gemere & inter gemitus dicere, quomodo impleta est anima mea illusionibus? Quid cùm sopitos deludunt somnia sensus: nescio quomodo etiam castæ animæ in turpes labuntur assensus, quæ si imputaret Altissimus, quis viueret castus? Hoc ergo malum quod non dicturus es bonum, nisi aduersus omnem veritatis tubam sic obsurdueris, vt clames bonum esse concupiscere malum, quod nec inter surdos dicere audebis. Hoc inquam malum, cur non extirpatur de continentium carne sanctorum? Cur non totum opere mentis auferetur? Hoc enim dicis fieri debuisse si malum esset? Et quia non fit in coniugatis, vbi eius modus est necessarius, ideo putas bonum: cùm videas nec fieri vbi modus eius nullus necessarius eius est, *in continentibus scilicet, virginibus, & viduis nulli voluptati consentientibus*, & in quantum inest nocet, & si non ad perdendum de sorte Sanctorum si non ei consentiatur, tamen ad minuendam spiritalem delectationem sanctarum mentium, illam scilicet de qua dicit Apostolus, condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Hæc delectatio profectò minuitur, quando & si non ad explendam, certè ad oppugnandam carnalis concupiscentiam voluptatis, bellantis animus occupatur, & ita exercet gloriosa certamina, vt à delectatione intelligibilis pulchritudinis ipsis certaminibus auocetur. *Tum verò difficultatem continentia custodiendæ & luctam concupiscentiæ relictam dicit ob periculum superbiæ, ad quam puniendam in homine surrexit concupiscentia.* Sed quia, inquit, in ista humana miseria peior hostis est cauenda superbia, ideo nimirum non penitus extinguitur in carne continentium sanctorum ista concupiscentia, vt dum pugnatur aduersus eam, periculorum suorum animus admoneatur, ne securus infletur donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perueniat sanitatis, vbi nulla putredo lasciuiæ, nullus tumor superbiæ formidetur. Sic virtus in infirmitate perficitur; quia & pugnare infirmitatis est: quanto enim quisque vincit facilius, tanto pugnat minus: in semetipso autem quis pugnaret, si nihil ex semetipso eidem repugnaret? Et quid nobis repugnat ex nobis, nisi quod adhuc curatur, vt sanetur in nobis? Ergo in nobismetipsis sola est infirmitas causa pugnandi: & rursus infirmitas admonitio est non superbiendi. Proinde virtus *castitas scilicet* quâ hîc vbi superbiri potest, vt non superbiatur, in infirmitate perficitur. *Concludit itaque contra Iulianum*: Quamobrem, quoniam hoc coniuges benè vtuntur, *malo concupiscentiæ innata*, quo continentes melius non vtuntur, malum igitur est, quo coniuges bene vtuntur: & inest coniugibus quo bene vtantur, inest & continentibus, quo meliùs non vtantur. Ideo quippe inest, vt non extollantur. Solis ergo libidinis excessibus accusatur, sed ille à quo non refrenatur. Nam ipsa per seipsam rectissimè omnino, suis ipsis motibus accusatur, *licet nemo alius accusaret, seipsum impudicis contra rationem exurgentibus motibus malè prodit & sufficienter accusat*: quibus ne excedat, obsistitur. Non itaque, vt dicis, nihil ad innocentiam promouet modestia rei, *moderatio concupiscentiæ*, per ipsum genus nocentis. Promouet quippe ad innocentiam, non consentire malo: nec ideo & illud cui non consentitur, non est malum, immò propterea sine dubio malum est, quia non ei consentire bonum est. Quid enim mali faceret, qui bonæ concupiscentiæ consentiret, cùm mali nihil faciat etiam qui opere coniugali non sine ipsius malo seminat hominem, qui est Dei opus bonum? ITA CORRVPTA SEMINA, *immediatè subiicit Aug. in fine capitis præcitati.* Nec, inquit, confectricem feminum libidinem dixeris, ille quippe creat hominis semen qui hominem ex semine. *Adhuc enim operatur vt & in cæteris viuentibus energia Verbi Diuini. Gen. 1. 11.* Germinet terra herbam virentem & facientem semen, *&c. & versu 22.* Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram. *Et versu 24.* producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas. *Ita & versu 28. homini dicitur* crescite & multiplicamini. *Itaus omne in Adam quasi primo*

S. Aug. Aug. Aug.

totius generis femine, omne semen posteritatis creauerit. Sed in illo corrupto, & ex illo corrupto omnes corrupti & abominabiles, & iræ filij nascimur. *Inde prosequitur Augustinus:* Sed vnde, interest, quia mali huius occulta sunt; & dira contagia: nec ex his hominibus qui malo carent (*nullus enim præter Christum & Virginem sunt sine malo concupiscentiæ* Deus vel semen, vel homines creat, etiam si quidam ab eiusdem mali noxa, *id est reatu peccati originalis*, regeneratione soluti sunt, sicut soluendi sunt qui inde nascuntur. *Tandem absoluis caput, de gratiis agendis pro gratia castitatis, & continentiæ, cum qua iuxta Tertullianum iam non nascimur.* Dixi; inquit, sanè, nec pœnitet, de pudicitia coniugali, quæ mea verba posuisti: quia cùm dona Dei esse A monstrantur, à quo petenda sunt, discitur; si non habentur; & cui agendæ gratiæ si habentur. Aguntur enim gratiæ, non de origine, vt dicis, concupiscentiæ, cuius origo est primum malum hominis; sed de regimine, quod verum dicis. Vtrumque enim dicis, vel regimine, vel origine: Ideo autem aguntur gratiæ de regimine concupiscentiæ, quia repugnans vincitur. Quod autem repugnat voluntati bonæ, non est bonum: imò malum esse quis neget, nisi qui non habet voluntatis bonum, cui quod repugnat fateatur malum? *Ad custodiam porro castitatis, gratiæ humiliter agendæ sunt, de bono Dei dono, quod in carne nostra non nascitur, & humiliter contra libidinem pugnandum, ne superbia vincamur & per incontinentiam humiliemur.*

* 3. *Castitas cautè seruanda. De pudic. cap. 10. in. m.*

AGetu funambule pudicitiæ & castitatis, & omnis circa sexum sanctitatis, qui tenuissimum filum disciplina eiusmodi veri auia pendente vestigio ingrederis, carnem spiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans, Quid itaque in gradu totus es? perge sanè si potueris, si volueris, dum tam securus, & quasi in solido es. Nam si qua te carnis vacillatio, animi auocatio, oculi euagatio de tenore decusserit, Deus bonus est. suis, non ethnicis, sinum subijcit; secunda te pœnitentia excipiet; eris iterum de mœcho Christianus: Hæc tu mihi benignissime Dei interpres.

CASTITATIS CVSTODIA. III. SCHOLIA.

FVNAMBVLE PVDICITIÆ. *Hic aperitur inferius in eos qui facilè admittebant ad pœnitentiam lapsos in Mœchiam post baptismum: quique Scripturæ locis, fomentibus fragilitati peccatorum, eisque veniam promittentibus abutebantur, eos falsis fidelibus & non ethnicis applicando, eosque inter Dei misericordiam, & Iustitiam colludentes, & quasi de sinu seruandæ pudicitiæ, ob præsumptionem misericordiæ, incertos & vacillantes, aptissima similitudine cum funambulis compesuit. Tenuissimum enim filum, sic præsumentes, incedunt, procedunt & recedunt suspensi libramine, & salutem in incerto ponunt. Si carnem opponas fragilem, statim ex altera parte, spiritum promptum, respondebit. Si animam mobilem, & ob carnis societatem quasi dimidium sui, in eius partem inclinantem,* nemo enim carnem suam odio habuit: *mobilitatem arbitrij, & animam in malum flexibilem, fidei firmitate,* & rerum sperandarum substantia, *moderabitur,* & spei anchora *fluctuantem cordis naviculam fundare se, & firmare iactabit. Denique si constantiam eius imperturbabilem concutere volueris, imminens subitum ex oculo periculum proponendo, & dicendo,* qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo: *Respondebit & ipse sè,* oculum metu temperare. *Nec imparem Iob castissimo,* pepigisse fœdus cum oculis, vt ne cogitet quidem de Virgine. QVID ITAQVE. *Quid totus hæres? Quid vereris? Cum in loco tibi tam solido & secuto te ingredi præsumis, si enim te gressus aliquis lubricus in lapsum carnis impulerit, si alienatio mentis, si amor inhonestus eor in rem turpiter amatam transtulerit, si* oculus animam fuerit deprædatus, *si de proposito castitatis, & immaculata via error aliquis abduxeris, habes Deum bonum, Christianis, & non Ethnicis pastorem, sinum humeroſque pandentem; habes Ecclesiam non vna pœnitentia contentam, secunda etiam te excipiet. Procul ironia, certè funambulo similis,* in vase fictili thesaurum portas castitatis, vide quomodo cautè ambules. *Virginitas christallus est, ex alto ruens irreparabiliter confringitur. Aug. de S. Virg. c. 29.* Potestis facere vt Virginitatis bonum à vobis pereat, sed facere non potestis vt perditum redeat. *Et ser. 7. de temp.* Teneat B fortiter ne perdat rem irrecuperabilem, ne in vno momento delectationis amittat gratiam mentis & corporis. ITERVM DE MOECHO CHRISTIANVS. *Dure dictum; quasi per mœchiam desierit esse Christianus, cùm sola infidelitate vel hæresi fides pereat, & maiori omnium charitate per quodlibet peccatum mortale amissa, fidelis & Christianus perseueret. Sed & ipse Tertullianus, alibi, dilectioni inimicorum hanc propriam tribuis gloriam,* vt, inquit, hæc sit propria bonitas nostra, & non communis. *Sed hic loquitur sensu quo dixerat in Apol. 2. vbi de nomine Christiano; qui indignos vos sui, indigna hoc nomine patrantes:* Excludimur enim, si facimus, quæ faciunt non Christiani. *Sic & Clemens Alex. in exhort. ad Gentes,* nobis hoc nunc restat, vt dicamus eum solum qui pius est ac religiosus, Christianum esse. *Et idem Tertul. Apol. 46.* Dicet aliquis, etiam de nostris excedere quosdam à regula disciplinæ. Definunt tunc Christiani haberi penes nos. *Ratio autem propter quam Patres omnes Africani, sed acriùs omnibus Tertullianus, in mœchos exarserunt, ex eo petitur, quod libidinis incendiis ardebat Africa; vnde contra excessum criminis, orationis quoque sua acerbitate excedebant. Audi Salvianum sic differentem lib. 7. de Provid.* Quis nescit Africam totam obscœnis libidinum tædis semper arsisse; vt non terram ac sedem hominum, sed vt Ætnam putes impudicarum fuisse flammarum. SECVNDA POENITENTIA. *Hic miscet errorem suum, de non recipiendis lapsis in mœchiam. Aug. autem contra præsumentes de bonitate Dei. Ser. 250. de temp.* Dicit, inquit, aliquis, Homo juvenis sum, facio quod me delectat, & postea pœnitentiam ago. Hoc est dicere, percutio me gladio crudeli, & postea ad medicum vado, & nescit quod in vnius horæ puncto vulnus accipitur, & vix longo tempore ad sanitatem pristinam reuocatur. Qui enim adulterans dicit se postea pœnitentiam acturum, quare non timet ne cum subitum periculum superueniens rapiat, & pereat illi delectatio, & succedat illi damnatio? Et de infelici libidine vnde suprà diximus, credendum est illud quod Propheta dixit, Quomodo confractus est malleus vniuersæ

S. Aug. C

A

D

S. Augustin

Aug.

terra? Quantum autem post aduentum Domini per innumerabilia Monasteria, & per Clericos vel Laicos castitatem seruantes quasi confractus esse malleus videatur ille: adhuc tamen quod peius est, multò plures sunt, qui ab ipso malleo confringuntur, quàm illi qui de ruina vel collisione ipsius liberantur. *Et rursum:* Liceat mihi loqui & dicere, corrigant se qui tales sunt dum viuunt, ne postea velint, & non possint; quia subito venit mors, & non est qui corrigatur, sed vt in ignē mittatur. Nam quando veniat illa nouissima hora nescitur, & dicitur, corrigo. Quando corrigis? quando mutaris? Cras, inquis. Ecce quotiens dicis, cras, cras, factus es coruus, Ecce dico tibi cum facis vocem coruinam, occurrit tibi ruina. Nam ille coruus cuius vocem imitaris, exiit de arca, & non rediit. Tu autem frater redi in Ecclesiam, quam tunc illa arca significabat. *Hactenus Aug. ser. 164. de temp.* S Augst

4. Castitas etiam in auribus seruanda. De pudic. cap. 3. circa. m.

ILla quæ vera est, quæ pudica, quæ sancta, carebit etiam aurium maculis.

CASTITATIS CVSTODIA. IV. SCHOLIA.

QVÆ VERA EST. *Hic Tertull. ad literam intelligendus est loqui de Ecclesia, quam Apostolus* virginem dicit, non habentem maculam, neque rugam, neque aliquid huiusmodi. *Ephes. 5.* AVRIVM MACVLIS, *vt nec audiat promulgationem pœnitentiæ oblatæ macbis. Sic enim immediatè dixerat,* sed hoc in Ecclesia legitur, & virgo est. absit, absit à sponsa Christi tale præconium. *Id est edictum præconis voce promulgatum, ideſt promulgatum, iuxta Festum.* Illa quæ vera est, &c. *quasi dicat Ecclesiam quæ si vera est* audienda est, vt interpres veritatis, si Ecclesiam non audierit, &c. *Ipsa audire non debet edicta talia, libertati carnis indulgentia. Quia cum* carere debeat etiam aurium maculis, *aures suas castas macularet, si eas macbis veniam petentibus inclinaret.* *Verum quidem est Ecclesiam iuxta Aug. in psal. 132. vestem sacerdotalem esse:* Ipsa est vestis de qua dicit Apostolus, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Mundatur vt non habeat maculam, extenditur vt non habeat rugam, vbi extendit fullo nisi in ligno? Videmus quotidie à fullonibus tunicas quodammodo crucifigi, crucifiguntur vt rugam non habeant. *Et alibi* exhibere vos dignum corpus tali capiti, dignam sponsam tali sponso. Non potest habere caput illud nisi condignum corpus, nec ille vir tantus nisi condignam duxit vxorem, &c. Non vis habere maculam fac quod scriptum est lauamini, mundi estote, &c. Non vis habere rugam, extendere in cruce, &c. per lauacrum auferuntur peccata, per extensionem, fit desiderium futuri sæculi propter quod Christus crucifixus est. Audi ipsum Paulum lotum ad Tit. 3. saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Audi eundem extentum Philip. 3. in ea quæ ante sunt extensus. &c. *Verum inquam est hic Ecclesiam quoad fidem, & bonos mores quos docet, esse sine macula & ruga, sed multas in aliquibus membris etiam fidelibus habet peccatorum maculas. Vnde idem Aug. lib. de perfectione iustitiæ hominis hunc locum tractans, notat dici etiam gloriosam.* Satis significauit, quando erit sine macula & ruga aut aliquo huiusmodi; tunc vtique, quando gloriosa. Non enim modo in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permixtione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum, dicendum est eam esse gloriosam, quia reges ei seruiunt, vbi est periculosior: sed tunc potius gloriosa erit, quando fiet quod idem ait Apostolus, Coloss. 3. cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. &c. Mundat ergo eam nunc lauacro aquæ in verbo, abluens peccata præterita, & pellens ab ea dominationem malorum Angelorum; deinde perficiens eius sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam sine macula & ruga, quos scilicet prædestinauit Rom. 8. &c. illos & glorificauit. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

Tunc maculatorum & rugis exaratorum congerie, lazariorumque faciculis, piscibus malis virginibus fatuis, paleisque sublatis erit Ecclesia triumphans sine macula, sine ruga, gloriosa; sed nunc propter admixtos malos qui eam dedecorent non sine aliqua macula. Nec minus tamen virgo fide, irreprehensibilis doctrina: & cum fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi & eloquia domini eloquia casta sint; carere etiam aurium maculis; *licet aures suas aperiat pontificum & confessorum edictis de recipiendis lapsis. Quinimò cum patre cœlesti occurris mater obuia prodigo, sinum aperis, portam pandis ouilis reducta ab errore ouicula dicenti,* aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino, hæc porta Domini, iusti introibunt in eam *Vtox peccatoribus iusti sunt reducti peccatores, & Deus iustificantem impium magnificens,* confessio enim, & magnificentia, opus eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi, *nec peccatorum relabentium numero exhauritur, sed,* permanet in sæculum sæculi. *Cæterùm vt margaritam è lutea ostream, & ex loco Tertulliani erroneo præsidium ipsi pudicitiæ extruam, recto sensu dicam de Christiana anima.* Illa quæ vera est, quæ pudica, quæ sancta, carebit etiam aurium maculis. *Externis inquam auriam ornamentis, & inauribus, quæ aures ipsas vulnerant, & maculant, & notas seruitutis diabolicæ & mundanas inurunt, quas cum Tertulliano alibi, Patres omnes arcent ab auribus castarum & verè Christianarum mulierum. Conflatæ fuerunt inaures Hebræarum in vitulum, vt auersas aures à verbo Dei & cultu eius ad idola signarent: eas mulier Christiana sibi fodiat, aperiat, perficiat vt obediat ancilla Dei verbo Domini, excipiens* murenulas aureas vermiculatas argento. *Claudat eas spurcis & inhonestis verbis quæ vult carere aurium maculis. Aug. Ep. 73* Execranda superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum, in summis ex vna parte auriculis, suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus. sed ad seruiendum dæmonibus adhibentur *Et homil. 26.* qui verbum Dei libenter audit, inaures Animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet: *Ambr. lib. 3. de virg.* auribus non suspendenda onera non ligenda vulnera; sed vnus ornatus est audire quod prosit. *Audiat ergo Virgo & quæuis anima casta Salomonem monentem.* Sæpi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire. *Ephrem item Syrus de vita spirit.* magna est auris fenestra, quippe per quam mors in mundum ingressa cunctas deuorauit gentes. *Monitum est etiam Rabinorum:* caueat homo ne auribus audiat res vanitatis, quia in altero sæculo primæ ante alia membra aures torquebuntur. *Aures idcirco primi fideles crucis signo obsignabant. D. Ephrem de virtute c. 7. huius ritus meminit, sic serpenti antiquo loquens, qui per aures Euæ lethale virus infudit:* despicio consilium tuum nefarium, aures- Aug. Aug. Aug. Aug.

meas pretioſæ crucis ſignaculo obſigno, ne amplius intret in aures meas verborum tuorum virus. *Cuſtodiendos ſenſus ad caſtitatis conſeruationem tradidit Auguſtinus ſerm. 23. de verbis Domini.* Omnis anima, inquit, in corpore, ideo quinario numero cenſetur quia quinque ſenſibus vtitur. Nihil eſt enim quod ſentimus in corpore, niſi janua quinque partita, aut videndo, aut audiendo, aut odorando aut guſtando, aut tangendo. Qui ergo ſe abſtinet ab illicito vſu, abſtinet ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito guſtatu, ab illicito tactu, propter ipſam integritatem, Virginis nomen accepit. *Nec aurium igitur tantum, ſed & aliorum ſenſuum maculis careamus.*

Aug.

5. *Caſtitas plena etiam in externum habitum redundat. 2. de cult. fœm. cap. 13. circa. m.*

PVdicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri. Tanta enim debet eſſe plenitudo eius, vt emanet ab animo ad habitum, & eructet à conſcientia in ſuperficiem, vt & à foris inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam, quæ conueniat fidei continendæ in perpetuum. Diſcutiendæ ſunt enim deliciæ, quarum mollitiâ & fluxu fidei virtus effœminari poteſt.

CASTITATIS CVSTODIA. V. SCHOLIA.

PVDICITIÆ CHRISTIANÆ *arguit Chriſtianas mulieres, quæ ſtudebant cultui corporis; contenta interna animæ caſtitate. Quia licet ex Aug. vera & propria ſedes caſtitatis ſit in anima: Quia tamen, vt paulo ſupra dixerat Tertul.* Bonum dũtaxat verum & plenum non amat tenebras, ſed gaudet videri, & ipſa denotatione ſui exultat, *id gaudet oſtenſione, & publica oſtenſione ſui, vt lumbi etiam foris præcincti nimiam veſtium redundantiam, & fluxam luxus mollitiem coërceant, & lucerna ardentes in manibus proximis, bonum caſtitatis exemplum præſtent: Ideo Tertul. exigit ad bonum integrum & plenum*, vt emanet ab animo in habitum, & ſuperficiem. *Quid ita? Duplicem aſſignat externi habitus modeſti, & caſti rationem. Primò vt* proximi videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui videt quidem in abſcondito, vt reddat mercedem *interna caſtitatis: ſed vt ait Tertul.* Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe verum & videri, &c. Vt eructet à conſcientia in ſuperficiem. *Nam vt ait Salomon*, ex occurſu faciei cognoſcitur vir. *Et rurſum Scriptura*, Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. *Secunda ratio eſt, quòd exterior habitus compoſitus & modeſtus eſt, vt alibi Tertul.* vallum pudoris, *& velut quoddam* antemurale, *nec enim ſufficit murus interior propoſiti caſtitatis, ſed & ſæpe circundandum eſt corporei habitus. Hinc ſponſa Cant. 4. bis concluſa legitur:* Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus. *Ideo expreſsè dicit*, vt foris inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam, vt conueniat fidei continendæ in perpetuum. *id. vere & fideli pudicitia coniugi præſtita.* SVPELLECTILEM. *Labeo l. 7. ff. de ſupellectile legata. dicit:* Supellectilis originem eſſe quod olim ſub pellibus locari ſolerent ea quæ vſui forent, his qui in legationem proficiſcerentur *Pomponius l. 1. ff. de ſupell. leg. definit eſſe* domeſticum patrisfamilias inſtrumentum, quod neque argento, aurove facto, vel veſti adnumeretur. *Gallicè dicimus*, meſnage, emmeublement. *Cuius nomine ait Paulus Iureconſultus.* continentur menſæ, Trapezophora, *id eſt iuxta Iulium Pollucem menſa pocula ſuſtinentes*, Delphicæ, *id eſt Amphora Delphica*, ſubſellia, ſcamna, lecti inargentati, culcitræ, toralia, mappæ villoſæ, vaſa aquaria, pelles, aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ, vaſa ænea vulgaria, capſæ, armaria, vitrea, eſcaria, & potoria. *Vt habet etiam Siponimus ex 33. Digeſt. de ſupell. l. 1. Tertul. hic ſupellectilem ſumis exceptis veſtibus, pro mundo muliebri, qui adeo moderatus eſſe debet, vt fidei pudicitiæ & ſponſo iuratæ conueniat, ne alteri per ſuperfluum ornatum placere ſtudeat. Quod ſi ſupellex proprie dicatur de ſtragula, ſive Lodice, ab eo quod* ſuper lectum imponatur, *vt habet Ioannes Calvinus Iureconſultus doctiſſimus; & ſecundùm Chryſologum lectus anima ſit corpus juxta Pſalmiſtam*, Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius, vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. *Tum ſupellex erit, non ſuperfluus, ſed neceſſarius amictus eius, non mollis, aut laſcivus. Lubet conceptum Chryſologi huc referre ſerm. 14.* Quis es lectus doloris noſtri, niſi corpus noſtrum? in quo anima jacet, & jacet dolens, & dolet quæ cœlum repetere cupiens premitur corporis terra. *Pergit & de ſtrato dicere:* Caro eſt quæ verſatur, & verſat. Ipſa eſt quæ in aduerſis volutur, in proſperis verſat. Dominus ergo verſat ſtratum noſtrum quando nobis aduerſa, vertit in proſpera. *Quid aptius in rem noſtram: verè ad literam agit hîc Tertullianus de aduerſitatis, & perſecutionis tempore, quo corpus non mollibus & ſuperfluis ornari, ſed duris ad Martyrium aptari debet, vt fidem conſtanter contra tormenta ſuſtineat. Hinc expreſsè ſubdit*, diſcutiendæ. *id eſt excutienda, & ableganda*, ſunt deliciæ, quarum mollitia & fluxu, fidei virtus effœminari poteſt. Cæterùm neſcio an manus Spathalio, *id eſt armilla*, circumdari ſolita, in duritia catenæ ſtupeſcere, *præpondere*, ſuſtineat, &c. *Caro itaque in proſperis & deliciis verſat & inclinat in mollitiem animum, & ipſa mollibus aſſueta, dura ferre detrectat, & animam de fidei ſtatu deturbat. Dum autem volutur in aduerſis, ſic vt juxta Paulum, dicat fidelis*, cùm infirmor, tunc potens ſum, virtus in infirmitate perficitur: *Et tunc ſecundùm Chryſol. Deus*, nobis aduerſa vertit in proſpera, *verſato ſcil. & exercitato in aduerſis & duris corporis ſtrato, vt pro modeſta ſupellectili &* conuenienti fidei continendæ in perpetuum, *id. vſque ad mortem, cum fides euacuanda ſit in lumine gloriæ*: ſtragulatam veſtem faciat ſibi, purpuram & byſſum indumentum eius, veſtienda anima & carne duplicibus; dum exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. *id eſt, corporibus glorificatis.*

6. *Et ibid. cap. 8. in f. & 9. ad. m.*

COgnito Deo, adempta placendi voluntate per luxuriæ occaſionem, omnia illa vt otioſa, aut hoſtilia recuſantur. Nam vbi Deus, ibi pudicitia, ibi grauitas adjutrix, & ſocia ejus. Quo ergo pacto pudicitiam ſine inſtrumento ſuo, id eſt ſine grauitate tractabimus? Quomodo autem grauitatem adminiſtrandæ pudicitiæ adhibebimus, niſi & in facie, & in cultu,

ed by Google

CAP. IX. & in totius hominis contemplatione ſeueritas circumferatur? Quamobrem erga veſtitum quoque & reliqua compoſitionis veſtræ impedimenta, perinde vobis curanda eſt amputatio, & decuſſio redundantioris nitoris. Nam quid prodeſt, faciem quidem frugi & expeditam & ſimplicitatem condignam diuinæ diſciplinæ exhibere, cetera verò corporis, laciniosis pomparum & deliciarum ineptiis occupare? Hæ pompæ quàm de proximo curent luxuriæ negotium, & obſtrepant pudicitiæ diſciplinis, dinoſcere in facili eſt, quòd gratiam decoris cultus ſocietate proſtituant: adeo ſi deſint, irritam & ingratam reddunt, velut exarmatam & naufragam. Contra ſi forma defecit, adminiculum nitoris quaſi de ſuo gratiam ſupplet. Ætates denique requietas jam & in portum modeſtiæ ſubductas, ſplendor & dignitas cultus auocant, & ſeueritatem appetitionibus inquietant, compenſantibus ſcilicet habitus irritamentum pro frigore ætatis. Ergo benedictæ, primò quidem vt lenones & proſtitutores veſtitus & cultus ne in vos admiſeritis.

CASTITATIS CVSTODIA. VI. SCHOLIA.

COGNITO DEO. *Per fidem ſcilicet, qua nos in modeſtiam inclinat; cultus corporis ſuperfluus, & forma variis artibus & pigmentis comanda cura, reſpuitur vt non tantum otioſa & inutilis Chriſtiano, ſed vt inimica profeſſioni caſtitatis.* PER LVXVRIÆ OCCASIONEM. *idem repetit aliis verbis circa medium:* hæ pompæ, quam de proximo curent luxuriæ negotium, &c. gratiam decoris, cultus ſocietate proſtituant. *Et rurſum circa finem:* Seueritatem appetitionibus inquietant. *id eſt, ſeueram ætatem & grauem annis, maturamque moribus irritant, & frigidam accendunt, habitu ornato, & picta facie frigus ætatis ſupplente, ad faces libidinis accendendas. Adeò, vt ſi etiam deſit ille nitor & compoſitio ſtudioſa cultus, pulchritudinem velut exarmatam, alij legunt,* exornatam, *id eſt, abſque ornamento, irritam & ingratam reddant. Quinetiam tantum poteſt cultus, vt ſenes pelagus ætatis feruida, & procelloſæ, Syrtes, Scyllas, Charybdes, Syrenes, omnia denique caſtitatis naufragia praternectas, & vt ait,* in portum modeſtiæ ſubductas, *quaſi iam ſecuras, tanquam ventus ortus à terra in mare expellat, & à moderato, vel longo caſtitatis habitu, vel ætate frigeſcente temperato libidinis æſtu, auocent ad luxuriæ ſi non actum, ſaltem appetitum. Tandem concludit veſtitum & cultum ornatum,* lenones eſſe & proſtitutores. *Sicut enim hoc genus perditorum, & perdentium hominum hoc faciant pro amore lubrico & meretricio, quod pronubi, pro conjugali & legitimo, ſic habitus ille meretricius, quaſi praloquitur, annuntiat, inuitat, irritat. Eccli. 19.* Amictus corporis & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de eo. *Cultus nimius, redundantior nitor, laciniosæ pōparum & deliciarum ineptiæ, in Virgine quidem, iam minus virginem enuntiant, & pronuba ſunt, virilis appetitus. In vidua, teſte Paulo, eam* in deliciis viuentem, mortuam eſſe, *viduitati ſcilicet, nec verè viduam. In nupta, non* quomodo placeat viro, *ſed aliis & extraneis placere velle, ſollicitam. Ita Salomon Prou. 7.* occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas. *70 ſic legunt,* ſpeciem habens meretriciam, quæ facit juuenum volare corda, *ſic habet & Ambroſius lib. 1. de Caim c. 4. Chaldæus autem,* quæ aufert cor juuenum. *Addit Salomon,* garrula & vaga. *70. autem,* volatica & luxurioſa. *Sanctes Pagn. ex Heb.* Quæ tumultuoſa eſt & peruerſa. *Tigurina vero,* ſtrepera & inconſtans. *Et quid aliud voluit noſter Tertul. dicens,* hæ pompæ quam de proximo curent luxuriæ negotium, & obſtrepant pudicitiæ diſciplinis dinoſcere *pro dignoſcere,* in facili eſt. *Legendus Ambr. lib. 1. de Virg. vbi inter cæt.* Hinc illa naſcuntur incentiua vitiorum, vt quæſitis coloribus ora depingant, dum viris diſplicere formidant, & de adulterio vultus meditétur adulterium caſtitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale judicium, prodere ſuum? Prior enim de ſe pronuntiat, quæ cupit mutare, quod nata eſt. Ita dum alij ſtudet placere, prius ſibi ipſa diſplicet quem judicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quàm teipſam, quæ videri times? Si pulchra es, quid abſconderis? Si deformis, cur te formoſam eſſe mentiris? Nec tuæ conſcientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere. Et iraſceris ſi amet aliam, qui adulterare in te docetur? Mala Magiſtra es iniuriæ tuæ. Lenocinari refugit etiam quæ paſſa lenonem eſt. Ac licet vilis mulier, non alteri tamen, ſed ſibi peccat; tolerabilioraque propemodum in adulterio crimina ſunt. Ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. Iam quanto pretio opus eſt, ne etiam pulchra diſpliceat? Hinc pretioſa collo dependent monilia, inde per humum veſtis trahitur aurata. Emitur igitur hæc ſpecies, an habetur? Quid quod etiam odorum variæ adhibentur illecebræ, gemmis onerantur aures, oculis color alter infunditur. Quid ibi remanet ſuum? Vbi tam multa mutantur? Sentus ſuos amittit mulier, & viuere poſſe ſe credit? ADEMPTA PLACENDI VOLVNTATE PER LVXVRIÆ OCCASIONEM. *Alij,* vacationem, *id eſt ceſſationem luxuriæ impoſitam lege Dei vel ætatis frigidæ neceſſitate. Nos legimus,* occaſionem, *quia hæc adſcititia, & ſuperflua elementa, author ipſe vocat irritamenta luxuriæ. Per quæ oſtenditur voluntas placendi hominibus, & oculos vtriuſque ſexus inuicem prolectandi.* HOSTILIA PVDICITIÆ REPVGNANTVR. *Contemnuntur, vel oblata reſpuūtur. Alij legunt,* recuſſantur, *ſic pila dicitur,* recuſſabilis, *quæ recutitur, & recuſſatur à reuoluente. Et hoc ſenſu pudica mulier aut Virgo oblatos ſibi torques, monilia, & alia id mundi muliebris arma recuſans, quibus oppugnatur caſtitas. & finum apertus impetitur, comparabilis eſt ſponſæ, Cant. 4. cui adgratulans ſponſus ait:* ſicut turris Dauid, collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. *Sanctes Pagn. ex Hebr.* Ædificata ad docendum tranſeuntes. *Quanta ædificatio videntibus & tranſeuntibus, vt doceantur amare verecundiam, dum vident pro monilibus clypeos pudicitiæ, iacula recuſſantes tentatorum! 70. pro* omnis armatura, *habent* omnia iacula potentium. *Potentius enim hi clypei ferunt, & vice iaculorum repercuſſorum, vulnerant pulchra dilectione & caſta, adeo vt exemplo ſuo doceant amare caſtitatem. Non ergo mulier* exornata, *id. ornamentis vacua, nauis eſt aut turris,* exarmata & naufraga: *ſed potentioribus iaculis armata, quibus vel* in vno oculorum, & in vno crine colli vulneret cor, *ſponſi potentiſſimi regum regis. Ita Ambr. lib. 1 de Virg.* Vos verò

verò Beatæ Virgines, quæ talia tormenta potius quàm ornamenta nescitis, quibus pudor Sanctus verecunda suffusus ora, & bona castitas est decori: Non humanis addictæ oculis, alieno errore merita vestra pensatis. Habetis sanè & vos vestræ militiam pulchritudinis, cui virtutis militat forma, non corporis: quam nulla extinguet ætas, nulla eripere mors potest, nulla ægritudo corrumpere. Solus formæ arbiter petitur Deus, qui etiam in corpore minus pulchro, diligit animas pulchriores. *Tandem vt D. Ambr.* tormenta *dixit, Tertullianus impedimẽta, lacinias redundantias, lenones & prostitutores, &c. D Clemens Alexandrinus fugitiuorum à Dei castr. & ad demonem transfugorum stigmata dixit 3. pædag. c* 2. Ornantur vt aliis placeant, quæ in facie, non in corde gloriantur. Sicut enim notæ inustæ fugitiuum, ita etiam floridi colores adulteram indicant. *Certè hodie ficta sibi vulnera vultus imprimunt quæ nunc muscas, nunc affassitos vocitant, vere in corde sanctæ & vilia libidinis mancipia stigmatizata.* Ineptias *propriè dixit Tertullianus. Vbi legunt alij pro* ineptiis, ingeniis. *Inuenta enim sunt & artificia quibus album colorem nigro juxta posito plus candescere faciant. Audiat mulier compta vt respiscat, D. Fulgentium Ep. 2. cap.* 12. Habitus tuus talis sit, qui non ad lasciuiam excitet, sed ad continentiam prouocet; qui non illiciat ad libidinem, sed comprimat ad timorem; qui non accendat carnis concupiscentiam, sed extinguat; qui non alliciat ad concubitum, sed excitet ad profectum; ex quo cordis compunctio, non carnis libido nascatur. *Audiat, & obseruet D. Fulgentij, Ordinis Eremitani sydera fulgentissimi, Solem Aug ser 246 de temp. in Do. 23 post Trinit.* Vos, inquit, ô iuuenes, maximè monemus & hortamur, vt veræ virtutis pulchritudine capiamini. Nulla species terrena vel cœlestis, nullus fulgor metallorum, nulla nemorum amœnitas, nullæ florum purpuræ, nullus vel turalis, vel adhibitus carnis ornatus, nullus quarumlibet chordarum atque tibiarum sonus, nulla odorum jocunditas, nulla saporum suauitas, nulli amplexus pulchritudini, inspirationi, dulcedini, fomentis sapientiæ comparantur. Ab his enim quæ turpiter amantur, non ab ipso amore prohibemur. Amare vultis, amate sapientiam, ambite vt perueniatis ad eam, vt non vos exhorreat eius aspectus, in homine, vos in timore componite. Sicut lasciui oculi ornamenta corporis, sic illa cordis inquirit. Nec de vestris diuitiis hæc ornamenta proferatis, quia odit superbos, & quasi de suo se iactare tu- Aug.

A pientes. Quid autem habes, quod non accepisti? Ipsa ergo donat, vnde illi placeas. Tantum dilige eam, & seruabit te. Circunda eam, & exaltabit te: honora eam, & amplexabitur te, vt det capiti tuo coronam gratiarum. Clara est & quæ nunquam marcescit sapientia, & facilè inuenitur ab his, qui diligunt illam. proponite hanc adiungere vobis, in illam suspirate, in illam exardescite, in illam deperite. Te ipsum abnega tibi, ne illi te abneges, dum tibi places. Non habet amaritudinem conuersatio illius. Si amatores estis, hanc amate: si formosi estis, Deo placete: si iuuenes estis, Diabolum vincite. Daniel ab angelo vir desideriorum appellatus est. Quæ illa eius erant desideria, nisi quibus in sa-
B pientiæ pulchritudinem ardenter inhiabat: quia in iuuenili ætate calcauit lasciuiam, & regum superbiam pressit captiuus, & ora leonum clausit inclusus. *Et rursus ibidem.* Ad vos, inquit, non tamen vt confundam vos, hæc dico, sed vt filias meas charissimas moneo, iuuenilia desideria fugite, nuptæ Susannam, viduæ Annam, Virgines Mariam cogitate. Nec in publicum propterea procedatis, vt florem fœni vestri oculis hominum ostentare cupientes, in domo vitæ mortem quæratis. Omnis enim caro fœnum, & claritas hominis vt flores fœni. Quid ergo facietis cum fœnum aruerit, flos deciderit? Verbum autem Domini quod manet in æternum, cineres vestros non facilè inuenturum puteris, quod nunc superba ætatis viriditate contemnitis. Strictè iterum dico atque contestor, iu-
C uenilia desideria fugite. Si audiris hoc, si obtemperatis, si tamquam Dei Verbum cum honore & timore susceperitis, non solum pulchri ante oculos Dei, sed & sani eritis. Si autem de hac admonitione nostra, etiam locos fortasse amatorios vobis faciatis, de ipsis ferramentis medici mortifera vobis vulnera infligitis. Certè Iudæi qui Dominum crucifixerunt, quod cùm audimus, horrescimus, & ingenti execratione prosequimur: sed tamen illi cum de sua luxuria cogitarent, deliciosorum agrorum solitudines meditabantur, dicentes, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Quomodo ergo parceret Christo, si eum inueniisset in terra, qui quidè non solitaria prata irritandis libidinibus suis, sed frequentissimas Ecclesias elegit regnaturis in cœlo? Ecce tertiò contestor & dico, desideria iuuenilia fugite, Danielis desideriis æstuate. Filij à iuuentute vestra eligite
D doctrinam, & vsque ad canos inuenietis sapientiam.

* 7 *Castitatis custodia suadetur exemplis. De monog. cap.* 8. *in f.*

CVm [a] *puerorum* dicit *esse regnum cœlorum*; cùm consortes illis facit alios post nuptias puetos; cum ad simplicitatem columbæ prouocat, auis non tantum innocuæ, verùm & pudicæ, quam vnam vnus masculus nouit; cùm Samaritanæ maritum negat, vt adulterum ostendat numerosum maritum; cùm in reuelatione gloriæ suæ de tot Sanctis & Prophetis, Moysen & Heliam secum mauult: alterum monogamum, alterum spadonem. non enim aliud fuit Helias, quàm Ioannes, qui in virtute & spiritu venit Heliæ; cùm ille vorator & potator homo, prandiorum & cœnarum cum publicanis & peccatoribus frequentator, semel apud vnas nuptias cœnat multis vtique nubentibus. Totiens enim volunt celebrare eas, quotiens & esse.

[a] Matth. 19. 14. ibid. 11. Matth. 10. 16. Io. 4. 17. Matth. 17. 3. Matth. 11. 14. Matth. 11. 19. Io. 2. 2.

CASTITATIS CVSTODIA. VII. SCHOLIA.

CVM PVERORVM, *&c. Hortatur hic ad castitatem, & præsertim Monogamiam seruandam post excessum alterutrius coniugis, conglobatis ex scriptura locis & exemplis. Primo quidem puerorum & prudentiæ virginũ sub citato loco, vel Matth. 18.* Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut parauli, non intrabitis in regnum cœlorum. *Sed expressius ad verba Tertul. Matth. 19.* finite paruulos, &

nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum. *Translatio Syr.* eorum enim qui sunt sicut isti, est regnum cœlorum. POST NVPTIAS PVEROS. *id. qui post vnum matrimonium castitatem seruant, & castè viuunt sicut pueri.* CONSORTES ILLIS FACIT. *quia eodem capite & immediatè antequam ageret de pueris, egit de Eunuchis seu virginibus ab vtero, quibus coniunxit in sorte regni spadones voluntarios, quales sunt qui liberi vt secundo nubant, se castrant, & abstinent à secundis nuptiis: Matth. 19.* Sunt Eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt; & sunt Eunuchi qui facti sunt ab hominibus; & sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt, propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. *Potuit & Susanna, potuit & Daniel, per quem liberata est & Susanna, Deo protegente. Augustinus ser. 118. de temp. cui titulus est de passione Domini, & Susanna, Susannam castam, pudore tacentem in Iudicio, cum Christo confert eorum Iudice Pilato tacente:* Melior est, inquit, causa quæ non defenditur, & probatur; plenior iustitia quæ non verbis astruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse est, vbi ipsa veritas sibi adest. Taceat lingua in bono negotio, quæ & in malis causis obticere consueuit. Nolo sic defendi iustitiam, sicut solet iniquitas excusari. Quod vincit Christus, non rationis est, sed virtutis. Sciuit enim saluator qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret, atque ideo causam suam maluit comprobare quàm dicere: Ad vincendum fortasse metus eum cogeret, ne salutem proderet, nisi quod ipsa erat tota causa victoriæ. Suam enim salutem prodidit, vt salutem omnium lucraretur. In se vinci maluit, vt victor esset in cunctis. Sed quid de Deo Christo loquar? Susanna mulier, inimicos suos tacuit, & vicit. Non enim apud Danielem in sermone tutio est, sed in sancta fœmina tacente lingua, pro ea castitas loquitur. Castitas enim Susannæ affuit in iudicio, quæ Euæ defuit in paradiso. Ibi enim pudori eius consuluit, hic saluti. Ibi ne macularetur pudicitia, hîc ne innocentia damnaretur. Castitas enim Susannæ & presbiteros impudicos conuicit in paradiso, *id est, in horto vbi lauabat se clauso ostio supra se, nec aurem prabens serpentinis linguis senum; cùm Eua in horto, antiquo serpenti aures aperuisset, & consensisset voluptati edendi fructus illicitis. Vnde dixit supra defuisse Euæ pudicitiam; non enim eam puduit absente viro nudam colloqui cum seductore Angelo, ait ergo in horto Susanna pudicitiam inuiolatam permansisse cum timore Domini casto, in iudicio autem innocentiam eius pudicam, & tacitam fuisse defensam*, & in iudicio falsos accusatores obtinuit, bisque victrix reos facit testimonij. quos reos facit adulterij adque tandem iudicem meretur castitas Danielem puerum iuniorem, nec dum pubescentis ætatis. Multum igitur de Deo pudicitia consequitur, cum iudicem Virginem promeretur. Secura est enim de victoria castitas, cui est iudicatura virginitas Pudicitiæ autem causas, nisi vix pudicus audire non debuit. Talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia Cognito igitur Daniel Susannæ negotio, cum eam falsis accusationibus vellet plebs imperita damnare, ait idem, mundus ego sum à sanguine huius. Quo dicto, peccantis populi reuocauit errorem. *Et tract 36. in cap. 8. Io. vbi exponit illud Deut. 19.* In ore duorum vel trium testium, stabit omne verbum. Veritas, inquit, quæritur per duos testes; Ita planè, sic se habet humani generis consuetudo: sed tamen fieri potest, vt & duo mentiantur. Susanna casta duobus falsis testibus vrgebatur: nunquid quia duo erant, ideo falsi testes non erant? de duobus dicimus, aut de tribus? vniuersus populus mentitus est contra Christum. Si ergo populus cõstans ex magna hominum multitudine, falsus testis inuentus est, quomodo accipiendum, in ore duorum, vel trium testium, stabit omne verbum, nisi quia hoc modo per mysterium Trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis? vis habere bonam causam? habeto duos, vel tres testes, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Denique quando Susanna casta fœmina fidelisque coniunx, duobus falsis testibus vrgebatur, Trinitas illi in conscientia atque in occulto suffragabatur, illa Trinitas de occulto vnum testem Danielem excitauit, & duos conuicit. *Et notatu dignum, quod cum duo senes falsò dicerent, Susannam cum adolescente concubuisse prænalente viribus, quem duo senes non potuerant comprehendere, vnus impubes adolescentulus, duos comprehendit falsos testes, qui non potuerunt eius iudicium euadere; & qui Susannam, Hebreo nomine lilium, inter spinas angustiarum vndique concluserant, mox lapidum grandine obruendam, ipsi lapidibus obruendi vt falsi testes, Deo castam innocentiam protegente per iudicem virginem, traditi sunt. Caluinus perperam excludit mercedem continentiæ, cum, per* regnum cœlorum, *prædicationem Euangelij intelligit. Si enim hoc esset, cur & ipsi ministri non se castrauerunt? Nec potuit cœlibatus & continentia perpetua clarius commendari*: Qui potest capere, &c. *potest quisque cum Dei gratia. Tertull.* Non capiunt quidam, quia nolunt, *Orig.* qui capere vult, petat. *Naz.* datur volentibus. *Hiero. lib. 1. contra Iouin.* proponit Agonothetes præmiũ, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium: ostendit purissimum fontem, & clamitat. Qui sitit veniat & bibat: qui potest capere capiat Non dicit, velitis, nolitis, bibendum vobis est, atque currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere; atque potare, ille vincet. AD SIMPLICITATEM COLVMBÆ PROVOCAT. *Matth. 10.* Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Hic Tertull. non tam simplicitatem, sinceritatem, & innocentiam columbæ, qua caret cornibus,* quod Græcum sonat *vt nulli noceamus, nullum cornibus impetamus, quam vt pudicitiam eius quasi monogamæ sectemur. Certè Plin. nat. hist. lib. 10. c. 34. de columbis.* pudicitia illis prima, & neutri nota adulteria. Coniugij fidem non violant, communemque seruant domum, nisi cœlebs, aut vidua, nidum non relinquit. Et imperiosos mares, subinde etiam iniquos ferunt: quippe suspicio est adulterij, quamuis natura non sit. Tunc plenum querela guttur, sæuique rostro ictus, mox in satisfactione exosculatio, & circa veneris preces, crebris pedum orbibus adulatio, &c. *hinc sponsa Canticorum*, vna columba *dicitur. Inde etiam Clemens Alex. 3. pedag. c 11. Inter signacula fidelibus honesta sculpendè in annulis, primo loco meminit columbæ*, sint nobis signacula, columba vel piscis, vel nauis quæ celeri cursu à vento fertur, vel lyra musica qua vsus est Polycrates, vel Anchora nautica, quam insculpebat Seleucus: & si sit piscans aliquis meminerit Apostoli, & puerorum qui ex aqua extrahuntur, *id est baptizantur*; neque enim Idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solum attendere prohibitum est; sed nec ensis, vel arcus, iis qui pacem persequuntur, nec pocula iis qui sunt moderati ac temperantes, *Absit à fidelium annulis imago Veneris, licet ei sacra fuerit columba, quod Græcis dicta sit περιστερα, à circumagendo amore: eam teste Dione Rom. hist. lib. 43. Cæsar Annulo suo insculpserat.* Venerem armatam annulo insculptam gestabat, eaque tesserâ in rebus humanis ple-

A B C D E

S. Augustin. S. Aug. S. Aug. Aug.

rumque vtebatur. Certè laxum eius cingulum Sylla quoque notauit, *maximè ornamentis, & dicincta expugnat castitatem* CVM SAMARITANÆ, *&c. Io. 4.* Bene dixisti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. *In Syro habetur*, non est maritus tuus. *Hic Tertul. cogit & torquet in sensum suum & errorem de adulterinis secundis nuptiis, de quibus suo loco diximus, in Alphabetho errorum*: vt adulterum ostendat numerosum maritum. *Neque enim Christus priores quinque viros quos habuerat, adulteros, sed proprios & legitimos viros confirmauit cum dixit*: quinque enim viros habuisti: *hic enim est numerosus maritus. de sexto autem, non viro, sed scortatore & fornicario, dixit*, & nunc quem habes non est tuus vir. *Et licet Christus vt occasionem acciperet, detegendi mulieri tum vidue, occultam fornicationem suam, dixerit ei*: VOCA VIRUM TUUM; *non tamen sextas has nuptias vt adulteras, reprobasset, cùm quinque priores approbauerit, nec incestas aut adulterinas censuerit.* IN REVELATIONE A GLORIÆ. *in transfiguratione.* ALTERVM MONOGAMVM, *Moysen scilicet.* ALTERVM SPADONEM. *Nempe Heliam, quem ideo virginem censet, nil de eius virginitate alias testante scriptura, quod Ioannes Baptista Virgo venisse dicatur.* In spiritu & virtute Eliæ. *Sic Math. 11. vbi de Ioanne* ipse est Elias qui venturus est. *Sed magis ad literam, Elias erat vestitu, spiritu, vita, præcursoris officio.* CVM ILLE VORATOR. *Id sumit ex eodem Matthæi cap. vbi statim post mentionem Ioannis dicti Elie.* Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, &c. venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt:: ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. *Quasi diceret, ille Christus qui censebatur bellua, qui frequenter cœnabat cum peccatoribus, semel tamen tantum inuenitur in nuptiali conuiuio in Cana Galilæa Io 2. vt probet se monogamum, & vnicas nuptias approbare, licet multi publicanorum nuberent.*

B

8. Castitas Gentilium suffundet Christianos in Iudicio: De Monag. cap. 17. in p. ad circa. f.

HAbebunt planè Christo quod adlegent, speciosum priuilegium, carnis vsquequaque imbecillitatem. Sed hanc iudicabunt iam non Isaac monogamus pater noster, nec Ioannes aliqui Christi spado, nec Iudith filia Merari, nec tot alia exempla Sanctorum. Solent Ethnici judices destinari, Exurget regina Carthaginis, & decernet in Christianas, quæ profuga, & in alieno solo, & tantæ ciuitatis cum maximè formatrix, cùm regis nuptias vltro optasse debuisset; ne tamen secundas eas experiretur, maluit è contrario vri quàm nubere. Assidebit & illi matrona Romana, quæ etsi per vim nocturnam, nihilominus, experta alium virum, maculam carnis suo sanguine abluit, vt Monogamiam in semetipsam vindicaret. Fuerunt & quæ pro viris mori mallent, quàm post viros nubere. Idolis certe & monogamia & viduitas apparent. Fortunæ muliebri coronam non imponit, nisi vniuira; sicut nec matri Matutæ. Pontifex Maximus & Flaminica nubunt semel. Cereris sacerdotes, viuentibus etiam viris & consentientibus, amica separatione viduantur. Sunt & quæ de tota continentia judicent nos virgines Vestæ & Iunonis Achaïcæ, & Dianæ Scythicæ, & Apollinis Pythij. Etiam bouis illius Ægyptij antistites, de continentia infirmitatem Christianorum judicabunt. Math. 26. 41. Math. 11. 10. Iudith. 8. 1. Iudith. 16. 26.

CASTITATIS CVSTODIA. VIII. SCHOLIA.

HABEBVNT PLANE. *Nimius vt assolet est hoc loco pro monogamiæ commendatione Tertullianus; adeo vt etiam in iudicio si non de crimine accusandos polygamos, saltem vt rubore plurimo suffundendos accersat. Ac primo quidem dicit eos frustra se volaturos dicto Christi Math. 26.* Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: *cum in omni specie castitatis, non tantum fideles, sed & Gentiles, in iudicio surrecturi sint, qui eandem carnis imbecillitatem, spiritus promptitudine ad continentiam seruandam firmauerunt. Virgo Ioannes Baptista Angelo ob eximiam castitatem tum apud Malachiam prophetatus, tum in Euangelio à Christo appellatus.* ALIQVI CHRISTI SPADO. *id. aliquis Ioannes Christi discipulus*; cui Virgini Christus Virginem matrem commendauit, *ait Hier. Isaac, vnius vxoris vir, Iudith vidua perseuerans. Pro Ethnicis, viduis quidem*, EXVRGET REGINA CARTHAGINIS, *&c. Didonem intelligis Carthaginis in primis fundatricem. Sic Aug. in psal. 47.* quando Dido fugiens fratrem delapsa est ad terras Africæ, Carthaginem condidit. *Et notatu dignum, quod licet ex eodem Aug. in psal. 98.* regnum Veneris esset Carthagini, *& Æneas ipse filius Veneris crederetur, tam fidelis fuit defuncto Sichæo coniugi Dido, tamque constans vidua, vt nullis Æneæ principis amabilissimi cesserit flammis tacitè cor eius allambentibus. Hinc apud Virgilium.*

Aug. Aug.

Miseri post fata Sichæi
Omniloquium.

C Coniugis, & sparsos fraterna cæde penates,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit, agnosco veteris vestigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi noctemque profundam,
Antè pudor quàm te violem, aut tua iura resoluam.
Ille meos primus, qui me sibi iunxit amores
Abstulit, ille habeat secum, seruetque sepulchro.

DECERNET IN CHRISTIANAS. *Iudicabit eas, & condemnabit earum incontinentiam.* VRI QVAM NVBERE. *Ex aduerso Pauli dicentis*, melius est nubere quàm vri. *Sic Virgilius*:

Est mollis flamma medullas
D Interea, & tacitum viuit sub pectore vulnus.
Vritur infœlix Dido, totaque vagatur
Vrbe furens.

ASSIDEBIT. *Quasi iudex proxima Lucretia, Collatini vxor per vim oppressa à Tarquinio, qua vt violatam in se Monogamiam vlisceretur, nouum pudoris proprio emaculauit sanguine. Factum eius pulchrè ab Augustino discussum, 1. de Ciuit. c. 19.* Huius corpore cùm violenter oppresso Tarquinij Regis filius, *is sextus Tarquinius dictus est*, libidinosè potitus esset, illa scelus improbissimi iuuenis marito Collatino, & propinquo Bruto viris clarissimis & fortissimis indicauit, eosque ad vindictam constrinxit. Deinde S. Aug.

Digitized by Google

S. Aug. fœdi in ſe commiſſi ægra atque impatiens, ſe peremit, &c. Egregiè quidem, *Liuius eſt*, ex hoc veraciterque declamans ait; mirabile dictu, duo fuerunt, & adulterium vnus admiſit ſplendidè atque veriſſimè, &c. Non quid coniunctione membrorum, ſed quid animorum diuerſitate ageretur, attendens, &c. Sed quid eſt hoc quod in eam grauius vindicatur quæ adulterium non admiſit? ille patria etiam cum Patre pulſus eſt; hæc ſummo eſt mactata ſupplicio. Si non eſt illa impudicitia, qua inuita comprimitur, non eſt hæc juſtitia, qua caſta punitur. Vos appello leges judiceſque Romani. Nempe poſt patrata facinora, nec quemquam ſceleſtum indemnatum impunè voluiſtis occidi, &c. Si ergo ad veſtrum judicium quiſquam deferret hoc crimen, vobiſque probaretur, non ſolum indemnatam, verum etiam caſtam & innocentem interfectam eſſe mulierem; nonne eum qui id feciſſet ſeueritate congrua plecteretis? Hoc fecit illa Lucretia, illa illa ſic prædicata Lucretia: Innocentem, caſtam, vim perpeſſam Lucretiam, Lucretia inſuper interemit. Proferte ſententiam. Quod ſi propterea non poteſtis, quia non aſtat quam punire poſſitis, cur interfectricem innocentis & caſtæ tanta prædicatione laudatis, &c. Ita hæc cauſa ex vtroque latere coarctatur, vt ſi extenuatur homicidium, adulterium confirmetur: ſi purgatur adulterium, homicidium cumuletur. Nec omnino inuenitur exitus, vbi dicitur: ſi adultera, cur laudata? ſi pudica, cur occiſa? &c. Quod ſeipſam, quoniam adulterium pertulit, etiam non adulteram occidit, Non eſt pudicitiæ charitas, ſed pudoris infirmitas. Puduit enim eam turpidinis alienæ in ſe commiſſæ, etiamſi non ſecum: Et Romana mulier laudis auida nimium verita eſt ne putaretur, quod violenter eſt paſſa cum viueret, libenter paſſa, ſi viueret, &c. ſociam quippe facti ſe credi erubuit, ſi quod alius in ea fecerat turpiter ferret ipſa patienter. FVERVNT ET QVÆ PRO VIRIS MORI MALENT. *Hiero. lib. 1. cont. Ion. de Didone ſupra memorata, magis ad literam exponit Tertulliani verbum,* maluit vri quam nubere; *ſic ille*, nec multo poſt *conditam ſcilicet Carthaginem*, extructa in memoriam mariti quondam Sichæi pyrâ, maluit ardere, quàm nubere. Caſta mulier Carthaginem condidit, & rurſum eadem Vrbs in caſtitatis laude finita eſt. Nam Haſdrubalis vxor, capta & incenſa vrbe, cum ſe cerneret à Romanis capiendam eſſe, apprehenſis ab vtroque latere paruulis ſuis in ſubiectum domus ſuæ deuolauit incendium. *Plura proſequitur Hieronymus exempla huiuſmodi caſtarum mulierum. Legendus Valerius Max. & idem Hiero. in ep. ad Geruntiam de captiuis Theutonicorum coniugibus, quæ Marium victorem orarunt, vt ab eo Virginibus Veſtalibus dono mitterentur, affirmantes æquè ſe, atque illas virilis concubitus expertes futuras. Quæ re non impetrata, laqueis ſibi nocte proxima ſpiritum eripuerunt.* APPARENT. *id eſt miniſtrant, offerunt, ſacrificant. Ita Deut. 16.* Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit: in ſolemnitate Azymorum, in ſolemnitate Hebdomadarùm, *id. Pentecoſtes*, & in ſolemnitate Tabernaculorum. Non apparebit ante Dominũ vacuus: ſed offeret vnuſquiſque ſecundum quod habuerit. FORTVNÆ MVLIEBRI. *De ea Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. c. 19.* Tantum ſanè huic velut numini tribuunt quam Fortunam vocant, vt ſimulachrum eius quod à Matronis dedicatum eſt, & appellatum Fortuna muliebris, etiam locutum eſſe, memoriæ commendarent, atque dixiſſe, non ſemel, ſed iterum; quod eam ritè Matronæ dedi-
S. Aug.

A cauerint, &c. Certè ſi Fortuna loquitur, non ſaltem muliebris, ſed virilis potius loqueretur, *cui ex Plutarcho lib. de fort. Rom. Primus Ancus Martius templum dedicauit*, vt non ipſæ quæ ſimulachrum dedicauerunt, putarentur tantum miraculum muliebri loquacitate finxiſſe. *Hiero lib. 1. cont. Ionin. ſub finem. Notat Fortuna muliebri coronam non impoſuiſſe niſi vnimiram.* MATVTÆ. *Meminit huius Deæ* quam Matrem vocat Tertullianus. Aug.
Aug. lib. 4. de Ciuit. c. 8. vbi de Deabus ſegetum: præfecerunt frumentis florentibus Deam Floram, lacteſcentibus Deam Lacturciam, matureſcentibus Deam Matutam, *alij legunt Maturam. Et Lilius Geraldus Syntag. 1. Mauult ſic vocari. Alij cum Plutarcho Matutam, ſine Albam Deam. De hac Aug. lib. 18. de Ciuit c. 14.* Illam ſanè Melicertis matrem Aug.
B Leucotheam Græci, Matutam Latini vocauerunt: vtrique tamen putantes Deam. *Lactantius lib. 1. c. 21.* Ino poſtquam ſe præcipitauit in mare, Leucothea Materque Matuta, & Melicertes filius eius Palemon atque Poturnus. *Voluit Apollodorus lib. 3. ſic à nauigantibus vocatos*, quod maris tempeſtatem patientibus, opem ferrent. *Porro Albam Deam, Matutam, matutinam aurorã multi autumant, primo diei candore perfuſam & albeſcentem. Faceſſat hinc Fortuna muliebris, procul hinc Matuta prophana. Vna Virgo Beatiſſima apud Salomonem ait*, mea eſt Fortuna. *Vel vt Vulgata*, mecum ſunt diuitiæ &
C gloria *Illa verè Alba, &* aurora conſurgens, ſtella matutina, *in mundi pelago periclitantibus propitia, quæ* aſcendit dealbata, & luci comparata purior inuenitur. *Huic omnis gradus caſtitatis coronam imponit. Et ſiquidem, mulier eſt illa Apocalipſis ſplendida, in qua teſte Iſid. Peluſ. Luna cæteris inferior gradibus caſtitatem coniugalem ſignificat; Sol ambiens, virginalem; ſtella duodecim, vidualem*, quidni ſtellæ coronent, quam Sol veſtit? *Ait Bernardus, vt ſecundum Tertul.* Fortunæ muliebri coronam non imponit niſi vnimira, ſicut nec Matri Matutæ. PONTIFEX MAXIMVS ET FLAMINICA. *ſic lib. 1. ad vxo. idem Tertul.* Regem ſæculi Pontificem Maximum rurſus nubere, nefas eſt. *Et de Præſcr. c. 40.* Summum Pontificem in vnis Nuptiis ſtatuit. *Et de Exhort. caſt. c. vlt.* Quæ & Flaminis lex eſt; nam
D duo ipſi Pontifici maximo iterare matrimonia non licet. *Hiero. ep. de Monog. ad Agerruchiam & in fine lib. 1. cont. Ionin. vocat Flaminem quem Tertul. Pontificem Maximum. Lex eadem Monogamiæ indicta eſt Flaminicæ. Sic Hiero. ep. ad Geruntiam*, Flaminica quoque vnius mariti eligitur vxor. *Per Flaminicam, intelligit, Flaminis dialis vxorem. Vide iam dicta verbo Caſtitatis cuſtodia 1. in textu, & Schol.* VIRGINES VESTÆ. *Vide ſequentia Scholia de Iunone Achaica & dicto Scholio Caſtitatis Cuſtodia. 1.* ETIAM BOVIS. *Hieron. ep. ad Geront.* Ad Tauri Ægyptij ſacra ſemel maritus aſſumitur. *De Serapi maximo Ægyptiorum Deo ſub ſpecie bouis culto videndus Herodotus lib. 3. Aug. lib. 18. de*
E *Ciuit. c. 5.* Aug.
Ille bos quem mirabili vanitate decepta Ægyptus in honorem eius deliciis affluentibus alebat, quoniam eum ſine Sarcophago viuum venerabantur, Apis, non Serapis vocabatur. Quo boue mortuo, quoniam quærebatur, & reperiebatur vitulus coloris eiuſdem, hoc eſt albis quibuſdam maculis ſimiliter inſignitus, mirum quiddam & diuinitus ſibi procuratum eſſe credebant. Non enim magnum erat dæmonibus ad eos decipiendos, phantaſiam talis Tauri, quam ſola cerneret, oſtentare vaccæ concipienti atque prægnanti; vnde libido matris attraheret, quod in eius fœtu iam corporaliter appareret: ſicut Iacob de virgis varia-

eis, vt oues & capræ variæ nascerentur effecit. *Et Minutius Felix in Octauio:* Nonne & Apim bouem cum Ægyptiis adoratis & colitis? *Hinc idololatria*

A *Iudæorum nata circa vitulum aureum, ex commercio Ægyptiorum.*

9. *Et de Exhort. cast. cap. 13. à p. ad. m.*

CVm Dei sacramenta Satanas adfectat, prouocatio est nostra; immò suffusio, si pigri sumus ad continentiam Deo exhibendam; quam diabolo quidam præstant, nunc virginitate, nunc viduitate perpetuâ. Nouimus virgines Vestæ, & Iunonis apud Achaïæ oppidum, & Apollinis apud Ephesos, & Mineruæ quibusdam locis. Nouimus & continentes viros, & quidem Tauri illius Ægyptij antistites. Feminas vero Cereri Africanæ; cui etiam sponte abdicato matrimonio adfeneiscunt; auersantes exinde contactum masculorum, vsque ad oscula filiorum. Inuenit scilicet diabolus, post luxuriam, etiam castitatem perditricem; quò magis reus sit Christianus, qui castitatem recusauerit conseruatricem. Erunt nobis in testimonium & feminæ quædam seculares, ob vniuiratus obstinationem, famam consequutæ. Aliqua Dido, quæ profuga in alieno solo, vbi nuptias regis vltro optasse debuerat, ne tamen secundas experiretur, maluit econtrario vri quàm nubere. vel illa Lucretia, quæ etsi semel per vim, & inuita, alium virum passa est, sanguine suo maculatam carnem abluit, ne viueret iam non sibi vniuira. Plura exempla curiosius de nostris inuenias, & quidem tanto potiora, quanto facilius est viuere in castitate, quàm pro ea mori; hoc est, animæ id bonum miscri, quàm non viuendo separati.

CASTITATIS CVSTODIA. IX. SCHOLIA.

SATHANAS ADFECTAT. *Bene Patres Dei Simiam Sathanam dixerunt: vt qui frustra in Cœlo, Dei similitudinem peruersâ sua excellentia amore appetiit, in terra ab hominibus diuinos honores extorserit, & omnia diuina mysteria in sacrilegis suis mysteriis affectarit. Et quoniam castitatem & virginitatem Deo purissimo placere non ignorauit, sibi quoque in Diis Deabusque fictitiis famulari virgines & viduas, continentesque cuinges, procurauit. Exempla scitata jam exposita habes tam Scholio precedenti, quam primo de Castitatis custodia, vnde supernacuum arbitror iam dicta retexere. Solum varietatem textus Pamelij à nostro in quibusdam exponam. Sic enim incipit* cum autem Deus summus tantum, Sathanas ad perficiendum prouocatio est nostra. *id. cum vnus sit Deus summè castus,* prima Trias virgo est. *Ait Nam in qua filius, iuxta Augustinum* ex patre sine matre Deus. *Et Spiritus sanctus ab vtroque sanctissima eadem voluntate procedit, proindeque sibi similes castos diligit; hinc Sath in Deum emulatus, nos prouocat, & irritat ad perfectam continentiam sectandam. Pergit Pamelius,* qua diabolo qui antistant. *id Antistitum & sacrificulorum ministerio fungantur.* Nunc virginitate, nunc viduitate euitant. *id. viris & masculis eorumque vsu priuant. Caterum pudeat, Gentiles pro diabolo, castitatem seruasse; quam Christiani seruare nolunt. Aug. lib. 5. de Ciu. c. 18. à*

Aug.

p. Hæc sunt, inquit, duo illa libertas, & cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta compulere miranda Romanos. Si ergo pro libertate morituorum, & cupiditate laudum, quæ à mortalibus expetuntur, occidi filij à Patre potuerunt; quid magnum est, si pro vera libertate, quæ nos ab iniquitatis & mortis & diaboli dominatu liberos facit, nec cupiditate humanarum laudum, sed charitate liberandorum hominum; non à Tarquinio rege, sed à dæmonibus & dæmonum Principe: non filij occiduntur, sed Christi pauperes inter filios computantur? &c. Intelligunt se nulla ob hoc ventilari oportere jactantia: id faciendo pro obtinenda societate Angelorum, cùm penè tale aliquid illi fecerint pro conseruanda gloria Romanorum. Hæc & alia, si qua huiusmodi reperiuntur in literis eorum, quando sic innotescerent, quando tanta fama prædicarentur, nisi Romanorum imperium longè latéque porrectum, magnificis successibus augeretur? Proinde per illud imperium tam latum, tamque diuturnum, virorumque tantorumque virtutibus præclarum atque glorioſum, & illorum intentioni merces, quam quærebant est reddita, & nobis proposita necessariæ commonitionis exempla; vt si virtutes, quarum istæ vtcumque sunt similes, quas isti pro ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſissima ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur: si tenuerimus, superbia non extollamur. Quoniam sicut dicit Apostolus, indignæ sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ad humanam verò gloriam, præsentisque temporis, satis digna vita existimabatur illorum. *Superest vt aliquid de Vestalibus dicam.* NOVIMVS ET VIRGINES VESTÆ. *August. lib. 4. de Ciuit. c. 10. vbi de Iunone multiplici,* eamdem terram Cererem, eamdem etiam Vestam volunt, cum tamen sæpius Vestam non nisi ignem esse perhibeant, pertinentem ad focos, sine quibus ciuitas esse non potest: & ideo illi Virgines solere seruire, quod sicut ex Virgine, ita nihil ex igne nascatur. *Lact. lib. 1. c. 12* Idcirco virginem putant Vestam, quia ignis inuiolabile sit elementum, nihilque nasci possit ex eo, quippe qui omnia quæ arripuerit absumat *Igni perpetuo seruando præfecta Vestales. Supplicium autem Vestalis sponte corrupta habes apud Aug. 3. de Ciuit. c. 5.* Romani antiqui in stupro detectas Vestales Sacerdotes, viuas etiam defodiebant, adulteras autem fœminas, quamuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant: Vsqueadeo grauius quæ putabant adyta diuina, quam humana cubilia vindicabant. *Est tamen lex duodecim tabularum ex Agellio relata lib. 10. c. 3. quæ jus dabat occidendi vxorem in adulterio deprehensam. Sed benignè explicandus Augustinus, nullam mortem tam diram intentatam adulteris, sicut Vestalibus corruptis. Ridet Ambr. lib. 1. de Virg. Palladie & Vesta Virgines, quod ad tempus, non perpetuam virginitatem colerent.* Petulantior est talis integritas, cuius corruptela senſori seruatur ætati Qualis autē est illa Religio vbi pudicæ adolescentes jubentur esse, impudicæ anus? Sed nec illa pudica est quæ lege tenetur, & illa impudica, quæ lege diuittitur. O Mysteria! ô mores! vbi necessitas imponitur castitati, authoritas libidini datur. PLVRA EXEMPLA, *&c. Nubes testium profert vita Sanctorum, in quibus virisque sexus Virgines Martyrio coronatas*

B

C

5. August.

5. Aug.

D

lerimus. decebat enim virginem agnum sequi sponsas virgines, pro custodia ignis sacri, & amore Christi sanguinem effundentes. Nec enim ex Ambr. stupenda solum virginitas quòd in martyribus inueniatur, sed quòd
S. August. martyres quoque ipsa faciat. *Pulchre Augustinus Vestalium vanitatem à Christo explosam narrat his verbis 4. de Ciuit. c. 10.* Quam totam aboleri vanitatem, & extingui vtique ab illo oportuit: qui est natus ex virgine. MAIVS EST VIVERE IN CASTITATE, *&c. quia maior est & diuturnior pugna, proindeque nobilior victoria.* ANIMÆ MISCERI. *id coniunctum inueniri homini dum viuit:* QVAM SEPARARI, *&c. Non quod castitas sedem non habeat in anima, & separetur ab ea, dum ipsa per mortem separatur à corpore; sed quia bonum arduum castitatis viget, dum impugnatur ab ipso corpore & tentationibus externis. Caterum quàm præstet castitas Christianarum mulierum famosæ Lucretiæ, de qua rursum hoc capite agit Tertul. Sic concludit August. lib. 1. de ciuit. c. 19.*
S. Aug.

A Ad oculos hominum mentis suæ testem illam pœnam adhibendam putauit, quibus conscientiam demonstrare non potuit: sociam quippe facti secreti erubuit, si quod alius in ea fecerat turpiter, ferret ipsa patienter. Non hoc fœminæ Christianæ fecerunt; quæ passæ similia viuunt, tamen nec in se vltæ sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua, si quoniam hostes in eis concupiscendo, stupracommiserant, illæ in seipsis homicidia, erubescendo committerent. Habent quippe intus gloriam castitatis, testimonium conscientiæ: habens autem coram oculis Dei sui, nec requirent amplius, vbi, quid rectè faciant, non amplius habent, ne deuient ab authoritate legis diuinæ, *homicidium, maximè proprium prohibentis* cùm malè deuitant offensionem suspicionis humanæ. *Sic Paulus 2. Cor. 1.* B gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.

* 10 *Castitas persuadetur exemplo mulierum Christianarum quibus ipsa, charior fuit vitâ. De pudic. cap. 1. à. m.*

ATque vtinam & isti, qui meram & veram integritatem carnis obtruncant, amputantes non summam superficiem, sed intimam effigiem pudoris ipsius, quum mœchis & fornicatoribus veniam pollicentur aduersus principalem Christiani nominis disciplinam, quam ipsum quoque seculum vsque adeo testatur, vt si, quando eam in feminis nostris inquinamentis potius carnis quàm tormentis punire contendat, id volens eripere, quod vitæ anteponant.

CASTITATIS CVSTODIA. X. SCHOLIA.

ATQVE VTINAM *&c. Hic zelo suo immoderato succenset Ecclesiæ Romanæ, à qua dum hæc scriberet, recesserat; quod mœchis veniam pollicendo, non solum superficiem integritatis carnis, sed intimam pudoris animi formam turpiter obtruncabat. Tantam porro tribuit gloriam castitati, vt vocet eam* principalem Christiani nominis Disciplinam. *Quod* IPSVM QVOQVE SÆCVLVM *id. Gentiles, eorumque principes testari probat, quod dum in odium fidei Christianas fœminas punire volunt, grauius in eas sæuiunt, carnis blanditiis & inquinamentis, quàm tormentis: sciunt nempe eas chariorem habere pudicitiam, quàm vitam. Aduerte lector ad plenitudinem sensus huius loci, necessario retexendum, quod ex Apostolo præmiserat, optante* vt etiam præciderentur, qui circumcisionem retinendam suadebant. *Continuo enim* C *subiecit: Atque vtinam & isti, supple præscindantur,* QVI MERAM ET VERAM INTEGRITATEM CARNIS OBTRVNCANT, *&c. Alludens ad circumcisionem veterem, quæ fiebat in extima superficie virilium: vbi vult facilitatem nimiam recipiendi mœchos ad veniam, plenam esse totius intimi pudoris obtruncationem. Quod ait de verecundia Christianarum mulierum; Ambr. 2. de virg.* Virgo prostitui potest, adulterari non potest. Vbicumque Dei virgo est, templum Dei est, nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas loci abolet infamiam. *Et Aug. Ep. 122. ad Victorianum,* quidquid in ea nec commissit, nec permisit libido patientis, solius erit culpa facientis, omnisque illa violentia, non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis vulnere deputabitur
Aug.

11 *Et Apol. cap. 50. circa f.*

PRoximè ad lenonem damnando Christianam, potius quàm ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna & omni morte reputari.

CASTITATIS CVSTODIA. XI. SCHOLIA.

PROXIME AD LENONEM. *Nuper, inquit, prostibulo addicentes fidelem mulierem, indicastis nos plus timere iacturam pudicitiæ, quam vitæ, & multo magis auersari Christianam, Lenonem, quàm leonem. Frequens erat iudicibus Ethnicis, Christianos solo reos nomine damnare ad bestias & leones, vt constat ex Eusebio lib. 3. c. 30 Metaph. apud Surium 1. die Februarij. D. Ignatius leonibus obiectus est. Sic ex Eusebio lib. 8. c. 21. Adrianus. Et lib. 7 c. 11. tres alij Sancti. cap. 13. Agapius & Thecla. cap. 16. Auxentius &c. Lenonibus autem etiam solemne tradere virgines ad turpem quæstum. Euseb. lib. 8. c. 15.* Mulieres summæ continentiæ, & Virgines quæ sua sponte Dei cultui se consecrauerant, ad turpem ipsarum contumeliam Lenonibus tradidit. *Idem lib. 8. c. 24. Maximini tyran-* E *nidè prosequens, notat sollicitatas Virgines à Lenonibus, vt se tyranni constuprationi subderent, se in summum gurgitem precipitasse. Item cap. 27. constantiam describens mulierum Christianarum,* pars eadem cum viris certamina subeuntes, æqua virtutis præmia reportarunt: pars ad corruptelam & obscœnam libidinis turpitudinem inuitæ attractæ, viram prius internecioni, quam corpus dedecori tradere instituerunt. *Baro. 2. to. Anno Christi 275.* Senonis nobile certamen exegit Columba Virgo, quæ ad prostibulum damnata, sed Dei ope defensa, supplicium capitis subiit pridie Cal. Ianuarij. *Idem Baro. 2. tomo Annal. Anno Chri. 301. de Sancta Theophila Virgine* cum iam ad probri & contumeliæ officinam violenter introduceretur, manus simul & oculos in

cœlum tollés, mi Iesv, dixit, serua sponse sponsam, meam conserua castitatem, fons castitatis, ne prodas me bestiis, ne Lupi tuam pecudem lanient. Protinus Sanctum Euangelium quod habebat in sinu aperuit & legit: vnus vero ex intemperantibus œstro insano percitus ad eam ingressus, statim humi procubuit mortuus, &c. Superuenientes alij obstupuerunt adolescentem quemdam prope eam luce inestabili, pulchritudine incredibi veluti quædam tela fulguris emittentem ex oculis, qui eam eduxit prostibulo, & duxit ad vestibulum templi, & cum dixisset, pax tibi, recessit. Pulsat fores Ecclesiæ, vbi de more populus nocturna canebat, diaconus aperit, populus occurrit, simul cum lacrymis Deo referunt grates. *S. autem Daria vxor S. Chrysanti ad Lupanar damnata, mirabiliter qua Lenoni exposita fuerat, à Leone protecta est & defensa.* AD LENONEM. *Lenare est Lenocinium facere. Ex Isid.* Consiliatrix ob societatem flagitiosæ consensionis, eo quod intercurrat, alienumque nundinet corpus, hanc etiam Lenã vocant. *Lenones intercursores & internuntij, seu ad turpe ministerium conciliatores. Notandum vocem* Lenonis *vsurpatam à Trogo, pro fecialibus & legatis. Iustin. lib. 1.* Primus Scythis bellum indixit Vexares Rex Ægyptius, missis primò Lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent. *Lenare autem & lacare differunt. Lenare enim, est conciliare ad turpe ministerium libidinosorum amorem impurum, lecare autem est scortari. Nil autem detrimenti patitur inuitè corrupta castitas. Aug. 1 de ciuit. c. 16.* Sit in primis positum atque firmatum, virtutem qua rectè viuitur, ab animi sede membris corporis imperare, sanctumque corpus vsu fieri sanctæ voluntatis: qua inconcussa, ac stabili permanẽte, quidquid aliud de corpore vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio nõ valeat euitari, præter culpam esse patientis. *Quod autem casta fœmina mallent damnari ad bestias, aut seipsas occidere, quàm lenonibus addici, testatur, easque consolatur Augustinus, lib. 2 de ciuit. c. 2.* ad consolandas, inquit, sanctas feminas & piè castas, in quibus ab hoste aliquid perpetratum est, quod intulit verecundiæ dolorem, etsi non abstulit pudicitiæ firmitatem; ne pœniteat eàs vitæ, apud quas non est, vnde possint pœnitere nequitiæ. *Et Epist. 180. ad Honoratum*, magis timeamus ne sensu interiore corrupto, pereat castitas fidei, quàm ne fœminæ, si violenter constuprentur in carne: quia violentiâ non violatur pudicitia, si mente seruatur; quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non vtitur; sed sine consensione tolerat quod alius operatur.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

12. *Castitas suadetur ob breuitatem huius vitæ. 5. Cont. Marc. cap. 7. circa. m.*

SEd & continentiæ quas ait causas? [a] *Quia tempus in collecto est.* Putaueram; quia Deus alius in Christo; & tamen à quo est collectio temporis, ab eo erit & quod collectioni temporis congruit. Nemo alieno tempori consulit. pusillum Deum adfirmas tuum, Marcion, quem in aliquo coangustat tempus creatoris. [a] 1. Cor. 7. 29.

CASTITATIS CVSTODIA. XII. SCHOLIA.

TEMPVS IN COLLECTO. *Hic Tertul. Marcionem, eiusque Deum videt; quod cùm Deum suum authorem faciat noui tantum Testamenti, rerumque spiritualium, & æternarum, & non visibilium & temporalium, à creatore temporis coarctetur, & in angustias temporis redigatur, vt propter breue & collectum tempus, etiam nuptiis abstinere, quas Marcion prohibebat, suadeat Apostolus.* PVTAVERAM QVIA DEVS ALIVS IN CHRISTO. *Ironicè dictum, quasi diceret, credidissem ego alium à Deo creatore, noui Testamenti, cuius Christus mediator est, esse Deum. Verùm idem vtriusque principium agnosco, quod nemo aduersarij sui rebus vtitur, alieni rebus nemo consulit, ac per consequens fatere Marcion, eum quem tu fingis nuptias prohibere, authorem quoque temporis esse, quod ideo colligit & breuiat, vt nuptiis abstinendum esse suadeat. Aut si creatorem temporis vt malí,* dies enim mali sunt, & redimendum tempus *putas authorem, vel ex eo Dei tui boni infirmitatem fatebere, quod eum coarctent & cogant nuptias suis prohibere angustiæ temporis Creatoris.* IN COLLECTO. *Sic legit Hier. 1. Cont. Iouin. Cypr.* tempus collectum. *Vulgata. 1. cor. 7.* tempus breue est: reliquum est, vt & qui habent vxores tanquam non habentes sint, &c. *Syriaca translat.* Cæterùm, hoc dico fratres mei, tempus omnino contractum esse, vt ij qui habent vxores, sint tanquam non habentes. *Motiuum certè vrgens continentiæ seruandæ, siue respiciat breuitatem vitæ singulorum hominum, siue breuem sæculi durationẽ, quod magis intendit Paulus, vt liquet ex sequentibus,* præterit enim figura huius mundi. *D. Tho.* quasi dicat quia non est peccatum nubere, hoc itaque dico, tempus breue est, quo scilicet non generatione carnali, propagandus est populus Dei, sed regeneratione spirituali colligendus secundùm glossam. Et quia tempus breue est, reliquum est, id est hoc solùm restat agendum, vt qui habent vxores, sint tanquam non habentes; studendo seruitio Dei, non autem operi carnali, debitum scilicet exigendo, &c. sed hodie faciunt è conuerso, quia qui non habent, sunt tanquam habentes. Est autem notandum, quod tanquam non habens vxorem est, qui vel vxori debitum reddit, nec exigit: vel propter infirmitatem, vxorem ducit, dolens quia sine ea esse nequit: vel pari affectu continentiam custodit; vel causa genefandæ prolis, ad cultum Dei, vxorem propriam cognoscit. *Aug. in psal. 147. premissa D. Thoma prælibauit. Et de ser. Do. in monte.* Beatiora sanè coniugia iudicanda sunt, quæ siue filiis procreatis, siue etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerunt; quia neque contra illud præceptum fit, quo Dominus dimitti coniugem vetat. Non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritaliter viuit, & illud seruat quod per Apostolũ dicitur: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint. *Et loco præcitato in psal. 147.* qui gaudium totum suum, totam fœlicitatem suam constituit in manducando, & bibendo, vxorem ducendo, emendo, vendendo, vtendo mundo isto; sine sollicitudine est talis: sed præter arcam, vx illi à diluuio.

S. Augus.

S. Augus.

CHAOS.

Chaos dut massa confusa nunquam fuit, sed suis quaque locis distincta. Cont. Hermog. cap. 30. in p.

SIc & sequentia conjecturam Hermogenis instruere videbuntur: Et tenebræ super abyssum, & spiritus Dei super aquas ferebatur; quasi & hæ confusæ substantiæ, massalis illius molis argumenta portendant. Atquin singillatim definiens tenebras, abyssum, spiritum Dei, aquas, nihil confusum, nec in confusione incertum æstimari facit tam diuisa relatio certorum & distinctorum elementorum. Hoc quidem amplius, quum situs proprios eis adscribit, tenebras super abyssum, spiritum super aquas, negauit confusionem substantiarum, quarum demonstrando dispositionem, demonstrauit etiam distinctionem.

CHAOS. SCHOLIA.

CONIECTVRAM HERMOGENIS INSTRVERE VIDEBVNTVR. *Ironicè dictum, quasi fauens Hermogeni, vt explodat sententiam eius de æternitate materiæ, quasi præsentis & necessariæ Deo Creatori, vt mundum ex ea præexistente conderet. Hesiodus quidem in Theog. Chaos omnium rerum initium vocat, quòd ante omnes Deos, Deasque natum sit. Lactantius* nemo quærat ex quibus ista materiis tam magna, mirifica opera Deus fecerit: omnia enim fecit ex nihilo. Nec audiendi sunt Poëtæ, qui aiunt Chaos in principio fuisse, id est, confusionem rerum atque elementorum: postea vero Deum diremisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso aceruo separatis, in ordinemque descriptis, instruxisse mundum pariter & ornasse. *Dictum est Chaos à χεω, id. fundo, quod fuerit fusio, siue confusio omnium elementorum. Aug. lib. 1. de Gen. contra Manich. c. 5.*

S. Augustin. Prima materia facta est confusa & informis, vnde omnia fierent, quæ distincta atque formata sunt, quod credo à Græcis, Chaos appellari. Sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus Dei, qui fecisti mundum de materia informi. Quod aliqui codices habent de materia inuisa. Sap. 11. Et ideo Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata, de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est, &c. *Subdit Deum non esse similem fabris, qui sine ligno, argento & auro vel luto, nil possunt facere, & concludit cap. 6 in fine.* S. Aug. Si enim ad eas res, quas facere volebat, adjuuabat eum aliqua res, quam ipse non fecerat, non erat omnipotens, quod sacrilegum est credere. *Et cap. 7. similiter in fine concludit materiam dictam in Genesi, cœlum, terram, &c. quæ de materia primò à Deo creata facienda erant:* S. Aug. quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, & robur, & ramos, & fructus, & folia; non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt. Sic dictum est. In principio fecit Deus cœlum & terram, quasi semen cœli & terræ, cum in confuso adhuc esset cœli & terræ materia, Sed quia certum erat, inde futurum esse cœlum & terram; jam & ipsa materia cœlum & terra appellata est, &c. Dicta est terra inuisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum, quia informis erat, & nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi esset homo qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis & ductilis subiacebat operanti, vt de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus materia erat inuisa & informis, de qua Deus condidit mundum. *Ex quibus duo colligo contra Hermog. primò materiam non esse æternam, sed creatam: Secundo in ea velut semine contenta omnia, de quibus factus*

B *est mundus. Addo & tertium; quod licet Augustinus dicat in ea quasi in confuso fuisse omnia, tamen contra Hermogenem hîc Tertullianum probare Creatorem mundi verum esse Deum. Cùm enim dicente Paulo,* quæ à Deo sunt, ordinata sunt: *In ipsa rerum natiuitate, suis quaque locis distincta, & ordinata Moyses enarrauit, & hoc ordine Deum bonum sapientemque comprobauit. Vt sic* MASSALIS ILLIVS MOLIS, *id. materiæ confusæ & incompositæ* ARGVMENTA, *nil victoriæ* PORTENDANT, *id est, ominemur Hermogeni. Vide ordinem & ex eo cogita Creatoris singula ordinantis sapientiam:* TENEBRAS SVPER ABYSSVM, SPIRITVM SVPER AQVAS.

C *Eundem ordinem inconfusum, & Chaos excludentem, versiones omnes seruauerunt. Vulgata:* In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super facient abyssi: Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. *Transl. Sanct. Pagn. ex Hebr.* Terra erat desolata & inanis, & tenebræ erant in superficie voraginis, & Spiritus Dei insufflabat in superficie aquarum. *70 autem:* In principio fecit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inuisibilis, & incomposita: Et tenebræ super abyssum: & Spiritus Dei superferebatur super aquam. *Paraph Chald.* Terra autem erat deserta, & vacua, & tenebræ super faciem abyssi: Et Spiritus Dei insufflabat super faciem aquarum.

CHARITAS PROXIMI.

1. *Charitas proximi totam legem implet.* 5. *cont. Marc. cap.* 14. *circa f.*

A *More* [a] *fraternitatis inuicem adfectuosi.* Non enim idipsum est, [b] *Diliges proximum tanquam te. Spe gaudentes;* vtique Dei. [c] *Bonum est enim sperare in Dominum, quàm sperare in magistratus.* Pressuram sustinentes; [d] *Exaudiet enim te Dominus in die pressuræ.* Habes Psalmum. [e] *Benedicite, & nolite maledicere.* Quis hoc docebit, quàm qui omnia benedictionibus condidit? [f] *Non altum sapientes, sed humilibus adsentantes, ne sitis apud vos sapientes. Væ* enim audiunt per Esaïam. [g] *Malum pro malo nemini retribueritis; & malitiæ fratris vestri ne memineritis. Nec vosmetipsos vlciscentes. Mihi enim vindictam, & ego vindicabo, dicit Dominus. Pacem cum omnibus hominibus habetote.* Ergo & legalis talio non retributionem injuriæ permittebat, sed inceptionem, metu retributionis comprimebat. Merito itaque totam Creatoris

[a] Rom. 12. 10.
[b] Leuit. 19. 18.
[c] Psal. 117. 9.
Ro. 12. 12.
[d] Rom. 12. ibid.
Psal. 19. 1.
[e] Rom. 12. 14.
Gen. 1. 22.
[f] Rom. 12. 16. ibid.
Isa. 5. 21.
[g] Ro. 12. 17

ris disciplinam principali præcepto eius concluſit, [a] *Diliges proximum tanquam te.* Hoc Legis ſupplementum, ſi ex ipſa Lege eſt, quis ſit Deus legis jam ignoro: Metuone Deus Marcionis. Si verò Euangelium Chriſti hoc præcepto adimpletur, Chriſti autem non eſt Creatoris, quo jam contendimus, dixerit Chriſtus an non, [b] *Ego non veni legem diſſolvere, ſed implere?* Fruſtra de iſta ſententia neganda Ponticus laborauit. Si Euangelium Legem non adimpleuit, ecce Lex Euangelium adimpleuit.

Leu. 19.18 Deut. 32. 35. Rom. 12. 18. Deut. 19. 21. Rom. 13. 9 b Leuit. 19 18. a Matth. 5. 17.

CHARITAS PROXIMI. I. SCHOLIA.

AMORE FRATERNITATIS, &c. *Toto hoc capite probat conſenſum vtriuſque teſtamenti, & concludit eundem vtriuſque authorem, & Chriſtum proinde eſſe Creatoris, cuius legem impleuit: quod ſi Marcion Ponto erundas admouere nolit, fateatur neceſſe eſt, legem veterem impleſſe Euangelium. Sed vno verbo dicendum eſt, nihil fuiſſe ſcriptum in veteri, quod non reperiatur breuiatum in nouo teſtamento; vt hinc vtcreat ex tanto conſenſu literarum omnium, ab eodem Spiritu veterem, & nouam legem fuiſſe dictatam. Quod in quinque libris contra Marcionem exerte probauit Tertullianus. Aperto ſcopo, eius in hoc capite, ſingulos locos euoluamus.* AMORE FRATERNITATIS ADSPECTVOSI. *Propriè ex Græco* φιλαδελφίαι. *Vulgata*, charitate fraternitatis inuicem diligentes. *Tranſlat. Syr.* Amate fratres veſtros, & alij alios diligite. *Huic reſpondet Leuit.* 19. Diliges amicum tuum ſicut teipſum. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Diliges proximum tuum, &c. *Sic 70 & Paraph. Chald. D. Tho. in Rom.* 12. *Charitas fraternitatis, &c.* Vt ſcilicet non ſolum fratres diligamus per charitatem, ſed etiam diligamus ipſam charitatem qua ipſos diligimus & ab ipſis diligimur. Sic enim, ſi charã habemus charitatem, non de facili eam diſſolui faciemus. Hebr. vlt. Charitas fraternitatis maneat in vobis. Cant. vlt. ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, tanquam nihil deſpiciet eam. SPE GAVDENTES. *Syr. tranſl.* Gaudete ſpe veſtra. *Quomodo gaudentes? Cum Prou.* 13. *dicatur*, ſpes quæ differtur affligit animam: lignum vitæ deſiderium veniens. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Spes quæ protrahitur infirmitas eſt cordis: & vt lignum vitæ, &c. 70. Melior qui incipit auxiliari corde, eo qui promittit, & in ſpem adducit: Arbor enim vitæ deſiderium bonum. *Bene Paulus*, ſpe gaudentes. *Adeo enim certum, quod promiſit Deus, vt quaſi iam de poſſeſſo euentu, & ligno vitæ in horto noſtro plantato nunquam mentiente ſecuri ſimus.* Spes enim non confundit. *Aug. in Pſal.* 83. In magna videtur triſtitia cum dicit, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Non enim habet quod deſiderat. Sed inquid ſine gaudio eſt? quo gaudio? quod ait Apoſtolus: ſpe gaudentes, ibi iam re gaudebit, modo adhuc in ſpe. Ideóque qui ſpe gaudent, quia certi ſunt ſe adepturos, tolerant in torculari omnes preſſuras. *Paulo Pſaltem conciliat Pſal.* 117. Bonum eſt ſperare in Dominum, &c. 70. *vt Vulgata*, bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Melius eſt ſperare in Domino, &c. PATIENTES. SVSTINENTES. *Vulgata* in tribulatione patientes. *Syr. tranſlat.* Suſtinete oppreſſiones veſtras. *Aug. in Pſal.* 83. Propterea & ipſe Apoſtolus cum dixiſſet, ſpe gaudentes, quaſi his loqueretur qui iam in torculari ſunt. *Nota titulum Pſalmi eſſe, pro torcularibus filiis Chore, & apud 70. in finem pro torcularibus filiis Chore.* Addidit ſtatim, in tribulatione patientes, quid deinde? in oratione tolerantes. Quid eſt tolerantes? Quia differimini? Toleretur quod differtur, quia cum venerit non auferetur. *Et in Pſal.* 129. Quid ſibi vult labores fructuum tuorum manducabis? Modo labores habemus, fructus poſtea erit: ſed quia & ipſi labores non ſunt ſine gaudio, propter ſpem, de qua Apoſtolus ait, ſpe gaudentes, &c. Modo noſipſi labores noſtri jocundant, & lætos faciunt de ſpe. Si ergo labor noſter potuit manducari, & potuit jocundare, manducatus fructus ipſius laboris qualis erit? &c. Et vt noueritis, fratres, quia manducatur labor iſte, in ſuperiore Pſalmo audiſtis dictum: qui manducans panem doloris. Iſte eſt labor fructuum, panis doloris. Niſi enim manducaretur, non diceretur panis; niſi autem haberet aliquam ſuauitatem, panis iſte, nemo illum manducaret, cum tanta ſuauitate. Plorat in gemitu qui orat. Dulciores ſunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum. IN DIE PRESSVRÆ. *Pſal* 19. *Vulgata* in die tribulationis, *Ita & 70. Sanct. Pagn.* in die angustiæ. BENEDICITE, *&c. ita & Vulgata tranſl. Syr.* Bene precamini perſecutoribus veſtris; bene precamini & ne imprecemini. *D. Thom.* Monet vt benevolentia ſit ampla, quæ ſe extendat etiam ad inimicos, &c. Circa quod notandum eſt, quod benedicere eſt bonum dicere, & cæt. Puta cum quis bonum alterius laudat. Alio modo imperando: Et ſic benedicere per authoritatem, eſt proprium Dei, cuius imperio bonum ad creaturas deriuatur, miniſterium autem pertinet ad Miniſtros Dei, qui nomen Domini ſuper populum inuocant. Numer. 6. Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. Tertio benedicitur aliquis, oprando. Pſal. Non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos, &c. Et ſecundum hoc, benedicere, eſt bonum alicui velle, & quaſi bonum pro aliquo precari. Et hoc modo accipitur hic, & Matth. 5. Diligite inimicos veſtros, &c. OMNIA BENEDICTIONIBVS CONDIDIT. *idem qui per Paulum & Chriſtum, etiam inimicis benedicere juſſit, omnia creando benedictione implenit. Genes. tertio dicendo*: Vidit quod eſſet bonum. *Et ibid. voc latitiæ & piſcibus*: Benedixit dicens: Creſcite, &c. *Item homini.* Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, &c. NON ALTVM SAPIENTES, *&c. &c. Rom.* 12. *Vulgata*, Idipſum inuicem ſentientes. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite prudentes eſſe apud vosmetipſos. *Tranſlat. Syr.* Et quæ ſentitis de vobisipſis, & de fratribus veſtris ſentite: nec ſentiatis elata mente, ſed adiungite vos iis qui ſubmiſſi ſunt: nec eſtote ſapientes propriæ opinioni. *Aug. in Pſal.* 118. Tunc erit humilitas vera, ſi non ſola oſtenetur in lingua, vt ſimus ſecundum Apoſtolum, non alta ſapientes, &c. Non ſit colloquentes, ſed conſentientes, quod non ſit ore, &c. Quid tibi prodeſt videri ab hominibus humile eſſe quod dicis, ſi Deus videt altum eſſe quod ſapis? *Et ſer. de Paſſione Domini*: Cùm Apoſtolus nos admoneat ne ſimus alta ſapientes, ſed, &c. Cogiter ſi poteſt, in quantum ſuperbiæ præcipitium feratur homo, ſi non conſenſerit humili Deo, & quam ſit perniciosum impatienter ferre hominem, quod voluerit Dominus juſtus, ſi patienter

C Aug. D E Aug. F Aug. G Aug. H Aug. I Aug. K Aug. L Aug.

pertulit Deus, quòd voluit inimicus iniustus. *Vt A Dei & proximi simul hoc congruat charitati, debet anima humiliter de se sapere & sentire, & proximo mala de se sentienti, & humiliantia verba obicienti consentire. D. Thomas in hunc locum.* Concordia consistit in vnitate sententiæ, & quantum ad hoc dicit, idipsum sentientes, vt scilicet in eadem sententia conueniatis. Philip. 2 eandem charitatem habentes vnanimes idipsum sentientes. *Subiicit non opponi charitati dissensum, in speculabilibus, Geometricis, vel naturalibus, quia charitas in voluntate est, iudicia autem circa huiusmodi non procedunt ex voluntate, sed ex necessitate rationis: sententiam verò pertinentē ad iudicium rationis circa agenda, discordantem à proximo, charitati repugnare, quia talis dissensus habet contrarietatem voluntatis. Vnde fit vt dissensus circa res fidei dividat charitatem, & scindat vnitatem, quia fides non solum est* B *speculativa, sed etiam practica, in quantum per dilectionem operatur, Gal. 5.* NON ALTVM SAPIENTES *D. Thom ibid.* Excludit impedimenta concordiæ, quæ quidem sunt Duo. Primum est superbia, ex qua contingit, quòd dum aliquis inordinatè suam excellentiam quærit, & subiectionem refugit, vult alium subiici, & eius excellentiam impedire. Et ex hoc sequitur discordia. Prou. 13. Inter superbos semper iurgia sunt. Et ideo ad hoc remouendum dicit, non sitis alta sapientes, sed, &c. id est his quæ sunt humilia, id est ea quæ abiecta videntur, non recusetis cum oportuerit. Psal. elegi abiectus esse, &c. NE SITIS, *&c.* VÆ ENIM. *D. Thomas ibid.* Secundum impedimentum concordiæ est præ- C sumptio sapientiæ, ex qua contingit quod aliquis aliorum sententiæ non credit; ad quod remouendum dicit nolite esse prudentes, &c. Vt scilicet iudicetis solum id esse prudentiæ quòd vobis videtur. Esaiæ 5. væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. *Sanct. Pag. ex Hebr.* Et coram facie sua, &c *70. autem*, væ qui sunt arguti in semetipsis, & coram semetipsis scientes. MALVM PRO MALO *&c. Vulgata*, nulli malum pro malo reddentes. *Consonat vetus testamentum Lebit. 19.* non quæras vltionem. nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. *D. Thomas* prohibemur affe- D ctu odij, vel vindictæ, reddere malum pro malo, ita quod in malo alterius delectemur. MIHI VINDICTAM. *translat. Syr.* Si iudicium non executus fueris tibi ipsi, ego iudicium tuum exequar, inquit Deus. *Ita & Deut. 32.* Mea est vltio, & ego retribuam in tempore. PACEM CVM OMNIBVS *Rom. 12* Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes *translat. Syr.* Cum quolibet pacem componite. *Psal.* cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. LEGALIS TALIO. *lex talionis indicta Deut. 19.* reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, &c. non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, exiges. *Sic habent Hebr. Chald. & 70. Item Matth. 5.* audistis quia dictum est, oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. INCEPTIONEM METV REPRIMERET. *Prudenter id aduerti Tertul. nil in hoc vindicta concessum in veteri lege, sed Deum ipsum vindicem iniuriæ, metu pœnæ certæ, iniuriæ ipsius inceptionem cohibuisse, quinetiam talionis lege, ex vnius pœna, omnes alios cautiores reddidisse, sic enim textus Deut. 19.* Vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. CREATORIS DISCIPLINAM. *id. legem veterem.* DILIGES PROXIMVM. *Sic enim & vetus, & nouum Testamentum concludit omnia præcepta circa proximum. Leuit. quidem 19.* diliges amicum tuũ sicut teipsum. *Hebr. 70. & Chald.* proximum tuum. *Et Paulus Rom. 13. post. recensita eadem præcepta, concludit:* diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur: plenitudo ergo legis est dilectio. *D. Thomas notat hic D. Paulum vti syllogismo hoc modo:* qui diligit proximum, nullum malum operatur ad ipsum. Sed ad hoc tendit omne legis præceptum, vt abstineatur à malo. *Nam non adulterabis, non occides, &c. In hoc verbo instauratur, diliges proximum, &c.* Qui ergo diligit proximum legem implcuit. METVO NE DEVS MARCIONIS. *Ironicè dictum; constat enim Deum Marcionis, authorem nempe noui Testamenti, per Apostolum suum, multo minus, per Christum suum legem aduersarij sui, implere voluisse. Cætera initio huius Schol. explicata sunt.*

2 *Charitas proximi in noua lege perseverat, & veterem implet & breviat, omnis proximi portando. 5. Const. Marc cap. 4. circa f.*

a ad Gal. 5. 14. TOta,[a] inquit, *Lex in vobis adimpleta est: Diliges proximum tuum tanquam te.* Aut si sic vult intelligi, adimpleta est, quasi iam non adimplenda; ergo non vult vt diligam proximum tanquam me, vt & hoc cum lege cessauerit. Sed perseuerandum erit semper in isto præcepto. Ergo lex Creatoris etiam ab aduersario probata est; nec dispendium, sed compendium ab eo consecuta est redacta summa in vnum iam præceptum. Sed nec hoc alij magis competit, quàm auctori. Atque adeo quum dicit,[b] *Onera vestra invicem sustinete, & sic adimplebitis legem Christi;* Si hoc non potest fieri, nisi quis diligat proximum suum tanquam se, appa-

b ad Gal. 6. 2.

c. Marc. 12. 33. ret,[c] *Diliges proximum tuum tanquam te;* per quod auditur, *Invicem onera vestra portate;* Christi esse legem, quæ sit Creatoris, atque ita Christum Creatoris esse, dum Christi est lex Creatoris.

CHARITAS PROXIMI. II. SCHOLIA.

TOTA LEX. *Perpit conuincere Marcionem ex consensu vtriusque Testamenti, eundem esse vtriusque Authorem Deum scilicet Creatorem. Quod conficit, vt supra, ex concordantia Leuit. 19. & Pauli ad Gal. 5.* per Charitatem spiritus, seruite invicem. Omnis enim lex in vno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut teipsum. *Cuius loci expositionem vide Scholio precedenti. D. Thomas hoc loco notat motiuum Charitatis, esse vtilitatem maximam proposi-* E *cam ab Apostolo, quod in hoc vno, tota lex impleatur. Ad Tit. 1* Finis præcepti est charitas. *Quia in dilectione proximi, includitur dilectio Dei. Tunc autem diligo proximum sicut meipsum, cum volo ei bonum propter se, non quia est mihi vtilis, vel delectabilis; & diligo eum cùm ei volo bonum rationis & intellectus, præsertim eum cùm eum diligo, vt Deum cognoscat, amet, mandata eius seruet, & ad eum perueniat. Hoc sensu legem implet, qui sic diligit proximum, & omne mandatum*

morale, ceremoniale, iudiciale, prima & ſecunda tabula comprehendit. Et hoc vocat Tertul. Non diſpendium, ſed compendium, *quod factum eſt ab authore legis redigente per* verbum abbreuiatum *tantam ſummam præceptorum, in vnum. Quod non ſic intelligi: imò leue legem, quaſi iam lex abrogata fuerit, ſed potius perfecta & conſummata: tantum enim abeſt, vt velit nos ceſſare à dilectione proximi, Leuitici 19. commendata, quinimo* PERSEVERANDVM ERIT SEMPER IN ISTO PRÆCEPTO. *Ita enim Paulus Rom.* 13 nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. *Aug. in Ep. ad Seuerum Epiſcopum.* Aug.
Charitatem tantò magis debemus, quantò amplius impenderimus; cuius nos perpetuos debitores oſtendit Apoſtolus dicens, nemini quidquam debeatis, &c. *Et in Ep. ad Celeſtinum diaconum* Non ſic impenditur charitas, vt pecunia, quia illa impendendo minuitur, hæc augetur. Etiam illo inter Aug. B
ſe differunt, quia pecuniam cui dederimus, tunc ei beneuolentiores erimus, ſi recipere non quæramus. Non autem poteſt eſſe verus charitatis impenſor, niſi fuerit benignus exactor: quoniam pecunia cum recipitur, accedit cui datur, ſed recedit à quo datur. Charitas verò non ſolum apud eum creſcit, qui hanc ab eo quem diligit, exigit, etiamſi non recipit; ſed etiam ille à quo eam recipit, tunc incipit habere, cum reddit. Proinde domine frater, mutuam charitatem libens reddo, gaudenſque recipio; quam recipio, adhuc repeto: quam reddo, Aug.
adhuc debeo. *Et ibidem ſupra* ſemper debeo charitatem, quæ ſola etiam reddita, ſemper debitorem detinet. Redditur enim cum impenditur, debetur C
autem etiamſi reddita fuerit: quia nullum tempus eſt, quando impendenda iam non ſit; nec cum redditur, amittitur, ſed potius reddendo multiplicatur; habendo enim redditur, non carendo, & cum reddi non poſſit, niſi habeatur; nec haberi poteſt, niſi reddatur; imo etiam cum redditur ab homine, creſcit in homine; & tantò maior acquiritur, quantò pluribus redditur. Quomodo autem negetur amicis, quæ debetur & inimicis? Sed inimicis cauta impenditur, amicis ſecura rependitur. Agit tamen quantum poteſt, vt ab his etiam, quibus prò malis bona tribuit, id recipiat quod impendit. Optamus quippe fieri amicum, quem veraciter diligimus inimicum: quia non eum diligimus, niſi velimus bonum. Quod vtique non erit, niſi amiſerit inimicitiarum malum. ONERA VESTRA, *&c. Ex hoc loco Pauli confirmat Chriſtum Pauli magiſtrum, eſſe Dei creatoris filium, mandata Patris implere iubentem, & ſic probat legem veterem eſſe legem Chriſti & Creatoris, & vtramque conſentire. Si enim diligere proximum ſuum ſicut ſeipſum, eſt eius onera ferre, ſicut noſtra ferri ab eo volumus, & Paulus velit inuicem onera* D
ferri, voluit conſequenter iuxta veterem legem, proximum tanquam ſe diligi. ONERA VESTRA INVICEM. *ad Gal.* 6. Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti. *Vide huius loci expoſitionem apud Aug. lib. 2. de conſenſu Euang. Sermo. 22. de verb. Apoſt. tract. in pſal. 129. ſerm. de Ep. 1. Io. maximè autem lib. 83. qq.* Huius dilectionis officium, eſt inuicem onera veſtra portare; ſed hoc officium non eſt ſempiternum. Perducet ſanè ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt onera noſtra quæ inuicem portare iubeamur. Nunc ergo cum in hac vita, ideſt in hac via ſumus, onera inuicem noſtra portemus, vt ad eam viram, quæ carer omni onere, peruenire poſſimus. Sicut enim de Ceruis nonnulli talium cognitionum ſtudioſi ſcripſerunt, cum fretum ad inſulam tranſeunt paſcuarũ gratiã, ſic ſe ordinant, vt onera ſuorum capitum, quæ geſtant in cornibus, ſuper inuicem portent, ita vt poſterior ſuper anteriorem ceruice proiecta caput collocet; & quia neceſſe eſt vnum eſſe qui cæteros præcedens non ante ſe habeat, cui caput inclinet, vicibus dicuntur id agere, vt laſſatus ſui capitis onere, ille qui præcedit, poſt omnes rédeat, & ei ſuccedat cuius ferebat caput, cum ipſe præiret. Ita inuicem onera ſua portantes fretum tranſeunt, donec veniant ad terræ ſtabilitatem. Iſtam ceruorum naturam fortaſſe intenderat Salomon, cum ait Prou. 5. ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum colloquatur tecum. *Sic enim habent* 70. nihil enim ſic probat amicum quemadmodum oneris amici portatio. Nec tamen inuicem portaremus onera noſtra, ſi vnum tempus infirmitatis eſſet amborum qui onera ſua ſuſtinent, aut vnum infirmitatis genus; ſed diuerſa tempora & diuerſa genera infirmitatis, faciunt vt onera noſtra inuicem portare valeamus. Verbi gratiã, iram fratris tui tunc portabis, cũ aduerſus eum non iraſceris; vt rurſum eo tempore quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate & tranquillitate ſua ſupportet. *Et verè ad literã id dixit cum Paulus immediate premiſiſſet*, fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius, &c. *Tandem liquet eodem ſpiritu ſcriptum vtrumque teſtamentum, & lenitatem in portando onere etiam animalis inimici, veteri lege etiam Dei boni præſcriptam. Exodi 23.* Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. *Sic & 70. ſuperaddunt Hebr. & Chald. Emphaticè* reducendo reduces eum illi, &c. auxiliando auxiliaberis. *Et Chald. inſuper*, dimitteus dimittes odium, quod erat in corde tuo contra eum, & ſubleuabis cum eo. S. Aug.

3 *Charitas proximi menſuram ſumit à dilectione ſui, vt eadem ei faciamus, quæ nobis fieri volumus 4. Cont. Marc. cap. 16. inf.*

Sicut a *vobis fieri vultis ab hominibus, ita & vos facite illis.* In iſto præcepto vtique alia pars eius ſubauditur: & ſicut vobis non vultis fieri ab hominibus, ita & vos ne faciatis illis. Hoc ſi nouus Deus & ignotus retro, & nondum plane editus præcepit, qui me nulla antehac inſtitutione formauerit, quà prius ſcirem quid deberem mihi velle vel nolle, atque ita & aliis facere quæ mihi vellem; non facere, quæ & mihi nollem, paſſiuitatem ſententiæ meæ permiſit, nec adſtrinxit me ad conuenientiam voluntatis & facti, vt id aliis faciam quod mihi velim, & id nec aliis faciam quod mihi nolim. Non enim definiit quid mihi atque aliis debeam velle vel nolle; vt ad legem voluntatis parem factum; & poſſim alij non præſtare, quod ab alio mihi velim præſtitum, amorem, obſequium, ſolatium, præſidium & eiuſmodi bona: proinde nec alij facere, quod ab alio mihi fieri nolim, vim, iniuriam, contumeliam, fraudem, & eiuſmodi mala. Denique hac inconuenientia voluntatis & facti, agunt Ethnici non- a Luc. 6. 31.

dum à Deo inſtructi. Nam etſi naturâ bonum & malum notum eſt, non tamen Dei diſciplina: qua cognita, tunc demum conuenientia voluntatis & facti ex fide, vt ſub metu Dei agitur. Itaque Deus Marcionis quum maxime reuelatus ſit, tamen reuelatus non potuit huius præcepti, de quo agitur tam ſtrictum, & obſcurum, & cæcum adhuc, & facilius pro meo potius arbitrio interpretandum, compendium emittere, cuius nullam præſtruxerat diſtinctionem. At enim creator meus & olim & vbique præcepit indigentes, paupers & pupillos & viduas protegi, iuuari, refrigerari: ſicut & per Eſaïam, [b] *Infringito eſurienti panem tuum; & mendicos qui ſine tecto ſunt, in domum tuam inducito; & nudum ſi videris, tegito.* Item per Ezechielem, de viro iuſto, [c] *Panem ſuum dabit eſurienti, & nudum conteget.* Satis ergo iam tunc me docuit ea facere aliis, quæ mihi velim fieri. Proinde denuntians. [d] *Non occides, Non adulterabis, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices;* docuit ne faciam aliis quæ fieri mihi nolim; & ideo ipſius erit præceptum in euangelio, qui illud retro & præſtruxit, & diſtinxit, & ad arbitrium diſciplinæ ſuæ diſpoſuit; & meritò iam compendio ſubſtrinxit, quoniam & aliàs [e] *reciſum ſermonem facturus in terris Dominus*, id eſt Chriſtus, prædicabatur.

b Eſa. 58.7
c Ezech. 18.7.
d Exo. 20. 13.
e Eſa. 10. 23.

CHARITAS PROXIMI. III. SCHOLIA.

SICVT VOBIS. *Rurſum concludit contra Marcionem, nouum teſtamentum non pertinere ad Deum ſuum nouum. Neque enim eius eſt, qui ſe non antea manifeſtauit per legem veterem, & præcepta in particulari clarè & diſtinctè data*, quibus aperuit quid homines ſibi inuicem deberent, facere, vel non facere: *ſic compendiare omnia mandata ſua, in vno ſtricto & obſcuro præcepto, quale eſt hoc*, ſicut vobis fieri vultis, &c. *Sed hæc authoritas abbreuianda legis, eius eſt, & qui integram, & diſtinctam dedit, & qui ſe eam breuiaturum, per prophetam ſuum Iſaiam prædixit. Hic ſcopus & mens eſt authoris hoc loco. Iam quæ difficilia ſunt, & notabilia, ſingillatim enoluamus.* SICVT VOBIS. *Sic habetur Luc. 6.* Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. *Scilicet id quod vultis rationabiliter.* ET SICVT VOBIS NON VVLTIS. *Ita Tobia. 4.* Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. IGNOTVS RETRO, &c. *id. ante, hæc incognitus; Deus ſcilicet Marcionis.* PASSIVITATEM SENTENTIÆ. *id. libertatem ad vtrumlibet frequens vox Tertul. Sic contra Valent. c. 30.* Illi vero & de paſſiuitate vitæ, & de licentia delictorum generoſitatem ſuam vindicent. *Contra Hermog. c. 41.* Non eſt hæc turbulentia & paſſiuitas. *Lib. de Pall* paſſiuitùs *id. paſſimè. Salnianus de guber. Dei lib. 7.* Quantum ad paſſiuitatem libidinis pertinet, quis non coniugem in numerum ancillarum redegit: *Et rurſum* minore vt reor, numero criminum hac paſſiuitate peccabant. *id. frequentia & communi vſu. Sic Aldhelmus de Virg. c. 1.* Paſſiuus, laſciuuſque oculorum obtutus. *id. vagus & liber. Paſſiua Venus, paſſiua libido, id. confuſa, promiſcua & communis à Iulio Firmico dicitur. Huero in Oſeam paſſiuam Religionem, vera Religionis auſteritati opponit.* AD LEGEM VOLVNTATIS, &c. *id. ad regulam & menſuram, quæ volo proximum mihi facere, & ego paratus ſim ipſi facere.* ET POSSIM ALII NON PRÆSTARE, &c. *Ita vt ſim liber non præſtare proximo bona quæ volo, vt ipſe mihi præſtet, quia nihil definierit Deus, circa ea in particulari quæ debeo proximo* HAC INCONVENIENTIA VOLVNTATIS ET FACTI. *id. ideo Ethnici ante receptum lumen fidei, & doctrinam legis Dei. ſe gerunt erga proximos, aliter quàm hic præſcribat Euangelium, nec attendunt, an conueniat voluntas, quæ exigunt omnia ſibi bona, nulla mala à proximis fieri, cum factis ſuis ſæpè omnino contrariis circa proximum. Quanti enim ſunt qui volunt adulteria, furta, rapinas, iniurias, inferre, quas pati nolunt? Quanti omnia ſibi bona conferri, quæ impendere, vel ſaltem rependere nolunt?* NATVRA BONVM ET MALVM NOTVM EST; *in confuſo ſcilicet, non diſtincte & in particulari.* DEI DISCIPLINA, *id. Lex cum ſingularibus præceptis ſuis cognita non eſt. Rom. 2.* Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum. *D. Thomas in hunc locum. Gentes notat non habuiſſe legem diuinam, quæ data eſt Iudæis, tamen præcepta moralia naturaliter ex dictamine rationis obſeruaſſe, ſicut Iob dicitur:* Iuſtus & rectus, & timens Deum, & recedens à malo. *Non quod velit cum Pelagianis hominem per ſua naturalia, omnia præcepta legis obſeruare, ſed intelligit per naturam gratiâ reformatam, quæ motum affectuum ſine quo motu lex Moyſi impleri non poterat, etſi per legem eſſet cognitio peccati, ſine gratia tamen vitari non poterat plenè.* CONVENIENTIA VOLVNTATIS ET FACTI, &c. *id. Gentiles accepta lege Dei & Euangelio, tam ex principio fidei, quàm ex motu Dei, conuenientia voluntati ſuæ facta exercent circa proximos, id eſt ea faciunt quæ volunt ſibi fieri.* ITAQVE DEVS MARCIONIS, &c. *ſit, inquit, volo, eſto, reuelatus plenè ſit Deus Marcionis, tamen non potuit mihi hoc præceptum tam generale, confuſum,* CÆCVM. *id. latens & obſcurum, proindeque pro libito meo exponendum imponere.* CVIVS NVLLAM PRÆSTRVXERAT. *Aly* præſtrinxerat, vel perſtrinxerat DISTINCTIONEM. ATENIM CREATOR MEVS, &c. *hic ſubijcit Deum Creatorem potuiſſe juſtè cum breui compendio, & negatiua, & poſitiua, circa proximum præcepta præſcribere, in nouo Teſtamento; qui in veteri tam diſtinctè ſin gula præſcripſerat. Poſitiua quidem*, vt *Eſa. 58.* Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. *Santt. Pagn. ex Hebr.* Et à carne tua non abſcondas te. *Vel confuſus agnoſcere pauperem fratrem tuum, vel auerſus propter amaritiam.* 70. Pauperes ſine tecto induc in domum tuam, &c. Et domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris. *Verè enim fratres ſunt in ſemine Adæ.* Ex vno fecit omne genus humanum. DABIT ESVRIENTI *vbique in omnibus verſionibus habetur* dederit. *Exech. 18.* Si fuerit juſtus, &c. panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit. *Negatiua autem Exodi 20.* Non occides, non mœchaberis, &c. *Vbi aduerte ex Chald. haberi* non occides animam. *Vt grauius ſit homicidium animæ quam corporis, in his, qui vel malo exemplo, vel ſuaſione, vel imperio, vel correctionis defectu, animas proximorum peccato occidunt.* NON ADVLTERABIS.

A

B

C

D

Vbique legitur apud 70. *Chald. & Vulgata*, non mechaberis. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Non committes adulterium. *Sed mœchia & adulterium idem est.* RECISVM SERMONEM. *Isa.* 10. Consummatio abbreuiata inundabit justitiam. Consummationem & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Consummatio decisa, inundat propter iustitiam. Quia consummationem & decisam facit, &c. 70. Verbum consummans & breuians in justitia: quoniam sermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terræ. *Quem locum profert D. Paulus Rom.* 9. Verbum consummans & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram. *Translat. Syr.* Sermonem ad consummationem contulit, & præcidit, eumque præstabit Dominus super terram. *Ad literam, numerum fidelium ex Israel exiguum faciet, justo judicio suo. Ita Hier. Cyril. Rup. & Aug. lib.* 1. *ad Simplicianum q.* 2. *Mystice aliqui de verbo abbreuiato & exinanito in carne. Alij cum Tertul. hic de Verbo Euangelico compendiatore legis veteris, maximè de verbo dilectionis proximi, quem qui diligit, legem implenit: cui velle & nolle idem debemus, quod nobis ipsis volumus & nolumus.*

De dilectione proximi iuxta Tertullianum Augustinum lib. 1. *de doctrina Christiana cap.* 30 Quòd, inquit, nullum hominum exceperit qui præcepit vt proximum diligamus, & ipse in Euangelio Dominus ostendit, & Paulus Apostolus. Namque illi cui duo præcepta protulerat, atque in eis pendere totam legem prophetásque dixerat, cùm interrogaret eum dicens: Et quis est meus proximus? Hominem quendam proposuit descendentem ab Ierusalem in Iericho incidisse in latrones, & ab eis grauiter vulneratum, saucium & semiuiuum esse derelictum. Cui proximum esse non docuit, nisi qui erga illum recreandum atque curandum misericors extitit, ita vt hoc qui interrogauerat interrogatus ipse fateretur. Cui Dominus ait, Vade & tu fac similiter: Vt videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo iam consequens, vt etiam ille à quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem excepimus esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat? quando vsque ad inimicos etiam porrectum est, eodem Domino dicente: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos. Ita quoque Apostolus Paulus docet cum dicit, nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Quisquis ergo arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, cogetur fateri quod absurdissimum & sceleratissimum est, visum fuisse Apostolo non esse peccatum, si quis aut non Christiani aut inimici adulterauerit vxorem, aut eum occiderit, aut eius rem cupierit. Quod si demens est dicere, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum, quia erga neminem operandum est malum. *Quid quod & ipsius Euangelij verba aliis innuunt hominem descendentem ab Ierusalem in Iericho fuisse Iudæum quem tamen Samaritanus dilexit vt proximum.*

1. Pet.

4. *Charitas proximi & bonorum communitas, nota gloriosa discernens fideles ab Ethnicis. Apol. cap.* 39. *circa. m.*

EIusmodi vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam. Vide, inquiunt, vt inuicem se diligant. Ipsi enim inuicem oderunt. Et, vt pro alterutro mori sint parati. Ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores. Sed & quod fratrum appellatione censemur, non alias, opinor, infamant, quàm quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus jure naturæ matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quantò dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerunt veritatis? Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus.

CHARITAS PROXIMI. IV. SCHOLIA.

DILECTIONIS OPERATIO. *Contextus est cum præcedentibus operibus Charitatis, exhibitis fratribus Christianis, naufragis, exulibus, carceratis, senibus, orphanis, de communi Ecclesiæ Gazophilacio quæ immediatè ante describebat; propter quæ stulti quidam Gentiles, notam infamiæ, fidelibus inurebant.* VIDE INQVIVNT, *&c. Supple Gentiles.* IPSI ENIM. *Scilicet Gentiles mutuis odiis diuiduntur, & homicidiis se inuicem petunt; apud quos consanguinitas omnis, & nomen eius affectatum & simulatum est.* FRATRES AVTEM ETIAM VESTRI. *Aug. præfat. in Psal.* 25. *& refertur* 3. *Sent. dist.* 28. *cap.* oritur autem. *Ex verbis Apostoli Ephes* 4. Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quia sumus inuicem membra. Ne autem quisquam vestrûm ita cogitet fratres, cum Christiano loquendam veritatem, & cum pagano mendacium, cum proximo jubemur loqui veritatem. Proximus tuus ille est, qui tecum natus est ex Adam & Eua. Omnes proximi sumus conditione terrenæ natiuitatis: sed aliter fratres illi spe cœlestis hæreditatis. Proximum tuum debes putare omnem hominem, & antequam sit Christianus. Non enim nosti quid sit apud Deum, quomodo illum præsciuerit Deus ignoras. *Et concione octaua in Psal.* 118. Omnis homo, est omni homini proximus, nec vlla cogitanda est longinquitas generis, vbi natura est communis. QVANTO DIGNIVS FRATRES, *&c. Maior est & dignior fraternitas Euangelij, quo & Christus nomine dignatus est Apostolos*, dicite fratribus meis, & Petro, &c. *Quem etiam pauperes & extremæ sortis homunculos*, quod vni ex his minimis fratribus meis fecistis. *Hiero. cont. Heluidium c.* 8. Omnes Christiani fratres vocamur, quia in communi omnes vno Patre nati, pari inter nos germa-

Aug.

S. August.

nitate coniungimur. *Quanto magis qui Ioannis 1.* non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque
S.Aug. ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt? *Sic Aug. ser.53. de temp.* Si quis fortè quærat, quis sit proximus; sciat omnem Christianum rectè proximum dici, quia omnes in baptismo Filij Dei sanctificamur, vt fratres simus in charitate perfecta. Nobilior est generatio spiritalis, quam carnalis. QVI VNVM PATREM DEVM. *Cum dicunt:* Pater noster qui es in cœlis *Sic Aug. in Psal. 32.* Tunc
S. Aug. esse desinent fratres nostri, si desinent dicere Matth.6. Pater noster, &c. VNVM SPIRITVM BIBERVNT. *An de aqua gratiæ, de qua Io. 4.* Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet? in æternum, &c. *An loquitur secundum Apostolum*, de potu spiritali ex consequente petra? *Et quidem potus Eucharisticus, & esca spiritalis rectè dicitur, quæ per verba consecrantur, de quibus dixit*, Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt. DE VNO VTERO IGNORANTIÆ, *&c. Agit de conuersis ad lumen fidei ex tenebris gentilitatis qui ad insolitam* VNAM LVCEM, *(quia* vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, vna spes vocationis.) EXPAVERVNT. Populus qui erat in tenebris, vidit lucem magnam MINVS LEGITIMI. *Quia non secundum leges peruersas Ethnicorum viuimus & corruptos mores, quibus consuetum est tragœdias representare fratrum se inuicem gladiis jugulantium, vel saltem in foro pro diuisione domestica substantiæ litigantium. Quibus &* TRAGOEDIA EXCLAMAT, *spectateribus applaudentibus vel congemescentibus Actorum naturæ representationi; vel forum causidico perstrepente. Certè constat primum Romæ conditorem Romulum fuisse fratricidam. Sciè Aug. 3. de Ciu. c.6. vbi videt Gentilium Deos, quòd Remi fratricidium vlti non sint.* Si eò vsque peccata hominum illis numinibus displicerent, vt offensi Paridis facto, desertam Troiam, ferro ignique domarent, magis eos contra Romanos moueret Romuli frater occisus, quàm contra Troianos Græcus maritus illusus: *Paris enim Helenam rapuit.* Magis irritaret parricidium nascentis, quàm regnantis adulterium ciuitatis. *De quo & Cicero 3. offic.* Cui cum visum esset vtilius solum, quàm cum altero regnare, fratrem interemit. *D. Leo. ser. 1. in Nat. Apost. Romam alloquens.* Is qui tibi nomen dedit, fraternæ cædis fœdauit. *Quanta tragœdiarum materia apud Gentiles. Eteocles, & Polinices, Oedipi Regis Thebarum filij, dimisso sibi a patre regno, alterni annis administrando, cum Eteocles natu maior exacto anno sceptrum fratri cedere noluisset, contractis vtrinque copiis, mutuis vulneribus conciderunt. Medea Ægyaleon fratrem membratim discerpsit. Polytes, fratrem peremit. Antiochus Seleuci filius morbo patre fratrem vita exuit, vt solus regno frueretur. Ptolomeus Philadelphus Argeum fratrem interfecit, &c.* DIRIMIT FRATERNITATEM *Chrysolog.* Facultates vnitatem scindunt, fraternitatem separant, cognationem spargunt, parentum perdunt & violant charitatem. *ser.1. à p. Non sic inter primos fideles quibus vt veris fratribus* substantia familiaris. *Id est bona omnia communia erant.* ANIMO ANIMAQVE MISCEMVR. *Cùm supra probaueris principalitatem animæ vigere in corde, hic dicit sui temporis fideles iuxta nascentis Ecclesiæ mores, non tantum vt in Actis habetur, habuisse omnia communia, sed &* multitudinis credentium, cor vnum & animam vnam fuisse, *hoc est enim animo animaque misceri. Id est omnia possidere communia, & remi, à substantiam Domesticam communicare.*

5 *Charitas proximo placet in bonum non in malum, qualis est superstitiosa dierum obseruatio. De Idol. cap.14. à p. ad f.*

a ad Gal.1. 10. b Rom. 15. 2. c 1. Cor. 10.33. d 1.Cor.9. 22. e 1. Cor. 5. 10.

Si a *hominibus*, inquit, *vellem placere, seruus Christi non essem.* Sed idem alibi jubet, b *Omnibus placere curemus.* c *Quemadmodum ego*, inquit, *omnibus per omnia placeo.* Nimirum Saturnalia & Kalendas Ianuarias celebrans hominibus placebat? an modestia & patientia? an grauitate? an humanitate? an integritate? Proinde cum dicit, d *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam*, nunquid idololatris idololatres? nunquid ethnicis ethnicus? nunquid secularibus secularis? Sed etsi non prohibet nos conuersari cum idololatris, & adulteris, & ceteris criminosis, dicens, e *Ceterum de mundo exiretis*: non vtique eas habenas conuersationis immutat: vt quoniam necesse sit & conuiuere nos & commiscri cum peccatoribus, idem & compeccare possimus. Ibi est commercium vitæ, quod Apostolus concedit: ibi peccare, quod nemo permittit. Licet conuiuere cum ethnicis, commori non licet. Conuiuamus cum omnibus, conlætemur ex communione naturæ, non superstitionis. Pares animâ sumus, non disciplinâ: compossessores mundi, non erroris. Quod si nobis nullum jus est communionis in eiusmodi cum extraneis, quantò scelestius est hæc inter fratres frequentare? Quis hoc sustinere aut
f Esai.1.14 defendere potest? Iudæis dies suos festos exprobrat Spiritus sanctus. f *Sabbata, inquit, vestra, & neomenias, & ceremonias odit anima mea.* Nobis quibus sabbata extranea sunt & neomeniæ, & feriæ à Deo aliquando dilectæ, Saturnalia, & Ianuariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur? munera commeant? strenæ consonant? lusus conuiuia constrepunt? O melior fides nationum in suam sectam: quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vindicat! Non Dominicum diem, non Pentecosten, etiam si nossent, nobiscum communicassent: timerent enim ne Christiani viderentur: nos ne ethnici pronuntiemur, non veremur. Si quid & carni indulgendum est, habes. non tamen dies tantum, sed & plures. Nam ethnicis semel annuus dies quisque festus est; tibi octauus quisque dies. excerpe singulas solennitates nationum, & in ordinem exsere, Pentecosten implere non poterunt.

CHARITAS PROXIMI. V. SCHOLIA.

SI HOMINIBVS, *&c. Hoc capite vanam laudis charitatis speciem, qua plerique irreligiosi sua ætate fideles, sub pretextu complacendi proximo ex charitate, superstitionibus, ludis, festisque Gentilium communicabant. Probatque Paulum placuisse proximo in bonum, & non in malum. Ethnicos insuper, sacris nostris &*

fidelis non participare vt Religioni Christiana communicare videantur: & multo magis odiosa Deo prophana festa celebrata à fidelibus, quam Sabbata & sacrificia Iudæorum. Tandem si feriandi prurigo tenet Christianos tenet, vnicam Pentecosten, septem septimanis tum celebrem, omnia simul Gentilium festa superare: VBI-LEM PLACERE. *Ita & Cypr. licet habeaturin textu,* an quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. *ad. Gal. 1.* OMNIBVS PLACERE CVREMVS. *Rom. 15.* debemus nos firmiores, imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit. *Et 1. Cor.10.* sine offensione estote Iudæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. *Augus. lib. de animis citatus à Beda velle concilias discrepantiam locorum Pauli, de* Aug. *placendo, & non placendo hominibus.* Sunt homines qui putant sibi in bene viuendo sufficere conscientiam, & non valde curant quid de illis alter existimet Ignorantes quod cum homo viderit hominem bonæ conscientiæ negligentius viuentem, passim se cuilibet & vbilibet coniungentem; habentem scientiam quod nihil sit idolum, & tamen in Idolio recumbentem; conscientia illius cum sit infirma ædificatur, non ad ea quæ perseuerantur, sed ad ea quæ suspicatur, &c. Audis tales cum corripiuntur ne ista faciant, respondere nobis & dicere, Apostolus dixit, si hominibus placere vellem, Christi seruus non essem. Et hic aquam turbas, pascua conculcas: Attende melius, ne & tibi aquam turbes; quid ait Apostolus, si hominibus placere vellem, &c. Optime accipimus. Apostolicam sententiam libenter agnosco. Sed aliud in Apostolo non legisti? placete omnibus per omnia, sicut & ego per omnia placeo non quærens, &c. Rursus eundem Apostolum non audisti? sine offensione estote Iudæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei. Tertiò eundem Apostolum non audisti 2. Cor. 8. prouidemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. *Tum quærenti vt discordemus locorum conciliet, respondet in operibus suis non sibi nec proximo complacendum ad vanam gloriam, similemque mercedem:* valde stulto homini placet, qui sibi placet, *ait ibidem Augustin. de cætero debere nos placere proximo* Aug. *in bonum, vt bene ædificetur proximus. Et lib. 2. de ser. Do. in monte. cap. 2.* Et non se hominibus recte placere dicebat, quia in eo ipso vt Deo placeret, intuebatur: Et placendum esse hominibus, rectè præcipiebat: non vt hoc appeteretur tanquam merces rectè factorum; sed quia Deo placere non posset, qui non se his, quos saluos fieri vellet, præberet imitandum. Imitari autem illum, qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. *Tertul. autem subdit Paulum, virtutis exemplis placere studuisse hominibus, non autem celebrando.* SATVRNALIA *festa erant quinque vel septem dierum mense Decembri Saturno dicata, quibus Romani Synthesim sumebant, vestem confutam & contextam ex compositione quadam versicoleri, eamque brevem quam induebant omnes depositâ togâ; & seruis discumbentibus inseruiebant, muneraque vicissim mittebant. De Saturnalibus vide Lipsium, Giraldum, &c. Suston in Aug.* Saturnalibus, & si quando alàs libuisset, modò munera diuidebat, modò nummos omnis notæ. CALENDAS IANVARIAS. *Infra vocat simpliciter ianuarias, in quibus strenæ consonant, Contraque Chrysost. orat. de nouilunio, in quibus saltationibus, comediis, choreis, inconpetentiis nefariis vaca-*

bant, vbi inter cætera putant, si nouilunium mensis huius cum voluptate & lætitia transigant, reliquum Annum sic transacturos. Vbi inter Graios Calendas suas ad nouilunia retulisse. VT OMNES LVCRIFACIAM *1. Cor.10.* Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, vt eos qui sub lege erant lucrifacerem: iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, vt lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. *Aug. in Ep. ad Hiero.* Hoc S. Augus. totum dixit vt non fallaciter se fingeret esse quod non erat, sed vt misericorditer eis ita subueniendum esse sentiret, ac si ipse eodem errore laboraret. Non scilicet mentientis astu, sed compatientis affectu, &c. compassione scilicet misericordiæ, non simulatione fallaciæ. Fit enim tanquam ægrotus, qui ministrat ægroto; non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat quemadmodum sibi vellet seruiri, si ipse ægrotaret. *Et concludit.* Sic Iudæo Paulus in errore vel peccato aliquo constituto, non simulando quod non erat, sed compatiendo quia esse potuisset tanquam qui se hominem cogitaret, omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret. *Et ibid. iuxta Hiero. dicit factum Gentibus tanquam Gentilem, quia præputium recepit, & permisit vesci cibis quos damnant Iudæi, consuetudini autem Iudæorum congruit libertate prudentis, non necessitate seruili. Sed non suscepit Sacrilegas cerimonias Gentilium. Vnde Tertul.* NVNQVID IDOLOLATRIS IDOLOLATRA? *&c.* DE MVNDO EXIRETIS. *1. Cor.5.* Scripsi vobis in Epistola: ne commisceamini fornicariis, non vtique fornicariis huiusmodi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exisse. *Ad literam iuxta D. Tho. & alios, Corinthij malè intellexerant, quod scripserat prius Apostolus ne communicarent cum fornicariis, quò sibi interdictam communicationem cum infidelibus fornicariis intelligerent; sed illud excludit Apostolus dicens,* non fornicariis huius mundi. *id. paganismi: secundum quod dicitur Io. 1.* mundus eum non cognouit. *Et dat rationem, quia scilicet totus mundus talibus plenus est, vnde non posseris tales fornicarios vitare, nisi de hoc mundo exeundo, vel per solitudinem, vel per mortem. Vnde aperte docet in sequentibus se loqui de separatione à fratribus & baptizatis fornicariis & flagitiosis. Tertullianus igitur iuxta Paulum permittit conuersari in rebus vitæ necessariis, interdicit omnem communicationem in criminosis, & fidei vel moribus aduersis.* SABBATA VESTRA, *&c. Esa. 1.* Neomeniam & Sabbatum, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Calendas & Sabbatum, quod conuocetis conuocationem, non possum ferre, iniquitatem cum cœtu, &c. Sunt mihi oneri, &c. 70. Neomenias vestras & Sabbatha, & diem magnum non fero, ieiunium & otium, &c. Facti estis mihi in sanctitatem: nequaquam vltra dimittam peccata vestra. *Est ratio ad literam est, quòd huiusmodi cœtus & cerimonia fiebant ab impiis & obstinatis in peccato, non tam ad sacrificandum, quàm ad potandum & luxuriandum. Vide Cypr. lib. 1. cont. Iud. Cyril. Basil. Procop.* NOBIS QVIBVS SABBATA, *&c. Quasi diceret, qua fronte cum infidelibus festa prophana celebremus,*

eum festa Iudeorum, olim sancta & Deo chara, sed iam A *abolita celebrare nefas ducamus.* BRVMAE. *Bruma dicitur dies Solstitij hyemalis, qui est ad 18. Cal. Ianu. quo die fit Solstitium hyemale in Capricorno. Bruma dicitur, quasi dies brevissima. Inde* Brumalia, *dicta Bacchi sacra, à Brumo, id. Baccho, cui hac festa Romani sacrauerant. Et etiam Liberalia dicebantur. Celebrabantur autem bis in Anno. semel secundo Cal. Martij, & iterum 17. Cal. Sept. Dionysia dicta. Plin. ea vocat priora, & posteriora Vinalia. Vide Calium Rhodig. lib. 28. c. 25. Et Giraldum 8. histor. Deorum.* MATRONALES, *erant Matronalia festa Calend. Martij, quæ fiebant ad perpetuitatem conjugij, & sobolis incrementum, in honorem Matris Matutæ de qua alibi diximus. Varro.* Libum testuatium, quod in testa calida coquebatur, vt etiam nunc Matralibus faciunt Matronæ. SI QVID ET CARNI INDVLGENDVM. *Vt scilicet ieiunia & abstinentiam in aliquo relaxes, plura habes vacationis tempora: nam praeter octauum quemque diem, nempe Dominicum, habes Pentecostem, id. septem integras septimanas à Paschate feriantes à ieiunio. Pro eo quod legimus,* NON TAMEN DIES TANTVM. *Alij legunt* non dicam tuos dies tantum, *id est proprios Christianis. Hic duo notanda supersunt: primò diem Dominicum iam à tempore Apostolorum viguisse. Sic enim Ioannes in* B *Apoc.* Fui in spiritu Dominica die. *Dies etiam panis & lucis vocabatur. Ex Eusebio Tertul. in Apol.* Diem Solis lætitiæ indulgemus. *Secundò Pentecostem in Ecclesia nascente fuisse feriatum & festiuum septem hebdomadarum spatiũ. Amb. ser. 61. (quem aliqui Maximo Taurinensi Episcopo tribuunt:* Per hos quinquaginta dies nobis est jugis & continuata festiuitas, itavt hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus jeiunia, neque ad exorandum Dominum genibus succidamus. *Euseb. lib. 4. de vita Constant. cap. 64.* Hæc sigillatim gesta & consummata sunt, maxima illa celebritate celebritatum venerandæ & sacratæ Pentecostes, quæ septem continuat hebdomadas omnibus honoribus decorata, ad extremum vnitatis numero consignata est. *Vide & Aug. ep. 119. ad Ianuarium, vbi dicit:* Per omnem Pentecosten, &c. *Refert & S. Aldhelmus lib. de Virg. c. 21. Vbi de concursu innumere plebis ad speluncam S. Apollonij Archimandritæ, à Paschate vsque ad Pentecosten,* quæ septenis hebdomadarum curriculis calculatur, diuinitus allata epularum stipe, quotidie affatim pastam plebem. *Vnde pulchrè concludit Tertullianus, quòd si omnia simul annua Gentilium festa vno ordine contexerentur, vnicum festum Pentecostes quinquaginta diebus continuis à Paschate celebratum, implere non posse.*

Aug.

CHRISTI INCARNATIO.

1. *Incarnatio Verbi, à Principio signata in Adam quasi vno facto.* 2. *contra Marc. cap. 25. circa f.*

ETsi Adam propter statum legis deditus morti est, sed spes ei salua est, dicente Domino, [a] *Ecce Adam factus est tanquam vnus ex nobis*: de futura scilicet adlectione hominis in diuinitatem.

a Gen. 3. 22.

CHRISTI INCARNATIO. I. SCHOLIA.

PROPTER STATVM LEGIS, *&c. Quamuis* C *homo sit morti addictus in pœnam peccati, spem tamen reparationis suæ, & resurrectionis accepit Deo promittente Verbi sui Incarnationem vt iuxta Aug.* Inter verbum suscipiens, & carnem susceptam, cui dedit vitam æternam, media mors consumpta sit. S. Aug.

PROPTER STATVM, *&c. id est statutum legis, de qua Paulus* statutum est omnibus hominibus semel mori. *Quod si quæris, quando statutum? Gen. 2.* Quocumque die comederis ex eo, morte morieris. *Quod non Adæ solum, sed in capite, id est viro, etiam vxori, & toti humani generis corpori dictum est. Licet enim Hebr. Chald. & Vulg. habeant in singulari* 2o. comederis, *70. tamen* non edetis de illo. Qua die autem ederitis ex eo, morte morieniini. *Quod & Eua ante hoc præceptum condita,* licet postea narretur eius formatio, vt notat D. Greg. 35. Mor. c. 10. *intellexit,* D *eum dixit:* Præcepit nobis Deus, ne comederemus. *Gen. 3.* ECCE ADAM, *&c. Certum est ad literam, meram fuisse ironiam, locum hunc dupliciter explicat D. Augustinus libro 2. de Gen. cont. Manich. cap. 22.* S. Aug. Quo, inquit, maiore judicio potuit significari mors, quam sentimus in corpore, quàm pellibus quæ mortuis animalibus detrahi solent? Itaque cùm contra præceptum, non imitatione legitima, sed illicita superbia Deus esse appetit homo, vsque ad belluarum mortalitatem deiectus est. Ideo sic illi lex diuina insultat ore Dei: qua insultatione nos admonemur, quantum possumus, cauere superbiam. Ecce Adam factus est tanquam vnus ex nobis ad scientiam cognoscendi bonum & malum. Quæ ambigua locutio figuram facit; nam factus est tanquam vnus ex nobis, dupliciter intelligi potest, vel vnus ex nobis quasi & ipse Deus, quod pertinet ad insultationem, sicut dicitur vnus ex Senatoribus, vtique Senator: aut certè quia & ipse Deus esset, quamuis Creatoris sui beneficio, non naturâ, si sub eius potestate manere voluisset: sic dictum est, quomodo dicitur, ex Consulibus, vel Proconsulibus, qui iam non est. Sed ad quam rem, factus est, tanquam vnus ex nobis? Ad scientiam scilicet dignoscendi boni & mali, vt ille per experimentum disceret, dum sentit malum, quod Deus per sapientiam nouit: & potestatem illam omnipotentis, quam pati noluit beatus atque consentiens, pœna sua discat esse meritabilem *Christo tamen, qui* non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, *Et pelliceam tunicam nostram induit,* habitu inuentus vt homo. *De quo secundo Adam, non ironicè sed verè propter vnionem hypostaticam dicit Deus, Ecce Adam quasi vnus ex nobis. Cùm enim Verbum sit æquale Patri, & Dei Filius, homo Christus factus est Dei Filius, & proinde quasi vnus ex Trinitate, vt dixerit Ioannes:* Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. *Et quando hoc? Nisi quando* Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis. *Quod totum vno verbo exponit. D. Aug. in Psal. 56.* Homo, Aug. inquit, ipse, anima est & caro. Totum enim hominem suscepit Verbum, & totus homo factus est Verbum. *Propter vnitatem personæ in Christo.* Ne ideo putetur non ibi fuisse animam, quia Euangelista dicit Verbum caro factum est, &c. *De statu mortis & de spe salua resurrectionis rursum ibidem paulò supra D. Augustinus vbi explicat titulum Psalmi,* cùm fugeret Dauid à facie Saül in speluncam. Quid, inquit, Aug.

Aug. quit, magnum erat de cruce descendere, cui facilè fuit de sepulcro resurgere? Sed quare? quia vsque ad mortem voluit esse patiens, vt fugeret à facie Saül in speluncam. Etenim spelunca inferior pars terræ potest accipi. Et certè, quod manifestum est & certum omnibus hominibus, corpus eius in monumento positum est, quod erat excisum in petra. Hoc ergo monumentum, spelunca erat. Illuc fugit à facie Saül. Tandiu enim persecuti sunt illum Iudæi: quoad vsque poneretur in spelunca, &c. At vbi inuolutus curato funere positus est in spelunca, iam nihil habuerunt quod carni facerent. Resurrexit Dominus ex illa spelunca illæsus, incorruptus, quò fugerat à facie Saül, occultans se impijs quos figurabat Saül, ostendens autem se membris tuis. *In quo caput membris spem dedit futuræ Resurrectionis. Aliter locum Gen. 3. exponit Rupertus;* Adam quasi vnus ex nobis factus est, vt iam non simus nos Trinitas, sed quaternitas: quamquam non cum Deo, Deus, sed contra Deum affectauerit esse Deus. *Tertul. hic sensu particulari, sed egregio, reparationem hominis per secundum Adam, subodoratus est, vt Deus hæc dicendo Adæ, primo spem eius animo ingereret aliquando fore vt humana natura primo in ipso condita, & eius in obedientia corrupta, & legi mortis adstricta, sine corruptione* ADLEGERETVR, *id est assumeretur à Verbo, qui verè vnus est ex tribus,* qui testimonium dant in cœlo. *In qua assumptione hominis tam stricta facta est vnio Dei & hominis, vt propter vnam eamdemque Verbi personam vtramque naturam suppositamem, post Athanasium canat Ecclesia:* perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens, &c. Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. *Vt non iam ironicè, sed verè dixerit Ioannes cap. 1.* Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. *D. Thomas in Io. 1.* Gloria eius non est sicut gloria Angeli, vel Moysi, & Eliæ, vel Heliseï, vel cuiusque alterius, sed quasi vnigeniti: quia vt dicitur Hebr. 3. ampliori gloria, &c. & psal. Quis similis Deo in filiis Dei? Hoc autem quod, dicit, quasi; est expressiuum veritatis, secundum Greg. Et vt Chrysost. dicit. sicut qui vellet se expedire. breuiter à rogante, qualem regem vidisset, diceret, quod ipse incedebat sicut Rex, id. sicut Regem decebat: ita Ioannes, quasi vnigeniti gloriam, id. talem qualem decebat vnigenitum.

* 2. *Incarnationi Christi præluſit eius humana apparitio in Angelis* 3. *Cont. Marc. cap. 9. circa f.*

IDeo & ipse cum angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit, sed nondum natæ; quia nondum morituræ; sed & discentis iam inter homines conuersari. Gen. 18. 4. Baruch. 3. 38.

INCARNATIO CHRISTI. II. SCHOLIA.

APVD ABRAHAM IN VERITATE, *&c. Dixit filium Dei incarnandum, apparuisse Abrahæ sub forma Angeli, in vera carne licet non adhuc nata; quasi iam tum didicisset in carne cum hominibus conuersari. De hoc errore in Alphabeto, sub calcem to. 1. diximus. Iam breuiter de hac apparitione filij Dei. Habetur Genes cap. 8.* Apparuit ei Dominus in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in feruore diei. Cumque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri prope eum, quos cum vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram. Et dixit; Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum. *Mirum, quod versiones omnes Hebr. Chald. 70. cum Vulgata consonent, & cum tres viderit, vnum singulariter alloquatur. Similiter & cum vbique dicatur* cumque comedissent, vel comederunt, *statim, vnus ait:* cui dixit, reuertens veniam ad te, &c. dixit autem Dominus ad Abraham, quare risit Sara? *Et sic toto capite, scio Concilium Sirmiense Canone 14. dicere, medium horum trium fuisse filium Dei. Sed ex Baro. Anno 367. constat hoc Concilibulum fuisse Arrianorum. Lyr. cum Hebræis vult vnum missum ad nuntiandum partum Sara, secundum ad euertendam Sodomam, tertium ad saluandum Loth ex Sodoma. rursum Hebr. apud Lyr. & Tost. putant medium fuisse Michaelem, & alios duos Gabrielem & Raphaelem. Eucherius lib. 2. in Gen. c. 27. vnum significare Christum, & duos alios, Moysem, in lege, eius aduentum figurantem & Eliam secundi aduentus præcursorem, Ambr. Euseb. & Cyril. tres personas Trinitatis intelligunt, & per medium Angelum essentiam diuinam tribus personis communem, Tertullianus noster, exceptâ veritate carnis, in qua errauit optimè per medium Angelum, loquentem, inter duos alios, filium Dei intellexit, medium inter duas naturas, diuinam & humanam,* cuius deliciæ esse cum filiis hominum, *qui & Isaac ex sterili nasciturum promisit; & qui* ludit in orbe terrarum, *suo de sterili virgine conceptui gaudium & risum vniuerso mundo pari-turo præluſit. Iam inde* DISCENS INTER HOMINES CONVERSARI, *de quo & Baruch. 3.* Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob, puero suo, & Israel dilecto suo. post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. *Aug. lib. 2. de Trinit. cap. 8.* S. Aug. Omittamus, inquit, eos qui nimis carnaliter naturam Verbi Dei atque sapientiam, quæ in seipsa manens innouat omnia, quam vnicum Dei filium dicimus, non solum mutabilem, verumetiam visibilem esse putauerunt. Hi enim multùm crassum cor diuinis rebus inquirendis audacius, quàm religiosius attulerunt. Anima quippe cum sit substantia spiritalis, cumque etiam ipsa facta sit, nec per alium potuit fieri, nisi per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, quamuis sit mutabilis, non est tamen visibilis: quod illi de Verbo ipso atque ipsa sapientia Dei, per quam facta est anima, crediderunt cum sit illa non inuisibilis tantum quod & anima est, sed etiam incommutabilis, quod anima non est. Eadem quippe incommutabilitas eius commemorata est, vt diceretur, in seipsa manens innouat omnia. *Et rursum,* dicunt visibilem filium non per carnem de virgine assumptam, sed S. Aug. etiam antea per seipsum. Nam ipse, inquiunt, apparuit oculis patrum. *& cap 9.* Quia itaque, inquiunt, antequam natus esset filius Dei de Virgine S. Aug. Maria, ipse apparuit Patribus nostris, non in vna eademque specie, sed multiformiter, aliter atque aliter: & visibilis est per seipsum, quia nondum carne assumpta, substantia eius conspicua mortalibus oculis fuit, & mortalis in quantum mutabilis. Ita & Spiritus sanctus, qui aliàs columba, aliàs ignis apparuit. *& cap. 15.* Moysen oculis, inquit, S. Aug. carneis filium Dei vidisse, quem delirantes hæretici in sua substantia visum volunt. Sanè viderit eum Moyses carneis oculis, si carneis oculis potest videri, non modo sapientia Dei, quod est Christus

ſed vel ipſa cuiuſlibet hominis, & qualiſcumque ſapientis. *Et lib. 3. de Trin. cap.* 10. Per Angelos, inquit, tunc Dominus loquebatur, per Angelos filius Dei, mediator Dei & hominum futurus ex ſemine Abrahæ ſuum diſponebat aduentum, vt inueniret à quibus reciperetur confitentes reos, quos lex non impleta fecerat tranſgreſſores. Vnde & Apoſtolus ad Galatas dicit: Quid ergo lex? Tranſgreſſionis gratia poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſſum eſt, diſpoſita per Angelos in manu Mediatoris: hoc eſt diſpoſita per Angelos in manu ſua. Non enim natus eſt per conditionem, ſed per poteſtatem. Quod autem non aliquem ex Angelis dicit mediatorem, ſed ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, inquantum homo fieri dignatus eſt, habes alio loco. Vnus, inquit, Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. *Claudamus* *hunc locum de Abraham Chriſti incarnandi ſpem accipiente ab Angelo, ſine Chriſto ipſo in Angelo, eximio Petri Chryſologi loco. ſer. 69. a. p.* Hinc eſt quod emortua mox ſenis membra reuiuiſcunt, ſterilis vetuſtæ iam viſcera ſuſcitantur extincta, & natura in viuo cadauere perſepulta proditura ſuum, reſurgit, authorem & generat plurimos, tranſacto iam tempore, per vnum, quem crediderat, conditorem, *Vbi nota toto ſermone loqui de diuerſis filij Dei apparitionibus. Et inter cetera, antequam de apparitione Abrahæ loqueretur, ſic ait,* Deus vultu incontemplabilis, viſu inperſpicabilis, nullo ſenſu æſtimabilis, inacceſſus mente, ne ipſo quidem ad plenum notus auditu, quoties, qualiter, quam variè, quam diuersè ſe humanis aptauit obtutibus? quam ſe communiori quam ſe familiariori præſtitit & conceſſit humanæ.

5. Aug.

Aug.

3 *Incarnata eſt ſola ſecunda perſona, non transformata in carnem, ſed eam induta; quam perſonam vocat latè ſpiritum, ideſt Deum & Dei verè filium. Cont. Prax. cap. 27. a. p.*

CErtè de Spiritu ſancto virgo concepit; & quod concepit, id peperit: id ergo naſci habebat, quod erat conceptum, & pariundum; ideſt ſpiritus, cuius [a] *& vocabitur nomen Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus.* Caro autem Deus; non eſt, vt de illa dictum ſit, [b] *Quod naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei:* ſed ille qui in ea natus eſt, Deus; de quo; & Pſalmus, [c] *Quoniam Deus homo natus eſt in illa, & ædificauit eam voluntate patris.* Quis Deus in ea natus; Sermo & ſpiritus, qui cum ſermone de patris voluntate natus eſt. Igitur ſermo in carne? dum & de hoc quærendum, quomodo ſermo caro ſit factus; vtrumne quaſi transfiguratus in carne, an indutus carnem? Immo indutus. Ceterum, Deum immutabilem & informabilem credi neceſſe eſt, vt æternum. Transfiguratio autem interemptio eſt priſtini. Omne enim quodcunque transfiguratur in aliud, deſinit eſſe quod fuerat, & incipit eſſe quod non erat. Deus autem neque deſinit eſſe, neque aliud poteſt eſſe. Sermo autem Deus; [d] *& ſermo Domini manet in æuum* perſeuerando ſcilicet in ſua forma. Quem ſi non capit transfigurari, conſequens eſt, vt ſic caro factus intelligatur dum fit in carne, & manifeſtatur, & videtur & contrectatur per carnem: quia & cetera ſic accipi exigunt.

Luc. 1. 31. 35.
a Matth. 1. 23.
b Luc. 1. 35.
c Pſ. 86. 5.
Io. 1. 1.
d Iſa. 40. 8.

CHRISTI INCARNATIO. III. SCHOLIA.

NAsci habebat quod erat conceptum, et pariundum, id est spiritus. *Hic agit contra Praxeanos, qui Patrem & Filium confundebant, & dicebat Filium eſſe carnem, hominem, Ieſum. Patrem autem, Spiritum, Deum, & Chriſtum dicebant. Obiiciebant itaque Praxeani, dixiſſe Angelum Virgini,* quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei: *vnde concludebant: ille ergo, qui in carne natus eſt, Filius eſt dicendus: nomina hæc diuerſa ſunt, ſed perſona eadem eſt: quæ in quantum Spiritus, Pater eſt: in quantũ vero caro, Filius eſt: ſic ratiocinantur Praxeani, ſed his reſpondet Tertul. per vos, ipſa eſt caro quæ nata eſt: ergo caro, Filius Dei eſt. Nec eſt quod dicatis per carnem intelligi Filium, per Spiritum autem Patrem. Idem enim ipſe qui caro naſcitur, Spiritus Dei dicitur, non quidem Spiritus vel altiſſimus,* ne forte per hæc nomina Patrem intelligas, *ſed Spiritus Dei, & virtus altiſſimi, vt ſcias non Deum Patrem, ſed Dei Filium incarnatum. Perperam ergo Praxeas, Spiritum & carnem in duas perſonas diuidit, ſub duorum nominum prætextu, cum vnica ſit & indiuiſa perſona Filij, tam in Spiritu, id. diuinitate, quàm in carne id eſt humanitate conſiderata. Cum ergo neceſſario diſtinguenda ſit diuinitas ab humanitate; & per diuinitatem ſine Spiritum, Patrem intelligat Praxeas, Per carnem & humanitatem Filium, concludendum eſt neceſſario contra ipſum, proprio ore & teſtimonio conuictum, Patrem & Filium, diſtinctas eſſe perſonas, cum tamen ipſe confundat.* Spiritus. *Non tantum ex mente Praxeanorum, toto libro contra Praxeam, ſed & ſuo proprio ſenſu Tertul. Filium Dei* Spiritum *vocat. Sic enim erditur librum de* C *oratione,* Dei Spiritus, & Dei Sermo, & Dei Ratio ſermo rationis, & ratio ſermonis, & Spiritus vtrumque Ieſus Chriſtus, Dominus noſter. *Per ſpiritum, Deum intelligit iuxta Io. 4.* Deus Spiritus eſt. *Filium autem, Dei ſpiritum vocat; quod nos in Symbolo canimus:* Deum de Deo. *Et quia Praxeani eodem Ioannis c. 4. legerant,* Deus ſpiritus eſt: *& paulo poſt à Chriſto dictum:* veri adoratores, adorabunt Patrem, &c. *Hinc eſt quod per ſpiritum, Deum, & Deum Patrem intelligebant. Cæterum loco citato libro de orat. Filium, Dei ſpiritum vocat, id eſt Dei virtutem: vnde ſeipſum explicans infra ſubiicit:* ſpiritus, quo D valuit. *Et rurſum:* ſpiritu, quo tantum poteſt. Sermo. *Verbum ipſum diuinum eſt ſecunda perſona.* Ratio, *intellectio diuina, ſeu ipſa patris ſapientia, quæ cognoſcit omnia, ſuamque & cum ratione diſponit.* Sermo rationis. *Eſt ipſe terminus productus per intellectionem, Verbum ſcilicet diuinum.* Ratio ſermonis & ſpiritus *intellectio eſt paſſiua producti termini, ſcilicet Verbi; quæ duo realiter idem ſunt, licet intellectu diſtinguantur. Porro cum hæc vox* Sermo, *rigidè accepta, ſignificet orationem compoſitam, melius aptatur Chriſto* E *compoſito ex duabus naturis. Itaut Verbum precisè ſignificet perſonam diuinam, ſermo autem incarnatam, quæ docuit nos orationem Dominicam. Ita & Greg. Nyſſ. lib. de perfecta Chriſtiani forma; diſtinguit inter vnigenitum, & primogenitum. Vnigenitum explicans de æterna generatione, primogenitum de temporali.* Deus homo natus est. *Pſal. 86.* nunquid Sion dicet: homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. *Sanct. Pagn. ex Hebr.*

Et propter Sion dicetur vir : Et vir natus est in ea. *Septuagint.* Mater Sion dicet homo : & homo factus est in ea, &c. *Tertul. vnicus suo more Paraphrastice, pro* Altissimo, *posuit* Voluntate Patris. *Alij legunt ex Hebr.* Sioni dicetur, vir & vir, &c. *Ad literam quamplurimi viri robore & sapientia præstantes in ea nati sunt. Mysticè de Ecclesia in qua per baptismum nati sunt multi magni viri. Quasi diceretur, sicut multos insignes viros commemorauit in Ægypto, Babylone, Palestina, nunquid etiam Sioni dici potest vir & vir, talis aut talis, vir insignis natus est in ea: Augustinus:* Ecce mater Sion dicet homo. Quis
Aug. homo? qui homo factus est in ea. In ea ipse factus est homo, & ipse eam fundauit. Quomodo in ea factus est, & ipse eam fundauit? Vt in ea fieret homo, iam fundata erat. Sic intellige si potes, &c. Ipse autem fundauit eam, non homo, sed Altissimus. Sic fundauit Ciuitatem in qua nasceretur, quomodo creauit matrem de qua nasceretur, &c. Homo propter nos, Deus ante nos. Sed quid magnum ante nos? Ante terram & cœlum, ante sæcula. *Vbi vides duas in eadem persona distingui naturas, secundùm humanam factus est ipse, & ex matre Virgine, & in Ecclesia Ciuitate sancta caput hominum; & secundùm diuinam, & matrem, & Ecclesiam, fecit & fundauit.* SPIRITVS QVI CVM SERMONE, *&c. id. Deus Verbum, sine natura diuina, ad Verbi personam contracta,* NATVS EST, *Incarnata est* DE PATRIS VOLVNTATE, *Psal. 39.* In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, &c. *Rursum,* ÆDIFICAVIT EAM VOLVNTATE PATRIS. *Vt consonet Paraphrasis Tertul. textui, in hoc verò* Altissimus, *quia eamdem habens essentiam & voluntatem cum Patre, fundauit Matrem de qua, & in qua nasceretur. Quia, vt ait*
Aug. *August.* Fecit sibi matrem, cum esset apud Patrem. QVASI TRANSFIGVRATVS IN CARNE. *id est, an in carne habitans sit transformatus in carnem.* IMMO INDVTVS. Pelle & carnibus vestisti me.
Aug. *De quo & Aug. loquens de contemptoribus Iudeis;* videbant indumentum, & contemnebant indutum. *Prius dixerat:* Foris caro, intus Verbum. INFORMABILEM, *id incapacem mutationis, in diuersas formas. Vide dicta precedenti Schol. in fine ex Chrysol. qui & alibi, de variis formis quibus Verbum in se, & in forma diuina immutabile, mutatur in humana:* Propter te varias monstratur in formas, qui manet vnica suæ diuinitatis in forma. *Serm. 23. a. p.* SERMO AVTEM DEVS. *Ioan. 1.* Et Deus erat Verbum. SERMO DOMINI, *&c. Esa. 40.* Omnis caro fœnum, &c. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: Verbum autem Domini nostri manet in æternum. *Ad literam. Cum omnis caro nihil aliud sit quàm herba quæ facilè arescit, tamen non dedignatus est Deus humanam carnem induere, & Verbum quod manet in æternum immortale, infinitum, dignatum est huic fœno personaliter vniri. Ita Hiero. Procop. & Theodoretus. Bernardus autem disertissimè colligit ex eo, quod Verbum caro factum est, & caro fœnum est: Verbum factum fœnum, homine mutato in pecus: sed vt concludit Esaias, Verbum manere in æternum, sic & Bernardus ob honorem debitum vnioni hypostaticæ, & inseparabilem, etiam animâ per mortem, à carne separatâ, cum carne vnionem: Et per consequens, quod natum est ex Virgine sanctum corpus, non debuisse videre corruptionem: Quantò minus debuit ipsum Verbum manere incorruptum?* Perdat fœnum viriditatem, si Maria virginitatem amiserit. *Ait Bern. Mansit Virgo illa: quia dictum est ei ab Angelo,* quod nasceretur ex te sanctum, &c. Et rursum Spiritus sanctus superueniet in te. *Quod si à Christo dictum est; Ioan 3.* Quod natum est ex carne, caro est: Et quod natum est ex spiritu, Spiritus est: *Certè Christus ipse & natus ex carne virginea, caro virgo, & natus ex Spiritu, de quo conceptus est, Spiritus vtique est. Vnde concludo, anticipatâ gloriosi corporis dote, imo natiuitati Verbi incarnati debitâ, vt Spiritus penetrans, de illibata Virgine natus est. Quo sensu non insulsè à Tertul. Christus totius* DEI SPIRITVS *potuit appellari.* PERSEVERANDO IN SVA FORMA. *August.* Assumpsit quod non erat, manens quod erat. NON CAPIT. *Mens refugit, nec capit transmutatum Verbum in carnem. Vel non decet, non potest transmutari à figura & forma æquali Patri in humanam, itaut amittat diuinam. D. Tho. in Ioa.* Euangelista vt omnem Assumptionem excluderet, quæ non terminatur ad vnitatem personæ, vtitur hoc verbo: Verbum caro factum est, &c. non quia Verbum sit ipsa humana natura, sed est diuinum suppositum vnitum humanæ naturæ. Hoc autem quod dicitur, Verbum caro factum est, non aliquam mutationem in Verbo, sed solum in natura assumpta, de nouo in vnitatem personæ diuinæ, dicitur Verbum caro, &c. Per vnionem ad carnem. Vnio autem relatio quædam est. Relationes autem de nouo dictæ de Deo, in respectu ad creaturas, non important mutationem ex parte Dei, sed ex parte creaturæ nouo modo se habentis ad Deum. FIT IN CARNE, *&c. Visibile scilicet Verbum, tractabile, manifestum, per opera scilicet mirabilia; vnde Paulus,* in quo inhabitat plenitudo diuinitatis, corporaliter. *id est palpabiliter, sensibiliter.*

5 Aug.

4 Et cont. prax. cap. 2. à p.

VNicum quidem Deum credimus: sub hac tamen dispensatione, quam œconomiam dicimus, vt vnici Dei sit & filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, *per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil.* hunc missum à Patre in virginem, & ex ea natum hominem & Deum, filium hominis & filium Dei, & cognominatum Iesum Christum. hunc passum, hunc mortuum & sepultum secundùm scripturas, & resuscitatum à Patre, & in cœlos resumptum, sedere ad dexteram Patris, venturum iudicare viuos & mortuos. qui exinde miserit, secundùm promissionem suam, à Patre Spiritum sanctum Paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem & Filium & Spiritum sanctum.

a Io. 1. 3.

CHRISTI INCARNATIO. IV. SCHOLIA.

FILIVM HOMINIS ET FILIVM DEI. *Totum hoc caput de duabus naturis in Christo, & de eius in carne nativitate, passione, morte, &c. duobus egregijs locis exponet Augustinus. Prim· quidem in*
Aug. *Psal. 56.* Homo ipse anima est & caro: Totum enim hominem suscepit Verbum, & totus homo factus est Verbum, ne ideo putetur non ibi fuisse animam, quia Euangelista ita dicit, Verbum Caro factum est, &c. Etenim dicitur caro homo, sicut alio loco dicit Scriptura: Et videbit omnis caro salutare
3. Aug.

Dei. Numquid caro ſola videbit, & ibi anima non erit? Iterum dicit ipſe Dominus de hominibus: Ioan. 17. Dediſti ei poteſtatem omnis carnis. Numquid in ſolam carnem acceperat poteſtatem, & non maximè in Animas quas primitus liberabat? Ergo ibi erat anima, ibi erat caro, ibi totus homo: totus homo cum Verbo, & Verbum cum homine: & Verbum & homo, vnus homo; & Verbum & homo, vnus Deus. *Secundus locus eximius eſt ex ep. 3 ad Volusianum, exponens ad literam textum Tertulliani.* HVNC MISSVM A PATRE IN VIRGINEM, ET EX EA NATVM HOMINEM ET DEVM, *&c.* HVNC PASSVM, HVNC MORTVVM, *&c.* Quid ſi omnipotens hominem
S. Aug. vbicumque formatum, non ex vtero materno, ſed repentinum inferret aſpectibus? quid ſi nullas ex paruulo in iuuentam mutaret ætates, nullos cibos caperet, nullos ſomnos? nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum vllo modo ſuſcepiſſe crederetur, & dum mirabiliter omnia facit, auferret quod miſericorditer fecit? nunc verò inter Deum & homines mediator apparuit, vt in vnitate perſonæ copulans vtramque naturam, & ſolita ſublimaret inſolitis: & inſolita ſolitis temperaret, &c. Ille ſibi ſine ſemine operatus eſt hominem, qui in rerum natura ſine ſeminibus & femina operatur. Ille in ſuo corpore numeros temporum, menſuraſque ſeruauit ætatum, qui ſine vllo ſui mutabilitate, mutando contexuit ordinem ſæculorum. Hoc enim creauit in tempore, quod incepit ex tempore. Verbum autem in principio, per quod facta ſunt omnia tempora, tempus elegit quo ſuſciperet carnem, non tempori ceſſit, vt verteretur in carnem. homo quippe Deo acceſſit, non Deus à ſe receſſit. Sic autem quidam reddi ſibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permixtus ſit, vt vna fieret perſona Chriſti, cum hoc ſemel oportuerit fieri: quaſi rationem ipſi reddant de re quæ quotidie fit, quomodo miſceatur anima corpori, vt vna fiat perſona hominis? Nam ſicut in vnitate perſonæ anima vnitur corpori, vt homo ſit; ita in vnitate perſonæ Deus vnitur homini, vt Chriſtus ſit. In illa ergo perſona mixtura eſt animæ & corporis; in hac perſona mixtura Dei & hominis. Cum enim Verbum Dei permixtum eſt animæ habenti corpus, ſimul & animam ſuſcepit & corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines; hoc ſemel factum eſt ad liberandos homines. Quem Chriſtum Dei Verbum, Dei filium, Deum in carne venturum, morituram, reſurrecturum, & in cœlum aſcenſurum: poſtea præpotentiſſimo ſuo nomine in omnibus Gentibus dicatos ſibi populos habiturum: inque illo habituros remiſſionem peccatorum, ſalutemque æternam futuram eſſe credentibus, omnia gentis illius promiſſa, omnes prophetiæ, Sacerdotia, ſacrificia, templum, & cuncta omnino ſacramenta ſonuerunt. SANCTIFICATOREM FIDEI. *Appoſita voce vſus eſt. Spiritus enim ſanctus, quod ſanctificet, dicitur. Fidem autem ſanctificat, id eſt conſecrat, vt Sacerdotes ſanctificari dicebantur. Ita Ambr. 2. de Caim c. 4. & Greg. in 1. Reg. 7. ſignificat etiam idem quod dedico iuxta Aug. 4. de* Aug. *Gen. ad lit. c. 17. Et Hiero. in Ezech. 44. & Iſa. 30. In baptiſmo igitur, renatis ex aqua & Spiritu ſancto, idem Spiritus ſanctificat, id eſt primò dedicat & conſecrat fidem. Niſi malis amplius eam augendo in Sacramento Confirmationis, fidem ſanctificare & confirmare ſicut Sephon. 1.* Sanctificauit vocatos ſuos.

5 In Incarnatione nulla confuſio ſubſtantiarum, ſed in vna perſona filij, vnio duarum naturarum. Cont. Prax. cap. 27. in m. ad circa f.

SI Sermo ex transfiguratione & demutatione ſubſtantiæ caro factus eſt, vna iam erit ſubſtantia Ieſus ex duabus, ex carne & ſpiritu mixtura quædam, vt electrum ex auro & argento; & incipit nec aurum eſſe, id eſt ſpiritus; neque argentum, id eſt caro, dum alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur. Neque ergo Deus erit, Ieſus. Sermo enim deſiit eſſe qui caro factus eſt; neque caro, id eſt homo; caro enim non propriè eſt, qui Sermo fuit. Ita ex vtroque neutrum eſt; aliud longe tertium eſt quàm vtrumque. Sed enim inuenimus illum directò, & Deum & hominem expoſitum, ipſo hoc Pſalmo ſuggeren-
a Pſal. 86. 5. te, Quoniam [a] *Deus homo natus eſt in illa, ædificauit eam voluntate patris*; certè vſquequaque filium Dei & filium hominis, cùm Deum & hominem, ſine dubio ſecundùm vtramque ſubſtantiam in ſua proprietate diſtantem: quia neque Sermo aliud quàm Deus, neque caro
b Rom. 1. 3. aliud quàm homo. Sic & Apoſtolus de vtraque eius ſubſtantia docet: [b] *Qui factus eſt, inquit, ex ſemine David.* Hic erit homo & filius hominis, *qui definitus eſt filius Dei ſecundùm ſpiritum.* Hic erit Deus, & Sermo Dei filius. Videmus duplicem ſtatum, non confuſum, ſed coniunctum in vna perſona, Deum & hominem Ieſum. De Chriſto autem differo. Et adeo ſalua eſt vtriuſque proprietas ſubſtantiæ, vt & ſpiritus res ſuas egerit in illo; id eſt virtutes, & opera, & ſigna; & caro paſſiones ſuas functa ſit, eſuriens ſub diabolo, ſitiens ſub Samaritide, flens Lazarum, anxia vſque ad mortem; denique & mortua eſt. Quod ſi tertium quid eſſet ex vtroque confuſum vt electrum, non tam diſtincta documenta parerent vtriuſque ſubſtantiæ. Sed & ſpiritus carnalia, & caro ſpiritalia egiſſent, ex tranſlatione; aut neque carnalia, neque ſpiritalia, ſed tertiæ alicuius formæ confuſione: immo aut Sermo mortuus eſſet, aut caro mortua non eſſet, ſi Sermo conuerſus eſſet in carnem; aut caro enim immortalis fuiſſet, aut Sermo mortalis. Sed quia ſubſtantiæ ambæ in ſtatu ſuo quæque diſtinctè agebant, ideo illis & operæ, & exitus ſui occurrerunt. Diſce igitur cum Nicodemo, [c] *Quia quod in carne natum eſt, caro eſt; & quod de ſpiritu, ſpiritus eſt.* Neque caro ſpiritus fit, neque ſpiritus caro. In vno plane eſſe poſſunt. Ex his Ieſus conſtitit, ex carne homo, ex ſpiritu Deus, quem tunc angelus ex ea parte quà ſpiritus erat, Dei filium pronuntiauit, ſeruans carni filium hominis dici. Sic & Apoſtolus etiam Dei & hominum appellans ſequeſtrem, vtriuſque ſubſtantiæ confirmauit.

Matth. 4. 2. Io. 4. 7. Io. 11. 35. Matth. 26. 38.

c Io. 3. 6. Luc. 1. 35. 1. Tim. 2. 5.

SERMO EX TRANSFIGVRATIONE. *Hic rursum probat Verbum caro factum non mutatum in carnem, nec carnem in Verbum, sed distinctas absque confusione, in hac vnione mirabili perstitisse naturas, earumque distinctos exitus & operationes, aliàs Iesus neque Deus aut Dei verbum esset, neque homo, sed aliquid tertium, vt Electrum Chimicum siue Philosophicum, quod constat ex auro & argento mixto, & neutrum tamen amborum est.* VT ELECTRVM EX AVRO ET ARGENTO. *Electrum ex Dionysio de cæleſt. Hierarch. c. 15. qua parte fulget vt aurum, repræsentat naturam Angelicam, quia vt aurum purissimum, neque minuitur, neque consumitur: quà verò lucet vt argentum, nitidum ac cæleste iubar eius ostendit. Orig. hom. 7. in Ierem. quia electrum hoc pretiosius auro dicitur, vel suprema corpora, vel corpus Christi significat. Optimè D. Gregorius, licet à Tertulliano discrepans, Christum ex vtraque natura Diuina & humana inconfusa & impermixta compositum, electro designari probat lib. 28. Moral. c 2. in cap. 38. Iob. ex Ezech. 1.* B *Item lib 1. in Ezech. hom. 2. vbi sic ait,* quid electri ſpecie, niſi Chriſtus Ieſus mediator Dei & hominum deſignatur? Electrũ quippe ex auro, & argento eſt. In electro dum aurum argentumque miſcetur, argentum ad claritatem creſcit, aurum verò à ſuo fulgore paleſcit. Illud ad claritatem proficit, hoc à claritate temperatur. Quia igitur in vnigenito Dei filio, naturæ Diuinitatis vnita eſt natura noſtra, in qua adunatione humanitas in maieſtatis gloriam excreuit, Diuinitas verò à ſui fulgoris potentia humanis ſe oculis temperauit, per hoc quòd humana natura clariot facta eſt, quaſi per aurum creuit argentum. Et quia Diuinitas à fulgore ſuo noſtris eſt aſpectibus temperata, quaſi aurum nobis palluit per argentum. Illa enim natura immutabilis, quæ in ſe manens, innouat omnia, ſi ita vt eſt, nobis apparere voluiſſet, fulgore ſuo nos incenderet potius quàm innouaret. *Et homil 8. idipſum retexens in verba:* vidi quaſi ſpeciem electri, Ezech. 1. Quid eſt quòd aſpectus hominis videtur in throno quaſi ſpecies electri, niſi quod in electro ſicut longè ſuperius diximus, aurum argentumque miſcetur, vt res vna ex metallis duobus fiat? in qua & per argentum auri claritas temperatur, & per auri claritatem ſpecies clareſcit argenti. In Redemptore autem noſtro, natura humanitatis & Diuinitatis inconfusè vnita ſibimet atque coniuncta eſt, vt & per humanitatem, Diuinitatis eius claritas noſtris potuiſſet oculis temperari, & per Diuinitatem humana natura in eo clareſceret, atque exaltata, fulgorem, vltra hoc, quod creata fuerat haberet. *Tandem quid ſignificet electrum in medio ignis, breuiter expoſuit homil. 1. in Ezech.* Quaſi electrum in igne, eſt Deus factus homo in perſecutione. PSALMO SVGGERENTE, QVONIAM DEVS HOMO, *&c. Quotquot reperire potui, accurate legi verſiones diuerſas, ſed nuſquam reperi vllam quæ* DIRECTO SVGGERERET, QVOD DEVS HOMO, *&c. Niſi per* Altiſſimum, *vel vt alij habent*, Excelſum, *Deum intelligas qui hanc glorioſam ciuitatem, Eccleſiam vel Mariam, fundauit vt Deus, in qua & natus eſt homo. Vide dicta verbo Chriſti incarnatio. 5.* QVI FACTVS EST EX SEMINE DAVID. *Sic Paulus Rom. 1.* Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum, &c. *tranſlat. Syr.* Qui natus eſt ſecundùm carnem ex ſemine domus Dauid, & agnitus filius Dei in virtute & Spiritu ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum, &c. *Hæc ille.* Quæ omnia ſatis aperte docent, Chriſtum ex vtraque natura Diuina & humana inconfuſa & impermixta compoſitum, electro deſignari. Quæ ſi ita ſunt, quid ſibi vult Dionyſius, qui ait, Electrum ex auro & argento eſt, ſed auro plus habet? Quid Origenes, qui ait, Electrum hoc pretioſius auro dicitur? Quid Gregorius, qui ait, Electrum ex auro & argento mixtum eſt, ſed auro plus habet? Quid Tertullianus, qui ait, Electrum ex auro & argento mixtum eſt, ſed argento plus habet? Quid Ambroſius, qui ait, Electrum ex auro & argento mixtum eſt, ſed auro plus habet? Quid Auguſtinus, qui ait, Electrum ex auro & argento mixtum eſt, ſed auro plus habet? Quid Hieronymus, qui ait, Electrum ex auro & argento mixtum eſt, ſed auro plus habet? Quid Cyprianus, qui ait, Electrum ex auro & argento mixtum eſt, ſed auro plus habet? Quid Chryſoſtomus, qui ait, Electrum ex auro & argento mixtum eſt, ſed auro plus habet? Quid Theodoretus, qui ait, Electrum ex auro & argento mixtum eſt, ſed auro plus habet? Quid Cyrillus

temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te. SECVNDVM SPIRITVM. *D. Thomas in Rom. 1. hoc probat Christum esse filium Dei secundùm Spiritum sanctificationis*, quia, *inquit*, proprium est virtutis diuinæ per collationem Spiritus sancti, sanctificare homines. Leuit. 20. Ego Dominus qui sanctifico vos. Io. 15 Cùm venerit Paracletus quem ego mittam. 1. Cor. 6. Sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & Spiritu Dei nostri, &c. quæ quidem sanctificatio incepit ex resurrectione mortuorum Iesu Christi, id. ex mortuis Christo suscitato. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum Iesus erat glorificatus. Non quod antea non sit datus sed postquam resurrexit & ascendit, abundantius & frequentius est datus. *Tria signa ibidem notat Diuinitatis Christi, primò quod animas suscitet, & quòd secum multorum corpora, excitarit, & in judicio omnia suscitabit. Secundò, quod Spiritum sanctum producat, mittat, & det cum Patre. Tertio quod conceptus sit ex virgine de Spiritu sancto. Et hoc tertium urget sub finem huius loci Tertul. Ex Io. 3.* QVOD IN CARNE NATVM EST. *Ioannes habet tam in Vulgata, quàm in Syr.* Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est, *quo loco probat vtramque naturam. Vide quæ supra diximus Verbo Christi Incarnatio 3. circa finem.* ESVRIENS SVB DIABOLO. *Quando scilicet, & se subiecit diabolo tentandum quem vinceret, & Samaritana potandum quam satiaret, adeo vt non sitiret in æternum.* DE CHRISTO DIFFERO. *Supple dicere, de eo alibi dicturus, hic enim de Iesu. Vbi aduerte hîc agere contra Praxeanos, qui filium dicebant esse carnem, hominem, Iesum: Patrem autem Spiritum, Deum, & Christum. Vide dicta Verbo Christi Incarnatio 3. in p.* APPELLANS SEQVESTREM. *Sic 1. Tim. 2.* Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. *Aug. lib. 1. de consensu Euang. cap. 35.* Ideo Christus Mediator Dei & hominum dictus est inter Deum immortalem & hominem mortalem, & Deus homo reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat. Ipse est nobis fides in rebus ortis, qui est veritas in æternis. *Et libro de unibus, citato à Beda in hunc Pauli locum ex Ezech. 37.* Dauid Princeps in medio eorum. Quare in medio eorum? quia Verbum caro factum est, &c. Inde & Mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Ecce Mediator. Non Mediator homo præter Deitatem, non Mediator Deus præter humanitatem. Diuinitas sine humanitate non est Mediatrix, humanitas sine Diuinitate non est Mediatrix: sed inter Diuinitatem solam, & humanitatem solam Mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas Christi. SEQVESTREM *sic vocatur Moises Deut. 5.* Ego sequester & medius fui inter Deum, & vos.

Aug

6. *Et ibid. cap. 29. à p.*

CVm duæ substantiæ censeantur in Christo Iesu, diuina & humana; constet autem immortalem esse diuinam, sicut mortalem quæ humana sit; apparet, quàtenus eum mortuum dicat; id est, quà carnem & hominem & filium hominis, non quà spiritum & Sermonem & Dei filium. Dicendo denique, Christus mortuus est, id est vnctus: id quod vnctum est, mortuum ostendit, id est carnem.

CHRISTI INCARNATIO. VI. SCHOLIA.

CVM DVÆ SVBSTANTIÆ. *Iterum hic duas substantias & naturas in Christo asserit, humanam & diuinam, vnam mortalem, alteram immortalem: Quà mortalem naturam assumpsit, Christus dicitur, id est vnctus, & quà Christus, dicitur mortuus, & verè in carne nostra mortem passus est. Hunc Mediatorem inter Deum immortalem, & hominem mortalem pulchrè definiit Augustinus libro 10. Confess. c. 42* Mediator inter Deum & homines oportebat vt haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus; ne in vtroque hominibus similis, longè esset à Deo: aut in vtroque Deo similis, longè esset ab hominibus, atque mediator non esset. Fallax itaque ille Mediator *diabolus scilicet*, qui per secreta judicia tua, superbiâ mereretur illudi, vnum cum hominibus habet, id est peccatum; aliud videri vult habere cum Deo, vt quia carnis mortalitate non tegitur, pro immortali se ostenter. Sed quia stipendium peccati mors, hoc habet commune cum hominibus, vt inde simul damnentur in mortem: Verax autem mediator, quem secretâ tuâ misericordiâ demonstrasti humilibus & misisti, vt eius exemplo ipsam etiam discerét humilitatem; mediator ille Dei & hominum homo Christus Iesus, inter mortales peccatores, & immortalem justum, apparuit mortalis cum hominibus, justus cum Deo: vt quoniam stipendium vitæ pax est per justitiam conjunctam Deo, euacuaret mortem justificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Hic demonstratus est antiquis sanctis, vt ita ipsi per fidem futuræ passionis eius, sicut nos per fidem præteritæ, salui fierent. In quantum enim homo, in tantum Mediator: in quantum autem Verbum non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul vnus Deus. Quomodo nos amasti Pater bone, qui filio tuo vnico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum? quomodo nos amasti, pro quibus ille non rapinam arbitratus esse æqualis tibi, factus est subditus vsque ad mortem crucis? vnde ille in mortuis liber, potestatem habens ponendi animam, potestatem habens iterum sumendi eam, pro nobis tibi victor & victima; & ideo victor, quia Victima: pro nobis tibi Sacerdos, & sacrificium: Et ideo Sacerdos quia sacrificium: faciens tibi nos de seruis filios, de te nascendo nobis seruiendo. *Concinnè & in rem Tertulliani connectit hæc sententia.* QVOD VNCTVM EST, MORTVVM OSTENDIT. *Daniel inter eos de quibus supra Aug. qui per fidem futuræ passionis Christi saluari debebãt, cap. 9. Audiuit a Gabriele breuiatas septuaginta hebdomades,* vt consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Ad vngendum sanctitatem sanctitatum. *Omnes in hoc conueniunt, quod Christus in die Incarnationis vnctus est Spiritu sancto*, præ participibus suis, de plenitudine cuius omnes accepimus: *Fuit iterum vnctus in Iordane, dum specie columbæ in eum descendit Spiritus: Tertul. hic insinuat vnctum in morte. Et rectè qui-*

S. Aug

dem, nam in cruce proprio vnctus sanguine regnauit à ligno, & consummauit Sacerdotium, incruento sacrificio, tum & finem accepit peccatum, *quo enim vltra, procedat impietas quam vt in Christum Dei, Dei filium inaudito insurgat parricidio?* deleta est iniquitas, adducta justitia sempiterna, *siquidem ex Aug. Dei Filius,* delicta nostra, delicta sua fecit, vt justitiam suam, justitiam nostram faceret. *In Psal. 21. Tandem*, impleta est visio & prophetia, & lex omnis, cum in cruce vnctus est Sanctus sanctorum. *Contra Praxeanos acutè torquendum est, quod habet D. Aug. to. 6. libro cont. Felicianum Arrianum cap. 9. sic quærentem;* Aug. Scire cupio, inquit, quo pacto ad Filium transeat dignitas Patris, & ad Patrem non recurrat humilitas prolis. *Cui respondet D. Aug.* Ecce, inquit, putemus aliquem Regem, ac Regis filium, depositis Regiæ maiestatis insignibus, subiecti militis indumenta suscipere, & propter certam Patris dispositionem, ac sociorum salutem, rebellium contumelias sustinere: numquid quia ad hoc participium Regiæ potestatis certum est narrationem decurrere, ideirco ad eum qui genuit injuriam Filij, non compatiendi affectu, sed ipsa passionis proprietate certum est peruenire? Non ita est: quia non ex Filio Patrem, sed ex Patre Filium certum est natum esse. Et propterea totum inter hos simile dicimus quod pertinet ad communionem naturæ, illud proprium quod per accidens vni noscitur euenisse personæ, &c. Non enim sicut Filio ipsa generatione collata est diuinitas Patris, sic ad Patrem refertur cura, ægritudo, paupertas, mors, humilitas prolis, &c. quorum quamuis secundùm indiuisæ maiestatis simplicem gloriam, non sit natura dissimilis, specialiter à filio corpus assumptum est, vt humiliaretur in infirmitate carnis nostræ, qui pati nihil poterat in communis diuinitate substantiæ, &c. Ad summam, quid precor est quod pendebat in cruce? quid est quod lancea dicitur vulneratum esse? Caro passibilis, an substantia diuinitatis? Si maiestatem prophanus in corpore eius prædicator assumpseris, corruptibilem Deum videris credere: si passibilem carnem, non est communis ista cum Patre, vt per hanc eum possit crux illa contingere. *Quàm præclarè cadit hæc sententia in Praxeam, qui Tertulliano referente,* & Paracletum fugauit, & Patrem crucifixit.

7. Incarnatio Verbi naturam diuinam non destruxit, vt mutaretur Verbum amittens quod erat, licet assumens quod non erat. De Car. Christi. cap. 3. à p.

QVid tanti fuit, edoce, vt conscius Christus quid esset, id se quod non erat, exhiberet? Non potes dicere, Ne si natus fuisset, & hominem vere induisset, Deus esse desisset, amittens quod erat, dum fit quod non erat. Periculũ enim status sui Deo nullum est. Sed ideo, inquis, nego Deum in hominem vere conuersum, ita vt & nasceretur, & carne corporaretur; quia qui sine fine est, etiam inconuertibilis sit necesse est. conuerti enim in aliud, finis est pristini. non competit ergo conuersio eius, cui non competit finis. Planè natura conuertibilium ea lege est, ne permaneant in eo quod conuertitur in eis; & ita non permanendo pereant, dum perdunt conuertendo quod fuerunt. sed nihil Deo par est. natura eius ab omnium rerum conditione distat. Si ergo quæ à Deo distant, à quibus Deus distat, cum conuertuntur, amittunt quod fuerunt: vbi erit diuersitas diuinitatis à ceteris rebus, nisi vt contrarium obtineat? id est, vt Deus & in omnia conuerti possit, & qualis est, perseuerare? alioquin par erit eorum quæ conuersa amittunt quod fuerunt: quorum vtique Deus in omnibus impar non est, si nec in exitu conuersionis.

CHRISTI INCARNATIO. VII. SCHOLIA.

QVID TANTI FVIT. *Hic agit contra Marcionem qui ideo carnem phantasticum Christo assingebat, quod timeret Deum conuertibilem, & proinde interibilem, & finibilem credere, si veram carnem assumpsisse diceret, & Verbum verè caro factum assereret. Quod sine conuersione Verbi in carnem fieri non posse putabat. Hinc dicit ei Tertul. Dic nobis, ô Marcion, quod tam virgens mortuum fuit Christo, vt contra conscientiam suam, probè sciens quod esset ipse, scilicet Deus purus & simplex, apparere vellet hominibus, homo, cum vere tamen non esset. An forte times ne si verè carnem assumpsit, Deus esse desiuerit? Sed nescis, Dei statum immutabilem, non periclitari. Vrgebis te idcirco negare Deum verè conuersum in carnem, quia si conuerteretur, perderet esse diuinum quod habebat, acquirendo nouum esse hominis, quod prius non habebat. Esto: & tuo loquar sensu. Sit ita, quod tamen non sentio, neque enim conuertibilis est natura diuinitatis, quæ est prorsus immutabilis; quidquid in re mutabili conuertitur, perdat, quod prius erat, & omnino pereat. Sed cum Deo nihil sit æquale, & Deus omnino differat à rebus creatis, profectò etsi conuertatur, non conuertetur vt cætera amittendo quod erat, etiamsi conuertatur in id quod antea non erat, aliter enim non differret ab aliis rebus. Nil imminutam deitatis formam in humanitatis assumptione, & inconfusam vtriusque* Aug. *naturæ in Christo proprietatem diserte prosequitur D. Aug. to. 6. libro contra Felicianum Arrianum cap.* 10. Ego, inquit, Saluatorem nostrum non confundo, non diuido. Non confundo, ne aut incorpoream, aut imaginariam carnem; aut carnalem, aut mortalem prædicem deitatem. Non separo, ne Dei Patris vnam secundùm carnem, & alteram secundùm maiestatem introducere videar prolem: quia idem Dei filius, & sine initio processit ex Patre, & secundùm tempus nasci est dignatus ex virgine. Impassibilis in suo, passus in nostro, dum incomprehensibilem maiestatem velut quodam indumento carnis vestire dignatus est ex vtero, vna Mediatoris persona, non vna substantia. Vna inquam persona, ne sit non vnus Christus; non vna substantia, ne mediatoris dispensatione submota, aut Dei tantùm dicatur, aut hominis filius. Non ergo susceptam carnem perpetuitate diuinæ generationis extendo: nec immensam Deitatem corporei ortus ætate concludo; quia idem in diuinitate Author est rerum, qui in carne redemptor est hominum: idem impassibilis in se, qui passus in corpore. Et dum sic vtriusque naturæ proprietatem verè ex vtraque gignenti similis natus expressit, vt & veram carnem susceperit eum constet ex Matre, & indifferentem deitatem habere constet ex Patre, S. August.

S. Aug. Quibus in vnam perſonam incomprehenſibili Mediatoris diſpenſatione conjunctis, ſeruauit ſingulis propria, ſed coniunxit propriis aliena. Seruauit propria, dum non amiſit immenſitatem diuinitatis, & infirmitatem non reſpuit carnis. Coniunxit propriis aliena, dum idem atque inſeparabilis Chriſtus, & proprio carnis occiditur, & proprio deitatis apud inferos non tenetur. Proprio carnis guſtauit vita mortem, & proprio deitatis perpetuam reddidit carnem. SI IN EXITV CONVERSIONIS, *id. ſine & ſucceſſu non differret.* HOMINEM *verè induiſſet. Sanctus Proclus ſer. de Nat.* Hæc admiranda illius œconomiæ tela, ex qua ineffabili quodammodo illius vnionis tunica confecta eſt; cujus quidem textor extitit Spiritus ſanctus, nectrix virtus ex alto obumbrans, lana vetuſta villoſaque Adami pellis, trama impolluta Virginis caro, radius textorius in menſa geſtantis gratia, artifex Verbum per auditum illapſum. *Sanctus Methodius* A *Virginem alloquens*, tu potentem illum corpore tanquam decenti quadam Panoplia induiſti. *Panoplia autem perfecta eſt armatura, hoc eſt quicquid ad armandum militem eſt neceſſarium: Et ſic noſter David, non aureis Saülis armis indutus, ſed ſuo in habitu paſtorali, ſine vt D. Leo:* non in ſua maieſtate, ſed in noſtra congreditur humanitate. PERICVLVM STATVS NVLLVM. *Euſebius Emiſſenus hom. 1. de Nat.* Ita eſt pro noſtra ſalute miſericors humiliata maieſtas, vt tunc non adimeret dignatio dignitatem. Aſſumpta eſt enim humanitas, non abſumpta diuinitas. Ad nos quidem per matrem venit, ſed tamen cum Patre regnauit. Et quid mirum? lux ipſa quamliber infundatur terris, ordine tamen ſuo, nihilominus fulget in cœlis. *Aug. l. 4. de Symb. c. 4.* Factor omnium fit inter omnia, portatur manibus matris, rector totius orbis; lambit vbera, regens ſydera; tacet, & Verbum eſt, &c. Aug.

8. *Et ibid. V. Verbum. Spiritus ſanctus ſpecie Columbæ apparuit, &c.*

9. *Incarnatio, ſtultitia eſt Verbi, confundens ſapientiam mundi, & Metamorphoſes Deorum. De Car. Chriſt. cap. 4. in. f. & 5. in p.*

SIt plane ſtultum. de noſtro ſenſu judicemus Deum. Sed circumſpice Marcion, ſi tamen non deleſti: [a] *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat ſapientia.* Quænam hæc ſtulta ſunt? a 1. Cor. 1. 27. conuerſio hominis ad cultum veri Dei? rejectio erroris? diſciplina juſtitiæ, pudicitiæ, patientiæ, miſericordiæ, innocentiæ? omnia hæc quidem ſtulta non ſunt. Quære ergo de quibus dixerit. Et ſi te præſumpſeris inueniſſe, non erit tam ſtultum, quàm credere in Deum natum, & quidem ex virgine; & quidem carneum, qui per illas naturæ contumelias volutatus ſit. Dicat hæc aliquis ſtulta non eſſe. & alia ſint, quæ Deus in æmulationem elegerit ſapientiæ ſecularis. & tamen apud illam facilius creditur, Iupiter taurus factus aut cycnus, CAP. V. quàm vere homo Chriſtus, penes Marcionem. Sunt plane & alia tam ſtulta, quæ pertinent ad contumelias & paſſiones Dei. aut prudentiam dicant, Deum crucifixum. Auſer hoc quoque, Marcion, immo hoc potius. Quid enim indignius Deo? quid magis erubeſcendum, naſci an mori? carnem geſtare, an crucem? circumcidi, an ſuffigi? educari, an ſepeliri? in præſepe deponi, an in monumento recondi? Sapientior eris, ſi nec iſta credideris. Sed non eris ſapiens; niſi ſtultus in ſeculo fueris, Dei ſtulta credendo.

CHRISTI INCARNATIO. IX. SCHOLIA.

SIT PLANE STVLTVM. *Eſto, inquit, Marcion, ſtultum ſit Deo carnem fieri, & in matris vtero per varia humanæ carnis* CONTVMELIAS, *ignobilitates, infirmitates, volutari. Sed ſi, vt aſſoles quæ ſtulta judicas de ſcriptis Pauli & aliis tollere, non eraſiſti illud.* 1. *Cor.* 1. Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: *Rogo te, quanam illa ſtulta ſint? Non dices conuerſionem hominum ad Deum, emendationem idololatriæ, doctrinam ſanctitatis & juſtitiæ. Quænam ergo ſtulta ſunt illa? Certè non præſumes dicere, tam ſtultum eſſe credere in Deum incarnatum, & quidem electa Matre Virgine, quam fingas ſummum Deum, factum Taurum aut Cygnum. Et tamen facilius hoc credet Marcion, id narrante* SAPIENTIA SÆCVLARI, *id eſt inuentione Poëtica fabulante, quàm Deum verè hominem factum, & quidem rationalem creaturam, quod Deus vtique fecit, & elegit hoc ſtultum reputatum Philoſophis Gentilis, vt ipſam ſapientiam mundi confunderet, emula operatione ſua, non quidem fabuloſè verſus in Taurum, aut transformatus in cygnum, ſed verè caro factum Verbum.* OMNIA HÆC STVLTA NON SVNT. *Scilicet conuerſio mundi ad cultum Dei. Verum quidem eſt ſtultum, aut infirmum, vel ignobilè non fuiſſe euentum, ſed inſtrumentum ſtultum infirmum & ignobile. Nam ad literam vt patet* B *toto hoc capite Paulus agit de conuerſione orbis per Apoſtolos ignobiles, imperitos, infirmos, Chriſtum crucifixum annuntiantes, Dei Virtutem, & Dei Sapientiam. Vnde expreſſius tranſlat. Syr.* Videte vocationem veſtram, Fratres mei, quod multos inter vos ſapientes ſecundum carnem, nec multos inter vos potentes, nec multos inter vos magno ſtemmate natos: ſed elegit Deus ſtultos mundi, vt pudore afficiat ſapientes; & imbecilles mundi elegit, vt pudore afficiat potentes: Et elegit eos qui erant infimo genere orti in mundo, & abjectos, eoſque qui non ſunt, vt obliteret eos qui ſunt. *Aug. tract. in Ioan. 7.* Si doctus eligeretur, fortaſſis ideo diceret ſe electum, quia doctrina eius meruit eligi. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, volens ſuperborum frangere ceruices, non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt oratorem. Magnus Cyprianus orator, ſed prior Petrus piſcator, per quem poſtea crederet non tantum orator, ſed etiam Imperator. Nullus nobilis primo electus eſt, nullus doctus, quia infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia. *Hæc tibi non arridentˌ ô Marcion; ſtulta hæc non eſſe vis; ſed ſtultum judicas credere Verbum verè caro factum. Hoc Paulum vis vocare ſtultum? Admitto. Sed tu fateare neceſſe eſt ſi Paulum audis, elegiſſe Deum. Non vt in carnem mutaretur vt verus Deus in carne vera habitaſſe crederetur.* Aug. C Aug.

Hilar. in Io. 15. ubi quærit, cur cum Deus posset ex carne Adæ facere Euam, ex costa fortiore fecit: & rursum, cur non replenit illè osse costam edultam, sed carne replenit.

Aug. Poterat, inquit, Deus carnem detrahere homini, vnde faceret fœminam, & magis videtur quasi congruere potuisse, fiebat enim sexus infirmior, &c. poterat pro osse os reddere: poterat ad faciendam mulierem, non costam, sed carnem detrahere. Quid igitur significauit facta mulier in costa tanquam fortis, factus Adam in carne tanquam infirmus? Christus est & Ecclesia. Illius infirmitas, nostra est fortitudo. *Quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* TAVRVS ET CYGNVS. *Metamorphosim Iouis in Taurum pro Europa rapienda descripsit Apollodorus Athen. lib. 3 Biblioth. in Cygnum & alias species, breuiter Achilles Tatius in p. libri primi de Elitofonte.*

Fit Taurus, Cygnus, Satyrus, aurumque ob amoram

Europæ. Ledes, Antiopæ, Danaës.

Naz. orat. 2. in Lucianum omnia factus est propter mulieres & Phrygibus pueri, *id est Ganymedi* aquila amatrix. NON ERIS SAVIENS NISI STVLTVS, *&c. Certè stulta magis sunt Dei, illudi & crucifigi, quàm nasci: & hæc tamen stultissima, credenda sunt, ei qui secundùm Deum vult esse sapiens: & hæc mundus credidit, & per ignorantes prædicatum credidit, vt bellè dixit Augustinus citatus à Beda in prima Cor. cap.*

Aug. *2. sub titulo quinquagesimæ resurrectionis.* Humiliatus est Dominus Iesus, vt esse humiles nosceremus. Conceptus est continés omnia, natus est gignés omnia, mortuus est viuificans omnia; sed post triduum resurrexit, & ascendit in cœlum, & humanam quam susceperat carnem, ad Patris dexteram collocauit. Mirabile est, fratres, & hoc est quod impij credere nolunt. Mirabile est hominem resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne: sed multò est mirabilius, totum mundum rem tam incredibilem credidisse. Quid est incredibilius, Deum talia fecisse? an mundum credere potuisset, quid si & ipse modus consideretur à nobis, quo credidit mundus, etiam ipse verè diuinus aduertitur, & valde mirabilius. Ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino quantum ad sæculi doctrinas pertinet impolitos; non perito Grammatica, non armatos dialectica, piscatores Christus cum retibus fidei ad mare sæculi pauciſſimos misit: quid dico pauciſſimos? duodecim misit: & tamen per eos sic omni genere piscium impleuit Ecclesias; vt plurimi etiam ex ipsis sapientibus sæculi, quibus videbatur ignominiosa crux Christi, ea in fronte signentur; & de qua erubescendum putabant, nobisque insultabant, eam in pudoris arce constituunt. *Na stultissimus Marcion, qui sapientissimis & potentissimis sæculi tam miraculosè conuersis, & veram in Christo carnem, natam, mortuam, suscitatam, & verè assumptam in Cœlum credentibus, renuit assentiri.*

10 *Christus incarnatus duas naturas iunxit, vt duos populos in vnam ciuitatem, Deo pacificaret.*
5. *Cont. Marc. cap. 17. in f.*

VT [a] *duos conderet in semetipso.* Qui fecerat, idem condens, secundùm quod & suprà. *Ipsius enim factura sumus, condita in Christo. In vnum nouum hominem faciens pacem.* Si verè nouum, verè & hominem, non phantasma. Nouum autem & nouè natum ex virgine, Dei spiritu; vt reconciliet ambos Deo; & Deo, quem vtrumque genus offenderat, & Iudaïcum & Gentile. [b] *In vno corpore*, inquit, *cùm interfecisset inimicitiam in eo per crucem.* Ita & hîc caro corpus in Christo, quod crucem pati potuit. Hoc itaque [c] *annunciante pacem iis qui propè, & iis qui longè, accessum consecuti sumus ad Patrem;* [d] *iam non sumus peregrini, nec aduenæ, sed conciues sanctorum, sed domestici Dei;* vtique eius, à quo suprà ostendimus alienos fuisse nos, & longè constitutos. [e] *Superædificati super fundamentum Apostolorum.* Abstulit hæreticus, *& Prophetarum;* oblitus Dominum [f] *posuisse in Ecclesia sicut Apostolos, ita & Prophetas.* Timuit scilicet ne & super veterum Prophetarum fundamenta ædificatio nostra constaret in Christo; cùm ipse Apostolus vbique nos de Prophetis extruere non cesset. Vnde enim accepit *summum lapidem angularem* dicere Christum, nisi de Psalmi significatione: [g] *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, iste factus est in summo anguli?* De manibus hæretici præcidentis non miror, si syllabas subtrahit, quum paginas totas plerumque subducat.

a Ephes. 2. 15.
b Ibid. 16.
c Ibid. 17.
d Ibid. 19.
e Ibid. 20.
f 1. Cor. 12. 28.
g Psal. 117, 21.

CHRISTI INCARNATIO. X. SCHOLIA.

VT DVOS CONDERET, *&c. id sumpsit ex Ephes. 2. totum locum per partes interruptum à Tertulliano, sic vno contextu ad faciliorem intelligentiam, repono & explico.* Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis *fides scilicet.* Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus IPSIVS FACTVRA. *Vrget hæc verba sapius Augustinus; agens de Verbo incarnato; per quod facti sumus & refecti gratia Redemptoris. in psal. 144.*

Aug. Attendamus, inquit, gratiam Dei, non solum qua fecit nos, verùm etiam qua refecit. Cui ergo debemus quia sumus, illi debemus quia & iustificati sumus. Nemo quasi tribuat Deo, quia est: & sibi tribuat, quia iustus est. Melius est enim quod tibi vis tribuere, quàm quod illi. Melius est enim aliquid esse, quia iustus es, quàm quia homo es. Inferius aliquid das Deo, & superius tibi. Totum illi da, in toto illum ipsum lauda, non cadas de manu artificis. Vt esses quis fecit? nonne scriptum est, quia sumpsit Deus limum de terra, & formauit hominem? Antequam homo esses, limus eras: antequam limus esses, nihil eras. Sed non de isto solo figmento gratias agas artifici tuo. Audi aliud eius figmentum, vbi te fecit, &c. Audi enim vnde opereris bona? ipsius enim figmentum sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, vt in illis ambulemus. *Subiicit Paulus:* propter quod memores estote, quòd aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta, *id est, sic vos Iudei circumcisi vocabãs, quasi à se separatos, & caractere circumcisionis, notâ populi Dei carentes*, qui eratis illo in tempore sine Christo, *quia non credebatis in eum*, alienati à conuersatione Israel, & Hospites testamentorum, *id est pactorum Dei cum Patriarchis*, promissionis spem

non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo, in vnum nouum hominem faciens pacem. Et reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens Euangelizauit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem iis qui prope. Quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno Spiritu ad Patrem. Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum & domeſtici Dei: ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo Angulari lapide Chriſto Ieſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum Sanctum in Domino. VT DVOS CONDERET, *&c. Supplendum eſt quod Paulo ſupra præmiſerat* legem mandatorum decretis euacuans. *D. Thomas in Epheſ. 2.* Euacuans dico, ſicut imperfectum euacuatur per perfectum, & vmbra per veritatem. 1. Cor. 13. cum venerit quòd perfectum eſt, euacuabitur quòd ex parte eſt, ſcilicet imperfectio & vmbra veteris legis de qua Hebr. 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum, &c. Et hoc decretis, id eſt præceptis noui Teſtamenti, per quæ excluditur lex, &c. Finis autem eſt, vt duo populi efficiantur vnus populus; quæ autem vniuntur, oportet vniri in aliquo vno; & quia lex diuidebat, non poterant in lege vniri, &c. Et hoc in vno nouo homine faciens pacem, ſcilicet in ſemetipſo Chriſto. Qui dicitur nouus homo, propter nouum modum ſuæ conceptionis. Ierem. 31. Creauit Dominus nouum ſuper terram, &c. Item propter nouitatem gratiæ, quam contulit Gal. vlt. in Chriſto enim Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura, &c. Item propter noua mandata quæ attulit Io. 13. mandatum nouum do vobis, &c. Et licet videatur eſſe intentio Apoſtoli, tamen in gloſſa paries duplicatur: quia ex parte Iudæorum ponitur lex quaſi obſtaculum, ex parte verò gentium, eſt Idololatria. *Ibidem de pariete & macerie, dicit eſſe legem, primò quia vt lapides non conglutinantur cemento, nec ad hoc erigitur, vt duret in perpetuum, ſed ad tempus definitum. Sic lex non habebat cementum charitatis, diuidens gentiles à Iudeis. Præterea erat lex timoris. Secundò quia durare debebat tantum vſque ad præſentium à Patre Gal. 4. Hunc ſoluit parietem Chriſtus legem implens, & nos liberans a lege carnali eiuſque cerimoniis. Soluit autem inimicitias, nos abſoluendo à lege, quæ cauſa erat inimicitiæ inter Iudeum, volentem eam ſeruare, & Gentilem nolentem. In carne ſua autem ſoluit, tum quia natus pacem per Angelum nuntiauit, & Iudeos in Paſtoribus, & Gentiles in Magis ſibi vniuit: vel in carne ſua immolata omnia ſacrificia implenit. Vel denique in carne poſitus, in vno mandato dilectionis proximi legem implenit. Sic verſio Syriaca Epheſ. 2.* Diuiſit maceriam, quæ ſtabat in medio, & odium in carne ſua. Legemque præceptorum, præceptis ſuis *dilectionis Dei & proximi*, abrogauit, vt duos conderet in ſemetipſo in vnum hominem nouum, & fecit pacem. *Cætera Tertulliani ſunt facilia ex quibus conuincit Marcionem eraſorem ſcripturæ, Chriſtum verè hominem nouum, natum, & paſſum, &c.* CORPVS IN CHRISTO. *Id eſt non inane & phantaſticum, vt Marcion credidit, ſed ſolidum.* ARSTVLIT. 1. Cor. 12. Poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas *quia Prophetas cum toto veteri Teſtamento Marcion reſpuebat.* DE PROPHETIS EXTRVERE. *Id eſt ædificare locis aliis ex Prophetis.* IN SVMMO ANGVLI. *Ex Pſal. 117. Aug. lib. cont. Iud. cap. 8. in fine.* Lapis quem reprobauerunt ædificantes, &c. Quia ex circumciſione & præputio populi tanquam parietes de diuerſo venientes, in angulo ſibimet tanquam in pacis oſculo copulantur. Vnde dicit Apoſtolus, ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, qui ergo ex domo Iacob, ſiue Iſrael vocantem ſecuti ſunt, ipſi ſunt lapidi angulari cohærentes, & in Domini luce ambulantes. Quos verò ibi dimiſit, ipſi ſunt ruinam ædificantes, & angularem lapidem reprobantes. *Et tract. in Pſal. 84.* Quos dixit qui erant propè? Iudæos, quia vnum Deum colebant. Quos dixit qui erant longè? gentes qui dimiſerunt Deum, à quo facti erant, & colebant illa quæ ipſi fecerant, non enim regionibus longe à Deo eſt quiſquam, ſed affectibus. Amas Deum, prope es. Odiſti Deum, longe es DE MANIBVS *pro* manibus. *Quaſi diceret, de more manuum hæreticarum, quæ ſolent ſcripturas radere & corrumpere.*

A B C

Aug. A

Aug.

11 Incarnatio Deum humiliauit, & hominem exaltauit. 2. Cont. Marc. cap. 27. circa f.

QVæcunque vt indigna reprehenditis, deputabuntur in filio, & viſo, & audito, & congreſſo, arbitro patris & miniſtro, miſcente in ſemetipſo hominem & Deum; in virtutibus, Deum; in puſillitatibus, hominem; vt tantum homini conferat, quantum Deo detrahit: totum denique Dei mei penes vos dedecus, ſacramentum eſt humanæ ſalutis. Conuerſabatur Deus, vt homo diuinè agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo poſſet. Deus puſillus inuentus eſt, vt homo maximus fieret. Qui talem Deum dedignatis, neſcio an ex fide credas Deum crucifixum.

CHRISTI INCARNATIO. XI. SCHOLIA.

QVÆCVMQVE VT INDIGNA. *Hic verè ad literam reſpondet obiectionibus Marcionis, ideo Deum Creatorem & vetus Teſtamentum eius reprobantem, quod in eo frequenter Deus hominibus apparuiſſe in aſſumpta carne, cum hominibus locutus, congrediens, quin etiam & comedens introducatur. Sed reſpondet huiuſmodi apparitiones fuiſſe non Patris, ſed filij, qui vt alibi diximus ex Tertulliani mente iam tum diſcebat conuerſari cum hominibus, in quorum carne naſci volebat. Sic igitur præmiſerat:* Igitur quæcunque exigitis Deo digna, habebuntur in Patre inuiſibili incongreſſibilique & placido, & vt ita dixerim, Philoſophorum Deo, *id eſt nullo modo humanis paſſionibus ſubiecto, qualem & Stoici Philoſophi hominem ſapientem exigebant.* Quæcumque autem vt indigna reprehenditis, deputabuntur in filio, &c. ARBITRO PATRIS ET MINISTRO. *Quia iam ab exordio mittebatur* Angelus Teſtamenti, mediator legis, Iudex etiam Sodomorum, &c. MISCENTET IN SEMETIPSO HOMINEM ET DEVM, *&c. addiſcens quàm facturus erat in perſona verbi, diuina, & humana naturæ coniunctionem,*

D

vnus, non confusione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ. IN VIRTVTIBVS DEVM. *&c. Vtrunc item futuras poſt incarnationem diſtinctas operationes, vtriuſque naturæ deſignaret; in puſillis* ſicut erat peregrinum apparere, comedere, &c. *hominem; in virtutibus*, ſicut erat, ſteriles Abraham & Saram fœcundare, *Deum repreſentando.* QVANTVM VERO DETRAHIT, *&c. Non quòd tunc aliquid diuinæ maieſtati derraheretur, ſicuti nec in incarnatione detractum eſt; ſed quòd videatur, vt loquitur Paulus in his humiliationibus & condeſcendentiis, quas Tertul.* puſillitates *vocat*, cum in forma Dei eſſet, &c. Formam ſerui accipiens, exinaniuiſſe ſemetipſum. *Sed ex Aug. ſer. 26. de temp.* Aug. ille tantus in forma Dei, æqualis Patri, ille ſine tempore fabricans tempora, ille ex nullo ſæculo, ante omnia iudex ſæculi, factus eſt tam paruus, vt de fœmina naſceretur, ſed manſit tam magnus, vt à Patre non ſepararetur. DEDECVS SACRAMENTVM EST, *&c. Quod vos vt dedecus Deo meo imponitis, hoc myſterium & figuram teneo futuræ meæ ſalutis, &c.* EX ÆQVO AGEBAT. *Quia nempe* deliciæ eius cum filiis hominum: *quos* non ſeruos, ſed amicos *diligebat erat*, *&* nouiſſimè locuturus erat nobis Pater in filio, ſicut ſolet amicus ad amicum loqui: *Amicitia autem inter inæquales eſſe non poteſt; ideo etiam in veteri lege in humana facie*, ex æquo agebat Deus cum homine, &c. *Qui incarnatus iuxta Paulum*, per omnia debuit fratribus ſimilari, tentatus per omnia in ſimilitudine, abſque peccato; in ſimilitudinem hominum factus, habitu inuentus vt homo. DEVS PVSILLVS INVENTVS EST. Paruulus natus eſt nobis, &c. VT HOMO MAXIMVS FIERET. Aug. *Aug. ſer. 13. in nat. Dom.* Deus factus eſt homo, vt homo fieret Deus. *Vtriuſque in Chriſto naturæ diſtinctas proprietates eleganter expreſſit D. Auguſt. libro* Aug. *cont. Felician. Arrianum cap. 11.* Non, inquit, infirmitatem voluntariam Chriſti omnipotens eius maieſtas exhorruit; non omnipotentiam corporalis infirmitas extinxit. Scio ad inferos diuinitatem Filij Dei deſcendiſſe proprietate carnis, ſcio ad cœlum aſcendiſſe carnem merito deitatis. Non eſt

A Dei proprium quòd famem ſenſit: ſed Dei proprium eſt, quòd paucis panibus tot hominum millia ſatiauit. Non eſt proprium carnis, quòd ſuper frementes vndas ſiccis pedibus ambulauit, ſed carnis eſt proprium, quòd ſputa, palmas, flagella ſuſtinuit. Vnus tamen atque idem Chriſtus eſt, qui & iniurias toties pertulit, & actus, *Diuinos ſcilicet*, in profundo non merſit. Ex hoc pacto, in mediatore Dei & hominum, iniuria ſui corporis affectam non fateor deitatem, ſicut maieſtate deitatis glorificatam nouimus carnem. Ergo Chriſtus mortuus eſt, qui & reſurrexit: Nec ideo tamen vtrumque ex vno, ſed ex ſingulis ſingula, in vtroque tamen perfectus ipſe compleuit; dum vnus atque idem inſeparabilis tam diuerſa compleuit. Vno mortem guſtauit, altero mortuos ſuſcitauit. Sicque ſe Deum & hominem vtriuſque verus mediator, nec geminata perſona, nec ſubſtantia confuſa monſtrauit. Ingreſſus eſt virginis vterum Dei Filius, vt iterum naſceretur, ante iam genitus: qui ſuſcepit totum hominem, qui iam habebat à patre pleniſſimam deitatem. Non diſſimilis genitori, cùm naſceretur ex æterno perpetuus: non diſſimilis homini, cùm ex matre naſceretur moriturus. Idem tamen & æternus in ſuo, & moriturus in noſtro, dum vtrũque continet ex ſeipſo, & neutrum perdit ex altero: ſicque ex Deo & homine non imperfectus, ſed in diuerſa proprietate pleniſſimus natus eſt Chriſtus, ſicut ex anima & corpore vnuſquiſque hominum docetur eſſe perfectus. NESCIO AN EX FIDE, *&c. qui Deum vel in ſalis apparitionibus humilem, & familiarem contemnis, neſcio ſi credere poſſis, pro homine crucifixum. Sed Marcion vt Dei filio carnem phantaſticam appingit, credidit & phantaſticè crucifixum. Verùm vt hoc capite in p. Tertul. dicit*, Deum non potuiſſe humanos congreſſus inire, niſi humanos & ſenſus & affectus ſuſcepiſſet; per quos vim maieſtatis ſuæ intolerabilem vtique humanæ mediocritati, humilitate temperaret, ſibi quidem indigna, homini autem neceſſaria; & ita iam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quàm ſalus hominis.

12. *Chriſti incarnatio hominem maritauit verbo. De reſur. cap. 63. in p.*

VTrumque iam in ſemetipſo fœderauit, ſponſam ſponſo, & ſponſum ſponſæ comparauit.

CHRISTI INCARNATIO. XII. SCHOLIA.

VTRVMQVE IAM, *&c. Infra inter Chriſti Elogia numero 27. plura videbis, nunc ſufficiat, Chriſtum in ſemetipſo fœderaſſe, & animam carni & Deum humanæ naturæ, Aug. to. 6. concione ad Catechumenos* Aug. *contra iud. cap. 9. in fine.* ipſe Chriſtus proceſſit ex vtero virginali tanquam ſponſus de thalamo ſuo, in quo vtero ſpeciales nuptiæ ſunt celebratæ. Deus coniunctus eſt carni, & caro cohæſit Deo, vt eſſet vnus Chriſtus & Deus, & totus homo. Hic ergo proceſſit tanquam ſponſus de thalamo ſuo, ad cuius nuptias commota vniuerſa viſa eſt exultare creatura; namque chorus Angelorum ex his nuptiis pacem deſignat hominibus bonæ voluntatis: quia D qui erat Dei Filius, factus eſt hominis Filius, ſuſcipiens quod non erat, non amittens quod erat. Hîc cœli nouam ſtellam, nouum ſplendidum lumen, illo ſponſo in ſe operante, producunt; vt lumen verum ſedentibus in vmbra mortis nuntiarent natum: & veluti linguâ ſuâ cœli laudarent hunc ſponſum procedentem, quem ſciebant ad hoc ſuſcepiſſe hominem mortalem, vt facerent immortalem. Ad hunc ſponſum Magi ab extremo terræ veniunt, commoniti requirunt, vocati munera offerunt, infantem natum necdum quidem videntes, ſed ſtellâ indice regem adorare cupientes.

13 *Chriſti incarnatio, carnem licet indignam, ad dignitatem extulit. 3. Cont. Marc. cap. 10. in f.*

SI ad certum ſpectamus, nulla ſubſtantia digna eſt quam Deus induat. Quodcunque induerit ipſe, dignum facit, abſque mendacio tamen. Et ideo, quale eſt vt dedecus exiſtimarit veritatem potius, quàm mendacium carnis? Atquin honorauit illam fingendo. Quanta iam caro eſt, cuius phantaſma neceſſarium fuit Deo ſuperiori?

Digitized by Google

CHRISTI INCARNATIO. XIII. SCHOLIA.

NVLLA SVBSTANTIA DIGNA EST, &c. *Primo dixerat Deum Exodi 3. in rubo ignito, Exodi 19. in nube & globo. Sicut & Iob de turbine locutum; & fatetur, quamcumque substantiam Deus assumat,* SI AD CERTVM SPECTAMVS. *id. certè si verè, & dignè Deo loquimur, nullam creaturam fatebimur esse dignam, quam Deus induat. Si Solem splendidum dicat, in quo* posuit tabernaculum suum, Deus lux est, qui lucem inhabitat inaccessibilem; *si Angelum; ipse est,* initium viarum Domini, opus manuum eius & in Angelis reperit prauitatem, ante conspectum cuius creatura omnis, quasi stilla ex situla. *Creatori tandem omnia de nihilo facienti, quid inter creaturas de nihilo creatas comparabile? quid tremendo & adorando eius maiestati & dignitati condignum?* DIGNVM FACIT. *Quia ad suam extulit, dignatione affectuosissima visitatem sponsæ suæ, humanæ naturæ nostræ, dignitatem. Sic Aug. ser. 37. de verbis Do.* Filij, inquit, eius sumus. Vnde hoc probamus? Mortuus est pro nobis vnicus, ne remaneret vnus. Noluit esse vnus, qui mortuus est vnus. Multos enim filios Dei fecit vnicus filius, Deo. Emit sibi fratres sanguine suo: probauit reprobatus; redemit venditus, honorauit iniuriatus, vinificauit occisus. Dubitas quòd dabit tibi bona sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua? *De hoc commercio rursum Ser. 13. de tempore;* Factus est, inquit, Deus homo, vt homo fieret Deus. Vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus est homo. Factus est igitur qui fecerat, vt inueniretur quod perierat. Peccauit homo, & factus est reus; natus est homo Deus, vt liberaretur reus, &c. Mercatus est à nobis quod hic abundat, nasci & mori; resurgere, & in æternum viuere, non hîc erat. Inuenit hic merces, viles, & terrenas, & terrestribus attulit peregrinas & cœlestes: *de fraternitate autem nobiscum contracta per Mariam. Ser. 11. de temp.* Hodie, inquit, parturiente Maria, natus est nobis Dei Filius, vt germanæ carnis nostræ conceptione productus, creato à se homini & pietatem paternam, & fraternum largiretur affectum. ABSQVE MENDACIO TAMEN. *Nihil enim tam indignum Deo vero, & Filio dicente,* Ego sum via & veritas, *quam per viam mendacij & phantasma carnis ad hominem venire saluandum. Quod si dedecus fuit carnem veram sumere, quanto maius opprobrium fuerit, eam mentiri? Addam magnum quid, ab ipso Deo Marcionis,* quem Deo Creatore præstantiorem æstimat, *reputatam esse carnem humanam; cum vel tenuem eius vmbram & similitudinem, phantasmate expressam, necessariam Christo suo iudicauerit, ad saluandum mundum. Vnde supra pulchrè dixit Tertul.* Satis, miserum Deum instituis, hoc ipso quod Christum suum non potuit exhibere, nisi in indignæ rei effigie, & quidem alienæ. *Quia à Deo Creatore carnem malam factam credidit Marcion. Quam quia manu propria de luto fingere dignatus est, non parnam ei à suo attulit, contulit dignitatem.*

S. Aug.

S. Aug.

Aug.

14. *In Christo Incarnato Deus Creator omnia instauranit, & ad se primum Principium reduxit. 5. cont. Marc. cap. 17. à p.*

a Ephes. 1. 10.

Ibid.

CVi competent [a] *secundùm boni existimationem quam proposuerit in sacramento voluntatis sue, in dispensationem adimpletionis temporum,* (vt ita dixerim, sicut verbum illud in Græco sonat) *recapitulare* (id est, ad initium redigere, vel ab initio recensere) *omnia in Christum, quæ in cœlis, & quæ in terris;* nisi cuius erunt omnia ab initio, etiam ipsum initium, à quo & tempora & temporum adimpletiones, dispensatio, ob quam omnia ad initium, recensentur in Christo? Alterius autem Dei, quod initium, id est vnde? cuius opus nullum? quæ tempora sine initio? quæ adimpletio sine temporibus? quæ dispensatio sine adimpletione? Denique, quid in terris egit jam olim, vt longa aliqua temporum adimplendorum dispensatio reputetur, ad recensenda omnia in Christo, etiam quæ in cœlis? Nec in cœlis autem res ab altero actas existimabimus quæcunque sunt, quàm ab eo, à quo & in terris acta omnibus constat. Quod si non capit alterius omnia ista deputari ab initio quàm Creatoris, quis credet ab alio ea recensferi in Christum alium, & non a suo auctore, & in suum Christum? Si Creatoris sunt, diuersa sint necesse est à diuerso Deo. Si diuersa, vtique contraria. Quomodo ergo contraria recensentur in eum, à quo denique destruuntur?

CHRISTI INCARNATIO. XIV. SCHOLIA.

CVI ERGO COMPETENT, *&c. Hic suo more, contra Marcionem probat Deum Creatorem esse, & verum Christi Patrem, & vtriusque testamenti conditorem. Qui vt omnia & tempus ipsum per Verbum condidit,* & in principio, *id est Filio, iuxta Augustinum & Ambrosium,* creauit cœlum & terram, sic in plenitudine temporum, in eodem Verbo incarnato, omnia recapitulauit, & quæ in cœlis, & quæ in terris, Angelos inquam & homines, ad vnum principium Christum reduxit, *qui teste Paulo,* constitutus est caput super omnem Ecclesiam, *ex Angelis & hominibus constatam.* CVI ERGO COMPETENT. *Tam magnifica opera, & dispensare in plenitudine temporum, & recto ordine & tempore reuelare, secretum mysterium Incarnationis, & per Christum Saluatorem, omnia in Angelorum ruina & hominum, in cœlo & terra reparare, quam ipsimet Deo Creatori, à quo est in principio temporis, cœlum & terra, Angelus, homo, & vniuersa creatura? quàm absurdè hæc competunt Deo Marcionis, nouo & recenti.* NON CAPIT. *id est, non potest dici. Quis enim capiat & intelligat, Deum nouum & recentem, qui nec cœlum nec terram, nec tempus, nec vllum aliud opus condidit, quo se Deum, & auth rem alicuius rei proderet; omnia in Christo, & quæ in cœlis, & quæ in terra recapitulasse, & ab initio recensuisse, in plenitudine temporum? Quomodo preterea intelligitur & capitur, in Christum suum redigere, opera aduersarij sui? Quæ vtique potius destruere debuisset: tum quia mala, tum quia ab aduersario suo producta. Hic sensus litera. Iam textum Pauli integrum ponamus, & euolnamus. Sic ergo habet Ephes. 1.* Benedictus Deus,

S. Aug.

Aug.

ed by Google

&c. qui prædeſtinauit nos, &c. Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum eius, quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo. *Tranſlat. Syr.* Vt patefaceret nobis arcanum voluntatis ſuæ, quod propoſuerat exequi in ſeipſo, in diſpenſationem plenitudinis temporum, vt omnia denuo renouarentur in Meſchicho, tum in cœlo, tum in terra. *Epiſt. ad Eph. ſ. Hiero. vocat ſubtiſſimam. Et quidem hic ſubtiliter inſinuat, propenſa benenolentia & fauore gratuito, non ex noſtris meritis præuiſis, vt ſæpè probat Augustinus lib. de prædeſt. Sanctorum, c. 18. Sed ex altiſſimo diuinæ prouidentiæ beneplacito homines eſſe prædeſtinatos* Quis, inquit, audiat Apoſtolum dicentem, benedictus Deus! &c. Aug. Quis inquam hæc audiat diligenter & intelligenter, & audeat de hac quam defendimus tam clara veritate dubitare? Elegit Deus in Chriſto ante conſtitutionem mundi membra eius: Et quomodo eligeret eos qui nondum erant, niſi prædeſtinando? Elegit ergo prædeſtinatos nos: Numquid eligeret impios, & immundos? Nam ſi quæſtio proponatur, vtrum hos eligat, an potius ſanctos, & immaculatos: quid horum reſpondeat qui requiratur, ac non ſtatim ferat pro ſanctis & immaculatis ſententiam? Præſciebat ergo, ait Pelag. qui futuri eſſent ſancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua præſcientia, qua tales futuros eſſe præſenſit, elegit. Elegit ergo antequam eſſent, prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos immaculatoſque præſenſit: vtique ipſe non fecit, nec ſe facturum, ſed illos futuros eſſe præuidit. Intueamur ergo verba Apoſtoli, atque videamus, vtrum propterea nos elegerit ante mundi conſtitutionem, quia ſancti & immaculati futuri eramus, an vt eſſemus? Benedictus, inquit, &c. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſſemus. Nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt. Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe, prædeſtinans vt tales eſſemus per gratiam eius, &c. Deinde quid adiungat attendite. Secundùm placitum, inquit, voluntatis ſuæ; ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur voluntatis noſtræ: in qua gratificauit nos, inquit, in dilecto filio ſuo: in qua vtique voluntate gratificauit nos. Sic dictum eſt, gratificauit à gratia: ſicut iuſtificauit, dicitur à iuſtitia, &c. In hoc myſterio voluntatis ſuæ poſuit diuitias gratiæ ſuæ, ſecundum bonam voluntatem ſuam, non ſecundùm noſtram: quæ bona eſſe non poſſet, niſi ipſe ſecundùm bonam voluntatem ſuam, vt bona fieret, ſubueniret. Subiecit, quam propoſuit in illo qui eſt in dilecto filio ſuo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis ſunt, & in terris, in ipſo: in quo etiam ſortem conſequuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui vniuerſa operatur, ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudem gloriæ eius. Nimis longum eſſet de ſingulis diſputare. Cernitis autem, proculdubio cernitis, quanta manifeſtatione Apoſtolici eloquii defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, vt retribuatur ei, &c. Ex hoc propoſito eius, eſt illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum: quia ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. & ſine pœnitentia ſunt, *id eſt, immutabilia, & firma* dona, & vocatio Dei. *Et cap. 19. in eandem rem:* Cum ergo, inquit, nos prædeſtinauit, opus ſuum præſciuit, qui nos ſanctos & immaculatos facit, &c. Nec fides ipſa præcedit. Non enim quia credidimus, ſed vt credamus, elegit nos, ne priores eum elegiſſe dicamur, &c. nec quia credidimus, ſed vt credamus, vocamur, atque illa vocatione, quæ ſine pœnitentia eſt, id prorſus agitur, & peragitur vt credamus. *Iuxta D. Thom. tria hic notanda*: tria tangit, ſcilicet Sacramenti cauſam, temporis congruitatem, & Sacramenti vtilitatem. Cauſam, cùm dicit, ſecundùm beneplacitum. Licet autem quidquid placet, bonum ſit, hoc tamen beneplacitum Antonomasticè bonum dicitur, quia per ipſum ad perfectam fruitionem bonitatis perducimur. Pſal. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, &c. Rom. 12. Vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Congruitas temporis fuit in diſpenſatione plenitudinis: de qua dicitur Galat. 4. vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, &c. Sicut enim aliis effectibus ab eo productis tempora ordinata ſunt; ita & certum tempus præordinauit ab æterno, myſterio Incarnationis. Quod quidem tempus ſecundum gloſſam exiſtens fuit, poſtquam homo conuictus fuit de ſua inſipientia ante legem ſcriptam; dum ſcilicet creaturas colebat vt Creatorem: & de impotentia, per legem ſcriptam, quam implere non poterat: vt ſic homines aduentum Chriſti, de ſua ſapientia & virtute non præſumentes non contemnerent; ſed quaſi infirmi, & quodammodo ignari ipſam auidius affectarent. Effectus autem huius Sacramenti eſt inſtaurare omnia. Nam in quantum facta ſunt propter hominem, omnia reſtaurari dicuntur. Amos 9. Suſcitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant inſtaurabo. Omnia inquam, quæ in cœlis, id. Angelos: non quia pro Angelis mortuus ſit Chriſtus, ſed quia redimendo hominem, reintegratur ruina Angelorum. Pſal. Implebit ruinas. Vbi cauendus error Origenis, ne per hoc credamus Angelos damnatos, redimendos eſſe per Chriſtum vt ipſe finxit. Et quæ in terris, in quantum cœleſtia terrenis pacificat. Col. 1. pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. Quod eſt intelligendum quantum ad ſufficientiam, etſi omnia non reſtaurentur quantum ad efficaciam. D. *Aug. cap. 61. Inchir.* Non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus. Sed ideo pro Angelis ſit, quidquid hominum per eius mortem redimitur, & liberatur à malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam poſt inimicitias, quas inter homines & ſanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipſa hominum redemptione, ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur. Et vtique nouerunt Angeli ſancti, docti de Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati ſunt, quanti numeri ſupplementum, de genere humano, integritas illius ciuitatis expectet. Propter hoc ait Apoſtolus inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris, in ipſo. Inſtaurantur quippe quæ in cœlis ſunt, cùm id quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur: inſtaurantur autem qui in terris ſunt, cùm ipſi homines, qui prædeſtinati ſunt in æternam vitam, à corruptionis vetuſtate renouantur. *In Græco ſonat.* ἀνακεφαλαιώσασθαι. *Recapitulare, vt alibi legit Auguſtinus cum Hieronymo. Propoſuit Deus, homines & Angelos inter ſe diſjunctos & inimicos, rurſum arctiſſimam amicitiam inire, & in vno ac ſub vno capite Chriſto coniungere, & ruinas Angelorum per homines inſtaurare. Vnde & paulo poſt in eadem Epiſtola ſubiecit Paulus*, & ipſum S. Aug. 5. Aug.

Digitized by Google

dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, *tam Gentium, quàm Iudæorum, tam Angelorum, quàm hominum. Quia Chriſtus etiam vt homo, propter vnionem hypoſtaticam cum Verbo, nobilior eſt omnibus Angelis, & eis dominatur ait Auguſtinus in Enchir. c.56. Vbi de Eccleſia ex hominibus & Angelis conflata, qui peregrinis nobis, maximè poſt Chriſtum incarnatum, opitulantur.* Rectus, inquit, confeſſionis ordo poſcebat, vt Trinitati ſubiungeretur Eccleſia, tanquam habitatori domus ſua, & Deo templum ſuum, & conditori ciuitas ſua, quæ tota hîc accipienda eſt, non ſolum ex parte qua peregrinatur in terris, à Solis ortu vſque ad occaſum laudans nomen Domini, & poſt veruſtatis captiuitatem cantans canticum nouum: verùmetiam ex illa quæ in cœlis ſemper, ex quo condita eſt, cohæſit Deo, nec vllum ſui caſus malum experta eſt. Hæc in ſanctis Angelis beata perſiſtit, & ſuæ parti peregrinanti, ſicut oportet, opitulatur: quia vtraque vna erit conſortio æternitatis, & nunc vna eſt vinculo Charitatis, &c. *De hoc vinculo per Chriſti ſanguinem pacificum, inter cœlum & terram, Angelos hominesque contractò, hac ſubijcit cap. 62. & ſequenti.* Per illud, inquit, ſingulare ſacrificium in quo mediator eſt immolatus, quod vnum multæ in lege victimæ figurabant, pacificantur cœleſtia cum terreſtribus, & terreſtria cum cœleſtibus; quoniam ſicut Apoſtolus dicit Coloſſ. 1. in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cœlis ſunt, ſiue quæ in terris. Pax iſta præcellit ſicut ſcriptum eſt Philip. 4. 7. omnem intellectum, *Vulgata ſenſum: Syr. quæ maior eſt omni mente*, neque ſciri à nobis, niſi cùm ad eam venerimus, poteſt. Quomodo enim pacificantur cœleſtia, niſi in nobis, id eſt, concordando nobiſcum? Nam ibi ſemper eſt pax, & inter ſe vniuerſis intellectualibus creaturis, & cum ſuo creatore. Quæ pax præcellit, vt dictum eſt, omnem intellectum, ſed vtique noſtrum, non eorum qui ſemper vident faciem Patris. Nos autem quantuſcumque ſit in nobis intellectus humanus ex parte ſcimus, &c *Addam breuiter omnia, in* hoc vno continet omnia, *ſcilicet homine, à Deo, vero principio per peccatum hominis, diuiſa, proindeque corrupta, nChriſto hominem aſſumente, reſtaurata fuiſſe, recapitulata, & ad ſuum caput & principium Deum ſcilicet reuocata; ideoque, vt omnia ad vnum redirent, Verbum potius naturam humanam induiſſe, quàm Angelicam; quia hæc vnica erat, quæ cœleſtia & terreſtria, viſibilia & inuiſibilia, corruptibilia & incorruptibilia continebat. Sic Chryſol. ſer. 140. in Verba Miſſus eſt, &c. Ad Virginem deſponſatam.* Chriſtus ſuam ſponſam recipit, non præripit alienam; nec ſeparationem facit, quando ſuam ſibi totam jungit in vno corpore creaturam.

S. Auguſt.

S. Aug.

CHRISTI CARO.

1. Carnem Chriſti non materialem, fingunt Valentiniani. Cont. Valent. cap 26. in m. ad f.

ALia compoſitione monſtruoſum volunt illum proficias earum ſubſtantiarum induiſſe, quarum ſummam ſaluti eſſet redacturus: vt ſpiritalem quidem ſuſceperit ab Achamoth, animalem verò, quem mox à Demiurgo induit, Chriſtum: ceterùm corporalem, ex animali ſubſtantia, ſed miro & inenarrabili rationis ingenio conſtructum adminiſtrationis cauſa vim contuliſſe, quò congreſſui, & conſpectui, & contactui, & defunctui ingratis ſubjaceret. Materiale autem nihil in illo fuiſſe, vrpote ſalutis alienum. quaſi aliis fuerit neceſſarius, quàm egentibus ſalute. Et totum hoc, vt carnis noſtræ habitum alienando à Chriſto, à ſpe etiam ſalutis expellant.

CHRISTI CARO. I. SCHOLIA.

ALIA COMPOSITIONE. *Loquitur de Sotere, ſiue Saluatore quem vocat monſtruoſum, quia ex Iren. Valentiniani eum non ſolum ex omnibus Æonibus concinnatum dixerunt, ſed & tres induiſſe ſubſtantiarum conſpicientias, ſeu vt loquitur Irenæus, primitias: Spiritalem, animalem, & corporalem.* PROFICIAS. *A proſeco, vel proſcindo, proſcia, vel proſcicia, quaſi prima particula deciſa.* QVARVM SVMMAM, *&c. quas ſummatim ſaluare debebat.* SPIRITALEM AB ACHAMOTH. *Achamoth ex Terent. ſupra cap. 25.* Ex ſubſtantia Sophiæ matris, peculium quoddam ſeminis ſpiritalis ſequeſtrauerat. ANIMALEM VERO, *&c.* A DEMIVRGO. *Demiurgum Plato naturam vocat rerum omnium opificem. Demiurgus Summus erat Magiſtratus in quibuſdam Græcia Ciuitatibus. Liuius lib 2. de bell. Maced.* Inter Magiſtratus Gentis, *Demiurgus vocant, decem numero creatos* certamen nihilo ſegnius quàm inter multitudinem eſſe. *Irenæus*, à Demiurgo indutum Pſychicum, id eſt animalem Chriſtum. DEFVNCTVI INGRATIS SVBIACERET. *id eſt inuitus & non ſponte ſua, functioni rerum ſenſibilium & corporearum ſubderetur.* MATERIALE AVTEM. *Iren.* Hylicon autem nihil omnino ſuſcepit, non enim Hylicon capax ſalutis. *Loquitur ex mente Valentinianorum excludentium corpus à ſalute, cùm tamen vt bene ſubjecit Cyprianus, fruſtra Soter & Saluator dicitur, niſi ſit miſſus ad ſaluandos qui perierant, & in Anima, & in corpore. Ideo & Chriſtus ipſe, ex Aug. & animam ſumpſit, & carnem, vt totum ſaluaret hominem. Libro 10 de Ciuit. cap. 24. Vbi de Porphyrio Platonico, cum Valentinianis carnem materialem indignam Dei Filio cenſente.* Noluit, inquit, intelligere Dominum Ieſum Chriſtum eſſe principium, cuius Incarnatione purgamur. Eum quippe in ipſa carne contempſit, quam propter ſacrificium noſtræ purgationis aſſumpſit; magnum ſcilicet Sacramentum eâ ſuperbiâ non intelligens, quam ſua ille humilitate deiecit, verus benignuſque Mediator: in ea ſe oſtendens mortalitate mortalibus, quam maligni, fallaceſque Mediatores non habendo, ſe ſuperbius extulerunt, miſeriſque hominibus adjutorium deceptorium, velut immortales mortalibus promiſerunt. Bonus itaque veruſque mediator oſtendit peccatum eſſe malum, non carnis ſubſtantiam, vel naturam, quæ cum anima hominis & ſuſcipi ſine peccato potuit, & haberi, & morte deponi, & in melius reſurrectione mutari; nec ipſam mortem, quamuis eſſet pœna peccati, quam tamen pro nobis ſine peccato, ipſe perſoluit, peccando eſſe vitandam, ſed potius, ſi facultas datur, pro juſtitia perferendam. Ideo enim ſoluere potuit moriendo peccata, quia & mortuus eſt, & non pro ſuo peccato, &c. Neque enim caro principium eſt, aut anima humana, ſed Verbum per quod facta ſunt omnia. Non ergo caro per ſeipſam mundat, ſed per-

Aug.

Verbum à quo ſuſcepta eſt, cùm Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. ET TOTVM HOC, *&c. Hic finis eſt Valentinianorum, vt negando veram* A *noſtræ carnis Chriſtum indutum, carnem noſtram à ſpe æternæ ſalutis excludant.*

2. *Chriſti carnem de Virgine natam negant Valent. Cont. Val. cap. 27. à p.*

PEr Virginem, non ex Virgine editum: quia delatus in Virginem tranſmeatorio potius, quàm generatorio more proceſſerit; per ipſam, non ex ipſa; non matrem eam, ſed viam paſſus.

CHRISTI CARO. II. SCHOLIA.

PER VIRGINEM. *Sic Iren.* Eſſe autem hunc B qui per Mariam tranſierit, quaſi aqua per tubum. *Et Tertul. de Præſcript. cont. hæret. c. 49. ex eorundem Valent. ſententia:* Hunc autem *ſcilicet Chriſtum*, in ſubſtantia corporis non fuiſſe, ſed ſpiritale neſcio quod corpus de cœlo deferentem, quaſi aquam per fiſtulam, ſic per Mariam Virginem tranſmeaſſe, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. NON MATREM EAM, SED VIAM PASSVS. *Bene quidem Tertul. Paſſum dicit Chriſtum dum carnem vera paſſibilem aſſumpſit, & ſtupens ad commune mundi propitiatorium conuerſi duo herubin Ambroſius & Auguſtinus in Cantico, dum exclamant:* Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, uon horruiſti Virginis vterum. *Sed contra Valent. Paſſus eſt Matrem, non viam:* Porta enim hæc clauſa fuit Principi: hortus concluſus, fons ſignatus, *& caro hæc ſubſtantia ſumpta de matre, verè materiali, ſed data donata ſpiritali, non reſerato clauſtro pudoris intacti. Sole purior penetrauit: & magis integritatem Matris aduxit, quam imminuit.* O quàm pulchra eſt caſta hæc generatio cum claritate. *Cæterum tam Valentinianos quàm conſortes, & condeſſertores Marcionitas conuincis Apoſtolus ad Gal. 4.* Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere. *Aug. ſer. de Trinitate citato à Beda in Gal. 4.* Fecit eum Pater ex muliere, ſub lege, aut forte hoc mouet quia Paulus dicit ex muliere, & D dixeram ex Virgine. Non moueat; vtrumque de ſcriptura dicitur, & ex Virgine, & ex muliere. Ex Virgine quomodo? Eſa. 7. Ecce Virgo concipiet, &c. Ex muliere autem ſicut audiſtis. Non eſt contrarium. Proprietas enim locutionis Hebrææ, mulieres non corrupta Virginitate fœminas appellat. Habes euidentem Scripturam Geneſ. 2. quam ipſa prima Eua facta eſt, formauit eam in mulierem. *Sic D. Thomas in hunc locum*, vocat eam mulierem quæ tamen tadhuc erat virgo Geneſ. 3. mulier quam dediſti mihi. Per hoc quòd dicitur ex muliere factus, deſtruuntur duo errores ſcilicet Valentini dicentis Chriſtum non ſumpſiſſe corpus de Virgine ſed attuliſſe illud de cœlo, & per Beatam Virginem ſicut per fiſtulam & canalem tranſiuiſſe, &c. Sed præpoſitio, ex, cauſam materialem deſignat. Item error Neſtorij dicentis Beatam Virginem non eſſe matrem Filij Dei, ſed Filij hominis. Quod falſum eſſe oſtenditur per hoc quòd dicit Apoſtolus hic, quòd miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere. Qui enim fit ex muliere, eſt Filius eius. Si ergo Filius Dei eſt factus ex muliere, ſcilicet ex B. Virgine; manifeſtum eſt, quòd B. Virgo eſt mater Filij Dei. Licet autem poſſet dici natus ex muliere, ſignanter tamen dicit factum, & non natum. Naſci enim aliquid, eſt C ipſum produci, non ſolum ex principio coniuncto, ſed fieri etiam ex principio ſeparato. Arca enim fit ab artifice; ſed fructus naſcitur ex arbore. Principium autem humanæ generationis eſt duplex: ſcilicet materiale; & quantum ad hoc Chriſtus proceſſit ex principio coniuncto; quia materiam ſui corporis ſumpſit ex Virgine. Vnde ſecundùm hoc dicitur natus de ea. Matth. 1. de qua natus eſt Ieſus, &c. Aliud eſt principium actiuum, quod quidem in Chriſto, quantum ad id, quod principium habuit, id eſt, quantum ad formationem corporis, non fuit coniunctum, ſed ſeparatum: quia virtus Spiritus ſancti formauit illud. *Sicut ſupra dixit fabrum artam facere ex ligno,* & quantum ad hoc non dicitur natus ex muliere, ſed factus, quaſi ex principio exteriori. Ex quo patet, quòd hoc quod dicit, ex muliere, non dicit corruptionem: quia dixiſſet natum, & non factum. *Chryſolog. ſer. 48. ex verbis Euang.* Nonne hic eſt Filius Fabri? dicebant hic eſt Fabri Filius: ſed cuius Fabri Filius? non dicebant, &c. Chriſtus erat Fabri Filius, ſed illius, qui mundi Fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto. &c. *Et ſer. 49.* bene perſonam tacuit, vt proderet ex arte genitorem, dicendo, non Ioſeph, ſed Fabri Filius. Et quis talis Faber, qui talem & tantum ex nihilo fabricatus eſt mundum? &c. Dic ergo Iudæe, fabri Filium, vt Dei Filium fatearis inuitus.

Aug.

3. *Carnem Chriſti animalem, & animam eius carnalem ſtultè Valentinieni fingunt. De Car. Chri. cap. 10. à p. ad f.*

COnuertor ad alios æquè ſibi prudentes, qui carnem Chriſti animalem affirmant, quòd anima caro ſit facta, ergo & caro anima. & ſicut caro animalis, ita & anima carnalis. Et hìc itaque cauſas requiro. Si vt animam ſaluam faceret in ſemetipſo, ſuſcepit animam Chriſtus, quia ſalua non eſſet niſi per ipſum, dum in ipſo; non video cur eam carnem fecerit animalem, induendo carnem; quaſi aliter animam ſaluam facere non poſſet, niſi carneam factam. Cùm enim noſtras animas non tantum non carneas, ſed etiam à carne diſjunctas ſaluas præſtet: quantò magis illam, quam ipſe ſuſcepit, etiam non carneam redigere potuit in ſalutem? Item cùm præſumant, non carnis, ſed animæ noſtræ ſolius liberandæ cauſſa proceſſiſſe Chriſtum; primò, quàm abſurdum eſt, vt animam ſolam liberaturus, id genùs corporis eam fecerit, quod non erat liberaturus? Deinde, ſi animas noſtras per illam quam geſtauit, liberare ſuſceperat, illam quoque quam geſtauit, noſtram geſtaſſe debuerat, id eſt, noſtræ formæ, cuiuſcunque formæ eſt in occulto anima noſtra, non tamen carneæ. Ceterùm, non noſtram animam liberauit, ſi carneam habuit; noſtra enim carnea non eſt. Porro, ſi non noſtram

liberauit, quia carneam liberauit; nihil ad nos; quia non noſtram liberauit. Sed nec liberanda erat, quæ non erat noſtra, vt ſcilicet carnea. non enim periclitabatur, ſi non erat noſtra, id eſt, non carnea. Sed liberatam conſtat illam. Ergo non fuit carnea; & fuit noſtra, ſi ea fuit quæ liberaretur, quoniam periclitabatur. Iam ergo ſi anima non fuit carnalis in Chriſto; nec caro poteſt animalis fuiſſe.

CHRISTI CARO. III. SCHOLIA.

CONVERTOR AD ALIOS. *Valentinianos intelligit, quos iam aggreditur.* Prius enim confutarat Appelleianos carnem Chriſti ſydeream eſſe affirmantes. ÆQVE SIBI PRVDENTES. *Quia contra Paulum*, prudentes apud ſemetipſos. *Sibi melius ceteris ſapere videbantur, carnem corpoream indignam Chriſto cenſentes, ſi eam facerent animalem, id eſt animam. Itaut caro illa quæ in Chriſto exterius apparebat, non eſſet ſimilis carni noſtræ, ſed anima: vt ſic totus Chriſtus eſſet anima interius & exterius. Ac proinde vt caro eius erat animalis, ita & anima carnalis, id eſt totus anima. Valentinus enim Chriſtum, cæteroſque Æonas ſiue ſecula finxit animalia.* CAVSAS REQVIRO. *Huius ſcilicet inepta blaſphemiæ. Si enim Chriſtus ideo miſſus eſt à Patre, vt ſolam animam ſalvam faceret, vt quid eam fecit carnem animalem, id eſt, animam carneam Cum enim anima noſtra non ſint carnea, immo eas per mortem à carne ſeparatas ſaluet, quanto magis præſtare potuit ſalutem ſingulari animæ ſuæ, etiam non carneæ?* CVM PRÆSVMANT NON CARNIS, *&c. ad hæc accedit, quod cùm teneant Chriſtum veniſſe, non ad corporum, ſed tantum animarum ſalutem, fruſtra animam corpoream aſſumpſiſſet.* DEINDE SI ANIMAS NOSTRAS. *Cum animas noſtras ſaluare decreuiſſet, per animam quam ipſe habere voluit, conſequenter debuit ſimilem omnino animabus noſtris animam aſſumere, & proinde non carneam: Aliàs ſi carneam habuit, noſtram non ſaluauit: ſi non ſaluauit, nil illi debemus, nec illum Saluatorem & ſoterem agnoſcere tenemur. Non enim venit, vt aiunt, corpus ſaluare, nec animam, quia carneam non habemus; cuius ergo rei Saluator erit? Et vbi erit illud,* mihi indignamini, qui totum hominem ſaluum feci in Sabbato? *Io. 7. Sed Valentiniani à S. Policarpo anathematizati ſunt, & Antichriſti nominati. Sic enim vt verus erat Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, ex prima eius Epiſtola cap. 4 hauſerat illud:* Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur Spiritus Dei, omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam iam venit, & nunc iam in mundo eſt. *Certitudine prophetiæ, præſens pro futuro; non in propria perſona iam venit, & eſt in mundo, ſed in ſpiritu, id eſt in ſuis præcurſoribus. Sic Paulus 2. Theſſ. 2.* myſterium iam operatur iniquitatis. *Syriaca tranſlatio*, hic eſt ab ipſo pſeudo Chriſto quem audiſtis venturum. *Porrò doctiſſimè dixit Ioannes*, qui ſoluit Ieſum: *innuens compoſitum ex Diuino ſuppoſito & humana natura per vinculum vnionis hypoſtaticæ & indiſſolubiliter colligatum. Quod compoſitum quicunque ſpiritu ſuo, & intellectu priuato & deprauato ſoluere præſumpſerit, ſiue negans Ieſum eſſe Deum, quales fuerunt pſeudoprophetæ, Cerinthus, Ebion, Menander, Carpocrates, & alij apud Irenæum, Epiph. & Auguſtinum; vel eſſe verum hominem, vt Simon Magus Eutyches, Manichæus, Dioſcorus, &c. Vel vnicam habuiſſe perſonam, vt Neſtorius: vel veram habuiſſe carnem, vt Marcion & Valentinus:* huic eſt Antichriſtus, *vel ex Græco* Antichriſti *Syr.* ab ipſo pſeudo Chriſto. *Sic ergo Policarpus in Ep. ad Philip.* omnis qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, Antichriſtus eſt. Qualis fuit Valentinus, qui duos baptiſmos poſuit, & ſecula animalia eſſe aſſeruit. *Vnum autem ex Æonibus & ſeculis Chriſtum finxit Valentinus cum carne animali veniſſe, id eſt carne quæ eſſet anima, nexus Iuæ 9. malè intellecto.* Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. *Quod quidem verum eſt: ſed & venit totus homo factus, totum hominem ſaluare, & ne quis dubitaret de carne, audi quid Ioannes, Animam tacens, non tamen excludens; ſed carnem vt ſenſibiliorem ſenſi formam exprimens:* Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.

4. *Et ibid. cap. 12. in f. & 13. per totum.*

IGnorabamus nimirum animam, licet inuiſibilem, naſci & mori, niſi corporaliter exhiberetur. Ignorauimus plane reſurrecturam cum carne. hoc erit quod Chriſtus manifeſtauit. Sed & hoc non aliter in ſe, quàm in Lazaro aliquo, cuius caro non erat animalis, ita nec anima carnalis. Quid ergo amplius innotuit nobis, de animæ ignoratæ retro diſpoſitione? Quid inuiſibile eius fuit, quòd viſibilitatem per carnem deſideraret? Caro facta eſt anima, vt anima oſtenderetur. Nunquid ergo & caro anima facta eſt, vt caro manifeſtaretur? Si caro anima eſt, iam non anima eſt, ſed caro. Si anima caro eſt, iam non caro eſt, ſed anima. Vbi ergo caro, & vbi anima eſt? alterutrum facta eſt. Immo ſi neutrum ſunt, dum alterutrum alterum fiunt, certè peruerſiſſimum, vt carnem nominantes, animam intelligamus; & animam ſignificantes, carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi quàm ſunt, & amittere quod ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter quàm ſunt, cognominantur. Fides nominum, ſalus eſt proprietatum. Etiam quum demutantur qualitates, accipiunt vocabulorum poſſeſſiones. Verbi gratia, Argilla excocta, teſtæ vocabulum ſuſcipit; nec communicat vocabulo priſtini generis, quia nec cum ipſo genere. Proinde & anima Chriſti caro facta, non poteſt non id eſſe quod facta eſt, & id non eſſe quod fuerit, aliud ſcilicet facta. Et quoniam proximum adhibuimus exemplum, plenius eo vtemur. Certè enim, teſta ex argilla vnum eſt corpus, vnumque vocabulum, vnius ſcilicet corporis. nec poteſt dici & argilla; quia quod fuit, non eſt: quod autem non eſt, omnino non adhæret. Ergo & anima caro

Io. 11. 11.

CAP. XIII.

facta

facta, vniformis, solidata: scilicet singularitas tota est, & indiscreta substantia. In Christo verò inuenimus animam & carnem, simplicibus & nudis vocabulis editas; id est, animam animam, & carnem: carnem nusquã animam carnem, aut carnem animam: quando ita nominari debuissent, si ita fuissent. Sed etiam sibi quamque substantiam diuisè pronuntiatas ab ipso, vtique pro duarum qualitatum distinctione, seorsum animam, & seorsum carnem. Quid [a] *anxia est*, inquit, *anima mea vsque ad mortem?* &, [b] *Panis quem ego dedero pro salute mundi, caro mea est.* Porro, si anima caro fuisset, vnum esset in Christo carnea anima, aut caro animalis. at quum diuidit species, carnem & animam, duo ostendit. si duo, iam non vnum. si non vnum, iam nec anima carnalis, nec caro animalis. Vnum enim est anima caro, aut caro anima. Nisi & seorsum aliam gestabat animam, præter eam quæ càro erat, & aliam circumferebat carnem, præter illam quæ anima erat. Quod si vna caro, & vna anima; illa [c] *tristis vsque ad mortem*, & illa *panis pro mundi salute*, taluus est numerus duarum substantiarum, in suo genere distantium, excludens carneæ animæ vnicam speciem.

a Matth. 26. 38.
b Io. 6. 51.
c Matth. 26. 38. Io. 6. 51.

CHRISTI CARO. IV. SCHOLIA.

IGNORABAMVS NIMIRVM, *&c. Ironicè dictum contra Valentinianos animam carnalem, & carnem animalem fingentes in Christo. Quasi verò, inquit, statum animæ nesciremus, quamuis inuisibilis; quasi verò ignoraremus animam nescio cum homine, & quasi emori morsente corpore, dum illud deserem se, per operationes vitæ cessantes, ab eo recessisse probando; vt necesse foret in Christo animam carneam corporaliter exhiberi.* IGNORAVIMVS PLANE, *&c. Vnum fateor, ante fidem ignorauimus, scilicet animã in corpus proprium rediturum, & suæ carni vitam redditurum, & sic quodammodo per opera vitæ quasi sui ciuitatem fore monstrandam. Et hoc ipsum est quod Christus nos in Euangelio docuit, toties carnis resurrectionem inculcans, & in seipso velut capite, totius humani generis corpori inaugurans, sed id non præstitit aliter in se quàm in Lazaro, cuius anima carnalis non erat, sicut nec caro animalis.* IGNORATÆ RETRO, *&c. id est prius incognitæ. Quid, inquit, de nouo visibile nobis factum est de Animæ statu, vt animam ideo dicas carnem factam in Christo, vt melius eius status declarare-tur? Ergo ne etiam caro, mutata est in Animam, vt caro ipsa monstraretur. Si ita est, dic mihi quæso, vbi ipsa caro, & vbi ipsa anima est? cum inuicem status mutauerint, & vnum factum sit alterum, stultissimè carnem appellans intelligo; & animam nominans carnem interpretor.* FIDES NOMINVM, *&c. id. singula rerum proprietates, salua esse non possunt, nec probè intelligi, nisi fideliter nomina communi sensu hominum, rebus singulis imposita, inuiolata seruentur. Ideo & Galenus libro. 1. Methodi:* De notione ipsa prius conueniat, cum sine hac propositæ rei substantiam inuenire non liceat. Ipsam verò notionem, quæ omnibus in confesso sit, sumendam diximus. *Profert exemplum Tertul. sumptum à qualitatibus, quæ cum mutantur.* ACCIPIVNT VOCABVLORVM POSSESSIONES. *id. possident nomen rei in quam mutantur. Verbi gratia, cum ex albo fit nigrum, vel ex frigido calidum. Similiter* ARGILLA EXCOCTA, *non amplius dicitur argilla, sed testa. Sic anima Christi caro facta amplius non est dicenda anima;* TESTA EX ARGILLA, VNVM EST CORPVS. *Testa non potest dici simul & argilla & testa, etiamsi fiat ex argilla, quia quod fuit antea, iam non est, nec adhæret argilla testæ; sic nec anima corpori, vt sit idem cum eo: sed* SINGVLARITAS TOTA EST, *id. non sunt duæ res, quarum vna adhæreat alteri; sed vna singularis, & tota res vna simplex,* INDISCRETA, *indiuidua & singularis substantia.* QVAMQVE SVBSTANTIAM DIVISE, *&c. Christus, inquit, propriè seorsim, singularibus nominibus animam dixit suam, & carnem suam. Vt stultitia Valentinianorum eluceat. Alias rectè concludit Tertullianus, quòd sianima Christi ad suam manifestationem caro*

A *facta fuisset, & caro anima, neutra hominis substantia in Christo fuisset, sed confusè vnica substantia.* Ergo & anima caro facta, vniformis, solidata, & indiscreta substantia. ANXIA EST. *Matth. 26. Vulgata;* tristis est anima mea vsque ad mortem. *Transl. Syr.* Ægritudo est animæ meæ vsque ad mortem. PRO SALVTE MVNDI. *Vulgata* pro mundi vita *Io. 6. Transl. Syr.* panis quem ego dabo corpus meum est, quod pro vita mundi do.

Adsere nullum scriptis Symbolum proferre potuisse Tertullianum quo Christi Carnem, non animalem, siue spiritalem, sed solidam & corpoream quàm Testam. Testa ex argilla, &c. *Christus in Psal. 21. de sua carne dicebat ad literam,* aruit tanquàm testa virtus mea. 70. Exaruit velut testa virtus mea. *Santes Pagn. ex Hebr* aruit tanquam testa fortitudo mea. B *Vatabl.* Exaruit vt testa virtus mea. *Idem Vatabl. in Schol. huius loci Psalm 22 Secundùm Hebreos* virtutem vocat humidum radicale, quia per illud viuimus. *Et quidem, virtus fortitudo humidum radicale Christi exhaustum & exsiccũ fuit in cruce, quod de carne in animam transformata dici non potest, quamquam de limo, sine argilla primi hominis, scriptum sit,* factus est homo in animam viuentem. *Prius enim,* insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ: *vt apertè distinguat hominem adhuc humum, limum, argillam, à vitæ spiraculo, id est anima qua infusa & coniuncta limo, factus est integer homo in animam viuentem. Et vt loquitur Athan. in Symbolo;* anima rationalis & caro vnus est homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens: ita Deus & homo vnus est C Christus. *D. Greg. 3 Mor. c. 7. in Iob. 2.* Testa saniem radebat sedens in sterquilinio. Quid aliud in manu Domini est testa, nisi caro ex nostræ substantiæ luto sumpta? Etenim testa igne solidatur, & caro Domini per passionem robustior extitit, vt illud Prophetæ impleatur. Aruit velut testa virtus mea. Sanies itaque, putredo est sanguinis; & peccati carnis ex longa vetustate, peior sanies est. Vulnus itaque in saniem vertitur, cum neglecta culpa vsu deterius grauatur. Redemptor itaque noster, corpus suum in manibus persequentium tradens, saniem testâ rasit, quia peccata nostra carne sua deleuit. Venit, vt scriptum est Rom. 6. in similitudinem carnis, peccati, vt de peccato damnaret peccatum, D &c. Qui non in foro vbi lex perstrepit, sed in sterquilinio residet, quia attestante Paulo, infirma mundi elegit vt confunderet fortia. *D. Aug. Ep. 120. ad Honoratum de gratia noui Test. vbi totum Psal. 21. decurrit.* S. Aug. Testa igne firmata est, sic & virtus corporis Christi non sicut fœnum igne consumitur, sed sicut testa passione velut igne firmatur. *Et in Psal. 21. ex professo* magnifice quòd dixit, firmum factum est nomen meum de tribulatione: quomodo enim te- S. Aug.

sta ante ignem mollis est, post ignem fortis, sic Domini nomen ante passionem contemnebatur, post passionem honorificatur. *Dico ego & meo sensu quin & Pauli, quin & ipsius Christi: Caro Christi ante mortẽ mollis & mortalis, post mortem immortalis facta est. Inde tristis anima eius vsque ad mortem. Post mortem omnis expers tristitiæ & doloris, Iam veste exuta, & immortali copulata.* Hoc sensu ex *Aug. Psaltes pro Christo dicebat, faccum carnem intelligens confossam vulneribus & punctam animam dolore, carnem flagellorum,* A *spinarum, Clauorum, lanceæ aculeis*: confodisti faccum meum, & circumdedisti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar. Quid est non compungar? iam non moriar: compunctus est enim cum in cruce penderet, & *quo dolore compunctus, vt exclamaret, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* lancea percussus est. *Vides vbique non animam carnalem, nec carnem animalem, sed animam animam, & carnem carnem in Christo, vt in nobis, excepta plenitudine gratiæ, & præcellentissimæ dignitatis.*

8. Aug.

5 *Carnem Christi spiritalem, animalem, sydeream, imaginariam, frustra Valentiniani asserunt. contra scripturam totam, veram esse dicentem. De car. Chri. cap. 15. per totum.*

LIcuit & Valentino ex priuilegio hæretico, carnem Christi spiritalem comminisci. Quiduis eam fingere potuit quisquis humanam credere noluit; quando (quod ad omnes dictum est) si humana non fuit, nec ex homine; non video ex qua substantia ipse se Chri-
a Ioh. 8. 40. stus hominem & filium hominis pronuntiarit. a *Nunc autem vultis occidere hominem, veritatem ad vos loquutum.* Et, b *Dominus est sabbati filius hominis.* De ipso enim Esaïas, c *Homo in*
b Matth. 12. 8. *plaga, & sciens ferre imbecillitatem.* Et Hieremias, d *Et homo est, & quis cognoscet illum?* Et Da-
c Isa. 53. 3. niel, e *Et super nubes tanquam filius hominis.* Etiam Paulus Apostolus, f *Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Item Petrus in Actis Apostolorum, g *Iesum Nazarenum virum vobis à Deo destinatum*, vtique hominem. Hæc sola sufficere vice præscriptionis debuerunt ad
d Ier. 17. 9.
e Dan. 7. 13.
f 1. Tim. 2. 5. testimonium carnis humanæ, & ex homine sumptæ, & non spiritalis; sicut nec animalis, nec sidereæ, nec imaginariæ, si sine studio & artificio contentionis hæreses esse potuissent. Nam
g Act. 2. 22. vt penes quendam ex Valentini natione legi, primò non putant terrenam & humanam Christo substantiam informatam, ne deterior angelis Dominus deprehendatur, qui non terrenæ carnis extiterunt. De hinc, quod oporteret similem nostri carnem similiter nasci;
Io. 1. 13. non de spiritu, nec de Deo; sed ex viri voluntate. Et cur non de corruptela, sed de incorruptela? Et quare non, sicut & illa resurrexit, & in cœlo resumpta est, ita & nostra par eius, statim assumitur? aut cur illa, par nostræ, non æquè in terram dissoluta est? Talia & ethnici volutabunt. Ergo Dei filius in tantum humilitatis exaustus? &, si resurrexit in exemplum spei nostræ, cur nihil tale de nobis probatum est? Meritò ethnici talia, sed meritò & hæretici. Nunquid enim inter illos distat; nisi quod ethnici non credendo credunt, at hæretici
h Psal. 8. 6. credendo non credunt? Legunt denique, h *Minorasti eum modicò citra angelos*, & negant infe-
i Psal. 21. 7. riorem substantiam Christi; i *nec hominem se sed vermem* pronuntiantis; qui k *nec formam habuit nec speciem; sed forma eius ignobilis, despecta citra omnes homines. Homo in plaga, & sciens ferre*
k Isa. 53. 2. *imbecillitatem.* Agnoscunt hominem Deo mixtum, & negant hominem. Mortuum credunt,
Psal. 109. 2. & quod est mortuum, ex incorruptela natum esse contendunt; quasi corruptela aliud sit à morte. Sed & nostra caro statim resurgere debebat. Expecta nondum inimicos suos Christus oppressit, vt cum amicis de inimicis triumphet.

EX PRIVILEGIO HÆRETICO. *Hic notat* B *petulantiam hæreticam Valentini sibi authoritatem tribuentis nouæ suæ fidei dogmata condere contra antiquæ fidei veritatem, dum carnem Christi finxit spiritalem.* AD OMNES *cuiuscunque secta hæreticos pernerse de Christi carne sentientes.* SI HVMANA NON FVIT, *caro scilicet Christi, eadem specie cum nostra, quomodo se Filium hominis toties in Euangelio dixit, toties in vtroque Testamento, cur vir & homo, & inferior Angelis, & in plaga, & mortuus dicitur Christus? Ex his locis & Iustinus in dial. cum Trypho. & Theodoretus de diuinis decretis lib. 5. verum hominem Christum probant. Sic Theod.* Hæc sufficiunt ad docen- C dum quod perfectam humanam accepit naturam, & ideo Filius Dauid, & Filius Abrahæ, & Filius hominis, & homo, & Adam, & Iacob, & Israel nominatus est. Quemadmodum enim erat perfectus Deus, ita etiam homo perfectus, perfectam salutem præbuit hominibus. NVNC AVTEM *Sic habetur Io. 8.* nunc autem quæritis *Translat. Syr.* *studetis* me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum. ET DOMINVS. *Ita Matthæi 12.* Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbati. *Translat. Syr.* Dominus enim Sabbati est Filius hominis. *Vatablus* Dominus est & Sabbati. HOMO IN PLAGA. *Vulgata Esa. 53.* Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus, vnde nec reputauimus eum. *Sanct. Pag. ex Hebr.* despectus est, & abiectus inter viros & vir dolorũ, & expertus infirmitatem, & abscondebamus faciem ab eo, &c. *Vatabl.* contemptissimus virorum, vir inquam dolorum, & qui infirmitatem est expertus; erit vt is à quo absconderet quis faciem, nempe contemptus, ita vt eum nihili reputemus. *Scholia autem Vatabli sic exponunt* is qui adeo formosus erat, postea tempore supplicij sui erit admodum deformis, vt videatur specie pristina, idest humana carere. Cum vidimus illum, non erat illi forma, itaut non optaremus eum videre vt antea. Reiectaneus inter homines, idest talis quem homines nolint admittere in suum consortium. Vir doloribus confectus, vel qui doloribus afficietur. *Tertullianus suo more sequitur versionem 70.* Species eius inhonorata, & deficiens præ

Aliis hominum. Homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitatem: quia auerta est facies eius, despecta & non reputata. ET HOMO IST, *Id hausit iuxta 70. Ieremi.17.* Profundum est cor super omnia: & homo est, & quis cognoscet eum. *Cetere omnes versiones cum Vulgata conspirant,* prauum est cor omnium & inscrutabile. Quis cognoscet illud? *Santt. Pagn. ex Hebr.* supplantatiuum est cor præ omnibus & peruersum est, &c. *Vatabl.* vastum cor super omnia & ærumnosum est, &c. *Nihil hic de homine, unde Tertul. applicet Christo non video, nisi quia prius Ieremias iuxta 70. de iusto loquens eum ligno fructifero comparauerat.* ET SVPER NVBES. *Sic habetur Danielis 7. in omnibus versionibus.* Ecce cum nubibus cœli. IESVM NAZARENVM. *Vulgata* Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigiis, & signis quæ fecit Deus per illum, in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, tradidistis. *Transf. Syr.* virum qui à Deo apparuit apud vos, &c. Hunc, cum ad hoc expositus esset præscientia & voluntate Dei, tradidistis manibus sceleratis, crucique affixistis atque trucidastis. *Vatablus* hunc definito consilio & prænotione Dei traditum, &c. *Quod fauet paraphrasi Tertul. quæ sic fatur;* VIRVM VOBIS A DEO DESTINATVM. *Alij referunt ad initium sententiæ quæ habet,* virum approbatum. Vnde & *Vatablus*: Virum exhibitum à Deo, vel demonstratum, designatum, quem Deus à se ad vos missum ostendit signis. VIGE PRÆSCRIPTIONIS, *vox forensis, quæ significat exceptionem & confutationem.* PENES QVENDAM. *Tangit Alexandrum sectatorem Valentini.* RATIONE. *Alij legunt ratione, factione. Tullius de Nat. Deorum dixit Nationem Candidatorum.* Ita saltem istum quo caret vestra Natio. CHRISTO INFORMATAM, *id est inuisam,* NE QVA TERIOR ANGELIS, *qui corpora subtiliora sumunt ex aëre.* NON DE SPIRITV. *Hic producit argumenta Alexandri, qui ne Christus Dominus Angelorum, ipsis inferior habeatur, non debet credi corpus habuisse terrenum. Rursum, vt contentiosi sunt hæretici, sic disputant: si Christus carnem similem nostræ assumpsit, debuit concipi sicut & nos ex semine & voluntate viri, & non ex Deo, & Spiritu sancto: non de Virgine, sed de matre corrupta, sicut & nos. Cur item caro eius non est soluta in cineres, vt nostra soluitur; & si nostra similis est, cur non statim post mortem resurgit, & ascendit in cœlum?* MERITO ETHNICI TALIA. *Hæretici solent argumenta sumere à Gentilibus. Ita & libro de resur. ipse Tertul.* Aufer hæreticis, quæ cum ethnicis sapiunt, vt de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.

CREDENDO NON CREDVNT. *Aug. lib. 17. cont. Faustum cap. 3* Qui in Euangelio quod volunt credunt, quod volunt non credunt, sibi potius quàm Euangelio credunt. ETHNICI, *&c. Licet fidem non habeant, multis tamen mysteriis credunt.* LEGVNT, *&c. Scilicet hæretici Psal. 8.* Minuisti eum Paulò minus ab Angelis. *Santt pagn. ex Hebr.* deficere fecisti eum paulum ab Angelis. *Vatabl.* Paululum siquidem eum quo Deo inferiorem illum fecisti, vel, nam fecisti eum Angelis paulò inferiorem 70. *Quadrant cum Vulgata. Augustinus Christo applicat hunc versum Psal. 8.* Quid est homo quia memor es eius, aut Filius hominis, quoniã tu visitas eũ? Homo hoc loco dictus est terrenus, Filius autem hominis, cœlestis. Et ille longè seiunctus à Deo, hic autem præsens Deo, &c. Filius igitur hominis primus visitatus est in ipso homine Dominico, nato ex Maria Virgine; de quo propter ipsam infirmitatem carnis, quam sapientia Dei gestare dignata est, & passionis humilitatem, rectè dicitur, minuisti eum paulo minus ab Angelis. Sed additur illa, clarificatio qua resurgens ascendit in cœlum; gloria inquit & honore coronasti eum, &c. quandoquidem & Angeli sunt opera manuum Dei, etiam super Angelos constitutum accipimus vnigenitum Filium. *Mirum, ait Tertul. quòd licet apud Psalten minoratum legam, negent tamen inferiorem Angelis, proindeque carnem habuisse terrenam. Verum legunt, non habentem speciem, hominem plagis conclusum* DEO MIXTVM, *hoc est Emanuelem nobiscum Deum, mortuum, & natum ex Virgine incorrupta, mortalem fateri nolunt, vel per* incorruptelam *intelligunt hæretici, sydera vel spiritalem substantiam transeuntem per virginis uterum, ex qua Christi carnem incorruptam esse volunt. Quasi verò aliud sit mori quàm corruptio & vitæ priuatio. Admittunt mortuum Christum, & carnem eius negant mortalem. Audiant Fulgentium nostrum sic Regino respondentem.* Impossibile vt corruptibilitas esse negetur, vbi animalis corpotis mortalitas inueniatur? Christus ergo in sola carne portauit nostram corruptionem, in qua veraciter nostram portauit & mortem. SED ET NOSTRA CARO, *&c. Hic inducit obloquentes hæreticos & dicentes, quod si caro nostra Christi Carni similis est, statim post mortem, vti & caro eius, resurgere deberet.* EXPECTA, *&c. Respondet prius implendam propheriam, & Petri & Psalmi: sic enim Petrus Act. 3.* Quem oportet quidem cœlum suscipere vsque in tempora resurrectionis omnium. *Transl. Syr.* Quem oportet cœlo capi vsque ad complementum temporum, &c. *Alij vertunt,* vsque ad tempora repletionis, vel renouationis omnium, *nempe ili die Resurrectionis, quo* implebit ruinas, cœlos nouos, terram nouam, noua faciet omnia, restituet hæreditatem nobis, reddet vnicuique iuxta opera sua. Replebimur in bonis domus eius, &c. *Sed & Actor. 2. idem Petrus expressius in rem Tertulliani, cùm de morte, & resurrectione Christi dixisset & probasset ipsi David non conuenire testimonia eius, sic concludit de Christo:* non enim David ascendit in cœlum, dixit autem ipse: dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Vatab. psal. 109 in Schol.* Dicet Dominus Christo suo in ascensione; do tibi potestatem super omnem Principatum & potestatem, vel super omnes subditos, donec coniiciantur reprobi in tenebras exteriores, per te dicentem, ite maledicti.

6 Christi veram Carnem frustra negat Marcion, abutens verbis Christi dicentis, qua est mater mea? quasi se natum excluderet: de Car. Chri. cap. 7. in p. ad circa f.

QVotiens de natiuitate contenditur, omnes qui respuunt eam vt præiudicantem de carnis in Christo veritate, ipsum Deum volunt negare esse natum, quòd dixerit, [a] *Quæ mihi mater, & qui mihi fratres?* Audiat igitur & Apelles, quid iam responsum sit à nobis Marcioni, eo libello quo ad Euangelium ipsius prouocauimus, considerandam scilicet materiam pronunciationis istius. Primò quidem, nunquam quisquam adnuntiasset illi matrem [a] Matth. 12. 48.

& fratres eius foris ſtare, qui non certus eſſet & habere illum matrem & fratres, & ipſos eſſe, quos tunc nuntiabat; vel retro cognitos, vel tunc ibidem compertos; licet propterea abſtulerint hæreſes iſta de Euangelio, quod & creditum patrem eius Ioſeph fabrum, & matrem Mariam, & fratres, ſorores eius optimè notos ſibi eſſe dicebant, qui mirabantur doctrinam eius. Sed tentandi gratia nuntiauerant ei matrem & fratres quos non, habebat. Hoc quidem ſcriptura non dicit, aliàs non tacens, quum quid tentationis gratia factum eſt circa eum: Ecce, inquit, [b] *ſurrexit regis doctor, tentans eum.* Et alibi, [c] *Et acceſſerunt ad eum Phariſæi, tentantes*: quod nemo prohibebat hìc quoque ſignificari, tentandi gratia factum. Non recipio, quod extra ſcripturam de tuo infers. Dehinc, materia tentationis debet ſubeſſe. Quid tentandum putauerunt in illo? vtique natus ne eſſet, an non? Si enim hoc negauit reſponſio eius, hoc captauit nuntiatio tentatoris. Sed nulla tentatio tendens ad agnitionem eius, de quo dubitando tentat, ita ſubito procedit, vt non ante præcedat quæſtio quæ dubitationem inferens, cogat tentationem. Porro ſi nuſquam de natiuitate Chriſti voluta-tum eſt, quid tu argumentaris, voluiſſe illos per tentationem ſciſcitari quod nunquam produxerunt in quæſtionem? Eò adiicimus, etiam ſi tentandus eſſet de natiuitate, non vtique hoc modo tentaretur, earum perſonarum adnuntiatione, quæ poterant etiam nato Chriſto non fuiſſe. Omnes naſcimur, & tamen non omnes aut fratres habemus aut matrem. Adhuc poteſt & patrem magis habere quàm matrem, & auunculos magis quàm fratres. Adeo non competit tentatio natiuitatis, quam licebat & ſine matris, & ſine fratrum nominatione conſtare. Facilius plane eſt, vt certi illum & matrem & fratres habere diuinitatem potius tentauerint eius, quàm natiuitatem; an intus agens, ſciret quid foris eſſet, mendacio petitus præſentiæ adnuntiatæ eorum, qui in præſentia non erant. niſi quod, etſi vacuiſſet tentationis ingenium, poterat euenire, vt quos illi nuntiabant foris ſtare, ille eos ſciret abſentes eſſe, vel valetudine, vel negotij, vel peregrinationis notæ iam neceſſitate nemo tentat eo modo, quo poſſe ſe ſciat ruborem tentationis referre. Nulla igitur materia tentationis competente, liberatur ſimplicitas nuntiationis, quod vere mater & fratres eius ſuperueniſſent. Sed, quæ ratio reſponſi, matrem & fratres ad præſens negantis? dicat etiam Apelles. [d] *Fratres Domini non crediderant in illum,* ſicut Euangelio ante Marcionem edito continetur, Mater æquè non demonſtratur adhæſiſſe illi, cùm Marthæ, & Mariæ aliæ in commercio eius frequententur. Hoc denique in loco apparet incredulitas eorum. cùm is doceret viam vitæ, cùm Dei regnum prædicaret, cùm languoribus & vitiis medendis operaretur, extraneis defixis in illum, tam proximi aberant. Denique ſuperueniunt, & foris ſubſiſtunt, nec introeunt, non computantes ſcilicet quid intus ageretur: nec ſuſtinent ſaltem, quaſi neceſſarius aliquid adferrent eo quod ille tum maxime agebat, ſed amplius interpellant, & à tanto opere reuocatum volunt. Oro te, Apelles, vel tu, Marcion, ſi fortè tabula ludens, vel de hiſtrionibus, aut aurigis contendens, tali nuntio auocareris, nonne dixiſſes: Quæ mihi mater, aut qui fratres? Deum prædicans & probans Chriſtus, Legem & Prophetas adimplens, tanti retro æui caliginem diſpargens, indignè vſus eſt hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris ſtantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere reuocantium? Ceterùm, ad negandam natiuitatem, alius fuiſſet & locus, & tempus, & ordo ſermonis, non eius qui poſſet pronuntiari etiam ab eo, cui & mater eſſet, & fratres.

[b] Matth. 22. 35.
[c] Matth. 19. 3. Matth. 22. 20.
[d] Io. 7. 5.
Luc. 8. 2.

Et 4. cont. Marc. cap. 26. in f.

[a] Luc. 11. 28. EXclamabat [a] *mulier de turba, beatum vterum qui illum portaſſet, & vbera quæ illum educaſſent.* Et Dominus; *immò, beati qui Sermonem Dei audiunt, & faciunt.* Quia & retro ſic reiecerat matrem, & fratres, dum auditores & obſecutores Dei præfert. Nam nec hìc mater adſiſtebat illi. Adeo nec retro negauerat, vt ne tum quum id rurſus audit rurſus proinde fœlicitatem ab vtero & vberibus matris ſuæ tranſtulit in diſcipulos; à qua non tranſtuliſſet, ſi eam non haberet.

CHRISTI CARO. VI. SCHOLIA.

SED QVOTIENS. *Reſponſum Chriſti Luc. 8. dicentis* quæ eſt mater mea, &c. *Toties Marcionita & Apelleiani proferebant in medium, quoties Chriſti veram natiuitatem impugnare volebant. Sed vellem, inquit Author, vt Apelles attentè expenderet, quæ de ea re reſpondi Marcioni, cum de Euangelio ab eo truncato diſputarem. Tollebant enim hæretici Verba Euangeliſtæ narrantis veniſſe ad Chriſtum matrem & fratres eius, quæ ſic habent Luc. 8.* Venerunt autem ad illum Mater & Fratres eius, & non poterant adire eum præ turba. Et nuntiatum eſt illi: Mater tua, & Fratres tui ſtant foris, volentes te videre. *Et Matth. 13.* adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres ſtabant foris quærentes loqui ei, &c. *Sic & Marci 3. Sola autem hæc Verba tam Matth. 12. quàm Marci 3* Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei, *dicta à Chriſto volunt quaſi tentandi gratia, cum Matrem & Fratres non haberet. Sed reſpondet ſolitum eſſe Scripturam præmittere, quoties ad tentandum Chriſtum aduerſarij venerunt. Sicut Matth. 19.* Acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum & dicentes: ſi licet homini dimittere vxorem ſuam quacumque ex cauſa? *Et Matth. 21.* abeuntes Phariſæi conſilium inierunt vt caperent eum in ſermone, &c.

itized by Google

Tum reiicit obiectionem hæretici de suo id inferentis. A *Præterea si tentatio esset, profectò Scriptura diceret, tentasse illos an natus esset, vel non esset. Sed nusquam prius de Christi natiuitate vlla quæstio fuerat volutata & proposita. Quidquod si de natiuitate sua tentatus fuisset, non multum vrgere potuisset interrogatio facta de parentibus, vel eorumdē annuntiatio, quia & mater & fratres potuerant esse defuncti, etiamsi verè natus fuisset. Poteratque superstes potius esse Pater, & auunculus, quam mater aut frater. Quorsum igitur tam expressa mentio matris & fratrum? Si tentandi animo venerant huiusmodi nuntij, potius certè experiri volebant eius Diuinitatem, quàm humanitatem: & probare an qui intus erat, videret & sciret, an foris starent parentes, & de mendacio conuincere Christum, si adesse dixisset, qui præsentes non essent. Cui addendum est quod isti tentatores non se exposuissent ruboris periculo, cum Christus vt quilibet alter* B *homo scire humanitus potuisset, eos quos astare foris mentiuntur, aliquò abiisse. Nulla ergo tentationis causa existente, constat annuntiatores simpliciter dixisse Christo quòd verè erat, scilicet matrem & fratres stetisse foris.* SED QVÆ RATIO RESPONSI. *Respondet Apelli vrgenti quòd Christus matrem & fratres abnegauerit dicens:* Quæ mihi mater, &c. *Rationem huius responsi crudi secundùm literam, fuisse maximè de fratribus, ideſt consanguineis & contribulibus qui in Euangelio Ioannis ante Marcionem edito, vt habetur cap. 7.* Neque enim fratres eius credebant in eum. *Translat. Syr.* Nam ne quidem fratres eius credebant in ipsum Ieschua, *Mater verò eius non ei perpetuò adhærebat sicut Martha & Maria Magdalena.* INCREDVLITAS EORVM. *Liquet non de Maria Matre Iesu, sed de Fratribus, incredulitatem argui. Cum enim Christus mira operaretur, & verbo & facto* C *omnes extraneos ad se traheret, proximi tamen eius consanguinei, non sic ei fideliter adhærebant, & importuni, eum seriis occupatum interturbant, & ab opere diuino euocant. Dic quæso, Apelles, & tu Marcion, si luderes, vel de histrionum aut aurigarum præcellentia disputares, nōne & idem responderes euocatus, quæ mihi mater, &c.* TABVLA LVDENS. *Ludum aleæ intelligit. De quo Concilium Elibertinum can. 79* Si quis fidelis aleâ, id est tabulâ luserit, placuit eum abstinere. *Supple à communione.* Et si emendatus cessauerit, post annum poterit communione reconciliari. *Campus tessera, alueus, tabula lusoria, Abacus dicebatur, alij* fritillum. *Pyrgum malè putant. Pyrgus enim est turricula, seu vasculum, in quo tali agitati* D *mittuntur in tabulam. Ambr. ser. 33.* ne ludus tabulæ mentem auocet. HISTRIONIBVS AVT AVRIGIS. *quorum actionibus intenti sponsionibus pro alterutro contendebant spectatores. Sic Macrob.* Nec moratus sponsione contendit. INDIGNO DICTO *&c, ideſt minus forte congruo dignitati matris, & paululum crudo, sed digno incredulitate fratrum foris stantium. Notandum porro Manichæum, restauratorem nugarum Marcionis, eodem loco Euangelij vsum, vt Christi veram carnem & natiuitatem destrueret. Sed apelliana hæresi suo tempore exorta respondet Iustinus Martyr:* non matrem honore debito priuat, sed cuiusmodi materni iuris genere Beatissima esset Virgo, declarat. Si enim qui audit Verbum Dei & custodit, is frater est Dei, & soror, & mater, & vtraque hæc matri eius inerant, nempe huiusmodi materni iuris laude beatificatā oportuit matrem eius. *Et D. Aug. lib. de fide Cont. Manich. c. 25.* Dicunt, quare ergo negauit matrem suam quando ei dixit, quid mihi & tibi est mulier? & quando cum ei nunciatū esset, quod eum vellet videre, respondit, quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? ac hos potius in hunc affectum computauit, qui facerent voluntatem potius eius? quia exemplo suo iam docebat, negandos esse terrenos parentes propter Deum. opera enim diuina facienti terrenus affectus obstrepere non debet. Nam si propterea, non habebat matrem, quia negauit matrem, nec Petrus & cæteri Apostoli habebant Patres, quia monuit eos dicens; & Patrem ne vocaueritis vobis super terram, vnus enim est Pater vester qui in cœlis est. Quòd ergo eos monuit de Patre terreno, hoc de matre prior fecit. S. Aug.

ET 4. CONTRA MARC. RECLAMABAT. *Luc. 11. 27.* Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit, Quinimo, Beati qui audiunt Verbum Dei & custodiunt. RETRO. *Luc. 8. 21.* Quæ est mater mea, & qui fratres mei? &c. NEC HIC. *Non erat præsens Maria dum hæc mulier exclamauit, Beatum eius vterum & vbera. Vnde quasi certum supponebat, Christum habere matrem.* NE TVM. *Nec etiam nunc, cùm rursum audiuit laudantem matris suæ ventrem & vbera.* TRANSTVLIT FORTASSE ITATEM. *Dicendo* Quinimo Beati. *Non ergo transtulisset beatitudinem à generatione carnali ad spiritalem, si beatam matrem suam non agnouisset. Ecclesiam virginem comparat D. Augustinus excellentiæ matris Christi, quæ nos fide per Verbum Dei concipit, lib. de Sancta Virginit. cap. 2.* Cùm ipsa, inquit Vniuersa Ecclesia Virgo sit, desponsata vni viro Christo, sicut dicit Apostolus; quanto digna sunt honore membra eius quæ hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide, quæ imitatur matrem viri & Domini sui? Nam Ecclesia quoque & virgo & mater est, &c. Maria corporaliter caput huius corporis peperit, Ecclesia spiritaliter membra illius capitis parit. In vtraque virginitas fœcunditatem non impedit, in vtraque fœcunditas virginitatem non adimit. Proinde, cùm Ecclesia vniuersa sit sancta, & corpore, & spiritu, nec tamen vniuersa sit corpore virgo, sed spiritu: quantò sanctior est in his membris, vbi virgo est & corpore & spiritu? S. Aug.

* 7. *Carnis veritatem Christus apparens homo suasit hominibus, quam negauit Marcion; ne ad Deum Creatorem pertinere conuinceretur. 3. cont. Marc. cap. 11. in p. ad m.*

TOtas istas præstigias putatiuæ in Christo corpulentiæ, Marcion illa intentione suscepit, ne ex testimonio substantiæ humanæ, natiuitas quoque eius defenderetur, atque ita Christus Creatoris vindicaretur, vt qui nascibilis, ac per hoc, carneus, annuntiaretur. Stultissimè & hîc Ponticus, quasi non facilius crederetur caro in Deo non nata, quàm falsa; præstruentibus vel maximè fidem istam angelis Creatoris, in carne vera conuersatis, nec tamen nata. Nam & Philumene illa magis persuasit Apelli, ceteriſque desertoribus Marcionis, ex fide quidem Christum circumtulisse carnem; nullius tamen natiuitatis; vtpote de elementis eam mutuatum. Quod si verebatur Marcion, ne fides carnis, natiuitatis quoque fidem induceret; sine dubio qui homo videbatur, natus vtique credebatur. nam & [a] *mulier quædam ex-*

[a] Luc. 11. 27.

Matth.12. 47. *clamauerat, Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ hausisti.* &, Quomodo mater & fratres ejus dicti sunt foris stare? Et videbimus de his capitulis suo tempore. Certè quum & ipse se filium hominis prædicaret, natum scilicet profitebatur. Nunc vt hæc omnia ad Euangelij distulerim examinationem, tamen quod suprà statui, si omni modo natus credi habebat, qui homo videbatur; vanè natiuitatis fidem consilio imaginariæ carnis expungendam putauit. Quid enim profuit, non verè fuisse, quod pro vero haberetur, tam carnem quam natiuitatem? Aut si dixeris, viderit opinio humana: jam Deum tuum honoras fallaciæ titulo, si aliud se sciebat esse, quàm quod homines fecerat opinari. Iam tunc potuisti etiam natiuitatem putatiuam illi accommodasse, ne in hanc quoque impegisses quæstionem. Nam & mulierculæ nonnunquam prægnantes sibi videntur, aut sanguinis tributo, aut aliqua valetudine inflatæ. Et vtique debuerat phantasmatis scenam decucurrisse, ne originem carnis non desaltasset, qui personam substantiæ ipsius egisset. Planè natiuitatis mendacium recusasti: ipsam enim carnem veram edidisti. Turpissimum scilicet Dei, etiam vera natiuitas.

CHRISTI CARO. VII. SCHOLIA.

TOTAS PRÆSTIGIAS, *phantasmata & illusiones carnis imaginaria, & non vere, Marcion idcirco induxit; ne si veram humanam substantiam in Christo crederet, eius quoque natiuitatem humanam fateri cogeretur: ac per hoc ad Deum Creatorem, carnis factorem pertinere censeretur.* STVLTISSIMÈ *hac Marcion Ponto natus excogitauit, cùm facilius sit & persuasibilius intellectui, suo proprio bono, id est veritati assentiri, carni in Christo vera, licet non nata ex matre, quàm falsæ & phantasticæ: cùm id etiam probari posset ex apparitionibus Angelorum in carne vera, quamuis non nata. Hoc de suo sensu & multorum veterum credidit Tertul. Angelos scilicet vera habuisse corpora. Nunc plenius instructa Ecclesia, incorporeas omnino asserit substantias.* NAM ET PHILVMENE, *&c. Ex virgine, facta est scortum insigne, prophetissa Apellis, quæ juxta fidem communem carnem Christo adscripsit, idque Apelli, & aliis ab errore Marcionis deficientibus persuasit, licet cum eo non natam senserit. Sic Tertul. de car. Chri. cap 6.* Quidam discentes Pontici illius, supra Magistrum sapere compulsi, concedunt Christo carnis veritatem, sine præiudicio tamen renuendæ natiuitatis. Habuerit, inquiunt, carnem, dum omnino non natam. *Plura vide de Apelle & Philumene, verbo Apelles per totum.* MVLIER QVÆDAM. *Luc.* 11. Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. *Translat. Syr.* vbera quæ lactauerunt te. *Hæc mulier dicitur, vt Lyranus ait, fuisse Marcella D. Marthæ famula. Borchardus 1. p. c. 2. §. 5.* Ante Tyri januam ad ortum sitam jactu duarum sagittarum inter sparsas arenas, ostenditur Christi prædicationis locus, vbi mulier exclamauit: Beatus venter qui te portauit. *Idem scribit Adrichomius in theatro Terræ sanctæ, in tribu Aser numero 85. Non admitto quod aliqui volunt hanc fœminam, non cognouisse Christi Matrem, sed communi & vsitata Hebræis paræmia locutam, qua solent aliquem laudibus extollere. Sicut Raby Iohannam in tract. Thalmudico cum vellet Discipulum suum laudare* Fœlicem illam quæ te genuit. *Cum enim esset Marthæ famula, vix poterat Christum, & matrem eius ignorare. Beda in Lucam probè cognitos huic mulieri probat his verbis:* Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis & Phariseis Christum tentantibus, simul & blasphemantibus, tanta eius Incarnationem sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, vt & præsentium procerum calumniam, & futurorum hæreticorum confundat perfidiam. *Huius veri laudes multis encomiis extulit Scriptura, dum Psal. 18.* Thalamus Solis. *Cant. 4.* Hortus conclusus, & fons signatus. *Cant. 3.* Ferculum Salomonis, & reclinato-

A rium aureum. *Cant. 7.* Aceruus tritici. Vallatus liliis. *Iudic. 6.* Vellus Gedeonis cœlesti rore perfusum. *3. Reg. 10.* Thronus eburneus Salomonis. *Gen. 2.* Paradisus voluptatis. *Hebr. 9.* Vrna aurea mãna habens *Exodi 25.* Mensa Sethim deaurata & coronata, panem propositionis ferens. *Vnde exclamat Epiphan. ser. de laud. Virg.* O vterum impollutum, habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehensum, in te verè comprehensum portasti. *Licet autem Christus huic mulieri laudatrici, & vere carnis suæ, ex vtero nata & lactata vberibus virgineis, intulerit,* quinimo beati, &c. *Sciendum particulam hanc non esse negantis, sed aliud inferentis, quod quis magis inculcatum optat. Quasi dixisset: magna quidem est beatitudo, me genuisse, portasse, lactasse, sed maior est mihi credere, audire & facere Verbum Dei. Sic Aug. lib. de sanct. Virg. c. 3.* Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi quam concipiendo carnem Christi, &c. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius Christum corde, quàm carne gestasset. *Et tract. 10. in Io. eadem verba premens ex Luc. 11.* Quinimo beati, &c. Hoc est dicere: Mater mea quam appellasti fœlicem, inde fœlix, quia Verbum Dei custodiuit, non quia in illa Verbum caro factum est, sed quia custodiuit ipsum Verbum Dei, quod facta est, & quod in illa caro factum est. SI OMNI MODO NATVS, *&c. Si verè natus, & cum vera carne, credendus erat, qui videbatur, & conuersabatur, vt verus homo, frustra Christus fidem & veritatem vera suæ Natiuitatis* expungendam, *id implendam putauit, dum imaginaria carne vsus fuit. Quidquid inutilem rem egisset, sed etiam Deo vere indignam, si scilicet voluisset credi tanquam veram carnem suam, & Natiuitatem, quæ tamen falsa & imaginaria fuisset.* POTVISTI NATIVITATEM, *&c. Quid non potius, Marcion, Christi natiuitatem saltem phantasticam Christo imputasti, sicut & carnem? Sic enim te à superflua quæstione expedisses, facta postea de natiuitate vim.* NAM ET MVLIERCVLÆ, *&c. Sic enim facilè phantasma simile de eius conceptu in vteri suasisses, adducto exemplo mulierum, quæ sibi imaginantur se esse grauidas, & propinquas partui ex retento menstrui sanguinis tributo, vel aliqua alia agritudine vterum inflante.* SCENAM DECVCVRRISSE, *&c.* DESALTASSET. *Debueras omnino & absolutè, ab ipso natali vsque ad mortem, merum phantasma Christum, in tua hæreseos scenam & theatrum inducere, nec transilire eius originem & natiuitatem quam debueras primò non omnino negare, sed introducere phantasticam, deinde ad carnem, tum ad vitam, verba, miracula, passionem, mortem similiter phantasticam, bellulo & mimico ordine procedere, cum personam substantiæ*

phantaſtica geſſiſſet & egiſſet Chriſtus tuus. MENDACIVM RECVSASTI, *ſcrupuloſus nimirum maieſtatis Chriſti tui venerator, nativitatem vt indignam Chriſto vero, mendacem erubuiſti confiteri. Si ergo non mendaciter natum credidiſti, ergo verè natum, & in vera carne credere voluiſti, & in lucem è mendacij tenebris, veram carnem Chriſti produxiſti.* TVRPISSIMVM SCILICET DEI, *&c. Cum argumento precedenti ironiè contra eum vibrato egregie illuſiſſet; nunc ex ſenſu Marcionis exclamat: Rem planè indignam Deo, & probroſiſſimam credere recuſaſti, ô Marcion, omnium Autorem & Creatorem, in vera & creata carne, de ſua creatura naſci. Sed tanto amabilior & dignior mihi, quo pro me magis, verè indigna ſuſcepit.*

* 8. *Chriſtus abſque ignominiis carnis vera, exors roboris & confuſionis fuiſſet; quæ Marcionis phantaſmati non conuenit.* 4. *cont. Marc. cap.* 21. *circa. f.*

ZElotem Deum mihi exhibet, malum malo reddentem. [a] *Qui confuſus*, inquit, *mei fuerit; & ego confundar eius.* Quando nec confuſionis materia conueniat, niſi meo Chriſto: cuius ordo magis pudendus, vt etiam hæreticorum conuitiis pateat, omnem natiuitatis & educationis fœditatem, & ipſius etiam carnis indignitatem, quanta amaritudine poſſunt perorantibus. Ceterùm, quomodo ille erit obnoxius confuſionis, qui eam non capit? non vulua, licet virginis, tamen feminæ, coagulatus; & ſi non ſemine, tamen, ex lege ſubſtantiæ corporalis, ex feminæ humore: non caro habitus ante formam: non pecus dictus poſt figuram: non decem menſium cruciatu deliberatus: non ſubita dolorum concuſſione cum tanti temporis cœno per corporis cloacam effuſus ad terram: nec ſtatim lucem lacrymis auſpicatus, & primo retinaculi ſui vulnere: nec multum ablutus: nec ſale & melle medicatus: nec pannis jam ſepulturæ inuolucrum initiatus: nec exinde per immunditias inter ſinus volutatus, moleſtus vberibus, diu infans, vix puer, tardè homo: ſed de cœlo expoſitus, ſemel grandis, ſemel totus, ſtatim Chriſtus, ſpiritus, & virtus, & Deus tantum. Ceterum, vt non verus, qui non videbatur; ita nec de crucis maledicto erubeſcendus, cujus carebat veritate, carens corpore. Non poterat itaque dixiſſe, [b] *Qui mei confuſus fuerit.* noſter hoc debuit pronuntiaſſe, [c] *Minoratus à patre modico citra angelos*: [d] *Vermis, & non homo, ignominia hominis, & nulliſ. amen populi*; quatenus ita voluit, [e] *vt liuore eius ſanaremur*, vt dedecore eius ſalus noſtra conſtaret.

[a] Luc. 9. 26.

[b] Luc. 9. 26.

[c] Pſal. 8. 6.

[d] Pſal. 21. 6.

[e] Eſa. 53. 5.

CHRISTI CARO. VIII. SCHOLIA.

SED ET ZELOTEM. *Quid dices Marcion, quomodo Chriſtum tuum ad Creatorem pertinere negabis, non verè ad Deum tuum, ſolummodo mitem & bonum, zeli, vindictæ, talionis ignarum; cum Euangelium Lucæ, quod tu recipis, Deum zelotem, & malè reddidorem, & in erubeſcentes ſe confiteri, pariter erubeſcentem induxerit? Quomodo negare poteris verè natum, cui confuſio & rubor conueniat? Quis hominem verum abnegat cum ratione ſuſceptæ carnis, tot ſe expoſuerit hæreticorum calumniis, qui natiuitatem eius tanta verborum impudentia proſequuntur? Sic inducit Tertul. eadem hæreticorum conuitia, qui vt Autoritatem tribuant ſuæ hæreſi carnem natam in Chriſto neganti, communes infantium ſordes & ignominias exaggerant. De Car. Chri. cap.* 4. Si neque vt impoſſibilem, neque vt periculoſam Deo repudias corporationem, ſupereſt vt quaſi indignam reiicias & accuſes; ab ipſa quidem exorſus odio habita natiuitate. Age iam peroras purcitias Genitalium in vtero elementorum, humoris & ſanguinis fœda coagula carnis ex eodem cœno alendæ per nouem menſes, &c. *Qua infra videbis Numero* 19. *Et rurſum ſimilia Verbo Chriſti Natiuitas* 2. QVI EAM NON CAPIT. *id eſt quomodo erit* obnoxius confuſionis, *id. confuſioni quomodo ſubditus erit qui eius capax non eſt; vtpote carnem ſolum habens phantaſticam & non natam? qui licet in vtero Virginis, fœmina tamen & deſponſata vtero conceptum non eſt, nec ex eius humore, id. ſanguine, abſque virili ſemine, tamen ſecundum legem ſubſtantia corporalis carne concretus; qui antè formam, id eſt organa carnis diſpoſita & formata, maſſa carnis informis non fuerit habitus.* NON PECVS, *id. embrio, inſtar animalis, poſt figuram membris inductam:* CRVCIATV DELIBERATVS. *id eſt, non toto matris grauidæ tempore variis nauſeis, & ipſius partus vſque ad decimum menſem ſuſpenſi & deliberati cruciatu, vel ſubita prægnantis matris concuſſione dolorum, cum collectis tanto tempore ſordibus, per ſpurcam materni corporis cloacam in terram effuſus: nec ſtatim abſciſſo umbilici retinaculo, iuxta Salomonem, ſimilem omnibus hominibus vocem primam emiſit plorans, primam vitæ auroram incipiens & lucis vſuram ab effuſo lacrymarum imbre; ob multas ſordes ſanguinolenti corpuſculi plurimùm lotus. Sic de omni naſcente D. Auguſtinus, lib.* 21. *de Ciuit. cap.* 14. Non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem; quid malorum ingreſſa ſit, neſciens prophetat. *Et ſer.* 246. *de temp.* Mox vt homo ſæculo naſcitur, & vitam plenæ miſeriæ velut propheta futuri laboris ſui, præconio lacrymoſæ vocis ingreditur. SALE ET MELLE MEDICATVS. *Perfricatus, ad molliuſculam carnem ſolidandam. Nec iam in primis pannis, augurium ſepulturæ ominatus: nec propter excrementa infantilia cæteraſque ſordes in matris ſinu & genibus volutatus, &c. quomodo, inquit, ille confuſionis capax eſſe potuit, qui etſi lege communi* in ſimilitudinem hominum factus, habitu inuentus vt homo? *hæc omnia paſſus fuiſſet,* licet de virgine, abſque dolore & ſordibus partus natus ſit, *quem tu, non per ætates infantem, vix puerum, tardè hominem, ſed ſubitò ſemel grandem, totum, Dei virtutem, & Spiritum, tantum nihil infirmitatis expertum introducis?* CÆTERVM VT NON VERVS, *&c. Superest vt Chriſtus tuus qui verus non erat homo, proindeque verè videri non poterat qui verè non erat, ſic nec poterat crucis maledicto verè ſubjici, enius rubore vero ſuffundi non potuit, cum vero careret corpore. Ac proinde dixiſſe non potuit*; qui mei confuſus fuerit. *Quis enim confundatur pro Chriſto non crucifixo, non carnem, non ſanguinem verum habente, quem funderet, quam nudam rubori & ignominiæ exponeret. Noſter planè Chriſtus, quem Pater æternus juxta Pſalmum, rationem carnis aſſumptæ,* minuit pau-

S. Aug.

S. Aug.

lò minus ab Angelis, *hoc potuit dicere.* ORDO PVDENDVS. *Intelligit ordinem communem natiuitatis & educationis.* CARNIS INDIGNITATEM. *Idem Tertul. 3. cont. Marc.* Si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis, meus erit Christus: Talis enim habitu & adspectu annuntiabatur. *Et cont. Iud.* primo sordidis indutus est; id est carnis passibilis & mortalis indignitate. FOEMINÆ HVMORE *ita de car. Chri. dixit:* humoris & sanguinis fœda coagula. NON PECVS, *&c. Sic Intima Firmicus lib. 7. cap.* 1. Pecus intra viscera Matris artuatim concisum à Medicis proferetur. DECEM MENSIVM CRVCIATV DELIBERATVS. *Alij* delibratus. *Totus enim infans in vtero contractus, & incuruus velut in rota cruciari videtur. Dixit autem partum deliberari, quandiu fœtus in vtero formatur & perficitur, decem mensium excurrente spatio. Eadem voce vsus est dum in Apologetico de conceptu loquens dixit, conceptum deliberari*, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, *aly:* liberatus. *Quasi ex ergastulo & caco carcere vteri materni. Pamelius legit:* nouem mensium. *Vt & legis in libro de carne Christi. Et Hieron. cont. Heliod. dixit:* nouem mensibus vterum insolescentem. *Et Tertul. lib. de Anima.* Legitima natiuitas fermè decimi mensis ingressus; *id est initium decimi mensis, & noni impleti. Et patet ex supputatione à conceptu Christi vigesimo quinto Martij vsque ad natalem eius 25. Decembris nouem plenos menses excurrere. Fortè, respuendo quæ Christo concepto de Virgine, sine virili semine, non quadrant, pro ceteris infirmitatibus carnis allusit ad Sap. 7.* Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in vtero matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, &c. *Quæ Christo non conueniunt* ex semine hominis & delectamento somni. *Sequentia quadrant:* Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. QVI MEI CONFVSVS, *&c. Excerpsit hunc locum ex Luc. 9.* Qui me erubuerit, & meos sermones: Hunc Filius hominis erubescet cum venerit in Majestate sua & Patris, & sanctorum Angelorum. *Translat. Syr.* Quem puduerit mei, meorumque sermonum; pudebit eius filium hominis cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis suis sacro-sanctis. VERMIS ET NON HOMO. *Psal. 21.* Ego autem sum vermis & non homo opprobrium hominum & abiectio plebis. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Et ego sum vt vermis, & non vir, &c. *Vatablus.* Ego autem, &c. opprobrium hominum & contemptus à populo. *Et in Schol.* Ego sum in summa ignominia: nam habeor tanquam vermis, id est pro re nihili, & non homine. Peculiare autem est Hebræis vt homines viles & omnibus modis abiiciendos, vermes vocent. *Aug. in Psal. 21.* Vermis & non homo. Nam est & homo vermis, *sic enim Iob. 25.* *Homo putredo & Filius hominis vermis. Sanct. Pagn. ex Hebr. Homo vermis, & Filius hominis vermis*, sed ille, vermis, & non homo. Vnde non homo? quia Deus. Quare ergo sic se abiecit, vt diceret, vermis? An quia vermis de carne sine concubitu nascitur, sicut Christus de Maria Virgine? Et vermis, & tamen non homo. Quare vemis? quia mortalis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus. Quare non homo? *id est purus homo, & nil supra cæteros homines habens*, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Opprobrium hominum & abiectio plebis. Videte quanta passus est, &c. Ecce speruerunt Patres nostri, & eruti sunt de terra Ægypti, & sicut dixi, tam multi inuocauerunt, & statim, ad tempus, non in futura vita, sed continuò liberati sunt. Ipse Iob diabolo petenti concessus est, putrescens vermibus: tamen in hac vita recuperauit salutem, duplo accepit quæ perdiderat. Dominus autem flagellatus est, & nemo subueniebat: sputis deturpabatur, & nemo subueniebat: colaphis cædebatur, & nemo subueniebat: spinis coronabatur, nemo subueniebat: læuabatur in ligno, nemo eruit: clamat, Deus Deus meus, vt quid me dereliquisti? Non subuenitur. Quare, fratres mei? quare? qua mercede tanta passus est? omnia ista quæ passus est, pretium erat. *An hæc pati potuit sine carne vera? sic confundi sine carne vera? Et verum dedit pretium*, non corruptibile aurum & argentum vel lapidem pretiosum, sed sanguinem agni immaculatum. *Vt verum nobis acquireret regnum, & suo nomini gloriam & sacco concisæ carnis lætitiam, & pro confusione crucis, æternam ab omni creatura benedictionem.* Qui proposito gaudio sustinuit crucem confusione contemptu.

Aug. Aug.

9. *Carnem Christi veram eidem negant hæretici, qui carnis Resurrectionem, votum fidelium omnium impugnant. De car. Chri. cap. 1. in p.*

QVi fidem Resurrectionis, ante istos Sadducæorum propinques, sine controuersiâ ratam, ita student inquietare, vt eam spem negent etiam ad carnem pertinere, meritò Christi quoque carnem quæstionibus distrahunt, tanquam aut nullam omnino, aut quoquo modo aliam, præter humanam: ne si humanam constiterit fuisse, præiudicatum sit aduersus illos eam resurgere omni modo, quæ in Christo resurrexerit. Igitur vnde illi destruunt carnis vota, inde erunt præstruenda. Examinemus corporalem substantiam Domini: de spiritali enim certum est. Caro quæritur. Veritas, & qualitas eius retractatur. an fuerit, & vnde, & cuiusmodi fuerit. Renuntiatio eius dabit legem nostræ Resurrectioni.

CHRISTI CARO. IX. SCHOLIA.

QVI FIDEM, *&c. Hæretici qui antiquam fidem certam & ratam de Resurrectionis articulo, perturbare student, vt spem resurgendi carni nostræ detrahant, non sine causa Christi carnem variis quæstionibus in dubium vocant, alij phantasticam omnino, alij ab humana substantia longè diuersam asserentes: ne si fateantur in Christo veram & humanam, quæ verè mortua, verè item resurrexerit; Iam præiudicium contra eos sumamus, nos quoque resurrecturi, quorum resurrectio, vt ait Aug. in capite nostro Christo præcesserit. Et hoc fuit argumentum Pauli.* Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. *Vnde cum illi vota nostra & desideria carnis* quæ interitum non appetit, sed vitam eamque æternam, *destruere præsumant, Christi carnem veram abnuendo; Nos contra ad spei resurrectionis nostræ solida fundamenta ponenda, fidem veræ Carnis in Christo collocamus. Nam ex Paulo*, fides est substantia rerum

rum ſperandarum; *& ex Aug.* fides eſt fundamentum ædificij: ſpes murus æneus. DE SPIRITALI, *&c. nemo ſpiritalem Chriſti ſubſtantiam, id eſt, animam in dubium vocat, de corporali Quæritur*, RETRACTATVR, *id. tractatur, diſputatur, an carnem habuerit Chriſtus, vnde eam ſumpſerit, cuius ſubſtantiæ & naturæ.* RENVNTIATIO EIVS, *&c. Expoſitio eius, lex erit, ex qua, & iuxta quam noſtra Reſurrectio dignoſcetur; vt ſi veram carnem in Chriſto probauerimus, veram noſtram reſurrectionem concludamus.* ANTE ISTOS SADDVCÆORVM PROPINQVOS. *Hic tangit tres hæreticos, quos nominatim hoc libro conuincit. Marcionem Apellem, Valentinum. At libro de Reſur. cap. 2. dicit librum ſcriptum* aduerſus quatuor hæreſes. *Quartum itaque intellige Saturninum, vel Cerdonem: Lacerda mauult Baſilidem, quem Tertul. tribus adiunxit de Reſur. cap. 2.* in ipſa prius carne eius errauerunt, aut nullius veritatis contendentes eam ſecundum Marcionem & Baſilidem; aut propriæ qualitatis ſecundum hæreſes Valentini; & Apellem. *Mauult tamen idem Author ſic computare quatuor hæreſes; primam Marcionis in qua fuerat Baſilides, quos ſimul iunxit Tertullianus; ſecundam Apellis, tertiam & quartam Valentinianorum; quia hæreſes in plurali dixit Valentini; vnam ſcilicet de carne Chriſti animali, alteram de carne Chriſti ſpiritali. Vnde & Tertull. ſeipſum citans lib. de Reſurrect. cap. 2.* volumen præmiſimus de Carne Chriſt. *deinde ſubiecit* de carne vero Domini etiam aduerſus quatuor hæreſes. SADDVCÆORVM PROPINQVOS. *id. affines eiuſdem erroris; negabant enim cum Sadducæis Matth. 22. reſurrectionem. Ita & Tertull. lib. de Præſcr.* hæc opinio prima Sadducæorum; partem eius vſurpat Marcion, & Appelles, ac Valentinus; ac ſi qui alij reſurrectionem carnis infringunt. *Secundo vt Sadducæi ſolos libros Moyſi admittebant, vnde & Chriſtus contra eos agens de reſurrectione mortuorum, cum potuiſſet expreſſiores locos proferre ex veteri Teſtamento, ſolo Pentateucho vſus eſt: ſic illi hæretici, Scripturas ſibi contrarias reſpuebant. Tertiò quia hæretici iſti Magiſtrorum deſertores,* qualem hoc capite primo Tertul. Apellem & Valentinum vocat, *ſic Sadducæi: Sadoc enim eorum Hæreſiarcha fuerat diſcipulus & deſertor Antigoni Phariſæi. Sic Helias in Tisbi, verbo Sadoc.* Duos diſcipulos habuit Antigonus vir Sochæus, quorum alteri Sadoc, alteri Baietos nomen erat; qui deficientes à Præceptore ad homines malos, cœperunt negare legem ore tenus traditam. *Notat præterea Ruby Abraham in Cabala Sadoc ab Antigono tranſiſſe ad templum à Manaſſe in monte Garizim inter Samaritas ſtructum, in quo erat alia ſecta; & Sadducæorum hæreſim ibi inſtituiſſe tempore Alexandri magni.*

Aly notant Sadoc habuiſſe alium præceptorem Samaritanum Doſitheum nomine, qui de ſuo adjecit Magiſtri ſui doctrinæ Vnde lib. de Præſcr. notat Sadducæos præſumpſiſſe, ad hæreſim Doſithei, negare carnis reſurrectionem. Sic & fecit Apelles cum Marcione præceptore. SINE CONTROVERSIA RATAM. *Aly* ortam, *aly* moratam. *Quod idem eſt. Ante enim Sadducæos & Sadducæorum propinquos, nulla erat de Reſurrectione controuerſia, ſed rata & firma fides huius articuli, orta prius Deo & Scriptura docente, in fidelium cordibus inconcuſſa perſtabat. Paulus 2. Tim. 2. Philetum & Hymenæum dicentes iam factam eſſe reſurrectionem, compreſſerat. Cherintum, qui cum ſuis aſſeclis poſt Simonem Magum reſurrectionem impugnauerat, exploſit idem Apoſtolus. 1. Cor. 15.* DESTRVVNT CARNIS VOTA. *Sic Tertul. hoc ipſo libro*; hæc erunt vota carnis recuperandæ. *Et Ambr. lib. 1. de Virg.* De reſurrectione quid dicam, cuius præmia iam teneris? in Reſurrectione neque nubent, neque nubentur, &c. quod nobis promittitur, vobis præſto eſt, votorumque noſtrorum vſus apud vos eſt. *De his vox exultabundus Pſaltes. Pſ. 15.* Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, &c. *Aug.* Inſuper & caro mea non deficiet in interitum, ſed in ſpe reſurrectionis obdormiet, &c. Neque ſanctificatum corpus, per quod & alij ſanctificandi ſunt corrumpi patieris. *Et in Pſal. 70.* Conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. Factus eſt ille quod tu, Filius hominis, vt nos efficeremur Filij Dei. Caro factus. Vnde caro? Ex Maria Virgine, &c. Vt quid hoc? Ad exemplum. Suſcepit à te in quo moreretur pro te. Suſcepit à te, quod offerret pro te, quo exemplo doceret te. Quid doceret te? quia reſurrecturus es Vnde enim crederes, niſi exemplum carnis præcederet aſſumptæ de maſſa carnis tuæ? Ergo in illo primo reſurreximus, quia & Chriſtus cum reſurrexit, nos reſurreximus Non enim Verbum mortuum eſt & reſurrexit; ſed in Verbo, *id eſt vnita Verbo*, caro mortua eſt, & reſurrexit. Ibi mortuus eſt Chriſtus, vbi es tu moriturus: Et ibi reſurrexit Chriſtus, vbi tu es reſurrecturus. Exemplo ſuo docuit, quid non timeres, quid ſperares. Timebas mortem, mortuus eſt: *Et abſorpta eſt mors in victoria, aſcendit enim ſuper occaſum dum reſurgendo vicit corporis caſum, ait alibi Aug.* deſperabas de Reſurrectione, reſurrexit. Sed dubis mihi: ille reſurrexit; Nunquid ego? Sed reſurrexit in eo quod pro te accepit ex te. Ergo natura tua in illo præceſſit te: & quod ſumptum eſt ex te, aſcendit ante te. Ibi ergo & tu aſcendiſti. Aſcendit ergo ille prior, & in illo nos, quia caro illa de genere humano. Ergo & illo reſurgente, reducti ſumus ex abyſſis terræ. Cum itaque reſurrexit Chriſtus, de abyſſis terræ reduxiſti me. Cum vero credimus in Chriſtum, de abyſſis terræ iterum reduxiſti me. *Quia credendo in Chriſtum mortuum, & ſuſcitatum, ſanamur à morte, vt ais alibi idem Auguſtinus: Et ſi mortuus eſt qui non habet fidem, ſurgit à mortuis qui fide illuminatur à Chriſto.* Ecce vnum iterum audis impleri ab Apoſtolo Coloſſ. 3. Si ergo reſurrexiſtis cum Chriſto, &c. præceſſit ergo ille, iam reſurreximus & nos, ſed adhuc in ſpe, & cæt. reducti ergo ſumus iterum ab abyſſis ſpe. Quare iterum? quia iam Chriſtus præceſſerat. Sed quia reſurgemus in re. Modo enim ſpe viuimus, modo ſecundum fidem ambulamus, reducti ſumus ab abyſſis terræ, credendo in eum qui ante nos reſurrexit ab abyſſis terræ. Reſuſcitata eſt anima noſtra ab iniquitate infidelitatis, & facta eſt in nobis, quaſi prima reſurrectio per fidem. Sed ſi ſola erit, vbi eſt quod Apoſtolus ait Rom. 8. & ipſi in nobis ingemiſcimus adoptionem expectantes, redemptionem corporis noſtri, &c. *Liceat & mihi illud* iterum *exponere. Dixerat Chriſtus voce Pſaltis*, Subſtantia mea in inferioribus terræ, *vel vt aly*: in vtero matris meæ: *quæ verò partem inferiorem terræ ſe ſenſit, dum* abyſſus dedit vocem ſuam, *& ſe Ancillam & vile mancipium nominauit. De abyſſis ergo terræ primo eductus eſt, cum de Virgine natus eſt. Iterum eductus, dum anima ex inferno*, inferioribus partibus terræ, *& corpus in monumento poſitum, ad vitam reductum eſt. Vel primo in ſe & capite noſtro eductus eſt ex morte, & iterum, certitudine prophetiæ, reduxiſti me, dum in corpore ſuo, in toto genere humano reſurget. Sæpius inculcauit Auguſtino, idem eſſe caput & corpus, Chriſtum & Eccleſiam,*

10. *Caro Christi vera & medica probatur, ex eius attactu.* *4. cont. Marc. cap. 8. in m.*

Luc. 4. 40. a Esai. 53. 4.

MOx tetigit alios, quibus manus imponens, vtique sentiendas, beneficia medicinarum conferebat, tam vera, tam non imaginaria, quàm erant per quas conferebat. Ipse igitur est Christus Esaïæ, remediator valetudinum. [a] *Hic, inquit, imbecillitates nostras auferet, & languores portat.* Portare autem Græci etiam pro eo solent ponere, quod est, tollere. Sufficit interim mihi generalis repromissio. Quodcunque curauerit Iesus, meus est. Veniemus tamen & ad species curationum.

CHRISTI CARO. X. SCHOLIA.

MOX TETIGIT ALIOS. *Sequela est capitis in quo iuxta Luc. 4. Egerat de iniectione manuum in Christum, & eius eiectione extra ciuitatem, qua probauit ex contactu eius corporis solidam carnis Christi substantiam: deinde secundum eundem Lucam ibidem eandem probat veritatem ex actiuo contactu Christi: cum enim Euangelista narrasset expulsionem eius;* Surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. *Mox subiecit curationem Socrus Petri: deinde* cum autem Sol occidisset: omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens, curabat eos. QVAM ERANT. *Supple manus vere, & non imaginaria, quas sentiebant imponi sibi, qui medicinalem earum operationem experiebantur.* CHRISTVS ESAIÆ. *Altero telo confici Marcionem veteris instrumenti despectorem, dum probat impletam in nouo testamento, veteris prophetiam, nec consequemer potuisse Christum ad alium Deum quàm Creatorem, & vtriusque legis autorem pertinere, qui facto verba impleret Esaiæ.* IMBECILLITATES, *&c. Esa. 53.* Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. *Ita & Sanct. Pagn. ex Hebr. Vatabl. quidem sic:* Supplicia quæ debebamus subire ob peccata nostra, & morbos nostros ipse perrulit. *Sed Tertul. ex Græco,* tulit, *sumpsit pro* abstulit. *Sicut & Greg. Naz. dixit,* venti auferant, *verbum enim φέρω non solum signat idem quod* porto: *sed etiam* tollo. *Sic & Matth. 8. vbi de cura febris Socrus Petri.* Tetigit manum eius, & dimisit eam febris, &c. Et omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: ipse infirmitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portauit. *Quasi qui exoneraret alium, cuius onus suis humeris exciperet expressius translatio Syr.* Ipse accipiet dolores nostros, & infirmitates nostras sustinebit.

S. Augst. *Augustinus libro 1. de consensu Euang. cap. 22. Eundem Esa. locum quem hic ex Euangelio Luca contra Marcionem torquet Tertullianus, refert ex Matth. 8:* Sequitur Matthæus dicens: Vespere autem facto contulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiiciebat Spiritus verbo, & omnes malè habentes curauit, vt adimpleretur quod dictum est per Esaïam Prophetam dicentem, ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. *Nec portauit tantum, sed & portando abstulit à nobis; de quo sic Augustinus in Psal. 102.* Qui propitius fit omnibus S. Augst. iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam. Sanabuntur, inquit, omnes languores tui, noli timere. Magni sunt, inquies, sed maior est Medicus. Omnipotenti Medico nullus languor insanabilis occurrit, tantum ty curari te sine; manus eius ne repellas: *Manus tollentes omnem languorem, vtique sentiendas, vt ait Tertull. juxta Lucam, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. Ait ille singulis manus imponens curabat eos. Et rursum de eo scriptum est quod omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Nouit quid agat; non tantum delectaris cum fouet, sed etiam toleres cum secat. Tolera Medicinarum dolorem, futuram cogitans sanitatem, &c. *Manum Domini Medici sentiebat Iob, & ferebat cum diceret,* Manus Domini tetigit me. *Eandem agnoscebat & Psalles cum diceret:* Iustus cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. *Eandem sibi deposcebat egrotanti, cum clamaret:* Emitte manum tuam de alto, & eripe me de aquis multis. *Vbi per manum intelligit filium Medicum, per aquas multas, languores animi & corporis, quibus curandis Medicus aduenit, quem & blandientem & sauientem, delinientem balsamo & oleo, & ferro secantem aquanimiter ad salutem æternam ferre debemus; cum vt ait Augustinus supra in Psal. 102.* Tolera Medicinarum dolorem, futuram cogitans sanitatem. Videte fratres mei in istis languoribus corporis quanta homines tolerent, vt paucos dies victuri, moriantur: & hos paucos dies incertos. Multi enim post tolerantiam magnorum dolorum, cum à Medicis secarentur, aut inter manus Medicorum mortui sunt, aut iam sani, irruente aliqua ægritudine defuncti sunt, &c. Tu non toleras ad incertum, qui promisit sanitatem, non potest falli. Fallitur Medicus aliquando, &c. Quare fallitur? quia hoc non curat quod fecit. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam; *& per filium suum, & cum Spiritu suo fecit: sicut idem Psalles: Manus, inquit, tuæ fecerunt me,* nouit quemadmodum recreet quod creauit, nouit quemadmodum reformet. Tu tantum sub manibus Medici esto: Odit enim repellentem manus suas. Non fit hoc in Medici hominis manibus. *Christus autem non tantum homo Medicus, sed & Deus. Querebatur olim piscinæ Paraliticus, hominem non habeo: Ecce Deus homo, omnipotens Medicus.* Ligari se volunt homines & secari, daturi pro incerta sanitate certum dolorem, magnam mercedem: Deus te quem fecit, & certus curat, & gratis. Ferto ergo manus eius, ô anima, quæ benedicis eum, non obliuiscens omnes retributiones eius: sanat enim omnes languores tuos, quia redimit de corruptione vitam tuam. *Et languores tuos portat, & portando tollit, & vt eruat de corruptione vitam tuam, tradidit ipse vitam suam.* GENERALIS REPROMISSIO. *Satis mihi est, quod promiserit propheta Christi Iesum meum, in genere curaturum humanas infirmitates, vt concludam, quemcunque specialiter morbum postea curauerit, meum esse Christum Iesum, de quo Propheta meus id generaliter prædixerit. Chrys. serm. 173.* Sicut in Christo sui resurgunt, ita in suis ipse patitur Christus: & sicut honor capitis ad membra pertendit, ita membrorum pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat iniuriam.

11. Et ibid. cap. 20. in f.

NEc illud omittam, quod dum tangitur veſtimentum eius, vtique corpori, non phantaſmati, inditum corpus quoque demonſtrabatur; non quaſi iam de hoc retractemus, ſed quia ad præſentem conſpirat quæſtionem. Si enim non erat veritas corporis, phantaſma vtique contaminari, quà res vacua, non poſſet. Qui ergo non poteſt contaminari præinanitate ſubſtantiæ, quomodo voluiſſet? Vt æmulus legis mentiebatur, qui non vere polluebatur. Luc. 8. 45.

CHRISTI CARO. XI. SCHOLIA.

DVM TANGITVR VESTIMENTVM. *Dixerat ſupra de hemoroiſſa, tactu fimbriæ veſtimenti Chriſti ſanata, ad cuius contactum Luc. 8.* ait Ieſus: Quis eſt qui me tetigit? *Et rurſum Petro aliiſque dicentibus:* Turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit? Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis: nam ego noui virtutem de me exiiſſe. INDVITVM CORPVS *id. indutum & immiſſum circa verum corpus, & non phantaſticum, erat aliud corpus, ſcilicet veſtimentum.* QVA RES VACVA. *id eſt, ſi corpus Chriſti phantaſticum fuiſſet, in quantum res inanis, & vacua, pollui non potuiſſet.* QVOMODO VOLVISSET? *id eſt, quem tu Marcion incontaminabilem fingis, propter inanitatem carnis phantaſticæ, quomodo dicere potes eum voluiſſe fictitiæ contingi à muliere ſecundum legem veteris Teſtamenti, polluente quos contingebat.* VT ÆMVLVS LEGIS, *&c. Reſpondebis fortè*, ironiam aduerte, *Chriſtum tunm vt aduerſarium veteris legis, ex eius inuidia, & contemptu permiſiſſe polluta mulieris in ſe tactum, & finxiſſe ſe pollutum, qui tamen verè defectu vera carnis pollui non poterat. Sed eſto, vera ſit, vt firmiorem credimus, Chriſti caro, verè induta, vt corpus indigens veſtimento; verè tacta vt tangibile corpus; & à muliere, verè ſecundum legem,* quàm alibi diſcutiemus, *polluta, & prohibita ſub pœna pollutionis perſona contacta aliquem tangere: Chriſtum tamen licet verum, & carneum prorſus hominem hæc mulier fluxum patiens ſanguinis non polluebat, ſed Chriſtus polluitam, ſcaturiente de ſuo corpore fonte ſanitatis puriſſimo proluebat. Accipe Chryſolog. ſerm. 94. à p. Vbi ſimul & de hemoroiſſa, & de Magdalena loquitur.* Mulieris malæ tactus virt melè conſcium: patrem polluit, ſuſpectum notat, hominem malæ voluntatis infamat. Cæterùm peccatrix ſit bona, ſit ſancta, ſit innocens, cùm tetigerit veniæ largitorem. Stercora contingunt, ſed non inquinant Solem: Medicum cum tangit vulnera, putredo non polluit: Iudicem quamuis tangat reus, non poteſt maculare, cum ſupplicat: ſic peccator, *ſic mulier immunda*, cùm Dominum tangit, non Dominum ſordidat: ſed ipſe & peccato omni caret, & rapit ſubitò ſanctitatem, *ſicut & illu ſanitatem. Chriſti verum carnem fuiſſe, nec agrorum tactu pollutam probat Auguſt. lib. de Agone Chriſtiano cap. 18.* Nec eos, inquit, audiamus, qui non verum hominem ſuſcepiſſe Filium Dei, neque natum eſſe de fœmina: ſed falſam carnem, & imaginem, ſimulatam, corporis humani oſtendiſſe videntibus. Neſciunt enim quomodo ſubſtantia Dei adminiſtrans vniuerſam creaturam, inquinari omnino non poſſit: Et tamen prædicans iſtum viſibilem ſolem, radios ſuos per omnes feces & ſordes corporum ſpargere, & eos mundos & ſinceros vbique ſeruare. Si ergo viſibilia munda viſibilibus immundis contingi poſſunt, & non inquinari: quantò magis inuiſibilis & incommutabilis veritas per ſpiritum animam, & per animam corpus ſuſcipiens, toto homine aſſumpto ab omnibus eum infirmitatibus nulla ſua contaminatione liberauit? Itaque magnas patiuntur angustias: & cum timent quod fieri non poteſt, ne humana carne veritas inquinetur, veritatem dicunt eſſe mentitam. S. Aug.

12. Caro Chriſti vera ex infirmitatibus & doloribus à Chriſto paſſis, elucet. de Car. Chri. cap. 9. in f.

TAcentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili aſpectu ejus, ipſæque contumeliæ loquuntur. paſſiones quidem, humanam carnem; contumeliæ verò, inhoneſtam. An auſus eſſet aliquis vngue ſummo perſtringere corpus nouum? ſputaminibus contaminare faciem, niſi merentem? Quid dicis cœleſtem carnem, quam vnde cœleſtem intelligas, non habes? Quid terrenam negas, quam vnde terrenam agnoſcas, habes? Eſuriit ſub diabolo, ſitiit ſub Samaritide, lacrymatus eſt ſuper Lazarum, trepidauit ad mortem. [a] *Caro enim, inquit, infirma.* Sanguinem fudit poſtremo. Hæc ſunt, opinor, ſigna cœleſtia. Sed quomodo, inquam, contemni & pati poſſet, ſicut & dixi, ſi quid in illa carne de cœleſti generoſitate radiaſſet? Ex hoc ergo conuincimus nihil in illa de cœlis fuiſſe, propterea vt contemni & pati poſſet. Matth. 4. 2. Io. 4. 7. Io. 11. 33. a Matth. 26. 38. 41.

CHRISTI CARO. XII. SCHOLIA.

TACENTIBVS, *&c. Supple* Etiam tacentibus. *id eſt, quãquam Propheta noſtri, præſertim Eſaias, c. 53. nihil de vultu eius ignobili, & tanquam leproſo facto, ob liuores alaparum, & ſanguinem ex corona ſpinea, dixiſſent, tolerantia tamen tot dolorum, veram Carnem, & opprobria ſputorum ingloriam & deturpatam ſufficientiſſimè probauerunt. Quis enim* CORPVS NOVVM, *de cœlo allatum, ex ſyderis alicuius materia conflatum vellicare leuiter, quis cõſpuere, niſi meroris & ignominiæ capacẽ, & ideo merentem, id. paſſibilem faciem præſumpſiſſet? De vera Chriſti carne ex Maria ſumpta, non è cœlo allata, aut ex aëre alioue corpore formata, ſicut Spiritus ſanctus formauit columbam in qua ſuper Chriſtum apparuit, differit Aug. lib. de Agone Chriſtiano cap. 22.* Nec, inquit, eos audiamus, qui tale corpus Dominum noſtrum habuiſſe dicunt, quale apparuit in columba, quam vidit Ioannes Baptiſta deſcendentem de cœlo, & manentem ſuper eum in ſigno Spiritus ſancti. Ita enim perſuadere conantur filium Dei natum non eſſe de fœmina; quia ſi car- S. Aug.

nalibus oculis eum oportebat ostendi, potuit, inquiunt, sic assumere corpus, quomodo Spiritus sanctus. Non enim & columba illa de ouo nata est, aiunt, & tamen humanis oculis potuit apparere. Quibus primùm illud respondendum est, quod ibi legimus in specie columbæ apparuisse Ioanni Spiritum sanctum, vbi legimus etiam Christum natum esse de fœmina, & non oportet in parte credere Euangelio, & in parte non credere. Vnde enim credis in columbæ specie demonstratum esse Spiritum sanctum, nisi quia in Euangelio legisti? Ergo & ego inde credo Christum natum de virgine esse, quia in Euangelio legi. Quare autem Spiritus sanctus non est natus de columba, quemadmodum Christus de fœmina? Illa causa est, quia non columbas liberare venerat Spiritus sanctus, sed hominibus significare, innocentiam & amorem spiritalem, quod in columbæ specie visibiliter figuratum est. Dominus autem Iesus Christus qui venerat ad homines liberandos, in quibus & mares & fœminæ pertinent ad salutem, nec mares fastidiuit, quia marem suscepit; nec fœminas, quia de fœmina natus est. Huc accedit magnum sacramentum, vt quoniam per fœminam nobis mors acciderat, vita nobis per fœminam nasceretur: vt de vtraque natura, id est fœminea & masculina victus diabolus cruciaretur, quoniam de ambarum subuersione lætabatur: cui parum fuerat ad pœnam, si ambæ naturæ in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur. Neque hoc ita dicimus, vt Dominum Iesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse: Spiritum sanctum autem fallaciter apparuisse oculis hominum; sed ambo illa corpora, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat vt homines falleret filius Dei, sic non decebat vt homines falleret Spiritus sanctus. Sed omnipotenti Deo, qui vniuersam creaturam de nihilo fabricauit, non erat difficile verum corpus columbæ sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut ei non fuit difficile verum corA pus in vtero Mariæ sine virili semine fabricare: cum natura corporea, & in visceribus fœminæ ad formandum hominem, & in ipso mundo ad formandam columbam, imperio Domini voluntarique seruiret. Sed stulti homines & miseri, quod aut ipsi facere non possunt, aut in vita sua nunquam viderunt, etiam ab omnipotenti Deo fieri potuisse non credũt. Cætera omnia facilia sunt. ESVRIIT SVB DIABOLO, *&c. vide iam dicta Verbo Christi Incarnatio 5.* SIGNA COELESTIA. *Ironice dictum.* PROPTEREA *idcirco nihil in Christi carne fuit de materia cœlesti, vt de elementari & passibili facta caro, capax esset contemptus & doloris.* NIB NIHIL IN ILLA DE COELIS, *&c.* DE COELESTI GENEROSITATE RADIASSET. *Hoc intelligendum est, de tempore passionis quo maximè, vt (secundum Tertullianum loquar)* saginari posset voluptate patientiæ: *omnem pœnitus subtraxerat radium maiestatis: si enim vt in Monte Thabor splendida facie; vel vt in templo negotiatores eiiciẽs, iuxta Hieron. fulgurantis facie; vel vt ex Damasc. tota coruscante, coram pictore misso Rege edessæ Abagaro, quis ausus fuisset vel eum tangere? dicente Paulo 1. Cor. 2. de sapientia incarnata,* quam nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Cæterùm ex D Tho. in Psal. 44.* Quiddam radiabat *loquitur de consueto eius aspectu extra passionis tempus* in vultu suo, quo omnes eum reuerebantur. *Athanasius oratione de Incarn. Chri.* pulchritudinem vel gloriam corporis Dei, non est fas exprimi humano intellectu. *Albertus magnus lib. de B. Virgine:* Corpus Christi quod Deus supernaturaliter formauit, est perfectissimum atque pulcherrimum in natura quod fieri potuit secundùm statum viæ. *Et Sancta Brigitta lib 4. cap. 20. inducit Virginem dicentem sibi.* Filius meus tam pulcher facie erat, quòd nullus eius faciem videbat, quin consolaretur, etiamsi præcordialiter dolorem haberet. *Vide infra fusissimè Elogia Christi. 17.*

B

C

13. Caro Christi vera probatur ex detentione & præcipitio ei intentato. 4. Cont. Marc. cap. 8. à p.

PRophetarum erit Christus, vbicumque secundum prophetas, inuenitur. Et tamen apud Nazareth quoque nihil noui notatur prædicasse, dum alio merito vnius prouerbij ejectus refertur. Hic primum manus ei iniectas animaduertens, necesse habeo iam de substan-
Luc. 4. 29. tia eius corporali præfinire, quod non possit phantasma credi, qui contactum, & quidem violentia plenum, detentus & captus, & ad præcipitium vsque protractus, admiserit. Nam etsi per medios euasit, sed antè iam vim expertus, & postea dimissus; scilicet soluto, vti adsolet, tumultu; vel etiam irrupto, non tamen per caliginem eluso, quæ nulli omnino tactui succidisset, si fuisset. *Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res*, etiam secularis sapientiæ digna sententia est.

CHRISTI CARO. XIII. SCHOLIA.

PROPHETARVM ERIT, *id est, Inuito Marcione Christus Creatoris esse conuincitur, & ad vetus testamentum pertinere, cum toties in Euangelio Prophetia de Christo citentur, & per Christum impleantur.* ET TAMEN APVD NAZARETH. *Hæc fuit patria Christi, de qua dicebat,* Vtique dicetis mihi hãc similitudinem: Medice cura teipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. *Translat. Syr.* & quæcumque audiuimus te executum fuisse in Capharnaum, exequere & hîc in ciuitate tua. *Vbi aduerte & Christum verum hominem, cui patria Galilæa, & ciuitas Nazareth fuerit. Quod stupuit Chrysologus ser. 49. in p. super verba Euangelij Marc. 6.* Egressus inde abiit in patriam suam: Translat. Syr. venitque in prouinciam suam. *Sic* D *disseris* vnde, quò ingreditur qui nullo continetur, nullo concluditur loco? ad quam patriam vadit, orbem qui fecit & possidet vniuersum? Psal. 98. Tui sunt cœli, & tua est terra, &c. Verum non sibi per se, sed per te *hoc est per carnem tuam, ô homo, assumptam* tibi egreditur, & ingreditur Christus, donec te intromittat expulsum, &c. In patriam suam. Non vt suam sibi *aduerte loquentem de persona verbi,* sed vt tuam tibi, quam Adam perdiderat patriam redonaret, &c. Quidquid per hominem susceptum legimus egisse & pertulisse Christum, non ad Diuinitatis audiamus iniuriam, sed profecisse hominis ad gloriam, *eodem sensu Augustinus libro de agone Christiano c. 23.* Nec eos, inquit, audiamus qui propterea volunt cogere, vt inter Creaturas Filium Aug.

Dei numeremus, quia paſſus eſt. Dicunt enim, ſi paſſus eſt, mutabilis eſt: & ſi mutabilis eſt, creatura eſt, quia Dei ſubſtantia non poteſt immutari. Cum quibus etiam nos dicimus; & Dei ſubſtantiam commutari non poſſe, & creaturam eſſe mutabilem. Sed aliud eſt eſſe creaturam, & aliud ſuſcipere creaturam. Filius ergo Vnigenitus Dei, qui eſt virtus & ſapientia Dei, & Verbum per quod facta ſunt omnia, quia immutari non poteſt omnino, ſuſcepit humanam creaturam, quam lapſam erigere, atque inueteratam renouare dignatus eſt. Nec in ea per paſſionem ipſe in deterius commutatus eſt, ſed eam potius per reſurrectionem in melius commutauit. Nec propterea Verbum Patris, id eſt vnicum Dei Filium, per quem facta ſunt omnia, negandum eſt natum & paſſum eſſe pro nobis. *Et* Aug. *eodem lib. de Agone Chriſtiano cap.* 23. Et martyres, inquit, paſſos dicimus & mortuos propter regna cœlorum, nec tamen in ea paſſione & morte animæ eorum occiſæ ſunt. Dicit enim Dominus, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animæ autem nihil poſſunt facere. Sicut ergo Martyres paſſos & mortuos dicimus in corporibus quæ portabant, ſine animarum interfectione vel morte: ſic Filium Dei paſſum & mortuum dicimus in homine, quem portabat, ſine diuinitatis aliqua commutatione vel morte. HIC PRIMVM, *&c. Notam dignum quòd prima vis illata Chriſto, ad vera carnis eius contactum, Lydio probanda lapide, iuxta Sapientem*; tormento & contumeliis interrogemus eum *in patria eius & ciuitate Nazareth fuit impreſſa, quam ſic deſcribit Lucas cap.* 4. Repleti ſunt omnes in Synagoga ira hæc audientes, & ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, &c. *Quæ diximus Verbo caro Chriſti* 10. NON PER CALIGINEM ELVSO. *id. per carnem phantaſticam, vel ex aëre caliginoſo & condenſato formatam, nullo modo tactui ſubditam, ſi talis fuiſſet; vel tenebris in aëre productis.* PER MEDIOS EVASIT. *Luc.* 4. ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat. *id. non illudens eorum ſenſibus per Phantaſma corporis, quod verè, violenterque tractauerant eiiciendo extra ciuitatem, & raptando vſque ad ſupercilium montis præcipitandum: ſed poſt hãc violentiam nihil ab eis laſus, vel inuiſibilem ſe, vt poterat præſtans, vel oculos eorum & phantaſiam aliò diuertens, vel manus eorum obſtupefaciens, vt notãt Chryſoſt. Euthymius, Ambr.* MERITO VNIVS PROVERBII. *Illud fuit præcitatum:* Medice, cura teipſum. *Aliud ex ſeculari ſapientia, id eſt Lucretio profert prouerbium de quo iam lib. de anima cap.* 5. Tangere enim & tangi, &c. *Quo probat omnino carnem Chriſtum habuiſſe, quæ vtique tangeretur.*

14. *Chriſtus veram carnem eſſe probauit exſpirando; & Ioſeph ſepultura permittendo.* 4. *Cont. Marc. cap.* 42. *inf.*

HOC [a] *dicto exſpirauit.* Quis? ſpiritus ſemetipſum, an caro ſpiritum? Sed ſpiritus ſemetipſum exſpirare non potuit. Alius eſt qui exſpirat, alius qui exſpiratur. Si ſpiritus exſpiratur, ab alio exſpiretur neceſſe eſt. Quod ſi ſolus ſpiritus fuiſſet, diſceſſiſſe potius diceretur, quàm exſpiraſſe. Quis igitur exſpirat ſpiritum niſi caro? quæ & ſpirat, quando illum habet; & ita eum quum amittit, exſpirat. Denique, ſi caro non fuit, ſed phantaſma carnis; phantaſma autem ſpiritus fuit; ſpiritus autem ſemetipſum exſpirauit, & exſpirando diſceſſit, ſine dubio phantaſma diſceſſit, quum ſpiritus, qui erat phantaſma, diſceſſit, & nuſquam comparuit phantaſma cum ſpiritu. Nihil ergo remanſit in ligno. Nihil pependit etiam poſt exſpirationem. Nihil de Pilato poſtulatum. Nihil de patibulo detractum. Nihil ſindone inuolutum. Nihil ſepulcro nouo conditum. Atquin non nihil. Quid igitur illud fuit? Si phantaſma, adhuc ergo inerat & Chriſtus. Si diſceſſerat Chriſtus, ergo abſtulerat phantaſma. Superest impudentiæ hæreticæ dicere, phantaſma illic phantaſmatis remanſiſſe. Sed ſi & Ioſeph corpus fuiſſe nouerat, quod tota pietate tractauit: ille Ioſeph, qui non conſenſerat in ſcelere Iudæis: [b] *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtium non ſedit.* Oportuerat etiam ſepultorem Domini prophetari, ac iam tunc meritò benedici.

[a] Luc. 23. 46.

Matth. 27. 26. & ſeq. Marc. 15. 19. Io. 19. 2. 17. 34. Luc. 23. 52. 53.

[b] Pſal. 1. 1.

Vide V. Chriſti paſſio & mors, num. 3. & 4.

CHRISTI CARO. XIV. SCHOLIA.

HOC DICTO EXSPIRAVIT. *Hoc capite urget vehementer Marcionem, corpus Chriſti non potuiſſe eſſe phantaſma, ſed veram carnem animatam, primò quod ſpiritum emiſerit, ſine exſpiraueritin Cruce; neque enim anima & Spiritus ſeipſum exſpirat, ſed* Aug. *ex Aug.* Vita corporis eſt animus, &c. Et dum caro exſpirat, amittit vitam ſuam. *Et rurſum tract. 26. in Io. 6 poſtmed.* dic mihi quid ex quo viuat? Spiritus tuus viuit ex corpore tuo, an corpus tuum ex ſpiritu tuo? reſpondet omnis qui viuit; qui autem hoc non poteſt reſpondere, neſcio ſi viuit. Quid reſpondet omnis qui viuit? corpus vtique meum viuit de Spiritu meo. *viuebat ergo corpus noui Ada de Spiritu ſuo; & ſicut de primo dictum eſt:* inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem: *Sic cum Chriſtus emiſit Spiritum, ſiue exſpirauit, factus eſt homo in carnem exſpirantem & mortuam. Secundò ſi caro eius fuit tantum phantaſtica, & Marcion dicat ſpiritum ſemetipſum exſpiraſſe, abſque dubio Phantaſma diſceſſit, cum ſpiritus ille, qui erat Phantaſma, ſeipſum exſpirauit. & vtrumque, nempe & ſpiritus exſpiratus, & phãtaſma carnis exſpirantis debuit diſparere; vnde ſequitur nil poſt exſpirationem remanere debuiſſe viſibile & palpabile in ligno. Atqui poſt exſpirationem viſum eſt corpus pendens, petitum à Pilato, cruce detractum, linteis inuolutum, poſitum in monumento. Tertiò, ſi dicas ibi remanſiſſe phantaſma, ergo remanſit & Chriſtus. Quod ſi dicas diſceſſiſſe Chriſtum, ergo phantaſma abſtulit. Quartò, ſi eò vſque impudentia hæretico digna & familiaris prorumpat Marcion, vt dicat ſubtracto phantaſmate, eius phantaſma, hoc eſt imaginem & vmbram illuſoriam remanſiſſe.*

Aug. lib. de Agone Chriſtiano cap. 18. *contra inimicos veræ carnis Chriſti phantaſticè ſecundum eorum errorem paſſi, ſic inuehitur, probans ex ſcriptura non illuſorem Medicum, ſed veracem.* Cum ille, *Chriſtus ſcilicet* præceperit, dicens, ſit in ore veſtro, eſt, eſt; non, non: & Apoſtolus clamet, non erat in illo eſt & S. Auguſt.

non, ſed eſt in illo erat: iſti totum corpus eius falſam carnem fuiſſe contendunt, vt non ſibi videantur imitari Chriſtum, ſi non ſuis auditoribus mentiantur. *Quid dices de pietate Ioſeph, qui corpus nouerat, corpus à Pilato poſtulauerat, & tanquam verum corpus tota pietate tractaret, condiret, ſepeliret, tota vtique veritate palparet. Hunc nempe iam olim Pſaltes Regius Beatum cecinerat qui in conſilium impiorum Iudæorum non abierat.* EXSPIRAVIT. *Sic Luc. 23.* Exclamans voce magna Ieſus ait, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et hæc dicens exſpirauit. *Tranſlat. Syr.* Clamauit Ieſchua alta voce, dicitque; Pater mi, in manus tuas depono ſpiritum meum. Hoc dixit, & tradidit ſpiritum. *Quaſi depoſitum reddendum poſt tres dies.* NIHIL DE PILATO POSTVLATVM. *A Pilato petitum eſt verum Chriſti corpus palpabile, ſepeliendi à Ioſeph. Inde ſuſcitandum. Aug. lib. de Agone Chriſtiano cap. 24.* Nec eos inquit audiamus, qui negant tale corpus Domini reſurrexiſſe, quale poſitum eſt in monumento. Si enim tale non fuiſſet, non ipſe dixiſſet poſt reſurrectionem diſcipulis, palpate & videte, quoniam ſpiritus oſſa & carnem non habet ſicut me videtis habere. Sacrilegum eſt enim credere Dominum noſtrum, cùm ipſe ſit veritas, in aliquo fuiſſe mentitum. Nec nos moueat quod clauſis oſtiis ſubitò eum apparuiſſe diſcipulis ſcriptum eſt, vt propterea negemus illud fuiſſe corpus humanum; quia contra naturam huius corporis videmus illud per clauſa oſtia intrare. Omnia enim poſſibilia ſunt Deo: nam & ambulare ſuper aquas contra naturam huius corporis eſſe manifeſtum eſt; & tamen non ſolum ipſe Dominus ante paſſionem ambulauit, ſed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergo & poſt reſurrectionem ſuam de corpore ſuo fecit quod voluit. Si enim potuit ante paſſionem clarificare illud ſicut ſplendorem Solis, quare non potuit & poſt paſſionem, ad quantam vellet ſubtilitatem in temporis momento redigere, vt per clauſa oſtia poſſet intrare? *poſitum à Ioſeph in monumento nouo, & petitum à Pilato corpus Ieſu omnes Euangeliſtæ conteſtantur. Matth* 27. Venit quidam homo ab Arimathia nomine Ioſeph, qui & ipſe Diſcipulus erat Ieſu. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu; tunc Pilatus iuſſit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in Sindone munda. Et poſuit in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra. *Tranſlat. Sy.* Inuoluit illud linteo lini mundi. *Marcus autem cap. 15.* Venit Ioſeph ab Arimathia nobilis Decurio, qui & ipſe erat expectans Regnum Dei: & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit Corpus Ieſu, &c. *Tranſlat. Syr.* Venit Iauſeph ille ex Rometho honorabilis Senator, qui & ipſe præſtolabatur Regnum Dei; & confidens introiit ad Pilatum, petiitque corpus ipſius Ieſchua. *Ioannis autem 19.* Roganit Pilatum Ioſeph, &c. vt tolleret Corpus Ieſu. Et permiſit Pilatus. *Lucas autem cap. 23. quo vtitur contra Marcionem Tertullianus ſic:* Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat Decurio vir bonus & Iuſtus: hic non conſenſerat Concilio & actibus eorum, ab Arimathia ciuitate Iudææ, *aliàs dicta Ramatha, Samuelis Patria ex Hiero. de locis Hebr. Sed iam Senator & ciuis Ieruſolymorum.* Qui expectabat & ipſe regnum Dei. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu; & depoſitum inuoluit Sindone, & poſuit eum in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. *Simeon Metaph. 15. Auguſti; hic ſuaſu Dei pare, oblato verſimiliter auro, quia Dives erat, petiit corpus Ieſu, ne cum aliorum cadaueribus in vicinam vallem ennon, commune damnatorum Polyandrion proiiceretur* POSTVLATVM, &c. DETRACTVM. *Bene, iuxta Tranſlat. Syr.* & detraxit illud, inuoluitque linteo lineo. *Poſtulatum autem, iure; pulchrè enim notauit eruditiſſimus vtriuſque iuris Doctor Edmundus Merillius Magiſter meus, in Doctiſſimis notis ſuis Philologicis in paſſionem Chriſti ſecundum Ioannem; Nota 41. lege maieſtati damnati*, publicatis bonis, ſepultura prohibebantur. *Tacitus lib. 5. Annal. & l. 1. ff. de cadaueribus punitorum. Pilatus Chriſtum vt regnum affectantem, vt turbas concitantem, vt ſeditioſum ſupplicio crucis affecerat. Non fruſtra ergo dictum quod Ioſephus in illa trepidatione & metu, petiit audaciter à Pilato Corpus Ieſu, vt ait Matthæus cap. 27. tum quia Decurio erat ſeu Senator, nec proinde legum Romanarum ignarus, quibus iam à temporibus Auguſti permittebatur cognatis rogantibus corpora damnatorum ad ſepulturam transferre: vt ipſe Auguſtus libro 10. de vita ſua ſcripſerat. Vlpianus l. 1. ff. de cadaueribus punit.* Corpora eorum qui capite damnantur, cognatis ipſorum neganda non ſunt. *Philo Iudæus in Flaccum, dicit*; quoſdam cognatis ad honorem ſepulturæ redditos. *Poſtea factum eſt, vt non cognatis tantum, ſed quibuſuis petentibus ad ſepulturam darentur. l. 3. ff. eodem titulo de cadau. punit. Et Marius Fab. Quintil. declamat. 6.* Cruces ſuccidunntur, percuſſos ſepeliri carnifex non verat, &c. Neminem non mortalium fauere hominis ſepulturæ conuenit. *Aug. de conſenſu Euang. lib 3. c. 22.* Meritò mouet cur ille, qui propter timorem occultus Diſcipulus erat, auſus ſit petere corpus eius, quod nullus eorum qui eum palam ſequebantur, auderet. Sed intelligendum eſt iſtum fiduciâ dignitatis hoc feciſſe, qua prælitus poterat familiariter intrare ad Pilatum. In extremo autem illo officio funeri exhibendo, minus curaſſe de Iudæis, quamuis ſoleret in Domino audiendo eorum inimicitias deuitare. *Vide plura de ſepultura Chriſti, Verbo Chriſti paſſio, & mors, num. 3. & 4.*

S. Aug.

Aug.

15. *Chriſtus in vera carne, ſimili quidem noſtræ peccatrici in ſubſtantia, diſſimili in innocentia, per euacuatam vita carnem, peccatum & mortem noſtræ carnis vacuauit, & vitâ immortali repleuit. de Car. Chri. cap. 16. in p. adm.*

INſuper, argumentandi libidine, ex forma ingenij hæretici, locum ſibi fecit Alexander ille, quaſi nos affirmemus, idcirco Chriſtum terreni cenſus induiſſe carnem, vt euacuaret in ſemetipſo carnem peccati. Quod etſi diceremus; quacunque ratione muniremus ſententiam noſtram, dum ne tanta amentia, qua putauit, tanquam ipſam carnem Chriſti opinemur, vt peccatricem, euacuatam in ipſo; cùm illam & ad dexteram patris in cœlis præſidere meminerimus, & venturam inde, ſuggeſtu paternæ claritatis, prædicemus. Adeo, vt euacuatam non poſſumus dicere; ita nec peccatricem; nec euacuatam, in qua dolus non fuit. Defendimus autem, non carnem peccati euacuatam eſſe in Chriſto, ſed peccatum carnis; non materiam, ſed naturam; nec ſubſtantiam, ſed culpam; ſecundùm Apoſtoli auctoritatem dicentis, [a] *Euacuauit peccatum in carne.* Nam & alibi, *In ſimilitudine, inquit, carnis*

a Rom.

peccati fuiſſe Chriſtum. non quod ſimilitudinem carnis acceperit, quaſi imaginem corporis, & non veritatem; ſed ſimilitudinem peccatricis carnis vult intelligi: quod ipſa non peccatrix caro Chriſti, eius fuit par, cuius erat peccatum; genere, non vitio, Adæ: quando hinc etiam confirmamus eam fuiſſe carnem in Chriſto, cuius natura eſt in homine peccatrix; & ſic in illa peccatum euacuatum, quod in Chriſto ſine peccato habeatur, quæ in homine ſine peccato non habebatur. Nam neque ad propoſitum Chriſti faceret euacuantis peccatum carnis, non in ea carne euacuare illud, in qua erat natura peccati, neque ad gloriam. Quid enim magnum, ſi in carne meliore, & altetius, id eſt non peccatricis naturæ, nævum peccati redemit? Ergo, inquis, ſi noſtram induit, peccatrix fuit caro Chriſti. Noli conſtingere explicabilem ſenſum. noſtram enim induens, ſuam fecit; ſuam faciens, non peccatricem eam fecit.

CHRISTI CARO. XV. SCHOLIA.

ARGVMENTANDI LIBIDINE. *Hoc eſt, prurigine diſputandi. Hic agit contra quemdam Alexandrum de Secta Valentini. Neque par eſt credere eum fuiſſe Hierapoleos, quem Martyrem dicit Suidas; cum ex ipſo Tertull. contra Valent. & in Scorpiaco, & ex Baro. An. 145. conſtet Valentinianos adverſatos fuiſſe Martyrio. Quiſquis ergo ille fuerit, Tertull. prius eius meminit, licet tacito nomine ſuperius hoc ipſo libro dicens:* penes quemdam de ſecta Valentini. *Hic dicebat, nos Catholicos credere Chriſtum habuiſſe carnem peccatricem: ſed falſiſſimam rem nobis imponebat. Vnde ne diceret Carnem Chriſti contaminatam fuiſſe peccato, ſpiritualem eius carnem confingebat. Probat ergo Tertullianus longè contrarium hoc capite, ſcilicet Chriſtum habuiſſe veram carnem, licet non habuerit peccatricem, nec ex viri ſemine ortam. Notat pruriginem innatam ingenio hereticorum, de qua ſic D. Zeno. Veron ſer. de corp. & ſpir.* ſunt ingenia quotidie quæ videmus, verſutis contentionibus læta QVASI NOS AFFIRMEMVS, *&c. Finxit ſibi nos credere ideo Chriſtum humanam carnem aſſumpſiſſe, vt in ſeipſo carnem peccati euacuaret: eſto ſic ſentiamus, non tamen in eam deſperemus amentiam, vt carnem Chriſti peccatricem putemus, cum adeo ſanctam confiteamur, vt ad dexteram Patris præſidere: & inde* SVGGESTV PATERNÆ CLARITATIS, *Id eſt gloria & maieſtate Patris venturum Iudicem in eadem carne credamus. Iudicis porro carnem maximè condecet peccatis innoxiam, quæ peccata debeat in carne commiſſa iudicare. Non ergo dicimus euacuatam in Chriſto carnem, vt doloſo Phantaſmate nobis illuderet expers doli; nec peccatricem agni carnem purgantem peccata mundi, naturam autem peccati ſolam fuiſſe euacuatam & culpam. Quod ſi Apoſtolus dicat Chriſtum fuiſſe in ſimilitudine carnis peccati, nunquam intellexit imaginem, aut phantaſma carnis, ſed ſimilitudinem peccatricis carnis. Caro enim Chriſti par quidem fuit genere, ſed non par Adæ peccato. Ratum ergo ſit, naturam hominis, quæ in nullo homine habebatur ſine peccato, in Chriſto fuiſſe abſque peccato: & hoc ſenſu intelligendum eſt peccatum in carne illa ſancta prorſus fuiſſe euacuatum, quod in illa omnino non fuit. Nec intelligi poſſet, aut quidquam prodeſſe homini, ſi Chriſtus peccatum euacuaſſet, extinxiſſet, deleuiſſet, niſi in eadem noſtra quæ in omnibus hominibus eſt peccatrix.* EVACVAVIT. *Vulgata*; de peccato damnauit peccatum in carne. *Rom. 8. D. Thomas in hunc locum*, de peccato: ideſt pro peccato commiſſo in carne Chriſti, diabolo inſtigãte ab occiſoribus eius, damnauit, id eſt deſtruxit peccatum: *deleuit penitus, quod Tertull. dixit, euacuauit; hoc eſt, ad vacuum & nihilum redegit, dum ipſe Chriſtus exinaniuit, & vacuauit ſemetipſum gloria, ſimilitudinem carnis peccatricis induens.* Quia cum Diabolus innocentem, in quo nihil iuris habebat, attentauit morti tradere, iuſtum fuit vt poteſtatem amitteret, &c. Coloſ. 2. expolians principatus, &c. Sed melius eſt vt dicatur, damnauit, &c. ideſt, debilitauit ſomitem peccati in carne noſtra, de peccato, ideſt ex virtute paſſionis ſuæ & mortis, quæ dicitur peccatum, propter ſimilitudinem peccati. Vel quia pro hoc, factus eſt, Hoſtia pro peccato. Oſeæ. 4. peccata populi mei comedent. 2. Cor. 5. eum qui non nouerat peccatum, pro nobis Deus fecit peccatum, id eſt hoſtiam pro peccato. Et ita ſatisfaciendo pro noſtro peccato, abſtulit peccata mundi. Io. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. NEC AD PROPOSITVM CHRISTI. *id. finem incarnationis, in qua venerat purgare peccatum,* NEQVE AD GLORIAM, *ſua & noſtræ carnis profeciſſet, aut ſimulata, aut alterius generis, aut peccatrix caro aſſumpta. Nec vrgeas nos Alexander ille, & cogat nos explicare ſuo corrupto ſenſu, Paulum.* NÆVVM PECCATI. *Id eſt, maculam. Alij legunt* nexum. *terminus eſt iuris iam inde ab vrbe condita, vel lege, vel more vigentis, vt qui pecuniam deberent, cum ſoluendo non eſſent, cogi poſſent ad operas in ſeruitute præſtandas; qua licentia abuſi multi in terga miſerorũ crudeliſſimè ſæuiebant. Legendus Liuius lib. 2. Hiſt. Quòd ergo nec ferrent quaſi expoſiti debitores, hinc dictus nexus. Hinc etiam dicta obligatio. Et nexus vendendi, pro vinculo obligationis, quæ ex venditione proficiſcitur. l. 36 §. ideo. ff. de condict. indeb. Pulchrè cadit nexus in commune debitum contractum in Adamo, quo per Chriſtum ſoluti ſumus, non ab vno ſimplici nexu, ſed & a pleonexia & multiplici nexu; de quo Pſaltes:* Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum. GENERE NON VITIO. *Homo fuit vt Adam, ſed non peccator vt Adam. Et quid mirum, ſi de limo incorrupto fecit primum, ſeipſum potuerit facere incorruptum? Chryſolog. ſerm. 148. in p.* Qui ex intacto limo fecit hominem, naſcendo ipſe hominem de corpore fecit intacto.

Aug. in Pſal. 68. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Quid eſt hoc, non eſt ſubſtantia? Numquid non ipſe limus non eſt ſubſtantia? An ego inhærens factus ſum non eſſe ſubſtantia? quid eſt ergo infixus ſum. nunquid non ſic hæſit Chriſtus, an vero hæſit? *audiat qui phantaſma natum, phantaſma mortuum & infixum cruci, & euacuatam carnem & inanem mentitur in Chriſto.* An non ſicut dictum eſt in lib. Iob. c 9. terra *limus, caro de terra ſumpta* tradita eſt in manus impij? an ſecundum corpus infixus eſt, quia teneri potuit, & ipſam crucifixionem habebat? niſi enim clauis fixus eſſet, crucifixus non eſſet: vnde ergo non eſt ſubſtantia? an limus ille non eſt ſubſtantia? &c. id. ad paupertatem peruenit; nam hic dicit, pauper & dolens ego ſum. Dicit & Apoſtolus. Quoniam propter vos pauper factus eſt, cum eſſe diues. vt illius inopia vos ditaremini. Ergo paupertatem ſuam volens Dominus commẽdare fortaſſe dixerit, non eſt ſubſtantia. Ad ſummam enim paupertatem peruenit

S. Auguſti

quando formam ſerui ſe induit. Diuitiæ eius quæ ſunt? Philip. 2. qui cum in forma Dei eſſet, &c. Hæ magnæ incomparabileſque diuitiæ. Vnde ergo iſta paupertas? quia ſemetipſum exinaniuit, &c. *Tertullianus vertit, euacuauit* magna paupertas, ſed hinc erunt magnæ diuitiæ: quia ſicut impleta eſt paupertas eius, ita implebuntur diuitiæ noſtræ de paupertate ipſius. Quantas diuitias habet, vt de ſua paupertate nos diuites faceret? quales nos facturus eſt de diuitiis ſuis, quos diuites fecit de paupertate ſua: &c. *Alium ſenſum ſubiicit de ſubſtantia.* Dicitur homo, dicitur pecus, dicitur terra, &c. Omnia iſta ſubſtantiæ ſunt eo ipſo quo ſunt. Naturæ ipſæ ſubſtantiæ dicuntur: Deus eſt quædam ſubſtantia: nam quod nulla ſubſtantia eſt, nihil omnino eſt. Subſtantia ergo aliquid eſſe eſt, &c. Itaque eo quod Deus eſt, hoc ipſo ſubſtantia eſt. Et quia eiuſdem ſubſtantiæ filius, proculdubio & filius Deus, &c. Secundum hunc intellectum ſubſtantiæ, quomodo poterimus intelligere iſtam Pſalmi ſubſtantiam, infixus ſum, &c. Et non eſt ſubſtantia? Deus fecit hominem, ſubſtantiam fecit, *de limo terra fecit.* Atque vtinam maneret in eo, quod fecit Deus, non in illo infixus eſſet, quem genuit Deus, porro autem quia per iniquitatem homo lapſus eſt à ſubſtantia, in qua factus eſt: iniquitas quippe ipſa, non eſt ſubſtantia: non enim iniquitas eſt natura quam formauit Deus; ſed iniquitas eſt peruerſitas, quam fecit homo: venit filius Dei ad limum profundi, & infixus eſt, & non erat ſubſtantia *peccatum intelligit proprium*, *de quo* Aug. *ſic Aug. peccatum non eſt natura neque ſubſtantia: ſed nihil*, quia in iniquitate illorum infixus eſt. Infixus ſum, &c. Io. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Naturæ omnes per ipſum factæ ſunt, iniquitas per ipſum facta non eſt, quia iniquitas facta non eſt. Subſtantiæ illæ per eum factæ ſunt quæ laudant eum. Vniuerſa creatura laudans Deum, à tribus pueris in cantico commemoratur, &c. Non quod cuncta iſta habeant ſenſum laudandi, ſed quia cuncta bene cogitata laudem pariunt, &c. Nominata ſunt omnia repentia, ſed non ſunt ibi nominata aliqua vitia. Vitia enim ex nobis, & ex noſtra voluntate habemus, & vitia non ſunt ſubſtantia. In his infixus eſt Dominus, quando perſecutionem paſſus eſt in vitio Iudæorum, non in ſubſtantia hominum quæ per illum facta eſt. *Non enim, vt ait alibi, in illis inimica natura, ſed culpa* infixus ſum & non inueni quod feci. *Id eſt ſine cauſa & peccato proprio mortuus ſum, infixus ſum Cruci, in limo vera carnis, ſed in ſola ſimilitudine peccati quod non eſt ſubſtantia, quia nihil eſt. Cæterum locum Pauli de euacuata carne peccati, fuſè expoſitum habes Verbo, carnis infirmitas 2. per totum. Hoc caput concludamus cum Ambroſio* propterea ſimilem dixit, quia de eadem ſubſtantia carnis, non eamdem habuit natiuitatem, quia peccato ſubiectum non fuit corpus Domini. Expiata eſt autem à Spiritu ſancto caro Domini, vt in tali corpore naſceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.

16. Chriſtus veram carnem poſt reſurrectionem probauit cibum petens, & corpus palpandum tradens. 4. cont. Marc. cap. 43. à m. ad circa. f.

[a] Luc. 24. 38. DE corporis autem veritate quid poteſt clarius quum hæſitantibus eis ne phantaſma eſſet, immo phantaſma credentibus [a] *Quid turbati eſtis (inquit) & quid cogitationes ſubeunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum; quoniam ſpiritus oſſa non habet, ſicut me habentem videtis.* Et Marcion quædam contraria ſibi, illa credo induſtria eradere de Euangelio ſuo noluit, vt ex his quæ eradere potuit, nec eraſit, illa quæ eraſit, aut negetur [b] Luc. 24. 39. eraſiſſe, aut merito eraſiſſe dicatur. Nec parcit niſi eis quæ non minus aliter interpretando. quàm delendo ſubuertit. Vult itaque ſic dictum; quaſi, [b] *Spiritus oſſa non habet, ſicut me videtis habentem;* ad ſpiritum referatur, *ſicut me videtis habentem;* id eſt; non habentem oſſa ſicut & ſpiritus. Et quæ ratio tortuoſitatis iſtius? quum ſimpliciter pronuntiare potuiſſet, *Quia* Ibid. *ſpiritus oſſa non habet, ſicut me videtis non habentem.* Cur autem inſpectui eorum manus & pedes ſuos offert, quæ membra ex oſsibus conſtant, ſi oſſa non habebat? Cur adiicit, *Et ſcitote quia ego ſum.* quem ſcilicet corporeum retro nouerant? Aut ſi phantaſma erat vſquequaque, cur illos phantaſma credentes increpabat? Atquin adhuc eis non credentibus, propterea cibum deſiderauit, vt ſe oſtenderet etiam dentes habere. Impleuimus, vt opinor, ſponſionem.

CHRISTI CARO. XVI. SCHOLIA.

QVID POTEST CLARIVS. *Licet Marcion de more hæretico ſibi aduerſa eradat ex Euangelio, quædam tamen interdum relinquit intacta, vt ſua fallacia conſulat, quod ſi quibuſdam locis parcat, ideo eos non eradit, quod obliquum & tortuoſum ſenſum aſtutia ſerpentis ſe poſſe ſupponere, præſumat. Qualis eſt locus Luc. 24.* Spiritus oſſa non habet, *vt ad ſpiritum referat, oſſa non habentem, & concludat Chriſtum merè ſpiritum ſine oſſibus, quia ſubiecit* ſicut me videtis habentem: *id. non habentem, vt nec habet Spiritus. Quod ſi ita accipiendum fuiſſet, Chriſtus qui ſimplex eſt veritas, abſque vllo Verborum anfractu ſimpliciter dixiſſet, ſpiritus oſſa non habet ſicut me videtis non habentem. Vt quid ergo oſtendit eis membra ſua, quorſum ſe eundem ipſum quem* RETRO, *id. priùs toto triùm annorum conuerſationis tempore verè carnem cognouerant, ſeipſum eſſe inculcauit? cur, ſi phantaſma erat quod id crederent increpauit? quid dixit Luc. 24. poſtquam terrorem eorum narraſſet Lucas* conturbati vero & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis: quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum, palpate *Tranſlat. Syr. contrectate me.* & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut videtis me habere, & cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. QVID POTEST CLARIVS. *Non ſolum D. Thomas, ſed alij Apoſtoli non ſolum viderunt, ſed & tetigerunt carnem eius. Ita enim D. Ioannes 1.1.* Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, &c. *Licet autem corpus glorioſum ſubtilitatis dote cedere poſſit, contrectari tamen poteſt ſi velis & palpari vt ſolidum & contrectanti reſiſtens. Id expreſsè docuit Aug in Pſal. 56.* Reſurgentis membra, à membris eius palpata ſunt: membra enim eius Apoſtoli tetigerunt reſurgentem, & crediderunt. *Ita & ſenſit D. Ignatius Ep. ad Smyrn. quam citat Theodoretus Dial.* Aug.

Aug. *Dial. 2. Idem Aug. in Pſal. 74. in verſum* Ego confirmaui columnas eius. Quas columnas confirmauit? Columnas Apoſtolos dicit. Sic Apoſtolus Paulus de coapoſtolis ſuis. Galat. 2. Qui videbantur inquit columnæ eſſe, & quid eſſent illæ columnæ, niſi ab illo firmarentur? Quia terræ motu quodam etiam ipſæ columnæ nutauerunt, in paſſione Domini omnes Apoſtoli deſperauerunt. *Addo ego & de ipſa veritatis reſurrectione turbata ſunt, & tremuerunt, dicente Chriſto, quid turbati eſtis?* Reſurrectione firmatæ ſunt, &c. Ego, inquit, confirmaui columnas eius, reſurrexi, oſtendi mortem non eſſe metuendam; oſtendi timentibus, nec ipſum corpus perire in morientibus Tenuerunt eos vulnera, firmauerunt cicatrices. Poſſet Dominus Ieſus Chriſtus ſine vlla cicatrice reſurgere. Quid enim illi poteſtati magnum erat, ad tantam integritatem compagem corporis renocare, vt nullum omnino veſtigium præteriti vulneris appareret? Habebat poteſtatem, vnde illud etiam ſine cicatrice ſanaret, ſed habere voluit, vnde nutantus columnas confirmaret. EIS NON CREDENTIBVS. *Luc. 14.* Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Et cum manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis. *Non credebant, ait Ethius, quomodo gaudebant? Item quomodo, mirabantur præ gaudio, cum gaudium non ſit admirationis cauſa? Græcè eſt*, adhuc non credentibus illis præ gaudio, & mirantibus. *Tranſlat. Syr.* Cumque adhuc non crederent præ gaudio ſuo, & A mirarentur. *Vix enim credimus præſentia, quæ erant valde expectata, quamuis iam gaudeamus. Ipſum etiam gaudium, ſi valde magnum ſit, impedit iudicium. Ita Iacob Patriarcha vix credidit nuntiantibus ſibi, Ioſeph filium ſuum adhuc viuere. Et Petrus Actor. 12. è carcere liberatus, putabat ſe viſum videre; & puellæ nuntianti Petrum ante fores ſtare, non eſt creditum. Addidit poſt contactum indubitatam vitæ ſuæ rediuiuæ & carnis reſumptæ probationem, dum non tantùm manducauit, ſed & partem ſe comediſſe probauit, dum eis reliquias dedit: non quòd vt voluit Durandus & Vallenſis cibum conuerterit in ſubſtantiam ſuam, ſed ex Suare quòd poſt veram actionem vitalem, maſticationem & traiectionem in ventriculum, eum conuerterit in aërem, & euaneſcere fecerit. Aug. tract. 64. in Io.* Poſt reſurrectionem per quadraginta dies Ieſus intrauit & B exiuit cum Apoſtolis manducans: non quidem habens eſuriendi & ſitiendi egeſtatem, ſed vſque ad iſta, carnis inſinuans veritatem, quæ cibandi ac potandi, iam non habebat neceſſitatem, ſed poteſtatem. *Quod ipſum repetit ſer. 38. de Reg. Ver.* Habetis hic, inquit, aliquid quod manducetur? Quanta addit ad ædificationem fidei inſtructor bonus? non eſuriebat, & manducare quærebat: ſed manducabat poteſtate, non neceſſitate. *Et ſerm. 47. de temp.* Legiſtis quia manducauit; nunquid legiſtis quia eſuriuit? Quod manducauit Ieſus, poteſtatis fuit, non neceſſitatis. Si deſideraret manducare, egeret. Rurſus ſi manducare non poſſet, minus valeret. SPONSIONEM. *id. promiſſionem impletam, & carnem Chriſti veram probauimus.*

S. Aug.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

17. *Et de Car. Chri. cap. 5. in f.*

FVit itaque phantaſma etiam poſt reſurrectionem, cùm manus & pedes ſuos diſcipulis inſpiciendos offerret: [a] *Aſpicite, inquit, quòd ego ſum; quia ſpiritus oſſa non habet, ſicut me habentem videtis.* ſine dubio manus, & pedes, & oſſa, quæ ſpiritus non habet; ſed caro. Quomodo hanc vocem interpretaris, Marcion, qui à Deo optimo, & ſimplici, & bono tantum, infers Ieſum? Ecce fallit, & decipit, & circumuenit omnium oculos, omnium ſenſus, omnium acceſſus & contactus. Ergo jam Chriſtum non de cœlo deferre debueras, ſed de aliquo circulatorio cœtu; nec Deum præter hominem, ſed Magum hominem; nec ſaluris Pontificem, ſed ſpectaculi artificem; nec mortuorum ſuſcitatorem, ſed viuorum auocatorem. Niſi quod &, ſi magus fuit, natus eſt.

a Luc. 24. 39.

CHRISTI CARO. XVII. SCHOLIA.

FVIT ITAQVE PHANTASMA. *illudit iterum Marcioni illuſori, qui Chriſtum circulatori & præſtigiatori ſimilem fingebat, aut Magi ſenſum Apoſtolorum decipienti.* QVOMODO HANC VOCEM, *&c. Quæ ſcilicet Chriſtus dixit:* Spiritus oſſa non habet. *Quid dices, tu qui tenes Ieſum non à Deo Creatore malo, ſed à Deo bono & ſimplici procedere? Cur manus & pedes à Creatore productos proferebat, ſi veros, vt conſtat, proferebat? Si phantaſticos, illudebat: ergo vt illuſor & Magus, non carnem ſydeream de cœlo, ſed de aliquo circulo magico, Magus ipſe, & malus, & à malo Creatore miſſus, vt contrario bono, & ſimplici tuo, proferebat.* NEC DEVM PRÆTER HOMINEM. *id. ſolum Deum, excluſa humana natura, vel nec Deum, nec hominem ſic illudens & fallax, eſſe probabat.* VIVORVM AVOCATOREM. *Alij legunt*, cuocatorem: *facta alluſione ad Magos Necromantiâ mortuos euocantes. Malim* auocatorem, *quod vinorum ſenſus fallax præſtigiator auocet & abducat, à recto veritatis tramite. Tertull. de Præſcr. c. 43.* Nota ſunt commercia hæreticorum, cum Magis quamplurimis cum circulatoribus. *Vincentius Lirin. aduerſus hæreſes.* Abſit vt hoc fallaci modo Deus Verbum, hominis perſonam ſuſcepiſſe creC datur; ſed ita potius, vt incommutabili ſua manente ſubſtantia, & in ſe perfecti hominis ſuſcipiendo naturam, ipſe caro, ipſe homo, ipſe perſona, hominis exiſteret: *caute vox hæc intelligenda, vt non perſonatus, ſed verè hominem repræſentans & exiſtens, licet non ſubſiſtens humana perſona, vnica enim erat in Chriſto eaque diuina Verbi hypoſtaſis*, non ſimulatoria, ſed vera; non imitatiua, ſed ſubſtantiua; non denique, quæ cum actione deſiſteret, ſed quæ prorſus in ſubſtantia permaneret. NEC SALVTIS PONTIFICEM. *Pulchrè dictum; ſi enim vera caro non eſſet, in qua veras cicatrices ſeruaſſet, per quas iuxta Paulum Pontifex eſſet:* Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, *id eſt æternorum, quæ nobis merebatur*, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id eſt, non huius creationis: neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. *Certè* ſpectaculi, *alicuius mimici* artifex, *potius*, *quàm* ſalutis Pontifex *habendus eſſet.* NISI QVOD, *&c. Hoc tantum habes dicere, ô Marcion! quod, ſi Chriſtus tuus Magus fuit, tu videris*, natus fuit. *id. Dei tui, boni ſcilicet, & ſimplicis, filius fallax fuit. Vel, quid-*

D

quid velis, circulatorem inducere; tibi plenis probationibus, illum carnem verè natam, & verè hominis filium, & natum esse monstrauit. Tandem quod plena & integra veritas tractabilem se præbuerit Apostolis; tam ad fidei nostræ institutionem, quàm ad Marcionis, & Manichæi hæresim destruendam, diserte docet Augustinus ser. 1. de Ascensione Domini. O caro
S. Aug. vera, quæ contrectatur, cui manus imprimitur, vbi apparent vulnerum cicatrices! Offert se examinandam, probandam, diligentius considerandam. Ac ne fortè oculi fallerent, accedit & curiosa manus, vt corpus contrectaretur solidum, atque omne tolleret ambiguum. O diuina dignatio! ô clementia Saluatoris! instituit, vt ex eo tangens homo maneret, qui crederet, & vel sic perfidus Manichæus erubesceret, ne postea mundus erraret.

* 18. *Caro humana, tantò Verbo dignior, quò amore hominis redimendi, omnem eius infirmitatem subire dignatus est, & eam à morbis, & maculis, & morte saluare.*
De Car. Chri. cap. 4. inp. adm.

SI neque vt impossibilem, neque vt periculosam Deo repudias corporationem, superest vt quasi indignam rejicias & accuses. Ab ipsa quidem exorsus natiuitate, perora, age jam, spurcitias genitalium in vtero elementorum, humoris & sanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alendæ: per nouem menses describe vterum de die insolescentem, grauem, anxium, nec somno tutum, incertum libidinibus fastidii & gulæ. Inuehere jam & in ipsum mulieris enitentis pudorem; vel pro periculo honorandum, vel pro natura religiosum. Horres vtique & infantem, cum suis impedimentis profusum vtique & oblitum. Dedignatis quod pannis dirigitur, quod vnctionibus formatur, quod blanditiis deridetur. Hanc venerationem naturæ, Marcion, despuis: & quo modo natus es? odisti nascentem hominem: & quo modo diligis aliquem? te quidem planè non amasti, cùm ab Ecclesia & fide Christi recessisti. Sed videris, si tibi displices, aut si aliter es natus. Certè Christus dilexit hominem illum in immunditiis, in vtero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum. Propter eum descendit. propter eum prædicauit. propter eum omni se humilitate dejecit vsque ad mortem, & mortem crucis. amauit vtique quem magno redemit. Si Christus Creatoris est, suum meritò amauit. si ab alio Deo est, magis adamauit, quando alienum redemit. Amauit ergo cum homine etiam natiuitatem, etiam carnem eius. Nihil amari potest sine eo, per quod est, id quod est. Aufer natiuitatem, & exhibe hominem. adime carnem, & præsta quem Deus redemit; si hæc sunt homo, quem Deus redemit: tu hæc erubescenda illi facis, quæ redemit? & indigna, quæ nisi dilexisset, non redemisset? Natiuitatem reformat à morte, regeneratione cœlesti, carnem ab omni vexatione restituit, leprosam emaculat, cœcam perluminat, paralyticam redintegrat, dæmoniacam captat, mortuam resuscitat; & nasci in illam erubescit? Si reuerà de lupa, aut sue, aut vacca prodire voluisset, & feræ aut pecoris corpore indutus, regnum cœlorum prædicaret, tua opinor, illi censura præscriberet, Turpe hoc Deo, & indignum hoc Dei filio, & stultum propterea, quia ita credat. Sit planè stultum, si de nostro sensu judicemus Deum.

CHRISTI CARO. XVIII. SCHOLIA.

NEQVE VT IMPOSSIBILEM. *Hic contra Marcionem probat,* CORPORATIONEM, *Incarnationem, corporis humani susceptionem non fuisse indignam Deo, neque accusandam aut abjiciendam, nam de impossibilitate non est quæstio, cum potuerit & personaliter vnari lapidi si voluisset,* vt & Tertullianus probat Spiritum sanctum, vnitum columbæ, *nec de periculo, cum salua sit & immutabilis substantia Deitatis, quamcumque tandem naturam assumat. Marcion indignum credidit Deo, si in mulieris vterum se abjiceret, & legem conceptus & partus. Sed præclarè id refutat Tertullianus, quia Deum indignum non judicamus, hominem totum cessitatis infirmæ naturæ legibus obnoxium, in fœmina vtero animatum & diu portatum, ex vtero turpiter fusum, suo sanguine redimere, amare, tot beneficiis cumulare. Quibus amoris diuini testimoniis exertè concluditur hominem eiusque conceptum, & nativitatem non esse vel adeò viles, cum Dei amore dignum fuerit.* AB IPSA QVIDEM EXORSVS. *Aggreditur Marcionem, & provocat vt ab ipsa prima nativitate sine conceptu in vtero, quem odio habuit, exordium sumat inimicitiæ suæ in carnem humanam. Clemens Alexand. 3. Strom. notat convitia iactata à Philosophis in Nativitatem humanam, à quibus odium fuum hauserat Marcion, qui & idcirco nuptiis infensus erat quasi nativitatis officinis.* HVMORIS ET SANGVINIS, *&c. Elementa dixit in genere, quæ specificat per humorem, id. Virtutem seminandi quæ est in ipso semine. Materia ergo & principia quibus constat fœtus, sunt sanguis & humor, quæ quatuor elementa continent.* FOEDA COAGVLA. *id. semen in vtero congelatum. Galenus lib. secundo de semine c. 5.* Sicut liquidum impressionem, ac fictionem vllam non admittit, mediocriter autem induratum admittit; ita primæ ac recenti fœturæ accidit, quæ lacti recenter coagulato similis est: Ac quemadmodum illud caseum nondum formare aggrediuntur, priusquam satis idoneæ coagulatione concreuerit; eodem modo, animal natura non antea fingere conatur, quàm conuenientem duritiem adeptum sit. *Ordinem conceptus & formationis fœtus Iob descripsit cap. 10* Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti: Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. *Plin. lib. 7. c. 15. cum Medicis censet semen mulieris esse instar lactis album liquidum & diffluens: sed accedente virili semine, calore illius quasi coagulari, cõsolidari, & cõcrescere, vt fiat embrio.* Hæc est generãdo homini materia semine è maribus coaguli modo, hoc in sese glomerante, quod deinde tẽpore ipso animatur, corporaturque. *Iob quatuor tẽpora formandi fœtus breuiter dixit. Lac in primo, caseũ in secundo,*

quò fœtura nondum aliquam formam perfectam induit. Pellem & carnem in tertio, quod Hypocrates vocat ramificationis, *cùm meliores partes & carneæ, vt cor, cerebrum & jecur perfectè formantur, fœtu figura aliqua superinducta cute vestito. Quartum denique tempus infanti tribuit, dum ossibus & neruis integer solidatur.* EODEM COENO ALENDÆ. *Fœtus iisdem nutritur alimentis, quibus constat elementis humore scilicet & sanguine: menstruum autem sanguinem aliqui per cœnum intelligunt. Galenus Coment. 4 in lib. de Alimento.* Fœtus dum adhuc in vtero est, alimentum tradit è sanguine illuc confluente, cum interim menstruæ purgationis in vtero non comportetur. *Et Hyppocrates lib. de Natura pueri.* Neque enim menses prodeunt mulieri quæ prægnans est, si puer sanus futurus sit. *Rursum Galenus Comment. 1. in libr. Hypocr. de Nat. homin.* Cum fœtus primum concretus sit è materno sanguine, qui omnium humorum particeps est, incrementumque pariter & alimentum habeat. PER NOVEM MENSES DESCRIBE VTERVM. *Hiero. cont. Eluidium:* Iunge si lubet & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos. *Galenus lib. 2. de simpt. causis cap. 3. Vbi de vteris mulierum grauibus*, qui tum fœtus grauitatem, tum sui distentionem per nouem menses pertulerunt. *Deinde subjicit de naturæ sollicita prouidentia.* Sic de fœtu sollicita est, vt nouem mensium spatio eius pondus sustineat. *Legenius Soranus Ephesius in arte medendi cap. 17. vbi dicit, quòd primo mense jactus seminis congregatus in vmbilico, sit Rhisis, id. congregatio sanguinis. 2. Expressio corporis animam tribuit. 3. Capilli nascuntur & vnguiculi, & mouetur infans. Ieo & quarto mense nauseæ incipiunt mulieribus, quæ à Græcis dicuntur Nautia. 5. Facit catarrhi signum, & adulteria detegit, quia tunc imprimitur fœtui similitudo seu patris, seu matris, aut adulterum representat. 6. Mense neruorum compositionem natura formar. 7. Medullam confirmat. 8. Vna cum pelliculis ossa consolidat. 9. Denique mense maturum infantem monet.* INSOLESCENTEM. *Certo si de Beata Maria conceptu loqueretur, & non de communi vt liquet, mulierum concipiendi & pariendi more, vox ista quadrare posset quod insolitum & inauditum esset. Virginem concipere in vtero. Sed insolescentem propriè dixit, quasi in dies intumescentem. Minus propriè legunt alij*, inolescentem. ANXIVM, NEC SOMNO TVTVM. *Scilicet ob molestiam ponderis aliaque grauidarum pericula, quæ etiam ob motum infantis somnum inquietant vel quòd prægnans mulier, infantis in vtero somnum paulo longiorem, imputat agritudini, dum per longum tempus, motum eius in vtero non sentit, &c. Alij legunt:* Nexum totum incertum, &c. *Vbi per nexum intelligunt Medici ligaturam fœtus cum matre per vmbilicum. Vnde Tertul. de carne Christi c. 20.* Quid auellitur nisi quod inhæret? quod infixum innixumque est ei quomodo adhæsisset, nisi dum ex vtero per illum neruum vmbilicatium, quasi folliculi sui traducem adnexum origini vuluæ. *Et Galen. Comment. 4. in Aphoris. Hyppocrat.* Ad vteros, fœtuum connexus eandem habent proportionem, quam fructuum connexus ad plantas. INCERTVM LIBIDINIBVS, *&c. id. diuersis appetitibus ciborum plerumque absurdissimorum; & fastidium consueti alimenti boni. Græci κίττας, Atticì κίτταν, Latini aliqui Picam vocant. Dioscorides lib. 5. c. 176. & Alexander Aphrod. lib. 2. q. 73.* Dicitur pica ab Aue comedente semper glebas, aut quoniam variegata sit colore & peregrina, quemadmodum appetentia illa. *Aristophanis Scholiastes vocat:* Auem ad satietatem edentem omniuoram, anxiam ad appetendum, saturam statim ex quibus vorauerit, rursus alia appetere & transuolare in singulas arbores. *Hæc autem appetentia prouenit maximè à conceptu, cuius causa est, quod fœtus nequit absumere omnia alimenta ad se transfusa, ex quibus nausea ingeritur matri.* ENITENTIS PVDOREM. *Tum quòd prægnantes erubescant in partu manifesta noxa libidinis præcrita, tum obstetricis inspectione.* PRO PERICVLO HONORANDVM. *Honor duplex debetur matri, ob periculum duplex, & aborsus fœtus, & mortis ipsiusmet prægnantis.* PRO NATVRA RELIGIOSVM. *Sic alibi vocat:* opera naturæ solemnia. *Et cont. Marc.* Sanctissima & reuerenda opera naturæ. CVM SVIS IMPEDIMENTIS. *Inuolucra fœtus intelligit, qua cum impuro sanguine.* OBLITVM. *id. ob oletum & sordidum infantem effundunt. Hiero.* Ipse tibi describatur infans tegmine membranarum solito inuolutus. *Auicenna tres membranas assignat: primam vocat secundinam, secundam. Bilem, tertiam Abgan. Lamprid. in Antonino Diadumeno* Solent pueri pileo insigniri naturali, quod obstretices rapiunt & Aduocatis credulis vendunt, siquidem causidici hoc iuuari dicuntur. At iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue, at ita forte vt rumpi non potuerit. OBLITVM. *Aristoteles 7. de hist. Animal. c. 9.* Aqua illa subter cutem fusa, per fœtus motionem ruptis membranis effluit. *Et Auicenna:* Egressio quidem fœtus non completur, nisi per scissionem panniculorum humidorum, & effusionem humiditatum eorum, & facientium illum lubricari. *Hinc corrigendum puto, quod aliqui legunt apud Tertul. 3. cont. Marc. cap. 11.* Ludicros exitus. *Legendum credo* lubricos. *Nisi forte ex mente Marcionitarum illudat, venerando & reuerendo hominis partui.* PANNIS DIRIGITVR. *Innuit membrorum curam habitam à nutrice vt fasciis aptè constricta, recto ordine extendantur ne distorta huc aut illuc gibbosum, claudum aut mancum puerum faciant. Sic Basil. Sel. orat. 2. dixit infantem:* post partum reticulis fasciarum reformatum. VNCTIONIBVS FORMATVR. *Ita Galenus lib. de sanitate tuenda.* Corpus infantis confricari oportet oleo dulci, sicut idipsum rectè peragunt nutrices pleræque, statim ipsas corporis partes modulantes atque fingentes. *Alij legunt*, vinctionibus. *Sed in digna Tertulliano concisa repetitio esset: iam enim dixerat*, quod pannis dirigitur. BLANDITIIS DERIDETVR. *Infra hoc ipso libro dixit enutritum puerum*, per ludibria Nutricum, *quæ enim blanditiis, cantibus, gestibus puerilibus cum infante repuerascunt, vt ploranteni consolentur.* HANC VENERATIONEM, *&c. id. hoc opus naturæ venerabile, tu Marcion probris & contumeliis onerasti.* SI CHRISTVS CREATORIS. *Eximia ratio Tertulliani qua post tot dilectionis Christi erga hominem tam vilem & despectum à Marcione testimonia sumpta ex redemptione, sic concludit, si inquit Christus vt nos credimus, Dei Creatoris nostri filius est, qui hominem de limo formauit, certè hominem opus suum jure merito amauit:* Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti. *Et rursum:* Creauit vt essent omnia, sanabiles fecit nationes orbis terrarum. *Et non orbis cœlorum:* nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ, &c. Qui factus est ei ex semine Dauid, secundùm carnem. *Non quod ex semine Ioseph filio Dauid natus sit Christus, sed de Maria, quæ erat ex semine Dauid. Quod si Christus à Deo Marcionis est, plus adhuc hominem amauit, quia ab aduersario Deo creatum, & à se alienum redemit. Quòd si hominem dilexit, certè & substantiam carnis eius, & natiuitatem, quæ ex parte constituit hominem.* ANIMÆ CARNEM. *id. si tollas ab homine car-*

nem quæ conſtituit hominem, monſtra mihi, fac me videre hominem quem redemit.

Aug. libro 13. de Trin. cap. 10. Eos, inquit, qui dicunt, itane defuit Deo modus alius quo liberaret homines, à miſeria mortalitatis huius, vt vnigenitum Filium Deum ſibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam & carnem, mortalemque factum mortem perpeti: parum eſt ſic refellere, vt iſtum modum, quo nos per Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum Deus liberare dignatur, aſſeramus bonum & diuinæ congruum dignitati: verumetiam vt oſtendamus non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent, ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ conueniétiorem modum alium non fuiſſe nec oportuiſſe. Quid enim tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram, mentéſque mortalium conditione ipſius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis deſperatione liberandas, quàm vt demonſtraretur nobis quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret? Quid vero huius rei tanto iſto indicio manifeſtius atque præclarius, quàm vt Dei Filius immutabiliter bonus, in ſe manens quod erat, & à nobis, & pro nobis accipiens quod non erat, præter animæ ſuæ naturæ detrimentum noſtrum dignatus inire conſortium? NATIVITATEM REFORMAT A MORTE. *Alij legunt:* natiuitate reformata regeneratione cœleſti, *id. Natiuitate veteris hominis reparata per nouum hominem cœlitus, hoc eſt Spiritu ſancto genitum ex Virgine. Vel* reformat à morte, *id. mortuam natiuitatem hominis veteris, regenerat per nouum. Sic Theophanes Nicænus ep. 3.* In illo beato vtero, qui Deum excepit, finxit denuo primitias maſſæ noſtræ, & reformauit eam ſibi vniens, Deique Filium in eadem hypoſtaſi aduentu Spiritus ſancti efficiens. *Sed quamuis, vt volebat Marcion, phantaſticè tantum carnem noſtram aſſumpſiſſet, tamen in fauorem humanæ carnis, quam dilexit, carnem amatam à Deo probat, dignamque putatam, circa quam etiam in non baptizatis tot miracula faceret; dum ſubdit* CARNEM AB OMNI VEXATIONE, *&c. Ab omnibus morbis curauit.* EMACVLAT, *emundat,* PERLVMINAT. *id. illuminat.* CAPTAT. *id. captiuam à dæmone redimit, & ſibi captat. Alij legunt* expiat, *ſcilicet ab immundo dæmone fœdatam.* NASCI IN ILLAM. *id. in carnem induci erubeſcit? Quaſi ſe ſcilicet inaignam, quam tot miraculis honorauit.* SI REVERA DE LVPA, *&c.* Præſcriberet, *forſitan & victoriam contra nos obtineret ſua ratio, ô Marcion, in carnis indignitate fundata, ſi diceremus tibi Chriſtum carnem ex aliqua pecude traxiſſe, & opponere poſſes hoc indignum Deo, & nos ſtultos qui hoc crederemus; ſed nihil ſtultius, nihil audacius, quàm* de noſtro ſenſu judicare Deum. *Subjecitque alibi quæ jam diximus,* ſtultum non eſſe credere in Deum natum, & quidem ex Virgine: *quæ quodammodo gemellas naturas ſuo in vtero, in vnitate perſonæ iunctas, vno in Chriſto portauit: alludit ad Rhemi & Romuli matrem, de qua Auguſtinus libro 18. de Ciuit. cap. 21.* Amilius, inquit, fratris ſui Numitoris filiam Rheam nomine, quæ etiam Lia vocabatur, Romuli matrem Veſtalem Virginem fecerat, quam volunt de Marte geminos concepiſſe, iſto modo ſtuprum eius honorantes, vel excuſantes, & adhibentes argumentum, quòd infantes expoſitos lupa nutriuerit. Hoc enim genus beſtiæ ad Martem exiſtimant pertinere, vt videlicet ideo lupa credatur admouiſſe vbera paruulis, quia filios Domini ſui Martis agnouit: quamuis non deſint qui dicant, quum expoſiti vagientes jacerent, à neſcio qua primum meretrice fuiſſe collectos, & primas eius ſuxiſſe mamillas. Meretrices autem lupas vocabant, vnde etiam nunc turpia loca earum lupanaria nuncupantur. *Longè autem abſumus cum Tertulliano ab illius lupæ meretricis, nutricis aut matris Romuli recogitatu; Chriſtum enim Dominum, & Deum exercituum, fortem in prælio, veri non fabuloſi Martis, ſed Domini Sabaoth Filium, ſicut & verè Matris Virginis Filium confitemur. Non Romæ vnius, ſed totius mundi conditorem & regem, per quem reges regnant. Sed ſtultiſſimos qui facilius credunt Iouem Taurum aut Cygnum factum, quàm verè hominem Chriſtum. Adnotandum eſt autem Tertullianum, licet alibi crudius, quàm par eſt de partu virgineo loquatur, hic non loqui de eo, ſed de communi mulierum conceptu & partu. Neque enim vterus eius grauis aut anxius, aut incertus libidinibus faſtidij & gulæ, nec periculo honorandus, nec Chriſtus cum impedimentis profuſus & oblitus, nec per nouem menſes ad perfectionem productus. Vno enim eodemque momento, digito Dei Spiritu ſancto, ſine opere virili fabri Ioſeph, ſingulare tectum corporis aſſumpti elaboratum eſt, in quo* paſſer ſolitarius, *vnicus Dei Filius maneret,* vt habitaret in nobis. *Aug. ſerm. 17. in nat. Do in f.* Cum deſpõſata eſt fabro, cœli nupſit architecto. *Chryſol. ſer. 15. à m.* Centurio tectum ſuum indignum iudicat Chriſto: quia ſub ſingulari tecto manebat noſtri corporis Chriſtus, iuxta illud Prophetæ Pſal. 101. Sicut paſſer ſolitarius in tecto. *Et ſer. 102. à m* Hoc tectum corpus eſt, quod tegit animam, quod operit ſenſum Spiritus, quod cordis domicilium velat, quod libertatem mentis à cœleſti viſione ſecludit. Sub hoc ergo tecto Centurio indignum ducit intrare Chriſtum, hoc eſt in corpus humanum diuinam ſuccedere maieſtatem. *Sed idem ipſe ſer. 145 in f.* Verbum Caro factum eſt; vt hominis caro promoueretur in gloriam Dei, non vt Deus in carnis verteretur iniuriam. *Tectum autem hoc carnis vno momento perfectum eſt; vt verum Propheta dixerit,* Fœmina circundabit virum: *Virum inquam perfectæ rationis, & organizati corporis, licet parui corpuſculi. Vnde in Hebræo habetur,* geber, *id. fortis & potens vir. Vatablus,* fœmina circundabit virum fortem. *Et Ioannes pluſquam Propheta hoc ſenſu:* Qui poſt me venit, ante me factus eſt: *Non ſolum dignitate Meſſiæ me præcedit, ſed & formatione in vtero. Licet enim ſex menſibus conceptum eius præceſſerim, de ſterili natus, ex Patris Zachariæ ſemine, ſexto menſe rationis vſu cum gratia ſanctificante potitus, via tamen communi quadrageſimo tantum die animatus ſum fœtu formato. At ille ante me factus eſt, quia de Virgine, conceptus de Spiritu ſancto, & vno eodemque momento vir perfectus,* plenus gratiæ & veritatis. *Quantum ad Virginem attinet communi Patrum & Eccleſiæ conſenſu, nec grauata eſt fœtu, nec corrupta conceptu, nec polluta partu. Aug. ſer. 3. de temp.* Speculum non rumpit radius Solis, & virginitatis integritatem corrumpere potuit ingreſſus aut egreſſus Diuinitatis? *Chryſol. ſer. 117. in m.* Virgo concipit, Virgo parturit, Virgo permanet; ergo virtutis eſt caro conſcia, non doloris, quæ magis pariendo, integritatis augmenta ſuſcipit, &c. Et Sacramentis cœleſtibus interfuiſſe ſe noua mater miratur, teſtis ſui partus exiſtit, quæ nullas partus pertulit paſſiones. *Vide alibi dicta juxta Tertul. ab Aug. in epiſtola ad Voluſianum.*

S. Aug. S. Aug. Aug. Aug.

CHRISTI NATIVITAS.

1. Christi Natiuitatem Marcion vt phantasticam ridet, & omnia infantiæ eius mysteria. De Car. Chri. cap. 1. in f. & 2. in p.

MArcion, vt carnem Christi negaret, negauit etiam natiuitatem; aut vt natiuitatem negaret, negauit & carnem. scilicet ne inuicem sibi testimonium redderent & responderent; natiuitas & caro. quia nec natiuitas sine carne, nec caro sine natiuitate. quasi non eadem licentia hæretica, & ipse potuisset, aut admissa carne natiuitatem negare, vt Apelles discipulus, & postea desertor ipsius: aut carnem & natiuitatem confessus, aliter illas interpretari, vt condiscipulus, & condesertor eius Valentinus. Sed & qui carnem Christi putatiuam introduxit, æque potuit natiuitatem quoque phantasma confingere, vt & conceptus, & prægnatus, & partus virginis, & ipsius exinde infantis ordo, τὸ δοκεῖν haberentur. eosdem oculos, eosdemque sensus fefellissent, quos carnis opinio clusit. Plane natiuitas à Gabriele annuntiatur. Quid illi cum angelo creatoris? & in virginis vterum conceptus inducitur. quid illi cum Esaïa propheta creatoris? Odit moras, qui subito Christum de cœlis deferebat. Aufer hinc, inquit, molestos semper Cæsaris census, & diuersoria angusta, & sordidos pannos, & dura præsepia. Viderit angelica multitudo Dominum suum noctibus honorans. Seruent potius pecora pastores. & Magi ne fatigentur de longinquo; dono illis aurum suum. Melior sit & Herodes, ne Hieremias glorietur. Sed nec circuncidatur infans, ne doleat; nec ad templum deferatur, ne parentes suos oneret sumptu oblationis; nec in manus tradatur Simeoni, ne senex moriturus exinde contristetur. Taceat & anus illa, ne fascinet puerum. His opinor consiliis, tot originalia instrumenta Christi delere Marcion ausus es, ne caro eius probaretur.

CAP. 11. Luc. 1. 26. Esa. 7. 14. Luc. 2. 1. 2. 7. Luc. 2. 9. 10. Luc. 2. 21. Luc. 2. 22. & seq.

CHRISTI NATIVITAS. I. SCHOLIA.

MARCION VT CARNEM, *&c. Cum Natiuitas supponat carnem de carne natam, & vera caro natiuitatem, Marcion vt Christi natiuitatem expugnaret, carnem eius credidit phantasticam & putatiuam. Sed cum hæreticis omnia licita sint, poterat de ingenio hæretico vt Discipulus eius Apelles credere carnem, & negare natiuitatem, vel sicut Valentinus vtrumque admittendo aliter, interpretari. Sic autem interpretatus est teste Philastrio Valentinus:* Dicit Christum à Patre quem Profundum nomine appellat ad totius mundi salutem fuisse missum, & de cœlo carnem detulisse; nihil autem accepisse de sancta Virgine, sed vt aquam per riuum, ita transisse per eam affirmat. QVI CARNEM CHRISTI PVTATIVAM. *id. cum Marcion Christi carnem non veram, sed putatiuam introduxit, potuit quoque conceptum Mariæ, prægnationem, partum, infantiam Christi cæteraque mysteria phantastica confingere. Tota enim hæc infantis historia phantastica poterat eodem prorsus modo oculos fallere,* QVOS CARNIS OPINIO CLVSIT, *id. clausit, sine vt alia lectio habet* inlusit. *id. quos caro putatiua decepit. τὸ δοκεῖν haberetur. Rhenanus τῷ τὸ δοκεῖν. id.* secundum existimationem. *Hiero. τῷ δοκεῖν id. apparendo. Ignatius ep. ad Trullianos, ait hæreticos istos Marcionitas dixisse Christum,* opinione mortuum, *τὸ δοκεῖν τεθνηκέναι. Theodor. lib. de diuinis Decretis vocat ideo illos* Docytas *διὰ τὸ δοκεῖν. Vult ergo dicere hac Græca voce. Iuxta Hiero. ad Pammach.* Non solum resurrectionem Christi, sed & ipsam Natiuitatem *τῷ δοκεῖν* id. putatiuè magis visam quam factam. QVID ILLI CVM ANGELO CREATORIS. *Toto hoc initio capitis secundi inducit Marcionem illudentem Christi conceptui, natali, Magorum adorationi, præsentationi in templo, &c. Angelum hic Creatoris expresè dicit, quia Marcion sectator Cerdonis duo ponebat principia siue Deos, vnum malum, legis & Prophetarum Auctorem, quem vocabat Creatorem quem Christi Patrem esse negabat, alium bonum qui erat Pater Christi. Et Gabriel Angelus Creatoris dicitur, quia ad natiuitatem malam, pertinentem ad rem Creatoris, nuntiandam, missus fuerat. Vide Iustinum in Apolog.*

A *Orig. homil. in c. 18. Ierem. Aug. lib. de hæresibus cap. 21.* Resurrectionem carnis negant Cerdoniani à Cerdone nominati, qui duo Principia sibi aduersãtia, dogmatizant: Deumque legis ac Prophetarum non esse Patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed justum; Patrem vero Christi bonum: Christumque ipsum natum ex fœmina, neque habuisse carnem nec verè mortuum nec quicquam passum, simulasse passionem, &c. Marcion quoque, à quo Marcionitæ sunt, Cerdonis secutus est dogmata de duobus Principiis; quamuis Epiphanius eum tria dicat asseruisse Principia: Bonũ, justum, prauum: sed Eusebius Synerum quemdam, non Marcionem, trium Principiorum atque naturarum scribit Authorem. IN VIRGINIS VTERVM, *alij legunt* & virginis vtero. CVM ESSENTIA. *ita Budeo & Damasceno essentiam, naturam, genus, & formam, apud Sanctos Patres significat. Aristot. pro substantia sumit, sicut & Cicero. Nicephorus pro materia sicut & alibi Cicero & Philo in lib. de mundo.* ODIT MORAS, *&c. Cum Marcion Christum adultum subito de cœlo apparuisse credat, moras omnes Annuntiatorio Angeli conceptus, natiuitatis, cæterumque progressum auersatur. Tertull. in Apol. sic illudit Deos:* EX inopinato apparentes de cœlo superuenisse dicuntur. Proinde Saturnum repentino aduentu, vbique cœlitem contulit dici. MOLESTOS CENSVS. *Durum ac molestum fuit per singula capita vectigal imponi, vt singuli ciues in sua tribu, classe, centuria nomina sua, vxorum, liberorum, seruorum in registro censerent. De censu vide plenè verbo Abraham. 1. Luc. 2.* Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur orbis. *Vniuersus populus possessionis eius, &c.* Et ibant omnes vt profiterentur singuli *Translat. Syr. vt describeretur vnusquisque*, in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia Dauid: vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. *Translat. Syr.* Cum Maria sponsa sua vterum ferente, vt illic describeretur. SEMPER:

B

C

S. Aug.

Quando enim iucunda fuit vectigalium impoſitio, preſertim Iudæis, qui ſe populum Dei, omnibus oneribus exemptum volebant? SORDIDOS PANNOS, *vel pauperes, vel excrementis infectos.* Viderit Angelica, &c. *Ridet Angelorum muſicam nocturnam circa puerum, vt qui tenebris decipi potuerint; paſtores & magos adorantes, &c. quæ habentur Luc. 2.* MELIOR SIT ET HERODES. *Non ſeuiat in pueros innocentes, ne* vox in Rhama audiatur, Rachel plorans filios ſuos, &c. *Ne Ieremias prophetiam ſuam impletam glorietur.* ONERET SVMPTV. *Hic carpit parentes, agni pretium, & quinque ciclos ad offerendum & redimendum vix habentes.* NE FASCINET, *&c. Annam intelligit viduam, ætate proiectam prophetiſſam. A qua fingit timendum faſcinum puero delicato, à graui vetula ſpiritu, vel incantationem, dum immurmurat & muſſitat; neſcio quas laudes. Videndus Herodotus lib. 2. Plutarchus lib. 5. quæſt. conuiu. cap. 7. Heliod. lib. 3. hiſt. Æthiopica. Notandum & apud Paganos* Luſtricum *diem à luſtranda & purganda fœmina dictum, quo nomen puero imponebatur, & fauſta accinebantur infanti, maximè anicula vocabantur fortunam pueri cantatura. Plin. lib. 7. cap. 2.* in Africa familias quaſdam eſſe effaſcinantium. *Sigonius & Nymphodorus tradunt*, quarum laudatione inA teant probata *id eſt*, *ones*, areſcant arbores, emoriantur infantes. *Tertull. quoque de vel. Virg. cap. 15. Laudem faſcinum dixit*, faſcinum vocant infœliciorem laudis & gloriæ enermioris inuentum. ORIGINALIA INSTRVMENTA. *Inſtrumenta dixit Cicero literas publicas, ideſt vel à perſona publica, veluti Scriba Magiſtratus, vel tabellione ſcriptas. vnde Iuſtin. l. 1. Cod. de iuram. propter calumn. diſtinguit inſtrumẽta à literis priuatis; quales ſunt rationes, breuiaria, codex accepti & expenſi, ſyngraphæ & cautiones à Patre familias conſcriptæ.* Originale *autem eſt in iure omne quod ex origine contrahitur, vt originalis decor, macula, inſtrumentum vel exemplum. l. procurator Cod. de edendis nouel. §. Et hoc indiget.* Originalia inſtrumẽta *hic Tertull. intelligit Euangely Lucæ capita de origine & natiuitate Chriſti tractantia, quæ eraſerat Marcion. Theod. lib. 1. hæret. fab.* Compoſuit Euangelium quod dicitur per quatuor amputatis genealogiis, & aliis quæcunque oſtendunt Dominũ natum eſſe ex Dauid ſecundùm carnem: *D. Leo ſer. 4 de Epiph.* Fidei noſtræ magnum præſidiũ prouidentia diuina conſtituit, vt dum ſolemni veneratione colitur adorata in exordiis ſuis Saluatoris infantia, per ipſa originalia documenta, probaretur veri hominis in Chriſto orta natura.

* 2. *Chriſti natiuitas humana, non minus digna Deo quàm mors, & dignior phantaſtica; Chriſtum probat eſſe creatoris, cum predicta ſit ab eius Prophetis. 3. cont. Marc. cap. 11. in f.*

AGE iam, perora in illa ſanctiſſima & reuerenda opera naturæ, inuehere in totum quod es: carnis atque animæ originem deſtrue: cloacam voca vterum, tanti animalis, id eſt, hominis producendi officinam: perſequere & partus immunda & pudenda tormenta, & ipſius exinde puerperij ſpurcos, anxios, ludicros exitus. Tamen quum omnia iſta deſtruxeris, vt Deo indigna confirmes, non erit indignior morte natiuitas, & cruce infantia, & natura pœna, & carne damnatio. Si vere iſta paſſus eſt Chriſtus, minus fuit' naſci. Si mendacio paſſus eſt, vt phantaſma, potuit & mendacio naſci. Summa iſta Marcionis argumenta, per quæ alium efficit Chriſtum, ſatis opinor oſtendimus non conſiſtere omnino, dum docemus magis vtique competere Deo veritatem, quàm mendacium eius habitus, in quo Chriſtum ſuum exhibuit. Si veritas fuit, caro fuit: ſi caro fuit, natus eſt. Ea enim quæ expugnat hæc hæreſis, confirmantur, quum ea per quæ expugnat, deſtruuntur. Itaque ſi carneus habebitur, quia natus; & natus, quia carneus; quia phantaſma non fuerit, ipſe erit agnoſcendus, qui in carne, & ex natiuitate venturus adnuntiabatur à Creatoris Prophetis, vtpote Chriſtus Creatoris.

CHRISTI NATIVITAS. II. SCHOLIA.

AGE IAM. *Iterum aggreditur Marcionem carnem veram indignam Chriſto cenſentem, inducentemque phantaſticam, & probat longe conuenientiorem Deo vero, & Chriſto eius veritatem carnis cum omnibus eius infirmitatibus, quam fictionem & mendacium eius.* PARTVS IMMVNDA, *&c. Videiam dicta Verbo Chriſti caro num. 18. per totum; & rurſum ſicut prænotaui aduertat lector, quod licet alibi minus decenter de virgineo partu loquatur, vt in erroribus eius fuſius animaduertimus, hoc loco non loqui de Virgine pariente, ſicut nec loco præcitato: ſed tantum in genere de ordinario mulierum partu doloroſo & pudendo. Neque enim ignorabat tantus Author B. Virginem abſque dolore & ſordibus peperiſſe, quæ ſine voluptate conceperat.* PVERPERII SPVRCOS, ANXIOS, LVDICROS, EXITVS. *Puerperium propriè ſignificat vel tempus quo parit mulier, vel niſum & dolorem parientis, vel tempus quo poſt partum ex dolore decumbit. Vel denique ipſum puerum & partum mulieris. Plin. lib 28. cap. 8.* Lingua ad alligata pericula puerperij tollit. *Ex eodem Plin. lib. 7. c. 11.* vno abortu duodecim puerperia egeſta. *id. duodecim fœtus*, ſpurcos, annos, exitus *dixit ob ſordes*, *incertitudinem fauſti* C *vel infœlicis partus*, ludicros *autem melius vt ſupra de Chriſt. carne numero 18.* lubricos. *Niſi tamen alluderet ad infantes ſimiles Phares, & Zara, de quibus Gen. 38.* Inſtãte autem partu apparuerunt gemini in vtero. Atque in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum, dicens iſte egredietur prior, illo verò retrahente manum egreſſus eſt alter: dixitque mulier, quare diuiſa eſt propter te maceria, *id eſt membrana qua obnoluitur fœtus in vtero, quaque perrupta egreditur.* Senſus eſt: quare cum frater tuus primus egredi vellet ſecundinas, quibus eratis inuoluti dirupiſti, & ius D primogenituræ abſtuliſti? & ob hanc cauſam vocauit nomen eius Phares. Poſtea egreſſus eſt frater, in cuius manu erat coccinum, quem Apellauit Zara. *En ludicrum exitum, ſed rem valde ſeriam repræſentat. Primò enim in Genealogia Chriſti Matth. 1. fit mentio tantum quatuor mulierum inſignium peccatricum, inter quas inceſtuoſa Thamar, quæ vno partu predictos geminos effudit: vt teſte Chryſoſt. Homil. 5. de pœnit. Ambr. lib. de Salom. c. 5. Aug. in Pſal. 86. Chriſtus* Aug. *hoc facto demonſtret ſe ex peccatricibus Gentilibus & Iudeis, ſibi deſponſaſſe Eccleſiam, qui venerat peccato-*

re saluos facere, vt vbi abundauit iniquitas, superabundet & gratia. Secundò magnum mysterium notat
Aug. *Augustinus in Zara manum præmittente, cuius totum corpus postea secuturum erat. Sic itaque in Psal. 61. in versum* vsquequo interficitis vos tãquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ? præcesserunt aduentum Incarnationis Christi, quædam membra Christi: sicut in nascente quodam, nondum quidem procedente capite, præcessit manus, sed tamen capiti connectebatur & manus. Nolite ergo putare, fratres, omnes iustos qui passi sunt persecutionem impiorum, etiam illos qui venerunt, missi ante Domini aduentum prænuntiare, non pertinuisse ad membra Christi, &c. Venit & ipse connexus eis, refert ad similitudinem nascẽtis illius, quia manus ante caput procedens, & cum capite est, & sub capite, &c. Ex quibus Christus secundùm carnem Rom. 9. Tanquam ex Sion, quia homo factus est in ea. *Tertiò ex Ambr. in Apol. Dauid. Hiero. ad Gal. 3. & Chrysost. homil. 62. in Gen. Phares diuisionem significans, Typus est Iudeorum, qui fuerunt medij inter legem naturæ, & Euangelicam. Vel significat Gentilem populum propter quem macerix destructa est, & medius paries diuidens Iudæos & Gentiles, vt fieret vnum ouile & vnus pastor, & nouissimi qui erant primi. Post quos in fine mundi Iudei venient ad fidem. Notat Chrysostomus id præter naturam contigisse, & præfiguratsse Zaram populum Iudaicum*, Zara enim significat orientem, vel orientalem, aut claritatem, quòd prior oriri, & ad claritatem lucis venire visus fuerit; *qui prior manum protulit, accipiendo legem à Deo; & sic imperfectè secundùm spiritum natus: quia* nihil ad perfectum adduxit lex. *Sed vbi sensit se coccino alligatum, id. sanguinis Christi effusi reum, manum suam retraxit,* & recessit à Deo salutari suo. *Mox Gentilis populus quasi Phares, prior nascendo perfectè secundùm spiritum, credendo scilicet in Christum, ius primogenitura præripuit Iudæis, maceriamque inimicitiarum inter se & Deum generosè disrupit, sic quoque Cyril. Isid. & Rup. Hæc de* LVDRICO EXITV *gemellorum in Christi genealogia expressorum, præludentium scilicet ei, qui* ludens in orbe terrarum delicias suas fecit, esse cum filiis hominum. *Qui non* ludicro exitu, *aut phantastico, sed vero, non* anxio, *sed certo & maturo, non* spurco; *sed radianti virgineo partu, Sol* tanquam sponsus processit de Thalamo suo, lectulo vernanti, & florido, *& qui* in similitudinem hominum factus, &c. In splendoribus sanctorum, ex vtero Patris genitus, sic ex vtero auroræ rorem habuerit natiuitatis suæ. LVDICROS EXITVS. *An quia vt in seculo ludus est, dictus* Au Roy depoüillé. *Sic homo Rex à Deo conditus indutus Regia innocentiæ veste, nunc nudus nascitur pauper & miser? Iob* nudus egressus sum de ventre matris meæ, & nudus reuertar illuc. *Et Seneca:* natura excutit exeuntem, sicut intrantem; non licet plus efferre, quàm intuleris, *an quia vt apud Hebræos ex Rabbi Dauid, sedes parturientis, & rota figuli eadem voce exprimitur, & Ierem. 18. dictum est ei* descende in domum figuli, *vt volubilitatem humanæ vitæ conspiceret? vt qui natus est super rotam, rotæ miseriarum sit addictus, & ludibrium fortunæ rotæ futurus? Sap. 15.* æstimauerunt lusum esse vitam nostram. *Vel denique quod obstetrix & nutrix, vix natum infantem plorantem blanditiis excipiunt, & placant per totam infantiam? Sic de Car. Cori. de puero vix nato*, blanditiis deridetur, &c. Illum per ludibria nutritum, &c. Vacua ludibria, &c. *qui legunt,* lubricos, *periculum natiuitatis & vitæ intelligunt.* Fiat via eorum tenebræ & lubricum. PVERPERII *nihil puerperij in huius pueri partu, nil sordidum, quale est in cæteris, de quibus S. Zeno. innit. 3. ad fontem.*

Ipsæ matres partus dolore gementes, & vos plorantes, sordidos, pannis sordidis *id. secundinis; sic dictis quod partum sequantur* alligatos, huic mundo dedititios intulerunt. *Patres Concilij in Trullo plusquàm ducenti, Canonem 79. nunquam corruptum, ediderunt, quo statuunt* absque vllis secundinis, ex Virgine partum esse, &c. *Superaddunt*: Non licet ex communibus, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem virginis partum, quæ supra mentem & sermonem Verbum peperit, definire, moliri, ac describere. *Zonaras quoque dixit*, Sanctæ Virginis partum, absque vllo puerperio fuisse. *Vbi nota tam in dicto canone, quàm apud Zonar. vocem ἀλόχευτον ab α priuante, & λοχεία compositum, qua significat apud Aristot. & Dioscorid. purgamenta partus. Surius secundinas vertit, alij dolorem partus, alij quælibet dolorosa, & spurca, quæ in partu accidunt. Cùm igitur virgo his omnibus caruerit, ideo hic canon, teste Zonara editus est contra eos, qui die sequenti natiuitatis Christi, quædam in templo offerebant, sicut faciebant pro cæteris mulieribus partu solutis.* Eas igitur oblationes hîc canon prohibet, Sanctæ Virginis partum absque vllo puerperio fuisse demõstrans. Est verò puerperium, emissio fœtus, quam doloris sensus, ac profluuium sanguinis comitantur, quibus quidem malis nullatenus obnoxiam fuisse Deiparam credimus. *Cyr. ser. de Nat.* Maria genitrix & obstetrix, nullus dolor, nulla contumelia in puerperio. *Aug. lib. de 5. hæres. c. 5.* stulte, vnde sordes in Virgine Matre, vbi non est concubitus cum homine Patre? vnde sordes in ea quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? CARNE DAMNATIO. *Difficilis locus. Dixisse debuerat, & caro damnatione id. morte ignominiosa. Sed cum repetitio sit indigna tanto, & tam conciso viro; malim per,* damnationem, *intelligere, quod alibi iam exposuimus, iuxta Paulum*, damnationem peccati in carne, *quæ certè indignitatem apparentem carnis assumptæ, in magnam extulit gloriam, dum in ea* fortem fortior superueniens alligauit, & omnia eius arma diripuit, & exspolians principatus & potestates, palam traduxit confidenter, triumphans illos in semetipso. DOCEMVS MAGIS DEO COMPETERE VERITATEM, *&c.*

5. Aug.

Nil indignius Deo vero, quàm mendacium, quod est à Diabolo. Aug. tom. 9. tract. 42. in Io. Diabolus à seipso mendax fuit, mendacium suum ipse genuit, quod à nemine audiuit. Quomodo Deus Pater genuit filium veritatem: sic Diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium. *Et lib. cont. mendacium* 8. Aug. *c. 15.* Nihil aliud iudicandus est, qui dicit aliqua iusta esse mendacia, nisi aliqua iusta esse peccata, ac per hoc aliqua iusta esse quæ iniusta sunt: quo quid absurdius dici potest? vnde enim est peccatum, nisi quia iustitiæ contrarium est? &c. Ea verò quæ contra legem Dei fiunt, iusta esse non possunt. Dictum est autem Deo Psal. 118. lex tua veritas. Ac per hoc, quod est contra veritatem, iustum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse mendacium omne? nullum ergo iustum esse potest mendacium. Item, cui non clareat ex veritate esse omne quod iustum est? Clamat autem Ioannes. 1. 2. omne mendacium non est ex veritate; omne ergo mendacium non est iustum. *Et de mendacio c. 7. vbi* 5. Aug. *cùm dixisset nec pro tuenda castitate corporis, integritatem animi aliquo mendacio corrumpendam, sic concludit:* quoniam nemo dubitat, meliorem esse animum corpore, integritati corporis, integritas animi præponenda est, quæ in æternum seruari potest. *Quia scilicet pendet à voluntate resistente mendacio & cuilibet peccato.* Quis autem dixerit integrum ani-

mum esse mentientis? Etenim libido quoque ipsa rectè definitur, appetitus animi, quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur. Nemo itaque potest connitere aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed cùm tantò quisque ab æternitate discedat, quantò à veritate discordat; qui autem mentitur, à veritate discedat; absurdissimum est dicere discedendo inde, posse ad boni ali, quid, aliquem peruenire. Aut si est aliquod bonum æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum: & ideo nec bonum erit, quia falsum erit. Vt autem animus corpori, ita etiam veritas ipsi animo præponenda est: vt eam non solum magis quàm corpus, sed etiam magis quàm seipsum appetat animus. Ita quippe erit integrior & castior, cum eius potius immutabilitate, quàm sua mobilitate perfruetur. *His positis, quis credat verum Dei Filium mendacio animæ & corporis phantasticè assumpti corrumpere voluisse Diuinitatem suam, omnibus salnandorum animis & corporibus infinitè meliorem? Quis credat, per viam mendacij nos ad veram & æternam vitam perducere voluisse? Cum verus Dei Filius, verus homo dixerit.* Ego sum via, veritas, & vita, & hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. *Concludo ergo cum Tertull. digniorem Deo fuisse mortalis & infirmæ carnis veram assumptionem* quàm mendacium eius habitus, *id est humanæ formæ* in quo Christum suum exhibuit, *mendacissimus Marcion.*

3. Et de Car. Chri. cap. 3. in p.

NEcesse est, quatenus hoc putas arbitrio tuo licuisse, vt aut impossibilem, aut inconuenientem Deo existimaueris natiuitatem. Sed Deo nihil impossibile, nisi quod non vult. An ergo noluerit nasci (quia si voluit, & potuit, & natus est) consideramus. Ad compendium decurro. Si enim nasci se Deus noluisset quacunque de causa, nec hominem se videri præstitisset. Nam quis hominem videns, eum negatet natum? Ita quod noluisset esse, nec videri omnino voluisset. Omnis rei displicentis, etiam opinio reprobatur. Quia nihil interest, vtrum sit quid, an non sit; si, cum non sit, esse præsumitur. Planè interest vt falsò non patiatur, quod verè non est. Sed satis erat illi, inquis, conscientia sua. viderint homines, si natum putabant, quia hominem videbant. Quantò ergo dignius, quantoq. constantius humanam sustinuisset existimationem verè natus, eandem existimationem etiam non natus subiturus cum iniuria conscientiæ suæ? quam tu ad fiduciam reputas vt non natus, aduersus conscientiam suam natum se existimari sustineret.

CHRISTI NATIVITAS. III. SCHOLIA.

NECESSE EST, *&c. Id est: quandoquidem hoc tibi arrogas licentiæ, vt pro nutu tuo Christum verè incorporatum, & de Virgine natum, tam contra scripturam expressam, quam contra communem Ecclesiæ sensum perneges; restat vt id Deo impossibile, aut incongruum & indignum Deo iudices. Sed Angelo teste,* non erit impossibile apud Deum omne Verbum: *& cùm Filius sit Verbum Patris, & Sermo;* Sermo illius potestate plenus est. *Et rursum:* omnia quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra: *vt animam omni cœlo incorruptibiliorē & splendidiorem sibi de nihilo crearet, vt per eam omnem animam ad nihilum peccati deductam recrearet: & de terra Virgine sumptam, non de cœlo delatam carnem, prout voluit sumeret; in qua natus viuens, moriens, omnem hominis carnem ad se ventu-*
S. Augst. *ram in iudicium, à mortuis excitaret, Pulchrè Au-*
gustinus: quia omnipotens erat fieri potuit, manens quod erat, fecit sibi matrem, cùm esset apud
S. Augst. Patrem. *Ita idem Aug. in Psal. 61. vbi de ciuitate Dei ex loco Psal. 86.* Mater Sion dicet homo: dicit ei mater sed homo: *id est mater quæ homo est & generis humani, scilicet Ecclesia, vel Beatissima Virgo, quæ homo erat, id. ex semine Dauid & creatura humana, sola vtique homo, pro vtroque sexu faciens, sola & absque Ioseph Christum generãs & concipiens de Spiritu Sancto.* Mater enim Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Ille ergo Rex eius, *addo & Pater eius,* qui eam fundauit altissimus, ipse in ea homo factus est humillimus. *Dicam & filius obedientissimus; vt dixerit Lucas,* & erat subditus illis. SI NOLVISSET. *Quærendum, inquit, vt breuiter concludam, an Christus noluerit nasci. Si enim noluit nasci homo, nec videri voluit homo. Quæcunque enim in substantia & veritate rei displicent, etiam in ipsa opinione displicent. Vnde nec videri voluisset homo, & talis reputari, omnemque ignominiam vilitatis, tantula creatura, in hominum existimatione refugisset. Nec dicas sufficisse Christo* CONSCIENTIAM SVAM. *id. notitiam quam habebat, se non esse natum & verè carneum, licet talis hominibus appareret: longè enim illi melius foret, hunc ruborem malæ opinionis cum veritate sustinere, de qua sibi magis hominet obstrinxisset, pro quibus se ad tantum dedecus deiecisset, quàm eandem subire existimationis confusionem.* CVM INIVRIA CONSCIENTIÆ SVÆ. *Scienter scilicet mentiendo, & fingendo quod non erat.* QVAM TV AD FIDVCIAM REPVTAS. *id. quam tu Marcion, scientiam sui esse incorporei reputas sufficisse, vt confidenter Christus pateretur se existimari quod non erat, fidens nihil inde periclitari suum honorem.* ADVERSVS CONSCIENTIAM SVAM. *Certè, vt iterum retexam, nil tam aduersum Deo & Verbo vero, quàm mendacium; nihil sic contrarium vitæ, quàm mors.*
Aug. *Aug. lib. de mendacio c. 6.* Cùm scriptum sit, os quod mentitur, occidit animam, quomodo non peruersissimè dicitur, vt alter corporaliter viuat, debere alterum spiritaliter mori? *Et quid Ioannes; & vita erat lux hominum, &c. Quod factum est in ipso vita erat, &c.* Et vidimus eum plenum gratiæ & veritatis: *& Paulus:* gratia Dei vita æterna. *Tandem Aug.*
Aug. *lib de mendacio cap. 21.* Non est mentiendum in doctrina pietatis. Magnum enim scelus est & primum genus detestabilis mendacij, &c. Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio: non enim malis conuertentium moribus, ad bonos mores conuertendus est: quia si erga illum faciendum est, debet etiam ipse conuersus facere erga alios. Atque ita non ad bonos, sed ad malos mores conuertitur, cùm ei præbet imitandum conuerso, quod ei præstitum est conuertendo. *prob quale exemplum, quis dux, quæ via ad Patrem!* Exemplum, inquit, dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

4. Christi natiuitas ante Luciferum, & conceptus de Spiritu, ex solius matris vtero, Ezechiæ quadrare non potest, vt Iudæi volunt. 5. cont. Marc. cap 9. circam.

NEcesse est, ad meam sententiam pertinere defendam eas scripturas, quas & Iudæi nobis auocare conantur. Dicunt denique hunc Psalmum in Ezechiam cecinisse, quia is sederit ad dexteram templi, & hostes eius auerterit Deus, & absumpserit: Propterea igitur, &c. [a] *ante luciferum ex vtero generaui te*; in Ezechiam conuenire, & in Ezechiæ natiuitatem. Nos edimus Euangelia, (de quorum fide aliquid vtique iam in tanto opere istos confirmasse debemus) nocturna natiuitate declarantia Dominum, vt hoc fic ante luciferum, & ex stella Magis intellecta, & ex testimonio Angeli, qui nocte pastoribus annuntiauit natum esse cummaxime Christum; & ex loco partus: in diuersorium enim ad noctem conuenitur. Fortassean & mystice factum sit vt nocte Christus nasceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris. Sed nec [b] *generaui te*, edixisset Deus, nisi filio puero. Nam etsi de toto populo ait, [c] *Filios generaui*; sed non adiecit, Ex vtero. Cur autem adiecit, Ex vtero, tam vanè? quasi aliquis hominum ex vtero natus dubitaretur? nisi quia curiosius voluit intelligi in Christum; *Ex vtero generaui te*, id est, ex solo vtero, sine viri semine; carni deputans ex vtero spiritus.

4. Reg. 9. 1. & 19. & Esai. 37. 36.

a Psal. 109. 4. Luc. 2. per totum.

b Psal. 109. 4.

c Esa. 1. 2. Psal. 109.

CHRISTI NATIVITAS. IV. SCHOLIA.

NECESSE EST, *&c. Restat vt probem Scripturas quas Iudæi conantur prauo sensu abducere & auocare à Christo, ad Ezechiam, ad solum Christum iuxta sententiam meam & Catholicam per inere. Frustra enim locum Psal. 109. applicant Ezechiæ, & stultè regium Psaltem, id in eius laudem cecinisse commentantur:* tecum principium, &c. Ante luciferum ex vtero genera tu te. *Certè nihil toto hoc Psalmo de Ezechia nec titulus, nec versus. Titulus enim habet in Vulgata* Psalmus Dauid *In Hebræo iuxta Vatablum* Dauidis Hymnus 110. *Sanct. Pag. ex Hebr.* Dauidis cantus Psal. 110. 70. Psalmus ipsi Dauid. 110. *Nec magis fauet diuersitas lectionum in versu. Sanctes enim Pagn.* Populus tuus sponte veniet in die fortitudinis tuæ, in pulchritudinibus sanctitatis, ex vtero ab aurora fuit tibi ros natiuitatis tuæ. *Vatablus autem*, habes promptissimum populum cum educes tuas copias: tibi etiam est ros generationis tuæ in summo decore, & sanctitate, ex vtero auroræ. *Et in Schol. huius loci.* O Christe, Apostoli tui sponte sua, non coacti, volentes prædicabunt Euangelium: & hoc eo tempore, quo quasi virtute bellica mundum & Satanam tibi subiugabis. Et vbi? in splendoribus sanctitatis, id. in Ierusalem vrbe splendida; vbi primum illucescere cœpit Euangelij splendor. Sequentibus verbis reddit rationem cur sponte Apostoli essent Christo seruituri: quia ô, Christe, ros natiuitatis tuæ; id. gratiæ tuæ illæ quæ tibi donabuntur à Patre, dum carnem assumes obuenient tibi iam inde ab vtero, & à prima natiuitate tua. *Chrysostomus & Aug. vertunt*: in splendore Sanctorum. *Aquila* de vulua è diluculo tibi ros pueritiæ tuæ. *Symmachus* sicut iuxta diluculum, tibi ros adolescentia tua. *Hunc rorem & Psal. 71. prædixit alludens ad vellus Gedeonis sic exponente Chrysostomo ser. 143. in m.* Descendet sicut pluuia, &c. Cœlestis imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu; & tota diuinitatis vnda bibulo se nostræ carnis celauit in vellere, donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus pluuiam salutis effunderet. *Vnde ergo Iudæi coniiciunt? An quia dicunt Ezechiam* sedisse ad dexteram templi? *sic enim B. Iustinus Martyr. cont. Tryphonem*: illud, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, &c. Magistri vestri & Rabbini exponere sunt ausi in Ezechiæ dictum esse: proinde atque is iussus fuisset in dextera templi parte sedere; quando per nuntios suos ipsum Rex Assyriorum minis terruit, & per Isaiam, vt illum non timeret, ei est significatum; & quæ Isaias dixerat, re ipsa contigerint; vt auersus fuerit Rex Assyriorum, quoniam oppugnaret Ierusalem in diebus Ezechiæ, & Angelus Domini in castris Syriorum ad 185. millia virorum ceciderit. *Habes hystoriam 4. Reg. 19. vbi nec verbum legitur, sicut nec Esaiæ 37. vbi eadem repetuntur, quod Ezechias sederit ad dexteram. Sic enim habetur in Vulgata* cùm accepisset Ezechias literas de manu nuntiorum & legisset eas: ascendit in domum Domini. *Quo loco nec Sanct. Pagn. nec Vatab. nec 70. aliud habent, quàm,* ascendit in domum Domini. IN EZECHIÆ NATIVITATEM. *Certè cum B. Iustino certò dicam, Ezechiam non natum ex virgine, & cum Epiphanio hæres. 30. cont. Ebionitas, Ezechiam iam natum annos vndecim, cùm prophetaret Esaias:* Ecce virgo concipiet. NOS EDIMVS EVANGELIA. *Quæ Marcion ex parte omnino reiecit, ex parte, maximè Lucæ prima capita de ortu Christi tractantia deleuit.* EX LOCO PARTVS. *Tempus noctis, notat, ante ortum luciferi, vt cum Psalte conueniat Lucas qui meminit huius temporis cap. 2.* Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis, *Translat. Syr. custodiebant custodias noctis.* super gregem suum. *Locum item designat, quo sub noctem conuenitur in diuersorium. Luc. ibid.* reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio. MAGIS INTELLECTA. *id. cuius significationem Magi intellexerunt dicentes Matth. 2.* Vidimus stellam eius, &c. FORTASSEAN. *id. forte, & ideo nocte Christus natus, vt iuxta Prophetam Esa. c. 9.* Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. EDIXISSET. *Sepe monui solitum vti compositis, pro*, dixisset NISI FILIO PVERO. *id. filio suo ab æterno genito in die virtutis, qua virtus patris, & figura substantiæ eius genitus est, ex vtero id est substantia sua per intellectum; vide & in splendoribus sanctorum, vt ex perfectissima non tantum sui ipsius, sed & omnium creaturarum, maximèque electorũ cognitione sit genitus, vt puerum factum ex muliere, media nocte produceret. Licet enim Esa. 1. de omnibus hominibus, maximè Israelitis dixerit iuxta 70. (Quos hic sequitur vt de more Tertullianus)* filios genui & exultaui, *non adiecit tamen, vt pro hoc vnigenito*, ex vtero *quia scilicet hunc locum* DE CHRISTVM *venturum scilicet & prophetatum voluit specialius intelligi.* EX SOLO VTERO. *Virginali scilicet semine virili nil concurrente.* CARNI DEPVTANS

id. filium incarnari volens, & sumere carnem, EX VTERO SPIRITVS. *id. ad Spiritum sanctum pertinente, à Spiritu Sancto obumbrato & fœcundato.* A

Chrysol. ser. 61. a. m. Spiritus & virgo copula terrena non est, cœleste sed est secretum; hinc quod nascitur est diuinum. Ergo quod natus est confitendum est, quomodo natus est, tacendum est: quia quod secretum est, sciri non potest: quod clausum est, nescit aperiri: quod singulare est, non refertur exemplo. *Augustin. in Psal. 109.* Tecum principium, &c. Sicut Pater Deus, & Filius Deus, & Pater & filius non sunt duo dij, sed vnus Deus: sic Pater principium, & Filius principium, pater autem & filius non duo, sed vnum principium. Tecum principium Io. 6. Pater mecum est, &c. In die virtutis tuæ, illius virtutis tuæ, quam impius non videbit Eza. 26. &c. Sed quid est in splendore Sanctorum? donec veniat Dominus & illuminet abscondita tenebrarum, &c. 1. Cor. 4. Hoc erit in splendore sanctorum, quia tunc iusti fulgebunt in regno Patris sui sicut Sol. Matth. 13. &c. Quid nunc? ex vtero ante luciferum genui te? quid hic? si Deus filium habet, nunquid & vterum? sed sicut carnis membra non habet, quia nec sinum, dictum est tamen Ioannis 1. qui est in sinu Patris enarrauit. Qui est autem sinus ipse est vterus, &c. Quid est ex vtero? ex secreto, ex occulto, de meipso, de substantia mea, hoc est ex vtero: quia generationem eius quis enarrabit? Esa. 53. accipiamus ergo Patrem dicentem ad filium ex vtero, &c. Quid est ergo ante luciferum? lucifer pro syderibus positus est, tanquam à parte totum significante Scriptura, & ex eminenti stella, omnia sydera. Sed ista sydera quomodo facta sunt? vt sint in sighis & in temporibus, &c. Gen. 1. &c. Quod est ante sydera, hoc est ante tempora. Si ergo ante tempora, ab æternitate: noli quærere quando: æternitas non habet quando, &c. De Patre non est natus in tempore, per quem facta sunt tempora, &c. *In principio erat Verbum, &c. Tecum principium per quod omnia facta sunt, etiam tempora. Iam quid de natiuitate carnali & temporali? Aug. ibidem* potuit dicere: ex vtero, &c. Ex vtero virginali, &c. Si enim illa virgo ducens propaginem de carne Dauid, ex illo vtero natus est Christus tanquam ex vtero genitus à Dauid. Ex vtero quo masculus non accessit, ex vtero prorsus propriè, *nulli enim alteri conuenit de sola matre sine patre nasci* ex vtero, quia solus ex solo vtero. Ergo ex vtero, inquit, ille *Dauid scilicet*, qui eum Dominum dixerat, *secundùm generationem æternam, cum Patre principiũ & Dominum suum, & Creatorem agnoscens*; ex vtero ante luciferum, &c. Et hoc ipsum ante luciferum signatè dictum, & propriè dictum, & sic impletum. Noctu enim natus est Dominus ex vtero Virginis Mariæ; indicant testimonia Pastorum, qui vigilias exercebant super gregem suum. Luc. 2. ex vtero ante luciferum genui te. O tu Domine Deus meus, sedens ad dexteram Domini mei, vnde & filius meus, nisi quia ex vtero ante luciferum genui te? *Nihil tale de Ezechia: ascendat ad templum quantum volet, sed sedere ad dexteram Patris, solius Christi est. Nasci ex vtero virginis, oriunda ex Dauid, solius filij Dei est, in splendoribus Sanctorum geniti ex vtero patris, sine matre: & noctu ante luciferum, de solo matris vtero sine patre.* B C

S. August. Aug.

5. *Christi natiuitatem testatur Romanum Archiuium. 4. cent. Marc. cap. 7. circa m.*

QVomodo in synagogam potuit admitti tam repentinus, tam ignotus cuius nemo adhuc certus de tribu, de populo, de domo, de censu denique Augusti? quem testem fidelissimum Dominicæ natiuitatis Romana archiua custodiunt.

CHRISTI NATIVITAS. V. SCHOLIA.

QVOMODO IN SYNAGOGAM. *Vt hic locus intelligatur, supponendum est quod alias iam monui; Marcionem de Euangelio Luce quod tantum admittebat, resectis & reiectis duobus primis capitibus agentibus expressimè de Angelo misso tam Zachariæ Christi cognato, quàm B. Virgini, & de eius natiuitate, præsentatione in templo, cæterisque infantiæ eius mysteriis; principium Euangelij hoc fecisse, quod habetur cap. 3. Luce.* Anno quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris. *Secundò hic mentionem facere Tertullianum descensus Christi in synagogam Capharnaum, vbi Luce 4. Christus dæmonium eiecit.* Descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis. Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius *Translat. Syr. mirabantur ob doctrinam eius, quippe cuius sermo authoritate polleret.* Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, &c. *Tertiò. Ideo Tertullianum interrogare, vnde* tam repentinus, tam ignotus? *quia Marcion, de cœlo subitò lapsum Christum perfectum hominem induxit, docentem, & miracula facientem: cum tamen Iudæi, non nisi cognitum admisissent: probè autem adeo illis erat cognitus, vt ante hoc miraculum, ipsomet Luce c. 4. dicatur,* & venit Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in synagogã, & surrexit legere, &c. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabãtur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant; nonne hic est Filius Ioseph? & ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. DE CENSV AVGVSTI. *Intelligit Censum de quo supra iam diximus, qui habetur Luce 2.* Factum est autem in diebus illis, exiit Edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis. *Proindeque & Ioseph cum Maria & nato puero in Censum istum relati sunt, & in Archiuio Romano hæc descriptio seruata, authentieum dat argumentum vere & non phantastice natiuitatis Christi. Inde & ipse Christus postea tributum soluit, & dixit Petro, Matth. 17.* Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel Censum? A filiis suis, an ab alienis? & ille dixit: ab alienis: dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascender, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te. *Stater ex Hieron. in Ezech. 4. duo didrachma valebat, id. quatuor drachmas. Aduertit autem Baro. tom. 1. An. Chri. 33. didrachma solitum solui ex lege, ad vsum tabernaculi, quod postea templo destructo versum est ad vsum Capitolij ex Edicto Cæsaris, teste Iosepho. August. ep. 259.* Norat Dominus aliud Ius *diuinum scilicet, quo Filius Dei erat, & Rex Regum, & in quantum homo etiam Rex de stirpe Dauid*, quo nihil tale debebat: sed eo jure soluebat, &c. Nempe ad vitandum scandalum infirmorum, sicut Paulus à Corinthiis non accipiebat debita stipendia. *Vide eundem* D E Aug.

Aug *Aug. lib. 11. qq. Euang. c. 23. Archivum autem Grammato-phylacium, siue Cartophylacium, Latinè tabularium. Vlp. de panis l. moris. Pudeat Marcionem rerum tanti sacrilegij, vt integra furetur Euangelij capita; pudeat & fideles, tributa & capitationes soluere detrectantes. Chrysol. ser. 175. à p.* Edicto Cæsaris & pagani

A Dominus obtemperaturus occurrit; *nec dum natus, licet hac capitatio, siue Census per singula capita, tam virorum, quàm mulierum, & ipsorum puerorum facta sit Christo iam nato,* & Decreto B. Petri, Decreto Principis Christiani adhuc aliquis irreuerenter obsistit?

6. *Christus pannis inuolutus sepulturam auspicatus est.* 4. *contr. Marc. cap.* 21. *V. Verbum. Caro Christi. n.* 8. *à m.*

7. *Christus verè natus homo probatur, vtpote cui fuerint Mater & fratres simpliciter dicti, & non quasi tentatiuè: quos ipse non tam abnegauit, quam abdicauit, ob Patris opus, cui vacabat.* 4. *cont. Marc. cap.* 19. *in m. ad f.*

VEnimus ad constantissimum argumentum omnium qui Domini natiuitatem in controuersiam deferunt. Ipse, inquiunt, contestatur se non esse natum, dicendo, [a] *Quæ mihi mater, & qui mihi fratres?* Ita semper hæretici, aut nudas & simplices voces conjecturis quò volunt rapiunt; aut rursus conditionales & rationales, simplicitatis conditione dissoluunt, vt hoc in loco. Nos contrariò dicimus, primo non potuisse illi annuntiari, quod mater & fratres eius foris starent quærentes videre eum, si nulla illi mater, & fratres nulli fuissent; quos vtique norat qui annuntiarat, vel retro notos, vel tunc ibidem compertos, dum eum videre desiderant, vel dum ipsi nuntium mandant. Ad hanc primam propositionem nostram solet ex diuerso responderi, Quid enim si tentandi gratia nuntiatum est ei? Sed hoc scriptura non dicit, quæ quanto significare solet ex tentatione quid factum, [b] *Ecce legis doctor adsurrexit tentans eum*; & de tributi consultatione, [c] *Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum*; tantò vbi non facit tentationis mentionem, non admittit tentationis interpretationem. Et tamen ex abundanti causas tentationis expostulo, cui rei tentauerint illum, per nominationem matris & fratrum. Si vt scirent natusne esset, an non; quando de hoc fuit quæstio, quam ex ista tentatione discuterent? Quis autem dubitaret natum, quem videret hominem? quem audisset filium se hominis professum? quem de conspectu omnis humanæ qualitatis dubitarent Deum, aut filium Dei credere; Propheten facilius existimantes licet magnum aliquem, vtique tamen natum. Etiamsi in exploratione natiuitatis tentandus fuisset, quodcunque aliud argumentum tentationi competisset, quàm per earum personarum mentionem, quas potuit etiam natus non habere. Dic mihi: Omnibus natis mater aduiuit? omnibus natis adgenerantur & fratres? non licet patres magis & sorores habere, vel & neminem? Sed & census constat actos sub Augusto nunc in Iudæa per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuissent. Adeo nullo modo constitit ratio tentationis istius. At vere mater & fratres eius foris stabant. Superest, & dispicere sensum non simpliciter pronuntiantis, Quæ mihi mater aut fratres? quasi ad generis & natiuitatis negationem; sed & ex causæ necessitate & conditione rationali. Tam proximas enim personas foris stare extraneis intus defixis ad sermones eius, amplius & auocare eum à solenni opere quærentes, merito indignatus est. Non tam abnegauit quàm abdicauit. Atque adeo quum præmisisset, [d] *Quæ mihi mater, & qui mihi fratres?* subjungens, *Nisi qui audiunt verba mea, & faciunt ea?* Transtulit sanguinis nomina in alios, quos magis proximos pro fide judicaret. Nemo autem transfert quid, nisi ab eo qui habet id quod transfert. Si ergo matrem & fratres eos fecit qui non erant, quomodo negauit eos qui erant? meritorum scilicet conditione, non ex proximorum negatione; in semetipso docens, [e] *Qui patrem, aut matrem, aut fratres præponeret verbo Dei, non esse dignum discipulum.* Ceterum, ex hoc magis matrem & fratres confitebatur, quod illos nolebat agnoscere; quod alios adoptabat, confirmabat quos ex offensa negauit, quibus non vt veriores substituit, sed vt digniores. Denique nihil magnum, si fidem sanguini præposuit, quem non habebat.

a Luc. 8. 21.

b Matth. 22. 35.

c Matt. 19. 3.

d Luc. 8. 21.

e Luc. 14. 26.

CHRISTI NATIVITAS. VII. SCHOLIA.

CONSTANTISSIMVM ARGVMENTVM. *Iam, inquit, accingor soluere validissimum argumentum, quo Marcionita Christi Natiuitatem in dubium vocant; Nempe quod Christus ipse* CONTESTATVR. *id. cum aliqua vehementia abnegat se natum, dum Matrem fratresque rejicit, dicens Luc. 18.* Quæ mihi mater, &c. *Et respondet: Hereticum morem insectatum esse. Sic enim solent voces simplices pro libito, à nudo & claro sensu abducere, vel vice versa, eas quæ conditionem alicuius distinctionis rationalis patiuntur, nuda ac simplici litera dissoluere; sicut facit hoc loco Marcion. Dico ergo quod si Christus nullam matrem, &*

B *fratres, id. Hebræo more cognatos & consanguineos habuisset, non ei simpliciter nuntiatum fuisset eos foris stare. Nec dicant, tentandi causa id renuntiatum fuisse: quoties enim aliquis Christum tentaturus accessit, toties id Scriptura præmonuit, &c. quæ iam supra fusè exposuimus Verbo: Christi caro. Num. 6 De hoc Hebræorum more & modo loquendi, sic Aug. tract. 28. in cap. 7. Ioannis in Verba:* Locuti sunt fratres eius, &c. Fratres, inquit, eius sic accipite, sicut nostis, &c. Consanguinei Virginis Mariæ, fratres Domini dicebantur. Erat enim consuetudinis Scripturarum, appellare fratres, quoslibet consanguineos, & co- S. Aug.

gnationis propinquos, &c. Nam Abraham & Loth fratres sunt dicti, cùm esset Abraham patruus Loth; & Laban & Iacob, fratres sunt dicti, cùm esset Laban auunculus Iacob. Cum ergo auditis fratres Domini, Mariæ cogitate consanguinitatem, non iterum parientis vllam propaginem. Sicut enim in sepulchro vbi positum est corpus Domini, nec antea, nec postea mortuus iacuit; sic vterus Mariæ, nec antea, nec postea, quidquam mortale concepit, *Et tract. 10. in cap. 2. Io. in verba*: Descen-
S. Aug. dit in Capernaum ipse & mater eius, & fratres eius, & Discipuli eius. Quomodo, inquit, loquitur Scriptura, sic intelligenda est: Habet linguam suam; quicumque hanc linguam nescit, turbatur, & dicit; vnde fratres Domino? Num enim Maria iterum peperit? Absit. Inde cœpit dignitas Virginum. Illa fœmina mater esse potuit, mulier esse nō potuit. Dicta est autem mulier secundū fœmineum sexum, non secundum corruptionem integritatis; & hoc ex lingua ipsius Scripturæ. Nam Eua statim facta de latere viri sui, nondum contacta à viro suo, nostis quia mulier appellata est: & formauit eam in mulierem. Vnde ergo fratres cognati Mariæ, fratres Domini? De quolibet gradu cognati. *Tum subjicit eadem exempla Abrahæ & Loth, &c. Et paulo supra*; Ecce habet Matrem, habet fratres, habet & discipulos: Inde fratres, vnde matrem. TANTO VBI, *&c. id. adeo, &c.* CVI REI, *id. vt quid, qua causa, quo fructu.* DE CONSPECTV, *&c. id. ob præsentiam omnimodam humanæ conditionis*, ADVIVIT. *id. adhuc superstes est, viuit simul?* CENSVS CONSTAT ACTOS. *Sic supra*: molestos Cæsaris sensus dixit. *Et præcedenti Scholio*: De censu denique Augusti. *Et rursum alibi*. Vt nemo facile ignorare de genere potuisset, vel de recentibus Augustiniani, censibus tunc adhuc fortè pendentibus. IN IVDÆA PER SENIVM SATVRNINVM. *Hic notandum Luc. 2. vbi de Censu indicto à Cæsare Augusto sic legi: hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino.* Transiat. Syr. sub Præfectura Kyreni in Syria. *Vnde ergo Tertul. per Sentium Saturninum actos hos census dicit, cum Iosephus in Antiq. Quirinum, Eusebius similiter nominet? Iustinus Martyr per Cyrenium. Sed notandum Cyrenum siue Quirinum initio Imperij Augusti gessisse Consulatum vna cum Lucio Minutio Planco. Sentius autem Saturninus bis sub eodem Augusto Consulatum gessit; primo quidem ante Christum natum, cum Q. Lucretio Vespillone: deinde quinto post anno, si Golizij fastos Consulares consulas, cum Sexto Ælio Cato. Probabile igitur est, quòd cùm nullus dictorum Consulatum gesserit Anno Christi nati, Census actos fuisse per Quirinum, siue Cyrinum, Syriæ & Iudææ Præsidem, simul cum Sentio Saturnino. Lucas autem meminit potius Cyrini, quàm Saturnini, quòd magis notus esset, cuius Collegam tacuit, vt minus notum, quàm Præsidem Syriæ Cyrenum. Saturninum autem nominauit Tertullianus, vt in ore duorum testium staret hoc verbum de vero Christi natali, etiam in Census Augusti redacti, quasi veri hominis, & de vera matre progeniti, quorum Nomen, vt & veri sponsi Mariæ, & Patris putatiui Christi, in Albo scriptum videri poterat.* ABDICAVIT. *Propria voce iuris vsus est.* Abdicare enim, *ait Nonius*, est familia abiicere: *Itidem & Festus*: Quasi non dicere, id est negare filium. *Quomodo est & apud Pacuuium*: consanguineam abdicant, *id. negant. Et l. 9. C. de parric.* Potest negare filium, pro abdicare. *Quintilianus abdicatum interpretatur, qui à familia Patris abalienatus est, quod per præconem pronuntiari solebat. Videndus Plato. lib. de legibus 11. Tertul. hîc non vult abnegasse Matrem, sed Matri renuntiasse, quam pro opere Patris, cui tum vacabat, non curauit.* TRANSTVLIT, *&c. non abstulit, sed transtulit, quod consequenter conueniebat eis à quibus transferebat.* NIHIL MAGNVM, *&c. id. non mirandum si consanguinitatem in audientia Verbi diuini fundatam, sanguini & carnis consanguinitati prætulit, si ipse, vt vult Marcion, sanguinem, carnem, matrem, consanguineos non habuisset: sed certè magnum est incentiuum fidei & Verbi auidè audiendi*, cuius ex auditu fides; *quòd licet Christus alius eodem Luca referente, non solum Matri vera, sed & Patri putatiuo Ioseph subditus esset: tamen illos vt adhuc puer in templo manens, pro rebus Patris deseruerat; sic eosdem nunc vir factus, pro isdem rebus Patris, audientibus tum verbum suum, foris stantes in aliquo postponat, quos veros suos Parentes honorabat. Tertul. 4 cont. Marc. c. 26.* Fœlicitatem ab vtero & vberibus matris transtulit in Discipulos, à qua non transtulisset, si eam non haberet.

Aduertendum hîc maximè, quod duobus locis præcitatis diligenter animaduerit Augustinus, Ioannem Euangelistam, magno mysterio signanter discreuisse Discipulos Christi, à fratribus Christi: Discipulos enim sicut Tertull. Discentes *vocat, hoc est aures Dei verbo audiendo auidè commodantes, prætulit carnis suæ de Maria natæ consanguineis. Ita enim Aug. tract. 10. in cap. 2. Io.* Inuenies omnes consanguineos Mariæ, Aug.
fratres esse Christi: sed illi Discipuli magis erant fratres, *eo vt spiritalem parentelam carnali consanguinitati præfert*, quia & illi cognati fratres non essent; *Dilecti scilicet sicut fratres, ferè alteri, Patris æterni voluntatem & negotia, exemplo Christi præferentes materna generationi*; si Discipuli non essent. *Discentes & obaudientes verbo Dei*, & sine causa fratres, *secundùm carnem*, si Magistrum non agnoscerent fratrem. Nam quodam loco cùm ei nuntiassent matrem & fratres eius foris stantes, ille autem cum Discipulis suis loquebatur, ait; quæ mihi mater, & qui fratres? & extendens manum super Discipulos suos, dixit; hi sunt fratres mei: Et quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ille mihi mater, & frater, & soror est, &c. Homines non gaudeant prole temporali; exultent, si spiritu iunguntur Deo. *Quo, vt Maria concepit de Spiritu sancto, beatior mente quàm ventre, sic* qui adhæret Deo vnus spiritus est cum eo: *Et numerosam virtutum prolem ex eo concipit & parit: vel prædicando Verbum, membra Christi nouæ quotidie parturit, & cum Paulo dicere potest facto sicut mater Christi*; Filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. *Idem Aug. tract. 28 in cap. 7 Io. Vbi rursum fratres carnales Christi, à spiritalibus, hoc est Discipulis discriminat, premit & vrget verba hæc fratrum carnalium Christi, qui secundùm carnem sapientes, & mundanæ gloriæ cupidi, cui, cum Christo tanquam consanguinei eius, participare volebant:* Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & Discipuli Ang.
tui videant opera tua quæ tu facis. Illi, inquit, fratres, id est consanguinei, Christum consanguineum habere potuerunt, credere autem in eum, ipsa propinquitate, fastidierunt. Dictum est in Euangelio, non enim hoc nos audemus opinari modo auditis: Addunt, & monent: Nemo enim in occulto quid facit, sed quærit palam esse. Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Et continuò: Neque enim fratres eius credebant in eum. Quare non credebant? quia humanam gloriam requirebant. Nam & quod eum videntur monere fratres, gloriæ ipsius consulunt: facis mirabilia, innotesce id est appare omnibus, vt laudari possis ab omnibus. Loquebatur caro carni, sed caro sine Deo, carni cum Deo. Loquebatur

by Google

enim prudentiâ carnis Verbo quod caro factum est, & habitauit in nobis Quid ad hæc Dominus? dicit ergo eis Iesus: tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum. Quid est hoc? nondum venerat tempus Christi? quare ergo Christus aduenerat, si tempus eius nõdum venerat, &c Intelligite, fratres, quo animo illi loquebantur, &c. dabant ei consilium consequendæ gloriæ, vel vti sæculariter & terreno affectu monentes, ne esset ignobilis, & latitaret. Quod ergo ait Dominus, tempus meum, &c. tempus gloriæ meæ nondum venit, &c. *Subijcit & de filiis Zebedæi, &c.* Attendebant quò, & non videbant qua via Dominus eos, vt ordinatè venirent ad patriam, reuocauit ad viam, &c. *Hiero. de vera Circumc.* O Mysterium! Matrem Mariam sibi Dominus abiurat, cum extra verbi audientiam esset constituta, eo potissimum tempore, quo verbum prædicatur à Verbo. *Amb. in Luc. 14.* Si propter te Dominus suæ renuntiat Matri, dicens, quæ est mater mea? Cur tu Domino tuos cupias anteferre? *Idem lib. 6. in Luc. c. 8.* Non quo maternæ refuter pietatis obsequia, sed quia Paternis se mysteriis, amplius quàm maternis affectibus debere cognoscat. Neque tamen iniurioſi reputantur parentes, sed Religiosiores copulæ mentium docentur esse, quàm corporum, &c. Ergo hîc non mater negatur, quæ etiam de cruce agnoscitur: sed necessitudini corporali, præscriptorum cœlestium forma præfertur.

CHRISTI VERBA.

1. *Christus docuit in templo manè, pernoctauit in Oliueto. 4. cont. Marc. cap. 39. in f.*

ERant & loca alia apud Hierusalem ad docendum, erant & extra Hierusalem ad secedendum; sed enim per diem [a] *in templo docebat*; vt qui per Oseæ prædixerat, [b] *In Templo meo me inuenerunt, & illic disputatum est ad eos*, Ad noctem vero in elæonem secedebat. Si enim Zacharias demonstrarat, [c] *Et stabunt pedes eius in monte elaeone.* Erant horæ quoque auditorio competentes; Diluculo conueniendum erat; quia per Esaiam quum dixisset, [d] *Dominus dat mihi linguam disciplinæ*, Adjecit, *Apposuit mihi manè aurem ad audiendum.* Si hoc est prophetias dissoluere, quid erit adimplere?

a Luc. 21. 37.
b Osee 12. 4
c Zach. 14 4.
d Esa. 50. 4.

CHRISTI VERBA. I. SCHOLIA.

ERANT ET LOCA. *Hic probat in omnibus Christum, verum esse Filium Dei Creatoris, qui in Nouo Testamento*, non venerat legem soluere, sed adimplere. *Et primo quidem aduertis & tempora & loca in Prophetis veteris legis præscripta seruasse, tam docendo in templo, manè, quam orationis causa, noctu secedendo in montem Oliueti: in quo Christus se Dei sapientiam esse probauit, & prædicatoribus, & Deum orantibus, quæ hora, quis locus, aptior Verbo Dei & orationi, designauit.* IN TEMPLO DOCEBAT. *Sic Luc. 21.* Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliueti. *Transl. Syr.* Interdiu docebat in templo, noctu verò exiens, pernoctabat in monte, qui vocatur oliuarum. *Et ideo fortè Menochius in hunc locum notat, quòd Christus magnam partem noctis orationi dans, aliquando se recipiebat in Bethaniam, quæ erat in latere montis Oliueti. Vt sic hac* domus oliuarum, *domus Lazari in quam Christus copiosius sua dulcedinis oleum effundebat, vt dicere possent Beata illa sorores cum fratre, iuxta Iob de vera petra*, petra fundebat mihi riuos olei. *Aug. ser. 47. de Ver. Dom. sec. Io.* Perrexit Iesus in montem: in montem autem oliueti, in montem fructuosum, in montem vnguenti, in montem chrismatis. Vbi enim decebat docere Christum, *addo & orare*, nisi in monte oliueti? Christi enim nomen à chrismate dictum est. Chrisma autem Græcè Latinè vnctio nuncupatur. Ideo nos vnxit quia luctatores contra Diabolum fecit. *Dico præterea, quòd cùm Christus immediatè hoc ipso Luc. 21. cap. dixisset:* Vigilate itaque omni tempore orantes, *statim adiecit Lucas Christum pernoctasse in monte Oliueti: monte inquam ex Psalte Regio 67.* Dei, monte pingui, monte coagulato, monte in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. *Quia mons olei dat lucernis, vnde vigilemus; dat & luctatoribus vnde nudi vncti cum diabolo certent, & nodos eius & complexus per vim orationis euadant oleo gratiæ Christi perfusi, vt dicant:* nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos. *Vnde & apud Luc. seq. post vigiliam & orationem commendatam:* Vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis; *dum coronam verus Agonotheta suis Athletis victoribus porriget.* IN TEMPLO MEO. *Osea 12.* Inualuit ad Angelum, & confortatus est; fleuit & rogauit eum: In Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum. *Ita & Vatabl. Et Sanct. Pagn. ex Hebræo. 70. autem:* Fleuerunt, & deprecati sunt me, in domo On inuenerunt me, & ibi dictum est ad eos. *Hiero.* In domo Dei. *Tertul. autem bene vertit:* In templo meo. Quæ enim est domus Dei nisi Bethel? Et quid Bethel, nisi templum Dei? *Vnde & cum ibi expressa fiat mentio de Iacob tota nocte luctante cum Angelo, Filium Dei repræsentante, sicut rursum in scala, qua visa, manè euigilans, vt habetur Gen. 28. ait*: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque: quam terribilis est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei & porta Cœli. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem quem suppoſuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. *En per primogenitum supra Esaü factum, & proinde familiæ Sacerdotem, prima altaris & templi consecratio.* Appellauitque nomen vrbis Bethel. *Tandem quod apud 70. loco Oseæ citato habetur*, in domo On. *Domum Dei & templum eius propriè intelligit, qui Exodi 3.* ὁ ὤν. qui est. *appellatur.* ἐγω εἰμι ὁ ὤν. ego sũ, qui sum. ὁ θεὸς ἀπέσταλκέ με πρὸς ὑμᾶς. Qui est, misit me ad vos. *Quod si Hiero. alicubi, & alius interpres 70. On vertit*, doloris *vel* iniquitatis; *ratio est quia templum prophanatum in veteri testamento, apud Malachiã, Deum mouet doloris sensu, vt dicat:* configitis me gens tota. *Et in nouo Christus:* Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis eam speluncam latronum IN ELÆONEM. *id. montem Oliuarum.* STABVNT PEDES, *&c. Sic Zach. 14* Stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem. *ita versiones omnes. Ad litteram significat*

Aug.

venturum Deum in montem Oliueti, vt inde propugnet Ierusalem contra Antiochum. Mysticè autem Christum frequenter versaturum in hoc monte, de quo ascensurus erat in Cœlum, relictis suis vestigiis in eodem monte impressis. Vide Hiero. in Zach. Aug. & Cyril. in Ioannem. DAT MIHI LINGVAM. *Eza. 50.* Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi Magistrum. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Dominus dedit mihi linguam eruditorum, vt sciam dicere tempore suo, scribundo verbum: suscitare faciet singulo mane, suscitare faciet mihi aurem ad audiendum sicut doctis. *Vatab. vt Vulgata. Tertul. 70. sequitur* Dominus Dominus dat mihi linguam disciplinæ, vt sciam quando oporteat loqui verbum. Posuit mihi mane addidit mihi aurem ad audiendum. DILVCVLO. *Sic Luc. 21.* Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum *Transtat Syr.* & totus populus mane veniebant ad eum in templum, vt audirent sermonem eius. *Hebr.* manicantibus surgere. *Gen. 20.* manicauit Abimelech in matutino. *in Concil. 2. Turon. Can. 14.* manicationes *id. matutinæ surrectiones. est & titulus Psalmi 21.* Pro cerua, alij susceptione matutina. *Si enim Christus ex Rup. figuratus est Gen. 49.* Nephtali Ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis; *matutino tempore, susceptio eloquiorum pulchriorum aptior erat.*

S. Aug.

Psaltes quoque sæpius matutinam horam commendat, horam, vt ait Tertullianus, auditorio competentem. Psalmo 5. Quoniam ad te orabo: Domine mane exaudies vocem meam. *Sed & ad audiendum & videndum quid velit à nobis Deus, mane aptissimum est. Ibidem versu 4.* Manè adstabo tibi & videbo. *In quem locum D. Aug.* Adstabo quid est, nisi non iacebo?

S. Augus.

quid est autem aliud iacere, nisi in terra quiescere, quod est, in terrenis voluptatibus Beatitudinem quærere? Adstabo, inquit, & videbo. Non est ergo inhærendum terrenis, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur. *Rursum Psalmo 65. de cauendis sæculi prosperitatibus per manè figuratis, & Dei monitis circa hæc audiendis:* Exitus, inquit, matutini, & vespere delectabis. *Vbi D. Aug sic legit:*

S. Aug.

Exitus manè & vespere delectabis, id est delectabiles facis: iam in illa vita quid nobis promittitur? exitus delectabiles, manè, & vespere. Sunt exitus manè, sunt exitus vespere. Manè significat prosperitatem sæculi; vespere significat tribulationem sæculi. Intendat Charitas vestra. In vtroque enim tentatur anima humana: & prosperitate, ne corrumpatur: & aduersitate, ne frangatur. Ideo autem manè prosperitatem significat, quia manè lætum erit, transactâ velut tristitiâ noctis. Tristes autem sunt tenebræ, veniente vespera. Ideo veniente quasi mundi vespera, obtulit sacrificium vespertinum. Non ergo timeat vnusquisque vesperum, ne manè corrumpatur. Ecce nescio quis, vt facias mali aliquid, promisit lucrum manè est. Arridet tibi ampla pecunia, manè tibi fit. Noli corrumpi, & habebis exitum manè, &c. Dedit autem tibi exitum Dominus tuus, ne lucro capiaris, cùm tibi dicit in corde, *manicanti, & adstanti, & videnti,* B *quoniam non volens iniquitatem est Deus*: Ego sum diuitiæ tuę: noli attendere quod mundus promittit, sed quod promittit conditor mundi, &c. Et habebis exitum manè per Dominu Verbum, dicentis; Matth. 16. quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? sed ille qui te promisso lucro corrumpere, & ad iniquitatem adducere non potuit, minatur pœnas & conuertit se ad inimicitias, & incipit tibi dicere, si hoc non feceris, ego ostendam, ego faciam, habebis me inimicum. Primò cùm lucrum promitteret manè tibi erat; modo iam vesperascit, tristis factus es. Sed qui dedit tibi exitum manè, dabit & vespere. Quoniam contempsisti manè sæculi ex luce Domini: sic contemne & vesperam, ex passione Domini; vt dicas animæ tuæ: quid mihi amplius C facturus est ille, quàm passus est pro me Dominus meus, vt teneam iustitiam, non consentiam ad iniquitatem? *Vnde & in Psalmum 54. vespere, inquit, Dominus in cruce, manè in resurrectione, meridie in Ascensione* sæuiat in carne, frangatur muscipula, & volabo ad Dominum meum, qui mihi ait, nolite timere eos qui corpus occidunt, &c. Et de ipso corpore securitatem dedit dicens capillus capitis vestri non peribit. Magnifice hîc posuit delectabis exitus manè, & vespere. Si enim non te delectet ipse exitus, non laborabis exire inde. Mittis caput in lucrũ promissum, si non te delectet promissio Saluatoris. Et rursus cedis tentanti & terrenti, si non te delectet ille qui prior passus est, vt tibi exitum faceret.

Aug.

2. *Christus in monte euangelizat pacem, & pernoctat in oratione, implens Prophetias. 4. cont. Marc. cap. 13. in p.*

a Luc. 6. 12.
b Esa. 40. 9.
c Luc. 4. 32.
d Esa. 52. 6
e Naum. 1. 15.
f Psal. 21. 2
g Psal. 3. 4.

CErtè euangelizat Sion, & Hierusalem pacem & bona omnia. certè ascendit in montem, & illic [a] *pernoctat in oratione*; & vtique auditur à Patre. Euolue igitur Prophetas, & ordinem totum recognosce. [b] *In montem excelsum*, inquit Esaïas, *Ascende, qui euangelizas Sion; extolle cum vigore vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem.* Adhuc in vigore obstupescebant in doctrina eius; [c] *Erat enim docens, tanquam virtutem habens.* Et rursus, [d] *Propterea cognoscet populus nomen meum in illa die.* Quod nomen, nisi Christi? Quod *ego sum ipse qui loquebar.* Tunc enim ipse erat qui in Prophetis loquebatur, Sermo, filius Creatoris. *Adsum, dum hora est, in montibus, vt euangelizans auditionem pacis, euangelizans bona.* Item Naum ex duodecim, [e] *Quoniam ecce veloces pedes in monte euangelizantis pacem.* De voce autem nocturnæ orationis ad Patrem, manifestè Psalmus, [f] *Deus meus, clamabo per diem, & exaudies; & nocte, & non in vanitatem mihi.* & alibi, de loco & voce eadem, Psalmus: [g] *Voce mea ad Dominum exclamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo.* Habes nominis repræsentationem, habes actum euangelizantis, habes locum montis, & tempus noctis, & sonum vocis, & auditum pacis; habes Christum Prophetarum.

CHRISTI VERBA. II. SCHOLIA.

EVANGELIZAT SION, *&c. Prosequitur probare Christum Creatoris implere Prophetias. Luc. 6.* Exit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei *Vatabl. similiter legit, & in Schol. explicat orationem Dei*: id est, qua precabatur Deum: quasi diceret totam noctem deprecabatur Deum. *Sicut*

Charitas Dei dicitur, & fides Dei, & exaltationes Dei, qua creditur in Deum, Deus diligitur, Deus exaltatur. Vel secundùm idiotismum Hebræorum oratio Dei, est ardens & excellens, & digna Deo oratio, sicut montes Dei, & cedri Dei *dicuntur. Prolixè oravit, quia sequenti die erat Apostolos electurus. Vt doceat in rebus momenti, maxime electionibus Prælatorum impensè vacandum orationi. Porro notandum*, orationem Dei
Aug *dici, quia ex Aug. donum Dei est, dicente Paulo, nescire nos quid oremus, Spiritu postulante pro nobis. Hinc Zach. 12.* Effundam super domum Dauid & super Habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum. *Sanct. Pagn. ex Hebr. Spiritum gratiæ & miserationum. 70. & misericordiæ, Vatablus & beneficentiæ*, & aspicient ad me quem confixerunt. *Vt sciamus orationem esse ex dono, misericordia, & beneficentia Dei. Vnde quia & thesaurus noster, & aquæductus bonorum omnium quem Deo debemus, dicebat Psaltes 65.* Benedictus Deus meus qui non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam à me, *in quem locum*
Aug. *Aug.* Quandiu ergo hîc sumus, hoc rogemus Deum vt non à nobis amoueat deprecationem nostram, & misericordiam suam: id. vt perseueranter oremus, & perseueranter misereatur. &c. Ergo non deficiamus in oratione. Ille quod concessurus est, & si differt, non auffert. Securi de pollicitatione ipsius, non deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipsius est. Propterea dixit Benedictus Deus meus, &c. Cum videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est amota misericordia eius. IN MONTEM EXCELSVM. *Esa. 40.* super montem excelsum ascende tu qui Euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui Euangelizas Ierusalem. *Vatab. ex Hebr.* ascende tibi in montem excelsum ô Sion Euangelizatrix, exalta fortiter vocem tuam ô Euangelizatrix Ierusalem. *Idem in Schol.* Quæ prima annuntiabis verbum Dei & Christi aduentum. *Sic & Sanct. Pagn. refert ad Sion & Ierusalem, vnde primum orta est prædicatio per Christum & Apostolos. Chaldæus autem & 70 quos sequitur Tertul. cum vulgata refert ad Christum quem propheta figurabat.* ERAT ENIM DOCENS. *Sic Luc. 4.* stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius. *Translat. Syr.* quippe cuius sermo authoritate polleret. *Et quid Paulus Hebr. 4.* Sermo Dei viuus & efficax. PROPTEREA COGNOSCET *Esa. 52.* Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quàm pulchri sunt super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem. *70. de more sequitur Tertul. vbi sic*, propterea sciet populus meus, &c. Sicut hora super montes, sicut pedes euangelizantis auditum pacis, sicut euangelizans bona. *Alibi iam de* hora. *Solebant vigiles noctis horas ex edito loco canere. Vnde & ille interrogatus:* Custos quid de nocte? *Et Paulus pacis nuntius clamat*: Fratres, hora est iam nos de somno surgere, &c. *Vnde immediatè subdit Esaias:* Vox speculatorum tuorum leuauerunt vocem, &c. *Chald.* Gubernatorum tuorum. *70.* Custodientium vel custodum. *Qui erant Apostoli & Prædicatores.* QVI LOQVEBAR, *&c. Scilicet per Prophetas*, Ecce adsum. *In persona propria hominem induens vt vos adiuuem. Hinc Paulus ad Hebr. 1.* Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio. VELOCES PEDES. *Vulgata Nahum. 1.* Ecce super montes pedes euangelizantis & annuntiantis pacem. *Sanct. Pagn ex Hebr.* Audire facientis pacem. *Vatablus.* En per montes læti nuntij pedes pacem prædicantis. *Soli 70. Interpretes:* Quia veloces ecce super montes pedes euangelizantis, &c. MANIFESTE PSALMVS. *Psal. 21.* Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Et non est silentium mihi. *Supple impositum, vel ex aduerso, pra tumultu obloquentium delictorum hominum, pro quibus pati veni, non est qui me audiat. Et Vatablus:* Deus meus inuoco per diem, & non respondes. per noctem, nec est silentium mihi. *Hiero. & Chald.* Nec est silentium mihi, id. non cesso clamare. *Sensus litera, ex Eusebio Cæsariensi & Agellio, quod sic clamem, non debet tribus furori aut insaniæ, sed extremis doloribus. Vel* NON ADVANITATEM. *Vt habet Tertul. quia non frustra clamabo nocte in horto, in monte Oliueti, die in Cruce: Licet enim non exaudiar, secundùm voluntatem inferiorem petentem liberari à morte, exaudiar tamen secundùm id quod præcipuè specto, pro humana redemptione, corporis mei resurrectione, & nominis mei glorificatione. Et hoc sensu Tertul. dixit præter omnes versiones*, ET EXAVDIES. *Per diem enim, intelligenda est superior voluntas se submittens decreto Dei, supposita clara cognitione voluntatis eius, vnde Ioannes:* Secundùm voluntatem eius audit nos. *Et Aug.* Non audit ad voluntatem, S. Augustus vt exaudiat ad salutem. *Sic etiam cum Genebrardo dicam congruere Hebræa:* Et non silentium mihi, *id est, & non silebit erga me Deus, sed respondebit votis meis. Licet enim* verba delictorum meorum, *id. quibus pro mundi delictis, quasi pro meis supplico*, longè sint à salute mea, *id est vitæ temporali, cuius desiderio naturali, peto non mori: tamen exaudies me pro redemptione mundi, & salute corporis mei æterna. Vnde Paulus* cum clamore valido & lachrymis, exauditus est pro sua Reuerentia. *Vel quam exhibet Patri, vel quam Pater habet ad eius meritum.*

Aug. in hunc Psal. Multi clamant in tribulatione & non exaudiuntur, sed ad salutem, non ad insipientiam. S. Aug. *Subdit exemplum Pauli orantis, & non exauditi, & dæmonis exauditi.* Dæmones petierunt se ire in porcos, & exauditi sunt, dæmones exaudiuntur, Apostolus non exauditur; sed illi exaudiuntur ad damnationem, Apostolus non exauditur ad salutem, &c. Vt intelligas homo Medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem Sub medicamento positus vretis, secaris, clamas, non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem, &c. Si quasi subtrahit autem ploranti, sed apponit misericordiam deprecanti, nouit quid agat, qui nos fecit, nouit & reficere nos. Bonus est structor qui ædificauit domum, & si aliquid ibi ceciderit nouit resarcire. DE MONTE SANCTO SVO. *Vatablus Psal. 3.* Voce mea ad Dominum clamabo, & respondebit mihi de môte Sancto suo, Sela. *Et in Schol. huius loci*, id. de propitiatorio quod est super Arcâ fœderis in Sion monte Sancto suo. Pollicitus enim fuerat Deus se exauditurum è propitiatorio, è medio duorum Cherubinorum, eos qui illum inuocarent cum fiducia. Vel de monte Sancto, id. de cœlo. Sela extlamationem significat, quasi diceret, ô rem Deo acceptam, cum fiducia ipsum implorare! *Adiicit ibid.* Hæc dictio exclamationem significat quoties in Psalmis ponitur signum est excitandæ vocis & animi intendendi; vnde & in ea cantores intendebant vocem. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* de monte Sanctitatis suæ, Selah. *Quod idem est. 70 cum Vulgata concordant. Augus. in hunc locum, iungens hunc* S. Augus. *versum cum præcedenti*, tu autem Domine susceptor meus es. In Christo vtique. Nam in illo homine & Ecclesia susceptа est à Verbo, quod caro factum est, & habitauit in nobis: quia & in cœlestibus nos se-

dere fecit, vnà cum illo. Præcedente enim capite membra cætera conſequentur. Quis enim nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Rom. 8. rectè ergo dicit etiam Eccleſia; ſuſceptor meus es, gloria mea. Non enim ſibi tribuit quod excellit, cum intelligit, cuius gratia & miſericordia talis eſt. Et exaltans caput meum, ipſum ſcilicet qui primogenitus à mortuis aſcendit in cœlum. Voce mea ad Dominum clamaui, &c. Hæc eſt oratio omnium Sanctorum, odor ſuauitatis qui aſcendit in conſpectu Domini. Iam enim exauditur Eccleſia de ipſo monte, quod etiam caput eius eſt. Vel de illà juſtitia Dei, qua & liberantur electi eius, & perſecutores puniuntur. *Magis ad literam & mentem Tertul. id Pſaltes pro ipſo Chriſto dixit, quifrequenter erant in Monte Oliueti, vel dum eſſet in monte Thabor, quem Petrus vocat Sanctum Montem: Luc. 9.* aſcendit in montem vt oraret, & facta eſt dum oraret ſpecies vultus eius altera, &c. Et vox facta eſt de nube dicens: hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. *Quò alluſit Tertul. dicens.* ET SONVM VOCIS. *Vel Pſaltes per Montem Sanctum, intelligit Caluariam, in quo ſecundùm Paulum ſupra, Chriſtus exanditus eſt.* CHRISTVM PROPHETARVM. *id. à Prophetis annuntiatum.* NOMINIS REPRÆSENTATIONEM. *id. Chriſtum habes in propria perſona ſeipſum repreſentantem, quem olim Rex Cyrus, & alij Reges, aut Sacerdotes, Chriſti dicti repreſentabant figuratiuè. Eſa. 45.* Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro. *Vatab.* ſic dicit Dominus Meſſiæ ſuo Cyro.

3. Chriſtus à benedictionibus ſermones cœpit, ſicut Creator opera. 4. cont. Marc. cap. 14. in p.

a Luc. 6. 20.

VEnio nunc ad ordinarias ſententias eius, per quas proprietatem doctrinæ ſuæ inducit ad edictum (vt ita dixerim) Chriſti [a] *Beati mendici* (ſic enim exigit interpretatio vocabuli quod in Græco eſt) *quoniam illorum eſt regnum cœlorum.* Iam hoc ipſum quod à benedictionibus cepit Creatoris eſt, qui vniuerſa, provt edidit, nulla alia voce quàm benedictionib. dedicauit. [b] *Eructauit enim, inquit, cor meum ſermonem optimum.* Hic erit ſermo optimus, benedictionis ſcilicet, qui & noui quoque Teſtamenti initiator agnoſcitur de veteri exemplo.

b Pſal. 44. 1.

CHRISTI VERBA. III. SCHOLIA.

VENIO NVNC, *&c. Iam, inquit, pergo dicere ſententias Chriſto familiares, & proprias, quæ Doctrinam Euangelicam & nouæ legis gratiam melius ſapiunt,* quas INDVCIT AD EDICTVM CHRISTI. *id. quibus, iure Chriſti, id. vnctis & Regis vtitur, quaſi edictis Regiis, quas haberi vult, pro edictis & legibus ſacris. Quibus quidem apparet, ipſam ad Creatorem, & veteris Teſtamenti autorem pertinere, cùm vterque à benedictionibus incipiat, hic dedicando opera ſua, approbando, benedicendo, vt patet toto principio Geneſis: Ille autem Beatos & Benedictos, exempli & doctrinæ ſuæ, ſtatim ab exordio ſermonis, dicendo, pauperes, eſurientes, flentes, perſecutionem patientes, vt habetur Luc. 6.* EDICTVM. *Edicere in iure priùs denunciare eſt, vt quid fiat, aut non fiat.* BEATI MENDICI. *Vulgata*, pauperes. *Tranſlat. Syr.* ô vos Beati egeni, quoniam veſtrum eſt regnum Dei *in Græco eſt.* πτωχοὶ τῷ πνεύματι. *Quod Tertul. vertit mendici. Et ſignificat priùs in Græco mendicos & valde egentes. D. Bonau. lib. 2. de profect. Rel. c. 42. intelligit contemptum diuitiarum. Auguſtinus humiles*, qui non habent inflantem ſpiritum. *Chryſol. ſer. 28. in p.* aptiſſimè in rem noſtram, immediatè enim ante hunc Sermonem à benedictione dedicatum, id. inceptum, egerat de electione duodecim Apoſtolorum, quos combinatos recenſet, Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem, &c. Eſt virtutibus cognata paupertas, &c. Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes. Germanitas combinata, imo congeminata paupertas. In Apoſtolorum principes, eliguntur, pauperes cenſu, &c. ERVCTAVIT. *Pſalmo.* 44. Eructauit cor meum Verbum bonum. *De plenitudine ructus, plenus erat gratia & benedictione, quam eructat filius Creatoris. Vt Pater ipſemmet Verbum optimum ſeipſo plenus, eructauit ab æterno. Legendus Aug. in hunc verſum. Inter cætera hac ibi* quale verbum eſt, per quod factum eſt cœlum & terra, & omnis ornatus cœli, omnis fœcunditas terræ, diffuſio maris, diſtenſio aëris, fulgor ſyderum, claritas Solis & Lunæ. Videmus hæc, tranſcende & hæc, cogita Angelos, principatus, ſedes, dominationes, Poteſtates, omnia per ipſum facta ſunt. Vnde ergo iſta bona facta ſunt? quia eructatum eſt, per quod fierent, verbum bonum. Ergo Verbum bonum, & ipſi Verbo dictum eſt Marci 10. Magiſter bone & ipſum Verbum reſpondit, quid me interrogas de bono? nemo bonus niſi vnus Deus, &c. Quomodo ergo & ipſe bonus niſi quia Deus? non ſolùm autem Deus, ſed cum Patre vnus Deus. Non enim dicendo, nemo bonus niſi vnus Deus, diſcreuit ſe, ſed vniuit. Eructauit, &c. Dixerit hoc Deus Pater de Verbo ſuo bono, atque benefico bono noſtro per quod ſolum bonum, vtcumque boni eſſe poſſumus. *Sed & ipſe eructat Verbum bonum, nil diſcretus à Patre, ſed benedictionibus plenus, dum non iam beatos dicit diuites & abundantes bonis huius ſæculi, ſed beatos mendicos & legentes ſpiritu. & affectu nil in hoc mundo cupientes, quibus* paupertate, *vt ait Ber. poſt Aug.* vili pretio, vendit regnum cœlorum, & eos ſupe omnia bona ſua conſtituit. INITIATOR. *Author, qui incipit docere benedicendo.* DE VETERI EXEMPLO *conformatus Patri benedicenti creaturas.*

5. Auguſt.

Aug.

Aug.

4 Chriſtus extollens fidem Centurionis ſupra Iſraëlis; ſe filium Creatoris & Dei Iſrael probat; vt laudem ferens datam pro filio viduæ ſuſcitato. 4. cont. Marc. cap. 18. in p.

a Luc. 7. 9.

PRoinde extollenda fide Centurionis, incredibile ſi is profeſſus eſt [a] *talem ſe fidem nec in Iſraële inueniſſe*, ad quem non pertinebat fides Iſraëlis. Sed nec exinde pertinere poterat adhuc cruda vt probaretur vel compararetur, ne dixerim adhuc nulla. Sed cur non licuerit illi alienæ fidei exemplo vti? Quoniam ſi ita eſſet, dixiſſet talem fidem nec in Iſraële vnquam fuiſſe: ceterùm, dicens talem fidem debuiſſe inueniri in Iſraële; quique ad hoc veniſſet, vt eam inueniret, Deus ſcilicet & Chriſtus Iſraëlis, quam non ſuggillaſſet, niſi exactor & ſectator eius. Æmulus verò etiam maluiſſet eam talem inuentam, ad quam infirmandam

mandam & destruendam magis venerat, non ad comprobandam. Resuscitauit & mortuum filium vidoræ, non nouum documentum. Hoc & Prophetæ creatoris ediderant, quanto magis filius? Adeo autem in illud vsque momenti, nullum alium Dominus Christus intulerat, vt omnes illic creatori gloriam retulerint, dicentes, [b] *Magnus Propheta prodiit in nobis, & respexit Deus populum suum.* Quis Deus? vtique cuius populus, & a quo Prophetæ. Quod si illi quidem Creatorem glorificabant, Christus verò & audiens & sciens non corrigebat, & quidem in tanto documento mortui resuscitati creatorem adhuc orantes, sine dubio aut non alium circumferebat Deum, quam quem in suis beneficiis atque virtutibus honorari sustinebat: aut quale est vt illos tamdiu errantes sustineret, ad hoc veniens, vt errori eorum mederetur? Luc. 7.15.

[b] Luc. 7.16.

CHRISTI VERBA. IV. SCHOLIA.

INTRED. &c. *Ex fide Centurionis à Christo laudata supra fidem Israelitici populi bene concludit Author inuerecundabile esse, quod Christus sic eam exuerit, si populum Israel pertinens ad Deum Creatorem, ad ipsum quoque Christum non pertinuisset.* SED NEC EXINDE. *id est, non ab eo tempore tantum quo cœpit credere Centurio, fides Israelis etiam incepit* ADHVC CRVDA, *id. recens & noua, & propemodum adhuc nulla, vt ei fides Centurionis comparata magis probaretur Christo, & placeret, vsque ad admirationem.* SED CVR NON, &c. *Obiectio est Marcionis dicentis potuisse Christum comparare fidem Centurionis, fidei peruersæ alterius Dei.* QVONIAM, &c. *Respondet Author, Christum si ita se res habuisset, dicturum fuisse, nunquam talem fidem se inuenisse in Israel, sed dixisse tantum. Vt comparet vnum alteri, & exprobretur quod populus eius, in quo maiorem debuerat inuenisse, minorem hoc Gentili habuerit. Quem defectum profecto non arguisset, imo potius non inuenire maluisset hanc fidem, si eius aduersarius fuisset.* TALEM EA FIDEM. *Sic Luc. 7.* quo audito Iesus miratus est & conuersus sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni. *Translat. Syr.* ne in Israel quidem inueni fidem huic similem. *Epiphan. Marc.* si neque in Israel tantam fidem inuenit, velut in Centurione à Gentibus progresso, igitur non vituperat fidem ipsius Israel. Si enim aliena à Deo fuisset, & non ipsius, ac Patris eius, non vtique feciſſet eius laudem. *Et quod notandum, missis ad Christum, vt aduenit hic Lucas Senioribus iudæorum & dicentibus* quia dignus est, vt hoc illi præstes. diligit enim Gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis. *Si Christus Iudæos, & eorum fidem non approbasset, huic laudi & petitioni tam stulta, facta aduersario legis, non acquieuisset. Chrysol. ser. 102. in f. de stupore Christi fidem Centurionis admirantis,* creator mirabilium miratur, aurium conditor, quasi qui non audita nesciat, sic stupet audita. *Et ser. 15. in p.* Cohortis Romanæ Centurio dux factus est militiæ Christianæ, & meritò, quia ante cœpit docere, quàm credere, &c. Videtis Centurionem antequam discipulatus subiret officium, locum Magisterij fuisse sortitum. Præbet enim petendi formam, dat normam credendi, fidei pandit causas, virtutum commendat exempla, qui nondum Christianæ Scholæ ingressus est disciplinam, &c. Verè Centurio, qui stipendia terrena Centenarium coli mutauit in fructum, & seruitutem militiæ sæcularis, in diuinam sustulit dignitatem. *Aug. ser. 6. de ver. Do. secundum Matth.* Aug. Dicendo se indignum, præstitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide & humilitate, nisi iam illum quem timebat intrare domum suam, corde gestaret, &c. Non inueni tantum fidem in Israel, secundùm carnem. Nam & iste iam Israelites erat secundùm spiritum. Venerat Dominus ad Israelem carnalem, id. ad Iudæos ibi primum quærere oues perditas, in quo populo, & de quo populo etiam corpus assumpserat, non ibi inuenit tantam fidem, ipse dicit. Nos possumus meriri fidem hominum sicut homines. ille qui interiora cernebat, ille quem nemo fallebat, perhibuit testimonium cordi hominis, audiens verba humilitatis pronuntians sententiam sanitatis, &c. Dominus autem, quod intendat præcipuè necessario Charitas vestra, quamuis in populo Iudaico esset, iam pronuntiabat, Ecclesiam toto orbe terrarum futuram, in qua erat missurus Apostolos, ipse à Gentibus non visus & creditus, à Iudæis visus & occisus. Quomodo enim domum huius Dominum corpore non intrauit, & eius tamen fidem, atque ipsam domum, abiens corpore præsens maiestate sanauit: sic & idem Dominus in solo Iudaico populo corpore fuit, apud alias Gentes, nec de virgine natus est, nec passus est, nec pedibus ambulauit, nec humana pertulit, nec diuina mirabilia fecit. Nihil horum in cæteris Gentibus, & tamen de illo impletum est, quod dictum erat; populus, quem non cognoui, seruiuit mihi. Quomodo si non cognouit, in auditu auris obediuit mihi? Iudæa Gens cognouit, & crucifixit; orbis terrarum audiuit & credidit. SVGILLASSET, *arguisset, reprehendisset.* EXACTOR. *Iudex, rationem legis & fidei exigens.* SECTATOR EIVS. *Non quidem fidei, cuius Christus comprehensor & clarè videns Deum: Sed legis veteris quam ipse implebat. Vel* sectator, *quod gressus omnes & præcepta legis sectaretur, & vestigia in omnibus, perfecta obedientia impressa relinqueret: vel quod vt iudex & vindex transgressorum, deuios à lege gressus inuestigaret. Ita Psalm:* semitam meam, & inuiculum meum inuestigasti. *Ita & Iob, in lege naturæ ambulans:* vestigia pedum meorum considerasti, &c. Et omnes gressus meos dinumerasti. NON NOVVM DOCVMENTVM, *scilicet fidei Creatoris, cui Prophetæ veteris legis testimonium nimis credibile dederant mortuos suscitando, quos filius* qui vitam habet in semetipso, *superare debebat in miraculorum potestate.* Hoc ET PROPHETÆ CREATORIS. *Paulus Hebr. 11. meminit Prophetarum creatoris, vbi ait post mentionem Prophetarum:* acceperunt & mulieres de resurrectione mortuos suos. *Translat. Syr.* reddiderunt mulieribus filios ipsarum ex resurrectione mortuorum. *Vt & respondeat hic locus à Tertulliano relatus de filio viduæ Naim suscitato. Sic enim Luc. 7.* resedit qui erat mortuus & cœpit loqui, & dedit illũ matri suæ. *Paulus loco citato, ex mente D. Tho. allusit ad Heliam. 3. Reg. 17. filium mulieris suscitantem, cuius corpusculo se adaptauerat,* tulitque Helias puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ, & ait illi: en viuit filius tuus. *Sanct. Pag. ex Hebr.* & dedit illum matri suæ. *ita & 70. & rursum 4. reg. 4. Elisæus Sunamitidis filium septies ofcitans suscitauit & reddidit matri, eui dixit Elisæus iuxta 70.* accipe filium

tuum. *D. Thomas ibid. Arguit quosdam ex hoc loco Pauli dicentes, mulieres suscitatis viris, debere iterum jungi, cum Rom. 7. dicat*: Si dormierit vir eius, liberata est à lege viri. *Sacramenta enim, quæ Charam animam non imprimunt, sicut est Matrimonium, etiam post mortem à suscitatis reiterari possunt, sed liberè: morte dirimente Matrimonium.* NVLLVM ALIVM INIVLERAT, *&c. id. alium Deum quàm Creatorem, Christus non introxerat, ami proinde, sicut & Propheta eius magno plebis ipsius, & populus eius de miraculo applausit: quod Christus non tulisset, si populus Dei veri non fuisset; qui vult sibi gratiam* DE VIRTVTIBVS, *id. miraculis referri, vt & mulier accepto ab Elia suscitato filio ei plausit. 3. Reg.* 17. Nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es tu, & Verbum Domini in ore tuo verum est.

5. *Christus prædicat timorem Creatoris & spem in eum; necnon blasphemiam in Spiritum Creatoris irremissibilem docet. 4. cont. Marc. cap.* 28. *in m.*

a Luc. 12. 10. POst deterritam itaque negationem, sequitur & blasphemiæ formidandæ admonitio, a *Qui dixerit in filium hominis, remittetur illi; qui autem dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei.* Quod si jam remissio & retentio delicti, judicem Deum sapiunt, hujus erit Spiritus sanctus non blasphemandus, non remissuri scilicet blasphemiam; sicut & suprà non negandus, occisuri scilicet etiam in gehennam. Quod si & blasphemiam Christus à Creatore auertit, quomodo aduersarius ei venerit, non scio. Aut si & per hæc seueritatem eius infuscat, non remissuri blasphemiam, & occisuri etiam in gehennam, superest vt & illius diuersi Dei impunè & Spiritus blasphemetur, & Christus negetur, & nihil interfit de cultu eius, deve contemptu; & sicut de contemptu nulla pœna, ita & de cultu nulla speranda sit merces.

CHRISTI VERBA. V. SCHOLIA.

POST DETERRITAM, *&c. id. cũ Christus deterruisset pusillanimes, ex metu pœnæ, vel infamiæ Christum negantes, metu maioris pœnæ & ignominiæ dicens,* omnis quicumq; confessus fuerit me corã hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Qui autẽ negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei *Statim adiecit*: Et omnis qui dicit Verbum in filium hominis remittetur illi: ei autem qui in Spiritum sanctũ blasphemauerit, non remittetur. *Vnde præclarè Tertullianus Marcionem commicis de duobus eius erroribus, primò Auctorem noui testamenti, quem Deum suum volebat esse Marcion, solummodo bonum, etiam judicem & vindicem esse, cuius proprium est retinere, id punire peccata, & eadem dimittere; quique negantes se gehennã torquet, quod proprium est Creatoris. Secundo Spiritum sanctum ad eundem Creatorem pertinere, cuius vt sit Spiritus iniuriam non remittat. Vnde concludi-tur, quod cum Christus sic blasphemiam in Spiritum Creatoris auersetur, non esse aduersarium, sed propriè filium Creatoris, cuius Spiritus gloriam sic æmuletur, & vindicet. Cæterùm si seueritas ista, Dei tam boni gloriam obscurat, quid restat, nisi vt Spiritus huius Dei boni, absque vllo timore vindicta blasphemetur, Christusque negetur? Cum neque fraeno timoris, nec spe mercedis ad cultum huius Dei impellatur, vel ab eius offensa reuocabitur. Nos contra cum Psalte canimus & discimus*: Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine. *Quid inde?* Psallam, & intelligam in via immaculata. *Nil sic hominem immaculatum conseruat, & Deo venturo judici præparat, sicut timor & spes: Nam iuxta Aug. anima velut adultera, quæ primi-tus habet aduentum viri, timore correcta, sperat & desiderat reditum sponsi: sic cum Psalte prosequitur: quando venies ad me? Sic & cum Paulo*: Hi qui diligunt Aduentum eius. *Aug in Psal.* 100. Nunquid ideo judicium Dei tantummodo formidandum est, & non amandum? Formidandum malis propter pœnam, amandum bonis, propter coronam. *De blasphemia autem in Spiritum sanctum, Matthæus* 12. Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. *Marcus autem c.* 3. Omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemauerint: qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti *Vbi notandum apud duos Euangelistas agi de expulso damonio, quod Pharisæi vetitum dicebãt in Beelzebuth Principe damoniorum apud Matth. & Marcum. Vnde statim subjicit Marcus, post dictam blasphemiam irremissibilem: quoniam dicebant*: spiritum immundum habet. *Certè in Patrem blasphemia, sine peccatum contra potentiam, fragilitate commissum, in Filij sapientiam, ignorantia admissum, facilius remittitur, sed in Spiritus sancti bonitatem, malitiâ determinatâ perpetrata, est de quo Ioannes* 1. 5. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. *Augustin. ser. 11. de Verb. Dom. secundum Matth. fusè agitat hunc locum, peccatum contra Spiritum impetrans dicentibus Gentilibus, quod & Pharisæi dixerunt Christum in principe damoniorum eiecisse damonia. Item est qui cum Sadducæis Spiritum sanctum negant, vel cum Pharisæis Christum eum non habere dicebant. Vel cum Arrianis, Eunomianis, Macedonianis, Creaturam esse contendunt, vel cum Sabellianis, qui & Patri passiani dicuntur, tantum Patrem credentes, qui aliquando vocari filium, aliquando Spiritum appellari volunt. Vel cum Photinianis, Patrem solum esse Deum, filium purum hominem, Spiritum sanctum nullum dogmat Zant. Sed hæc omnia reijcit, & multo magis eos; qui à venia repellunt post baptismum renatos ex Aquâ & Spiritu sancto, in mortale peccatum relabentes*: quis enim est fructus correctionis sine vlla spe remissionis? *Dixerat ex Paulo* 2. *Timot.* 2. *corripiendos etiam hæreticos. Tandem post magnum examen, cum dixisset per Spiritum sanctum insufflatum Apostolis datam esse remissionem peccatorum. Concludit iuxta Paulum Rom.* 2. *Cor impœnitens thesaurizare iram in die judicij* Ipsa ergo impœnitentia est Spiritus blasphemiæ, quæ non remittetur, &c. Contra Spiritum enim sanctum quo baptizantur, quorum peccata omnia dimittuntur, & quem accepit Ecclesia, vt cui dimiserit peccata dimittantur ei; Verbum valde malum, & nimis impium, siue cogitatione, siue etiam lingua sua dicit, quem patientia Dei cum ad pœnitentiam adducat, ipse secundam duritiam cordis sui, & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis justi judicij Dei, &c. Hæc omnino impœnitentia non habet remissionem, neque in

S. Augus. S. Aug. Augus.

Apr. hoc sæculo, neque in futuro; quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro, &c. Ideo autem non solum verbum quod dictum fuerit contra filium hominis, sed omne prorsus peccatum & blasphemia, remittetur hominibus; quia vbi hoc peccatum non fuerit cordis impœnitentis contra Spiritum sanctum, quo in Ecclesia peccata soluuntur, cuncta alia dimittuntur, &c. Ipsius Spiritus blasphemia illa, quæ fit, vt corde impœnitenti huic tanto Dei dono vsque in finem vitæ istius resistatur, non remittetur, &c. qui vero huic dono extiterit inimicus, vt non illud per pœnitentiam petat, sed ei per impœnitentiam contradicat, fit irremissibile, non quodcunique peccatum, sed contempta vel oppugnata ipsa remissio peccatorum.

6. *Christus Parabolas locutus, juxta Prophetas. 4. cont. Marc. cap. 11. in f.*

NEc forma sermonis in Christo noua. quum similitudines objicit, quum quæstiones refutat, de septuagesimo septimo venit Psalmo, *Aperiam, inquit, in parabolam os meum,* id est similitudinem: *eloquar problemata*, id est, edisseram quæstiones. Si hominem alterius gentis probare voluisses, vtique de proprietate loquelæ probares. Psal. 77. 2

CHRISTI VERBA. VI. SCHOLIA.

NEc forma nova, *&c. Cum, inquit,* loquela manifestum faciat? *Christus, ne se alterius Gentis esse quàm Judæa; nec ad alium Deum nouum, sed ad Deum Creatorem, & Autorem veteris Testamenti pertinere probaret, non nouo, sed vsitato Veteri Testamento modo loquitur, scilicet in Parabolis, id est, similitudinibus; & problematibus, id. quæstionibus diuersis, vt frequenter apparet in Euangelio, præcipuè Matth.* 13. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum erat per Propheram dicentem: Aperiam in Parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. *Quem locum citat hic Tertul. ex Psal. 77. Vatabl. ex Hebr.* Aperiam ad insignia quædam facta os meum, eloquar abstrusa quædam temporis prisci. *Et in Schol.* Proferam ænigmata ab initio, id. exponam verbis res, quæ præ vetustate obscuræ sunt, & penè excideruntt. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Aperiam in parabola os meum: loquar Ænigmata à principio. 70. *cum Vulgata concordant. Ex D. Tho. 2. p. q. 1. a. 10.* Parabola est sententia habens obscuram similitudinem. *Ex eod. in Esa.* Est sermo similitudinarius, qui aliud dicit, & aliud significat. *Indè Christus*, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. *Videntes enim, & audientes res, vnde similitudines depromebat, non videbant neque intelligebant quid per eas significaret, nisi eum eas exponeret: Discipulis autem dicebat:* Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in Parabolis. *Parabola Hebr. dicitur*, Maschal, *id. simile, similitudo, comparatio, allegoria, ænigma, collatio, Græcè* παραβολὴ, *à* παραβάλλω *id. assimilo, duas res diuersas simul colloco & confero. In Euangelio autem ferè, non tam comparationem significat, quàm allegoricam orationem, quæ non facile ab omnibus intelligitur. Sumitur etiam pro Prouerbio, & sententia graui. Aug. in versum Psal. 48.* Inclinabo in parabolam, &c. Quare in parabolam? quia videmus nunc per speculum in Ænigmate, sicut dicit Apostolus 1. Cor. 13. quandiu sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino. 2. *Cor.* 5. quia nondum est illa visio nostra facie ad faciem, vbi iam, non sint Parabolæ, vbi iam non sint Ænigmata & Similitudines. Quidquid modo intelligimus, per Ænigmata conspicimus. Ænigma est obscura Parabola, quæ difficile intelligitur. Quantumuis excolat homo cor suum, & ad interiora intelligenda refugiat, quandiu per corruptibilitatem huius carnis videmus, ex parte videmus. *Et in Psal. 77. Cuius titulus*: Intellectus Azaph, quia fortasse non quod superficies sonat, sed interius aliquid intelligentem quærunt ista Lectorem, &c. Quis audeat velut manifestas legendo percurrere Parabolas, & Propositiones, quæ nominibus suis judicant altius perscrutari oportere? Parabola quippe alicuius rei similitudinem præ se gerit, quod licet sit vocabulum Græcum, jam tamen pro Latino vsurpatur. Et notum est quod in Parabolis quæ dicuntur, rerum similitudines, rebus de quibus agitur, comparantur. Propositiones autem quæ Græcè appellantur problemata, quæstiones sunt, habentes aliquid quod in disputatione soluendum sit. Quis ergo Parabolas & Propositiones transitorie legat? Quis non his auditis vigilantiam mentis intendat? vt ad earum fructum intelligendo perueniat? *Vnde cum ex eodem ibid. Asaph significet congregationem, qua congregatio, propriè Synagoga nuncupatur, benè incipit Psalter:* Attendite populo meus Legem meam. *Et postea subiunxit:* Vtinam qui dixit, aperiam in Parabolis os meum, etiam intellectum nostrum in eas aperire dignetur. Si enim, sicut os suum aperuit in Parabolis, ita aperiret etiam ipsas Parabolas: & sicut eloquitur Propositiones, ita eloqueretur & earum expositiones, non hic æstuaremus. Nunc vero ita obtecta & clausa sunt omnia, vt etiamsi ad aliquid ipso adjuuante vnde salubriter pascamur, peruenire possimus; in sudore tamen vultus nostri edamus panem, Gen. 3. & pœnam diffinitionis antiquæ, non corporis tantum, sed & cordis labore pendamus. *Chrysol. ser. 96. in p.* Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro; ipse tamen ignis ferri ac lapidis collisione flammatur: Sic obscurum verbum, Verbi ac sensus, collatione resplendet.

Aug. S. Augustin. S. Augustin.

7. *Christi increpatio ad Judæos incredulos, eum probat esse Creatoris. 4. cont. Marc. cap. 23. in p.*

SVscipio in me personam Israëlis. Stet Christus Marcionis, & exclamet, [a] *O genitura incredula, quousque ero apud vos? quousque sustinebo vos?* Statim à me audire debebit, Quisquis es perchomene, prius ede qui sis, & à quo venias, & quod in nobis tibi jus. Vsque adhuc Creatoris est totum apud te. Plane si ab illo venis, & illi agis, admittimus increpationem. Si vero ab alio, dicas velim quid nobis vnquam de tuo commisisti, quod credere debuissemus, vt exprobres incredulitatem, qui nec teipsum aliquando nobis reuelasti? Quàm olim apud nos

[a] Luc. 9. 41.

agere cœpisti, vt tempus queraris? In quib. nos sustinuisti, vt patientiam imputes? Asinus de Æsopi puteo modò venis, & iam exclamas. Suscipio adhuc & personam discipulorum in quos insiliit, *O Natio incredula, quamdiu ero vobiscum, quamdiu vos sustinebo?* Luc. 9. 41. Hanc eruptionem eius vtique hoc modo iustissimè repercuterem: Quisquis es eperchomene, prius ede qui sis, à quo venias, quod tibi ius sit in nobis? Vsque adhuc puto Creatoris es, & ideo secuti sumus recognoscentes omnia illius in te. Quod si ab illo venis, admittimus increpationem. Si vero alij agis, oro te, dicas quid nobis aliquando commisisti duntaxat de tuo, quod iam credidisse debuissemus, vt exprobres incredulitatem, qui nec auctorem tuum vsque adhuc edis? Quàm olim autem apud nos agere cœpisti, vt tempus quoque opponas? In quibus autem nos sustinuisti, vt & patientiam iactes? Asinus de Æsopi puteo modò huc apparuit, & iam exclamat. Quis non ita iniustitiam increpationis retudisset, si eius cum credidisset, qui nondum queri debuisset? nisi quod nec ille eos insiliisset, si non olim apud illos in Lege, in Prophetis, in virtutibus & beneficiis deuersatus, incredulos semper fuisset expertus.

CHRISTI VERBA. VII. SCHOLIA.

SVSCIPIO IN ME. *Agat & loquatur contra me Christus Marcionis, ego induo personam Israelis, populum Hebraum repræsento. Dicat, exclamet, inuehatur, incredulitatem mihi exprobret, & longam patientiam suam. Ego vero ab eo petam quis sit, vnde veniat, quo iure nos sic arguat, nihil in eo Dei noui aduerto, quidquid habet, id totum constat esse Dei mei Creatoris. Dic ergo nobis Christe noue quid vnquam nobis in deposito reliquisti? quam Prophetiam aut vocem edidisti, cui cum credere deberemus, fuerimus increduli? & de mora quid quereris? quàm olim, &c. Id est an à tam longo tempore nobiscum versari cœpisti? iterum in discipulorum personam transfiguror, hæc eadem increpatio torqueatur in me. Sed dico nos ideo te magistrum esse secutos, quòd te Christum Creatoris in omnibus agnoscamus, & vel in ipsa seueritate increpationis tua, quòd mandata eius prætergressi fuerimus.* EPERCHOMENE. *Aduentitium significat: ἐρχόμενος. Aduento, propinquo significat: quæ sensu Gaza dixit ὑπέρ ἐπερχομένου φόρτου. Onus aduentatis senectutis. Tertul. pro, subito & de nouo adueniente Christo.* SI VERO ALII AGIS, *id. si pro alio Deo procuras, & alterius Dei gloriæ intendis. Dic si quid merè tuum credendum nobis dixisti, vt ius habeas exprobrandi nobis incredulitatem nostram, qui nulla missionis tuæ testimonia, profers, & à quo Deo sis, & mittaris.* ASINVS DE ÆSOPI PVTEO. *Accuratè quæsiui apud Æsopum, siquæ fabula de Asino ex puteo rodeunte esset, nullam inueni. Sed scitè Tertul. Christum Marcionis, nouam fabellam, Æsopi inuentione dignam insinuat, & nusquam adhuc auditam vel editam in lucem: vt non veritas de puteo Democriti recenter edulta, sed fabula de puteo Æsopi videatur exorta, qua nouus iste Christus, sub ementita pelle leonis, non tam leo rugiens, quàm rudens inerruditus Asinus: nusquam prius visus, nusquam auditus; non iam lapsus è cœlo, aut nimbo* vnde & pluisse aliquando bos & vitulus fingitur, *sed Azinus emergens ex puteo obscuro, exclamet: quasi diceret, quid noui proferret Æsopus si viueret, nisi quòd fabulam, tua similem excogitaret?* O GENITVRA INCREDVLA, *&c. Luc. 9.* O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos, & patior vos. *Translat. Syr* ô vos generatio incredula & peruersa, quousque tandem ero apud vos, & sustinebo vos. *Sed non video cur Tertul. hunc locum etiam velit aptari Apostolis, non enim hæc obiurgatio ipsis facta est, sed turbæ Iudæorum circumstanti. Nisi forte quia pater filij demoniaci Christo dixit:* rogani Discipulos tuos vt eiicerent illum, & non potuerunt. Respondens autem Iesus dixit: ô generatio, &c. *Verum quidem est Apostolos sæpe de parua fide increpatos, quin & Apostolorum Principi dictum:* modicæ fidei quare dubitasti? *Et Luc. 24. Discipulis Emmaüs:* ô stulti & tardi corde ad credendum. *Marc. 16.* Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, &c. *Cæterum olim Iudæis illud à Moyse exprobratum est Deut. 32.* generatio peruersa est, & infideles filij, *Sanct. Pagn. ex Hebr.* generatio peruersorum sunt, filij in quibus non est fides. *Ita & 70. & Paraph. Chald. Et Vatab. & in Schol.* Inconstans, instabilis, quę huc, atque illuc statim vertitur. ALII AGIS. *Terminus est iuris latissimè patens. Est enim agere, quodlibet humanum factum expedire, siue id fiat operando, siue consilio, siue impellendo, siue consentiendo, & quolibet alio modo. Hic sumitur vt supra, pro, procuras, Actor in rebus existis.* RETVDISSET, *quasi iniustè arguentem & violentum, vi etiam repulisset.* EOS INSILISSET, *id. in eos non insurrexisset, nisi miraculis & benefactis, sub lege & Prophetis iamdudum incredulos Patres eorum sustinuisset.* ASINVS DE ÆSOPI, *&c. Torquet in Marcionem fabulam Christi sui aduentitij, & subitò apparentis, quod Gentiles nobis imputabant, & refertur à Tertul. in Apol. cap. 16.* Quidam somniastis caput Asininum esse Deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem huiusmodi inseruit. Is enim in quinto Historiarum suarum bellum Iudaicum exortus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine, quam de nomine & origine gentis, quæ voluit argumentatus, Iudæos refert Ægypto expeditos, siue, vt putauit extortes, in vastis Arabiæ locis aquarum egentissimis, cum siti macerarentur, Onagris, *qui forte de pastu potum petituri æstimabantur* indicibus, fontibus vsos: ob eam gratiam, consimilis bestiæ superficiem consecrasse. Atque inde opinor præsumptum, nos quoque vt Iudaicæ religionis propinquos, eidem simulachro initiari. *id. dedicari. Increpatio Christi siue in Iudæos incredulos, siue in Apostolos, quorum etiam hîc personam induit Tertullianus; & in Christo veri Dei Creatóris filio seueritatem Iudicis, & bonitatem Patris filios corripientis ad emendationem arguit. Et quidem nisi ad eum pertinerent, quanquam increduli & contumaces; iniustè, vtpotè alterius Dei seruos, vt iudex reprehenderet: Nec Patris officium erga extraneos, ipsos corripiendo probaret. Id notauit Aug. to. 4. lib. de patientia cap. 14. ex Prouerb. 3.* Aug. Fili, ne deficias in disciplina Domini, neque fatigeris cum ab illo increparis. Quem enim diligit Dominus corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit, &c. Hoc enim iustum est, vt qui de pristina fœlicitate paradisi propter contumacem deliciarum appetentiam dimissi fuimus, *in Adam & Eua, qui contra expressum Dei mandatum, & verbum veritatis eius contumaces & increduli, serpenti crediderunt dicenti, nequaquam moriemini, cum di-*

xisset Deus, morte moriemini: ita & Iudæi increduli ipsi Christo tandiu apud ipsos manenti, incredulitatem exprobranti, & ipsis Apostolis ante suum in cœlum ascensum; Israelitis toties minitans, in peccato vestro id est incredulitate proprio Iudæorum vitio, quos malitia & infidelitas excæcabat, moriemini: per humilem molestiarum, *& quid molestius seruo & filio contumaci, quàm increpatio & seuera reprehensio?* patientiam recipiamur fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo *Idem Aug. ser. 4. de Ver. Do. vbi citat illud Hebræorum 12.* Si seperetis vos à disciplina, ergo nothi, & non estis filij, &c Quis enim est filius, cui non det disciplinam Pater eius? & carnis quidem nostræ patres habebamus correctores, & ferebamus: nō multo magis subijcimur Patri Spirituum, & viuemus? Quid enim tibi potuit præstare Pater tuus, quia corripuit te, quia verberauit te, quia flagellum protulit & cæcidit te? Nunquid præstare potuit vt viueres in æternum? Quod non potuit præstare sibi, quomodo præstaret tibi? &c. Cædit filium timens perire labores suos, quoniam reliquit tibi; quod nec tenere hic poterat, nec auferre, &c. Cessit, vt sic cederes. Deus autem tuus, redemptor tuus, domitor tuus, castigator tuus, Pater tuus, erudit te. Quo? *ad quid? quo fine?* vt accipias hæreditatem, vbi non efferas *in tumulum* scilicet Patrem, sed hæreditatem habeas ipsum Patrem *Sicut vice versa iuxta Moysem, pars Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius: & Psalem dicentem: Dominus pars hæreditatis meæ, &c. Quin & ipse Deus: hæreditas, ait, mea Israel; vt increpādo Iudæos patrem se probet; & Christus eius filius ex correptionibus agnoscatur.* Ad hanc spem eruditis, & murmuras? & si quid triste acciderit, fortasse blasphemas? Quo ibis à spiritu eius? *qui non modo pater, sed & iudex est: cui pater omne iudicium dedit, & potestatem iudicium facere, quia filius hominis est.* Ecce dimittit te, & non flagellat; deserit blasphemantem: *nota murmuri, & blasphemiæ, sicut incredulitati subditos, & propensos fuisse Iudæos* non senties iudicantem? *hinc Iob: vidi eos qui seminant dolores, & metunt eos, spiritu iræ eius esse consumptos. Sicut è contra: in spiritu lenitatis pater corripit, nec in turbine Dominus, sed in spiritu aurę lenis.* Nonne melius est vt flagellet te, & recipiat te, *sicut homines receptibiles, sicut filium q nem flagellat recipit*, quàm pareat tibi, & deserat te? *Et ibid. supra*: Si tu ad domanda iumenta tua profers virgam, profers flagellum; Deus non profert ad domanda iumenta tua, quod sumus nos, qui de iumentis suis faciet filios tuos? domas equm tuum: quid daturus es equo tuo, cum te ceperit portare, mansuetus ferre disciplinam tuam, obedire imperio tuo, esse iumentum, hoc est adiumentum infirmitatis tuæ? quid ei retribuis, quem nec saltem sepelis cùm mortuus fuerit, sed discerpendum volatilibus proiicis? domito tibi, Deus hæreditatem seruat, quod est ipse Deus: & ad tempus mortuum resuscitat te, carnem tuam vsque ad numerum capillorum reddet tibi, & constituet te cum Angelis in æternum; vbi iam non indigeas domari, sed tantummodo à piissimo possideri. Erit enim tunc Deus omnia in omnibus. 1 Cor. 15. Nec erit vlla infœlicitas quæ nos exerceat, sed fœlicitas sola quæ pascat. Ipse autem Pastor noster, Deus noster est. Ipse opilio noster. *Sic vocatur qui iumenta curat*, Deus noster. Honor noster, Deus noster. *Cum Marcionis Deus, nec Iudæos, nec Gentiles, vllo suo opere, aut prouidentia curet, nec corripiat vt pater, nec increpet durè tanquam iudex.* Quæcumque hîc varia quæris, ipse tibi vnus omnia erit. Ad hanc spem homo domatur, & domitor intolerabilis habetur? Ad hanc spem homo domatur, & contra istum vtilem domitorem, si forte flagellum proferat, murmuratur?

Aug. A B C Aug. S. August. S. August.

8. *Christus Zelator legis, doctores increpat de suo onera grauia imponentes 4. cont. Marc. cap. 27. circa f.*

INuehitur & in doctores ipsos legis, quod [a] *onerarent alios importabilibus oneribus, quæ ipsi ne digito quidem aggredi auderent*, non legis onera fugillans, quasi detestator eius. quomodo enim detestator, qui cum maximè potiora legis prætereuntes incusabat, eleemosynam, [b] & vocationem & dilectionem Dei, ne hæc quidem grauia, [b] *nedum decimas rutarum, & munditias catinorum*? Ceterum, excusandos potius censuisset, si importabilia portare non possent. Sed quæ onera taxat? quæ ipsi de suo exaggerabant, docentes præcepta doctrinas hominum, commodorum suorum causa, [c] *tungentes domum ad domum, vt quæ proximi sunt auferrent, clamantes populum, amantes munera, sectantes retributionem, diripientes iudicata pauperum; vti esset illis vidua in rapinam, & pupillus in prædam.* De quibus idem Esaias; [d] *Væ qui valent in Hierusalem.* & rursus, [e] *Qui vos postulant, dominantur vestri.* Qui magis quàm legis doctores? Hi si & Christo displicebant, vt sui displicebant. Alienæ enim legis doctores non omnino pulsasset.

[a] Luc. 11. 46. [b] Et ibid. 42. [c] Esa. 5. 8. Esa. 5. 7. Esa. 1. 23. Esa. 10 2. [d] Esa. 5. 22. [e] Esa. 3. 12.

CHRISTI VERBA. VIII. SCHOLIA.

NIHIL *est hoc loco, quod lectorem teneat versatum in sensu litera capiendo remoretur. Breuiter tantum aduertat Christum legis Doctores non increpaturum, nisi & ipsi cum lege, ad censuram suam & iurisdictionem pertinuissent: Nec vindicem legis aliena tanto zelo futurum. Non taxat igitur rutas aut vilia olera decimantes, qui cerimonias omnes indixerat, sed humanas traditiones suas, grauioribus, id. maioris momenti, & præcipuis Dei mandatis præferentes: qualis erat dilectio proximi, quæ non iam eius onus exaggerat, sed propriis humeris portat & baiulat: dicente Paulo:* alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Restat vt locos scripturæ leuiter à Tertul. perstrictos, integros reponamus. Luc. 11.* & vobis le-

D gisperitis væ, quia oneratis homines oneribus quæ portare non possūt: & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. *Et paulo supra*, vos Pharisæi, quod deforis est calicis & cabini mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit? veruntamen quod superest date Eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & Charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. *Ita & Translat. Syr. Obiurgationem Christi contra Pharisæos, & totum Euangelistæ locum à Tertulliano citatum, bellè prose-*

S. Auguſt. *quitur Auguſtinus ſer. 30. de verb. Do. ſecundùm Lucam*, Dominus Ieſus, in eo quod Phariſæis dicebat, ſuos vtique Diſcipulos commonebat, ne in corporis mundatione putarent eſſe iuſtitiam. Omni enim die Phariſæi antequam prandirent, abluebant ſe aqua; quaſi quotidiana lauatio poſſit cordis eſſe mundatio, &c. Quid ergo reſpondit? Nunc vos Phariſæi quod foris eſt paropſidis, lauatis, intus autem pleni eſtis dolo & rapina, ô venite ad prandium. Quomodo pepercit homini, *Phariſæo*, à quo fuerat inuitatus? Magis obiurgãdo pepercit vt correcto in iudicio parceret. Deinde quid oſtendit nobis? quia & baptiſmum quod ſemel adhibetur, per fidem mundat. Fides autem intus eſt, non foris. Vnde dicitur & legitur in Act. Apoſtolorum cap. 15. fide mundans corda eorum. Et Apoſtolus Petrus in Epiſtola ſua 1. Petri 3. ita loquitur: ſic, inquit, & nobis dedit ſimilitudinem de Arca Noë, quomodo octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam; S. Auguſt. *mediante ligno, quod ex Auguſtino crucem Chriſti figurabat; de qua baptiſma cum cæteris Sacramentis fluxit.* Et adiunxit; ſic & vos ſimili forma baptiſma ſaluos faciet, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio inter Deum. Hanc conſcientiæ bonæ interrogationem Phariſæi contemnebant, & quod erat foris lauabant, intus inquinatiſſimi permanebant, &c. Et quid eis ait poſtea? Veruntamen date Eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis, &c. Quid eſt date Eleemoſynam? &c. Attendamus, & ipſe fortè exponit. Cùm hæc dixiſſet, ſine dubio cogitauerunt illi, quia dabant Eleemoſynas. Et quomodo dabant? omnia ſua decimabant, de omnibus fructibus ſuis; decimam partem detrahebant, & ipſam dabant: nõ facilè hoc facit aliquis Chriſtianus. Ecce quod faciebant Iudæi; non triticum ſuum, ſed oleum & vinum? neque hoc ſolum, ſed etiam & res contemptibiles propter præceptum Dei, cyminum, rutam, mentham, & anethum; totum decimabant, &c. Et Eleemoſynas dabant, &c. Irriſerunt illum apud ſe, talia dicentem, quaſi hominibus qui Eleemoſynas non facerent. Hoc Dominus ſciens continuò ſubiunxit: veruntamen væ vobis Scribæ Phariſæi, qui decimatis mentham, Cyminum & rutam, & omne olus. Vt ſciatis, noui Eleemoſynas veſtras. Certè iſtæ ſunt Eleemoſynæ veſtræ, iſtæ ſunt decimæ, &c. Et relinquitis grauiora legis, iudicium & Charitatem, &c. Et hæc oportet facere, & illa non omittere. Quæ faceret iudicium & Charitatem. Iuſtitiam & miſericordiam; & illa non omittere. *Eleemoſynas ſcilicet ex decimis.* Facite illa, ſed iſta præponite, &c. Quid eſt facite Eleemoſynam? facite miſericordiam? &c. Si intelligis, à te incipe. Quomodo enim es miſericors alteri, ſi crudelis ſis tibi? &c. Facite veram Eleemoſynam. Quid eſt Eleemoſyna? miſericordia. Audi ſcripturam: miſerere animæ tuæ placens Deo. Mendicat à te anima tua, redi ad conſcientiam tuam, & ibi inuenis mendicantem animam tuam, inuenis egentem, inuenis pauperem, inuenis erumnoſam: inuenis fortè nec egentem, ſed egeſtate obmutescentẽ. Nam ſi mendicat, eſurit iuſtitiam, &c *Tum proſequitur increpationem Chriſti:* S. Aug. contemnitis iudicium & Charitatem. In iudicio & Charitate fac Eleemoſynam cum anima tua. Quid eſt iudicium? reſpice & inueni: diſplice tibi, pronuntia in te. Et quid eſt Charitas? diliges Dominum in toto, &c. Dilige proximum tanquam teipſum, & feciſti miſericordiam; prius cum anima tua, in conſcientia tua. *Quæ ſi munda non ſit*, quid Eleemoſyna proximo facta proderit? dicẽte Paulo,

A ſi diſtribuero omnem ſubſtantiam meam, Charitatem autẽ non habeam, &c. Et ſponſa, ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, id eſt in comparatione ſolius Charitatis, quaſi nihil deſpiciet eam. Hinc Paulus, nihil ſum, inquit, nihil mihi prodeſt. Hanc autem Eleemoſynam ſi prætermittis, de quanto vis dona, quantumuis retrahe de fructibus tuis, non decimas, ſed dimidias: nouem partes da, & vnam tibi dimitte, nihil facis, quando tecum non facis & tecum pauperes: anima tua veſcatur, ne fame pereat; da illi panem; quem panem, inquit? ipſe tecum loquitur, *ô Phariſæe*, tu ſi audires, & intelligeres. *ſuper egenum Chriſtum ſitibundum ſalutis tuæ;* B *& pauperem animam tuam*, & crederes Dominum, ipſe tibi diceret; ego ſum panis vitus, &c. Nonne iſtum panem primum dares animæ tuæ, & faceres cum illa Eleemoſynam, &c. Crede in Chriſtum, & mundabuntur quæ intus ſunt; & quæ foris ſunt, munda erunt. IVNCENTES DOMVM AD DOMVM. *Ita Eſa. 5.* væ qui coniungunt domum ad domum, & agrum, ad agrũ appropinquant, vt à proximo auferant aliquid. *Ita 70. verunt quos ſequitur Tert. Vulgata*, væ qui coniungitis domum ad domum, &c *Sanct. Pagn. ex Hebr.* agrum agro appropinquare faciunt adeo, vt non ſit locus aliis. *Vatablus* copulant domum domui, agrum agro continuant, donec locus deficiat. *Et in Schol.* Hebr. donec non locus, id eſt, vt nulla domus nec poſſeſſio relinquatur pauperibus, donec collocemini, ſub ſententia iudicum, C ſoli in medio Regionis. CLAMANTES POPVLVM. *Ni fallor hac voce innuit, populum ob nimiam vexationem, gemuiſſe ſub onere, & clamare compulſum. Vnde* clamabant populum, *id. clamare cogebant. Vt apud Paulum Spiritus ſanctus dicitur* poſtulare & gemere, *quia nos poſtulare & gemere compellit. Vel* clamabant populum *id eſt in neomeniis, & calendis vocabant & quaſi vi compellebant ad oblationes faciendas, decimas omnium rerum exigentes, non tam ad cultum Dei, quàm ad auaritiæ ſtudium. Nam ex Macrob. & aliis* Calo vnde & Calendæ dictæ *à vocando populo: Calo enim idem eſt quod voco. Quas calendas odit Deus.* CLAMANTES POPVLVM. *Eſa. 5. iuxta 70.* expectaui vt faceret iudi- D cium, fecit autem iniquitatem, & non iuſtitiam, ſed clamorem. *Vulgata, Sanct. Pagn. ex Hebr. Vatablus* & ecce clamor. *Et in Schol.* ſcilicet oppreſſorum. AMANTES MVNERA, *&c. Eſa. 1. apud 70.* Principes tui inobedientes ſunt, participes furum, ſequentes retributionem & pupillis non iudicantes, & iudicio viduarum non attendentes. *Vulgata. Sanct. Pagn. ex Hebr. & Vatabl. non differunt:* omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos. *Vatabl. in Schol.* retributiones, id eſt iudicat pro aliquo, vt vices rependat. Quaſi diceret, iudica pro me, & ego pro te iudicabo: *inquit Chald. paraph. item alludit ad Eſa. 10. ex 70.* rapientes cauſam E pauperum populi mei: vt ſit ipſis vidua in direptionem, & pupillus in prædam. *Verſio communis*, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. VÆ QVI VALENT *Eſa 5. iuxta 70* væ valentes veſtri qui bibunt vinum, & potentes qui miſcent ſiceram, qui iuſtificant impium propter munera, & iuſtum iuſti tollunt. *Vulgata*, væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. *Vatablus* væ qui gigantes ſunt ad hauriendum vinum, & viri ſtrenui ad miſcendam ſiceram. *Et in Schol.* qui fœlicitatem ponunt in ebrietate, & gloriantur, quia multos calices exhauriunt. QVI VOS POSIVLANT. *Eſa.*

3 iuxta 70. populo meus, exactores vestri spoliant vos, & exigentes dominantur vobis *Theodotion:* fœneratores, *Symmachus*, mulieres. *Versio communis:* populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis. *Ita & Sanct. Pagn. ex Hebr. Vatabl.* Populum meum exactores sui racemando spoliant, & fœminæ imperant ei. *Et in Schol.* A Racemarionem facere, pro expilare & spoliare ponitur ideo additum, spoliant. Alii vertunt, populus meus exactores eius paruulus, pro, Principes populi mei sunt paruuli. Numerorum confusio apud Hebræos frequens, paruulos scientiâ vocat.

9. *Christus fautor Legis Doctores increpat clauem scientiæ tenentes.* 4. *cont. Marc. cap.* 27. *circ. f.*

QVam vero clauem habebant legis doctores, nisi interpretationem legis? ad cuius intellectum neque ipsi adibant, non credentes scilicet: [a] *Nisi enim credideritis, non intelligetis*: neque alios admittebant. vtique docentes præcepta potius & doctrinas hominum. Qui ergo nec ipsos introeuntes, nec aliis aditum præstantes, increpabat obtrectator habendus est legis, an fautor? Si obtrectator, placere debebant & præclusores legis: si fautor, ipsa non & æmulus legis. Luc. 11. 52. [a] Esa. 7. 9.

CHRISTI VERBA. IX. SCHOLIA.

QVAM VERO CLAVEM. *Iterum Christus hic probatur legis author & fautor, qui arguit scribas & legis Doctores aditum precludentes plebi, ne in Christum crederent, & scripturas credendo intelligerent, quæ ipsi in omnibus testimonium prabebant: & ipsi sapientes in lege, ipsa scientia claui vti nolebant, nec intrare ad Patrem per filium in omni lege figuratum. Christus enim de se dixit:* Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egreditur, & pascua inuenier. *Et rursum:* Nemo venit ad Patrem nisi per me. *Sic de Clani Luc. 11.* Væ vobis Legisperitis, *Translat. Syr. Va vobis Scribæ*, quia tulistis clauem scientiæ: *Translat. Syr. quippe qui sustuleritis claues scientiæ*, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. *porro:* tulistis, *id. è medio sustulistis, solas vestras traditiones futiles introducendo & inculcando, Ita Cyrillus, Theophil. Euthymius, per clauem scientiæ accipienda est potestas, & munus interpretandi scripturas. Apud Matth. c. 23.* væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ; quia clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. *Inter observationes Hebræorum Theologorum, una est, quòd clauis in Hebræo* Maphtheach. *Cuius singula littera quatuor verba parturiunt, quarum solum Deum habere claues dicunt, prima* Mathar, quæ de pluuia dicitur. *Secunda* Parnasah, *fœnus victum. Tertia* Techiah, *resuscitationem mortuorum. Quarta*, Chaiah, *parturitionem. Has claues nulli tradidit, sibi soli seruauit. Certè seposita omni Rabbinorum nugacitate, Deus solus* habet Claues vitæ & mortis: *Hoc est parturitionis, & resurrectionis.* Qui alios parere facio, &c. *Qui fœcundo sterilis. 1. Reg. 1.* Donec sterilis peperit plurimos. *Claudit etiam cælum, ne pluat, id. Prophetam prohibet,* ne pluat super vineam domus Israel imbrem. Ligat aquas in nubibus; tenebrosas aquas in nubibus æteris. *id. ex Aug.* Obscuram scientiam in Prophetis. *Vt & alteri jussit. Esa. 8.* Liga testimonium, signa legem in Discipulis meis. *id. clauem à Christo eandem missæ Spiritu, & donc scientiæ, & interpretationis sermonum, vt quod ligatum erat & signatum, id. sigillo clausum, aperire possent. Vnde & 70.* Tunc manifesti erunt, *scilicet obscuri loci*, qui signantur, vt non discant legem. *Longo labore scilicet, sed scientia infusa statim intelligant. Vnde & Christus:* Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. *Tandem & Scriptura panis est quo vivit anima: Matth. 4.* Non in solo pane, &c. *Et pluvia Deut. 32.* Fluat vt ros eloquium meum, sicut imber, &c. *Et resuscitatio mortuorum:* Si quis sermonem meum seruauerit, B mortem non gustabit in æternum. *Et parturitionem:* Nam & ego per Euangelium vos genui, &c. Filioli quos iterum parturio. *Christus dissimilis Scribis, similibus Moysi, in hoc, quòd velamen habebat super faciem, ex mente Pauli; ipse qui habet clauem & aperit, dedit Ecclesiæ vt aperiret, & carceres mortis, potestate jurisdictionis, vt absolueret à peccatis: Et clauem scientiæ, pro aperiendis obscuris Scripturis. Quin & qui habebat clauem domus Dauid super humerum Esa. 22. id. crucem quam baiulauit, in ea quasi Cathedra ex Aug. & velum rupit, & quasi clauis scientia occulta tabernaculi reuelauit.*

Sic Aug. in Psal. 45. cuius titulus est: In finem pro occultis, pro filiis Chore, Chore. *Inquit, Aug.* Interpretatur Caluitium, & Dominum nostrum, in loco Calvariæ crucifixum, &c. Occultum est, C sed ille ipse qui in Calvariæ loco crucifixus est, nostis quia velum discidit, vt templi secreta paterescerent. Proinde quia Crux Domini nostri causa fuit qua clausa aperirentur, credamus affuturum eum nobis, vt ista occulta reuelentur. In finem, quod habet, semper Christum intelligere debemus. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti, Rom. 10. Finis autem dicitur, non quia consumit, sed quia perficit: nam & finitum cibum dicimus, qui manducabatur, & finitam tunicam quæ texebatur. Illud ad consumptionem, hoc ad perfectionem. Quia ergo vitro quò tendamus, non habemus, cùm ad Christum peruenerimus, ipse cursus nostri finis dicitur. Nec putare debemus, quia cùm ad illum peruenerimus, aliquid amplius debemus niti, vt ad Patrem perueniamus. Hoc enim putauit & Philippus, cum dixit, Domine ostende nobis Patrem, &c. Ioann. 14 cùm dicit, sufficit nobis, finem quærit satietatis, & perfectionis. Et ille tanto tempore, &c. Qui videt me, &c. In illo ergo habemus Patrem quia ipse in Patre, & Pater in ipso, & ipse & Pater vnum sunt. *Hoc nos omnes Filij Chore in Calvaria geniti à Christo, in ligno crucis, per clauem crucis aperto Sanctuario, velo ignorantiæ & incredulitatis disrupto credimus, & quia credimus, intelligimus. Benè autem Tertullianus applicat Scribis clauem scientiæ erroris ferentibus, de Christo filio fabri, multo magis, crucifixo scandalizatis, filium Dei negantibus, & per verum ostium & viam ad Patrem venire nolentibus, quin etiam volentes intrare prohibentibus; illud Esa. 7. iuxta 70.* Nisi credideritis, non intelligetis. *S. Hiero. ex Symmacho:* non permanebitis. *Sic habet Vulgata lectio. Sanct. Pagn. ex Hebr.* Si non credatis verbis

S. Aug.

Aug.

Augus.

D

meis est, *supple certum*, quia non eritis stabiles. *Vatab.* Non eritis firmi. *Et in Schol.* Prædicit captiuitatem Israël, cuius caput erat Samaria, vel id fiet, quia non estis stabiles in fide. Aut quia verbis Dei non libenter fidem adhibetis. Alij interpretantur, si non credideritis, fides non seruabitur in vobis. *Et cert è, cum fides sit substantia & basis, ob quam ipsa Ecclesia à Paulo dicitur*: Firmamentum veritatis, *quia* fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei. Verbum autem Domini maneat in æternum; *profectò*, si non credideritis, non permanebitis, non eritis firmi. NON INTELLIGETIS. *Aug. ser. 18. in Psal. 118. in hunc versum*: Da mihi intellectum vt discam mandata tua. *Cum dixisses ex Paulo Ephes. 4.* Obscurati intelligentia, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum. Propter hos igitur interiores oculos, quorum cæcitas est Deum non intelligere, vt aperiantur, & magis magisque serenentur, fide mundentur corda; da mihi, inquit, intellectum, &c. quamuis enim nisi aliquid intelligat, *id est, nisi mentem & sensum habeat*, nemo possit credere in Deum, tamen ipsa fide qua credit, sanatur, vt intelligat ampliora. Alia sunt enim quæ nisi intelligantur, non credimus; & alia sunt quæ nisi credamus, non intelligimus. Nam cum fides fit ex auditu, &c. Rom. 10. Quomodo credit, prædicanti fidem, quin vt alia taceam, linguam ipsam quam loquitur, non intelligit? Sed nisi essent rursus aliqua quæ intelligere non possumus, nisi ante credamus, propheta non diceret, nisi credideritis non intelligetis. Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quæ credat, & fides proficit ad credenda quæ intelligat, &c. Sed hoc non fit propriis tanquam naturalibus viribus, sed Deo adiuuante atque donante: sicut Medicina fit, non natura, vt vitiatus oculus, *id est excæcatus*, vim cernendi recipiat. *Et ratio à priori est, quod mysteria Christi, conceptus eius ex Virgine, de quo statim Esaias, sunt supra captum intellectus, quæ nisi per fidem mundetur & alleuetur, illuminetur que ad capiendum, quod est* siue in excelsum supra, siue in profundum inferni: *signum, inquam, maximum, stupendumque cœlitibus, dæmonibus hominibusque miraculum*: Ecce Virgo concipiet, &c. *Vt qui* excelsior cœlis factus, & melior Angelis, *voluerit* descendere in inferiores partes terræ. *Humilis simul, & sublimis. Ideo vult* omnem intellectum captiuum ducere in obsequium fidei: *Vt in meritum fidei, & per vim eius, det intellectum mysterij in via, donec claui lucis gloria clarè aperiat in Patria.*

S. Aug.

10. *Christi doctrinam stupebant Iudæi tanquam mirabilem, non tanquam hominis repentini, aut aduersarij legis. 4. cent. Marc. cap. 7. in m.*

MEminerant certè, nisi circumcisum scirent, non admittendum in sancta sanctorum. Sed etsi passim synagoga adiretur, non tamen ad docendum, nisi ab optime cognito & explorato & probato, jam pridem in hoc ipsum, vel aliunde commendato cum hoc munere. [a] *Stupebant autem omnes ad doctrinam eius.* Plane. *Quoniam*, inquit, *in potestate erat sermo eius.* Non quoniam aduersus Legem & Prophetas docebat. Vtique enim eloquium diuinum & vim & gratiam præstabat, magis exstruens quàm destruens substantiam Legis & Prophetarum. Alioquin non stuperent, sed horrerent; nec mirarentur, sed statim auersarentur destructorem Legis & Prophetarum; & vtique in primis alterius Dei prædicatorem: quia nec potuisset aduersus Legem & Prophetas docere, & hoc nomine aduersus creatorem, non præmissa diuersæ atquè æmulæ diuinitatis professione. Quum ergo nihil tale scriptura significet, nisi solam vim & potestatem sermonis admirationi fuisse, facilius ostendit, secundùm creatorem docuisse illum, quia non negauit; quàm aduersus creatorem; quia non significauit. Atque ita aut eius erit agnoscendus, secundùm quem docuit; aut præuaricator judicandus, si secundùm eum, aduersus quem venerat, docuit.

[a] Luc. 4. 33

CHRISTI VERBA. X. SCHOLIA.

MEMINERANT CERTE. *Cum nullum esset commercium Iudæis cum Samaritanis, & dictum sit Io. 4.* Non coëuntur Iudæi Samaritanis: *Et incircuncisi odiosi essent Iudæis Circumcisis, quomodo admisissent Christum in templum, & Synagogam frequenter, nisi & natum apud se, & Circumcisum cognouissent. Certe excluserunt foras, & ab omni rerum sacrarum communione, maximè ab esu agni Paschalis, & Verbi diuini prædicatione. Exo. 13.* Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phasc Domini, *id. sacrificare & comedere Agnum Paschalem*, circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit: eritque sicut indigena terræ: Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. *Paraph. Ioan.* Omnis prophanus non comedet ex eo. *Aug. in Psal. 55.* *cui titulus*, in finem pro populo qui à Sanctis longè factus est, ipsi Dauid in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. *Vbi cum de titulo crucis Christi*, qui ex Paulo, introiuit semel in Sancta æterna Redemptione inuenta. *Et de Iudæis scandalizatis de titulo Regis Iudæorum, Regem Cæsarem, & non alium volentibus, sic ait:* De tituli offensione, longè facti sunt à Sanctis. Propinquent Sanctis, & agglutinentur Sancto, qui Regem Christum agnoscunt & habere concupiscunt. Longè fiant à Sanctis qui contradicentes titulo respuerunt Regem Deum, & elegerunt Regem hominum, &c. Quid ergo sibi vult, quod ad ipsum titulum adhuc pertinet, quia tenuerunt eum Allophyli in Geth? Geth ciuitas quædam erat Allophylorum, id alienigenarum, vtique populi longè à Sanctis, *templo, Sacerdotio, communicatione circumcisorum*, ex eo enim quod alienigenæ sunt, non vtique appropinquant Sanctis, sed longè sunt à Sanctis, &c. *Subdit Dauid apud Getheos moratum esse vt fugeret Saül, & Christum ex Dauid natum in Geth. id. torculari & cruce pro nobis positum, & in Ecclesia & membris à Saulo persecutionem passum, & vnumquemque fidelem sic monet.* Videat ne cum vult esse longè à passione, longe fiat à Sanctis. *Vera Sanctitas ergo in torculari, & presura his qui Christum Regem, circumcisum, & crucifixum agnoscunt. Sed vt ad Tertul. redeam contra Marcionem agentem, probantemque Christum legis non aduersarium, cuius rigidissimum præceptum circumcisionis subierit sine quia tanquam Allophylus arceretur*

S. Aug.

cernitur à Sanctis: Aduerte hic SANCTA SANCTORVM *non ſtrictè ſumi pro interiore omnino tabernaculo, quo Summus Pontifex ſemel in anno ſolus intrabat, ſed late pro loco ſancto, & templo. Sic enim ſæpe in Scriptura inuenies Origenem homil. 5. in Leuit. & Hieron. de veſt. Sacerd. & in Ezech. panes propoſitionis Sanctum Sanctorum, & omne quod pertinebat ad Ius Sacerdotium, quale erat explicare legem, docere, &c. Sanctum Sanctorum dicebatur. Inde & Pſal. 77. vbi iuxta interpretes de templi Sanctitate ſermo eſt.* Ædificauit ſicut vnicornium Sanctificium ſuum in terra quam fundauit in ſæcula. *Ideo ex Lyrano vtitur hac ſimilitudine, quia vt hoc animal nullum aliud ad cubile ſuum intrare permittit; ſic Deus nullum alienigenam ad templi Miniſterium & Sacerdotium admittebat. Cæterum ex Beda in Exod. 6. Moyſes incircumciſus labiis indicat legem à ſe non datam ſalutem, ſed à Chriſto. Hic vndique circumciſus, de cuius labiis:* nec inuentus eſt dolus in ore eius: *Et Pſalmo:* Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. *Item dicat Lucas c. 4.* Stupebant in Doctrina eius quia in poteſtate erat ſermo ipſius NON QVONIAM, *&c. id. admirationis cauſa non erat Doctrina nouitas aut alterius Dei quàm Creatoris prædicatio, aut euerſio legis, &c. Sed quia* A *cum maxima energia & authoritate prædicabat.* ÆMVLÆ DIVINITATIS, *&c. id. primo profeſſus fuiſſet, & aliquo ſigno & prodigio probaſſet ſe miſſum ab alio Deo contrario Creatori, cuius Legem & Prophetas deſtruere veniſſet. Sed longè aliter agebat, nam in omnibus* SECVNDVM CREATOREM, *docebat, vbique citans & implens Legem & Prophetas.* NON SIGNIFICAVIT. *Scriptura ſcilicet, nec minimo Verbo ſignificauit nobi: Chriſtum contrarium fuiſſe Creatori, quinimo facile perſuaſit, vt ex ipſo plano contextu liquet, etiam ipſis Chriſti aduerſariis Scribis & Phariſæis, doctrinam eius admirationi fuiſſe, quòd cum eum filium fabri noſſent, nec ab vlle Rabyno edoctum, omnem legem & Prophetas ſciret & exponeret, & tranſgreſſores argueret. Alias non iam docere quotidie in Synagogis & templo permiſiſſent, aut doctrinam eius admirati eſſent, ſed cum horrore & execratione tanquam legis & Dei aduerſarium abegiſſent.* EIVS ERIT AGNOSCENDVS, *&c. id eſt, Chriſtus ſæcundus eſt à Deo Creatore miſſus, qui iuxta legem veteris teſtamenti à Deo Creatore conditi docuit, vel prænaricator & impius, ſi Dei Marcionis filius impius, ſi omnino docuit iuxta Legem eius, quam deſtruere fuerat miſſus. Vide dicta, verbo Chriſti Verba 2. ex Luc. 4.*

CHRISTI MIRACVLA.

1. Chriſto iuxta Prophetas, mare obedit; vt Rubrum Moyſi, & Iordanis Ioſuæ ceſſerat. 4. cont. Marc. cap. 20. in p.

QVIS[a] *autem iſte eſt, qui & ventis & mari imperat?* nimirum nouus dominator atque poſſeſſor elementorum ſubacti jam & excluſi Creatoris. Non ita eſt. Sed agnorant ſubſtantiæ auctorem ſuum, quæ famulis quoque eius obaudire conſueuerant. Inſpice Exodum, Marcion, adſpice mari rubro, vaſtiori ſuper omnia ſtagna Iudææ, virgam Moyſi imperantem, vt funditus proſciſſum, & pari vtrimque ſtupore diſcriminis fixum, ſicco populum pede, inteſtino itinere tranſmitteret, rurſuſque ſub eiuſdem virgæ nutu, redeunte natura, Ægyptium exercitum vndarum concordia obrueret: in quod opus & Auſtri ſeruierunt. Lege & Sortes familiæ dirimendæ, in tranſitum eius Iordanis machæram fuiſſe, cuius impetum atque decurſum plane & Ieſus docuerat Prophetis tranſmeantibus ſtare. Quid ad hæc? Si tuus Chriſtus eſt, non erit potentior famulis creatoris. Sed his ſolis exemplis vſus eſſem, ſi non etiam prædicatio marinæ iſtius expeditionis Chriſtum anteceſſiſſet. Nam quum transfretat, Pſalmus expungitur; [b] *Dominus*, inquit, *ſuper aquas multas*: quum vndas freti diſcutit, Abacuc adimpletur; [c] *Diſpergens*, inquit, *aquas itinere*: quum ad minas eius eliditur mare, Naum quoque abſoluitur; *Comminans*, inquit, [d] *mari, & arefaciens illud*; vtique cum ventis, quibus inquietabatur. Vnde vis meum vindicem Chriſtum? de exemplis, an de Prophetis creatoris?

[a] Luc. 8. 25.
Exod. 14. 21.
Ioſue 3. 1. & ſeq. & cap. 4. 10.
[b] Pſal. 28. 3.
[c] Abac. 3. 9.
[d] Nah. 1. 4.

CHRISTI MIRACVLA. I. SCHOLIA.

QVIS AVTEM. *Hic dilemma, cui biſurcum telum in Marcionem jaculatur. Quid ais Marcion, tuus ne eſt Chriſtus ille, cui venti & mare obediunt, qui calcat aquas; an meus eſt? Si tuus; non eſt maior ſervis Creatoris mei, Moyſi & Ioſuæ; quorum alter mare rubrum diuiſit, ſiccum iter aperiens Iſraeli; alter pariter aquas Iordanis retroflectens, iter aperiens terram promiſſam patefecit. Si meus eſt, poſſeſſor vtique elementorum, & author ſubſtantiarum aquarum apparet, qua iam in veteri teſtamento ſervis eius* OBAVDIRE, *id. obedire conſueuerant. Quem & ſi in Euangelio tranſfretantem legis, ſcias quod tum* PSALMVS EXPVNGITVR, *id impletur. Vnde tam de exemplis, quàm de Prophetiis Veteris Teſtamenti, Chriſtum hunc filium Creatoris inuitus agnoſce, non iam* EXCLVSI ET SVBACTI, *mali Dei, elementis malis imperantis; ſed ſua, Iure legitimo poſſidentis, & ſolo verbo & nutu condita, compeſcentis.* QVIS AVTEM. *Sic Luc. 8. exclamantibus, dormiente Domino, Diſcipulis:* Præceptor perimus. At ille ſurgens increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit, & facta eſt tran- B quillitas. Dixit autem illis: Vbi eſt fides veſtra? qui timentes mirati ſunt ad inuicem dicentes: quis putas hic eſt, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei. *Ita & Tranſlat. Syr. Et Vatabl.* STAGNA IVDÆÆ, *Plura fuere in Iudea ſtagna, quæ & Maria impropriè dicta ſunt. Legimus enim in Euang. ſtagnum Genezareth, mare Galilea quod eſt Tyberiadis, & mare mortuum, &c. His omnibus latius eſt mare rubrum, quod ex Adricomio habet ſex leucas latitudinis, quarum tres tantum traiecit populus Iſrael. Auguſt. in Pſal 103. Vbi dicit per mare ſignificari tentationes, &* reptilia, quorum non eſt numerus. *Sic explicat:* repentes tentationes quis numeret? repunt, ſed caue ſubripiant. Vigiletur in ligno, etiam in aquis, in cruce nauigamus, *quia malo impoſita Antenna crucem efformant*, etiam in fluctibus tuti ſumus. Non dormiat Chriſtus, non dormiat fides; ſi dormierit, excitetur: imperabit ventis, placabit mare, finietur via, gaudebitur in patria. INSPICE EXODVM *c. 24.* Cum extendiſſet Moyſes manum ſuam ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento

S. Aug.

vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum: diuiſaque eſt aqua. Et ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextra eorum & læua, &c. STVPORE DISCRIMINIS FIXVM. *Eleganter dictum pro eo quod Exo. 15.* ſtetit vnda fluens. *Vtrinque enim iuxta numerum tribuum, teſte Pſalte* diuiſit mare rubrum in diuiſiones *Quod ſignificat vox* diſcrimen. *Hinc inde pariter aquâ, fixa & ſolidatâ, amiſſo motu vel ſuſpenſo fluido, quaſi ſtupefacto.* INTESTINO ITINERE. *id. in profundo & interiori, ſiccati maris.* AVSTRI SERVIERVNT. *Sic & Pſaltes* Induxit in virtute ſua Africum *ventum ſcilicet Meridionalem & Auſtralem. Quem hic Exo. 14. vocat*, ventum vrentem. *Sanct. Pagn.* abire fecit Dominus mare, ſpiritu orientali vehementi, tota nocte. *Vatablus* Dominus effecit vt decurreret mare per orientalem ventum vehementem tota illa nocte. *Paraph. Chald.* & Dominus abſtulit mare, vento orientali. *Tertul. ſecutus eſt 70. qui ſic legunt*, ſubduxit Dominus mare in vento auſtro violento totam noctem, & fecit mare ſiccum, & ſciſſa eſt aqua. *Sed quomodo ventus orientalis cum auſtrali quadrat? an quia qui ab oriente ſtare cœperat, in Auſtrum, vt ſæpè fit, mutatus eſt ventus? an quia non rectâ ſed obliqua via mare tranſmeauit populus, vt ſexcenta virorum millia in tribus horis per ſpatium trium leucarum iuxta Ioſephum Adrichomium, Lyranum, Greg. Nyſſ. citius tranſirent; ex traditione Hebræorum pro numero tribuum duodecim vias, aperuerat; ſic duos ventos diuerſos excitauerat Deus, vt citius*, conuerteret maret in Aridam? *an denique quod ventus medius eſſet inter Orientem & Auſtrum, & de vtraque plaga participans, binomius in diuerſis lectionibus feratur? vnde & Tertul. in plurali*, Auſtros *dixit, nos euronothũ gallice* Sudeſt *dixit: vel quod, vt ſæpè accidit inter flexuoſos aquæ ſtantis muros, ab Oriente flans ventus directus, repercuſſus ſubinde & reflexus, ab Auſtro rediret? vel quod exeuntibus, ex plaga Ægypti Auſtrali, vento hinc etiam ante pellente fluctus & ſiccante, ad terram Chanaam orientalem pergentibus via reflexa, ventus quoque Orientalis excitatus viam ſimiliter præparauit? Myſticè Aug.* 5. *Aug. pluribus in locis tranſitum per mare rubrum, baptiſmum intelligit. Sed in Pſal. 135. in verſum* qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones, *duas tantum diuiſiones. id eſt hinc inde factum aquarum diuortium ſupponit, dum ait* diuidet etiam baptiſmum, vt vnus atque idem baptiſmus aliis ſit in vitam, aliis ſit in mortem. LEGE ET SORTES. *Hic agit de dimiſſione terræ promiſſæ factæ duodecim tribubus per Ioſue, ſeu Ieſu Naue*, quem hic ſimpliciter, vt & alibi, IESVM vocat *poſt tranſitum Iordanis. Alluſit ad Pſal. 77.* Eiecit à facie eorum Gentes: & ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. *id. eſt percuſſis gladio Chananæis & deuictis & triumphatis tot Regibus, quod Tertullianus intellexit per* MACHÆRAM. *id. gladium Ioſue, quo ſtratis hoſtibus*, SORTES FAMILIÆ DIRIMENDÆ *id. per tribus ſingulas diuidendæ, diſtribuit. Vt habetur Ioſue 13. & ſeq. funiculis autem. ſiue Mathematicis & imaginariis, ſiue materialibus, cuiuſque tribus fines & limites metiebantur, & ſortem, id. portionem cuique tribuebat.* DOCVERAT STARE. *id. Ioſue doctus à Deo, docuit populum, quomodo aqua Iordanis retrocederet: ſcilicet* PROPHETIS TRANSMEANTIBVS, *id. precedentibus Sacerdotibus. Arcam portantibus. Quos prophetas hic vocat, quod meliores, & ſanctiores de tribu Leui, ad hoc miniſterium elegiſſet. Hoc miraculum legitur Ioſue 4.* Ingreſſis eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis *Iordanis autem ripas aluei ſui tempore meſſis impleuerat.* ſteterunt aquæ, &c. Et Sacerdotes qui portabant Arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum, in medio Iordanis accincti, omniſque populus per arentem alueum tranſibat. *Moraliter Aug.* Auguſt. *in Pſal. 113.* Mare vidit & fugit; vt tibi ſine contradictione ad libertatem ſpiritalem panderetur via, &c. Iordanis illos ſignificat, qui gratiam baptiſmi perceperunt: & ſic Iordanis conuertitur retrorſum. cum illi conuertuntur ad Deum, vt cum iam retro non habeant, ſed reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformentur à gloria in gloriam. 2. Cor. 3. PRÆDICATIO MARIMÆ EXPEDITIONIS. *id. Prophetia tranſfretationis Chriſti. Pſal. 28.* Dominus ſuper aquas multas. *Sic & vbique legitur.* VNDAS FRETI DISCVTIT. *id. cum tranquillitatem inducit compoſitis vndis.* DISPARGENS. *Abacuc. 3. pro eo quod verſio communis habet* fluuios ſcindes terræ, videbunt te, & doluerunt montes, gurges aquarum tranſiit, *& parum differt Sanct. Pagn. ex Hebr. Vatablus* Nymbus aquarum tranſiit. *& in Schol.* Iordanis recepit ſe in mare, ſubſiſtente velut in cumulum parte ſuperiore. *70. ſic* Fluuiorum ſcindetur terra, videbunt te & dolebunt. *ſiue parturient* populi: diſpergens aquas itineris. *Aug. lib. 18. de ciuit. c. 32.* quid eſt, videbunt Aug. te & dolebunt populi? niſi vt lugendo ſint beati? quid eſt, diſperges aquas in inceſſu? niſi ambulando in eis qui te vſquequaque annuntiant hac atque illac diſperges fluenta doctrinæ. *Quod Tertullianus applicat Chriſto iter agenti in nauigio cum diſcipulis.* ELIDITVR MARE, *cum ſcilicet tumida, & erecta vndarum capita deprimit, increpans mare Luc. 8.* NAHVM ABSOLVITVR, *ſcilicet ab obligatione implendæ prophetiæ Nahum 1. verſio communis* increpans mare & exſiccans illud: & omnia flumina in deſertum deducens. *Non differt Sanct. Pagn. & Vatabl. 70. ſic pariter Chryſol. ſer. 20. inp.* mare pedibus Chriſti tumentia terga ſubmiſit, ſtrauit in plano vortices ſuos, motus frenauit, aſtrinxit fluctus, & perliquentem viam ſaxea ſoliditate ſeruiuit. *Loquitur de Chriſto ſicco veſtigio mare proculcante. Aug. ſer.* Aug. *13. de ver. Domini.* Attendite ſæculum quaſi mare eſt, ventus validus & magna tempeſtas. Vnicuique ſua cupiditas tempeſtas eſt. Amas Deum, ambula ſuper mare: ſub pedibus tuis eſt ſæculi timor. Amas ſæculum, abſorbet te: amatores ſuos vorare nouit, non portare: ſed cum fluctuat cupiditate cor tuum, vt vincas cupiditatem tuam, inuoca Chriſti deitatem, &c. Et ſi motus eſt pes tuus *alludit ad Petrum vel Apoſtolos timentes tempeſtatem*, ſi titubas, ſi non aquas ſuperas, ſi mergi incipis, dic, Domine pereo: libera me, dic, pereo: ne pereas. Solus enim à morte carnis liberat te, qui mortuus eſt in carne pro te.

2. *Chriſtus Medicus miſſus ad ſuos ægros, Gentiles & Iudæos, à Deo Creatore. 4. cont. Marc. cap. 11. in p.*

Luc. 5. 27. 28. Matth. 16. 17. PVblicanum adlectum à Domino in argumentum deducit, quaſi ab aduerſario legis adlectum, extraneum legis, & Iudaïſmi prophanum. Excidit ei vel de Petro, legis homine, & tamen non tantum adlecto, ſed etiam teſtimonium conſecuto agnitionis præſtitæ à patre. Nuſquam legerat, lumen, & ſpem, & expectationem Nationum prædicari Chriſtum. At-

quin probauit potius Iudæos, dicendo, [a] *Medicum ſanis non eſſe neceſſarium, ſed male habentibus*. Si enim male valentes voluit intelligi ethnicos & publicanos quos adlegebat, ſanos Iudæos confirmabat, quibus medicum neceſſarium negabat. Hoc ſi ita eſt, male deſcendit ad legem deſtruendam, quaſi ad malam valetudinem remediandam; in qua qui agebant, bene valebant, quibus medicus neceſſarius non erat. Quale eſt autem, vt ſimilitudinem medici propoſuerit, nec impleuerit? Nam ſicut ſanis medicum nemo adhibet; ita nec in tantum extraneis, quantum eſt homo à Deo Marcionis, ſuum habens & auctorem & protectorem, & ab illo potius medicum Chriſtum. Hoc ſimilitudo præiudicat, ab eo magis præſtari medicum, ad quem pertinent qui languent.

Luc. 9.11. Eſa. 42.1. Eſa 49.22. Gen. 49. 10. [a] Luc. 5 31.

CHRISTVS MEDICVS. II. SCHOLIA.

PVBLICANVM ADLECTVM. *id. aſſumptum Matth. Publicanum è tolonio in Apoſtolum, cum Phariſeis, murmurat Marcion, & vel inde argumentatur Chriſtum non eſſe filium Creatoris & legis Auctoris, qui publicanum, & extraneum à lege,* & IVDAISMI PROFANVM, *id. reputatum à Iudais pro ethnico & profano, ſibi ſumat in diſcipulum, quaſi ad iniuriam legis.* EXCIDIT EI, *&c. Mirum inquit, quod etiam Marcion non aduerterit Petrum* LEGIS HOMINEM, *id. legi Iudaicæ ſubditum, præcæteris, Principem Apoſtolorum factum à Chriſto laudatum & Beatificatum, quod non à carne & ſanguine, ſed à Patre Diuinitatis ſuæ reuelationem accepiſſet.* NVSQVAM, *&c. Iſa. 42. & 49. de Chriſto dictum* dedi te in lucem Gentium. *Et Geneſ. 49.* Et ipſe erit exſpectatio gentium. ALIQVIN PROFAVIT. *Id eſt, quinimo Iudæos populum ſuum eſſe confirmauit, dicendo quod habetur eodem cap. 5. Luc.* Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent. *Tranſlat. Syr.* non requiritur ſanis Medicus, ſed iis qui malè, malè affecti ſunt. *Vel ergo per ægros Gentiles intelligit, & ſic ſanos Iudæos probat, & proinde acceptabiles; ſi Iudæos ſanos, vt quid miſſus ad eos, & legem corrigendam ægram? Paulus enim ait,* nihil ad perfectum adduxit lex. *&* rurſum in quo lex infirmabatur: *&* Aug. *legem in Pentateucho cum quinque libris ſuis, piſcinæ confert, cuius quinque porticus multos infirmos exponebant:* lex producebat ægrotos, non ſanabat. *Nõ quod ipſa lex mala eſſet, ſed quod hominis malitiam argueret dicente Paulo:* non cognoui peccatum niſi per legem. *Ægram dixi & infirmam, quæ infirmo, ægro, imperfecto adhuc populo data erat, donec per Chriſtum verum Medicum legem gratiæ afferentem, impleretur, perficeretur, ſanaretur, cum omnibus in ea languidis. Prædicente Pſalmiſta:* miſit verbum ſuum & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. QVALE EST AVTEM, *&c. Quis ſanæ mentis dicat, & cogitet, Chriſtum ſe aſſimilaſſe Medico ad ægros miſſo, quos erat inuenturus ſanos?* NAM SICVT, *&c. Vt ſtultè medicus apponitur ſano, ita contra omnem rationem fingitur miſſus à Deo Marcionis Chriſtus ad Iudæos, quid dico? cuiuis homini corporeo, omnino extraneo à Deo Marcionis, qui habet alium Deum nimirum Creatorem, à quo proinde medicum & curatorem infirmitatis ſuæ expectare debebat.* HOC SIMILITVDO, *&c. Id eſt comparatio ſumpta à Medico, magis ſuadet, ab eo miſſum medicum, ad quem pertineat, & lex reſpectu perfectioris, imperfecta, & Iudæus cui data fuerat. Quis enim curet, & legem, & ſeruum alieni, immo contrarij & inimici Dei ſanare & perficere: Aug. in Pſal. 102 in verſum qui ſanat omnes languores tuos,* languor eſt? ſanat & omnes languores tuos. Sanabuntur omnes languores tui, noli timere. Magni ſunt, inquies, ſed maior eſt Medicus, omnipotenti Medico, nullus langor inſanabilis occurrit, tantùm tu curari te ſine, manus eius ne repellas; nouit quid agat. Non tantum delectaris cum fouet, ſed etiam tolleres cum ſecat. Tolera Medicinalem dolorem futuram cogitans ſanitatem, &c. Fallitur Medicus aliquando. & promittit ſanitatem de corpore humano. Quare fallitur? quia hoc non curat quod fecit. Deus fecit corpus tuum; *quid aptius contra Marcionem negantem Deum bonum eſſe Creatorem humani corporis.* Deus fecit animam tuam: nouit quemadmodum recreet quod creauit: nouit quemadmodum reformet, quod ipſe formauit. Tu tantum ſub manibus Medici eſto: odit enim repellentem manus ſuas. Non fit hoc in Medici hominis manibus, ligari ſe volunt homines & ſecari; daturi pro incerta ſanitate certum dolorem, magnam mercedem. Deus te quem fecit, & certus curat, & gratis. Ferto ergo manus eius ô Anima quæ benedicis eum, non obliuiſcens omnes retributiones eius. Sanat enim omnes languores tuos, qui redimet de corruptione vitam tuam. Inde ſanat omnes langores tuos, quia redimit de corruptione vitam tuam Ecce corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Vitam ergo habet anima in corpore corruptibili. Qualem vitam? onera patitur, pondera ſuſtinet. Ad ipſum Deum cogitandum, ſicut dignum eſt ab homine cogitari Deum, quanta impediunt veluti interpellantia de neceſſitate corruptionis humanæ? Quanta reuocant, quanta à ſublimi intentione detorquent? quanta interpellant? quæ turba phantaſmatum? qui populi ſuggeſtionum; totum hoc in corde humano, tanquam de vermibus huius corruptionis ſcatet. Exaggerauimus morbum, laudemus & Medicum. Non ergo te ſanabit, qui fecit talem, qualis non ægrotares, ſi legem ſanitatis acceptam ſeruare voluiſſes? nonne tibi & diſpoſuit & mandauit quid tangeres, & quid non tangeres ad retinendam ſalutem? noluiſti audire ad tetinendam, audi ad recipiendam. Languore tuo expertus es, quàm vera ille iuſſiſſet. Iam tandem aliquando homo, quod non tenuit monitus, audiat vel expertus. Quæ duritia eſt, quam nec experientia docet? non ergo te ſanabit qui talem fecerat, vt nunquam ægrotares: ſi eius præcepta ſeruare voluiſſes. Non te ſanabit qui fecit Angelos, & te refectum æquaturus eſt Angelis? Nam te ſanabit factum ad imaginem ſuam, qui fecit cœlum & terram? ſanabit te, opus eſt vt ſanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, ſed non ſanat inuitum, &c. Ægrotat quiſque in domo ſua, anheiat febribus in lecto ſuo, velit forte cogitare de re familiari aliquid, vel iubere in domo ſua vel fundo, aut diſponere; ſtatim cura ſuorum circumſtrepente & murmurante reuocatur à talibus curis, & dicitur illi, dimitte iſta, prius cogita de ſalute tua. Ergo hoc tibi dicitur, omnis homo; ſi non ægrotas, alia cogita. Si te ægrotantem languor ipſe conuincit, prius de ſalute tua cogita. Salus tua Chriſtus eſt, Chriſtum ergo cogita. Accipe calicem ſaluraris eius, qui ſanat omnes languores tuos. *Addo & ego cum Propheta: qui verè perdidit omnes languores tuos: Summus Medicus pro nobis, & nobiſcum ad mortem, mortem autem Crucis, factus infirmus.* Hanc ſalutem ſi volueris, obti-

nebis : honores & diuitias cum quæſieris , non continuo ſi volueris habebis : hoc & pretioſius eſt , & ſequitur voluntatem. *Hæc vſque Auguſtin.*

3. *Chriſtus medicus omnes morbos & venena , per ſe ſuoſque ſuſtulit , iuxta vtramque legem. 4. cont. Marc. cap. 24. in f.*

a Eſa. 35. 3. & ſeq. Luc. 10. 19. & 20.

DEnique & tempora promiſſionis congruere inuenias , ſi quæ antecedunt , legas. a *Inualeſcite manus dimiſſæ, & genua reſoluta. Tunc patefient oculi cæcorum , & aures exaudient ſurdorum. Tunc ſaliet claudus vt cervus , & clara erit lingua mutorum.* Igitur vbi medicinarum edidit beneficia, tunc & ſcorpios & ſerpentes ſanctis ſuis ſubdidit, ille ſcilicet qui hanc poteſtatem, vt & aliis præſtaret , prior acceperat à Patre , & ſecundùm ordinem prædicationis exhibuit.

CHRISTVS MEDICVS. III. SCHOLIA.

TEMPORA PROMISSIONIS. *id. quibus promiſſio in veteri Teſtamento facta de agritudinibus curandis per Chriſtum impleri debebant.* SI QVÆ ANTECESSVNT. *Proſequitur hoc loco Propheticam Eſaiæ agentis de venturo Chriſto medico. Textus autem qui precedebat ea quæ ex eodem Propheta citauerat , de Leone & mala beſtia per Chriſtum abigenda , nempe demone. Sic prælocutus fuerat Eſa. 35.* confortate manus diſſolutas , & genua debilia roborate , dicite puſillanimis. Confortamini , & nolite timere : ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis , Deus ipſe veniet & ſaluabit vos , tunc aperientur oculi cœcorum , & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* laudabit lingua muti. *Et quid iuſtius quam vt ſoluta lingua , prima laudis verba proferat , & grates Verbo æterno , pro verbo recuperato , referat. Vatablus* ; iubilabit lingua muti. *Et in Schol.* id eſt muto reſtituetur ſermo à Chriſto , & laudabit Deum. 70. confortamini manus remiſſæ , & genua diſſoluta , &c. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures ſurdorum audiēt. Tũc ſaliet ſicut ceruus claudus, expedita autem erit lingua balborum. VBI MEDICINARVM, *&c. Curationum huiuſmodi beneficia totis Euangeliis luxent , etiam Luca , quē ſolum ex Euangeliſtis admittebat Marcion , vt legi poteſt in curationibus morborum omnium , & eiectorū dæmoniorum , cæcos illuminauit ,* ſurdos fecit audire , & mutos loqui, *Paralyticos ſoluit , & ſic* manus remiſſas & genua reſoluta *confirmauit. Chriſtum Dei Creatoris filium , non tantum corporum , ſed multo magis animarum medicum præclarè aſſerit agens de paralitico piſcinæ , Aug. tract. 17. in cap. 5. Ioannis :* S. Aug. Magis gaudere , inquit, quàm mirari debemus, quia Dominus noſter , & Saluator Ieſus Chriſtus homo factus eſt , quàm quòd diuina inter homines Deus fecit. Plus eſt enim ad ſalutem noſtram quòd factus eſt propter homines , quàm quòd fecit inter homines : & plus eſt quod vitia ſanauit, animarum noſtrarum , quàm quòd ſeruauit langores corporum morituorum. Sed quia ipſa anima nec eum nouerat , à quo ſananda erat , & oculos habebat in carne vnde facta corporalia videret ; nondum habebat ſanos in corde , vnde Deum latentem cognoſceret; fecit quod videri poterat , vt ſanaretur, vnde videri non poterat. Ingreſſus eſt locum , vbi iacebat magna multitudo languentium , cæcorum , claudorum , aridorum: & cum eſſet medicus & animarum & corporum, & qui veniſſet ſanare omnes animas credituros rum , de illis languentibus vnum elegit quem ſanaret , vt vnitatem ſignificaret. Si mediocri corde , & quaſi humano captu & ingenio conſideremus facientem , & quod ad poteſtatem pertinet, non magnum aliquid perfecit , & quod ad benignitatem, paſum fecit. Tot iacebant , & vnus curatus eſt, cum poſſet vno verbo omnes erigere. Quid ergo intelligendum eſt , niſi quia poteſtas illa , & benignitas illa magis agebat , quid animæ in factis eius pro ſalute ſempiterna intelligerent, quàm quid pro temporali ſalute corpora mererentur? Corporum enim ſalus quæ vera expectatur à Domino , erit in fine in reſurrectione mortuorum : tunc quod viuet , non morietur : tunc quòd ſanabitur , non ægrotabit : tunc quod ſatiabitur , non eſuriet neque ſitiet : tunc quod renouabitur non veteraſcet : tunc vero in illis factis Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti , & cæcorum aperti oculi , morte clauſi ſunt , & paralyticorum membra conſtricta, morte diſſoluta ſunt , & quicquid ſanatum eſt temporaliter in mēbris mortalibus, in fine deficit. Anima verò quæ credidit ad vitam æternam tranſitum B fecit. Animæ ergo creditūræ, cuius peccata dimittere venerat, ad cuius lāgores ſanandos ſe humiliauerat, de hoc languido ſancto magnum ſignum dedit.

TVNC ET SCORPIOS. *Luc. 10.* Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones , & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. ACCEPERAT A PATRE. *Sic paulo poſt eodem cap. 10.* In ipſa hora exultauit Spiritu ſancto , & dixit : confiteor tibi Pater Dominè cœli & terræ *quid hic dicet Marcion , Chriſtum ne ſuum , an Dei Creatoris cœli & terræ , qui iurè creationis verè omnium Dominus eſt?* quod abſcondiſti à ſapientibus & prudentibus , & reuelaſti ea paruulis: etiam pater , quoniam ſic placuit ante te. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. *Tranſlat. Syr.* & C conuerſus ad diſcipulos ſuos , dixit eis : omnia tradita ſunt mihi à Patre meo SECVNDVM ORDINEM PRÆDICATIONIS. *id. omnino ad literam , prout Propheta Creatoris prædixerant , opere impleuit. De Chriſto Medico ſic Chryſol. ſer. 18. a. p.* videtis quomodo dimittit febris quem tenuerit Chriſtus. Ibi non ſtat infirmitas, vbi author ſaluris aſſiſtit : acceſſus illuc mortis nullus eſt, vbi viuificatoris ingreſſus eſt. *Aug. ſer. 18. de Ver. Do.* bene nobiſcum nouit ſanctitas veſtra Dominum noſtrum Aug. & Saluatorem Ieſum Chriſtum Medicum noſtræ ſalutis eſſe & ſalutis æternæ , & ad hoc eum ſuſcepiſſe infirmitatem naturæ noſtræ , ne ſempiterna eſſet infirmitas noſtra: aſſumpſit enim corpus mortale , in quo occideret mortem. Et quando crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſicut ait Apoſtolus, D ſed viuit ex virtute Dei, &c. Oculos reddidit cæcis, quos erat vtique mors aliquando clauſura : reſuſcitauit Lazarum iterum moriturum , & quæcumque ad ſalutem corporum fecit , non ad hoc fecit vt ſempiterna eſſent, cum tamen daturus ſit etiam ipſi corpori in fine ſempiternam ſalutem. Sed quia illa quæ non videbantur , non credebantur , per iſta temporalia quæ videbantur , ædificauit fidem ad illa quæ non videbantur. *Porro quod Eſaias ſupra dixit :* ecce Deus veſter, &c. *Sanctus Athanaſius Hilarius , Iuſtinus , Proſper , & alij de Emmanuele Chriſto.*

noſtro intelligunt, vero corporum animorumque Medi- A *ta Paulum*, ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcien-
co: qui omnes docent Chriſtum Matth. 11. reſpondentem tiæ Dei reconditi. *Cuius libri viuentis* ſermo viuus &
Ioannis Diſcipulis quærentibus, tu es qui venturus es, efficax, & Teſtimonium lucidum illuminans ocu-
an alium expectamus? *dum ait*: cæci vident, clau- los, & pertingẽs vſque ad compagem oſſium & me-
di ambulant, &c. *Ad hunc locum Eſaiæ reſpexiſſe: qui* dullarum, *nodos omnes diſſoluit ligantes paralyticos*,
& cap. 29. dixerat: & audient in die illa ſurdi ver- penetrabilior omni gladio ancipiti. *Luc. denique*
ba libri, & de tenebris, & caligine oculi cæcorum *10. dedit Diſcipulis* poteſtatem calcandi ſupra ſer-
videbunt. *Vbi per ſurdos & cæcos, accipe Gentiles, qui* pentes & ſcorpiones. *Vt & Marc. 16.* ſerpentes tol-
intelligent myſteria ſcripturæ; & oracula Prophetarum, lent, & ſi mortiferum quid biberint non eis noce-
clauſa & velata ſapientibus Iudæis, reuelabuntur par- bit. *vt Paulus Act 28. nil à vipera paſſus eſt damni, ſed &* ſuper omnem virtutem inimici *quia ex*
Theophylacto Euthymio & Beda Chriſtus facit ſuos,
omnibus beluis, hominibus, dæmonibus imperare.

4. *Chriſtus Medicus paralyſim ſoluit ſecundum Prophetam. 4. cont. Marc. cap. 10. inp.*

CVratur & paralyticus, & quidem in cœtu ſpectante populo. [a] *Videbit.* enim, inquit Eſaïas, *populus ſublimitatem Domini, & gloriam Dei.* Quam ſublimitatem & quam glo- [a] Eſa. 35. 2.
riam? *Conualeſcite manus dimiſſæ, & genua diſſoluta*; hoc erit Paralyſis. *Conualeſcite, nec time-* Luc. 5. 17.
te. Non otioſe iterans, *Conualeſcite*; nec vane ſubiungens, *Nec timete*: quoniam cum redin-
tegratione membrorum, virium quoque repræſentationem pollicebatur. [b] *Exſurge, & tol-* [b] Luc. 5.
le grabatum tuum: ſimul & animi vigorem, ad non timendos qui dicturi erant, *Quis dimit-* 24.
tet peccata, niſi ſolus Deus? Habes itaque iam & ſpecialis medicinæ diſpunctam prophetiam, &
eorum quæ medicinam ſunt ſecuta.

CHRISTVS MEDICVS. IV. SCHOLIA.

CVRATVR ET PARALYTICVS, *Luc. 5.* B *Accipe Chryſol. ſer. 18. in m.* Chriſtus ſic curat mor-
Et ecce viri portantes in lecto hominem qui bos, vt vires priſtinas mox reducat: vbi curat ars,
erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & po- ibi infirmitatis reſidet laſſitudo: vbi ſanat virtus,
nere ante eum, & non inuenientes qua parte illum ibi languor veſtigium non relinquit. *Aug. in Pſal.* S. Auguſt.
inferrent præ turba, *hoc eſt quod dixit Author*, IN 87. *in verſum*: Nunquid mortuis facies mirabilia,
CŒTV, *&c.* aſcenderunt ſupra tectum, & per te- aut Medici ſuſcitabunt & confitebuntur tibi? In
gulas ſumſiſerunt eum cum lecto in medium ante Hebræo quidem aliter ſe habere firmatur: non
Ieſum. *Idem miraculum narrat Matth. c. 9. & Marc.* enim Medici ſed gygantes eſſe perhibentur. Verum
2. *Eſaiæ cap. 35. Vulgata*: Ipſi videbunt gloriam 70. Interpretes, quorum authoritas tanta eſt, vt
Domini & decorem Dei noſtri. *Ita & Sanct. Pagn.* non, immerito propter mirabilem conſonantiam,
ex Hebr. Vatabl. Maieſtatem Dei noſtri *70. quos* diuino Spiritu interprerati eſſe credantur, de vocis
ſequitur Tertul. Et populus meus videbit gloriam ſimilitudine, qua in Hebræa lingua gygantes &
Domini, & altitudinem Dei. QVAM GLORIAM? Medici, penè eodem modo ſonant, & exigua dif-
Nempe quod ſoluendo paralyſin, & manus & genua ferentia diſtinguuntur, non errore, ſed potius oc-
diſſoluta confortando, vigoremque internum infundendo caſione, quomodo iſto loco accipiendi eſſent gy-
animo, quo & paralyticus ſe vtraque, animi & corporis C gantes ſignificare voluerunt. Si enim ſuper bos gy- C
paralyſi ſanandum eſſe confidat, & murmur Phariſæo- gantum nomine inſinuatos intelligamus, de quibus
rum forti animo ferat, dicentium, quis eſt hic qui lo- dicit Apoſtolus 1. Cor. 1. Vbi ſapiens, vbi Scriba,
quitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata vbi conquiſitor huius ſæculi? Non fuit incongruum
niſi ſolus Deus. *Luc. 5. quod licet Scribæ & Phariſæi,* eoſdem medicos nuncupari, velut per artem ſa-
vt textus habet cœperint cogitare: *ſubjicitur tamen*: pientiæ ſuæ promittentes animarum ſalutem. Con-
Vt cognouit Ieſus cogitationes eorum, reſpondens tra quos dicitur Pſal. 3. Domini eſt ſalus. Si autem
dixit ad illos: quid cogitatis in cordibus veſtris? in bono acceperimus gygantes, quia & de ipſo
quid eſt facilius dicere. Dimittuntur tibi peccata; Domino dictum eſt Ptal. 18 exultauit vt gygas,
an dicere: Surge & ambula. Vt autem ſciatis quia &c. Quia ita ſit gygas gygantum, magnorum ſci-
filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi licet & fortiſſimorum, qui in eius Eccleſia ſpiritali
peccata, ait Paralitico: Surge, tolle lectum tuum, robore excellunt, ſicuti eſt mons montium, quia
& vade in domum tuam, & confeſtim coram illis, de illo ſcriptum eſt, erit in nouiſſimis tempori-
tulit lectum in quo jacebat: & abiit in domum bus, manifeſtus mons domus Domini paratus in
ſuam, magnificans Deum. Et ſtupor apprehendit cacumine montium Eſa. 2. ſicut etiam Sanctus
omnes, & magnificabant Deum: & repleti ſunt ti- Sanctorum: non eſt abſurdum vt iidem ipſi magni
more dicentes, quia vidimus mirabilia hodie. MA- & fortes, etiam medici vocentur: vnde dicit Apo-
NVS DIMISSÆ. *id. remiſſæ, hic locus Scholio prece-* C ſtolus Paulus Rom. 11. ſi quomodo æmulari pote- C
denti legendus eſt REPRÆSENTATIONEM. *id.* rol carnem meam, *id. eſt zelo proſequi ſalutem Iſrael*
præſentem & ſubitam reſtitutionem. SPECIALIS. *populi mei, vel Chriſti zelum æmulari pro ſalute ani-* S. Aug.
Vt non ſolum in genere, Chriſtum Medicum, ſed etiam marum, qui factus eſt os ex oſſibus noſtris, & caro de
in ſpecie, paralyſis curatorem prædixeris Chriſtum. DIS- *carne noſtra*, vt ſaluos faciam aliquos ex illis, ſed
PVNCTAM. *Alibi dicit* expunctam, *id. impletam* etiam tales Medici quamuis non de ſuo curent,
ſicut in computis & rationibus reddendis, vel debitorum quia nec medici corporis curant de ſuo, ta-
Chirographis, quod perſolutum eſt, deletur & expungi- men quantumlibet per fidele miniſterium opi-
tur. O qualem Medicum qui totum hominem ſanat & tulentur ſaluti, viuentes curare poſſunt, non
adeo perfecte vt ſaliat ſicut ceruus claudus: vt lectum mortuos excitare, de quibus dictum eſt, nunquid
quo jacebat immotus, exiliens tollat humeris paralyticus. mortuis facies mirabilia? *Chriſtus gygas gygantum, &*

Omniloquium.

Medicus Medicorum, & corpus paralytici de ſuo curauit, & mortuum, peccata eius dimittendo, ſuſcitauit. Vnde plebs confitens, & magnificans Deum exclamauit: quia vidimus mirabilia hodie. *ſubdit Auguſtinus:* nimis enim occulta Dei gratia eſt, qua hominum mentes quodammodo reuiuiſcunt, vt poſſint à quibuſlibet eius miniſtris præcepta ſanitatis audire. *Et in Pſal. 36. de hoc noſtro Paralytico* diſſolutis membris omnibus interioribus à facultate operis boni poſſumuſne fratres tanquam paralyticum tollere, & aperire tectum Scripturæ eius, & eum ſubmittere ad Dominum? videtis enim quia obſcurum eſt. Porro ſi obſcurum eſt, tectum eſt: & paralyticum animo quendam intueor, & hoc tectum video, & ſub hoc tecto video, & Chriſtum latere agnoſco, &c. Facit interiorem hominem ſaluum

5. Auguſt.

A à paralyſi remittendo peccata ſua, & conſtringendo fidem. Sed erant ibi homines, qui non habebant oculos ad videndum interiorem paralyticum iam eſſe ſanatum, & Medicum curantem putauerunt blaſphemantem. Quis eſt, inquiunt, qui peccata dimittit? Blaſphemat iſte. Quis poteſt dimittere, &c. Et quia ille erat Deus, talia cogitantes audiebat. Hoc verbum de Deo cogitabant, ſed Deum præſentem non videbant, fecit ergo ille Medicus aliquid, & in corpore paralytici, vt & illorum, qui talia dixerunt interiorem paralyſim ſanaret. Fecit enim quod viderent, & dedit quod crederent. MEDICINAM SVNT SECVTA. *ſcilicet & lecti Baiulatio, & in domum reuerſio, & Dei beneficentia glorificatio.*

5. *Chriſtus Medicus tactu hæmorrhoiſſæ pollui non potuit, nec agere contra legem. 4. cent. Marc. cap. 20. à m. ad circa f.*

[a] Luc. 8. 48.

SI fidem mulieris inuenimus ita meruiſſe, quum dicit, [a] *Fides tua te ſaluam fecit*, quis es vt æmulationem legis interpreteris in iſto facto, quod ipſe Dominus ex fidei remuneratione editum oſtendit? Sed hanc vis mulieris fidem conſtituere, qua contempſerat legem. Et cui credibile, vt mulier nullius adhuc Dei conſcia, nullius adhuc nouæ legis initiata, legem irrumperet eam cui adhuc tenebatur? Qua denique fide irrupit? in quem Deum credens? quem ſpernens? Creatorem? Certe emm ex fide tetigit. Si ex fide Creatoris, quæ alium Deum ignorabat; & quomodo legem eius irrupit? Tam enim irrupit, ſi irrupit, quàm ex fide Creatoris. Quomodo enim vtrumque conueniet, vt & irruperit: & ex fide eam irruperit, propter quam irrupiſſe non debuit? Dicam. Fides hæc fuit primo, qua Deum ſuum confidebat [b] *miſericordiam malle quàm ipſum ſacrificium*: qua eum Deum certa erat operari in Chriſto: qua ſic eum tetigit, non vt hominem ſanctum; nec vt Prophetam, quem contaminabilem pro humana ſubſtantia ſciret; ſed vt ipſum Deum, quem nulla ſpurcitia pollui poſſe præſumpſerat. Itaque non temere interpretata eſt ſibi legem, ea contaminari ſignificantem, quæ eſſent contaminabilia: non Deum, quem in Chriſto confidebat. Sed & illud recogitauit, ordinarium & ſolennem menſtrui vel partualis ſanguinis fluxum in lege taxari, qui veniat ex officio naturæ, non ex vitio valetudinis. Illa autem ex vitio valetudinis redundabat, cui non modum temporis, ſed diuinæ miſericordiæ auxilium neceſſarium ſciebat. Atque ita poteſt videri legem non irrupiſſe, ſed diſtinxiſſe. Hæc erit fides, quæ contulerat etiam intellectum. [c] *Niſi crediderit is*, inquit, *non intelligetis*. Hanc fidem probans Chriſtus eius feminæ, quæ ſolum credebat creatorem, eius fidei ſe Deum reſpondit, quam probauit.

[b] Oſee. 6. 6. Matth. 9. 13.

[c] Eſ. 7. 9.

CHRISTVS MEDICVS. V. SCHOLIA.

SI FIDEM MVLIERIS, *agit hic de hæmoroiſſa de qua Luc. 8.* videns mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius: & ob quam cauſam tetigerit eum indicauit coram omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit. At ipſe dixit ei: filia fides tua ſaluam te fecit: vade in pace. QVIS EST VT ÆMVLATIONEM, *&c. Vnde hæc tibi impudentia, Marcion, vt quod tam expreſſe Chriſtus tribuit merito fidei mulieris, in Deum Creatorem, & ab eo miſſum Chriſtum, tu imputes æmulationi legis; cuius in contemptum, & mulier immunda, legem Prophetarum tetigerit, & eam Chriſtus legis aduerſarius, ob contemptum legis fluxu ſanguinis cohibito, ſubita mercede reddita valetudinis compenſauerit? quis autem credat, mulierem* NVLLIVS ADHVC DEI, *ſcilicet noui Dei Marcionis, ex aliqua eius operatione prophetia, manifeſtatione,* CONSCIAM; INITIATAM. *id. nullius alterius fidei principiis imbutam. legem Patrum ſuorum quam profitebatur, gratis violaſſe?* QVAM EX FIDE CREATORIS. *id. ſi violauit legem, ex aliqua fide, & reuerentia alicuius Dei, non alterius planè quam Creatoris, quæ ne verbum quidem hactenus de Deo Marcionis audierat. Et quomodo, ex fide, violatio hæc facta concipi poteſt? cum ipſa fides reuerentiam imponat, Dei, à quo eſt fi-*

B *des.* DICAM. *Audi Marcion, dicam tibi, qua ex fide meruerit hæc mulier ſanitatem. Primò ex fide Creatoris, qui olim miſericordiæ opus, ſuperomnia ſacrificia & ceremonias legis exuliit, per Oſeam dicens cap. 6.* miſericordiam volui & non ſacrificium, & ſcientiam Dei pluſquàm holocauſta. 70. Iudicium meum quaſi lux egredietur. Quia miſericordiam volo quàm Sacrificium, & ſcientiam Dei magis quàm holocauſta. *Hiero. aduerſit locutione vſitata ſubaudiri in priori membro*, magis. *Theodoretus*, & *alij legunt* & non ſacrificium. *Secundò Deum ſuum hac miſericordia in Chriſto ſuo, miſeria ſua ſubuenturum credidit. Tertio credidit eum pluſquam Prophetam, & Deum incontaminabilem. Quarto fluxu ſanguinis profluentem, & in lege tangi prohibitam intellexit, non*

C *illius quidem qui ex agritudine, ſed ex puerperio, vel menſtruo fluxu procederet. Leuit. 15. de ordinario menſtrui: ſeptem dies erit in menſtruo: de partuali, Leuit. 12. quæ peperit maſculum immunda erit ſeptem Dies: quæ vero fœminam; 14. pro fluxu autem ſanguinis ex infirmitate, tempus immunditiæ, ſecundum tempus fluxus taxabatur. Leuit. 15. Quo ceſſante ceſſabat immunditia legalis. Vnde ſubdit,* CVI NON MODVM TEMPORIS, *&c. id. cui redundantia ſanguinis, eiuſque legali immundi-*

tis mensuram & terminum, nullum tempus ponere poterat, perpetua enim erat eius & insanabilis ægritudo, *sed sola Dei misericordia. sic legem non violauit, sed legem per fidem sanam intelligendo distinxit. Hinc poterat dicere cum Psalte ex merito fidei, qua iuxtà Esaiam expositum supra Christi verba 9.* Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. *Et quia credidit, intellexit, & eius fidem & intellectum, ipse Christus Deus in quem credidit, sanitate restituta comprobauit. Pulchrè Aug. ser. 6. de verb. Domini sec. Matth. de huius mulieris, per tactum fimbriæ Christi vestimenti sanitate:* habetis vestimenti fimbriam quam tangatis, vt à profluuio sanguinis, id est, à carnalium voluptatum fluxu sanemini. Habetis, inquam, vestimenti fimbriam quam tangatis. Vestem putate Apostolos sub textura vnitatis adhærentes lateribus Christi. In his Apostolis erat tanquam fimbria minimus, & nouissimus Paulus ipso dicente. 1. Cor. 15. Ego sum minimus Apostolorum. In veste nouissimum & minimum fimbria est. Fimbria cum contemptu aspicitur, sed cum salute tangitur. Vsque ad hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphisamur 1. Cor. 4. Quid tam extremum, quid tam contemptibile? tange si fluxum sanguinis pateris, exiet virtus de illo, cuius vestis est, & sanabit te, &c. Si sanari vis, si post fluxum sanguinis, si post duodecim annos in illo morbo, si post consummata omnia in Medicis, & non recepta sanitate aliquando vis sana fieri, ô mulier quam alloquor in typo Ecclesiæ, jubet illud Pater tuus, & illud jubet populus tuus: sed dicit tibi Dominus tuus, Psal. 44. obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui. Quo bono? quo fructu? qua mercede? quoniam concupiuit, inquit, Rex decorem tuum. Concupiuit quod fecit; quoniam vt pulchram faceret, fœdam amauit. pro infideli & fœda sanguinem fudit, fidelem ac pulchram reddidit, dona sua in te amauit. Quid enim sponso tuo contulisti? quid in dotem à priore Patre & priore populo accepisti? nonne luxurias & pannos peccatorum? abiecit pannos tuos, discidit cilicium tuũ, misertus est vt ornaret, ornauit vt amaret. *Quod Augustinus de Ecclesia purgata, & ornata dicit, singulis nostris animabus applicari potest, qua vel tactu Pauli, id est alicuius eius loci vel alterius Scriptura, vel maximè ex fide in Christum, & Eucharistiæ Sacramentum, à fluxu sanguinis peccati curantur, & sanata in sponsam assumuntur. de fide quidem huius mulieris sic Chrysol. ser. 35. in m.* in Christo nil postremum credidit, nil iudicauit extremum; quia nec minoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria: nec cœlestis natura, membrorum variatur officiis. Hinc est quod mulier per dorsum peruenit ad faciem: *vt Moyses per posteriora* per vestimentum penetrauit interna, & per fimbriam capitis tetigit summitatem. Psal. 132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam autem Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius. *Et ser. 33. in fin.* Curauit fides intra ictum temporis, quod duodecim annis ars humana curare non potuit, &c. Miseri, qui quotidie corpus Domini tractamus, & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur. Non Christus infirmantibus, sed fides deest: aN in multo magis modo in nobis manens poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem præteriens sic curauit.

Aug.

6. Christus Creatoris tactu leprosi non polluitur, sed mundat leprosum, Christus Marcionis phantastica carnis, inquinari non poterat. 4. cont. Marc. cap. 9. à p.

DOminus volens altius intelligi Legem, per carnalia spiritalia significantem; & hoc nomine non destruens, sed magis exstruens, quam pertinentius volebat agnosci, Tetigit leprosum, à quo etsi homo inquinari potuisset, Deus vtique non inquinaretur, incontaminabilis scilicet. Ita non præscribetur illi quod debuerit legem obseruare, & non contingere immundum, quem contactus immundi non erat inquinaturus. Hoc magis meo Christo competere sic doceo, dum tuo non competere demonstro. Si enim vt æmulus legis tetigit leprosum, nihil faciens præceptum legis, per contemptum inquinamenti, quomodo posset inquinari, qui corpus non habebat quod inquinaretur? phantasma enim inquinari non posset. Qui ergo inquinari non poterat vt phantasma, jam non virtute diuina incontaminabilis erit, sed phantasmatis inanitate: nec contempsisse videri potest inquinamentum, cujus materiam non habebat: ita nec legem destruxisse, qui inquinamentum ex occasione phantasmatis, non ex ostentatione virtutis euaserat.

Luc. 5. 13

CHRISTVS MEDICVS. VI. SCHOLIA.

PROBAT *quemcumque Christum, siue Creatoris siue Marcionis, legem violare, & contemnere non potuisse, per contactum leprosi. Non Christus Marcionis, quia si Deus erat, ipsi lex præscribi non poterat. Et ex natura diuina pollutionis incapax erat. Nec vt homo, qui carnem veram non habebat, sed phantasticam, quæ vt tangi verè non poterat, sic nec per tactum pollui. Stultè ergo Marcion dixit Christum suum in contemptum legis peruersæ Dei Creatoris, cuius erat æmulus & aduersarius, tetigisse immundum, quo pollui non poterat, non tam vt ostentaret se virtute diuina incontaminabilem, quàm quia à priori & vera causa sine* EXCCASIONE PHANTASMATIS, *id. quia corpus phantasticum habebat, quod ex natura sua vacua & inani, tangi & pollui non poterat. Restat ergo vt Christo meo, Creatoris filio,* qui venit legem non soluere, sed adimplere, *lex ista conueniat. Qui & contactu, & verbo leprosum sanauit dicens:* volo, mundare. *Qui* VOLENS ALTIVS, ET PERTINENTIVS, *&c. id. sensu sublimiori & profundiori, voluit legem intelligi, quæ per carnalia precepta & ceremonias, legem gratiæ & spiritus significabat, primò quidem per leprosum eliminandum castris, & communi hominum consortio abigendum, malas & peruersas societates procul amandandas delineabat. Secundò, se vt Authorem legis, legi non subditum, vt Deum pollutionis incapacem, vt hominem in vera carne, sed impolluta & Sancta, Agnum* peccata mundi tollentem, fontem patentem domui Dauid, &c. *Passerem tandem solitarium, suo sanguine iuncto hyssopo humilitatis, cedro crucis, cocco & purpura Charitatis, omnem lepræ peccati maculam abstergentem voluit intelligi. Et hæc sunt quæ* ALTIVS, ET PERTINENTIVS, *intellexit, quia hæc omnia ad implendam legem, & profundum mysterium Incarnationis per-*

tinebant: *dicente Paulo*: finis legis Christus ad justitiam omni credenti. *Legem totam ad leprosos pertinentem vide Leuitici 13. ritum mundandi cap. 14. electionem ex castris Num. c. 5. Leprosi curatio de qua hic Tertul. scribitur Luc. 5.* Extendens manum, tetigit eum dicens: volo: mundare: & confestim lepra discessit ab eo. *Stupendam Leprosorum malitiam narrat Gerbrandus libro 27. Chron. Belgic. cap. 3.* Anno Dom. 1309 omnes leprosi comburebantur per vniuersam Christianitatem, pro eo quod latenti proposuerint pacto homines sanos lepræ veneno intoxicare quos potuissent. Inficiendo quasi omnes fontes suo sanguine leproso per diminutionem emisso *Christus vno sui sanguinis fonte, de seipso quasi solitario passere fuso, omnes leprosos & peccatores sanauit. de cuius hyssopo sic Augustinus in Psal. 50.* Aspergies me hyssopo & mundabor. Hyssopum herbam notimus humilem, sed medicinalem, saxo hærere radicibus dicitur. Inde in mysterio mundandi cordis similitudo assumpta est. Apprehende & tu, inquit, radicem dilectionis petram tuam. Esto humilis in humili Deo tuo, vt sis excelsus in glorificato Domino Deo tuo. Aspergeris hyssopo, humilitas Christi te mundabit. Noli herbam contemnere, vim medicamenti attende. Aliquid etiam dicam quod à Medicis solemus audire, vel experiri in ægrotis. Hyssopum dicunt purgandis pulmonibus aptum esse. In pulmone solet notari superbia: illic enim inflatio, illic anhelitus: dicebatur de Saulo persecutore, tanquam de Saulo superbo, quod ibat ad vincendos Christianos, spirans cædem, anhelabat cædes, anhelabat sanguinem nondum purgato pulmone. Audi & hic humiliatum, quia hyssopo purgatum. Asperges me, &c. lauabis me, id. mundabis me. & super niuem dealbabor. Et si fuerint, inquit, Isaias c. 1. peccata vestra sicut Phœniceum *vermiculus siue minium* tanquam niuem dealbabo. De talibus sibi exhibet Christus vestem sine macula & ruga Ephes. 5. proinde vestis eius in monte, quæ tanquam nix dealbata effulsit, Matth. 17. significauit Ecclesiam omni macula peccati mundatam. *Sed vt humanum genus lepra curaret*, Ipsum vidimus tanquam leprosum, *extra portam eiectum Ciuitate, in monte Caluarie, instar leprosi veste concissa:* Conscidisti saccum meum, &c *qui tamen pollui non poterat, pollutos expians. Bene enim Paulus:* talis decebat, vt nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. *Sic Chrysol. ser. 35. vbi de contactu fimbriæ per hæmorrissam:* sciens quod Deum nec tactus polluit, nec offendit visus, nec auditus sauciat, nec inquinat humana cogitatio. Nam si Sol tangit stercora, non tamen stercoribus inquinatur: quanto magis Creator Solis tangit omnia? &c & si Medicus cum saniem vulnerum tractat, cum curat verecunda membrorum, non iniuriam computat. sed honorem: quanto magis, &c. Dei conspectũ offendunt peccatorum vulnera, non dolorum, &c. Quia homo habetur voluntarius in delictis, in languoribus tenetur inuitus: hinc est quod peccator pœnã recipit, ægrotus recipit curã.

S. Augst.

7. Christus verbo quo omnia facta sunt, fecit, quod Elisæus fluuio. Ibid. in med.

ET hoc opponit Marcion, Helisæum quidem materia eguisse, aquam adhibuisse, & eam septies: Christum vero verbo solo, & hoc semel functum, curationem statim repræsentasse. Quasi non audeam & verbum ipsum in substantiam creatoris vindicare. Nullius rei non ille potior auctor, qui prior. Incredibile plane, vt potestas Creatoris verbo remedium vitij vnius operata sit, quæ verbo tantam mundi molem semel protulit. Vnde magis dignoscitur Christus Creatoris, quàm ex verbi potestate? Sed ideo alius Christus, quia aliter quàm Helisæus, quia potentior dominus famulo suo. Quid constituis Marcion, proinde res agi à seruis, quemadmodum ab ipsis dominis? Non times ne in dedecus tibi vertat, si ideo Christum negas Creatoris, quia potentior fuerit famulo Creatoris, qui ad Helisæi pusillitatem maior agnoscitur, si tamen maior? Par enim curatio, licet distet operatio. Quid amplius præstitit tuus Christus, quàm meus Helisæus? Immo, quid magnum præstitit tui Christi verbum? quum id præstiterit quod fluuius Creatoris.

4. Reg. 5. 14. Luc. 4. 36. 39. Luc. 5. 24.

CHRISTVS MEDICVS. VII. SCHOLIA.

OPPONIT MARCION. *Futilem hic ridet Marcionis obiectionem, qua Christum suum Helisæo propheta Creatoris præferat, quod iste aqua Iordanis egerit vt Naaman Syrum lepra mundaret, vt habetur 4. Reg. 5. & meminit Christus Luc. 4. Christus autem solo verbo mundare potuerit.* SEMEL SVNCTVM. *id. vnico verbo vsum quo* REPRÆSENTAVERIT. *id. præsentem sanitatem restitueris. Cui Tertul. Respondet posse se & verbi efficaciam* VINDICARE, *id. verdicare & iure constituere.* IN SVBSTANTIAM, *id. rem pertinentem ad Creatorem.* NVLLIVS REI NON, *&c. quia inquit* duplici negatione affirmando *ille maximè cuiuslibet rei author esse credendus est, qui prius eius vsum & possessionem habuerit: atqui Deus Creator, omnia verbo condidit, Ergo per Christum verbo leprosum curauit, qui olim dicendo fiat, omnia fecit.* INCREDIBILE PLANE, *&c. Ironicè dictum quasi vero, inquit, mirabile sit Christum Creatoris, vno verbo* VITIVM, *id. verbum vnicum sanasse, cum Creator* SEMEL *id. verbum fiat, vel repetendo, vel semel, & simul omnia creando protulerit dicente Psalmista:* Semel locutus est Deus: *Et Sapiente:* qui viuit in æternum, creauit omnia simul. IDEO ALIVS CHRISTVS. *iterum subsannat Marcionem, fingentem alium Christum quàm Creatoris, quòd famulo Helisæo sit potentior Dominus, quasi magnum quid sit maiorem esse famulo Dominum. Egregiam vero laudem Christo tuo comparat, quod filius Dei tui sublimior appareat potestate serui Creatoris mei, Aspice Marcion tantundem potuisse ad leprosum sanandum fluuium Creatoris mei, nempe Iordanem, quantum potuit verbum Christi tui. Cæterum Naaman, id. pulcher vel decorus mundatus à lepra significat pulchritudinem animæ baptizatæ & decoratæ septiformis gratia Spiritus sancti: nam & septies lauit in Iordane. Chrysol. ser. 171. a. p. vbi videt varia baptismata Iudæorum. Ex Psalm. 50.* Amplius laua me, &c. quousque me legaliter lauas, & me non lauas? laua me par gratiam semel, quem lauachra legis innumera non lauerunt, &c. quomodo te exterior lauare & mundare sufficiat aqua? Corda & corpora nostra mundare hæc poterit, cum

fuerit

fuerit & ipſa Spiritus ſancti purificata commercio, vt viſibili miniſterio, inuiſibile purificationis noſtræ perficiat Sacramentum. *Proh quantam anima pulchritudinem infundit, vt in nouum Adam reformet, & de terrenis & leproſis cæleſtes faciat, & decoros*, ſpecioſi forma præ filiis hominum dei eſſe conformes. *Chryſol. ſer. 117. in m. Hæc verba premens*: qualis cœleſtis, tales & cœleſtes: hinc eſt, fratres, quòd virgineum fontis vterum cœleſtis Spiritus arcana ſui luminis admixtione fœcundat; vt quos origo limoſæ ſtirpis profuderat ſub miſera conditione terrenos, Cœleſtes pariat, & ad ſimilitudinem ſui perducat Authoris. *Legendus Orig. Homil. 3. in Luc. Ambr. de his qui initiantur myſteriis. Aug. ſer. 208. Naaman typus eſt populi Gentilis, primo increduli, dehinc baptizati, & peccati lepra mundati. Qui vt primo non credidit Eliſæo loquenti, ſed poſtea amicis exhortantibus credidit, figura fuit populi Gentilis conuerſi ad prædicationem Apoſtolorum. Ita* Aug. *ſer. præcitato, vbi de puella Hebræa, ancilla Naaman, ſuadente Domino vt adiret Heliſæum, &c. Quam dicit figuram eſſe Prophetiæ, cuius gratia erat in ſola Iudæa, ſed inde ad gentes effundenda.* Audiuit Naaman puellam & venit ad Heliſæum: Audiuit populus Gentium Prophetiam, & venit ad Chriſtum. Naaman veniens ad Heliſæum, ſanatur à lepra: & populus Gentium veniens ad Chriſtum ab omni peccatorum lepra purgatur. Poteſt Gieſi etiam Iudæorum populum figurare, qui eo tempore peccati lepra percutitur, quo ab ea gentium populus liberatur, &c. Tunc peccati leprâ perfundi meruerunt, quando contra cœleſtem Medicum ore ſacrilego clamauerunt Io. 19. tolle, tolle, crucifige eum. Ergo eo tempore in illis remanſit lepra, quo ad gentes Domini tranſiit gratia. Denique ſic & Apoſtolus Petrus ad eos locutus eſt Act. 13. dicens. Vobis, inquit, oportuit primum loqui verbum Dei, ſed quia vos indignos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. *Subiicit quod ſupra diximus de Naaman prius incredulo*: hoc ſignificauit, quia populus gentium antequam Chriſtus crucifigeretur, ipſi per ſe Chriſto loquenti non credidit, ſed poſtea prædicantibus Apoſtolis ad Sacramentum baptiſmi fideliter venit. Naaman munera obtulit Beato Heliſæo, & ille accipere noluit; Chriſti in hoc gratiam figuratam intellige, quæ ideo gratia dicitur, quia gratis datur. Sic enim Dominus in Euangelio Diſcipulis dixit Matth. 10. infirmos curate, mortuos ſuſcitate, dæmones expellite: gratis accepiſtis, gratis date.

8. *Chriſtus dæmonia in digito Dei Creatoris eiecit, id eſt modica, ſed validiſſima eius virtute. 4. cont. Marc. cap. 26. circa f.*

SPiritum ſanctum is dabit, apud quem eſt & non ſanctus. Quum ſurdum dæmonium expuliſſet (vt & in iſta ſpecie curationis Eſaiæ occurriſſet) [a] *in Beelzebule dictus eiicere dæmonia: Si ego*, inquit, *in Beelzebule eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt?* hac voce quid magis portendit, quàm in eo eiicere ſe, in quo & filij eorum? In virtute ſcilicet Creatoris. Nam ſi putas ſic accipiendum, *Si ego in Beelzebule eiicio dæmonia, filij veſtri in quo?* quaſi illos ſugillaret in Beelzebule eiicientes, reſiſtet tibi prior ſenſus, *non poſſe Satanam diuidi aduerſus ſemetipſum*. Adeo nec illi in Beelzebule eiiciebant; ſed, vt diximus, in virtute Creatoris: quam vt intelligi faceret, ſubiungit, *Quodſi ego in digito Dei expello dæmonia, ergone appropinquauit in vos regnum Dei?* Apud Pharaonem enim venefici illi adhibiti aduerſus Moyſen, virtutem Creatoris digitum Dei appellauerunt: [b] *Digitus Dei eſt hoc.* quod ſignificaret etiam modicum, validiſſimum tamen. Hoc & Chriſtus oſtendens, commemorator, non obliterator, vetuſtatum, ſcilicet ſuarum, virtutem Dei, digitum Dei dixit; non alterius intelligendam, quàm eius apud quem hoc erat appellata. Ergo & regnum ipſius appropinquauerat, cuius & virtus digitus vocabatur. Merito igitur applicuit ad parabolam [c] *fortis illius armati, quem validior alius oppreſſit*, principem dæmoniorum, quem Beelzebulem & Satanam ſuprà dixerat, ſignificans digito Dei oppreſſum, non Creatorem ab alio Deo ſubactum. Ceterum, quomodo adhuc ſtaret regnum eius in ſuis terminis, & legibus, & officiis, quem licet integro mundo vel ſic potuiſſet videri ſuperaſſe validior ille Deus Marcionis, ſi non ſecundùm legem eius etiam Marcionitæ morerentur, in terram defluendo, ſæpe & à ſcorpio docti non eſſe ſuperatum Creatorem.

[a] Luc. 11. 13. 14. & ſeq.

[b] Exo. 8. 19.

[c] Luc. 11. 21.

CHRISTVS MEDICVS. VIII. SCHOLIA.

SPIRITVM SANCTVM, *&c. Reſicit locum Luc. 11. vbi Chriſtus rogatus ab Apoſtolis, docuit eos orare, & concludit*: quantò magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? *Tranſlat. Syr.* è cœlis dabit Spiritum ſanctitatis. *Tertul. ſi xta Syrum de Spiritu ſancto intellexit: vt maligno ſpiritui illum opponens, inde contra Marcionem arguat, Spiritum quoque eſſe Creatoris, tam bonum quam malum. Malum facilè concedit Marcion Creatoris, vt & nos quoque cũ Scriptura*, immiſſiones per Angelos malos, ſpiritum malum, & ſpiritum nequam à Domino *exagitatem Saulem bonum à Creatore factum, à ſeipſo peruerſum, cuius malitia & peruerſitate benè, & rectè vtitur Deus Creator bonus & rectus. Sed neceſſe eſt vt Marcion agnoſcat, boni quoque & ſancti Spiritus Deum Creatorem eſſe principium & donatorem. Cum enim Chriſtus eius promittat de cœlis dandum, eiuſdem erit ſpiritus, cuius & cœli ſunt: Atqui ex Marcione Deus malus, Creator eſt cœli & terræ, ergò de cœlo ſuo dabit ſpiritum ſuum: & quomodo malus, dabit ſpiritum bonum & malignus ſanctum?* APVD QVEM, *&c. In cuius ſcripturis reperitur malus ſpiritus, in cuius mundo ſunt* rectores & poteſtates tenebrarum harum. SVRDVM DÆMONIVM, *Chryſoſtomus item ſurdum vocat. ex Græco κωφὸν, quæ vox & mutum & ſurdum ſignificat, vt & vſu venit, vt qui à natura ſurdus eſt, & carens auditu, præcipuo organo diſciplinæ, etiam ſit mutus & loquelæ neſcius. Textus Luc. 11.* Et erat eiiciens dæmonium & illud erat mutum. *Matth. 12. de hoc ipſo miraculo*: tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur & videret. ESAIÆ OCCVRRISSET,

id. ita vt visus sit impleſſe in hac etiam ſpecie miraculi, & agritudine ſananda, quod prædixerat Eſaias audient in die illa ſurdi verba libri & de tenebris & caligine *eruti ſcilicet* oculi cæcorum videbunt. *Iſa. 29. & rurſum cap. 35.* Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. *Et iterum cap. 42* ſurdi audite, & cæci intuimini ad videndum. Quis cæcus niſi ſeruus meus & ſurdus, niſi ad quem nuntios mo, niſi? QVID PORIENDIT? *id. quid concludere voluit, quid intendit probare, niſi ſe in eodem Spiritu Creatoris eiicere demonia, in quo eorum filij, id. exorciſtæ, vtique Iſraëlitæ & ſubditi Creatoris? Ioſephus lib 8. Antiq. cap. 2. dicit exorciſtas Iudæorum à Salomone acceptiſſe artem coniurandorum & expellendorum dæmonum. Tales erant exorciſtæ ſeptem filij Sceuæ Principis Sacerdotum & alij Act. 19.* FILII VESTRI IN QVO? *videt Marcionem ſtultè exponentem hunc locum: quaſi Chriſtus diceret, in quo alio filij veſtri eiiciunt dæmonia, niſi in ipſo Belzebuth, in quo vos me eiicere dicitis? Sed prior ſententia huic prauo Marcionis ſenſui contradicit, nempe,* Satanam contra ſeipſum non diuidi, *vt miniſtros ſuos, & ſuo regno amplificando vacantes expellat: quinimo per ſuos cuſtodes vt vigiles,* cuſtodit vt fortis armato milite caſtrum ſuum, donec fortior eum ſuperet, & arma eius & ſpolia diripiat: *Et quis ille fortior, niſi ille de quo Pſalles,* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio: SI IN DIGITO DEI COMMEMORATOR, *&c. Chriſtus, inquit, legem veterem in memoriam reuocat, non obliterat, dum Exodum repetit & digito Dei, id eſt minima virtute Creatoris, fortem Gigantem ſe exturbare probat, vt & Dauid paruulus, paruulo lapide proſtrauit Goliath.* DIGITVS DEI EST HOC. *Ita γ. δακτυλος θεου ἐστι τουτο. id. hoc ſignum à Deo & eius potentia venit. Exo. 8.* fecerunt ſimiliter malefici incantationibus ſuis; vt educerent Sciniphes, & non potuerunt, &c. Et dixerunt malefici ad Pharaonem, digitus Dei eſt hic. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Vt educerent pediculos, & non potuerunt, &c. Digitus Dei eſt *Varablus*: quidam dicunt Hebræum Chinnim ſignificare exiguas beſtiolas, cutem lædentes, pruritum noxium immittentes, Nares, aures, oculos ingredientes. Alij intelligunt vermiculos alatos ſimiles culicibus. *Paraph. Chald.* Plaga à facie Dei eſt. *Tyranus ſingulariter contra communem omnium ſenſum per digitum Dei accipit virtutem alicuius dæmonis ſuperioris, qui vim inferiori impediret. Sed ex Ioſepho, Tertulliano, Iuſtino, Ambroſio, Hieronymo, &c. In cæteris prodigiis, vt non verum ſanguinem ranas, dracones, ſed oculos faſcinando, ſpeciem tantum huiuſmodi rerum, magi producebant, ſic & potuerunt Sciniphum. Aug. Theod. & alij prædicta vera dæmones ſubito aliunde attuliſſe. Caterum voluit eos deficere in hoc tertio ſigno, vt oſtenderet Deum: nec dæmones poſſe niſi Deo permittente, vel vnum culicem producere. Auguſtinus per digitos diſtincta dona Spiritus intelligit. Sic in Pſal. 143.* In digitis agnoſcimus vnitatem, diuiſionem operationis, & tamen radicem vnitatis: vide illam gratiam; dicit Apoſtolus. 1. Cor. 12. alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum, alij fides in eodem ſpiritu, alij donationes curationum in vno Spiritu, &c. Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus, &c. Radix eſt vnitatis, &c. diuiſiones ſum operationis. *Et in pſal. 8.* Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. Legimus digito dei ſcriptam legem, & datam per Moyſem Sanctum ſeruum eius. Quem digitum Dei multi intelligunt Spiritum ſactum. Qua propter ſi digitos Dei eoſdem ipſos miniſtros Spiritu ſancto repletos, propter ipſum ſpiritum qui ineis operatur, rectè accipimus; quoniam per eoſdem nobis omnis diuina ſcriptura confecta eſt, conuenienter intelligimus hoc loco cœlos dictos libros vtriuſque teſtamenti, &c. Videbo cœlos, &c. id. cernam & intelligam ſcripturas, quas operante Spiritu ſancto per miniſtros tuos conſcripſiſti, &c. Dictum eſt autem etiam de ipſo Moyſe à Magis regis Pharaonis, cum ab eo ſuperati eſſent, digitus Dei eſt hîc. *Idem to. 4. lib. 2. in Exo. q. 25.* digitus Dei ſicut Euangelium manifeſtiſſimè loquitur, Spiritus ſanctus intelligitur. Namque vno Euangeliſta *Luca ſcilicet cap.* 11 ita narrante verba Domini vt diceret, ſi ego in digito Dei eiicio dæmonia, alius Euangeliſta, *nempe Matthæus cap.* 12. Idipſum narrans exponere voluit, quid ſit digitus Dei, & ait, ſi ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia, &c Cum itaque magi fatererentur, quorum potentiæ Pharao prælidebat, digitum Dei eſſe in Moyſe in quo ſuperabantur, & eorum veneficia fruſtrabantur, tamen induratum eſt cor Pharaonis nunc mirabili omnino duritia. *Et paulò infra myſterium exponit, cur non in primo vel ſecundo ſigno defecerint, aqua mutata in ſanguinem, & ſactis ranis, defeciſſe autem in tertio Sciniphum, ſic ait,* quis demens tiſſimus dixerit digitum Dei in hoc ſigno potuiſſe conatus magorum impedire, & in ſuperioribus nequiuiſſe? omnino ergo certa cauſa eſt, quare illa facere huc vſque permiſſi ſunt. Commendatur enim fortaſſe Trinitas, & quod verum eſt ſummi Philoſophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, ſine Spiritu ſancto philoſophati ſunt, *non quod ſine Spiritu ſancto, doctore omnis veritatis aliquam dixerint; ſed quod huius perſonæ mentionem non fecerint & ſic defecerint,* quamuis de Patre & Filio non tacuerint, quod etiam Didymus in libro ſuo meminit, quem ſcripſit de Spiritu ſancto. *Digitum Dei eſſe Spiritum ſanctum, & eius dona ſignificata per partitionem digitorum rurſum dicit lib. 2. qq. Euang. q. 17.* ideo dicitur Spiritus ſanctus digitus Dei, propter partitionem donorum quæ in eo dantur vnicuique propria ſiue hominum, ſiue Angelorum: in nullis enim membris noſtris magis apparet partitio quàm in digitis. NON CREATOREM AB ALIO DEO SVBACTVM. *id. victum & ſuperatum. Ineptè Marcion per fortiorem, fortem debellantem, Deum ſuum intelligi voluit, cum regnum Creatoris ſtet integrum,* IN SVIS TERMINIS ET LEGIBVS *quarum vna mortis, indicta eſt ab origine mundi:* puluis es, & in puluerem reuerteris: *quam repetens Paulus, ait* ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. *Et rurſum:* per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, &c. *Quam legem inuiti Marcionitæ ſubeunt, & vel ab vno Scorpio Creatoris icti, eum à Deo ſuo armis ſpoliatum non eſſe conuicti ſunt.*

A
B
C
D
Aug.
Aug.
Aug.
Aug.
S Auguſt
S Aug

9. *Chriſtus debellator ſpiritualium poteſtatum. 4. cont. Marc. cap. 20. à p.*

Luc. 8. 30. AGe nunc, qui militarem & armatum bellatorem prædicari putas, non figuratè, nec allegoricè qui bellum ſpiritale aduerſus ſpiritales hoſtes, ſpiritali militia, & ſpiritalibus armis, ſpiritaliter debellaturus eſſet. Quum inuenis in vno homine multitudinem dæmonum, legionem ſe profeſſam; vtique ſpiritalem; diſce & Chriſtum expugnatorem ſpi-

ritalium hoſtium, ſpiritaliter armatũ. & ſpiritaliter bellicoſum intelligendum; atque ita ipſum eſſe, qui cum legione quoque dæmonũ erat dimicaturus; vt & de hoc bello Pſalmus poſſit videri pronuntiaſſe, [a] *Dominus validus, Dominus potens in bello.* Nam cum vltimo hoſte morte præliatus, per tropæum crucis triumphauit. Cuius autem Dei filium Ieſum legio teſtata eſt? Sine dubio cuius tormenta & abyſſum nouerant, & timebant, nec enim videntur poſſe ignoraſſe adhuc quod noui & ignoti Dei virtus operaretur in terris; quia veriſimile non eſt Creatorem ignoraſſe. Si enim alium ſupra ſe Deum ignorauerat aliquando, tamen iam infra cœlum ſuum agentem, vtique compererat. Quod autem Dominus comperiſſet, iam & vniuerſæ familiæ innotuiſſet in eodem mundo, & intra eundem ambitum cœli, quo peregrina diuinitas conuerſaretur. In quantum ergo & Creator ſciſſet eam, & ſubſtantiæ eius, ſi fuiſſet; in tantum quia nulla fuit, non alium dæmones ſciebant, quàm Dei ſui Chriſtum. Non depetunt ab alio, quod meminiſſent petendum ſibi à Creatore, veniam ſcilicet abyſſi Creatoris. denique impetrauerunt. Quo merito? Quia mentiti erant; quia ſæui Dei filium eum fecerant? & qualis erit, qui mentitos iuuabat, qui infamantes ſuſtinebat? Sed enim quia mentiti non erant, quia Deum abyſſi & ſuum cognouerant? ita eum ſe & ipſe confirmauit quem adcognouerunt dæmones, ſeium Iudicem & vltoris Dei filium.

[a] Pſal. 23.

CHRISTVS MEDICVS. IX. SCHOLIA

AGE NVNC. *Marcionem vellicat qui fortem armatum viſibilibus armis, & non ſpiritalibus intelligebat: qui tamen ſpiritalem ſe bellatorem comprobauit, dum legionem dæmonum ab vnius dæmoniaci corpore expulit. Sic Luc. 8.* præcipiebat ſpiritui immundo, vt exiret ab homine. Multis enim temporibus, *ſine vt habet Tranſlat. Syr. multum enim iam temporis fuerat, ex quo captiuum detinebat eum, & accipiebat illum*, & vinciebatur cathenis, & compedibus cuſtoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deſerta. Interrogauit autem illum Ieſus, dicens; quod tibi nomen eſt? at ille dixit: legio: quia intrauerant dæmonia multa in eum. *Legio, à delectu militum dicta eſt, continetque decem cohortes, cohors autem quinquaginta manipulos, manipulus, viginti quinque milites. Legio continet 6666. milites, ita Varro lib. 4. de ling. Lat. ex quo patet ordinem hierarchicum manſiſſe in dæmonibus: hanc legionem fortium. Chriſtus fortior ſuperueniens debellauit, de quo Pſaltes Pſal. 23.* Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, *cuius, ab initio mundi, legiones Sanctorum Angelorum, ſub ducе Michaele, contra Luciferum draconem & legiones eius ſtrenuè decertarunt, & præcipitarunt in Abyſſum: Apoc. 12. quem conflictum, & diuiſionem expreſſit, ab exordio mundi,* diuiſio lucis à tenebris. *De quibus etiam legionibus ſuis Chriſtus in Euang. Matth. 26.* an putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? CVM VLTIMO HOSTE *Sic Paulus 1. Cor. 15.* oportet illum regnare, *id eſt, medio hoc tempore de diabolis triumphare*, donec ponat omnes inimicos ſuos *tam homines quàm Diabolos rebelles, in iudicio extremo* ſub pedibus eius. Nouiſſimè autem inimica deſtruetur mors. *Ita enim Io. in Apoc.* mors vltra non erit. *reſurrectione facta, & ſtatu immortalitatis præſtito Tertul autem vult, iam inde, de morte triumphaſſe. quaſi vltimo hoſte proprio, & eam morte ſua proſtraſſe, & in curru triumphali Crucis victam traduxiſſe. Aug. ſer. 161. de temp.* videamus quid ſit quod ait mortem in victoria eſſe conſumptam: conſumpta eſt planè mors in victoria ſua, dum Chriſtum inferni legibus ſubiiciens, ipſa ſe cum eum vincit, obtruit. In eo enim in quo illum, quem ſe ſuperaſſe credebat, poſſedit, ab eo victa eſt, cum reſurrexit. *Et ſer. 162.* dicitur mors prima, dicitur & ſecunda. Porrò primæ mortis duæ ſunt partes; vna qua peccatrix anima per culpam diſceſſit à Creatore ſuo. Altera, qua iudicante Deo excluſa eſt, per pœnã de corpore ſuo. Mors autem ſecunda, ipſa eſt corporis & animæ punitio ſẽpiterna. Vtraq; ergo mors omnẽ hominem tenebat obſtrictum, quia naturæ trãſgreſſio vnumquemque peccatis propagat obnoxium; venit autem Dei filius immortalis & iuſtus, vt moreretur pro nobis; in qua carne, quia nullum potuit habere peccatum, ſine reatu, pertulit peccati ſupplicium. Secundam itaque primæ mortis partem, id eſt ſolius corporis mortem, Dei filius pro nobis accepit, per quam à nobis, & dominationem peccati, & pœnam æternæ punitionis excluſit. Hoc ergo Chriſtus in ſuis fidelibus miſeriter orditer operatur, vt hic eos primo in anima reſuſcitet, donans fidem vt rectè credant; tribuens Charitatem, vt bonis operibus libenter inſiſtant. In nouiſſimo vero die ad hoc eis corpora reſuſcitare dignabitur, vt eis æternam beatitudinem largiatur. Reſuſcitati ergo in anima per fidem, dilectiſſimi fratres, cum iuſtitia viuamus, vt etiam corpore ad æternam lætitiam reſurgamus. Diſcedamus ab operibus malis, quæ mortificant animam, etiam dum viuit corpus, vt in æternis bonis, & anima noſtra meretur eſſe & corpus. *Enar. Pſal. 23.* pauet admirans natura mortalis & quærit: quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens. Quem tu infirmum & oppreſſum putaſti. Dominus potens in bello. Contrecta cicatrices, & ſenties reparatas, *non quod eas non ſeruauerit, ſed reparatas intelligit, quod inſtar radiantium carbunculorum fulgurent, mortalitate reparata per gloriam*, & immmortalitati redditam infirmitatem humanam. perſoluta eſt quæ debebatur terris, *id eſt terrenæ conditioni quam aſſumpſerat, & debito noſtro quod exoluere venerat*, vbi cum morte belligerata eſt clarificatio Domini. CVIVS DEI FILIVM. *Alludit ad verba Luc. 8. vbi dæmon Chriſtum agnouit.* Quid mihi & tibi eſt Ieſu Fili Dei altiſſimi: obſecro te ne me torqueas. *Ex quibus rectè concludit author, dæmonem non agnouiſſe Chriſtum alterius Dei, quàm Creatoris filium, cuius tormenta, abyſſumque timebat. Cum autem Marcion ſuum Deum bonum & lenem, & non vltorem; & tormenta irrogantem agnoſceret, huius plenè filius, Chriſtus non erat. Si enim alter fuiſſet Deus quam Creator, eius certè virtutem per opera ſaltem aliqua ſe manifeſtantem, tanto tempore non ignoraſſet. Creatorem autem certè cognouerat.* SI IGNORAVERAT ALIQVANDO. *id. ſi dæmon in cælo empyreo, ſine, vt loquitur Tertul. poſt Prophetam*, in delitiis paradiſi Dei ſui natus, *Deum ſupra ſe noluit agnoſcere:* TAMEN IAM INTRA AGENTEM. *id. Deum præſentem & operantem in ſublunaribus inuenerat.* QVOD AVTEM DOMINVS,

ceps dæmonum Lucifer inuenerat, scilicet Deum rectorem vniuersi, & suæ superbiæ depressorem, hoc & tota dæmonum familia in hoc ipso mundo cognouerat.

QVO PEREGRINA DIVINITAS. *id. quam Lucifer in cœlo supra se agnoscere noluerat. Locus hic flexuosus est, & plenus ambagibus. Aliter forte quis interpretabitur per peregrinam diuinitatem, nouum Deũ Marcionis, quem cum Lucifer ignorasset in cœlo, debuerat saltem infra cœlum Creatoris agentem cognoscere: & cum Creator hanc diuinitatem, si aliqua fuisset, non potuisset ignorare,* ET SVBSTANTIÆ EIVS, *id. naturæ ab eo creatæ, quales etiam sunt dæmones, natura sua boni, & maxima scientia, eundem Deum peregrinum & nouum cognouissent.* IN TANTVM QVIA NVLLA FVIT. *restat igitur vt dicamus, quod non alium Deum quàm Creatorem: nec alium Iesum, quàm Creatoris filium agnouerint & timuerint dæmones, cum nullus alius fuerit illis ex aliqua operatione cognitus Deus.* NON DEPETVNT, *pro expetunt, &c.* VENIAM ABYSSI. *id. indulgentiam, vt habet textus.* rogabant illum, ne imperaret illis vt in Abyssum irent. *vel per veniam intellige potestatem post ingressum in porcos vt in stagnum profundum se præcipitarent. Quod sequentia verba Tertulliani declarant.* DENIQVE IMPETRAVERVNT. *Ita Textus:* Et permisit illis. INFAMANTES. *Ironicè dictum contra Marcionem, quod filium Dei altissimi, & Authorem tormenti & Abyssi simul dixerant dæmones. Ex potestate quam petit Legio eundi in porcos, duo præclara documenta ex Chrysologo collige. primò, quàm fœtidus sit dæmon ex quo peccauit, qui à monumentis vbi teste Luca cogebat habitare possessum, in porcos, & inde in Abyssum pergit. sic ser. 16. à m.* de monumentis mitti se precatur in porcos nequitia: quia fœtores amittere nescit, sed mutare. Cœnum petunt ruentes cœlo: post æthereas habitationes ambiunt volutabra porcorum. *Et ser. 17. in p.* author mortis, mortis incubat mansiones, & humanæ necis auidus, quos crudelitate sua occidere non potest, viuos gestit feraliter funerare: sæuit, furit, interitus nostri auarus exactor, cui pœna est quod homo nascitur, quod tardius moritur, cruciatur, &c. & ad verum- A que peruersus, ingerit sepulchris viuos, mortuis apponit cibos, mera fundit, *alludit ad veterum circa mortuos epulas*, vt & viuos enecet, & mortuos inquietet. *Et eod. ser. in fine* habitacula fœtida & immunda perquirit, sordibus delectatur & cœno, qui vtique semper fœtore criminum & squallore pascitur vitiorum. sed sic est odor eius tartareus & crudelis, vt eum nec porcorum natura sufficeret sustinere. Denique demergi in mari, & fluctibus maluit deperire, quàm eius immunditiam pati, & putredinem tolerare. *Secundum documentum idem profert Chrysol. habetur ser. 16. à m. vbi & infirmitatem dæmonum probat, & omnimodam eorum sine nutu, aut jussu Dei nocendi hominibus impotentiam arguit. vbi agit secundum Matth. cap. 8.* Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, &c. *Sic igitur:* Grex in gregem mittitur, vt prodatur dæmonum multitudo: vt appareat hoc duos portasse homines, quod numerositas non valuit sufferre porcorum, &c. Vt tali facto innotescat, quomodo in homines sæuiunt, quomodo quærunt mortes hominum, qui sic porcos vt perderent, quæsierunt, &c. Dæmones nisi victi non cedunt, lædere non valent nisi jussi. traditur ergo vile pecus, vt luceat, dæmonibus, in homines nil licere, quibus in porcos jussum est, vt liceret. *Et ser. 17. à m. præcipue de legione apud Lucam hic missa in porcos.* ad vnũ legio. Euidens est desidia militis, si deserat aciem, si gressum retrahat, si confligere pertimescat, vbi vnum numeroso hoste fortiorem peruidet esse captiuum. ad præsentiam Regis isti quid sunt, qui vt vnum, & necdum tyronem caperent, toto cohortis suæ agmine conuenerunt? Vbi essent, si vexillum iam crucis ibi, si Christi signa vidissent? age Christiane, incede securus. Quid possunt præsumere dæmones, qui nec porcos quidem contingere præualent, nisi eos potestas diuina permiserit? miser est qui relicto Iudice frustra carnificis requirit fauorem: qui nec vexare, nec parcere, nec minuere potest tormenta, nec addere: sed facit totum addictus ipse verbero, ad jus & arbitrium iudicantis.

CHRISTI VIRTVTES.

CHRISTI INNOCENTIA.

1. *Christus solus, vt Deus solus absque peccato est. De An. cap. 41. à m.*

Io. 8. 46. 1. Pet. 2. 22 SOlus Deus sine peccato, & solus homo sine peccato Christus, quia & Deus Christus.

CHRISTI INNOCENTIA. I. SCHOLIA.

VIde iam dicta de innocentia Christi. quibus hæc breuiter altero, *ex D. Aug. in Psal. 50.* Definita est sententia, in Adam, inquit, *Apostolus Rom. 5.* D omnes peccauerunt, solus esse innocens infans potuit, qui de opere in Adam non est natus.

2. *Et de præscript. cap. 3. à p.*

1. Reg. 9. 24. a Act 13. 22 Psal 88. 21. 2 Reg. 13. 14. 3. Reg. 11. 4 ET hoc mirum (opinor) vt probatus aliqui retro, postea excidat? Saül bonus præ cæteris, liuore postea euertitur. Dauid vir bonus [a] *secundum cor Domini*; postea cædis & stupri reus est. Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio seruabatur sine delicto permanere.

CHRISTI INNOCENTIA. II. SCHOLIA.

ET HOC MIRVM. *Hoc loco agit de scandalo, quod pusilli quidam accipiebant de lapsu quorumdam in hæresim, qui firmi in fide apparebant: Et dicit non esse mirum, quia non rarum, quod* PROBATVS E ALIQVI RETRO, *id. antea quis probus, à fide vel moribus bonis* EXCIDAT. *Et profert ex ipsa Saulis, Dauidis & Salomonis. de Saule, Scriptura 1. Reg. 9.* Saül electus & bonus, & non erat vir de filiis Israël

melior illo. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* pulchrior illo. 70. Bonus ſuper eum. *adeo vt & ſpiritu Prophetiæ ſit donatus. Sed lapſus in Dauidem, inobedientiæ in Deum, homicidio in ſeipſum à primæ ſuæ bonitate defecit. Dauid, quàm bonus, vt de eo dicat Act. 13. Paulus* ſuſcitauit illis Dauid Regem: cui teſtimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. *Quæſitus hoc teſtimonium, & in nulla verſione integrum reperi: ſed eum Paulus in lege & Scriptura verſatiſſimus ex pluribus locis contexuit. 1. Reg. 13. Samuel increpans inobedientiam Saül, cui Deus amoto à Regno ſuo filius erat Dauidem: ſic ait:* quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, vt eſſet dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſeruaueris quæ præcepit Dominus. *Sanct. Pagn. ex Heb.* Secundum cor ſuum. *Ita & 70. & rurſum Pſal.* 88. Inueni Dauid ſeruum meum. STVPRI REVS. *Tertul. hic tangit lapſum Dauidis in homicidium & adulterium. Stuprum autem tàm hic, quàm de exhort. caſt. pro quolibet peccato carnis cum muliere, latè ſumit.* Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam ſtuprauit eam in corde *Sic & Modeſtinus l. 101. ff. de verb. ſignif. notat legem Iuliam de Adulteriis, verbo ſtupri, indiffe'enter vti. Stuprum in genere eſt cœtus lege prohibitus, pudorem corrumpens. Et duplex eſt: alter cum nupta, quem dicimus adulterium: vel cum cognata, vel ſacris virginibus; alter cum qualibet perſona, cui vir infertur, etiamſi ancilla ſit.* Inter ſtuprum & Adulterium hoc intereſſe quidam putant, alt Modeſtinus, quod adulterium in nuptam, ſtuprum in viduam committitur; Sed lex Iulia de adult hoc verbo indifferenter vtitur. *l. 104. de verb. ſign. l. 6. ff. de Adult. l. 41. ff. de rit. nupt. Denique ſtuprum cum quali muliere perpetratur, quæ nec vxor, nec concubina eſt. l. 3. ff. de Concub. l. Stuprum 34. ff. de Adult.* REVS EST. *Notum eſt crimen Dauidis duplex, Adulterium enim cum Berſabee Vriæ homicidio cumulauit. Sed duplicem hunc reatum, ad terrorem noſtrum & exemplum, Auguſtino teſte, Deus ſcriptum relinqui voluit. Ita homilia 21.* Cuius peccatum cum dolore quidem dicimus & tremore, ſed tamen Deus noluit taceri, quod voluit ſcribi, &c. homicidium auxit adulterio, & poſt factum hoc, miſſus eſt ad eum Nathan Propheta à Domino, qui eum argueret de tanto commiſſo. Quid caueant homines, diximus: quod vero ſi lapſi fuerint, imitentur, audiamus. multi enim cadere volunt cum Dauid, & nolunt ſurgere cum Dauid. non ergo cadendi exemplum propoſitum eſt, ſed ſi ceciderit, reſurgendi. Attende ne cadas. Non ſit delectatio minorum, lapſus maiorum: ſed ſit caſus maiorum, tremor minorum, &c. Audiant qui non ceciderũt, ne cadant: audiant qui ceciderunt, vt ſurgant. Inde anima iniquior, quæ cum propterea fecerit, quia Dauid fecit, ideo peius quàm Dauid fecit. Dicam hoc ipſum planius ſi potuero. Dauid nullum ſibi ita ad exemplum propoſuerat vt tu; ceciderat lapſu cupiditatis, non patrocinio Sanctitatis. *id. non ſibi proponens exemplar Sancti alicuius Patroni lapſi & erecti, cuius patrocinij ſpe fultus laberetur.* Tu tibi tanquam Sanctum proponis vt pecces, non imitaris eius ſanctitatem, ſed ruinam. Hoc amas in Dauid, quod in ſe odit Dauid, &c. Scripturas Dei ad hoc audis, vt facias quod diſplicet Deo. hoc non fecit Dauid, correptus eſt per Prophetam, non lapſus eſt in Propheta &c. SALOMON, *&c. Aug. 17. de Ciuit. c. 8* Pacem habuit ſecundum nomen ſuum, *Salomon quippe pacificus eſt Latinè*, in exordio Regni ſui mirabiliter laudabilis fuit. AD IDOLOLATRIAM, *&c. Aug 14. de Ciuit. c. 11.* Sicut Aaron erranti populo ad Idolum fabricandum non conſenſit inductus, *id eſt pertinaſus & erectus Idolum eſſe Deum colendum.* ſed ceſſit obſtrictus: nec Salomonem credibile eſt errore putaſſe Idolis eſſe ſeruiendum, ſed blanditiis fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum: Ita credendum eſt illum virum vni vnum, hominem homini, coniugem coniugi, ad Dei legem tranſgrediendam, non tanquam verum loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe. Non enim fruſtra dixit Apoſtolus 1. Tim 2. Adam non eſt ſeductus: mulier autem ſeducta eſt: niſi quia illa, quod ei ſerpens locutus eſt, tanquam verum eſſet, accepit: Ille autem ab vnico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati; nec ideo minus reus, ſed ſciens prudenſque peccauit. *Et in Pſal. 126. titulum, qui eſt:* Canticum graduum Salomonis, Salomon erat tempore ſuo filius Dauid, magnus ille, per quem multa ſancta præcepta & ſalubria monita, & diuina ſacramenta Spiritus ſanctus in diuinis literis operatus eſt. Nam & ipſe Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus eſt à Deo, & vſque adeo laqueus illi fuit illa cupiditas, vt à mulieribus etiam Idolis ſacrificare cogeretur, ſicut de illo Scriptura teſtis eſt 3. Reg. 11. *auerterunt mulieres cor eius. Cumque iam eſſet Senex, depranatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos,* &c. quid mirum, quia in populo Dei cecidit Salomon? in paradiſo non cecidit Adam? non cecidit Angelus de cœlo, & diabolus factus eſt? Ideo docemur in nullo hominum ſpem eſſe ponendam. *Et ibidem.* Optimè hoc egit miſericordia Dei & Spiritus eius, vt quidquid per Salomonem dictum eſt, Deo tribueretur, peccatum autem hominis, homini. SOLI DEI FILIO. *hic vnus abſque peccato, Ioan.* 8. Quis ex vobis arguet me de peccato. 1. *Petr.* 2. qui peccatum non fecit, &c. *Hebr.* 4. tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. *Aug. lib. de præeſt. Sanctorum, & in Enchir. c.* 40. ac ſi in naturæ humanæ ſuſceptione fieret quodammodo ipſa gratia illi homini, naturalis, quæ nullum peccatum poſſit admittere. *Et lib. 2. de peccatorum merit.* In cuius non tantum diuinitate, ſed neque anima, neque in carne vllum potuit eſſe peccatum. *Plenus gratia conceptus, perſonaliter vnita diuinitate, viſione beatifica Deo coniunctiſſima anima, quomodo potuiſſet à Deo diuidi, auertique peccato?*

Aug. S. Aug. S. Auguſt. S. Aug. S. Auguſt. S Auguſt.

CHRISTI HVMILITAS.

1. *Chriſtus humilior Ioanne, maior illo in Regno cœlorum. 4. cont. Marc. cap. 18. circa fi.*

PRæcurſore iam functo officio, præparata via Domini, ipſe erat intelligendus, cui præcurſor miniſtrauerat, Majori quidem omnibus natis mulierum, ſed non ideo ſubjecto ei, qui minor fuerit in regno Dei; quaſi alterius ſit Dei regnum, in quo modicus quis major erit Ioanne: alterius Ioannes, qui omnibus natis mulierum major ſit. Siue enim de quocunque dicit modico per humilitatem, ſiue de ſemetipſo, quia minor Ioanne habebatur, omnibus ſcilicet in ſolitudinem concurrentibus ad Ioannem potius quàm ad Chriſtum, [a] Quid [a] Luc. 7. 25

existis videre in solitudinem? tantundem & Creatori competit, & Ioannem ipsius esse maiorem natis mulierum; & Christum vel quemq. modicum, qui maior Ioanne futurus sit in regno æque Creatoris, & qui sit maior tanto Propheta, qui non fuerit scandalizatus in Christum, quòd tunc Ioannem minuit.

CHRISTI HVMILITAS. SCHOLIA.

PRÆCVRSORE IAM FVNCTO, &c. *Locus perplexus. ad cuius intelligentiam primo mentem obscuram authoris aperio. Secundo sensum per hyperbaton implexum, terminorum coherentia euoluo. Prius egerat de legatione Ioannis missa ad Christum, quæ per discipulos quasi dubitans quæsierat Luc. 7.* tu es qui venturus es, an alium expectamus? *Vbi & Tertul. dixerat Ioannem quidem certum esse, nullum alium Deum esse quàm Creatorem, tum quia Iudæus erat, tum quia Propheta Creatoris; sed de Messia dubitabat. Deinde contra Marcionem concludit non esse duos Deos, vel duo regna, aut duos Christos: nec bene hoc inferre Marcionem, tam ex interrogatione Ioannis dicentis,* an alium expectamus? *quàm ex eo quod dixit Christus minorem in regno Dei, maiorem esse Ioanne, quasi aliud esset regnum noui Testamenti ad quod pertineret Christus: aliud veteris, cuius esset Propheta Ioannes. Concludit autem Tertul. & Christum & Ioannem & regnum eiusdem esse Dei Creatoris. Iam contextum verborum sic restituo;* PRÆCVRSORE, *maiori quidem omnibus natis mulierum perfuncto iam officio suo, & via Domini quam præparare venerat, explanata: ipse Christus missus intelligendus erat, cui Ioannes minister præcurrerat, vt Angelus & Propheta maximus à Malachia promissus. Sed licet Ioannes maior quidem inter natos mulierum, à Christo dictus fuerit minor eo, qui minor est in regno cœlorum, siue seipsum intellexerit, minorem existimatum Ioanne, ad quem omnes confluebant, potius quàm ad Christum dicentem,* quid existis in desertum videre? *siue quemuis alium humilitatis merito supra Ioannem eleuatum in regno Dei, non hoc Christus dixit, quasi Ioannes ad Deum Creatorem, & ille modicus & humilis cum regno, ad Deum Marcionis pertineret. Sed perinde hæc omnia Dei sunt Creatoris, & Ioannes, & ille minor, & Christus, & regnum, in quo maior erit Ioanne & beatior, qui in Christo non fuerit scandalizatus.* QVOD TVNC IOANNEM MINVIT. *id. minorem reddidit. Alludit hic author ad Christum dicentem scandalum ad pusillos pertinere.* Qui scandalizauerit vnum ex his pusillis. *De facto supra hoc ipso cap. 18.* Scandalizatur Ioannes auditis virtutibus Christi, vt alterius. At ego rationem scandali prius expediam, quo facilius hæretici scandalum explodam. *Scio ironicè hoc dictum in Marcionem, sed statim post ipse impingit in alium errorem quem suo loco in Alphabeto errorem refutaui. Sic enim ipse* ipso iam Domino virtutum Sermone & Spiritu Patris operante in terris & prædicante, necesse erat portionem Spiritus sancti, quæ ex forma Prophetici moduli in Ioanne egerat præparaturam viarum Dominicarum, abscedere iam à Ioanne, redactam scilicet in domitum, vt in massalem suam summam. Itaque Ioannes communis iam homo, & vnus iam de turba, scandalizabatur quidemquâ homo, sed non quâ alium Christum sperans, vel intelligens. *Iam locum difficilem ex Luca petitum, quem hic tangit Tertullianus explicemus.* Dico vobis, maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista, nemo est. Qui autem minor est in regno Dei, maior est illo. *Luc. 7. nota Hebræorum more viros omnes iustos, & Sanctos solitos vocari Prophetas. Propheta autem, id est sanctus, nullus veteris Testamenti maior Ioanne fuit, qui omnes & Prophetiæ dono, & gratia Spiritus sancti superauit. Ita Sanctus Hilarius, Ambrosius, Hiero. Augustinus. Modicus autem vt ait Tertul. sine vt textus habet:* minor in regno Dei, *id. iuxta Augustinum cont. Aduerf. leg. & Proph. lib. 2. c. 5. Cyril. Hiero in Matth. 11.* minimus Angelus Ioanne maior est. *vel ex eodem Aug. ibidem sic distinguente,* qui minor est, is in regno cœlorum maior est illo. *Vbi per regnum cœlorum intelligitur Ecclesia fidelium quæ tunc incipiebat cum nouo Testamento: in qua Christus tripliciter minor erat Ioanne. Primò ætate, quia iunior ipso erat sex mensibus S. Ioanne. Secundò prædicationis tempore. Tertiò omnium opinione. Miserunt enim ad Ioannem quærentes si Messias esset. Addo & tertiam expositionem, cum ex regula communi Theol. infimum supremi, maius sit supremo infimi, non Ioanne tantum, sed & Christo homine, minor angelus, maior est, & quilibet possessor maximo viatore: sed ad literam minimus filius legis gratiæ, maior insignissimo seruo ancillæ Synagogæ, ad quam adhuc pertinebat Ioannes Inter mille elogia quibus cum cæteris patribus magnitudinem Ioannis extulit. Aug. hoc est quod ser. 2. in eius festo sic breuiter:* dum nemo illo maior inter natos mulierum, datur intelligi, quod Ioannes humanorum fuit mensura meritorum. *Et homil. 44 vbi Christum & Ioann. simul extollit, & vtriusque Testimonium, inducit Christum dicentem Ioannem maiorē omnibus, Ioannem de Christo,* qui venit post me maior me est. *Et sic inter multa:* ambo mirabiliter nati, præco & Iudex, lucerna & dies, vox & verbum, seruus & Dominus. De sterili seruus, de virgine Dominus. Ipse Dominus fecit sibi seruum in vtero sterili, de sene patre, & de anicula matre. Et idem ipse Dominus fecit sibi carnem in vtero virginis, sine homine Patre, qui primum fecit hominem sine patre & matre, &c. Tam magnus visus est Ioannes, vt à nonnullis etiam Christus putaretur: nec in superbia alienum secutus est errorem, nec ausus est dicere, sum quod putatis: sed quod bonum erat ei, se agnouit, vt ad pedes Domini, & ad corrigiam calceamenti seruus humiliaretur, ne vento superbiæ elatus, lucerna extingueretur. *Et ser. 13. in eundem* illum commendare maluit, & se humiliare, quam pro illo accipi & à se decipi. *Quod si tantus fuit Ioannes merito humilitatis, quanto maior eo Christus virtute exinanitionis.*

CHRISTI SEVERITAS IN DÆMONEM.

1 *Christus dæmonem laudantem se increpauit, non quasi mentitum, sed malè adulantem. 4. cont. Marc. cap. 7. in f.*

Luc. 4. 35. ATquin, inquis, increpuit illum Iesus. Planè vt inuidiosum, & in ipsa confessione petulantem, & maleadulantem; quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem

dæmonum veniſſet, & non potius ad hominum ſalutem; qui nec diſcipulos de ſubactione ſpirituum, ſed de candida ſalutis gloriari volebat. Aut cur eum increpuit? Si quaſi mentitum in totum, ergo non fuit Ieſus, nec Dei ſanctus omnino. Si quaſi ex parte mentitum, quod eum Ieſum quidem & ſanctum Dei, ſed Creatoris exiſtimaſſet, iniuſtiſſime increpuit hoc ſentientem, quod ſciebat ſentiendum; & hoc non exiſtimantem, quod ignorabat exiſtimandum, alium Ieſum, & alterius Dei ſanctum. Quod ſi veriſimiliorem ſtatum non habet increpatio, niſi quem nos interpretamur, iam ergo & dæmon nihil mentitus eſt, non ob mendacium increpitus: ipſe enim erat Ieſus, præter quem alium dæmon agnouiſſe non poterat; & Ieſus eum confirmauit, quem agnouerat dæmon, dum non ob mendacium increpat dæmonem.

CHRISTI SEVERITAS. I. SCHOLIA.

A TIQVIN INCREPVIT; *&c. Pro* increpauit. *Sicut infra* increpitus, *pro* increpatus. *Sic vtiuntur hac voce Plautus & Liuius. Hic inducit Marcionem obijcientem ſibi quod Chriſtus arguerit dæmonem dicentem ſe Creatoris abyſſi, & Dei vltoris filium; Sed reſpondet non ideo Chriſtum eum increpaſſe quaſi mentitum, ſed quod petulanter exclamaret, & ex motu primò concepta contra hominem à Chriſto aſſumendum, & genus humanum redimendum, inuidia, eum Ieſum, & Dei filium cum adulatione, non cum ſincera laude agnoſceret; vel etiam quod inuidens homini, proclamaret Chriſtum veniſſe ad tormentum dæmonum, magis quàm ad ſalutem hominum. Non quod verè non venerit ad expoliandum fortem; verè enim dixit Ioannes:* In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli: *Sed præcipua, vel vt cum Auguſtino loquar:* tota cauſa veniendi in hunc mundum filio Dei fuit, peccatores ſaluos facere. *Clamabat igitur dæmon Luc. 4.* quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te quis ſis, Sanctus Dei. Et increpauit illum Ieſus dicens: obmutesce & exi ab eo. *Chryſol. ſer. 15. in m.* Quid nobis & tibi filij Dei, *Agit hic de dæmonibus in ſepulchris habitantibus.* Hoc eſt dicere, vitæ author, quid tibi cum mortuis? habitator cœli, quid tibi cum ſepulchris? odor paradiſi, quid tibi cum fœtore; quid? quod iudici & reo: quod vindici & pœnali: quod regi & deſertori, &c. Quid? vt reddatis homines, mundum reſtituatis Authori: & veniente Creatore, ſciatis vobis in Creaturis amplius nil licere. Quid nobis & tibi? & vobis cum hominibus quid? &c. Iudicem confitentur, clamant iudicium ſe debere *ſubire ſcilicet* & de tempore præſcribunt; authori temporum tempus opponunt. *Dicebant enim*, veniſti ante tempus torquere nos. *Et rurſum* tẽpus abſcindit, præuenit mortẽ, ceperit viuos crudelitas immatura: & de tempore quæritur, quaſi ante tempus habere debuerit; & non vt exorta eſt, mox puniri. De tempore cauſatur nequitia ſæculi induratæ. Malis patientia breuis eſt, bonis tarda vltio. Quod læſis longũ eſt, anguſtum eſt ad lædentes. DE SVBACTIONE. *id. quando diſcipuli de ſubiectione dæmonũ ſibi gratulabantur dicẽtes;* Dominatur etiam dæmonia ſubijcũtur nobis: *Chriſtus in hoc ipſos gaudere non debere docuit, ſed quod* nomina eorum ſcripta eſſent in cœlis, *in albo*, & libro vitæ agni candidi: *cuius ſanguine abluti, & niueo vellere induti, in cœlo*, ſtolis albis amicti, *conſpiciendi erant. Etiam ſimplicitatis veſte candida, ſicut magiſtratum ambientes, & innocentia puri; & humilitate conſpicui eſſe debebant, cum enim Satan quaſi fulgur coruſcare volens, Gemmarium nouem Chororum Angelorum, quorum perfectionem continebat fulgetris; ipſe ictus fulmine per ſuperbiam corruerat: niſi per humilitatem, quam profitebantur candidati ſe omnibus inclinantes, ad cœli gloriam peruenire non poterant. Inde filius ipſe Dei ideo deſcenderat, vita ad viam, vt à via humilitatis, laudem etiam dæmonum, vt hoſtium & aduerſariorum, veriorem & acceptabiliorem refugiens, vt ad vitam glorioſam hac eundum eſſe monſtraret.* SI QVASI MENTITVM. *id. hic te teneo, Marcion. Vel enim Chriſtus dæmonem increpauit, vt omnino mentitum, vel ex parte: ſi omnino, dicendo Chriſtum Sanctum & filium Dei: qualis erit Chriſtus tuus? certè nec ſanctus nec Dei filius Si ex parte, qua ſcilicet, vt putas, filium Creatoris eſſe putabat; Chriſtus tuus iniuſtiſſimus erit, quod arguerit rectè ſentientem eum omnino talem, qualem eſſe ſciebat ex proprij tormenti ſenſu & experientia. Cum igitur Chriſti obiurgatio ſenſum meliorem ſortiri non poſſit quàm noſtrum; reſtat vt hac increpatio facta non fuerit ob mendacium dæmonis Chriſtum Creatoris appellantis: ſi quidem nullum hactenus alium Deum, præter Creatorem agnouerat. Quod & Chriſtus confirmauit, dum eum non propter mendacium, ſed propter inuidiam, petulantiam, alium quam humanæ ſalutis finem exiſtimatum, ſui ſcilicet tormenti, prauam denique adulationem, & non ſinceram laudem, ipſum ſeuerè increpauit. Hinc diſco quam parui pendenda ſit humana laus, quamque procul adulatores ablegandi. Vtinam cum Pſalte dicamus:* qui laudabant me aduerſum me iurabant. *Pſal. 101, Aug.* ore laudabant, corde inſidias præparabant. *Pulchrè Hugo Carenſis in cap. 9. Proverb.* Muſici Diaboli ſunt adulatores. *In caput 6 Proverb.* eſt adulator quaſi Syrena Diaboli trahens in exitium audientes. *Seneca Ep. 59. ſic indè eũ Alexandrum de adul. ſuis loquentem.* Omnes iurant me Iouis eſſe filium; ſed vultus hoc, hominem me eſſe clamat. Idem nos faciamus. Cum pro ſua quemque portione adulatio infatuat, dicamus: vos quidem me dicitis prudentem eſſe; ego autem video, quam multa inutilia concupiſcam. *Narrant de Sigiſmundo Imperatore, qui alapâ d. tà adulatori, quærenti,* quid me cædis? *reſpondit Imperator:* quid me mordes?

A

B

C

D

S. Auguſt.

2. *Chriſtus dæmonia increpabat, quia volebat ab hominibus agnoſci. 4. cont. Marc. cap. 8. in m.*

CEterùm, & à dæmoniis liberare curatio eſt valetudinis. Itaque ſpiritus nequam, quaſi ex forma iam prioris exempli cum teſtimonio excedebant vociferantes, [a] *Tues filius Dei.* Cuius Dei, vel hic pateat. Sed proinde increpabantur, & iubebantur tacere. Proinde enim Chriſtus ab hominibus, non à ſpiritibus immundis, volebat ſe filium Dei agnoſci. Ille Chriſtus duntaxat, cui hoc congruebat: quia præmiſerat per quos poſſet agnoſci, & vtique digniores prædicatores. Illius erat præconium immundi ſpiritus recipere, cui ſancti abun-

[a] Luc 4. 41.

dabant. Porrò, qui nunquam fuerat annuntiatus, si tamen volebat agnosci, (frustra autem venerat, si nolebat) non esset aspernatus, testimonium alienæ & cuiuscunque substantiæ, qui propriæ non habebat, qui in aliena descenderat. Iam nunc & quà destructor Creatoris, nihil magis gestisset, quàm à spiritibus ipsius agnosci, & diuulgari præ timore, nisi quod Marcion Deum suum timeri negat, defendens bonum non timeri, sed iudicem, apud quem sint materiæ timoris, ira, sæuitia, judicia, vindicta, damnatio. Sed & dæmonia timore vtique cedebant. Ergo timendi Dei filium confitebantur, occasionem habitura non cedendi, si non timendi. Et ille iussu & increpitu ea expellens, non suasu quà bonus, timendum se exhibebat. Aut nunquid ideo increpabat, quia timebatur nolens timeri? Et quomodo ea volebat excedere, quod nisi timore non facerent? Cecidit ergo in necessitatem, quà disparem se naturæ suæ ageret: cum posset, vt bonus semel eis parcere. Cecidit & in aliam prævaricationis notam, quum se à dæmoniis quasi filium Creatoris sustineret timeri, vt iam **propria potestate expelleret dæmonia, sed per Creatoris auctoritatem**

CHRISTI SEVERITAS. II. SCHOLIA.

CVRATIO EST, &c. *Duo hic conficit: primo possessionem dæmonum, speciem esse infirmitatis corporeæ, vnde & in Euang.* Spiritus infirmitatis *dicitur. Secundò Christum curantem corpora, ex quibus dæmonia pellit, probare se ex rerum corporearum curâ filium esse curatoris corporum.* PRIORIS EXEMPLI. *Quia scilicet prius hoc eodem 4. cap. Luca dæmon vnus dixerat* scio te quis sis, Sanctus Dei. *Sic paulò post:* exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei. VEL HIC PAREAT, *id. appareat, & luceat, ex tormento, Christum fuisse Creatoris, & non alterius Dei filium.* PROINDE INCREPABATVR, *id. similiter vt increpauerat primum, sic istos seuerè arguit, Luc. 4.* Increpans non sinebat ea loqui: quia sciebant ipsum esse Christum. *dat rationem Tertul. silentii impositi; quia scilicet vt nõ venerat Christus pro salute dæmonum, sed hominum: sic non à dæmonibus, sed hominibus volebat agnosci & laudari. Is inquam Christus Creatoris & non alius, qui ante se* PRÆDICATORES. *id. Prophetas miserat sui notitiam hominibus præparantes. Ille ille prorsus laudes immundorum spirituum spernere debuerat,* CVI SANCTI ABVNDABANT. *id. Sancti Angeli, quorum tot habebat legiones,* qui facit Angelos suos spiritus: *de quibus Iob*: vbi eras quando me laudabant astra maturina, & iubilarent filij Dei: *id. Angelici spiritus.* NVNQVAM ANNVNTIATVS. *id. prædictus per Prophetas suos* TESTIMONIVM ALIENÆ SVBSTANTIÆ. *id. si Christus Marcionis cognosci voluisset, non debebat occludere os dæmonibus, quorum substantias Creator condiderat: testimonium enim vt domestici suspectum est, extranei sic, & multo magis adnersarij probatum est, & acceptabile.* QVI PROPRIÆ NON HABEBAT. *Nec enim Christus Marcionis, aut Deus eius aliquam creauit substantiam, qui & in mundum Creatoris descenderat.* GESTISSET. *Nil auidius appetisset.* PRÆ TIMORE. *id. quam vt tremebundi dæmones Creatoris, ipsius potentiam manifestarent.* SI NON TIMENDI. *Supple occasionem, & materiam dæmonia non habuissent,* CREDENDI, *exeundi ex corporibus.* QVA BONVS. *id. in quantum bonus & lenis, & Dei tantummodo mansueti, & non etiam vltoris filius, simpliciter & familiter suadendo, & non seuerè increpando dæmones expulisset.* NOLENS TIMERI. *Fortè dicet Marcion, ideo Christum acriter insurrexisse, quod se timerent dæmones, cum nollet ipse timeri. Sed constat, solo timore eiectos, & proinde voluisse timeri, quia eos volebat expelli.* IN NECESSITATEM. *O Marcion, ad quas Christum tuum redigis angustias? vt Christus sibi & naturæ suæ dissimilis agat, & iram & indignationem induat naturæ suæ contrariam, cum posset simpliciter & benigne eis indulgere, vt in corporibus ab aduersario Deo conditis, ad eius iniuriam permanere.* NOTAM. *Iterum in reatum nouum tuum impellis, dum patitur se timeri quasi filium Creatoris, cuius authoritate mendicata & assumpto terrore, non sua expellat authoritate. Hic breuiter quæro, cum hoc ipso capite Luc. 4. tentator dubius Christo dixerit, si filius es, &c. Quomodo primò dæmonium immundum tum dæmonia multa dicant se scire. Audierat testimonium Patris,* hic est filius meus *in baptismo, Prophetas sciebat, miracula videbat: animas sibi eripi per fidem in Christum sentiebat. Credebat, non fide supernaturali quam amiserat, sed experientia ereptorum sibi captiuorum, & tormentorum suorum. Sic Greg. lib. 33. Mor. cap. 7. quod autem Paulus. 1. Cor. 2.* quem nemo Principum huius sæculi cognouit: *sic exponendum est, vt cum D. Thom. in eundem locum dicamus hoc verum esse de quibuscunque principibus huius sæculi:* sæculares enim principes hanc sapientiam non cognouerunt: quia excedit rationem humani regiminis. Philosophi eam non cognouerunt, quia excedit rationem humanam. Dæmones etiam eam non cognoscunt, quia excedit omnem creatam sapientiam. Vnde dicitur Iob 28. volucres cœli quoque latet, perditio & mors dixerunt: auribus nostris audiuimus famam eius. *Et rursum ibid.* sciebant quidem principes Iudæorum, cum esse qui promissus erat in lege, non tamen mysterium eius, quod filius Dei erat, &c. Nec pro certo sciebant eum esse verum filium Dei, sed aliqualiter coniecturabant, Sed hæc coniecturalis cognitio obscurabatur in eis, & ex inuidia, & ex cupiditate propriæ gloriæ, quam per excellentiam Christi minui videbant. *Subiicit & de dæmonibus Christum scientibus Marc. 1. & Luc. 4. & ne quis imputet iactationi dæmonum dicentium se scire quod nesciebant, notat & Christum apud Lucem dixisse:* increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum; *& apud Matth. idem habetur, respondet,* quod dæmonia sciebant ipsum esse, qui per legem fuit repromissus, quia omnia signa in eo, quæ dixerunt Prophetæ: mysterium autem diuinitatis eius ignorabant. *Et tandem concludit cum Chrysost. & Aug. eos non habuisse firmam & certam notitiam aduentus filij Dei, sed tantum quasdam coniecturas. Hæc ex D. Tho. præcitato loco. Addam & dæmones firmiter asseuerâsse Christum esse filium Dei, non quod id firmiter crederent, sed vt astuta serpenti nequitia blandientes, & adulatione gratulantes, rigorem suum quo torquebantur, relaxaret, & eos in corporibus possessis relinqueret, Augustinus lib. 9. de ciuit. c. 21. pulcherrimè* ipsi dæmones, etiam hoc ita fatentur *capite præcedenti agebat de vi humilitatis Verbi in forma serui quam sentiebant dæmones* vt eidem Domino infirmitate carnis induto, dixerint, quid nobis & tibi Iesu

Aug.

Iesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos? clarum est in his verbis, quod in eis & tanta scientia erat & Charitas non erat. Pœnam quippe suam formidabant ab illo, non in illo iustitiam diligebant; tantum vero eis innotuit, quantum voluit tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed sic innotuit, non sicut Angelis Sanctis, qui eius secundum quod Dei Verbum est participata æternitate perfruuntur; sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrannica quodammodo potestate fuerat liberaturus prædestinatos in regnum suum, & gloriam semper veracem & veraciter sempiternam. Innotuit ergo dæmonibus, non per id quod A est vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios; cui videndo per fidem, quæ in illo est, corda mundantur: sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissimæ signa præsentiæ, quæ Angelicis sensibus etiam malignorum spirituum, potius quàm infirmitati hominum possent esse conspicua. Denique quando ea paululum supprimenda iudicauit, & aliquanto altius latuit, dubitabit de illo dæmonum princeps, eumque tentauit an Christus esset, explorans, quantum se tentari ipse permisit, vt hominem quem gerebat ad nostræ imitationis temperaret exemplum.

CHRISTI LENITAS ET MISERICORDIA IN PECCATORES.

1. *Christi lenitas maior Apostolicâ. de pudic. cap. 21. à p.*

ET mortuos suscitauerunt, quod Deus solus; & debiles redintegrauerunt, quod nemo nisi Christus: immo & plagas inflixerunt, quod noluit Christus. Non enim decebat eum sæuire, qui pati venerat. Percussus est Ananias & Elimas; Ananias morte, Elimas cæcitate, vt hoc ipso probaretur Christum, & hæc facere potuisse. Act. 5. 5. Act. 13. 11.

CHRISTI LENITAS. I. SCHOLIA.

ET MORTVOS SVSCITAVERVNT. *Bene hercle toto hoc lib. de pudicitia*, cuius errores in Alphabeto finali excussimus, *nimiam in recipiendis peccatoribus indulgentiam taxat, vtpote quæ frequenter, ad impunè peccandum laxet habenas: sed erroneus est, quin & hæreticus, quod negat Ecclesiæ potestatem esse concessam, relapsos in quod libet crimen, ad pœnitentiam recipiendi, & frustra hîc & alibi seueritatem Apostolicam in peccatores obiicit, propriamque Christo Domino omnimodam lenitatem, & in quosuis peccatores indulgentiam exhibitam. Hîc vt & alibi quoad liuerit, ex corrupta intentione Authoris post defectum eius à fide Ecclesiæ, saniorem sensum eliciam. Et hoc loco Christi pra cunctis mansuetudinem: vtpote qui,* vnctus oleo, præ participibus, *agnus Dei, columba & amoris Spiritu coronatus, sine felle fueris. Aug. ser. 174. de temp. ex Apoc. 5.* vicit leo de tribu Iuda: ipse leo dictus est, ipse agnus occisus est. Leo propter fortitudinem, agnus propter innocentiam. Leo, quia inuictus; agnus, quia mansuetus. Et ipse agnus occisus, morte sua vicit Leonem: qui circuit quærens quem deuoret, &c. Contra leonem leo, contra lupum agnus, &c. *Et ser. 47 de ver. Do. sec. Io. vbi de tĕtata eius mansuetudine in mulliere adultera deprehensa.* Intendant qui amant in Domino mansuetudinem, & timeant veritatem. Etenim dulcis & rectus Dominus. Amas quòd dulcis est, time quòd rectus est Psal. 24. tanquam mansuetus dixit Esa 42. tacui: *quasi Agnus coram tondente se obmutuit*, sed tanquam iustus, nunquid semper tacebo? misericors & miserator Dominus: ita planè. Adhuc adde, B longanimis. Adde adhuc, & multum misericors: sed time quod est in nouissimo, & verax. Quod enim modo sustinet peccantes, iudicaturus est contemnentes. An diuitias longanimitatis eius contemnis? ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? &c. QVOD DEVS SOLVS. *Apostoli enim non sua, sed diuina potentia mortuos excitauerunt.* NISI CHRISTVS. *Cuius in nomine, & accepto mandato.* Infirmos curauerunt. PLAGAS INFLIXERVNT, *id est punitiones subitas, quibus Petrus quidem Ananium proprietarium fraudulentum, & mendacem cum vxore, morte, Act. 5. & Paulus Elymam magum, Sergium Paulum proconsulem, auertentem à fide, cæcitate, percussit. Actor. 13. potuisset & hac vti seueritate Christus, sed vt benè hîc notauit Tertullianus*: non decebat eum sæuire, qui venerat pati: REDINTEGRAVERVNT, *propriè loquitur & scripturæ & iuris more. Nam Actor 3. Petrus de Claudo gressui restituto.* In fide nominis eius, hunc quem vos vidistis & nostis, confirmauit nomen eius: & fides quæ per eum est, dedit, INTEGRAM sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. *In iure autem*, redintegrari *matrimonium dicitur, quotiens post repudium missum, iterum reconsiliati conueniunt coniuges: l. 23. & vlt. ff. rer. amot. l. 64. ff. de iur. dot. dos item* redintegratur *l. 6. ff. de iur. dot. item stipulatio l. 10. ff. quod met. causa. Idem & dicitur de legato, locatione, obligatione, actione extincta.* Redintegrari *vires Testamenti dicuntur, quod antea ruptum fuisse constitit. l. 36. § vlt. ff. de militari Test. vt proprie dixeris author ab Apostolo*, debiles redintegratos.

Tert.

Aug.

C

D

2. * *Christi Pastoris boni & nam ouem baiulantis imagine in calicibus antiquis. de pudic. cap. 7. in p.*

A Parabolis licebit incipias, vbi est ouis perdita à Domino requisita, & humeris eius reuecta. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucerit interpretatio pecudis illius, vtrumne Christiano an ethnico peccatori de restitutione conliniet. Præscribimus enim ex naturâ, disciplina, ex lege auris & linguæ, ex mentis sanitate ea semper respõderi, quæ propotantur, (id est, ad ea quæ prouocant.) Prouocabat, vt opinior, quod Pharisæi publicanos & peccatores ethnicos admittentem Dominum, & cum illis de victu communicantẽ indignati murmurabant. Ad hoc Dominus, pecudis perditæ restitutionem cui alij configurassi credendum est, quàm ethnico perdito, de quo agebatur; non de Christiano, qui adhuc Luc. 15. 4.

nemo? aut quale eſt, vt Dominus quaſi cauillator reſponſionis, omiſſa ſpecie præſenti quam repercutere deberet, de futura laboret? Sed ouis proprie Chriſtianus, & grex Domini Eccleſiæ populus, & paſtor bonus Chriſtus, & ideo Chriſtianus in oue intelligendus, qui ab Eccleſiæ grege errauerit. Ergo nihil ad Phariſæorum muſſitationem reſpondiſſe vis Dominum, ſed ad tuam præſumptionem. Et tamen ita eam vindicare debebis, vt neges in ethnicum competere, quæ in Chriſtianum exiſtimas conuenire. Dic mihi, nonne omne hominum genus vnus Dei grex eſt? Nonne vniuerſarum gentium idem Deus & Dominus & paſtor eſt? Quis magis perit à Deo, quàm ethnicus quamdiu errat? Quis magis requiritur à Deo quam ethnicus, quando reuocatur à Chriſto? Denique, antecedit hic ordo in ethnicis. Siquidem non aliter Chriſtiani ex ethnicis fiunt, niſi prius perditi, & à Deo requiſiti, & à Chriſto reportati. Ita etiam hunc ordinem ſeruari oportet, vt in eos tale aliquid interpretemur, in quibus prius eſt. At tu, opinor, hoc velles, vt ouem non de grege perditam faceret, ſed de arca vel de armario. Sic, etſi ethnicorum reliquum numerum iuſtum ait, non ideo Chriſtianos eſſe oſtendit cum Iudæis agens, & illos cum maxime obtundens, quod indignarentur ſpei ethnicorum: ſed vt exprimeret aduerſus liuorem Phariſæorum ſuam gratiam & beneuolentiam etiam circa vnum ethnicum, præpoſuit vnius peccatoris ſalutem ex pœnitentia, quam illorum ex iuſtitia. Aut nunquid non iuſti Iudæi, & quibus pœnitentia, opus non eſſet, habentes gubernacula diſciplinæ & timoris inſtrumenta Legem & Prophetas? Potuit igitur illos in parabola, & ſi non quales erant, ſed quales eſſe debuerant, quò magis ſuffunderentur, aliis & non ſibi pœnitentiam audientes neceſſariam.

CHRISTI LENITAS. II. SCHOLIA.

A PARABOLIS, &c. *Hunc quoque locum, corrupto ſenſu in ſuum deflexit errorem, vt Chriſtianis aditum pœnitentiæ clauderet relapſis in peccatum. Verum quidem eſt lapſum, tanto graviorem eſſe, quo ex altiori ruit Chriſtianus, quam ethnicus, & enormioris ingratitudinis reum, qui pluribus donatus eſt gratiis, & deterius profundiuſque peccare, qui poſt maius lumen fidei acceptum, ſe principi mancipat tenebrarum. Plus demum fateor exigendum ab eo, qui plus acceperit, ſed deſperandus nemo, nemo item de miſericordia præſumens faciendus eſt ſecurus. Auguſt. ſer. 47. de Ver. Do. ſec. Io.* Ex vtroque homines periclitantur, ſperando, & deſperando contrariis rebus. Sperando decipitur qui dicit bonus eſt Deus, miſericors eſt Deus, faciam quod mihi placet quodlibet; laxabo habenas cupiditatibus meis, &c. Quare hoc? quia miſericors eſt Deus, manſuetus eſt Deus; ſpe iſti periclitantur. Deſperatione autem, qui cum inciderint in grauia peccata, putantes ſibi iam non poſſe ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſeipſos, iam damnati ſumus, quare non quod volumus facimus? animo gladiatorum, ferro deſtinatorum, &c. Inter ſpem & deſperationem æſtuat anima. Metuendum eſt ne te occidat ſpes, & cum multum ſperas de miſericordia, incidas in iudicium. Metuendum eſt rurſus, ne te occidat deſperatio. Et cum putas tam non tibi ignoſci quæ grauia commiſiſti, non agas pœnitentiam, & incurras iudicem Sapientiam quæ dicit Prou. 1. Et ego veſtræ perditioni ſuperridebo. Quid ergo egit Deus cum periclitantibus vtroque morbo? illis qui ſpe periclitantur, hoc edicit Eccle. 5. ne tardes conuerti ad eum, neque differas de die in diem. Subito enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Illis qui deſperatione periclitantur, quid dicitur? Ezech. 18. in quacumque die iniquus conuerſus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiſcar, &c. *Vt ad Tertullianum redeam. Micum eſt quomodo cum adhuc fidelis & Catholicus hanc ouis & drachmæ parabolam lib. de pœnit. cap. 8. & de patientia c. 12. & 4 cont. Marc. c. 32. pœnitentiæ Chriſtianorum à Chriſto requiſitorum applicaſſet, ſicut & poſt eum Cyprianus Ep. 47. & 51. Ambroſius lib. de pœnit. c. 4. & pro cæteris Dion. Areop. Ep. 8. ad Demophilum, iam poſt defectum ad Nouatianos, eam nulli alteri quàm ethnico velit applicari.* CONLINIET. *id. gratulabitur, & luiter blandietur.* PRÆSCRIBIMVS. *Aliquando ſumit præſcriptionem pro exceptione, vel poſſeſſione præſcripti temporis. Hic pro definitione. Statuimus, inquit, ex communi & ſano ſenſu, vſu & modo audiendi & loquendi, Chriſtum reſpondiſſe per hanc parabolam, his, in quibus ab aduerſariis Phariſæis directè prouocabatur: at Phariſæi non de Chriſtianis peccatoribus, qui nulli adhuc erant, ſed de publicanis & ethnicis, cum quibus conuerſabatur Chriſtus, murmurabant: ergo vt reſponderet ad rem, in oue perdita, non Chriſtianum, ſed ethnicum intellexit.* SED OVIS. *Obiicit ſibi: dices ouem Chriſti, propriè eſſe Chriſtianum.* ERGO NIHIL, &c. *Chriſtus igitur non occurrit murmuri Phariſæorum, nec eis ſatisfecit, ſed tibi ſic parabolam de Chriſtiano interpretanti.* QVIS MAGIS PERIT. *Id eſt, maximè ethnicus per ouem errantem intelligendus eſt, quia longè à Deo paſtore omnium, & Chriſto remotior eſt infidelis, quàm Chriſtianus, qui non fide iam, ſed ſola charitate à Deo receſſit. Inde & Auguſtinus,* qui credit accedit, qui negat recedit. *Inde eſt quod dicis ouem non de loco proximo & domeſtico, velut* arca vel armario, *ſed de deſerto longè aberrantem quæri.* SIC ETSI ETHNICORVM, &c. *Præuenit obiectionem ſibi faciendam, id non poſſe congruere vni ethnico erranti, cum 99. in parabola Luc. 15. de eodem grege iuſti dicantur. Reſpondet enim per has 99. oues iuſtos Chriſtum noluiſſe intelligi Chriſtianos nondum exiſtentes, ſed iudæos ſibi de iuſtitia gratulantes, in quos maximè retundendos hanc induxit parabolam, vt eorum liuorem reprimeret, quo ſpei veniæ & indulgentiæ ethnicorum inuidebant.* AVT HVNQVID, &c. *Nonne, inquit, claret quod periuſtos non indigentes pœnitentia, Iudæos intellexit, qui licet tales non eſſent, acceperant tamen legem & prophetas, tanquam inſtrumenta, quibus poſſent freno timoris & gubernaculo, in via iuſtitiæ ambulare? quâ vtique parabola, ſuperbus Phariſæos pudore ſuffundebat, ethnicos dicens egere pœnitentia, qua Phariſæi, qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur exteros, ſe non indigere putabant. Bene quidem & ſubtiliter licet ſingulari ſenſu, niſi iam peruerſus, hac ſua expoſitione Chriſtianum relapſum excludens à pœnitentia, eam ſoli ethnico aperiret. Auguſt. lib. 2. 99. Euangeliorum cap. 32.*

S. Aug.

Aug. Salem infatuatum apoſtatam dixit ouem perditam omnes peccatores dixit, qui per pœnitentiam reconciliantur Deo, quam humeris ſuis portat, quia humiliando ſe tales erexit. Ideo autem illas nonaginta nouem dixit, quas reliquit in deſerto, quia ſuperbos ſignificat, tanquam ſolitudinem gerentes in animo, dum ſolos ſe videri volunt, quibus ad perfectionem vnitas deeſt. Cum enim quiſque à vera vnitate diuellitur, ſuperbiâ diuellitur: ſuæ quippe poteſtatis eſſe cupiens, non ſequitur vnum, quod Deus eſt; ideoque & in 99. ouibus, & nouem drachmis, ponit eorum ſignificationem, qui de ſe præſumentes, peccatoribus ad ſalutem redeuntibus ſe præponunt: vnum enim deeſt ad nouem vt decem ſint & ad 99. vt centum ſint. Et ſi per cæteros numeros hoc conſideres, hoc euenit. Nam & nongentis nonaginta nouem, vnum deeſt, vt mille ſint: & ad nouem millia nongentos nonaginta nouem, vnum deeſt vt decem millia ſint. Variari ergò per breuitatem & magnitudinem numeri poſſunt, quibus vnum deeſt vt perficiantur. Ipſum verò vnum ſine varietate in ſe manens, cum acceſſerit, perficit, cui deputat omnes per pœnitentiam reconciliatos, quæ humilitate obtinetur. *Nullum ergo peccatorem humilem, vnus ſine peccato Chriſtus ad ſe accedentem reiicit pœnitentem, qui quærit errantem ouem, modo deinceps cauere velit ab errore. Sic paſtor de monte Oliueti ad vnam deſcendit adulteram quæ aberrauerat: non ethnica vtique, ſed Hebræa, qua Iudici ex lege lapidãda à ſuperbis teſtibus ſiſtebatur.* De qua ſic Aug. in fi. ſer. 47. de Ver. Do. ſec. Ioannem.

Aug. Nec ego te condemnabo, ſed facta ſecura de præterito, caue futura. deleui quod commiſiſti, obſerua quod præcepi, vt inuenias quod promiſi. *Non* A *afficior corruptos mores plerumque Chriſtianorum, bis iam alienato ab Eccleſia monuiſſe Tertulliano, quod ine in Euchariſtico, ſiue in Agapum conuiuio, calicibus vitreis tunc de more vſitatis, paſtoris boni, ouem humeris baiulantis imaginem pictam habentes, ebrietati, & cæ cæ cæ

notat, hominem malæ voluntatis infamat: Cæterum peccatrix fit bona, fit Sancta, fit Innocens cum tetigerit veniæ largitorem, *& ſer. 168. à p.* recipit peccatores Deus, peccatores eſſe non ſinit, quos recipit: peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccatores Sanctificat, cum propinquat. INAVGVRANTI, *id. præuenienti Chriſti ſepulturam, & iam ſe huic obſequio conſecranti Ita enim Chriſtus de ſecunda vnctione:* ad ſepeliendum me fecit. *Licet Matheus ap. 26. nomen Magdalenæ hoc loco non proferat, ſed ſimpliciter dicat*, cum Ieſus eſſet in Bethania, in domo Simonis leproſi acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. *Indignatis diſcipulis, Chriſtus eius cauſam ſuſcipiens, ſubtexit:* mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit: *tranſlat. Syr.* tanquam ad ſepeliendum me. *Ioan. 12. vbi eadem narratur hiſtoria expreſſe nominatur, & murmur Diſcipulorum de vnguenti factura ſoli Iudæ traditori imputatur, & pedes vnctos dixit: & concludit:* dixit ergo Ieſus: ſinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud. *Quod fecit proximum diem ſepulturæ præueniens, nam vt ait Ioannes hoc factum eſt cum* Ieſus ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam. *Fortè & ex reuelatione, vel ſpiritu prophetico, id prædixit: vnde & tunc proprie Tertul. dixit:* INAVGVRAVIT. *Et quid vetat cum Aug. dicere, quod de eadem Magdalena, ſorore Lazari, vt patet, & Sancta peccatrice, credente Chriſtum horulanum, & dicente*, Domine ſi tu
S. Auguſt. ſuſtuliſti eum, &c. *Dum in horto ſepultum, vngendum quærebat:* Sancta & ſimplex fœmina deuotione mentis, propherat & neſcit. *Aug. lib. 2 de Conſenſu Euang. c. 79. vnam eandemque Mariam Magdalenam aſſerit quæ & Luc 7. peccatrix, lotrix, vnctrixque Domini fuerit, & quæ ſoror Lazari in continuo rurſum in Bethania Dominum vnxit.* PROSTITVTÆ. *Hic ſummum errorem aperit, de quo in Alphabeto diximus ſub finem operis, quo polygamiam ſtupro, & proſtitutioni adſcribit. Neque enim eam Chriſtus de quinque Matrimonijs arguit, ſed de fornicatione cum homine ſexto. Ioan. 4.* Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir, *ſed ſcortator.* QVIS ESSET OSTENDIT. *Magna vtique Chriſti lenitas & dignatio, vt quod latuit Angelos, Patriarchas, Myſterium abſconditum à ſæculis vni peccatrici reuelauerit ſe Meſſiam, Filium Dei, veram adorationem Patris, in ſpiritu & veritate, vt intelligeret per Filium intellectum genitum illuminato vera Dei cognitione, & Spiritu cor inclinante vera fiat adoratio Patris. Vbi & vides myſterium Trinitatis & Incarnationis huic mulieri à Chriſto declaratum, Aquam gratiæ, cuncta denique arcana quæ videre poteſ S. Auguſt. apud Aug. Ioan. 4. & lib. 83. quæſt. quæſtione 64. in*

A *tantam Chriſtus eam promouit ſanctitatem, vt ex Euro. in Martyrol. Iuxta Menologium Græcum, & vetus Martyrol. Montis Caſſini, feſtum eius agatur die 20. Martij & filiorum eius. vocabatur ipſa Photina, filij autem Ioſeph & Victor. Caput eius ſeruatur, & videtur Romæ apud ſanctum Paulum in Monaſterio Monachorum Caſſinenſium. Supereſt vt breuiter & de Magdalena, & Samaritana ſecundum Auguſtinum loquar. Sic ergo de Magdalena in Pſal. 66.* Confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum. quem fructum? Confiteantur tibi populi omnes. terra erat, ſpinis plena erat acceſſit eradicãtis manus, acceſſit vocatio Majeſtatis eius, & miſericordia cœpit terra confiteri, iam dat terra fructum ſuum: daret fructum ſuum niſi ante compluereture, niſi ante miſericordia Dei veniret deſuper? Legant mihi, inquis, quod compluta dederit ter- Aug.
B ra fructum ſuum. Audi compluentem Dominum Math 4. agite pœnitentiam, appropinquabit enim Regnum cœlorum, pluit, & ipſa pluuia tonitruus eſt, terret. time tonantem, & excipe pluentem. *Fulgura enim in pluuiam fecit.* Ecce poſt illam vocem tonantis & pluentis Dei, poſt illam vocem aliquid de ipſo Euangelio audiamus. Ecce illa meretrix malam famam habens in Ciuitate, irrupit in alienam domum, quò non erat inuitata ab hoſpite, ſed ab inuitato vocata, non linguâ ſed gratiâ. Nouerat ægra habere ibi ſe locum, vbi medicum ſuum diſcumbere ſciebat. Ingreſſa eſt quæ erat peccatrix, non audet accedere niſi ad pedes, flet ad pedes, irrigat lacrymis, tergit crinibus, vngit vnguento. quid miraris? terra dedit fructum ſuum. Ergo hoc factum ibi pluente Domino per os ſuum. *Chryſol.*
C *ſer. 93. à p.* Immutatur ordo rerum. pluuiam terræ cœlum dat ſemper, ecce nunc rigat terra cœlum, imo ſuper cœlos, & vſque ad ipſum Dominum imber humanarum profluit lacrymarum, &c. In peccatricis caput purgandis criminibus refluebat vnda, vt ſuo fonte mulier, in nouum baptiſma ſuarum diluceret illuuiem peccatorum. *De Samaritana autem Aug. lib. 83. qq. quæſt. 64.* Sitiebat Dominus mulieris illius fidem. quæ quoniam Samaritana Aug.
D erat, & ſolet Samaria Idololatriæ imaginem ſuſtinere, Ipſi enim ſeparati à populo Iudæorum, ſimulacris mutorum animalium, id eſt vaccis aureis animarum ſuarum decus addixerant; venerat autem Dominus noſter Ieſus, vt gentium multitudinem quæ ſimulacris ſeruiebat, ad munimentum fidei Chriſtianæ, & incorruptæ religionis adduceret, non enim eſt, inquit, Math. 9 opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus: eorum ergo fidem ſitit, pro quibus ſanguinem fudit. *In Magdalena igitur populus Iudæus, in Samaritana, Gentilis, lenem & miſericordem Medicum inuenit.*

4. *Chriſtus iuxta Prophetam, & Deum Creatorem, delicti remiſſor 4. cont. Marc. cap. 10. à p.*

PAriter & dimiſſorem delictorum Chriſtum recognoſce apud eundem Prophetam, [a] *Quoniam*, inquit, *in plurimis dimittet delicta eorum. &*, *Delicta noſtra ipſe auferet.* Nam & in priore, ex ipſius Domini perſona, [b] *Etſi fuerint delicta veſtra tanquam roſeum, velut niuem exalbabo; & ſi tanquam coccinum, velut lanam exalbabo.* In roſeo ſanguinem oſtendens Prophetarum; in coccino Domini, vt clatiorem. Etiam Micheas de venia delictorum, [c] *Quis Deus quemadmodum tu? eximens iniquitates, & prætereins iniuſtitias reſiduis hereditatis tuæ. Non tenuit in teſtimonium iram ſuam, quia voluit miſericordiam. Auertet, & miſerebitur noſtri. Demerget*
Ionæ 3. 10. *delicta noſtra, & demerget in profundã maris peccata noſtra.* Sed etſi nihil tale in Chriſtum fuiſſet prædicatum, haberem hujus benignitatis exemplum in Creatore, promittentia mihi & in filio patris adfectus. Video Niniuitas ſcelerum veniam conſecutos à Creatore, ne dixerim tunc quoque à Chriſto, quia à primordio egit in patris nomine. Lego & Nathan prophetam agnoſcenti Dauid delictum ſuum in Vriam, dixiſſe, [d] *Et Dominus circumduxit delictum tuum, &*

a Eſa. 55. 12
b Eſa. 1. 18.
c Mich. 7. 18.
d 2 Reg. 12. 14. 3. Reg. 21. 28.

non moriere. Proinde & Achab regem, maritum Iezabel, reum idololatriæ & sanguinis Nabuthæ, veniam meruisse, pœnitentiæ nomine: Ionatham filium Saulis, relignati jeiunij culpam deprecatione delesse. Quid de ipso populo retexam, totiens delictorum indulgentia restituto? ab eo scilicet Deo, qui [e] *mauult misericordiam quam sacrificium*, [f] *& peccatoris pœnitentiam quàm mortem*. Prius est igitur, neges creatorem indulsisse aliquando delicta; consequens, vt ostendas nec in Christum suum tale quid eum prædicasse: & ita probabis nouam istam Christi noui scilicet benignitatem, si probaueris, nec parem Creatori, nec prædicatam à creatore. Sed & peccata dimittere, an ejus possit esse qui negetur tenere; & an ejus sit absoluere, cujus non sit etiam damnare; &, an congruat eum ignoscere, in quem nihil si admissum; alibi jam congressi maluimus admonere, quàm retractare.

1. Reg. 14. 45.
e Oseæ 6. 6.
f Ezec. 33. 11.

CHRISTI LENITAS. IV. SCHOLIA.

DIMISSOREM DELICTORVM, *&c Frustra Tertul. hæc fusè contra Marcionem, totum vetus Testamentum cum eius Authore Creatore reprobantem torqueret, nisi ex tot Prophetarum locis, conuinceret, & ipsum Creatorem, mitem & misericordem in peccatores, & eius filium esse Christum, qui iam in lege & Prophetis, affectu Patris misericordiarum induebat, & sic eius imaginẽ esse & lineamenta portare, delicta remittendo monstraret, & Prophetias implendo, vnum esse Deum & Christum veteris & nouæ legis institutorem conuinceret.* APVD EVNDEM PROPHETAM. *id. Esaiam præcitatum.* IN PLVRIMIS DIMITTET. *sic Esa. 53.* pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. 70. *sic legunt* ipse peccata multorum tulit, & propter iniquitates eorum traditus est. *Et eodem cap. supra, pro quod vulgata legit* verè languores nostros ipse tulit, &c. 70. ille peccata nostra portat, & pro nobis dolet. ET IN PROPHETA. *id. primo capite Esa. Deus ipse loquitur:* si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. *Ita & Sanct. Pagn. ex Hebr. Vatablus autem sic,* si peccata vestra fuerint vt coccus, minùs reddentur albiora, si rubuerint instar purpuræ, sicut matina lana fient. *Et in Schol.* Si tam conspicua fuerint, quam notæ coccineæ in veste candida, aut quamuis anima vestra candorem suum mutauerit præ peccatis, protinus illa candorem suum pristinum recipiet. 70. Si fuerint peccata vestra quasi Phœniceum. *Phœniceum vocat, quod Tyrij & Phœnices optimi essent tinctores & purpurarij.* IN ROSEO SANGVINEM, *& his coloribus pingit Deus & pungit acriter peccata Iudæorum, qui manus habebant tinctas sanguine Prophetarum, quorum filij & Christi sanguinem futuri erant: vnde paulo, supra,* manus vestræ sanguine plenæ sunt. *Et Christus* vt veniat super vos omnis sanguis qui effusus est, à sanguine Abel iusti, &c. *& de suo effundendo:* Implete mensuram Patrum vestrorum. *Hic enim futurus erat impietatis cumulus, vt post membra præcedentia, in caput Prophetarum insurgerent. Sed extincto reseo Prophetarum, & coccineo illustriore, Christi, manus in eodem dealbatæ super niuem erunt. vt nemo desperet, qui hunc cum dolore sanguinem prò se fusum recognosceret.* August. quid peccanti non ignoscitur, si sanguis eius effusus agnoscitur? QVIS DEVS. *Sic Michæa 7 Vulgata* quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet vltra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Reuertetur & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & proiicies in profundum maris omnia peccata nostra. *Sanct. Pagn. ex Hebr. paucula hæc immutat* transiens super prævaricationem reliquiæ hæreditatis suæ, &c. Subiiciet iniquitates nostras,

A &c. *vel sub pedibus suis, vt pertransiens non aduertat vt recordetur: vel sub nostris, vt conculcemus & detestemur depositum omnis peccati. Vatabl.* qui tollis iniquitatem & scelus transis reliquiis hæreditati suæ; non retinet iram suam perpetuo, &c subiget iniquitates nostras, &c. 70. Quis Deus sicut tu, auferens iniquitates & transcendens impietates, his qui reliqui sunt de hæreditate sua; & non tenuit in testimonium iram suam: *id est, vt testetur se parcturum, & se eleuari per misericordiam, supra justitiam, non conseruabit in corde iram suam,* quia cupidus miser cordiæ est, &c. demerget peccata nostra, & proiicietur in profundum maris omnia peccata nostra. PRÆDICATVM. *id. ex vsu Tertul. præditum & Prophetatum.* PATRIS AFFECTVS. *pro affectus, id. viscera misericordiæ erga peccatores, alludit ad verba Christi, iuxta quæ cœpit ipse facere & docere se dignum tali Patre filium probans:* Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est VIDEO NINIVITAS, *&c. Ionæ 3.* Cœpit Ionas introire in Ciuitatem itinere diei vnius: *erat autem ciuitas magna Ninive itinere trium dierum*, & clamauit & dixit: adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur. *Ita & legitur in Hebr. sed* 70. adhuc tres dies, &c. *Tum Rex cum omnibus subditis & pecoribus ieiunio, cinere & sacco pœnitentiam egerunt. Subdit textus,* vidit Deus opera eorum quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. *Ita & 70. Sanct. Pagn. ex Hebr.* Et pœnituit Deum mali quod locutus fuerat, &c. *Vatabl.* Deus quoque pœnitentiâ ductus est super malo, quod illis inferre decreuerat, & non intulit. *Vbi per malitiam, malum pœnæ & euersionis intelligendum est Aug.* 16. *de Ciuit. c.* 3 Ninus Beli filius conditor Niniue Ciuitatis magnæ, cuius Ciuitatis nomen ex illius nomine derivatum est, vt à Nino Ninive vocaretur. *Idem Augustinus discrepantiam versionum in numero dierum euertendæ Ninive sic conciliat* 18. *de Ciuit. cap.* 44. Si tertio die fuerat futurus interitus, non vtique quadragesimo die: si autem quadragesimo, non vtique tertio. Si ergo à me quæritur quid horum Ionas dixerit, hoc puto potius, quod legitur in Hebræo, quadraginta dies, &c. Septuaginta quippè longè posterius interpretati aliud dicere potuerunt, quod tamen ad rem pertineret, & in vnum eundemque sensum, quamuis sub altera significatione concurreret, admoneretque lectorem, vtraque authoritate non spreta, ab historia sese attollere ad ea requirenda propter quæ significanda historiæ ipsa conscripta est. Gesta sunt quippe illa in Ninive Ciuitate, sed aliquid etiam significauerunt, quod modum illius Ciuitatis excedat: sicut gestum est, quod ipse Propheta in ventre Ceti triduo fuit, & tamen alium significauit, in profundum inferni triduo futurum, qui Dominus est omnium Prophetarum. *Subiecit, Nimuem. Ecclesiam*

B

C

D

S. August.

S. Aug.

Gentium significare per pœnitentiam euersam, siue magis conuersam ad Christum, &c. Deinde adiicit tanquam lectorem nihil aliud quàm historiæ rerum
S. Aug. gestarum inhærere cupientem, de somno excitauerint 70. Interpretes idemque Prophetæ, ad perscrutandam altitudinem prophetiæ, & quodammodo dixerint: in quadraginta diebus ipsum quæ-
re, in quo & triduum poteris inuenire: illud in Ascensione, hoc in eius resurrectione reperies. *Quasi diceret idem ipse Christus vtroque numero figuratur euersor mortis, & peccati mundi, siue in triduo, quo iacuit in tumulo, vt Ecclesiam magnam Gentium, prostratam per pœnitentiam, excitaret ad Iustitiam: & per quadraginta dies loquens ante Ascensionem, de Regno suo ædificando ex Gentibus per baptismum consepultis in se, Apostolos erudiret. Hiero. in hunc locum nullam penitus, litterarum, syllabarum, accentuum in Hebræo, tam diuersi numeri communitatem aduertens, id factum* B *iudicat errore primæ translationis facta ex exemplari bibliothecæ Ptolemæi Philadelphi. Inde etiam Aquila Symmachus, Theodotion, & Chrysostomus hunc locum Ionæ 3. cum Hebræo legunt. dicam ego & in quadragenario numero, ieiunio consecrato, pœnitentiam: & in triduo tres pœnitentiæ partes consonare. Sed quomodo impleta est euersio Niniue prophetata? Pulchrè Aug. in Psal. 50. vbi & simul breuiter tangit, quod hic Tertul. de Nathan perstringit:* Ecce enim veritatem dilexisti, &c. id impunita peccata eorum etiam quibus ignoS. Aug. scis, non reliquisti. veritatem dilexisti; sic misericordiam prærogasti, vt seruares & veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti: Ita seruatur misericordia & veritas. Misericordia, quia homo liberatur: veritas, quia peccatum punitur. Incerta & occulta, &c. quæ occulta? quæ incerta? C quia Deus ignoscit & talibus; nihil tam occultum, nihil tam incertum. ad hoc incertum Niniuitæ pœnitentiam egerunt: dixerunt enim, quamuis post minas Prophetæ, quamuis post illam vocem, triduo, & Niniue euerteretur: dixerunt apud se petendam esse misericordiam. dixerunt ita apud se disceptantes; quis nouit si Deus flectat in melius sententiam suam, & misereatur? Incertum erat, cum dicitur, quis nouit? de incerto pœnitentiam egerũt, certam misericordiam meruerunt, &c. pepercit Deus, stetit Niniue. An euersa est Niniue? aliter quidem videtur hominibus, & aliter visum est Deo. Ego autem puto impletum fuisse quod Propheta prædixerat. Respice quæ fuit Niniue, & vide quia euersa est, euersa in malo, ædificata in bono: sicut D euersus Saulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator. Quis non diceret Ciuitatem istam in qua nunc sumus, fœliciter euersam, si omnes illi insani, nugis suis desertis ad Ecclesiam compuncto corde concurrerent, Dei misericordiam de suis factis præteritis inuocarent? Nonne diceremus, vbi est illa Carthago? quia non est quod erat, euersa est: sed si est quod non erat, ædificata est. Ita dicitur Ierem. 1. Ecce dabo tibi eradicare, suffodere, euertere, dispergere, & rursus ædificare & plantare. Inde est vox illa Domini Deut 32. Ego percutiam & ego sanabo percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt hoc Medici, secant, percutiunt, & sanant, armant se vt feriant, ferrum gestant, & pugnare veniunt Sed quia peccata magna A erant Niniuitarum, dixerunt, quis nouit? hoc incertum patefecerat Deus seruo suo Dauid: cum enim dixisset, stante & arguente se Propheta 2. Reg. 12. peccaui: statim audiuit à Propheta, id est à Spiritu Dei qui erat in Propheta, dimissum est tibi peccatum tuum. *Vulgata sic* Dominus transtulit peccatum tuum: non morieris. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Etiam Dominus transire fecit peccatum tuũ, *&c. Ita & Vatabl. & 70.* PROINDE ET ACHAB. *3. Reg. 21.* Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius. *Ita & alia versiones, ex Hebr. Sanct. Pagn. & Vatabl. 70.* Vidisti quemadmodum compunctus est Achab à facie mea, &c. NABVTHÆ. *sic 70. Vulgata & Hebræa* Naboth. RESIGNATI IEIVNII. *id. soluti contra præceptum Saulis qui indixerat Ieiunium, & velut sigillum ori omnium imposuerat, sicut sigillum suum Alexander labiis Ephestionis impresserat, vt eum obligaret ad secretum. 1 Reg. 15.* Ionathas non audierat cũ adiuraret Pater populum: Extenditque summitatem virgæ quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius. *Sic malè aperti oculi eius, vt primis parentibus pst esum ligni vetiti, & monente aliquo de Saulis lege, contempsit: Cumque dederetur morti a Patre nolente parcere*, dixit populus ad Saül, ergone Ionathas morietur: qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est: viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberauit ergo populus Ionatham. EGIT IN PATRIS NOMINE. *Frequenter author noster dixit Dei filium patribus apparuisse, & negotia patris cum hominibus conuersando tractasse.* MAVVLT MISERICORDIAM. *Iam supra retulimus hinc locum Osee 6. quo & Christus vtitur in Euangelio.* PECCATORIS POENITENTIAM. *Ita Ezech. 33.* viuo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. 70. Non volo mortem impij, sicut conuerti impium à via sua, & ipsum viuere. QVI NEGETVR TENERE. *id. retinere peccata, & ea punire qui negat, negat quoque eundem posse dimittere. Paris siquidem potestatis est, vtrumlibet posse, & absoluere, & condemnare. Nescio autem quomodo conueniat Deo Marcionis, peccata dimittere, in quem nullum peccatum admitti potest. Cum enim peccatum sit præuaricatio legis, veteris autem legis author non sit, nec omnino constet vbi & quando nouam ediderit, contra ipsum peccari non potest.* ALIBI COMGRESSI. *1. cont. Marc. cap. 26. & seq. vbi hæc concludit,* quomodo videbitur delicta dimittere, qui non videbitur retinere? quia retineret, si iudicaret. Si absolutio mortis est, *id est resurrectio*, quomodo absolueret à morte, qui non deuinxit ad mortem? deuinxisset enim *pro autem* si non ab initio damnasset? *Etrursum*, quis mihi delicta dimittet, qui ea non iudicando, non retinet? an qui si non dimiserit, retinebit vt iudicet? *& iterum 2. cap.* 28. remissio & retentio delicti iudicem Deum sapiunt. *Quod Marcion de Deo suo tantummodo bono non vult admittere.* RETRACTARE, *id. iterum tractare.*

5. Et ibidem circa fin.

DIxi sufficere potuisse de nominatione prophetica, circa filium hominis. Sed plus mihi scriptura confert, ipsius scilicet Domini interpretatione. Nam cum Iudæi solummodo
Luc. 5. 24. hominem eius intuentes, necdum & Deum certi, quã Dei quoque filium, merito retractarent non posse hominem delicta dimittere, sed Deum solum, cur non secundùm intentio-

nem eorum de homine eis respondebit, Habere eum potestatem dimittendi delicta, quando & filium hominis nominans, hominem nominaret? nisi quia ideo ipsa voluit eos appellatione filij hominis ex instrumento Danielis repercutere, vt ostenderet Deum & hominem qui delicta dimitteret: illum scilicet solum filium hominis apud Danielis prophetiam, consecutum judicandi potestatem, ac per eam vtique & dimittendi delicta. qui enim judicat, & absoluit. vt scandalo isto discusso per scripturæ recordationem facilius eum agnoscerent, ipsum esse filium hominis, ex ipsa peccatorum remissione. Dan. 7. 13. 14.

Vide Verbum. Dei misericordia.

CHRISTI LENITAS. V. SCHOLIA

NOMINATIONE PROPHETICA. *Danielem intelligit, vbi cap. 7.* Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit & in conspectu eius obtulerunt eũ. Et dedit ei potestatem & regnum: & omnes populi, & tribus & linguæ ipsi seruient. *Ita & omnes versiones. Quod Tertul. apertissimè profert vt probet Christum, filium esse antiqui dierum, veteris Testamenti & Prophetarum Dei, & iudicis, qui possit aquè peccata retinere & condemnare, sicut & absoluere: paulò enim supra Daniel:* aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c. *Dixit autem, filium hominis peruenisse ad antiquum dierum & oblatum ei fuisse, non quod decies illa centena millia, Angelorum assistentium, & ministrantium, maiorem accessum ad thronum habuerint quam filius hominis, ad quem Matth. 4.* accesserunt & ministrabant ei. *Sed honoris, & comitatus causa obuiam occurrerunt in cœlum ascendenti, donec peruenisset ad dexteram patris. Sed & teste Ioanne in Apoc 12. statim vt natus est, propter vnionem hypostaticam, qua factus est aequalis Patri, & potestatem hinc iam accepit, vt ait ipse apud Ioannem,* iudicium facere, quia filius hominis est; *de eo inquam sic in sua Apoc.* raptus est ad Deum, & ad thronum eius. HOMINEM EIVS, *id, Iudei speciem solam hominis in Christo cernentes.* ET DEVM CERTI. *Supplè,* esse. QVIA DEI QVOQVE, *&c. id. nondum certi Deum esse Christum, in quantum etiam ignorabant, eum esse Dei filium.* RETRACTARENT, *hic sumit, pro,* dubitarent vel negarent. SECVNDVM INTENTIONEM, *&.. id. cum Iudei purum hominem Christum crederent, respondit eis secundum eorum opinionem, etiam se vt hominem, & vt filium hominis accepisse potestatem, peccata dimittendi, quod ideo dixit:* vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: *vt eos ex propria opinione,* REPERCVTERET: *ex scriptura Prophetica Danielis eos arguens, & conuincens se esse non tantum hominem, sed & hominem Deum, qui vsque ad thronum, & iudiciariam potestatem antiqui dierum peruenisset, qui vt iudex poterat dimittere, & absoluere delicta: vt reuocata in memoriam eorum prophetia, cessarent à scandalo sumpto ex verbis eius, quibus dixerat, filium hominis habere potestatem in terra dimittendi peccata. Sed notatu dignum, quod Agnus ille mirissimus, qui in Apoc. Io.* accepit de manu sedentis in throno librum, *in quo teste Iob* scribit *peccata nostra scilicet & merita,* qui iudicat; *qui & de seipso dixit Io. 5.* A Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: *dum hic viueret, qui venerat innocens, à reis iudicandus, pro reis; professus est quoad vixit:* ego non iudico quemquam. *Adeo vecum Scribæ & Pharisei adduxissent coram eo mulierem deprehẽsam in adulterio, probans se vere vt iudicem posse condemnare, assueta lenitate dixerit:* mulier nemo te condemnauit? &c. Nec ego te condemnabo: vade, & iam amplius noli peccare. *Hunc locum fusè tractat Aug. ser. 47. de Ver. Do. sec. Io. & in Psal 50. vbi inter cetera,* Moyses huiusmodi lapidari iussit, tu de illa quid censes? tanquam bicipiti muscipula tentantes capere sapientiam Dei, vt si iuberet occidi, perderet mansuetudinis famam: si autem iuberet dimitti, incurreret blasphemiam, tanquam reprehensor legis calumniandus. Quid ergo respondit? non ait, occidite? non ait, dimittite; sed ait, qui se scit sine peccato esse, primus in illam lapidem iaciat. Iusta lex quæ iubet adulteram occidi, sed hæc lex iusta ministros habeat innocentes. Attenditis quam adducitis, attendite & qui estis. Illi hoc audito vnus post alterum discesserunt. Remansit adultera, & Dominus, remansit vulnerata & Medicus, remansit magna miseria, & magna misericordia. Adducentes erubuerunt, nec veniam petiuerunt. Adducta confusa est & sanata. Ait illi Dominus, mulier, nemo te condemnauit? &c. Nunquid Christus fecit contra legem suam? neque enim pater eius sine filio dederat legem. Si cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, per ipsum facta sunt, lex sine Verbo Dei quomodo scripta est? non ergo Deus contra legem suam, quia nec Imperator contra leges suas facit, quando confessis dat indulgentiam. Moyses minister legis, Christus promulgator legis. Moyses lapidat vt iudex, Christus indulget vt Rex. Misertus est ergo eius Deus secundùm magnam misericordiam suam, sicut hic rogat, sicut hic petit, sicut exclamat & dolet: quod illi adulteram offerentes, facere noluerunt, vulnera sua ostendente Medico cognouerunt, medicinam à medico non quæsierũt. Ita sunt multi quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis insania. De vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis? Nonne putridum nudum fœtidius & putidius est? confuge ergo ad Medicum, age pœnitentiam, dic, iniquitatem meam ego agnosco & peccatum meum ante me est semper. S. Aug.

Vide verbum, Dei misericordia.

CHRISTI OBEDIENTIA LEGI ET PROPHETIS PRÆSTITA.

1. Christus missus ad vacua legis implenda, aspera explananda, & nationes adoptandas per Spiritum. 5. cont. Marc. cap. 4. à p.

CVI autem rei misit filium suum? [a] *vt eos qui sub lege erant, redimeret:* hoc est, vt efficeret [b] *tortuosa in viam rectam, & aspera in vias lenes,* secundum Esaïam; [c] *vt vetera transirent, & noua orirentur; Lex noua ex Sion, & verbum Domini ex Hierusalem;* [d] *& vt adoptionem filiorum*

a ad Gal. 4. 5.
b Esa. 40. 3.
c Esa. 43. 18. 19.
Esa. 2. 3.
d ad Gal. 4. 5.

e Esa. 11. 10. *f* Esa. 42. 4. *g* ad Gal. 4. 6. *h* Ioel. 2. 28. act. 2. 2.

acciperemus, vtique nationes, quæ filij non eramus [e] *Et ipse enim lux erit nationum*, [f] *& in nomine eius nationes sperabunt.* Itaque, vt certum esset nos filios Dei esse, [g] *misit spiritum suum in corda nostra, clamantem, Abba pater.* [h] *In nouissimis enim*, inquit, *diebus effundam de meo spiritu in omnem carnem.* Cuius gratia, nisi cuius & promissio gratiæ? Quis pater, nisi qui & factor?

CHRISTVS OBEDIENS LEGI. I. SCHOLIA.

CVI AVTEM REI, *&c. id. vt quid misit filium suum Deus Creator, nisi vt omnia per Prophetas in lege veteri predicta implens, se verè eius filium probaret, in omnibus legem eius implens & perficiens, quò eam legem bonam esse ex eius obseruatione, & Prophetias diuinas esse ex earum adimpletione monstraret.* VT EOS. *Sic Paulus ad Gal.* 4. vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. TORTVOSA, *&c Esa.* 40. omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planàs. 70. omnis vallis implebitur, &c. Et erunt omnia praua in directam scilicet viam, & aspera in campos. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* altitudines in planitiem. VT VETERA TRANSIRENT. *Esa.* 43. ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini ecce ego facio noua, & nunc orientur. 70. quæ non orientur. *Apparet contrarietas. Sed subaudiendum est: ex se non orientur, sine secundum naturam, sed per miraculum.* LEX NOVA. Esa. 2. de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. VT ADOPTIONEM, *&c. Paulò supra retulimus ad Gal.* 4. FILII NON ERAMVS. *id. nos cum mundi nationibus. Id. Gentibus, seruiebamus idolorum, non filij Dei. Alludit ad Paulum ad Gal.* 4. *paterno affectu personam Gentilium, quorum erat Apostolus, induentem.* Cum essemus paruuli, sub elementis huius mundi, eramus seruientes. *id. colentes elementa quasi Deos.* LVX NATIONVM. *Esa.* 42. dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. *Et rursum Esa.* 49. ecce dedi te in lucem gentium. NATIONES SPERABVNT. *Esa.* 42. *Vulgata*: legem eius insulæ expectabunt: *Sanct. Pagn. ex Hebr.* insulares. 70. In nomine eius Gentes sperabunt. *Iam idem Propheta cap.* 11. *vbi vulgata* Qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Gentes quærent. 70. Consurgit vt Princeps sit gentium: in ipso gentes sperabunt. MISIT SPIRITVM. *Gal.* 4. quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.

A IN NOVISSIMIS, *&c. Ioëlis.* 2. *Vulgata*, & erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: & Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, &c. *Quem locum adduxit Petrus Actor.* 2. non enim sicut vos æstimatis hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël: & erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo, &c. *Vbi videt, & constat ex toto nouo testamento, Christum & Apostolos frequenter quasi Dei boni, & vtriusque legis authoris scripturas implendo citasse.* CVIVS GRATIA. *id. lex gratia à quo data est, nisi ab eodem Deo, qui in veteri lege, eam promiserat se esse daturum?* QVIS PATER? *&c. id. quem debemus Patrem misericordiæ, in lege gratia agnoscere, nisi quem factorem & Creatorem omnium in veteri lege cognouimus. Reliquum est, vt locum Pauli ad Gal. toto hoc capitulo dispersum colligamus & breuiter explicemus. Aug. lib.* 2. *de Trin. c.* 5. Aug.
B Cum ait, misit Deus filium suum, &c. Satis ostendit eo ipso missum filium, quia factus est ex muliere. Quod ergo de Deo natus est, in hoc mundo erat: quod autem de Maria natus est, in hunc missus aduenit. *Vt eos qui sub lege erat, &c. Aug. libro de gratia noui Testamenti*, legis sacramenta percepit, vt eos qui sub lege erant, redimeret. id. quos lex reos tenebat occidente littera, dum præceptum non implerent antequam viuificaret Spiritus: quia Aug.
C Charitas Dei quæ præceptum implet, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum, &c. Proinde cum dixisset vt eos qui sub lege, &c. Continuo subiunxit; vt adoptionem, &c. Vt videlicet huius gratiam beneficij discerneret, ab illa filij natura, qui missus est filius, non adoptione factus, sed semper genitus filius: vt participata natura filiorum hominum, ad participandam etiam suam naturam adoptaret filios hominum. *Et lib. de correptione & gratia*, misit Spiritum filij sui clamantem Abba Patet, Aug.
D id. nos clamare facientem. De ipso quippe spiritu alio loco dicit Rom. 8. Accepimus spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater. Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit vt clamemus.

2. *Christus caput, & finis legem implens, omnia cum homine, mutans in melius.* 5. *cont. Marc. cap.* 19. *in f.*

a ad Coloss. 2 18. *b* Ibid. 22. *c* Esa. 43. 19. *d* Hier. 4. 4. *e* ad Coloss. 3. 9.

SI autem & aliquos, taxat, qui ex visionibus Angelicis dicebant cibis abstinendum, [a] *ne attigeris, ne gustaueris, volentes in humilitate sensus incedere, non tenentes caput*; non ideo Legem & Moysen pulsat, quasi de angelica superstitione constituerit interdictionem quorundam edulium. Moysen enim à Deo accepisse Legem constat. Denique hanc disciplinam, [b] *Secundùm præcepta*, inquit, *& doctrinam hominum*, deputauit in eos, qui caput non tenerent, id est, ipsum, in quo omnia recensentur, in Christum ad initium reuocata etiam indifferentia escarum. Cætera præceptorum, vt eadem, satis sit iam alibi docuisse quàm à Creatore manarint; qui cùm vetera prædicaret transitura, [c] *noua facturus vniuersa*, mandans etiam, [d] *Nouate vobis nouamen nouum*; iam tunc docebat [e] *deponere veterem hominem, & nouum induere.*

CHRISTVS CAPVT LEGIS QVAM IMPLEVIT. II. SCHOLIA.

SI AVTEM ET ALIQVOS TAXAT. *Hic respondet obiectioni Marcionitarum vetustissimum legem veterem, ex eo quod Paulus taxet quosdam ut visionibus quibusdam commentitiis Angelorum, à cibis aliquibus*

aliquibus ſuperſtitioſè abſtinentes, quod & lex vetus pariter indixerat. Et reſpondet nullam eſſe in vtraque abſtinentia paritatem: à Deo enim Moyſi data eſt lex prohibens eſum quorundam ciborum, quam mutandam in nouam, Chriſto legis capite & fine eam implente, per Prophetas prædixerat: hac autem in quam Paulus inuehitur, ciborum abſtinentia, non à Dei præcepto, ſed à ſuperſtitioſa hominum doctrina procedebat, qui Chriſtum legis caput, & fidem eius non tenebant. Locum Pauli interruptum, & Tertulliani more perſtrictum, integrum repono & explico. Ad Coloſſ. 2. cum dixiſſet. Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum: *Subiecit*: nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbatorum: quæ ſunt vmbra futurorum: corpus autem Chriſti. Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ: & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit incrementum Dei. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mũdi huius, quid adhuc tanquã viuentes in mundo decernitis? ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neq; contrectaueritis: quæ ſunt omnia in interitũ ipſo vſu, ſecundùm præcepta & doctrinas hominum. *D. Tho. in hunc locum dicit mentem Pauli eſſe, impletis omnibus legalibus per Chriſtum, Coloſſenſes accepta fide Chriſti qui legem impleuit vt caput & finis eius, eos ad præcepta cærimonialia legis, nõ obligari, quæ diuidit in quatuor; ſcilicet ſacrificia quæ offerebantur Deo in ouibus, vitulis, &c. In ſacra, vt erant vaſa & ſolemnia tempora; Sacramenta tria circumciſionis, Agni Paſchalis, & conſecrationis Sacerdotum: & obſeruantias, quæ pertinebant ad conuerſationem ſingularem Hebræorum, cuiuſmodi erant, cibi, veſtes, &c. Hic Paulus ciborum meminit, Leuitici 11. Quæ vngulam non diuidebant animalia immunda cenſebantur. In potu, vas ſine operculo immundum erat. Nemo vos iudicet ait Paulus, id. condemnabiles patet, quod vtanimi prohibitis in lege Subiicit & de feſtis, de quibus ſic D. Thomas,* omnia feſta tendunt ad honorem Dei. Impendimus autem Deo honorem, vel propter aliquod æternum; & ſic eſt iuge Sacrificium: vel propter aliquod temporale; & hoc quantum ad totum hominum ſtatum: & ſic ſunt duo, ſcilicet creationis beneficium; & ſic eſt Sabbatum. Exo. 20. memento vt diem Sabbati ſanctifices. Et ratio ponitur ibi, quia ſeptimo die requieuit. Et ratio allegorica eſt, quia ſignificat quietem Chriſti in ſepulchro: & anagonicè quietem animæ in Deo. Item beneficium propagationis & conſeruationis, quod fit per tempus. Et quia Iudæi obſeruabant tempora à Luna; ideo dicit feſtum neomeniæ, id. nouæ Lunæ. Sunt etiam aliæ cauſæ, ſcilicet liberationis ſpecialis, & ſic ſuperadditæ ſunt aliæ ſolemnitates. & ideo dicit, in parte diei feſti, aut neomeniæ, quæ fit quolibet menſe, aut Sabbatorum, pro qualibet ſeptimana. Dicit, Sabbatorum: ob ſeptimum diem, ſeptem ſeptimanas Penteceſtes, ſeptimum menſem, & ſeptimum Annum in quo fit remiſſio debitorum. Item ſeptima ſeptimana Annorum, ſcilicet in Iubilæo. Nullus vos condemnet ſi hæc non ſeruetis, quia ſunt vmbræ futurorum, id eſt Chriſti: & ideo veniente veritate, debet ceſſare vmbra. Corpus autem Criſti, id. corpus pertinet ad Chriſtum. Quando enim quis videt vmbram, ſperat quod corpus ſequatur. Legalia autem vmbra erant præcedentia Chriſtum, & venturum figurabant. Nemo vos ſeducat, &c.

Omniloquium.

A veritate ſcilicet quã dixi ſimulata ſanctitate, quaſi videantur eſſe Angeli & nuntij Dei, vel quod legem veterem velint adhuc coli, quòd ad Galat. 3. tradita ſit per Angelos in manu mediatoris, volens quod non vidit, &c. id non intellexit, vobis perſuadere quia neſciebant, quo fine data lex eſſet. Scilicet ad Chriſtum, & Dei cultum longè ſublimiorem ſignificandum. Fruſtra inflatus, præſumens ſcilicet de vacuis operibus legis, quæ non profunt ad vitam æternam. Non tenens caput, id eſt Chriſtum per fidem, ſine quo non ſubſiſtit corpus Eccleſiæ. Augmentum Dei, quod Deus facit in nobis. Si mortuus eſtis cum Chriſto, id baptizati, iam exẽpti & proinde mortui & ſoluti obligatione legis veteris. Quam vocat elementum. Vt quid decernitis dicentes ne tetigeritis prohibita per legem. Cum hæc mortifera ſint poſt paſſionem Chriſti ponentibus ſpem in eis. Vana item ſunt iſta legalia, quia iam non ex Dei, ſed ex hominum doctrina vana ſuadentur. Et ad meram ſuperſtitionem & fictam humilitatem *Subſtractio item ciborum vt ſubiicit Paulus* non eſt ad parcẽdum corpori, *quod inedia conficiunt per hypochriſim.* Non in honore aliquo ad ſanitatem carnis, *Hebræorum more, honor dicitur, ſubminiſtratio rerum neceſſariarum. Aduerte & Chriſtum Matth. 15. & Marc 7 præceptum de parentibus honorandis explicaſſe, de victu & veſtitu neceſſario, eis à filiis ſubminiſtrando, & vt Paulus 1. Tim. 5.* qui bene præſunt presbyteri duplici honore habeantur. *Ita & Hiero. illi autem ſuperſtitioſi, non habentes in honore aliquo corpus ſuum, illud non ſaturabant, id. ſatis ei, & eius neceſſitati non dabant. Aug. lib. cont. Iud c 2.* S Aug.

Vetera ſacramenta generali vocabulo vmbras futurorum appellat Apoſtolus, quia ea ſignificabant ſuo tempore reuelanda, quæ nos reuelata percipimus, vt remota vmbra, nuda eorum luce, fruemur: de quibus ſigillatim longum eſt diſputare. Quemadmodum exuendo veterem hominem, circũcidimur in expoliatione corporis carnis: & quos cibos vitant in pecoribus, vitamus in moribus, & exhibemus corpora noſtra hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, cui & animas noſtras in deſideriis Sanctis pro ſanguine, intelligenter effundimus, & Chriſti velut agni immaculati ſanguine, ab omni iniquitate mundamur, qui propter ſimilitudinem carnis peccati etiam caprino pecore in veteribus ſacrificiis figuratus eſt. Nec eũ neget in Crucis cornibus tautum, qui in illo cognoſcit maximam victimam. In illo requiem cum inuenimus, verè Sabbatiſamus: & Lunæ nouæ obſeruatio, vitæ nouæ eſt ſanctificatio. Et Paſcha noſtrum Chriſtus eſt, & Azima noſtrum ſinceritas veritatis, fermentum non habẽs vetuſtatis. Et ſi qua alia ſunt in quibus nunc immorari non opus eſt, quæ in illis veteribus adũbrata ſunt ſignis, in iſto habent finem cuius regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem & prophetas, non ſoluere ſed implere. Proinde illa vetera ſigna rerum non euacuauit arguendo, ſed implendo mutauit, vt alia eſſent quæ nuntiarent. *Subiicit ideo in Pſalmorum titulis haberi*, pro his quæ immutabuntur. *Textum vero pſalmorum prædicare Chriſtum.* Quia, inquit, illorum mutatio, per illum futura prædicta eſt, per quem apparet impleta: vt populus Dei qui nunc eſt populus Chriſtianus iam non cogatur obſeruare, quæ Propheticis temporibus obſeruabantur, non quia damnata, ſed quia mutata ſunt: non vt res ipſæ quæ ſignificabantur, perirent, ſed vt rerum ſigna ſuis temporibus conuenirent. *Et hoc voluit Tertullianus. Cuius ſequentia quadam obſcuriora elucido.* NE ALLEGARIS. *Supple dicebant.* PVLSAT. S. Auguſt.

id. arguendo tangit. EDVLIVM. *Pro edulionum.* DEPVTAVIT. *id. imputauit eis.* RECENSENTVR. *alludit ad Paulum Epheſ.* 1. inſtaurare omnia in Chriſto. *Tranſlat. Syr.* Vt omnia denuo renouarentur in Meſchicho *alij legunt*, recapitulare, *quia Chriſtus & finis legis eſt & caput, primus & nouiſſimus. Qui & legem dedit in Sina, & homo factus implenit: in quem vt initium & Principium legis omnia reuocata ſunt, per diſpenſationem à ceremoniis legis, vt ſicut ante legem datam omnia edulia indifferentia erant, ſic impleta lege ſublata ſit mundarum & immundarum eſcarum differentia.* IN CHRISTVM. *id. per Chriſtum.* A CÆTERA PRÆCEPTORVM. *id. reliqua præcepta.* QVAM A CREATORE. *id. quantum.* VETERA PRÆDICARET. *id. prediceret & Prophetaret.* ESA. 43. ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur. NOVATE VOBIS. *Ierem. 4.* nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas. *Deponere ſumit ex præcitata Epiſtola ad Coloſſ 3.* nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, qui renouatur in agnitionem, ſecundùm imaginem eius qui creauit illum.

3. *Chriſtus legem & Prophetas implens, Creatoris eſſe conuincitur. 4. cont. Marc. cap. 6. circa f.*

HInc erit & noſtra præſcriptio, qua defigimus, nihil Chriſto Dei alterius commune eſſe debere cum Creatore. Cæterùm, Creatoris pronuntiandum, ſi adminiſtrauerit diſpoſitiones eius; ſi impleuerit prophetias eius, ſi adiuuerit leges eius, ſi repræſentauerit promiſſiones eius, ſi reſtaurauerit virtutes eius, ſi ſententias reformauerit, ſi mores, ſi proprietates expreſſerit.

CHRISTVS LEGEM IMPLET. III. SCHOLIA.

NOSTRA PRÆSCRIPTIO QVA DEFIGIMVS. *id. vel hinc fixè firmiterque ſtatuimus, Chriſto Marcionis nouo, filio Dei ſui, nihil commune eſſe debere, cum Deo Creatore, cum omnino aduerſi & ſibi contrarij ſint iſti duo dij.* PRONVNTIANDVM. *id. cauſa probè diſcuſſa, ſententia pronuntianda eſt in fauorem Dei Creatoris, & ei Chriſtus ille adiudicandus pro filio, ſi ab eo diſpoſita in veteri lege, & mandata impleuerit, legem, Prophetias, &c.* SI AVIVERIT LEGES: *ſenſu Auguſtini non ſolum actum Mœchia, ſed intuitum adulterum prohibendo: ſicut & ad mammillas cinctus apparuit Apocalypſis Angelus, cum apud Danielem ſit ſolis renibus accinctus: vt ex Patribus, innuat actus carnales expreſſe in veteri, cogitationes autem ex corde exeuntes vbi mammillarum eſt ſedes, in lege noua reſtringendas.* SI REPRÆSENTAVERIT, *&c. id. Dei promiſſa preſens factus homo hominibus exhibuerit.* SI RESTAVRAVERIT VIRTVTES. *Vox Pauli.* Inſtaurare omnia in Chriſto. *id. miracula vetera renouando, mutando elementa, morbos curando, mortuos ſuſcitando.* SENTENTIAS REFORMAVERIT. *Non vult dicere, correxerit, ſed iterum produxerit, vt patet frequenter in Euangelio, & Epiſtolis, vbi Chriſtus & Apoſtoli ſententias veteris Teſtamenti in medium proferunt, & quaſi de nouo formant.* SI MORES, *&c. id. ſi ſe verum Patris & Dei Creatoris filium in morum & proprietatum lineamentis expreſſerit. Impleſſe Chriſtum omnia breuiter dixit Aug. iuxta Paulum 2. Cor. 1.* Quotquot promiſſiones Dei ſunt in illo, &c. *Contra Fauſtum ſic exponit:* in illo eſt: id eſt in illo exhibitæ, in illo adimpletæ ſunt. *Et lib. de agone Chriſtiano*, omnes promiſſiones Dei, in illo eſt. Id eſt in illo firmatæ ſunt; quia in illo impletum eſt, quidquid pro noſtra ſalute Prophetatum eſt.

3. Aug. Aug.

4. *Et 4. cont. Marc. cap. 9. in f.*

ITaque adiecit, [a] *Vt ſit vobis in teſtimonium.* Sine dubio, quo teſtabatur ſe [b] *legem non diſſoluere, ſed adimplere.* quo teſtabatur ſeipſum eſſe, qui morbos & valetudines eorum ſuſceperus adnuntiabatur. Hanc tam congruentem & debitam interpretationem teſtimonij, adulator Chriſti fui Marcion, ſub obtentu manſuetudinis & lenitatis quærit excludere. Nam & bonus, inquit, præterea ſciens omnem qui lepra eſſet liberatus, ſolennia legis executurum, ideo ita præcepit. Quid tum? Perſeuerauitne in bonitate, id eſt, permiſſione legis, an non? Si enim bonus perſeuerauit, nunquam deſtructor erit legis, nec Dei alterius habebitur ceſſante legis deſtructione, per quam alterius Dei vindicatur. Si non perſeuerauit bonus deſtruendo poſtea legem, falſum ergo teſtimonium poſtea collocauit apud illos in curatione leproſi: deſeruit enim bonitatem, dum deſtruit legem. Malus iám, quando legis euerſor: ſi bonus, quum legis indultor. Sed & eo quod indulſit legi obſequium bonam legem confirmauit. Nemo enim malo obſequi patitur. Ergo & ſic malus, ſi obſequium malæ legi indulſit; & ſic deterior, ſi bonæ legis deſtructor aduenit. Proinde ſi vt ſciens omnem qui lepra liberatus eſſet ita facturum, ideo præcepit munus offerre, potuit & non præcepiſſe quod ſciebat vltro futurum. In vanum ergo deſcendit quaſi legem deſtructurus, quum cedit obſecutoribus legis. Atquin quaſi ſciens formam eorum, magis ab ea auertendos præuenire debuerat, ſi in hoc venerat. Cur ego non tacuit, vt homo ſolo ſuo arbitrio legi obediret? tunc enim aliquatenus poſſet videri patientiæ ſuæ præſtitiſſe. Sed adiicit etiam auctoritatem ſuam exaggeratam teſtimonij pondere. Cuius iam teſtimonij, niſi legis aſſertæ? Certè nihil intereſt quomodo firmauerit legem, ſiue quà bonus, ſiue quà ſuperuacuus, ſiue quà patiens, ſiue quà inconſtans, dum te, Marcion, de gradu pellam. Ecce præcepit legem impleri. Quocunque modo præcepit, eodem potuit etiam illam præmiſiſſe ſententiam, [c] *Non veni legem diſſoluere, ſed adimplere.* Quid ergo tibi fuit de Euangelio eraſiſſe quod ſaluum eſt? confeſſus es enim præ bonitate feciſſe illum, quod negas dixiſſe. Conſtat ergo dixiſſe il-

a Luc. 5. 14.
b Matth. 5. 17.
Eſa. 53. 4.
c Matth. 5. 17.

lum, quia & fecit : & te potius vocem Domini de Euangelio erasisse, quàm nostros iecisse.

CHRISTVS LEGEM IMPLET. IV. SCHOLIA.

IN TESTIMONIVM. *Prosequitur argumentum suum de curatione leprosi Luc. 5.* Vade ostende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses *scilicet Leuit. 14.* in Testimonium illis. *Ex quo loco probat Christum testari voluisse Sacerdotibus legis, se & supra eam esse, qui mundare posset à lepra verbo & tactu solo, absque cæremoniis legis: & tamen se non reprobare, vel soluere legem, cuius implendæ gratia leprosum mundatum, ad Sacerdotes mittebat. Pro sacrificio offerendo. Simul & testimonium dabat, se Messiam esse, de quo prædixerat Esaias cap. 43.* Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit; & nos putauimus eum tanquam leprosum & percussum à Deo, & humiliatum. *Et Malach. 4.* orietur timentibus vobis nomen meum Sol Iustitiæ, & sanitas in pennis eius. NAM ET BONVS, *&c. Induxit Marcionem sic prauè explicantem, vt Christus, non tam legem approbans, quam sciens leprosum ei obsecuturum, eum ad Sacerdotes miserit.* QVID ENIM, *vrget respondens Tert. dic mihi Marcion, Christus ne obseruantiam legis permisit leproso ex solita sibi bonitate, an non? si in bonitate perstitit, nec legem voluit violari, non alterius quam Creatoris filius habendus est, cum, ex sola violatione legis, alterius Dei filius haberi posset. Si legem postea transgressus est, mendaciter adiecit quod supra retulit:* vt sit in testimonium illis. MALVS IAM. *Argumentum sumptum ad hominem: bonum enim Marcion dixit Christum, eo quod legem permisit obseruare leproso: ergo malus si eam ipse postea violauit, vel malus fuit si legem malam, permisit obseruari, & peior, si bonam violauit. Nec dicat Marcion Christum permisisse leproso, id facere, ad quod iam ex se determinatus erat; frustra enim præcepit, quod absque nouo præcepto facturus erat. Frustra de cœlo venit in mundum, vt legem everteret, cùm non obstitit legis obseruatoribus.* CERTE, *&c. Parum refert quomodocumque legem Moysi confirmauerit, siue in quantum bonus, siue.* VT SVPERVACVVS, *id. frustra in terras missus, &c.* GRADV PELLAM, *frequens est in hac voce, Metaphora Athletis sumpta, sic alibi dixit gradu expellere, excludere, &c.* DE EVANGELIO ERASISSE. *Frustra erasisti ex Euangelio hæc verba:* non venit legem soluere, sed adimplere. QVOD SALVVM EST. *id. si verba delesti, sensum eorum integrum ac saluum admisisti, dum fateris eum pro bonitate fecisse, mandando leproso legis Mosaicæ obseruantiam cum neget eum dixisse:* non veni legem soluere, &c. CONSTAT ERGO, *&c. Cum plus sit facere quàm dicere; licet concludere hæc dixisse Christum, quæ implenit opere. Nam vt alibi dicitur:* cœpit Iesus A facere & docere. *Aug. modica sententia totum hoc caput complexus est, qua & Christum veram & summam legem, & legis obseruatorem, & ad eius obseruantiam absque dolo & simulatione exhortatorem pulcherrimè dixit; sic ergo in Psal. 18. Vbi vtrãque eius generationem, & veram carnem, & quidquid contra Marcionem cum Tertulliano vrgeri potest.* In sole posuit tabernaculum suum Dominus vt aduersus regna temporalium errorum belligeraret, non pacem, sed gladium missurus in terram, in tempore, vel in manifestatione posuit tanquam militare habitaculum suum, hoc est dispensationem incarnationis suæ. Et ipse tanquam sponsus, &c. Et ipse procedens de vtero virginali, vbi Deus naturæ humanæ, tanquam sponsus sponsæ copulatus est. Exultauit sicut Gygas, &c. Exultauit sicut fortissimus & cæteros B homines incomparabili virtute præcedens, ad habitandum viam, sed ad currendam viam. Non enim in via peccatorum stetit. A summo cœlo, &c. A Patre egressio eius, non temporalis, sed æterna, qua de Patre natus est Et occursus eius, &c. Et occurrit plenitudine diuinitatis, vsque ad æqualitatem Patris. Et non est qui se abscondat, &c. *In secunda eiusdem expositione Psalmi*, misit Spiritum suum, &c. *Rursum in prima expositione*. Lex Domini immaculata, &c. Lex Domini ipse est qui venit legem implere, non soluere. Et immaculata lex, quod peccatũ nõ fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. 1. Petri. 2. non premens animas seruitutis iugo, sed ad se imitandum libertate conuertens. Testimo- C nium Domini fidele, &c. Quia nemo nouit Patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, quæ abscondita sunt à sapientibus & reuelata paruulis, quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Addam & ego non delesum aut sictum, sed simplex & fidele Testimonium quod Christus hic perhibuit legi*, & credibile nimis: *subdit Augustinus*; iustitiæ Domini rectæ, &c. Omnes iustitiæ Domini 3. August. rectæ in illo, qui non docuit, quod ipse non fecit, vt qui imitarentur, corde gauderent in eis, quæ liberè cum charitate facerent, non seruiliter cum timore. Præceptum Domini lucidum, &c. Sine velamento carnalium obseruationum, illuminans D hominis interioris aspectum. *Et quid clarius dici potuit à Christo in commendationem legis, quam non soluebat, sed implere venerat, lepra interna animi mundationem, suo postea sanguine verus Sacerdos & victima præstiturus, quàm præcipiendo mundato leproso vt secundum legem Moysi se sisteret Sacerdoti?*

5. *Et 5. cont. Marc. cap. 17. circa fin.*

SI legem præceptorum sententiis vacuam fecit; adimplendo certe legem, (vacat enim Ephes. 2. 15.
iam, a *Non adulterabis*, quum dicitur, *Nec videbis ad concupiscendum*; vacat *Non occides*, Exo. 20.
quum dicitur, *Nec maledices*;) aduersarium legis de adjutore non potes facere. 13. & seq.
a Matth. 5.
28. & seq.

CHRISTVS LEGEM IMPLET. V. SCHOLIA.

SI LEGEM, *&c. tantum abest vt Christus destructor legis habendus sit, sed magis extructor & adiutor credendus est. Qui enim & oculum arcet & prohibet ab aspectu adultero, longius remouet ab adulterio: & qui nec proximum permittit ledi verbo aspero, procul manum remouit ab homicidio. Hoc sensu dixit* LEGEM Omniloquium. E PRÆCEPTORVM SENTENTIIS VACVAM *fecisse Christum, quod singula iam decalogi sententiæ vacent, & quasi libera immunes & secura ferientur, nihil sibi timentes à violatione. Quam cautus ergo & delicatus obseruator legis Christus, cui sic conseruanda prouidit, sicut qui muro Ciuitatis inuiolabiliter conseruando,*

vallum & aggerem munitiſſimum ameponit. Quo & ſenſu de eo Propheta Eſa. 26. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in eà murus & antemurale. *Auguſtinus ad mentem Tertulliani Manichæos eodem modo circa legem vacerem errantes arguit, ſicut Tertull.* S. Auguſt. *Marcionitas lib. 17. cont. Fauſtum Manich. c. 5.* ille verax & veritas, non potuit de alia lege, & de aliis Prophetis dicere, quod eos non ſolueret, niſi de iis, quos illi eum ſoluere ſuſpicabantur. quod hinc etiam ſatis confirmatur, quia ibi ſequitur, & dicit; quicumque ſoluerit vnum ex mandatis iſtis minimis, &c. Phariſæos enim cogitabat, cum iſta diceret: qui ſoluebant legem factis, & docebant verbis, de quibus alio loco dicit *Matth. 23.* quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. Propterea, & hic *Matth. 5.* ita ſequitur: dico enim vobis, niſi abundauerit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum, &c. id. niſi vos feceritis, & ita docueritis, quod illi non faciunt, & ſic docent, non intrabitis in Regnum cœlorum. Quam ergo legem docebant Phariſæi, & non faciebant, ipſam dicit Chriſtus non ſe veniſſe ſoluere, ſed adimplere, quia ipſa pertinet ad Cathedram Moyſi, in qua ſedentes Phariſæi, & dicentes nec facientes, audiendi ſunt, non imitandi. Nec intelligit Fauſtus, aut fortè ſe fingit non intelligere, quid ſit implere legem, cum hoc de verborum adiectione putat accipiendum, quia ſcriptum eſt, ne quid addatur Scripturæ Dei, vel detrahatur: vnde dicit non debuiſſe adimpleri, quod ita perfectum commendatur, vt nihil addendum minuendumque ſit. Neſciunt ergo iſti, quomodo adimpleat legem, qui ſic vivit, vt lex præcipit. Plenitudo enim legis Charitas: ſicut dicit Apoſtolus Rom. 13 iſtam charitatem Dominus & exhibere & donare dignatus eſt, mittendo fidelibus ſuis Spiritum ſanctum, &c Impletur ergo lex, vel cum fiunt, quæ ibi præcepta ſunt, vel cum exhibentur quæ ibi prophetata ſunt. Lex enim per Moyſen data eſt; gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Ipſa lex cum impleta eſt, gratia & veritas facta eſt. Gratia pertinet ad Charitatis plenitudinem, veritas ad Propheiarum A impletionem. Et quia vtrumque per Chriſtum, ideo non venit ſoluere legem, aut Propheras, ſed adimplere: non vt legi adderentur quæ deerant: ſed vt fierent quæ ſcripta erant: quod ipſa eius verba teſtantur. Non enim ait, iota vnum, aut vnus apex non tranſiet à lege, donec addantur quæ deſunt: ſed donec omnia fiant. *Et rurſum lib. 19. cont. Fauſtum pene per totum, maximè à cap. 21. vſque ad finem probat per omnes Scripturas veteris Teſtamenti, & exempla Iuſtorum primorum temporum, Euangelium nihil addidiſſe veteri Teſtamento, ſed omnia etiam perfectain eo contenta fuiſſe, ſed ſine gratia Dei impleri non potuiſſe. Inter cætera autem c. 1p. 21.* An forte lex non Auguſt. mœchandi apud illos juſtos antiquos ſemiplena erat, donec à Domino adimpleretur addente, ne quis ad concupiſcendum videat mulierem, &c. Itane vero illi juſti Seth vel Enoch, vel ſi qui eis ſimiles fuerunt, mœchabantur in cordibus ſuis, aut B non erat cor eorum templum Dei, aut mœchabantur in templo Dei? quod ſi non audes dicere, quomodo etiam de hac re legem illorum, quæ apud illos jam tunc plena erat, modo veniens Chriſtus impleuit? *preſſius ad mentem Tertulliani hîc dicentis* CHRISTVM ADIVTORBM LEGIS, *idem Auguſtinus legem gratiæ aliis comparat, quibus non onerantur aues ſed adiuuantur ſer. 24. de verb. Apoſtoli. Vbi de jugo Chriſti & lege charitatis portanda.* Hæc ſarcina Auguſt. non eſt pondus onerati, ſed alæ volaturi. Habent enim & aues pennarum ſuarum ſarcinas. Et quid dicimus? portant illas, & portantur: portant illas in terra, portantur ab illis in cœlo, &c. porta pennas pacis, alas accipe charitatis. Hæc eſt ſarcina ſic adimplebitur lex Chriſti. *Sic adiuuat adimplendum præceptum non mœchandi, non occidendi, qui jubet nos eſſe columbæ ſimiles, de qua in Canticis:* oculi C tui columbarum, quæ lacte ſunt lotæ. *Adulterium enim vt ſupra retulimus ex Plin. refugit columba fidelis & caſta, innocua eſt præterea, & felle carens. Huius & pennas ſibi optabat Dauid Adulterij homicidiique pœnitens, cum diceret, alas charitatis & pennigeræ caſtæ dilectionis exoptans:* Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?

6. Chriſtus legem nouam à veteri prædictam, ab ea ſeparauit, veterem ampliando, & vtramque ſuam eſſe probauit. 4. cont. Marc. cap. 11. circa fin.

a Ierc. 4. 4. b Eſa. 43. 18. 19. 2. Cor. 5. 17. c Luc. 5. 37.

IN quo, alter creator (velim diſcere) quum per Hieremiam præcepit,[a] *Nouate vobis nouamen nouum;* nonne à veteribus auertit? quum per Eſaiam edicit, [b] *Vetera tranſierunt; ecce nova quæ ego facio,* nonne ad noua conuertit? Olim hanc ſtatuimus deſtinationem priſtinorum à Creatore potius repromiſſam, à Chriſto exhiberi, ſub vnius & eiuſdem Dei auctoritate, cujus ſint & vetera & noua. Nam & [c] *vinum nouum is non committit in veteres vtres,* qui & veteres vtres non habuerit; *& nouum additamentum nemo iniicit veteri veſtimento,* niſi cui non defuerit & vetus veſtimentum. Ille non facit quid, ſi faciendum non eſt, qui non habeat vnde faciat, ſi faciendum eſſet. Itaque ſi in hoc dirigebat ſimilitudinem, vt oſtenderet ſe Euangelij nouitatem ſeparare à Legis vetuſtate, ſuam demonſtrabat, & illam à qua ſeparabat, alienorum ſeparatione non fuiſſe notandam; quia nemo alienis ſua adjungit, vt ab alienis ſeparare poſſit. Separatio per conjunctionem capit, de qua fit. Ita, quæ ſeparabat, & in vno oſtendebat fuiſſe, ſicut & fuiſſent, ſi non ſepararet. Et tamen ſic concedimus ſeparationem iſtam per reformationem, per amplitudinem, per profectum, ſicut fructus ſeparatur à ſemine, quum ſit fructus ex ſemine: ſic & Euangelium ſeparatur à Lege, dum prouehitur ex Lege: aliud ab illa, ſed non alienum; diuerſum, ſed non contrarium.

CHRISTVS LEGEM AMPLIAT. VI. SCHOLIA.

IN QVO ALTER, *&c. dic Marcion, velim à te diſcere, in quo mutabilem & inconſtantem Deum meum Creatorem arguas. An fortè quod per Ieremiam & Eſa am antiquatis & abrogatis veteris legis ceremoniis, nouam legem ſubrogare promittas? Dudum* D *probauimus vel inde vnum eundemque eſſe Deum, veteris & noui Teſtamenti authorem, ex eo quod Chriſtus eius, deſtinata & promiſſa in priſtinis, id eſt antiquis Scripturis ab ipſo Creatore, impleuerit & exhibuerit nobis in noua lege. Eiuſdem enim eſt qui vtrea*

veteres habet & pannos, & vinum nouum his non infundere, & istis nouum pannum non assuere. ITAQVE SI IN HOC, &c. id. *si ergo Christus idcirco similitudines sumpsit, ab vtribus & panno, vt probaret se nouam legem à veteri separare, hac separatione probauit & suam esse veterem à qua nouam separabat, nec tamen malam fuisse & culpandam, sine vt ad* DENOTANDAM *veterem* CAPIT. id. *capax est fieri, separabilis est vna res alteri rei connuncta cuius vtique separatio fit, quia alteri connuncta erat, qua si separata non esset, connuncta remaneret. Fatemur igitur legem Euangelicam diuersam esse à Mosaica, sed non aduersam, & eam comparamus fructui separato à semine, qui tamen in semine continebatur, vt lex noua nihil aliud sit quàm veteris* REFORMATA, id. *in meliorem formam, ampliorem gratiam, fructumque prouecta. Vt rudis populus Iudaicus, vt sæpè nouit* Aug. *Augustinus, sub lege quasi pedagogò crassioribus elementis fuerit instructus, populus Christianus, prouectis vmbris & nocte figurarum in lucem veritatis, plenius eruditus. Inde & ipse Paulus, de se sub lege & in gratia, diuersimode loquitur se prius puero, posterius viro comparans.* Quando eram paruulus, sapiebam vt paruulus; cogitabam vt paruulus, loquebar vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ Aug. erant paruuli. *Pulchrè Aug. lib 19. cont. Faustum c. 13.* Prima Sacramenta quæ obseruabantur & celebrabantur ex lege, prænuntiatiua erant Christi venturi: quæ cum suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta: non enim venit soluere legem, sed adimplere: & alia sunt instituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iustitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filijs Dei, jugo C seruitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat. NOVATE VOBIS. *Ierem.* 4. Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. *Tertull. 1. cont. Marc.* Renouate vobis nouamen nouum. *& cont. Iud.* Innouate vobis nouitatē. *S. Iustinus cont. Tryphon. vult hic moneri Iudæos, vt Christum agnoscant, qui erit ipsis nouale pulchrum & pingue. ad literam nouale fit cum terra inculta de nouo aratro proscinditur, & à spinis purgatur, vt in ea seminetur Hiero. & Theod. dictum vult Iudæis, vt agrū cordis horrentem sentibus Idololatriæ & vitiorum, per pœnitentiam purgent & patent seminibus gratiæ & legis nouæ suscipiendis. vide subiecit Ierem.* Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium ve- D strorum. VETERA TRANSIERVNT. *Esa.* 43. Ecce ego facio noua, &c *Vide iam supra dicta Num.* 2. *Paulus eiusdem loci meminit* 2. *Cor* 5 Si qua ergo in Christo noua Creatura vetera trāsierunt, ecce sunt Aug. omnia noua. *Aug. Enarratione* 4. *in Psal.* 103. Si qua igitur, &c. quæ vetera transierunt? in Gentibus omnis Idololatria, in ipsis Iudæis omnis illa seruitus legis, omnia illa Sacrificia prænuntiantia præsens Sacrificium. abundabat tunc vetustas hominis; A venit, qui renouaret opus suum. venit qui conflaret argentum suum, qui formaret monetam suam, &c. VINVM NOVVM. *Luc.* 5 Nemo commissuram à nouo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo. Et nemo mittit vinū nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effunditur, & vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est, & vtraque conseruantur. Et nemo bibens vetus, statim vult nouum dicit enim, vetus melius est. *Qua similitudine Christus docere voluit Scribas & Pharisæos assuetos cæremoniis veteris legis incapaces esse vestimentis & vini gratia legis nouæ. Hoc ipso loco vtitur Tertul. lib. de orat. c. 1.* Nouis discipulis noui Testamenti nouam orationis formam determinauit. oportebat enim in hac quoque specie nouum B vinum nouis vtribus recondi, & nouam plagulam, nouo assui vestimento. *Et Aug lib. 299. Euang q 18. literam exponens prædicti loci Luc.* 5. Cum Dominus S. Aug. interrogatus esset, cur Discipuli eius non ieiunarent, de vtroque ieiunio respondit: *præmiserat Augustinus vnum ad propitiandum Deum, in tribulatione, alterum in gaudio, cum tanto minus delectant carnalia, quanto spiritualium maior est fagina* Namque ad illud quod in tribulatione ieiunari solet, S. Aug. pertinet quod ait, sponsi filios tunc jeiunaturos, cum ab eis ablatus fuerit sponsus: tunc enim desolabuntur, & in mœrore ac luctu erunt, donec eis per Spiritum sanctum gaudia consolatoria tribuantur. Quo dono percepto, etiam jeiunij alterum genus, quod fiat per lætitiam, jam renouati in vitam spiritalem, conuenientissimè celebrabunt. Quod antequam accipiant, dicit eos tanquam veteta vestimenta, quibus inconuenienter nouus pannus assuitur, id. aliqua particula doctrinæ, quæ ad nouæ vitæ temperantiam pertinet. quia si hoc fiat, & ipsa doctrina quodammodo scinditur, cuius particula, quæ ad jeiunium ciborum valet, importunè, traditur: Cum illa docet Generale jeiunium, non à concupiscentia ciborum tantum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum: cuius quasi pannum, id. partem aliquam quæ ad cibos pertinet, dicit non oportere hominibus adhuc veteri consuetudini deditis impertiri; quia & illinc quasi consilio videtur fieri, & ipsi vetustati non conuenit. Dicit etiam similes illos esse veteribus vtribus, quos vino nouo, id est spiritualibus præceptis facilius dirumpi, quam illud continere posse dicit. Erant autem iam vtres noui, cum post ascensum Domini, desiderio consolationis eius, orando & sperando innouabantur. tunc enim acceperunt Spiritum sanctum, quo impleti, cum omnium, qui de diuersis Gentibus aderant, linguis loquerentur, dicti sunt musto pleni. Nouum enim vinum iam nouis vtribus venerat. *Hactenus Augustinus.*

7. *Christum Sabbati violatorem Iudæi non mirarentur, si Creatoris Sabbati ipse non esset filius. 4. cont. Marc. cap. 12. in p.*

DE Sabbato quoque illud præmitto, nec hanc quæstionem consistere potuisse, si non a *Dominum sabbati* circumferret Christus. Nec enim disceptaretur cur destrueret sabba- a Luc. 6 g. tum, si destruere deberet. porro, destruere deberet, si alterius Dei esset; nec quisquam miraretur facientem quod illi congruebat. Mirabantur ergo, quia non congruebat illi Deum Creatorem circumferre, & sabbatum eius impugnare.

CHRISTVM SABBATI VII. SCHOLIA.

DE SABBATO, *id refert ex occasione scandali,* E *puli eius Luc. 6. Sabbato spicas ad vescendum vellerent. Et Tertul. Hinc probat Christum ad Creatorem*

pertinere. Nec enim mirati, vel potius indignati fuissent Pharisæi de violatione Sabbati, nisi Christum, vt Iudæum, & legi Sabbati obstrictum credidissent. Si enim alium Deum quàm Creatorem prædicasset Christum, & ab eo missus venisset expressè, vt legem Creatoris destrueret: profectò non mirarentur, cum scirent hoc tantum sine venisse. Mirabantur ergo quod cum Christus, DOMINVS SABBATI CIRCVMFERRET, *id. vbique in Synagogis Deum veteris Testamenti prædicaret, legem tamen Sabbati ab eo latam violare videretur. porrò vt videbimus ex professo agendo de Sabbato, opera ne essitatis, religionis, & Charitatis, nullo modo Sabbata aut festa violant, sed sanctificant. Et ne quid absque aliquo nouabili prætereat de Sabbato in melius mutato, & vel sic impleto à Christo ab Augustino accipe. Pulchrè obseruat lib 2 qq. in Exod. q. 172. Iuxta quod expressè habetur Exod.* 35. Hæc sunt quæ iussit Dominus fieri. Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis Sanctus, Sabbatum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo occidetur. Non succenderis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbati. *Sic igitur Augustinus.* Non immerito mouet, cum decem verba legis accepit in tabulis lapideis iterum, quas ipse excidit, ipse conscripsit: *neminem mouetat quod initio capitis* 34. *Exodi dicitur: Excide tibi duas tabulas, &c. & scribam super tabulas verba, quæ erant in tabulis primis, quas contriuisti: postea eodem capite num.* 27. *dixit Dominus ad Moysen: scribe tibi verba hæc, &c. quia Deus per Moysem scripsit, & sic accipit Augustinus* quare de Sabbato solo, posteaquam descendit, populum admonuit. Si enim propterea decem præcepta legis superfluum fuit, vt iterum populus audierit, cur & hoc non fuit superfluum vt de Sabbato audiret, cum & hoc in eisdem decem præceptis legatur? An

S. Augustin.

S. Augustin.

A & hoc simile est velamento quo faciem obtexit, quia splendorem vultus eius filij Israël non poterant intueri: Nam ex decem præceptis hoc solum populo præcepit, quod figuratè ibi dictum est: alia quippe nouem sicut præcepta sunt, etiam in nouo testamento obseruanda minimè dubitamus. Illud autem vnum de Sabbato vsque adeo figurata diei septimi obseruatione apud Israëlitas velatum fuit, & in mysterio præceptum fuit, & quodam Sacramento figurabatur, vt hodie à nobis non obseruetur, sed solum quod significabat, intueamur. In illa autem requie vbi opera seruilia iubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. tunc enim fiunt cum requie opera bona, cum fides per dilectionem operatur: ad Gal. 5. timor autem tormentum habet 2. Ioan. 4. & in tormento quæ requies? vnde timor non est in Charitate: Charitas autem diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est B nobis: Rom. 5. Ideo Sabbatum, requies Sancta Domino dicitur, Dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis, velut ex nobis. Alioquin nostra opera sic erunt, vt sint humana: *ex humano scilicet principio producta* aut cum peccato: aut cum timore, non cum dilectione; & ideo seruilia sine requie. Plenitudo autem Sabbati erit in requie sempiterna. Non enim frustra institutum est Sabbatum Sabbatorum. *Liceat & mihi pauncula subiungere. Sufficisse dicam præceptum Sabbati, quo bene seruato cætera seruantur, & prima & secundæ tabulæ: Ita Esa* 1. *cum dixisset Deus se odisse & Sabbata, & festa populi peccatoris, sic infert:* quiescite agere peruersè, discite benefacere. *Vacate Deo in eius cultu, & proximi Charitati: cessate ab operibus peccati seruilibus:* qui enim facit peccatum, seruus est peccati. *Hoc est plenum & perfectum Sabbatum.*

8. *Christus obediens, in morte Prophetiam implenit animam Deo commendans. 4. cont. Marc. cap. 42. circa fin.*

Psal. 30. 6. O Quantum perseuerauit etiam trigesimo psalmo Christum ipsum reddere! Vociferatur ad Patrem, vt & moriens vltima voce Prophetas adimpleret.

CHRISTVS OBEDIENS, &c. • VIII. SCHOLIA.

OQVANTVM PERSEVERAVIT. *id. quam constans fuit in referendo & ad vnguem exprimendo, non alia Christo, sed Christo ipsomet Creatoris, cum tota vita obediens, & per omnia, veteris testamenti Prophetias adimplens, extrema etiam voce, eadem psalmis verba proferret: vt bene de eo dixerit Paulus* ad Philip. 2 Factus obediens vsque ad mortem. *Aug ser. in Natale S. Laurenty* quousque factus est obediens Christus? vsque ad Incarnationem Verbi, vsque ad participationem mortalitatis humanæ, vsque ad trinã diaboli tentationem, vsque ad irrisionem populi Iudæorum, vsque ad sputa & vincula, vsque ad alapas & flagella: si parum est vsque ad mortem: & si adhuc etiam aliquid addendum est, mortem autem Crucis. Habemus tale humilitatis exemplum superbiæ medicamentum quid ergo intumescis homo? ô pellis morticina quid tenderis? ô sanies fœtida, quid inflaris? ET IAM TRIGESIMO PSALMO. In manus tuas commendo spiritum meũ. *Aug. hoc ipso loco*, audiamus vocem Domini quam dixit in cruce: In manus tuas, &c Certè cum verba eius in Euangelio de isto Psalmo cognoscimus, ipsum hic locutum fuisse non dubitemus. Habemus hoc in Euangelio dictum: In manus tuas, &c. Et inclinato capite, &c. Non sine causa voluit verba huius Psalmi sua esse, nisi vt te admoneret se locutum esse in hoc Psalmo. VOCIFERATVR AD PATREM *Luc.* 5. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meũ. Et hæc dicens expirauit. *Transl. Syr* Et clamauit Ieschua alta voce: dixitque: Pater mi, in manus tuas depono spiritum meum. Hoc dixit & tradidit spiritum.

S. Augustin.

Aug.

9. *Christus signaculum Prophetarũ dicitur, quod omnia per eos prædicta impleuerit, cont. Iud. c. 8. à m.*

a Dan. 9. 24. QVid est autem quod dicit, a *signari visum & prophetiam?* Quoniam omnes Prophetæ nuntiabant de ipso, quod esset venturus, & pati haberet: igitur quoniam adimpleta est prophetia per aduentum ejus, propterea *signari visionem & prophetiam dicebat*, quoniam ipse est signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retrò de eo Prophetæ nuntiauerant. Post enim aduentum Christi & passionem ipsius, b *iam non visio, neque prophetes est*, qui Christum nuntiet venturum. Denique hoc si non ita est, exhibeant Iudæi Prophetarum

b Psal. 73. 9.

poſt Chriſtum aliqua volumina, Angelorum aliquorum viſibilia miracula, quæ retro Patriarchæ viderunt vſque ad aduentum Chriſti qui iam venit, ex quo [c] *ſignata eſt viſio & prophetia*, id eſt ſtatuta. Et merito Euangeliſta: [d] *Lex & Prophetæ vſq. ad Ioannem baptizatorem.* Baptizato enim Chriſto, id eſt ſanctificante aquas in ſuo baptiſmate, omnis plenitudo ſpiritalium retro chariſmatum in Chriſto ceſſerunt, ſignante viſionem & prophetias omnes, quas aduentu ſuo adimpleuit. Vnde firmiſſimè dicit aduentum eius [e] *ſignare viſum & prophetiam.*

[c] Matth. 11. 13.
[d] Luc. 16. 16.
[e] Dan. 9. 24.

CHRISTVS SIGNACVLVM. IX. SCHOLIA.

SIGNARI VISVM. *Quinquies hoc capite repetit hanc vocem, & ideo Chriſtum vocat* SIGNACVLVM PROPHETARVM, *quod veluti perfectus literis, vel quibuſcumque operibus ſignaculum vel ſigillum imponitur, ſic Chriſtus Prophetias omnes implenit, & earum promiſſis ad litteram reſpondens & ſatisfaciens ſubſcripſit. Danielis 8.* Viſio veſpere & mane, quæ dicta eſt, vera eſt: tu ergo viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit. *Hic*, ſigna *idem valet quod*, claude, ſerua, & annota, *quia licet euentus eius ad multos dies differatur, vera tamen eſt vt probabit exitus. Sanct. Pagn. ex Hebr.* claude viſionem. *Vatablus*, claude viſum, quia nemo intelliget plenè. *Idem Daniel. cap. 9. pro eo quod verſio communis habet*: vt impleatur viſio & prophetia, &c. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* ad finiendum viſionem & Propheram. *Vatablus*, ad obſignandam viſionem. 70. Et ſignetur viſio & Propheta. *Vbi vides hic ſenſu Tertul ſignificari, per Chriſtum ſignandam id eſt implendam, viſionem, qui adimpletis omnibus oraculis, finem legi veteri & Prophetis imponere debebat, & velut ſigillum ori veterum Prophetarum imprimere. Sic & Chryſoſtomus orat. 2. cont. Iudæos. Notatu dignum quod Aggai. 2. ſic Deus loquitur*: aſſumam te Zorobabel fili Salathiel, ſerue meus dicit Dominus: & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi dicit Dominus exercituum. *Chald.* ſculpturam annuli ſuper manum: in te mihi complacui. *Reliqua verſiones cum Vulgata concordant. Quaſi diceret; carnem tuam mihi aſſumam quaſi annulum ſignatorium, quod inſeram dextera mea, id eſt filio meo. Sic & Anus Zorobabel Iechonias Ieremiæ 22. dicitur.* Annulus in manu dextera Dei. IAM NON VISIO NEQVE PROPHETES. *id. Propheta iam non eſt, ſupple qui Chriſtum venturum annuntiet cum iam venerit, iã ſigna non ſunt id. myſteria viſionum & figurarum ſignata, clauſa & obſcura, cum reuelata ſint omnia rupto tabernaculi velo, omnia impleta patent. Quod & velut iam factum præuiderat Pſalmes Pſal. 73.* Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* non eſt vltra Propheta, & non eſt nobiſcum qui cognoſcat vſquequaque. *Vatablus*, nullus ſupereſt Propheta, nemoque nobiſcum qui ſciat, quouſque tandem. *Et in Schol.* prodigia quæ olim faciebat Deus noſtra cauſa, vt nos admoneret futurorum: quandiu hæc calamitas duratura. *Aug. in hunc locum. Sic venit.* Et nos non cognoſcet adhuc. Ecce iſti Iudæi qui ſe dicunt non agnoſci adhuc, ideſt in captiuitate adhuc ſe eſſe, nondum ſe liberari, expectant adhuc Chriſtum. Venturus eſt Chriſtus, ſed veniet vt iudex: primo vocator, poſtea diſcretor veniet: quia venit. Et eum venturum eſſe manifeſtum eſt: ſed iam deſuper veniet. Ante te erat ô Iſrael: quaſſatus es, quia offendiſti in iacentem; ne conteraris, obſerua deſuper venientem. Ita enim prædictum eſt per Prophetam; A quiſquis offenderit in lapidem illum conquaſſabitur, & ſuper quem venerit, conteret eum. Conquaſſat paruos, *ad lapidem ritubantes* conteret magnos. *magnum & ſublimem Chriſtum expectantes*, iam ſigna tua non vides, non eſt Propheta, & dicis nos non cognoſcet adhuc. Quia vos non cognoſcitis adhuc, iam non eſt Propheta, & vos non cognoſcet adhuc. ANGELORVM VISIBILIA, *&c. Qualia fuerunt in tot apparitionibus, in columna nubis, in mamma, in primogenitis Ægypti percuſſis, &c.* ET MERITO EVANGELISTA. [d] *Matth. 11.* Omnes Prophetæ & lex, vſque ad Ioannem Prophetauerunt. *id. prædixerunt & promiſerunt Chriſtum eius. à Ioanne vero, quem Caſſianus*, vtriuſque Teſtamenti Sacratiſſimum limitem vocat, *impletis Prophetiis, & Chriſto digito monſtrato, per præſentiam lucis, nox & vmbra legis abceſſit. Sic Chryſol. ſer. 86. à m. vbi de hora incenſi à Zacharia Patre Ioannis offerendi.* In hora incenſi fratres, iam Sol Iudaïco occumbebat in populo, vt in Eccleſia matutinus exurgeret: & Iudaicæ doctrinæ inſtabat veſper, quia Euangelij imminebat aurora: legis obſcurabatur dies, vt totus reluceret in gratia. *Ideo idem Chryſol. ſer. 127. in p. Ioannem dixit*: legis ſummam, Apoſtolorum vocem, ſilentium Prophetarum. *Quia omnibus ſilentium impoſuit. Aug. lib. 19. cont Fauſtum Manich. c. 8.* Vſqueadeo, quidquid per huiuſmodi figuras prophetabatur impletum eſt, vt iam per illas non prophetetur. Ad hoc pertinet etiam quod ipſe Dominus ait Luc. 16. Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem: ex eo regnum Dei Euangelizatur, & omnis in illud vim facit. Lex enim quæ præuaricatores abundanti reatu concludebat, in eam fidem, quæ poſtea reuelata eſt, gratia facta eſt per Ieſum Chriſtum, per quem ſuperabundauit gratia: ac per hoc impleta eſt per gratiam liberantem, quæ non implebatur per litteram iubentem. IN CHRISTO CESSERVNT. *id. receſſerunt, ceſſarunt*, RETRO. *id. prius, ante aduentum Chriſti dat i Chariſmata & gratiæ, ſignorum, viſionum, Prophetiarum, veritate per Chriſtum facta & exhibita præſentia ſua. Sic ibid. Auguſt.* Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem. Lex, vt reos faceret *occaſione, vt ait Apoſtolus accepta per legem, quam viribus ſuis non implendo peccabant, & proinde gratiam ſaluatoris implorabant qui deſiderarent ſalutem*: Prophetæ, vt promitterent Saluatorem. Cæterùm Prophetas alios extitiſſe iam in Eccleſia poſt aſcenſionem Chriſti quis neſciat? de quibus Paulus dicit: & quoſdam conſtituit in Eccleſia, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, Tertiò doctores, &c. Non itaque de illis dictum eſt: lex & Prophetæ vſque ad Ioannem; ſed de iis qui primum Chriſti aduentum Prophetauerunt. Qui aduentus impletus, non vtique adhuc poſſet Prophetari.

B

C

D

Aug.

S. Auguſt.

S. Aug.

10. *Es cont. Iudæos cap. 11. in f.*

ITaque quoniam impleta est prophetia per aduentum eius, idest per natiuitatem, quam supra memorauimus, & passionem quam euidenter ediximus, propterea & Daniel [a] *signari visionem & Prophetam* dicebat, quoniam Christus est signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retro erant de eo nuntiata: post enim aduentum eius & passionem ipsius [b] *iam non visio neque prophetes.* Vnde firmissimè dicit aduentum eius [c] *signare visum & prophetiam.* Itaque ostendentes & numerum annorum, & tempus LXII. & dimidiæ hebdomadarum adimpletarum, probauimus tunc venisse Christum, id est natum: & septem dimidiæ hebdomadarum, quæ sunt subdiuisæ in abscisionem priorum hebdomadarum, intra quæ tempora passum ostendimus Christum: atque ita LXX hebdomadibus conclusis, & ciuitate exterminata, & sacrificium & vnctionem exinde cessare. Sufficit hucusque de his interim ordinem Christi decurrisse, quo talis probatur qualis adnuntiabatur, etiam ex ista consonantia scripturarum, quas ex præiudicio maioris partis aduersum Iudæos, elocuti sumus. Neque enim in dubium deducant vel negent, quæ scripta proferimus: vt ex hoc quoque paria esse scripturis diuinis negare nonpossint: vt quæ post Christum futura præcanebantur, adimpleta cognoscantur. Neque enim dispositio expuncta inueniretur, nisi ille venisset post quem habebant expungi quæ nuntiabantur, quæ completa esse etiam probarentur.

a Dan. 9. 24.
b Psal. 73. 9.
c Dan. 9. 24.

CHRISTVS SIGNACVLVM. X. SCHOLIA.

SIGNARI VISIONEM. *Videiam dicta fusè numero precedenti, & que infra dicemus, cum de Septuaginta hebdomadibus Danielis tractabimus, titulo proprio inscripto: hebdomades septuaginta. De signis autem Prophetarum impletis lubet huc conferre quod habet Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana c. 6. vbi sic de populo Hebræo sub signis & figuris Deo seruiente*; quæ seruitus in Iudæo populo, longe à cæterarum Gentium more distabat, quandoquidem rebus temporalibus ita subiugati erant, vt vnus eis in omnibus commendaretur Deus, &c. Quam custodiam tarquam sub pædagogo paruulorum fuisse scribit Apostolus Galat. 3. & ideo qui talibus signis pertinaciter inhæserunt, contemnentem ista Dominum, cum iam tempus reuelationis eorum venisset, ferre non potuerunt. Atque inde calumnias, quod Sabbato curaret, moliti sunt principes eorum, populusque signis istis tanquam rebus adstrictus, non credebat Deum esse, vel à Deo venisse, qui ea, sicut à Iudæis obseruabantur, nollet attendere, *Eiusdem libro* c. 9. sub signo seruit, qui operatur, aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet: qui vero aut operatur, aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemque intelligi, non hoc veneratur quod videtur & transit, sed illud potius quò talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritalis & liber est, etiam tempore seruitutis, quo carnalibus animus nondum oportet signa ista reuelari, *alij legunt, releuari*, quorum iugo edomandi sunt. Tales autem spiritales erant Patriarchæ ac Prophetæ, omnesque in populo Israel, per quos nobis Spiritus sanctus ipsa scripturarum & auxilia, & solatia ministrauit. Hoc vero tempore, posteaquam resurrectione Domini nostri Iesu Christi manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum, quæ iam intelligimus operatione grani onerati sumus; sed quædam pauca pro multis; eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini. Quæ vnusquisque cum percipit, quo referantur, imbutus agnoscit, vt ea non carnali seruitute, sed spiritali potius libertate veneretur. Vt autem literam sequi, & signa pro rebus quæ iis significantur, accipere seruilis infirmitatis est: ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est. Qui autem non intelligit quid significet signum, & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur seruitute. Melius est autem vel premi incognitis, sed vtilibus signis, quàm inutiliter ea interpretando, à iugo seruitutis eductam ceruicem laqueis erroris inserere. *Hucusque Augustinus.* ORDINEM CHRISTI. *id. seriem & contextum vitæ eius.* SCRIPTA PROFERIMVS. *Ex nouo scilicet Testamento, veteri Scripture consonanti & pari, vt constet ex nouo Testamento, impleta fuisse de Christo predicta in veteri.* HABEBANT EXPVNGI. *id. debebant impleri que prophetata erant.* DISPOSITIO EXPVNCTA. *Per dispositionem intelligis, preparationem, & apparatum Propheticarum, que animos veterum Patrum disponebant ad expectandum promissum Messiam.*

S. Augustin.

S. Aug.

A

B

CHRISTI ELOGIA.

1. *Christi nomen, non Marcionis Christo; sed vero & nostro conuenit. 3. cont. Marc. cap. 15. per totum.*

DE cæteris verò nominibus, & in primis Christi, quid pars diuersa respondebit? Si proinde commune est apud vos Christi nomen, quemadmodum & Dei, vt sicut vtriusque Dei filium Christum competat dici, sic vtrumque patrem Dominum certè ratio huic argumentationi refragabitur. Dei enim nomen quasi naturale diuinitatis, potest in omnes communicari, quibus diuinitas vindicatur, sicut & idolis, dicente Apostolo, [a] *Nam & sunt qui dicuntur dij, sive in cælo, sive in terris*, Christi verò nomen, non ex natura veniens, sed ex dispositione,

a 1. Cor. 8. 5.

diſpoſitione, proprium eius efficitur, à quo diſpoſitum inuenitur. Nec in communionem alij deo ſubiacet, maxime æmulo, & habenti ſuam diſpoſitionem, cui & nomina priuata debebit. Quale eſt enim quod diuerſas diſpoſitiones duorum commentati deorum, ſocietatem nominum admittunt in diſcordiam diſpoſitionum? quando nulla magis probatio adſiſteret duorum & æmulorum deorum, quàm ſi in diſpoſitione eorum etiam diuerſitas nominum inueniretur. Nullus enim ſtatus differentiarum, nonniſi proprietatibus appellationum conſignatur. quibus deficientibus ſi quando, tunc Græca catachreſis de alieno abutendo ſuccurrit. Apud Deum autem deficere puto nihil debet, nec de alieno inſtrui diſpoſitiones eius. Quis hic Deus eſt, qui filio quoque ſuo nomina à creatore vindicat? non dico aliena, ſed vetera & vulgata, quæ vel ſic non competerent deo nouo & incognito. Quomodo denique docet, [b] *nouam plagulam non aſſui veteri veſtimento, nec vinum nouum veteribus vtribus credi*, adſutus ipſe & indutus nominum ſenio? Quomodo abſcidit Euangelium à Lege, tota Lege veſtitus? in nomine ſcilicet Chriſti. Quis illum prohibuit aliud vocari, aliud prædicantem, aliunde venientem? cum propterea nec corporis ſuſceperit veritatem, ne Chriſtus Creatoris crederetur Vanè autem noluit eum ſe videri, quem voluit vocari: quando etſi verè corporeus fuiſſet, magis Chriſtus Creatoris non videretur, ſi non vocaretur. At nunc ſubſtantiam reſpuit, cuius nomen accepit, etiam ſubſtantiam probaturus ex nomine. ſi enim Chriſtus vnctus eſt, vngui vtique corporis paſſio eſt. Qui corpus non habuit, vngui omnino non potuit: qui vngui omnino non potuit, Chriſtus vocari nullo modo potuit. Aliud eſt, ſi & nominis phantaſma affectauit. Sed quomodo, inquit, irrepetet in Iudæorum fidem, niſi per ſolenne apud eos & familiare nomen? inconſtantem aut ſubdolum deum narras; aut diffidentiæ, aut malitioſitatis conſilium eſt, fallendo quid promouere. Multo liberius atque ſimplicius egerunt Pſeudoprophetæ, aduerſus Creatorem in ſui dei nomine venientes. Sed nec effectum conſilij huius inuenio. cùm facilius aut ſuum crediderint Chriſtum, aut planum potius aliquem, quàm alterius dei Chriſtum, ſicut Euangelium probabit.

Vide Ieſus.

Pſal. 2. 3. Thren. 4. 20. Eſa. 45. 1. Dan. 9. 26. b Luc. 5. 36.

CHRISTI ELOGIA. I. SCHOLIA.

PARS DIVERSA, *id. aduerſa Marcionitarum.* SI PROINDE COMMVNE. *id. ſi vt Marcionitæ, Dei nomen commune faciunt tam noſtro Creatori iuſto, quàm Deo ſuo tantummodo bono, & ſicut vriuſque Chriſti Patrem, Dominum promiſcuè nominant: ſic etiam nomen Chriſti, & ſuo, & noſtro applicant, huic appellationi communi ratio repugnabit. Non enim par eſt ratio, nominis Dei, & Chriſti. Cum enim Dei, nomen ſit veluti naturale Deitati, omnibus poterit Dei nomen attribui, etiam Idolis, quibus aliqua diuinitas, licet falſa, tribuitur. At verò nomen Chriſti cum non veniat à natura, ſed ex ordine, voluntate, diſpoſitione, eius à quo diſponitur, ei ſoli proprium, & non commune alteri efficitur; nec alteri Deo, præſertim aduerſario, aliter omnino diſponenti de rebus ſuis, conſentaneum eſt, alterius Dei nomina ſibi arrogare, vel vendicare, cui proinde priuata & ſpecialia nomina mutuata, referre deberet, & ei vel hac de cauſa obligationis vinculo ſubiici.* QVALE EST ENIM, *vnde hæc contradictio. vt Marcionitæ fingentes Deos diuerſos & aduerſos, & ſuas res ex oppoſito diſponentes, in re precipua, hoc eſt vnico filio nominando, in eius appellatione concordent.* NVLLVS ENIM STATVS. *id. cum rerum diuerſitas, vocum & nominum diuerſitate ſoleat* CONSIGNARI: voces enim & nomina, ſunt propria ſigna rerum: &c. DEFICIENTIBVS SIQVANDO. *id. ſi aliquando non occurrunt nobis propria rerum nomina, catachreſi, id. abuſione vocis alterius vtimur.* APVD DEVM. *Ironicè carpit Marcionem, quod apud tantum Deum ſuum vocum inopia tanta ſit, vt cogatur à Deo Creatore. aduerſario ſuo, ſtipem nominis Chriſti ſui corrogare.* VETERA ET VVLGATA. *Quanta, inquit, diſconuenientia, vt Deus nouus, veteris Teſtamenti contemptor, vnico filio nouo, vetus, & toties in veteri lege decantatum, & omnibus Regibus & Sacerdotibus legis, etiam Gentili Cyro in Prophetis commendato, commune nomen emendicet. Pudeat eum ornari nominis ſenio, qui reprobat pannum nouum aſſui veteri veſtimento. Cur legem reprobans, nomen legis aſſumit? Cur nomen eius accipit, cuius veritatem corporis reſpuit? ob hanc maximè cauſam, vt non ſumatur pro Chriſto Creatoris longè facilius Chriſtus Creatoris non putaretur, ſi Chriſtus omnino non vocaretur: cum ipſa vox corpus ſupponat, Chriſtus enim vnctum ſignificat, nec vngi poteſt niſi corpus; niſi fortè velis, ô Marcion, Chriſtum tuum æquè nomen ac corpus phantaſticum accepiſſe.* MVLTO LIBERIVS. *Minus, inquit errauerunt Pſeudoprophetæ qui in proprio Dei ſui nomine, verbi gratia Baal, Bel, Aſtaroth, &c. venientes, contra Deum Creatorem pugnarunt.* SED HIC EFFECTVM, *&c. Neſcio, inquit, quem fructum ex communicatione Chriſti nominis & vſurpatione capiat, cum & pſeudoprophetæ ab Apoſtolis prædicti, ſicut & in Euangelio, dicente Chriſto,* multi venient in nomine meo, *&c. Chriſtum ſuum abſque tot ambagibus crediderint, nec alium nouum Deum introduxerint, cuius hic eſſet filius.* AVT PLANVM POTIVS, *id. circulatorem, impoſtorem aliquem.* DICENTE APOSTOLO. *1. Cor. 9* Scimus quia nihil eſt Idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus niſi vnus. Nam etſi ſunt qui dicantur Dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſi quidem ſunt Dij multi & Domini multi: nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia & nos per ipſum. *Aug. in Io.* ſolent multi malè intelligentes, ſine ipſo factum eſt nihil, putare aliquid nihil eſſe, peccatum quidem non per ipſum factum eſt, & manifeſtum eſt, quia peccatum nihil eſt; & nihil fiunt homines cum peccant. Et Idolum non per verbum factum eſt. Habet quidem formam quandam humanam, ſed ipſe homo per verbum factus eſt: nam forma hominis in Idolo non per verbum facta eſt. Et ſcriptum eſt, ſcimus quia Idolum nihil eſt Ergo iſta non ſunt facta per verbum. Sed quæcumque facta ſunt naturaliter, quæcumque ſunt in creaturis. *Et lib. 2. in Exo. q. 86.* Deos non maledices, &c. An ſecundùm illud accipiendum quod Apoſtolus ait, nã & ſi ſunt qui dicuntur dij,

A

B

C

D

S. Aug.

S. Auguſt.

&c. Addendo enim ſicuti ſunt dij multi, &c. Deos intelligi voluit qui dignè etiam dicuntur: ita ſanè vt λατρεία quæ dicitur Græcè, & interpretatur latinè ſeruitus, ſed ea quæ ad Religionem pertinere intelligitur, non debeatur, niſi vni Deo vero, qui nobis eſt Deus: illi autem qui dicuntur dij, etiam ſi qui ſunt qui merito dicuntur, prohibiti ſunt maledici, non iuſſi ſunt ſacrificiis, vel vllis latriæ obſequijs honorari. VETERA ET VVLGATA *nil frequentius in Scriptura quam Iudæorum Reges Chriſti nomine*
S. Auguſt. *inſigniri. Aug. lib. 1. de conſenſu Euang. c. 13.* nec aliâ re magis claruit illius gentis regnum & Templum, & ſacerdotium & ſacrificium, & vnctionem illam myſticam quod chriſma Græcè dicitur, vnde Chriſti nomen elucet, & propter quam reges ſuos Chriſtos ipſa Gens appellabat, non fuiſſe, niſi prænuntiando Chriſto deputata; quam quod occiſi Chriſti reſurrectio, poſteaquam cœpit credẽtibus Gentibus prædicari, illa omnia ceſſauerunt, neſcientibus Romanis, per quorum victoriam; neſcientibus
S. Auguſt. Iudæis, per quorum ſubiugationem factum eſt, vt illa omnia ceſſarent. *Et lib. 3. de conſenſu Euang. c. 8.* Vultis dimittam vobis Barrabam, an Ieſum qui dicitur Chriſtus? aliud videtur eſſe, vultis dimittam vobis regem Iudæorum. Sed quia Chriſtos reges dicebant, & qui dixit, illum an illum, manifeſtum eſt eum quæſiſſe an vellent ſibi dimitti Regem
S. Aug. Iudæorum, id eſt Chriſtum, &c. *Et paucis interiectis*, Iam ſatis apparet quod id Marcus velit oſtendere, dicendo regem Iudæorum, quod Matthæus dicendo Chriſtum. Non enim dicebantur Chriſti reges, niſi Iudæorum. *Sic Pſal. 2.* Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. *Thren. 4.* Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris. *Dan. 9.* ab exitu ſermonis vt iterum ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem: &c. *Et rurſum*: occidetur Chriſtus. *quiloci Chriſto Dei filio conuenerunt. Frequens tamen adeo eſt Chriſti commune nomẽ regibus, vt ſuperuacuum ſit hîc locos referre.* CHRISTVS VNCTVS
S. Aug. EST. *Aug. Pſal. 103.* Amatur ab omnibus, prædicatur ab omnibus, quia excellenter vnctus, ideo Chriſtus. Chriſtus enim vnctus, à Chriſmate dictus eſt Chriſtus. Meſſias Hebraicè. Græcè Chriſtus. Latinè vnctus. Sed corpus ſuũ totum perungit. *Chryſol. ſer. 58. in m.* Chriſtum accipe vnctum non communi oleo, ſed ſancto quo natus eſt Spiritu.
S. Aug. *Et ſer. 160. in m.* Hodie Spiritus ſanctus ſupernatat aquis in ſpecie columbæ, vt ſicut illa columba Noë nuntiauerat diluuium diſceſſiſſe mundi; ita iſtâ indice noſceretur perpetuum mundi ceſſaſſe naufragium: neque ſicut illa veteris oliuæ ſurculum portaret, ſed totam in caput parentis noui Chriſmatis pinguedinem fundit, vt impleat illud quod Propheta prædixit: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis *Aug. lib. 2. cont.*
S. Auguſt. *Maximinum*, dictum eſt in Prophetia rerum futurarum tanquam locutione rerum præteritarum: vnxit te Deus, &c. Participes eius ſignificans, qui futuri fuerant ſerui eius, ſocij eius, amici eius, fratres eius, membra eius. Prædictum eſt igitur quod futurum erat, vt vngeret Deus Chriſti, hominem Chriſtum, qui tamen ſic factus eſt homo, vt maneret Deus. Vngeret autem, non viſibili & corporali oleo, ſed ſpiritu Sancto; quem ſcriptura nomine olei exultationis, figuratâ vt ſolet, locutione ſignificat. Dixit autem, vnxit; non dixit vncturus eſt: quia in prædeſtinatione iam factum erat, quod B. Petrus in Act. Apoſtolorum dixit: hunc Ieſum à Nazareth, quẽ vnxit Deus Spiritu, &c. Qua vnctione plenus erat, id eſt Spiritu ſancto. Propter quod de illo ſcriptum eſt Luc. 4. Ieſus autem plenus Spiritu Sancto reuerſus à Iordane, &c. VNGVI CORPORIS PASSIO EST, *affectat author hæc verba*, tinguo, vnguo, pro vngo, & tingo. *Et quia ſemper pro vera Chriſti carne decernat, vnctionem Chriſti corpoream & ſenſibilem vult fuiſſe, cum tamen omnino non conſtet aliquo oleo viſibili & liquore ſenſibili Chriſtum inunctum. Scimus quidem in Iordane corporaliter lotum à Ioanne, ſcimus & Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ ſuper eius caput ſediſſe: Et hinc fortè factum eſt, vt Tertul. nimius in ſua probatione, hanc columbam voluerit à Spiritu ſancto hypoſtaticè aſſumptam, ne ſi columbam phantaſticam fuiſſe diceret, carnem quoque Chriſti phantaſticè à Verbo aſſumptam admittere cogeretur. Aug. de Agone Chriſtiano cap. 22.* à noſtra fide Aug.
ſita imputas excludatur, totumque hominem atque perfectum, à Verbo Dei ſuſceptum eſſe credamus. Nec eos audiamus, qui tale corpus Dominum noſtrum habuiſſe dicunt, quale apparuit in columbæ quam vidit Ioannes Baptiſta deſcendentem de cœlo, & manentem ſuper eum, in ſigno Spiritus ſancti. Ita enim perſuadere conantur filium Dei natum non eſſe de fœmina; quia ſi carnalibus oculis eum oportebat oſtendi potuit, inquiunt, ſic aſſumere corpus, quomodo Spiritus ſanctus. Non enim & columba illa de quo nata eſt, aiunt, & tamen humanis oculis potuit apparere. Quibus primum illud reſpondendum eſt, quod ibi legimus in ſpeciæ columbæ apparuiſſe Ioanni Spiritum ſanctum, vbi legimus etiam Chriſtum natum eſſe de femina: & non oportet in parte credere Euangelio, & in parte non credere. Vnde enim credis in columbæ ſpecie demonſtratum eſſe Spiritum ſanctum, niſi quia in Euangelio legiſti? Ergo & ego inde credo Chriſtum natum de Virgine eſſe, quia in Euangelio legi. Quare autem Spiritus ſanctus non eſt natus de columba quemadmodum Chriſtus de fœmina? illa cauſa eſt, quia non columbas liberare venerat Spiritus ſanctus, ſed hominibus ſignificare Innocentiam & amorem ſpiritalem, quod in Columbæ ſpecie viſibiliter figuratum eſt. &c. Neque hoc ita dicimus, vt Dominum Ieſum Chriſtum dicamus ſolum verum corpus habuiſſe, Spiritum ſanctum autem fallaciter apparuiſſe oculis hominum; ſed illa corpora, vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat vt homines falleret filius Dei, ſic non decebat vt homines falleret, *addam & in ſpecie tam ſimplicis auis*, Spiritus ſanctus. Sed omnipotenti Deo, qui vniuerſam Creaturam de nihilo fabricauit, non erat difficile verum corpus columbæ ſine aliarum columbarum miniſterio figurare, ſicut et non fuit difficile verum corpus in vtero Mariæ ſine virili ſemine fabricare: cum natura corporea, & in viſceribus fœminæ ad formandum hominem, & in ipſo mundo ad formandam columbam, imperio Domini voluntatique ſeruiret. Sed ſtulti homines, & miſeri, quod aut ipſi facere non poſſunt, aut in vita ſua nunquam viderunt, etiam ab omnipotenti Deo fieri poſſe non credunt. *Tandem vt Chriſtum verum Deum & hominem, & verè vnctum probet idem Auguſt. vtitur in* Auguſt.
Pſal. 44. & loco Geneſis 28. vbi Iacob. in figuram Chriſti vnxit lapidem, & loco pſaltis, Vnxit te Deus Deus tuus, quem & Paulus retulit ad Hebr. 1. Deus vngitur à Deo. Etenim in Latino putatur idem caſus nominis repetitus. In Græco autem euidentiſſima diſtinctio eſt, quia vnum nomen eſt quod compellatur, & alterum ab eo qui compellat. Vnxit te Deus. O tu Deus, vnxit te Deus tuus. Sic accipite, ſic intelligite, in Græco euidentiſſimum eſt. Er-

go quis est Deus vnctus à Deo? dicant nobis Iudæi. Scripturæ istæ cõmunes sunt, vnctus est Deus à Deo vnctum audis, Christum intellige, etenim Christus à Chrismate. Hoc nomen quod appellatur Christus vnctionis est: nec in aliquo alibi vngebantur Reges & Sacerdotes, nisi in illo regno vbi Christus prophetabatur & vngebatur, & vnde venturum erat Christi nomen. Nusquam est alibi omnino, in nulla Gente, in nullo Regno. Vnctus est ergo Deus à Deo. Quo oleo nisi spirituali? oleum enim visibile in signo est, oleum visibile in Sacramento est, *hic Sacramentum sumit pro re & gratia Sacramenti*, oleum spiritale vnctus est, oleum visibile exterius est. Vnctus est nobis Deus, & missus est nobis, & ipse Deus vt vngeretur, homo erat? sed ita homo erat, vt esset Deus: ita Deus erat, vt homo esse non dedignaretur. Verus homo, verus Deus: in nullo fallax, in nullo falsus: quia vbique verax, vbique veritas. Deus ergo homo, & ideo vnctus Deus: quia homo Deus, & factus est Christus. Hoc figurabatur in eo quod Iacob Gen. 28. Lapidem sibi ad caput posuerat & dormiebat: &c. In illo lapide intellexit Christum, ideo vnxit. A

Aug.

2. *Christus secundus Adam, terrenus carnis substantiâ, cœlestis conuersatione, quam imitando ad cœlum venimus. De resur. cap. 49. à p. adm.*

PRimus, [a] inquit, *homo de terra choicus*, ideſt limacius, id est Adam. *Secundus homo de cœlo*, id est Sermo Dei, id est Christus: non aliàs tamen homo, licet de cœlo, nisi quia & ipse caro atque anima, quod homo, quod Adam. Nam & suprà [b] *nouissimus Adam* dictus, de cõsortio substantiæ commercium nominis traxit; quia nec Adam ex semine caro, quod & Christus. [c] *Qualis ergo choicus, tales & choici; qualis cœlestis, tales & cœlestes.* Substantiâ tales? an primò disciplinâ? dehinc & dignitate, quam & disciplinâ captauit: Atquin, substantiâ nullo modo separabuntur choici atque cœlestes, semel ab Apostolo homines dicti. Si enim & Christus solus verè cœlestis, immo & supercœlestis; homo tamen, quâ caro atque anima, nihilo ex ista substantiarum conditione, à choica qualitate discernitur: proinde & qui cœlestes secundùm illum, non de substantia præsenti, sed de futura claritate cœlestes prædicati intelliguntur. quia & retro, vnde distinctio ista manauit de dignitatis differentia, ostensa est [d] *alia supercœlestium gloria, alia superterrenorum; & alia solis, alia lunæ, alia stellarum. quia & stella à stella differt in gloria*, non tamen in substantia. Denique, præmissâ differentiâ dignitatis in eadem substantiâ & nunc sectandæ & tunc capessendæ, subiungit etiam exhortationem, vt & hîc habitum Christi sectemur ex disciplina, & illic fastigium consequamur ex gloria: [e] *Sicut portauimus imaginem choici, portemus etiam imaginem supercœlestis.* Portauimus enim imaginem choici per collegium transgressionis, per consortium mortis, per exilium paradisi. Nam etsi incarne hîc portatur imago Adæ, sed non carnem monemur exponere. Si non carnem, ergo conuersationem, vt proinde & cœlestis imaginem gestemus in nobis; non iam Dei, nec iam in cœlo constituti; sed secundùm liniamenta Christi incedentes. [f] *in sanctitate, & iustitia, & veritate.* Atque adeo ad disciplinam totum hoc dirigit, vt hic dicat portandam imaginem Christi in ista carne, & in isto tempore disciplinæ. Portemus enim præceptiuo modo, dicens, huic tempori loquitur, in quo homo nulla alia substantia est, quàm caro & anima; aut si quam aliam. ideſt cœlestem substantiam hæc fides spectat. huic tamen repromissa sit, cui ad illam elaborare mandatur.

[a] 1. Cor. 15. 47.
[b] Ibid. 45.
[c] Ibid. 48.
[d] Ibid. 40. 41.
[e] Ibid. 49.
[f] Ephes. 5. 8. 9.

CHRISTVS SECVNDVS ADAM. II. SCHOLIA.

PRIMVS HOMO. *Sic Paulus. 1. Cor. 15.* Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. *Translat. Syr.* Primus homo puluerulentus ex terra; homo secundus, Dominus è cœlo. CHOICVS. *Græcam vocem retinuit, quam exponit.* LIMACIVS. *id. è limo formatus.* SERMO DEI, *bene dixit de cœlo, Verbum Dei enim inde missum est.* NON ALIAS, *&c. id. aliter ille de cœlo missus homo non esset, nisi quia sicut Adam, & quilibet alter homo, carne atque anima constitisset.* NOVISSIMVS ADAM. *1. Cor. 15.* factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. DE CONSORTIO, *&c. id. cum substantia hominis quam cum Adam eiusdem speciei accepit, nomen etiam commune cum eo sumpsit.* QVIA NEC ADAM, *id. Christus plus homo quàm Adam, quia ex hominis semine orta Maria, ipse homo de homine matre natus est, dicente Paulo;* qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. *Rom. 1. cum Adam factus sit caro ex mero limo sine semine, vel simplicius,* QVEM ET CHRISTVS. *id. & Christus similis primo Adamo, quia sine virili semine de Maria natus est.* QVALIS ERGO CHOICVS, *&c.* Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. SVBSTANTIA TALES? *&c. Interrogat vtrum homines in resurrectione gloriosa futuri, cum Christo substantiam carnis cœlestem, id. gloriosam & incorruptam participare debeant: quod confirmat, ex distinctione solum accidentali secundùm magis & minus, quam Paulus,* RETRO, *id. ante eodem capite premiserat de diuersa syderum gloria, vbi sic Paulus:* & corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium: alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. *Translat. Syr.* alia est gloria cœlestium. & alia terrestrium. Item alia est gloria Solis, &c. *Deinde subiicit electos primò Christum cœlestem debere imitari, eius doctrinam sequendo, vt per eius virtutes gradiendo, mereantur eius gloriam consequi; quod significat his verbis,* QVAM ET DISCIPLINAM CAPTAVIT, *id. imitatio promeruit gloriam.* ATQVIN SVBSTANTIA, *&c. id. idem erunt substantia cœlestes qualitate, qui terreni sunt origine & substantia.* SI ENIM ET CHRISTVS, *&c. Si ipse Christus, qui solus propria*

gitized by Google

virtute reſurrexit, & de ſe dixit: nemo aſcendit in cœlũ, *imò ſuper omnes cœlos, vnde & ſuperi cœleſtis hic reſtè vocatur*, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo: *nihil quoad ſubſtantiam carnis & animæ differt ab homine terreno, quanto magis qui*, SECVNDVM ILLVM, *id. participata beatitudine ab eo, eius merito & exemplo*, configurabuntur corpori claritatis eius, *eandem carnis terreſtris ſubſtantiam habebunt?* HABITVM CHRISTI, *&c. Alludit ad Paulum dicentem*: induimini Dominum Ieſum: *vel vt ſubiicit*: ſicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cœleſtis. EXPONERE. *id. deponere & exuere, ita & Paulus*, expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis. NON IAM DEI. *id. non nos aſtringit Paulus ad imitationem Chriſti, qua Verbum eſt Patris, vel in quantum immortalis eſt & glorioſus in cœlis.* LINIAMENTA. *id. vt Chriſti lenitatem, humilitatem, cæteraſque virtutes, quas nobis & verbo & facto in Euangelio delineatas reliquit, ſectemur; dicente Paulo*: vt filij lucis ambulate in bonitate, & Iuſtitia, & veritate. HÆC FIDES SPECTAT. *id. cum* fides ſit ſubſtantia rerum ſperandarum: HÆC FIDES SPECTAT, *id. expectat & ſperat aliam ſubſtantiam qualitate ſcilicet differentem, quæ* HVIC SVBSTANTIÆ, *id. terrenæ quam modo gerimus, promiſſa eſt.* CVI AD ILLAM, *&c. id. terrenæ ſubſtantiæ, homini ſcilicet mortali præcipitur à Paulo, vt ad cœleſtem & glorioſam ſubſtantiam promerendam, Chriſti virtutes imitando elaboret.* CHOICVS, ID EST ADAM. *Nyſſenus de opificio hominis c. 22.* Adamus ſecundùm notationem nominis terrenum figmentum ſignificat, quemadmodum Hebrææ periti tradunt. Idcirco & Apoſtolus excelleuter vernacula in lingua eruditus, hominem è terrâ factum χόϊκον, quaſi dicas puluereum, appellat, voce Adam in Græcam commutata. QVALIS ERGO ILLE CHOICVS. *Totum hunc locum 1. Cor. 15. exponit D. Thomas.* Gen. 1. formauit Dominus hominem de limo terræ: & ideo dicitur eſſe terrenus, id. animalis. Secundus homo ſcilicet Chriſtus factus eſt in ſpiritum viuificantem, quia de cœlo; quia diuina natura quæ fuit huic naturæ vnita, de cœlo eſt. Et ideo debet eſſe cœleſtis, id. talem perfectionem debet habere, qualem decet de cœlo venire, ſcilicet perfectionem ſpiritualem. Io. 3. qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Dicit autem primum hominem de terra ſecundùm modum loquendi, quo res de illo eſſe dicuntur, quod prima pars eſt in eorum fieri: ſicut cultellus dicitur de ferro, quia pars vnde eſt cultellus, eſt ferrum, &c. Secundus homo dicitur de cœlo, non quod attulerit corpus de cœlo, cum de terra aſſumpſerit, ſcilicet de corpore B. Virginis: *veritas enim de terra orta eſt, id eſt vera humanitas Chriſti de terra Virginea*; ſed quia diuinitas, quæ naturæ humanæ vnita eſt, de cœlo venit; quæ fuit prior quàm corpus Chriſti, *addit ex Paulo*: qualis terrenus, &c. Quaſi dicat, Primus homo, quia terrenus fuit & mortalis. *Principium vnicum ex quo tuo factum eſt omne genus hominum.* Ideo deriuarum eſt, vt omnes eſſent & terreni & mortales. Vt ſicut in Adam omnes moriuntur, &c. Et Zach. 13. Adam exemplum meum, &c. Quia vero fuit ſecundus homo cœleſtis, id eſt ſpiritualis & immortalis, ideo omnes & immortales & ſpirituales erimus. Rom. 6. complantati facti ſumus ſimilitudini, &c. Igitur ſi portauimus, &c. Poſſumus dupliciter conformari cœleſti, in vita ſcilicet gratiæ & gloriæ, & vna, eſt via ad aliam, &c. Vt ergo poſſimus eſſe cœleſtes, id. peruenire ad vitam gloriæ, portemus imaginem cœleſtis, per vitam gratiæ: Coloſſ. 3. exuentes veterem hominem induite nouum hominem ſcilicet Chriſtum. Rom. 8. quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri, &c. *Pulchrius & ſubtilius Auguſtinus in Epiſt. 146. ad Conſentium quæ tota eſt de corporum reſurrectione, vbi hoc caput Apoſtoli explicat.* Quid eſt, qualis terrenus, tales & terreni; niſi mortales ex mortali? & quid eſt, qualis cœleſtis, tales & cœleſtes; niſi immortales per immortalem? illud per Adam, hoc per Chriſtum. Dominus enim ad hoc terrenus factus eſt cum eſſet cœleſtis; vt eos qui terreni erant, faceret cœleſtes: hoc eſt, ideo ex immortali mortalis factus eſt, aſſumendo ſerui formam, non Domini mutando naturam, vt eos qui mortales erant faceret immortales, impertiendo Dominicam gratiam, non ſeruilem iniuriam retinendo.

Aug.

3. Et 5. cont. Marc. cap. 10. àp. adm.

a 1. Cor. 15. 45. *Factus* a *primus homo Adam in animam viuam; nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem*; licet ſtultiſſimus hæreticus noluerit ita eſſe. Dominum enim poſuit nouiſſimum, pro nouiſſimo Adam; veritus ſcilicet ne ſi & Dominum nouiſſimũ haberet, Adam, & eiuſdem Chriſtum defenderemus in Adam nouiſſimo, cuius & primum. Sed falſum relucet. Cur enim primus Adã, niſi quia & nouiſſimus Adam? Non habent ordinem inter ſe niſi paria quæque, & eiuſdem vel nominis, vel ſubſtantiæ, vel auctoris. Nam etſi poteſt in diuerſis quoque eſſe aliud primum, aliud nouiſſimum, ſed vnius auctoris. Ceterùm, ſi & auctor alius, & ipſe quidem poteſt nouiſſimus dici. Quod tamen intulerit primum eſt; nouiſſimum autem ſi primo par ſit. Par autem primo non eſt, quia non eiuſdem auctoris eſt. Eodem modo & in nomine hominis reuincetur. *Primus*, inquit, *homo de humo terrenus; ſecundus, dominus de cœlo.* Quare ſecundus, ſi non homo, quod & primus? Aut nunquid & primus dominus, ſi & ſecundus? Sed ſufficit, ſi in Euangelio filium hominis adhibet Chriſtum & hominem, & in nomine Adam eum negare non poterit. Sequentia quoque eum comprimunt. Quum enim dicit Apoſtolus, b *Qualis qui de terra*, homo ſcilicet, *tales & terreni*, homines vtique. Ergo, *& qualis qui de cœlo*, homo; *tales & qui de cœlo*, homines. Non enim poterat hominibus terrenis non homines cœleſtes oppoſuiſſe, vt ſtatum ac ſpem ſtudioſius diſtingueret in appellationis ſocietate. Statu enim ac ſpe dicit terrenos atque cœleſtes homines; tamen ex pari, qui ſecundum exitum aut in Adam aut in Chriſto deputantur. Et ideo iam ad exhortationem ſpei cœleſtis: c *Sicut portauimus*, inquit, *imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis*, non ad ſubſtantiam vllam referens reſurrectionis, ſed ad præſentis temporis diſciplinam. *Portemus* enim, inquit,

Marcionis textus corruptus.

b 1. Cor. 15. 48.

c Ibid. 49.

non portabimus; præceptiue, non promissiue, volens nos sicut ipse incessit, ita incedere, & à terreni, id est, veteris hominis imagine abscedere, quæ est carnalis operatio.

CHRISTI ELOGIA. III. SCHOLIA.

STVLTISSIMVS HÆRETICVS. *Marcion scilicet dementissimè subtraxit loco Apostoli, nomen Adam,* ET NOLVIT ITA ESSE, *id. sic manere scriptum, sicut scripserat Apostolus. Et loco,* Adam, *posuit,* Dominum. *Præ stultitia non aduertens, quod relinquendo in prima parte sententiæ,* primus homo Adam, *ordinem necessarium dicit primus, ad secundum, siue nouissimum. Timebat nimirum ne si,* DOMINVM NOVISSIMVM, *id est Christum,* HABERET ADAM, *id. Adam nominaret* EIVSDEM *scilicet Dei Creatoris admittere cogeretur, nouissimum, cuius & primum Geneſis expressè refert.* NAM ETSI. *id. quamuis in rebus diuersis inter se & alterius generis possit esse, & primum & vltimum;* SED VNIVS AVTHORIS, *supple, non erunt.* CÆTERVM SI AVTHOR ALIVS, *id. si Deus Marcionis, alius est, quàm Deus Creator,* ET IPSE QVIDEM, *Deus Marcionis, vel Christus eius, poterit dici nouissimus.* QVOD TAMEN INTVLERIT, *supple principium, id Creator: qui primus,* INTVLIT, *id. creauit Adam, illum primum fecit; & Christus alterius Dei posterioris, poterit nouissimus dici: si* PRIMO PAR SIT, *id. si primo Adæ sit similis, nempe vera carne & anima constans, passibilis, &c.* PAR AVTEM PRIMO, *&c. id. Christus Marcionis, alterius Dei cum sit, nouissimus dici non potest; quia primo similis non est. Vnde nec de Christo Marcionis locutus est Paulus quamuis tacuisset Adæ nomen, & Dominum nouissimum appellasset.* REVINCETVR, *id est, conuincetur, confutabitur. Ita Cicero pro Archia. Gellius lib. 6. c. 2.* EODEM MODO. *Aliud argumentum profert contra Marcionem, quoad Paulus apertè hominem primum de terra terrenum dicat, quod etiam habet ordinem ad secundum: licet Marcion legat,* secundus Dominus, de cœlo. *Scio quidem in Translat. Syriaca, vt supra premisimus Scholio precedenti, haberi:* homo secundus, Dominus è cœlo: *& Græcos Patres temporibus B. Chrysostomi & Theophilacti, sic legisse:* secundus homo ipse Dominus de cœlo: *vbi vides non tantum Dominum, sed & hominem dici.* SED SVFFICIT, *&c. Satis est, inquit, mihi, quod Marcion in Euangelio legat Christum Dominum, hominem, vt tergiuersari non possit, & negare iam audeat Christum esse nouissimum Adam.* STATV AC SPE, *&c. id. homines statu naturæ, ex Adam, terreni; & iidem absque diuersitate substantiæ, spe in Christum & eius meritum cœlestes. Et hoc est quod subiicit:* SECVNDVM EXITVM DEPVTANTVR. *id. iidem homines qui exitum, hoc est ortum habent ex Adam, rursum ex Christi sanguine & ex Deo nati, Io. 1.* non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, *cœlesti beatitudini deputantur. In quo Paulus,* INAPPELLATIONIS SOCIETATE, *id. enumeratione nominis hominis, studiose & accurate distinxit,* STATVM, AC SPEM *id. non distinxit substantias, sed qualitates diuersas, statum naturæ terrenæ, & spei cœlestis gloriæ* TAMEN EX PARI. *id. ex simili omnino natura, siue homines in Adam, siue fideles in Christo, mortales, vel immortales, considerentur.* PORTEMVS, INQVIT. *Bene notat Paulum nos hortari pro præsenti tempore, vt Christi portemus imaginem, eius disciplinæ, doctrinæ, vitæ, nos conformando;* NON PROMISSIVE *Id est, non respexit Paulus hoc loco imaginem glorioſi corporis in resurrectione assumendam, sed virtutum eius imitationem. Non exaudiendus est Erasmus, neque Isidorus Clarius, qui legunt* portabimus, *pro,* portemus, *sicut etiam nobiscum Cyprianus frequenter, Ambrosius, Augustinus, Irenæus, & ipse Theophylactus Græcus. Totum hunc locum Pauli sic repono, & cum D. Augustino & S. Thoma expl. co. 1.* Cor. 15. factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam, in spiritum viuificantem, &c. Primus homo de terra terrenus secundus homo de cœlo cœlestis, &c. *Hanc secundam partem vide expositam Scholio precedenti. Quod super est sic cum D. Thoma* Factus est à Deo primus homo Adam in animam viuentem, vita scilicet animali, qualem anima potest dare, cum scilicet spirauit Dominus in faciem eius spiraculum vitæ, Gen. 2. Anima enim dicitur & spiritus. In quantum enim intendit curæ corporis, scilicet vegetando, nutriendo, & generando, dicitur anima: in quantum autem intendit cognitioni, scilicet intelligendo, volendo, &c. Spiritus. Vnde intendit hic Apostolus de vita, qua anima deseruit circa corpus, non de Spiritu sancto, sicut quidam fingunt, &c. Nouissimus Adam, id est Christus, quia Adam induxit vnum statum scilicet culpæ, Christus verò gloriæ & vitæ. Vnde cùm post statum istum nullus alius sequatur in vita ista, ideo dicitur nouissimus, &c. Dicitur autem Adam, quia de natura Adæ factus in spiritum viuentem, &c. Primus homo factus est in animam, nouissimus in spiritum. Ille autem in animam viuentem solum, iste verò in spiritum, & viuentem & viuificantem, &c. Quia sicut Adam consentus est perfectionem sui esse per animam: ita & Christus, in quantum homo, per Spiritum sanctum. Et ideo cum anima non possit nisi proprium corpus viuificare, ideo Adam factus est in animam, non viuificantem, sed viuentem tantum: sed Christus factus est in spiritum viuentem & viuificantem: & ideo Christus habuit potestatem viuificandi. Io. 1. de plenitudine eius omnes accepimus. Et Io. 10. veni vt vitam habeant & abundantius habeant, &c. Sed ne aliquis diceret; si Christus factus est in spiritum viuificantem, quare dicitur nouissimus? ideo consequenter dicit: sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Ostendit ordinem principiorum. Videmus enim in natura, quia in vno & eodem, prius est imperfectum quam perfectum, &c. Vnde vt seruetur ordo, prius debet esse imperfectum, scilicet animale in homine, sicut dicit Augustinus: huius signum est quo primogeniti antiquitus, consueuerunt esse animales; Sicut Cain ante Abel natus. Ismaël ante Isaac, Esaü ante Iacob. *Aug. Ep. 57. ad Dardanum.* duo ista quæ in vno fiunt homine, nasci & renasci, ad duos homines pertinent, vnum ad illum primum Adam, alterum ad secundum qui dicitur Christus, sed non prius ait Apostolus quod spirituale est, &c. *Et lib. 13. de ciuit. c. 13* quomodo induimus imaginem terreni, induamus & imaginem eius qui de cœlo est. Induimus autem imaginem terreni hominis propagatione præuaricationis, & mortis quam nobis intulit generatio: sed induimus imaginem cœlestis hominis gratia Indulgentiæ vitæque perpetuæ, quod nobis præstat regeneratio. *Et 6. de Gen ad lit. c. 19.* Imaginem cœlestis hominis nunc ex fide portamus, habituri in resurrectione quod credimus.

S. Aug.

S. Augu.

S. Aug.

S. Augu.

S. Aug.

Imaginem autem terreni hominis ab ipso exordio humanæ generationis induimus. *Et lib. 14. de Trin. cap. 17. iuxta Apostolum ad Colos. 3.* Exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur, de die in diem. Qui de die in diem proficiendo renouatur, transfert amorem à temporalibus ad æterna, à visibilibus, ad intelligibilia à carnalibus ad spiritalia, &c. In hac imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio.

S. Augus.

4. *Christus Creatoris, non autem Marcionis, propriè dicendus filius hominis; quia verè natus de Virgine Matre. 4. cont. Marc. cap. 10. circa m.*

DE filio hominis, duplex est nostra præscriptio, neque mentiri posse Christum, vt se filium hominis pronuntiaret, si non verè erat: neque filium hominis constitui, qui non sit natus ex homine, vel patre vel matre; atq. ita discutiendum, cuius hominis filius accipipi debeat, patris an matris. Si ex Deo patre est, vtique non ex homine. si non & ex homine, supereſt vt ex homine sit matre. si ex homine, iam apparet quia ex virgine. Cui enim homo pater non datur, nec vir matri eius deputabitur. porrò, cui vir non deputabitur, virgo est. Ceterùm, duo iam patres habebuntur, Deus & homo, si non virgo sit mater. Habebit enim virum, vt virgo non sit; & habendo virum, duos patres faciet, Deum & hominem, ei qui & Dei & hominis esset filius. Talem, si forte, Castori aut Herculi natiuitatem tradunt fabulæ. Si hæc ita distinguuntur, id est, si ex matre filius est hominis, quia ex patre non est; ex matre autem virgine, quia non ex patre homine; hic erit Christus Esaiæ, quem concepturam virginem prædicat. Qua igitur ratione admittas filium hominis, Marcion, circumspicere non possum. Si patris hominis, negas Dei filium; si & Dei, Herculem de fabula facis Christum; si matris tantùm hominis, meum concedis; si neque patris hominis, ergo nullius hominis est filius; & necesse est mendacium admiserit, qui se quod non erat, dixit. Vnum potest angustiis tuis subuenire, si audeas aut Deum tuum patrem Christi hominem quoque cognominare, quod de Æone fecit Valentinus; aut virginem hominem negare, quod ne Valentinus quidem fecit. Quid nunc si ipso titulo filij hominis censetur Christus apud Danielem? nonne sufficiet ad probationem prophetici Christi? Quum enim id se appellat quod in Christum prædicabatur Creatoris, sine dubio ipsum se præstat intelligi, in quem prædicabatur. Nominum communio simplex, si forte, videri potest, & tamen nec Christum, nec Iesum vocari debuisse defendimus, diuersitatis conditionem tenentes. Appellatio autem quod est filius hominis, in quantum ex accidenti obuenit, in tantum difficile est, vt & ipsa concurrat super nominis communionem. Ex accidenti enim proprio est, maximè quum causa non conuenit eadem per quam deueniat in communionem. Atque adeo si & Christus Marcionis natus ex homine diceretur, tunc & ipse caperet appellationis communionem & essent, duo filij hominis, sicut & duo Christi, & duo Iesus. Ergo quum appellatio propria est eius, in quo habet causam, si alij vindicetur, in quo est communio nominis, non etiam appellationis, suspecta iam fit communio nominis quoque in eo, cui vindicatur sine causa communio appellationis; & sequitur vt vnus idemque credatur, qui & nominis & appellationis capacior inuenitur, dum alter excluditur, qui non habet appellationis communionem, carens causa nec alius erit capacior vtriusque, quàm qui prior, & nomen sortitus est Christi, & appellationem filij hominis; Iesus scilicet Creatoris. Hic erat visus Babylonio regi in fornace cum martyribus suis quartus, tanquam filius hominis.

Esa. 7. 14.

Dan. 7. 13.

Dan. 3. 92.

CHRISTI ELOGIA. IV. SCHOLIA.

DE FILIO HOMINIS. *Superiori Scholio vidimus ex Paulo Christum & Adam & hominem nominatum: hoc capite iuxta Danielem in veteri lege, & in noua secundum Lucam quem Marcion admisit, filium hominis dictum supponendo, duplex argumentum inde sumit contra Marcionem, primo neque Christum eius, vtpote Dei boni & veri filium mentiri non debuisse, seipsum pronuntiando filium hominis: secundo filium hominis verè se dicere non potuisse, si verè ex homine natus non esset, quod Marcion vt Christo suo indignum negabat. Restat itaque examinandum, an Christus filius hominis sit ex parte patris, an matris. Si filius hominis est ex Deo Patre, certe non potest dici natus ex homine. Si vero non ex homine viro, vt constat, super est vt homo sit ex matre, eaque virgine, cum Patrem hominem non habeat, nec mater eius virum vnquam cognouerit. Si enim verè homo est, & mater eius virgo non est, & tamen eum verè genuit, de viro genuit, & sic Christus duos habebit patres; vnum in quantum homo, alterum in quantum Deus. Deum Patrem ratione diuinitatis, hominem Patrem ratione humanitatis.* TALEM SI FORTE CASTORI, &c. *Si hoc ita sit ô Marcion, vt Christum fingas vel admittas ex Deo & homine patre genitum, similem dabis ei natiuitatem, qualem Castoris & Herculis fuisse Poëta fabulantur. Iupiter enim homo Deus factus à Gentilibus, genuit Castorem ex Leda, Tyndari coniuge, & similiter Herculem ex Alcmena Amphytrionis vxore, quæ duo dici possunt quodammodo, Dei & hominis filij.* SI HÆC ITA *distinguuntur, id est, si bene duas in Christo naturas distinguis, vt Christum Deum de Deo fatearis filium autem hominis ex matre virgine sine virili semine, hic erit verus Christus, de quo prædixit Esaias* ecce virgo concipiet & pariet filium. *Vnde nescio quomodo Marcion possit Christum filium hominis confiteri. Nam si ex patre homine vult natum, negat Dei filium, si ex patre homine qui simul Deus sit, fabulosè Herculi inducis similem. Quod si concedas filium*

hominis ex ſola matre virgine, noſtrum Chriſtum eumque Propheticũ, & à veteri lege, quam reprobat Marcion, eſſe fatetur. Tandem ſi neque ex Patre homine, neque ex Matre Virgine natus eſt homo, profectò mentitus eſt qui ſe dixit eſſe filium hominis, cum non eſſet. Non poteſt ſe Marcion ab his rationibus expedire, niſi vel in errorem impingat Valentini, vel adhuc in peiorem, videlicet vt Deum ſuum, Chriſti Patrem, hominem quoque dicat fuiſſe, vt Chriſtus ſit filius hominis: ſicut Valentinus Chriſtum ſuum, & Ieſum conſarcinatum fecit ex omnibus Æonibus, vel vt Virginem Creaturam humanam fuiſſe neget, quod ne quidem auſus eſt dicere Valentinus. QVID NVNC, *&c. Quid reſpondebit titulo & nomini filij hominis, quem Chriſto Daniel adſcribit? Nonne conuincit, Chriſtum, dum ſe filium hominis appellauit in Euangelio, impleſſe prophetiam, & ipſummet eſſe quem Daniel prædixerat, Chriſtum nempe Creatoris, & Authoris Prophetarum?* NOMINVM COMMVNIO SIMPLEX, *&c. Si oculos habet Marcion, & videre poteſt nudam & ſimplicem ſimilitudinem nominũ, qui tam in lege veteri quam in noua Dei filio tribuuntur, qualia ſunt* Ieſu, Chriſti, filij hominis, *firmiter ſiſtineo. Marcionem* DIVERSITATIS CONDITIONEM TENENTEM. *id. colentem Deum & Chriſtum diuerſe omnino conditionis à noſtro Deo & Chriſto, non debuiſſe, nec poſſe eadem nomina Chriſto ſuo applicare. Quomodo igitur Chriſtum ſuum filium hominis vocat, communi appellatione cum noſtro, cum ratio propter quam noſter, & quilibet alius, filius hominis nominatur, ſit, quia natus eſt ex homine? Chriſtus autem Marcionis cum non ſit natus ex homine, non poteſt communi iſta appellatione nominari. Vnde ſequitur, vt cum appellatio propriè ei ſoli conueniat in quo eſt fundamentum talis appellationis, ſuſpecta ſit communio nominis in eo, cui fruſtra & ſine fundamento talis appellatio tribuitur. Proinde cum tali cauſa & fundamento, vere natiuitatis ex homine, caueat Chriſtus Marcionis, ſolus Chriſtus & Ieſus Creatoris, appellationem filij hominis merebitur, qui verè filius hominis natus eſt, & ante Ieſum & Chriſtum Marcionis, in veteri lege, & proprium nomen, tam Chriſti, quàm Ieſu, & communem omni homini ex homine nato, nomẽ filij hominis verè naſciturus filius hominis ex homine matre apud Danielem accepit, qui inter tres pueros Regi Nabuchodonoſor, apparuit. Non hîc tantum ſed & 4. cont. Marc. cap. 21. ſimiliter dixit*: perſpice igitur, & tu cum Rege Babylonio, fornacem eius ardentem, & inuenies illic tanquam filium hominis, nondum enim verè erat, nondum ſcilicet natus ex homine. *Quæſiui apud Biblia omnia quæ inuenire potui, ſed nulla omnino verſio occurrit mihi quæ legat:* tanquam filius hominis. *Vulgatà quidem Dan. 3. 92. ſic inducit Nabuchodonoſor loquentem,* ecce video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei. *Sic omnino & Sanctes Pagn. ex Hebr. Vatablus autem,* in quibus nulla eſt labes, & forma quarti ſimilis filio Deorum. *Et in Scholio ſuo,* filio Dei, id. Angelo. Non intelligitur de Chriſto, ſed Angelo vt ſtatim poſt exponitur cùm dicit, miſit Deus Angelum, &c. *Apud 70.* Species quarti, ſimilitudo filij Dei. *Sic in Græco;* καὶ ἡ ὄψις τοῦ τετάρτου ὁμοία υἱῷ Θεοῦ. *alij* υἱοῖς Θεῶν, *Filij Deorum. Symmachus,* ſimilitudo filiorum Deorum. *Hic ſtupeo bis hallucinatum Tertullianum. Probatio tamen eius non deficit, cùm Danielis ſeptimo ſubiicit;* ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat. *Sed hoc loco, & altero ſupra citato, vt nunc demonſtrani, nihil habetur de filio hominis. Vnum eſt quod Tertulliano hîc lapſo manum porrigat, quod dixerit Nabuchodonoſor coniunctim, tam de tribus pueris,* A *quàm de Angelo deſcendente cum ipſis in fornacem* ego video viros quatuor: *vt ipſe Angelus qui teſte Hiero. & Auguſtino, allegoricè Chriſtum Dominum Dei filium repræſentabat, etiam humana ſpecie, ſed præ tribus aliis ſplendidiore, apparuerit: vt ſic dici poſſit, licet in textu non ſit formaliter, ſed æquiualenter,* tanquam filius hominis APPARET, QVIA EX VIRGINE. *Auguſt. ſer. 7. de nat. qui eſt 11. de temp.* S. Auguſt. Hodie parturiente Maria natus eſt nobis Dei filius, vt germanæ carnis noſtræ conceptione productus, creato à ſe homini, & pietatem paternam, & fraternum largiretur affectum. Et natus ſanè ab intacta eſt fœmina, vt eum pariter & hominem teſtaretur partus humanus, & Deum probaret æterna virginitas. Nam ſicut non poterat niſi caro de carne naſci, ita non poterat Dei caro de fœmineo B vtero niſi ſine generante prodire, &c. Si contra naturam eſſe contendis quod in myſterio redemptionis noſtræ ſine viro puella aſſeritur concepiſſe, cuius quæſo naturæ eſt, quod in parente generis noſtri, caro ſine carne formata eſt? quæ eſt iſta ratio, imo quam cæca contentio, vt non credatur Deus facere hominem poſſe de fœmina, quem creditur de puluere feciſſe? &c. Si ſolicitus perſcruteris, præter hunc legitimum humanæ conceptionis vſum, tres valde mirabiles naſcendi ſpecies operatam reperies Trinitatem: & prima eſt quidem, quod Adam figuratus ex limo eſt, ſecunda quod mulier formata de maſculo, tertia quæ & cœleſtis eſt, quod Chriſtus proceſſit ex Virgine. Quid horum non nouum, quid horum non mira- C bile, quid horum, ſi non fidem ſequamur, inquiſitio poterit humana complecti? SI MATRIS TANTVM HOMINIS. *Auguſtinus in Pſal. 142.* S. Aug. de nato quodam in Sion, & conditore ipſius Sion Pſalmus quidam dicit: *Pſalmus ſcilicet 86. de quo iam alibi diximus cum Tertulliano, & Aug.* Mater Sion S. Aug. dicet homo, quis homo? & homo factus eſt in ea: *ea inquam quæ mater homo eſt & generis humani, ex Adam filia, in Chriſto mater:* & ipſe fundauit eam altiſſimus. Denique ipſe in Sion factus eſt homo, ſed humilis factus eſt homo, & idem ipſe altiſſimus fundauit eam ciuitatem, in qua factus eſt homo. Itaque & illa mulier *Apoc. 12.* Sole cooperiebatur, Sole ipſo iuſtitiæ, &c. Eſt ergo quidam Sol Iuſtitiæ, qui non oritur impiis, *Sap. 5* Cæterùm iſtum Solem facit oriri ſuper bonos & malos. D *Matth. 5.* Ergo & amicta erat Sole, & geſtabat viſceribus maſculum paritura. Idem ipſe erat conditus Sion, & naſcens in Sion: & illa mulier ciuitas Dei eius luce protegebatur, cuius carne grauidabatur. Meritò & lunam ſub pedibus habebat, quia mortalitatem creſcentis, & decreſcentis carnis, virture calcabat. *Addam & matrem hominem Dei hominis, amictam Sole, ſupra lunæ maculas euectam, ſine corruptione concipientem & parientem, ſapientem inſpexiſſe mirabundum, cum exclamaret:* ô quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! TITVLO FILII HOMINIS CENSETVR. *Quod apud Danielem ſemel, centies in Euangelio legitur. Aug. ſer. 44. de verbis Do. ſecundum Io.* S. Auguſt. E *aptè ad Danielem de Iudicio loquentẽ c. 7. Io. 5.* poteſtatem dedit ei facere iudicium, quoniã filius hominis eſt. Iſte filius Dei, filius hominis. Etenim ſi filius Dei, Filius Dei maneret, & filius hominis non fieret, filios hominum non liberaret. Ipſe qui fecerat hominem, factus eſt quod fecit, ne periret quod fecit. Sic autem factus eſt homo, vt maneret filius Dei. Factus eſt homo ſuſcipiendo quod non erat, non perdendo quod erat. Manens Deus, factus eſt homo. Accepit te, non conſumptus eſt in te. Talis

ergo ad nos venit, filius Dei, filius hominis, faciens & factus, Creator & creatus, Creator matris, creatus ex matre. &c. Forma illa iudicabit quæ iudicata est. &c. Rectum erat vt iudicandi vi- A derent iudicem. Iudicandi autem erant & boni & mali. &c. Restabat vt in iudicio forma serui & bonis & malis ostenderetur, forma Dei solis bonis seruaretur.

Et ibidem in f.

AD hæc, quodcunque diuersa pars fuerit argumentata, quale sit, dispice. Nam in illam necesse est amentiam tendat, vt & filium hominis defendat, ne mendacem eum faciat; & ex homine neget natum, ne filium virginis concedat. Quod si & auctoritas diuina, & rerum natura, & communis sapientia non admittunt insaniam hæreticam, occasio est & hîc interpellandi quàm breuissime de substantia corporis aduersus phantasmata Marcionis. Si natus ex homine est; vt filius hominis, corpus ex corpore est. Plane facilius inuenias hominem natum, cor non habere vel cerebrum; sicut ipsum Marcionem, quàm corpus vt Christum Marcionis. Atque adeo inspice cor Pontici aut cerebrum.

CHRISTI ELOGIA. V. SCHOLIA.

ADHÆC. *id. preterea, praeter supra dicta. quidquid aduersarius Marcion argumentari voluerit, in vnum è duobus scopulum impinget, vt si Christum filium hominis neget, eum mendacem faciat: si verè filium hominis concedat, verè quoque ex Virgine natum, & verè incarnatum, contra dogma proprium admittat.* INTERPELLANDI. *Vox Iuris quæ significat vel postulare iustitiam, & innocare officium iudicis. l. diffamatic. de Ingen. manum. vel interrumpere. Sicut interpellari possessio vsucapione dicitur. l. 14. ff. de seruitutibus. Vel rogare quadam instantia, vel aliquid loquentem, vel agentem interrumpere, ibidem, & l. 31. ff. ibid. ex Budæo*, interpellare debitorem, est in iudicium vocare. *Hîc Tertul.* interpellat, *id. in Iudicium vocat Marcionem, coram.* Authoritate diuina, *quæ verè natum de Virgine Christum prædicat*, & rerum naturâ, *quæ idem clamat scilicet*, & communi sapientia, *id. sensu communi omnium, contestante quod ex corpore nascitur, verè corpus esse. Vt facilius sit inuenire hominem de homine natum sine cerebro & corde, qualis fuit excerebratus & excors natiuitate Ponticus, sensu & Iudicio carens, quàm corpus simile corpori Christi Marcionis, quem ipse vult filium hominis esse, licet nec corpus hominis habuerit, nec de matre homine natus sit. Aug. ser. 48. de Ver. Do. sec. Ioannem.* Inuenit carnem in illo princeps huius mundi, inuenit. Et qualem carnem? mortalem, quam possit tenere, quam possit crucifigere, quam possit occidere. Erras deceptor, non fallitur Redemptor, erras, vides A in Domino carnem mortalem, non est caro peccati, similitudo est carnis. Rom. 8. misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vera caro, mortalis caro, sed non peccati caro; *& de Agone Christiano c. 18.* nec eos audiamus, qui non verum hominem susceptisse dicunt filium Dei, neque natum esse de fœmina, sed falsam carnem, & imaginem simulatam corporis humani ostendisse videntibus. Nescium enim quomodo substantia Dei administrans vniuersam creaturam inquinari omnino non possit, & tamen prædicans istum visibilem Solem radios suos per omnes feces & sordes corporum spargere, & eos mundos & sinceros vbique seruare. Si ergo visibilia munda visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari: quanto magis inuisibilis & incommutabilis veritas per Spiritum animam, & per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus, nulla sua contaminatione liberauit? itaque magnas patiuntur angustias; & cum timent quod fieri non potest, ne humana carne veritas inquinetur, veritatem dicunt esse mentitam. Et cum ille Matth. 5. præceperit, dicens: sit in ore vestro, est, est, non, non: & Apostolus clamet 2. Cor. 1. non erat in illo, est & non, sed, est in illo erat: isti totum corpus eius falsam carnem fuisse contendunt, vt non sibi videantur imitari Christum, si non suis auditoribus mentiantur. Aug.

B Augustin.

6. *Christus filium Dauid. se vltro dixit coram Scribis vt se Dominum probaret. 4. cont. Marc. cap. 38. inf.*

a Psal. 109. 1.

SI autem Scribæ Christum filium Dauid existimabant, ipse autem a *Dauid Dominum eum appellat*; quid hoc ad Christum? Non Dauid errorem Scribarum obtundebat, sed honorem Christo Dauid procurabat; quem Dominum Christum magis quàm filium Dauid confirmabat; quod non congrueret destructori Creatoris. At ex nostra parte; quàm conueniens interpretatio? Nam qui olim à cæco illo b *filius Dauid* fuerat inuocatus, quod tunc reticuit, non habens in præsentia Scribas: nunc vltro coram eis de industria protulit; vt se, quem cæcus secundùm Scribarum doctrinam filium tantum Dauid prædicarat, Dominum quoq. eius ostenderet; remunerata quidem fide cæci, quâ filium Dauid crediderat illum; pulsatâ verò traditione Scribarum, quâ non & Dominum eum norant. Quodcunque ad gloriam spectaret Christi Creatoris, sic nòn alius tueretur, quàm Christus Creatoris.

b Luc. 18. 38.

CHRISTI ELOGIA. VI. SCHOLIA.

SI AVTEM SCRIBÆ. *Respicite locum Luc. 20. vbi quidam Scribæ de septem fratribus eidem vxori successiuè nubentibus iuxta legem accepto à Christo responso, non haberent quid dicerent.* Respondentes A quidam Scribarum dixerunt ei: Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare. Dixit autem ad illos: quomodo dicunt Christum filium esse Dauid? *Translat. Syr. quomodo dicunt*

dicunt Scribe de Meſchicho enim eſſe filium Dauid. Et ipſe Dauid dicit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo, &c. Dauid ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius eius eſt? QVID HOC AD CHRISTVM? *quid inde tibi Marcion tuo, ne errori accedit? an inde probas & conuincis Chriſtum non veram carnem ſumpſiſſe ex ſemine Dauid? vt quid ergo Paulus Rom. 1.* Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem? *Errat Marcion, non enim Dauid Chriſtum dicendo Dominum Scribas quaſi errantes* OBTVNDEBAT. *id. arguebat quaſi falſo crederent Chriſtum hominem carnem ex ſemine Dauid aſſumpſiſſe: ſed Dauid potius eos ſolum hominem credentes Chriſtum, ad eius diuinitatem credendam erigebat, vt eum non iam ſimpliciter filium regis Dauid, ſed Dei filium & vniuerſi Dominum adorarent, quem ipſe Dauid eorum Propheta licet vere filium ſuum ſciret, vocare non auderet, ſed tanquam Dei filium, vt verè erat, adoraret.* QVOD NON CONGRVERET, *&c. qua prædicatio & laus Pſaltis Regij conuincit Chriſtum verè fuiſſe filium Creatoris, cuius legem deſtruere non venerat, ſed implere.* QVI OLIM A CÆCO. *Luc. 18.* Factum eſt cum appropinquaret Iericó cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans, & cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. dixerunt autem ei, quod Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit dicens: Ieſu fili Dauid miſerere mei. Et qui præibant increpabant eum vt taceret. Ipſe vero multo magis clamabat: fili Dauid miſerere mei. QVOD TVNC RETICVIT, *ſcilicet interrogare noluit increpantes vt taceret; quia cum non aderant Scribæ. Hæc autem vice, quia aderant, nulla obiecta occaſione, de induſtria quæſiuit, cur cum filius eſſet Dauid, ipſe eum vocaret Dominum ſuum. Quo facto, & fidem cæci compenſauit, quod iuxta Scribarum doctrinam ſe olim filium Dauid prædicaſſet; & vanam traditionem Scribarum* PVLSAVIT, *id. arguit, qua eum parum & ſolum hominem de ſtirpe Regia Dauid Chriſtum crederent, non autem ſimul & Dei filium, proindeque Dauidis & totius mundi Dominum.* QVODCVMQVE AD GLORIAM. *Sic Chriſtus probauit ſe eſſe Chriſtum Saluatoris, cum nullus alius opportunè, vel importunè procurare poſſet gloriam Chriſti Creatoris, ſicut ipſe procurabat. Aug. ſer. 18. de verb. Do. ſec. Matth. de duobus cæcis clamantibus, Domine miſerere noſtri fili Dauid, & tranſeunte Ieſu illuminatis.* Quid eſt tranſit Ieſus? agit temporalia Ieſus, quid eſt tranſit Ieſus? agit tranſitoria Ieſus, &c. Credimus enim in filium Dei, non tantùm quia Verbum Dei eſt, per quem facta ſunt omnia. Si enim ſemper in forma Dei manens æqualis Deo, non ſemetipſum exinaniret formam ſerui accipiens, nec ſentirent cæci vt poſſint clamare. Sed cum operaretur tranſitoria, id eſt humiliaret ſe factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis; clamauerunt duo cæci miſerere

A noſtri fili Dauid. Quia & hoc ipſum quod Dominus & Creator Dauid, etiam filius Dauid eſſe voluit, in tempore hoc egit, tranſiens hoc fecit, &c. Eſt diuinitas Chriſti, eſt humanitas Chriſti. diuinitas ſtat, humanitas tranſit. quid eſt diuinitas ſtat? non mutatur, non conuellitur, non recedit. Non enim ſic ad nos venit, vt à Patre diſcederet; nec ita aſcendit vt loco moueretur. aſſumpta carne locum mutauit; Deus autem aſſumens carnem, quia in loco non eſt, nec mutat locum. *Et in Pſal.* 109. Non erubeſcamus de filio Dauid, ne iratum inueniamus Dominum Dauid, &c. aliud eſt tranſitorium Domini, aliud ſtabile Domini. tranſitorium Domini virginis partus, Verbi Incarnatio, ætatum gradatio, miraculorum exhibitio, paſſionum perpeſſio, mors, reſurrectio, Aſcenſio in cœlum; hoc totum tranſitorium fuit. Num enim adhuc Chriſtus naſcitur, aut adhuc moritur, aut adhuc reſurget, aut adhuc aſcender in cœlum? noune videris ita facta per tempora cucurriſſe, per tempora exhibuiſſe viatoribus quiddam tranſitorium, ne in via remanerent, ſed ad patriam peruenirent? &c. *Subiicit quomodo filius Dauid ſecundum id quod tranſit, factus ſit Dominus Dauid, ſecundum quod ſtat.* Eo ipſo quod erat filius Dauid, Chriſtus factus eſt Dominus Dauid illud enim quod natum eſt ex ſemine Dauid, ita honoratum eſt, vt eſſet & Dominus Dauid. Ita admiraris hoc? quaſi & in rebus humanis iſta non fiant. Si enim contingat filium cuiuſquam regem fieri patre priuato, nonne erit Dominus patris? admirabilius eſt, quod poteſt contingere, vt non ſolum rex factus priuati filius, Dominus ſit patris ſui, ſed & Epiſcopus factus Laici filius, Pater ſit Patris ſui. Ergo & eo ipſo quod carnem accepit Chriſtus, quod in carne mortuus eſt, quod in eadem carne reſurrexit, quod in eadem carne aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram Patris, & in eadem ipſa carne ſic honorata, ſic clarificata, ſic in cœleſtem habitum commutata, & filius eſt Dauid, & Dominus eſt Dauid. Secundum hanc enim diſpenſationem, tranſitus Chriſti, etiam illud ab Apoſtolo dicitur Philip. 2. propter quod & Deus &c. & donauit illi nomen, &c. vt in nomine Ieſu, &c. vbi erit Dauid, vt non ei ſit Dominus? In cœlo ſit, in terra ſit; in inferno ſit, Dominus eius erit, qui eſt Dominus Cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Gaudeat ergo nobiſcum & Dauid filii ſui natiuitate honoratus, dominatu liberatus, & gaudens dicat, vt à gaudentibus audiatur; Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Sede, non ſolum in alto, ſed & in occulto excellens, vt domineris; Latens, vt credaris: Quæ enim eſſet merces fidei, niſi lateret quod credimus? merces autem fidei eſt, videre quod credimus, antequam videremus.

B

C

D

7. Chriſtus non Angelus vt placet Valentinianis, ſed homo infra Angelos factus, nec per Angelum, ſed per ſe magni Conſilii Angelum hominem redemit. De Car. Chri. cap. 14. per totum.

SEd Angelum aiunt, geſtauit Chriſtus. Qua ratione? qua & hominem. Eadem ergo eſt & cauſa vt hominem geſtaret Chriſtus. Salus hominis fuit cauſa; ſcilicet ad reſtituendum quod perierat. Homo perierat. hominem reſtitui oportuerat. Vt angelum geſtaret Chriſtus, nihil tale de cauſa eſt. nam etſi angelis perditio reputatur, [a] *in ignem præparatum diabolo & angelis eius*, nunquam tamen illis reſtitutio repromiſſa eſt. Nullum mandatum de ſalute angelorum ſuſcepit Chriſtus à Patre. Quod Pater neque repromiſit, neque mandauit, Chriſtus adminiſtrare non potuit. Cui igitur rei angelum quoque geſtauit, niſi vt ſatellitem fortem, cum quo ſalutem hominis operaretur? Idoneus enim non erat Dei filius, qui ſolus hominem liberaret, à ſolo & ſingulari ſerpente deiectum. Ergo iam non vnus Deus, nec vnus

[a] Math. 25. 46.

salutificator, si duo salutis artifices, & vtique alter altero indigens. An vero, vt per angelum liberaret hominem? Cur ergo descendit ad id quod per angelum erat expediturus? Si
b Esa. 9. 6. per angelum, quid & ipse? Si per se, quid & angelus? Dictus est quidem b *magni consilii angelus*, id est nuntius: officii, non naturæ vocabulo. Magnum enim cogitatum patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus seculo erat. Non ideo tamen sic angelus intel-
Math. 21. 37. ligendus, vt aliqui Gabriel aut Michael. Nam & filius à domino vineæ mittitur ad cultores, sicut & famuli, de fructibus petitum. Sed non propterea vnus ex famulis deputabitur filius, quia famulorum successit officio. Facilius ergo dicam, si fortè, ipsum filium angelum, id est
c Psal. 8. 6. nuntium patris, quàm angelum in filio. Sed quum de filio ipso sit pronuntiatum, c *Minuisti eum modicum quid citra angelos*, quomodo videbitur angelum induisse, sic infra angelos diminutus, dum homo sit, quà caro & anima & filius hominis? quà autem spiritus Dei & virtus altissimi, non potest infra angelos haberi, Deus scilicet & Dei filius. Quanto ergo, dum hominem gestat, minor angelis factus est, tanto non, dum angelum gestat. Poterit hæc opinio Hebioni conuenire, qui nudum hominem, & tantum ex semine Dauid, id est, non & Dei filium, constituit Iesum, plane Prophetis aliquo glorioſiorem, vt ita in illo angelus fuisse dicatur: quemadmodum in aliquo Zacharia. Nisi quod à Christo numquam est di-
d Zach. 1. 14. ctum: d *Et ait mihi angelus qui in me loquebatur*. Sed nec quotidianum illud omnium Pro-
e Math. 5. 22. 28. 32. 34. 39. phetarum: *Hæc dicit Dominus*. Ipse enim erat Dominus coram, ex sua auctoritate pronuntians, e *Ego autem dico vobis*. Quid vltra? adhuc Esaïam exclamantem audi. f *Non angelus, neque legatus; sed ipse Dominus salvos eos fecit.*
f Esa. 63. 9.

CHRISTI ELOGIA. VII. SCHOLIA.

SED ANGELVM AIVNT. *dicunt hæretici Valentiniani scilicet, qui carnem mortalem indignam Christo censebant, Christum non humanam naturam, sed Angelicam induisse. Ita & Tertul. cap. 12. Cont. Valent.* Satellites ei Angelos proferunt, par genus. *Et Iren.* Satellites quoque ei *scilicet Christo*, in honorem ipsorum *Æones intelligit*, eiusdem generis Angelos, cum eo prolatos. QVA RATIONE? *Interrogat Tertullianus Valentinianos, quid causa fuerit, cur Christus factus sit Angelus? respondent illi eandem habuisse causam qua nos credimus Christum hominem factum, nempe vt naturam Angelicam lapsam repararet, refellit Author, & nullam similem causam in Angelis fuisse probat. Quia licet eorum ruina constet, & pœna ignis sit præparata, nulla tamen eorum reparatio in scriptura promittitur.* CVI IGITVR rei? *&c. ad quid assumpsit Angelum? vt satellitem fortem alludit ad errorem prefatum ex Ireneo, & ipso Tertulliano, fortem alludit ad errorem prefatum ex Irenæo, & ipso Tertulliano, de satellitibus Angelis.* IDONEVS, *&c. Ironicè dictum.* ERGO IAM NON VNVS DEVS. *Contra Apostolum. 1. Tim. 2.* omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus, Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. MAGNI CONSILII ANGELVS. *Isa. 9. Vulgata*, paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. *Sanct. Pagn. ex ebr.* Pater in perpetuum. *Vatabl. heros fortis, pater æternitatis.* 70. paruulus natus est nobis filius, & datus est nobis, cuius principatus factus est super humerum eius, & vocatur nomen eius, magni consilii Angelus. *Mirum quod tacitis cæteris nominibus, hoc tantum 70. posuerint. Hiero. hanc reddit rationem*, Nominum maiestate perterritos 70. reor ausos non fuisse de puero dicere, quod apertè Deus appellandus sit, &c. Sed pro his sex nominibus posuisse quod in Hebraico non habetur, magni consilij Angelus. *Sic etiam habet quædam Arabica lectio, similiter & alia Syriacaj translatio. Sanctus autem Ignatius in Epist. ad Antioch. Hesich. de laud. virg. Athan. de Incar. Chri. omnia simul hæc Elogia iungunt. Aug. lib. 2. de Trin. cap. 13.* quamquam Spiritum sanctum alicubi Angelum dictum non recolam, sed ex opera possit intelligi, dictum enim de illo est. Io. 16. quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Et vtique Angelus Græcè, Latinè nuntius interpretatur, de Domino autem Iesu Christo euidentissimè legimus apud Propheram, quod magni consilii Angelus dictus sit, cum & Spiritus sanctus, & Dei filius sit Deus, & Dominus Angelorum. *Et 18. de Ciuit. ad 35.* Nec mirandum est, quia omnipotentis Dei Angelus dictus est Christus Iesus. *Immediatè præmiserat ex Malach. 2. labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem inquirent ex ore eius: quoniam Angelus Domini omnipotentis est.* Sicut enim seruus, propter formam serui, in qua venit ad homines: sic & Angelus propter Euangelium, quod nuntiauit hominibus. Nam si Græca ista interpretemur, & Euangelium bona nuntiatio, & Angelus nuntius est, de ipso quippe iterum dicit: Ecce mittam Angelum meum, & prospiciet viam ante faciem meam, & subito veniet in templum suum Dominus quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis, &c. hoc loco & primum, & secundum Christi prænuntiauit aduentum, primum scilicet, de quo ait; & subito veniet in templum suum Dominus, id est in carnem suam, de qua dicit in Euangelio. *Io. 2.* Soluite templum hoc, &c. Secundum verò vbi ait. *Malach. 3.* Ecce venit dicit Dominus omnipotens, & quis sustinebit diem introitus eius, aut quis resistet in aspectu eius? quod autem dicit Dominus quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis: significauit vtique Iudæos secundum scripturas quas legunt, Christum quærere, & velle. Sed multi eorum, quem quæsierunt & voluerunt; venisse non agnouerunt: Excæcati in cordibus suis præcedentibus meritis suis. MAGNVM COGITATVM PATRIS *Eleganter Augustinus Incarnationem Verbi dixit:* opus æterni Consilij. VT ALIQVI GABRIEL. *id. aliquis frequenti eius more loquendi, quasi dicat Christus non sic Angelus accipiendus est proprietate naturæ, vt aliquod individuum fuerit, vel species aliqua naturæ Angelicæ, sicut D. Thomas singulos Angelos, singulas diuersas species constituere censuit, sed Christum vult simpliciter Angelum nominari, quia à*

A Aug.

Aug.

B

Aug.

C Augustin.

Deo Patre miſſus eſt nuntius Charitatis æternæ Patris ſui, qui ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. *fuit ergo Chriſtus* magni conſilii Angelus, Angelus pacis, & noui Teſtamenti melioris mediator. NAM ET FILIVS. *&c. quaſi diceret miſſi ſunt quidem in veteri Teſtamento ſæpenumero Angeli ad cultores vineæ Domini Sabbaoth, id eſt præfectos veteris Synagogæ, ſicut etiam miſſi ſunt prophetæ, ſed vt parabola Matthæi 21. poſt occiſos ſeruos dicit miſſum filium; ita & quaſi poſtremum Angelum, Dominum tamen Angelorum & Prophetarum filium ſuum miſit Deus, quem & agricolæ* apprehenſum eiecerunt extra vineam & occiderunt. *de* FRVCTIBVS PETITVM. *id. miſit eos petere collectam fructuum, ſic enim textus* cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. QVAM ANGELVM IB FILIO. *id. filium Angelum, ſiue naturam Angelicam in perſona filij ſubſiſtentem.* MINVISTI EVM MODICVM. *Pſal. 8.* minuiſti eum paulo minus ab Angelis. *Auguſtinus in hunc Pſalmum, Chriſtum intelligit, in natura humana aſſumpta minorem Angelis, & tamen in eadem glorificata ſuper Angelos exaltatum.* Filius hominis primus viſitatus eſt in ipſo homine Dominico, nato ex Maria Virgine, de quo propter ipſam infirmitatem carnis, quam ſapientia Dei geſtare dignata eſt, & paſſionis humilitatem rectè dicitur: minuiſti eum paulò minus ab Angelis. Sed additur illa clarificatio, qua reſurgens aſcendit in cœlum, gloriâ, inquit, & honore coronaſti eum. &c. Quandoquidem & Angeli ſunt opera manuum Dei, etiam ſuper Angelos conſtitutum accipimus vnigenitum filium, quem minutum paulominus ab Angelis per humilitatem carnalis generationis, atque paſſionis audimus & credimus. QVA AVTEM SPIRITVS DEI. *Sæpè Tertul. Chriſtum dixit*, Dei Spiritum: *non quod confundat tertiam perſonam cum ſecunda; ſed quia Ioannis 4.* Deus ſpiritus eſt. *Et Dei filius, Deus eſt, ergo Dei filius Dei ſpiritus eſt. Rurſum Thren. 4.* Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Spiritus narium noſtrarum Chriſtus Domini, captus eſt in foueis eorum. *Vatablus*, vnctus Domini, captus eſt in rebus eorum. 70. Spiritus faciei noſtræ, &c. In corruptionibus ipſorum. *Vbique dicitur ſpiritus, ſiue faciei, ſiue oris, ſiue narium. Quia Io. 1.* Quod factum eſt in ipſo vita erat, & per ipſum omnia facta ſunt, & vita erat lux hominum, & illuminat omnem hominem, &c. Et ſpiritus eſt qui viuificat & verba quæ loquor, ſpiritus & vita ſunt. *Si verba ſpiritus & vita ſunt, quanto magis ſpiritus erit & vita Verbum ipſum Patris, à quo cum Patre Spiritus ipſe procedit*, qui facit Angelos ſuos ſpiritus: *per quem Pater cum Spiritu Sancto*, Inſpirauit in faciem Adæ ſpiraculum vitarum. *Vt aliqui vertunt.* TANTO NON. *Supple non minor eſt Angelo, ſi ipſe aſſumpſit naturam Angelicam. Tunc enim æqualis eſſet, & non minor, in quantum ipſe Angelus eſſet: ſuperior autem longè, in quantum Deus eſſet.* EBIONI CONVENIRE. *Ebion Chriſtum purum hominem agnouit, cuius ſenſu planè inferior eſſet omnibus Angelis Chriſtus, licet eum* ALIQVO, *id. in aliquo vel aliquantulum Prophetis excellentiorem credideriit: vt in hoc dici poſſet vnitus Angelo qui in ipſo fuiſſet locutus, ſicut de Zacharia legitur*, quod tamen nunquam de ſe Chriſtus profeſſus eſt: *Zach. 1.* dixit ad me Angelus qui loquebatur in me. *Ex Hiero. Remigio, Alberto, Hugone, & Lyrano, hic erat Angelus cuſtos Zachariæ. De quo putant aliqui quod non exterius voce, ſed interius mentali, aut imaginaria inſpiratione loquebatur Zachariæ, quem quaſi poſſideret & regeret, ſicut in poſſeſſis corporibus loquuntur & agunt dæmones, cui opinioni annuit S. Greg. lib. 28. Mor. cap. 2.* Dum ad ſe quidem, ſed in ſe tamen loqui Angelum dicit, liquidò oſtendit, quod his qui ad ipſum verba faceret, per corpoream ſpeciem extra non eſſet. DOMINVS CORAM. *id. præſentia ſenſibili & viſibili loquens & dicens, non vt Prophetæ veteres communiter*, hæc dicit Dominus: *ſed vt Matthæi 5. ſæpè*, ego autem dico vobis. NON ANGELVS, *&c. Eſaiæ 63. 9.* Factus eſt eis ſaluator. In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & Angelus faciei eius ſaluauit eos: in dilectione ſuâ, & in indulgentia ſua, ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* fuit eis ſeruator. In omni anguſtia eorum, ei fuit anguſtia, &c. *Vatablus*, factus eſt ſeruator illorum. In omni afflictione illorum, non afflictus eſt. *Et in Schol. Hebr. legitur*, non fuit tribulatio, *Supple eis*, cùm maximè videbantur affligi, tum non verè affligebantur, leuante Deo afflictiones eorum. Varia eſt lectio apud Hebræos, apud quos etiam legitur: in omni tribulatione ipſorum, ei afflictio, id eſt cùm ipſi affligebantur, ipſe affligi videbatur; vnde ſollicitè quærebat rationes leuandæ afflictionis eorum. *70. quos ſequitur Tertul.* factus eſt eis in ſalutem, ex omni tribulatione eorum: non legatus, neque Angelus, ſed ipſe ſaluauit eos, quòd diligeret eos, & parceret eis. Ipſe redemit eos, & ſuſcepit illos, & exaltauit eos omnibus diebus ſæculi. *Diſcrepantia verſionũ ſic conciliatur, vt non alius Angelus, quàm Angelus faciei eius, hoc eſt Chriſtus vultum, & faciem Patris vt eius imago perfectiſſima referens, miſſus ſit ad noſtram ſalutem, qui teſte Paulo*, tentatus per omnia, in ſimilitudine, abſque peccato, *vt ex natura humana*, in omni anguſtia noſtra fuit: *quod non poterat Angelus pati, ita ex diuina impaſſibilia*: in omni tribulatione, non eſt tribulatus. *Alij ſic concordant, vt phraſi Hebraica, negatio primæ partis ſententiæ, ſubaudienda ſit in ſecunda, ſicut apud eundem Eſa. 53.* non erat aſpectus, & deſiderauimus eum, *pro*, nec deſiderauimus eum. *Ita & hîc*, in omni tribulatione eorum, non eſt tribulatus, & Angelus faciei eius ſaluauit, *pro*, non ſaluauit. *Cyprianus pro*, legatus, *legit*, ſenior; *quòd ſeniores, vt ſapientiores, ſoleant in legationem mitti, vt concludam: nouerint Valentiniani ſe ab Apoſtolo condemnatos Hebr. 2.* nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari. *Tranſlat. Syr.* non ex Angelis aſſumpſit, ſed aſſumpſit ex ſemine Abraham. *Angelicam autem naturam non aſſumpſit, quia liberanda non erat, nec liberanda, quia incorrigibilis eſt. Sed iuxta Salomonem*: ſanabiles fecit nationes orbis terrarũ. *Pulchrè Aug. lib. de vera Religione. S. Auguſt. c. 16.* Cùm omnibus modis medeatur animis Deus, pro temporum opportunitatibus, quæ mirâ ſapientiâ eius ordinantur, nullo modo beneficentius conſuluit generi humano, quàm cùm ipſa Dei ſapientia, ideſt vnicus Dei filius conſubſtantialis Patri & coæternus, totum hominem ſuſcipere dignatus eſt, & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ita enim demonſtrauit carnalibus, & non valentibus intuerì mente veritatem, corporiſque ſenſibus deditis, quàm excelſum locum inter creaturas habeat humana natura, quod non ſolum viſibiliter, *id eſt apparenter*. Nam id poterat & in alio æthereo corpore, ad noſtrorum corporum tolerantiam temperato, ſed hominibus in vero homine apparuit Ipſa enim natura ſuſcipienda erat, quæ liberanda. Et ne quis fortè ſexus à ſuo Creatore ſe

Aug.

contemptum putaret, virum ſuſcepit, natus ex fœmina. Miraculum conciliauit fidem Deo, qui erat paſſionibus ſimilis homini, quem gerebat. Satellites voluptatum diuitias perniciosè populi appetebant, pauper eſſe voluit. Honoribus & imperiis inhiabant, Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant, tale coniugium prolemque contẽpſit. Contumelias ſuperbiſſimè horrebant, omne genus contumeliarum ſuſtinuit, iniurias intolerabiles eſſe arbitrabantur, quæ maior iniuria quàm iuſtum innocentemque damnari? dolores corporis execrabantur, flagellatus atque cruciatus eſt. Mori timebant, morte mulctatus eſt, ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant, crucifixus eſt. Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus; carendo vilefecit: omnia quæ vitare cupientes à ſtudio veritatis deuiabamus, perpetiendo deiecit. Non enim vllum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea quæ ille contempſit, aut fugiuntur, quæ ille ſuſtinuit.

S. Auguſt. *Vide in hanc rem egregium locum eiuſdem Auguſtini to. 3. lib. de agone Chriſtiano c. 11. per totum. D. Greg. perbellè lib. 24. cap. 2. in cap. 33. Iob.* ſi fuerit pro eo Angelus loquens vnum de ſimilibus, vt annuntiet hominis æquitatem miſerebitur eius. *Neſcio quam ſequatur verſionem: Vulgata enim habet*, vnus de millibus. *Santẽ Pagn. ex Hebr.* eloquens vnus ex mille. *Vatabl.* Nuntius orator vnus ex mille. 70. Si fuerint mille Angeli mortiferi, vnus eorum non vulnerabit eum. *Vt fatear, me torſit hic locus. Apud Vatablum tamen etiam hanc verſionem nondum reperi, à regione veteris.* Si fuerit pro eo Angelus loquens, vnus de ſimilibus. *Sic itaque Gregorius exponit:* quis eſt iſte Angelus, niſi ille qui per Prophetam dicitur, A gni Conſilij Angelus? quia enim Græca Lingua Euãgelizare, denuntiare dicitur; ſemetipſum nobis annuntians Dominus Angelus vocatur. Et bene ait: ſi fuerit pro eo Angelus loquens: quia ſicut ait Apoſtolus etiam interpellat pro nobis, ſed quid pro nobis loquatur, audiamus: vnum de ſimilibus. Mos Medicinæ eſt, vt aliquando ſimilia ſimilibus aliquando contraria contrariis curet. Nam ſæpè calida calidis, frigida frigidis; ſæpè autem frigida calidis, calida frigidis ſanare conſueuit. Veniens ergo ad nos deſuper Medicus noſter, tantiſque nos inueniens languoribus preſſos, quiddam nobis ſimile, & quiddam contrarium appoſuit. Ad homines quippe homo venit, ſed ad peccatores iuſtus. Concordauit nobis veritate naturæ, ſed diſcrepauit à nobis rigore Iuſtitiæ. Vitioſus enim homo B corrigi non poterat, niſi per Deum. Videri autem debuit qui corrigebat, vt præbendo imitationis formam anteactæ malitiæ mutaret vitam, &c. Quia igitur Dominus verè natus, verè mortuus, verè ſuſcitatus, in omnibus tamen diſtat à nobis magnitudine potentiæ; ſed ſola concordat nobis veritate naturæ, bene dicitur, quia pro nobis Angelus iſte vnum de ſimilibus loquitur. Cùm enim in cunctis operationibus ſuis immenſa nos virtute tranſcendat, in vno tamen à nobis, id. in formæ veritate non diſcrepat. per hoc pro nobis patri loquitur, per quod ſemetipſum nobis ſimilem oſtendit, &c. Et bene cum dixiſſet vnum, &c. Illico adiunxit; vt annuntiet hominis æquitatem. Quia niſi ille hominibus ſimilis fieret, æquus homo ante C Deum non apparet. Inde quippe annuntiat æquitatem uoſtram, vnde ſuſcipere dignatus eſt infirmitatem noſtram.

8. *Chriſtus ſpes Patriarcharum. 9. cont. Marc. cap. 17. à p.*

a Epheſ. 1. 12. SEquentia quem renuntiant Chriſtum, cùm dicit, [a] *Vt ſimus in laudem gloriæ nos, qui præſperauimus in Chriſtum?* Qui enim præſperaſſe potuerunt, id eſt, antè ſperaſſe in Deum, quàm veniſſet; niſi Iudæi, quibus Chriſtus prænuntiabatur ab initio? Qui ergo prænuntiabatur, ille & præſperabatur. Atque adeo hoc ad ſe, id eſt, ad Iudæos retert, vt diſtinctionem faciat, conuerſus ad nationes.

CHRISTI ELOGIA. VIII. SCHOLIA.

SEQVENTIA QVEM RENVNTIANT, *id. verba Apoſtoli ſequentia quem referunt & loquũtur Chriſtum? nonne eum quem Iudæi Patriarcha prænuntiatum in veteri lege expectabant antequam veniret Chriſtus itaque Creatoris eſt, & non alius in quem ideo Paulus perſonam Iudæorum induens ante ſperaſſe ſe dicit, dum.* CONVERSVS AD NATIONES, *id. Gentium factus Apoſtolus, & ad Epheſios ſcribens hæc loquitur dum ait Epheſ. 1.* Vt ſimus in laudem gloriæ eius, nos qui ante ſperauimus in Chriſto: in quo & vos, cum audiſſetis Verbum veritatis, &c. *Tranſlat. Syr.* vt ſimus nos, qui prius ſperauimus in Meſchicho, in decus gloriæ ipſius. In quo & vos audiſtis Sermonem veritatis. *Vatablus*: qui priores ſperauimus in Chriſto. In quo ſperatis & vos, audito verbo veritatis Euangelio ſalutis veſtræ. *Vnde aduertendum eſt, Chriſtum promiſſum in lege, antequam veniret, obiectum fuiſſe ſpei Iudæorum & Gentium. Iudæorum quidem, vt conſtat ex tota Scriptura, pro qua ſufficiat illud Pſal. 21.* in te ſperauerunt Patres noſtri, *Gentium autem, præter ea quæ alibi iam retulimus, conſtat ex Gen. 49.* Non deficiet ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium. *Rurſum ſpes eſt vtrorumque & Iudæorum & Gentium D conuerſorum ad fidem; ſi quidem pro ſecundo aduentu, dixit Paulus*: ſaluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, &c. *Hoc ex mente Auguſtini voluit Pſaltes regius Pſal. 60* Deduxiſti me, quia factus ſpes mea. Ille ſi noſtra ſpes factus non eſſet, non nos deduceret. Deducit tanquam Dux, & in ſe ducit tanquam via & ad ſe perducit tanquam patria. Deducit ergo nos. Vnde? quia factus eſt ſpes noſtra? vnde factus eſt ſpes noſtra? ecce ſi quomodo nunc audiſtis quia tentatus eſt, quia paſſus eſt, quia reſurrexit, factus eſt ſpes noſtra. Quid enim dicimus quando hæc legimus? non enim perdet nos Deus, propter quos filium ſuum miſit tentari, crucifigi, mori, reſurgere. Non enim verè nos deſpicit Deus, propter quos filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Sic ergo factus eſt ſpes noſtra. In illo vides & laborem tuum, & mercedem tuam, laborem in paſſione, mercedem in reſurrectione. Sic ergo factus eſt ſpes noſtra. Habemus enim duas vitas; ſed vnam in qua ſumus, alteram quam ſperamus. In qua ſumus, nota nobis eſt; quam ſperamus, ignota nobis eſt. Tolera in qua es, & habebis quam nondum habes. Quomodo toleras? vt

Aug.

non vincaris à tentatore. Laboribus ſuis, tentationibus, paſſionibus, morte ſua, demonſtrauit tibi vitam Chriſtus in qua es: Reſurrectione ſua demonſtrauit tibi vitam in qua eris. Nos enim non noueramus niſi naſci hominem & mori: reſurgere hominem & viuere in æternum, non noueramus. Suſcepit quod nouerat, & demonſtrauit quod non nouerat. Ideo ergo factus eſt ſpes noſtra in tribulationibus, in tentationibus. Vide Apoſtolum dicentem Rom 5. non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem; ſpes autem non confundit: quoniam Charitas Dei diffuſa eſt, &c. VT SIMVS IN LAVDEM, *&c. D. Thomas in hunc locum*, laus gloriæ Dei, *vt dicit Ambr.* eſt cùm multi acquiruntur ad fidem; ſicut gloria Medici eſt, cum multos acquirit & curat.

9. Chriſtus ſaluator totius hominis, animæ ſcilicet & carnis. 4. cont. Marc. cap. 37. circa f.

CVm vero dicit, [a] *Venit enim filius hominis ſaluum facere quod periit*; iam non contendo eum veniſſe vt ſaluum faceret quod perierat, cuius fuerat, & cui perierat quod ſaluum venerat facere; ſed in alterius quæſtionis gradum dirigo. De homine agi nulla dubitatio eſt. Hic quum ex duabus ſubſtantiis conſtet, ex corpore & anima, quærendum eſt, ex qua ſubſtantiæ ſpecie periiſſe videatur. Si ex corpore; ergo corpus perierat, anima non. Quod perierat, ſaluum facit filius hominis: habet igitur & caro ſalutem. ſi & anima perierat, animæ perditio ſaluti deſtinatur: caro quæ non periit, ſalua eſt. Si totus homo perierat ex vtraque ſubſtantia, totus homo ſaluus fiat neceſſe eſt; & eliſa eſt ſententia hæreticorum negantium carnis ſalutem. Iam & Chriſtus Creatoris confirmatur, qui ſecundùm Creatorem totius hominis pollicebatur. [a] Luc. 19. 10.

CHRISTI ELOGIA. IX. SCHOLIA.

CVM VERO DICIT. *Chriſtus ſcilicet Luc. 19.* Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. CVIVS FVERAT. *id. Dei & Chriſti, cuius fuerat, id. ad quem pertinebat totus homo, quem in anima & carne totum formauerat, & in vtroque perierat, anima ſcilicet & carne quâ conſtat.* Auguſt. *ſer. 8. de ver. Apoſt. vbi Zachæi conuerſionem tractat, cuius cauſa Chriſtus in verbis prefatis concluſerat*, venit filius hominis, &c. Si homo non periiſſet, filius hominis non veniſſet. Ergo perierat homo, venit Deus homo, & inuentus eſt homo. Perierat homo per liberam voluntatem, venit Deus homo per gratiam liberatricem, &c. *Et rurſum ibid.* Auguſt. Nouimus & tenemus mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, in quantum homo erat, eius eſſe naturæ, cuius nos ſumus. Non enim alterius naturæ caro noſtra, & caro illius, nec alterius naturæ anima noſtra, & anima illius. Hanc ſuſcepit naturam quam ſaluandam eſſe iudicauit. Nihil minus habebat in natura, ſed nihil habebat in culpa natura pura, ſed non ſola humana. Ibi erat Deus, ibi erat Verbum Dei. Et ſicut tu vnus homo anima es & caro, ſic & ille vnus Chriſt Deus & homo. IN ALTERIVS QVÆSTIONIS GRADVM, *&c. id. alium in ſcopum tendo, non iam nunc de anima ſalute loquor.* HABET ET CARO SALVTEM. *Quæro, an veneris ſaluum facere totum hominem, qui totus vtique periit tam corpore, addicto morti quàm anima per peccatum mortua. Si ergo ſalus, id. vita competit carni*, ELISA EST SENTENTIA, *&c. malè negant hæretici carnis reſurrectionem, quam Chriſtus venit ſuſcitare.* CHRISTVS CREATORIS, *&c Hoc ipſo ad Creatorem Chriſtus ſaluator totius hominis in lege promiſſus, pertinere conuincitur, quia totum hominem in anima & carne ſaluare venit; quem totum Pater Creator ex anima & carne hominem fecit. Vt impleatur Scriptura Pſalt:* homines *id. animas rationales*, & iumenta, *id. corpora: equi enim eorum caro*, ait *Eſaias 31.* ſaluabis Domine. Auguſt. *Scio Auguſtinum in Pſal. 35. propriè ad litteram de pecoribus intelligere, quæ etiam ad Dei prouidentiam pertinent.* Salus hominem à quo? à Deo. Nunquid ſalus iumentorum à Deo non eſt? qui enim fecit hominem, ipſe fecit & iumenta: quia vtrumque fecit, vtrumque ſeruat. Sed ſalus iumentorum temporalis eſt. *Et paulò infra confert iumentis homines carnalia & temporalia ſectantes, quos diſcernit à filiis hominum, qui à filio hominis expectant æterna bona, non tantum animæ, ſed & corporum, quæ iuxta Paulum, velut* animalia ſeminantur: *vt & ſecundum ſapientem, quoad mortem temporalem*, idem exitus eſt hominis & iumenti. *Sed cum Chriſtus veram hominis naturam in Adam corruptam & perditam ſaluare veniſſet, ſumpta vera anima & carne vtramque ſaluauit hominis ſubſtantiam, & corporalem cum equis & iumentis communem, & ſpiritalem cum Angelis conſortem. Sic itaque ibidem Auguſtinus*, filij autem hominum ſub tegmine alarum tuarum ſperabunt. Quaſi his ſequeſtratis cuſtodit ſeiunctos filios hominum. Seiunctos à quibus? non ſolum à iumentis, ſed & ab hominibus, qui ſalutem iumentorum quærunt à Deo, & pro magno hoc deſiderant. Qui ſunt ergo filij hominum? qui ſub tegmine alarum eius ſperant. Illi enim homines cum iumentis gaudent in re, filij autem hominum gaudent in ſpe. Illi præſentia bona ſectantur cum iumentis, iſti futura bona ſperant cum Angelis. *Et paucis interiectis:* ſi vultis diſcernere iſta duo genera hominum, duos homines primo attendite Adam & Chriſtum. Audi Apoſtolum 1. Cor. 15. ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur. Naſcimur de Adam vt moriamur, reſurgemus per Chriſtum, vt ſemper viuamus. Quando portamus imaginem terreni hominis, homines ſumus; quando portamus imaginem cæleſtis hominis, filij hominis ſumus; quia Chriſtus filius hominis dictus eſt: etenim Adam homo erat, ſed filius hominis non erat. Ideo illi pertinent ad Adam, qui deſiderant carnalia bona & ſalutem iſtam temporalem. *quid aprius in rem noſtram? totus homo perierat, ſalutem animæ & corporis perdiderat, quam Creator omni generi humano in primo homine ſaluam & integram dederat. ſed venit Chriſtus Creatoris in ipſius lege promiſſus & miſſus à Patre:* venit filius hominis, quærere, & ſaluum facere quod perierat. S. Auguſtij

10. *Christus mediator pro homine se offerens, in Moyse figuratus. 2. cont. Marc. cap. 26. in f.*

a Exod. 32. 32.

MEliorem soletis affirmare Moysen Deo suo, deprecatorem, immo & prohibitorem iræ. a *Non facies enim*, inquit, *istud. aut & me vnà cum eis impende.* Miserandi vos quoque cum populo, qui Christum non agnoscitis in persona Moysi figuratum, patris deprecatorem, & oblatorem animæ suæ pro populi salute. Sed sufficit, si & Moysi propriè donatus est populus ad præsens. quod vt famulus postulare posset à domino, id dominus à se postulauit. Ad hoc enim famulo dixit, *Sine me, & disperdam illos.* vt ille postulando, & semetipsum offerendo non sineret; atque ita disceres quantum liceat fideli & Prophetæ apud Deum.

CHRISTI ELOGIA. X. SCHOLIA.

MELIOREM, *&c. Vos Marcionitæ qui iram & vindictam indignam Deo censetis, qui Deum solummodo bonum & nullo modo iustum colitis, nobis Dei pariter iusti & misericordis cultoribus soletis obiicere, hominem nudum Moysem clementem, & placabilem iræ Dei deprecatorem pro populo, meliorem esse Deo irato. Sed vos miseri, & Israelitæ populo similes in cæcitate qui Christum in omni lege figuratum, maximè in persona Moysi seipsum in Anathema pro mundi salute offerentem non intelligitis.* PROPRIE DONATVS, *&c. Satis est mihi iam contra vos, vt habens litteræ, propriè hic locus conueniat Moysi, cuius precibus acquiescens Deus, peccatum populi condonarit. Hinc enim liquet quanta fuerit clementia Creatoris, qui ad orationem cor Moysi impulerit, sciens se non posse Prophetis sui & famuli, preces non exaudire. Notus & communis est locus Exo. 32.* cerno quod populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me vt iratescatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam, &c. Obsecro peccauit populus iste peccatum maximum, fecerunt que sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. S. Aug. *Augustinus frequenter de Moyse tractat maxime ser. 18. de Verb. Do. secundum Matth.* obtulit illi Deus alium populum: facio te, inquit, in gentem magnam, vt illos deleret. At ille non accepit, cohæret peccatoribus, petit pro peccatoribus. Et quomodo petit? magna probatio dilectionis fratres. Quomodo petit? videte illam de qua sæpè locuti sumus, maternam quodammodo Charitatem. Cum Deus minaretur sacrilego populo, pia Moysi viscera tremuerunt, opposuit se pro illis iracundiæ Dei, Domine, inquit, si dimittis eis peccatum dimitte, sin autem, dele me de libro quem scripsisti. *Sanct. Pagn. ex Hebr. & nunc si remittis peccatum eorum, & si non, dele me nunc.* Quàm paternis maternisque visceribus, quàm securus hoc dixerit attendens iustitiam & misericordiam Dei, vt quia Iustus est, ne perderet iustum quia misericors, ignosceret peccatoribus. S. Augus. *Sed & lib. 2. qq. in Exo. q. 149. eodem omnino sensu, quo Tertullianus hunc locum exponit, vbi sic de Moyse loquitur:* cuius apud Deum tanquam fidelissimi famuli tantum erat meritum per illius gratiam, vt ei diceret Deus, sine me, & iratus conteram eos; quod vtrum iubentis sit, cum ait, sine me; an quasi petentis sit, vtrumque A videtur absurdum. Nam & si iubebat Deus, inobediente famulus non parebat; & Deum hoc à seruo pro beneficio petere non decebat, cum præsertim posset eos etiam illo nolente conterere. Ille itaque ibi sensus in promptu est, quod his verbis significat Deus, plurimum apud se prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebatur, quem sic Dominus diligebat: vt eo modò admoneremur cùm merita nostra nos grauassent, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit. Nam cum ab omnipotente dicitur homini, sine me, & conteram eos: quid aliud dicitur, quàm contererem eos, nisi diligerentur abs te? Ita ergo dictum est, sine me: ac si diceretur, noli eos diligere, & conteram eos: quia ne id faciam, dilectio tua in illos intercedit mihi, ob- B temperandum autem esset Domino dicenti, noli eos diligere, si hoc iubendo dixisset, & non potius admouendo, & exprimendo quid illum ab eorum supplicio reuocaret: nec tamen etiam illo intercedente, sine flagello disciplinæ populum dereliquit. Nescio quo enim modo, vt sic eos diligeret ipse Moyses, Deus illos occultius diligebat, qui manifesta voce terrebat. CHRISTVM IN PERSONA MOYSI FIGVRATVM. *Sæpè Augustinus Moysem Christi figuram induisse testatur. Sed quid clarius in hunc locum, quam quod ait Paulus ad Gal. 3.* quid igitur lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris *scilicet Moysi, qui se medium & sequestrem inter* C *Deum & populum dixit:* mediator autem vnius non est, *scilicet populi, sicut erat Moyses solius populi hebraei. Sic enim seipsum explicat Paulus. 1. Tim. 2.* omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. *Si Moyses seipsum obtulit Anathema pro populo, Christus pro nobis factus est maledictum, & peccatum, id est Hircus Anathematis pro peccato. Si Moyses pro populo intercessit, vide quomodo ex Paulo Christus pro nobis orauit. Hebr. 5.* qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum qui posset illum saluum facere à morte: cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.

11. *Christus Rex vbique regnat; cùm alij Reges fines suos habuerint. cont. Ind. cap. 7. inf.*

Dan. 7. 14. 3. Reg. 4. 25.

QVis omnibus regnare potuisset, nisi Christus Dei filius? qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nuntiabatur. Nam si Salomon regnauit, sed in finibus Iudæ tantum, à Bersabeæ vsque Dan termini eius regni signantur. Si verò Babyloniis & Parthis regnauit Darius, non habuit in omnibus gentibus potestatem. Si Ægyptiis Pharao, vel quisque ei in hereditate regni successit: illic tantum potius est regni sui dominium. Sic Nabuchodonosor

cum ſuis regulis, ab India vſque Æthiopiam habuit regni ſui terminos. Sic Alexander Macedo nunquam Aſiam vniuerſam & ceteras regiones poſteaquam deuicerat, tenuit. Sic Germani adhuc vſque limites ſuos tranſgredi non ſinuntur. Britanni intra Oceani ſui ambitum concluſi. Maurorum gens, & Getulorum barbares à Romanis obſidentur, ne regionum ſuarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum ſuarum præſidiis imperium ſuum muniunt, nec trans iſtas gentes porrigere vires regni ſui poſſunt? Chriſti autem regnum & nomen vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus ſuprà enumeratis colitur, vbique regnat, vbique adoratur, omnibus vbique tribuitur æqualiter; non regis apud illum maior gratia: non Barbari alicuius inferior lætitia, non dignitatum aut natalium cuiuſquam diſcreta merita, omnibus æqualis, omnibus rex, omnibus iudex, omnibus Deus & Dominus eſt. Nec dubites credere quod aſſeueramus, cum videamus fieri.

CHRISTI ELOGIA. XI. SCHOLIA.

QVIS OMNIBVS REGNARE. *totum hoc capvt per ſe clarum eſt, & ſolo titulo meus author ſi liquet expoſita. Caterum Chriſtum in tota ſcriptura vbique regnaturum prædicitur duos vel tres locos breuiter proferam. Pſal. 2. Sic Pſaltes Chriſtum induit, & pro eo loquitur.* Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum, &c. Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. *Auguſtinus in hunc locum*: ex perſona ipſius Domini Ieſu Chriſti iſta manifeſta ſunt. Sion autem, ſi ſpeculationem, vt quidam interpretatur ſignificat, nihil magis quàm Eccleſiam debemus accipere, vbi quotidie intentio erigitur ſpeculandæ claritatis Dei, ſicut dicit Apoſtolus. 2. Cor. 3. nos autem reuelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, &c. Eccleſiam ſanctum montem appellat, propter eminentiam & firmitatem, &c. poſtula à me, vt ſcilicet gentes nomini Chriſtiano copulentur, atque ita à morte redimantur, & poſſideantur à Deo. *Et in Pſal. 45.* Conturbatæ ſunt gentes, & quomodo conturbatæ? vt quid conturbatæ? vt delicerent ciuitatem Dei, in cuius medio eius Deus, vt euerterét tabernaculum ſanctificatum quod adfuuat Deus vultu ſuo? non. Sed iam ſalubriter conturbatæ ſunt Gentes, quid enim ſequitur? & inclinata ſunt regna. Inclinata, inquit, ſunt regna, iam non erecta vt ſuperbirent, ſed inclinata vt adorarent. *Sic & apud Prophetam: venient ad te curui; alij legunt Reges*, quando inclinata ſunt Regna? quando factum eſt quod prædictum eſt in alio Pſalmo: adorabunt eum reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Quæ res fecit vt inclinarentur Regna? quæ res? audi; dedit vocem ſuam altiſſimus, & mota eſt terra; arreptitii idolorum tanquam ranæ de Paludibus perſonabant, tantò tumultuoſius, quantò ſordidius ex delictorum cœno. Et quid ſtrepitus ranarum ad tonitrua nubium? &c. quæ ſunt nubes eius? Apoſtoli eius, prædicatores eius, de quibus intonabat præceptis, coruſcabat miraculis. Ipſi nubes, qui & montes, montes propter altitudinem & firmitatem, nubes propter pluuiam & vbertatem. *Subiicit vineæ ſterili Iudææ minatas nubes in Actis Apoſtolorum*; quia reſpuitis verbum Dei mittimur ad Gentes, & tranſlati ſunt montes in cor maris. Et vellere Iudæorum arido relicto compluta eſt à nubibus area Gentium, & concludit. Inde ergo dedit vocem ſuam altiſſimus de iſtis nubibus, per quam vocem regna inclinarentur & adorarent. *Et in Pſal. 98.* Confiteantur nomini tuo magno, dicimus paruum fuiſſe nomen Chriſti antequam præclarè diffamaretur Chriſtus: quia nomen ipſius, fama ipſius dicitur, paruum nomen erat, iam modo nomen magnum factum eſt: quæ gens eſt quæ non audiuit nomen Chriſti? iam ergo magno nomini tuo confiteantur populi, qui ante paruo nomini tuo iraſcebantur. *Huc facit idem Pſaltes:* Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, quoniam audierunt omnia verba oris tui. *Item Abacuc. 3.* Cornua in manibus eius. *Extremè inquam crucis, quia regnauit à ligno:* Ibi abſcondita eſt fortitudo eius: quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt omnibus hominibus. *Item in Apoc.* qui portat in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum Rex Regum & Dominus dominantium, &c. data ſunt ei diademata multa. *Latitudo regni*, Domini eſt terra & plenitudo eius. *Longitudo durationis:* Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, &c. & regni eius non erit finis. NON BARBARI *&c. ſic Paulus Rom. 10.* non eſt diſtinctio Iudæi & Græci; nam idem Dominus omnium. *Itaque cum Chriſti nomen vt oleum effuſum eſt à Iudæis ad Græcos & Barbaros qui Chriſti Chriſmate, & oleo lætitiæ delibuti ſunt, iuxta Pſalten:* vt exhilaret faciem in oleo: *& impletum quod dixit Tertul.* vt nec Regis alicuius Græci fuerit maior apud Chriſtum gratia, nec inferior barbari alicuius lætitia, *non enim eſt vlla apud eum perſonarum acceptio.*

Aug.

S. Aug.

12. *Chriſti Regnum in gentes. Vide verbum Gentium conuerſio. 2.*

13. *Chriſtus Rex Dominans à mari ad mare, adorandus iuxta Pſaltem ab omnibus Regibus; non poteſt de Salomone intelligi, 5. Cont. Marc. cap. 9. in f.*

EST & alius Pſalmus ita incipiens [a] *Deus iudicium tuum regi da*; id eſt, Chriſto regnaturo; *Et iuſtitiam tuam filio regis*, id eſt populo Chriſti. Filij enim eius ſunt, qui in ipſo renaſcuntur. Sed & hic Pſalmus Salomoni canere dicetur, quæ tamen ſoli competunt Chriſto, docere non poterunt etiam cetera non ad Salomonem, ſed ad Chriſtum pertinere; [b] *Deſcendit*, inquit, *tanquam imber ſuper vellus, & velut ſtillæ deſtillantes in terram.* Placidum deſcenſum eius, & inſenſibilem deſcribens de cœlo in carnem. Salomon autem etſi

[a] Pſal. 71. 1.

[b] Ibid. 6.

descendit alicunde, non tamen sicut imber; quia non de cœlo. Sed simpliciora quæque
c Ibid. 8. proponam. c *Dominabitur*, inquit, *à mari ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ.*
d Ibid. 11. Hoc soli datum est Christo. Ceterùm, Salomon vni & modicæ Iudææ imperauit. d *Adorabunt illum omnes reges*; quem omnes, nisi Christum? *Et seruient ei omnes Nationes*: cui om-
e Ibid. 17. nes, nisi Christo e? *Sit nomen eius in æuum*: cuius nomen in æternum, nisi Christi? *Ante so-*
Ibid. *lem manebit nomen eius*: ante solem enim Sermo Dei id est Christus: *Et benedicentur in illo vniuersæ gentes*: in Salomone nulla natio benedicitur; in Christo verò omnis. Quid nunc
f Ibid. 18. si & Deum eum Psalmus iste demonstrat? Et beatum eum dicent: f *Quoniam benedictus*
g Ibid. 19. *Dominus Deus Israëlis? qui facit mirabilia solus.* ‖ *Benedictum nomen gloriæ eius, & replebitur vniuersa terra gloria eius.* Contrà, Salomon (audeo dicere) etiam quam habuit in Deo gloriam, amisit, per mulierem in idololatriam vsque pertractus. Itaque quum in medio psalmo
h Ibid. 9. illud quoque positum sit, h *Inimici eius pulverem lingent*; subiecti vtique pedibus ipsius, ad illud pertinebit, propter quod hunc psalmum & intuli, & ad meam sententiam defendi, vt confirmauerim & regni gloriam, & inimicorum subiectionem, secundùm dispositionem Creatoris, consecututus, non alium credendum, quàm Creatoris.

CHRISTI ELOGIA. XIII. SCHOLIA.

ESTET ALIVS, *&c. hoc loco probat Christum non alium esse credendum, quàm Christum Creatoris, quem Psal. 71. Veteris Testamenti Propheta toto orbe regnaturum prædixerat.* SALOMONI CANERE DICETVR. *præuenit obiectionem sibi faciendam hunc Psalmum, vt ex ipso claret titulo, non Christo, sed Salomoni precinere. Ita enim titulus in Vulgata.* Psalmus in Salomonem. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Psalm. Ipsi Selomoh. *Vatablus*, Solomone, vel Solomonis. *70.* In Salomonem. *Respondet Tertul. quædam in hoc Psalmo soli Christo competere; cætera tamen ad Salomonem pertinere qua videntur, ad solum Christum spectare concludendum non est.* CONSECVTVRVS NON ALIVM, *&c. Ideo, inquit, qua Christo propria in hoc Psalmo conueniunt, & nullo modo Salomoni retuli, vt hoc inde consequar, confirmem, & concludam Christum, eiusque regnum hîc prædictum non ad alium quam ad Deum Creatorem, & authorem veteris testamenti pertinere. Augustinus* S. Augst. *lib. 17. de Ciuit. cap. 8.* præter libros diuinæ historiæ, vbi regnasse narratur, Psalmus etiam 71. titulo nominis eius inscriptus est, in quo tam multa dicuntur, quæ omnino ei conuenire non possunt, Domino autem Christo aptissima perspicuitate conueniunt vt euidenter appareat, quod in illo figura qualiscunque adumbrata sit, in isto autem ipsa veritas præsentata. Notum est enim quibus terminis regnum conclusum fuerit Salomonis; & tamen in eo Psalmo legitur, vt alia taceam: dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ, quod in Christo videmus impleri, à flumine quippe dominandi sumpsit exordium, vbi baptizatus à Ioanne, eodem monstrante cœpit agnosci à Discipulis, qui eum non solum Magistrum, verum etiam Dominum appellauerunt. DEVS IVDICIVM TVVM, *&c. Sanct. Pagn.* Iudicia tua, *ita & vatabl. Et in Schol.* typum Christi gerebat Salomon. Pater omnem iudicium dedit filio. S. Aug. *Augst. in titulum Psalmi 71. Eadem penè ad verbum ponit qua supra retulimus, & subiicit.* Salomon interpretatur pacificus, ac per hoc tale vocabulum illi verissimè atque optimè congruit, per quem mediatorem ex inimicis accepta remissione peccatorum reconciliamur Deo. Etenim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, Rom. 5. &c. *& in primum Versum:* Deus iudicium tuum &c. Dominus ipse in Euangelio dicit, pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Hoc est ergo, Deus iudicium tuum Regi da. qui rex etiam filius est regis, quia & Deus Pater vtique rex est. DESCENDIT. vulgata, descender sicut pluuia in vellus. *Vatabl.* descendat ceu pluuia super desectum pratum, vt guttæ imbris sensim irrigantis terram. *Aug. in hunc locum.* sicut guttæ stillantes super terram. *Vbi refert quod Iudicum 6. Gedeon petiit signum vt siccâ area vellus solum compluereretur, & rursum sola area compluta, vellus siccum esset, & figuram exponit Christum in vellus descendisse cum in Virgine Incarnatus est natione Hebræa, & de hoc populo elegit Apostolos primo irrigantes Iudæam, postea relicta Iudæa, conuersos ad Gentes.* Ibi matrem de qua formam serui acciperet, in qua hominibus appareret elegit: Ibi discipulos, quibus hoc idem præcepit dicens, in viam gentium ne abieritis, &c. Videmus iam gratiam Christi, *effusam in Gentes*, siccam remansisse Gentem Iudæorum, totumque orbem terrarum in omnibus gentibus, Christianæ gratiæ plenis nubibus complui. Alio quippe verbo eamdem pluuiam significauit dicens, guttæ stillantes, non iam super vellus, sed super terram, quid est enim aliud pluuia, quàm guttæ stillantes? Ideo autem illam Gentem velleris nomine significari puto, vel quia expolianda fuerat authoritate Doctrinæ, sicut ouis expoliatur vellere; vel quia in abdito eandem pluuiam detinebat, quam nolebat præputio prædicari, id est incircumcisis Gentibus reuelari. DOMINABITVR. *Aug. ibidem.* à S. Aug. mari vsque ad mare, à quolibet fine terræ, vsque ad quemlibet finem dominaturum dixit, cuius nomen & potestas toto orbe fuerat prædicanda, multumque valitura. *Subiicit quod supra retulimus à flumine, id est à Iordane, &c.* hinc ergo doctrina eius incipiens & magisterii cœlestis authoritas dilatatur vsque ad terminos terræ; cum prædicatur Euangelium Regni Dei in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. ADORABVNT, *&c. Aug. Ibid.* August. Hoc iam non expositorem, sed contemplatorem desiderat, imo non solum lætantium fidelium, sed etiam infidelium gementium infertur aspectibus. SIT NOMEN EIVS, *&c. Aug.* Aug. *Ibid.* per Solem tempora significata sunt. Ergo in æternum permanet nomen eius. Æternum enim antecedit tempora, nec clauditur tempore. ET BENEDICENTVR IN ILLO. *Aug.* August. *Ibid* in ipso quippe impletur quod promissum est Abrahæ. *Gen. 22. & Galat. 3.* non enim dicit in seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo, quod est Christus, &c. neque filij carnis, sed filii promissionis deputantur in semine. Rom. 9. BENEDICTVS DOMINVS. *Aug. Ibid.* Consideratis omnibus supradictis eructatur hymnus, & benedicitur Domines Deus Israël.

Impletur

Impletur enim quod ad illam ſterilem dictum eſt Eſa. 54. Et qui eruit te ipſe Dominus Deus Iſrael vniuerſæ terræ vocabitur Ipſe facit mirabilia ſolus. Quoniam quæcumque faciunt, ipſe in eis operatur, qui facit mirabilia ſolus. ET RESPLEBITVR. *Aug. Ibidem.* Iuſſiſti Domine ita fit, ita fit, donec illud quod cœpit à flumine, perueniat omnino, vſque ad terminos orbis terræ. CONTRA SALOMON. *Aug. lib. 17. de Ciuit. c. 2. vbi refert. 1. Paral. 17.* Fidelis erit domus eius, & regnum eius erit vſque in æternum coram me, & thronus eius erit erectus vſque in æternum. Hanc ergo tam grandem promiſſionem qui putat in Salomone fuiſſe completam multum errat. Attendite enim quod dictum eſt. hic ædificabit mihi domum, quoniam Salomon templum illud nobile ſtruxit, & non attendit, fidelis erit domus eius, & regnum eius vſque in æternum coram me: attendat ergo & aſpiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis, colentibus deos falſos, & ipſum ab eis Regem aliquando ſapientem in eandem Idololatriam ſeductum atque A delectum: Et non audeat exiſtimare Deum, vel hoc promiſiſſe mendaciter, vel talem Salomonem, domumque eius futuram, non potuiſſe præſcire. INIMICI EIVS. *&c. Textus habet.* Coram illo procident Æthiopes & inimici eius terram lingent. *Auguſt. ibid* Per Æthyopes à parte totum, omnes Gentes ſignificat, eam eligens gentem, quam potiſſimum nominaret quæ in finibus terræ eſt. Coram illo procident, dictum eſt, adorabunt eum. *Per terram autem intelligit terrenos homines, quos lingent, id eſt ſuauiſſimos habebunt Chriſti aduerſarii & Schiſmatici contradicentes diuinis eloquiis, quibus Regnum Chriſti, id eſt Eccleſia per Apoſtolos & prædicatores propagari debebat. vſque ad vltimos Æthyopes. Simplicius Tertul. ad literam de gentibus* B *humiliatis ſub pedibus Chriſti, & vſque ad terram lingendam. ſcabellum pedum Creatoris, humiliandis. Dicam & vno verbo ſecundum ipſum Auguſtinum & Ambroſium. Chriſti carnem de terra virginea ſumptam, pro ſummis deliciis conuerſos Gentiles, in Euchariſtia lingere,* fugere mel de petra, oleumque de ſaxo durißimo.

Aug. Aug. S. Auguſt. S. Auguſt.

14. Chriſtus, lapis Regna conterens. cont. Iud. cap. 14. à p.

ET *petra* ſanè *illa* apud Danielem *de monte præciſa*, quæ imaginem ſæcularium Regnorum comminuet & conteret. Dan. 2. 35.

15. Chriſtus petra eſt deſerti, in quam cæcus Marcion impegit. 5. cont. Marc. cap. 7. circa f.

ECce autem & in petram offendit cæcus Marcion, de qua bibebant in ſolitudine patres noſtri. Si enim *petra illa Chriſtus fuit*, vtique Creatoris, cuius & populus. Cui rei figuram extranei ſacramenti interpretatur? An vt hoc ipſum doceret, figurata fuiſſe vetera in Chriſtum ex illis recenſendum? 1. Cor. 10. Nu. 20. 11.

16. Chriſtus Petra deſerti, fundens Aquas baptiſmi v. Verbum. Aqua, num. 4.

CHRISTI ELOGIA. XIV. XV. XVI. SCHOLIA.

APVD DANIELEM. *&c. Iudæos conuincit impleta viſione Danielis 2. qua probat veniſſe Chriſtum ceu lapidem de Maria monte perfectionis altiſſimo, ſine manibus, hoc eſt opere virili progenitum, qui contritis omnibus Regnis Idololatriæ, omnes ſibi & ſuo regno, id eſt Eccleſiæ, Gentes ſubiunxit, vt ſic eius humilitas ex paruis Eccleſiæ principiis in montem ſublimem excreuerit, qui totum orbem occupet, vnde & Eccleſia Catholica dicta eſt, id eſt vniuerſalis & toto orbe diffuſa de hoc lapide in montem excreſcente D. Auguſtinus in Pſalmum 47.* Magnus Dominus & laudabilis valde. Sed dic vbi. In ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, &c. Hæc eſt ciuitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt. Hæc eſt lucerna quæ ſub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata, &c. quæ eſt ergo iſta ciuitas videamus, ne fortè quia dictum eſt, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius, debeamus quærere iſtum montem, vbi etiam exaudiri poſſimus. Non enim fruſtra dicitur in alio Pſalmo, voce meâ ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Audiuit ergo te mons iſte, vt exaudireris. Nam ſi in eum non aſcenderes, infra iacens clamare poſſes, ſed exaudiri non poſſes. Quis eſt ergo iſte mons, fratres? &c. ſi in aliqua parte terrarum eſt, quid faciemus? peregrinabimur de terra noſtra, vt ad illum montem peruenire poſſimus? Imò verò tunc peregrinabimur, ſi in illo non ſimus. Ipſa eſt enim ciuitas noſtra, ſi membra Regis ſumus, qui caput eſt ciuitatis ipſius, &c. Fuit quidam lapis angularis, contemptibilis, in quem Iudæi offenderunt, præciſus eſt de quodam monte ſine manibus, hoc eſt de C regno Iudæorum veniens, ſine manibus, quia humanum opus non acceſſit ad Mariam, de qua natus eſt Chriſtus. Sed ſi lapis iſte, vbi in eum offenderunt Iudæi, ibi remaneret, tu quò aſcenderes, non haberes. Quid autem factum eſt? quid dicit Prophetia Danielis? Quid? niſi quia creuit lapis iſte, & factus eſt mons magnus? quàm magnus? Ità vt impleret vniuerſam faciem terræ. Ergo creſcendo mons iſte, & implendo vniuerſam faciem terræ, venit ad nos. Quid ergo montem quaſi abſentem quærimus, & non in præſentem iam aſcendimus, vt ſit in nobis magnus Dominus & laudabilis valde? *Et tract. 9. in cap. 2. Io.* Quid inquit, apertius, fratres mei? lapis de monte præciditur ipſe eſt lapis quem reprobauerunt ædificantes, & factus eſt in caput anguli. De quo monte præciditur, niſi de regno Iudæorum, vnde Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſecundùm carnem D natus eſt? & præciditur ſine manibus, ſine opere humano, quia ſine amplexu maritali de virgine exortus eſt. Mons ille vnde præciſus eſt, non impleuerat vniuerſam faciem terræ: non enim tenuerat regnum Iudæorum omnes gentes at verò regnũ Chriſti, omnes gentes, & vniuerſum orbem terrarum cernimus occupare. *Videndus Ambroſius. Ser. 70. Hiero. in Ep. ad Euſtoch. de cuſtodia virg. Iuſtinus Dial. cont. Tryphon. Epiph. ſer. de laud. Virg. & alij qui lapidem iſtum paruum Chriſtum intelligunt. Sic autem habet Textus in Vulgata,* Tu Rex videbas, & ecce quaſi ſtatua vna grandis: ſtatua illa magna, & ſtatura ſublimis ſtabat contra te, & intuitus erat terribilis. Huius ſtatuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento,

Auguſt. S. Auguſt.

porro venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ aræ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inuentus est eis: lapis autem qui percusserat statuam factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. *Eodem omnino sensu, & paucis verbis immutatis, Sanct. Pagn. & Vatablus, ex Hebr. Et 70. quatuor hoc metalla quatuor regna exprimunt iuxta Hiero. & Patres alios & interpretes Regnum Babyloniorum, cui imperabat Nabuchodonosor aureo capite. Persarum duratione minus, argenteo pectore: Græcorum & Macedonum ventre aneo, tum ob arma, tum ob famam, & eloquentiam sonoram. Quartum Romanorum in ferreis tibiis, quod ferrum omnia alia metalla edomet, & Romani vniuersum subegerint orbem. Pedum pars ferrea, pars fictilis, diuisionem reipublicæ Romanæ extremis temporibus significat. Vel iuncta connubia inter dissidentes, Pompeium & filiam Cæsaris, inter Marcum Antonium & Octauiam Augusti sororem. Quæ bella & cædes secuta sunt. Longè quippe potentior est vis ambitionis, quàm affinitatis.* In diebus autem Regnorum illorum. (*id. stante adhuc regno temporali Romanorum*, suscitabit Deus cœli regnum, (*quintum scilicet Christi & Ecclesiæ, non terrenum & temporale, sed spirituale*, quod in æternum non dissipabitur. *dictum est enim ab Angelo:* regni eius non erit finis. *Et Christus Petro:* portæ inferi non præualebunt aduersus eam. *de parvo lapide Christo frequenter Aug. maximè in Psal.* S. Augus. 42. *Psal.* 45. *Psal.* 47 *Psal.* 57. *Fusius autem in Psal.* 98. adorate in monte sancto eius, &c. Mons ipsius quis est? Legimus alibi de hoc monte, quia lapis fuit præcisus de monte sine manibus, &c. quis est mons, vnde præcisus est lapis sine manibus: regnum Iudæorum. Primò quòd colebant vnum Deum, inde præcisus est lapis ille Dominus noster Iesus Christus, ipse dictus est lapis quem reprobauerunt fædicantes, &c. videmus confracta ab illo lapide omnia regna terræ, quæ erant omnia regna terræ? Regna Idolorum, regna dæmoniorum fracta sunt, regnabat Saturnus in multis hominibus, vbi est regnum eius? regnabat Mercurius in multis hominibus: vbi est regnum eius? fractum est, redacti sunt illi in regnum Christi, in quibus ille regnabat. Regnum Veneris quale erat Carthagini, vbi nunc est regnum cœleste. Lapis ille fregit omnia regna terrarum, lapis præcisus de monte sine manibus. Quid est præcisus de monte sine manibus? Natus de Gente Iudæorum, sine opere hominum. Omnes enim qui nascuntur, de opere maritali nascuntur, ille de virgine natus, sine manibus natus est: per manus enim opus humanum significatur, quo manus humanæ non accesserunt, vbi maritalis amplexus non fuit, fœtus tamen fuit, &c. factus est autem mons magnus, & impleuit vniuersam faciem terræ. Hæc est Ecclesia Catholica, cui vos communicare gaudete.

15. IN PETRAM OFFENDIT, *&c. Ipse sibi Marcion offendiculum inuenit in Christo, quem Creatoris fuisse filium Apostoli ipsius testimonio conuincit, petram deserti fundentem aquas populo Creatoris, Christum fuisse, interpretante Apostolo. 1. Cor. 10.* Et omnes in Moyse Baptizati sunt, in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. *Per petram consequentem Patres & interpretes notant, per totum iter deseri, Petram à Moyse percussam, non fuisse comitatam & secutam Hebræos, sed figurasse Christum postea venturum, enim è latere & corpore percusso mixtum aqua sanguinem, fideles erant potaturi potum Eucharistiæ spiritalem. Ad literam tamen aqua secuta sunt populum, donec venirent ad locum aquis affluentem. Quod & innuit Psaltes 104.* Dirupit petram & fluxerunt aquæ, abierunt in ficco flumina. *Aug. tract. 63. in Io.* non est Augus. dictum petra significabat Christum: sed Petra erat Christus. *Et libro 18. de Ciuit.* omnia significantia videntur quodammodo earum rerum quas significant, sustinere personas: sicut dictum est ab Apostolo, petra erat Christus. Quoniam petra illa, de qua hoc dictum est, significabat vtique Christum. Aug. *Lib 99. Numeri c 35.* significata est de Christo profluens gratia spiritalis, qua interior sitis irrigaretur. Sed & quia virgâ petra percutitur, Crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram, gratia ista manauit. Et quia bis percutitur, euidentius significat crucem. Duo quippe ligna sunt Crucis. *Et homil. 27.* dubitauit Moyses quan- S. Aug. do lignum accessit ad petram: dubitauerunt discipuli quando viderunt Dominum Crucifixum, &c. CVI REI, *&c. Id est vt quid vtitur Paulus, extranei sacramenti figura, & desumit à veteri Testamento vmbram, quam velit in Christo vera luce impleri in nouo Testamento, si vtrumque Testamentum, ad eundem autorem & Deum Creatorem, & Christi Patrem non pertinet.* ANVT HOC IPSVM, *&c. An non potiùs Paulus hinc probat iam inde in veteri lege Christum adumbratum in figuris legis?* IN PETRAM OFFENDIT. *Aug. ser. 40. de Verb. Do. sec. Io.* Ipse Iacob, quia intellexit quid viderit, posuit ibi lapidem, & perfudit oleo. Agnoscitis chrisma, agnoscite & Christum. Iste est enim lapis quem reprobauerunt ædificantes, &c. Ipse est lapis de quo ipse dixit Matth. 21. quicumque offenderit in lapidem illum conquassabitur: super quem vero venerit lapis ille, conteret eum. Offenditur in iacentem. Veniet autem super eum. Cum venerit de alto iudicare viuos & mortuos væ Iudæis, quia cum iaceret humiliter Christus offenderunt in eum Non est, dicunt, homo iste à Deo, qui soluit Sabbatum. Si filius Dei est, descendat de Cruce. Insane, iacet lapis, & ideo rides. Sed cùm rides, cæcus es. Cum cæcus es, offendis. Cùm offendis, conquassacris. Cùm conquassatus fueris illo modo iacente, postea veniente desuper contereris Ergo vnxit lapidem Iacob. Numquid Idolum fecit? significauit, non adorauit', &c. *De lapide & petra Christo legendus Philo. Item Orig. in Exo. Num. Cant. Matth Dionysius de Cœlest. Hierarch. 2. Beda in Gen. 29. Greg. in primum Reg. 2. 6. & 7. Hiero. in Isa. 8. 11. 32. Hilar. in Matth. can. 1. Basil. de Spiritu sancto. 8. Cyril. 4 in Io. 51. Vide verbo Gentilium laudabilia. 2. in f.*

17. *Christus bellator fortis decore & forma. 3. cont. Marc. cap. 14. in p.*

ADiuuabitur hæc nostra interpretatio, dum & alibi bellatorem existimans Christum, ob armorum quorundam vocabula & eiusmodi verba, ex reliquorum quoque sensuum comparatione conuinceris: [a] *Accingere*, inquit Dauid, *ense super femur*. Sed quid suprà legis

[a] Psal. 44. 4.

de Christo? [b] *Tempestiuus decore præter filios hominum: effusa est gratia in labiis tuis.* Rideo, si quem ad bellum ense cingebat, ei de tempestiuitate decoris, & labiorum gratia blandiebatur. Sic item subiungens: [c] *Extende, & prosperare, & regna*; adiecit, *Propter veritatem, & lenitatem, & iustitiam.* Quis enim hæc ense operabitur, & non contraria potius lenitati & iustitiæ, dolum & asperitatem & iniustitiam, propria scilicet negotia præliorum? [b] Ibid. 3. [c] Ibid. 5. & seq.

CHRISTI ELOGIA. XVII. SCHOLIA.

A DIVVABITVR, *&c. Confirmat quod supra dixerat ex Isa. Christum non armis corporeis, & ense ferreo, sed virtute & decore adhuc infantulum,* virtutem Damasci & spolia Samariæ acceperum: *quæ verba cum Marcion Christo de Virgine concepto & nato nollet vt ex veteri Testamento, in suum Christum phantastico corpore constantem & nusquam natum congruere: Tertullianus altero loco Psalm. Christum probat nullis armis, quàm virtutis & pulchritudinis & lenitatis belligerasse, principemvtique pacis.* EX RELIQVORVM SENSVVM COMPARATIONE, *&c. id. ex locorum similium eundemque sensum habentium collatione conuincitur Marcion.* ACCINGERE. *Sic Psal. 44.* speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum: potentissime. Specie tua & pulchritudine tua, intende prosperè, procede & regna. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua Sagittæ tuæ acutæ. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Pulchriusti præ filiis hominũ, &c. Accinge te gladio tuo super femur, ô potens, gloria tua & decore tuo. Et in decore tuo prosperare, equita super verbum veritatis, & mansuetudinis, & iustitiæ; & docebit te terribilia dextera tua. *Vatabl.* perelegans es præ cunctis mortalibus, effusa est gratia in labia tua, eo quod Deus te sempiternis honorauit beneficiis. Cinge ô heros gladio tuo femur tuum, decore tuo & magnificentia tua. Et in magnificentia tua prosperè inequita super verbum Veritatis, mansuetudinis, & iustitiæ, docebitque te tũc dextera tua admiranda. Sagittæ tuæ præ acutæ, cor hostium regis penetrabunt, populi sub te cadent. *Et in Schol.* sermo tuus plenus est gratiis, sermone hominibus acceptissimo vti soles, &c. Cum video in te tantam formam, tantamque eloquentiam, non possum non dicere quod Dominus te elegit, non vt felix esses ad tempus, sed perpetuo, &c. Hoc tibi decus immortale conciliabit, si abieris gentes quæ Deum non norunt, si veharis verbo veritatis ad illas velut equo, id est vi verbi gentes reluctantes oppugnaueris, verbi inquam quod docet veritatem, mansuetudinem & iustitiam, &c. Sagittæ tuæ acutæ, subaudi cadent in corda inimicorũ tuorũ qui es Rex, & verba tua cadent in corda eorum, & populi sub te cadent, id est, subiicientur tibi. *Chaldaice*, pulchritudo tua ô Rex Christe gratia, *scilicet loquendi, seu prædicãdi, est ergo appositio quasi dicat, accingere gladio in quo est omnis species & pulchritudo tua, quia pariet tibi gloriam æternam.* Tempestiuum *vocat, quasi maturum & plenæ puberitatis fructum decoris Christi. Licet enim Athanasius & Basilius extollant hic speciem & decorem Christi præ filiis hominum, secundum diuinitatem, tamen etiam Theodoretus & Hesychius, locum Psaltis intelligunt, quoad eius animam. Hieronymus autem ad Principiam Scribens & Greg. in 1. Reg. 1. explicant, de tota humanitate: animam enim & corpus habuit omnis ex parte formosissima. Consule Nicephorum, & lege Epistolam Lentuli proconsulis, de lineamentis Christi.* [f] Auguſt *Aug. in Psal. 44.* accingere gladium tuum circa femur tuum potentissime. Gladium tuum quid, nisi verbum tuum? Isto gladio strauit inimicos, illo gladio diuisit filium à patre, filiam à matre, nurum à Socru. Legimus hæc in Euangelio: Matth. 10. non veni pacem mittere, sed gladium, &c. Placet inueni alicui Deo seruire, displicet Patri, diuisi sunt aduersus se. Ille promittit terrenam hæreditatem, ille amat cœlestem. Aliud iste pollicetur, aliud ille eligit. Non sibi putet pater factam iniuriam, Deus solus illi præfertur, & tamen litigat cum filio volente seruire Deo. Sed fortior est ille gladius spiritalis separans, quàm copulans natura carnalis. Fit hoc & de filia aduersus matrẽ, &c. *Subiungit similiter & de nura & Socru, vna hæretica, altera Catholica. Item & de conuerso ad fidẽ filio, & Christo ipso diuiso à Synagoga; cui applicat illud Matth. 12.* Quæ est mihi mater? &c. Socrus ergo quid est? mater sponsi. Mater sponsi Domini nostri Iesu Christi Synagoga est. Proinde nurus eius Ecclesia, quæ veniens de Gentibus non consensit in circumcisionem carnalem, diuisa est aduersus Socrum suam, &c. *Pulchrè post diuisionem hanc factã gladio verbi, ponderat quod ait Psaltes:* circa femur tuum. Quid est circa femur? quid significat de femore? carnem. Vnde illud est Gen. 49. non deficiet princeps de Iuda & dux de femoribus eius. *Addicit & Gen. 24. Abraham dixisse Eliezer:* pone manum tuam sub femore meo, & sic iura: quasi diceret, pone manum tuam ad altare, aut ad Euangelium, aut ad Propheram, aut ad aliquid sanctum. Sub femore meo, inquit, pone manum tuam habens fiduciam, nec reuerens turpitudinem, sed intelligens veritatem. *Hanc veritatem supra exposuis de vera carne Christi nascitura ex Abrahæ semine, & futuro filio Danid de tribu Iuda ex femore Iacob, Isaac, & Abraham.* Fide tenens in illa veluti humilitate seminis esse magnitudinem numinis, id est filium Dei venturum ex filiis hominum per semen Abrahæ; fecit ipsum seruum suum, quem mittebat *ad quarendam scilicet, & ducendam vxorem filio suo Isaac*, ita sibi iurare, pone manum tuam, &c. *Et paucis interiectis:* propterea accingere gladium tuum circa femur potentissime. Potentissime etiam circa femur; quia quod infirmum est Dei, fortius est hominis. *Prosequitur explicare quod habet Tertul.* EXTENDE, ET PROSPERARE, *&c. Aug. ibid.* specie tua, &c. Iustitiam accipe, *id est sanctitatem,* qua semper est speciosus & pulcher. Et intende prosperè, procede & regna. Nonne videmus? certè iam factum est. Attendite orbem terrarum, intendit prosperè, *id est fauste feliciterque intendit & multiplicat gradus cognitionis & amoris Gentilium conuersorum ad se.* Processit, & regnat, subditæ sunt omnes Gentes. Quid erat illud videre in Spiritu? quod nunc est, *id est datur nunc*, experiri in veritate. Quando dicebantur hæc, nondum ira regnabat Christus, nondum intẽderat, nondum processerat: prædicebantur exhibita sunt, iam ea tenemus. In multis redditorem habemus Deum, in paucis debitorẽ. *id est omnia pene prophetata, adimpleta sunt.* Propter veritatem, &c. Reddita est veritas, quando veritas de terra orta est, &c. Præsentatus est Christus expectatio generis humani, &c. Prædicatum est Euangelium, veritas est. Quid mansuetudo? pas- [A] [B] [C] S. Auguſt. [D] S. Aug.

si sunt Martyres, & inde multum processit, & promouit per omnes Gentes regnum Dei quia patiebantur Martyres. &c. Magna mansuetudo; corpus Christi hoc fecit, *id est, Ecclesia iuxta Paulum, quæ persecutionibus mansuetè perpessis, exemplo patientiæ ipsos persecutores & infideles ad Christum adduxit, & corpus Ecclesiæ amplianit*, in capite suo didicit. Ille prior sicut ouis ad victimam ductus est. & sicut agnus coram tondente se non apperuit os suum. Esa. 53. Vsque adeo mansuetus, vt pendens in cruce diceret Luc. 23. Pater, ignosce illis, &c. Quid, propter iustitiam? veniet etiam vt iudicet, *quidquid dicat Marcion, Deum & Christum Iudicem & vltorem reprobans*, & retribuat vnicuique secundum opera sua. Dixit veritatem, pertulit iniquitatem, allaturus est æquitatem. Et deducet te mirabiliter dextera tua. Dextera sua deductus est, id est potentia sua. Etenim potentiam quam pater habet, habet & ipse, & diuinitatem Patris habet & ipse, &c. Faciens diuina, patiens humana, malitias hominum sternens bonitate sua. &c. QVIS HÆC ENSE OPERABITVR *ridet Tertul. vt supra gladium, & sagittas ferreas aptantes belligeranti Christo, cùm arma materialia, dolos, furorem, iniustitiam*, propria vtique belli negotia, *operentur, omnino aduersaria iustitiæ & lenitati, de qua vt & de gratia labiorum, & decore tempestiuo gratulabatur potius Psaltes, quibus rebelles quosque sibi subijciebat quàm terrore armorum materialium. Oculis enim, & labiis, iacula gladiosque vibrabat potentissimè, quibus nemo resistebat. Aug. sic sagittas exponit.* Verba cor transfigentia, amorem excitantia. Vnde dicitur in Canticis Canticorum, quia vulnerata charitate ego sum. Dicit enim vulneratam se esse Charitate, id est amare se dicit, æstuare se dicit, suspirare sponso, vnde accepit sagittam verbi. Sagittæ tuæ acutæ potentissimè: & transfigentes, & efficientes acutæ potentissimè. *Quia ex Paulo*, viuus & efficax sermo Dei. *Supra dixerat Augustinus*: speciosus forma præ filiis hominum. Præ filiis hominum: quare & non præ Angelis? quid voluit dicere, præ filiis hominum, nisi quia homo? ne hominem Christum, quemlibet hominem putares, ait præ filiis hominum, speciosus forma. Etiam homo præ filiis hominum: etiam inter filios hominum præ filiis hominum. &c. Diffusa est gratia, &c. Venit nobis cum verbo gratiæ, cum osculo gratiæ. Quid ista gratia dulcius? quo pertinet gratia ista? beati quorum remissæ sunt iniquitates. &c. Psal. 31. &c. *Idem Augustinus eius pulchritudinem, sua etiam in cruce deformitate sponsæ suæ fœditatem reformantem exaggerat.* Pulcher Deus verbum apud Deum, pulcher in vtero virginis, vbi non amisit diuinitatem & sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum, quia & cùm esset infans, cùm fugeret, cùm manibus portaretur, cœli locuti sût. Angeli laudes dixerût. Magos stella direxit, *nil aptius ad contextum sequentium elogiorum nostri Tertulliani.* Adoratus est in præsepi, cibaria animalium mansuetorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cœlo, pulcher in intellectu. Audite Canticum, *scilicet Psalmum hunc 44. qui inscribitur pro iis qui commutabuntur filiis Chore in intellectu, Canticum pro dilecto.* Neque oculos vestros à splendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. Summa & vera pulchritudo Iustitia est. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniustum. Si vbique iustus, vbique decorus. *Et rursum supra*: Ecce ipse inuenit multa fœda, & amauit nos. Si aliquid fœdi inuenerimus in eo, non amemus: quia & hoc ipsum quod carnem indutus est, vt de illo etiam diceretur, vidimus eum, & non habebat speciem neque decorem: si consideres misericordiam qua factus est, & ibi pulcher est. *Etiam lilium, & rosa inter spinas venustior apparuit. Si enim ex Aug.* Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo: *nullibi quàm in cruce maiorem charitatem exhibuit, nec proinde plus decoris habuit.* Ego, inquit, flos campi. *Hebr.* Ego Rosa Saron: *id est, flos saturitatis. quia satiat omnes sensus. Innoc. ser. 1. in Dom. Lætare.* Rosa præ cæteris floribus colore delectat, odore recreat, sapore confortat, delectat in visu, recreat in olfactu, confortat in gustu.

A

B

C

S. Aug.

S. Aug.

Aug.

Aug.

18. *Christus bellator spiritalis, virtutem Damasci, & spolia Samariæ abstulit in Magorum vocatione. cont. Iud. cap. 9. à p. ad vltra m.*

ÆQuè & sono nominis inducuntur, cum *virtutem Damasci, & spolia Samariæ aduersus regem Assyriorum*, sic accipiunt, quasi bellatorem portendant Christum, non animaduertentes quid scriptura præmittat: [a] *Quoniam prius quàm cognoscat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci & spolia Samariæ aduersus regem Assyriorum.* Antè est enim inspicias ætatis dæmonstrationem, an virum iam Christum exhibere ista ætas possit, nedum imperatorem. Scilicet vagitu ad arma esset conuocaturus infans, & signum belli, non tuba, sed crepitacillo daturus: nec ex equo, vel de muro, sed de nutricis & gerulæ suæ dorso siue collo hostem destinaturus; atque ita Damascum, & Samariam pro mammis subacturus. Aliud est si penes vos infantes in prœlium erumpunt, credo ad solem vncti prius, dehinc pannis armati, & butyro stipendiati, qui antè norint lanceare quam lancinare. Enim vero si nusquam hoc natura concedit, antè militare quàm virum facere, antè virtutem Damasci sumere quàm patrem nosse, sequitur vt figuratè pronuntiatum videatur. Sed & virginem, inquiunt, parere natura non patitur, & tamen credendum est Prophetæ. Et meritò. Præstruxit enim fidem incredibili rei, dicendo, quod signum esset futurum: [b] *Propterea*, inquit, *dabitur vobis signum, Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium.* Signum autem à Deo, nisi nouitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur. Deniq. si, quando ad deiiciendos aliquos ab hac diuina prædicatione, vel conuertere singulos simplices quosq. gestitis, mentiri audetis quasi non virginem, sed iuuenculam concepturam & parituram scriptura contineat, hinc quoque reuincimini, quod nihil signi videri possit res quotidiana, iuuenculæ scilicet prægnatus &

a Esa. 8. 4.

b Esa. 7. 14.

partus. In ſignum ergo nobis poſita virgo mater merito creditur, infans verò bellator non æque. Non enim & hîc ſigni ratio verſatur, ſed ſigno natiuitatis notæ, adſcripto, exinde poſt ſignum alius iam ordo infantis edicitur, mel & butyrum manducaturi. Nec hoc vtique in ſignum eſt, & hoc enim infantiæ eſt; ſed accepturum virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ aduerſus regem Aſſyriorum, hoc eſt mirabile ſignum. Seruate modum ætatis, & quærite ſenſum prædicationis. immo reddite veritati, quæ credere non vultis, & tam intelligitur prophetia, quàm renuntiatur expuncta. Maneant enim orientales illi Magi infantiam Chriſti recentem auro & thure munerãtes, & acceperit infans virtutem Damaſci ſine prœlio & armis. Nam præter quod omnibus notum eſt, Orientis virtutem, id eſt vires, auro & odoribus pollere ſolitam, certum eſt, & ex diuinis ſcripturis, virtutem quoque cæterarum gentium aurum conſtituere. Sicut per Zachariam dicit: [c] *Et Iudas pertendet Hieruſalem, & congregabit omnem valentiam populorum per circuitum aurum & argentum.* Nam de hoc auri munere etiam Dauid dixit: [d] *Et dabitur illi de auro Arabiæ.* Et iterum: *Reges Arabum & Saba munera offerent illi.* Nam & Magos reges fere habuit Oriens, & Damaſcus Arabiæ retro deputabatur, antequam tranſcripta eſſet in Syrophœnicem ex diſtinctione Syriarum, cuius tunc virtutem Chriſtus accepit, accipiendo inſignia eius, aurum ſcilicet & odores: ſpolia autem Samariæ, ipſos Magos, qui cùm illum cognouiſſent, & muneribus honoraſſent, quaſi dominum & regem ſub teſtimonio indicis & ducis ſtellæ ſpolia ſunt facti Samariæ, id eſt idololatriæ, credentes videlicet in Chriſtum. Idololatriam enim Samariæ, nomine notauit, vt ignominioſæ ob idololatriam, qua deſciuerat tunc à Deo ſub rege Hieroboam. nec hoc enim nouum ſcripturis diuinis, figurate vti tranſlatione nominum ex comparatione criminum. Nam & archontas Sodomorum appellat archontas veſtros, & populum veſtrum, populum Gomorrhæ vocat: cum iam olim eſſent ciuitates iſtæ extinctæ. Et alibi per Prophetam ad populum Iſraël: [e] *Pater, inquit, tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* quorum ex genere procreati non ſunt, ſed ob conſimilem impietatem: quos aliquando etiam filios ſuos dixerat per Eſaïam Prophetam: [f] *Filios generaui, & exaltaui.* Sic & Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur apud illum, ſuperſtitionis & maledictionis elogio. Sic & Babylon apud Ioannem noſtrum, Romanæ vrbis figura eſt, proinde & magnæ, & regno ſuperbæ, & ſanctorũ debellatricis. Hoc ita que modo Magos quoque Samaritanorum appellatione titulauit, & deſpoliatos, quod habuerant cum Samaritis, vt diximus, idololatriam. *Aduerſus regem autem Aſſyriorum*, aduerſus diabolum qui ad hoc ſe regnare putat, ſi ſanctos à religione Dei deturbat. Adiuuabitur autem hæc noſtra interpretatio, dum & alibi bellatorem Chriſtum ſcripturæ deſignant, ob armorum quorundam vocabula & eiuſmodi verba. Sed ex reliquorum ſenſuum comparatione conuincentur Iudæi: [g] *Accingere*, inquit Dauid, *enſem ſupra femur.* Sed quid ſuprà legis de Chriſto, [h] *Tempeſtiuus decore ſuper filios hominum, effuſa eſt gratia in labiis tuis.* Valde autem abſurdum eſt, ſi quem ad bellum enſe cingebat, ei de tempeſtiuitate decoris, & labiorum gratia blandiebatur; de quo ſubiungens, dicebat: [i] *Extende, & proſpera, & regna.* Et adiecit: *Propter lenitatem & iuſtitiam tuam.* Quis enim enſe operabitur, & non contraria lenitati & iuſtitiæ exercet? id eſt, dolum & aſperitatem & iniuſtitiam, propria ſcilicet negotia prœliorum. Videamus ergo an alius ſit enſis ille, cuius eſt alius actus, id eſt [l] *Dei ſermo diuinus, bis acutus* duobus teſtamentis, legis antiquæ, & legis nouæ, acutus ſapientiæ ſuæ æquitate, reddens vnicuique ſecundum actum ſuum. Licuit ergo & Chriſto Dei, in pſalmis ſine bellicis rebus enſem ſermonis Dei præcingi figuratò, cui prædicta tempeſtiuitas congruat cum gratia labiorum, quem tunc cingebatur ſuper femur apud Dauid, quando venturus in terras ex Dei patris decreto nuntiabatur: [m] *Et deducet*, inquit, *te magnitudo dextera tua*, virtus ſcilicet gratiæ ſpiritalis, de qua Chriſti agnitio deducitur. [n] *Sagittæ tuæ*, inquit, *acutæ*, per volantia vtique Dei præcepta, minantes traductionem vniuſcuiuſque cordis, compungentes & transfigentes conſcientiam quamque. *Populi ſub te cadent*, vtique adorantes. Sic bellipotens & armiger Chriſtus eſt, ſic accipiet ſpolia, non ſolius Samariæ, verum & omnium gentium. Agnoſce & ſpolia figurata cuius & arma allegorica didiciſti. Atque ita in tantum Chriſtus qui venit, non fuit bellator, quia non talis ab Eſaïa prædicabatur.

c Zach. 14. 14.
d Pſal. 71. 10. 15.
Matth. 2. 2. & ſeq.
Eſa. 1. 23.
e Ezech. 16 3.
f Eſa. 1. 2.
Eſa. 19. 1. & ſeq.
Apoc. 17. 9.
Eſa 8. 4.
g Pſal. 44. 4.
h Ibid. 3.
i Ibid. 5. & ſeq.
l Apoc. 1. 16.
m Pſal. 44. 5.
n Ibid. 6. Ibid.

19. Et 3. cont. Marc. cap. 13. iiſdem verbis. in p. iiſdem penè terminis. quibus ſupra, contra Iudæos. c. 9.

20. *Et ibid. à p.*

SErua modum ætatis, & quære ſenſum prædicationis: immo, redde Euangelio veritatis, quæ poſterior detraxiſti; & tam intelligitur prophetia, quàm renuntiatur expuncta. Maneant enim orientales illi Magi, in infantia Chriſtum recentem auro & thure munerantes; & *acceperit infans virtutem Damaſci* ſine prœlio & armis. Nam præter quod omnibus notum eſt, Orientis virtutem, id eſt vim & vires, auro & odoribus pollere ſolitam; certe eſt Crea- Matth. 2. 11.

tori, virtutem ceterarum quoque gentium aurum constituere; sicut per Zachaiam, [a] *Et Iudas pertendet apud Hierusalem, & congregabit omnem valentiam populorum per circuitum, aurum & argentum.* De illo autem tunc auri munere etiam Dauid, [b] *Et dabitur illi ex auro Arabiæ.* & rursus, [c] *Reges Arabum & Saba munera adferent illi.* Nam & Magos reges habuit fere Oriens, & Damascus Arabiæ retro deputabatur antequam transcripta esset in Syrophœnicen, ex distinctione Syriarum; cuius tunc virtutem Christus accepit, acipiendo insignia eius; aurum scilicet & odores. Spolia autem Samariæ, ipsos Magos: qui cùm illum cognouissent, & muneribus honorassent, & genu posito adorassent quasi Deum & regem, sub testimonio indicis & ducis stellæ, spolia sunt facti Samariæ, id est idololatriæ, credentes videlicet in Christum. Idololatriam enim Samariæ nomine notauit, vt ignominiosæ ob idololatriam, qua defciuerat tunc à Deo, sub rege Hieroboam. Nec hoc enim nouum est Creatori figurate vti translatione nominum, ex comparatione criminum. Nam & archontas Sodomorum, appellat archontas Iudæorum; & populum ipsum, populum Gomorrhæ vocat. & idem alibi. [d] *Pater, inquit, tuus Amorrhæus, & mater tua Cethea*; ob consimilem impietatem. quos aliquando etiam suos filios dixerat, [e] *Filios genecaui, & exaltaui.* Sic & Ægyptus, nonnunquam totus orbis intelligitur apud illum, superstitionis & maledictionis elogio. Sic & Babylon etiam apud Ioannem nostrum, Romanæ vrbis figura est; proinde magnæ, & regno superbæ, & sanctorum Dei debellatricis. Hoc itaque vsu, Magos quoque, Samaritarum appellatione titulauit; despoliatos, quod habuerant cum Samaritis, vt diximus, idololatriam. [f] *Aduersus regem* autem *Assyriorum*, aduersus Herodem intellige: cui vtique aduersati sunt Magi tunc, non *renuntiando* de Christo, quem intercipere quærebat.

a Zach. 14. 14.
b Psal 71. 15.
c Ibid. 10.
Esa. 1. 23.
d Ezech. 16. 3. & 45.
e Esa. 1. 2.
Esa. 19. 1. & seq.
Apoc. 17. 9.
f Esa. 8. 4. Math. 2. 12.

CHRISTI ELOGIA. XVIII. XIX. XX. SCHOLIA.

ÆQVE ET SONO *&c. id. est Iudei sicut & Marcionitæ, licet diuerso respectu, apud Esaiam legentes Christum* virtutem Damasci, & spolia Samariæ *tollentem, eumq; bellatorem, & armis ad literam, corporeis & materialibus præliantem intelligunt. Iudei quidem in hoc decepti, Christum adhuc apparatu bellico & forti, & magnifico expectantes, qui eos ab hostibus vindicet, vnde factum est vt infirmum, pauperem, contemptibilem, indigna patientem contempserint. Marcionitæ verò, prælia, arma, vindictam, indigna Deo suo, & Christo bono consentes, Prophetias belligeri Christi, & vindicis Dei, aut verè humanandi incarnandique respuerunt.* NON ANIMADVERTENTES, *&c. vtrique decepti non aduerterunt quod expressè Propheta præmiserat, nempe puerum tenellulum, præ infantia nescientem adhuc primas effari syllabas paterni & materni nominis hæc spolia mystice de gentibus conuersis ad fidem reportaturum* CREPITACILLO. *diminutiuum crepitaculi, perbelle ridet Iudæos, ducem suum conuocantem milites sonitu* Crepitacilli, *Instrumenti puerilis, multis tympanulis æneis, vel argenteis instructi, quo nutrices vel gerulæ id. fœmina infantum baiulæ & custodes, vagitus, & lacrymas vel iras infantiles motas, placare solent.* AD SOLEM VNCTI BRIVS. *Quasi athleta parvuli ad soluendos nervos, artusque confortandos. Vel vt infra numero. 19. contra Ponticum Marcionem idipsum repetens, ait, de barbaris pueros suos ad rigorem ætris, & laborem totius vitæ ab infantia disponentes,* aliud est si penes Ponticos, Barbariæ Gentis infantes in prœlium erumpunt, Credo ad solem vnctiprius, dehinc pannis armati, & butyro stipendiati. QVIANTE NORINT LANCEARE. *id. lanceam vibrare,* QVAM LANCINARE. *id. matris mammam auidius carpendo pungere, vexare, lacerare etiam manibus & vnguibus vel primis emergentibus dentibus admordere.* PRÆSTRVXIT FIDEM, *&c. id est, præparauit animos credulitati præmittendo ante conceptum & partum virgineum, signum omnium maximum hoc futurum.* IVVENCVLAM. *id. nouam nuptam, recenterque puberem concipere & parere, non est mirum.* INSIGNVM ERGO. *id. magna differentia est verbis Prophetæ: cum enim agit de virgine matre: signum & portentum maximum esse præmisit, puerum autem ex virgine natum. cæterorum infantium more butyrum & mel comedere non est mirum; stupendum autem rursus est quod ait puerum infantem* accepturum virtutem Damasci & spolia Samariæ, &c. *De esu butyri & mellis breuiter. Aug. to. 4. lib. Annot. in Iob. c. 20. Vbi impiis maledicta prosequitur.* Non videat mulctra pecorum, fructus ouium, id est iustinæ opera non faciat, vt se indè intelligat, posse redimit, neque pabula mellis & butyri: opera bona, cum charitate & hilaritate cordis, & largitate credentis. Butyrum enim lac pingue est. *Idem Aug. in Psal. 143. significatur, inquit, gratia lactis. Quia videlicet sponte fluit ex abundantia mammillæ.* In vanum, & frustra laborauit, quia non intelligit hæc de his operanda quæ ad misericordiam pertinent: vnde & Dominus butyrum & mel dicitur manducare; quia hæc illi in humilibus eius prebentur. *Siue quod insinuet Augustinus illud Christi, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. vnde & idem Iob de pauperibus per pedes, infimas corporis partes significatis, dicit:* lauabam pedes meos butyro. *Siue quod inter humilia & infirma Christi infantis recenseat esum mellis & butyri. Sed iuxta Paulum infirma mundi elegit Deus, vt fortia confundat: Et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus vt enim infra seq. Schol. videbimus, ab hoc infantulo butyrum & mel edente, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ, & sciet, vt omnium Iudex, & misericors Pater, reprobare malum, ex iustitia, & eligere bonum, quem bonum fecit ex misericordia, Psalte dicente:* Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine secundum Verbum tuum: Verbum vtique bonum, quod patris cor eructauit. SENSVM PRÆDICATIONIS. *id. Prophetiæ & prædictionis.* REDDITE VERITATI. *Supple testimonium & assensum.* RENVNTIATVR EXPVNCTA. *id. declaratur impleta.* MANEANT, *&c. id. manente veritate Euangelica impleta qua constat* Magos ab oriente venisse, *Christicolas, & trino munere, triplicem eius dignitatem agnoscentes, thure Sacerdotem, auro Regem, myrrha mortalem, & aromatibus condiendum; sic impleta videbitur Esaiæ pro-*

Augustin.
Aug.

phetia, quà virtutem Damaſci, *puer abſtulit.* SPOLIA FACTI SVNT SAMARIÆ. *Notat Samariam titulo Idololatriæ notatam, cùm à Dei veri & vnius fide ſub Rege Ieroboam ad Idola defecit. Magos itaque prius Gentiles & Idololatras, cultoreſque Syderum, ex comparatione criminis Idololatriæ, ad Chriſtum conuerſos inſpectu nouæ & inſolitæ ſtellæ per Samariam intellexit. Et adduxit exemplum argumento ſumpto ad hominem contra Iudæos ſcribens, multoque efficacius concludit quàm numero 20. vbi eadem ad verbum retexit aduerſum Marcionem, vetus teſtamentum reprobantem. Sic vſu Scripturæ* ARCHONTAS *Iudæorum, id. principes & Reges eorum, Sodomitas, Gomorrhæos, Cetheos nominans, ſicut & totum orbem Ægypti, Romam Babyloniæ nomine appellari notans: Ita & Magos prius Idololatras, per Samariam Idolatram deſignari.* AUFERETUR, *&c. rurſum repetit quæ ſupra numero 17. expoſita habes in Scholio.* QUIS ENSE OPERABITUR. *id. quis militabit, & iuxta corruptionem militiæ, omnino contraria exercebit, iuſtitiæ & lenitati? quibus tamen armis Chriſtus prælians eſt.* BIS ACUTUS, *ipſemet ſe exponit, gladium verbi, vtraque parte acutum explicans vtrumque teſtamentum; vel iuſtitiam Chriſti diſtributiuam, referentem cuique quòd ſuum eſt.* TEMPESTIVITAS. *alludit ad tranſlat. 70. in Pſal. 44.* ἑτοίμη κύριε, *tempeſtiuus decore, quod ſupra expoſuimus citato numero* CINGEBATUR SUPER FEMUR. *id verbum Dei Chriſtus Dei Filius, ideo femore præcinctus enſem à Daniele viſus eſt, quia iuxta Paulum Rom. 1.* Factus eſt ei ex ſemine Dauid *& femore,* ſecundum carnem, *qui gladio bis acuto Apoc. 1. & nodos peccati ſoluere, & homines à Carnalis affectus vinculis expedire in Aduentu primo, ſicut in ſecundo, diuerſa ſententia gladio electos à reprobis ſeparare, & ſingulis præmia vel pœnas meritas diſtribuere debebat. Et deducet te, &c. eadem præcitato numero ſequentia Pſal. verba habes explicata.* MINANTES TRADUCTIONEM. *Frequenter vbique ſagittæ verbi Dei & bis acutus gladius minuatur in Iudicio cogitationes cordis aperiendas, & inter cetera Paulus ad Rom. 2.* Inter ſe inuicē cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit Deus occulta hominum ſecundum Euangeliū meum per Ieſum Chriſtum. NON FUIT BELLATOR. *Benè concludit contra aduerſarios, ideo Chriſtum non fuiſſe bellatorem & ſpolia de hoſtibus, armis temporalibus triūmphatis accipientem, ſed de omnibus, virtute ſua, gratia patientia, victorem: quia venerat,* non legem aut Prophetas ſoluere, ſed adimplere: *Prophetauerat autem Eſaias & Dauid myſticum bellatorem, & ſpiritalem triumphatorē hoſtium, talis ergo eſſe debuerat.*

19. ÆQUE ET SONO. *Eadem hic ad verbum duobus numeris retexit contra Marcionitas, quæ ſupra dixerat contra Iudæos. Sola differentia eſt, quod vbi prius nomine Regis Aſſyriorū, diabolum; hic Herodem intellexit, & aptiùs quidem myſterium Epiphaniæ, cuius gratia hic quædam illuſtriora breuiter ſubiicio.*

20. MANEANT ORIENTALES ILLI MAGI. *id. ſi Scriptura manet integra,* & Mus Ponticus, *Marcion vt eum alibi vocat Tertul. non eraſiſſet ex Euangelio, quæ tangunt natalem, & infantiam Chriſti, Eſa. Prophetia,* de Virtute Damaſci, & ſpoliis Samariæ. *Impleta cernetur. Eſa. 8.* antequam ſciat puer vocare patrem ſuū & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ, coram rege Aſſyriorum. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* vocare patrem meum & matrē meā, tollet opes Dammeſec, & ſpolia Semeren coram Rege Aſſur. *Vatablus,* priuſquam puer ille norit ſonare Abi, & Imi *id. pater mi, & mater mea,* tollet copias Damaſci, & ſpolium Samariæ, ante Regem Aſſyriorum. 70. Tollet virtutem Damaſci. *Hic Patres & interpretes Chriſti Emanuelis prædam interpretantur qui recens natus, primò Iudæam & Eccleſiam à Tyrannide Herodis liberauit, cùm tres Magos ſtella duce à Damaſco, id eſt Oriente vocauit cum ſuis opibus & muneribus. Et ſic ſpolia Samariæ detraxit. id. idololatriæ, cui præ cæteris Gentibus addicti erant Samaritani. Secundò rapuit innocentes Herodi, eis coronam Martyrij tribuendo, teſte Irenæo lib. 3. c. 18. Tertiò Herodem fugiens, Aduentu ſuo in Ægyptum* commouit omnia ſimulacra Ægypti. *Iuſtinus contra Thryphonem.* Herodem, verbum Propheticum, Regem Aſſyriorum appellat. *S. Epiph. in Ancorato. Hiero. hic. Chryſoſt. hom. 2. in Matth. Ambr. lib. 3. in Luc. intelligunt per Regem Aſſyriorum Herodem aut Diabolum per Samariam & Damaſcum Magos Orientales idololatras, per virtutem & ſpolia eorum ſapientiam & aurum cum reliquis muneribus. Aug ſer. 4. in Epiph.* Tunc puer priuſquam ſciret vocare Patrem aut matrem, ſicut de illo fuerat prophetatum, accepit virtutem Damaſci & ſpolia Samariæ, id eſt, antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damaſci, illius ſcilicet vnde Damaſcus præſumebat. In diuitiis quippe ciuitas illa ſecundum ſæculum florens aliquando præſumpſerat. In diuitiis autem Principatus auro defertur, quod Chriſto Magi ſuppliciter obtulerunt. Spolia vero Samariæ iidem ipſi erant, qui eam incolebant. Samaria namque pro idololatria poſita eſt. Illic enim populus Iſrael auerſus à Domino, ad Idola colenda conuerſus eſt. Debellaturus ſcilicet Chriſtus gladio ſpiritali per vniuerſum orbem regnum Diaboli, hæc prima puer ſpolia idololatriæ Dominationi detraxit, vt ad ſe adorandum Magos conuerſos à peſte iſtius ſuperſtitionis auerteret, & in hac terra nondum loquens per linguam loqueretur de cælo per ſtellam, vt & quis eſſet, & quò, & propter quos veniſſet, nō voce carnis, ſed virtute Verbi quod caro factum eſt, demonſtraret. Hoc enim Verbum quod in principio erat apud Deum, iam etiam caro factū vt habitaret in nobis, & ad nos venerat, & apud Patrem manebat, ſurſum Angelos non deſerens, & deorſum ad ſe homines per Angelos colligens; & cœleſtibus habitatoribus ſecundum Verbum incommutabili veritate fulgebat, & propter anguſtum diuerſorium in præſepi iacebat. Ab ipſo in cœlo demonſtrabatur ſtella, & ipſum adorandum demonſtrabat in terra. AURO ET THURE MUNERANTES. *Aug. ibid* à Magis illis non ſolum aurum honorandus, *vt Rex,* & thus adorandus, verum etiam Myrrham ſepeliendus acceperat. *Et rurſum ibidem in fine,* nos & regem, & Sacerdotem, *cuius eſt thus offerre,* & pro nobis mortuum, *mortuorum enim cadauera myrrhâ condiebantur* Chriſtum agnoſcentes atque laudantes, iam in auro, & thure, & mirrha honorauimus. Supereſt, vt eum Euangelizantes, *ſicut magi fecerunt* Notam viam carpamus, non quà venimus redeamus, adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, &c. ET IUDAS PERTENDET. *Zach. 14 Vulgata ſic,* ſed & Iudas pugnabit aduerſus Ieruſalem, & congregabuntur diuitiæ omnium Gentium in circuitu aurum & argentum, & veſtes multæ ſatis. *Parum differt Sanct. Pagn. & Vatabl. 70.* Et Iudas præparabitur in Ieruſalem, & congregabit robur omnium populorum per circuitum, aurum & argentum, & veſtes in multitudine nimis. *Tertul legit,* pertendet. *Græca vox apud 70.* παρεξεται, *ſignificat,* ſtabit in acie, pugnabit,

S. Auguſt.

S. Aug.

S. Aug

Pertendere autem Tertulliano fuit idem quod contendere, siue extendere per pugnam, victoriam suam. DABITVR ILLI. *Psal. 71.* Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* de auro Seba Arabicæ, & orabit pro eo semper. *Ita & Vatabl. & 70.* Orabunt de ipso
S. Aug. semper. *Aug. in hunc locum*, non diceretur, & viuet, de quo non posset dici hoc quantulocumque spatio temporis viuente in hac terra, nisi in illa vita commendaretur, in qua Rom. 6. iam non moritur, &c. Atque ideo & viuet, qui contemptus est moriens, quoniam sicut alius Propheta dicit, tolletur de terra vita eius. Sed quid est, & dabitur ei de auro Arabiæ? Nam quod indo aurum etiam ille Salomon accepit, in hunc Psalmum figuratè traiectum est in alium verum Salomonem, id. verum pacificum, non enim ille dominatus est à flumine vsque ad terminos orbis terræ. Sic ergo prophetatum est etiam sapientes, *Magos alioſque doctos intellige, quales orientis populi Reges eligebant, & Plato fœlicem Rempublicã censuit, in qua vel Philosophi regnarent, vel Reges Philosopharentur*; huius mundi, in Christum fuisse credituros. Per Arabiam autem etiam Gentes intelligimus. Per aurum sapientiam, quæ ita excellit inter omnes doctrinas, vt aurum inter metalla. Vnde scriptum est Prouerb. 8. accipite prudentiam sicut argentum, & sapientiam sicut aurum probatum, &c. Et orabunt de ipso semper, aliqui pro ipso legunt. Quid est de ipso? nisi fortè quod oramus dicentes adueniat regnum tuum, &c. Pro eo vero quomodo intelligatur, angustum est, nisi quia cum oratur pro Ecclesia, pro ipso oratur, quia corpus est eius. De Christo quippe & Ecclesia præmissum est Sacramentum magnum. Erunt duo in carne vna Ephes. 5. *supra præmiserat Psaltes, quod & Tertullianus num. 18.* Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Reges maris & insularum munus reddent, Reges Seba Arabicæ, & Seba Æthyopicæ munus offerent. *Vatabl.* Reges Mediterranei maris & insularum munera afferant, Reges Scheba, & Seba honoraria adducant. *Et in Scholiis suis*, Tharsis id. Ciliciæ, & insulæ id. Cypri, Cretæ, & aliarum quæ Mari Mediterraneo cinguntur. Reges Arabum, id. Arabiæ
S. Aug. fœlicis & Reges Æthiopiæ. *In quem locum August.* hoc iam non expolitorem, sed contemplatorem deliderat, &c. *Aliqui ad literam volunt id impletum fuisse in Salomone cum Regina Saba omni regioni Sabæorum, Madian & Epha, & Arabiæ fœlici imperans venit ad Salomonem, sed figura impleta in Christo à Magis adorato. Aliqui volunt fuisse Prophetiam quatuor mundi plagarum quatuor hac vocibus significarum, qua conuerti debebant ad Christum.* NAM ET MAGOS REGES. *Supra in breui parenthesi exposuimus præoccupando solitos Orientales Magos, id. sapientes & Astrologos rerum naturalium necessario accidentium præscios, vt magis populis prouidos in reges assumere, sicut & Proregem Ægypti Pharao constituit Ioseph, Solem, Lunam, & stellas adorare se somniantem, & Pharaonis somnia interpretantem, nec non futuræ sterilitatis præsagium, vnde & populo in abundantia prouidit superuenturæ inopiæ.* DAMASCVS ARABIÆ, *&c. id. priusquam factus esset diuisio & distinctio plurium Syriarum,* RETRO. *id. antequam Damascus in Syrophœniciam transscriberetur, pars Arabiæ censebatur. Aduerte breuiter, Chananeam Marci 7. huius patria commemorari,* erat mulier Gentilis Syrophenissa genere. *Translat. Syr.* ex Phœnicia Syriæ. INSIGNIA EIVS. *id. opes & opinã quaque.* NEC NOVVM EST CREATO-

A RI. *Deum Creatorem vocat, vt & hic pungat Marcionem ex vsu idiomatis veteris Testamenti, quo Gentes similium criminum, similibus titulis nominibus.* NAM ET ARCHONTAS. *Esa. 1.* Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ. *Sic vtrobique Sanct. Pagn. ex Hebr. & 70. Vatabl.* Tyranni Sodomorum, auscultate & tu Gomorrhæ plebs. *Et in Schol.* Principes iniqui similes principibus Sodomitarum & pessimus populus similis Gomorrhæis. ET IDEM ALIBI. *diligenter aduerte lector hanc vocem* idem *non referri debere ad præcitatum Esaiam, apud quem nil tale inuenias: sed referenda est ad* Creatorem figuratè vtentem translatione nominum, *etiam alibi quam apud Esaiam, scilicet Ezech. 16. 3 & 45.* radix
B tua, & generatio tua de terra Chanaam: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua cethæa, *Sanct. Pagn. ex Hebr.* opera tua sunt, ac si habitationes tuæ, & natiuitates tuæ fuissent de terra Chenahanea, pater tuus fuisset Emorræus, & mater tua Chittea. *Vatabl.* vena tua & natales tui, &c. Mater tua Hethæa. *70. respondent Vulgata. Hebraicè radix, excisio. id. exactio & generatio. Non ob generis eductionem, sed ob morum similitudinem. Quasi diceret: Pater tuus videtur non fuisse Abraham Hebræus, sed aliquis Amorrhæus, nec mater tua Sara, sed aliqua impudens mulier Cethæa. Sic Origenes, Hieronymus, Theodoretus, & Rabini. Augustinus tract. 32. in caput 8. Io. in verba,* vos ex patre diabolo estis, &c. *Sic differit,* vnde ergo Aug.
Iudæi filij Diaboli? imitando non nascendo. Audite Scripturæ sanctæ consuetudinem. Propheta dicit ad ipsos Iudæos: Pater tuus Amorrhæus, &c.
C Amorrhæi gens erat quædam, vnde originem Iudæi non ducebant: Cethæi & ipsi; gentem suam habebant omnino alienam à genere Iudæorum. Sed quia erant impij Amorrhæi & Cethæi, Iudæi autem imitati sunt impietates illorum: inuenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur. FILIOS GENERAVI. *Esaiæ verba sunt cap. 1. Vbi & Israëlitas peccato corruptos, vocat Sodomitas & Gomorræos*, filios enutrijt & exaltaui. *Ita & Sanctes Pagn. Vatablus autem*: filios educaui, & auexi. 70. filios genui & exaltaui. SIC ET ÆGYPTVS, *&c. Frequenter Scriptura totum pene orbem Idololatria corruptum* ÆGYPTI ELOGIO *id. infami & maledicta nota inurit, sed maxime Esaias toto capite 19. quod incipit:* Onus Ægypti, ecce Dominus ascendet super nubem leuem & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius. *Ita & versiones reliquæ, nisi quod 70. legunt:* concutientur manufacta Ægypti: *sed Idola intelligunt, de quibus Psaltes:* Simulacra eorum argentum & aurum,
D opera manuum hominum. *Qui locus Esa. 19. quamuis ad literam exponatur à Hieronymo D. Thoma & Lyrano de exercitu velocissimo Assyriorum instar nubis quam equitaret Deus contra Ægyptum pugnans. Tamen Idem Hiero. Athan. Aug. Ber & alij de Christo* Aug.
concepto de Virgine, fugiente in Ægyptum, de cuius in
E *aduentu sic Rufinus lib. 2. cap. 7.* Vidimus in Thebaide in finibus Hermopolis templum, in quo ingresso vrbem Saltatore, ceciderunt omnia Simulacra in faciem super terram. *Ægyptus autem totum mundum idololatriam repræsentat, licet nulla mundi pars addictior esset superstitioni idololatriæ, quam Ægyptus, cuius nomen orbi simulacris mancipato, applicatur.*

Augustinus lib. 8. de ciuit. c. 23. sic inducit Hermem Aug.
siue Mercurium Trismegistum Ægyptium Asclepio loquentem: An ignoras, ô Asclepi, quòd Ægyptus imago sit cœli: aut quod est verius, translatio, aut defœntio omnium quæ gubernantur atque exercentur

centur in cœlo: ac si dicendum est verius, terra nostra mundi totius est templum? & tamen quoniam præscire cuncta prudentem decet, istud vos ignorare fas non est: futurum tempus est, cum appareat Ægytios incassum, pia mente diuinitati sedulam religionem seruasse, & omnis eorum sancta veneAugust. ratio in irritum casura frustrabitur. *Deinde Aug. subiicit:* meritò homo deficit ab illo qui eum fecit, cùm sibi præficit ipse, quod fecit. Hæc vana, deceptoria, pernicioſa, Sacrilega, Hermes Ægyptius, quia tempus quo auferrentur venturum sciebat, dolebat. Sed tam impudenter dolebat, quàm imprudenter sciebat. Non enim hoc ei reuelauerat Spiritus sanctus, sicut Prophetis sanctis, qui hæc præuidentes cum exultatione dicebant: erit in die illo dicit Dominus, exterminabo nomina simulachrorum à terra, & non erit eorum memoria. Proprie vero de Ægypto, quod ad hanc rem attinet. Ita sanctus Esaias prophetat: & mouebuntur manufacta Ægypti. &c. Huic autem Ægytio illi spiritus indicauerant futura tempora perditionis suæ: qui etiam præsenti in carne Domino tremente dixerunt: quid venisti ante tempus perdere nos? siue quia subitum illis fuit, quod futurum quidem, sed tardius, opinabantur: siue quod perditionem suam hanc ipsam dicebant, qua fiebat, vt cognitis spemerentur. Et hoc erat ante tempus, id est, ante tempus Iudicij, quo æterna damnatione puniendi sunt, cum omnibus etiam hominibus, qui eorum societate detinentur. SIC ET BABYLON *Ioannem hic & authorem Apocalypsis agnoscit, contra aliquos eam respuentes.* Nostrum *vocat, contra Marcionem, cuius non erat. Tangit autem locum Apoc.* 17. in fronte eius nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de sanguine Martyrum IESV. *Rupertus tam Synagoga applicat prophetarum, quàm Tyrannorum collectioni, martyrum sanguine ebria. Frustra hæretici Ecclesiam Romanam fingunt à Tertulliano & Hiero. vocatam Babylonem. Licet enim Hiero. præfatione in Didymum de Spiritu sancto sic dicat* dum in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, &c. *Eam sic vocat tum quod eodem capite Apoc.* 17. septem capita septem montes *Ioannes explicet qui sunt in Roma, tum quod respiciat tempus quo Romani Imperatores, tam Roma per seipsos, quàm per totum orbem cui imperabant, per præfectos, sanguinem Martyrum effundebant. Absit vt tantus vir Ecclesiam Romanam purgat, sed vrbem septicollem Idololatram, meretriciam & crudelem. Nam idem Hieron. sub finem lib.* 2. *cont. Iouin. sic Romam affatur conuersam ad fidē:* quæ scriptam infronte blasphemiā, Christi confessione delesti. *Roma porro Babylonis figuram expressit. Sicut enim olim Ecclesiā in Hebr. populo Babylon oppressit, sic nascentem Ecclesiam Roma vexauit. Prima persecutio Diaboli in oriente, secunda in occidente. Vnde Aug.* 18. *de ciuit. c.* 22. condita est Roma velut altera Babylon, velut prioris filia Babyloniis. *Et rursum cap.* 27. *vbi de tempore prophetarum:* per ea tempora isti velut fontes prophetiæ pariter eruperunt, quando Regnum defecit Assyriorum, cœpitque Romanorum: vt scilicet quemadmodum regni Assyriorum primo tempore extitit Abraham, cui promissiones apertissimæ fierent in eius semine benedictionis omnium gētium, ita in occidentalis Babyloniis exordio, qua fuerat Christus imperante venturus, in quo implerentur illa promissa oracula Prophetarum, non solum loquentium, verum etiam scribentium in tantæ rei futuræ testimonium soluerentur. DESPOLIATOS IDOLOLATRIAM. *id. ab idololatriæ habitu excusso, Domini Iesu fidem indutos.* RENVNTIANDO. *Vitur termino ipsius Herodis dicentis Magis Matth.* 2. Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renuntiate mihi, &c. *Bene autem Herodes regi Assur siue Assyriorum comparatur. Assur enim vel Assyrij significat, diuitem, speculantem, dirigentem, gradientem, insidiantem. Vt enim superbè Tyrannus graderetur, direxit Magos in Bethlehem speculans & prospiciens securitati regni sui, dum insidiatur vitæ Christi.*

A

B

C

21. Christus ostium nostrum & via ad Patrem, cui soli lucernam parare debemus. V. verbum, Idololatriæ participat. num. 2.

22. Christus porta est & introitus ad cœlum, cui obuiam rapientur electi. 3. cont. Marc. cap. 24. *circa f.*

CVR autem vt euigilauit, & primum loci horrore concussus est, conuertitur ad interpretationem somnij? Cùm enim dixisset, [a] *Quàm terribilis est locus iste; Non est, inquit, aliud, sed ædes Dei, & hæc porta cœli.* Christum Dominum enim viderat, templum Dei, & portam eundem, per quem aditur cœlum. Et vtique portam cœli non nominasset, si cœlum non aditur apud Creatorem. Sed est & porta quæ recipit, & quæ perducit, strata iam à Christo; de quo Amos: [b] *Qui ædificat in cœlum ascensum suum;* vtique non sibi soli, sed & suis qui cum illo erunt. &, [c] *Circumdabis enim illos tibi*, inquit, *tanquam ornamentum sponsæ.* Ita per illum ascensum ad cœlestia regna tendentes, miratur spiritus dicens, [d] *Volant velut qui sunt milvi.* [e] *Vt nubes volant, & velut pulli columbarum ad me;* scilicet simpliciter vt columbæ. [f] *Auferemur enim in nubibus obuiam Domino*, secundùm Apostolum (illo scilicet filio hominis veniente in nubibus, secundùm Danielem) *& ita semper cum Domino erimus.*

a Gen. 28. 17.
b Amos. 9. 6.
c Esa. 49. 18.
d Esa. 31. 5.
e Esa. 60. 8.
f 1. Thes. 4. 17. Dan. 7. 13.

CHRISTI ELOGIA. XXII. SCHOLIA.

CVR AVTEM. *Mens eius est hic probare contrà Marcionem consonantiam vtriusque Testamenti de Christo, qui vtrobique & porta nobis est cœli, quod vtique Pater eius Creator condidit, cuius in cœlum ascensum, & nostrum post eum, Prophetæ ante Paulum prædixerunt: vt confusus Marcion, Deum Creatorem, Christi Patrem inuitus admittat.* LOCI HORRORE, *id. veneratione & sanctitate, ob præsentiam Dei apparentis Iacob, & innixi scalæ, Gen.* 28. eamque euigilasset Iacob de somno, ait: verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque: quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta cœli. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* & hic est porta cœli. *Ita & Vatabl. & 70. Paraph. Chald.* non est locus communis, sed locus, in quo beneplacitum est coram Deo: & è regione loci huius est porta cœli. *Certè Patres cum Ruperto scalam istam Verbi incarnationē exponunt, in qua cœlum terrā*

D

iunctum eſt, facto commercio diuinitatis & carnis. Frequenter Aug. eundem Chriſtum Dominum ſecundum Euangelium ſcalam & viam dixit per quam itur ad Patrem. Seipſum Chriſtus oſtium ouium aperuit, vt fruſtra pluribus immorer. Aug. in Pſal. 127 non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta. Qui non vult loqui in porta, latere vult quod loquitur, & forte ideo vult latere, quia malum eſt; ſi fidit, in porta loquatur, ſicut dicitur de ſapientia Prou. 8. in portis autem ciuitatum audenter dicit, &c. Hoc eſt in porta prædicare. Et quis eſt qui prædicat in porta? qui prædicat in Chriſto, quia Chriſtus eſt porta, qua intramus ad illam ciuitatem. *De ſcala autem idem in Pſal. 44. ex Io.* 1. Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis. Angeli Dei aſcendant & deſcendant per ſcalas illas, fiat hoc in Eccleſia. Angeli Dei annuntiatores ſunt veritatis; aſcendant & videant. In principio erat Verbum, &c. Deſcendant & videant, quia Verbum caro factum eſt, &c. Aſcendant vt erigant; magnos: deſcendant, vt nutriant paruos. Vide aſcendentem Paulum 2. Cor. 3. ſiue mente exceſſimus Deo. Vide deſcendentem, ſiue temperantes ſumus vobis. Vide aſcendentem: ſapientiam loquimur inter perfectos. Vide deſcendentem: lac vobis potum dedi, non eſcam. *ſuperiora ſcala, diuinitas: inferiora ſcala, humanitas. Porta & via ad Diuinitatem, facta eſt humanitas* TEMPLVM DEI. *Sic & de ſuo Corpore Chriſtus:* ſoluite templum hoc. *De quo & Salomon in Prouerb.* ſapientia ædificauit ſibi domum. *Et rurſum Paulus:* in quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter. DE QVO AMOS. 9. Ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundauit. 70. & promiſſionem ſuam, ſuper terram fundat. *Santt. Pagn. ex Hebr.* qui ædificat in cœlos aſcenſiones ſuas, & peculium ſuum ſuper terram fundauit. *Quam certum peculium census & redditus corporis Chriſti quod eſt Eccleſia, fundatum in promiſſionibus Chriſti, in meritis terræ humanitatis eius, qui caput noſtrum homogeneum factum eſt, qui aſcenſiones ſuas id. ſui corporis, ſuorum membrorum, in capitis aſcenſione fundauit, id etiam promittens, dum in terra viueret in ſubſtantia fidei iacens fundamenta ſpei dum diceret:* Vado parare vobis locum, &c. Et iterum, ſumam vos ad meipſum. CIRCVMDABIS, *&c. Eſa* 49 omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa. 70. Sicut ornamentum ſponſa. *Santt. Pagn. ex Hebr.* ligabis eos vt torques collo tuo, tanquàm ſponſa. *Vatabl.* eos circumligabis. MILVI. *Eſa. 31.* ſicut aues volantes. *ita & Santt. Pagn. & 70. Vatabl.* inſtar auis obuolantis proteget Dominus. *vbi licet vox Græca ὄρνια, in genere ſignificet aues: apud Heſiod. tamen etiam accipitres, inter quos apud Plin. lib. 10. cap. 10. etiam milvi recenſentur. Habes in hanc rem egregium locum Iob. 28.* Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis. *Santt. Pagn. ex Hebr.* nec vidit eam oculus variæ auis. *Vatablus:* eſt ſemita quam ignorat volucris, neque illam conſpexit oculus Milvi. 70. nec vidit eam oculus vulturis. *Accipite Greg. in hunc locum.* Quis hoc loco auis nomine, niſi ille ſignatur, qui corpus carneum quod aſſumpſit, aſcendendo ad æthera librauit? qui aptè quoque etiam vulturis appellatione exprimitur, qui manens in altitudine diuinitatis ſuæ, quaſi quodam volatu ſublimi, cadaver mortalitatis noſtræ conſpexit in infimis, & ſeſe de cœleſtibus ad ima ſubmiſit. Fieri quippe propter nos homo dignatus eſt, & dum mortuum animal petiit, mortem apud nos, qui apud ſe erat immortalis, inuenit. Sed huius vulturis oculus fuit intentio noſtræ reſurrectionis, quia ipſe ad triduum mortuus, ab æterna morte nos liberauit. Ille ergo perfidus Iudææ populus, mortalem vidit; ſed quod morte ſua noſtram mortem deſtrueret, minime attendit. Conſpexit quidem vulturem, ſed oculos vulturis non aſpexit: qui dum humilitatis eius vias, quibus nos ad alta ſubleuauit, conſiderare noluit, ſemitam auis ignorauit. Neque enim penſare ſtuduit, quod eius humilitas nos leuaret ad cœleſtia, & mortis eius intentio reformaret ad vitam. *Anima igitur, beatorum ad cadauera ſuſcitanda & aſſumenda in cœlum, quaſi ad præda volantes rectè milui & Vulturibus comparantur, & Chriſto vulturi conformantur. Vel ſimiles aquilis ad corpora congregabuntur, ſecundum illud Euangelij,* vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. *Tum imitabitur Prophetia:* aſſument pennas vt aquilæ, volabunt, & non deficient. *Ita enim de Chriſto Deut. 32.* ſicut aquila prouocat pullos ſuos ad volandum. *Et pennata erunt myſtitorum Ezechielis animalium corpora. Si enim ex Paulo,* ſeminatur animale, reſurget ſpiritale. *Vadit apud hæc b.* Vbi erat ſpiritus impetus, illuc gradiebantur. Ibant & reuertebantur, in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. *Quia quia ex Aug.* vbi volet ſpiritus, ibi erit & corpus. VT NVBES VOLANT. *Eſa. 60.* qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? *Ita & Vatabl. Santt. Pagn.* quæ ſunt congregationes iſtæ, quæ vt nubes volabunt? &c. 70. Quinam iſti vt nubes volant, & ſicut columbæ cum pullis ad me? *id. Apoſtoli & Doctores, cum Diſcipulis & conuerſi populi ſimpliciter parentes vento, & inſpirationi diuinæ ſicut nubes, & Spiritui ſancto per columbam ſignificato, ſimplicitate columbina conformes, aſſueti nidificare,* in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, *id eſt Chriſti plagis. De Chriſto enim Pſalmus:* qui ponis nubem aſcenſum tuum. *Et Eſaias.* Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem. AVFEREMVR ENIMIN NVBIBVS. *1. Theſſ 4.* nos qui viuimus qui reſidui ſumus in aduentum Domini, non præueniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent prius. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus. *Aug. 20. de ciuit. c. 20. totum caput impendit in expoſitione loci. Vbi interrogat:* quæri ſolet vtrum illi, quos hic viuentes inuenturus eſt Chriſtus, quorum perſonam in ſe atque illos qui tunc ſecum viuebant, transfigurabat Apoſtolus, nunquam omnino morituri ſint an ipſo temporis puncto, quo cum reſurgentibus rapientur in nubibus obuiam Chriſto in aëra, ad immortalitatem per mortem, mira celeritate tranſibunt. Neque enim dicendum eſt, fieri non poſſe, vt dum per aëra in ſublime portantur, in illo ſpatio & moriantur, & reuiuiſcant. Quod enim ait, & ita ſemper cum Domino erimus: non ſic accipiendum eſt, tanquam in aëre, nos dixerit cum Domino eſſe manſuros, quia nec ipſe vtique ibi manebit, quia veniens tranſiturus eſt. Venienti quippe ibitur obuiam, non manenti: ſed ita cum Domino erimus, ideſt ſic erimus ſemper habentes corpora ſempiterna vbicumque cum illo fuerimus, &c. *Subitò ergo eos qui in illo raptu morientur, & ſubitò reſurgent, non minus redituros inxta priſtinam ſententiam in terram.* Sicut in ipſo raptu morientur, ita & reſurgent dum ferentur in aëra. In terram quippe ibis Gen. 3. & in hoc ibis amiſsâ vitâ, quod eras antequam ſumeres vitam: id Hoc eris examinis quod eras antequam eſſes animatus.

S. Aug. S. Aug. S. Auguſt. Aug. Aug.

23. Christus Nazareus dictus. 4. contr. Marc. cap. 8. in p.

NAzaræus vocari habebat secundùm prophetiam Christus creatoris. vnde & ipso nomine nos Iudæi Nazaræos appellant per eum. Nam & sumus, de quibus scriptum est [a] Nazaræi exalbati sunt super niuem. Qui scilicet retro luridati delinquentiæ maculis, & nigrati ignorantiæ tenebris. Christo autem appellatio Nazaræi competitura erat ex infantiæ latebris ad quas apud Nazareth descendit, vitando Archelaum filium Herodis. Hoc propterea non omisi, quia Christum Marcionis oportuerat omne commercium ejeraſſe etiam locorum familiarium Christi Creatoris, habentem tanta Iudææ oppida non ita Christo Creatoris per Prophetas emancipata. Ceterum, Prophetarum erit Christus, vbicumque *secundum Prophetas* inuenitur. Et tamen apud Nazareth quoque nihil noui notatur prædicasse, dum aliò, merito vnius prouerbii, eiectus refertur.

Math. 2. 23.
[a] Esa. 11. 1. Thren. 4. 7.
Math. 2. 23.
Math. 2. 17. 23.
Luc. 4. 16. & seq.

24. Christus flos virgæ Iesse plenus spiritu, & oleo, calamum quassatum non conteret. cont. Iud. cap. 9. circa. f.

ET quoniam ex semine Dauid, genus trahere deberet virgo, ex qua nasci oportuit Christum, vt suprà memorauimus, euidenter Prophetа in sequentibus dicit: [a] *Et nascetur*, inquit, *virga de radice Iesse*, quod est Maria, *& flos de radice eius ascendet. Et requiescet super illum spiritus Dei, & spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & virtutis, spiritus agnitionis & pietatis, spiritus Dei timoris implebit illum.* Neque enim vlli hominum vniuersitas spiritalium documentorum competebat, nisi in Christum, flori quidem ob gratiam adæquatum, ex stirpe autem Iesse deputatum, per Mariam scilicet inde censendum. Fuit enim de patria Bethlehem & de domo Dauid, sicut apud Romanos in censu descripta est Maria, ex qua nascitur Christus. Expostulo etiam & quia à Prophetis prædicabatur ex Iesse genere venturus, & omnem humilitatem & patientiam & tranquillitatem esset exibiturus, an venerit? atque ita is homo qui talis ostenditur, ipse erit Christus, qui venit. De hoc enim Propheta dicit: [b] *Homo in plaga positus; & sciens ferre imbecillitatem: qui tanquam ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum.* [c] *Si neque contendit, neque clamauit, neque audita est foris vox eius, qui arundinem contusam*, id est *quassam* Israëlis fidem, *non comminuit; qui linum ardens*, id est, momentaneum ardorem Gentium *non extinxit*, sed lucere magis fecit ortu luminis sui, non potest alius esse, quàm qui prædicabatur.

circa. f.
[a] Esa. 11. 1.
Luc. 2. 15. 2.
[b] Esa. 53. 3. 7.
[c] Esa. 42. 2. 3. Math. 12. 20.

25. Et 5. contr. Marc. cap. 8. à p.

NVnc de spiritalibus dico, hæc quoq. in Christum à Creatore promissa, sub illa præscriptione iustissima, opinor, qua non alterius credenda sit exhibitio, quàm cuius probata fuerit repromissio. Pronuntiauit Esaïas, [a] *Prodibit virga de radice Iesse, & flos de radice ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* dehinc species eius enumerat: *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilii & valentiæ, & spiritus agnitionis & religionis, spiritus eum replebit timoris Dei.* Christum enim in floris figura ostendit oriturum ex virga profecta de radice Iesse, id est virgine generis Dauid filii Iesse, in quo Christo consistere haberet tota substantia spiritus; non quasi postea obuentura illi, qui semper spiritus Dei fuerit, ante carnem quoque; ne ex hoc argumenteris prophetiam ad eum Christum pertinere, qui vt homo tantum ex solo censu Dauid, postea consecuturus sit Dei sui spiritum. Sed quoniam exinde quo floruisset in carne sumpta ex stirpe Dauid, requiescere in illo omnis haberet operatio gratiæ spiritalis, & concessare & finem facere quantum ad Iudæos; sicut & res ipsa testatur, nihil exinde spirante penes illos spiritu Creatoris, [b] *ablato à Iudæa sapiente & prudente architecto, & consiliario, & propheta*; vt hoc sit, [c] *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Accipe nunc quomodo & à Christo in cœlum recepto, charismata obuentura pronuntiarit. [d] *Ascendit in sublimitatem*, id est in cœlum. *captiuam duxit captiuitatem*, id est, mortem, vel humanam seruitutem. *data dedit filiis hominum*; id est donatiua, quæ charismata dicimus. Eleganter *Filiis hominum* ait, non passim hominibus; nos ostendens *filios hominum*, id est, vere hominum Apostolorum, [e] *In Euangelio enim inquit, Ego vos generaui.* [f] & *Filij mei, quos parturio rursus.* Iam nunc & illa promissio spiritus absolute facta per Ioelem, [g] *In nouissimis diebus effundam de meo spiritu in omnem carnem, & prophetabunt filij filiæque eorum. Et super seruos & ancillas meas de meo spiritu effundam.* Et vtique si in nouissimos dies gratiam spiritus Creator repromisit, Christus autem spiritalium dispensator, in nouissimis diebus apparuit, dicente Apostolo, [h] *At vbi tempus expletum est, misit Deus filium suum.* & rursus, [i] *Quia tempus iam in collecto est*; apparet & de temporum vltimorum prædicatione, hanc gratiam spiritus ad Christum prædicatoris perti re. Compara deniq. spe-

[a] Esa. 11. 1.
[b] Esa. 3. 1.
[c] Luc. 16. 16.
[d] Psal. 67. 19. Ephes. 4. 8.
[e] 1. Cor. 4. 15.
[f] Gal. 4. 19.
[g] Ioel. 2. 28 Act. 2. 17.
[h] Ad Gal. 4. 4.
[i] 1. Cor. 7. 29.

k 1. Cor. 12. 8. l Esa. 11. 2.

cies Apóstoli & Esaïæ: k *Alij, inquit, datur per spiritum sermo sapientiæ*; statim & Esaïas l *spiritum sapientiæ* posuit. *Alij sermo scientiæ:* hic erit *sermo intelligentiæ & consilij. Alij fides in eodem spiritu:* hic erit *spiritus religionis & timoris Dei. Alij donum curationum, alij virtutum:* hic erit, *valentiæ spiritus. Alij prophetia, alij distinctio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum:* hic erit *agnitionis spiritus.* Vides Apostolum & in distributione facienda vnius spiritus, & in specialitate interpretanda, Prophetæ consspirantem.

26. *Christus flos perennis. De Cor. cap. 15. in fin.*

QVid tibi cum flore morituro? Habes florem ex virga Iesse, super quem tota diuini spiritus gratia requieuit, florem incorruptum, immarcessibilem, sempiternum: quem & bonus miles eligendo, in cœlesti ordinatione, dignatione profecit.

CHRISTI ELOGIA. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. SCHOLIA.

NAZARÆVS VOCARI HABEBAT. *id. debebat sic vocari, vt Dei Creatoris Prophetias impleret, quas inferius excutiemus.* IVDÆI NOS NAZARÆOS, *&c. id. ex Christo Nazareo Iudei nos videntes, Nazareos appellant Aug. lib. de hæres hæresi. 9.* S. August. Nazaræi cum Dei filium confiteantur esse Christũ, omnia tamen veteris legis obseruant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem non obseruare carnaliter, sed spiritaliter intelligere didicerunt. *Et lib. 19. cont. Faustum Manich. c. 18. de iisdem & lib. 7. de Bapt. cont. Donatistas c. 1.* Illi qui se Christianos S. August. Nazarænos vocant, & more Iudaïco carnalia præputia circuncidunt, hæretici nati ex illo errore, in quem Petrus deuians à Paulo reuocatus est, Gal. 2. in hoc vsque persistunt. *Et lib. 1. cont. Cresc. Gram-* S. August. *mat. c. 31.* Et nunc sunt quidam hæretici, qui se Nazarænos vocant, à nonnullis autem Symmachiani appellantur, & circumcisionem habent Iudæorum. & baptismum Christianorum: ac per hoc quemadmodum si quis eorum ad Iudæos venerit, non potest iterum circumcidi; sic cum ad nos venerit, nõ debet iterum baptizari. *Iudæi autem nos quasi hæreticos, & à se diuisos quasi Nazaræismi cultores, pro hæreticis habebant, vocabantque Nazaræos.* NAZARÆI EXALBATI. *Vox familiaris authori.* Dicit enim *alibi*, exalbidus, *& rursum:* super niuem exalbabor. *Alij legunt ex manuscripto Vaticano*, exaltati. *Mendosè quidem, nam in Greco Thren. 4.* ἐκαθαρίσθησαν, *Vertitur*, emundati sunt. *Sic autem habet versio communis.* Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores. Denigrata est super carbones C facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. *Sanct. Pagn.* mundiores fuerunt Nazaræi eius niue, &c. Rubicundiores fuerunt aspectu quàm Gemmæ, è Sapphiro est excisio eorum, &c. *Vatabl.* rubebunt specie præ margaritis, polities eorum Sapphiro similis erat: nunc forma eorum nigredine ipsa est obscurior. 70. Mundati sunt Nazaræi eius super niuem, splenduerunt super lac, rubuerunt super lapides, Sapphiri excisio eorum. Obtenebrata est super fulginem species eorum. INFANTIÆ LATEBRIS. *id. dum Christus infans apud Nazareth delituit. Matth. 2. vbi de Ioseph monito vt puerum tolleret*, audiens autem quod Archelaüs regnaret in D Iudæa pro Herode patre suo, timuit, illò ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth: vt adimpletur quod dictũ est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur. EIERASSE. *&c. Si Christus, inquit, noua legis ad Marcionem pertinuisset, abiuratorem Dei Creatoris, profecto Christus eius eieraſſet, locos Iudææ, qui Christo Creatoris familiares esse debuerãt, & à Prophetis Creatoris prænunciati sunt, cũ potuisset, imo & debuisset tales locos Prophetato declinare, cum tot alios in Iudæa eligere potuisset, quos non ita specialiter Prophetæ Christo incarnando assignauerant.* CÆTERVM PROPHETARVM, *&c. Nullum, inquis, dubium relictum est Christum ipsum esse Creatoris, à Prophetis eius annuntiatum, vbi Euangelista expressè subiicit hæc verba, vel æquiualentia:* secundùm Prophetas. *Hiero. in Matth. ideo dicit Matthæum in genere scripsisse* PER PROPHETAS, *quod apud certum aliquem Prophetam non reperiatur, sed vbique apud omnes sanctum appellari Christum, quod sonat vox* Nazarei. *Sed aliqui doctiores obseruant, errare qui nomen Christi Nazareni deriuant à* nazir, *id. separato, seu sancto. Quasi Christus ex religione, vel voto iuxta Samsonem, Rechabitas, & alios de quibus Num. 6 Nazaræus fuisset. Constat enim Christum bibisse vinum Na-* B *zaræis interdictum. Deriuatur ergo à Nazareth parua vrbe Galilææ quæ non suberat Archelao, sed Herodi Antipæ fratri eius & æmulo, vrbs exigua tribus Zabulonicæ, sita in monte duabus leucis distans à monte Thabor. Deducta à Natzer, quasi Netzer. id. flos, seu germen. Et idem probatur ex titulo Crucis asseruato Romæ, in quo Christus Notzeri, id est Natzarenus scribitur per* thade. *Qua littera cum Græci & Latini careant, vsi sunt* Zain, *seu* Zeta, *erroris materiam dedit. A Nazareth dictum* NAZARAEUM *Christum censuit Euseb. Cæsar. lib. 7. demonstrationis Euangelicæ cap. 1. Hiero. autem præfat. in Pentat. Moysi dicit apud Esaiam 11. Nazarei nomen haberi secundùm Hebraicam veritatem. Et apertius docet Ep. 101 ad Pammach. cap. 3. de facto Esa. 11. Christus dicitur* NETZER, *id est flos. De quo duobus sequentibus Scholiis dicemus. Non parum interim fauet Translat. Syr. Matth. 2* vt impleretur id quod dictum est per Prophetam: fore vt Nazarænus vocaretur. *Vt quod in Plurali habet Vulgata editio, Syriaca ad Esaiam determinet. Licet autem Christus in Bethleem natus esset Nazarenus maluit vocari, quia primo in vtero virginis Verbum caro factum erat, de quo Angelus dixerat:* quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. *Et hoc nomen dilexit Christus cum noluerit inscriptionem Pilati deleri, & Act. 22. Paulo dixerit:* ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. *Et maiori adhuc emphasi Translat. Syr.* Ego sum Ieschua ille Nazarenus quem tu persequeris. MERITO VNIVS PROVERBII. *Luc. 4.* vtique dicetis mihi hanc similitudinem, *Syriac. parabolam*, medice cura teipsum. ALIO. *tum quia exilius est extra ciuitatem, tum quia descendit in Capharnaum.*

24. ET NASCETVR. *&c. Prosequitur in probatione Christi pertinentis ad Creatorẽ quem Esaias florem prædixerat plenum donis Spiritus. Sic cap. 11.*

Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis. Et replebit eum ſpiritus timoris Domini. *Ita & 70. Sanct. Pagn. ex Hebr.* & egredietur virga de ſemine Iſai, & ramus de radicibus eius creſcet, &c. Et odorari faciet eum omnes in timore Domini. *Vatabl.* Tunc prodibit ſurculus de ſtirpe Ieſſe, &c. Et faciet eum ſpirare timore Domini. *Et in Schol.* olfactiu & odoratus eius erit cum timore Domini. id. acri iudicio præditus erit, quod erit coniunctum cum timore Domini. *Addo ego, ſpirabit, ideſt viuet in timore filiali & perpetua reuerentia Patris. Conſentiunt & Rabbini, licet adhuc Chriſtum expectent, hunc locum de Meſſia interpretandum. In Hebræo virga non tam fruticem, ſeu ſtirpem prodeuntem, quàm ſceptrum Regale ſignificat. Ita enim Num. 2.* orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſrael. *Et Eſa. 9.* Virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti. *Communiter tamen Patres per virgam B. Virginem, per florem Chriſtum intelligunt. Aug. in Pſal.* Aug. 72. *cuius titulus eſt*, defecerunt hymni Dauid filij Ieſſe, Pſalmus ipſi Aſaph. &c. Tot habemus Pſalmos, in quorum titulis ſcriptum eſt nomen Dauid, nuſquam eſt additum filij Ieſſe, niſi in hoc ſolo, quod credẽdum eſt non fruſtra factum, neque inaniter, &c. Addidit filij Ieſſe, erat enim Dauid Rex Iſraël filius Ieſſe, tempore quodam veteris Teſtamenti. Quo tempore nouum Teſtamentum occultatum ibi erat, tanquam fructus in radice, &c. Ipſe Chriſtus ſecundùm carnem naſciturus in radice erat occultus in ſemine Patriarcharum, & quodam tempore reuelandus tanquam fructu apparente ſicut ſcriptum eſt Eſa. 11. floruit virga de radice Ieſſe, &c. Et ne multa commemoremus, per Mariam Dominus noſter Ieſus Chriſtus. *Et lib. 3. de Symb. ad Cathecum. c. 4* Exiet virga de radice Ieſſe, &c. Virgam Aug. ſignificans Virginem Mariam, & florem virgæ filium Virginis Dominũ Ieſum Chriſtum, &c. Naſcitur Chriſtus ex Virgine, ſicut flos ex virga, ſine vllo compoſito ſemine. Naſcitur infans paruulus Rex magnus. ET FLOS, *&c. Hebraicè eſt Netzer, id eſt Nazarenus. Vnde Hiero. ad Pammach. de optimo genere interpretandi Script.* Nazaræus de radice eius creſcet. ET REQVIESCET SVPER EVM. *&c. Vox originalis*, requieſcet, *id eſt firmiter, conſtanter, & quaſi in proprio ſibi ſubiecto manebit Spiritus ſanctus. Vi enim vnionis hypoſtatica cum verbo, in Chriſto eſt Spiritus ſanctus cum omnibus donis.* SPIRITVS SAPIENTIÆ. *&c. Hic ſtultè Caluinus ridet Scholaſticos noſtros, vt imperitos linguæ Hebraicæ quod ſeptem numerent dona diuerſa, cum in Hebræo ſex tantùm ſint diuerſa vocabula. Sed vnum bis repetitur, vox ſcilicet communiter ſignificans timorem Domini. Sed in Græco textu apud 70. quos ſecutus eſt Hiero. vtriuſque linguæ peritiſſimus, priori loco ponitur εὐσεβείας. id. pietatis; poſteriori autem φόβου θεοῦ. Timoris Domini. Eſt autem ſpiritus ſapientiæ, donum quo contemplamur diuina & æterna, ſecundum quæ de rebus omnibus iudicamus donum ſcientiæ; qua cognoſcimus res temporales, & modum rectè vtendi illis. Donum intellectus, quo obſcura & Scripturam diuinam maximè penetramus. Donum conſilij, quo noſtras proximorumque actiones honeſtè & Chriſtianè dirigimus ſecundùm prudentiam verè Chriſtianam. Et hæc quatuor dona infunduntur intellectui humano, ſicut tria ſequentia, voluntati. Fortitudo ſcilicet, qua aggredimur ardua, & aſpera quæque etiam Martyria propter Deum ſuſtinemus. Pietas ad Religionem pertinet, qua Deum vt ſummum Patrem veneramur, & proximos vt fratres pro-*

pter Deum amplectimur, eiſque omnem æquitatem & beneuolentiam exhibemus. Pietas enim præcipua pars eſt Iuſtitiæ Chriſtianæ. Tandem ſpiritus timoris Domini, non hoſtilis, aut ſeruilis, ſed reuerentialis & filialis, quò in Chriſto naſcebatur, ex clariſſima cognitione, quam habebat Diuinæ maieſtatis, & ſuæ vilitatis, in quantum homo erat, ex nihilo eductus, in nihilum reducibilis, etiam peccabilis ſi vnione hypoſtatica, & aliis donis præuenta non eſſet eius humanitas. ET VIRTVTIS. *Hoc eſt donum fortitudinis.* AGNITIONIS. *id. ſcientiæ donum.* VLLI HOMINVM VNIVERSITAS. *Alludit ad Paulum 1. Cor. 12.* Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur Sermo ſapientiæ: alij autem Sermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio Sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. *Subiicit comparationem corporis myſtici Eccleſiæ compoſiti membris diuerſis, cum corpore hominis phyſico, cuius membris natura diuerſa diſtribuit. Cùm ergo in capite omnes ſint ſenſus, & Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, non diuiſim, ſed collectiuè habere debuit plenitudinem donorum omnium.* ADÆQVATVM *id. comparatum fieri ob gratiam pulchritudinis tam interna quàm externa, qua dicitur Pſal. 44.* ſpecioſus forma præ filiis hominum, &c. DE PATRIA BETHLEHEM, *vbi natus filius Dauid Bethlehemita. Interrogatus ſiquidem Dauid à Saul. 1. Reg. 17.* de quaprogenie es, ô adoleſcens? dixitque Dauid, filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum. 70. filius cuius eſt puer? & dixit Dauid: filius ſerui tui Ieſſe Bethlehemitæ. APVD ROMANOS IN CENSV. id. *libro regiſtri Romani cenſus. Reſpicit illud Luc. 2.* Aſcendit & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam in ciuitatem Dauid quæ vocatur Bethlehem, eo quod eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur *Tranſlat. Syr. vt illic deſcriberetur.* Cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante. SI NEQVE CONTENDIT. *Eſa. 42.* complacuit ſibi in illo anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium Gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet perſonam, *Sanct. Pagn. ex Hebr. & non eleuabit; 70. neque dimittet*, nec audietur voxforis. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. *Ita & 70. Sanct. Pagn. ex Hebr.* calamum ferè quaſſatum, &c. Et linum ferè extinctum. *Vatabl.* obſcurum linum. *Et in Schol.* fumantem, id. parum ardentem & penè extinctum. *Tertul. fidem Iudæorum arundini quaſſatæ, lumen autem rationale populi Gentilis momentaneum vocat, quaſi modicum & ſingulis momentis per varios errores exſufflatum, quem Chriſtus non extinxit, ſed lumine fidei accendit, ſicut & calamum Iudæorum erexit, & conſolidauit. Hiero. per calamum tibiam vel fiſtulam intellexit prius canoram in Prophetis & Iuſtis Deum laudantibus: ſed quaſſata & hiulca raucum ſonant abiecta fuerat, Sed à Chriſto in Apoſtolis Iudais reſumpta. Syrus vertit*, lucernam fumigantem. *Arabicus*, lucernam quæ non lucet. *Greg. lib. 33. Mor. c. 3.* calamus quaſſatus, eſt genus regale, quod iam apud Iudæos defecerat: nam regnum eorum alienigena *Herodem intelligit*, poſſidebat. Quid verò per linum, niſi eorum Sacerdotium exprimitur, quod lineis nimirum veſtibus vtebatur? *Elychnium ſine lucernam templi poſſem intelligere, cuius curam ſacerdotes gerebant in cãdelabro ſeptilampadio*, quod quia in Aduentu Domini charitatis ardorem perdidit, quaſi amiſſo iam igne fidei, non ardens, ſed fumigans fuit. Illum

Christus non confregit, hoc non extinxit: quia neutrum potestate Iudicij perculit, sed vtrumque cum patientiæ longanimitate tolerauit. *hic Aug. elegantior aut Fulgentius noster, frequentes in paronomasia posuissent:* pertulit. *Hiero. Procop. Cyril. & Hilar. in Matth 12. vbi Christo hunc locum Isa. applicauit Euangelista, exponunt de Christi lenitate, qui infirmos & imbecilles in virtute non abiiciet, nec aspere increpabit, sed clementi manu veleuabit & accendet. Vnde & Chrysost. sic explicat:* Christus hostes suos non vlciscetur. *Tanta porro fuit in Christo lenitas, vt quasi suspenso gradu ambulans super arundinem quassam, aut linum & stupam fumigantem, hanc non extingueret, illam non frangeret. Basil. in Reg. breu. responsione 291. Moraliter explicat non conterendum mandata Dei non integrè seruantem, aut segnius & frigidius operantem non calcandum, sed excitandum admonitione frequenti Iudiciorum Dei & Prophetarum eius.*

S. Auguſt.

25. NVNC DE SPIRITALIBVS. *probat. Iusto præscriptionis iure Christum ad Deū Creatorē iustius pertinere, quàm ad Deum Marcionis; cum dona spiritus, in suo veteri Testamento, Christo promiserit; nullum verò extet Dei Marcionis instrumentum tale, quo fidem suam Christo suo nouo epignerarit.* PRODIBIT VIRGA, *&c. Vide dicta præcedenti Sch. huc, quibus addo sequentia.* VALENTIÆ *spiritus est fortitudinis, quem præcedenti numero dixerat,* VIRTVTIS. ET RELIGIONIS. *Pietatis, superius vocauerat. Legat qui volet Augustinum, quem hîc prolixius esset, referre, ser. 17. de Sanctis & 1. de Annunt. Dominica. cuius argumentum est sumptum ex hoc loco Esa. 11. vbi inter cætera.* Vbi fiunt ascensiones? in corde inquit Psal. 83. sed vnde ascendendum est? vtique à conualle plorationis. Et quò ascendendum est? in locum, inquit, quem disposuit. Quis iste locus est, nisi quietis & pacis? ibi enim est illa clara, & quæ nunquam marcescit sapientia: Vnde ad nos exercitandos quibusdam doctrinæ gradibus descendit Esaias à sapientia vsque ad timorem, à loco scilicet sempiternæ pacis, vsque ad conuallem plorationis, vt nos in confessione pœnitentiæ, dolendo, gemendo, flendo, non remaneamus in dolore & gemitu & fletu, sed ascendentes ab ista conualle in montem spiritalem, vbi ciuitas Sancta Ierusalem Mater nostra æterna fœcundata est, impertutbabili lætitia perfruamur Ergò ille cum præposuisset sapientiam lumen scilicet mentis indeficiens, adiunxit intellectum: tanquam quærentibus vnde ad sapientiam veniretur, responderet, ab intellectu: vnde ad intellectum, à consilio: vnde ad consilium, à fortitudine: vnde ad fortitudinem, à scientia: vnde ad scientiam, à pietate: vnde ad pietatem, à timore: ergo ad sapientiam à timore quia initium sapientiæ timor Domini. A conualle plorationis vsque ad montem pacis. *De virga autem & flore sic maxime idem Aug. ser. 99. de temp. in fine.* Nec hoc ipsum videtur otiosum, quòd exire dicitur virga, & flos ascendere. Quamuis enim vnus sit Christus, singulis tamen diuersus efficitur, prout indiget is qui operatur. Qui ergo segnior est & negligentior, pro disciplina, Christus ei efficitur virga: & in virga non ascendere dicitur, sed exire. Exeundum nanque est ei qui inutilis & ignauus est, de eo statu in quo non rectè consistit, transeundum ad alium statum tanquam virgę compulsione, id est seueritate, doctrinæ rigidioris admonitu. Qui verò iustus est, quia iustus sicut palma floret Psal. 91. in hoc ascendere dicitur Christus. Sic Ergo qui verbetibus indiget, exit ad eū virgæ qui autem proficit ad iustitiam, ascendit ei in florē. Ascendit autem, quousque afferat fructus spiritus, qui sunt, Charitas, pax, patiētia, & reliquæ virtutes in Christo Iesu Domino nostro. *Sed & flos diuersus est, & multiplex Christus, licet vnus. Sicut* multiformis est gratia & sapientia Dei. *Sic Hugo Carensis in Cant. 2.* Ego flos campi, &c. Quod generaliter florem se dicit, non determinando aliquem; inde est quod non vnico modo floret in campo Ecclesiæ; sed vt ita dicam, rubet in Martyribus, candet in Virginibus, viret in confessoribus, pallet in pœnitentibus. TOTA SVBSTANTIA SPIRITVS. *id.* omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, QVI SEMPER SPIRITVS. *Pluries Tertul. filium* Dei spiritum dixit, *id est Deum de Deo, in quantum Verbum est, & Ioan. 4.* Deus Spiritus est, *& per consequens cum Patre & Spiritu sancto fons donorum omnium.* ANTE CARNEM QVOQVE. *id. ante Incarnationem.* NE EX HOC. &c. *id. ne putes Esaiæ Prophetiam ad Christum pertinere nudum & purum hominem.* EX SOLO SENSV. *id est, Genealogia & stirpe Dauid, post multa tempora Dei Spiritum cum donis suis acceptarus esset: Sed locus Esaiæ sic intelligendus est, vt* requieuerit super eum spiritus Domini. *sic intelligendum sit, vt omnis plenitudo in eo, quasi centro conquieuerit, & eo nato quem Paulus dixit;* finē legis, *quieuerit, & cesset prophetia & alia dona antea data populo Iudæo. Sicut de facto* EXINDE. *id est post Christum Dei Creatoris Spiritus à populo ingrato recessit.* ABLATO A IVDÆA. *Tangit locū Esa. 3.* auferet à Ierusalem & ā Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem & virum bellatorem, Iudicem & Prophetam & ariolum, & senem: Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & Consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici. VT HOC SIT. *id. vt idem prospexerit Isaias, quod impletum dixit Luc. 16.* Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: ex eo regnum Dei Euangelizatur *Translat. Syr.* ab eo tempore, &c *id est, non iam obscurè sicut Prophetæ, nec iam figura, sed veritas in aperto est. Tertul. tamen vult limitem poni donorum Spiritus in Ioanne, & cessasse à Iudæis iuxta Prophetiam.* ASCENDIT IN SVBLIMITATEM. *Dona post assumptum Christum in cœlum prænuntiauit Psalles, data filiis hominum id. Apostolorum filiis, hoc est discipulis, & exinde fidelibus, dixit Paulus. Sic habet Psalmus 67* ascendisti in altum cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus *Aug. in hunc locum*, hoc Apostolus sic commemorat, sic exponit de Domino Christo loquens, vnicuique nostrum, inquit, datur gratia secundum mensuram donationis Christi, propter quod dicit, ascendit in altum captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus, &c. Nec moueat quod Apostolus idem testimonium commemorans, non ait, accepisti dona in hominibus, sed, dedit dona hominibus. Ille quippe authoritate Apostolica secundùm hoc locutus est, quod Deus filius cum Patre fecit, secundùm hoc quippe dedit dona hominibus, mittens eis Spiritum sanctum, qui spiritus est Patris & filij. Secundùm illud verò, quod idem ipse Christus in corpore suo intelligitur, quod est Ecclesia, propter quod & membra eius sunt sancti & fideles eius: vnde eis dicitur, vos autem estis corpus Christi & membra. 1. Cor. 2. proculdubio & ipse accepit dona in hominibus, &c. Captiuati ergo, quia capti, & capti quia subiugati, sub leue illud iugum missi, liberati à peccato cuius serui erant, & iustitiæ serui facti, cuius liberi erant Rom. 6. vnde & ipse in illis est, qui dedit dona hominibus, & accepit dona in

S. Aug.

Auguſt.

hominibus. Ideoque in ista captiuitate, in ista seruitute, in isto curru, sub isto iugo, non sunt millia plorantium, sed millia lætantium. Dominus quippe in illis in Sina in sancto. Cui sensui congruit & alia interpretatio, *supra dixerat Sina significare mandatum, quod vtique in Sina datum est, quod tamen vt ibidem ait non impletur nisi adiuuante spiritu gratiæ, quoniam Dominus in illis in Sina, in sancto*, quia interpretatur Sina, mensura. Nam & de his donis lætitiæ spiritalis Apostolus loquens Ephes. 4. vnicuique, inquit, nostrùm data est gratia secundùm mensuram Donationis Christi IN NOVISSIMIS DIEBVS. *Sic actor.* 2. Hoc est quod factum est per Prophetam Ioël: & erit in nouissimis diebus, dicit Dominus effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ & iuuenes vestri visionem videbunt, & Seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabunt. EXPLETVM EST. *ad Gal.* 4. at vbi venit plenitudo temporis, &c IN COLLECTO EST. Tempus breue est. *Translat. Syr.* tempus omnino contractum est. SPECIES APOSTOLI. *id. exempla, vel diuersa dona distincta ab Apostolo. De quibus consule pretedens Scholium. Et accipe rursum alium selectissimum Augustini locum 13. Confess. c. 18* Æterno consilio propriis temporibus bona cœlestia das super terram. Quoniam quidem alij datur per spiritum sermo sapientiæ tanquam luminare maius, propter eos qui perspicuæ veritatis luce delectantur, tanquam in principio diei: alij autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum, tãquam luminare minus. Alij fides, alij donatio curationum, &c. Et hæc omnia tãquam stellæ. Omnia enim hæc operatur vnus atque idem spiritus diuidens propria vnicuique prout vult, & faciens apparere sydera in manifestationem ad vtilitatem. Sermo autem scientiæ qua continentur omnia sacramenta, quæ variantur temporibus tanquam luna, & cæteræ notitiæ donorum, quæ deinceps tanquam stellæ commemoratæ sunt, quãtum differunt ab illo candore sapientiæ, quo gaudet prædictus dies, tantum in principio noctis sunt His enim sunt necessaria, quibus ille prudentissimus seruus tuus non potuit loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus ille qui sapientiam loquitur inter perfectos. Animalis autem homo, tanquam paruulus in Christo, lactisque potator, donec roboretur ad solidum cibum, & aciem firmet ad Solis aspectum, non habeat desertam noctem suam, sed luce Lunæ stellarumque contentus sit. Hæc nobiscum disputas sapientissime Deus noster in libro tuo, firmamento tuo, vt discernamus omnia contemplatione mirabili, quamuis adhuc in signis, & in temporibus, & in diebus, & in annis.

August.

16. QVID TIBI, *&c. Quid Christiano cum marcidis floribus, quibus victima coronantur altari Iustitiæ diuinæ deuoti & æternis ignibus sacri? sic enim apud sapientem emarcidas confitentur stulti flores suarũ voluptatũ.* Coronemus nos rosis antequam marcescãt. *Et Propheta, Deo* tradente eos in desideria cordis eorùm, *votis mundi, à patre Diabolo voluptates edocti, annuit dicens:* date flores Moab. *quod significat* ex patre. *Vos verò, cum hoc milite,* cuius causa librum de corona meritis inscripsit author, *Christum*, Dei virtutem, & Dei sapientiam, florem virgæ Iesse, *eligite; ille enim, sponsa Canticorum teste*, candidus & rubicundus, electus ex millibus. *Et ideo dilectus, quia* speciosus forma præ filiis hominum: *ipse est enim de quo Salomon:* clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia. *Cuius è manu, pastorum principis, &* virgâ directionis *eorum* in loco pascuæ à dextris, *vocandarum, Petro spondente*, accipient immarcessibilem Gloriæ coronam. *Et rursum*: hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcessibilem conseruatam in cœlis, *hic est flos de quo sic Ber. ser. 47. in Cant. vbi sic virgam & virgam Iesse extollit*: campus nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec manu hominis seminatus; venustatus tamen nihilominus nobili illo flore, super quem constat requieuisse spiritum Domini. IN COELESTI ORDINATIONE. *Alludit ad* militiam cœli, *vel Ecclesiam.* Castrorum aciem ordinatam. *Cui adscriptus bonus miles*, DIGNATIONE PROFECIT. *Et quia Christum dignissimum ducem quem per contemptum delitiarum, & coronarum, stipendiorumque corruptibilium dignatus est sequi; centurioni Euangelico, meo æquandus est iudicio, de quo relatus à nobis Chrysologus scitè dixit.* Verè Centurio, qui stipendia terrena, centenarium cœli, mutauit in fructum, & seruitutem militiæ sæcularis in diuinam sustulit dignitatem. *Ser. 15. olim certè cum Psalte, pro hac dignatione dicturus, immo cum Christo vero flore, resurrectionis, testante Paulo, primitiis:* Et refloruit caro mea, *Aug. in hunc locum Christo breuiter applicat hæc verba*, & refloruit caro mea, id est &resurrexit caro mea. Et ex voluntate mea confitebor illi. Vnde iam consumpto mortis metu, non timoris necessitate sub lege, sed libera voluntate cum lege, confitebuntur illi qui credunt in me; in quibus quia ego sum, *sicut caput in membris*, ego confitebor. Dominus fortitudo plebis suæ. Non est illa plebs ignorans Iustitiam Dei & suam volens constituere, *vt ait Paulus Rom. 10.* non enim per se fortem se putauit; quia Dominus fortitudo plebis suæ, in huius vitæ difficultatibus cum diabolo dimicantis. Et protector salutarium Christi sui est. Vt eam saluam factam per Christum suum post fortitudinem bellicam immortalitate pacis ad vltimum protegat. *Idcirco hic miles non sibi victoriam tribuens, sed Christo, non suo, sed Christi capiti coronam seruauit, cum Apostolo dicens* 1. Cor. 15. cum mortale hoc induerit immortalitatẽ, tunc fiet sermo qui scriptus est *Osee* 13. absorpta est mors in victoria; vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati lex est, *quia vim peccatum non haberet, imò nec esset sine lege, quia peccatum est prauaricatio legis*, Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

S. Augustin.

27. *Christus sponsus, caput Ecclesiæ, cuius corpus ex Gentilitate. 4. cont. Marc. cap. 11. circa m.*

TEneo meum Christum, etiam in nomine sponsi, de quo Psalmus, [a] *Ipse tanquam sponsus egrediens de thalamo suo: à summo cœli progressio eius, & decursio eius ad summum usque eius.* Qui etiam per Esaiam gaudens ad patrem, [b] *Exultet*, inquit, *anima mea in Domino; induit enim me indumentum salutaris, & tunicam iucunditatis velut sponso: circumposuit mihi mitram velut sponsæ.* In se enim & Ecclesiam deputat, de qua idem Spiritus ad ipsum, [c] *Et circumpones tibi omnes eos, velut ornamentum sponsæ.* Hanc sponsam Christus sibi etiam per Salomo-

a Psal. 18. 5.
b Esa. 61. 10.
c Esa. 49. 18.

d Cant. 4. l. nem ex vocatione gentium accerſit. Siquidem legiſti, d *Veni ſponſa de Libano.* Eleganter Libani vtique montis mentione iniecta, qui thuris vocabulum eſt penes Græcos. De idololatria enim ſibi ſponſabat Eccleſiam.

CHRISTI ELOGIA. XXVII. SCHOLIA.

TENEO MEVM CHRISTVM. *Quaſi dicat, tuum à Marcion fruſtra facis. Si enim in Euangelio Luca quod admittis cap. 5, ſponſus dicitur, meum eſſe conuinco, quod iam olim in Prophetis Creatoris mei, ipſe ſponſus, & Eccleſia eius ſponſa nuncupentur. Tanquam ſponſus Pſal.* 18. ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: exultauit vt gygas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio eius: & occurſus eius vſque ad ſummum eius. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Ipſe tanquam ſponſus egrediens de thalamo ſuo, gaudebit vt potens ad currendam viam. Ab extremo cœlorum egreſſio eius, & reuolutio eius ſuper extrema eorum. *Vatabl.* Et is velut ſponſus ex vmbraculo ſuo prodit, lætus velut heros quiſpiã ad decurrendam viam, &c. Et recurſus eius &c.

S. Aug. *Aug. In hunc locum:* & ipſe procedens de vtero virginali, vbi Deus naturæ humanæ tanquam ſponſus ſponſæ copulatus eſt. PER ESAIAM, *&c. c.* 61. gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis; & indumento Iuſtitiæ circundedit me, quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* pallio Iuſtitiæ induere fecit me, tanquam ſponſum magnificabit gloriam, & tanquam ſponſam ornauit vaſa ſua. *Vatablus.* Tanquam ſponſum ſacerdotali more ornabit magnificentia, &c. 70. Lætitia lætabuntur ſuper Dominum. Exultet anima mea in Domino: induit enim me, &c. Et tunica lætitiæ: ſicut ſponſo circumpoſuit mihi mitram, & ſicut ſponſam ornauit me mundo muliebri,

S. Aug. *Aug. præterea in Pſal. 30. penderat Prophetam iuncturum inducere Chriſtum ſponſum pro ſe, & ſua ſponſa alloquentem:* vt noueritis quia vnus dicitur Chriſtus, caput & corpus ſuum, ipſe dicit Gen. 2. cum de coniugio loqueretur, erunt duo in carne vna. Igitur iam non duo, ſed vna caro. Sed fortè hoc dicat de quocumque coniugio. Audi Apoſtolum Paulum Epheſ. 5. & erunt duo inquit in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia; fit ergo tanquam ex duobus vna quædam perſona, ex capite & corpore, ex ſponſo & ſponſa.

A Non vultatem perſonæ huius miram & excellentem commendat etiam Eſaias Propheta. Nam loquens etiam in eo Chriſtus in Prophetia, ait; ſicut ſponſo alligauit mihi mithram, *id eſt, coronam, nuptialem, quam etiam noui ſponſi portabant*, & ſicut ſponſam ornauit me ornamento. Se dixit ſponſum & ſponſam. Quare ſe ſponſum, ſe ſponſam? niſi quia duo in carne vna? ſi duo in carne vna, cur non duo in voce vna? loquatur ergo Chriſtus, quia in Chriſto loquitur Eccleſia, & in Eccleſia loquitur Chriſtus, & corpus in capite & caput in corpore. IDEM SPIRITVS. *Propheticus ſcilicet*, *Eſa.* 49. viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi B ſponſa. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* & ligabis eos vt torques collo tuo tanquam ſponſa. *Vatabl.* Amicieris tanquam ornamento, & vt ſponſa eos circumligabis. 70. Circumdabis tibi eos ſicut ornamentum ſponſa. VENI SPONSA *Cant.* 4. veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Mecum de Lebannon ſponſa, mecum de Lebannon, venies. *Vatabl.* mecum à Libano venias. *Et in Schol.* per Libanum intelligit locum vbi floret Eccleſia. Sicut autem dicitur Libanus à candore, ita eſt Eccleſia candida lauacro Chriſti. 70. veni à Libano ſponſa, venies & tranſibis à Principio fidei. *Libanus mons altiſſimus Phœnicis in Syria, & terminus aquilonaris Terræ promiſſæ, nomen habens* C *à niuium albore, vel thure, quod plurimum ibi colligitur, fertilis cedris, quas inde mittebat Rex Hiram Salomoni ad Templi fabricam. Quia autem ex cedris Libani multa idola formabantur, quibus thus etiam Libano incendebatur, hinc rectè Tertul. vocationem gentium, in vnitatem conſtructionis Eccleſiæ, ab idololatria ad cultum veri Dei, per hunc locum intellexit. De quo etiam legendus Baſilius in Pſal. 28. & Hier. in Iere. 22. Libanus ſignificat Thus, album vel candidum, vel cordis filiationem, quòd rectè Gentilibus applicatur Gratiæ Chriſti dealbatis & in cordis filios adoptatis, à quibus thus orationis, & adorationis, in Magis Gentium primitiis accepit. Addit & Tertul. Libanum apud Græcos ſignificare thus.*

28 *Chriſtus caput Eccleſiæ, ex vtraque lege. 5. cont. Marc. cap. 18. in m.*

a Epheſ. 5. 22. Ibid. 23. b Epheſ. 5. 23. c Ibid. 29. d Epheſ. 5. Ibid. e Epheſ. 5. 31. Ibid. 32. Ibid.

ETetùm, a *mulieres viris ſubiectas eſſe debere*, vnde confirmat? *Quia vir*, inquit, *caput eſt mulieris*. Dic mihi, Marcion, de opere Creatoris Deus tuus legi ſuæ adſtruit auctoritatem? Hoc iam plane minus eſt, cùm & ipſi Chriſto ſuo & Eccleſiæ eius inde ſtatum ſumit? b *& Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Similiter & cùm dicit, c *Carnem ſuam diligit, qui vxorem ſuam diligit, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* Vides comparari operi Creatoris Chriſtum tuum, & Eccleſiam tuam; Quantum honoris carni datur in Eccleſiæ nomine? d *Nemo*, inquit, *carnem ſuam odio habet*, niſi plane Marcion ſolus: *ſed & nutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* At tu ſolus eam odiſti, auferens illi reſurrectionem. Odiſſe debebis & Eccleſiam, quia proinde diligitur à Chriſto. A enim Chriſtus amauit & carnem ſicut Eccleſiam. Nemo non diliget imaginem quoque ſponſæ, immo & ſeruabit illam, & honorabit, & coronabit. Habet ſimilitudo cum veritate honoris conſortium. Laborabo ego nunc eundem Deum probare maſculi & Chriſti, mulieris & Eccleſiæ, carnis & ſpiritus; ipſo Apoſtolo ſententiam Creatoris adhibente, immo & diſſerente: e *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in carnem vnam. Sacramentum hoc magnum eſt.* Sufficit inter iſta, ſi Creatoris magna ſunt apud Apoſtolum ſacramenta, minima apud hæreticos. Sed *ego autem dico*, inquit, *in Chriſtum & Eccleſiam.* Habet interpretationem, non ſeparationem ſacramenti. Oſtendit figuram ſacramenti ab eo præminiſtratam, cuius erat vtique ſacramentum. Quid videtur Marcioni? Creator

tor quidem ignoto Deo figuras præministrare non potuit : etiam quia aduersario; si noto Deus superior ab inferiore, & ad destruendum potius mutuari nihil debuit.

CHRISTI ELOGIA. XXVIII. SCHOLIA.

VNDE CONFIRMAT. *Preclarè Marcioni insultat, solum testamentum nouum admittenti, quod Paulus ideo velit mulierem viro subiici tanquam corpus capiti, quia vir caput est & principium mulieris, Eua enim de viri costa sumpta est, & prima mulieri dictum:* sub viri potestate eris. DE OPERE CREATORIS, *&c. Non pudet inquit Deum tuum nouum, legi sua noue, quasi mendicum, emendicare authoritatem a veteri Deo Creatore masculi & mulieris à principio mundi.* HOC IAM PLANE, *&c. id. nihil dico, adhuc enim pauperior conuincitur Deus tuus, qui & Christi sui & Ecclesia sua coniugium, ex primo Ade & Eue connubio facto, à Creatore in paradiso depromit, dum Paulus dicit:* sicut Christus caput est Ecclesiæ, &c. *Que facilia sunt intellectu. Tum exaggerat carnis à Marcione despecta, & gloria resurrectionis indigne reputate dignitatem. Quam etiam Christus equauit Ecclesie sue dilecte, &c.* LABORABO EGO, *&c. Post hæc, inquit, quis mihi nunc labor erit probare Deum eundem esse Creatorem & authorem Christi, sicut est Ade masculi, Ecclesia, sicut mulieris Eue, anime hominis, sicut est corporis, legis noue, & gratie spiritalis, sicut est legis veteris carnalis, cuius ceremonias Paulus dixit & sacramenta,* iustitias carnis. *cum ipse Paulus referat opus & Verba Creatoris scripta in veteri Testamento.* SVFFICIT INTER ISTA, *&c. Mihi inquit, sufficit quod heretici Marcionista, sicut & Nouatores huius seculi matrimonium non habent pro sacramento, sed pro mero contractu ciuili, vilipendant matrimonij sacramentum, quod Apostolus expressè vocauit magnum.* SED, EGO AVTEM DICO. *id. illud quod Paulus interpunxit dicens,* ego autem dico in Christo, &c. *Non diuidit sacramentum, id est non distinguit duos Deos, & authores, vnum Creatorem, & authorem primi matrimonij in paradiso, & alterum secundi inter Christum & Ecclesiam. Sed Paulus solum indicat se interpretari figuram, & ostendere eundem esse authorem secundi matrimonij, qui eius in primo figuram delineauerat. Et quomodo Creator vel ignoto, vel aduersario Marcionis Deo figuras subministrare voluisset? Quid dico, si Marcionis Deus superior est, & melior Creatore, cuius opera & legem destruere superuenerat, quomodo ab inferiore, tanti sacramenti sui figuram mutuari dignatus est?* MVLIERES VIRIS SVBIECTAS. *&c. Accipe lector integrum locum Ephes. 5.* Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, &c. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. *Transl. Syr. veluti propria corpora,* qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, *Transl. Syr. & sollicitudinem eius gerit,* sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. *Sic habetur Gen. 2. in omnibus versionibus, præter Paraph. Chald. propterea relinquet homo lectulum patris sui & matris sue, &c. Et erunt in carnem vnam.* Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. *Augustinus sæpissimè Christum dixit caput Ecclesia. Sed eius excellentiam expressit in*

S. Aug.

Psal. 29. in cæteris membris non sentis nisi tactu, tangendo sentis in cæteris membris, in capite autem, & vides, & audis, & olfacis, & gustas, & tangis. Si tanta excellentia est capitis ad membra cætera, quanta excellentia est capitis vniuersæ Ecclesiæ. id est, illius hominis, quem voluit Deus mediatorem esse inter Deum & homines? *sicut autem casti & mundi sensus fuere capitis, & exigit corporis Ecclesiæ & singulorum membrorum eius sensus mundissimos. Vbi enim Paulus supra dixit Christum dilexisse Ecclesiam, & seipsum pro ea tradidisse, statim subiecit Ephes. 5.* vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. *Et rursum alibi virginalem puritatem fidei & morum custodiamque sensuum exegit dicens:* despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. *De quinque sensibus continendis corpori, exemplo capitis & sponsi sic Aug. ser. 22. de ver. Do. secundum Matth. de decem virginibus.* Videntur mihi quinque virgines significare quinquepartitam cõtinentiam à carnis illecebris, continendus est enim animi appetitus à voluptate oculorum, à voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit vt illi placeatur interiore gaudio conscientiæ, partim coram hominibus tantum, vt gloria humana capiatur, quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ, vtræque tamen virgines, quia vtraque continentia est, quamuis diuerso fomite gaudeant. *Sed vere sponsa sunt que capiti Christo subiecta ipsi soli, eiusque gloriæ suos continent sensus. Iterum in Psal. 34. conciene. 2.* Christum cum audis, noli sponsum à sponsa separare, & intellige magnum illud Sacramentum, erunt duo in carne vna, si duo in carne vna, quare non & in voce vna? non enim tentationes caput hîc pertulit, & corpus non perfert; aut vero fuit causa patiendi capiti, nisi vt corpori præberet exemplum? Dominus enim voluntate passus est, nos necessitate. Ille miseratione, nos conditione: proinde illius voluntaria passio, nostra est necessaria consolatio: vt quando talia forte perpetimur, intueamur caput nostrum: vt eius exemplo commoniti dicamus nobis, si ille, quid nos? & quemadmodum ille, ita & nos. MVLIERES VIRIS, *&c. Non hic decipiantur mulieres, quasi in omnibus etiam illicitis debeant viris suis subiici, dixit enim,* sicut Ecclesia subiecta est Christo. *Aug. de decem Chordis sic Christum vxori loqui facit: de subiectione debita viro.* Ipsum noli imitari vt malefacias; sed ipse te imitetur in bono, nam in eo quod male facit noli eum putare caput tuum, sed me. Nam si in eo quod malefacit caput, secuturum est corpus, eunt ambo per præceps. Vt autem non sequatur malum caput; teneant se ad eum caput Ecclesiæ Christum. NEMO CARNEM SVAM, &c. *Aug. scribens contra Faustum,* cum de sancta dilectione præciperet, qualis esse debeat virorum in vxores, ex anima animantis sumpsit exemplum, qui diligit vxorem, &c. Videte quemadmodum in omne animal sibi ad salutem conciliandum pertendat naturæ ista communio, vt diligat carnem suam, &c. Neque enim hoc in hominibus tantum est, cui cum rectè viuunt, non solum consulimus saluti carnis suæ, verum etiam omnibus

S. Aug.

S. Augustin.

S. Aug.

S. Aug.

Aug.

motus ad vſum rationis edomant & refrenant, ſed etiam beſtiæ fugiunt dolorem, formidant interitum, & quidquid illam membrorum compagem, copulamque carnis & ſpiritus, à concordi iunctura diſſidere ac dirimere poteſt, quanta valent agilitate deuitant; nutrientes etiam ipſæ, ac fouentes carnem ſuam. PROPTER HOC RELINQVET. 5. Auguſt. *&c. Auguſt. Tract. 9 in Io.* quantum myſterium de Chriſto continet quod commemorat Apoſtolus dicens, & erunt duo, &c. Et ne quis iſtam magnitudinem Sacramenti, in ſingulis quibuſque hominibus vxores habentibus intelligeret; ego autem inquit, in Chriſto, &c. quod eſt hoc Sacramentum magnum? erunt duo in carne vna, cum de Adam & Eua ſcriptura Geneſeos loqueretur. Vnde ventum eſt ad hæc verba, propterea inquit, relinquet homo &c. Si ergo Chriſtus adhæſit Eccleſiæ. vt eſſent duo in carne vna, quomodo reliquit Patrem? quomodo reliquit matrem? quia cum in forma Dei eſſet, &c. Semetipſum exinaniuit, &c. hoc eſt enim reliquit Patrem: non quia deſeruit, & receſſit à Patre. Sed quia non in ea forma apparuit hominibus, in qua æqualis eſt Patri; quomodo reliquit Matrem? reliquendo Synagogam Iudæorum de qua ſecundum carnem natus eſt, & inhærendo Eccleſiæ, quam ex omnibus gentibus congregauit, &c. Dormit Adam vt fiat Eua, moritur Chriſtus vt fiat Eccleſia; dormienti Adæ fit Eua de latere, mortuo Chriſto, lancea percutitur latus, vt profluant Sacramenta, quibus formetur Eccleſia, cui non appareat, quia tunc in illis factis futura figurata ſunt quandoquidem dicit Apoſtolus, ipſum Adam formam futuri eſſe?

29. *Chriſtus caput viri ad imaginem Dei facti, cui dominatur vt Conditor. 5. cont. Marc. cap. 8. in p.*

a 1. Cor. 11. 3. *Caput* [a] *viri Chriſtus eſt.* Quis Chriſtus, quis non eſt viri auctor? Caput enim ad auctoritatem poſuit; auctoritas autem non alterius erit, quàm auctoris. Cuius denique viri caput eſt? Certe de quo ſubiicit, b *Vir enim non debet caput velare, cum ſit Dei imago.* Igitur ſi Creatoris eſt imago, ille enim Chriſtum ſermonem ſuum intuens hominem futurum, c *faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; quomodo poſſum alterum habere caput, non eum cuius imago ſum? Cum enim imago ſim, Creatoris, non eſt in me locus capitis alterius.

b Ibid. 4.

c Gen. 1. 26.

CHRISTI ELOGIA. XXIX. SCHOLIA.

CAPVT VIRI CHRISTVS. *Hoc etiam loco probat Deum Creatorem vtriuſque legis, & hominis ad imaginem Chriſti facti, & Chriſti ipſius eſſe principium & Patrem. Authorem iuxta Paulum viri Chriſtum facit, & rectè, tum quoad diuinitatem qua eadem cum Patre potentia hominem condidit: Et quoad humanitatem, qua fuit cauſa exemplaris humani corporis, Trinitas enim ex mente Tertulliani vt etiam iam ſupra vidimus, pro idea humani corporis faciendi, habebat Chriſti corpus in mente; & hoc ſenſu dixit*, faciamus hominem ad imaginem, &c. *Hunc Pauli locum doctiſſimè tractat Auguſtinus lib. 6. de Trin. c. 9. vbi vult ſubintelligi debere ſemperteriam perſonam Trinitatis, vbi duæ exprimuntur.* Apoſtolus videtur quaſi prætermittere Spiritum ſanctum, & tamen etiam ibi intelligitur, vbi, ait 1. Cor 3 omnia ſunt veſtra, vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei. Et iterum. 1. Cor. 11. caput mulieris vir, caput viri Chriſtus, caput autem Chriſti, Deus. Sed rurſus, ſi Deus non niſi omnia ſimul tria, quomodo caput Chriſti Deus, id eſt caput Chriſti, Trinitas, cum in Trinitate ſit Chriſtus *in quantum Verbum eſt*, vt ſit Trinitas? an quod eſt Pater cum filio, caput eſt ei quod eſt ſolus filius: cum filio enim Pater Deus, *id eſt, Pater cum filio vt filius Deus eſt, vnus atque idem Pater. principium & caput eſt filij in quantum homo factus eſt*, ſolus autem filius Chriſtus eſt, *id eſt ſola perſona Filij incarnata. & per conſequens vncta & Chriſtus vocata eſt*, maximè quia iam verbum caro factum loquimur, ſecũdum quam humanitatem eius, etiam maior eſt Pater, ſicut dixit Io. 14. quoniam Pater maior me eſt: vt hoc ipſum, Deum eſſe, quod illi cum Patre vnum eſt, caput ſit hominis mediatoris, quod ipſe ſolus eſt. Si enim mentem rectè dicimus principale hominis, id eſt tanquam caput humanæ ſubſtantiæ, cum ipſe homo cum mente ſit homo; cur non multo congruentius, multoque magis verbum cum Patre quod ſimul Deus eſt, caput eſt Chriſti? quamuis Chriſtus homo, niſi cum Verbo quod caro factum eſt intelligi non poſſit. VIR NON DEBET CAPVT VELARE, *&c. Aug. lib. 12. de Trin. c. 7.* quid deceptus ad hæc? ſi pro ſua perſona mulier adimplet imaginem Trinitatis, cur ea detracta de latere viri, adhuc ille imago dicitur? aut ſi vna perſona hominis ex tribus poteſt dici imago Dei, ſicut, & in ipſa ſumma Trinitate, & vnaquæque perſona Deus eſt, cur & mulier non eſt imago Dei? nam & propterea caput velare præcipitur, quod ille, quia imago Dei eſt, prohibetur. Sed videndum eſt, quomodo non ſit contrarium quod dicit Apoſtolus, non mulierem, ſed virum eſſe imaginem Dei huic quod ſcriptum in Gen. 1. Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, maſculum & fœminam fecit eos, & benedixit eos. Ad imaginem Dei quippe naturam ipſam humanam factam dicit, quæ ſexu vtroque completur, nec ab intelligenda imagine Dei ſeparat feminam, &c. *Deinde ſubiicit rationem, qua vir vt imago glorificans ſuum prototypum, & eum repræſentans authoritate capitis, & principij mulieris, non debeat velari, debeat autem mulier.* Credo illud eſſe quod iam dixi, cum de natura humanæ mentis agerem, cum viro ſuo eſſe imaginem Dei, vt vna imamago ſit tota illa ſubſtantia. *Natura ſcilicet rationalis verique ſexus communis*, cum autem ad adiutorium diſtribuitur, quod ad eam ipſam ſolam attinet, non eſt imagi Dei: quod autem ad virum ſolum attinet imago Dei eſt, tam plena atque integra, quam in vnum coniuncta muliere. *Id eſt ſicut antequam educeretur ex coſta.* Sicut de natura humanæ mentis diximus, quia etſi tota contempletur veritatem imago Dei eſt: & cum ex ea diſtribuitur aliquid, & quadam intentione deriuatur ad actionem rerum temporalium, nihilominus, ex qua parte conſpectam conſulit veritatem, imago Dei eſt; ex qua vero intenditur in agenda inferiora, non eſt imago Dei. Et quoniam quantumcumque ſe extenderit in id quod æternum eſt, tanto magis inde formatur ad imaginem Dei, propterea non eſt cohibenda, vt ſe inde contineat ac temperet, & ideo vir non de-

5. Auguſt.

5. Auguſt.

5. Auguſt.

Auguſt.

bet velare caput. Quià verò illi rationali actioni quæ in rebus corporalibus temporalibusque versatur, periculosa est nimia in inferiora progressio, debet habere potestatem super caput, quod indicat velamentum quo significatur esse cohibenda. *Subtiliter quidem, sed non ad literam. Agit enim Paulus de oratione quæ maximè est actus animæ rationalis, & ibi non agitur de adiutorio carnis per mulierem significata, sed agitur de principatu & authoritate capitis, qua homo imago Dei est representans Dei omnium capitis & Principij maiestatem & imperium. Vnde cùm gloria Dei reuelanda & manifestanda sit, vir eam representans debet reuelare caput. Mulier autem quia gloria viri est, cuius gloria debet occultari, debet ipsa proinde velari, siue oret, siue prophetet, id est prophetiam recitet, vel Psalmum cantet. Quod & debet facere modestè cum velo suo, subiectionis signo:* propter Angelos, *qui ex Chrysost. Theoph. Theod. Anselm. & Thoma testes & accusatores essent impudentiæ ipsarum. Angelos etiam D. Thomas & Anselmus Sacerdotes & Episcopos, Clemens Alex. viros quosuis probos accipit, qui forma aperta reuelatarum mulierum ad turpia prouocarentur.* NON EST IN ME LOCVS, *&c. id. aliud caput præter Christum Creatoris, cuius imago sum, non agnosco, ipsi reuelo caput vt eius imago, ipsum glorifico.*

30. *Christus solus Sacerdos æternus secundùm ordinem Melchisedech, Iudæorum, & Gentilium Pontifex. 5. contr. Marc. cap. 9. à m.*

QVod & in ipso hic accedit, [a] *Tu es Sacerdos in æuum.* Nec sacerdos autem Ezechias, nec in æuum, etsi fuisset, *Secundùm ordinem, inquit, Melchisedec.* Quid Ezechias ad Melchisedec Altissimi sacerdotem, & quidem non circumcisum, qui Abraham circumcisum iam, acceptâ decimarum oblatione benedixit? At in Christum conuenit ordo Melchisedec. quoniam quidem Christus proprius & legitimus Dei antistes, præputiati sacerdotij pontifex, tum in Nationibus constitutus, à quibus magis suscipi habebat, cognituram se quandoque circumcisionem, & Abrahæ gentem, cùm vltimò venerit, acceptatione & benedictione dignabitur.

[a] Psal. 109. 5. Gen. 14. 19. Hebr. 6. 20. & 7. 1.

Vide V. Christi aduentus duplex num. 1. in p. bis.

CHRISTI ELOGIA. XXX. SCHOLIA.

QVOD ET IN IPSO *scilicet Psal. 109. quem magna ex parte decurrit hoc capite.* ACCEDIT. *id. proximè tangit mentem nostram Christum scilicet esse Dei Creatoris filium, cùm Paulus noui Testamenti Apostolus, eum etiam faciat sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, cuius mentio facta fuerat in veteri tum Gen. 14. tum Psal. 109. Vnde stultè Marcion cum Iudeis hunc Psalmum Regi Ezechiæ applicat, cum ipse & circumcisus fuerit, & non fuerit sacerdas, nec sacerdos in æternum. Melchisedech autem incircumcisus fuerit. Locos scripturæ ordine referamus. Gen. 14. recensitâ victoriâ Abrahæ Scriptura subiicit:* Melchisedech Rex Salem *id. Ierusalem*, proferens panem & vinum, erat enim sacerdos Dei Altissimi, benedixit ei, & ait; benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cœlum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* protulit panem & vinum, & ipse erat sacerdos Deo altissimo, &c. Benedictus Abram à Deo altissimo possessore cœli & terræ, &c. Et dedit ei decimam de omnibus *Vatablus*, & hic Sacerdos erat Dei altissimi, &c. Dedit itaque illi decimas. 70. Protulit panes & vinum: erat autem Sacerdos Dei altissimi, &c. & dedit ei Abram decimam de omnibus. *Paraph. Chald.* & Melchisedech Rex Ierusalem adduxit panem & vinum: & ipse erat minister coram Deo excelso, &c. Et dedit ei vnum ex decé de omnibus. *Psal 109.* Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* in sæculum, secundùm morem Melchisedech. *Vatablus.* Nec pœnitet eum, quod tu sis Sacerdos æternus, ritu Melchisedech. *Paulus autem ad Hebr 6.* præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. *Translat. Syr.* Præcedens ingressus est pro nobis Ieschua, vt factus est Pontifex in æternum in similitudinem Malkizedek. *Et cap. 7. ad Hebr* Hic enim Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuisit Abraham: primùm quidem, qui interpretatur Rex Iustitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha, &c. Sine vlla autem contradictione, quod minus est à meliore benedicitur. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia viuit, & vt ita dictum sit per Abraham, & leui qui decimas accepit, decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech. *Translat. Syr.* cuius neque pater, neque mater scribuntur in generationibus, nec initium dierum eius, neque finis vitæ ipsius, sed in similitudinem filij Dei permanet Pontificatus eius in æternum, &c. IN CHRISTVM CONVENIET. *id. Christo,* PRÆPVTIATI SACERDOTII PONTIFEX. *id. iam tum in figura Melchisedech Gentili, præputium integrum seruante, incircumciso, Gentilis populi constitutus Pontifex.* SVSCIPI *habebat. id. Christi fides magis à populo Gentili quam à Iudæo acceptanda erat.* QVANDOQVE, *&c. id. sub finem sæculi conuertendam ad fidem nationem Iudæorum.* CVM VLTIMO VENERIT. *id. in postremo aduentu.* ACCEPTATIONE, *decimarũ scilicet, sicut eas ab eorum Patre Abraham accepit Melchisedech.* ET BENEDICTIONE DIGNABITVR. *Christus benedicet conuersos Iudæos, vt patrem Abraham benedixit Melchisedech. Porro vt Melchisedech simul erat Rex & Sacerdos; sic Christus. August. in tit. Psal. 26.* Psalmus Dauid priusquam liniretur, hoc est, priusquam vngeretur. Vnctus est enim ille vt Rex & sacerdos. Tunc vngebatur Rex & Sacerdos. Duæ istæ illo tempore vnctæ personæ. In duabus personis præfigurabatur futurus vnus Rex & sacerdos, vtroque munere vnus, Christus, & ideo Christus à Chrismate, &c. Rex autem est, quia nos regit & ducit. Sacerdos quia pro nobis interpellat. *Et in*

S. August.

S. Aug. *Pſal. 109.* Iurauit Dominus, &c. Iurauit, firmauit, non eum pœnitebit, non mutabit. Quid? tu es ſacerdos in æternum. Ideo in æternum, quia non pœnitebit eum. Sed ſacerdos ſecundùm quid? Nunquid erunt iſtæ hoſtiæ victimæ oblatæ à Patriarchis Aræ ſanguinis & tabernaculum, & illa primi Teſtamenti veteris ſacramenta? ablit. Iam illa ſublata ſunt euerſo iam templo, remoto illo ſacerdotio, pereunte victima eorum & ſacrificio.

S. Auguſt. *Totum autem locum Pauli & Geneſis ſuè explicat Auguſt. lib. 10. de Gen. ad literam cap. 19. vbi probat in Leui exiſtente adhuc in lumbis Abrahæ decimato à Melchiſedech, non fuiſſe decimatum Chriſtum, licet ſecundum carnem & ipſe eſſet in lumbis Abrahæ. Et*

S. Aug. *concludit cap. 20. vbi de Chriſto:* non autem & ille ibi decimatus eſt, cuius caro inde non feruorem vulneris, ſed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipſa decimatio ad præfigurandam Medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur, non illud vnde curabatur. Eadem namque caro non Abrahæ tantum, ſed ipſius primi terrenique hominis, ſimul habebat & vulnus præuaricationis, & medicamentum vulneris. Vulnus præuaricationis in lege membrorum, repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem ſeminali ratione quaſi tranſcribitur: Medicamentum autem vulneris in eo quod inde ſine opere concupiſcentiali, in ſola materia corporali, per diuinam conceptionis formationiſque rationem de virgine aſſumptum eſt, propter mortis ſine iniquitate conſortium, & ſine falſitate, *nota contra Marcionis Phantaſma* reſurrectionis exemplum. *Licet hic Tertul. tantùm dicat in genere Chriſtum gentium primo, deinde in fine Iudæorum ſacerdotem, nec quidquam tangat de oblatione panis & vini. Patres omnes communiter de eo explicant.*

S. Auguſt. *Inter cæteros Aug. to. 4. in Exo. to. 8. in titulum Pſal. 33.* videte quid protulit ei quem benedixit. Et dictum eſt ei poſtea; tu es ſacerdos in æternum, &c. Sublatum eſt enim ſacrificium Aaron, & cœpit eſſe ſacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech, &c. *Et rurſum,* de corpore & ſanguine ſuo inſtituit ſacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Et rurſum,* ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit infantem, &c. *Vide Schol. & textum V. Chriſti aduentus duplex. num. 1. Quod ad ſacrificium Melſedech attinet. Ipſe Philo Iudæus lib. de vita Abrahæ, notat ipſum videntem Abraham redeuntem victorem de Cordolahomor, erectis in cœlum manibus benedixiſſe Abrahæ, deumque pro eius proſperitate oraſſe. Et poſtquàm in gratiarum actionem ſacrificaſſet, ipſum Abraham, cum ſequentibus ſe, conuiuio excepiſſe. Quod quidem Hieronymus cum feciſſe ſcribit de eiuſdem ſacrificij pane & vino, vt ſatis ex ipſo Geneſis textu liquet. Quin & Rabbi Samuel ſcribens in Gen. 14. dicit;* Melchiſedech opus Sacerdotale peregit: erat enim Deo ſancto & benedicto panem & vinum ſacrificans. *Similiter & Rabbi Phinees. in 28. Num* omnia, inquit, ſacrificia ceſſabunt tempore Meſſiæ; ſed non ceſſabit ſacrificium panis & vini, ſicut ſcriptum eſt Gen 14. Melchiſedech Rex Salem panem & vinum obtulit. Melchiſedech enim, id eſt Rex Meſſias à ceſſatione victimarum excipiet ſacrificium panis & vini, ſicut ſcriptum eſt Pſal 110. *apud Hebr.* tu es ſacerdos in æternum, &c. *Conſule Galatinum lib. 10. de Arcanis cap. 6. & 7. & Lyr. in Gen. 14. Rabbini omnes, hanc actionem Melchiſedech lingua ſua vocant.* Minſchah. & Reſchec, *id eſt oblationem & ſacrificium incruentum. Clemens Alexandr. 4. Strom. cap. 8.* Salem, inquit pax exponitur, cuius ſeruator noſter Rex deſcribitur; de quo dicit Moſes; Melchiſedech Rex ſalem Sacerdos Dei altiſſimi, qui panem & vinum ſanctificatum, dedit nutrimentum, in typum Euchariſtiæ. Quin etiam Melchiſedech exponitur Rex iuſtus. Vniuoca autem ſunt iuſtitia & pax. *de eodem ſacrificio Epiphanius hæreſi 55.* Quando Abraham fuit annorum 88. aut 90. plus, minus, tunc Melchiſedech ipſi obuiam venit, & propoſuit ipſi panes, & vinum, myſteriorum ænigmata præfigurans & exemplaria; cùm Dominus noſter dicat, ego ſum panis viuus, & exemplar ſanguinis ipſius, qui ex latere ipſius compuncto fluxit, ad purgationem inquinatorum, & reſperſionem ac ſalutem animarum noſtrarum. *Iſid. Peluſ. lib. 1. Epiſt. 431.* Melchiſedech pane & vino ſacrificans, per quæ diuinorum myſteriorum typum adumbrabat. *Et lib. 3. Ep. 152.* Ante Aaronem diuinius & incruentum erat ſacerdotium Melchiſedech. *Hoc item myſterium tractans Chryſoſtomus homil. 55. in Gen. & in Pſal. 109.* videns, inquit, typum, cogita, oro, & veritatem, & admirare diuinarum ſcripturarum accuratam diligentiam.

Ex Latinis Patribus quadam excerpo teſtimonia. Atque in primis ex Cypriano lib. 2. Ep 3. de Sacramento Dominici calicis. ad Cecilium. In ſacerdote Melchiſedech ſacrificij Dominici ſacramentum præfiguratum videmus ſecundùm, quod diuina ſcriptura teſtatur & dicit, & Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech Typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus, ex perſona Patris ad Filium dicens, ante luciferum genui te: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Qui ordo vtique hic eſt, de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens; quòd Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. *Et lib. 1. teſtimoniorum aduerſus Iudæos. 17* Quòd ſacerdotiũ vetus ceſſaret, & nouus ſacerdos veniret, qui in æternum futurus eſſet, in Pſal. 109. Ante luciferum genui te. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. tu es ſacerdos in æternum, &c. Item in Baſilitorum 1. Deus ad Heli ſacerdotem: & ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidum, qui omnia quæ in corde meo ſunt, faciet, & ædificabo ei domũ fidelem, & tranſibit in conſpectu Chriſtorum meorum omnibus diebus; & erit, qui remanſerit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ, & in pane vno.

Hieronymus de eodem in Pſal. 109. quomodo, inquit, Melchiſedech Rex Salem obtulit panem & vinum, ſic & tu offeres corpus tuum & ſanguinem tuum, verum panem, & verum vinum, ipſe Melchiſedech iſta myſteria quæ habemus, dedit nobis. Ipſe eſt qui dixit, qui manducauerit meam carnem, & biberit ſanguinem meum, ſecundùm ordinem Melchiſedech, tradidit nobis ſacramentum ſuum. *Et quæſt. in Gen.* Melchiſedech, inquit, præputium habens, Abrahæ benedixit circumciſo, & in Abragam, Leui, & per Leui, Aaron, de quo poſtea ſacerdotium, &c. Myſterium noſtrum in verbo ordinis ſignificatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis, ſed oblato pane & vino, id eſt corpore & ſanguine Domini Ieſu. *Eiuſdem rei myſterium docet ſcribens ad Evagrium Ep. 126.* Melchiſedech eo quòd Cananæus fuerit, &c.

Ordinem eius multis modis interpretantur, quòd solus & Rex fuerit & sacerdos, & ante circumcisionem functus sacerdotio: vt non gentes ex Iudæis, sed Iudæi ex gentibus sacerdotium acceperint. *Pulcherrimè autem Epist. 17. ad Marcellam cap. 2.* recurre ad genesim, & Melchisedech Regem Salem, Ierosolymorum principem inuenies, qui iam tunc in typo Christi, panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum, in Saluatoris corpore & sanguine dedicauit. *Praetereo Ambrosium in cap. 5. ad Hebr. lib. 4. de Sacramentis cap. 6. & lib. 5. cap. 1. vt ad Augustinum transeam.*

Aug. *Augustinus Ep. 95. ad Innocentium Papam.* Melchisedech prolato sacramento mensæ Dominicæ nouit æternum eius sacerdotium figurare. *Et lib. 4.* Aug. *de Doctrina Christiana cap. 21.* Quòd Noë typum futuræ veritatis ostendens, non aquam sed vinum biberit, sic imaginem Dominicæ passionis expressit. Item in sacerdote Melchisedech Dominici sacramenti præfiguratum videmus mysterium, secundùm quod scriptura diuina testatur & dicit, Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum, &c. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens, ante Luciferum genui te, tu es sacerdos, &c. *Et lib. 1. cont. Aduersarium Legis & Prophetarum cap. 2.* Dei, inquit, iura-
Augus. tio, incredulorum est increpatio: & quòd Deum non pœnitebit significatio est, quia hoc sacrificium non mutabit. *Et in Psal. 33. Concione 2.* Quia, inquit, 5. Aug. erat ibi sacrificium secundùm ordinem Aaron; & postea ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundùm ordinem Melchisedech mutauit vultum suum in sacerdotio. *Explicat ibi figuram Dauid mutantis vultum suum coram Achis. Et lib. 16. de ciuit. cap. 22.* Planè tunc benedictus est à Melchisedech, qui erat sacerdos Dei excelsi, de quo in Epist. quæ inscribitur ad Hebræos, quam plures Apostoli Pauli esse dicunt, quidam verò negant, multa & magna conscripta sunt. *Ex Hieronymo in prologo ad Titum, Marcion & Basilides. Ex Epiph. hæresi 42. Marcion, ex Theod. in Ep. ad Hebr. Arriani, eam Pauli esse negabant. Ex Hiero. Ep. 126. à Græcis omnibus receptam non tamen communiter à Latinis. Et Ep. 129. ad Dardanum quidam eam Barnabæ, Lucæ, vel Clemenni tribuebant.* Ibi quippe primùm apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud B quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur, ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: tu es sacerdos, &c. Non scilicet secundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis vmbris prænotabantur.

31. *Christus Catholicus sacerdos. 4. cont. Marc. c. 9. à m.*

Offer munus quod præcepit Moyses. Argumenta enim figurata, vt puta prophetatæ Legis adhuc in suis imaginibus tuebatur, quæ significabant hominem quodam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet & actionem gratiarum apud Ecclesiam, per Christum Iesum catholicum Patris Sacerdotem. a Luc. 5. 14.

CHRISTI ELOGIA. XXXI. SCHOLIA.

OFFERMVNVS. *Ita Luc. 5. dixit Christus mundato leproso*, extendens manum tetigit eum dicens: volo: mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. Et ipse præcepit illi vt nemini diceret; sed: vade, ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses in testimonium illis. ARGVMENTA FIGVRATA. *id. Christus cum patre author & fautor legis veteris, qua imago erat futura, seu, vt loquitur Paulus*, vmbram habens futurorum bonorum: *eam adhuc fartam & tectam conseruabat, eo quod legis nouæ Prophetata & promissa in veteri, nec dum plane à Christo reuelata figuram & imaginem in suis cæremoniis vetus Testamentum contineret. Vnde Christus erat verus sacerdos, per cuius sanguinem & merita, immò per verbũ solum & formam sacramentorum omnis peccati macula debebat elui; & pro spiritali lepra curata in eius Ecclesia gratiarum actionis sacrificium offerri, conclusis omnibus Ecclesiæ orationibus*, per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. *Hinc est quod Christus misit leprosum verbo mundatum ad sacerdotem, vt oblationem offerret in templo.* CATHOLICVM PATRIS SACERDOTEM. *Liceat mihi cum Augustino dicere.* Vigilanti Aug. verbo vsus est. *Quanta enim circumspectione & prudentia Christum dixit*, Catholicum patris sacerdotem, *id. vniuersalem: quem misit pater victimam, vt ait Apostolus*, non pro nostris delictis tantum; sed etiam pro totius mundi. *De qua etiam dictum est:* posuit in eo iniquitates omnium nostrûm & 2. Cor. 5. *cùm de tribunali Christi dixisset, cui omnes adstare debent; sic concludit*; charitas Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus C mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est, vt & qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. *Transl. Syr.* Charitas Meschicho constringit nos, qui hoc meditamur, vnum pro omnibus mortuum esse: itaque omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est, &c. *August. Epistola ad Armentarium & Paulinam.* Charitatis erga nos Dei tantum apparuit & eluxit indicium, vt filium suum vnigenitum mitteret, qui pro nobis moreretur. Restat ergo vt fiat quod Apostolus ait; propterea mortuum esse Christum, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, &c. *Et ser. de Epiph.* debet vita humana in se deficere, in Christo proficere, vt qui viuunt, &c. Et dicat vnusquisque nostrûm quod dicit Apo- D stolus: viuo ego, iam non ego, &c. *& lib. 20. de Ciuit. c. 6. ex Io. 5.* Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent: qui audierint, dixit: qui obedierint, qui crediderint, & vsque in finem perseuerauerint. Nec fecit hîc vllam differentiam bonorum & malorum, omnibus enim bonum est audire vocem eius, & viuere, & ad vitam pietatis ex impietatis morte transire. De qua morte ait Apostolus: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est vnus: vt qui viuunt, E &c. Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto: siue in originalibus, siue etiam voluntate additis: vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est; & pro omnibus mortuis viuus mortuus est vnus: id est, nullum habens omnino peccatum: vt qui per remissionem peccatorum viuunt, iam non sibi viuant, &c.

Vt credentes in eum qui iuſtificat impium, ex impietate iuſtificati; tanquam ex morte viuificati ad primam reſurrectionem, quæ nunc eſt, pertinere poſſimus. Ad hanc enim primam non pertinent, niſi qui beati erunt in æternum: ad ſecundam vero *ſupple corporum*, de qua mox locuturus eſt, & beatos pertinere docebit, & miſeros. Iſta eſt miſericordiæ, illa Iudicij. *Ex his patet*, Chriſtũ Catholicum eſſe ſacerdorem Patris, *qui ſe victimam pro mundo vniuerſõ dedit, & vt cum D. Proſpero loquar*: quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam cauſam pertinet generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi *iuxta concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 3.* & ſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt ſed ij dumtaxat quibus meritum paſſionis eius communicatur. *Et quanquam ad omnes efficacia eius non ſe extenderit, id non prouenit ex defectu meriti tanti ſacerdotis, qui mille mundos redimere ſufficiens ex ſe erat, ſed ex applicationis defectu, ſiue Deo ſecreto, ſed iuſto iudicio per gratiam efficacem non applicante, ſiue homine eius ſufficientiam non merente.* Cæterum Catholicus eſt ſacerdos, *qui pro omnibus nationibus vniuerſi, Iudeis, & Gentibus ſe in ſacrificium obtulit patri: pro vniuerſis peccatis, originali & actuali, in omni ſtatu & lege, omni hominum & ſtatuum genere, mortuus eſt.* Catholicus ſacerdos, *qui teſtante Paulo*: vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos: *vt ad vniuerſa tempora, & loca etiam ſingulos in indiui duo homines eius ſufficientia ſe extẽdat*: In medio annorum notus, & ſalutẽ operatus in medio terræ. *Quia non vt Saul lenticula olei modici & euandi in angulo extremo, ſed vt Dauid*, in cornu filio olei, vnctus præ conſortibus ſuis in medio fratrum, vt primogenitus in multis fratribus, princeps regum terræ, *& pontificum eſſet, qui* faceret nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, *Catholicus, vt è medio*, mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. *Ad vtrumque extremum terra ſacrificij ſui meritum extenderet.* Catholicus ſacerdos, *vt in vna ſui corporis, & ſanguinis oblatione omnes veteris legis oblationes in vniuerſum, tam pacificas, quam expiatorias conſummaret, factus victima, pro victis hoſtibus, mundo, peccato, morte, Diabolo; ſacrificium, nos Deo conſecrans in ſuo ſanguine; holocauſtum totus in anima & corpore, per amoris ignem Deo ſe deuouens; immolatus vtriuſque, contritum in mola crucis; effuſus vt vinum, & oleum. Tandem vt cum Auguſtino concludam*, catholicus ſacerdos, *qui in ſe vno, quidquid vniuerſaliter loquendo, in aliis ſacrificiis diuiſum cernitur, iunctum adunauit. ſtupete mentem profundiſſimi Doctoris, lib. 4. de Trin. c. 14.* quis tam iuſtus & ſanctus ſacerdos quàm vnicus filius Dei, qui non opus haberet per ſacrificium ſua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur? & quid tam congruenter ab hominibus ſumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro? & quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? & quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quã ſine vlla contagione carnalis concupiſcentiæ, cato nata in vtero, & ex vtero virginali? & quid tam gratè offerri poſſet, & ſuſcipi poſſet: *aduerte diligenter hic Auguſtinum vtrumque iungere ſacrificium, tam cruentum quam incruentum, vnum quod Deo oblatum eſt in cruce, alterum quod in altari offertur à ſacerdote, & ab eodem ſuſcipitur, & à communicantibus, per quod vnum nos facit ſecum in ſancta communione, pro quibus ſeipſum offert Patri.* Quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri? vt quoniam quatuor conſiderantur in omni ſacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipſe vnus veruſque mediator, per ſacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo maneret, cui offerebat, vnum in ſe faceret, pro quibus offerebat, vnus ipſe eſſet qui offerebat, & quod offerebat.

Aug.

Auguſt.

32. *Chriſtus, Catholicum Dei templum.* 3. *cont. Marc. c. 21. à p.*

[a] Eſa. 2. 2. Iſdem verbis Eſaias. [a] *Et erit*, inquit, *in nouiſſimis diebus, manifeſtus mons Domini*, vtique ſublimitas Dei: *& ædes Dei ſuper ſummos montes*, vtique Chriſtus, catholicum Dei templum, in quo Deus colitur, conſtitutum ſuper omnes eminentias virtutum & poteſtatum, *& venient ad eum vniuerſæ nationes.*

CHRISTI ELOGIA. XXXII. SCHOLIA.

Iſdem verbis. *Quibus ſcilicet ductis ex capite 42. 4. dixerat nationes, ſiue Gentes toto orbe diſperſas in Chriſtum ſperaturas prædixerat.* Et in nomine eius gentes ſperabunt. Et erit. *Eſa. 2. 2.* Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. 70. *paulò aliter.* Quia erit in nouiſſimis diebus manifeſtus mons Domini, & domus Dei in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & venient ad eum omnes gentes. Vtique Christus, catholicum dei templum. *Quod Chriſtus ſit Dei templum, ipſemet expoſuit dicens*: ſoluite templum hoc, & ego in triduo excitabo illud. &c. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui. *Io. 2. 19. hic & ſimul eſt mons, & templum*, in quo quiſquis petit accipit, & pulſanti aperitur, *& in eo exauditur*, *Pſalmiſta dicente, Pſalmo. 3.* Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de templo ſancto ſuo. *In quem locum S. P. Aug.* ſuſceptor inquit meus es, in Chriſto vtique, nam in illo homine & Eccleſia ſuſcepta eſt à Verbo quod caro factum eſt, & habitauit in nobis Io. 1. quia & in cœleſtibus nos ſedere fecit vnà cum illo. Præcedente enim capite, membra cætera conſequentur. Quis enim nos ſeparabit à charitate Chriſti? Rom. 8. rectè ergo dicit etiam Eccleſia, ſuſceptor meus es, gloria mea: non enim ſibi tribuit quòd excellit, *ſupra montem poſita, Catholicum Dei templum, vniuerſum mundum occupans.* Cùm intelligit, cuius gratia & miſericordia talis eſt Et exaltans caput meum. Ipſum ſcilicet, qui primogenitus à mortuis aſcendit in cœlum. Voce mea ad Dominum, &c. Hæc eſt oratio omnium Sanctorum, odor ſuauitatis qui aſcendit in conſpectu Domini. Iam enim exauditur Eccleſia de ipſo monte, quod etiam caput eius eſt. Vel de illa iuſtitia Dei, qua & liberantur electi eius, & perſecutores eorum puniuntur. *Porrò quia frequenter D. Auguſtinus, caput, & corpus, Chriſtum & Eccleſiam vnum facit; ſic & ipſe & Eccleſia eius mons eſt, & templum Catholicum. Sic in Pſalmum 42. in verſum.* Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & perduxe-

5. Aug.

Aug.

runt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. Hæc, inquit, nomina duo, res vna. Quid enim aliud lux Dei, niſi veritas Dei? aut quid veritas Dei, niſi lux Dei? Et hoc vtrumque vnus Chriſtus. Ego ſum lux mundi, qui credit in me, non ambulabit in tenebris. Io. 8 Ego ſunt via, veritas, & vita, Io. 14. Ipſe lux, ipſe veritas, &c. Sanctus mons eius, ſancta Eccleſia eius. Mons ille eſt, qui creuit ex minimo lapide, Dan. 2. *Chriſto humili in quo fundata eſt*, ſecundùm viſionem Danielis, confringens regna terrarum, & in tantum excreſcens, vt impleret vniuerſam faciem terræ. *Hoc eſt catholicum & vniuerſale templum.* In hoc monte ſe exauditum dicit, qui dicit; voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Quiſquis præter iſtum montem orat, non ſeperet exaudiri ad vitam æternam. Exaudiuntur enim multi ad multa, nec ſibi plaudant, quòd exaudiuntur. Exauditi ſunt dæmones, vt in porcos mitterentur, Matth. 8. Exauditi ad vitam æternam concupiſcamus, propter deſiderium, quo dicimus, emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Illa lux oculum cordis inquirit. *Vt clauſo oſtio ſenſus carnalis, oremus patrem in abſcondito, non pro his quæ videntur, & temporalia ſunt, ſed pro his quæ non videntur, & æterna ſunt. Quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei.* Beati enim, inquit, mundo corde, quia ipſi Deum videbunt. Modo in monte eius ſumus, id eſt in Eccleſia eius, & in tabernaculo eius. Nam tabernaculum peregrinantium eſt, domus cohabitantium. Eſt & tabernaculum peregrinantium, & militantium: cùm audis tabernaculum, bellum intellige, hoſtem caue. Domus autem, de qua dixit Pſalmo. 83. 5. beati qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te. *Porro templum Salomonis non erat catholicum; erat enim in ſola Ieruſalem, & Iudæa tantùm in illud confluebant. Chriſtus autem & Eccleſia eius templum eſt catholicum, & vniuerſale, ad quod adoraturi Gentiles ex toto vniuerſo veniunt*, vt adorent Patrem in ſpiritu & veritate, *hoc eſt vera fide, per ſpiritum infuſa.* Vel in ſpiritu & veritate, *id eſt Patrem cum Filio, qui veritas eſt, & Spiritu ſancto, Trinitatem perſonarum adoraturi, & oraturi per Chriſtum, in ſpiritu deuoto, & humili, & fidei catholicæ veritate. Tandem de montis celſitudine idem S. P. Auguſt. in Pſal. 45. in verſum*: Transferentur montes in cor maris. Dictus, inquit, eſt mons Eſa. 2. erit in nouiſſimis temporibus manifeſtus mons Domini. Sed iſte mons ſuper alios montes collocatus eſt, quia & Apoſtoli montes portantes montem hunc. Ideo ſequitur, præparatus in cacumine montium. Tranſcendit ergo cacumina omnium montium, & in cacumine omnium montium collocatus eſt, quoniam montes ſunt annuntiantes montem. Mare autem ſignificat hoc ſæculum, in cuius maris comparatione, tanquam terra videbatur gens Iudæorum. Non enim idololatriæ amaritudine tegebatur: ſed erat tanquam arida, amaritudine gentium, tanquam mari circumdata. Futurum erat, vt turbaretur terra, id eſt illa ipſa gens Iudæa, & transferrétur montes in cor maris; id eſt, primò ipſe mons magnus paratus in carcumine montium. Deſeruit enim gentem Iudæam, & factus eſt in Gentibus; tranſlatus eſt de terra, ad mare. Transferentibus quibus? Apoſtolis: quibus dixerat Matth. 17. ſi habueritis fidem in vobis tanquam granum ſinapis, dicetis monti huic, tollere, & mittere in mare: & fiet: id eſt, per fidelisſimam veſtram prædicationem, fiet, vt mons iſte, hoc eſt ego ipſe prædicer in Gentibus, glorificer in Gentibus, agnoſcar in Gentibns; & fiat quod de me prædictum eſt, Pſalmo. 17. populus quem non cognoui ſeruiuit mihi. Quando autem & illi montes tranſlati ſunt? Et hoc indicet nobis ſcriptura Dei. Quando Apoſtolus prædicabat Iudæis, reſpuerunt verbum, & ait Apoſtolus Paulus, ad vos miſſi eramus; ſed quia reſpuiſtis verbum Dei, imus ad Gentes. Tranſlati ſunt montes in cor maris. Verè montes illi, non ſicut Iudæi de quibus dictum eſt, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Hoc enim & de nouo Teſtamento promittit Dominus per Prophetam dicens: dabo leges meas in cordibus eorum. *Impletum quoque fuit illud Eſaiæ, circumfluente multitudine Gentium, velut mari, ad montem & templum Catholicum, tranſlatum per Apoſtolos in cor maris*, & venient ad eum vniuerſæ nationes: vt legit hîc Tertullianus.

Aug. A B C 5. Aug.

33. *Chriſtus Sacerdotis veri oſtendit poteſtatem, leproſos ſolo nutu curans, nec fecit contra legem: vt nec leproſus mundatus. 4. cent. Marc. cap. 35. à p. ad vltra m.*

LEx leproſorum quantæ ſit interpretationis erga ſpecies ipſius vitij, & inſpectationis ſummi ſacerdotis, noſtrum erit ſcire: Marcionis, moroſitatem legis opponere, vt & hîc Chriſtum æmulum eius affirmet præuenientem ſolennia legis etiam in curatione decem leproſorum, quos tantummodo ire iuſſos vt ſe oſtenderent ſacerdotibus, in itinere purgauit, ſine tactu iam & ſine verbo, tacita poteſtate, & ſola voluntate; quaſi neceſſe ſit ſemel remediatore langorum & vitiorum annuntiato Chriſto, & de effectibus probato, de qualitatibus curationum retractari: aut Creatorem in Chriſto ad legem prouocari; ſi quid aliter quàm lege diſtinxit, ipſe perfecit: cùm aliter vtique Dominus per ſemetipſum operetur, ſiue, per filium; aliter per Prophetas famulos ſuos; maximè documenta virtutis & poteſtatis; quæ vt clariora & validiora, quà propria, diſtare à vicariis fas eſt. Sed eiuſmodi & alibi iam dicta ſunt, in documento ſuperiore. Nuncetſi præfatus eſt, [a] *multos tunc fuiſſe leproſos apud Iſraëlem in diebus Heliſæi prophetæ, & neminem eorum purgatum niſi Naaman Syrum*: non vtique numerus faciet ad differentiam Deorum, in deſtructionem Creatoris, vnum remediantis, & prælationem eius qui decem emundarit. Quis enim dubitabit plures potuiſſe curari ab eo, qui vnum curaſſet, quàm ab illo decem, qui nunquam retro vnum? Sed hac cùm maximè pronuntiatione diffidentiam Iſraëlis vel ſuperbiam pulſat; quod cùm multi eſſent illic leproſi, & Propheres non deeſſet, etiam edito documento, nemo decucurriſſet ad Deum operantem in Prophetis. Igitur, quoniam ipſe erat authenticus pontifex Dei Patris, inſpexit illos ſecundum legis arcanum, ſignificantis Chriſtum eſſe verum diſceptatorem &

Leuit. 13. 1. & ſeq. Leuit. 14. 2. & ſeq. Luc. 17. 14.

a Luc. 4. 27. 4. Reg. 5. 14.

[b] Luc. 17. 14. elimatorem humanarum macularum. Sed & quod in manifesto fuit legis, præcepit; [b] *Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Cur? si illos antè erat emundaturus. An quasi legis illusor, vt in itinere curatis ostenderet, nihil esse legem cum ipsis sacerdotibus? Et vtique viderit, si cui tam opinioſus videbitur Christus. immo digniora sunt interpretanda, & fidei iustiora. ideo illos remediatos, quà secundùm legem iussi abire ad sacerdotes, obaudierant: neque enim credibile est, emeruisse medicinam à destructore legis obseruatores legis. Sed cur pristino leproso nihil tale præcepit? quia nec Helisæus Syro Naaman; & tamen non idcirco non erat Creatoris. Satis respondi; sed qui credidit, intelligit etiam altius aliquid. Discе igitur & causas. In Samariæ regionibus res agebatur, vnde erat & vnus interim ex leprosis.

3. Reg. 11. 29. & seq. Samaria autem desciuerat ab Israële, habens schisma illud ex decem tribubus, quas auulsas per Achiam prophetam, collocauerat apud Samariam Hieroboam. Sed & aliàs semper sibi placentes erant Samaritani de montib. & puteis patrum; sicut in Euangelio Ioannis, Sa-

[c] Io. 4. 20. maritana illa in colloquio Domini apud puteum, [c] *Nè tu maior sis*, & cetera. Et rursus, *Patres nostri in isto monte adorauerunt, & vos dicitis quia Hierosolymis oportet adorare*. Itaque, qui

[d] Amos 6. 1. & per Amos, [d] *Væ* dixerit eis, *qui confidunt in monte Samariæ*; iam & ipsam restituere dignatus, de industria, iubet ostendere se sacerdotibus, vtique qui non erant, nisi vbi & templum; subiiciens Samaritam Iudæo, quoniam ex Iudæis salus Israëlitæ & Samaritanæ. Tota enim promissio Tribui Iudæ Christus fuit: vt scirent Hierosolymis esse & sacerdotes & templum, & matricem religionis, & fontem non puteum, salutis. Et ideo, vt vidit agnouisse illos legem Hierosolymis expungendam, ex fide jam justificandos sine legis ordine

Luc. 17. 14. remediauit. Vnde & vnum illum solutum ex decem, memorem diuinæ gratiæ Samariten miratus, non mandat offerre munus ex lege; quia satis iam obtulerat, gloriam Deo reddens, hoc & Domino volente interpretari legem. Et tamen cui Deo gratiam reddidit Samarites, quando nec Israëlites alium Deum vsque adhuc didicisset? Cui alij, quàm cui

[e] Luc. 17. 19. omnes remediati retro à Christo? Ideo, [e] *Fides tua te salvum fecit*, audit: quia intellexerat veram se Deo omnipotenti oblationem, gratiarum scilicet actionem, apud verum templum & verum pontificem eius Christum facere debere.

CHRISTI ELOGIA. XXXIII. SCHOLIA.

LEX LEPROSORVM. *Hic contra Marcionem, probat Christum non soluisse legem veterem, circa leprosorum circumspectam & discretam distinctionem: sed vt autherem legis, eam interpretatum esse, & compendiosiori via, solo interdum tactu, verbo, vel etiam nutu & voluntate, leprosos emundasse, summi, qua pollebat autheritate Pontificis. Sicut etiam Esaias Christum verum medicum, & morborum omnium curatorem futurum esse prædixerat. Totam autem legem circa leprosos, siue discernendos, siue mundandos habes Leuitici. 13. & 14. per totum. De quo vide prædicta, Verbo* Christus Medicus. *à numero 2. vsque ad 8 maxime autem Num. 6. & 7.* QVANTÆ SIT INTERPRETATIONIS. *Quàm multa mysticè & moraliter significet iste lex, & quàm varias patiatur interpretationes, tam diuersas species lepræ.* INSPECTATIONIS. *accuratæ dispectionis, & distinctionis specierum lepræ.* NOSTRVM ERIT SCIRE. *qui* scientibus legem loquimur, *eamque à Deo vero latam admittimus.* MARCIONIS MOROSITATEM, *&c. id. illusoris erit aduersarij hanc legem despuere, & Deo indignam reprobare, tanquam onerosam nimis, tot cerimonijs implicatam, tam longa mora curantem lepram.* VT CHRISTVM ÆMVLVM EIVS, *&c. id. vt inde probans Marcion Christum absque vllis solemnitatibus legis subito leprosos curantem, conuincat eum esse aduersarium legis.* SINE TACTV IAM, *&c. id. longè citius, vt pote nutu solo decem leprosos curantem, cum vnum prius & Verbo & tactu curasset.* QVASI NECESSE SIT. *id. stultè sic argumentatur Marcion: cum non sit opus* RETRACTARI. *id. tractari specialiter apud Prophetas de variis morbis curandis à Christo, cum fuerit satis in genere, ipsum prænuntiatum esse Medicum morborum, de quo à Malachia 4.* orietur timentibus vobis nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, *sicut habent omnes versiones. Quod Et Sol sua luce & influentiis plantas medicinales producit in terra. & Apollo dicitur, à pellendis morbis, & alatus describitur à velocitate cursus, sic Christus subito omnes morbos curare debebat prædicente Esaia*, vere languores nostros ipse tulit, &c. *id. abstulit.* ET DE EFFECTIBVS PROBATO. *id. cognito ab effectibus tali, qualem Propheta prædixerant.* SI ALITER. *&c. Id est si Christus non secundùm legem distinxit lepram à lepra:* IPSE PERFECIT *id. perfectius vt author legis, operatus est & promptius prætermissis cerimonialibus legis.* AVT CREATOREM, *&c. id est propter Christum aliter curantem, quam lex præscripserat, non est opus Creatorem impugnari, & velut ad tribunal legis* PROVOCARI, *& coràm argui imperfectionem legis ipsius morosæ, & tardæ in comparatione operationis promptæ Christi Marcionis.* DISTARE A VICARIIS, *&c. Nil mirum si Deus Creator, & filius eius Christus promptius & nobilius operentur, quam lex Moysi vel Propheta Elisæus, aut quilibet alius, cum longè distet Dominus à seruis.* INDOCVMENTO SVPERIORE. *Scilicet dum ex Luc. 5. ageret de vno leproso mundato. Notandum autem Tertullianum transisse hic ad curationem decem leprosorum tacitis intermediis in Luca textu, quod ea Marcion expunxisset, sicut etiam aduertit S. Epiphanius contra eundem scribens conf. 47.* ET SI PRÆFATVS. *Sic Luc. 4. hæc Christus præmisit:* in veritate dico vobis, multæ viduæ, &c. Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. *Transl. Syr.* & ne vnus quidem ex eis purgatus est, nisi Naaman ille Aramæus. *Quam diuersitatem vt capias, nota 4. Reg. 5. vbi Vulgata legit,* Regem Syriæ, vel Syriam. *Sanct. Pagn. legere* Aram. *Ita enim:* Nahaman autem Princeps militiæ Regis Aram. *Aram Mesopotamia est vnde egressus est Abraham Gen. 11. & pro Syria sumitur, vnde Transl. Syr. dixit eum* Aramæum. *De quo Ambrosius scribit quod,* religioso

religioso officio ſtuduit ſanitati. NON VTIQVE NVMERVS, *&c. id. nullum fundamentum eſt ſtatuendi diuerſos Deos, ex vno, vel decem mundatis leproſis. Et Deum Creatorem* DESTRVENDI. *id. humiliande potentiæ eius, infra potentiam Dei noui Teſtamenti, cuius Chriſtus decem abſque aqua Iordanis, & ſeptena lotione ſolo nutu curauit.* QVIS ENIM DVBITABIT, *&c. id. quam facilius creditur, Deus Creator potuiſſe decem leproſos mundare, & eundem ipſum eſſe qui per Chriſtum ſuum in lege noua decem mundauit, qui iam per Prophetam ſuum Eliſæum in veteri, vnum Naaman purgauerat à lepra. Quam Deus ille nouus Marcionis, qui nullum* RETRO, *id. prius dedit argumentum poteſtatis ſuæ in aliquo leproſo vel aliter egroto curando.* CVM MAXIME, *&c. id. cum præcipuè Luc. 4 expreſsè Chriſtus* PVLSET, *id. tangat & exprobret ſuperbiam, vel incredulitatem Iudæorum in veteri lege qui* EDITO DOCVMENTO, *id. docente miraculo alienigena Naaman, ad Eliſæum tot inter eos leproſi remediandi recurrere dedignati eſſent; quod vtique Chriſtus non exprobraſſet, ſi nil ad eum lex, Propheta, & Deus Creator, eorum author pertinuiſſet.* AVTHENTICVS PONTIFEX. Authenticon vox Græca & iuris ſignificans authoratum. *Hinc lex authentica & decretum authenticum dicitur, quod multorum authoritate comprobatum eſt. Alciatus notat pro re certa fidei poni apud Iulianum & Paulum iureconſultos, necnon apud Tullium lib. 9. & 10. Epiſt. ad Atticum. Vlpianus in fin. leg. 4. ff. familiæ Erciſcundæ* debere, ait, hæredem exemplum dare: tabulas autem Authenticas ipſum tenere, aut in ædem deponere. *Vnde authenticum eſt inſtrumentum originale, vnde tanquam ex fonte exemplaria deſcribuntur Paulus lib. 5 ſent. tit. 12. l. 2. de fide inſtrum. Vlpian. l. fin. ff. de Teſtam. quemadmodum aper. Ex quibus patet quo ſenſu Tertul. magnus Iuriſconſultus*, Authenticum Pontificem Chriſtum, *dixerit, vipote qui primarius & originalis Pontifex etiam in inſtrumentis veteris legis per ſummum Pontificem Aaron, & Melchiſedech figuratus, necnon in primo Innocente Sacerdote & victima Abel*, ab origine mundi agnus occiſus, *& per ſeipſum oblatus, cui Pater & Spiritus ſanctus, præter Prophetas veteres, authenticum teſtimonium dederunt. Auguſtinus lib. 2. quæſt. Euang. 40. tractans de emundatione decem leproſorum Luc. 17.* Sacerdotium Iudæorum nemo ferè fidelium dubitat figuram fuiſſe futuri ſacerdotij regalis quod eſt in Eccleſia, quo conſecrantur omnes pertinentes ad corpus Chriſti, ſummi & veri principis ſacerdotum. Nam nunc & omnes vnguntur, quod tunc regibus tantùm & ſacerdotibus fiebat. Et quod ait Petrus 1. 2. ad Chriſtianum populum ſcribens, regale ſacerdotium: vtrumque nomen illi populo conuenire declarauit, quo illa vnctio pertinebat. SECVNDVM LEGIS ARCANVM. *id. occultam in vmbra legis, interioris peccati maculæ emundationem faciendam per ſeipſum verum ſacerdotem, &* & paſſerem ſolitarium, inter mortuos liberum, *id. inter peccatores ſeruos peccati, liberum à peccato: ſicut ad mortem corporis ſubeundam, & euigilandum à morte, ſumptis reſurrectionis alis liber erat.* Qui non habebat neceſſitatem quemadmodum ſacerdotes, primò pro peccatis ſuis hoſtias offerre, deinde pro populi, &c. Qui per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. DISCEPTATOREM. *id. diſcretorem, diſtinctorem, & Iudicem diuerſarum peccati lepræ arum.* ELIMATOREM, *veteris ſcilicet rubiginis peccati originalis contractæ in Adam, cui aptari poteſt maledictum ab Eliſæo in Gieſi poſteroſque conjectum*: lepra Naaman *id. pulchri, ſerpentis ſcilicet, cuius elenatum*

A *fuit cor in decore ſuo, peccatum inquam ſuggeſtu diaboli inſufflatum Adæ, virus contagioſum lepræ infudit.* ahærebit tibi, & ſemini tuo vſque in ſempiternum. AN QVASI ILLVSOR. *Illudit ipſe Marcioni pro ipſo obiiciens Chriſtum in via mundantem leproſos, quaſi irriſiſſet legem cum ſuis ſacerdotibus*, infirmam, & nihil ad perfectum adlutentem; *vt poſtea dicit Paulus.* OPINIOSVS *id. Illuſor legis & malè de ipſis ſentiens & opinans.* FIDEI IVSTIORA. *id Iuſtius conuenientia fidei, credibiliora.* QVÆ OBAVDIERANT. *id. in quantum paruerant, & obedierant Chriſto iuxta legem mittenti eos ad ſacerdotes.* A DESTRVCTORE LEGIS. *id. ſi Chriſtus, vt vult Marcion & contra Euangelium, veniſſet legem ſoluere, nec eos ſecundum legem miſiſſet ad ſacerdotes, nec legi obedientes ſanaſſet, ſi mala lex fuiſſet; immo grauiore lepra*
B *mulctaſſet.* PRISTINO LEPROSO. *per priſtinum non intelligit primum & ſolum leproſum mundatum Luc. 5. ſed vnum ex decem, quem priſtinum dicit, quod pius leproſus eſſet, & iam mundatus, cui ad ſe redeunti ſoli Chriſtus*, nil tale præcepit, *id. vt ſacrificium ex lege præceptum pro emundatione offerret, vt ſcilicet & figuram veterem impleret, qua Eliſæus mundato Naaman huiuſmodi ſacrificium non indixit.* NON ERAT CREATORIS, *non minus, inquit, Eliſæus ad Creatorem pertinebat, licet in hoc legem Creatoris non imponeret obſeruandam Gentili à iugo legis exempto.* SATIS RESPONDI. *Sufficienter obiectioni Marcionis ſatisfeci.* SED QVI CREDIDIT, *&c. Alludit ad locum Eſa. bis ab eo relatum, & excuſſum à nobis*
C ſi non crediderits, non intelligetis. ET CAVSAS, *profundas ſcilicet & occultas, ob quas Chriſtus Samaritanum hunc leproſum, legi non obſtrinxit, ſicut alios nouem qui Iudei erant.* HABENS SCHISMA. *id. Samariam incolebant, decem tribus diuiſæ à Iuda & Beniamin, quas Ieroboam Rex in ea collocauerat occaſione & motu Prophetiæ Achiæ. Deus Roboamo reſeruauerat tribum Iudæ, cui adhæſit tribus Beniamin, decem aliis tribubus ſecutis Ieroboam. Quam hiſtoriam videbit lector 3. Reg. 11.* factum eſt in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ieruſalem & inueniret eum Ahias Silonites, *Sanct. Pagn. & 70. Achia Selonites*, Propheta in via opertus pallio nouo: erant autem duo tantum in agro. Apprehendenſque Ahias pallium ſuum nouum quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Ieroboam, tolle tibi decem ſciſſuras. Hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael. Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. Porro vna
D tribus remanebit ei propter ſeruum meum Dauid *de tribu Iuda*, & Ieruſalem ciuitatem quam elegi ex omnibus tribubus Iſraël. *Et cap. 12.* Super filios Iſraël quicumque habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam. *Et paulò infra*: venit Roboã Ieruſalẽ, & congregauit vniuerſam domum Iuda, & tribum Beniamin, &c. Ædificauit autem Ieroboam Sichem in monte Ephraim & habitauit ibi: & egreſſus inde ædificauit Phanuel, dixitque Ieroboam in corde ſuo: nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, *quia ſcilicet Roboam magnum exercitum collegerat.* Si aſcenderit populus iſte, *id. decem tribus quas habebat*, vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem: & conuertetur cor populi huius ad Dominum ſuum Roboam regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum. Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis:
E nolite vltra aſcendere in Ieruſalem: ecce dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Poſuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan: & factum eſt verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum vſque in Dan. *Capite autem*

Digitized by Google

decimoſexto de Amri quinto rege Iſraël à Ieroboam, dicitur; emit montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti: & ædificauit eum, & vocauit nomen ciuitatis quam extruxerat nomine Semer Domini montis, Samariam, &c. *Tum ſubiicit eum iuxta Ieroboam idola coluiſſe, ſicut & eius filium & ſucceſſorem Achab, qui & Baal coluit.* ALIAS SEMPER, *&c. Hic docet Samaritanorum, id. populi Idololatræ & ad Gentilium cultum abducti*, poſt decem tribus ab Ieroboam ad idololatriam prouocatas, *præſumptionem & arrogantiam familiarem de montibus & puteis Patriarcharum. Quod quidem probat, tam exemplo Samaritanæ, quàm loco citato ex Prophetia Amos. De facto Ioannis 4. vbi huius mulieris conuerſio narratur, aduentum Chriſti ſic Ioannes deſcribit:* venit in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat autē ibi fons Iacob, &c. *Et rurſum Samaritana ſic loquitur*, puteus altus eſt, &c. Nunquid tu maior es Patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipſe ex eo bibit & filij eius & pecora eius, &c. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Ieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet. *D. Thomas in hunc locum reſpondet primò iuxta Chryſoſtomum aliquos dixiſſe Abraham in illo monte filium obtuliſſe. 2. Alij Iacob & filios habitaſſe in Sichem iuxta montem Garizim. Vel quia Moyſes Deut. 6. præcepit filiis Iſraël vt aſcenderent in montem Garizim, ad benedicendum ſeruantibus mandata. Vel quia Samaritani ſeruabant legem datam filiis Iſraël, quos proinde Patres vocabat Samaritana. Ego verò forte magis ad litteram Tertulliani hic inuenio tam in Samaritana peccatrice, quàm in Samaritano leproſo, figuratos Gentiles ad Chriſtum conuerſos, & iuxta relatam Idololatriam Ieroboam & Amri, decemque tribuum in dicto monte vitulos aureos colentium; puto Samaritanam de adoratione idololatriæ loqui, & Patres ſuos vocaſſe, dictos idololatras, cùm etiam dixerit Ioannes,* Iudæos non coiiti Samaritanis: *Et rurſum Samaritana quaſi ſe diſtinguens à Iudæorum cultu*: & vos dicitis quia Ieroſolymis, &c. PER AMOS VÆ. *Sic cap 6.* Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Væ quietis in Sion, &c. 70. Væ qui deſpiciunt Sion, & qui confidunt in monte Samariæ. *Chald.* quietè degitis, *vnde fit vt opulenti Sion quieti & otio vacantes alios ſpernerent, vnde & Theod.* Væ ſpernentibus Sion. *id. qui in Sion habitantes, alios ſpernebant. Tertul. tamen mens eſt, Samaritanos in Idolalatria ſua confiſos, id. Gentiles, prius quàm conuerterentur, ad Chriſtum, in ſuo monte idoliſque confiſos.* IPSAM RESTITVERE. *id nationem Gentilem primæ fidei ad Dei veri cultum, quem ante Ieroboam obſeruabat, reuocare dignatus.* DE INDVSTRIA. *id. expreſsè leproſum Samaritam à monte ſuo iuſſerat primò cum cæteris ire in Ieruſalem, vbi erat templum & ſacerdotes. Ideo autem Samaritanum, ſacerdoti Iudæi ſubmittebat, quia vtriuſque populi Iudæo & Gentilis à Chriſto pendebat de tribu Regali Iuda ex Dauid Salomone, Roboam*, apud quem cum tribu ſola Beniamin tribus Iuda remanſerat, vt ſupra vidimus. MATRICEM. *id. originem. Et fontem* patentem domui Iuda, &c. NON PVTEVM. *Interitus ſcilicet erroris, idololatriæ, quem primò foderat in paradiſo ſerpens, abducens hominem à fonte & arbore vitæ. Vnde pulchrè Chryſol.* vt quibus puteus mortis Adam extitit, his vitæ fons Chriſtus exiſtat. EXPVNGENDAM. *implendam per Chriſtum.* SINE LEGIS ORDINE. *id. prætermiſſis cæremoniis legis.* HIC. *id. per hoc, vel hoc puteo, &c.* CVI DEO, *&c. Non Marcionis noui, ſed* antiquo dicerum, *vni & vero Deo Iſraelis, quem Samaritanus prius idololatra, conuerſus agnouit, qui ſi fuiſſet Iſraelita fidelis, eundem & non alium coluiſſet.* VERAM OBLATIONEM, *&c. Auguſt. lib. 2 quæſt. Euang. q. 40. vbi de nouem ingratis, & oblationem hanc veram, gratiarum ſcilicet actionem non reddentibus*, tales ingrati in nouenario numero tanquam imperfecti remanebunt. Vnum enim ſi addatur ad nouem, quædam effigies vnitatis impletur, quo fit tanta completio, vt vltra iam non progrediatur numerus, niſi rurſus ad vnum redeatur, & hæc per infinitatem numeri regula cuſtodiatur. Nouem itaque indigent vno, vt quadam vnitatis forma coagulentur, vt decem ſint: vnum autem non eis indiget, vt cuſtodiat vnitatem. Quamobrem, vt illi nouem, qui gratias non egerunt, reprobi effecti à conſortio vnitatis excluſi ſunt, ita vnus ille qui gratias egit, vnicæ Eccleſiæ ſignificatione approbatus atque laudatus eſt. Et quia illi erant Iudæi, amiſiſſe per ſuperbiam declarati ſunt regnum cœlorum, vbi maximè vnitas cuſtoditur: iſte verò qui erat Samaritanus, quod interpretatur cuſtos, illi à quo accepit, tribuens quod accepit, & quodammodo cantans illud è Pſalmo 58. fortitudinem meam ad te cuſtodiam: per gratiarum actionem regi ſubiectus, humilitatem regni humili deuotione ſeruauit.

Aug.

CHRISTI INFIRMA.

1. *Chriſti patria fuit Galilæa Creatoris, quæ non pertinet ad Chriſtum Marcionis. 4. cont. Marc. cap. 7. ap.*

QVid autem illi cum Galilæa, ſi non erat Creatoris? cui iſta regio deſtinabatur ingreſſuro prædicationem, dicente Eſaïa, [a] *Hoc primum bibito, cito facito, regio Zabulon, & terra Nepthalim, & ceteri qui maritimam ad Iordanem, Galilæa nationum, populus qui ſedetis in tenebris, videte lumen magnum. qui habitatis terram, ſedentes in umbra mortis: lumen ortum eſt ſuper vos.* Bene autem quod & Deus Marcionis, illuminator vindicatur nationum: quò magis debuerit vel de cœlo deſcendere, etſi vtique in Pontum potius deſcendere, quàm in Galilæam. Ceterùm, & loco & illuminationis opere ſecundùm prædicationem occurrentibus Chriſto, iam eũ prophetatum incipimus agnoſcere, oſtendentem in primo ingreſſu, [b] *veniſſe ſe, non vt Legem & prophetas diſſolueret, ſed vt potius adimpleret.* Hoc enim Marcion, vt additum, eraſit. Sed fruſtra negabit Chriſtum dixiſſe, quod ſtatim fecit ex parte. Prophetiam enim interim de loco adimpleuit; de cœlo ſtatim ad ſynagogam, vt dici ſolet, Ad quod venimus hoc age.

a Eſa. 9. 1.

b Matth. 5. 17.

CHRISTI INFIRMA. I. SCHOLIA.

CVM GALILÆA. *Supra eodem cap 7 iuxta Luc.3. vbi fu mentio Galilæa, & cap.4 vbi Christus descendit in Nazareth, & in Capharnaum ciuitatem Galilæa, vbi docebat in Sinagogis induxerat Marcionem, de cœlo subito fingentem Christum descendisse, oblitteratis è Luca, qua Christi natiuitatem & infantiam tangebant; pulchrè opponit Marcioni, fruſtra Lucam Christo dedisse patriam Galilæam, nisi Christus ipse fuisset Creatoris, cuius populus Galilæus erat, & cui Christus lux vera primo illuscescere debebat secundùm Esaiam.* CVI ISTA REGIO, *&c. nisi Christo scilicet Creatoris, consecrata erat hac plaga, vt primò ibi prædiraret.* HOC PRIMVM BIBITO. *Ita Esa.9. Vulgata:* primò tempore alleuiata est terra Zabulõ & terra Nephtali;& nouissimo aggrauata est via maris translordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. *Parum distat Sanct. Pagn. Vatablus*, non expediet sese is qui se in angustias huiusmodi coniecit, quemadmodum superiori tempore, dum leuiter affligebat terram Sebulon & terram Nephtali, postea vero grauius afflixit; via maris vltra Iordanem, in finibus gentium, populi qui ambulabant in tenebris, viderunt lucem magnam, &c. *70. Secutus est Tertullianus. Basil. in hunc locum:* bibe fidem. *Ambr. in Psal. 1.* bibe Christum. *Cyrillus:* bibe primùm prædicationem Christi. *Vbi indicat cum Eusebio lib.7. demonstr. Euang. c.4 Christi prædicationem primò in Capharnaũ Galilææ susceptam. Libro autem 9. hunc locum refert ad vinum factum ex aquâ in Cana Galilææ. Matthæum autem cap. 4. alludit ad locum Esa. dum ait*, relictâ ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim. Vt adimpleretur quod dictum est per Esaïam Prophetam: terra Zabulon & terra Nephtalim via maris translordanē Galilææ gentium. Populus qui, &c. DEVS MI[illegible]IONIS. *&c. Ridet eum quod iactet Deum suum gentium, sed acutè subiicit, in quantum lumen, de cœlo Creatoris, vnde lux oritur, debuisse descendere, & potius in Ponti regionem, vnde erat Marcion, quam in Galilæam Creatoris.* SECVNDVM PRÆDICATIONEM. *id. prædictionem Isaiæ, quasi sponte, & lotus, & illuminatio occurrant, vt Christum Creatoris manifestent, & conuincant ipsum cœpisse opere* implere legem & Prophetas *Creatoris, ob quem locum Matth.5. scriptum, Marcion legis veteris & Prophetarum aduersarius, totum Matthæi Euangelium erasit; quasi nos hæc verba de nostro addidissemus.* FECIT EX PARTE. *Statim opere implendo dictum locum Isaiæ, & à loco prædicto Galilææ, incœpit prædicare & illuminare. Quin etiam prima Apostolorum Spiritu sancto plenorum prædicatio, monuit auditores vt dicerent:* nunquid omnes isti Galilæi sunt? DE COELO STATIM. *&c. Hic iterùm pungit Marcionem, quasi diceret: esto, Christus subito, & absque mora infantiæ & adolescentiæ de cœlo in Sinagogam, descenderit, & iuxta commune prouerbium,* AD QVOD VENERAT, *hoc egerit, id est ad prædicandum & illuminandum venerit, & de facto illuminauerit, nec opus fuerit ei pleno & perfecto Dei filio per ætatis infirmioris rudimenta transire, vltrò hoc demus Marcioni, causâ nihilominus cadet, cùm & in opere prædicationis, & in loco, non Dei Marcionis, sed Dei nostri Creatoris filius conuincatur ex exactissima Prophetia in vtróque obseruantia. Ita enim Luc. 4.* regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus, & venit Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me, &c. *Esa.61. de patria autem eius Galilæa August. lib. 2. de consensu Euang.* S. Aug. *cap. 25. vbi ex Matthæo dicitur*, venit in ciuitatem suam: potuit, inquit, ipsa Galilæa dici ciuitas Christi, quia in Galilæa erat Nazareth: sicut vniuersum regnum in tot ciuitatibus constitutum, dicitur Romana ciuitas, &c. Quis dubitauerit in ciuitate sua hoc fecisse Iesum, cum hoc fecerit in Capharnaum, *iuxta Marcum*, ciuitate Galilææ, &c. præsertim quia & ipsa Capharnaum ita excellebat in Galilæa, vt tanquam Metropolis haberetur. *Et tract. 33 in Io.* Dominus Galilæus dicebatur, quoniam de Nazareth ciuitate, erant parentes eius. *Addam & loco supra memorato Esaiæ: terram Zabulon & Nephtali leuiter afflictam 4 Anno Achaz Esaiæ 8. quando Teglat Phalassar hos tribus in Assyriam transmisit 4. Reg.15. posterius autem, grauiùs afflictæ sunt, quando Salmanazar eas cum cæteris tribubus abduxit in Assyriam Anno 6. Ezechiæ. Sic Chaldæus & Hebræi cum Vatablo. S. Thoma, Hugone, &c. Mysticè ex Hiero. Basil. Cyril & Procop. hæ tribus leuiter erant spolianda peccato, & tyrrannide diaboli, Christo concepto & enutrito in Nazareth oppido Zabulon. Deinde Apostolos penè omnes ex duabus illis tribubus collectos secum, prædicans, & prodigia faciens, maiora ibi sumpsit spolia. Galilæa autem Gentium dicitur, propter gentium scilicet Tyriorum Gentilium: vicinitatem, quorum imperio & idololatriæ olim subiecta fuerat. Subtiliter Aug. lib. 3. de consensu Euang. in verba* S. Aug. *Matth. 26. & Marc. 14.* præcedam vos in Galilæam Propheticè dictum accipiendum est. Galilæa namque interpretatur, vel transmigratio, vel reuelatio, &c. Quia Christi gratia de populo Israel, transmigratura erat ad gentes: quibus Apostoli prædicantes Euangelium nullo modo crederentur, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum præpararet. Et hoc intelligitur, præcedet vos in Galilæam, &c. Ibi eum videbitis: idest, ibi eius membra inuenietis. Ibi viuum corpus eius, in iis qui vos susceperint, agnoscetis. Secundùm illud autem quod Galilæa interpretatur reuelatio, non iam in forma serui intelligendum est, sed in illa in qua æqualis est patri: quam promisit apud Ioannem 14. dilectoribus suis, cum diceret, & ego diligam eum, & ostendam meipsum illi, &c. Illuc nos præcessit, vnde ad nos veniens non recessit, & quò nos præcedens non deseruit. Illa erit reuelatio tanquam vera Galilæa, cum similes ei erimus, ibi eum videbimus sicuti est. 1. Io. 3. Ipsa erit etiam beatior transmigratio ex isto sæculo, in illam æternitatem, si eius præcepta sic amplectamur, vt ad eius dexteram segregari mereamur, &c. Quò seruos perducet per formam serui, vt liberi contemplentur formam Domini. *Tandem de Galilæa Christi patria sic Chrysol. ser. 49. in p.* Vnde? quò ingreditur qui nullo continetur, nullo clauditur loco? ad quam patriam vadit, orbem qui fecit & possidet vniuersum, &c? Non sibi per se, sed per te tibi egreditur, & ingreditur Christus, donec te intromittat expulsum, &c. In patriam suam. Non vt suam sibi, sed vt tuam tibi, quam Adam perdiderat, patriam redonaret.

** 2. Christi fuga temporanea fuit: & si carnem infirmam ostendit, spiritum tamen fortiorem; quo calicem ex Patris voluntate suscepit. De fuga cap. 8. in p.*

Matth. 10. 23. REfugit & ipse vim interdum, sed eâdem ratione quâ Apostolus fugere præceperat; donec scilicet doctrinam suam impleret; quâ consummatâ, non dico stetit, sed nec auxilium à Patre Angelorum exercituum desiderauit, increpito etiam Petri gladio. Professus quidem & ipse est, [a] *animam anxiam vsq. ad mortem, & carnem infirmam*; vt tibi ostenderet, primò, in se vtramq. substantiam humanam fuisse, ex proprietate anxietatis animæ, & imbecillitatis carnis: nè aliam (vt quidam nunc induxerunt) aut carnem aut animam Christi interpretaretis; dehinc, vt demonstratis conditionibus earum scires, illas nihil valere per semetipsas sine spiritu. Et ideo præponit, [b] *Spiritus promptus*; vt vtramq. conditionem substantiæ vtriusque respiciens, intelligas in te esse etiam fortitudinem spiritus, quomodo & infirmitatem carnis, ac iam hinc scias quid vnde facias, & quid cui subiicias; infirmum scilicet forti: nè, vt nunc facis, de carnis quidem infirmitate causeris, de spiritus autem firmitate dissimules. Postulauit & ipse à Patre, [c] *Si fieri posset, transiret ab illo calix passionis.* Postula & tu, sed stans vt ille, sed postulans tantùm, sed subiungens & reliqua; *Verùm non quod ego volo, sed quod tu.* Fugiens autem quomodo hoc postulabis, ipse tibi præstans calicis translationem; nec quod Pater vult faciens, sed quod tu?

[a] Matth. 26. 52. & 53.
[b] Matth. 26. 41.
[c] Matth. 26. 39.

CHRISTI INFIRMA. II. SCHOLIA.

RESVMIT, *&c. Licet austerus nimium in interdicenda fuga persecutionis sit Tertul. hic tamen cogitur eam concedere, quam & Christus subiit, & Apostolis suasit, ad munus prædicationis & salutis hominum impendium.* INTERDVM. *Vix natus Matth. 2. fugit in Ægyptum. post curatam manum aridam Matth. 12. post decollationem Baptistæ Matth. 14. Item cum se antiquiorem Abraham dixisset, Io. 8. sicut etiam suscitato Lazaro Ioannis 11. rursùm cum eum quærerent Iudæi interficere Io. 7. Item fugit in Capharnaum Luc. 4.* S. Aug. *de prima Christi fuga. Aug. ser. 32. de tẽp. & 4. de Epiph.* infans tam potens, tam magnus, paruulus propter inimicitias Herodis, in Ægyptum portantibus parentibus fugit: ita nondum sermone, sed factis iam suis membris loquens, & tacitus dicens Matth. 10. si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Mortalem quippe carnẽ in qua nos præfiguraret, gerebat, in qua erat etiam pro nobis oportuno tempore moriturus. S. Aug. *De fuga Christi iam viri sic tractatu 15. verba Io. 4.* reliquit Iudæam terram, & abiit iterum in Galilæam; quia cognouit eorum scientiam simul cognouit & inuidentiam, quia non hoc propterea didicerunt, *scilicet Pharisæi quod plures Discipulos faceret Christus quàm Ioannes*, vt sequerentur, sed vt persequerentur: abiit inde. Poterat quidem ille & præsens ab his non teneri si nollet; non occidi, si nollet; quia poterat & non nasci, si nollet. Sed quia in omni re quam gessit vt homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum: quia vnusquisque seruus Dei non peccat, si recesserit in alium locum videns furorem fortè persequentium se, aut quærentium in malum animam suam: videretur autem sibi seruus Dei peccare si faceret, nisi in faciendo Dominus præcessisset. Fecit hoc ille Magister bonus, vt doceret, non quod timeret. VT QVIDAM TVNC INDVXERVNT. *Tangis Marcionem, veram carnem in Christo negantem, & Apellem dicentem fuisse Sydeream, aly animam ei etiam putatiuam tribuebant, aut aliam specie à nostrâ. Aug. de Agone Christiano c. 19.* Augusti. Si execrandi sunt illi, qui eum negant humanum corpus habuisse, quod est infimum in homine: miror quod isti non erubescant, qui hoc eum negant habuisse quod est optimũ in homine. *Quod & repetit cap. 21.* EX PROPRIETATE ANXIETATIS ANIMÆ, *&c. Propriè hinc conuincitur habuisse Animam, ex tristitia in horto concepta.* SINE SPIRITV NIHIL VALERE. *id. nihil posse virtutis, sine superiori parte animæ, scilicet mente & spiritu.* IPSE TIBI PRÆSTANS, *id. propria voluntate, inconsulto Deo fugiens calicem passionis, nec te cum Christo Patris voluntati conformans.*

3. *Christus sic ignorat tactum hæmoroissæ; sicut Deus vbi esset Adam, quem ad confessionem inuitabat. 4. cont. Marc. cap. 20. in m.*

ECce aliquid & de illis pusillitatibus & infirmitatibus Creatoris in Christo. Ignorantiam enim & ego adscribere ei volo. Permittite mihi aduersus hæreticum. Tangitur à femina quæ sanguine fluitabat, & nescisset à qua. [a] *Quis me, inquit, tetigit?* Etiam excusantibus discipulis perseuerat in ignorantiæ voce, *Tetigit me aliquis.* idque de argumento affirmat. *Sensi enim virtutem ex me profectam.* Quid dicit hæreticus? Sciebatne personam? Et cur quasi ignorans loquebatur? Vt confessionem certe prouocaret: vt timorem probaret. Sic & Adam aliquando quæsierat, quasi ignorans, *Adam vbi es?* Habes & Creatorem cum Christo excusatum, & Christum Creatori adæquatum. Sed & hoc, qui aduersarius legis; vt quia lex à contactu feminæ sanguinantis summouet, idcirco gestierit non tantum contactum eius admittere, sed etiam sanitatem donare. O Deum non naturâ beneficum, sed æmulatione!

[a] Luc. 8. 45.
Gen. 3. 9.
Leuit. 15. 25.

CHRISTI INFIRMA. III. SCHOLIA.

PVSILLITATIBVS, *&c. Loquitur ex mente & voce Marcionis obiurgantis Deum Creatorem pusillum, infirmum, ignorantem, quærentemque Adam, & interrogantem, quasi nescium vbi se abscondisset: cui belle respondet Tertul. retorquendo argumentum, similiter & Christum*, quem non à Deo Creatore, sed à Deo suo missum fingebat Marcion, *ignorasse tactum hæmorroissæ. Quod si dicat Marcion finxisse tantùm ignorantiam, & timorem, & reuerentiam mulieris, eiusque fidem probare voluisse, sicut & confessionem & laudem: rursùm retorquet, simul excusandum Creatorem, & Christum hoc etiam facto probari ex imitatione Patris, eius esse filium.* SED AT HOC, *&c. dices, inquit, Christus qui veteris legis malæ aduersarius erat & destructor, in eius contemptum se tangi permisit ab immunda, & ideo reddidit sanitatem legis violatrici, quæ eam à commercio summouebat, quæ* sanguinans, *id. fluxum sanguinis patiens erat. Et respondet eloquenti admiratione.* O DEVM, *&c. id. Prob! qualem Deum & Christum iactas, qui non ex bonitate spontanea naturæ, sed ex zelo & odij motu, ad benefaciendum impelliur. Habes historiam huius mulieris scriptam Luc. 8. hanc Ambrosius lib. de Salomone cap. 5. Martham vocat, sed vir doctissimus Magdalenæ sororem non intellexit. Eam enim Lucas initio capitis huius non præteriisset cùm ait*, mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalenæ, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis. *Præterea hæc mulier non morabatur in Bethania, sed ex Eusebio lib. 5. historiæ cap. 14. erat incola ciuitatis Cæsariensis, cuius erat Episcopus, in qua mulier grata beneficio pro foribus suis æneam Christo statuam erexerat, ad cuius fimbriam excrescens herba morbos sanabat. Cuius loco cùm Iulianus Apostata suam statuam erexisset, fulmine statim de cælo perc.ssa est. Mysticè Augustinus ser. 6. de Ver. Do. secundum Matth.* Hanc quodammodo absentiam corporis sui, & præsentiam virtutis suæ in omnibus Gentibus & in illa muliere significauit, quæ fimbriam vestimenti eius tetigerat; cùm requirit dicens, quis me tetigit? tanquam absens requirit, tanquam præsens sanat. Turbæ te, inquiunt discipuli, comprimunt, & dicis quis me tetigit, &c. Et tanquam diceret Dominus, tangentem quæro, non prementem. Sic etiam nunc est corpus eius, id est Ecclesia eius. Tangit eam fides paucorum, premit eam turba multorum, &c. A turbis premitur, à paucis tangitur. Caro eam premit, fides tangit. *Idem repetit ser. 74. de temp.* corpus Christi multi molestè premunt, pauci salubriter tangunt. *Et ser. 155. de temp. vbi de Christo fusciato dicente Magdalenæ*, noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem. Quod me vides, hominem solum putas, patri æqualem esse adhuc nescis: noli me tangere talem, noli in hominem solum credere, sed Verbum æquale Genitori intellige, &c. Tibi ascendo, quandò intellexeris æqualem. Quando me putas minorem, nondum ascendo tibi. Tangere autem, credere esse puto: Quia facilè possumus intelligere de illa muliere, quæ tetigit fimbriam vestimenti Christi, & salua facta est, &c. Dixitque in corde suo, si tetigero, &c. Hoc ipsum dicere iam tangere fuit, &c. Tetigit me aliquis, &c. Gratia præcessit vt illa sanaretur, non vt ille minueretur. *Exeunte è virtute de illo, &c.* Turbæ te comprimunt, &c. Quid est, illæ premunt, ista tetigit? Iudæi affligunt, Ecclesia credidit. ADAM VBI ES? *Augst. lib. 12. de Gen. ad lit. c. 34.* Increpantis vox est, non ignorantis. Et hoc sanè ad aliquam pertinet significationem: quod sicut præceptum viro datum est, per quem veniret ad fœminam, ita vir prior interrogatur. præcepum enim à Domino per virum vsque ad fœminam, peccatum autem à Diabolo per fœminam vsque ad virum. *Et lib. 13. de ciuit. cap. 15.* Quando timore dementi sese abscondenti homini dixit, Adam vbi es? non vtique ignorando quærens, sed increpando admonens, vt attenderet vbi esset, in quo non esset Deus.

A

B

C

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

Aug.

4. *Christus pauper diuitias condemnat. De Pat. c. 7. à p.*

SI detrimento rei familiaris animus concitatur, omni pæne in loco de contemnendo seculo scripturis Dominicis commonetur: nec maior ad pecuniæ contemptum exhortatio subiacet, quam quod ipse Dominus in nullis diuitiis inuenitur. semper pauperes iustificat, diuites prædamnat. Ita detrimentum patientiæ, fastidium opulentiæ præministrauit demonstrans per abiectionem diuitiarum, læsuras quoque earum computandas non esse. Quod ergo nobis appetere minime opus est, quia nec Dominus appetiuit, detruncatum vel etiam ademptum non ægre sustinere debemus. [a] *Cupiditatem omnium malorum radicem* spiritus Domini per Apostolum pronuntiauit. Eam non in concupiscentia alieni tantum constitutam interpretemur: nam & quod nostrum videtur, alienum est: nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cuius ipsi quoque nos.

Matth. 5. 3. Luc. 6. 20.

[a] 1. Tim. 6. 10.

CHRISTI INFIRMA. IV. SCHOLIA.

ANIMVS CONCITATVR. *Ad impatientiam scilicet.* IN NVLLIS DIVITIIS. *Christus enim licet de matre Regali ex tribu oriunda natus, in stabulo, reclinatus in præsepio, de se dixit:* Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. *Pro quo & cecinit Psalmes 39.* Egenus & pauper sum. *Et Psal. 68.* pauper & dolens ego sum. *Aug. in hunc locum*, de paupertate sua, & dolore suo, quædam quæ posterius dicit commendaturus est nobis, vt discamus esse pauperes & dolentes. Beati enim pauperes, quoniam ipsorum est regnum: & beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Hoc ergo ipse prius iam nobis ostendit. *Et in Psal. 40.* Beatus qui intelligit. Quid est intelligere super egenum & pauperem? Vt ipsum Christum egenum, & pauperem accipias, dicentem in alio Psalmo: ego autem egenus, &c. Quid est intelligere, &c? Qui

D

Aug.

S. Aug.

ſemetipſum exinaniuit, &c. Philip. 2. diues apud Patrem, & pauper apud nos. diues in cœlo, pauper in terra, diues Deus, pauper homo, &c. Intellige quia vbi tibi expoſita eſt infirmitas, ibi latet diuinitas. Diues, quia ſic eſt; pauper, quia tu ſic eras. Sed tamen paupertas ipſius, diuitiæ noſtræ ſunt, quomodo ſtultum ipſius ſapientia noſtra eſt, quomodo infirmitas ipſius, fortitudo noſtra eſt, quomodo mortalitas ipſius, immortalitas noſtra eſt. Qui ſit pauper attende, non eum ex aliorum paupertate metiaris. Implere venit pauperes, qui pauper effectus eſt, propterea aperi ſinum fidei, ſuſcipe pauperem, ne pauper remaneas. DIVITES PRÆDAMNAT. *Ante ſententiam ferendo in diuites immiſericordes Matth. 25.* diſcedite à me maledicti &c. Eſurini enim, &c. *Eos prædamnauit, pauperes iuſtificans, quin & beatificans Luc. 6.* Beati pauperes, quia veſtrûm eſt regnum Dei. Beati qui nunc eſuritis, &c. Veruntamen væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis, &c. *Sic Amos 6. Eccli. 31. Eſ. 65. Paulinus ad Ma-*
litem in Euangelio quoque clamat, atque prædamnat diuites ſæculi dicens: væ vobis diuitibus, &c. DETRIMENTVM, *&c. id. præminiſtratur, & prædocetur ipſi patientia, vt æquo animo ferat iacturam opum, cùm opulentia. id. diuitibus opulentis præcipitur, vt contemnant & abiiciant opes. Cum enim plus ſit faſtidire & abiicere opes, quam earùm pati detrimentum, ſi* diuitibus ſæculi præcipitur non ſuperbè ſapere, & diuitiis affluentibus, cor non apponere: *multo magis indicitur patientia, vt ablatas ferat æquanimiter* CVPIDITATEM. *Sic 1. Tim. 6.* radix omnium malorum eſt cupiditas, *Tranſlat. Syr. Amor pecuniæ*, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

S. Auguſt. *Auguſt. in Pſal. 118. ſer. 11. in verſum*, inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Teſtimonijs ſuis agit nobiſcum Deus, vt eum gratis colamus, quod impedit auaritia radix omnium malorum. Tali verbo Græco hîc appellat, à quo poſſit intelligi generalis auaritia, qua plus appetit quiſque, quàm ſat eſt: πλεον enim Latinè plus eſt, ἕξις habitus eſt, ab eo quod eſt habere. Ergo à plus habendo appellata eſt pleonexia, quâ Latini interpretes in hoc loco nonnulli interpretati ſunt, emolumentum, quidam vero vtilitatem, ſed melius qui auaritiam. Dicit autem Apoſtolus, radix omnium malorum auaritia eſt. Sed in Græco, vnde in noſtram linguam verba ipſa tranſlata ſunt, non legitur apud Apoſtolum Pleonexia, quod in loco iſto Pſalmi huius, ſed Philargyria, quo verbo ſignificatur amor pecuniæ. Verùm Apoſtolus intelligendus eſt iſto nomine, genus ſignificaſſe per ſpeciem, id. per amorem pecuniæ, vniuerſalem generalemque auaritiam, quæ verè radix eſt malorum omnium. Nam ipſi primi homines per ſerpentem decepti & deiecti non fuiſſent, niſi pluſquam acceperant, habere, & pluſquam facti fuerant, eſſe voluiſſent. Hoc quippe ille promiſerat dicens: eritis ſicut dij. Ergo iſtâ pleonexiâ ſubuerſi ſunt. Pluſ enim volentes habere quam acceperant, & quod acceperant, amiſerunt. Cuius veſtigium veritatis, legibus quæ vbique diſperſæ ſunt & in forenſi iure deprehenſum eſt; quo inſtitutum eſt, vt, plus petendo, causâ cadat: id. vt qui plus petierit quàm ei debetur, & quod ei debebatur, amittat. Omnis autem à nobis circumciditur auaritia, ſi gratis colatur Deus. Ad quod S. Iob. in agone tentationis ipſe prouocat inimicus, cum de illo dicit Iob. 1. Nunquid gratis colit Iob Deum? putabat enim Diabolus quod in Deo colendo vir iuſtus cor inclinatum haberet in auaritiam, & causâ emolumenti, vel vtilitatis rerum temporalium, quibus eum ditauerat Dominus, velut mercenarius, ei pro tali mercede ſeruiret. Sed quam gratis Deum coleret tentatus aperuit, & apparuit. Si ergo cor non habeamus inclinatum in auaritiam, Deum non colamus, niſi propter Deum, vt ſui cultus, ipſe ſit merces. Ipſum diligamus, & in ſeipſo, ipſum diligamus & in nobis, ipſum in proximis noſtris, quos diligimus ſicut noſmetipſos; ſiue habeant eum, ſiue non velut habeant eum. *id eſt ſi extra gratiam eius ſint, & nos oderint* Quod nobis, quoniam ipſo donante confertur, ideo illi dicitur; inclina cor meum in teſtimonia tua & non in auaritiam. *Ita Iob opulentiam faſtidiens extirpata cupiditatis radice, Deo donanteſe præparauerat ad detrimentum & iacturam bonorum omnium patienter ferendam, agnoſcens ſe ſuaque omnia à Deo ſuſcepiſſe quod concludit Tertullianus hoc capite.*

5. *Chriſtus infirma noſtra ſuſcepit ex noſtra carne, non ex Diuinitate; vnde nec Pater paſſus eſt, ſed filius in homine. cont. Prax. cap. 28. in f. & 29. in p. ad circa f.*

CAP. XXIX.

CErtè, nè per omnia euagemur, [a] *qui ſuſcitauit Chriſtum, ſuſcitaturus eſt & mortalia corpora noſtra*; iamque alius erit ſuſcitator quàm pater mortuus, & pater ſuſcitatus, ſi Chriſtus qui eſt mortuus, pater eſt. Obmuteſcat, obmuteſcat iſta blaſphemia. ſufficiat Chriſtum filium Dei mortuum dici; & hoc, quia ita ſcriptum eſt. Nam & Apoſtolus non ſine onere pronuntians Chriſtum mortuum, adiecit, [b] *ſecundùm ſcripturas*; vt duritiam pronuntiationis, ſcripturarum auctoritate moliretur, & ſcandalum auditori euerterer. Quamquam cùm duæ ſubſtantiæ cenſeantur in Chriſto Ieſu diuina & humana, conſtet autem immortalem eſſe diuinam, ſicut mortalem quæ humana ſit, apparet, quatenus eum mortuum dicat; id eſt, quà carnem & hominem & filium hominis, non quà ſpiritum & ſermonem & Dei filium. Dicendo denique, [c] *Chriſtus mortuus eſt*; id eſt vnctus: id quod vnctum eſt, mortuum oſtendit, id eſt carnem. Ergo inquis, & nos eâdem ratione Patrem mortuum dicentes quà vos Filium, non blaſphemamus in Dominum Deum; non enim ex diuina, ſed ex humana ſubſtantia mortuum dicimus. Atquin blaſphematis non tantùm, quia mortuum dicitis patrem, ſed & quia crucifixum. Maledictione enim crucifixi, quæ ex lege in filium competit, (quia Chriſtus pro nobis maledictio factus eſt, non pater,) Chriſtum in patrem conuertentes, in patrem blaſphematis. Nos autem dicentes Chriſtum crucifixum, non maledicimus illum, ſed maledictum legis referimus; quia nec Apoſtolus hoc dicens blaſphemauit. Sicut autem, de quo quid capit dici, ſine blaſphemia dicitur; ita quod non capit, blaſphemia eſt ſi dicatur. Ergo nec compaſſus eſt pater filio; ſic enim directam blaſphemiam in patrem veriti, diminui

a Rom. 8. 11.

b 1. Cor. 15. 3.

c 1. Cor. 15. 3.

Deut. 21. 23. Gal. 3. 13.

eam hoc modo ſperant, concedentes iam patrem & filium duos eſſe; ſi filius quidem patitur, pater vero compatitur. Stulti & in hoc. Quid eſt enim compati, quàm cum alio pati? Porro, ſi impaſſibilis pater, vtique & incompaſſibilis. Aut ſi compaſſibilis, vtique paſſibilis. Nihil ei vel hoc timore tuo præſtas. Times dicere paſſibilem, quem dicis compaſſibilem. Tam autem incompaſſibilis pater eſt, quàm impaſſibilis etiam filius ex ea conditione qua Deus eſt. Sed quomodo filius paſſus eſt, ſi non compaſſus eſt & pater? Separabatur à filio, non à Deo. Nam & fluuius ſi aliqua turbulentia contaminatur, quamquam vna ſubſtantia de fonte decurrat, nec ſecernatur à fonte, tamen fluuij iniuria non pertinebit ad fontem. Et licet aqua fontis ſit quæ patiatur in fluuio; dum non in fonte patitur, ſed in fluuio; non fons patitur, ſed fluuius qui ex fonte eſt. Ita, etſi ſpiritus Dei quid pati poſſet in filio, quia tamen non in patre pateretur, ſed in filio, pater paſſus non videretur. Sed ſufficit nihil ſpiritum Dei paſſum ſuo nomine; quia ſi quid paſſus eſt, in filio quidem paſſus eſt, in quo erat & pater cum filius pateretur in carne; quia hoc retractatum.

CHRISTI INFIRMA. V. SCHOLIA.

QVI SVSCITAVIT CHRISTVM, &c. *Finem præcedentis capitis, ob ſenſum, initio alterius connexui, quo probat author contra Praxeam eiuſque ſectarios, licet eadem ſit & indiuiſa in tribus perſonis Trinitatis eſſentia; tamen ob diſtinctas perſonas realiter, filium ſolum vt incarnatum, ſic mortuum & paſſum, quod probat ex Paulo diſtinguente ſuſcitantem Patrem à ſuſcitato filio, cum Praxeas perſonas confunderet. Si enim, inquit, Chriſtus mortuus, Pater eſt, certè non ipſe pater erit ſuſcitatus, cum ipſe ſecundùm Praxeam mortuus ſit, & ſuſcitatus. Paulus autem vtrumque diſtinguit Rom 8. Immo & tres perſonas diuerſas aſſignat, dicens:* Si ſpiritus eius, *id. Spiritus Patris,* qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, *quia Spiritui ſancto viuificatio tribuitur*, habitat in vobis; qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis. *D. Tho. in hunc locum*, oſtendit quid conſequamur ex Spiritu ſancto in quantum eſt Spiritus Patris dicens, ſi habitat in vobis ſpiritus eius ſcilicet Dei Patris, qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis. Acto. 3. hunc Deus ſuſcitauit, &c. Et tamen ipſe Chriſtus propria virtute reſurrexit, quia eadem eſt virtus Patris & Filij. Conſequens eſt, quia id quod Deus Pater fecit in Chriſto, faciat etiam in nobis, &c. Non dicit mortua corpora, ſed mortalia, quia in reſurrectione, non ſolum à corporibus veſtris auferetur, quod ſint mortua, id eſt neceſſitatem mortis habentia, ſed etiam, quod ſint mortalia, id. potentia mori, quale fuit corpus ante peccatum, nam poſt reſurrectionem corpora noſtra erunt penitus immortalia, &c. Et hoc propter inhabitantem ſpiritum, id. propter dignitatem quam corpora noſtra habent, eo quod fuerunt receptacula Spiritus ſancti 1. Cor. 6. Neſcitis quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? Illi vero, quorum membra non fuerunt templum Spiritus ſancti reſurgent, ſed habebunt corpora paſſibilia NON SINE ONERE. *quia ſcilicet filij Dei mors*, Gentilibus ſtultitia, & Iudæis ſcandalum. SCANDALVM SECVNDVM SCRIPTVRAS. 1. Cor. 15. Tradidi vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm ſcripturas. *Iſa. ſcil.* 53. EVERTERET. *Tolleret.* MOLLIRET. Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eũ audire? *Dei ſilium mortuum quis crederet, niſi longè ante per Prophetas rei tam incredibilis, credulitati, animos Deus præparaſſet?* NON QVA SPIRITVM, *id. non in quantum Deus eſt, & verbum Dei, & Dei filius.* EX LEGE IN FILIVM. *id. iuxta legem filio conuenit, in quantum ſcilicet eſt incarnatus.* MALEDICTIO. *Deut.* 21. quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti appenſus fuerit in paribulo; non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno. *Ad Galat. 3.* Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt: maledictus omnis qui pendet in ligno. *Aug. fusè hunc locum proſequitur contra Faustum. Et rursum tract. in Psal. 37. circa finem.* Audi caput noſtrum cuidens in paſſione, & proiecerunt me dilectum, tanquam mortuum abominatum. Parum erat mortuum, quare abominatum? quia crucifixum. Etenim hæc mors crucis magna apud eos abominatio erat *ponuera ſequentia quam apte quadrent menti Tertul. dicentis Paulum per Prophetiam emollire duritiem ſermonis:* non intelligentes in Prophetia dictum eſſe, maledictus omnis qui pendet in ligno. Non enim ipſe attulit mortem, ſed hîc inuenit de maledicto primi hominis propagatam, & eandem mortem noſtram ſuſcipiens, in ligno ſuſpendit, quæ venerat de peccato. Ergo ne putarent aliqui ſicut putant quidam hæretici *Marcionitæ & Manichæi,* Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum falſam carnem habuiſſe, & non veram mortem in cruce ſoluiſſe, intendit hoc Propheta, & ait, maledictus, &c. Oſtendit ergo quia & filius Dei vera morte mortuus eſt, quæ mortali carni debebatur, ne non maledictum putares, non verè mortuum. Quia vero illa mors non erat falſa, ſed ex illa propagine deſcenderat, quæ venerat de maledicto, cum diceret Deus Gen. 2. morte morieminì; omnino & ad ipſum peruenit vera mors, vt ad nos peruenire vera vita: etiam ad ipſum peruenit mortis maledictio *id. genus mortis in cruce Maledictum*, vt ad nos peruenire vitæ benedictio. Et proiecerunt me dilectum tanquam mortuum abominatum. *Alluait ni fallor ad locum Pſal. 87.* longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi: *quia ſubiecit:* quia & ipſi genus illius mortis horrebant. DE QVO; QVID CAPIT DICI. *id. cum poteſt aliquid affirmari de aliquo, blaſphemia non eſt; eſt autem ſi Patri non incarnato, paſſio & crucifixio tribuitur. Aug. cont. Mendacium c. 19* Peius eſt blaſphemare quàm peierare; quoniam peierando, falſæ rei adhibetur teſtis Deus, blaſphemando autem, de ipſo falſa dicuntur Deo. Tanto eſt autem inexcuſabilior ſiue periurus, ſiue blaſphemus, quanto magis ea quæ peierando, vel blaſphemando aſſerunt, falſa, nouerunt eſſe, vel credunt. DIRECTAM BLASPHEMIAM. *Praxeani hic capti, videntes directè blaſphemare ſe in patrem, ſi dicant impaſſibilem pati, & crucis maledicto onerent qui mortis crucis incapax erat, in contradictionem impingunt, dicentes patrem compaſſum filio: ſimul enim fateantur neceſſe eſt, & pati*

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

Patrem, & cum alio à se pati; compati enim aliud nihil est quàm simul cum alio pati. SEPARABATVR A FILIO. *id. pater diuersa persona erat à filio, sed non diuersus Deus.* FLVVIVS, *&c. Pulchrè comparat patrem aliarum personarum principium & originem fonti, filium autem fluuio.* Sicut & Aug. 4. de Trinit. c. 20. vbi de spiritu S. Non dixit, inquit, quem mittet pater à me, sed, quem mittam vobis à Patre: videlicet ostendens, quod totius diuinitatis principium pater est. *Licet enim fluuius aliquo limo vicino turbetur, quamuis aqua eius non sit alia, quam qua de fonte manauit, nihil inde fonti limoso communicatur, ita planè licet,* SPIRITVS DEI. *id. Diuinitas quæ eadem est in Filio & Patre, in persona Verbi humanam naturam assumente, propter communicationem idiomatum, passa dicatur, & Deus crucifixus, & Deus mortuus; passio tamen soli filio, quisolus naturam passibilem assumpsit, conuenit, & non Patri,* SED SVFFICIT, *&c. Satis est credere,* SVO NOMINE. *id. in quantum Dei Filius est, & Spiritus Dei. id. habens naturam diuinam, nihil prorsus passum. Quia si quid passa est diuinitas, illud passa est in persona filij, non quâ Dei filius, sed quâ filius hominis carnem passibilem gerebat. In quo filio erat Pater: non quidem indentitate personæ, sed indiuidnitate naturæ: secundùm quam dicebat:* ego & pater vnum sumus. *Hinc Aug. in quæstionibus excerptis ex libris de Trin.* si vna substantia est Pater & Filius & Spiritus sanctus, quare solus filius incarnatus dicitur? quia alia est persona filij, alia Patris, alia Spiritus sancti. Et sola quidem persona filij incarnata est, operante tamen eandem incarnationem tota sancta Trinitate, cuius opera sunt inseparabilia.

S. August.

Aug.

6. *Christi vera caro nostræ peccatrici similis tantum fuit in substantia, vt peccatum redimeret. 5. cont. Marc. cap. 14. in p.*

a Rom. 8. 3.
b Rom. 7. 23.

HVnc si a *Pater misit in similitudinem carnis peccati;* non ideo phantasma dicetur caro quæ in illo videbatur. Peccatum enim carni suprà adscripsit, & illam fecit b *legem peccati habitantem in membris suis, & aduersantem legi sensus:* Ob hoc igitur *missum Filium in similitudinem carnis peccati,* vt peccati carnem simili substantia redimeret, id est carnea, quæ peccatrici carnis similis esset, quum peccatrix ipsa non esset. Nam & hæc erit Dei virtus, in substantia pari perficere salutem. Non enim magnum, si spiritus Dei carnem remediaret; sed si caro consimilis peccatrici, dum caro est, sed non peccati. Ita *similitudo* ad titulum *peccati* pertinebit, non ad substantiæ mendacium. Nam nec addidisset, *peccati*, si substantiæ similitudinem vellet intelligi, vt negaret veritatem. Tantum enim *carnis* posuisset, non & *peccati*. Quum vero tunc sic struxerit, *carnis peccati*, & substantiam confirmauit, id est carnem; & similitudinem ad vitium substantiæ retulit, id est ad peccatum. Puta nunc similitudinem substantiæ dictam, non ideo negabitur substantiæ veritas. Cur ergo similis vera? Quia vera quidem, sed non ex semine: de statu similis sed vera de censu, non vero dissimilis. Ceterum, similitudo in contrariis nulla est. Spiritus non diceretur carnis similitudo, quia nec caro similitudinem spiritus caperet; sed phantasma diceretur, si id quod non erat, videbatur. Similitudo autem dicitur, quum est quod videtur. Est enim, dum alterius par est. Phantasma autem, quâ hoc tantum est, non est similitudo.

CHRISTI INFIRMA. VI. SCHOLIA.

HVNC. *id est filium.* PHANTASMA. *Respondet obiectioni Marcionis facta ex loco Pauli dicentis missum filium à Patre,* in similitudinem carnis peccati: *unde concludere voluit carnem Christi non fuisse veram, sed verè similem, imaginariam, phantasticam. Sed subtiliter distinguit author hæc duo in sententia Pauli, peccatum scilicet, & carnem. Ita vt Paulus similitudinem non adscribat carni, cum veram Christus habuerit, sed carni peccati: quia nihil foris in passibilitate & actione diuersum apparebat in carne Christi, à nostra, quæ peccatrix dicitur, siue caro peccati, quia de Adam peccatore propagata est, & lex peccati habitat in membris, quæ per fomitem concupiscentiæ prouocat animum ad consensum peccati. Subdit ideo Paulum addidisse,* peccati, *vt probaret se non negare veritatem carnis in Christo, nec solam eius vmbram & imaginem, sed solidam eius substantiam credidisse. Similitudinem igitur non retulit ad carnem, sed ad peccatum & vitium carnis; cui foris similis caro Christi apparebat.* SVPRA ADSCRIPSIT. *scil. Rom. 7.* Non habitat in me hoc est in carne mea bonum, &c. Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. LEGEM PECCATI, *Rom. 7.* Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. LEGI SENSVS. *id est mentis, alibi enim Ternul. animæ sensum pro Iudicio & ratione posuit.* IN SVBSTANTIA PARI, *&c. id. in carne similis A speciei, redemit humanam carnem à corruptione peccati & mortis. In quo maior eluceat Dei virtus, dum infirmitate carnis & abiecto instrumento vtitur, quàm si* SPIRITVS DEI. *id. ipsa diuinitas per se immediatè hominem redimeret.* SVBSTANTIÆ MENDACIVM. *id. carnem phantasticam.* PVTA NVNC, *&c. Esto, inquit, demus tibi, ô Marcion, Paulum referre similitudinem, ad ipsam substantiam carnis: dixerit: Christi carnem similem nostræ; non ideo minus vera erit.* DE CENSV, *quia vt alibi dicit, verè Christus,* per Virginis censum: *quia verè vt filius Dauid & verus homo Augusti censui inscriptus est, & tributum soluit.* DE STATV SIMILIS, *id. quia stabat inter homines nullo modo dissimilis, filius Fabri reputatus, licet non ex eius semine genitus, vera caro erat in substantia, sed similis dicitur, quia non ex semine genita, licet ex muliere nupta sicut aliæ mulieres erant, sed* B *incognita viro.* SIMILITVDO IN CONTRARIIS, *&c. Solida hac ratio probat carnis Christi veritatem: similitudo si quid est inter contraria non inuenitur: verbi gratia: etiam iuxta D. Paulum,* hæc sibi inuicem aduersantur, *caro scilicet & spiritus. Vt ergo relatio similitudinis inter similia est, & non inter dissimilia: sicut ineptè diceret quis, similem spiritum esse carni, vel similem carnem spiritui: ita stultè pronuntiaret phantasma carnis quod omnino caro non est, sed quid purè imaginarium & phantasticum, simile esse*

vera

vera, reali, existenti & solide carni. At Paulus dixit Christi carnem similem nostræ: ergo sicut nostra vera est, ita planè Christi caro fuit vera, similis nostræ in substantia. dissimilis in peccati concupiscentia. SIMILITVDO AVTEM, *&c. id. res vna dicitur verè alteri similis, cùm verè est, & agnoscitur alteri reali respondere,* QVA HOC TANTVM, *&c. id. in quantum phantasma est merè imaginarium, non potest dici simile alteri verè existenti. Locum Pauli habes Rom. 8.* quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne. *Translat. Syr.* Cum impotens esset lex propter infirmitatem carnis, misit Deus, &c. Propter peccatum, vt reum peragerет peccatum
Aug. in carne ipsius. *In hunc locum videndus Augustinus ser. 6. de ver. Apost. & ser. 14. de verbis eiusdem,* Adam primus accepit morsum serpentis cum veneno, ergo natus in carne peccati, fit salvus in Christo per similitudinem carnis peccati. Misit enim Deus filium suum non in carne peccati, sed sicut sequitur qui scripsit, in similitudinem carnis peccati, quia non de complexu maritali, sed de vtero Virginali. Misit in similitudinem. &c. Vt quid hoc? vt de peccato damnaret peccatum in carne, de peccato damnauit peccatum, de serpente serpentem: quis enim dubitet nomine serpentis appellari peccatum? Ergo de peccato peccatum, de serpente serpentem. Sed in similitudinem, quia in Christo nullum peccatum, sed sola similitudo carnis peccati. Ideo exaltatus est serpens, sed æreus. Exaltata est similitudo carnis peccati, vt sanaretur origo peccati. *Quæ de ligno vetito venerat. vnde & maledictio serpentis & peccati.* Quia misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, non in similitudinem carnis. Nam vera caro est: sed in similitudinem carnis peccati, quia mortalis caro, sine vllo omnino peccato: vt de peccato; *id est vt ipse alibi exponit de carne facta hostia pro peccato*, propter similitudinem, damnaret, *id est satisfaceret, puniret, in rigore Iustitiæ*, peccatum in carne, propter veram iniquitatem. Vera iniquitas in Christo non fuit, sed mortalitas in illo fuit. Peccatum non suscepit, sed pœnam peccati suscepit. Suscipiendo sine culpa pœnam, & pœnam sanauit & culpam. *Hinc ser. 48. de ver. Domini secundùm Io. in fine. Pulchrè vocat carnem Christi muscipulam diaboli. Ex Io. 14. ve-*
Aug. *nit princeps mundi huius, &c.* Factus est Christus peccatum, oblatus est, & deletum est peccatum. Fusus est sanguis redemptoris, & deleta est cautio debitoris. Ipse est sanguis, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum Matth. 26. quid est ergo

A quod insipienter exultasti meus captiuator, quia carnem mortalem habuit meus liberator? si habuit peccatum, vide. Si aliquid tuum in eo inuenisti, tene. Verbum caro factum est, Verbum Creator est, caro creatura est. Quid ibi tuum inimice? Et Verbum Deus est, & anima hominis creatura est, & caro hominis creatura est, & caro mortalis Dei creatura est. Peccatum quære. Sed quid quæras veritas loquitur: veniet princeps mundi, & in me nihil inueniet. Non ergo non inuenit carnem, sed nihil suum, id est nullum peccatum. decepisti innocentes, fecisti nocentes. Occidisti innocentem, peremisti quem non debebas, redde quod tenebas. quidergo? ad horam insultasti, quia inuenisti in Christo carnem mortalem. Muscipula tua erat. Vnde lætatus es: inde captus es. Vbi te exultasti
B aliquid inuenisse, inde nunc doles quod possederas, perdidisse. *Præclarè item verba D. Pauli à Tertulliano supra relata sic exponit ser. 6. de Ver. Apost.* Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitu- S. August.
nem carnis peccati, &c. Lex iubebat, & non implebat, quia caro, vbi non erat gratia, inuictissimè resistebat: & lex infirmabatur *infringebatur, non implebatur* per carnem, *ob carnis resistentiam & concupiscentiam aduersus legem*, quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum. Rom. 8. quomodo ergo lex mihi opitularetur iubens per literam, & non dans gratiam? infirmabatur per carnem. Quid fecit Deus? cùm hoc impossibile esset legi, & infirmaretur per carnem, Deus filium suum misit. Per quid infirmabatur lex? & propter quid erat hoc impossibile legi? infirmabatur per carnem. Quid ergo
C Deus? contra carnem misit carnem: immo etiam pro carne, misit carnem. Peccatum enim carnis occidit, carnis substantiam liberauit. Misit Deus filium suum, &c. In carne quidem vera, sed non in carne peccati. Quid autem in similitudinem, &c? id. vt esset caro, vera caro. Et vnde similitudo carnis peccati? quia de peccato mors. Mors est vtique in omni carne peccati, &c. Cæterum in carne peccati, & mors est, & peccatum est: in similitudine carnis peccati, mors erat, & peccatum non erat. Si enim caro peccati esset, & meritò peccati pœnam mortis lueret, non diceret ipse Dominus Io. 14. ecce venit princeps, &c. Quare ergo me occidit?
D quia quæ non rapui tunc exoluebam. Psal. 68. Prorsus quod fecit de tributo, hoc fecit de morte. *Subiicit de tributo Matth. 17. quo liber, vt filius erat; deinde ait:* tributum non debitum persoluebat. Sic persoluit & mortem, &c. Illeniſi indebitum solueret, nunquam nos à debito liberaret.

7. *Christus natus & Crucifixus petra scandali, per stultum & infirmum Dei, sapientiam mundi confudit. 5. cont. Marc. cap. 5. circa f.*

QVod si eius sunt & causæ, cuius adhibentur scripturæ; ergo de Deo tractans Apostolus non intellecto, de Creatore vtique docet intelligendum, etiam quod [a] *scandalum Iudeis prædicat Christum*, prophetiam super illo consignat Creatoris dicentis per Esaïam, [b] *Ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali:* [c] *petra autem fuit Christus*, etiam Marcion seruat. Quid est autem [d] *stultum Dei sapientius hominibus*, nisi crux & mors Christi? Quid *infirmum Dei, fortius homine*, nisi natiuitas & caro Dei? ceterum, si nec natus ex virgine Christus, nec carne constructus; ac per hoc neque crucem, neque mortem verè perpessus est, nihil in illo fit stultum & infirmum; nec iam [e] *stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam*; nec *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*; nec *inhonesta & minima & contemptibilia, quæ non sunt*, id est, quæ non verè sunt, *vt confundat quæ sunt*, id est, quæ verè sunt. Nihil enim à Deo dispositum, est vere modicum, & ignobile, & contemptibile, sed quod ab homine: apud Creatorem autem etiam vetera, stultitiæ, & infirmitati, & inhonestati, & pusillitati, & contemptui deputari possunt.

[a] 1. Cor. 1. 23.
[b] Esa. 8. 14. Esa. 28. 16.
[b] Rom. 9. 33.
[c] 1. Cor. 10. 4.
[d] 1. Cor. 1. 25.
[e] 1. Cor. 1. 27. Leuit. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Digitized by Google

CHRISTI INFIRMA. VII. SCHOLIA.

EIVS SVNT CAVSÆ. *id. si causa eius Dei tra-*
ditur, cuius testimonia ex veteri Testamento citantur; consequens est vt Apostolus de Deo Creatore, & non de Marcionis Deo loquatur, cum insinuat sapientes seculi non intellexisse Deum Creatorem ex operibus fabricæ. Ita enim Tertul. paulo supra ex. 1. Cor. 1. dixerat quoniam in Dei sapientia, *id est in operibus & per opera Dei sapientiam manifestantia*, non intellexit mundus, *id est prudentes seculi & Philosophi, de quibus præmiserat Paulus, iuxta vetus Testamentum Creatoris, & Translat. 70. Esaiæ 29. perdam sapientiam sapientum, &c.* Per sapientiam Deum: *id. per naturæ lumen & scientiam naturalem acquisitam,* placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. SCANDALVM IVDÆIS. *Iam supra alibi exposuimus in elogiis Christum lapidem offensionis, nec retexam plura. Aug. ser. 224. de temp.* lapidem se dixit ipse Dominus noster Iesus Christus Matth. 21. Prophetico ad se asserendum vtens eloquio Psal 117. lapidem autem talem, vt si quis in eum offenderit, conquassetur, super quem autem lapis ille venerit, conterat eum. Quando enim in eum offenditur, humilis iacet, iacendo humilis quassat offendentem, veniendo excelsus, conterit superbientem. Iam ergo Iudæi illa offensione quassati sunt; restat vt eius præclaro aduentu etiam conterantur, nisi fortè cùm viuunt agnouerint, ne moriantur. Patiens est enim Deus, & illos quotidie inuitat ad fidem. ETIAM MARCION SERVAT. *id. integrum reliquit, non erasit ex Paulo 1. Cor. 10.* STVLTVM DEI. *Ita. 1. Cor. 1.* quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, &c. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, &c. *Translat. Syr.* stultitia Dei sapientior est hominibus, & imbecillitas Dei potentior est filius hominum, &c. elegit Deus stultos mundi vt pudore afficiat sapientes, &c. *Tertul. hic, per stultum & infirmum Dei intelligit carnem veram Christi, veram nativitatem & mortem, quam nisi verè subiisset, male Paulus concluderet Christū Dei virtutem & sapientiam, infirma & stulta mundi elegisse, cùm in ipso, in quantum Deus est, nihil sit infirmum & stultum.* QVÆ NOBIS SVNT. *Sublimi sensu explicat Paulum, docte notans nihil parvum, modicum & ignobile à Dei sapientia electum & dispositum; & carnem Christi, crucem, & mortem non esse verè contemptibilem, in qua totius mundi pretium positum est: sed aduerit Paulum loqui sensu Iudæorum & Gentilium infidelium, qui hæc quæ apparebant in Christo vilia, pro scandalo stultitiæ, nihilo reputabant: quæ tamen tam valida & nobilia, & sapientiæ fuerunt, vt iis Christus, ea quæ sunt: id. quæ mundus deceptus, fortia & sapientia reputat, vt Philosophiam, imperialem dignitatem, diuitias, & pompam seculi euerterit, & conuerterit.* APVD CREATOREM. *Iam transit ad infirma Dei, id. cerimonias & Sacramenta veteris legis quæ ipse Paulus, vt iam impleta per veritatem, vt nullius valoris respuit,* infirma & egena elementa, & ea quæ paruuli erant, *populo Iudæi* factus vir *Euangelicus* euacuauit. *Et rursum:* in quo lex infirmabatur, &c. Nihil ad perfectum adduxit lex, &c. Quæ arbitratus sum lucra, *abundantius æmulator paternarum traditionum*, hæc propter Christum *implentem legem*, arbitratus sum detrimenta. *Quæ tamen infirma & stulta legis, quia robur & sapientiam nouæ in cortice & vmbra litteræ velata continebant, longè omni sapientia Gentili, subfabulis, naturalem aut moralem Philosophiam occultanti præcellebat. Hinc Psaltes:* narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. *Quidita? nisi quia eodem attestante:* lex tua veritas. *Porro ex Augusti. in Ioannē tract. 15.* Inuenimus virtutē, Iesum & inuenimus infirmum Iesum, fortem & infirmum. Fortem, quia in principio erat verbum, &c. Vis videre quam iste filius Dei fortis sit? omnia per ipsum, &c. Et sine labore facta sunt. Quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? infirmum vis nosse? verbum caro factum est, &c. Fortitudo Christi te creauit, infirmitas Christi te recreauit; fortitudo Christi fecit vt quod non erat, esset: infirmitas Christi fecit, vt quòd erat non periret. *Idem Aug. lib. 1. de Doct. Chri. c. 14.* quemadmodum medici cum alligant vulnera, non incompositè, sed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem quædam pulchritudo etiam consequatur: sic Medicina sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam contrariis curans, & de quibusdam similibus, &c. Sic sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa Medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientiâ decepti sumus, Dei stultitiâ liberamur. Quemadmodum autem illa sapientia vocabatur, erat autem stultitia contemnentibus Deum: sic illa quæ vocatur stultitia, sapientia est vincentibus Diabolum. Nos immortalitate malè vsi sumus, vt moreremur: Christus mortalitate benè vsus est, vt viueremus. Corrupto animo fœminæ, ingressus est morbus: integro corpore fœminæ, processit salus. Ad eadem contraria pertinet, quod etiam exemplo virtutum eius vitia nostra curantur. Iam verò similia quasi ligamenta membris, & vulneribus nostris adhibita illa sunt; quòd per fœminam deceptos, per fœminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberauit. *Et in verba Psal. 68.* Deus tu scis imprudentiam meam, an illam dicit imprudentiam suam, de qua dicit Apostolus. 1. Cor. 1 stultum Dei sapientius est hominibus. Imprudentiam meam, hoc ipsum quod in me irriserunt, qui sibi videntur esse sapientes. Tu scis quæ fieret, tu scisti imprudentiam meam. quid enim tam simile imprudentiæ, quàm cum haberet in potestate, vna voce suos persecutores prosternere, patereturse teneri, flagellari, conspui, colaphisari, spinis coronari, ligno affigi? imprudentiæ simile est, stultum videtur: sed stultum hoc superat omnes sapientes, stultum quidem est: sed & granum quando cadit in terram, si nemo sciat consuetudinem agricolarum, stultum videtur: labore magno metitur, portatur ad aream, triturat, ventilatur; post tanta pericula cœli, & tempestates, & labores rusticanorum, curamque dominorum, mittitur in horreum frumentum purgatum. Venit hyems, & quod purgatum erat profertur & proficitur, imprudentia videtur, sed vt non sit imprudentia, spes facit. &c. Granum nisi ceciderit in terram vt moriatur, fructum, inquit, non reddet. Hæc est imprudentia, sed tu nosti illam. Isti autem si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. 1. Cor. 2.

S. Augustin. Aug. Aug. Aug.

8. Christus Creatoris, pro nobis est maledictus. 5. cont. Marc. cap. 3. circa f.

CVr autem [a] *Christus factus sit pro nobis maledictio*, ipso Apostolo edocente manifestum est quàm nobiscum faciat, id est, secundùm fidem Creatoris. Neque enim quia Creator pronuntiauit, [b] *Maledictus omnis in ligno suspensus*; ideo videbitur alterius Dei esse Christus, & idcirco à Creatore iam tunc in lege maledictus. Et quomodo præmaledixisset eum Creator, quem ignorat? Cur autem non magis competat Creatori, filium suum dedisse maledictioni suæ quàm illi Deo tuo subdidisse maledictioni, & quidem pro homine alieno? Denique, si atrox videtur hoc in Creatore circa filium, proinde tuo in Deo. Si vero rationale & in tuo; proinde & in meo, & magis in meo. Facilius enim crederetur eius esse per maledictionem Christi, benedictionem prospexisse homini, qui & [c] *maledictionem* aliquando *& benedictionem proposuerit ante hominem*, quàm qui neutrum vnquam sit apud te professus. [d] *Accepimus* igitur *benedictionem spiritalem per fidem*, inquit, *ex* qua scilicet *viuet iustus* secundùm Creatorem. Hoc est ergo quod dico, eius Dei fidem esse, cuius est forma gratiæ fidei.

[a] Gal. 3. 13.
[b] Deut. 21. 23. Gal. 3. 13.
[c] Deut. 11. 26.
[d] Gal. 3. 14. Habac. 2. 4.

CHRISTI INFIRMA. VIII. SCHOLIA.

SECVNDVM FIDEM CREATORIS. *id. Apostolus confirmat Christum ad Deum Creatorem pertinere, cùm iuxta fidem veteris legis, eam impletam dicat in Christo, dum qui prædicebatur in lege & suspendendus, & regnaturus à ligno, pro nobis maledicto crucifixi se subiecit, vt benedictionem per eum à Patre reciperemus. Nec diuersitatem Deorum induxit Creator, nec Christum tanquam alterius Dei filium, legis suæ maledicto subiecit, cum Christum Dei Marcionis ignoraret. Porro longè rationabilius est, Deum Creatorem*, proprio filio non parcere, sed pro nobis omnibus, *quos ipse creauit*, tradere illi: *idque edicto propriæ legis suæ. Quàm Deo Marcionis, mendicanti de aliena lege, pro alieno seruo liberando, maledicere filium suum.* FACILIVS CREDERETVR. *Longè etiam credibilius est eundem Deum Creatorem, qui iam olim in lege benedictionem, & maledictionem ante hominem posuerat, per maledictionem filij, homini benedictionem procurare: quàm Deum Marcionis id fecisse, qui nil ante talli per legem aut Prophetam aliquem promiserat.* ALIQVANDO *scilicet Deut. 11.* En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem. *Ita omnes versiones.* ACCEPIMVS. *Alludit ad Paulum Gal. 3.* prouidens scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ: quia benedicentur in te omnes gentes, &c. *Et rursum*, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. CVIVS EST FORMA GRATIÆ, *&c. id. fides quæ benedictionem Dei, gratiam scilicet & iustificationem nobis obtinet, de quâ loquitur Apostolus, ab eodem Deo nobis infundi credenda est, qui in veteri lege per Prophetam Habacuc 2. promiserat vitam, hoc est iustificationem ex fide conferendam. Hæc est*, forma gratiæ fidei, *de qua loquitur hic Tertul. quasi diceret: fides iustificans in nouo Testamento à Paulo laudata, ab eodem Deo Creatore datur qui*, formam, *id. figuram*, gratiæ fidei, *in veteri Testamento dederat, cum per suum Prophetam Habacuc. 2. dixit*, ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua viuet. *Sanct. Pagn.* Ecce viri superbi, non est recta anima in eo. &c. *Ita & Vatabl. 70.* Si retraxerit se, non placet animæ meæ in eo. Iustus autem ex fide mea viuet. *Vbi nota priora verba*, si retraxerit se: *bene exprimere arrogantis & tumidi morem: ita enim de se Augustinus*: tumore meo separabar, abs te, &c. *posteriora autem sic consonant, vt* Iustus ex fide sua viuat: *dum imperio voluntaris vtitur, ad subiiciendum intellectum*, & captiuum ducendum in obsequium fidei. *Deus rursum multo magis dicit*: iustus ex fide mea viuet: *cum magis sit*

Aug.

A *Dei quam hominis: dicente Apostolo*: vobis datum est, vt in eum credatis, &c. *Hunc locum Paulus Rom. 1. & Gal. 3. repetit, nec nostram nec Dei expressè dicendo fidem, sed simpliciter*, iustus ex fide viuit. *Transl. Syr. ad Gal. 3.* quandoquidem scriptum est: iustus in fide viuet. *Tandem ne quid abeat ex his, quæ maximè in singulis titulis proponuntur, absque selecto aliquo loco D. Augustini prætereamus relata supra in eundem locum Gal. 3. de maledicto pendente in ligno, quæ consules Verbo Christi infirma. 5 in Schol. nostris hæc subiexo ex eodem scribente cont. Faustum to. 6. lib. 14. cap. 4. 5. & 6.* Securus Apostolus dicit de Christo: factus est pro nobis maledictum; sicut non timuit dicere, pro omnibus mortuus est. Hoc est enim mortuus est, quod maledictus, quoniam mors ipsa ex maledicto est, & maledictum est omne peccatum; siue ipsum quod fit, vt sequatur supplicium, siue ipsum supplicium, quod alio modo vocatur peccatum; quia fit ex peccato. Suscepit autem Christus sine reatu supplicium nostrum, vt inde solueret nostrum reatum, & finiret etiam supplicium nostrum, &c. Misit, inquit, Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne. Non erat ergo illa caro peccati; quia non de traduce mortalitatis in Mariam per masculum venerat; sed tamen quia de peccato est mors; illa autem caro quamuis ex virgine, tamen mortalis fuit, eo ipso quo mortalis erat, similitudinem habebat carnis peccati. Hoc appellat etiam peccatum, consequenter dicens: vt de peccato, damnaret peccatum in carne. Item alio loco *2. Cor. 5.* eum, inquit, qui non nouerat peccatum, peccatum pro nobis fecit, vt nos simus iustitia Dei in ipso. Cur ergo timeret Moyses dicere maledictum, quod Paulus non timuit dicere peccatum? planè hoc Propheta & præuidere, debuit, & prædicere, paratus ab hæreticis cum Apostolo reprehendi, &c. Nec ideo maior inuidia est, quod addiderit, Deo: vt diceret, maledictus Deo omnis qui pependerit in ligno. Nisi enim Deus odisset peccatum & mortem nostram, non ad eam suscipiendam atque delendam filium suum mitteret. Quid ergo mirum, si maledictum est Deo, quod odit Deus? tanto enim liberrius donauit nobis immortalitatem, quæ futura est Christo veniente, *in vltimo scilicet aduentu ad iudicium* quanto misericordius odit mortem nostram; quæ in ligno pependit, Christo moriente. Quod autem additum est, omnis: vt diceretur: maledictus omnis qui in ligno pependerit; non sanè Moyses minus præuidit etiam iustos in cruce futuros: sed bene

B

C

D

præuidit hæreticos veram mortem Domini negaturos: & ideo volentes ab hoc maledicto Christum seiungere, vt à mortis etiam veritate seiungerent. Si enim vera illa mors non erat; nullum maledictum Christo crucifixo pependit in ligno, quia nec verè crucifixus est. Sed contra longè futuros hæreticos quam de longe clamat Moyses. Sine causa tergiuersamini, ô quibus displicet veritas mortis Christi. Maledictus omnis qui pendet in ligno. Non ille, aut ille; sed omnis omnino. Etiamne & filius Dei? etiam prorsus. Nam hoc est quod non vultis. Inde satagitis, inde seducitis. Displicet enim vobis maledictus pro nobis, quia displicet mortuus pro nobis. Tunc enim extra maledictum illius Adam, si extra illius mortem. Cum vero ex homine, & pro homine mortem susceepit; ex illo & pro illo, etiam maledictum, quod mortem comitatur, susciperе non dedignatus est. Etiam ille, prorsus etiam ille filius Dei semper viuus in sua iustitia, mortuus autem propter nostra delicta, in carne susceptra ex pœna nostra. Sic & semper benedictus in sua iustitia, maledictus autem propter nostra delicta in morte susceptra, ex pœna nostra. Ac per hoc additum est, omnis: ne Christus ad veram mortem non pertinere diceretur, si à maledicto, quod morti coniunctum est, insipienti honorificentia separaretur, &c. *Honor si quidem regis* A *iudicium diligit, & cap.* 7. Iam vbi audis pœnam peccati, aut ex benedictione crede venientem, aut ex maledictione. Si ex benedictione venit pœna peccati, opta semper esse in pœna peccati. Si autem optas inde liberari, crede per diuinæ sententiæ iustitiam, pœnam peccati ex maledictione venisse. Confitere ergo maledictum susceepisse pro nobis, quem confiteris mortuum esse pro nobis, &c. Hoc est quod asserit Propheta, quia sciebat Christi mortem in cruce pensuram. Et futuros hæreticos qui dicerent: pependit quidem in ligno, sed specie quadam, non vt verè moreretur. *Hoc post Marcionitas Manichæi senserunt*, clamando ergo, maledictus; &c. Nihil aliud clamauit, nisi quia verè mortuus. Sciens mortem hominis peccatoris, quam sine peccato ipse susceepit, de illo maledicto venientem, quo dictum est Gen. 2. si tetigeritis, morte moriemini. Ad hoc pertinet & serpens ille in ligno B susplensus, *Num.* 21. quo significaretur, non falsam mortem Christum finxisse, sed illam veram in ligno passionis suæ suspendisse, inquam serpens ille hominem, malè suadendo deiecit: quam veram mortem nolunt illi conspicere, & ideo non sanantur à veneno serpentis, sicut in Eremo quicumque illum attenderent, sanabantur. *Vide similiter differentem lib.* 2. *de Actis cum Felice Manichæo. c.* 11. *Et lib. unico contra Adimantum c.* 21.

CHRISTI PASSIO ET MORS.

1. *Christi per Iudam traditio, & Petri negatio prædicta.* 4. *cont. Marc. cap.* 41. *in p.*

a Luc. 22. 22. VÆ[a] ait, *per quem traditur filius hominis.* Ergo iam Væ, constat imprecationis & comminationis inclamationem intelligendam, & irato & offenso deputandam: nisi si Iudas impunè erat tantum sceleris relaturus. Aut si impunè, vacat Væ. Si non impunè, vtiq. ab eo puniendus, in quem scelus traditionis admisit. Porrò, si sciens passus est hominem, quem ipse comitatui suo asciuerat, in tantum scelus ruere, noli iam de Creatore circa Adam retractare, quæ in tuum quoque Deum retorquentur, aut ignorasse illum, qui non ex prouidentia Luc. 22. 33. 34. obstitit peccaturo, aut obsistere non potuisse, si ignorabat; aut noluisse, si & sciebat, & poterat; atque ita malitiosum iudicandum, qui passus sit hominem suum ex delicto perire. Exo. 20. 5. Luc. 22. 48. Suadeo igitur agnoscas potius & in isto Creatorem, quàm parem illi Deum optimum aduersus sententiam tuam facias. Nam & Petrum præsumptoriè aliquid elocutum, negationi potius destinando, zelotem Deum tibi ostendit. Debuit etiam osculo tradi propheticus scilicet Christus, vt eius scilicet filius, b *qui labiis à populo diligebatur.*

b Esa. 29. 13.

CHRISTI PASSIO I. SCHOLIA.

VÆ AIT, *&c. Ex Luc.* 22. *cont. Marcionem argumentatur, qui cum Deum & Christum tantummodo bonum, & non iustum, vindicem, minas & ruinas intentantem admitteret, cogitur tamen agnoscere Christum, vel vanè & frustra locutum, cum imprecatus est traditori, aut puniisse traditorem. Nec habere Marcionem quod obiciat Creatori, vel ignorantiam futuri lapsus Adæ, vel eo cognito, non præueniisse ruinam hominis, vel pœnæ mortis vindicem subiecisse, cum hoc possit retorqueri in Deum Marcionis tam de Iude traditoris, quam de Petri negatoris lapsu.* VÆ AIT. *Sic Luc.* 22. Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa, & quidem filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit: veruntamen væ homini illi, per quem tradetur. *Definitionem habes Psal.* 40. Etenim homo pacis meæ in quo speraui. *Sanct. Pagn. cui fidebam, qui manducabat panem meum, magnificauit aduersum me calcaneum,* qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. S. Aug. SI SCIENS PASSUS EST HOMINEM. *Aug. in Psal.* 40. *sic vertit:* qui edebat panes meos am- C pliauit super me calcaneum. Erexit super me pedem, conculcare me voluit. Quis est iste homo pacis ipsius? Iudas. Et in illum Christus sperauit; quia dixit in quem speraui. Nonne illum ab initio nouerat? nonne antequam nasceretur futurum sciebat? nonne omnibus discipulis suis dixerat, ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? quomodo ergo in illum sperauit, nisi quia in membris suis ipse est, & quod multi fideles de Iuda sperauerunt, hoc in se transfigurauit Dominus &c. Quomodo in illis est esurientibus & sitientibus: quomodo dixit Esuriui, sic dixit, speraui. &c. Qui edebat panes meos, &c. Per buccellam illum delignauit, vt appareret de illo dictum, qui D edebat panes meos. Rursus quando venit vt traderet, osculum illi dedit, vt appareret de illo dictum, homo pacis meæ. *Postrema hæc verba Augustini explicant extremam sententiam Tertulliani.* DE-BVIT OSCVLO TRADI, *&c. Quanquam aliam proferat Prophetiam, qua probet Christum filium Creatoris, scilicet Esa.* 29. appropinquat populus iste ore

ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à mẽ. *Aug.* *Alia conſonant verſiones. Auguſt. ſer. 121. de temp.* ô Iuda, cui dicis numquid ego ſum Rabbi? iam dic ego ſum. Non eſt obliuio neſcientis, ſed pietas miſerantis. Tu Iuda quem poſſedit cupiditas, omnia in te nouit diuinitas, ſed væ tibi, in quo ſemel periit humanitas, &c. Quem oſculatus fuero, &c. O ſignum ſacrilegum, ô placitum fugiendum, vbi ab oſculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rũpitur Sacramentum. *Auguſt.* *Quod Iudam tulerit traditorem, & eum elegerit ad bonum magnum probat Auguſt. in Pſal. 34.* Ille videbat traditorem ſuum, & elegit illum magis ad opus neceſſarium. Illius malo magnum bonum opus operatus eſt: & tamen inter duodecim electus eſt, ne ipſe duodenarius tam exiguus numerus eſſet ſine malo. Hoc ad exemplum patientiæ noſtræ, quoniam neceſſe erat vt inter malos viueremus. *Auguſt.* *Et tract. 27. in Ioh.* 6 nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Zabulus eſt? ego vndecim elegi, dicere: an eligitur & Zabulus, & in electis eſt Zabulus? electi in laude ſolent dici: an electus eſt & iſte? de quo nolente & neſciente magnum aliquid boni fieret? hoc eſt proprium Dei, contrarium iniquis. Sicut enim iniqui malè vtuntur bonis operibus Dei, ſic contra Deus bene vtitur malis operibus hominum iniquorum, &c. Omnibus bonis Dei, ne per ſingula currere longum ſit, male vtitur malus, cõtra malis hominum malorum bene vtitur bonus. Et quid tam bonũ quam vnus Deus, quandoquidem ipſe Dominus dixit: nemo bonus niſi vnus Deus? Quanto ergo ille melior, tanto melius vtitur & malis noſtris. Quid Iuda peius? inter omnes adhærentes magiſtro, inter duodecim, loculi illi commiſſi ſunt, & diſpenſatio pauperum diſtributa: ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit iuſtitiam; tradidit vitam mortuus, &c. Totum hoc malum Iudæ, ſed malo eius bene vſus eſt Dominus. Tradi ſe pertulit vt redimeret nos. Ecce malum Iudæ in bonum conuerſum eſt. *Auguſt.* *Idipſum aliis verbis repetit tract. 59. in Io. in verba Jo. 13.* Ego ſcio quos elegerim. Sed vt impleatur ſcriptura qui manducat panem meum, leuabit ſuper me calcaneum ſuum. *Vbi inter cætera ſic de Iuda:* an & ipſe ad aliquid eſt electus, ad quod vtique erat neceſſarius, &c? Illi manducabant panem Dominum, ille panem Domini contra Dominum: illi vitam, ille pœnam. Qui enim manducat indignẽ, ait Apoſtolus, iudicium ſibi manducat. *Et lib. de corrept. & Gratia cap. 7.* Electus eſt Iudas ad opus qui congruebat; ab illo quippe electus eſt, qui nouit bene vti etiam malis: vt per eius opus damnabile, illud propter quod ipſe venerat, opus venerabile compleretur. Cum itaque audimus, nonne duodecim vos elegi, &c. Illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum, illum ad effundendum ſanguinem ſuum. *Non quod Iudam impulerit ad tradendum, ſed quod iuſto iudicio in pœnam ſacrilega auaritia, ad ſe etiam vendendum labi permiſerit, eius iam in malo obſtinatione ad redemptionem humani generis bene vti voluerit. Libro autem de gratia & libero arbitrio per totum caput 20. variis Scripturæ locis probat Deum in pœnam aliorum peccatorum illa peccata permittere, quin etiam vti malis eorum voluntatibus qui cæca voluntate feruntur in malum. Et concludit*, agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum *Phyſicum ſcilicet*, vt per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino iniuſtè aliquid agere non nouit. *Iuſtum enim finem intendit Deus, licet malo ſine cogant homines. Et rurſum poſt locos diuerſos Scripturæ Pſal. 104.* conuertit cor eorum vt odirent populum eius, &c. Rom 2. tradidit illos Deus in deſideria, &c. In paſſiones ignominiæ, &c. In reprobam mentem, &c. 2. Theſſ 2. mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. &c. *Sic claudit ſenſum.* His & talibus teſtimoniis ſatis quantum exiſtimo manifeſtatur, operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit, ſiue ad bona, pro ſua miſericordia, ſiue ad mala, *iuſtè negando gratiam, & puniendo præcedentia peccata, ſinẽdo eos abire in deſideria cordis ſui, & non reſtringendo a malis.* Pro meritis eorum: iudicio vtique ſuo, aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem iuſto, &c. Ac per hoc quando legitis in literis veritatis, à Deo ſeduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, vt iuſtè iſta paterentur: ne incurratis illud Prouerbiorum Salomonis 19. inſipientia viri violat vias eius; Deum autem cauſatur in corde ſuo. PAREM ILLI DEVM OPTIMVM, &c. *Quaſi diceret, tredecim mihi Marcion, Creatorem Deum fatere vtriuſque legis authorem, qui vt Adæ, ſic Iudæ permiſit lapſum. Nec ſis tui immemor Deum tuum optimum contra tuam met ſententiam admittas ſimilem noſtro Creatori, qui & Iudæ culpam non impedierit, & Petri Chariſſimi præſumptionem* NEGATIONI DESTINARIT. *id zelo iuſtitiæ, tanto negationis permiſſu, præſumptionem, & temeritatem eius punire decreuerit. Aug. in Pſal. 36.* Dominus qui nouerat eum, prædixit vbi deficeret, prænuntians illi infirmitatem eius, tanquam tactâ venâ cordis eius. Proinde Petrus, qui ante tentationem præſumpſit de ſe, in tentatione didicit ſe. *Et in Pſal 58.* Ignotus ſibi quiſque eſt ante interrogationem tentationis. Sicut ſe Petrus præſumendo ignorabat, & negando didicit quales vires haberet; in ſua tribulatione intellexit falsò ſe præſumpſiſſe: fleuit, & flendo meruit fructuosè moſſe quod fuit, & eſſe quod non fuit. *Et tract 113. in Io.* Ecce medici completa eſt prædictio, ægroti conuicta præſumptio. Non enim factum eſt quod iſte dixerat, animam meam pro te ponam; ſed factum eſt, quod ille prædixerat; ter me negabis. Sed trina Petri negatione completa, iam & iſte ſermo compleatur.

A B C D

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Auguſt.

2) *Chriſti paſſio per ſingula prædicta & impleta. 4. cont. Marc. c. 41. à p. ad f & 42. in p. ad circa m.*

PErductus in conſeſſum, an ipſe eſſet Chriſtus interrogatur. De quo Chriſto Iudæi quæſiſſent, niſi de ſuo? Cur ergo non vel tunc alium eis prodidit? Vt pati poſſet, inquis. Id eſt, vt ille optimus ignorantes adhuc in ſcelus mergeret. Atquin & ſi dixiſſet, paſſurus eſſet. [a] *Si dixero enim*, inquit, *vobis, non credetis.* Porro non crediturí perſeueraſſent in necem eius. Et cur non magis paſſurus eſſet, ſi alterius Dei, ac per hoc, aduerſarium Creatoris manifeſtaſſet? Ergo non vt pateretur, alium ſe tunc quoque ſuperſedit oſtendere: ſed quoniam ex ore eius confeſſionem extorquere cupiebant, nec confeſſo tamen crediturí, qui eum ex operibus ſcripturas adimplentibus agnouiſſe debuerant: Ita eius fuit occultaſſe ſe, cui

[a] Luc. 22. 66. [a] Ibid. 67.

vltro debebatur agnitio. Et tamen adhuc eis manum porrigens, [b] *Abhinc*, inquit, *erit filius hominis ſedens ad dexteram virtutis Dei.* Suggerebat enim ſe ex Danielis prophetia *filium hominis*, & è pſalmo Dauid, [c] *ſedentem ad dexteram Dei.* Itaque ex iſto dicto & ſcripturæ comparatione illuminati quem ſe vellet intelligi, [d] *Ergo*, inquunt, *tu Dei filius es?* Cuius Dei, niſi quem ſolum nouerant? Cuius Dei, niſi quem in pſalmo memineranr dixiſſe filio ſuo, *Sede ad dexteram meam?* Sed reſpondit, [e] *Vos dicitis quia ego ſum.* Atquin confirmauit id ſe eſſe quod illi dixerant, dum rurſus interrogant. Vnde autem probabis interrogatiuè, & non ipſos confirmatiuè pronuntiaſſe, *Ergo tu filius Dei es?* Vt quia obliquè oſtenderat ſe per ſcripturas filium Dei intelligendum, ſic ſenſerunt, Ergo tu Dei es filius? quod te non vis apertè dicere; æquè ita & ille, *Vos dicitis*, confirmatiuè reſpondit; & adeo ſic fuit pronuntiatio eius, vt perſeuerauerint in eo, quod pronuntiatio ſapiebat. Perductum enim illum ad Pilatum onerare cœperunt, [f] *quod ſe regem diceret*; Chriſtum ſine dubio Dei filium, *ſeſſurum ad Dei dexteram.* Cæterum, alio eum titulo grauaſſent, incerti an filium Dei ſe dixiſſet, niſi, *Vos dicitis* ſic pronuntiaſſet, hoc ſe eſſe quod dicerent. Pilato quoque interroganti, *Tu es Chriſtus*; proinde, *Tu dicis*; ne metu poteſtatis videretur amplius reſpondiſſe. Conſtitutus eſt igitur Dominus in iudicio. [g] *Et ſtatuit in iudicio populum ſuum. Ipſe Dominus in iudicium venit cum presbyteris & archontibus populi*, ſecundum Eſaïam. Atque exinde omne ſcriptum paſſionis ſuæ impleuit. [h] *Tumultuatæ ſunt ibidem nationes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & archontes congregati ſunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Nationes, Romani qui cum Pilato fuerant. Populi, Tribus Iſraelis. Reges, in Herode. Archontes, in ſummis ſacerdotibus. Nam & Herodi velut munus à Pilato miſſus, Oſee vocibus fidem reddidit; de Chriſto enim prophetauerat, [i] *Et vinctum eum ducent xenium regi.* Delectatus eſt denique Herodes viſo Ieſu, nec vocem vllam ab eo audiuit. [k] *Tanquam agnus* enim *coram tondente, ſic non aperuit os ſuum*; quia *Dominus dederat illi linguam diſciplinæ, vt ſciret quomodo eum oporteret proferre ſermonem.* Illam ſcilicet linguam, quam in Pſalmo [l] *adglutinatam gutturi ſuo* tunc probabat, non loquendo. Et Barrabas quidem nocentiſſimus, vitâ vt bonus donatur; Chriſtus vero iuſtiſſimus, vt homicida morti expoſtulatur. Sed & duo ſceleſti circumfiguntur illi, vt [m] *inter iniquos* ſcilicet *deputaretur.* Veſtitum plane eius militibus diuiſum, partim ſorte conceſſum, Marcion abſtulit, reſpiciens Pſalmi prophetiam, [n] *Diſpertiti ſibi ſunt veſtimenta mea, & in veſtitum meum ſortem miſerunt.* Auferigitur & crucem ipſam. Idem tamen Pſalmus de eo non tacet: [o] *Foderunt manus meas & pedes meos.* totus in illo exitus legitur: [p] *Circumdederunt me canes, ſynagoga malefcorum circumvallauit me. Omnes qui ſpectabant me, naſo irridebant me. Locuti ſunt labiis, & capita mouerunt. Speranit in Deum, liberet eum.* Quo iam teſtimonium veſtimentorum? habe falſi tui prædam, totus Pſalmus veſtimenta ſunt Chriſti. Ecce autem & elementa concutiuntur. Dominus enim patiebatur ipſorum. Cæterum, aduerſario læſo, cœlum luminibus floruiſſet, magis ſol radiis inſultaſſet, magis dies ſtetiſſet libenter, ſpectans pendentem in patibulo Chriſtum Marcionis. Hæc argumenta quoque mihi competiſſent, etſi non fuiſſent prædicata. [q] *Cælum*, inquit Eſaïas, *veſtiam tenebris.* Hic erit dies, de quo & Amos, [r] *Et erit illa die, dicit Dominus, occidet ſol meridie* (Habes & horæ ſextæ ſignificationem) *& contenebrabit ſuper terram. Sciſſum eſt & templi velum*, Angeli eruptione, [s] *derelinquentis filiam Sionis, tanquam in vinea ſpeculam, & in cucumerario caſulam.* O quantum perſeuerauit etiam trigeſimo pſalmo Chriſtum ipſum reddere. Vociferatur ad Patrem, vt & moriens vltima voce Prophetas adimpleret. [v] *Hoc dicto exſpirauit.*

V. Verbo ſcripturæ ſenſus. 2.

[b] Luc. 22. 69. Dan. 7. 13. [c] Pſal. 109. 1. [d] Luc. 22. 70. Ibid. [e] Luc. 22. 70. Ibid. CAP. XLII. [f] Luc. 23. 3. Ibid. [g] Eſa. 3. 12. [h] Pſal. 2. 1. 2. [i] Oſee. 10. 6. Luc. 23. 8. [k] Eſa. 53. 7. [l] Pſal. 21. 16. Luc. 23. 18. & 33. [m] Eſa. 53. 12. Luc. 23. 34. [n] Pſal. 21. 19. [o] Ibid. 18. [p] Ibid. 17. & ſeq. [q] Eſa. 50. 3. [r] Amos. 8. 9. [ſ] Luc. 23. 44. [t] Eſa. 1. 8. Pſal. 30. [v] Luc. 23. 46.

CHRISTI PASSIO II. SCHOLIA.

PERDVCTVS IN CONSESSVM. *Toto hoc capite decurrit Prophetias circumſtantias mortis Chriſti exactè tangentes, quibus probat Chriſtum filium eſſe Creatoris, cuius legem & prophetas exactiſſimè impleuerit. Per* conſeſſum *intelligit concilium, de quo Luc. 22. ſub finem*, vt factus eſt dies, conuenerunt Seniores plebis, & principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum dicentes, ſi tu es Chriſtus, die nobis. CVR NON ALIVM PRODIDIT. *Interrogat Marcionem dicens: ſi Chriſtus non erat ille de Iudæis natus, cur ſic precisè, & tam frequenter ab eo quæſiſſent, an Chriſtus eſſet? cur tunc ſaltem cum de vita agebatur & veritate, ſi ipſe non erat, cur alium Chriſtum ipſis non manifeſtauit ſaltem ex odio Creatoris? dices forte Marcion, ipſum reſpondiſſe ſe eſſe Chriſtum, vt occaſionem patiendi arriperet.* VT ILLE OPTIMVS, &c. *Illudit Marcioni, de optimo Deo ſuo & Chriſto, quod peſſimus fuiſſet fingens ſe eſſe quod non erat, Chriſtum ſcilicet Iudæorum, vt vel ignorantes deciperet, vel ſciens non creditoros, in Chriſticidium magis accenderet.* ET CVR NON MAGIS. *Inducit Marcionem obloquentem, ideo, & eo ipſo Chriſtum ſuum acrius pronocaturum Iudæos in ſuam necem ex Zelo Creatoris, ſi ſe filium alterius Dei, & aduerſarij Creatoris oſtenderet.* ERGO NON, &c. *Reſpondet Tertul. falſum eſſe, quod obiicit Marcion, cum Chriſtus tunc quoque ſe alium oſtendere ſuperſederit, diſtulerit, non vt irritaret eos ad paſſionem ſuam, ſed quia volebant extorquere confeſſionem ex ore ipſius, nec tamen crediturí erant confitenti, licet eum ex ſcripturis ſuis impletis cognoſcere debuerant.* ITA EIVS FVIT, & non Chriſti Marcionis OCCVLTASSE, *reſpondendo ſcilicet interrogando, vel dubium Iudæorum animum relinquendo, cum dixit*: ſi vobis dixero, non

crederis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi. CVI VLTRO, &c. *id. potuit Christus Creatoris, & non Marcionis, celare Iudæis, & exerte non respondere quis esset, quia se toties in lege & prophetis, quos per singula puncta implebat, promissum, vltro debuerant agnoscere.* MANVM PORRIGENS. *id. Indignis licet & incredulis occurrens, & lapsis in errorem opitulans. Cicero in orat. post reditum.* Qui mihi primus afflicto & iacenti consularem fidem dextramque porrexit. *Aug. in Psal. 118. ser. 18.* Manus Dei potestas Dei, aut si pluralis numerus eos mouet, &c. accipiant manus Dei, virtutem & sapientiam Dei, quod vtrumque visus dictus est Christus, &c. aut accipiant manus Domini filium & Spiritum Sanctum, quia & Spiritus Sanctus cooperator est Patris & filij. *Et in Psal. 101. in versum*: Opera manuum tuarum sunt cœli. Ne putetis quasi aliud Deum facere manu, aliud verbo: quod facit verbo, hoc facit manu, &c. & fortè verbum eius est manus eius, certè manus eius, est virtus eius. ABHINC *Vt Christus se probaret esse Christum in lege promissum, tam ex Daniele cap. 7. quàm ex Dauide psal. 109. vtramque naturam in hypostasi verbi copulasse probauit, & minorem Patre in quantum filius hominis erat, & æqualem Patri in quantum à dextris eius erat. Vt hoc loco vespertiliones licet quasi subobscura luce vel tantillum illuminati, interrogauerint, an filius esset Dei Creatoris.* EX HOC, *&c. Luc. 22* Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: tu ergo es filius Dei? qui ait: vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius. *Ex quo Tertul. probat Christum non interrogatiuè, sed absolutè respondendo, Iudæos verè dixisse se Christū esse & Dei filium, scilicet Dei Creatoris & Iudæorum: quod statim eum tanquam blasphemum traxerint ad tribunal Pilati, quod se non tantum regem, sed & Dei filium, sedentem à dextris Patris diceret. Aug. in psal. 109.* Vt resurgeres, mortuus es: vt ascenderes, resurrexisti: vt sederes ad dexteram Patris, ascendisti: ergo vt ad dexteram Patris sederes, mortuus es. De morte enim resurrectio, de resurrectione ascensio, de Ascensione ad dexteram sessio. Horum ergo cœpit à morte. Excellentia claritatis huius principium habet humilitatis, &c. vt autem morereris, & per mortem tuam deleretur Chirographum peccatorum, *Coloss. 2.* & prædicaretur pœnitentia & remissio delictorum per omnes Gentes, incipientibus ab Ierusalem, *Luc. 24.* Cæcitas Iudæorum fecit: alijs illuminandis, aliorum cæcitas militauit. Cæcitas enim ex parte Israël contigit, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. PRÆIUDE *supple respondit Christus simpliciter, nihil aliud addendo respectu authoritatis iudicis, ne aliquo terrore videretur aliquid addidisse. Adiecit autem hæretico more Marcion ad Euangelium Luce, vt notauit Epiphanius Confut. 69. & 70. cum enim Luc 23. simpliciter dixisset.* Cœperunt illū accusare, dicentes: hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari: & dicentem se Christum regem esse adiecit Marcion: & destruentem leges & prophetas, & auertentem mulieres & liberos ET STATVIT. *Ita Esa. 3. vbi versio communis, Sanct. Pagn. & Vat. habent*: Stat ad iudicandū Dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet cum Senibus populi sui, & principibus eius. 70. Sed nunc stabit in iudicio Dominus, & statuet ad iudicium populum suum, &c. SCRIPTVM PASSIONIS. *Id. de passione.* TVMVLTVATÆ.

Psal. 2. Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, &c. *Tota differentia aliarum versionum est, quod Sanctes Pagn. in futuro, Vatablus in præsenti legit vt vel inde Deus Creator omnis temporis Dominus agnoscatur. Aduerte ex diuersis Esaiæ & psaltis locis Christum & iudicatum, & iudicem futurum. Vt iuxta psal. 9. alibi exponente Augustino*, Cognoscatur Dominus iudicia faciens, qui non est agnitus ea patiens. OSEÆ VOCIBVS, *&c. id conuenienter prophetiam Osea 10. vbi habet communis versio.* Siquidem & ipse in Assur delatus est munus Regi vltori. *Sanct. Pagn.* Etiam ipsemet in Assur ducetur munus Regi Iareb. *Parum distat Vatabl. 10.* Et ipsum in Assyrios ligantes tulerunt munera Regi Iarim. *In Græco apud 70. habetur.* καὶ αὐτὸν εἰς Ἀσσυρίους ἀναπεμπόμενον δῶρα τῷ βασιλεῖ. *Ad literam iuxta 70. sermo est ex mente Hieronymi, Ruperti & aliorum de idolo Serapis sub specie vituli siue bouis, quem multiplicauerat Heroboam in loco prius dicto Bethel, id. domus Dei, postea Bethauen, id est vacui, iniquitatis, Idoli. In quo cum videret populus, Deus tradidit Assyriorum Regi quasi Xenium. Alludit Tertullianus Christum quasi vanum Regem, & Idolum Diuinitatis ridiculum, missum pro Xenio Herodi. Vnde & supra in Christi Elogiis numero 20. Herodem comparat Regi Assyriorum. Quamquam de Ascalonita loqueretur infanticida. Vel ex seruis vendebantur & donabantur Christum tanquam seruum, vel circulatorem & præstigiatorem obtulit Herodi in munus; sicut Regibus donari solent huiusmodi præstigiorum artifices.* DELECTATVS EST. *Luc. 23.* Herodes autem viso Iesu gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil ei respondebat. *Vt scilicet impleret prophetiam Esaiæ 53.* Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. *Parum distant aliæ versiones.* DOMINVS DEDERAT *Esa. 50.* Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lassus est verbo. *Sanct. Pagn.* Linguam eruditorum, vt sciam dicere tempore suo sitibundo verbum. *Vatabl.* Vt sciam tempestiuè verbum cum afflicto loqui. 70. Linguam disciplinæ, vt sciam quando oporteat loqui verbum. ADGLVTINATAM. *Psalmo 21.* Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis. *Ad literam de cadapre multo fuso sanguine sui corporis testa loquitur & sitim in cruce. Augustinus mystice in Psal. 21.* Quomodo membrum illud in nobis non valet nisi ad loquendum, sic prædicatores suos linguam suam dixit adhæsisse faucibus suis, vt de interioribus eius caperent sapientiam. *Ad mentem autem Tertul. idem Aug. Ep. 120.* Exaruit velut testa virtus mea. Testa igne firmata est, sic & virtus corporis Christi, non sicut fœnum igne consumitur, sed sicut testa passione velut igne firmatur, &c. Et lingua mea, &c. Potest quidem silentium eius significatum videri, quod alius Propheta commendat, cùm dicit, sicut Agnus coram tondente fuit sine voce. Sed si linguam eius, eos in eius corpore intelligamus, per quos suum loquitur Euangelium; tunc eius faucibus adhærent, cum à præceptis eius non recedunt. ET BARRABAS QVIDEM. *Luc. 23.* Tolle hunc; & dimitte nobis Barrabam, &c. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & se-

Augusti. Augusti. Augusti. S. Aug. S. Augusti. S. Augu

ditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant. Iesum vero tradidit voluntati eorum. *Aug.* S. Aug. *ser. 121. de temp.* O inordinata nequitia iudicantis! Pronuntiat innocentem, & eligendi tribuit facultatem. Multa sum passa pro iusto isto hac nocte, eius mulier mandat. In natiuitate mundi, vxor ducit virum ad mortem, in passione Christi, vxor prouocat ad salutem. Illic serpentis subtilitas præcipitat, hic terror angelicus reuocat; vt inde inciperet venia, vnde videntur prorupisse peccata. CIRCVMFIGVNTVR. *Id. à dextris & sinistris eius crucifiguntur Luc.* 23. Crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris & alterum à sinistris. *Aug. tract.* 31. *in Io. in fine* Ipsa Crux, si attendas, S. Aug. tribunal fuit: in medio autem iudice constituto, vnus latro qui credidit liberatus est, alius qui insultauit, damnatus. *Et serm. in parasceue qui est 130. de temp. vbi magnifica habet de bono Latrone.* Audisti latronem & latronem, ambos in Cruce, ambos conuersatione latronum, ambos ex eadem maligmitate venientes, sed iam non ambo in isdem meritis & mentibus sunt constituti. Nam alius quidem regnum adipiscebatur, alius verò in Gehennam mittebatur, &c. *Multa præclara.* INTER INIQVOS. *Esa.* 53. Et cum sceleratis reputatus est. *Santel. Pagn.* Et cum præuaricatoribus numeratus est. *Vatabl. non differt. 70.* In iniquis reputatus est. VESTITVM PLANE. *Notat Marcionem erasisse ex Euangelio Luca mentionem vestimentorum Christi, eo quod consonaret psalmo 21.* Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. *Sanct. Pagn. funus vitiatur. Vatab.* De veste mea sortiti sunt. *Luc.* 23. Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortes. *Translat Syr.* Et partiti sunt vestimenta eius, ac super eis iecerunt sortes. *Notat Sapientissimus Magister meus Merillius in suis in Ioannem notis num* 31. More Romano speculatores, qui de damnatis supplicium sumebant, vestes eorum capiebant, & pannicularia eorum, nec primùm id permisit Adrianus, sed rescripto suo expressit, quod panniculariæ appellatione contineretur. L. Diuus 6. ff. de bonis damnatorum. Vlpianus post rescriptum Adriani subiicit: pannicularia sunt ea, quæ in custodiam receptus secum attulit, spolia quibus indutus est, cùm quis ad supplicium ducitur, vt & ipsa appellatio ostendit. *Licet verò Lucas non distinguat vestes Christi, Ioannes diuidit, itaut innuat pallium quadrangulum quatuor militibus quadripartitum, tunicam verò iuxta Isidorum Pelusiotam ex quodã genere textrinæ Galilæorum non diuiserunt, tum propter breuitatẽ, tum propter textrinæ genus, quod si diuisum fuisset, dissutum in fila inutilia defluxisset. Sors autem missa fuit, vel in galeam, vel in vrnam quatuor militum nominibus missis, vt longo post tempore Vospicus in Probo facilitatum notat, vel aliquo alea genere. De partitione vestium vid.* S. Auguſt. *Aug. lib. 3. de consensu Euang. c. 12. mystice autem in Psal 21.* Diuiserunt sibi vestimenta mea. Vestimenta sua, Sacramenta ipsius, &c. Sacramenta ipsius potuerunt diuidi per hæreses, sed erat ibi vestimentum, quod nemo diuisit. Et super vestimentum meum miserunt sortem: erat ibi tunica, dicit Euangelista *Io.* 19. desuper texta. Ergo de cœlo, ergo à Patre, ergo à Spiritu Sancto. Quæ est ista tunica nisi charitas? Quam nemo potest diuidere. Quæ est ista tunica, nisi vnitas? Inipsam sors mittitur, nemo illam diuidit. Sacramenta sibi hæretici diuidere potuerunt, charitatem non diuiserunt. Et quia diuidere non potuerunt, recesserunt, illa manet integra. Sortè obuenit quibusdam. Qui habet hanc, securus est. Nemo illam mouet de Ecclesia Catholica. Et si foris illam incipiat habere, intromittitur, quomodo ramus oliuæ à columba. *Oliua symbolum pacis & vnitatis, arca figura Ecclesiæ, & vt ramus rostro columbæ prior ingressus est arcam, sic pax & vnitas, & confessio eiusdem fidei* Quæ ore fit ad salutem, *introducit in Ecclesiam. Idem. Aug. de sorte missa in Christi tunicam psal 30 in versum* In manibus tuis sortes meæ. Sors non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana, diuinam indicans veritatem. Nam & sortes miserunt Apostoli *Actor. 1.* Quando Iudas tradito Domino periit, &c. Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam qua saluati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio, *nostra scilicet*, Sed voluntas Dei, &c. Meritò tunica illa desuper texta, quæ significat charitatis æternitatem *Quæ scilicet iuxta Paulum elegit nos in Christo Pater ante mundi constitutionem, & secundum Prophetam ait, perpetua charitate dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.* Cùm diuidi à persecutoribus non posset, sors super eam missa est: ad quos peruenit, eos significauit, qui videntur ad sortem peruenire Sanctorum. Gratiâ salui facti estis per fidem, ait Apostolus, *Ephes. 2* Et hoc non ex vobis. Vide sortem: & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus quasi vos benefeceritis, vt ad hoc accedere digni essetis; non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis. Hæc quodammodo sors occulta est; voluntas Dei in humano genere, sors est: sors veniens de Dei occulta voluntate, apud quem non est iniquitas. Non enim ille personas accipit, sed occulta illius iustitia, tibi sors est. CIRCVNDEDERVNT ME CANES. *Contextum Psalmis non sequitur, sed abruptè suo more, sic autem habetur in textu*: Quoniam circumdederunt me canes multi: Concilium malignantium obsedit me, &c. Ipsi vero considerauerunt & inspexerunt me. *Debinc supra regreditur* Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Speranit in Domino, eripiat eum, &c. *Quæ omnia in Euangelio impleta leguntur.* QVE IAM TESTIMONIVM, *&c. Vt quid? erasisti ex euangelio testimonium vestium.* HABE, *&c. id. abscondo quantum volueris rapti loci prædam, sicut miles abstulit vestis partem: totus psalmus 21. Christum induit veræ synthesi & habitu carnis passibilis & vere humanitatis tunicâ*, Quam illi fecit mater sua, *Vel potius de purissimo matris sanguine.* Desuper contexta per totum *Fuit à superueniente Spiritu Sancto.* ELEMENTA CONCVTIVNTVR. *Obscurato cœlo, obtenebrato aëre, saxis ruptis, apertis monumentis. Aug. ser. 121. de temp. in f.* Omnia Auguſt. sunt elementa permota, cœlum non est quietum, cùm caput dominicum colaphis verberatur, *Quidni enim cœlum thronus & sedes Dei, commoto tot iniuriis & ictibus, Regis sui cepite commoueatur?* Non curia cœlestis cœlo contenta permansit, quia in commotione fuerunt. Cœli luminaria conturbantur, & de stationibus suis sulphuri ex stellæ cadunt in lapsum. Ligni cuspide, *Id. cruce defixa in monte* Rumpitur Golgotha, resonant mallei, securesque cædentes, scinduntur montis sacrati petræ, ille solus Petrus qui fuerat super Petram, *Id est solidior petra, & supra Christum petram fundatus, & super quem post Christum ædificanda Ecclesia*, Tanquam in mollem tenuemque arenam, sol uebatur ex petra. ADVERSARIO EASO. *Id. si Christus Marcionis aduersarius Dei Creatoris tum passus esset, tantum abest vt cœlum obscuratum fuisset, quin potius*

pat'us luminaria cœli fulgidiora fuiſſent, & dies ſicut tempore Ioſue productior, cum voluptate Chriſtum Marcionis ſuſpenſum aſpexiſſet; HÆC ARGVMENTA, *&c. Sic potuiſſem argumentari, quamuis nil tale de tenebris tempore paſſionis futuris Prophetæ prædixiſſent.* CÆLVM, *&c. Eſa. 50.* Induam cœlos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorũ *Sic Sanct. Pagn. Vatab.* Triſti caligine cœlos veſtio, & ſacco operio eos. *70.* Induam cœlum tenebris, & quaſi cilicium ponam operimentum eius. DE QVB ET AMOS, *&c. Cap. 7.* Et erit in die illa dicit Dominus Deus, occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis. 70. Contenebreſcet ſuper tenebram in die lux HABES HORÆ SEXTÆ, *&c Id meridiem* Auguſt. *pro hora ſexta intellexit Amos. Aug. lib. 3. de conſenſu Euang. c. 13. vbi componit magnam difficultatem. Marcus enim c. 15. dicit quod* Erat hora tertia, & crucifixerunteum. *Math. autem 27. dicit à ſexta hora tenebras factas vſque ad nonam, vt conſumptæ intelligantur tres horæ, ex quo crucifixus eſt vſque ad tenebras factas. Ioannis autem 19.* Erat autem Paraſceue paſchæ hora quaſi ſexta, & dixit Iudæis, ecce Rex veſter. Illi autem clamabant, tolle, tolle, &c. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur. Auguſt. *Concludit Auguſtinus* Occultè oſtendere voluit eos magis crucifixiſſe, qui clamauerunt vt crucifigeretur, quam illos qui miniſterium principi ſuo ſecundum ſuum officium præbuerunt Intelligitur ergo fuiſſe hora tertia, cum clamauerunt Iudæi vt Dominus crucifigeretur, & veraciſſimè demonſtratur, tunc eos crucifixiſſe quando clamauerunt, &c. Hoc eos hora feciſſe tertia Marcus oſtendit, veriſſimè iudicans magis fuiſſe Domini necarricem linguam Iudæorũ, quam manus militum *Concludit ergo. Aug. ſecundum Marcum crucifixum hora tertia lingua Iudæorum, ſecundum* A *Ioannem quaſi hora ſexta manu militum. Videndus etiam hanc in rem tract. 110. & 116. in Io. Et in Pſal.* S. Auguſt. *63.* Verius illi tunc occiderunt, quando clamauerunt; apparitores poteſtatis *Id eſt miniſtri iudicis.* Hora ſexta crucifixerunt: prævaricatores legis hora tertia clamauerunt: Quod illi manibus hora ſexta, hoc illi lingua hora tertia. Rei magis iſti qui clamando ſæuiebant, quam illi qui obtemperando adminiſtrabant, Ipſum eſt totum acumen Iudæorum; hoc eſt quod pro magno quæſiuerunt: occidamus, & non occidamus, hic occidamus, vt non ipſi occidiſſe iudicemur. SCISSVM EST, *Innuit Angelum Cuſtodem Synagogæ & templi, reddentem oracula de propitiatorio, rupto velo reliquiſſe Iudæum Gentem implendo illud Eſa.* 1. Derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur. *Ita & Sanct. Pagn. Vatab.* Sicut diuerſoriolum nocturnum in cucumerario. 70. Sicut tabernaculum in vinea, & ſicut pomorum cuſtodia in cucumerario, ſicut ciuitas expugnata. *Aug.* S. Aug. *ſer. 49. de Verb. Do. ſec. Ioannem.* Ablato velamine, poſtea quàm paſſus eſt Dominus, viſa ſunt ſecreta tẽpli Ideo enim in cruce penderet, ſciſſum eſt velũ tẽpli à ſummo vſque deorſum: *Math. 27* Et apertè dicit Apoſtolus Paulus, *2 Cor. 3.* Cum autem tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen. Qui autem non tranſierit ad Chriſtum, quamuis legat Moyſen, velamen poſitum eſt ſuper cor eius, ſicut dicit Apoſtolus. *Et ſer. 114. de Temp.* Velum tem- S. Auguſt. pli ſcinditur, quia Synagoga honore nudatur. *Alludit ad Paulum volentem mulierem velare caput, dum orat aut prophetat; ne deturpet caput ſuum. Synagoga autem ſponſa erat Dei, quæ velo rupto nudata eſt honore ſuo, dum caput ſuum Chriſtum ſpinis coronatum affixit cruci.* VOCIFERATVR AD PATREM, *&c. Supra expoſuimus ſequntia, nec repetere volumus.*

B C

3. *Et Cont. Iud. cap. 10. circa fin.*

MOrtem eius & paſſionem & ſepulturam vna voce Eſaïæ volo oſtendere: [a] *A facinoribus*, inquit, *Populi mei perductus eſt ad mortem, & dabo malos pro ſepultura eius, & diuites pro morte eius, quia ſiclus non fecit, nec dolus in ore eius inuentus eſt; & Deus voluit eximere à morte animam eius*, &c. Dicit etiam adhuc: [b] *Sepultura eius ſublata eſt è medio* Nec ſepultus enim eſt niſi mortuus, nec ſepultura eius ſublata eſt è medio, niſi per reſurrectionem eius. Denique ſubiungit: [c] *Propterea ipſe multos in hereditatem habebit, & multorum diuidet ſpolia.* Quis enim alius, niſi qui natus eſt, vt ſuprà oſtendimus, *Pro eo quod tradita eſt in mortem anima eius?* Oſtenſa enim cauſa gratiæ eius, pro iniuria ſcilicet mortis repenſandæ, pariter oſtenſum eſt hæc illum propter mortem conſecuturum; poſt mortem vtique reſurrectionem conſecuturum.

Eſa. 57 1. 2. [a] Eſa. 53. 9. [b] Eſa. 57. 2. [c] Eſa. 53. 12.

4. *Et 3. Cont. Marc. cap. 19 in fin.*

ET mortem autem & ſepulturam & reſurrectionem Chriſti mei, vna voce Eſaïæ volo oſtendere, dicentis: [a] *Sepultura eius ſublata de medio eſt.* Nec ſepultus enim eſſet, niſi mortuus: nec ſepultura eius ſublata de medio, niſi per reſurrectionem. Denique ſubjecit, [b] *Propterea ipſe multos hæreditati habebit, & multorum diuidet ſpolia.* Quis enim alius, niſi qui natus eſt, vt ſuprà oſtendimus? *Pro eo quod tradita eſt anima eius in mortem.* Oſtenſa eſt enim cauſa gratiæ huius, pro iniuria ſcilicet mortis repenſandæ, pariter oſtenſum eſt, hæc illum propter mortem conſecuturum, poſt mortem vtique, reſurrectionem conſecuturum.

[a] Eſa. 57. 2. [b] Eſa. 53. 12.

CHRISTI PASSIO III. ET IV. SCHOLIA.

MORTEM EIVS, *&c. Quia duobus diuerſis locis idipſum repetis, duos eius textus vno Scholio ſimul expedio. Eſa. 57. Sic habet textio communis,* veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in dilectione ſua. *Sanct. Pagn.* ingredietur in pace, requieſcent in cubilibus ſuis, qui ambulauerit coram Deo. *Vatabl.* Venit pax, requieſcunt in cubilibus ſuis, præceditque ante illum. *Et in Schol.* It iuſtus ad ſepulchrum in pace, requieſcunt pij in ſepulchris ſuis, it pax ante eum, id eſt in pace de-

D

cedit iustus. Alij legunt postremam particulam requiescunt in sepulchris suis singuli, qui ambulant ante Deum *70. autem*: à facie iniquitatis ablatus est iustus. Erit in pace sepultura eius. Ablatus est de medio, *Cyprianus lib. 2. cont. Iud. c 14. Hiero. Cyril. Procop. sic legunt*: Erit in pace sepultura eius, ablata est de medio. *Ambr. lib. de Cain & Abel, consensit & concordat Tertulliano. Sanct. Pagn.* Dedit cum impijs sepulturam eius, & cum diuite inter mortuos suos, *id est, non fuit exemptus quasi aliquis ex impijs, mortis & sepulchri legibus. Et à diuite Iosepho in sepulchro conditus, quod sibi suisque præparauerat.* A FACINORIBVS POPVLI, *Esa. 53.* Propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, &c. Ideo dispertiam ei plurimos & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, &c. *Parum differunt alij. 70.* Propterea ipse possidebit multos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradita est in mortem anima eius. SVBLATA EST, *&c. id. corruptio mortis eum non tetigit in sepulchro, vnde propria virtute seipsum abstulit: hinc iuxta Augustinum Magdalena prophetabat, Christo, quem ignorabat, dicent,* S. Aug. Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, &c *Augustinus ser. 133 de temp. sub finem*, Sancta & simplex fœmina Christum requirit à Christo, ac deuotione mentis, prophetat, & nescit, ait enim Domino de semetipso: si tu sustulisti eum, &c. Rectè interrogat, si tu sustulisti eum. Ipse enim tulit corpus suum, qui illud protulit de sepulchro: ipse tulit corpus, qui illud tacens & dormiens, sua aspiratione collegit: ipse tulit corpus suum, qui illud diuinitatis virtute gestans portauit ad cœlos. Atque adeo mulier sapienter interrogat & requirit: si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum: hoc est, si illud auferens de sepulchro ad paradisum transtulisti. Audierat enim illum dicentem Latroni: hodie mecum eris in paradiso. *Quod autem Esaias dixerat*, dabo impios pro sepultura eius: *milites intelligo custodes sepulchri.* Diuitem autem, vel diuites pro morte eius: *Iosephum ab Arimathia accipe, eiusque diuites successores, quorum in tumulo nouo positus est, Deo pro eius morte & funere prouidente virum sanctum, quem textus sacer diuitem vocat.* S. Aug. *Augustinus eodem ser. 133. Sic de Christi sepultura.* Beatum Corpus Domini nostri Iesu Christi, quod cum nascitur, ex vtero virginis gignitur: cum recedit, iusti tumulo commendatur. Beatum planè corpus quod virginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit enim illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ vterus illibatum. Sicut enim pollutione ibi non tangitur, sic mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas. Nouus illud venter concepit, *nouum enim creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum: mater & virgo: ecce virgo concipiet: quis tam nouus vterus?* nouus tumulus conclusit. *in quo nondum quisquam positus fuerat. Io. 19.* Dominica ergo est virgo vulua; & virgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturam vluam dixerim; est enim similitudo non parua. Sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit, ita & de Ioseph sepultura, viuus surrexit, &c. Nisi quod glorioſior est ista, quàm illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Post illam natiuitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cœlos, &c. Illa totius mundi Dominum nouem mensibus, in vtero clausum tenuit: hæc autem triduo tantum tumuli gremio custodiuit. Illa cunctorum spem tardius protulit, hæc omnium salutem citius suscitauit, &c. *Mysticam autem ibidem assignat rationem, cur in sepulchro alieno fuerit conditus.* Aug. Ideo in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute. Mors enim ista non illi accidit, sed nobis proficit: mors ista non illi illata est, *contra eius scilicet voluntatem: oblatus est enim quia ipse voluit: solus inter mortuos liber: potestatem habens ponendi & sumendi animam*, sed nobis delata. Vt quid ergo ei propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? vt quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat in cœlis? Vt quid illi sepultura, qui tridui tantum temporis spatio, non tam in sepulchro mortuus iacuit, quàm veluti in lecto conquieuit? Ipsa enim temporis breuitas declarat potius somnum fuisse quàm mortem; sepulchrum autem mortis est habitaculum. Necessarium ergo non erat mortis habitaculum Christo, qui vita est. Nec opus habebat semper viuens, habitaculo defunctorum. *De quibus Psaltes.* Sepulchra eorum, domus eorum in æternum: *hæc domus stans vsque ad iudicium: nam de viuorum domibus, succedentium mortuis:* tabernacula eorum in progenie in progeniem. *Neque verò hic Harpocrates, silentium indicens, digito labiis impresso, olim in templis Serapis positus mortuum & sepultum Deum Ægyptiorum, sub pœna mortis dicere lege vetante; vt notauit Augustinus de ciuitate lib. 18. c. 5. imo pleno ore & mortem eius & sepulturam de medio sublatam, per resurrectionem confitemur. Sic August. ser. 133 de temp.* Aug. sepulchrum patens guttur hominum, rectè planè dicit Propheta Psal. 15. sepulchrum enim Christi patens est Euangelistarum beatum guttur, per quod illud æterno litterarum thesauro condiderunt. Patens autem sepulchrum ideo dicitur, quia qui vult ad Christi peruenire mysterium, non ingreditur ad illud nisi per Euangelicæ scripturæ secretum, &c. Vnde Apostolus ait 2. Cor. 6. os nostrum patet ad vos ô Corinthij: inuitans eos, vt per prædicationis suæ apertã ianuam, ingrediantur Christi secreta mysteria *Tandẽ vt ex eodem Sermone hinc inde collecto moraliter concludam: cum dixisset in communione iuxta Paulum memoriam fieri & mortis & sepulturæ Domini, nosque sanctum virum Ioseph imitari, sic ait* Dominum Ioseph non tam in terrena posuit sepultura, quàm in monumento sui cordis collocauit, & custodiendũ illum suscepit, non tam memoria fragili mortuorum, quam memoria sancta virtutum. Hæc enim virtutũ fidelis est memoria, quæ intra se continens Christum, lædi eum hæreticorum corruptione non patitur, de qua memoria in Sacramentis Dominus dicit: quotiescumque feceritis hæc, in memoriam mei facietis, donec veniam. *Corruptio hæretica nudam Christi memoriam, & non eius realem præsentiam in mensa siue tumulo altaris, sed nec in corporis sumentis sepulchro esse volunt. Audi quid paulo post subiiciat Augustinus: in hac pectoris memoria collocatur Dominus à Ioseph, vt in Iustitiæ sede requiescat,* Aug. iustum enim cum dicit Euangelista, & habeat filius hominis vbi caput reclinet. *Et paucis interiectis*, rectè hanc vitam *panem viuum, per verba vitæ quæ spiritus & vita sunt, per Sermonem Dei viuum & efficacem consecratum*, nos in nostro sepulchro condimus, vt viuificet mortem nostram, vt cum ipso à mortuis resurgamus. *Dicit enim*, qui manducat hunc panem viuet in æternum: non morietur in æternum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. *Sed & sicut Theologia docet, licet sit sacramentum viuorum, & exigat ad rem & fructum sa-*

cramenti capiendum, animam in gratia viuentem, cum sepulchrum corporis & animæ nouum, & iustum; tamen & peccata mortalia oblita, vel occulta, indirectè reminit, & mortuum ignorantem mortem suam, & bona fide accedentem, panis vinus vinificat, & à morte A *peccati excitat: Sicut mortuum, casu proiectum in ossa Eliſæi Deus ſuſcitauit à mortuis. Vt ſic fiat iuxta Prophetam*, ſepulchrum eius glorioſum. *Hæc eſt enim maxima Chriſti gloria, propter quam*, venit peccatores ſaluos facere.

5. *Et cont. Iud. cap.* 13. *à p.*

ET in Pſalmis dicit: [a] *Exterminauerunt manus meas & pedes, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipſi autem contemplati ſunt & viderunt me*: &, [b] *In ſiti mea potauerunt me aceto.* Hæc Dauid paſſus non eſt, vt de ſe merito dixiſſe videatur, ſed Chriſtus qui crucifixus eſt. Manus autem & pedes non exterminantur, niſi eius qui à ligno ſuſpenditur. Vnde & ipſe Dauid *regnaturum ex ligno* Dominum dicebat. [a] Pſal. 21. 18. [b] Pſal. 68. 26. Pſal. 95. 10.

CHRISTI PASSIO. V. SCHOLIA.

EXTERMINAVERVNT PEDES. *Pſal.* 21 Foderunt manus meus & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipſi vero conſiderauerunt & inſpexerunt me. *Aug. in hunc locum*, tunc facta ſunt vulnera, quorum vulnerũ cicatrices dubitans Diſcipulus contrectauit ille qui dixit, niſi miſero digitos meos in cicatrices vulnerum eius, non credam, &c. Quando pendens extentus erat in ligno, non potuit melius deſcribi extenſio corporis in ligno, quam vt diceret, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi vero conſiderauerunt, & non intellexerunt, conſpexerunt, & non viderunt. Vſque ad carnem oculos non vſque ad verbum cor habuerunt. IN SITI MEA, *&c. Pſal.* 68 Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. *Sanct. Pagn.* propinauerunt mihi acetum. *Auguſt. in hunc locum reperens verſum præcedentem*, ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit. *Vbi cum interrogaſſet an verum hoc ſit, cùm & diſcipuli luxerint Dominum, & extraneæ mulieres, & Magdalena, & reſpondes contriſtatos tantum de vita temporali iactura.* Contriſtabantur illi carnaliter de vita mortali, quæ mutanda fuerat morte, & reparanda reſurrectione. Hinc erat illa triſtitia. De illis enim eſſe debuit triſtitia, qui cæci Medicum occiderunt, qui tanquam pernicioſè febrientes phrenetici, faciebant iniuriam ei, à quo illis fuerat ſalus allata. Ille volebat curare, illi ſæuire, hinc triſtitia Medico. Quære vtrum inuenerit huius triſtitiæ comitem. &c. Ergo in triſtitia quam habebat Dominus de illis pro quibus orauit Pater ignoſce illis, &c. Nullum comitem inuenit, &c. Et dederunt in eſcam meam fel, &c. Factum eſt quidem ad litteram, & Euangelium hoc nobis indicat. Sed intelligendum eſt fratres hoc ipſum, quod non inueni conſolantes, hoc ipſum quod non inueni qui ſimul contriſtaretur, hoc fuit fel meum, hoc mihi amarum, C hoc acetum fuit. Amarum propter mœrorem, acetum propter vetuſtatem eorum, &c. Quid? iam Dominus eſcam acceperat, & in ipſam iniectum eſt fel. Acceperat autem ipſe eſcam ſuauem, quando paſcha manducauit cum diſcipulis ſuis, ibi ſacramentum ſui corporis demonſtrauit. In hanc eſcam tam ſuauem, tam dulcem vnitatis Chriſti, quam commendauit Apoſtolus. 1. *Cor.* 10. dicens: quia vnus panis, vnum corpus multi ſumus. *Nota diligenter immediatè ſubiicere Apoſtolum, reddentem rationem vnitatis, & ſuauiſſimi ſpecierum ſacramentalium glutini, imò corporis & ſanguinis Dominici cemenri*: qui de vno pane participamus: *& immediatè ante*: vt prudentibus loquor: vos ipſi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & pa- D nis quem frangimus, nonne participatio corporis

Omniloquium.

Aug.

Aug.

Domini eſt? *proſequitur Auguſtinus*: in hanc eſcam ſuauem quis eſt qui dat fel, niſi contradictores Euangelij, tanquam illi perſecutores Chriſti? *Capharnaïtæ ſacramentarij murmurantes, quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* minus enim peccauerunt Iudæi crucifigentes in terra ambulantem, *tranſitoria humilitate & pœna*, quam qui contemnunt in cœlo ſedentem. *Hinc Chriſtus maiori miraculo grauis corporis aſcendentis, confirmans minus craſſi penetrantis in Euchariſtia*: hoc vos ſcandalizat? ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem *corpore*, vbi erat prius? *ſcilicet diuinitate. Concludit Auguſt.* quod ergo fecerunt Iudei vt in eſcam quam iam acceperant, *inſtituto pro omnibus ſacramento, quod in nobiliori parte Iudæi, in Apoſtolis ſcilicet acceperant*, darent bibendum amarum illum potum, hoc faciunt qui malè viuendo ſcandalum inferunt Eccleſiæ. Hoc faciunt hæretici amaricantes, ſed non exaltentur in ſemetipſis. *Pſal.* 56. dant fel ſuper tam iocundum cibum. Sed quid faciat Dominus? non admittit ad corpus ſuum. *Ad vnitatem Eccleſiæ, in vna fide, & participatione corporis ſui*, hoc ſacramento, *id eſt myſterio & ſecreto profundo*, ipſe Dominus, quoniam illi obtulerunt fel, guſtauit, & noluit bibere. Si non eos pateremur, nec omnino guſtaremus. Quia vero neceſſe eſt eos pati, neceſſe eſt guſtari. Sed quia in membris Chriſti tales eſſe non poſſunt, guſtari poſſunt, recipi in corpus non poſſunt. Et dederunt in eſcam meam fel, &c. Sitiebam, & acetum accepi, id eſt fidem illorum deſideraui, & vetuſtatem inueni. *Fermentum Phariſæorum quod eſt hypocriſis, fermentum veteris malitiæ, pro Azymis ſinceritatis & veritatis. Idem Auguſt ſer.* 114. *de temp.* Quod ſitire ſe in cruce poſitus dicit, fidem incredulæ gentis concupiſcit, ſed è contra acetum malitiæ porrigunt, quia vinum ſapientiæ, *quæ poſuit menſam, & miſcuit in cratere vinum ſuum*, quod à Deo acceperant peccando corruperunt. REGNATVRVM EX LIGNO. *Pſal* 95. *in Vulgata & Hebræa nulla ſit mentio ligni, unde doctores putant odio Chriſti Iudæorum ſcandali ab illis expunctum.* Dicite in gentibus quia Dominus regnauit. *Tertul. idem repetit lib.* 3. *cont. Marc. & D. Iuſtinus contra Thriphonẽ ſic legit, notatque eraſum à Iudæis. Ita & D. Cypr. ſimiliter legit Lactantius, Arnobius, Caſſiod. Leo Papa, Pſal. Romanum & Gothicum*: *Quin & Hieronymus ſequentia Pſal. verba* correxit orbẽ terræ *ſine vt Chald. habet* firmauit *dicit partim doctrinâ Chriſti, partim ſupplicio crucis, orbem lapſum & tortuoſum debito nitori & forma reſtituuum. Aug. in Pſal.* 95. dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno. Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur. *Sic ipſe legit, & eo loco contra Donatiſtas pugnat.* An fortè hoc obtinebunt, & dicent ſe regnare à ligno, quia

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

Aug.

fustibus Circumcellionum regnant? de cruce Christi regna, si à ligno regnaturus es. *Alibi dixit: domuit orbem, non ferro, sed ligno, cuius principatus super humerum eius apud Esaiam*, nam lignum hoc tuum ligneum te facit: lignum Christi per mare te traicit. *Tangit furorem huius sectæ Donatistarum, qui*

A *suimet homicida, Martyrij indiscreti auidi, malè intellecto loco Euangelij: qui odit animam suam in hoc mundo, &c. Præcipitio, naufragio, aliisque fatis crudelibus se dedebant, & nolentes se occidere, cadebant fustibus nefandi fullones: cùm in cruce Christi pro fide illata non sit naufragium, sed nauigium tutum.*

6. *Christi passionis mysterium, quò incredibilius & glorioſius, tantò longè ante prophetandum & figurandum fuit ad disponendam fidem. cont. Iud. cap. 10. à p.*

ET vtique sacramentum passionis ipsius figurari in prædicationibus oportuerat? quantóque incredibile, tanto magis scandalum futurum, si nudè prædicaretur: quantóque magnificum, tantò magis obumbrandum, vt difficultas intellectus gratiam Dei quæreret.
Gen. 22. 6. Itaque in primis Isaac quum à patre hostia duceretur, & lignum ipsi sibi portaret, Christi exitum iam tunc denotabat, in victimam concessi à patre, lignum passionis suæ baiulantis. Ioseph & ipse Christum figurauit, vel hoc solo, ne cursum demorer ipse, quod persecutionem à fratribus passus est, & venundatus est in Ægyptum, ob Dei gratiam, sicut & Christus à Iudæis carnalibus fratribus venundatus, à Iuda cùm traditur.
Gen. 37. 28.

CHRISTI PASSIO. VI. SCHOLIA.

SACRAMENTVM PASIONIS. *id. mysterium.* IN PRÆDICATIONIBVS. *id. praditionibus, & prophetiis.* SCANDALVM FVTVRVM. 1. *Cor. 1.* Iudæis scandalum. *De hoc plura superius diximus.* OBVMBRANDVM. *Ne scilicet nimio splendore, mentis oculos hebetaret.* DIFFICVLTAS. *Hic locus contra hæreticos torquendus, qui mysteria fidei & scripturæ vt facilia dant mulierculis legenda, & exponenda. Cùm Io. 5. dixerit quasi de impenetrabili thesauro*: Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. GRATIAM DEI. *Donum intellectus*, & interpretationis sermonum: *iuxta Paulum intelligit. Quin & ipse Psalte 118. hanc gratiam poscebat à Deo dicens:* da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, &c. *Augst. in hunc locum ex. 1. Cor. 2.* de Spiritu Dei dictum est, quod omnia scrutetur etiam altitudines Dei; non vtique, vt
B quod nescit, inueniat, sed quod nihil relinquat omnino, quod nesciat. Gratia itaque Dei nobis præcipuè commendatur, quando sibi legem poni poscit à Domino, qui vtique iam legem secundùm literam nouerat. Sed quia litera occidit, spiritus autem viuificat. 1. *Cor. 3.* orat, vt per Spiritum sanctum faciat, quod per literam sciebat; ne per scientiam mandati non obseruati, etiam præuaricationis ei crimen accedat. Quamquam etiam, vt sciatur lex quomodo scienda est, id est vt intelligatur quid sibi velit, quare sit eis posita qui eam non erant seruaturi, quidque habeat vtilitatis, hoc ipsum quod, *Rom. 5.* Lex subintrauit vt abundaret
C delictum: nemo comprehendit, nisi à Domino acceperit intellectum: vnde iste adiungit & dicit: da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, &c. Cùm enim quisque legem scrutatus fuerit, & ad eius alta peruenerit, in quibus tota lex pendet, profectò debet Deum diligere ex toto corde, & ex tota anima, &c. Hoc videtur promisisse, cùm dixit: & custodiam illam in toto corde meo. Sed quia & hoc non valet viribus propriis, nisi adiuuetur ab illo qui iubet, vt faciat quod iubet: deduc me, inquit, in semita mandatorum tuorum, &c. Parum est mihi voluntas mea, nisi in eo quod volui, me ipse deducas. *Centies intellectum petiit Augustinus, vt vbique patet in scriptis suis, ad locos difficiles scripturæ intelligendos. Appositè autem ad textum Tertulliani, de scandalo crucis pen scripturas emollito, idem Aug. in Psal.* 118. Pax multa diligentibus legem tuam, &
E

A non est illis scandalum. Vtrum ipsa lex diligentibus se scandalum non est, an diligentibus eam, nullum est vndecumque scandalum? Sed vtrumque rectè intelligitur. Qui enim diligit Dei legem, etiam quid in ea non intelligit, honorat. Et quod ei sonare videtur absurdè, se potius non intelligere, & aliquid magnum latere ibi iudicat. Ideo lex Dei non est eis scandalum. Vt autem nullum scandalum omnino patiatur, non sic homines sanctæ cuiusque professionis attendat, vt fides eius ex eorum moribus pendeat; ne aliquibus cadentibus, quos pro magno habebat, ipse scandalo pereat: sed ipsam Dei legem diligat; & erit ei pax multa, nullumque scandalum. Securus enim diligit eam, in qua etiamsi multi peccant, peccare ipse non nouit. IN PRIMIS ISAAC. *Gen. 22.* tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus ignem & gladium, cumque pergerent duo simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respondit. Quid vis fili? ecce, inquit, ignis & ligna, vbi est victima holocausti? dixit autem Abrhã, Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi. *Ita versiones omnes, nisi quod pro victima, Sanct. Pagn. & paraph. Chald. agnum, 70. ouem legunt.* CHRISTI EXITVM. *Psalte regius*: & Domini Domini exitus mortis. *Sine quod eundem exitum mortis, factus pro nobis mortalis acceperit: sine quòd de faucibus mortis* inter mortuos liber, *exierit. Christi figuram Isaac induisse testantur præter Tertullianum. Clemens Alex. 1. pedag. cap. 5. & 1. Strom. Orig. homil. 8. in Gen. Ambr. 1. de Isaac, Chrysost. in Gen. homil. 47. sic autem Aug. in psal. 30. sic de Abrahæ sacrificio.* Iussus est immolare Deo eundem filium, Aug.
nec dubitauit, nec disceptauit, nec de iussu Dei disputauit, nec malum putauit, quod iubere optimus potuit. Duxit filium suum ad immolandum, imposuit ei ligna sacrificij, peruenit ad locum, erexit dexteram vt percuteret; eo prohibente deposuit, quo iubente leuauerat. Qui obtemperauerat vt feriret, obtemperauit vt parceret, vbique obediens, nusquam timidus, vt tamen impleretur sacrificiũ, & sine sanguine non discederetur, inuentus est aries hærens in vepre cornibus, ipse immolatus est, peractum est sacrificium. Quære quid sit: figura est Christi inuoluta sacramentis. Denique vt videatur, discutitur, vt videatur, pertractatur, vt quod inuolutum est, euoluatur. Isaac tanquam filius vnicus dilectus, figuram habens filij Dei,

S. August.

portans ligna sibi, quomodo Christus crucem portauit. *Vide dicenda infra Num. 9. ex eodem loco Aug. in Psal. 30.* IOSEPH ET IPSE *Aug. in Psal. 104 in f.* Si in seruum venundatus est Ioseph, & humiliatus, & exaltatus locum fecit ad temporalia bona populo Dei, vt firmaretur super inimicos eius: quantò magis Iesus venundatus & humiliatus à fratribus suis secundùm carnem & exaltatus in cœlis, locum facit populo Dei triumphanti de diabolo & Angelis eius? A IVDA CVM TRADITVR. *Gen. 37.* dixit Iudas fratribus suis: quid nobis prodest si occiderimus frattem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? melius est vt venundetur Ismaëlitis, &c. Vendiderunt eum Ismaëlitis 20. argenteis. *Ita & versiones omnes, nisi quod 70. legunt*, vendiderunt Ioseph viginti aureis. *Et Parap. Chald.* vendiderunt eum Arabibus 20. siclis argenti. *In quam multis Ioseph Typus Christi fuerit. Legendus Chrysost. Hom. 61. in Gen. Orig. hom. 1. in Exod. Arnob. in Psal. 104 Ambr. de Ioseph. 12. Hiero. in Psal. 8. Beda in Gen. 37. & 49. & in Exo. 1. Rup. 1. in Esa. c. 19. D. autem Aug. ser. 81. qui totus est de Ioseph qui primus est ex quatuor quos de Patriarcha Ioseph composuit, vbi inter quamplurimas comparationes inter Ioseph & Christum has accipe*, diligebat Iacob filium suum, quia Deus Pater diligit vnicum suum, sicut ipse dixit, hic est filius meus dilectus. Iacob misit filium suum vt de fratribus suis sollicitudinem gereret, & Deus Pater misit vnigenitum suum, vt genus humanum peccatis languidum visitaret. Ioseph dum fratres suos quæreret errabat in eremo, & Christus genus humanũ requirebat quod errabat in mundo. Quodammodo quasi & ipse errabat, quia errantes requirebat. Ioseph fratres suos quærebat in Sichimis, Sichima interpretatur humerus, semper enim peccatores dorsum magis quam faciem ponunt in faciem iusti, &c. Inuenit Ioseph fratres suos in Dothaim. Dothaim interpretatur defectio. Verè in grandi defectione erant, qui de parricidio cogitabant. Videntes ergo fratres sui de morte illius tractauerunt, sicut videntes Iudæi verum Ioseph Dominum Christum, vt eum crucifigerent, vno omnes consilio statuerunt. Ioseph expoliauerunt fratres sui tunicâ polymitâ & talari, & Iudæi Christum per mortem expoliauerunt tunica corporali. Ioseph exutus tunicâ mittitur in cisternam, id est in lacum; & Christus expoliatus carne humana, descendit in infernum. Ioseph posteaquam de cisterna leuatur Ismaëlitis, id est gentibus venditur: & Christus posteaquam de inferno regreditur, ab omnibus gentibus fidei commercio comparatur. Ioseph per consilium Iudæ triginta argenteis distrahitur; & Christus per consilium Iudæ Iscariotis, eodem numero venundatur. *Non solus Augustinus sic legit, sed ante eum Origenes, & post eum Beda venditum Ioseph triginta argenteis asserunt, quin etiam vetustissima Biblia idem pronuntiant. Saluari autem potest discrepantia ab Hebrais, Chaldæis, & 70. versionibus; quòd secundùm aliquos, ter fuerit venditus Ioseph, primò à fratribus, Ismaëlitis; 2. ab his, Madianitis: 3. Putiphari à Madianitis. Vt sic secunda venditio, vel tertia, maior fuerit, primâ; solent enim qui seruos aut quiduis aliud emunt, præter datam summam, aliquid amplius lucrari dum emptitium seruum secunda venditione distrahunt. Prosequitur Augustinus*: quod autem in diuersis translationibus non æquali pretio Ioseph scribitur venundatus, sed alij dixerunt viginti argenteis, alij triginta, hoc spiritaliter significauit, quod Christus non æqualiter ab omnibus credendus vel diligendus esset, &c. Ioseph descendit in Ægyptum, & Christus in mundum. Ioseph à penuria frumenti saluat Ægyptum, & Christus à fame verbi Dei liberat mundum. Nisi enim Ioseph fratres sui vendidissent, defecerat Ægyptus. Fratres verum est, nisi Christum Iudæi crucifixissent, perierat mundus, &c. Non incongruè coacti sunt steriles manipuli fructuosum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant. *Comparat item inuidiam fratrum in Ioseph cum inuidia Iudæorum. Subiicit etiam ad literam Lunam, id est Rachelem iam mortuam non adorasse Iosephum, licet fratres in Ægypto adorauerint quasi stellæ, sed impletam in Christo Prophetiam Psal. 148.* laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes stellæ & lumen. Sol enim & Luna & vndecim stellæ eum adorauerunt, quando post resurrectionem Sancta Maria quasi luna, & Beatus Ioseph velut Sol, *intelligendum est de Ioseph suscitato cum aliis sanctorum corporibus. Ante passionem enim mortuus erat: nec alteri quam Sancto Ioseph, nec ipsi Ioanni matrem commendasset: hinc etiam ob commune & Ioseph & iusti nomen Christi corpus audacter petiit à Pilato Ioseph ab Arimathia*, cum vndecim stellis, id. Beatis Apostolis, incuruati & prostrati sunt ante eum, & impleta est prophetia quæ dixerat: laudate eum Sol & Luna, &c. & reuerà quomodo fratribus Ioseph potest conuenire, quod eum quasi stellæ adorare possent, quos inuidiæ nox obscuros & tenebrosos effecerat? Iam enim claritatem stellarum perdiderant, qui in se lumen Charitatis extinxerant. Meritò ergo hoc in Domino saluatore nostro verius credimus esse completum, quem sicut iam antea dixi, & Beatum Ioseph, & Beatam Mariam cum vndecim Apostolis frequentius legimus adorasse, &c. In illo Ioseph ampliationem *Ioseph enim significat augmentum*, non habuit nisi sola Ægyptus: in nostro vero Ioseph augmentum habere vniuersus meruit mundus.

August. August. S. Augustin.

7. *Christi mors dura auditu, scripturæ testimonio emollitur. cont. Prax. cap. 29. V. Christi infirma. 5. in p.*

CHRISTI PASSIO. VII. SCHOLIA.

Vide iam expositum supra verbo Christi infirma. 5. à p.

8. *Christi passio deformis, licet manente flore gratiæ spiritus, quantò incredibilior, tantò magis debuit prophetari, vt euentus crederetur. 3. cont. Marc. cap. 17. per totum. & 18. in p.*

RElíquum ordinem eius cum scripturis conferamus. Quodcunque illud corpusculum fit, quoniam habitum, & quoniam conspectum fuit; si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis, meus erit Christus. talis enim habitu & aspectu annuntiabatur. Adest rursus Esaias, a *Annuntiauimus*, inquit, *coram ipso; velut puerulus, velut radix in terra sitienti, & non est*

a Esa. 53. 2.

ſpecies eius, neque gloria; & vidimus eum, & non habebat ſpeciem neque decorem; ſed ſpecies eius inhonorata, deficiens citra omnes homines. Sicut & ſuprà patris ad filium vox. [b] *Quemadmodum expaueſcent multi ſuper te, ſic ſine gloria erit ab hominibus forma tua.* Nam etſi [c] *Tempeſtiuus decore*, apud Dauid, *Supra filios hominum*; Sed in allegorico illo ſtatu gratiæ ſpiritalis, cùm [d] *Accingitur enſem* ſermonis, qui verè ſpecies & decor & gloria ipſius eſt: ceterum habitu incorporabili apud eundem Prophetam; [e] *Vermis* etiam *Et non homo, ignominia hominis, & nullificamen populi.* Neque interiorem qualitatem eius, eiuſcemodi adnuntiant. Si enim plenitudo in illo ſpiritus conſtitit, agnoſco [f] *Virgam de radice Ieſſe. flos eius*, Meus erit Chriſtus, *In quo requieuit*, Secundùm Eſaiam, *Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & vigoris, ſpiritus agnitionis & pietatis, ſpiritus timoris Dei.* Neque enim vlli hominum diuerſitas ſpiritalium documentorum competebat, niſi in Chriſtum: flori quidem ob gratiam ſpiritus adæquatum; ex ſtirpe autem Ieſſe deputatum, per Mariam inde cenſendum. Expoſtulo autem de propoſito, ſi das ei omnis humilitatis & patientiæ & tranquillitatis intentionem? & ex his Eſaïæ erit Chriſtus, & [g] *Homo in plagâ, & ſciens ferre imbecillitatem: qui tanquam ouis ad victimam adductus eſt, & tanquam agnus ante tondentem non aperuit os.* [h] *Qui neque contendit, neque clamauit, nec audita eſt foris vox eius: qui arundinem contuſam*, id eſt, quaſſam Iudæorum fidem, *Non comminuit; qui linum ardens*, Id eſt, momentaneum ardorem Gentium *Non extinxit*, Sed lucernam magis fecit ortu luminis ſui. Non poteſt alius eſſe, quàm qui prædicebatur. Oportet actum eius ad ſcripturarum regulam recognoſci, duplici, niſi fallor, operatione diſtinctum, prædicationis & virtutis. Sed de vtroque titulo ſic diſponam, vt quoniam ipſum quoque Marcionis Euangelium diſcuti placuit, de ſpeciebus doctrinarum & ſignorum illuc differamus quaſi in rem præſentem: hic autem generaliter expungamus ordinem cœptum, docentes prædicatorem interim annuntiari Chriſtum per Eſaiam: [i] *Quis enim*, inquit, *In vobis, qui Deum metuit? & exaudiat vocem filij eius.* Item medicatorem. [k] *Ipſe enim*, inquit, *Imbecillitates noſtras abſtulit, & languores portauit.* De exitu planè puto diuerſitatem tentatis inducere, negantes paſſionem crucis in Chriſtum creatoris prædicatam, & argumentantes inſuper non eſſe credendum, vt in id genus mortis expoſuerit Creator filium ſuum, quod ipſe maledixerat: [l] *Maledictus*, inquit, *Omnis qui pependerit in ligno.* Sed huius maledictionis ſenſum differo, dignæ ſolâ prædicatione crucis, de qua nunc maximè quæritur, quia & alias antecedit rerum probatio rationem. De figuris prius edocebo. Et vtique vel maximè Sacramentum iſtud figurari in prædicatione oportebat; quantò incredibile, tantò magis *Scandalo* futurum, ſi nudè prædicaretur: quantóque magnificum, tanto magis obumbrandum, vt difficultas intellectus gratiam Dei quæreret.

b Eſa. 52. 14.
c Pſal. 44. 3.
d Ibid. 4.
e Pſal. 21. 6.
f Eſa. 11. 2.
g Eſa. 53. 3. & 7.
h Eſa. 42. 2. 3.
i Eſa. 50. 10.
k Eſa. 53. 4.
CAP. XVIII
l Deut. 21. 23.

CHRISTI PASSIO. VIII. SCHOLIA.

RELIQVVM ORDINEM, &c. *Id. ſeriem & contextum vitæ paſſionis & mortis Chriſti de quibus tractat Euangelium, euoluamus, & cum locis veteris Teſtamenti, totum hunc ordinem componentes, figuras & prophetias impletas videamus, & Chriſtum Creatoris proinde agnoſcamus,* CORPVSCVLVM. *Chriſti ſcilicet, quantumcumque exile, ſubtile, ſydereum, phantaſticum cenſeant hæretici.* QVONIAM HABITVM. *Id. acceptum fuit & ſumptum, & hominibus exhibitum, viſibile, tractabile hominibus à vero Dei filio:* SI INGLORIVS, *&c. Id. ſi Chriſtus ſe hominibus contemptibilem & ſine gloria, & cum crucis ignominia, & maledicto, præbuit in hac carne mortali,* MEVS ERIT. *Id. ad Chriſtianos pertinebit Dei Creatoris ſeruos, qui prophetias veteres de Chriſto ſuo impletas agnoſcunt.* ANNVNTIAVIMVS, *&c. Eſa.* 53. Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum, &c. *Pro* non deſiderauimus: *Hebræorum more, qui negationem præcedentem ſubintelligunt in poſtrema ſententia. Ita & aliæ verſiones. Vatab. in Schol.* Naſcetur Chriſtus pulcherrimus vt virgultum elegantiſſimum. *Vt virga de radice Ieſſe Flos.* E ſolo arido, hoc eſt è Virgine Maria, quæ ſemine virili non fuit irrigata. Et is qui adeo formoſus erit, poſtea tempore ſupplicij ſui, erit admodum deformis, vt videatur ſpecie priſtina, ſiue humana carere. A Cùm vidimus illum, non erat illi forma: Itaut non optaremus eum: ſubaudi, videre vt antea. 70. *Secutus eſt Tertul. ſuo more, qui ſic legunt* Annuntiauimus, quaſi paruulum in conſpectu eius: ſicut radix in terra ſitienti. Adeo languidus & marcens erat, vnde & dicebat Pſal. 21. aruit tanquam teſta virtus mea, non eſt ſpecies ei, neque gloria: & vidimus eum; & non habebat ſpeciem, neque decorem: ſed ſpecies eius inhonorata, & deficiens præ filiis hominum. *Habes hunc locum ſupra expoſitum.* ET SVPRA *Scilicet Eſa.* 52. Obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum. *Sanct. Pagn. parum diſtat:* Sic corruptus eſt præ viro aſpectus eius, &c. *Vatablus:* Admirabundi obſtupuerunt multi de eo, quòd aſpectus eius deformior fuerit quàm vllius viri, &c. 70 ſicut ſtupebunt ſuper te multi, ſic inglo- B ria erit ab hominibus ſpecies tua, & gloria tua à filiis hominum. ETSI TEMPESTIVVS. *Pſal.* 44. Speciоſus formâ, &c. *Jam alibi expoſitum habes. Nec hic Tertul. ad literam, ſed myſticè exponit hunc locum. De gratia & pulchritudine ſermonis, & temperantia & tempeſtiua loquela, & verbo Chriſti per gladium eius expreſſo. Et de hoc iam alibi. Præterea iam à nobis dicta de gladio Chriſti, conſulat curioſus lector Orig. homil. 16. in Leuit. homil. 4. in Iud. Philonem Iud. 2. Allegor. & de Cherub. Baſil. in Pſal.* 45. *Arnobium in pſal.* 9. 62. & 88. *rurſum Origenem*

homil. 13. in num. & homil. 2. & 3. in Pſal. 36. Hilarium in Matth. Can. 10. Ambr. Ep. 56. & in Luc. 21. Greg. 19. Moral. c. 29. & 34. c. 4. Hiero. de iudicio Salomonis, & in Pſal. 58. & 149. Aug. frequenter in
Auguſt. *Pſalmos. Vbi inter cætera Pſalmo 7.* Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, &c. Poteſt ipſe homo dominicus gladius intelligi bis acutus, id eſt framea; quem non vibrauit primo aduentu, ſed tanquam in vagina humilitatis abſcondit. Vibrabit autem, cum in ſecundo aduentu veniens iudicare viuos & mortuos, in manifeſto ſplendore claritatis ſuæ, iuſtis lumine ſuo, & terrore impiis corruſcabit. Nam in aliis exemplaribus, pro eo quod eſt, gladium ſuum vibrabit; frameam ſuam ſplendificabit, poſitum eſt. Quo verbo, conuenientiſſimè ſignificari arbitror vltimum dominicæ claritatis aduentum. *In primo gladius ad femur in vagina concluſus eſt, in ſecundo* Vtraque parte acutus de ore eius exibit *Apoc. 1. & in Pſal. 58. ſic idem*
Aug. *Doctor in verba*; Gladius in labiis eorum. Iam ille gladius bis acutus, de quo Apoſtolus dicit: *Epheſ. 6.* & gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei. Quare bis acutus? Quare? Niſi quia ex vtroque teſtamento feriens, hoc gladio mactabantur, de quibus dicebatur Petro *Act. 10.* Macta & manduca. HABITV INCORPORABILI. *Non quod Chriſtus incorporeus fuerit: ſic enim ironicè dict. in eſſet videndo Phantaſma Marcionis: ſed propriè, corpus* C *deformatum, & vix cognoſcibile deſcripſit, vſque ad*
Aug. *vermis ſimilitudinem.* VERMIS ETIAM. *Præterea dicta alibi accipe alium locũ Auguſtini Epiſt. 49. ad Deogratias vbi de vermerodente cucurbitam:* Vermis matutinus quo rodente cucurbita exaruit, idem ipſe rurſus Chriſtus occurrit, ex cuius ore Euangelio diffamato, cuncta illa quæ temporaliter apud Iſraëlitas velut vmbratili prius ſignificatione viguerunt, euacuata marceſcunt. Et nunc ille populus amiſſo Ieroſolymitano regno & Sacerdotio, & Sacrificio, quod totum erat vmbra futuri, in captiua diſperſione, magno æſtu tribulationis exuritur, ſicut Ionas, quod ſcriptum eſt, à Solis ardore; & dolet grauiter, & tamen dolori D eius atque vmbræ quem diligebat, ſalus Gentium, pœnitentiũque proponitur, &c. Nos ergo agnoſcamus Vermem matutinum, quia & in illo Pſalmo 21. Cuius titulus inſcribitur, pro ſuſceptione matutina: Hoc ſe ipſe nomine appellare dignatus eſt: Ego, inquit, ſum vermis, &c. Ab iſto verme tanquam à tinea comeduntur, qui ſub eius dente Euangelico, per ſingulos dies paucitatem ſuam deficiendo mirantur. Nos hunc agnoſcamus, & pro ſalute diuina, humana opprobria ſufferamus.

A Vermis eſt propter humilitatem carnis, fortaſſis etiam propter virginis partum: Nam hoc animal plerumque de carne, vel de quacumque re terrena ſine vllo concubitu naſcitur, matutinus eſt, quia diluculo reſurrexit. Poterat vtique illa cucurbita & ſine vllo vermiculo areſcere. Poſtremo ſi habebat Deus ad hoc vermem neceſſarium, quid opus erat addere matutinum? niſi vt ille vermis agnoſceretur, qui cantat pro ſuſceptione matutina; ego autem ſum vermis, &c. Quid iſtâ prophetiâ iã ipſo rerum effectu & adimpletione lucidius? ſi irriſus eſt vermis iſte cum penderet in cruce, ſicut in eodem Pſalmo ſcriptum eſt: locuti ſunt labiis, B & mouerunt caput, &c. Foderunt manus meas, &c. Quod tanta manifeſtatione futurum in libro antiquo prophetatur, quanta manifeſtatione factum in nouo Euangelio recitatur. Sed ſi in hac humilitate, vt dicere cœperam, iſte vermis irriſus eſt, nunquid adhuc irridendus eſt, cum ea compleri cernimus, quæ conſequentia Pſalmus ipſe habet? commemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium, &c. INTERIOREM QVALITATEM. *Id. diuinitatem & gratiam ſpiritus. Cæteros locos ſcripturæ alibi expoſuimus.* EXPOSTVLO *Id. de teipſo conqueror apud te Marcion, &* Ex ore tuo te iudico; *Si* C *Chriſtus tuus vt & Deus tuus omnino bonus, mitis omnia ſufferens eſt, agnoſce ipſum eſſe Creatoris, cuius in hoc prophetias impleuit.* OPORTET ACTVM EIVS. *id. quidquid egit, vt ſe probaret miſſum à Patre, ad duo capita reducitur, ſcilicet prædicationis & operationis miraculorum, &c.* MARCIONIS EVANGELIVM. *Lucæ ſcilicet, quod pro libito conſarcinauit, & ſecundum hoc ſuo loco conuincam etiam ſpecies ſingulas doctrinæ & medicinæ congruere Chriſto creatoris, Euangeliumque prophetiis concordare. Nunc in genere per Iſaiam probo & infirmitatum medicum, & prædicatorem.* QVIS IN VOBIS. *Eſa.* 50. Quis ex vobis timens Dominum audiens vocem ſerui ſui? Qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei? *Ita & alia verſiones.* 70. Quis eſt in vobis qui timeat Dominum? Exaudiat vocem pueri eius, &c. ANTECEDIT RERVM PROBATIO. *Id. prænalet probatus & conſpicuus rerum euentus, quamlibet facti & euentus ipſius rationem, examen, diſcuſſionem: dicat in contrarium quod velit Marcion, impugnet, indignam carnem, ſcandaloſam, ſtultam clamet crucem Chriſti, ideo in veteri lege hæc omnia præſignauit & prædixit Deus Creator, vt cum res euenirent, paratos fidei recipiendæ animos inueniret.*

9. *Chriſtus in Iſaac crucem tulit, & in Ariete ſpinas, mutus vt ouis coram Pilato. Cont. Iud. cap. 13. à m.*

HOc lignum ſibi & Iſaac filius Abrahæ ad ſacrificium ipſe portabat, cum ſibi eum Deus hoſtiam fieri præcepiſſet. Sed quoniam hæc fuerant ſacramenta, quæ temporibus Chriſti perficienda ſeruabantur: & Iſaac cum ligno reſeruatus eſt, ariete oblato in vepre cornibus hærente: & Chriſtus ſuis temporibus lignum humeris ſuis portauit, inhærens cornibus crucis, corona ſpinea in capite eius circundata. Hunc enim oportebat pro omnibus gentibus fieri ſacrificium, [a] *Qui tanquam ouis ad victimam ductus eſt, & velut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.* Hic enim Pilato interrogante nihil locutus eſt: [b] *In humilitate enim iudicium eius ſublatum eſt.*

Gen. 22. 6.
Io. 19. 17. & ibid. verſu 2.
a Eſa. 53. 7.
b Io. 19. 9. Eſa. 53. 8.

CHRISTI PASSIO. IX. SCHOLIA.

Aug. HOC LIGNVM. *Præter dicta ſupra numero 6. hæc ſubiicio. Aug. ſer. 71. de temp. qui totus eſt de immolatione Iſaac,* Quod Iſaac ipſe ſibi ad E immolandum ligna detulit, & in hoc Chriſtum Dominum figurauit, qui ad locum paſſionis crucem ſuam ipſe portauit, de quo myſterio multo

ante dictum fuerat per Prophetam *Esa.* 9. Et erit, inquit, principatus eius super humerum eius. Tunc enim Christus principatum super humerum eius habuit, quando crucem suam admirabili humilitate portauit. Non incongrue crux Christi significat principatum. Nam per ipsam & diabolus vincitur, & totus mundus ad Christi notitiam, vel gratiam reuocatur. S. Augustin. *Ibidem circa finem:* Audite aliud Sacramentum fratres charissimi. Hieronymus Presbyter scripsit ab antiquis & Senioribus Iudæis se certissimè cognouisse, quod ibi immolatus sit Isaac, vbi postea Christus crucifixus est, &c. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco vbi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo calua-
B riæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè fratres non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ægrotus. Et dignum erat, vt vbi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia; & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulueream antiqui peccatoris, dum diguam stillando contingere, redemisse credatur. ARIETE OBLATO. *Gen.* 22. Leuauit Abraham oculos suos viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Ecce aries pòst detentus in perplexitate cornibus suis. *Vatab.* Respexit, & en Aries retro
C implicitus erat vepreto cornibus suis. 70. Et ecce Aries vnus qui tenebatur in virgulto Sabec cornibus. *Paraph. Chald.* Et ecce Aries, postquam apprehensus est in arbore cornibus suis. *Figuram Christi fuisse Arietem testantur Orig. hom. 3. in Leuit.* Augustin. *Basil. in Psal. 28. Ambr. lib. 2. de Abraham c. 8. Aug. frequenter, maximè in Psal. 30.* Ipse Aries Christum significauit. Quid est enim hærere cornibus, nisi quodammodo crucifigi? *Et ser. 72. de temp.* Christus quasi cornibus inter spinas hærebat, quando ad crucis cornua clauorum confixione pendebat, &c. *Et rursum ibid.* Potest tamen & de
D Beato Isaac, & de illo Ariete etiam sic intelligi: Vt in Beato Isaac significata sit diuinitas, in Ariete humanitas Christi. Et quia in passione non diuinitas crucifixa creditur, ideo non Isaac, sed aries immolatur: Dei enim filius, vel vnigenitus offertur, & virginis primogenitus immolatur. *Et lib. 16. de Ciuit. c 32.* Quis erat ille aries, quo Aug. immolato impletum est significatiuo sanguine Sacrificium? Nempè quando eum vidit Abraham, cornibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figurabatur, nisi Iesus Christus, antequam immolaretur, spinis Iudaicis coronatus? *Et lib. 12. contra Faustum c. 25.* Quis alius aries immolandus in vepre cornibus adhærebat, nisi qui crucis patibulo pro nobis offerendus affligebatur spinis primitus coronatus? PRO OMNIBVS GENTIBVS SACRIFICIVM. *Aug. eodem precitato loco de* Aug. *Ciuit. ex Hebr. 11. vbi Paulus Christum comparat eum Isaac:* Pro hoc etiam eum, & in similitudinem adduxit. Cuius similitudinem, nisi illius de quo dicit idem Apostolus *Rom. 8.* Qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum? *Et ser. 71. de temp.* Quod autem aries occisus est, Aug. & Isaac non est occisus, ideo factum est, quia Isaac figura & non veritas erat, in ipso designatum est, quod postea in Christo completum est. Videte Deum cum hominibus magna pietate certantem. Abraham mortalem filium non moriturum obtulit Deo; & Deus immortalem filium pro hominibus tradidit morti. *Et lib. 3. Cont. Maxi-* Aug. *minum c. 26.* Quis alius erat ille aries, qui cornibus tenebatur in vepre? Nisi Christus crucifixus, vel spinis coronatus: hunc autem arietem pro filio cui parcere iussus est immolauit Abraham. Ita enim homini parci iussit Deus, vt tamen ex pecude, propter passionem Christi, quæ illo modo prænuntiabatur, mysterium sacri sanguinis impleretur. IN HVMILITATE, *&c. Esa.* 53. *Vbi versio communis* De angustia & de iudicio sublatus est. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* De clausura & iudicio. *Vatabl.* Absque dilatione citraque iudicium raptus est. 70. In humilitate iudicium eius sublatum est. *Siue quòd humilitatis excessu mutus velut agnus nil ad suam defensionem dixerit: siue quod iudicium iuxta Psaltem à Patre Rege, sibi regi datum, & potestatem omnis iudicij sibi surripi à Pilato patienter & humiliter tulerit.*

10. *Et 3. Cont. Marc. cap. 18. à p.*

Gen 22.6. Io. 19.17. IN primis Isaac, quum à patre in hostiam deditus, lignum sibi ipse portaret, Christi exitum iam tunc denotabat, in victimam concessi à patre, & lignum passionis suæ baiulantis.

CHRISTI PASSIO. X. SCHOLIA.

S. Aug. IN PRIMIS ISAAC, *&c. Tot iam precitatis locis hos nouos ex Aug. sumat lector lib. 2. de Trinit. c. 6.* Isaac Christus erat cum ad se immolandum ligna portabat. *Et lib. 12. Cont. Faustum c.* S. Aug. *25.* Quis alius in Isaac lignũ sibi portabat ad victimam, nisi qui crucem sibi ad passionem ipse portabat? *Et lib. 3. Cont. Maximinum c. 26.* Isaac filius Augustin. Abrahæ, quid erat in figura nisi Christus, quando sicut ouis ad immolandum ductus est, *Esa. 53.* Et quando sicut Dominus crucem suam, ita & ipse sibi, quibus fuerat imponendus, ligna portabat?

11. *Christi coronæ spinas Iudea produxit. 3. Cont. Marc. cap. 23. à p.*

a Esa. 5.6. b Math. 27.26. c Luc. 23. 25. d Matth. 21.13. a *MAndatum est nubibus, ne pluerent imbrem super vineam Sorech.* Id est cœlestibus beneficiis, ne prouenirent domui Israëlis b *Fecerat enim spinas*, Ex quibus Dominum coronauerat; c *Et non iustitiam, sed clamorem.* Quo in crucem eum extorserat. Et ita subtractis charismatum roribus, d *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* V. Corona. 8. per totum.

CHRISTI

CHRISTI PASSIO. XI. SCHOL.

MANDATVM EST NVBIBVS. *Esa.* 5. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, &c. *Sanct. Pagn.* In colle loco pingui, &c. Et expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas, &c. Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. *Consonant aliæ versiones.* 70. Vinea facta est dilecto in cornu in loco pingui, &c Et plantauit vineam Sorec, &c. Et expectaui vt faceret vuam: & fecit spinas, &c. Et nubibus mandabo ne pluant in eam imbrem. Vinea enim Domini Sabaoth domus Israël & homo Iuda, nouella plantatio dilecta expectaui vt faceret iudicium: fecit autem iniquitatem, & non iustitiam, sed clamorem. *Alia versiones cum vulgata.* Et ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor. MANDABO NVBIBVS. *Aug. in Psal. 103. in versum,* Ponit nubes ascensum eius accipitur & hoc bene ad literam, Dominus visibiliter ascendit in cœlum, quomodo positæ sunt nubes ascensus cœli? Hæc cum dixisset, nubes suscepit eum. *Act. 1.* Habes item de Resurrectione nostra prædictum 1. *Thess.* 4. Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra, &c. *Postea explicat nubes de prædicatoribus & Prophetis, per quos in cœlum intelligentia scripturarum ascendit populus.* Quid est hoc fratres? Vtinam me Dominus Deus meus inter illas quascumque nubes numerare dignetur: videtis quam nebulosa nubes sim. Omnes tamen prædicatores verbi veritatis nubes accipi possunt. Quicumque ergo infirmi non possunt ascendere in hoc cœlum, id est ad intellectum scripturarum, per nubes ascendant, &c. Vos intelligendo ascendite, in intellectu ipso fructificate, ne sitis quasi illa vinea, de qua dicitur apud Prophetam, mandabo nubibus meis, &c. Accusabatur enim quædam vinea, quòd pro vuis spinas dederat, non reddiderat dignam gratiam dulci pluuiæ. Qui enim bona audit & mala operatur, dulci pluuiâ compluitur, & spinas generat. *Postea iuxta Prophetam applicat populo Iudæo:* Minatus est Deus illi vineæ atrocissimâ comminatione mandabo nubibus meis, &c. Et factum est. Venerunt Apostoli ad Iudæos, respuerunt eos, & dixerunt illis: ad vos missi eramus; sed quia repulistis verbum Dei, imus ad gentes. *Act. 13. sed Tertul. aridum vellus Gedeonis insinuat, rore & pluuia benedictionis cœlestis vacuos relictos Iudæos, & iuxta locum Matth. 11. alibi expositum* Legem & Prophetas in Ioanne *defeciſſe: Verbum item Dei non solum propheticum, sed & à Patre missum semen in terræ veri virginalis sinu creditum, inter spinas in cruce suffocatum. Implenda enim erat figura Rhamni, qui Iudicum 9. Rex præfectus est super omnia ligna, quòd Rex Regum eo coronandus esset; & regnaturus à Rhamno sicut à ligno.* DOMINVM CORONAVERAT. *Aug. ser. 114 de temp.* Corona spinea capiti eius imponitur, quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc è diuerso vt membrorum vita, capitis sit corona. SED CLAMOREM. *Cùm scilicet Luc. 23.* Illi succlamabant dicentes *Translat. Syr. vociferabantur, &c.* Crucifige, crucifige eum. *Sed cauendum quod monet Bern. de Rhamno, id est Christo alium spinis coronato, igneum clamorem exiturum à iudice contra steriles cedros Libani, cum dicet:* Discedite à me maledicti in ignem æternum. *Rursum ex Hiero. disco in Psal. 57. Rhamnum & aculeis asperrimum, & flore gratissimum. Vnde & Christus Rhamno coronatus agnoscitur duplicem habere virtutem & bonorum retributionis, & malorum vltionis: quia iustis florebit ad ornatum, peccatoribus præbebit spinas ad conspergendum & comburendum. Hinc Aug. in Psal. 103. Vbi de vinea pro pluuia spinas proferente sic concludit.* Videte quomodo credatis videte quid suscipiatis. Post prædicatorem, veniet iudex, & post dispensatorem veniet exactor. *Qui scilicet exigat rationem neglecta nubium pluuia. Piget lectori subducere breuem ac piam hortatiunculam Augustini huic loco aptissimam sermone 114. de temp.* Agnosce homo quantum valeas, & quantum debeas, &c dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, *Dum purpura, quassato calamo, coronâ spinea Rex ridendus colaphizatur, de quo Propheta iudice futuro præmuntiat, quòd tyranni ridiculi eius erunt, & ipse de Regibus triumphabit;* Pro mendace veritas necatur, damnatur iustitia pro iniquo, misericordia afficitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo, &c. Qui ergo non habebat peccata propria dignè deleuit aliena, &c. Et quia debitum solus non habuit, rectè fœnus misericordiæ pro debitoribus erogauit. Perpende inter hæc, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem à nobis sit exacturus vsuram.

Aug. Aug. Aug. S. Aug. S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

12. *Christus spinis coronatus, non flores nobis, sed spinas commendauit. De Cor. cap. 9. in. m.*

SI forsitan opponis ipsum Christum coronatum, ad hoc breuiter interim audies: Sic & tu coronare. licitum est. *V. infra. num. 18.* Math. 27. 26.

CHRISTI PASSIO XII. SCHOLIA.

SI PORTITAM OPPONIS, *&c. id est si volens capiti tuo coronam imponere, Christum quoque coronatum obiicis, per me licet; habes quem imiteris, non texendis floribus, sed spinis quibus Synagoga Christum coronauit. Ad Christum velut rubum amoris igne pro te successum accede, sed nudis pedibus, spoliatis inquam à deliciarum amore affectibus, iacentibus circa crucem ex contusione capitis, stimulis compungere in dumetum enim ipso ariete nudum caput insere, saltem pectus & vbera compassionis dilecto tuo cum sponsa porrige, & fasciculum spinarum excipe, sit in corde tuo,* vbi filius hominis caput reclinet. *Collacrymare Sunamitis* vox turturis audiatur in terra nostra, *in qua* non flores, *sed spinæ* apparuerunt. *Die tandem calcatis floribus & coronis:* fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Augst. ser. 86. de temp.* In rubo significata est Synagoga Iudæorum. Multo enim tempore in eis feruor, & flam-

S. Auguſt.

ma ſancti Spiritus fuit; & tamen ita contra Dei gratiam rebelles ſemper Spiritui ſancto reſtiterunt, vt eorum peccata, vel ſacrilegia, igne ſancti Spiritus conſumi non poſſent. *Hæc Synagoga rubus fuit, de cuius filijs cecinit pro Chriſto Pſaltes*: exarſerunt ſicut ignis in ſpinis. *Adorem inuidiæ eorum pulchrè exaggerat Auguſtinus tract. 116. in cap. 19. Io.* S. Aug. Milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant, Aue Rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Sic implebantur S. Auguſt. *ingtis Auguſt.* quæ de ſe prædixerat Chriſtus. Sic Martyres informabantur ad omnia quæ perſecutori libuiſſet facere, perferenda. Sic pauliſper occultatâ tremendâ potentiâ, commendabatur prius imitanda patientia. Sic regnum quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat. Sic illud granum multiplicandum ſeminabatur horribili contumelia, vt mirabili pullularet in gloria. *Subiicit Pilatum in hoc ludibrio Chriſtum produxiſſe, & dixiſſe, ecce homo.* Aug. Vt hæc eius ludibria inimici libentiſſimè biberent, & vlterius ſanguinem non ſitirent. Egreditur ad eos Ieſus portans ſpineam coronam & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio, & dicitur eis, ecce homo. Si regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis. Flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, &c. Feru & ignominia, frigeſcat inuidia. Sed non frigeſcit, inardeſcit potius & increſcit. *Vt impletur*, ſicut ignis in ſpinis.

13. *Chriſtus Crucifixus à Scribis & Phariſæis figuratus in Simeone & Leui. cent. Iud. cap.* 10. *circa m.*

IDem erit & alibi *taurus* apud eandem ſcripturam, cùm Iacob in Simeonem & Leui porrexit benedictionem, de Scribis & Phariſæis prophetat: ex illis enim deducitur cenſus illorum. interpretatur enim ſpiritaliter ſic, a *Simeon & Leui perfecerunt iniquitatem* ex ſua ſecta, qua ſcilicet Chriſtum ſunt perſecuti. *In concilium eorum ne venerit anima mea, & in ſtationem eorum ne incubuerint iecora mea: quoniam indignatione ſua interfecerunt homines*, id eſt, Prophetas; *& in concupiſcentia ſua ſubnerauerunt taurum*, id eſt Chriſtum, quem poſt necem Prophetarum interfecerunt, & neruos eius ſuffigendo clauis, deſæuierunt. Cæterum vanum, ſi poſt homicidium iam ab eis commiſſum, alicuius bouis, ipſis exprobrat carnificinam.

a Gen. 49. 5. & 6.

CHRISTI PASSIO. XIII. SCHOLIA.

ALIBI TAVRVS. *ſcilicet Gen. 49. ex verſione 70.* CVM IACOB IN SIMEONEM, *&c. Varias lectiones proferam, & locum difficilem exponam. Vulgata.* Simeon & Leui fratres: vaſa iniquitatis bellantia. In Conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. *Sanct. Pagn.* arma iniquitatis in habitationibus ſuis in ſecretum eorum non veniat, &c. Non vniatur gloria mea, &c. Et voluntate ſua eradicauerunt murum. *Vatablus.* Arma violenta macheræ eorum, &c. pro libidine ſua ſuffoderunt murum. *Chald. Paraph.* viri fortiſſimi in terra peregrinationis ſuæ fecerunt fortitudinem, *&c. Vatabl. in Schol.* Fratres id eſt ſocij in ſcelere abuſi ſunt armis ſuis ad iniquitatem, occidentes innocentes Sichimitas cùm peregrinarentur. Reuertebatur enim Iacob cum ipſis de Haram, cùm occiderunt Sichimitas. 70. Conſummauerunt iniquitatem propoſiti ſui, &c. In congregatione eorum non contendent viſcera mea; quia in furore ſuo interfecerunt homines, & in cupiditate ſua ſubneruauerunt Taurum. *Ad literam duo hi Patriarchæ fratres plus ſcelere quàm natura, vlciſcendæ iniuriæ conſtuprate ſororis Dinæ à principe Sichimitarum, exegerunt ab eo vt pro ſponſandâ ſorore, ſe ſuoſque circumcideret, & in ipſo adhuc vulnere & ſanguine ſacramenti debiles inuaſerunt, vrbemque euerterunt. Impium hoc conſilium auerſatur Iacob. Et diſperſionem eorum prædicit ſubdens:* diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël. *De facto Leuitis nulla ſors obtigit in terra Chanaam, ſed diſperſi ſunt per omnes tribus. Ita & Simeonis tribui ſors data in medio Iuda, Ioſue 19. & cum creuiſſet pars in Gador, pars in montem Seir abiit. Sacerdotes autem ex Leui, Scribæ & Legiſperiti, & Simeone nati ſunt. Licet autem videatur potius eſſe maledictio, quàm benedictio, tamen paterna increpatio pro benedictione accipienda eſt, Pſalte optime*: corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me, &c. *Principem porro Sichimitarum 70. Taurum vocant, tum ob libidinem in fœminas, tum ob eius potentiam. Vbi & notat Tertul. figuram fuiſſe Chriſti in cruce ſubnernati, conſilio Scribarum & Sacerdotum, à Simeone & Leui deſcendentium. Vide Ambroſium lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 3. & Orig. hom. 17. in Gen. Taurum Chriſtum immolatum ait Aug. lib. 18. cont. Fauſtum c. 6.* de ſacrificiis animalium, quis noſtrum neſciat magis ea peruerſo populo congruenter impoſita, quam Deo deſideranti oblata? ſed tamen etiam in his figuræ noſtræ fuerunt, quia noſtra mundatio, & Dei propitiatio nobis ſine ſanguine nulla eſt. Sed illarum figurarum veritas Chriſtus eſt, cuius ſanguine redempti & mundati ſumus: nam in figuris eloquiorum diuinorum, & Taurus dictus eſt propter virtutem crucis, cuius cornibus impios ventilauit: & Aries propter innocentiæ Principatum, & hircus propter ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum. *Rom. 8. tandem ſi Taurus ſubnernatus amore Dinæ & iugo circumciſionis vt Taurus ſuppoſitus Sichem; ſi princeps apud Hebræos vocatur* Naſi, *id. baiulus, ſine humerus populi: ſi denique murus & propugnaculum eius: quid aptius conueniat Chriſto, amore naturæ noſtræ, non ſolum circumciſo, ſed & occiſo, & iugo crucis ſuppoſito, velut Tauro? de quo prædictum fuit*: ſaluator ponetur in ea murus & antemurale. *Sed & apud Pſalten:* paries inclinatus & maceries depulſa. *Quin etiam:* exaltans iugum ſuper maxillas eorum: Iſſachar Aſinus fortis ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum. *Si enim Sichem & Sichima ſignificat humerum, quàm lætus & alacer Chriſtus, ex humeris noſtris iugum graue, & onus peccati, & crucis debita in proprios deuoluit humeros, iugum ſuum leue partiens nobis, vt pro ſanguine circumciſionis, aquam baptiſmatis, pro iugo ignominioſæ crucis, onus leue ſuæ dilectionis inijciens. Vt inde eũ Paulo de eo dicamus:* propoſito gaudio ſu-

stinuit crucem, confusione contempta : *inde ipse iam olim exultans cum Psalte praecinat Psal. 59. cui titulus est* : pro his qui immutabuntur, &c. *Ob commercium & commutationem iugi* : Deus locutus est in sancto suo. Lætabor, & partibor Sichimam. *Ad literam Psaltes ex sancto oraculo propitiatorij responsum accipit victoriam promittens, & possessionem Samariæ, in qua erat Sichimâ siue Sichem, in qua vrbes, oppida, pagos diuidere debebat, & in eis constituere iudices & magistratus Augustin. pulchrè in rem nostram* Sichima humeri interpretatur. Secundùm historiam verò, Iacob rediens à Labam socero suo cum omnibus suis abscondit idola in Sichima, quæ habebat de Syria, vbi diu peregrinatus, tandem aliquando inde veniebat. *Consule Gen. 33. & 35.* tabernacula autem fecit ibi propter oues suas & armenta, & appellauit locum illum tabernacula. *In Hebr. habetur Sochot quod retinet Hiero. vtpote proprium nomen loci, in quo Iacob tabernacula fixerat.* Et hæc, inquit Ecclesia, diuidam. Quid est hoc, diuidam Sichimam? si ad historiam vbi abscondita sunt idola, referatur, gentes significat. Diuido gentes. Quid est diuido? non enim est omnium fides, *2. Thess. 3.* quid est diuido? alij credent, alij non credent. Sed tamen non timeant qui credunt, inter eos qui non credunt. Diuisi sunt enim nunc fide, postea diuidentur in iudicio, oues ad dexteram, hœdi ad sinistram. *Sub finem autem huius loci sic & Iudæis applicat* : diuidam Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar. Forte propter oues Iacob, conuallis tabernaculorum, intelligitur gens Iudæorum, & ipsa diuiditur : nam transierunt *ad fidem Christi* inde qui crediderunt : *missus enim est ad oues domus Israël*, foris reliqui remanserunt. *De quibus Psaltes* : contaminauerunt Testamentum eius, diuisi sunt ab ira vultus eius. *Prosequitur Augustin.* Ecce inuenimus quemadmodum Ecclesia diuidat Sichimam. Quomodo diuidit humeros? secundùm nominis interpretationem, diuiduntur humeri, vt alios grauent peccata sua, alij tollant sarcinam Christi. Humeros enim pios quærebat cum diceret, *Matth. 11.* Iugum enim meum leue est, & sarcina mea leuis est. Alia sarcina premit & agraùat te, Christi autem sarcina subleuat te. Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet: *Et bos vt & aquila, mysticum animal Ezech. pennatum est.* Nam auferi pennas detrahas, quasi onus tollis, & quo magis onus abstuliſti, eo eo magis terra remanebit. Quam exonerare voluisti, iacet, non volat, quia tulisti onus: redeat onus, & volat. Talis est Christi sarcina. Portent illam homines, non sint pigri, non attendantur illi qui eam ferre nolunt; ferant illam qui volunt, & inuenient quàm sit leuis, quàm suauis, quàm iocunda, quàm rapiens in cœlum, & à terra eripiens. CENSVS ILLORVM. *Vox frequens Tertul significans progeniem & generationem sacerdotum & Scribarum à Simeone, & Leui deriuatam.* EX SVA SECTA, *Quia Christum infectati sunt & persecuti, vt pote sectatores & imitatores illorum, qui regem Sichimorum subuertauerant, quorum etiam filij Prophetas fuerant persecuti, contra eos clamante Christo · Matth. 23.* Testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. ET IN CONCVPISCENTIA SVA. *Vel referendum ad concupiscentiam libidinosam Tauri, id est regis Sichem, ob quam occisus est; vel ad libidinem vltionis.* CÆTERVM VANVM, *id est superuacuum fuisse, & stultum prophetæ Iacob, vt post increpatum homicidium tantum simplicis alienius Tauri vel bouis exageraret ne em : vnde liquet in hoc Tauro ad literam dictum significasse regem, & mysticè Christum impio successorum Simeonis & Leui consilio, ad mortem crucis vt victimam inuidiæ sua petitum.*

Augustin. Aug. Aug. Aug.

A B C

14. *Christi passio figurata in hirco Anathematis. 3. cont. Marc. cap. 7. circa f.*

ALter eorum circumdatus coccino, maledictus, & consputatus, & conuulsus, & compunctus à populo extra ciuitatem abiiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus Dominicæ Passionis. Leuit. 16. 7. & seq.

CHRISTI PASSIO. XIV. SCHOLIA.

ALTER EORVM. *Agit de duobus hircis, duplicem Christi aduentum figurantibus, de quibus suo loco inferius. Perstringit hic interim primum aduentum in quo Christus, indutus purpura*, præbens vellentibus se maxillas, & faciem à conspuentibus non auertens, *hircus anathematis factus est*, in quo Deus posuit iniquitates omnium nostrum. *Oneratus enim maledictis, quibus eramus digni, desertus à suis, quin & quoad inferioris partis consolationem, derelictus à Patre extra ciuitatem electus est. Vnde & Paulus Hebr. 13.* quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes *Sic habet textus Leuit. 16. vbi de capro emissario*, duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij: mittensque super vtrumque sortem vnam Domino, & alteram capro emissario: cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: cuius autem in caprum emissarium, statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem. *Et rursum ibidem.* Et posità vtràque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in desertum. *Ita omnes versiones. Aug. lib. 3. qq. in Leuit. q. 54.* non negligenter, inquit, istorum duorum hircorum distinctio in allegorica significatione tractanda est, &c. A quibusdam ille immolandus in bono accipitur; ille autem dimittendus in malo. *Emissarius dictus est, quòd emitteretur & abigeretur in solitudinem. deuorãdus à feris. Ab Hebræis Azazel dicitur, id est abiens, vel ablatus. Per hunc caprum figuratus est Christus, propter*, similitudinem carnis peccati, *Et quia* factus est pro nobis maledictum & peccatum. *Augustin. lib. 2. cont. Maximinum c. 2.* ait Apostolus *2. Cor. 5.* obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo: eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit Non ergo fecit ipse peccatum, sed eum Deus pro nobis peccatum fecit, hoc est, sacrificium pro peccato. Si enim recolas vel relegas, inuenies in libris veteris Testamenti, peccata appellari sacrificia pro peccatis. Simi-

S. Augustin. S. Augustin.

litudo etiam carnis peccati in qua venit ad nos, di-
ctaeſt & ipſa peccatum. Rom. 8. miſit Deus filium
ſuum in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato
damnauit peccatũ in carne: hoc eſt, de ſimilitudine
carnis peccati quæ ipſius erat, damnauit peccatum
in carne peccati quæ noſtra eſt. *Similis item Iacob, ſimilitudinem villoſæ carnis Eſaũ expreſſit, dum virgo mater collo & manibus, hoc eſt ad iugum Crucis maledicte in lege, ferendum, & manus clauis aptandas, hedinas pelles circumpoſuit; vt diceret:* corpus autem aptaſti mihi: *ideſt cum ex diuinitate aptus non eſſem maledicto, Anathemati, cruci, ignominiæ, morti aptum dediſti mihi corpus quo iſta pati poſſem,* in ſimilitudine carnis peccati. *Et cum oſtium eſſem ad Patrem,* via ad ciuitatem munitam, primogenitorum conſcriptorum in cœlis; *extra portam eiectus & emiſſus,* per quem introitum habemus ad Patrem. *Maledictus tanquam hircus,* in quo omnis benedictio, ſicut
S. Auguſt. odor agri pleni, cui benedixit Dominus. *Auguſtinus tract. 117. in cap. 19. Io.* Suſceperunt Ieſum & eduxerunt. & baiulans ſibi crucem exiit in eum qui dicitur Caluariæ locum. Ibat ergo ad locum vbi fuerat crucifigendus: *tanquam caper emiſſarius à feris deuorandus,* portans crucem ſuam Ieſus, *maledictum & anathema populi, in ea ſuſpendendus,* grande ſpectaculum. Sed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium: ſi pietas, grande myſterium. Si ſpectet impietas, grãde ignominiæ documentum: ſi pietas, grande fidei munimentum. Si ſpectet impietas, videt regem pro virga regni, lignum ſui portare ſupplicij: ſi pietas, videt regem baiulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum. In eo ſpernendus, oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda ſanctorum. Dicturo enim Paulo, mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſam crucem ſuam geſtans humero commendabat & lucernæ arſuræ, quæ ſub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat. *Ad duos hircos redeo: vterque Chriſtum paſſum repræſentat, prior in Ieruſalem crucifixus eſt accuſationibus & clamoribus Iudæorum, ſecundus extra vrbem manibus Gentilium, vt ſe-*

A *rarum. ex Orig. & Hiero. duo hirci, Chriſtus & Barrabas vnus immolatus, alter dimiſſus. Ex Heſychio & Theodoreto Chriſti humanitas immolata, diuinitas immortalis, perſona merito, pretium noſtrum exoluta. Vel ſi mauis, idem Chriſtus hoſtia inermis & cruenta. Aduerte tandem ex Herodoto, Sinniam Dei Diabolum, ſuaſiſſe Ægyptiis, vt populi maledicta in deuotam victimam, vel alicui barbaro in foro venalem, vel Nilo mergendam exponerent. Sic Herodot. in Enterpe. Ita & Maſſilienſes non pecus, ſed hominem oneratum maledictis plebis cum execratione in mare voluebant, quem* peripſema *vocabant. Inde & Paulus qui & ipſe Anathema pro fratribus eſſe optauit:* omnium peripſema, *ſe dixit.* CIRCVNDATVS COCCINO, *nil tale in ſcriptura de capro emiſſario, vel in vlla verſione reperire potui. Credo itaque multimoda lectura virum vel confuſum hoc loco Leuitici 16. tribuiſſe hirco anathematis viuo in deſertum emiſſo, quod ſupra Leuitici. 14. paſſeri viuo dimiſſo tribuitur de quo ſic textus:* alium
B viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati. *Vel vt Paraphraſticè forè ſemper referi locos ſcripturæ, id de ſuo addidiſſe, reſpiciendo conſuetum Gentilibus in victimis deuouendis morem ſolebant enim non modo cornua earum coronis, ſertis, faſciis purpureis & coccineis redimire, ſed & coccino & purpura earum corpora circumueſtire. Vel denique puto reſpexiſſe tam ad mulierem, quam ad beſtiam maledictam Apoc. 17.* vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, &c. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino. *De qua & Anathemate eiuſque manifeſtis inſignibus, ſic alibi Tertul.* ſine quibus, ait, non
C poterat maledicta deſcribi. *Vt non praterierit inter* Aug
cætera inſignia dominicæ paſſionis. CONSPVTATVM, *id. ſputis deturpatum, &c.* MALEDICTVM CIRCVNDATVM COCCINO; *Ita enim Io. 19.* exiit Ieſus portans ſpineam coronam & purpureum veſtimentum, &c. Tunc tradidit eis illum vt crucifigeretur, &c. Suſceperunt & eduxerunt. Et baiulans ſibi Crucem exiit in eum qui dicitur Caluariæ locum. *Tanquam emiſſarius caper in deſertum.*

15. *Chriſti paſsio & mors, tam vera, quam eius natiuitas; De car. Chriſt. cap. 5. in m.*

SCeleſtiſſime hominum, qui interemptores excuſas Dei. Nihil enim ab eis paſſus eſt Chriſtus, ſi nihil vere eſt paſſus. Parce vnicæ ſpei totius orbis. quid deſtruis neceſſarium dedecus fidei? Quodcunque Deo indignum eſt, mihi expedit. Saluus ſum, ſi non confundar de Domino meo: [a] *Qui mei*, inquit, *confuſus fuerit, confundar & ego eius.* Alias non inuenio
a Luc. 9. 26. materias confuſionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem & feliciter ſtultum. Crucifixus eſt Dei filius: non pudet, quia pudendum eſt. & mortuus eſt Dei filius: prorſus credibile eſt, quia ineptum eſt, & ſepultus reſurrexit: certum eſt, quia impoſſibile eſt. Sed hæc quomodo in illo vera erunt, ſi ipſe non fuit verus; ſi non vere habuit in ſe quod figeretur, quod moreretur, quod ſepeliretur & reſuſcitaretur? carnem ſcilicet ſanguine ſuffuſam, oſſibus ſtructam, neruis intextam, venis implexam, quæ naſci & mori nouit. Humana ſine dubio, vt nata de homine, ideoque mortalis hæc erit in Chriſto, quia Chriſtus homo & filius hominis; Aut cur homo Chriſtus & filius hominis, ſi nihil hominis & nihil ex homine.

CHRISTI PASSIO. XV. SCHOLIA.

SCELESTISSIME, *&c. Aggreditur Marcionem, quem prius vocauerat* Interfectorem veritatis, *Quod veram Chriſto carnem negaret. Nunc ex conſequenti crimen eius exaggerat, eo quod ſcelus paricidarum Chriſti exueret, imo nullificet: ſiquidem rei non fuerunt mortis Chriſti, ſi veram carnem mortalem non aſſumpſit.* VNICÆ SPEI *Euſebius Emiſſenus homil. 2. de Natiuitate Chriſtum vocat:* Spem
D terrarum, decus ſæculorum. *Ita Epiph. de Laud. Virg. eum dixit* Spem totius orbis. DEDECVS FIDEI. *Alij legunt:* Decus. *Ita & Hiero. ep. 58. ad Damaſum.* Obteſtor beatitudinem tuam per crucem Domini per neceſſarium fidei noſtræ decus, per paſſionem Chriſti; vt qui Apoſtolos honore ſequeris ſequaris & merito. *Malim tamen legere* Dedecus. *Vt patet ex contextu & mente Ter-*

tulliani, quod nulla alia sit maior materia confusionis, qua contempta quis se probare possit, BENE IMPVDENTEM, *&c. Quam Christum confiteri*, Et hunc crucifixum. *Necessarium planè dedecus fidei, quo eius constantia probetur. Vnde & subdit:* QVODCVMQVE INDIGNVM DEO, *&c. Indignum quidem Deum in carne crucifigi: sed vt Caiphas,* Non a semetipso, *Sed à spiritu Sancto pronuntiauit*; Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, &c.
Augusti. *Sic expedit nobis id incunctanter credere. Inde Augustinus ser. 176 de temp.* Mortem nec solus Deus sentire, nec solus homo superare potuisset. Nos ergo nouerimus in Christo duplicem geminamque substantiam, de Patre cœlestem, de matre terrenam, &c. Quasi homo in cruce pendebat, sed quasi Deus regnum cœleste donabat, &c. Ille etiam error valde refugiendus est, qui impiè asserit, quod Beata Maria solum Deum peperit, eo quod sibi saluator noster cœlestem nescio quam carnem intra viscera materna perfecerit, & ita transierit per virginis vterum, quasi per corpus alienum, &c. Si nihil de nostro suscepit, nihil nobis præstitit. Proinde charissimi si non in nostra carne diabolum triumphauit, se exercuit, non nobis vicit; si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostræ resurgẽdo nihil nobis contulit. Hæc qui dicit susceptæ & assumptæ carnis non intelligit rationem, confundit ordinem, euacuat vtilitatem: si non in nostra carne peregit Medicinam,
Augusti. solam ergo ex homine nascendi elegit iniuriam, &c. SALVVS SVM, *&c. Augustinus tract. 2. in Io. c. 1.* Ipsa natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi cordis nostri, & possimus videre maiestatem eius per humilitatem, &c. Caro te cæcauerat, caro te sanat, &c. Et quoniam sic venit, vt de carne vitia carnis extingueret, & de morte occideret mortem; Ideo factum est in te, vt quoniam Verbum Caro factum est, tu possis dicere; & vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti, &c. *Laurentius Iustin. in Proem. de Cast. Connub* Fecit antidotum spirituale, sputo, aceto, felle, sanguine, flagellis irrisione opprobriisque compositum; quo vulnera, dolores, tentationes, cruciatusque linirentur nostri. QVI ME CONFVSVS. *Luc 9.* Qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum. *Et Luc. 12.* Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis, confitebitur illum coram Angelis Dei: qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. NON PVDET, *&c. Alludit ad Paulum, 1. Cor. 1.* Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, &c. *Et rursum ibid.* Quæ stulta sunt mundi elegit, &c. *Itaque non pudendum est confiteri &* Prædicare Iesum, & hunc crucifixum: *Quia quanto pudendum est & scandalosum, & stultum & ignobile, impossibile, incredibile Dei filium crucifigi, iudicio mundi, & sensu reprobo Gentilis & Iudæi, tanto credibilius, & certius, & gloriosius est, rem difficilem, mentis luce fidei eleuata attingere. Et quo impossibilius censetur aliquid humanæ rationi, tanto credibilius est fideli animæ. Vnde virgini quærenti Luc. 1.* Quomodo fiet istud, &c. *Respondit Angelus:* Non erit possibile apud Deum omne verbum. *Et Marc. 9. Christus patri pueri demoniaci*: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. SED NON VERE HABVIT. *Augustinus de Cantico Nouo. cap. 6. Id coniicit in Manichæos quod pro Tertulliano torqueo in Marcionitas*: Si credere non vis veritati, Iudæo crede crucifigenti. S. Aug.
Nam cum tu dicis, Christus Deus fuit, non homo: Iudæus dicit, non fuit Deus, sed homo. Catholica vtrosque conuincens, ego, ait, verum teneo, quod Christus & Deus est & homo. Tu autem Manichæe, vnde probas Christum spiritum fuisse? spiritus alapas accepit? Spiritus spineam coronam portauit? Spiritus sibi crucem baiulauit? Si spiritus fuit, cuius vestimenta milites diuiserunt? Si spiritus fuit, quomodo cum traderet spiritum, corpus eius propè dimidium diem pependit in cruce? Exanime pependit in cruce? Si spiritus fuit, quomodo latus eius perforatum est lancea? Quomodo susceptus est à Ioseph sepeliendus? Quomodo sepulchro est conditus: Omnia ista spiritus pati non potest. Sicut de eo antea per prophetas prædictum est, ita & factum est. Erras tu nimis falsitas, in omnibus te superat veritas. *Nostram iterum & veram carnem sumpsisse Christum præclarè testatur idem Aug. ser. 176. de temp.* De nostro est quod appendit, *In cruce scilicet veram carnem de nostra ex Maria assumptam*, De suo est quod donauit. *Meritum infinitum Verbi actiones & passiones humanas ad valorem infinitum, & copiosam redemptionem eleuantis: vnde & Paulus, non sicut delictum, ita & donum. Quia delictum puri hominis est; donum autem hominis simul & Dei:* Meum testor esse quod cecidit, *Granum frumenti, verbum semen Patris ex cœli horreo in terram carnis mortalem cecidit, & in hac mortuus multum fructum attulit omni carni suscitande:* Vt meum sit quod resurrexit. Meum testor esse quod iacuit intra tumulum; vt meum sit quod ascendit in cœlum. In illo itaque nostri generis corpore, *Pondera, nostri generis, vt confirmes veram carnem passibilem in Christo*: Nos Christi mors viuificauit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecrauit. In illo nostri generis corpore cœlestibus regnis arrham nostræ conditionis imposuit. *Donec scilicet totam electorum summam illuc prouehens plenè promissa sua persoluat.* S. Aug.

16. *Christus crucifixus, solus patiens, idque in assumpta carne, derelictus à Patre impassibili, se distinctum ab eo probauit. Cont. Prax. cap. 30. in p.*

SI vltrà pergas, potero tibi durius respondere, & te cum ipsius Domini pronuntiatione committere, vt dicam, quid de isto quæris? Habes ipsum exclamantem in passione, *a Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Ergo aut filius patiebatur à patre derelictus, & pater passus non est, qui filium dereliquit; aut si pater erat qui patiebatur, ad quem Deum exclamabat? Sed hæc vox carnis & animæ, id est hominis, non Sermonis, nec spiritus, id est, non Dei, propterea emissa est, vt impassibilem Deum ostenderet, qui sic filium dereliquit, dum hominem eius tradidit in mortem. Hoc & Apostolus sensit, scribens, *b Si pater filio non pepercit.* Hoc & Esaias prior pronuntiauit; *c Dominus eum tradidit pro delictis nostris.* Sic reliquit, dum non parcit: sic reliquit dum tradit. Cæterum, non reliquit pater filium, in cuius *d Manibus filius spiritum suum* posuit. Denique posuit, & statim obiit: Spi-

a Matth 27 46. Psal. 21. 1.
b Rom. 8. 32.
c Esa. 53. 5. Psal. 30. 6.
d Luc 23. 46.

e 1. Cor. 15. 3. ritu enim manente in carne, caro omnino mori non poteſt. Ita, relinqui à Patre, mori fuit filio. Filius igitur e *Et moritur, & reſuſcitatur à Patre, ſecundum ſcripturas.*

CHRISTI PASSIO. XVI. SCHOLIA.

DEVS MEVS. *Hic agit contra Praxean. Patripaſſianorum principem, qui perſonas confundens filium in carne humana patientem, à Patre non Incarnato non diſtinguebat. Dicit autem ſe velle* Ipſum committere, *Id eſt quaſi gladiatorem, cum ipſo Chriſti verbo* Penetrabiliore omni gladio ancipiti, *Componere, & in ſingulare certamen conflictumque adducere ex loco Matth. 27. & Pſal. 21. Sic enim Chriſtus in cruce loquens ſe probat diſtinctum à Patre, cum ſe clamet à Patre derelictum.* Circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna dicens: Eli Eli Lamma labacthani? Hoc eſt Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me. *Ita & Pſal. 21.* Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti. *Aug. in* S. Auguſt. *tit. Pſal.* Dicuntur iſta ex perſona crucifixi: nam de capite Pſalmi huius ſunt verba quæ ipſe clamauit cum in cruce penderet; perſonam etiam *Non ſumit hanc vocem ſtrictè pro hypoſtaſi quæ vnica erat in Chriſto, ipſaque diuina, ſed latè pro homine, eiuſque naturâ, quam verè induerat ſola perſona verbi,* Seruans veteris hominis, cuius mortalitatem portauit. Nam vetus homo noſter confixus eſt cruci S. Auguſt. cum illo. *Idem Aug. in expoſitione ſecunda Pſal. 21.* Iſtum verſum primum in cruce audiuimus vbi Dominus dixit, Eli Eli, &c. Quid voluit dicere Dominus? Non enim dereliquerat illum Deus, cum ipſe eſſet Deus; vtique filius Dei, Deus. Vtique verbum Dei, Deus. Audi à capite, illum Euangeliſtam, qui eructabat quod biberat de pectore Domini; Videamus ſi Deus eſt Chriſtus: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ipſum ergo Verbum quod Deus erat, caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et cum verbum Deus *Aduerte quam ſingulariter exponat Tertullianum, & contra Praxeam agat, diuinitatem in perſona verbi contractam, incarnatam exprimens, & incarnationem, ſiue vnionem humanæ naturæ cum diuina, non ad naturam diuinam, in communi, ſed ad perſonam verbi in particulari terminatam docens;* Factum eſſet caro, pendebat in cruce, & dicebat; Deus meus, &c. Quare dicitur, *Supple, me dereliquiſti, cùm neque Pater filium, neque filius animam, aut carnem etiam in morte dereliquerit,* Niſi S Auguſt. quia nos ibi eramus, niſi quia corpus Chriſti Eccleſia? vt quid dixit Deus meus, &c. Niſi quodammodo intentos nos faciens & dicens, Pſalmus iſte de me ſcriptus eſt. Longè à ſalute mea, verba delictorum meorum. Quorum delictorum, de quo dictum eſt, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius? Quomodo ergo dicit, delictorũ meorũ, niſi quia pro delictis noſtris ipſe precatur, & delicta noſtra delicta ſua fecit, vt iuſtitiam ſuam, iuſtitiam noſtram faceret? SED HÆC VOX: *Supple naturæ humanæ non diuinæ, cum vt ſæpè iam alibi vidimus verbum,* Spiritum Dei, & Sermonem *vocet; non ipſum, ſed hominem paſſibilem à Patre derelictum dicit. Derelinqui autem, fuit, ſolum filiũ, & non Patrem incarnatum, in natura mortali, mori: qua à Pater immortalis erat, quoniam Deus tantum & non homo erat. Cæterùm nunquam diuinitas reliquit humanitatem, licet anima reliquerit carnem.* Non reliquit me pater ſolum, &c. Qui me miſit mecum eſt. &c. Pater in me manens *Id. entitate ſcilicet naturæ* Ipſe facit opera. *Vt ergo Chriſtus hac voce probauit ſe diſtinctum & relictum à Patre, quem iam ab incarnatione Pater reliquerat ſolum incarnari; ſic alia ex parte ſe matrem non dereliquiſſe, ſed ſumptam ab ea carnem in cruce à Patre derelictam, pro mundi vita, patri offerè probauit, curamque matris ſe gerere, nec ſolam relinquere oſtendit, cùm eam Ioanni pendens in cruce commendauit. Accipe Aug. lib. 2. de Symbolo ad Catech. c. 5.* Hanc natiuitatem, incredule, quid expaueſcis? Noli credere ſi tantum homo erat, qui natus eſt; ſi autem Deus homo erat, de qua voluit, natus eſt, quia ſicut voluit, natus eſt. Illud potius mirare, quia verbum ſuſcepit carnem, nec eſt mutatum in carnem, quia manens Deus, ſuſcepit hominem. Cæterùm quid miraris quia Genitrix ſuum genuit genitorem, quia creauit creatura factorem? Sic voluit naſci excelſus humilis, vt in ipſa humilitate oſtenderet maieſtas, &c. *Et poſt multa agens de virgine exponente filio defectum vini in nuptiis Cana;* Ille vt diſtingueret inter Deum & hominem, quia ſecundùm hominem minor erat, ſecundùm hominem ſubditus erat, ſecundùm Deum autem ſupra omnes erat: Quid mihi & tibi eſt, inquit, mulier? Nondũ venit hora mea. Tanquam ei diceret, veniet hora, quando id quod natum eſt de te, in cruce pendens agnoſcat te, & diſcipulo dilecto commendet te. In hoc autem miraculo, quid mihi & tibi? non enim hoc proceſſit ex te, ſed in eo qui fecit te: Non competit tibi vt iubeas Deo, competit autem vt ſubdita ſis Deo. HOC ET APOSTOLVS, *&c. id. hanc ipſam diſtinctionem perſonarum docuit Paulus, & Patrem diuiſit à filio, dum* HOMINEM SIVS. *Id. quod in eo humanum erat, carnem ſcilicet humanam tradidit morti. Rom. 8.* Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? *Aug. in Pſal. 65.* Dictum eſt ab Apoſtolo Galat. 2. Qui me dilexit, & tradidit ſemetipſum pro me. Dictum eſt de Patre Rom. 8 Qui proprio filio non pepercit, &c. Si ergo pater filium tradidit, & filius ſemetipſum tradidit, Iudas quid fecit? Chriſtus tradendo ſeipſum pro nobis fecit benè; tradendo Iudas magiſtrum pro auaritia ſua, fecit malè. Non enim quod nobis præſtitum eſt de Paſſione Chriſti, malitiæ Iudæ deputabitur. Habet ille mercedem malitiæ, Chriſtus laudem gratiæ. *Sequentia Pauli verba pulchrè exponit idem Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 24. Subfinem vbi cum innumera Dei in homines beneficia ſuisſe deſcripſiſſet, ſic concludit:* Et hæc omnia miſerorum ſunt, damnatorumque ſolatia, non præmia beatorum. Quæ igitur illa ſunt, ſi tot ac talia, & tanta ſunt iſta? Quid dabit eis quos prædeſtinauit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis quos prædeſtinauit ad mortem? Quæ bona in illa beata vita faciet eos ſumere, pro quibus in hac miſera vnigenitum filium ſuum voluit vſque ad mortem tanta mala perferre? Vnde Apoſtolus de ipſis in illud Regnum prædeſtinatis loquens; Rom 8. qui proprio, &c. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Cum hæc promiſſio complebitur, quid erimus, quales erimus? Quæ bona in illo regno accepturi ſumus, quando quidem Chriſto moriente pro nobis, tale iam pignus accepimus? Qualis erit Spiritus hominis, nullum omnino habens vitium, nec ſub quo iaceat, nec cui cedat, nec contra quod ſaltem laudabiliter dimicet, pacatiſſima virtute perfectus? Rerum ibi

omnium quantâ, quàm ſpecioſa, quàm certâ ſcientiâ, ſine errore aliquo vel labore, vbi Dei ſapientia de ipſo ſuo fonte potabitur, cum ſumma fœlicitate, ſine vlla difficultate? Quale erit corpus, quod omnino ſpiritui ſubditum, & eo ſufficienter viuificatum, nullis alimoniis indigebit? Non enim animale, ſed ſpiritale erit, habens quidem A carnis, ſed ſine vlla carnali corruptione, ſubſtantiâ. *Sed hæc omnia bona dabit iuſtis, qui filium proprium tradidit pro iniuſtis. Mors illius vera, vera eſt vita noſtra cauſa, triſtitia eius anima vſque ad mortem; lætitiam anima noſtra peperit ſempiternam; corpus eius in cruce ſuſpenſum, nobis in regno æterno glorioſum præparauit thronum.*

17. *Chriſtus morti dedit corpus ſuum verum, pro corpore ſuo myſtico quod eſt Eccleſia.*
5. *Cont. Marc. cap.* 19. *circa m.*

SIcubi Eccleſiam corpus Chriſti dicit eſſe, vt hîc ait, [a] *Adimplere ſe reliqua preſſurarum Chriſti in carne, pro corpore eius quod eſt Eccleſia*; Non propterea & in totum mentionem corporis transferes à ſubſtantia carnis. Nam & ſuprà [b] *Reconciliari nos* ait *in corpore eius per mortem*; Vtique in eo corpore, in quo mori potuit per carnem; mortuus eſt, non per Eccleſiam, planè propter Eccleſiam; corpus commutando pro corpore, carnale pro ſpiritali. Rom. 12. 5. Epheſ. 1. 22. 23. [a] Coloſſ. 1. 24. [b] Ad Coloſſ. 1. 20. Epheſ. 2. 16.

CHRISTI PASSIO. XVII. SCHOLIA.

SICVBI AVTEM, *&c. id. Licet Paulus pluries* B *Eccleſiam vocet* Corpus Chriſti. *Non ideo tamen ſemper Metaphoricè loquitur, cùm Chriſtus corpus proprium phyſicum habuerit; de vtroque ſiquidem corporali quàm myſtico idem loquitur Apoſtolus.* TRANSFERES. *Non tibi licebit, ô Marcion, penitus à vera carnis ſubſtantia Chriſtum alienare, & totum transferre Apoſtolum, ad vnicam corporis myſtici Eccleſiæ mentionem; quaſi nullam feceris memoriam veri & realis Corporis Chriſti.* SICVBI AVTEM *Sicut Rom.* 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: Ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. *Ira & Epheſior.* 1. Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. *Et ad Coloſſ.* 1. Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. VT HIC AIT. *Coloſſ.* 1. Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius quod eſt Eccleſia. *Aug. in Pſal.* 86. *hunc locum pulchrè tractat:* Sicut & in Pſal. 61. in verſum interficitis vos tanquam parieti inclinato, &c. Videte, inquit, quid dixit Apoſtolus, quia in ipſo Chriſtus patiebatur. Vt adimpleam quæ deſunt preſſurarum Chriſti in carne mea. Vt adimpleam. Quid? Quæ deſunt. Cui deſunt? Preſſurarum Chriſti. Et vbi deſunt? In carne mea. Nunquid aliquid preſſurarum deerat in illo homine, quod factum eſt Verbum Dei, natum ex Maria virgine? Paſſus enim eſt quidquid pati deberet ex ſua voluntate, non ex peccati neceſſitate, & videtur, quia omnia. *Supple paſſus eſt.* In cruce enim poſitus accepit acetum in vltimo, & ait, perfectum eſt. *Jo.* 19. *conſummatum eſt*; Et inclinato capite emiſit Spiritum. Quid eſt, perfectum eſt? Iam de menſura paſſionum nihil deeſt, quia omnia quæ de me dicta ſunt, completa ſunt, tanquam ideo expectaret, vt complerentur. Quis eſt qui ſic proficiſcatur, *Vel ex vita, vel ex domo libero & voluntario egreſſu* Quomodo ille de corpore egreſſus eſt? Sed quis eſt qui hoc potuit? Qui primò dixerat: poteſtatem habeo ponendi animam meam, &c. Nemo tollet eam à me, ſed ego pono eam à me, & iterum ſumo eam. Poſuit quando voluit, ſumpſit quando voluit, neAugust. C D mo abſtulit, nemo extorſit. Ergo impletæ erant omnes paſſiones, ſed in capite: reſtabant adhuc Chriſti paſſiones in corpore. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra. 1. *Cor.* 12. In his ergo membris cum eſſet Apoſtolus, dixit, vt adimpleam quæ deſunt, &c. Ergo illuc imus, quo Chriſtus præceſſit, & adhuc Chriſtus illuc pergit, quò præceſſit. Præceſſit etenim Chriſtus in capite, ſequitur in corpore. Et adhuc Chriſtus hîc laborat. Et Chriſtus hîc patiebatur à Saulo, quando audiuit Saulus, Saule Saule, quid me perſequeris? Quomodo ſolet lingua dicere calcato pede, calcas me? Linguam nullus tetigit, cõpaſſione clamat, non attritione. Adhuc Chriſtus hîc eget, Chriſtus hîc peregrinatur, Chriſtus hîc ægrotat, Chriſtus hîc in carcere includitur. Iniuriam ei facimus. *Tot infirma & ignobilia de glorioſo iam & impaſſibili corpore prædicare*, Si non ipſe dixit: *De corpore ſuo & membris loquens*; Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſitiui & potaſtis me, &c. Et illi: Quando te vidimus hæc patientem, & miniſtrauimus tibi? & ille: Cùm vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. *Vno verbo, adimpleuit Paulus, membrum corporis Chriſti, in carne ſua, pro parte quam habebat in corpore eius, quod eſt Eccleſia, quæ deerant Chriſti paſſionibus. Nihil defuit capiti amplius patiendum. Reſtat corpori & ſingulis membris, vt & capiti compatiantur.* Pudeat *eos Ber.* ſub capite ſpinoſo, membrum videre delicatum. NAM ET SVPRA, *&c. Duobus ſcilicet verſibus præcedentibus, de corpore vero & reali Chriſti locutus ad Coloſſ.* 1. Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem exhibere vos Sanctos & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo. *Clarius tranſtul. Syr.* Reduxit nunc in gratiam per corpus carnis ſuæ, & per mortem ſuam, vt ſiſtat vos coram ſe Sanctos, abſque næuo. & culpæ non obnoxios. CORPVS COMMVTANDO. *Id. Corpus ſuum reale obtulit Patri, carnale pro myſtico. Scitè Aug. ſer. de temp. de cruce loquens:* Ibi firmauit aſcendendo coniugium, &c. Commercio pietatis ſe pro coniuge dedit in pœnam, tradidit quoque carbunculatam ſui ſanguinis Gemmam, & copulauit ſibi perpetuo iure matronam. S. Aug.

18. *Chriſtus mortuus in ſe mortis aculeum hebetauit. De Cor. cap.* 14. *in. m.*

ET *Viri* [a] *caput eſt*, & feminæ facies, *Vir Eccleſiæ Chriſtus Ieſus*, Quale, oro te, ſertum pro vtroque ſexu ſubiit? ex ſpinis opinor & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis; omnem aculeum mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. [a] Epheſ. 5. 23. Math. 27. 26.

CHRISTI PASSIO XVIII. SCHOLIA.

VIRI CAPVT. 1. *Cor.* 11 Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput vero Christi Deus: FOEMINÆ FACIES. *Doctè Tertul. Christum iuxta Paulum caput Ecclesiæ vocat, quæ cum vtroque sexu constet: & viris, qui capita sunt mulierum, caput est, in quo vigent omnes sensus. Et omnes animæ vegetatiuæ, sensitiuæ, rationalis potentiæ, totiusque corporis iurisdictio, directio, imperium residet: facies autem in qua decor & venustas, castique coniugalis amoris illecebræ, unde & ipse*, speciosus forma præ filiis hominum; *vt iuxta Paulum*; exhiberet sibi Ecclesiam non habentē maculam neq; rugam *alapis, sputis, velo squallido, spinis, &c. detorpantibus caput & faciem cum omni suæ formæ detrimento, formam sponsæ in crucis passione reparauit. Mira de hoc amabilissimo sponso*, candido & rubicundo, *candido innocentiæ, rubicundo sanguine*, rosa Saron, *alba & rubra inter spinas candicante & rubente, suaueolenti*, serto vtriusque sexus, *quid dicat aduerte lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 6.* Exulta Christiane in commercium inimicorum tuorum, tu vicisti; quod Iudas vendidit, & Iudæus emit, tu acquisisti. Exulta, exulta sponsa Ecclesia: quia nisi ista in Christo facta essent, tu ab illo formata non esses. Venditus redemit te, occisus dilexit te, & quia te plurimum dilexit, mori voluit propter te. O magnum Sacramentum huius coniugij! ô quam magnum mysteriū huius sponsi & huius sponsæ! non explicabitur dignè humanis verbis. De sponso sponsa nascitur, & vt nascitur statim illi coniungitur, & tunc sponsa nubit quando sponsus moritur: & tunc ille sponsæ coniungitur, quando à mortalibus separatur. Quando ille super cœlos exaltatur, tunc ista in omni terra fœcundatur. Quid est hoc? quis est iste sponsus absens & præsens? quis est iste sponsus præsens & latens, quem sponsa Ecclesia fide tantum concipit, & sine vllo amplexu membra eius quotidie parit? &c. *Et ibid.* Ascendat sponsus noster thalami sui lignum, ascendat sponsus noster thalami sui lectum. Dormiat moriendo, aperiatur eius latus, & Ecclesia prodeat Virgo: vt quomodo Eua facta est ex latere Adæ dormientis, ita & Ecclesia formetur ex latere Christi in Cruce pendentis. percussum est enim eius latus, vt Euangelium loquitur, & statim manauit sanguis & aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta. Aqua, in qua est sponsa purificata: sanguis, ex quo inuenitur ecclesia dotata. In isto sanguine sancti Martyres amici sponsi stolas suas lauerunt, candidas eas fecerunt, ad nuptias agni inuitati venerunt, à sponso calicem acceperunt: *alludit ad Hilarium sic exponentem verba Christi, transfer à me calicem, ad Martyres, vt & illi bibant:* biberunt, eique propinauerunt: sanguinem eius biberunt, sanguinem suum pro illo fuderunt: quid egit vesana impietas Iudæorū, quia inuitati, non solum venire noluerunt, sed insuper sponsum occiderunt? *Quia vero sponsus erat, & per Prophetam prædixerat:* quasi sponsum decorauit me coronâ, *coronam non floream Nazareus floridus totus, in lectulo floridus, crucis, nuptiali thalamo coronam spineam reseruauit. Audiat vnusquisque nostrum Augustinum Ser. de cultura agri Dominici to. 9.* Et tu vnaquæque anima, quæ accedis ad Christum, terra es spinosa & arida. Vnde probamus quia talis es? recole illam sententiam, quam in primis parentibus accepisti, & inuenies quid inde traxisti. Gen. 3. spinas inquit & tribulos pariet tibi. An respondebis non te esse terram spinosam? si spinas non haberes, capiti Creatoris tui coronam spineam non imponeres. Quia ergo & tu talis es, spinarum multitudine, id est peccatorum prægrauata es. Ideo tibi talis cultura impenditur, propterea crucis ligno exaratis, propterea cœlesti pluuiæ præpararis, vt cùm fœcunda effecta fueris; non gratuleris de tuis quæ nulla sunt meritis, sed reddens bonos fructus Christi prædices gratiam. Vis nosse qualis tibi adhibeatur cultura, qualis te desuper perfundat gratia? Ecce agnosce, Christi cruce exararis, quando eius signo in fronte signaris: eius sanguine rigaris, quando in morte ipsius baptizaris. Quotquot enim, ait Apostolus, in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. IN FIGVRAM DELICTORVM, *&c. Innuit terræ maledictionem, iussæ spinas producere in pœnam primi illius agricolæ Adæ, fuisse figuram carnis eius & nostræ, spinis & aculeis concupiscentiæ compungendæ, in pœnam inobedientiæ. Adeo vt casta qualibet anima verè dici possit*, sicut lilium inter spinas: *tot ac tantis aculeis & stimulis carnis circumobsessa laceratur & pungitur.* ABSTVLIT VIRTVS CRVCIS. *Quia Christo spinis coronato in cruce pendente, omnes dolorum carnis concupiscentiæ aculeos, ipsum denique iuxta Apostolum*, stimulum mortis, peccatum, *hebetauit, vt enim in Christo petra, petrinus circumcisionis gladius omnem obtudit aciem: sic in Christi lapidis angularis capite, omnem aculeum mortis spinea corona deposuit: vt pro Christo prædixeris Psaltes; de diabolo, peccato, morte concinens, Psal.* 117. Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini quia vltus sum in eos. Circumdederunt me sicut apes fauum, & exarserunt sicut ignis in spinis. *Sic legit Augustinus; vbi sic disserit:* ipsum Dominum caput Ecclesiæ rectè accipimus circundatum à persecutoribus, sicut circundant apes fauum. Quid enim ab ignorantibus iustum sit, mystica subtilitate Spiritus sanctus loquitur. Mel quippe apes operantur in fauis. Nescientes autem persecutores Domini, fecerunt eum nobis in passione dulciorem, vt gustemus, & videamus quam suauis est Dominus, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. *Licet autem spinas ibidem applicet Ecclesiæ mystica, potest & capiti Christo aptari quod subiungit Psaltes. Vtrumque sic breuiter explicem: apes, Poëtâ teste*, animas in vulnere ponunt: *Sic anima omnis, id est vis diaboli, peccati, & mortis, extincta est, spinæ in cineres redactæ sunt Christo per incendium inuidiæ in crucem acto. Impletum est illud propheticum: Ezech. 28.* Non erit vltra domui Israel offendiculum amaritudinis, & spina dolorem inferens vndique per circuitum eorum. *Nec expectanda resurrectio, sed iam ex parte aculeo mortis insultari potest & dici 1. Cor. 15.* Vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus? stimulus autem mortis, peccatum est. *Hunc locum sic tractat. Augustin. lib. 3. de pec. merit. cap. 11.* Aculeus mortis peccatum est. Peccato punctum, mortificatumque est genus humanum. Quid adhuc quærimus cuius mortis, vtrum animæ an corporis? vtrum primæ, quâ nunc omnes morimur, an secundæ, quâ tunc impij morientur, &c. Morti corporis hoc dicetur; vbi est mors victoria tua? quâ omnes sic viceras, vt etiam Dei filius tecum confligeret; neque non vitam donando, sed suscipiendo superaret. Victi in morientibus,

S. Augustin. S. Augustin. Augustin. Augustin.

ta es in resurgentibus, &c. Vbi est aculeus tuus? hoc est peccatum, quo puncti & venenati sumus, vt etiam in nostris corporibus fieres, & ea tam longo tempore possideres, &c. Sed Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, vt vbi abundauit peccatum superabundet gratia: atque vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus; & vinceremus mortem per immortalem resurrectionem, & aculeum eius peccatum per gratuitam iustificationem.

* 19. *Christi solius, & non Martyrum sanguinis de condigno gratiam nobis promeruit. De pudic. cap. 22. à p.*

QVis in terris & in carne sine culpa? quis martyr seculi incola, denariis supplex, medico obnoxius & feneratori? Putà nunc sub gladio iam capite librato, putà in patibulo iam corpore expanso, putà in stipite iam leone concesso: putà in axe, iam incendio adstructo, in ipsa dico securitate & possessione martirij, quis permittit homini donare, quæ Deo reseruanda sunt? à quo ea sine excusatione damnata sunt; quæ nec Apostoli, quod sciam, martyres & ipsi, donabilia iudicauerunt. Denique iam ad bestias depugnauerat Paulus Ephesi; cùm interitum decernit incesto. Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem suâ soluit, nisi solus Dei filius? Nam & in ipsa passione liberauit latronem. Ad hoc enim venerat, vt ipse à delicto purus, & omnia sanctus pro peccatorib. obiret. Proinde qui illum æmularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti, plane patere pro me. Si verò peccatores, quomodò oleum faculæ tuæ sufficere & tibi & mihi poterit? 1. Cor. 15. 55. 1. Cor. 5. 5. Luc. 23. 43.

CHRISTI PASSIO. XIX. SCHOLIA.

QVIS SINE CVLPA? *quia duo hi loci quos vno Scholio explico, ex libro de pudic. deprompti sunt, quem post defectum ab Ecclesia composuit, & vbique in eo spargit errorem suum de lapsis, maximè machis non recipiendis ad pacem, absolutionem, indulgentiam. Hic inuehitur in Martyres, quorum merito, & deprecatione, Episcopi frequenter pœnitentias iniunctas peccatoribus relaxabant. Vrget autem hic maximè abusum, quo quidam Martyres, prius pro Christi causa vexati, post tormenta suscepta, in peccatum aliquod Lapsi, cuius etiam causa carceri, aut tormento addicti erant, aliis Christianis reis indulgentiam & pacem deprecari præsumebant. In genere autem, nec bonos & veros Martyres, tam innocentes esse contendit, vt pro delictis propriis non habeant, quo satisfactionem præstent; nullumque præter Christum solum prorsus innocentem, propria passione & morte, pro alienis delictis satisfacere potuisse. Quantùm ad primum Martyrum genus, immediatè præmiserat:* alii ad metalla confugiunt, & inde communicatores reuertuntur, *id est ab excommunicatione soluti redeunt, à falsis Martyribus vsurpatâ absoluendi authoritate, vel deprecatione,* vbi iam aliud martyrium necessarium est delictis, *propriis scilicet absoluendis & eluendis ob relapsum post Martyrium, cùm ad metalla damnari meruerint,* post martyrium nouis. *De huiusmodi Martyribus sic Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ.* Si Confessor culpabilis, & detestabilis pôstmodum fuerit, si confessionem suam mali conuersatione prodiderit, si vitam suam turpi fœditate maculauerit, si fidem primam perfidia posteriore mutauerit, blandiri sibi per confessionem non potest, quasi electus ad gloriæ præmium, quando hoc ipso magis creuerint merita pœnarum. QVIS MARTYR, *&c. Prosequitur priorem sensum de falso Martyre: quem verè esse non posse conuincit, qui primas plagas magnâ cura commisit medico, qui mundum incolit, mundana venatur; quem peccator pretio vel fœnore promereri potest; vt etiam simoniacè ab eo veniam obtineat. Vel aliter actiuè sumendo, Martyr censeri non debet, qui cetera humana vitæ commercia, cum secularibus colit, & Eleemosynis victum sibi quærit, vel mutuum accipit, vel vnguenta mendicat ab ethnicis.* PVTA NVNC SVB GLADIO. *Transit nunc ad veros Martyres. Sù, inquit, iam caput Martyris sub librato & imminenti cernici gladio. Sit in patibulo, sit reuinctus stipiti, Leoni vorandus traditus, sit in palo, circum ambitu sarmentorum affixus comburendus,* quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? *Sed hanc sententiam non Christus, sed eius aduersarij protulerunt.* PVTA IN AXE. *Sic in Apol.* Semaxios, & Sarmentitios Martyres vocat, quod ad dimidium axem reuincti sarmentorum ambitu comburerentur. SINE EXCVSATIONE, *&c. id est, quis martyr præsumit condenare peccata, quæ Deus, ipse solus potens dimittere, nunquam excusauit, sed absolute damnauit, vtpote Machiam. Et in hoc errat; cùm Christus adulteram deprehensam cum magna indulgentia dimiserit. Augustin. tract. 33. in Io 8.* Illi attendentes se, & abscessu ipso confessi de se, reliquerunt mulierem cum grandi peccato, ei qui erat sine peccato. Et quia illa hoc audierat, qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat, ab illo se sperabat puniendam, in quo peccatum inueniri non poterat. Ille autem qui aduersarios eius repulerat linguâ iustitiæ, leuans in eam oculos mansuetudinis, interrogauit eam; nemo te condemnauit, &c? A quo fortè damnari timuisti, quia in me peccatum non inueniisti, nec ego te contemnabo. Quid Domine? faues ergo peccatis? non planè. Ita attende quod sequitur. Vade, iam deinceps noli peccare. Ergo & Dominus damnauit, sed peccatum, non hominem: nam si peccatorum fautor esset, diceret. nec ego te condemnabo, vade, & viue vt vis, de mea liberatione esto secura, ego quantumcumque peccaueris, te ab omni pœna etiam gehennæ, & inferni terroribus liberabo. Non hoc dixit, intendant ergo qui amant in Domino mansuetudinem, & timeant veritatem: etenim dulcis & rectus Dominus Psal. 24. amas quod dulcis est, time quod rectus est. IAM AD BESTIAS, *id est, Paulus iam martyrium obierat, damnatus ad bestias, nec tamen indulsit incesto, quem in interitum carnis Satanæ tradidit.* OMNIA SANCTVS. *id. per omnia siue omnino sanctus. Planiùs refero, ad,* obiret *scilicet tormenta; quibus innocens pro omnibus peccatoribus liberandis satisfaceret.* FACVLÆ TVÆ. *Alludit ad parabolam Virginum, quæ sapientes dicentur famisi*

S. August.

ne fortè non ſufficiat nobis & vobis. *Quaſi dicat, ſufficiat Martyri, baptiſmo ſanguinis, ſua propria delere delicta; & modico oleo ſua vngere vulnera, & tenui fuce boni operis & patientiæ, viam tenebroſam ſibi illuminare*; Mæchiæ, *enim, vt aiebat alibi Tertul.* & fornicationis, non drachma, ſed talentum, quibus exquirendis, non lucernæ ſpiculi lumine, ſed totius ſolis, *id. Chriſti* lancea opus eſt.

20. *Chriſti ſanguis pacificus, Gentiles à Deo remotos, Iudæis adiunxit in vnam Eccleſiam.*
5. *Conc. Marc. cap. 17. circa. fin.*

a Epheſ. 2. 11. a *Memores vos aliquando nationes in carne fuiſſe, appellabamini præputium ab ea quæ dicitur circumciſio in carne manu facta, quod eſſetis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſraelis, & peregrini teſtamentorum & promiſſionis eorum, ſpem non habentes, & ſine Deo in mundo.* Sine quo autem Deo fuerunt nationes, & ſine quo Chriſto? Vtique eo, cuius erat conuerſatio Iſraëlis, & teſtamenta, & promiſſio. b *At nunc*, inquit, *In Chriſto, vos, qui eratis longè, facti eſtis prope in ſanguine eius.* A quibus erant retrò longè? A quibus ſuprà dixit: A Chriſto Creatoris, à conuerſatione Iſraëlis, à teſtamentis, à ſpe promiſſionis, à Deo ipſo. Si hæc ita ſunt, ergo his prope fiunt nunc nationes in Chriſto, à quibus tunc longe fuerant. Si autem conuerſationis Iſraëlis, quæ eſt in religione Dei Creatoris, & teſtamentis, & promiſſioni, & ipſi Deo eorum, proximi ſumus facti in Chriſto, ridiculum ſatis, ſi nos alterius Dei Chriſtus de longinquo admouit Creatori. Meminerit Apoſtolus ita prædicatum de nationum vocatione ex longinquo vocandarum. c *Qui longè erant à me, appropinquauerunt iuſtitiæ meæ.* Tam enim iuſtitia, quàm & pax Creatoris in Chriſto annuntiabatur, vt ſæpe iam oſtendimus. Itaque d *Ipſe eſt*, inquit, *Pax noſtra, qui fecit duo vnum*; Iudaïcum ſcilicet populum, & Gentilem; *Quod propè, & quod longè, ſoluto medio pariete inimicitiæ, in carne ſua.* Sed Marcion abſtulit, ſua; vt inimicitiæ daret carnem, quaſi carnali vitio, non Chriſto æmulæ. Sicubi alibi dixi, & hîc, Non Marrucine, ſed Pontice, cuius ſuprà ſanguinem confeſſus es, hîc negas carnem.

b Ibid. 13.

c Eſa. 46. 12. & 13.

d Epheſ. 2 14.

Ibid.

CHRISTI SANGVIS. XX. SCHOLIA.

MEMORES, *&c. Sic Vulgata:* Propter quod memores eſtote, quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumciſio in carne manu facta: qui eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto, Ieſu vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens inimicitias in carne ſua, &c. *Ex D. Tho. hoc loco*: In carne, id eſt carnaliter viuentes. *Exponit, gentiles per ludibrium dictos* Præputium, *Sine incircumciſos, à Iudæis manuali ſine carnali, & exteriori circumciſione diſtinctis. Subiicit gentiles ante vocationem fuiſſe ſine participatione Sacramentorum, ſine vera Dei cognitione, ſine promiſſione Chriſti facta Iudæis, quorum & conuerſatione priuati & fœdere, erant gentiles, de quibus Deut. 7.* Non inibis cum eis fœdus: non miſereberis eorum, neque ſociabis cum eis coniugia. *Item Io. 4.* Non coutuntur Iudæi Samaritanis. *Ad hæc, cum ad Iudaiſmum conuertebantur, fiebantque Proſelyti*, Hoſpites erant teſtamentorum, *id eſt, cum aliquo contemptu, & non ſicut ciues, ſed vt hoſpites & extranei admittebantur ad teſtamenta Dei, vetus ſcilicet iam exhibitum, & nouum in veteri promiſſum. Baruch. 2.* Statuam illis teſtamentum alterum ſempiternum. *Priuabantur item ſpe promiſſionum Dei de quibus Gal. 3.* Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius. *Qui autem prius longè erant, non loco, ſed merito, facti ſunt propè: Eſa. 6.* Filij tui de longè venient, &c. *Marc. 8.* Quidam ex eis de longè venerunt. *De regione aſſimilitudinis & ſtatu Gentilitatis. Quæ Chriſto exaltato in cruce tracta eſt, Ierem. 31.* Attraxi te miſerans. *Et ſanguinis eius coagulo compacta in vnam cum gente Iudæa Eccleſiam. Auguſtinus in Pſal. 84. in verſum* Veruntamen prope timentes eum ſalutare ipſius: Carnalia, inquit, promiſſa Dei tenebant, adhuc paruæ animæ, & propter hæc timebatur Deus: ſed prope illis erat qui vel propter hæc ipſum timebant. Terram petebat paganus à diabolo, terram petebat Iudæus à Deo. Vnum erat quod petebant, ſed non vnus à quo petebant. Petebat iſte, quod paganus petebat: diſcernebatur tamen à pagano, quia ab illo iſte petebat, qui omnia fecerat, & propè ille erat Deus qui Gentilibus longè erat: tamen reſpexit & eos qui longè erant, & eos qui propè erant, ſicut dicit Apoſtolus, & veniens Euangelizauit pacem his qui erant lõgè, & pacem his qui propè. Quos dixit qui erant propè? Iudæos, qui vnum Deum colebant: quos dixit qui erant longè? Gentes, qui dimiſerant Deũ à quo facti erant, & illa colebant, quæ ipſi fecerant, non enim regionibus longè eſt quiſque à Deo, ſed affectibus. Amas Deũ? Propè es: odiſti Deũ? longè es: vno loco ſtas, & propè es, & longè es. RIDICVLVM SATIS, *&c. id eſt valde inepte Paulus diceret Gentiles per ſanguinem Chriſti propioſſe Deo Creatori, de quo loquitur, vipote authore teſtamenti & promiſſi dati populo Iſraëlitico; ſi Chriſtus ad alterum Deum, quàm Creatorem pertineret.* MEMINERAT, *&c. Confirmat id ipſum, & hanc proximationem, Prophetiâ Eſa. Creatoris certè prophetæ, cui Paulus accinit. Sic communis verſio:* Audite me duro corde, qui longè eſtis à iuſtitia. Propè feci iuſtitiam meã, non elongabitur, & ſalus mea non morabitur. 70. *Sic communiter:* Audite me qui perdidiſtis cor, qui longè eſtis à iuſtitia. Propè feci iuſtitiam meã, & ſalutem quæ eſt à me, tardare non faciam. SOLVTO MEDIO PARIETE. *D. Tho. paries maceria eſt, cum lapides in ea non compinguntur cæmento, nec ad hoc erigitur, vt duret in perpetuum, ſed ad tempus præfinitum. Sic lex vetus, vinculo charitatis non colligabat populum, ſed catena timoris continebat. Vnde ex Aug. qui legem veterem ex charitate ſeruabant, pertinebant ad nouum teſtamentum,*

A

B

C

D

Aug.

quod est lex amoris. Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, &c. *Nec vetus lex nisi ad tempus erat. Gal.* 4. Vsque ad præfinitum tempus à patre. *Sed quomodo dixit Paulus Christum soluisse medium parietem id est legem, quæ inimicitias & zelum inter vtrumque populum faciebat, dum Iudæus circumcisionem & onera suæ mandatorum obseruabat, quibus gentilis repugnabat? Cum Christus non venerit legem soluere, sed adimplere, Matth.* 5. *Respondet D. Tho. legem mandatorum cærimonialium & Sacrificiorum soluisse. siue euacuasse, figuras implendo, sanguineo & incruento sacrificio; & dilectione Dei & proximi; euacuans quod ex parte erat. Moralia autem præcepta non soluit, sed implet, superaddendo consilia mandatis, & legi vetanti adulterium, homicidium, &c. Nec verbum asperum, aut illicitum aspectum indulgens. Et hoc est quod ait Apostolus,* Legem mandatorum decretis euacuans. IN CARNE SVA. *Circumcisa scilicet, & vsque ad mortem legi subiecta. In qua, dicendo:* Consummatum est; *Omnia se implesse probauit, & medium legis parietem dis-*

A *rupto velo, faciem olim Moysi, & tabernaculum obtegente; & vtrumque dividente populum; solutum esse monstrauit.* ABSTVLIT SVA. *Id est, Marcion euadendo,* Sua. *Vt carnem Christo negaret;* Dedit inimicitiæ carnem; *id est carnem se inimicam habere declarauit; applicando sensu corrupto, non vt vult Paulus, inimicitiam parieti dividenti, sed carni tanquam odiosæ Deo Marcionis, quam creator sibi aduersarius condidit.* NON MARRVCINE. *Sparsim, vt proprio suo loco referemus, Marcion scripturæ truncator conuincitur, & inter cætera* 1. *Cont. Marc. c.* 1. Quis tam comesor mus ponticus, quàm qui Euangelia corrosit: Næ tu Euxine, &c. *Non Marrucinum, sed Pontum vocat, vtpote oriundum Ponto Euxino, Barbaro solo & moribus frequenti; cum Marrucini, sint populi Italiæ, in regione Marsorum, apud Silium Italicum lib.* 8. SVPRA SANGVINEM, *&c. Hoc ipso scilicet capite Ephes* 2. 13. *Non resti verba Pauli,* Facti estis prope in sanguine eius.

B

Aug.

21. *Et* 5. *Cont. Marc. cap.* 19. *à p.*

VI reconciliat omnia in semetipsum, pacem faciens per crucis sui sanguinem; Nisi quem offenderant vna ipsa? aduersus quem rebellauerant per transgressionem, cuius nouissimè fuerant? Conciliari enim extraneo possent, reconciliari vero non alij quàm suo. *Ita & nos quondam alienatos & inimicos sensu in malis operibus, Creatori redigit in gratiam,* Cuius admiseramus offensam, colentes conditionem aduersus Creatorem.

a Coloss. 1. 20.

b Ibid. 21.

Aug.

CHRISTI SANGVI. XXIS. SCHOLIA.

C VI RECONCILIAT, *&c. sic Coloss.* 1. 20. In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum *Syr. sibi* Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu, *Syr. inimici in moribus vestris propter mala opera vestra,* In operibus malis. Nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso. *Intelligit per complacentiam ex D. Tho. Nihil meriti Deum inuitasse vt vniret se naturæ humanæ Christi, sed merum beneplacitum. Per* Sanguinem crucis *Effusum in cruce.* CVIVS NOVISSIME, *Id est, cuius postremo, cuius tandem fuerant, id est, eidem Deo creatori non simpliciter conciliati quasi ignoto & extraneo, sed reconciliati quasi suo creatori, cuius iugum excussérant,* VNA IPSA, *Id est simul omnia creata, in vno homine contenta, qui est Sapienti,* Hoc quod continet omnia; *Sicut vno homine peccante omnia simul a Deo diuisa sunt, & contra Creatorem rebellata; sic in Verbo facto homine, & in se omnia recapitulante & instaurante, Deo offenso reunita & reconciliata sunt.* INIMICOS SENSV. *Gentiles intelligis Deum in sensibilibus, & visibilibus creatorem non sentientes, nec intelligentes, vero sensu & fide & opere vnicè colendum.* REDIGIT. *Id est, Christus reducit Gentiles per veram ad mandatorum creatoris.* E *D. Tho. Ex.* 2 *Cor.* 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. *Discordes ergo voluntates hominum terrestrium, à voluntate Dei & Angelorum cœlestium Christus adunauit per suum sanguinem, tollens peccatum, causam discordiæ cum Deo, & onera legis causam discordiæ Gentilis cum Iudæo. Homines porro* INIMICI ERANT SENSV, *tam per ignorantiam intellectu sensu veritatis priuato, quam affectu à iustitia alienato, & actu in moralibus corrupto, vel* SENSV, *Id est, exelectione, malitia contra-*

D *dicentes. Iob.* 34 Quasi de industria recesserũt abeo. *Præterea supra Paulus dixit:* Corpus carnis *Nõ quod ex D. Tho. aliud sit corpus, & aliud caro, sed vt probet Verbum Caro factum, corpus in specie & esse naturæ humanæ mortale sumpsisse, cuius sanguine nos lauaret & sanctificaret. Quid sint hæc cœlestia & terrestria in Christi sanguine reconciliata, bellè docet Augustinus in Enchir. c.* 61. *Vbi ex Rom.* 8. Pro nobis omnibus tradidit illum, *sic fatur:* Non enim pro Angelis mortuus est Christus; sed ideo etiam pro Angelis fit, quidquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo; quoniam cum eis quodammodo redit in gratiã post inimicitias, quas inter homines, & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione, ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur. Et vtique nouerunt S. Angeli doctiùs Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet. Propter quod ait Apostolus instaurari omnia in Christo quæ in cœlis sunt, & quæ in terris. In ipso quippe instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam, à corruptionis vetustate renouantur. Ac sic, per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, quod vnum multæ in lege victimæ figurabant, pacificantur cœlestia cum terrestribus, & terrestria cum cœlestibus; quoniam sicut idem Apostolus dicit Coloss. 1. in ipso complacuit, &c. Pacificans per sanguinem, &c. Quomodo enim pacificantur cœlestia, nisi in nobis, id est concordando nobiscum? Nam ibi semper est pax, & inter se vniuersis intellectualibus creaturis, & cum suo creatore.

S. Augus.

* 22. *Christi sanguis ita mundet, vt in posterum præseruet à delicto. De pudic. cap. 19. circa. m.*

a1.Io.1.7. • *Mundari nos* Ait, non quà delinquamus, sed quà non delinquamus. *Incedentes* enim *in lumine, tenebris verò non communicantes emundati agemus*, Non depositio, sed non admisso delicto. Hæc est enim vis Dominici sanguinis, vt quos iam delicto mundarit, & exinde in lumine constituerit, mundos exinde præstet, si in lumine incedere perseuerauerint.

CHRISTI SANGVIS. XXII. SCHOLIA.

EMVNDARI, *&c. Hoc Ioannis loco contendit suum de Mœchis relapsis non recipiendis, errorem tueri. Sic habet textus 1. Io. 1.7.* Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. *Versu autem precedenti:* Si dixerimus quod societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem. S. August *Aug. tract. 1. in hunc locum Ioannis*: Quid faciemus fratres mei? Societas cum Deo habenda est, alia spes vitæ æternæ nulla est: Deus autem lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ; peccatum autem tenebræ sunt, sicut dicit Apostolus Ephes. 6. diabolum & Angelos eius rectores tenebrarum harum esse: non diceret rectores tenebrarum, nisi diceret rectores peccatorum, dominatores iniquorum, &c. Quid facimus de peccatis? Audi quid sequitur? Et sanguis Iesu Christi filij eius purgabit nos ab omni delicto. Magnam securitatem dedit Deus, merito Pascha celebramus, vbi fusus est sanguis Domini, quo purgamur ab omni delicto. Simus securi, cautionem contra nos diabolus seruitutis tenebat, sed sanguine Christi deleta est, &c. *Tum verò omne delictum exponit de originali & actuali. De originali* S. Aug. *sic in baptismo deleto:* Veteres intrauerunt *In aquam baptismi scilicet ter mersi*, Infantes exierunt. Senectus enim veternosa, vetusta vita: Infantia autem, regenerationis noua vita. *Deindè ne desperemus de actualibus:* Sed quid facimus? præterita peccata donata sunt, non tantum ipsis, sed & nobis. Et post donationem, & abolitionem omnium peccatorum, viuendo in hoc sæculo inter tentationes quædam fortè contracta sunt, ideo quod potest homo faciat: Ipse confiteatur quod est, vt ab illo curetur qui semper est quod est, &c. Vide enim quid dicat: Quod si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ergo si te confessus fueris peccatorem, est in te veritas, nam ipsa veritas lux est. Nondum perfectè splendut vita tua, quia insunt peccata tua, sed tamen iam illuminari cœpisti, quia inest confessio peccatorum? vide enim quid sequatur: quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est & iustus vt dimittat nobis delicta nostra, & purget nos ex omni iniquitate. NON QVA, *&c. id est, non vt blandiatur nobis ex accepta semel emundationis à delicto gratia, de repetendo delicto, à quo sit semper præsumenda ablutio.* NON DEPOSITO, *Id est non tantum eierato peccato, sed* EXINDE, *id est deinceps non admittendo, quod præstat vis sanguinis Christi efficaciter, & fructuosè in prima pœnitentia applicata: vel consecratâ tantâ gratiâ, nil in posterum grauis inquinamenti admittamus, sed in luce gratiæ, semel relictis peccati tenebris, vt filij lucis constanter ambulemus. Augustinus supra*: Ne fortè impunitatem videretur dedisse peccatis, quia dixit, fidelis est & iustus, &c. dicerent iam sibi homines, peccemus, etiam securi faciamus quod volumus: purgat nos Christus, &c. Fidelis est, &c. Tollit tibi malam securitatem, & inserit vtilem timorem. Malè vis esse securus, solicitus esto, fidelis enim est & iustus vt dimittat nobis delicta nostra, si semper tibi displiceas, & muteris donec perficiaris: Ideo quid sequitur? Si quis, inquit, peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non tantum nostrorum, sed & totius mundi quem suo sanguine comparauit. Ille est ergo aduocatus, da operam tu ne pecces. Si de infirmitate vitæ surrepserit peccatum, continuò vide, continuò displiceat, continuò damna: & cum damnaueris securus ad iudicem venies. Ibi habes aduocatum, noli timere ne perdas causam confessionis tuæ. Si enim aliquando in hac vita committit se homo distortæ linguæ, & non perit, committis te Verbo, & periturus es? Clama, aduocatum habemus apud patrem, &c. Ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresin non fecit: hoc qui tenuit schisma non fecit: vnde enim facta sunt schismata? Cum dicunt homines, nos iusti sumus.

* 23. *Christi mors iuxta Danielem, causa fuit excidij Ierusalem. Cont. Iud. cap. 13. à p.*

a Dan. 9. 26. Mich. 5.2. Math. 2.6. b Esa 65.2. POst aduentum eius secundùm Danielem, quòd ipsa ciuitas exterminari haberet legimus, & ita factum recognoscimus. Dicit enim scriptura: Sic & a *Ciuitatem & sanctum simul exterminari cum duce*, Indubitate, qui de Bethlehem & de tribu Iuda esset processurus. Vnde & manifestum est quòd ciuitas simul eo tempore exterminari deberet, cùm ducator eius in ea pati haberet, secundùm scripturas Prophetarum, dicentium: b *Expandi manus meas tota die ad populum contumacem contradicentem mihi. Qui ambulant viam non bonam, sed post peccata sua.*

CHRISTI MORS. XXIII. SCHOLIA.

EXTERMINARI HABERET. *id est, deberet, Phrasi Tertulliano frequenti.* CVM DVCE. *Inferius*, ducatorem *vocat. Locus hic habet Dan. 9. 26.* Ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statutâ desolatio. *70. postrema tantum immittam:* excidentur in diluuio, & vsque ad finem belli conciso, ordine desolationibus. QVI DE BETHLE-

REM, *alludit ad Michee 5. 2. Et Matth. 2. 6.* Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. *Iisdem pene verbis 70: Matthæus autem:* Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. *Vult hic Tertullianus cum Christo rege in Bethlehem nato, à Iudæis extra portam crucifixo, simul populum exterminatum tanti parricidij causa. vt sicut alter Samson vtramque populi columnam regnum & Sacerdotium, & totam Synagogam populumque traxerit in ruinam. August. lib. 18. de ciuit. c. 30.* prædicens, Aug. inquit, *de Michæa loquitur*, iste Propheta & locum in quo natus est Christus: & tu, inquit, Bethlehem domus Ephrata minima es vt sis in millibus Iuda, &c. *Propheta distinguit Bethlehem in tribu Iuda, de qua Iudic. 19 & 1. Reg. 17. ab altera in tribu Zabulon de qua Iosue 19. Ephratea autem Bethlehem sex milliaribus tantum distabat ab Ierusalem, vbi natus est Dauid & Christus. Et Gen. 35. & 48.* mortua est Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratam. Hæc est Bethlehem. *Hiero. in Epitaph. Paulæ*: Salue Bethlehem domus panis, in quæ natus est ille panis, qui de cœlo descendit: salue Ephrata regio vberrima atque χαρτοφόρα, cuius fertilitas Deus est. De te quondam Michæas vaticinatus est, & tu Bethlehem, &c. *Vide verbum Christi aduentus n. 4.* EXPANDI. *Locus Esa. 65. 2.* expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas. *70. secutus Teruul.* qui sic legunt postrema: ad populum incredulum & contradicentem, qui ambulant in via non bona, sed post peccata sua.

24. *Et Ibid. à m. ad f.*

QVoniam adhuc contendunt Iudæi, necdum venisse Christum eorum, quem tot modis adprobauimus venisse; recognoscant Iudæi exitum suum, quem post aduentum Christi relaturi præcinebantur ob impietatem, qua eum & despexerunt & interfecerunt. Primò enim ex qua die, secundùm illud dictum Esaiæ[a] *proiecit homo abominamenta sua aurea & argentea, quæ fecerunt adorandis vanis, & noctuis*: idest, ex quo gentes, nos, dilucidata per Christum veritate, proiecimus idola, (videant Iudæi) & quod sequitur, expunctum est. Tulit enim Dominus sabaoth à Iudæis, & ab Hierusalem, inter cetera, & [b] *sapientem architectum*, qui ædificat Ecclesiam Dei templum, & ciuitatem sanctam, & domum Domini. Nam ex-exinde destitit apud illos Dei gratia. [c] *Et mandatum est nubibus ne pluerent imbrem super vineam Sorech*, id est cœlestibus beneficiis, ne prouenirent domui Israël. *Fecerat* enim *spinas*, ex quibus Christum coronauerat: & non iustitiam, sed clamorem, quo in crucem eum extorserat; & ita subtractis charismatis prioribus, [d] *lex & Prophetæ vsque ad Ioannem* fuerunt: & piscina Bethsaïda vsque ad aduentum Christi curando inualetudines ab Israël, desiit à beneficiis deinde, cum ex perseuerantia furoris sui nomen Domini per ipsos blasphemaretur: sicut scriptum est. [e] *Propter vos nomen Dei blasphematur in Gentibus.* Ab illis enim incepit infamia, & tempus medium à Tiberio vsque ad Vespasianum. Quæ cum ita commisissent, nec intellexissent Christum [f] *in tempore suæ visitationis* inueniendum, [g] *facta est terra eorum deserta, & ciuitates eorum igni exustæ. Regionem ipsorum in conspectu eorum extranei deuorantes: derelicta est filia Sion tanquam speculæ in vinea, vel vt in cucumerario casula*: ex quo scilicet Israël Dominum [h] *non cognouit, & populus eum non intellexit*, sed dereliquit magis, & *ad indignationem prouocauit sanctum Israël.* Sic & machæræ conditionalis comminatio: [i] *Si nolueritis, nec obaudieritis, gladius vos comedet*, probauit Christum fuisse, quem non audiendo perierunt; qui & in psalmo dispersionem eius postulat à Patre dicens: [k] *Disperge illos in virtute tua.* qui & rursum per Esaïam exustionem eorum orat: [l] *Propter me*, inquit, *hæc facta sunt vobis, in anxietate dormietis.* Hæc igitur cum pati prædicarentur Iudæi propter Christum, & passos eos esse inueniamus, & in dispersionem demorari cernamus, manifestum, est propter Christum Iudæis ista accidisse, conspirante sensu scripturarum cum exitu rerum, & ordinis temporum. Aut si nondum venit Christus, propter quem hæc passuri prædicabantur, quum venerit ergo, patientur. Et vbi tunc filia Sion relinquenda, quæ nulla hodie est? vbi ciuitates exurendæ, quæ iam in tumulis exustæ sunt? Vbi dispersio gentis, quæ iam extorris? redde statum Iudææ quem Christus inueniat, & alium contende venire.

[a] Esa. 2. 8
[b] Esa. 3. 3.
[c] Esa. 5. 6. Matth. 27. 29.
[d] Matth. 11. 13. Io. 5. 2.
[e] Esa. 52. 5.
[f] Luc. 19. 44.
[g] Esa. 1. 7. & 8.
[h] Esa. 1. 3. & 4.
[i] Esa. 1. 20.
[k] Psal. 58. 12.
[l] Esa. 50. 11.

CHRISTI MORS. XXIV. SCHOLIA.

EXITVM SVVM, *infaustum scilicet & ruinosum.* EXPVNCTVM. *Impletum est.* PROIECIT HOMO *sic Esa. 2. 8.* repleta est terra eius Idolis: opus manuum suarum adorauerunt quod fecerunt digiti eorum. 70. Et repleta est terra abominationibus operum manuum eorum. SAPIENTEM. *Sic Esa. 3. 1. & seq.* auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem & virum bellatorem, iudicem & Prophetam, & ariolũ & senem: principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de Architectis, & prudentem eloquij mystici. *70. Paucis immutatis:* validum & validam, &c Gygantem & fortem, &c. Admirabilem Consiliarium, & sapientem architectum, & prudentem auditorem. MANDATVM. *Esa. 5. 6.* ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur; & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem, Vinea enim Domini exercituum domus Israël est. *Nil differt versio 70.* SORECH. *sic habet ibid. versu 2. iuxta 70.* plantauit vineam Sorech: *Vulgata*: plantauit eam electam. *Sorech significat vineam.* SPINAS. *Esa. 5. 4.* Quid est quod debui vltra facere vineæ

S. Aug. meæ, & non feci ei? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? 70. *Sic efferunt poſtrema:* vt faceret vuam, fecit autem ſpinas. *Aug. in Pſal. 79 cum Gentem Iudaam ſecundum eundem Pſalmum dixiſſet, extendiſſe palmites vſque ad mare, & vſque ad flumen Iordanem ſcilicet propagines eius; ſic concludit:* vt quid deſtruxiſti maceriam eius: iam, inquit, vident eueſſum illam gentem Iudæorum: iam ex alio Pſalmo auditis, in dolabro & fractorio deiecerunt eam. Quando fieret, niſi eius macera deſtrueretur? quæ eſt macera eius? munitio eius. Extitit enim ſuperba aduerſus plantatorem ſuum, ſed ſeruos ad ſe miſſos & petentes mercedem, coloni flagellauerunt, & cecciderunt, & occiderunt. Venit & vnicus filius, dixerunt, hic eſt hæres, venite occidamus eum, & noſtra erit hæreditas. Matth. 21. occiderunt, & extra vineam proiecerunt. Proiectus magis poſſidet, vnde proiectus eſt. Sic enim ei minatur per Eſaiam, Deſtruam maceriam eius. Quare? expectaui enim vt faceret vuam, fecit autem ſpinas. Expectaui inde fructum, & inueni peccatum, &c. Expectaui vt faceret iudicium, & fecit iniquitatem. Non erat deſtruenda macera eius? venerunt Gentes, deſtructa macera, inuaſa eſt vinea, ac deletum regnum Iudæorum, &c. Et vindemiant eam omnes tranſeuntes viam. Quid eſt, viam tranſeuntes? temporaliter dominantes. Deuaſtauit eam Aper de Sylua. Aprum de Sylua quid intelligimus? Iudæis porcis aduerſus eſt, & in porco potuit tanquam immunditiam Gentium. A Gentibus autem euerſa eſt Gens Iudæa; Sed rex ille, qui euertit non tantum porcus immundus, ſed etiam aper fuit. Quid enim aper, niſi porcus ſeuus, porcus ſuperbus? Aper de Sylua vaſtauit eam, de Sylua, de gentibus. CLAMOREM. *Sic Eſa. 5. 7.* Expectaui, &c. Iuſtitiam, & ecce clamor. 70 autem non iuſtitiam, ſed clamorem. EXTORSERAT. *Vim ſcilicet inferens Pilato liberare volenti, nulla mortis causa inuenta in eo, dum clamarunt crucifige, &c.* INVALETV-

A DINES, *infirmitates.* PROPTER VOS *Eſa. 52. 5.* iugiter tota die nomen meum blaſphematur. 70. *verò*; propter vos ſemper nomen meum blaſphematur in gentibus. INCOEPIT INFAMIA. *Vel quod Iudæi cauſa fuerint primæ maioris blaſphemiæ in gentibus, vel quod infamia Iudæorum ſumpſerit originem à blaſphemiis in Chriſtum quem Iudæi tradiderunt gentibus ad illudendum.* TEMPVS MEDIVM. *Alludit ad mediam hebdomadam Danielis 9. 27.* in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis: & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio. 70. *autem*: in dimidio hebdomadis auferetur meum ſacrificium & libamen: & in templo abominario deſolationum. TERRA DESERTA. *Eſa. 1. 7.* terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Et derelinquetur filia Sion vt umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur. 70. *parum differunt* MACHÆRÆ CONDITIONALIS. *Quia ſcilicet ſub conditione rebellionis gladium vibrat. Eſa. 1. 20.* ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos. 70. Si nolueritis, neque exaudieritis, &c. PROPTER ME. *Eſa. 50. 11.* ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis: de manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis. 70. *verò*: propter me facta ſunt hæc vobis, in mœrore dormietis. PROPTER CHRISTVM. *Aug. Ep. 78. ad Heſychium, vbi ſic concludit:* hoc me compulit dicere cuiuſdam opinio, quem Preſbyter quoque Hieronymus temeritatis notat, quod auſus fuerit Danielis hebdomadas de aduentu Chriſti futuro, non de præterito exponere &c. *Vbi ſubintelligendum tradit, quæ Daniel de excidio Ieruſalem & ruina Iudæorum prædixit, iam impleta eſſe, nec ſecundum aduentum Chriſti expectandum: cùm in primo impleta fuit Prophetia de veſtatione totius Gentis Iudaicæ ob Chriſtum occiſum.*

Auguſt.

25. In Chriſti morte, tenebræ & naturæ luctus in Paſchate, ruinam Iudæorum prædixerunt. cont. Iud. cap. 10. in f. & 11. in p. ad m.

QVod in paſſione eius accidit, vt media dies tenebreſceret, Amos Propheta annuntiat, dicens: [a] *Et erit, inquit, in die illa, dicit Dominus, occidet ſol media die, & tenebreſcet ſuper terram dies luminis, & conuertam dies feſtos veſtros in luctum, & omnia cantica veſtra in lamentationem, & imponam ſuper lumbos veſtros ſaccum, & ſuper omne caput calui tium, & ponam eum quaſi luctum dilecti, & eos qui cum illo, quaſi diem mœroris.* Hoc enim & Moyſes initio primi menſis nouorum facturos vos prophetauit, cum omne vulgus filiorum Iſrael ad veſperam agnum eſſet immolaturus: & hanc ſolennitatem diei huius, id eſt Paſchæ azymorum, cum amaritudine manducaturos præcanebat: & adiecit, [b] *Paſcha eſſe Domini*, id eſt paſſionem Chriſti. Quod ita quoque adimpletum eſt, vt [c] *prima die azymorum* interficeritis Chriſtum, & vt prophetiæ adimplerentur, properauit dies veſperam facere, id eſt tenebras efficere: quæ media die factæ ſunt: atq; ita [d] *dies feſtos veſtros conuertit Deus in luctum, & cantica veſtra in lamentationē.* Poſt paſſionem enim Chriſti etiam captiuitas vobis & diſperſio obuenit, prædicata per Spiritum ſanctū. Nam & pro iſtis meritis veſtris, cladem veſtram futuram Ezechiel nuntiat: & non ſolum in iſto ſeculo quæ iam euenit, ſed in die retributionis quæ ſubſequetur. Qua clade nemo liberabitur, niſi qui paſſione Chriſti, quem reſpuitis, fuerit obſignatus. Sic enim ſcriptum eſt: [e] *Et dixit Dominus ad me, Fili hominis, vidiſti quæ ſeniores Iſraël faciunt vnuſquiſque eorum in tenebris, vnuſquiſque in cubiculo abſconſo. quoniam dixerunt: Non videt nos Dominus, dereliquit Dominus terram. & dixit ad me: Adhuc conuerſus videbis facinora maiora quæ iſti faciunt. Et introduxit me ad limina ianuæ domus Domini, quæ aſpicit ad Aquilonem, & ecce illic mulieres ſedentes, & plangentes Thammuz. & dixit Dominus ad me: Fili hominis, vidiſti? Nunquid modica domui Iudæ, vt faciant facinora quæ fecerunt: & adhuc viſurus es adfectiones maiores eorum. Et introduxit me in eadem domus Domini interiorem, & ecce in liminibus templi Domini, inter medium eius & inter medium altaris, quaſi viginti quinque viri poſteriora ſua*

a Amos 8. 9. & 10.

Exo. 12. 2. & ſeq

b Exo. 12. 8.

Ibib. 12.

c Matth. 26. 17.

d Tob. 2. 6.

CAP. X.

e Ezech. 8. 12. & ſeq.

dederunt ad templum Domini, & facies suas contra orientem, hi adorabant solem, & dixit ad me: Vides, fili hominis? Nunquid pusilla domui Iuda, vt faciant facinora quæ fecerunt hîc? Quoniã impleuerunt impietates suas, & ecce ipsi quasi subsannantes. Ego faciam cũ indignatione mea, non parcet oculus meus, neque miserebor. Exclamabunt ad aures meas voce magna, & non exaudiam eos, sed neque miserebor. Et clamauit in aures meas voce magna dicens: Adproximarunt vindictæ ciuitatis huius, & vnusquisque habuit vasa exterminij in manu sua. Et ecce sex viri venichant ad viam portæ altæ, quæ respiciebat ad Aquilonem, & vnusquisque bipennis dissipationis erat in manu eius. Et vnus vir in medio eorum indutus podere, & zona sapphiri in lumbis eius. Et introierunt, & steterunt in proximis altaris ærei, & claritas Dei Israel ascendit à Cherubin, quæ fuit super ea in subdiual domus. Ezech. 9. 1.

IN CHRISTI MORTE, &c. XXV. SCHOLIA.

OCCIDET SOL. *Sic Amos 8. 9. & consonant 70. Cum Vulgata. Aug. ser. 114. de temp.*

Aug. Expauit sæclus natura rerum, & quem creatura rebellis non agnouit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, & cœli Regem Sol fugiens confitetur. *Et Ep. 80. ad Hesychium:* Quando vidimus Solem sic obscuratum, quemadmodum obscuratus est, cùm lumen mundi penderet in ligno? Nisi fortè defectus Solis & Lunæ, quos consueuerunt computatores syderum annotare atque prædicere inter cœlestia prodigia numerabimus, quia Lunam sæpius in sua plenitudine, Solem verò rarius, sed tamen vidimus in fine Lunæ secundùm eorum computum defecisse. Non erat talis Solis ille defectus, quando crucifixus est Christus, & ideo verè mirabilis erat & prodigiosus. Pascha quippe fuerat Iudæorum, quod non nisi in plenitudine Lunæ celebratur. Secundùm Astrologorum autem numeros, certum est Solem, quando Luna plena est, non posse deficere, sed quando finis est lunæ, non quidem semper, sed aliter nunquam, cùm secundum illos numeros deficit. Quid ergo tale vnquam quisquam meminit apparuisse de cœlo, ex quo Dominus illa prædixit, quale apparuit, quando passus est? *Vide infra V. Christi Magnalia. num. 9.* PASCHA DOMINI. *Aug. in tit. Psal. 68. qui est:* In finem pro his qui commutabuntur *Vbi pulcherrimè licet extra mentem Tertullíani qui Pascha explicat, passionem Domini, in quâ sicut iuxta Oseam gens Iudæa, Gentilem & Samaritanam induit crudelitatem, tradens illudendum & crucifigendum,* Transire fecit Samaria regem suum velut spumam super faciem aquæ: *Iure & ipsa transiit in ruinam & ludibrium gentium. Sic ergo Augustinus:* Commutatio vel in deterius est, vel in melius est. Adam & Eua in deterius; qui ex Adam & Eua Christo adhæserunt, in melius commutati sunt. Sicût enim per vnum hominem mors, ità & per vnum hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur. 1. Cor. 15. Ab eo quod formauit Deus mutatus est Adam, sed in peius iniquitatis suæ. Ab eo quod operatus est iniquitatem, mutantur fideles, sed in melius per gratiam Dei, &c. Quod in peius mutati sumus, nobis imputemus; quod in melius commutamur, Deum laudemus. Pro his ergo iste Psalmus, qui commutabuntur. Vnde autem ista commutatio facta est, nisi ex Passione Christi? Pascha ipsum Latinè transitus interpretatur. Non est enim Pascha Græcum nomen, sed Hæbræum resonat quidem in Græca lingua passionem, quia πασχειν pati dicitur. Sed consultum Hæbræum eloquium, aliud indicat. Pascha transitum commendat. Quod admonuit etiam Ioannes Euangelista cap. 13. Qui imminente passione, cùm veniret Dominus ad cœnam, quâ commendauit Sacramentum corporis & sanguinis sui, ita loquitur: cùm veniisset hora quâ transiret Iesus de hoc mundo ad Patrem: Expressit ergo transitum Paschæ. Sed nisi ipse transisset hinc ad Patrem, qui propter nos venit, nos transire hinc quomodo possemus, qui non propter aliquem leuandum descendimus, sed cecidimus? Ipse autem non cecidit, sed descendit, vt eum qui ceciderat sublcuaret. Transitus ergo illius & noster hinc ad Patrem, de hoc mundo ad regnum cœlorum, de vita mortali ad vitam æternam, de vita terrena ad vitam cœlestem, de vita corruptibili ad incorruptibilem, de tribulationum conuersatione ad perpetuam securitatem: Ideo pro his qui commutabuntur psalmi titulus est. THAMMVS. *Prolixus locus Ezech 8. & 9. Quem iuxta 70. suo more refert. In paucis, quæ aliter profert Vulgata, morabor. Communis ergo versio legit;* Adonidem. *Thammus significat incensionem. Caput enim Adonidis plenum plumbo, admoto intrinsecus igne soluebant per oculos in lacrymas plumbeas, quibus commota mulieres collacrymabantur.* ADFECTIONES. 70. Admuentiones. *Vulgata,* Abominationes. *Quod maiori affectu Solem quàm Adonidem colerent.* ELAM, *id est, vestibulum, cancellos, ante quod ex Theod. collocatum erat Altare aureum, & erat porticus templi siue interius atrium, quod infra Terul.* SVBDIVAL *Domus dixit, quasi sub dio.* SVBSANNANTES. *Vulgata* Applicant ramum ad nares suas. *Quasi adorantes & offerentes cum osculo Soli Orienti cum veri Solis Dei subsannatione.* BIPENNIS. 70. Securis. *Vulgata:* Vas interitus. *id est, instrumentum ad perdendum, vt habent Hebræa.* PODERE. *Id est veste talari. Vulgata:* Vestitus erat lineis. *Greg. Christum signat linea humanitatis veste de terra virginea sumpta, & gente Iudæa, vestitum. Vnde & lumborum meminit, ex Abrahæ genere & lumbis, per Mariam præcinctum virginitate virum circumdantem.* ZONA SAPPHYRI. *Sapphyrus gemma cœlestis coloris, secundum Adam, de cœlo cœlestem exprimit. Zona Symbolum iustitiæ, quam iustè in Iudæos contemptores & occisores exercuit. Vulgata Ezech. 9.* Atramentarium scriptoris ad renes eius: *Quia omne ei iudicium dedit pater facere, quia filius hominis est; & scribit peccata omnia, iuxta psalmum.* In libro tuo omnes scribentur: *Concinente Iob:* Librum scribat ipse qui iudicat: *Et in Sapphyrinis tabulis lex data. Cuius Iudæi transgressores, insurrexerunt in Dominum & Christum eius; qui idcirco inter sex viros, id est, inter omnes creaturas, sex diebus factas, vltor in Iudæos suæ mortis apparet, nullo iudicium & mortem euadente nisi signato Thau, crucis signo, cui suum damnarunt regem; de quo infra dicturi sumus in Verbo Crux.*

26. Christum Morientem astra senserunt V. Verbum. Christi Passio. 2. circa. fin.

27. Christo morienti totus orbis parentauit. De Ieiun. cap. 10 in. m.

Math. 27. 45. ITaque in eam vsque horam celebranda pressura est, in qua à sexta contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium, vt tunc & nos reuertamur ad iucunditatem, cùm & mundus recepit claritatem.

CHRISTI MORIENTI XXVII. SCHOLIA.

CELEBRANDA PRESSVRA, *id est compatiendo & commoriendũ Christo, carnẽ ieiuniis macerando, sero comedendo.* A SEXTA, *&c. Math. 27. 45.* A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. FECIT OFFICIVM. *Chrysol. ser. 83. Ex Deut. 34.* Moysi mortuo assistunt Angeli, agit sepulcri curam Deus ipse: Iudaica castra sistuntur, dissimulatur iter, horrida eremi statio duratur, indicitur triginta dierum planctus, & longo lamentationis obsequio seruile funus honoratur: Et Christus verus vnus Dominus, Creator rerum, Redemptor omniũ post illam tragicam passionem, post mortem & mortẽ crucis, triduanas à discipulis lacrymas non meretur. Terra tremuit, turbatur tartarus, scinduntur saxa, monumenta dissiliunt, Sol fugit, dies sepelitur, fit nox totum, & soli discipuli alto figmate *Id est lecto & mensa insigna graecam literam simula* Choro vno, toto otio, deliciis securi epulantur. Et hoc fratres reuersus ab inferis ipse sic Magister inuenit. Recumbentibus illis vndecim apparuit Dominus, &c. Ad hæc Petre fidelis, Petre deuotissime quid dicemus? Recumbentibus illis. Numquid prandentibus? Fratres, hoc non erat discumbere, sed iacere: nec conuiuij erat chorus ille, doloris erat ille conuentus. Ibi panis non erat gaudij, sed mœroris: Ibi crucis felle, non vini dulcedine pocula miscebantur, &c. Non erat domus illa, sed carcer: Illud figma non erat, sed sepulcrum: tunc tota ad discipulos pœna dominicæ transiebat passionis, & non solum lateribus eorum, sed & cordibus, doloris lancea tota figebatur. Tunc tristitiæ clauis affixæ manus eorum pedesque tenebantur: tunc illis acetum, tunc fel amaritudo Iudaïca propinabat: tunc illis Sol occidit, dies fugit: tunc illorum mentes animasque nox profundissima possidebat. *Vide eumdem ser. 78. in p. Augustinus ser. 120. de temp.* S. August. Ipsa inquit, totius mundi irrationabilis creatura motibus suis Deũ loquitur; nam in media passione Domini Saluatoris, cœlestia & terrena turbantur: Lux cum nocte miscetur, elementa quatiuntur & ab antiquis ministeriis effugantur. Apertè rerum natura perspicitur commoueri, velut in vindictam auctoris sui velit armari. Terra ipsa concussa à fundamentis suis; quasi quæ crucem Domini vix sustineat, tanquam ad scelus proprium contremiscit. Dies refugo lumine quomodo potest sumit lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu, more lugentis induitur: & vt tota cœli facies Dominicæ natiuitatis gloriam noua luce testatur, ita crucis iniuriam nouis tenebris detestatur. Et quæ duritia cordis humani? Væ eis qui inter ista non credunt; quandoquidem creatura irrationabilis, quæ recipere non potest credulitatis affectum, dat tamen Deo confessionis obsequium: & cùm pro solo homine Christus mortuus sit, perhibet ei tamen etiam pars illa mundi testimonium diuinitatis, ad quam non pertinuerunt beneficia Passionis *Tum verò ex illis tenebris lumen educit reflexionis moralis de æstimatione pretij nostri & terrore iudicij, & ne conuersionem ad extremum vitæ latronis exemplo con-*

fisi differamus. Agnoscat, inquit, homo, quantùm valeat, & quantùm debeat: & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat, &c. Custodiamus ergo solicitè quod tanti sui cruoris commercio Christus redemit. Reus itaque erit, non parui pretij, sed sanguinis Christi, qui violat, & commaculat animam Christi sanguine, & passione mundatam, blasphemus, homicida, castitatis proditor, hæc tria capitaliter occidunt, &c. Blasphemus, homicida, proditor castitatis suæ, expugnator alienæ, id est qui legitimi cubilis iura transgreditur, qui extra coniugem suam, per mortiferos errat amplexus, reus erit æternæ mortis, quia vilem in se habuit sanguinem Redemptoris. Et quia clamat Apostolus, 1. Cor. 6. neque rapaces, neque adulteri, regnum Dei possidebunt: abstineamus manus ab alienis, oculos ab aliena fœmina caueamus, ne corpori illi quod de nostro Christus assumpsit, iniuriam faciamus, &c. Irremediabile periculum est sic aliquem vitiis & cupiditatibus fræna laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum. Puto quia magna sit peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidisse iudicij. *Præmiserat ex Psalte 9.* Non est Deus in conspectu eius, polluuntur viæ eius in omni tempore, auferentur iudicia tua à facie eius. *Si Christo iudicato totus infremuit mundus: Iudicaturo peccatores, pro ipso totus surget in prælium mundus. Debinc insperantes in simili exitu latronis.* Ante inquit, mihi fidem latronis ostende, & tunc tibi latronis beatitudinem pollicere. Immittit diabolus securitatem, vt inferat perditionem. Neque dinumerari possunt, quantos hæc inanis spei vmbra deceperit, &c. Præueniendus est dies qui præuenire consueuit. Ipse se seducit, & de morte sua ludit qui hoc cogitat, potest mihi extremi temporis indulgentia subuenire, &c. Stultissimum est, vt causa quæ de necessitatibus agitur æternis, inutilitatibus vitæ deficientis committatur extremis, &c. Latro etiam ex hoc in extremo placuit Deo, quia ad consequendam fidem, non fuit extrema hora illa, sed prima. RECEPIT CLARITATEM. *Id est, vt tunc cibum capiamus cùm Sol è longis tenebris emersit. Vel alludit ad diem Paschatis, qua canitur:* Hæc dies quam fecit Dominus, &c. *Pulchrè Chrysol. ser. 82. a. p. in hæc verba:* Valde manè orto iam Sole. Si valde mane, quomodo orto iam Sole? Sic nescit Euangelista quid dicat? &c. Dixerat: ab hora sexta vsque ad horam nonam tenebræ factæ sunt: Ergo Sol, qui præter horam vt Domino compateretur, abscesserat, claritate, cùm resurgeret Dominus ante tempus occurrit: Et, qui vt commoreretur authori, ipsam meridianam suam mortificauerat claritatem, vt consurgeret authori suo, euictis tenebris anteluscanus erupit. Valde manè. Quia tunc, Sol vt manè faceret, manicauit: Et qui ante noctem fugerat, nunc ipse noctem præuenit fugaturus. Vt reddat luci nox horas, quas terror dominicæ passionis inuaserat. *Vide dicta ex Aug. Schol. precedentis, de eclypsi Solis.* Aug. Augus.

CHRISTI

CHRISTI DESCENSVS AD INFEROS.

* *Christus descendit ad inferos vt Patres visitaret. De An. cap. 55. in p.*

NObis inferi, non nuda cauoſitas, nec ſubdiualis aliqua mundi ſentina creduntur; ſed in foſſa terræ, & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus eius abſtruſa profunditas. Siquidem Chriſto in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt in receſſu intimo, & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam clauſo, & inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo. Quòd ſi Chriſtus Deus, quia & homo, mortuus ſecundùm ſcripturas, & ſepultus ſecus eaſdem, huic quoque legi ſatisfecit, formâ humanæ mortis apud inferos functus; nec antè aſcendit in ſublimiora cœlorum, quàm deſcendit in inferiora terrarum, vt illic Patriarchas & Prophetas compotes ſui faceret, habes & regionem inferûm ſubterraneam credere, & illos cubito pellere, qui ſatis ſuperbè, non putant animas fidelium inferis dignas: [a] *Serui ſuper Dominum, & diſcipuli ſuper magiſtrum.*

Matth. 12. 40.

Epheſ. 4. 9.

a Matth. 10. 24.

CHRISTI DESCENSVS AD INFEROS SCHOLIA.

IN ALTO. *Id eſt, profundo ſinu terræ.* EXPVNCTVM, *id eſt, implorum. Alludit ad figuram Ionæ Matth.* 12. 40. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. *Aug. 18. de Ciuit. c. 30.* Ionas Propheta non tam ſermone Chriſtum, quàm ſua quadam paſſione prophetauit: profectò apertiùs, quàm ſi eius mortem & reſurrectionem voce clamaret. Vt quid enim exceptus eſt ventre belluino, & die tertio redditus, niſi vt ſignificaret Chriſtum de profundo inferni die tertio rediturum? SVBDIVALIS, *Id eſt, inoperta & quaſi ſub Dio.* SVPERSTRVCTO. *Quia limbus Patrum quò anima Chriſti deſcendit, ſuperior eſt inferioribus abyſſis purgatorij & inferni.* FORMA, *&c. Id eſt, iuxta morem animarum fidelium manſit aliquandiu in limbo.* NEC ANTE, *&c. Alludit ad Epheſ. 4. 9.* Quod aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ. SATIS SVPERBE, *&c. Hic inſinuat errorem ſuum, de quo latius in Alphabeto errorum: Quo credidit præter animas Martyrum, nullas quamuis inferum cælo frui ante reſurrectionem, ſed apud inferos in loco manere refrigerij. Licet enim ante Chriſtum nulla ſit in cælum admiſſa; tamen ex quo ìd qui clauem habet domus Dauid, cælum merito crucis aperuit, omnes, hìc, vel in purgatorio mundatæ, cælo donantur, limbo Patrum deſcenſu Chriſti, & ad vmos regreſſu vacuato? Quin & credibile multorum Sanctorum corpora conſuſcitata Chriſto, aſcendentem in cælum comitata fuiſſe.*

Aug.

B

CHRISTI MAGNALIA.

1. *Chriſtus Dei Spiritus, Sermo & ratio. De orat. cap. 1. V. V. Oratio 1.*

2. *Et ibid. rurſum.*

3. *Chriſtus Dei filius Primogenitus ſermo ante omnia, per quem omnia, in quo plenitudo diuinitatis, & ſumma omnium à Deo Creatore poſita eſt. 5. Cont. Marc. cap. 19. à p.*

SI non eſt Chriſtus [a] *Primogenitus conditionis*; Vt ſermo Creatoris, [b] *Per quem omnia facta ſunt, & ſine quo nihil factum eſt*; Si non [c] *In illo condita ſunt vniuerſa in cælis & in terris, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates; ſi non cuncta per illum & ille ſunt condita*, (Hæc enim Marcioni diſplicere oportebat) non vtique tam nudè poſuiſſet Apoſtolus, [d] *Et ipſe eſt ante omnes*. Quomodo enim ante omnes, ſi non ante omnia? Quomodo ante omnia, ſi non primogenitus conditionis? ſi non ſermo Creatoris? Vnde ante omnes probabitur fuiſſe, qui poſt omnia apparuit? Quis ſcit priorem fuiſſe, quem eſſe neſciit? Quomodo item boni duxit [e] *Omnem plenitudinem in ſemetipſo habitare?* Primo enim, quæ eſt iſta plenitudo, niſi ex illis quæ Marcion detraxit, conditis in Chriſto, in cœlis & in terris, angelis & hominibus; niſi ex illis inuiſibilibus & viſibilibus? niſi ex thronis, & dominationibus, & principatibus, & poteſtatibus? Autſi hæc pſeudapoſtoli noſtri & Iudaïci Euangelizatores de ſuo intulerint, & ad plenitudinem Dei ſui Marcion, qui nihil condidit: Cæterum, quale eſt vt plenitudinem Creatoris, æmulus & deſtructor eius in ſuo Chriſto habitare voluerit?

a Coloſſ. 1. 15.
b Io. 1. 3.
c Coloſſ. 1. 16.
d Coloſſ. 1. 17.
e Coloſſ. 1. 19.

CHRISTVS DEI FILIVS, &c. 3. SCHOL.

PRIMOGENITVS CODITIONIS. *id eſt, rerum omnium conditarum, ante quas genitus eſt Dei filius Verbum per quod facta ſunt omnia, ante omnia genitum.* POST OMNIA, *quia nouiſſimus virorum, in quo nouiſſimè nobis locutus eſt Pater.* APPARVIT. *Prius abſconditus, latens apud Patrem vnigenitus in ſinu, lucem habitans inacceſſibilem.* QVIS SCIT, *&c. Prius enim de aliquo quæritur, an ſit: quàm quis ſit, primus an nouiſſimus.* AVT SI HÆC, *&c. Ironicè dictum. Niſi fortè, inquit, aliqui pſeud apoſtoli, vel ipſe Marcion aris ſuæ oblitus qua ſcripturâ detrahis hæc Apoſtolo reliquit, vel non ſcripta inſernit, qui-*

Digitized by Google

bus, de Deo ſuo otioſo erubeſcens, qui nihil ante cundiderat, ipſi tandem cautior factus, omnia condita tribuerit, quibus Chriſtum ſuum adornaret. Quod ſi verè hæc omnia, vt ſunt, Apoſtoli verba ſunt; mirum ſanè quod Marcion velis Deum ſuum à Creatore ſuo aduerſario mutuari res creatas, quibus Chriſtum ſuum impleat & exornet. Locus ad Coloſſ. 1. 15. Qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo, *Syr. & per quem creata ſunt omnia.* condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, *Syr. ante omnia & per eum omnia conſiſtunt.* Et omnia in ipſo cõſtant *D. Tho. in hunc locum dicitur Deus inuiſibilis, quia excedit capacitatem cuiuſcuis intellectus creati, quia ex Dionyſio, omnis cognitio terminatur ad exiſtẽs, id eſt, ad aliquam naturam participantem eſſe: Deus autẽ non eſt ens per participationem ſed per eſſentiam. Filius imago Patris etiam inuiſibilis eſt Hebr. 1.* Qui cùm ſit ſplendor glorię & figura ſubſtantiæ eius *Primo genitus dicitur, quod vt capias ſcito generationẽ fieri ſecundùm modum naturæ generantis. Natura autem Dei, eſt intelligere; vnde & generat intellectualiter, & concipit naturam ſuam. Nos autem quia in nobis aliud eſt intelligere, aliud natura noſtra, ideo conceptio ſiue generatio intelligibilis, non eſt conceptio naturæ noſtræ. Pater ergo ſe concipiendo generat imaginem & ſimilitudinem naturæ ſuæ. Primogenitus dicitur, quia Pater ſimul ſe cognoſcendo, omnem nouit creaturam; vnde Verbum repræſentat vt Principium omnem creaturam.* A *Si enim ſe ſolum Pater cognoſceret, Verbum ſolum eſſet primogenitus Patris: ſed eſt & primogenitus creaturæ, quia Deus in ſe cognoſcit verbum, generando, omnem creaturam. In ipſo ergo velut forma & idea & quodam exemplari condita ſunt omnia, ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia. Omnia ergo per ipſum ſicut per cauſam efficiuam: & in ipſo ſicut per cauſam exemplarem. Ne quis diceret, in verbo æterno omnia ab æterno facta, addit Apoſtolus:* ipſe eſt ante omnia. *tempora ſcilicet, & omnia creata. Prou. 8.* Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquã faceret à principio. Et omnia in illo conſtant, *id eſt conſeruantur. Sicut lumen Lunæ à Sole, ſic recedente Deo omnia deficiunt. Hebr. 1.* portans omnia verbo virtutis ſuæ. *Auguſt. contra Secundinum. c. 5.* Fides Catholica quæ inter Creatorem creaturamque diſtinguit, nullam patitur in his duobus nominibus intelligendi difficultatem: vnigenitum eum accipiens ſecundùm id quod ſcriptum eſt: In principio erat verbum, &c. Primogenitum autem vniuerſæ creaturæ, ſecundum id quod Apoſtolus ait, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, quos ei Pater ad fraternam ſocietatem, non æqualitate ſubſtantiæ, ſed adoptione gratiæ generauit, &c. *Et rurſum ibid. c. 7.* Vt Chriſtus Ieſus, & vnigenitus ſit ſecundùm id quod verbum Dei eſt, Deus apud Deum pariter incommutabilis, & pariter æternus non rapinam arbitratus, &c. Et primogenitus omnis creaturæ, ſecundùm id, quod in ipſo condita ſunt omnia in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia. Auguſt. Aug.

4. *Chriſtus imago, & lumen perſonæ Patris. 5. cont. Marc. cap.* 11. *à m.*

Gen. 1. 3.
a Eſa. 42. 6.
b Pſal. 4. 7.
c Thren. 4. 20.
d 2. Cor. 4. 4.
e Gen. 1. 3.

QVis dixit, *Fiat lux?* Et de illuminatione mundi, quis Chriſto ait, a *Poſui te in lumen Nationum*, ſedentium ſcilicet in tenebris, & in vmbra mortis? Cui reſpondet Spiritus in pſalmo, ex prouidentia futuri, b *Significatum eſt*, inquit, *ſuper nos lumen perſonæ tuæ Domine.* c *Perſona autem Dei Chriſtus Dominus.* Vnde & Apoſtoli ſuprà, d *Qui eſt imago*, inquit, *Dei.* Igitur ſi Chriſtus perſona Creatoris dicentis, e *Fiat lux*; & Chriſtus & Apoſtoli, & Euangelium, & velamen & Moyſes, & tota ſeries ſecundùm teſtimonium clauſulæ, Creatoris eſt *Dei huius ani*, certè non eius qui nunquam dixit, *Fiat lux.*

Gen. 1. 3.

CHRISTVS IMAGO. IV. SCHOL.

QVIS DIXIT, *&c. In hoc velut epilogo capitis colligit quæ ex 2. Cor. 3. & 4. præmiſerat de velamine Moyſi & gloria Chriſti tranſfigurati, & Deo huius Æui, id eſt ſeculi & mundi huius, vt probet Chriſtum imaginem Patris, lumen gentium: vetus & nouum Teſtamentum, non ad Deum Marcionis, qui nunquam dixit, fiat lux: ſed ad Deum Creatorem pertinere, cuius ſunt hæc omnia.* NATIONVM. *Eſaiæ 42. 6. ſic Vulgata:* dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. SIGNIFICATVM EST. *Sic ſolus legit ex aliquo exẽplari Græco,* σημειῶσις. *à* σημαίνω. *quod verti poteſt, & ſigno, & ſignifico. Pſal. 4. 7.* ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. *Perſonam prouidit poſuit.* προεῖδον. *vt & Thren. 4 vbi 70.* Spiritus faciei noſtræ Chriſtus Dominus, vel ſpiritus oris noſtri *vt Vulgata legit.* PERSONA DEI. *Quia à Deo producta; non quod velit Patris & filij perſonas confundere, ſed quod velut in imagine, ſic in perſona filij Pater videatur. Io. 14.* Qui videt me videt & patrem meum. IMAGO DEI. *Aug. ſer. 38. de verb. Domini ſecundùm Ioannem:* quia dictus eſt filius & Imago Patris, accipiamus & aliquam ſimilitudinem &c. *Subiicit:* ſi lucernam accendere cupio, nondum eſt ibi ignis, nondum eſt ille ſplendor. Mox autem vt accendero, ſimul cum igne & ſplendor exiſtit. Da mihi hîc ignem ſine ſplendore, & cedo tibi patrem fuiſſe ſine filio, &c. Ponamus aliquid ſuper aquam natum, vel virgultum, aut herbam; nonne cum imagine ſua naſcitur? mox vt incipit exiſtere, incipit cum illo exiſtere imago eius, &c. Naſcitur ergo cum imagine ſua, & ſimul eſſe incipiunt virgultum & imago eius. Nunquid non fateris imaginem eſſe de illo virgulto, non virgultum de imagine? &c. Ergo coæua ſunt: ſi ſemper virgultum, ſemper & imago de virgulto. *Virga virtutis Dei, ſpeculum maieſtatis, imago bonitatis, candor Lucis, de Sole Sol Chriſtus, Verbum Patris per quod dixit:* fiat lux. C D Aug. Aug.

3. Christo Deus Pater omnia tradidit; & Christus Patrem mundo notiorem fecit.
4. cont. Marc. cap. 25. circa m.

Omnia a sibi tradita à Patre. Credas, si Creatoris est Christus, cuius omnia; quia non minori se tradidit omnia filio Creator, quæ per eum condidit, per Sermonē suum scilicet. Cæterū si Eperchomenos ille, quæ sunt omnia, quæ illi à Patre sunt tradita? quæ sūt Creatoris? ergo bona sunt quæ pater filio tradidit; & bonus iam Creator, cuius omnia bona sunt; & ille iā non bonus, qui in aliena bona inuasit, vt filio traderet, docens alieno abstinere. Certe mendicissimus qui nec filium vnde ditaret habuit, nisi de alieno. Aut si nihil de Creatoris traditum est ei à patre, & quomodo hominem Creatoris sibi vendicat? Aut si solus homo ei traditus est; omnia homo non est. Scriptura autem omnium edicit traditionem filio factam. Sed & si omnia ad hominum genera, id est, ad omnes Nationes interpretaberis; & has filio tradidisse Creatoris est: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Aut si habet & ipse aliqua sua, quæ omnia filio traderet, pariter cum homine Creatoris, ostende vnum aliquod ex omnibus, in fidem, in exemplum; ne tam merito non credam eius esse omnia, cuius nihil video, quàm merito credam, etiam quæ non video eius esse, cuius sunt vniuersa quæ video. Sed, [b] *Nemo scit qui sit pater, nisi filius; & qui sit filius, nisi pater, & cuicunque filius reuelauerit.* Atque ita Christus ignotum Deum prædicauit. Hinc enim & alij hæretici fulciuntur, opponentes Creatorem omnibus notum; & Israëli, secundùm familiaritatem; & Nationibus, secundùm naturam. Et quomodo ipse testatur nec Israëli cognitum se? [c] *Israël autem me non cognouit, & populus me non intellexit;* nec Nationibus, [d] *Ecce enim nec de Nationibus*, inquit, *nemo*; propter quod & illas [e] *stillicidium situle* deputauit, & [f] *Sionem tanquam speculam in vinea dereliquit.* Vide ergo an confirmatio sit propheticæ vocis, exprobransis ignorantiam in Deum humanam, quæ fuerit ad filium vsque. Nam & ideo subtexuit, ab eo cognosci Patrem, cui Filius reuelauerit: quoniam ipse erat, qui positus à Patre illuminario Nationum annuntiabatur, vtique de Deo illuminandarum; etiam Israëlis, vtique per agnitionem Dei pleniorem. Ita non proficient argumenta in fidem Dei alterius, quæ Creatori competere possunt: quia quæ non competent Creatori, hæc poterunt in fidem proficere Dei alterius.

a Luc. 10. 22.
b Luc. 10. 22.
c Esa. 1. 3.
d Esa. 63. 3.
e Esa. 40. 15.
f Esa. 1. 8. Luc. 10. 12. Esa. 42. 6.

CHRISTO DEVS, &c. V. SCHOLIA.

OMNIA SIBI, *Luc. 10. 22.* Omnia mihi tradita sunt à patre meo: & nemo scit quis sit filius, nisi Pater, & quis sit pater, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. CREDAS. *id est, credendum certè sic loquenti Christo, si filius est Creatoris æqualis Patri, Sermo & Verbum eius.* EPERCHOMENOS, *id est, aduenticius & repentinus Christus.* ERGO BONA SVNT. *Bene infert contra Marcionem, Deum Patrem Christi Marcionis, filium ditantem bonis Creatoris, vt bonum, vt patrem, mala non dedisse filio, iuxta Euangelium*: vos cum sitis mali: nostis bona data dare filiis vestris, &c. *Proinde contra Marcionem omnia corporea creata tradita à patre bono, Deo bono, filio suo, bona sunt & non mala. Quinimo malus est Deus Marcionis, qui bona inuadit aliena, queis det filium; aliunde docens aliena non rapere. Et hominem tamen precipuam creaturam sibi rapit. August. tract. 107. in Io. 17. In verba æquinalentia Ioannis*; & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Vbi satis apparet, quomodo vnigeniti filij sint omnia quæ sunt Patris, per hoc vtique, quod etiam ipse Deus est, & de patre, patri est natus æqualis. Non quomodo dictum est vni ex duobus filijs, maiori scilicet Luc. 15. tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Illud enim dictum est de his omnibus creaturis, quæ infra creaturam rationalem sunt, quæ vtique subduntur Ecclesiæ, in qua vniuersa Ecclesia & illi duo intelliguntur filij, maior & minor, *populus Iudæus, & Gentilis*: cum omnibus Angelis sanctis, quibus erimus æquales in regno Christi & Dei: hoc autem ita dictum est, & mea omnia, &c. Vt hic sit etiam ipsa creatura rationalis, quæ non nisi Deo subditur, vt ei quæ infra illam sunt, cum-

A

B

C

da subdantur. Hæc ergo cum sit Dei Patris, non simul esset & filij, nisi patri esset æqualis; de ipsa quippe aiebat cum diceret, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia, &c. Nec fas est, vt sancti de quibus hæc locutus est, cuiusquam sint, nisi eius à quo creati & sanctificati sunt: ac per hoc, & omnia quæ ipsorum sunt, necesse est vt eius sint, cuius & ipsi sunt. Ergo cum & Patris & Filij sint, æquales eos esse demonstrat, quorum æqualiter sunt. NE TAM MERITO. *ô Marcion da mihi, exhibe mihi aliquid quod Deus tuus condiderit; aliàs, sicut merito ex visibilibus à creatore conditis, mihi conicere licet eum esse autorem inuisibilium; sic stultè credorem nil visibile eorum à Deo tuo conditum, omnia ab eo facta, quæ traderet filio. Nec enim homo omnia est, vt in illo solo, omnia Pater traderet filio.* SED NEMO SCIT. *Obiicies inquit, Christo teste, Deum tuum prius ignotum; minus non esse, fuisse incognitum, priusquam eum filius reuelaret.* HINC ENIM, &c. *id est, ex hoc etiam loco aly hæretici tuo sensu, id est, quos tu putabis hæreticos, probabunt creatorem omnibus notum; Iudeis, ab vsum & familiaritatem cum Prophetis & sanctis veteris Testamenti: & gentibus, per naturæ lumen. Et licet per Esaiam se queratur Deus incognitum à Iudeis, & gentiles extra sui cognitionem fuisse, sicut gutturn exclusum situla; Christus tamen dicendo nec se nec patrem ante quàm reuelaret, fuisse cognitos; hoc pacto confirmauit scripturam propheticam Creatoris, innuens Deum olim minus cognitum ab hominibus vsque ad incarnationem filij, qui & lumen gentium, & lux & gloria populi Israël ad ampliorem Dei cognitionem veniebat.* ITA NON PROFICIENT, *id est, tibi non proda-*

rum Marcion, rationes petita ex veteri Testamento, quibus Deum tuum incognitum vis probare. Creatoris enim scripturæ sunt, quæ ei vt authori proprio, & non tuo conueniunt, nec prosunt ei ad sibi faciendam fidem. NEMO. *Locus Esa. 63. 3. consonant 70. cum Vulgata:* Torcular calcaui solus *70. plenus percalcato.* Et de gentibus non est vir mecum. ILLVMINATIO. *Esa 42. 6.* dedi te in fœdus populi, in lucem gentium. *Alij sic exponunt.* HINC EVLCIVNTVR, *&c. Ironicè. Quasi diceret æquè futili fulcro nituntur, Praxeani hæretici, eandem fingentes personam Patris & Filij, & reuelationibus frequentibus, quibus Deus familiariter apparebat Israëlitis; cum tamen potius ex hoc Luca testimonio, directè probetur distinctio personarum Patris & filij; quas signatè nominat.*

6. Christus transfiguratus. 4. cont. Marc. cap. 22. in p. ad f.

4 Luc. 9. 35 Ibid. 30.

HOc vel hac maximè erubescere debuisti, quòd illum cum Moyse, & Helia in secessu montis conspici pateris, quorum destructor aduenerat. Hoc scilicet intelligi voluit vox illa de cœlo, [a] *Hic est filius meus dilectus, hunc audite*: id est, non Moysen iam, & Heliam. Ergo sufficiebat vox sola sine ostentatione Moysi & Heliæ. Desmiendo enim quem audirent, quoscunque alios vetuisset audiri. Aut nunquid Esaïam & Hieremiam, cæterosque quos non ostendit, permisit audiri, si vetuit quos ostendit? Nunc & si præsentia illorum fuit necessaria, non vtique in colloquio ostenderentur, quod familiaritatis indicium est: nec in consortio claritatis, quod dignationis, & gratiæ exemplũ est: sed in sordibus aliquibus, quod destructionis argumentum est; immo in tenebris Creatoris, quibus discutiendis erat missus. Longè etiam discreti à claritate Christi, qui voces & litteras ipsas eorum, ab Euangelio suo erat separaturus. Sic in alienos demonstrat illos, dum secum habet. Sic relinquendos docet, quos sibi iungit. Sic destruit, quos de radiis suis extruit. Quid faceret Christus ipsorum? Credo secundum peruersitatem, tales eos reuelasset, quales Christus Marcionis debuisset; aut quoscunque alios secum, quàm Prophetas suos. Sed quid tam Christus Creatoris, quàm secum ostendere prædicatores suos? cum illis videri, quibus in reuelationibus erat visus: cum illis loqui, qui eum fuerant locuti: cum eis gloriam suam communicare, à quib. Dominus gloriæ nuncupabatur: cum principalib. suis; quorum alter, populi informator aliquando; alter reformator quandóque; alter initiator veteris Testamenti; alter consummator nouitigitur & Petrus meritò contubernium Christi sui agnoscens indiuiduitate eius suggerit consilium; [b] *Bonum est nos hic esse.* Bonum planè, vbi Moyses scilicet, & Helias. Et, *Faciamus hic tria tabernacula, vnum tibi, & Moysi vnum, & Heliæ vnum: sed nesciens quid diceret.* Quomodo nesciens? vtrumne simplici errore, an ratione quam defendimus in causa nouæ prophetiæ, gratiæ ecstasin, id est, amentiam conuenire? In spiritu enim homo constitutus, præsertim quum gloriam Dei conspicit, vel quum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute diuina; de quo inter nos & Psychicos quæstio est. Interim facile est amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysem & Heliam cognouisset nisi in spiritu? Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset & similitudines, Lege prohibente; nisi quia in spiritu viderat. & ita quod dixisset, in spiritu, non in sensu constitutus, scire non poterat. Ceterùm, si sic nescit quasi errans, eo quòd putaret illorum esse Christum: ergo iam constat & suprà Petrum interrogatum à Christo, quem se existimarent, vt de Creatoris dixisse, [c] *Tu es Christus*; quia si tunc alterius Dei illum cognouisset, hic quoque non erraret. Quod si ideo & hic errauit, quia & suprà; ergo certus es in illum diem quoque nullam nouam diuinitatem à Christo reuelatam, & vsque adhuc non errasse Petrum, Christo vsque adhuc nihil eiusmodi reuelante; & tamdiu non alterius deputandum Christum, quàm Creatoris, cuius omnem & hîc ordinem expressit. Tres de discentibus arbitros futuræ visionis & vocis assumit; & hoc Creatoris est, [d] *in tribus*, inquit, *testibus stabit omne verbum.* [e] *In montem ascendit*; Agnosco formam loci. Nam & pristinum populum apud montem & visione & voce sua Creator initiarat. Oportebat in eo suggestu consignati nouum Testamentum, in quo conscriptum vetus fuerat; sub eodem etiam ambitu nubis, quam nemo dubitauit de aëre Creatoris conglobatam, nisi & nubes suas illò deduxerat, quia & ipse per cœlum Creatoris viam ruperat; aut proinde & nubilo Creatoris precario vsus est. Itaque nec nunc muta nubes fuit, sed vox solita de cælo, & Patris nouum testimonium super filio: atque in secundo Psalmo, [f] *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* De quo & per Esaiam, [g] *Quis Deum metuens, audiat vocem filij eius?* Itaque iam repræsentans eum, [h] *Hic est filius meus*, vtique subauditur, quẽ repromisi. Si enim repromisit aliquãdo, & postea dicit, *Hic est*, ejus est exhibẽtis voce vti in demõstratione promissi, qui aliquando promisit; non eius cui possit respõderi, Ipse enim tu quis es qui dicas, *Hic est filius meus*; de quò non magis præmisisti, quàm teipsum quod prius eras reuelasti? Hunc igitur audite, quem ab initio edixerat audiendum in nomine Prophetæ, quoniam & Prophetes existimari habebat à populo. [i] *Prophetam, inquit Moyses, suscitabit vobis Deus ex filijs vestris*; secundùm carnalem scilicet sensum: *tanquam me audieritis illum. Omnis autem qui illum non audierit, exterminabitur anima eius de populo suo.* Sic & Esaïas, [k] *Quis in vobis metuens, exaudiat vocem filij eius?* Quam & ipse pater commendaturus erat. Sistens enim

Exo. 34 6. 3. Reg. 17. 18. 19. 21. 4. Reg. 19. Deut 18. 2. Reg. 17. Exo. 33. 3. Reg. 19. Exo. 20. b Luc. 9. 33.

Matth. 17. 4. Luc. 9. 3. Exo. 20 4. Luc. 9. 20. & c Matth. 16. 16.

d Luc 9. 28. Deut. 19. 15. e Luc. 9. 28. Exo. 19. 3. Ibid. 9. f Psal. 2. 7. g Esa. 50. 10. h Luc. 9. 35.

i Deut. 18. 15. & 18. 19. k Esa. 50. 10.

verba filij sui dicendo scilicet, *Hic est filius meus dilectus; hunc audite* inquit. Itaque & si facta translatio sit auditionis à Moyse & Helia in Christo, sed non vt ab alio Deo, nec ad alium Christum, sed à Creatore in Christum eius, secundùm decessionem veteris, & successionem noui Testamenti. [l] *Non legatus, inquit Esaias, nec nuntius, sed ipse Dominus saluos eos fecit.* Ipse iam prædicans & implens Legem & Prophetas. Tradidit igitur pater filio discipulos nouos; ostensis prius cum illo Moyse, & Helia in claritatis prærogatiua, atque ita dimissis, quasi iam & officio, & honore dispunctis; vt hoc ipsum confirmaretur propter Marcionem, societatem esse etiam claritatis Christi cum Moyse & Helia. Totum autem habitum visionis istius habemus etiam apud Abacuc, vbi spiritus ex persona interdum Apostolorum, [m] *Domine, audiui auditum tuum, & extimui.* Quem magis quàm vocis cœlestis illius, *Hic est filius meus dilectus, hunc audite*? [n] *Consideraui opera tua, & excidi mente.* Quando magis, quàm cùm visa claritate eius, nescit quid diceret Petrus? *In medio duorum animalium cognosceris*, Moysi, & Heliæ. De quibus & Zacharias vidit in figura duarum oleatum, & duorum ramulorum oleæ. Nam hi sunt, de quibus dictum est, [o] *illi Duo filij oppimitatis adsistunt Domino vniuersæ terræ.* Et rursum idem Abacuc, [p] *Operuit cœlos virtus*; vtique nubilo illo. Et *splendor eius vt lux erit*; vtique qua etiam vestitus eius refulsit. Et si commemoremur promissionis Moysi, hic inuenietur expuncta. Quum enim desiderasset conspectum Domini Moyses dicens, [q] *Si ergo inueni gratiam coram te, manifesta te mihi, vt cognoscenter videam te*; eum conspectum desiderans, in quo hominem esset acturus, quod Propheta sciebat. Ceterùm, [r] *Dei faciem* (iam audierat) *nemo homo videbit, & viuet. Et hunc, inquit, sermonem quem dixisti, faciam tibi.* Et rursus Moyses, [s] *Ostende mihi gloriam tuam.* Et Dominus similiter de futuro, *Ego præcedam in gloria mea.* & reliqua. Et in nouissimo, [t] *Et tunc videbis posteriora mea.* Non lumbos, nec suras; sed quam desiderauerat gloriam in posterioribus temporibus reuelandam. In qua, facie ad faciem visibilem se ei repromittit, etiam ad Aaronem dicens, [v] *Si fuerit Prophetes in vobis, in visione cognoscar illi, & in visione loquar ad eum, non quomodo ad Moysem; os ad os loquar ad eum* in specie (vtique hominis, quam erat gestaturus,) non in ænigmate. Nam & si Marcion noluit eum colloquentem Domino ostensum, sed stantem; & tamen [x] *& stans os ad os stabat, & faciem ad faciem cum illo*, inquit, non extra illum, in gloriam ipsius, nedum in conspectum. De qua gloria non aliter illustratus discessit à Christo, quàm solebat à Creatore: proinde tunc oculos percutiens filiorum Israëlis, quemadmodum & nunc excæcati Marcionis, qui hoc quoque argumentum aduersus se facere non vidit.

l Esa. 63. 9.
Luc. 9. 36
m Abac. 3. 2.
n Abac. 3. 2.
o Zach. 4. 14.
p Abac. 3. 3.
Luc. 9. 29
q Exo. 33. 13.
r Exo. 33. 20.
s Ibid. 18.
t Ibid. 23.
v Num. 12. 6. Ibid. 8.
x Exo. 33. 11. Exo. 34. 35.
Luc. 9. 36.

CHRISTVS TRANSFIGVRATVS. VI. SCHOLIA.

ERVBESCERE DEBVISTI, &c. *O Marcion miror quod non eraseris ab Euangelio Luce familiare colloquium Christi tui cum Moyse & Elia Prophetis veteris Testamenti, ad Creatorem, aduersarium Dei tui pertinentis; cum Christus tuus secundum sensum tuum, destructor legis & Prophetarum aduenerit.* HOC SCILICET. *id est, forte dices vocem patris, dicentis, filium solum audiendum, hoc verbo Moysen & Eliam exclusisse, tanquam malos & indignos.* ERGO, &c. *respondet obiectioni, hanc vocem debuisse sufficere, nec necessarium huc vocasse eos,* SI VETVIT, *supple audiri Moysen & Eliam coràm apparentes & præsentes, an permisit audiri alios Prophetas absentes?* IN TENEBRIS. *Alludit ad Gen. 1.* Tenebræ erant super faciem abyssi, &c. Et diuisit lucem à tenebris, *Creator scilicet, de quo Psalter*: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius; *si, inquit, Moysi & Elia contrarius esset Christus, eos in tenebris sordibusque relinqueret, nec colloquio suo & claritate dignaretur* DISCRETI, *supple apparuisset.* SIC IN ALIENOS. *Ironicè dictum si distunguas. Sin legas* inalienos, *modo componendi frequenti Tertulliano, non alienos probat nec aduersos, quos sibi iungit.* CHRISTVS IPSORVM. *id est, non aliter eos honorasset Christus Creatoris, quam hic Marcionis.* SECVNDVM PERVERSITATEM, *id est, quis adeo peruersè sentias, vt Christus Creatoris in hac Moysi & Elia exhibitione, eos tales repræsentasse credendus sit quales Christus Marcionis, qui pra zelo & inuidia, squalidos & tenebrosos, vinctosque sub pedibus suis, suis Apostolis contemptibiles demonstrasset?* QVID TAM. *Supple facere debuisset* INFORMATOR, *Moyses scilicet legem acceptam populo docens.*

A REFORMATOR, *Elias de quo Matth. 17. & Malach. iuxta 70.* Elias quidem restituet omnia. CONSVMMATOR. *Malach. 4.* mittam Eliam Thesbitem antequam veniat dies Domini magnus. CONTVBERNIVM, *individuus comes Christi, Moysi & Elia Christi consortibus, vt Propheteis eius mericum cum Christo tabernaculum posset.* SED NESCIENS. *id est, obiiciet Marcion, iure Lucam subiecisse, alienata mente hæc dixisse Petrum.* NOVÆ PROPHETIÆ. *Hic se iam hæreticum & errore paracleti Montani seductum probat, vt & statim dum Physicos nominat Catholicos,* OBVMBRATVS. *Alludit, vel ad nubem lucidam obumbrantem, vel ad Spiritum sanctum & virtutem altissimi illapsam virgini.* NON IN SENSV *Quod Petrus abstractus à sensibus, non imagines corporeas, in lege veteri propter idololatriam prohibitas, sed spiritus Moysi & Elie in spiritu viderit.*

B SI SIC NESCIT, *id est, si Petrus erranit, & hoc sensu dictus est nescisse quid diceret, quòd Christum Creatoris & prophetarum hunc fuisse crediderit; ergo & pariter erranit dum dixit, tu es Christus, &c. Quod si vtrobique erranit, certè contra Marcionem concluditur, nullum alium Deum nouum, sed solum Creatorem fuisse Petro & Apostolis à Christo reuelatum. Nec vsque nunc errasse Petrum; Christo nullum hactenus alium Deum reuelante.* OMNEM ORDINEM. *id est in hoc transfigurationis mysterio, omnia respondent, & circumstantiæ coaquantur ordini seruato in veteri lege, vt ex similitudine, vtriusque legis idem Author, & Deus Creator, & Christus eius appareat.* IN TRIBVS. *Deut. 19. 15.* non stabit testis vnus contra aliquem. quidquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore

duorum aut trium teſtium, ſtabit omne verbum. 70. *ſic.* Super os duorum teſtium, & ſuper os trium teſtium, ſtabit omne verbum. DISCENTIBVS. *Diſcipulis.* SVGESTV. *id eſt, apparatu, pompâ, ſolemnitate ſimplicius, in edito montis loco.* PER CÆLVM CREATORIS. *Pungit Marcionitas, quod Chriſtus eorum repentinus, egerit medio cœlo corporeo creatoris, vt viam ſibi faceret,* PRÆCARIO, *id eſt, emendicato & mutuo, nubilo accepto a creatore, ſuas obumbrauerit.* NEC MVTA. *Quia vox vtrobique de nube ſonuit.* FILII EIVS. *Vulgata Eſaiæ 50.* 10. Audiens vocem ſerui ſui. 70. Exaudiat vocem pueri eius. TANQVAM ME. *Vulgata Deut. 18. 15.* Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: Ipſum audies. 70. Ipſum audietis, *Non legitur,* Tanquam me. *Sed idem ſenſus. Nam inſra verſu 18. vtraque conſonant:* Prophetam ſuſcitabo eis ex fratribus eorum, ſicut te; & dabo verba in ore eius, & loquetur eis ſecundum quod mandabo ei. PROPHETES. *Sic Luc. 7.* Propheta Magnus ſurrexit in nobis. CARNALEM CENSVM. *Originem quia Chriſtus Rom. 1.* Factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem. SISTENS VERBA, *Vel quod vox Patris Chriſtum colloquentem cum Moyſe & Elia ſubſiſtere fecerit; vel quod Pater ad filium vocem ſuam direxerit.* DISPVNCTIS, *id eſt, functis & abſolutis ſuo munere & mercede donatis.* DVORVM ANIMALIVM *Abacuc. 3. Vulgata:* In medio annorum notum facies. *Tertul. ſecutus 70. Zach. 4. 14. Vulgata:* Iſti ſunt duo filij olei qui aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ. 70. Iſti duo filij pinguedinis, aſſiſtunt Domino vniuerſæ terræ. OPERVIT. *Vulgata. Abac. 3. 3.* Operuit cœlos gloria eius. COGNOSCENTER. *Vulgata.* Si ergo inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos, &c. Oſtende mihi gloriam tuam. Reſpondit, ego oſtendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te; &c. Rurſumque ait: non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet. *Et iterum:* Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram. Cũque tranſibit gloria mea, & protegam dextera mea, donec tranſeam: tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris. COGNOSCENTER. 70. Manifeſtè oſtende mihi temetipſum. POSTERIORA, *id eſt, in noua, & poſtrema lege, humanitatis ſuæ tranſigurate gloriam. Iuxta Apoſtolum:* Prædicans eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias. SI FVERIT. *Num. 12. 6. Vulgata.* Si quis fuerit inter vos prophetа Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fidelisſimus eſt. *70. fidelis.* Ore enim ad os loquor ei, & palam, *70. in ſpecie, & non per enigmata, & gloriam Domini vidit* Et non per ænigmata, & figuras, Dominum videt. NVLVIT. *Ideſt, delenit Marcion de Euangelio colloquium.* STANS, *&c. Exod. 33. 11.* Loquebatur autem Dominus ad Moyſem facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. *Nil diſtam 70.* OCVLOS PERCVTIENS. *Exo. 34. 35.* Videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam ſiquando loquebatur ad eos. 70. Videbant filij Iſraël faciem Moyſis, quia glorificata eſt *Id eſt radiis inſtar cornuum Lunæ vibrantibus. Aug. de quinque hæreſibus cap. 7. ex Math. 17. poſt relata verba Euangelij de tranſfiguratione Chriſti, ſic exponit:* S. Auguſt.

Quid ſunt Moyſes & Elias niſi lex & Prophetæ? Loquebantur cum illo, quia locuti erant de illo; oſtendebant, quem prædixerant; manifeſtabant quem prophetauerant. Loquebantur; putas, quid loquebantur? vt Iudæi conuincerentur pagani conuerterentur, Manichæi confunderentur, hæretici comprimerentur, Catholici confirmarentur. Loquebatur lex & gratia, lenitas & aſperitas, terror & manſuetudo, præceptum & adiutorium, ferramentum & Medicus, vmbra & lux, præco & iudex, ſententia & miſericordia. Et quid poſtea? Reſpondens Petrus dixit ad Ieſum, Domine bonum eſt, &c. Quid dicis Sancte Petre? Mundus parturit *Reuelationem ſcilicet filiorum Dei expectans, granidus electis, prædicatione legis nouæ per orbem conuertendis,* Et tu ſecretum petis? Videt ergo, *Spiritu prophetico,* Tot gentes in vnum conuenisſe, & tu requiem quæris? Vides tenebras mundi, & tu lumen abſcondis? *Tabernaculum Chriſto præparans neſciebat quid diceret.* Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum vt luceat omnibus qui in domo ſunt Math. 5 16. Iſta domus totus eſt mundus. *Et tu vnicum ei optas tabernaculum;* Lucernæ accenſio Verbi eſt Incarnatio. Candelabrum autem, crucis eſt lignum, lucerna in candelabro lucens, Chriſtus in cruce pendens. Nemo accendit lucernam, &c. Vides tu, videamus & nos. Tenebræ ſunt, non offendamus in paganis, non erremus cum hæreticis, luceat nobis lucerna, doceat nos verbum in carne. Videamus quid dicit Euangeliſta, videamus ſi admiſſum eſt conſilium Petri. Adhuc, inquit, eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens. Omnes audiamus; nemo aures claudat. Audiant Pagani irriſores, audiant Iudæi perſecutores, audiant Manichæi phantaſmatum ſomniatores, audiant hæretici erronei litigatores, audiant & maximè, audiant etiam Catholici fideles Dei cultores. Iſti audiant vt inſtruantur, illi vt corrigantur: aut iſti audiant ne ſeducantur, illi vt puniantur. *Cecitatis, ſurditatis, obdurationis peccato, facta pœna prioris peccati, ſecundum Euangelium & Prophetа excæca cor populi huius & aures eius aggraua, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Quid dicit vox de nube? Hic eſt filius meus, &c. Vbi eſtis qui aduerſamini filio Dei? Pater dicit, hic eſt filius meus, & tu dicis, non habet filium Deus; tu pagane, quid ſtas foris & murmuras? Intra huc in ſcholam Dei, aperi aures cordis tui, audi vocem Domini tui, & diſce filium Dei. Quò fugietis Iudæi qui occidiſtis filium Dei? Quò fugietis, vbi vos abſcondetis? &c. Sed & vos venite, intrate, conſilium meum audite, deſperare nolite, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. Sæuiſtis, occidiſtis, ſanguinem Chriſti fudiſtis, &c. Quid ergo nunc facere habetis? Hoc, vt credentes baptizemini, & baptizati bibatis ſanguinem quem fudiſtis. Non eſt quod horreatis, fuſus eſt ſanguis medici, & factus eſt medicamentum frenetici. Quid dubitatis? Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Quid tu Manichæe? Quandiu Phantaſmata ſomniabis? Euigila, & vide, nubila tonant. Quid tonant? Hic eſt filius meus dilectus. Vide in terra hominem verũ, audi de cœlo Dei eſſe filium. Vtrumque verum eſſe cognoſce; id eſt Deum & hominem, filium Dei & filium hominis, vnum eundemque eſſe Deum & hominem. Agnoſce hominem & placabis Deum. Caue ne offendas in petra, & mortis patriaris ruinam: Quia quod tu ſomnias, vanitas eſt: Quod Deus tonat, veritas

est. Audi tu Sabbelliane, audi de cœlo Patrem, A vide in terra filium, & noli dicere, idem est pater qui filius. Audi & tu Arriane, & in patre & in filio noli errare: sed sequere vnitatem, & vide diuinitatem Domine audiamus quid dicis de filio tuo: Hic est, inquit, filius meus. Vide in terra hominis filium, audi de cœlo Dei esse filium. Meus dilectus, in quo mihi bene complacui, & quid aliud? Ipsum audite. Deo gratias. Intonuit præceptum Dei, & remotum est consilium Petri. *Vt non iam sub vno tabernaculo lateat veritas, sed toto orbe Christi clareat humanitas & diuinitas.* Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & vna Trinitas, vna & trina veritas, trina & vna vnitas, gratias tibi Deus Pater, qui & filium tuum ostendisti, & mihi doctorem dedisti. Recedat Sabellianus, recedat Arrianus, recedant cæteræ pestes, cedat omnis iniqua doctrina, doceat Deus, non iniquus Arrius: Doceat Dei filius, non filij aduersarius *Hucusque Augustinus. Pulchrè & doctè, & concinnè in rem Tertulliani, totum explicans mysterium transfigurationis.* S. Aug.

Aug.

7. *Christi resurrectio, tertia die, prophetata natiuitas eius, & ascensio, ignorata, à Iudæis Cont. Iud. c. 13. circa fin.*

[a] NAtiuitatem autem *eius quis enarrabit?* Quia nullus omnino hominum, natiuitatis Christi fuit conscius in conceptu, cùm Virgo Maria Verbo Dei prægnans inueniretur. *Et quia tolleretur à terra vita eius.* Cùm vtique post resurrectionem eius à mortuis, quæ die tertia effecta est, cœli eum receperunt; secundùm prophetiam Oseæ emissam huiusmodi: [b] *Ante lucem surgent ad me, dicentes: Eamus, & reuertamur ad Dominum Deum, quoniam ipse eripiet & liberabit nos. Post biduum.* Die tertia, quæ est resurrectio eius gloriosa, de terra in cœlos eum recepit, vnde & venerat ipse Spiritus ad Virginem, cuius neque natiuitatem, neque passionem Iudæi agnouerunt. [a] Esa. 53. 8. Ibid. [b] Osee. 6. 1. & seq.

CHRISTI RESVRRECTIO, &c. VII. SCHOLIA.

NATIVITATEM. *Tria Christi magnalia à Iudæis ignorata per infidelitatem & scripturæ incuriam hîc tetigit. Et primò quidem generationem, deinde resurrectionem, postremò Ascensionem in cœlum. De natiuitate sic Esa. 53. 8.* Generationem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viuentium: propter scelus populi mei percussi eum. 70. *Aliter efferunt postrema:* Quia tollitur de terrâ vita eius: ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. *Ad literam magis locus facit pro regeneratione, siue resurrectione Christi, & nostrâ, merito mortis eius: cùm se Christus comparet grano frumenti mortuo, & in magnam segetem fructumque messis, horrea cœli impleturæ in extrema regeneratione. Tertullianus aptat natiuitati ex Virgine, & quidem de monte virgineo parnus lapis, de terra semper viua in gratia, abscissus est sine manibus, intacta viro, cui, sola conscia, mysterium non reuelauit. De æterna & temporali inenarrabili sæpè Augustinus. Inter cætera ser. 5. de temp.* August. Quænam est illa generatio, quia in principio erat Verbum, &c. Vel quod est hoc verbum quod dicturus, antea non silebat, quo dicto, non siluit qui dicebat? Quod est verbum sine tempore, per quod facta sunt tempora? Verbum quod labio nullus aperuit cœptum, clausituè finitum? Verbum quod initium non habet ex ore loquentium, & aperuit ora mutorum, &c. Quæ nam est illa generatio, cui Pater moriendo non cedit, quia non eum viuendo præcedit, &c? Sed Verbum caro factum est & habitauit in nobis. Hanc ergo B generationem, cuius hodiernum celebramus diem, hanc, in qua dignatus est venire per Israël, & fieri Emmanuel, nobiscum Deus, in carnis infirmitate, non nobiscum in cordis iniquitate: accedens ad nos per id quod assumpsit ex nostro, & liberans nos per id quod mansit in suo, &c. Hâc ergo generationem, cuius vtcumque capax est humana fragilitas, non illam quæ sine tempore manet, sine matre super omnia, sed istam quæ in tempore facta est sine patre inter omnia: hunc virginis filium & virginum sponsum, de incorrupta matre nascentem & incorruptibili veritate fœtantem, laudemus, amemus, adoremus, &c. TOLLETVR A TERRA. *Singulariter exponit, de corpore viuo, post 40. dies à Resurrectione, à terra sublato in cœlum.* SECVNDVM PROPHETIAM. *Non referendum ad Ascensionem, de qua hîc non loquitur Oseas; sed ad biduum, post quod tertia die resurrexit, excitantibus se inuicem piis mulieribus, valde manè ad sepulchrum pergere. Sic habet Vulgata Osee 6. & seq.* In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite & reuertamur ad Dominum; quia ecce cœpit & sanabit nos: percutiet, & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies: In die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. 70. *Parum distant:* Manè vigilabunt ad me, &c. Ipse rapuit, &c. Sanos nos faciet post dies duos: In die tertio resurgemus. *Et verè capta, & assumpta mortalitate nostra, eam secum omnem, ex mortis faucibus resurgendo, suscitandam in iudicio, rapuit.* C

8. *Christi veræ carni, vt & nostræ competit resurrectio, cui & mors. 5. Cont. Marc. cap. 14. à p.*

SI [a] *Corpus quidem mortuum propter delictum.* (Adeo non animæ, sed corporis mors est) *Spiritus autem vita propter iustitiam;* Ei vtique obueniet vita propter iustitiam, cui mors obuenit propter delictum, id est corpori. Non enim alicui restituitur quid, nisi qui illud amisit; & ita erit resurrectio mortuorum, dum est corporum. Nam & subiungit, [b] *Qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra.* Adeò & carnis resurrectionem confirmauit, absque qua nec corpus aliud dici capit, nec mortale aliud intelligi, & Christi substantiam corporalem probauit. Siquidem proinde viuificabuntur & mortalia [a] Rom. 8. 10. [b] Rom. 8. 11.

corpora noſtra, quemadmodum & ille reſuſcitatus eſt, non aliàs proinde, niſi quia in corpore.

CHRISTI VERÆ CARNI. VIII. SCHOLIA.

CORPVS QVIDEM. *Rom. 8. 10.* Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero viuit propter iuſtificationem. Quòd ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitãtem ſpiritũ eius in vobis. *Aug. ſer. 6. de Verbis Apoſtoli*: Non ſe extendat, non ſe iactet, non ſibi arroget virtutem propriam egena & viriata natura O Adam, quando ſanus eras non ſtetiſti, & tuis viribus ſurrexiſti? &c. Si quis Spiritum Dei non habet, non ſe fallat, hic non eſt eius. Ecce adiuuante ipſius miſericordia Spiritum Chriſti habemus, ex ipſa dilectione iuſtitiæ, integra fide, Catholica fide, Spiritum Dei nobis ineſſe cognoſcimus. Sed quid de carne illa mortali, &c? Si autem Chriſtus in vobis, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, Spiritus autem vita eſt propter iuſtitiam. *Id eſt, viuit anima propter gratiam iuſtificantem.* Ergo de corpore mortuo propter peccatum, iam deſperandum eſt? Nulla ſpes eſt? Sic dormit vt non adiiciat vt ſurgat? &c. Expecta, noli eſſe ſolicitus. Si enim ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum, &c. Quid timetis? Quid etiam pro iſta carne ſolliciti eſtis? Capillus capitis veſtri non peribit. Adam peccando damnauit in mortem corpora veſtra: ſed Ieſus, ſi eſt ſpiritus eius in vobis, viuificabit, & mortalia corpora veſtra, quia ſuum ſanguinem dedit pro ſalute veſtra. Promiſſum reddi dubitas, qui tale pignus tenes? &c. Sic liberaberis de corpore mortis huius, non corpus non habendo, vel alterum habendo, ſed non vlterius moriendo. DICI CAPIT. *Id eſt poteſt. Vel nequit aliter concipi, aliquid reſurgere propriè, niſi quod corpus eſt, & corpus mortale. In quo Paulus & veram Chriſto carnem fuiſſe, & non tantum animam per ſpiritum Sanctum & gratiam, merito Chriſti animam viuificantem. Sed & licet omnes reſurrecturi ſint, corpora tamen damnatorum paſſibilia erunt ex D. Tho. hoc loco, & ſola iuſtorum impaſſibilia ob conſeruatã ſpiritus gratiam. Porro iuxta Aug. ſupra, qui duplex pignus & ſanguinis Chriſti, & Spiritus ſancti, animam* Quod maius eſt *A peccato ſuſcitatam, accepimus, quid de corporis reſurrectione dubitamus?*

S. Auguſt. A B

9. *Chriſti Aſcenſio in cælum, credibilior eſt aſcenſu Romuli. Apol. cap. 21. à m.*

Marc. 16. 19. Luc. 24. 51. Act. 1. 9.

CVm diſcipulis autem quibuſdam apud Galilæam Iudææ regionem ad XL. dies egit, docens eos quæ docerent. Dehinc ordinatis eis ad officium prædicandi per orbem, circumfuſa nube in cœlum eſt ereptus, multò melius quàm apud vos aſſeuerare de Romulis Proculi ſolent.

CHRISTI ASCENSIO. IX. SCHOLIA.

DE ROMVLIS PROCVLI. *Oratorio more rem exaggerat, plures inducens Romulos & Proculos. Vnicus enim fuit, qui vno Proculo teſte, in cœlum ſit raptus.* MELIVS, *id eſt dignius & probabilius Chriſtus vndecim teſtibus in cœlum aſcendiſſe credendus eſt. Aug. 3. de Ciuit. cap. 15.* De Romulo viderit adulatio fabuloſa, quâ perhibetur receptus in cœlum. Viderint quidam ſcriptores eorum, qui eum propter ferocitatem à Senatu diſcerptum eſſe dixerunt, ſubornatumque neſcio quem Iulium Proculum, qui eum ſibi apparuiſſe diceret, eumque per ſe populo mandaſſe Romano, vt inter numina coleretur, eoque modo populum, qui contra Senatum intumeſcere cœperat, repreſſum atque ſedatum. Accideratenim & Solis defectio, quam certa ratione ſui curſus effectam imperita neſciens multitudo, meritis Romuli tribuebat. Quaſi vero ſi luctus ille ſolis fuiſſet, non magis ideo credi deberet occiſus, ipſumque ſcelus auerſione etiam diurni luminis indicatum? Sicut reuerâ factum eſt, cùm Dominus crucifixus eſt crudelitate atque impietate Iudæorum, quam Solis obſcurationem, non ex canonico ſyderum curſu accidiſſe, ſatis oſtendit, quia tunc erat Paſcha Iudæorum: Nam plena Luna ſolemniter agitur. Regularis autem Solis defectio, non niſi Lunæ fine contingit. *Vide infra num. 11.*

S. Auguſt. C

10. *Chriſti Marcionis Aſcenſus per cælum, creatoris zelotis, incredibilis eſt. 3. Cont. Marc. cap. 23. in fin.*

QVale eſt, vt per cœlum ſuum admiſerit, quem in terra ſua eſſet interempturus; honeſtiore & glorioſiore regni ſui regione violata, ipſa aula ſua & arce calcata? An hoc magis adfectauit? Planè [a] *Deus zelotes*, Tamen vicit. Erubeſce, qui victo Deo credis. Quid ſperabis ab eo qui ſe protegere non valuit? Aut enim per infirmitatem oppreſſus eſt à virtutibus & hominibus Creatoris, aut per malitioſitatem, vt tantum illis ſceleris patientiâ infigeret.

[a] Exod. 20. 5.

CHRISTI CREATORIS. X. SCHOLIA.

QVI CREDIDIT: *Id eſt quis credat, Marcion, Chriſtum tuum receptum in cœlum Creatoris, quod ab Creatore, electum in thronum & aulam regiam, prophanarat carne ſua delamata, & ſigmento tenaculi polluerat, maximè cùm eum in terra ſua, Creator eſſet in vltionem inſiſta inuaſionis & prophanationis, morti traditurus?* ADIECTAVIT. *Id eſt datâ operâ permiſit eum deſcendendo cœlare aulam ſuam cœleſtem, vt occaſionem arriperet vltionis.* PLANE. DEVS ZELOTES. *Admitto. Deus Creator, & Deus zelotes, Deus vltionum Dominus dicitur.* TAMEN VICIT. *Id eſt, ſuo tranſit Deum tuum Marcion,*

Marcion, qui tantum bonus est, & non vltor. Ille A *Deus Creator noster qui vlciscitur iniquitatem Patrum in filios; Christum filiũ Dei tui, vicit, & puniit, quia contra legem Creatoris, finxit imaginem & similitudinẽ carnis, & gloriæ suæ zelotes, de aula & throno suo facta via & transitu, vltor & victor extitit. Pudeat te credere Deo superato. Quod regnum cœleste à Christo tuo sperabis, qui alieno cœlo egrit, descendendo, & ascendendo, ad transitum. & qui vel infirmus in vera carne cessit* VIRTVTIBVS, *id est Angelis malis Creatoris,* ET HOMINIBVS, *Id est, Iudæis, à dæmonibus impulsis occisus est?* MALITIOSITATEM. *Dum fingit carnem mortalem, per patientiam etiam* Aug. *fictam iniuriæ, pœnam veri parricidij crucifixoribus* B *suis pro scelere imponeret.* ZELOTES. *Aug. lib. 2. qq. in Exo. q.* 158. Cùm præciperet Deus loquens ad Moysem, vt terrâ datâ in potestate, omnis idololatria euerteretur, nec adorarentur dijalieni, ait: Dominus enim Deus zelans, nomen, Deus zelator est, id est, ipsum nomen, quod Dominus Deus dicitur, zelans est, quia Deus zelator est. Quod non humanæ perturbationis vitio facit Deus, semper atque omnimodo incommutabilis, atque tranquillus; sed hoc verbo indicat, non impunè plebem suam per alienos Deos fornicaturam. Ductum est enim verbum à Tropo Metaphora, à zelo maritali, quòd castitatem custodit vxoris. Quod nobis prodest, non Deo. Quis enim tali genere fornicationis Deo nocuerit? Sed sibi plurimum, vt pereat. Quod Deus prohibet terrore grauissimo, zelantem se appellans. Cui dicitur in Psal. perdidisti omnes qui fornicantur abs te. *Gloriæ autem suæ quasi charissimæ coniugis Zelum testatur, dum ait:* Gloriam meam alteri non dabo, *Vtinam vxorem quis alteri*, Et gloriam meam sculptilibus. *Quanto minus Deus Creator, cœlum suum fictili Marcionis Christo, in carnis imagine, per cœlum, suum descendenti à Patre, & ascendenti?*

11. *Christus Marcionis sine teste per cœlum Creatoris descendisse stultè dicitur, cum saltem Romulus testante Proculo conscendisse feratur. 4. Cont. Marc. cap. 7. inp.*

a *Anno quintodecimo principatus Tiberiani*, Proponit eum descendisse in ciuitatem Galilææ, Capharnaum; vtique de cœlo Creatoris, in quod de suo antè descenderat. Ecquid ergo ordinis fuerat, vt prius de suo cœlo in Creatoris descendens describeretur? Cur enim non & ista reprehendam, quæ non implent fidem ordinariæ narrationis, deficientis in mendacio semper? Planè semel dicta sint, per quæ iam alibi retractauimus. An descendens per Creatorem, & quidem aduersus ipsum potuerit ab eo admitti, & inde tramitti in terram æquè ipsius? Nunc autem & reliquum ordinem descensionis expostulo tenens descendisse illum. Viderit enim sicubi apparuisse positum est. Apparere, subitum ex inopinato sapit conspectum, qui semel impegerit oculos in id quod sine mora apparuit. Descendisse autem, dum fit, videtur, & subit oculos; de facto etiam ordinem facit. Atque ita cogit exigere, quali habitu, quali suggestu, quonam impetu vel temperamento, etiam quo in tempore diei noctisve descenderit. Præterea, quis viderit descendentem, quis retulerit, quis asseuerauerit; rem vtique nec asseueranti facile credendam. Indignum denique vt Romulus quidem ascensus sui in cœlum habuerit Proculum affirmatorem; Christus verò Dei, descensus de cœlo suo sui non inuenerit annuntiatorem. Quasi non sic & ille ascenderit iisdem mendacij scalis, sicut & iste descendit. a Luc. 3.1. & 4. 23. & 31.

CHRISTVS MARCIONIS. XI. SCHOLIA.

TYBERIANI. *Id est vt habetur Luc. 3. 1.* Anno quinto decimo Imperij Tyberij Cæsaris. *A quo capite resectis à Marcione prioribus de vera & certa carne Christi ex virgine nata, & Infantia eius ordine tractantibus, subitaneam Christi apparitionem, & non successiuè descendentis, orditur.* CAPHARNAVM. *Luc.* 4. 23 Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. *Et versu* 31. Descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis. PROPONIT DESCENDISSE. *Humilitatem carnis nostræ quantum auersatus est Marcion, Christum sum non ferens verè incarnatum, & natum ex Virgine, nec per infantilis ætatis momenta paulatim in virum creuisse, subito fingit eum de cœlo perfectum virum miracula patraturum aduenisse: tantò cum Tertulliano Augustinus humilem eius descensum laudat & prædicat. Sic enim ser. 1. de Pasch. Virg.* Homo cecidit, sed Deus descendit. Cecidit homo miserabiliter, descendit Deus misericorditer. Cecidit homo per superbiam, descendit Deus cum gratia. *Et in Psal. 145. in p.* Rapiant cor vestrum Verba Dei, & possessor vester vendicet sibi possessionem suam, id est mentes vestras, ne auertantur in aliud. Vnusquisque vestrum totus hîc sit, vt hîc non sit; id est totus sit in verbo Dei quod sonat in terra, vt ab eo exaltetur, & non sit in terra. Ideo enim Deus nobiscum, vt & nos cum illo. Qui enim vt nobiscum esset, descendit ad nos, faciet vt cum illo possimus ascendere ad se. *Et Ep. 146. ad Consentium.* Quid est, qualis terrenus, tales & terreni? Nisi mortales ex mortali? Et quid est qualis cœlestis, tales & cœlestes; Nisi immortales per immortalem? Illud per Adam hoc per Christum. Dominus enim ad hoc terrenus factus est cùm esset, cœlestis, vt eos qui terreni erant, faceret cœlestes: hoc est, ideo ex immortali mortalis factus est assumendo serui formam, non Domini mutando naturam; vt eos qui mortales erant, faceret immortales: imperiendo dominicam gratiam, non seruilem iniuriam retinendo. *Et libro de Catechizandis rudibus cap. 22.* Quis, inquit, non redamare affectet iustissimum & misericordissimum Deum, qui prior sic amauit iniustissimos & superbissimos homines, vt propter eos mitteret vnicum filium, per quem fecit omnia; qui non sui immutatione, sed hominis assumptione homo factus, non solùm cum eis viuere, sed etiam pro eis, & ab eis posset occidi? &c. Omnia ergo bona terrena contempsit homo factus Dominus, vt contemnenda monstraret; & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat: Vt neque in il-

Digitized b

lis quæreretur fœlicitas, neque in istis infœlicitas timeretur. VTIQVE, &c. *Quia de cœlo superiori Marcionis Dei, in Capharnaum descendere non potuit, impertransito cœlo creatoris.* SEMEL DICTA. *Sufficeret semel dixisse quæ iam sæpius tractauimus.* PER CREATOREM. *Id est, cœlum & aulam creatoris.* POTVERIT. *Passus fuerit Creator.* TRAMITTI *Transmitti, transire.* TENENS. *Suppone me admittere hunc descensum.* SICVBI. *Nullibi Euangelista narrat, Christum subitum apparuisse, sed expresse verbo, descendisse.* SAPIT. *Innuit.* IMPEGERIT. *Id est, primo intuitu conspicit oculus defixus semel totum, quod subito apparet.* DVM FIT. *Descensus sensim & gradatim subiicitur oculis, & quemdam ordinem falli descensus exponit; vt de eo qui descendit, possit inquiri, quo in habitu, pompa, motu, cito vel temperate, quo tempore descenderit. Quod enimẽ, licet quis de Christo à cœlo descendente visum dicere, non facile ei crederetur.* QVASI NON, SIC &c. *Res indigna Christo filio Dei Marcionis, vt saltem non habeat vel vnicum testem descensus sui de cœlo, cum Proculum habuerit Romulus ascensus sui.*

A *Sed quamuis testem habeat Marcionem alterum Proculum; vtrumque dicam scelus mendacij confinxisse, hunc Romulo suo, illum Christo suo. Cypr. de Idol. vanis.* Est Romulus peierante Proculo Deus factus. *Arnobius lib. 1.* Nonne ipsum Romulum Patrem Senatorum manibus dilaceratum centum, & Quirinum esse Martium, dicitis, & Sacerdotibus, & puluinaribus honoratis, & in ædibus adoratis amplissimis, & post hæc omnia cœlum ascendisse iuratis? *Lact. lib. 1. cap. 15.* Iulius Proculus subornatus est à Patribus. *Dubitante enim populo an raptus à diis, an insidiis interemptus esset, Iulius hic simplex vir rure rediens, sic inuentus à Romulo audisse fingitur ex* B *Cic. lib. 1. de leg.* Nuntia meo nomine Romanis Iuli, in deorum cœtum me duci à Genio meo qui nascenti contigit: iam enim mortale æuum expleuimus, Quirinus sum, qui te alloquor. *Quantò credibilior ascensus Christi in cœlum; qui vndecim discipulis apparuit, & exprobratâ connescendo incredulitate eorum, tot oculis cernentibus est elatus in cœlum? Vide supra. Christi Ascensio. 9.*

12. *Christus ascendens duxit captiuitatem spiritalem, spiritalibus armis triumphatam. 5. Cont. Marc. cap. 18. à p.*

VOlo nunc & ego tibi de allegoriis Apostoli controuersiam nectere. Quas nouus in Prophetis habuisset formas[a] *Captiuam*, inquit, *duxit captiuitatem.* Quibus armis? quibus prælijs? de cuius gentis vastatione? de cuius ciuitatis euersione? quas feminas, quos pueros, quosve regulos catenis victor inseruit? Nam & quum apud Dauid Christus canitur [b] *Succinctus gladio super femur*, Aut apud Esaïam [c] *Spolia accipiens Samariæ & virtutem Damasci*, Vere eum & visibilem excondis prælatorem; agnosce igitur iam & armaturam, & militiam eius spiritalem, si iam didicisti esse captiuitatem spiritalem, vt & hanc illius agnoscas: vel quia & captiuitatis huius mentionem de Prophetis Apostolus sumpsit, à quibus & mandata.

a Ephes. 4. 8.
Psal. 67. 19.
b Psal. 44. 4.
c Esa. 8. 3.

CHRISTVS ASCENDENS. XII. SCHOLIA.

TIBI. *Marcioni loquitur.* NOVVS. *Alij legunt,* Nouimus in Prophetis, formas habuisse Christum: *Vbi per formas, diuersa Symbola & imagines Christi, & figuras intelligit. Melius hîc Rigaltius, ex correctionibus codicibus.* QVAS NOVVS *supple Apostolus, nouus harpinas, & parum versatus in Prophetis veteris legis, vt alienus à Creatore. Quasi aliter esset, si Christus creatoris non esset, Apostolus, nec mandata ex veteri testamento hausisset, nec Christo formas, id est allegorias à Prophetis sumptas applicasset, sicut Ephesiorum 4. applicauit triumphum Christi ascendentis in cœlum, quem scripserat Dauid Psal. 67. quem malè Marcion Dei benigni, & non Dominî exercituum cultor, vt supra vidimus, bellatorem exhorruit. Nec triumphum vt bellum & arma spiritaliter intellexit.* REGVLOS, *id est Tyrannos & parnos Reges, veluti Magos Orientis, quorum facie è memoriæ in spoliis Samariæ, de quibus & supra.* EXCVDIT. *Facis, fingis,* SI IAM. *Si tandem repetitione nostra frequenti doctior factus spiritaliter intelligis, quæ carnaliter à te exposita, auersaris vt indigna Christo mansueto.* VEL QVIA, *id est saltem Apostolo quem tibi assumis, cuius scripta recipis, crede, qui hanc captiuitatem spiritalem sumpsit ex Psalte. Ephes. 4. 8.* propter quod dicit: *Syr. dictum est, cum* C niam qui sunt à Diabolo eruti, à Christi, qui domus quo captiui tenebantur, de his ædificatur domus Christi, quæ domus appellatur Ecclesia. Hanc autem captiuitatem ipse captiuauit, qui diabolum vicit. Et ne illa quæ futura erant sancti capitis membra, in æternum supplicium secum traheret, eum iustitiæ priùs, deinde potentiæ vinculis alligauit. Ipse itaque Diabolus est appellata captiuitas, quem captiuauit, qui ascendit in altum, & dedit dona hominibus, vel accepit in hominibus. *Accepit iuxta Psalten, dum homo inter homines repletus est Spiritus sancti donis: dedit iuxta Paulum æqualis Patri, post ascensum mittens dona hominibus, cum linguis. Aug. in Psal. 67.* Quid Aug. est, captiuasti captiuitatem? vtrùm quia vicit mortem quæ captiuos tenebat, in quibus regnabat? an ipsos homines appellauit captiuitatem? cuius rei mysterium continet etiam titulus illius Psalmi 95. Quando domus ædificabatur post captiuitatem, id est Ecclesia post Gentilitatem, &c. Cur enim non sit captiuitas fœlix, si ad bonum homines possunt capi? vnde Petro dictum est, ex hoc iam homines eris capiens. Captiuati ergo, quia capti; & capti, quia subiugati, sub leue illud iugum missi, liberati à peccato cuius serui erant, & iustitiæ serui facti, cuius liberi erant. Vnde & ipse in illis est, qui dedit dona hominibus, & accepit dona in hominibus. *De quo & Psaltes*: inter mortuos liber. *id est, inter peccatores exemptus à peccato, vel solus liber mori & resurgere quando vellet. Vide Christi Elogia num 26.*

D

S. August.

CHRISTVS ADVENISSE CONVINCITVR EIVSQVE aduentus duplex probatur.

1. *Christus nouæ legis lator, nouique Sacrificij Antistes iam venit, & regnauit in gentibus conuersis. cont. Iud. cap. 6. inf. & 7. in p.*

IN primis quærendum, an expectetur nouæ legis lator & noui Testamenti heres, & nouorum sacrificiorum sacerdos, & nouæ circumcisionis purgator, & æterni sabbati cultor, qui legem veterem compescat, & nouum testamentum statuat, noua sacrificia offerat, & cerimonias antiquas reprimat, & circumcisionem veterem cum suo sibi sabbato compescat, & [a] *nouum regnum quod non corrumpatur*, adnuntiet. Nam etiam nouæ legis lator, sabbati spiritalis cultor, sacrificiorum æternorum antistes, regni æterni æternus dominator, quærendum an iam venerit, necne. Et si iam venit, seruiendum est illi: si necdum venit, sustinendus est, dummodo manifestum sit aduentu eius comprimi legis veteris præcepta, & operari debere nouæ legis exordia. & in primis definiẽdum est non potuisse cessare legem antiquam & Prophetas, nisi venisset is, qui per eandem legem, & per eosdem Prophetas venturus annuntiabatur. Igitur in isto gradum conferamus, an, qui venturus Christus annuntiabatur, iam venerit, an venturus adhuc speretur. quod ipsum vt probari possit, etiam tempora sunt nobis requirenda, quando venturum Christum Prophetæ annuntiauerunt: vt si in ista tempora recognouerimus venisse eum, sine dubio ipsum esse credamus, quem venturum Prophetæ canebant, in quem nos, gentes scilicet, credituri annuntiabamur: & cùm constiterit venisse, indubitate etiam legem nouam ab ipso datam esse credamus, & testamentum nouum in ipso, & per ipsum nobis dispositum non diffiteamur. Venturum enim Christum nec Iudæos refutare scimus, vtpote qui in aduentum eius spem suam porrigant. Nec de isto pluribus quærendum, cum retro omnes Prophetæ de eo præcinuerint, vt Esaïas dicit: [b] *Sic dicit Dominus Deus Christo meo Domino, cuius tenui dexteram, vt exaudiant illum gentes: fortitudines regum disrumpam, ap eriam ante illum portas, & ciuitates non claudentur illi.* Quod ipsum adimpletum videmus. Cui enim dexteram tenet pater Deus, nisi Christo filio suo? quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui omnes gentes crediderunt, cuius & prædicatores Apostoli in psalmis Dauid ostenduntur: [c] *In vniuersa*, inquit, *terra exiit sonus eorum, & vsq. ad terminos terræ verba eorum.* In quem enim alium vniuersæ gentes crediderunt, nisi in Christum qui iam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt; [d] *Parthi, Medi, Elamitæ; & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam; & incolentes Pontum, & Asiam, & Pamphyliam; immorantes Ægyptum, & regionem Africæ quæ est trans Cyrenem inhabitantes, Romani & incolæ*? tunc & in Hierusalem Iudæi, & ceteræ gentes: vt iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines; Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum; & abditarum multarum gentium; & prouinciarum & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat: vtpote [e] *ante quem omnium ciuitatum portæ sunt apertæ*, & cui nullæ sunt clausæ: [f] *ante quem sera ferrea sunt comminuta, & valua æreæ sunt apertæ.*

[a] Dan. 7. 14.
[b] Esa. 45. 1.
[c] Psal. 18. 5.
[d] Act. 2. 9.
[e] Esa. 45. 2. Apoc. 3. 7.
[f] Psal. 106. 16.

CHRISTVS NOVÆ LEGIS. I. SCHOLIA.

PVRGATOR. *Non quòd circumcisio sordes peccati originalis purgans immunda esset, sed in Circumcisionem spiritalem transferenda erat à Christo, & baptismum; quorum comparatione immunda censeri potuit circumcisio carnalis vel Christum vocat*, purgatorem nouæ Circumcisionis, id est, nouâ circumcisionem purgantem. CORRVMPATVR. *Dan. 7. 14. vbi de filio hominis veniente.* Dedit ei potestatem & honorem, & regnum: & omnes populi tribus & linguæ ipsi seruient. Potestas eius, potestas æternã quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur. *Ita & 70.* SACRIFICIORVM ANTISTES. *Psal. 109.* Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. *August. lib. 83. qq. q. 61.* ipse est sacerdos noster in æternum secũdùm ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & eius sacrificij similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam Aug. A commendauit, vt illud quod Melchisedech obtulit Deo, iam per totum orbem terrarum, in Christi Ecclesia videatur offerri. Ergo quoniam rex noster peccata nostra suscepit, vt nobis pugnandi & vincendi demonstraret exemplum, eorumdem peccatorum susceptionem, regiamque personam. Matthæus Euangelistam significans, generationem eius quæ est secundùm carnem ab Abraham suscipiens, &c. pernenit ad Dauid, in quo regni stabilimentum manifestissimum apparet; atque inde per Salomonẽ narum de illa, in qua Pater eius peccauerat, &c. Lucas verò, &c. generationem in sacerdotali persona explicandam suscepit, ad quam personam pertinet mundatio & abolitio peccatorum, &c. ab illo loco vbi baptizatus est Iesus, vbi peccatorum nostrorum mundationem præfiguraui', &c. neque deorsum ad susceptionem peccatorum descendentem, *vsque ad Deum*, insinuabat. SVSTINENDVS, ex-

pellendus. GRADVM CONFERAMVS. *Metaphora sumpta ab Athletis*: congrediamur. PORRIGANT. Extendant in venturum messiam. SIC DICIT. *Esa. 45. 1.* Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur, 70. *secutus Tertul. de quo loco iam alibi.* IN VNIVERSA, *Psal. 18. 5.* In omnem terram exiuit sonus eorum, &c. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* lingua eorum. *70. consonant cum Vulgata.* PARTHI, *&c. Act. 2. 9. terminis paululum immutatis.* TRANS CYRENEM. *Vulgata & Cyr.* circa Cyrenem. INCOLÆ. *Vulgata.* aduenæ. VT IAM, *nunc propagata fide.* GETVLORVM VARIETATES. *Ex Salustio in Iugurta Africa populi & Lybies dicti, qui primi Africam tenuerunt, quibus, cibus caro ferina & humi pabulum vti pecoribus. Neque moribus, neque lege aut imperio cuiusquam subditi, vagi & palantes, nulla certa sede morantes, vnde Tertul. varios dixit, quasi in variis locis errabundos.* INACCESSA ROMANIS. *Non quod Iulius Cæsar & Claudius Imperator dictus Britannicum bellum non gesserint cum Britannis, & partem insulæ occuparint, aliique postea ex Beda & Polid. in Angl. hist. sed quod ex eodem Polid. ante Seuerum Imperatorem sub quo floruit Tertul. nullus Septentrionales Britanniæ partes attigisset; qui primus pictones in Montana fugere compulit.* DACORVM. *Dacia regio est Scythiæ Europæ.* SERÆ FERREÆ. *Psal. 106. 16.* qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Qui habet Clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit.

2. *Christus Emmanuel, id est nobiscum Deus, iam venisse conuincitur. cont. Iud. cap. 9. in p.*

[a] Esa. 7. 13. INcipiamus probare natiuitatem Christi à Prophetis esse nuntiatam. Sic Esaïas dicit, [a] *Audite domus Dauid, num pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præstat certamen? propter hoc ipse Deus dabit vobis signum: Ecce concipiet in vtero, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus. Butyrum & mel manducabit.* [b] *Quoniam priusquam cognoscat infans vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ aduersus regem Assyriorum.* Itaque dicunt Iudæi: Prouocemus istam prædicationem Esaïæ, & faciamus comparationem, an Christo qui iam venit, competat illi primò nomen quod Esaïas prædicauit, & insignia eius quæ de eo nuntiauit. Equidem Esaïas prædicat eum Emmanuelem vocari oportere, dehinc virtutem sumpturum Damasci, & spolia Samariæ aduersus regem Assyriorum. Porro, inquiunt, iste qui venit, neque sub eiusmodi nomine est editus, neque re bellica functus. At nos è contrario, admonendos eos existimauimus, vti cohærentia quoque huius capituli recognoscant. subiuncta est enim & interpretatio, *Emmanuel, Nobiscum Deus*, vti non solùm sonum nominis spectes, sed & sensum. Sonus enim Hebraïcus, quod est Emmanuel, suæ gentis est. Sensus autem eius, quod est, Deus nobiscum, ex interpretatione communi est. Quæro ergo, an ista vox, *Nobiscum Deus, quod est Emmanuel*, exinde quo Christus inluxit, agitetur in Christo? Et puto ex toto non negabis. Nam qui ex Iudaïsmo credunt Christo, ex quo in eum credunt, Emmanuel cùm volent dicere, nobiscum Deum esse significant. Atque ita constat iam venisse illum qui prædicabatur Emmanuel, quia quod significat Emmanuel, venit, id est *Nobiscum Deus.*

[b] Esa. 8. 3.

CHRISTVS EMMANVEL. II. SCHOLIA.

NVM PVSILLVM. *Esa. 7. 13. & seq.* Nunquid parum vobis est molestum esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum & mel comedet vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. 70. *parum dixerunt, nisi quod legunt:* in vtero cõcipiet, &c. Vocabis nomen, &c. Antequam sciat aut præeligere mala, eligere bonum. EMMANVEL. *Aug. ser. 6. de temp.* qui in principio erat, intra se concludit omne Principium. Ex matre verò initium sumpsit, sicut legimus per Esaïam, ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus, id est latens in humana fragilitate maiestas, sicut in Ioanne Euangelista legimus: & verbum caro factum est, & habitauit in nobis, id est, in fragilitate corporis nostri. PRIVSQVAM COGNOSCAT. *Esa 8. Vulgata consonant:* sciat puer vocare, &c. *Locum alibi iam exposuimus.* PROVOCEMVS. *Inducit Iudæos sic loquentes: de ista Prophetia, petito argumento ab aduersario, disputemus.* EDITVS. *Cognitus.* SVÆ GENTIS. *id. vox Hebræa est.* INLVXIT. *Illuxit. Apparuit.* AGITETVR. *Dicatur* SIBIVM EXPVNGENS. *Implens, plenè exprimens. Vide seq. Schol.*

S. August.

3. *Et 3. cont. Marc. cap. 12. à p.*

Esa. 7. 13. SVbiuncta est & interpretatio Emmanuelis, Nobiscum Deus; vti non solum sonum nominis spectes, sed & sensum. Sonus enim Hebraïcus, quod est Emmanuel, suæ gentis est. Sensus autem eius quod est, Deus nobiscum, ex interpretatione communis est. Quære ergo, an ista vox, Nobiscum Deus, quod est Emmanuel, exinde quod Christus illuxit, agitetur in Christo. Et puto non negabis, vtpote qui & ipse dicas, Deus nobiscum dicitur, id est Emmanuel. Aut si tam vanus es, vt quia penes te, Nobiscum Deus dicitur, non Emmanuel; idcirco nolis venisse illum, cuius proprium sit vocari Emmanuel, quasi non hoc sit & Deus nobiscum, inuenies apud Hebræos Christianos, immo & Marcionitas, Emmanuelem nominare, cùm volunt dicere, Nobiscum Deus: sicut & omnis gens, quo quo sono dixerit,

Digitized by Google

Nobiſcum Deus, Emmanuelem pronuntiabit, in ſenſu ſonum expungens. Quod ſi Emmanuel nobiſcum Deus eſt, Deus autem nobiſcum Chriſtus eſt, qui etiam in nobis eſt: (a *quotquot enim in Chriſtum tincti eſtis, Chriſtum induiſtis*) tam proprius eſt Chriſtus in ſignificatione nominis, quod eſt, nobiſcum Deus; quàm in ſono nominis, quod eſt Emmanuel. Atque ita conſtat veniſſe iam illum qui prædicabatur Emmanuel: quia quod ſignificat Emmanuel venit, id eſt, nobiſcum Deus. a ad Gal. 3. 26. 27.

Vide Verbum, Chriſti Incarnatio. num. 2.

CHRISTVS EMMANVEL. III. SCHOLIA.

SVBIVNCTA. *Iiſdem vocibus, repetit hoc contra Marcionem capite, quod ſupra contra Iudaos.* PENES TE. *id. tu Marcion, adeo vecors & amens es, vt velis ſenſui, & interpretationi vocis herere, non ſono litteræ; & auerſatus Emanuelis nomen,* quod idem eſt. Quod, nobiſcum Deus; *ideo nolis veniſſe Chriſtum, cuius proprium ſit, nomen Emanuel.* INVENIES NOMINARE, *id. reperies multos, nominare Emanuelem, cùm dicunt; nobiſcum Deus.* SONVM EXPVNGENS. *Impletam intelligens iterum, in pro-*
Auguſt. *nuntiato eius ſenſu.* EMMANVEL. *Auguſt. ſer. 8. de temp.* olim huius nouæ fœcunditatis ſignum Eſaïas Propheta prædixerat. Ideò, inquit, dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo in vtero concipiet, &c. Quod ſignatiſſimè de Chriſto Domino noſtro eſt Prophetatum. Emmanuel enim interpretatur nobiſcum Deus: ergo Saluator noſter ab effectu rerum, hoc etiam nomen accepit, vt vocaretur, nobiſcum Deus. Et ipſe tunc Deus cùm cunibus nobis eſſe dignatus eſt, quando ſuſcepit hanc carnem, vt per hominem qui viſibilis erat, conuerſari videretur in terris. Sic enim Ieremias Propheta, *Baruch tamen eſt cap. 3. ſed quia ſcriba erat*
Aug. *Ieremiæ, ſic dicitur ab ipſo Auguſtino lib. 18. de ciuit. cap. 33. his verbis: hoc teſtimonium quidam non Ieremiæ, ſed Scribæ eius attribuunt qui vocabatur Baruch:*
Aug. *ſed Ieremia celebratius habetur,* promiſerat dicens, hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Vnde & ipſe Dominus ad Diſcipulos ſuos in Euangelio dicit: tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? qui videt me videt & patrem meum, &c. Talia enim Dei filius per aſſumptum hominem opera faciebat, vt ex ipſa operum claritate & patris ſimul & filij diuinitas noſceretur. *Vbi & duplicem ſubiungit Dei hominis facti, ſiue quod idem eſt Emmanuelis, & nobiſcum Dei,*
Aug. *rationem:* duplex principaliter cauſa eſt, ob quam Dei filius factus eſt filius hominis. Vna eſt, vt ſecundùm hominem omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret. Sic enim Eſaïas Propheta prædixerat, cap. 53. hic peccata noſtra portauit, & pro nobis dolet, &c. Altera vero cauſa eſt dominicæ paſſionis, vt nos quos ſanguine ſuo redemit à vitiis atque criminibus, non ſolùm doctrinæ auxilio & gratiæ, ſed etiam exemplo ſuo, ad ſtudium ſanctitatis accenderet, vt nos non modò præcipientem Dominum, ſed etiam exemplo ſuo ad A virtutis faſtigia prouocantem, maiore alacritate ſequerentur, & iuſtiſſimum Dominum, ac pium patrem ſecundùm ſententia II Petri, filij imitatione coleremus. Sic enim B. Petrus ait: 1. 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, &c. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui Iuſtitiæ viuamus. *Marcion porro Emmanuelis nomen vt ſumptum à Propheta Creatoris exetratur: ſed fruſtra, cùm & Iudei & Marcionitæ conuerſi credentes in Dei filium, & Deum nobiſcum in vera carne natum & conuerſatum vim nominis & ſenſum tenentes, prædictum ab Eſaia Emmanuelem veniſſe, & nobiſcum, id eſt cum noſtra carne nunquam dimittenda, aut dimiſſa, licet in morte anima dimiſerit carnẽ, corde & ore confitentur.* QVOTQVOT *ad Gal. 3. 27.* Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Auguſt. lib. 5. de bapt.* Induunt homines 5. Auguſt.
B Chriſtum aliquando vſque ad Sacramenti perceptionem; aliquando vſque ad vitæ ſanctificationem. Atque illud primũ & bonis & malis poteſt eſſe cõmune, hoc autem alterum proprium eſt bonorũ & piorum. *Et ſenin verba Prouerb. 31. mulierem fortem, &c.* Omnes apud eum veſtiti ſunt. Veſtiti ſunt, & 5. Auguſt.
optimè. Quàm optimè, vultis noſſe? quotquot in Chriſto baptizati eſtis, &c. Omnes omnino apud eum veſtiti ſunt, & mali ſerui, & boni ſerui. Boni ſerui veſtiti ſunt, qui Chriſtum induerunt, non tantùm in forma ſacramenti, ſed etiam in opere exempli; ſequentes veſtigia Domini ſui: alij vero vſque ad ſacramentũ, reddituri de ſua veſte rationem, *ſicut Maruta Diaconus ſuſceptu Helpidiphoro in baptiſmo, tunicam albam, relapſo in infidelitatem,*
C *dum ipſe torqueretur, oſtendit; quam in iudicio, ad vindictam à Chriſto petendam ſe ſeruaturum comminatus eſt. Ex Baro. to. 6. Anno. 414 poſt Victor. Vtic. de perſec. Vandal.* non ceſſat tamen illa mulier omnes veſtire, *id eſt, Eccleſia non ceſſat baptizare & induere tinctos, & lino gratiæ baptiſmalis, & purpurâ regiâ charitatis & tunicâ inconſutili fidei vnitatis,* vt nemo queratur, nemo dicat; ideo non ſum bene operatus, quia non ſum veſtitus. *Rurſum innuit Tertul. hoc loco etiam Chriſtum nobiſcum eſſe, & implere nomen Emmanuelis, dum in baptiſmo per infuſam fidem, iuxta Paulum, habitat in cordibus noſtris; & tinctâ eius in ſanguine purpura, pro eo pugnaturi, & ſacrificaturi nos ipſos, efficimur gens ſancta & regale ſacerdo-*
D *tium: & eum in bonis habitibus & actibus imitantes, nobiſcum eſſe, in nobis viuere teſtamur,* vt & vita eius manifeſtetur in corpore noſtro.

4. *Chriſtus veniſſe probatur de tribu Iuda Rex & Bethlehemites cont. Iud. cap. 13. à p.*

QVamuis ex temporibus Danielis prædicantis probauerimus iam veniſſe Chriſtum qui nuntiabatur. Naſci enim eum oportuit in Bethlehem Iudæ, ſic enim ſcriptum eſt in Propheta: a *Et tu Bethlehem non minima es in ducibus Iuda. Ex te enim exiet dux qui paſcat populum meum Iſraël.* Si autem adhuc natus non eſt, qui proceſſurus dux de tribu Iuda ex Bethlehem nuntiabatur, oportet enim eum de tribu Iuda & à Bethlehem procedere; animaduertimus autem nunc neminem de genere Iſraël in ciuitate Bethlehem remanſiſſe, & exinde a Mich. 5. 2. Matth. 2. 6.

Digitized by Google

quod interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Iudæorum, vt
b Esa. 1.7. hoc quoque esset adimpletum per Prophetam. b *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ igni exustæ*, Id est, quod belli tempore eis euenerit, *Regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, & deserta & subuersa erit à populis alienis.* Et alio loco sic per Prophetam dicitur.
c Esa. 33. 17. c *Regem cum claritate videbitis*, Id est, Christum facientem virtutes in gloria Dei Patris, *Et oculi vestri videbunt terram de longinquo.* Quod vobis pro meritis vestris, post expugnationem Ierusalem, prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantùm
d Ibid. 18. videre permissum est. d *Anima, inquit, vestra meditabitur timorem.* Scilicet quo tempore
e Mich. 5. 2. excidium sui passi sunt. Quomodo igitur e *Nascetur dux de Iudea*, Et quatenus *Procedet de Bethlehem*, Sicut diuina prophetarum volumina nuntiant, cùm nullus omnino sit illic in hodiernum derelictus ex Israël, cuius ex stirpe possit nasci Christus? Si enim secundùm Iudæos adhuc non venit, cùm venire cœperit, vnde vngetur? Lex enim præcepit, f *Incaptiuitate non licere vnctionem Chrismatis Regalis confici.* Si autem iam nec vnctio est illis, vt
f Deut. 28. 36. 40. Daniel prophetauit: Dicit enim: g *Exterminabitur vnctio;* Ergo iam non est illic vnctio quia
g Dan. 9. 26. nec templũ vbi erat cornu de quo Reges vngebantur. Si ergo non est vnctio, vnde vngetur dux qui nascetur in Bethlehem? Aut quomodo procedet de Bethlehem cùm de germine Israël nullus omnino sit in Bethlehem? Iteratò denique ostendamus, & iam Christum secundùm prophetas, & passum, & in cœlis iam receptum, & inde venturum secundùm prædicationes prophetarum.

CHRISTVS VENISSE. IV. SCHOLIA.

TEMPORIBVS. *Id. Hebdomadibus. 70. de quibus infra suo loco.* PROPHETA. *Præterea dicta verbo, Christi mors, 24. Hac subiicio.* MINIMA. *Non minima quidem, quæ ortu Dauid primùm, deinc maximè Christi nativitate nobilis surgit. Minima quidem re & parvula Bethlehem, vt sic contrarietas concilietur. Aug. lib. de Catechizandis rudibus cap. 22. inter multa quibus totam vitam Christi humilem exaggerat:* Omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Natus in ciuitate Bethlehem quæ inter omnes Iudææ ciuitates ita erat exigua, vt hodieque villa appelletur, noluit quempiam de ciuiuspiam terrenæ ciuitatis sublimitate gloriari.
Idem tract. 31. in caput 7. Ioan. vbi Iudæorum dictum de ortu Christi examinat, cùm dicerent: Istum nouimus vnde sit, Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit. *Sic inter cætera:* Inuenimus, fratres, quomodo Sanctæ Scripturæ dixerint de Christo, quoniam Nazaræus vocabitur; ergo prædixerunt vnde sit. Rursus si locum nativitatis eius quæramus, tanquam inde sit, vbi natus est: nec hoc latebat Iudæos, propter scripturas, quæ ista prædixerant. Nam cùm eum visâ stellâ Magi quærerent adorare, venerunt ad Herodem, &c. Conuocatis eis qui legem sciebant, &c. Illi dixerunt, in Bethlehem Iudæ, &c. *Tum vrget, cur ergo dicebant Iudæi, nescimus vnde sit? Et respondet:* Secundùm hominem prædixerunt scripturæ vnde esset, secundùm Deum latebat impios, & quærebat pios. Ad hoc enim & isti dixerunt, Christus cùm venerit, nemo scit vnde sit: quia hanc illis opinionem generauerat, quod per Esaiam dictum est: generationem autem eius quis enarrabit? Denique & ipse Dominus ad vtrumque respondit, & quia nouerant eum vnde esset, & quia non nouerant; vt attestaretur Prophetiæ sanctæ, quæ de illo antè prædicta est, & secundùm humanitatem infirmitatis, & secundùm diuinitatem maiestatis. PER PROPHETAM *Esaiam scilicet cap. 1.* Terra vestra deserta, ciuitates vestræ igni exustæ, *Id est quod belli tempore eis euenerit*, Regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, &c. EXTERI COMEDENT. *Tam Vulgata, quàm Sept.* Alieni deuorant. CVM CLARITATE. *Vulgata & Sanct. Pagn. ex Hebr.* Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè, cor tuum meditabitur timorem. *Sept. autem:* Regem cum gloria videbitis: oculi vestri videbunt terram de longè, anima vestra meditabitur timorem. LEX PRÆCEPIT. *Et quidem ipsa naturali rationis humanæ lege, cùm oleum vnctionis, luctui captiuitatis non congruat, & scriptum sit, apud Psalten* VT exhilaret faciem hominis in oleo: *Et de Christo:* Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus: *hac lege* Non licet in luctuosa captiuitate, vnctionem regalis Chrismatis confici. *Ad hæc cùm Regis maximè propria sit libertas, quomodo liceret captiuum vngere in Regem, insultantibus captiuo victoribus, in regia dignitatis opprobrium? De vnctione quidem sancti olei, quo Sacerdotes vngebantur, legem inuenio prohibentem, eam extraneo impendi Exo. 30. 31.* Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras: Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud, *Hebr. sicut illud.* Quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. Homo quicunque tale composuerit, & dederit ex eo alieno *Sept. alienigenæ, Sanct. Pagn. ex Hebr. posueris ex eo super extraneum.* Exterminabitur *Hebr. succidetur* De populo suo. *Inuenio item legem, quâ exterum, & alterius nationis Regem vngere sibi Israëlita prohibentur. Deut. 17. 15.* Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit, de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius tibi gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. *Sed nil hactenus expressiùs legi in rem Tertulliani, quàm quod habetur Deutero. 28. vbi maledicitur infractoribus legis. Versu 36. & seq.* Ducet te Dominus, & Regem tuum quem constitueris super te, in gentem quam ignoras tu, & patres tui, & seruies ibi diis alienis, ligno, & lapidi. Et eris perditus, in prouerbium, ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus, &c. *Subiicit autem versu 40.* Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo: quia defluent, & peribunt. filios generabis & filias, & non frueris eis, quoniam ducentur in captiuitatem. *Fortè Tertullianus legem traditam à Rabinis, & non scriptam intellexit. Quòd autem Regem Regum, & Summum Pontificem Christum* Morte turpissima condemnauerint, *Iusto Dei iudicio, templo, Sacerdotio, regno spoliati, in captiuitatem dispersi, & serui omnium nationum facti, vnctionem Regum & Sacerdotum in captiuitate conficere sunt prohibiti. De his Augustinus lib. 1. de* August.

Conſenſu Euangeliſtarum cap. 13. Vbi ſic Gentilibus
Auguſt. *nos irridentibus reſpondet.* Nec illud, inquit, poſſunt dicere: Cur ergo Deus Hebræorum, quem ſummum & verum dicitis, non ſolùm Romanos eis non ſubiugauit, ſed nec ipſos Hebræos, ne à Romanis ſubiugarentur, adiuuit? Præcellerunt enim manifeſta peccata eorum, propter quæ illis hoc euenturum Prophetæ tantò antè prædixerant. Et maximè quia impio furore Chriſtum occiderunt, in quo peccato, aliorum occultorum peccatorum meritis exæcati ſunt. Et quòd illius paſſio eſſet Gentibus profutura, eâdem propheticâ conteſtatione prædictum eſt. Nec alià re magis claruit, illius gentis regnum, & templum, & Sacerdotium, & ſacrificium, & vnctionem illam myſticam, quod Chriſtina Græcè dicitur, vnde Chriſti nomen elucet, & propter quam Reges ſuos Chriſtos ipſa gens appellabat, non fuiſſe niſi prænuntiando Chriſto deputata: quàm quòd occiſi Chriſti reſurrectio, poſteaquàm cœpit credentibus gentibus prædicari, illa omnia ceſſauerunt: Neſcientibus Romanis, per quorum victoriam; neſcientibus Iudæis, per quorum ſubiugationem factum eſt, vt illa omnia ceſſarent. *Deinde ſequenti cap. 14. ſic proſequitur;*
Aug. Rem ſanè mirabilem, non aduertunt pauci pagani qui remanſerunt, Deum Hebræorum offenſum à victis, nec receptum à victoribus, nunc prædicari & coli ab omnibus gentibus Ipſe eſt enim Deus Iſraël, de quo tantò antè propheta plebem Dei ſic allocutus eſt. Eſa. 54. Et qui eruit te, Deus Iſraël, vniuerſæ terræ vocabitur. Hoc factum eſt per nomen Chriſti venientis ad homines ex ſemine ipſius Iſraël, &c. Hinc oſtenditur Deus Iſraël, Deus vnus qui fecit cœlum & terram, qui res humanas iuſtè ac miſericorditer curat; itaut nec præcludat iuſtitia miſericordiam, nec impediat miſericordia iuſtitiam. Non quòd ipſe ſit victus in Hebræo populo, quia regnum Sacerdotiumque eius Romanis expugnandum delendumque permiſit: quandoquidem per Chriſti Euangelium veri Regis & Sacerdotis, quod illo Regno & Sacerdotio futurum præfigurauit, nunc ipſe Deus Iſraël vbique delet Idola gentium: quæ vtique nè delerentur, recipere ſacra eius Romani noluerunt, ſicut receperunt deorum aliarum Gentium, quas vicerunt. Ita & Regnum Sacerdotiumque propheticæ gentis abſtulit, quia iam qui per eam promittebatur aduenerat: Et Romanum Imperium, à quo gens illa victa eſt, per Chriſtum Regem ſuo nomini ſubiugauit, atque ad euertenda idola, propter quorum honorem ſacra eius recepta non erant, Chriſtianæ fidei robore ac deuotione conuertit. Pare quia hæc de ſe futura, vt per tot prophetas, & per cuiuſdam etiam gentis Regnum ac Sacerdotium prænuntiarentur, non magicis artibus fecit Chriſtus, antequàm eſſet in hominibus natus. Nam & illius iam deleti regni populus, vbique diſperſus mirabili Dei prouidentiâ, quamuis ſine vlla vnctione Regis, Sacerdotiſque remanſerit, in quo Chriſmate Chriſti nomen apparet, tenet tamen reliquias quarundam obſeruationum ſuarum; Romana autem ſacra illa de idolorum cultu, nec victus ac ſubiugatus accepit, vt libros propheticos ad teſtimonium gerat Chriſti; ac ſic, de inimicorum codicibus, probetur veritas prophetati Chriſti.

5. *Chriſti Aduentus primus expunctus eſt iuxta Prophetas: Regnauit enim in omnes Gentes quod Salomoni non competit. Cont. Iud. cap. 14. in fin.*

SVfficit hucuſque de his, interim ordinem Chriſti decurriſſe, quo talis probatur, qualis annuntiabatur: vt iam ex iſta conſonantia ſcripturarum diuinarum intelligamus, & quæ poſt Chriſtum futura prædicabantur, ex diſpoſitione diuina credantur expuncta. Niſi enim ille veniſſet poſt quem habebant expungi, nullo modo eueniſſent quæ in aduentum eius futura prædicabantur. Igitur ſi vniuerſas nationes de profundo erroris humani exinde emergentes ad Deum Creatorem & Chriſtum eius cernitis, prophetatum non audetis negare: quia etſi negaretis, ſtatim vobis in pſalmis; ſicuti iam prælocuti ſumus, promiſſio Patris occurreret, dicentis: [a] *Filius meus es tu, ego hodie genui te, Pete à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ;* Nec poteritis in iſtam prædicationem magis Dauid filium Salomonem vindicare, quàm Chriſtum Dei filium: nec terminos terræ, Dauid filio promiſſos, qui intra vnicam Iudæam regnauit, quàm Chriſto filio Dei, qui totum iam orbem Euangelij ſui radiis illuminauit. Denique [b] *Eſt thronus in æuum* Magis Chriſto Dei filio competit, quàm Salomoni, temporali ſcilicet regi, qui ſoli Iſraël regnauit, Chriſtum enim hodie inuocant nationes, quæ eum non ſciebant, & populi hodie ad Chriſtum confugiunt, quem retro ignorabant. Non potes futurum contendere, quod vides fieri. Hæc autem prophetata nega, cùm coram videntur, aut adimpleta, cùm leguntur: aut ſi non negas vtrumque, in eo erunt adimpleta, in quem ſunt prophetata.

[a] Pſal. 2. 7.
[b] Pſal. 44. 7. Hebr. 1. 8.

CHRISTI ADVENTVS. V. SCHOL.

EXPVNCTA. *Impleta.* HABEBANT. *Debebant, vel expectabant impleri.* FILIVS MEVS. *Iam alibi de hoc loco.* PRÆDICATIONEM, *Prophetiam.* VINDICARE. *Aſſerere hunc locum Salomoni applicare, qui magis conuenit Chriſto Dei filio.* THRONVS IN ÆVVM. *Hebr. 1. 8.* Ad filium autem: *Supple dicit* Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi: Virga æquitatis virga regni tui. *Syriacè*: Sceptrum erectum, ſceptrum regni tui. *Aug. in Pſal. 44.* Erat ſedes regni populi Iudaïci temporalis, pertinens ad eos qui ſub lege erant, & ſub gratia conſtitueret. Sedes eius in ſæcula ſæculorum. Quare? quia ſedes illa prima regni temporalis fuit. Vnde nunc ſedes in ſæcula ſæculorum? Quia, Dei. Sedes tua Deus in ſæcula ſæculorum. O æternitatis Diuinitas! *Alij leguns diuitias.* Non enim poſſet Deus ſedem habere tempotalem, &c. Virga directionis, &c. Directionis

S. Aug.

Digitized by Google

virga eſt, quæ dirigit homines. Curui erant, diſtorti erant, ſibi regnare cupiebant, ſe amabant, facta ſua mala diligebant, non voluntatem ſuam Deo ſubdebant: ſed voluntatem Dei ad ſuas concupiſcentias flectere volebant, &c. Dei voluntas æqualis eſt, tua curua eſt, &c. Si illam velis curuare ad te quia non poteſt, fruſtra conaris, illa ſemper directa eſt. Vis illi hærere? corrigere. Erit virga ipſius qui te regit, virga directionis. Inde & Rex à regendo dicitur, non autem regit, qui non corrigit. Regat te virga iſta, ne frangat te. A Virga enim ferrea eſt illa inflexibilis. Et quid dictum eſt Pſalmo 2. *Eidem filio de quo ſupra Tertullus ex Pſalte.* Reges eos in virga ferrea, &c. Alios regit, alios conterit: regit ſpiritales, conterit carnales. *Subiicit curuam hominis voluntatem corrigi & rectificari, ſi voluntati Dei conſonet, ſi diligat iuſtitiam & oderit iniquitatem. Sic enim & amat & odit quod ipſe Deus. Interim ad literam, & Thronus, & virga Chriſti, Iudæo ſimul & Gentili & toti orbi imperat, & regni eius æterni non eſt finis; quod Salomoni non conuenit.*

6. *Chriſti Aduentum probat impleta Prophetia conuerſionis Gentium. Cont. Iud. cap. 12. per totum. Et 13. in. p.*

ASpice vniuerſas nationes, de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum Creatorem, & ad Deum Chriſtum eius; & ſi audes, nega prophetatum. Statim tibi promiſſio patris occurrit in pſalmis dicens: [a] *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Nec poteris eum magis Dauid filium dicere, quàm Chriſtum: aut terminos terræ Dauid potius promiſſos, qui intra vnicam Iudæam regnauit, quàm Chriſto, qui totum iam orbem Euangelij ſui fide cepit, ſicut per Eſaïam dicit: [b] *Ecce dedi te in diſpoſitionem generis mei in lucem gentium, aperire oculos cæcorum*, Vtique errantium, *Exſolucre de vinculis vinctos*, Id eſt, de delictis liberare; *Et de domocarceris*, Id eſt, mortis; *Sedentes in tenebris*, Ignorantiæ ſcilicet. Quæ ſi per Chriſtum eueniunt, non in alium erunt prophetata, quàm per quem expuncta conſideramus. Igitur quoniam filij Iſraël adfirmant nos errare recipiendo Chriſtum, qui iam venit, præteribamus eis ex ipſis ſcripturis iam veniſſe Chriſtum qui prædicabatur.

a Pſal. 2. 7.

b Eſa. 42. 6. & 7.

CAP. XIII.

CHRISTI ADVENTVM VI. SCHOLIA.

EMERGENTES. *Propriè de baptiſmo; vnde per trinam merſionem loti emergebant Gentiles.* ECCE DEDI TE. *Eſa.* 42. Dedi te in fœdus populi, &c. *De quo loco iam ſupra.* EXPVNCTA. *Impleta videmus.* PRÆDICABATVR. *Prophetabatur.* HODIE GENVI TE. *Aug. in Pſal. 1.* Quamquam poſſit ille dies in propheria videri, quo Ieſus Chriſtus ſecundùm hominem natus eſt: B tamen, hodie, quia præſentiam ſignificat, atque in æternitate nec præteritum quidquam eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum, quaſi nondum ſit, ſed præſens tantum; quia quidquid æternum eſt, ſemper eſt: diuinius accipitur ſecundùm id dictum, hodie genui te; quo ſempiternam generationem virtutis & ſapientiæ Dei, qui eſt vnigenitus filius, fides ſinceriſſima & Catholica prædicat.

S. Auguſt.

7. *Chriſtus miſſus ad oues Iudæos, non ad canes Gentes. 4. Cont. Marc. cap. 7. à p.*

MArcion auſer etiã illud de Euangelio: [a] *Non ſum miſſus niſi ad oues perditas domus Iſraël.* Et, *Non eſt auferre panẽ filiis, & dare eum canibus;* Ne ſcilicet Chriſtus Iſraëlis videretur. Sufficiunt mihi facta pro dictis. Detrahe voces Chriſti mei, res loquentur. Ecce venit in ſynagogã: certè ad oues perditas domus Iſraëlis. Ecce, doctrinæ ſuæ panem prioribus offert Iſraëlitis; certè vt filios præfert. Ecce, alios eum nondum impertit; certè vt canes præterit. Quibus autem magis impertiſſet, quàm extraneis Creatoris, ſi ipſe in primis non fuiſſet Creatoris?

a Math. 15. 24. & 26.

CHRISTVS MISSVS. VII. SCHOLIA.

AVFER. *Pungit Marcionem, murem corroſorem Euangelij Matthæi, quod non recipit. Et hunc maximè lenum, dicentem Chriſtum miſſum non ad canes Gentiles, ſed ad Iſraëlitas oues, populum vtique Creatoris; quod eum maximè probat Chriſtum Creatoris; aliàs ſi à Deo Marcionis miſſus eſſet, gentilibus potius extraneis à fide Creatoris, quàm Iſraëlitis panem verbi ſui tribuiſſet.* [a] *Math.* 15. 24. Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt, domus Iſraël. *Aug. tract.* 51. *in Io.* 7. Habeo alias oues quæ non ſunt ex hoc ouili: qui dixerat, non ſum miſſus niſi ad oues, &c. Quomodo habet alias ad quas nõ eſt miſſus? Niſi quia ſignificauit per præſentiã corporalem non ſe miſſum exhibere niſi ſolis Iudæis, qui viderunt, & occiderunt, & multi tamen inde & antea, & poſtea crediderunt. *Et tract.* 47. *in cap.* 10. *Io.* Non ſum miſſus, &c. Nouerat etiam eas in turba furentium, & præuidebat in pace credentium. Quid eſt ergo, non ſum miſſus, &c. Niſi quia præſentiam ſuam corporalem non exhibuit niſi populo Iſraël? Ad Gentes non perrexit ipſe, ſed miſit: ad populum vero Iſraël, & venit, & miſit ipſe; vt qui contemnebant, maiusi udicium ſumerent, quia etiam præſentia eſt illis exhibita. Ipſe Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit, ibi concipi, ibi naſci, ibi ſanguinem fundere voluit, ibi ſunt veſtigia eius, modo adorantur vbi nouiſſimè ſtetit, vnde aſcendit in cœlum: *Impleta prophetia, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius, vnde ſurrexit in requiem ſuam ſeſſurus ad patris dexteram*, Ad gentes aut em miſit. Sed fortè aliqui arbitrantur, quoniam non ipſe ad nos venit, ſed miſit ad nos: non nos audiſſe vocem ipſius, ſed vocem eorum quos miſit. Abſit, pellatur iſta cogitatio de cordibus veſtris, & in his quos miſit, ipſe erat. Ipſum Paulum audi quem miſit: ad gentes

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

C

D

ad gentes enim præcipuè Paulum misit Apostolum: & ait ipse Paulus terrens non de se, sed de illo 2. Cor. 13. An vultis accipere experimentum eius, qui in me loquitur Christus? NON EST AVFERRE. *Supple, bonum, vel, non est auferendus panis. Matth.* 15. 26. Non est bonum sumere
Augusti. panem filiorum & mittere canibus. *Aug. ser. 14. de temp. vbi de pueris hosanna canentibus filio Dauid, & Pharisæis dicentibus ex inuidia: compescite pueros, ne acclament: quibus Christus:* Si isti tacebunt, lapides clamabunt. Qui lapides? nisi qui olim lapides? Si parvuli pueri tacebunt, maiores & minores gentes clamabunt. Qui lapides, nisi lapides de quibus dicit ipse Ioannes, &c. Cum videret ipsos Iudæos, superbire de genere Abrahæ, &c. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, &c. Impletũ est, lapides clamabunt. de gentibus enim venimus in parentibus nostris, lapides adorauimus, ideo canes dicti sumus. Recordamini quid audierit mulier illa Cananæa idolorum cultrix, ancilla dæmoniorum, quid dixit Iesus? Non est bonum, &c. Numquid aduertistis quemadmodum canes lapides vnctos lingunt, sic sunt omnes simulacrorum cultores? *Lapides vncti, Idola consecrata.* Sed venit nobis gratia, *Christus lapis vnctus quem lingit Cananæa.* Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

A *De canibus prius.* Et Verbum Caro factum est, &c. Magna mutatio, ille factus caro, iste *Gentilis* spiritus. Quid est hoc? Qualis dignatio fratres mei, &c? Quid erat ille? quid factus est? Quid eratis vos, quid factis estis? Erat ille filius Dei qui factus est filius hominis; eratis vos filij hominum, qui estis filij Dei facti. Communicauit nobiscum mala, daturus est nobis bona. *Et ser. 74. de temp.* S. Aug.
Dixerat, nolite sanctum dare canibus, &c. Quæ sint porci, qui sint canes, hoc in ista muliere demonstratum est, &c. Canis es, vna es ex gentibus, idola adoras. Quid autem tam familiare canibus, quàm lapides lingere, &c? prorsus canis: sed & canes edunt, &c. Canem illam Dominus dixerat. Non dixit, non sum, sed dixit,
B sum Et dominus continuò, quia se agnouit canem, ô Mulier magna est fides tua! &c. Tu te cognouisti canem, ego te iam agnosco hominem, &c. *Subiicit in ea signatã Ecclesiam ex Gentibus, quos Iudæi superbi conspuebant ob Moysi miracula, legem Prophetas Patriarchas, &c. Et concludit ex Rom. 10.* Dicit Apostolus, quod oleaster populus ex gentibus insertus sit in olea, rami autem naturales fracti sint. *Iudæi scilicet* Illi fracti propter superbiam, insertus oleaster, propter humilitatem Hanc humilitatem ostendit mulier dicens, ita Domine, canis sum, micas desidero.

8. *Christus prædicator & operator mirabilium venit vt prædictus est. Cont. Iud. cap. 9. in fin.*

OPortet actum Christi eius qui venit, ad scripturarum regulam recognosci. Duplici enim, nisi fallor, operatione distinctum eum legimus, prædicationis & virtutis. Sed de vtroque titulo sic disponam: itaque specialiter dispungamus ordinem cœptum, docentes prædicatorem adnuntiatum Christum, vt per Esaiam: [a] *Exclama, inquit, in vigore, & ne peperceris; exalta vt tuba vocem tuam, & adnuntia plebi meæ facinora ipsorum, & domui Iacob delicta eorum. Me de die in diem quærunt, & cognoscere vias meas cupiunt. Quasi populus qui iustitiam fecerit, & iudicium Dei non dereliquerit,* Et reliqua. Virtutes autem factarum à patre, Esaïas dicit: [b] *Ecce Deus noster iudicium retribuit, ipse veniet, & salvos faciet nos. Tunc infirmi curabuntur, & oculi cæcorum videbunt, & aures surdorum audient, & claudus saliet velut cervus, & mutorum lingua solvetur,* Et cetera quæ operatum Christum nec vos diffitemini, vt pote qui dicebatis, [c] *Quod propter opera eum non lapidaretis, sed quoniam iste sabbatis faciebat.*

[a] Esa. 58. 1.
[b] Esa. 35. 4. & 5.
[c] Io. 10. 33.

CHRISTVS PRÆDICATOR. VIII. SCHOLIA.

ACTVM CHRISTI. *Id est, Oeconomiam Aduentus eius, cum Prophetiis componere, & videndum an talis fuerit, qualem vetus scriptura delineauit, prædicator scilicet & tuba, & vox intonans Patris, peccata arguens, & bellum indicens mundo, & vitiis eius; & si virtutibus, id est miraculis, vt præcinebatur claruerit.* EXCLAMA. *Vulgata, Esaiæ 58. 1.* Clama ne cesses, &c. *Consonantes nisi habent,* Clama in fortitudine, & ne parcas,
Augusti. &c. *Aug. Ser.* 106. *de temp.* Iericho fratres typum habuit mundi huius. Sicut enim tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt, ita & nunc oportet vt ciuitas mundi, id est superbia, cum suis turribus, auaritiâ scilicet, inuidia, atque luxuria, simul cum populis, id est omnibus concupiscentiis malis, assidua Sacerdotum prædicatione destruatur, atque dispereat. Non ergo oportet vt Sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant Dominum dicentem, Clama ne cesses, &c. Ne parcas, inquit, id est peccatoris iniquitati, ne tacendo perceas, & dum verecundiæ eius consulis, non consulas sanitati, ne vulnera illius, quæ clamando resecare poteras, reticendo in peius enutrias, &c. Clamare ergo iubemur, & ne quis se non audisse dicat, aut quemquam vox lateat Sacerdotis, vehement clamare, &c. Addit dicens, sicut tuba,
A &c. Scitis quod tuba non tam oblectationis esse soleat, quam terroris: non tam delectationem præferre, quam inferre formidinem, &c. Nam sicut in prælio, tuba formidolosi militis mentem deiicit, & animum fortis accendit; ita & Sacerdotalis tuba mentem peccatoris humiliat, animos virũ sanctũ corroborat, nec parcit voci, vt parcat saluti, & vno eodemque sono isti adhortationem dat, quemadmodum sit fortior ad vincendum, illi terrorem incutit, quemadmodum sit tardior ad peccandum, &c. Sacerdotales illius temporis tubas quid aliud præfiguralle credimus, quàm huius temporis Sacerdotum prædicationes, per
B quas non cessant peccatoribus terribili sono austerorum iudicium nuntiare, tristem gehennæ interitum prædicare, & quodam comminationis strepitu aures delinquentium verberare? *Christus autem verus Sacerdos, & tuba patris, quoties væ Scribis & Pharisæis, & mundo & Iericho iudicium extremum comminatus est? Quoties bonos spe mercedis accendit? Malos metu gehennæ prostravit?* DISPVTEMVS. *Absolvamus puncta singula prædicta & præscripta à Prophetis, videamus si impleverit. Vos ipsi fatemini vidisse & prædicantem, & virtutes, id est miracula operantem, sed lapidandum indicastis, quod ea Sabbatis faceret.*

1. *Christi aduentus duplex, primus ignobilis, secundus glorioſus, cont. Iuð. cap. 14. in p. ad vltra in.*

DIſcite nunc ex abundanti erroris veſtri ducatum. Duos dicimus Chriſti habitus à Prophetis demonſtratos, totidem aduentus eius prænotaſſe. Vnum in humilitate vtique primum, cum [a] *tanquam ouis ad victimam duci habebat, & tanquam agnus ante tondentem ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. ne aſpectu quidem honeſtus.* [b] *Annuntiauimus enim*, inquit, *de illo, ſicut puerulo, ſicut radix in terra ſitienti, & non erat ei ſpecies, neque gloria. Et vidimus eum, & non habebat ſpeciem neque decorem, ſed ſpecies eius inhonorata, deficiens citra filios hominum, homo in plaga, ſciens ferre infirmitatem:* ſcilicet vt poſitus à Patre in [c] *lapidem offenſionis; &* [d] *minoratus ab eo modicum citra angelos. vermem* ſe pronuntiat, [e] *& non hominem, ignominiam hominis, & abiectionem populi.* Quæ ignobilitatis argumenta, primo aduentui competunt: ſicut ſublimitatis ſecundo; cum fiet, iam non lapis offenſionis, nec petra ſcandali; ſed *lapis ſummus angularis*, poſt reprobationem adſumptus, & ſublimatus in conſummationem: & [f] *petra* ſanè illa apud Danielem *de monte præciſa, quæ imaginem ſecularium regnorum comminuet & conteret.* De quo ſecundo aduentu idem Daniel dixit: [g] *Et ecce cum nubibus cœli tanquam filius hominis veniens, venit vſque ad veterem dierum, & aderat in conſpectu eius. Et qui adſiſtebant, adduxerunt illum, & data eſt ei poteſtas regia, & omnes nationes terræ ſecundum genus, & omnis gloria ſeruient illi; & poteſtas illius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Tunc ſcilicet ſpeciem honorabilem, & decorem habitutus eſt indeficientem ſupra filios hominum [h] *tempeſtiuus enim decore citra filios hominum. Effuſa eſt gratia*, inquit, *in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in ſecula. Accingere enſem tuum circa femur tuum potens tempeſtiuitate & pulchritudine tua.* cum & Pater poſtea, [i] *diminuit illum modicum qui citra angelos, gloria & honore coronauit illum, & ſubiecit omnia ſub pedibus eius.* [k] *Et tunc cognoſcent eum, quem pupugerunt. Et cedent pectora ſua tribus ad tribum*, vtique quod retro non agnouerint eum in humilitate conditionis humanæ conſtitutum. Hieremias inquit: [l] *Et homo eſt, & quis cognoſcet illum? quia &* [m] *Nationitatem eius*, inquit Eſaias, *quis enarrabit?* Sic & apud Zachariam in perſona ipſius, immo & in ipſius nominis ſacramento, verus ſummus ſacerdos Patris Chriſtus Ieſus, duplici habitu in duos aduentus delineatur. Primo ſordidis indutus eſt, id eſt carnis paſſibilis & mortalis indignitate, cum & diabolus aduerſabatur ei, auctor ſcilicet Iudæ traditoris, qui eum etiam poſt baptiſmum tentauerat. Dehinc ſpoliatus priſtinas ſordes, exornatus podere & mitra, & cidari munda, id eſt ſecundi aduentus: quoniam gloriam & honorem adeptus demonſtratur. Nec poteritis eum Ioſedech filium dicere, qui nulla omnino veſte ſordida, ſed ſemper ſacerdotali fuit exornatus, nec vnquam ſacerdotali munere priuatus. Sed Ieſus iſte Chriſtus Dei patris ſummus ſacerdos, qui primo aduentu ſuo humana forma & paſſibilis venit in humilitate vſque ad paſſionem; ipſe etiam effectus hoſtia per omnia pro omnibus nobis, qui poſt reſurrectionem ſuam indutus podere, ſacerdos in æternum Dei patris nuncupatus eſt. Sic enim & duorum hircorum, qui ieiunio offerebantur, faciam interpretationem. Nonne & illi vtrumque ordinem nominis Chriſti, qui iam venit oſtendunt? pares quidem atque conſimiles, propter eundem Domini conſpectum, qui non aliâ venturus eſt formâ, vt qui agnoſci habet à quibus & Ieſus eſt. Vnus autē eorū circūdatus coccino, maledictus, & cōſputatus & conuulſus, & compunctus, à populo extra ciuitatem abiiciebatur in perditionē, manifeſtis notatus inſignibus Chriſti paſſionis; qui coccinea circundatus veſte, & conſputatus, & omnibus contumeliis affectus, extra ciuitatem crucifixus eſt. Alter verò pro delictis oblatus, & ſacerdotibus tantum templi in pabulum datus, ſecundæ repræſentationis argumenta ſignabat: quâ delictis omnibus expiati ſacerdotes templi ſpiritalis, id eſt Eccleſiæ, Dominicæ gratiæ quaſi viſceratione quadam frueretur, ieiunantibus cæteris à ſalute.

a Eſa. 53. 7. b Ibid. 2. c Pſal. 117. 22 d Pſal. 8. 6. e Pſal. 21. 7 f Dan. 2. 34. g Dan. 7. 13. h Pſal. 44. 3. i Pſal. 8. 6. k Zach. 12. 10. l Hier. 17. 9 m Eſa. 53. 8. Zach. 3. 3. & ſeq Io. 13. 2. Matth. 4. 3. Pſal. 109. 5. Leuit. 16. 5. & ſeq.

2. *Et 3. cont. Marc. cap. 7. in p. ad f.*

DVos dicimus Chriſti habitus à Prophetis demonſtratos, totidem aduentus eius prænotaſſe: Vnum in humilitate, vtique primum; quum [a] *tanquam ouis ad victimam deduci habebat, &c. iiſdem verbis quibus num. 1.*

Ibidem in f. Igitur, quoniam primus aduentus & plurimum figuris obſcuratus, & omni inhoneſtate proſtratus canebatur; ſecundus verò & manifeſtus, & Deo condignus; idcirco, quem facile & intelligere & credere potuerunt, eum ſolum intuentes, id eſt ſecundum, qui eſt in honore & gloria, non immerito decepti ſunt circa obſcuriorem, certè indigniorem, id eſt primum. Atque ita in hodiernum negant veniſſe Chriſtum ſuum, quia non in ſublimitate venerit, dum ignorant etiam in humilitate fuiſſe venturum.

a Eſa. 53. 7.

CHRISTI ADVENTVS DVPLEX. I. II. SCHOLIA.

EX ABVNDANTI. *id est ad plenam & abundantem conuictionem erroris vestri.* DVCATVM. *Contextum & prosecutionem erroris, vel, quid vos induxerit in errorem: nempe quòd duplicem aduentum Christi noluistis aduertere in scripturis vestris. Vnum inglorium, passibilem, mortalem; alterum glorioſum. Primum respuistis, alterum expectatis.* TANQVAM OVIS. *Hos iam omnes locos alibi attigimus.* QVEM DVPVGERVNT. *Zach. 12. 10.* aſpicient ad me quem confixerunt: & plangent eum, planctu, quaſi ſuper vnigenitum. 70. aſpicient me pro eo quod inſultauerunt; &c. *Sic Ioannis 19. 37.* videbunt in quem transfixerunt. ET HOMO EST *Ieremi. 17. 9. ſecundùm eſt 70. ſuo more. Vulgata ſic:* prauum eſt cor omnium & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? APVD ZACH. *c. 3. 1. & ſeq.* Oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini: & Sathan ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei, &c. Et Ieſus indutus erat veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli. Qui reſpondit, & ait ad eos qui ſtabant coram ſe, dicens: auferte veſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum: ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorias. Et dixit: ponite Cidarim mundam ſuper caput eius, & poſuerunt Cidarim mundam ſuper caput e...s . & induerunt eum veſtibus. *70. nil diſcrepant. Hic Ieſus Ioſedech, Chriſtum ſignat, peccata populi ſua facientem, & tollentem. Qui licet ex Tertul. dicatur nunquam indutus ſordidis, in captiuitate tamen cum aliis ſordeſcebat, primum Chriſti aduentum adumbrans, nec gloria Pontificali fruebatur. Sed poſtea cum Zorobabele principe templũ inſtauranit.*

Aug. CIDARIM MVNDAM. *Aug. lib. 3 qq. in Lexit. q. 32.* quid eſt quod Aaron & reliquos filios eius mortuum lugere prohibens dicit, caput veſtrum cidarâ non denudabitis? vbi certè oſtendit cidaras tegmina capitum fuiſſe, niſi quia illud faciebant lugentes, quæ conſuetudinis ornatus eſſent contraria. Sicut enim in noſtra conſuetudine, qui caput apertum magis habemus, operitur in luctu: ſic quia illi operimento capitis ornabantur, nudandum erat lugentibus. Quod ideo prohibet ne lugerent eos, in quorum pœna ſanctificatus eſt Dominus, id eſt commendatus eſt timor eius. *Abſque cidari ergo erat, vel cum ſordidâ, lugens in captiuitate Iaſedech, ſed poſtea munda ornatus.* INDVTVS PODERE, *veſte talari, Pontificali, gloriam ſecundi aduentus exprimente.*

Aug. *Auguſt. in Pſal. 29.* conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ. Quis eſt ſaccus? mortalitas. Saccus de capris conficitur, & de hœdis. Et capræ & hœdi inter peccatores ponuntur. Dominus de numero noſtro ſaccum ſolum accepit, non aſſumpſit meritum ſacci, meritum ſacci peccatum eſt, ſaccus ille mortalitas eſt, &c. Quid eſt non compungar? iam non moriar: compunctus A eſt enim cùm in cruce penderet, lanceâ percuſſus eſt, &c. Vt cantet tibi gloria mea, &c. *Circumdatus eſt lætitiâ*, amictus lumine ſicut veſtimento. ID EST. *id pertinet ad ſecundum Aduentum.*

DVOROVM HIRCORVM. *Vide dicta Verbo, Chriſti paſſio. num. 14. Cyril. Alex. eodem quo Tertul. ſenſu dixit, duos hircos ſibi ſimiles, eumdem repræſentare Chriſtum, viuum & mortuum, quod vnus exhibere non poterat.* IEVNO. *id eſt tempore & feſto expiationis de quo Leuit. 16. 30.* menſe 7. decima die menſis affligetis animas veſtras, &c. *id. iuxta interpretes, ieiunabitis.* NON ALIA FORMA. *Auguſt* illa forma S. Auguſt. erit iudex, quæ ſtetit ſub iudice, illa iudicabit, quæ iudicata eſt, &c. Talis apparebit, qualis videri poſſit, & ab his quos coronaturus eſt, & ab his quos damnaturus eſt. SACERDOTIBVS TANTVM. *Totum exactè caput 16. Leuit. perlegi, & omnes quas potui verſiones conſului: nec vidi, hirci immolati, de quo hic ſermo quidquam reſiduum fuiſſe ſacerdotibus, tum quod holocauſtum erat feſti expiationis pro peccatis populi totius anni, tum quod vſque ad ipſa excrementa comburi iuſſus eſt, his verbis verſu 27.* vitulum & hircum qui pro peccato fuerunt immolati, & quorum ſanguis illatus eſt in ſanctuarium, vt expiatio compleretur, aſportabunt foras caſtra & comburent igni, tam pelles, quàm carnes eorum, ac ſimum. *Quid hic reſidui ſacerdotibus non video Niſi quod infra:* viſcerationis, *meminit. Exta & viſcera, cor, iecur, renunculos ſi forte intellexit. Sed & hæc ad carnem attinent, licet hic ſpecificè non notentur. Sed & hæc precipuè Deo incendebantur. Leuit. 3. 3. & 4. & 14 & Leuit. 4. 8. & 9.* SECVNDÆ REPRÆSENTATIONIS. *id eſt, ſecundi aduentus indicia & ſigna ſunt, quibus ſe viuum præſentabit. Nec hoc conuenit aduentui glorioſo; cum magis, dimiſſus liber in ſolitudinem & vinus relictus, ſecundum aduentum exprimat.* SECVNDÆ IGITVR, *ſumam, pro alterius, vt,* VNVS, *primo poſitus, alterum faciat membrum diuiſionis. Tum, per viſcerationem, cum aliquibus interpretibus intelligam medullam gratiæ Euchariſticæ, quæ tamen non ſoli ſacerdotes ſaginantur, niſi, vt ait, ſpiritaliter & myſticè intelligantur fideles omnes, iuxta Petrum,* gens ſancta, regale ſacerdotium, *hæreticis & infidelibus foras ianuis, ſaluis Sacramento, & adipe frumenti, & vitulo ſaginato non impingnatis. Quod ſi meniem Tertull. ſequamur, non dicam ſecundùm Ioan. in Apoc.* factos nos Deo regnum & ſacerdotes, *in ſecundo Chriſti aduentu, implendas, in templo ſpirituali, id eſt corporibus olim templis ſpiritus, ſpiritalibus ſuſcitatis, in Eccleſia triumphanti, Chriſti Domini gratiæ viſcerationem fruituros; id eſt gloriæ, filiæ gratiæ, cuius* B viſceribus miſericordiæ nos viſitauit ex alto, *in primo aduentu: tum enim* conuiuium medullatorum, *ſumet,* hæreditas Domini, filij, fructus ventris: *ieiunantibus reprobis ab æterna ſalute, & excluſis à nuptiis Agni.*

C

D

3. *Chriſti aduentus duplex; primus inglorius à Iudæis non receptus, ſecundus glorioſus. Apol. cap. 21. in m.*

SCiebant qui penes vos fabulas ad deſtructionem veritatis iſtius æmulas præminiſtrauerunt; ſciebant & Iudæi venturum eſſe Chriſtum, ſcilicet quibus Prophetæ loquebantur. Matth. 2. 4. nam & nunc aduentum eius expectant, nec alia magis inter nos & illos compulſatio eſt, quàm quòd iam veniſſe non credunt. Duobus enim aduentibus eius ſignificatis; primo, qui iam expunctus eſt in humilitate conditionis humanæ; ſecundo, qui concludendo ſeculo imminet in ſublimitate diuinitatis exertæ, primum non intelligendo, ſecundum, quem manifeſtius prædicatum ſperant, vnum exiſtimauerunt. Ne enim intelligerent priſtinum, cre-

Esa. 6 10. Ioa. 12. 40. dituri si intellexissent, & consecuturi salutem si credidissent, meritum fuit delictum eorum. Ipsi legunt ita scriptum, Multatos se sapientiâ & intelligentiâ & oculorum, & aurium fruge.

CHRISTI ADVENTVS DVPLEX. III. SCHOL.

QVI PENES VOS, *apud vos culti daemones mendaces, veritatis emuli, qui Prophetas non ignorantes, immo damnationis suæ causæ conscij, quod verbo incarnando subiici noluerunt, fabulas Deum hominum representantes, premiserunt, obscurando mysterio.* COMPVLSATIO. *Consertatio, vel in ius vocatio. Ex scripturis enim Iudæorum propriis, eos compellimus fateri Christum prophetarum venisse passibilem, venturum Iudicem glorioſum & immortalem.* IMMINET. Prope est in ianuis, adesse festinant tempora, veniet, & non tardabit, &c. EXPVNCTVS, *impletus est.* EXERTÆ, *apertæ, foras velut prodeunte diuinæ maiestate in gloriæ claritate. Matth. 25.* cùm venerit filius hominis in maiestate sua. SPERANT. *Sibi persuadent.* VNVM. *id. vnicum ex duobus factum, & splendore secundi aduenus tenebras ignominiæ primi superante, excæcati luce, vnicum credunt.* INTELLIGERENT, *non poterant intelligere: quia satis humiles non erant, vt in obsequium fidei captiuum ducerent intellectum, & iuxta Esa. 7. secundùm 70. sepius citatum à Tertull* nisi credideritis non intelligetis: *hoc humili mysterio tam supra intellectum & rationem à maiestate Deitatis alieno, soli fide concipiente.* MERITVM *id. pœna iusta superbiæ fuit, vt non intelligerem, & multarentur fructu aurium & oculorum, & sapientia & intellectu, vt quem videbant tot miracula facientem, quem audiebant supra hominem loquentem, non agnoscerent Deum: sicut fructus & merces humilitatis, est intelligentia & sapientia, quam tribuit humiliter credenti,* qui intellectum dat paruulis, sapientiam præstans paruulis. LEGVNT. *Esa. 6. 9. & 10.* Audite audientes, & nolite intelligere; & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua: & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat. Et corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. *Quem locum Ioan. capite 12. Iudæis obiicit*: propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaïas, excæcauit oculos eorum, & S. August. indurauit cor eorum, &c. *Aug. tract. 53. in Io. 12.* dicitur nobis, si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis, non facientis, quod non potest facere: Si autem non credendo, peccauerunt, potuerunt ergo credere, & non fecerunt? si ergo potuerunt, quomodo dicit Euangelium, propterea non poterant credere, quia dicit Esaïas, excæcauit, &c. Vt, quod grauius est, ad Deum referatur causa qua non crediderunt, quandoquidem ipse excæcauit, &c. Non enim saltem hoc de Diabolo dicitur, sed de Deo, &c. *Vrget ex Paulo Rom. 11.* Quod quærebat Israël, hoc non est consequutus, electio autem consequuta est, cæteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est Esa. 6. dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem. Audistis fratres mei propositã quæstionem, nempe quàm profunda sit cernitis: sed respondemus vt possumus. Non poterant credere, quia hoc Esaïas Propheta prædixit: hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præsciuit. Quare autem non poterant? si à me quæratur, citò respondeo, quia nolebant: malam quippe eorum voluntatem præuidit Deus, & per Prophetam prænuntiauit ille, cui abscondi futura non possunt. *Cùm ergo Prophetæ participauit lucem Dei, sint præsentia quæ* A *præuidet, videns voluntatem Iudæorum nolentem credere, sine qua voluntate non poterant; dixit Ioannes, quod propterea non poterant credere. Prosequitur Aug. obiectionem*: Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum. Quam causam dicit Propheta? quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, &c. *(Syr. Rom. 11. 8. spiritum stupiditatis.)* Et *D. Thomæ ibid.* mala compunctio inuidiæ, quâ quis dolet de bonis aliorum, quem dedit eis Deus non immittendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, vt videntes miracula, & audientes verba, ex inuidia non crederent. *Aug. prosequitur*, etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, & non adiuuando; quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest, &c. Numquid enim iniquitas est apud Deum? absit. Si ergo absit vt sit iniquitas apud Deum; siue quando adiuuat, misericorditer facit: siue quando non adiuuat, iustè facit, quia omnia non temeritate, sed iudicio facit, &c. Si quis autem istam quæstionem liquidiùs & meliùs nouit se posse, & confidit exponere, absit, vt non sim paratior discere quam docere, tantùm ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere, vt nobis orationem, qua dicimus, ne nos inferas in tentationem, conetur auferre: rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum. Sed audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem; & iubentem quid facere debeamus, & adiuuantem vt implere possimus: Nam & quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam: & quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia deiecit in negligentiam. Illi dicunt, vt quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? isti dicunt, vt quid conamur bene viuere, quod in Dei est potestate? ô Domine, ô Pater qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos à malo. Audiamus Dominum dicentem, rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua. Nec sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, vt diuino non egeat adiutorio: audiamus & Euangelistam dicentem, dedit eis potestatem filios Dei fieri: ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus, veruntamen in vtroque illius beneficia cognoscamus: nam & agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas, & orandum ne succumbat infirmitas, &c. Non itaque mirum est quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat, vt ignorantes Dei iustitiam, suam vellent constituere, &c. Quia enim non ex fide, sed tanquam ex operibus tumuerunt, ipso suo tumore cæcati offenderunt in lapidem offensionis. Sic autem dictum est, non poterant, vbi intelligendum est quod nolebant, &c. Sicut; quod dominus negare sepsum non potest, laus est voluntatis diuinæ; ita, quod illi non poterant credere, culpa voluntatis humanæ, *superba scilicet & de se præsumentis. Vnde concludit*: Qui ergo ignorans Dei iustitiam quâ iustificatur impius, suam vult constituere, quâ conuincatur superbus, in hunc non potest credere; hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non possunt; sed quamdiu talia sapiunt, *id est, de se præsumunt*, non possunt credere. Hinc excæcantur & indurantur, quia negan-

do diuinum adiutorium, non adiuuantur, &c *Subiicit finem sententiæ Esaïæ*: & conuertantur, & sanem eos, *subaudiendum, non: connexione prioris sententiæ, vbi dictum est*, vt non videant oculis. *Concludit itaque*: ipsa conuersio de illius gratiâ est, cui dicitur Psal. 70. Deus virtutum conuerte nos. An fortè & hoc de supernæ medicinæ misericordiâ factum intelligendum est? vt quoniam superbæ & peruersæ voluntatis erant, & suam iustitiam constituere volebant, ad hoc desererentur, vt excæcarentur, ad A hoc excæcarentur, vt offenderent in lapidem offensionis, & implerentur facies eorum ignominia: atque ita humiliati quærerent gloriam Domini, & non suam, quâ inflatur superbus, sed iustitiam Dei, quâ iustificatur impius. *Hæc ex Augustino aptè ad exprimendum quod dixit Tertul. de* MERITO, *cæcitate Iudæorum, qui pra superbia,* PRISTINVM *id est primum & humilem Christi aduentum agnoscere noluerunt, nec proinde potuerunt, indigni gratiâ fidei, pra superbia cordis.*

CHRISTVS IVDEX.

1. *Christo Iudicium omne dedit Pater, etiam diluuij, turris Babel, & Sodomæ. Cont. Prax. cap. 16. à p.*

NOn iudicat pater quemquam, *sed omne iudicium tradidit filio*: A primordio tamen. Omnem enim dicens potestatem, & omne iudicium, & [b] *Omnia per eum facta*; [c] *& omnia tradita in manu eius*, Nullam exceptionem temporis permittit: quia omnia non erunt, si non omnis temporis fuerint. Filius itaque est qui ab initio iudicauit, turrim superbissimam elidens, linguasque dispertiens, orbem totum aquarum violentia puniens, pluens super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphurem: Dominus, à Domino.

[a] Io. 5. 22. [b] Io. 1. 3. [c] Matth. 11. 27. Gen. 11. 7. Gen. 7. 18. Gen. 19. 24.

2. *Et de Resur. c. cap. 47. in. fin.*

HAbes omnem substantiam hominis saluti destinatam, nec alio tempore quàm in aduentu Domini, qui clauis est resurrectionis.

CHRISTVS IVDEX. I. & II. SCHOLIA.

NON IVDICAT. *Io. 5. 22.* Neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. *Augustin. tract. 21. in cap. 5. Io.* quid loquitur? Paulò ante dicebat, quia demonstrat filio Pater quidquid facit, videbam quasi Patrem facientem, filium expectantem: modò rursus video filium facientem, patrem vacantem, &c. Quando ergo filius iudicaturus est, pater vacabit, & non iudicabit? &c. Lego alio loco te dicente, ego non iudico quemquam, est qui quærat & iudicet. De quo dicis, est qui quærat & iudicet nisi de patre? &c. Omnino est quidam intellectus verus, fortis si quo modo eum tenere possumus, quia pater non iudicat, &c. Hoc enim dictum est, quia hominibus in iudicio nõ apparebit nisi filius: pater occultus erit, filius manifestus, &c. Veniet in forma humana. Hanc videbunt & impij, videbunt & ad dexteram positi, videbunt ad sinistram separati, sicut scriptum est Io. 19. Zach. 12. videbunt in quem pupugerunt. Si videbunt in quem pupugerunt, corpus ipsum videbunt quod lanceâ percusserunt. *Sic Psaltes:* Deus noster manifestè veniet, &c. Noster, inquit, non quod pater non sit Deus noster, sed quia filius solus nostram formam humanam assumpsit, in quâ manifestè iudicabit. *Hinc Tertul vt suprà proprio loco vidimus, omnes apparitiones Dei factas in veteri lege, soli filio incarnando tribuit, & hîc omnia iudicia per Angelos exercita, diluuij in Sodomas, Babylonios, omne tandem quodcumque sit iudicium filio attribuit.* A PRIMORDIO TAMEN. *id est, sic accipe datum omne iudicium, vt nouum non sit hoc donum, sed ab initio mundi, quin & ab æterno, cum sua essentia, Dominus filius à Domino patre accepit potestatem, vt ait:* omnia mihi tradita sunt à patre meo.

[a] August.

C OMNEM SVBSTANTIAM. *Non solùm animas viuificate per gratiam, quæ ex Paulo* Est vita æterna: *Sed & corporis suscitandi & saluandi in gloria resurrectionis.* CLAVIS. *Quia aperit monumenta qui in Apoc. tenet clauem abyssi & mortis. Et quia cum veniet in secundo aduentu iudicaturus, incipiet apparatum iudicij, & primam scenam aperiet & ordietur à resurrectione mortuorum, tubâ suâ & voce vocans & citans reos ad tribunal, & iustos ad præmia. Chrysol. ser. 103. in p. quæ est ista tuba, quæ inferis infert bellum, sepulcri resoluit moles?, intonat mortuis vitam, resurgentibus in lucem, perpetem dat triumphum? quæ est? illa quam superius Dominus dixit: mortui audient vocem Filij Dei.* Tuba, non quæ arctato spiritu per concauũ cornu ligni vel æris tristem bellantibus dat rougitum: sed quæ de corde Patris, ore filij, viralem simul & inferis *Reprobis* & superis *Electis suscitandis* Dat clamorem, &c. Tuba quæ in principio mundum vocauit ex nihilo, ipsa in nouissimo mundum reuocabit ex perdito: & quæ initio hominem suscitauit ex limo, ipsa in fine hominem resuscitabit ex puluere. *Iuxta Tertullianum Aug.* Omnem substantiam hominis saluti destinat: *Tract. 19. in Io. 5.* Venit hora & nunc est. Non dicit de hora illa nouissima, vbi in iussu & voce archangeli, & in tuba Dei, &c. *Et rursum ibidem*: Venit hora, non addidit, & nunc est. Hora nunc est vt resurgant mortui; hora erit in fine sæculi vt resurgant mortui. Sed nunc resurgunt in mente, tunc in carne; resurgunt nunc in mente per Verbum Dei, filium Dei: resurgent tunc in carne per Verbum Dei Carnem factum filium hominis.

3. *Christus Iudex probatur ex testimonio puluèris excutiendi, 4. cont. Marc. cap. 21. à p.*

QVum iubet [a] *Pulucrem excutere de pedibus, in eos à quibus excepti non fuissent, & hoc in testimonium* mandat fieri: nemo testatur, quod non iudicio destinatur: inhumanitatem qui in testationem redigi iubet, iudicem comminatur.

[a] Luc 10. 11. & Matth. 10. 14. Luc. 9. 5

Digitized by Google

Aug. Deus in Sancto via tua. *In quem locũ Aug.* Quæ via tua in Sancto? Ego ſum, inquit, via, veritas, & vita: redite ergo homines ab affectionibus veſtris Quò iris? Quò curritis? Quò non ſolùm à Deo, ſed à vobis fugitis? Redite prævaricatores ad cor. Eſa. 46. Scrutamini ſpiritum veſtrum, recolite annos æternos, inuenite miſericordiam Dei circa vos, &c. In Sancto via eius. Filij hominum vſque quo graues corde, &c. Scitote quoniam magnificauit Dominus ſanctum ſuum. In Sancto via tua. Ad ipſum ergo attendamus Chriſtum, attendamus ibi viam eius. *Et via ad Patrem verè filius, dicens:* Nemo venit ad Patrem niſi per me. NOSTRVM. *Carpit Euangelium truncatum Marcionis.* IN TE. *Luc. 1. 35.* Naſcetur ex te. *Syr. autem.* Is qui naſcturus eſt, ſanctus ipſe ac filius Dei vocabitur. *Tertul. hic confudit, cum eo quod legitur Matth. 1 20. vbi Angelus:* Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt; pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum, &c. SENSVM DOMINICÆ, *&c. Licet dæmon eſſet, & malignus Spi-* A *ritus, olim tamen bonus à Creatore conditus, quanquam non fide ſupernaturali, aut ſenſu pietatis, Dominum ſuum, & Domini ſui filium, à Prophetis doctus & Euangelio, non ignarum Marcionis Deum extimueſcebat.* NON QVASI, *&c. Non hoc dixit dæmon quaſi auerſatus Ieſum vt alienum à Creatore, quia Dominus eſt omnium ſpirituum etiã maligiorum.* NEC DIXIT, *Si enim cœpiſſet dicere:* QVID TIBI, *&c. Viſus eſſet Ieſum reiicere, quaſi nihil ipſi eſſet cum Creatore ſpirituum.* SORTEM SVAM. *Id. Imminere ſenſit extremum ſibi iudicium & exitium in ſecundo Aduentu, in quo ab hoc aëre in abyſſum igneam* B *recludetur. Vnde & alibi dæmones:* Veniſti ante tempus torquere nos? & rogabant, ne eos mitteret in abyſſum. *Ex potentia igitur & præſentia ſenſibili primi aduentus, qua cogebatur exire de corpore poſſeſſi, præſentiebat ſe ab eodem Ieſu amandandum in abyſſum.* A DEO, *&c. Hic vim facit contra Marcionem fruſtra Deo ſuo leni & non vltori adindicantem Chriſtum, quem dæmon intellectu ſuo conformauit & concepit iuxta formam à Prophetis Dei vltionum præſcriptam. Vide Verbum Chriſti Seueritas. 2.*

5. *Chriſtus Iudex ferus & mitis. Cont. Iud. cap.* 10. *à. p.*

BEnedicitur in hæc verba Ioſeph: [a] *Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius, in eis nationes ventilabit pariter ad ſummum vſque terræ.* Non vtique rhinoceros deſtinabatur vnicornis, vel minotaurus bicornis; ſed Chriſtus in illo ſignificabatur: taurus ob vtramque diſpoſitionem, aliis ferus vt iudex, aliis manſuetus vt ſaluator: cuius cornua eſſent crucis extima. [a] Deu. 33. 17.

CHRISTVS IVDEX. V. SCHOLIA.

TAVRI DECOR. *Deut. 33. 17.* Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit gẽtes vſque ad terminos terræ 70. *vero*, primogenitus tauri pulchritudo eius, cornua vnicornis cornua eius, in ipſis gentes ventilabit, ſimul vſque ad extremum terræ. DESTINABATVR *Supple Ioſeph his Symbolis delineabatur & tangebatur, ſed Chriſtus in his figurabatur.* DESTINABATVR. *Quaſi ſcopus. Moyſi, inquit, ſcopus non fuit, nec intentio, vel vnicorni, vero animali, ſed fero, vel bicorni Minotauro fabuloſo, conferre Ioſeph Patriarcham, aut Chriſtum. De illo Virg. in Æn.* Minotaurus ineſt *Labyrintho* ſcilicet Veneris monimenta nefandæ. *Aug. l. 18. de* Auguſt. *Ciuit. c. 13.* De minotauro quod beſtia fuerit inclusa labyrintho: quò cum intraſſent homines, inextricabili errore, inde exire non poterant. *Caterum ex Apollodoro l. 3. de Deorum Orig. Diodor. l. 4. c. 5. Pauſan. l. 1. Theodor. ſer. 10. Monſtrum fuit ſemihomo, & ſemitaurus; natum ex Paſiphaë vxore Minois, quæ Tauro ſe commiſcuit. Hoc Mĩos inclusit labyrintho, & cum antropophagus eſſet, & Athenienſes filium Minoïs Androgeum occidiſſent, coëgit eos quotanni ſeptem filios totidemque filias Cretam mittere, ad alendum hoc monſtrum. Quo cum veniſſet Theſeus filius Ægei Regis Athenienſium, beneficio filiæ Adriadnes filiæ Minoïs, minotaurum occidit, & labyrintho egreſſus eſt. Alij cum Seruio volunt Minoëm habuiſſe Scribam nomine Taurum, qui cum Paſiphaë* E *in domo Dædali concubuit, ex quo gemellos peperit, alterum Minoi, alterum Tauro ſimilem. Vnde natum figmentum monſtri biformis. Procul hinc rurſum Veneris monimenta nefanda. Chriſtus verus Deus, & verus homo, Spiritus ſancti Opera de Virgine conceptus eſt; patri æterno ſimulis, quà imago ſubſtantiæ & bonitatis illius Similis, Matri incorruptæ, quà homo. Qui & vnicornis autè Incarnationem veluti* C *ferus in homines & ſæuus, Virginis amore captus* Vt de animali narrant Hiſtorici, *In eius ſinu omnem iram depoſuit, ſic homini manſuefactus, vt incarnando, & venenum peccati originalis, à Præcurſore, cornu ſua gratiæ ablaturo occinat Dauid.* Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo: *Et rurſum:* Exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia vberi. *Et velut ex Beda, Vnicornis nullas ſordes in cubili ſuo patitur, ſic Chriſtus in templo ſordes negotiatorum non eſt paſſus. Quin etiam tum teſte Hieronymo, velut quoddam cornu luminis in fronte, à facie eius exarſit, cum eos facto flagello de funiculis, eiecit. Sic & impleta prophetia Pſalmi:* Sanctificauit, ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra, &c. TAVRVS OB VTRVMQVE, *&c. Id eſt vel in vnico Tauro diuerſimodè diſpoſito, vel vt victima efficaciter immolata pro electis, quibus plagas ſuas ſalutares benigne monſtrabit; reprobos autè iuſtitiæ cornibus ventilabit: vel vt Taurus domeſticus* D *ſuo obedientiæ vſque ad mortem crucis ſuppoſitus: vel vt vnicornis ferus & agreſtis.* CRVCIS EXTIMA. *Id. extrema, de quibus Abacuc. 3.* Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius. *Vtrumque animal, & domeſticum & ferum Pſalmus. & Aug.* S. Auguſt. *expreſſit, & Chriſto aptauit, pſalmo 28.* Conteret Dominus cedros Libani Conteret per pœnitentiam Dominus, elatos nitore terrenæ nobilitatis, cum ad eos confundendos ignobilia huius mundi elegerit, in quibus oſtendat diuinitatem ſuam. *Sic contriti & compuncti ſunt cum Cleopatra, viſo vel addito Tauro, vel vitulo immolato, qui percutientes pectora ſua, dixerunt, verè filius Dei erat iſte.* Et comminuet eas tãquam vitulum Libani, & amputata ſuperba celſitudine illorum, deponit eos ad imitationem humilitatis ſuæ, qui tanquam vitulus, per ipſam huius ſæculi nobilitatem, ad victimam ductus eſt. Adſtiterunt enim reges terræ,

&c. Psal. 2. & dilectus sicut filius vnicornium. Nam & ipse dilectus atque vnicus Patri, exinanivit se nobilitate sua, & factus est homo sicut filius Iudæorum ignorantium iustitiam Dei, & superbè iactantium tanquam singularem iustitiam suam: *Quos autem non comminuet humiliatos, hos cornu feriet in iudicio superbos.*

6. *Et 4. Cont. Marc. cap. 39. in. m.*

a Luc. 21. 28. b Ibid. 31. c Dan. 7. 13. Luc. 19. 15. d Psal. 2. 8. e Dan. 7. 14. f Luc. 20. 36. g Abac. 3. 13. h Luc. 21. 28.

[a] *Quum autem hæc fient, erigetis vos, & leuabitis capita, quoniam adpropinquauit redemptio vestra.* In tempore scilicet regni, de quo subiectarit ipsa parabola, [b] *Sic & vos quum videritis omnia hæc fieri, scitote adpropinquasse regnum Dei.* Hic erit dies magnus Domini & illustris, venientis de cœlis filij hominis secundùm Danielem, [c] *Ecce cum cœli nubibus tanquam filius hominis aduenies, &c. Et data est illi regia potestas;* Quam in parabola postulaturus exierat, relicta pecunia seruis, quæ feneraretur: Et vniuersæ Nationes, quas promiserat ei in psalmo Pater, [d] *Postula de me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam:* [e] *Et gloria omnis seruiens illi, & potestas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur;* Quia nec morientur in illo, [f] *Nec nubent, sed erunt sicut Angeli.* De eodem aduentu filij hominis & fructu eius apud Abacuc, [g] *Existi in salutem populi tui ad saluos faciendos Christos tuos:* Erecturos scilicet se, [h] *Et capita leuaturos in tempore regni redemptos.* Igitur cùm & hæc, quæ sunt promissionum, proinde conueniant, sicut & illa quæ sunt concussionum, ex consonantia propheticarum & Dominicarum pronuntiationum, nullam hic poteris interstruere distinctionem, vt concussiones quidem referas ad Creatorem, sæuitiæ scilicet Deum: quas nec sinere, nedum expectare deberet Deus optimus; promissiones verò Deo optimo deputes, quas Creator ignorans illum non prophetasset. Aut si suas prophetauit, non distantes à promissionibus Christi, par erit in libertate optimo Deo; nec plus videbitur à Christo tuo repromitti, quàm à meo filio hominis.

CHRISTVS IVDEX. VI. SCHOLIA.

CVM AVTEM. *Luc.* 21. 28. His fieri autem incipientibus respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. REGNI. *Resurrectionis.* SVBIECTARIT. *Id. Subiecerit.* FOENERARETVR. *Id. fœnori daretur.* NON CORRVMPETVR. *Eximiè tangit duplicem incorruptionem, vnam à morte, alteram à concubitu, cum generatio non fiat, sine corruptione.* EXISTI. *Abacuc.* 3 13. Egressus es in salutem populi tui. In salutem cum Christo tuo. 70. Vt saluares Christum tuum. *Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 32 Sequitur Tertullianum. Hiero.* Sciendum, inquit, quod vbi posuerunt 70 plurali numero, vt saluares Christos tuos ibi esse in Hebræo, quod Aquila transtulit, in salutem cum Christo tuo: non quod Deus egressus sit vt saluaret populum, & saluaret Christum suum, sed quod in salutem populi venerit cum Christo suo. CONCVSSIONVM. *Scilicet elementorum & virtutum cœlorum, vt supra dixerat eodem capite Tertull.* Quod & ipsæ vires cœlorum concuti habeant. DOMINICARVM. *Id. in Domini Euangelio scriptarum.* DEPVTES. *Attribuat.* IGNORANS, *&c. Quomodo enim Creator, Deum ignotum nesciens, promissiones Dei Marcionis prophetasset?* SI SVAS, *proprias scilicet Creatoris prophetias, similes eis quas Christus in Euangelio suis discipulis dedit.* IN LIBERTATE, *Malim legere in liberalitate.* MEO *Christo scilicet Creatoris, qui & in veteri lege & in noua, filius hominis dicitur, quia vere & non phantasticè, vt vult Marcion, apparuit homo.*

S. August.

7. *Christus Iudex & vltor iniquitatum patrum in filios. 4. Cont. Marc. cap. 27. circa fin.*

a Luc. 11. 47. b Exod. 20. 5.

CVr autem [a] *Væ audiunt etiam, quod ædificarent Prophetis monimenta interemptis à patribus eorum,* Laude potius digni, qui ex isto opere pietatis testabantur se non consentire factis patrum; si non erat *Zelotes,* Qualem arguunt Marcionitæ, [b] *Delicta patrum de filiis exigentem vsque in quartam nationem?*

CHRISTVS IVDEX. VII. SCHOLIA.

VÆ AVDIVNT. *Filij scilicet Iudæorum. Quo probat Christum filium Creatoris vltoris & iudicis, Anathema fulminantem contra ædificantes sepulcra prophetarum. Qui tamen non increpandi, sed laudandi essent, probantes se non consentire neci prophetarum, eos honorando sepultura, si Christus ipse non fuisset imitator Patris Creatoris, qui dicitur zelotes; quem tamen de zelo arguunt Marcionita, nolentes Deum agnoscere nisi leuem & bonum. Sic locus primus Luc. 11 47* Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum: Patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini, quod consentitis operibus Patrum vestrorum. Quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. *Cum enim & ipsi Christum regem prophetarum, & Apostolos eius plusquam prophetas, maiori, odio insequerentur, Patres suos imitabantur & per hypocrisim facti ipsi sepulcra dealbata, vt pij apparerent, pomposè extruebant sepulcra occisorum. Hinc Christus Zelotes, vt Pater; filios, Patrum suorum homicidarum sectatores insectatur. Exo. 20. 5.* Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios 70. *Reddens peccata Patrum in filios* In tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me. *Nec iniustè: tum quod, patres punit in re charissima, tum quod exemplo malo in posteros serpente sint rei. Aug. Cont. Adimantum cap. 6. respondet Manichæis obicientibus illud*

Digitized by Google

illud esse contrarium, Matth. 5. Estote benigni sicut Pater vester cœlestis, qui Solem suum, &c. *Et argumento ad hominem, connincit eos, dicentes, Deum genti tenebrarum inimicæ suæ æternum paraſſe carcerē. Et concludit:* Ex eo quod addidit, qui me oderunt: Intelligitur, eos puniri peccatis parentum, qui in eadem peruersitate parentum perseuerare voluerunt. Tales enim non sæuitia, sed potius iustitia Dei, & sua iniquitate puniuntur. Sicut Propheta ait, Sap. 1. Sanctus spiritus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu & corripietur à superueniente: id est, corripietur homo superueniente sibi iniquitate sua, &c. Quod autē in tertiam & quartam Generationem scriptum est vindictam procedere, non aliud significari arbitror, nisi quod ab ipso Abraham qui Pater esse incipit populi Iudæorum, quatuor ætatēs sunt cum ista quæ nunc agitur, quas Matthæus Euangelista distinguit. vna est ab Abrahā vsque ad Dauid, alia à Dauid vsque ad transmigrationem in Babyloniam: tertia à transmigratione in Babyloniam, vsque ad Domini Aduentum. Inde vsque ad finem quarta deputatur, tanquam senectus sæculi, cæteris ætatibus longior, &c. Et quoniam tertia incipit à transmigratione Babyl. quando Iudæorum est facta captiuitas: in quarta verò, id est post aduentum Domini nostri gens Iudæorum à solo proprio penitus eradicata est: hoc datur intelligi quod dictum est, tertiæ & quartæ generationi, peccata parentum redditurum Deum: his vtique legitimè atque debitè, qui parentum peccata perseuerantes tenere, quàm Dei iustitiam sequi maluerunt. Nam non pertinere Patris peccata ad filium iustè viuentem Propheta Ezechiel apertissimè ostendit *Ita Ezech 18 20.* Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem Patris, & pater non portabit iniquitatem filij: Iustitia iusti super eum erit, & impietas Impij erit super eum. *De zelo Dei sic ibid. Aug.* Quoniam zelando solent mariti vxorum pudicitiam custodire, potestatem & disciplinam Dei, qua fornicari animam impunè non sinit, Zelum Dei Scripturæ vocauerunt. Est autem animæ fornicatio, auersio à fœcunditate sapientiæ, & ad conceptum temporalium illecebrarum, corruptionumque concubitus.

Aug. A

B

S. Aug.

8. *Christus Iudex veniet contemptæ legis suæ. 4. cont. Marc. cap. 35. circa f.*

SI de suo loquitur aduentu, cur eum diebus Noë & Loth comparat tetris & atrocibus, Deus & lenis & mitis? cur admonet [a] *meminisse vxoris loth*, quæ præceptum Creatoris non impunè contempsit, si non cum iudicio venit vindicandorum præceptorum suorum?

[a] Luc. 17. 26. & 32.

CHRISTVS IVDEX. VIII. SCHOLIA.

DICIT VS. *Luc. 17. 26.* Sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias: vsque in diem qua intrauit Noë in Arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth: edebant, & bibebant: emebant & vendebant, plantabant & ædificabant: qua die autem exit Loth à Sodomis, pluit ignē & sulphur de cœlo. *Syr. addit Dominus,* & omnes perdidit. Secundùm hæc erit qua die filius hominis reuelabitur. In illa hora, qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote vxoris Loth. *Aug. lib. 2. qq. Euang. q. 41. & seq.* In tecto est, qui excedens carnalia, tanquam in aura libera spiritaliter viuit. Vasa eius in domo, sunt sensus carnales, quibus ad infestigandam veritatem, quæ intellectu capitur, multi vrentes, penitus etrauerunt. Huius ergo spiritalis viri iam vasa ista vacant in domo, quia mente corpori superemineus, per aciem intelligentiæ quasi in tecto positus, perspicuitate sapientiæ veluti cœlo apertissimo fruitur. Caueat ergo iste, ne in die tribulationis, rursus vita carnali, quæ per sensus corporis pascitur, delectatus, ad vasa huiusmodi tollenda descendat. *Quæstione vero 42.* quid est quod dictum est, & qui in agro fuerit similiter non redeat retro? Qui operatur in Ecclesia sicut Paulus & Appollo, plantat & rigat, non respiciat spem sæcularem, cui renuntiauit. *Tandem quæst. 43.* quid significauit vxor Loth? eos qui in tribulatione retro aspiciunt, & se à spe Diuinæ promissionis auertunt: & ideo statua salis facta est, vt admonendo homines ne hoc faciant, tanquam condiat cor eorum ne sint fatui. *Quanto magis instante ignorata hora furis, & maximæ tribulationis indicij; cuius cum meminerit Christus hic, rei Tertulliani fauet, Christum enim probat iudicem venturum, & filium Creatoris, cuius Testamento veteri frequenter vtatur vt suo, & simile sui diluuij igni, probet iudicium ipsum exercitum Creatoris.*

C

Aug.

S. Augustin.

S. Augustin.

D

9. *Christus Iudex vt fur veniet longè diuersus à fure Diabolo: & separabit reprobos ab electis igne & gladio: cuius hora, cum metu expectanda cum lucernis, à succinctis lumbis. 4. cont. Marc. cap. 29. à p. aa circa f.*

SVmus serui, dominum enim habemus Deum. [a] *Succingere debemus lumbos*, id est, expediti esse ab impedimentis lacinioſæ vitæ & implicitæ: Item, [b] *lucernas ardentes habere*, id est, lucentes à fide accensas, & operibus veritatis relucentes; atque ita *expectare Dominum*, id est Christum. Vnde redeuntem? si à nuptiis, Creatoris est, cuius nuptiæ. Si non Creatoris, nec ipse Marcion inuitatus ad nuptias isset, Deum suum intuens detestatorem nuptiarum. Defecit itaque parabola in persona Domini, si non esset, cui nuptiæ competunt. In sequenti quoque parabola satis errat, [c] *qui furem illum, cuius horam si paterfamilias sciret, non sineret suffodi domum suam;* in personam disponit Creatoris. Fur enim Creator, quomodo videri potest Dominus totius hominis? Nemo sua furatur aut suffodit, sed ille potius qui in aliena

[a] Luc. 12. 35.
[b] Ibid. 36.
[c] Ibid. 39.

descendit, & hominem à domino eius alienat. Porro, quum furem nobis diabolum demonstret, cuius horam etiam in primordio si homo sciisset, nunquam ab eo suffossus esset propterea iubet [d] *vt parati simus, quia qua non putamus hora, filius hominis aduenict;* non quasi ipse sit fur, sed iudex, scilicet eorum qui se non parauerint, nec cauerint furem. Ergo si ipse est filius hominis, iudicem teneo, & in iudice Creatorem defendo. Si vero Christum Creatoris in nomine filij homininis hoc loco ostendit, vt eum furem portendat, qui quando venturus sit, ignoremus, habes suprà scriptum, Neminem rei suæ furem esse: saluo & illo, quod in quantum timendum Creatorem ingerit, in tantum illi negotium agens, Creatoris est. Itaque interroganti Petro in illos, an & in omnes parabolam dixisset; ad ipsos & ad vniuersos qui Ecclesiis præfuturi essent, proponit actorum similitudinem, quorum qui bene tractauerit conseruos absentia domini, reuerso eo omnibus bonis præponetur: qui vero secus egerit, reuerso domino qua die non putauerit, hora qua non scierit; illo scilicet filio hominis Christo Creatoris, non fure, sed iudice; segregabitur, & pars eius cum infidelibus ponetur. Proinde igitur aut & hic iudicem Dominum opponit, & illi catechizat; aut si Deum optimum, iam & illum iudicem affirmat, licet nolit hæreticus. Temperare enim tentant hunc sensum, quum Deo eius vindicatur, quasi tranquillitatis sit & mansuetudinis, segregare solummodo & partem eius cum infidelibus ponere, ac si non sit vocatus, vt statui suo redditus. quasi non & hoc ipsum iudicato fiat. Stultitia! Quis erit exitus segregatorum? Nonne amissio salutis? Siquidem ab eis segregabuntur, qui salutem consequentur. Quis igitur infidelium status. Nonne damnatio? Aut si nihil patientur segregati & infideles, æque in diuerso nihil consequentur retenti & fideles. Si vero consequentur salutem retenti & fideles, hanc amittant necesse est ex diuerso segregati & infideles. Hoc erit iudicium, quod qui intendit, Creatoris est. Quem alium intelligam, cædentem seruos paucis aut multis plagis, & provt commisit illis, ita & exigentem ab eis, quàm retributorem Deum? Cui me decet obsequi, nisi remuneratori? Proclamat Christus tuus, [e] *Ignem veni mittere in terram;* ille optimus, nullius gehennæ dominus; qui paulo antè discipulos, ne ignem postularent inhumanissimo viculo, coercuerat. quando iste Sodomam & Gomorram nimbo igneo exussit? quando cantatum est, [f] *Ignis ante ipsum præcedet, & cremabit inimicos eius?* quando & per Osee comminatus est, [g] *Ignem emittam in ciuitates Iudæ?* vel per Esaiam, [h] *Ignis exarsit ex indignatione mea?* Non mentiatur. Si non est ille [i] *qui de rubo quoque ardenti vocem suam emisit*, viderit quem ignem intelligendum contendat. etiam si figura est, hoc ipso quod de meo elemento argumenta sensui suo sumit, meus est, qui de meis vtitur. Illius erit similitudo ignis, cuius & veritas. Ipse melius interpretabitur ignis istius qualitatem, adiiciens; [k] *putatis venisse me pacem mittere in terram? non, dico vobis, sed separationem.* Machæram quidem scriptum est. Sed Marcion emendat; quasi non & separatio opus sit machæræ. Igitur & ignem euersionis intendit, qui pacem negauit. Quale prœlium, tale & incendium. qualis machæra, talis & flamma. neutra congruens Domino. Denique, [l] *Diuidetur*, inquit, *pater in filium, & filius in patrem; & mater in filiam, & filia in matrem; & nurus in socrum, & socrus in nurum.* Hoc prœlium inter parentes, si in ipsis verbis tuba cecinit Prophetæ, vereor ne Michæas Christo Marcionis prædicarit. Et ideo [m] *hypocritas pronuntiabat, cæli quidem & terræ faciem probantes, tempus vero illud non dignoscentes.* Quo scilicet adimplens omnia quæ super ipsos fuerunt prædicata, nec aliter docens, debuerat agnosci. Ceterum, quis posset eius tempora nosse, cuius per quæ probaret non habebat?

d Ibid. 40.
Ibid. 41.
Ibid. 46.
Luc. 12. 47. 48.
e Luc. 12. 49.
Gen. 19. 24.
f Psal. 96. 3.
g Osee 8. 14.
h Esa. 30. 27. & 30.
i Exo. 3. 4.
k Luc. 12. 51.
l Luc. 12. 52. & 53.
m Mich. 7. 6. Luc. 12. 56.

CHRISTVS IVDEX. IX. SCHOL.

SI A NVPTIIS. *Belle hinc probat Christum esse Creatoris, cum Deus Marcionis, & proinde Christus eius, nuptias reprobet.* COMPETVNT, *id est ad Creatorem pertinent nuptiæ, quas primo instituit in paradiso.* SATIS ERRAT. *Errat hic ipse, & contra communem sensum Christi & Apostoli, & patrum, diem Domini comparantium furi, furem dæmonem intellexit.* DISPONIT, *applicat Creatori.* FVR ENIM, *&c. Cùm furtum sit contrectatio, vsurpatio, retentio rei alienæ inuito Domino; Deus autem Creator sit cui dicitur:* Dominus vniuersorum tu es. Domini est terra, &c. *Maximè autem homo totus Dei, cuius limum condidit & finxit, cuius & animam creauit, nec erga hominem, patremne familias, aut eius bona furem agere potest, cuius hæc omnia sunt. Deus magis Marcionis & Christus eius fur est, qui per cœlum Creatoris, in eiusdem terram ad eius homines auertendos à cultu Creatoris descendisse fingitur à Marcione.* FVREM A DIABOLVM. *Vtique fur, qui & rapinam arbitratus est in cœlo, esse se æqualem Deo; fur qui pro pomo ex Bern. oblato surripuit homini paradisum. Qui subdolè & tacito serpentis lapsu suffodit domum voluptatis. Fur qui tot animas Deo & gloriam idololatriâ, hæresi, schismate, peccato septuplici draco septiceps abripuit.* IVDICEM TENEO. *Certus sum, si Christus est filius hominis, ipsum esse iudicem, ac per hoc vindicis Creatoris esse sustineo & probo.* EVM FVREM, *&c. Præuniret tacitè vmurum ad iudicium, si Christum furem vis accipi.* SALVO, *&c. Hoc rursum mihi salutem est, & ad causam meam facit, quod vel inde filius probetur Creatoris, quod negotium agat eius, & in ipsius timorem inducat.* ACTORVM, *&c. Christus respondit Petro similiter tractandos Prælatos Ecclesiæ, si eorum facta similia essent seruis parabolæ Euangelicæ.* ABSENTIA. *Subaudi,* in, *id est absente Domino.* AVT DOMINVM. *reuersionem scilicet à nuptiis, vel Creato-*

rem intelligis & Creatoris filium, & obiicit nobis eum A *omne fieri vt momentanea pœna euitetur, & conclu-* S. Aug.
dit. Minatur ergo inimicus tam leue malum, & facis malum; minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? Ad malum faciendum nec minæ te compellere deberent, à bono faciendo nec minæ te terrere deberent. Minis enim Dei, minis æterni ignis, prohiberis à malo inuitaris ad bonum. Vnde piger nisi quia non credis? Excuat ergo vnusquisque cor suum, & videat quid ibi fides teneat. Si credimus futurum iudicium, fratres, bene viuamus. Tempus misericordiæ nunc est, tempus iudicij tunc erit. *Subiicit ex Psalte,* S. August.
Et in circuitu eius tempestas valida. Valida tempestas, ventilatura tam magnam aream. Hac tempestate erit illa ventilatio, qua separabitur à sanctis omne immundum, à fidelibus omnis simulatio, à quis & crementibus Verbum Dei omnis contemptor & superbus, modo enim mixtura quædam iacet à Solis ortu vsque ad occasum. *Tertul. hîc sumit locum à Psalmo 96. 3.* Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Ante Reges Persarum ignis in vase argenteo* S. Aug.
præibat. Alij in hunc locum: Non arbitror de illo igne dixit, in quem mittendi sunt Impij, illâ vltimâ iudicij sententiâ, quibus ad sinistram separatis, &c. dicturus est, ite in ignem æternum, &c. Quia de quodam igne dicit, qui præibit ante illum antequam veniat ad iudicium, &c. Possumus enim accipere in pœna malorum, possumus in salute redemptorum, &c. Idem ipse Dominus ait, ignem veni mittere in terram. Si ignem quomodo gladium. Nam & quodam loco ait: non se venisse pacem mittere in terram, sed gladium. Gladium ad separationem, ignem ad vstionem, sed vtrumque salubre, quia & gladius verbi ipsius salubriter nos separauit à consuetudine mala. Gladium enim attulit, & separauit vnumquemque fidelium, aut à Patre suo qui in Christum non crediderat, aut à matre similiter infideli, &c. Gladius interfecit, secernens non interficiens. Hoc modo & ignis. Ignem veni, &c. Exarserunt homines credentes in eum, acceperunt flammam Charitatis, &c. *Subiicit de aduentu Spiritus sancti in igneis linguis. Tertul. tamen manuit iudicio applicare.* NEVTRA CONGRVENS. *Lege secul. Deo Marcionis.* VERBOR. *Ironicè, ne Michæas Propheta Creatoris ipsamet verba protulerit ante Christum, vt Christus ea repeteret in Euangelio tanquam sua Mich. 7. 6.* Filius contumeliam facit Patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. *Consonant 70 Osee locum 8. 14.* mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius. *70. sic transtulerunt:* & deuorabit fundamenta eorum. *Esa. 30. 30.* auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis allidet in turbine & in lapide grandinis. 70. cum furore, & ira, & flamma deuorante fulminabit vehementer. *Locum apud Esa. simile n citato à Tertulliano non inueni, memini & alius vnum pro altero Prophetæ sumpsisse. Ieremiæ sic cap. 4. 4.* ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam cogitationum vestrarum. 70. à facie nequitiæ adinuentionum vestrarum. *Locus Luc. 12. 51.* putatis quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem, erunt enim ex hoc, *vr. posthac* quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres dividentur. Patet in filium, &c. MACHÆRAM *id. est gladium.* SCRIPTVM EST, *scilicet apud Matth. quem Marcion reiicit cap*

Augustin. *Iohan. 3.* Qui non credit iam iudicatus est. *August. tract. 13. in Io. 3.* nondum apparuit iudicium, & iam factum est iudicium: nouit enim Dominus qui sunt eius 1. Tim. 2. nouit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam, nouit in aream suam triticum, nouit & paleam; nouit & fegetem, nouit & zizania, iam iudicatus est qui non credit. *Si ergo qui nouit & bonos, & malos in familia sua seruos, & malos segregat à bonis, vt eos cum infidelibus ponat, eos cum damnatis reprobat.* TVVS, *quem tibi male & Deo tuo tantum bono arrogas, quamquam sic meus, & Creatoris vltoris. Qui licet vt bonus & benignus arguerit discipulos ignem è cælo accersere volentes.* VICVLO, *pago & parua ciuitati Samaritanorum inhospitalium Christo, tamen licet mireris, ipsum fuisse, imo perneges, qui Sodomam incenderit, qui in rubo ardenti paruerit, cui propheta ignem vltorem dederim, tamen se figuras istas aut veritates impleturum testatur. Qui dixit se venisse mittere ignem in terram, & gladium siue Macharam diuidentem.* NON MENTIATVR. *id. impleat in noua lege, & in secundo aduentu, quod veteri lege promisit.* INTERPRETABITVR. *id. ipse Christus qui dixerat se ignem venisse mittere in terram & gladium, exposuit de quo igne intelligeret, nempe de gladio flammeo separante electos à reprobis, & natrem electam à reproba filia iuxta Michæam. Licet sapius Augustinus de igne & gladio verbi & vocationis, separantis à carnalibus affectibus, quoties agitur de fide & salute.*

Aug. IGNIS ANTE IPSVM. *Psal. 49. August. in hunc* D *locum:* si non veniret ignis diei iuditij & sola peccatoribus immineret separatio à facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes à quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine ineffabili vultus eius, in qualibet æternitate, & impunitate peccati plangere se deberent. Sed quid loquar, aut quibus loquar. Hæc amantibus pœna est, non contemnentibus, qui dulcedinem sapientiæ & veritatis vtcunque sentire cœperunt, nouerunt quod dico, quanta pœna est tantummodo à facie Dei separari. Qui ante illam dulcedinem non gustauerunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem, supplicia terreant, quem præmia non inuitant. Vide tibi est quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentiæ, non putatis, non excitatis, non suspiratis, non desideras: amplexaris peccata tua & delicias carnis tuæ, stipulas adte congeris, veniet ignis. E Ignis in conspectu eius ardebit. *Subiicit hominem sub pœna vrende manus in proprio foco, nisi contra patrem, filios, &c. Scribat quod exigit inimicus, & malum*

Io. 34. nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominẽ aduersus Patrem suũ, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suã: & inimici hominis domestici eius. ELEMENTO MEO: *Veteri Testamento, quòd rude elementum erat, nouæ legis figurationum. Vnde Paulus legem timoris seruilis, elementa vocat:* sub elementis huius mundi eramus seruientes: *si vero Gentiles induit: elementa, erunt quatuor ista, vel sydera, principia effectiua sublunarium, quibus Gentiles in idololatria seruiebant.* HYPOCRITAS. *Luc. 12. 56.* Hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare, *experientiâ coniectando*, hoc autem tempus, *aduentum mei toties prophetatum*, quomodo non probatis? CÆTERVM, *&c. id est, si Creator non habuisset ina instrumenta vetera, quibus tempus aduentus filij suũ Prophetasset, iniustè argueret eos, quod illud tempus non agnouissent. Rursum, nisi Dominus esset cœli & terræ, & per quem facta sunt tempora malè quereretur de non agnito tempore.*

10. *Christus Iudex superbos humiliabit quos odio habet lib. 4. Cont. Marc. c. 33. à. m.*

a Luc. 16. 15. b Esa. 2. 12.

SI superbiam tangit, a *quod elatum est apud homines, perosum est Deo.* Esaïam ponit ante oculos: b *dies enim Domini Sabaoth in omnem contumelioſum & superbum, in omnem sublimem & elatum, & humiliabuntur.*

CHRISTVS IVDEX. X. SCHOLIA.

SI SVPERBIAM. *Pergit semper, vt probet Christum in noua lege veterem confirmare, & quod attinet ad superbiam, in vtraque lege abominabilem esse Deo superbum, quem, & in hoc mundo, & in iudicio quàm maximè humiliabit.* QVOD ELATVM. *Ita Luc 16. 15.* Ait illis; *Pharisæi*; Vos estis qui vos iustificatis coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, *&c. quod elatum est inter homines*, Abominatio est ante Deum. ESAIAM PONIT. *Idem dicit quod Esaïas. Inducit Esaiam. Esa. 2. 11. & 12. & seq.* Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum: Exaltabitur autem Dominus solus in die illa. Quia dies Domini exercituum super omnem superbiam. *Io. idem habent quod Tertullianus.* & Excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos. Et super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum, & super omnes naues Tharsis, & super omne quod visu pulchrum est. *Pagninus ex Hebr. super omnes picturas concupiscibiles.* Et incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa: & Idola penitus conterentur: Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram. *Exosa est Deo superbia, ab* S. August. *Augustino definita 14. de Ciuit. cap. 13.* Initium omnis peccati superbia est. Quid est autem superbia, nisi peruersæ celsitudinis appetitus? Peruersa enim celsitudo est, desero eo, cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit cùm sibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipse sibi. *Et lib. 3. de Doct. Christ. cap. 23.* Nulla S. August. inquit ferè pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet, quòd Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Et lib. 4. de Trinit. cap. 15.* S. Augest. Sunt quidam, qui se putant ad contemplandum Deum, & inhærendum Deo, propria virtute posse purgari, quos ipsa superbia maximè maculat. Nullum enim vitium est, cui magis diuina lege resistitur, & in quod magis accipiat dominandi ius ille superbissimus spiritus, ad ima mediator, ad summa intercluſor: nisi occultè insidians, alia via deiceret: aut per populum deficientem, quod interpretatur Amalech, apertè sæuiens, & ad terram repromissionis repugnando transitum negans; per crucem Domini, *In qua humiliatus est vsque ad mortem crucis*, Quæ, Moysi manibus extensis est præfigurata, superetur. Hinc enim purgationem sibi isti virtute propria pollicentur, quia nonnulli eorum potuerunt aciem mentis vltra omnem creaturam transmittere, & lucem incommutabilis veritatis, quantulacumque ex parte contingere? quod Christianos multos ex fide interim sola viuentes, nondum potuisse derident. Sed quid prodest superbiẽti, & ob hoc erubescenti lignum conscendere, de longinquo prospicere patriam transmarinam? Aut quid obest humili, de tanto interuallo non eam videre, in illo ligno, *Eiusque humilitate* ad eam venienti, quo dedignatur ille portari? *Cum in iudicio humilibus dicet*, Leuate capita vestra, ecce enim appropinquat redemptio vestra. *Superbis autem*, Conquassabit in terra multorum, & ponet superbos inimicos scabellum pedum suorum. *Aug. in Psal. 128.* Dominus iustus concidet Aug. ceruices peccatorum. Quis non contremiscat? Quis enim non peccauit? &c. Non puto fratres mei, quia omnium peccatorum; sed in membro quod percutit, ibi designat, quos peccatores percutiat. Non enim dixit Dominus iustus concidet manus peccatorum, aut Dominus iustus concidet pedes peccatorum: non dixit: sed quia peccatores superbos volebat intelligi; superbi autem omnes ceruicati sunt, qui non solùm faciunt mala, sed hæc agnoscere volunt, & quando obiurgantur. *Porro quia diabolicum scelus est, sicut diabolus vt fulgur de cælo cecidit, sic in iudicio superbi fulmine humiliati iudicis conterentur. Aug in Psal. 18. sonçions. 1.* Aug. Non est certior origo peccati præter occultum suum, quo cecidit diabolus, & alienum, quo seductus est homo, vt consentiendo suum faceret. Si mei non fuerint dominata, occulta mea & aliena peccata, tunc immaculatus ero, & mundabor à delicto magno. Quo alio, nisi superbiæ? Non enim est maius delictum quàm apostatare à Deo, quod est initium superbiæ hominis, Eccli. 10. 14. 15. Et verè ille immaculatus est qui etiam hoc delicto caret: quia hoc est vltimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit. Et erunt vt complaceant, &c. Meditatio cordis mei, non ad iactantiam placendi hominibus, quia iam nulla superbia est, sed in conspectu tuo semper qui conscientiam puram respicis. Domine adiutor, meus, &c. Ne quisquam vel sapientiæ suæ tri-

bueris quod ad te conuertitur, vel viribus quod ad te peruenit, magis repellatur abs te qui super- A bis resistis, &c. Qui rediimis vt conuertamur, & adiuuas vt peruemamus ad te.

CHRISTIANA RELIGIO.

1. *Christianam Religionem omnis anima naturaliter nouit. V. Verbum Atheismus est summa delicti.*

2. *Christiana Religionis & fidei Christi, testis Pilatus scribens Tyberio. Apol. cap. 21. circa f.*

EA omnia super Christo Pilatus, & ipse iam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiauit. sed & Cæsares credidissent super Christo, si aut Cæsares non essent sæculo necessarij, aut si & Christiani potuissent esse Cæsares.

CHRISTIANA RELIGIO. II. SCHOLIA.

SVPER CHRISTO. *id. qua supra de Christo, & ordine vitæ & morum eius tractauit.* PRO SVA CONSCIENTIA. *id. conuictus Christum esse innocentem, vnde & dixit, nullam se in eo inuenire causam.* CHRISTIANVS. *Non quod Christo, crediderit, idololatriam abiurauerit factus fidelis: sed quia Christo, quantum potuit, fauit, nisus etiam liberare eum. Vel, Christianus in animo, id est Christi discipulos, primos Christianæ Religionis sectatores, magistri innocentis, & miraculosi, & veræ religionis amatores credidit; quos & ipse forte secutus esset, nisi seculi filius fuisset, & suis commodis addictus. Aug. to. 4. lib. quæst. ex nouo Test. q. 11.* Herodes rex fuit Iudææ: hic habuit filios quatuor, Archelaüm, Herodem, Philippum & Lysaniam: sed mortuo Herode patre eorum successit Archelaus, quo mortuo in quatuor partes diuisum est Regnum supra dicti Herodis; haut dictus Pilatus B in quartam regni partem admitteretur, quasi præses, non quasi rex. *Inde Iudæis cessit Christum, & quia pro Tyberio Cæsare procurabat Iudæam, dictum est ei,* si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. *Christianum in aliquo innuit August. ser 91. de temp.* Et Pilatus nonnulla vtique aura veritatis afflatus est, quando in eius passione titulum scripsit Rex Iudæorum, quem Iudæi conati sunt mendosi emendare: quibus ille respondit, quod scripsi, scripsi. Quia prædictum erat in psalmo *titulo Psalmi 56.* tituli inscriptionem ne corrumpas, &c. iam præsignabatur, quod ipse postea Dominus dixit Matth. 8. multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c. Nam Magi ab oriente, Pilatus ab Occidente venerat. Vnde illi Orienti, hoc est nascenti, ille autem occidenti, hoc est morienti attestabantur Regi Iudæorum, vt cum Abraham, & Isaac, & Iacob, ex quibus Iudæi ducebant originem, recumberent in regno cœlorum *id est, fide Christiana.* non ex eis propagati per carnem, sed eis inserti per fidem, vt ille de quo Apostolus loquitur Rom. 11. oliuæ inserendus iam præmonstraretur Oleaster. *Et tom. 3. lib. de fide & Symbolo cap. 5.* credimus itaque in eum qui sub Pontio Pilato Crucifixus est, & sepultus; Addendum enim erat iudicis nomen, propter temporum cognitionem. NVNTIAVIT. *Vide Epistolam Pilati ad Tyberium apud Euseb. lib. 12. Hist. c. 2.* NECESSARII *id. amici, necessitudine coniuncti mundo & diabolo,* qui est constitutus rex super omnes filios superbiæ. *cui imperatores ad tuendam idololatriam erant necessarij.* POTVISSENT. *ita supra de Iudæis ex Io. 12.* non poterant credere. *Sic isti, quia nolebant se humiliare, & vitijs fidei Christianæ aduersis & pompis sæculi renuntiare. Potuit autem Constantinus, & alij principes ex Dei gratia humiliari.*

Aug. Aug. S. Aug.

3. *Christianæ Religioni Tiberius fauit, quam nullus piorum Imperatorum est persecutus. Apol. cap. 5. a. p. ad f. & 6. in f.*

TIberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in seculum intrauit, annuntiata sibi ex Syria Palæstina quæ illic veritatem istius diuinitatis reuelarant detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus, quia non ipse probauerat, respuit: Cæsar in sententia mansit comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Consulite commentarios vestros. illic reperietis primum Neronem in hanc sectam cummaxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferociisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum. Tentauerat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate; sed qua & homo, facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegauerat. Tales semper nobis insectores, iniusti, impij, turpes, quos & ipsi damnare consuestis, à quibus damnatos restituere soliti estis. Ceterum de tot exinde principibus ad hodiernum, diuinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos è contrario edimus protectorem; si literæ Marci Aurelij grauissimi Imperatoris requirantur, quibus illam germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Sicut non palam ab eiusmodi hominibus pœnam dimouit, ita alio modo palam dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem terriore. Quales ergo leges istæ, quas aduersus nos soli exequuntur impij, iniusti, turpes, truces, vani, dementes? quas Traianus ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quamquam curiositatum omnium explorator; nullus Vespasianus, quamquam Iudæorum debellator; nullus Pius; nullus Ve-

Luc. 3. 11

CAP. VI. rus impressit. Facilius vtique pessimi ab optimis quibusque, vt ab æmulis, quàm à suis sociis eradicandi iudicarentur. Nunc religiosissimi legum & paternorum institutorum protectores, & cultores respondeant velim, de sua fide & honore & obsequio erga maiorum consulta, si à nullo defecerunt? si in nullo exorbitauerunt? si non necessaria, & aptissima quæque disciplinæ, obliteraverunt?

CHRISTIANÆ RELIGIONI. III. SCHOLIA.

ANNVNTIATA *Supra memoratâ Epistolâ Pilati ad Tyberium.* SVFFRAGII SVI. *Dixit enim placere sibi vt Christus Deus haberetur. Vnde eodem capite paulo supra*: Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probatus, &c. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. QVM MAXIME. *Præcipuè quum maximè.* FEROCISSE *Ferociter desæuiss.* DEDICATORE. *Quasi Pontifice primo sanguinis Christiani effusore.* DAMNATIONIS. *Persequutionis.* DE CRVDELITATE; *Quoad crudelitatem, sed humanior, reuocauit exulatos.* DIVINVM. *Ius scilicet, vel aliquid diuinum.* MARCI AVRELII. *Non sic Eusebius lib. 5. Hist. cap. 1. Grauissimam enim persequutionem narrat sub eo fuisse, de qua Baro. in Martyrol. 1. Ian.* GERMANICAM SITIM. *Vide Nicephorum lib. 4. cap. 12. Eusebium lib. 5. cap. 5. Orosium lib. 7. c. 15. Iustinum Apol. 2. pro Christianis vbi sic*: In quintum iam diem aquam, quod ea defecisset, non ceperamus; Nam in mediullio Germaniæ, & in finibus hostium eramus. Simulatque vero illi *Christiani milites ait ipse Apronius* In terram sunt prouoluti, & Deum precatione inuocauerunt, quem ego ignorabam confestim aquis decælo est consequuta, ad nos quidem illa frigidissima; in Romanorum vero imminentes hostes grando ignea. TERRIERE. *Seniore, de qua Euseb. lib. 5. c. 10. De quodam Christianos accusante, qui præter pœnam capitalem in huiusmodi delatorei latam, cruribus insuper confractis periit.* TRAIANVS. *Ita & Hiero. quem cum Tertulliano aliqui Neoterici corrigunt cum Dione & Eusebio; qui malunt Traianum Neruam ponere, qui* FRVSTRATVS. *Id. abrogauit edicta in Christianos lata, nec voluit quamquam solo Christiani nomine in ius vocari.* NVLLVS ADRIANVS. *Non quod plures velit intelligi: sed quasi dicat, nunquam Adrianus.* NVLLVS VERVS. *Marcus scilicet, non Lucius* IMPRESSIT *supple nota infamiæ, vel ferro candenti, vt seruos iuxta leges latas à Tyrannis in Christianos. Simplicius, ipsas leges quis intelligat, vel earum pœnas irrogauit. Seuerum alij legunt, pro Vero, forte vt eum opponant Pio, scilicet Antonino. Sed licet Seuerus ex Niceph. lib. 5. c. 26. initio fuerit mitissimus, tamen sub Tertulliano maximè desæuiit in fideles edicto eius persecutio, vt Norat Baro. to. 2. Annal.* CVRIOSITATVM. *An Magiæ & Mathematicæ curiosus Adrianus? Hæc colligit ex Dione & Mario Maximo, & Baro. to. 2. Annal. an quia literarum omnium, picturæ, musicæ studiosissimus? Ita Paulus Diaconus & Spartianus. Malim ego rerum omnium nouarum; sub quo nouæ adhuc religio Christiana, quæ vt Magiam, & artem iudiciariam condemnat, exosa esse debebat harum artium studiosissimo Hadriano. Sicut & Nero partim in Petrum sæuit, quod Simonem Magum amicissimum suum ab aere deiecisset cum & ipse studiosissimus esset Magiæ. Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 19. vbi de dominationis cupiditate luxuria & crudelitate.* Huius vitij summitatem & quasi arcem quandam Nero Cæsar primus obtinuit: cuius fuit tanta luxuries, vt nihil ab eo putaretur virile metuendum: Tanta crudelitas, vt nihil molle habere crederetur, si nesciretur. *Vnde Tertull. supra*: Qui scit illum. *Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 19.* Hoc quod dixit *Paulus 2. Thess. 2.* Iam mysterium iniquitatis operatur, Neronem voluit intelligi, cuius iam facta velut Antichristi videbantur. Vnde nonnulli ipsum resurrecturum, & futurum Antichristum suspicantur. Alij vero nec eum occisum putant, sed subtractum potius, vt putaretur occisus: & viuum occultari in vigore ipsius ætatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus; donec suo tempore reueletur, & restituatur in regnum; sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio. *Suetonius & Tacitus non occisum, sed subductum referunt opinione Gentilium. Hiero. in caput 11. Dan. narrat multos scriptores Eccl. sensisse Neronem fore Antichristum Theod. & Chrysost. eum vocant iniquitatis mysterium. Baro. to. 1. Anno 70. probat Paulum non de Nerone tunc potuisse loqui, cum hanc Epistolam sub Claudio scriberet.*

Augus.

Aug.

4. *Christianæ Religionis testes ipsi Dij gentium: quæ per Christum prudentius in Deum credidit quàm Iudæi per Moysen, & quam Gentiles in Deos suos, per homines sibi similes. Apol. cap. 21. circa f.*

MOnstrabimus vobis idoneos testes Christi, ipsos illos, quos adoratis. multum est, si eos adhibeam, vt credatis Christianis, propter quos non creditis Christianis. interim hic est ordo nostræ institutionis. hinc edidimus & sectæ & nominis sensum cum suo auctore. nemo iam infamiam inchoet, nemo aliud existimet, quia nec fas est vlli de sua religione mentiri. eo enim, quod aliud à se coli dicit, quam colit, negat quod colit, & cultum in alterum transfert, & transferendo iam non colit quod negauit. Dicimus & palam dicimus, & vobis torquentibus. lacerati & cruenti vociferamur, Deum colimus per Christum. illum hominem putate. per eum, & in eo se cognosci vult Deus, & coli. Vt Iudæis respondeamus, & ipsi Deum per hominem Moysem colere didicerunt. vt Græcis occurram, Orpheus Pieriæ, Musæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ, initiationibus homines obligauerunt: vt ad vos quoque dominatores gentium aspiciam, homo fuit Pompilius Numa, qui Romanos operosissimis superstitionibus onerauit. licuerit & Christo commentari diuinitatem, rem propriam; non qui rupices & adhuc feros homines multitudine tot numinum demerendorum attonitos efficiendo ad humanitatem temperaret, quod Numa: sed qui iam expolitos, & ipsa vrbanitate deceptos in agnitionem veritatis oculares.

CHRISTIANÆ RELIGIONIS. IV. SCHOL.

QVOS ADORATIS, *Damones scilicet.* PROPTER QVOS, *id est ob querum & colendum fallaciam.* CENSVM *ordinem & originem.* SECTÆ *Fidei, religionis, disciplina.* AVTHORE. *Christo.* INFAMIAM *Intenit, dicat infamem religionem colentium Deum Crucifixum.* Cum iniquis deputatum, *Famoso Barraba postposuim.* ALIVD *quam quod interrogati, vel vexati, de nostra Religione respondemus,* Augus. *quia nulli mentiri licet in hac causa. Aug. lib. de Menda io ad Consent. c.*10. Insanus esset, si alienæ libidinis euitandæ causa, ne id in eo fieret, quod nulla sua libidine pateretur, Christi Euangelium falsis Christi laudibus infalsaret, magis euitans alienam corruptionem in corpore, quam in doctrina sanctificationis animarum atque corporum corruptionem suam. Quamobrem à doctrina Religionis, atque ab eis omnino enuntiationibus, quæ propter doctrinam Religionis enunciantur, cum illa docetur & discitur omnia penitus mendacia remouenda sunt. Nec vlla omnino causa inueniri posse credatur, cur in rebus talibus mentiendum sit. Quando nec ideo in ea doctrina mentiendum est, vt ad eam ipsam quisque facilius perducatur. Fracta enim, vel leuiter diminuta authoritate veritatis, omnia dubia remanebunt. Quæ nisi vera credantur teneri certa non possunt. Licet igitur vel dissertori ac disputatori atque prædicatori rerum æternarum, vel narratori, vel pronuntiatori rerum temporalium, ad ædificandam Religionem, atque pietatem pertinentium, occultare in tempore, quidquid occultandum videtur, mentiri autem nunquam licet; ergo nec occultare mentiendo. PER CHRISTVM. *Dedit & instruit.* HOMINEM PVIATE, *Solum, & non etiam Deum.* IN IO SE, *&c. Id. in eius doctrina vera, & secundum eius præscripta. Quidni? Cum & Judæi per Mosem, & Gentiles per Orpheum &c. Deos coluerint. Pieria sub Heliconis monte regio est. Musæus filius fuit Orphei. Melampus iuxta Eusebium ab Ægypto in Melampodem Græcia lucem Cereris induxit. Trophony oraculum in Bœotia recenset Tertull. lib. de Anima.* INITIATIONIBVS. *Id. sacris & sacrificiis.* DOMINATORES. *Rerum Dominos Romanos affatur. Numa. Aug. lib. 2. de Ciuit. c.* 16. *Numa Pompilius, qui Romulo successit regnum quæsdam leges, quæ quidem ciuitati regendæ nequaquam sufficerent, condidisse fertur. Quæ eis etiam multa sacra constituit:* Non tamen perhibetur easdem leges à numinibus accepisse. *Et alibi:* Cœlum multitudine numinum ita constipauit, vt locum sibi inuenire non potuerit. *Hæsuna* Operosissimæ superstitiones *Circa tot numina de quibus hæc Tertul.* COMMENTARI. *Non hic puto posse intelligi, fingere & mentiri, cum paulò supra dixerit fas non esse vlli de sua Religione mentiri. Nisi ex abundanti iustitia tanta securus de propria, diuinitate Christus, posset,* Comparatus tot Prophanis hominibus mendacibus, & deorum cultum suadentibus incultis, & agrestibus hominibus, *Vt homo diuinitatem etiam adinuentam suaderet.* RVPIBVS. *Id. in rupibus ferarum instar habitantes.* OCCVLARET. *Erudiret iam mansuefactus, facilius ad vnum Deum promerendum quàm tot numina adorantes cum stupore, &c.*

S. Augu.

5. Christiana Religionis veritas, & gentilis falsitas, ipso ore dæmonum, deorum gentium, per energumenos declarata. Apol. cap. 23. à p. ad f. & a 4. in p.

EDatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. iussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi deum de falso. æquè producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando conantur, qui anhelando profantur ista: ipsa virgo Cœlestis pluuiarum pollicitatrix, iste ipse Æsculapiûs medicinarum demonstrator, alia die morituris Socordio, & Thanatio, & Asclepiodoto vitæ sumministrator, nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est. virtus illi sua assistit: nihil suspicari licebit. magia, aut aliqua eiusmodi fallacia fieri dicetis, si oculi vestri & aures permiserint vobis. Quid autem iniici potest aduersus id, quod offenditur nuda sinceritate? Si altera parte verè Dei sint, cur sese dæmonia mentiuntur? an vt nobis obsequantur? iam ergo subiecta Christianis diuinitas vestra. nec diuinitas deputanda est, quæ subdita est homini, &, si quid ad dedecus facit, æmulis suis. Si altera parte dæmones sunt, vel angeli, cur se alibi pro diis agere respondent? nam sicut illi qui dij habentur, dæmones se dicere noluissent, si vere dij essent, scilicet ne se de majestate deponerent: ita & isti, quos directo dæmonas nostis, non auderent alibi pro diis agere, si aliqui omnino dij essent quorum nominibus vtuntur. Vererentur enim abuti majestate superiorum sine dubio, & timendorum. Adeo nulla est diuinitas ista, quam tenetis: quia si esset, neque à dæmoniis affectaretur, neque à diis negaretur. Cum ergo vtraque pars concurrit in confessionem deos esse negans, agnoscite vnum genus esse, id est, dæmonas. Verum vtrobique iam Deos quærite. Quos enim præsumpseratis, dæmonas esse cognoscitis. Eadem vero opera nostra ab eisdem diis vestris non tantum hoc detegentibus, quod neque ipsi dij sint, neque vlli alij, etiam illud in continenti cognoscitis, qui sit verè Deus, & an ille, & an vnicus, quem Christiani profitemur, & an ita credendus colendusque, vt fides, vt disciplina disposita est Christianorum. Dicant ibidem, Ecquis ille Christus cum sua fabula? Si homo communis conditionis? si magus? si post mortem de sepulcro

à discipulis surreptus? si nunc denique penes inferos? si non in cœlis potius, & inde venturus cum totius mundi motu, cum horrore orbis, cum planctu omnium, sed non Christianorum, vt Dei virtus, & Dei spiritus, & Sermo, & sapientia, & ratio, & Dei filius? quodcunque ridetis, rideant & illi vobiscum negent Christum omnem ab quo animam restituto corpore iudicaturum. dicant hoc, pro tribunali si fortè, Minoën & Radamanthum secundùm consensum Platonis & poëtarum esse sortitos, suæ saltem ignominiæ & damnationis notam refutent: renuant se immundos spiritus esse, quod vel ex pabulis eorum, sanguine, & fumo, & putidis rogis pecorum, & impuratissimis linguis ipsorum vatum intelligi debuit. Renuant ob malitiam prædamnatos se in eundem iudicij diem, cum omnibus cultoribus & operatoribus suis. Atqui omnis hęc nostra in illos dominatio & potestas, de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum quę sibi à Deo per arbitrum Christum imminentia expectant. Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subiiciuntur seruis Dei & Christi. Ita de contactu, deque afflatu nostro, contemplatione & repręsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis pręsentibus erubescentes. Credite illis cum verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem magis fides proxima est aduersus semetipsos confitentes, quam pro semetipsis negantes. Hęc denique testimonia Deorum vestrorum Christianos facerè consueuerunt, quia plerumq; illis credendo, in Christo Domino credimus. Ipsi literarum nostrarum fidem accedunt. Ipsi spei nostrę fidentiam ędificant. Colitis illos, quod sciam, etiam de sanguine Christianorum. Nollent itaque vos, tam fructuosos, tam officiosos sibi amittere, vel ne à vobis quandoque an Christianis fugentur, si illis sub Christiano, volente vobis veritatē probare, mentiri liceret.

CAP. XXIV. Omnis ista confessio illorum, qua se Deos negant esse, quaque non alium Deum respondent præter vnum cui nos mancipamur, satis idonea est ad depellendum crimen læsæ maximè Romanæ religionis. Si enim non sunt Dei pro certo, nec religio pro certo est. Si religio non est, quia nec Dei pro certo, nec nos pro certo rei sumus læsæ religionis. At è contrario in vos exprobratio resultauit, qui mendacium colentes, veram religionem veri Dei non modo negligendo, quin insuper expugnando, in verum committitis crimen veræ irreligiositatis.

CHRISTIANÆ RELIGIONIS V. SCHOLIA.

SVB TRIBVNALIBVS. *Coram vestris iudicibus.* DÆMONE AGI. *Arreptitium diceret* S. Augustin. *Augustinus lib. 2. de Ciuit. c. 4.* Veniebamus nos etiam aliquando adolescentes ad spectacula, ludibriaque sacrilegiorum: spectabamus arreptitios, &c. *Alibi super Genesim dixit:* Arreptos spiritu. DE VERO. *Id. quantum exortismi vi cogitur verum dicere, de vero Deo coactus & de vera Religione compulsus.* ALIBI. *In templis Gentilium.* DE FALSO. *Id. ex proprio vinde mendacium loquitur. Vel de falso cultu idololatria.* DE DEO PATI. *Pithonem habens.* PHANATICOS. *Alij dicunt, vel ariolos.* CONANTVR, *Id. nullo violento & conatu exteriori numen conceptum exeutiunt.* VIRGO CELESTIS, *Iunonem intelligit, qua aqua virginea virginescere credebatur. Afream quis putet. Carthago Iunonem virginem coluit, quem cœlestem dixit Capitolinus in Macrino* Vates cœlestis apud Carthaginem, quæ Deo repleta, solebat vera canere. *Aug. 2. de Ciuit.* S. Aug. *c. 4.* Cœlesti virgini, & Berecynthiæ matri deorum omnium, &c. *Vraniam Turnebus vocat.* SOCORDIO. *Pamelius* Scordion, medicamen Plinio lib. 25. c. 6. Socordio iuuantur sontico morbo, & veluti corde vitaque deficientes. THANATIO. *Alij legunt, denato, quod iam denascentibus, id est à nativo calore deficientibus, & iam moribundis datur.* ASCLEPIODOTO. *Singulare Æsculapy pharmacū, quod non communiter omnibus, sed electis tantum suis præbet.* IBIDEM. *Coram ipso tribunali vestro.* INTER. *Obtici.* PRO DIIS *Id. tanquam Deos se vetitum adorari.* DIRECTO, *Absolute, & sine controuersia.* VTRAQVE PARS, *Vtrinque, tam fideles, quàm Gentiles.* VNVM GENVS. *Id est, non alios esse Deos, alios dæmones, sed omnes pariter dæmones.* IN CONTINENTI, *Statim vel ex consequenti.* SVRREPTVS. *Vi pacti fuerant Iudei cum testibus dormientibus.* SVA FABVLA. *Id est dicant abreptitij & dæmones in energumenis, an fabula sit tota Christi œconomia.* DEI SPIRITVS *Quia ex ore eius processit, Deus de Deo.* SERMO. *Verbum bonum eructatum.* RATIO. *De hoc iam alibi. In eo & per eum ratione cuncta disposuit.* MINOEM *Æneid. 6.* Quæsitor vrnam mouet, &c. *Si fortè Minos & Radamanthus sint infers iudices, sicut Plato & Poëtæ fingunt: Vt Christum iudicem rideant.* IMPVRATISSIMIS *Impudicissimis.* SVBIICIVNTVR SERVIS DEI. *Aug. lib. 7. de Ciuit. cap. 35. Vbi post multa de Numa & libris eius, in quibus* Tota, inquit, illa Theologia ciuilis etiam apud tales homines execrabilis appareret. *Tertul. cap. 21. supra vrbanitate acceptos dixit.* Aug. Quàm verò perniciosè vel à cultu veræ diuinitatis alienæ illæ literæ iudicatæ sint, hinc intelligi potest, quod eas maluit Senatus incendere, quas Pompilius occultauit, &c. Qui ergo nec fœlicem in futuro vitam, nec modo habere vult piam talibus sacris mortem quærat æternā. Q. autem cum maligni dæmonibus non vult habere societatem, non superstitionem, quâ coluntur, noxiam permiscat; sed veram Religionem quâ produntur & vincuntur, agnoscat. DOMINATIO. *Notat imperium Christianorum in dæmones Dominos Romanorum Dominorum orbis. Quantum est esse seruum Christi, vt cum ex Iob* Non sit potestas quæ comparetur dæmoni super terram, qui factus est vt nullum timeret *Gentilem; quemque omnis etiam Imperator Gentilis timeret; huius vel solo halitu exsufflet Aquilonem, qui & cedros Libani radicitus extirpet. Hinc supra:* Iullus à quoliber

libet Christiano loqui Spiritus *mendacij*, Verum etiam contra se confitetur. *Et rursum infra*: Subiiciuntur seruis Dei & Christi de contactu, deque afflatu nostro, &c. De corporibus, nostro imperio excedunt. *Et de Anima cap. 57.* Nec inuitatoria operatione, *Vt Magi*, Sed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanæ. DE NOMINATIONE. *Frequens vsus est huius præpositionis.* De contactu, de afflatu, de vero, de falso, &c. *Vim Christi nominis expauescit damon. Arnob. lib. 1.* Cuius nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, arupices inconsultos reddit. PROXIMA EST. *Alij* Plena vel prona. *Id est facilius creditur damoni contra se quam pro se loquenti; dumque confitentur Christum & Deum aduersus semetipsos, credibiliores sunt damones, quàm cùm Christum Deum negant sua causæ fauentes. Dum enim nullo cogente Christiano, sed inuitante sacrificiis mago, vel infideli, respondet negando Christum Deum, mendacium ex propriis loquitur; & sic ei credendum non est pro se testimonium danti. Aug. tract. 42. in Io. 8.* Audi intellige, non te longè mitto in ipsis verbis intellige. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & Pater eius, &c. Non omnis enim qui mentitur, pater mendacij sui est: Si enim ab alio mendacium accepisti, & dixisti, tu quidem mentitus es proferendo mendacium, sed pater mendacij ipsius non es, quia ab altero accepisti mendacium: Diabolus autem à seipso mendax fuit, mendacium suum ipse genuit, quod à nemine audiuit. Quomodo Deus Pater genuit filiũ veritatem. Sic diabolus lapsus genuit quasi filium, &c. Si quod dicis à diabolo accepisti, & diabolo credidisti mendax es pater mẽdacij non es. Ille vero, quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tanquam veneno serpens hominem occideret, Pater est mendacij, sicut Deus pater est veritatis. Recedite à patre mendacij, currite ad patrem veritatis, amplectimini veritatem vt accipiatis libertatem. LITTERARVM. *Id est scripturarum veritatem illustrant.* FIDENTIAM *Qua audemus æternam gloriam sperare, & implere ruinas apostatarum Angelorum.* DE SANGVINE, *&c. Sacrificando eis homines Christianos.* NOLENT, *&c. Nisi potestas diuina inuitos cogeret verum dicere, non hæc loquerentur, quibus vos cultores suos ab idololatria, ad cultum veri Dei prouocarent.* SVB CHRISTIANO, *Scilicet imperante subiecti.* SILICET, *Id. Cum non liceat per Deum verum adiuratis mentiri.* IN VERVM COMMITTITIS. *Pro verum committitis, vel in verum incidistis, alij sic legunt* Expugnando Deum verum, committitis crimen veræ irreligiositatis. *Et hac voce vsus est Sanctus Maximus Taurin. homil. de defectu Lunæ:* Tanta vociferatio populi extitit, vt irreligiositas eius pulsaret ad cœlum. Quod cum requirerem quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi, quod laboranti Lunæ vestra vociferatio subueniret, & defectum eius suis clamoribus adiuuaret.

6. *Christiana Religio non Asinum colit, vt Gentilis bestias, sed Deum verum. Apol. cap. 15. in fin. & 16. in pr.*

QVid ergo colunt, qui talia non colunt? Iam quidem intelligi subjacet veritatis esse cultores, qui mendacij non sint: nec errare amplius in eo, in quo errasse se recognoscendo cessauerint. Hoc prius capite, & omnem hinc Sacramenti nostri ordinem haurite; repercussis ante tamen opinionibus falsis. Nam & quidam somniastis caput asininum esse Deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem eiusmodi inseruit. Is enim in quinta historiarum suarum bellum Iudaicum exorsus ab origine gentis etiam de ipsa tam origine quam de nomine & religione gentis, quæ voluit, argumentatus, Iudæos refert Ægypto expeditos, siue, vt putauit, extorres, vastis Arabiæ in locis aquarum egentissimis, cum siti macerarentur, onagris, qui forte de pastu potum petituri æstimabantur, indicibus fontis vsos, ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem consecrasse. Atque ita inde præsumptum opinor, nos quoque, vt Iudaïcæ religionis propinquos, eidem simulacro initiari. Atenim idem Cornelius Tacitus, sanè ille mendaciorum loquacissimus, in eadem historia refert, Cn. Pompeium, cum Hierusalem cepisset, propterea-que templum adisset speculandis Iudaicæ religionis arcanis, nullum illic reperisse simulacrum. Et vtique si id colebatur, quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur, eo magis, quia nec verebatur extraneos arbitros quanquàm vana cultura solis enim sacerdotibus adire licitum: Etiam conspectus cæterorum velo oppanso interdicebatur. Vos tamen non negabitis & iumenta omnia & totos cantherios cum sua Epona coli à vobis. Hoc forsitan improbamur, quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque Asinarij tantùm sumus. *Et lib. 1. ad Nationes cap. 11.* CAP. XVI.

CHRISTIANA RELIGIO. VI. SCHOLIA.

TALIA *qualia vos idola scilicet & demonia.* SVB DIACET. *Facilè est intelligere. Vel infertur clarè, Dei veri esse cultores, qui falsos Deos non colunt.* IN EO *cultu.* CAPITE, *intelligite.* SACRAMENTI *mysterij fidei in baptismo susceptæ.* CAPVT ASININVM. *somnium gentilium & inuenta calumnia, quam imponebant Christianis quasi, vt Iudæi caput vituli aurei cultores, sic Christiani, Asini fuerint.* IN QVINTA. *In quinto libro historiæ.* EXPEDITOS, *vinculis seruitutis.* EXTORRES. *Exules. Propria terra abactos, vel interdictos igni & aqua. Vnde & torris lignum vnà ex parte ardens. Sine igne & aquâ, cuius penuria laborabant.* ONAGRIS. *Asinis feris, qui teste Iob, clamorem exactoris non exaudiunt: sitis scilicet apprimum frigidi & humidi exigentis, cui, non acquiescit, nec quantacumque siti pressum animal, aquas turbidas præterit, donec limpidam inueniat. Hinc Psaltes Psal. 103.* inter medium montium pertransibunt aquæ, potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in sitim suam. DE HASIV. *Post pabulum,*

Sic onagri indicauerunt fontem Iudæis sitibundis. Vnde in memoriam inuenta aquæ, SVPERFICIEM, *id est caput in idolum dedicarunt. Si sequor allegoriam Augustini in Psal.* 103. onagri gentiles; nullum enim habebant iugum legis gentes, viuebant moribus suis, superba iactantia vagantes quasi in deserto: *profectò Magi, fontem Iudæo, iustitiæ Christum indicarunt.* PROPINQVOS. *Quia primi fideles Iudæi, quos ad quas missus est Christus, cum quibus eundem Deum colimus.* INITIARI, *cultui consecrari.* AT ENIM, *&c. Sed sibi ipsi mendacissimus contradicit. Nota acutè, loquacissimum per antiphrasim, dictum Tacitum; qui rursum Iudæos absque simulacris probat, quod nullum viderit in templo Pompeius curiosus templi explorator, nec in ipsa tabernaculo.* OPPANSO *velo ideſt, expanso & tegente secreta? solis sacerdotibus pervia.* EO MAGIS, *&c. id est, si quod idolum, aut Asini caput colendum habuissent, illud in tabernaculo posuissent. Licet vana & stulta fuisset religio: quamuis enim nil periculi fuisset à vano, ideſt idolo, cui in vanum & frustra Dei nomen imponeretur, & populus legem idola prohibentem zelatus, scandalum à re occulta & incognita sumere non potuisset,* quod Tertul. per extraneos arbitros intellexit, exclusos scilicet à tabernaculo, *tamen vanus fuisset cultus, id est Asinus hic non fuisset cultus nisi à Sacerdotibus.* TOTOS, *id est non solum caput vt nobis imponitis.* CANTHERIOS, *id. equos castratos.* EPONA. *Alij* HIPPONA, *dea Mulionum.* ASINARII TANTVM *acutè. Vos gentiles quia animalia omnia numina consecrastis, nobis in crimen fortè obijcitis, quod nec vnum quidem integrum animal sed tantùm caput Asini adoremus. Imò verò & Agnum, & Leonem Christum, & columbam Spiritum sanctum. Non quod ipsa animalia aues que Christum aut Spiritum sanctum representantes adoremus, sed personas per ea figuratas. Agnum Christum vidit sanctus Clemens exoriri apud Chersonesum, in montis apice pede limpidum fontem educentem, qui & nobis venia & gratia venam secandis operandisque marmoribus, id est cordibus duris poliendis & Ecclesiæ fabricæ & ruinis Angelorum implendis aptauit. Hic cultu dignus maximè capite consecrandus, quia iuxta Paulum:* caput viri Christus, caput Christi Deus: *hic fontem apperuit,* aquæ vitæ salientem in vitam æternam. HOC *id. propter hoc reprobamur à Gentilibus.*

S Augustin.

Et libro primo ad Nationes. cap. 11. IN HOC NOMINE. *In Elogio, & crimine, quo in totum superstitioni deorum vestrorum renuntianimus.* SVPERDVCTÆ. *Quòd præter contemptum deorum vestrorum, quibus maxima pars orbis seruit, nouum inuenimus dei monstrum, Asinino capite, quem colimus.* SOMNIASTIS, *commenti estis, Authore cornelio Tacito.* DE PASTV, *post pascua* INITIARI, *cultui consecrari.* TEMPORALEM. *Esto, concedam ad præsens, nos esse vobiscum superstitiosos.* TANTVM ASINARII. *Solum Deum Asininũ colimus, imò & ei subijcimur: quasi asini, cum vi caput nostrum,* portantes, & glorificantes in corpore nostro. *Facetè Augustinus, in verba Psalmi.* 33. In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. Qui, inquit, non in Domino volunt laudari, non sunt mansueti, sed truces, asperi, elati, superbi. Iumenta mansueta vult habere Dominus. esto iumentum Domini, id est, esto mansuetus. Sed & ille super te, ipse regit te, noli timere nè offendas, & eas in præceps. Infirmitas quidem tua est, sed attende quis tibi præsideat. Pullus asinicis, sed Christum portans. Nam & ipse in pullo asini venit ad ciuitatem, & fuit illud iumentum mansuetum. Numquid laudabatur iumentum illud? Numquid iumento dicebatur, osanna fili Dauid, benedictus, &c? Asellus portabat, sed ille qui portabatur, à præcedentibus, & consequentibus laudabatur. Et dicebat fortè iumentum, in Domino laudabitur anima, &c? Numquam illud dixit ille Asinus, fratres: sed dicat illud populus, qui imitatur iumentum illud, si vult portare Dominum suum. Iracitur fortè populus, quia comparatur asello, in quo sedit Dominus. Et dicent mihi aliqui superbi, & elati; Ecce asinos nos fecit. Sit asinus Domini quisquis hoc dicit, nè sit equus, & mulus, quibus non est intellectus. Equus enim & mulus erigunt ceruicem aliquando, & sua ferocitate excutiunt à se sessorem suum. Domantur frænis, chamo, verberibus, donec discant subiici, & portare dominum suum. Tu autem, antequam fræno tundantur ora tua, esto mansuetus, & porta Dominum tuum, &c. *Et in Psal.* 31. Nolite esse sicut equus & mulus: equus & mulus, inquit, erecta ceruice sunt. Non sunt equus, & mulus, sicut illi bos qui agnouit possessorem suum; & asinus præsepe Domini sui. Esa. 1. Quid patiuntur tales? in fræno, & chamo maxillas eorum constringe, &c. Equus & mulus vis esse? vis non habere sessorem? constringetur os tuum, & maxillæ tuæ in fræno, & chamo; ipsum os tuum constringetur, quo inflas merita tua, & taces peccata tua. Maxillas eorum constringe, qui non appropinquant ad te, humiliando se.

Gentiles autem Christianos crudeliter persequentes, non asini simplices, sed onagri feri sunt; de quibus Iob. 24. Irruerunt asini feri in agro super me, & exeuntes ad opus suum. Suauis factus est ei panis in adolescentes. *In quem locum Augustin. lib. Annot. in Iob.* Augustin. stulti, inquit, & indomiti, & ob hoc superbi, irruerunt super me confitentem, scilicet Ecclesiam. Hoc enim opus est eorum, vt irruant in me: id est, ad hoc deputati sunt à Deo. Impio autem & persecutori suauem panem dicit, id est persecutionem, qua libenter fruebatur, cùm eam faceret, adolescentibus: vt adolescentes, aut pro amatoribus voluptatum accipiamus, quia ipsi facilè talibus consentiunt: aut pro eis qui tantùm in Ecclesia profecerunt, vt pueritiæ quidem simplicitatem transierint; sed nondum peruenerunt ad robur illud virile, quo etiam persecutor contemnitur.

OMNIA IVMENTA ET PECORA. *Alludit ad Paulum Rom.* 1. *de quo Beda ibid. ex Augustino citato, de verbis Euangely* 56. Aug. Quod curiositate inuenerunt, superbiâ perdiderunt, dicentes se esse sapientes: donum Dei sibi tribuentes, stulti facti sunt. Vnde probas stultitiam eorum? ostende Apostole. Ostendisti nobis vnde potuerunt peruenire ad cognitionem Dei: quoniam inuisibilia eius, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Insipientiam ipsorum vnde ostendis? Audi. Et immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Figuras enim istorum animalium, sibi Deos pagani fecerunt. Inuenisti Deum, & coluisti idolum, quomodo sapiens es? Ista est, iniquitas simulacrorum, in qua iniquitate illi veritatem detinuerunt. Quia quod per creaturam cognouerunt, & quod per opera Dei intellexerunt, in operibus hominum perdiderunt. Mundus enim opus est Dei: idolum opus est fabri.

7. Christiana Religio vnum summum Deum colere impunè debet: & solus Christianus ad alium colendum cogendus non est, licentiâ cuilibet alteri datâ sibi Deum eligere. Apol. cap. 24. à p. ad f.

VT constaret illos deos esse, nonne concediris de æstimatione communi aliquem esse sublimiorem & potentiorem, velut principem mundi, perfectæ potentiæ & maiestatis? nam & sic plerique disponunt diuinitatem, vt imperium summæ dominationis esse penes vnum, officia eius penes multos velint, vt Plato Iouem magnum in cœlo comitatum exercitu describit deorum pariter & dæmonum. Itaque oportere & procurantes, & præfectos, & præsides pariter suspici. & tamen, quod facinus admittit qui magis ad Cæsarem promerendum & operam & ipsem suam transfert? nec appellationem Dei, ita vt Imperatoris, in alio quàm principe confitetur? cùm capitale esse iudicetur alium præter Cæsarem & dicere & audire? Colat alius Deum, alius Iouem: alius ad cœlum supplices manus tendat, alius ad aram Fidei: alius, si hoc putatis, nubes numeret orans, alius lacunaria: alius suam animam Deo suo voueat, alius hirci. Videte enim, ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem diuinitatis, vt non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere quem nolim. Nemo se ab inuito coli volet, ne homo quidem. atque ideo & Ægyptiis permissa est tam vanæ superstitionis potestas, auibus & bestiis consecrandis, & capite damnandis qui aliquem huiusmodi deum occiderint. Vnicuique etiam prouinciæ & ciuitati suus Deus est, vt Syriæ Astartes, vt Arabiæ Disares, vt Noricis Belenus, vt Africæ Cœlestis, vt Mauritaniæ Reguli sui. Romanas vt opinor, prouincias edi di, nec tamen Romanos Deos earum, quia Romæ non magis coluntur, quàm qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur, Casinientium Deluentinus, Narniensium Visidianus, Æsculanorum Ancaria, Volsinienſium Nursia, Ocriculanorum Valentia, Suttinorum Nortia, Falisorum, in honore est Pater Curis, & accepit cognomen Iuno. Sed nos soli arcemur à Religionis proprietate. Iædimus Romanos, nec Romani habemur, quia non Romanorum Deum colimus. Bene quod omnium Deus est, cuius velimus aut nolimus omnes sumus. Sed apud vos quosuis colere ius est, præter Deum verum, quasi non hic magis omnium sit, cuius omnes sumus.

CHRISTIANA RELIGIO. VII. SCHOLIA.

VT CONSTARET. *Licet certum esset.* ILLOS, *demones.* DE ÆSTIMATIONE. *Secundùm communem hominum sensum.* PRINCIPEM. *Orpheus Protogonum, Aristoteles summum, Cicero suprenum, Seneca Deorum omnium Deum, Antistenes summe totius artificem.* IOVEM MAGNVM. *Aug. lib. 4. de ciuit. cap. 9.* omissa turba ista minutorum Deorum, vel aliquantum intermissa, officium maiorum Deorum debemus inquirere, quo Roma tam magna est facta, vt tandiu tot gentibus imputauit. Nimirum ergo Iouis hoc opus est Ipsum enim Deorum omnium, dearumque regem esse volunt: hoc eius indicat sceptrum, hoc in alto colle capitolium. De isto Deo, quamuis à Poëta, dictum conuenientissimè prædicant, Iouis omnia plena. Hunc Varro credit etiam ab his coli, qui vnum Deum solum sine simulacro colunt, sed alio nomine nuncupari. Quod si ita est, cur tam malè tractatus est Romæ, sicut quidam & in cæteris gentibus, vt ei fieret simulacrum? quod ipsi etiam Varroni ita displicet, vt cum tantæ ciuitatis peruersa consuetudine premeretur, nequaquam tamen dicere & scribere dubitaret, quod hi qui populis instituerunt simulachra, & metum dempserunt, & errorem addiderunt *Error additus, vt Deus corporeus haberetur, ademptus timor dum sensu & motu carere videbatur, & indecenter fingeretur.* SVSCIPI *tanquam Deos.* QVOD FACINVS. *Dicite quàm rei estis læsæ Religionis, qui omnem in Imperatore ponitis, & ei Dei nomen tribuitis potiùs quàm ipsi Deo & crimen capitale sit cuiquam Principi nomen Imperatoris tribuere. Hinc liquet quàm irreligiosi sitis erga summũ Imperatorem Deorum Iouem, cùm etiam minutis præfectis & gregariis numinibus, Dei nomen imponatis.*

Omniloquium.

A COLAT ALIVS, *&c. Antitheses hîc ponit, vt Deum verum opponat Ioui, cœlum sedem Dei veri, aræ deæ Fidei.* NVBES, *in quibus virtus & magnificentia Dei veri, templorum laquearibus. Animam se & corpus hostiam viuam Deo exhibentem secundùm Paulum, animam hirci sacrificanti. Alij simpliciùs dicent, per Deum, intelligi proprium cuiusque genium, per cœlum nubes, &c. Deos variè putatos à Gentilibus.* AD ARAM FIDEI. *Aug. l. 4 de ciuit. c. 20.* Cur & Fides dea credita est, & accepit etiam ipsa templum & altare? quam quisquis prudenter agnoscit, habitaculum illi seipsum facit. Vnde autem sciunt illi quid sit Fides, cuius primum & maximum officium est, vt in verum credatur Deum. Sed cur non sufficerat virtus? nonne ibi est & Fides? quandoquidem virtutem in quatuor species distribuendam esse viderunt, prudentiam, &c. Et quoniam istæ singulæ species suas habent, in partibus iustitiæ fides est; maximumque locum apud nos habet, quicumque B scimus quid sit, quòd iustus ex fide viuit. *Habac. 2.* ELOGIVM. *in malam partem, notam & crimen signat.* ADIMERE. *Vos nomen malum contrahitis, dum solis Christianis auferris libertatem Deum colendi.* CONSECRANDIS, *dijs scilicet faciendis.* ASTARTES. *3. Reg. 21.* colebat Salomon Astartem deam Sidoniorum. SYRIÆ. *Beda in acta ea est quæ Hebraicè Aram dicitur. Et est regio inter Euphratem & mare magnum.* DYSARES, *alij diasares. Dasares autem Hebr. & Chald. significat ebrium se volutantem. Ebrietas autem Bacchum patronum habet.* NORICIS. *aliqui. Aremoricos* BELENVS. *Appollo sic dictus à iactu radiorum.* COELESTIS, *Philastrius Fortunam, Pithœus Cererem Turnebus Vraniam. Baro. to. 5. Cybelem. Lipsius & Petrus faber, Iunonem, de*

Augusti.

S Augusti.

quæ supra Tertul. Virgo cœlestis pluuiarum pollicitatrix. *Si præsidet aëri vbi formantur pluuiæ.* REGVLI, *id est parui reges quos, Mauri pro diis colebant. Iulius Firmicus cap* 2. ô misera & caduca mortalitas, vt regibus tuis per annos singulos funestas mittas inferias, *Sacra offeras diis, inferis*, neglecto Deo summo, qui omnia diuini artificij moderatione composuit, & spem tuam perdis & vitam. MVNICIPALI. *Dicitur quod ad municipes pertinet, & intelligit oppida ius Romanæ Ciuitatis adepta suis legibus & iure vtentia.* CENSENTVR, *numero Deorum adscribuntur.* CASSINENSIVM, *alij* Crustuminensium. DIVENTINVS, *alij Beluentinus, Dementinus.* NARNIENSIVM. *Alij Nirnienſium. Viridianus, &c. Cæterùm Crustuminus ager non procul Româ. Cassinum, Samnitum oppidum. Nirnienses & Narnia in Vmbria sient ocriculum sine otriculum. Sutriũ olim in Tuscia. Falici hodie Montesiasco. Asculum* A *Apuleiæ oppidum. Ancaria nobilis familiæ. Aliqui dicunt Ancariũ vocari, qui furore debacchantur, ab Ancaria immissi, siue Bellona. Volsci populi in Latio vltra Circeios Volsinium Ptolemæo vrbs Tuscorum.* CVRIS. *Pater Iunonis, quem Falisci Deum colebãt: à quo ex Festo Iunonem Curitim vocabant, & mensâ altarium eius Curiales.* SOLI ARCEMVS. *Mirum, inquit, cum singulis Prouincijs aut ciuitatibus, aut oppidis municipalibus Romanorum liberum sit suos deos colere, qui Romæ nec coluntur, nec agnoscuntur, solis Christianis hoc iure communi frustratis, proprium, verũ, vnicum Deum omnium Deum colere non licet.* VELIMVS NOLIMVS. *Hæc phrasi vsus est Augustinus in Ep.* Augu. *121. ad Probam cap. 11.* in eo quod dicimus: adueniat regnum tuum, quod seu velimus seu nolimus, vtique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, vt nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur.

8. Christiana Religio cognita vera, omnem aliam abdicare cogit. Apol. cap. 21. in f.

QVærite ergo, si vera est ista diuinitas Christi. si ea est, qua cognita ad bonum quis reformatur, sequitur vt falsa renuntietur quæuis alia cõtraria comperta: in primis illa, quæ delitescens sub nominibus & imaginibus mortuorum, quibusdam signis & miraculis & oraculis fidem diuinitatis operatur.

CHRISTIANA RELIGIO. VIII. SCHOLIA.

ISTA DIVINITAS. *Fusè Christi diuinitatem prius probauerat, nunc religionem ab eo institutam, fidem & doctrinam sequendam probat, quòd in melius hominum mores reformarit. Cùm cultus dæmonum corrumpat ex aduerso, vt facile sit* RENVNTIARE. *Id est pronunciare falsam, & renuntiandam, siue eiurandam improbam religionem.* ILLA. *Maximè inquit illa, quæ magicas artes exercet latens & decipiens* SIGNIS, *characteribus, pactis, progidijs operatis ad concilindam dæmonibus fidem hominum, euocatis fictè mortuis, quorum nomina, & figuras assumunt, vt edant oracula falsa. August. lib. 7. de ciuit. cap 35.* Numa, ad quem nullus Dei Propheta, nullus fan- B dus Angelus mittebatur, hydromantiam facere compulsus est: vt in aqua videret imagines Deorum, vel potius ludificationes dæmonum, à quibus audiret, quid in sacris constituere, atque obseruare deberet. Quod genus diuinationis idem varro à Persis dicit allatum, quo & ipsum Numam, & postea Pythagoram Philosophum vsum fuisse commemorat: vbi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari; *alia lectio, suscitari* & Necromantiam Græcè dicit vocari: quæ siue Hydromantia, siue Necromantia dicatur, idipsum est, vbi videntur mortui diuinare.

S. August.

9. Christiana sapientia, Socrate & omni dæmone superior, omnique Philosophia constantior est. De An. cap. 1. à m.

NOndum Christianæ potestatis documenta processerant, quæ vim istam pernicioſissimam, nec vnquam bonam, antiqui erroris artificem, omnis veritatis auocatricem sola traducit. Quod si idcirco sapientissimus Socrates secundum Pythij quoque dæmonis suffragium, scilicet negotium nauantis socio suo, quantò dignior atque constantior Christianæ sapientiæ assertio, cuius adflatui tota vis dæmonum cedit? Hæc sapientia de schola cœli deos quidem seculi negare liberior, quæ nullum Æsculapio gallinaceum reddi iubens præuaricetur, nec noua inferens dæmonia, sed vetera depellens: nec aduleſcentiam vitians, sed omni bono pudoris informans, ideoque non vnius vrbis, sed vniuersi orbis iniquam sententiam sustinens pro nomine veritatis; tanto scilicet perosioris quanto plenioris, vt & mortem non de poculo per habitum iocunditatis absorbeat, sed de patibulo & viuicomburio per omne ingenium crudelitatis exhauriat.

CHRISTIANA SAPIENTIA. IX. SCHOLIA.

VIM ISTAM *dæmonum scilicet hominum corpora possidentium, & animas hominum decipientium,* DOCVMENTA, *experientia sumpta qua Christus potestatem dedit Christianis dæmones expellendi.* NEC VNQVAM BONAM. *Quia quamuis bonus dæmon à Gentilibus vocetur, nil præstat boni nisi malo fine, vt auocet à veritate, iuxta serpentis antiqui fallaciam sub specie & spe scientiæ diuinæ, ignorantiam & mortem animæ & corpori afflantis.* SOLA TRADVCIT. *Aperte detegit & triumphat, accepta Christi potestate, qui ex Paulo* principatus & potestates palam traduxit confidenter triumphans illos in semetipso. SI IDCIRCO, *id est tum quod Socrates dæmonem habuit à puero pessimum pædagogum cui credebat, & ad confirmandum errorem testimonium accepit à dæmonio in oraculo Apollinis Pythij præsidente, & suffragante dæmoni familiari Socratis.* SAPIENTISSIMVS, *quia scilicet, vt Plato refert dixit Socrates*, quæ scio neque me C

Digitized by Google

scire arbitror. *Vel*, vnum scio, quod nihil scio. *Minutius Fœlix in Octauio Socratem vocat mimũ humilitatis*: Socrates scurra Atticus viderit, nihil se scire confessus, testimonio licet fallacissimi dæmonis glorioſus. *Cui & similibus secundum sapientem, nequiter humiliantib⁹ se, diceret Augustinus in verba*
Augus. *Pauli*, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Rom. 12. *Sic Augustin. in Psal. 118.* tunc erit humilitas vera, si non sola ostentetur in lingua: vt simus secundum Apostolum non alta sapientes, &c. Non ait, colloquentes, sed consentientes, quod non fit ore, sed corde. Sed tu hypocrita, si dicis habere, cùm credas te non habere peccatum; foris fingis humilitatẽ, intus amplecteris vanitatẽ. Ergo in ore & in corde, non habes veritatem. Quid tibi prodest videri ab hominibus humile esse quod dicis, si Deus videt altum esse quod sapis? C certè si auribus diuinum insonaret oraculum, noli altum dicere; nec sic immeritò damnareris, si humilis in ore coram hominibus, altum in corde coram domino loquereris. Cùm verò audias, noli altum sapere, sed time; & tu in tantum sapis altum, vt te peccatum æstimes non habere: per hoc quod non vis timere, nihil tibi aliud remanet, nisi tumere. ASSERTIO. *Hic opponit geminam Christiani virtutem, intellectus & voluntatis, humilitatem in agnoscenda ignorantia & infirmitate propria, & constantiam in ferenda qualibet crudeli morte pro vnius Dei veri fide subeunda, & exhausta à fidelibus cũ stolida humilitate & Religione, & constantia Socratis. Hic vnius dæmonis auditor, & sectator ab vno laudatus est; Christianus ab omnibus inuitis dæmonibus expulsis solo afflatu laudatur. Ille de Schola inferi nouum dæmonium Æsculapium agnoscit. Cui ex Platone in Phædone gallũ non castranit, sed immolari iussit, quod ex Ficino Phœbi filius esset, & gallus solare animal: Christianus, non vt falsò imponebatur Paulo, nouorum dæmoniorum annuntiator, sed idololatriæ euersor.* LIBERIOR NEGARE, *id est ad negandum, quàm Socrates qui ab Atheniensibus damnatus quod Deos negaret, in fine vitæ non sibi constans Æsculapium agnouit.* ADVLESCENTIAM, *id est adolescentiam, quod corrumperet suos scholasticos Sodomita.* OMNI BONO *Sicut Paulus verè de cœli schola omnem speciem castitatis, virginalis, nuptialis, viduglis commendat.* VRBIS *Atheniarum, vbi Socrates ab Iudicum sententiis est damnatus.* PERQSIORIS, *id est magis odiosæ.* PLENIORIS, *quia nihil falsitatis admisit, cùm gentilis veritas sit obruta mendacijs.* NON DE FOCVLO, *vt Socrates cicutam bibit iucundo mortis genere quantùm licet, mortem veluti tantùm præuertans summo labio, cùm fideles, Christo felle & aceto in spongia oblato, conformati vsquo ad faces poculum mortis crudelissimo genere supplicij, exhauriant.* VIVICOMBVRIO, *vox composita, quod vlui verentur. Exemplo Christi nil durum ab homine propinatum, Deo sic volente, respuentes. Augustin. ser. de pass. Domini*: cogitet, si potest, in quantum superbiæ præcipicium feratur homo, si non consenserit humili Deo: & quàm sit pernicioſum impatienter ferre hominem quod voluerit Dominus iustus; si patienter pertulit Deus, quod voluit inimicus iniustus. *Quia ergo de cœli schola, Christi & Pauli, humiliter consentit Christianus, omnia Deo & sapientiæ, & potentiæ dona accepta referens, sic de superbo dæmone triumphat vt solo flatu vim omnem eius exsibilet. Inde ex Augustin. à pueris in baptismo exsufflatus, vt habet lib. de Symbolo c. 5. & Ep. 105. ad Sixtum circa finem, vbi respondet negantibus infantes nasci cum originali peccato*: non inueniunt quid ad hoc respondeant, quod exorciſantur, & D exsufflantur infantes; hoc enim procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorciſantur, & exsufflantur, per quid dominatur, nisi per peccatum, princeps vtique peccatorum?

S. Augustin.

S. Augustin.

10. *Christiana Philosophia, in doctrina, moribus, omnique virtute præcellit ethnicis: iniustéque cogitur sacrificare diis. Apol. cap. 46. à p. ad circa f.*

INterim incredulitas, dum de bono sectæ huius obducitur, quod vsu iam, & de commercio innotuit, non vtique diuinum negotium existimat, sed magis Philosophiæ genus. Eadem, inquit, & Philosophi monent, atque profitentur; innocentiam, iustitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam. Cur ergo quibus comparamur de disciplina, non proinde adæquamur ad licentiam impunitatemque disciplinæ? vel cur & illi, vt pares nostri, non vrgentur ad officia, quæ nos non obeuntes periclitamur? quis enim philosophum sacrificare, aut deierare, aut lucernas meridie vanas prostituere compellit? Quinimo & deos vestros palam destruunt, & superstitiones vestras commentariis quoque accusant, laudantibus vobis. plerique etiam in principes latrant, sustinentibus vobis, & faciliùs statuis & salariis remunerantur, quàm ad bestias pronuntiantur. Sed meritò. Philosophi enim, non Christiani cognominantur. nomen hoc philosophorum dæmonia non fugat, quidni? cùm secundùm deos philosophi dæmones deputent. Socratis vox est, Si dæmonium permittat. Idem & cùm aliquid de veritate sapiebat deos negans, Æsculapio tamen gallinacium protecari iam in fine iubebat. credo ob honorem patris eius. quia Socratem Apollo sapientissimum omnium cecinit. O Apollinem inconsideratum! Sapientiæ testimonium reddidit ei viro, qui negabat deos esse. In quantum odium flagrat veritas, in tantum qui eam ex fide præstat, offendit. qui autem adulterat, hoc maximè nomine gratiam pangit apud insectatores veritatis. Philosophi adfectant veritatem, & adfectando corrumpunt, vt qui gloriam captant. Christiani & necessariò appetunt, & integre præstant, vt qui saluti suæ curant. Adeo neque de scientia, neque de disciplina, vt putatis, æquamur. Quid enim Thales ille princeps physicorum sciscitanti Cræso de diuinitate certum renuntiauit, commeatus deliberandi sæpè frustratus? Deum quilibet opifex Christianus & inuenit, & ostendit. Et exinde totum, quod in Deo quæritur, re quoque assignat: licet Plato affirmet factitatorem vniuersitatis, neque inueniri facilem, & inuentum enarrari in omnes difficilem. Ceterùm si de pudicitia prouocemur, lego partem sententiæ Atticæ in Socratem, corruptor adolescentium pronuntiatur: Chri-

ſtianus ad ſexum nec feminæ mutat. Noui & Phrynen meretricem Diogenis ſupra recumbentis ardori ſubantem; audio & quendam Speuſippum de Platonis ſchola in adulterio periiſſe: Chriſtianus vxori ſuæ ſoli maſculus naſcitur. Democritus excæcando ſemetipſum, quod mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet, & doleret ſi non eſſet potitus, incontinentiam emendatione profitetur: at Chriſtianus ſaluis oculis feminas non videt, animo aduerſus libidinem cæcus eſt. Si de probitate defendam, ecce lutulentis pedibus Diogenes ſuperbos Platonis toros aliâ ſuperbiâ deculcat: Chriſtianus nec in pauperem ſuperbit. Si de modeſtia certem; ecce Pythagoras apud Thurios, Zenon apud Prienenſes tyrannidem adfectant. Chriſtianus verò nec ædilitatem. Si de animi æquitate congrediar, Lycurgus apocartereſin optauit, quòd leges eius Lacones emendaſſent; Chriſtianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem, Anaxagoras depoſitum denegauit hoſpitibus: Chriſtianus & extra fidelis vocatur. Si de ſimplicitate conſiſtam, Ariſtoteles familiarem ſuum Hermiam turpiter loco excedere fecit; Chriſtianus nec inimicum ſuum lædit. Idem Ariſtoteles tam turpiter Alexandro regendo potiùs adulatur, quàm Plato Dionyſio ventris gratiâ venditatur. Ariſtippus in purpura ſub magna grauitatis ſuperficie, nepotatur. & Hippias, dum ciuitati inſidias diſponit, occiditur; hoc pro ſuis omni atrocitate diſſipatis nemo vnquam tentauit Chriſtianus.

CHRISTIANA PHILOSOPHIA. X. SCHOLIA.

INCREDVLITAS *id eſt gentilitas.* OBDVCITVR, *Conuincitur.* DE BONO SECTÆ *de virtute Chriſtianorum ex vſu & ipſo commercio Gentilium cognitâ, fidem Chriſtianorum non à Deo inſpiratam, ſed ex Philoſophiæ ſtudio manare contendunt Ethnici, nec nos aliquid amplius docere & profiteri lingua & moribus, quàm quod Philoſophi.* AD LICENTIAM. *Cur ergo non licet nobis æqualiter cum illis, & impunè Religionem Chriſtianam profiteri.* DEIERARE, *Vitam principum iurare & per ſalutem eorum.* LVCERNAS VANAS, *Alibi dixit:* Diem lucernis infringere, *Quaſi Solem præclaritate obſcurare. Die Natali potiſſimùm lucernæ accendebantur, vt notat Scaliger in Feſtum. In honorem puto Genij Natalis.* PROSTITVERE, *Profundere, vnde dixit. Vanas.* LATRANT, *inſtar Diogenis, ideo cognomento Cynici.* PRONVNTIATVR. *Sententia damnans ad beſtias.* QVIDNI, *Ironicè.* SECVNDVM DEOS, *poſt Deos, vel veluti Deos. Quod probat dicto Socratis, damoni inſtar Dei permiſſu & nutu omnia fieri dictitantis.* PROBECARI, *Immolari. Vide dicta præcedenti Scholio.* PATRISEIVS. *Apollinis.* SAPIENTISSIMVM. *Supra ibid. de hoc oraculo Apollinis Pythij.* ODIVM. *Alij legunt odio. Id eſt quantùm veritas in odium flagrat, id eſt accendit contra ſe, in tantum offendit, & cauſa eſt perſecutionis, eam bona & integra fide præſtantibus. Corruptores autem & affectatores eius Philoſophi.* PANGVNT. *Conciliant ſibi gratiam perſequutorum veritatis.* NECESSARIO *Explicat ſubdens, quod ſaluti ſuæ procurem.* ÆQVAMVR. *Ethnicis.* CONSCIENTIA *Quoad interiorem fidem.* DISCIPLINA *Exteriorem doctrinam & mores.* PRINCEPS PHYSICORVM. *Lact. lib 3. c. 14.* De rerum natura primus traditur diſputaſſe. COMMEATVM. *Impetrare, Varroni, eſt licentiam morandi obtinere. Pro ſalua conductio accipitur. Hic autem pro tempore & ſpatio.* FRVSTRATVS. *Quia reſpondit:* Quanto plus quæritur, tanto res mihi videtur difficilior. IN DEO. *De Deo* REQVEQVE. *Id eſt ſenſibiliter ex effectibus probat inquirenti ſine mora Deum.* IN OMNES. *Omnibus.* PROVOCEMVR. *Inſultante gentili in Chriſtianos de virtutibus ſuorum, quaſi pares noſtris fuerint.* PARTEM SENTENTIÆ. *Quia partim damnatus eſt Socrates à Senatu Athenienſi quod pueros Sodomita corrumperet.* AD SEXVM. *Alia lectio;* Sexum nec fœmineum mutat. *Longè abeſt ſidelis à corruptione Adoleſcentum, qui nec ſexu fœmineo præpoſterè vtitur.* SVBANTEM. *Furire maſculè dicitur, mulier autem ſubare, exercendo libidinem.* SPEVSIPPVM. *Diog. Laërt.* Voluptati deditum in Macedoniam ad Caſſandri nuptias profectum *refert.* NASCITVR, *Quòd, ipſo facto quod in Baptiſmo renatum ſe nouit, ſe vni vxori ſeruat integrum.* Sacramentum hoc magnum in Chriſto dico & Eccleſia, duorum in carne vna *Sacrilegè temerare non audens.* EMENDATIONE *Oculorum multa & pœna.* CÆCVS, *Adeò, vt & ſi videat oculo corporis, animi oculis non aduertat, ſed conſenſum auertat.* DEFENDAM, *Tuear partes probitatis Chriſtianæ & modeſtiæ.* ÆDILITATEM. *Parum munus. Varroni dicti ſunt Ædiles, quod ædes ſacras & prophanas procurarent, loca in theatro aſſignabant, aqueductus, cloacas, ludos publicos, &c. curabant.* APOCARTEREVIM, *id eſt, inedia ſe confecit. Idem Tertull. Apol. 4.* Nonne & ipſius Lycurgi leges, à Lacedæmoniis emendatæ tantùm authori doloris incuſſerunt, vt in ſeceſſu inediâ de ſemetipſo iudicarit. *Id. ſeipſum inedia morti addixerit.* ET EXTRA. *Id. etiam extra cauſam depoſiti. Vel hoſpitalitatis: vt ſi quid etiam forte extra domum per viam inuenerit, reddat ei qui perdidit. Aug. ſer. 19. de Ver. Apoſt. poſt med. refert exemplum mirabile de homine pauperrimo, qui dum ipſe Auguſtinus ageret Mediolani, ſaculum ducentorum ſolidorum inuenit, & affixo publicè memoriali, vt qui perdiderat veniret ad locum vbi talis,* Vitalem alibi nominat, *Proſcholus, id eſt, ſubmagiſter degebat, perditam ſummam recipere:* Venit ad hominem, & ne fortè quæreret alienum, quæſiuit ſigna, interrogauit ſacculi qualitatem, ſigillum, ſolidorum etiam numerum. Et cùm omnia illi fideliter reſpondiſſet, reddidit quod inuenerat. Ille autem repletus gaudio & quærens vicem rependere, tanquam decimas obtulit ſolidos viginti: qui noluit accipere Obtulit vel decem: noluit accipere. Saltem rogauit vel quinque accipere, noluit ille. Stomachabundus homo proiecit ſaculum: nihil perdidi, ait. Si non vis à me aliquid accipere, nec ego aliquid perdidi. Quale certamen fratres mei! quale certamen! qualis pugna! qualis conflictus! theatrum mundus, ſpectator Deus. Victus tandem ille quòd offerebatur accepit. Continuò totum pauperibus erogauit, vnum ſolidum in domum ſuam non dimiſit. POTIVS. *Id. cum datus eſſet Alexandro regendo & corrigendo*

potius, quàm adulando, assentabatur tamen. Tam sordidè igitur Aristoteles Alexandro blandiebatur, quam Plato vt lautè viueret, & ventri satisfaceret, in Siciliam profectus est, vt apud Dionysium Tyrannum adulator Philosophiam suam quasi venditaret, pedibus eius prouolutus, vt notat Elias Cretensis Scholiastes Nazianzeni in Orat. 3. NEPOTATVR. *Id. nepotem & helluonem agit* PRODIGVS. *Id. vel ciuibus, vel bonis propriis, omnibusque dilapidatis.' Ceterùm in quo comparandæ sunt virtutes Philosophorum, tot vitiis deturpatæ, cum nostris? Quandoquidem etiam purissimæ Gentilium virtutes, defectu fidei ordinantis animam ad vltimum finem, & veræ Charitatis propter Deum summè dilectum, bona virtutum opera exercentis, Nullius meriti fuerint. Vide Aug. lib. 14. de Trin. cap. 1. & 2. de Nupt. & concupiscentia. lib. 4. Cont. Iul. Pelag. Passim D. Thomam, 2. 2. q. 23. a. 7. Vnum hic locum Aug. apponè lib. 19. de Ciuit. c. 25.*

Augusti. Quamlibet videatur animus corpori, & ratio vitiis laudabiliter imperare, si tamen Deo animus, & ratio ipsa non seruit, sicut sibi seruiendum esse A ipse Deus præcepit. nullo modo corpori vitiisque rectè imperat, nam qualis corporis atque vitiorum potest esse mens Domina, veri Dei nescia, nec eius imperio subiugata, sed vitiosissimis dæmonibus corrumpentibus prostituta? Proinde virtutes quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis, ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potius quàm virtutes. Nam licet à quibusdam, tunc veræ & honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur: nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, ac superbæ sunt: & ideo virtutes, non virtutes, sed vitia iudicanda B sunt. Sicut enim non est à carne, sed super carnem, quod carnem facit viuere: sic non est ab homine, sed super hominem quod hominem facit beatè viuere, sed etiam quamlibet potestatem virtutemque cœlestem. Quocirca vt vita carnis anima est, ita Beata vita hominis, Deus est, de quo dicunt Sacræ literæ Hebræorum: Beatus populus, cuius est Dominus Deus ipsius.

11. Christiana Religionis vnitas, sanctique Conuentus ad orationem, lectionem scripturæ, Verbum Dei, &c. Apol. 39. in. p.

EDam iam nunc ego ipse negotia Christianæ factionis, vt qui mala refutauerim, bona ostendam. Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplinæ vnitate, & spei fœdere. Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum, ac potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad literarum diuinarum commemorationem; si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus.

CHRISTIANÆ RELIGIONIS. XI. SCHOLIA.

EDAM, *Dicam quid in nostris conuentibus Christianis & cœtibus agatur, quos vos frustra factiosos dictitatis. Olim Festo factio in bonam partem sumebatur.* COETVS. *Sic Paulus Ecclesiam vocat*: Vnum

Augusti. corpus multi sumus. DE CONSCIENTIA *Quia simul eandem religionem scimus,* DISCIPLINÆ. *Fidei & Doctrinæ.* FOEDERE. *Nil enim tam vnit animos, quàm spes eiusdem gloriæ. Aliis verbis, eodem sensu cum Paulo*: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma; sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. MANVFACTA *Iunctim, quasi copiis militaribus Dei thronum obsidentes, vt petita extorqueamus.* MORA FINIS, *Dilatione iudicij: tum vt impleatur* D *numerus fratrum, tum vt persequutioni Antichristi, etiam electos, si fieri posset in errorem inducturæ, non adstemus.* QVALITAS. *Id. aliquod accidens, quod consilium exigat.* VOCIBVS PASCIMVS. *Verbo Dei nutrimus, vt sicut fides ex auditu nascitur adultis, verbum audientibus sic pascatur: hinc Paulus Neophitis lac, solidum cibum adultis, vtrisque Verbum Dei vt nutrix prouida porrigebat alimentum.*

C SPEM. *Paulus*, Per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. FIGIMVS. *Alludit ad firmam fidei ancoram, quâ in aduersis confirmamur.* DENSAMVS, *Vt scilicet doctrina Christiana sæpiùs inculcata sit firmior, vt muri densati aggeribus. Hos Ecclesiæ Conuentus, in S. Matre Monica notauit Aug. lib. 5. Confess. c. 9.* An verò tu Deus misericordiarum sperneres cor contritum & humiliatum viduæ castæ ac sobriæ, frequentantis Eleemosy- S. Augusti nas, obsequentis atque seruientis sanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum: bis in die, manè & vespere ad Ecclesiam tuam sine vlla intermissione venientis, non ad vanas fabulas, & aniles loquacitates; sed vt te audiret in tuis sermonibus, & tu illam in suis orationibus? Huiusne tu lacrymas, quibus non à te aurum & argentum petebat, nec aliquod mutabile, aut volubile bonum, sed salutem animæ filij sui, tu, cuius munere talis erat, contemneres, & repelleres ab auxilio tuo?

12. Christiana Religionis Conuentus factiosi non sunt; nec ei publice clades imputandæ sunt, sed Gentilibus veri Dei contemptoribus. Apol. cap. 39. in. fin. & 40. ad circa. fin.

HÆc coitio Christianorum meritò sanè illicita, si illicitis par; meritò damnanda, si non dissimilis damnandis, si quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela est. In cuius perniciem aliquando conuenimus? Hoc sumus congregati, quod & dispersi. Hoc vniuersi, quod & singuli; neminem lædentes, neminem contristantes. Cum probi, cum boni coeunt, cum pij, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia. At è con- CAP. XI. trario illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant, qui aduersum sanguinem innocentium conclamant, prætexentes sanè ad odij de-

fensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit admœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum steterit, si terra mouit, si fames, si lues, statim, CHRISTIANOS AD LEONEM. Tantos ad vnum? Oro vos, ante Tiberium, id est, ante Christi aduentum, quantæ clades orbem & vrbes cæciderunt. Legimus Hierannapen, & Delon, & Rhodon, & Co-insulas multis cum millibus hominum pessum abiisse. Memorat & Plato maiorem Asiæ vel Africæ terram Atlantico mari ereptam. Sed & mare Corinthium terræ motus ebibit. Et vis vndarum Lucaniam Italiæ abscissam in Siciliæ nomen relegauit. Hęc vtique non sine iniuria incolentium accidere potuerunt. Vbi verò tunc, non dicam deorum vestrorum contemptores Christiani, sed ipsi dij vestri, cum totum orbem cataclysmus aboleuit? Vel, vt Plato putauit, campestre solummodo? posteriores enim illos clade diluuij contestantur ipsę vrbes, in quibus nati mortuique sunt, etiam quas condiderunt, neque enim alias hodiernum manerent, nisi & ipsæ postumę cladis illius. Nondum Iudęum ab Ægypto examen Palæstina susceperat, nec iam illic Christianæ sectæ origo confederat, cum regiones adfines eius Sodoma & Gomorra igneus imber exussit. Olet adhuc incendio terra, & si qua illic arborum, poma conantur oculis tenus, ceterum contacta cinerescunt. Sed nec Tuscia iam tunc atque Campania de Christianis querebatur, cum Vultinios de cœlo, Pompeios de suo monte perfudit ignis. Nemo adhuc Romæ Deum verum adorabat, cum Annibal apud Cannas Romanos annulos cæde sua modio metiebatur. Omnes dij vestri ab omnibus colebantur, cum ipsum capitolium Senones occupauerunt. Et benè, quod si quid aduersi vrbibus accidit, eædem clades templorum quæ & mœnium fuerunt, vt iam hoc reuincam non à Deis euenire, quia & ipsis euenit: Semper humana gens malè de Deo meruit, primo quidem vt inofficiosa eius, quem cum intelligeret ex parte, non requisiuit, sed & alios insuper sibi commentata est quos coleret; dehinc quod non inquirendo innocentiæ magistrum, & nocentiæ iudicem & exactorem, omnibus vitiis & criminibus inoleuit. Ceterùm si requisisset, sequebatur vt recognosceret, & recognitum obseruaret, & obseruatum propitium magis experiretur, quàm iratum. Eundem igitur nunc quoque scire debet iratum, quem & retro semper, prius quam Christiani nominarentur. Cuius bonis vtebatur antè editis quàm sibi Deos fingeret, cur non ab eo etiam mala intelligat euenire, cuius bona esse non sensit? Illius rea est, cuius & ingrata. *Et libro. 1. ad Nat. cap. 9.*

CHRISTIANÆ RELIGIONIS. XII. SCHOLIA.

HÆC COITIO. *His coetus conuentionum in vnum fidelium:* QVERELA. *Querimonia. Conquestio.* CVRIA *Sumitur aliquando pro tribu; Interdum pro loco Senatus, in quo publica cura gerebantur. Hic pro templo & Sede sancti conuentus.* DEFENSIONEM. *Id. vt odium rationabile esse probent, quod exercent in Christianos.* VANITATEM. *Falsitatem.* TYBERIS *Exundantia.* NILVS, *Redundantia agros impinguans.* STETIT *Quasi ferreum, immobile, intactum necessitatibus populi, rorem pluuiamque denegans.* MOVIT, *Tremuit.* LVES *Pestilentia & morbi publici.* AD LEONEM VNVM. *Vox populi in fideles quasi publica cladis causas. Ridet furorem cacum, tantam fidelium turmam vni Leoni praedam fieri. Sed Leonem clamabant singulari numero pro plurali, vel quod singuli rei, vni Leoni damnarentur.* EREPTAM. *Absorptam.* EBIBIT, *Hiatu facto absorbuit.* LVCANIAM. *Erat quondam Italiæ contigua, sed vndarum impetus eam abripuit, & Siciliam fecit, Emphasi nominis quasi abcissam.* RELEGAVIT, *Quasi exulem ab Italia insulam.* HIERANNAPEN, *Alij Hierapolim. Euseb. in Chron. & Oros. lib. 7 c. 7. Referunt Anno 3. Neronis, tres vrbes Asiæ, Hierapolim, Laodiciam, & Colossem, terræ motu concidisse. Nec moueat scrupulum Pamelio, quod dixerit Tertul. supra;* Antè Tyberium clades multas orbem cæcidisse; *Id est afflixisse. Nec enim tantus vir, id retulit ad eas, quæ post Tyberium acciderunt, sed ad diluuium, Sodomam, &c. Quæ antè Deos Romanorum, orbem vexauerunt.* ET DELOS, *Aristoteles sic dictam vult, quod cum mersa esset, subito apparuerit. Similia portenta refert Ammianus lib. 7.* In Asia Delos emersit, & Hiera & Anaphe, & Rhodus. COOS. *Euseb. in Chron. in insula Coo dicit oppida plurima terræ motu concidisse.* PLATO. *In Timæo scilicet, & Plin. lib. 2. c. 90.* MARE CORINTHIVM. *Sic Plin. lib. 2. c. 92.* Helicen & Buram sinus Corinthius abstulit, quorum vestigia in alto apparent. PLATO CAMPESTRE. *Id est non alta, sed plana & campestria. Idem Tertull. De Pallio c 2.* Cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse. *Id est fluctibus obruta fuisse diluuij.* NATI. *Dij vestri scilicet non immortales vel aterni.* HODIERNVM. *Id est hodie, alij legunt,* In hodiernum. POSTHVMÆ. *Postremæ id est post illam cladem extructæ.* CONDIDERVNT. *Sicut Janiculum Janus, Saturniam Saturnus, Romam Romulus.* EXAMEN, *Exercitus, & turba innumera.* SECTÆ. *Religionis.* ORIGO. *Quia iuxta Esaiam,* Ex'Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem. *Ibi primo Apostoli & fideles orti.* ADFINES. *Conterminæ.* SODOMA *Neutraliter sumpsitum plurali.* OLET ADHVC. *Sap. 10. 7.* Hæc iustum *Sapientia* LOTH à pereuntibus impiis liberauit fugientem, descendente igne in Pentapolim *Quinque ciuitates quasi vnam facit, ob criminis Sodomitici vnitatem.* Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis anima *Vxor Loth in memoriam* Memoriâ stans figmentum salis. *Solinus cap. 38.* Fuliginem intrinsecus fauillaceam ambitio *Ambitus, circuitus, superficies. Vel ad imaginem hypocritæ & superbi respicit, de quo Iob: pulchritudinem cutis eius deuoret primogenita mors: primo siquidem ambitu scientia diuina ex pulchri aspe-*

ctu pomi

Ex pomi mors nata: quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini. Ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel leui tactu preſſa fumum exhalat & fatiſcit in vagũ puluerem. *Pulchrè Aug. de Ciuit. l. 21.* Auguſt *cap. 3. refert*; Poma in terra Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciem peruenire; ſed morſu preſſuue tentata, in fumum ac fauillam cortio fatiſcente vaneſcere. CONANTVR, *Emittunt, parturiunt arbores fructus.* OCVLIS TENVS, *Id. apparenter.* VVLSINIOS. *De Pall. c. 2.* Deuſta Vulſinios. *In Tuſcia igne cœleſti* Et erepta Pompeios. *In Campania monte flammisomo.* HANNIBAL. *Aug lib. 3. de Ciuit. cap. 19* Tres modios Aug. annulorum aureorum Carthaginem miſit, quo intelligerent, tantam in illo prælio dignitatem ceciditſe Romanam, vt faciliùs eam caperet menſura quàm numerus. *Per dignitatem, intelligit equeſtris ordinis viros.* SENONES. *Galliarum populi. De hoc Aug. lib. 2. de Ciuit. c. 22* Hæc numinum turba vbi erat, cùm longè antequam mores corrumperentur antiqui, à Gallis Roma capta & incenſa eſt? Auguſt. An præſentes fortè dormiebant? Tunc enim tota vrbe in hoſtium poteſtatem redacta, ſolus collis Capitolinus remanſerat: Qui etiam ipſe caperetur, niſi ſaltem anſeres diis dormientibus vigilarent. Vnde penè in ſuperſtitionem Ægyptiorum beſtias aueſque colentium Roma deciderat, cùm anſeri ſolemnia celebraremr. TEMPLORVM QVÆ MOENIVM. *Id. ſacra & Prophana pariter vaſtata ſunt.* INOFFICIOSA, *Indenota, ingrata.* EX PARTE *Paulus*, Nunc cognoſco ex parte, *Lumine ſcilicet naturali.* Qui cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, &c. COMMENTATA, *Finxis Deos.* MAGISTRVM, *Deum.* EXACTOREM. *Repetitorem iuſtum debiti, & fœneratorem etiam vnici talenti, luminis naturalis, in fudario vel terra, terrenis voluptatibus, ebruti & defoſſi.* Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, vtique cum vſuris veniens exegiſſem illam. OBSERVARET, *Coleret.* RETRO *Anis, priuſquam nomen imponeretur Chriſtianis, vel Chriſtus naſceretur.* ILLIVS REA. *In Phraſi Græca plurimus eſt. Erga illum rea, cui ingrata.*

Et lib. 1. ad Nat. cap. 9. MANCIPE ERRORIS. *Magiſtro ſuperſtitionis, & malitiæ diabolo* HIERENNAPE. *Pro Hierenape. Sicut ſupra dixerat:* Cynopennæ, *Pro Cynopena. Vide dicta ſupra in hoc Scholio.* CVLTORES SVOS, *Cæca vindicta promiſcuè tam ſuos, quàm alienos punientes.* DEOS TRADITIS, *Certa & indubitata traditione creditum à Patribus veſtris ſuadere vultis, illos eſſe Deos, qui iudicio & iuſtitia carent.* ABALIVD. *Quod pendet ab alio; ſicut dij veſtri à vobis pendent, quos pro libito facitis & fingitis; quos impotentes ſeipſos vindicare, vindicantis.*

13. Chriſtiana Religio ex quo cœpit, ſuis precibus clades publicas temperauit, placando Deum verum, quem Gentiles diis immolando, ingiter prouocant. Apol. cap. 40. in fin. & 41. in p.

SI priſtinas clades comparemus, leuiora nunc accidunt, ex quo Chriſtianos à Deo orbis laccepit. Ex eo enim & innocentia, ſeculi iniquitates temperauit, & deprecatores Dei eſſe ceperunt. Denique cum ab imbribus æſtiua, hiberna, ſuſpendunt, & annus in cura eſt, vos quidem balneis & cauponis & lupanaribus operantibus aquilicia Ioui immolatis, nudipedalia populo denuntiatis, cœlum apud capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, auerſi ab ipſo & Deo & cœlo: nos vero ieiuniis aridi, & omni continentia expreſſi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere volutantes, inuidiâ cœlum tundimus, & cùm miſericordiam extorſerimus, Iupiter honoratur. Vos igitur importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum illices ſemper, apud quos Deus ſpernitur, ſtatuę adorantur. Etenim credibilius haberi debet eum iratci qui negligatur, quàm qui coluntur. aut næ illi iniquiſſimi, ſi propter Chriſtianos etiam cultores ſuos lædunt, quos ſeparare deberent à meritis Chriſtianorum. CAP. XLI.

CHRISTIÂNA RELIGIO. XIII. SCHOLIA.

PRISTINAS. *Id. precedentes Chriſtianorum tempora.* DEPRECATORES. *Qui orationibus flagella Dei auerrerent.* ÆSTIVA HYBERNA *tam æſtate quàm hyeme vtraque anni tempeſtate, quem veteres in hæc duo tempora diuidebant, imbres immodicos, Chriſtiani ſuſpendunt.* IN CVRA. *Eſt cura prouidentia Dei, & fertilis* OPERANTIBVS, *ſudantibus præ luxuria.* AQVILICIA, *ſacrificia ab aquas elicitas ab aëre. Vnde & vocatus Eliciter Iupiter à Ruricio Epiſcopo lib. 1. Ep. cuius imaginem deſcribit Baro. to. 2. Annal. Et Aquilices vel Aquileges dicti ſcrutandorum fontium artifices.* NVDIPEDALIA. *Sacrificia & ſupplicationes facta nudis pedibus. Qualia Matrona ex Ouidio Veſta & ex Joſeph. 2. ſecundo de Bell. Iud. Berenices Regina Ieroſolymis exhibuit.* DE LAQVEARIBVS, *templi, pluuias expectatis.* EXPRESSI. *Exhauſti,* FRVGE DILATI. *Id. vitta & potu ad veſperam dilato.* INVIDIA. *Exaggerat quaſi in inuidiam cœlum vocamus, ſi tam ſupplices & pios exaudire differat.* DEVM TANGIMVS. *Præmiſſum à Ricalio quod cæteri textus habent. Iram eius frangimus.* IMPORTVNI. *Oneroſi criminibus veſtris.* ILLICES, *Qui Aqualicia exhibendo Ioui, verum Deum ſpernentes allicitis eius iram.* A MERITIS *Pœnis ſcilicet.* NÆ, *Certè. Deberent dij veſtri ſolos Chriſtianos vexare, nec eorum ruina cultores ſuos immolare. De hoc & præcedenti legendus Auguſtinus qui hac de cauſa ſcripſit libros de Ciuitate, vt dicis ipſe lib. 2. Retract. c 43.* Interea Roma Gothorum irruptione agentiũ ſub Rege Alarico, atque impetu magnæ cladis euerſa eſt. cuius euerſionem deorum falſorum mutorumque *Alij multorum* Cultores, quos vſitato nomine Paganos vocamus, in Chriſtianam Religionem referre conantes, ſolito acerbiùs & amariùs Deum verum blaſphemare cœperunt. Vnde ego exardeſcens zelo domus Dei, aduerſus eorum blaſphemias, vel errores, libros de Ciuitate Dei ſcribere inſtitui. *Et lib. 2. de Ciuit. c. 3.* Memento me iſta commemorantem adhuc contra imperitos agere, ex quorum imperitia illud quoque ortum eſt vulgare prouerbium: plu-

uia defecit, causa Christiani, &c. Apud vulgus affirmare nituntur, clades, quibus per certa interualla locorum & temporum genus humanũ oportet affligi, causà accidere nominis Christiani, quod contra Deos suos, ingenti fama, & præclarissima celebritate per cuncta diffunditur. Recolant ergo nobiscum, antequam Christus veniſſet in carne, antequam eius nomen, ea, cui frustra inuident, gloria, populis innotesceret; quibus calamitatibus res Romanæ multipliciter variéque contritæ sunt, & in his defendant, si possunt, Deos suos, si propterea colantur, ne ista mala patiantur cultores eorum, quorum si quid nunc passi fuerint, nobis imputanda esse contendunt, cur enim ea quæ dicturus sum, permiserunt accidere cultoribus suis, antequam eos declaratum Christi nomen offenderet, eorumque sacrificia prohiberet? *Sic & Achab Eliæ Prophetæ exprobrauit, quod conturbaret Israël, id est sterilitatis & famis author esset, cui contrà respondit,* Non ego turbaui Israël, sed tu & domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim. *Vide Cypr. ad Demetr.* S. Aug. *in hanc rem. Claudamus eximio Augustini loco. lib. 2. de Ciuit. c. 28.* Ab istarum immundissimarum potestatum Tartareo iugo, & societate pœnali eruti per Christi nomen homines, & in lucem sa- A lubertimæ pietatis ab illa perniciosissimæ impietatis nocte transferri queruntur, & murmurant iniqui & ingrati, & illo nefario spiritu altiùs obstrictúsque oppressi, quia populi confluunt ad Ecclesias casta celebritate, honesta vtriusque sexus discretione. *In Ecclesia olim viri à mulieribus separati, vt meminit Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 8. Clem. Rom. lib. 2. Constit. Apost. c. 57 Philo Iud. lib. de vita supplicum.* Vbi audiant quàm benè hîc ad tempus viuere debeant, vt post hanc vitam beatè semperque viuere mereantur. Vbi Sancta Scriptura iustitiæque doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante, & qui faciunt audiant ad præmium; & qui non faciunt, audiant ad iudicium. Quòd etsi veniunt quidam talium præceptorum irrisores, omnis eorum petulantia, aut repentina immutatione deponitur, aut timore, vel B pudore comprimitur. Nihil enim eis turpe ac flagitiosum spectandum imitandúmque proponitur, *sicut in cœtibus, Sacris, ludisque Gentilium*, vbi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur. *Impetrantur autem vi multorum orantium illata. Vnde Ambr. lib. de pœnit.* multi minimi dum congregantur vnanimes, sunt magni, & multorum preces impossibile est contemni. Aug.

14. *Christiana Religionis sanctitas, quia odio habita dum sponte ignoratur, cognita amatur. Apol. cap. 1. per totum.*

SI non licet vobis, Romani imperij antistites, in aperto & edito, in ipso fere vertice ciuitatis præsidentibus ad iudicandum, palam dispicere, & coram examinare, quid sit liquidò in causa Christianorum; si ad hanc solam speciem auctoritas vestra de iustitiæ diligentia in publico aut timet, aut erubescit inquirere; si denique, quod proxime accidit, domesticis iudiciis nimis operata sectæ huius infestatio obstruit defensioni; liceat veritati vel occultâ viâ tacitarum literarum ad aures vestras peruenire. nihil de causa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur. scit se peregrinam in terris agere; nter extraneos facile inimicos inuenire. Ceterùm, genus, sedem, spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere. vnum gestit interdum, ne ignorata damnetur. quid hîc deperit legibus in suo regno dominantibus, si audiatur? an hoc magis gloriabitur potestas earum, quo etiam auditam damnabunt veritatem? cæterùm inauditam si damnent, præter inuidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicuius conscientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non possint. Hanc itaque primam causam apud vos collocamus iniquitatis odij erga nomen Christianorum: quam iniquitatem idem titulus & onerat & reuincit qui videtur excusare, ignorantia scilicet. quid enim iniquius, quàm vt oderint homines quod ignorant, etiam si res meretur odium? tunc etenim meretur, cùm cognoscitur an mereatur. vacante autem meriti notitia, vnde odij iustitia defenditur? quæ non de euentu, sed de conscientia probanda est. Cùm ergo propterea oderint homines, quia ignorant quale sit quod oderunt, cur non liceat eiusmodi illud esse, quod non debeant odisse? ita vtrumque ex alterutro redarguimus, & ignorare illos dum oderunt, & iniuste odisse dum ignorant. Testimoniũ ignorantiæ est, quæ iniquitatẽ dum excusat condemnat, cùm omnes qui retro oderant quia ignorabant, simul desinũt ignorare cessant & odisse. Ex his fiunt Christiani. vtique de cõperto, & incipiunt odisse quod fuerunt, & profiteri quod oderant, & sunt tanti, quanti, & denotamur. Obsessam vociferantur ciuitatem. in agris, in castellis, in insulis, Christianos. omnem sexum, ætatem, conditionem, & iam dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mœrent: nec tamen hoc ipso modo ad æstimationem alicuius latentis boni promouent animos. non licet rectius suspicari, non libet propius experiri. hîc tantùm curiositas humana torpescit. amant ignorare, cùm alij gaudeant cognouisse. Quantò magis hos Anacharsis denotasset imprudentes de prudentibus iudicantes, quàm immusicos de musicis? malunt nescire, quia iam oderunt. adeò quod nesciunt, præiudicant id esse, quod si sciant, odisse non poterant; quando si nullum odij debitum deprehendatur, optimum vtique sit desinere iniustè odisse: si verò de merito constet, non modò nihil odij detrahatur, sed ampliùs acquiratur ad perseuerantiam, etiam iustitiæ ipsius auctoritate. Sed non ideò, inquit, bonum, quia multos conuertit; quanti enim ad malum performantur? quanti transfugæ in peruersum? Quis negat? tamen quod verè malum est, ne ipsi quidem quos rapit, defendere pro bono audent: omne malum aut timore, aut pudore natura

Digitized by Google

perfudit. denique malefici geſtiunt latère, trepidant deprehenſi, negant accuſati, ne torti quidem facilè aut ſemper confitentur. certe damnati mœrent. dinumerant in ſemetipſos. mentis malæ impetus vel fato vel aſtris imputant. nolunt enim ſuum eſſe, quod malum agnoſcunt. Chriſtianus vero quid ſimile? neminem pudet, neminem pœnitet, niſi planè retro non fuiſſe. ſi denotatur, gloriatur; ſi accuſatur, non defendit. interrogatus, vel vltro confitetur; damnatus, gratias agit. Quid hoc mali eſt, quod naturalia mali non habet? timorem, pudorem, tergiuerſationem, pœnitentiam, deplorationem. quid hoc mali eſt, cuius reus gaudet? cuius accuſatio votum eſt, & pœna felicitas? non potes dementiam dicere, quod reuinceris ignorare.

V. librum 1. *ad Nat. cap.* 1. *per totum & hîc Scholi.*

CHRISTIANÆ RELIGIONIS. XIV. SCHOL.

LICET. *Infra exponit, vel timere, ne innocentiâ fidelium cognita, eos ex Iuſtitia, abſolutos potius commendare, quam condemnare cogantur: vel agnita per examen eorum virtute, innocentiam condemnare, erubeſcant, vel* DOMESTICIS IVDICIIS, *alij legunt.* Indiciis, *id eſt contra ius commune, corruptis ſtudioſa & operata, id eſt data opera & præmeditata inſectatione domeſticis teſtibus qui falſa indicent crimina, & omnem defenſionis viam ſic occludant,* SECTÆ, *Religioni Chriſtianæ. Secta in bonam partem frequenter ſumitur à Tertulliano. Vnde in Ep. decret. Stephani,* meliora ac Deo placita ſectati, *dixit.* ANTISTITES, *Præſides Iuſtitiæ; vel ipſos Deorum Pontifices alloquitur, quorum etiam nomen Imperatores affectabant, vt liquet ex plurimis eorum nummis, quibus inſcriptum legitur* PONT. MAX. VERTICE. *Capitolium intelligit Auguſt. 4. de ciuit. cap 23 vbi de Felicitate dea* Auguſt. vt ipſum verticem collis capitolini Felicitas potiùs obtineret. DISPICERE, *aperiè quærere & diſcutere.* SPECIEM. *Terminus iuris, ſignificans caſum & cauſam.* DE CONDITIONE, *humili & ſerili putata à Gentilibus. Vel perſecutionis, quam non vt nouam,* MIRATVR. *In hoc poſita, iuxta Apoſtolum: præmonita à Chriſto,* ſi me perſequuti ſunt, & vos perſequentur: *Petro monente:* nolite peregrinari in feruore, &c. *Hoc eſt mirari, in tentatione, ſicut peregrini omnia quaſi noua mirantur, fideles autem ſciunt ſe peregrinos in hoc mundo, nec exilium metuunt, tota terra etiam poſſeſſa, à patria cœleſti exules. Aug. 1. de ciuit. cap. 15 vbi pro vero Deo patientes, confert & præfert fidei Reguli:* multo minus nomen criminandum eſt Chriſtianum, in captiuitate Sacratorum ſuorum, qui ſupernam patriam veraci fide expectantes, etiam in ſuis ſedibus peregrinos ſe eſſe nouerunt. *Et Paulus Hebr. 11. de Sanctis veteris Teſtamenti:* iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas adſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram GENVS, *Ex Petro, Nellum.* DIGNITATEM. *Regale Sacerdotium. Et ſanctis in cœlo in Apoc.* Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes. SEDEM. *Opponitur hæc vox, peregrino, non habenti ſedem & ciuitatem hîc permanentem.* GRATIAM, *fauorem ſummi omnium Regis Dei* GESTIT, *optat anidè.* AVDIATVR, *veritas & cauſa Religionis Chriſtianæ.* GLORIABITVR. *Quæ gloria poteſtari Iudicum & legum ſi veritatem auditam damnet? Vel forè, inquit, ſi Iudices dignentur audire Chriſtianos, & eorum Religionem examinare, vel in hoc ſummum ius ſuum, maiori cum gloria probabunt, cum nec agnitæ veritati parcant; & hoc facto oſtendam ſe ſupra omne ius eſſe.* INVIDIAM INIQVITATIS. *Odium & malum nomen iniquorum iudicum, & legum peruerſarum ſibi conciliabunt.* SVSPICIONEM. *id. ſani alicuius iudicij ſenſu fiet, vt ſuſpicetur vos contra conſcientiam agere, vel vos ipſos* A *conſcios probitatis noſtræ, ideo nos inauditos condemnare, quia timetis, auditos & interrogatos innocentes inuenire, & tales, quos iuſtè non poſſuiſtis condemnare.* REVINCIT. *Emphaticè dictum, vt quos vitios ſeu conuictos, & oneratos criminibus damnare volebatis, ipſi contra tantò iniquiores reuincamini, quò affectata ignorantia, odio proſequamini Religionem, quam ſi velletis non ignorare, ſed audire, non poſſetis odiſſe.* VACANTE. *Ceſſante, non extante.* EVENTV. *Vel iuſtum odium eſſe, probari non poteſt, ex eo quod eueniat, vt à Gentilibus & aduerſariis, de facto odio habeatur.* DE CONSCIENTIA. *id. debet ſciri & cognoſci, an iuſta ſit odij cauſa.* LICEAT. *Cur non tale eſſe poteſt?* RETRO. *Priuſquam cognoſcerent.* SIMVL. *Subandi* ſtatim atque. EXHIS, *qui ſcilicet prius ignorarant oderant Religionem noſtram.* DE COMPERTO. *Ex notitia veritatis.* TANTI. *Tam multi & numeroſi.* DENOTAMVR, *nota ſcilicet factioſæ multitudinis.* B *quæ vos terreat, & excitet ad clamandum, obſeſſam eſſe Romam à nobis.* CHRISTIANOS. *Supple eſſe vbique. Quod erat gaudium Pauli ſcribentis ad Romanos:* quod fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mũdo: *Vnde & dicta fides Catholica.* IAM DIGNITATEM. *Non tantum plebeios, & rudes ac ſimplices, ſed & Senatores, alioſque in dignitate conſtitutos, ab Idolis, ad Dei veri cultum.* TRANSGREDI, *tranſire, Sanctos tranſfugas.* QVASI DETRIMENTO, *legum, & cultus Deorum dolent ethnici.* LATENTIS BONI, *teſtantur hi planctus occultum Religionis noſtræ bonum, maximè quod magni & potentes, & ſapientes conuertantur, & tamen vos non excitant ad penitius inquirendum quid apud nos agatur. Etenim in tot alijs, curioſi ſitis inueſtigatores, in hoc tanto bono Latenti vobis & occulto torpetis.* DENOTASSET, *reprehendiſſet.* IMPRVDENTES, *vos qui rem & cauſam incognitam cæca mente damnatis.* PRVDENTES, *Chriſtianos à Chriſto monitos ſimplicitati columbinæ omnia patienti & raptum pignorum, & vitæ, &c. Prudentiam ſerpentis adiungere, vt in omnibus ſecundum Paulum:* caput teneant; *hoc eſt Chriſtum, caput omnis viri, & Eccleſiæ, & fidem eius, corpus, caudam, omnia quæ ſequuntur, retro obliti, pro tuendo capite exponentes. Prudentes verè qui cœleſtia terrenis, æterna temporaneis, Dei veri timorem & amorem, omnibus hominibus anteponunt.* QVANDO. *Quandoquidem,* DEBITVM, *meritum.* AMPLIVS. *Quid non inquiritis? ſi enim cauſa noſtra cognita, odium & perſecutionem mereri cognoſcatur, tantùm abeſt vt odium quod affectatis ceſſet erga nos, quinimò ex iniuſto, quo nunc per ignorantiam ardetis, iuſtum fiet, & perſeuerabit adauctum, cum auctoritate iuſtitiæ.* INQVIT, *aduerſarius, numero ſingulari, pro plurali, vſus eſt vt alias.* PERFORMANTVR. *Alij* præformantur, reformantur, *id eſt transformentur.* RAPIT, *deceptos, & abſtractos, ſub ſpecie boni.* TIMORE. *Vt primo poſt Adam, peccatori tremenſ; dictum,* vagus & profugus eris. *Et*

quid Adam? timui eo quod nudus essem. *Pacatus, in Paneg.* habet oculos conscientia carnifices, qui magis torquent & lancinant vitalia, quàm cruces, quàm vulnera, quàm tormenta. *Nota, naturæ, seu* vt Christianiùs loquar, *Dei prouidentiam, qui duabus habenis effrenem hominis in malum libidinem cohibuit, timore pœnæ, & honoris iactura.* GESTIVIT, *cupiunt maximè latere*: qui malè agit odit lucem: oculus adulteri obseruat caliginem. *Et rectè serui peccati & Principis tenebrarum, & negotij perambulantis in tenebris, vilia mancipia, latebras quærunt.* DINVMERANT. *Alij* deonerant. *Id est vel seipsos examinant, recensent passiones suas, quo die nati, qua hora, sub quo Planeta, vt passionum impetus tribuant fato vel astris. Iulius Firmicus lib. 1. cap. 1.* fit iniquus, fit perfidus, fit maleuolus, fit irreligiosus: quia hæc vitia, mala Mercurij cum Marte perficit constellatio, iam non sibi sed impellentibus stellis, vitio tribuat. *Auguſt. in Psal. 140.* non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis; cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum. *Vbi sic Auguſt.* quid est cor meum? cor Ecclesiæ meæ, cor vtique corporis mei, &c. Qui sunt electi eorum? qui seipsos iustificant. Qui sunt electi eorum? qui sibi iusti videntur, & contemnunt cæteros, sicut Pharisæus ille in templo dixit gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines. Qui sunt electi eorum? ille qui dixit: hic homo si Prophetа esset sciret vtique quæ & qualis mulier illa quæ accessit ad pedes, &c. Illa curari volebat conscia magni vulneris. Sed nunquid magnum vulnus, & paruus medicus? &c. Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quare? quia confessa est; quia fleuit, quia non declinatum est cor eius in verba maligna ad excusandas, &c. Non combinata est cum electis eorum, id est defendentibus se. Non enim & huic ipsi mulieri, si declinaretur cor eius in verba maligna, deesset defensio peccatorum. An non quotidie pares eius in turpitudine, sed non in confessione meretrices, adulteræ, flagitiosæ, defendunt peccata sua? si latuerint, negant: si autem vel deprehensæ atque conuictæ fuerint, vel publicè id egerint, defendunt. Et quàm facilis defensio earum, quàm cita, sed quàm præceps, quàm quotidiana, & quàm sacrilega! O si Deus hoc nollet, non facerem; hoc voluit Deus, fortuna hoc voluit, hoc voluit fatum. Non dicit, ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi. Non quomodo illa peccatrix ad pedes medici veniens. Et ista fratres mei defensio qualium est? Non solum indoctorum, sed etiam doctorum. Sedent & computant sydera, interualla, cursus, volubilitates. status, motus intendunt, describunt, coniiciunt, docti, magni videntur. Torum hoc doctum &

S. Auguſt.

S. Auguſt.

A magnum, defensio peccati est. Eris adulter, quia sic habes Venerem: eris homicida, quia sic habes Martem. Mars ergo homicida, non tu: & Venus adultera, non tu. Vide ne pro Marte & Venere tu damneris. Deus enim qui damnaturus est, nouit quia tu es qui dicis, non ego, iudici scienti. Porro ipse Mathematicus, qui tibi fabulas laqueorum tuorum etiam vendit, vt non vel gratuitam compares mortem: emis enim mortem à Mathematico, qui contempsisti vitam gratis à Christo ipse enim Mathematicus si vxorem suam paulò petulantiùs viderit conuersari, aut aliquos alienos improbè attendere, aut fenestram crebro repetere, nonne arripit, verberat, & dat disciplinam in domo sua? respondeat illi vxor, si potest: venerem cæde. Nonne & ille respondet, fatua, aliud est quod competit rectori, aliud est quod profertur emptori. SIMILE, *agit aut patitur.* RETRO, *ante, prius, non fuisse alim Christianum.* DENOTATVR, *nota infamiæ dispungitur, diffamatur.* QVID HOC. B *Quod genus & species criminis & mali* NATVRALIA. *Naturam & proprietates.* VOTVM. *Optatissimum, & pra omnibus desiderabile.* DEMENTIAM. *Sic ex Paulo,* stulta mundi elegit, &c. Quod stultum est Dei, sapientius est, &c. Nos stulti propter Christum. Gentibus stultitia. *Stultè gentiles dementia & stuporis insimulabant Christianos, quorum disciplinam ignorabant.* REVINCERIS, *planè & lucidè conuinceris.*

Et libro 1. ad Nat. c. 1. Schol. Ex præmissis Scholijs in caput 1. Apol. facilis patet huius textus expositio. Paucula subtexo. IGNORANTIÆ VESTRÆ, *affectatæ. Quæ frustra se tuetur ab iniustitiæ elogio, dum Innocentes Christianos persequitur. Eo enim ipso, iudices exaggerant iniustitiæ suæ crimen, eóque apertè conuincuntur: quod condemnent eos, quorum vitam ignorant.* FIVNT IPSI, *Christiani,* ADOLESCENTEM, *nouum multiplicari quotidie.* LATENTIS BONI, *thesauri fidei & gratiæ in agro Ecclesiæ.* IAM ODISTIS, *præuenti passione.* NON ODITVROS. *Si cognoscerent.* SI NVLLVM, *emolumentum. Vel crimen. Vel nihil criminis.* CAVSA, *iusta cognita fuerit post examen.* IVSTITIÆ SCIENTIA. *Scientes vos iustè iudicare post examinatam causam.* REDVNDANTIÆ, *multiplicationis,* CONVENIRE. *Vox iuris. Significans, debitorem appellare l. 41. ff. de hæred. pet. vel in ius vocare: vnde & dicta conuentio l. 45. ff. de rei vendit. l. 7. c. de præscript. 30.* EXTREMITATIBVS, *omnia enim in pejus ruunt. Vnde & Christus:* putas veniens filius Dei inuenict fidem in terra? *Quasi multiplicatio fidelium non probaret Christiana religionis sanctitatem. Cùm* stultorum infinitus sit numerus: *& plures natura corrupta pondere in perversum abeant.* A VOBIS. *Ab his qui inter vos iustiores reputantur.* PRISTINORVM. *Anteacta apud Gentiles vita.*

15. *Christiana Religionis sanctitas ex eo patet, quòd cùm cæteri rei torqueantur ad crimen confitendum, solis Christiani crucientur vt negent Christum. Apol. cap. 2. à p. ad circa f.*

ITaque nec in illo ex forma malorum iudicandorum agitis erga nos, quòd ceteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis Christianis ad negandum; cùm si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis. Neque enim ideo non putaretis requirenda quæstionibus scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis confessione, qui hodie de confesso homicida, scientes homicidium quid sit, nihilominus ordinem extorquetis admissi: quò peruersius, cum præsumatis de sceleribus nostris ex nominis confessione cogitis tormentis de confessione decedere, vt negantes nomen, pariter vtique negemus & scelera, de quibus ex confessione nominis præsumpseratis. Sed opinor non vultis nos perire, quos pessimos creditis, sic enim soletis dicere, homicidæ; Nega;

laniari iubere ſacrilegum ſi confiteri perſeuerauerit. Si non ita agitis circa nos nocentes, ergo nos innocentiſſimos iudicatis, cum quaſi innocentiſſimos non vultis in ea confeſſione perſeuerare, quam neceſſitate, non iuſtitiâ damnandam à vobis ſciatis. Vociferatur homo, Chriſtianus ſum. quod eſt, dicit: tu vis audire quod non eſt. Veritatis extorquendæ prætides de nobis ſolis mendacium elaboratis audire. Hoc ſum, inquit, quod quæris an ſim. Quid me torques in peruerſum? confiteor, & torques. Quid faceres, ſi negarem? Planè aliis negantibus non facile fidem accommodatis. nobis, ſi negauerimus, ſtatim creditis. Suſpecta ſit vobis iſta peruerſitas, ne qua vis lateat in occulto, quæ vos aduerſus formam, aduerſus naturam iudicandi, contra ipſas quoque leges miniſtret. Niſi enim fallor, leges malos erui iubent, non abſcondi: confeſſos damnari præſcribunt, non abſolui. Hoc Senatuſconſulta, hoc principum mandata definiunt. Hoc imperium, cuius miniſtri eſtis, ciuilis, non tyrannica dominatio eſt. apud tyrannos enim tormenta etiam pro pœna adhibentur: apud vos, ſoli quæſtioni temperantur. veſtram illis ſeruate legem vſque ad confeſſionem. ſi confeſſione præueniantur, vacabunt. ſententiâ opus eſt. debito pœnę nocens expungendus eſt, non eximendus. denique nemo illum geſtit abſoluere. non licet hoc velle. ideo nec cogitur quiſquam negare. Chriſtianum hominem omnium ſcelerum reum, deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum exiſtimas, & cogis negare vt abſoluas, quem non poteris abſoluere niſi negauerit. prævaricaris in leges. vis ergo neget ſe nocentem, vt eum facias innocentem; & quidem inuitum iam, nec de præterito reum. vnde iſta peruerſitas? vt etiam illud non recogitetis, ſponte confeſſo magis credendum eſſe, quàm per vim neganti; vel ne compulſus negare, non ex fide negarit; & abſolutus, ibidem poſt tribunal, de veſtra rideat æmulatione iterum Chriſtianus. Cùm igitur in omnibus nos aliter diſponitis quàm cæteros nocentes, id vnum contendendo, vt de eo nomine excludamur (excludimur enim, ſi facimus quæ faciunt non Chriſtiani) intelligere poteſtis, non ſcelus aliquod in cauſa eſſe, ſed nomen, quod quædam ratio æmulæ operationis inſequitur; hoc primum agens vt homines nolint ſcire pro certo, quod ſe neſcire pro certo ſciunt. Ideo & credunt de nobis. quæ non probantur, & nolunt inquiri, nè probentur non eſſe, quæ malum credi eſſe, vt nomen illius æmulæ rationis inimicum, præſumptis, non probatis criminibus, de ſua ſola confeſſione damnetur. Ideo torquemur confitentes, & punimur perſeuerantes, & abſoluimur, negantes, quia nominis prælium eſt. *Et libro* 1. *ad Nationes, cap.* 2. *per totum. Et hic Scholia.*

CHRISTIANÆ RELIGIONIS. XV. SCHOLIA.

IN ILLO. *Egerat immediatè antè de Reſcripto Traiani, quo inquiri Chriſtianos vetauerat, oblatos, vel inuentos abſque perquiſitione puniri mandauit. In illo ergo caſu quo aliquis, non inueſtiganti Iudici, oblatus Chriſtianus, torquetur, formam iudicandi reos non ſeruatis.* NEGANTIBVS *crimina ſua.* AD CONFITENDVM, *Crimen, de quo interrogantur.* EX NOMINIS. *Quaſi in Nomine Chriſtiano omnia crimina concludantur. Non eſt, inquit, quod vos excuſetis, ô Gemitet Iudices, dum Chriſtianos non interrogare cauſemini, quod ſatis ſit ad eos conuincendos, reos eſſe cuiuſuis criminis, quòd nomen Chriſtiani habeant, quo ſceleratus homo ſignificatur; cùm in hodierno etiam iudicio, certiſſimi gentilem aliquem homicidium commiſiſſe, & proprio ore confeſſum,* SCIENTES *Quantum ſit crimen homicidij, contenti non eſtis, ſumma delicti cognita; ſed inſuper, reum tortura applicatis, vt modum, locum, tempus ſocios criminis, & ordinem delicti commiſſi extorqueatis.* QVO PERVERSIVS, *Id eſt, vt hoc facto maiori peruerſitate cogatis nos vi tormentorum, vt negemus Chriſtianum nomen prius confeſſum, quo omnia inclusi ſcelera præſumebatis. Nec circumſtantias exigitis ſicut in aliis reis.* SED OPINOR. *Ironicè dictum. Quomodo peſſimos & ſceleratiſſimos à vobis cenſitos, ſubito negato nomine Chriſtiano, abſolvitis? An quia perire non vultis, quos morte digniſſimos antea cenſebatis? Alij ſic legunt* Sic enim ſoletis dicere homicidas. Negatis laniari iubere ſacrilegum, ſi confiteri perſeuerauerit. *Nos Rigaltium ſequuti.* SOLETIS DICERE, HOMICIDÆ. *Id. ſic capita mouentes, audito nomine Chriſtiani, vt Chriſto Iudæi inſultantes:* Vah qui deſtruis templum Dei &c. *Quid ſunt Chriſtiani niſi homicidæ? Sed melius: An ſic ſoletis dicere, homicida alicui,* NEGA. *Crimen tuum, & abſolueris: ſicut Chriſtiano dicitis, Nega nomen tuum, & ab equuleo & morte liberaberis:* LANIARI IVBERE. *Immo vero, ſoletis iubere laniari ſacrilegum, ſi in confeſſione delicti perſeuerauerit.* SI NON ITA, *Si alia forma contra nos agitis quos nocentiſſimos reputatis, ſed vultis ſtatim atque eiuraverimus Chriſtiani nomen, relaxemur à pœnis, quaſi innocentiſſimi; vbi iuſtitia veſtra? cùm talis abiuratio ſit extorta vi tormenti, & non vera.* IN PERVERSVM. *Vt contra veritatem dicam.* VIS LATEAT. *Impulſu diaboli.* MINISTRET, *Agat, impellat, vt miniſtros impietatis.* ERVI. *Id. Detegi.* TORMENTA. *Ad eruendam veritatem infliguntur, qua confeſſa ceſſant, & hoc voluit per hæc verba:* Soli quæſtioni temperantur, *Id eſt, menſurantur; ob ſolam veritatem extorquendam imponuntur. Vnde, ſi antequam torqueantur rei, crimen confiteantur,* VACABVNT. *Id. Ceſſabunt vires huiuſmodi legum tortura. Aliàs ſi Chriſtianus cuncta ſua crimina, in ſuo nomine confeſſus, fateatur, & tamen torqueri non ceſſat, nec vltima mortis ſententia in eum pronuntiatur, tum ô Iudices veſtra dominatio ciuilis eſſe ceſſabit, & à legum veſtrarum ciuilium ſtatuis exorbitans, degenerabit in tyrannicam: ita enim Tyranni tormenta, pro pœna extrema adhibent, nec his vtuntur ad crimen occultum confeſſione extorquendum, ſed ſanguine hominum cruciatu expleri geſtiunt.* SENTENTIA OPVS EST. *Oportet pronuntiare mortis ſententiam in Chriſtianum, confeſſum*

ſummum illud quod creditis crimen. EXPVNGENDVS EST. *Debi à pœnâ mulctandus non autem, vt vos iniuſtè facitis, negato hoc crimine, ſupplicio liberandus, nulla vlteriori facta innocentiæ inquiſitione.* ILLVM. *Quemlibet reum, confeſſum crimen nemo cupit iudicem abſoluere. Sed nec ſolum id velle, per iniuſtitiam licet: quia* Eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi. *Vnde nec quiſquam compellitur negare crimen ſuum, ſed potiùs confiteri.* EX FIDE. *Id. ex conſcientia.* POST TRIBVNAL. *Statim poſt ſententiam abſolutionis latam & in eodem loco, retro ipſum tribunal rideat Zelum veſtrum pro cultu deorum.* NOS DISPONITIS. *Id. de nobis.* EO NOMINE, *Nocentum ſcilicet & reorum.* EXCLVDIMVR. *A numero ſcilicet ſceleratorum. ſi nos ipſi facimus quæ faciunt illi, qui non ſunt Chriſtiani; hoc eſt ſi negamus & abiuramus nomen Chriſtiani, & impiè viuimus ſicut infideles, tunc à vobis pro iuſtis accipimur, & à nocentium numero ſecernimur.* INTELLIGERE, *Videtis clarè cauſam noſtram in iudicium non vocari propter ſcelus aliquod, ſed ob ſolum nomen Chriſtiani quod perſequimini ex zelo & inuidia operum Chriſtianorum iuſtorum & Sanctorum, quæ ſunt contraria veſtris. Vel diabolicus inſtinctus id operatur in vobis. Id enim agit, vt nolitis certò ſcire quàm ſimus innocentes, vt hoc pacto neſcientes quid certe ſimus ſub ignorantia pallio, quaſi tuta lateat iniuſtitia veſtra. Iuſtinus Apol. 2.* Non legitimo examine iudicia exercetis, ſed affectu præter rationem tranſuerſum ducti, & malignorum dæmonum flagris incitati, cauſâ non iudicatâ ſupplicia infertis, nihil penſi habentes. *Id eſt gratis & ſine mercede, quàm ſatisfacta tyrannicæ vltionis. Sic Eccleſia pſaltis voce Pſalmo 118.* Principes
S. Auguſt. perſecuti ſunt me gratis. *In quem locum Aug.* Quid enim Chriſtiani læſerunt regna terrena, quamuis eis regna cœlorum promiſerit Rex eorum? Quid inquam læſerunt regna terrena? Numquid eorum Rex milites ſuos prohibuit impendere & exhibere quæ debentur Regibus terræ? Nonne de hoc calumniam ſibi molientibus Iudæis ait: reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt, &c? Nonne tributum de ore piſcis ipſe perſoluit? Nonne præcurſor eius militibus regni huius quid facere deberent pro æterna ſalute quærentibus non ait; ſingulum ſoluite, arma proiicite, regem veſtrum deſerite, vt poſſitis Domino militare: ſed ait, neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum? *De Baptiſta loquitur ex Luc. 3.* Nonne vnus militum eius, & diui
S. Auguſt. lectiſſimus comes eius commilitonibus ſuis, & quodammodo Chriſti Prouincialibus dixit: Rom. 13. omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: & paulo poſt, ait reddite omnibus debitũ: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem honorem: Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis: Nonne præcepit. 1. Tim. 2. Vt pro ipſis etiam Regibus oraret Eccleſia? Quid ergo eos Chriſtiani offenderunt? Quod debitum non reddiderunt? In quo Chriſtiani non ſunt terrenis Regibus obſequuti? Ergo terreni Reges Chriſtianos gratis perſecuti ſunt. ÆMVLÆ RATIONIS *Diabolicæ, & Tyrannicæ* PERSEVERANTES *In confeſſione nominis.* NEGANTES *Nomen Chriſtianum.* PRÆLIVM EST. *Non crimen, ſed nomen perſequimini ſanctum & innoxium.*

Et lib. 1. ad Natio. cap. 2. Schol. OPINOR. *Ironicè dicta.* ISTO NOMINE. *Chriſtiani ſcil. Quod omne malum & crimen inuoluit.* SANE CÆTEROS. *Reos cuiuſcumque alterius criminis. Et hæc quoque ironicè dicta* TENDITIS, *In equuleo diſtenditis,* AGIMVR. *Aliter tractamur. In actione & cauſa noſtra alia iuris forma ſeruatur. Agere enim vel agi, vox iuris eſt, vnde & agi de capite, eſt in capitis diſcrimen venire. Agere falſi vel furti, vel agi de furto & falſo, eſt actionem furti, vel falſi intendere, vel pati. l. 30. ff. de Inoffic. Teſt.* NON TEMERE. *Cum crimen publicum & per ſe notum eſt.* CONSVLATVR. *Potuit & legi, conſultatur. Deliberatur.* NON DISPVNCTA. *Licet ſtatim reus confiteatur crimen, non tamen plenè contentus & ſatisfactus eſt iudex, niſi & circumſtantias criminis exquirat.* QVAMQVAM. *Quantumlibet ſponte confitentibus.* LEVIORA ELOGIA. *Vox iuris ſignificans teſtificationem de certo homine, vt de inquiſitione criminum alicuius rei, quæ ad Magiſtratum mitti ſolet, qui ea de re cognoſcit: Vel elogia ſumuntur pro notoriis, ſeu indiciis criminum, quæ vulgo onera & informationes dicimus. l. 6. Et. 11. ff. de Cuſtod. Reor. leg. 3. ff. de re militari. Elogium item eſt notatio quædam cenſoria exhæredationis cauſam continens. Ita Africanus l. 14. §. 2. ff. de lib. & Poſth. Breuiora itaque Elogia Chriſtianorum dicit quod vno Chriſtiani nomine rei, & bonis exhæredari, & vita priuari, & omnibus ſuppliciis vexari, hoc ſolo titulo mererentur.* CREDO. *Ironicè dicta.* CERTARE. *Omnem tormenti machinam mouere, vt nos ad negationem nominis Chriſtiani, proindéque totius criminis noſtri compellatis.* CONVIVIA ILLA. *Cruenta ex eſu infantum.* INCVRSASSET. *Hinc inde in tenebris inceſtuosè concumbendo.* GENERIS, *eiuſdem criminis.* INFANTARII *Infantum carnifices & venditores.* CANES PRONVBI. *Lenonem dixit in Apologetico, qui euertentes & extinguentes lumina, occaſione tenebrarum præmiſſâ, ad inceſtus liberè perpetrandos pronocarent.* EMENDATA. *Nil eſſet arguendum in hac iudicij forma, aquitas eius per ſe conſtaret.* GRATIA, *Gratius eſſet ſpectaculum ob multitudinem ſpectatorum.* CAVEAM. *Pars pro toto Amphitheatro.* TAM HORRENDA. *Supplendum deferuntur.* FIDEM TEMPERANT, *ſuſpendunt. Vel abſtinent à credulitatis facilitate.* HORRENTES. *Impoſſibile cenſentes naturam hominis prorſus alienam à ferina, ferarum more, in concubitus inceſtos & cibos humanarum carnium ruere. Vt enim natura nos ab antris & cubilibus, ſic à menſis & pabulis ferarum excluſit.*

16. *Chriſtiana Religio Gentilibus odioſa ex ſolo nomine dulci & ſancto. Apol. cap. 2. in fin. & 3. inp. adm.*

QVid de te bella recitatis illum Chriſtianum, cur non & homicidam? ſi homicida Chriſtianus, cur non & inceſtus? vel quodcunque aliud eſſe nos creditis? in nobis ſolis pu-
CAP. III. det aut piget ipſis nominibus ſcelerum pronuntiare. Chriſtianus ſi nullius criminis nomen eſt, valde ineptum ſi ſolius nominis crimen eſt. Quid? quod ita plerique clauſis oculis in odium eius impingunt, vt bonum alicui teſtimonium ferentes, admiſceant nominis exprobrationem, Bonus vir Caius Seius, tantùm quòd Chriſtianus. Item alius, Ego miror Lu-

cium ſapientem virum repente factum Chriſtianum. Nemo retractat, ne ideo bonus Caius, & prudens Lucius, quia Chriſtianus: aut ideo Chriſtianus, quia prudens & bonus. Laudant, quæ ſciunt; vituperant, quæ ignorant: & id quod ſciunt, eo quod ignorant, corrumpunt: cum ſit iuſtius occulta de manifeſtis præiudicare, quàm manifeſta de occultis prædamnare. Alij, quos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos nouerant, ex ipſo denotant quo laudant. cæcitate odij in ſuffragium impingunt. Quæ mulier! quàm laſciua, quàm feſtiua! Qui iuuenis! quàm luſius! quàm amaſius! facti ſunt Chriſtiani. Ita nomen emendationi imputatur. Nonnulli etiam de vtilitatibus ſuis cum odio iſto paciſcuntur, contenti iniuriâ, dum ne domi habeant quod oderunt. Vxorem iam pudicam maritus iam non zelotypus eiecit: filium iam ſubiectum pater retro patiens abdicauit. ſeruum iam fidelem dominus olim mitis ab oculis relegauit. Vt quiſque hoc nomine emendatur, offendit. Tanti non eſt bonum, quanti eſt odium Chriſtianorum. Nunc igitur, ſi nominis odium eſt, quis nominum reatus? quæ accuſatio vocabulorum? niſi ſi aut barbarum ſonat aliqua vox nominis, aut infauſtum, aut maledicum, aut impudicum. Chriſtianus vero, quantum interpretatio eſt, de vnctione deducitur. Sed & cum perperam Chreſtianus pronuntiatur à vobis (nam nec nominis certa eſt notitia penes vos) de ſuauitate, vel benignitate compoſitum eſt. Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. *Et libro* 1. *ad Nationes cap.* 3. *&* 4. *per totum. Et hîc Schelia.*

CHRISTIANA RELIGIO. XVI. SCHOLIA.

DE TABELLA. *Libello ſiue membrana, in qua ſententia, cauſa & crimen rei ſcripta pronuntiabatur. Sic ſententias S. Cypriani ex Pontio in eius vita*, legit de tabula iam ſententiam iudex, in qua dictus eſt, ſectæ ſuæ ſignifer, & inimicus deorum, & qui ſuis futurus eſſet documento, & quod ſanguine, eius inciperet diſciplina ſanciri. ET INCESTVS. *Subaudi* ſi vt *in prima parte. Hoc eſt, cur ſicut in alijs ſententijs, cauſa damnationis, & crimen nominatim exprimitur, cur idem non pronuntiatis in cauſa Chriſtiani, ſi homicidia, ſi inceſtus, &c.* IPSIS NOMINIBVS, *id. ob nomina & notas criminum ſententiam pronuntiare, vel piget ob contemptum, vel quod ſuperfluum ſit aliam cauſam, quàm quod ſit Chriſtianus ſumma criminum notus; vel pudet, quia falſum & impoſitum crimen, ex inquiſitione detegeretur.* CHRISTIANVS, *id eſt hoc nomen.* TANTVM QVOD, *&c. Id eſt nihil in eo culpabile, abſolutè bonus eſſet, ſi non eſſet Chriſtianus.* NEMO RETRACTAT. *Nullus expendit, eos ideo bonos & prudentes, quia Chriſtiana Religio vnà cum fide, bonitatem & prudentiam infudit, & vis nominis ſe ad virtutem omnem exercendam obſtrictos ſentiunt.* AVT IDEO, *id. idcirco merito Chriſtiani ferunt nomen, quia tanti vim nominis implent. Vel quod, vt de Cornelio gentili facto Chriſtiano dicitur in Actis* 10. 4. orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. *Ita & Iudæi Chriſtum pro Centurione rogauerunt:* dignus eſt vt hoc ei præſtes; nam & Synagogam ædificauit nobis. *Dignus vterque baptiſmo, non de condigno, ſed de congruo. Et ſic intelligi poteſt Tertul.* ideo Chriſtianus. *Alias contra Paulum & Auguſtinum centum locis, gratiæ defenſores*, ſi ex operibus, iam non eſt gratia. *Et rurſum*; quis enim te diſcernit? *hoc eſt non tu, nec merita; ſed Gratia Dei.* Auguſt. *Auguſt. lib. de prædeſt. ſanctorum cap.* 7. *vbi ex Io.* 6. *inducit iudæos dicentes*, quid faciemus vt operemur opera Dei? reſpondit Ieſus & dixit eis: hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille. Sic ergo diſtinguit Apoſtolus ab operibus fidem, quemadmodum in duobus Hebræorum regnis, diſtinguitur Iudas ab Iſraël, cùm ipſe Iudas ſit Iſraël. Ex fide autem dicit iuſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa primò datur, ex qua impetrentur cætera quæ propriè opera nuncupantur, in quibus iuſtè viuitur. Nam dicit etiam ipſe Epheſ. 2. gratiâ ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Id eſt, quod dixi, per fidem: non ex vobis, ſed Dei donum eſt etiam fides: Non ex operibus, inquit, ne fortè quis extollatur. Solet enim dici: ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet: quod de Cornelio dici poteſt, cuius acceptæ ſunt Eleemoſynæ, & exauditæ orationes antequam credidiſſet in Chriſtum: nec tamen ſine aliqua fide donabat & orabat: nam quomodo inuocabat in quem non crediderat Rom. 10? Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſaluus, non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apoſtolus Petrus. Quamuis, niſi Dominus ædificauerit domum, &c. Pſal. 126. quaſi ad ædificium non pertineat fides; quaſi ad ædificium inquam non pertineat fundamentum. Quod ſi in primis, & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ædificans fidē, niſi eam Dominus miſerando intus ædificet. *Cæterùm ideo bonus quilibet, quia Chriſtianus. Nulla enim ſecundum Deum, ex Aug. ſæpiſſimè* S. Auguſt. *ſunt opera qualibet moralia paganorū, immo iuxta Paulum:* omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt: *quia radice corrupta, amore proprio, & defectu fidei intentionem dirigentis in verum finem vltimum, vel vt ſibi, vel vt Phariſæi:* omnia opera ſua faciunt vt placeant hominibus. QVÆ SCIVNT. *Apparentem ſanctæ virtutem moralem*, QVÆ IGNORANT, *radicem fidei*, CORRVMPVNT. *id. corruptum cenſent, per fidem quam ignorant, à qua ſola tamen laus omnis virtutis iuxta Apoſtolum:* ſi radix ſancta & rami. RETRO, *pridem. prius.* DENOTANT: *Contumelia afficiunt.* IMBINGVNT. *id. odium rapit gentiles vt ſuffragium ferant contra Chriſtianos, & nomen Chriſtiani, vt cuius improbus quiſque vitam emendat, in vitium trahitur. Vt dicant non mirum, ſi mulier laſciua, aut iuuenis*, LVSIVS, *id. ludo, choreis, theatris, aleis addictus facti ſint Chriſtiani. tales ganeones quærit hæc profeſſio Chriſtianorum. Alij legunt:* quam laſciuus, &c. Emendationis, &c. DENOTANT. *Ex ipſo vituperant, Chriſtianum factum, quod laudant aliunde poſt ſuſceptam fidem emendatum, & non amplius luxurioſum. Vel contrario, vt ſupra ſenſu, ex eo ipſo, quod laudant gentiles, Deos ſuos lubricos imitantes, Chriſtianos vituperant, quaſi huiuſmodi ſordida ſectantes auidè recipiantur ad fidem.* PACISCVNtur, *id tractant cum odio ſuo, vt eius cauſa aliquid etiam vtilitatis quod ex domeſticis Chriſtianis capiebat, malens amittere, quàm domi retinere.* IAM IVDICAM,

quòd adulterijs fide ſuſcepta renuntiauerit. IAM NON. *Vt priùs cauſa zelotipia, ſed zelo falſæ Religionis.* RETRO PATIENS, *prius rebellem.* OLIM MITIS *Erga ſeruum tum infidelem.* VT. *Cùm primùm.* HOC NOMINE *Chriſtiani ſuſcepto corrigitur.* OFFENDIT. *Ipſo facto reus eſt.* TANTI *Non ſit bonum virtutis & propriæ vtilitatis.* VOX, *Sillaba*, CHRISTIANVS. *Prima ſillaba Græcis vnctum, Hebræis altera gratioſum ſonat. Alij legunt*: Chreſtianus. *Ex Lactantio* Exponenda huius nominis ratio eſt, propter ignorantium errorem, qui cum immutata litera Chreſtum ſolent dicere.

Et lib. 1. ad Nat. cap. 3. & 4 HORRENDIS. *Inceſtu, infanticidio, humanæ carnis pabulo* CONFESSIONEM. *Rei crimen fatentis.* DIGERENDO. *Ordine diſquirendo circunſtantias criminis.* DVCI. *Palam per compita cum elogio & titulo criminis traduci, inde in carcerem duci vel ad crucem.* OCCVLTA VIS. *Dæmonum odium vos exagitans.* RECEDATVR. *Vt eiuremus & abiiciamus nomen Chriſtianũ.* CRVENTI, *Infanticidio.* OBICERE, *Obiicere.* INSTITVTVM DIRIGIT. *Mandatum & diſciplina Chriſtiana tantùm abeſt, vt nos ad hæc crimina inſtituat & dirigat, quin potius cum Pſalte petit*: Dirige me in ſemitam mandatorum tuorum, &c. Lex Domini immaculata conuertens animas: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, &c. PROLATIO ADSIGNAT. *Nullus iudex, in ſententia contra Chriſtianum prolata, talia crimina adſignat Chriſtiano, huiuſmodi ſcelerum onera non ei imponit.* DE SVAVITATE *Vnguenti ſcil. balſami, Chriſmatis, de quo Pſalles*: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum: ſicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti eius. *De quo & ſponſa*: Trahe nos poſt te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. *A capite quippe Chriſto ſuauitas vnguenti fluxit in veſtem eius vſque ad extremam oram & fimbriam. Vt de Eccleſia & omnibus eius fidelibus impleatur illud*: Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis. *Et rurſum illud*: Odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. VEL BONITATE. *Quam ſonat Chreſtianus, quam quilibet fidelis à Deo optimo poſcit, qui* Spiritum bonum promiſit petentibus ſe: *De quo & Pſalles*: Spiritus tuus, inquit bonus, deducet me in terram rectam. *Vnde Auguſtinus eodem loco Pſal. 142.* Spiritus tuus bonus, non meus malus. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, quę ſpiritus meus malus deduxit me in terram peruer[illegible]. MODVLATVM. *Compoſitum eſt. Sicut de Joſia ſcriptum Eccli. 49. 1.* Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris, facta opus pigmentarij. In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini. *Vnde ſubiicit Tertullianus nomen Chriſtianum*, ET SONORVM, ET INTERPRETATIONE IVCVNDVM. *Idem quippè ſonat Ioſiæ nomen, & mellis ſapore, & odoris ſuauitate, & melodiæ iucunditate elaboratam bonitatem.*

CAP. IV. TRADVX. *Deriuans in ſe malum nomen authoris ſui* PRÆSVMERETVR, *Id. temerè nomen authoris ſectæ cuiuſpiam quis ſumeret, niſi ſententiâ & moribus ſequeretur authorem. Vel iudex temere ſectario mali nominis ab authore deducti reatum imponeret, niſi prius qualis eſſet author, & ſecta eius, dignoſceret.* DETINENTES. *Ream tenentes in tribunalibus & ergaſtulis ſectam.* OPEROSISSIMAM. *Inuentu difficillimam, tantis obnubilatur errorum, mendacio-*

A *rum, ignorantiarum tenebris.* INLVDIT. *Adulterat & veroſimilia & apparentia pro certis venditat.* PYTHIVS VESTER. *Apollo quem colitis.* VIDIT VERITAS. *Videre fecit, & verum dicere compulit.* SOLETIS, *Supple obiicere.* NEMINI SVBVENIT. *Tacitè in mentem venit.* IDEO BONVS. *Quia ſecta Chriſtiana ad omnimoda bonitatis & perfectionis diuinæ imitationem enitipræcipit Chriſtianos: Principe ſectæ monente Chriſto*: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. *Vnde & ipſi à Deo optimo petunt.* Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, &c. *Verùm omnem bonitatem debet Chriſtianus in ipſum bonitatis fontem ſemper humili gratiarum actione refundere, & ſuauitatis gratiæ acceptam reſtuere bonitatem. Vnde Auguſtinus* 2 *concione 17. In hunc verſum Pſalmi 118.* Quod ait Græcus χρηστότητα, aliquando ſuauitatem, aliquando bonitatem noſtri interpretes tranſtulerunt. Verùm quia ſuauitas poteſt eſſe & in malo, quando illicita quæque, & immunda delectant; poteſt etiã eſſe & in ea quæ conceditur, voluptate carnali; ſic debemus intelligere ſuauitatem quam χρηστότητα Græci vocant, vt in bonis ſpiritalibus deputetur. Propter hoc enim, & bonitatem eam noſtri appellare maluerunt. *Etiam à Chriſto totius vnctionis, bonitatis, ſuauitatis capite derivatam.* Nihil hîc ergo aliud dictum exiſtimo, ſuauitatem feciſti cum ſeruo tuo: niſi, feciſti vt me delectaret & bonum. Quando enim delectat & bonum, magnum Dei donum eſt. Quando autem bonum opus quod lex imperat, fit timore pœnæ, non amore iuſtitiæ, cùm Deus metuitur, non amatur; ſeruiliter fit, C non liberaliter. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum Io. 8. Quia conſummata charitas foras mittit timorem 1. Io. 4. Suauitatem itaque feciſti cum ſeruo tuo Domine, faciendo filium, qui ſeruus fuit, &c. Cum quo ergo facit Deus ſuauitatem, id eſt cui propitius inſpirat bonidelectationem, &c. Cui donatur à Deo Charitas Dei, & propter Deum charitas proximi, profectò inſtanter orare debet, quò tantùm ſibi augeatur hoc donum, vt non ſolùm pro illo contẽnat delectationes cæteras, ſed etiam, pro illo quaſlibet perferat paſſiones. Ita ſuauitati ſalubriter additur diſciplina: *Vnde Pſalles, bonitatem, inquit, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Non quantulæcumque ſuauitati vel bonitati, hoc eſt Charitati ſanctæ poſcenda eſt & obtinenda; ſed tam magnæ, D vt ſub eius preſſura non poſſit extingui, ſed ſicut ingens flamma, ſub impetu venti quantò magis reprimitur, tantò ardentius excitari. Ideo parum fuit dicere, ſuauitatem feciſti cum ſeruo tuo, niſi rurſus repeteret: vt eum doceat ſuauitatem, tantam vtique, vt diſciplinam poſſit patientiſſimè ſuſtinere. Tertia ponitur ſcientia: quoniam ſi magnitudine ſuâ præcedit ſcientia magnitudinem Charitatis, non ædificat, ſed inflat. Cùm ergo tanta fuerit Charitas in bonitate ſuaui, vt tribulationibus non poſſit extingui, quas adhibet diſciplina, tunc vtilis erit ſcientia, quâ innoteſcat etiam ſibi homo quid ipſe meruerit, & quæ à Deo donata ſunt ei, per quæ poſſe ſe ſciat, quæ ſe poſſe neſciebat. Et per ſeipſum omnino non poterat. HVMANIVS, *Rationabilius* INVSITATÆ *Quod facta* E *Chriſtiana ſponte domi ſe captiuam teneret* PATIENTIAM OBTVLISSE *Vt diuortio facto, recederet & in pace.* RADIANT. *Inſignes ſunt, innoteſcunt omnibus.*

17. *Christiana Religio sola nomine rea, absque vlla inquisitione criminis iniustè condemnata. Apol. cap. 2. in p. ad circa m.*

SI certum est denique nos nocentissimos esse; cur à vobis ipsis aliter tractamur, quàm patres nostri, id est ceteri nocentes? cùm eiusdem noxietatis eadem tractatio deberet intervenire. Quodcunque dicimur, cùm alij dicuntur, & proptio ore, & mercenariâ aduocatione vtuntur ad innocentiæ suæ commendationem respondendi, altercandi facultas patet; quando nec liceat indefensos & inauditos omnino, damnari. Sed Christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod iudicem non faciat iniustum: sed illud solum expectatur, quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis: quando si de aliquo nocente cognoscitis, non statim confesso eo nomen homicidæ, vel sacrilegi, vel incesti, vel publici hostis (vt de nostris elogiis loquar) contenti sitis ad pronuntiandum, nisi & consequentia exigatis, qualitatem facti, locum, modum, tempus, conscios, socios. de nobis nihil tale: cùm æquè extorqueri oporteret quodcunque falsò iactatur; quot quisque iam infanticidia degustasset; quot incesta contenebrasset; qui coqui; qui canes affuerint. ô quanta illius præsidis gloria, si eruisset aliquem qui centum iam infantes comedisset. Atquin inuenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, cùm prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret consuluit tunc Traianum Imperatorem, allegans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo, & ad confederendam disciplinam: homicidium, adulterium, frandem, perfidiam & cetera scelera prohibentes. Tunc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere. ô sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos, vt innocentes, & mandat puniendos, vt nocentes: parcit & sæuit: dissimulat; & animaduertit. Quid temetipsam censura circumuenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & absoluis? Latronibus vestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur. in reos maiestatis & publicos hostes omnis homo miles est: ad socios, ad conscios vsque inquisitio extenditur: solum Christianum inquiri non licet; offerri licet. quasi aliud esset actura inquisitio, quàm oblationem. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum; qui puto iam non ideo meruit pœnam, quia nocens est, sed quia, non requirendus, inuentus est.

CHRISTIANA RELIGIO. XVII. SCHOLIA.

NOXIETATIS. *Aly* noxæ. MERCENARIA. *Id. mercede conducta oratione Aduocatorum. Zeno Veron. ser. 2 de Mauris.* diserti mercenaria, ac duplici lingua. *Augustin. Ep. 54. ad Macedon. vbi tractat quomodo sit pro reis intercedendum*: non ideò debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis verum testimonium, quia vendit aduocatus iustum patrocinium & Iurisperitus verum consilium. Illi enim inter vtramque partem ad examina adhibentur: isti ex vna parte consistunt. Cùm autem iudicia & testimonia, quæ nec iusta, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratiùs vtique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamuis à volentibus datur. Ille tamen solet tanquam malè sibi ablatam pecuniam repetere, qui iustum iudicium emit, quoniam venale esse non debuit, qui vero pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret, vel puderet emisse, &c. Veruntamen si iustitia sinceriùs consulatur, iustius dicitur Aduocato: redde quod accepisti, quando contra veritatem steristi, iniquitati adfuisti, iudicem fefelliſti, iustam causam oppressisti, de falsitate vicisti: quod vides multos honestissimos & disertissimos viros, non solum impunè, verum etiam gloriosè videri sibi committere: quàm cuiquam in quolibet officio militanti: redde quod accepisti, quando iubēte iudice cuicumque causæ necessarium hominem tenuisti, ne resisteret vinxisti, ne fugeret inclusisti, postremò aut permanente lite exhibuisti, aut finitâ dimisisti. Sed illud cur aduocato non dicatur, in promptu est, quia scilicet

Omniloquium.

A ita non vult homo repetere, quòd patrono, vt malè vinceret, dedit; sicut non vult reddere, quod ab aduersario, cùm malè vicisset, accepit. Quis tandem aduocatus, aut exaduocato, ita vir optimus facilè reperitur, qui suscepto suo dicat: recipe quod mihi cùm tibi malè adessem, dedisti, & redde aduersario tuo quod me agente iniquè abstulisti? & tamen, quem prioris non rectæ vitæ rectissimè pœnitet, etiam hoc facere debet: vt si ille, qui iniquè litigauit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, eius tamen iniquitatis, nolit iste habere mercedem: nisi fortè restituendum est alienum. quod per furtum clanculo auferitur, & restituendum non est alienum, quod in ipso foro, vbi peccata puniuntur, decepto iudice, & circumuentis legibus obtinetur? NECESSARIVM. *Odio publico implendo.* QVANDO. *id. cum.* ELOGIIS. *In malam partem sumitur. Tales reputati Christiani.* INFANTICIDIA. *Imponebantur hæc falsa crimina Christianis à Gentilibus ignaris sacrificij increuenti: putabant enim Christianos singulis diebus infantem immolare, & eius carne pasci, & canes alligatos candelabris, ad panem intinctum offæ proiectum hinc inde accurrentes lumina extinguere, & sic simul extincto pudore absque differentia fratres, sororibus & consanguineis incesto concubitu admisceri. Sic Athenagoras, pro Christianis*: trium flagitiorum rumor de nobis spargitur, impietas quæ Deos tollat, epulæ Thyestææ, concubitus incesti. ERVISSET. *Voxiuris significans occulta crimina admissa in tenebris ad lucem; Præsidit, id. judicijs. præsentia vocata.* ATQVIN. *Frequenter*

B

pro atqui. *Plinius secundus, & Euseb lib. 3 Hist. cap. 27. eadem narrat. Vide Plin. lib. 10. Epist. in ea quæ incipit:* solemne est mihi Domine, &c. *Quibus literis motus Traianus, vt ait supra Euseb.* tale promulgauit edictum: Christianos à nemine quidem inquirendos, oblatos autem *sine delatore* puniri oportere. *Verba Traiani sunt hæc:* conquirendi non sunt: si deferantur, & arguantur, puniendi sunt HOC GENVS. *Hominum scilicet,* NECESSITATE. *Necessario sibi contrarium.* CVNFORDERANDAM. *Aliq* conferendam, DISSIPLINAM, *legem, cerimonias, &c. Doctrinam Christianam.* NEGAT. *Prohibet inquiri.* MILITARIS STATIO, SORTITVR. *Milites stationarij per vices sorte ducti ad latrones inuestigãdos. Ex Sueto. in Augusto,* grassatores oppositis per opportuna loca stationibus, *id est militibus stantibus paratis* inhibuit. *Sic de Tyberio.* tuendæ pacis à grassaturis ac latrocinijs, seditionumque licentiâ curam habuit: stationes militum per Italiam solitò frequentiores disposuit. MILES EST, *nota ex Chrysost. orat. 3. ad pop. Hiero. in muliere sæpius icta, milites olim infligendæ Reis pœnæ ministros fuisse. Hinc in Christi passione, & flagella, & coronam spineam, & clauos & lanceam Christo milites impegerunt, & vestem eius sortiti sunt. Hoc est tunicam inconsutilem, & vestimenta diuiserunt.* NEMO VOLVIT. *Nec ipse Traianus, Qui S. Clementem Romanum exilio, Simonem Cleophæ filium crucifixit, Ignatium leonibus tradidit, & multos alios Martyrio coronauit.*

18. *Christianæ Religioni ex sola fama, absque inquisitione imputantur infanticidij incestus, aliaque crimina; quorum Gentiles rei erant. Apol. cap. 7. & 8. per totum. & 9. in p.*

DIcimur sceleratissimi de sacramento infanticidij, & pabulo, inde & post conuiuium incesto, quod euersores luminum canes, lenones scilicet, tenebras, tum & libidinum impiarum inuerecundiam procurent. Dicimur tamen semper, nec vos quòd tandiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruistis. De vestra vobis dissimulatione præscribitur, non esse, quod nec ipsi audetis eruere. Longè aliud mus carnifici in Christianos imperatis, non vt dicant quæ faciunt, sed vt negent quod sunt. Census istius disciplinæ, vt iam edidimus, à Tiberio est. Cum odio sui cœpit veritas simul atque apparuit inimica esse. Tot hostes eius quot extranei, & quidem propriæ ex æmulatione Iudæi, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri. Quotidie obsidemur, quotidie prodimur: in ipsis plurimùm cœtibus & congregationibus nostris opprimimur, quis vnquam taliter vagienti infanti superuenit? quis cruenta, vt inuenerat, Cyclopum & Sirenarum ora iudici reseruauit? quis vel in vxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? quis talia facinora, cùm inuenisset, celauit, aut vendidit, ipsos trahens homines? Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? Immo à quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis? Non vtique; cùm vel ex forma omnibus mysterijs silentij fides debeatur. Samothracia & Eleusinia reticentur: quantò magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animaduersionem prouocabunt, dum diuina seruatur? Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur vt extranei. & vnde extraneis notitia? cùm semper etiam piæ initiationes arceant profanos, & arbitris caueant. nisi si impij minùs metuunt. Natura famæ omnibus nota est. vestrûm est, *Fama malum, quo non aliud velocius vllum.* Cur malum fama? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, cùm aliquid veri adfert, sine mendacij vitio est, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid? quòd ei illi conditio est, vt non, nisi cùm mentitur, perseueret. & tamdiu viuit, quamdiu non probat. siquidem vbi probauit, cessat esse, & quasi officio nuntiandi functa, rem tradit; & exinde res tenetur, res nominatur, nec quisquam dicit, verbi gratia, Hoc Romæ aiunt factum, aut, Fama est illum prouinciam sortitum: sed, Sortitus est ille prouinciam: &, Hoc factum est Romæ. Fama, nomen incerti, locum non habet vbi certum est. An vero famæ credat nisi inconsideratus? quia sapiens non credit incerto. Omnium erit æstimare, quantacunque illa ambitione diffusa sit, quantâcunque asseueratione constructa, quod ab vno aliquando principe exorta sit, necesse est; exinde in traduces linguarum, & aurium serpat & ita modici feminis vitium cetera rumoris obscurat, vt nemo recogitet, ne primum illud os mendacium seminauerit; quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nouâ, sed ingenitâ quibusdam mentiendi voluptate. Bene autem, quod omnia tempus reuelat, testibus etiam vestris prouerbiis atque sententiis, ex dispositione naturæ, quæ ita ordinauit, vt nihil diu lateat, etiam quod fama non distulit. Meritò igitur fama tamdiu conscia sola est scelerum Christianorum. Hanc indicem aduersus nos profertis, quæ, quòd aliquando iactauit, tantoque spatio in opinionem corroborauit, vsque adhuc probare
CAP. VIII. non valuit. Vt fidem naturæ ipsius appellem aduersus eos, qui talia credenda esse præsumunt, ecce proponimus horum facinorum mercedem, vitam æternam repromittunt. credite interim. de hoc enim quæro, an & qui credideris, tanti habeas ad eam tali conscientia peruenire? Veni, demerge ferrum in infantem nullius inimicum, nullius reum, omnium filium; vel si alterius officium est, tu modò assiste morienti homini ante quàm vixit; fugientem animam nouam expecta; excipe rudem sanguinem: eo panem tuum satia: vescere libenter. interea discumbens dinumera loca, vbi mater vbi soror; nota diligenter, vt cùm tenebræ ceciderint caninæ, non erres. piaculum enim admiseris, nisi incestum feceris talia initiatus & consignatus viuis in æuum. Cupio respondeas si tanti æternitas? Aut si non, ideo nec cre-

denda. Etiam ſi crediderís, nego te velle. Etiam ſi volueris, nego te poſſe. Cur ergo alij poſſint, ſi vos non poteſtis? cur non poſſitis, ſi alij poſſunt? Aliâ nos, opinor, naturâ. Cynopæne aut Sciapodes? alij ordines dentium? alij ad inceſtam libidinem nerui? Qui iſta credis de homine, potes & facere. homo es & ipſe, quod & Chriſtianus. qui non potes facere, non debes credere. homo eſt enim & Chriſtianus, & quod & tu. Sed ignorantibus ſubiicitur, & imponitur. Nihil enim tale de Chriſtianis aſſeuerari ſciebant, obſeruandum vtique ſibi, & omni vigilantia inueſtigandum. Atquin volentibus initiari moris eſt, opinor, prius patrem illum ſacrorum adire; quæ præparanda ſint deſcribere. tum ille; Infans tibi neceſſarius, adhuc tener, qui neſciat mortem, qui ſub cultro tuo rideat. Item panis, quo ſanguinis iurulentiam colligas. præterea candelabra, & lucernæ, & canes aliqui, & offulæ, quæ illos ad euerſionem luminum extendant. antè omnia cum matre & ſorore tua venire debebis. Quid ſi noluerint? vel nullæ fuerint? quid denique ſingulares Chriſtiani? Non erit, opinor, legitimus Chriſtianus niſi frater aut filius. Quid nunc & ſi iſta omnia ignaris præparantur! Certè poſtea cognoſcunt, & ſuſtinent, & ignoſcunt. Timent plecti. qui, ſi proclament, defendi merebuntur; qui etiam vltro perire malint, quàm ſub tali conſcientia viuere. Age nunc, timeant; cur etiam perſeuerant? Sequitur enim ne vltra velis id te eſſe, quod ſi priùs ſciſſes, non fuiſſes. Hæc quò magis refutauerim, à vobis fieri oſtendam partim in aperto & partim in occulto, per quod forſitan & de nobis credidiſtis. Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam vſque ad Proconſulatum Tiberij, qui ipſos ſacerdotes in eiſdem arboribus templi ſui obumbratricibus ſcelerum, votiuis crucibus expoſuit, teſte militia patriæ noſtræ, quæ idipſum munus illi Proconſuli functa eſt. Sed & nunc in occulto perſeueratur hoc ſacrum facinus. Non ſoli vos contemnunt Chriſtiani, nec vllum ſcelus in perpetuum eradicatur, aut mores ſuos aliqui Deus mutat. Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis vtique non parcendo perſeuerabat, quos quidem ipſi parentes ſui offerebant, & libentes reſpondebant, & infantibus blandiebantur, ne lacrimantes immolarentur. Et tamen multum homicidio parricidium differt. Major ætas apud Gallos Mercurio proſecabatur. Remitto Tauricas fabulas theatris ſuis. Ecce in illa religioſiſſima vrbe Æneadarum piorum eſt Iupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine. Sed beſtiarij, inquitis. Hoc opinor minus quàm hominis. an hoc turpius, quod mali hominis? certè tamen de homicidio funditur. ô Iouem Chriſtianum, & ſolum patris filium de crudelitate. Sed quoniam de infanticidio nihil intereſt, ſacro, an arbitrio perpetretur, licet de parricidio interſit, conuertar ad populum. Quot vultis ex his circunſtantibus, & in Chriſtianorum ſanguinem hiantibus, ex ipſis etiam vobis iuſtiſſimis & ſeueriſſimis in nos præſidibus apud conſcientias pulſem, qui natos ſibi liberos enecent? Siquidem & de genere necis differt, vtique crudeliùs in aqua ſpiritum extorquetis, aut frigori, & fami, & canibus exponitis. ferro enim mori ætas quoque major optauerit. *Et libro 1. ad. Nat. cap. 7. 8.*

CAP. IX.

CHRISTIANÆ RELIGIONIS. XVIII. SCHOLIA.

DE SACRAMENTO. *Ob Sacramentum & Sacrificium, myſterium ſecretum, Saluianus 4. de guber.* Initia noſtræ Religionis, non niſi à duobus maximis facinoribus oriri arbitrabantur. Primum ſcilicet homicidio, deinde quod homicidio eſt grauius, inceſtu, &c. Inceſtu Matrum Sacroſanctarum, & homicidio innocentium paruulorũ: quos non occidi tantum à Chriſtianis, ſed quod magis abominandum eſt, etiam vorari exiſtimabant. EVERSORES LVMINVM. *Vide dicta præcedentis Schol.* LENONES. *Officium lenonum præſtantes, & tenebris obtegentes inceſtum.* ERVERE *interrogando nuclare, vel extorquere veritatem.* ALIVD MVNVS. *Cum enim imperetur à iudice carnifici vt vi tormenti ab aliis reis extorqueant facta crimina, à Chriſtianis exigunt, Fidem & nomen Chriſtiani negare.* CENSVS. *Non hic cenſuram, ſed æſtimationem, originem pretium noſtræ diſciplinæ, id eſt Religionis, quæ iam cœpit à tempore Tyberij Cæſaris: quaſi diceret cum Tyberio cœpit innoteſcere fides noſtra:* CVM ODIO. *Id eſt quia vera Religio eſt, & cognata eſt veritati inuidia, ſtatim habuit inimicos perſecutores.* EXTRANEI. *Gentiles.* PROPRIE *Alij legunt* Proprij *Quia eiuſdem Dei cultores, ſed Chriſtianorum emuli quòd alium Chriſtum, quàm à ſuis parentibus crucifixum expectant. Hinc propriè hoſtes.* EX CONCVSSIONE. *Quia milites turbulenti, & inſolentes; hinc ad militis monitum Ioannis Luc. 3.* Neminem concutiatis. EX NATVRA. *Quaſi id ſit inſitum naturæ veritatis, vt nec domeſtici odio pareant ei. Vel quòd odioſa natura ſeruitus, odium concitet ſerno in Dominum. Hinc Seneca:* Quot ſerui, totidem hoſtes. *Et Antoninus in reſcripto:* Seruus hoſtis eſt naturâ Domino. *Fortè quia multi fidelium ſerui Gentiles, aut filii Chriſtiani. Malim alludere ad Michæam & Euangelium:* Inimici hominis domeſtici eius. TALITER VAGIENTI; &c. *Dum ſcilicet in illo ſacrificio ingularetur.* CYCLOPVM, &c. *Alludit ad terriculamenta puerorum lamias, &c. Tritum eſt Polyphemum & Cyclopes hoſpites ſuos deuoraſſe, Syrenes autem, blanda facie, & cantu prolectatos nauigantes, cruento oſculo, vt monſtra marina fingantur, appellentes diſcerpſiſſe, &c.* RESERVAVIT. *Melius hîc alij legunt.* Reſeruit. *Id eſt, detexit, ſubitò aperiens ianuam Cœnaculi, & recenti adhuc ex ſanguine ora noſtra velut Cyclopum & Syrenarum crudelium infecta detexit.* IMMVNDA VESTIGIA. *Tantùm abſunt ab inceſtu, vt nec lubricum quis in noſtris fœminis poſſit aduertere inceſſum.* VENDIDIT. *Id. accepto pretio, diſſimulauit, & deferre ſeu detegere noluit. Sic & apud Prophetam:* Peccata populi mei comedent,

Id eſt, Canes muti. non valentes latrare, obmutescent. A *pro vili accepto obſonio, non arguent.* Et ad iniquitatẽ *Supple propriam ſubiicient.* Subleuabunt impietates eorum. TRAHENS *Lenocinio pretij. Vel; quis vir traxit lenones in proprium lectum, vel in proph. ni myſterij proſtibulum, vt cum honore ſuo, ſua venderet vxoris caſtitatem.* AB IPSIS ENIM. *Cùm myſteria noſtra ſint ſecreta, & ab extraneis non ſint cognita, ſi quis ea reuelet, oportet vt nos ipſi eo crimi-num rei, ipſa reuelemus.* EX FORMA. *Vſu, vi nominis.* SILENTII FIDES. *Ita Apuleius.* Sacris pluribus initiatus, noſti Sanctam ſilentij fidem. *Obſtringebantur enim præſtita fide & iureiurando, etiam Prophani, myſteria celare & tacere.* SAMOTHRACIA. *Sacra ſcilicet in Samothrace inſula.* ELEVSINIA. *De his Tertul. alibi:* Eleuſinia, B hæreſis, & ipſa Atticæ ſuperſtitionis, quod tacent, pudor eſt, &c. Totum ſignaculum linguæ, ſimulacrum membri virilis reuelatur. *De Sacris Cereris Eleuſina. Aug. lib. 7. de Ciuit. cap. 20.* In Cereris Sacris prædicantur illa Eleuſinia, quæ apud Athenienſes nobiliſſima fuerunt, de quibus iſte, *Varro ſcilicet,* Nihil interpretatur, niſi quod attinet ad frumentum quod Ceres inuenit, & ad Proſerpinam, quam rapiente Orco perdidit. Et hanc ipſam dicit ſignificare fœcunditatem ſeminum. *De his Sacris vide Arnobium lib. 5. Minutium in Octau. Lact. libro. 2. c. 21. Clem. Alex. in exhort. ad Gen-*
S. Auguſt. *tes. Item Aug. lib. 7. de Ciuit. cap.* 18. Hinc etiam Samothracum nobilia myſteria in ſuperiore libro ſic interpretatur *Varro,* eaque ſe quæ nec ſuis nota C ſunt *adeo arcana* Scribendo expoſiturum, eiſque miſſurum, quaſi religioſiſſimè pollicetur. Dicit enim ſe ibi multis indictis collegiſſe in ſimulachris, aliud ſignificare cœlum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat Ideas. Cœlum Iouem, terram Iunonem, Ideas Minernam vult intelligi. Cœlum à quo fiat aliquid, terram de qua fiat; exemplum, ſecundùm quod fiat. *Et tres iſti ſunt Dij, de quibus Tertull. lib. de Spectaculis:* Trinis Deis paratur magnis, potentibus, valentibus: eoſdem Samothracas exiſtimant. RETICENTVR, *Quia de his myſteriis vt pudendis, loqui fas non erat.* SERVATVR. *Manet, expectatur Diuina vltio.* ARBITRIS: *Pro ab* Arbitris. NISI SI, *&c. Niſi forte minor ſit timor impiis, quàm iuſtis, cùm tamen teſte Sapiente:* Semper ſit timida nequitia, & præ- D ſumat ſæua perturbata conſcientia. VESTRVM EST. *Id. veſtri Poëta dictum.* TRADIT. *Id. ſubiecit oculis, & qualis eſſet prodit.* NOMEN INCERTI. *Supple eſt rei incertæ.* PRINCIPE. *Authore.* TRADVCES. *Rami ſunt vitiferi, qui ſolent colligare arbores.* OMNIVM-ERIT, *&c. Omnes facile iudicare poſſunt, neceſſe eſſe, vt fama quantumcumque publica, aſſeuerata, toto terræ ambitu diffuſa, ab aliquo primùm authore nata ſit, vt inde traduceretur, & per plures aures excepta, & ora diuulgata ſpargeretur. Et ſic detractionis & calumniæ vitium, vel malum famæ, quod initio velut paruum ſemen erat, creſcente malâ famâ, cætera quæ in ea bona erant, obſcurat: ve-* E *lut ea quæ ſupra attigit, quod velox, quod index rerum vel mêlius, quod, bonum nomen eius qui diffamatus eſt poſtea, obſcuretur, ſic præoccupante malo rumore animos, vt nemo recogitet. NÆ. Id. quod primus author malæ famæ ſit mentitus.* QVOD SÆPE FIT. *Vel vt nemo recogitet, &c. Vel quòd primus author mendaciũ dixerit.* DISPOSITIONE NATVRÆ *Sic enim natura diſpoſuit, imò & naturæ Author:* Nihil enim occultum quod non ſciatur, & nihil opertum, quod non reueletur. *Differre autem, ſignificat, agitare & diſtrahere. Quo etiam ſenſu vſus eſt Hilarius Can. 14. in Matth.* Diſcipuli vento ac mari differuntur. *Id eſt hinc inde ventis agitati feruntur. Senſus ergo eſt. tempus ea reuelare, quæ fama adhuc hinc inde non tulit, nec diuulgauit. Sunt qui putent, ſed inelegantius, negationem tollendam, & legendum,* Quod fama dixerit: *Supple nuntiare & euulgare.* AD EAM. *Vitam æternam ſcilicet.* OMNIVM FILIVM. *Id. ob ſimplicitatem, Innocentiam, formam ſic omnibus dilectum, quaſi omnium filius eſſet.* SI ALTERIVS. *Si alter carnificinam exercet, an ſolum poteris tanta crudelitatis ſpectator aſſiſtere?* ANIMAM NOVAM. *Recenter infuſam.* RVDEM. *Nullo adhuc exercitio vel robuſtiori nutritione, quàm lactis exultum & exoſſum.* SATIA. *Imple, imbue.* DINVMERALOCA. *Eludit calumniam inceſtuum imputatorum Chriſtianis poſt Thyeſtaas epulas.* CANINÆ CECIDERINT. *Cùm canes ad panem intinctum proiectum ſibi accurrentes, candelabra quibus illigati ſunt, cum luminibus euerterint.* NON ERRES. *Certo, notato loco vbi mater vel ſoror accubuit, ſolutam & extraneam à parentela non ſumas pro conſanguinea, ne forte pro inceſtu myſteriis tuis indicto, erres à præſcripto, nuda & ſimplici fornicatione contentus.* TALIA INITIATVS. *Talibus myſteriis conſecratus, certus es de vita æterna.* SI ANTI. *Emitur ſcilicet & acquiritur æterna gloria promiſſa Chriſtianis in eorum lege.* Ciuitas aurum mundum ſimile Chriſtallo, quam nil intrat coinquinatum, foris canes & impudici, Babylon mater fornicationum in ſtagnum miſſa ſulphuris, *Dignum fœtore luxuria ſtabulum. Quid enim Paulus Gentilium præco?* Omnis fornicator aut immundus, &c. Non habet partem in regno Chriſti, &c. *Chriſtiano odium pro homicidio, libidinoſus inſpectus, pro adulterio deputatur.* SI NON. *Emenda ſcilicet tali pretio, nec medio comparanda; nec proinde credendum eſt, eam ſic velle adipiſci Chriſtianos.* SI CREDIDERIS, *Aliquam eſſe poſt hanc vitam æternitatem.* NEGO. *Te velle eam per tam nefanda crimina adipiſci.* SI VOLVERIS. *Si ſic corrupta eſt tua voluntas, vt hoc infami pretio, hac ſpurca via, velis ad æternam gloriam tendere.* NEGO, *te hoc poſſe, nullum enim homicidam, & libidinoſum admittit, tam pia ſanctaque æternitas.* ALII. *Chriſtiani, ſimiles vobis homines, non magis hoc poſſunt quam vos ſcilicet, aque repugnat eorum natura, ac veſtra tanta ſcelera admittere, eadem enim in vtriſque humanitas.* CYNOPÆNE. *An Cynopa, Cynocephali alij legunt* Cynophanes, *Id eſt, qui appareant vt Canes, impudenter, & ſine humana compaſſione tam, fœda & crudelia ſpectantes. An monſtrioa capita habentes canina ſumus, aut Sciapodes? Hoc eſt Vmbripedes, qui oppoſito monſtruoſo pede, veluti non ſpectantes horrenda myſteria, nec attendentes impietatem, eam cæca mente committamus?* ORDINES DENTIVM. *Ad deuorandum puerum ingulandum. Quale monſtrum à Daniele deſcribitur, vrſus tres ordines dentium habens, omnia indifferenter vorans.* ALII NERVI. *An aliter quàm homines, ad concubitum accedimus?* POTES ET FACERE. *Scitè dictum, iuxta Paulum.* Eadem agis, quæ iudicas. *Et ſecundùm Salomonem.* Stultus in via ambulans, omnes ſibi ſimiles putat, cùm ſit ipſe inſipiens. *Facilè enim quiſque de alio ſuſpicatur vitium, in quod eſt ipſe propenſus. De Sciapodibus ſic Auguſtinus, 16. De* Auguſt *Ciuit. c. 8.* Ferunt eſſe Gentem, vbi ſingula crura in pedibus habent, nec poplite flectunt, & ſunt mirabilis celeritatis quos Sciapodas vocant quòd per æſtum in terra iacentes reſupini, vmbrâ ſe pedum protegant. SED IGNORANTIBVS. *Vobi gentilibus ſuadentur hæc de Chriſtianis crimina.* SCIEBANT. *Qui ab idolorum cultu conuerſi erant ad fidem Chriſtia-*

tiam. ATQVIN. *Pro* Atqui. PATREM. *Pontificem.* DESCRIBERE, *Inquirere per singula, quæ ad Sacra mysteria parandæ sint.* TVM ILLE. *Pontifex de singulis monet.* NESCIAT. *Timere.* IVRVLENTIAM. *Id. insulsum, quo imbuendus est panis.* EXTENDANT. *Id. protendant canes extenso corpore ad offam sumendam.* SINGVLARES. *Soli & consanguineis carentes.* NON ERIT. *Quasi verò de Essentia Christiani sit, vt habeat consanguineas superstites; vt alias non sit Christianus, sine correlatiuis extantibus, aut sacra peragi non possint absque incestu.* QVID NVNC, *&c. Inducit Gentiles obijcientes.* SI PROCLAMENT, *&c. Non vult intelligere, in ipsis Sacris contra violentiam mulieres clamantes, sed extra apud indices.* DEFENDI, *&c. Pro violentia tutores inuenient.* SVB TALI. *Quasi pondere peccati pragrauati.* PERSEVERANT *Etiã in cœtu Christianorum Sacra frequentare.* HÆC. *ipsa crimina quæ nobis imponitis.* PENES AFRICAM. *Apud Afros canes. Ipse Tertul. in Scorp. Cont. Gnost. c. 7.* Scytharum Dianam, Gallorum Mercurium, Afrorum Saturnum humanâ victimâ placari apud
Augus. sæculum licuit. *Aug. lib. 7. de Ciui. c. 19. Ex Varrone*: Saturnum, inquit, dixerunt, quæ nata ex eo essent solitum deuorare, quòd ea semina, vnde nascerentur, redirent, &c. Saturno perhibent oblatâ glebâ, ablatum Iouem, &c. Deinde dicit à quibusdam pueros ei solitos immolari, sicut à Pœnis, & à quibusdam etiam maiores, sicut à Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum. De hac crudelissima vanitate quid opus est plura dicere? &c. TYBERII. *Non hic Tyberius Cæsar, sed alius eiusdem nominis Proconsulem agens apud Carthaginem.* VOTIVIS CRVCIBVS. *Aptè quòd in iisdem arboribus pro templi foribus, vt moris erat, in quibus votiua dona suspendebant, paibulum struxerint milites Carthaginenses, qui carnificinam, vt supra vidimus, agebant. Vel Votiuas dixit ob parentum vota & insita desideria, suos pueros ab hac crudelitate liberandi.* PERSEVERATVR. *Perseuerat.* SACRVM. *Sic dicitur:* Auri Sacra fames. NON SOLI. *Id. etiam Gentiles saniores videntes scelera vestra non extirpari.* ALIQVI. *Frequenter pro* Aliquis DEI. *Propria immutabilitas est, nec mirum si dij vestri crudeles in barbarie perseuerant.* RESPONDEBANT. *Parebant oraculo iubenti immolari filios. Id etiam Psaltes exprobrat*: Immolauerunt filios suos dæmoniis, &c. HOMICIDIO. *Supple, ab.* MAIOR ÆTAS. *Id. non iam pueri, sed & adolescentes.* PROSECABATVR, *Immolabatur discerpta. Sic Minutius Felix.* Mercurio Gallos humanos vel inhumanas cedere, &c. *Aug. supra videndus loco citato.* REMITTO. *Relinquo.* TAVRICAS FABVLAS. *Tertul. 1. Cont. Marc.* Nihil illic nisi feritas calet illa scilicet quæ fabulas frenis dedit. Malim legere, *Frena fabulis.* De Sacrificiis Taurorũ. *Miror fabulas dicere, cùm verè Tauri Scythia populi ex Minutio, Athanasio, Lactantio, & aliis, Diana hospites suos immolarent. Sed fortè quia dea fabulosa immolabantur, Tauricas fabulas dixit, siue quòd tragœdi fabulas miscerent in theatris suis, repræsentationi veræ crudelitatis.* ÆNEADARVM. *Id. opponit Ænea pietatem Romanæ crudelitati.* IVPITER QVIDAM. *Latiarium vocant, de quo Athan. Orat. Cont. Gent.* Prisci quoque Latini Iouem Latiarium cædibus venerati sunt. *Tertul. contra Gnost. c. 7.* Latio ad hodiernum diem Ioui media in Vrbe humanus sanguis inguratur. *Quòd Sacerdos excepium patera è iugulo cæsi hominis sanguinem prælibaret, reliquum effusurus Ioui.* LVBIS SVIS. *Cruentis fortè, de quibus sapiens*: Stultus per risum operatur scelus. *Arenæ meminit, & Amphitheatri, in quo* BESTIARII. *Damnati ad bestias spectaculũ cruentum exhibebant. Licet autem Bestiarij tantùm obijcerentur, inhumanum tamen erat, quia quamuis scelesti, homines tamen erant; & quàm scelesti, hostia turpis erat; cùm ex aduerso, Deo vero, innocentes victimæ, agni sine macula, & in noua corpora nostra munda, hostiam viuam, sanctam, beneplacentem, rationabile obsequium hortante Paulo commoneamur exhibere.* CHRISTIANVM. *Inculcat, & retorquet imputatum falsò Christianis homicidium, contra gentiles; quorum summus Deus Iupiter, sanguinis auidus, dici possit Christianus, hoc est homicida, sensu Gentilium.* SVLVM PATRIS, *&c. Id est, non aliò magis notã Patrem Saturnum referentem, quàm crudelitatis imagine, suos enim filios Saturnus deuorasse dicitatur.* SACRO, *vel in templo, & sacrificio, vel oraculo exigente, vel sponte & libito parentum parricidarum.* CONVERTAR. *Iam ad plebem sermonem habebo.* IVSTISSIMIS. *Ironicè. Si serio. Dei prouidentiam respicit, nil non iustissimè permittentem, cùm* Non sit potestas nisi à Deo: *Tum etiam*, Vt impleant peccata sua; *Tyranni: tum vt iuxta illud Apoc.* Impleatur numerus fratrum, *Et hi, sine illis virtute & gloria martyrij*, Deo sic melius prouidente, non consummarentur. PVLSEM. *Pronocem ad tribunal conscientia.* EXTORQVETIS. *Suffocatis. recolit Amulij crudele iussum, quo Romulum & Remum in fluuium mergi mandauerat. Nyssenus lib. contra fatum:* Multi, inquit, ex adulteris, aut meretricibus nascuntur infantes, quos vtpote nothos suis ipsæ manibus matres obtruncant, cædéque flagitium supprimunt. FERRO. *Optabilius esset ad maiorem vsque ætatem seruari, & in bello fortiter pro patria mori.*

Et libro 1. ad Nat. c. 7. VNDE ERGO. *Inducit gentiles legum, Christianos damnatium iniquitatem defendentes; quòd famâ criminum moti legislatores, eas tulerint.* DE FIDE. *Veritate famæ.* NON MENDACIO, *aut mendum est in verbo, pro quo legendum fit,* mendacior: *aut suppliendum, subnixa mendacio.* APPROBATA, *pro probata, discussa. Vel simpliciùs: approbata, id est recepta, non iam pro fama incerta habetur, seù pro re certa tenetur.* AMBITIONE, *quantocumque terrarum ambitu peruagata.* RVMORES OBSCVRAT, *obscuritas & ignorantia originis impedit, quo minùs recogitetur mendacium fuisse primum famæ seminatorem.* PRODICIAM, *à prodendo & indicando dictam famam appellat.* NOMEN HOC, *Christiani à Christo derivati.* AVGVSTO, *&c. Sic Apol. cap. 5.* Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in sæculum intrauit, &c. *Quæ habes supra in textu V. Christiana Religio 3. in p.* ÆMVLA SIBI. *Contraria.* IVSTVM DENIQVE. *Ironicè.* TOT CRVCES, *instrumenta martyriorum à Christianis honorata gentiles querebantur, & quos vt sceleratos damnauerant, nos vt sanctos coluisse.* TOT INFANTIÆ. *Retexit infanticidia, panes humano sanguine cruentatos, lucernas euersas, incestus in tenebris perpetratos, & nuptias constupratas.* CHRISTIANIS. *Supplicia decernit. Vel de Christianis sola fama iudicat.* QVIS VNQVAM SEMESO PVERI. *Quis infidelium cœtum repente superueniens ex vobis, in conuiuio nostro inuenit puerum media ex parte comestum? vide dicta Apol. cap. 7.* SI PRÆMIO. *Si pretio iudices aut testes corrumpimus, &c.* OBICIATIS. *Obiiciatis.* INITIATVM VOLENTIBVS. *Initiari petentibus, & doceri elementa & mysteria disciplinæ Christianæ. V. dicta similiter Apol. 8.* VAGITVR, *vagitur, pro actiuo*, vagit. AB ALIIS. *Non ab extraneis, sed ab ipsis fidei nouitiis statim proderentur, nec expectandi essent testes extranei, & gentiles.* DIVERSVM OPVS. *Respondet gentilis disparem esse rationem. Non*

enim statim illis mysteria reuelantur, sed falluntur ignauis, quibus & sanguis humanus, & nuptiæ incestæ subministrantur. THYESTÆ. *Seruius refert*, Thyestem, & Atreum germanos, cùm dissensione sibi nocere non possent, in simulatam gratiam rediisse: qua occasione, Thyestes cum fratris vxore concubuit: Atreus verò ei filium epulandum apposuit. Quæ Sol abominatus, nè pollueretur, aufugit. Sed veritas hæc est, Atreum apud Mycenas primùm Solis Eclypsim inuentisse. Cui inuidens frater, ex vrbe discessit, eo tempore, quo eius probata sunt acta. *Hæc Seruius in lib. 1. Æn. Pulchrè Tertull. fabulam refert: ad commentum incestuum & infanticidiorum cruenta pabula.* OEDIPODIS. *Hic filius fuit Laij Thebanorum Regis, & Iocastæ. Quem pater ab oraculo Appollinis futurum parricidam dolens, pastori tradidit occidendum. Hic plantis eius perforatis viminè suspendit ex arbore inedia moriturum. Verum Phorbas Polybij Corinthiorum Regis pastor vagientem sublatum regine suæ carenti liberis obtulit, quem illa ceu de cælo datum vt filium educauit, & à pedibus vulnere tumentibus Oedipum appellauit, vel Oedipodem. Hic grandior factus cùm Thebas veniisset Laium patrem suum nesciens occidit, & Iocastam matrem duxit vxorem. Quæ postea crimina cognoscens vtrumque sibi oculum eruit, & Athenas petijt voluntarium sibi indicens exilium. Ad has tragœdias author noster alluisit.* ERVMPVNT. *Statim exclamant egressi & horrentes Neophisi incesta & cruenta mysteria.* FIDEI MINISTROS. *Supple simpliciter relatâ, quòd nil vlterius inquirentes credant sacramentorum ministris; & cùm iam eruditiores facti fuerint meliores, & pinguiores ex huiusmodi mensis morsus rapiunt de manibus magistrorum & presidum. Quæ omnia ironicè dicta sunt.* SI NIHIL TALE. *Qui si tam horrendis mysterijs iniciati, tacent, & tam nefanda patienter tolerant, profectò magnum aliquid de Christianorum cœtibus, & eorum æstimare debetis, ceterisque mysterijs, propter quæ, tam dura toleramus.* AD VTRAMQVE CAVSAM. *Idcò resurrectionem esse, & iudicium credimus, in quo bonis præmia, malis æterna supplicia decernuntur.* SI PARATI ESTIS. *Attendite nos non alterius à vobis esse naturæ, sed pari cum humana: nec posse tam nefanda, & crudelia aggredi, à quibus & vos abhorretis, non modò patrandis, sed & spectandis.* PANEM RATIES, *implicat infantis vix dum ex collo, & maturè sanguine.* INCVRSANS, *cum alia quàm errore concumbens, tenebris in errorem inducentibus.* EXPVNXERIS, *impleueris, perfeceris.* VIVES IN ÆVVM. *Vita scilicet æterna, quam Christianis promittimus, erit merces tantorum criminum.* VESTRA POSITIONE. *Imposita calumnia planè & euidenter conuincitur, nosque innocentes esse, & vobis saltem humanitate similes esse probamur.*

Et lib. 1. ad Nat. cap. 8. SVBTERRANEA, *habitatione.* CYNOPANES, *monstra canina, sicut sunt Cynocephali homines caput canis habentes.* SCIAPODES, *umbripedes celerrimi, qui sunt conterminij Troglodis; quique lata pedis planta se à Sole æstiuo tegant. De quibus Plin. libro 7. c. 2.* PSAMMETICHVS. *Rex Ægypti crudelissimus, quem, teste Herodoto, & Diodoro, vt cuddierent ducenta hominum millia ex Ægypto in Æthyopiam profugerè crudelitatis eius exemplum hic refert Tertullianus: qui nutricem elinguauerat, vt infantes ipsi traditi, à commercio omnium hominum abstracti, ex seipsis vocem promerent, nusquam priùs auditam. Vnde quæ prima omnium lingua fuerit hominibus indita, docetur.* INGENIO EXPLORATVS, *sagacitate dicam, an crudelitate notus si inuestigando probare se inuenire potuisse, qui omnium primi fuissent homines, & quæ prima lingua.* INFAMATES. *Sic Herodotus libro 2. historiæ in p. Ægyptij*, inquit, priusquam apud eos regnaret Psammetichus, omnium hominum se priores extitisse arbitrabantur. Qui cùm nullum exitum inuenire posset, huiusmodi rem machinatur: pueros duos ex humilibus parentibus recens natos tradit pastori inter pecora educandos. Hunc in modum iussit neminem coram eis vocem vllam edere solitaria in casa ambos sibi ipsi relinqui, eisdem in tempore capras admoueri, vbi lacte repleti forent. Hæc ideo faciebat Psammetichus, quòd caperet ex pueris, vt inarticulatè vagire desisterent, audire si qua vox prima erumperet, prout & contigit. Nam vbi bimatus expletum est tempus, pastori, qui hæc administrabat, aperienti ianuam atque intranti ambo infantes porrectis manibus procidentes beccus clamabant. Quod primò audiens obticuit cùm verò crebriùs adeunti & obseruanti idem verbum frequentaretur, ita demum re Domino indicatâ, iussus ab eo, pueros attulit, exhibuitque. Quos cùm & ipse Psammetichus audisset, percontabatur quinam homines beccus quippiam appellarent: hæc percontans, comperit Phrygas sic panem appellantes tali negotio argumentati, Phrygas sui priores extitisse, Ægyptij concesserunt. Quod ita actum esse, equidem ex Sacerdotibus Vulcani, qui sunt Memphi, audiebam. Græci tamen alia multa & inepta memorant. Psammetichum pueros educandos curasse apud mulieres, quarum linguas præcidisset. PRIMI GENVS, *primũ genus hominum* QVÆ VERITATIBVS. *Magis quàm.* PHILOMELÆ MEDICAMENTIS. *Ariæ eius vita conseruata sit huic nutrici, quæ veluti dea vocis, à garrulo & suauicantu, credita est ethnicis.* RVBORE MVTAM. *De incestu, pudore suffusam, & ab hominum consortio, in solitudinem auolasse fabula est. Hanc fuisse Pandionis regis Athenensium filiam narrant, quæ à fratre Tereo compressa, Deorum miseratione, in auem sui nominis mutata est, de qua Martialis:*

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

COGI LICET *Potest aliquis sonus inarticulatus & confusus, vi & conatu, & sono, coactè produci de faucibus.* INVENTVM. *Fortuito euentu.* NON VLLA GENS. *Vbique gentium Christiani diffusi sunt. Vnde & Catholica dicitur Ecclesia.* ROMA SOLICITAVIT. *Dijs è Græcia aduectis, templa extruxit, & sacrificijs sijs à Græcorum patrocinio ad suum abduxit. Duo hic nobis in rem Tertulliani suggerit Augustinus, vnum quidem de prima lingua, aliud de superstitione Romana. Et de lingua quidẽ Aug. lib 9. de Gen. ad lit. c. 12.* Aug.

Vnam inquit, sanè linguam primitus fuisse didicimus, antequam superbia turris illius post diluuium fabricatæ, in diuersos signorum sonos, humanam diuideret societatem. Quæcumque autem illa lingua fuerit, quid attinet quærere? illâ certè quæ tunc loquebatur Adam, & in ea lingua si adhuc vsque permanet, sunt illæ voces articulatæ, quibus primus homo animalibus terrestribus, & volatilibus nomina imposuit. *Sed quænam fuerit expressius indicat libro 16. de ciuit. cap. 11.* Ante diluuium, Aug. inquit, erat vna lingua, &c. Non defuit domus Heber, vbi ea quæ antea fuit omnium, lingua remaneret, &c. Quia ergo in eius familia remansit hæc lingua, diuisis per alias linguas cæteris gentibus, quæ lingua prius humano generi non immeritò creditur fuisse communis, ideo deinceps Hebræa est nuncupata. Tunc enim opus erat eam distingui ab aliis linguis nomine proprio: sicut aliæ quoque vocatæ sunt nominibus propriis. Quando autem erat vna, nihil aliud quàm humana lingua

vel humana locutio vocabatur, quâ solâ vniuersum genus humanum loquebatur. Dixerit: si in diebus Phalec filij Heber diuisa est terra per linguas, id est homines qui tunc erant in terra, ex eius nomine potius debuit appellari lingua illa, quæ fuit omnibus ante communis. Sed intelligendum est ipsum Heber propterea tale nomen imposuisse filio suo vt vocaretur Heber, quod interpretatur diuisio, quia tunc ex natus est, quando per linguas terra diuisa est, &c. Et ideo credenda est ipsa fuisse prima illa communis: quoniam de pœna venit illa multiplicatio, mutatioque linguarum: & vtique præter hanc pœnam esse debuit populus Dei. Nec frustra linguam istam, hoc est quam tenuit Abraham, nec in omnes filios suos trasmittere potuit, sed in eos tantùm qui propagati per Iacob, & insigniùs atque eminentiùs in Dei populo coalescentes, Dei testamenta, & stirpem Christi habere potuerunt. Nec Heber ipse eandem linguam in vniuersam progeniem suam refudit, sed in eam tantùm, cuius generationis perducuntur ad Abrahã, &c. Cùm enim legitur, vnam fuisse linguam primitùs omnium & ante omnes filios Sem commendatur Heber, quamuis ab illo quintus oriatur, & Hebræa vocatur lingua, quam Patriarcharum & Prophetarum, non solum in sermonibus suis, verum etiam in literis sacris custodiuit Authoritas,: profectò cùm quæritur, in diuisione linguarum, vbi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis: quæ sine vlla dubitatione vbi remansit, non ibi fuit illa pœna quæ facta est mutatione linguarum: quid aliud occurrit, nisi quòd in huius gente remanserit, à cuius nomine nomen accepit: & hoc iustitiæ gentis huius non paruum apparuisse vestigium, quòd cùm aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non peruenit tale supplicium! *Ne ergo fabellis regis Ægypti, de primaria Phrygum lingua intendamus, sed primam omnium linguam, Hebream fuisse ex Augustino, Hieronymo in Sophoniam, Origene homil. 11. in Numeros. Isidoro in caput 9. Gen. Euseb. libro 10. de Prep. Euang. cap. 2. Hiero. rursum Ep. 142. ad Damasum. Errat Philastrius in catalogo hæreseon cap. 106. scribens ante turrim Babel varias fuisse linguas. Vt & Theodoretus quæst. 59. in Gen. primam linguam asserens fuisse Syriacam, supponens nomina Adam, Cain, Abel, Noe, esse Syriaca, cùm proprie sint Hebraica. Quo argumento Aben-Esra in caput 11. Gen. probat Adamum ipsum Hebraicè fuisse locutum.*

Aug. *De Græcorum dys sollicitatis à Romanis facetè scribit Augustinus lib. 3. de ciuit. cap. 11.* Numa Pompilius, inquit, pace abundans, sed quo donante, nescions nec requirens, cùm cogitaret otiosus, quibusnam diis tuendam Romanam salutem regnumque committeret; nec verum illum atque omnipotentem, summum Deum curare opinaretur ista terrena: atque recoleret Troianos Deos quos Æneas aduexerat; neque Troianum, neque Lauinienſe ab ipso Æuea conditum regnum diu conseruare potuisse, alios prouidendos existimauit, quos illis prioribus, siue qui cum Rõmulo iam Romam transierant, siue quandoque Albâ euersâ fuerant transituri, vel tanquam fugitiuis custodes, vel tanquam inualidis adiutores. *Et cap. 12.* Augusti. Æsculapius autem ab Epidauro abiuit Romam, vt peritissimus Medicus, in vrbe nobilissima artem gloriosiùs exerceret, &c. *Et ibidem vbi de matre Deorum.* Si inquit, omnium deorum mater est, non Aug. est secuta solùm Romam quosdam Filios suos, verùm & alios præcessit etiam secuturos. Miror sanè, si ipsa peperit Cynocephalum, qui longè posthac venit ex Ægypto *cuius meminit Tertull. Apol. 6.*

Nec prætereundum quod supra Tertullianus quæris à gentilibus dicentibus Christianos esse, tertium genus, monstrorum scilicet, interrogat, Cynopæne aliqui vel Sciapodes, vel aliqui de subterranea Antipodes. *Vbi & ipse satis innuit se Antipodas fictitios tenuisse. Quod & magni olim viri senserunt. Lactantius enim lib. 3. cap. 24. Beda de ratione temporum cap. 32. Lucretius lib. 1. Procop. in cap. 1 Gen. & Lactantius quidem,* si, inquit, Antipodes sint, erunt eorum vestigia superiora quàm capita, eruntque homines penduli, & quæ apud nos iacent, apud illos vniuersa pendebunt, fruges, & arbores deorsum versus crescent, pluuiæ, niues, &. grandines sursum versus in terram cadent. Et miratur aliquis hortos pensiles inter septem miracula narrari, cùm Philosophi & agros, & vrbes, & maria, & montes pensiles faciant? *Sed Plinius lib 2. cap. 65. præclarè retorquet.* Illo quærente, cur non decidant contra siti: tanquam non ratio præstò sit, vt nos non decidere mirentur illi. *Mira Lactantij inadvertentia, cum terræ globus sensim in Speram experrigatur, vt aquè facilè sit Antipodibus ac nobis stare & ambulare erecto ad cœlum vertice circumquaque pariter orbem terra ambiente. Nec fuit hæc Augustino doctissimo Antipodas negandi ratio, sed quòd immensis maris tractibus plagas istius innauigabiles, & inhabitabiles crediderit. sicut & omnes ferè Philosophi è quinque zonis, quibus terram diuiduntur, duas tantum habitabiles crediderunt. Et Geographi vltimos terræ fines, Herculeas columnas statuerunt. Quid quòd & D. Chrysostomus homil. in Psal. 103. in versum* : Abyssus sicut vestimentum amictus eius. *vbi terram ex parte inhabitabilem credidit,* S. Augustini *sententia suffragatur.* Quoniam, inquit, terra omni ex parte aquis ambitur, atque ingenta quidem, & impermeabilia maris ipsius limites sunt; ac rursum mediam ipsam alia maria quæ nauigari possunt, diffecant; meritò proinde abyssum vestis instar, terræ superiectam esse dicit. *De Antipodibus itaque sic Augustinus lib. 6. de Ciuit. cap. 9.* Quod verò S. Augustus. & Antipodas esse fabulantur, id est homines à contraria parte terræ, vbi Sol oritur quando occidit nobis, aduersa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est. *Cur non credendum? An quia ignorabas, alteram esse mundi partem, cui Sol occidens nobis, oriretur? Nequaquam. Sed rationem subtrahis.* Neque hoc vllâ historicâ cognitione didicisse se affirmant, sed quasi ratiocinando coniectant, eò quòd iuxta conuexa cœli terra suspensa sit, eundemque locũ mundus habeat, & infimum, & medium: *quia in rotundo quod medium est, infimum est:* & ex hoc opinantur alteram terræ partem quæ infra est; habitatione hominum carere, non posse. Nec attendunt etiam si figurâ conglobatâ, & rotundâ mundus esse credatur, siue aliquâ ratione monstretur: non tamen esse consequens, vt etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda sit terra. Deinde etiam si nuda sit, neque hoc statim necesse est, vt homines habeat: quando nullo modo scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eò quòd eius prædicta complentur. Nimisque absurdum est, vt dicatur, aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate traiecta nauigare, ac peruenire potuisse: vt etiã illic ex vno illo primo homine genus institueretur humanum.

Et quidem satis liquet Augustinum à Tertulliano id mutuatum, qui cum Gentilibus horrenda crimina Christianis affigentibus, tria hominum genera monstruosorum obiiceret fabulosa, tertium genus Antipodas posuit, vt probaret Christianos non esse Antipodas hominum moribus, nec contra naturam communem caput inver-

tere, & aduersò prorsus modo progredi. *Augustinus* S. Augusti. *enim cap. 8. & Sciapodas & Cynocephalos ponit*: quorum inquit canina capita atque ipse latratus, magis bestias quàm homines confitetur. *De hinc statim cap. 9 agit de Antipodibus. Et hîc miror insciția nauum ab aduersariis August. aspersum, quò etiam in rebus Theologia & fidei, doctrinam eius Orthodoxam & ab* A *Ecclesia receptam in dubium vocent: quasi videlicet pro Antipodibus mortuum negauerit Christum. Cùm sic concludat cap. 8.* Aut illa, inquit, quæ talia de quibusdam gentibus scripta sunt, omnino nulla sunt, aut si sunt, homines non sunt: aut ex Adam sunt, si homines sunt. *Et quoties inculcauit ex Paulo, Christum pro omnibus mortuum?* August.

19. *Christiane Religioni duo maximè crimina imposita; sacrilegij, quia Deos non colebat? & læsa Maiestatis, pro qua non sacrificabat. Apol. cap. 10. in p.*

DEos, inquitis, non colitis, & pro Imperatoribus sacrificia non impenditis. Sequitur, vt eâdem ratione pro aliis non sacrificemus, quia nec pro nobis ipsis; semel Deos non 1. Tim. 2. 1 colendo. Itaque sacrilegij, & majestatis rei conuenimur. Summa hæc causa, imò tota est, & vtique digna cognosci; si non præsumptio aut iniquitas iudicet; altera, quæ desperat; altera quæ recusat veritatem.

CHRISTIANÆ RELIGIONIS. XIX. SCHOL.

SACRIFICEMVS. *Bene in plurali, omnia enim* B *est Sacrificium Christianorum, & illud incruentum, vni vero Deo, Maximè pro imperatorum Gentilium conuersione & orbis pace quotidie oblatum. Hinc 1. Tim. 2.* Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *Aug. 19. de Ciuit. cap. 26.* Nostra etiam interest, S. Augst. quamdiu permixtæ sunt ambæ ciuitates, *Reproborum & prædestinatorum*, vtimur & nos pace Babylonis. Ex qua ita per fidem Dei populus liberatur, vt apud hanc interim peregrinetur, propter quod & Apostolus monuit Ecclesiam vt oraret pro Regibus eius atque sublimibus, addens & dicens, vt quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & charitate. Et propterea Ieremias *cap. 27.* Cùm populo veteri Dei, venturam præ- nuntiaret captiuitatem, & diuinitus imperaret, vt obedienter in Babyloniam irent, Deo suo etiam istâ patientiâ seruientes, monuit & ipse vt oraretur pro illa, dicens: quia in pace eius erit pax vestra, vtique interim temporalis, quæ bonis malisque communis est. SEMEL DEOS, *&c. id est ipso facto quod diis renunciauimus, vnicum Deum colendo.* CONVENIMVR. *Vox iuris, accusamur.* COGNOSCI. *Et iuris ista disquiri, inuestigari, indicari.* SI NON. *Modò non.* PRÆSVMPTIO. *Præoccupatio animi iudicis.* INIQVITAS, *Vel latè sumendo, iniustitia. Vel, quod subsequitur, infidelitas. Vnde Iob idololatriam, Solis, & Lunæ cultum, dixit.* Iniquitatem maximam, & negationem, *Sine vt alij legunt*, negotiationem, *Quasi contractum & mercaturam communionis vnius Dei veri, cum Idolis* Contra Deum altissimum. DESPERAT, *Præsumptio scilicet spem omnem lucri causa aufert veritati fidei Christianæ, verè pro Regibus orantis, & iuxta Dei mandatum, Potestatibus obedientis.* RECVSAT, *scilicet iniquitas, quæ non dat locum iustæ defensioni.* C

20. *Christiane Religio frustra imperij inimica censetur, quæ omnibus benefacere iubetur. Apol. cap. 36. per totum. & 37. in p.*

SI hæc ita sunt, vt hostes deprehendantur, qui Romani vocabantur, cur nos, qui hostes existimamur, Romani negamur, non possumus & Romani esse, & hostes non esse? cùm hostes reperiantur, qui Romani habebantur adeo pietas & religio & fides Imperatoribus debita non in huiusmodi officiis consistit, quibus & hostilitas magis ad velamentum sui potest fungi, sed in iis moribus, quibus ciuilitas tam verè in Imperatorem quàm circa omnes necesse habet exhiberi. Neque enim hæc opera bonæ mentis solis Imperatoribus debentur à nobis: nullum bonum sub exceptione personarum administramus, quia nobis præstamus, qui non ab homine, aut laudis, aut præmij expensum captamus, sed à Deo exactore & remuneratore indifferentis benignitatis. Iisdem sumus Imperatoribus, qui & vicinis nostris. malè enim velle, malè facere, malè dicere, malè cogitare de quoquam ex æquo vetamur. quodcunque non licet in Imperatorem, id nec in quemquam; quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est. Si inimicos, vt supra diximus, iubemur diligere, quem habemus odisse? Item si læsi vicem referre prohibemur, ne de facto pares simus, quem possumus lædere?

CAP. XXVII. Matth. 5. 44.

CHRISTIANA RELIGIO. XX. SCHOLIA.

SI HÆC. *Quæ scilicet precedenti capite suo loco explicando de Romanis probauerat. qui licet fallè pro Imperatoribus sacrificarent & religiosissimi Deorum, & Imperatorum cultores videri volebant; qui tamen eorum saluti insidias, coniurationes, &c. malis* D *esse coniungunt.* EXISTIMAMVR. *Quasi diceret si Romani, deprehensi rei læsa maiestatis, cur nos quos similiter reos fugitis, à Romanorum numero & nomine excludimur? Si hostes imperatorum, sunt Romani, & nos vestro arbitrio sumus hostes, per consequens & Roma-*

Romani sumus. ADEO, *vera pietas & fides Imperatori debita non consistit in externis sacrificiis, & simulatis officiis; quibus plerumque obtegitur hostilis animus, sed in his potius, quæ vera* CIVILITAS, *id est pax & concordia ciuium, tam Imperatori vt capiti Reipublicæ, quàm membris exhibet.* INDIFFERENTIS BENIGNITATIS. *Nempè vt filij Patris Cœlestis, indifferenter solem suum oriri facientis super bonos & malos, & pluentis super iustos & iniustos.* EX ÆQVO *æqualiter.* PER DEVM. *Paulus:* Non est potestas nisi à Deo. *Rom.* 13. *Aug. lib.* 5. *de Ciuit. c.* 1. Prorsus diuinâ prouidentiâ regna constituuntur humana, quæ si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiâ teneat, linguamcorrigat. PARES. *Id. æqualiter lædentes, & rei apud Deum.* S: Aug.

21. *Christianæ Religionis persecutio prima à Iudæis, secunda à Nerone. Apol. cap.* 21. *circa fin.*

DIscipuli quoque diffusi per orbem præcepto Magistri Dei paruerunt, qui & ipsi à Iudæis insequentibus multa perpessi, vtique pro fiducia veritatis libenter, Romæ postremò per Neronis sæuitiam sanguinem Christianum seminauerunt.

CHRISTIANÆ RELIGIONIS. XXI. SCHOLIA.

PRÆCEPTO. *Math.* 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. *Ita & Marc.* 16. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. PER NERONIS. *Aug. de Ciuit.* 18. *cap.* 52. *Vbi refert, quosdam decem plagas Ægypti ingeniosè decem Ecclesiæ persequutionibus applicasse, nonissimam autem id est vndecimam fore sub Antichristo*: Primam, inquit, computant à Nerone quæ facta est, secundam à Domitiano, tertiam à Traiano, quartam ab Antonino, quintam à Seuero, sextam à Maximino, septimam à Decio, octauam à Valeriano, nonam ab Aureliano, decimam à Diocletiano & Maximiano, &c. QVI ET IPSI. *Pulchrè Aug. mentem Tertul. sequitur, primam persecutionem Ecclesiæ, post eam quæ in caput eius Christum Dominum excitata est, tribuens Apostolis & fidelibus.* Quid enim (*Ait ibidem Aug.* Qui hoc sentiunt dicturi sunt de persequutione qua ipse Dominus Crucifixus est, in quo eam sunt numero posituri? Si autem hâc exceptâ, existimant computandum, tanquam illæ numerandæ sint, quæ ad corpus pertinent, non quâ ipsum caput est appetitum & occisum, quid agent de illa, quæ postea quàm Christus ascendit in cœlum Hierosolymis facta est, vbi B. Stephanus lapidatus est? &c. Cur ergo eis à Nerone videtur ordiendum, cùm ad Neronis tempora inter atrocissimas persecutiones, de quibus nimis longum est cuncta dicere, Ecclesia crescendo peruenerit? SEMINAVERVNT. *Aug. in Psal.* 140. Singularis ego sum donec transeam. Hæc vox ex persona capitis, singularis ego sum, &c. Quid est singularis? In passione tu solus patieris, tu solus occideris ab inimicis. Singularis ego, &c. Quid est donec transeam? Euangelista dixit Io. 13. cùm venisset hora vt Iesus transiret de hoc mundo ad Patrem, &c. tunc enim confirmauit columnas eius, id est columnas terræ, quàdo in mea resurrectione, didicerunt plenè, mortē non esse timendam. Donec ego transeā, singularis sum: Cùm transiero multiplicabor. Multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo. Vnus ego sum donec transeam, multi in me vnus erunt dum transiero, &c. Attende ipsius verba in Euangelio Io. 12. Amen Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c. Ergo illi grano multa seges debebatur: sed expecta: mortificetur adhuc, quia granum nisi in terram ceciderit, & mortificatum fuerit, &c. Ergo solus erat antequam esset mortificatus. Propterea & Petrus nondum habebat tales vires: accepturus erat vires sequendi, non habebat præcedendi. *Simile semen postea fuit Petri & aliorum Martyrum sanguis. Vnde idem Aug. de Ciuit.* Cædebantur, vrebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur. *Vide sequens Scholium.* Auguſt. S. Auguſt.

22. *Christiana Religio persecutionibus crescit, nec vnquam extinguetur. Ad & cap. cap.* 5. *in fin.*

NEc tamen deficiet hæc secta; quam tunc magis ædificari scias, cùm cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inuidere accenditur, quid sit in causa; & vbi cognouerit veritatem, & ipse statim sequitrq.

CHRISTIANA RELIGIO. XXII. SCHOLIA.

SECTA. *Frequens vox Tertulliano in bonam partem applicata Religioni Christianæ.* MAGIS ÆDIFICARI. *Aug. lib.* 10. *de Ciuit. c.* 21. Moderatis præfinitisque temporibus etiam potestas permissa dæmonibus, vt hominibus quos possident, excitatis, inimicitias aduersus Dei Ciuitatem exerceant, sibique sacrificia non solùm ab offerentibus sumant, & à volentibus expetant, verùm etiam ab inuitis, persequendo violenter extorqueant, non solum perniciosa non est, sed etiam vtilis inuenitur Ecclesiæ, vt Martyrum numerus impleatur; quos Ciuitas Dei, *Aduerte quàm consonet Tertulliano ædificium de sectis & politis lapidibus, proprio etiam Cemento sanguinis, angulari Christo lapidi coagmentatis extruere volenti* Tantò clariores & honoratiores ciues habet, quantò fortiùs aduersus impietates potestatum etiam vsque ad sanguinem certant. Hos multò elegantiùs, si Ecclesiastica loquendi consuetudo pateretur, nostros Heroas vocaremus. Aug. S. Auguſt.

Digitized by Google

CHRISTIANVS. Augustus

1. Christiani, optimi omnium Philosophi. De Pall. cap. 5. V. Verbum Pallium num. 6.

2. Christianus minori periculo humanas literas, Idololatriæ fabulis plenas discit, quàm docet. De Idol. cap. 10. in. m. ad. fin.

SCimus dici posse, Si docere literas Dei seruis non licet, etiam nec discere licebit; & quomodo quis institueretur ad prudentiam interim humanam, vel ad quemcunque sensum vel actum, cùm instrumentum sit ad omnem vitam literatura? quomodo repudiamus secularia studia, sine quibus diuina non possunt? Videamus igitur necessitatem literatoriæ eruditionis, respiciamus ex parte eam admitti non posse, ex parte vitari. fideles magis discere quàm docere literas capit: diuersa est enim ratio discendi & docendi. Si fidelis literas doceat, insertas idolorum prædicationes sine dubio, dum docet, commendat: dum tradit, affirmat: dum commemorat, testimonium dicit: Deos ipsos hoc nomine obsignat, cùm lex prohibeat (vt diximus) Deos pronuntiari, & nomen hoc in vano collocari. hinc prima diabolo fides ædificatur, ab initiis eruditionis. quære an idololatriam committat, qui de idolis catechizat? At cùm fidelis hæc discit, si iam sapit qui sit, neque recipit, neque admittit, multò magis si dudum sapit. Aut vbi cœperit sapere, priùs sapiat oportet quod prius didicit, id est de Deo & fide. Proinde illa respuet nec recipiet. & erit tam tutus, quàm qui sciens, venenum ab ignaro accipit, nec bibit. Huic necessitas ad excusationem deputatur, qui aliter discere non potest. Tantò autem facilius est literas non docere quàm non discere, quantò & reliqua scholarum de publicis ac propriis solennitatibus inquinamenta facilius discipulus fidelis non adibit, quàm magister non frequentabit.

Exodi 23. 13. & 24. Exo. 20. 3. & seq.

CHRISTIANVS. II. SCHOLIA.

VITAM, *Moralem & Ciuilem.* SÆCVLARIA. *Humaniores literas.* NON POSSVNT, *discis, sine principiis humanarum literarum.* CAPIT. *Decet.* OBSIGNAT. *Commendat, insculpit discipulorum animis.* PRONVNTIARI. *Athan. in Symb.* Deos ac Dominos dicere Catholica Religione prohibemur. IN VANO. *Exo. 20.* Non habebis Deos alienos coram me, *Et ibid. ver. 7.* Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. 70. In Vano. *Tertul. de Idol. c. 20.* Non assumes nomen Dei tui in vano; id est in Idolo. *Cyril. lib. 4. in Io. c. 51. Clemens Alex. 6. Strom. ante finem. Nomen Dei non applicabis sculptilibus & Idolis. D. Thomas. 2. 2. q. 127. a. 3. periurium hic vult vetari. Vnde & Chald.* Non iurabis in Nomine Domini Dei tui frustra. *Quidquod & Hebr. veri potest:* Non assumes nomen Dei tui in mendacium. *Iusiurandi porro fidem inuiolabilem adeo censet Augustinus, vt nec in vanum, id est per Idolum diuinitate vacuum, iurare falso sit licitum: Ser. 30. de Verbis Apostoli.* S. Augustin. Tantum mali habet iuratio, vt qui lapides colunt, timeant falsum iurare per lapides, &c. Claudit ille templum super lapidem, & it in domum suam, ipse super Deum suum clausit, & tamen quando illi dicitur iura per Iouem, præsentis oculos timet. Ecce dico charitati vestræ, & qui per lapidem falsum iurat, periurus est. *In vano dupliciter nomen Dei collocat, per vanum iurando; id est vacuum sensu, multo magis diuinitate, & per Idolum,* A *quod ex Apostolo nihil est, non quod ex Aug. lapis aut alia materia nihil sit, sed nihil est* [illegible] *diuini; secundo quia in vanum iurat, id est in mendacium.* Vnde hoc dico? Quia multi & in hoc falluntur, & putant quia nihil est per quod iurant, non se crimine teneri periurij. Prorsus periurus es, quia per id quod sanctum putas, falsum iuras. Sed ego illum Sanctum non puto; sanctum puta, cui iuras. Non enim quando iuras, tibi iuras, aut lapidi iuras, sed proximo iuras. Homini iuras ante lapidem, sed numquid ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem. Augustin. ÆDIFICATVR. *Quasi fundamenta Idololatriæ, & cultus diabolici incipias magister humanæ literaturæ iacere in animis discipulorum, legendo Poetas & Oratores per falsos Deos iurantes, &c.* QVÆRE, &c. *Quis dubitet?* CATECHISAT, *Instruit discipulos.* SAPIT. *Nouit seipsum, rationis vsu fruitur.* AB IGNARO, *Quod sit venenum, id quod porrigit.* HVIC, *Discenti humanas literas.* NON POTEST. *Absque fundamento & Principiis humaniorum, discere diuinas literas.* RELIQVA SCHOLARVM *inquinamenta scilicet, ludorum, spectaculorum mimicorum, impudicorum, crudelium, quæ magister difficilius euitabit, vt notabilior discipulis, si abfuerit, qui impropriis mansarum, ludimagister, in theatro docere discipulos, vel in publicis deorum & Imperatorum festis, exemplo præire discipulis debebit.* B

3. Christianorum multitudo maxima. Apol. cap. 37. circa. fin.

SI hostes exertos, non tantùm vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantæcunque, vnius tamen loci & suorum finium, gentes, quàm totius orbis. Hesterni sumus, & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quàm occidere? Potuimus & iner-

mes nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius diuortij inuidiâ aduersus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis, suffudisset vtique dominationem vestram tot qualiumcunque amissio ciuium, immò etiam & ipsâ destitutione punisset. proculdubio expauissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, & stuporem quendam quasi mortui orbis. quæsissetis quibus imperaretis. plures hostes quàm ciues vobis remansissent. nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum.

CHRISTIANORVM MVLTITVDO. III. SCHOL.

EXERTOS. *Apertos. Si aperto Marte & non etiam occultâ vindictâ contra vos agere veremur.* NVMERORVM. *Malunt alij legere*; Animorum, *Vt videtur repetitio.* MAVRI ET MARCOMANI. *Horum maximè meminit, quia hos Seuerus debellauerat bello recèti. Marcomani pòpuli Germaniæ quos Cæsar cum Arioniſto Germanorum Rege superauit. Aliqui putant esse Bohemos vel Moranos.* PARTHI. *Gens Scythica, quâ linguâ idem sonant, quod exules, Iustinus lib. 22 ait Imperium Parthorum deductum fuisse ab exulibus Scytharum. Nec mirum si Tertull. subiicit nominatis Parthis,* QVAMTÆCVMQVE GENTES, *Cùm referat Plin. lib. 6. c. 15. Duodeuiginti Regna fuisse Parthorum.* QVAM TOTIVS ORBIS *Ironice. Quasi verò inquit, quamtacumque Gens aquanda sit toti orbi, quam fides Catholica Christianis impleuit.* HESTERNI. *Non vt alij corruptè* Externi. *Id est recens adhuc est ortus noster, & iam omnia loca impleuimus, & in omnibus vestris societatibus, fori & belli Christiani exercent officia præter quàm idololatria: qua abiurata, vobis gentilium templa sola relinquimus. Vlpianus de Proconsulis officio lib. 3.* Eis qui Iudaïcam superstitionem sequuntur, *(Id est fidem Catholicam, qua eundem Deum cum Iudæis colit,* Diui Verus & Antoninus, honores adipisci permiserunt: sed & necessitates, *Operas, officia,* eis impòsuerunt, quæ superstitiones eorum non læderent. MVNICIPIA *Ciuitates erant suo iure & legibus vtentes, munera tamen, honores & Magistratus cum ciuibus Romanis capiebant. Hinc dicta municipia.* CONCILIABVLA *Sunt loca in quæ Concilia & cœtus conueniunt.* TRIBVS. *Non à numero ternario, sed à conferendo tributo dictas censet Liuius. Cui consonat Plinius, qui ab initio quatuor Tribus vrbanas fuisse affirmat, Suburranam, Palatinam, Collinam, Exquilinam, quæ erat diuisio quadripartita populi Romani.* DECVRIAS, *Manipuli erant decem Militum vel aliorum hominum, quibus Præfectus, Decurio vocabatur. Erant autem Decuriæ Senatorum etiam & Iudicum apud Cic. 4. Verri. & 5. Philippica.* PRÆMVLTITVDINE. *Aug. Ep. 48. ad Vincentium ex hæresi Rogatiana, qui successerat Rogato Donatiste, vbi multis scripture locis Christianos vbique diffusos extollit supra paruum numerum hæreticorum. Psal. 71.* Omnes gentes magnificabunt eum, &c. Et replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat: & tu sedes Carthagini, & cum decem Rogatistis qui remansistis, dicis, non fiat, non fiat? Audis loqui Euangelium Luc. 24. Oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die; & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes; incipientibus ab Ierusalem. Legis etiam Actus Apostolorum, quemadmodum hoc Euangelium cœperit ab Ierusalem; vbi primùm illos centum viginti Spiritus impleuit, atque inde in Iudæam atque Samariam; & in omnes Gentes exierit, sicut eis dixerat ascensurus in cœlum. Act. 1. 8. & tu contradicis diuinis testimoniis tanta firmitate roboratis, tanta luce manifestatis? &c. *Sed longè sublimius lib. de Vera Relig. c. 5. & 6.* Neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in excitate Iudæorum quærenda est Religio, sed apud eos solos qui Christiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id est integritatis custodes, & recta sectantes. Hæc enim Ecclesia Catholica per totum orbem validè latéque diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cùm euigilare voluerint. Vtitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ. *Vel ad conuertendos verbo & exemplo, vel ad patiendum ab ipsis* Hæreticis ad probationem doctrinæ suæ; schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ. *Externa enim tantùm erat species Synagogæ & vmbratica cùm omnis gloria filiæ Regis sit ab intus, & non vacua eius elemosyna, sed sacramenta plena gratiæ.* Alios ergo inuitat, *Gentiles* Alios excludit, *Hæreticos.* Alios relinquit, *Schismaticos.* Alios antecedit, *Iudæos.* Omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem: siue illi informandi sint adhuc, siue reformandi, siue recolligendi, siue admittendi.

4. *Christiani Nazarei dicebati. 4. Cont. Marc. cap. 8. Vide Verbum, Christi Elogia num. 23.*

5. *Christianorum Innocentia longè plenior quàm Ethnicorum; quorum leges vitari, & pœnæ breues ferri possunt; nostræ non Item. Apol. cap. 45. per totum.*

NOS ergo soli innocentes? Quid mirum, si necesse est? Enimvero necesse est. Innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam nouimus, vt à perfecto magistro reuelatam, & fideliter custodimus, vt ab incontemptibili dispectore mandatam. Vobis autem humana æstimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperauit. Inde nec plenæ, nec adeo timendæ estis disciplinæ ad innocentiæ veritatem. Quanta est prudentia hominis ad demonstrandum quid verè bonum? quanta auctoritas ad exigendum? tam illa falli facilis, quàm ista contemni. Atque adeo, quid plenius dictum est, [a] *Non occides*, An verò, *Ne irascaris quidem?* Quid perfectius prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? Quid eruditius de maleficio, an & de maleloquio interdicere? quid

[a] Matth. 5. 22. & 27.

instructius iniuriam non permittere, an nec vicem iniuriæ finere? Dum tamen sciatis ipsas leges quoque vestras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de diuina lege, vt antiquiore, formam mutuatas. Diximus iam de Mosis ætate. Sed quanta auctoritas legum humanarum? cum illas & euadere homini contingat, plerunque in admissis delitescenti, & aliquando contemnere ex inuoluntate vel necessitate delinquenti. recogitate etiam pro breuitate supplicij cuiuslibet, non tamen vltra mortem remansuri. Sic & Epicurus omnem cruciatum doloremque depretiat, modicum quidem, contemptibilem pronuntiando, magnum vero, non diuturnum. Enimvero nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam prouidemus, meritò soli innocentiæ occurrimus, & pro scientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verùm sempiterni, eum timentes, quem timere debebit & ipse qui timentes iudicat, Deum non Proconsulem timentes.

CHRISTIANORVM INNOCENTIA. V. SCHOLIA.

NOS ERGO. *Benè concludit ex his quæ dixerat de reis Gentilium, quibus pleni erant carceres.* NECESSE EST. *Non coacta libertate, sed efficaciter obligata immaculate legi, ad seruandam innocentiam, & spe mercedis, & timore pœnæ æternæ. Ad amplectendam quidem Innocentiam necessitate baptismi,* Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c. *Ad reparandam vero perditam, necessitate pœnitentiæ:* Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. INNOCENTIAM. *Psal. 23.* Quis ascendet in montem Domini? *Aug. in hunc locum.* Quis ascendet in altissimam Iustitiam Domini? aut quis permanebit in eo quo ascendit super maria fundato, & super flumina præparato loco? Innocens manibus & mundo corde. Quis ergo illuc ascendet & permanebit ibi, nisi innocens in operibus, & mundus in cogitationibus; qui non accepit in vano animam suam, qui non in rebus non permanentibus deputauit animam suam, sed eam immortalem sentiens, æternitatem stabilem atque incommutabilem desiderauit. Et non iurauit proximo suo in dolo. Et ideo, sine dolo, sicut simplicia, & non fallentia sunt æterna. Ita se præbuit proximo suo. CVSTODIMVS. *Idem Aug. in Psal. 36.* Custodi innocentiam. Tene, quomodò cùm auarus esses, saccellum tenebas. Quomodò tenebas saccellum, ne tibi extorqueretur à fure, sic custodi innocentiam ne tibi extorqueatur à diabolo. Sit illa certum patrimonium tuum, de qua sunt diuites & pauperes. Custodi innocentiam. Quid tibi prodest lucrum auri, & damnum innocentiæ? &c. Et vide directionem, &c. Quam directionem? Noli ad præsentia attendere. Et quid videbis? Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Quid est, sunt reliquiæ? cùm mortuus fueris, non eris mortuus: hoc est, sunt reliquiæ. Erit illi aliquid & post hanc vitam, &c. Vnde Dominus: qui credit in me, inquit, licet moriatur, viuet. Quoniam reliquiæ sunt, homini pacifico. *Et quis pacificus, nisi Innocens? nulli nocens, non facto, sed nec verbo aspero, qui nec lædenti rependit vicem iniuria. Qui vt in patientia possideat animam innocuam, & in profunda pace quietam, etiam ab illicitis intuitu innocuum custodit aspectum, vt ab adulterij cogitationibus importunis custodiat affectum.* DISPECTORE. *Examinatore, teste, iudice. Vnde Iob.* In cœlo testis meus, & conscius meus in Excelsis. HVMANA. *Nam & homines Philosophi morales homines quoque Imperatores.* VERITATEM. *Veram innocentiam.* QVANTA EST. *Quantula.* ILLA. *Prudentia.* ISTA. *Authoritas imperialis.* PLENIVS. *Sic implenit legem, qui non vt Moyses, & alij post eum legislatores etiam Prophani præcepta coercendis moribus præscripserunt, externo actu malo vetando, bonoque pariter superficiali iubendo contenti, nisi & medullam interni actus, vt* Deus cordis, *etiam iuberet aut vetaret.* SOLITARIA, *id est etiam sola.* Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, &c. ERVDITIVS. *Rudis enim adhuc est Innocentia, quæ à maleficio tantùm abstinet, erudita verò quæ & parcit linguæ à maliloquio.* ANTIQVIORE. *Lex enim Moysi vt antiquior, formam præscripsit aliis legibus humanis. Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 37. probat Moysem, antiquissimos sapientes, Pythagoram, Socratem, Platonem, Septem Græcia Sophos, quin & Poëtarum Theologos; iis omnibus vetustiores, Orpheum, Linum, Musæum præcessisse.* Sed nec ipsi veram Theologum nostrum Moysem, qui vnum verum Deum veraciter prædicauit, cujus nunc scripta in authoritate Canonica prima sunt, tempore præuenerunt: ac per hoc quantùm ad Græcos attinet, in qua lingua literæ huius sæculi maximè feruerunt, nihil habent vnde sapientiam suam iactent, quo Religionem nostra, vbi vera sapientia est, si non superior, saltem videatur antiquior. INVOLVNTATE. *Ne repentino sit inuoluntarij & necessarij, & coacti; malim hic legere cum aliis* Ex voluntate, *Quia sæpè fit vt lex humana contemnatur, dum libidine & propensione, vel coactione violatur.* RECOGITATE. *Etiam contemni posse, propter paruam duratienem supplicij.* DEPRETIAT. *Paruo habet in pretio, parùipendit.* DISPVNGIMVR. *Iudicamur, vel, ad omne punctum, Iota & apicem plene perfectionis erudimur.* OCCVRRIMVS. *Vtro amplectimur, nec deviamus à recto, sed* Beati immaculati in via immaculata, ambulamus in lege Domini. PRO SCIENTIÆ, *&c. Diuina vel nostre, quia scimus Deum scire omnia.* QVI TIMENTES. *Id est, reos, qui timent Proconsulem & iudicem iudicandum.* Deus enim stetit in Synagoga deorum *Iudicum.* In medio autem Deos diiudicat.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

Auguſt.

6. Christiani ex modestia, silentio, & morum emendatione cogniti. Ad Scap. cap. 2. circa. fin.

ET vtique ex disciplina patientiæ diuinæ agere nos satis manifestum esse vobis potest, cùm tanta hominum multitudo, pars penè major ciuitatis cuiuique, in silentio & modestia agimus, singuli fortè noti magis quàm omnes, nec aliunde noscibiles quàm de emendatione vitiorum pristinorum.

CHRISTIANI. VI. SCHOLIA.

EX DISCIPLINA PATIENTIÆ. *Agimus nos & conuersamur vt discipuli, iuxta exemplum Dei & Christi, omnium peccata & iniurias acceptas patientissimè tolerantis, & secundùm regulas disciplinæ nobis à Christo præceptæ, non rependentes maledictum pro maledicto; sed agno consso, & ad victimam ducto silentique, modestè in silentio conformes.* NEC ALIVNDE *Quia nec vestem aut officinam pristinum honestum, sed malos mores emendauimus; hoc solo egenus.* SINGVLI. *Quia cœtus & conuentus Ecclesiæ non adibant ethnici, vnde & crimina infanticidiorum & incestuum imponebant; sed in priuatis & singularibus negotiis & conuersatione, singulorum virtutes elucebat, à Paulo docti.* Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim propè est: DIVINAM PATIENTIAM, *Ex perfectionem Patris Cœlestis, semper habentes præoculis. Sic Psalmi 61.* Veruntamen Deo subiicietur anima mea. *Sic vertit Augustinus, sicut discipulus, Magistri verbo & exemplo, vel quasi subiectum ex se non habens patientiam, sed infusam à Deo. Sic ergo Augustinus* Aug. *Ibid.* Et quis tanta toleret, vel aperta bella, vel occultas insidias? quis tanta toleret, inter apertos hostes, inter falsos fratres? quis tanta toleret? Numquid homo? & si homo, numquid à seipso homo? non sic transiliui. *Nota pro Idithum inscriptum Psalmum, qui significat transilientem eos.* Vt extollar, & cadam. Deo subiicietur anima mea. Quoniam ab ipso est patientia mea. Quæ patientia mea inter tanta scandala, nisi quia id quod non videmus; speramus, per patientiam expectamus? Rom. 8. &c. In fornace ardet palea, & purgatur aurum: illa in cineres vertitur, illud à sordibus exuitur. Fornax mundus, palea iniqui aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex facio: vbi me ponit artifex, tolero. Iubeor ergo tolerare, nouit ille purgare, &c. Quare? quia Deo subiicietur anima mea quoniã ab ipso patientia mea. *Rursum Psalmo.* Psal. 70. Tu es patientia mea Domine. *Aug. ibid.* Quia non est in me vt patiens sim, sed in te, qui donas patientiam. *Sic Paulus Rom.* 15. Per patientiam & consolationem scripturarum, *Id est per verba & exempla patientiæ, in scriptura posita* Spem habeamus. Deus autem patientiæ & solatij det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, &c. *Id est Deus qui verbo & exemplo patientiam docet, det vobis vtcum sapore, gustu, suauitate,* Sicut ipse fecit, & secundum exemplar Christi afflictos solemini, & turbulentos aduersosque patiamini.

S. Augustin.

7. Christianorum veterum pietas & deuotio quanta; & quomodo eam colere non poterant nupti cum infidelibus. V. Verbum, Nuptiæ cum infideli.

8. Christianorum vita Innocens, magnâ Reipublicæ iniuriâ, morti addicitur. Apol. cap. 44. per totum.

ILlud detrimentum Reipublicæ tam grande quàm verum nemo circumspicit: illam iniuriam ciuitatis nullus expendit, cùm toti iusti impendimur, cùm tot innocentes erogamur. vestros enim iam contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodiis præsidetis; qui sententiis elogia dispungitis. Tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur; quis illic sicarius, quis manticularius, quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo, idem etiam Christianus adscribitur? aut cùm Christiani suotitulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper æstuat carcer: de vestris semper metalla suspirant; de vestris semper bestiæ saginantur: de vestris semper munerarij noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi hoc tantùm. aut si & aliud, iam non Christianus.

CHRISTIANORVM VITA. VIII. SCHOLIA.

IMPENDIMVR. *Dum pro nihilo & quasi nullius pretij sanguis fidelium vobis vilissimorum effunditur.* ERREAMVR. *Damur. Vil rogo vt bustuarij & igni tradimur.* CVSTODIIS, *Id est reis in carceribus detentis.* ELOGIA DISPVNGITIS, *Crimina sententiis pœnalibus adiudicatis* QVISILLIC. *Supple in custodia & carcere, vel in tabella Præsidis, in qua scripta sunt nomina & crimina reorum.* MANTICVLARIVS. *Furunculus in mantica subiecta recondens, vel aliorum manticas & peras suffodiens.* CORRVPTOR. *Pecuniæ, falsarius fidei, pudicitiæ, &c.* LAVANTIVM PRÆDO, *Qui cùm in balneis vestes lauantium seruare deberet ex officio, cuius & meminit Epiphanius hæresi 30. eas prædatus est.* IDEM ETIAM. *An reus aliquis dictorum criminum, Christianus est simul.* SVBTITVLO. *Nomine solo Christiani.* OFFERVNTVR. *Deferuntur iudici quòd sint Christiani & sistuntur Tribunali.* DE VESTRIS. *Gentilibus.* ÆSTVAT. *Præ numero & stipatione reorum.* SVSPIRANT. *Vel metallorum cauernis resonantibus ad ictus malleorum, damnatorum ad metalla, vel suspiriis infelicem sortem suam lugentium.* BESTIÆ. *Adquas in caueis Amphitheatri nutritas ad spectaculum populi, etiam damnabantur.* MVNERARII. *Qui munera spectaculorum populo dabant, saginabant gladiatores vel cum bestiis, vel in se inuicem certaturos, quorum integri Greges de Gentilibus erant.* HOC TANTVM. *Nullius alterius criminis reus, quàm quòd Christianus erat.* SI ET ALIVD. *Si præter nomen Christiani, alio notatus crimine, iam non censendus Christianus. Non quidem quòd Character indelebilis quouis crimine eradatur, aut fides alio quàm infidelitatis peccato amittatur, sed quòd secundum Iacobum:* Fides sine operibus mortua, &c. *Et inanis sit nomine Christiano, sceleratus. Aliàs diceretur ei quod alteri Ioannes in Apoc.* Nomen habes quod viuis, & mortuus es. *Hinc idem Ioannes in Ep.* Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. *In quem locum Aug. Tract. 4.* Qui vocantur & non sunt, quid illis prodest nomen, vbi res non est? quàm multi vocantur Me-

S. Augustin.

dici, qui curate non norunt? quàm multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Christiani, & in rebus non inueniuntur, quia hoc, quod vocantur, non sunt; id est in vita, in moribus, in fide, in spe, & charitate, &c. Propter hoc mundus non cognoscit nos. Totus mundus Christianus est, & totus mundus impius. Per totum enim mundum impij, & per totum mundum pij. Illi nos non cognoscunt. Quomodo putamus quia non cognoscunt? insultant bene vicentibus, &c.

9. Christiani iniustè vexantur pro fide non tantum innoxiâ, sed & vtili Reipublicæ. Apol. cap. 49. à. p.

FAlsa nunc sint quæ tuemur, & meritò præsumptiones, attamen necessaria. inepta, attamen vtilia. Siquidem meliores fieri coguntur, qui eis credunt, metu æterni supplicij, & spe æterni refrigerij. Itaque non expedit falsa dici, nec inepta haberi, quæ expedit vera præsumi. Nullo titulo damnari licet omnino quæ prosunt. In vobis itaque præsumptio est hæc ipsa, quæ damnat vtilia. Proinde nec inepta esse possunt, certè & si falsa, & inepta, nulli tamen noxia. nam & multis aliis similia, quibus nullas pœnas irrogatis, vanis & fabulosis, inaccusatis & impunitis, vt innoxiis. sed in eiusmodi enim, si vtique, inrisu iudicandum est, non gladiis, & ignibus, & crucibus, & bestiis: de qua iniquitate sæuitiæ non modò cæcum hoc vulgus exultat & insultat, sed & quidam vestrûm, quibus fauor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur.

CHRISTIANI INIVSTE. IX. SCHOLIA.

FALSA NVNC. *Esto, vltro demus vobis, Gentiles, similem esse fidem nostram & eius dogmata, fabulis vestris, sit Paradisus noster campus Elysius, sit stagnum sulphuris, Pyriphlegeton.* MERITO. *Quod ex Dei gratia mereri nos dicimus æternam gloriam, sit vana & stulta præsumptio.* NECESSARIA. *Reipublica & nobis fides æternitatis gloriæ & pœnæ, est vtilis, dum hac nos ad virtutem impellunt, Regibus, Magistratibus, parentibus subiiciunt, & nulli nocere verbo vel facto compellunt.* MELIORES. *Vobis scilicet, & nobis ipsis antequam ad fidem à Gentilissimo conuerteremur. Aug. Ep. 45. ad Armentarium & Paulinam circa fin. vbi quod de voto dixit, hoc ego de fide quam in Baptismo omnes vouimus: maximè adulti sponte conuersi, & ore proprio professi.* S. August. Quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet, priusquam esses voti reus; liberum fuit quo esses inferior. *Eo scilicet qui vouit castitatem.* Quamuis non sit gratulanda libertas, quâ fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur. *Maius est enim meritum & præmium, sicut maius est debitum vouentis quàm soluti.* Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, non peior. Modò autem tantò *Quod absit*, miserior, si fidem Deo fregeris, quantò beatior, si persolueris. Nec ideo te vouisse pœniteat, immo guade, iam tibi sic non licere, quod cum detrimento tuo licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adiuuabit, qui vota tua experit. Fœlix est necessitas, quæ in meliora compellit. PRÆSVMPTIO. *In vobis est, non in nobis, Qui Christiana præcepta tam vilia, vana esse & stulta præsumitis: Sed esto. Quamuis essent inepta, cui nocent? Similia sint commentis Deorum vestrorum,* INACCVSATIS. *Quis ea accusat & punit?* SI VTIQVE. *Si vspiam, si aliquo modo censuram merentur.* INRISV. *Irrisione potius quàm crudeli morte iudicari & plecti sunt digna.* DE INIQVITATE. *Per iniustitiam qua in nos sæuitis, plebis cæca & temerè nostræ Religioni insultantis, fauorem captatis, vobis eius in nostrum exitium conspirantibus respondentes idque gloriando. De quibus Salomon*: Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimus.

10. Christianorum innocentia omnimoda: vexata tamen est supra crimina Gentilium. Ad Scap. cap. 4. circa. fin.

DEpositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos piè tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus. Viderint qui sectam mentiuntur, quos & ipsi recusamus. Quis denique de nobis alio nomine quæritur? Quod aliud negotium patitur Christianus, nisi suæ sectæ? quam incestam, quam crudelem, tanto tempore nemo probauit. Pro tantâ innocentia, pro tanta probitate, pro iustitia; pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo viuo cremamur; quod nec sacrilegi, nec hostes publici, verum nec tot majestatis rei pati solent. Nam & nunc à præside Legionis, & à præside Mauritaniæ vexatur hôc nomen, sed gladio tenus, sicut & à primordio mandatum est animaduerti in huiusmodi

CHRISTIANORVM INNOCENTIA. X. SCHOLIA.

S. August. DEPOSITVM, *&c. Aug. in Psal. 57. Vbi fusè de depositi non negando. Inter cætera sic, ait,* Ecce nescio vnde amicus venit, & nullo teste aurum commendauit: Solus hoc nouit & tu, quantùm ad homines attinet. Est ibi alius testis, qui non videtur & videt, &c. Testis est, qui adest, non in cubiculo adest parietum, sed in cubiculo conscientiarum vestrarum, commendauit ille atque discess-

sit, nulli suorum nonum fecit, redditurum se speA rans, & ab amico quod dederat recepturum: vt humana sunt, mortuus est, filium habet, reliquit hæredem: ignorat filius quid Pater habuerit, quid tibi commendauerit: Eia tu redi prænaricator ad cor, ibi scripta est lex: quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Teipsum cogita commendasse, nulli tuorum dixisse, mortuum esse, filium reliquisse: quid ei velles à tuo amico præstari? Responde. Iudica causam. Iudicis tribunal est in mente tua, sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor, &c. Noui quid tibi respondeat cogitatio tua, sic iudica sicut audis. Iudica, vox erit, vox veritatis non tacet, non labiis clamat, sed vociferatur ex corde, adhibe autem, ibi esto cum filio amici tui. Vides fortasse etiam indigentem, B vagari, nescientem quid Pater eius habuerit, vbi posuerit, cui commendauerit. Cogita & filium tuum. Fac illum viuere quem contemnis mortuum: te mortuum cogita, vt viuas. Sed aliud iubet Deus contra auaritiam, aliud auaritia iubet contra Deũ, Deus aliud, auaritia aliud: aliud in paradiso Conditor noster, aliud ex aduerso seductor serpens. Veniat in mentem prior casus tuus. *Insinuat depositum arboris prohibitæ creditum Adamo: vnde Bernardus tentata Eua; sic loquitur serua commissum, ne perdas promissum.* Propterea mortalis, propterea laborans, propterea in sudore vultus tui panem comedens, propterea spinas & tribulos tibi terra germinat. Experimento disce quod noluisti præcepto. Si vincit cupiditas, cur non potiùs veritas? REFRIGERAMVS. *Refrigerium præstamus*; Reficite lassum, & hoc est refrigerium meum: *Sic iuxta Psaltem & Chrysologum*. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: *Hoc est qui latentem in paupere intelligit Christum, caput pro suis membris apertè dicens:* Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. SECTAM MENTIVNTVR. *Fingunt se Christianos.* ALIO NOMINE. *Obligationis, aut criminis titulo, quàm quòd Christiani vocamur.* INCESTAM. *Vt supra ob concubitus tenebrosos cum matribus & sororibus, vt imponebant Gentiles.* CRVDELEM *Ob infanticidia.* CREMAMVR, *Vt malefici. Paulus lib. 5. Sent. cap. 23.* Magicæ artis conscios summo supplicio affici placuit, id est, bestiis obiici, aut cruci suffigi, ipsi autem Magi viui exuruntur. ET NVNC. *Iam tum nomen Christianorum in Hispania torquebatur.* A PRÆSIDE. *Nota. Tum in Africa Proconsules, in Hispania Præsides, indictis officio fungebantur.* LEGIONIS. *Vulgò* Leon. GLADIO TENVS. *Id. Non alio grauiori genere supplicij.* A PRIMORDIO. *Quia antequam Seuerus Edictum contra Christianos edidisset, Plautianus persecutionem incepit inscio Seuero, quam postea ipse continuari præcepit. de quo vide Baronium to. 3. Annal.* ANIMADVERTI. *Terminis iuris, ad mortem iudicari, puniri.*

Aug.

II. *Christiani iam mixti ethnicis æquanimiter ferunt bona & mala temporalia, donec in iudicio discreti, erepti malis æternis, fruantur bonis. Apol. cap. 41. à p.*

HOc, inquitis, & in Deum vestrum repercutere est, quod & ipse patiatur propter profanos etiam cultores suos lædi. Admittite priùs dispositiones eius, & non retorquebitis. Qui enim semel æternum iudicium destinauit post seculi finem, non præcipitat discretionem, quæ est conditio iudicij, ante seculi finem. æqualis est interim super omne hominum genus, & indulgens, & increpans, communia voluit esse & commoda profanis, & incommoda suis, vt pari consortio omnes & lenitatem eius & seueritatem experiremur. Quia hæc ita didicimus apud ipsum, diligimus lenitatem, metuimus seueritatem: vos contra, vtramque despicitis. & sequitur, vt omnes seculi plagæ nobis, si fortè, in admonitionem, vobis in castigationem à Deo obueniant. Atquin nos nullo modo lædimur. in primis, quia nihil nostra refert in hoc æuo, nisi de eo quàm celeriter excedere: deinde, quia si quid aduersi infligitur, vestris meritis deputatur. sed etsi aliqua nos quoque perstringunt vt vobis cohærentes, lætamur magis recognitione diuinarum prædicationum, confirmantium scilicet fiduciam & fidem spei nostræ. Si vero ab eis quos colitis, omnia vobis mala eueniunt nostri causâ, quid colere perseueratis tam ingratos, tam iniustos? qui magis vos in dolorem Christianorum iuuare & asserere debuerant.

CHRISTIANI IAM, &c. XI. SCHOLIA.

HOC REPERCVTERE EST. *Potest retorqueri, idem quod Gentilibus obiecimus, neglectos Deos, irasci Christianis, & propter Christianos, quos vexãt malis publicis, etiam idololatras simul vexare.* DISCRETIONEM. *Electorum à reprobis, qui nunc promiscuè affliguntur.* CONDITIO. *Circumstantia & proprietas iudicij; in quo Matth. 25. 32.* separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet, oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. *August. lib. 1. de Ciuit. cap. 35.* Perplexæ Aug. sunt istæ duæ ciuitates in hoc sæculo, inuicemque permixtæ, donec vltimo Iudicio diuidantur. Aug. COMMVNIA. *Aug. lib. 1. de Ciuit. cap. 8.* placuit diuinæ prouidentiæ præparare in posterum bona iustis quibus non fruentur iniusti: & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ita verò temporalia bona & mala vtrisque voluit esse communia: vt nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; Nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. IN ADMONITIONEM, *&c.* IN CASTIGATIONEM. *August. Ibid.* Patientia Dei ad pœnitentiam inuitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Itemque Misericordia Dei fouendos amplectitur bonos, sicut seueritas Dei puniendos corripit malos, &c. Si nunc omne peccatum manifestâ plecteretur pœnâ, nihil vltimo Iudicio reseruari putaretur. Rursum si nullum peccatum nunc puniret apertè, diuinitus, nulla esse prouidentia diuina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate concederet non ad eum istâ S. August.

pertinere, diceremus. Itemque si omnibus ea petentibus daret, non nisi propter talia præmia seruiendum illi esse arbitraremur: nec pios nos faceret talis seruitus, sed potiùs cupidos & auaros. Hæc cùm ita sint, quicumque boni malique pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est, quod vtrique perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, & licet sub eodem tormento, non est idem virtus & vitium. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eadē tribula, *triturę instrumento*, stipulæ comminuūntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita vna eademque vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni precantur, & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & A exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum. *Quid in rem Tertull. concinnius? Quid elegantius?* SI FORTE. *Non quod dubitet à Deo omnia mala pœnæ, iusto iudicio venire; dicente Prophetæ*: si est malum in ciuitate quod Dominus non fecerit. *Sed ex mente Gentilium, ea ad scribentium fatum vel disparando, si nobis obueniant; fortè enim in admonitionem affligimur, ne nimis temporalibus hæreamus; si nobis, in pœnam & iustam vindictam; quam plenius exercebit in altera vita, in eos qui ipsum contemnunt in ista.* EXCEDERE. *Mori & migrare ex hoc sæculo.* DEPVTATVR. *Imputatur, adscribitur.* VOBIS COMÆRENTES, *in aliquo affectu inordinato temporalium. Sic August. lib. 1. de Ciuit. c. 9.* Flagellantur simul, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam, non quidem æqualiter, sed tamen simul; quam boni contemnere deberent. PRÆDICATIONVM. *Prophetiarum & scripturarum.* IN DOLOREM. *Inuidiam & tristitiam cordis.* ASSERERE. *Liberare.* Aug.

12. *Christiani milites Christi, spe & metu futurorum, vltro à gentilibus omnem persecutionem subeunt. ad Scap. cap. 1. in p.*

NOs quidem neque expauescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur: cùm ad hanc sectam vtique susceptâ conditione eius pacti venerimus, vt etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit, consequi optantes, & ea quę diuersæ vitæ cōminatur pati timentes. Denique cum omni sæuitia vestra concertamus, etiam vltro erumpentes: magisque damnati quàm absoluti gaudemus. Itaque hunc libellum non nobis timentes misimus, sed vobis & omnibus inimicis nostris, nedum amicis.

CHRISTIANI MILITES. XII. SCHOL.

A IGNORANTIBVS. *Nostræ Religionis sacra mysteria. Pro quibus & cum Christo à cæcis Iudeis patiente eramus:* dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. AVCTORATI, *addicti, obligati. Auctoramentum autem est merces apud Paterculum & Ciceronem.* ERVMPENTES, *vltro nos offerentes tormentis*, GAVDEMVS. *Sicut* ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, &c. *Augustin. in Psal. 48. concio. 2.* Hic ergo quid? labor, pressura, tribulatio, tentatio, nihil aliud speres. Vbi gaudium? in spe futura. Nam dicit Apostolus, semper gaudentes. In tantis tribulationibus, &c. Ipse dixit, quasi tristes; semper autem gaudentes. Tristitia nostra habet quasi, gaudium nostrum non habet quasi; quia in spe certa est. Quare tristitia nostra, quasi habet? Quia sicut somnus transit, &c. Qui S. Augustin. B somnium indicat, addit quasi. Quasi dicebam, quasi loquebar, quasi prandebam, &c. Totum quasi, quia cùm euigilauerit, non inuenit quod videbat. Quasi thesaurum inueneram, dicit mendicus. Si quasi non esset, mendicus non esset: sed quia quasi erat, mendicus est. Itaque modò quòd ad lætitias sæculares oculos aperiunt, & cor claudunt, *subaudi Deo, fidei, & spei æternorum*, transit, quasi eorum, & venit, verum ipsorum. Quasi ipsorum, fœlicitas est sæculi, verum ipsorum pœna est. *Inferni*, nostrum autem quasi, tristitia est, *qui fingis laborem in præcepto*, gaudium non est quasi. Non enim ait Apostolus quasi gaudentes, semper autem tristes; aut quasi tristes, & quasi gaudentes; sed ait, quasi tristes, semper autem gaudentes. August.

13. *Christianorum generosa libertas, oppositæ seruituti Iudæorum. 5. cont. Marc. cap. 4. in m.*

a ad Gal. 4. 31. NOn [a] *sumus ancillæ filij, sed liberæ.* Vtique manifestauit & Christianismi generositatem in filio Abrahæ ex libera nato, allegoriæ habere sacramentum; sicut & Iudaismi seruitutem legalem in filio ancillæ: atque ita eius Dei esse vtramque dispositionem, apud quem inuenimus vtriusque dispositionis deliniationem. Ipsum quod ait. [b] *Qua libertate Christus nos* b Ibid. 31. *manumisit*; nonne eum constituit manumissorem, qui fuit Dominus? Alienos enim seruos ne Galba quidem manumisit, facilius liberos soluturus. Ab eo igitur præstabitur libertas, Gal. 5. apud quem fuit seruitus legis. Et meritò. Non decebat manumissos rursus iugo seruitutis, id c Psal. 2. 3. & 2. est, legis adstringi; iam Psalmo adimpleto, [c] *Disrumpamus vincula eorum, & abijciamus à nobis iugum ipsorum: Postquam Archontes congregati sunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum ipsius.*

CHRISTIANORVM GENEROSA, &c. XIII. SCHOLIA.

NOS SVMVS, *&c. Gal. 4. 31.* Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, quâ libertate nos Chri- S. Augustin. stus liberauit. *Augustin. in Psal. 115.* ô Domine quia C ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ: *vbi cùm exposuisset versum precedentem de pretiosa morte Sanctorum & sic conclusisset:* confiteatur Itaque

Itaque conditionem ſuam mancipium tanto pretio comparatum, & dicat: ô Domine, ego ſeruus tuus, &c. *Sic concludit*: ergo & emptus eſt, & vernaculus eſt: an cum Matre ſimul eſt emptus? an quia vernaculus eſt propter peccata fugæ ſuæ deprædatus, & ideo emptus, quia redemptus eſt? filius enim eſt ancillæ, ſecundum quod omnis creatura ſubdita creatori eſt, & veriſſimo Domino, veriſſimum debet famulatum: quem cum exhibet, libera eſt, hanc accipiens à Domino gratiam, vt ei non neceſſitate, ſed voluntate deſeruiat. Ergo iſte filius eſt Hieruſalem Cœleſtis, quæ ſurſum eſt mater omnium noſtrûm libera. Et libera quidem à peccato, ſed ancilla juſtitiæ: cuius filiis adhuc pergrinantibus dicitur Galat 5. vos in libertatem vocati eſtis Sed rurſus, *ibidem*, eos ſeruos facit dicens, ſed in Charitate ſeruite inuicem: quibus item dicitur Rom. 6. cum ſeruieratis peccato, liberi eratis à Iuſtitia: nunc vero liberati à peccato, facti autem ſerui Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. ALLEGORIÆ. *Tertul. hîc iuxta literam, allegoriam explicat vt Paulus de vtroque teſtamento.* EIVSDEM DEI DISPOSITIO, *quia Deus idem vtriuſque diſpoſuit Teſtamentum. Auguſt. in Pſal. 119. pulchrè reſpondet intento Tertulliani, Deum vtriuſque Teſtamenti authorem contra Marcionem:* vetus Teſtamentû à Deo, & nouum Teſtamentum à Deo, quomodo de Abraham, & Iſmaël & Iſaac, ſed Iſmaël ad terrenum, Iſaac ad cœleſte regnum. *Supple pertinet*, &c Iſmaël in vmbra, Iſaac in luce, &c. MANVMISIT, *manumittebantur enim ſerui, quando libertate donabantur, quaſi Domini manu & poteſtate liberati. Vnde Tertul. colligit Paulum Apoſtolum eſſe Creatoris. Ad eumdem enim Dominum pertinet libertum facere proprium ſeruum.* NE GALBA. *Qui licet Summus Dominus & Imperator omnia pro libito diſponens, ne quidem ſeruos priuati alicuius Domini manumittere voluiſſet.* FACILIVS, *id honeſtius homines ſui iuris & liberos, vel proprios filios ſuo iugo & Imperiali ſubiectione op-trioque dominio exempturus. Vnde colligit Tertul. Chriſtum Dominum non ad Deum Marcionis, ſed ad Dominum Creatorem pertinere, qui Iudæos ſeruos proprios iugo ſeruili legis veteris abſoluerit, eos ſub lege gratiæ conſtitutos, libertate donans.* NON DEGEBAT, *&c. Quis enim Dominus liberalitatis ſuæ pœnitens, datam reuocet ſeruo libertatem? ſed quis adeo ſtultus ſeruus, iam liberum, qui ſe vltro eidem iugo ſubiiciat? Hinc merito Paulus Gal. 5. 1.* State Syr. *expreſſius: ſtate igitur in libertate illâ qua Meſchicho, id eſt Meſſias, nos donauit, & ne mancipemini iugo ſeruitutis*, & nolite iterum iugô ſeruitutis contineri. IAM PSALMO, *&c. Locum alibi jam expoſuimus. Nunc in rem, vult poſt Chriſti mortem, mortuam legem circumciſionis, cuius vinculis prius tenebantur obſtricti* ARCHONTES, *principes Iudæorum qui Chriſtum condemnarunt.* DISRVMPAMVS, *&c. Idem Pſal. 15.* dirupiſti vincula mea, &c. *Auguſt. ibid. cum expoſuiſſet, vt ſupra vidimus, de filio ancillæ; iam conuertitur ad mores, vt de accepta gratia libertatis, non meritis noſtris, ſed Dei gloria imputetur.* Neque enim inueni vlla merita mea, quando tu dirupiſti vincula mea, ideo ſacrificium laudis tibi deboo, quia etſi gloriabor quòd ſeruus tuus ſim, & filius ancillæ tuæ non in me, ſed in te Domino meo gloriabor, qui dirupiſti vincula mea, vt à fuga rediens religarer tibi.

Auguſt. S. Auguſt.

14. *Chriſtiani tam ab omni factione remoti, quàm ab omni adminiſtratione Reipublicæ, aliàs habent voluptates quàm Gentiles. Apol. cap. 38. inp. ad f.*

PROINDE nec paulò lenius inter licitas factiones ſectam iſtam deputari oportebat, à qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri ſolet. Niſi fallor enim, prohibendarum factionum cauſa de prouidentia conſtat modeſtiæ publicæ, ne ciuitas in partes ſcinderetur, quæ res facile comitia, concilia, curias, conciones, ſpectacula etiam, æmulus ſtudiorum compulſationibus inquietaret, cum iam & in quæſtu habere cœpiſſent venalem & mercenariam homines violentiæ ſuæ operam. At enim nobis ab omni gloriæ & dignitatis ardore frigentibus nulla eſt neceſſitas cœtus, nec vlla magis res aliena, quam publica. vnam omnium rempublicam agnoſcimus, mundum. æque ſpectaculis veſtris in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas ſcimus de ſuperſtitione conceptas. quin & ipſis rebus de quibus tranſiguntur, præterſumus. nihil eſt nobis cum inſania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum xyſti vanitate. Licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem. Quo vos offendimus, ſi alias præſumimus voluptates? Si oblectari nouiſſe nolumus, noſtra iniuria eſt: ſi forte, non veſtra. Sed reprobamus quæ placent vobis, Nec vos noſtra delectant.

CHRISTIANI TAM AB OMNI, &c. XIV. SCHOLIA.

PROINDE. *Superiori capite egerat de beneficijs Chriſtianorum in Gentiles, quos à dæmonum vexatione liberabant. Vnde concludit, proinde Gentiles contentos eſſe non debere, paulo lenius tractam ſectam Chriſtianorum*, quam falſo factioſam, & in Imperatores & rempublicam conſpirantem putabant, *quàm cæteros cœtus Gentilium, quos ipſi cenſebant innocuos; ſed inſuper applaudere & gratulari tam vtili reipublica ſectæ, à qua nihil ſit timendum perniciosi.* NISI FALLOR. *Tota cauſa prohibendorum cœtuum factioſorum, procedit de prudentia Præſidum Reipublica, qui præſident ne quid contra* MODESTIAM, *moderationem morum, & pacem publicam fiat per Schiſmata & diuiſiones, quibus omnia turbarentur. Et quæſtuarij & mercenarij homines ſuam accepto pretio operam locarent ad violentas rapiones. Nos autem qui frigidi ſumus & caremus ambitione dignitatum & gloriæ, & primi conceſſus in theatris & locis publicis, nec æmulamur alios loco pellere; nil quæ cum publicis officijs ambiendi commune cum vobis habemus, factioſi eſſe non poſſumus.* PRÆTERSVMVS, *alieni ſumus, à vanitate, inſania, crudelitate ſpectaculorum.* INSANIA. *Libro de ſpectac. c. 16.* cum furor interdicitur nobis, ab omni ſpectaculo auferimur etiam à circo, vbi propriè furor præſidet. *De circo alias dicturi ſumus verbo ſpectaculo.* IMPVDICITIA. *Propria theatri,*

vbi inhonesta repræsentabantur. Vnde Tertul. de spectac. quonam leges illæ abierunt, quæ theatra stuprandis moribus orientia, statim destruebant? ATROCITATE. *Propter gladiatores inuicem & cum bestijs pugnantes. Hiero. ad Demetr.* peregrinas feras & ignota animalia transmiserunt, quæ crudelis arenæ solum, vel suo vel hominum sanguine cruentarent. VANITATE. *Ob cursus & saltus vanos Xysti. Locus siue porticus ampla vel subdialis ambulatio Vitruuio & Ciceroni, vbi Athletæ per hyemem exercebantur. Tertul. de Spectac. c. 18.* non probatis vnquam vanos cursus & iaculatus, & saltus vaniores. DE SVPERSTITIONE. *Quia in honorem aliquim Dei hæc inuicta & inuicta sunt.* LICVIT EPICVREIS. *Et ipsi animaliores Philosophi, potuerunt per vos, licitè sibi quærere voluptatem, quam cæteris veriorem æstimabant, quam in moderatis voluptatibus ponebant, vt excessu nimio, vel defectu vitato, eam percipere tranquillè non impedirentur. Et nobis, inquit, liceat proprias nostras absque vllius præiudicio & offensa æstimare & sumere voluptates.* NOSTRA INIVRIA. *Nullam nisi nobis priuatione voluptatum vobis communium, facimus iniuriam. Nisi forte, & vobis damnum inferamus, portionem in his minimam vobis non detrahentes. Cæterum sua sunt & vere Christianis*
S. Augus. *voluptates. August. in tit. Psalmi 74.* in finem ne corrumpas. Vita hæc, inquit, qualibet redundans fœlicitate multos fallit, Deus neminem. Quia ergo omni homini conuerso ad Deum mutatur delectatio, mutantur delitiæ; non enim subtrahuntur, sed mutantur. *Necperijt Abrahæ risus suus, quem significat Isaac nomen, suffecto in locum eius ariete immolato, vt subtraheretur & periret petulantia, non vita lætitia,*
S. Augus. omnes autem deliciæ nostræ non sunt in hac vita, nondum sunt in re, sed ipsa spes tam certa est, vt omnibus huius sæculi deliciis præponenda sit, sicut scriptum est Psal. 36. delectare in Domino, & ne putares te iam habere, quod promittit, subiecit statim; & dabit tibi petitiones cordis tui. Si ergo nondum habes petitiones cordis tui, vnde delectaris in Domino, nisi quia tenes certum promissorem, qui se effecit promittendo debitorem? huius igitur deprecationis, vt permaneat nobiscum spes nostra, & introducamur in id quod promisit Deus, loquitur titulus huius Psalmi: in finem ne corrumpas. Quid est, ne corrumpas? quod promisisti, exhibe. Sed quando? in finem. Illuc ergo oculus mentis dirigatur in finem. Omnia quæ in via occurrerint, transeantur, vt perueniatur in finem. Exultent superbi de præsenti fœlicitate, tumeant honoribus, fulgeant auro, redundent familiis, obsequijs clientum constipentur: præterient ista & transeunt quasi in vmbra. Cum ille finis venerit, vbi omnes qui modo in Domino sperant, gaudebunt, tunc illis veniet sine fine tristitia. Quando acceperint humiles, quod irrident superbi, tunc superborũ typhus conuerteretur in luctum, &c. Tunc illi dicent: hi sunt quos aliquando habuimus in derisum. Vbi etiam dicent, quid nobis profuit superbia? &c. Quia de corruptibilibus præsumpserunt, spes eorum corrumpetur. Nostra vero spes tunc erit res, &c. Noli ergo timere ne promissiones Dei corrumpat aliquis potentum. Ipse vero non corrumpit, quia verax est. *Nec tu Christiane corrumpas in finem, fidem tuam aut mores in mundanos; de te dicatur quod Hiero. in vita Hilarionis:* non circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuria delectabatur.

15. *Christiani nec sacrilegi, nec in Imperatores factiosi vt Gentiles, immo pro ipsis orent & sacrificent. ad Scap. cap. 2. à p. adm.*

NOs, quos sacrilegos existimatis, nec in furto vnquam deprehendistis, nedum in sacrilegio. Omnes autem qui templa despoliant, & per deos iurant, & eosdem colunt, & Christiani non sunt, & sacrilegi tamen deprehenduntur. Longum est, si retexamus quibus aliis modis & derideantur & contemnantur omnes dij ab ipsis cultoribus suis. Sic & circa maiestatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani inueniri potuerunt Christiani, sed iidem ipsi, qui per genios eorum in pridie vsque iurauerant, qui pro salute eorum hostias & fecerant & vouerant, qui Christianos sæpe damnauerant, hostes eorum sunt reperti. Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens à Deo suo constitui, necesse est vt & ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & saluum velit, cum toto Romano Imperio, quousque seculum stabit: tandiu enim stabit. Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secun-
1. Thes. 2. 3. dum; & quicquid est, à Deo consecutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est. Sic & ipsis diis maior est, dum & ipsi in potestate sunt eius. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius,
1. Tim. 2. sed quomodo præcepit Deus pura prece. Non enim eget Deus, conditor vniuersitatis, odo-
1. & 8. ris aut sanguinis alicuius. Hæc enim dæmoniorum pabula sunt.

CHRISTIANI NEC SACRILEGI. XV. SCHOLIA

INGRATAM VRBI. *Famâ publicâ malâ, quasi in personam Imperatoris conspirantes.* ALBINIANI, *de factione Albini. Notat Cladium Albinum in Gallia contra Seuerum Imperatorem rebellionem instruxisse. Vt narrat Spartianus. Sicut & aduersus eundem Seuerum noua factione, Pescennius Niger Imperator salutatus est à Legionibus Syriæ. Vt pariter Auidius Cassius L. Vero insidiatus est.* GENIOS. *Dæmonas & Deos tutelares.* SÆCVLVM STABIT. *Ambr. in Ep. 1. ad Thess.* non prius veniet Christus quàm Regni Romani defectio fiat. VOLET. *Consentiet in-*
C *beris se sub Deo esse, modo sit super homines omnes.* IN POTESTATE. *Quia Deos ipse consecrat nouos, idola & Sacrificia, istis instituit.* PVRA PRECE. *Id est, non admixta superstitiosis cultibus. Non quod incensum non offeramus in Ecclesia, sed quod non credamus vt Gentiles, vt Deos & dæmones eorum, Deum nostrum verum, vel odore incensi, vel nidore sanguinis, aut vsitatæ carnis victima pasci & delectari. Vnde per Psalmum:* numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis, &c. *Sacrificij autem corporis Christi pro*

Auguſt. *Imperatoribus oblati hic meminit Tertul. Aug. in Ep. ad Paulinum ex 1. Tim. 2. vbi iubet orari pro Regibus, & in ſublimitate conſtitutis.* Precari dicebant eſſe, precando bona optare; deprecari, mala precando depellere, &c. Precationes accipiamus dictas quas facimus in celebratione ſacramentorum; antequam illud quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici: Orationes, cum benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur. Quam totam benedictionem ferè omnis Eccleſia Dominica oratione concludit. Interpellationes autem, ſiue, vt noſtri codices habent, poſtulationes, cum populus benedicitur. Tunc enim Antiſtes, velut aduocati ſuſceptos ſuos, per manus impoſitionem miſericordiſſimæ offert poteſtati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apoſtolus. Hæc autem cauſa præcipua fuit, iſta dicendi, vt his breuiter præſcriptis atque ſignificatis, non putaretur negligendum eſſe quod ſequitur: pro omnibus hominibus, pro A Regibus, & his qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Ne quiſquam, ſicut ſe habet humanæ cogitationis infirmitas, æſtimaret iſta non eſſe facienda pro his, à quibus perſequutionem patiebatur Eccleſia, cum membra Chriſti ex omni eſſent hominum genere colligenda. Vnde adiungit & dicit. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et ne quiſquam diceret poſſe eſſe ſalutis viam in bona conuerſatione, & vnius Dei omnipotentis cultu, ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti; vnus enim Deus, inquit, & vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Vt illud quod dixerat, omnes homines, &c. Nullo alio modo intelligatur præſtari, niſi per mediatorem, non Deum, quod ſemper erat Verbum; ſed hominem Chriſtum Ieſum; cum Verbum caro factum eſt, &c. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo.

16. *Chriſtiani non ſunt infructuoſi reipublicæ, & tributa fidelius pendunt quàm* **Ethnici.** *Apol. cap. 42. per totum & 43. per totum.*

SEd alio quoque iniuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiſcum degentes, eiuſdem victus, habitus, inſtructus, eiuſdem ad vitam neceſſitatis? neque enim Brachmanæ, aut Indorum gymnoſophiſtæ ſumus, ſiluicolæ, & exules vitæ. meminimus gratiam debere nos Deo, domino, Creatori nullum fructum operum eius repudiamus. plane temperamus, ne vltra modum, aut perperam vtamur. Itaque non ſine foro, non ſine macello, non ſine balneis, tabernis, officinis, ſtabulis, nundinis veſtris, cæteriſque commerciis cohabitamus hoc ſeculum. nauigamus & nos vobiſcum, & vobiſcum militamus, & ruſticamur, & mercamur. proinde miſcemus artes, operas noſtras publicamus vſui veſtro. quomodo infructuoſi videamur negotiis veſtris, cum quibus, & de quibus viuimus, non ſcio. Sed ſi cerimonias tuas non frequento, attamen & illa die homo ſum. Non lauo ſub noctem Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam. attamen lauo & debita hora & ſalubri, quæ mihi & calorem & ſanguinem ſeruet. rigere & pallere poſt lauacrum mortuus poſſum. Non in publico Liberalibus diſcumbo, quod beſtiariis ſupremam cœnantibus mos eſt. attamen vbi vbi de copiis tuis cœno. Non emo capiti coronam; quid tua intereſt emptis nihilominus floribus quomodo vtar? puto gratius liberis, & ſolutis, & vndique vagis. ſed & ſi in coronam coactis, nos coronam haribus nouimus. viderint qui per capillum odorantur. Spectaculis non conuenimus. quæ tamen apud illos cœtus venditantur ſi deſiderauero, libentius de propriis locis ſumam. Tura plane non emimus. ſi Arabiæ quæruntur, ſcient Sabæi pluris & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quàm diis fumigandis. Certè, inquitis, templorum vectigalia quotidie detoquunt. ſtipes quotus quiſque iam iactat? Non enim ſufficimus & hominibus & diis veſtris mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis quàm peregrinis impertiendum. denique porrigat manum Iupiter, & accipiat. cum interim plus noſtra miſericordia inſumit vicatim, quàm veſtra religio templatim. Sed cetera vectigalia gratias Chriſtianis agent ex fide dependentibus debitum, quâ alieno fraudando abſtinemus, vt ſi ineatur quantum vectigalibus pereat fraude & mendacio veſtrarum profeſſionum, facile ratio haberi poſſit, vnius ſpeciei querelâ compenſatâ pro commodo ceterarum rationum. Plane confitebor, quinam, ſi forte, verè de ſterilitate Chriſtianorum conqueri poſſunt. primi erunt lenones, perductores, aquarioli. tum ſicarij, venenarij, magi. item aruſpices, arioli, mathematici. His infructuoſos eſſe magnus fructus eſt. Et tamen quodcumque diſpendium eſt rei veſtræ per hanc ſectam cum aliquo vtique præſidio compenſari poteſt. Quanti haberis, non dico iam qui de vobis dæmonia excutiant, non dico iam qui pro vobis quoque vero Deo preces ſternant, ſed à quibus nihil timere poſſitis?

CAP. XLIII.

CHRISTIANI TRIBVTA. XVI. SCHOL.

POSTVLAMVR. *Accuſamur, vt inſcripti inutiles reipublicæ.* INSTRVCTVS, *Apparatus modeſtus, & temperatus rei domeſticæ, & ſuppellectilis.* BRACHMANÆ. *Indorum Philoſophi, ſicut Gymnoſophiſtæ, qui ſic dicti ſunt, quod nudi in Syluis agerent, voluptatis omnis experres, quaſi ab humana vita*

B *exularent. Aug. lib. 14. de Ciuit. cap. 17.* Per opacas quoque Indiæ ſolitudines, cum quidam nudi Philoſophentur, vnde Gymnoſophiſtæ nominantur; Adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent. *Et lib. 15. c. 20. Vbi agit de ciuibus Babylonis & reprobis:* Et Indorum S. Auguſt.

5. Auguſt. Gymnoſophiſtæ, qui nudi perhibentur Philoſophari in ſolitudinibus Indiæ, ciues eius ſunt, & à generando ſe cohibent. Non enim eſt hoc bonum, niſi cum ſit, ſecundum finem ſummi boni qui eſt Deus. *Addit Plin. lib. 7. c. 2.* Ab exortu ad occaſum perſtare, contuentes Solem immobilibus oculis, feruentibus arenis toto die alternis pedibus inſiſtere. OPERVM EIVS, *Id eſt cum eis non ſentimus, qui Dei opera mala cenſent, nos terram colimus, & exercemus ad fructum, opera vtilia nobis & vobis.* STABVLIS. *Diuerſoriis, vnde & ſtabulario Samaritanus curam ſeminiui commiſit.* RVSTICAMVR. *Rura colimus.* SATVRNALIBVS. *In honorem Saturni, egregiè epulaturi lauabantur.* SVB NOCTEM. *Alij legunt omnino contrarium.* Diluculo. *Sic Lipſius in Tacitum, à prima luce incipiebant Saturnalia. Quin & ex Chryſoſtomo in nouilunio prima luce potum inſtaurabant. Quos iam inde arguebat Propheta:* Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam. SALVBRI. *Cum Saturnalia frigidiſſima anni tempeſtate & horis fierent importunis.* MORTVVS. *Cum cadauer lauabitur, tum & exangue rigebit & pallebit. Quid iam opus anticipare importuna celebritate? Non celebro Bacchanalia Liberi Patri ſacra, per plateas cœnans, vt faciunt addicti beſtiis ſupremam cœnam ſumentes.* VBI VBI. *Vbinis, vbicunque tandem victum ſumam, de his quæ venduntur in abundantia publica veſcor.* CAPITI. *Vt epulantes Gentiles non impono coronam, nec minus emo flores ad meliorem vſum. Sic Minutius Fœlix.* Quod caput non coronamus, ignoſcite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capilliſue ſolemus haurire. *Hinc dixit,* NARIBVS NOVIMVS, *Cum capilli non ſentiant odorem.* THVRA. *Non impendimus diis, ſed Chriſtianis mortuis.* VECTIGALIA DECOQVVNT. *Fideles ſcilicet imminuum reddituum templorum, quibus nil offerunt.* STIPES. *Iam pauci conferunt templorum miniſtris, quos olim Æruſcatores, dicebant collectores contributionum ad cultum templi & Sacerdotum mercedem præpoſitos. Varro:* Diis cum theſauris aſſes daut, ſtipem dicunt. NON ENIM, &c. *Reſpondet Tertul. Chriſtianos non habere vnde hominibus pauperibus & diis* Ironicè *mendicis tribuant.* VICATIM, *Pauperibus per vicos mendicantibus.* TEMPLATIM *Per ſingula templa mendicando* CÆTERA VICTIGALIA. *Quæ non ſæpium idololatriam; & ipſi exactores teſtabuntur nos multo fidelius ea perſoluere:* QVA, *Eo ipſo quod priuatis proximi bonis abſtinemus.* INEAIVR *Computetur ratio.* VESTRARVM PROFESSIONVM. *In quibus quiſque Gentilis & priuatis, & publicis rebus fraudandis inhiat.* VNIVS SPECIEI. *Id eſt in vnica hac ſpecie, qua conqueri poteſtis de nobis,* A *vectigalia & ſtipes templis non ſoluere, ſatis compenſamus leue hoc detrimentum, in aliis ſpeciebus tributorum, & ciuò & integrè ſoluendis. Paulus Rom. 13.* Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes. *Iuſtitiæ eius, & afflictioni populi Dei.* Reddite ergo omnibus debita. Cui tributũ, tributũ; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorẽ: cui honorem, honorem: *Aug. in expoſitione Epiſtolæ ad Gal.* Auguſt. Et ipſe prior Dominus, qui ait, reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; &c. Alia ſunt enim, quæ ſeruamus in vnitate fidei ſine vlla diſtantia, & alia in ordine vitæ huius, tanquam in via, ne nomen B Domini & doctrina blaſphemetur. Et hoc non ſolum propter iram vt effugiamus offenſionem hominum, ſed etiam propter conſcientiam, vt non ſimulatè quaſi ad oculos hominum iſta faciamus, ſed pura dilectionis conſcientia, propter Deum. *Et lib. de Catechiſandis rudibus, vbi de captiuitate* Auguſt. *Babylonica.* Poſt Septuaginta annos promittitur eis ab illa captiuitate liberatio. Hoc autem totum figuratè ſignificat Eccleſiam Chriſti, in omnibus Sanctis eius, qui ſunt ciues Ieruſalem cœleſtis, ſeruituram fuiſſe ſub Regibus huius ſæculi. Dicit enim & Apoſtolica doctrina: Vt omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit; & vt reddantur omnibus omnia; cui tributum, tributum: &c. Quod ſaluo Domini noſtri cultu *Quàm aptè in rem Tertul.* Conſtitutionis humanæ Principibus reddimus: Quando & ipſe Dominus, vt nobis huius ſanæ doctrinæ præberet exemplum pro capite hominis, qui erat hominis indutus habitum, tributum luere non dedignatus eſt. DE STERILITATE. *Quod Reſpublica nil fructus accipiat ex commercio fidelium. De huiuſmodi ſterilitate ſi qui queruntur, ſunt impuri & nefari mercatores.* LENONES, *Qui proſtituunt.* PERDVCTORES, *Qui blanditiis & muneribus pertrahunt, vtrumque ſexum ad libidinem.* AQVARIOLI. *Feſto dicebantur ſordidi impudicarum aſſeclæ, vnde & dictum* Aquacullat, id eſt lenocinatur. *Sic dicti ſecundum Turnebum, quod aquæ haiuli eſſent ad balneorum vſum.* D VENEFICII *Vel ad amoris pocula maleficio propinanda, vel venenata ad mortem miſcentes.* ARIOLI *diuinatores ex aris.* ARVSPICES *Ex aris item & victimis inſpiciendis.* MATHEMATICI. *Coniectores ex Aſtris.* SECTAM, *Religionem noſtram.* QVANTI. *Quo in pretio habetis hos fideles, à quibus tot maleficia, inſidiaſque non timere debeatis, ſed & qui Deum verum oratione humili, humi proſtrati; vobis placent, & dæmones de veſtris corporibus eiiciant.*

17. *Chriſtiani falsò dicuntur otioſi à Gentibus, cùm omnibus & ſolis honeſtis negotiis vacent. Apol. cap. 42. V. Verbum præcedens.*

18. *Chriſtiani ſolis leonibus, Aſtrologis, Sicariis, &c. inutiles: vtiles autem Reipublicæ, ejectione dæmonum, & curâ languorum. Ibid. in fine.*

19. *Chriſtiani dæmonibus quaſi ſerpentibus imperant, & illæſi calcant, ex vtraque lege. 4. Cont. Marc. cap. 24. circa fin.*

a Epheſ. 6. 11. b Pſal. 90. 13. c Eſa. 27. 1.

SCimus ſaluâ ſimplicitate ſcripturæ. nam & ipſæ beſtiæ nocere poterunt vbi fuerit, figuratè ſcorpios & colubros portendi [a] *Spiritalia malitiæ*, Quorum ipſe quoque princeps in ſerpentis, & draconis, & immaniſſimæ cuiuſque beſtiæ nomine deputetur penes Creatorem, largitum hanc poteſtatem priori Chriſto ſuo; ſicut nonageſimus Pſalmus ad eum, [b] *Super aſpidem & baſiliſcum incedes, & conculcabis leonem & draconem*; Sicut etiam Eſaïas, [c] *Illa die ſuperducet Dominus Deus machæram ſanctam, magnam & fortem*, Chriſtum

d by Go

ſcilicet ſuum, *In draconem illum colubrum magnum & tortuoſum, & interficiet eum illa die.* Sed quum idem, [d] *Via munda & via ſancta vocabitur, & non tranſibit illic immundum, nec eris illic via immunda: qui autem diſperſi erunt, vadent in ea, & non errabunt; & non erit iam illic leo, nec ex beſtiis peſſimis quicquam aſcendet in eam, nec inuenietur illic.* Quum via fidem demonſtret, per quam ad Deum perueniemus, iam tunc eidem viæ, id eſt fidei, hanc erogationem & ſubiectionem beſtiarum pollicetur.

d Eſa. 35. 8. & 9.

CHRISTIANI DÆMONIBVS. XIX. SCHOL.

SIMPLICITATE, *Id eſt ſimplici ſenſu literali, quo data eſt à Chriſto poteſtas vi fidei, ſcorpios & ſerpentes innocuè calcandi.* PORTENDI, *ſignificari dæmonia, quæ Paulus dixit, ſpiritalia nequitiæ Vide Schol. Chriſtiani Gentiles 20. in fine.* PENES CREATOREM *In veteri Teſtamento, cuius author eſt Deus Creator.* ERROGATIONEM. *Id eſt deletionem, quaſi rogo & igni delenda ſint hæc animalia, propter meritum fidei, quæ via eſt ad Deum.* INCEDES. *Ambulabis.* PRIORI CHRISTO. *Quia in priori legè veteri adumbratus Chriſtus Creatoris, priuſquam mentio fieret Chriſti Marcionis.* SVPER ASPIDEM. *Aug. in Pſal. 90. ad mentem Tertul. explicat omnia de Chriſto, & inter cætera.* Quid ſit ſerpens, noſtis; quomodo ſuper illum calcet Eccleſia, quæ non vincitur, quia cauet aſtutias ipſius. Quemadmodum autem ſit leo & draco, puto & hoc noſſe charitatem veſtram. Leo ſæuit apertè, draco occultè inſidiatur, vtramque vim & poteſtatem habet Diabolus: quando Martyres occidebantur, leo erat ſæuiens; quando hæretici inſidiantur, draco eſt ſurrepens. Viciſti leonem, vince & draconem: non te fregit leo, non te decipiat draco. Probemus quia leo erat, quando apertè ſæuiebat; exhortans Martyres Petrus ait, 1. 5. Diabolus tanquam leo rugiens, &c. Draco quomodo inſidiatur? Per hæreticos: tales timens Paulus ne ab illis corrumperetur Eccleſia à virginitate fidei, quam geſtabat in corde, ait 2. Cor. 11. Deſponſaui vos vni viro virginem, &c. Et timeo, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutiâ ſua, ita & mentes veſtræ corrumpantur à caſtitate quæ eſt in Chriſto, &c. Rex eſt ſerpentum baſiliſcus, ſicut & diabolus Rex eſt dæmoniorum. *Supra de Chriſto dixerat:* Si in Spiritu Dei eiicio dæmonia, &c. ESAIAS *27. 1. Vulgata:* In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum qui in mari eſt. 70 *Paucis mutatis à Tertulliano:* Inducet Deus gladium Sanctum ſuper draconem colubrum fugientem, ſuper draconem colubrum tortuoſum: occidet draconem: IOEM. *Eſa. 35. 8.* Et erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur. Non tranſibit per eum pollutus, & hæc erit vobis directa via, itaut ſtulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi: & ambulabunt qui liberati fuerint. *Tertull. ſequutus eſt 70.*

Auguſt

A B

20. *Et ad Scap. 2. circa. fin.*

DÆmones autem non tantum reſpuimus, verùm & reuincimus, & cottodie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt.

ET AD SCAP. XX. SCHOLIA.

RESPVIMVS. *Cultum eorum abiicientes.* REVINCIMVS. *De poſſeſſis abigentes vi fidei date à ſuperueniente fortiori.* TRADVCIMVS, *Sicut Chriſtus ex Paulo* Traduxit eos confidenter *Coloſſ. 2.* Expolians Principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo. *Tranſlatio Syriaca:* Et dum exuit corpus ſuum, diffamauit principatus & poteſtates, & confudit eos palam per ſeipſum. *Aug. ad Paulinum* Principatus exemplauit, id eſt exemplum dedit de illis, vt quemadmodum ſe exuit carne, ſic ſuos oſtenderet exuendos carnalibus vitiis, per quæ eis illi dominabãtur. *Et lib. de agone Chriſt. ano cap. 1* Multi dicunt quomodo poſſumus vincere diabolum quem non videmus? Sed habemus magiſtrum, qui nobis demonſtrare dignatus eſt quomodo inuiſibiles hoſtes vincantur. De illo enim dixit Apoſtolus: Exuens ſe carne, Principatus & poteſtates exemplauit, fiducialiter triumphans eos in ſemetipſo. Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis inuiſibites poteſtates, vbi vincuntur inuiſibiles cupiditales. Et ideo qui in nobis ipſis vincimus temporalium rerum cupiditates, neceſſe eſt vt in nobis ipſis vincamus & illum, qui per ipſas cupiditates regnat in homine. Sic & Apoſtolus dicit quod in ſemetipſum pugnet aduerſus poteſtates exteriores, ait enim: non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates huius mundi, harum tenebrarum, aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Cœlum enim dicitur iſte aër, &c. Quæ mala dæmonia ideo Apoſtolus appellat ſpiritalia, quia etiam mali Angeli in ſcripturis ſpiritus appellantur. Ideo autem rectores harum tenebrarum eos dicit, quoniam peccatores homines tenebras appellat, quibus iſti dominantur. Ideo & alio loco dicit, fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: quia ex peccatoribus iuſti erant, &c. Quamuis ille locus vbi ait, ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus, poſſit & aliter intelligi, vt non ipſos prævaricatores Angelos in cœleſtibus eſſe dixerit, ſed nos potius, de quibus alio loco dicit: conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Vt nos in cœleſtibus conſtituti, id eſt in ſpiritalibus præceptis ambulantes, dimicemus aduerſus ſpiritalia nequitiæ, quæ nos inde conantur abſtrahere, TRADVCIMVS *Propriè infamiâ afficimus, & velut in exemplum ridendum proponimus per vicos & Theatra. Sic ex corporibus eiecti dæmones ſolo crucis ſigno exſibilantur Vt dicatur cum Pſalte,* Draco iſte, quem tu formaſti ad illudendum ei.

Aug.

Auguſt.

C D

Digitized by Google

21. *Christiani Gentiles à dæmonum possessione liberant. Apol. cap. 37. in f.*

QVis autē vos ab illis occultis,& vsquequaque vastantibus mentes & valetudines vestras, hostibus raperet? à dæmoniorum incursibus dico, quæ de vobis,sine præmio,sine mercede depellimus. Sufficisset hoc solum nostræ vltioni, quod vacua exinde possessio immundis spiritibus pateret. Porrò nec tanti præsidij compensationem cogitantes, non modo non molestum vobis genus, verum etiam necessarium, hostes iudicare maluistis, qui sumus planè, non generis humani tamen, sed potius erroris.

Et 4. contra Marc. c. 24. in p.

a Luc. 10. 19. b Esa. n. 8.

QVis nunc a *dabit potestatem calcandi super colubros & scorpios*? Vtrumne omnium animalium dominus, an nec vnius lacertæ Deus? Sed bene quod Creator hanc potestatem etiam paruulis pueris per Esaïam repromisit, b *conicere manum in cauernam aspidum, & inuiolabile natorum aspidum, nec omnino læsi.*

CHRISTIANI GENTILES. XXI. SCHOL.

INCVRSIBVS. *Dicent Psaltes*, immissiones per Angelos malos. *Idem & Psalmo 90.* ab incursu & dæmonio meridiano. SINE PRÆMIO. *Ob cauendam Simoniam, donum enim Spiritus est, eiectio dæmonum, vt supra diximus*: si in digito Dei eiicio dæmonia. *Christo etiam monente*, gratis accepistis, gratis date. SVFFECISSET. *Satis de vobis magnam vltionem sumeremus, si vacua corpora vestra permitteremus rursum à dæmonibus eiectis occupari. Alludit ad dæmonium immundum eiectum,& in domū vacuam reuertentem assumptis secum septem spiritibus nequioribus se.* COMPENSATIONEM, *quapersecutiones vestras secundum Euangelium, tam insigni beneficio repensamus.* NON GENERIS HVMANI. *Aug. in versum Psalm.*: perfecto odio oderam illos, &c. Vt hoc oderis quod iniqui sunt; hoc amaueris, quod homines sunt. *Et idem alibi*: non enim in eis est inimica natura, sed culpa.

S. Augus.

Et 4. Contra Marc. 21. Schol.

QVIS NVNC, *&c. Arguè carpit Marcionem, cuius Deus nec tenuem lacertam condidit; vt probet Deum Creatorem, vtriusque Testamenti authorem, qui in nouo implenit, quod in vetere promisit. Vt idem sit qui per Christum suum det fidelibus suis potestatem in serpentes & colubros, qui id per Esaiam iam promiserat etiam paruulis. Sic Esa. 11. 8.* delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna Reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident: in vniuerso monte sancto eius. *Parum distant 70 à Tertul.* in cubile fœtuum aspidum, & non nocebunt, neque poterunt perdere quemquam in monte sancto meo: *& licet ad literam impleatur, sicut Luc. 10. ver. 19.* Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: *vbi & serpentes visibiles, & inuisibiles dæmones, paruulis, id est simplicibus subiectos dicit; melius adhuc subiiciuntur, dum peccata, per quæ regnant in animis, expelluntur, quàm cum de corporibus eiiciuntur. De serpente & scorpio subtiliter August. ser. 29. de Verb. Do. vbi de Patre non danti filio petenti pro pane lapidem pro pisce serpentem, pro ouo scorpionem*: consideremus ne forte ibi sint illa tria. 1. cor. 13. fides, spes, charitas, maior autem horum est charitas. Pone ergo tria, panem, piscem, ouum. Maior horum panis. Ideo panem bene intelligimus in his tribus charitatem. Propterea pani lapidem oppositum, quia duritia contraria est charitati; piscem fidem intelligamus. Dixit quidam sanctus, & nos dicere delectat, piscis bonus, pia est fides. Viuit inter fluctus, nec frangitur aut soluitur fluctibus. Viuit inter tentationes tempestatesque huius sæculi pia fides; sæuit mundus, & integra est: tantum contrarium fidei serpentem illū obserua. In fide enim desponsata est illa, cui dicitur in Cant. 4. veni de libano sponsa mea; veniens, & pertransiens ab initio fidei. *Libanus candorem in Baptismo susceptum significat, in quo ex Tertul. secundum piscem nostrum Christum gignimur. Vbi & initium fidei; dum anima Deo sponsatur.* Aug. Iden & desponsata, quia desponsatis initio fides, &c. Opposuit autem Dominus serpentem pisci, diabolum fidei. Propterea desponsatæ huic dicit Apostolus 2. cor. 16. desponsaui vos vni viro, &c. Et timeo ne sicut serpens seduxit Euam, &c. Diabolus ergo non corrumpat fidem, ne deuoret piscem. Restat spes, quæ, quantum mihi videtur, ouo comparatur. Spes enim nondum peruenit ad rem; & ouum est aliquid, sed nondum est pullus. Quadrupedes ergo *animales homines intelligit visibilia & præsentia volentes*, pariunt filios, aues autem spem filiorum. Spes ergo ad hoc nos hortatur, vt præsentia contemnamus, futura expectemus, ea quæ retro sunt obliuiscentes, cum Apostolo in anteriora extendamur. Philip. 3. Nihil ergo tam inimicum spei quàm retro respicere, id est in eis rebus quæ præterlabuntur & transeunt spem ponere, sed in his quæ nondum datæ sunt, sed dandæ quandocunque numquam transibunt, non sperare, &c. Paulus de hac spe ita loquitur Rom. 8. spe salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis quid sperat? &c. Ouum est, & nondum pullus est, &c. Non videtur, quia operitur, cum patientia expectetur, feruescat vt viuescat, &c. Noli retrò respicere, ouo tuo scorpium time. Vide quia de cauda percutit, quam retro habet, &c. Quanta tibi loquitur mundus, & *scorpius Princeps mundi huius*, quanta post dorsum strepit vt retro respicias? id est, vt in rebus præsentibus, nec præsentibus, non enim dicenda sunt præsentia, nunquam stantia, spem tuam ponas, & ab eo quod promisit Deus, & nondum dedit, sed quia fidelis est dabit, auertas animum tuum, & velis requiescere in mundo pereunte. *Ergo durum lapidem, & scandalum ab indurato & incorrigibili Satana Christo pro pane oblatum, scandalum contra charitatem, Angelis assistentibus, ne forte offendas & impingas affectus pedem, cane, serpentis caput, hoc est initium, ex Augst. suggestionis malæ, contra fidem,* Aug.

S. Augus.

calca, elide scorpium, & caudam, ne respice, retro pessum obliniscere, qua non videntur expecta, & sic ma-

A *gnificè*, CALCABIS SVPER COLVBROS ET SCORPIONES.

22. *Christiani dæmones, infirmitates, siccitates, à Gentilibus expulerunt. ad Scap. 4. circa m.*

HÆc omnia tibi & de officio suggeri possunt, & ab eisdem aduocatis, qui & ipsi beneficia habent Christianorum, licet adclament quæ volunt. Nam & cuiusdam notarius cum à dæmone præcipitaretur, liberatus est: & quorundam propinquus & puerulus. Et quanti honesti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut à dæmoniis, aut valetudinibus remediati sunt. Ipse etiam Seuerus, pater Antonini, Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curauerat, requisiuit, & in palatio suo habuit vsque ad mortem eius: quem & Antoninus optime nouerat, lacte Christiano educatus. Sed & clarissimas feminas, & clarissimos viros Seuerus sciens huius sectæ esse, non modo non læsit, verùm & testimonio exornauit, & populo furenti in nos palam restitit. Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetrauit. Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? Tunc & populus adclamens, DEO DEORVM QVI SOLVS POTENS EST, in Iouis nomine Deo nostro testimonium reddidit.

CHRISTIANI DÆMONES. XXII. SCHOLIA.

HÆC OMNIA: *quæ supra retulerat de quibusque etiam Præsidibus crudelibus, Christianis parcentibus; quorum exemplo Scapulam monet, vt in eos seuerius non animaduertat.* DE OFFICIO. *Iudicis, qui non debet nisi reos condemnare, & parcere innocentibus Christianis admonetur, sicut alij Præsides & Proconsules pepercerunt.* ADVOCATIS. *Qui etiam beneficia curationum, tam infirmitatum quàm possessionum dæmonum acceperunt.* LICET ADCLAMENT. *Aduocati ex Asconio erant, qui vel ius suggerebant, vel in Iudicio amicis præsentiam suam commodabant. Litigantes enim amicos, quos sciebant iudicibus gratos, aduocabant, vt eorum præsentia Iudices monerentur. Et hi cum Gentiles essent pro libito, bene vel male acclamabant, sed sæpius contra Christianos.* NOTARIVS. *Scriba cuiusdam Aduocati.* PRÆCIPITARETVR. *allideretur in terram.* REMEDIATI, *curati sunt.* SEVERVS, *Imperator.* ANTONINI. *Caracallæ.* PROCVLVM. *Non illum ipsum Apotheosis Romuleæ, sed Christianum. Eutychius Græcè, id est, in quem inclinant bona. Punicè autem cognominate Torpacion, alij Tobraon, vel Topacron. Grammaticus sui temporis celeberrimus.* PROCVRATOREM. *Scilicet honorarium itineris curandi, iuxta Capitolinum. Alij dubitant iuxta Durantum lib. 1. de Rit. Eccl. c. 20. & Martyrol. Rom. Cal. Decemb. fuisse Presbyterum ejusdem nominis.* PER OLEVM. *Non extremæ vnctionis de quo Iacobi 5. sed oleum benedictum, vt sæpissimè factum est circa ægrotos. Sic Hilarion à serpentibus illos, & duos mortuos vita reddidit teste Hieronymo.* LACTE CHRISTIANO. *Nutrice vel Christiana, vel Iudaica. Authores enim aliquando confundunt, de Gentilibus loquor, Iudæos cum Christianis ob cultum eiusdem Dei.* MARCVS QVOQVE. *De hoc iam Apol. 5. vbi dicit:* Germanicam sitim Christianorum militum precationibus impetrato imbri discussam. IN EORVM NOMINE, *Deo nostro vero ipsis incognito, sub Iouis nomine, quo maiorem Deum non cognoscebant, gratias egerunt pro accepto beneficio. Pro morbis oleo benedicto curatis, quos sæpè dæmon ipse procurat, vt laudis & sacrificij placatus, ea curare fingeret, exemplum refert Augustinus lib. 4. de ciuit. c. 24.* Inter eorum commemoratur virtutes, & miranda facta quod dicam. *Cicero, Liuius, Plutarchus, rem narrant.* Tito Latino rustico Romano patrifamilias dictum est in somnis in Senatum nuntiaret, vt ludi Romani instaurarentur, &c. Cum ergo ille, qui somno commonitus erat, postera die iussa facere non ausus esset, secunda nocte hoc idem rursus imperatum est. Amisit filium, quia non fecit. Tertia nocte dictum est homini quod ei maior pœna, si non faceret, immineret. Cùm etiam sic non auderet, in morbum incidit acrem & horribilem. Tum verò ex amicorum sententia, ad Magistratus rem detulit, atque in lectica allatus est in Senatum Expositoque somnio, receptâ continuo valetudine, pedibus suis sanus abscessit. Tanto stupefactus miraculo Senatus, quadruplicatâ pecuniâ ludos censuit instaurari. Quis non videat, qui sanum sapit subditos homines malignis dæmonibus, à quorum dominatione non liberat, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum Deum nostrum, vi compulsos esse, exhibere talibus diis, quæ recto consilio, poterant turpia iudicari? *gratia autem spiritus cuius & donum est, donum curationum, ex eodem Augustino per oleum significatur, sicut & nomen Christi oleum effusum, quo inuncta claudi illius planta teste Bernardo integrum gressum, quin & saltum obtinuerunt impleta Prophetia Esaiæ:* exiliet sicut cervus claudus:

B S. Augustin.

C S. Augustin.

* 23. *Christianus peccans prodigo similis est. De pudic. cap. 9. à p.*

SI Christianus est, qui accepram à Deo patre substantiam (vtique baptismatis, vtiq. Spiritus sancti, & exinde spei æternæ,) longe euagatus à patre prodigit ethnice viuens, si exutus bonis mentis etiam principi seculi, (cui alij quàm diabolo?) seruitium suum tradidit, & ab eo, porcis alendis, immundis scilicet spiritibus curandis præpositus, resipuit ad patrem reuerti. Luc. 15.

CHRISTIANVS PECCANS, &c. XXIII. SCHOLIA.

SI CHRISTIANVS. *Asteriſco notaui ſicubi, quod non ſit ſenſus Authoris, locum tamen apte Chriſtiano conuenire, liquet, Ethnice viuenti.* SPIRITIBVS CVRANDIS, *Paſcendis inquam demonibus per porcos immundos figuratis, à demoniorum principe præpoſitus. Auguſtinus Tract. 5. de Temp. Barbarico cap. 7. quod totum eſt de prodigo, & applicat Latroni cõuerſo in cruce, vbi inter cetera:* Tandem aliquando reuerſus eſt ad ſe, & inuenit ſe qui perdiderat ſe, &c. Quis eſt iſte filius perditus qui omnem ſubſtantiam paternam in meretricibus erogauit, niſi ille latro, qui ſubſtantiam animæ à Deo ſibi datam per ſcelera diffluendo, etiam in cruce pependit? porcos pauit, quando dæmonum voluptates ſuis factis implenit, &c. Fame contritus eſt, quia panem Verbi Dei non inueniebat, &c. Proferat huic Patri ſtolam illam primam, induat filium immortalitate, quem videt ſecum in cruce pendentem; introducat eum in domum, dicat Chriſtus Latroni, Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiſo, macter vitulum ſaginatum, hominem illum ſuſceptum etiam pro latronibus Crucifixum. *Videndus Chryſologus ſer. 5. vbi Iudæo & Gentili totam applicat Parabolam.*

A

5. Auguſt.

24. Chriſtianus verus cenſendus non eſt, qui fidem operibus negat, & duplici via graditur. Apol. cap. 46. in fin.

SEd dicet aliquis etiam de noſtris excedere quoſdam à regula diſciplinæ. Deſinunt tamen Chriſtiani haberi penes nos. Philoſophi verò illi cum talibus factis in nomine & in honore ſapientiæ perſeuerant apud vos. Adeò, quid ſimile Philoſophus & Chriſtianus? Græciæ diſcipulus, & cœli? famæ negotiator, & ſalutis? verborum, & factorum operator? rerum ædificator, & diſtructor? interpolator erroris, & integrator veritatis? furator eius, & cuſtos?

CHRISTIANVS VERVS. XXIV. SCHOLIA.

DE NOSTRIS. *Chriſtianis.* DESINVNT HABERI. *Non charactere deleto, ſed nomine in vacuum retento, vt ſupra iam diximus. Aug. ſer. 7. de Calendis Ianuarij: ex verſu Pſal. 105.* Congrega nos de gentibus, vt confiteamur nomini Sancto tuo. Modò, ſi ſolemnitas gentium quæ fit hodierno die in lætitia ſæculi atque carnali, in ſtrepitu vanißimarum & turpißimarum cantionum, in conuiuiis & ſaltationibus turpibus, in celebratione ipſius falſæ feſtiuitatis, ſi ea quæ agunt Gentes non vos delectant, congregabimini ex Gentibus, &c. Si non credis quod credunt Gentes, non ſperas, quod ſperant gentes, non amas quod amant gentes, congregaris de gentibus, ſegregaris, hoc eſt ſepararis de gentibus. Nec te terreat cõmixtio corporalis, in tanta ſeparatione mentis, &c. Noli te miſcere gentibus ſimilitudine morum atque factorum. *Aliàs deficit à nomine. Chryſol. ſer. 70.* Si te Dei filium eſſe fateris, viuè quaſi Dei filius, vt actu, vitâ, virtute, tanto poſſis reſpondere genitori. *Et ſer. 94.* Sicut diſcipuli probitas laus eſt Magiſtri; ita Magiſtri vituperatio, diſcipulus neſciens diſciplinam. TALIBVS FACTIS. *Improbis, non minus apud vos honorantur vt Philoſophi.* ADEO QVIS SIMILE. *Quaſi verò Philoſophus in vera ſapientia ſit Chriſtiano comparandus.* GRÆCIÆ DISCIPVLVS. *Quia ex Paulo Græci ſapientiam quærunt, humanam ſcilicet.* SALVTIS. *Alij legunt.* Vitæ. *Scilicet æternæ. Diſtructor. Alij* Deſtructor? amicus & inimicus erroris? veritatis interpolator, & integrator? *Melius hoc loco quàm cum Rigaltio; niſi interpolator erroris intelligatur, qui eum fuco veritatis ſuperinducis, vt decipias incautos. Nam interpolator eſt adulterans, & pigmentis fucans. Integrator autem qui eam integram præſtat. Hic ergo opponit veritatem fidei & ſinceritatem morum Philoſophiæ Chriſtianæ, errori & corruptioni Philoſophiæ gentilis. Et concludit, quod ſi Philoſophia non ſpernitur propter Philoſophos inſipientes, immo ſi & ipſi nomen hoc honorabile non amittunt, ſperni non debere diſciplinam Chriſtianam, ſi aliqui ſint ficti & mali Chriſtiani, qui hoc ipſo facto apud nos tanti nominis gloriâ excidunt.*

B

C

5. Auguſt.

25. Chriſtianus feſtis & gaudiis Gentilium non participet, ne luctibus eorum æternis communicet. De Idol. cap. 13. à. p.

HOc loco retractari oportet de feſtis diebus & aliis extraordinariis ſolennitatibus, quas interdum laſciuiæ, interdum timiditati noſtræ ſubſcribimus, aduerſus fidei diſciplinam communicantes Nationibus in idolicis rebus. De hoc quidem primo conſiſtam, an cum ipſis quoque Nationibus communicare in huiuſmodi ſeruus Dei debeat, ſiue habitu, ſiue victu, vel quo alio genere lætitiæ earum. a *Gaudere cum gaudentibus, & lugere cum lugentibus*; De fratribus dictum eſt Apoſtolo ad vnanimitatem cohortante. Ceterùm ad hæc b *Nihil communionis eſt lumini & tenebris, vitæ & morti:* Aut ſcindimus quod eſt ſcriptum, c *Seculum gaudebit, vos verò lugebitis.* Si cum ſeculo gaudemus, verendum eſt, ne cum ſeculo & lugeamus. Seculo autem gaudente lugeamus, & ſeculo poſtea lugente gaudebimus. Sic & Lazarus apud inferos in ſinu Abrahæ refrigerium conſecutus, contrà diues in tormento ignis conſtitutus, alternas malorum & bonorum vices æmulâ retributione compenſant. Sunt quidam dies munerum, quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt. Nunc ergo, inquis, recipiam meum, vel rependam alienum. Si hunc

a Rom. 12. 15.
b 2. Cor. 6. 15.
c Io. 16. 20. Luc. 16. 22.

morem

morem sibi homines de superstitione consecrauerunt, tù extraneus ab omni eorum vanitate quid participas idolothyta solennia? quasi tibi quoque præscriptum sit de die, quo minus id quod homini debes, vel tibi ab homine debetur, citra diei obseruationem luas, vel recipias.

CHRISTIANVS FESTIS. XXV. SCHOLIA.

RETRACTARI *Centies dixi vti solitum compositis. Pro* Tractari SVBSCRIBIMVS. *Consentimus, vel fauentes luxuriæ nostræ & inclinationi malæ in spectacula scenica & obscœna inclinantes, & timidè, non ea destinantes, ne vt Christiani deferamur ad Præsides.* NATIONIBVS. *Gentilibus.* CONSITAM *Congrediar firmo pede, disceptabo.* EARVM. *Gentilium.* DE FRATRIBVS. *Christianis qui omnes initio dicti fratres, exemplo Christi dicentis:* Ite & dicite fratribus meis. *Paulus itaque permittit tantum Christianis inuicem, & non Gentilibus congaudere, ne quis obiiciat contrà hunc eius locum.* AD HÆC. *Quod attinet ad gaudia & festa Gentilium.* NIHIL CVM MVNIONIS. *2. Cor 6. 15.* Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas *Syr. communio* Luci ad tenebras? quæ autem Conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? *Aug. libro de Baptismo. 4.* Nulla participatio est iustitiæ & iniquitati, non solum qui foris, sed etiam qui intus sunt. *Id est non solum Ethnicis qui foris velut canes, sed etiam qui intus sunt in ouili, velut oues, apud Deum iam discreti sunt, sicut & bonus & malus Christianus à paucis in vita dissimili diuisi sunt*: Nouit enim Dominus qui sunt eius, & recedat ab iniquitate, omnis qui inuocat nomen Domini. *Addam & super quem inuocatur nomen Christi, vt vocetur Christianus, & filius Dei nominetur, & sit.* Nulla etiam communio est luci & tenebris; non solum qui foris, sed etiam qui intus sunt. AVT SCINDIMVS. *Violamus, transgredimur.* SÆCVLVM. *Io. 16. 20.* Mundus gaudebit, vos verò contristabimini. *Aug. Tract. 101. in Io. applicat ad literam totum locum de morte & resurrectione Christi.* Contristati sunt discipuli de morte Domini, & confestim de resurrectione lætati: mundus autem, quo nomine significati sunt inimici à quibus Christus occisus est, tunc vtique lætati sunt occiso Christo, quando sunt discipuli contristati. Mundi quippè nomine malitia potest mundi huius intelligi, id est hominum mundi huius amatorum. Vnde Iacobus Apostolus in Epistola sua dicit: quicunque voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei constituitur: quibus inimicitiis Dei factum est, vt nec eius vnigenito parceretur. CVM SÆCVLO GAVDEMVS. *Gaudia nostra & tempore & obiecto à mundanis distant. Aug. in Psal. 32.* Est quædam voluntas in Domino, vbi verum Sabbatum, vera requies, vnde dicitur; delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: quis enim sic delectat, quam ille qui fecit omnia quæ delectant? *Et in Psal. 144.* Si gaudes de bono quod tibi accidit per diem, forsasse transiuit alio die bonum hoc vnde gaudes. Benè fuit mihi, bonum diem duxi; quia fortè lucra venerunt, aut inuitatus es, aut in epulis, diu fuisti, &c. Alter te dolet, quia non erubuisti. Verumtamen de quocumque tali bono gaudeas, certè transitorium est. Si autem gaudeas in Domino Deo tuo, audies dicentem scripturam Psal. 36. delectare in Domino. Tantò fortius gaudebis, quanto est ille certior in quo gaudebis. Si enim gaudes de nummo, times furem. Si autem gaudes de Deo, quid times? nec quisquam auferet Deum: Deum nemo tibi auferet, si tu eum non dimiseris: *Christo testante:* Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Aug. Tract. 101. hoc gaudium vult esse Christum, vbi exponit tristitiam & gaudium.* Parturitio tristitiæ, partus autem gaudio comparatur, quod tunc maius esse consuetum, quando non puella, sed puer nascitur? *Quantum verò gaudium post tantam in cruce parturitionem, Christo in resurrectione natæ.* Quod totò, sic gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Vt nec opinatum Mariæ partem, cum morbus sanitatem & speciem, fur nummos, tot dolores voluptatesb subinde auferam;* Quia gaudium ipsorum ipse Iesus significatus est, quod & ait Apostolus Rom. 6. Christus resurgens à mortuis, iam non moritur. ÆTERNAS VICES. *Aug. in Psal. 48.* Mutauerunt vices ambo: ille à ianua diuitis subleuatus est in sinum Abrahæ, ille ab epulis splendidis mulus est in Ignem: ille requiescebat, ille ardebat: satiabatur ille, ille sitiebat: ille laborauerat in finem, viuet in æternum: ille vixerat in finem, laborabit in æternum, &c. Sic desiderauit ille guttam de digito, quomodò ille micas de mensa diuitis. Sed illius labor finitus est, & illius vita finita est. Labor huius in æternum, vita illius in æternum. ÆMVLA RETRIBVTIONE. *Aduersa, contraria, vel inuidiam & zelum vtrimque causante. Vt sicut hinc imperfecti personam induens Psaltes, ait, Psal. 72.* Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns: *Sic & diues Lazari videns refrigerium Chrysol. ser. 66.* Plus te fœlicitas Lazari, quàm Gehennæ torquet incendium. *Et ser. 122.* Mitte Lazarum, &c. Adhuc tu in Lazarum sic crudelis? mitte Lazarum. Quo? ad infernum de gremio, de solio sublimi ad profundissimum Chaos: ad tormentorum stridorem, de sancta quiete, de tanto silentio beatorum. Vt video, quod agit diues, non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui: & Zelo magis incenditur, quàm gehenna & graue illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre fœlices. DIES MVNERVM. *Quibus xenia, munera, præmia dantur & soluuntur debita, qui erant Sacri solemnitatibus Deorum.* EXPVNGVNT, *Persoluunt, absoluunt.* HONORIS TITVLVM. *Vt puta magistratus annui, vel ineundi, vel finiendi.* NVNC. *Tunc.* DE SVPERSTITIONE. *Simon iste originem duxit, ab aliqua idololatria superstitione vana.* QVASI TIBI, *&c. Quasi sit lex præcisè inuiolabilis, quæ te obliget percipere vel reddere debitum, vt non possis, ad euitandam participationem idololatriæ, in alterum diem differre.* LVAS. *Persoluas.*

26. *Christianus cum Gentili seruare potest quod facit ad naturæ vsum; non autem ad superstitionis abusum. De Cor. cap. 8. per totum.*

TEne interim hanc fidem; dum incursum quæstionis excutio. Iam enim audio dici: Et alia multa ab eis prolata, quos seculum Deos credidit; tamen in nostris hodie vsibus,

& in priſtinorum ſanctorum, & in Dei rebus, & in ipſo Chriſto deprehendi, non aliàs ſcilicet hominem functo, quam per communia iſta inſtrumenta exhibitionis humanæ. Planè ita ſit, nec antiquius adhuc in origines diſceptabo. Primus litéras Mercurius enarrauerit, neceſſarias confitebor & commerciis rerum, & noſtris erga Deum ſtudiis. Sed & ſi neruos idem in ſonum ſtrinxit, non negabo & hoc ingenium cum ſanctis feciſſe, & Deo miniſtraſſe, audiens Dauid: Primus medelas Æſculapius exporauerit; memini & Eſaiam Ezechiæ languenti aliquid medicinale mandaſſe. Scit & Paulus ſtomacho vinum modicum prodeſſe. Sed & Minerua prima molita ſit nauem; videbo nauigantem Ionam & Apoſtolos. Plus eſt, quod & Chriſtus veſtietur. habebit etiam pænulam Paulus. Si & vniuſcuiuſque ſupellectilis & ſingulorum vaſculorum aliquem ex diis ſeculi auctorem nominant, agnoſcant neceſſe eſt & recumbentem in lectulo Chriſtum, & cum peluem diſcipulorum pedibus offert, & cum aquam ex vrceo ingerit, & cum linteo circunſtringitur, propria Oſiridis veſte. Huiuſmodi quæſtioni ſic vbique reſpondeo, admittens quidem vtenſilium communionem, ſed prouocans eam ad rationalium & irrationalium diſtinctionem, quia paſſiuitas fallit, obumbrans corruptelam [a] *Conditionis, qua ſubiecta eſt vanitati.* Dicimus enim ea demum & noſtris, & ſuperiorum vſibus, & Dei rebus, & ipſi Chriſto competiſſe, quæ meras vtilitates, & certa ſubſidia, & honeſta ſolatia [a] neceſſariis vitæ humanæ procurant: vt ab ipſo Deo inſpirata credantur priore proſpectore, & inſtructore, & oblectatore, ſi forte, hominis ſui. Quæ vero hunc ordinem exceſſerint, ea non conuenire vſibus noſtris, præſertim quæ, propter ea ſcilicet, nec apud ſeculum, nec in Dei rebus, nec in conſuetſationibus Chriſti recognoſci eſt.

Eſa. 38. 21. 1. Tim. 5. 23. Ionæ. 1. 3. Luc. 8. 22. & ſeq. Act. 13. 4. 2. Tim. 4. 13. Io. 13. 4. & ſeq. a Rom. 8. 20.

CHRISTIANVS. XXVI. SCHOLIA.

TENE INTERIM. *Nunc crede, nihil fideli commune eſſe debere cum Gentili in vſu rerũ, quæ præci.è idololatriæ ſeruiunt, donec plenius exagitem & euoluam* INCVRSVM, *Vim quæſtionis.* DEPREHENDI *Inueni vſos fuiſſe multis rebus, quibus inueniendis dij gentilium authores fingũtur.* HOMINEM FVNCTO. *Hominis naturam probauit.* INSTRVMENTA. *Adminicula vitæ,* EXHIBITIONIS. *Quibus vtendo ſe verè hominem eſſe demonſtrabat.* NEC ANTIQVIVS. *Aduc nunc nõ diſputare, de antiquitate rerum, quarum inuentionem tributam diis, Deos ipſos præceſſiſſe conuincam.* MERCVRIVS. Λόγιος, *dictus, quaſi ſtudiorum, literarum, eloquentiæ præſes, vt interpretatur Budæus. Vnde & Greg. Naz. Orat. 1. in Iul. dum Chriſtianis liberales artes inhibuit:* Quis Mercurius Logius tibi hoc in mentem induxit? SI NERVOS *Chordas Cytharæ, &c. Quaſi inuentor inſtrumenti muſici:* INERMIVM PECISSE, *Artem muſicam exercuiſſe.* DEO MINISTRASSE, *Id. quaſi Miniſtrum, poſt Deum magiſtrum;* Qui docuit hominem ſcientiam, Deus enim ſcientiarum Dominus eſt, & omnium artium artifex ſapientia, *Docuit Iubal, qui* fuit Pater canentium Cythara & Organo. *Gen. 4. 21. 70. Expreſſius:* Hic fuit qui monſtrauit pſalteurim & Cytharam: *Paraphraſis autem Chaldaica,* Ipſe fuit Magiſter canentium in Cythara & Organo. *Audient David. Sanctum pſaltem dicentem.* In Pſalterio decachordo Pſallam tibi. *Vel* Deo miniſtraſſe, *Hanc artem cultui Dei inſeruiſſe.* MEDELAS. *Remedia morborum.* ALIQVID MEDICINALE. *Cataplaſma ex maſſa ficuum.* PLVS EST. *Dicam inſuper, quod ſi Minerua non tantum nauis.* Vnde non mirot ſi Neptuno etiam prælata ab Athenienſibus; *Sed & lanificij & telarum inuentrix, Chriſtus ob neceſſitatem humanam etiam vſus eſt veſtibus, vt & Paulus pænula. Id eſt, lacerna & veſte in modum cucullæ, veſtimentum eſt denſum ac vile, pluuio tempori aptum.* PROPRIA OSIRIDIS. *Ægyptij maximè Sacerdotes, non laneis, ſed lineis vtebantur. Vnde apud Vopiſcum in Aureliano, legimus:* Ægyptias lineas *Id eſt, tunicas. Oſiris Ægyptiorum Deus repræſentabatur in veſte linea. Chriſtus autem verum Sacrificium ſui corporis oblaturus in inſtitutione Euchariſtica, præcinctus linteis fuit.* COMMVNIONEM. *Faſtor Chriſtianos poſſe vtenſilium neceſſariorum vſum cum Gentilibus habere communem.* PROVOCANS. *Diſputans & defendens tamen in his omnibus diſtinguendum eſſe vſum rationalem & licitum, à more vano Idololatriæ.* PASSIVITAS. *Dicta à paſſim. Vſus communis frequentia decipit.* OBVMBRANS. *Obtegens & velans corruptionem quam idololatria innexit, & immiſcuit omnibus creaturis; quas ſapiens dixit fatas,* In muſcipulam pedibus inſipientium. CORRVPTELAM CONDITIONIS. *Corruptionem & vanitatem creaturæ, & rei conditæ à Deo vero.* QVA. *In quantum.* VANITATI. *Id. Idololatriæ, & vanæ idolorum culturæ. Sic enim Gentiles teſte Paulo,* Seruierunt potius creaturæ quàm creatori, &c. Et euanuerunt in cogitationibus ſuis. *Tertull. hîc inſinuat locum Pauli Rom. 8. 20.* Vanitati creatura ſubiecta eſt. *Auguſtinus pulcherrim è licet extra mentem Tertul. in Pſal. 118.* In ſpe qua ſperamus nos adhæſuros contemplandæ veritati, ſubiecti ſumus interim vanitati. Creatura iſta ſpiritalis, animalis, corporaliſque, omnis in homine eſt, immo homo eſt. ſponte peccauit, & inimica facta eſt veritati: ſed vt merito puniretur, non ſponte ſubiecta eſt vanitati, &c. *Et contra Secundinum,* Diligit homo ſponte vanitatem; *Quod faciunt & idololatræ, poſt Enam pomum adorantem,* Cùm deſerta ſoliditate veritatis, opinabilia ſequitur, id eſt, mutabilia. Cum autem inde meritas pœnas luit, ſubiicitur non ſponte vanitati, ſicut ſubiecta eſt in homine peccante. Hinc enim Apoſtolus ait: omnis creatura vanitati ſubiecta eſt, non ſponte; quia & in homine omnis eſt. *Et ſic creaturis homo idololatra ſicut & ſeipſo peruerſè vtitur ea ſubiiciens: Idolo quod vanum eſt; & diuinitatem & ſenſu omni vacuum.* SVPERIORVM. *Prædeceſſorum noſtrorum.* VT AB IPSO. *Itaut tamen non diis vanis inuento tribuatur, ſed Dei veri prouidentiæ proſpicienti humanis neceſſitatibus. Vt ei gratia refundatur.* OBLECTATORI. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. *Quin & Seneca.* Ad delicias amamur. *Quia non ſolũ neceſſitati, ſed & honeſtæ voluptati prouidit.* SVI. *A ſe conditi, imagine ſua ſignati.* Pars autem Domini populus eius, &c. Nos autem populus eius & oues paſcuæ eius. PROPTEREA. *Hoc eſt propter neceſſi-*

Auguſt.

Auguſt.

ratum & vſum rationalem. APVD SÆCVLVM. A *Id eſt, Gentiles vel mundum humanum non ſunt vſui.* SI FORTE. *Frequens parentheſis Tertulliano cum Emphaſi. Hoc eſt, forſitan & oblectationi proſpexit.* CONVERSATIONIBVS *In actionibus, vſibus, praxi Chriſti, non poteſt agnoſci.*

27. *Et ibid. cap.* 10. *in. m.*

a OMnia munda mundis ; ita & immunda omnia immundis : Nihil autem immundius idolis. Cæterùm ſubſtantiæ mundæ, vt Dei res, & hac ſua conditione communes vſui: ſed ipſius vſus adminiſtratio intereſt. Nam & ego mihi gallinacium macto, non minus quàm Æſculapio Socrates: & ſi me odor alicuius loci offenderit, Arabiæ aliquid incendo: ſed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola. Si enim verbo nudo conditio polluitur, vt Apoſtolus docet: b *Si quis autem dixerit; hoc idolothytum eſt, ne contigeris :* Multo magis cum ſaltitaueris habitu, & ritu, & apparatu idolothytorum, contaminatur. Ita & corona idolothytum, efficitur. Hoc enim ritu, & habitu, & apparatu idolo immolatur auctoribus ſuis: quorum eo vel maximè proprius eſt vſus, ne in communionem poſſit admitti, quod in Dei rebus non inuenitur. Propterea c Apoſtolus inclamat: c *Fugite idololatriam :* Omnem vtique & totam. Recogita ſiluam, & quantæ latitant ſpinæ. Nihil dandum idolo, ſic nec ſumendum ab idolo. Si in idolio recumbere alienum eſt à fide, quid in idoli habitu videri? d *Quæ communio Chriſto & Belia?* Et ideo *Fugite.*

a Tit. 1. 15.

b 1. Cor. 10. 28.

c Ibid. 14.

d 2. Cor. 6. 15.

ET IBIDEM. XXVII. SCHOLIA.

SVBSTANTIÆ MVNDÆ. *Bona, non mala.* Nil enim mali, à boni proceſſit authore. *Ait Clyſol.* SVA CONDITIONE. *Eo ipſo quo ſunt à Deo condita, & communi omnium vſui ſeruiunt.* ADMINISTRATIO *Applicatio.* GALLINACIVM. *Gallum Gallinaceum ad eſcam, non ſicut Socrates Æſculapio id Idolothytum, quod eſſet filius Phœbi, & Solaris ſit auis Gallus. De hoc rurſum ait lib. de anima cap.* 1. *& in Apol. c.* 46. ALIQVID *Thuris.* NVDO. *Simplici.* AVTHORIBVS SVIS. *Inuentoribus dæmoniis, vel hominibus deificatis.* EO. *Ideo coronis vtuntur in ſacris Idolorum. Vel eo ipſo fideles non debent communicare vſui gentilium in coronis ferendis aliiſque idolothytis quod,* IN REBVS DEI *Sacris Deo vero, vel creatis à Deo in alium vſum.* RECVMBERE. *Edere, recumbendo menſæ, in qua idolothyta comeduntur. Supereſt vt breuiter cum Auguſtino locos Pauli citatos explicemus. Sic ergo ad Tit.* 1. 15 Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus, nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia. *Sic ergo ſcribit* Auguſt. *Aug. cont. Fauſtum c.* 4. *circa fin. apud Bedam in hunc locum :* Cum ait Apoſtolus, omnia munda mundis, naturas ipſas intelligi voluit, quas Deus creauit, ſecundum illud quod Moyſes in Geneſi ſcripſit: & fecit Deus omnia, & ecce bona valde. Non ſignificationes ſecundum quas Deus per eundem Moyſem ab immundis munda diſcreuit. Proinde illos, qui iam tempore reuelationis noui teſtamenti, adhuc illas vmbras futurorum ita cuſtodiendas putarent, vt ſine his gentes ſalutem quæ in Chriſto eſt, percipere non poſſe contenderent, immundos dicit Apoſtolus, quod carnaliter ſaperent; & infideles, quod tempus gratiæ à legis tempore non diſcernerent; quibus ideo dixit, nihil eſſe mundum, quod & his quæ reſpuebant, & his quæ ſumebant, non ſanctè & iuſtè vtebantur, ſicut omnes quidem infideles. Sed vos præcipuè Manichæi, quibus omnino nihil eſt mundum, &c. Omnia ergo munda mundis, ſecundum naturam, in qua creata ſunt. Non tamen omnia ſecundùm ſignificationem munda primo populo Iudæorum; nec nobis omnia, vel propter ſalutem corporis, vel propter conſuetudinem humanæ ſocietatis apta ſunt. Sed cum ſua cuique redduntur, & naturalem ordinem ſeruant, omnia munda ſunt mundis. *Cum ergo ex mente Tertul. & coronarum & florum, & aliorum quæ idololatriæ ſeruiunt, ſint contra vſum naturalem, & contra cultum veri Dei, licet fidelis, ſit mundus,* Dixit enim Apoſtolus: fide purificans corda eorum. *Et mundè, mundis exſe creaturis vti poſſit, abſtinere tamen debet abuſu infidelium, quibus ob conſcientiam inquinatam, nihil eſt mundum. Aug. in Pſal.* 103. Si nihil eſt eis mundum, nec Deus: niſi fortè putatis mundum videri Deum, illis qui quotidie blaſphemant eum. Si mundus eſt, placeat; ſi placet, laudetur. Si autem blaſphematur, diſplicet. Si diſplicet, quomodo poteſt tibi mundus eſſe qui diſplicet? HOC IDOLOTHYTVM. 1. *Cor.* 10. Hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare, propter illum qui iudicauit. Et propter conſcientiam: conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius, *Expreſſim Syr.* Hoc immolatum eſt; *Supple idolis,* Ne comedatis, tum propter eum qui dixerit vobis, tum, &c. Non tuam, ſed illius qui dixerit. QVÆ COMMVNIO, *&c.* 2. *Cor.* 6. 15. Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? *Syr. cum Satnana. Belial porro ſignificat,* Abs iugo; *Quaſi rebellis Sathanas excuſſis a ſe iugo.*

5. Auguſt.

CIRCVNCISIO.

Circumciſio Iudæorum, & præputium Gentium ad eundem Deum pertinet. 3. *Cont. Marc. cap.* 4. *circa. fin.*

SI circumciſionem ab alio Deo veniens excludebat, cur etiam a *Præputiationem negat* a Ad Gal. *quicquam valere in Chriſto, ſicut & circumciſionem?* Præferre enim debebat æmulam eius, 5. 6. quam expugnabat, ſi ab æmulo circumciſionis Deo eſſet. Porro, quia & circumciſio &

præputiatio vni Deo deputabantur, ideo vtraque in Chriſto vacabat, propter fidei prælationem; illius fidei, de qua erat ſcriptum, [b] *Et in nomine eius Nationes credent;* Illius [c] *Fidei, quam dicendo per dilectionem perfici*, Sic quoque Creatoris oſtendit. Siue enim dilectionem dicit quæ in Deum, & hoc Creatoris eſt, [d] *Diliges Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis:* Siue quæ in proximum; [e] *Et proximum tuum tanquam te*, Creatoris eſt.

b Eſa. 11. 10.
c Gal. 5. 6.
d Deut. 6. 5.
e Deut. 5. 20. & 21.

CIRCVMCISIO. I. SCHOLIA.

VENIENS. *Paulus ab alio Deo quàm Creatore.* ÆMVLAM. *Contrariam præputiationem. Id. Gentilitatem.* VNI DEO. *Vtriuſque populi Circumciſi & præputiati, ſeu incircumciſi tribuebatur.* VACABAT. *Inutilis erat; Nihil proderat.* PROPTER, &c. *Quia fides in Chriſtum, Sacramenta legis abrogantem & idololatriam gentium ad veram fidem conuertentem, præferebatur circumciſioni Iudaicæ, & idololatriæ Gentili.* NATIONES. *Apud* 70. In ipſo gentes ſperabunt. *Vulgata:* Ipſum gentes deprecabuntur. *Quomodo autem, ait Paulus, invocabunt in quem non crediderunt? Tertul. ergo credere poſſit, pro, ſperare. Sed & Hebr.* 11. Fides eſt rerum ſperandarum. SIC QVIDQVE, &c. *Fidem in Chriſtum venturum ad Creatorem pertinere probauit Apoſtolus, etiam quæ per dilectionem operatur, tam erga Deum, quàm erga proximum, quia talis fides in Charitate radicata & fundata, etiam in veteri Teſtamento commendabatur. Vnde liquet vtriuſque Teſtamenti, populi, fidei, circumciſionis & præputij eumdem autorem eſſe Deum Creatorem. De aliis locis Scripturæ iam alibi. Vnum hic tango Gal.* 5. 6. in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur. *Aug. ſer.* 16. *de Ver. Apoſt.* Paulus Apoſtolus dicit, neque circumciſio aliquid valet, &c. Dic adhuc Apoſtole, adde, diſcerne, quia & dæmones credunt & contremiſcunt, Iac. 2. quod oderunt. Diſtingue Apoſtole, & circumcide fidem meam, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Planè diſtinguit, diſcernit, circumcidit. & fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Vnuſquiſque ergo fratres mei, inſpiciat ſe intus, appendat ſe, probet ſe omnibus factis ſuis, bonis operibus ſuis, quæ faciat cum charitate, non expectans retributionem, temporalem, ſed promiſſionem Dei, faciem Dei. Non enim quicquid Deus tibi promittit, valet aliquid præter ipſum Deum. Omnino non me ſatiaret Deus, niſi promitteret mihi ſeipſum Deum. Quid eſt totòta terra? quid eſt totum mare? quid eſt totum cœlum? quid ſunt omnia ſydera? quid Sol, quid Luna, quid exercitus Angelorum? omnium iſtorum Creatorem ſcio, ipſum ſitio, ipſum eſurio, ipſi dico, quoniam apud te eſt fons vitæ Pſal. 35. quid mihi dicit? ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Eſuriat & ſitiat peregrinatio mea, vt ſatietur præſentia mea. *Opponis præſentiam abſentiæ peregrinationis; in qua licet abſcondat præſentiam ſuam Deus nunc abſconditus, ei tamen cum Pſalte dicimus: incola ego ſum in terra, non abſcondas à me mandata tua: non abſcondit autem, qui fidem per charitatem operantem infundit.* Arridet mundus multis rebus pulchris, fortibus, variis, pulchrior eſt ille, qui fecit, fortior & clarior ille, qui fecit. Suauior ille eſt qui fecit. Satiabor cum manifeſtabitur gloria tua.

3. Auguſt.

2. *Circumciſio data fuit populo rebelli, cui ſuffectus eſt gentilis, corde circumciſo. contra Iud. cap.* 3. *à m. ad f.*

DAri habebat circunciſio, ſed in ſignum; vnde Iſraël in nouiſſimo tempore dignoſci haberet, quando ſecundum ſua merita in ſanctam ciuitatem ingredi prohiberetur, per verba Prophetarum dicentium: [a] *Terra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ igni exuſtæ, regionem veſtram in conſpectu veſtro alieni comedent*, & deſerta & ſubuerſa à populis extraneis, [b] *derelinquetur filia Sion ſicut caſa in vinea, & ſicut cuſtodiarium in cucumerario, & quaſi ciuitas quæ expugnatur.* Et ideo ſubſequens ſermo Prophetæ exprobrat eis dicens: [c] *Filios genera, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Et iterum: [d] *Et ſi extenderitis manus, auertam faciem meam à vobis: & ſi multiplicaueritis preces, non exaudiam vos. manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Et iterum: [e] *Væ gens peccatrix, populus plenus peccatis, filij ſcelerati, dereliquiſtis Deum, & in indignationem miſiſtis ſanctum Iſraël.* Hæc igitur Dei prouidentia fuit, dandi circunciſionem Iſraël in ſignum, vnde dignoſci poſſet, cum adueniret tempus, quo meritis ſuis ſuprà dictis in Hieruſalem admtti prohiberetur: quod & quia futurum erat, nuntiabatur; & quia factum videmus, recognoſcimus. Sicut ergo circunciſio carnalis, quæ temporalis erat, tributa eſt in ſignum populo contumaci, ita ſpiritalis data eſt in ſalutem populo obaudienti, dicente propheta Hieremia, [f] *Innouate vobis nouitatem, & nolite ſeminare in ſpinis. Circunciſdimini Deo, & circuncidite præputium cordis veſtri.* Et alio loco dicit: [g] *Ecce enim dies veniunt, dicit Dominus, & diſponam domui Iuda, & domui Iacob Teſtamentum nouum, non tale quale iam dedi patribus eorum, in die quo eos eduxi de terra Ægypti.* Vnde intelligimus & priorem circunciſionem tunc datam ceſſaturam, & nouam legem non talem qualem iam dederat patribus proceſſuram, annuntiari, ſicut Eſaïas prædicauit dicens, quod [h] *in nouiſſimis diebus manifeſtus futurus eſſet mons Domini, & domus Dei ſuper vertices montium: & exaltabitur*, inquit, *ſuper colles, venient ſuper illum omnes gentes, & ambulabunt multi, & dicent: Venite, aſcendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob*; non in Eſaü prioris filij, ſed in Iacob ſequentis, id eſt populi noſtri, cuius mons Chriſtus eſt, [i] *ſine manibus concidentium præciſus, implens omnem terram*, apud Danielem oſtenſus. Denique ex hac domo Dei Iacob etiam legem nouam

a Eſa. 1. 7.
b Ibid. 8.
c Ibid. 2.
d Ibid. 15.
e Ibid. 4.
f Hierem. 4. 3. & 4.
g Hierem. 31. 31. & Hebr. 8. 8.
h Eſa. 2. 2. & 3.
i Dan. 2. 34. & 44.

by Google

processuram sequentibus verbis annuntiat Esaïas dicens: [k] *De Sion enim exiet lex, & verbum Domini ex Hierusalem, & iudicauit inter gentes*, id est inter eos qui ex gentibus sumus vocati: *& concident*, inquit, *gladios suos in aratra & lanceas suas in falces, & non accipiet gens super gentem gladium, & iam non discent præliari.* Igitur intelligimtur alij quàm nos, qui noua lege edocti ista obseruamus, oblitterata veteri lege, cuius abolitionem futuram actus ipse demonstrat? Nam vetus lex vltione gladij se vindicabat, [l] *& oculum pro oculo* eruebat, & vindictam iniuriæ retribuebat. Noua autem lex clementiam designabat, & belli pristina in æmulos legis, & hostis exsecutionem, in pacificos actus arandæ & colendæ terræ reformabat. Igitur, sicut supra ostendimus, quod vetus lex & circuncisio carnalis cessatura pronuntiata est, ita & nouæ legis, & spiritalis circuncisionis obseruantiâ, in pacis obsequia eluxit. [m] *Populus enim*, inquit, *quem non noueram, seruiuit mihi, in obauditu auris obauditu it me*, Prophetæ annuntiauerunt. Quis autem populus qui Deum ignorabat, nisi noster, qui retro Deum nesciebamus? & quis in auditu auris audiit, nisi nos, qui relictis idolis ad Deum conuersi sumus? Nam Israël qui Deo fuerat cognitus, quique ab eo in Ægypto exaltatus fuerat, & per Erythræum pelagum transvectus est, quique in eremo manna cibatus, quadraginta annis ad instar æternitatis redactus, nec humanis passionibus contaminatus, aut seculi huius cibis pastus, sed angelorum panibus manna cibatus, satisque beneficiis Deo obligatus, Domini & Dei sui oblitus est, dicens ad Aaron, [n] *Fac nobis deos qui nos præcedant. Moyses enim ille, qui nos eiecit de terra Ægypti, dereliquit nos, & quid illi acciderit nescimus.* Et ideo nos, [o] *qui non populus Dei retro, facti sumus populus eius*, accipiendo nouam legem suprà dictam, & nouam circuncisionem ante prædictam.

k Esa. 2. 3. & 4.

l Leuit. 24. 20.

m Psal. 17. 45.

Exo. 14. 18.

Exo. 16. 15. seq. Psal. 77. 24. & 25.

n Exo. 32. 1.

o Osee. 1. 10. Rom. 9. 26.

CIRCVMCISIO. II. SCHOLIA.

HABEBAT, *modus loquendi frequens Authori. Oportebat, supposito decreto, & dispositione decreta dari circuncisionem populo Iudeo.* IN SIGNVM. *Seruitutis & subiectionis legis. In signum discretionis populi dilecti, à Gentili. In signum gratiæ & fœderis hominis reconciliati, qui nascitur filius iræ ob peccatum originale, cuius remedium fuit circuncisio, in hac corporis parte, vbi lex concupiscentiæ regnat, per quam contrahitur.* IN NOVISSIMO. *Tempore scilicet legis nouæ, signum fuit, quo Iudeus post tot ingratitudines, murmura, idololatrias, à Gentili conuerso prælecto, discerneretur notâ infamiæ, iam abrogata lege: & excluderetur.* A SANCTA CIVITATE, *Ierusalem mystica, Ecclesia scilicet electa ex Gentibus, & prælata Synagogæ. Iuxta scripturæ locos iam alibi expositos.* MERITA. *Mala scilicet* POPVLO CONTVMACI. *Duro. Cui Stephanus:* duro corde & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. TEMPORALIS. *Ad tempus seruituti data, quam lex spiritus & libertatis exclusit.* SPIRITALIS. *Aug. ser. 11 de Verb. Apost. ex Philip. 3.* nos sumus circumcisio, qui spiritui Dei seruimus. Scio plerosque codices habere qui spiritu, Deo seruimus, &c. Carne enim seruit Deo, *vt Iudeus nunc carnaliter circumcisus*, qui rebus carnalibus sperat se placere Deo. Cùm verò & ipsa caro ad bona opera spiritui subditur, spiritu seruimus Deo: quia carnem domamus, vt spiritus obtemperet Deo. Spiritus enim regit, caro regitur: nec spiritus bene regit, si non regatur, &c. Videte quid voluerit intelligi in illa circumcisione quæ in vmbra data est significante, quæ remota est luce veniente. Cur autem non dixerit, nos habemus circumcisionem, sed nos sumus circumcisio: sic accipite; hoc voluisse Apostolum dicere, nos sumus iustitia. Circumcisio enim iustitia. Magis autem commendat quod dicit nos esse iustitiam, quàm dicendo, nos esse iustos, &c. Non sumus tamen illa inconmutabilis iustitia, cuius participes facti sumus, &c. Audite hoc euidentius eodem dicente Apostolo 2. Cor. 5. Vt nos, inquit, simus iustitia Dei in ipso. Nos simus iustitia, non nostra, sed Dei: ab illo accepta, non à nobis assumpta; impartita, non vsurpata; donata, non rapta. Cuidam enim rapina erat esse æqualis Deo: & quoniam quæsiuit rapinam, inuenit ruinam. *Quod & Lucifero & Adamo conuenit.* Dominus autem noster Iesus Christus, cum in forma Dei esset, &c. Philip. 2. formam serui accipiens, *addam & in similitudinem carnis peccati circumcisus est*, vt nos essemus iustitia Dei in ipso. *Et hæc est circumcisio spiritalis. Idem August. Ep. 200. ad Asellicum ex Rom. 2. 28.* non enim qui in manifesto Iudæus est, *supple, Deo gratus est*, neque quæ in manifesta carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & Circumcisio cordis quæ spiritu est, non litera, cuius laus non ex hominibus, *qui externa vident*, sed ex Deo est. *Qui intus videt & intuetur cor.* Cùm igitur audiamus Apostolum Christi commendantem nobis Iudæum in abscondito, non carnis circumcisione, sed cordis, & spiritu, non litera, *id est non sensu literali, sed spiritali*, quis est iste, nisi Christianus? sic itaque sumus Iudæi, non carnaliter, sed spiritaliter: quemadmodum sumus semen Abrahæ, non secundum carnem, sicut illi qui de ipso nomine carnali superbiâ gloriantur, sed secundũ spiritum fidei, quod non illi, scimus enim nos fuisse prõmissos, quando ei dixit Deus Gen. 17. 4. Patrem multarum gẽtium posui te. IN SALVTEM. *Insinuat baptismum, nouæ legis Sacramentum, non inane signum, non vacuum Elementum, sed effectiuum & productiuum gratiæ ex opere operato.* OBAVDIENTI, *obedienti, & captiuum intellectum dicenti in obsequium fidei, quæ est ex auditu per Verbum Christi.* INNOVATE. *Hic locus & sequentes iam expositi sunt à nobis alibi.* IN ESAV, *supple domum, primogeniti, & prioris populi Iudæi, de quo scriptum est respectu Gentilis*, maior seruiet minori. MONS CHRISTVS. *Ex parvo lapide, sine manibus, opere solo Spiritus sancti, ex intacto monte virgineo, facto monte maximo; cuius regnum ex humili grano sinapi sic excreuit in arborem, in hoc similem illi de qua Daniel, vt in ea & volucres, & pecora; id est gentes omnes cibum caperent, creuit in montem, id est Ecclesiam, cuius & vertex & caput ipse esset.* IGITVR, *&c. interrogat, an de alijs quàm de nobis id Prophetatum ab Esaia? cum videamus illud impletum in nobis.* OBLITERATA. *Abrogata.* ACTVS. *Euentus.* DESIGNABAT. *In signo lancearum & gladio-*

A

B

C

August.

rum . qua ſunt inſtrumenta bellica, in falces & aratra, patis negotia transformandorum , delineabat nouam legem clementiæ. Eccleſia enim mulier eſt fortis, pluſquam Salomonis ſponſa , quæ adiutorium ſponſo ſimile, verbi gladio , & gratiâ diffusâ in labiis triumphanti conformata; dum vna ex parte in petra fundata, Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum: *Ex altera , ob legem gratiæ, quam imponit filiis liberis libera , hoc teſtimonium accipit,* Mel & lac ſub lingua tua: *Et rurſum:* Lex clementiæ in lingua eius. BELLI PRISTINA. *Priſtina bella, vel inſtrumenta antiqua belli. Aut auerſiones Iudæorum à Gentilibus, & contra.* ÆMVLOS LEGIS. *Dubium an zelatores legis intelligat Iudæos, an Gentiles legis, & Iudæ gentis aduerſarios.* HOSTIS EXSEQVVTIONEM. *Vindictam inimicorum , & legem Talionis.* PACIS OBSEQVIA. *Vt Deo præcipienti pacem cum omnibus , & aurium circumciſionem, obſequamur.* ELVXIT. *Emerſit ex vmbris legis & tenebris odij, & belli.* RETRO, *Prius , in infidelitatis & idololatriæ tenebris.* ERYTHRÆVM PELAGVS. *Mare rubrum.* AD INSTAR ÆTERNITATIS. *In qua incorruptibiles & impaſſibiles erimus , corporis veſtimento , iam comeſto à tinea , ſic mutato, vt in corruptione ſeminatum , reſurgat immortale : ſicut Hebræis dictum :* Veſtimenta veſtra & calceamenta, non ſunt attrita ; *Quod cibo Angelico tribuitur.* PASSIONIBVS. *Non mores reſpicit,* A *etiam in deſerto , murmurè, idololatriæ cæteriſque contaminatos, ſed alterius alimenti quàm panis cœleſtis, aut veſtimenti indigentiam; ne corpora paterentur inediam , vel nuditatem.* SATIS. *Ad ſatietatem vſque.* QVI NON POPVLVS. OSEÆ. 1. 10. Et erit in loco vbi dicetur eis non populus meus vos. Dicetur eis: Filij Dei viuentis. 70. Vocabuntur & ipſi filij Dei viuentis. *Quem locum repetit Paulus Rom. 9. 26. Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 28.* Oſee Prophe- Auguſt.
ta , quantò profundius quidem loquitur , tantò operoſius penetratur , &c. Hoc teſtimonium Propheticum de vocatione populi gentium, qui prius non pertinebat ad Deum , etiam Apoſtoli intellexerunt. Et quia ipſe quoque populus gentium ſpiritualiter eſt in filius Abrahæ ; ac per hoc rectè dicitur Iſraël ; propterea ſequitur & dicit, & congregabuntur filij Iuda & filij Iſraël in idipſum , & ponent ſibimet principatum vnum. *Vulgata : caput vnum; ſcilicet Chriſtum lapidem capitis & anguli ad iungendos duos parietes.* Et aſcendent à terra. Hoc ſi adhuc velimus exponere, eloquij prophetici obtundetur ſapor. Recolatur tamen lapis ille angularis , & duo illi parietes , vnus ex Iudæis , alter ex gentibus : ille nomine filiorum Iuda , iſte nomine filiorum Iſraël , eidem vni principatui ſuo, in idipſum innitentes , & aſcendentes agnoſcantur in terra.

3. *Circumciſus fuit filius Moyſi ante legem datam, vt ad eam recipiendam diſponeretur populus. Cont. Iud. cap. 3. a. p.*

Exod. 4. 23. & ſeq. SEd & filius, inquit, Moyſi tum ab angelo præfocatus fuiſſet, ſi non Sefforà mater eius calculo præputium infantis circuncidiſſet. Vnde, inquit, maximum periculum eſt, ſi præputium carnis quis non circunciderit. Et ideo ſi ſalutem circunciſio omni modo adferret, etiam ipſe Moyſes in filio ſuo non intermiſiſſet , quo minus octaua die circuncideret eum , quando conſtet Sefforam coactam ab angelo id feciſſe in itinere. Conſideremus itaque quod non potuerit vnius infantis coacta circunciſio omni populo præſcribere , & quaſi legem huius præcepti condere. Nam prouidens Deus quod hanc circunciſionem in ſignum, non in ſalutem eſſet daturus populo Iſraël, idcirco filium Moyſi ducis futuri inſtigat circuncidi , vt cum cœpiſſet per eum populo dare præceptum circunciſionis , non aſpernaretur populus, videns exemplum iſtud in ducis filio iam celebratum.

CIRCVMCISVS FVIT, &c. III. SCHOL.

INQVIT; *Iudæi ſcilicet, obligationem circumciſionis inculcans & importunè commendans.* SI NON SEFFORA. *Exo. 4.* 25. Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, &c. 70. Et aſſumpto Sephora calculo circumcidit præputium filij ſui , & procidit ad pedes eius , & dixit : ſteterit ſanguis circumciſionis infantis mei. Et receſſit ab eo; propter quod dixit : ſteterit ſanguis circumciſionis infantis mei. *Aliter Vulgata extremam partem: Sic enim* : Et ait, ſponſus ſanguinum tu mihi es. Et dimiſit eum poſtquam dixerat ſponſus ſanguinũ, ob circumciſionem. AB ANGELO. *Vulgata ibid. 24.* Cumque eſſet in itinere , in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. 70. Et factum eſt in via , in diuerſorio obuiauit ei Angelus Domini , & quærebat occidere eum. *Quem? Moyſem , an filium eius? filium hic clare dicis Tertul. Sed* 5. Auguſt. *vtrũ dubium relinquit Aug. lib. 2. quæſtionum in Exo. q. 11. vbi ſequitur* 70. Quæritur, quem volebat angelus occidere , verum Moyſem, quia dictum eſt, occurrit ei Angelus , &c ? Nam cui putabitur occurriſſe niſi illi, qui vniuerſo ſuorum comitatui præfuit ? An puerum quærebat occidere, cui Ma- C ter circumcidendo ſubuenit: vt ob hoc intelligatur occidere voluiſſe infantem ; quia non erat circumciſus, atque ita ſancire præceptum circumciſionis ſeueritate vindictæ ? Quod ſi ita eſt, incertum eſt prius de quo dixerit , &c. Quamquam & ſi de Moyſe accipere quiſquam voluerit, non eſt magnopere reſiſtendum. Illud potius quod ſequitur , ſi fieri poteſt intelligatur , quid ſibi velit , ideo receſſiſſe angelum ab interfectione cuiuſlibet eorum, quia dixit mulier , Steterit ſanguis circumciſionis infantis : non enim ait , receſſit ab eo , propter quod circuncidit infantem : ſed quia ſteterit ſanguis circumciſionis : Non quia cucurrit, ſed quia ſteterit, magno niſi fallor Sacramento. *Chaldæa Paraphraſis docet, non filium , ſed ipſum Moyſen , Angelum voluiſſe occidere. Sic enim.* Tulit Sephora petram, & circumcidit præputium filij ſui , & obtulit coram eo , & ait : propter ſanguinem circumciſionis huius detur mihi ſponſus meus. Et cum dimiſiſſet eum : tunc dixit : niſi propter ſanguinem circumciſionis huius, condemnatus erat ad mortem ſponſus meus. *Sacramentum porrò ſine myſterium quod latere monuit Aug. ſub ſanguine filij ſtante , dum fluxit vſque ad pedes , ni fallor , aperio.* Lex, ut Pau-

las, per Moysen data est, gratia per Christum; *Pedes autem finis sunt corporis; & iuxta Paulum,* Finis legis Christus. *Stat ergo sanguis circumcisionis, nec vltra fluxit, dum Christum tetigit. Qui mutato in aquam Baptismi, sanguine circumcisionis, duritiem calculi, & gladij petrini, in oleum chrismatis & gratiæ emollinit. Quin etiam superstua legis Petra Christus ampuiauit.* ET IDEO. *Imò verò, respon-*

A *det Tertul. signum est, circumcisionem, ante præceptum eius, non fuisse necessariam ad salutem: Moyses enim non eam omisisset.* PRÆSCRIBERE. *Nec enim præscripsio vno ictu, eoque coacto & violento incurritur,* HANC. *Filij scilicet Moysi.* IN SIGNVM. *Nudum, & gratiam conferentem solum ex opere operantis, per fidem in Christum venturum. Vel in signum, id est figuram. Vide sequens Schol.*

4. Circumcisio cordis prælata carnali ab eodem Creatore in vtraque lege. 5. Cont. Marc. cap. 13. à m.

PRæfert & circumcisionem cordis præputiationi; apud Deum Legis, est facta[a] *Circumcisio cordis, non carnis; spiritu, non litera.* Quod si hæc est circumcisio Hieremiæ, [b] *Et circumcidemini præputia cordis;* Sicut & Moysis, [c] *Circumcidimini duricordiam vestram:* Eius erit spiritus circumcidens cor, cuius & littera metens carnem eius. &, [d] *Iudæus qui in occulto; cuius & Iudæus in aperto;* Quia nec Iudæum nominare vellet Apostolus non Iudæorum Dei seruum.

[a] Rom. 2. 29.
[b] Hier. 4. 4.
[c] Deut. 10. 16.
[d] Rom. 2. 28.

CIRCVMCISIO CORDIS. IV. SCHOLIA.

PRÆFERT. *Apostolus scilicet.* PRÆPVTIATIONI. B *Id est præcisioni carnali præputij.* DEVM LEGIS *Veteris, scilicet, quæ tã per Moysem & Ieremiã, quàm per Apostolum, spiritalem Circumcisionẽ, vt Deus pariter vtriusque testamenti, commendat.* SPIRITVS, Lex gratiæ ad eundem Deũ pertinebit. LITERA. *Lex vetus Moysi, de qua Paulus ob defectũ gratiæ viuificantis, & frequentes mortis minas transgressoribus intentatas, & animæ mortem, ob prænarrationes assiduas, ait:* Ministratio mortis, literis deformata in lapidibus. *Quid quod & hoc sensu lex vetus,* Litera, occidit, *Lex autem nouæ.* Spiritus est qui viuificat. *Lex item dura circumcisionis duro calculo, id est gla-*
Augustin. *dio petrino peracta, data duro populo. Aug. ser. 15. de Ver. Apost.* Cultellis petrinis circumcisus est populus. Petra autem erat Christus. *Et ser. 41. de*
Augustin. *Temp. vbi eadem repetit, & adiicit:* In ista circumcisione significabatur expoliatio carnalis vitæ, octauo die, per Christi resurrectionem: septimus enim dies hebdomadis sabbato completur. Sabbato Dominus iacuit in sepulchro; octauo autem die resurgendo nos innouauit. Nos ergo octauo die resurgendo circumcidit, *Paulus autem ait;* Consepulti sumus Christo per baptismum. *Trina mersione, ob triduum in tumulo; post quod suaui circumcisione aquæ baptismi, in vitam nouam emergimus. Aug. Ep.* 203. Si veteris populi temporibus Iudæus essem, quando aliud esse melius non possem, accepissem vtique circumcisionem. Quod signaculum iustitiæ fidei, tantum illo tempore voluit, antequam Dominj euacuaretur aduentu, vt infantem filium Moysi Angelus præfocasset, nisi mater, accepto calculo, circumcidisset puerum, & hoc Sacramento imminentem pernicicm depulisset. Hoc Sacramentum etiam Iordanem fluuium refrenauit, & reduxit in fontem. Hoc Sacramentum ipse Dominus quamuis euacuauerit Crucifixus, tamen natus accepit. Non enim signacula illa damnata sunt, sed succedentibus opportunioribus decesserunt.

C Nam sicut circumcisionem abstulit Domini primus Aduentus, sic baptismum auferet secundus Aduentus. Sicut enim nunc, postea quàm venit libertas fidei, & remotum est seruitutis iugum, nullus Christianus circumciditur carne, sic tunc regnantibus iustis cum Domino, damnatisque impiis, nemo rebaptizabitur: Sed illud quod ista præfigurant, id est circumcisio cordis, & mundatio conscientiæ manebit in æternum. *Vide pulchra apud Augustinum to. 7. lib. 4. de Bapt. Cont. Donatistas cap. 24. vbi confert Circumcisionem cum baptismo. Locus autem Pauli Rom. 2. 28. & 29. Sic habet:* Non enim qui in manifesto Iudæus; neque quæ in manifesto. *Syr. quæ conspicitur.* In carne est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est. Et circumcisio cordis in spiritu: non litera: cuius laus non ex hominibus sed ex Deo est. *Aug. in Psal. 75. citato hoc loco, ait;* Sunt ergo Iudæi in circumcisione carnis, & sunt Iudæi in circumcisione cordis. Patres nostri multi Sancti, & circumcisionem carnis habebant propter signaculum fidei, & circumcisionem cordis, propter ipsam fidem. Ab his patribus degenerantes isti qui modo in nomine gloriantur, & facta perdiderunt. Ab his ergo patribus degenerantes, remanserunt in carne Iudæi, in corde Pagani. IEREMIÆ 44. *Vulgata* Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum. 70. Circumcidimini Deo vestro, & circumcidite duritiam cordis vestri. ET MOYSIS. *Deut. 10. 16.* Circumcidite præputiũ cordis vestri, & cervicem vestram ne indueretis amplius. 70. *autem* Et circumcidemini duritiem cordis vestri; *Chald. insipientiam.* Et cervicem vestram non indurabitis. METENS CARNEM. *Amputare, & circumcidere mandans carnem.* NON IVDÆORVM. *Si Apostolus ipse non esset ex Iudeis, & Iudæorum etiam Apostolus, nec dignatus esset Iudæum Dei Creatoris seruum nominare, nisi idem esset Deus vtriusque legis & circumcisionis, tam carnalis, quàm spiritalis.*

S. Aug.

COELIBATVS.

1. Cœlibatus à Gentilibus Sacerdotibus obseruatus, pudorem ingerit incontinentibus Sacerdotibus, cæterisque Christianis. lib. 1. ad vxorem, cap. 6. in m. & f. & 7. in p.

DVrum planè & arduum satis, continentia sanctæ fœminæ post viri excessum, Dei causa, cùm Gentiles Satanæ suo, & virginitatis, & viduitatis Sacerdotio perferant, &c.

Continent etiam gehennæ ſacerdotes. Nam inuenit quomodo homines etiam in bonis ſe-
CAP. VII. ſtationibus perderet: & nihil apud eum refert, alios luxuriâ, alios continentiâ, occidere. Nobis continentia ad inſtrumentum æternitatis demonſtrata eſt à Domino ſalutis, ad teſtimonium fidei, ad commendationem carnis iſtius exhibendæ ſuperuenturo indumento incorruptibilitatis, ad ſuſtinendam nouiſſimè voluntatem Dei.

2. Et ibidem cap. 7. circaſ.

QVantum detrahant fidei, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ, & præſcriptio Apoſtoli declarat, cùm digamos non ſinit præſidere, cùm viduam adlegi in ordinem, niſi vniuiram, non concedit. Aram enim Dei mundam proponi oportet. Tota illa Eccleſiæ candida de ſanctitate conſcribitur. Sacerdotium viduitatis, & cœlibarium eſt apud nationes pro diaboli ſcilicet æmulatione, regem ſæculi Pontificem Maximum rurſus nubere nefas eſt. Quantum Deo ſanctitas placet, cùm illam etiam inimicus adfectat?

3. Et de exhort. Caſt. cap. 11. inſ. & 12. ap. & 13. ap.

OFferes pro duabus? & commendabis illas duas per Sacerdotem de Monogamia ordinatum, aut etiam de virginitate ſancitum, circundatum virginibus ac vniuiris? Et
CAP. XII. CAP. XIII. aſcendet ſacrificium tuum libera fronte? &c. Perierunt cœlibum familiæ, res ſpadonum, fortunæ militum; aut peregrinantium ſine vxoribus, &c. Certè Flaminica nonniſi vniuira eſt quæ & Flaminis lex eſt, &c. Nouimus virgines Veſtæ, & Iunonis apud Achaiæ oppidum, & Appollinis apud Epheſios, & Mineruæ quibuſdam locis. Nouimus & continentes viros, & quidem Tauri illius Ægyptij Antiſtites. Feminas verò Cereri Africanæ: cui etiam ſponte abdicato matrimonio adſeneſcunt, auerſantes exinde contactum maſculorum, vſque ad oſcula filiorum. Inuenit ſcilicet diabolus, poſt luxuriam, etiam caſtitatem perditricem, quò magis reus ſit Chriſtianus, qui caſtitatem recuſauerit conſeruatricem.

COELIBATVS. I. II. III. SCHOLIA.

CONſulat, lector quæ alibi ſuis locis propriis jam in hos textus diximus, literam exponentes: & videat tomo primo, argumenta capitum hîc relatorum, quò remittatur ad omniloquium rationale. Nobis nunc ex Scriptura & Patribus ac Conciliis de cœlibatu paulo fuſius agendum eſt. Et quidem cœlibes ac monogamos altaris ſacri miniſtros exigit Paulus. 1. Tim. 3. 2. oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum. S. Ignatius in Ep. ad Philadelphios notat Timotheum & Titum creatos à Paulo Epiſcopos, perpetuam coluiſſe Virginitatem. Et Hiero. in Ep. 11. ad Ageruchiam iuxta Tertullianum: inter Gentiles, inquit, Flamen vnius vxoris vir ad Sacerdotium admittitur, Flaminiſſa quoque vnius viri vxor eligitur. Ad Tauri Ægyptij ſacra ſemel maritus aſſumitur. Et lib. 1. com. Vigilantium. Quid facient orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut ſi vxores habuerint, deſinunt eſſe mariti: Ad Titum quoque ſcribens Apoſtolus, Epiſcopum inter cætera vult eſſe continentem; primò quidem à luxuria, & vxore; deinc & à cunctis paſſionibus. Sic Hiero. in Tit. 1. 9. ſit, inquit, Epiſcopus abſtinens, non tantùm, vt quidam putant, à libidine & ab vxoris amplexu, ſed ab omnibus animi perturbationibus; ne ad iracúdiam concitetur, ne illũ triſtitia deiiciat, ne terror exagitet, ne lætitia immoderata ſuſtollat. Non tantum Epiſcopos, & Presbyteros, monogamos vult eſſe Paulus, ſed & Diaconos 1. Tim. 3. 8. Diaconos ſimiliter pudicos. Vtpote qui olim in Sacrificio miſſæ ſanguinem Domini populo miniſtrabant. Quid quod & hodie iuxta Miſſalis Romani præſcriptum, Diaconus in offertorio, & oblatione calicis, contingens brachium Sacerdotis, quaſi ei cooperans & miniſtrans, cum eo dicit, offerimus tibi Domine calicem ſalutaris. Hos & Clemens Romanus Epiſtola prima & ſecunda, verum A oculos Epiſcoporum: quos in caſtitate Paulus Epiſcopis exigit pares. 1. Tim. 3. 12. Diaconi ſint vnius vxoris viri, qui filiis ſuis benè præſint, & ſuis domibus. Cur autem Paulus hîc Presbyteros & Subdiaconos præterit? Aërius, & poſt eum Wiclefus & Lutherus perperam; ſoluentes Hierarchiam, dicunt, quòd inter Epiſcopum & Diaconum nil intereſſet. Aliq quòd ſub Apoſtolis, Epiſcopi nomen commune eſſet cæteris presbyteris, vtpote Act. 20. 17. vbi cùm ſcriptum eſſet de Paulo, vocauit maiores natu Eccleſiæ: Syr. habet: miſit qui accerſerent Presbyteros Eccleſiæ Epheſi. Verſu 28. Attendite, inquit, vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, & ad Philipp. 1. 1. Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & B Diaconibus. Syr. legit: cum Presbyteris, & miniſtris. Et ad Titum 1. 7. oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe. Syr. Scribit: debet Presbyter inculpatus eſſe. Vnde ex Anſelmo, & D. Thoma, quæ de Epiſcopo hîc dicta ſunt, ad Presbyteros etiam pertinent. Alij volunt Apoſtolorum tempore, Epiſcopi nomine, non quemcumque Presbyterum accipi, ſed parochum ab Epiſcopo deputatum in curam animarum. Chryſoſtomus hoc loco dat rationem. Quoniam inquit, inter Epiſcopum atque Presbyterum intereſt fermè nihil: quippe & Presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt: & quæ de Epiſcopis dixit Apoſtolus, hæc etiam Presbyteris congruunt. Sola namque ordinatione, paſſiua & actiua, Superiores illi ſunt, atque hoc tantùm pluſquam Presbyteri habere videntur. Epiphanius hæreſi 75 contrà Aërium diſputans; notat Apoſtolum ob paucitatem fidelium, tum ob raritatem miniſtrorum, vſos fuiſſe tantum Epiſcopis & Diaconis, cum quibus ſolis, abſque Presbyteris munus ſuum implere poterant. Hinc & Gregorius Neocæſarienſis, cùm ſuſcepiſſet Epiſco-

ed by Googl

Episcopatum, septemdecim tantùm fideles habebat; quos A *Concilio Carthaginensi tertio Can. 41. Denique vt cetera præteream Augustinus Ep.* 118 *Adducit authoritatem Canonis Nicæni, quo cauetur, ne duo Episcopi in* S. Aug. *eadē Ecclesia sedeāt. Ex quibus liquet Græcos audiendos non esse, asserentes viginti tantùm Canones in hoc Cōcilio constitutos. Vtrum verò præcisè Septuaginta, vel octoginta fuerint, vt habet Epistola Athanasij ad Marcum, & Marci ad Athanasium, consulat lector Bellarminum lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 25. & Baronium Anno 325 à numero* 156 *vsque ad* 180. *Mihi nunc satis est à sanctis Patribus hunc Canonem de bigamis exclusis ab aliari citari. Basilius enim Ep.* 17. *ad Paragorium Presbyterum*, Lege, inquit, Canonem à sanctis Patribus nostris in Nicæna Synodo constitutum, qui manifestè interdixit, ne quis mulierem subintroductam habeat. Cœlibatus autem honestatem suam in eo habet, si quis à nexu mulieris secesserit, &c. Ob hanc causam constitutionem sanctorum Patrum secuti, præcepimus vt à mulierecula separeris, &c. Eiice igitur illam ex ædibus tuis, & trade in monasterium. Sit illa cum virginibus, & tu inter viros ministra, ne nomen Dei propter vos blasphemetur. Si verò sine correctione tui ipsius aulus fueris Sacerdotij retinere functionem, anathema eris omni plebi: & ij qui te receperint, per omnem Ecclesiam excommunicabuntur. *Ambrosius quoque lib. 3. Ep. 25. ad Ecclesiam Vercellensem, circa medium.* Virtutum magister Apostolus est, qui cum patientia redarguendos doceat contradicentes, qui vnius vxoris virum præcipiat esse? non quò exortem excludat coniugij, nam hoc supra legem præcepti est: sed vt coniugali castimonia seruet ablutionis suæ gratiam. Neque iterum vt filios in Sacerdotio creare, Apostolica inuitetur authoritate, habentem enim dixit filios, non facientem, neque coniugium iterare. Quod ideo non prætermisi, quia plerique ita argumētantur, vnius vxoris virum dici post baptismum habitæ, eo quòd baptismo vitium sit ablutum, quo afferebatur impedimentum. Et vitia quidem atque peccata diluuntur omnia, vt si quis contaminauerit suum corpus cum plurimis, quas nulla coniugij lege sociauerit, remittantur ei omnia: sed coniugia non resoluuntur, si quis iterauerit. Culpa enim lauacro, non lex soluitur. Nulla enim culpa coniugij, sed lex est. Quòd legis est igitur, non remittitur quasi culpa, sed tenetur quasi lex. Ideo & Apostolus legem posuit, dicens: si quis sine crimine est, vnius vxoris vir. Ergo qui sine crimine est, vnius vxoris vir, tenetur ad legem Sacerdotij suscipiendi: qui autem iterauerit coniugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogatiuâ exuitur Sacerdotis. Diximus quid legis est, dicamus etiam quid rationis. Sed prius cognoscamus, non solum hoc Apostolum de Episcopo & Presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilij Nicæni tractatu addidisse, neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda coniugia fortitus sit. Quomodo enim potest consolari viduam, honorare, cohortari ad custodiendam viduitatem, seruandam marito fidem, quam ipse priori coniugio non reseruauerit? Aut quid interesset inter populum & Sacerdotem, si iisdem adstringerentur legibus? debet præponderare vita Sacerdotis, sicut præponderat gratia. Nam qui alios præcepris suis ligat, debet ipse legitima præcepta in se custodire.

Deinde seipsum inducit in exemplum, quòd contra legem Apostoli inuitus ordinatus esset Neophytus. Quàm, inquit, resistebam ne ordinarer? postremò cùm cogerer, vt saltem ordinatio protelaretur! Sed

vtique facilè sine presbytero posset gubernare. Diaconi B *porrò generali ministri nomine etiam Subdiaconos comprehendum. Vnde & Concil. Trident. Sess. 23. Can. 6. Hierarchiam dicit constare Episcopis, Presbyteris & ministris, subministris Subdiaconos comprehendens. Paulus item de Diaconissis loquens* 1. *Tim. 5. 9.* Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor *Quod vt de Episcopis, & Diaconis, non de polygamia eodem tempore vetita, intelligit, sed de successiua etiam exclusa. Vnde ex D. Thoma, in 4. Sent. Dist. 63. a. 1. ad 2. & articulo 2. ad 2.* Secundæ nuptiæ carent honore significationis, quæ est in primis nuptiis; vt vna sit vnius, sicut est in Christo & in Ecclesia *Vnde vsque ad ipsas ministras pauperū Ecclesiæ, & Catechumenarum curam habentes, monogama esse debebant. Earum officia describit Epiphanius hæresi* 79 *Stultè Cataphryges & Collyridiani ex loco Pauli crediderunt has debuisse ordinari. Videndus Eusebius lib. 5 Hist. cap. 14. Orientales quidem ab Episcopis cum aliqua benedictione instituebantur. Sed tandem abrogatæ, propter arrogantiam, qua sibi partem aliquam in Clero assumere volebant, quasi non essent laïcæ. Vnde & Concil. 2. Aurelianense Can.* 17. Placuit, vt nulli postmodum fœminæ Diaconalis benedictio pro conditionis huius fragilitate credatur *Memoratæ sunt ab Apostolo sanctæ & humiles Diaconissæ, Rom. 16. & Philipp. 4. quarum primam expressè* διακονισσαν *in Græco dicitur, Phœben, Priscam, Mariam, Tryphenam, Tryphosam, Euodiam, & Syntichen.*

C

Concilium 2. Carthag. Can. 2. Cœlibatum ab Apostolis seruatum, & omnibus Ecclesiæ ministris indictum testatur. Vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. *Idem sanxerunt Summi Pontifices, Siricius Ep. ad Himericum, Innocentius primus Ep. 2 & 22. Leo. 1. Ep. 87. ad Episcopos Africanos, & alij, vt patet in Decretalibus, de digamis non ordinandis. Concil. Item Nicænum. 1. Can. 3. interdixit per omnia,* Non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero est, licere sub introductam habere mulierem, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas, quæ omnem suspicionem fugiunt. *Et Eliberinum Concil. Can. 33.* Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios; quod quicunque fecerit, ab honore clericatus exterminetur *Sed & Canone* 17. *Apostolorum*: Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt. *Et Canone* 18. Si quis viduam, aut electam *Repudiatam* acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de iis quæ publicis spectaculis mancipantur, non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero qui sacro ministerio deseruiunt.

D

Nicæno etiam Concilio 1. *Sub Siluestro & Constantino, speciali Canone, Bigami ab ordinibus arcentur; qui non extat; sicut nec Canon de scripturis authenticis, cuius meminit Hieronymus Ep. 3. recensens inter Canonicos librum Iudith. Sicut nec* Canon *de Paschate solo die Dominico celebrando, de quo Eusebius lib 3. de vita Constantini, & Athanasius in Ep. de Synodo Ariminensi. Sicut & alter Canon de appellatione ad Sedem Apostolicam Episcopis concessa, qui citatur à Concilio 6 Carthaginensi cap 3. Item aliis, quo statuitur ne sacrificium offeratur nisi à Ieiunis; Citatus à*

E

non valuit præscriptio, prævaluit impressio. Tamen ordinationem meam Occidentales Episcopi iudicio, Orientales etiam exemplo probarunt. Et tamen Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbiâ. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est: si non deest humilitas competens Sacerdotio, vbi causa non hæret, vitium non imputatur. *Tum verò de Ecclesia Vercellensi, in qua Eusebius primus cœlibatum Monachalem coniunxerat clericali in Ecclesia Occidentali.* Quòd si in aliis Ecclesiis tanta supperit Ordinandi Sacerdotis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, vbi duo pariter exigi videntur ab Episcopo, Monasterij continentia, & disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt in ciuitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Multùm enim adimenti accedit ad Sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, & ad normam integritatis iuuentutem adstringat, & versantes intra vrbem abdicet vsu vrbis & conuersatione. *Tandem veteris legis cœlibes commemorat.* Hinc illi processerunt viri, Elias, Elisæus, Ioannes, qui pelliceis tunicis, & caprinis exuuiis induti, inopes atque egentes; angustijs & doloribus afflicti, in solitudinibus errabant, *Exponit Paulum Hebr. 11.* Inter alta & condensa montium, inuia rupium, speluncarum horrida, foucarum vadosa, quorum conuersatione dignus orbis terrarum non erat. Hinc illi *Alij cœlibes* Daniel, Ananias, Azarias, Misaël, qui in aula Regia pascebantur, ieiunio alebantur, tanquam in desertis cibo aspero potuque obuio. Meritóque Regij seruuli, Regi prævaluerunt, & captiuitatem decusso iugo contempserunt, potestates subegerunt, elementa vicerunt, naturam ignis extinxerunt, hebetarunt flammas, obtuderunt aciem gladij, strinxerunt leonum ora; & vbi infirmiores æstimabantur, ibi fortiores repericbantur. Non refugiebant ludibria humana, qui cœlestia sperabant præmia. Non horrebant tenebras carceris, quibus æterni luminis gratia refulgebat, &c.

Nota Caluinum Vigilantium secutum, qui ex loco Pauli perperàm intellecto requirit saltem Episcopum vnius vxoris virum. Vnde & Epiphanius hæresi 59. quæ est Catharorum: At dices, inquit, in quibusdam locis Presbyteros & Diaconos adhuc liberos gignere, sed hoc non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. *Rodericus Toletanus rerum Hispanic. lib. 3. cap. 15. narrat de Rege impudicissimo*: Vitiza, inquit, Rex facinorosus, timens ne suis crimnibus obuiarent, & populum ab eius obedientia reuocarent, dedit licentiam, imò præceptum omnibus Clericis, vt vxores, & concubinas vnam & plures haberent publicè, iuxta libitum voluptatis: neue Romanis constitutionibus quæ talia prohibent; in aliquo obedirent, & sic per eos populus retineretur. *Irenæus lib. 1. c. 27. Clemens Alex. lib. 3. Strom. Epiph. Hæresi 35. narrant Nicolaum Antiochenum post separationem à propria vxore voluntariam, non solum eã demùm cognouisse, sed & omnibus, proh pudor, communem fecisse, de quo Augustinus libro de hæresibus hæres. 5.* Nicolaitæ à Nicolao nominati sunt, vno, vt perhibetur, ex illis septem, quos Apostoli Diaconos ordinauerant. Iste cùm de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, velut purgandi se causâ, permisisse fertur, vt eâ qui vellet vteretur. Quod eius factum in sectam turpissimam versum est, qua placet vsus indifferens fœminarum. Hi nec ab iis quæ idolis immolantur cibos suos separant: & alios ritus gentilium superstitionum non aduersantur. *Cui consonat illud Apoc. 2. 14. contra Angelum Pergami*: Habeò aduersus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. *Edere porrò ad idolothyta refert. Graci item incontinentes circa Annum Domini 700. Canone 13. in Synodo Trullana spuria, introduxerunt abusum retinendi vxores quas duxerant ante Sacerdotium, quibus pacis causa id Ecclesia Romana permittit, vt patet ex capite* Cùm olim, de Clericis coniugatis. *Cæterùm Paulus, qui, teste Ignatio in Ep. præcitata. ad Philadelphios, Timotheum, & Titum Episcopos perpetuæ virginitatis cultores, creauerat, cùm suo tempore cerneret raros esse inter Gentiles Iudæosque cœlibes, & omnes pene coniugatos esse, non poterat castiores in clerum promouere, quàm monogamos. Vtrum autem excluserit Paulus à Clero bigamos factos tantùm post baptismum, an etiam ante baptismum, quæritur, Hiero. in Ep. ad Oceanum intelligit de bigamia tantùm, quâ quis post baptismũ duas vxores successiuè duxerit, non verò eam qua quis vnam ante baptismum, aliam, eâ defunctâ, duxerit post baptismum. Et quidem cùm ante baptismum nullum sit Sacramentum, bigamia censeri non videtur. Præfero tamen Augustini sententiam, qui bigamiam censet factam duabus vxoribus coniunctionem, pariter honestati Clericali, & matrimonio vnico, vnius Christi cum vna Ecclesia Sacramenti repræsentationi repugnantem. Accipe Augustinum, lib. de Bono coniugali, cap. 18.* Sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad vnum virum, & ad vnam vxorem redactum est, vt dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare nisi vnius vxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus, vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt, de Sacramento enim agitur, non de peccato; nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit, si acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccat; & quod vult faciat, non peccat si nubat; satis declarauit nuptias non esse peccatum: propter Sacramenti autem sanctitatem, sicut fœmina, etiam si catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurdè visum est eum, qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium. Ac per hoc sicut plures vxores antiquorum Patrum significauerunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias vni viro subditas Christo; ita noster Antistes vnius vxoris vir, significat ex omnibus gentibus vnitatem vni viro subditam Christo. *Hieronymus item contra Iouinianum scribens lib. 1. cap. 14* Quanquam, inquit, excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quòd vxores habuerint, & cùm de vno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil scriptura significat. *Et ibid. cap. 19.* Non dicit Paulus, eligatur Episcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat; sed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat; alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. *Dehinc rationem subdit*: Si laicus & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti, cui semper pro

A B C D E

S. August.

Aug.

populo offerenda ſacrificia, ſemper orandum eſt: ſi ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio, &. Eliguntur mariti in ſacerdotium, non nego. quia non ſunt tanti virgines, quanti neceſſarij ſunt ſacerdotes.

Aduerte Paulum mandantem Epiſcopum eligi vnius vxoris virum, id egiſſe, quod difficillimum eſſet nubes reperire, maximè in Cretenſi Eccleſia, de qua tunc agebat. Nam vt iuxta Ephorum Strabo lib. 10 deſcribens Rempublicam Cretenſium, antiquis ſuis legibus vxores à puero ducere cogebantur. Apud quos tanta erat in pueros inſania, vt & nobiles quoſque rapere liceret ad libidinem. Eratque turpe formoſis & illuſtribus, nullum habere amatorem. Raptis autem tam in ambulando, quàm ſedendo, primarius locus cedebatur. Hinc & ipſe Paulus ex antiquiſſimo Poëta Epimenide ſententiam torſit: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri *Hinc & ſingulariter monet Epiſcopum,* filios habere ſubditos cum omni caſtitate. *Verum Eccleſia Cretenſis poſtmodùm exculta, virgo multis ſeculis, & à corruptione hæreſeon in cæteras Orientales Eccleſias graſſante, diu illibata permanſit. Quod probatur 10. 2. Conciliorum ex literis quas poſt Concilium Chalcedonenſe Martinus Cortina & cæteri Cretenſes Epiſcopi ad Leonem Imperatorem reſcripſerunt. Titus porrò Pauli Diſcipulus erat Cretenſis Epiſcopus.*

Sed & ſi Græci vxorum amatores, plus iuſto littera hæreant Apoſtoli prauo ſenſu in voluptatis patrocinium aſſumpta; Patres Græci, pro cœlibatu pugnant. Epiphanius quidem hæreſi 59. Si populo præcipit Apoſtolus dicens, vt ad tempus vacent orationi, quanto magis Sacerdoti idem præcipit, vt indiſtractus ſit inquam, ad vacandum ſecundum Deum Sacerdotio, quod in neceſſitatibus ſpiritualibus ac vſibus perficitur. *Et Origenes hom. 23. in Num.* Certum eſt, inquit, quia impeditur ſacrificium indeſinens iis, qui coniugalibus neceſſitatibus ſeruiunt. Vnde videtur mihi quòd illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe deuouerit caſtitati. *Et homil. 4 in Leuit.* Ante omnia enim Sacerdos qui diuinis aſſiſtit altaribus, caſtitate debet accingi. *Chryſoſt. autem homil. 2. in Job.* Paulus, inquit, Apoſtolus vbi ad gentes proficiſcitur, ſummum virtutis pondus illis non impoſuit. Sed vbi in orbe adulteriis fornicationibuſque repleto, voluit orbis paſtores conſtituere: & quoniam virgines rarò inueniebantur, Epiſcopos ordinans, Tito dixit: conſtitue Epiſcopos ſicut ego diſpoſui tibi: ſi quis eſt ſine crimine. Porrò irreprehenſibile, tunc locum non habuit, quandoquidem pietatis vigor deficiebat. *Et in Authentica.* Epiſcopo cod. de Epiſcopis & clericis. Vbi exactè cœlibatus Epiſcopo indicitur, Epiſcopo nullam mulierem ſecum habere permittitur: ſed ſi habere probetur, ab Epiſcopatu deiiciatur quo ſe fecit indignum. *Cyrill. Ieroſol. catech. 12.* Decebat ſanè puriſſimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Ieſum benè fungitur ſacerdotio abſtinet à muliere: ipſe Ieſus quomodo ex viro & muliere proditurus eſſet?

Et quidem ſi Leuitis veteris Teſtamenti præceptum eſt, mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini. *ſi panes propoſitionis edere poſcenti Dauid defectu laicorum, Abimelech dixit:* ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus: *quanta ſanctitas exigitur à comedentibus & conficientibus in regali Sacerdotio Melchiſedech, quod* Aug. *tunc Dauid in figura repræſentaſſe Auguſtinus adnotauit libro 12. Cont. Fauſtum cap. 33.* Quid, inquit, iam regum temporibus, vt & inde pauca commemorem, nonne ab ipſo exordio commutatum Sacerdotium in Samuelem, reprobato Heli, & commutatum regnum in Dauid, reprobato Saüle, clamat prænunciari nouum ſacerdotium, nouumque regnum, reprobato vetere, quod vmbra erat futuri, in Domino noſtro Ieſu Chriſto venturum? Nonne ipſe Dauid, cum panes propoſitionis manducauit, quos non licebat manducare niſi ſolis ſacerdotibus, in vna perſona vtrumque futurum, id eſt, in vno Domino Ieſu Chriſto, regnum & ſacerdotium, figurauit? Nonne cùm decem tribus à templo ſeparatæ ſunt, & duæ derelictæ, ſatis indicat quòd de tota ipſa gente Apoſtolus ait: Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt?

Nec mirum ſi Tertullianus non modo clericos, ſed & laicos ad monogamiam hortetur, quam Chriſtus vnius vxoris Eccleſia vir rex pariter & ſacerdos profeſſus eſt: cùm & Paulus omnes ſibi ſimiles, virginitatis cultores optaret. De quo ſic Auguſtinus libro de bono S. Auguſt. *coniugali cap. 10.* Noui, inquit, quoſdam qui murmurent: quid ſi inquiunt, omnes velint ab omni concubitu continere: vnde ſubſiſtet genus humanum? Vtinam omnes hoc vellent, dumtaxat in charitate de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta; multo citius Dei ciuitas compleretur, & acceleraretur terminus ſæculi. Quid enim aliud hortari apparet Appoſtolum, vbi ait; cùm inde loqueretur: vellem omnes eſſe ſicut meipſum? Aut in illo loco: Hoc autem dico fratres, tempus breue eſt reliquum eſt vt & hi qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquã non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non ementes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi.

Sed proh pudor! quam nunc, non dico laici, ſed clerici, non iam monogami aut cœlibes, vel à propriis vxoribus ex compacto ſeiuncti, vt dignè ſacris miniſtrent altaribus; ſed concubinis addicti, & mulierculorum conuictui, indignam prorſus ſuo charactere vitam agunt, magno Eccleſiæ ſcandalo! Audiant Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum libro inſtit. Virg. ad Florentinam ſororem cap. 2. vbi iuxta Platonem de mutuo vtriuſque ſexus appetitu, viri fœminæ tanquam partis, ex ſua coſta decerptæ, *Fœminæ vt partis, viro ſuo toti inexiſtere & reuniri cupientis:* diſpar enim ſexus in vnũ locatus, eo titillatur inſtinctu, quo naſcitur; & naturalis mouetur flamma, ſi incompoſita attigerit. Quis colligabit ignem in ſinu ſuo, & non comburetur? ignis & ſtupæ ſibi vtraque contraria in vnum redacta flammas nutriunt. Viri ſexus & fœminæ diuerſus ſi coniungitur, quò lex naturæ prouocat, commouetur. *Cyprianus de ſingularitate clericorum.* Lubrica, inquit, ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſaluari ſe ſperat, incerta victoria eſt inter hoſtilia arma pugnare, impoſſibilis liberatio eſt flammis circumdari, nec ardere, &c. Ipſi nos fallimus quoties credimus inter maſculos & fœminas caſtitatem immobilem cuſtodiri. Difficilè quis venenum biber, & viuet: verendum eſt dormienti in ripa ne cadat; cum dicat Apoſtolus 1. Cor. 10. Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. Et vtilius eſt infirmum ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat; quàm ſi fortis videri velit, infirmus emergat, &c. De carbonibus ſcintillæ diſſiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam, quam Salomon ſic comparat dicens: de veſtimẽtis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri, &c. Sic igitur ambulate, ſic agite, vt ſemper in clericis Eccleſiæ ſenatus candidus cõſtet: ſeueritas in vobis circa fœminas vigeat, authoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur.

Quantum ſit clericis à mulierculis periculum, diſcant

ab Anaſtaſio Nicæno tu. 6. Biblioth. SS. Patrum 9. 62. A omnis, inquit, qui aſperserit. Quid eſt inquit mulier In terra naufragiũ, fons ſceleris, lethalis occurſus, lapſus oculorum, animarum exitium, cordis lanrea, ſceptrum inferorum, præceps deſiderium, iuuenum pernicies. Quid mulier? Sanctorum calumnia, quies ſerpentis, diaboli ſolatium, ægritudo inconſolabilis, fornax ſuccenſa, eorum qui ſeruantur ſcandalum, vitium immedicabile, diurnæ nugæ, prodigorum hoſpitium, officina dæmonum. Quid eſt mulier? os effrenatum, triumphus myſteriorum, dux tenebrarum, magiſtra delictorum, veſtita vipera, domus tempeſtas, viri naufragium, immitis fera, &c. *Habent Præſules, clerici, Monachi, quem cœlibatus & ſingularitatis amantiſſimum ſectentur Auguſtinum, ante conuerſionem Ambroſij cœlibis admiratorem, de quo Poſſidius quadraginta fermè annorum obſeruator, ſic in eius vita. cap. 26.* Fœminarum, inquit, intra domum eius nulla vnquam conuerſata eſt, nulla manſit, necquidem germana ſoror, quæ vidua Deo ſeruiens multo tempore vſque in diem obitus ſui præpoſita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui ſui filiæ, & fratris ſui filiæ, quæ pariter Deo ſeruiebant: quas perſonas ſanctorum Epiſcoporum Concilia in exceptis poſuerunt. Dicebat verò, quia etſi de ſorore & neptibus ſecum commorantibus, nulla naſci poſſit mala ſuſpicio, tamen quoniam illæ perſonæ ſine aliis neceſſariis ſecúmque manẽtibus fœminis eſſe non poſſent; & quod ad eas etiam aliæ afforis intrarent: de iis poſſe offendiculum, aut ſcandalum infirmioribus naſci; & illas, qui cum Epiſcopo vel quolibet clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarum perſonis vnà commorantibus aut aduentantibus, tentationibus humanis poſſe perire, aut certè malis hominum ſuſpicionibus peſſime diffamari: ob hoc ergo dicebat, numquá debere fœminas cum ſeruis Dei etiam caſtiſſimis in vna manere domo, ne vt dictum eſt, aliquod ſcandalũ vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et ſi fortè ab aliquibus fœminis vt videretur vel ſalutaretur, rogabatur, nunquã ſine clericis teſtibus ad eas intrabat, vel ſolus cum ſolis vnquam eſt locutus, niſi ſecretorum aliquid intereſſet. B

COENA.

1. Cœnæ magnæ parabola expoſita 4. Cent. Marc. cap. 31. à p. ad fin.

a Luc. 14. 16. INuitatoris parabola, cui magis parti occurrat, expende. [a] *Homo quidam fecit cœnam, & vocauit multos*; Vtique cœnæ paratura, vitæ æternæ ſaturitatem figurat. Dico primo extraneos & nullius iuris affines inuitari ad cœnam non ſolere; certè facilius ſolere domeſticos & familiares. Ergo Creatoris eſt inuitaſſe, ad quem pertinebant qui inuitabantur, & per Adam quà homines, & per Patres quà Iudaïci, non eius ad quem neque naturã pertinebant, neque prærogatiuâ. Dehinc, ſi [b] *Is mittit ad conuiuas*, Qui cœnam parauit; ſic quoque Creatoris eſt cœna, qui miſit ad conuiuas admonendos, antè iam vocatos per Patres, admonendos autem per Prophetas: non qui neminem miſerit ad monendum, nec qui nihil prius egerit ad vocandum, ſed ipſe deſcenderit ſubitò: tantum quod innoteſcens, iam inuitans; tantùm quod inuitans, iam [c] *In conuiuium cogens*; Eandem faciens horam cœnandi, & ad cœnam inuitandi. [d] *Excuſant ſe inuitati.* Si ab alio Deo, meritò, quia ſubito inuitati. Si non merito, ergo nec ſubitò. Si autem non ſubitò inuitati; ergo à Creatore, à quo olim. Cuius denique declinauerant vocationem tunc primò, dicentes ad Aaronem, [e] *Fac nobis Deos, qui præcant nobis.* Atque exinde, [f] *Aure audientes, & non audientes*; vocationem ſcilicet Dei; qui pertinentiſſimè ad hanc parabolam per Hieremiam, [g] *Audite*, inquit *Vocem meam, & ero vobis in Dominum, & vos mihi in populum; & ibitis in omnibus viis meis quæcunque mandauero vobis.* Ecce inuitatio Dei. [h] *Et non audierunt*, inquit, *Et non aduerterunt aurem ſuam.* Ecce recuſatio populi. [i] *Sed abierunt in iis quæ concupierunt corde ſuo malo. Agrum emi, & boues mercatus ſum, & vxorem duxi.* [k] Et adhuc ingerit, [m] *Et emiſi ad vos omnes famulos meos Prophetas.* Hic erit Spiritus ſanctus admonitor conuiuarum, *Die & ante lucem. Et non audiit populus meus, & non intendit auribus ſuis, & obdurauit cellum ſuũ.* Hoc vt patri familias renuntiatum eſt, *Motus tunc*, (Benè quod & motus; negat enim Marcion moueri Deum ſuum, ita & hoc meus eſt) [n] *Mandat de plateis & vicis ciuitatis facere ſubtectionem.* Videamus an eo ſenſu quo rurſus per Hieremiam, [o] *Nunquid ſolitudo factus ſum domui Iſraëlis? aut terra in inultum derelicta?* Id eſt, Nunquid non habeo quos adlegam, aut vnde adlegam? *Quoniam dixit populus meus, Non venimus ad te.* Itaque miſit ad alios vocandos; ex eadem adhuc ciuitate. Dehinc loco abundante, [p] *Præcepit etiam de viis & ſepibus colligi.* Id eſt, nos iam de extraneis gentibus. illa ſcilicet æmulatione, qua in Deuteronomio, [q] *Auertam faciem meam ab eis, & monſtrabo quid illis in nouiſſimis*, Id eſt; alios poſſeſſuros locum eorum: *Quoniam genitura peruerſa eſt, filij in quibus fides non eſt. Illi obæmulati ſunt me in non Deo, & prouocauerunt me in iram in idolis ſuis; & ego obæmulabor eos in non Natione; in Natione inſipienti prouocabo eos in iram;* In nobis ſcilicet, quorum ſpem Iudæi gerunt, [r] *De qua illos guſtaturos negat* Dominus; [s] *Derelictá Sione tanquam ſpecula in vinea & in cucumeraria caſula*, Poſteaquam & nouiſſimam in Chriſtum inuitationem recuſauit. Quid ex hoc ordine ſecundùm diſpoſitiones & prædicationes Creatoris recenſendo competere poteſt illi, cuius nec ordinem habet, nec diſpoſitionem ad parabolæ conſpirationem, qui totum opus ſemel fecit? Aut quæ erit prima vocatio eius, & quæ ſecundo actu admonitio?

b Ibid. 17.
c Ibid. 23.
d Ibid. 18.
e Exo. 32. 1.
f Eſa. 6. 9. & 10.
g Hier. 11. 4.
h Ibid. 10.
i Hier. 7. 23. & 24.
k Luc 14. 18. & ſeq.
m Hier. 7. 25.
Luc. 14. 24.
n Ibid. 21.
o Hier. 2. 31.
p Luc. 14. 23.
q Deut. 32. 20.
r Luc. 14. 24.
s Eſa. 1. 8.

Antè debent alij excuſare, poſtea alij conueniſſe. Nunc autem pariter vtramque partem inuitare venit, de ciuitate, de ſepibus, aduerſus ſpeculum parabolæ. nec poteſt iam faſtidioſos iudicare, quos nunquam retro inuitauit, quos cummaximè aggreditur. Aut ſi de futuro eos iudicat, contempturos vocationem; ergo & ſubiectionem loco eorum ex gentibus de futuro portendit. Planè ad hoc ſecundò venturus eſt vt gentibus prædicet. Et ſi venturus eſt autem, puto non quaſi vocaturus adhuc conuiuas, ſed iam collocaturus. Interea qui cœnæ iſtius vocationem in cœleſte conuiuium interpretaris ſpiritalis ſaturitatis & iucunditatis, memento & terrenas promiſſiones *Vini & olei & frumenti, & ipſius ciuitatis*, Æquè in ſpiritalia figurari à Creatore.

COENÆ MAGNÆ. I. SCHOLIA

OCCVRRAT, *faueat an Marcioni ſpiritaliter tantum de gloria conuiuio parabolam interpretans, an nobis, qui eam incarnationis Chriſti myſterio applicamus.* VTIQVE, *&c. Inducit Marcionem ſic explicantem.* DICO *reſpondeo, ait Tertull.* NVLLIVS IVRIS. *Qui nullum ius affinitatis habent, inuitari non ſolent, nec exteri, ſed domeſtici & amici.* PERTINEBANT. *Iudæi ſcilicet, in quantum homines ex Adam geniti, quem creator de limo formauit.* PATRES. *Patriarchas veteres, in quantum Iudæi.* EIVS. *Dei Marcionis noui & recentis Deut. 32.* Noui recentesque venerũt, quos non cognouerunt Patres eorum. PRÆROGATIVA. *Cura ſpecialis vtpote dilecti populi, ſit teſtes in veteri lege vocati.* NON QVI, *&c. Deus & Chriſtus Marcionis, ſubitò & repente apparens, nullo præcedente Prophetæ, venturum prænunciante.* TANTVM. *Sufficit in opinione Marcionis, ſubitus aduentus Chriſti, vt ſimul, vocet, inuitet, cogat ad cœnam: cum tamen parabola tempus, & moram vocationis, inuitationis, coactionis diſtribuat.* AB ALIO. *Deo ſcilicet Marcionis, alio quàm ſuo Creatore.* OLIM. *In veteri Teſtamento per Prophetas.* FAC NOBIS. *Exo. 32. 1. Vulgata:* ſurge & fac nobis Deos qui nos præcedant. AVDITE. *Ierem. 11. 4. Vulgata*, audite vocem meam, & facite omnia quæ præcipio vobis, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. *Et verſ. 8.* Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem ſuam. Sed abierunt vnuſquiſque in prauitate cordis ſui mali. 70. reuerſi ſunt ad iniquitates Patrum ſuorum priores, qui noluerunt exaudire verba mea. Et ecce ipſi abeunt poſt Deos alienos, ad ſeruiendum eis. AGRVMENSI. *Exponit tres concupiſcentias, quæ inuitatos ad nuptias ire præpedierunt.* INGERIT. *Inculcat & exprobat Ierem. 7. 25. Vulgata:* miſſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas per diem, conſurgens diluculo & mittens. 70. *Die & diluculo: & miſi, &c. Et indurauerunt ceruicem ſuam ſuper Patres ipſorum*; & non audierunt me, nec inclinauerunt aurem ſuam: ſed indurauerunt ceruicem ſuam: & peius operati ſunt quàm Patres eorum. DIERANTE LVCEM. *Ante lucem in nocte Teſtamenti, in die legis gratiæ.* Nox preceſſit, &c. Tuus eſt dies, & tua eſt nox. *Vtraque lex.* HIC ERIT. *Spiritus ſanctus per Prophetas admonens & inuitans Iudæos.* METVS. *Ira. Vnde apud Luc. 14. 21.* Iratus Paterfamilias, &c. HOC. *Eo ipſo quod monetur, licet abſque perturbatione:* non enim in turbine, neque in commotione Dominus cum tranquillitate iudicans. *Vt ſuo loco videbimus.* DEVTERONOMIO. *32. 20.* abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum: Generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij: ipſime prouocauerũt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus ſuis: & ego prouocabo eos in eo qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos. 70. *Paulo aliter quàm Tertul.* Oſtendam quid erit eis in nouiſſimis dieA bus. SVBLECTIONEM. *Primo electis omnibus quæ perierant, ſubiectis caninis Gentilibus.* NVNQVID SOLITVDO, *&c. Ier. 2. 31. Vulgata:* nunquid ſolitudo factus ſum Iſraëli, aut terra ſerotina? quare ergo dixit populus meus: receſſimus, non veniemus vltra ad te? 70. Terra plena ſentium? &c. Non ſeruiemus nec veniemus vltra ad te. LOCO ABVNDANTE. *Adhuc vacuo:* & adhuc ſupereſt locus. QVORVM SPEM, *in ſcripturis ſuis gerunt, habent ſcriptam:* & ipſe erit expectatio gentiũ. Et in ipſum gentes ſperabunt. *Vel ſperant adhuc Iudæi venturum Meſſiam.* IN CHRISTVM INVITATIONEM. *Ad Chriſtum recipiendum & ad cœnam incarnationis eius, & per fidem eius ad cœnam gloriæ inuitantes Apoſtolos recuſauerunt.* PRÆDICATIONES, *Prophetias. Illi, Deo Marcionis.* CONSPIRATIONEM, *concordantiam & conſenſum.* SEMEL. *Et ſimul ſubitus apparens, inuitauit & coegit ad cœnam.* SPECVLVM. *Intentum ſcopum, finem parabolæ.* CVMMAXIMÈ, *præcipuè.* PLANE, *ironice, quaſi vero rurſum Chriſtus venturus ſit vt prædicet gentibus.*

B ETSI. *Quamquam & nos ſecundum eius aduentum expectemus, veniat vt colloceț in menſa, non vt inuitet.* Faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. FIGVRARI. *Figuras ſcito & Creatorem dediſſe in veteri lege ſpiritalis conuiuij, ciuitatis Ieruſalem, eſcarum quoque ſpiritalium: vt in Marcion Deum tuum, rerum corporearum auerſatorem, & ſpiritalis conuiuij inſtructorem, Deo meo Creatori, & rerum ſpiritalium æquè ac corporalium conditori comparare non audeas.* VINI ET OLEI. *Pſal. 4. 8.* A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt. *Auguſt.* A tempore frumenti, &c. Non vacat quod additum eſt, ſui: eſt enim & frumentum Dei. Si quidem eſt panis viuus qui de Cœlo deſcendit. Eſt enim vinum Dei. Nam inebriabuntur, inquit, ab vbertate domus tuæ, & eſt oleum Dei. De quo dictum eſt, impinguaſti in oleo caput meum. Iſti autem multi qui dicunt, quis oſtendit nobis bona? & regnum cœlorum intra ſe eſſe non vident à tempore frumenti, vini, &c. Non enim multiplicatio ſemper vbertatem ſignificat, & non plerumque exiguitatem, cum dedita temporalibus voluptatibus anima ſemper exardeſcit cupiditate, nec ſatiari poteſt & multiplici atque ærumnoſa cogitatione diſtenta, ſimplex bonum videre non ſinitur. Qualis eſt, illa de quo dicitur ſap. 9. corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, &c Vt non poſſit agere quod præceptum eſt, ſentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum. Iſta enim multiplicitas, iſti ſimplicitati valde aduerſa eſt. *Et alibi*: nolebam multiplicari bonis habens in æterna tua ſimplicitate aliud frumentum, & vinum & oleum, &c. O in pace! ô in idipſum! ô obdormiam & quieſcam! tu es verè idipſum, & quies obliuiſcens laborum omnium. *De cœna ma-*

S. Auguſt.

5. August. *ena videndus Augustinus ſer. 33. de Verb. Do.* Ad cœnam vocati ſumus: immo alij vocati, nos non vocati, ſed ducti, non ſolum ducti, ſed etiam coacti, &c. Homo quidam, &c. Quis eſt iſte homo niſi mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, &c? Qui ſunt inuitati, niſi per præmiſſos vocati Prophetas, &c. Parata iam cœna immolato Chriſto, &c. Sed quando occiderunt, tunc nobis cœnam neſcientes præparauerunt, &c. Miſſi ſunt Apoſtoli, ad quos miſſi ante fuerant Prophetæ, &c. In villa empta dominatio notatur: ergo ſuperbia caſtigatur, &c. Quinque iuga bonum, ſenſus huius carnis quinque numerantur, &c. Quare boum dicuntur iuga? quia per ſenſus iſtos carnis, terrena requiruntur. Boues enim terram verſant. Sunt autem homines remoti à fide, terrenis dediti, carnalibus occupati; nolunt credere aliquid niſi ad quòd ſui corporis ſenſu quinquepartito perueniunt, &c. Nos fratres mei ad cœnam vocati ab iſtis quinque iugis non ſumus impediti. Non enim in carnis faciem Domini videre in hoc tempore concupiuimus, aut vocem ex ore carnis illius procedentem auribus admittere deſiderauimus: nullum in illo temporalem odorem quæſiuimus, &c. Cœnam manibus ſuis conſecratam diſcipulis dedit, ſed nos in illo conuiuio non diſcubuimus, & tamen ipſam cœnam fide quotidie manducamus. Nec magnum putetis in illa cœna quam ſuis manibus dedit ſine fide interfuiſſe. *Reſpicit Iudam*, melior extitit fides poſtea, quam tunc perfidia. Non ibi fuit Paulus qui credidit, ibi fuit Iudas qui tradidit. Quàm multi & modo in A ipſa Cœna quamuis illam tunc menſam non viderint, nec panem quem Dominus geſtauit in manibus oculis ſuis aſpexerint, vel faucibus guſtauerint, tamen quia ipſa eſt quæ nunc præparatur, quàm multi etiam nunc in ipſa cœna iudicium ſibi manducant & bibunt, &c Curioſitatem quandam notandam fuiſſe noueritis, non ait, quinque iuga boum emi, eò pascere illa, ſed eo probare illa, &c. tertius dixit vxorem duxi, iſta voluptas eſt carnis quæ multos impedit, &c. Concupiſcentia carnis, vxorem duxi, Concupiſcentia oculorum, quinque iuga boum emi. Ambitio ſæculi, villam emi. Tollamus ergò de medio excuſationes vanas & malas, & veniamus ad cœnam qua intrinſecus ſaginemur. Non nos impediat extollentia ſuperbiæ, &c. Non nos terreat curioſitas illicita, & auertat à Deo. Non nos impediat voluptas carnis à voluptate cordis, &c. veniant mendici, quia ille inuitat, qui propter nos pauper factus eſt, &c. Veniant debiles, quia non eſt opus ſanis Medicus, &c. Veniant B Claudi, qui ei dicant, compone greſſus meos in ſemitis tuis Veniant cæci qui dicant illumina oculos meos, &c. Quos inueneris, vt dignentur, noli expectare, coge intrare. Magnam Cœnam, magnam domum paraui, non ibi patior locum vacare. Venerunt de plateis & vicis gentes: veniant de ſepibus hæretici, hîc inuenient pacem. Nam qui conſtruunt ſepes, diuiſiones quærunt. Trahantur à ſepibus, euellantur à ſpinis, in ſepibus hæſerunt, cogê nolunt: voluntate, inquiunt, noſtrâ intremus. Non hoc Dominus imperauit, coge, inquit, intrare. Foris inueniatur neceſſitas, naſcitur intus voluntas.

2. *Cœna & conuiuia Chriſtianorum Agapes, quam ſancta & aliena à Cœnis Gentilium. Apol. cap. 39. circa f.*

CÆnulas noſtras præterquam ſceleris infames, vt prodigas ſuggillatis. De nobis ſcilicet Diogenis dictum eſt, Megarenſes obſonant, quaſi craſtina die morituri; ædificant vero quaſi nunquam morituri. Sed ſtipulam quis in alieno oculo facilius perſpicit, quàm in ſuo trabem. Tot tribubus, & curiis, & decuriis ructantibus aceſcit aër. Saliis cœnaturis creditor erit neceſſarius. Herculanarum decimarum & polluctorum ſumptus tabulario ſupputabunt. Apaturiis, Dionyſiis, myſteriis Atticis coquorum dilectus indicitur. Ad fumum cœnæ Serapiacæ ſparteoli excitabuntur. De ſolo triclinio Chriſtianorum retractatur. Cœna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit. Id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiſcunque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quoſque refrigerio iſto iuuamus, non quà penes vos paraſiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi; ſed quà penes Deum major eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſa eſt conuiuij, reliquum ordinem diſciplinæ æſtimate qui ſit, de religionis officio: nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit: non prius diſcumbitur, quàm oratio ad Deum præguſtetur: editur quantum eſurientes cupiunt: bibitur quantum pudicis eſt vtile: ita ſaturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe: ita fabulantur, vt qui ſciant Dominum audire: poſt aquam manualem & lumina, vt quiſque de ſcripturis ſanctis vel de proprio ingenio poteſt, prouocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit: æquè oratio conuiuium dirimit: inde diſceditur non in cateruas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciuiarum, ſed ad eandem curam modeſtiç & pudicitiç, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm diſciplinam.

COENÆ ET CONVIVIA. II. SCHOL.

COENVLAS. *Parcas & ſobrias.* SCELERIS INFAMES, *pro, ſcelere, non tantum infanticidio, & inceſtu ſceleratas, ſed & profuſas lautioreſque taxatis.* DE NOBIS. *Quaſi verò parſimonia noſtra, jàm in edendo, quàm ædificando, conuenire poſſit apophtegma Diogenis in Megarenſes Græcos, iuxta iſthmum Corinthiacum à Megareo Appollinis filio dictos,* C *iaculatum, quod & Plutarchus tribuit Stratonico, contra Rhodios.* TRABEM. *Matth. 7.3.* quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? TOT TRIBVBVS. *Has voces alibi expoſui. Nunc obiicit, Gentiles, per tribus & curias conuiuantes ad crapulam, ructibus aerem acidum, & grauolentem facere.* SALIIS COENATVRIS

Sacerdotibus Martis, qui duodecim numero à Numa Pompilio primo inſtituti, & in tunicis pictis, & æneo pectoris tegmine, Salientes, ancilia id eſt Clypeos per vrbẽ circumferebant; vnde & à Catullo Saliſubſuli dicti ſunt. Ab his Saliares Cœnæ, Adiiciales, Pontificales, & dubiæ dictæ, quod tanta his cœnantibus adiicerentur fercula, vt dubij eſſent accumbentes, quid ederent. Malim dubias, quod neſciretur, an creditoris impenſis, an debitoris & parantis cœnam, fercula ſumerentur. Quo alluſit Tertul. CRÉDITOR, *&c. Non poterit abſque mutuato ſumptu pœna parari Saliis.* HERCVLANARVM. *Herculi decima pars bonorum vouebatur, quòd crederetur homines reddere fortunatos.* POLLVCTORVM. *A polluceo, verbo Sacro, quod ſignificat dedicare, vouere, vel Herculis. Ara libamenta offerre. Inde Plaut.* Vt decimam partem Herculi pollucem. *Inde polluctum cana oppipara, & Macrobio pollucibilis; id eſt ſplendida. Et polluctores magnificè epulantes, quorum ſumptus* TABVLARII, *Alij minus doctè legunt, ſtabularij ſuppeditabunt. Tabularius eſt proprie, qui publicas rationes tractat. Supputabunt ergo Tabularij, & in diarium referent expenſas factas in huiuſmodi Sacrificiis & Cœnis.* APATVRIIS. *Dicta ſunt hæc feſta à fraude, quâ paſſi ſunt Athenienſes à Bœotiis. Videndus Suidas in voce* ἀπατούρια *per tres dies agebatur hoc feſtum; quorum primus dicebatur dies Cœnæ, quo ſodales veſpere connenientes epulabantur. Secundus, luxus, quo Sacrificabatur Ioui Sodali, & Minervæ. Tertius puellaris, quod tunc pueri & puellæ in Sodalitates adſcribebãtur. Cauſa feſti fuit: quod cùm bellum eſſet Athenienſibus cũ Bœotiis confinibus: Xantius Bœotius Regẽ Athen. Thymetũ prouocauit ad certamen; quo renuente, Melanthus, Meſſenius genere, peregrinus, certamine ſuſcepto, Rex factus eſt à Periclimero, Neleiſilio. Cum pugnarent, vidit Melanthus quendam nigra pelle caprę indutum à tergo Xantij, vnde exclamauit Melanthus, contra conditionem pugnæ, Xantium ad certamen venire. Cum ergo ad vocem ſe conuertiſſet, per fraudem occiſus eſt à Melantho. Hinc templum & feſtum deceptori extructum. Vnde & Theodorus,* ἀπάτην *genus imbybi, id eſt Cicorea, vertit* Fraudem, *Quod guſtantes amaritudine decipiat. Alij, vt ſupra notat Suidas, Apaturia nominant à Patribus ſimul conuenientibus, dum liberos, inter viros adſcriptos, Toga virili donabant.* DIONYSIIS. *Feſtis Bacchi.* MYSTERIIS ATTICIS. *Sacris Græcis.* SPARTEOLI. *Id. nocturni vigiles, qui iuxta Suetonium aduerſus incendia, excubias nocturnas agebant; vel Sparteoli, ſunt culinarum & conuiuiorum furcones & helluones, qui ad fumum ciborum excitantur. In feſtis autem Seraphidis ſplendidè cœnabatur.* DILECTVS. *Pro delectus. Adeo delicatæ erant Epulæ.* RETRACTATVR. *murmur, detractio, iactatur. De noſtris cœnulis quantumuis parcis, ſobriis, omni modeſtia & honeſtate conditis* RATIONEM SVI. *Cur cœnemus, & congregemur, vox Græca oſtendit,* ἀγάπην. *Dilectionem ſignificat. Aug. lib. 20. Cont. Fauſtum cap. 20. Apriſſimè in rem Tertul. de Chriſtianorum conuiuiis, non inuectis ex imitatione Sacrificiorum & feſtorum Gentilium, ſed ex viſceribus miſericordiæ, & dilectionis fraternæ medullis.* Nec ſacrificia eorũ vertimus in Agapes, ſed Sacrificium illud, quod paulò ante commemorauì, intelleximus, dicente Domino: miſericordiam volo, quàm Sacrificium. Agapes enim noſtræ pauperes paſcunt, ſiue frugibus, ſiue carnibus, Paſcitur enim Creatura Dei, de creatura Dei, quæ hominis dapibus congrua eſt. Vobis autem quia dæmonia mendaciloquia perſuaſerunt, non ad regendam carnem, ſed ad exercendam blaſphemiam, abſtinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt veritatem: quoniam omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Ingrati creatori, & pro largis eius beneficiis, Sacrilegas retribuentes iniurias, quoniam plerumque in Agapibus, etiam carnes pauperibus erogantur, miſericordiam Chriſtianorum ſimilem dicitis paganorum.* NON QVA. *Non ſicut apud vos adulatores commenſales, qui libertatem ſuam vendunt, & affectant, ſaginantes ſe vento nutrire gloriæ.* INTER CONTVMELIAS. *Quia huiuſmodi homines contumeliis affici ſolent.* SVB AVCTORAMENTO. *Quaſi ſub Sacramento militari. Quo milites Martem inuocabant, & iſti epulones Deum Herculem, aut Bacchum, aut Cererem, vel genium heri & Domini conuiuij de quibus Paulus* Quorum Deus venter eſt & gloria in confuſione ipſorum. Sumitur & Authoramentum pro ſtipendio & pretio eius qui ſit authoratus, id eſt obligatus & mercede conductus apud Senecam & Ciceronem. QVA PENES DEVM. *Apud Deum, in Scriptura & Euangelio eius, pluris ſit mediocris, id eſt pauper & puſillus, cuius eſt regnum cœlorum, qui frater Domini appellatur, qui recipit diuites in æterna tabernacula, &c.* CONTEMPLATIO. 2. *Cor.* 4. 18. Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur æterna ſunt. *Contemplans enim Chriſtum latentem in mediocri, puſillo, paupere fratre Domini, æternam quæ non videtur, mercedem ſperat.* Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, &c *Pſal. 40. in quem locum Aug.* Quid eſt intelligere ſuper egenum & pauperem? vt ipſum Chriſtum egenum & pauperem accipias, &c. Quid eſt hoc? Intellige, quia vbi tibi expoſita eſt infirmitas, ibi latet diuinitas, &c. Reſpice & pauperes egentes, eſurientes, &c. Intellige ſuper talem pauperem, quia etſi ſuper talem intelligis, ſuper illum intelligis qui dixit, eſurijui, ſitiui, &c *Sed expreſſius in rem noſtram ſer. 2. de Temp.* Quod ſolebat vanitas per gulã perdere, incipiat iuſtitia per miſericordiam pauperibus erogare: quod luxuria vel gula diſſipauit in mũdo, pietas reponat in cœlo, &c. Et quare pauper tecum non capiat cibum, qui tecum acceptaturus eſt regnum? quare pauper non accipiat veterem tunicam, qui tecum recepturus eſt immortalitatis ſtolam? quare pauper non mereatur panem tuum, qui tecum meruit accipere baptiſmi Sacramentum? Cur indignus eſt accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad conuiuium inuitatus eſt Angelorum? Audite fratres, audite, non meum, ſed Domini commune præceptum. Sic enim ait in Euangelio Luc 14. Cum facis prandium aut Cœnam, noli inuitare diuites, qui te iterum inuitent, & fiat tibi retributio: ſed voca pauperes & claudos, & beatus eris, quia non habent vnde retribuant tibi: retribuetur autem tibi in retributione iuſtorum. *Hæc eſt ergo contemplatio mediocrium apud Deum.* DISCIPLINÆ. *Moris, & conſuetudinis Chriſtiani.* NIHIL VILITATIS, *Nihil ſordidum ac vile.* PRÆGVSTATVR. *Vt cibum præguſtet anima proprium, ſcilicet orationem & ſermonem cum Deo, de qua Chryſoſt. ſer. 166. vbi de Moyſe cum Deo colloquente:* Subſtantiã Dei diu paſtus tota mortalis cibi oblitus fuerat adiumenta. *Et Pſalites*, Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. PER NOCTEM *Ad vigilias & matutinum ſtergebant. Hiero. ad Euſtoch.* Ita tibi ſemper comedendum eſt, vt cibum & oratio ſequatur; & lectio. *Id eſt vt idem ad Lætam:* Vt ſtatim poſt cibum, poſſis legere & pſallere ADVAM

A B C D E

S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

MANVALEM. *Quæ post cibum ad manus lauandas honestatis causa sumitur.* ET LVMINA. *Quæ iam nocte vrgente accendebantur, vnde & preces lucernaria, & Psalmi lucernales apud Hieronimum & Epiphanium.* CONVIVIVM DIRIMIT. *Soluit, absoluit gratiarum actio, Clem. Alex. 2. Pædag. c. 9.* Post Cœnam factam, laudemus Deum. CÆSIONVM, *Tum quod Gentiles ebrij digladiarentur, tum quod cæruatim ad spectacula gladiatoria concurrerent Aug.* 8. Augusti. *6. Confess. c. 8. vbi de Alipio:* Romam processerat, vt ius disceret, & ibi gladiatorij spectaculi inhiatu incredibili, & incredibiliter abreptus est. Cum enim auersaretur & detestaretur talia, quidam eius amici & condiscipuli, cùm fortè de prandio redeuntibus obuius esset, recusantem vehementer, & resistentem, familiari violentia duxerunt in Amphitheatrum crudelium & funestorum ludorum diebus, &c Factus est clamor, qui per eius aures intrauit, & reserauit eius lumina, vt esset quà feriretur, & deiceretur, audax adhuc potius, quàm fortis animus, & eo infirmior, quo de se præsumpserat, qui debuit de te. DISCVRSATIBVM, *Bacchantium*, ERVPTIONIS, &c. *Lasciuos saltus, & scenam, spectacula inhonesta.* QVAM DISCIPLINAM, *Doctrinam moralem & Sanctam. Vt mensa sit schola virtutis: Aug. ser.* Augusti. *6. de Verb. Do.* Vbi panis iustitia, vbi potus sapientia.

COGITATIO.

1. Cogitatio Bona vel mala meritoria est pœna vel mercedis. De An. cap. 58. circa. fin.

NEc omnia opera cum carnis ministerio anima partitur; nam & solos cogitatus nudas voluntates censura diuina persequitur: [a] *Qui viderit ad concupiscendum, iam adulterauit in corde.* Ergo, propter hoc, congruentissimum est animam, licet non expectata carne puniri, quod non sociata carne commisit. Sic & ob cogitatus pios & beneuolos, in quibus carne non eguit, sine carne recreabitur. Quid nunc, si & in carnalibus prior est, quæ concipit, quæ disponit, quæ mandat, quæ impellit? Et si quando inuita, prior tamen tractat, quod per corpus actura est. Nunquam denique conscientia posterior erit facto. Ita huic quoque ordini competit, eam priorem pensare mercedes, cui priori debeantur.

a Math. 5. 28.

2. Et V. Verbum. Peccatum aliud corporale, &c.

COGITATIO BONA. SCHOLIA.

ANIMA PARTITVR. *Anima non semper in suis operibus vtitur ministerio corporis, sed interdum sola agit. Vt patet ex Iudicio Dei, qui ream suo tribunali sistit animam ob solam cordis concupiscentiam, vt ait, Christus Math. 5. 28.* Iam mœchatus est eam in corde suo. NON EXPECTATA. *Resurrectione scilicet carnis, rursum vniendæ animæ.* NON SOCIATA, *Licet carnis actus non comitetur, & iungatur anima interius peccanti.* RECREABITVR, *Remunerabitur. Aduersus Tertul. non negare animæ refrigerium aut pœnam post mortem, etiam antè tempus Resurrectionis, licet animas solas Martyrum in cœlum admitti velit. In quo erranit vt suo loco vidimus.* QVID NVNC. *Quid dicam, cum & in ipsis operibus carnis, operatio animæ præcedat, vt principium sit motuum eius.* SIQVANDO INVITA. *Non quod anima libertas cogi possit, sed quod vel habitu malo in necessitatis alicuius speciem verso, vel fomite peccati perurgente, licet cognoscat bonum, feratur in malum. Quo sensu dixit Apostolus Rom. 7 19.* Non quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. *Aug. in* S. Augusti. *Psal. 118.* Hic dicet aliquis, quomodo agebat quod nolebat malum, & quomodo ipse id non agebat, sed quod habitabat in illo peccatum? vtrumque enim dixit, & quod non volo ago, &c. Vnde intelligere debemus, quod peccatum, quod habitat in nobis, operatur in nobis; tunc nos id non operari, quando nequaquam ei voluntas nostra consentit, & tenet etiam corporis membra, ne obediant desideriis eius. quid enim operatur peccatum nobis nolentibus, nisi sola illicita desideria? quibus si voluntatis non adhibeatur assensus, moueatur quidem nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus: Hoc præcepit idem Apostolus vbi dicit; non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius; neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Sunt itaque desideria peccati, quibus nos prohibuit obedire. Operantur ergo peccatum hæc desideria, quibus si obedimus, & nos operamur. Si autem obtemperantes Apostolo non eis obedimus, non illud nos operamur, sed quod habitat in nobis peccatum. *Hoc est fomes peccati & reliqua peccati originalis, & naturæ corruptæ, quod totum est pœna peccati* Si autem desideria nulla haberemus illicita, Q*uæ inuita, vt ait Tertul. anima germinat*; Nec nos, nec peccatum, mali aliquid operaretur in nobis. Motum porrò illiciti desiderij cui non obediendo, non eum nos operamur, ideo & nos agere dicimur; quoniam non est naturæ vigor alienæ, sed languor est nostræ. A quo languore omnimodo salui erimus, cum & animo & corpore immortales facti fuerimus. Languor huius infirmitatis, vnde illicita desideria mouentur, quod peccatum appellat Apostolus. vniuersus reatus Sacramento baptismatis est solutus, *Intellige de reatu culpæ non pœnæ.* Cum omnibus, quæ illi obedientes fecimus, diximus, cogitauimus. Nec nobis deinceps languor iste obesset, si desideriis eius illicitis nullis, vnquam obedientiam præberemus, siue operatione, siue locutione, siue tacita assensione, donec etiam ipse sanaretur. *Immo & in meritum & coronam veniret, si cogitationes & desideria inuiti patiamur. Nunc de ffero de peccatis cogitationis agere, de quibus suo loco tractabimus.* POSTERIOR. *Quia mihil insciæ facit anima, sed præcedit semper conscientia opus externum.* PENSARE MERCES *Pendere & recipere mercedem debet anima, quæ prima operata est.*

CONCILIVM

CONCILIVM.

* *Conciliorum vniuerſalium ſolemnitas per ieiunium inchoata, c. De Ieiun. cap. 13. in fin.*

AGuntur præterea per Græcias illa certis in locis concilia ex vniuerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur. Et hoc quàm dignum fide auſpicante congregari vndique ad Chriſtum? [a] *Vide quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Hoc tu ptallere non facile noſti, niſi quo tempore cum compluribus cœnas. Conuentus autem illi ſtationibus prius & ieiunationibus operati; [b] *Dolere cum dolentibus, & ita demum congaudere gaudentibus norunt.* Si & iſta ſolennia, quibus tunc præſens patrocinatus eſt ſermo, nos quoque in diuerſis prouinciis fungimur in ſpiritu inuicem repræſentati, lex eſt Sacramenti.

[a] Pſal. 132. 1.

[b] Rom. 12. 15.

CONCILIVM. SCHOLIA.

AGVNTVR PRÆTEREA. *Alij legunt* Præcepta per Græcias illas. ALTIORA QVÆQVE. *Grauioris momenti negotia tractata in Conciliis, & communi Epiſcoporum ſuffragio, ad bonum commune Eccleſiæ ſubſcribuntur apud Patres Græcos, in quibus repræſentatur totus Chriſtianiſmus, in præcipuis eius membris.* FIDE AVSPICANTE. *Sub auſpiciis fidei, vel ad inſtar Eccleſiæ naſcentis & fidei Chriſtianæ incipientis.* AD CHRISTVM. *In nomine Chriſti, vel ad Chriſtum eiuſque gloriam celebrandã, vel Authoritate Pontificis, ipſo vel eius legato aſſiſtente & Chriſtum Eccleſiæ caput repræſentante; ad quod membra præcipua congregantur.* VIDE, &c. Ecce quàm bonum, &c. *Hic ſunum virus, in Chriſtianos vomit, quos vocat Pſychicos quorum Concilia & conuentus, iam hæreticus compitationes vocat, vt hunc locum Pſalmi cantare neſciant, niſi lauto cœnati.* CONVENTVS. *Concilia illa Patrum Græcia.* OPERATI, *peracta ſunt; præcedente ſcilicet & ſtante ieiunio, vigiliiſque præambulis.* STATIONIBVS. *Statio porrò, orta eſt à re militari, nec mirum, cùm Eccleſia:* Sit Caſtrorum acies ordinata, *Et per illam Sunamiten adumbrata, de qua ſcriptum eſt in Canticis:* Quid videbis in Sunamite niſi choros caſtrorum? *Hinc Dei ſeruis Pſaltes:* Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini; qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. *Cen milites in atrio Regis ſtantes; agentesque excubias: pro vigiliis autem nocturniſque precationibus ſubiicit:* In noctibus extollite manus veſtras in Sancta, & benedicite Dominum. *Et Paulus:* ſtate ſuccincti lumbos mentis veſtræ, &c. *Quod autem huiuſmodi ſtationes & vigilias ieiunia celebrarentur, hic probat.* *Quin & Dauid dux militum & Dei miles ſtrenuus 2. Reg. 3. inter bellicos tumultus; ſic ais,* hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi ante occaſum Solis guſtauero panem vel aliud quidquam. *Ambr. ſer. 36.* Stationes vocantur ieiunia, quòd ſtantes & commorantes in eis inimicorum inſidias repellimus. *Et Tertul. hoc ipſo libro contra Pſychicos:* arguunt nos, quòd ieiunia propria cuſtodiamus, quòd ſtationes plerumque in veſperam producamus. DOLERE CVM DOLENTIBVS. *Hîc inſinuat, quòd cùm Concilia celebrentur pro afflicta Eccleſia plerumque; vel à Schiſmaticis, vel ab hæreticis, Eccleſiæ condolendum eſſe, & non in comeſſationibus, ſed ieiuniis agenda eſſe Concilia, vt pace reddita Eccleſiæ, pariter congaudeam.* ISTA SOLEMNIA, *Ieiunia Stationeſque ſolemnes, in quorum laudem & commendationem liber hic de ieiunys ſcriptus eſt. vel ſolemnia intelligit Concilia, quæ etiam in Africa, &*

A *Eccleſia Latina agebantur.* FVNGIMVR. *Congregamus, celebramus ieiunantes & ſtantes, hoc eſt perſeuerantes.* IN SPIRITV, *vel vnanimitate cordium, vel in Spiritu ſancto congregati.* INVICEM REPRÆSENTATI. *Ex diuerſis Prouincijs concurrentes & inuicem è regione in conuentu & cœtu præſentes. Sic prædixit Eſaias:* illuc congregati ſunt mihi, alter ad alterum; requirite diligenter in libro Domini, & legite, vnum ex eis non defuit, alter ad alterum non quæſiuit; quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & ſpiritus eius ipſe congregauit ea. Et ipſe miſit eis ſortem. *70. paulo aliter:* Ibi occurrerunt cerui, & viderunt facies inter ſe, &c. Et ipſe mittet eis ſortes. *Quod viri docti Comilio Apoſtolico pro electione Matthiæ per ſortes, iuxta librum Pſalmorum explicant, Act. 1. cerui autem Apoſtoli ob perfectos pedes, & Sitim Iuſtitiæ. Mihi ob prædam animarum Chriſto comparandam.* LEX EST SACRAMENTI. *Sacramentum, vt & ſtatio, vox militaris, & Iuſiurandũ militiæ fidem præſtantis Imperatori, & Duci ſuo, ſonat. Per legem igitur Iuſiurandi inuiolabilem, ſe ſuoſque Montaniſtas ad ſtationes & ieiunia longa teneri dicit; vi ſacramenti præſtiti in baptiſmo, quo Catechumeni ore proprio, vt infantes ſponſorum voce, & Spiritui ſancto, & Eccleſiæ Catholicæ ſe credere, & eius mandatis obedire promittebant. Quaſi dicat; ſi concilia cum ieiunijs & ſtationibus celebramus, ſciamus nos ad id teneri lege ſacramenti, vi obedientiæ præſtitæ Spiritui ſancto & Eccleſiæ. Vel fidem ſuam oppignerataim ait tacitè Montani ſacramento, & myſterio Paracleti, Vt vel traditionẽ Eccleſiæ circa hæc vel obedientiã erga Montanum commendet.* *Quod paulò ſupra indicat his verbis:* Spiritus ſanctus cùm in quibus vellet terris, & per quos vellet prædicáret, ex prouidentia imminentium, ſiue Eccleſiaſticarum tentationum, ſiue mundialium plagarum, *vt peſtis, belli, &c.* Qua paracletus id eſt aduocatus, ad exorandum Iudicem, huiuſmodi officiorum, *Stationum & ieiuniorum,* remedia mandabat, puta nunc ad exercendam ſobrietatis & abſtinentiæ Diſciplinam: hunc qui recipimus, neceſſariò etiam quæ tunc conſtituit, obſeruamus. *De traditione autem ſic immediatè ſubiicit:* aſpice ad Iudaïcos faſtos, & inuenies nihil nouum, ſi quæ Patribus ſunt præcepta omnis deinceps poſteritas hæreditaria Religione cuſtodit. *Habes Act. 15. Exemplum ieiunij præmiſſi Concilio Antiocheno Apoſtolorum. Conciliorum Authoritatem commendant Patres omnes, vnum proferam Auguſtinum: Ep. 118. ad Ianuarium:* Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur in-

B

C

D

S. Augu.

telligi vel ab ipsis Apostolis vel plenarijs, *generalibus*, Cõciliis, quorũ est in Ecclesia saluberrima Authoritas, commendata atque statuta retineri, &c. *Et lib. de vtilitate credendi cap. 7. vbi de sanctitate Ecclesiæ:* quòd continentia vsque ad tenuissimum victum panis, & aquæ, & non quotidiana solùm, sed etiam per contextos plures dies, perpetuata ieiunia: quòd castitas vsque ad coniugij, prolisque contemptum: quòd patientia vsque ad cruces flammasque neglectas: quòd liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus: quod denique totius mundi aspernatio vsque ad desiderium, mortis, &c. Hoc factum est diuina prouidentia, per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes; per sanctorum prædicabilem vitam; atque in his vniuersis, digna rebus tantis ac virtutibus, pro temporum oportunitate, miracula. Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani, ab Apostolica sede, per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim CONCILIORVM GRAVITATE, parum etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. *Et lib. 3. Cont. Maximinum Arrian. Epis.* Pater & Filius vnius sunt eiusdemque substantiæ. hoc est illud homousion, quod in Concilio Nicæno aduersus hæreticos Arrianos, & Catholicis Patribus veritatis authoritate, *id est scripture*, & authoritatis veritate firmatum est; quod postea in Concilio Ariminensi propter nouitatem verbi, minùs quàm oportuit intellectum, quod tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, heretica impietas sub hæretico Imperatore Constantio labefactare tentauit. Sed post non longum tempus, libertate fidei Catholicæ præualente, posteaquam vis verbi, sicut debuit, intellecta est, homousion illud, catholicæ fidei sanitate, longè lateque defensum est.

S. August.

Consiliorum praxis & authoritas fluxit ab illis quæ Ierosolymis collecta sũt, quibus princeps Apostolorũ Petrus præfuit, formam præbens subsecuturis Conciliis, summi Pontificis authoritate congregãdis, & eius confirmatione roborandis. Primum fuit Act. 1. 15. & seq. pro eligendo Matthia. Secundũ Act. 6. 2. & seq. pro electione septem Diaconorum. Tertium solemnius. Act 15. 5. Surrexerũt quidam de hæresi Phariszorũ, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circũcidi eos, *Gentiles conuersos ad Christum*, præcipere quoque seruare legẽ Moysi. *Cui sententiæ compescendæ collectum est Concilium, vt statim subijcit Lucas.* Conueneruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc. *Syr. congregati sunt itaque Apostoli, & Presbyteri, vt prouiderent huic Sermoni, id est negotio. Multaque habita disceptatione, &c.* Cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: *vt caput & præsidens Concilij Pontifex Summus, viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere, &c.* Et nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. *Syr. maiore emphasi: vos scitis à primis diebus, per os meum, meum inquam, elegisse Deum, vt audirent gentes Sermonem Euangelij & crederent.* Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere, *Syr. vt imponatis*, iugum super ceruices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? *Vide respectum & reuerentiam: & quomodo tacente multitudine grauiores post Petrum audiantur.* Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in gentibus per eos. Et, postquam tacuerunt, respondit Iacobus, *minor scil. Episcopus loci*, dicens: viri fratres, audite me. Simon narrauit quemadmodum primum Deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo, &c. Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum. Sed scribere ad eos vt abstineant se à contaminationibus simulacrorum & fornicationis, & suffocatis, & sanguine, &c. *Debinc ponit assensum totius Concilij:* tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam viros primos in fratribus, *Syr. qui primarij erant inter fratres*, scribentes per manus eorum. *Ex Epistola Concilij:* Apostoli, & Seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem. *Syr. Pacem.* Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, *Syr. addit: cum dicerent vos esse Circumcidendos*, quibus non mandauimus: placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba & Paulo, &c. Visum est enim Spiritui sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis. Valete. *Hæc summa Concilij Generalis. Cui hactenus octodecim generalia successerunt. Nicænum primum sub Syluestro. Anno Chri. 325. Constantinopolitanum primum sub Damaso. 438. Ephesinum sub Cœlestino 431. Chalcedonense sub Leone primo 451. Constaminopolitanum quintum sub Vigilio 553. Constantinopolitanum sextum sub Agathone 680. & 681. Nicænum secundum 777. Constantinopolitanum octauum sub Adriano secundo 870. Lateranense primum sub Calixto 1119. Lateranense secundum sub Innocentio secundo 1139. Lateranense 3. sub Alexandro 3. 1180. Lateranense 4. sub Innocentio 3. 1215. Lugdunense primum sub Innocentio 4. 1245. Lugdunense secundum sub Greg. 10. 1274. Viennense sub Clemente quinto. 1311. Florentinum sub Eugenio 4. 1439. Lateranense quintum sub Iulio 2. 1517. Tridentinum inchoatum sub Paulo 3. 1545. Continuatum sub Iulio. 3. finitum sub Marcello. 2 Paulo 4. & Pio. 4. 1563.*

Quanta sit Conciliorum Generalium authoritas, præsertim quatuor primorum. Nicæni in quod damnatus est Arius sub Constantino, Constantinopolitani sub Theodosio Seniori contra Macedonium, Ephesini contra Nestorium, sub Theodosio Iuniore; Chalcedonensis, sub Leone primo, & Imperatore Marciano; ipse testatus est Caluinus, lib. 4. Instit. cap. 9. §. 8. Præcas, inquit, illas Synodos, vt Nicænam, Constantinop. Epiesc. Chalced. &c. Similes, quæ confutandis erroribus habitæ, sunt, libenter amplectimur, reuerenturque vt sacrosanctas, quantùm attinet ad fidei dogmata. Nihil enim continent quàm puram & natiuam Scripturæ interpretationem, quam sancti Patres spirituali prudentia ad frangendos religionis hostes qui tunc emerserant, accommodarant. *Paulò post Caluino Lutherus, qui libro de Conciliis, scribens de canonibus Nicæni;* hi inquit, omnes articuli, fœnum, stramen, ligna, stipulæ fuerũt: &c. Hic prorsus non intelligo Spiritum sanctum in hoc Concilio

Sed Paulus ſanctis potius audiendi, quàm hæretici. *Gregorius quidem Papa agens de quatuor primis, lib. 1. Epiſt. 24.* Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor. *De quibus in Authent. Collat. 9. de Eccleſ. titulis, cap. 1. ſic Iuſtinianus.* Sancimus vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas regulas, quæ à ſanctis quatuor Conciliis expoſitæ ſunt aut firmatæ. Prædictarum quatuor Synodorum dogmata, ſicut ſanctas ſcripturas recipimus, & regulas ſicut leges obſeruamus. *De Conſtantino Nicenam Synodum amplectente Ruffinus lib 1 Hiſt. cap. 5.* Defertur, inquit, ad Conſtantinum Sacerdotalis Concilij ſententia. Ille tanquam à Deo prolatam veneratur: cui ſi quis tentaſſet obniti, velut contra ſtatuta diuina venientem, in exilium ſe proteſtatur actu-
A rum. *Quid Athanaſium referam in Epiſtola ad Epictetum Corinth. Epiſc. Cyrillum Dialogo 1. Cum Hermia, & in Expoſit. Symboli Nicæni, Chriſtum præſentem huic fidei fundamento dicentem? Ambroſium libro. 1. Epiſt. 9. ad Theophilum Alexandrinum, Acta Nicæni Concilij & Capuenſis commendantem, quæ & Concilium Carthag. 3. cap. 38. rurſus commendat?*

Vno contentus Auguſtino, verbis eius pluribus locis Conciliorum authoritatem atteſtabor. lib. 2 Cont. Auguſt. *Donatiſtas cap 3.* Certè nobis obiicere ſoletis Cypriani literas, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium. Cur authoritatem Cypriani pro veB ſtro ſchiſmate aſſumitis, & eius exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis? &c. Sanctam Scripturam Canonicam tam veteris, quàm noui teſtamenti, certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari, & diſceptari non poſſit, vtrum verum, vel vtrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit: Epiſcoporum autem literas quæ poſt confirmatum Canonem, *Scripturæ librorum*, vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem forte ſapientiorem cuiuſlibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem authoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis fortè à veritate deuiatum eſt: & ipſa concilia quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere, ipſaque plenaria ſæpè priora poſterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Chriſtiana. *Et eodem libro cap. 9. Concilium plenarium & vniuerſale ſequendum docet, ſicut & libro primo cap. 18. Vide item eundem lib. 7. Contra Donat. cap. 53.*

CONFESSIO CHRISTI, ET FIDEI.

1. *Confiteri, vel negare Chriſtum, eſt ſeipſum fateri, vel diffiteri Chriſtianorum. Scorp. cap. 9. à. m.*

MAniſeſta, vt opinor, definitio & ratio eſt, tã confeſſionis quàm negationis, etſi diſpoſitio diuerſa eſt. Qui ſe Chriſtianum confitetur, Chriſti eſſe teſtatur. Qui Chriſti eſt, in Chriſto ſit neceſſe eſt. Si in Chriſto eſt, in Chriſto vtique confitetur, cùm ſe Chriſtianũ confitetur. Hoc enim non poteſt eſſe, niſi ſit in Chriſto. Porrò, in Chriſto confitendo, Chriſtum quoque confitetur qui ſit in Chriſto, dum & ipſe in illo eſt, vtpote Chriſtianus. Nam & ſi diem dixeris, lucis rem oſtendis quæ diem præſtat, licet non dixeris lucem. Ita, & ſi non directò pronuntiauit, [a] *Qui in me confeſſus fuerit*; Non eſt diuerſus actus quotidianæ confeſſionis, à ſenſu Dominicæ pronuntiationis. Quod enim eſt qui ſe confitetur, id eſt Chriſtianum; etiam id per quod eſt, confitetur; id eſt Chriſtum. Proinde qui ſe negauit Chriſtianum; in Chriſto negauit, negando ſe in Chriſto eſſe, dum negat ſe Chriſtianum. & Chriſtum autem in ſe negando, dum ſe in Chriſto negat, Chriſtum quoque negabit. Ita & qui in Chriſto negauerit, Chriſtum negabit. Et qui in Chriſto confeſſus fuerit; Chriſtum confitebitur. Suffeciſſet igitur & ſi de confitendo tantummodo Dominus pronuntiaſſet. ex forma enim confeſſionis, contrario quoque eius præiudicaretur, id eſt negationi, perinde negationi negationem rependi à Domino, quemadmodum confeſſioni confeſſionem. Et ideo quum in forma confeſſionis, etiam negationis conditio intelligatur, apparet ad alium modum negationis pertinere, quod de ea aliter Dominus pronuntiauit, quàm de confeſſione, dicendo, [b] *Qui me negauerit*; Non, qui in me. Proſpexerat enim & hanc vim plerumque in expugnatione nominis ſubſecuturam; vt qui ſe Chriſtianum negaſſet, ipſum quoque Chriſtum compelleretur blaſphemando negare. Sicut non olim pro *... ſpice cum tota fide quorundam colluctatum hoc modo hortuimus. Itaque fruſtra erit dicere, Etſi me negauero Chriſtianum, non negabor à Chriſto; non enim ipſum negaui. Ex illa enim negatione tantundem tenebitur, qua ſe Chriſtianum negando, Chriſtum in ſe negans, etiam ipſum negauit.

[a] Math. 10. 33.

[b] Math. 10. 33.

* ſuſpice

CONFESSIO CHRISTI. I. SCHOLIA.

DISPOSITIO DIVERSA. *Quia aliter diſpoſitus eſt textus, in quo Chriſtus loquit ur de negãtibus ſe, quã de cõfitentibus: ſaltẽ vt hic legit Tertullianus. Subiicit enim in fine:* De ea *Supple negatione* Aliter Dominus pronuntiauit, quàm de confeſſione, di-
C cendo: qui me negauerit, non qui in me. *Supple confeſſus fuerit.* QUI EST. *Id eſt ille, qui in Chriſto manet:* DUM ET IPSE *Chriſtus ſcilicet. Agit hic de fide per dilectionem operante, Paulus quidem ait,* Chriſtum per fidem habitare in cordibus noſtris:

Sed per fidem formatam charitate, quæ foras pellat timorem, vt absque metu mortis, tota & plena fide corde credatur ad iustitiam, & ore fiat Christi confessio ad salutem. *Aliàs Christus per fidem habitat tantùm in mente, non corde. Hinc scitè Tertull. motum amoris expressit, foras timorem pellentem qui in negationem impellit, dum ait,* Nisi sit in Christo, & Christus in illo: *Dixit enim & Ioannes:* Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *1. Io. 4. 16. & versu 15.* Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, &
S. August. ipse in Deo. *Aug. Tract. 8. in Ep. Io.* Vicissim se habitant, qui continet, & qui continetur. Habitas in Deo, sed vt continearis: habitat in te Deus,
S. August. sed vt te contineat ne cadas, &c. *Et tract. 9.* Sit tibi domus Deus, esto domus Dei: mane in Deo, & maneat in te Deus, vt te contineat: manes in Deo, ne cadas: quia sic de charitate dicit Apostolus, charitas nunquam cadit. Quomodo cadit, quem continet Deus? *O firmam domum & arborem! nulla vi persequutionis euersam, & euulsam, quæ nunquam timore concussa neget habitatorem suum. De hac domo & arbore summatim Paulus:* In charitate radicati & fundati; VT POTE CHRISTIANVS. *Verus & plenus* LVCIS REM. *Opus lucis. Quasi diceret, quicumque diem esse confitetur, licet expressè lucem non pronuntiet, implicitè dicit; quia dies sine luce non esset. Sic qui se Christianum confitetur, Christum per quem est Christianus, simul confitetur; & qui negat se Christianum, perinde est ac si negaret Christum. Augustinus Tract. 113. in cap. 18. Io. de Petro negante:* Ecce columna firmissima, ad vnius auræ im-
S. Aug. pulsum tota contremuit, &c. hoccine est sequi Magistrum, se negare discipulum? siccine pro Domino anima ponitur, vt hoc ne fiat, vox ancillulæ A formidetur? sed quid mirum, si Deus vera prædixit; homo autem falsa præsumpsit? sanè in ista quæ iam cœpta est negatione Apostoli Petri, debemus aduertere, non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum; sed ab illo etiam, qui cùm sit, negat se esse Christianum, &c. Negauit ergo ipsum, cùm se negauit eius esse discipulum. ACTVS. *Nil differt confessio communis, nominis Christiani, à professa expressa, pronunciata confessione nominis Domini Iesu Christi. Vel, quando Dominus pronunciauit,* Qui me confessus fuerit, *Nil aliud à nobis agi voluit, quàm nos exertè & fidenter pronunciare* Nos esse Christianos. SVFFECISSET, *Satis erat absque expressa mentione negationis fugiendæ, si confessionem indixisset; vnum enim*
B *contrarium ex altero facilè concluditur; vt intelligeretur parem pari reddisurum, negationem neganti, sicut confessionem confitenti.* PROSPERRAT. *Præuiderat Christus, vim persequutionis fore, vt nomen Christianum fideles abiurarent, & Christum per consequens, à quo sunt dicti Christiani.* NON OLIM. *Non à multo tempore.* PRO... SPICE. *Paucitas integrè posuit:* Pro auspice. *Id est, non multo prius sub auspiciis euertendæ totius fidei aliquorum Christianorum, cœptum est ab extorquenda negatione nominis Christiani; vt hoc obtento, etiam ad Christum blasphemandum vrgerentur.* ALITER DOMINVS. *Non aliter in vulgata, aut Syriaca legitur, sed vtrobique,* Qui confitebitur me, qui negauerit me. *Ita & apud Lucam cap. 12. 9. Sed Græcum sequutus est textum, qui vtrobique tam apud Matthæum quàm Lucam habet,* μὲ ὅτι ἂν ὁμολογήσῃ, *vt hîc,* Omnis
C *qui confessus fuerit, in me. Id est, se Christianum in me manentem à me sic nominatum.* ὁ δὲ ἀρνησάμενός με. *Qui autem negauerit me.*

3. *Confessio fidei facienda coram hominibus terrenis in hac vita, non in cœlo.*

Scorp. cap. 10. in p.

QVi non hîc, id est, non intra hunc ambitum terræ, nec per hunc commeatum vitæ, nec apud homines huius naturæ communis, confessionem putant constitutam; quanta præiumptio est aduersus omnem ordinem rerum in terris istis, & in vita ista, & sub humanis potestatibus experiundarum? Nimirum quum animæ de corporibus excesserint, & per singula tabulata cœlorum de recepto dispici ceperint, & interrogari arcana illa hæreticorum Sacramenta, tunc confitendum apud veras potestates & veros homines, Theletos scilicet, & Abascantos, & Acinetos Valentini. Nostrates enim, inquiunt, nec ipse Demiur-
Esa. 40. gus constanter homines probabat veros esse, quos stillicidium situlæ & puluerem areæ &
15. & 17. sputamen & locustas deputauit; etiam in rationalibus iumentis adæquauit. Planè ita scriptum, non tamen idcirco aliud hominis genus intelligendum præter nos; quos quia constat esse, comparatione potuit induere, saluâ & proprietate generis, & singularitate. Neque enim si vita vitiata est, vt despectui iudicata despectis compararetur, statim natura sublata est, vt alia in nomine eius deputaretur. Atquin seruatur natura, etsi suffunditur vita; nec
a Math. alios nouit Christus homines, quàm de quibus dicit, a *Quem me aiunt esse homines?* Et,
16. 13. b *Quomodo vultis vt faciant vobis homines, & ita vos facite illis.* Vide an seruauerit genus,
b Math. 7. à quibus & testimonium sui exspectet, & in quos iustitiæ vicem mandat. Illos autem cœ-
12. lestes homines si expostulem mihi ostendi, facilius Aratus, Persea, & Cephea, & Erigonam, & Ariadnam inter sidera delineabit. Quis autem prohibuit Dominum illic etiam confessionem hominum faciendam manifestè determinare, vbi suam futuram apertè pronuntiauit? Vt ita esset positum, c *Qui in me confessus fuerit coram hominibus in cœlis, &*
c Math. *ego in illo confitebor coram Patre meo, qui in cœlis est.* Eripere me debuit ex isto terrenæ con-
10. 32. & Luc. 9 26. fessionis errore, quam suscipi noluisset, si cœlestem præcepisset; quia nullos alios homines noueram præter incolas terræ; ne ipso quidem adhuc tunc in cœlis homine conspecto.

Digitized by Google

CONFESSIO FIDEI. II. SCHOLIA.

QVANTA PRÆSVMPTIO. *Quàm temerè sentiunt, contra omnem diuina prouidentiæ ordinem, qua vult nos exerceri, & experiri sub tyrannide huius mundi varias persequutiones, & nomen nostrum ac Christi intrepidè confiteri, qui hanc confessionem non hic,* IN COMMEATV, *id est spatiò & transitu huius vitæ & viæ,* CONSTITVTAM *Peractam à Deo coram hominibus eiusdem nobiscum naturæ; sed in cœlo coram hominibus cœlestibus faciendam volunt; sicut Gnostici hæretici, persequutionis timidi refugæ.* NIMIRVM, *Quasi verò anima nostra post mortem.* PER SINGVLA TABVLATA *Contignationes, mansiunculas, vt in Arca, mansiones vt in domo Patris, tabernacula à paupertibus præbenda misericordiæ auuitibus.* DE RECEPTO. *Post receptum, id est reditum animæ ad Deum qui fecit illam, cum scilicet* Exierit spiritus, reuersus in terram suam. *Vel de loco, in quem iuxta meritum recipi meruerint animæ.* DISPICI, *Iudicari, quo in loco debeant collocari,* ET INTERROGARI, *Vt scilicet Sacramenta & mysteria occulta Valentini, negare vi tormenti compellantur.* TVNC CONFITENDVM, *Nomen scilicet Æonum & Propatoris primi omnium Patris, coram hominibus & præsidibus veris: quasi qui in terra sunt, veri non sint homines, coram quibus Christus nos voluit confiteri.* THELETOS *Scilicet qui vnus est ex Æonibus Valentini.* ACINETOS, *Et hic etiam vnus ex iisdem, quos in plurali ponit, ad ampliorem Ironiam.* ABASCANTOS, *Addit irrisionis gratia, & hoc nomen inuisitatum Valentinianis, quod apud Græcos significat* Fascini Pharmacum, *Quasi oculorum fascinatorum remedium; vt innuat Valentinianos & Gnosticos velle nobis imponere, nos deceptos, non videre, neque intelligere, quid Christus iusserit, præcipiendo confessionem nominis sui coram hominibus; quasi illudamur in hac vita, & vt ait Sapiens:* Fascinatio nugacitatis obscuret bona. *Quod fascinum in cœlo Æonum luce detergetur, vt verum illic mundum, veros homines visuri simus.* NOSTRATES. *Nostri, qui apud nos sunt homines,* NEC IPSE DEMIVRGVS. *Æon Valentini, quem & Patrem appellabant, & Regem vniuersorum, & Metropatora Græcis, sonat opificem populi. Epiphanius & Irenæus materialium regem. Emphaticè Tertul.* Nec ipse hominum conditor, firmiter veros esse homines tenet. *Quos & Esaias non iam homines vocat, sed guttam ex situla, salinam, locustas, vermiculos, & Psaltes inmenta dixerit.* PLANE *Fateor id in scriptura expressum, nec tamen alia gentibus, de quibus Esaias, est natura, quàm nostra, & verè humana.* INDVERE. *Non induitur nisi corpus verum, nec res non existentes rebus, quamuis abiectis, tamen existentibus, possunt comparari, eisque circumponi,* PROPRIETATE, *Quia propriè sunt homines, & creatura rationales.* SINGVLARITATE. *Licet cui pluribus rebus & speciebus diuersis comparauerit.* SI VITA. *Rationalis scilicet & moralis vitio corrupta est, vt viuat homo irrationabiliter.* DESPECTVI. *Adiudicata contemptui, contemptu digna iudicata. Non ideo natura destructa est, aut in aliam transformata, cuius nomen per similitudinem tantum, & non per proprietatem induit. Ita & Augustinus notat Christum in scriptura dici, agnum, leonem, petram, non per proprietatem, sed per similitudinem; nec diaboli, aut hominis peccantis naturam omnino deletam.* SVFFVRDITVR. *Imò vt ò natura manet, etsi candor virtutis pudore vitij, & nota culpæ suffundatur.* NEC ALIOS. *Cœlestes.* IVSTITIÆ VICEM, *Matuum debitum, & iustitiæ æqualitatem.* QVEM ME. *Matth. 16. 13.* Quem dicunt homines esse filium hominis? *Quemado vultis Matth. 7. 12.* Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines & vos facite illis. ARATVS. *Poeta in Phænomenis hos inter astra recensens fabulosè, facilius mihi monstrabit, quàm Valentinus homines suos cœlestes. Cicero Persæum & Cepheum posuit in plaga septentrionali. Erigonem Arnobius, vt virginem inter astra ignita. Egone ex Higino, Icarij filia, ex dolore mortui patris, quem rustici temulenti occiderant, se suspendit, deorumque miseratione in cœlum translata, Virginis sydus occupauit. Aug. 16. de Ciuit. c. 23. vbi de stellis earumque numero petito ab Abraham:* Qui cumque vniuersum stellarum numerum comprehendisse & conscripsisse iactantur, sicut Aratus vel Eudoxus, vel si qui alij sunt, eos libri huius contemnit authoritas. *De Perseo sic Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 13.* Per ea tempora Perseus & vxor eius Andromeda, postea quàm sunt mortui, sic eos in cœlum receptos esse crediderunt, vt imagines eorum stellis designatæ, eorumque appellare nominibus, non erubescerent, nec timerent. *Fingitur hî: filius Iouis ex Danaë, qui Andromedam Cephei filiam marinæ belluæ obiectam periculo ereptam duxit vxorem. Cepheus stellas habet 19. à tergo Vrsæ minoris. Andromeda viginti, Perseus septemdecim, & manu dextra circulum arcticum tangit. Ariadnæ à Theseo per filium à Minotauro liberatæ, & ab eodem relictæ, Liber inde nupta, donata est corona Gnossia septem stellis inserta, quam ille à Venere accepera.* QVIS AVTEM. *Quasi verò, si Christus alibi, & coram aliis hominibus, quàm qui in terra versantur, voluisset nos, confiteri suum nomen.* VBI SVAM. *Vbi nos coram Patre suo confessurum esse promisit.* SI COELESTEM *Confessionem in cœlo facere præcepisset.*

S. Augustin.

S. Augustin.

3. *Confessio fidei clauis est cœli, vbi nihil erit ferendum pro eâ, prius hîc examine eius facto. Nec illic faciendo, coram hominibus cœlestibus Valentinianorum. Scorp. cap. 10. circa m. ad. fin. & 11. per totum.*

SCito & ascensum illum exinde complanatum vestigiis Domini, & introitum exinde resetatum viribus Christi, nec vllam moram aut quæstionem in limine Christianis occursuram, qui non dinosci habeant illic, sed agnosci; nec interrogari, sed admitti. Nam & si adhuc clausum putas cœlum, mèmento claues eius hîc Dominum Petro, & per eum, Ecclesiæ reliquisse, quas hîc vnusquisque interrogatus atque confessus ferat secum. Sed adseuerat diabolus illic confitendum, vt suadeat hîc negandum. Pulcra videlicet documenta præmittam, bonas mecum claues feram, [a] *Timorem eorum, qui solum corpus occidunt, animæ autem nihil faciunt:* Commendatus ero huius præcepti delectione; honestè in cœlestibus

Math. 16. 19. Math. 18. 18. a Math. 10. 28.

stabo, qui in terrenis stare non potui; sustinebo maiores potestates, qui minoribus cessi; merebor denique admitti, iam excluſus. Suppetit adhuc dicere, si in cœlestibus confitendum, & hic negandum est. nam vbi alterum, ibi vtrumque. æmula enim quæque concurrunt. etiam persecutionem in cœlis agitari oportebit, quæ confessionis negationisve materia est. Quid itaque cessas, audaciſſime hęretice, totum ordinem Christianæ concussionis in superna transferre, & in primis, ipsum nominis odium illic collocare, vbi ad Patris dexteram præsidet Christus? Illic constitues & synagogas Iudæorum, fontes persecutionum, apud quas Apostoli flagella perpessi sunt, & populos nationum cum suo quidem circo, vbi facilè conclamant, Vsquequo genus tertium? Sed & fratres nostros & patres & filios & socrus & nurus & domesticos nostros ibidem exhibere debebis, per quos traditio dispositа est: item reges & præsides, & armatas potestates, apud quos causa purganda est. Erit certè etiam carcer in cœlo, carens sole, aut ingratis luminosus, & vincula fortasse de zonis, & equuleus axis ipse qui torquet. tum si lapidandus Christianus, grandines aderunt; si vrendus, fulmina præ manu sunt; si trucidandus, Orionis armati manus operabitur; si bestiis finiendus, vrta septentrio emittet, zodiacus tauros & leones.

Math. 10. 17. Act. 5. 41. Math. 10. 17. & seq.

[b] *Hæc qui sustinuerit in finem, iste erit saluus.* Ergone & finis in cœlis, & passio, & occisio, & prima confessio? Et vbi caro; omnibus istis necessaria? vbi corpus? quod solum ab hominibus habet occidi. Hæc nobis etiam iudicium in modum certa ratio mandauit, nec vllus obicem præscriptionis illius extrudet, vt non omnem ordinem persecutionis, omnem eius causæ firmam paraturam illuc transferre cogatur, vbi confessioni forum dederit. Siquidem confessio à persecutione deducitur, & persecutio in confessione finitur. Nec possunt non vnà sequi, quæ & aditum & exitum; id est, initium finemque disponunt. Porrò & odium nominis hîc erit, & persecutio hîc erumpit, & traditio hîc producit, & interrogatio hîc compellit, & carnificina hîc desæuit, & totum hunc ordinem in terris confessio vel negatio expungit. Igitur si cetera hîc: nec confessio alibi; si confessio alibi, nec cetera hîc. Enimverò non alibi cetera; itaque nec confessio in cœlo. Aut si aliam volûnt esse rationem interrogationis & confessionis cœlestis, vtique & ordinem suum illi struere debebunt alium longè, & ab ista dispositione diuersum, quæ scripturis notatur. & possimus dicere, Viderint, dum hîc ordo terrenæ interrogationis & confessionis, ex materia decurrens persecutionis & discordiæ publicæ in nomen, saluus sit suæ fidei; vt ita credendum sit sicut & scribitur, ita intelligendum sit sicuti auditur. Hîc omnem ordinem sustineo, ipso Domino non aliâ regionem mundi destinante. Quid enim post confessionis & negationis terminũ subiungit? [c] *Ne putaueritis venisse me vt pacem mittam in terram, non veni, sed vt machæram, certè in terram. Veni enim diuidere hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & socrum aduersus nurum suam; & inimici hominis domestici sui.* Sic enim efficitur, vt [d] *Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & mori eos faciant. & qui sustinuerit in finem, hic saluus erit.* Adeo totus hic ordo dominicæ machæræ, non in cœlum missæ, sed in terram; illic constituit etiam confessionem, quæ in finem sustinendo passura est mortem. Eâdem igitur formâ, cetera quoque ad martyrij statum pertinere defendimus. *Qui pluris, inquit, feceris etiam animam suam quàm me, non est me dignus;* id est, qui maluerit viuere me negando, quàm mori confitendo. [e] *Qui animam suam inuenerit, perdet illam: qui vero perdiderit mei causa, inueniet illam.* Proinde enim inuenit eam, qui negarit lucrifaciendo vitam; sed perdet in gehennã, qui se putat negando lucrifacere eam. Perdet autem eam ad præsens, qui confessus occiditur; sed inuenturus eam in vitã æternam. Ipsi denique præsides quum hortantur negationi, Serua animam tuam, dicunt; &, Noli animam tuam perdere. Quomodo loqueretur Christus, nisi quomodo tractaretur Christianus? Sed quum prohibet meditari responsionem ad tribunal, famulos suos instruit, Spiritum sanctum responsurum repromittit; & quum in carcere fratrem vult visitari, confessoris imperat curam? & quum Deum vindictam facturum electorum suorum affirmat, passiones consolatur illorum: etiam in parabola seminis post cespitem arefacti, persecutionum figurat ardorem. Hæc si non ita accipiuntur quemadmodum pronuntiantur, sine dubio præter quàm sonant, sapiunt; & aliud in vocibus erit, aliud in sensibus; vt allegoriæ, vt parabolæ, vt ænigmata. Quemcumque igitur conceperint ventum argumentationis Scorpij illi, quocunque se acumine impegerint, vna iam linea est; ad ipsas res provocabuntur, an secundum scripturas transigantur. Siquidem tunc aliud significabitur in scripturis, si non idipsum reperiatur in rebus. Quod enim scriptum est, hoc euenire oportebit. Porrò, tunc euenit quod est scriptum, si non aliud euenit. Ecce autem & odio habemur ab omnibus hominibus, nominis causa, quomodo & scriptum est; & tradimur etiam à proximis, quomodo & scriptum est; & perducimur ad potestates, & interrogamur, & torquemur, & confitemur, & trucidamur, quomodo & scriptum est. Sic Dominus edixit. Si aliter edixit hæc, cur non aliter euenium quàm edixit? id est, quemadmodum edixit?

b Math. 10. 22.

i Ibid. 28.

CAP. XI.

c Math. 10. 34. & seq.

d Ibid. 21. & 22.

e Math. 10. 39.

Math. 10. 32.

Atquin non aliter eueniunt quàm edixit; ergo ſicut eueniunt, ita edixit; & ſicut edixit, ita eueniunt. Nam nec licuiſſet aliter euenire, quàm edixit; nec ipſe aliter edixiſſet, quàm euenire voluiſſet. Ita, non aliud ſignificabunt ſcripturæ, quàm in rebus recognoſcimus. Aut ſi nondum aguntur illa, quæ prædicantur, quomodo hæc aguntur, quæ prædicata non ſunt? Non ſunt enim hæc prædicata quæ aguntur, ſi alia ſunt quæ prædicantur, & non hæc quæ aguntur. At nunc, quia ipſa ſunt in rebus, quæ in vocibus, aliter dicta creduntur: quid fieret ſi aliter facta inuenirentur? Sed hæc eſt peruerſitas fidei, probata non credere, non probata præſumere. Cui peruerſitati illud quoque opponam, vt ſi hæc quæ ſic aguntur quemadmodum ſcripta ſunt, non erunt ipſa quæ prædicantur, illa quæ non debeant ſic agi quemadmodum ſcripta ſunt, ne & ipſa horum exemplo periclitentur excludi. ſiquidem aliud in vocibus, aliud in rebus eſt; & relinquitur nec prædicata videri quum euenerint, ſi aliter prædicantur quàm euenire habent. Et quomodo credentur quæ non erunt prædicata, quia non ita erunt prædicata quomodo eueniunt? Ita hæretici quæ prædicantur, non, vt probata ſunt, credendo, ea quæ nec prædicata ſunt, credunt.

CONFESSIO FIDEI. III. SCHOLIA.

ASCENSVM. *Chriſti in cœlum, de quo ſupra loquebatur.* VIRIBVS CHRISTI. *Propria virtute, vel merito paſſionis.* HABEANT. *Debeant.* DINOSCI, *Dignoſci, diiudicari.* DIABOLVS. *Suadet Gnoſticis, Chriſti confeſſionem in cœlo faciendam, ſed non erit alia confeſſio, quàm laudis, in plena pace, nullo ad negationem vrgente perſecutore. De hac confeſſione Pſaltes Pſal. 147.* Lauda Ieruſalem Dominum, &c. Poſuit fines tuos pacem. *In quem locum Auguſtinus:* Collaudamus modò, ſed inter
Aug. ſcandala: multi quos nolumus intrant, multi & ſi nolumus, exeunt. Et quoniam abundauit iniquitas, ait Veritas, refrigeſcit charitas multorum, propter intrantes quos diiudicare non poſſumus, & exeuntes, quos tenere non poſſumus, &c. Quare hoc? quia adhuc area, nondum horreum, &c.
Aug. *Ad Ieruſalem autem ſic loquitur.* Secura lauda, ſine fine lauda, fortiter clauſæ ſunt portæ tuæ, non exit amicus, non intrat inimicus. TRIPLICEM *In ſcripturis confeſſionem inuenio, vnam fidei & nominis Chriſtiani, alteram peccati proprij, tertiam Dei laudis. De duabus ſic Aug. in Pſal. 94.* Præoccupemus
Auguſt. faciem eius in cõfeſſione. Confeſſio, inquit, duobus modis accipitur in ſcripturis. Eſt cõfeſſio laudantis, & eſt confeſſio gementis. Confeſſio laudantis ad honorem pertinet eius qui laudatur; confeſſio gementis ad pœnitentiam pertinet eius, qui confitetur. Confitentur enim homines cùm laudant Deũ, confitentur cùm accuſant ſe, & nihil dignius facit lingua. Verè puto quòd ipſa ſint vota, de quibus dicit in alio Pſalmo: reddam tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea. Nihil iſta diſtinctione ſublimius, nihil tam neceſſarium & ad intelligendum, & ad faciendum, quomodo ergo diſtinguis vota quæ reddis Deo? vt illum laudes, te accuſes. *Sed & neceſſaria eſt tertia confeſſio, quæ vrgente perſequutore facienda eſt ad ſalutem. Rom. 10.* Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Aug. lib. Cont. Mendacium cap. 6.* Cùm dic-
Auguſt. tum eſſet, corde creditur ad iuſtitiam, non in caſſum eſt additum, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Nonne penè omnes, qui Chriſtum coram perſequutoribus negauerunt, quod de illo corde credebant, corde tenuerunt? & tamen ore ad ſalutem non confitendo perierunt, niſi qui penitentiâ reuixerunt. Quis ita euaneſcat, vt exiſtimet Apoſtolum Petrum hoc habuiſſe in corde, quod in ore, quando Chriſtum negauit? Nempe in illa negatione veritatem intus tenebat, & mendacium proferebat. Cur ergo lacrymis diluit, quod ore negauerat, ſi ſaluti ſufficiebat, quod corde credebat? cur loquens in corde ſuo veritatem, tam amaro fletu puniuit mendacium quod ore deprompſit, niſi quia magnam vidit eſſe perniciem, quod corde quidem credidit ad iuſtitiam, ſed oré non eſt confeſſus ad ſalutem. PVLCHRA VIDELICET. *Ironicè dictum. Quaſi verò his documentis viam mihi in cœlum aperiam.* BONAS FLAVES. *Aug. Tract. 113. in Io. 18.* Quàm multi, non dico S. Auguſt.
ſenes, & anus, in quibus huius vitæ *Chriſtiana* ſocietas, facilius potuit, militem pro Chriſti confeſſione contemnere, nec ſolum iuuentus vtriuſque ſexus, de qua ætate conuenienter videtur exigi fortitudo; ſed etiam pueri, puellæque potuerant, & innumerabilis ſocietas ſanctorum Martyrum, in regnum cœlorum fortiter, & violenter intrauit, quod tunc ille non potuit, qui claues regni eius accepit. HONESTI, *Fortiter. Quia honor virtutis eſt merces, & ex Aug. de Ciuit. ſic connexa vtriuſque templa, vt ad Ædem non intraretur honoris, niſi per templum virtutis. Virtus autem honorifica fortitudo.* MAIORES POTESTATES. *hominum cœleſtium ad quorum tribunal, contra veritatem mentiri, & ex Chriſtum negare compellamur, quem confitemur in corde. Aug. lib. Cont. Mendacium c. 2. Vbi de Martyribus hîc in terra confitentibus:* Quid eis obeſ- S. Auguſt.
ſet ſecundùm egregiam doctrinam mendaciloquorum, ſi diaboli cultum mentirentur in corpore, *Id eſt ore, vel actu externo Idololatriæ* Quando Dei cultus ſeruabatur in corde? ſed non ſic intellexerunt Apoſtolum martyres veri, martyres Sancti. Viderunt quippè, tenueruntque quod ſcriptum eſt. Corde creditur ad iuſtitiam, ore confeſſio fit ad ſalutem. Et in ore eorum non eſt inuentum mendacium: ac ſic irreprehenſibiles abierunt, vbi tentari à mendacibus, *Poteſtates puta cœleſtes fabuloſas Gnoſticorum.* Vlterius non cauebũt, quia mendaces amplius in ſuis cœleſtibus cœtibus, vel alienos, vel proximos non habebunt. MINORIBVS, *Terreſtribus Poteſtatibus. Iam excluſus, infidelitate & negatione.* ÆMVLA QVÆQVE. *Contrariorum eadem eſt conſequentia. Vt confeſſio & negatio. Si ergo, inquit, iubeor tantum in cœlo confiteri, ſequitur vt hîc negem.* CONCVSSIONIS, *Examinis, certaminis, perſequutionis.* NOMINIS, *Chriſti & Chriſtiani. An poteſt Chriſto ſedenti in cœlo ad dexteram Patris regnanti, conſtituto capiti ſuper omnem Eccleſiam, cui Pater ſubiecit omnia, etiam volucres cœli, id eſt Angelos, & cœleſtes Poteſtates, aliqua poteſtas aduerſari? nomini eius odium pari, vbi omnis creatura quæ in cœlo in terra, ſub terra, vero agno laudes accinit?* FONTES PERSEQVVTIONVM. *Appoſitè, cùm origo perſequutionum in caput Eccleſiæ Chriſtum, & præcipua eius membra Stephanum & Apoſtolos coperit in Synagogis*

Iudæa. NATIONVM *Gentilium cum amphitheatro & loco crudelium ſpectaculorum, vbi tota libertate, ad leonem, ignem,* CRVCEM GENTILIS *populus eũ clamore vocet Chriſtianum, vt Iudæus Chriſtum, cum clamauit.* Tolle, tolle, crucifige eum. VSQVEQVO. *Alleguntur Gnoſtici, qui tertium genus perſecutionis inuehunt, vt non ſit ſatis Chriſtianos à Iudæis & Gentilibus, in hoc mundo ad Chriſtum negandum compelli, niſi ad id etiam in cœlo vrgeantur ab hominibus cœleſtibus.* CAVSA PVRGANDA, *Examinanda crimina.* SED ET FRATRES NOSTROS. *Indicat locum Matth.* 10. 21 Tradet autem frater fratrem in mortem, & Pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient, *Et ibid. ſtatim poſt confeſſionem indictum:* Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus Patrem ſuum & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrũm ſuam: & inimici hominis domeſtici eius. INGRATIS. *Fruſtra habens lucem pro tarderatis in cœlo. Vel indignis Sol de proximo lucebit. Ironicè dictum.* DE ZONIS. *Intellige de quinque zonis cæleſtibus.* QVI TORQVET. *Torquetur. Iob.* Gyrum arcturi quis poterit diſſipare? *Quaſi ad rotam damnatos, ibi torqueat.* ORIONIS. *Iob.* Qui facit Arcturum & Oriona. *Plin. lib.* 18. *c* 27. *&* 31. *Quinto Idus Nouembris gladius Orionis occidere incipit, quod inſtar gladij ſit ſtellarum fulgore terribilis. Plautus inguinum vocat, quòd ſit armentorum gladius. Stellis ſexdecim conſtat, mare & terram tempeſtatibus turbat.* VRSAS. *Maiorem & minorem. De Carne Chriſti cap.* 9. *Septentriones appellat à plaga cœli.* QVI SVSTINVERIT. *Matth.* 10. 22. Qui perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit. VBI CARO? *Nam hæc Gnoſtici animæ ſeparatæ ferenda volunt, cùm tamen in corpus cadant carceres, vincula, &c.* QVOD SOLVM. *Reſpicis verba Chriſti:* Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. LVDITRVM IN MODVM. *Non ſine ratione, immo cum maxima & certa, Iudicrè cum fabuloſis Gnoſticis hactenus dixi.* EXTRVDET. *Nemo negare poterit admiſſo ſemel foro, & tribunali Iudicum & Præſidum & hominum cœleſtium, ante quos facienda ſit confeſſio, quin admittat conſequenter omnia pertinentia ad tyrannidem eorum, quæ deinde ſingillatim enumerat.* EXPVNGIT. *Implet, perficit, abſoluit.* HIC, *In terra.* ALIBI, *In cœlo* VIDERINT *Gnoſtici.* DVM, *Dummodo.* TERRENÆ, *quæ ſit in terra.* DISCORDIÆ, *Odij Gentilis.* NOMEN, *Chriſtianum.* SALVVS. *Integer maneat, ſecundum fidem Textus Euangelici, ſeriem perſecutionis deſcribentem.* REGIONEM. *Quàm terram, in qua ſit confeſſio facienda.* VT VT. *Locum ſupra reſtituimus.* DOMINICÆ MACHÆRÆ, *Gladij, quem Dominus venit mittere in terram.* QVI PLVRIS. *Æquinalens poſuit, mutatis terminis, Matth.* 10. 37. *&* ſeq. Qui amat Patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus, & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Qui inuenit animã ſuam, perdet illam. Et qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. NEGATIONI. *Ad negationem.* POST CÆS. ITEM. *Glebam aridam. Tangit parabolam ſeminis Matth.* 13. 6. Alia ceciderunt in petroſa, vbi non habebant terram multam, & continùo exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto, æſtuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt, &c. Factâ autem tribulatione & perſecutione propter verbum continuò ſcandalizatur. SCORPII ISTI. *Id eſt Gnoſtici. Vnde & inſcriptio libri huius: quos huic animali comparat primo capite.* Certo tempore ſubornantur, nec alio quàm ardoris. Hoc apud Chriſtianos perſecutio eſt. Cùm igitur fides æſtuat, & Eccleſia exuritur, de figura Rubi, tunc Gnoſtici erumpunt. VENTVM ARGVMENTATIONIS. *Vndecunque tandem cauillentur, quocunque modo pugnent,* VNA LINEA. *Hic limes ſecandus eſt, nec vltra illum, contra illos diſputandum.* PROVOCABVNTVR. *Vrgebuntur præciſè reſpondere an res ita ſe habeant, ſicut Chriſtus in ſcriptura prædixit, de confeſſione & perſecutione premonens.* NOMINIS, Chriſtiani. AQVIN. *Atqui.* NON LICVISSET. *Non poterat aliter.* PRÆDICANTVR. *Prædicuntur.* IN VOCIBVS. *Prophetiis Chriſti & ſuis literis.* PERVERSITAS FIDEI. *Peruerſa fides hæreticorum id facit.* HABENT. *Debent.* PRÆDICATA, *Prophetata.* RELINQVITVR, *Concluditur, veras Prophetias habendas non eſſe, cùm res prophetatæ aliter euenerint,* NON VT PROBATIAS. *Hæretici peruersè credunt res prædictas, quia non eas credunt, quales euentus ipſe probauit; vt patet in effectu perſecutionum; quarum euentus omnino reſpondet prophetiis Chriſti ſupra memoratis; è conuerſo credunt confeſſionem faciendam, & perſecutiones ſubeundas ab hominibus cœleſtibus poſt hanc vitam, quas nec propheta, nec Rex eorum Chriſtus vnquam prædixit.* ET QVOMODO EREDENTVR. *Ni fallor textus corruptus eſt, nec ſenſum bonum aliter elicio quàm ſi legam abſolutè:* Et, quomodo *meritò* non crederentur quæ erunt prædicata quia non ita erunt prædicata, quomodo eueniunt: *Euentu rei, à prophetia diſcrepante;* NON VT. *Interpoſito obſcuras locum, Sic explico; Ita hæretici, credendo quidem, prædicta à Chriſto, ſed non credendo ea, ſecundùm euentum, experimento probatum, ſtultè credunt ea, quæ nec Chriſtus, nec alius propheta prædixit, & quæ nullus etiam futurus euentus probabit.*

CONFESSIO PECCATI.

1. *Confeſſio delicti pœnitentia eſt. De Car. Chri. cap.* 8. *in m.*

OMNIS pœnitentia, confeſſio eſt delicti; quia locum non habet niſi in delicto.

CONFESSIO PECCATI. 1. SCHOLIA.

OMNIS POENITENTIA. *Videndum diſtinctione: nam pœnitentia quæ virtus eſt, cùm in B Virginem innocentiſſimam creaturam etiam cadat, quin & in Chriſtum, de quo dictum eſt:* Et pro nobis dolet? *Et rurſum per Pſalmiſtam* 21? Longè à ſalute mea verba delictorum meorum: *Dum hoſtia pro peccato, hircus Anathematis, in quo Deus,* Poſuit iniquitates omnium noſtrum. *Dum noſtra ſibi in pœnam peccata imputat, pro quibus,* Et pro tranſgreſſoribus orans, *Verba dixit longè remota à ſalute ſua, & à dignitate ſaluantis homines à peccatis; pœnitentia, inquam, vt virtus eſt, licet ſit deteſtatio, & accuſatio,*

eusatio, & voluntaria afflictio pro peccatis alienis, quæ iustissimis quoque conueniat; non est tamen omnis pœnitentia confessio delicti proprij. Nota præterea hic authorem agere contra Marcionitas, res corporeas & proinde mundum malum credentes. Hinc immediatè præmiserat obiectionem eorum ex verbo Gen. quo dictum est de Deo: Pœnitet me fecisse hominem. *Sic ergo Tertul. inducit aduersarium,* Teste igitur pœnitentia instituatoris sui, delictum erit mundus, siquidem omnis pœnitentia confessio est delicti, &c. *Vnde retorquet, si mundus peccatum Dei Creatoris est, & partes eius & membra, proinde cœlum, & Caro Christi, ex Sententia Appellianorum descendentium Marcionit, de cœlesti materia structa, peccatrix erit, cum tamen similem nostræ peccatrici negent assumpsisse. De pœnitentia Dei sic Aug. in Psal.* 131. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non pœnitebit eum. quid est non pœnitebit eum? non mutabit. Non enim dolorem pœnitentiæ patitur Deus, aut in aliquo fallitur, vt velit corrigere in quo errauit. Sed quomodo hominem cum pœnitet, mutare vult quod fecit; sic vbi audis, quia pœnitet Deum, mutationem ipsam spera. Aliter illam facit Deus, quamuis nomine pœnitentiæ appellet; aliter tu. Tu enim facis, quia erraueras, ille autè facit, quia vindicat; aut quia liberat. Mutauit regnum Saül cum pœniteret eum, sicut dictum est. 1. Reg. 15. & in eo ipso loco, vbi scriptura dicit, pœnituit eum, paulò post dicitur, non sic est vt homo, vt pœniteat eũ. *Id est pœnitentia Dei non est similis humanæ.* Cum ergo mutat opera sua per immutabile consilium suum, propter ipsam non consilij, sed operis mutationem, pœnitére dicitur. *At quoties hominem pœnitet, & mutat mentem in melius, toties se errasse in aliquo confitetur. Et si ad Sacramentum pœnitentiæ referas, nulla est vera pœnitentia sine confessione delicti.*

Aug.

2. *Confessio humilitatis disciplina, peccatum accusat: & facienda est actu externo, genibus flexis coram Presbytero. De Pœnit. cap. 8. inf. & 9. in p.*

TAntum releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio, contumaciæ. Huius igitur pœnitentiæ secundę, & vnius, quantò in arto negotium est, tantò operosior probatio est; vt non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est; quâ delictum Domino nostrum confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur. Itaque exomologesis, prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. CAP. IX.

3. *Confessio accusando excusat. Ibid.*

CONFESSIO HVMILITATIS, &c. II. SCHOLIA.

EXAGGERAT. *Retentum, dissimulatum, tacitum in Sacramento pœnitentiæ peccatum, exaggeratur, & aggrauatur onere Sacrilegij.* CONSILIVM. *Quia qui confitetur intendit Deo satisfacere, & cum Psalte pœnitente dicit:* Cogitabo pro peccato meo. PŒNITENTIÆ SECVNDÆ. *Ad differentiam primæ, quæ baptismum præcedebat, de qua iam supra de baptismo cap. 20.* Ingressuros baptismum orationibus crebris, ieiuniis, & geniculationibus, & peruigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retrò delictorum, &c. ET VNIVS. *Quàm eleganter dictum,* Secundæ & vnius. *Quasi velit ita nos vno firmo inuiolabilique proposito non relabendi in peccatum, post baptismum confiteri, vt secundâ non egeamus; non autem excludit omnino secundi pœnitentiam, cùm alibi dicat in contrarium:* Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. *Et rursum:* Pigeat iterũ periclitari, sed non pigeat iterũ liberari. *Quod si de pœnitentia publica intelligas, qui literalis est huius loci sensus, vna erat, nec iterata. De qua Ambr. lib. de pœnit. c.* 18. Sicut vnum baptisma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum. *Aug. item Epist. 54. ad Macedonium:* Quamuis cautè salubriterque prouisum sit, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis, minus vtilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat dicere Deo, quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? &c. Cùm igitur super peccatores tanta sit patientia, tanta misericordia Dei, vt in hac temporali vita moribus emendatis, non damnentur in æternum, qui nullius, quæ sibi præbeatur expectat misericordiã, quoniam nemo est illo beatior, nemo potentior, nemo iustior: quales nos esse oportet homines erga homines, qui hanc vitam nostram, quantacumque laude commendemus, eam sine peccato esse non dicimus, &c? Malis parce vir bone: quanto melior, tanto esto mitior; quanto sis celsior potestate, tanto humilior fias pietate. *Quàm cautus & prudens dispensator pacis, & reconciliationis fuerit S. Cyprianus, & Exomologesis exactor, satis prodit lib. 3. Ep. 16.* Compatior, inquit, ego, & condoleo de fratribus nostris, qui lapsi, & persecutionis infestatione prostrati, partem nostrorum viscerum secum trahentes, acrem dolorem nobis suis vulneribus intulerunt. Quibus potens est diuina misericordia medelam dare: properandum tamen non puto, nec incautè aliquid & festinanter gerendum; ne, dum temerè pax vsurpatur, diuinæ indignationis offensa grauius prouocetur. Fecerunt ad nos de quibusdam Beati Martyres litteras petentes examinari desideria sua cum pace nobis omnibus à Domino prius data ad Ecclesiam regredi cœperimus, tunc examinabuntur singula, præsentibus & iudicantibus vobis. Audio tamen quosdam de presbyteris, nec Euangelij memores. *Alludit ad Luc.* 12. 42. *quis putas est fidelis dispensator & prudens? Et 1. Cor. 4. 2. Hic iam quæritur. Syr. requiritur, inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Nec quid ad nos Martyres scripserint cogi-

Digitized by Google

tantes, nec Episcopo honorem Sacerdotij sui & Cathedræ reseruantes, iam cum lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem peruenire. Nam cùm in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, *Vt infidelitas & blasphemia*, Pœnitentia agatur iusto tempore, & exomologesis fiat, inspectâ vitâ eius qui agit pœnitentiam, nec ad communionem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita: quanto magis in his grauissimis & extremis delictis, cautè omnia & moderatè secundum disciplinam Domini obseruari oportet? Quod quidem nostros Presbyteri & Diaconi monere debuerant, vt commendatas sibi oues fouerent, & diuino magisterio ad viam deprecandæ salutis instruerent, &c. Vel vos itaque singulos regite, & consilio ac moderatione vestra, & secundum diuina præcepta lapsorum animos temperate: nemo adhuc importuno tempore, *Persecutionis*, acerba poma decerpat: nemo nauem suam quassatam & perforatam, fluctibus priusquam diligenter refecerit, in altum denuò committat: nemo tunicam se sam accipere & induere properet, nisi eam & ab artifice perito sartam viderit, & à fullone cutatam receperit. *Id est, per Exomologesim, & prudentis directoris regimine & disciplina lauatam, & purgatam, ac resarcitam animæ vestem.* QVANTO IN ARTO. *Quanto arctius & difficilius agitur pœnitentia illa publica, vel quia semel tantum negotium eius peragitur, nec secundus ad eam subeundam patet aditus;* TANTO OPEROSIOR. *Eo plura opera difficilia exercet, quibus probetur pœnitentis animus. Si ad quotidianam referas pœnitentiam,* IN ARTO, *&c. Alludam ad Prophetæ* Panem arctum, & aquam brèuem. *Vt pro vna lacrymula, & buccella panis subcinericij pœnitentiæ, salutis negotium peragatur, & peccator pro simplici confessione delicti, absoluatur.* TANTO OPEROSIOR, *&c. Probatur enim pœnitentiæ veritas, & conscientiæ dolor internus, per multa opera externa, pudoris in confitendo, & pœnæ, variis satisfactionibus carnem macerandæ.* EXOMOLOGESIS. *Non tantum confessionem* quam propriè significat *Sed & reliqua omnia animi pœnitentis indicia inuoluit. De Exomologesi & pœnitentia, S. Isidorus Hispalensis lib. 6. Originum cap. 19.* Pœnitentia, inquit, appellata, quasi pœnientia, eo quòd ipse homo in se puniat pœnitendò, quod malè admisit. Nam nihil aliud agunt quos verè pœnitet, nisi vt id quod malè fecerunt, impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus, ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadet, &c. Exomologesis Græco vocabulo dicitur, quod Latinè confessio interpretatur; cuius nominis duplex significatio est; aut enim in laude intelligitur confessio, sicut est. Confiteor tibi Domine Rex cœli & terræ. Aut dum quisque confitetur suà peccata, ab eo indulgenda, cuius indeficiens est misericordia. Ex hoc ergo Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur Exomologesis, quâ delictum nostrum Domino confitemur, non quidem vt ignaro, cuius cognitioni nihil occultum est, sed confessio est rei, scilicet eius quæ ignoratur, professa cognitio, &c. Confessio autem erroris, professio est desinendi. Desistendum ergo à peccatis dum confessio est. Confessio autem antecedit, remissio sequitur. Cæterùm extra veniam est, qui peccatum cognoscit, nec cognitum confitetur. Itaque exomologesis, prosternendi & humiliandi hominis disciplina est, habitu, atque victu, sacco & cineri incubare, corpus fordibus obscurare: animum mœroribus deiicere: illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare. DELICTVM DOMINO. *Psal. 31.* Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi *An Ignaro? Aug. ibid.* Cui celas peccata? qui cuncta nouit. *Non ergo quasi ignoranti, sed inuenti, confitemur. Aug. aliter vertit cum 70.* Peccatum meum cognoui, & iniustitiam meam non operui. *Ille ergo qui nouit omnia, spinâ compunctionis infixâ conscientiæ, oculos aperit animæ, vt cognoscat, vt non taceat, sed confiteatur peccata sua. Sic igitur Aug.* Si ille *Peccator* cognoscit; & ille *Deus* ignoscit, &c. Noli operire tu; & operit Deus POENITENTIA NASCITVR, *&c. Per confessionem erubescendo anima iam incipit pro impudentia peccati Deo satisfacere, & confitendo nascitur pudor & dolor cordis, quo placatur Deus.* CONVERSATIONEM, *&c. In pœnitentia quidem publica sic pœnitens in omni humilitate & opere bono conuersabatur, vt alliceret Episcopi, aut Parochi, misericordiam ad dandam absolutionem. In priuata, confessor iniungit emendationem morum, & eius promissum exigit, vt alliciat Dei misericordiam, & gratiam. Cæterùm hæc confusio adducit gratiam, & humiliando eleuat peccatorem. Sic enim eodem capite 9. Tertul.* Cùm prouoluit hominem, magis releuat: cùm squallidũ facit, magis mundatũ reddit; cùm accusat, excusat; cùm condemnat absoluit. In quantum non pepercris tibi, in tantum tibi Deus, mihi crede, parcet. *Aug. in Psal. 31.* Beati quorum remissæ sunt, &c. Si texit peccata Deus, noluit aduertere; si noluit aduertere, noluit animaduertere: si noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. *De non celando peccato, & exomologesi implenda, consule Augustinum Homil. 27.* Quem, inquit, deuitas? Quis deuitas? quò ibis, vbi tu esse possis, & ille non esse? dicturus es, quo ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades. Quantum potest à Christo debitor fugere, quàm vt eat in infernum? Adest iste creditor. Et quid ibi facturus est, nisi quod sequitur? Si sumpsero pennas meas in directum, & volauero in extremis maris, id est spe mea finem sæculi meditabor, in præceptis tuis viuam, duabus alis charitatis attollar. Impleo ergo duas alas charitatis: diligas proximum sicut teipsum, & non teneas odium, vnde fugias creditorem. *Cui debes decem mille talenta dimissa. Prosequitur Augustinus de Exomologesi*: Est inquit pœnitentia grauior, atque luctuosior, in qua propriè vocatur in Ecclesia pœnitentes, remoti etiam à Sacramentis altaris participandis, ne accipiendo indignè, iudicium sibi mandu cent & bibent. Illa verò pœnitentia luctuosa est. Graue vulnus; adulterium fortè commissum est, fortè homicidium, fortè aliquid sacrilegum, grauissres, graue vulnus, lethale, mortiferum. Sed omnipotens medicus iam post suggestionem facti, & delectationem, & consensionem, & perpetrationem, quasi quatriduanus mortuus putet, sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamauit, Lazare veni foras. Cessit voci misericordiæ, moles sepulturæ, cessit mors vitæ, cessit infernus superno. Eleuatus est Lazarus, processit tumulo, & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Iam processerunt à morte: nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri; ab occulto, & tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ inquit: quæ solueritis in terra, soluta erunt in cœlo. Proinde Lazaro procedente, quia impleuit Dominus misericordiæ suæ

bonum, perducere ad confessionem mortuum, latentem, patentem; iam cætera impleat Ecclesiæ A mysteria: soluite illum, & sinite abire.

* 4. *Confessio dura censeri non debet, sed medecina. De Pœnit. cap.* 10. *in fin.*

MIserum est sic ad exomologesin peruenire. Malo enim ad miseriam peruenitur: sed vbi pœnitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare. Miserum est secari, & cauterio exuri, & pulueris alicuius mordacitate cruciari, tamen quæ per insuauitatem medentur, ea & emolumento curationis offensam sui excusant, & præsentem iniuriam superuenturæ vtilitatis gratiâ commendant.

CONFESSIO DVRA. IV. SCHOLIA.

SIc. *Id est, cum tanta humilitate, pudore, afflictione* A *externa in pœnitentia publica.* MALO ENIM, *&c. Quid mirum? Immo iustum. Malum enim culpa nos obligat huic miseriæ, & satisfactioni aspera.* DESINIT, *Supple, esse miserum.* INSVAVITATEM, *Per medicamenta non suauia, sed aspera.* OFFENSAM. *Dolorem, quem inferunt.* MEDENTVR. *Aug. frequenter pœnitentiam & confessionem comparat medicinæ in Psal.* 31. Deus tegat vulnera, non tu. Aug. Nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat, & curat; emplastro enim tegit. *Sapissimè mordicanti.* Sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Cui celas? qui nouit omnia. *Et lib.* 15. *de Ciuit. cap.* 7, *in verba Gen.* 4. *iuxta* 70. Dixerat, pec- B Augustin. casti: tum deinde addidit, quiesce: ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. Potest quidem ita intelligi, ad ipsum hominem conuersionem esse debere peccati, vt nulli alij, quàm sibi sciat tribuere debere, quod peccat. Hæc est enim salubris pœnitentiæ medicina, & veniæ petitio non incongrua, vt vbi ait, ad te enim conuersio eius, non subandiatur, erit, sed, sit, præcipientis videlicet, non prædicentis modo. Tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi non defendendo præposuerit, sed pœnitendo subiecerit: alioquin & ille seruiet dominanti, si patrocinium adhibuerit accedenti. *Quod fit ex eodem Aug. alibi sæpè, dum aëris, fœs, complexioni naturali; socio aut diabolo tentatori, per excusationem peccatum imputatur. Aug. hom.* 50. *de vtilitate ac necessitate pœnitentiæ:* Quàm sit vtilis & necessaria pœnitentiæ Augustin. medicina, facillimè homines intelligunt, qui se homines esse meminerunt. *Tum de Pharisæo & Publicano:* Non ille Pharisæus tam sua sanitate, quàm morborum alienorum comparatione gaudebat. Vtilius autem illi erat, quoniam ad Medicum venerat, ea de quibus ægrotabat, confitendo monstrare, quàm dissimulare à vulneribus suis, & de cicatricibus alienis audere gloriari. Non ergo mirum, si publicanus magis curatus abscessit, quem non puduit ostendere quod dolebat, &c. Ad hoc lex data est, vt superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pœnitentiam suaderet, ad hoc lex data est, vt vulnera ostenderet peccatorum, D quæ gratiæ benedictione sanaret. *Subiicit tres pœnitentiæ species, quæ omnibus, præterquam infantibus baptizatis conueniunt.* Cæterorum hominum, nul- Augustin. lus transit ad Christum, vt incipiat esse quod non erat, nisi cum pœniteat fuisse quod erat. Hæc prima pœnitentia præcipitur Iudæis, dicente Apostolo Petro Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in Nomine Domini nostri Iesu Christi, &c. Altera verò pœnitentia est, cuius actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetuâ supplicationis humilitate subeunda est, &c. *Quod intelligis de affectu terrestrium* Omniloquium.

& peccatis quotidianis venialibus. Quæ inquit quamuis singula, non lethali vulnere ferire sentiantur, sicut homicidium & adulterium, vel cætera huiusmodi: tamen omnia simul congregata, velut scabies, quò plura sunt, necant, *Non quod velit omnia simul peccata venialia, mortale facere, sed proximè ad mortale disponere, qui enim spernit modica, paulatim decidet.* Et nostrum decus ita exterminant, vt ab illius sponsi specioso forma præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ deficcentur. Quod si falsum est, vnde quotidie tundimus pectora? quod nos quoque Antistites ad Altare assistentes cum omnibus facimus, &c. Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis decalogus continet, & de quibus Apostolus ait Gal. 5. quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. In hac ergo pœnitentia, maiorem quisque in se seueritatem debet exercere, vt à seipso iudicatus, non iudicetur à Domino, &c. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc peccatori Deus, dicens, Psal. 49. arguam & statuam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini. Vt qui separari à regno cœlorum timet per vltimam sententiam summi iudicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cœlestis panis interim separetur. Versetur ante oculos Imago futuri iudicij, vt cùm alij accedunt ad altare Dei, quò ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscendâ illa pœna, quâ percipientibus alijs vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam, &c. Iudicet ergo seipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores conuertat in melius; ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem, à Domino iudicetur. Et cùm ipse in se protulerit seuerissimæ Medicinæ, sed tamen Medicinæ sententiam; veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur: & tanquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis luæ modum: vt in offerendo Sacrificio cordis contribulati deuotus & supplex, id tamen agat, quod non solum illi profit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. *Ex his & præcedenti Scholio dictis, quatuor agnosco spe-*

cies pœnitentiæ. Primam baptismum præcedentem in adultis, secundam venialium. Tertiam publicam; quam Augustinus vocat Ecclesiasticam, quæ cum solemnior esset, semel fiebat. Quartam grauium peccatorum, ob quæ peccator abstinebat ab Eucharistia, vel ob scandalum à Prælato arcebatur, & publicè pœnitebat.

5. Confessionem faciens peccator, confessorem quidem fallere potest, sed non Deum cuncta videntem. De Pœnit. cap. 6. in m.

QVis tibi tam infidæ pœnitentiæ viro asperginem vnam cuiuslibet aquæ commodabit? Furto quidem aggredi, & præpositum huius rei asseuerationibus tuis circumduci facile est. Sed Deus thesauro suo prouidet, nec finit obrepere indignos. Quid denique ait? [a] *Nihil occultum, quod non reuelabitur.* Quantascunque tenebras factis tuis superstruxeris, [b] *Deus lumen est.*

a Luc. 8. 17. Math. 10. 26.

b 1. Io. 1. 5.

CONFESSIONEM FACIENS. V. SCHOLIA.

QVAMQVAM *Hic locus ab authore, de pœnitentia propriè sit scriptus, quæ baptismum præcedebat, cuius collatorem fictè pœnitens fallere quidem poterat, non Deum occultorum cognitorem; ego tamen confessioni non incongruè applico.* INFIDÆ POENITENTIÆ. *Talis enim est non tantum qui ante baptismum fingit se pœnitentem, cui lenis aquæ aspersio, licet imprimat characterem, vtpote volenti suscipere baptismum, gratiam tamen peccati remissiuam Deus non confert. Sic perfida pœnitentiæ viro qui partem peccatorum tacuit, vel non contritus & sine proposito emendationis accessit, gratia Sacramenti pœnitentiæ non datur, nec peccatum aquâ lustrali, vel vnâ lacrymula deletur.* FVRTO QVIDEM, *Furtiuè absolutionem extorquere, vel suffurari & abscondere peccatum potest Sacerdoti, Sacramenti præposito.* CIRCVMDVCI, *decipere potest confessorem pœnitem.* THESAVRO SVO. *Gratiæ.* OBREPERE *Velut furunculus.* QVASCVMQVE TENEBRAS. *Psal. 138.* Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te. *Aug. in hunc locum*: Quomodo est nox illuminata? quia Christus descendit in noctem, accepit Christus carnem, &c. Perdiderat dragmam, accendit lucernam, &c. Lucerna de luto est, sed habet lucem, quâ inueniatur draclima. Lucerna ergo sapientiæ caro Christi de luto facta est, sed Verbo suo lucet, & inuenit perditos, & nox illuminatio in deliciis meis, &c Deliciæ nostræ Christus, &c. Quoniam tenebræ non obtenebrabuntur à te, tu ergo noli tenebrare tenebras tuas, & Deus illas non tenebrat, sed magis illuminat, quia dictum est ipsi in alio Psalmo, tu illuminabis lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. Qui autē tenebrant tenebras suas, quas Deus non tenebrat? homines mali homines peruersi. Cùm peccant, vtique tenebræ sunt, dum non confitentur peccata sua quæ fecerunt, sed insuper defendunt, tenebrant tenebras suas. Ergo iam si peccasti, in tenebris es, sed confitendo tenebras tuas, mereberis illuminari tenebras tuas; defendendo autem tenebras tuas, tenebraberis tenebris tuis. Et quando euades à duplicibus tenebris, qui in simplicibus laborabas?

S. August.

6. Confessio Catechumenorum auricularis, & secreta de Bapt. cap. 20. à. p.

NObis gratulandum est, si non publicè confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras. Simul enim & de pristinis satisfacimus, conflictatione carnis, & spiritus; & subsecuturis tentationibus munimenta præstruimus.

CONFESSIO. VI. SCHOLIA.

NOBIS GRATVLANDVM EST. *Vide iam dicta Verbo*, Ad baptismum præparatio, *Vbi plura habes ex D. Augustino. Cæterum licet per sensum accommodationis, hic locus aptari possit Confessioni Sacramentali, non ea fuit mens authoris; qui tum pro Catechumenis loquens, eosque ad pœnitentiam ante baptismum vsitatam inducens, gratulandum eis dicit, quod longè minus, & pudori consultius ageretur, quàm cum suscipientibus baptisma Ioannis, qui publicè omnia retro delicta palam confitebantur; cùm nostri Catechumeni id secretò, & ad aurem sacerdotum agerent, non quidem confessione Sacramentali, ad quam præsupponitur iam baptisma susceptum, quod est ianua omnium Sacramentorum: Exponebam tamen, id est representabant baptismum Ioannis, in eo quod sua peccata confitebantur. Christi baptisma suscepturi. Qua confessio humiliatis erat, ad diuinam gratiam promerendam dispositio, & confusionis in iudicio non subeundæ suffugium, sicut* ET CONFLICTATIO CARNIS ET SPIRITVS, *Id est animi mœror, & crebra corporis maceratio in ieiuniis, geniculationibus, & vigiliis, quibus Dei iustitiæ satisfiebat, & muniebatur firmo proposito, & dissuetudine peccandi, baptizandus, contra* SVBSECVTIVRAS TENTATIONES, *Quibus magis vrget sua ereptos seruituti Satanæ, quàm subiectos. Sicut enim Christus statim à Baptismo*, Ductus est à Spiritu in desertum, vt tentaretur à Diabolo: *Ita & milites suos Christus baptismo signatos, & Spiritu sancto firmatos, ad probationem, & proueniunt in tentatione faciendum, non iam cum carne & sanguine colluctaturos, sed aduersus potestates; & rectores tenebrarum harum. spectaculum facit sibi, mundo, Angelis, & hominibus dignum. De confusione, per confessionem humilem declinanda, Augustinus homilia. 12. in verba Iacobi 5.* Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Et Psalmista, inquit, 131. confitemini Domino quoniam bonus. Et iterum Psal. 31. dixi pronuntiabo aduersum me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Quomodo enim nobis peccatorum vulnera numquam deesse possunt, sic & confessionis medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus vt confiteamur peccata nostra, quòd ea ipse scire non possit, sed

Aug.

quia diabolus hoc deſiderat, vt inueniat quod nobis ante tribunal iudicis æterni obiiciat; ideo vult, vt magis defendere, quàm accuſare peccata noſtra velimus. E contrario autem Deus noſter, quia pius, & miſericors eſt, vult vt ea confiteamur in hoc ſæculo, ne pro illis confundamur poſtmodum in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit: ſi nos agnoſcimus, ille ignoſcit. *Sunt & qui legi velint hoc Tertulliani loco, abſolutè & ſine negatione.* Nobis gratulandum eſt, ſi publicè confitemur, &c. *Et quidem licet minus aptè ad pœnitentiam & confeſſionem Catechumenorum, de peccatis ante inſtructionem, in infidelitate commiſſis; de quibus hîc propriè, & literaliter eſt ſermo: Non inepte tamen ad pudorem iudicij euadendum per confeſſionem etiam publicam: cùm longè maior futura ſit coram omnibus Angelis, & hominibus, quàm coram vno, vel altero populo confuſio.* Auguſt. *Proſequitur autem ſic Auguſtinus*: Primò, inquit, homini non dictum eſt confitere peccatum: quia non fecerat quod fateretur: ſed dictum eſt ei, vt non peccaret, non obtemperauit, peccauit: nati ſumus mortales; ex vinculo peccati, propagata eſt miſeria noſtra per ſucceſſionem fragilitatis humanæ, & dicitur nobis: fatemini peccata veſtra. Serpens autem ille, quomodo tunc inſtitit, vt non ſeruaret homo quod ei dictum eſt, ne peccaret; ſic nunc inſtat, vt non ſeruet homo quod ei dictum eſt, confitere peccatum. Quomodo enim tunc fecit vt caderet qui ſtabat: ſic nunc agit ne ſurgat qui cecidit. Itaque aduerſus incantationes eius, & inſidias, quibus nunc impedire vult reditum noſtrum, ſuſcipiamus præcepta ſaluberrima aduerſus eum, qui nunc impedire vult nobis confeſſionem peccati. Quia ſcit non nos poſſe redire niſi per humilitatem, qui per ſuperbiam lapſi ſumus. Dux nobis ipſe fuit per ſuperbiam, modò ad humilitatem ducem Chriſtum ſequamur. *De confeſſione porrò Sacramentali & ſecreta ad aures Sacerdotis legendus Dionyſius in Epiſtola ad Demophilum; in qua arguitur Carpus indignatus Sacerdoti quòd lapſum ad pœnitentiam reciperet. Iren. lib. 1. cap. 9. & lib. 3. cap. 4 Lactantius lib 4. inſtit. cap. 17. & 30. Hilarius Canone 19. in Math. Hiero. Ep. 1. ad Heliodorum cap. 7. Epiſt 54. ad Marcellam & 68. ad Pammachium & Oceanum. Chryſoſt.* Aug. *homil. 4 & 20. in 2. Cor. homil. 33. in Io. Aug. Ep. 180. ad Honoratum, & lib. de adulterinis coniugiis cap. 28. circa f. & in Pſal 50. ante med. in Pſal. 66. poſt med. & homil. 12. & 50. & homil. 41. poſt med. & 49. ante med. & 50 poſt med. & in Pſal. 44 & in Enchir cap 65. Cypr. de lapſis. & Epiſt. 10. 11. 15. 51. 52. 54 62 Euſeb. lib. 6. cap. 27. Orig. homil. 2 in Pſal. 38. Minutius in Octauio Baſil. in Reg Breu. & de vera Virgin. ad Amphiloc. Greg Niſſ. homil. 3. in Eccl. Anaſt. Syn. Orat. de Sacram Anaſt. Niſſenus quæſt. in ſcripturam. Ambr. lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 19. Hiero in Eccl. 10. & in Math. 7. Auguſtinus tandem ſic confeſſionem peccati laudat, vt dicat ſer. 66. de tempore* Aug. Nos aliter, inquit, ſalui fieri non poſſumus, niſi confiteamur pœnitentes, quod inquè geſſimus negligentes Qui ſeipſum accuſat in peccatis ſuis, hunc diabolus non habet accuſare iterum in die iudicij: ſi tamen confitens, pœnitendo deleat quæ fecit, nec iterum renouet quæ egit, &c Et Salomon de confeſſione peccatorum dicit, prouerb. 28, qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Magnum eſt ſalutis medicamentum, non iterare quæ impiè geſſimus, nec priorum cicatrices vulnerum refaciare, &c. Qui peccata ſua occultat, & erubeſcit ſaluA briter confiteri, Deum quem iudicem habebit, habebit & vltorem. Optimè ſe iudicet homo in hac vita, ne iudicetur à Deo damnatione perpetua, &c. Confeſſio iuſtificat, confeſſio veniam peccatis donat, omnis ſpes veniæ in confeſſione conſiſtit. Confeſſio eſt opus miſericordiæ, ſalus ægroti, vnicum eſt viribus noſtris medicamentũ cum pœnitentia, cuius ipſe Saluator in Euangelio virtutem oſtendit, dicens Math. 4. pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. *Et ſer. 8. de Verb. Do.* S. Aug. Mox vt hoc verbum ſonuit lectoris; *Confiteor tibi Pater:* Secutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris veſtri, &c. Tundere autem pectus, quid eſt, niſi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Quare hoc feciſtis, niſi quia audiſtis, Confiteor tibi pater. Math. 11. Confiteor, audiſtis, qui confitetur, non attendiſtis. Nunc ergo aduertite: ſi Confiteor, Chriſtus dixit, à quo longè omne peccatum, non ſolus eſt peccatoris, ſed etiam laudatoris. Confitemur ergo, ſiue laudantes Deum, ſiue accuſantes noſmetipſos. Pia eſt vtraque confeſſio, ſiue cùm te reprehendis, qui non es ſine peccato, ſiue cùm illum laudas qui non poteſt habere peccatum. Si autem benè cogitemus, reprehenſio tua, laus ipſius eſt. Quare enim iam confiteris in accuſatione ipſius tui; quare confiteris, niſi quia ex mortuo viuus factus es? Scriptura quippè ait Eccli. 17. à mortuo quaſi qui non ſit, perit confeſſio. *Non mortui laudabunt te Domine. Viuens viuens, ipſe confitebitur tibi.* Si perit à mortuo confeſſio, qui confitetur, viuit. Et ſi peccatum confitetur, vtique à morte reuixit. Si peccati confeſſor reuixit à morte, quis eum ſuſcitauit? Nullus mortuus eſt ſui ipſius ſuſcitator. Ille ſe potuit ſuſcitare, qui mortua carne, non mortuus eſt, &c. Ille ſe ſuſcitauit qui viuebat in ſe, &c. Quis Lazarum ſuſcitauit, niſi qui remoto lapide clamauit dicens, Lazare prodi foras? Quid eſt autem foras prodire, niſi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur foras prodit: foras prodire non poſſet, niſi viueret: viuere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet. Ergo in cõfeſſione ſui accuſatio, Dei laudatio eſt. Dicit ergo aliquis, quid prodeſt Eccleſia, ſi iam cõfeſſor voce Dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt Eccleſia confitenti, cui Dominus ait: quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo? Ipſum Lazarum attende, cùm vinculis prodit, iam viuebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt, quæ ſolueritis, ſoluta erunt, niſi quod ait Dominus continuò ad diſcipulos, ſoluite illum, & ſinite abire? Siue ergo nos accuſemus, ſiue Deũ laudemus, bis Deũ laudamus. Si piè nos accuſamus, Deũ vtique laudamus. Quando Deum laudamus, tanquam eum, qui ſine peccato eſt, prædicamus: quando autem noſipſos accuſamus, ei, per quem reſurreximus, gloriam damus. Hoc ſi feceris, nullam occaſionem inuenit inimicus qua te circumueniat ante iudicem. Cùm enim tu ipſe fueris accuſator, & Dominus liberator, quid erit ille niſi calumniator? *Et Tract. 49. in Io. 11. vbi de Lazaro*: Quomodo proceſſit ligatis pedibus, miraris, & non miraris quia ſurrexit quatriduanus. In vtroque potentia Domini erat, & non vires mortui. Proceſſit, & adhuc ligatus eſt, adhuc inuolutus, tamen iam foras proceſſit. Quid ſignificat: quando contemnis, mortuus iaces: Et ſi tanta quanta dixi, contemnis, ſepultus iaces. Quando confiteris, procedis. Quid eſt enim procedere, niſi ab occultis velut excundo te manifeſtare? Sed vt confitea- S. Aug.

ris, Deus facit magnâ voce clamando, id est magnâ gratiâ vocando: ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus, soluite illum, & sinite abire. Quid est soluite, & sinite abire? quæ solueritis in terra soluta erunt & in cœlo. *Hactenus de confessione Sacramentali, per sensum accommodatitium deductum ex verbis Tertulliani*: Nobis gratulandum est, si non publicè confitemur, &c.

Nunc ad pœnitentiam Catechumenorum regredior, de qua ad literam propriè exponendus est locus. Ac primòquidem sciendum est, priùs domi solitos discere eos, qui à Gentilitate ad fidem converti volebant, quantus error esset idololatriæ, quantum ex ea Deus vnus & verus zeli & indignationis concipiebat aduersus eos, qui Nomen incõmunicabile lignis & lapidibus imponebant, *Et quantâ eos pœnâ in inferno mulctaret: tum metu concussi salutari de prateritis peccatis in incredulitate commissis dolere incipiebant, & pœnitentiam apud se priuatam agebant. Hos enim sic exhortabatur Tertullianus*: Pœniteat, inquit, errorum apertâ veritate, pœniteat amasse, quod Deus non amat. *His Episcopi adhuc rudibus præficiebant Pedagogos rudimenta fidei docentes. Tum verò si quid pœnitentiæ, vel confessionis agerent, non tanquam ab Episcopo imperante, in quos nullum adhuc ius coërcitionum poterat exercere, sed sponte, & liberè, priuatim & non publicè agebatur. Post prima autem illa rudimenta, cùm Catechumeni in Ecclesiam introducti, inter* Audientes, *Censebantur, pœnitentiam pro deuotionis modo, pleniùs de fide instructi aggrediebantur, & tempore immediatè precedente baptisma, suas pœnitentias angebant. De quo Tertullianus de baptismo cap. 20.* Ingressuros baptismum, orationibus crebris, ieuniis, & geniculationibus, & peruigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum: vt exponant etiam baptismum Ioannis, &c. Simul enim & de priscis satisfacimus confictatione carnis & spiritus. *Quod si legas & Augustinum præcepisse Catechumenis in Pentecoste baptizandis, vt austeritates suas incipiant post octauam Paschæ, & quod S. Siluester dixit Constantino*, Oportet, ô Imperator, deponas purpuram, & Diadema septem diebus, & tuæ Regiæ penetrale ingressus ianuis clausis, in sacco & cinere iacens, in luctu age pœnitentiam: *Aut S. Gelasius Cereali, & S. Policarpus triduum pœnitentiæ S. Sebastiano indixit: Hæc non tam imperata, quàm consulta, putanda sunt. Verum quidem est, quòd cùm Catechumeni iam fideles facti per plenissimam institutionem, tempore sui Catechumenatus, in crimen aliquod graue prolapsi fuissent, itmpus illis Catechumenatus protrahebatur in pœnam, & cum graniora sibi pœnitentiæ exercitia imponebant; vt in Paschate baptizandi, ab octaua ad Pentecosten vsque differerentur. Grauius quippe Deo agnita peccabant. Vnde Tertullianus de pœnitentia cap. 20.* Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna, quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorari non licet: quantò cognitum despici periculosum est? &c. *Quo sensu intelligendus est Cyrill. Ierosol. Catech. 1.* Tempus præsens, est tempus confessionis. Confiteare quæ perpetrasti, siue verbo, siue opere. Pœnitentia quadraginta dierum tibi datur. *Quod accipiendum, inquit S. Augustinus præcitatum, de quadraginta diebus post octauam Paschæ, cùm hæc scribebat, vt notat Albaspinæus lib. 2. obseruat. 1. habita fuerit paulo ante Sabbatum Paschæ, vt liquet ex verbis ibidem relatis*: Antea Catechumenus erat, nunc verò fidelis vocaris. Tot annorum circulos transegisti mundo fructus operans; & quadraginta diebus, non vacabis pro anima tua? *Fides autem à Christiano discernebatur, vt liquet ex verbis Vrbani.* Omnes, inquit fideles, per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum *Confirmationem* Post baptisma accipere debent, vt plenè Christiani inueniantur. *Greg. autem Naz. Orat. de sancto Lauacro, iuxta Tertullianum*: Ne, inquit, peccatum tuum confiteri graue ducas, sciens quo pacto Ioannes baptizauerit, vt per huius vitæ pudorem, futuri sæculi pudorem ignominiamque fugias, &c. *Quod intelligendum est de Confessione illa & Exomologesi, qua immediatè baptismum præcedebat. Non autem de pœnitentia prima Catechumenorum, qua cùm primum esset, nullum pudorem incutiebat. Locus item Simplicij Papæ exponendus est de illa pœnitentia baptismo præuia, vbi legitur*: Constituit ad S. Petrum Apostolum, & ad S. Paulum Apostolum, & ad S. Laurentium Martyrem, hebdomadam, vt presbyteri manerent ibi, propter pœnitentes & baptismum. *Plenus itaque sensus huius sit loci: ingressuros proximè baptisma, iam plerè instructos, & fideles, oportere cum confessione omnium delictorum, conflictatione spiritus, & carnis, dolore cordis, & macceratione corporis, Deo satisfacere. Nobis autem; id est nouis Catechumenis, quorum personam induebas, gratulandum est, si non publicè, sed priuatim pœnitentiam agimus. Neque enim vspiã Catechumeni ad eandem pœnitentiam, quam iam fideles amplectebantur, vrgeri solebant; ut à fide suscipienda nimia senioritate arcerentur, si pro foribus Ecclesiæ iacere flentes, & cum lamentatione præterentium genua osculari compellerentur.*

Catechumeni autem, si in peccata grauia in ipso catechumenatu incidissent, tempus eorum, vt supra diximus, prorogabatur; in quo statu interdum etiam ij qui non erranerant, ex humilitate spontanea morabantur.

Ipsi autem cuiuscumque generis Catechumeni, à templo egredi solebant antequam pœnitentes in terram coram omnibus se prosternerent, & impositionem manuum Episcoporum & presbyterorum reciperent. Nec vspiam Catechumeni sacris mysteriis aderant, quod si ea fortuitò oculis inspexissent, sacro protinus baptismate potitos fuisse notat ibid. Albaspinæus obseruatione secunda.

Quod si Canon 67. Concilij Elibertini proferatur, quo videtur eâdem pœnâ mulctatos fuisse Catechumenos, & fideles, pariterque delinquentes, pariter ab Ecclesia ablegatos; sciendum est hunc Canonem latum contra libidinosas mulieres, quæ viros scenicos compotes, & elegantes vlerent ad explendam libidinem. Illis itaque tanquam indignis Ecclesiæ cœtu, non alia pœna indicebatur, quàm vt prorsus ab Ecclesia & sæpe ingressu eius arcerentur. Admittebantur autem ad catechumenatum quæ verè & solidè male vitæ & prauæ consuetudini renuntiassent. Per gradus ergo istos promouebantur Catechumeni; vt cùm primùm diuinæ gratiæ radius mentì gentilis illuxisset, vt Christianus fieri vellet; primò in aliqua domo priuata instruebatur, de errore & vanitate Idololatriæ. Secundò transibat in gradum Audientium, *& Verbum Dei audiebat. Tertiò admittebatur ad consortium orationum publicarum, & poterat in Ecclesia genuflectere inter Catechumenos tertij gradus, qui* Orantes, & genuflectentes, *dicebantur. Tandem nomen dabant, vt inter electos ad baptisma collocarentur, vnde &* Competentes *vocabantur. Si quis ergo in tribus illis supremis gradibus deliquisset, pro pœnitentia, à primo vel secundo gradu, deuolutebatur ad inferiorem, & pro grauitate culpæ in eo diutius hærebat, dilatatum, si culpa exigeret, vsque ad mortem baptismo.*

Quòd si reatus inexpiabilis videretur, prorsus ei Ecclesiæ ingressus interdicebatur. Et sic intelligendus est Canon 5. Concilij Neocæsariet. is, & decimus quartus Niceni. Mitissimè autem agebatur cum catechumenis primi gradus, in quo tantum diutius manere cogebantur. Eò quòd in vetere homine deliquisse videretur, *Vt ait Concilium Eliberitanum. Quod, cum Canone 4. imponit Catechumeno triennij, vel decennij pœnitentiam, id ad arbitrium Episcopi censeo reuocandum. S. Dionysius lib. de cœlesti Hierarchia cap. 3. excludit à sacris mysteriis Energumenos, Catechumenos, & pœnitentes.* Catechumenos, inquit, & Energumenos, quique in pœnitentia sunt, sanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire sacram psalmorum modulationem, diuinamque Sacrarum scripturarum recitationem: ad sacra autem opera quæ deinceps sequuntur, atque mysteria spectanda, non eos conuocat, sed perfectos integrorum oculos. Est enim diuina Hierarchia sacræ iustitiæ plena, ac vnicuique pro dignitate salubriter conuentaneam tribuit rerum diuinarum communionem, sanctéque pro modo & captu in tempore concedit. Ac postremus quidem ordo Catechumenis, id est iis qui eruditiuntur, tributus est. Aditus enim eis, ad omne id quod in hierarchia perficit, præclusus est, neque vllis sacris initiati sunt, neque diuinam subsistentiam consecuti, quæ in diuino partu consistit, habent, sed etiam patris verbis, tanquam obstetricante manu fouentur, vitalibusque figurationibus, & lineamentis finguntur ad beatum illum progressum vitæ lucisque principem, qui à diuino ortu proficiscitur. *Catechumeni etiam, vt notauit Albaspinæus lib. 2 Obseru. 35. non participabant pani benedicto, qui solis Christianis diuidebatur à Diaconis, quod probat ex Theophili Alexandrini verbis.* Quæ in sacrificij rationem offeruntur, post ea, quæ in sanctorum vsum consumuntur, clerici diuidant, & nec catechumenus ex iis bibat aut comedat, sed solum clerici, & qui cum eis sunt, fideles fratres. *Offerebant enim Christiani panem & vinum, mel, lac, sal, quæ priuata benedictione consecrabantur, de quibus Concil. Carthag. 3. Can. 3. vbi cathecumenos infantes vocat.* Primitiæ autem, siue mel, siue lac, offerantur, vno die consueto, ad infantium mysterium: & si enim maximè ad altare offerantur, propriam tamen habent suam benedictionem, vt à Dominici corporis Sacramento seiungantur. *Sal item iisdem offerebatur, vt ex eodem Concilio constat.* Item placuit, vt per solemnissimos Paschales dies, Sacramentum Catechumnis non detur, nisi solitum sal; quia si fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec catechumneis oportet mutare. *Huiusmodi oblationes certo ritu & benedictione consecratas, lato modo etiam Sacramentum vocauit Augustinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 26.* S. Aug. Quod, inquit, accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum est. *Id est, rei Sacramentalis. Et significans rem sacram, nempe quod sicut Christiani ex Deo nati, diuino Christi corpore omnes enutriti strictissimè in vnum conueniebant; quia ex Dionysio,* Quod ex Deo natum est, sine diuino alimento viuere non potest: *Ita catechumeni ex oblationibus fidelium participantes, velut infantes in vtero matris, ex eius venis sumebant alimentum, & suam cum Ecclesiæ corpore initiabant vnionem. Salis quoque meminit Augustinus, quo catechumenus condiebatur, lib. 1. Confess. cap. 11.* Signabar, inquit, iam signo crucis, & eruditebar eius sale, iam inde ab S. Augus. vtero matris meæ, quæ multum sperauit in te. Vidisti Domine cùm adhuc puer essem, &c. *Sicut autem in catechumenatu, ita & in baptismo sal, lac, & mel, vt suo loco diximus, adhibebatur, porrigebaturque baptizatis, quasi modo genitis infantibus.*

7. *Confessio peccati ab exordio mundi petita ab Adam, & Caïn, ad veniam. V. Verbum. Dei infirmatum. 3. Deo ignorantiam non affingit, &c.*

8. *Et 2. Cont. Marc. cap. 25. circa fin.*

* ET *nunc nequando extendat manum, & sumat de ligno vitæ, & viuat in æuum.* Interponens enim, *Et nunc*, Præsentis temporis verbum, temporalem, & ad præsens dilationem vitæ fecisse se ostendit. Ideoque nec maledixit ipsum Adam, nec Euam, vt restitutionis candidatos, vt confessione releuatos. Caïn verò maledixit, & cupidum morte luere delictum, mori interim vetuit, vt præter admissum, etiam negationis eius oneratum. Hęc erit ignorantia Dei nostri, quę ideò simulabitur, nè delinquens homo, quid sibi agendum sit, ignoret. a Gen. 3. 22. Gen. 4. 15.

* 9. *Confessio clauis est cœli. V. supra Verbum Confessio Christi 3. in p.*

CONFESSIO VIII. SCHOLIA.

ET NVNC. *Gen. 3. 22.* Nunc ergo ne forte mittat manum suum, & sumat etiam de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum. *Tertul. sequutus 70.* TEMPORALEM, *Notat non ablatam omnino, sed dilatam ad tempus vitam æternam.* IDEOQVE. *Non vt seruum maledixit, in æternum excluso à vita æterna, quia impœnitens vt inconuertibilis.* RESTITVTIONIS CANDIDATOS. *Id est, ob confessionem quantumuis imperfectam & excusationi admixtam, restitutio æternæ vitæ promissa est, & iam inde in sanguine agni, cæcisi ab origine mundi dealbati, candidam induerunt, vt cum Psalte dicere possent:* Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. *Si enim* D *Eccli. 17.* Vt ait Augustinus ser. 33. de diuersis. A mortuo perit confessio, qui confitetur viuit, & si peccatum confitetur, vtique à morte reuixit. Si peccati confessor reuixit à morte quis illum suscitauit? nullus mortuus est sui ipsius suscitator, &c. Quis illum suscitauit, nisi qui remoto lapide clamauit dicens, Lazare prodi foras. Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum est foras prodere? qui confitetur foras prodit: foras autem prodire non posset, nisi viueret; viuere non posset, nisi resuscitatus esset. *Non suscitaretur autem Adam, vt nec Lazarus, nisi Deus clamaret: Adam vbi es?* CONFESSIONE RELEVATOS, *A*

S. Augus. *ipsa & morte peccati. Aug. homil. 12.* Quando dicit se seductum, confitetur ex parte, sed tamen negat se fecisse, & dicit, ego nihil feci, diabolus fecit. Conatus est dicere illud Adam: ipse enim se excusare voluit de muliere, mulierse excusare voluit de serpente, &c. Sanare te habebat Deus per indulgentiam, si fateris, quæris per quem excusses, sed non quærit ille quem pro te puniat, &c. Sanaberis si ostendas te medico, non quia ille non videt si tu te abscondas, sed ipsa confessio, initium sanitatis est. *Bene ergo candidatos vocat restitutionis in gratiam, sed nondum restitutos, sed restitutionem ambientes. Vnde Aug.* Incipis confiteri: à confessione incipis decorari. ETIAM NEGATIONIS. *Crimine scilicet aggrauante admissum fratricidij scelus.* MORI VETVIT. *Gen. 4. 13.* Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear, &c. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Dixitque ei Dominus, nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Caim, septuplum punietur. Posuitque Dominus Caim signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum. HÆC ERIT IGNORANTIA. *Pungit Marcionem, obijcientem Deum nostrum Creatorem ignorantem, eo quod quærat, Adam vbi esset, & petentem à Caim vbi esset Abel. Sed scitè respondet,* Dissimulare Deum peccata hominum, propter pœnitentiam, *Et ideo fingere se ignorare, vt ipse homo quærat se, interroget conscientiam, peccatum accuset: & ne homo peccans ignoret, quid sibi* S. Augus. *agendum sit, vt veniam mereatur. Aug. ser. 104. de temp. vbi de Lazaro:* Vbi posuistis eum? nunquid nesciebat Dominus vbi positus esset Lazarus, qui absens mortuum Lazarum pronuntiauerat, & qui diuinitatis suæ maiestate vbique erat? Sed hoc Dominus ex veteri consuetudine fecit. Nam & ad Adam similiter ait: vbi es Adam? non quia nesciret vbi esset Adam, sed idcirco interrogauit, vt peccatum suum Adam proprio ore confiteretur, vt posset peccati veniam promereri. Interrogat & Cain, vbi est frater tuus Abel? & ille dixit, nescio. Non quia nesciret vbi esset Abel, ideo interrogaret Cain: sed cum ille negaret, parricidium eius argueret, quod in fratrem commiserat. Denique Adam quia interroganti Domino confessus est peccatum quod commisit, veniæ redditus: Cain quia negauit parricidium quod commisit, æterna pœna damnatus est. *Sed libro 14. de Ciuit. cap. 14. Bene consonat Tertulliano vocanti primos parentes, non restitutos immortalitati, sed eius tantum candidatos: quia licet confessi sint culpam, eam tamen excusationi superbæ miscuerunt.* Est peior damnabi- Augus. liorque superbia, qua etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis inquiritur, sicut illi primi homines, quorum & illa dixit, serpens seduxit me, & manducaui: & ille dixit; mulier quam dedisti mihi, hæc mihi dedit de ligno, & edi. Nusquam hic sonat petitio veniæ, nusquam imploratio Medicinæ. Nam licet isti, non sicut Cain, quod commiserunt, negent; adhuc tamen superbia quærit in aliud referre, quod perperam fecit, superbia mulieris in serpentem, superbia viri in mulierem. Sed accusatio potius, quàm excusatio vera est, vbi mandati diuini est aperta transgressio. Neque enim hoc propterea non fecerunt, quia id mulier serpente suadente, vir muliere impertiente commisit, quasi quidquam Deo, cui vel crederetur, vel cederetur anteponendum fuerit.

CONFIRMATIO.

Confirmationis Sacramentum, carnem vngit, signat, manus impositione adumbrat, & Spiritu sancto munit, & vestit, ac perficit.

1. *Libro de Resurrectione cap. 8. à p.*

CAro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur.

2. *Et de Præscript. cap. 36. in m.*

Legem & prophetas cum Euangelicis & Apostolicis litteris miscet, & inde potat fidem; eam aquâ signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistiâ pascit.

3. *Et libro 1. Cont. Marcionem cap. 28. à m.*

Si consecutio est Spiritus sancti, quomodo Spiritum adtribuet, qui animam non prius contulit? Quia suffectura est quodammodo Spiritus animæ. Signat igitur hominem, nunquam apud se resignatum; lauat hominem nunquam apud se coinquinatum, & in hoc totum salutis Sacramentum, carnem mergit exsortem salutis.

Leuit. 8. 12.

4. *Et de Baptismo cap. 7. in p.*

a Act. 4. 26. Exinde egressi de lauacro perunguimur benedictâ vnctione de pristina disciplina, quâ vngui oleo de cornu in Sacerdotium solebant. Ex quo Aaron à Moyse vnctus est; vnde Christus dicitur, à Chrismate, quod est vnctio, quæ Domino nomen accommodauit, facta spiritalis, quia Spiritu vnctus est à Deo Patre, sicut in Actis: a *Collecti sunt enim verè in ista ciuitate aduersus sanctum filium tuum, quem vnxisti.* Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, sed spiritaliter proficit: Quomodo & ipsius carnalis actus, quòd in aqua mergimur, spiritalis effectus; quòd delictis liberamur. Dehinc manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum. *Et cap. 8. in p.* Sanè humano ingenio licebit Spiritum in aquam accersere, & concorporationem eorum accommodatis desuper manibus alio spiritu tantæ claritatis animare: Deo autem in suo organo non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritalem? Sed est hoc quoque de veteri Sacramento, quo nepotes suos ex Ioseph, Ephraim & Manassem Iacob capitibus impositis, & intermutatis manibus benedixerit; & quidem ita transuersim obliquatis in se, vt Christum deformantes, iam

Gen. 48. 13 & seq. Matt. 3. 16. Gen. 8. 11.

tunc

tunc portenderent benedictionem in Christum futuram. Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens à Patre descendit, &c. Columbæ figura delapsus in Dominum, &c. Ne hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodum enim post aquas diluuij, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum, vt ita dixerim, mundi, pacem cœlestis iræ, præco columba terris adnunciauit, demissa ex Arca, & cum olea reuersa: quod signum etiam apud nationes paci prætenditur: eadem dispositione spiritalis effectus, terræ, id est carni nostræ emergenti de lauacro, post vetera delicta, columba sancti Spiritus aduolat, pacem Dei adferens, emissa de cœlis, vbi Ecclesia est Arca figurata. Matth. 3. 16. Gen. 8. 11.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTVM. I. II. III. IV. SCHOLIA.

1. CARO VNGITVR. *Sacro Chrismate.* SIGNATVR. *Signo crucis cum vnctione munitur in fronte sede pudoris, vt Christum non pudeat confiteri.* ADVMBRATVR. *Vt sub vmbra Spiritus sancto lumine fidei in baptismo suscepta, confirmetur.*

2. LEGEM. *Ioannes Apostolus vtrumque iungit testamentum, quo fidem irrigat.* AQVA SIGNAT. *Baptismo characterem imprimente credentem Catechumenum obsignat Christo.* SPIRITV VESTIT. *Quasi nudam & simplicem prius fidem acceptam in baptismo superinduit Spiritu sancto in Confirmatione suscepto.*

3. SI CONSECVTIO. *Quasi dicat Marcioni Creatoris opera respuenti. Quomodo Deus tuus nouus, ô Marcion, qui animam non insufflauit,* SPIRITVM *In confirmatione conferet, qui supplementum est per suam gratiam, naturalis animæ bonitatis?* SIGNAT HOMINEM *Quomodo signo crucis cum chrismate, durum & fugitiuum à se seruum emolliet & signabit, suoque libero seruitio continebit, quem nunquam condidit? &c.* EXSORTEM SALVTIS. *Nunquam suscitandam à Saluatore reformatore corporis; cuius mortem, sepulturam, & resurrectionem trina mersio Baptismi representat. Carnem enim, vt vile opus Creatoris, indignam resurrectione censebant Marcionita.*

4. DE PRISTINA. *Ex vsu veteris testamenti, exemplo Christi vncti Spiritu sancto, Iacob decussis manibus benedicentis nepotibus, columba oleam rostro deferentis: Quæ omnia Tertulliani capita suis locis exposuimus, optimè Sacramentum Confirmationis attestantia.* DE PRISTINA DISCIPLINA, *Traditione Apostolica. Sic enim de consecratione distinct. 3.* Literis nostris; *Ex Epist. 2. Decretali Fabiani Papæ ad Episcopos Orientales. Vbi per eorum literas acceperat, nonnullos Episcopos per duos vel tres annos confectionem sancti Chrismatis conseruare, quòd balsamum per singulos annos non possent reperire.* Errant, inquit, qui talia cogitant, & mente vesana potius quàm rectâ sentientes hæc dicunt. In illa enim die Dominus Iesus postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit. Ipsa enim lauatio pedum, nostrum significat baptismum, quando sancti Chrismatis vnctione perficitur, & confirmatur. Sicut igitur ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & vetus chrisma in sanctis Ecclesiis cremandum. Ita à sanctis Apostolis, & à successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, & Antiochena à tempore Apostolorum custodit. Hæc Ierosolymorum & Ephesinorum tenet, in quibus Apostoli præsidentes hæc docuerunt, & vetus chrisma incendi, & non amplius quàm vno anno vti permiserunt.

Et quid expressius Apostolicis verbis ad commendationem huius Sacramenti? 2. Cor. 1. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. *Ephes. 4. 30.* Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. *Hebr. 6. 1.* Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum. Baptismatum doctrinæ. *Syr. & ad doctrinam Baptismi siue catechismi ante Baptismum,* Impositionis quoque manuum. *1. Io. 2. 27.* Et vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. *Clarius & constructius Syriaca:* Sed & vos, si permanserit vobiscum vnctio ista quam accepistis ab eo, necesse non habebitis, vt quis doceat vos: sed sicut illa vnctio est à Deo, ipsa docebit vos de omnibus.

De Confirmatione agit Vrbanus 1. in sua Decretali citata. 11. q. 3. quibus & Episc. dist. 5. de Consecratione. capite, omnes fideles. Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur. Quia cum Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur. *Eusebius item sub Constantino in sua Decretali citata de Consecr. dist. 5.* Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quàm Apostolis legitur aut legitur esse peractum. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur Sacramenta. *Sacramentum item magnum censet Melchiades Papa in sua Decretali.* Regeneratio, *inquit,* per se saluat mox in pace Beati sæculi recipiendos: Confirmatio verò armat & instruit ad agones mundi huius & prœlia reseruandos. *Sic habetur de Consecr. dist 5. cap. Spiritus sanctus. Dionysius Eccl. Hierarch. cap 2 vbi de Episcopo.* Ille, *inquit,* diuino ac prorsus deifico vnguento virum signat, &c. *Perficiens illa vnctio facit perfectum. Et ibid. cap. 4.* Aduentum Spiritus sancti consummans vnguenti inunctio elargitur. *Videndus Origenes homil. 8. in Leuit. Cyrill. Ierosol. Catechesi 3. mystagogica, vbi dicit vnctionem in fronte abstergere pudorem Adæ, & reuelare faciem ad gloriam Dei inuendam. Naz. Orat. 40. de Baptismo. Epiph. hæresi 21. Cyrill. Alex. in cap. vlt. Esa. Chrysost. in cap. 8. Actuum. Cypr. Ep. 70 ad Ianuarium. Et lib. 2. Ep. 1. Ambr. lib. 3. de Sacr. cap 2. & lib. de his qui initiantur, cap. 7. Hiero. Dialogo Cont. Luciferianos cap. 4.*

Augustinus lib. 15. de Trinit cap. 26. vbi probat Christi diuinitatẽ ex insufflatione, missione, & datione Spiritus sancti. Quomodo, inquit, Deus non est qui dat Spiritum sanctum? Immò quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippè vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositus S. Augustt.

etiam nunc seruat Ecclesia. Denique & Simon Magus Act. 8 offerens Apostolis pecuniam, non aut dare & mihi hanc potestatem vt dem Spiritum sanctum: sed cuicumque, inquit, imposuero manus, vt accipiat Spiritum sanctum, &c. Videns quòd per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus. Propter hoc & Dominus ipse lotus Spiritum sanctum non solum dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo, propterea dictus est plenus gratia. Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum: quoniam vnxit eum Deus Spiritus sancto: Non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo Baptizatos vngit Ecclesia. *En verum Sacramentum Confirmationis, & signum visibile inuisibilis gratiæ. Sed expressius libro 2. Cont. literas Petiliani cap. 4. qui nolebat vnguentum expiris in barbam & oram vestimenti, vnitatem Ecclesiæ intelligere. sed Confirmationem.* In hoc, *inquit*, vnguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse baptismus: sed potest esse & in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, & regnum cœlorum non possessuris: & ideo nec ad barbam Aaron, nec ad oram vestimenti eius, nec ad vllam contextionem vestis Sacerdotalis pertinentibus. *Et tract 6. in primam Ioannis in medio.* Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus sanctus, & loquebantur linguis quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Signa erant tempori oportuna: oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum: quia Euangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, & transiit. Nunquid modò quibus imponitur manus vt accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur vt linguis loquantur? Aut quando imposuimus manus illis infantibus, attendit vnusquisque vestrum vtrum linguis loquerentur? Et cùm videret eos linguis non loqui, ita peruerso corde aliquis vestrum fuit, vt diceret, non acceperunt isti Spiritum sanctum, nam si accepissent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum est? Si ergo per hæc miracula non fiat modo testimonium præsentiæ Spiritus sancti, vnde fit, vnde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. *Quomodo enim diligit sine Charitate diffusa in corde per Spiritum sanctum qui datus est nobis?* Videat, probet seipsum coram oculis Dei; Videat si est in illo dilectio pacis, vnitatis, dilectio Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ. *Deinde subiicis:* Ergo si vis nosse quia accepisti Spiritum sanctum, interroga cor tuum, ne forte cum Sacramentum habes, virtutem Sacramenti non habeas. Interroga cor tuum, si est ibi dilectio fratris, securus esto. Non potest esse dilectio sine Spiritu Dei, quia Paulus clamat, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Aug.

Placet & Canonem. 55. Arabicum Concilij Nicæni de Episcopis ruralibus Ecclesias & Monasteria visitantibus adducere Chorepiscopus debet interrogare an habeant filios aut filias, *Id est pueros vtriusque sexus nondum Confirmatos*, Et facere vt ad se adducantur: & signet eos signo crucis, & oret super eos, & imponat manus ac benedicat. *Concilium Eliberitanum Canone 38.* Peregrè nauigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum: ita vt si superuixerit, ad Episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit. *Concilium autem Laodicenum Canone 48.* Oportet baptizatos post baptismum sacratissimum Chrisma percipere, & cœlestis regni participes fieri. *Vnguntur enim in Reges. Tandem Concilium Florentinum in Decreto & institutione Armenorum:* Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est, signo te signo crucis, & Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, &c. Ordinarius minister est Episcopus. Et cùm cæteras functiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quòd per manus impositionem Spiritum sanctum dabant. Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio, legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & vrgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem huius Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, vt Christianus audacter Christi confiteatur nomen: Ideoque in fronte vbi verecundiæ sedes est, Confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, Gentibus autem stultitia; propter quod signo crucis signatur.

5. August.

5. August.

CONSVETVDO ET PRÆSCRIPTIO.

Consuetudo nulla præscribit contra veritatem fidei, & Velandarum virginum: & contrariæ vsus, abusus est & hæresis. De Vel. Virg. cap. 1. in. p.

PRoprium iam negotium passus meæ opinionis, latinè quoque ostendam, virgines nostras velari oportere, ex quo transitum ætatis suæ fecerint: hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum. ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in vsum per successionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominauit. Si semper Christus, & prior omnibus: æquè veritas sempiterna & antiqua res. Viderint ergo quibus nouum est quod sibi vetus est. Hæreseis non tam nouitas quàm veritas reuincit. Quodcunque aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.

Io. 14. 6.

CONSVETVDO. SCHOLIA.

PRIVATVM NEGOTIVM. *Iam Græcè tractauit de Velandis virginibus. Ideo impugnatores passus sum.* EX QVO TRANSITVM. *Ab eo tempore, quo infantiam pudoris & verecundiæ nesciam excesserint. Nihil enim timendum puellis in tenera ætate constitutis.* PRÆSCRIBERE. *Verbum Iuris. Est exceptionem apponere, vt nihil innaleſcat, contra veritatem non tempus, non personarum autoritas, non consuetudo regionum.* VINDICATVR. *Asseritur, defenditur. Aug. libro 83. quæstio. quæst. 31.* Vindicatio est, per quam vis aut iniuria & omnino omne quod offuturum est, defendendo aut vlciscendo propulsatur, &c. Veritas, per quam immutata ea, quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Consuetudo autem ius est, quod aut leuiter natura tractum aluit, & maius fecit vsus, vt Religionem, &c. Aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit. CVI NEMO, *&c. Aug. lib 4. Cont. Donatistas cap. 4. referens Cypr. Ep. 65. ad Antonianum:* Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obiiciunt, quasi consuetudo maior sit veritate; aut non id sit in spiritalibus sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu sancto reuelatum. Hoc planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est. Sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri. *Et lib. 3. Cont. Donatistas cap. 6.* Dicit etiam in ipso Concilio Castus Siccensis; qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est, & malignus, quibus veritas reuelatur, aut circa Deum ingratus est, cuius inspiratione Ecclesia eius instruitur, &c. CHRISTVS VERITATEM. *Aug. ibid. c. 7.* Dicit & Libosus Vagensis, in Euangelio Dominus, ego sum, inquit, veritas: non dixit, ego sum consuetudo Itaque veritate manifestatâ cedat consuetudo veritati. Planè respondeo; quis dubitet ueritati manifestatæ debere consuetudinem cedere, &c. QVOD SIBI. *Quod ex se & natura sua antiquum est.* NON TAM NOVITAS. *Licet & nouitas hæresum eas arguat contra Antiquam veritatem pugnantes, magis tamen antiquitas veritatis eas conuincit, qua Apostolus Christi ab initio Ecclesiæ voluit omnem mulierem velari, cuius generali nomine sexum omnem fœmineum, proindeque virginem inclusit.*

CONTRARIVM.

1. *Contrariis omnia constant: & diuersitas creaturarum oppositarum, magnificentiam eiusdem vnius probat Creatoris. De Ans. cap. 8. à p.*

PRoprietatum priuata discrimina, per quæ magnificentia auctoris ex operum eofundem diuersitate signatur; vt sint tam discreta quàm paria, tam amica quàm & æmula. Siquidem & ipsi philosophi ex contrariis vniuersa constare condicunt, secundum amicitiam & inimicitiam Empedoclis. Sic igitur etsi corporalia incorporalibus objacent, ipsa quoque inter se differunt, vt differentia species eorum ampliet, non genus mutet: vt sint corporalia, sic multa in Dei gloriam, dum varia: sic varia, dum diuersa; sic diuersa, dum his alij qualitatum sensus, alij illis: dum his alia alimenta, alia illis; dum hæc inuisibilia, illa visibilia: dum hæc grauia, illa leuia.

CONTRARIVM. 1. SCHOLIA.

MAGNIFICENTIA AVCTORIS. *Sic Paulus.* Inuisibilia Dei à Creatura mundi. *Syr. à iactis mundi fundamentis* Per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. *Et cum iuxta Salomonem,* Vnus sit sapientiæ Spiritus, & multiplex; *Vnus substantia, operatione multiplex: non solum diuersa, sed emula, id est contraria inuicem Elementa produxit. Discreta quidem & loco & qualitate diſſymbola, paria & similia qualitate symbolica: sicut aër calidus igni consentiens, humidus sicco contrarius.* CONDICVNT. *Simul asserunt, sicut Empedocles omnia dixit constare qualitate amica & inimica.* OBIACENT. *Subiacent, vel opposita sunt.* IPSA QVOQVE *Corporalia scilicet.* NON GENVS. *Substantia scilicet corporea.* DVM VARIA *Id. diuersa specie.* QVALITATVM SENSVS. *Id est diuersimodè se humanis sensibus obiiciunt, vt tactus iudicet mollia & aspera, &c.* HÆC INVISIBILIA. *Non intelligit spiritalia & incorporalia, sed visu imperceptibilia, sicut est aër & ventus: Aug. lib. 13. Confess. c. 32. Tam rerum contrarietatem, quàm ex eis Dei gloriam colligis:* Gratias tibi Domine, videmus cœlum & terram siue corporalem partem superiorem, atque inferiorem, siue spiritalem corporeamque creaturam, atque in ornatu harum partium, quibus constat vel vniuersa mundi moles, vel vniuersa omnino creatura: videmus lucem factam diuisamque à tenebris: videmus firmamentum cœli, siue inter spiritales aquas superiores, & corporales inferiores, primarium corpus mundi, super hoc spatium aëris, & quia hoc vocatur cœlum, per quod vagantur volatilia cœli inter aquas quæ vaporaliter ei superferuntur, & serenis etiam noctibus rorant, & hæ quę in terris graues fluitant Videmus congregatarum speciē aquarum, per campos maris, & aridam terram, vel nudatam, vel formatam, vt esset visibilis & composita, herbarumque atque arborum materiem. Videmus luminaria fulgere desuper; Solem sufficere diei, lunam & stellas consolari noctem, &c. Videmus humidam vsquequaque naturam piscibus, & belluis, & alitibus fœcundatam, &c. *Vbi fusè describit omnia ex contrariis, & concludit Deum laudandum in omnibus sequenti capite:* Laudent te opera tua, vt amemus te, & amemus te vt laudentur opera tua, &c.

2. Contrarietas rerum, & antitheſes ſcripturarum non arguunt diuerſum Deum, ſed eundem prædicant. 4. Cont. Marc. cap. 1. in. f.

NEceſſe eſt, omnis demutatio veniens ex innouatione, diuerſitatem ineat cum his quorum fit, & contrarietatem ex diuerſitate. Sicut enim nihil demutatũ, quod non diuerſum, ita nihil diuerſum, quod non contrarium. Eiuſdem ergo deputabitur etiam contrarietas ex diuerſitate, cuius fuerit demutatio ex innouatione. Qui diſpoſuit demutationem, iſte inſtituit & diuerſitatem. Qui prædicauit innouationem, iſte prænuntiauit & contrarietatem. Quid differentiam rerum ad diſtantiam interpretaris poteſtatum? quid antitheſes exemplorum diſtorques aduerſus creatorem, quas in ipſis quoque ſenſibus & adfectionibus eius poteras recognoſcere? [a] *Ego*, inquit, *Percutiam, & ego ſanabo: Ego*, inquit, *Occidam, & ego viuificabo*; [b] *condens ſcilicet malũ, & faciens pacem*; Quà etiam ſoles illum mobilitatis quoque & inconſtantiæ nomine reprehendere, prohibentem quæ iubet, & iubentem quæ prohiber. Cur ergo non & antitheſes ad naturalia reputaſti, contrarij ſibi ſemper creatoris? nec mundum ſaltim recogitare potuiſti, niſi fallor, etiam apud Ponticos, ex diuerſitatibus ſtructum æmulatum inuicem ſubſtantiarum? Prius itaque debueras alium Deum luminis, alium tenebrarum determinaſſe, vt ita poſſes alium Legis, alium Euangelij adſeueraſſe. Ceterum, præiudicatum eſt ex manifeſtis, cuius opera & ingenia per antitheſes conſtant, eadem formâ conſtare etiam Sacramenta. Habes nunc ad antitheſes expeditam à nobis reſponſionem.

a Deut. 32. 39.
b Eſa. 45. 7.

CONTRARIVM. II SCHOLIA.

NECESSE EST. *Agit contra Marcionem ex mutatalege veteri in nouam, & ex rebus, quas aliquando Deus Creator prohibuit, quas oſtea iuſſit, verbi gratia, ex furto vel fornicatione lege prohibitis, poſtea mandatis, Iſraëlitis in Ægypto ſpolianda, & Oſee fornicationis filios generandi, Deum Creatorem inconſtantem & mobilem publicantem. Sed Tertul. eumdem vtriuſque teſtamenti Authorem probat eſſe Deum Creatorem.* OMNIS DEMVTATIO. *Oportet vt omne quod mutatur, & innouatur, ſit diuerſum ab his à quibus mutatur, & contrarietatem ſumat ex ipſa diuerſitate.* QVORVM FIT *Ex quibus ſit, vel à quibus.* EIVSDEM ERGO. *Eidem imputabitur etiam auctori. Sic concludit Tertul. cont. Marcionem, ſtultè colligentem duos Deos ex duorum Teſtamentorum diuerſitate: cùm idem ipſe qui prædixit nouum, illud quoque condiderit.* QVI PRÆDICAVIT. *Prædixit. Vt ſit clarus ſenſus, aliàs obſcuriſſimus ſic primam hanc partem accipe.* Neceſſe eſt omnis demutatio, &c. *Vt ſit obiectio Marcionis, qua concludat ex diuerſa Teſtamentorum diſpoſitione, & ficta contrarietate, duos Deos contrarios: Cui Tertul. reſpondet* QVI DISPOSVIT, *&c. Quaſi diceret, erras Marcion, non duo diuerſi aut contrarij ſunt dij; ſed ipſe, qui prædixit mutationem veteris legis in nouam, diuerſitatem, & ſi quam fingis contrarietatem, ipſe implenit.* QVID DIFFERENTIAM. *Quid principia diuerſa colligis, ex rerum diuerſarum diſpoſitione?* QVID ANTITHESES. *Antinomias & locos ſcripturæ apparenter oppoſitos, violenter expoſitos, contra Creatorem tenques, cum in promptu habeas in vno eodemque teſtamento veteri exempla & locos, quibus conuincaris, effectus omnino contrarios, in vno eodemque creatore, qui percutiat & ſanet, mortificet & viuificet, faciat bellum & pacem?* AD NATVRALIA. *Iuxta exempla rerum naturalium corporearum, in quibus contrarietates etiam in patria tua Pontica adnotaſti. Si ergo res corporeas vni Deo malo Creatori noſtro contrariorum conditori tribuis, nec duos concludis inde creatores; cur non ſimiliter idem ſenſiſti & apud te reputaſti, videns in eius ſcripturis antitheſes & oppoſitiones vtriuſque teſtamenti?* SALTIM. *Saltem vel curſim, & quaſi ſaltitando percurrendo* SVBSTANTIARVM. *Non ignoranit, ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium, ſed intellexit æmulas & contrarias ſubſtantiarum qualitates.* ALIVM DEVM LVMINIS. *Si effectus contrarij, contrarias & diuerſas cauſas exigunt, quid duos creatores non dixiſti, qui mane & veſpere, lucem & tenebras diuiſit? ſed* Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius Tuus eſt dies, & tua eſt nox, &c. PRÆIVDICATVM. *Planum eſt, ex apertis his exemplis eodem modo Deum noſtrum operari in myſteriis legis, ſicut operatus eſt & agere ſolet in naturæ operibus, vt idem ſit diuerſarum legum conditor, qui & operum naturæ diuerſorum.* HABES NVNC. *Iam tibi Marcion ſolutam facilè Antinomias & Antitheſes ſcripturæ. Aug. lib. 11. de Ciuit. c. 18.* Deus nullum non dico Angelorum, ſed vel hominum crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commendaret, atque ita ordinem ſæculorum tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret. Antitheta enim quæ appellantur in ornamentis elocutionis, ſunt decentiſſima, quæ Latinè appellantur oppoſita, vel quod expreſſius dicitur, contra poſita, &c. His antithetis etiam Paulus Apoſtolus in 2. ad Cor. Epiſtola, illum locum ſuauiter explicat, vbi dicit: per arma iuſtitiæ à dextris & à Siniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces; vt qui ignoramur, & cognoſcimur: quaſi morientes & ecce viuimus, Vt eoërciti, & non mortificati: vt triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egeni, multos autem ditantes: tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes. *An Marcion duos Paulos aut Deos noui Teſtamenti inferet? plures Soles ex tot effectibus? diuerſos ignes ex palea vſtione & auri purgatione?* Sicut ergo iſta contraria contrariis oppoſita ſermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentia, contrariorum oppoſitione ſæculi pulchritudo componitur apertiſſimè hoc poſitum eſt Eccli. 33 Hoc modo: contra malum bonum eſt, & contra mortem vita: ſic contra pium peccator. Et ſic intuere in omnia opera altiſſimi, bina & bina, vnum contra vnum. *Vide eumdem Aug. Epiſt. 5. & 28. Cæterùm hanc muſicam ex contrariis Deo concinit, qui ex eadem Aug. iuxta Eſa. 40. Secundum*

A

B

C

Auguſt.

Auguſt.

70. Profert numerosè sæculum *Et lib. 11. Confess. c. 4.* Ecce sunt cœlum & terra, clamant quod facta Aug. sint, mutantur enim atque variantur. Quidquid autem factum non est, & tamen est, non est in eo quidquam quod antè non erat, quod est mutari atque variari. Clamant etiam quod seipsa non fecerint, ideo sumus, quia facta sumus. Non ergo eramus, antequam essemus, vt fieri possemus à nobis. Et vox dicentium, est ipsa euidentia. Tu ergo Domine fecisti ea qui pulcher es, pulchra sunt enim: qui bonus es, bona sunt enim: qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum; cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt: scimus hæc, gratias tibi. Et scientia nostra, scientiæ tuæ comparata, ignorantia est.

CONTRITIO.

Contritio excitanda, detestando peccata quæ Deus odit. De Pœnit. cap. 4. circa fin.

POeniteat errorum reperta veritate, pœniteat amasse quæ Deus non amat; quandò ne nos quidem ipsi, seruulis nostris, ea, quibus offendimur, non odisse permittimus.

CONTRITIO. SCHOLIA.

REPERTA VERITATE. *Christus veritas est, & fides ab eo infusa pro obiecto veritatem habet, quam amplecti debemus, deserto errore. Deus bonitas est, & summum bonum, quo agnito, dolere debemus, de non amato, & conteri de tanto bono serius amato, sicut dolebat Augustinus, exclamans:* Sero te amaui pulchritudo tam antiqua & tam noua; sero te amaui, &c. *Idem Aug. in Psal. 146.* Qui sanat contri- Augus. tos corde qui cor non conterunt, non sanantur. Quid estenim conterere cor? &c. Cor contritum & humiliatum Deus non spernit, &c. Propè est Dominus his, qui obtriuerunt cor, &c. Contritum sanabitur, elidetur elatum, &c. Sanat ergo humiliatos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes, in sese verum iudicium exercentes, vt possint esse illius misericordiam sentientes, &c. *Et in Psal. 84* Veritas de terra orta est, &c. Chri- Aug. stus de fœmina: orta est, & iustitia, &c. Vt iustitia de cœlo prospiceret, id est, vt iustificarentur homines diuinâ gratiâ, veritas nata est de Virgine Maria, vt posset pro illis iustificandis offerri sacrificium, sacrificium Passionis, sacrificium Crucis. Et vnde offerret sacrificium pro peccatis nostris nisi moreretur? Vnde autem moreretur, nisi à nobis acciperet, vbi moreretur? &c. Quomodo autè moreretur, nisi carnè indueret? quomodo autè carnem indueret, nisi veritas de terra oriretur? *Sed vt & tu iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, dic tu prior peccata tua, vt iustificeris, offer Deo sacrificium contriti cordis Vnde Aug. subiicit*: Possumus Augus. hinc dicere alterum sensum: veritas de terra orta est, confessio ab homine, &c. O terra, qui quando peccasti, audisti, terra es, &c. Oriatur de te veritas, vt respiciat de cœlo iustitia, &c. Tanquam Dei dicentis, parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit: Ignoscamus, quia ipse agnoscit: conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertar & ego ad eum liberandum, &c. POENITEAT AMASSE, *&c. Aug. in eumdem Psal. præcitatum*: Veritas de terra orta est, confessio pecca- Augus. torum ab homine: & iustitia de cœlo prospexit, id est à Domino Deo data est iustificatio confitenti, vt ipse agnoscat impius pium se fieri non posse, nisi ille fecerit cui confiteur, credendo in eum qui iustificat impium, Rom. 4. Tu ergo peccata potes habere, fructum bonum non potes habere, nisi ille dederit cui confiteris: Ideo cum dixisset, veritas de terra orta est, &c. Etenim Dominus, inquit, dabit suauitatem, *Id est gratiam efficacem suauiter & fortiter suadentem animæ, & cum voluptate, doloris lacrymas excitantem*, Et terra nostra dabit fructum suum. Nos ergo respiciamus nos, & si nihil in nobis inuenerimus nisi peccata, oderimus peccata, & desideremus iustitiam. Cum enim cœperimus odisse peccata, iam ipsum odium peccatorum similes nos incipit facere Deo, quia hoc odimus quod odit & Deus. Cum ergo cœperis odisse peccata & confiteri Deo, cum te delectationes illicitæ rapiunt, & ducunt te ad ea quæ non tibi prosunt, ingemisce ad Deum, & confitens illi peccata tua, mereberis ab illo delectationem & suauitatem iustitiæ faciendæ: dabit tibi vt incipiat te delectare iustitia, quem primò delectabat iniquitas: vt qui primò gaudebas in ebrietate, gaudeas in sobrietate: & qui primò gaudebas de furtis, vt tolleres homini quod non habebas, quæras donare non habenti quod habebas. Et quem delectabat rapere, delectet donare: quem delectabat spectare, *Ire ad spectacula*, delectet orare: quem delectabant Cantica nugatoria, & adulterina, delectet hymnum dicere Deo, currere ad Ecclesiam, qui primò currebat ad Theatrum. Vnde nata est ista suauitas, nisi quia Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum? &c. Iustitia ante eum præibit, & ponet in via gressus suos Iustitia illa est, quæ est in confessione peccatorum: veritas enim ipsa est. Iustus enim debes esse in te, vt punias te: Ipsa prima est hominis iustitia, vt punias te malum, *Confitendo corde contrito & per opera pœnalia satisfaciendo.* Et faciat te Deus bonum. Quia ergo ipsa est prima hominis iustitia, ipsa sit via Deo, vt veniat ad te Deus: ibi illi fac viam in confessione peccatorum. Ideo & Ioannes, &c. Parate viam Domino, &c. Placebas tibi in peccatis tuis, ô homo; displiceat tibi quod eras, vt possis esse quod non eras. Parate viam Domino: præcedat ista iustitia, vt confitearis peccata: veniet ille, & visitabit te, quia ponet in via gressus suos: est enim iam vbi ponat gressus suos, est vbi ad te veniat. Ante autem quàm confitereris peccata, intercluseras à te viam Dei, non erat quà ad te veniret. Confitere vitam, & aperis viam, & veniet Christus, & ponet in via gressus suos, vt te informet vestigiis suis conuersum ad Dominum. *Vidisti lector, Augustino teste, pœnitentem Deo similem fieri eidem odientem & amantem. Sic Metamia mutat hominem, vt sicut Christus est via, veritas & vita, sic pœnitens viam ad se Christo parat, veritas de terra oriatur; vita gratiæ ex contritione & morte peccati nascatur, denique sicut Christus per sacrificium crucis mortuus vitam nobis peperit, sic sacrificium contriti cordis, mortuam excitat & viuificat animam.*

CONVERSIO V. MVTATIO.

CORONA.

1. *Coronam capite ferre prohibet naturalis ratio, quæ à Deo est. Qui singulis sensibus sua propria obiecta prouidit. De Corona. c. 5. Per totum. & 6. in 5.*

CVr maior efficitur ratio Christianarum obseruationum, cum illas etiam natura defendit, quæ prima omnium disciplina est? Ideoque hæc prima præscribit coronam capiti non conuenire. Puto autem naturæ Dominus Deus noster est, qui figurauit hominem, & fructibus rerum appetendis, iudicandis, consequendis, certos in eo sensus ordinauit per propria membrorum quodammodo organa. Auditum in auribus fodit, visum in oculis accendit, gustum in ore concluſit, odoratum in naribus ventilauit, contactum in manibus extimauit. Per hæc exterioris hominis administrantia, munerum diuinorum ab anima deducuntur adsensus. Quis igitur fructus ex floribus? substantia enim propria, certè præcipua, coronarum, flores agri. Aut odor, inquis, aut color, aut pariter vtrumque. Qui erunt sensus coloris & odoris? visus, opinor, & odoratus. Istos sensus quæ membra sortita sunt? oculi, nisi fallor, & nares. Vtere itaque floribus visu & odoratu, quorum sensuum fructus est. Vtere per oculos & nares, quorum sensuum membra sunt. Substantia tibi à Deo tradita est, habitus à seculo. Quamquam nec habitus extraordinarius ordinario vsui obstrepit. Hoc sint tibi flores, & inserti, & innexi, & in filo, & in scirpo, quod liberi, quod soluti: spectaculi scilicet, & spiraculi res. Coronam si fortè fascem existimas florum per seriem comprehensorum, vt plures simul portes, vt omnibus pariter vtaris, iam verò & in sinum conde, si tanta munditia est: in lectulum sparge, si tanta mollitia est: & in poculum crede, si tanta innocentia est. tot modis fruere, quot & sentis. Ceterùm in capite quis sapor flo[illegible]? qui coronæ sensus? nisi vinculi tantum: quo neque color cernitur, neque odor ducitur, nec teneritas commendatur. Tam contra naturam est florem capite sectari, quàm cibum aure, quam sonum nare. Omne autem quod contra naturam est, monstri meretur notam penes omnes, penes nos vero etiam elogium sacrilegij in Deum, naturæ Dominum & auctorem. Quæris igitur Dei legem? habes communem istam in publico mundi, in naturalibus tabulis, ad quas & Apostolus solet prouocare. vt cum in velamine feminæ: [a] *Nec natura vos*, inquit, *docet?* Vt cum ad Romanos, [b] *Naturâ facere* dicens *Nationes ea quæ sunt legis*; Et legem naturalem suggerit, & naturam legalem. Sed & in priore epistola, [c] *Naturalem vsum conditionis in non naturalem, masculos & feminas inter se demutasse* Affirmans *ex retributione erroris in vicem pœna*, Vtique naturali vsui patrocinatur.

CAP. VI.
a 1. Cor. 11. 14.
b Rom. 2. 14.
c Rom. 1. 26.

2. *Flores non Coronis capiti, sed naribus, aut medicinæ impendendi. Supel. cap. 42. in. m.*

NOn emo capiti Coronam; quid tua intereſt emptis nihilominus floribus quomodo vtar? puto gratiùs liberis, & solutis, & vndique vagis. Sed & si in coronam coactis, nos coronam naribus nouimus. Viderint qui per capillum odorantur.

CORONA. I. II. SHCOLIA.

CVR MAIOR CHRISTIANARVM. *Id est, qua ratio maior Christianis obseruationibus & moribus inueniri possit, cur præferatur, cur fingitur prævalens, cum natura ipsa prima omnium disciplinarum doctrix, tueatur & defendat Christianas obseruationes?* EXTIMAVIT, *Id est, exteriorem posuit vel extremum sensuum.* FODIT. Aures autem fodisti mihi, perfeciſti mihi. *Nullis melioribus terminis sensus corporeos potuit exprimere. Pro.* Extimauit. *Alij minus dicte legunt,* Æstimauit. *Nisi respicias Anaros, qui res æstimant, quas manibus apprehendunt.* ADMINISTRANTIA. *Propriè sensus exteriori homini corporeo administri, quibus anima percipit munera diuina largitatis, dum ipsa adsentitur corpori sentienti.* ADSENSVS. *Aug. lib. 2. de lib. arbitrio. Vbi cum Euodio interloquitur toto cap. 7. & 8. de sensibus externis & internis; inter cæteras* Corpora mutabilia esse cognoscis, & ipsam vitam, quâ corpus animatur, per affectus varios mutabilitate non carere manifestum est. Et ipsa ratio, cum modo ad verum peruenire nititur, modo non nititur; & aliquando peruenit, aliquando non peruenit, profectò mutabilis esse conuincitur. Quæ si nullo adhibito corporis instrumento, nec per tactum, nec per gustum, nec per olfactum, nec per aures, nec per oculos, nec per vllum sensum se inferiorem, sed per seipsam cernit æternum aliquid & incommutabile, simul & seipsam inferiorem, & illum oportet Deum suum esse, fateatur, &c. FRVCTVS EST. *Fruitur sensus visus colore, & odoratus odore floris.* MEMBRA, *Organa.* SVBSTANTIA *Florum.* HABITVS. *Id est ordo & dispositio florum in modum Coronæ* A SECVLO. *A Gentilitate idololatra.* OBSTREPIT. *Aduersatur, modo corone florea vsui communi seruiant, nil periculi.* IN SCIRPO. *Sine iunco, sine filo nexi sint flores.* SPIRACVLI, *&c. Flores à Deo creati, vt oculus spectet, vel naris spirando oderetur.* TANTA

S. Augst.

MVNDITIA. *Si adeo sunt mundi flores vt lilia.* CREDE, *Cum fiducia mitte in potum si innocens est flos.* NEC VINCVLI, *Vt caput impediat & vincire.* ELOGIVM SACRILEGII. *Notam. Quod vsum à Deo institutum peruertas.* IN PVBLICO. *Aperto & communi mundi sensu.* NEC NATVRA. *1 Cor. 11. 13. 14.* Vos ipsi iudicate, decet mulierem non velatam orare Deum? nec ipsa natura docet vos? *Syr. nonne & ipsa natura?* NATVRA FACERE *Rom. 2. 14.* Genres quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. *Aug. in Psal. 57.* Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, vt esset vnde iudicarentur, & quibus non esset lex data, &c. *Et lib. 2. de ser. Domini in monte:* Nulla est anima quantumuis peruerta, quæ tamen vllo modo ratiocinari potest, in cuius conscientia non loquatur Deus. Quis enim scripsit in cordibus hominum naturalem legem nisi Deus? De qua lege Apostolus ait: cùm enim gentes quæ legem non habent naturaliter, &c. Quapropter omnis anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cùm cogitat & ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendū est, sed ipsi lumini veritatis, à qua vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, vt verum aliquid in ratiocinando sentiat. NATVRALEM VSVM *Rom. 1. 26.* Fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit, erroris sui, in semetipsis recipientes. CONDITIONIS *à Deo conditum & rectè ordinatum vel rei conditæ, siue creaturæ.* PATROCINATVR, *Causam suscipit legis naturalis, contrà quam faciunt, qui capitis flores ingerunt, quos natura lex oculis & naribus subiecit.*

August.

August.

2. NON EMO. *Obiicis mihi tu Gentilis me non emere coronam quam imponam capiti. Non minus tamen emo flores, & vtilis sum commercio; sed meliori, & naturali vsu fruor. Vide dicta Scholio præcedenti.*

3. *Coronas Hebræus populus nec in Lætitia tulit. Nec Christo imponit spineam, sed Romani milites. De Cor. cap. 9. in fin.*

NEc illam impietatis contumelioſæ coronam populus consiuit. Romanorum militum commentum fuit, ex vsu rei secularis, quem populus Dei nec publicæ vnquam lætitiæ, nec ingenitæ luxuriæ nomine admisit; facilius cum tympanis & tibiis & psalteriis reuertens de captiuitate Babyloniæ, quàm cum coronis: & post cibum & potum exurgens ad ludendum sine coronis. Nam neque lætitiæ descriptio, neque luxuriæ denotatio, de coronæ decore, aut dedecore tacuisset. Adeò & Esaias, a *Quoniam*, inquit, *Cum tympanis & tibiis & Psalteriis bibunt vinum*: Dicturus esset etiam cum coronis, si vnquam hic vlus fuisset in Dei rebus.

1. Esdr. 3. 65. Exo 32. 2. a Esa 5. 16.

CORONAS HEBRÆVS. III. SCHOLIA.

IMPIETATIS CONTVMELIOSÆ. *Supra verbo* Christi corona spinea *De hac diximus contumelia.* MILITVM COMMENTVM. *Milites Romani hoc genus contumelioſi doloris inuenerunt.* REI SÆCVLARIS. *Ex vsu idololatriæ Romanæ, qua & victimas etiam iuxta Platonem, & Pontifices coronabant.* POPVLVS DEI, *Iudæus.* PVBLICÆ *In festis & solemnitatibus.* INGENITÆ LVXVRIÆ *Gastrimargiæ & cultus ventris.* FACILIVS, *magis, potius. Primi Esdræ. 2. 65. meminit Musica* Et in ipsis cantores atque cantatrices ducenti.

C POST CIBVM. *Exo. 32. 6.* Surgentes manè, & obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. DENOTATIO. *Reprehensio.* DECORE *In festo publico.* DE DECORE, *In luxu & gula priuata vel publica.* CVM TYMPANIS. *Esa. 5. 12.* Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum, in conuiuiis vestris: *Tertul. secutus suo more 70. hæc omnia sapiunt Idololatriam, & luxum. Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 12.* Apollini Delphico instituti sunt ludi musici, vt placaretur ira eius. S. Augustin.

4. *Coronarum vsus nullus fuit vlli veterum Sanctorum. De Cor. cap. 9. in p.*

QVis denique Patriarches, quis Prophetes, quis Leuites, aut Sacerdos, aut Archon, quis vel postea Apostolus, aut Euangelizator, aut Episcopus inuenitur coronatus? Puto nec ipsum Dei templum, nec Arca testamenti, nec tabernaculum Martyrij, nec altare, nec Candelabrum: quibus vtique & in prima dedicationis solemnitate, & in secunda restitutionis gratulatione competisset coronari, si dignum Deo esset. Atquin si figuræ nostræ fuerunt a (*Nos enim sumus & templa Dei*, Et altaria, & luminaria, & vasa) hoc quoque figuratè portendebant homines Dei coronari non oportere. Imagini veritas respondere debebit.

3. Reg. 6. 1. 3 Reg 8. 1. 1. Esdr 5. 3 & seq. 1. Cor. 10. 6. a 1. Cor. 3. 16.

CORONARVM VSVS. IV. SCHOLIA.

PATRIARCHES. *Vtitur vocibus Gratis.* ARCHON. *Principem Synagogæ intelligit, aut Principem Sacerdotum.* AVT SACERDOS. *Pace Tertulliani dixerim, nisi præcisè de corona floreâ, aut ex aliqua planta, loquatur, Sacerdos veteris legis, coronatus erat. Nam & ipse supra cidarim meminit Iesu Iosedech Sacerdotis, & vitæ Hyacinthinæ Sacerdotis*

D *in capite. Et Eccli 45. 14. Vbi de Aaron summo Pontifice;* Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis. *Et lamina aurea in fronte Pontificis; Exo. 28. Et Psal. 20. Corona de lapide pretioso Regi Pontifici Christo, de qua Aug. ibid.* In principio sermonis eius, accedentes ambierunt eum lapides pretiosi discipuli sui, à quibus exordium anhun- S. Augustin.

tiationis eius fieret. NEC ARCA. *Contra tamen Exo. 25. vt & mensa sic Arca coronata, & altera aureola, quæ ex Rup. 4. super exodum requiem contemplationis designat, aureola verò, cuius mensura tacetur, gloriam, quam beatus non vidit, &c.* TABERNACVLVM MARTYRII, *Testimonij. Vnde & Basilicæ Martyrum, dicta martyria, quod testificarentur martyrum Passionem.*

5. Coronarum vsus nullus Christianis; vnde & eas ferre delictum est, licet Scriptura nil contra præscribat. De Cor. cap. 1. in fin. & 2. in p.

VBi autem prohibemur coronari? hanc magis localem substantiam causæ præsentis adgrediar, vt & qui ex sollicitudine ignorantiæ quærunt, instruantur: & qui in defensionem delicti contendunt, reuincantur; ipsi vel maximè Christiani laureati, quibus id solum quæstio est; quasi aut nullum, aut incertum saltem, haberi possit delictum, quod patiatur quæstionem. Nec nullum autem nec incertum, hinc interim ostendam. Neminem dico fidelium coronam capite nosse alias extra tempus tentationis eiusmodi. Omnes ita obseruant, à catechumenis vsque ad confessores & martyras, vel negatores. Videris vnde auctoritas moris, de qua nunc maximè quæritur. Porrò cùm quæritur cur quid obseruetur, obseruari interim constat. Ergo nec nullum nec incertum videri potest delictum, quod committitur in obseruationem suo iam vindicandam nomine, & satis auctoratam consensus patrocinio. Planè, vt ratio quærenda sit: sed saluâ obseruatione: nec [a] *In destructionem eius, sed in ædificationem* Potius: quo magis obserues, cum fueris etiam de ratione securus. Quale est autem, vt tunc quis in quæstionem prouocet obseruationem, cum ab ea excidit? & tunc requirat vnde habuerit obseruationem, cùm ab ea desiit? quando etsi ideo velit videri ad quæstionem vocare, vt ostendat se non deliquisse in obseruationis destitutione, nihilominus deliquisse eum constet retro in obseruationis præsumptione. Si enim non deliquit hodie suscepta corona, deliquit aliquando recusata. Et ideo non ad eos erit iste tractatus, quibus non competit quæstio, sed ad illos, qui studio discendi, non quæstionem deferunt, sed consultationem. Nam & semper quæritur de isto, & laudo fidem quæ ante credidit obseruandum esse quàm didicit.

CAP. 11.

a 2. Cor. 13. 10.

CORONARVM VSVS. V. SCHOLIA.

VBI AVTEM. *Inducit obiicientes pro vsu coronarum, quo loco Scripturæ inhibitus est coronarum vsus?* LOCALEM SVBSTANTIAM. *Hoc loco tractabo huius causæ substantiam. Vt qui solliciti sunt de institutione ignorantiæ suæ, doceantur; & conuincantur qui hoc quærunt, vt delictum suum tueantur ex ignorantia prohibitionis.* IPSI. *Aliter alij legunt,* Ipsius vel maximè exemplo Christiani laureati, quibus in solatium *Id est suffugium & excusationem delicti* Quæstio est. *Nos aliter cum Rigaltio.* Ipsi vel maximè Christiani laureati, quibus id solum quæstio est. *Quasi diceret, si qui vsum coronæ defendunt, Christiani sunt milites laureâ donati, de quibus & ob quos id in quæstione versatur; Vtrum scilicet Christiano liceat coronari.* NEMINEM DICO. *Concludit, nulli prorsus licere.* ALIAS. *Aliter quidem respondeo, licitum fore.* EXTRA TEMPVS. *Modo non agatur de probatione fidei, cuius integritas violatur, dum idololatrarum more coronâ fertur. Aliàs, vt supra vidimus, siue solutos, siue coactos in coronam flores spectare & odorari libet.* VEL NEGATORES, *Quos opponit Martyribus, qui tamen vsque ad negationis tempus, coronis abstinent.* PLANE VT RATIO. *Esto, inquit, demus licentiam inquirendi, cur Christiani omnes abstineant à coronis, sed interim hic mos obseruandus est, inuiolabilis, & si ratio quæritur, & datur, confirmet vsum & non destruat.* QVALE EST, *&c. Quàm stultè Sancti vsus & moris violator, post eius transgressionem, inquirit obseruantiæ veteris rationem.* QVANDO, *Quandoquidem licet idcirco hæc deferre videatur proponere quæstionem, vt ostendat se non peccasse deferendo sanctam consuetudinem, constet tamen eum prius peccasse, cùm præsumeret obseruandum id, cuius rationem ignorabat.* DE ISTO. *Supple studio discendi, semper quæstiones oriuntur; sed quando discendi, & consulendi animo proponuntur, laudandus est quærens, vt corrigenda qui contumaci animo, altercandi causâ, quæstiones ventilat.* LAVDO FIDEM, *&c. Simplicitas fidei laudabilis, quæ etiam antequam didicerit rationem, vsum tamen sanctum obseruandum putat. De obseruatione consuetudinis Sanctæ, Sæpè Augustinus, sed pulchrè lib. 4. Confess. c. 8* Violatur ipsa Societas, quæ tum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ille author est, libidinis peruersitate polluitur. *Quod & de abusu florum dicere licet.* Quæ autem contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se ciuitatis aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nullâ ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est, suo vniuerso non congruens. Cùm autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet, iubet & si numquam ibi factum est, faciendũ est: & si omissum, instaurandum est: & si institutum non erat instituendum est. Si enim Regi licet in ciuitate, cui regnat, iubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse vnquam iusserat, & non contra societatem ciuitatis eius obtemperatur, imò contra Societatem non obtemperatur: Generale quippè pactum est Societatis humanæ, obedire Regibus suis: quantò magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea quæ iusserit, sine dubitatione seruiendum est? &c. *Et lib. 7. contra Donatistas, vbi de consuetudine non rebaptizandi hæreticos. Sic inducit Felicem:* In hæreticis sine baptismo Ecclesiæ admittendis, nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudine ratio & veritas semper excludit. Huic respondetur, veritatẽ non ostendis, de consuetudine confiteris. Rectè igitur consuetudinem teneremus plenario

A

B

C

D

Aug.

Aug.

nario Concilio posteriore firmatam; etiamsi veritas adhuc lateret, quam credimus iam esse manifestam. *Mos ergo Sanctus abstinendi à coronis, ratione firmatus à Tertul. duplici causa seruandus est.*

6. Coronæ omnino interdictæ, tum ob vilitatem; tum ob Idololatriam. De Cor. cap. 13. à m. ad fin. & 14. in p.

VNiuersas (vt arbitror) causas enumerauimus. Nec vlla nobiscum est: omnes alienæ, profanæ, illicitæ, semel iam in Sacramenti testatione cieratæ. Hæ enim erant pompæ diaboli & Angelorum eius, officia seculi, honores, solemnitates, popularitates, falsa vota, humana seruitia, laudes vanæ, gloriæ turpes: & in omnibus istis idololatria, in solo quoque censu coronarum, quibus omnia ista redimita sunt. Præfabitur quidem Claudius etiam cœlum sideribus apud Homeri carmina coronatum. Certè à Deo, certe homini. Igitur & homo ipse à Deo coronandus est. Cæterum à seculo coronantur & lupanaria, & latrinæ, & pistrina, & carcer, & ludus, & ipsa amphitheatra, & ipsa spoliaria, ipsæque libitinæ. Quàm sacersanctus, quàmque honestus ac mundus sit habitus iste, noli de vno Poëtico cœlo, sed de totius mundi commerciis æstimare. At enim Christianus nec ianuam suam laureis infamabit, si norit quantos Deos etiam ostiis diabolus affixerit, Ianum à janua, Limentinum à limine, Forculum & Cardam à foribus & cardinibus, & apud Græcos Thyræum Apollinem, & Antelios dæmonas. Tanto abest vt capiti suo monus inferat idololatriæ, immò iam dixerim Christo, siquidem a *Caput viri Christus est*, Tam liberum quàm & Christus ne velamento quidem obnoxium, nedum obligamento. CAP. XIV. a 1. Cor. 11. 3. & 4.

CORONÆ OMNINO. VI. SCHOLIA.

CAVSAS, *Ob quas vsus coronarum innectus est.* ENVMERAVIMVS. *Habes infra num.* 10. *numeratas.* NOBISCVM, *Nobis Christianis nulla fauet.* SEMEL, *Prorsus & absque spe resumendi.* TESTATIONE, *Alij.* Tinctione. *Vox frequens Auctori in significando baptismo.* EIERATÆ, *Reiectæ, condemnatæ in iureiurando Christo præstito in baptismo.* HÆ ENIM, *&c. Recenset pompas diaboli.* OFFICIA SÆCVLI. *Magistratus Gentilium, vel donatiuum militare, coronas item quæ dabantur ob officium exhibitum Principi vel Reipublicæ.* HONORES, *Triumphos.* SOLEMNITATES, *Solemnia Cæsarianorum.* POPVLARITATES, *Honores, triumphos, Magistratus, à populi suffragio mendicatos, vnde & alij legunt non inepte* Postularitates. FALSA VOTA, *Quia fictè vouebant victimas pro Imperatoris salute, quem mortuum cuperent, vt alter regnaret.* HVMANA SERVITIA. *Nuptiarum scilicet, in quibus per mutuam traditionem corporum inuicem Dominio suo cedunt, iuxta Paulum:* Mulier sui corporis potestatem non habet. *Malim simplicius, cum de pompis agatur, intelligere turbam sequacem famulorum.* LAVDES VANÆ. *Quibus applaudebatur seruo emancipato (cum vna & vera libertas sit, seruituti peccati collum subducere, & Christi suauis iugo subdere dicenti libertis suis:* Iam non dicam vos seruos, sed amicos *Et rursum:* Volo Pater vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. GLORIÆ TVRPES. *In agone & stadio, ob spectaculum turpe exhibitum mundo.* IDOLOLATRIA, *Quæ in his omnibus apud Gentiles regnat* DE SOLOCENSV, *&c. Id est origine coronarum sumpta ab Idolis. Vel per* Census *Accipe sumptum & impensas magnas, quæ in diis pompis effundebantur.* REDIMITA. *Cincta, coronata sunt.* CLAVDIVS, *Author cognomento Saturninus, de quo infra num. 12. à m.* Plura quærentibus, omnia exhibebit præstantissimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturninus. Nam est illius de coronis liber. *Et num 13.* Habes omnium Collegiorum Sacerdotaliũ coronas apud Claudium. APVD HOMERI, *&c. Iliad. 18. Dum agit de Clypeo Achillis.* Sidera deinde omnia, quibus cœlum est coronatum. LVPANARIA. *Vbi prostitutis locis appensa erant corona. Ex Plin. filia Augusti prostituta locum adibat, vbi erat Marsyæ insignis tibicinis statua, qui ex Ouidio Satyrus fuit, & tibiis inuentis, ausus Apollinem ad certamen prouocare victus ab eo excoriatus est. Statua eius in quodam prostitutionis loco Romano videbatur, ex Seneca 6. Benef. quam ex Plin. supra, filia Augusti coronabat. Plin. lib. 21. cap. 23.* P. Munatius, cùm demptam Marsyæ coronam à floribus capiti suo imposuisset, atque ob id duci eum in vincula triumuiri iussissent, appellauit Trib. Pleb. Nec intercessere illi aliter quàm Athenis, vbi comessabundi iuuenes ante meridiem conuentus sapientium quoque doctrinæ caussa frequentabant. Apud nos exemplum licentiæ huius non est aliud, quàm filia D. Augusti, cuius luxuriâ noctibus coronatum Marsyam, literæ illius Dei gemunt. ET LATRINÆ. *Quanta infamiæ coronarum!* LVDVS, *Literarius, Gymnasium; vel ludus gladiatorius, vbi ars armorum discebatur.* AMPHITHEATRA, *Vbi non iam conuiuia ludicra, sed cruenta cum hominibus & bestiis agebatur.* SPOLIARIA, *Locus, in quo seruabantur vestes balneandorum, vel Athletarum & gladiatorum.* LIBITINÆ. *Feretra mortuorum. Vnde & gladiatores Bustuarij, super busto mortuorum exhibiti libitinarij, & mors ipsa dicta Libitina.* CERTE A DEO, *Supple veræ coronæ expectandæ, non Ariadnæ coronæ, inter sidera relatæ, sed corona stellarum duodecim, sicut eam capite præfert Ecclesia triumphans significata per mulierem illam Apocalypsis 12. & secundum ipsum Ioannem in eodem libro:* Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam. CERTE HOMINI, *Id est, si cœlum coronatum est stellis, hic ornatus ei à Deo vero datus est. Et homini Deum colenti destinatum. Vel* Certè homini, *Non lupanari, latrinæ, &c. corona danda est. Procul profanus vsus coronarum à Sacerdotibus & victimis Gentilium, accipe Augustinum de Pauli corona scribentem, in supplemento parte 1. ser. 41. De celebritate Sabbati Apostolorum Petri & Pauli.* Ego, inquit, iam immolor. Nemo cum tanta exultatione dicit se pransurum, & magnas epulas laturum, cum quanta exultatione dicit se esse passurum. Ego, inquit, iam immolor. *Vulgata, delibor.* Quid est immolor? Sacrificium ero. Sacrificium cuius? Dei: quia pretiosa in conspectu Domini mors Omniloquium Tit S Aug.

mini mors sanctorum eius. Ego, inquit, immolor: secerus sum: habeo sursum Sacerdotem qui me offerat Deo. Ipsum habeo Sacerdotem, qui prior pro me victima fuit. *Et quidem spinis coronata.* Tempus resolutionis meæ instat. Soluenda vincula carnalium membrorum, accipienda indumenta & ornamenta aternarum virtutum. Securus ponebat carnem, coronam accepturus. Fœlix muratio, sancta migratio. Quàm beata mansio? Fides eam videt, nondum oculus: quia nec oculus vidit, &c. *Tot floribus variegatam coronam, tot stellis Gnossiam Ariadnes consertam, &c.* Vbi sunt sancti illi putamus? Ibi vbi bene est. *Vbi coronas sunt irides, cum Apocalypsis Angelo; ex Tertulliano cœlesti prato, de quo & Psaltes & paulo & fœdere aterna pacis, qui posuis fines tuos pacem, coronatte in misericordia &* S. August. *miserationibus.* Quid quæris amplius? Non nosti locum, sed cogita meritum. Vbicumque sunt, cum Deo sunt. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum: sed ad locum sine tormento, per tormenta transierunt: ad locum latitudinis per angustias transierunt. Non ergo timeat laboriosam viam, qui talem desiderat patriam. Tempus, inquit, resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, &c. Merito festinas, metuo te immolandum esse lætaris: supereſt enim tibi corona iustitiæ. Adhuc imminet amaritudo passionis: *Corona spinea prius imponenda capiti, post sequetur immarcessibilis & amaranthina gloria corona:* Sed transit eam passuri cogitatio, & quid vltra sit cogitat: non quà itur, sed quò itur. Et quia cum magno amore cogitatur quò itur, cum magna fortitudine calcatur qua itur, &c. Quam reddet mihi iustus iudex. Reddet iustus: antè non reddidit. Nam si, ô Paule primò Saule, quando persequebaris sanctos Christi, &c. Exerceret circa te Dominus iustum iudicium, vbi esses? Tanto sceleri tuo quis locus in fundo gehennæ reperiretur? Sed tunc tibi non reddidit, vt modò reddat, &c. Si persecutus es Ecclesiam Dei, vnde ergo Apostolus? Sed gratia Dei sum id quod sum. Antè gratia, modo debitum. Ante gratia donabatus, modo debitum redditur, &c. Quidquid sum, gratiâ Dei sum, &c. Bonum agonem certasti. Sed quis fecit vt vinceres? lego tibi te, & tu dicis: gratias ago Deo, qui dedit nobis victoriam, &c. Sequere aliud: cursum consummaui. Et hoc quis in te? Nonne tu dixisti, non volentis, neque currentis, &c. Dic quod sequitur: fidem seruaui. Et hoc vnde tibi? Audi verba tua: misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Ergo fidem seruasti ex Dei misericordia, non ex fortitudine tua. De cætero ergo supereſt tibi corona iustitiæ, quam reddet, &c. Sed etiam hîc non extollatur cervix tua, quia dona ipsius sunt merita tua. *Ideo & in lib.* Machab. optimam habent repositam gratiam. *Quia corona iustitiæ est & misericordia.* PORTICO COELO. *Ab Homero Poëta coronato. Non tam æstimare debes gloriam corona, ex cœlo ab vno Poëta coronato, quàm ex negotiis spurcis & fœdis; quibus infamatur vsus coronarum.* SAGER SANCTVS *Ob Reges & Sacerdotes coronatos.* IANVAM INFAMABIT, *Reddet infamem, vel famosam idololatria superstitione.* AFFIXERIT, *Ob fictos & fabulosos Deos. Alij,* Affixerit *Immobilia simulachra, custodes absque oculis & manibus, insensibiles.* IANVM. *Idem Tertull. libro de Idol. c. 19.* Ipsum Ianum à Ianua. *Aug. lib. 7. de Ciuit. & 3.* Quæ causa tot selectos Deos ad hæc opera minima compulit, &c. Confert selectus Ianus aditum, & quasi ianuam seminì, &c. Respondetur omnium initiorum potestatem habere Ianum, & ideo illi etiam quod aperitur conceptui, non immeritò tribui. LIMENTINVM. *Aug. lib. 4. de Ciuit. c. 8.* Vnum quisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omnino sufficit. Tres Deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non poterat Forculus simul fores & cardinem limenque seruare. *Rident item masculos & fœminas appositas Ianuis lib. 6. de Ciuit. c. 7.* Cur Forculus qui foribus præest, & Limentinus qui limini, dij sunt masculi, atque inter hos Cardea fœmina est, quæ cardinem seruat? *Idem repetit Tertull. in Scorpiaco. Et de Idol. c. 15.* THYRÆVM. *Sive Græcis Ianua est. Quasi ianitor igitur & Apollo.* ANTELIOS. *Statuas subdiales ad ianuam positas ex aduerso Solis interpretatur Hesychius. Vnde idem Tertull. de Idol. cap. 15.* Etiam apud Græcos Apollinem Thyræum & Antelios ostiorum præsides legimus. MVNVS. *Ab idololatria acceptam coronam.* TAM LIBERVM, Qua libertate nos Christus donauit. Liberæ filios, non ancillæ. *Vt nulli alteri quàm Deo vni & vero seruiamus, de quo Paulus,* Cum omnia subiecerit ei Pater, tunc & filius subiectus erit ei, &c. Et, caput Christi Deus. NE VELAMENTO, *Quia ex Paulo vir liber & detecto capite irare debet.* OBLIGAMENTO. *Corona quæ ligat & impedit caput.*

A B C D Augustin. Augustin.

7. *Corona idolis & mortuis data, fideli, viuenti ex fide Dei veri, non conuenient.*

De Cor. cap. 10. in p. ad circa f.

CVm ideirco proponis, deorum secularium ornamenta etiam apud Deum deprehendi, vt inter hæc coronam quoque capitis communi vsui vindices; ipse tibi iam præscribis non habendum in communionem vsus, quod non inueniatur in Dei rebus. Quid enim tam indignum Deo, quàm quod dignum idolo? Quid autem tam dignum idolo, quàm quod & mortuo? Nam & mortuorum est ita coronari: quoniam & ipsi idola statim fiunt & habitu & cultu consecrationis, quæ apud nos secunda idololatria est. Igitur qui sensu careant, illorum erit perinde vti carere, cuius careant sensu, atque si abuti ea vellent, si sensu non carerent. Nulla verò distantia est abutendi, cum veritas cessat vtendi, cessante natura sentiendi; Qua vult quis abutatur, cum non habeat qua vtatur? Nobis autem abuti apud Apostolum non licet, facilius non vti docentem. nisi quod nec abutuntur qui nihil sentiunt: sed vacat totum, & est ipsum quoque opus mortuum, quantum in idolis: viuum planè quantum in dæmoniis, ad quæ pertinet superstitio. [a] *Idola Nationum,* inquit Dauid, *Argentum & aurum: oculos habent, nec vident: nares, nec odorantur: manus, nec contrectant.* Per hæc enim floribus frui est. Quod si tales edicit futuros, qui idola fabricantur, tales iam sunt qui secundum idolorum ornatum quid vtuntur. [b] *Omnia munda mundis; ita &*

1. Cor. 7. 31.

a Psal. 113. 4. & seq.

b Tit. 1. 15.

immunda omnia immundis: Nihil autem immundius idolis. Cæterùm ſubſtantiæ mundæ vt Dei res & hac ſua conditione communes vſui: ſed ipſius vſus adminiſtratio intereſt. Namet. Cor. & ego mihi gallinacium macto, non minus quàm Æſculapio Socrates: & ſi me odor alicuius loci offenderit, Arabiæ aliquid incendo: ſed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola. Si enim verbo nudo conditio polluitur, vt Apoſtolus docet; c *Si quis autem dixerit; hoc idolothytum eſt, ne contigeris:* Multo magis cum habitu, & ritu, & apparatu idolothytorum, contaminatur. Ita & corona idolothytum efficitur. Hoc enim ritu, & habitu, & apparatu idolo immolatur auctoribus ſuis: quorum eò vel maximè proprius eſt vſus, ne in communionem poſſit admitti, quòd in Dei rebus non inuenitur. 10. 28.

CORONA. VII. SCHOLIA.

IDCIRCO, *&c. Attende Chriſtiane, quem delectat coronari, fruſtra te in hoc vſu excuſare ab idololatria ſuſpicione, eò quod dicas & videas, fideles communiter vti rebus quibus vtuntur & Ethnici; Hæc enim & contra te retorqueo, ideo te debere abſtinere à coronis, quarum vſus in rebus Dei veri, hoc eſt ſacris, non deprehendatur, nec inueniatur.* ORNAMENTA *alij*, Commopta, *Inuentiones ornamentorum, maximè coronarum de quibus eſt Sermo.* APVD DEVM, *In cultu veri Dei.* QVOD MORTVO. *Quia idola ſenſu carent, & conſecrata ſunt hominibus mortuis:* ITA CORONARI. *Vſus Gentilium notiſſimus, quo mortuos coronabant. Sic Minutius Felix:* Nec mortuos coronamus. *Sicut vos Gentiles. Quibus id exprobrat Clem. Alex. 2. Pædag c. 8.* Mortuos coronas. IPSI, *Mortui ſcilicet, idolorum ſpeciem induunt, veſte, corona, conſecratione diuina donati.* SECVNDA. *Quia prima eſt dæmonum, ſecunda hominum mortuorum.* QVI SENSV CARENT. *Id eſt proprie pertinet ad mortuos corona in capite: vt enim ſenſu carentes, nec poſſunt videre & odorari flores, ſic coronis abutuntur, & fruſtra coronantur; ſicut facerent viui homines capite coronati; abutuntur enim floribus, quibus in hoc loco poſitis vti non poſſunt, totus enim vſus eſt, vt ſeruiant oculis & naribus.* SI ABVTI VELLENT. *Mortui ſcilicet, ſi viuerent, ſic abuterentur floribus, quibus nunc ſenſu priuati, vti non poſſunt.* VERITAS VTENDI, *Verus vſus eſt per dictos ſenſus. Cum, inquit, verus vſus florum ceſſat, vt vere ceſſat in mortuo carente ſenſibus, quibus ſis vtendum eſt, & æquè verè ceſſat cum capiti vino imponuntur: licet mortuus proprie non dicatur abuti, quia abuſus proprie non competit, niſi ei cui competit & vſus: Nihil tamen diſtat in rei ſubſtantia ab abuſu: vnde colligit vinos capite coronatos, ab idolis & mortuis, in hoc non diſtare.* NOBIS. *Chriſtianis, viuis gratia, & Deo viuo & vero ſeruientibus.* APVD APOSTOLVM. 1. *Cor. 7. 31.* Qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur. *Syr.* Præter æquum vſum, non vtantur. NON LICET, *Tantum abeſt vt cum mundo Gentili abuti liceat floribus, cùm, nec ſolo nomine,* Abuſus, *Vt nobis licet, à quo abſtinuit Paulus, malens dicere,* Non vtantur; *Quàm,* Abutantur. NISI QVOD *&c. Sed quamquam Paulus non de viuis, ſed de mortuis loqueretur, non diceret,* Non abutantur; *Quia, cùm mortui nullo ſenſu vtantur, eo abuti non poſſunt.* SED VACAT TOTVM. *Prorſus inutilis eſt vſus coronarum & mortuis, ſicut eſt in capite idolorum.* VIVVM PLANE, *&c. Quia ſolis dæmonibus viuentibus, & ſentientibus cultum ſibi in idolis & mortuis coronatis exhibitum grata eſt ſuperſtitio coronarum, quarum ſunt Auctores, quaſque hominibus ſuggeſſerunt.* IDOLA NATIONVM. *Pſal. 113. 4. & ſeq.* Simulacra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt.

A Aures habent & non audient: Nares habent, & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt, &c. *Quem locum Aug. fusè explicat enarratione ſecunda.* Habent quidem & ærea & lignea, & fictilia simulachra, & huiuſcemodi alterius materiæ, ſed pretioſum eorum maluit commemorare Spiritus ſanctus, quia cum in eo quiſque quod illi charius eſt, erubuerit, multò facilius auertitur à veneratione viliorum, &c. Noli addere manus hominum, vt ex eo metallo quod fecit verus Deus, velis facere falſum Deum. Imò falſum hominem, quem pro vero venereris Deo, quem quiſquis pro vero homine in amicitiam reciperet, inſaniret, &c. Os habent & non loquentur, &c. Iam ergo artifex melior eſt eis, quia ea potuit membrorum motu, atque officio fabricare, quem tamen artificem te vtique puderet adorare. Melior & tu, quamuis ea non feceris, quoniã quæ illa non poſſunt, facis. Melior eſt etiam beſtia, ad hoc enim additum eſt, non clamabunt in faucibus ſuis, &c. quantò ergo magis vel melius mures atque ſerpentes, & id genus animantium colerent, quæ de ſimulachris Gentium, ſi ita dicendum eſt, quodammodo iudicant, in quibus, quia non ſentiunt humanam vitam, non curant humanam figuram. Itaque in eis plerumque nidificant, & niſi humanis moribus deterreantur, nulla ſibi habitacula munitiora conquirunt. Mouet ergo ſe homo, vt viuentem beſtiam à ſuo Deo deterreat, & illum non ſe mouentem, quaſi potentem colit, à quo meliorem deterruit. Deterruit enim videntem à cæco, audientem à ſurdo, clamantem à muto, ambulantem ab immobili, ſentientem ab inſenſato, viuentem à mortuo, imò deteriore quàm mortuo. Mortuum quippè ſicut manifeſtum eſt non viuere, ita manifeſtum eſt aliquando vixiſſe; quapropter Deũ qui nec viuit, nec vixit, profectò & mortuus antecedit. FRVI EST. *Datur fruì.* FABRICANTVR, *Pro* Fabricant. TALES FVTVROS. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis *Aug. ibid. in p.* Quamuis Deum noſtrum carnalibus oculis veſtris non poſſimus oſtendere, quem per opera intelligere debuiſtis; nolite tamen ſeduci vanitatibus veſtris, quia vos ea quæ colitis, digito oſtendere poteſtis. Multo quippè honeſtius non haberetis quod poſſetis oſtendere, quam vt in eo quod iſtis oculis à vobis oſtenditur, veſtri cordis cæcitas oſtendatur. *Ex in verſum* 8 Similes illis fiant, &c. Videant ergo iſti apertis & ſentientibus oculis, & adorent clauſis & mortuis mentibus, nec videntia, nec viuentia ſimulachra. Domus autem Iſraël ſperauit in Domino. Spes enim quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? ſi autem quod nõ videmus, ſperamus, per patientiam expectamus Rom. 8. QVI ET VTVNTVR. *Aligno ornatus, in ſimilitudinem idolorum, vipote corona, non iam fu-*

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

turi sunt, sed iam sunt de facto similes idolis & mortuis, qui olfactu, visu, tactu, positas in capite coronas, non sentiunt. OMNIA MVNDA. *Sic inducit obijcientes pro vsu coronarum licito, & abstinentes loco Pauli.* ITA ET IMMVNDA. *Sic respondet Tertull. & retorquet sequentia Pauli:* Locus habetur ad Tit. 1. 15. Omnia munda mundis: Coinquinatis autē & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia. *Et Rom. 14. 19.* Quæ pacis sunt sectemur: & quæ ædificationis sunt, in inuicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei, *Charitatem scilicet & ædificationem proximi* Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini qui per offendiculum manducat. *Vbi de idolothytis, aut ciuis ex lege prohibitis, est sermo. Sic pro idolothyto, hoc est ad idololatriam pertinente vsum corona habuit Tertullianus.* IMMVNDIVS *Quia immundis dæmonibus sacra.* SVA CONDITIONE, *In quantum à Deo condita res & materia.* COMMVNES VSVI, *Nobis & Gentilibus,* S. August. *flores, frondes, aurum, argentum, &c. In communi vsu sunt. Hunc locum Pauli explicat. Aug. to. 10. ser. 19. & 26. De Verb. Apostoli, & ser. 72. De diuer. lib. autem 31. Cont. Faustum cap. 4.* Quid, inquit, vobis est mundum? non quæ sumitis, non quo mittitis ea quæ sumitis, non vos ipsi qui sumpta purgatis. Videtis ergo propter quos tunc istam sententiam dixit Apostolus, &c. Omnia ergo munda mundis, secundum naturam in qua creata sunt, non tamen omnia secundum significationem mundi primo populo Iudæorum; nec nobis omnia, vel propter salutem corporis, vel propter consuetudinem humanæ societatis apta sunt: sed cum sua cuique redduntur, & naturalem ordinem seruant, omnia munda sunt mundis: immundis autem & infidelibus, quales præcipuè vos estis, nihil est mundum, *Quam aptè ad Tertull. qui probat inordinatum vsum corona in capite.* INTERRST, *Multum distat, & differt.* MIHI. *Ad edendum, non vt ad idololatriam Socrates.* ARABIÆ, *Thuris Arabici.* VERBO NVDO. *Simpliciter dicendo quod ait Paulus 1. Cor. 10. 28.* Si quis vocat vos infidelium *ad prandium. Vnde Syr. inuitauerit vos,* Et vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam: *Scrupulum inde venturum.* Si quis autem dixerit; hoc immolatum est idolis; nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conscientiam: conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius. MVLTO MAGIS, *&c. Multo, inquit, amplius polluitur homo fidelis qui in corona habitu idololatriæ proprio procedit.* AVTHORIBVS SVIS, *Dæmonibus.* EO VEL MAXIME. *Idcirco præcipuè in vsu corona fidelis communicare non debet cum Ethnico, quòd in veri Dei sacris vsus eius non admittatur.*

8. *Coronæ viro & mulieri fideli indecentes; tum ob spineam Christi priorem, & posteriorem gloriæ; tum ob æternam repositam; tum ob spretam à Mithræ militibus coronam.*
De Cor. cap. 14. à p. ad. f. & 15. per totum.

1. Tim. 2. 9. PRopterea nec ornabitur operosius mulier ex Apostoli prospectu, vt nec criniū artificio coronetur. Qui tamen & [a] *Viri caput est*, Et feminæ facies, vir Ecclesiæ Christus
a 1. Cor. 11. 3. Iesus, quale, oro te, fertum pro vtroque sexu subiit? ex spinis opinor & tribulis, in figuram
Math. 27. 29. delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus crucis, omnem aculeum
Esa. 55. 2. & 3. mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Certè præter figuram, contumelia in
Luc. 24. 42. promptu est, & turpitudo & dedecoratio, & his implexa sæuitia, quæ tunc Domini tempora & fœdauerunt & lancinauerunt: vtì tu nunc laurea, & myrto, & olea, & illustri aliqua
Psal. 23. 10. fronde, & quod magis vsui est, centenariis quoque rosis de horto Midæ lectis, & vtriſque
Math. 27. 37. liliis, & omnibus violis coroneris, etiam gemmis forsitan & auro, vt & illam Christi coronam æmuleris, quæ postea ei obuenit, quia & fauos post fella gustauit; nec antè rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm rex Iudæorum proscriptus cruci; [b] *Minoratus primò*
b Psal 8. 7. *à patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus.* Si ob hæc caput ei tuum
CAP. XV. debes, tale si potes ei repende, quale suum pro tuo obtulit: aut nec floribus coroneris, si
c Apoc. 2. 10. spinis non potes: quia non floribus potes. Serua Deo rem suam intaminatam. Ille eam, si
d 2. Tim. 4. 7. & 8. volet, coronabit, Immo & vult. Denique inuitat: [c] *Qui vicerit*, inquit, *Dabo ei coronam*
vitæ. Esto & tu fidelis, ad mortem. [d] *Decerta & tu bonum agonem, cuius coronam & Apostolus*
repositam sibi meritò confidit. Accipit & Angelus victoriæ coronam [e] *Procedens in candido*
e Apoc. 6. 2. *equo, vt vinceret.* Et alius Iridis ambitu ornatur, cœlesti prato Sedent & Presbyteri coro-
Apoc. 10. 1. & 4. 3. nati: eodemque auro & ipse Filius hominis supra nubem micat. Si tales imagines in vi-
Apoc. 4. 4. sione, quales veritates in repræsentatione? Illas aspice, illas odora. Quid caput strophiolo
Apoc. 14. 14. aut dracontario damnas, diademati destinatum? Nam & [f] *Reges nos Deo & Patri suo fecit*
f Apoc. 1. 6. *Christus Iesus.* Quid tibi cum flore morituro? Habes [g] *Florem ex virga Iesse, super quem*
g Esa. 11. 1. *tota diuini spiritus gratia requieuit*, Florem incorruptum, immarcessibilem, sempiternum: quem & bonus miles eligendo, in cœlesti ordinatione, dignatione profecit. Erubescite commilitones eius, iam non ab ipso iudicandi, sed ab aliquo Mithræ milite. Qui cum initiatur in spelæo, in castris verè tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrij, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obuia manu à capite pellere, & in humerum, si fortè, transferre, dicens, Mithran esse coronam suam: atque exinde nunquam coronatur, idque in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de Sacramento: statimque creditur Mithræ miles, si dejecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit. Agnoscamus ingenia diaboli, idcirco quædam de diuinis affectantis, vt nos de suorum fide confundat & iudicet.

CORONA. VIII. SCHOLIA.

OPERosius, *Maiori opera & cura texenda corone à ſcitiſsa & florea, cùm huic vanitati proſpexeris, & precaueris Paulus, vt nec ex natiuis capillis coronam ſibi texat. Hunc locum alibi retulimus* 1. *Tim.* 2. 9. Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa. QVI TAMEN, *&c. Sic conſtrue & intellige. Cùm Chriſtus caput ſit Eccleſiæ, ex vtroque ſexu compoſitæ; & in viro ſit ſpectabile caput, & in fœmina facies, Chriſtus proinde omnis viri, & fœmine Chriſtiane caput agnoſcendus eſt. Attendat igitur vterque ſexus, quam abominari debeat coronas floreas, & molles, & pretioſas, cùm pro vtroque ſexu Chriſtus ſertum, id eſt coronam tuleris conſertam ex ſpinis, ſignificantibus peccata noſtra, & ſtimulos carnis rebellis, vnde Ada primo peccatori dictum Gen* 3. 17. Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi. *Aug. to.* 1. *lib.* 1. *de Gen. Cont. Manich. c.* 13. Dicendum eſt, quòd per peccatum hominis, terra maledicta ſit, vt ſpinas pareret, non vt ipſa pœnas ſentiret, quæ ſine ſenſu eſt, ſed vt peccati humani crimen ſemper hominibus ante oculos poneret; quo admonerentur, aliquando auerti à peccatis, & ad Dei præcepta conuerti. *Vnde Pſalter*, Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. *Eſto* 3. *lib.* 3. *de Gen. ad lit. c.* 18. Ita intelligitur dictũ, ſpinas, & tribulos pariet tibi: vt hæc etiam antea terra pariens, non tamen homini pareret ad laborem, ſed cuiuſque modi animalibus conuenientem cibum, &c. Vt hoc ſignificetur, quod additum eſt, tibi: quia non eſt dictum, ſpinas & tribulos pariet, ſed pariet tibi: id eſt, vt tibi iam iſta naſci incipiant ad laborem, quæ ad paſtum tantummodo aliis animalibus antea naſcebantur. TERRA CARNIS. *Hoc ſenſu Paulus*: Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ. OBTVNDENS. *Quia omnis peccati, & carnis aculeus in capite vera Petra eliſus eſt, & vim ladendi perdidit; vt inſultet victor mortis, & dicat*, Vbi eſt mors victoria tua? vbi aculeus & ſtimulus tuus? &c. PRÆTER FIDVCIAM. *Spina illa Corona Chriſti, non tantùm fuerunt figura peccatorum, ſed & apertè monſtrant crudelitatem & dedecus pœna illuſoriæ, qua rex per ludibrium ſalutatus eſt, & deformationem faciei Chriſti.* VT TV NVNC, *&c. Proh pudor! Ideone Chriſtus ſpinis coronatus, vt tu floribus & frondibus coroneris? &c.* LAVREA, *Ab Apolline, & Bacche inuenta.* ET MYRTO, *à Venere.* ET OLEA *à Minerua.* CENTENARIIS *Supple foliis: de quibus Plin lib.* 21. *c.* 4. *Theophraſtus lib.* 6. *de Plantis c.* 6. *Alij legunt*, Spontaneis. *De quibus Herodotus lib.* 8 In Macedonia propè hortos Midæ filij Gordij, naſcuntur ſponte roſæ, ſexaginta foliorum, odore præcellentes, ſine cultura, & ſemine naſcentes. *Centifolias roſas poſtponit cæteris Plinius in odore.* VTRISQVE LILIIS. *Plin. lib.* 20. *c.* 7. *ponit*, Lilium vtriuſque generis. *Album ſcilicet, & varium, quod nos iridem, vel lirium dicimus.* OMNIBVS VIOLIS *Trium colorum, albis, luteis, purpureis, de quibus Plin. lib* 21. *c* 6. ILLAM CORONAM. *Poſteriorem, de qua Paulus*: Prædicans eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias, *Et Pſalter*: Gloria & honore coronaſti eum, &c. Quis eſt iſte Rex gloriæ? &c. FAVOS. *Luc.* 24 42 Obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. PROSCRIPTVS CRVCI, *Damnatus, inſcripto titulo Matth.* 27. 37. Impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: hic eſt Ieſus Rex Iudæorum. *More Romano Elogium criminis & cauſa mortis, in tabella ſcribebatur.* CAPVT DEBES. *Si totum te debes Deo, pro te facto, quid debes pro te refecto? dic cum Pſalte*, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? *Et Pſal.* 102. Noli obliuiſci omnes retributiones eius. *In quem locum Aug.* Non tributiones, ſed retributiones: aliud enim debebatur, & redditum eſt quod non debebatur: vnde & ille, quid retribuam Domino? &c. Non ait, quæ tribuit mihi, ſed quæ retribuit mihi. Retribuiſti tu mala pro bonis, & retribuit ipſe bona, pro malis. Quomodo retribuiſti tu, ô homo, Deo mala pro bonis? &c primò quia es, cùm non eſſes, ſed eſt & lapis. Deinde quia viuis, ſed viuit & pecus. Quid retribues Domino, pro eo, quod ſuper omnia pecora, & ſuper omnia volatilia, fecit te ad imaginem & ſimilitudinem ſuam? Noli quærere quid ei retribuas, ſimilitudinẽ ipſius retribue illi, non plus quærit, nummũ ſuum exigit. *Non ſimilitudinem idoli, & mortui coronati, non floribus redimitum caput, ſed ſpinis, quale ſuum pro te obtulit:* Tu autem pro gratiis agendis, pro humilitate, pro obſequio, pro cultu Religioſo, id eſt, pro his omnibus bonis quæ debebas Deo tuo, &c. Retribuiſti blaſphemias. Quid ergo ille? *Suppte dicit tibi:* Confitere, ignoſco Retribuo & ego, ſed non quod tu retribuiſti. Tu retribuiſti mala pro bonis, & ego retribuo bona, pro malis, &c. Et quid illi offeres? &c. Non hoc à te amat, quod illum augeat, ſed quod te ad illum perducat. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Propterea quæ quærebant Martyres, deficiebant quodammodo non inueniendo, & dicebant, quid retribuam Domino? &c. Et non inuenerunt quid retribuerent, niſi, calicem ſalutaris accipiam. Quid? calicem ſalutarem nonne ipſe Dominus dedit? *Imò accepit felle, & aceto potatus, & ſpinis coronatus, ante fauum & coronam gloriæ*; De tuo aliquid retribue ſi potes, &c. Si de tuo retribuis, peccatum retribuis, omnia enim quæ habes ab illo habes Tuum peccatum ſolum habes: non vult ſibi retribui de tuo, de ſuo vult. Quomodo agricolæ, de terra quam ſeminauit, ſi ſegetem attuleris, de agricolæ fructu retribuiſti: ſi ſpinas, de tuo obtuliſti, &c. Quid eſt autem accipere calicem ſalutaris, niſi paſſionem Domini imitari? hoc Martyres fecerunt. Hoc de ſuperbientibus dixit, & ſedes ſublimes, *Et coronas aureas*, Iam quærentibus, & conuallem plorationis deuitantibus, qui volebant ſedere, vnus ad dexteram, &c. Quid ergo ait? poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? NON FLORIBVS. *Saltem potes abſtinere à floribus, ſi ſpinas in capite ferre non potes* REM SVAM. *Caput tuum, tot ſibi titulis debitum.* INTAMINATAM, *Impollutam ſordibus idololatriæ.* QVI VICERIT. *Apoc.* 2. 10. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. BONVM AGONEM. 2. *Tim.* 4. 7. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. IN CANDIDO EQVO *Apoc.* 6. 2. Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret. IRIDIS AMBITV. *Apoc.* 4. 3. Iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni Smaragdinæ. *Et Apoc.* 10. 1. Vidi alium Angelum fortem deſcen-

dentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius. CÆLESTI PRATO. *In cœlo, pratum variegatum floribus exprimente.* PRESBYTERI CORONATI. *Apoc. 4. 4.* Super thronos 24. Seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ ET IPSE FILIVS HOMINIS. *Apoc. 14. 14.* Vidi, & ecce nubem candidam; & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. REPRÆSENTATIONE. *Actuali exhibitione.* STROPHIOLO. *Ex Plin. lib. 21. c. 2. Est tenuis corona in modum Strophioli.* DRACONTARIO. *Corona texta ex herba Dracontaria, contra veneficia valente, vel gemma ornata, quæ de capite dr. conis eruitur. De qua alibi Tertul vel ex Clem. Alex. 2. Padag. c. vlt. corona in modum serpentis, aut draconis intexta.* DAMNAS. *Condemnas quasi iugo seruili idololatriæ, quod Christus æterna gloria diademati destinauit.* REGES NOS. *Apoc. 1. 6.* Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo, & Patri suo. *Et cap. 5. 9. Sic inducit quatuor animalia, & 24. Seniores:* Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione: & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram. QVID TIBI CVM FLORE, *Habes hanc sententiam iam expositam V.* Christi Elogia. *26.* BONVS MILES. *Hic nempè contemptor coronæ, cuius causa hic liber scriptus est.* ERVBESCITE *Vos qui lauream capite præfertis, dum hic vnus verus Christi miles otiosam manu vix sustinet.* DIGNATIONE PROFECIT, *Ex Christi gratia & donatiuo veri Imperatoris, marcidam coronam & militiam mutauit in auream.* MITRÆ *Solis, qui apud Achemenios Titan, apud Ægyptios Osiris, apud Persas Mithra vocabatur: fingebatur Leonis vultu cum thiara, vtraque manu Tauri cornua tenens; Quòd Sol vim incipiat exerere in signo Tauri, & feruere in Leone.* INITIATVR, *Consecratur eius cultui.* IN SPELÆO, *Antro, quod ex Porphirio Zoroastes primus in Persidis montibus sacrasse fertur.* CASTRIS TENEBRARVM. *Pulchrè dictum, vt Princeps tenebrarum transfigurans se in Angelum lucis sub Mithra A Solem mentiatur, cùm castra nostra & arma sint lucis iuxta Paulum: & Ecclesia in Cant.* Castrorum acies ordinata, *Diei noctisque luminaribus splendida fulgeat:* Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol. INTERPOSITO GLADIO, *Medio gladio oblata.* MIMVM MARTYRII. *Hæc corona per gladium oblata, mimicam martyrij repræsentationem exhibet, cuius corona certamini & gladio promittitur. Dicente Paulo:* Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. ACCOMMODATA E *gladio exemptam, cùm suo capiti imposuisset, statim iubebatur eam excutere in humerum. Vel retro proiicere, & dicere nullam aliam velle coronam quàm Dei meì Mithræ seruitutem. Quantò melius fidelis, Dei & Christi seruus, cui Deus vt Abrahæ dicit:* Ego ero merces tua. *Cui Psaltes:* Tu es gloria mea, tu es susceptor meus Domine & exaltans caput meum *Psal. 3. in quem locum Aug.* Secundùm hominem Aug. dicitur Deo, quia hominis susceptio est, Verbum Caro factum est, gloria mea, &c. Gloriam suam dicit etiam ille, quem sic suscepit Dei Verbum, vt simul cum eo Deus fieret. Discant superbi, qui non libenter audiunt, cùm eis dicitur quid autem habes quod non accepisti? 1. Cor. 4. Et exaltans caput meum. Mentem ipsam humanam sic accipiendam puto, quod caput animæ non absurdè appellatur, quæ ita inhæsit, & quodammodo coaluit excellenti supereminentiæ Verbi hominem suscipientis, vt tanta passionis humilitate non deponeretur. *Quod si humanitas sic Verbo loquitur, quanto magis nos Verbo Incarnato, in quo videndo, & fruendo completa est gloria nostra; de cuius Solis, & veri Mithræ plenitudine accepturi sumus, gloria & honore eius coronandi, qui dixit:* Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum. EXINDE. *Post hanc ceremoniam, Mithræ miles numquam gestat coronam capite.* DE SACRAMENTO. *Hæc probatio veri militis eius, quoties de iuramento præstito cultui Mithræ tentatur, vt numquam recipiat coronam in capite* INGENIA. *Artes & dolos.* SVORVM FIDE, *Constantia & fidelitate præstiti iusiurandi.* AFFECTANTIS, *Æmulus Dei diabolus, mimus eius & simia, de Iuramento fidelium in baptismo, aliquid in suos transfert, vt sicut pompis eius Christianus renuntiat, numquam ea resumpturus, sic nec Mithræ miles coronam, quam die professionis abiecit; vt Christianum sui Sacramenti prævaricatorem in iudicio confundat.*

9. *Corona Christi spinea. V. Verbum Christi Passio, num. 13. & V. Corona. num. 3. & 6.*

10. *Corona publica & Magistratuum propria, ab idolis sumpta, Christiano vetita, cuius ornatus à Christo: cui proinde vt exuli & lugenti corona Lætitiæ publicæ non conueniunt. De Cor. cap. 13. in. p.*

COronant & publicos ordines laureis publicæ causæ: magistratus verò insuper aureis. Superferuntur etiam illis Hetruscæ; Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Iouem insigneis, ad deducendas thensas, cum palmatis togis sumunt. Sunt & prouinciales aureæ, imaginum iam, non virorum, capita majora quærentes. Sed tui ordines, & tui magistratus, & ipsum curiæ nomen, Ecclesia est Christi. Illius es, conscriptus in libris vitæ. Illic purpuræ tuæ, sanguis Domini: & clauus latus in cruce ipsius; illic securis ad caudicem arboris posita; illic [a] *Virga ex radice Iesse.* Viderint & publici equi cum coronis suis. Dominus tuus, vbi secundùm scripturam Ierusalem ingredi voluit, nec asinum habuit priuatum. [b] *Isti in curribus, & isti in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.* Ab ipso incolatu Babylonis illius in Apocalypsi Ioannis submouemur, nedum à suggestu. Coronatur & vulgus nunc ex principalium prosperitatum exultatione, nunc ex municipalium solemnitatum proprietate: Et est omnis publicæ lætitiæ luxuria captatrix. Sed tu peregrinus mundi huius, ciuis supernę Ierusalem. [c] *Noster*, inquit, *Municipatus in cœlis.* Habes tuos census, tuos fastos: nihil tibi cum gaudiis

Heb. 12. 23.
Apoc. 21. 27.
Luc. 3. 9.
a Esa. 11. 1.
Math. 21. 2.
b Psal. 19. 8.
Apoc. 18. 4.
c 2 Cor. 5. 6.

sæculi; immò contrarium debes. [d] *Sæculum* enim *Gaudebit, vos verò lugebitis.* Et puto, [e] *Felices, ait, lugentes*, Non coronatos.

[c] Philip. 3.20.
[d] Io.16. 20.
[e] Math. 5. 5.

CORONA. X. SCHOLIA.

CORONANT, *Gentiles scil. coronis laureis donant.* PVBLICOS ORDINES, *Equestrem, & Senatorium.* PVBLICÆ CAVSÆ *Ob victorias, aliosque prosperos euentus Reipublice.* MAGISTRATVS, *Apud Athenienses & Romanos, vt dictos ordines superant Magistratus, sic non laureis, sed aureis coronis donant.* SVPERFERVNTVR. *Aly* Præferuntur. *Æstimantur super alias, vel precedunt Magistratus, aliqui portantes eorum coronas, ad id specialiter deputati.* HETRVSCÆ, *In Hetruria, corone sic dicte, Aureas etiam præcellunt, quod præter aurum, sint gemmate. Folia autem referunt quercus, in Iouis honorem, cui sacra quercus.* THENSAS, *Ad velocitos currus, sic dictos, quod non ab animalibus, sed ab hominibus, funibus* Tensis, *Ad templa & Sacra ducerentur.* PAEMATISTOGIS. *Ex Isid. lib. 19. Sic dicte, quod victorias cum palmis intextas haberent, quibus induti erant victores, qui palmas de hoste reportauerant, & in thensis ad templa deducebantur, diis sacrificaturi victimas pro obtenta victoria.* PROVINCIALES. *Iuxta Festum & Salmanum etiam Dominæ dicebantur, quas victæ Prouincie & ciuitates mittebant victoribus. De quibus Liuius lib. 34. & 38. Quia autem magne & ponderosæ erant magisque statuis quam hominibus congruebant, his statua victorum ornabantur.* SED TVI. *O Christiane, repetit predicta.* CVRIA, *In qua triumphare debet.* ILLVSTRES, *Milites.* CONSCRIPTVS. *Non in censu & tabella militum Romanorum. Sed in libris vite, de quibus apud Dan. & Apoc.* Et libri aperti sunt, &c. *Et Christus*: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. ILLIC, *In Ecclesia.* PVRPVRÆ *Propria Senatorum.* LATVS CLAVVS. *Angustus erat Equestri Ordinis, latus Senatorij. Alias* Laticlauium dictū apud Budæum. In l. vlt. de Sen. & nodus erat ex purpura, siue ex auro vesti intertextus. SECVRIS, *Propria Magistratus cum virgis, ad cædendos reos.* AD CAVDICEM. *Alludit ad illud Matth. alibi relatum*: Iam securis ad radicem posita est, &c. VIDERINT, *&c. Nihil ad te pertinet equi triumphales.* INGREDI VOLVIT, *Triumphans.* PRIVATVM. *Math. 21. 2. & seq. Paulus nos huic Asino vult similes, dum ait*: Glorificate & portate Deum in corpore vestro. *Vt in nobis triumphet.* Aug. *in Psal. 33.* In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur. Esto iumentum Domini, id. Esto mansuetus. Sedet ille super te, ipse regit te. noli timere ne offendas, & eas in præceps. Infirmitas quidem tua est, sed attende quis tibi præsideat. Pullus asini es, sed Christum portans. Nam & ipse in pullo asini venit ad ciuitatem, & fuit illud iumentum mansuetum, &c. Asellus portabat, sed ille qui portabatur, à præcedentibus & consequentibus. Laudabatur. Et dicebat forte iumentum, in Domino laudabitur anima mea, &c. Numquam illud dixit ille Asinus fratres, sed dicat illud populus qui imitatur iumentū illud, si vult portare Dominū suum. Irascitur forte populus, quia comparatur Asello in quo sedit Dominus, &c. Sit Asinus Domini quisquis hoc dicit, ne sit equus & mulus, quibus non est intellectus. ESTI IN CVRRIBVS. *Psal.* Aug. 19. 8. Hi in curribus & hi in equis. *Aug. ibid.* Hi, volubili successione temporalium bonorum trahuntur. Et ū superbis præferuntur honoribus, atque in his exultant. Nos autem, &c. Nos autem spem figentes in æternis, neque gloriam nostram quærentes, in nomine Domini Dei nostri exultabimus. IN APOCALYPSI *Apoc. cap* 18. 4. *Vbi cum dixisset*: Cecidit, cecidit Babylon magna, &c. Audiui aliam vocem de cœlo dicentem; exite de illa populus meus, vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. SVGGESTV. *Apparatu & pompa mulieris purpurate, Gemmate, sedentis in bestia coccinea superbiæ coronate.* PRINCIPATIVM PROSPERITATVM. *Alij minus scitè* Proprietatum. *Vulgus Gentile coronabatur, vel ob exultationem & lætitiam solemnem rerum fœlicium propriè pertinentium ad Principes, quales erant dies natales & triumphi, vel ob propria solemnia municipiorum. Qualia sint infra subiiciam.* EST ET. *Scito porro luxuriam, id est luxum & superbiam solitam captare occasionem ex omni publica lætitia.* SED TV. *Christiane.* PEREGRINVS. *2. Cor. 5. 6.* Quamdiu sumus in corpore peregrinamur à Domino. *Aug. lib. siue sermone prælongo de pœnitentia alibi à nobis citato.* In quacumque temporali fœlicitate versemur, pœnitere tamen nos debet huius vitæ, vt ad illam incorruptionem tota auiditate curramus. Inde est enim quod etiam Apostolus, ait, quamdiu sumus in corpore, &c. Quis ergo festinat atque optat ad Patriam remeare, & illam speciem quæ est facie ad faciem contemplari, nisi quem peregrinationis suæ pœnituerit? Ex quo dolore pœnitentiæ, etiam vox illa miserabilis erumpit & sonat. Heu me, quoniam peregrinatio mea longinqua facta est, &c. Tum ergo magna & perfecta iucunditas, tunc plenum gaudiū, vbi non iam spes lactat, sed res nutrit. Tamen etiam nunc, antequam res ipsa veniat, &c. Iocundemur in Domino, &c. In istis temporalibus rebus, iocunditatem, non Domini, sed sæculi, nonnullam multi amant, & ad eam quam amant nondum peruenerunt: & tamen ardor in spe currit, rem nondum tenet, verbi gratia amas pecuniam, non amares, si non sperares. Amas vxorem non ductam, sed adhuc ducendam; & forte ducenda amatur, ducta odio haberetur. Quare hoc? Quia non talis apparuit ducta, qualis ab animo pingebatur ducenda: Deus autē non vilescit præsens, amatur absens. Quantūq; enim sibi mens humana exaggerauerit bonū quod Deus est, minus agit, & valde infra est. Et necesse est plus inueniat adeptio quam formabat cogitatio. Plus ergo amabimus, cum viderimus, si potuimus amare, & antequam videremus. *Idem pius de corona sperate gloriæ.* NOSTER MVNICIPATVS. *Philip. tertio.* Nostra autem conuersatio in cœlis est. *Syr.* Noster cultus. *Aug. in Psal. 64. vbi hunc locum exponit.* Iam desiderio ibi sumus, iam spem in illam terram quasi anchoram præmisimus, ne in isto mari turbati naufragemus. Quemadmodum ergo de naui, quæ in anchoris est, rectè dicimus, quod iam in terra sit, adhuc tamen fluctuat, sed in terra quodammodo erecta est contra ventos, & contra tempestates: sic contra tentationes huius peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa ciuitate Ierusalē, facit nos non abripi in saxa. Quisquis ergo secundum hanc spem cantat, ibi cantat. Ergo dicat, te decet hymnus Deus in Sion. In Sion, non in Babylone. Ibi, inquit, sum. Amatur iste; & ciuis

5. Augustin.

5. Augustin.

iſte ibi ſunt. Sed carne non corde, &c. CENSVS. *Immatriculationem.* FASTOS. *Calendarium & Martyrologium, in quo ſcripta ſunt ſolemnitates Sanctorum.* DEBES. *Supple agere.* SÆCVLVM. *Jo. 16. 20.* Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini. FOELICES. *Matth. 5. 5.* Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. *De municipatu quia iam alibi, hic tamen. Municipia erant ciuitates, quæ ſuis quidem legibus vtebantur, ſed ſimul muneribus & priuilegiis ciuitatis Romanæ fruebantur. Ita & ſenſu Tertull. adſtricta ciuitas Eccleſia militantis legibus fidei & certaminis, vnde dictum,* Nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit; *Tamen eiuſdem Dei amore fruitur, & perſona in Sacramento; luget autem hic, ſperans coronam lætitiæ dum ab exitu Babylonis, inuitata, audient eius cives & anima Sanctorum*: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem veſtrum Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua, in die ſolemnitatis & lætitiæ *Tunc lætitia æterna erit ſuper capita eorum, pro corona.*

11. *Corona Agoniſtica ab Idolis ſumpta, illicita Chriſtiano. De Cor. cap. 13. à m.*

NVnquid & agoniſticæ cauſæ diſputabuntur, quas ſtatim tituli ſui damnant? & ſacræ & funebres ſcilicet. Hoc enim ſupereſt, vt Olympius Iupiter, & Nemæus Hercules, & miſellus Archemorus, & Antinous infelix in Chriſtiano coroſientur, vt ipſe ſpectaculum fiat, quod ſpectare non debet.

12. *Coronarum origo à fabulis, & Gentium ditis: & earum materia, multiplex diaboli eſt inuentum, qui vt Dei æmulus, naturalem vſum florum, verumque altarum corrupit. De Cor. cap. 6. in f. & 7. per totum.*

IPſum Deum ſecundum naturam priùs nouimus, & Deum appellantes deorum, & bonum præſumentes, & iudicem inuocantes: quæris, an conditioni eius fruendæ, natura nobis debeat præire, ne illâ rapiamur, qua Dei æmulus vniuerſam conditionem certis vſibus homini mancipatam, cum ipſo homine corrupit, vnde eam & Apoſtolus inuitam ait vanitati ſuccidiſſe, vanis primùm vſibus, tum turpibus, & iniuſtis, & impiis, ſubuerſam? Sic itaque & circa voluptates ſpectactulorum infamata conditio eſt, ab eis, qui natura quidem, Dei omnia ſentiunt, ex quibus ſpectacula inſtruuntur, ſcientia autem deficiunt illud quoque intelligere, omnia eſſe à diabolo mutata. Sed & huic materiæ propter ſuauiludios noſtros Græco quoque ſtilo ſatisfecimus. Proinde coronarij iſti agnoſcant interim naturæ auctoritatem communis ſapientiæ nomine, quâ homines; ſed propriæ religionis pignora, quâ Deum naturæ de proximo colentes: atque ita, velut ex abundanti, ceteras quoque rationes diſpiciant, quæ noſtro priuatim capiti coronamentis, & quidem omnibus, interdicunt. Nam & vtgemur, à communione naturalis diſciplinæ, conuerti ad proprietatem Chriſtianæ totam iam defendendam, per ceteras quoque ſpecies coronarum, quæ aliis vſibus proſpectæ videntur, vt aliis ſubſtantiis ſtructę; ne quia non ex floribus conſtant, quorum vſum natura ſignauit (vt ipſa hæc lautea militaris) non credantur admittere ſectæ interdictionem, quia euaſerint naturæ præſcriptionem. Video igitur & curioſiùs & pleniùs agendum ab originibus vſque ad profectus & exceſſus rei. Literæ ad hoc ſeculares neceſſariæ: de ſuis enim inſtrumentis ſecularia probari neceſſe eſt. Quantulas attigi, credo ſufficient. Si fuit aliqua Pandora, quam primam feminarum memorat Heſiodus, hoc primum caput coronatum eſt à Charitibus, cum ab omnibus muneraretur; vnde Pandora. Nobis verò Moyſes propheticus non poeticus paſtor, principem feminam Euam facilius pudenda foliis, quàm tempora floribus, incinctam deſcribit. Nulla ergo Pandora, Sed & de mendacio erubeſcenda eſt coronę origo. Iam nunc & de veritatibus ſuis. Certè enim Græcos fuiſſe conſtat auctores rei vel illuminatores. Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, Iouem Diodorus poſt deuictos Titanas. Dat & Priapo tænias idem, & Ariadnæ ſertum ex auro & Indicis gemmis; Vulcani opus, Liberi munus: ac poſtea ſidus. Iunoni vitem Callimachus induxit. Ita & Argis ſignum eius palmite redimitum, ſubjecto pedibus eius corio leonino, inſultantem oſtentat nouercam de exuuiis vtriuſque priuigni. Hercules nunc populum capite prefert, nunc oleaſtrum, nunc apium. Habes tragœdiam Cerberi, habes Pindarum, atque Callimachum, qui & Apollinem memorat interfecto Delphyne dracone, laurcam induiſſe, quâ ſupplicem. Erant enim ſupplices coronarij apud veteres. Liberum eundem apud Ægyptios Oſirin, Harpocration induſtria hederatum argumentatur, quod hederæ natura ſit cerebrum ab heluco defenſare. Sed & alias Liberum principem coronę planè laureæ, in qua ex Indis triumphauit, etiam vulgus agnoſcit, cum dies in illum ſolennes, Magnam appellat Coronam. Si & Leonis Ægyptij ſcripta euoluas, prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit, rem magis ventris. Plura quærentibus, omnia exhibebit præſtantiſſimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturninus. Nam eſt illius de Coronis liber, & origines, & cauſas, & ſpecies, & ſolennitates earum ita ediſſerens, vt nullam gratiam floris, nullam fœtiam frondis, nullum cęſpitem, aut palmitem, non alicuius capiti inuenias conſecratum. Quo ſatis inſtruamur, quam alienum

Rom. 8. 20.

CAP. VII.

iudicare

iudicare debeamus coronati capitis institutionem, ab eis prolatam, & in eorum deinceps honorem dispensatam, quos seculum Deos credidit. Si enim mendacium diuinitatis diabolus operatur in hac etiam specie, à primordio mendax, sine dubio & eos ipse prospexerat, in quibus id mendacium diuinitatis ageretur. Quale igitur habendum est apud homines veri Dei, quod à candidatis diaboli introductum, & ipsis a primordio dicatum est, quodque iam tunc idololatriæ initiabatur ab idolis, & idolis adhuc viuis? [a] *Non quasi aliquid sit idolum, sed quoniam qua idolis alij faciunt, ad dæmones pertinent.* Porrò si quę alij idolis faciunt ad dęmones pertinent, quantò magis quod ipsa sibi idola fecerunt cum aduiuerent? Ipsi scilicet sibi procurauerunt dęmones, per eos in quibus eiurierunt ante, quod procurauerunt. [a] 1. Cor. 10. 19.

13. *Coronis uti, Gentilium proprium est in rebus sacris. De Cor. cap. 10. circa. fin.*

VSque adhuc proprietatem istius habitus & ex originis censu; & ex superstitionis vsu idolis vindicamus; ex eo præterea, quod dum in rebus Dei non refertur, magis magisque imago illorum deputatur, in quorum & antiquitatibus, & solennitatibus, & officiis conuenitur. Ipsæ denique fores, & ipsę hostię & arę, ipsi ministri & sacerdotes eorum coronantur. Habes omnium collegiorum Sacerdotalium coronas apud Claudium. Baruch. 6. 9.

CORONA. XI. XII. XIII.

AGONOSTICÆ. *An aliquis audebit tueri eorum coronarum vsum legitimum, quas in agone & stadio agilitas & fortitudo promerentur, quasi ille non sapiant idololatrium?* TITVLI *Causæ, & origo condemnat eas, siue loquamur de funebribus, siue de Sacris. Ab diis, ille mortuis offerebantur; quorum exempla subiicit* HOC SVPERAST *Restat hoc tantùm Christiano, ad plenam idololatria professionem; vt dum huiusmodi coronis vtitur, in seipso Deos Gentium coronet, & fiat ipse obiectum spectaculi idololatrici, qui nec spectaculo interesse, & illud videre, ex lege Christiana, permittitur, ne idololatriæ particeps ex consensu & delectatione fiat.* OLYMPIVS IVPITER. *Sic dictus, vel ab Olympo, à quo eruditus & ad virtutem institutus est; vel à cælo, quem Græci Olympum vocant, in quo regnare dicitur. In eius honorem Olympica certamina. De quibus Horatius.* Sunt quos curriculo puluerem Olympicum collegisse iuuat. *Olympus item mons altissimus, sic dictus, quòd clarissimos recipiat Solis radios & limpidos. Est in Thessalia parte, quæ in Macedoniam vergit.* NEMÆVS *A Nemea Sylua Achaiæ, in qua Hercules mirę magnitudinis leonem occidit, vnde sic dictus est, & in eius gloriam Nemea certamina.* MISELLVS ARCHEMORVS. *Filiolus Licurgi Regis Nemeæ, quem à nutrice Hypsipyle in gramine depositum serpens interfecit, dum Græcis sitibundis fontem Langiam ostensura, reliquisset.* ANTINOVS. *Hic fuit Bithynicus, formosus adolescens Amasius Adriani Imperatoris, cuius nomine Adrianopolim, Aminoiam appellauit, teste Hiero. Cont Ionin. & ex Pausan. & Proper templum apud Mantineam erexit. Prudent. vocat eum Ganimedem Adriani. Tatianus, in deos relatum, & in Luna collocatum addit.* INFORTIX. *Primò ob conditionem seruilem. Secundò ob infamem prapostera libidinis seruitutem. Et huic ludi annui instituti sunt. Pudeat ergo Christianum in huiusmodi contendere de corona. Aliud cum Paulo certamen nobis ineundum est. 1. Cor. 9. 24. & seq.* Nescitis quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium; *Syr. sibi victoriam* Sic currite, vt comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, *Syr. certamen agit, ab omni re continet mentem suam;* Ab omnibus se abstinet. Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: *Syr. non tanquam ad rem incognitam.* Sic pugno, non quasi aërem verberans *De quo sic Augustinus to. 7. lib. de per-*

A *fectione iustitiæ contra Celestium cap. 8.* Non rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomòdo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? sic ergo curramus vt comprehendamus. Omnes enim qui rectè currunt, comprehendent; non sicut in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus corpus castigando, & Eleemosynas in dandis bonis, malisque ignoscendis, hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires vt adiuuentur, orando: & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis. *Et in Psal. 39. in versum Sacrificium & oblationem noluisti:* Omnes quidem currunt. Paulus Apostolus dicit in illo stadio, in illo spectaculo, vnus tamen accipit brauium, cæteri victi discedùt, & perseuerauerunt in currendo. Sed cum acceperit vnus, remanent cæteri qui similiter laborauerunt. Hîc non est sic; quotquot currunt, perseueranter currant, omnes accipiunt: & qui prior venerit, expectat vt cum posteriore coronetur. *Deo ait Paulus, melius aliquid pro nobis prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Et Io. in Apoc. notat dictum, animabus interfectorum pro Christo, expectate modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Agonem quippè iustum, non cupiditas, sed charitas facit. Omnes currentes amant se, & ipse Amor cursus est. S. Augustin.

12. PRIVS NOVIMVS *Lumine naturali, quàm fidei, natura duce, communi rationis humanæ sensu, Deum vnum superomnes Deos, & bonum & iudicem iustum esse scimus.* QVÆRIS, *&c. An adeò desipit vt hesites an sequenda sit certa dux natura in vsu rerum, ne fortè in abruptum erroris rapiat, quia diabolus æmulus Dei, omnem rem ab eo conditam, & bonis & iustis vsibus addictam, cum ipso homine per peccatum depranato peruertit? Sed non ita corrupta est natura hominis, vt non intelligat flores oculis & naribus, non autem capiti summo imponendas.* VANITATI SVCCIDISSE, *Succubuisse, subiectam esse. Aug. non cuilibet creatura vano & peruerso vsui hominis subiecta, sed ipsi homini se subiicienti peccato & vanitati ap licat locum Rom. 8. 20.* Vanitati subiecta est creatura non volens. *Sic igitur lib. qq. 83.* Hoc est illud Eccle. 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quæ abundantia est homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub Sole, cui dictum est, in labore mâducabis panem. Vanitati ergo subiecta est crea- S. Aug.

tora non ſponte. Benè additum eſt, non ſponte. Homo quippè ſponte peccauit, ſed non ſponte damnatus eſt. Peccatum itaque fuit ſpontaneum, contra præceptum facere veritatis: peccati autem pœna, ſubiici fallaciæ. Non enim ſponte creatura vanitati ſubiecta eſt, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe. Id. propter eius iuſtitiam atque clementiam, qui neque peccatum impunitum reliquit, neque inſanabilem voluit eſſe peccantem. Quia & ipſa creatura, id eſt ipſe homo cum iam ſignaculo imaginis, *Non quantum ad naturam, ſed quo ad gratiam* propter peccatum amiſſo, remanſit tantummodo creatura: & ipſa itaque creatura, id eſt ipſa, quæ nondum vocatur filiorum forma perfecta, ſed tantum vocatur creatura, liberabitur à ſeruitute interitus. *Et Concione 12. in Pſal. 118.* In ſpe, B qua ſperamus nos adhæſuros contemplandæ veritati, ſubiecti ſumus interim vanitati. Creatura quippè iſta, ſpiritalis, animalis, corporaliſque omnis in homine eſt, imò homo eſt. Sponte peccauit, & inimica facta eſt veritati, ſed vt meritò puniretur, non ſpontè ſubiecta eſt vanitati, &c. INFAMATA CONDITIO. *Res à Deo condita ab vſu naturali in infamem & turpem tranſlatæ. Qui licet naturali lumine res omnes ſpectaculis à Gentilibus applicatas, Dei Creaturas eſſe cognoſcunt, ſed neſciunt omnia illa à diabolo in malum vſum eſſe tranſlata. Vel aliter*, SCIENTIA DEFICIVNT. *Id. licet id ſciant, peccant tamen, & tanto grauius quanto contra conſcientiam peccant.* SVAVILVDIOS NOSTROS. *Chriſtianos, qui ſuauitate ludorum & ſpectaculorum* C *delectantur.* GRÆCO STYLO. *Libro de ſpectaculis Græcè conſcripto, qui iam non extat.*

CORONARII. *Chriſtiani vſum coronarum licitum eſſe dicentes.* NATVRÆ AVTHORITATEM. *Quantum valere debeat apud eos communis ſenſus natura, in quantum homines ſunt: & in quantum Chriſtiani, & proximum & verius Deum natura colentes.* PROPRIÆ RELIGIONIS, *Chriſtiana.* PIGNORA *Depoſita ſacra corporum Sanctorum, & maxime Martyrum, ſertis & corollis floreis honorent, non autem idola, vel communia cadauera quæ coronant Ethnici.* S. Auguſt. *Aug. lib. 22. de Ciuit. c 8. vbi ſuè de miraculis Beati Stephani. quæ biennij ſpatio, ex quo Hipponem tranſlatæ ſunt reliquiæ, ad ſeptuaginta fermè numerum pertenerant. Sic inter cætera & propriæ vocis* Pignorum, D *Et florum miſſorum in reliquias* MEMINIT. Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo Proiecto afferente reliquias martyris gloriofiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit, flores, quos ferebat, dedit: recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans, & viæ ducem vlterius non requirens. DISPICIANT, *Examinent, diſquirant* PRIVATIM *Specialiter, Præſertim*, NOSTRO. *Chriſtiamo.* NAM ET VRGEMVR. *Enimuero, urgent nos iſti corollarij, vt probemus eis, quaſcumque coronas nobis omnino prohibitas ſub* E *pœna communicandi cum ethnicis: Nec contenti ſunt, nos probaſſe, floreas contra naturæ vſum ſummo imponi capiti, nil florum ſentienti; niſi etiam communicemus, contextas ex variis frondibus, auro, gemmis, &c. etiam prohibitas: quin cum natura vſus non præſcribat, iis abſtinendum, videtur eis, earum vſus per Chriſtianam diſciplinam non interdicti.* NATVRA SIGNAVIT. *Aſſignauit, determinauit olfactui & oculis*, VT IPSA HÆC *Laurea, cuius cauſa conſcriptus eſt hic liber.* PROFECTVS, *Progreſſus*, INSTRVMENTIS. *Libris.* SÆCVLARIA, *Prophana.* ATTIGI. *Breuiter & compendiosè perſtrinxi.* PRIMVM CAPVT. *Pandora fabuloſa.* CHARITIBVS, *Gratiis.* MVNERARETVR *Donis cumularetur.* VNDE *Dicta.* HESIODVS. *Ex Dion. Chryſoſt. & Ouid. Paſtor dicitur.* DE *Pandora egit initio Theogonia.* POETICVS. *Qualis Heſiodus. De eo enim ſacra Scriptura ſic habet. Exod. 3.* Moyſes autem paſcebat oues Iethro Soceri ſui Sacerdotis Madian: cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad Montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus, in flãma ignis de medio rubi. *Vnde & ad populũ & paſcendũ regendum cum Aaron vocatus eſt, ſic fante Pſalte Pſal. 76. 21.* Deduxiſti ſicut oues populum tuũ, in manu Moyſi & Aaron. *Aug. in Pſal. 77. vbi de ſeipſo Dauid* Auguſt. Suſtulit eum de gregibus ouium, & de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum, &c Ille quidem Dauid, ex cuius ſemine Caro Chriſti eſt, ab officio Paſtorali pecorum, ad hominum regnum tranſlatus eſt. Noſter autem Dauid ipſe Ieſus ab hominibus ad homines, à Iudæis ad Gentes; tamen ſecundum parabolam, ab ouibus ad oues allatus atque tranſlatus eſt. *Et Dauid quidem ſponſam reginam facit, proindeque coronatam, & Pandoram veram* Circumamictã varietatibus donorum. *In Pſal. 44. inſcripto* Pro liliis vel floribus *Et Moyſes Paſtor, licet peccatricem iam Euam foliis verenda texiſſe narret, non caput floribus; Innocens tamen, vt & vir, omnium rerum domina proindeque coronata Pandora ſupponitur.* NVLLA PANDORA, *Quia fabuloſa nullius authoritatis eſt, vt eius exemplo, coronam frondeam imponas capiti; Pudeat te veritatis profeſſorem, velle de fabulis coronari.* DE VERITATIBVS SVIS. *Iam dicam de coronis, quas ſcriptores Gentilium, vt veras referunt.* ILLVMINATORES, *Commentatores. Vel intelligit tam de ſcripturibus, quàm pictoribus & ſculptoribus.* A CÆTERIS. *Præcateris, vt ſummus Deus. Sic legunt alij; pro eo quod nos* Ante omnes. PHERECIDES. *Poëta Syrus.* PRIAPO. *Hortorum Deo, quem Prudentius* Ruricolam *Vocat.* TÆNIIS. *Vittis & faſciis, ſeu corollis floreis.* ARIADNÆ SERTVM. *Coronam conſeram ex gemmis. Hæc à Theſeo primùm amata, deinde relicta, & ducta à Baccho, qui coronam eius nouem ſtellis micantem in aſtra retulit. Prudentius vocat hoc Sydus* Ignẽ Ariadnæum. VVLCANI OPVS. *Corona hæc aurea & gemmea à Vulcano fabricata, à Baccho data Ariadnæ.* ARGIS SIGNVM. *Apud Græcos idolum Iunonis coronatum palmite.* PRIVIGNI. *Priuignus dictus à Feſto, qui antequam Mater ſecundò nubat, eſt progenitus* Priuignus vxoris meæ filius ex alio viro natus. Liberi quoque, quos ex alia vxore habeo, vxori meæ priuigni ſunt. *L. 4. §. ad finem. ff. de Grad.* Priuigna non ſolum ea mihi intelligitur, quæ vxoris meæ filia eſt, ſed & neptis & proneptis. *L. Adoptiuus 14. §. Vltimo. ff. de Rit. nupt.* INSVLTANTEM. *Corio Leonino Herculis, & viti & palmiti Bacchi.* HABES TRAGOEDIAM, *In qua hæc legas, quæ inſcribitur* Cerberus. DELPHINE, *Pythone. Vnde & Apollo Pythius & Delphicus.* INDVISSE, *Impoſuiſſe capiti.* QVA SVPLICEM. *Quaſi reus eſſet effuſi ſanguinis, licet Draconis, vt ſe per laurum expiaret. Solebant enim qui ſupplicabant, id, orabant. adorabant, ſacrificabant, coronam ferre capite. Teſtis Appianus in Ibericis Sophocles in Oedipo. Liuius libro 33. Alianus Coppus, &c.* NVNC POPVLVM, *Quaſi propriam arborem & ſibi dicatam, in coronam ſumit. Ex Plin. lib. 12. c. 1. Et Macrob. lib. 3. Saturn.* OLEASTRVM. *Victricem & Author Olympicorum certaminum. Ex eod. Plin. lib. 16. c. 14.* APIVM *Victrix & inſtitutor Nemæorum. ex eod. lib. 19. c. 8.* HELVCO. *Ex Athenæo lib. 15. & Plin. lib. 24. c. 10. Hedera valet contra caput graue vino.*

quod per lucum intelligit. INDVSTRIA. *Ex naturali proprietate cuiuſuis ſpeciei hedere, colligit hoc myſterium.* PRINCIPEM. *Authorem.* IN ILLVM. *In illius honorem.* MAGNAM CORONAM. *Non magnitudine, ſed celebritate; vel Bacchanalia vel ferias vindemiales intelligit.* REM MAGIS VENTRIS. *Adcibum, quàm capitis ad coronamentum.* CÆSPITEM. *Glebam terra herbidam, Gallicè* Gazon. MENDACIVM DIVINITATIS. *Proprium opus diaboli mendacium eſt,* Quod ex propriis loquitur. *Sed maximè dum ſe Deũ mendaciter fingens,* In veritate non ſtetit; *Et Eua plures Deos mentitus, ait:* Eritis ſicut dij. EOS PROSPEXERAT, *præuiderat; non quod futura contingentia certò videret, ſed quod homines perſuaſurus eſſet, Saturnum, Iouem, &c. alioſque homines in Deos transcribere.* AGERETVR. *Mimicè repræſentaretur.* HOMINES VERI DEI. *Chriſtianos Deum verum colentes.* CANDIDATIS DIABOLI. *A ſeruitute Dei libera, ad ſeruilem diaboli & idololatriæ libertatem abducti. Vel ab ambientibus honorem diuinum, ſicut diabolus ambierat.* INITIABATVR *Conſecrabatur.* ADHVC VIVIS. *Id hominibus nondum mortuis, quibus hunc cultum ad diabolos referebant.* NON QVASI ALIQVID, *&c. Sic* 1. *Cor.* 10. 19. Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? quid ergo dico? quod idolis immolatum ſit aliquid, aut quod idolum ſit aliquid? *Syr. addit, minimè. Quod ſubintelligitur in textu vulgato:* Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. *Aug. to. 6. lib. 32. Cont. Fauſtum c. 13.* Cur non expediat immolatitio veſci Chriſtiano, Apoſtolus dicit: Nolo vos, inquit, ſocios fieri dæmoniorum. Neque enim ipſam immolationem reprehendit, quam faciebant Patres, præfigurantem ſanguinem ſacrificij, quo nos Chriſtus redemit: ſed quæ immolant Gentes, dæmoniis, inquit, immolant, & non Deo: Deinde adiecit quod dixi, nolo vos ſocios fieri dæmoniorum. Nam ſi natura ipſa immolatitię carnis eſſet immunda, vtique & neſcientem contaminaret. Neque enim eo minus ipſa eſſet, quo minus ab ſciente acciperetur, ſed propter conſcientiam, ne dæmonibus communicaſſe videatur. *Sic Tertull. non flores aut frondes, aliaſue materias damnat coronarum, ſed quia inuenta ſunt dæmonum & idolorum. Vnde argumentatur à minori ad maius; quod ſi Idolothyta vetita ſunt, quæ ab hominibus immolata ſunt idolis, quòd hæc ad cultum dæmonum pertineant; quanto magis corona, quas homines ipſi ſibi, dum adhuc viuerent, & pro diis haberentur, impoſuerunt?* PER EOS, *Deos homines.* ESVRIERVNT. Cibus enim electus *dæmonum eſt & tota ſitis, vt in hominibus diuinitate donatis, ipſi colantur. Vnde priùs ab initio eſuriebant in dictis diis, quod poſtea ſibi fieri procurauerunt. De hac ſiti, & fame infra dicemus.*

13. VSQVE ADHVC. *Hactenus.* PROPRIETATEM HABITVS *Coronæ ſcilicet, tam ex recenſita eius origine, quàm ex vſu ſuperſtitioſo, propriè ad idola pertinere ſuſtinuimus* IN REBVS. *Sacris.* IMAGO ILLORVM. *Repræſentatio idolorum, cenſendus eſt vſus ille coronæ.* CONVENITVR. *Eſſe conuincitur.* COLLEGIORVM SACERDOTALIVM. *Societatum diuerſarum, diis diuerſis additarum.* APVD CLAVDIVM. *Saturninum de quo ſupra.* OFFICIIS, *Miniſteriis. Vnde cap.* 11 *meminit* Officialium coronarum. FORES. *Sic Catullus & Ouidius.* HOSTIÆ. *Ita Euripides.* ARÆ. *Habes apud Ouidium, Statium, Propertium.* MINISTRI. *Lege Macrob. 3. Satur. cap.* 16 *Ammianum lib. 29. Plin. lib. 16. c.* 4. Deorum honori ſacrificantes, coronam ſumpſere, victimis ſimul coronatis. *De idolis tandem Baruch* 6. 9. Coronas certè aureas habent ſuper capita ſua dij illorum: vnde ſubtrahunt Sacerdotes ab eis aurum & argentum, & erogant illud in ſemetipſos. *Nec multum curant dæmones; maior enim eos tenet fames & eſuries, vt per auaritiam pereant, quam Paulus dixit,* Idolorum ſeruitutem. *De hac eſurie & idolis, & vitiis, quibus, vt cibum edent, eum in ſe conuertit, & carni ſuæ ſimilem facit, ſic diabolus ſibi damnatos conſimiles auidiſſimè deſiderat facere homines. Aug. in Pſal.* 96. Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Extitit neſcio quis diſputator, qui doctus ſibi videbatur, & ait: Non ego illum lapidem colo, neq; illud ſimulacrum, quod eſt ſine ſenſu, &c. Adoro quod video, & ſeruio ei quem non video. Quis eſt iſte? Numen quoddam, inquit, inuiſibile, quod præſidet illi ſimulacro. Hoc modo reddendo rationem de ſimulacris ſuis, diſerti ſibi videntur, quia non colunt idola, & colunt dæmonia. Etenim, fratres ſicut dicit Apoſtolus, quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo vos, inquit, ſocios fieri dæmoniorum. Nam ſcimus quia nihil eſt idolum, &c. Non ergo hinc ſe excuſent, quia quaſi idolis inſenſatis dediti non ſunt, dæmoniis magis dediti ſunt, quod eſt periculoſius: Nam ſi tantùm idola colerent, ſicut eos non adiuuarent, ita illis nihil nocerent. Si autem adores & ſeruias dæmonibus, erunt Domini tui. Et qui erunt Domini tui? inuidi tui. Libertati tuæ neceſſe eſt inuideant, ſemper te velint poſſidere, ſemper talem facere, qualem poſſint ſecum trahere. Eſt enim inſita maleuolentia quædam & pernicies nocendi iſtis malis Spiritibus, gaudent de malo hominum, & de fallacia noſtra; ſi nos fefellerint, paſcuntur. Et quid quærunt? non quibus in æternum dominentur, ſed cum quibus in æternum damnentur: quomodo ſolet maleuolus latro nominare innocentem? *Vt participem criminis.* Numquid ſi fuerit vnus incenſus, minus ardet ſi duo ardeant? minus moritur, ſi duo moriantur? pœna illi non minuitur, ſed maleuolentia patitur: mecum moriatur. Non ſe minus moriturum dicens, ſed ſolatium habet malum alterius. Talis eſt diabolus, ſeducere vult eos qui cum illo puniantur. Et quia non poteſt fallere iudicem Deum, non enim nominat apud illum innocentem, vera crimina volens habere quæ obiiciat, peccata perſuadet. *Sic ſuaſit idololatriam, ſic & vſum coronæ, vt ſecum damnet idololatras, & contra vnius Dei cultum, & legitimum florum & aliarum materiarum vſum, floribus aliiſque rebus in coronis abutentes.*

S. Auguſt.

Aug.

CORRECTIO.

Correctio fraterna vtraque lege indicta eſt. 4. Cont. Marc. cap. 35. à p.

a PEccantem *fratrem jubet corripi;* Quod qui non fecerit, vtique deliquit, aut ex odio volens fratrem in delicto perſequerare, aut ex acceptione perſonæ, parcens ei; habes Leuiticum, b *Non odies fratrem tuum in animo tuo, traductione traduces proximum tuum,*

a Luc. 17. 3.
b Leuit. 9. 17.

Exo. 23. 4. Vtique & fratrem: *Et non ſumes propter illum, delictum.* Nec mirum ſi ita docet [c] *Quæcunque quoque fratris tui, ſi errantia in via inueneris, prohibet deſpicias; quo minus ea reducas fratri tuo;* Nedum ipſum ſibi.

CORRECTIO. SCHOLIA.

IVBET CORRIPI *Luc.* 17. 3. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi: *Per increpationem, correptionem intelligit. Aliis paulò verbis vſus eſt Chriſtus apud Matth.* 18. 15. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum. DELIQVIT. *Aduerte ſub pœna peccati nos obligari ad fraternam correptionem*: Vnicuique enim mandauit de proximo ſuo. HABES *Leuiticum cap.* 19. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum. 70. *autem* Non odio habebis fratrem tuum animo tuo, arguendo argues proximum tuum, & non accipies propter ipſum peccatum. TRADVCTIONE TRADVCENS. *Stilum Scripturæ imitatur emphaticè, diffamatione non diffamabis. Sic Liuius lib.* 2. Veſtras coniuges, veſtros liberos traductos per ora hominum. *Et de S. Ioſeph. Matth. 1.* 19. Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, *Accuſare & infamare apud iudices* voluit occultè dimittere eam. PECORA QVEQVE. *Exo.* 23. 4. Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum 70. *Sic.* Aut ſubiugali eius errantibus, reducens reddes ei. NEDVM IPSVM SIBI. *Quanto magis curare debes, vt proximus ad ſeipſum redeat, qui à ſeipſo, & ratione, peccando abierat in regionem longinquam cum prodigo, qui & cum Pſalte dicere poterat*, Cor meum

S Auguſt. dereliquit me. *Aug. in Pſal.* 39. Quid mirum eſt, ſi cor tuum deſertum eſt à Deo tuo, quando ſeipſum deſeruit? *Errantibus ergo dicendum eſt corrigendo*: Redite prævaricatores ad Cor. *De Correctione fraterna*

Si Auguſt. *& in eo modo ſeruando ſæpè Auguſtinus. In Pſal.* 102. Quid de luxurioſo filio facturus es? non caſtigabis, non verberabis? ſeruum & ipſum tuum ſi malè viuentem videris, non pœna aliqua, non verberibus refrænabis? fiat hoc, fiat, admittit Deus; imò reprehendit ſi non fiat: ſed animo dilectionis fac, non animo vltionis. Vbi autem potentiores aliquos iniurioſos paſſus fueris, vbi tibi nec corrigere diſciplinâ licet, nec forte etiam monere, aut præcipere, tolera, ſecurus tolera. *Et tract.* 10. *in Io. 2.*

S. Auguſt. Vnumquemque Chriſtianum zelus Dei comedat, in qua domo Dei membrum eſt. Non enim magis eſt domus tua, quàm domus vbi habes ſalutem ſempiternam, &c. Vides fratrem currere ad theatrum: prohibe, mone, conſtriſtare, ſi zelus domus Dei comedit te, vides alios currere, & inebriari velle, & hoc velle in locis Sanctis quod nuſquam decet: prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli tamen quieſcere. Si amicus eſt, admoneatur leniter: vxor eſt, ſeueriſſimè refrenetur: ancilla eſt, etiam verberibus compeſcatur, &c. Si autem frigidus fueris, marcidus, ad te ſolum ſpectans, & quaſi tibi ſufficiens, & dicens in corde tuo: quid mihi eſt curare aliena peccata? ſufficit mihi anima mea, ipſam integram ſeruem Deo. Eia, non tibi venit in mentem ſeruus ille qui abſcondit talentum, & noluit erogare? Numquid enim accuſatus eſt quia perdidit, & non quia ſine lucro ſeruauit? &c. Nolite quieſcere lucrari Chriſto, quia lucrati eſtis à Chriſto. *Appoſitè in verba Chriſti ſupra relata.* Lucratus eris fratrem tuum. *Et to. 10. ſer. 16. de Verb. Do.* Do- Auguſt. minus dicit, corripe illum inter te & ipſum ſolum. Salomon dicit, qui arguit palam pacem facit. Ergo neſcit Dominus quid præcepit? Salomon vult contundi frontem peccantis, Chriſtus parcit pudori erubeſcentis. *Aduerte quàm aptè in Tertull. hic contra Marcionem agentem, antitheſes veteris & noui Teſtamenti, ſtultè arguentem.* Vis noſſe quiſquis talia cogitas, non ſibi repugnare duo teſtamenta, quia illud in libro Salomonis, hoc in Euangelio reperitur? Apoſtolum audi. Certè Apoſtolus miniſter eſt noui Teſtamenti. Audi ergo Apoſtolum Paulum Timotheo præcipientem & dicentem, peccantes coram omnibus, argue vt & cæteri timorem habeant, &c. Quid dicis Domine? &c. Inter te ipſum ſolum. Quid dicis Apoſtole? peccantes coram omnibus, &c. *Sic autem conciliat, vt aperta arguat palam, ſecreta in occulto.* Quia enim ſecretum fuit quando in te peccauit, ſecretum quære cùm corrigis quod peccauit. Nam ſi ſolus noſti quia peccauit in te & eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, ſed proditor. *Subdit exemplum S. Ioſeph ſuſpicantis adulterium*: Reſtabat certa adulterij Auguſt. ſuſpicio, & tamen quia ipſe ſolus ſenſerat, ipſe ſolus ſciebat; quid de illo Euangelium? Ioſeph autem cùm eſſet vir iuſtus, & nollet eam diuulgare, &c. Ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quę peccantur coram omnibus, &c. Peccauit ergo in te frater tuus: Si tu ſolus noſti, tunc verè in te ſolum peccauit. Nam ſi multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos teſtes ſuæ iniquitatis effecit. *Et ſer.* 15. *de Verb. Do. circa f.* Corripiamus verbis, ſi opus eſt, & verberibus, ſed delictum dimittamus, culpam de corde abiiciamus, &c. Vt ſi per charitatem imponitur diſciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium quàm Medicus ferens ferramentum? plorat ſecandus, & ſecatur: plorat vrendus & vritur. Non eſt illa crudelitas, abſit vt ſæuitia medici dicatur. Sæuit in vulnus, vt homo ſanetur: quia ſi vulnus palpatur, homo perditur.

CREATIO ET CREATVRA.

1. *Creatio ex nihilo facta probatur ex ſcriptura, dicente, quid ex quo fiat, cùm ex aliquo ſit. Cont. Hermog. cap. 20. in f 21. & 22. per totum.*

QVum in omni operatione tria ſint principalia, qui facit, & quod fit, & ex quo fit: tria nomina ſunt edenda in legitima operis enarratione: perſona factoris, ſpecies facti, forma materiæ. Si materia non edetur, vbi & opera & operator eduntur, apparet ex nihilo eum operatum. Proinde enim ederetur ex quo, ſi ex aliquo fuiſſet operatus. Deni-

que Euangelium vt ſupplementum inſtrumenti veteris adhibebo, in quo vel eò magis debuerat oſtendi Deus ex aliqua materia, vniuerſa feciſſe, quod illic etiam, per quem omnia fecerit, reuelatur. [a] *In principio erat Sermo. In quo principio* ſcilicet [b] *Deus fecit cælum & terram. Et Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine illo factum eſt nihil.* Cùm igitur & hîc manifeſtetur & factor, id eſt Deus, & facta, id eſt omnia, & per quem, id eſt Sermo; nonne & vnde omnia facta eſſent à Deo per Sermonem, exegiſſet ordo profiteri, ſi ex aliquo facta eſſent? Ita quod non fuit, non potuit ſcriptura profiteri. Et non profitendo, ſatis probauit non fuiſſe: quia profiteretur ſi fuiſſet. Ergo, inquis, ſi tu ideò præiudicas ex nihilo facta omnia, quia non ſit manifeſtè relatum de materia præcedenti factum quid, vide ne diuerſa pars ideo contendat ex materia omnia facta, quia proinde non apertè ſignificatum ſit, ex nihilo quid factum. Planè retorqueri quædam facilè poſſunt: non ſtatim & ex æquo admitti, vbi diuerſitas cauſæ eſt. Dico enim, etſi non apertè ſcriptura pronuntiauit ex nihilo facta omnia, ſicut nec ex materia, non tantam fuiſſe neceſſitatem apertè ſignificandi de nihilo facta omnia, quanta eſſet, ſi ex materiâ facta fuiſſent. Quoniam quod fit ex nihilo, eo ipſo dum non oſtenditur ex aliquo factum, manifeſtatur ex nihilo factum: & non periclitatur, ne ex aliquo factum exiſtimetur, quando non demonſtretur ex quo ſit factum. Quod autem ex aliquo fit, niſi hoc ipſum apertè declaratur ex aliquo factum, dum illud ex quo factum ſit non oſtenditur, periclitabitur primò videri ex nihilo factum, quia non editur ex quo ſit factum. Dehinc, etſi ea ſit conditione, vt non poſſit videri non ex aliquo, proinde periclitabitur, ex alio longè factum videri, quàm ex quo factum eſt, dum non proponitur, vnde ſit factum. Ita, ſi ex nihilo Deus cuncta feciſſe non potuit, etſi ſcriptura non adjeciſſet illum ex nihilo feciſſe; ex materia eum feciſſe omni modo debuit edixiſſe, ſi & ex materia feciſſet. Quia illud in totum habebat intelligi, etſi non ſignificaretur: at iſtud in dubio, niſi ſignificaretur. Atque adeo Spiritus ſanctus hanc ſcripturæ ſuæ rationem conſtituit, vt cùm quid ex aliquo ſit, & quod ſit, & vnde, ſit referat. [c] *Fruticet*, inquit, *terra herbam fœni, ſeminantem ſemen ſecundùm genus, & ſecundùm ſimilitudinem, & lignum fructuoſum faciens fructum, cuius ſemen in ipſo in ſimilitudinem. Et factum eſt ſic. Et produxit terra herbam fœni ſeminantem ſemen ſecundùm genus, & lignum fructuoſum faciens fructum, cuius ſemen in ipſo in ſimilitudinem.* Et rurſus: [d] *Et dixit Deus: Producant aquæ repentia animarum viuarum, & volatilia volantia ſuper terram per firmamentum cæli. Et factum eſt ſic. Et fecit Deus cetos magnos, & omnem animam animalium repentium, quæ produxerunt aquæ ſecundùm genus ipſorum.* Item poſt hæc. [e] *Et dixit Deus: Producat terra animam viuentem ſecundùm genus, quadrupedia & repentia, & beſtias terræ, ſecundùm genus ipſorum.* Si ergo ex iam factis rebus, alias res Deus proferens, oſtendit per Prophetam, & dicit quid, vnde protulerit: (quamquam poſſimus vnde vnde illas prolatas æſtimare, dum ne ex nihilo; iam enim facta erant quædam, ex quibus prolatæ videri poſſent:) ſi tantam curam inſtructionis noſtræ intumpſit Spiritus ſanctus, vt ſciremus quid vnde proceſſerit, nonne proinde nos & de cœlo & de terra compotes reddidiſſet, ſignificando vnde ea eſſet operatus, ſi de aliqua materia origo conſtaret illorum? vt tantò magis ex nihilo ea videretur operatus, quantò nihil adhuc erat factum, ex quo operatus videretur. Itaque ſicut ea, quæ de aliquo prolata ſunt, oſtendit vnde prolata ſint: ita quæ non oſtendit vnde prolata ſint, ex nihilo prolata confirmat. Igitur *In principio Deus fecit cælum & terram.* Adoro ſcripturæ plenitudinem, qua mihi & factorem manifeſtat & facta. In Euangelio verò amplius & miniſtrum atque arbitrum Rectoris inuenio Sermonem. An autem de aliqua ſubiacenti materia facta ſint omnia, nuſquam adhuc legi. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat [f] *Væ* illud, *adicientibus aut detrahentibus* Deſtinatum.

a Io. 1. 1.
b Gen. 1. 1. Io. 1. 1. & ſeq.
CAP. XXII.
CAP. XXIII
c Gen. 1. 11. & ſeq.
d Gen. 1. 20.
e Gen. 1. 24.
Gen. 1. 1.
f Apoc. 22. 18. & ſeq.

CREATIO. I. SCHOLIA.

FORMA MATERIÆ *Non quod neget materiam informem: nec enim hîc agit de materia prima, ſed de ſubiecto in genere, & materia ex qua aliquid fit. Per formam igitur intelligit qualitatem materia, viputa aurum, argentum, lignum, &c.* NON EDETVR. *Si non dicatur materia, cùm dicitur efficiens ſiue artifex, & opus eius.* INSTRVMENTI *veteris Teſtamenti.* SVPPLEMENTVM *Quod nouum Teſtamentum expreſsè & explicitè dicat, quod vetus implicitè dicit.* SERMO, *Verbum.* INQVIT. *Sic inducit Hermogenem obiicientem.* SI TV, *Tertulliane ſcilicet* DIVERSA PARS *Hermogeniatarum.* DIVERSITAS CAVSÆ *Cauſa & ratio diuerſa.* EA SIT CONDITIONE. *Eius conditionis ſit res.* NON EX ALIQVO, *Supple factum ex aliqua materia.* EX ALIO EDNOE. *Multo magis ex alia quacunque materia, quàm ex qua verè factum eſt.* HABERAT INTELLIGI, *Debebat manifeſtè intelligi, quamuis nihil expreſsè de eo dictum eſſet.* IN DVBIO, *Manet dubium & occultum, niſi expreſsè declaretur.* ATQVE ADEO, *&c. Sic confirmat omnia ex nihilo primò facta, ex nulla æterna & præexiſtente mundo materia, qualem finxit Hermogenes: quia Spiritus Sanctus Scripturæ Author ſolet expreſsè dicere, cùm aliquid ex aliquo fecit Deus, ipſam de qua fecit, ſpecificare materiam.*

Exempla subiicit ex Genesi. FRVTICET TERRA. *Gen. 1. 11.* Germinet terra herbam virentem, &c. *De his locis iam alibi.* VNDE VNDE. *Vndecumque tandem, ex quacumque materia.* NE EX NIHILO. *Modò non putetur ex nihilo factus mundus.* DE COELO ET TERRA. *Primas scilicet creaturas ex nihilo factas.* COMPOTES. *Scientes & intelligentes.* PLENITVDINEM, *Quia plenè dixit omnia rerum principia, quæ verè sunt, nec quidquam omittit necessarium cognitioni rerum. Deum enim aperiè opificem, & opus eius agnoscit, & si aliqua materia fuisset, non eam præteriisset.* AMPLIVS *Inde supra dixit nouum Testamentum veteris supplementum.* MINISTRVM. *Non quòd filium inferiorem Patre censeat, cùm addat.* ARBITRVM RECTORIS, *Id est, Dei Patris oculum & manum, quo vt omnia fecit, sic.* Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, *Quia iuxta formam, Ideam, Verbum suum facta cognouit. Ministrum ergo dicit, coadiutorem & cooperatorem. Vnde filius apud Io. 5. 17.* Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. *Aug. tract. 18. in Io.* In eo quod dixit, non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: non alia opera Pater facit quæ videat filius, & alia filius, cùm viderit Patrem facientem, sed eadem opera ipsa & Pater & filius. Securus enim ait, quæcumque ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Non cùm ille fecerit, alia filius similiter facit: sed quæcumque ille fecerit, hæc & filius similiter facit Si hæc facit filius quæ fecerit Pater, per filium facit Pater: Si per filium facit, quæ facit Pater, non alia Pater, alia filius facit: sed eadem opera sunt Patris & filij, &c. Accipite exemplum, &c. Cum scribimus literas, facit eas primò cor nostrum, & deinde manus nostra, &c. Manus seruit imperanti cordi, easdem literas facit & cor, & manus, numquid alias cor, alias manus? easdem quidem facit manus, sed non similiter. Cor enim nostrum facit eas intelligibiliter, manus autem visibiliter. Ecce quomodo fiunt eadem, & dissimiliter. Vnde parum fuit Domino dicere quæcumque Pater fecerit, & hæc & filius facit, nisi adderet & similiter, &c. Si hæc & facit, & similiter facit, expergiscere, stringatur Iudæus, credat Christianus, conuincatur hæreticus, æqualis est Patris filius. TIMEA TVÆ *Apoc. 22. 18.* Contestor omni audienti verba Prophetiæ huius: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de Verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ & de Ciuitate Sancta. *De Creatione ex nihilo facta, sæpè Augustinus, nunc hæc sufficiant quæ habet, to. 3. lib. de fide & Symbolo c. 2.* Conati sunt quidam persuadere S. Augustin. Deum Patrem non esse omnipotentem, non quia hoc dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc A sentire & credere comincuntur. Cùm enim dicunt esse naturam, quam Deus omnipotens non creauerit, de qua tamen istum mundum fabricauerit, quem pulchrè ornatum esse concedunt: Ita Patrem omnipotentem Deum negant, vt non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, scilicet quæ iam fuerat, & quam ipse non fecerat: vteretur: Carnali scilicet consuetudine videntes fabros, & domorum structores, & quoslibet opifices, qui nisi adiuuentur parata materia, ad effectum suæ artis peruenire non possunt. Ita etiam intelligunt fabricatorem mundi non esse omnipotentem, si mundum fabricare non posset, nisi eum aliqua non ab illo fabricata natura, tanquam materies adiuuaret: At si omnipotentem B Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fatéantur necesse est ex nihilo eum fecisse quæ fecit. Non enim aliquid esse potest, cuius Creator non esset, cùm esset omnipotens: quia & si aliquid fecit ex aliquo, sicut hominem de limo. *Et ex Tertull. hoc capite, herbam, plantas, animalia, pisces, aues, ex terra & aqua.* Non vtique fecit ex eo quod ipse non fecerat, quia terram vnde limus est, ex nihilo fecerat. Et si ipsum cœlum & terram, id est ipsum mundum, & omnia quæ in eo sunt, ex aliqua materia fecerat, sicut scriptum est Sap 11. 18. Qui fecisti mundum ex materia inuisa, vel informi, sicut nonnulla exemplaria tenent: nullo modo credendum est, illam ipsam materiam, de qua factus est mundus, quamuis informem, quamuis inuisam, C quocumque modo esset, per seipsam esse potuisse, tanquam cœternam, & coæuam Deo: *Vt sensit Hermogenes.* Sed quemlibet modum suum quem habebat, vt quomodo esset, & distinctarum rerum formas posset accipere, non habebat nisi ab omnipotente Deo, cuius beneficio est res, non solùm quæcumque formata, sed etiam quæcumque formabilis. Inter formatum & formabile hoc interest, quòd formatum iam accepit formam, formabile autem potest accipere; sed qui præstat rebus formam, ipse præstat rebus etiam posse formari: quoniam de illo, *vt principio effectiuo*, Et in illo, *vt causa ideali & exemplari, scil. Verbo.* Est omnium speciosissima species incommutabilis: Et ideo ipse vnus est, qui cuilibet rei, non solum vt pulchra sit, sed etiam vt pulchra esse possit, attribuit. Qua D propter rectissimè credimus, omnia Deum fecisse de nihilo: quia etiamsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia, de nihilo facta est, vt ordinatissimo Dei munere prima capacitas formatum fieret (*Id est materia informis capax formarum.* Ac deinde formarentur, quæcumque formata sunt. *Prolixus locus, sed bellè mentem Tertulliani exponens, & errorem Hermogenis confutans.*

2. *Creatio ex nihilo probatur, quòd omnia in fine mutanda, & proinde peritura sint. Cont. Hermog. cap. 34. in. p. adm.*

CEterùm, omne ex nihilo constitisse, illa postremo dispositio suadebit, quæ omnia in nihilum redactura est. Si quidem & [a] *Cœlum conuoluetur vt liber*, Immo nusquam fiet cum ipsa terra, cum qua primordio factum est. [b] *Cœlum & terra præteribunt*, inquit, [c] *Cœlum primum, & terra prima abierunt, & locus non est inuentus illis:* Quia scilicet quod & finit, locum amittit. Sic & Dauid, [d] *Opera manuum tuarum cœli, & ipsi peribunt.* Nam etsi *Mutabit illos velut operterium, & mutabuntur*, Sed mutari, perire est pristino statui, quem, dum mutantur, amittunt. [e] *Et stellæ quidem de cœlo ruent, sicut fici arbor, quum validò commota vento, acerba sua amittit* [f] *fontes vero tanquam cera liquescent à conspectu Domini* [g] *quum surrexerit, scilicet confringere terram.* Sed & [h] *Ralades*, inquit, *arefaciam.* [i] *Et quærent aquam, nec inuenient,* [k] *Etiam mare hactenus.*

a Esa. 34. 4 Apoc. 6. 14. b Math. 24. 35. c Apoc. 21. 1. d Psal. 101. 26. 27. & 28. e Math. 42. 29. & 23. Apoc. 6. 13. f Psal. 96. 5. g Esa. 2. 19. h Esa. 41. 17. k Apoc. 21. 1.

CREATIO. II. SCHOLIA.

POSTREMO. *Postrema consummatio saculi.* IN NIHILVM. *Latè sumit, & proinde argumentum non plenè concludit, certum est enim omnia ex nihilo facta, sed in nihilum redigenda non est in scriptura expressum, licet* Tempus non erit amplius. *Et futurum sit* Cœlum nouum, & terra noua. CONVOLVETVR. *Esa. 34. 4.* Et tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli. Et omnis militia eorum defluet. 70. Et omnes stellæ cadent sicut folia ex vite. *Quia scilicet virtutibus cœli motis, id est intelligentiis remotis à regulari regimine cœlorum, in quibus, velut extenta pelle, Astronomi scriptas rerum inferiorum causas legunt; omnibus confusis, velut in libris clausis, nil certi legere poterunt pro gubernatione sublunarium. Et Apoc. 6. 14.* Et cœlum recessit sicut liber inuolutus & omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt. NVSQVAM FIET *Nullum erit, vt nec terra, de quibus dictum Gen. 1. 1.* In principio creauit Deus cœlum & terram. PRÆTERIBVNT. *Math. 24. 35.* Cœlum & terra transibunt. *Syr. autem:* Præteribunt. COELVM PRIMVM *Apoc. 21. 1.* Et vidi cœlum nouum, & terram nouam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare iam non est. *Quod non de substantia, sed qualitatibus & accidentibus intelligendum est.* ET STELLÆ QVIDEM. *Math. 24. 29.* Stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur. *Et versu 32.* Ab arbore autem fici discite parabolam, &c. *Sed expressius in rem Tertull. Esa. 34. 4.* Omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu. 70. *autem*: Omnes stellæ cadent sicut folia ex vite, & sicut cadunt folia de ficu. *Et adhuc melius Apoc. 6. 13.* Stellæ de cœlo ceciderunt super terram. *Id est, cœlis complicatis vt supra, stellæ velut characteres non apparentes, prolapsis habita sunt, vel Meteora ignea à suprema aëris regione* Sicut ficus emittit grossos suos, cum à vento magno mouetur. Et cœlum recessit sicut liber inuolutus, & omnis mons & insulæ de loco suo motæ sunt. MONTES VERO *Psal. 96. 5.* Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, CONTERERE TERRAM. *Esa. 2. 19.* Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. *70 autem*: A gloria fortitudinis eius, cum surrexerit frangere terram. PALVDES *Esa. 42 15.* Ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam. 70. Et paludes siccabo. QVÆRENT AQVAM *Esa. 41 17.* Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. 70. Exultabunt pauperes & inopes. Quærent enim aquam, & non erit: lingua eorum præ siti aruit. *Quæ causa latina?* Ego Dominus Deus, ego exaudiã Deus Israël: & non derelinquam eos, sed aperiam in montibus flumina. MARE HACTENVS. *Pamelius legit*, Oceanus *Id est, etiam ipse Oceanus non erit. Repetit quod supra Apoc. 21. 1.* Prima terra abiit, & mare iam non est. *Vt hic textus sine Augustino non abeat, vnum aut alterum locum ex eo proferam. In illud Psal. 101. 26. & seq.* Opera manuum tuarum sunt cœli, &c. Aperte dicit hoc Apostolus Petrus. 1. 3. Cœli erant olim de aqua & per aquam constituti Dei Verbo, per quod qui factus est mundus ab aqua inundatus deperiit. Terra autem & cœli qui nunc sunt, eodem Verbo repositi sunt igni reseruandi. Iam ergo dixit periisse cœlos per diluuium: periisse autem nouimus cœlos secundum quantitatem & spatia aëria huius: exoriuit enim aqua, & totam istam capacitatem, vbi aues volitant, occupauit, ac sic vtique cœli perierunt propinqui terris: cœli, secundum quod dicuntur aues cœli. Sunt & cœli cœlorum superiores in firmamento: sed vtrum & ipsi perituri sint igni, an hi solicœli qui etiam diluuio perierunt, disceptatio est aliquantò scrupulosior inter Doctos, nec facilè, maximè in angustia temporis explicari potest. *Ex professo autem tractat hunc locũ libro 20. de Ciuit. cap. 24. vbi, cùm textum Psalmi, totum retulisset, sic habet:* Quid est quod Porphyrius, cum pietatem laudet Hebræorum, qua magnus & verus, & ipsis numinibus terribilis ab eis colitur Deus, Christianos ob hoc arguit maximæ stultitiæ, etiam ex oraculis Deorum suorum, quod istum mundum, dicunt esse perituru[m]? Ecce in literis pietatis Hebræorum dicitur Deo, quem confitente tanto Philosopho, etiam ipsa numina perhorrescunt: opera, inquit, manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt. Numquid quando cœli peribunt, mundus, cuius idem cœli superior pars est & tutior; non peribit? Si hæc sententia Ioui displicet, cuius, vt scribit iste Philosophus, velut grauioris authoritatis oraculo, in Christianorum credulitate culpatur, cur non similiter sapientiam, tanquam stultitiam culpat Hebræorum, in quorum libris piissimis inuenitur? Porrò si in illa sapientia, quæ Porphyrio tam multum placet, vt eam Deorum quoque suorum vocibus prædicet, legitur cœlos esse perituros, cur vsque adeò vana est ista fallacia, vt in fide Christianorum, vel inter cætera, vel præ cæteris hoc detestentur, quòd in ea perituru[s] creditur mundus, quo vtique nisi pereunte, cœli non possunt perire? & in literis quidem Sacris, quæ propriè nostræ sunt non Hebræis nobisque communes, id est Euangelicis & Apostolicis libris legitur 1. Cor. 7. præterit figura huius mundi. Legitur. 1. Io. 2. mundus transit: legitur Math. 24. cœlum & terra transibunt. Sed puto quod, præterit, transit, transibunt, aliquantò mitius dicta sunt, quàm peribunt. In Epistola quoque Petri Apostoli, vbi aqua inundatus qui tunc erat periisse dictus est mundus, satis clarum est, & quæ pars mundi à toto significata est, & quatenus periisse dicta sit, & qui cœli repositi igni reseruandi in diem iudicij & perditionis omnium impiorum. Et in eo quod paulò post ait; veniet dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu transcurrent; Elementa autem ardentia resoluentur: & terra, & quæ in ipsa sunt opera exurentur: ac deinde subiecit, his omnibus pereuntibus, quales oportet vos esse? possunt illi cœli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reseruandos? *Tres scilicet regiones aëris,* Et ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt procellosa & turbulenta, in qua eosdem cœlos dixit esse repositos, saluis illis superioribus, & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta. Nam & illud quod scriptum est stellas de cœlo esse casuras, præter quod potest multò probabilius, & aliter intelligi, magis ostendit mansuros esse illos cœlos: si tamen stellæ inde casuræ sunt, cum vel tropica sit locutio, quod est credibilius, vel in isto imo cœlo futurum sit aliquid vtique mirabilius quàm nunc fit, vnde & illa Virgiliana: stella facem ducens multa cum luce cucurrit. Hoc autem quod de Psalmo commemoraui, nullum cœlorum videtur relinquere, quod perituru[m] esse non dixerit. Vbi enim dicitur: opera

A

B

C

D

Aug.

Aug.

E

S. Aug.

mantium marum sunt cœli, ipsi peribunt: quàm nullum eorum ab opere Dei, tam nullum eorum à perditione secernitur, &c. Sic à toto pars accipiatur in eo quod dictum est, ipsi peribunt, cum soli cœli infimi sint periturí: quemadmodum in Apostolica illa Epistola, à toto pars accipitur, quod diluuio periisse dictus est mundus, quamuis sola eius, cum suis cœlis, pars ima perierit. *Illud autem Apoc. 21. 1. vidi cœlum nouum, &c. Sic explicat lib. 20. de Ciuit. c.* 16. Illa conflagratione mundana, elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant ardendo penitus interibunt: Atque ipsa substantia eas qua- S Augusti.

A litates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili commutatione conueniant: vt scilicet mundus in melius innouatus aptè accommodetur hominibus, etiam in carne melius innouatis; Quòd autem ait, & mare iam non est. Vtrum maximo illo ardore siccetur, an & ipsum vertatur in melius, non facilè dixerim, &c. Nisi quòd in hoc eodem libro reperitur, tanquam mare vitreum simile chrystallo, &c. Potuit de illo mari dicere, & mare iam non est, de quo supra dixerat: & mare reddidit mortuos suos, &c. Iam enim tunc non erit hoc sæculum vitâ mortalium turbulentum & procellosum; quod maris nomine figurauit.

3. Creatio de nihilo facta est, non ex Dei accessu ad materiam, sed à Patre, cum duabus manibus, filio scilicet & Spiritu Sancto. Cont. Hermog. cap. 45. in p. ad circa fin.

AT enim Prophetæ & Apostoli non ita tradunt mundum à Deo factum, adparente solummodo & adpropinquante materiæ, qui nec materiam vllam nominauerunt: sed primò Sophiam conditam, [a] *Initium viarum in opera ipsius*: Dehinc & sermonem prolatum, [b] *Per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil.* Denique [c] *Sermone eius cœli confirmati sunt, & spiritu ipsius vniuersa virtutes eorum.* Hic est [d] *Dei dextera*, Et manus ambæ, per quas operatus est ea, quæ molitus est. [e] *Opera enim manuum tuarum*, inquit, *Cœli*; Per quas & [f] *Mensus est terram, & palmo cœlum.* Noli ita Deo adulari, vt velis illum solo visu & solo accessu tot ac tantas substantias protulisse, & non propriis viribus instituisse. Sic enim & Hieremias commendat: [g] *Deus faciens terram in valentia sua, parans orbem in intelligentia sua, & suo sensu extendit cœlum.* Hæ sunt vires eius, quibus enixus, totum hoc condidit. Major est gloria eius, si laborauit. Denique. [h] *Septima die requieuit ab operibus.* Vtrunque suo more. Aut si adparens solummodo & adpropinquans fecit hunc mundum, nunquid cum facere desiit, rursus adparere & adpropinquare cessauit? Atquin magis adparere cœpit & vbique conueniri Deus, ex quo factus est mundus. Vides ergo quemadmodum operatione Dei vniuersa consistunt, valentiâ facientis terram, intelligentiâ parentis orbem, & sensu extendentis cœlum: non adparentis solummodo, nec adpropinquantis, sed adhibentis tantos animi sui nisus, sophiam, valentiam, sensum, sermonem, spiritum, virtutem. Quæ illi non erant necessaria, si adparendo tantummodo & adpropinquando profectus fuisset. Hæc autem sunt *Inuisibilia eius*, Quæ secundùm Apostolum [i] *Ab institutione mundi de factis eius conspiciuntur*, Non materiæ nescio quæ, sed sensualia ipsius. [k] *Quis enim cognouit sensum Domini?* De quo exclamat, *O profundum diuitiarum & Sophiæ, vt inuentibilia iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Quid hæc magis sapiunt, quam vt ex nihilo omnia facta sint? quæ nec inueniri nec inuestigari nisi à solo Deo possent; alioqui inuestigabilia, si ex materia sunt inuestigata & inuenta. Igitur inquantum constitit materiam nullam fuisse, ex hoc etiam, quod nec talem competat fuisse qualis inducitur, intantum probatur omnia à Deo ex nihilo facta.

a Prou. 8. 22.
b Io. 1. 3.
c Psal. 32. 6.
d Esa. 48. 13.
e Psal. 101. 26.
f Esa. 40. 12.
g Hier. 51. 15.
h Gen. 2. 2.
i Rom. 1. 20.
k Rom. 11. 34. & 35.

CREATIO. III. SCHOLIA.

NOVITA. *Sicut scilicet vult Hermogenes, per accessum & apparentiam materiæ, quæ Deo adfuerit, vt necessaria ad mundi conditionem.* SOPHIAM. *Sapientiam genitam.* INITIVM. *Prou. 8. 22.* Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum. 70. *autem* Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua. Ante sæculum fundauit me, in principio antequam terram faceret. DEHINC, *&c. Non quod velit, Verbum posterius genitum, sapientiâ, cum idem sit; sed ordinem texit scriptura veteris & nouæ. Vetus enim de sapientia, noua de Verbo sic loquitur; sine, vt Tertul. loquitur, de* Sermone. *Vel per* Dehinc, *Intelligit opus ad extra factum, quod in æterna sapientia fuerat, velut in mente artificis idealiter efformatum.* Dixit enim & facta sunt, &c. *Vnde Aug.* Si dixit, per Verbum dixit. SERMONE MEVS *Psal. 32. 6.* Verbo Domini cœli firmati, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. S. Augusti. *Aug. lib. 11. Confess. c. 6. & 7. vbi de Verbo longè diuerso à verbis & sermonibus sonantibus, & transeuntibus.* Vocas nos ad intelligendum Verbum Deum apud te Deum, quod sempiternè dicitur, & eo sempiternè dicuntur omnia. Neque enim finitur quod dicebatur, & dicitur aliud, vt possint dici omnia, sed simul ac sempiternè omnia, &c. Non ergo quidquam Verbi tui cedit atque succedit, quoniam verè immortale atque æternum est. Fit ideò Verbo tibi coæterno, simul & sempiternè dicis omnia quæ dicis, & fit quidquid dicis, vt fiat. Nec aliter quàm dicendo facis, nec tamen & simul & sempiternè fiunt omnia, quæ dicendo facis. Cur quæso te Domine Deus meus? Vtcumque video, sed quomodo id eloquar nescio, nisi quia omne quod esse incipit, & esse desinit, tunc esse incipit, & tunc desinit, quando debuisse incipere vel desinere in æterna ratione cognoscitur, vbi nec incipit aliquid, nec desinit? Ipsum est Verbum tuum, quod & principium est, qui & loquitur nobis, &c. *Et cap. 9.* In hoc principio Deus fecisti cœlum

cœlum & terram, in Verbo tuo, in filio tuo, in virtute tua, in ſapientia tua, in veritate tua, miro modo dicens, & miro modo faciens. Quis comprehendet? Quis enarrabit? *Et in Pſal. 32.* Non à ſe ſibi ſolidamentum fuerunt, nec ipſi cœli firmitatem ſibi propriam præſtiterunt. Verbo Domini cœli firmati ſunt, &c. Non habuerunt aliquid ex ſe, & tanquam ſupplementum à Domino perceperunt. Spiritu enim oris eius, non pars, ſed omnis virtus eorum Sanè fratres, videte eadem opera & filij & Spiritus Sancti, &c. Hoc ergo facit filius & Spiritus Sanctus Numquid ſine Patre? quis ergo facit per Verbum ſuum & Spiritum ſuum, niſi cuius Verbum eſt, & cuius Spiritus? Trinitas ergo hæc, vnus Deus. Hunc Adorat qui nouit adorare, hunc vbique habet quo ſe conuerterit. Non enim quæritur ab auerſis, ſed ipſe vocat auerſos, vt implcat conuerſos. DEI DEXTERA. *Eſa. 48. 13.* Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cœlos: Ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul. 70. Et dextera mea firmauit cœlum, MANVS AMBÆ *Filius & Spiritus Sanctus. Hinc Abacuc. 3.* Dedit Abyſſus *Pater* Vocem ſuam; *Fiat* Altitudo *Sicut abyſſus & profundum, idem Pater* Manus ſuas leuauit; *Filium & Spiritum Sanctum.* MENSVS EST, *Eſa.* 40. 12. Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera? 70. *Paulò aliter:* Quis menſus eſt manu aquam, & cœlum palmo, & omnem terram pugillo? Quis ſtatuit montes pondere, & rupes ſtatera? *Aug. in Pſal.* 101. Plana ſunt, manifeſta ſunt, Deus fundauit terram, ſcimus: Opera manuũ eius ſunt cœli. Ne putetis enim quaſi aliud Deum facere manu, aliud Verbo: quod facit Verbo, hoc facit manu: non enim diſtinctus eſt corporeis membris, qui dixit, ego ſum qui ſum. Et fortè Verbum eius eſt manus eius: Certè manus eius, eſt virtus eius. quia enim dictum eſt, fiat firmamentum, & factum eſt firmamentum. Verbo intelligitur feciſſe. Quia verò dixit, faciamus hominem, &c. Quaſi manu videtur feciſſe. Audi ergo, opera manuum tuarum ſunt cœli. Ecce quod Verbo fecit, vtique etiam manibus fecit: quia virtute ſua fecit, quia poteſtate ſua fecit. Attende potius quid fecerit, & noli quærere quomodo fecerit. Multum eſt enim te comprehendere quomodo fecerit; cum teipſum ſic fecerit, vt prius ſis ſeruus obediens, & poſtea fortaſſe amicus intelligens. *Et tract. 20. in Io.* Quomodo ipſe Pater & filius inſeparabiles ſunt, ſic & opera Patris & filij inſeparabilia ſunt, &c. Quia Pater & filius non ſunt duo dij, ſed vnus Deus. Verbum, & cuius eſt Verbum, vnus & vnicus Deus vnus Pater & filius charitate complexi, vnuſque charitatis Spiritus eorum eſt, vt fiat Trinitas, Pater & filius & Spiritus Sanctus. Non ergo tantùm Patris & filij, ſed & Spiritus Sancti, ſicut æqualitas & inſeparabilitas perſonarum, ita etiam opera inſeparabilia ſunt, &c. AMVLARI. *Carpit Hermogenem, quaſi blandientem Deo, quòd ſolum videndo, & accedendo ad materiam, ex ea omnia fecerit.* IEREMIAS. 51. 15. Qui fecit terram in fortitudine ſua, præparauit orbem in Sapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos. Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cœlo? 70. *vtrò*, Dominus facit terram in fortitudine ſua, parans orbem in ſapientia ſua, in intellectu ſuo extendit cœlum. Ad vocem poſuit ſonum aquæ in cœlo. *Id eſt ventum inducentem pluuiam in aere.* ENIXVS. *Quaſi grauidus & parturiens locutus, qui ab æterno ſiluerat; non quidem ad intra, ſemper loquens & dicens Verbum, ſed ad extra, per Verbum omnia faciens, cum nihil prius produxiſſet ante mundum.* LABORAVIT, *Benè ſubiicit*, VTRVMQVE SVO MORE *De quo alibi ex Aug. diximus*: Nec cum creauit defeſſus, nec cum quieuit refectus eſt. SEPTIMA DIE. *Aug. tract. 20. in Io. vbi de Paralytico ſanato ſabbatho.* Tunc, inquit, eis dixerat, Pater meus vſquemodo operatur, & ego operor. Illi autem carnaliter accipientes Sabbathi obſeruationem, putabant Deum poſt laborem fabricati mundi, vſque ad hunc diem quaſi dormire, & propterea ſanctificaſſe illum diem, ex quo cœpit velut à laboribus requieſcere, &c. Sed ideo dictum eſt Deum requieuiſſe, quia iam creaturam nullam condebat, poſtquam perfecta ſunt omnia. Quietem verò, propterea appellauit Scriptura, vt nos admoneret poſt bona opera quieturos: ſic enim Scriptum habemus in Gen. & fecit Deus omnia bona valdè, & requieuit Deus die ſeptimo: vt tu homo cùm attendis ipſum Deũ poſt bona opera requieuiſſe, non tibi ſperes requiem, niſi cùm bona fueris operatus Et quemadmodum Deus poſteaquam fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ſexto die, & in illo perfecit omnia opera ſua bona valde, requieuit ſeptimo die: ſic & tibi requiem non ſperes, niſi cùm redieris ad ſimilitudinem Dei, in qua factus es, quam peccando perdidiſti. Non enim Deus laboraſſe dicendus eſt, qui iuſſit & facta ſunt. Quis eſt, qui poſt tantam operis facilitatem, quaſi poſt laborem velit requieſcere? ſi iuſſit, & aliquis ei reſtitit; ſi iuſſit, & non eſt factum, & vt fieret, laborauit, meritò dicatur poſt laborem requiem quæſiuiſſe. Cùm verò & in ipſo libro Geneſeos legamus, dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux, &c. Quomodo poſt mundum factum requiem, quaſi vt ceſſaret, requirebat, qui in iubendo numquam laborauerat? Ergo illa myſtica ſunt, & propterea ita poſita, vt nobis requiem ſperemus poſt hanc vitam, ſed ſi bona opera fecerimus. APPARENS *Apparens materiæ, vel materia coram Deo parente vt comminiſtra ad opera ne eſſaria; ſicut de Eua dicitur Gen. 2. 18. Secundùm Hebr.* Faciam ei adiutorium, quod ſit coram eo. VBIQVE CONVENIRI, *Quia cœlum & terram impleuit, & omnibus creaturis adfuit rector & cuſtos, qui fuerat Creator, maximè autem creaturis intellectualibus & rationabilibus, quæ cum conuenerunt orando & adorando.* PROFECTVS FVISSET, *Accinxiſſet ſe ad mundum creandum, & producendum ad extra.* SECVNDVM APOSTOLVM *Rom.* 1. 20. Inuiſibilia ipſius à Creatura mundi, *Syr. à factis mundi fundamentis, ex ipſius creatione intellecta conſpiciuntur.* Per ea quæ facta ſunt, &c. MATERIÆ, *Inuiſibiles, innatæ, infectæ. Hermog. plurali vtitur pro ſingulari*, SENSVALIA. *Creaturæ ſenſibiles à Deo conditæ.* O PROFVNDVM. *Rom.* 11. 33. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c. Quis enim nouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo; *Non ex materia*, Et per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.

4. *In creatione mundi, ſub nomine cæli & terræ, quaſi Generalibus & ſummis, cætera Creata intelliguntur, quæ alibi ſcriptura ſeorſim facta teſtatur. Cont. Hermog. cap. 31. per totum & 32. aã vltra m.*

SEd &illud vtique captabitur: de cœlo ſolo, & de terra iſta ſcripturam ſignificaſſe quod eam
a Gen. 1. 1. a *In principio Deus fecerit*: De ſpeciebus autem ſuprædictis nihil tale: & ideo eas quæ factæ non ſignificentur, ad infectam materiam pertinere. Reſpondebimus huic quoque ſcrupulo. Scriptura diuina ſatis differeret, ſi ſummas ipſas rerum à Deo factas commendaſſet cœlum & terram, habentes vtique ſuggeſtus ſuos proprios, qui in ipſis ſummis intelligi poſſent. Sug-
Gen. 1. 1. geſtus autem cœli & terræ primò tunc fuerint tenebræ, & abyſſus, & ſpiritus, & aquæ. Nam terræ quidem ſuberat abyſſus & tenebræ. Si enim abyſſus infra terram, tenebræ autem ſuper abyſſum, ſine dubio & tenebræ & abyſſus infra terram. Cœlo verò ſpiritus & aquæ ſubiacebant: nam ſi aquæ ſuper terram, quæ eam texerant, ſpiritus autem ſuper aquas, pariter & ſpiritus & aquæ ſuper terram. Quæ verò ſuper terram, ea vtique infra cœlum. Et ſicut terra abyſſo & tenebris, ita & cœlum ſpiritui & aquis incubabat, & complectebantur. Et ita nouum non eſt, vt id ſolum quod continet, nominetur, quâ ſummale: in illo autem intelligatur & quod continetur, quâ portionale. Ecce, ſi dicam, Ciuitas extruxit theatrum & circum: ſcena autem erat talis & talis, & ſtatuæ ſuper Euripum, & obeliſcus ſuper omnia ferebatur: quia non & has ſpecies edixerim, factas à ciuitate, non erunt ab ea cum circo & theatro? an ideo non adjeci factas has quoque ſpecies, quia inerant eis quæ facta prædixeram, & ineſſe quibus inerant, intelligi poterant? Sed vacet hoc exemplum, vt humanum: aliud de auctoritate ſcripturæ ipſius arripiam. b *Fecit*, inquit, *Deus hominem de terra,*
b Gen. 2. 7. *& adſflauit in faciem eius flatum vitæ, & factus eſt homo in animam viuam.* Faciem quidem eius hic nominat, ſed nec ipſam factam à Deo dixit. Coſtam verò & oſſa, & carnem, & oculos, & ſudorem, & ſanguinem poſtea loquitur, quæ nec tunc facta à Deo ſignificauit. Quid reſpondebit Hermogenes? Nunquid & membra hominis ad materiam pertinebunt, quia non nominatim facta referuntur? An & hæc in hominis factitatione cenſentur? Proinde membra erunt cœli & terræ abyſſus & tenebræ, ſpiritus & aquæ. In corporibus enim membra ſunt facta: in corporibus & membra ſunt nominata. Nullum elementum non membrum eſt eius elementi quo continetur: Omnia autem elementa cœli aut terra continentur. Hæc reſponderim pro ſcriptura præſenti, quatenus hîc ſolotum cor-
CAP. XXXII. porum factitationem commendare videtur cœli & terræ. Sciuit eſſe qui vltrò in corporibus & membra cognoſcerent, & ideo compendio vſa eſt. Prouidit tamen & hebetes & inſidioſos, qui diſſimulato tacito intellectu, ipſis quoque membris verbum factitationis ſignificatorium exigerent. Itaque & propter iſtos, ſingulas ſpecies factas docet aliis in locis. Ha-
c Prou. 8. 24. bes Sophiam, c *Prior autem abyſſo genita ſum*, dicentem: vt credas abyſſum quoque genitam, id eſt factam, quia & filios facimus, licet generemus. Nihil intereſt facta an nata ſit abyſſus, dum initium detur illi, quod non daretur, ſi materiæ ſubiecta eſſet. De tenebris
d Eſa. 45. 7. verò ipſe Dominus per Eſaïam: d *Ego, qui ſtruxi lucem & feci tenebras.* De ſpiritu æquè Amos: e *Qui ſolidat conitruum, & condit ſpiritum, & adnuntiat in homines Chriſtum ſuum:*
e Amos. 4. 13. Eum ſpiritum conditum oſtendens, qui in terras conditas deputabatur, qui f *Super aquas*
f Gen. 1. 1. *ferebatur*, Librator, & adflator, & animator vniuerſitatis: non, vt quidam putant, ipſum
g Io. 4. 24. Deum ſignificari ſpiritum, quia g *Deus ſpiritus*. Neque enim aquæ, Dominum ſuſtinere
h Eſa. 57. 16. ſufficerent; ſed cùm ſpiritum dicit, de quo etiam venti conſtiterunt, vt ait per Eſaïam:
i Prou. 8. 30. h *Quia ſpiritus à me exiuit, & flatum omnem ego feci.* Item de aquis eadem Sophia: Et i *Cùm firmos ponebat fontes eius quæ ſub cælo eſt, ego eram modulans cum ipſo.* Quum ergo & eas ſpecies probamus à Deo factas, etſi in Geneſi tantummodo nominantur ſine factitationis mentione, reſpondebitur fortaſſe ex diuerſo: Planè factas eas, ſed ex materia. vt ſtilus
k Gen. 1. 1. quidem Moyſi; k *Et tenebræ ſuper abyſſum, & ſpiritus Dei ſuper aquas ferebatur*; Materiam ſonet: ceteræ vero ſcripturæ, quæ ex materia factæ ſint ſpecies, in diſperſo demonſtrent.

CREATIO. IV. SCHOLIA.

CAPTABITVR. *Quaſi probatio ex argumento Aduerſarij, retorquenda: quod, eo ipſo quod expreſsè cœlum & terra tantùm facta dicuntur, tacitâ prorſus eorum materiâ, alias creaturas ſaltem ex materia factas, colligi poſſe contendat.* DE SPECIEBVS. *Fauno videlicet, plantis, piſcibus, animalibus, &c.* AD INFECTAM, &c. *Ad materiam, quæ innata & increata eſt, quaſi ad principium ex qua facta ſunt, dicta ſpecies rerum pertinere.* SVMMAS RERVM. *Cælum & terram præcipua mundi corpora, per quæ Scriptura ſummatim comprehendit res omnes in eis concluſas.* SVGGESTVS PROPRIOS *Apparatum & ornatum priuatum, virorem, flores varios ſapores & formas fructuum, &c.* SVGGESTVS, *autem, totus apparatus terræ erat in tenebris & abyſſo. Cæli autem, ſpiritus & aquæ.* TERRÆ SVBERAT, *Sub terra*

erat, per abyſſum non intelligi aquam, ſed profunditatem terræ, cùm terra ſub aquis merſa eſſet, donec Deo dicente colle&tis in vnum aquis, terra appareat arida. COELO SPIRITVS, *Venti, & nubes Imbrifera.* INCVBABAT, *Incumbebat, ſuperpoſitum erat ambitu ſuo complectens aerem, quem per Spiritum intelligit obtinuem ſubſtantiam, vel aerem agitatum, id eſt ventum, Qui ab initio* Ferebatur ſuper aquas. NOVVM NON EST. *Frequens enim Synecdoche, pars, pro toto, vel continens pro contento.* QVA SVMMA LE. *In quantum ſumma & capitalia ſunt, partes & portiones inferiores continentes.* ECCE, *Verbi gratia, judicam, &c.* SCENA AVTEM *Pars theatri.* EVRIPVM. *Caſſiod.* Euripus mare vitri reddit imaginem. *Eſt autem Euripus fretum circa Chalcidem. In Circo autem Euripi erant faſſæ, quibus ludi, vice ſeptorum cingebantur, circa quas ſtatuæ erectæ erant.* OBELISCVS. *Saxum ingens in figuram Metæ in Pyramidis formam. Ex Plin. lib 36 c. 8 Obeliſci erant Soli Sacri, quod radios Solis exprimant deſinendo in cuſpidem* FERRBATVR. *Elatus & eminens. Vnde idem Tertull. lib. de Spectac. c. 8.* Obeliſci enormitas. *Id eſt, proceritas, qualem deſcribit Plin. lib. 36. c. 9. D. Auguſti in circo magno ex uno lapide 120. pedum, preter baſim Caſſiod* Obeliſcorum prolixitates ad cœli altitudinem ſubleuantur, ſed potior Soli, inferior Lunæ. HAS SPECIES. *Partes & ornamenta theatri.* EDIXERIM, *Dixerim, ſpeciatim deſcripſerim.* ABEA, *Ciuitate conſtructa. Quaſi diceret, ſubintelligendæ ſunt contenta in theatro & circo.* VACEA. *Nullum ſit, non attendatur, Eſto, fruſtra produxerim hoc exemplum.* NON NOMINATIM. *Quia Moyſes has corporis partes non expreſſit, nec Deum authorem earum, nec materiam, ex qua facta ſunt: Ideone concludet Hermogenes ex ſua materia Deo coæternâ & neceſſariâ factas?* CENSENTVR, *Hæc omnia membra, in vno & cum vno homine facta, ſummatim comprehenſa debent intelligi.* PROINDE. *Similiter igitur cum Moyſes cœlum & terram præcipuas mundi partes, alias omnes continentes nominauit, contentas in eis ſubintellexit.* IN CORPORIBVS, *Cœli & terræ.* MEMBRA, *Abyſſum ſcilicet & tenebras terræ continenti addixit, ſpiritum ſiue aërem & aquam, cœlo.* SVM NOMINATA, *Speciatim, dum ait* Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. NVLLVM ELEMENTVM. *Membrum ſcilicet minus & contentum ſub maiori.* FACTITATIONEM, *Creationem* VIDITVR, *Moyſes vel potius Hermogenes malè intelligens Moyſem.* SCIVIT, *Spiritus Sanctus præuidit.* VLTRO, *Præter cœli & terræ creationem, alia corpora ſimul facta intellecturos, vtpote vltra & ſupra Hermogenem ſapientes.* VERBVM FACTITATIONIS. *Expreſſam mentionem Creationis aliorum corporum, præter cœlum & terram.* PROPTER ISTOS *Hebetes, & Inſidioſos.* TACITO INTELLECTV, *Implicito ſub intellectu.* HABÉS SOPHIAM. *Sapientiam Dei ſic loquentem. Prou. 8. 24* Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram. 70 Antequam abyſſos conſtitueret &c. DVM INITIVM, *Dummodo, agnoſcatur habere principium & cauſam effectiuam, Deum ſcil.* SI MATERIÆ SVBIECTA. *Si ex materia illa Hermogenis Deo neceſſaria, producta eſſet: cùm non tam Deum, quàm materiam pro initio & principio cognoſceret.* PER ESAIAM. *Cap. 45. 7.* Ego Dominus, & non eſt alter. Formans lucem & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, ego Dominus faciens omnia hæc. 70. *ſic.* Ego Dominus Deus, & non eſt amplius. Ego qui fabr. cau lucem, & feci tenebras, faciens pacem, & creans mala, &c. AMOS *Cap. 4. 13* Ecce formans

A montes & creans ventum, & annuntians homini eloquium ſuum. 70. Ecce ego firmans tonitruum, & creans ſpiritum, &c. DEPVTABATVR. *In terram iam factam mittebatur.* LIBRATOR, *&c. Aerem intelligit ſui ſubtilitate omnia peruadentem, ſuſtinentem & librantem nubes & corpora aerea & aues, & quaſi animantem, quia flatus dicuntur omnia animata.* VT QVIDAM PVTANT. *Sunt hic imminor Tertull. apparet, cum libro de Baptiſmo hunc ipſum locum Gen. 1.* Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, *Spiritui Sancto applicuerit. cap 3* Diuini Spiritus ſedes gratior ſcilicet cæteris tunc elementis, &c. Dignum Deo vectaculum ſubire debebat. CONSTITERVNT, *Exiterunt.* PER ESAIAM. *Cap. 57. 16.* Spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam. 70. Spiritus à me egredietur: & flatus omnem ego feci *Aug. to. 3. lib. de Gen. ad lit. imperfecto. c. 4. tres dat præfati loci Geneſis expoſitiones. Prima eſt de perſona Spiritus Sancti.* Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquam. Non ita ſuperferebatur, ſicut oleum aquæ, vel aqua terræ, id eſt, quaſi contineretur, ſed, &c. Sicut ſuperfertur lux iſta Solis, aut Lunæ his corporibus quæ illuminat in terra, &c Item cauendum eſt, ne quaſi ſpatio Dei Spiritum ſuperferri materiæ putemus, ſed vi quadam effectoria & fabricatoria, vt illud cui ſuperfertur, efficiatur & fabricetur. Sicut ſuperfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei ſubiectæ ad operandum, vel etiam ipſis membris corporis ſui, quæ ad operandum mouet. *Secunda expoſitio eius Tertulliano reſpondet:* Poteſt autem & aliter intelligi, vt ſpiritum Dei, vitalem Creaturam, qua vniuerſus viſibilis mundus, atque omnia corporea continentur & mouentur, intelligamus: cui Deus omnipotens tribuit vim quandam ſibi ſeruiendi ad operandum in his quæ gignuntur. Qui ſpiritus, cùm ſit omni corpore æthereo melior, quia omnem viſibilem creaturam omnis inuiſibilis creatura antecedit, non abſurdè ſpiritus Dei dicitur. Quid enim non eſt Dei ex eis quæ condidit, cùm etiam de ipſa terra dictum ſit, Domini eſt terra & plenitudo eius, &c. Tertia opinio de hoc ſpiritu oriri poteſt, vt credatur ſpiritus nomine aëris elementum enuntiatum: vt ita quatuor elementa inſinuata ſint, quibus mundus iſte viſibilis ſurgit, cœlum ſcil. & terra, & aqua & aër: non quia iam erant diſtincta & ordinata, ſed quia in illius materiæ quamuis informi confuſione, tamen exortura præſignabantur. Quæ informis confuſio, tenebrarum & abyſſi nomine commendata eſt. Sed quælibet iſta ſententiarum vera ſit, omnium rerum, quæ ortæ ſunt, & quæ videntur, & quæ non videntur, non quantùm ad vitia, quæ contra naturam ſunt, ſed quantùm ad ipſas naturas attinet, Deum eſſe authorem & conditorem credendum eſt. *Et ſer. 134. de temp.* Hic Spiritus quidem res eſt Dei, non tamen ipſe Deus intelligitur eſſe. Nam & ſi ſpiritus dicitur non omnis ſpiritus Deus eſt. Sic enim ſpiritus Dei dictus eſt quomodo & Angelus Dei: hoc eſt, res Dei, non tamen ipſe Deus qui ſpiritus Dei. Hic ergo ſpiritus qui ſuperferebatur, &c. ſeminarius eſt animandæ conditionis. *Vtitur voce familiari Tertulliano. pro re condita.* Vnde & aquæ & terræ mox iuſſu Dei emerſerũt. *Eruperunt in generationem rerũ.* Quia nec aqua, ne terra viueret, aut aliquid generaret, niſi hoc Dei ſpiritus animaret. Vnde & terra fruges, & aqua produxit piſces, *Totum porrò intentum huius textus Tertulliani fuit, vt nomine cœli & terræ omnem Creaturam à Deo creatam comprehenderet. Quod breuiter dixit Aug. multis in locis. Vtp. 1. lib. 2 de Gen. Cont. Manich. c. 3.* Fecit Deus omne tempus ſimul cum

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

proferendi fuit: aut si qua alia ratio exegit illud induci, cur non & ex nihilo potuerit induci, ipsa ratione excusatura Dominum, ne mali auctor existimaretur, quæ nunc cùm de materia operatur mala excusat: si excusat, adeo vbique & vndique illuc compellitur quæstio quò nolunt, qui ipsam mali rationem non examinando, nec dignoscendo, quomodo illud aut Deo adtribuant, aut à Deo separent, pluribus, & indignioribus destructionibus Deum obiiciunt. Igitur in præstructione huius articuli, & alibi forsitan retractandi, equidem diffinio, aut Deo adscribendum & bonum & malum, quæ ex materia fecit: aut materiæ ipsi, ex qua fecit: aut vtrumque vtrique, quia ambo sibi obligantur, qui fecit & de qua fecit: aut alterum alteri. Tertius enim præter materiam & Deum, non est. Porrò si Dei erit vtrumque, videbitur Deus etiam mali auctor: Deus autem vt bonus, auctor mali non erit. si materiæ vtrumque, videbitur materia etiam boni matrix. Mala autem in totum materia, boni non erit matrix. Si vtriusque erit, vtrumque; in hoc quoque comparabitur Deo materia, & pares erunt ambo, ex æquo mali ac boni adfines, æquari autem Deo materia non debet, ne duos Deos efficiat. Si alterum, alterius, vtique Dei bonum, & materiæ malum: neque malum Deo, neque materiæ bonum adscribitur: & bona autem & mala Deus, de materia faciendo, cum ea facit. Hæc si ita sunt, nescio quà possit euadere sententia Hermogenis, qui Deum, quoquo modo de materia malum condidit, siue voluntate, siue necessitate, siue ratione, non putet mali auctorem. Porrò si mali auctor est ipse qui fecit, planè socia materia per substantiæ suggestum; excludis iam causam materiæ introducendæ. Nihilominus enim, & per materiam Deus auctor mali ostenditur, si ideo materia præsumpta est, ne Deus mali auctor videretur. Exclusâ itaque materiâ, dum excluditur causa eius, superest vtì Deum omnia ex nihilo fecisse constet. Videbimus an & mala, cùm apparuerit quæ mala; & an mala interim ea quæ putas. Dignius enim de suo arbitrio produxit, hæc quoque producendo de nihilo, quàm de præiudicio alieno, si de materia produxisset. Libertas, non necessitas, Deo competit. malo voluerit mala à semetipso condidisse, quàm non potuerit non condidisse. Vnici Dei status hanc regulam vindicat: non aliter vnici, nisi quia solius: non aliter solius, nisi quia nihil cum illo. sic & primus erit, quia omnia post illum: sic omnia post illum, quia omnia ab illo: sic ab illo, quia ex nihilo, vt illi quoque scripturæ ratio constet, [b] *Quis cognouit sensum Domini? [c] Aut quis illi consiliarius fuit? aut quem consultatus est? aut viam intelligentiæ & scientiæ quis demonstrauit illi? quis tradidit, & retribuetur ei?* Nemo vtique: quia nulla vis, nulla materia, nulla natura substantiæ alterius aderat illi. Porrò si de aliquo operatus est, necesse est ab ea ipsa acceperit & consilium & tractatum dispositionis, vt viam intelligentiæ & scientiæ. Pro qualitate enim rei operari habuit, & secundùm ingenium materiæ, non secundùm suum arbitrium: adeò vt & mala, pro natura, non sua, sed substantiæ, fecerit. Si necessaria est Deo materia ad opera mundi, vt Hermogenes existimauit; habuit Deus materiam longè digniorem & idoneiorem, non apud Philosophos æstimandam, sed apud Prophetas intelligendam, Sophiam suam scilicet. hæc denique sola cognouit sensum Domini. [d] *Quis enim scit quæ sunt Dei, & quæ in ipso, nisi spiritus qui in ipso?* Sophia autem spiritus, [e] *Hæc illi consiliarius fuit, via intelligentiæ & scientiæ ipsa est.* Ex hac fecit, faciendo per illam, & faciendo cum illa. [f] *Quum pararet cælum*, inquit, *aderam illi; & aquum fortia faciebat super ventos quæ sursum nubila, & cùm firmos ponebat fontes eius, quæ sub cælo est, ego eram compingens cum ipso. Ego eram ad quam gaudebat, quotidie autem oblectabar in persona eius. Quando oblectabatur quum perfecisset orbem, & inoblectabatur in filiis hominum.* Quis non hanc potiùs omnium fontem & originem commendet? materiam verò materiarum, non sibi subditam, non statu diuersam, non motu inquietam, non habitu informem, sed insitam & propriam & compositam & decoram, quali Deus potuit eguisse, sui magis quàm alieni egens? Denique vt necessariam sensit ad opera mundi, statim ea condit & generat in semetipso. [g] *Dominus*, inquit, *Condidit me initium viarum suarum in opera sua: ante secula fundauit me, priùs quàm faceret terram, priùs quàm montes collocarentur; ante omnes autem colles genrauit me; prior autem abyssó genita sum.* Agnoscat ergo Hermogenes idcirco etiam Sophiam Dei natam & conditam prædicari, ne quid innatum & inconditum præter solum Deum crederemus. Si enim intra Dominum quod ex ipso, & in ipso fuit, sine initio non fuit: Sophia scilicet ipsius exinde nata & condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari: multò magis non capit sine initio quicquam fuisse quod extra Dominum fuerit. Si verò Sophia eadem Dei Sermo est, sensu Sophia, & [h] *Sine quo factum est nihil*, Sicut & dispositum sine Sophia, quale est vt filio Dei Sermone vnigenito & primogenito aliquid fuerit præter patrem antiquius: & hoc modo vtique generosius, nedum, quod innatum nato fortius, & quod infectum facto validius? quia quod vt esset, nullius eguit auctoris, multò sublimius erit eo, quod vt esset, aliquem habuit auctorem. Proinde si malum quidem innatum est, natus autem Sermo Dei? [i] *Eructauit* Enim, inquit, *Sermonem optimum*, Non scio an bono

CAP. XVI.

CAP. XVII.

CAP. XVIII.

b Rom. 11. 34.

c Esa. 40. 13.

d 1. Cor. 2. 11.

e Esa. 40. 13.

f Prou. 8. 27. & seq.

g Prou. 8. 22.

h Io. 1. 3.

i Psal 44 1.

malum possit adduci, validius ab infirmo, vt innatum à nato. Ita & hoc nomine materiam
[k] Io. 1. 1. Deo præponit Hermogenes, præponendo eam Filio. [k] *Filius enim Sermo, & Deus Sermo;*
[l] Io. 10. 30. &, [l] *Ego & Pater vnum sumus.* Nisi quod sustinebit æquo animo filius, eam præponi sibi, quæ patri adæquatur.

CREATIO. V. SCHOLIA.

EX EA *Materiâ scil.* BONA. *Cùm materia mala sit ex sententia Hermogenis.* EX DEMVTATIONE. *A nihilo ad esse.* NVLLO MODO. *Cum ab æterno essent in materia Hermogenis Deo Coæterna.* BONI ATQVE OPTIMI. *Allusit ad illud Gen. 1. 4.* Et vidit Deus lucem quod esset bona. *Et 10. vbi de congregatione aquarum, & 12. de herba & arboribus. Et 18. de luminaribus. Et 21. de piscibus. Et 25. de animalibus, toties repetitur.* Vidit Deus quod esset bonũ. *Homine autem facto. vers. 31.* Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. *Hinc quærit ab Hermogene, cùm materia sit mala & pessima, quomodo potuerit esse semen Deo necessarium ad facienda bona singula, & simul sumpta & ordinata, optimâ.* CERTE NEC BONA ARBOR. *Dum comparat arbori bonæ, materiam malæ. Vt nec Deus bonus*
S. Augustin. *mali, nec materia mala boni cuiusquam causa esse possit. Aug. to. 6. libro contra Adimantum Manich. discipulum c. 26. vbi distinguit malum culpæ & pœnæ, & malum quidem pœnæ à Deo tanquam arbore bona fructum bonum procedere dicit, eodem quippè loco Matth. 7. 17. obtendebatur Adimantus, vt Deum authorem mali probaret:* Non est contrarium *Fidei Catholicæ credenti Deum non esse Authorem mali.* Quod Adimantus obticit dixisse Dominum; arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit. Quamuis enim malum sit Gehenna damnato, iustitia tamen Dei bona est, & ipse fructus est ex arbore bona. Ille autem malis peccatorum suorum thesaurizat sibi iram in die iræ, &c. Quamquam istæ duæ arbores manifestissimè in similitudine duorum hominum positæ sint; id est iusti & iniusti: quia nisi quisque voluntatem mutauerit, bonum operari non potest, &c. Mala ergo arbor fructus bonos facere non potest, sed ex mala fieri potest bona, vt bonos fructus ferat. Fuistis enim aliquando tenebræ, inquit Apostolus, nunc autem lux in Domino, &c. In ipso Euangelij capitulo, si non studio malæuolentiæ fugeret Adimantus, posset aduertere quomodo dicatur Deus malum facere; ibi enim ait Dominus, omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Hæc sunt mala quæ Deus facit: Id est peccatoribus pœnas, quod in ignem mittet arbores, quæ in malitia perseuerantes, fieri bonæ noluerunt, cum hoc ipsi, arboribus malum sit: Deus autem, vt sæpè dixi, non dat fructus malos, quia iustitiæ fructus est vindicta peccati. *Aduertè hunc locum Matth. non ab Hermogene productum, qui Deum bonum censuit, sed vt mala à Deo tanquam ab authore auerteret, ea in materiam malam refudit. Nota etiam, quæ æterna sunt, immutabilia esse, proinde cùm Deus bonus sit & æternus, mutari non potuit, vt malos fructus pareret. Insuper, cùm sensu Hermogenis materia mala sit & Deo coæterna, mutari non potuit aut ex ea mala Deus cuncta faceret valde bona.* AN IN BONO ET MALO. *An duo simul contraria possint esse in eodem subiecto.* CONVENIRE LVCI. *Iuxta Paulum,* Quæ conuentio lucis ad tenebras? DVLCI ET AMARO. *Iuxta Iacobum. 3 11.* Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam. AMBORVM *Boni & mali.* NEC BONA IPSA. *Deus tunc non censebitur author boni & mali, sed sola materia vtriusque principium reputabitur, & vtriusque germen in se continens. Quod est contra Hermogenem; qui omnia quidem à Deo condita fatetur, sed nullius rei conditorem esse potuisse sine adiutorio materiæ necessarie: quæ autem mala sunt, à materia mala suam malitiam hausisse, quæ bona, à Deo bonitatem traxisse, licet ex eadem materia mala.* SED VTRAQVE SPECIES. *Id. tam bona quàm mala materiæ vt vtriusque principio imputari debebunt.* INVIDIAM MALORVM. *Odium & auersionem Deo non debebimus, de malo, vt nec gratiam de bono; quia non ille, sed materia est vtriusque principium.* DE SVO. *Ex se solo, arte, potentia sua sola & propria. Et sic non ipse Deus materia quasi serua sua & ministra vsus esse dicetur; sed ipse potius materiæ vt Domine apparuisse & seruiisse.* EX OCCASIONE. *Materiæ illi per occasionem & occursum quasi fortuitum oblata.* BONVM MATERIÆ, *Materiam satis bonam obuiam habens commodam ad hoc vt esset principium ex quo res conderet.* TVRPE, *Deo indecens vt ex se potuerit facere omnia, id. habuerit actum primum & potentiam omnia faciendi, nihil tamen actu facere potuerit: sine concursu materiæ.* VTIQVE NON DE SVO. *Esto bona Deus ex suo fecerit, tanquam bonus, cum adiutorio materiæ, quantumlibet mala: cùm tamen mala facit, licet ex materia mala faciat, dicetur tunc seruire malitiæ materiæ, idque inuitus, & coactus, contra naturam suam bonam.* QVID ERGO DIGNIVS. *Sic vrget Tertullianum: si quædam mala sunt, quæcumque sint siue liberè & sponte, siue coactè illa faciat Deus seruiens materiæ mala; siue ex nihilo illa producat, vtrobique semper author malorum censebitur.* IAM ENIM. *Pergit Tertull. frustrà ô Hermogenes, certas pro Dei bonitate, ideo dicens materiam malam, vt mala ex ea, non ex Deo processisse contendas; quocumque enim modo fecerit, in quantum fecit, ipsi causæ efficienti actiuæ, non purè passiuæ materiæ imputabuntur.* PLANE SIC INTEREST, *&c. Multum, inquit, differt, si quæ mala sunt, virûm ea Deus ex nihilo fecerit, an ex materia. Si enim ex materia necessaria fecit, coactus fecit: si ex nihilo, liberè. Libertas autem in agente maximè Deo, magis decens est & conueniens diuinitati, quàm necessitas.* QVAM PVSILLITAS, *Magis quàm infirmitas.* QVÆCVMQVE. *Siue bona siue mala.* CONVERSIONE, *Mutatione.* ÆTERNI. *Quod est immutabile. Facit autem materiam æternam Hermogenes, & proinde immutabilem & inconuertibilem à malo in bonum.* INDE CONSTARE. *Ex materia scilicet.* NON EX NIHILO, *Supple factum malum, ne à Deo purè & simpliciter factum dicatur.* IPSIVS SIT, *Vt malum omne materiæ adscribatur.* OMNIA TAMEN BONA, *Tantùm scilicet, sed etiam mala.* DVM NIHIL INTERSIT. *Dummodo æqualiter concludatur, Deum authorem esse mali, siue propter infirmitatem, qua non potuit corrigere malitiam materiæ, siue per propriam malitiam, qua sponte voluit mala facere ex materia.* CONGRVENTIA SIBI. *Bona tantùm bona, similia, vt effectus responderet causæ.* SVB OPERE, *Proprio & bono.* NEGOTIVM, *Item proprium materiæ, nempè malum.* SOLVS VT COGNOSCERETVR. *Author rerum bonarum tantummodo.* APLATVV. *Aura, aspergine, admixtione mali.* HELV-

MINATIONEM, *Vt illustriora apparerent, sicut oppositа iuxta se posita magis illuscescunt.* RATIONE EXCVSATVRA. *Si vult Hermogenes materiam necessariam esse Deo, ne causa efficienti, sed materiali mala tribuantur, ad maiorem bonorum commendationem in hoc seruiens materia malitiæ; multò dignius erit Deo, si dicamus, in eundem finem, scilicet decorem vniuersi, Deum mala creasse ex nihilo vt ex principio omnino defectibili.* MALI RATIONEM NON EXAMINANDO *Nesciunt differentiam malorum, culpæ & pœnæ. Culpæ quidem solus homo & Angelus ex suo nihilo malum culpæ possunt facere; Deus autem in tota Scriptura author est mali pœnæ, quod proprie malum non est, imò malum bonum irreprehensibilis eius iustitiæ. Quod cum Hermogenes non discerneret, abiit in præruptа & indigna Deo sentienda, quæ naturam eius & attributa destruunt. Videndus Aug. sæpe de hac re disputans. to. 6. lib. de hæresibus, hæresi 65 & 66.* Coluthiani à quodam Colutho, qui dicebant Deum non facere mala, contra illud quod scriptum est Esa. 45. 7. Ego Deus creans mala. Florini à Florino, qui è contrario dicebant Deum creasse mala: contra id quod scriptum est: Fecit Deus omnia, & ecce bona valdè. Ac per hoc quamuis contraria inter se dicentes, tamen ambo diuinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas iustissimas irrogando, quod Coluthus non videbat: non autem malas creando naturas atque substantias, in quantùm sunt naturæ atque substantiæ, vbi Florinus errabat. *Sic & Adimantus, Deum credere noluit facere mala, contra hunc ipsum Esa. locum, vt ad verit idem Aug. lib. contra Adimantum c. 27. to. autem primo lib. 1. Retract. c. 9. notat, Manicheos in hoc Hermogenianis consentire, quod vt illi materiam malam Deo coæternam fingebant, sic isti naturam mali coæternam Deo fabulabantur. Propter eos disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio, mali originem duci, & Deum, si ita est. Creatorem omniũ naturarum culpandum esse contendunt: Eo modo volentes secundùm suæ impietatis errorem, Manichæi enim sunt, immutabilem quandam & Deo coæternam introducere mali naturam. Et cap. 16. vbi de disputatione cont. Fortunatum Presbyterum Manichæum.* Versatur ibi quæstio, vnde sit malum. Me asserente, exortum fuisse hominis malum, ex libero voluntatis arbitrio. Illo autem, naturam mali Deo coæternam persuadere moliente; sed consequenti die tandem confessus est, nihil se aduersus nos inuenire quod diceret. Nec sanè Catholicus factus est, sed tamen ab Hippone discessit. DESTRVCTIONIBVS. *Inconuenientibus, consequentiis Deo indignis.* RETRACTANDI. *Rursum tractandi.* MATRIX. *Fons, origo, principium.* SI ALTERVM. *Supple est.* ET MALA DEVS. *Supple facit.* SVGGESTVM *Vel quod suggerat Deo, & subministret, vnde faciat Deus. Siue propter eminentiam substantiæ suæ, quà Deo coæterna fingitur.* EX ILLVIS IAM. *Dicebat enim Hermogenes ideò necessariam esse Deo materiam, ne ipse haberetur author mali; sed probat Tertull. materiam socium malitiæ habuisse Deum* VTI, *Vt constet Deum, &c.* AN ET MALA. *Sit materia, vel sint mala in natura, quæ putat Hermogenes.* APPARVERIT. *Cùm innotuerit quæ sit vel illa materia, vel quæ sint tandem illa mala quæ Deo efficiente ex materia orta sint.* PRÆIVDICIO ALIENO. *Quam iniuriam faciendo materiæ à se non conditæ.* MALO. *Melius sentio.* VINDICAT. *Sibi deberi conuincit.* NIHIL CVM ILLO. *Nisi filius & spiritus, vnus & solus Deus. Vt excludat materiam ab æqualitate.* QVIS COGNOVIT. *Rom. 11. 34.* Quis cognouit sensum Domini, &c. *Iam supra retuli locum quem hìc permiscet Isa. 40. 13.* Quis adiuuit Spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? cum quo iniit consilium? & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & eruditit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi? 14. *autem.* Quis cognouit mentẽ Domini, aut quis consiliarius eius fuit, qui doceat eum? &c. Vel quis ostendit ei iudicium? vel viam intelligentiæ quis ostendit illi? HABVIT, *Debuit.* INGENIVM. *Genium & naturam.* SVBSTANTIÆ. *Materia.* SI NECESSARIA. *Deum Hermogeni, materiam fuisse Deo necessariam* APVD PHILOSOPHOS. *Docentes ex nihilo nihil fieri, & proinde Creationem ex nihilo respuentes, & mundum ab æterno fuisse dicentes.* SOPHIAM. *Sapientiam suam.* QVIS ENIM SCIT. 1. *Cor. 2. 11.* Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. EX HAC FECIT. *Non tanquam ex materia, sed tanquam ex origine, & causa exemplari.* CVM ILLA, *Tanquam inducto principio.* CVM PARARET. *Prou. 8. 27. & seq.* Quando præparabat cœlos aderam. Quando certa lege & gyro vallabat abyssos: quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum filiis hominum. *79. fermè sicut Tertull.* Cùm pararet cœlum aderam illi, & cùm secerneret suam sedem super ventos, & cùm validas faceret desuper nubes, & cùm confirmatos ponebat fontes eius quæ sub cœlo, & quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum disponens: ego eram cui adgaudebat. Quotidie autem iucundabar in facie eius in omni tempore, cùm lætaretur orbe perfecto, & lætaretur in filiis hominum. MATERIAM MATERIARVM, *Sapientiam eandem, ex qua velut fonte inexhausto traxit omnes materias rerum.* NON SIBI SVBDITAM, *Quia Genitus non est Genitore inferior.* STATV. *Natura, substantia eâdem.* MOTV INQVIETAM. *Qualis est materia Hermogenis, de qua vide dicta Verbo, Motus.* IEPVRMEM, *Qualis est dicta materia.* INSITAM. *Quia* Vnigenitus in sinu Patris, & Verbum apud Deum. SVI MAGIS, &c. *Quia si Deus apud Hebræos Sadai dictus, id est sibi sufficiens, aliquo adiutorio indigeret, dignius egeret propriis copiis, quàm alienis, qualis est materia Hermogenis.* GENERAT INSEMETIPSO. *Filius enim procedit ex cognitione comprehensiua, qua Pater & suam essentiam, & in ea, omnia futura, & possibilia quorum est causa, comprehendit, & simul cum filio in seipso generat omnes rerum essentias.* VT SENSIT, *Sensit autem ab æterno.* IDPO NATAM. *More Patrum, hyperbolici, & cum excessu multa loquitur, vt opprimat Hermogenem dicentem, materiam innatam & infectam. Sed longè aliter nata est Sapientia Patris, quàm alia condita. Nam* Primogenita est ante omnem creaturam SINE INITIO, *&c. Intellige sine principio & origine, non sicut effectus, qui posterior est causa.* NON CAPIT, *Dici non potest.* EXTRA DOMINVM, *Alienum à Deo, qualis est materia.* EADEM DEI SERMO. *Videtur discernere inter sapientiam aliquam creatam, qua initio mundi Deus intra se disposuerit de mundo creando extra se. Nihil autem in Deo iuxta sanam Theologiam admittitur, quod Deus non sit; vnde reliqua subiicit, si tollatur particula dubitantis,* Si verò Sophia, &c. *Et dicatur,* Cùm Sophia sit ipsum Dei Verbum, quod propter sen-

sum & intellectum diuinum Sapientia dicitur, vel licet diuersi sint nominis, Sermo & Sophia, sensu & intellectu res eadem est SINE QVO FACTVM EST NIHIL. *Tam de Verbo, quàm de Sapientia aterna Patris, sic præclarè Augustinus. De Verbo quidem tract. 1. in Io. 1. 3.* Omnino, fratres, sic accipite, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vniuersa enim creatura per ipsum facta est, maior, minor: per ipsum facta sunt superæ, inferæ, spiritalis, corporalis, per ipsum facta sunt. Nulla enim forma, nulla compages, nulla concordia partium, nulla qualiscumque substantia quæ potest habere pondus numerũ, & mensurã, nisi per illud Verbum, & ab illo Verbo Creatore cui dictũ est, omnia in mensura, & numero, & pondere, disposuisti. *Ettо. 1 lib. 1. de lib. arb. c. 2.* Optimè de Deo existimare, verissimũ est pietatis exordiũ: nec quisquam de illo optimè existimat, qui non eum omnipotentem, atque ex nulla particula commutabilem credit, bonorum etiam omnium Creatorem, quibus est ipse præstantior, rectorem quoque iustissimum eorum omnium quæ creauit, nec vllà adiutum esse naturâ in creando. *Viden' vt bellè quadret Tertulliano,* Quasi qui non sibi sufficeret. Ex quo fit, vt de nihilo creauerit omnia, de se autem non creauerit, sed genuerit quod sibi par esset, quem filium Dei vnicum dicimus, quem cùm plenius enuntiare conamur, Dei Virtutem, & Dei Sapientiam nominamus, *Sicut Paulus vocat 1. Cor. 1. 25.* Per quem fecit omnia, quæ de nihilo facta sunt. PRÆTER PATREM. *L. 11, quia est coæternus Patri. Et ipsa Patris fortitudo* NEDVM, *&c. Ne tu, inquit, iam existimes materiam tuam innatam, nato Dei filio fortiorem, & infectam, facto. Quod item erroneum est. Licet enim iuxta Paulum,* Factus sit ex semine Dauid secundùm carnem: *Tamen secundùm diuinitatem dicimus.* Genitum, non factum. QVOD VT ESSET NVLLIVS, *&c. Loquitur aperte de materia Hermogenis.* AVCTOREM. *Principium, Patrem.* SI MALVM. *Materia malà innata* SERMONEM, *Vulgata* Verbum bonum, *Vt & 70.* NON SCIO, *&c. Sensus implexus sic clarius redditur. Si materia mala est & innata. Verbum autem diuinum & bonum & natum est, nescio, non capio quomodo bonò Verbo, & à Deo Patre bono, malum aliquod produci possit. Sicut cõprehendi non potest, quomodo quod firmius sicut in natũ firmius est nato, flecti & vinci possit à nato; vt Verbũ bonum natum, infirmius & inualidius materiã malà innata, & valida; ex tainuita & vicla, bona singula, & simul sumpta bona valdè produxerit* HOC NOMINE, *Scil. Innati, quia innata est Hermogenis materia.* PRÆPONIT DEO. *Filio, qui & Deus est, dicente Ioan. 1. 1.* In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum. SVSTINEBIT. *Patietur æquanimiter filius materiam sibi præferri nato, quia innata est: in quo ipsa æqualis est Patri, qui ingenitus est & innatus. Hìc, vt vides lector, crudiùs de Verbo locutus est Tertullianus, dum hic inæqualem Patri videtur dicere filium, vt & supra* Præter Patrem, nihil primogenito antiquius *dixerat. quod erroneùm dixi, vt est de facto, crude sumptum: nisi intelligatur antiquior Pater, non naturæ vel tempore, sed simpliciter origine. Filius enim habet Patrem pro principio, cum Pater sit sine principio. Pater ingenitus & innatus est, filius genitus & natus. Cæterùm, cùm relata sint simul natura, Patet antiquior filio non est. Inde apud Danielem post descriptum antiquum dierum, dicitur de filio hominis, quod* Peruenit ad antiquum dierum. *Quod licet successu temporis benè dici possit, cùm* Assumptus in cœlum, sedit à dextris Dei. *Et Apoc. 12. de homine assumpto à Deo, propter identitatem personæ sic:* Raptus est ad Deum, & ad thronum eius. *Tamen primo instanti conceptus in vtero virginis, raptus est ad æqualitatem Patris ille homo,* Factus ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei secundùm Spiritum sanctificationis. *Rom. 1 Vt autem Verbum est, prorsus coæqualis, coæternus, coantiquus est Patri. Vnde Aug. tract 48. in Io. 10. in verba,* Pater meus quod mihi dedit maius est omnibus. Quid dedit filio Pater maius omnibus, nisi vt ipse esset vnigenitus filius? quid est ergo quod dedit? Iam erat cui daret, an gignendo dedit? Nam si erat cui daret vt filius esset, aliquando erat, & filius non erat. Absit, vt aliquando Dominus Christus fuerit, & filius non fuerit: de nobis hoc dici potest: aliquando filij hominum eramus, Filij Dei non eramus. Nos enim filios Dei gratia fecit, illum natura. Quia vero natus est, non est vt dicas, non erat antequam natus erat; numquam enim non natus erat, qui Patri coæternus erat, &c. Verbum Dei semper cum Patre, & semper Verbum, & quia Verbum, ideò filius: semper ergo filius, & semper æqualis. Non enim crescendo, sed nascendo æqualis est, qui semper natus est de Patre filius, de Deo Deus, de Æterno coæternus. Pater autem non de filio Deus, filius de Patre Deus. Ideo Pater filio gignendo dedit vt Deus esset, gignendo dedit vt sibi coæternus esset, gignendo dedit, vt æqualis esset. Hoc est quod maius est omnibus. *Et per hæc tam scitè dicta, vel error Tertulliani corrigitur, vel duritiei locutionis eius emollitur.*

S. August. A

S. August. B

August. C

D

6. Creationi rerum qui non credunt, voluntque mundum factum vel de materia mala, vel à Creatore malo; blasphemant. Const. Hermog. cap. 10. à p. ad. fin.

ERgo, inquit, ex nihilo faceret, vt mala quoque arbitrio eius imputarentur? Magna bona fide, cæcitas hæreticorum, pro huiusmodi argumentatione, cùm ideo aut alium Deum bonum & optimum volunt credi, quia mali auctorem existiment Creatorem: aut materiam cum Creatore proponunt, vt malum à materia, non à Creatore deducant: quando nullus omnino Deus liberetur ista quæstione, vt non auctor mali videri proinde possit, quisquis ille est, qui malum etsi non ipse fecit, tamen à quocunque & vnde vnde, passus est fieri. Audiat igitur & Hermogenes, dum alibi de mali ratione distinguimus, interim se quoque nihil egisse hac sua iniectione. Ecce enim, etsi non auctor, sed assentator mali inuenitur Deus; qui malum materiæ tanto sustinuit de bono ante mundi constitutionem, quam, vt bonus, & mali æmulus emendasse debuerat. Aut enim potuit emendare, sed noluit: aut voluit quidem, verùm non potuit infirmus Deus. Si potuit & noluit, malus & ipse, quia malo fauit: & sic iam habetur auctor eius, quod licet non instituerit, quia tamen si noluisset illud esse, non esset, ipse iam fecit esse, quod noluit non esse. Quo quid

est turpius?

est turpius? Si id voluit esse, quod ipse noluit fecisse, aduersum semetipsum egit, cùm & voluit esse, quod noluit fecisse, & noluit fecisse quod voluit esse. Quasi bonum voluit esse, & quasi malum noluit fecisse. Quod non faciendo, malum iudicauit, id est sustinendo, bonum pronuntiauit; malum pro bono sustinendo, & non potius eradicando, assertor eius inuentus est: malè, si per voluntatem, turpitèr, si per necessitatem. Aut famulus erit mali Deus, aut amicus; cum materiæ malo conuersatur, nedum etiam de malo eius operatus.

CREATIO. VI. SCHOLIA.

INQVIT, *Sic inducit obiicientem Hermogenem.* FACERET, *Deus.* ARBITRIO *Voluntati eius.* IMPVTARENTVR. *Et non materiæ. Quasi putet Hermogenes conuenientius esse mala tribuere materiæ, quàm Deo, ea ex nihilo creanti.* HÆRETICORVM, *Non tantùm Hermogenianorum, sed & Marcionitarum.* IDEO. *Ob creaturas corporeas quas malas credunt, duos Deos fingunt, vnum optimum conditorem spiritualium, alterum malum creatorem corporalium ex materia mala.* AVT MATERIAM, *&c. Autorem ex æquo rerum omnium, sicut dicunt Hermogeniani, vt sic Deum excusent, & omnia mala in malam materiam refundant.* NVLLVS DEVS, *Sine bonus, sine malus.* VNDE VNDE, *Vndecumque tandem.* DVM ALIBI, *Dum differo alio loco proferre distinctionem mali pœnæ, & mali culpæ.* INIECTIONE *Obiectione, vel, vt sibi blanditur de subtilitate sua distinctione; vt Deus bona ex se, mala verò ex parte materiæ produxerit.* ASSENTATOR. *Blandiens, vel assentiens.* TANTO DE BONO, *Qui adeo bonus fuerit, vel potius mollis & segnis, qui tandiu & ab æterno tulerit materiam malam, quam corrigere debuerat, si potuisset. Vnde si noluit cum posset, malitiæ eius particeps censendus est.* MALVM PRO BONO, *Id est, conseruando, quasi bonum esset.* PER NECESSITATEM, *Si non potuit aliter facere.* CONVERSATVR. *Habens eam sibi coæternam, & cum ea cuncta operans in tempore.* NEDVM. *Quin etiam, cum eius malitia concurrit vt ex ea cuncta faceret. De natura mali, & vnde processerit, pulchrè Aug. to. 1. lib. 1. de lib. Arb. c. 1, vbi ipse cum Euodio sic incipiente colloquitur.* DIC MIHI, quæso te, vtrùm Deus non sit author mali? AVG. Dicam, si planum feceris, de quo malo quæras: duobus enim modis appellare solemus malum: vno, cùm malè quemque fecisse dicimus: alio, cùm mali aliquid esse perpessum. EVOD. De vtroque scire cupio. AVG. Si Deum bonum esse nosti, vel credis, neque enim aliter fas est, malum non facit. Rursus si Deum iustum fatemur, nam & hoc negare sacrilegum est, vt bonis præmia, ita supplicia malis tribuit: quæ vtique supplicia, patientibus mala sunt. Quamobrem si nemo iniustè pœnas luit, quod necesse est credamus, quandoquidè diuinâ prouidentiâ hoc vniuersum regi credimus, illius primi generis malorum nullo modo, huius autem secundi autor est Deus. EVOD. Est ergo alius autor illius mali, cuius Deum non esse compertum est? AVG. Est certè: non enim nullo autore fieri posset. Si autem quæris, quisnam iste sit, dici non potest: non enim vnus aliquis est, sed quisque malus sui malefacti autor est. Vnde si dubitas, illud attende quod supra dictum est: malefacta iustitiâ Dei vindicari. Non enim iustè vindicarentur, nisi fierent voluntate. *Et lib. 3. de lib. arb. c. 9.* Si dixerit, *Quisquam*, Non erat tam difficile, aut laboriosum omnipotenti Deo, vt omnia quæcumque fecit, sic haberent ordinem suum, vt nulla creatura vsque ad miseriam perueniret. Non enim hoc aut omnipotens non potuit, aut bonus inuidit. Respondebo ordinem creaturarum à summa vsque ad infimam, gradibus iustis ità decurrere, vt illè inuideat, qui dixerit, ista non esset. *Vtinam hæc non essent. Qui sic dicit, inuidet Creatori, & non videt ordinem creaturæ.* Inuideat etiam ille qui dixerit, ista talis esset. Si enim talem vult esse, qualis est superior, iam illa est, & tanta est, vt adiici ei non oporteat, quia perfecta est. Qui ergo dicit etiam ista talis esset, aut perfectæ superiori vult addere, & erit immoderatus & iniustus; aut istam vult interimere, & erit malus atque inuidus. Qui autem dixerit ista non esset, nihilominus erit malus atque inuidus, cùm eam non vult esse, quâ inferiorem, laudare adhuc cogitur, &c. *Subiicit & miserias & peccata ex quibus oriuntur mala pœna ad decorem & perfectionem vniuersitatis, & attributorum Dei cognitionem, pertinere; quod fusè prosequitur. Deinde sic concludit respondens obiectionibus.* Hîc respondetur, non ipsa peccata, vel ipsam miseriam perfectioni vniuersitatis esse necessaria, sed animas in quantùm animæ sunt: quæ si velint, peccant: si peccauerint, miseræ fiunt. Si enim peccatis earum detractis miseria perseueret, aut etiam peccata præcedit, *Aduerte per miseriam, intelligere mala omnia pœnæ.* Rectè deformari dicitur ordo atque administratio vniuersitatis. Rursus si peccata fiât, & desit miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas. Cùm autè non peccantibus adest beatitudo, perfecta est vniuersitas. Cùm verò peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est vniuersitas. Quòd autem ipsæ non desunt animæ, quas vel peccantes sequitur miseria, vel rectè facientes beatitudo, semper naturis omnibus vniuersitas plena atque perfecta est. Non enim peccatum & supplicium peccati, naturæ sunt quædam, sed affectiones naturarum, illa voluntaria, ista pœnalis. Sed voluntaria quæ in peccato fit, turpis affectio est; cui propterea pœnalis adhibetur, vt ordinet eam, vbi talem esse non turpe fit, & vniuersitatis decori congruere cogat, vt peccati dedecus, emendet pœna peccati. Hinc fit vt peccans creatura superior, à creaturis inferioribus puniatur; quia illæ tam sunt infimæ, vt ornari etiam à turpibus animis possint, atque ita decori vniuersitatis congruere. *Deindè vtitur exemplo serui qui à ministerio digniori ad cloacam mundandam propter aliquod peccatum damnatur.* Seruus, inquit, in tali peccato detectus, vt mundandæ cloacæ dignus habeatur, ornat eum etiam turpitudine sua & vtrumque horũ, id est turpitudo serui, & mũdatio cloacæ, tam coniunctum & redactum in quandam sui generis vnitatem, ita dispositæ domui coaptatur atque subtexitur, vt eius vniuersitati ordinatissimo decore conueniat. *Applicat hoc exemplum animæ peccatrici corruptibili corpori addictæ, quod tamẽ decore vestit, vitâ & motu donat.* Habitationi ergo cœlesti talis animâ non congruit per peccatum, terrestri autem congruit per supplicium, vt quodlibet elegerit, *Siue peccatum, siue virtutem,* Semper sit pulchra vniuersitas, decentissimis partibus ordinata, cuius est conditor & administrator Deus. *Bonus in cõmunicatione bonæ naturæ, melioris gratiæ, optimæ gloriæ, iustus autem retribuens peccatori debitum ordinem miseriæ & pœnæ temporalis & æternæ. Claudamus hanc materiam de*

malo, optimè in rem hanc Augustini loco to. 6. lib. cont. Adimantum cap. 26. vbi refert. locum Amos. 3. 5.

S Augst. Numquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit? si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? Si erit malum in ciuitate *70. malitia in vrbe*, Quod Dominus non fecerit? malum, hoc loco, non peccatum, sed pœna intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum, vnũ quod homo facit, alterum quod patitur pœnâ: de pœnis ergo loquebatur propheta, cùm hoc diceret: diuina enim prouidentia cuncta gubernante & moderante, ita homo malè facit quod vult, vt malè patiatur quod non vult. Sic autem isti *Manichæi* A accusant prophetam ista dicentem quasi in Euangelio non legerint; nonne duo passeres asse veniũt; & vnus ex his non cadit in terram sine Patris vestri voluntate? Ita ergo Deus malum facit, quod non ipsi Deo, *respectu Dei*, malum est, sed eis in quos vindicat. Itaque ipse, quantùm ad se pertinet, bonum facit, quia omne iustum bonum est, & iusta est illa vindicta. *Et per hæc, vtriusque mali differentia patet, vt solus Angelus & homo ex se, quia de nihilo factus est, deficiendo faciat, malum culpæ; malum pœnæ, bono iustitiæ ordine, Deus faciat, vt neutrum malum, & nullum bonum Hermogeniana materia imputari possit.*

Creatura omnis bona est, sed à diabolo in malum conuersa. De spectac. cap. 2. à p. ad. fin.

NEmo negat, quia nemo ignorat quod vltro natura suggerit, Deum esse vniuersitatis conditorem, eamque vniuersitatem, tam bonam, quàm homini mancipatam. Sed quia non penitus Deum norunt, nisi naturali iure, non etiam familiari, de longinquo, non de proximo, necesse est ignorent, qualiter administrari iubeat, cùm instituit: simul quæ vis æmula ex aduerso adulterandis vsibus diuinæ conditionis: quia neque voluntatem, neque aduersarium noueris eius, quem minùs noueris. Non ergo hoc solum respiciendum est, à quo omnia sint instituta, sed à quo conuersa. Ita enim apparebit cui vsui sint instituta, si appareat cui non. Multum interest inter corruptelam & integritatem, quia multum est inter institutorem & interpolatorem. Ceterùm omnes species malorum, quæ etiam ethnici vt indubitata & prohibent & defendunt, ex operibus Dei constant. Vis homicidium ferro, veneno, magicis deuinctionibus perfici. Tam ferrum Dei res est, quàm herbæ, quàm angeli. Nunquid tamen in hominis necem auctor ista prouidit? Atquin omnem homicidij
a Exo. 20. speciem vno & principali præcepto interimit: a *Non occides*. Proindè aurum, æs, argen-
13. tum, ebur, lignum, & quęcunque fabricandis idolis materia captatur, quis in seculo posuit, nisi seculi auctor Deus? Nunquid tamen vt hæc aduersus ipsum adorentur? Atquin summa offensa penes illum, idololatria. Quid non Dei est, quod Deum offendit? sed cùm offendit, Dei esse desiit; & cùm desiit, offendit. Ipse homo omnium flagitiorum auctor, non tantùm opus Dei, verumetiam imago est: & tamen & corpore & spiritu descíit à suo institutore. Neque enim oculos ad concupiscentiam sumpsimus, & linguam ad maliloquium, & aures ad exceptaculum maliloquij, & gulam ad gulæ crimen, & ventrem ad gulæ societatem, & genitalia ad excessus impudicitiæ, & manus ad vim, & gressus ad vagam vitam: aut spiritus ideò insitus corpori, vt insidiarum, vt fraudium, vt iniquitatum cogitatorium fieret. non opinor. Nam si omnem malignitatem, & si tantùm malitiam excogitatam Deus exactor innocentiæ odit, indubitatè quæcunque condidit, non in exitum operum constat condidisse, quæ damnat; licet eadem opera, per ea quæ condidit, administrentur, quando hæc sit tota ratio damnationis, peruersa administratio conditionis. Nos igitur qui Deo cognito etiam æmulum eius inspeximus; qui institutore comperto, etiam interpolatorem vnà deprehendimus, nec mirari, neque dubitare oportet, cum ipsum hominem, opus & imaginem Dei, totius vniuersitatis possessorem, illa vis interpolatoris & æmulatoris Angeli ab initio de integritate dejecerit, vniuersam substantiam eius, pariter cum ipso integritati institutam, pariter cum ipso in peruersitatem demutauit aduersùs institutorem: vt quam doluerat homini concessam, non sibi, in ea ipsa, & hominem reum Deo faceret, & suam dominationem collocaret.

CREATVRA. SCHOLIA.

DEVM NORVNT, *Gentiles.* NATVRALI IVRE. *Lumine & ratione naturali, quæ est ius commune & primum omnium hominum.* FAMILIARI, *Speciali, quasi de familia Dei & filij eius adoptiui per fidem.* ADMINISTRARI, *Vt debeant homines ministerio Creaturarum.* QVÆ VIS ÆMVLA. *Sit, diabolica scilicet, aduersaria Deo, quæ docet abuti Creaturis à Deo conditis.* MINVS NOVERIS, *Defectu fidei.* CONVERSA, *In malum vsum.* INTERPOLATOREM. *Corruptorem, immutatorem vsus legitimi rerum.* CONSTANT. *Composita sunt.* MAGICIS DEVINCTIONIBVS. *Ligaturis, aut pa-* B *tis* ANGELI, *Dæmones, substantia boni.* PROINDE, *Similiter.* ADVERSVS IPSVM, *In præiudicium cultus debiti vnicæ eius maiestati.* PENES ILLVM, *apud illum, in eius lege, in capite decalogi idololatria prohibetur, quam spectacula omnia Gentilium redolent.* DEI EST, *A Deo factum, ad Deum pertinens.* DESIIT, *Quia deficit à fine, in quem à Deo conditum est* AVCTOR. *Alij legunt* Actor, *& aptè quidem ad spectacula.* DESCIIT, *Aberrauit, defecit à Creatore suo.* CORPORE, *Quo per sensus abusus est, videndo, tangendo, gustando illicitum, audiendo serpentem.* ET SPIRITV, *Per inobedien-*

fiam animi, &c. GVLÆ SOCIETATEM, *Quia excipit cibum, quem gula gustauit. Vnde & Paulus;* Quorum Deus venter est. COGITATORIVM. De corde enim exeunt cogitationes malæ. EXCOGITATAM, *Nec dum impleto actu.* EXITVM OPERVM *In finem malorum vsuum, quos ipse condemnat.* EARVM OPERA, *Mala.* PER EA, *Per creaturas à se conditas exerceantur.* QVANDO, *Quandoquidē peruersus vsus rei à Deo conditæ, tota ratio est, ob quam ista condemnat.* DEO COGNITO, *Per fidem.* INTEGRITATI, *Vt integra perseueraret.* NON SIBI. *Neque enim L. cifero dictum est, quod homini.* Dominamini, &c. Gloria & honore coronasti eum & constituisti eum, &c. IN EA IPSA, *In abusu omnis rei conditæ.* SVAM DOMINATIONEM. *Quia homine, omnis mundi substantiæ Domino subacto, cum eo vitio, omnem eius substantiam sibi subiecit. Doctè in hanc rem Aug. to. 1. lib. 3. de lib. Arb. c.* 10. Cum duæ sint origines peccatorum, vna spontanea cogitatione, altera persuasione alterius, quò pertinere arbitror quod Propheta dicit, ab occultis meis, &c. Vtrumque voluntarium est quidem. Nam sicut propria cogitatione non peccat inuitus, ita dum consentit malè suadenti, non vtique nisi voluntate consentit. Sed tamen grauius est, non solum nullo suadente propria cogitatione peccare, sed etiam peccatum alteri per inuidentiam dolumque suadere, quam ad peccandum alterius suasione traduci. Seruata est ergo in vtroque peccato Iustitia Dei punientis. Nam & adpensum est æquitatis examine, vt nec ipsius diaboli potestati negaretur homo, quem sibi malè suadendo subiecerat. Iniquū enim erat, vt ei quem ceperat, non dominaretur. Nec fieri vllo modo potest, vt Dei summi & veri perfecta iustitia, quæ vsquæquaque pertenditur, deserat etiā ordinandas ruinas peccantiū. Et tamen quia minus peccauerat homo quàm diabolus Idipsum ei valuit ad reparādam salutē, quod scil. principi huius mundi, partis rerum scilicet huius mortalis atque infimæ, hoc est, principio omnium peccatorum, & præposito mortis vsque ad mortalitatem carnis: addictus est. Ita enim conscientia mortalitatis timidus, & iam à viliſſimis, & abiectiſſimis bestiis molestias atque interitum reformidans, incertusque futurorum, & illicitas cohibere delitias, & maximè superbiam, cuius persuasione deiectus est, & quo vno vitio misericordiæ medicina respuitur, frangere & edomare consueuit. *De sensuum illecebris, quibus homo rebus à Deo conditis bonis, malè vtitur, quàm cautè abstinerie. Augustinus, ipse testatur lib.* 10. *Confess. cap.* S. Aug. *quidem* 30. *de voluptate tactus.* 31. *de Gustu.* 32. *de Olfactu.* 33. *de auditu.* 34. *de intuitu. Tum de ipsa Philautia cap.* 39 Etiam intus est aliud in eodem genere tentationis, malum, quo inanescunt qui placent sibi de se, &c. Sed sibi placentes multum tibi displicent, non tantum de bonis, quasi bonis, verùm etiam de bonis tuis, quasi suis, aut etiam sicut de tuis, sed tanquam ex meritis suis, &c. *Adeò omnia in tentationem versa sunt contra cultum* Dei, *vt bonis omnibus malè vtamur. Et cum vnicum* Deum *in creaturis spectare deberemus, & ad eius gloriam creata omnia, nosque ipsos, & opera nostra referre, & inde gratum ei & Angelis exhibere spectaculum: inordinatè & nobis de rebus creatis, & vanum de nostris operibus facimus nobis spectaculum. Hunc abusum cum Augustino corrigamus sic fante in Psal.* 142. *In verbo* S. Aug. Meditatus sum in omnibus operibus tuis. Quia vtique omnia bona tu fecisti, & nihil constitisset, quod à te constitutum non esset. Creatura tua spectaculum mihi facta est. *Procul ergo spectacula Circi, in quæ hic innebitur Tertullianus* Quæsiui in opere S. August. opificem, & in conditis omnium conditorem: vt quid hoc, nisi vt hoc intelligeret, quidquid in se boni esset, ab illo factum esse? ne ignorans Iustitiam Dei, & suam volens constituere, iustitiæ Dei subiectus non esset. &c. Respice ergo conditorem vitæ tuæ, substantiæ, & iustitiæ, & salutis authorem. Meditare in facturis manuum eius, quia & iustitiam quæ in te est, ad manum eius inuenies pertinere, &c. Opera bona non habemus? habemus planè, sed vide quid sequitur Ephes 2. Ipsius sumus figmentum. Fortè naturam commemorare voluit hoc appellato figmento? non planè: de operibus loquebatur. Ipsius enim sumus figmētum creati in Christo Iesu in operibus bonis. Noli ergo putare te aliquid operari, nisi in quantùm malus es. Auerte ab opere tuo, ad opus illius qui fecit te: ipse format. & ipse quod formauerat, & tu exterminasti, reformet. Vt enim sis, ipse operatus est: vt bonus sis, si bonus es, ipse operatur. *Hoc vnicum sit homini Christiano spectaculum, ne fiat illi* Creatura muscipula sicut pedibus insipientium.

Augus.

CRVX.

1. *Crux Christi figurata in cornibus Tauri & Vnicornis, & extremis Antennæ. Cont. Iud. cap.* 10. *à p.*

BEnedicitur in hæc verba Ioseph: [a] *Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius; in eis nationes ventilabit pariter ad summum vsque terræ.* Non vtique rhinoceros destinabatur vnicornis, vel minotaurus bicornis, sed Christus in illo significabatur: taurus ob vtramque dispositionem, aliis ferus vt iudex, aliis mansuetus vt saluator: cuius cornua essent crucis extima. nam & in antenna nauis, quæ crucis pars est, cornua extremitates vocantur: vnicornis autem, media stipitis palus. Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus, vniuersas gentes & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cœlum, & tunc ventilabit per iudicium, deiiciens de cœlo in terram. [a] Deut. 33. 17.

2. *Et 3. contra Marc. cap. 18. à p. iisdem verbis.*

3. 3. *Contra Marc. cap. 19. in m. iisdem verbis. vt numero 7. infrà.*

CRVX. I. II. III. SCHOLIA.

IN HÆC VERBA. *His verbis concepta est benedictio, quam dedit Moyses Tribui Ioseph, de qua vide dicta Verbo, Christus Index. 5. praterqua, hac accipe. Ad literam, Ioseph ob formam speciosam à Domina sua quasi lasciuiente vacca concupitum, ceu formosum iuuenculum, cui ex Ruperto, quia fortiter restitit, cornua Rhinocerotis habere dicitur. Tauro item comparatur ob curam agriculturæ, & quia sepulchrum eius ornandum erat figura bouis, & quia tribus Ephraim filij Ioseph erat futura fortissima velut cornua Rhinocerotis, qui ex Pausania præter cornu maius, aduncum habet aliud minus super nasum fortissimum; & dictus est à גב id. nasus. & אלפי id. cornu. Sic tribus Ephraim per acies bellicas, vt cornua, ventilatura, id est exagitatura, & quasi in ventum dispersura erat gentes hostiles vsque ad terminos terræ contermina, Palæstinæ scil. & Syriæ. Mysticè de Christo, præter Tertullianum, explicant hunc locum, Iustinus contra Triphonem. Ambr. lib. de Bened. Patr. Rabanus hoc loco. & Aug.* S. Auguſt. *to. 4. q. 57. quæ est vltima in Deut.* Cum Ioseph benediceret, ait inter cætera, primogeniti Tauri pulchritudo eius. Quod non ita legendum est, tanquam diceret, primogenitus Tauri; sed cum sit primogenitus, pulchritudo eius, pulchritudo Tauri est: propter crucis cornua, de Domino intelligitur figuratum. IN ANTENNA. *Aug. ser. 13. de Verb. Do.* S. Auguſt. Super nauiculam Christi. *Ecclesiam intelligit.* Grandis vnda consurgit. Sed in his tentationibus erigatur antenna, vt suspensa arbori crucem figuret. Hanc Christianus respiciat, & non deficiat: quia sicut dicit Apostolus Petrus, Christus pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, &c. Huic ergo Antennæ, id est cruci Christi simplex conuersatio, & pura confessio, tanquam candentia vela religentur, & hæc vela nostra fluctibus abluantur, vestisque tendatur, vt sine macula & ruga inueniatur. Quantumlibet mare sæuiat, ventus incumbat, inter flatus & fluctus nauis ista turbetur, tantùm non mergatur, & currat. S. Auguſt. *Et in Psal. 103. in versum, illuc naues commeabunt.* Vigiletur in ligno, etiam in aquis in cruce nauigamus, etiam in fluctibus tuti sumus. Non dormiat Christus, non dormiat fides, & si dormierit, excitetur. Imperabit ventis, placabit mare, finietur via, gaudebit in patria, &c. Ad patriam quà ituri sumus? per ipsum mare, sed in ligno. Noli timere periculum, lignum te portat quod continet sæculum. *Vel alludit ad Arcam Noe omnem animã continentẽ, vel vt ait alibi, quatuor partes crucis tot mundi partes continent: vel quia crux Christi totius mundi pretium continebat. Vel quod vt per crucem, sic nos cum Christo, oportet pati, & ita intrare in gloriã.* S. Auguſt. Noli timere, noli terreri, desidera Patriã, intellige peregrinationem, &c. Naues Ecclesias intelligimus, commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia pusilla & magna, gubernator est Christus in ligno crucis suæ. Illic naues commeabunt. Non timeant naues, non valdè attendant vbi natent, sed à quo gubernentur, &c. Quem commeatum reperiunt tristem, quando gubernatorem sentiunt Christum? commeabunt securè, commeabunt perseueranter, venient ad finem debitum, perducentur ad terram quietis.

2. *Quia iisdem omnino verbis repetit, frustra & textum & Scholium hic censui attexendum.*

3. PRÆDICATIONEM, *Predictionem, Prophetiam.* CANENTIS GLORIAM, *Quia per passionem glorificatus est Christus, prius minoratus, non tantum ab Angelis, sed ad nouissimum hominum, & ad vermem vsque deiectus, postea gloriâ & honore coronatus.* ET PEDES. *Sic 70. cùm tamen vulgata,* Et pedes meos. ATROCITAS CRVCIS. *Aug. to. 2.* Auguſt. *Ep. 120.* Crucifixio eius exprimitur, in eo quod dicit, foderunt manus meas, & pedes meos, &c. Fossæ sunt enim clauis manus & pedes eius, & cùm extenderetur in ligno quodammodo numerata sunt ossa. *Et to. 5. lib. 17. de Ciuit. c. 17.* Humilitatem passionis suæ per prophetiam Christus eloquitur, dicens: foderunt manus meas, &c. Quibus vtique verbis in cruce corpus significauit extentum, manibus pedibusque confixis, & clauorum transuerberatione confossis, eoque modo se spectaculum considerantibus & conspicientibus præbuisse. SALVVM FAC ME. Psal. 21. 22. Salua me ex ore Leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. *Vnus Tertull. legit in singulari, cùm versiones omnes plurale ponant. Sed vnicornem crucem intellexit, cùm Rhinoceros, vt supra vidimus, sit bicornis, sed ab vnico prælongo sic dictus. Aug. Ep.* Auguſt. 120. Scriptum est Prou. 19. nihil interest inter minas regis, & iram Leonis: quamquam & diabolum Apostolus Petrus Leoni comparet rugienti. *Qui per Iudæos rugiebat, vt ibidem in versum aperuerunt super me os suum clamantes crucifige, crucifige, quasi Leo rapiens & rugiens: rapuerunt enim, comprehensum adducentes ad præsidem, & rugierunt, petendo eius mortem. Hæc Aug.* Et à cornibus vnicornium Aug. humilitatem meam. Ideo quippè vnicornibus superbi intelliguntur, quia superbia odit consortium, & quantùm in ipsa est, solus cupit eminere superbus. *Sed superbi Iudæi, dicentes contempto Christo Rege humili, & eum in consortium regiæ potestatis admittere nolentes:* Non habemus Regem nisi Cæsarem. APICIBVS, *Cornibus extremitatibus crucis.* TAM INSIGNITER, *Monstruosè, crudeliter, vel tot signis gloriæ sua datis, velo templi rupto, Sole obscurato, scissis petris, monumentis apertis, vt* Iam tunc, *Vt supra dixit.* Gloriam suam caneret, *Ille mitissimus* Agnus coram tondente se obmutescens, & Aries cornibus hærens inter vepres in Ara crucis & cornibus altaris, in condensis tormentorum diem solemnem constituens sibi.

4. *Crux Christi in Moyse extensis manibus orante, diaboli victrix. Cont. Iud. cap. 10. circa. m.*

a Exo. 17. 11. a *IAm verò Moyses*, Quid vtique tunc tantùm cùm Iesus aduersus Amalech prœliabatur, expansis manibus orabat residens; quando in rebus tam attonitis magis vtique genibus positis, & manibus cedentibus pectus, & facie humi volutatâ, orationem commendare debuisset? nisi quia illic vbi nomen Iesu dimicabat, dimicaturi quandoque aduersus diabolum, crucis habitus quoque erat necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus.

CRVX. IV. SCHOLIA.

TVNC TANTVM, *Sine quod nullibi legitur Moyſes quam hîc tali corporis ſitu oraſſe, ſine quod in euentu belli dubio, & ſuſpenſo, attonitos reddente Hebræos, non humi proſtratus, ſed ſedens tantùm & manus extendens orabat.* CVM IESVS, *Naue ſcilicet ſine Ioſue.* COMMENDARE, *Acceptabilem Deo offerre.* NOMEN IESV. *Attende vim nominis: vt vel eius vmbra ſufficerit ad victoriam Ioſue de Amalecitis pariendam. Oportuit autem vt ſimul cum nomine Ieſu certante, Moyſes orans manus expanderet, vt vterque Chriſtum orantem, & exauditum pro ſua reuerentia, pugnantem in cruce, vincentemque diabolum exprimeret. Hiſtoria habetur Exo. 17. 10. & ſeq* Fecit Ioſue vt locutus erat Moyſes. 70. *Fecit Ieſus, &c.* Et pugnauit contra Amalech: Moyſes autem & Aaron & Hur, aſcenderunt ſuper verticem collis. Cumque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech. Manus autem Moyſi erant graues: ſumentes igitur lapidem poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit: Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus eius ex vtraque parte; & factum eſt, vt manus eius non laſſarentur vſque ad occaſum Solis, fugauitque Ioſue Amalech & populum eius in ore gladij. 70. *autem.* Et fugauit Ieſus Amalech & omnem populum eius in cæde gladij. *Hunc locum alibi iam expoſui per Auguſtinum, V. Orationis conditiones* 12. *Sed alios ex eodem habeo locos, quos hîc referam. to. 3. lib. 4. de Trin. c. 15. vbi contra quoſdam ſuperbos præſumentes ſe propria virtute purgare, Deumque puro mentis oculo contemplari:* Sunt quidam qui ſe putant ad contemplandum Deum, & inhærendum Deo, virtute propria poſſe purgari, quos ipſa ſuperbia maximè maculat. Nullum enim vitium eſt cui magis diuina lege reſiſtitur, & in quod magis accipiat dominandi ius ille ſuperbiſſimus ſpiritus, ad ima mediator, ad ſumma intercluſor; niſi occultè inſidians, alia via deuitetur, aut per populum deficientem *Alij exponunt, lambentem, qualis eſt adulatio, vel amor proprius blandiens.* Quod interpretatur Amalech, apertè ſæuiens, & ad terram repromiſſionis, repugnando, tranſitum negans per crucem Domini, quæ Moyſi manibus extenſis eſt præfigurata *Subiicit hos ſuperbos videre Chriſtianos, quod potuerint ipſi ſine fide attingere, quod Chriſtiani non potuerunt cum fide. Et concludit.* Quid prodeſt ſuperbienti, & ob hoc, eruteſcenti lignum conſcendere, *Nauem crucis, & ſummam arborem antennâ ſimul crucem ſignante, & vela ſpei pandente.* De longinquo *Sola ratione: obſcurè & confuſè* Proſpicere patriam tranſmarinam? aut quid obeſt humili, de tanto interuallo non eam videre, in illo ligno, *Naui crucis*, Ad eam venienti, quo dedignatur ille portari? *Et to. 6. lib. 12. Cont. Fauſtum Manich. cap.* 30. Hoſtis intercludere molitus viam, extenſis Moyſi manibus ſigno crucis dominicæ ſuperatur. *Et to. 10. Hom. 27.* Planè hoſtem aduerſantem itineri tuo Amalech habebis. Tunc orabat Moyſes, tunc extendebat manus. Et vbi deponebat manus, conualeſcebat Amalech: vbi extendebat manus, deficiebat Amalech. Et tuæ manus extentæ ſint, deficiat Amalech tentator, & huius itineris impeditor: Eſto vigilãs & ſobrius, in orationibus, in operibus bonis, non tamen præter Chriſtum, *Non abſque Ieſu, vt hîc aduerſit Tertull.* Quia extenſio illa manuum Chriſti crux fuit. In illa extenditur Apoſtolus cum dicit, Gal. 6. mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo, &c Si dimittis manus à bono opere, à cruce Chriſti, præualebit Amalech. Tamen noli omnimodo, aut continuò te fortem futurum ſperare, aut penitus deſperando deficere. Alternatio enim illa defectus & fortitudinis in manibus ſerui Dei Moyſi, fortè alternatio tua fuit *Tuam figurauit.* Aliquando enim in tentationibus deficis, ſed non ſuccumbis. Deponebat ille paululum manus, ſed non ruebat. Si dicebam motus eſt pes meus, ecce miſericordia tua Domine adiuuabat me. Pſal. 93. Noli ergo timere: adeſt in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. *Vide plura in hanc rem ſer. 93. de temp. vbi inter cætera:* Moyſes vocat Ieſum, &c. Vſque ad hunc locum beati huius nominis mentio, id eſt Ieſus nuſquam facta eſt: hîc primum vocabuli huius ſplendor obfulſit. Moyſes vocat Ieſum, Iex inuocat Chriſtum, &c. Moyſes manus quidem leuat, non tamen extendit, cui ergo ſeruabatur, vt manus extenderet niſi Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui extentus in cruce vniuerſum orbem complexurus, brachia pietatis expandit. Moyſes ergo leuauit manus, & licet non expandit, tamen ipſa eleuatione myſterium crucis oſtendit.

A S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

B

C

Aug.

Aug.

S. Auguſt.

5. Et 3. Cont. Marc. cap. 18. *à p. iiſdem verbis. vt ſupra.*

6. Crux Chriſti in ſerpente Crucifixo, vulnera peccatorum à diabolo & Angelis eius inflicta curat. Cont. Iud. cap. 10. *in. m.*

IDem rurſus Moyſes poſt interdictam omnis rei ſimilitudinem, cur æneum ſerpentem ligno impoſitum, pendentis habitu in ſpectaculum Iſraëli ſalutare propoſuit, eo tempore quo à ſerpentibus poſt idololatriam exterminabantur? niſi quòd hîc Dominicam crucem intentabat, qua ſerpens diabolus publicabatur, & læſo cuique ab eiuſmodi colubris, id eſt Angelis eius, à delictorum peccantia ad Chriſti crucis Sacramenta intento, ſalus efficiebatur. Nam qui in illam tunc reſpiciebat, à morſu ſerpentum liberabatur.

Num. 21. 8.

Et 3. contra Marc. cap. 18. *iiſdem verbis.*

CRVX. V. & VI. SCHOLIA.

PENDENTIS HABITV. *In ſimilitudinem Crucifixi & ſuſpenſi Num.* 21. 8. Locutus eſt Dominus ad eum: *Moyſem.* Fac ſerpentem Æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. 70. Fac tibi ſerpentem, & pone eum ſuper ſignum, &c. A SERPENTIBVS. Ignitis *Num.* 21. 6. Quamobrem *Ob murmur ſcilicet contra manna.* Miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum; venerunt ad Moyſen. 70. *autem*, Et miſit Dominus in populum ſerpentes mortem afferentes, & mordebant populum, & mortuus eſt populus multus de filiis

D

Israël. POST IDOLOLATRIAM, *Non quòd hæc plaga ob idololatriam sit inflicta, neque enim idem 3. Cont. Marc. c. 18 vbi eadem penè habet hæc verba posuit. Sed propter murmur sic percussi sunt: intellige ergo, post idololatriam interdictam, & omnis animalis similitudinem; iussit Deus fieri serpentem.* INTENTABAT, *Figurabat, vel quasi telum & machinam contra diabolum eiusque tentamenta vibrabat.* PVBLICABATVR, *Quasi subhastabatur, & spolia eius exponebantur venalia Vel publicè fraus eius exponebatur, eliminabatur, exulabat. Vel publicum contra eius venena Pharmacum proponebatur. Vel iuxta Paulum, palam traducius triumphabatur.* A DELICTORVM, *&c. Post peccati lapsum, vel à peccato ad mysteria & remedia crucis, vel Sacramenta quæ ex ea fluxerunt conuerso, &c. Sæpius de hoc mysterio Augustinus. Vide quæ habet to. 6. lib. Cont. Adimantum cap. 30 Et eodem to. lib. 12. Cont. Faustum c. 30.* Morsus mortificri serpentum exaltato & respecto æneo serpente sanantur: quod verbis ipsius Domini declaratur Io. 3 sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, &c. Vt omnis qui credit in ipsum non pereat. *Et tract. 12. in Io. 3.* Demonstratum est ibi magnum Sacramentum rei futuræ, ipse Dominus testatur in hac lectione, vt nemo possit aliud interpretari, quàm quod ipsa veritas de se indicat, &c. Quid sunt serpentes mordentes? peccata de mortalitate carnis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in cruce. Quia enim à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Mors serpentum lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, vt nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, vt nihil valeat mors. Sed cuius mors? mors vitæ, si dici potest, mors vitæ, imò quia dici potest, mirabiliter dicitur. Sed numquid non erit dicendum, quod fuit faciendum? Ego dubitem dicere, quod Dominus pro me dignatus est facere? Nonne vita Christus? & tamen in cruce Christus. Nonne vita Christus? & tamen mortuus est Christus: sed in morte Christi mors mortua est, quia vita mortua, occidit mortem, plenitudo vitæ deglutiuit mortem: Absorpta est mors in Christi corpore. Sic & nos dicemus in resurrectione, quando iam triumphantes cantabimus: vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus? &c. Hoc interest inter figuratam imaginem, & rem ipsam; figura præstabat vitam temporalem, res ipsa cuius illa figura erat, præstat vitam æternam. *Et in Psal. 73.* Sanari à serpente, magnum Sacramentum. Quid est intuendo serpentem sanari à serpente? credendo in mortuum saluari à morte. *Et ser. 101. de temp.* Suspensus est tunc serpens æneus in conto, quia Christus suspendendus erat in ligno, &c. Tunc vnusquisque respiciebat serpentem mortuum, vt posset euadere viuum. Nunc verò qui vult diaboli vitare venenum, Christum respiciat crucifixum. Et quia mors à morsu nomen accepit, & generi humano morsus antiqui serpentis acciderat, & mors nisi à morte superari non poterat: Ideò mortem Christus sustinuit, vt iniusta mors iustam vinceret mortem, & liberaret reos iustè, dum pro eis occidebatur iniustè, &c. Ideò serpens ille æneus efficitur, vt doctrina Christi in vniuerso mundo clariùs prædicetur, &c. Etiam secundùm Medicorum carnalium disciplinam, quibus de morte serpentis, contra viuorum serpentium venena, salubria præparantur antidota, non est incongruum vt mortuum debeat serpentem intendere, qui à viuorum serpentum venenis desiderat liberari, &c.

A B C

3. Aug. 5. August. August. August.

7. Crux, lignum missum in panem, id est Corpus Christi. Cont. Iud. cap. 10. à m.

DE hoc enim ligno etiam Deus insinuat per Hieremiam quòd essetis dicturi: [a] *Venite, mittamus in panem eius lignum, & conteramus eum à terra viuorum, & nomen illius non memorabitur amplius.* Vtique in corpus eius lignum missum est. Sic enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans, cuius retro corpus in panem Propheres figurauit. Si adhuc quæris dominicæ crucis prædicationē, satis iam poterit tibi facere 21. Psalmus, totam Christi continens passionem, canentis iam tunc gloriam suam: [b] *Foderunt*, inquit, *manus meas & pedes.* Quæ propria est atrocitas crucis. Et rursus cùm auxilium patris imploraret: [c] *Saluum me fac*, inquit, *Ex ore leonis*, Vtique mortis, *Et de cornibus vnicornuorum humilitatem meam:* De apicibus scilicet crucis, vt suprà ostendimus. quam crucem nec ipse Dauid passus est, nec vllus regum Iudæorum, ne putetis alterius alicuius prophetari passionem, quàm eius qui solus à populo tam insigniter crucifixus est. Nunc & si omnes interpretationes istas respuerit, & inriserit duritia cordis vestri, probauimus sufficere posse mortem Christi prophetatam, vt ex hoc quòd non esset edita qualitas mortis, intelligatur per crucem euenisse, nec alij deputandam fuisse passionem crucis, quàm cuius mors prædicabatur.

a Hier. 11. 19.

b Psal 21. 18.

c Ibid. 22.

CRVX. VII. SCHOLIA.

LIGNO, *Crucis.* ESSETIS. *Vos Iudæi.* VENITE. *Ier. 11. 19.* Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. MISSVM EST, *Cùm crux, eius humeris imposita est.* REVELAVIT, *Velum figuræ, peruii, dum ait: Io. 6.* Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita *In quem locum Aug. tract. 26.* Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? vocatur caro, quod non capit caro. Et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putauerunt. Caro mea est, inquit, pro mundi vita. *De hoc pane supra dixerat:* Operamini cibum, non cibum qui perit, sed qui manet in vitam æternam. Hunc enim Pater signauit Deus. *Id est. ex Aug ibid. discrenit à quocumque alio cibo & pane. Et quidem voce Danidica dicebat Christus panis noster in ligno crucifixus, & in signo crucis erectus Psal. 42. 1.* Iudica me Deus, & discerne causam meā de Gente non sancta. *Aug. in Ps. 34. Concione 2.* Quoniam multi hîc patiuntur & pro peccatis, & pro sceleribus suis, magnâ vigilantiâ discernenda est causa, non pœna. Sceleratus enim potest habere Martyris similem pœnam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce, vnus Saluator, alter saluandus, alius damnandus: omnium

5. Aug. Aug. Aug.

Auguſt. par pœna, ſed impar cauſa. *Et rurſum ibid. in verſum* Inte de iudicio meo Deus meus, & Dominus meus, in cauſam meam. Non in pœnam meam, ſed in cauſam meam. Non in id quod mecum habet latro commune, ſed in illud, quo beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Hæc enim cauſa diſcreta eſt: Nam pœna ſimilis eſt bonis & malis. Itaque Martyres non facit pœna, ſed cauſa. *Et hic eſt panis noſter in quem lignum miſſum eſt, quem Pater ſignauit Deus. Aug. tract. 25. in Io. 6.* Iſtum filium hominis nolite ſic accipere, quaſi alios filios Auguſt. hominũ, &c. Iſte filius hominis ſequeſtratus quadam gratia ſpiritus, & ſecundùm carnẽ filius hominis, exceptus à numero hominũ, filius hominis eſt, &c. Signare quid eſt, niſi proprium aliquid ponere? A &c. Ideò panis ſignũ ne confuſa cũm aliis à te non poſſit agnoſci, &c. Quo non confunderer cum genere humano, *peccato communi; ſegregatus à peccatoribus*, Sed per me liberaretur genus humanum. *Sic inducit in fine Chriſtum loquentem.* RETRO. *Prius.* IN PANEM, *Inpane, ſub panis Symbolo Frequens apud Tertull. accuſativus, pro ablativo.* SI ADHVC, *&c. Hæc habes iiſdem verbis ſupra num. 3.* IMMISERIT, *Irriſerit* DVRITIA, *Judais propria.* VT EX HOC, *&c. Id eſt, quamuis Pſaltes vel Ieremias genus mortis Chriſti non expreſſiſſent, ſatis tamen crucifixus fuiſſe intelligatur, nec alteri imputandam paſſionem crucis, quam Chriſto, cuius mors per prophetas annuntiabatur.*

8. *Crux ſceptrum Chriſti quo regnauit à ligno. Cont. Ind. cap.* 10. *à m.*

AGe nunc, ſi legiſti penes Prophetam in Pſalmis, [a] *Deus regnauit à ligno;* Expecto quid intelligas, ne fortè lignarium aliquem regem ſignificari putetis, & non Chriſtum, qui exinde à paſſione Chriſti ſuperatâ morte regnauit. Proinde & Eſaias: [b] *Quoniam puer*, inquit, *Natus eſt nobis.* Quid nouum, ſi non de filio Dei dicit? *Filius natus eſt nobis, cuius imperium factum eſt ſuper humerum ipſius.* Quis omnino regum inſigne poteſtatis ſuæ humero præfert, & non aut capite diadema, aut in manu ſceptrum, aut aliquam propriæ veſtis notam? Sed ſolus nouus Rex ſeculorum Chriſtus Ieſus, nouæ gloriæ & poteſtatem & ſublimitatem ſuam in humero extulit, crucem ſcilicet, vt ſecundùm ſuperiorem prophetiam exinde Dominus regnaret, à ligno.

[a] Pſal. 95. 10.

[b] Eſa. 9. 6.

CRVX. VIII. SCHOLIA.

AGE, *Iudæ.* PENES, *Apud Pſalten. Pſal. 95. 10.* Commoueatur à facie eius vniuerſa terra, dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit. A LIGNO. *Hæc verba nec in vulgatis, nec Hebrais, nec apud 70. legi. Habentur tamen in Pſalterio veteri, & Romano ante Hieronymi ætatem edito. Es forte à Iudæis eraſa ſunt verba, in odium Chriſti; de quo Pilatus Iudæis:* Regem veſtrum crucifigam? *Habentur & apud Cyprianum, Iuſtinum Martyrem, S. Leonem Papam, & in Hymno Eccleſiaſtico. Sic etiam legit Aug.* Dicite in nationibus quia Dominus regnauit à ligno, &c. An fortè hoc obtinebunt, & dicent, ſe regnare à ligno, quia fuſtibus Circumcellionum regnant? *Qui ſe martyres per vim volebant fieri, cogentes ſe fuſtibus cedi, & crucifigi.* De cruce Chriſti regna, ſi à ligno regnaturus es, *Hoc eſt patere perſecutionem, noli cogere perſequentem, nec teipſum interimas, aut ſuſpendas.* Nam lignum hoc tuum, ligneum te facit, *Stupidum, & igne dignum æterno.* Lignum Chriſti per mare te traiicit. *Subiicit Auguſtinus:* Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum. Ligna Syluarum, pagani ſunt. Quare iam gaudent? quia præciſi ſunt de oleaſtro, & inſerti in oliuam. Rom. 11. &c. Quia præciſæ ſunt ingentes arbores cedrinæ & cypariſſinæ, & imputribilia ligna. Tranſlata ſunt in ædificationem domus. 3. Reg. 5. Ligna ſyluarum erant, ſed antequam irent in ædificium. QVI EXINDE. *Qui Rex, faber lignarius, poſt Chriſti paſſionem in ligno crucis, in qua mortem vicit, à ligno regnauerit.* PROINDE, *Similiter.* QVID NOVVM, *Quòd ſcilicet puer natus ſit, ſi non eſſet vnus filius, Deus homo. Eſa. 9. 6.* Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius. 70. Quia paruulus natus eſt nobis filius, & datus eſt nobis, cuius principatus factus eſt ſuper humerum eius. *In quem locum Aug ſer 72. de temp.* Quod Iſaac ipſe ſibi ad immolandum ligna detulit, & in hoc Chriſtum Dominum figurauit, qui ad locum paſſionis, crucem ſuã ipſe portauit. De quo myſterio multò ante dictum fuerat per Prophetam. Et erit, inquit principatus eius ſuper humerum eius. Tunc enim Chriſtus principatum ſuper humerũ eius habuit, quando crucẽ ſuã admirabili humilitate portauit. Non incongruè crux Chriſti ſignificat principatum. Nam per ipſam, & diabolus vincitur, & totus mundus ad Chriſti notitiam vel gratiam reuocatur. Denique ſic & Paulus dicit, cùm de Paſſione Domini loqueretur Philip. 2. Factus eſt, inquit, obediens, &c. Propter quod & Deus, &c. SVPERIOREM. *Pſalte ſcilicet.*

Auguſt. B C S. Auguſt. Aug.

9. *Crux per Tau ſignata in frontibus ferenda, patiendo ignominias & perſequutiones pro Chriſto. 3. Cont. Marc. cap. 22. à m.*

PRæmittens itaque, & ſubiungens proinde, paſſum etiam Chriſtum, æquè iuſtos eius, eadem paſſuros, tam Apoſtolos, quàm & deinceps omnes fideles prophetauit, ſignatos illâ notâ ſcilicet, de qua Ezechiel: [a] *Dixit Dominus ad me, Pertranſi medio portæ in media Hieruſalem, & da ſignum Tau in frontib. virorum.* Ipſa eſt enim littera Græcorum Tau, noſtra autem T, ſpecies crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris, apud veram & catholicam Hieruſalem.

[a] Ezech. 9. 4.

Digitized by Google

CRVX. IX. SCHOLIA.

PRÆMITTENS, *Scil. Deus per Esaiam c. 52. relinquendam Synagogam blasphemam in Christum suum.* ET SVBINGENS. *Eodem Propheta dicente cap. 57.* Quomodo periit iustus, &c. PROPHETAVIT, *Deus Creator Pater Christi, auctor vtriusque legis.* EZECHIEL *Cap. 9. 4* Et dixit Dominus ad eum Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & signa Tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius, &c. 70. vers. Transi mediam Ierusalem, & da signum super frontes virorum, &c. APVD VERAM, *Figuratam per typicam.* CATHOLICAM, *Vniuersalem Ecclesiam, cùm in vno Palestinæ loco esset altera.* IN FRONTIBVS NOSTRIS. *Aug. in Psal. 141.* Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Quod dictum est iuxta viam, id est iuxta semitam, secundum veritatem dictum est. Reuera enim non ponunt in semita, non ponunt in ipsa via, quia Christus est via, &c. Non eos Christus sinit ponere in via ne, non sit quà eamus: sinit autem eos ponere iuxta viam, vt de via non declinemus. In via se putat ponere scandalum paganus, quando mihi dicit, colis Deũ crucifixum. Reprehendit crucem Christi, quam non intelligit. In Christo se ponere putat, quod iuxta viam ponit. Non egrediar à Christo, & non incidam à via in muscipulam. Insultet ille crucifixo Christo, videam ego in frontibus Regum crucem Christi. Quod irridet ibi saluor Nihil est superbius ægroto, qui deridet medicamentum suum. Si non derideret, acciperet & ipse, & sanaretur. Crux illa signum est humilitatis, ille autem superbiâ nimiâ non agnoscit, vnde sanetur tumor animæ suæ: si autem ego agnosco, in via ambulo. Vsqueadeò de cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quædam, sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus. Quia verò in fronte erubescitur, ille qui dixit, qui me erubuerit coram hominibus, &c. Ipsam ignominiam quodammodo & quam pagani deridẽt in loco pudoris nostri constituit. Audis hominem insultare impudenti, & dicere, frontem non habet. Quid est, frontem non habet? impudens est. Non habeam nudam frontem, tegat eam crux Domini mei. *De hac re vide plura, sicut de Tau litera infra num. 15.*

S. Augus.

10. *Crux maximum opus sapientiæ Dei, & signum maximum ad conuertendum Iudæum & Gentilem ad Deum, quem mundus in sapientia non cognouerat.*
5. Cont. Marc. cap. 5. à p.

a 1. Cor. 1. 18. b Ibid. 19. AIT [a] *Crucem Christi stultitiam esse perituris, virtutem autem & sapientiã Dei, salutem consecuturis.* Et vt ostenderet vnde hoc eueniret, adiicit, Scriptum est enim, [b] *Perdam sapientiã sapientium, & prudentiam prudentium irritam faciam.* Si hæc Creatoris sunt, &, quæ ad causam crucis pertinent, stultitiæ deputatæ; ergo & crux, & per crucem Christus ad Creatorem pertinebit, à quo prædicatum est quod ad crucem pertinet. Aut si Creator, quà æmulus, idcirco sapientiam abstulit, vt crux Christi, scilicet aduersarij, stultitia deputetur; & quomodo potest aliquid ad crucem Christi non sui Creator pronuntiasse, quem ignorabat quum prædicabat? Sed & cur apud Dominum optimum, & profusæ misericordiæ, alij salutem referunt, credentes crucem virtutem & sapientiam Dei esse; alij perditionem, quibus Christi crux stultitia reputãtur, si non Creatoris est aliquam & populi & humani generis offensam detrimento sapientiæ atque prudentiæ multasse? Hoc sequentia confirmabunt, quum dicit, [c] *Nonne infatuauit Deus sapientiam mundi?* Cumque & hîc adiicit, quare? [d] *Quoniam in Dei sapientia non intellexit mundus per sapientiam Deum: boni duxit Deus per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Sed priùs de mundo disceptabo, quatenus subtilissimi hæretici hîc vel maximè mundum per Dominum mundi interpretantur: nos autem hominem qui sit in mundo, intelligimus, ex forma simplici loquelæ humanæ, quà plerunque id quod continet, ponimus pro eo quod continetur, Circus clamauit, & Forum locutum est, & Basilica fremuit; id est, qui in his locis rem egerunt. Igitur, [e] *Quia homo*, Non Deus mundi, *in sapientia non cognouit Deum*, Quem cognoscere debuerat, & Iudæus in sapientia scripturarum, & omnis gens in sapientia operum: ideò Deus idem, qui in sapientia sua non erat agnitus, statuit sapientiam hominum stultitia repercutere, saluos faciendo credentes quosque in stultam crucis prædicationem. [f] *Quoniam Iudæi signa desiderant*, Qui iam de Deo certi esse debuerant: *Et Græci sapientiam quærunt*; Qui suam scilicet, non Dei sapientiam sistunt. Ceterùm, si nouus Deus prædicaretur, quid deliquerant Iudæi signa desiderantes quibus crederent? aut Græci sapientiam sectantes, cui magis crederent?

c Ibid. 20. d Ibid. 21. e Ibid. f Ibid. 22.

CRVX. X. SCHOLIA.

AIT. *Paulus scil. probans hoc loco, quidquid insaniat Marcion, se esse Apostolum Creatoris, eo ipso quod Scripturam veteris Testamenti, per nouum impletam esse gratulatur.* SCRIPTVM EST. *Scil. Esa. 29. 14.* DEPVTATÆ. *Imputatæ. Attributæ.* PRÆDICATVM. *Prædictum.* QVÆ ÆMVLVS, *In quantùm aduersarius legis nouæ, & Dei & Christi Marcionis.* ABSTVLIT, *Perdidit, irritam fecit.* AD CRVCEM *Commendandam, sicut cùm ait, principatum super humerum, regnaturum à ligno; Tau signum salutis, &c.* NOVVS, *Sed pertinentis ad Deum, nouum Marcionis. Quasi diceret, si Creator*

non

non esset verus Pater Christi, & author noua legis, nec Christum quidem cognouisset, nec crucem eius commendasset. CVR APVD DOMINVM. *Rursum miror quomodo fieri possit, vt ex credentibus in Deum nouum, tantum misericordem & bonum, nullum à salute excludentem, vindicta nescium, aliqui salutem consequantur ex cruce, quam Dei virtutem & sapientiam esse credunt; alij damnationem, qui crucem eandem, stultitiam esse reputent. Quod tamen Paulus, noui testamenti Apostolus, asserit.* SI NON CREATORIS, *&c Quomodo id potest intelligi nisi Creator, Dominus vtriusque legis sit, & Deus simul misericors & iustus, qui saluet credentes crucem esse Dei sapientiam, & reprobet & priuet sapientia vera, credentes crucem esse stultitiam.* QVARE. *Subiicit causam, propter quam Deus confudit sapientiam mundi.* PER STVLTITIAM. *Apostolorũ predicationem, qui stulti habebantur à Gentilibus, dum crucis gloriam prædicabant.* SVBTILISSIMI, *Marcionitæ, ironicè dicta.* PER DOMINVM. *Exponunt, mundum significare Creatorem, mundi Dominum.* FORMA SIMPLICI. *Modo, & vsu loquendi.* HOMO MVNDI. *Homines qui sunt in mundo.* IN SAPIENTIA. *In scriptura veteri.* OMNIS GENS. *Tam Iudæi quàm Gentiles, sed hi maximè* SAPIENTIA OPERVM. *Quæ relucet in operibus Dei, ex qua Gentiles Deum cognoscere potuerunt.* STVLTITIA REPERCVTERE. *Retundere, & confundere voluit Deus sapientiam seculi, stultitiâ putatâ crucis, in qua, vera Dei virtus & sapientia latebat.* IAM DE DEO. *Post tot prodigia, in veteri lege patrata, & Prophetias impletas.* SAPIENTIAM QVÆRVNT, *Humanam scil. in rationis euidentia fundatam.* SISTVNT, *Producunt & exigunt.* NOVVS DIVS, *Marcionis.* QVID DELIQVERANT, *Vt à Paulo hîc arguerentur ob petita signa, cùm ea iure exigerent, ad fidem Deo nouo, & prius incognito præstandam, & quidem signa maiora quàm vetera, quibus, à cultu Dei veteris Creatoris, ad cultum noui Marcionis iure abduci possent. Vt nec Græcos assuetos sectandæ sapientiæ arguisset, si alter esset Deus quàm vetus, quem quia Gentiles non cognouerant, vel cognoscentes non coluerant, se satis superque suis operibus notificantem, iustè per occultam in cruce sapientiam ad se conuertere, & sibi subiicere voluit sapientiam sapientum; vt veterem suam Prophetiam impleret, & virga Christi sicut Moysi, hoc est crux eius, deuoraret virgas sapientum Ægypti: vt diceretur,* Omnis sapientia eorum deuorata est. *Totum locum Pauli à Tertulliano interciſum, vno contextu hîc refero, & selectiora per Augustinum expono. Si ergo Paulus 1. Cor. 1. 18. & seq.* Verbum crucis, pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui saluifiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: perdam sapientiam sapientium, & prudentiã prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. *Syriaca nihil differt, nisi quòd, pro,* Prudentiam prudentium reprobabo: *Legit*, aspernabor intelligentiam intelligentium: *Et pro*, conquisitor, *habet*, disputator. *Primam partem exponit Augustinus lib. 10. de Ciuit. 22.* Et perdam sapien-

A B C D E

Augus. Augus.

tiam, &c. Non enim suam in eis perdit & reprobat, quam ipse donauit, sed quam sibi arrogant qui non habent ipsius. Vnde commemorato isto prophetico testimonio; sequitur, & dicit Apostolus; vbi sapiens? &c. Hoc quasi stultum & infirmum, tanquam sua virtute sapientes forteſque contemnent. Sed hæc est gratia quæ sanat infirmos, non superbè jactantes falsam beatitudinem suam, sed humiliter potiùs veram miseriam confitentes. *Et lib. 1. qq. Euang. c. 13.* De Domino nostro dixerunt Iudæi vnde huic sapientia hæc, & virtutes? sapientia in his quæ loquebatur; virtutes, in his quæ operabatur. Ideò & Apostolus dicit, Christũ Dei virtutem, & Dei sapientiam. Virtutem ad signa retulit, propter Iudæos; sapientiam autem, ad doctrinam, propter Græcos, id est Gentes. *Et in Psal. 103. Inuersum.* Omnia in sapientia fecisti: ergo omnia in sapientia, id est in Christo fecisti? Ille contemptus, ille expalmatus, ille conſputus, ille spinis coronatus, ille crucifixus, omnia in illo fecisti. Audi, quid ex illo tùo milite nuncies hominibus, quid ex illo præcone sancto, prædices Gentibus; Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Irrideant Iudæi crucifixum Christum, quia scandalum est eis: irrideant pagani crucifixum Christum, quia stultitia est eis. Nos autem prædicamus, &c. *Et lib. 4. de Trinit. cap. 20.* Cùm in carne manifestatus est filius Dei, in hunc mundum missus est, in plenitudine temporis factus ex fœmina: quia enim in sapientia Dei, *Se per tot creaturas benè dispositas manifestante*, Non poterat, *Quia nolebat, vel per superbiam, vel peccati originalis meritum, excæcatus*, mundus cognoscere per sapientiam *Scientiam & rationem humanam*, Deum: quoniam lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, vt Verbum caro fieret & habitaret in nobis. *Tandem tract. 2. in Io.* Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Viderunt quò veniendum esset, sed ingrati ei qui illis præstitit vt viderent, sibi voluerunt tribuere quod videbant; & facti superbi amiserunt & id quod videbant; & conuersi sunt inde ad idola & simulacra, & culturas dæmoniorum, adorare creaturam, & contemnere Creatorem; sed iam isti elisi ista fecerunt, vt autem eliderentur superbierunt. Cùm autem superbirent, sapientes se esse dixerunt. Hi ergo de quibus dixit, quod cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, viderunt, quia per Verbum Dei facta sunt omnia; nam inueniuntur ista omnia in libris Philosophorum, & quia vnigenitum filium habet Deus, per quem sunt omnia. Illud potuerunt videre quod est, sed viderunt de longè, & noluerunt tenere humilitatem Christi, in qua naui securi peruenirent ad id quod longè videre potuerunt, & forduit eis Crux Christi. Mare trauiscundum est, & lignum contemnis? ô sapientia superba, irrides Christum crucifixum? Ipse est, quem longè vidisti. Sed quare crucifixus est? quia lignum tibi humilitatis eius necessarium erat. Superbia enim tumueras, & longè ab illa patria proiectus eras, & fluctibus huius sæculi interrupta est via. Et quà transeatur ad patriam, non est nisi ligno porteris. Ingratè, irrides eum, qui ad te venit vt redeas? Ipse factus est via, & hoc per mare: inde in mari ambulauit, vt ostenderet esse in mari viam. Sed tu quomodo ipse ambulare in mari non potes, nauì portare, ligno portare, crede in crucifixum, & poteris peruenire.

S. Augus. S. Augus. S. Augus.

11. Crux ligno scientiæ vetito contraria. De Pudic. cap. 6. circa fin.

a Io. 1. 14. VBi Sermo Dei descendit in carnem, ne nuptiis quidem resignatam; a *Et Sermo caro factus est*, Ne nuptiis quidem resignanda, quæ ad lignum, non incontinentiæ, sed tolerantiæ accederet; quæ non dulce aliquid, sed amarum aliquid inde gustaret; quæ non ad inferos, sed ad cœlum pertineret; quæ non lasciuiæ frondibus, sed sanctimoniæ floribus præcingeretur, quæ munditias suas aquis traderet; exinde caro quæcunque in Christo reliquas sordes pristinas soluit, alia iam res est, noua emergit iam, non ex seminis limo, non ex concupiscentiæ fimo, sed ex aqua pura & spiritu mundo.

CRVX. XI. SCHOLIA.

SERMO. *Verbum.* IN CARNEM. *Virginis viscerum.* NE NVPTIIS, *Cum S. Ioseph Virgine sponsa contractis.* RESIGNATAM. *Signaculo virginitatis integro mansuro.* RESIGNANDA. *Caro Christi cœlibis virgo.* LIGNVM *Crucis doloroſum.* INCONTINENTIÆ. *Quia non se continens à fructu ligni vetiti Adam, carnem propriam continere non potuit à motibus lasciuiæ, vnde ex rebellione,* Cognouerunt se esse nudos. NON DVLCE. *Vt lignum scientia erat aspectu & gustu suaue.* SED AMARVM, *Ibi enim felle & aceto potatus est.* NON AD INFEROS. *Vt illa, ob quam dictum,* Morte moriemini, *Hoc est morte temporali in sepulchrum, & æterna in infernum, mittendi nisi pœnitentiam egissent.* PERTINERET, *Pertingeret.* LASCIVIÆ FRONDIBVS. *Hic insinuat arborem scientiæ fuisse ficum, vnde eius foliis verenda texerunt, statim vt senserunt carnis pruriginem, ad eam comprimendam.* SANCTIMONIÆ, *Castitatis* FLORIBVS. *Quia in cruce titulus Nazarei fuit, id est floridi, cuius caro.* Sicut lilium inter spinas. *Qui de carne sua in lecto crucis quiescente dixit:* Lectulus noster floridus est. PRÆCINGERETVR, *Contra succinctoria ficulnea, cingulum symbolum continentiæ.* MVNDITIAS SVAS, *Vim mundandi in baptismo, conceptã ex cruce, aquâ & sanguine Christi perfusa.* EXINDE, *Post Christum Crucifixum.* CARO QVÆCVMQVE, *Cuiuscunque hominis per baptismum abluti.* IN CHRISTO, *In quo vt membra eramus.* RELIQVAS SORDES, *Ob fomitem relictum, per peccatum actuale contractas, expiat per alia Sacramenta, præsertim pœnitentiæ.* ALIA IAM CARO, *Alius est homo nouus Ex nouo Adam, noui homines emergimus ex baptismo.* NON EX SEMINIS, *&c. Primi hominis de limo terræ,* Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Augustinus de ligno crucis, ligni scientiæ boni & mali damna sarciente, sic sermone 19. de sanctis.* Solent medicinæ periti, ægritudines, quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria, aliquando per similia. Hoc fecit Dominus noster Iesus Christus, suâ paupertate nos ditans, suâ humilitate nos subleuans, suâ infirmitate nos sanans, suâ morte nos viuificans, &c. Sic scorpionum carnes oleo coctæ, percussionibus medentur scorpiorum; sic theriaca de serpentis carne confecta, morsibus serpentinis occurrit & potiones veneno infectas, in potu sumpta expellit. Ad hanc similitudinem medicus noster mortem carnis nostræ de serpente venientem, carnis suæ morte sanauit; & ad immortalitatis suæ speciem in tempore restitutionis complendam reformauit. Vbi diligentiùs attendendum est, quod

S. Augustin.

A mors quæ per lignum venit, per lignum superata est. Et ipsa ligni forma longitudini & latitudini, & altitudini humani corporis conformata est: quoniam sicut totum corpus motum est, vt manus ad ventum extenderetur, ita corpus per omnia membra sua, in cruce extenderetur. & totum quod reatu paterni delicti confractum fuerat, hoc emplastri malaxatione consolidaretur. Sed huic medicamento per similia cõpositio, admixtum est & medicamentum factum per oppositum. Nam hîc latuit obedientia, quod ibi corruperat inobedientia. Et quod ibi contaminauit gulæ oblectamentum, hîc reformat crucis tormentum, *Quòd de cruce fluxerit aquarum munditia, qua in baptismo sanctificamur, vt supra dixit Tertull. noster, sic ei breuiter subscribit Aug. serm. 101. de temp. in f.* O crux, cuius tantus ac talis fructus decerpitur! Fructus autem crucis, gloriæ est resurrectio. *Quàm contraria ligno scientiæ, ex quo mors orta.* Hic fructus ligni huius verè plantatus est secus decursus aquarum. Semper enim cruci baptismo iungitur. Dedit hoc lignum fructum in tempore suo, dedit fructum interim Domini resurrectione, dabit & cùm apparuerit de cœlis ille qui visus est super terram, cùm præcedente ipso crucis signo iam fulgido, venerit de supernis. *Tandem quod & reliquas actuales sordes purget in aliis Sacramentis, testis est idem Aug. qui nullum Sacramentum ritè ait perfici sine signo crucis. Sic enim tract. 118. in Ioa. circa f. vbi notat à militibus quadripartitam vestem Domini, tunicam verò indiuisam,*

B

August.

C Nec ideò inquit ista non aliquid boni significasse quis dixerit, quia per malos facta sunt, &c. Quid enim de ipsa cruce dicturi sumus, quæ certè similiter ab inimicis atque impiis Christo facta, atque impacta est? Et tamen ea significari rectè intelligitur quod ait Apostolus Ephes. 3. quæ sit latitudo, longitudo, & altitudo, & profundum, &c. *Per latitudinem, in qua manus extensa, accipit charitatem; per longitudinem, qua extensum est corpus, perseuerantiam; per altitudinem, finem gloriæ ob quem perseuerandum est in opere charitatis; per profundum, gratiam Dei occultam, à qua prædicta procedunt.*

August.

D Postremò quid est, quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ quâ regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni significatur, quando per crucem Christi, quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum eius, bonum nobis omne significatur.

Digitized by Google

15. *Crux lignum vitam ferens, aquas amaras dulcorauit in baptiſmum. Cont. Iud. cap.* 13. *à p.*

ET *lignum*, inquit, *Attulit fructum ſuum.* Non illud lignum in paradiſo, quod mortem dedit protoplaſtis, ſed lignum paſſionis Chriſti, vnde [b] *Vita pendens* à vobis credita non eſt. hoc enim lignum tunc in Sacramento erat, quo Moyſes [c] *Aquam amaram indulcauit*; Vnde populus qui ſiti peribat in eremo, bibendo reuixit: ſicuti nos qui de ſeculi calamitatibus extracti, in quo commorabamur, ſiti pereuntes, id eſt, verbi diuini potu priuati, ligno paſſionis Chriſti aquam edulcatam baptiſmatis potantes, fide, quæ eſt in eum reuiximus.

a Ioël 2. 22
Gen. 2. 17. & Gen. 3. 19.
b Deut. 28. 66.
c Exo. 15. 25.

CRVX. XII. SCHOLIA.

INQVIT. *Ioël ſtilicet cap.* 2. 22. Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt ſpecioſa deſerti, quia lignum attulit fructum ſuum, & vineæ dederunt virtutem ſuam. 70. *verò parum differunt.* Confidite iumenta campi, &c. ficus, & vitis dederunt fortitudinem ſuam. PROTOPLASTIS. *Primis parentibus, quorum ex ſemine plaſmati ſumus.* VITA PENDENS *Alludit ad Deuter* 28. 66 Et erit vita tua quaſi pendens ante te. 70. *ante oculos tuos* Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. *In quem locum Aug. tom.* 6 *lib.* 16. *contra Fauſtum cap.* 6. *vbi Fauſtus obiicit, Chriſtianos adiecere litteræ,* In ligno. *Cui reſpondet Aug. cap.* 23. Tantùm abeſt, vt hoc quod Fauſtus commemorauit, propterea non pertineat ad Chriſtum, quia inter cætera maledicta poſitum eſt, vt nec ipſa cætera rectum habeant intellectum, niſi ad Chriſti gloriam, qua generi humano conſulitur, prophetata referantur, quanto magis hoc? quod etſi talis fuiſſet Moyſes, vt aliud corde intuens, id ore funderet, facilius eum dicerem prophetaſſe neſcientem, quàm cùm audirem populo Iudæorum dictum, videbis vitam tuam pendentem, & non credes vitæ tuæ, de Chriſto prophetatum negarem. Neque enim hoc intuebatur animo Caïphas, quod ex verbis eius intellectum eſt, cùm Chriſtum vt inimicum perſequens, ait expedire, vt vnus homo moreretur, ne periret tota gens. Vbi Euangeliſta ſubiecit, hoc eum non à ſe dixiſſe, ſed cùm eſſet Pontifex, prophetaſſe. Sed Moyſes non erat Caïphas: quare, illud quod populo Hebræo dixit, videbis vitam tuam, &c. Non ſolùm de Chriſto dixit, quod etſi neſciens dixiſſet, de nullo alio dixiſſe deberet intelligi, verum etiam ſciens dixit; Erat enim fideliſſimus diſpenſator prophetici Sacramenti. *Et quæ vita, niſi Chriſtus, de ſe dicens:* Ego ſum via veritas & vita: *Cui in cruce pendenti, & Iudæis vanquam enibus ad quos miſſus fuerat, morte ſua abundantius victuris, exprobrat Ioannes, quod* Sui eum non receperunt. Hoc ENIM, *Etiam.* IN SACRAMENTO, *In ſigno & figura erat* AQVAM AMARAM, Exo. 15. 22. *& ſeq.* Ambulauerunt tribus diebus per ſolitudinem, & non inueniebant aquam: 70 *addunt, vt biberent,* Et venerunt in Mara, 70. *Merra.* Nec poterant bibere aquas de Mara, eo quòd eſſent amaræ: vnde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illum Mara, id eſt amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moyſem, dicens: quid bibemus? at ille clamauit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum; quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. 70. *Solùm differunt, quòd ponant in ſingulari,* Aquam. DE SÆCVLI *Erroris Gemillum.* EDVLCATAM: *Dulcem factam.* REVIXIMVS, Iuſtus enim ex fide viuit. *Auguſtinus alter Afer, Tertulliano nil cedens; vna periocha omnia hæc crucis mirabilia pluribus locis à Tertull. tractata comprehendit, to.* 6. *lib.* 12. *Cont. Fauſtum. c.* 30. Ducitur populus per deſertum, baptizati omnes nondum perfruentes promiſſa patria,

A

B

C

D

Auguſt.

Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

Omniloquium.

gitudo, nec altitudo. Nihil timeas; non nutant gradus eius, quos ille architectus sic confirmauit, vt in eius ligno manus suas clauis affigi voluerit. Vide has scalas huius architecti discipulum Apostolum Paulum, & demonstrantem, & quasi gradus numerantem, & ascendentem, & quamplurimos imitantem. Flecto, inquit, genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, vt det vobis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit altitudo, & latitudo, & longitudo, & profundum. Quatuor gradus posuit crucis. Non ergo laboriosæ sunt hæ scalæ: quatuor gradus habent, & perducunt ad cœlum. In altitudine crucis caput positum est crucifixi. Sursum cor habeat Christianus ad Dominum, quod interrogatus quotidie respondet; & ascendit vnum gradum. In latitudine crucis, manus affixæ sunt crucifixi: perseuerent manus Christiani in operibus bonis, & secundum gradum ascendit. In longitudine crucis corpus pependit crucifixi: castiget quis corpus suum, obseruationibus ieiunij, illud suspendat, vt seruituti animæ subiiciat, & tertium gradum ascendit. In profundo crucis occultum est quod non vides, sed inde exurgit hoc totum quod vides. Adsit fides Christiana, quod non potest comprehendere, credat corde, altiora à se non quærat, spes eum nutriat, & tunc quartum gradum ascendit. Per hos gradus ascenderunt sancti omnes continentes, coniugati, fideles; euaserunt ruinas mundi, migrauerunt ad loca tutissima, vbi iam nec barbaros timent, nec fragiles casus humanos exhorrent, nec corruptiones metuunt, nec ægritudines patiuntur, nec tribulationibus affliguntur, nec ipsam iam mortem timent, sed cum Deo, de Deo viuunt. Hanc vitam dilectissimi amemus, petamus, desideremus: ad quam omnis qui currit non graditur pia pedum, sed via morum. *Addam & locum ex-*

A *teris pulchriorem, ex ser. qt. qui inscribitur de amara aqua, & Manna.* Aqua amara legis literam significauit, &c. Quomodo non esset amara quæ occidit dicente Apostolo litera occidit? Quid enim tam amarum, quàm vt puer octauo die circumcisionis vulnus accipiat? &c. Amarum satis, & peramarum est huiusmodi poculum legis, in tantum vt populus Dei, non ille qui in Moyse baptizatus est in mari & in nube, sed Christianus populus, qui in spiritu & aqua baptizatus est, non possit bibere de illa aqua, sed ne gustare quidem de Circumcisionis amaritudine potest, nec hostiarũ ferre cruorem valet, nec Sabbati obseruantiam custodire. Si verò ostendat Deus lignum quod mittatur in hanc B amaritudinem, vt dulcis fiat aqua legis, potest de illa bibere Christianus. Quod est istud lignum quod Dominus ostendit? Salomon demonstrat, cum de Sapientia dicit Prou. 3. Quia lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam. *Et benedictum lignum per quod fa iustitia, & Christus crucifixus Dei virtus & Dei sapientia & ex Aug in Psal. Erelta cruce* Aug. *velum ruptum, quia crux clauis mysteria antiqua reuelauit.* Si ergo lignum sapientiæ Christi missum fuerit in legem, & ostenderit nobis quomodo spiritaliter intelligi debeat circumcisio, quomodo Sabbata, quomodo lex obseruanda sit, tunc efficitur aqua amara dulcis, & amaritudo legis conuertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritalis, & tunc C potest bibere populus Dei, &c. Vnde constat, quod si quis sine ligno vitæ, id est sine mysterio crucis, sine fide Christi, sine intelligentia spirituali, bibere voluerit de legis litera, per amaritudinem mutatur, &c. *Et vt Tertulliano quadret:* Tunc amaritudo ab aqua tollitur, quando crucis lignum baptismi Sacramento coniungitur. *Tunc, addo, crux omnis & tribulationis aqua dulcescit, dum in cor, crucis Christi, & fellis memoria reuocatur, &*

13. Crucis lignum, nos mersos eruit de profundo erroris, per Baptismum. Cont. Iud. cap. 13. à m.

4. Reg. 6. 6. ADhuc huius ligni Sacramentum in Regnorum legimus celebratum. Nam cum filij Prophetarum super flumen Iordanem lignum securibus cæderent, exiliit ferrum, & mersum est in flumine, atque ita Helisæo Prophetâ superueniente petunt ab eo filij Prophetarum, vtì ferrum flumini quod mersum fuerat, erueret. Atque ita Helisæus, accepto ligno, & misso in eum locum vbi submersum fuerat ferrum, statim supernatauit, & lignum mersum est, quod receperunt filij Prophetarum. Ex quo intellexerunt quod Heliæ spiritus in eum sit repræsentatus. Quid manifestius huius ligni Sacramento? quod duritia huius seculi mersa in profundo erroris, & à ligno Christi, id est passionis eius, in baptismo liberatur, vt quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi.

14. Cruce sola signati, liberabuntur in iudicio. Cont. Iud. cap. 12. in p. V. Christi mors 26. à p.

CRVX. XIII. SCHOLIA.

IGNI SACRAMENTVM. *Crucis mysterium.* IN REGNORVM. *Supple lib. 4. cap. 6. 6. vbi de filiis Prophetarum ligna cædentibus:* Cùm venissent ad Iordanem, cædebant ligna; accidit autem vt cùm vnus materiã succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamauitque ille, & ait: Heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam. Dixit autem homo Dei: vbi cecidit? At ille monstrauit ei locum. præcidit ergo lignum, & misit illuc: natauitque ferrum. Et ait: tolle. Qui extendit manum & tulit illud. 70. *nil differunt, nisi quòd in principio habent;* Et ecce vnus de iiciens D trabem, &c. Et clamauit heu Domine, & hoc absconditum. ET LIGNVM MERSVM EST. *Non hoc habet scriptura aliqua in versione.* QVOD RECEPERVNT. *Hoc de ferro intellige, non de ligno.* EX QVO. *Nempè quod vim miracula faciendi accepisset vt Elias.* SIT REPRÆSENTATVS, *Quòd quasi præsentem & superstitem Eliam in miraculis repræsentaret.* SACRAMENTO, *Signo & mysterio figurante baptismum, in quo per vim crucis eruimur ex profundo ignorantiæ & peccati gurgite, & per hoc à Dei iudicio ex causa peccati, cuius pondere mergimur, nam Iordanis significat causam & iudicium. A quo sal-*

namur & ambulamus medio ligno & bini crucis omni peccati nostri ferento, etiam dictum sit de Christo: Portauit peccata nostra in corpore suo super lignum. *Nec hoc mysterium praeriit* Aug. *ser. 101. de temp. in f.* Sed nec Elisæus ligni huius mystici virtutem penitus ignorauit, qui securim de manubrio in gurgitem lapsam, misso in flumine ligno, de profundo euocauit; significans vtique dura corda, & ferreas hominum ceruices, de profundo emersas errore, ligno crucis esse in posterum subiugandas. *Nauim autem esse crucem, qua supernatamus diluuio peccatorum, sic breuiter docet to. 4. lib. de Catech. rud. cap. 19 in p.* Praenuntiabatur etiam diluuij Sacramento, quòd per lignum iusti liberati sunt, futura Ecclesia, quam Rex eius & Deus Christus, mysterio suæ crucis, ab huius sæculi submersione suspendit. PER LIGNVM IN ADAM. *Hic oppanit lignum scientiæ, & damna eius & morbos, cùm morte, ex ea natus, ligno crucis Christi, ex quo omnia medicamina morbis contraria accepimus. De qua re sic* Aug. *to. 3. lib. 1. de Doct. Christ c. 14.* Quemadmodum Medici cùm alligant vulnera non incompositè, sed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem quædam pulchritudo etiam consequatur: sic medicina sapientiæ, per hominis susceptionem, nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam contrarijs curans, & de quibusdam similibus, sicut enim ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, &c. Adhibet etiam quædam similia, sicut linteolum vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturamque ipsam non eandem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: Sic sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam, *Appetitu inordinato scientiæ diuinæ similis, ex fructu ligni veiiti*, Homo lapsus est; humilitatè adhibuit, *Humiliauit enim semetipsum &c. Mortem autem crucis, ad sycomorum ficum fatuam, stultitiam Gentium*; Ad sanandum Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Quemadmodum autem illa sapientia vocabatur, erat autem stultitia contemnentibus Deum: sic ista quæ vocatur stultitia, sapientia est vincentibus diabolum. Nos immortalitate malè vsi sumus, vt moreremur; Christus mortalitate benè vsus est, vt viueremus. Corrupto animo fœminæ, *Ex morsu ligni*, Ingressus est morbus: integro corpore fœminæ, processit salus. Ad eadem contraria pertinet, quod etiam exemplo virtutum eius vitia nostra curantur. *Ex eodem, lignum in quo fixa erant membra morientis, factum est cathedra magistri docentis.* Iam verò similia quasi ligamenta membris & vulneribus nostris adhibita sunt illa, quod per fœminam deceptos, per fœminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos, *adde & ligno deceptos, ligno reparatos*, liberauit. S. Aug.

15. *Et Cant. Ind. c.* 11. *in m.*

a *VOcauit hominem, qui indutus erat podere, qui habuit super lumbos suos zonam, & dixit ad eum Dominus: Trànsi mediam Hierusalem, & scribe signum Tau in frontibus virorum qui gemunt, & dolent super omnia facinora quæ fiunt in medio eorum. Et in his dixit ad audientem: Ite post eum in ciuitatem, & concidite, & nolite parcere oculis vestris, & ne misereamini senioris, aut iuuenis, aut virginis: & parvulos & mulieres interficite omnes, vt perdeleantur. Omnes autem super quos est Tau signum, ne accesseritis. Et à sanctis meis incipite.* Huius autem signi Sacramentum variis modis prædicatum est, in quo vita hominibus præstruebatur, in quod Iudæi non essent crediturі. Sicut Moyses antè nuntiabat in Exodo dicens: b *Eiiciemini de terra in quam introibitis, & in nationibus illis non eritis in requiem. Et non erit stabilitas vestigio pedis tui, & dabit tibi Dens cor tædians, & tabescentem animam, & oculos deficientes, vt non videant, & erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos: & non credes vitæ tuæ.* a Ezech. 9. 4. & seq. b Deut. 28. 65. & seq.

CRVX. XV. SCHOLIA.

VOCAVIT NOMINEM. *Ezech. 9. 4. & seq.* Vocauit virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. Et dixit Dominus ad eum: transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Tau, super frontes virorum gementium & dolentium, super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius: & istis dixit, *Sex scilicet viris habentibus vasa, id est instrumenta interfectionis in manibus suis.* Audiente me, transite per ciuitatem, sequentes eum, & percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vsque ad internecionem, omnem autem super quem videritis Tau, ne occidatis, & à sanctuario meo incipite. 70. *nil differunt, nisi quòd non habent vocem* Tau, *Sed simpliciter*, Signum. *Vt vidimus num 9. supra. De Tau litera eiusque mysterio, Aug. to. 4. quæst. 37. super Iudic. vbi de militibus Gedeon trecentis lambentibus aquam*: Pauci, quia non flexo genu se incurvauerunt, vt canes biberunt, sed aquam manu in os iactabant. Quorum numerus, quia trecenti erant, signum insinuat crucis, propter literam T. Græcam, qua iste numerus significatur: per quos etiam Gentes, magis in crucifixum crediturас, præfiguratum est, quod litera Græca est. Vnde Græcorum nomine omnes Gentes significat, cùm dicit Rom. 2. Iudæo primùm, & Græco; &, Iudæis & Græcis; sæpè ita commemorans Circumcisionem & præputium, quòd in linguis Gentium, Græca ita excellat, vt per hanc omnes decenter significentur. *Quod repetit in Psal. 67.* Lingua canum tuorum, &c. Nec eorum dentes, sed lingua laudata est: quoniam non vtique frustra, nec sine magno Sacramento Gedeon solos eos iussus est ducere, qui fluminis aquam sicut canes lamberent, taleſque non ampliùs quàm trecenti in tanta multitudine inuenti sunt, in quo numero crucis signum est propter T. literam, quæ in Græcis numerorum notis, trecentos significat *Heu quàm* Pauci, qui per angustam portam intrant, *Quàm pauci, qui crucem sine frontis rubore ferunt; quàm pauci, qui lambentes & erecti, iuxta Paulum*, Vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. *Ferendum est* Tau *in fron-* C D Aug. S. Aug.

se, nec trabescenda crux Christi; flendum, lugendum est, si volumus salvari. De signo hoc frontis imprimendo, S. Augus. sic Aug. tom. 10. serm. 18. de Verbis Domini Vbi nos hortatur exemplo Christi quamcumque crucem & adversa pati. Sanari non potest, nisi amarum calicem biberis: calicem tentationum, quibus abundat hæc vita; calicem tribulationum, angustiarum, passionum. Bibe, inquit, bibe vt viuas. Et ne respondeat ei languidus, non possum, non fero, non bibo, prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille non biberit? si contumelia, prior audiuit cùm dæmones expelleret, dæmonium habet, & quod in Beelzebuth eijcit dæmonia. Vnde vt & ipse consolaretur ægros, ait, si patremfamilias Beelzebuth vocauerunt, quantò magis domesticos eius? si dolores amari sunt, ligatus & flagellatus, & crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius, quàm mors crucis. Non enim frustra commendans eius obedientiam Apostolus, addidit dicens, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Sed quia ipse honoraturus erat fideles A suos in fine huius sæculi, prius honoravit eum cæteri in hoc sæculo, vt terrarum principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi. & quod cum magna insultatione persecutores Iudæi Domino procurarunt, magnâ fiduciâ serui eius etiam & reges in fronte nunc portant. *Et serm.* Augus. *131. de tempore, qui est de expositione symboli ad competentes.* Crucem illam, in qua ille crucifixus est in corpore, nos gestamus in fronte. PRÆDICATVM. *Praedictum est.* PRÆSTRVEBATVR. *Quasi figura premittebatur, delineabatur.* MOVISES, *&c. Hunc locum supra exposui. Num. 13. Deut. 28. c. 63.* Letabitur disperdens vos, atque subuertens, vt auferamini de terra ad quam ingredieris possidendam. Disperget te Dominus in omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius: & seruies ibi diis alienis, quos & tu ignoras, & patres tui lignis & lapidibus; in gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui, dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, 70. *incredulum.* Et deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. 70. *Tabescentem*, & erit vita tua quasi pendens ante te, &c. *Vt supra dictum* num.

16. *Crucem colimus, quam ipsi Gentiles ignorantes, stolis, signis, trophæis ornant. Apol. cap. 16. in. m.*

SEd & qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster, cùm lignum aliquod propitiatur. viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem sit; viderit forma, dum id ipsum Dei corpus sit. & tamen, quantò distinguitur à crucis stipite Pallas Attica? & Ceres Pharia, quæ sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostat? pars crucis est omne robur, quod erecta statione defigitur, nos, si fortè, integrum, & totum Deum colimus. Diximus originem deorum vestrorum à plastis de cruce induci. Sed & victorias adoratis, cùm in tropæis cruces intestina sint tropæorum. Religio tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus Deis præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia crucum sunt. Siphara illa vexillorum & cantabrorum, stolæ crucum sunt. Laudo diligentiam, noluistis nudas & incultas cruces consecrare. *Et 1. ad Nationes cap. 12.*

CRVX. XVI. SCHOLIA.

RELIGIOSOS. *Deuotos cultores, adoratores.* CONSECRANEVS. *Particeps erit cultus nostri & crucis adorator conuincetur Gentilis crucis & Christi crucifixi illusor. Sic eos carpit Tertull. Hoc ipso lib. Apol. cap. 12.* Crucibus & stipitibus imponitis Christianos; Quod simulacrum non prius argilla deformat cruci & stipiti superstructa? *Quasi dicat hoc ipso quòd in crucem agitis, vel palo figitis Christianum omnia sine quamela ferentem, cum vt simulacrum diuinitatis efformatis & consecratis.* LIGNVM ALIQVOD. *Deum lignum.* PROPITIATVR, *In Deum futurum propitium excidituv.* VIDERIT HABITVS. *Nihil refert qualis sit habitus & effigies, dummodo eandem nobiscum materiam colatis.* DEI CORPVS, *Alicuius diuinitatis signum sit, figura eius personam* D *representans.* PALLAS ATTICA. *Athenis culta, inculta tamen, & rudi effigie, vtpote rudo & simplici palo erecto figurata.* CERES PHARIA, *In Pharo Ægypti adorata. Alij legunt,* Farrea, *Quia Ceres farris, siue tritici inuentrix fertur. Visitur & eius nutus, stantis, manibus in formam crucis expansis, qua à pectore desinit in truncum informem, cum inscriptione;* Dex Segetiæ. PROSTAT. *Stat quàsi palus fixus in terra.* PARS CRVCIS. *Longitudo erecta.* ROBVR, *Lignum, maximè ex quercu.* SI FORTE. *Non dubitantis est vox frequens Tertulliano, sed affirmantis.* INTEGRVM. *Ob crucem integram, & fi-* C *gnum in ea fixum Christum, verum Deum & hominem, olim pro nobis appensum.* DIXIMVS. *Cap. scilicet 12. à nobis præcitato.* ORIGINEM. *Quia plasta & sculptores; lignea cruce vel palo erecto & fixo, lutum imponunt, & incipiunt statuas fictiles, lutum paulatim erigendo.* VICTORIAS. *Spolia hostium, & trophæa, crucibus impositis, quæ sacro cultu colitis. Hinc vocant* Cruces intestina tropæorum, *Quia intus latent cruces, foris onerate victoriis & spoliis. Pulcherrimè in hanc rem Aug. trophæum imponit cruci. tom. 9. tract.* Aug. *36. in Ioa. f.* Elegit extremam & pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem. De morte pessima, occidit omnem mortem: pessima enim erat non intelligentibus Iudæis, nam à Domino electa erat: ipsam enim crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem de diabolo superato, tanquam trophæum in frontibus fidelium positurus, vt diceret apostolus Galat. 6. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid seruat fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo? denique modò in pœnis reorum non est apud Romanos; vbi enim Domini crux honorata est, putarunt est quod & reus honoraretur, si crucifigeretur. CASTRENSIS. *Quia in castris milites nu-*

men aliquod bellicum venerantur. SIGNA. *Vexilla.* IVRAT. *Per signa, quasi per sanctissima numina.* IMAGINVM SVGGESTVS. *Apparatus & ornamenta Aquilarum, vel capitum Imperatorum, aut Geniorum.* MONILIA CRVCVM. *Id est, latentes intus cruces, quibus fulciuntur hæc signa, prædicta ornamenta, quasi quædam monilia circumpositæ exornant.* SIPHARA. *Alij* Sypara. *Sunt vela & vestes consecratæ, ornantes signa militaria.* CANTABRORVM, Alij Cantabrorũ. *A contis & pericis oblongis seu palis,* CANDELABRORVM, Candes Labatorũ. *Id est vestes ornantes labara & vexilla. Fuit & victoria Augusti, reportata de Cantabris, unde fortè vox desumpta. Vel à quodam* CANTABRO *Hispano hoste insigni.* STOLÆ, *Vestes & vela pretiosa cruces decorantia.* LAVDO. *Ironicè dicta.*

Et lib. 1. ad Nat. cap. 12. CRVCIS ANTISTITES. *Sic Apol. cap.* 16. *dixit* Crucis religiosos CONSECRANEVS *Nobiscum cultui crucis deuouebitur.* DE MATERIA. *Non tantùm stipitem ligneum crucis nudum colitis, sed & cùm alicuius Dei effigie.* SVA PROPRIA, *Christi scilicet crucifixi.* VIDERINT LINIAMENTA. *Nil interest quam, cuiusue hominis figuram referant, vel* Dei *corpus.* SOLO STATICVLO, *Parvulo signo erecto, simulacro informi.* MAIVS, *Pr maior. Vel refertur ad* Robur. *Et est lignum longum erectum.* CVM ANTENNA, *Velut mali ligno transuerso, ex quo vela pendent.* SEDILIS EXCESSV. *Meminit & Iustinus in Dialogo contra Tryphonem, lignei sedilis Eminentis ex cruce, in quo cruciandi sedebant.* PLASTICÆ MANVS. *Sculptoris opera* IN PRIMO, *Primò statuit & figit lignum siue palum, cui argillam imponit, ex qua modulum suum & prototypum Idolũ delineat.* SITVS EST, *Habitum humani corporis, naturaliter repræsentat formam crucis; caput summitatem eius, spina longitudinem, &c.* STATVMINI, *Ligno primùm statuto recto, & in summo transuerso in formam crucis, argillæ sustinendæ.* PRÆPARATIO TRANSMIGRATVR. *Modulum luteum & exemplar transfert in statuam marmoream.* CONSECRATVS, *Scilicet Deus.* DE BRACHIIS, *Ramis alteri arbori inserendis.* CENSVM, *Quidquid habet substantiæ & formæ, id suæ origini refert acceptum.* MANIFESTA IAM. *Hactenus de latentibus crucibus in fingendis idolis. Nunc de apertis. Cætera habes supra.*

17. *Crucis signo veteres Christiani in omni actu frontem munichant. De Cor. cap.* 3. *in fin.*

AD omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calciatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

18. *Et 2. ad Vxo. cap.* 5. *in m.*

LAtebisne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas, cùm aliquid immundum flando explodis, cùm etiam per noctem exurgis oratum? Et non magiæ aliquid videberis operari?

CRVX. XVII. & XVIII. SCHOLIA.

ADITVM. *Introitum.* AD MENSAS. *Communes, vel Agapes siue conuiuia charitatis exhibita pauperibus, siue ad sacram communionem.* AD LVMINA. *Cùm serò vel manè accenduntur.* AD CVBILIA. *Dum cubile petitur.* TERIMVS. *Adeo frequenter in omni actu signo crucis frontem munimus. Et hoc ex antiquâ traditione Ecclesiæ notat fieri solitum Tertullianus.*

18. LATEBISNE. *Tu vxor Marĳi infidelis, semper cum eo commorans, & exponens eius ludibriò Sanctas cæremonias fidei tuæ.* SIGNAS. *Signo crucis.* FLANDO EXPLODIS. *Oscitando expellis, vel sternutando. Alĳ*, Flatu expuis. *De hoc sancto more, frequenter omnes Patres. sic Cyrillus Ieros.* Signo isto vtere, edens, bibens, sedens, cubans, surgens de lecto, loquens, ambulans, vt semel dicam, in omni negotio. *Et Nyss. de S. Macrina.* Apposuit signum oculis, ori, cordi. *Et præfatus Cyrill. Ieros. Catech.* 13. Non pudeat vos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter crucis signaculum digitis imprimatur. *Hiero. ad Eustoch.* Ad omnem actum ad omnem incessum, manus pingat crucem. *Nec* Augus. *prætereundus hic Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. c.* 41. Meminerint, *Fideles*, Eorum qui Pascha illo tempore per vmbrarum imaginaria celebrabant, cùm signari postes sanguine agni iuberentur, *Aduerte quod ait Tertull. supra, ad omnem aditum, &c. Quasi in limine & poste, hoc est initio cuiusque operis muniendam frontem, quasi postem domus signo crucis, humili simul & glorioso*, Hyssopo fuisse signatos. Hæc herba mitis & humilis est, nihil fortius & penetrabilius eius radicibus: vt in charitate radicati & fundati possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum, id est crucem Domini: cuius latitudo dicitur in transuerso ligno, quo extenduntur manus. Longitudo à terra vsque ad ipsam latitudinem, quo à manibus & infra totum corpus affigitur, altitudo à latitudine sursum vsque ad summum quo adhæret caput, profundum verò quod terræ infixum absconditur. Quo signo crucis omnis actio Christiana describitur: bene operari in Christo, ei perseueranter inhærere, sperare cœlestia, Sacramenta non prophanare, *&c. Rursùm præter dicta supra de Sacramentis hoc signo perfectis, & simul armis vnicæ crucis, nos in omni progressu munientibus,* S. Augus. *sic Ser.* 181. *de temp.* Quare noluit Dominus præcipitari, vel lapidari, aut etiam gladio truncari? vtique causâ nostræ salutis hoc fecit. Mors enim Christi signum est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos semper nobiscum lapides aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur. Elegit verò crucem, quæ leui motu manus exprimitur, quâ & contra inimici versutias munimur. Hoc enim signo crucis consecratur corpus dominicum, Sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam Presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæcumque Sanctificantur, hoc signo dominicæ crucis cum inuocatione Christi nominis consecrantur. *Tum figuram crucis & mysteria per eam significata explanat; vt summus apex, cœlos reparet, eiusque rui-*

DEVS EIVSQVE NOTITIA.

1. *Dei vnici, boni & iusti essentia impenetrabilis non est discutienda, sed miranda. Nec eius iustitia culpanda, 2. Contra Marc. cap. 2. à p.*

QVin potius infirmitati tuæ parcis, nec in periculum extenderis, habens Deum certum & indubitatum, & hoc ipso satis visum, cùm id primum conspexeris cum esse, quem non scias, nisi ex parte qua voluit ipse. Sed Deum quidem, vt sciens, non negas; vt nescicns retractas: immò & accusas quasi sciens; quem si scires, non accusares; immò nec retractares. Reddens nomen illi, negas substantiam nominis, id est magnitudinis, quæ Deus dicitur, non tantam eam agnoscens, quantam si homo omnifariam nosse potuisset, magnitudo non esset. Esaïas iam tum Apostolus, prospiciens hæretica corda: [a] *Quis*, inquit, *Cognouit sensum Domini, aut quis illi consiliarius fuit? aut ad quem consultauit? aut viam intellectus & scientiæ quis demonstrauit ei?* Cui & Apostolus condicet: [b] *O profundum diuitiarum & sophiæ Dei! vt inuestigabilia iudicia eius! & inuestigabiles viæ eius!* Vtique Dei iudicis; *Et inuestigabiles viæ eius!* Vtique intellectus & scientiæ, quas ei nemo monstrauit: nisi fortè isti censores diuinitatis, dicentes: Sic non debuit Deus; & Sic magis debuit. [c] *Quasi cognoscat aliquis quæ sint in Deo, nisi spiritus Dei.* Mundi autem habentes spiritum, [d] *Non agnoscentes in sapientia Dei, per sapientiam Deum*, Consultiores sibimet videntur Deo. Quoniam sicut [e] *Sapientia mundi stultitia est penes Deum: ita & sapientia Dei, stultitia est penes mundum.* Sed nos scimus *Stultum Dei sapientius hominibus; & infirmum Dei, validius hominibus.* Et ita Deus tunc maximè magnus; cùm homini pusillus: & tunc maximè optimus, cùm homini non bonus: & tunc maximè vnus, cùm homini duo, aut plures.

a Rom. 11. 34. Esa. 40. 14.
b Rom. 11. 33.
c 1. Cor. 2. 11.
d 1. Cor. 1. 21.
e 1. Cor. 1. 25.

2. *2. Cont. Marc. cap. 1. per totum, & 2. in p.*

OCcasio reformandi opusculi huius, cui quid acciderit, primo libellulo præfati sumus, hoc quoque contulit nobis, vt duobus diis aduersus Marcionem retractandis, sui cuique titulum & volumen distingueremus pro materiæ diuisione, alterum Deum definientes omnino non esse, alterum defendentes dignè Deum esse: quatenus ita Pontico placuit, alterum inducere, alterum excludere. Non enim poterat ædificare mendacium, sine demolitione veritatis. Aliud subruere necesse habuit, vt quod vellet, exstrueret. Sic ædificat, qui propria paratura cáret. Oportuerat autem in hoc solum disceptasse, quòd nemo sit Deus ille qui Creatori superducitur; vt falso Deo depulso, regulis certis, & vnicam & perfectam præscribentibus diuinitatem, nihil iam quæreretur in Deum verum: quem quantò constaret esse, sic quoque dum alium esse non constat, tantò qualemcumque sine controuersia haberi deceret, adorandum potiùs quàm iudicandum; & demerendum magis quàm retractandum, vel quàm timendum ob sœuitatem. Quid enim amplius homini necessarium, quàm cura in Deum verum, in quem (vt ita dixerim) inciderat, quia alius Deus non erat. At nunc negotium patitur Deus omnipotens, Dominus & conditor vniuersitatis; ideo tantum opinor, quia à primordio notus est, quia nunquam latuit, quia semper illuxit, etiam ante Romulum ipsum, nedum ante Tiberium: nisi quod solis hæreticis cognitus non est, qui ei negotium faciunt: propterea alium Deum existimantes præsumendum, quia quem constat esse, reprehendere magis possunt, quàm negare, de arbitrio sensus sui pensitantes Deum aliqui: proinde atque si cæcus vel fluitantibus oculis, ideò alium solem præsumere velit mitiorem & salubriorem; quia quem videat, non videt. Vnicus sol est, ô homo, qui mundum hunc temperat; & quando non putas, optimus & vtilis, & quum tibi acrior & infestior, vel etiam sordidior atque corruptior, rationi tamen suæ par est. Eam tu si perspicere non vales, iam nec vllius alterius solis, si qui fuisset, radios sustinere potuisses, vtique maioris. Nam qui inferiorem Deum cæcutis, quid in sublimiorem?

CAP. II

DEVS, EIVSQVE NOTITIA. I. II. SCHOLIA.

PARCIS. *O Marcion, quid tentas lippiente oculo scrutari Solem, & infirmo intellectu Dei Essentiam comprehendere? Quid incautus te tot erroribus implicas? Sufficeret tibi credere Deum tantæ esse maiestatis, vt capi non possit ab intellectu creato; cùm & ipse Paulus dicat:* Nunc cognosco ex parte, &c. Ex parte enim cognoscimus. RETRACTAS, *Curiosè quæris, quis & qualis sit.* ACCVSAS, *Quod sit zelotes & vindex.* QVASI SCIENS, *Persuadens tibi te scire Dei Essentiam excludere debere omnem seueritatem.* SI SCIRES. *Agnoscere æquè iustum ac bonum esse debere verum Deum.* NEC RETRACTARES, *Nec quæsi dubitans moueres super hac re quæstionem.* REDDENS, *Tribuens ei, consistens in eo nomen Dei.* NEGAS SVBSTANTIAM, *Diuitias, & attributa ei debita,* OMNIFARIAM *Omnimodè.* MAGNITVDO, *Diuina non esset & incomprehensibilis, si humano intellectu capi posset.* IAM TVM. *A veteri testamento, quod tu negas; quo tamen vtitur Apostolus: vnde & Esaïas consentiens Apostolo, iam tum Apostolus con-*

fendus erat. Locum non refero iam alibi relatum. A CONDICET, *Quasi ex compacto, eodem consensu dicit eadem quæ Esaias.* HÆRETICA CORDA, *Curiosa, scrutari volentia secreta Dei.* VTIQVE DEI IVDICIS, *Quem in tamen Marcion contra Apostolum, vindicem non admittis.* OPTIMVS, *Pungit Marcionem, qui Deum suum optimum singit, eo quod non sit severus, nec author mali. Vnde & plures Deos introduxit Deum nostrum Creatorem iustum & malum, suum autem solummodò bonum.*

2. PONTICO, *Marcioni in Ponto nato.* PRIMO LIBELLVLO. *Contra Marc. liber primus longè minor cæteris.* PRÆFATIVMVS. *Sic cap. 1. libri 1.* Primum opusculum quasi properatum, pleniore postea compositione rescideram. Hanc quoque B nondum exemplariis suffectam fraude tunc fratris, dehinc apostatæ, amisi. qui fortè descripserat quædam mendosissimè, & exhibuit frequentiæ. PARATVRA, *Materia parata ad se pertinente.* SVPERDVCITVR, *Præter Creatorem introducitur.* IN DEVM, *De Deo vero.* RETRACTANDVM. *De eius natura varie quærendo & disputando.* OBSEVERITATEM *Quam Marcion Deo bonò indignam censet.* CVRA, *Dei veri colendi, & adorandi* INCIDERAT, *Aptè iuxta Psaltem:* In te proiectus sum ex vtero, de ventre matris meæ, tu es protector meus. NEGOTIVM PATITVR, *Contra eum disputatur.* ANTE ROMVLVM, *Primum Regem Romanorum. Ante orbem conditum, & tot Romanorum Deos, multò magis ante ipsum Marcionis Deũ, quem ipse sub Tiberio longè posteriore Romulo, vult innotuisse hominibus.* FLVITANTIBVS, *Lippientibus, & humore nimio vacillantibus.* VNICVS Sol, *Sicut vnicus ille, de quo Paulus,* Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater Domini Iesu Christi: *Qui* Lux est, & lucem inhabitat inaccessibilem, qui in Sole posuit tabernaculum suum. RATIONI SVÆ. *Essentiæ suæ & naturæ lucidæ, vel Ideæ diuinæ respondet, per quam factus est Sol.* VTIQVE MAIORIS, *Sicut Marcion Deum suum maiorem putat Creatore.* INFERIOREM CÆCVTIS, *Ad inferioris & minus lucidi splendorem caligant oculi tui. De natura diuina eiusque mirabilibus non scrutandis sic* S. August. *Aug. Ser. 81. de temp.* Deus Pater secreti Sacramenti vocabulum est, cuius verè filius est Verbum. Nec quæratur quomodo genuit filium, quod & Angeli nesciunt, prophetis est incognitum. Vnde illud dictum est Esa. 53. Generationem eius quis enarrabit? Nec à nobis discutiendus est Deus, sed credendus. Sed vt breuiter dicamus, sufficit nobis scire, quia genuit lux splendorem. Omnipotentem verò ideo dicit, *Symbolum Apost.* Quia omnipotens est, cui nihil impossibile est, qui cœlum & terram, mare, homines, atque omnia animalia & reptilia, non aliquo operis actu, sed solo verbi imperio creauit. Et ideò non nobis veniat in cogitationem, quomodo hoc, aut illud potuit fieri, qui omnipotentem præcipimur confiteri. *De incomprehensibilibus iudiciis, frequenter tractat; nunc sufficiat* Aug. *quod habet lib. de Corrept. & gratia cap. 8.* Quantùm nobis iudicia sua manifestare dignatur, gratias agamus: quantùm verò abscondere, non audeamus consilium eius murmuremus: sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus. Neque enim frustra dictum est, iudicia tua sicut abyssus multa, cuius abyssi altitudinem veluti expauescens exclamat Apostolus. O altitudo diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei. *Et rursum ibidem:* Iudicia Dei quoniam Augst. iusta & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari, &c. De vtrisque ergo exclamemus. O Altitudo, &c. Nec miremur nos vestigare non posse inuestigabiles vias eius. *Tandem quòd Deus Creator omnium summè bonus sit, etiam vindicando peccata; quidquid oblatret Marcion, sic Aug. to. 6. lib. de natura boni contra Manich. cap. 9. & 10.* Qualis & quanta Augst. pœna cuique culpæ debeatur, diuini iudicij est, non humani: quæ vtique & cùm conuersis remittitur, magna est bonitas apud Deum, & cùm debita redditur, nulla est iniquitas apud Deum; quia melius ordinatur natura, vt iustè doleat in supplicio, quàm vt impunè gaudeat in peccato. Quæ tamen, etiam sic habens nonnullum modum, & speciem, & Ordinem, in quacumque extremitate, adhuc aliquod bonum est: quæ si omnino detrahantur, & penitus consumantur, ideò nullum bonum erit, quia nulla natura remanebit, &c. *Et cap. 12.* Hæc Augst. omnia tam perspicua, tam certa, si vellent aduertere qui aliam naturam inducunt, quam non fecit Deus, non tantis blasphemiis implerentur, vt in summo malo tanta bona ponerent, & in Deo tanta mala. Sufficit enim, vt supra dixi, ad eorum correctionem, si velint attendere, quòd eos etiam inuitos cogit veritas confiteri, omnia prorsus bona non esse nisi à Deo. Non ergo ab alio sunt magna bona & ab alio parua bona: *Vel mala pœna.* Sed & magna, & parua bona non sunt, nisi à summo bono, quod Deus est.

3. Dei veri & vnius maiestas incomprehensibilis, nota tamen, inexcusabiles reddit ignorantes; quam omnis anima, vel natura lucis, vel ex operibus Dei, vel ex scripturis noscere potest. Apol. cap. 17. per totum. & 18. in p. ad m.

a Deut. 6. 4. QVod colimus, a *Deus vnus est,* Qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit; de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ, vnde & Græci nomen mundo KOCMON accommodauerunt. Inuisibilis est, etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur: inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur. ideò verus & tantus est. cæterùm quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est. & oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & sensibus quibus inuenitur. quod verò immensum est, soli sibi notum est. hoc est quod Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. ita eum vis magnitudinis & notum hominibus obijcit & ignotum. Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur? vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus prauis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis euigorata, licet falsis Deis exancillata, cùm tamen resipiscit, vt ex crapula, vt ex somno,

Esa. 40. 28.

vt ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo nomine, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus, &, Quod Deus dederit, omnium vox est. Iudicem quoque contestatur illum, Deus videt, &, Deo commendo, &, Deus mihi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ. denique pronuntians hæc, non ad capitolium, sed ad cœlum respicit. Nouit enim sedem Dei viui. Ab illo, & inde descendit. Sed quò plenius & impressius tam ipsum, quàm dispositiones eius & voluntates adiremus, instrumentum adiecit literaturæ, si qui velit de Deo inquirere, & inquisito, inuenire, & inuento credere, & credito deseruire. Viros enim iustitiâ & innocentiâ dignos Deum nosse, & ostendere, à primordio in seculum emisit, spiritu diuino inundatos, quo prædicarent Deum vnicum esse, qui vniuersa condiderit, qui hominem de humo struxerit (hic enim est verus Prometheus) qui seculum certis temporum dispositionibus & exitibus ordinauerit; exinde qui signa majestatis suæ iudicantis ediderit, per imbres, per ignes; qui demerendo sibi, disciplinas determinauerit, quas ignoratis, aut deseritis, sed obseruantibus præmia destinarit; qui producto æuo isto iudicaturus sit suos cultores in vitæ æternæ retributionem, profanos in ignem æquè perpetem & iugem, susceptis omnibus ab initio defunctis, & reformatis, & recensitis ad vtriusque meriti dispunctionem. Hæc & nos risimus aliquando. de vestris fuimus. fiunt, non nascuntur Christiani. *Vide libr. 2. ad Nat. cap. 3. per totum.* CAP. XVIII. Gen. 1. per totum. Gen. 7. 11. Gen. 19. 24. Matth. 24. 30.

DEI VNIVS NOTITIA. III. SCHOLIA.

QVOD COLIMVS. *Numen.* DEVS VNVS. *Deut. 6. 4.* Audi Israël. Dominus Deus tuus, Deus vnus est. MOLEM ISTAM. *Mundum vniuersum.* INSTRVMENTO. *Supellectile, apparatu. Aug. to. 10. Ser. 8. de Sanctis in p.* Credimus Iudæis, quia notus aliquando in Iudæa Deus: & ipsi id negant, propter quod credimus, quia non Patrem nouerunt, qui filium negant. Vnum Dominum communis natura testatur, quia vnus est mundus, vnum Deum significat, quia vna est fides noui & veteris Testamenti. *Plato in Timæo, vnicum esse dicit mundum; cuius rationem esse dicit.* Quia mundus factus est ad exemplar. *Scilicet vnius Dei. Aug. Augustin to. 6. lib. 3. Cont. Maximinum Arrianorum Episcopum. c. 23.* Quid est quod poscis vt astruam, si Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnus est Deus, cum hoc astruat voce clarissima Scriptura diuina dicens: Audi Israël, Dominus &c. Quod & vos vtique audiretis, si Israël esse velletis, non carnaliter vt Iudæi, sed spiritaliter vt Christiani. Qui enim non vult fideliter audire quod dictum est, audi Israël, &c. Superest vt eum qui hoc dixit, credat esse mendacem. Si autem mendax ille non est, vox ista vera est; si vox ista vera est, quæstiò ista finita est. *Quia hic Tertull. & per mundum effectum Dei, & per Scripturam, vnius Dei notitiam Augustin. haberi dixit, de vtroque veteli testimonium Augustini lib. 10 de Ciuit. c. 12.* Quæcumque miracula, siue per Angelos, siue quocumque modo, ita diuinitùs fiunt, vt Dei vnius, in quo solo beata vita est, cultum religionemque commendent, ea verò ab eis, vel per eos qui nos secundùm veritatem pietatemque diligunt, fieri, ipso Deo in illis operante credendum est. Neque enim audiendi sunt, qui Deum inuisibilem visibilia miracula operari negant, cum ipse etiam secundùm ipsos fecerit mundum, quem certè visibilem negare non possunt. Quidquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profectò minus est, quàm totus hic mundus, id est cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, quæ certè Deus fecit. Sicut autem ipse qui fecit, ita modus quo fecit occultus est. & incomprehensibilis homini. Quamuis itaque miracula, visibilium naturarum videndi assiduitate valuerint, tamen cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque maiora sunt. Nam & omni miraculo quod fit per hominem, maius miraculum est homo. Quapropter Deus qui fecit visibilia cœlum & terram, non dedignatur facere visibilia miracula in cœlo, vel in terra, quibus ad se inuisibilem colendum excitet animam adhuc visibilibus deditam. *Et lib. 11. cap. 21. Vbi agis de Deo seipsum in operibus suis bonum agnoscente.* Et Plato quidem plus est ausus dicere: Elatum esse scilicet gaudio, mundi vniuersitate perfectâ. Vbi & ipse, non vsque adeò desipiebat, vt putaret Deum sui operis nouitate factum beatiorem: sed sic ostendere voluit, artifici suo placuisse tam factum, quod placuerat in arte faciendum, &c. Si ergo quærimus quis fecerit, *Ex eodem alibi interroganie creaturas, respondent omnes, ipse fecit nos, &c.* Deus est. Si per quid fecerit, dixit fiat, & facta est. Si quare fecerit, quia bona est. Nec author est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec causa melior, quàm vt bonum crearetur à bono Deo. *Vt eius bonitas effusa creaturis, laudaretur.* Hanc etiam Plato causam condendi mundum iustissimam dicit, vt à bono Deo bona opera fierent: Siue ista legerit, siue ab his qui legerant, forte cognouerit, siue acerrimo ingenio, inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspexerit, siue ab his qui ista conspexerant, & ipse didicerit. VERBO. *Dixit & facta sunt. mandauit, & creata sunt.* RATIONE, *Iuries dixit filium Dei*, Dei rationem. VIRTVTE. *Paulus enim vocat*, Dei virtutem portate omnia verbo virtutis suæ. EXPRISSIT, *Eduxit.* IN ORNAMENTVM. *Vel ad Dei maiestatem refert, resplendentem ex mundi ornatu, vel ad ipsam mundi maiestatem ex tanto ordine & ornatu procedentem. Vnde mundus Græcis dictus est κόσμος. Et Aug alibi relatus:* Tu enim fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim, &c. INVISIBILIS. Qui lucem habitat inaccessibilem. Deum nemo vidit vnquam, sed nec videre potest. *Oculo corporeo scilicet, sed nec intellectuali, nisi obscurè per fidem, & sicuti est, in gloria, de qua Psalm:* In lumine tuo videbimus lumen. ETSI VIDEATVR, *Lumine naturali per effectus.* Inuisibilia enim eius *Attributa* à creatura mundi *nobilissima, id est homine*, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, &c. ita vt sint inexcusabiles *nec possint pretendere se Deum non cognouisse.* REPRÆSENTETVR. *Vel in effectibus se præsentem sentire faciat, vel præsentem se animæ reddat, quam inhabitat per gratiam.* ÆSTIMETVR, *Pro modulo intellectus, & sensus creati.* NON CAPIT, *Non potest.* MINVS EST. *Quia* Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur; & continens maius est con-

tento. OCCVPATVR. *Concludimur.* CONTAMINATVR, *Attrectatur, & contrectando fit vt sordidetur.* NOTVM EST, *Notione comprehensiua.* VIS MAGNITVDINIS, *Qua latere non potest, & vb quam comprehendi non potest.* SVMMA DELICTI, *Summum peccatum.* NOLENTIVM, *&c.* Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt. CONTINEMVR, *Vt mundo, cœlo, aëre.* SVSTINEMVR, *Vt terra, eiusque alimentis.* INSTITVTIONIBVS, *Institutis, moribus, exemplis malis.* EXANCILLATA, *Vt ancilla mancipata.* VALETVDINE, *Morbo.* PATITVR, *Recipit saniorem mentem.* CAPITOLIVM, *vbi Iupiter, & alia numina inuocantur.* SEDEM. Cœlum mihi sedes est, &c. Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius. DEI VIVI *Cum alij dij Gentilium sint homines mortui, & eorum Idola vita careant.* DESCENDIT, Inclinauit cœlos & descendit: *Cœlos dico, siue cœlum cœli Domino filio, id est personam & naturam diuinam, inclinauit vt assumeret, & uniret sibi naturam humanam.* IMPRESSIVE, *Ad imprimendã aliius mentibus nostris sui notitiam.* ADIREMVS. *Quasi adita, & abscondita, imperuia ethnicis.* INSTRVMENTVM, *Vtrumque Testamentum, scientiæ rerum diuinarum organum.* SIQVI, *Si quis.* INQVISITO, *Post Deum quæsitum.*

Opera manuum eius suis palpans manibus Deum quærebat Psaltes: dum ait: Deum exquisiui manibus meis, & nocte contra eum, & non sum deceptus.
S. August. *Aug. in Psal. 86. sic legit:* In die tribulationis meæ Deum exquisiui, non aliud aliquid, sed Deum exquisiui, &c. Quid exquisisti? Deum. Quomodo exquisisti? manibus meis. Quando exquisisti? nocte. Vbi exquisisti? coram eo. Et quo fructu exquisisti? & non sum deceptus, &c. Quid est, non sum deceptus? Inueni quod quærebam, &c. Quid est manibus meis? operibus meis. Non enim aliquid corporeum quærebat vt contrectando inueniret quod perdiderat, vt manibus quæreret nummum, aurum, argentum, vestem, &c. *Subiicit de D. Thoma, qui manibus Christum quæsiuit, cui Christus, beati qui non viderunt, &c.* Quid ergo ad nos pertinet manibus quærere? pertinet, sicut dixi operibus quærere. Quando hoc? nocte. Quid est nocte? in hoc sæculo. *Subdit ante ortum Solis gloriæ, nos esse in nocte, & apte in sequentia Tertul. subiicit ex 2. Petri. 1.* Vultis videre quia nox est? nisi lucernam hîc haberemus, in tenebris permaneremus. *Palpantes opera Dei cum Gentilibus, vt ex his opificem sentiremus.* Petrus enim dicit: & nos habemus certiorem *Fabulis & mendaciis vel ipsa etiam ratione naturali Gentilium* Propheticum sermonem, cui benè facitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris, &c. Quid est coram ipso? Nolite facere iustitiam vestram coram hominibus, &c. CONTRA. *Ad literam, coram ipso.* Non enim longè est ab vnoquoque nostrum *vt nec peccatum fiat, nisi coram ipso. Sic enim Dauid:* Malum coram te feci. DIGNOS. *Non quod se dignos & innocentes ipsi fecerint, sed Deus, infusa illis innocentia dignos præstitit, quibus sua secreta reuelaret.* Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Et quomodo mundata sunt corda?* Fide purificans corda eorũ. *Et vnde fides?* Vnicuique partitus est mensuram fidei. Vobis datum est vt in eum credatis. Non enim omnium est fides *vt sæpè ratiocinatur Aug.* INVNDATOS. *Quasi diluuio aquæ,* Spiritus sapientiæ salutaris & intellectus plenos, vt emitterent sicut imbres, eloquia scientiæ. *Sic enim de spiritu prophetico vates:* Effundam de spiritu meo, &c. Et prophetabunt filij vestri, &c. PROMETHEVS *Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 8.* Regnantibus memoratis regibus *Saphro 14. Assyriorum Rege, Orthopolo 12. Sicyoniorum, & Crisæ quinto Argiuorum, quo natus est Moyses propheta magnus* Fuisse à quibusdam creditur Prometheus, quem propterea ferunt de luto formasse homines, quia optimus sapientiæ doctor fuisse perhibetur, nec tamen offenditur, qui eius temporibus fuerint sapientes. Frater eius Athlas magnus fuisse astrologus dicitur. Vnde occasionem fabulæ inuenit, vt eum cœlum portare confingeret: quamuis mons eius nomine nuncupetur, cuius altitudine potius cœli portatio in opinionem vulgi venisse videatur. *Sed vt ait Tertul.* Verus Prometheus Deus vnus, *A quo factus vnus mundus, & vnus homo,* Ex quo fecit omne genus hominum inhabitare super terram, *Qui fecit luminaria magna, &c. Qui cœlum terramque manu continet.* EXITIBVS, *Finibus, successibus.* PER IMBRES, *Diluuio.* PER IGNEM, *Sulphureo Sodomorum incendio.* DEMERENDO, *Fidelem omnem suo cultui obstringendo.* DISCIPLINAS *Leges & mandata præscripserit.* IGNORATIS *Vos gentiles leges proprias Christianorum.* DESERITIS, *Per apostasiam à fide susceptæ, vel extincto per malitiam lumine naturali.* Noluit intelligere vt benè ageret. PRODVCTO, *Ad finem & consummationem.* REFORMATIS, *Redditis corporibus pristinæ formæ, quoad omnes homines, quoad electos autem,* Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. RECENSITI, *Vocati quasi ex albo, censu,* Libro vitæ agni, *Per nomina vocatis singulis.* Pastor enim antè eas vadit, & vocat eas nominatim, qui numerat multitudinem stellarum, *Posterorum Abrahæ ex Aug. per stellas significatorum,* Et omnibus eis nomina vocat. VTRIVSQVE MERITI, *Boni vel mali, virtutis & vitij.* DISPVNCTIONEM, *Persolutionem.* Quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. NOS *Dum essem,* inquit, *Ethnicus.* FIVNT Non ex operibus, sed ex vocante Sorte vocati sumus. Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Creati in operibus bonis.

Et lib. 2. ad Nat. cap. 3. SVBORNATVM. *Institutum, adinuentum à Physicis, vt suaderent Elementa esse Deos quire gerent mundum.* MYTHICO, *Theologia genere fabuloso.* AN, *Fortassean, forsitan.* ORTA, *Quæ initium habent, Deos esse non posse.* NOX CAPIT, *Dici non potest.* ANIMALIA *Animata esse & viuentia.* CONTINGAMVS 2A. *Supplè elementa, de quibus supra dixerat.* LIA. *Animalia tanquam Deos præstultitia & vanitate Ægyptij colere potuerunt. De elementis pro diis habitis à Gentilibus, Galatarum personam induens Paulus Gal. 4. 3.* Et nos, inquit, cum essemus paruuli sub elementis huius mundi eramus seruientes, &c. *Et rursum ibid. 8. & 9.* Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non sunt Dei seruiebatis. Nunc autem cùm cognouerit is Deum, immò cogniti sitis à Deo. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire vultis? *Vbi pulchrè Aug. pensans hæc verba:* Magis autem cogniti in Psal. 62. Apparuit, inquit, tibi in sancto: apparui tibi, quid est? vt videres me, & ideò vidisti me, vt viderem te. Non dixit apparui tibi, vt videres, sed vt viderem potentiam tuam, & gloriam tuam. Vnde & Apostolus: nunc autem, inquit, cognoscentes Deum, imò cogniti à Deo. Prius enim apparuistis Deo, vt posset vobis apparere Deus. *De diis autem elementis quibus gentes seruierunt, idem*
Aug. Aug.

Augustinus in Expos. Ep. ad Galatas cap. 14. Nunc A certè, inquit, quia non Iudæis scribit, sed gentibus, nec ait seruiuimus, sed seruistis (*Vnde & supra dixerat:* Cùm essemus paruuli sub elementis huius mundi eramus seruientes, non pertinet ad significationem Iudæorum, ex quibus Paulus originem duxit; sed magis ad Gentium. hoc dumtaxat loco: quoniam & eorum personæ decenter se potest annectere, quibus ad Euangelizandum missus est, &c. Sed tunc quidem, inquit, ignorantes Deũ his, qui naturaliter non sunt dij, seruistis, &c. Quòd sub elementis huius mundi erant seruientes, tanquam sub procuratoribus & actoribus Nam ipsa Elementa vtique non sunt naturaliter dij, siue in cœlo, siue in terra, &c. Satis demonstrat vnum verum Deum naturâ esse Deum, quo nomine Trinitas fidelissimo & Catholico gremio cordis accipitur. Eos autem qui naturâ non sunt dij, propterea supernùs procuratores actoresque appellat; quia nulla creatura est, siue quæ in veritate manet dans gloriam Deo siue quæ in veritate non stetit, quærens gloriam suam, quæ non, velit nolit, diuinæ prouidentiæ seruiat: sed volens facit cum ea quod bonum est: de illa verò quæ hoc non vult, fit quod iustum est, &c. *Subiicit de demonibus prouidentiæ Dei seruientibus, elementis aliisque creaturis.* Augustinus. Sed magistratus, inquit, sub tanto imperatore non facit, nisi quantùm illi permittitur: Et procuratores actoresque huius mundi, nihil faciunt, nisi quantùm Dominus sinit. Non enim latet eum aliquid sicut hominem, aut in aliquo est minus potens, vt procuratores atque actores qui in eius sunt potestate, aliquid ipso siue non permittente, siue nesciente, in subiectis sibi pro suo gradu rebus efficiant: non eis tamen rependitur quod de ipsis iustè fit, sed quo animo ipsi faciunt: quia neque libe- C ram voluntatem rationali creaturæ suæ Deus negauit. & tamen potestatem qua etiam iniustos iustè ordinat, retinuit. Siue ergo Solem & Lunam, & sydera, & cœlum, & terram, cæteraque huiusmodi gentes colebant, siue dæmonia, recte sub procuratoribus & actoribus fuisse intelliguntur. *Post multa subiicit de obseruatione temporum Galatis gentilibus exprobrata:* Vulgatissimus, inquit, est S. August. error Gentilium iste, vt vel in agendis rebus, vel expectandis euentibus vitæ ac negotiorum suorum, ab Astrologis & Chaldæis notatos dies, & menses, & annos, & tempora obseruent, &c. Et Iudæi seruiliter obseruant in carnali obseruatione Sabbati & Neomeniæ, & mensę nouorum & septimo quoque anno quem vocant Sabbatum Sabbatorũ. Quæ quoniam erant vmbræ futurorum, iam aduenientę Christo in superstitione remanserunt, cùm tanquã salutaria obseruarentur ànescientibus quò referenda sint: vt tanquam hoc dixerit Apostolus gentibus: *Galatis conuersis ad fidem, ne Iudaizando redirent ad aliam superstitionem, post cultum elementorum abdicatum:* Quid prodest vos euasisse seruitutem qua tenebamini, cùm seruiretis elementis mundi, quando rursus ad ea reditis, seducti ab eis qui nondum agnoscentes libertatis suæ tempus, inter cætera opera legis quæ carnaliter sapiunt, etiam temporibus seruiunt: q[illegible] & vos rursus vt antea seruire vultis & obseruare cum eis dies, & menses, & annos, & tempora, quibus seruiebatis antequam Christo credederetis? Manifestum est enim volumina temporum per elementa huius mundi, hoc est cœlum & terram, & motus atque ordinem syderum administrari. Quæ infirma appellat, ex eo quòd infirma & instabili specie variantur: egena verò, ex eò quòd egent summâ & stabili specie Creatoris, vt quoquomodo sunt, esse possint.

4. *Deus ignotus & incertus esse, nec potuit, nec debuit: sed notus fuit ab initio mundi ante scripta Moysi; ipso scilicet naturæ lumine cognitus ex opificio mundi, quem implenit excluso Marcionis Deo.* 1. *Cont. Marc. cap.* 9. *a. p. ad. f. &* 10. *per totum. &* 11. *in p. ad. m.*

BReuiter proponam, & plenissimè exequar præscribens, Deum ignorari nec potuisse, nomine magnitudinis; nec debuisse, nomine benignitatis; præsertim in vtroque prælatiorem nostro Creatore. Sed quoniam animaduerto, in quibusdam, ad formam Creatoris, prouocati oportere omnis Dei noui & retro ignoti probationem, hoc ipsum ratione fieri à nobis prius commendare debebo, quò constantius vtar rationis editæ patrocinio. Ante omnia quidem, quale est, vt qui Deum agnoscis Creatorem, & priorem de notitia confiteris, non eisdem modis & alium scias tibi examinandum, quibus iam in alio didicisti, Deum nosse? Omnis res anterior, posteriori normam præministrauit. Duo nunc dij proponuntur, ignotus, & notus. De noto vacat quæstio: Esse eum constat, quia notus non fuisset, nisi esset. De ignoto instat altercatio: Potest enim & non esse; quia si esset, notus fuisset. Quod ergo quæritur, quamdiu ignoratur, incertum est quamdiu quæritur: & potest non esse, quamdiũ incertum est. Habes Deum certum, quà notum; & incertum, quà ignotum. Si ita est, ecquid tibi videtur iusta ratione defendi, vt ad normam, & formam, & regulam certorum probentur incerta? Ceterùm, si ad hanc causam, & ipsam adhuc incertam, etiam argumenta de incertis adhibeantur, series implicabitur quæstionum, ex ipsorum quoque argumentorum æquè incertorum retractatu, periclitantium de fide per incertum; & ibitur in illas iám indeterminabiles quæstiones, quas Apostolus non amat. Sin de certis, & indubitatis, & absolutis regulæ; partibus incertis, & dubiis, & inexpeditis præiudicabunt. Planè, 1. Tim. 1. 4. in quibus diuersitas status inuenitur, fortassean non prouocentur incerta ad formam certorum, vt liberata à reliqua comparationis prouocatione per diuersitatem status principalis. Quum verò duo dij proponuntur, communis est illis status principalis. Quod enim Deus est, ambo sunt; innati, infecti, æterni. Hic erit status principalis. Cetera viderit Marcion, si in diuersitate disposuit. posteriora enim sunt in retractatu; immò nec admittentur, si de principali statu constet. Porrò constat, quia Dei ambo: & ita de quorum statu constat communem esse, cùm sub eo, ad probationem deuocantur; si incerta sunt, ad eorum certorum

formam prouocanda erunt, cum quibus de communione status principalis censentur, vt proinde & de probatione communicent. Hinc itaque constantissimè dirigam, Deum non esse, qui sit hodie incertus, quia retro ignotus: quando, quem constat esse, ex hoc
CAP. X. ipso constat, quod nunquam fuerit ignotus, ideo nec incertus. Siquidem à primordio rerum, conditor earum cum ipsis pariter compertus est; ipsis ad hoc prolatis, vt Deus cognosceretur. Nec enim si aliquantò posterior Moses, primus videtur in templo litterarum suarum Deum mundi dedicasse, idcirco à Pentateucho natales agnitionis supputabuntur; cùm totus Mosis stilus notitiam Creatoris non instituat, sed à primordio enarret, à paradiso & Adam, non ab Ægypto & Mose recensendam. Denique, maior popularitas generis humani, ne nominis quidem Mosis compotes, nedum instrumenti, Deum Mosis tamen norunt; etiam tantam idololatriâ dominationem obumbrante, seorsum tamen illum quasi proprio nomine Deum perhibent, & Deum deorum, &, Si Deus dederit, &, Quod Deo placet, &, Deo commendo. Vide an nouerint, quem omnia posse testantur. nec hoc vllis Mosis libris debent. Antè anima, quàm prophetia. Animæ enim à primordio conscientia Dei dos est: eadem nec alia & in Ægyptiis, & in Syris, & in Ponticis. Iudæorum enim Deum, dicunt animæ Deum. Nòli, barbare hæretice, priorem Abraham constituere, quàm mundum. Et si vnius familiæ Deus fuisset Creator, tamen posterior tuo non erat, etiam Ponticis antè eum notus. Accipe igitur ab antecessore formam, à certo incertus, à cognito incognitus. Nunquam Deus latebit, nunquam Deus deerit: semper intelligetur, semper audietur, etiam videbitur quomodo volet. Habet Deus testimonia, totum hoc quod sumus, & in quo sumus. Sic probatur & Deus & vnus, dum non ignoratur; alio adhuc probari laborante. Et meritò, inquiunt; quis enim non tam suis notus est, quàm
CAP. XI. extraneis? Nemo. Teneo & hanc vocem. Quale est enim, vt aliquid extraneum Deo sit, cui nihil exp[illegible]um esset, si quis esset? quia Dei hoc est, omnia illius esse; & omnia ad illum pertinere: vel ne statim audiret à nobis, Quid ergo illi cum extraneis? quod plenius suo loco audiet. At nunc satis est, nullum probari, cuius nihil probatur. Sicut enim Creator, ex hoc & Deus, & indubitatus Deus, quia omnia ipsius, & nihil extraneum illi: ita & alius idcircò non Deus, quia omnia non eius, ideoque & extranea. Denique, si vniuersitas Creatoris est, iam nec locum video Dei alterius. Plena & occupata sunt omnia suo auctore. Si vacat aliquid spatij, alicuius diuinitati, in creaturis, planè falsæ vacabit. Patet mendacio veritas. Tanta vis idolorum, cur non recipiat alicubi Deum Marcionis? Igitur & hoc ex forma Creatoris expostulo, Deum ex operibus cognosci debuisse, alicuius proprij sui mundi, & hominis, & seculi: quando etiam error orbis propterea Deos præsumpserit, quos homines interdum confitetur, quoniam aliquid ab vnoquoque prospectum videtur vtilitatibus & commodis vitæ: Ita & hoc ex forma Dei, creditum est diuinum esse, instituere, vel demonstrare quid aptum & necessarium sit rebus humanis. Adeò inde auctoritas accommodata falsæ diuinitati, vnde præcesserat veræ. Vnam saltem circulam Deus Marcionis propriam protulisse debuerat, vt nouus aliquis Triptolemus prædicaretur. Aut exhibe rationem Deo dignam, cur nihil condiderit; si est: quia condidisset, si fuisset: illo scilicet præiudicio, quo & nostrum Deum non aliàs manifestum est esse, quàm quia totum condidit hoc. Semel enim præscriptio stabit, non posse illos & Deum confiteri Creatorem, & eum quem volunt æquè Deum credi, non ad eius formam probare, quem & ipsi, & omnes Deum: vt, quando hoc ipso nemo Creatorem Deum dubitet, quia totum hoc condidit; hoc ipso nemo debeat credere Deum, & illum, qui nihil condidit.

5. *Deus ex operibus notus etiam Gentilibus, qui propter opera vtilia etiam homines Deos fecerunt. 1. Cont. Marc. cap. 11. supra c. 11. à p.*

6. *Dei notitia ab operibus ante hominem factis, incipienda. 2. Cont. Marc. cap. 3. in p.*

OPortebit ineuntes examinationem in Deum notum, si quæritur in qua conditione sit notus, ab operibus eius incipere, quæ priora sunt homine, vt statim cum ipso comperta bonitas eius, & exinde constituta atque præscripta, aliquem sensum suggerat nobis intelligendi, qualiter sequens rerum ordinatio euaserit.

7. *Deus vnus necessariò credendus est Gentilibus, qui aliis diis Deitatem non habentibus, eam tribuerit. Apol. cap. 11. in p.*

IN primis quidem necesse est concedatis esse aliquem sublimiorem Deum, & mancipem quendam diuinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit. nam neque sibi illi potuissent sumere diuinitatem, quam non habebant, nec alius præstare eam non habentibus, nisi qui prior possibebat. ceterùm si nemo esset, qui Deos faceret, frustra præiumitis Deos factos au-

ferendo factorem. certè quidem si ipsi se facere potuissent, nunquam homines fuissent, possidentes scilicet melioris conditionis potestatem.

8. *Deum vnum Gentiles etiam naturaliter norunt, & tamen colunt dæmones. Ad Scap. cap. 2. in p.*

NOs vnum Deum colimus, quem omnes naturaliter nostis: ad cuius fulgura & tonitrua contremiscitis, ad cuius beneficia gaudetis. Ceteros & ipsi putatis Deos esse, quos nos dæmonas scimus. Deut. 6. 4. Ps. 145. 6.

DEI VNIVS NOTITIA. IV. V. VI. VII. VIII. SCHOL.

NOMINE MAGNITVDINIS. *In quantùm magnus & eminens omnibus, latere non potuit. Si enim* Non potest ciuitas abscondi supra montem posita; & magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius; *Quomodo ipse latere potuit?* NOMINE BENIGNITATIS, *In quantùm bonus & benignus, debuit se familiariter manifestare suis subditis.* Magnus Dominus, & magna virtus eius & sapientiæ eius non est numerus *Psal. 146. Aug. vertit.* Intelligentiæ eius. Excedit omnes numerarios eius intelligentia, numerari à nobis non potest. Ipsum numerum quis numerat? numero numerantur quotcumque numerantur. Si quidquid numeratur, numero numeratur, numeri non potest, esse numerus: numerari numerus nullo pacto potest. Quid ergo est apud Deum? vnde fecit omnia, & vbi fecit omnia, cui dicitur Sap. 11. Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti? Aut quis ipsam mensuram, & ipsum numerum, & ipsum pondus, vbi Deus omnia disposuit, aut numerare potest, aut metiri, aut appendere? &c. Conticescant humanæ voces, requiescant humanæ cogitationes. Ad incomprehensibilia non se extendant, quasi comprehensuri, sed tamquam participaturi. IN VTROQVE, *Attributo magnitudinis & bonitatis, Marcion Deum suũ Deo Creatori nostro anteponit.* AD FORMAM. *Ad modum quo Creator longè antequior Deo Marcionis, suam nobis notitiam præstitit. Compello igitur Marcionem, vt iuxta hanc formam, per opera scilicet, & prophetias, probet existentiam Dei sui, debet enim se manifestasse, si fuit.* RATIONE. *Cum ratione, rationabiliter.* CONSTANTIVS, *Efficaciùs & cum maiori fiducia & efficacia.* EDITÆ, *Datæ, allatæ.* DE NOTITIA, *Quod ad notitiam attinet, inuitus fatetur Marcion Deum Creatorem longè priùs cognitum Deo suo.* VACAT, *Frustra quæritur an sit, cùm sit notissimus.* POTEST, *Hoc das aduersario: sit Deus tuus; sed potest non esse; & possum credere non fuisse, antequam esset cognitus,* AD HANC, *&c. Qua quæritur de tuo nomine Deo, an verè sit,* PER INCERTVM. *Propter inconcussam argumentorum, fides incerta erit.* NON AMAT, *Denitandas esse suadet Thimotheo quæstiones infinitas, de quibus iam alibi dixi.* SIN DE CERTIS, *Si verò regulæ certæ sint, quales sunt fidei nostræ.* IN EXPEDITIS, *Implicitis, obscuris, difficilibus, plenis ambagibus, quales Marcionis.* PRÆIVDICABVNT, *Prapollebunt in animo sapientum.* DIVERSITAS STATVS. *Cum status quæstionis & fundamentum præcipuum omnino diuersum est.* FORTASSEAN, *Forsitan.* NON PROVOCENTVR, *Non compellentur reduci.* LIBERATA, *Soluta & expedita. Non potuit, inquit, compelli aduersarius ad reducendas probationes suas incertas ad normam & formam certarum.* QVIA VERO EST. *Hic autem status & fundamentum quæstionis est, an sint duo dij, malus Creator, & bonus Deus Marcionis.* IN DIVERSITATE. *Alia diuersa attributa, in duobus diuersa finxit Marcion.* POSTERIORA, *Cetera parui momenti sunt, respectu dictorum, posterius examinantur, & tractantur, immò nulla de his erit quæstio.* CENSENTVR, *Æstimantur, iudicantur.* COMMVNICENT, *Eodem & communi modo status eorum probandus, si omnimodo & absque differentia similis est.* DIRIGAM, *Instituam, aggrediar disputationem cum Marcione.* RETRO, *Prius.* QVANDO, *Quandoquidem.* AD HOC. *In hunc finem, quòd* Propter semetipsum omnia operatus est Dominus, *Vt ex creaturis, Creator. & Verbum eius per quod facta sunt omnia, cognoscatur & laudetur.*

Aug. tract. 1. in Io cap. 1. Vides tu quid facturus es: sed alius non miratur, nisi cùm feceris & construxeris molem, & fabricam illam ad exculptionem perfectionemque perduxeris. Attendunt homines mirabilem fabricam, & mirantur consilium fabricantis: stupent quod vident, & amant quod non vident. Quis est qui potest videre consilium? Si ergo ex magna aliqua fabrica laudatur humanum consilium, vis videre quale consilium Dei est? Dominus Iesus Christus, ipse est Verbum Dei. Attende fabricam istam mundi, vide quę sint facta per Verbum, & tunc cognosces quale sit Verbum. Attende hæc duo mundi corpora, cœlum & terram. Quis explicet verbis ornatum cœli? quis explicat fœcunditatem terræ? quis dignè collaudat temporum vices? &c. Videtis quæ taceam, ne diu commemorando, parum dicam fortè quàm potestis cogitare. Ex fabrica ergo ista animaduertite quale Verbum est, per quod facta est. Et non sola facta est. Omnia enim ista videntur, quia pertinent ad sensum corporis. Per illud Verbum & Angeli facti sunt, per illud Verbũ Archangeli facti sunt, &c. Per illud Verbũ facta sunt omnia. Hinc cogitate quale Verbum est. *Es in Psal. 41.* Quid agam vt inueniam Deum meum? considerabo terram, facta est terra. Est magna pulchritudo terrarum, sed habet artificem. Magna miracula sunt seminum atque gignentium, sed habent ista omnia Creatorẽ. Ostendu magnitudinem circumfusi maris, stupeo, miror, artificem quæro. Cœlum suspicio, & pulchritudinem siderum, admiror splendorem Solis exercitio dici sufficientẽ, Lunam nocturnas tenebras consolantẽ, mira sunt hæc, laudanda sunt hæc, vel etiam stupenda sunt hæc. Nondum ibi stat finis mea. Hæc miror, hæc laudo: sed eum qui fecit hæc fitio; &c. Quærens ergo Deum meum in rebus visibilibus & corporalibus & non inueniẽs, quærens eius substantiam in meipso, quasi aliquid sit, qualis ego sum, neque hoc inueniens, aliquid super animam esse sentio, Deum meum. Ergo vt eum animi intellectu tangerem, hæc meditatus sum & effudi super me animam meam. Quando anima mea contingeret, quod super animam meam quæritur, nisi anima mea super seipsam effunderetur? Si enim in seipsa remaneret, nihil aliud quàm se videret. Et cùm se videret, non vtique Deum suum videret, S. Augustin.

&c. Meditatus sum tamen inquisitionem Dei mei, & per ea quæ facta sunt inuisibilia Dei mei cupiens intellecta conspicere, effudi super me animam meam, & iam non restat quem tangam, nisi Deũ meum: Ibi enim Domus Dei mei, super animam meam habitat, inde me prospicit. Inde me creauit, inde me gubernat, inde mihi consulit, inde me excitat, inde me vocat, inde me dirigit, inde me ducit, inde me perducit. POSTERIOR, *Creatione mundi.* IN TEMPLO LITERARVM. *In Sacra Geneſis Scriptura.* A PENTATEVCHO. *A tempore quo ſcripſit quinque libros.* NATALES, *Non inde nata eſt in mundo Dei cognitio, longè ante Moyſi libros Deus ex operibus cognitus eſt, priuſquam ea deſcriberet Moyſes.* AB ÆGYPTO, *Vbi floruit Moyſes.* POPVLARITAS, *Numeroſa multitudo generis humani.* COMPOTES, *Qui nec Moſem ex nomine nouerunt.* INSTRVMENTI, *Libri Geneſeos.* IDOLOLATRIA OBVMBRANTE, *Ob Deos cultos in lucis, & locis vmbroſis. Vel tam numeroſa turba & condenſa deorum vmbraticorum & fabuloſorum, vnico Soli, & vero Deo, eiuſque notitiæ, tenebras effundente, ſempre omnibus diis, Deus deorum agnitus eſt.* ANTE ANIMA, *Rationalis fitit, quàm ei lumen Prophetiæ infunderetur, vel lex natura, & ratio naturalis præceſſit legem Moyſi & Prophetas.* CONSCIENTIA, *Anima dotata eſt conſcientia, & Dei notitia.* IVDÆIS. Notus in Iudæa Deus. PONTICIS, *Vt pungat Marcionem Ponticum, ipſis Gentilibus ſtupidiorem, qui vnum Deum lumine naturali norunt.* ANIMÆ DEVM, Deus cordis mei. PRIOREM ABRAHAM. *Quia Marcion legit*, Deum Abraham, Deum Iſaac, Deum Iacob, Deum viuorum & non mortuorum. *Quod innuit, cùm ſubdit*: Vnus familiæ Deum. POSTERIOR, *Et ſic tamen ante Deum tuum erit, ô Marcion.* FORMAM, *Qua probes Deũ tuum.* QVOMODO VOLET. *Apparendo, loquendo, vel per opera ſe manifeſtando.* ALIO. *Deo Marcionis.* INQVIVNT, *Marcioniæ.* *Domeſticis ſuis, nil mirum ſi notior eſt Deus, quàm extraneis.* QVALE EST, *Quomodo fieri poteſt.* HOC EST. *Proprium.* OMNIA ILLIVS, Domini eſt terra & plenitudo eius, &c. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. AVDIRET, *Marcion cùm Deus eius exagitabitur.* CVIVS NIHIL, *Nullum opus fallum, per quod ſe probet opificem.* EXTRANEA. *Ad eum nihil omnium conditorum pertinet.* PLENA SVNT. Iouis omnia plena, cœlum & terram ego impleo. Si aſcendero in cœlum, tũ illic es, &c. PATET MENDACIO. *Non quòd det vllum locum, vel excipiat. Sed ſi per impoſſibile, non eſſet vbique Deus verus, de quo Pſalies:* Veritas tua in circuitu tuo: *Locus eſſet fortè aliquis Deo falſo Marcionis.* TANTA VIS, *Copia, multitudo.* PRÆSVMPSERIT. *Indicauerit Deos ex operibus, quæ crediderunt inuenta vtilitati hominum.* EX FORMA DEI, *Ex communi forma & modo & argumento, quo Deus verus ſe ex operibus probauit. De hoc iam alibi.* VERÆ, *Vnde vera Diuinitas ſibi fidem apud homines peperierat.* CICERCVLAM, *Genus leguminis ciceri non diſſimile, Gallicè* Poiſchiches. TRIPTOLEMVS, *Frugum inuentor. Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 13. in p. vbi poſt Iuſtæ, tempus Iudicum ſucceſſit.* Hiſ temporibus fabulæ fictæ ſunt de Triptolemo, qui inuente Cerere, anguibus portatus alitibus, indigentibus terris frumenta volando contulerit. *Lactantius eum facit Eleuſij, Regis filium reddituum immortalem à Cerere hoſpitio Patris ſuſcepta. Ex Euſebio, ſterilitate anni, populum ſuis frugibus aluiſſe perhibem. Quod cùm alia vice præſtare non potuiſſet, veritus furorem populi, fugit in anni ſerpente inſignita; regreſſus cum multo frumento, Celeum occupatorem regni ſui expulit, frumenta diſtribuit, & populum arare & ſerere docuit.* SI EST, *Deus verus.* OMNES DEVM. *Etiam Gentiles Deum vocant.* QVANDO, *Quandoquidem.* TOTVM HOC, *Vniuerſum mundum.* Omnia quæcumque voluit fecit, in cœlo & in terra, & in omnibus abyſſis.

6. IN DEVM, *De Deo noto, quærentes.* EX QVA, *Ex qua creatura, & opere conduo ſit cognitus.* STATIM, *Ab exordio mundi.* CVM IPSO, *Id eſt cum eſſentia Dei ſimul eius bonitas cognita, qui dixit etiam ante hominem conditum, ſingula quæ fecit, bona eſſe, vt hoc conſtituto & certo, quod videlicet Dei opera bona ſint, inde intelligamus, & hominem vltimo factum, & omnem totius mundi ordinem bonum atque optimum fuiſſe, ex quo autorem & Creatorem exiſtere, bonumque & ſummum bonum eſſe concludamus, & in omnibus operibus ſuis laudabilem; & cum Pſalte dicamus*: Laudent eum cœli & terra, mare & omnia reptilia in eis. *Aug. tom. 10. hom. 35. in p.* Omnia quæ fecit Deus, laudant Deũ. Auditis in benedictionibus, & auditis in omni ſolennitate quando legũtur, quomodo omnia laudat Deũ, cœleſtia & terreſtria, Angeli, homines, luminaria cœli, arbores terræ, flumina, maria: quidquid Deus creauit, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſiue in mari, laudant Deum. Numquid aliquando ibi auditis, quia laudat Deũ auaritias? nũquid aliquando ibi auditis quia laudat Deum ebriolitas? nùmquid auditis ibi, quia laudat Deũ luxuria? numquid aliquando ibi auditis, quia laudat Deũ hæreſis? *Numquid Marcion hæreſiarcha Deum Creatorem blaſphemans, cum laudat?* Omnia iſta quare non laudant Deum? quia non ſunt creata à Deo. Et arbor ſeruauit quod creata eſt, homo deleuit quod erectus eſt, *Erexit enim eum Deus quaſi imaginem ſuam gloriâ & honore coronatam.* Si enim ſeruaret in ſe bonum, quod in illo creauit Deus, id eſt, imaginem ſuam, ſemper laudaret Deum, non ſolum linguâ, ſed & vitâ.

7. MANCIPEM, *Manceps apud Feſtum eſt qui manu capit. Mancipatio Vlpiano Inſtit. cap. 19.* Propria eſt ſpecies alienationis, & rerum mancipi, eáque fit certis verbis, libripende, & quinque præſentibus teſtibus. *Deus autem hîc dicitur manceps non à capiendo, ſed dando:* Dat enim omnibus affluenter; magna, & pretioſa nobis donauit, vt per hæc diuinæ ſimus conſortes naturæ. *Ille eſt, qui munus diuinitatis manu ſua capiens, & ex ſe poſſidens, eam aliis largiatur.* DIOS FECERIT. Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Poteſtatem dedit filios Dei fieri. Deus deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram. *Aug. in Pſal. 49.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus deorum eſt, quia per ipſum facta ſunt omnia, &c. Verbum Dei ſi Deus eſt, vtique Deus deorum eſt. Vtrùm autẽ ſit Deus Euãgelium reſpondet; In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et ſi omnia per ipſum facta ſunt, ſicut conſequenter dicit, & dij ſi qui facti ſunt, per ipſum facti ſunt. Vnus enim Deus non factus, & verus Deus ipſe ſolus. Ipſe autem ſolus Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnus Deus. Dij ergo, quorũ Deus verus eſt, qui ſunt, aut vbi ſunt? &c. Videte in Pſal. 81. Quibus dicat, ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, &c. *Deus autem vnus eſt immortalis, qui ſolus habet immortalitatem, ex ſe ſcilicet, quam aliis communicet, ſicut & diuinitatem.* Manifeſtum eſt ergo, quia homines dixit Deos, ex gratia ſua deificatos, non de ſubſtantia ſua natos. Ille enim iuſtificat, qui per ſemetipſum, & non ex alio iuſtus eſt, & ille deificat,

S. Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

qui

qui per ſeipſũ, non alterius participatione Deus eſt. A

8. FVLGVRA ET TONITRVA. *De terrore coruſcationis & fulguris Pſal. 143. 6.* Fulgura coruſcationem & diſſipabis eos. *Aug. in hunc locum.* Tange montes & fumigabunt. montes ſuperbos, elationes terrenas, tumidas granditates. Tange, inquit, tange iſtos montes, de gratia tua da iſtis montibus, & fumigabunt, quia fatebuntur peccata ſua. Fumus confitentium peccatorum, extorquebit & lacrymas humiliatorum ſuperborum. Tange montes & fumigabunt. Quamdiu non tacti, magni ſibi videntur, dicturi ſunt, tu magnus es Domine, dicturi ſunt & mõtes, tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram, &c Coruſca coruſcationes, &c. Crebreſce miraculis tuis, &c. Iam miraculis territi, B non audebunt aliquid contra te, & in ipſis miraculis expaueſcentes, hæſitabunt: quis eſt iſte, qui tanta poteſt? quis eſt iſte qui ſic exaltatur? cuius nomen tantum valet? *Hæc eſt* Vox Domini confringentis cedros, præparantis cervas *Animas increduloruṁ*. Vt à facie tua concipiant, & pariant ſpiritum ſalutis. *Hæc* Vox tonitrui tui in rota. *In toto orbe rotundo, etiam terrorem diuinitatis alicuius ethnicis incutiens. Aug. tom. 4 lib. quæſt. ex noto teſtamento, que 24.* Cur ſaluator diſcipulos ſuos filios tonitrui appellauit, qui plus magis videantur filij Dei dici? tonitrua enim dicuntur colliſione nubium fieri. Quoniam tonitrua terrorem inferunt, hac cauſa filios tonitrui diſcipulos appellauit, quaſi eius filij qui timendus ſit. Quamuis enim tonitrua colliſione nubium fiant, voluntate tamen Dei fiunt, & ſunt terribilia. *Ereodem tom. lib. in Iob c. p. 28.* Quis ſciet virtutem tonitrus eius? tonitruum dicit euidentiſſimam vocem manifeſtationis eius. Aut illam fortè vocem quam dedit per filium tonitrui, in principio erat Verbum. *Sed vt notat hic Tertull & Paulus ethnicis exprobrat*, Cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt. QVOS NOS DÆMONAS. *Sic Pſalter*, Quoniam omnes dij gentium dæmonia.

Aug. *S. Aug.* *S. Auguſt.*

9. Deus vnus ſolus ſummus & Æternus eſt: vel Deus non eſt, ſi alter ei adæquetur. 1. Cont. Marc. cap. 3. per totum.

PRincipalis itaque, & exinde tota congreſſio, de numero; an duos Deos liceat induci; ſi fortè poëtica, & pictoria licentia, & tertia iam hæretica. Sed veritas Chriſtiana deſtrictè pronuntiauit: Deus, ſi non vnus eſt, non eſt: quia dignius credimus non eſſe, quodcunque non ita fuerit, vt eſſe debebit. Deum autem vt ſcias vnum eſſe debere, quære quid ſit Deus, & non aliter inuenies. Quantum humana conditio de Deo definire poteſt, id definio, quod & omnium conſcientia agnoſcet: Deum, ſummum eſſe magnum, in æternitate conſtitutum, innatum, infectum, ſine initio, ſine fine. Hunc enim ſtatum æternitati cenſendum, quæ ſummum magnum, Deum efficiat, dum hoc eſt in Deo ipſa, atque ita & cetera; vt ſit Deus ſummum magnum, & formâ, & ratione, & vi, & poteſtate. Cùm de iſto conueniat apud omnes, (nemo enim negabit, Deum ſummum magnum quid eſſe, niſi qui poterit Deum, imum, modicum quid econtrariò pronuntiare; vt Deum neget auferendo quod Dei eſt) quæ erit iam conditio ipſius ſummi magni? nempè vt nihil illi adæquetur, id eſt, vt non ſit aliud ſummum magnum: quia ſi fuerit, adęquabitur; & ſi adæquabitur, non erit iam ſummum magnum, euerſâ conditione, &, vt ita dixerim, lege, quæ ſummo magno nihil ſinit adæquari. Ergo vnicum ſit neceſſe eſt, quod fuerit ſummum magnum, par non habendo, ne non ſit ſummum magnum. Ergo non aliter erit, quàm per quod habet eſſe, id & vnicum omnino. Proinde Deus cùm ſummum magnum ſit, rectè veritas noſtra pronuntiauit: Deus, ſi non vnus eſt, non eſt. Non quaſi dubitemus eſſe Deum, dicendo, Si non vnus, non eſt: ſed quia quem confidimus eſſe, id eum definiamus eſſe, quod ſi non eſt, Deus non eſt; ſummum ſcilicet magnum. Porrò, ſummum magnum vnicum ſit neceſſe eſt. Ergo & Deus vnicus erit. non aliter Deus, niſi ſummum magnum: nec aliter ſummum magnum, niſi parem non habens: nec aliter parem non habens, niſi vnicus fuerit. Certè quemcunque alium Deum induxeris, non aliâ poteris eum formâ tueri Deum, quàm vt & illi proprium diuinitatis adſcripſeris, ſicut æternum, ita & ſummum magnum. Duo ergo ſumma magna quomodo conſiſtent; cùm hoc ſit ſummum magnum, par non habere? par autem non habere, cùm vni competat, in duobus eſſe nullo modo poſſit.

DEVS VNVS. IX. SCHOLIA.

CONGRESSIO, *Diſputatio.* POETICA. Pictoribus atque Poëtis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. TERTIA, *&c. Quia hæretici idem ſibi ius arrogant.* DESTRICTE. *Diſtrictè.* NON ALITER, *Quàm ſcilicet ſi vnus ſit.* DEFINIRE POTEST. *Quod infinitum eſt, definiri non poteſt, & Deus ineffabilis eſt. Aug. lib. 1. de Doct. Chriſtiana cap. 5.* Res quibus fruendum eſt, Pater & Filius & Spiritus Sanctus eſt, eademque Trinitas, vna quædam ſumma res. *Aduerte hoc loco Tertull. agere de ſummo ineffabili,* Communiſque omnibus fruentibus ea, ſi tamen res, & non rerum omnium cauſa ſit, ſi tamen & cauſa. Non enim facilè nomen quod tantæ excellentiæ conueniat, poteſt inueniri, niſi quod melius ita dicitur; Trinitas hæc vnus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ita Pater & Filius & Spiritus Sanctus, & ſingulus quiſque horum Deus, & ſimul omnes vnus Deus, & ſingulus quiſque horum plena ſubſtantia, & ſimul omnes vna ſubſtantia, &c. Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maieſtas, eadem poteſtas. In Patre vnitas, in filio æqualitas, in Spiritu Sancto vnitatis æqualitatiſque concordia, &c. *Et cap. 6.* Diximuſne ali-

Auguſt.

S. Auguſt. quid, & ſonuimus aliquid dignum Deo? Imo verò me nihil aliud quàm dicere voluiſſe ſentio. Si autem dixi, non eſt hoc quod dicere volui. Hoc vnde ſcio, niſi quia Deus ineffabilis eſt? quod autem à me dictum eſt, ſi ineffabile eſſet, dictum non eſſet. Ac per hoc nec ineffabilis quidem dicendus eſt Deus, quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur, & ſit neſcio quæ pugna verborum; quoniam ſi illud eſt ineffabile quod dici non poteſt, non eſt ineffabile, quod vel ineffabile dici poteſt. Quæ pugna verborum ſilentio cauenda potius, quàm voce pacanda eſt. Et tamen Deus, cum de illo nihil dignè dici poſſit, admiſit humanæ vocis obſequium, & verbis noſtris in laude ſua gaudere nos voluit. Nam inde eſt, quod & dicitur Deus. Non enim B reuera in ipſo primo iſtarum duarum ſyllabarum ipſe cognoſcitur, ſed tamen omnes Latinæ linguæ ſcios, cum aures eorum ſonus iſte tetigerit, mouet ad cogitandam excellentiſſimam quandam immortalemque naturam. *Cùm ergo ſit ſummè excellens, parem non admittit; vnde vnus ſit neceſſe eſt, & eſt totum quod hîc conficit* Tertull. STATVM ÆTERNITATI. *Hæc eſt natura æternitatis cenſenda, vt vni Deo ſummo magno tribuatur, & quæ illum in Eſſentia deitatis conſtituat, ſi in ea æqualem non habeat.* HOC EST, *Dum ipſa æternitas eſt hoc illud ſummum magnum, quod vnus poſſidet Deus.* ET CÆTERA. *Sic quoque cætera attributa diuina ſummè magna ſunt, ſi* C *ipſa æterna ſunt.* QVAM PER QVOD. *Per id, per quod ſcilicet verè diuinum eſt, quod eſt vnicum.* CONFIDIMVS, *Firmiter credimus.* INDVXERIS, *Tu Marcion Deum tuum nouum, vel materiam Deo coæternam.* FORMA, *Modo, cratione. Auguſtinus præclarè Deum vnum ſummum bonum &* A *omnia complectentem notat in Pſal. 35. in verſum* Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Hîc aliud eſt fons, aliud lumen, ibi non ita. Quod enim eſt fons, hoc eſt & lumen: & quidquid vis illud vocas, quia non eſt quod vocas, quia non potes congruum nomen inuenire, non remanet in vno nomine. Si diceres, quia lumen eſt ſolum, diceretur tibi, ſine cauſa ergo mihi dictum eſt, vt eſuriam & ſitiam. Quis enim eſt qui manducet lumen? illud planè rectè mihi dictum eſt, beati mundicordes, &c. Si lumen eſt, oculos meos præparo. Para & fauces, quia illud quod lumen eſt, & fons eſt. Fons, quia ſatiat ſitientes; lumen, quia illuminat cæcos, &c. Non fatigaberis, quia fons eſt; non tenebraberis, quia lumen eſt. *Sic non remanet in vno nomine, qui tamen eſt vnus & ſummus fons, omnes irrigans; & ſummum lumen, omnia illuminans, vnica forma ſine æquali, omnia formans. Accipe Aug. Ser. 38. de Verb. Do.* Ineffabiliter poteſt intelligi, non verbis hominis fit vt intelligatur Verbum Dei, &c. Eſt forma quædam; forma non formata, ſed forma omnium formatorum; forma incommutabilis, ſine lapſu, ſine defectu, ſine tempore, ſine loco, ſuperans omnia, eminens omnibus, & fundamentum quoddam in quo ſint, & faſtigium ſub quo ſint. Si dicis quia omnia in illo ſunt, non mentiris: dictum eſt enim ipſum Verbum ſapientia Dei: habemus autem ſcriptum Pſal. 103. omnia in ſapientia feciſti. Ergo in illo ſunt omnia, & tamen quia Deus eſt, ſub illo ſunt omnia, *Et quia vnus idemque cum Patre & Spiritu Sancto Deus vnus ſummus, vnus æternus, non habet æqualem.* Auguſt. Auguſt.

10. *Deus duplex eſſe non poteſt, licet plures Reges in ſuis quique ſtatibus ſummi ſint: & Valentinus melius plures, quàm Marcion duos Deos innexit. 1. Cont. Marc. cap. 4. per totum. & 5. in p.*

SEd argumentabitur quilibet, Poſſe & duo ſumma magna conſiſtere diſtincta atque diſiuncta in ſuis finibus, & vtique aduocabit exemplum: Regna terrarum tanta numero, & tamen ſumma magna in ſuis quibuſque regionibus. & putabit vtique humana diuinis conferenda. Iam ergo ſi huic argumentationi locus dabitur, quid prohibet, non dico & tertium & quartum Deum inducere? verùm tot iam numero, quot & gentium reges. De Deo agitur, cuius hoc principaliter proprium eſt, nullius exempli capere comparationem. Hoc natura ipſa, ſi non aliquis Eſaïas, vel ipſe per Eſaïam Deus concionabitur, [a] *Cui me ſimilabitis?* Diuinis fortaſſe comparabuntur humana; Deo non ita. Aliud enim Deus, aliud, quæ Dei. Denique, qui exemplo veteris regis, quaſi ſummi magni, vide ne iam non poſſis eo vti. Rex enim, etſi ſummum magnum eſt in ſuo ſolio vſque ad Deum, tamen infra Deum: comparatus autem ad Deum, excidet iam de ſummo magno tranſlatio in Deum. Hoc ſi ita, quomodo veteris eius rei exemplo ad Dei comparationem, quæ dum ad comparationem accedit, amittitur? Quid nunc, ſi nec inter reges plurifarium videri poteſt ſummum magnum, ſed vnicum & ſingulare; apud eum ſcilicet qui rex regum ob ſummitatem magnitudinis, & ſubiectionem ceterorum graduum, quaſi culmen dominationis excipitur? Sed etiam alterius formæ reges, qui ſingulares in vnione imperij præſunt, ſi minutalibus, vt ita dixerim, regnis vndique conferantur in examinationem, qua conſtet quis eorum præcellat in ſubſtantiis & viribus regni, in vnum neceſſe eſt ſummitas magnitudinis eliquetur, omnibus gradatim, per comparationis exitum, de magnitudinis ſumma expreſſis & excluſis. Adeo & ſi in diſperſo multifarium videtur ſummum magnum; ſuis viribus, & ſua natura, & ſuo ſtatu vnicum eſt. Proinde cùm duo dij conferuntur, vt duo reges, & duo ſumma magna, in alterum concedat neceſſe eſt vnio ſummi magni, ex ſententia comparationis, qua ſummum victoria ſua conſtat, ſuperato æmulo alio magno, non tamen ſummo: atque ex defectione æmuli, ſolitudinem quandam de ſingularitate præſtantiæ ſuæ poſſidens, vnicum eſt. Ineluctabilis iſte complexus, in hoc, ſententiam conſtringit, aut negandum Deum eſſe ſummum magnum, quod nemo patietur ſapiens; aut nulli alij communicandum. Aut quæ ratio, duo ſumma magna compoſuit? Primò enim exigam, cur

a Eſa. 40. 25.

CAP. V.

non plura, ſi duo? quando locupletiorem oporteret credi ſubſtantiam diuinitatis, ſi competeret ei numerus. Honeſtior & liberalior Valentinus, qui ſimul auſus eſt duos concipere, Bython, & Sigen; cùm vſque ad triginta Æonum fœtus, tanquam Æneiæ ſcrophæ, examen diuinitatis effudit. Quæcunque ratio plura ſumma magna non patitur admitti; eadem nec duo, vt ipſa plura poſit vnum. poſt vnum enim, numerus. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit & plura. poſt duo enim, multitudo; vnione iam exceſsâ. Denique, apud nos vis rationis iſtius, ipſo termino, plures Deos credi non ſinit, quòd nec duos illa regula vnum Deum ſiſtens, quà Deum id eſſe oporteat, cui nihil adæquetur, vt ſummo magno: vnicum autem ſit, cui nihil adæquetur.

DEI VNIVS NOTITIA. X. SCHOLIA.

ARGVMENTABITVR, *Contra ſententiam Chriſtianam, pro vnica Diuinitate certantem, quæ ſola ſummè magna eſt.* FIBIBVS, *Terminis & limitibus cuiuſque regni proprij.* EXEMPLVM. *Proponens ſcilicet ſumptum ex regnis mundi, in quorum ſingulis Rex vnicus eſt, ſummus ſupra omnes ſubditos ſuos.* SI NON ALIQVIS, *Quamuis nullus id Eſaias diceret cap. 40. 25.* Et cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit Sanctus? Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum: & omnes ex nomine vocat, &c. *70. autem*, Et exaltabor dixit Sanctus, &c. Quis oſtendit hæc omnia? qui educit iuxta numerum ornatum ſuum; omnes in nomine vocabit à multa gloria. *Aduerte loqui de ſtellis & ornatu cœlorum, & principibus, quibus omnibus eminet Deus ſummus. Sic enim verſu 22.* Qui ſedet ſuper gyrum terræ & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ: qui extendit velut nihilum cœlos. 70. *Qui tenet gyrum terræ, &c. Qui ſtatuit quaſi cameram cœlum.* Et expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint, iudices terræ velut inane fecit. 70. *verò.* Qui dat principes quaſi nihil præeſſe, terram autem quaſi nihil fecit. DEO NON ITA, *Nihil æquale Deo, ſolatres perſonæ diuinæ ſibi ſunt coæquales.* Auguſt. *Aug. to. 6. lib. cont. Ser. Arrianorum c. 1.* Cùm Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fatentur quidem Deum, ſed Deum verum, & cum Patre vnum Deum nolunt fateri, duos nobis inducunt Deos diuerſæ diſpariſque naturæ, vnum verum, alterum non verũ: contra illud quod ſcriptũ eſt Deut. 6. 4. Audi Iſraël Dominus Deus tuus Deus vnus eſt. Hoc enim ſi de Patre dictum volunt intelligi, ſequitur vt Chriſtus non ſit Dominus Deus noſter. Si autem de filio, Pater non erit Dominus Deus noſter. Si verò de ambobus, profectò Pater & filius vnus eſt Dominus Deus noſter. DIVINIS. *Rebus à Deo creatis, vel ſacris, forteſſe prophanæ comparabuntur, ſed Deo eiuſque Eſſentiæ nihil comparabile.* VSQVE AD DEVM, *Vt nullum in regno ſuo Rex habeat æqualem, ſed ipſe ſub Deo eſt, & vſque ad Deum excluſus: ſummus eſt.*

Auguſt. *Hinc Pſaltes Pſal. 61. 1 cuius titulus eſt Aug.* In finem pro Idithum Pſalmus ipſi Dauid, &c. Latinè dicitur Idithum, tranſiliens eos. Tranſilit ergo iſte qui cantat quoſdam, quos deſuper deſpicit. Videamus quouſque tranſilierit, & quos tranſilierit, & vbi quamuis quoſdam tranſilierit poſitus ſit, &c. Ita enim iſte tranſiliens ſuper aliquid eſt vt ſub aliquo ſit, &c. Vt illud quod tranſiliuit non ſit ſuperbiæ, ſed profectus. In quodam ergo loco munito poſitus ait: nonne Deo ſubiicietur anima mea? Audierat enim: qui ſe exaltat humiliabitur, &c. Et trepidus ne tranſiliendo ſuperbiret, nec elatus ex his quæ infra eſſent, ſed humilis ex eo quod ſupra eſſet, *Summo omnium Rege Regum & Domino dominantium* Tanquam minantibus ei tuinam inimi-

Omniloquium.

dis, qui eum tranſiliuiſſe doluerant, reſpondit: nonne Deo, &c Quid eſt quod mihi veluti tranſilienti quæritis laqueos? Inſultatione deiicere me vultis, aut ſeductione decipere? Numquid ita memini ſupra quod ſum, vt oblitus ſim ſub quo ſum? Nonne Deo, &c. Quamtumcumque accedam, quantumcunque aſcendam, quantũcumque tranſiliam, ſub Deo ero, non contra Deum. Securus ergo tranſcendo cætera, quando ille me ſub ſe tenet, qui eſt ſuper omnia. Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum. Etenim Ipſe eſt Deus meus & ſalutaris meus, ſuſceptor meus, non mouebor ampliùs. Scio quis ſupra me ſit, ſcio quis prætendat miſericordiam ſuam ſcientibus ſe, ſcio ſub cuius alarum regmine ſperem: non mouebor ampliùs, &c. Agitis quidem vos vt moueat, ſed non mihi veniat pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. EXCIDIT IAM, *&c. Si Rex comparatur ſubditis, ſummè magnus eſt, ſi cum Deo, ipſo facto cadit à qualitate ſummi, quæ tota in vnum Deum transferitur.* PLVRIFARIVM. *Multiplex ſummorum magnum, nec inter Reges inter ſe comparatos inueniri poteſt: Non poſſunt eſſe plures Reges ſummè magni, ſed neceſſe eſt vt cùm inter ſe componuntur vnius inter eos ſit ſummus.* APVD EVM SCILICET, *Ironicè dicta. Quaſi verò, inquit, ſi nec inter ipſos Reges creatos in hoc ſæculo plures ſummè magni eſſe poſſunt, ſed tantùm vnus aliis comparatus, ſummus inuenitur; ille.* Rex Regum, Dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, Rex ſæculorum immortalis & inuiſibilis, *Solus Deus excipi poſſit, & excludi ab hac ſummitate.* ALTERIVS FORMÆ, *Alterius ſpeciei, qui ſcilicet Regulis ſub ſe poſitis præſunt, quoſque quaſi ſubditos honorationes ſub vno ſuo imperio continent.* ELIQVETVR, *Conſtituat.* SVMMA, *Summitate.* EXPRESSIS. *Eiectis.* IN DISPERSO, *Seorſim conſideratis ſingulis Regulis.* MVLTIFARIVM. *Multiplex: quia ſinguli Reges circa proprios ſubditos ſummi ſunt in regnis ſuis.* SVIS VIRIBVS. *Suis tamen propriis viribus, vnicum tantum eſt & ſummum, quod omnibus quibuſcunq; abſque æquali ſit ſuperius.* CONCEDAT, *Cedat,* EX DEFECTIONE, *Deficiente æmulo, æquali non exiſtente.* SOLITVDINEM, *Solum hoc vnicum ſummè magnum, præ cunctis eminens appareat.* INELVCTABILIS, *Si cum Marcione diſputando colluctet, ſic comprimitur huius argumenti complexu & nexu, vt euadere non poſſit.* QVÆ RATIO. *Quis cum ratione, & non ſtultè iudicet duo ſumma in eadem ſpecie poſſe reperiri?* VALENTINVS SIMVL, *Marcionem in hoc vincit: ſimul enim duos Deos vno concepto produxit,* Bithon, *id eſt profundum, &* Sigen, *id eſt ſilentium, præter triginta Æonas.* ÆNEIÆ SCROPHÆ. *Scropha ex Varrone, eſt ſus fœmina, quæ fœtus cauſa alitur. Porrò ex eodem Varrone lib. 2. de re ruſtica cap. 4. Sus Æneæ cuiuſdam Laurini, triginta porcos albos vno partu fudit.* EXAMEN. *Multitu-*

dinem. EXCESSA, *Transgressa,* NEC DVOS, *Deos admittat.* SISTENS, *Firmiter credens statum summum vnicum existere vere diuinitatis. Summam Dei vnius magnitudinem cum Psalte & Aug. veneremur. Psal. 95.* Quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis finiuit verba, volebat dicere quantùm magnus: & si tota die diceret magnus, magnus, quid magnum diceret? tota die dicens magnus, finiret aliquando, quia finitur dies: magnitudo illius ante dies, vltra dies; fine die ergo quid diceret? quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis. Quid enim dictura est lingua parua ad laudandum magnum? dicendo, nimis, emisit vocem, & dedit cogitationi quod sapiat; tanquam dicens, quod sonare non possum, tu cogita; & cùm cogitaueris, parum erit. Quod cogitatio nullius explicat, lingua alicuius explicat? Magnus Dominus & laudabilis nimis, ipse laudetur, ipse prædicetur, eius gloria nuntietur, &c. terribilis est super omnes Deos. Sunt enim dij super quos terribilis ille, &c. Quoniam omnes dij Gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. Videte quid interfit inter cœlos & dæmonia, & videte quid interfit inter ipsos cœlos, & illum qui fecit cœlos, &c. Si cœlos fecit, etiam Angelos fecit: ipse fecit Angelos, ipse fecit Apostolos. Apostolis cedebant dæmonia: sed ipsi Apostoli cœli erant qui Dominum portabant: & quem Deum portabant? à quo facti erant. Audite quid cœli sunt: Cœli enarrant gloriam Dei. Ipsis cœlis dicitur, annuntiate in Gentibus gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius. *Et per hæc patet, vnicum summum Deum & Regem adorandum.* Quoniam, inquit, Psalmo 46. Rex omnis terræ Deus. Quid enim? & ante non omnis terræ Deus, nonne & cœli & terræ Deus, cùm vtique per illum facta sunt omnia? quis posset dicere non esse Deum suum? sed non omnes homines agnouerunt Deum suum, & vbi agnoscebatur, quasi ibi tantùm Deus erat. Notus in Iudæa Deus. Nondum filius Chore *Filius Calui, id est Christi decaluati in Caluaria, cuius & Gentiles filij futuri erant, quibus hic Psalmus inscribitur* Dicebatur; omnes Gentes plaudite manibus. Ille enim Deus Notus in Iudæa, rex omnis terræ, Deus est. Iam ab omnibus agnoscitur, quia impletum est quod dicit Esaias cap. 54. Ipse Deus tuus qui eruit te vniuersæ terræ Deus vocabitur. Quoniam rex omnis terræ Deus. *Hactenus Augustinus.* August.

S. Augustin.

11. Duos Deos etiam dispares dicere nulla ratio persuadet, & summa Maiestas Dei prohibet. 1. Cont. Marc. cap. 5. in m. ad f. & 6. per totum.

CAP. VI.

IAm nunc, duo summa magna, duo paria, cui operæpretio, cui emolumento deputarentur? quid interfuit numeri, cùm duo paria non differant vno? Vna enim res est, quæ eadem in duobus est. Etiam si plura essent paria, tantundem omnia vnum fuissent; nullo inter se differendo, quà paria. Porrò, si neutrum ex duobus altero distat, iam vt ambo summa magna, quà Dei ambo, neutrum plus altero præstat, nullam rationem numeri sui ostendunt; præstantiam non habentes. Numerus autem diuinitatis summa ratione constare deberet; vel quoniam & cultura eius in anceps deduceretur. Ecce enim duos intuens Deos, tam pares quàm duo summa magna, quid facerem si ambos colerem? vererer ne abundantia officij, superstitio potius quàm religio existimaretur; quia duos tam pares, & in altero ambos possem in vno demereri: hoc ipso testimonium præstans parilitati & vnitati eorum, dum alterum in altero venerarer, dum in vno mihi duo sunt. Si alterum colerem, æque recogitarem, ne suffundere viderer numeri vanitatem, sine differentia superuacui; hoc est, tutiùs censerem neutrum colendum, quàm alterum cum scrupulo colendum, aut ambos vanè. Si adhuc videmur disputare, quasi Marcion duos pares constituat. Nam dum defendimus Deum summum magnum vnicum credi oportere, excludentes ab eo parilitatem, tanquam de duobus paribus, de his retractauimus: nihilominus tamen docendo pares esse non posse secundùm summi magni formam, satis confirmauimus duos esse non posse. alioquin certi Marcionem dispares Deos constituere; alterum iudicem, ferum, bellipotentem; alterum mitem, placidum, & tantummodo bonum atque optimum. Dispiciamus æquè & hanc partem, an diuersitas saltim duos capiat, si parilitas capere non potuit. Porro & hîc eadem regula summi magni patrocinabitur nobis; vtpote quæ totum statum vendicet diuinitatis. Conueniens enim & quodammodo iniecta manu detinens aduersarij sensum non negantis Creatorem Deum, iustissimè præscribo illi diuersitati locum non esse inter eos, qui ex æquo Deos confessus non potest facere diuersos. non quia non & homines licet sub eadem appellatione diuersissimos esse; sed quia Deus non erit dicendus, quia nec credendus, nisi summum magnum. Cùm ergo summum magnum cogatur agnoscere quem Deum non negat, non potest admitti vt summo magno aliquam adscribat diminutionem, quà subiiciatur alij summo magno. Definit enim, si subiiciatur. Non est autem Dei, desinere de statu suo, id est, de summo magno. Nam & in illo Deo potiore periclitari poterit summum magnum, si depreciari capit in Creatore. Ita, cùm duo dij pronuntiantur duo summa magna, necesse est neutrum altero aut maius sit, aut minus; neutrum altero aut sublimius, aut dejectius. Nega Deum, quem dicis deteriorem: nega summum magnum, quem credis minorem. Deum verò confessus, vtrumque duo summa magna confessus es. Nihil alteri adimes, aut alteri adscribes. Agnoscens diuinitatem, negasti diuersitatem.

DEI VNIVS NOTITIA. XI. SCHOLIA.

DEPVTARENTVR. *Computarentur, numerarentur, vel, vt quid, cui bono imputarentur? quorsum dij plures inducuntur, cum duo, in vno eodemque summo magno conuenientia, iam duo non sint, sed vnum.* NON DIFFERANT VNO. *Plus vno, plusquam vnus: cùm duo paria, in eo quod paria sunt, vnũ sint in vno conueniant, in illo non differant. Et quidẽ si duo ſiij essent, summi essent quia natura diuinitatis est summa, plena omni bono, cui nulla prorsus perfectio deest. Vnde illi duo, vel eandem, non dico specie tantum, sed & numero, summitatem possiderent, & sic diuersi numero non essent; vel haberent quisque numero saltem diuersam: Et sic neuter Deus esset; quia vtrique summa alterius perfectio deesset. Cum ergo Marcion Creatorem Deum esse fateatur, & quidem suo Deo per opera longè priùs cognitum, Deum suum nullum esse, licet inuitus, fateri cogitur.* TANTVMDEM, *Non minus vnum essent.* QVA PARIA, *In quantum equalia.* ALTERO, *Ab altero.* PRÆSTANTIAM. *Eminentiam super alterutrum non habentes.* SVMMA RATIONE. *Numerus ille diuinitatis si esset, deberet insignis eius ratio assignari, nulla autem omnino dari potest.* VEL QVONIAM. *Duo dij non sunt, necesse credendi sunt, quando hac sola ratio esset, quòd anceps haereret animus, quẽ è duobus colere deberet.* ABVNDANTIA OFFICII, *Cultu diuini nimietas & excessus.* IN ALTERO AMBOS, *Cùm vnus contineret vtriusque perfectionem, frustra & superstitiosè duos coleret.* SVFFVNDERE, *Pudore afficere.* VANITATEM, *Inutilitatem. Nec aduerterim quidem differentiam in superuacuo Deo,* CVM SCRVPVLO, *Offendendi eum, cuius nec meminissem.* VANE, *Cùm vnus sufficiat, totam & summam amborum perfectionem continens.* RETRACTAVIMVS, *Tractauimus.* DISPARES DEOS, *Deum Creatorem, iudicem, vltorem, malum; & Deum bonum atque optimum Marcionis.* SALTIM *Saltem.* DIVERSITAS, *Contrarietas.* CAPIAT, *Admittat.* CONVENIENS, *Vexeris, coram iudice compellens Marcionem, vt agnoscat scripturam suam, vt ex concessis, vt* Ore proprio seruus nequam iudicetur. INIECTA MANV, *Quasi in captum aduersarium.* HOMINES LICET. *Possum esse homines in aliqua perfectione diuersi & dispares, licet & nomine & specie sint vnum.* DESIIT, *Supple esse summè magnus.* DESINERE. *Cessare, minui, degradari à summa magnitudine.* POTIORE, *Praestantiore, meliore scil. Deo Marcionis.* CAPIT, *Si dici potest de Creatore, quod sit inferioris pretij, & minor Deo Marcionis, cùm ne nen Dei inc'udat summum aliquid. Idem potuit dici de Deo Marcionis.* NEGA *Melius feciſſes* Marcion, *si negasses nomen Dei, Creatori: Nam eo ipso quòd eum Deum appellasti, inuitus eum summè magnum confiteris est necesse, & proinde in nullo Deo suo inferiorem.* NIHIL ALTERI. *Auferet, quia immutabilis est.* ADSCRIBES, *Quod non habeat iam, summè perfectus, cui nihil adiici potest.* NEGASTI DIVERSITATEM, *Quia duo dij diuersi esse non possunt. Quicumque enim Deus est, vnus est, nec aequalem patitur, qui summus est. Nec hic articulus stuat, praeterito Aug. sic in rem Tertul. to. 3. lib. 1. de Doctri. Christ. cap. 7.* Cum ille vnus cogitatur deorum Deus, ab his etiam qui alios & suspicantur, & vocant, & colunt (*Sicut Marcion Deum suum nouum* Deos, siue in cœlo, siue in terra, ita cogitatur, vt aliquid quo nihil melius sit atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere. Sanè quoniam diuersis mouentur bonis, partim eis quæ ad corporis sensum, partim eis quæ ad animi intelligentiam pertinent, illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cœlum, aut quod in cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum, Deum deorum esse arbitrantur; aut si extra mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infinitum, vel eà forma quæ optima videtur, inani suspicione, aut si humani corporis figuram cogitant, sic eam cæteris anteponunt. *Et nullum aequalem sentiunt,* &c. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus & corporalibus, intelligibilibus etiam & spiritalibus, omnibus mutabilibus præferunt. Omnes tamen pro excellentia Dei certatim dimicant: nec quisquam inueniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt. *En vt Augustinus summatim à Tertull. hic dicta collegit.* S. August.

12. *Deus vnus & idem Christi & Prophetarum cuius & idem Apostolus Iudaeos occisores increpat. 5. Cont. Marc. cap. 15. à p.*

OCciderant Iudei Prophetas suos. Possum dicere, Quid ad Apostolum Dei alterius, & quidem optimi, qui nec suorum delicta damnare dicatur, quique & ipse Prophetas eosdem destruendo quodammodo perimat? Quid enim mali admisit apud illum Israël, si occidit quos & ille reprobauit? si prior inimicam in eos sententiam statuit? deliquit autem apud Deum ipsorum. Is exprobrauit iniquitatem, ad quem pertinet læsus: certè quiuis alius, quàm aduersarius læsi. Sed nec oneraſſet illos, imputando etiam Domini necem, *Qui & Dominum interfecerunt*, dicendo. *Et Prophetas, suos*; Licet, suos, adiectio sit hæretici. Quid enim tam acerbum, si alterius Dei prædicatorem Christum interemerunt, qui sui Dei Prophetas, contrucidauerunt? Status autem exaggerationis, quòd & Dominum & famulos eius peremiſſent. Denique, si alterius Dei Christum, alterius Prophetas peremerunt, æquauit impietates, non exaggerauit. Æquanda autem non fuit, ergo exaggerari non potuit, nisi in eundem Dominum commiſſa, ex vtroque titulo. Ergo eiusdem Dei Christus & Prophetæ. 1. Theſſ. 2. 15. Ibid.

DEI VNIVS NOTITIA. XII. SCHOLIA.

OCCIDERANT IVDÆI. *1. Theſſ. 2. 14 & ſeq.* Eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis: qui & Dominum occiderunt Ieſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes nos Gentibus loqui vt ſaluæ fiant, vt impleant peccata ſua ſemper: peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem. *Hic inducit Paulũ exprobrantem Iudæis, quòd Dei ſui Creatoris Prophetas, & Chriſtũ eiuſdem occidiſſent. vt probet contra Marcionem, quod centies repetit, Deum Creatorem, Deum eſſe vtriuſque legis authorem, Chriſti Patrem, Prophetarum, & Apoſtolorum Deum.* QVID AD APOSTOLVM, *Vt quid Paulus ſuſtineret cauſam Dei Creatoris contra Propheticidas, niſi Apoſtolus eſſet eiuſdem Dei? cùm aliàs gratum præſtitiſſent obſequium Deo Marcionis, cuius ſi Paulus fuiſſet Apoſtolus, Iudæos potiùs laudaſſet de hoc homicidio, quàm arguiſſet.* OPTIMI. *Dei ſcil. Marcionis, qui cùm ſeuerus non ſit, vel in proprios ſubditos, nec Apoſtolus eius debuiſſet ſeuerè arguere Iudæos.* ET IPSE. *Idem Deus Marcionis, ſeueritatem tamen magnam exercuit, & veluti prophetas occidit, cùm ſecundùm opinionem Marcionis, & contra ſententiam Pauli Prophetias non tantùm ſpreuit, ſed deſtruxit.* QVID ENIM MALI, *&c. Certè Iudei non offendiſſent, imò honoraſſent Deum nouum, Marcionis Prophetarum deſtructorem eos occidendo.* DEVM IPSORVM, *Creatorem, veteris legis & Prophetarum Deum.* IS, *Apoſtolus.* LÆSVS, *Deus Creator, id eſt niſi Paulus peruenuiſſet ad Deum Creatorem, qui læſus fuerat à Iudeis in occiſione Prophetarum ſuorum, non curaſſet eos arguere.* CERTE, *&c. Per ſe patet quòd quicunque alius indifferenter hoc crimen potiùs arguiſſet, quàm Apoſtolus Dei Marcionis, aduerſarius Dei Creatoris; quis enim aduerſarij ſui partes tueatur?* ONERASSET. *Preueronus Chriſticidij, imponendo illis homicidium Prophetarum.* ADIECTIO HÆRETICI. *Aduenæ morem hæreticorum, falſariorum ſcripturæ. Syriaca lectio addit communi verſioni.* Et Prophetas, qui ex ipſis erant. *Id eſt ex ipſorum homicidarum gente.* QVID ENIM, *&c. Non magna Iudeis culpa fuiſſet, ſi Chriſtum aduerſarium Dei ſui occidiſſent, qui nec proprij Dei Prophetis pepercerãt.* STATVS AVTEM, *&c. In hoc apparet, & conſtat Pauli exaggeratio, quòd non tantùm Prophetas, ſed & Chriſtum proprij Dei ſui occiderint.* ALTERIVS. *Dei Marcionis.* ALTERIVS, *Creatoris* ÆQVANDA NON FVIT, *Sine quòd plus ſit Chriſtũ occidiſſe, ſiue quòd ſuos Prophetas occidiſſe, grauius ſit, quàm Chriſtum aduerſarij Dei filium. Vnum atque eundem Deum vtriuſque Teſtamenti Authorem, Chriſti & Prophetarum apte probat Aug. to. 1. lib. de vera Relig. cap. 17.* Quoniam pietas timore inchoatur, charitate perficitur, populus timore conſtrictus tempore ſeruitutis, in veteri lege multis Sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus vtile erat ad deſiderandam gratiam Dei, quæ per Prophetas ventura canebatur. Quæ vbi venit, ab ipſa Sapientia homine aſſumpto, à quo in libertatem vocati ſumus, pauca Sacramenta ſalubertima conſtituta ſunt, quæ ſocietatem Chriſtiani populi, hoc eſt ſub vno Deo liberæ multitudinis continerent. Multa verò quæ populo Hebræo, hoc eſt ſub eodem vno Deo compeditæ multitudini erant impoſita, ab actione remota ſunt, in fide atque interpretatione remanſerunt. Ita nunc nec ſeruiliter alligant, & exercent liberaliter animum. Quiſquis autem ideò negat, *Sicut Marcion*, Vtrumque Teſtamentũ ab vno Deo eſſe poſſe, quia non eiſdem Sacramentis tenentur populus noſter, quibus Iudæi tenebantur, vel adhuc tenentur: poteſt dicere, non poſſe fieri vt vnus Paterfamilias iuſtiſſimus, aliud imperet eis, quibus ſeruitutem duriorem vtilem iudicat, aliud eis, quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ mouent, quòd in veteri legè minora ſunt, in Euangelio maiora; & ideò putatur non ad vnum Deum vtraque pertinere; poteſt qui hoc putat, perturbari, ſi vnus Medicus alia per miniſtros ſuos imbecillioribus, alia per ſeipſum valentioribus præcipiat ad reparandam vel obtinendam ſalutem. Vt enim ars medicinæ cùm eadem maneat, neque vllo pacto ipſa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo: Ita diuina prouidentia cùm ſit omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè ſubuenit, & pro diuerſitate morborum, aliis alia iubet aut vetat? vt à vitio vnde mors incipit, & ab ipſa morte ad naturam ſuam & eſſentiam, ea quæ deficiunt, id eſt ad nihilum tendunt, reducat & firmet. *Sed Iudæi & miniſtros medici, & medicum ipſum ſicut phrenetici, vt ſæpè eos vocat idem Aug. Hoc eſt & Prophetas, & Chriſtum occiderunt, quos Paulus Apoſtolus Dei Creatoris, frequens prophetarum citator, & tueri hic arguit.*

Augu.

DEI ATTRIBVTA.

DEI ÆTERNITAS.

De vera Æternitate, non de vetuſtate, aut nouitate, vera Diuinitàs gloriatur. 1. Cont. Marc. cap. 8. à. p. ad fin.

HÆc erit nouitas, quæ etiam ethnicis Deos peperit, nouo ſemperac nouo titulo conſecrationis cuiuſque. Quis Deus nouus, nili falſus? Ne Saturnum quidem tanta hodie antiquitas Deum probabit, quia & illum nouitas aliquando produxerit, quum primum conſecrauit. Atenim viua & germana diuinitas, nec de nouitate, nec de vetuſtate, ſed de ſua veritate cenſetur. Non habet tempus æternitas. Omne enim tempus ipſa eſt. Quod facit, pati non poteſt. Caret ætate, quod non licet naſci. Deus ſi eſt vetus, non erit: ſi eſt nouus, non fuit. Nouitas initium teſtificatur, vetuſtas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio & fine eſt, quàm à tempore, arbitro & metatore initij & finis.

DEI ATTRIBVTA.

DEI ÆTERNITAS. SCHOLIA.

NOVITAS. *Pugnit Marcionem Deum nouum inducentem, eumque comparat Gentilibus, subinde Deos nouos consecrantibus, quibus nouos titulos & nomina imponebant* NE SATVRNVM, *Deorum antiquissimum & ipsius summi Iouis Patrem.* VIVAT, *Cùm alij dij sint homines mortui.* CENSETVR. *Æstimatur, commendatur.* OMNE TEMPVS. *Quia coëxistit numquam fluens, sed semper eadem manens omni tempori præterfluenti.* QVOD FACIT. *Æternus Deus, tempus fecit, & cœlum & numerum motus secundùm prius & posterius, & luminaria magna & parua.* Vt sint in tempora, & dies, & menses, & annos. Qui fecit lunam in tempora, &c. PATI NON POTEST. *Author temporis, non est subiectus tempori, nisi cum æternus Dei filius nasci voluit in tempore. Aug. tract. 2. in 1. Io. 2 in verba,* Augusti. Quia cognouistis eum qui à principio est. Principium enim ad Paternitatem pertinet. Nouus Christus in carne, sed antiquus in diuinitate, Quam antiquum putamus? quot annorum? putamusne maior quàm mater sua? maior planè quàm mater sua: omnia enim per ipsum facta sunt; si omnia, & ipsam Matrem antiquus fecit, de qua nasceretur nouus. Putamus-ne ante matrem solam? Et ante auos matris antiquos. Auus matris ipsius Abraham, & Dominus dicit, antè Abraham ego sum. Ante Abraham dicimus? cœlum & terra antequam esset homo, facta sunt; ante ipsa fuit Dominus, imò est. Optimè enim non ait, ante Abraham ego fui, sed ante Abraham ego sum. Quod enim dicitur, quia fuit, non est: & quod dicitur, quia erit, nondum est. Ille non nouit nisi esse. Secundùm quod Deus est, esse nouit: fuisse & futurus esse non nouit. Dies est ibi vnus, sed sempiternus: non ponunt illum diem in medio, hesternus & crastinus: hesterno enim die finito, incipiens hodiernus, venturo crastino finitur. Ille vnus dies ibi est, sine tenebris, sine nocte, sine spatiis, sinè mensura, sine horis. Quod vis, illum dic. Si vis dies est, si vis annus est, si vis anni sunt. Dictum est de ipso: Et anni tui non deficient. Quomodo autem dictus est dies? quando dictum est Domino; ego hodie genui te. Ab æterno Patre genitus, nullo initio, nullo fine, nullo spatio latitudinis, quia ipse est, qui est. Et nomen suum dixit Moysi, dices eis; qui est misit me ad vos. Quid ergo? Ante Abraham? quid ante Noë? quid ante Adam? audi scripturam, ante Luciferum genui te. Postremò ante cœlum & terram. Quare? quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. NON LICET. *Non potest. Agit de Deo Patre Creatore, ingenito.* NON ERIT, *Vim subsistere non poterit senio confectus.* ARBITRO, *&c. Quia tempus iudex est arbiter, & metator rerum, quæ constant initio & fine. Sine vt supra dixi,* Tempus est numerus & mensura motus secundùm prius, *Initium,* Et posterius; *Idest finem. Aug. porro lib. 9. Confess. cap. 10. in m. vbi de colloquio cum matre ante eius obitum:* Ascendebamus interius cogitando, & loquendo te, & mirando opera tua, & venimus in mentes nostras, & transcendimus eas vt attingeremus regionem vbertatis indeficientis, vbi pascis Israël in æternum veritatis pabulo, & vbi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, & quæ fuerunt, & quæ futura sunt: & ipsa non fit, sed sic est vt fuit, & sic erit semper: quin potius fuisse, & futurum esse non est in ea, sed esse solum, quoniam æterna est. Nam fuisse & futurum esse, non est æternum. *Expressius autem libr. 11. cap. 11.* O Sapientia Dei lux mentium, S. Augusti. nondum intelligunt quomodo fiant quæ per te, atque in te fiunt, & conantur æterna sapere; sed adhuc in præteritis & futuris rerum motibus cor eorum volitat, & adhuc vanum est. Quis tenebit illud, & figet illud vt paululum stet, & paululum rapiat splendorem semper stantis æternitatis, & comparet cum temporibus numquam stantibus, & videat longum tempus nisi ex multis prætereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum non fieri: non autem præterire quidquam in æterno, sed totum esse præsens, nullum verò tempus totum esse præsens; & videat omne præteritum propelli ex futuro, & omne futurum ex præterito consequi, & omne præteritum ac futurum ab eo quod semper est præsens creari & excurrere? quis tenebit cor hominis, vt stet & videat quomodo stans dicter futura & præterita tempora, nec futura, nec præterita æterniras? numquid manus mea valet hoc aut manus oris mei per loquelas agit tam grandem rem? *Tomo item 4. lib. 83. qq. quæst. 15.* Omne S. Augusti. præteritum iam non est, omne futurum nondum est Omne igitur & præteritum & futurum deest. Apud Deum autem nihil deest. Nec præteritum igitur, nec futurum, sed omne præsens est apud Deum. *Et quæst. 19.* Æternum cum propriè dicitur, S. Augusti. neque quidquam præteritum quasi transierit; neque quidquam futurum quasi nondùm sit, sed quidquid est, tantummodo est. *Et per hæc patet Deum Marcionis nouum & hodiernum, & prius incognitum, Deum non esse, sed Deum Creatorem ex æternitate Deum verum cognosci.*

DEI IMMVTABILITAS.

1. *Deus immutabilis est, licèt cultum Sabbathi nunc iusserit, nunc relaxauerit; opera humana, non autem Diuina vetando.* 2. *Cont. Marc. cap. 21. per totum.*

SIc & in cæteris contrarietates præceptorum ei exprobras, vt mobili & instabili; prohibentis sabbatis operari, & iubentis arcam circumferri per dies octo, id est, etiam sabbato, in expugnatione ciuitatis Hiericho. Nec sabbati enim inspicis legem, opera humana, non diuina prohibentem. Siquidem, [a] *Sex,* inquit, *Diebus operare, & facies omnia opera tua, septimâ autem die sabbata Domino Deo tuo; non facies in ea omne opus.* Quod? vtique tuum. Consequens enim est, vt ea opera sabbato auferret, quæ sex diebus supra indixerat: tua scilicet, id est, humana, & quotidiana. Arcam verò circumferre, neque quotidianum opus videri potest, neque humanum; sed & rarum, & sacrosanctum, & ex ipso tunc Dei præce- Iosue 6. 15. [a] Exo. 20. 9.

Digitized by Google

pto, vtique diuinum: quod & ipse quid significaret, ediffererem, nisi longum esset figuras argumentorum omnium Creatoris expandere, quas forsitan nec admittis. Sed plus est, si de absolutis reuincamini, simplicitate veritatis, non curiositate: sicut & nunc certa distinctio est sabbati, humana, non diuina opera prohibentis. Ideóque qui sabbatis lignatum ierat, morti datus est: suum enim opus fecerat, lege interdictum. Qui verò arcam sabbatis circumtulerant, impunè gesserunt: non suum enim, sed Dei opus, ex præcepto scilicet ipsius administrauerant.

Num. 15. 31. & seq.

2. Deus immutabilis est, licet imagines prohibuerit, ad Idololatriam, insserit in serpente æneo ad medelam; & in Cherub. & Seraph. ad ornamentum. 2. Cont. Marc. cap. 22. in p.

SImilitudinem vetans fieri omnium quæ in cœlo, & in terra & in aquis, ostendit & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes. subiicit enim, a *Non adorabitis ea, neque seruietis illis.* Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Mosi à Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos qui à serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedij. Sic & Cherubim & Seraphim aurea, in arcæ figuratum exemplum, certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diuersas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.

Exo. 20. 4. & 5. a Num. 21. 9. Exo. 25. 18.

3. Deus immutabilis est, licet sacrificia nunc horreat, nunc iisdem gaudeat, pro dispositione offerentis. 2. Cont. Marc. cap. 22. in fin.

DIximus de sacrificiorum rationali institutione; auocante scilicet ab idolis ad Deum officia ea: quæ si rursus eiecerat, dicens, a *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum?* Hoc ipsum voluit intelligi, quod non sibi ea propriè exegisset. b *Non enim bibam*, inquit, *sanguinem taurorum:* Quia & alibi ait, c *Deus æternus non esuriet, nec sitiet.* Nam etsi ad oblationes Abel aduertit; & holocausta Noe odoratus est libenter, quæ iucunditas siue viscerum veruecinorum, siue nidoris ardentium victimarum? Sed animus simplex & Deum metuens offerentium ea quæ à Deo habebant, & pabuli & suauis olentiæ gratia apud Deum deputabatur, non quæ fiebant exigentis, sed illud propter quod fiebant, ob honorem scilicet Dei. Si cliens diuiti aut regi nihil desideranti, tamen aliquid vilissimi munusculi obtulerit, quantitas & qualitas muneris infuscabit diuitem & regem, an delectabit titulus officij? At si cliens ei munera vltro, vel etiam edicta, ordine suo offerat, & solemnia regis obseruet, non ex fide tamen, nec corde puro, nec pleno circa cetera quoque obsequia, nonne consequens vt rex ille vel diues exclamet: d *Quo mihi multitudinem munerum vestrorum? plenus sum. Et, Solemnitates & dies festos & vestra sabbata odit anima mea*: Vestra dicendo, quæ secundùm libidinem suam, non secundùm Religionem Dei celebrando, sua iam, non Dei fecerant: conditionalem idcirco & rationalem demonstrauit recusationem eorum, quæ administranda præscripserat.

a Esa. 1. 11. b Psal. 49. 12. & 13. c Esa. 40. 28. Gen 4. 4. Gen. 8. 20. & 21.

d Esa. 1. 11.

DEI IMMVTABILITAS. L. II. III.

TRia hæc capita sub vno sibilio expono, vnum enim eundemque scopum in his attingit Tertull. vt probet contra Marcionem, Deum Creatorem non esse mutationi obnoxium, licet diuersis temporibus & causis, diuersa præceperit, nec duos inde concludendum esse Deos, vt vidimus ex Aug. Verbo, Dei vnius notitia *Num.* 12 quo remitto lectorem ad pleniorem horum trium capitum explanationem. Pauca quæ sunt aliqualiter difficilia breuiter attingam. IN CÆTERIS, *Veteris testamenti scripturis.* ET. *Deo Creatori.* EXPROBRAS, *Tu Marcion.* VT MOBILI. *Mutabili.* PER DIES OCTO. *Iosue 6. 16. Nulla versio octaua diei meminit: habetur enim in textu, vbi de circuitu arcæ circa muros Iericho*; Sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo diluculò consurgentes, circuierunt vrbem sicut dispositum erat, septies. 70. *Sic postrema reddunt*; Circuierunt ciuitatem in die illa septies. *Sed nihil ad rem, vel enim primo, vel vltimo die, sabbathum fuit, quo arca circumducta fuit.* INSPICIS LEGEM, *Cuius littera expressit opera humana tantùm prohibet. Exodi 20. 9* Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die, sabbathum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, &c. E DISSERERE M. *Edisserit Aug. Epist. 119. à p.* Illius ciuitatis muri, quæ Hierichò appellatur, quæ in Hebræo eloquio luna interpretari dicitur, septimo circuitu testamenti arcæ corruerunt. Quid enim nunc aliud agit annuntiatio regni cœlorum, quàm circuitio arcæ, nisi vt omnia munimenta mortalis vitæ; id omnis spes huius sæculi quæ resistit spei futuri sæculi, in dono septenario Spiritus sancti per liberum arbitrium destruantur? ob hoc enim circumeunte arca, non impulsu violento, illi muri cecidérunt, sed sponte. *ARGVMENTORVM, Locorum veteris testamenti, allegorias.* NEC ADMITTIS; *Qui litteram ipsam reprobas, etsi videaris sensuum abditorum & rerum spiritalium venator.* DE ABSOLVTIS. *Per aperta & conuincentia argumenta simplicis veritatis.* LIGNATVM ERAT, *Ad colligenda ligna. De quo alibi vt & de sabbatho plenè tractauimus.*

A

B

Augst.

a SIMILITVDINEM. *Exod. 20. 4. non facies tibi*

tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, Id. creaturarum cœleſtium, *Et quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea neque coles 70. autem:* Non facies tibi ipſi idolum, neć cuiuſquam ſimilitudinem eorum quæcumque ſunt in cœlo ſurſum, &c. TITVLVM *Cauſam.* DE FIGVRA. *Alibi verbo Crux locos huius rei retulimus Serpentem autem æneum rex Ezechias ob idololatriam contriuit. Vt notat Aug. lib. 10. de*
Auguſt. *ciuit. c. 8. vbi multa in veteri lege miracula decurrit:* Quid de illis miraculis dicam, quæ cùm in deſerto idem populus ductaretur ſtupenda diuinitate crebruerũt: aquas quæ bibi non poterant miſſo in eas, ſicut Deus præceperat ligno, amaritudine caruiſſe, ſitienteſque ſatiaſſe: Manna eſurientibus veniſſe de B cœlo: & cùm eſſet colligentibus conſtituta menſura, quidquid amplius quiſque collegerat, exortis vermibus putruiſſe: ante diem verò Sabbati duplum collectum, quia Sabbato colligere non licebat, nulla putredine violatum: deſiderantibus carne veſci, quæ nulla tanto populo ſufficere videbatur, volatilibus caſtra completa, & cupiditatis ardorem faſtidio ſatietatis extinctum: obuios hoſtes, tranſitumque prohibentes atque præliantes, orante Moyſe, manibuſque eius in figuram crucis extenſis, nullo Hebræorum cadente, proſtratos: ſeditioſos in populo Dei, ac ſeſe ab ordinata diuinitus ſocietate diuidentes, ad exemplum viſibile inuiſibilis pœnæ, viuos terra dehiſcente ſubmerſos: virgâ percuſſam petram tantæ multitudini abun- C dantiâ fluenta fudiſſe: ſerpentum morſus mortiferos immiſſos, ad pœnam iuſtiſſimam peccatorum, in ligno exaltato atque proſpecto æneo ſerpente ſanatos, vt & populo ſubueniretur afflicto, & mors morte deſtructa, velut crucifixæ mortis ſimilitudine ſignaretur: quem ſanè ſerpentem propter facti memoriam reſeruatum, cùm poſtea populus errans, tanquam idolum colere cœpiſſet, Ezechias Rex religioſa poteſtate Deo ſeruiens, cum magna pietate contriuit. *Vt habetur 4. Reg. 18.* Ipſe diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum. CHERVBIM. *Exo. 25.* 18. Duos quoque Cherubim aureos & produ- D ctiles facies ex vtraque parte oraculi. *70. tornatiles, & impones eos ex vtriſque lateribus propitiatorij*, &c. Vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium, quo operienda eſt Arca ET SERAPHIM. *Nulla omnino verſio meminit Seraphim.* IN FIGVRATVM. *In figuranda & decoranda Arca, quæ erat exemplum, id eſt figura Sanctiſſimi Sacramenti.* ACCOMMODATA SVGGESTVI, *Illa Cherub conuenientia erant apparatui & maieſtati Arcæ.* SIMILITVDO, *Idolum, repræſentatio creaturarum cœleſtium.* STATV DEPREHENSA, *Non erant poſita in Arca & Statuta, vt velut idola colerentur, ſed vt eam ornarent. Et hinc contra Iconomachos locus aptiſſimus.*

E 3. AVOCANTE. *Dixi Deum inſtè, & rationabiliter inſtituiſſe vetera Sacrificia, vt multiplicia eorum officia, populum ab idolorum cultu, ad Dei veri religionem conuerterent.* QVÒ MIHI *Eſa. 1. 11.* Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum: holocauſta arietum & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & hircorum nolui. NON ENIM BIBAM. *Pſal. 49. 12.* Pulchritudo agri mecum eſt, ſi eſuriero non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius. Numquid manducabo carnes Taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? &c. *In quem locum Aug.* S. Auguſt. Quomodo cum illo? vtrum & antequam fierent? cum illo enim erant omnia futura, & cum illo ſunt omnia præterita: futura, itaut non ei detrahantur omnia præterita. Cum illo ſunt omnia cognitione quadam ineffabili ſapientiæ Dei, in Verbo conſtituta, &c. Cum illo eſt totum, ſed non ſic cum illo eſt, vt aliquam ex his quæ creauit contagionem, aut eorum indigentiam patiatur, &c. Quoniam bonorum meorum non eges. Si Eſuriero, &c. Non eſuriet, neque ſitiet, neque laborabit, neque obdormiet qui cuſtodit Iſraël, &c. Dicta ſunt hæc ad conuincendum paruulum ſenſum, non quia profeſſus eſt Deus eſuriem ſuam: quamquam propter nos Deus ille deorum eſurire dignatus eſt. Venit eſurire, & ſaginare: venit ſitire & potum dare, venit veſtiri mortalitate, & veſtire immortalitatem: venit pauper, diuites facturus. Etenim non perdidit diuitias ſuas aſſumendo paupertatem noſtram, quia in illo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, &c. Numquid manducabo? &c. Nihil tale Deo offerre cogitetis. Si habes taurum pinguem, occide pauperibus, manducent ipſi carnes taurorum, &c. Quod cùm feceris, imputabit tibi ille qui dixit, ſi eſuriero non dicam tibi, & dicet tibi, eſuriui, & dediſti mihi manducare, &c. NON SIBI, *Tanquam his indigeret, ſed ob populi ſalutem, ne idolis immolaret.* ALIBI AIT. *Id multo labore reperi apud 70. Eſa.* 40. 28. Non eſuriet neque laborabit. ANIMVS SIMPLEX. *Intentio pura.* GRATIA DEPVTABATVR. *Apud Deum pro ſuaui odore habebatur.* EXIGENTIS, *Dei ſcilicet.* INFVSCABIT, *Inhonorabit, confundet quaſi indignum.* TITVLVS, *Cauſa, reſpectus obſequij exhibiti.* SOLEMNIA REGIS. *Feſta natalium & inaugurationis; vel quæ ei grata ſunt.* LIBIDINEM, *Voluntatem, pro libito:* In ieiuniis veſtris inuenitur voluntas veſtra. RELIGIONEM, *Cultum & beneplacitum Dei.* SOLEMNITATES. *Eſa. 1. 13.* Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi, neomeniam & Sabbatum & feſtiuitates alias, non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri: calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea, facta ſunt mihi moleſtia, laborani S. Auguſt. ſuſtinens. *Aug. in rem Tertull. præciſè to. 6. lib. 1. Cont. aduerſarium legis & Prophet vbi præfatum locum Pſalmi excurrit cap. 18.* De ſacrificio, iſte valde nihil ſapit, & ideò fallitur, quia iam ſacrificia talia non offert populus Dei Deo, poſteaquam venit vnicum ſacrificium, cuius vmbræ fuerunt illa omnia, non hoc improbantia, ſed hoc ſignificantia, &c. Vnum ſciant inſipientes tardi ad intelligendum, & præcipites ad reprehendendum, quòd dæmon ſibi ſacrificium non exigeret, niſi Deo vero deberi ſciret, falſus enim Deus ſic ſe vult honorari ab eis quos decipit, quomodo verus Deus honoratur ab eis, quibus conſulit: & maximè ſacrificium eſt, quod præcipuè debetur Deo, &c. Sacrificiis autem Deum non egere quis neſcit? ſed nec laudibus eget. Verùm ſicut nobis, non illi vtile eſt laudare Deum, ſic nobis, non illi vtile eſt offerre ſacrificium Deo, &c. *Inde decurrit Pſalmum præ-* S. Auguſt. *fatum. Et concludit:* Iſti autem vaniloqui reprehenſores veteris teſtamenti, *Qualis erat Marcion.* Etiamſi cætera quæ commemoraui de hoc pſalmo, minus intelligunt, ſufficiat eis, quantùm ad præſentem quæſtionem attinet, quia Deus Prophetarum, qui Deus eſt etiam Apoſtolorum, non manducat taurorum carnes, nec ſanguinem potat hircorum. Talem quippè eum nouerant Sancti, qui pleni eius ſpiritu iſta dicebant; vnde illud quod Dauid obtu-

it vt populo parceretur, vmbra erat futuri, qua significatum est, quod per vnum sacrificium, cuius

A illa figura erant, saluti populi spiritaliter parcitur.

4. Deus immutabilis licet eosdem reprobet quos probauit; & probet quos reprobandos praeuidit: secundùm praesentem statum iustè iudicans. 2. Cont. Marc. cap. 23. per totum.

SI verò etiam circa personas leuem vultis intelligi, quum reprobat aliquando probatos; aut improuidum, quum probat quandoque reprobandos, quasi iudicia sua aut damnet praeterita, aut ignoret futura: atquin nihil tam bono iudici conuenit, quàm pro praesentibus meritis & reiicere & adlegere. Adlegitur Saül, sed nondum despector Prophetæ Samuelis, Rejicitur Salomon, sed iam à mulieribus alienis possessus, & idolis Moabitarum & Sidoniorum mancipatus. Quid faceret Creator, ne à Marcionitis reprehenderetur? Benè adhuc agentes prædamnaret iam propter futura delicta? Sed Dei boni non erat, nondum merentes prædamnare. Proinde peccantes nunc non recusaret propter pristina beneficta? Sed iusti iudicis non erat, rescissis iam bonis pristinis, scelera donare. Aut quis hominum sine delicto, vt eum Deus semper adlegeret, quem nunquam posset recusare? Vel quis item sine aliquo bono opere, vt eum Deus semper recusaret, quem nunquam posset adlegere? Exhibe bonum semper, & non recusabitur: exhibe malum semper, & nunquam adlegetur. Ceterùm, si idem homo, vt in vtroque pro temporibus, in vtroque dispungetur à Deo, & bono, & iudice, qui non leuitate aut improuidentia sententias vertit sed censui â grauissimâ & prouidentissimâ, merita temporis cuiusque dispensat.

1. Reg. 9. 2. & 13. 1. 3. Reg. 11. 4. & seq.

DEI IMMVTABILITAS. IV. SCHOL.

CIRCA PERSONAS. *Sicut & circa doctrinam, vos Marcionite, Deum nostrum Creatorem mutabilem censuistis.* DAMNET. *Condemnet, retractet.* ATQVIN, *Atqui, quinimo.* ADLEGERE. *Vox frequens Auctori significans adoptare, recipere, approbare, assumere.* BONO ET IVDICI. *Vtrumque in vno Deo nostro attributum aptè coniungit, cùm Marcion stultè Deos fingat duos, Creatorem iudicem, ideoque ob seueritatem & vltionem, malum: alterum suum, bonum tantùm, nec iudicem, nec vltorem.* PRO PRÆSENTIBVS. *Hoc est quod vsu in scholis dicitur, Deus secundùm presentem iustitiam quosdam approbare, quos tamen ob finalem iniustitiam & impœnitentiam, est in aternum reprobaturus.* ADLEGITVR SAVL, *Tum electus, cum de eo dicitur, 1. Reg. 9. 2.* Et erat ei, *Scilicet Cis,* Filius, vocabulo Saül electus & bonus: & non erat vir de filiis Israël melior illo. B. 70. *autem* Pulchrior illo. *Quis pulcherrimum & optimum tunc existentem, Deo probabilem, electum, dilectum, abnuat?* NONDVM DESPECTOR. *Quis item non reprobabilem censeat, mutatum à bonitate in malitiam, monita Samuelis contemnentem, Deo inobedientem, Pythonissa, proindeque Diaboli consultorem, iniustissimam Dauidis inuidum & persecutorem, sui ipsius interemptorem? Sic manente & constante veritate, qua dixit Dominus:* Ego Deus & non mutor; *Mutatur homo, & Dei facie manente immota, modò homo auertitur à Deo, modo ad Deum conuertitur. Saül itaque pro puero innocuo habetur, dum de eo dicitur, 1. Reg. 13. 1.* Filius vnius anni erat Saül, cum regnare cœpisset. *Post inobedientiam autem, 1. Reg. 15. 10.* Factum est Verbum Domini ad Samuël dicens: pœnitet me quòd constituerim Saül Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit. 70. *verò,* Reuocaui me, quia regnare feci Saül in Regem, quoniam auertit se post me, & verba mea S. Augus. non seruauit. PRÆDAMNARET. *Aug. respondet menti Tertulliani Ep. 105. ad Sixtum, alibi iam relata; sicut etiam lib. de predest. Sanctorum cap. 14. & lib. de dono perseuerantia cap. 9. & 10. Vbi inter cætera, cum de Sidone & Tyro conuertendis si miracula coram eis facta fuissent:* Si secundùm facta quæ facturi erat, si viuerent, mortui iudicantur, profectò quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis

A fuisset Euangelium prædicatum, non sunt vtique puniendi: punientur autem: falsum est igitur & secundùm ea mortuos iudicari quæ facturi essent, si ad eos viuentes Euangelium peruenisset, &c. *Sed quis iustus, nunc benè agentem damnet, ait Tertull. quanquam postea sit malè facturus, & tunc, si in peccato moriatur, iustè damnandus.* PROINDE. *Similiter.* RECVSARET, *Reprobaret. Sicut Deus bonus iam præsenti tempore iustum non damnat propter futura demerita, sic nec debet approbare nunc peccantem propter preterita beneficta.* RESCISSIS. *Mortificatis per peccata mortalia sequentia, precedentibus meritis.* DONARE, *Condonare, parcere præsentibus delictis.* SINE DELICTO. *Perseueret.* Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. SEMPER ADLEGERET. *Semper, semel in sua gratia positum, in ea conseruare teneretur. Certum tamen est semel ab eterno electum ad gloriam, quamuis frequenter in vita, etiam per peccata mortalia excidat à gratia, non posse finaliter à Deo recusari, id est reprobari; & sicut de reprobo finaliter, & ab eterno præscito in damnationem, scriptum est:* Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit: *Sic & de electis:* Ego cognosco oues meas, &c. Nemo rapiet eas de manu mea. Firmum fundamentum Dei stat, nouit Dominus qui sunt eius. Vt secundùm propositum electio Dei maneret, &c. Sine pœnitentia sunt dona Dei, & vocatio, &c. VT IN VTROQVE, *Nunc bono, nunc malo merito, pro diuersitate temporum.* IN VTROQVE DISPVNGITVR. *Remunerabitur, iudicabitur.* C VERTIT, *Mutat. Hac de re frequenter Aug. simul etiam respondens curiosè quærenti, cur præsciens Deus peccaturos & damnandos, reprobandosque creauerit, & ad tempus adlegerit: vnicum profero locum ex lib. 14. de Ciuit. cap. 26.* Omnipotenti Deo summo ac summè bono Creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarũ adiutori ac remuneratori, malarum autem relictori & damnatori, vtrarumque ordinatori; non defuit vtique consilium, quo certum numerum ciuium in sua sapientia prædestinatum etiam ex damnato genere humano suæ ciuitatis, impleret: non eos iam meritis, quandoquidem vniuersa massa, tanquam in vitiata radice

August.

damnati est, sed gratia discernens, & liberatis, non solum de ipsis, verum etiam de non liberatis, quid eis largiatur, ostendens. Non enim debita, sed gratuita bonitate tunc se quisque agnoscit eruptum à malis; cum ab eorum hominum consortio fit immunis, cũ quibus illi iusta esset pœna cõmunis. Cur ergo nó crearet Deus quos peccaturos esse præsciit quandoquidẽ in eis & ex eis, & quid eorũ culpa mereretur, & quid suâ gratiâ donaretur, posset ostendere, nec sub illo creatore & dispositore, peruersa inordinatio delinquentium, rectum peruerteret ordinem rerum. *Licet porrò mutabiles & defectibiles creaturæ, pro diuersis temporibus mereantur nunc probari, nunc reprobari à Deo, fixum tamen & æternum est Dei circa omnia mutabilia iudicium dicente Psalmista:* Consilium Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generationem & generationem. *De pœnitentia autem circa Saülem, & reprobatione Salomonis fusè Aug. lib 17. de Ciuit. c. 7. vbi sic concludit:* Diuisio verò illa, quam Deus sub persona Saülis, illius regni & populi figuram gerentis, eidem regno populóque minatus est, æterna atque immutabilis significata est; per hoc quod adiunctum est: & non conuerteretur, neque pœnitebit eum: quoniam non est sicut homo, vt pœniteat eum: ipse minatur, & non permanet; id est homo minatur, & non permanet; non autem Deus, quem non pœnitet, sicut hominem. Vbi enim legitur, quod pœniteat eum, mutatio rerum significatur, immutabili præscientia manente diuina: vbi ergo non pœnitere dicitur; non mutari intelligitur. Prorsus insolubilem videmus per hæc verba prolatam diuinitus fuisse sententiam de ista diuisione populi Israël, & omnino perpetuam.

S. Augustin.

1. *Deus immutabilis, licet in Saüle & Niniuitis pœnitere dicatur. Primò enim pœnitet de gratia data ingrato: Secundò de pœna Niniuitis inferenda. 2. Cont. Marc. cap. 24. per totum.*

SIc & pœnitentiam apud illum prauè interpretaris, quasi proinde mobilitate vel improuidentiã, immo iam ex delicti recordatione pœniteat: quoniam quidem dixerit, [a] *Pœnituit quòd regem fecerim Saül;* Præscribens scilicet, pœnitentiam confessionem sapere mali operis alicuius, vel erroris. Porrò non semper. Euenit enim in bonis factis pœnitentiæ confessio, ad inuidiam & exprobrationem eius, qui beneficij ingratus exiterit. sicut & tunc circa personam Saülis honorandam annuntiatur à Creatore. qui non deliquerat quum Saülem assumit in regnum, & sancto Spiritu auget: optimum enim adhuc; [b] *Qualis*, inquit, *non erat in filiis Israëlis*, Dignissimè adlegerat. Sed nec ignorauerat ita euenturum. nemo enim te sustinebit improuidentiam adscribentem Deo ei, quem Deum non negans, confiteris & prouidum. hæc enim illi propria diuinitas constat, sed malum factum Saülis (vt dixi) onerabat pœnitentiæ suæ professione; quam, vacante delicto circa Saülis adlectionem, consequens est inuidiosam potiùs intelligi, non criminosam. Ecce, inquis, criminosam eam animaduerto circa Niniuitas, dicente scriptura Ionæ: [c] *Et pœnituit Dominum de malitia quam dixerat facturum se illis, nec fecit.* Sicut & ipse Ionas ad Dominum: [d] *Propterea præueni profugere in Tharsos, quia cognoueram te esse misericordem & miserescentem, patientem, & plurimum misericordiæ, pœnitentem malitiarum.* Benè igitur quod præmisit optimi Dei titulum, patientissimi scilicet super malos, & abundantissimi misericordiæ & miserationis super agnoscentes & deplangentes delicta sua, quales tunc Niniuitæ. Si enim optimus qui talis, de isto priùs cessisse debebis, non competere in talem, id est in optimum, etiam malitiæ concursum. Et, quia Marcion defendit [e] *Arborem bonam malos quoque fructus non licere producere.* Sed malitiam tamen nominauit, quod optimus non capit; nunquid aliqua interpretatio subest etiam earum malitiarum intelligendarum, quæ possint & in optimum decucurrisse? Subest autem. Dicimus denique malitiam nunc significati, non quæ ad naturam redigatur Creatoris quasi mali, sed quæ ad potestatem quasi iudicis; secundùm quam enuntiarit, [f] *Ego sum qui condo mala.* Et, [g] *Ecce ego emitto in vos mala.* Non peccatoria, sed vltoria. quorum satis diluimus infamiam, vt congruentium iudici. Sicut autem, licet mala dicantur, non reprehenduntur in iudice; nec hoc nomine suo malum iudicem ostendunt; ita & malitia hæc erit intelligenda nunc, quæ ex illis malis iudiciariis deputata, cum ipsis competat iudici. Nam & apud Græcos interdum malitiæ pro vexationibus & læsuris, non pro malignitatibus ponuntur, sicut & in isto articulo. atque adeo, si eius malitiæ pœnituit Creatorem, quasi creaturæ reprobandæ scilicet, & delictum vindicandæ. Atqui nec vllum admissum criminosum reputabitur Creatori, qui iniquissimam ciuitatem dignè meritóque decreuerat abolendam. Ita, quod iustè destinauerat, non malè destinans, ex iustitia, non ex malitia destinarat; sed pœnam ipsam, malitiam nominauit, ex malo & merito passionis ipsius. Ergo, dices, si malitiam iustitiæ nomine excusas, quia iustè exitium destinarat in Niniuitas, sic quoque culpandus est, qui iustitiæ, vtique non pœnitendæ, pœnitentiam gessit. Immò nec iustitiæ, inquam, pœnitebit Deum, & superest iam agnoscere quid sit pœnitentia Dei. Non enim si hominem ex recordatione pluritum delicti, interdum & ex alicuius boni operis ingratia pœnitet, ideo & Deum proinde. In quantùm enim Deus nec malum admittit, nec bonum damnat; in tantùm nec pœnitentiæ boni aut mali apud eum locus est. Nam & hoc tibi eadem scriptura determinat, di-

[a] 1. Reg. 15. 11.
[b] 1. Reg. 9. 2. & 10. 10.
[c] Ion. 3. 10.
[d] Ion. 4. 2.
[e] Matth. 7. 18.
[f] Esa. 45. 7.
[g] Hierem. 18. 11.
[Ion. 3. 4.]

cente Samüele Saüli, [h] *Discidit Dominus regnum Israël de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo, optimo super te; & scindetur Israël in duas partes, & non conuertetur, neque pœnitentiam aget, quia non sicut homo est ad pœnitendum.* Hæc itaque definitio in omnibus aliam formam diuinæ pœnitentiæ statuit, quæ neque ex improuidentia, neque ex leuitate, neque ex vlla boni aut mali operis damnatione reputetur, sicut humana. Quis ergo erit mos pœnitentiæ diuinæ? Iam relucet, si non ad humanas conditiones eam referas. Nihil enim aliud intelligetur, quàm simplex conuersio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione eius possit admitti, etiam in homine, nedum in Deo, cuius omnis sententia caret culpa. Nam & in Græco sono, pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est, quam apud Deum pro rerum variantium sese occursu regi ostendimus.

b 1. Reg. 15. 28. & 29.

DEI IMMVTABILITAS. V. SCHOLIA.

APVD ILLVM *Quando legis, Marcion, in scripturis veteris testamenti; Deum pœnituisse; hanc pœnitentiam prauo sensu explicas, quasi Deus vel vgenda non præuiderit, vel sententiam mutauerit, vel quod indignius est, quasi aduertere postea se in facto deliquisse. Sicut cum & pœnituit eum quod Saulem, in Regem elegisset, de quo vide dicta precedenti Scholio.* PRÆSCRIBENS, *Præsupponis enim pœnitentiam omnem esse de malo opere, vel errore. Sed scito non semper sic accipi debere pœnitentiam. Fit enim etiam ad exprobrandum homini ingrato beneficium, & odium illi iustum pro tanto peccato concitandum.* HONORANDAM. *Honoratam regno.* SPIRITV AVGET. 1. *Reg.* 10. 10. Ecce cuneus Prophetarum obuiam ei: & insiluit super eum Spiritus Domini & prophetauit in medio eorum. CONSTAT, *Est certa diuinitatis proprietas, præscientia futurorum.* Futura annuntiate nobis, & dicemus quia dij estis vos. ONERABAT, *Exaggerabat, grauitatem peccati Saülis, eiusque de optimo in pessimum mutatione, dum professus est Deus pœnitere; id est, ego me ex obligatione iustitiæ, mutare & transferre sceptrum eius, qui à virtutis regno ad vitij seruitutem animi mobilitate transierat.* VACANTE DELICTO, *Cum Deus non peccasset Saülem eligendo, pœnitentia Dei nullam in Deo culpam ponit, sed inuidiam, id est odium concitat in Saülem Deo beneficentissimo ingratissimum.* CIRCA NINIVITAS. *Ionæ 3. 10.* Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? & vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. IPSE IONAS. *Iona. 4. 1. & seq.* Et afflictus est Ionas afflictione magna & iratus est. 70. *& confusus est.* Et orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine; numquid non hoc est Verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propterea præoccupaui vt fugerem in Tharsis: scio enim. 70. *quia sciebam quod tu misericors, &c. Et agens pœnitentiam super malitiis,* Quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.

BENE IGITVR, *Supplè cum Deo agitur, quod Ionas Deo nostro Creatori, Dei tui optimi & summè misericordis titulum, tribuis.* IN TALEM, *Tali, vel non cadere in talem.* MALITIÆ CONCVRSVM, *Non est locus vel minima malitia in optimo. Vnde fuitè Marcion Deum Creatorem malum nuncupat.* SED MALITIAM. *Inducit obiicientem Marcionem, Ionam dicere, Deum pœnitere de malitia faciendæ Niniuitis.* NON CAPIT, *Non est capax vel minimi mali, qui optimus est.* DECVCVRRISSE, *Accidisse optimo.* SVBIST, *Scil. interpretatio.* NVNC, *Hoc loco Iona, sicut & in similibus.* REDIGATVR. *Applicetur, reducatur. Professurem resipiscit indicia, malum peccati, malo pœnæ vleiscentis. Sic enim intelligendum est quod dixit Esa. & Ieremias. Esaias quidem cap. 45. 7.* Ego Dominus, & non est alter *Deus, tantum bonus Marcionis,* Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Bellum illi contrarium. 70. Et creans mala. *Ier. autem cap.* 18. 11. Ecce ego fingo contra vos malum, &c. 70. Fingo contra vos mala. *Versus autem 8.* Si pœnitentiã egerit gens illa à malo suo, quod loquutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. *Et versu 10.* Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam; pœnitentiam agam super bono, quod loquutus sum, vt facerem ei. 70. *nil differunt, nisi in plurali,* Malis, bonis. DILVIMVS, *Abstersimus infamiam, quam Marcion imponit Creatori; non enim dicitur malus quoad naturam suam, qua optima est, nec tanquam mali culpæ sit author, sed quod ex officio iudicis, mala pœna peccatoribus imponere debeat.* MALIS IVDICIARIIS, *Pœnis à iudice inflictis.* DEPVTATA, *Æstimata mala.* APVD GRÆCOS, *Sic Matthæi 6. interprete Hieronymo. In Verba orat. Dominica.* Sed libera nos à malo. *πονηρὸν, pro κακοῦ, accipitur, vt & apud alios scriptores Græcos κακὰ interdum vsurpatur, pro afflictione & miseria.* SCILICET, *Supple pœnituit.* DELICTVM, *Ob delictum puniendo.* EX MALO, *Pœnæ & doloris.* ET MERITO, *Peccati essentialiter mali, quod meruerat malum pœnæ.* INGRATIA, *Ingratitudine erga beneficum, quem pœnitet beneficisse ingrato.* PROINDE, *Similiter Deum pœnitet beneficisse ingratis, quorum beneficia ob ipsorum mutationem, mutat in pœnas.* AVT MALI, *Peccati.* DISCIDIT, 1. *Reg.* 15. 28. Scidit Dominus regnum Israël à te hodie. 70. *diuisit Dominus Regnum Israël, de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo bono super te,* Et tradidit illud proximo tuo meliori te. Porrò triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur; Neque enim homò est, vt agat pœnitentiam. 70. *autem;* Et diuidetur Israël in duo, & non auertet, *Id est non flectetur, non conuertetur,* Neque pœnitebit eum; quoniam non est sicut homo, vt pœniteat eum. DEFINITIO, *Qua constat Deum optimum esse, & immutabilem.* ALIAM FORMAM, *Omnino diuersam ab hominum imprudentium, mutabilium, peccato subiectorum pœnitentia.* MALI OPERIS, *A Deo commissi, aut boni imprudenter & iniustè collati.* DAMNATIONE, *Condemnatione.* CONDITIONES, *Si omnino diuersas qualitates ab humanis agnoscas in Dei pœnitentia* GRÆCO SONO, *μετανοία enim animi mutationem significat.* APVD DEVM REGI. *Pulchrè; non enim regitur Deus à pœnitentia, sed ea vtitur, absque vlla in se mutatione, quæ tota sit in creatura mutabili. Vnde Aug. 1. Confess. cap. 4.* Summe, optime, omnipotentissime, secretissime, Augustin.

& præsentissime, pulchertime & fortissime, stabilis & incomprehensibilis, immutabilis mutans omnia: numquam nouus, numquam vetus, innouans omnia, & in vetustatem perducens superbos, & nesciunt; semper agens, semper quietus; colligens & non egens; portans, & impleus, & protegens: creans & nutriens, & perficiens, &c. Pœnitet te, & non doles; iraſceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium. *Et lib. 15. c. 16.* Sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, & scis incommutabiliter, & vis incommutabiliter. Et essentia tua scit & vult incommutabiliter, & scientia tua est & vult incommutabiliter, & voluntas tua est & scit incommutabiliter. Nec videtur iustum esse coram te, vt quemadmodum se fecit lumen incommutabile, ita sciatur ab illuminato commutabili. *Quomodo Deus absque mutatione pœnitentiam agat videndus D. Thomas 1. p. q. 19. a. 7. ad. 1. Iustin. Mart. q. 36. ad Orthod. Theod. q. 50. in Gen. Rup. 4 in Gen 14. Chryſoſt. homil. 22. in Gen. Summatim dico; pœnitet Deum, non ſecundum animi affectum, ſed ſecundum operis effectum; nec per proprietatem, ſed per ſimilitudinem.*

Aug. to. 6 lib. 1. Contr. Aduerſ. legis & Propher. cap. 20. Non ſicut hominem, pœnitet Deum, ſed ſicut Deum. Quemadmodum, non ſicut homo iraſcitur, nec ſicut homo miſeretur, nec ſicut homo zelat; ſed omnia ſicut Deus. Pœnitentia Dei non eſt poſt errorem. Ira Dei non habet perturbati animi ardorem. Miſericordia Dei non habet compatientis miſerum cor; vnde in Latina lingua nomen accepit. Zelus Dei non habet mentis liuorem. Sed pœnitentia Dei dicitur, rerum in eius poteſtate conſtitutarum, hominibus inopinata mutatio. Ira Dei eſt vindicta peccati. Miſericordia Dei eſt bonitas opitulantis Zelus Dei eſt prouidentia, qua non ſinit eos, quos ſubditos habet, impunè amare quod prohibet. Vnde iſte, *Marcioni ſimilis, aduerſario pariter legis & Prophetarum, & Dei Creatoris*, Qui tam loquaciter exagitauit Dei pœnitentiam, diſcat primò, vix inueniri aliquid quod dignè de Deo dici poſſit: Sed plurima & penè omnia nos de illo dicere loquendi neceſſitate, quæ magis homines ex hominibus metiuntur, ſicut autem intelligenda de illo ſunt, vix à paucis & ſpiritalibus intelliguntur, &c. Citò videtur pœnitentia ſicut ab hominibus agitur, non cadere in Deum: Sed non citò videtur, etiam miſericordia ſicut homines miſerentur, non cadere in Deum, &c Sic ergo quando eum pœnitet, non mutatur, & mutat: ſicut quando iraſcitur, non mouetur & vindicat, & quando miſeretur, non dolet & liberat; & quando zelat, non cruciatur, & cruciat. *Deinde cum de pœnitentia Dei circa Saulem diciſſet, ſic concludit:* Ecce qui nouerat. *Agit de Samuele dicente Deum non pœnitere ſicut hominem;* Intelligère Deum ſine miſericordia *Condi miſeria;* Miſerantem, ſine ira iraſcentem, ſine zelo zelantem; ſine oblitione obliuiſcentem; ſine ignorantia neſcientem; ſine pœnitentia pœnitentem; non iſte *Aduerſarius legis vt Marcion* Qui ſecundum Verbum Dei non loquendo, & literas eius non conſiderando, & voces earum non aduertendo, factus eſt mutus latrator *Qui non habet nunc quod oblatret* Cæcus lector, ſurdus auditor. *Quod nec Deus mutatus ſit: contra Niniuem ſententiam ferens, pulchrè nouit Aug. in verſum Pſal. 50. incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* De incerto pœnitentiam egerunt, *Dicebant enim. quis ſcit ſi forte miſereatur noſtri?* Et certam miſericordiam meruerunt, &c. Aliter quidem videtur hominibus; & aliter viſum eſt Deo. Ego autem puto impletum fuiſſe quod Propheta prædixerat. Reſpice quæ fiunt Niniue, & vide quia euerſa eſt. Euerſa in malo, ædificata in bono: ſicut euerſus Saulus perſecutor, ædificatus Paulus prædicator. *Egregiè rurſum de iiſdem Niniuitis idem Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 24.* Niniuitæ in hac vita egerunt pœnitentiam, & ideò fructuoſam, velut in hoc agro ſeminantes, in quo Deus voluit cum lacrymis ſeminari, quod poſtea cum lætitia meteretur. Et tamen qui negabit quod Dominus prædixit in eis fuiſſe completum, niſi parum aduertat quemadmodum peccatores Deus non ſolùm iratus, verum etiam miſeratus euertat? Euertuntur enim peccatores duobus modis: aut ſicut Sodomitæ, vt pro peccatis ſuis ipſi homines puniantur: Aut ſicut Niniuitæ, vt ipſa hominum peccata pœnitendo deſtruantur. Factum eſt ergo quod prædixit Deus. Euerſa eſt enim Niniue, quæ mala erat; & ædificata eſt, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus atque domibus, euerſa eſt ciuitas in perditis moribus: ac ſic, quamuis Propheta fuerit contriſtatus, quia non eſt factum quod illi homines timuerunt illo Prophetante venturum, factum eſt tamen quod fuerat Deo præſcience prædictum, quoniam nouerat qui prædixit, quomodo in melius eſſet implendum *Cui addo, & ſententias Dei erga homines latas, mutabiles eſſe plerumque, quia non abſolutè late ſunt, ſed conditionaliter: ſicut noſter Tertullianus alibi dixit;* Machæræ conditionalis comminationem. *Sicut erat* Gladius Cherubin Paradiſi verſatilis. *Sic verſari & deflecti poteſt gladius ſententiæ Dei, ſic flante Pſalmiſta:* Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui. *Sic & Deus ipſe minatur, ſub conditione:* Niſi pœnitentiam egeritis, omnes vnul peribitis, *Erat ergo ſententia euerſionis Niniue conditionata, niſi pœnitentiam egiſſet. Pœnitet tandem Deum; id eſt, mutat ſententiam, non abſolutam, ſed conditionalem.* Mutat opera, non mutat conſilium.

DEI SAPIENTIA, ET SCIENTIA.

1. *Dei Sapientiam & ſcientiam, qua præſtinit & propoſuit in arcano prædeſtinationis, ante ſæcula, dare gloriam electis, per merita mortis ignominioſæ, filij ſui, nem o principum huius mundi cognouit. 5. Cont. Marc. cap. 6. à p. ad vltra m.*

CVr autem [a] *Ante ſecula Creatoris propoſuit gloriam noſtram?* Poſſet videri eam ante ſecula propoſuiſſe, quam introductione ſeculi reuelaſſet. At cùm id facit penè iam totis ſeculis Creatoris prodactis, vanè ante ſecula propoſuit, & non magis intra ſecula, quod reuelaturus erat penè poſt ſecula. non enim eius eſt feſtinaſſe in proponendo, cuius & retardaſſe in reuelando. Creatori autem competit vtrumque; & ante ſecula propoſuiſſe, & in fine ſeculorum reuelaſſe; quia & quod propoſuit, & reuelauit; medio ſpatio ſeculorum in figuris & ænigmatibus & allegoriis præminiſtrauit. Sed quia ſubiicit de [b] *Gloria noſtra;* [a] 1. Cor. 2. 7. [b] Ibid. 8.

Quòd eam nemo ex principibus huius æui ſcierit: ceterum, ſi ſciſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent: Argumentatur hæreticus, quod principes huius æui, Dominum, alterius ſcilicet Dei Chriſtum cruci confixerint; vt & hoc in ipſum recidat Creatorem. Porrò, cui ſuprà oſtendimus, quibus modis gloria noſtra, à Creatore ſit deputanda; præiudicatum eſſe debebit, eam quæ in occulto fuerit apud Creatorem, meritò ignotam etiam ab hominibus, virtutibus, & poteſtatibus Creatoris; quia nec famulis liceat conſilia noſſe dominorum; nedum illis apoſtatis angelis, ipſique principi tranſgreſſionis diabolo; quo magis extraneos fuiſſe contenderim, ob culpam, ab omni conſcientia diſpoſitionum Creatoris. Sed iam nec mihi competit, principes huius æui, virtutes & poteſtates interpretari Creatoris, quia ignorantiam illis adſcribit Apoſtolus: Ieſum autem, & ſecundùm noſtrum Euangelium, diabolus quoque in tentatione cognouit; & ſecundùm commune inſtrumentum, ſpiritus nequam [c] *Sciebat eum ſanctum Dei eſſe, & Ieſum vocari, & in perditionem eorum veniſſe.* Etiam parabola fortis illius armati, quem alius validior oppreſſit, & vaſa eius occupauit, ſi in Creatorem accipitur apud Marcionem, iam nec ignoraſſe vitra potuit Creator Deum gloriæ, dum ab eo opprimitur; nec in crucem eum figere, aduerſus quem valere non potuit; & ſupereſt vt ſecundùm me quidem credibile ſit, ſcientes, virtutes & poteſtates Creatoris, Deum gloriæ, Chriſtum ſuum crucifixiſſe, qua deſperatione & malitiæ redundantia, ſerui quoque ſceleſtiſſimi, Dominos ſuos interficere non dubitant. Scriptum eſt enim apud me, [d] *Satanam in Iudam introiſſe.* Secundùm autem Marcionem, nec Apoſtolus hoc loco paritur, ignorantiam adſcribi virtutibus Creatoris in gloriæ Dominum; quia ſcilicet non illas vult intelligi principes huius æui. Quod ſi non videtur de ſpiritalibus dixiſſe principibus, ergo de ſecularibus dixit; de populo principali vtique, non inter nationes; de ipſis archontibus eius, de rege Herode, etiam de Pilato; & quo, maior principatus huius æui, Romana dignitas præſidebat. Ita & quum deſtruuntur argumentationes diuerſæ partis, noſtræ expoſitiones ædificantur. Sed vis adhuc gloriam noſtram, Dei tui eſſe; & apud eum in occulto fuiſſe; & quarè adhuc eodem & Deus inſtrumento, & Apoſtolus nititur? Quid illi cum ſententiis Prophetarum vbique? [e] *Quis enim cognouit ſenſum Domini? & quis illi conſiliarius fuit?* Etiaïas eſt.

Math. 4. 11. Luc. 4. 34.
c Luc. 11. 22.
d Luc. 22. 3.
Pſal. 2. 2.
Eſa. 40. 13.
e 1. Cor. 2. 16.

DEI SAPIENTIA, ET SCIENTIA. I. SCHOLIA.

CVR AVTEM, *Agis contra Marcionem, abutentem Paulo; quem vult eſſe Apoſtolum Dei ſui noui; & de ipſo Deo nouo loqui, cum ait* 1. Cor. 2. 7. Loquimur Dei Sapientiam in myſterio, *Syr. in arcano* Quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus antè ſæcula, in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſæculi cognouit: Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed ſicut ſcriptum eſt *Eſa.* 64. 4. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt eum. *Quo ex loco Marcion Dei ſui ſapientiam & ſcientiam, & bonitatem iactare conatur. Sic autem eum retundit Tertull. cur inquit Deus tunc ſit ante ſæcula, qua Creator fecit, in principio creando cœlum & terram, Solem, Lunam, aſtra, vt eſſent in tempora & ſæcula.* POTUISSET VIDERI, *Fortè dices, tunc tunum ante ſæcula præſciiſſe, & decreuiſſe dare nobis gloriam æternam, per ignominiam mortis filij ſui, qui eſt Dominus gloriæ, quam in ipſo mundi initio reuelaſſet: ſed cum eam tantum reuelauerit poſt omnia penè ſæcula Creatoris elapſa, qua Deus tunc nihil operando, nullis operibus ſe Deum eſſe probando & manifeſtando, prodegit & conſumpſit; fruſtra gloriam noſtram propoſuit ante ſæcula, quæ poſt omnia ferè ſæcula reuelaturus erat. Vt quid enim tam velox & præceps ante ſæcula propoſuit apud ſe & decreuit reuelare, quod tam tarde reuelauit poſt omnia ſæcula. Creatoris autem proprium fuit, & ante ſæcula proponere, & in fine ſæculorum reuelare, quodipſe potuit in medio ſæculorum in figuris veteris legis delineare.* QVIA SVBIICIT. *Marcion ſcilicet, ad excuſandum Deum ſuum incognitum, qui nec operibus Creationis, nec miraculis, nec prophetiis, nec lege, nec figuris aut ſuam notitiam, aut gloriam noſtram futuram comprobauit. Proſequitur ex Paulo, abſconditam ſuiſſe omnibus principibus huius ſæculi.* ARGVMENTATVR. *Marcion coniicit ex hoc loco, principes huius ſæculi Dominum gloriæ Chriſtum, alterius Dei quàm Creatoris, ſui videlicet Dei noui filium incognitum crucifixiſſe, vt hoc crimen in caput ipſum Dei Creatoris & Domini principum huius ſæculi deuoluat.* A CREATORE, *Procedere ſit cenſenda; ſiue gloria hæc ſit ipſe Dominus gloriæ Chriſtus filius Creatoris; ſiue Dei Patris & filij clara viſio, de qua ipſe Chriſtus apud Io.* Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *De quo Paulus:* Elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi. EAM QVÆ IN OCCVLTO, *Gloriam ſcilicet, & ipſam ſapientiam quæ propoſuit ante ſæcula, nobis gloriam dare etiam corporibus ſuſcitatis in fine ſæculorum; quæ quidem iure potuit ignorari à ſeruis eius, tam hominibus quàm Angelis, tam bonis quàm Apoſtatis, ipſique Lucifero, qui primus peccauit, & alios Angelos in cœlo, ſicut & hominem in Paradiſo in peccatum induxit; vt ideo tam homines quàm Angelos peccatores, ob meritum culpæ ſcilicet aſſeram indignos fuiſſe, quibus Creator reuelaret, quid ante ſæcula in arcano ſapientiæ ſuæ circa gloriam noſtram, & ignominiam mortis filij ſui diſpoſuerat, vt eos non faceret conſcios ſecreti ſui; tam quia ſubditi non ſolent admitti ad conſilium principis, tum quia famuli rei tantæ gratia ſunt indigni.* NEC COMPETIT, *Non placet hîc mihi, per principes huius ſæculi intelligere Angelos, quòd Apoſtolus hos principes de quibus loquitur, Chriſtum ignoraſſe dicat; cum noſtrum Euangelium, Matthæi ſcil. c.* 4. 11. *quod Marcion non admittit, & Luc.* 4. 34. *quod nobis eſt cum Marcione commune, teſtetur, dæmones agnouiſſe Chriſtum, vt alibi iam retulimus.* IN CREATOREM. *Contra. Si, inquit, Deus Creator, Marcionis ſenſu, eſt*

ille fortis armatus, à Deo Marcionis fortiore ſuperatus, quomodo potuit colluctatorem & victorem ſuum ignorare? quomodo Chriſtum fortiorem, à quo ſuperatus eſt, potuit in Crucem agere? dico ergo non incredibile eſſe poteſtates diabolicas, Angelos olim bonos à Deo Creatore conditos, Chriſtum Dominum gloriæ crucifixiſſe, inſtigando Iudam & Iudæos ad hoc ſcelus. APVD ME, *In textu non depravato à Marcione.* IN GLORIÆ DOMINVM. *Circa Dominum.* DE SPIRITALIBVS. *Id eſt Angelis.* DE SÆCVLARIBVS. *Corporeis humanis.* PRINCIPALI. *Hebræo; non autem Gentibus; cùm tamen Romanis militibus, ipſo Domino gloria teſtante, ſit traditus.* Tradetur, inquit, Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendũ. ARCHONTIBVS EIVS. *Principibus populi Iudæi, vt alibi diximus. Nam & Herodes eum ſprevit, & Pilatus in Metropoli Iudæa iudicavit, quo Præſide, procurante Iudæam, conſtituto à maximo principe ſeculi Cæſare, Chriſtus paſſus eſt.* SED VIS. *Loquitur Marcioni.* EODEM ET DEVS INSTRVMENTO. *Cur Creator noſter, & Apoſtolus Dei tui noui, eodem libro Eſa. ſententiam ſuam probans, cùm Apoſtolus ſubiiciat:* Sicut ſcriptum eſt quod oculus non vidit? *Et rurſum:* Quis enim cognouit ſenſum Domini? Eſa. 40.13. *Quæ omnia alibi iam diximus; nec locos repetimus.*

Supereſt vt aliquid ex Paulo de Dei præſcientia circa gloriam noſtram, & propoſitum prædeſtinationis ſubtexamus. Paulus Epheſ. 1. 4. & ſeq. expreſſiſſimè probat, non tantùm ante ſecula, ſed ante quæcumque præciſa merita, Deum Creatorem præſciſſe, prædeſtinaſſe, propoſuiſſe electis ſuis dare gloriam ſuam, per merita ignominioſa mortis filij ſui; quod myſterium & arcanum occultiſſimum, ſolus ipſe, qui prædeſtinauit, nouit. Sic itaque Paulus: Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, in Chriſto, *Capite prædeſtinatorum, & in capite libri ſcripto, in quo & corpus & membra, hoc eſt Eccleſia triumphans, electa vt Sol;* Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem: *Proſequitur Apoſtolus:* Vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. *Syr.* Et per charitatem præſignauit nos ſibi. id eſt electionis charactere prænotauit. *Quem totum locum Auguſtinus explicat lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 18. vbi textum integrum refert:* Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum: ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ *Syr. vti placuit voluntati ipſius.* In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo. *Syr. quam effudit ſuper nos dilectũ ſuum, id eſt eius merita & ſanguinem, vnde Paulus, Chriſtum induitas ait baptizatos,* In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, ſecundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis, in omni ſapientia & prudentia; vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ ſecundùm beneplacitum eius quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia. *Syr. vt omnia denuò renouarentur.* In Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo: In quo etiã & nos ſorte vocati ſumus, *ſine merito,* prædeſtinati ſecundùm propoſitũ eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ: *Syr. & per eum electi ſumus, ſicut præſignauit nos & voluit ille, qui omnia facis iuxta decretum voluntatis ſuæ:* Vt ſimus in laudem gloriæ eius. *Ex quibus Auguſtinus probat efficaciter, æternam Dei Sapientiam electos prædeſtinaſſe ex mero propoſito bonæ voluntatis ſuæ, non autem ex meritis præviſis.* Quis hæc audiat diligenter, & intelligenter, & audeat de hac quam defendimus, tam clara veritate dubitare? Elegit Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem membra eius: & quomodo eligeret eos qui nondum erant, niſi prædeſtinando? Elegit ergo prædeſtinans nos: numquid eligeret impios & immundos? Nam ſi quæſtio proponatur, vtrùm hos eligat, an potiùs Sanctos & immaculatos, quid horum reſpondeat qui requiratur, ac non ſtatim ferat pro Sanctis Immaculatiſque ſententiam? præſciebat ergo ait Pelagianus, qui futuri eſſent ſancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideò eos ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua præſcientia, qua tales futuros eſſe præſciuit, elegit, &c. Intueamur ergo verba Apoſtoli atque videamus, vtrùm propterea nos elegerit ante mundi conſtitutionẽ, quia Sancti & Immaculati futuri eramus, an vt eſſemus? *Deinde repetit textum Pauli:* Vt eſſemus Sancti, &c. Non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſſemus. Nempè certum eſt, nempè manifeſtum eſt: Ideò quippè tales eramus futuri, quia elegit ipſe, prædeſtinans, vt tales per gratiam eius eſſemus, &c. Secundùm placitum, inquit, voluntatis ſuæ: ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur voluntatis noſtræ: in qua gratificauit nos, &c. In qua vtique voluntate ſua, &c Sic dictum eſt, gratificauit à gratia, ſicut iuſtificauit, dicitur à iuſtitia, &c. Secundùm bonam voluntatem ſuam, non ſecundùm noſtram: quæ bona eſſe non poſſet, niſi ipſe ſecundùm bonam voluntatem ſuam, vt bona fieret, ſubueniret, &c. Cernitis autem, proculdubio cernitis, quanta manifeſtatione Apoſtolici eloquij defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, vt retribuatur ei. S. Auguſt.

Et in Pſal. 150. totum ordinem prædeſtinationis ſic ſubtiliter ediſſerit, vbi de Pſalterio diuiſo in tres quinquagenas: Non fruſtra mihi videtur quinquageſimus eſſe de pœnitentia, centeſimus de miſericordia, & iudicio, centeſimus quinquageſimus de Laude Dei in ſanctis eius. Sic enim ad æternam beatamque tendimus vitam, primitus peccata noſtra damnando, deinde bene viuendo, *Supplè tendimus.* Vt poſt condemnatam vitam malam, geſtamque bonam, mereamur æternam. Secundùm propoſitum enim occultiſſimæ iuſtitiæ bonitatiſque ſuæ, Deus quos prædeſtinauit, illos & vocauit: & quos vocauit, ipſos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, ipſos & glorificauit. Prædeſtinatio noſtra, non in nobis facta eſt, ſed in occulto, apud ipſum, in eius præſcientia. Tria verò reliqua in nobis fiunt, vocatio, iuſtificatio, & glorificatio. Vocamur prædicatione pœnitentiæ. Sic enim cœpit Dominus euangelizare, Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum. Iuſtificamur in vocatione miſericordiæ, & timore iudicij. Hinc eſt quod dicitur, Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me. Non timet iudicari, qui impetrauit antè ſaluari. Vocati, renuntiamus diabolo per pœnitentiam, ne ſubiugo eius remaneamus. Iuſtificati, ſanamur per miſericordiam, ne iudicium timeamus. Glorificati, tranſimus in vitam æternam, vbi Deum ſine fine laudabimus. Ad hoc pertinere arbitror quod Dominus ait, ecce eiicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor. Quod etiam in triduo ſuæ Paſſionis, & dormitionis, & euigilationis oſtendit. Crucifixus eſt enim, & ſepultus, & reſurrexit. In cruce de principibus & poteſtatibus triumphauit, in ſepulchro requieuit, in reſurrectione exultauit. Pœnitentia cruciat, iuſtitia tranquillat, vita æterna glorificat. Pœnitentiæ vox eſt, S. Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

misereré mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Hæc offert sacrificium Deo spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum quod Deus non spernit. Iustitiæ Christi vox est in electis suis, misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Per misericordiam quippè adiuuamur ad faciendam iustitiam, vt securi ad iudicium veniamus, vbi disperduntur de ciuitate Domini omnes qui operantur iniquitatem. Quo versu Psalmus iste concluditur, & vitæ æternæ vox est. Laudate Dominum in sanctis eius. *Quo Psalmus centesimus quinquagesimus inchoatur.*

2. Dei scientia occulta videt. 4. Cont. Marc. cap. 33. à m.

Luc 16.15. Hier. 11. 20.

SI & adiicit, *Scit autem Deus corda vestra;* Illius Dei vim commemorabat, qui lucernam se pronuntiabat, *Scrutantem renes & corda.*

DEI SCIENTIA. II. SCHOLIA.

ADIECIT, *Luc. 16. 15.* Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra. ILLIVS DEI, *Creatoris: vt videns Marcion Christum eius esse filium, prophetis eiusdem consentientem.* SERVTANTEM. *Ier. 11. 20.* Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iustè; & probas renes & corda. LVCERNAM. *Se dixit voce Dauidica 2. Reg. 22. 29. Iuxta omnes versiones:* Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illuminabis tenebras meas. *Et Psaltes Psal. 7.* Scrutans corda &

S. Augus. renes Deus. *In quem locum Aug. Simul iungens lucernam & scrutinium,* Iudica me Domine secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam meam super me. Quo additamento demonstrat; id ipsum quòd anima iusta est & innocens, non per se habere, sed per illustrantem & illuminantem Deum. De hac enim dicit in alio psalmo 17. tu illuminabis lucernam meam Domine. Et de Ioanne dicitur, *De quo Psaltes, parasti lucernam Christo meo,* Quia non erat ille lumen, sed testimonium perhibebat de lumine. *De quo Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis; de quo & Sophon. scrutabor Ierusalem in lucernis.* Ille erat lu-

S Augus. cerna ardens & lucens. Lumen ergo illud, vnde animæ tanquam lucernæ accenduntur, non alieno, sed proprio splendore præfulget, quod est ipsa veritas. Ita ergo dicitur, secundùm iustitiam meam, &c. Super me: tanquam si lucerna ardens & lucens, diceret: Iudica me secundùm flammam quæ super me est: id est non quæ sum ego, sed qua fulgeo accensa de te, &c. *De scrutatione autem re-*

S. Augus. *num & cordium sic ibidem:* Scrutatur corda & renes Deus, videns omnium cogitationes, *Sciens Iesus cogitationes eorum, &c. Ipse sciebat quid esset in homine. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Quæ nomine cordis significatæ sunt, & delectationes quæ nomine rerum intelliguntur. Rectè quippè temporalium & terrenarum rerum delectatio renibus tribuitur, quia & ipsa pars est inferior hominis, & ea regio est, vbi carnalis generationis voluptas habitat, per quam in hanc ærumnosam, & fallacis lætitiæ vitam, per successionem prolis natura humana transfunditur. Scrutans ergo cor nostrum Deus, & perspiciens ibi esse, vbi est thesaurus noster, id est in cœlis; scrutans etiam renes, & perspiciens nos non acquiescere carni & sanguini, sed delectari in Domino: diligit iustum in ipsa conscientia, coram se, vbi nullus hominum videt, sed solus ille qui perspicit quid quisque cogitet, & quid quemque delectet. Finis enim curæ delectatio est: quia eò quisque curis & cogitationibus nititur, vt ad suam delectationem perueniat. Videt igitur curas nostras, qui scrutatur cor; videt autem fines curarum id est delectationes, qui perscrutatur renes: vt cùm inuenerit, non ad concupiscentiam carnis, neque ad concupiscentiam oculorum, neque ad ambitionem sæculi, quæ omnia transeunt tanquam vmbra, inclinari curas nostras: sed ad gaudia rerum æternarum sustolli, quæ nulla commutatione violantur, dirigat iustum, scrutans corda & renes Deus. Opera enim nostra quæ factis & dictis operamur, possunt esse nota hominibus, sed quo animo fiant, & quo per illa peruenire cupiamus, solus ille nouit, qui scrutatur corda & renes Deus. *Nathanaëlis cor & renes scrutabatur latentis in Adam sub ficu,* Aug. *qui vt lucerna Patris omnia videns, dicebat Ioan. 1.* Cùm esses sub ficu vidi te. *De quo sic Aug. Ser. 10. de Verb. Do. in f.* Videt te Christus in vmbra tua; non te videbit in luce sua? *Id est, si in peccato te vidit occulto, & tui miserius est, quantò magis in luce gratiæ & gloriæ te videbit oculo paterno,* Quid est enim cum esses sub arbore fici, vidire? &c. Recordare originale peccatum Adæ, in quo omnes morimur. Quando primò peccauit, de foliis ficulneis succinctoria sibi fecit, significans in illis foliis pruritum libidinis, quo peccando peruenit. Inde nascimur, sic nascimur, in carne peccati nascimur, quâ sola sanat similitudo carnis peccati. Ideo misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati. Inde venit, sed sic non venit. Non enim Virgo libidine, sed fide concepit. Venit in virginem qui erat ante virginem. Quam creauit elegit, quam eligeret, creauit: attulit virgini fœcunditatem, non abstulit integritatem, qui ergo sine pruritu foliorum ficus venit ad te cùm esses sub arbore fici, vidit te, parat te videre sublimiter, à quo visus es misericorditer. *Et paulo supra:* Fuge ad præsentem, ne sentias venientem. Præsume te visurum benè viuendo, à quo videris & malè viuendo. Malè enim viuendo, videri potes, videre non potes. Benè autem viuendo, & videris, & vides. Quantò enim te familiariùs videbit, qui coronat dignum, qui misericorditer vidit vt vocaret indignum?

3. Dei

Digitized by Google

3. Dei scientiam infamat Marcion scripturam corrumpens, & mysterium multiformis gratiæ Dei, non potestatibus mundi, sed ipsi Deo Creatori occultum fuisse blasphemans. 5. Cont. Marc. cap. 18. in p.

DAtam sibi, inquit Apostolus, *Gratiam nouissimo omnium, illuminandi omnes: quæ dispensatio Sacramenti occulti ab æuis in Deo, qui omnia condidit.* Rapuit hæreticus, in præpositionem, & ita legi fecit, *Occulti ab æuis Deo, qui omnia condidit.* Sed emicat falsum infert enim Apostolus, *Vt nota fiat principatibus & potestatibus, insuper cœlestibus, per Ecclesiam, multifaria sapientia Dei.* Cuius dicit principatibus, & potestatibus? Si Creatoris, quale est vt principatibus & potestatibus eius ostendi voluerit Deus ille sapientiam suam, ipsi autem non? quando nec potestates sine suo principe potuissent quid cognoscere. Aut si ideo Deum non nominauit hîc, quasi in illis & princeps ipse reputetur: ergo & *Occultatum Sacramentum principatibus, & potestatibus eius, qui omnia condidit*, pronuntiasset; proinde in illis deputans ipsum. Quòd si illis dicit occultatum, illi debebat dixisse manifestum: Ergo non Deo erat occultatum, sed in Deo omnium conditore; occultum autem principatibus & potestatibus eius. [b] *Quis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliarius ei fuit!* Hîc captus hæreticus forsasse mutauit, vt dicat Deum suum suis potestatibus, & principatibus notam facere voluisse dispensationem sui Sacramenti, quam ignorasset Deus conditor omnium, Et quò competebat prætendere ignorantiam Creatoris extranei, & longa separatione discreti, quum domestici quoque superioris Dei nescissent? tamen & Creatori notum erat futurum. An non vtique notum, quod sub cœlo, in terra eius habebat reuelari? Ergo ex hoc confirmatur, quod suprà struximus. Si enim Creatori cogniturus erat quandoque occultum illud Dei superioris Sacramentum, & ita scriptura habebat, *Occulti Deo, qui omnia condidit;* Sic inferre debuerat, *Vt nota fiat illi multifaria sapientia Dei;* Tunc & potestatibus, & principatibus cuiuscumque Dei, cum quibus sciturus esset Creator. Adeò subtractum constat, quod & sic veritati suæ saluum est.

[a] Ephes. 3. 8. & seq.

[b] Rom. 11. 34.

DEI SCIENTIA. III. SCHOLIA.

DA'TAM SIBI: *Ephes. 3. 8.* Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo qui omnia creauit. Vt innotescat principatibus, & potestatibus, in cœlestibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. *Syr. Sapientia Dei differentiis plena,* Secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro. *Quem locum Doctor Angelicus sic exponit Lect. 3* Magni, inquit, sunt, quibus innotescit, quia sanctis Angelis, per quòs diriguntur, & defenduntur sancti. Per quid autem eis innotescat, multiformis sapientia Dei, subdit dicens: per Ecclesiam, quod quidem magnam habet difficultatem. Nam Glossa habet: id est per Apostolos in Ecclesia prædicantes. Vnus quidem intellectus esse potest, quia videmus in cœlo Angelos superiores, qui immediatè illuminantur à Deo, illuminare & docere inferiores Angelos, qui non immediatè illuminantur ab eo. Non videtur ergo irrationabile, quod Apostoli illuminari immediatè à Deo, secundùm illud Io. 1. Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit, vt doceant Angelos. Verùm edocti quidem sunt Apostoli à Christo immediatè quantùm ad humanam naturam: Angeli autem immediatè, naturam diuinam vident, etiam inferiores, aliàs non essent beati: cùm in sola visione diuinæ essentiæ rationalis Creaturæ beatitudo consistat. Et quidem licet inter natos mulierum non surrexerit maior Ioanne Baptista, tamen qui minor est in regno cœlorum maior est illo Matthæi 11. Dicere autem quòd dæmones, *Id est principatus & potestates eiectæ de cœlis* doceantur ab hominibus, hoc absque præiudicio credibile est. Sed quod beati, qui immediatè verbum conspiciunt, quod est speculum sine macula; in quo relucent omnia, à viatoribus doceantur, dici non debet. Dicendum ergo est vt dicit glossa, quod per Apostolos innotuit Angelis: non quòd Angeli didicerint ab eis, sed in eis. Nam sicut dicit Augustinus, super Gen. ad lit. Deus antequam creaturas crearet: ante dico, ordine naturæ, non temporis, cùm secundùm tempus simul omnia sint creata: rationes rerum naturalium mentibus indidit Angelorum, quibus fit, vt Angeli dupliciter res naturales cognoscerent, in Verbo scilicet, cognitione matutina; & in naturis propriis, cognitione vespertina Viterùs notandum est, quòd sunt quædam rationes mysteriorum gratiæ, totam creaturam excedentes, quæ non sunt inditæ mentibus Angelorum, sed in solo Deo sunt occultæ. Et ideo Angeli neque in seipsis, nec etiam in Deo, eas cognoscunt, sed tantùm, cùm in effectibus explicantur, & sic eas Apostolis à Deo reuelatas, & ab eis explicatas cognouerunt. Sicut domus in mente artificis latens, cum extruitur innotescit.

S. Augustin.

Aliter item explicat; vt Incarnationis mysterium priùs ab æterno, soli Deo notum, per totam Ecclesiam cœlestem, id est in omni curia cœlorum sit manifestata Angelis. Rursum quærit vtrum ab exordio mundi hoc mysterium innotuerit Angelis, & refutat Magistrum Sententiarum, dicentem, notum fuisse maioribus, non vero minoribus quod Esaiæ 63. minores interrogent; quis iste qui venit de Edom? Et sequitur Dionysium, qui notat bis interrogasse Angelos, inferiores quidem in Psalmo: quis est iste Rex gloriæ, cui non Deus, sed alius respondet: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Secundò apud Esaiam suprà: cui Deus ipse immediatè respondet: Ego qui loquor iustitiam, & propugnator ad saluandum. Vnde concludit D. Thomas: Vult ergo Dionysius quòd vterque aliquid ignorauerunt, & vterque aliquid sciuerunt. Quia à principio omnes sciuerunt mysterium Incarnationis in

generali; sed rationes in speciali didicerunt tempore procedente, secundùm quod in effectibus extrinsecis explicabantur.

Quòd autem Deus conditor omnium ignoranerit mysterium, aut quodcunque aliud naturæ vel gratiæ opus, cuius opifex est, Marcionis blasphemia est, quam iubet Augustini verbis explodere. Sic itaque libro quinto de Genesi ad litteram capite 18. & 19. Huius, inquit, vniuersæ Dei creaturæ multa non nouimus, siue quæ in cœlis sunt, altiùs quàm vt noster sensus ea possit attingere: siue quæ in regionibus terrarum sunt forrasse inhabitabilibus: siue quæ deorsum latent, vel in profundo abyssi, vel in occultis finibus terræ. Hæc igitur antequam fierent, vtique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant, quæ non erant? & rursus, quo modo ea faceret, quæ sibi nota non erant? Non enim quicquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognouit. Proindè antequam fierent, & erant, & non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua natura: ac per hoc, factus est dies ille, *Natura Angelica*, Cui vtroque modo innotescerent, & in Deo, & in seipsis Illa velut matutina, siue diurna cognitione, hac verò velut vespertina; ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse cùm ea fecisset, quàm illo quo ea nouerat vt faceret, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio. Non sanè propter inferiorum scientiam nuntiis indiget; *Viden vt Tertulliano respondeat an non vtique notum quod sub cœlo, in terra eius habebat reuelari?* Quasi per eos fiat scientior: sed illo simplici ac mirabili modo nouit omnia stabiliter, atque incommutabiliter. Habet autem nuntios, propter nos, & propter ipsos: quia illo modo Deo patere, & assistere, vt eum de inferioribus consulant, eiusque supernis præceptis & iussis vt obtemperent, bonum est eis in ordine propriæ naturæ atque substantiæ. Nuntij autem Græcè Angeli dicuntur, quo nomine generali vniuersa illa superna ciuitas nuncupatur, quem primum diem conditum existimamus. Nam nec illud eos latuit mysterium regni cœlorum, quod opportuno tempore reuelatum est pro salute nostra, quo ex hac peregrinatione liberati, eorum cœtui coniungamur Neque hoc ignorarent, quandoquidem ipsum semen quod opportuno tempore aduenit, per ipsos dispositum est in manu mediatoris Gal. 3. id est in eius potestate, qui Dominus eorum est, & in forma Dei, & in forma serui. Dicit item Apostolus Ephes. 3. mihi autem minimo, &c. Sic ergo fuit hoc absconditum à sæculis in Deo, vt tamen innotesceret principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei: Quia ibi primitùs Ecclesia, quò post resurrectionem & ista Ecclesia cõgregãda est, vt simus æquales Angelis Dei. Illis ergo à sæculis innotuit, quia omnis creatura non ante sæcula, sed à sæculis: Ab ipsa enim *multiformi sapientia*, Exorta sunt sæcula, & ipsa à sæculis, quoniam initium eius, initium sæculorum est: Vnigenitus autem ante sæcula, per quem facta sunt sæcula. Hebr. 1. Idcóque ex persona Sapientiæ Prou. 8. Ante sæcula, inquit, fundauit me, vt in ea faceret omnia, cui dictum est Psalmo 103. Omnia in Sapientia fecisti. Quod autem non in Deo tantùm innotescit Angelis, quod absconditum est, verùm etiam hîc eis apparet, cùm efficitur atque propalatur, idem Apostolus ita testis est 1. Tim. 3. & sine dubio, inquit, magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Et nisi fallor, mirum est, si non omnia quæ dicitur Deus tanquam ad præsens tempus cognoscere, ideò dicitur, quia cognosci facit, siue ab Angelis, siue ab hominibus. Modus quippè iste locutionis, cùm per efficientem, id quod efficitur, significatur, crebrò est in scripturis sanctis: maximè cùm de Deo aliquid dicitur, quod ei ad proprietatem locutionis non conuenire, præsidens mentibus nostris ipsa veritas clamat. *Deum verò scientiarum Dominum aliquid ignorare, Marcion insipien. clamat.*

S. Augus.

DEI VOLVNTAS.

1. Voluntas Dei precipua, & maxima, versatur circa salutem electorum, quos adoptauit in filios & hæredes regni sui. De orat. cap. 4. in m.

Matth. 6. 10. PEtimus substantiam & facultatem voluntatis suæ subministret nobis, vt salui simus & in cœlis & in terris: quia summa est voluntatis eius, salus eorum quos adoptauit. Est & illa Dei voluntas, quam Dominus administrauit prædicando, operando, sustinendo.

DEI VOLVNTAS. I. SCHOLIA.

PETIMVS. *In Oratione dominica*, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra SVBSTANTIAM. *Quasi tota substantia, & summa voluntatis eius sit, vt quos in terra adoptat in filios, in cœlo velit hæredes facere bonorum suorum. Nec præteribo, immò merosim insistam sententiæ grauissimæ Tertulliani, quæ bonitati diuinæ, seu bonæ voluntati eius circa filios adoptionis gratulatur.* SVMMA EST VOLVNTATIS EIVS, SALVS EORVM QVOS ADOPTAVIT. *Quasi nil sic exoptet Deus, quàm salutem electorum suorum quam Christus Dominus negotiatus est, sermonibus, miraculis, & passione crucis. Et quidem ad passionem & mortem Christi pro salute totius mundi, quam Tertullianus hîc dixit* Summam esse voluntatis eius quos adoptauit; *Copiosissimè & sæpius ex Patribus Conciliisque scripsimus. Quo sensu totum mundum intellexerit Augustinus nempè vel de Ecclesia & fidelibus toto mundo dispersis & per baptismi gratiam adoptatis, vel de omnibus electis. Legendus Augustinus contra Donatistas post Collatorem. Et Ep. 48. ad Vincentium. tract. 47. 52 55. 87. 107. 110. In Euang. Io. & tract. 1 & 5. in Ep. Io. lib. 11. Cont. Faustum cap 8. 21. de Ciuit. cap. 24. & lib. 22. cap. 22. & lib. 6. Cont. Iulianum. Et ibid. cap. 4. cùm dixisset ex 2 Cor. 5.* Quoniam vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Impingo, inquit, inculco, infercio recusanti; accipe, salubre est, nolo moriaris: vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, vt intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. *Ad eius. loci plenum sensum, aduerte lector hic probare velle contra Iulianum Pelagia-*

Augustin.

Augustin.

num negantem paranlos peccatum originale contraxiſſe, ipſos in Adam mortuos, cùm dicat Paulus Chriſtum pro omnibus mortuum, omneſque proinde mortuos, ac per conſequens infantes, qui vt reuiuiſcant, omnes indigent morte Chriſti, ita omnes mortuos viuificante, vt nullus omnino omnium mortuorum reuiuiſcat, niſi cui beneficium mortis eius, vt ait Concil. Trident. fuerit communicatum, quod ſacra Synodus ex ipſo Auguſtino deprompſit eodem lib. 6. cap. 5. ſic fante, & verba præmiſſa Pauli explicante: Scimus, inquit Apoſtolus, quod à nobis ſæpiſſimè repetendum eſt, quoniam vnus pro omnibus mortuus eſt, *Et paſſus, quod omnes pati meruerant:* Ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt, & reſurrexit. Illi ergo viuunt, *Non omnes mortui, nec enim omnium eſt fides, ex qua non omnis, ſed ſolus iuſtus viuit,* Pro quibus, vt viuant, mortuus eſt qui viuebat. Quod apertiùs ita dicitur: illi ſunt à mortis vinculo liberati, pro quibus mortuus eſt inter mortuos liber. Pſal 87. Vel ſic multò apertiùs: illi ſunt liberati à peccato pro quibus mortuus eſt, qui nũquam fuerat in peccato. Et cùm ſemel ſit mortuus, *Sufficienter ſcilicet, ex parte ſuâ, ex valore pretij, pro omnibus hominibus iuxta Conſtitutionem Innocentij X.* Tamen pro vnoquoque tunc moritur, *Efficienter exhibendo beneficium ſuæ paſſionis, quod non omnibus applicatur, iuxta Concil. Tridentinum,* Quando in eius morte, quantælibet ætatis fuerit, baptizatur: id eſt, tunc ei proderit mors eius, qui fuerat ſine peccato, quando in morte eius baptizatus, mortuus fuerit etiam ipſe peccato, qui mortuus fuerat in peccato. *Quatuor itaque ex Paulo & Aug. eius interprete, omnium genera, ſine generalitates agnoſco. Primò, vniuerſaliſſimam, qua omnes, excepto Chriſto & Mariâ, etiam infantes in Adam efficienter mortui ſunt. 2. Generalitas pariter omnium, pro quibus Chriſtus ex ſe ſufficienter mortuus eſt. 3. Omnium fidelium, etiam poſtea damnatorum, pro quibus efficaciter mortuus eſt, quibus pretium ſuæ mortis applicauit. 4. Omnium prædeſtinatorum, qui propriiſſimè filij adoptionis ſunt. Auguſtinus porrò eodem lib. 6 contra Iul cap. 5. ex Rom. 5.* Sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem; ita & per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ. Ideo, inquit, & ibi omnes, & hîc omnes: quia nemo ad mortem, niſi per illum, *Adam:* Nemo ad vitam, niſi per iſtum; *Scilicet Chriſtum, & hic eſt verus Apoſtoli ſecundum Auguſtinum, ſenſus.*

Auguſt.

Auguſt.

Sed heu, quanti etiam baptizati, quos Deus antecedenti voluntate ſaluos fieri voluit, quibus reipſâ, efficacia ſanguinis Chriſti fuerat applicata: voluntariè à Deo recedentes miſerè pereunt, de quibus Gregorius magnus homil. 26 in Euangelia. Quod, inquit, de antiquo hoſte generis humani Dominus dicit: Iob 40. Abſorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius. Quis enim per fluuium deſignatur, niſi humani generis fluxus? &c. Quid per Iordanem, niſi baptizatorum forma ſignatur? quia enim in Iordanis flumine ipſe author redemptionis noſtræ baptizari dignatus eſt, rectè Iordanis nomine eorum multitudo exprimitur, qui intra Sacramentum baptiſmatis continentur. Antiquus ergo hoſtis generis humani fluuium abſorbuit, quia à mundi origine, vſque ad Redemptoris aduentum, vix paucis electis euadentibus, in ventrem ſuæ malitiæ genus humanum traxit. De quo rectè dicitur; abſorbebit fluuium, & non mirabitur; quia pro magno non habet, cùm infideles rapit. *Et quantuli tamen ſunt, quoad numerum, fideles, reſpectu innumere turbæ infidelium?* Sed graue eſt valdè quod ſubditur: & habet fiduciam, &c. Quia poſtquam infideles quoſque à mundi origine rapuit, adhuc ſe poſſe decipere etiam fideles præſumit. Nam ore peſtiferæ perſuaſionis eos quotidie denorat, in quibus à confeſſione fidei reproba vita diſcordat. *De quibus paulo ſuprà dixerat:* Nos ſignati ſumus, ſed ſi fidem noſtram operibus ſequimur. Ille etenim verè credit, qui exercet operando quod credit. Quod contra de his qui fidem nomine tenus retinent, Paulus dicit: confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. *Et quàm multos, & multò plures abſorbet draco etiam de vocatis ad fidem, & in Iordane, id eſt baptiſmo iuſtificatis, quorum vita & opera à fide diſcordant, qui ſeipſos vana ſpe magnæ illius miſericordiæ, & copioſæ apud Chriſtum redemptionis peſtiferâ Draconis perſuaſione. Vt enim iterum,* Deo adulantes; & ſibi lenocinantes. *Non ſtare per Deum qui adeo vult, vt etiam ingratiſſima Synagoga exprobret Matth. 23. 37* Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti? *Primò enim per Prophetas, miracula, & verba ſua, tanquam externas medicinas, & voluntate ſigni voluit congregare. Secundò non omnes omnino, ſed omnes quos voluit, renitente Synagogâ, collegit. Ita Aug. Enchir. 97. Ep. 107 ad Vitalem. & libro 1. Operis imperfecti Cont. Iulianum. Vbi ait,* Patum de re tanta cogitant, vel ei cogitandæ non ſufficiunt, qui putant Deum omnipotentem aliquid velle, & homine infirmo impediente, non poſſe. Sicut certum eſt, Ieruſalem filios ſuos ab illo colligi noluiſſe, ita certum eſt eum, etiam ipsâ nolente, quoſcumque eorum voluit collegiſſe: Deus enim, ſicut homo Dei dixit Ambroſius, quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit. *Idem habet Fulgentius lib. 2. de remiſſ. pecc. cap. 2.* Illa reſiſtere voluit omnipotenti, nec valuit: quia Deus, ſicut ſcriptum eſt, omnia quæcumque voluit fecit. *Concilium Trid. ſeſſ. 6. cap. 1. & 2. ſic intelligit, Deum velle omnes ſaluos fieri, & pro omnibus redimendis miſiſſe filium, vt redemptionis & ſalutis gratiam non ad ſolos Iudæos reſtringat, ſed ad gentiles quoque extendat; licet non ſingulis, ſed his tantùm quibus applicatur, proficiat.* Vnuſquiſque agnoſcat, & fateatur, quòd cùm omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent; facti immundi, & vt Apoſtolus inquit, naturâ filij iræ; vſqueadeò ſerui erant peccati. & ſub poteſtate diaboli ac mortis, vt non modò GENTES, per vim naturæ, ſed ne IVDÆI quidem per ipſam etiam literam legis Moyſi, inde liberari, aut ſurgere poſſent; tametſi in eis liberum arbitrium minimè extinctum eſſet, viribus licet attenuatum, & inclinatum. *Et cap. 2.* Quo factum eſt, vt cœleſtis pater, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Chriſtum Ieſum filium ſuum, & ante legem, & legis tempore, multis ſanctis Patribus declaratum ac promiſſum, cùm venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miſerit, vt IVDÆOS qui ſub lege erant, redimeret, & GENTES, quæ non ſectabantur iuſtitiam, iuſtitiam apprehenderent, atque OMNES, *Id eſt vterque populus, tam Iudæus, quàm Gentilis,* adoptionem filiorum reciperent. Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris; non ſolum autem pro noſtris *Qui Iudæi ſumus, ait Ioannes 1. 2.* Sed etiam pro totius mũdi. *Id eſt populo Gẽtili toto mundo diſperſo. Quod ſequentia manifeſtè declarãt, non eſſe intelligẽdum de omnibus hominibus in individuo, quaſi ſingulis ſit applicata*

S. Auguſt.

demptio. Ita enim cap. 3. S. Synodus. Verùm, & si ille pro omnibus mortuus est, non OMNES TAMEN, Mortis eius beneficium recipiunt, SED IIS DVNTAXAT, quibus meritum passionis eius communicatur. Nam sicut reuerà homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti; cùm ea propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: Ita nisi in Christo renascerentur, numquam iustificarentur. *Propriam & sibi communicatam iustitiam accipientes.* Cùm eâ renascentiâ, per meritum passionis eius, gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur. *Quod ex Augustino Epistola 89. desumptum notatur hic in Concilij margine. Concilium autem Valentinum 3 cap. 4. sub Leone 4. congregatum, errorem intolerabilem censuit, vbi de redemptione sanguinis Christi agit.* Propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est: Itaut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impijs, qui à mundi exordio, vsque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum desinant, &c. *Nos fatemur cum Psalte, quòd Deus Pater,* Redemptionem misit populo suo: *Populo inquam suo, id est ad fidem vocato, vel vocando, tam ante, quàm post Christi aduentum, tam Iudæo, quàm Gentili, & eorum singulis, quibus fides, vel aliqua gratia spiritalis per Christi siue venturi, siue iam mortui, merita collatum est, licet postea prolapsi, in peccato mortui sint. Cùm nec dubium sit, etiam Iudæ traditori, per Christi merita magnam Apostolatus gratiam, aliaque plurima dona supernaturalia fuisse congesta. Profitemur non modò sufficienter pro vno mundo, sed mille mundis passum Christum, cuius vel vnica lacryma pro omnium, & singulorum delictis iustitiæ diuinæ satisfacere potuisset. Actiones enim suppositorũ sunt, & Christi suppositum erat diuinum, ac proinde actiones, & passiones eius theandricæ, pretij infiniti: sed absolute negamus,* Copiosam apud illum redemptionem, *Id est in se, ex parte Christi consideratam, singulis fuisse applicatam. Vide Prosperum lib. 1. de Vocatione Gent. cap. 12. vbi inducit obiicientes illud Apostoli, Vult omnes homines, &c. Quod probat Ecclesiam implere, & implendo, docere nos, germanam huius loci interpretationem dum orat pro omni hominum genere, & principibus, & plebeijs; & Iudæis, & Gentilibus; schismaticis & hæreticis. Item libro 2. cap. 2. Ex Math. 28. Docete omnes Gentes. Marc. 16. prædicate Euangelium vniuersæ creaturæ. Ad Titum 2. Apparuit gratia Dei Saluatoris omnibus hominibus.*) *Io. 2. non pro nostris tantùm, sed & pro totius mundi. Et eodem libro 2. cap. 3. Ex Act. 16 notat dispositos Apostolos ire in Bythiniã, à Deo impeditos, quibus tamen prius iussum fuerat omnes gentes docere. S. Fulgentius de Incar. & gratia Chri. cap. 7.* Dicant, si possunt, hi qui hoc diuinæ iustitiæ, & bonitati contrarium æstimant, cur is qui omnes homines vult saluos fieri, &c. Tam multas virtutes fecit in Corozaïm, & Betsaïda, & nullam harum in Tyro, & Sidone facere voluit; vbi si factæ fuissent, sicut ipse testatur, forsitan in cilicio & cinere pœnitentiam egissent? Aut cur in Asia, & Bythinia Apostolum vetuit verbum salutis annuntiare? *Et quidem humano more, vt frequens est scripturæ idioma, hic Christus loquebatur; duritiam Iudæorum exprobrans, pra Gentilibus; sicut vulgo ingratis dicitur, & duris corde, melius Turca beneficijs meis responderet; Barbari alicuius cor emollissem; &c. Nam certum est, quòd si exterius tantum miracula fecisset coram Tyrijs, & nullam interiùs in corde gratiam efficacem dedisset, quam nulli ex iustitia debet, non magis quàm Iudæi ad pœnitentiam conuersi fuissent. Idem D. Fulgentius præcitato libro, cap. 21. fusiùs*

S. Aug.

simè exponit: Omnes, quos Deus vult saluos fieri, sine dubitatione saluantur; nec possunt saluari, nisi quos Deus vult saluos fieri, &c. Quia hæc salus non illis ex humana voluntate nascitur, sed ex Dei bona voluntate præstatur, verumtamen in his omnibus hominibus, quos Deus vult saluos facere, non totum omninò genus significatur hominum, sed omnium vniuersitas saluandorum. Ideò autem omnes dicti sunt, quia ex omnibus hominibus, omnes istos diuina bonitas saluat, id est ex omni gente, conditione, ætate, ex omni lingua, ex omni prouincia. In his omnibus ille sermo nostri Redemptoris impletur, quo ait; cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Quod non ideò dixit, quia omnia omnino trahit, sed quia nemo saluus fit, nisi quem ipse traxerit. *Deinde ex Ioël. 2. & Act. 2. effusum dicit de spiritu super omnem carnem; vt intelligat super illos homines, quos vult Deus saluos fieri. Et Rom. 11. concluisse Deum omnia in incredulitate, vt omnium misereatur, cùm tamen gratiam fidei non det omnibus infidelibus. Et Rom. 5. per vnius iustitiam in omnes, iustificationem vitæ. Et rursum, reconciliari omnia per sanguinem crucis, &c. Et concludit:* Ex hac ergo regula, quæ cœlestibus inserta monstratur oraculis, sic intelligamus, omnes homines quos vult Deus, saluos fieri; vt nouerimus, omnes qui saluantur, non nisi ex eius gratuita bonitate saluari. *Vide eadem apud D. Prosperum in Epistola ad Ruffinum, vbi profert exemplum innumerabiliũ infidelium, & paruulorum sine vlla fide, & gratia morientiũ.*

Non omnes singillatim, Deum efficaciter voluisse saluari; & Christum non pro singulis efficaciter mortuum; aut non vnicuique hominum effusam Spiritus Sancti gratiam, sed omni tantùm hominum conditioni, pulchrè quoque docet Gregorius lib. 6. Mor. cap 8. vbi ex Marc. 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Omnem, inquit, creaturam solum intelligi hominem voluit, cui commune aliquid cum omnibus creauit. Sancti enim Spiritus gratia, cùm sibi diuites subiicit, pauperes non repellit: cùm fortes humiliat, venire ad se debiles non recusat: cùm nobiles colligit, simul & ignobiles apprehendit; cùm sapientes suscipit, imperitorum stultitiam non contemnit. Vniuersa ergo Deus aquis irrigat, Iob. 5. qui dono Sancti Spiritus, ex omni genere hominum, ad suam cognitionem vocat. *Quid expressius ad veram Pauli expositionem: qui vult omnes, &c. Et ad agnitionem veritatis venire. Et lib. 12. Mor. cap. 8.* Hinc est quod in Euangelio Dominus dicit, Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: omnia videlicet electa. Non enim ab inferno Dominus rediens, electos simul & reprobos traxit, sed illa exinde omnia sustulit, quæ sibi inhæsisse præsciuit. Vnde etiam per Oseam prophetã dicit cap. 13. Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus, inferne. Quod enim occidimus, agimus vt penitus non sit. Ex eo quod mordemus, partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus Dominus occidit mortem, mors mortis extitit: quia verò ex inferno partẽ abstulit, partemque reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. *Idipsum repetit homil. 22. in Euang. Et in Psal. 4. Pœnit. in versum 2. alludens ad Apoc. 5. 9. Vbi redempti Agni sanguine cantant:* Dignus es Domine aperire librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: *Gregorius sufficientiam copiosam apud Agnum, pro omnibus agnoscit, licet solis electis consummatio redemptionis, & aliquis eius fructus, toti Ecclesiæ in mundo dispersæ, fuerit applicatus. Sic Agnus*

alloquens: Immensas & immunerabiles mundo exhibuisti misericordias, quando genus humanum de seruitute diabolicæ tyrannidis eripuisti, & à peccatis suis, in sanguine tuo electos tuos lauasti. Lauet sanguis iste peccatorum meorum maculas, qui totius mundi potuit delere offensas. *Vide eumdem lib. 22. Mor. cap. 12. & 13. & lib. 29. c. 2. quòd pro electis, corpus quod assumpserat, exposuerit. Et in Psal. 6. in fine. Et in caput 1. Cantic. applicationem solis membris factam. Item pro Ecclesia oraſſe. In Psal. 7. Panic. in p. homil. 2 13. & 15. in Ezech. cætera prætereo, ne lectorem obruam.*

Vnum aut alterum ex Doctore Angelico profero. lect. 1. in 1. Tim. 2. ex. 1. Io. 2. Ipse est propitiatio, &c. Pro aliquibus, inquit, efficaciter: sed pro omnibus sufficienter: quia pretium sanguinis eius sufficiens est ad salutem omnium, sed non habet efficaciam nisi in electis, propter impedimentum. *Efficaciam autem intelligit plenissimam, & consummatam. nam efficaciam habet in omnibus fidelibus, licet reprobis. Impedimentum scilicet peccati originalis, & actualis, cuius causa, iustè Deus pluribus denegat fructū redemptionis. Et ibidem ex 2. Pet. 3.* Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. *Sic ratiocinatur.* Contra est, inquit. Omnia enim quæcúque volunt fecit. Ergo Omnes saluat. Sed si dicis quod non, quia homo non vult; videtur inconueniens quòd omnipotens impediatur, per voluntatem non omnipotentis. Respondeo, voluntate signi velle saluare omnes, quia omnibus proposuit salutis præcepta, consilia, & remedia. *Quibus significauit voluntatem suam.* Item voluntate beneplaciti, siue causali, qua dicitur facere, & velle, quod nos facit velle, & facere. Sicut Spiritus postulat pro nobis, id est postulare facit. Sic quia nesciunt iusti, qui sint electi, volunt omnes saluos fieri. Vel, omnes vult, quia nullus saluatur, nisi per voluntatem eius: vt magister docet omnes ad se venientes. Vel quia non solum Iudæis, sed & Gentibus, & omnium hominum generibus, non singulis generum vult salutem. ET HOC MAGIS FACIT AD INTENTIONEM APOSTOLI. *Subiicis etiam expositionem Damasceni, de voluntate antecedente, & consequente. Vel voluntate absoluta qua in vniuersali. vt mercator, vult omnes merces saluare: sed vt seipsum saluet, ne mergatur, non vult, ob consequens damnum mains. Ita salus omnium est absolutè volibilis: sed ex consequentia iustitiæ, quæ debet punire peccatum, non vult omnes saluare. Addam ego: voluntate antecedente, id est antequam peccaret Adam, & omne hominum genus in eo, voluit omnes in eo saluos fieri, & in eo omnes auxilium gratiæ sufficiens accepimus, cum quo, si voluisset, saluari omnes potuissemus: sed ex consequenti peccato, non vult, vt iustitiæ suæ satisfaciat.*

Rursum idem D. Thomas lect. 2. in 1. Tim. 4. Speramus in Deum viuum, qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium Christus inquit, est Saluator, quia saluat salute corporali, quoad omnes: & ideò dicit, omnium hominum. Item spirituali, & ideò dicit, maximè fidelium. *Quod, vt omnia prædicta, excepta opinione Damasceni, hausit ex Augustini fontibus. Vide Aug. in Psal. 8. & 35. de hominibus etiam more iumentorum viuentibus, quibus temporaliter prouidet. Et ad literam hic D. Paulus non de Christo Redemptore, sed Deo prouisore, & iuxta Syr. Seruatore tractat. Dixerat enim de abstinentia à cibis à Deo creatis, &c. Præterea, Doctor Angelicus in Hebr. 5. 7.* Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Non tantum, inquit, fleuit pro se, sed pro nobis, quibus passio sua profuit, &c. Item nolebat quòd ignosceretur omnibus, sed illis tantum qui crediderunt, & multi postea conuersi sunt. *Et lect. 2. in Io. 17.* Non pro mundo rogo, id est mundi dilectoribus, sed pro his quos dedisti mihi, vt discipulos, & obedientes. Sed contra videtur, quòd pro omnibus rogauerit 1. Io. Aduocatum habemus, &c. Qui vult omnes, &c. dicendum, quod Christus quantùm est de se, pro omnibus orauit, quia quantùm est de se, oratio sua efficax est, vt valeat tot mundo, sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis, & electis Dei: & hoc, propter impedimentum mundanorum. *Peccatum scil. originale, vel actuale, ob quod iustè reprobati sunt.* Et rationem manifestat dicens, tui erant, scil. per æternam prædestinationē. *Omnes præcitati Patres, quidquid in hac causa scripserunt principe ac duce, Magistro Augustino dixerunt; quem D Prosper in Epistola ad Ruffinum, qua tota in hac materia versatur, circa finem.* Præstantissimum Ministrum gratiæ, & defæcatissimæ ac salubertimæ, Euangelicæ, Apostolicæque doctrinæ Magistrum, *Vocat. Ex mille locis, aliquos excerpo. Primo quidem, libro 4. contra Iulia. cap. 8. Eum arguit abutentem Pauli testimonio; qui vult omnes; dicens, nolle petere homines, cùm Deus velit dare.* Hunc sensum vestitum, infantes illi sua taciturnitate conuincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pullant; imò etiam cùm baptizantur, reclamant, &c. Et accipiunt tamen, &c. Longè pluribus infantibus in istam gratiam non adoptatis ab eo, qui vult omnes, &c. Quibus dicere non potest, volui, & noluistis. Quia si voluisset quis eorum, qui nondum habent voluntatis arbitrium, voluntati eius omnipotentissimæ restitisset? *Et libro 6. Cont. Iul. c. 14.* Quod multò mirabilius est, aliquando adoptat in filium, quem formauit in vtero immundissimæ fœminæ: & aliquando nō vult suum esse filium, quem format in vtero suæ filiæ. Ille quippè ad baptismum, nescio qua prouisione peruenit: *Occulta Dei prouidentia.* Iste repentinâ morte non peruenit. Atque ita Deus, in cuius potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formauit in diaboli domicilio; & non vult esse in regno suo, quem formauit in templo suo. Aut si vult, cur non facit quod vult? Non enim quod soletis de maioribus dicere, Deus vult, & paruulus non vult. Certè hîc vbi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi misericordiæ & veritatis profunditas? *Dicent forte,* Deo blandientes & sibi lenocinantes, vt ait Tertullianus, *De magna illa, lata, & profusa Dei misericordia; causas secundas à Deo suo cursui relinqui; permittere Deum talem naturæ ordinem, &c. Itane verò sine causa prima influ vt. agent secunda? Non peribit capillus de capite sine Dei nutu; passer non cadet in terram; & tot puerorum animæ, sine Dei voluntate, eaque iustissima, propter peccati originalis meritum* Naturâ iræ filiæ *Regno cœlesti exultantes, cadent in infernum? Augustinum audiant sic fantem libro de dono perseuerantiæ cap. 12.* Neque fato, inquit, cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non subuenire, cùm sit vtrisque causa communis. Aut res humanas in paruulis, non diuinâ prouidentiâ, sed fortuitis agi casibus opinabimur; cùm rationales, vel damnandæ, vel liberandæ sunt animæ; Quandoquidem, nec passer cadit in terram. sine voluntate Patris nostri, qui in cœlis est si aut parentum negligentiæ sic tribuendum est, quòd paruuli sine baptismo moriuntur, vt nihil ibi agant superna iudicia: tanquam

A B C D E

S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin.

Augustin.

ipsi qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes, voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint. *Quaro insuper, an fortuitò membra & temperies corpusculi infamuli in matris utero compingatur? Et vbi illud Danidicum:* Qui finxit singillatim corda eorum? Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto, &c. Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam. *Ignorabat fortè Deus, quando animam infudit corpori à seipso organizato, quanto tempore anima altiùs erat in corpore Vt quid ergo Iob cum Psalte;* Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me: *Vt quid rursum Iob;* Numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt? *Si constituit terminos, certè noluit baptizari, qui noluit talem terminum pertransiri, quo posset infans baptizari. Et si de Gentilibus est sermo; noluit innumeros saluos fieri, quibus media supernaturalia, ad salutem omnino necessaria. alto, sed iusto iudicio, noluit prouidere. Intelligant igitur Augustinum in Ep. ad Vitalem breuiter & clarè dicentem:* Finem ipsum vitæ huius, non in hominis, sed in Dei esse potestate. *Nec hominem mori sine Dei voluntate; cùm sine ea, nec passer in terram possit cadere. nec tantùm sciente & volente, sed & iubente* Deo *animæ egrediuntur de corpore. Et hæc est fides Ecclesia dicentis in Missa diei obitus defuncti,* Quem hodie de hoc sæculo migrare iussisti. *Quod ex scriptura deprompsit Deut. 34. 5. Vbi de Moyse in terra Moab mortuo:* Mortuus est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab, iubente Domino: *Sine iuxta 70. & Paraph. Chald.* Per Verbum Domini. *Nullus ergo infans sine baptismo, nullus Gentilis in infidelitate, nullus reprobus in peccato mortali damnandus moritur fato, fortuna, casu, causis naturæ, & temperamenti corporis vrgentibus, sine causa prima cuncta mouentis voluntate & iussu, qua si naturalia curat, multò magis supernaturalia, quibus speciatim eius prouidentia inuigilat; sine vt institiam suam erga relictos iusto iudicio in massa damnationis exerceat, eos in statu peccati iustè ordinans egredi de corpore antequam possint baptizari, instrui, pœnitere sine electos ex misericordia expectans, donec possint gratiam recipere, vel in ea positos de hoc mundo tollens,* Et rapiens, ne malitia mutet intellectum eorum. *Sed cùm multò plures reprobi, quàm electi, quis non expauescat? quis de misericordia præsumat, vel intuitu volentis omnes saluos fieri, vel propitiatorij sanguinis Christi pro totius mundi salute effusi? Audias quisque nostrum frequenter hanc vocem Euangelicam:* Stulte hac nocte repetent animam tuam à te. *Et quinam illi, nisi tres personæ Trinitatis, quæ animam creatam corpori infuderunt, & statuà die repetent, & postea iudicabunt.*

S. Augus.

¶ 2. Dei voluntas quædam expressè, quædam tacitè exigit à nobis, præcepto scilicet, vel consilio; quæ autem permittit, non merè vult, sed quasi inuitè. Vnde hæc agere, demeritum est, licet non sit delictum. De Exhort. Cast. cap. 3. in p. adm.

QVum solum sit in nobis velle, & in hoc probetur nostra erga Deum mens, an ea velimus quæ cum voluntate ipsius faciant, altè & impressè recogitandam esse dico Dei voluntatem, quid etiam in occulto velit. Quæ enim in manifesto, scimus omnes, eaque ipsa qualiter in manifesto sint, perspiciendum est. Nam etsi quædam videntur voluntatem Dei sapere, dum à Deo permittuntur, non statim omne quod permittitur, ex mera & tota voluntate procedit eius qui permittit. Ex indulgentia est, quodcumque permittitur; quæ etsi sine voluntate non est, quia tamen aliquam habet causam in illo cui indulgetur, quasi de inuita venit voluntate, passa causam sui, quæ cogit voluntatem. Vide qualis sit voluntas, cuius alter est causa. Secunda item species consideranda est non puræ voluntatis. Vult nos Deus agere quædam placita sibi, in quibus non indulgentia patrocinatur, sed disciplina dominatur. Si tamen alia istis præposuit, vtique quæ magis vult, dubiumne est ea nobis sectanda esse, quæ mauult; quum quæ minus vult, quia alia magis vult, perinde habenda sint atque si nolit? Nam ostendens quid magis velit, minorem voluntatem majore deleuit. Quantóque notitiæ tuæ vtramque proposuit, tantò definiit id te sectari debere, quod declarauit se magis velle. Ergo si ideo declarauit vt id sectaris, quod magis vult, sine dubio nisi ita facis, contra voluntatem eius sapis, sapiendo contra potiorem eius voluntatem; magisque offendis quàm promereris, quod vult quidem, faciendo, & quod mauult respuendo. Ex parte delinquis; ex parte, si non delinquis, non tamen promereris. Porrò & promereri nolle, delinquere est.

1. Cor. 7. 6.

DEI VOLVNTAS. II. SCHOLIA.

IN NOBIS VELLE. Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio. FACIANT. *Conspirent, concordent.* ALTE IT IMPRESSE. *Quasi rem moueni maximi, & profundè imprimendam cordi.* IN OCCVLTO, *Rimanda & scrutanda est Dei voluntas circa eius consilia occulta, non tantùm exequendo quæ aperte præcepta sunt, sed secretas etiam diuini cordis voluntates.* IN MANIFESTO, *Supple sunt.* DE INVITA, *Voluntas indulgentis vim aliquam patitur, quapropter infirmitatem cogitur relaxare & indulgere, quod non plenè sibi placet, cùm vellet & præoptaret impleri quod melius est.* NON INDVLGENTIA PATROCINATVR, *Non excusat ab aliquo delicto saltem omissionis, Indulgentia Dei, minus sibi placitum permittentis.* DISCIPLINA DOMINATVR. *Obseruantia rei magis Deo placita prædominari debet indulgentiæ concessæ aliter agendi.* SI TAMEN ALIA, *Quæ sibi magis sunt placita, Deus docuit sè præeligere his quæ indulget.* QVANTÓQVE NOTITIÆ, &c. *Tantò apertius Deus docuit, te debere exequi quod sibi magis placet, quò vtrumque tibi notum fecit; vt secundum eius voluntatem eligeres, maius scilicet bonum minori præferendo.* DELINQVERE EST. *Si crudè sumitur, vt sub peccati pœna teneatur quisque à secundis nuptiis abstinere, error est quem suo loco explosimus: Si verba Pauli insinuantur, indulgentiam & veniam renubenti dantis, aliquid veniale cum Augustino notauimus. Si inspirationi & consilio*

Dei, ad castitatem interius excitantis, non acquiescitur, & bonum opus omittitur, peccatum est omissionis. Adeo vt & scriptum sit; Seruus sciens voluntatem Domini & non faciens, plagis vapulabit multis. *Locum Pauli initio huius scholij præmissum Rom. 7. 18.* Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio. *Syriaca translatio.* Vt velim bonum, facilè quidem mihi est; at vt illud exequar, impotens Aug. sum. *Exponit Aug. tract 41. in Ioh. 1.* Debet conari omnis, qui tendit ad perfectionem, vt & ipsa cõcupiscentia, cui non dantur ad obediendum membra, quotidie in proficiente minuatur. Velle, inquit, adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Numquid dixit non mihi adiacet facere? sed, non mihi adiacet perficere. Quæ est enim perfectio boni, nisi consummatio & finis mali? quæ B est autem consummatio mali, nisi quod lex dicit, non concupisces? Omnino non concupiscere perfectio boni est, quia consummatio mali est. *Alij legunt consumptio* Hoc dicebat ille, perficere bonum non mihi adiacet, quia non poterat facere vt non concupisceret, faciebat tantùm vt concupiscentiam refrænaret, vt concupiscentiæ membra ad satellitium non præberet. Quid ergo opus est vt impleas? post concupiscentias non eas, *Et a voluntate tua auertere Eccli 18.* Hoc age interim quandiu sunt illicitæ concupiscentiæ in carne tua, post concupiscentias tuas non eas, mane in seruitute Dei, in libertate Christi, mente serui legi Dei tui; nolito dare concupiscentiis tuis vires; eas sequendo, vires eis addis: dando eis vires, quomodo vincis quando contra te inimicos nutris viribus tuis? *Hoc autem loco Tertull. duo conficit; primò quidem solam in nobis esse voluntatem, qua possimus placere Deo, non tantùm expressa eius mandata implendo, proindeque illicitas concupiscentias refrenando, sed & nutum eius, & consilium in rebus consilij sequendo, qualis est virginitas, & cælibatus: de quibus Paul. ait:* Præceptum Domini non habeo, consilium autem do. *Vnde & ipse Christus de eunuchis voluntariis loquens, nil præcipit, sed ait:* Qui potest capere capiat, non enim omnes capiunt verbum hoc. *Secundò inducit nos vt meliora probemus, & Dei voluntatem in perfectioribus amplectamur, iuxta Paulum* D *dicentem Rom. 12. 2.* Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis, *Syr. & distinguite*, Quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.

August. *In quem locum sic Aug. lib. 13. Confess. cap. 22.* Ecce Domine Deus noster, Creator noster, cùm A cohibitæ fuerint affectiones ab amore sæculi, quibus moriebamur malè viuendo, & cœperit esse anima viuens benè viuendo; completumque fuerit verbum tuum, quod per apostolum tuum dixisti; Nolite conformari huic sæculo, &c. Non iam secundùm genus, *Sicut animalia terra produxit, iuxta genus suum prolem formatura.* Tamquam imitantes proximum, nec ex hominis melioris autoritate, *Exemploque conformati* viuentes. Neque enim dixisti: fiat homo secundùm genus; sed; faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: vt nos probemus quæ sit voluntas tua. Ad hoc enim ille dispensator tuus, *Paulus scilicet*, generans per Euangelium filios, ne semper paruulos haberet, quos lacte nutriret, & tamquam nutrix foueret. *Non contentus bona voluntate circa præcepta implenda, nisi & ad consilia promoueret, donec in virum perfectum, & in mensuram plenitudinis Christi excresceret, formareturque in eis Christus*; Reformamini, inquit, in nouitate mentis vestræ, ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum. Ideoque non dicis, fiat homo, sed faciamus hominem. *Trinitas loquitur; vt Patri creanti natura bonum, & legem danti bonam, bona voluntas pareat, Filio naturam lapsam reparanti, & gratia noua legis consilia euangelica suadenti, quod beneplacitum est, obsequatur; Spiritui sancto perfectam charitatem inspiranti, voluntas quoque perfecta conformetur.* Nec S. August. dicis, secundùm genus, sed ad imaginem & similitudinem nostram *Quid enim si conformetur cæteris animalibus aut hominibus, homines secundum carnem generantibus? sed cum ex Tertull. Deus ipsam Christi humanitatem de terra virgine virginem attenderet, cùm hominem primùm de terra virgine formaret, & ipse Adam cum Eua virgines fuerint, donec in Paradiso manserunt, sic vult nos sequi exemplar istud, huic conformari prototipo, quos prædestinauit conformes fieri imagini sui filij, cùm sine castimonia nemo sit visurus Deum: Vnde subiicit Aug.* Mente quippe renouatus, & conspiciens intellectu veritatem tuam, homine demonstratore non indiget, vt suum genus imitetur: sed demonstrante te, probat ipse quæ sit voluntas tua, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum: & faciet eum iam capacem videre Trinitatem vnitatis, & vnitatem Trinitatis: Ideóque pluraliter dicto, faciamus hominem: singulariter tamen infertur, & fecit Deus hominem: & pluraliter dicto, ad imaginem nostram; singulariter tamen infertur ad imaginem Dei Ita homo renouatur in agnitionem Dei, secundùm imaginem eius qui creauit eum. *Et* probat, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. S. Aug.

3. *Voluntas Dei sanctificatio nostra & salus est, in cælo animæ, & in terra corporis: cui resignari debemus, etiam in pœnis. De orat. cap. 4. per totum.*

SEcundùm hanc formam subiungimus, a *Fiat voluntas tua in cælis & in terra.* Non quòd aliquis obsistat quo minùs voluntas Dei fiat, & ei successum voluntatis suæ oremus, sed in omnibus petimus fieri voluntatem eius. Ex interpretatione enim figurata carnis & spiritus, nos sumus cœlum & terra. Quamquam etsi simpliciter intelligendum est, idem tamen est sensus petitionis, vt in nobis fiat voluntas Dei in terris, vt possit scilicet fieri & in cœlis. Quid autem Deus vult quàm incedere nos secundùm suam disciplinam? Petimus ergo substantiam & facultatem voluntatis suæ submministret nobis, vt salui simus & in cœlis & in terris, quia summa est voluntatis eius, salus eorum quos adoprauit. Est & illa Dei voluntas, quam Dominus administrauit prædicando, operando, sustinendo. Sic enim ipse pronuntiauit, non suam, sed Patris facere se voluntatem. Sine dubio quæ faciebat, ea erant voluntas Patris, ad quæ nunc nos velut ad exemplaria prouocamur, vt & prædicemus, & operemur, & sustineamus ad mortem vsque. Quæ vt implere possimus, opus est Dei voluntate. Item a Matth. 6. 10. Ioh. 6. 38.

Digitized by Google

dicentes, *Fiat voluntas tua*, Vel eò nobis benè optamus, quod nihil mali sit in Dei voluntate, etiã si quid pro meritis cuiusque secus inrogatur. Iam hoc dicto ad sufferentiam nosmetipsos præmonemus. Dominus quoque cùm sub instantiam passionis infirmitatem carnis demonstrare iam in sua carne voluisset, b *Pater*, inquit, *transfer poculum istud*. Et recordatus, nisi quòd *Mea non, sed tua fiat voluntas*. Ipse erat voluntas & potestas Patris, & tamen ad demonstrationem sufferentiæ debitæ, voluntati se patris tradidit.

b Luc. 22. 42.

DEI VOLVNTAS. III. SCHOLIA.

SECVNDVM HANC FORMAM. *Præscriptam scil. à Christo in oratione Dominica; vel præsſius, vt liquet ex immediatè præcedentibus*; Suspensâ enuntiatione non dicentes; Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus *Optantes Dei nomen non tantùm in nobis, sed in omnibus sanctificari, hoc est Sanctum agnosci & coli*. NON QVOD OBSISTAT. Voluntati enim eius quis resistet. *Præclarè in hanc rem Augustinus to. 3. libro Enchir. ad Laur. c. 100.* Hæc sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, & tam sapienter exquisita, vt cùm Angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod voluit, ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est quod Creator noluit, impleret ipse quod voluit; benè vtens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos iustè prædestinauit ad pœnam; & ad eorum salutem, quos benignè prædestinauit ad gratiam. Quantùm enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantùm verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippè ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. *Quia scil. voluntas eius iustissima & constantissima, ob præsſum in eis peccatum Adæ, vel proprium actuale eos voluit damnare*. Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo, non fiat præter eius voluntatem: quia non fieret, si non sineret: Nec vtique nolens sinit; sed volens. Nec sineret bono fieri malè, *Id est iusto & Amico suo malum inferri quodcunque & à quocunque*, Nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. *Et cap. 101. De bona semper Dei voluntate, quæ semper impletur, sic habet*: Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bona multo amplius, multóque certius voluntate: nam illius mala voluntas esse numquam potest. Tanquam si bonus filius Patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: vbi si malus filius velit mori Patrem, velit hoc etiam Deus. Nempè ille vult quod non vult Deus, iste verò id vult quod vult & Deus: & tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potius consonat, quamtuis aliud volentis, quàm huius idem volentis impietas. Tantum interest, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem, suam quisque referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur. Nam Deus quasdam voluntates suas vtique bonas, ita implet per malorum hominum voluntates malas, sicut per Iudæos maleuolos, bona voluntate Patris, Christus pro nobis occisus est. *Vnde & alibi Aug. agit inquit Deus, hoc est dirigit in bonum finem, in cordibus hominum etiam voluntates malorum*. Quod tantum bonum factum est, vt Apostolus Petrus, quando id fieri nolebat, sathanas ab ipso qui occidi venerat, diceretur. Quam bonæ apparebant voluntates piorum fidelium, qui nolebant Apostolum Paulum Ierusalem pergere; ne ibi pateretur mala, quæ Propheta Agabus prædixerat: & tamen Deus hæc illum pati volebat, pro annuntianda fide Christi, exercens Martyrem Christi. Neque enim iste bonam voluntatem suam impleuit per Christianorum voluntates bonas, sed per Iudæorum malas: & ad eum potius pertinebant, qui nolebant quod volebat, quam illi per quos volentes factum est quod volebat, quia idipsum quidem, sed ipse per eos bonâ, illi autem malâ voluntate fecerunt. *Concludit autem cap. 102. nec Angelos, nec homines, nec dæmones voluntatem Dei impedire posse*: Quantælibet sint voluntates, vel Angelorum, vel hominum, vel bonorum, vel malorum, vel illud quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus, omnipotentis voluntas Dei semper inuicta est; quæ mala esse numquam potest: quia etiam cùm mala inrogat, iusta est; & profectò quia iusta est, mala non est. Deus igitur omnipotens, siue per misericordiam, cuius vult misereatur, siue per iudicium, quem vult obduret; nec iniquè aliquid facit, nec nisi volens quidquam facit, & omnia quæcumque vult, facit. SVCCESSVM, *Vt res succedant sicut vult*. IN OMNIBVS, *Sicut in nobis*. FIGVRATA, *Per allegoriam, cælum & terra animam & carnem significãt*. SIMPLICITER, *Ad literam, vt verba sonant*. DISCIPLINAM, *Doctrinam, mandata, legem*. SVBSTANTIAM, *Notitiam omnium quæ vult à nobis fieri, & vires efficaces implendi*. ADMINISTRAVIT, *Impleuit, cui seruiuit & paruit*. PRONVNTIAVIT, *Io. 6. 38.* Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. OPVS EST DEI VOLVNTATE. *De qua sæpè cum Paulo & Augustino diximus*: Operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. *De quo & Cyprianus de orat. Dominica*: Dicimus fiat voluntas tua, &c. Non vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quo minus quod velit faciat? Sed quia nobis à diabolo obsistitur, quo minùs per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus, vt fiat in nobis voluntas Dei: quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est ope eius & protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentiâ & misericordiâ tutus *Vide plura ibid. in eand. rem*. INROGATVR. *Retribuitur. Præclarissimè hac Tertulliani sententia ad eius mentem supra exposita est ab Augustino*. INFIRMITATEM CARNIS, *Ob quam verè assumptam, tormenta, mortemque turpem secundùm appetitum inferiorem auersabatur*. TRANSFER. *Luc. 22.* Pater, si vis, transfer calicem istum à me. *Syr. pertereat me Calix iste*. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. RECORDATVS, *Secundùm superiorem animæ voluntatem, & iuxta rationem reflectens se ideo venisse in carnem, vt in hoc maximè Patris voluntatem impleret*. IBAT VOLVNTAS. *Id est, cùm esset Deus, eandemque cum Patre habens potestatem & voluntatem, voluit in assumpta carne exemplo suo docere nos, in omnibus, etiam morte, conformari debere Dei voluntati, vt quod docuerat in Oratione Dominica verbo, proprio firmaret exemplo.*

De articulo orationis Dominicæ, quæ dicimus, Fiat
Auguſt. voluntas tua, *Frequenter tractat Auguſtinus, & ad mentem Tertulliani. Videndus, Ep. 121. ad Probam de orando Deo. Ser. 126. de Temp. in p. Ser. 135. de temp. in m. Ser. 181. de temp. in m. to. 4 lib. 2. de Ser. Do. in*
Aug. *Monte c. 6. vbi ſic*: Fiat voluntas tua, &c. Ideſt, ſicut eſt in Angelis qui ſunt in cœlis voluntas tua, vt omnino tibi adhæreant, téque fruantur, nullo errore obnubilante ſapientiam eorum, nulla miſeria impediente beatudinem eorum. Ita fiat in Sanctis tuis qui in terra ſunt, & de terra, quod ad corpus attinet, facti ſunt, & quamuis ad cœleſtem habitationem atque immutationem, de terra aſſumendi ſunt, &c. Item, fiat voluntas tua, rectè intelligitur, obediatur præceptis tuis, ſicut in cœlo & in terra: id B eſt, ſicut ab Angelis, ita ab hominibus. Nam fieri voluntatem Dei, cùm obtemperatur præceptis eius, ipſe Dominus dicit, cùm ait, meus cibus eſt vt faciam, &c. Et ſæpè; non veni facere voluntatem meam, &c. Et cùm ait, Ecce mater mea, & ecce fratres mei, & quicumque fecerit voluntatem Dei, &c. Eſt etiam ille intellectus, fiat voluntas tua, &c. Sicut in ſanctis & iuſtis, ita etiam in peccatoribus, &c. Vt ad te conuertantur. Siue ita; fiat voluntas, &c. Vt ſua cuique tribuantur: quod fit in extremo iudicio, vt iuſtis præmium, peccatoribus damnatio tribuatur, cùm agni ab hœdis ſeparabuntur. Ille etiam non abſurdus, imò etiam & fidei & ſpei noſtræ conuenientiſſimus intellectus eſt, vt cœlum & terram accipiamus ſpiritum C & carnem, &c. Vt quemadmodum ſpiritus non reſiſtit Deo, ſequens & faciens voluntatem eius: Ita & corpus non reſiſtat ſpiritui, vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur, & in carnalem conſuetudinem prona eſt: quod erit ſummæ pacis in vita æterna, vt non ſolum velle adiaceat nobis, ſed etiam perficere bonum, &c. Et in miſeria noſtra fit voluntas Dei, cùm ea patimur per carnem quæ nobis mortalitatis iure debentur, quam peccando meruit noſtra natura. Sed id orandum eſt, vt ſicut in cœlo, ita & in terra fiat voluntas Dei: id eſt, vt quemadmodum condelectamur legi, ſecundùm interiorem hominem, ita etiam corporis immutatione facta, huic noſtræ delectationi D nulla pars noſtra terrenis doloribus ſeu voluptatibus aduerſetur. Nec illud à veritate abhorret, vt accipiamus, fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra: ſicut in ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto, ita & in Eccleſia: tanquam in viro, qui patris voluntatem impleuit, ita & in fœmina quæ illi deſponſata eſt: cœlum enim & terra conuenienter intelligitur, quaſi vir & fœmina, quoniam terra cœlo fœcundante fructifera eſt. *Et homil. 42. vbi eadem*
Auguſt. *ferè habet:* Etiam ſic benè intelligi poteſt, fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra: vt cœlum ponamus Eccleſiam, quia portat Deum, terram autem infideles quibus dictum eſt, terra es, & in terram ibis. Quando ergo oramus pro inimicis noſtris, inimicis Eccleſiæ, inimicis homini Chriſtiano, E hoc oramus vt fiat voluntas eius ſicut in cœlo, ita & in terra, id eſt, ſicut in tuis fidelibus, ſic & in tuis blaſphematoribus, vt omnes cœlum fiant. *Quid copioſius, quid concinnius ad mentem Tertulliani illuſtrandam? vnum tamen hic ſuperaddam, de neceſſaria bona in nos Dei voluntate, qua operatur in nobis velle & perficere; de qua Auguſtinus contra Pelagium* A *ſcribens lib. de gratia Chriſti cap. 10.* Damnauit, inquit, eos qui dicunt gratiam Dei & adiutorium, S. Auguſt. non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina, & tamen latere ſe putat, cùm aliis atque aliis locutionibus verſat ſignificationem legis atque doctrinæ. Et alio quippe loco, cùm diu aſſeruiſſet, non adiutorio Dei, ſed ex nobis ipſis in nobis effici voluntatem bonam, oppoſuit ſibi ex Apoſtoli Epiſtolâ quæſtionem, atque ait: & quomodo, inquit, ſtabit illud Apoſtoli Philipp. 2 13. Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle & perficere. Deinde vt hanc oppoſitionem veluti ſolueret, quam videbat dogmati ſuo vehementer eſſe contrariam, ſecutus adiunxit; operatur in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum reuelatione ſapientiæ, in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne quod bonum eſt. *Cui ſtatim reſpondet Auguſtinus:* Quid manifeſtius, inquit, nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in S. Auguſt. nobis operatur velle quod bonum eſt, quàm legem atque doctrinam? In lege namque & doctrina ſanctarum ſcripturarum, futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam, quòd ſapientia reuelatur: ad doctrinam pertinet, cùm ſuadetur omne quod bonum eſt. Et ſi inter docere, & ſuadere, vel potiùs exhortari, diſtare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur, quæ quibuſcumque ſermonibus vel literis continetur. Nam & Sanctæ Scripturæ & docent, & exhortantur, & poteſt eſſe in docendo, & exhortando etiam hominis operatio. Sed nos eam gratiam volumus iſti aliquando fateantur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur: nec ſolùm reuelatur ſapientia, verùm etiam & amatur: nec ſuadetur ſolùm omne quod bonum eſt, verum & perſuadetur. Non enim omnium eſt fides qui audiunt per Scripturas Dominũ regnum cœlorum pollicentem: aut omnibus perſuadetur quibuſcumque ſuadetur, vt veniant ad eum qui dicit, venite ad me omnes qui laboratis. Quorum autem ſit fides, & quibus perſuadetur vt ad eum veniant, ſatis ipſe demonſtrauit, vbi ait, nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Et paulò poſt, cùm de non credentibus loqueretur: dixi, inquit, vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, *Qua non ſolùm dat remotum poſſe, ſed & proximè agere, credendo, ſperando, amando quod verè bonum eſt, & pro eo dura qualibet ſuſtinendo.* Si vult non ſolùm vocari, verùm etiam eſſe Chriſtianus. *Vide eundem Aug. in præfatum locum Philipp. 2. lib. de gratia Chri. c. 25.* S. Auguſt. *De ſpirit. & littera cap. 2. & 33. to. 4. 99. in Exo. q. 67. lib. 22. de Ciuit. c. 1. contra duas Ep. Pelag. lib. 1. c. 10. & 19. & lib. 2. c. 8. in Enchir. ad Laur. c. 32. De dono perſeuerantiæ cap. 13. & 23. & Bedam in eodem loco citantem Aug. lib. de gratia & libero arbitr. de* S. Auguſt. *corrept. & grat. Ser. 2. de Verb. Apoſt. & Ep. ad Iulianam, & tract. in Pſal. 65.*

DEI BONITAS.

DEI BONITAS.

1. Dei bonitatem hæretici & libertini Sepiis similes quæstiunculis infuscant. 2. Cont. Marc. cap. 20. in p.

Deut. 14. 10. SEd enim sepiæ isti, quorum figura illud quoque piſculentum de cibis Lex recusauit, vt traductionem sui sentiunt, tenebras hinc blasphemiæ interuomunt, atque ita intentionem vniuscuiusque iam proximam dispargunt, jactitando & adseuerando ea quæ relucentem bonitatem Creatoris infuscent. Sed & per istas caligines sequemur nequitiam, & in lucem extrahemus ingenia tenebrarum, obiicientia Creatori vel maximè fraudem illam Exo. 11. 2. & rapinam auri & argenti, mandatam ab illo Hebræis in Ægyptios.

DEI BONITAS. I. SCHOLIA.

FIGVRA. *In figura.* PISCVLENTVM. *Genus piscium.* RECVSAVIT, *Interdixit, excluſit ab esc.atilibus, vt immundum piſcem, cuius fraudem nemo nescit; vt euadat piſcatorem, ſubnigrum humorem & obſcurum euomit, & turbat aquam*, LEX. *Deuter. 14. 9. & 10.* Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis. *70. quæ in aqua.* Quæ habent pinnulas & squammas, comedite; quæ absque pinnulis & squammis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt. *Nil hîc de Sepiis, vt nec de vlla specie in particulari. Sed rectè Tertull. hæreticos Sepiis comparat, quòd tenebras quæstiunculariun offundant, dum se captos vident, vt turbent intentionem disputantis & eum à scopo intento disturbent, vt sic Creatoris bonitatem obscurent,* B *tum quòd videatur fraudasse Ægyptios, de quorum spoliatione legitima fusè iam alibi diximus; tum quòd in hac etiam specie quæstionis circa animalia immunda. Creatorem non bonum efferant, qui immundas &* S. August. *proinde malas creaturas produxerit. Id aduertit Aug. tom. 6 lib. contra Adimantum Manichei discipulum cap. 14.* De carne non manducanda, & non bibendo vino, quod ait Apostolus, non quia illa immunda arbitratus est, hoc præcipit, sicut isti existimant, & errantes, in errorem præcipitant, quibus talia persuaserunt: sed cùm ipse posuerit causam cur hoc dixerit, non est nobis hæc interpretanda vel exponenda sententia, &c. Numquid eget cuiusquam interpretatione, vt intelligatur, C cur hoc Apostolus dixerit: & quanta illi malitia de scripturis certa quæque discerpunt, quibus circumueniant imperitos? Num & munda omnia esse dixit Apostolus secundùm fidem, *Credentis licitum sibi esse omnia vt à Deo bona creata manducare.* S. August. Et ei esse immunda, qui putat immundum, &c. Cùm Apostolus clamet esse munda omnia, & omnem creaturam Dei bonam esse, & omnia sanctificari per Verbum Dei & orationem, & tamen temperandum ab eis, si quis fortè infirmus offenditur. Et quodam loco 1. *Tim.* 4. Apertissimè istos significauit, cùm dicit, in nouissimis temporibus futuros quosdam prohibentes nubere, abstinentes à cibis quos Deus creauit. Hoc enim propriè designat, qui non propterea temperant à cibis talibus, vt aut concupiscentiam suam refrænent, aut infirmitati alterius parcant, sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum Creatorem Deum esse negant. *Et eodem tomo lib. 6. contra Faustum cap.* Aug. 7. Testamento veteri, vbi quidam cibi prohibentur, cur non sit contraria ista sententia, quâ dicit Apostolus, omnia munda mundis; &, omnis Dei creatura bona est: si possunt intelligant hoc Apostolum de ipsis dixisse naturis: illas autem litteras, propter quasdam præfigurationes tempori congruentes, animalia quædam, non naturâ, sed significatione immunda dixisse. *Et lib. 31. contra eun-* Augus. *dem Faustum.* Cùm ait Apostolus omnia munda mundis, naturas ipsas intelligi voluit quas Deus creauit, secundùm illud quod Moyses in Genesi scripsit; & fecit Deus omnia, & ecce bona valde: non significationes secundùm quas Deus per eundem Moysem ab immundis munda discreuit. *Lib. autem 6. contra Faustum cap. 6. inf.* Mirum est quod Augus. ita se dicunt omnes carnes immundas existimare, & ob hoc ab eis abstinere, quasi aliquid existiment esse mundum, non solùm escarum, sed omnium creaturarum. Nam & ipsa olera, & poma, & omnes fruges, & terram & cœlum commixtione gentis tenebrarum perhibent inquinata. Vtinam ergo & in cæteris cibis errori suo congruerent, atque ab iis quæ immunda dicunt, omnibus abstinendo fame potiùs morerentur, quàm tales blasphemias pertinaciter loquerentur: nam se corrigere atque emendare nolentibus hoc esse vtilius quis non intelligat? *Quæ omnia in Manichæos dicta contra Marcionem quoque torqueri possunt contra Creatoris bonitatem blasphemantem.*

2. Dei bonitas naturalis & æterna esse debet. 1. Cont. Marc. cap. 22. in m.

SI non erit naturalis, iam nec æterna credenda, nec Deo par; quia non æterna, dum non naturalis: quæ denique nullam sui perpetuitatem, aut de præterito constituat, aut de futuro repromittat. Nam & à primordio non fuit, & in finem sine dubio non erit. Potest enim & non esse quandoque, sicut non fuit aliquando.

3. Dei bonitas prima est, vt potuerit per opera cognosci: quæ ante omnia opera & tempora æterna erat, & faciendæ opera præsidebat. 2. Contra Marc. cap. 3. à p. ad fin.

POssunt autem discipuli Marcionis recognoscentes bonitatem Dei nostri, dignam quoque Deo agnoscere per eosdem titulos, per quos indignam ostendimus in Deo illorum. Iam hoc ipsum quod materia est agnitionis suæ, non apud alium inuenit, sed de suo sibi fe-

Digitized by Google

cit. Prima denique bonitas Creatoris, qua se Deus noluit in æternum latere, id est, non esse aliquid, cui Deus cognosceretur. Quid enim tam bonum, quàm notitia & fructus Dei? Nam etsi nondum apparebat, hoc bonum esse, quia nondum erat quicquam cui appareret; sed Deus præsciebat quid boni appariturum esset: & ideò in suam summam commisit bonitatem, appariturí boni negotiatricem, non vtique repentinam, nec obuentitiæ bonitatis, nec prouocatitiæ animationis, quasi exinde censendam, quo cæpit operari. Si enim ipsa constituit initium, exinde quo cepit operari, non habuit initium ipsa cùm fecit. Initio autem facto, ab ea etiam ratio temporum nata est, vtpote quibus distinguendis & notandis, sidera & luminaria cœlestia dispositа sunt. a *Erunt* enim, inquit, *in tempora, & menses, & annos.* Ergo nec tempus habuit ante tempus, quę fecit tempus: sicut nec initium ante initium, quæ constituit initium. Atque ita carens & ordine initij & modo temporis, de immensa & interminabili ętate censebitur, nec poterit repentina, vel obuentitia, & prouocatitia reputari, non habens vnde reputetur, id est, aliquam temporis speciem; sed & æterna, & Deo ingenita, & perpetua præsumenda, ac per hoc Deo digna, suffundens iam hinc bonitatem Dei Marcionis, non dico initiis & temporibus, sed ipsâ malitiâ Creatoris posteriorem, si tamen malitia potuit à bonitate committi. a Gen. 1. 14.

DEI BONITAS. II. & III. SCHOLIA.

NATVRALIS. *Bonitas scil. de qua agit, quamque probat defuisse ab initio, Deo Marcionis, ex defectu operum, per qua eam æternam & naturalem sibi esse probare debuerat, & statim à mundi initio effundere se & communicare creaturis.* CONSTITVAT, *Stabiliter & constanter probet ex preteritis, imò continuis ab exordio mundi bonitatis actibus, se immutabiliter esse bonum.* REPROMITTAT, *Per iteratas prophetias, bona futura.* NON FVIT. *Si se per opera ab initio non manifestauit, dici potest quod ab initio non fuit. Sol enim esse non potest, qui oculis existentibus, per suos radios non videtur.* SINE DVBIO. *Cum bonitas diuina ei naturalis, essentialis, coæterna esse deberet, si à momento quo fuerunt creaturæ cognitionis eius capaces, se eis per opera bona, bonum esse non indicauit, de eo credi potest, eum nunquam bonum futurum. Quod de Deo Marcionis prius incognito iure dici potest. Deus autem Creator bonitatem possidens naturalem, & cuius natura bonitas est, ab initio mundi vsque nunc bonum immutabiliter se prodidit, & futurum inuariabiliter promisit. Essentialem, æternam & perpetuam Deus Creator bonitatem suam significauit Moysi, dum populo suo oppresso in Ægypto liberando, rubus ardens vt ignis, rubo spinisque populi coinmunctus, & vt ait Psaltes:* Cum ipso in tribulatione, & cum Ioseph descendens in foueam. & in vinculis non derelinquens, *Ait*: Filiis Israël dices, qui est, misit me ad vos, & ego sum qui sum. *Qui sum naturâ bonus, essentialiter bonus, ab æterno & in æternum bonus.* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. *Accipite Aug. tract. 38. in Io.* 8. Ego sum. Quid? nihil addidit. Et quia nihil addidit, multum est quod commendauit, &c. Quid expectabatur vt diceret? fortè, nisi credideritis quia ego sum conditor mundi, nisi credideritis quia ego sũ hominis formator & reformator, Creator & recreator, factor & refector, nisi hoc credideritis quia ego sũ, moriemini in peccatis vestris. *Subiicis de dicto Moysi ego sum qui sum:* Non ait & ibi, ego sum Deus: aut ego sum mundi fabricator, aut ego sum omnium rerum Creator: aut ego sum ipsius populi liberandi propagator; sed hoc tantùm, ego sum, qui sum, &c. O Domine Deus noster, quid est quod aisti, nisi credideritis quia ego sum? quid enim non est eorum quæ fecisti? Numquid cœlum non est? Numquid terra non est? numquid non sunt ea quæ in terra & in cœlo sunt? numquid homo ipse cui loqueris non est? Numquid Angelus quem mittis non est? Si omnia sunt hæc

A quæ per te facta sunt, *Et sunt quidem & bona sunt, sunt singula, & omnia bona valde, bonum Creatorem predicant, cui tamen comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt, vt alibi ex eodem retulimus.* Quid est quod tibi proprium quiddam tonuisti ipsum esse, quod aliis non dedisti, vt tu solus esses? Nam quomodo audio, ego sum qui sum; quasi alia non sint? &c. Quid ergo facio? quid sit ipsum esse dicat cordi, intus dicat, intus loquatur, homo interior audiat, mens capiat, verè esse: est enim semper eodem modo esse, &c. Res enim quælibet prorsus qualicumque excellentiâ, si mutabilis est, non verè est. Non enim est ibi verum esse, vbi est & non esse: quidquid enim mutari potest, mutatum non est quod erat. Si non est quod erat, mors quædam ibi facta est, peremptum est aliquid ibi quod erat, & non est. Nigredo mortua est in capite albescentis senis, pulchritudo mortua est in corpore fessi & incurui senis, mortuæ sunt vires in corpore languentis, mortua est statio in corpore ambulantis, mortua est ambulatio in corpore stantis, mortua est ambulatio & statio in corpore iacentis, mortua est locutio in lingua tacentis. Quidquid mutatur, & est quod non erat, video ibi quandam vitam in eo quod est, & mortẽ in eo quodfuit. Denique de mortuo cum dicitur, vbi est homo ille? respondetur, fuit. O veritas quæ verè es! Nam in omnibus actionibus & motibus nostris, & in omni prorsus agitatione Creaturæ, duo tempora inuenio, præteritum & futurum. Præsens quæro, nihil stat. Quod dixi, iam non est; quod dicturus sum, nondum est. Quod feci, iam non est; quod facturus sum, nondum est. Quod vixi iam non est; quod victurus sum, nondum est. Præteritum & futurum inuenio in omni motu rerum, in veritate quæ manet, præteritum & futurum non inuenio, sed solum præsens, & hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est. Discute rerum mutationes, inuenies fuit, & erit: cogita Deum, inuenies, est; vbi fuit & erit, esse non possit. Vt ergo & tu sis, transcende tempus: sed quis transcendet viribus suis? leuet illuc qui Patri dixit, volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. *Vltra tempus æternitas vltra bona temporalia mutabilia, summum & immutabile bonum: vltra bona nascentia & morientia, verum, viuum, immortale bonum. De quo Io. 1. Quod factum est, in ipso vita erat. Bonum immarcessibile, cuius robur & pulchritudo non languet aut marcescit, &c. Tandem si*

S. Augustin.

Omniloquium.

5. Aug. *ex Aug. alibi:* Quiaes, fumus, & in quantùm fumus, A boni fumus. *Quia bonum eſt entis paſſio; quàm bonus eſt Deus, cuius natura bonitas, cuius nomen eſt, ego ſum qui ſum!*

¶. Ex dictis precedenti Scholio magna lux huic accedit. INDIGNAM. *Qua dignata non fuit, ſi fuit, Creaturis benefacere.* HOC IPSVM. *Mundi opificium.* MATERIA EST. *Vnde potuit cognitionem ſui dare Angelis & hominibus, probando ſe eſſe Deum bonum ex operibus bonis.* NON APVD ALIVM. *Non ex alio, ſed ex nihilo, & propria bonitate, non ex mendicata Hermogenis materia, de qua alibi; aut ſicut Deus Marcionis, qui à Deo Creatore mendicauit mundum, in quo imaginariam ſuam bonitatem exerceret, ſicut & precario ab eodem conditum hominem accepit, cui benefaceret.* NOLVIT NON ESSE. B *Duplex negatio noluit deeſſe, voluit aliquod opus eſſe.* CVI. *Quomodo, per quod, vt per illud cognoſceretur.* FRVCTVS DEI, *Quo fruimur ſicut Sole viſo, ſic Dei luce per notitiam fruimur.* NONDVM, *Ante mundum conditum.* HOC BONVM, *ſummum bonum ſcil. Deum.* CVI APPARERET. *Quomodo, & per quod appareret, vel creatura rationalis, cui innoteſceret.* PRÆSCIEBAT. *In ſeipſo vt fonte & origine omnis boni videbat vt artifex in Verbo ſuo.* IN SVAM. *Suæ bonitati hoc negotium commiſit, vt ſe ad extra effundens creaturis, bonum ſe eſſe ab effectu probaret.* NON REPENTINAM. *Cum ab æterno præuidiſſet, quod in tempore facturus erat.* OBVENTITIÆ. *Accidentalis, quia ipſi eſſentialis erat & æterna.* PROVOCATITIÆ, *Quaſi ex æmulatione alicuius aduerſarij Dei Marcionis nondum exiſtentis animata & prouocata fuerit Deinoſtri bonitas, vt operibus ſuis, otium eius nihil operantis confunderet.* CVI-SENDAM, *Æſtimandam fuiſſe tantum ex tempore, quo cœpit operari.* CONSTITVIT INITIVM. *Ipſa Dei bonitas cùm initium dederit temporiin quo operari cœpit, tempus ipſum præceſſit quo condidit tempus, & proinde æterna eſt* RATIO. *Ordo.* DE IMMENSA. *Cenſebitur æterna bonitas & immenſa quæ ante tempus fuit, & tempus condidit quod eſt menſura creatæ bonitatis.* VNDE REPVTETVR. *Tempus, ex quo computari, & recenſeri poſſit.* SVPPVNDENS. *Pudore ſcilicet.* INITIIS, *Mundi conditi.* MALITIA CREATORIS. *Quâ hominem à diabolo decipi, & tot malis, ipſi quæ mortis ſubiici permiſit, quem diluuio, igne, peſte, belliſque deleuit; cuiquis ab omnibus malis Dei vltoris, & proinde malis, ſenſu Marcionis, Deus ſuus nouus tantummodo bonus, vindictæ neſcius, liberando, recenter aduenerit.* ÆTERNA ET DEB CONOBRITA. *De æterna, ſumma, & eſſentiali Dei bonitate iam diximus; accipe rurſum hæc ab Auguſtino, tract. 23. in Io. c. 5.* Quidquid Auguſt. & à meliore in deterius, & à deteriore in melius moritur, non eſt hoc Deus: quia neque in melius ire poteſt ſumma bonitas, neque in deterius vera æternitas; vera autem æternitas eſt, vbi temporis nihil eſt. Erat autem modò hoc, & modò illud, iam tempus admiſſum eſt, æternum non eſt. *Id eſt cum de aliquo dicitur, quod erat ante, quod iam non eſt, mutabile illud, & non æternum & immutabile eſt.*

4. *Dei bonitas cognoſcitur ex homine, libertate donato. 2. cont. Marc. cap. 6. circa m.*

HAbes igitur & bonitatem Dei agnoſcere ex dignatione, & rationem ex diſpoſitione. Sola nunc bonitas deputetur, quæ tantum homini largita ſit, id eſt, arbitrij libertatem.

5. *Dei bonitas prouidit homini mundum pro domicilio, & per verbum optimum cuncta bona fecit; facta autem vidit, id eſt oculo ſuo & benedictione digna cenſuit. 2. cont. Marc. cap. 4. in p.*

QVum cognoſcendo Deo, hominem proſpexiſſet bonitas Dei ipſius, etiam hoc præconio ſuo addidit, quod prius domicilium homini commentata eſt, aliquam poſtmodum molem maximam, poſtmodum & maiorem, vt in magna, tanquam in minore proluderet, atque proficeret: & ita de bono Dei, id eſt de magno, ad optimum quoque eius, id eſt, ad maius habitaculum promoueretur. Adhibet operi bono optimum etiam miniſtrum, Sermonem ſuum. a *Eructauit*, inquit, *Cor meum ſermonem optimum.* Agnoſcat hinc primum fru- a Pſal. 44. 2. ctum optimum, vtique optimæ arboris, Marcion: imperitiſſimus ruſticus quidem in malam, bonam inſeruit: ſed non valebit blaſphemiæ ſurculus, areſcet cum ſuo artifice, & ita ſe bonæ arboris natura teſtabitur. Adſpiſce ad ſummam, qualia ſermo fructificauerit. b Gen. 1. Et b *Dixit Deus, Fiat, & factum eſt; & vidit Deus quia bonum:* Non quaſi neſciens bonum, niſi videret: ſed quia bonum, ideo videns, honorans, & conſignans, & diſpungens bonitatem operum dignatione conſpectus. Sic & benedicebat quæ benè faciebat, vt tibi totus Deus commendaretur, bonus & dicere & facere. Maledicere adhuc Sermo non norat, quia nec malè facere.

6. *Dei Creatoris bonitas magna eſt, quæ totum hominem ſaluat Dei Marcionis exilis quæ ſolam animam liberat. 1. cont. Marc. cap. 24. à p.*

VNde hæc dimidiatio ſalutis, niſi ex defectu bonitatis? Quid enim tam perfectæ bonitatis, quàm totum hominem redigere in ſalutem, totum damnatum à Creatore, totum à Deo optimo allectum? Quod ſciam, & caro tinguitur apud illum, & caro de nuptiis tollitur, & caro in confeſſione nominis deſæuitur. Sed & ſi carni delicta reputantur, præcedit animæ reatus, & culpæ principatus animæ potiùs adſcribendus, cui caro miniſtri nomine occurrit. carens denique animâ caro, hactenus peccat. Ita & in hoc iniuſta bonitas,

Digitized by Goo

& sic quoque imperfecta; innocentiorem substantiam relinquens in exitium, obsequio, non arbitrio delinquentem: cuius Christus etsi non induit veritatem, vt tuæ hæresi visum est, imaginem tamen eius subire dignatus est. Ipsum quòd mentitus est illam, aliquid ei debuit debuisse. Quid est autem homo aliud quàm caro? Siquidem nomen hominis, materia corporalis non animalis, ab auctore sortita est, [c] *Et fecit hominem Deus*, inquit, *Limum de terra*; Non animam. anima enim de adflatu. *Et factus est homo in animam viuam.* Quid? vtique qui de limo. *Et posuit Deus hominem in Paradiso: quod finxit*, Non quod flauit: qui caro nunc, non qui anima. Itaque si ita est, quo ore contendes perfectum bonitatis titulum, quæ non iam à partitione speciali hominis, liberandi defecit, sed à proprietate generali? Si plena est gratia, & solida misericordia, quæ soli animæ salutaris est, plus præstat hæc vita, quâ toti & integri fruimur. Cæterùm, ex parte resurgere, multari erit, non liberari. [c] Gen. 2. 7.

DEI BONITAS. IV. V. VI. SCHOLIA.

HABES. *Potes agnoscere Marcion Dei nostri Creatoris bonitatem.* EX DIGNATIONE, *Quia dignatus est hominem supra cætera animalia, donare vsu liberatis.* ET RATIONEM. *Prouidentiam & sapientiam.* EX DISPOSITIONE. *Quod suauiter disposuerit, vt homo per liberum arbitrium capax esset meriti, vel demeriti, & sic iustitiam suam & misericordiam, in vasa iræ & misericordiæ notam faceret; iustitiam, puniendo libere peccantem, misericordiam, suâ gratiâ præueniendo & efficaciter excitando ad pœnitentiam liberum peccatoris arbitrium.* SOLA NVDA, *&c. Iam non loquar de dispositione prouidentiæ. Vel, si nolis agnoscere hanc in vtrosque, reprobos, & electos dispositionem; vel solam saltem æstima & regna Dei Creatoris, libertatis bonum homini largientis, bonitatem. De voluntate hominis libera, alibi suo loco dicturus, breuiter hoc in rem Tertull. ex Aug. prælibo, to. 1. lib. 1. retract. c. 9.* Vnde sunt illæ voces, non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malum hoc ago; & illud; velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non, &c. Vt non ea quæ vultis faciatis? sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista hominis pœna, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non recedit ab eo modo quo naturaliter factus est, ita vt melius esse non possit, ea quæ debet facit, cum hæc facit. Si autem bonus homo esset, aliter esset: *Quàm nunc est corruptus per peccatum.* Nunc autem, quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate vt bonus sit, siue non videndo qualis esse debeat, *Per ignorantiam, pœnam originalis peccati.* Siue videndo, & non valendo esse, qualem se debere esse videt: pœnam istam esse quis dubitet? omnis autem pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur. Si autem iniusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, iniustè aliquo dominante, homini imposita est. Porrò quia de omnipotentia Dei, & iustitia, dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur. Non enim quisquam iniustus dominator, aut surripere hominem potuit, velut ignoranti Deo, aut extorquere inuito, tanquam inualidiori, vel terrendo, vel confligendo, vt hominem iniustâ pœnâ cruciaret. Relinquitur ergo, vt hæc pœna iusta de damnatione hominis veniat: *Et alio loco: Scil. lib. 3. de lib. arbitrio c. 18.* Approbare, inquam, falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis sed pœna damnati. Cum autem de illa voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scil. in qua homo factus est, loquimur. Ecce quàm longè antequam Pelagiana hæresis extitisset, sic disputauimus. Velut iam cõtra illos disputaremus. Cùm enim omnia bona dicerentur ex Deo, id est magna, & media, & minima: in mediis quidem bonis inuenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & malè illo vti possumus, sed tamen tale est, vt sine illo rectè viuere nequeamus. Bonus autem vsus eius, iam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè vti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut dictum est, & magna, & media, & minima, ex Deo sunt, sequitur vt ex Deo sit etiam bonus vsus liberæ voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis. Deinde dictum est *Libro. 2. c. 20. & lib. 3. c. 18.* Ex qua miseria peccantibus iustissimè inflicta, liberat Dei gratia, quia sponte homo, id est libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere. Ad quam miseriam iustæ damnationis pertinet ignorantia, & difficultas quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis suæ, nec ab isto malo nisi Dei gratiâ, quisquam liberatur. *Sic Augustinus & Tertulliani mentem respondet, ex bono liberi arbitrij homini dato, & nostram præuenit expositionem.* S. August.

5. COGNOSCENDO DEO. *Homo ad hunc finem conditus est, vt Deus bonus ab eo cognosceretur.* PROSPEXISSET. *Ab æterno præparasset, in mente sua præscisset, se conditurum hominem cognitionis suæ capacem.* PRÆCONIO SVO. *Laudi quam merebatur bonitas eius ex æterna visione & amore, de quo sic Scriptura Deum inducens:* Perpetua charitate dilexi te, ideo attraxi te, *De nihilo ad esse, de esse obiectiuo, & ideali, ad actuale, vel de peccato ad gratiam.* Miserans tui. PRIVS DOMICILIVM. *Priusquam animam crearet, & carnis domicilium,* Omnium artifex sapientia *ingeniosè construxit.* MOLEM MAXIMAM. *Totum mundum, vel paradisum voluptatis, maximum in deliciis & spatiis, cùm omnem arborum speciem & animalium contineret.* ET MAIOREM. *Cœlum empireum & regnum æternum, de quo Baruch:* O Israël quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius, magnus est, & non habet finem. PROLVDERET ATQVE PROFICERET; *Non quòd velit, Deum plus in magno, quàm parvo opere laborare, tanta est enim in eo facilitas quàm facultas, vel quòd in maioribus quasi crescat & proficiat eius bonitas augmenti nescia, quod totum sit in creatura, quæ iuxta gradus capacitatis crescit, & magis aut minus bonitatis Dei effusæ capit. Sic homo à dono naturæ, ad gratiam proficit, Deo capacior domus, vt dicat,* Inambulabo in eis, *Donec in gloria, iuxta Paulum,* Impleamur in omnem plenitudinem Dei. *Prolusit autem Dei sapientia & bonitas, dum ait Prou. 8.* Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, cum eo eram cuncta componens, *Vt præludium operum sit præmeditatio Dei ab æterno; profectus autem dum ad extra produxit creaturas.* OPTIMVM MINISTRVM. *Alibi dixi Verbum Dei æquale Patri, simul cum eo princi-*

piè per quod omnia facta sunt: dicente Psalmista, Tecũ principium. HINC *Ex verbo optimo, per quod,* Omnia bona valde *facta sunt.* PRIMVM FRVCTVM. *Bonitatis Dei, tanquam arboris bona fuisse & hominem & mundum conditum. Pungit hic Marcionem Deum Creatorem comparantem arbori malæ. Vel etiam fructum ligni vetiti, ipsamque arborem ex natura bonam & solâ inobedientia hominis malam. Hinc autem id est Verbo optimo per quod facta sunt omnia, omnia quoque creata optima esse, cùm omnis effectus participet ex causa.* RVSTICVS. *Acutè pungit Marcionem blasphemantem contra bonitatem Creatoris, qui frustra inserit surculum blasphemiæ, tam bonæ arbori, præposterè enim bonam arborem, id est Deum suum nouum, eiusque opus circa hominem liberandum, eidem homini malo facto, à Deo Creatore malo, vt malæ arbori inserit; cùm scriptura dicat, surculum* excisum ex naturali oleastro insertum in oliuam bonam; *E contrà Marcion bonam oliuam Oleastro inserit.* NON VALEBIT. *Non prænalebit, vel non conualescet, non germinabit.* ARESCET. *Alludit ad Verbum Christi.* Mittetur foras sicut palmes & arescet. *Vel sicut de ficu infructifera subitò arescente:* Numquam fructus ex te nascatur. ARTIFICE. *Insitore Marcione.* ET ITA. *Etiam iustam, & proinde bonam vindictam exercendo, Deus Creator se bonam esse arborem testabitur ex fructu iustitiæ in eum exercite.* NON QVASI NESCIENS. *Cùm dictum sit,* Omnia in sapientia fecisti; *Sed approbationis oculo vidit.* CONSIGNANS. *Subscribens operis sui bonitati.* DISPVNGENS. *Examinando & circumspiciendo, arti suæ, & formæ, siue verbo mentis respondere, dignum suo aspectu iudicans; vel, vt alij, honorans dignatione sui aspectus.* BONVS DICERE, *In dicendo & benefaciendo. Vtrobique bonus.* MALEDICERE ADHVC. *Ante peccatum hominis, nulla facta est mentio maledictionis, vel terræ, vel serpentis;* NEC MALEFACERE. *Quia nondum homo per peccatum; Dei vindicis maledicta meruerat: duo hic post Aug. aduerte; primò agnoscendam & laudandam in donis & bonis naturæ, gratiæ & gloriæ ergà homines Dei bonitatem; secundò Deum ipsum in suis operibus propriam agnouisse & approbasse bonitatem.*

S. Augus. *Quod primum agnoscit Aug. lib. meditationum cap. 15.* Tibi laus Deus meus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, mihi autem confusio faciei meæ, qui tot mala feci, & bona recepi. Vide ergo, ò anima mea, quia multùm commendat bonitatem Dei, non solùm largitas sua, sed iniquitas nostra. Si enim magnum est nihil promerentibus impendere multa, quale quantumue erit retribuere bona promerentibus mala? O qualis pietas, quam nulla potest superare impietas! Alia sunt, quæ misericorditer Deus ignoscit, alia quæ affluenter attribuit: ignoscit mala nostra, largitur bona sua, semper præsto ad ignoscendum, paratus semper ad largiendum. *Licet porro Dei bonitas in naturæ bonis per Verbum bonum homini communicandis apparuerit, longè tamen maior claruit in bonis gratiæ per Verbum incarnatum eidem homini præstandis. Sed errabant maximè Pelagiani, qui vtraque bona confundebant, & gratiam naturam ipsam in homine cæteris animalibus præcellentem æstimabant, cùm fides & gratia non sit communis omnibus vt natura. Contra quos sic Augustinus libro de gratia & libero arbitrio cap. 13.* Quis, *inquit,* ita sit surdus aduersùs Apostolicas voces, quis ita desipiat, imò insaniat, nescíens quid loquatur, vt audeat dicere, legem esse Dei gratiam, cùm clamet qui sciebat quid loqueretur: qui in lege iustificamini, à gratia excidistis? Si autem lex non est gratia, quia vt ipsa lex fiat, non potest lex adiuuare, sed gratia, nunquid natura erit gratia? Nam & hoc Pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse naturam, in quâ sic creati sumus, vt habeamus mentem rationalem, qua intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei, vt dominetur piscibus maris, & volucribus cœli, & omnibus pecoribus quæ repunt super terram. Sed non hæc est gratia, quam commendat Apostolus per fidem Iesu Christi. Hanc enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certum est nobis esse communem: gratia verò per fidem Iesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides. Non enim omnium est fides. Denique sicut eis qui volentes in lege iustificari, à gratia exciderunt, verissimè dicit: si ex lege iustitia, ergò Christus gratis mortuus est. Sic & his qui gratiam, quam cõmendat & præcipit fides Christi putant esse naturam, verissimè dicitur: si ex natura iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Iam hîc enim erat lex, & non iustificabat: iam hîc erat & natura, & non iustificabat: Ideò Christus non gratis mortuus est, vt & lex per illum impleretur, qui dixit, non veni soluere legem, sed adimplere: & natura per Adam perdita per illum repararetur, qui dixit venisse se quærere & saluare quod perierat: In quem venturum antiqui etiam Patres crediderunt qui diligebant Deum.

Idem Augustinus in eodem contra Pelagianos argumento ser. 11. de Verb. Apostoli: Communis est omnibus natura, non gratia. Natura non putetur gratia, sed etsi putetur gratia, ideò putetur gratia, quia & ipsa gratis concessa est. Non enim homo qui non erat, promeruit vt esset: si promeruit, iam erat, sed nondum erat; ergo qui promereretur non erat. Et tamen factus est, nec vt pecora factus est, *Sed compos liberi arbitrij.* Nec vt arbor factus est, nec vt saxum factus est, sed factus est ad imaginem Creatoris. Hoc beneficium quis dedit? Deus qui erat, & ex æterno erat. Cui dedit? homini qui nondum erat. Dedit qui erat, accepit qui non erat. Quis autem hoc facere potuit, nisi qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt? de quo dicit Apostolus, qui nos elegit ante mundi constitutionem. In mundo isto facti sumus, nec mundus erat quando electi sumus. Ineffabilia, mirabilia, fratres mei. Quis hoc explicare sufficerit? Quis saltem quod explicet cogitare? eliguntur qui non sunt, nec errat qui eligit, nec vanè eligit, elegit tamen & habet electos quos creaturus est eligendos, habet autem apud semetipsum; non in natura sua, sed in præscientia sua. Ergo nolite extolli: homines sumus, ipse nos fecit, & fideles sumus, si tamen sumus, quando ista contra gratiam disputamus. Sed ecce fideles sumus, & iam fideles, & iam iusti, quia iustus ex fide viuit: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quæro quid nos fecerit? dicturus es, homines. Non inde Psalmus loquebatur, illud scimus, illud notum est, illud patet, nec magnâ, vt hoc nouerimus, doctrinâ indigemus, quia homines ipse nos fecit, &c. Quid nos fecit, nisi quod sumus? quid autem sumus? nos autem ecce quid sumus. Quid? populus eius & oues pascuæ eius. Ipse nos fecit populum suum, ipse nos fecit oues pascuæ suæ, qui misit iugulandam ouem innoxiam, fecit oues de lupis. Hæc est gratia. Exceptâ illâ communi naturæ qua homines facti sumus, nec digni fuimus, quia non fuimus: exceptâ illâ gratiâ, hæc est maior gratia qua facti sumus populus eius, & oues pascuæ eius per Iesum Christum Dominũ nostrum. Sed dicit aliquis per Iesum Christum facti sumus, vt etiam homines essemus, &c. Quis est enim Iesus Christus, nisi in principio erat Ver-

Aug.

bum, &c. Omnia per ipſum facta ſunt. Illi ergo debent & pagani quòd homines creati ſunt, & tantò magis puniendi, quia dimiſerunt eum à quo facti ſunt, & coluerunt quod ipſi fecerunt. Exceptâ ergo illâ gratiâ, quâ condita eſt humana natura, hæc enim Chriſtianis paganiſque communis eſt, hæc eſt maior gratia, non quòd per Verbum homines creati ſumus, ſed quòd per Verbum carnem factum fideles facti ſumus.

Auguſt. *De eo autem quod dictum eſt à Tertull. iuxta Geneſim*, Et vidit quòd bonum eſt. *Ita Aug. tom. 1. lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 8.* Dicunt, ergo non nouerat Deus lucem, aut non nouerat bonam. Miſeri homines, quibus diſplicet quòd Deo placuerunt opera ſua, cùm videant etiam hominem B artificem, v. g. lignarium fabrum, quamuis in comparatione ſapientiæ & potentiæ Dei penè nullus ſit, tamen tandiu lignum cædere atque tractare dolando, aſciando, vel tornando, atque poliendo quouſque ad artis regulas perducatur quantùm poteſt, & placeat ſuo artifici. Numquid ergo quia placet ei quod fecit, ideo non nouerat bonum? prorſus nouerat intus in animo, vbi ars ipſâ pulchrior eſt, quàm illa quæ arte fabricantur. Sed quod videt artifex intus in arte, hoc foris probat in opere, & hoc eſt perfectum, quod artifici ſuo placet. Vidit ergo Deus lucem quia bona eſt; quibus verbis non oſtenditur eluxiſſe Deo inſolitum bonum, ſed placuiſſe perfectum. *Et to. 3. lib 1. de* C *Gen. ad lit. cap. 8.* Rebus ex illa inchoatione, *Poſt* Auguſt. *initium creationis mundi*, Perfectis, atque formatis, vidit Deus, quia bonum eſt: placuit enim quod factum eſt, in ea benignitate quâ placuit, vt fieret. Duo quippè ſunt, propter quæ Deus amat creaturam ſuam; vt ſit, & vt maneat, vt ergo eſſet quod maneret, Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas; vt autem maneret, vidit Deus quia bona eſt. Et quod de luce dictum eſt, hoc & de omnibus; manent enim, quædam ſupergreſſa omnem volubilitatem temporalem in ampliſſima ſanctitate ſub Deo: quædam verò ſecundùm ſui temporis modos, dum per deceſſionem, ſucceſſionemque rerum, ſæculorum pulchritudo contexitur.

6. DIMIDIATIO. *Pungis Deum Marcionis,* D *apud quem deficit bonitas. Cùm enim* Bonum ex integra cauſa ſit, malum ex quocumque defectu. *Deeſt autem vel poteſtas, vel bonitas recenti huic Deo, ſolam animam potenti, vel volenti ſuſcitare, nec carnis reſurrectionem admittat Marcion, mediam tantùm hominis partem, id eſt animam ſaluando, mediam quoque tantùm Deus eius poſſidet bonitatem. Deus igitur noſter Creator, ſolus verè bonus, perfectè bonus, qui totum hominem ſaluat, perditam peccato reparans gratiam, & mortuam reſuſcitans carnem.* REDIGERE, *Renocare, reducere.* DAMNATVM. *Condemnatum vtrique morti, animæ & carni, dum ait,* Morte moriemini. A DEO OPTIMO, *Qualem ſuum fingit Marcion.* ALLECTVM, *Electum, ad* E *ſalutem, qui nullum excludat hominem à ſalute* QVOD SCIAM, *Quantum myſteria fidei Marcionis licuit perſcrutari, in eius Religione, caro humana baptizatur: adeo caſta ſeruatur, vt etiam à nuptiis, quas Creator inſtituit in Paradiſo terreſtri, Chriſtus eius filius, verus Teſtamenti confirmans diſſolui prohibuit, dicens,* Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet; *Præſentia ſua honorauit in Cana Galilææ; Apoſtolus eius laudauit,* Sacramentum magnum in Chriſto dicens & in Eccleſia, honorabile in omnibus connubium, *A nuptiis inquam tanquam malis arcet: Ipſam denique carnem, in quam pro fide & confeſſione Chriſti ſæuitur à Tyrannis, hanc indignam cenſet Marcion reſurrectione. SED ETSI, &c. Alibi iam ſequentia expoſui Verbo* Carnis dignitas in ordine ad animam. 8. REPVTANTVR, *Imputantur, quia dicitur* Caro peccati. PRÆCEDIT, *Anima prima peccat, & caro ei obedit vt ancilla occurrens ad famulandum Domina.* HACTENVS. *Ceſſat peccare caro, dum anima ab ea ſeparatur in morte.* INIVSTA BONITAS. *Dei Marcionis, & ſimul imperfecta, quæ partem hominis multò magis innocentem, vtpote non liberè & ſponte, ſed ſeruiliter animæ peccare volenti obſequentem, corruptioni æternæ abſque vlla ſpe reſurrectionis addicit.* NON INDVIT, *Verè habitu non inuentus vt homo, vera pelle & carne veſtitus, ſed phantaſtica.* IPSVM QVOD *Eo ipſo quòd carnis figuram ſaltem accepit, debuit aliquid ei gratiæ amplioris tribuere, nec omnimodæ corruptioni eam damnare.* ALIVD QVAM CARO, *Secundum ſonum nominis, homo ab humo, & caro ex limo.* NOMEN HOMINIS. *Sumptum eſt potiùs ex parte corporis quàm animæ; Deo ipſo dicente Gen. 2. 7.* Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ. *7o. verò.* Et finxit Deus hominem pulueremde terra. ET POSVIT. *Gen. 2. 15.* Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis. *7o. autem* Et ſumpſit Dominus Deus hominem quem fecit: & poſuit eum in Paradiſo deliciarum NON QVOD FLAVIT, *Id eſt aduerte, hominem hic rurſum dici non ex parte nobiliori ſcil. Anima, ſed ex carne facta & ficta, verè tamen à figulo magno, ex limo.* CARO NVNC. *Supple dicitur hoc loco.* QVO ORE, *Qua impudentia arrogabis Deo tuo.* PARTITIONE, *Parte hominis præcipuâ, quaſi diceret, quàm parua & imperfecta eſt bonitas, quæ non iam in nobiliore parte ſaluanda, ſed quod ei facilius erat, à parte vilieri, quam homo cum aliis animalibus omnique eorum genere de terra producto communem habet, nempè carne terreſtri defecerit.* SOLIDA, *Integra, cui nihil deeſt.* HÆC VITA, *Præſens, temporalis, homini præeligenda eſt, æternæ, in qua ſola anima immortalis & felix erit: cùm in hac vita corpus etiam viuat, & bonis & paſcuis præſentis vitæ perfruatur.* EX PARTE, *Dum anima nunc à peccato reſurgit, & paſcitur Dei gratia, verbo, Sacramentis, & egreſſa corpore vel ſubterraneo ſaltem in iudicio carcere, ad æternæ vitæ paſcua egrediatur.* MVLTARI, *Truncari erit ex parte, & non perfectè liberari. Chriſtus autem verus Paſtor, plenè & verè factus homo, miſſus à Patre ſaluator totius hominis, & animæ & carni, & huic tempori & æternitati paſcua ſubminiſtrat.*

Accipite Aug. tract. 31. in Io. 7. De hoc tempore S. Auguſt. Apoſtolus loquens Gal. 4. 4. ait, cùm autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. Ideo multi dicunt, quare non ante venit Chriſtus? quibus reſpondendum eſt, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta ſunt tempora: ſciebat enim quando venire deberet. Primò per multam ſeriem temporum & annorum prædicendus fuit; non enim aliquid paruum venturum fuit. Diu fuerat prædicandus, ſemper tenendus. Quantò maior Iudex veniebat, tantò præconum *Prophetarum figurarum* Longior ſeries præcedebat. Denique vbi venit plenitudo temporis, venit & ille qui nos liberaret à tempore. *Et induxit per tempus labile fluxum, & corruptibilitate,* Venturi ſumus ad æternitatem illam, vbi non eſt tempus. Nec dicitur ibi, quando veniet hora; dies eſt enim ſempiternus, qui nec præceditur heſterno, nec excluditur craſtino. In hoc autem ſæculo voluuntur dies, & alij tranſeunt, & alij veniunt, nullus manet. Et momenta quibus loquimur, inuicem ſe expellunt, nec ſtat prima ſyllaba, vt ſonare poſſit ſecunda. Ex quo loquimur, aliquantùm

senuimus, & sine vlla dubitatione senior sum modo, quàm manè: Ita nihil stat, nihil fixum manet in tempore. *In resurrectione autem, renouabitur vt* S. Aug. *aquilæ iuuentus tua, nullo amplius senio obnoxia.* Amare itaque debemus per quem facta sunt tempora, vt liberemur à tempore, & figamur in æternitate, vbi iam nulla est mutabilitas temporum. Magna igitur misericordia Domini nostri Iesu Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora factum esse inter omnia, per quem facta sunt omnia; factum esse quod fecit: factus est enim quod fecerat, factus est homo, qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat, *Fecit carnem Verbum*, Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, *In domo quam sapientia* B *edificauit sibi, in templo corporis veri, de quo dixit*, Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud. *Venit Pastor bonus qui dixit Io.* 10. Veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. *In quem* S. August. *locum Aug. tract. 45. in Io.* Ego veni vt vitam habeant: hoc est, fidem, quæ per dilectionem operatur, per quam fidem in ouile ingrediuntur, vt viuant, quia iustus ex fide viuit; & abundantiùs habeant, qui perseuerando vsque in finem, per illud ostium, id est per fidem Christi egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur, & abundantiùs habebunt vitam, veniendo quò pastor ille præcessit, vbi numquam deinde moriantur. S. August. *Et tract. 32. in Io. 7.* Quare Dominus spiritum, cuius maxima beneficia sunt in nobis; quia Charitas Dei per ipC sum diffusa est in cordibus nostris, post resurrectionem suam dare voluit? quid significauit? vt in resurrectione nostra charitas flagret, & ab amore sæculi separetur, vt tota currat in Deum. Hîc enim nascimur, & morimur: hoc non amemus. *Seculum scilicet.* Charitate migremus, charitate sursum habitemus, charitate illa quâ diligimus Deum. Nihil aliud in hac vita nostræ peregrinationis meditemur, nisi quia & hîc non semper erimus; & ibi nobis locum benè viuendo præparabimus, vnde nûquam migremus. Dominus enim noster Iesus postquam resurrexit, iam non moritur, mors illi vltra, sicut Apostolus dicit, non dominabitur. Ecce quod amemus, si viuimus, si in ipsum credimus, qui resurrexit, & dabit nobis, non quod hîc amant homines qui Deum non amant, aut tantò plùs amant quantò illum minùs amant, tantò autem hoc minùs amant, quantò illum plus amant. Sed videamus quid nobis promisit, non diuitias terrenas & temporales, non honores & potestates in sæculo isto: videtis enim omnia hæc dari & hominibus malis, ne magni pendantur à bonis. Non ipsam postremò corporis sanitatem: non quia ipse illam non dat, sed quia vt videtis, & pecoribus dat: Non vitam longam; quid est enim longum quod aliquando finitur? Non pro magno nobis credentibus promisit longæuitatem, aut decrepitam senectutem, quam omnes optant antequam veniat, omnes de illa, cum venerit, murmurant. Non pulchritudinem corporis, quam vel corporis morbus, vel ipsa senectus quæ optatur, exterminat. Vult esse pulcher, & vult esse senex, ista duo desideria sibi inuicem concordare non possunt: Si senex eris, pulcher non eris: quando senectus venerit, pulchritudo fugiet, & in vno habitare non possunt vigor pulchritudinis, & gemitus senectutis. Omnia ergo ista non nobis promisit, qui dixit, qui credit in me, veniat & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Vitam enim æternam promisit, vbi nihil timeamus, vbi non conturbemur, vnde non migremus, vbi non moriamur, vbi nec decessor plangatur, nec successor speretur. Quia ergo tale est quod nobis promisit amantibus, & per Spiritus sancti charitatem feruentibus, ideò ipsum spiritum noluit dare, nisi eum esset glorificatus, vt in suo corpore ostenderet vitam, quam modo non habemus, sed in resurrectione speramus. *Hactenus Augustinus aptissimè cum Tertulliano, Dei Creatoris & Christi eius in homines bonitatem commendans, qui animâ hominis, & carne verè susceptâ, hominis animam peccato mortuam per gratiam excitat ad vitam, & mortuum corpus, mortis sua corporea merito ad vitam suscitabit immortalem.*

DEI POTENTIA.

1. *Dei potentiam Marcion inuitus fateri cogitur, tum ex homine à Deo suo saluato, tum ex Creaturis, quibus ipsemet vt bonis vtitur. 1. Cont. Marc. cap. 14. à p. ad fin.*

POstremò, te tibi circumfer, intus ac foris considera hominem. placebit tibi vel hoc opus Dei nostri, quod tuus Dominus ille Deus melior adamauit; propter quem in hæc paupertina elementa de tertio cœlo descendere laborauit; cuius causâ in hac Cellula Creatoris etiam crucifixus est. Sed ille quidem vsque nunc nec aquam reprobauit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos vnguit; nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat; nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat; etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris. At tu [a] *Super magistrum discipulus, & seruus super Dominum,* a Matth. 10. 24. Sublimius illo sapis, destruens quæ ille desiderat. Volo inspicere si ex fide saltem, vt non & ipse quæ destruis, appetas. Aduersaris cœlum; & libertatem cœli inhabitationibus captas: Despicis terram; planè inimicę iam tuæ carnis matricem; & omnes medullas eius victui extorques: Reprobas & mare; sed vsque ad copias eius, quas sanctiorem cibum deputas. Rosam tibi si obtulero, non fastidies Creatorem. Hypocrita, vt apocarteresi probes te Marcionitam, id est, repudiatorem Creatoris (nam hæc apud vos pro martyrio affectari debuisset, si vobis mundus displiceret) in quamcunque materiam resolueris, substantiam Creatoris veteris. Quanta obstinatio duritiæ tuę? Deprecias in quibus & viuis & moreris.

DEI POTENTIA. I. SCHOLIA.

TE TIBI. *Circumquaque teipsum considera, Marcion, & inuitus cum Psalte, quem reprobas, canes,* Mirabilis facta est scientia tua ex me. DEVS MELIOR, *vt ais, Creatore nostro.* ADAMAVIT, *Cùm ad eum salu.andum Christum suum miserit.* PAVPERTINA, *Vox noua à Tertulliano fabricata, misera & vilis. Ex quibus horruit Marcion fateri verum Christi carnem esse constatam, vtpote indignam viri & misceri diuinitati, sydereâ ergo de tertio cœloatulit, per aërem in terram venit.* CELLVLA CREATORIS, *Ergastulo phantastice carnis. Ex materia tamen cœlesti à Creatore facta, in qua etiam phantasticè crucifixus est.* SED ILLE QVIDEM, *Christus scil. nec aquam respuit quam Creator condidit, cum eâ utatur in baptismo; nec oleum, quo sanctum veritatem baptizati ungit, nec mel & lac, quod simul vt suis infantibus porrigit. De hu Baptismi cerimoniis consule iam dicta suo loco. V. Baptismi cerimonia. 1. & 3.* REPRÆSENTET. *Siue quod species panis sint signum Corporis Christi, quod continent, siue quod Christus seipsum in suis manibus reproducens, præsens suum corpus, licet inuisibile posuerit.* PROPRIIS, *Cùm Christus solus propriè Sacramenta noua legis instituerit.* MENDICITATIBVS. *Siue quod supra paupertina elementa dixeris, siue quod mendicet à Creatore suorum Sacramentorum materiam.* SVPER MAGISTRVM. *Carpit Marcionem reprobantem quæ Christus elegit.* SI EX FIDE. *Constanter & vniformiter.* ADVERSARIS COELVM. *Cœlo, tanquam malo operi Creatoris.* LIBERTATEM COELI. *Vt tamen per fenestras & ostia domus, libero perfrui cœli aspectu & Solis vsu.* MATRICEM. *Originem carnis tuæ de terra sumptæ.* EXTERQVES VICTVI, *Iniustè ad victum sumis à terra productas plantas & animalia, quam insectaris vt malum.* SANCTIOREM, *Delicatiorem cibum ex piscibus, vel in sancto Ieiunio.* HYPOCRITA, *propriè, quia aliter sentit in mente; aliter profitetur ore; & creaturis, quas malas pronuntiat, vt bonis vtitur.* APOCARTERESI. *Simili morte sublatũ Lycurgum meminit in Apol. cùm enim Lacedæmones leges eius emendassent, Apocarteresi vitam finiit, hoc est, vt Suidas hoc genus mortis exponit, vel inedia, vel laqueo sibi vim intulit.* HÆC APVD VOS. *Certè, inquit, ô Marcionita, quandoquidem vobis totus hic mundus à Deo nostro Creatore conditus displicet, & tamen etiam zelo nescio quo, Martyrium affectare videmini, hoc genus mortis pre cæteris eligere debetis, quo violentas sibi manus inferunt, quibus huius vitæ confectis tædio omnia displicent. Supra etiam dixerat Verbo, Dei bonitas. 6.* Caro in confessione nominis defæditur, *Id est, martyrio discerpitur.* RESOLVERIS. *Post mortem, siue in aquam, siue in terram.* SVBSTANTIAM. *Alij* Substantia, *A Creatore condita.* DEPRECIAS. *Parui pretij æstimas, nullificas elementa, ex quibus constat corpus tuum, in quibus, & ex quibus alimenta sumis, in quæ post mortem verteris & reciperis, quibus tandem & vivus & mortuus vteris. Stulte ergo Marcion creaturas elementares, & animalia ex ipsis producta vt mala reprobat, cùm & ipse sine elementis subsistere, & absque creaturis viuere non possit, nec ipsis vti nisi per sensus corporeos, ex elementis constatos, & ex elementorum quali-*

tatibus constitutos. Sic fatus Aug. tom. 3. lib. 3. de Genesi ad lit. cap. 4. Sunt qui subtilissima cõsideratione quibque istos manifestissimos corporis sensus, secundùm quatuor vsitata elementa ita distingunt, vt oculos ad ignem, aures ad aërem dicant pertinere, olfaciendi autem gustandique sensum, naturæ humidæ attribuunt, & olfactum quidem istis exhalationibus humidis, quibus crassatur hoc spatium in quo aues volitant: gustum verò istis fluxibilibus & corpulentis humoribus. Nam quæcumque in ore sapiunt, ipsius oris humori commiscentur vt sapiant, etiamsi arida, cùm acciperentur, fuisse videantur. Ignis tamen omnia penetrat, vt motum in eis faciat; nam & humor priuatione caloris congelascit, &c Tactus autem, qui est quintus in sensibus, terreno elemento magis congruit, perinde per totum corpus animantis, quod maximè ex terra est, quæque tacta sentiuntur. Dicunt etiam nec videri sine igne posse aliquid, nec tangi sine terra. Ac per hoc elementa omnia in omnibus inesse, sed vnum quodque eorum ex eo quod amplius habet, accepisse vocabulum. *Vt aliud terrestre, aliud aëreum, &c. vocitetur* Quantò autem quidque subtilius est in natura corporali, tantò est vicinius naturæ spiritali, quamuis longè distante genere, quandoquidem illud corpus est, illud non est. *Sed nescio quibus elementis conflet Marcion, cui omnia displicent; ignea prorsus, vt adgratuler ei, est natura, zelo præferuidus Dei sui noui, veterem Creatorem ad nihilum redigere, & in cineres oblivionis gloriam eius deducere molitus. Nos nihilominus cum Apostolico symbolo credimus in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ. Neque verò, hæc vt vocat Tertull. paupertina elementa dedignatus est filius Dei. Accipe. Augustinum Epist. 3. qua respondet Volusiano:* S. August. Quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini permistus sit, vt vna fieret persona Christi, cùm hoc semel fieri oporterit; quasi rationem ipsi reddant de re quæ quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori, vt vna persona fiat hominis? Nam sicut in vnitate personæ anima vnitur corpori, vt homo sit, ita in vnitate personæ Deus vnitur homini, vt Christus sit. In illa ergò personâ mistura est animæ & corporis, in hac personâ mistura est Dei, & hominis, si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, vt neuter seruet integritatem suam, quamquam & in ipsis corporibus aëri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis, mistura est animæ & corporis: persona autem Christi mistura est Dei & hominis. Cùm enim Verbum Dei permistum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus. Illud quotidie fit ad procreandos homines: hoc semel factum est ad liberandos homines. *Et paulò supra dixerat:* In talibus rebus, tota ratio facti, est potentia facientis. *Quod autem mistu am dixit, intelligi absque vlla confusione naturarum iuxta Symbolum Athanasij:* Sicut anima rationalis & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus: vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. S. August.

2. Dei potentia in materiæ & instrumenti simplicitate clarior apparet. De Bapt. cap. 2. à. p. ad fin.

NIhil adeo est quod tam obduret mentes hominum, quàm simplicitas diuinorum operum quæ in actu videtur, & magnificentia quæ in effectu repromittitur: vt hic quoque quoniam tantâ simplicitate, sine pompa, sine apparatu nouo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis. Mentior, si non è contrario idolorum solemnia vel arcana de suggestu & apparatu, deque sumptu fidem & auctoritatem sibi exstruunt. Pro misera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates suas, simplicitatem & potestatem! Quid ergo? nonne mirandum & lauacro dilui mortem? Atquin eò magis credendum, si quia mirandum est, idcirco non creditur. qualia enim decet esse opera diuina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus. ceterùm, incredulitas miratur, non credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia. Et sit planè vt putas, satis ad vtrumque diuina pronuntiatio præcucurrit. [a] *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientiam eius*, Et [b] *Prædifficilia penes homines, facilia penes Deum.* Nam si Deus & sapiens & potens, quod etiam prætereuntes eum non negant, meritò in aduersariis sapientiæ potentiæque, id est in stultitia & impossibilitate materias operationis suæ instituit: quoniam virtus omnis ex his causam accipit, à quibus prouocatur.

a 1. Cor. 1. 27.
b Matth. 16. 26.

DEI POTENTIA. II. SCHOLIA.

NIHIL ADEO. *Nihil sic occludit viam fidei mentibus incredulis hominum, ad impugnanda fidei mysteria, effectusque mirabiles gratiæ baptismalis, quàm simplicitas materiæ, qua velut instrumento summus artifex vtitur ad producendam gratiam. Licet enim magnificos effectus promittat Deus sapius in scripturis se productorum in baptizatis, quia tamen actus ipse lotionis simplex & communis apparet, durum videtur hominum menti credere per leuem corporis ablutionem, totam animam ab omnibus mundari delictis, diuinâ impleri gratiâ, consortem fieri diuinæ naturæ, filiam Dei adoptari, æterno Dei regno dignam fieri.* MENTIOR, *&c. Faller, si non ex aduersò idololatriæ mysteria ex magnis sumptibus & pompis fidem sibi apud homines pariant.* SIMPLICITATEM, *&c.* B *Aptè duo hæc attributa coniungit, Deus enim simplex & potens, ex simplicitate instrumenti, potestatem exaggerat operantis.* MAGIS CREDENDVM, *Quod, inquit, miramur, insolitum est, & supra naturæ vires, vnde magis obiectum est fidei quæ sensus prætergreditur.* S. August. QVALIA DECET. *Aug. Concione 27. in Psal.* 118. Mirabilia testimonia tua. Quis enumerat saltem generatim testimonia Dei? cœlum & terra visibilia opera eius dicunt quodammodo testimonium bonitatis & magnitudinis eius. Et ipse cursus frequens vsitatusque naturæ, quo temporum rapacitas voluitur, in rerum quarumcumque generibus, quamuis temporalibus atque mortalibus, quæ certè consuetudine viluerunt, si pius considerator aduertat perhibent testimoniũ creatori. Quid autem horum est, quod non sit mirabile, si vnum quodque non vsu, sed ratione metiamur? Si verò tanquam sub vnius contemplationis aspectu velut audeamus cuncta contueri, nonne fit in nobis quod ait Propheta, *Abacuc. 3.* Consideraui opera tua, & expaui? & tamen iste *Psalites* Non est ipsâ rerum admiratione perterritus, sed eam potiùs dixit esse causam, cur ea debuerit scrutari, quia mira sunt. Cùm enim dixisset, mirabilia testimonia tua, secutus adiunxit, propter hoc scrutata est ea anima mea, quasi factus sit ipse per inuestigandi difficultatem curiosior. Quantò enim, quæque res abstrusiores habet causas, tantò est mirabilior. *Tantò ergo mirabilior est Dei potentia, & credibilior, quo viliori elemento & simplicíori vtitur ad* A *producendos tam mirabiles per baptismum effectus, vt vel leuiter aspersus, vel ter in aquam demissus & mersus, per pauca verba formæ baptismi, à morte peccati exurgat in gratia viuus. Quod breuiter comprehendit Apostolus Ephes. 5.* Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. *Et quid Spiritus Sanctus simplex in specie columbæ auis simplicis, super aquam simplicem apparuit, dum Christus baptizatur, cælum aperitur, vox Patris auditur, hic est filius meus dilectus? nisi quia caput pro corpore suo quod est Ecclesia & membris eius simplici suo contactu aquas omnes in Iordane sanctificat, vt & Spiritus Sanctus super aquas ideo ferebatur, vt adoptaremur in filios, & per baptismum clauem Sacramentorum in Ecclesiam admissi, in cælo quoque gloriam introitum habeamus.* QVASI VANA, *Inutilia.* SIT PLANE. *Itaret se habeat. Esto dic incredule quod voles.* SATIS, *&c.* Incredulitas tua, fidem Dei, non euacuabit. *Veritati verborum eius non præiudicabit. Audi quid Paulus, quid Christus ad tuam incredulitatem euertendam obiectioni tuæ omnino prædixerit. Simplicia quasi stulta & vana derides*, Et stulta mundi elegit Deus. *Opera Dei magnifica, tanquam impossibilia subsannas, & Matthæi 19. 26.* Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt. C ETIAM PRÆTEREVNTES, *Id est errantes à cognitione vnius veri Dei, Deum tamen quemcumque colant, sapientem & potentem iudicant.* IN ADVERSARIIS. *Ideo Deus vt fidem pariat sapientiæ & potentiæ suæ, vtitur materiis & instrumentis, his duobus attributis contrariis, nempè simplicibus, ineptis & infirmis, nullamque cum effectu mirabili proportionem habentibus. Et hinc mirabilior eius apparet sapientia & potentia, quòd sciat, & possit tanta ex tantulis producere.* CAVSAM ACCIPIT. *Inde quælibet virtus ab aduersario prouocatà maiorem lucet, vt patet in antiperistasi. Effectus baptismi mirabiles licet per ministros viles, materiam & formam simplicissimam productos, omnes penè Patres fusè describunt, vnum omnium os hic loquatur Aug. tract. 15. in Io. 4 in hæc* Augst. *verba.* Quamquam Iesus non baptizaret, sed dis-

Digitized by Google

cipuli eius. *Vbi interrogat, quomodo verum sit, quòd Christus non baptizaret, cum immediatè prius dixisset*, Quòd plures discipulos faceret Iesus quàm Ioannes, & plures baptizaret. *Sic igitur interrogat:* Quid ergo? falsum dictum erat, & correctum est, cùm additum est, quamquam Iesus non baptizabat, sed discipuli eius? An vtrumque verum est, quia & Iesus baptizabat, & non baptizabat? baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat, quia ipse non tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adiutorium maiestatis. Quando enim cessaret à baptizando, quando non cessat à mundando? De quo dictum est ab eodem Ioanne per Ioannis Baptistæ personam dicentis: hic est qui baptizat, ergo Iesus adhuc baptizat: & quoutque baptizandi sumus, Iesus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem ministrũ, habet enim superiorem magistrum. *Videnvt vili ministro vtatur summè potens Dominus ad effectus baptismi admirabiles. Laude ipsius materiæ, & abiectionis simplicitate, quam eleuat eâdem potentiâ, quamquam abiectum instrumentum ad opus eximium, prosequitur, & dicit:* Sed fortè, ait aliquis, baptizat quidem Christus in spiritu, non in corpore. Quasi verò alterius dono, quàm illius, quisquam etiam Sacramento corporalis & visibilis baptismatis imbuatur. Vis nosse quia ipse baptizat, non solum spiritu, sed etiam aquâ? Audi Apostolum: Sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mundãs eam lauacro aquæ in Verbo, &c. Mundans eam. Vnde? lauacro aquæ in verbo. Quid est baptismus Christi? lauacrum aquæ in verbo, tolle aquam, non est baptismus. Tolle verbum, non est baptismus. *Et alibi*, Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. *Quid simplicius aquâ, quid vilius verbulo & formâ paueulis concepti verbi? quid grandius & potentius effectu?* Potestatem dedit filios Dei fieri. *Quid Deo coniunctius?* Et adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum; in Christo dico & in Ecclesia. Qui adhæret Deo vnus spiritus est. Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, vna columba simplex & perfecta, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. *Qua vestis gloriosior?* Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis. *Et quidem si ex Aug. in Psal. 103. Ecclesiam sicut terram fundauit super stabilitatem suam, super fundamentum suum Christum, amictum lumine sicut vestimento; sequitur vt amictus Ecclesia sit abyssus gratiarum; vnde Psaltes subiicit,* Abyssus sicut vestimentum amictus eius. *Aug ibid.* Ergo tu Ecclesia habes decorem. Dicitur & tibi in Cant. ô Decora inter mulieres. Dicitur de te, quæ est ista quæ ascendit dealbata? *De lauacro aquæ.* Quid est dealbata? illuminata. *Vnde apud Paulum & Patres Græcos baptismus dicitur illuminatio,* Non dealbata, sicut fucaca, quemadmodum se dealbant fœminæ, quæ volunt videri quod non sunt: non dealbata sicut paries dealbatus: destruetur enim, sicut dicit Apostolus *Paulus Actor. 23. 3. Ananiæ principi Sacerdotum.* Paries dealbatus hipocrysis & simulatio. Paries dealbatus, foris tectorium, intus lutum. Non ergo illa sic dealbata, sed dealbata, illuminata, quia non per se alba. Priùs, inquit, fui blasphemus: & item fuimus enim aliquando naturâ filij iræ, &c. Accedit gratia illuminans & dealbans. Primò nigra fuisti, sed facta es alba ex gratia illius. Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: dicitur ergò & de te, *Anima baptizata*. Quæ est ista, &c? Iam mirabilis, iam vix contemplabilis. *Sicut mulier amicta Sole, supra Luna maculas euecta, coronata stellis, signum & portentum in cœlo.* Admirantis est S. Augustin. enim dicere, quæ est ista? &c. Tam pulchra, tam luminosa, tam sine macula & ruga? Nonne ista est, quæ iacebat in cœno iniquitatum, &c? Attende quis sit ille, qui pro ea factus est non habens speciem, neque decorem, & intelligis huius claritatis honorem. Si miraris illius humilitatem propter hanc, noli iam mirari huius celsitudinem propter illum. Quantæ fœlicitatis est ista dealbata, vt cùm esset nigra, pulchrum ad se deponeret qui pro impiis moreretur? *Quanta tandem potentia, per stultitiam crucis, per aqua & terreni ministri instrumentum, in tantam animam peccatricem prouehare dignitatem? Nec silentio præterennda priuilegia baptismi, à D. Ioanne Chrysost. relata, to. 5. homil. ad Neophitos, quibus ipse subscribit Aug. quamquam conuincat Iulianum fraudis, qua abutebatur eodem loco, vt probaret infantes non egere baptismo. Sic habet to. 7. lib. 1. cont. Iul. Pelag c. 6.* Benedictus Deus qui fecit mirabilia solus, qui fecit vniuersa, & conuertit vniuersa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captiui; & ciues Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, & iustitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in cõfusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti: Non tantùm sancti, sed & iusti: Non solùm iusti, sed & filij: Non solùm filij, sed & hæredes, non solùm hæredes, sed & fratres Christi: nec tantùm fratres Christi, sed & cohæredes: non solùm cohæredes, sed & membra: Non tantùm membra, sed & templum: non tantùm templum, sed & organa spiritus. Vides quot sunt baptismatis largitates, & nonnulli deputant cœlestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere; nos autem honores computauimus decem; hac de causa etiam infantes baptizamus, cùm non sint coinquinati peccato. *Et in hoc corrupit textum. Nam infra notat Augustinus, in Græco haberi in originali Chrysostomi.* διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζουσι, ἵνα τι ἁμαρτήματα ἐκ ἔχωσιν. S. Augustin. Quod est Latinè; ideo & infantes baptizamus, quamuis peccata non habentes: vides certè non ab eo dictum esse paruulos non coinquinatos esse peccato, siue peccatis, sed non habere peccata: intellige propria, *siue actualia* Et nulla contentio est. *Resumamus cum Chrysostomo, & exclamemus,* Benedictus Deus qui fecit mirabilia solus, *Omnipotens & sapiens; qui stulta elegit, & infirma elementa & instrumenta, ad tot mirabiles baptismatis effectus.*

3. *Dei potentia in minimis animalibus elucet. De Anima cap. 10. à p. ad vltra m.*

QVale est autem, in examinatione humanæ animæ, culicis atque formicæ argumenta respicere? quando & vitalia pro cuiusque generis dispositione, omnibus propria animalibus temperauerit artifex Deus, vt nulla inde coniectura captanda sit. Nam neque homo si pulmonibus & arteriis structus est, idcirco aliunde spirabit, aliunde viuet: neque formica, si membris huiusmodi caret, idcirço negabitur spirare, quasi solummodo viuens.

Cui verò tantum patuit in Dei opera, vt alicui hæc deesse præsumpserit? Herophilus ille Medicus aut lanius, qui sexcentos exsecuit vt naturam scrutaretur, qui hominem odiit vt nosset, nescio an omnia interna eius liquidò explorarit, ipsa morte mutante, quæ vixerant, & morte non simplici, sed ipsa inter artificia exsectionis errante. Philosophi pro certo renunciauerunt, culicibus & formicis & tineis deesse pulmones & arterias. Dic mihi inspector curiosissime, oculos habent ad videndum; atquin & pergunt quò volunt, & vitant & appetunt quæ videndo sciunt; designa oculos, denota pupulas. sed & exedunt tineæ; demonstra mandibulas, deprome genuinos. sed & personant culices, ne in tenebris quidem aurium cæci; tubam pariter & lanceam oris illius ostende. quodvis animal vnius licet puncti, aliquo alatur necesse est; exhibe pabuli transmittendi, decoquendi, defæcandique membra. Quid ergo dicemus? Si per hæc viuitur, erunt hæc in omnibus vtique quæ viuent, etsi non videntur, etsi non adprehenduntur pro mediocritate: hoc magis credas, si Deum recogites tantum artificem in modicis, quantum & in maximis. Si verò non putas capere tam minuta corpuscula Dei, ingenium, sic quoque magnificentiam eius agnoscas, quòd modicis animalibus, sine necessariis membris nihilominus viuere instruxerit, saluo etiam visu sine oculis, & esu sine denticulis, & digestu sine alueis: quemadmodum & incedunt quædam sine pedibus, manante impetu, quod angues; & insurgente conatu, quod vermes; & spumante reptatu, quod limaces. Ita & spirari cur non putes, sine pulmonũ follibus, & sine fistulis arteriarum? vt pro magno amplectaris argumento, idcirco animæ humanæ spiritum accedere, quia sint quæ spiritu careant; & idcirco ea spiriru carere, quia flaturalibus artubus structa non sint. Viuere sine spiritu existimas aliquid, spirare sine pulmonibus non putas?

4. Et 1. Cont. Marc. cap. 13. in f. & 14. in p.

AD humilia deficiam. Vnus, opinor, de sepibus flosculus, non dico de pratis; vna cuiuslibet maris conchula, non dico de rubro; vna tetraonis pennula, taceo de pauo, sordidum artificem pronuntiabit tibi Creatorem? At quum & animalia inrides minutiora, quæ maximus artifex de industria ingeniis aut viribus ampliauit, sic magnitudinem in mediocritate probari docens quemadmodum [a] *Virtutem in infirmitate*, secundùm Apostolum; imitare, si potes, apis ædificia, formicæ stabula, aranei retia, bombycis stamina: sustine, si potes, illas ipsas lectuli & tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam & lanceam. Qualia erunt maiora, cùm tam modicis aut iuuaris, aut lædeais, vt nec in modicis despicias Creatorem?

CAP. XIV.

a 2. Cor. 12. 9.

DEI POTENTIA III. & IV. SCHOLIA.

QVALE EST AVTEM. *Quasi diceret, quis sapiens tractans de anima hominis, eiusque potentiis & facultatibus, eas cùm minimorum animalium potentiis comparet? cum omnipotens artifex, naturæ author, singulis animalibus propriæ & proportionatas suis generibus vitales potentias tribuerit?* ALIVNDE SPIRABIT. *Non alia anima est quâ viuit, alia quâ spirat.* TANTVM PATVIT, *Tam clarè nouit, tam intimè rimatus est occultissimas minutissimorum animalium partes, vt præsumas se scire pulmonibus & arteriis carere culices, & formicas.* HEROPHILVS. *Dissector. Vide dicta de eo. V.* Anatomia. SCIVIT, *Norunt natura instinctu sibi conuenientia, vel aduersa.* PVPVLAS, *Paruas oculorum pupillas.* GENVINOS, *Dentes anteriores.* IN TENEBRIS AVRIVM. *Aures enim non percipiunt lumen, sed autem sonitu percipitur ab auribus nostris, & quamquam nocte videt quò velet, vbi pungat.* TVBAM. *Quæ perstrepit.* LANCEAM, *Quam vibrat vt pungat.* MEMBRA, *Organa.* PRO MEDIOCRITATE, *Propter paruitatem.* CORPVSCVLA DEI. *A Deo Creata, & situm è homo capere non potest ingenium, hoc ipso magnificam eius potentiam agnosces, quod potuerit etiam absque membris homini necessariis, vitam tot animalibus conseruare.* TANTVM ARTIFICEM IN MODICIS. *Aug. lib. 3. de Gen. ad lit. c. 14.* Nonnulla etiam de minutissimis animalibus quæstio est, vtrùm in primis rerum conditionibus creata sint, an ex consequentibus rerum mortalium corruptionibus? Nam pleraque eorum, aut de viuorum corporum vitiis, vel purgamentis, vel exhalationibus, aut cadauerum tabe gignuntur, quædam etiam de corruptione lignorum & herbarum, quædam de corruptionibus fructuum, quorum omnium non possumus rectè dicere Deum non esse Creatorem. Inest enim omnibus quoddam naturæ sui generis decus, sic vt in his maior sit admiratio benè considerantis, & laus vberior omnipotentis artificis; qui omnia in sapientia fecit, qui à fine vsque ad finem pertendens, & suauiter cuncta disponens, nec ea ipsa rerum nouissima, quæ pro sui generis ordine dissoluuntur, & quorum dissolutionem ex pœna nostræ mortalitatis horremus, relinquit informia: sed creat minima corpore, acuta sensu animantia: vt maiore attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quàm magnitudinem iumenti gradientis, ampliúsque miremur opera formicarum, quàm onera camelorum. *De pupula autem oculi, non formice dico, sed hominis, sic breuiter Augustinus Ep. 3. sicut & de minutis animalibus*; Non metuendum est corpusculum infantiæ, ne in illo tantas Deus angustias passus esse videatur. Neque enim mole, sed virtute magnus est Deus, qui prouidentiâ suâ meliorem sensum magis formiculis & apiculis dedit, quàm asinis & camelis: qui ex grano minutissimo seminis, tantam siculneæ arboris magnitudinem creat, cùm ex multo maioribus seminibus longè

A

B

5. August.

August.

Digitized by Google

minota multa nascantur: qui pupillam tam paruam ditauit acie, quâ per oculos emicante, in ictu temporis cœlum prope dimidium lustraret: qui ex puncto & quasi centro cerebri, sensus omnes quinaria distributione diffudit: qui corde, membro tam exiguo vitalem motum per corporis cuncta dispensat, his atque huiusmodi rebus insinuans magna de minimis, qui non est paruus in paruis. Ipsa enim magnitudo virtutis eius, quæ nullas in angusto sentit angustias. SPIRITVM ACCEDERE. *Praeter animam rationalem, totum corpus viuificantem, necessarium esse aliam praeterea formam dare homini, per quam respiret.* SPIRITV, *Pulmone, respiratione.* FLATVLARIBVS. *Flatus & respirationis vehiculis & organis.*

4. AD HVMILIA DEFICIAM. *Destendam ad viliora opuscula.* DE RVBRO, *Vbi pretiosa Margarita piscantur.* TETRAONIS. *Inter Anserum species reponitur. Tetraones à Plinio lib. 10. c. 22. in f. Et laudatur à penna nitida.* Decet tetraonas suus nitor, absolutaque nigritia, in supercilis cocci rubor. DE PAVO. *De pauone, mirabili varietate vestito.* SORDIDVM, *Vilem opificem.* INRIDES, *Frequenter pro*, Irrides. TEGETIS, *Tegumenti, operimenti.* BESTIAS, *Pulices, & tineas.* LANCEAM. *Quòd sit longior muscæ spiculis.* IVVARIS. *Vtape & bombice.* LÆDERIS, *Vt semin & aculeo culicis, muscæ, cantharidis, &c. Scitè in hanc rem Aug. to. 1. lib. 1. de Gen. Cont. Manich. cap. 16. Respondet postremis Tertulliani verbis,* VT NEC IN MODICIS DESPICIAS CREATOREM. Solent Manichæi, *Solent & Marcionita* mouere quæstionem, vt dicant: quid opus erat, vt tam multa animalia Deus faceret siue in aquis, siue in terra, quæ hominibus non sunt necessaria? Multa etiam pernicioſa sunt & timenda. Sed cùm ista dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt conditori & artifici suo, qui omnibus vtitur ad gubernationem vniuersitatis, cui summâ lege dominatur. *Subiicis comparationem artificis, cuius in officina imperitus quispiam videns multa instrumenta quorum ignorat vsum, & tractans aliquod eorum quo incautè se ladit, & inde multa sibi noxia vel inutilia iudicat.* Quorum tamen vsum quoniam nouit artifex, insipientiam eius irridet, & verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet, &c. Ego verò fateor me nescire, mures & ranæ quare creata sint, aut muscæ, aut vermiculi; video tamen omnia in suo genere pulchra esse, quamuis propter peccata nostra, multa nobis videantur aduersa, &c. Et certè omnia animalia, aut vtilia nobis sunt, aut pernicioſa, aut superflua. Aduersus vtilia, non habent quid dicant; de pernicioſis autem, vel punimur, vel exercemur, vel terremur, vt non vitam istam multis periculis & laboribus subditam, sed aliam meliorem vbi securitas summa est, diligamus & desideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis verò quid nobis est quærere? si tibi displicet quod non prosunt, placeat quod non obsunt, quia etsi domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur huius vniuersitatis integritas, quæ multò maior est quàm domus nostra, & multò melior, &c. Vsurpa ergo vtilia, caue pernicioſa, relinque superflua. In omnibus tamen cùm mensuras & numeros & ordinem vides, artificem quære, nec alium inuenies, nisi vbi summa mensura, & summus numerus, & summus ordo est, &c. Sic fortasse vberiorem capies fructum cùm Deum laudas in humilitate formicæ, quàm cum transis fluuium in alicuius iumenti altitudine. *Et lib. 9. de Gen. ad lit. c. 14.* De generibus quoque animalium venenosis & pernicioſis quæri solet, vtrùm post peccatum hominis ad vindictam creata sint: an potiùs cùm iam creata essent innoxia, non nisi postea peccatoribus nocere cœperint? &c. Potuerunt ergo ista etiam creata nihil nocere, si causa non extitisset, vel terrendorum puniendorúmque, vel probandæ perficiendæque virtutis: quia & exempla sunt demonstranda patientiæ ad profectum exterorum, & ipse sibi homo in tentationibus certiùs innotescit, & iustè salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluntatem, fortiter recipitur per dolorem.

August. — S. August.

5. Dei omnipotentia non facit omne quod potest, sed tantùm quod vult: voluisse autem & potuisse constat, id tantum quod fecit. Cont. Prax. cap. 10. in f. & 11. in p.

PLanè nihil Deo difficile. Sed si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia vtamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideo vtique credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit. Sed an fecerit, requirendum. Potuit, ita saluus sim, Deus pennis hominem ad volandum instruxisse, quod & milvis præstitit; non tamen quia potuit, statim & fecit. Potuit & Praxeam, & omnes pariter hæreticos statim extinxisse; non tamen quia potuit, extinxit. [a] *Oportebat* Enim & milvos esse, *Et hæreticos:* Oportebat & patrem crucifigi. Hac ratione erit aliquid & difficile Deo; id scilicet quodcunque non fecerit. non quia non potuerit, sed quia noluerit. Dei enim posse, velle est; & non posse, nolle. quod autem voluit, & potuit, & ostendit. Ergo quia si voluit semetipsum sibi filiũ facere, potuit; & quia si potuit, fecit: tunc probabis illum & potuisse & voluisse, si probaueris illum fecisse. Probare autem tam apertè debebis ex scripturis, quàm nos probamus illum sibi filium fecisse sermonem suum.

[a] 1. Cor. 11. 19.

CAP XI.

6. Dei potentia in fallacia tantùm infirma est. De Resur. cap. 38. à p.

MAlè Deum norunt, qui non putant illum posse, quod non putant; & tamen sciunt potuisse, si instrumentum Ioannis norunt. Qui enim animas adhuc solas Martyrum sub altari quiescentes, conspectui subdidit, posset vtique & resurgentes oculis exhibere sine carne. At ego Deum malo decipere non posse, de fallacia solummodo infirmum, ne aliter documenta præmisisse, quàm rem dispositisse videatur. immò, ne si exemplum re-

Apoc. 6. 9.

ted by Google

surrectionis sine carne non valuit inducere, multò magis plenitudinem exempli in eadem substantia exhibere non possit:

DEI POTENTIA. V. & VI. SCHOLIA.

PLANE NIHIL, *&c. Hæc tibi fateor, ô Praxeas.* A *Deo facilia sunt omnia*, Non erit impossibile apud Deum omne Verbum. *Non tamen in omnibus hoc est vsurpanda sententia, nec concludendum est statim Deum fecisse omnia, quæcumque potuit.* OPORTEBAT ET PATREM. *Sic arguit Patripassianorum principem fingentem etiam Patrem passum, quia personas confundebat.* DIFFICILE DICO, *Quia vel repugnant, vel minimè necessarium, vel minùs congruum illud indicauit.* ET OSTENDIT, *Probauit effectu id se voluisse & potuisse, quod actu fecit; nam de nondum factis certum est Deum illa hactenus noluisse facere.* SEMETIPSVM SIBI FILIVM, *&c. Rursum tangit eiusdem hæretici errorem, quo Patrem & filium non distinguit.* FILIVM FECISSE. *Latè sumit hoc verbum pro, genuisse, alias erraret, cùm filius non sit factus, sed genitus. De errore Praxeanorum alibi suo loco.*

6. MALE. *Imperfectè Deum cognoscunt, qui eius potentiam infinitam brevibus æstimationis suæ terminis coarctare præsumunt, nec putant Deum plus posse, quàm ipsi putant scil. carnem mortuam, redactam in cineres, consumptam à bestiis, in resurrectione reparare.* INSTRVMENTVM IOANNIS. *Librum Apoc.* QVI ENIM ANIMAS. *Idem enim Deus qui potuit Ioannis oculis animas visibiles reddere, sub altari, quasi stratas quiescentes, potuit & resurgentes sine carne spectabiles reddere.* AT EGO. *Qui perfectè Dei omnipotentiæ credo.* DE FALLACIA. *In fallendo impotentem, qui non aliter docuit & prædixit, quàm de facto de rebus disponere voluit.* EXEMPLVM RESVRRECTIONIS, *In prædictis animabus, vindictam à corruptione mortis suis corporibus optantibus, & eorum resurrectionem poscentibus, quæ fuit resurrectionis species inducta. Credo igitur potuisse præbere exemplum resurrectionis corporum, in animabus carne spoliatis; nè si hoc non credam Deum posse, multò minùs credam in eadem carnis substantia, plenitudinem exempli, id est figuræ adimpletionem, in actuali resurrectione corporum, Deum implere posse. Aug. ser. 192. de Temp. concinit Tertulliano.* Magna credentibus oritur confidentia, cùm agnoscunt illum omnia posse, quem credunt. Omnipotentem ergo Dominum ac Deum nostrum ipsa in primis opera eius testantur, qui fecit hunc mundum totum de nihilo, & totam, quæ magna est, pulchritudinem, támque speciosas rerum formas, ex nulla materia extante composuit, &c. Sed multò magis eum esse omnipotentem fatebitur, cùm & ipsa, quam facilè operatus sit, agnouerit. Propheta loquitur in Psalmo, ipse dixit, & facta sunt, &c. Absque vllo labore, absque difficultate aliqua, verbo res condidit, &c. Neque vero à Deo ista sola creata sunt, quæ videmus, sed maiores potentiæ diuinæ diuitias inuisibilia eius opera testantur. Siquidem ab ipso creatæ sunt omnes Angelicæ potestates, &c. Nunc & eandem eius virtutem ex administratione cognoscite. Cùm enim toto, sub Noë, peccante mundo, diluuium induxit; cùm Sodomam & Gomorrham pluuia ignis exurit; cùm populo suo de Ægyptiorum seruitute liberato, siccam in mari præbet viam; quid aliud quàm se omnipotentem testatur, &c. Ostendit etiam nunc omnipotentiam suam Deus, cùm filium suum, quem secundùm hominem mori voluit pro salute nostra, solutis inferni legibus à mortuis suscitauit, vt in Christo ostenderet se esse, *Non, vt ais Praxeas confusione personæ, sed identitate naturæ, sicut ait Paulus. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; & Christus, qui me misit mecum est, & non me reliquit Pater solum* Aquo mortales homines sunt creati: qui etiam immortalem fecit ex mortuo. Ad ipsius omnipotentiæ virtutem pertinet, vt istum mundum, quem aliquando fecit ex nihilo, in fine sæculorum dissoluat, &c. Eádem omnipotentiâ omnes homines qui sunt mortui, quique morientur in finem, ad diem iudicij suscitabit, vt Propheta dicit, Reddat, vnicuique iuxta opera sua. *Tomo autem 9. lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos c. 1. Deum omnipotentem, non posse indigna se facere, sic differit*: Deus omnipotens est: & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest: &, quod ait Apostolus, negare seipsum non potest. Quàm multa non potest, & omnipotens est. Et ideò omnipotens est, quia ista non potest: Nam si mori posset, non esset omnipotens: si mentiri, si falli, si fallere, si iniquè agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens. Prorsus omnipotens Pater noster peccare non potest. Facit quidquid vult, ipsa est omnipotentia. Facit quidquid benè vult, quidquid iustè vult. Quidquid autem malè fit, non vult. Nemo resistit omnipotenti, vt non quod vult, faciat. *Et hæc de omnipotentia Dei iuxta mentem Tertulliani relata ex Augustino sufficiant.*

S. Augustin.

DEVS CREATOR.

1. *Deus Creator temporum, & sæculorum Author. 5. Cont. Marc. cap. 6. à p.*

CVius & sæcula, nisi Creatoris? Si enim & sæcula temporibus structa sunt; tempora autem diebus & mensibus & annis compinguntur; dies porrò & menses & anni solibus & lunis & sideribus Creatoris signantur, in hoc ab eo positis [a] *Et erunt enim*, inquit, *In signa mensium & annorum*: Apparet & sæcula Creatoris esse; & omne quod [b] *Ante sæcula propositum*, dicatur, non alterius esse, quàm cuius & sæcula. Aut probet Dei sui sæcula Marcion, ostendat & mundum ipsum, in quo sæcula deputentur, vas quodammodo temporum, & signa aliqua; vel ortum eorum.

a Gen. 1. 14.
b 1. Cor. 2. 7.

itized by Google

DEVS CREATOR. I. SCHOLIA.

TEMPORIBVS STRVCTA, *Compoſita.* ET A ERVNT *Gen.* 1. *14.* Plant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos. MVNDVM IPSVM, *A Deo Marcionis conditum.* DISPVTENTVR. *Computentur, vel Deo Marcionis imputentur. De ſæculis Creatoris. 1. Tim.* 1. 17. Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. *Syr. autem.* Qui quidem eſt vnus Deus. *Et Hebr* 1. 2. Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. *Et rurſum* 11. B 3. Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent. *Tranſlat. Syr.* Per fidē intelligimus ordinata fuiſſe ſæcula Verbo Dei; & quæ videntur, extitiſſe ex iis quæ non vidē-
Auguſt. tur. *Aug lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 17.* Conſideremus ea quæ fecit Deus omnia ſimul, à quibus in ſexto die conſummatis requieuit in ſeptimo, poſt ea, opera eius in quibus vſque nunc operatur ipſe ante ſæcula. A ſæculo autem ea dicimus, ex quo cœpit ſæculum, ſicut ipſum mundum. In ſæculo autem ſicut ea quæ naſcuntur in mundo, &c. Sicut autem in ipſo grano viſibiliter erant omnia ſimul quæ per tempora in arborem ſurgerent, ita ipſe mundus cogitandus eſt, cùm Deus ſimul omnia creauit, habuiſſe ſimul omnia quæ in illo, cum illo facta ſunt, non ſolum cœlū, cum Sole & Luna & ſideribus, quorum ſpecies manet motu notabili; & terra & abyſſus, quæ velut inconſtantes motus patiuntur, atque inferiùs adiuncta, partem alteram mundo conferunt; ſed etiam illa quæ aqua & terra produxit, potentialiter atque cauſaliter, priuſquam per temporum moras ita exorirentur, quomodó nobis iam nota ſunt in eis operibus, quæ Deus vſque nunc operatur. *Et tract. in Pſal. 63.* Deus autem rex noſter ante ſæcula, &c. Quia ipſe eſt in principio Verbum, per quod facta ſunt ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ, qualem ſalutem, niſi vt diſcerent homines æternam deſiderare, non ſemper temporalibus inhærere? S. Auguſt.

2. *Deus alius quàm Creator, non eſt auditus ante Marcionem, in ſcripturis & Apoſtolis. 3. Cont. Marc. cap. 1. in p.*

SEcundùm veſtigia priſtini operis, quod amiſſum reformare perſeueramus, iam hinc ſordo de Chriſto, licet ex abundanti, poſt decurſam defenſionem vnicæ diuinitatis. Satis etenim præiudicatum eſt, Chriſtum non alterius Dei intelligendum, quàm Creatoris, quum determinatum eſt, alium Deum non credendum præter Creatorem, quem adeò Chriſtus prædicauerit, & deinceps Apoſtoli non alterius Chriſtum annuntiauerint, quàm eius Dei, quem Chriſtus prædicauit, id eſt Creatoris, vt nulla mentio alterius Dei, atque ita nec alterius Chriſti agitata ſit ante ſcandalum Marcionis. Facillimè hoc probatur Apoſtolicarum & hæreticarum Eccleſiarum recenſu; illic ſcilicet pronuntiandam regulæ interuerſionem, vbi poſteritas inuenitur, quod etiam primo libello intexui.

DEVS CREATOR. II. SCHOLIA.

PRISTINI OPERIS. *Iam alibi diximus de opere in Marcionem compoſito, quod ſibi ſubiectum ipſe conqueritur.* REFORMARE. *Perditum reproducere.* ORDO DE CHRISTO. *Ordo orationis exigit, vt cùm de Deo vno Creatore tractauerimus contra Deum fictitium Marcionis, nunc de Chriſto eius filio ſcribamus.* LICET EX ABVNDANTI. *Quamquam tamen ſuperfluum videatur probare, vnum eſſe Chriſtum; cùm ex vnici Dei Patris eius probatione, ſatis concludatur vnicum eius eſſe filium Chriſtum.* ANTE SCANDALVM. *Priuſquam Marcion lapidem offenſionis fidelium pedibus obiecciſſet, Deum alium nouum prater Creatorem inducens.* RECENSV. *Repetita & recenſita origine. Cum enim* Eccleſiæ odibiles malignantium *Hæreticorum, longè poſteriores ſint vnica Eccleſia Apoſtolica, ſatis conſtat ex diuerſitate doctrinæ poſteriores Eccleſias hæreticas corrupiſſe veram fidei regulam, cùm ante Marcionis dogma, nullibi auditum fuiſſet alium eſſe Deum prater Creatorem. Hic in Marcionem, eiuſque nouellum Deum, de quo nihil*
Auguſt. *Prophetæ prædixerunt, torqueri poteſt, quod habet Aug. Cont. Gentiles plurium deorum cultores To. 4. lib. 1. de conſenſu Euang. c 21.* Cur non potiùs miſeri intelligunt illum eſſe Deum verum, quem ſic vident à ſuorum deorum ſocietate ſeiunctum, vt quem A Deum fateri coguntur, qui omnes Deos colendos eſſe profitentur, cum cæteris colere non ſinantur? Cùm ergo ſimul coli non poſſint, cur non ille eligitur, qui iſtos coli vetat, relictis iſtis, qui illum coli non vetant? aut ſi vetant, legatur. Quid enim magis populis eorum, in templis eorum debuit recitari, vbi nihil vnquam tale perſonuit? & vtiquè prohibitio tam multorum contra vnum, quàm vnius contra tam multos, notior & potentior eſſe deberet. Nam ſi huius Dei cultus eſt impius, inutiles ſunt dij, qui homines ab impietate non prohibent. Si verò pius eſt cultus, quoniam in illo præcipitur, ne illi colantur, impius eſt cultus eorum. Si autem tam diffidenter iſtum coli prohibent, vt plùs audere timeant, quàm prohibere audeant, hoc ipſo quis non ſentiat, quis non ſapiat, illum eſſe potiùs eligendum, qui iſtos coli tam publicè prohibet, qui eorum ſimulacra euerti iuſſit, prædixit, euertit: quàm iſtos, quos vt ille non colatur, iuſſiſſe, neſcimus, prædixiſſe non legimus, valuiſſe aliquid non videmus? *Quid ergo nobis obtrudit Marcion Deum nouum, cultum Dei Creatoris prohibentem, qui nullis prophetis aut ſcripturis annuntiatus eſt, nullis operibus ſuam virtutem & poteſtatem oſtenſus eſt?*

Digitized by Google

3. Deus Creator inuiſibilium, longè rationabiliùs creditur ex viſibilibus licet inter ſe diuerſis & contrariis per eum factis; quàm Deus Marcionis, qui nihil viſibile creaſſe dicitur. 1. Cont. Marc. cap. 16. per totum.

NOn comparente igitur mundo alio, ſicut nec Deo eius, conſequens eſt, vt duas ſpecies rerum, viſibilia & inuiſibilia, duobus auctoribus Deis diuidant, & ita ſuo Deo inuiſibilia defendant. Quis autem poterit inducere in animum, niſi ſpiritus hæreticus, eius eſſe inuiſibilia, qui nihil viſibile præmiſerit; quàm eius qui viſibilia operatus, inuiſibilium quoque fidem fecerit: quum iuſtius multò ſit aliquibus exemplariis adniuere, quàm nullis? Videbimus, & Apoſtolus cui auctori inuiſibilia deputet, quum & illum explorauerimus. Nunc enim communibus plurimùm ſenſibus, & argumentationibus iuſtis, ſecutuiæ ſcripturarum quoque aduocationi fidem ſternimus, confirmantes diuerſitatem hanc viſibilium & inuiſibilium adeò Creatori deputandam, ſicuti tota operatio eius ex diuerſitatibus conſtat; ex corporalibus & incorporalibus, ex animalibus & inanimalibus, ex vocalibus & mutis, ex mobilibus & ſtatiuis, ex genitalibus & ſterilibus, ex aridis & ſuccidis, ex calidis & frigidis. Sic & hominem ipſum diuerſitas temperauit, tam in corpore, quàm in ſenſu. Alia membra fortia, alia infirma: alia honeſta, alia inhoneſta: alia gemina, alia vnica: alia compària, alia diſparia. Proinde & in ſenſu nunc lætitia, nunc anxietas: nunc amor, nunc odium: nunc ira, nunc lenitas. Quòd ſi ita eſt, vt æmula inter ſe conditionis vniuerſitas iſta modulata ſit, iam igitur & viſibilibus inuiſibilia debentur, non alteri auctori deputanda, quàm cui & æmula eorum, ipſum Creatorem diuerſum notantia, iubentem quæ prohibuit, & prohibentem quæ iuſſit; percutientem, & ſanantem, cur in hac ſola ſpecie vniformem eum capiunt; viſibilium ſolummodo conditorem, quem proinde credendum ſit, & viſibilia & inuiſibilia condidiſſe, quemadmodum & vitam & mortem, & mala & pacem? Et vtique ſi illa inuiſibilia maiora ſunt viſibilibus creaturis ſuo loco magnis, ſic quoque congruit eius eſſe maiora, cuius & magna; quia nec magna, nedum maiora, ei competant, cuius nec modica comparent. *Vide Verbum, Marcionis Deus: quàm ridiculus.*

Coloſſ. 1. 16.

Eccli. 11. 14.

Eſa. 45. 7.

DEVS CREATOR. III. SCHOLIA.

NON COMPARENTE. *Cùm oſtendere non poſſint Marcionitæ alium mundum à Deo ſuo conditum, nec exiſtentiam eius ex opere aliquo viſibili, ſupereſt vt eum dicant authorem inuiſibilium.* QVAMBIVS. *Potiùs quàm.* EXEMPLARIIS. *Exemplis & teſtibus annuere & fidem præſtare.* AVCTORI INVISIBILIA. *Cui Deo imputet, adſcribat inuiſibilia, cùm eius Epiſtolas excuſſerimus.* Coloſſ. 1. 16. Eſt Imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa, in cœlis & in terra, viſibilia & inuiſibilia. Siue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates; omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. *Quem locum refert Auguſtinus contra Secundinum.* ADVOCATIONI. *Teſtimonio & Patrocinio ſcripturarum à nobis proferendo.* TOTA OPERATIO. *Communi omnium ſenſu & ſuffragio facilè probatur ex omnibus operibus Creatoris, quæ diuerſa & contraria inuicem producta eſſe cernimus, eundem eſſe etiam viſibilium & inuiſibilium conditorem.* STATIVIS. *Quæ ſtant immobilia.* SVCCIDIS, *Succum habentibus, humidis.* IN SENSV. *Motibus appetitus ſenſitiui.* ÆMVLA. *Oppoſita, contraria.* CONDITIONIS. *Creaturæ conditæ.* MODVLATA. *Operata.* INVISIBILIA DEBENTVR. *Oportebat vt ſicut in aliis omnibus, Deus oppoſitas inter ſe creaturas condiderat, ſic & viſibilibus, inuiſibiles oppoſitas crearet.* DIVERSVM NOTANTIA. *Si Marcion occaſionem ſumpſit ex ſcripturis, vnum eundemque Creatorem nota infamiæ inuendi, quaſi diuerſum à ſeipſo & mutabilem, quid in hoc ſolum eum vniformem volunt agnoſcere, quòd viſibilia ſolum creauerit, cùm eum vita & mortis, mali belli, & pacis agnoſcant authorem.* SVO LOCO. *Suo ordine. Locos ſcripturæ hîc prætereo alibi iam relatos.* Aug. lib. 7. Confeſſ. c. 13. Omnino non eſt malum, non ſolùm tibi, ſed & vniuerſæ creaturæ tuæ; quia extra te non eſt aliquid quod irrumpat, & corrumpat ordinem quem poſuiſti ei. In partibus autem eius quædam quibuſdam, quia non conueniunt, mala putantur; & eadem ipſa conueniunt alijs, & bona ſunt, & in ſemetipſis bona ſunt. Et omnia hæc quæ ſibi inuicem non conueniunt, conueniunt inferiori parti rerum, quam terram dicimus, &c. Laudandum te oſtendunt de terra dracones & omnes abyſſi, &c. Cùm verò etiam de cœlis te laudent, laudent te Deus noſter in excelſis omnes Angeli tui, omnes virtutes tuæ, Sol & Luna, omnes ſtellæ & lumen, cœli cœlorum, & aquæ quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen tuum. *Et lib. 2. de Symbolo ad Catech. c. 3.* Omne quod eſt, ab illo eſt, ipſe autem à ſeipſo eſt; qui non ab aliquo factus eſt. Fecit ergo facta, non factus, creauit creaturam non creatus, qui etiam ipſæ creaturæ, conuenientibus gradibus per diuerſas ordinationes, conſtituit poteſtates. *Et l. 1. de Symbolo cap. 1.* Ipſe fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, inuiſibilia & viſibilia: inuiſibilia, ſicut ſunt in cœlis ſedes, *Throni*, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Archangeli, Angeli; & benè vixerimus, ciues noſtri. Fecit in cœlo viſibilia, Solem, Lunam, ſtellas, ſuis animalibus terreſtribus ornauit terram, impleuit aërem volatilibus, terram ambulantibus & ſerpentibus, mare natantibus: omnia impleuit ſuis creaturis propriis. *Vide V. Creatio, & Creatura.*

Aug.

Aug.

Aug.

DEVS DOMINVS.

1. *Deus semper fuit: Dominus autem, Pater creaturarum, & iudex, ex quo mundum, & hominem maximè creauit. Cont. Hermog. cap. 3. à p. ad vltra m.*

DEi nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum, & in semetipso, Dominum verò non semper. diuersa enim vtriusque conditio, Deus substantiæ ipsius nomen, id est diuinitatis; Dominus verò non substantiæ, sed potestatis. substantiam semper fuisse cum suo nomine, quod est Deus, postea Dominus, accedentis scilicet rei mentio. Nam ex quo esse cœperunt in quæ potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis & factus & dictus est Dominus: quia & Pater Deus est, & iudex Deus est; non tamen ideò pater & iudex semper, quia Deus semper. Nam nec pater potuit esse ante filium, nec iudex ante delictum. Fuit autem tempus, cùm & delictum & filius non fuit, quòd iudicem & qui Patrem Dominum faceret. Sic & Dominus non ante ea, quorum Dominus existeret, sed Dominus tantùm futurus quandoque, sicut pater per filium, sicut iudex per delictum; ita & Dominus per ea, quæ sibi seruitura fecisset. Argumentari tibi videor Hermogenes. Nauiter scriptura nobis patrocinatur, quæ vtrumque nomen ei distinxit, & suo tempore ostendit. Nam Deus quidem quod erat semper, statim nominat: a *In principio fecit Deus cælum & terram.* Ac deinceps quamdiu faciebat quorum Dominus futurus erat, Deus solummodo ponit. b *Et dixit Deus, & fecit Deus, & vidit Deus*, Et nusquam adhuc Dominus. At vbi vniuersa perfecit, ipsumque vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur. Tunc etiam Dominus nomen adiunxit: c *Et accepit Deus Dominus hominem quem finxit. Et præcepit Dominus Deus.* Ac exinde Dominus qui retrò Deus tantùm, ex quo habuit cuius esset. Nam Deus sibi erat, rebus autem tunc Deus cùm & Dominus. Igitur in quantùm putabit ideò Materiam semper fuisse, quà Dominus semper esset, in tantum constabit nihil fuisse, quia constat Dominum non semper fuisse.

a Gen. 1. 1.

b Gen. 1. per totũ.

c Gen. 2. 6. & 18.

2. *Domini nomen non competit Deo, in Materiam Hermogenis, Deo coæternam. Cont. Hermog. cap. 3. in fin.*

ADijciam & ego propter non intelligentes, quorum Hermogenes extrema linea est, & quidem ex penu etiam illius retorquebo aduersùs illum. Cùm enim neget Materiam natam aut factam, sic quoque inuenio Domini nomen Deo non competisse in Materiam: quia libera fuerit necesse est, quæ originem non habendo, non habuit auctorem, quod erat, nemini seruiens. Itaque ex quo Deus potestatem suam exercuit in eam, faciendo ex Materia, ex illo Materia Dominum Deum passa, demonstrat hoc illum tam diu non fuisse, quam diu fuit.

DEVS DOMINVS. I. & II. SCHOLIA.

DEI NOMEN SEMPER. *Quia, vt subiicit, A nomen est substantiæ & essentiæ diuinæ, nomen absolutum. Vnde, ab æterno* Deus. *Domini autem nomen, relationem dicit ad subditos, in quos suam potestatem possit exercere. Non quòd ab æterno non fuerit potens, sed quòd ab æterno non fuerint creaturæ, quæ eius dominatui subderentur.* ACCEDENTIS REI. *Creatura de nouo producta, cum facta est eius mentio, simul & Dominus est appellatus.* PER ACCESSIONEM. *Non quòd aliquid reale Deo intrinsecus aduentitiũ esse possit, sed quòd creatura subdita Deo, de longè, hoc est de nihilo à Deo vocata accesserit, eius nutui parens, & deinde semper subiecta.* NON IDEO PATER, &c. *Intellige erga creaturas non semper fuisse Patrem & iudicem; non defectu potestatis, & iustitiæ; sed defectu hominum & Angelorum qui non erant, cùm relata sint simul natura, nec possit esse Pater sine filio, aut index sine reo.* DOMINVM FACERET, *Domini appellationem tribueret.* ARGVMENTARI, &c. *Forè putas, ô Hermogenes, me velle te argumento captioso circumuenire, quia Domino Deo Creatori Materiam coæternam facis, sine qua nullam creaturam, cuius esset Dominus, posset creare. Sed errat Hermogenes, vt concludit in fine, quia si ideo credat Materiam ab æterno fuisse, qua Dominus semper fuit, id est in quantùm, vel quia semper fuit Dominus* Deus: *hinc ego probabo nullam ab æterno fuisse Materiam, quia Deus non fuit Dominus ab æterno. Sed nullo alio argumento opus est vt id probemus; cùm scriptura simpliciter & nude distinguat hæc duo nomina;* Dei, & Domini. *Statim enim initio scripturæ dicit Deum, quod nomen possidet ab æterno, licet non crearet omnia quorum Dominus futurus erat, statim atque produxisset omnia: Dominus autem non est dictus, nisi post creatum hominem, qui solus inter creaturas corporeas in Genesi recensitas, rationalis, Dominum propriè cognoscere, & ei, iuxta Paulum,* Rationale obsequium exhibere, *poteras; quasi aliis Dominum se esse dedignaretur Deus; cùm enim secundùm Ambrosium,* Magnum sit, seruum esse potentis: *Sic magnum est, Dominum esse hominis cæteris omnibus creaturis dominantis.*

2. EXTREMA LINEA. *Postremus, vel alio sensu, supremus ignorantium.* EX PENV. *Promptuario eius, sensu eius ex armario ipsius, contra ipsum iaculum retorquebo.* SIC QVOQVE, &c. *Cùm Materiam innatam & æternam asseras Hermogenes, non video quomodo conueniat Deo nomen Domini circa Materiam. Cùm enim libertas, & independentia materiæ nullum auctorem, & principium cognoscentis, sit incompatibilis cum subiectione & seruitute, proinde Deus non*

potuit esse eius Dominus ab æterno, quod vult tamen Hermogenes, sed tantùm ex tempore quo ex ea mundum creauit. Vnde quamdiu fuit Materia ante mundum, tandiu Deus Dominus non fuit, quia non habebat Materiã creatam cui dominaretur, sed coæuam sibi & liberam prorsus & ab eius dominio independentem. De *nomine* Domini *solum post hominis creationem Deo attributi, sic Aug. ad mentem Tertull. to. 3. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 11.* Nullo modo vacare, *Frustra dici,* arbitror, sed nos aliquid, & magnum aliquid admonere, quod ab ipso diuini libri huius exordio, in quo ita cœptum est, in principio fecit Deus cœlum & terram, vsque ad hunc locum, nusquam positum est, Dominus Deus, sed tantummodo Deus. Nunc verò, ibi ad id ventum est, vt hominem in Paradiso constitueret, eumque, *tam hominem Deus, quàm Paradisum homo*, per præceptum operaretur & custodiret, ita scriptura locuta est: & sumpsit Dominus Deus hominem quem fecit, & posuit eum in Paradiso, operari eum & custodire: non quòd supradictarum creaturarum Dominus non esset Deus, sed quia hoc, nec propter Angelos, nec propter alia quæ creata sunt, sed propter hominem scribebatur; ad eum admonendum, quantùm ei expediat habere Dominum Deum, hoc est sub eius dominatione obedienter viuere, quàm licentiosè abuti propria potestate; nusquam hoc priùs ponere voluit, nisi vbi peruentum est ad eum in Paradiso collocandum, operandum & custodiendum; vt non diceret sicut & cætera omnia superiùs; & sumpsit Deus hominem quem fecit: sed diceret, & sumpsit Dominus Deus hominem quem fecit, & posuit eum in Paradiso, operari eum, vt iustus esset; & custodire, vt tutus esset; ipsa vtique dominatione sua, quæ non est illi, sed nobis vtilis. Ille quippè nostra seruitute non indiget, nos vero dominatione illius indigemus, vt operetur & custodiat nos: & ideo verus & solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram vtilitatem, salutemque seruimus. Nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cùm per nos eius adiuuaretur necessitas, sub qua & ipse seruiret Meritò & ille in Psalmo; dixi, inquit, Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Nec ita sentiendum est quod diximus, nos illi ad vtilitatem nostram salutemque seruire, tanquam aliud aliquid ab eo expectemus, quàm eum ipsum qui summa vtilitas, & salus nostra est. Sic enim cum gratis, secundùm illam vocem

S. Augustin.

A

B

C

diligimus, mihi autem adhærere Deo bonum est. Neque enim tale aliquid est homo factus, vt deserente eo qui fecit, posset aliquid agere benè, tanquam ex seipso: sed tota eius actio bona est, conuerti ad eum à quo factus est, & ab eo iustus, pius, sapiens, beatúsque semper fieri: non, fieri, & recedere, sicut à corporis medico sanari, & abire: quia medicus corporis operarius fuit extrinsecus, seruiens naturæ intrinsecus operanti sub Deo, qui operatur omnem salutem gemino illo opere prouidentiæ, *Circa animam & corpus.* De quo supra locuti sumus. Non ergo ita se debet homo ad Dominum conuertere, vt cùm ab eo fuerit factus iustus, abscedat. *Et non discedimus à te, viuificabis nos, &c.* | Aug. Sed ita, vt ab illo semper fiat. Eo quippè ipso cùm ab illo non discedit, eius ipse præsentiâ iustificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante & custodiente Deo, dum obedienti subiectóque dominatur. Neque enim, vt dicebamus, sicut operatur homo terram, vt culta atque fœcunda sit, qui cùm fuerit operatus, abscedit, relinquens eam vel aratam, vel satam, vel rigatam, vel si quid aliud, manente opere quod factum est, cùm operator abscesserit; ita Deus operatur hominem iustum, id est iustificando eum, vt si abscesserit, maneat in absente quod fecit: sed potiùs sicut aër præsente lumine non factus est lucidus, *Ita scilicet vt factus sit permanenter etiam discedente Sole vel lumine.* August. Sed fit. Quia si factus esset, non fieret; sed etiam absente lumine lucidus maneret: sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò tenebratur; à quo, non locorum interuallis, sed voluntatis auersione disceditur. Ille itaque operetur hominem bonum, atque custodiat, qui incommutabiliter bonus est. Semper ab illo fieri, semperque perfici debemus, inhærentes ei, & in ea conuersione quæ ad illum est, permanentes, de quo dicitur, mihi autem adhærere Deo bonum est: & cui dicitur, fortitudinem meam ad te custodiam. Ipsius enim sumus figmentum, non tantùm ad hoc vt homines simus, sed ad hoc etiam vt boni simus, &c. Gratiâ enim salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Ephes. 5. *Hactenus Aug. prolixè quidem, sed aptissimè in argumentum Tertulliani, quo nihil doctius & moralius à quoquam Patre huic loco conferri possit.* August.

DEI IVSTITIA, ET BONITAS CONIVNCTA.

1. *Deus non de sola bonitate, sed etiam iustitia censendus; aliàs insensibilis, & Epicuro & Marcione dignus, nisi vindex sit legum suarum.* 1. *Cont. Marc. cap. 25. à p.*

IAm & hoc discuti par est. An Deus de sola bonitate censendus sit, negatis ceteris appendicibus, sensibus & affectibus, quos Marcionitæ quidem à Deo suo abigunt in Creatorem, nos vero & agnoscimus in Creatore, vt Deo dignos. Et ex hoc quoque negabimus Deum, in quo non omnia quæ Deo digna sint, constent. Si aliquem de Epicuri schola Deum adfectauit Christi nomine titulare, vt quod beatum & incorruptibile sit, neque sibi, neque alij molestias præstet (hanc enim sententiam ruminans Marcion, remouit ab illo seueritates, & iudiciarias vires) aut in totum immobilem & stupentem Deum concepisse debuerat; & quid illi cum Christo, molesto, & Iudæis per doctrinam, & sibi per sensum? aut & de ceteris moribus eum agnouisse; & quid illi cum Epicuro, nec sibi nec Christianis necessario?

2. *Et 1. Cont. Marc. cap. 26. in p.*

AT hîc sufficit, peruersissimum Deum ostendi in ipso præconio solitatiæ bonitatis, qua nolunt ei adscribere eiusmodi motus animi, quos in Creatore reprehendunt. Si enim

neqtie æmulatur, neque iraſcitur, neque damnat, neque vexat, vtpote qui nec iudicem præſtat; non inuenio quomodo illi diſciplinarum ratio conſiſtat, & quidem plenior. Quale eſt enim, vt præcepta conſtituat non executurus? vt delicta prohibeat non vindicaturus? quia non iudicaturus: extraneus ſcilicet ab omnibus ſenſibus ſeueritatis & animaduerſionis. Cur enim prohibet admitti, quod non defendit admiſſum? cùm multò rectius non prohibuiſſet quod defenſurus non eſſet, quàm vt non defenderet quod prohibuiſſet; immò & permiſiſſe directò debuit, ſine cauſa prohibiturus, vt non defenſurus. Nam & tunc tacitè permiſſum eſt, quod ſine vltione prohibetur. Et vtique non aliud prohibet admitti, quàm quod non amat fieri.

3. Dei iuſtitia non excludit bonitatem eius: imò nec bonus eſſet, niſi iuſtus: nec duo hæ attributa duos Deos ſtatuunt. 2. Cont. Marc. cap. 11. in f. & 12. in p.

INcipe nunc etiam iudicis ſtatum vt adfinem mali arguere, qui idcirco alium Deum ſomniaſti ſolummodo bonum, quia non potes iudicem: quamquam & illum vt iudicem oſtendimus. Aut ſi non iudicem, certè peruerſum ac vanum, diſciplinæ non vindicandæ, id eſt, non iudicandæ conſtitutorem. Non reprobas autem Deum iudicem, qui non iudicem Deum probas? Ipſam ſine dubio iuſtitiam accuſare debebis, quæ iudicem præſtat, aut & eam in ſpecies malitiæ deputare, id eſt, iniuſtitiam in titulos bonitatis adſcribere. Nunc enim iuſtitia malum, ſi iniuſtitia bonum. Porrò, quum cogeris iniuſtitiam de peſſimis pronuntiare, eodem iugo vrgeris iuſtitiam de optimis cenſere. Nihil enim æmulum mali non bonum, ſicut & boni æmulum nihil non malum. Igitur quantò malum iniuſtitia, tantò bonum iuſtitia. Nec ſpecies ſolummodo, ſed tutela reputanda bonitatis; quia bonitas niſi iuſtitia regatur vt iuſta ſit, non erit bonitas ſi iniuſta ſit. Nihil enim bonum, quod iniuſtum. bonum autem omne, quod iuſtum. Ita ſi ſocietas & conſpiratio bonitatis atque iuſtitiæ, CAP. XII.
ſeparationem earum non poteſt capere, quo ore conſtitues diuerſitatem duorum deorum in ſeparatione? ſeorſum deputans Deum bonum, & ſeorſum Deum iuſtum? Illic conſiſtit bonum, vbi & iuſtum.

4. Et 2. Cont. Marc. cap. 29. per totum.

CEterùm, ipſas quoque antitheſeis Marcionis cominus cæcidiſſem, ſi operoſiore deſtructione earum, egeret defenſio Creatoris, tam boni quàm & iudicis, ſecundùm vtriuſque partis exempla congruentia Deo, vt oſtendimus. Quod ſi vtraque pars bonitatis atque iuſtitiæ dignam plenitudinem diuinitatis efficiunt omnia potentis, compendio interim poſſum antitheſes retudiſſe, geſtientes ex qualitatibus ingeniorum ſiue legum ſiue virtutum diſcernere, atque ità alienare Chriſtum à Creatore, vt optimum à iudice, & mitem à fero, & ſalutarem ab exitioſo. Magis enim eos coniungunt, quos in eis diuerſitatibus ponunt quæ Deo congruunt. Aufert titulum Marcionis & intentionem atque propoſitum operis ipſius, & nihil aliud præſtat quàm demonſtrationem eiuſdem Dei optimi & iudicis: quia hæc duo in ſolum Deum competunt. Nam & ipſum ſtudium in eis exemplis opponendi Chriſtum Creatori, ad vnitatem magis ſpectat. Adeo enim ipſa & vna erat ſubſtantia diuinitatibus, bona & ſeuera, & eiſdem exemplis & in ſimilibus argumentis, vt bonitatem ſuam voluerit oſtendere, in quibus præmiſerat ſeueritatem. Quia nec mirum erit, diuerſitas temporalis, ſi poſtea Deus mitior pro rebus edomitis, qui retrò auſterior pro indomitis. Ita per antitheſeis faciliùs oſtendi poteſt ordo Creatoris à Chriſto reformatus & repercuſſus, & redditus potiùs quàm excluſus, quum præſertim Deum tuum ab omni motu amariore ſecernas, vtique & ab æmulatione Creatoris ſcilicet. Nam ſi ita eſt, quomodo eum, antitheſes, ſingulas ſpecies Creatoris æmulatum demonſtrant? agnoſcam igitur & in hoc per illas Deum meum zelotem, qui res ſuas arbuſtiores in primordiis, bonâ & rationali æmulatione maturitatis præcurauerit ſuo iure. Cuius antitheſeis etiam ipſe mundus eius agnoſcet, ex contrarietatibus elementorum, ſummâ tamen ratione modulatus. Quamobrem, inconſiderantiſſimè Marcion, alium Deum lucis oſtendiſſe debueras, alium verò tenebrarum, quò faciliùs alium bonitatis, alium ſeueritatis perſuaſiſſes. Cæterùm eius erit antitheſis, cuius eſt & in mundo.

DEI IVSTITIA, ET MISERICORDIA, SIVE BONITAS, IN VNO ET VERO DEO CONIVNCTA ESSE DEBENT. I. II. III IV. SCHOLIA.

DISCVTI PAR EST. *Operæ eſt examinare, an Deus ex ſolo bonitatis attributo ſit æſtimandus; ſiue, diſcutiendum eſt, an, vt vult Marcion, Deus verus tantùm bonus eſſe debeat? negat enim Marcion Deo vero, qualem ſuum æſtimat, cetera attributa, ſenſus & affectus, qui ad iudicem pertinent, qualis eſt ſeueritas, ira, zelus, vindicta, qua, vt indigna Deo ſuo, in noſtrum refundit Creatorem.* NEGABIMVS

DEVM: *Scil. Marcionis esse verum Deum.* CONSTENT. *Non sint in eo.* EPICVRI SCHOLA. *Inqua docuit, Deum vt summè beatum, otiosum esse, nec implicatum curis rerum inferiorum & humanarum.* CHRISTI NOMINE TITVLARI. *Titulum & nomen Christi imponere.* VT QVOD BEATVM. *Numen, diuinitas, summum bonum.* NEQVE SIBI. *Perirem, zelum, pœnitentiam, & alia eiusmodi, quæ de Deo Creatore, rectè suo modo dicuntur, hoc est diuino, vt alibi cum Augustino aduertimus.* NEQVE ALII. *Homini & Angelo peccanti irascendo, & seueritatem in eos exercendo.* HANC SENTENTIAM. *Epicuri scil. de Deo beato &, imperturbato, & quieto.* IN TOTVM. *Prorsus stupidum & insensibilem, quem nulla cura tangat.* CVM CHRISTO. *Si Deus Marcionis talis est, quid habet commune cum Christo? quomodo Christus filius eius & Imago est? cùm omnino degener appareat à Patre, & docendo sæpius molestus fuerit Iudæis, seuerè humanas eorum traditiones, etiam legis ipsius carnalem nimis intellectum arguens, in negotiatores templi zelo æstuans. Scribis & Pharisæis imprecans.* ET SIBI. *Molestus fuit sibi ipsi, suam quietem, vt ità dicam turbans, sensibus, motibus, affectibus humanis, flendo, tristando, turbando semetipsum.* DE CÆTERIS MOTIBVS. *Supple debuerat Marcion agnoscere Christum filium esse Dei Creatoris: quia se similem Patri comprobauit in dictis motibus.* QVID ILLI. *Deo scil. Marcionis, vel potiùs ipsimet Marcioni, cum Epicuri Schola & Sententia? Quid ab eo mendicat Deum otiosum & stupidum, quo nec Marcion, nec Christianus, nec quispiam hominum indiget, qui res humanas omnino non curat, seipso & sua beatudine contentus. Qui vt nihil boni contulit Creaturis, sic nihil mali inferre potest. Quid rursum Marcioni cum Epicuro? cuius sententiis & opinionibus, nec ipse Marcion in sua cæteroqui disciplina rigidus, etiam nuptiale commercium reprobans, & Martyria probans, nec vllius indiget Christianus ab Epicuri vita sensuali & voluptuosa alienus.*

2. PERVERSISSIMVM DEVM, *Scil. Marcionis.* PRÆCONIO. *Eo ipso, quod solummodo & precisè bonus prædicatur & laudatur, pessimus est Deus.* QVA, *In quantum.* NEC IVDICEM PRÆSTAT. *Nec iudex est, nec personam agit iudicis.* DISCIPLINARVM RATIO, *&c. Non video quomodo ei conueniat ius legis & doctrinæ tradendæ suis cultoribus, vel quomodo lex eius sit plenior & sanctior lege Creatoris.* NON EXECVTVRVS. *Ad executionem & obedientiam legis sua non compulsurum mutuæ vltionis & pœnæ.* NON DEPENDIT, *Non vindicat.* DIRECTO, *Statim, absolutè, continuò.*

3. IVDICIS STATVM, *Attributum, officium.* ADFINEM MALI, *Tanquam malum arguere.* NON POTES, *Supple æstimare.* SI NON IVDICEM, *Dixerimus scil.* CONSTITVTOREM. *Leges & constitutiones pœnarum, non statuentem.* IVDICEM PRÆSTAT. *Facit esse verum iudicem.* IN SPECIES DEPVTARE. *Computare iustitiam inter species malitiæ & peccati.* ID EST INIVSTITIAM, *&c. Idem, inquit, facies, hoc est peruertens omnia, sicut Deũ nostrum iudicem, ob iustitiam malum putas, sic titulum rei bonæ, id est nomen iustitiæ peruertis, vt iniustitiam voces.* Rem bonam dicens malam, & ponens lucem tenebras. *Sic Deum tuum non iustum & bonum, iniustum dicere cogeris & malum; vel aliter, Deum tuum iniustum, quia iustus non est, censebis bonum.* NVNC ENIM, *&c. Sic tuo sensu, Marcion, si iniustitia bona est, & iustitia per consequens mala erit.* DE PESSIMIS. *Inter pessima reuensere.* EODEM IVGO, *Similiter oneraris & cogeris fateri, &c.* ÆMVLVM. *Contrarium mali.* TVTELA. *Iustitia non solum bona est virtus, sed & protectrix, & directrix bonitatis & virtutis omnis.* CONSPIRATIO *Concordia.* CAPERE, *Admittere, pati.*

4. ANTITHESES, *Quibus Marcion fingit vtrumque Testamentum, inuicem oppositum, de quibus iam alibi.* COMINVS CÆCIDISSEM. *Pressius confudissem, refutassem vrgentius.* VTRIVSQVE PARTIS. *Iustitiæ & bonitatis.* EXEMPLA, *Ex vtroque Testamento desumpta.* OMNIA POTENTIS, *Et bona tribuere, & pœnas infligere.* COMPENDIO. POSSVM, *&c. Breuiter possum Marcionis antitheses refellere, in quibus pruriginem suam contra Creatorem argumentandi, & duos Deos introducendi monstrauit, cùm discernere voluit, quasi duos authores legis veteris & nouæ, ex diuersis ingeniis & virtutibus, siue inclinationibus quæ in vtriusque legis exemplis reseruntur; vt sic Christum Deum & Dei alterius filium, à Deo Creatore separaret. Sed tantùm abest vt seueritas & bonitas ipsos diuidant, quinimo sic coniungunt, vt vnicum Deum probent cui hæc duo attributa congruunt.* AVFER TITVLVM, *Quem libro suo imposuit, Antitheses scilicet.* ET INTENTIONEM. *Qua voluit probare ex contrariis legibus, contrarios Deos.* IN SOLVM, *Soli Deo.* AD VNITATEM. *Supple, diuinitatis.* DIVINITATIBVS *Plurali vtitur, ad mentem Marcionis.* PRÆMISERAT, *Ante in veteri Testamento vsus fuerat seueritate, in lege dura, lapidibus incisa, duræ ceruicis populo data, quem regebat in virga ferrea.* NEC MIRVM. *Res mira non erit, consideranti pro diuersitate temporum & personarum, diuersimodè operatum Deum, de quo Psalte: Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* REBVS EDOMITIS. *Subactis sibi populis mitis fuit, qui indomitis fuerat seuerus & rigidus.* PER ANTITHESES. *Per ipsas Marcionis antitheses & contrarietates vtriusque legis, quibus duos Deos inducere contendit, facilè ostenditur, Christum formam & modum agendi circa homines, Dei Creatoris, repercussisse, id est restituisse, quasi eodem sigillo inculcato; non verò excluisse & reiecisse tanquam malum.* SERNAS, *Immanem ab omni ira, vindicta, &c. facias.* AB ÆMVLATIONE. *Pra magna antipathia, quam habet cum Creatore. Vel Deum tuum exemptum dicis ab omnibus motibus & affectibus Creatoris, præsertim verò ab æmulatione & zelo liberum.* SCILICET. *Ironiam adverto ex sequentibus.* NAM SI ITA EST, *&c. Quasi verò, inquit, Deus tuus, Marcion, æmulatione careat. Si ita est, euersa sunt omnes antitheses tuæ, cuius scopus libri tui, quo probare niteris Deum tuum in omnibus dictis & factis, æmulum & contrarium esse Creatoris.* ET IN HOC, *Libro Marcionis.* PER ILLAS, *Antitheses.* DEVM MEVM. *Si & Deus Marcionis, quantumlibet bonus, conuincitur tamen ex suis antithesibus, zelotes esse & æmulator Creatoris, quem ex omnino oppositis factis & dictis euertere molitus est, tantò ego lubentiùs Deum Creatorem vt bonũ amplectar, quantumuis zelotes & æmulator appareat.* RES SVAS. *Non vt Marcionis Deus, qui rebus alienis, à Deo Creatore conditis, precario iure vtitur.* ARBVTIORES, *Siluestriores, acerbiores. De lege veteri loquitur, quasi luxuriante & superabundante cæremoniarum & præceptorum sylua.* ÆMVLATIONE MATVRITATIS. *Zelo nouæ legis, quæ maturiùs & posteriùs indulta, maturiores & vberiores fructus gratia productura erat, quas verus, sub foliis condensis & vmbrosis occultabat. Quas tamen Deus figuras, zelo dictæ maturitatis* præcurabat, *Prius curabat, & cum æmulatione suæ gloriæ, & gratiæ nouæ Testamenti sub eis latentis, cum magna etiam seueritate ab Israëlitis exigebat.* SVO IVRE. *Proprio, non mendicato, quia vtriusque legis author*

est. MODVLATVS, *Supple mundus, factus & compositus ex contrariis, vt alibi vidimus, satis probat antithesis ad Deum Creatorem, & non ad Deum Marcionis pertinere.* ALIVM DEVM LVCIS. *Sapiè Augustinus risit Manichæos, Gentem tenebrarum introducentes, contra Deum lucis pugnantis. Scitè hic Tertull. loquitur. Quia Deus Creator idem ab initio,* diuisit lucem à tenebris, *Et iuxta Paulum:* Dixit de tenebris lumen splendescere. *Nec tamen duos propterea Deos, sed eumdem diei & noctis, lucis & tenebrarum Deum Moyses & Paulus innuxit. Si hoc probasset Marcion alium esse Deũ, qui ad lumen admirabile gratiæ & gloriæ suæ fideles vocat, alium qui expellit in tenebras exteriores, fletum & stridorem dentium, facilius comprobasset.* EIVS ERIT, *Eiusdem Dei Creatoris, vtrumque Testamentum, quamquam ex oppositis Marciani videatur esse connexum.* CVIVS EST, *Supple antithesis & contrarietas elementorum, qualitatum, Creaturarum corporalium, incorporalium, cœlestium, terrestrium, visibilium, inuisibilium.*

Quatuor hos textus vno eodemque Scholio concluſi, & breuiter quæ obscura erant exposui, quòd nihil aut parum notatu dignum in his lateat quod non attigerim alibi. Ne tamen absque Augustino vacuus lector abscedat, appositum in titulum, & materiam textuum subtexo locum Augustini to. 1. lib. de Morib. Eccl. Cathol. c. 11. vbi quasi Marcioni ex parte loquatur: Illud dicis, concedere te quidem Deum esse diligendum, sed non illum Deum, quem colunt ij qui Testamenti veteris authoritatem recipiunt. Non ergo illum Deum colendum esse diciris, qui fecit cœlum & terram, &c. Cum exceptione quippe vobiscum loquendum est: *Loquitur Manichæis.* Quando Deus nominatur. Duos enim Deos, vnum bonum, alterum malum esse perhibetis, &c. Impudenter facitis qui alienum animum, atque sententiam, quam benè atque vtiliter accepimus, malè interpretari conamini, frustra omnino. Neque enim vestræ stultæ atque impiæ disputationes vllo modo cum piorum doctissimorumque hominum sermonibus, per quos in Ecclesia Catholica, Scripturæ illæ, *Veteris Testamenti,* volentibus dignisque aperiuntur, comparari queunt. Longè prorsus aliter quàm putatis, lex & Prophetæ intelliguntur à nobis. Definite errare, non credimus, pœnitentem Deum, non inuidum, non indigum, non crudelem, non quærentem de hominum vel pecorum sanguine voluptatem, non cui flagitia & scelera placeant, non possessionem suam terræ quadam particulâ terminantem. In has enim atque huiusmodi nugas grauiter copioseque inuehi Toletis, &c. Quamobrem si quid humani corde geritis, si curæ vobis vosmetipsi estis, quærite potiùs diligenter & piè quo modo illa dicantur. Quærite miseri. Nam talem fidem quâ Deo inconuenienti aliquid creditur, nos vehementiùs & vberiùs accusamus. Nam & in illis quæ dicta sunt, cùm sic intelliguntur, vt litera sonat, & simplicitatem corrigimus, & pertinaciam detidemus. Et alia multa quæ vos intelligere non potestis, vetat eos credere Catholica disciplina, qui non annis, sed studio atque intellectu excedentes quandam mentis pueritiam, in canos sapientiæ promouentur. *De Deo autem iusto & bono hæc ex eodem subiicio, ipsamet libro cap. 7.* Refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis sapientiæ, nobis illa opacitas authoritatis occurrat, *En arbustiores Tertulliani voces,* Et mirabilibus rerum, vocibusque librorum, veluti lignis temperatoriis veritatis, vmbrisque blandiatur. Quid potuit pro salute nostra fieri amplius? quid benefícentius? quid liberalius diuinâ prouidentiâ dici potest, quæ à legibus suis hominem lapsum, & propter cupiditatem rerum mortalium iure ac merito mortalem sobolem propagantem non omnino deseruit? habet enim potestas illa iustissima, miris & incomprehensibilibus modis, per seuerissimas successiones rerum sibi seruientium quas creauit, & seueritatem vindicandi, & clementiam liberandi. Quod quidem, quàm sit pulchrum, quàm magnum, quàm Deo dignum, quàm postremò, id quod quæritur, verum, nequaquam intelligere poterimus, nisi ab humanis, & proximis, *Nobis, nostroque conspectui,* incipientes veræ religionis fide præceptisque seruatis, non deseruimus viam quam nobis Deus, & Patriarcharum segregatione, & legis vinculo, & prophetarum præsagio, & suscepti hominis Sacramento, & Apostolorum testimonio, & Martyrum sanguine, & gentium occupatione, *Conuersione,* muniuit. Quare deinceps nemo quærat sententiam meam, sed potius audiamus oracula, nostrasque ratiunculas, diuinis submittamus affatibus.

Augst. — S. August.

5. *Dei iustitia eius bonitati congenita; etiam ante peccatum omnia diuisit suis generibus, speciebus, & locis: post peccatum autem luctata est cum aduersario sibi, ad correctionis bonum. 2. Cont. Marc. cap. 12. ap. ad f. & 13. in p.*

APrimordio denique Creator tam bonus, quàm & iustus. pariter vtrumque processit. Bonitas eius operata est mundum, iustitia modulata est. quæ etiam tum mundum iudicauit ex bonis faciendum, quia cum bonitatis consilio iudicauit. Iustitiæ opus est; quod inter lucem & tenebras separatio pronuntiata est, inter diem & noctem, inter cœlum & terram, inter aquam superiorem & inferiorem, inter maris cœtum & aridæ molem, inter luminaria maiora & minora, diurna atque nocturna, inter marem & feminam; inter arborem agnitionis mortis, & vitæ, inter orbem, & Paradisum, inter aquigena & terrigena animalia. Omnia vt bonitas concepit; ita iustitia distinxit. Totum hoc iudicato dispositum & ordinatum est. Omnis situs, habitus elementorum, effectus, motus, status, ortus, occasus singulorum, iudicia sunt Creatoris; ne putes eum exinde iudicem definiendum, quo malum cepit, atque ità iustitiam de causa mali offusces. His enim modis ostendimus eam cum auctrice omnium bonitate prodisse, vt & ipsam ingenitam Deo & naturalem, nec obuentitiam deputandam, quæ in Domino inuenta sit arbitratrix operum eius. Atenim, vt malum postea erupit, atque inde iam cepit bonitas Dei cum aduersario agere, aliud quoque negotium eadem illa iustitia Dei nacta est, iam secundum aduersionem dirigendæ bonita- Gen. 1. 4. & 6. CAP. XIII.

tis, vt sepositâ libertate eius, qua & vltrò Deus bonus, pro meritis cuiusque pensetur, dignis offeratur, indignis denegetur, ingratis auferatur; proinde omnibus æmulis vindicetur. Ita omne hoc iustitiæ opus, procuratio bonitatis est, quod iudicando damnat, quod damnando punit; quod, vt dicitis, sæuit; vtique bono non malo proficit.

DEI IVSTITIA. ET BONITAS. V. SCHOLIA.

A PRIMORDIO. *Ab initio mundi, ante peccatum hominis.* PROCESSIT. *In effectibus apparuit simul fluere ab essentia diuina, cùm Creaturas bonas omnes bonitate fecit, & iustus iustitiâ omnes suis generibus, qualitatibus, locis, distinxit & distribuit.* MODVLATA. *Moderata est, distribuit modos & fines singulis, vel concentum & modulum ex tanta varietate distincta temperauit.* EX BONIS. *Creaturis componendum.* IVSTITIÆ OPVS. *Iustitia enim non solùm versatur circa crimina punienda, sed in aquâ & iustâ rerum distinctione, qua confusionem & inordinationem rerum tollit. Sic enim diuisit lucem à tenebris iusta Dei sententia lata ab exordio mundi, diem à nocte, cælum à terra, aquas ab aquis, maria à terris, &c. Nec hoc tantùm ad literam: sed & hac diuisa figura fuit lati ab initio iudicij iusti, & proinde boni, quo Deus iudex optimus separauit Angelos lucis ab Angelis tenebrarum, sicut in fine seculi separabit meditl Angelis bonis, malos homines, de medio iustorum, virgines fatuas à sapientibus, paleam & zizania à tritico, pisces reprobos ab electis; & firmamentum decreti, quo ab æterno aquas ab aquis, populos à populis, prædestinatos à reprobis diuisit, in iudicio extremo apparebit. Nam ex Aug.* Nondum quidem apparuit iudicium, sed iam factum est iudicium. *Dicente Christo:* Qui non credit, iam iudicatus est. *Aug. lib. 11. de Ciuit. cap. 19. de hac iusta diuisione Angelorum sic fatur:* Non mihi videtur ab operibus Dei absurda sententia, si cùm lux illa prima facta est Angeli creati intelligantur, & inter sanctos Angelos, & immundos fuisse discretum, vbi dictum est: & diuisit Deus inter lucem & tenebras, & vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. Solus quippè ille ista discernere potuit, qui potuit etiam priùs quàm caderent, præscire casuros, & lumine priuatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros. Nam inter istum nobis notissimum diem & noctem, id est inter hanc lucem & has tenebras, vulgatissima sensibus nostris luminaria cœli, vt diuiderent imperauit, fiant, &c. Et diuidant inter diem & noctem, &c. Inter illam verò lucem, quæ sancta societas Angelorum est, illustratione veritatis intelligibiliter fulgens, & eis contrarias tenebras, id est malorum Angelorum auersorum à luce iustitiæ terrerimas mentes, ipsa diuidere potuit, *Mens Dei iusta & bona.* Cui etiam futurum, non naturæ, sed voluntatis malum occultum esse non potuit. *Et eodem lib. c. 33.* Et si alia lux, *corporea & visibilis.* In isto huius libri loco vbi legimus: dixit Deus fiat lux, &c. Et aliæ tenebræ significatæ sunt in eo quod scriptum est: diuisit Deus inter lucem & tenebras: nos tamen has duas Angelicas societates, vnam fruentem Deo, alteram tumentem typho, vnam cui dicitur, adorate eum omnes Angeli eius: aliam, cuius princeps dicit, hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me: Vnam Dei sancto amore flagrantem, alteram propriæ celsitudinis immundo amore fumantem: & quoniam sicut scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: illam in cœlis cœlorum habitantem, istam inde deiectam, in hoc infimo aëreo cœlo tumultuantem illam luminosa pietate tranquillam, istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam: illam Dei nutu clementer subuenientem, iustè vlciscentem: *Aduerte & Angelos bonos participatâ Dei bonitate & iustitiâ, & clementer subuenire & vlcisci iustè ad mentem Tertulliani:* Istam suo fastu, subdendi & nocendi libidine exæstuantem. Illam, vt quantùm vult consulat, Dei bonitatis ministram, istam, ne quantùm vult nocear, Dei potestate frenatam, illam huic illudentem, vt nolens prosit persecutionibus suis: *Alludit ad Psalmum, draco iste quem tu formasti ad illudendum ei, sine vt ludens alij, vt illudatur ei ab Angelis meis: & Iob: Numquid illudes ei quasi aui, aut catulum Indiæ aui collo Gruis oblongo simili, sed circa pectus ligato, ne captos pisces abliguriat, qua piscatores securata vtuntur*: Hanc illi inuidentem, cum peregrinos colligit suos, &c. lucis, tenebrarumque vocabulis significatas existimauimus. *De firmamento autem diuidente, cap. 34 & ad literam de aquis materialibus, & mysticè de spiritalibus tam hominibus quàm Angelis intelligit:* Vt suprà firmamentum Angeli intelligantur, infrà verò vel aquæ istæ visibiles, vel malorum Angelorum multitudo, vel omnium hominum gentes. *Ita & lib. 13. Confess. c. 15.* Sunt aliæ aquæ super hoc firmamentum, credo immortales, & à terrena corruptione secretæ: laudent nomen tuum, laudent te supercælestes populi Angelorum tuorum, *Quod tamen retractat lib 2. retract. c. 6. Non quòd prorsus reprobet sensum mysticum, modò non excludat literalem, sicus excludit Origenes, qui ab Epiphanio in ep. ad Ioannem Hierosol. Basilio hom. 3. in Hexa. & Hier. ad Pammach. in hoc erroris arguitur, quod velit Moysen per aquas superiores & inferiores, Angelos bonos à malis diuisos, & nullas alias aquas super firmamentum esse intellexerit.* MARIS COETVM, *Congregationem aquarum.* AGNITIONIS, *Scientia boni & mali.* MORTIS, *Et mortis. Quia dictum est:* Quocunque die comederitis, ex eò, morte moriemini. *Quod adiecit Tertul. vt hanc arborem discerneret ab arbore vitæ.* IVDICATO DISPOSITVM, *Quasi sententiâ latâ in singulas creaturas.* DE CAVSA MALI, *Vt iustitia splendorem minuat, quasi originem sumpseris ex malo peccati, sine quo non fuisset.* INGENITAM. *Insitam à natura Deo.* DEPVTANDAM, *Recensendam inter aduentitia.* ARBITRATRIX, *Arbitra, Iudex, directrix.* ALIVD NEGOTIVM. *Præter iustam distinctionem operum, propriam & naturalem iustitiam, aliud quoque ei opus & negotium præstitit Angeli hominisque peccatum.* CVM ADVERSARIO, *Peccati scilicet malo.* SECVNDVM ADVERSIONEM. *Vel auersionem intelliget, quam habet iustus & bonus à malo peccati, vel quod auerterit Deus post peccatum commissum, iustitia sua incumbens, vt dirigeret bonitatem, & auerterent, qui eius communicatione digni, vel indigni essent.* SEPOSITA LIBERTATE. *Præter libertatem, qua Dei bonitas vt naturalis & liberè se communicat cui vult:* Spiritus enim vbi vult spirat; PENSETVR, *Ponderat vt in libra iustitiæ, vt cuique eâ dispenset* ÆMVLIS VINDICETVR. *Vindictam sumat, supplicium exigat de omnibus bonitati Dei contrariis, id est peccatis.* OMNE HOC, *Ne dicat Marcion hæc opera iustitiæ & vindictæ mala esse, cùm negotia bonitatis tractet & curet; eamque ab aduersariis tueatur. Quàm bona ergo in-*

5. Aug.

8 August.

S. August.

A

B

C

D

Augst.

Aug.

Augst.

ſitia, quæ dirigit bonitatem eamque diſpenſat, & tu-
patur. VTIQVE BONO, *Tantùm abeſt, ô Mar-*
cionita, vt hinc Deum Creatorem malum arguere poſ-
A *ſitis. Hinc enim magis bonitas eius creſcit & maior elu-*
ces ex operibus iuſtitiæ, ſuæ vindicis.

6. Dei iuſtitia miſericors eſt, minas intentans antequam feriat. Cont. Iud. cap. 13. circa f.

SIc & Macheræ conditionalis comminatio: [a] *Si nolueritis, nec obaudieritis, gladius vos comedet*, Probauit Chriſtum fuiſſe, quem non audiendo, perierunt. [a] Eſai. 1. 20.

DEI IVSTITIA ET BONITAS. VI. SCHOLIA.

MACHERÆ CONDITIONALIS, *Gladij ſub conditione interitus Eſa. 1. 20.* Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis: 70. *Neque exaudieritis me*, Gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum eſt. CHRISTVM FVISSE. *Hunc gladium, quem & os Domini Propheta dixit, & gladium, Paulus Hebr. 4.* Sermo Dei viuus & efficax penetrabilior omni gladio ancipiti. *Et Ioannes Apoc. 1.* De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. NON AVDIENDO, *&c. Si enim dixit*, Verba quæ loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt, B & ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum: *Hunc ſermonem non audientes, quid mirum ſi mortui ſunt? Chriſtum gladium eſſe, & macheram conditionalem pulchrè docuit Auguſtinus poſt Pſalmum Pſal. 7. 13.* Niſi conuerſi fueritis, gla-
Auguſt. dium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit & parauit illum. Poteſt ipſe homo Dominicus, *Id eſt Chriſtus Dominus Deus homo*, Gladius Dei intelligi, bis acutus, id eſt framea, quem non vibrauit primo aduentu, ſed tanquam in vagina humilitatis abſcondit. Vibrabit autem cùm in ſecundo aduentu veniens iudicare viuos & mortuos, in manifeſto ſplendore claritatis ſuæ, iuſtis ſuis lumine, & terrore impiis coruſcabit. Nam in aliis exemplaribus, pro eo quod eſt gladium ſuum vibrabit, frameam ſuam ſplendificabit, poſitum eſt: quo verbo conuenientiſſime ſignificari arbitror vltimum dominicæ claritatis aduentum. Quandoquidem ex ipſius perſona intelligitur quod alius pſalmus habet, libera Domine ab impiis animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

7. Dei iuſtitia eius bonitatem implet, & vtilis eſt homini, quem timore arcet à malo, & impellit in bonum. 2. Cont. Mart. cap. 13. à p. ad f. & 14. in p.

TImor iudicij ad bonum, non ad malum confert. Non enim ſufficiebat bonum per ſemetipſum commendari, iam ſub aduerſario laborans. Nam etſi commendabile per ſemetipſum, non tamen & conſeruabile, quia expugnabile iam per aduerſarium, niſi vis aliqua præeſſet timendi, quæ bonum etiam nolentes, apperere, & cuſtodire compelleret. Ceterùm, tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret, quod impunè contemneret? quis cuſtodiret, quod ſine periculo amitteret? Legis mali [a] *Viam latam*, Et multò frequentiorem: nonne omnes illâ laberentur, ſi nihil in illa timeretur? Horremus terribiles minas Creatoris, & vix à malo auellimur: quid ſi nihil minaretur? Hanc iuſtitiam, malum dices, quæ malo non fauet? Hanc bonum negabis, quæ bono proſpicit? Non qualem oportet, Deum velles; qualem malles expediret? ſub quo delicta gauderent? cui diabolus illuderet? Illum bonum iudicares Deum, qui hominem poſſet magis malum facere, ſecuritate delicti? Quis boni auctor, niſi qui & exactor? Proinde, quis mali extraneus, niſi qui & inimicus? quis inimicus, niſi qui & expugnator? quis expugnator, niſi qui & punitor? Sic totus Deus bonus eſt, dum pro bono omnia eſt. Sic denique omnipotens, quia & iuuandi & lædendi potens. Minùs eſt, tantummodo prodeſſe, quia non aliud quid poſſit quàm prodeſſe. De eiuſmodi, qua fiducia bonum ſperem, ſi hoc ſolum poteſt? quomodo innocentiæ mercedem ſecter, ſi non & nocentiæ ſpectem? diffidam neceſſe eſt, ne nec alteram partem remuneretur, qui vtramque non valuit. Vſqueadeo iuſtitia etiam, plenitudo eſt diuinitatis ipſius, exhibens Deum perfectum, & patrem, & Dominum: patrem, clementiâ: Dominum, diſciplinâ. Patrem, poteſtate blanda: Dominum, ſeuerâ. Patrem, diligendum piè: Dominum, timendum neceſſariè. Diligendum, quia [b] *Malit miſericordiam, quàm ſacrificium*; Et timendum, quia nolit peccatum. diligendum, quia [c] *Malit pœnitentiam peccatoris, quàm mortem*; Et timendum, quia nolit peccatores ſui iam non pœnitentes. Ideo lex vtrumque definit, [d] *Diliges Deum*, Et *Timebis Deum*. Aliud obſecutori proCAP. XIV. poſuit, aliud exorbitatori. Ad omnia tibi occurrit Deus idem. [e] *Percutiens, ſed & ſanans: [f] mortificans, ſed & vinificans; humilians, ſed & ſublimans; Condens mala, & ſed & pacem faciens.* Vt etiam & hinc reſpondeam hæreticis.

[a] Matth. 7. 13.
[b] Oſeæ 6. 6. & Matth. 9. 13.
[c] Ezech. 33. 11.
[d] Deut. 6. 5. & 13.

[e] Deut. 32. 39. [f] 1. Reg. 2. 6. & 7. [g] Eſa. 45. 7.

Digitized by Google

DEI IVSTITIA. ET BONITAS. VII. SCHOLIA

BONVM PER SEMETIPSVM. *Vel de Deo ex natura sua bono, vel de bono virtutis, & summo bono beatitudinis accipi potest, quod ex natura sua amabile est.* IAM. *Post peccatum commissum.* SVB ADVERSARIO. *Malo peccati.* LABORANS. *Deus quidem sic per Prophetam queritur.* Laborare me fecisti in peccatis tuis. *Et rursum.* Laborauí sustinens. *Vel bonum virtutis & gratia sub onere concupiscentiæ,* & Legis peccati repugnantis legi mentis, *Quod vtique ex sequentibus verbis patet esse literalius.* VIS TIMENDI. *Potestas Dei iudicis, & iusta seueritas metuenda.* BONVM NOLENTES. *Peruersos homines, bonum virtutis & beatitudinis recusantes.* IMPVNE. *Nullam punitionem & pœnam timendo. Et hæc est Dei iusta bonitas, qua terret peccatorem vt relicto peccato euitans iudicem, bonum incidat in Patrem.* *Sic enim Psal. 57.* Intendit arcum suum donec infirmentur. *In quem locum Aug.* Minæ Dei non cessant: arcus Dei, minæ Dei. Intenditur arcus, nondum ferit. Intendit arcum suum donec infirmentur: *Id est donec infirmitatem suam agnoscant, vt impleatur illud Psalmi, pluuiam voluntariam segregabis hereditati tuæ & infirmata est, tu verò perfecisti eam.* Et multi infirmati sunt, ipsius intentione arcus territi. Nam hinc infirmatus est ille qui dixit, quid me iubes facere? Ego sum, inquit, Iesus quem tu persequeris. Qui clamabat de cœlo, arcum tendebat. Multi ergo qui fuerunt inimici, infirmati sunt & conuersi: noluerunt erigere diu cernices suas aduersus perseuerantiam extenti arcus. Nam sic infirmatus est ille qui ait, ne timeamus infirmari, quando infirmor, tunc potens sum. Et cum oraret à se tolli stimulum carnis, quid ei responsum est? virtus in infirmitate perficitur. *Et Psal. 59. 6.* Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus vt liberentur dilecti tui. *In quem quoque locum Aug.* Per tribulationes, *inquit*, temporales significasti tuis, fugere ab ira ignis sempiterni, &c. Quid ergo futurum est in iudicio? arcus est extentus, adhuc in comminatione est, nondum in præsentatione. Et videre quid sit in arcu. Nonne sagitta in priora mittenda est? neruus tamen retro retenditur in contrarium quà illa mittenda est: & quantò plùs erit eius extensio retrorsum, tantò maiore impetu illa currit in priora. Quid est quod dixi? quantò magis differtur iudicium, tantò maiore impetu venturum est. Ergo & de temporalibus tribulationibus gratias Deo ágamus, quia dedit plebi suæ significationem vt fugiat à facie arcus: vt exercitati fideles eius in tribulationibus temporalibus, digni sint euadere damnationem ignis æterni quæ inuentura est omnes qui ista non credunt. *Et paulò supra, à temporalibus minis, ad æternas, sic ratiocinatur; quibus, vt à peccat; & damnatione ei debita in sinistra hædis positis, ad dexteram ouium, & summum bonum transeant:* Dicit Apostolus Petrus 1. 4. tempus est vt iudicium incipiat à domo Dei: & exhortans Martyres ad tolerantiam, cùm sæuiret mundus, cùm strages à persecutoribus fierent, cùm longè latéque sanguis fidelium funderetur, cùm in catenis, in carceribus, in tormentis, multa dura Christiani paterentur: ne in his ergo duris deficerent, eos alloquitur Petrus: tempus est vt iudicium incipiat à domo Dei. Et si initium à nobis, qualis finis erit eis qui non credúnt Euãgelio: Et si iustus vix saluus erit, peccator & impius vbi parebunt? *En arcus extenti facies. Quid minatur impiis, sagittas complens in eis, si ille quæ transeunt etiam per electos, sagitta inquam potentis, sic acuta sunt? & quid fructus parit in electis? nonne vt à sinistra transeant liberati dilecti ad dexteram? vt sicut Deus locutus est in sancto suo, id est ex Aug. in Christo suo, lætetur Ecclesia & Sichimam diuidat. Grande mysterium. Subiicit enim Psalmus 107. 8.* Saluum fac dextera tua & exaudi me: Deus locutus est in Sancto suo. Exultabo & diuidam Sichimam. *Quod sic exponit Aug.* Ita saluũ me fac, vt ad dexteram stem, &c. Non salutem temporalem quæro, de hac fiat voluntas tua, &c. Sed saluum me fac dexterâ tuâ, vt si in tempore isto tribulationes aliquas patiar, transactâ nocte omnium tribulationum, ad dexteram inueniar inter oues, non ad sinistram inter hœdos, &c. Sichima humeri interpretatur, secundùm historiam verò, Iacob rediens à Laban socero suo cum omnibus suis abscondit idola quæ habebat de Syria, &c. Tabernacula autem fecit ibi propter oues suas & armenta, & appellauit locum illũ tabernacula. Et hæc, inquit Ecclesia, diuidã. Quid est hoc? diuidam Sichimam. Si ad historiam vbi abscondita sunt idola referatur, Gentes significat. Diuido gentes. Quid est, diuido? non enim est omnium fides 1. Thess. 3. Quid est diuido? alij credent, alij nõ credent: sed tamen non timeant qui credũt, *Persecutiones scil. temporales, sed timeant à facie arcus vt liberentur à sinistra & saluentur in dextera.* Inter illos qui non credunt. Diuisi sunt enim nunc fide, postea diuidentur in iudicio: oues ad dexteram, hœdi ad sinistram. *Rursum de significatione Sichimæ sic habet:* Quomodo diuidit humeros? secundùm nominis interpretationem diuiduntur humeri, vt alios grauent peccata sua, *Quibus arcus extenditur* Alij tollant sarcinam Christi. *Hoc est charitatem omnia aduersa ferentem cum exultatione; volat enim anima ad Dei mandata, & velens est nimis in mandatis. Hinc ala timoris pœna, hinc ala amoris iustitiæ; vt sic & sagitta pennata, pœna comminata, det alas ad amorem iustitiæ.* Humeros enim pios quærebat, cùm diceret: iugum enim meum lene est, & sarcina mea leuis est. Alia sarcina premit & aggrauat te, Christi autem sarcina subleuat te. Alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet, &c. *Et concludit de Christi sarcina,* Non attendantur illi qui eam ferre nolunt: ferant illam qui volunt, & inuenient quàm sit leuis, quàm suauis, quàm iocunda, quàm rapiens in cœlum, & à terra eripiens. *Vides quomodo timor arcus addat alas pedibus, & in bonum virtutis, & summum bonum gloriæ electos impellat, & in virtutis dextera & gloria confirmet* Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. *Et quid tandem de tabernaculorum dimensione dicemus? accipite Augustinum in verba sequentia Psalmi:* Et conuallem tabernaculorum dimetiar. Fortè propter oues Iacob, conuallis tabernaculorum intelligitur gens Iudæorum: & ipsa diuiditur: *Sicut humeri.* Nam transierunt inde *Ad Christum* Qui crediderunt, foris reliqui remanserunt. *Sine autem Sichimita, hoc est Gentiles, sine ex tabernaculis Iacob Israëlita, sint; bonum est viriſque, vt fugiant à facie arcus, & timore compulsi a sinistris peccati, & reprobationis transeant ad dexteram virtutis, & mercedis eius gloriæ.* LEGIS, MALI VIAM, *&c. Math. 7. 13.* Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. MALI EXIRANEVS.

NEVS. *A malo alienus.* OMNIA EST. *Author.* A *ſcil. exactor. defenſor, hortator, vindex.* SPECIEM. *Expectem.* REMVNERETVR. *Remuneret.* PLENITVDO EST. *Plenum & perfectum Deum exhibet, non dimidium, qualis eſt Deus Marcionis, tantùm bonus. De noſtro autem Pſaltes 47. 10.* Iuſtitia plena eſt dextera tua. *Vt etiam optimus dans gloriam, ſicut & gratiam,* Gratiam enim & gloriam dabit Dominus: Coronam dans iuſtitiæ, vocatis ad dexteram, ſit iuſtitiâ plenus. DISCIPLINA. *Correctione filiorum, de qua Paulus:* Si extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, iam non eſtis filij, ſed adulteri. NECESSARIÆ. *Neceſſitate medij.* NOLIT PECCATVM. Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, &c. LEX VTRVMQVE, *Deum ſcil. diligendum, Deut. 6. 5.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *Et timendum. Ibidem 13.* Dominũ Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies. OCCVRRIT. *Vt cæcutiat Marcion non videns clariſſimam veritatem.* DEVS IDEM. *Non alter bonus, alter malus: ſed vnus idemque, bonus ſimul & iuſtus.* PERCVTIENS. *Deut. 32. 39.* Percutiam & ego ſanabo, &c. SVBLIMANS, *1. Reg. 2. 6.* Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat. HÆRETICIS. *Marcionitis aliiſque, duos Deos ex diuerſis attributis, vel legibus conſtituentibus.*

8. *Deus iuſtus eſt de noſtro, bonus de ſuo. De Reſur. cap. 14. àp. adm.*

ACcipe igitur & cauſam, qui apud Deum diſcis, tam optimum, quàm & iuſtum: de ſuo optimum; de noſtro iuſtum. Niſi enim homo deliquiſſet, optimum ſolummodo Deum noſſet, ex naturæ proprietate: at nunc etiam iuſtum eum patitur, ex cauſæ neceſſitate: tamen & hoc ipſo optimum, dum & iuſtum. Et bono enim iuuando, & malo puniendo, iuſtitiam exhibens, vtramque ſententiam bono præſtat: hinc vindicans iſtud, inde remunerans illud. Sed cum Marcione pleniùs diſces, an hoc ſit Dei totum. Interim talis eſt noſter; meritò iudex, quia Dominus: meritò Dominus, quia auctor: meritò auctor, quia Deus. Hinc & ille, neſcio quis hæreticorum, meritò non iudex; non enim Deus: meritò non Dominus; non enim auctor. neſcio iam ſi Deus, qui nec auctor, quod Deus; nec Dominus, quod auctor.

9. *Et 2. Cont. Marc. cap. 11. in. p.*

VSque ad delictum hominis, Deus à primordio tantùm bonus, exinde iudex, & ſeuerus; & (quod Marcionitæ volunt) ſæuus. ſtatim mulier in doloribus parere, & viro ſeruire damnatur: ſed quæ antè ſine vlla contriſtatione per benedictionem in crementum generis audierat, [a] *Creſcite* tantùm *Et multiplicamini:* Sed quæ in adiutorium maſculo, non in ſeruitium fuerat deſtinata. ſtatim & terra maledicitur; ſed antè benedicta. ſtatim tribuli & ſpinæ; ſed antè fœnum, & herbæ, & arborum fructuoſa. ſtatim ſudor & labor panis; ſed antè ex omni ligno victus immunis, & alimenta ſecura. exinde homo ad terram, ſed antè de terra. Exinde ad mortem, ſed antè ad vitam. exindè in ſcorteis veſtibus, ſed antè ſine ſcrupulo nudus. Ita prior bonitas Dei, ſecundùm naturam; ſeueritas poſterior, ſecundùm cauſam. Illa ingenita, hæc accidens: illa propria, hæc accommodata: illa edita, hæc adhibita. Nec natura enim inoperatam debuit continuiſſe bonitatem, nec cauſa diſſimulatam euaſiſſe ſeueritatem. Alteram ſibi, alteram rei Deus præſtitit.

Gen. 3. 16
[a] Gen. 1. 28.
Gen. 1. 18.
Gen. 3. 16.
Gen. 1. 11.
Gen. 3. 18.
Gen. 2. 29.
Gen. 3. 29.
Gen. 2. 25.
Gen. 3. 21.

DEI IVSTITIA. ET BONITAS. VIII. & IX.

ET CAVSAM. *Agebat de reſurrectione. Cùm enim dixiſſet carnem reſurrectione dignam, Deum potentem carnem reſtituere in integrum, ſed cauſam reſtitutionis his duobus præpollere, nempè vt Dei bonitas in electos, iuſtitia in reprobos in iudicio manifeſtetur.* APVD DEVM. *Alij addunt,* Meum. DISCIS. *Id eſt qui es Chriſtianus, doctus, Deum eſſe optimum & iuſtum.* DE SVO. *A natura propria.* DE NOSTRO. *Ob peccatum noſtrum, vindicem & iudicem.* NOSSET. *Expertus eſſes.* NVNC. *Homine poſito in ſtatu peccati.* EX CAVSÆ, *&c. Propter peccatum voluntariè commiſſum, & neceſſariò puniendum.* DVM ET IVSTVM *Cùm etiam iuſtum agnoſcit, proindeque optimum, cui nihil deſit ad plenitudinem perfectæ bonitatis.* BONO PRÆSTAT. *Ex bonitate abundante omnibus.* CVM MARCIONE. *In lib. 1. contra Marcionem ſcripto.* AN HOC SIT. *An vtrumque attributum bonitatis & iuſtitiæ Deum verum conſtituat.* NOSTER. *Deus, qualiſcumque ſit Marcionis Deus.* QVIA DOMINVS. *Verus Rex habens plenam poteſtatem vitæ & necis in ſubditos quos creauit.* HINC. *Inde à contrario, neſcio quis ille prius inauditus & incognitus Marcionitarum Deus, meritò ab illis excluditur à iudicis poteſtate, quia nec Deus nec Dominus, nec formica vnius, multominus eſt hominis Creator.*

9. EXINDE IVDEX. *Poſt peccatum hominis.* IN DOLORIBVS. *Gen. 3. 16.* Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. *70. autem.* Multiplicans, multiplicabo triſtitias tuas, & gemitum tuum: in triſtitiis paries & filios: & ad virum tuum conuerſio tua. Et ipſe tui dominabitur. IN ADIVTORIVM. *Gen. 2. 18.* Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. 70. Secundùm ipſum. TERRA MALEDICITVR. *Gen. 3. 17.* Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea, omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, &c. STATIM SVDOR. *Gen. 2. 19.* In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram de qua ſumptus eſt. 70. *Edes panem tuum.* IMMVNIS. *A labore.* SECVRA. *Sine cura colendi terram & ſpinarum vellendarum.* AD TERRAM. *Colendam damnatus.* SCORTEIS, *Tunicis pelliceis.* SINE SCRVPVLO, *Irritanda libidinis, & ſine pudore.*

Digitized by Google

SECVNDVM NATVRAM. *Sponte communicabilem.* CAVSAM. *Peccati prouocantem iustitiam.* EDITA. *Erumpens ex se & vltro exhibita.* INOPERATAM *Otiosam, sine effectu & fructu.* NEC CAVSA. *Peccati.* REI. *Exigentia peccati. Vnica Augustini sententia, duobus Tertulliani textibus respondens hîc sufficiet. In Psal. 7. Vbi, Cùm dixisset ex Psalte :* Deus Iudex iustus fortis & longanimis: *Sic concludit:* Post hanc autẽ dispensationem, *Prærogata scilicet misericordiæ & bonitatis,* Iustum veniet iudicium, de quo ita dicit, vt intelligamus S. Aug. A vnicuique homini supplicium fieri de peccato suo, & eius iniquitatem in pœnam conuerti. Ne putemus illam tranquillitatem, & ineffabile lumen Dei, de se proferre vnde peccata puniantur: sed ipsa peccata sic ordinare, vt quæ fuerunt delectamento homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti. Ecce, inquit, parturiuit iustitiam: quid enim conceperat, vt iniustitiam parturiret? concepit, inquit, laborem: hinc est enim illud in labore manducabis panem tuum. *Sic* De suo bonus Deus, de nostro iustus.

10. *Dei iustitia & bonitas in maledictionibus & benedictionibus, & eiusdem Dei, & Christi Creatoris est. 4. Cont. Marc. cap. 15. à p.*

SEd puto iam & non optimus, iam aliquid & cum Creatore moratus, nec in totum Epicuri Deus. Ecce enim demutat in maledictionem, & ostendit eum se esse qui nouit offendi & irasci: *Væ* enim dicit. Sed sit nobis quæstio de verbi istius qualitate, quasi non tam maledictionis sit, quàm admonitionis. Et quid causæ interest, quando & admonitio non sit sine aculeo comminationis, maximè per Væ amarior facta? Et admonitio autem & comminatio, eius erunt qui norit irasci. Nemo enim admonebit, & nemo comminabitur ne quid faciat, nisi qui factum vindicabit. nemo vindicarit, nisi qui norit irasci. Alij agnoscunt quidem verbum maledictionis, sed volunt Christum sic Væ pronuntiasse, non quasi ex sententia sua propriè, sed quod Væ à Creatore sit, & voluerit illis asperitatem Creatoris opponere, quo suam suprà in benedictionibus sufferentiam commendaret. quasi non Creatori competat, quà vtrumque præstanti, & bonum Deum & iudicem; vt quia præmiserat in benedictionibus benignitatem, subiiceret etiam in maledictionibus seueritatem, amplitudinem disciplinæ vtriusque instruendæ, tam ad benedictionem sectandam, quàm ad maledictionem præcauendam. Nam & ita præmiserat, a *Ecce posui ante vos benedictionem & maledictionem.* Quod etiam in hanc Euangelij dispositionem portendebat. Alioquin, qualis est ille, qui vt suam insinuaret bonitatem, Creatoris opposuit asperitatem? Infirma commendatio est, quæ de alterius destructione fulcitur. Atqui opponens asperitatem Creatoris, timendum eum confirmauit. si timendum, magis vtique obaudiendum quàm negligendum; & incipit iam Christus Marcionis, Creatori docere.

Luc. 6. 25. & 26.

a Deut. 30. 29.

DEI IVSTITIA. ET BONITAS. X. SCHOLIA.

NON OPTIMVS. *Christus tuus, Marcion.* ALIQVID MORATVS. *Conuersatus cum Deo nostro Creatore, in cœlis eius, vnde eum lapsum fingis. Vel de eius moribus aliquid mutuatus & imitatus, nec prorsus immotus & stupens nihil curans de humanis rebus, nulli sibi iniuriam facienti vindicta retribuens, qualis fuit Epicuri Deus.* DEMVTAT. *Se scil. Moueatur ab illa inconcussa bonitate; à benedictionibus, ad maledictiones & imprecationes transit. Luc. 6 25. Quinquater benedixerat, hoc est beatos dixerat, pauperes, esurientes, flentes, persecutionem patientes, totidem maledicta congerit in diuites, saturatos, ridentes, ab hominibus benedictos.* Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationẽ vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis. Væ cùm benedixerint vobis homines: secundùm hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. QVID CAVSÆ, &c. *Quid refert.* NE QVIS FACIAT. *Pro, fiat. Vel ne quis aliquid faciat.* A CREATORE SIT. *Ab authore veteris testamenti.* OPPONERE. *Obiicere. Quasi dicat: hîc audio aliquorum Marcionitarum effugium: dicunt enim Christum Dei sui filium, qui prius vt naturâ suâ bonus toties benedixerat, postea vt ostenderet quantùm à sua bonitate distet Creator malus & seuerus, ab eo maledicta olim conicta sumpsit.* SVFFERENTIAM. *Dum scil. patienter ferre docuit persecutionem, & maledicentibus benedicere. Sic enim Luc 6. 28. subiicit:* Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. *Syr. autem:* B Orate pro iis qui vim vobis inferunt: QVASI NON COMPETAT. *Supple Creatori sufferentia tot peccatorum & blasphemiarum, & benedictio indignorum.* PRÆSTANTI. *Agenti, in se vno representanti.* AMPLITVDINEM. *Supple competit vni Deo Creatori simul in seipso præstare & exhibere plenam veræ fidei doctrinam, qua ex benedictionibus moneantur homines ad diuinæ bonitatis amorem, & ex maledictionibus, iustitiæ iudicis ad timorem. Psal. 24. 10.* Dulcis & rectus Dominus. *In quem locum Aug* Dulcis est Dominus, August. quandoquidem & peccantes & impios ita miseratus est, vt omnia priora donaret: sed etiam rectus est Dominus, qui post misericordiam vocationis & veniæ quæ habet gratiam sine meritis, digna vltimo iudicio merita requiret. C *Vbi & postremò benedicet in æternum benedictos, dicens: venite benedicti Patris mei, &c. Et postremò maledicet, ve fulminans in reprobos: Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Propter hoc legem statuet delinquentibus in via. August. Quia misericordiam prærogauit, vt perduceret in viam, &c. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Quas autem vias docebit eos, *Mites scil. de quibus dixerat, docebit mites vias suas.* Nisi misericordiam, quà placabilis, & veritatem quà incorruptus est? quorum vnum, præbuit donando peccata, alterum, merita iudicando. Et ideò, vniuersæ viæ Domini, duo aduentus filij Dei, vnus miserantis, alter iudicantis. Peruenit ergo ad eum tenens vias eius, qui nullis meritis suis se liberatum videns, deponit superbiam: & deinceps cauet exa-

ed by Google

minantis ſeueritatem, qui clementiam ſubuenientis expertus eſt requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius. Intelligunt enim Dominum miſericordem primo aduentu, & ſecundo iudicem, qui mites & mãſueti requirunt teſtamentũ eius: *De quo dixit, hic calix nouum teſtamentum eſt in ſanguine meo*, Cum ſanguine ſuo nos in nouam vitam redemit: & in prophetis, *Veteris teſtamenti*, atque Euangeliſtis, *Noui*, Teſtimonia eius. *Quid apertius in hunc locum Tertulliani probantis ex vtroque teſtamento tam Deum Creatorem, quàm Chriſtum eius filium, bonum in benedictionibus, ſine dulcem, & iuſtum & rectum in maledictionibus.* PRÆMISERAT, *Sic prius docuerat in veteri teſtamento* Deut. 30. 29. Teſtes inuoco hodie cœlum & terram quòd propoſuerim vobis vitam & mortem, Benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas & ſemen tuum. IN HANC. *Hanc.* PORTENDERAT. *Prædicebat, figurabat ſimilem diſpoſitionem futuram in lege noua, vt prius benedictio, deinde maledictio, aduentus lenis, deinde ſeuerus exhiberetur.* QVALIS EST. *Deus nouus & Chriſtus eius filius.* CREATORI DOCERE. *Lucem præferre, vt agnoſcatur & timeatur Deus Creator.*

11. *Deo vero retributori meritorum bonitas & iuſtitia conuenit. 4. Cont. Marc. cap. 17. in m.*

a *Nolite iudicare, ne iudicemini. Nolite condemnare, ne condemnemini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Menſuram bonam, preſſam, ac fluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem qua menſieritis menſura, remetietur vobis.* Vt opinor, hæc retributionem pro meritis prouocatam ſonant. A quo ergo retributio? Si ab hominibus tantùm; ergo humanam docet diſciplinam & mercedem, & in totum hominibus obediemus. Si à Creatore, vt à iudice & diſpunctore meritorum: ergo illi noſtrum impellit obſequium, apud quem conſtituit retributionem captandam, vel timendam, prout quiſque iudicauerit, aut condemnauerit, aut dimiſerit, aut menſus fuerit. Si abipſo: ergo & ille iam iudicat, quod Marcion negat. Eligant itque Marcionitæ, ne tanti ſit de magiſtri regula excidere, quanti Chriſtum aut hominibus, aut Creatori docentem habere. a Luc. 6. 37. & 38.

DEI IVSTITIA, ET BONITAS. XI. SCHOLIA.

NOLITE IVDICARE *Luc. 6. 37.* Nolite iudicare & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittete, & dimittemini. *Syr. abſoluite, & abſoluemini.* Date & dabitur vobis. Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. *Syr. expanſam profuſamque iniicient.* Eadem quippè menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis. *Aug. hunc locum tractat to. 4. lib. 2. de Ser. Do. in Monte c. 18. Vbi fusè de iudicio temerario de quo alibi dicturi ſuo loco, nunc ſuperſedemus.* De *remiſſione iniuriæ ſub pœna nõ accipiendi remiſſionẽ illata Deo per peccata noſtra, ſic to. 10. ſer. 15. de Ver. Do. circa f.* Nemo contra ſe teneat non ignoſcendo, ne contra illũ teneatur, quando orat. Dicit enim Deus, dimitte & dimittetur tibi. Si ego prior dimiſi, dimitte vel poſtea. Nam ſi non dimiſeris, reuocabo te, & quidquid tibi dimiſeram, replicabo tibi. Non enim mentitur veritas, non fallit aut fallitur Chriſtus qui ſubiecit, dicens: ſic & vobis faciet Pater veſter qui in cœlis eſt Inuenis patrem, imitare patrem. Si enim imitari non vis, exhæredari diſponis; faciet ergo vobis iſta, inquit, pater veſter cœleſtis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo ex cordibus veſtris. Ne dicas in lingua, ignoſco: & corde differas: ſupplicium enim oſtendit tibi Deus minando vindictam. Nouit Deus vbi dicas. *Quoniam nouit abſcondita cordis.* Vocem tuam homo audiuit: conſcientiam tuam Deus inſpicit: ſi dicis, dimitto, dimitte. Melius eſt, cum clamas ore, *Imprecando, & iniuriis lacesſendo.* Et dimittis in corde: quàm blandus ore, crudelis in corde. *De menſura remenſa ſic Aug. lib. 2. de Ser. Do. in Monte c. 18. in m.* Poteſt mouere quod ait, in quo enim iudicio iudicaueritis, &c. Et in qua menſura, &c. Numquid enim ſi nos in iudicio temerario iudicauerimus, temerè etiam de nobis Deus iudicabit? aut numquid ſi menſura iniqua menſi fuerimus, apud Deum iniqua menſura eſt, vnde nobis remetietur? nam & menſuræ nomine ipſum iudicium ſignificatum arbitror. Nullo modo ergo Deus vel temerè iudicat, vel iniquâ menſurâ cuiquam rependit. Sed hoc dictum eſt, quoniã temeritas qua punis alium, eadem ipſa te puniat, neceſſe eſt. Niſi fortè arbitrandum eſt *ironicè*, Quòd iniquitas ei noceat aliquid, in quem procedit; ei autem nihil à quo procedit: Imò vero ſæpè nihil nocet ei qui patitur iniuriam, ei autem qui facit, neceſſe eſt vt noceat. *Et hic etiam adnota Auguſtinum cum Tertulliano conſpirare, quòd Deum & Patrem & iudicem, ac retributorem meritorum, eodem loco & ſenſu probet.* ERGO HVMANAM, *&c. O Marcion, ſi tuus hîc Chriſtus loquitur, vel retributionem tantum promiſit humanam, & ad virtutem, ſpe talis mercedis excitat, & ſic qualis eſt tam boni Dei filius? aut à Deo noſtro Creatore pro meritis retributionem docet expectandam, & ſic eum commendat quem tu reſpuis. Aut denique à Deo tuo ſperandam mercedem; & timendam vltionem, vtrumque enim hîc Chriſtus commendat. Sic igitur contra te, non tantum bonus eſt Deus tuus, ſed & iuſtus, qui iudicet & condemnet iudicantem & condemnantem,* DISPVNCTORE. *Diſpectore, & remuneratore per ſingula puncta meritorum.* NE TANTI SIT, *&c. Hîc vrget Marcionitas vt eligant; & ſi ſapiunt, è duobus malis, minus. Nempè vt deſerant regulam fidei & doctrinæ Marcionis, potius quàm credant Chriſtum ſuum Dei ſui & aduerſarij Creatoris, filium, aut docuiſſe homines tantum Magiſtrum è cœlo lapſum, hominibus placere, & mercedem temporalem ab hominibus expectare; aut ad Creatoris aduerſarij ſui cultum homines impuliſſe, tam ſpe mercedis, quàm timore iudicij.*

Digitized by Google

12. *Deo bonitas & iustitia competit, dare & auferre promittenti, & minanti. 4. Cont. Marc. cap. 19. à p.*

SAnè nominatur mitissimus Deus, quia nec iudicat, nec irascitur. Hoc probat etiam subjacens sensus, a *Et qui habet, dabitur; ab eo autem qui non habet, etiam quod habere se putat, auferetur ei.* Quid dabitur? adiectio fidei, vel intellectus, vel salus ipsa. Quid auferetur? vtique quod dabitur. A quo dabitur, & auferetur? Si à Creatore auferetur, ab eo & dabitur. Si à Deo Marcionis dabitur, ab eo & auferetur. Quoquo tamen nomine comminatur ablationem, non erit eius Dei qui nescit comminari, quia non nouit irasci.

a Luc 8. 18. Matth. 13. 12.

DEI BONITAS, ET IVSTITIA. XII. SCHOLIA.

SANE, *&c. Fateor; Christus dixit:* Ego non iudico quemquam. *De Patre dixit:* Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est. *Vel aptius, ironicè loquitur contra Deum Marcionis.* HOC PROBAT. *Patet ironia, cùm locus sequens vtrumque dicat, & bonum qui habenti det, & iustum & vindicem qui tollat habere se putanti.* QVOQVO NOMINE. *Quicumque sit ille Deus, quocumque tandem nomine vocitetur, & cuiuscumque filius sit ille qui minatur, non potest esse filius Dei Marcionis, qui adeo bonus est, vt nec irasci noueris, nec minari. Locus à Tertulliano hic citatus habetur Luc. 8. 18. vbi de semine verbi sic concludit:* Videte ergo quomodo audiatis; *verbum Dei.* Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. *Matth. autem 13. 12.* Et quod habet auferetur ab eo. *Luc. autem 19. 26. vbi de decem minis & seruo nequam mnam suam recondente in sudario; apertè contra Marcionem iudex loquitur:* De ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui, &c. *Sic concludit;* Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit, ab eo autem qui non habet *Syr. qui nihil habet*, & quod habet, auferetur ab eo. Verumtamen inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. *Sic mitissimus, & absque ira & vindicta est Deus & Christus Marcionis, teste ipso Luca, quem solum ex Euangeliis recipit, sed truncae in quibus vult. Hanc Parabolam Nobilis tractat breuiter Aug. to. 4 lib. 2. qq. Euangelic. q. 46. vbi concludit in rem hanc:* Ad hoc pertinent decem & quinque ciuitates, *Scil. ad quinque libros Moysi & decalogum,* Quibus eos præponit. *Qui benè vsi sunt lege data velut nouis & talentis.* Multiplicatio enim intelligentiæ, *Tertull. dixit adiectionem fidei vel intellectus,* In ipsa varietate, quæ de vnoquoque præcepto, vel de vnoquoque libro pullulat, ad vnum redacta, quasi ciuitatem facit viuentium rationum æternarum. Est enim ciuitas, non quorumlibet animantium, sed rationalium, multitudo, legis vnius societate deuincta. Quod autem ab illo qui vti noluit, auferatur quod acceperat, & ei datur qui decem habebat: significatur, & illum posse amittere munus Dei, qui habens non habet, id est non vtitur: & in eo augeri qui habens habet, hoc est benè vtitur. Inimicos ergo suos quos iubet coram se interfici, significat impietatem Iudæorum, qui ad eum conuerti noluerunt. *Quod totum pertinet ad iustum retributorem, & bonum & vindicem. Et eodem to. 4. lib. 2 qq. ad Simplicianum. q. 1. in f. Vbi de Saule primò electo, & Spiritu sancto, & dono Prophetiæ, quasi mna vna pretiosa Dei bonitate donato, postea spiritui maligno per iustitiam tradito; sic concludit.* Non enim & seruus ille non accepit talentum, aut aliquid aliud intelligitur talentum, quàm munus aliquod diuinum? sed qui habet dabitur ei, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo; quod non habet, auferri non potest. Sed aliud non habet, *Scilicet charitatem,* vt meritò auferatur quod habet Non habet charitatem vtendi. *Ad gloriam scil. Dei, & vtilitatem proximi; sed inutiliter tenet clausum talentum. Aut stultè apud se de eo gloriatur, quasi non acceperit,* Vt auferatur quidquid aliud habet, quod sine charitate non prodest. Non igitur mirum est regem Saül & eo tempore quo primùm vnctus est, accepisse spiritum prophetandi, & postea cum esset propter inobedientiam reprobatus, recedente ab eo spiritu Domini, correptum esse spiritu maligno à Domino: qui etiam ipse spiritus Domini appellatus est propter ministerium, quia omnibus etiam spiritibus malis benè vtitur Dominus, vel ad damnationem quorumdam, vel ad emendationem, vel ad probationem: & quamuis non sit malignitas à Domino, non est tamen potestas nisi à Deo. *Vtrobique vides iunctam in Deo nostro Creatore, & bonitatem tribuendi, & vlciscendi iudicandique, & ab indignis data auferendi iustitiam.*

A

B

C

Aug.

Aug.

S. Aug.

13. *Dei Iustitia & bonitas lucet in igne accito & prohibito de cælo. 4. Cont. Marc. cap. 23. in m.*

REpræsentat Creator ignium plagam Helia postulante in illo Pseudopropheta. Agnosco iudicis seueritatem; e contrario, Christi lenitatem, increpantis eandem animaduersionem destinantes discipulos, super illum viculum Samaritarum. Agnoscat & hæreticus ab eodem seueriſſimo iudice promitti hanc Christi lenitatem. a *Non contendet,* inquit, *Nec vox eius in platea audietur. Arundinem quassatam non comminuet, & linum fumigans non extinguet.* Talis vtique multò magis homines non erat crematurus. Nam & tunc ad Heliam, b *Non in igni* (Inquit Dominus) *Sed in spiritu mitti.*

4. Reg. 1. 10. Luc 9. 54. a Esa. 42. 2. b 3. Reg. 19. 12.

Digitized by Google

DEI IVSTITIA, ET BONITAS. XII. SCHOLIA.

REPRÆSENTAT. *Præsentem exhibet. Velit-* A *rum è cœlo recerſit, ſicut iam fecerat Deus in Sodomam, vel ob duos Quinquagenarios igni enocato conſumptos. 4. Reg. 1. Vbi Ochozias lapſus è cancellis, conſuluit Beelzebub, Deum Accaron, vtrum ſurgeret ab infirmitate; cuius nuntiis occurrit Elias ab Angelo monitus; qui graviter eos increpauit, & principem quinquagenarium cum quinquaginta ſuis, & rurſum alium cum ſuis igne cœleſti conſumpſit; ſic enim verſu 10. &* 12. Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de cœlo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo. IN ILLO PSEVDOPROPHETA. *Id eſt propter illum Regem Pſeudoprophetis & oraculis Idolorum credentem. Ita enim ibidem verſu* B *3. Elias ab Angelo monitus dixit Nuntiis Regis Samariæ*; Numquid non eſt Deus in Iſraël, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deũ Accaron? *Ego autem:* Itis inquirere in Baal muſcam Deum Accaron? IVDICIS. *Dei Creatoris miniſtri Elia ſeueritatem.* ANIMADVERSIONEM DESTINANTES *Vindictam paratos exercere, Luc. 9. 54. Cùm Chriſtum non voluiſſent recipere in ciuitatem aliquam ſuam Samaritani, in quam præmiſerat ſuos, vt pararent ſibi neceſſaria*, Syr. vocat pagum Samaritanorum. Non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ieruſalem. *Syr. quòd præ ſe ferret ſpiritum proficiſcentis ad Ouriſchlem, & quidē vt non contaminarentur Iudæi Samaritanis, ſic hi erant odioſi illis, vt ſtuperet Samaritana Chriſtum Iudæum petere à ſe bibere.* Cùm vidiſſent autem diſcipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis deſcendat de cœlo & conſumat illos? *Syr. addit, ſicut & Iliio fecit? id eſt ſicut Elias Sol ſui temporis.* Et conuerſus increpauit illos dicens: neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare. AGNOSCAT HÆRETICVS. *Marcion, videat hanc Chriſti lenitatem à Deo Creatore per Prophetam ſuum Eſaiam longè ante promiſſam. Locum alibi iam retuli.* MVLTO MAGIS, *&c. Qui & calamo quaſſato & lino fumiganti parciturus erat, quantò amplius ab ignibus, in homines, abſtinere debebat.* ET TVNC. *Etiam in lege ignea.* Et in manu eius ignea lex. AD HELIAM. *De quo ſcripſit:* Surrexit Helias tanquam ignis, & Verbum eius quaſi facula ardebat. NON IN IGNI. *Supple Dominus Chriſtus, ſed in ſpiritu manſueto & leni. De Helia & diſcipulorum zelo, iuſtaque vindicta abſque præiudicio bonitatis; ſic Auguſtinus to. 4. lib. 1. de ſer. Do in monte c. 20. à p.* Neque ea vindicta prohibetur, quæ ad correptionem valeat: etiam ipſa enim pertinet ad miſericordiam, &c Sed huic vindictæ referendæ non eſt idoneus, niſi qui odium, quo ſolent flagrare, qui ſe vindicare deſiderant, dilectionis magnitudine ſuperauerit. Non enim metuendum eſt, ne odiſſe paruulum filium parentes videantur, cùm ab eis vapulat peccans, ne peccet vlteriùs: & certè perfectio dilectionis, ipſius Dei Patris imitatione nobis proponitur, cum in ſequentibus dicitur; diligite inimicos veſtros, &c. Et tamen de ipſo dicitur per Prophetam, *Prou. 3. 11.* Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. *Et Paulus, quem admittit Marcion, quis filius quem non corripit Pater? quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes; iam non eſtis filij, ſed adulteri.* Dicit & Dominus, *Luc. 12. 47. quem & Marcion recipit:* Seruus qui neſcit voluntatem Domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit paucis: ſeruus autem qui ſcit voluntatem Domini ſui, & faciens digna plagis, vapulabit multis, &c. *Tum reſumpto exemplo Patris,* Hinc, inquit, apti ſſimum exemplum datur, quo ſatis appareat, poſſe peccatum amore potiùs vindicari, quàm impunitum relinqui: vt illum in quem vindicat, non pœnâ miſerum, ſed correctione beatum velit, &c. Magni autem & ſancti viri, qui iam optimè ſcirent mortem iſtam, quæ animam diſſoluit à corpore, non eſſe formidandam, ſecundùm eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt. quò & viuentibus vtilis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur, non ipſa mors noceret, ſed peccatum quod augeri poſſet, ſi viuerent. Non temerè illi iudicabant, quibus tale iudicium donauerat Deus. Inde eſt quòd Helias multos morte affecit, & propria manu, *3. Reg. 18. 40. poſt ignem de cœlo, eius meritis, ligna aqua perfuſa incendentem, ait Helias, apprehendite Prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendiſſent, duxit eos Helias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi.* 70. *Iugulauit eos ibi.* Et igne diuinitus impetrato: *In duos quinquagenarios,* Cùm & alij multi magni & diuini viri, *Vt infra ſubiicit de Petro morte ſubitâ plectente Ananiam & Saphiram, Paulo inceſtum Corinthium Sathanæ tradente in animæ ſalutem, non ex odio vtique, ſed amore,* eodem ſpiritu, conſulendi rebus humanis, non temerè fecerint: de quo Helia, cùm exemplum dediſſent diſcipuli, *Videndum Aug. cum Tertull. ſequatur verſionem Syriacam,* Domino commemorantes, quid ab eo factum ſit, vt etiam ipſis daret poteſtatem petendi de cœlo ignem ad cõſumendos eos qui ſibi hoſpitium non præberent, reprehendit in eis Dominus, non, *vt vult Marcion,* exemplum Prophetæ ſancti, ſed ignorantiam vindicandi quæ adhuc erat in rudibus: *Quod ipſe docet in Regula faciendum cum amore hominum, & odio vitiorum:* Animaduertens eos non amore correctionem, ſed odio deſiderare vindictam. Itaque poſtea quàm eos docuit, quid eſſet, diligere proximum tanquam ſeipſum, infuſo etiam Spiritu ſancto, quem decem diebus completis poſt Aſcenſionem ſuam, deſuper, vt promiſerat, miſit, non defuerunt tales vindictæ, quamuis multò rariùs, quàm in veteri teſtamento: ibi enim ex maiore parte, ſeruientes timore premebantur, hîc autem maxima dilectione liberi nutriebantur. *Sic Petrus & Paulus poſt acceptum Spiritum Sanctum, ſeueritatem exercuerunt,*

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

Auguſt.

DEI MISERICORDIA SEORSIM CONSIDERATA.

1. *Dei Creatoris, & non Marcionis miſericordia paterna in peccatores. 5. Cont. Marc. cap. 11. in p.*

SI Deus commune vocabulum factum eſt vitio erroris humani, quatenus plures Dei dicuntur atque creduntur in ſeculo, [a] *Benedictus* tamen *Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti* [a] 2. Cor. 1. 3.

Gen.1. per tot. Dan 3. per tot. à v.17.&c. *b* 2. Cor. 1 3. *c* Psal.110. 4. *d* Ion.4.2. & 3.10. 4.Reg.20. 5. 3. Reg.21. 29. 2. Reg 12. 13. *e* Ezech. 33.1.

Pater, Non alius quàm Creator intelligetur, qui & vniuersa benedixit; habes Genesim: Et ab vniuersis benedicitur; habes Danielem. Proinde si pater potest dici sterilis, Dei nullius magis nomine quàm Creatoris; [b] *Misericordiarum* tamen *Pater* idem erit, qui [c] *Misericors, & miserator,* [a] *& misericordiæ plurimus* est dictus: habes apud Ionam cum ipso misericordiæ exemplo, quam Niniuitis exorantibus præstitit, facilis & Ezechiæ fletibus flecti, & Achab marito Iezabelis deprecanti sanguinem ignoscere Nabuthæ, & Dauid agnoscenti delictũ statim indulgere; [e] *Malens*, scilicet, *pœnitentiam peccatoris, quàm mortem*, vtique ex misericordiæ affectu. Si quid tale Marcionis Deus edidit, vel edixit, agnoscam patrem misericordiarum. Si verò ex eo tempore hunc titulum ei adscribit, quo reuelatus, quasi exinde sit pater misericordiarum, quo liberare instituit genus humanum: atquin & nos ex eo tempore negamus illum, ex quo dicitur reuelatus. non potest igitur aliquid ei adscribere, quem tunc ostendit, cùm aliud ei adscribit. Si enim prius contaret eum esse, tunc & adscribi ei potest. Accidens enim est quod adscribitur: accidentia autem antecedit ipsius rei ostensio cui accidunt; maximè cùm iam alterius est, quod adscribitur ei, qui priùs non sit ostensus. tantò magis negabitur esse, quantò per quod adfirmatur esse, eius est, qui iam ostensus est.

DEI MISERICORDIA. I. SCHOLIA.

COMMVNI. *Quoad appellationem, diis Gentilium & Deo vero communem.* VITIO. *Idolatriæ.* BENEDICTVS. *2. Cor. 1. 3.* Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, *Syr. ipse Pater Domini nostri, &c.* Pater misericordiarum, & S.August. Deus totius consolationis, &c. *Aug. in Psal.* 11. Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus, &c. Ita populum suum ipse Dominus in Euangelio miseratus est, quòd rectorem non haberet, cui benè posset obtemperare, &c. Hoc autem ex persona Dei Patris accipiendum est, qui propter inopes & pauperes, id est inopia & paupertate bonorum spiritalium egentes, filium suum dignatus est mittere. Inde autem incipit sermo eius apud Matthæum, in monte: cùm dicit, beati pauperes spiritu, &c. *Deinde vt ostendat, Deum Creatorem Christi Patrem, in eo misso propter pauperes, Patrem esse misericordiarum,* S. August. *subiicit ex Psalte:* Ponam in salutari; non dixit quid ponar, sed in salutari, in Christo accipiendum est, secundum illud; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Et ideo intelligitur, in illo posuisse, quod ad miseriam inopum auferendam, & consolandum gemitum pauperum pertinet. *Hinc etiam Psalles nomine misericordiæ Christum intelligens;* Misit, inquit, Deus misericordiam suam. *Psal. 56. 5. in quem locum Aug.* S. August. Misit de cœlo & saluum fecit me. Quid misit de cœlo? quem misit de cœlo? Angelum misit vt saluum faceret Christum, & per seruum saluus fieret Dominus? omnes enim Angeli creatura seruiens Christo est Ad obsequium mitti potuerunt Angeli, ad seruitium mitti potuerunt, non ad adiutorium: sicut scriptum est, quòd Angeli ministrabant ei, non tanquam misericordes indigenti, sed tanquam subiecti omnipotenti. *Aduerte hîc, vt frequenter in Psalmis, Augustinum notare, Christum induci à Psalte loquentem in humana natura, vt hoc psalmo dum ait:* Miserere mei Deus miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, Christus, inquit, in passione dicit, miserere mei Deus. Deo Deus dicit, *Filius misericordiæ Patri misericordiarum* Miserere mei. Qui cum Patre misereretur tui, in te, *In natura tua humana,* clamat, miserere mei Etenim quòd de illo clamat, miserere mei, tuum est. A te hoc accepit, propter te liberandum, carne indutus est. Caro ipsa clamat, miserere mei Deus, miserere mei. Homo ipse anima est, & Caro. Totum enim hominem susceperat Verbum, & totus homo factus est Verbum. *Cùm autem Deus Pater, vt & Deus Verbum, propriè misericordiam habere non posset, quia non potest habere cor miserum, quia est summum bonum & summè beatum, vt Pater posset esse misericordiarum, voluit Verbum & filium suum assumpto homine, omnes eius assumere miserias præter ignorantiam & peccatum, vt iuxta Paulum,* Non haberemus Pontificem qui nesciat compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia: *Vt ex miseriis experiis disceret compati & condolere; vt sicut,* didicit ex his quæ passus est, obedientiam; *Sic disceret & misericordiam. Vt autem Verbum æquale Patri, è miseriis hominem suâ potentiâ eriperet; inde Augustinus ibidem.* Dixit August. ipse Dominus Io. 17. 2. Dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne *Syr. quotquot*, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Numquid in solam carnem acceperat potestatem, & non maximè in animas quas primitus liberabat? ergo ibi erat anima, ibi erat caro, ibi totus homo: totus homo cum Verbo, & Verbum cum homine, & homo & Verbum vnus homo, & Verbum & homo vnus Deus. Dicat ergo miserere mei Deus, miserere mei. Non expauescamus voces petentis misericordiam, & exhibentis. Ideo enim petit, *Idem ipse Deus homo in vnitatem personæ, ob vnitatem capitis & corporis,* Quia exhibet. Ad hoc enim homo, quia misericors, *Hebr. 2. 17. Nusquam Angelos apprehendit, vtpote beatos & incapaces miseriæ, sed semen Abrahæ apprehendit; Syr. assumpsit. Vnde debuit per omnia fratribus similari vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret, Syr. expiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est, idem ipse scilicet vt Deus, & eis qui tentantur, auxiliari,* Non vt conditionis necessitate nasceretur, sed vt nos de conditione necessitatis liberaret. August. *Quod autem supra de Angelo non misso de cœlo ad miserendum homini dixerat, sic prosequitur Aug. ibidem:* August. Quid ergo misit de cœlo, & saluum fecit me? modò audiemus in alio versu, quid de cœlo miserit; Misit de cœlo misericordiam suam & veritatem suam. Ad quam rem? & eruit animam meam de medio catulorum leonum, &c. Missa est misericordia: ipsum Christum inuenimus, & misericordiam & veritatem Misericordiam nobis compatientem, & veritatem nobis retribuentem. *Sic misericordia & veritas in vnum concurrerunt Christum, vt vera eius nobis compateretur humanitas, & vera nostris miseriis subueniret diuinitas. Et per hoc Pater Domini nostri Iesu Christi nostris miseriis misericordis, Pater misericordia-*

Digitized by Google

rum iure merito appellãdum. Qui & benedictus & benedicẽdus est, qui & creaturis propter hominẽ benedixit, & à creaturis sibi subiectis suo more benedicitur. Apud Dan. 3 à vers. 57 & deinceps. Aug in Psal. 148. Vbi etiã Psaltes tribus pueris accinit, omnes Creaturas cohortans ad laudandum Deum: Cùm Angelos, & homines solos laudis capaces, vt intelligentiæ, dixisset; sic concludit: Sunt alia quæ spiritum vitæ & intellectum ad laudandum Deum non habent; sed quia & ipsa bona sunt, & in ordine suo integrè disposita sunt, & ad pulchritudinem vniuersitatis referuntur, quam condidit Deus, ipsa quidem per se voce sua, & corde suo non laudant Deum: sed cùm ab intelligentibus considerantur, per ipsa laudatur Deus: & cùm per ipsa laudatur Deus, quodammodo & ipsa laudant Deum. *De misericordia autem in homines superabundanti, pra cunctis ab homine creaturis benedicendus est, & sicut acceptâ benedictione Dei, inter creaturas crementi & multiplicationis capaces, subtiliter notauit Augustinus lib. 13 Confess. c. 24. Solis piscibus & homini, cum benedictione adiunctum:* Crescite & multiplicamini. *Crediderim ego, dicente Abacuc;* Facies homines sicut pisces maris, *Et Tertulliano nostro lib. de Baptismo c. 1.* Nos pisciculi secundùm ἰχθὺν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur; *Et homines rationales ob prærogatiuas naturæ, & Christianos ob priuilegia gratiæ, quibus à miseriis peccati secundùm magnam misericordiam Dei eruimur, à piscibus malis, in litore resurrectionis proiiciendis, in vasa colligendi; & ad* aquas quæ super cœlos sunt, ad torrentẽ voluptatis, ad fluuiũ Christallinũ Apocalypsis, ad fluminis impetum lætificantem ciuitatem Dei, adfontem gratiæ salientis in vitam æternã, *cum delphino Paradisi. Ex multiplicatione itaque donorum, multiplices miserias nostras languoresque curantium, in laudibus Dei crescere, in benedictionibus multiplicari debemus. Cum Psalte ergo vtrumque iungamus, petentes Dei misericordiam, & benedictionem; benedictionem & laudem rependamus, ex ea rursum benedicendi, & multiplicandi. Psal. 66.* Deus misereatur nostri, & benedicat nobis. *In quem locum Aug.* Benedicat anima nostra Dominum, & Deus benedicat nos. Cùm benedicit nos Deus, nos crescimus: & cùm nos benedicimus Dominum, crescimus: Vtrumque nobis prodest. Nõ augetur ille benedictione nostra, nec minuitur maledictione nostra. Qui maledicit Domino, ipse minuitur: qui benedicit Dominũ, ipse augetur. Prior est in nobis benedictio Domini, & consequens est, vt & nos benedicamus Dominum. Illa pluuia, iste fructus est. Ergo redditur tanquam fructus agricolæ Deo compluenti nos & colenti. Cantemus ista, deuotione non sterili, non inani voce, sed vero corde. S. Aug. S. Aug.

PATER STERILIS. *Si, inquit, Deus Marcionis prorsus sterilis, vtpote qui nullam omnino produxit Creaturam, Pater tamen ab ipso appellatur, & locus Pauli de Patre misericordiarum illis applicatur; constat hoc nomen Patris longè melius conuenire Deo nostro Creatori.* IDEM TAMEN PATER, *Non diuersus ab eo qui in veteris Testamento Deus misericordiarum toties appellatur, & miserandi affectibus, & subueniendi effectibus comprobatur.* PRÆSTITIT. Hinc dictus præstabilis super malitia. *Et hic Ionæ 4. 2.* Scio quia tu Deus clemens & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. *70.* Agens pœnitentiam super malitiis. NABVTHÆ Naboth. REVELATVS. *Supple est.* ADSCRIBITVR. *Attribuitur rei iam existenti.* IAM ALTERIVS EST. *Constat iam ad alterum Deum pertinere, id quod frustra & stultè Deo nouo tribuitur.* QVANTÒ PER QVOD. *Supple id per quod.*

Ephes. 33. 11. Oseæ. 6. 6. Ionæ 3. 10. 4. Reg. 20. 5. Dan. 4. 34. 1. Reg. 14. 45. 2 Reg. 11. 13.

2. *Dei misericordia & patientia peccatores ad pœnitentiam expectat & recipit.*
2. Cont. Marc. cap. 17. à. p.

ILla patientia quæ expectat, *Pœnitentiam potiùs peccatoris, quàm mortem; & mauult misericordiam, quàm sacrificium;* Auertens iam destinatum exitium Niniuitis; & largiens spatium vitæ Ezechiæ lacrymis; & restituens statum regni Babylonis, tyranno pœnitentiam functo. Illam dico misericordiam, quæ & filium Saülis moriturum, ex deuotione, populo concessit: & Dauid, delicta in domum Vriæ confessum, veniâ liberauit: & ipsum Israël toties restituit, quoties iudicauit; toties refouit, quoties & increpuit. Non solum igitur iudicem aspiciens, conuertere & ad optimi exempla. notans quum vlciscitur, considera quam indulget. Repende austeritati lenitatem: quum vtrumque conueneris in Creatore, inuenies in eo & illud, propter quod alterum Deum credis.

DEI MISERICORDIA II. SCHOLIA.

QVÆ EXPECTAT. *Sic Paulus.* Patientia Dei ad pœnitentiam te adducit. *Nec tantùm expectat, sed & præuenit. Psal. 58.* Deus susceptor meus, misericordia eius præueniet me. *In quem locum Augustinus:* Hoc est, inquit, ante omnia merita mea bona, præuenit me misericordia ipsius, & si nihil in me boni inuenerit, ipse me facit bonum, & ipse iustificat conuersum, & ipse admonet, vt conuertatur auersus. Deus meus, inquit, iterum, demonstrauit mihi in inimicis meis. *Vulgata, ostendet mihi super inimicos meos,* Id est quãtùm me diligat, quantúmque mihi largiatur de bonitate sua, ex comparatione inimicorum meorùm mihi ostendit: quia cum sint ex vna massa, vasa iræ, & vasa misericordiæ; *Qua vt ait Paulus, in rem Tertulliani dicentis patientiam expectare, sustinuisse in multa patientia.* Per vasa iræ, discunt vasa misericordiæ, quantùm illis Deus largiatur boni. SPATIVM VITÆ. *Quindecim scil. annorum. 4. Reg. 20. 5.* Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: *Hebr. habetur, vidi lacrymam tuam.* Et ecce sanaui te, die tertio ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te. *De quo sic breuiter Aug. & de portento Solis retrocedentis, lib. 21. de Ciuit. c. 8.* In diuinis libris legimus, etiam Solem ipsum, & stetisse, cùm hoc à Domino Deo petiuisset vir Sanctus Iesus Naue, donec cœptum prælium victoriâ terminaret; & retrorsum rediisse, vt Regi Ezechiæ quindecim anni ad viuendum additi, hoc etiam prodigio promissioni Dei, significarentur, adiuncto. TYRANNO, *Nabuchodonosor.* POENITENTIAM FVNCTO. *Pro,* Pœnitentia. RESTITVENS. *Dum scil. à statu bestiæ, in*

Aug. Aug. S. Augustin

humanum restituit ipsum Regem. FILIVM SAVLIS. A *Ionatham.* EX DEVOTIONE. *Vel quòd Saul voverat, & obstrinxerat omnem populum, absque restrictione proprij filij, ad exactissimum ieiunium. vel quia denouerat ipsum Ionatham morti sub iuramento dicens.* 1. *Reg.* 14. 44. Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha. *Vel tandem quia deuotio populi pro eo orantis eum liberauit. Dixit enim populus etiam iurans, versu* 45. Viuit Dominus si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie. IN DOMVM VRIÆ. *In familiam; vel quòd vt operiret adulterium, misérit eum in domum suam, sequente etiam cibo regio, quo eum ad actum coniugalem prouocaret. Sine, quod prima vxor mundi Eua, domui & edificio comparetur:* Ædificauit Deus costam in mulierem. *Sic peccauit Dauid in domum Vriæ. id. vxorem.* VENIA LIBERAVIT. *De hac misericordia, in qua simul & iudicem, & Patrem se esse misericordem, Creator probauit. sic Aug. to. 7. lib. 2. de peccat. meritis c. 34. in f.* S. August. Tale aliquid nobis insinuatum est de Patriarcha Dauid, in libro regnorum; ad quem Propheta cùm missus esset, eique propter peccatum quod commiserat, euentura mala ex iracundia Dei comminaretur, confessione peccati veniam meruit, respondente Propheta; quòd illud ei flagitium facinusque remissum sit: Et tamen consecuta sunt, quæ Deus fuerat comminatus; vt sic humiliaretur à filio; *Sius nato ex illo primo concubitu ex Betsabea,* C *siue quòd Ammon filius eius, vt sequenti capite 13. lib. 2. Reg. narratur, Thamar sororem oppresserit, concubinas Patris subegerit Absalon, 2. Reg. 16. 22. tetenderunt Absalon tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israel, sicuti minatus fuerat Nathan 2. Reg. 12. 11. & 12. & in ipsum Dauid Patrem insurrexit:* Quare & hîc non dicitur, S. August. si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimisso peccato, quod erat minatus, impleuit: Nisi quia rectissimè, si dictum fuerit, respondebitur, remissionem illam peccati factam, ne homo à percipienda vita impediretur æterna: Subsecutum verò illius comminationis effectum, vt pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur? sic & mortem corporis, propter hoc peccatum, *Originale scil.* Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem, propter exercendam iustitiam non ademit. *Et to. 6. lib. 22. Cont.* August. *Faustum c. 67.* Quid aliud quàm cordis eius profunda, *Dauidis scilicet,* cernebat spiritus Dei, quando correptus per Prophetam dixit, peccaui: continuòque ad hoc vnũ verbum audire meruit, quòd acceperit veniam? ad quam rem nisi ad sempiternam salutem? neque enim prætermissa est in illo secundùm Dei comminationem, flagelli paterni disciplina, vt & confessus, in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Haud verò mediocre fidei robur fuit, aut paruum mitis & obedientis animi indicium, cùm audisset à Propheta, quòd sibi Deus ignouisset, & tamen quæ fuerat comminatus consequenter euenissent, non se dicere Prophetæ deceptum esse mendacio, nec murmurare aduersùs Deum, quasi falsam peccatorum eius indulgentiam pronuntiauerit. Intelligebat enim vir altè Sanctus, & non contra Deum, sed ad Deum leuans animam suã, nisi Dominus esset confitenti pœnitentique propitius, quantùm pœnarum æternarum eius essent digna peccata, pro quibus, cùm temporalibus emendationibus vteretur, videbat erga se, & manere veniam, & non negligi medicinam. CONVERTERE. *O Marcion, ex altera parte respice etiam tot exempla misericordiæ. quibus Deus Creator optimum se esse testatus est.* NOTANS. *Nota seueritatis inurens, & quasi malum ex seueritate respuens.* REPENDE. *Compensa vnum pro altero fac respondere ex aduerso, seueritati lenitatem.* CONVENERIS. *Simul inueneris misericordiam & iustitiam; vel quasi coram iudice, si quis diuinorum est arbiter, de duobus diis, nostro Creatore, iusto & bono, & tuo nouo tantummodo bono, lis orta sit; cùm videris iuxta Psalten, quòd* Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt, *Hoc est in vno Deo Creatore concurrunt; agnosces in eo summam illam bonitatem, propter quam Deum illum nouum tuum confixisti.*

3. *Dei misericordiæ præsumptio, illecebra est peccati. De pudic. cap. 9. à p.*

QVis timebit prodigere, quod habebit postea recuperare? Quis curabit perpetuò conseruare, quod non perpetuò poterit amittere? securitas delicti, etiam libido est eius.

4. *Et de pœnit. cap. 6. in m.*

QVidam autem sic opinantur: quasi Deus necesse habeat præstare etiam indignis, quod spopondit, & liberalitatem eius faciunt seruitutem. Quòd si necessitate nobis symbolum mortis indulget, ergo inuitus facit. Quis enim permittit permansurum, id quod tribuerit inuitus? non enim multi postea excidunt? non à multis donum illud auferetur? Hi sunt scilicet, qui obrepunt: qui pœnitentiæ fidem aggressi, super arenas domum ruituram collocant.

DEI MISERICORDIA. III. & IV. SCHOL.

PRODIGERE. *Profusè dissipare.* QVOD HABEBIT, *Quod poterit facilè recuperare.* NON PERPETVO, *Cuius recuperandi spem non amisit, sed quoties voluerit, poterit.* LIBIDO. *Irritamentum. De* S. August. *quo sic Augustinus lib. 22. Cont. Faustum. c. 97. vbi refert abutentes exemplo misericordiæ datæ Dauid:* Numquid nam ergo, si quisquam legens factum Dauid, cuius eum, Domino arguente ac minante pœnituit, inde sibi ad peccandum fomitem præbeat, illa scriptura culpanda est: ac non tantò seuerius ille D damnandus, quantò potius ad se vulnerandum, aut occidendum, abuti voluit ea re, quæ ad sanandum liberandumque conscripta est? quia enim homines in peccatum lapsi, vel superbiâ negligunt pœnitentiæ medicinam, vel recipiendæ salutis, veniæque promerendæ diffidentiâ penitùs pereunt, de tanto viro exemplum propositum est, quo sanantur ægroti, non quo hi qui sani sunt, saucientur. Neque enim Medicinæ vitium est, si vel insani seipsos, ve maligni alios ferramentis medicinalibus perimant!

Nec.

Nec culpanda Dei misericordia, si eâ abutentes & præsumentes, in peccatis perseuerent.

4. QVOD SPOPONDIT. *promisit Deus veniã pœnitenti, sed non fictè, sedverè pœnitenti. Agit hic Tertull. de pœnitentia prauia baptismo adultorum; & arguit fictè pœnitentes, qui præsumebant Deum quasi seruum, vi promissi sui quo spopondit:* Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; *Quasi teneatur, vi baptismi dare gratiam, de peccatis actualibus non pœnitenti.* NECESSITATE. *Quasi coactus & inuitus Deus vi promissi teneatur saluare impœnitentem.* SYMBOLVM MORTIS. *Obligationem & chirographum peccati. Vel baptismum ipsum, quod signum est mortis & sepulturæ Christi, de quo sic Paulus:* Consepulti Christo in baptismo, &c. Vt mortui peccatis, iustitiæ viuamus. QVIS ENIM. *Quis autem.* PERMITIT PERMANERE. *Etsi, inquit, vi baptismi fidem dederit inuitus, quomodo permittes & sinet in* EA *permanere eâ abstentem, qui tanto grauius peccat in Deum, quanto fidei donum accepit, quo debebat renuntiare mortuis operibus & seruire Deo viuenti.* EXCIDVNT. *A fide Apostatæ.* OBREPVNT. *Quasi serpentes dolosè & fictè pedibus Episcoporum, Sacerdotum, fratrum adrepentes, vt inuadant dolo baptismum, nec peccata relinquere volunt ex præsumptione misericordiæ, & præsumptâ impunitate peccati.* PŒNITENTIÆ FIDEM, *&c. Loquitur de pœnitentia baptismo præuia, qua fidem sibi apud Ecclesiam pariebant, & veluti testabantur se vere renuntiare peccato, & fideles futuros & stabiles in fide & bonis moribus Christiano dignis.* SVPER ARENAS, *Levia & inconstantia promissa, domum fidei collapsuram, non in petra firmi propositi ædificant permansuram. Contrà huiusmodi præsumentes præclarè agit Augustinus in Psal. 77. in verba:* Et dilexerunt eum in ore suo, & August. A linguâ suâ mentiti sunt ei Cor. autem ipsorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius. Aliud in lingua eorum, aliud in corde eorum inueniebat, cui secreta hominum nuda sunt, &c. In his verbis multi sibi iniquitatis impunitatem de diuina misericordia pollicentur, etiamsi tales esse perstiterint, qualis generatio ista describitur, prauа & amaricans, quæ cor non direxit suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius, quibus consentire non expedit. Si enim, vt secundùm ipsos loquar, Deus fortasse non perdet nec malos, sine dubio non perdet bonos. Cur ergo non potiùs id eligimus, vbi dubitatio nulla est? Nam qui in lingua sua mentiuntur illi, cùm aliud habeat cor eorum; putant vtique & volunt, quando pœnam æternam talibus comminatur, etiam Deum esse mendacem. Sed cùm ipsi eum mentiendo non fallant, ille verum dicendo, non fallit. *Et* S. August. *in Psal. 61.* Multùm ad nos pertinent hæc duo, quoniam potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, &c. Potestatem eius timete, misericordiam eius amate. Nec sic de misericordia eius præsumatis, vt potestatem contemnatis: Nec sic potestatem timeatis, vt de misericordia desperetis, &c. *Et in Psal. 44. in versum* Virga directionis virga regni tui: Nemo sibi multum de misericordia Dei blandiatur: virga directionis est. Numquid dicimus non esse misericordem Deum? Quid misericordius eo qui parcit tantùm peccatoribus, & qui in omnibus conuersis ad se, non curat præterita? sic eum dilige misericordem, vt velis esse veracem. Non enim misericordia potest illi auferre iustitiam, neque iustitia misericordiam. Interim quamdiu ille differt, tu noli differre, quoniam virga directionis virga regni ipsius. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. S. August.

DEI IVSTITIA SEORSIM SPECTATA.

1. *Dei iustitia, si vindictam non sumeret de peccatis, eam prohibens homini, omni violentiæ viam pandaret. 4. Cont. Marc. cap. 16. à p.*

SI in ipsam rationem patientiæ præcipiendæ, & quidem tam plenæ atque perfectæ, consideremus, non consistet, si non est Creatoris, qui vindictam repromittit, qui iudicem præstat. Alioquin, si tantùm patientiæ pondus, non modò non repercutiendi, sed & aliam maxillam præbendi; & non modò non remaledicendi, sed etiam benedicendi; & non modò non retinendi tunicam, sed ampliùs & pallium concedendi, is mihi imponit, qui non sit me defensurus; in vacuum patientiam præcepit, non exhibens mihi mercedem præcepti; patientiæ dico fructum, quod est vltio; quam mihi permisisse debuerat, si ipse non præstat; aut si mihi non permittebat, ipse præstare. Quoniam & disciplinæ interest, iniuriam vindicari. metu enim vltionis, omnis iniquitas refrenatur. ceterùm, passim emissâ libertate dominabitur; vtrumque oculum effossura, & omnem dentem excitatura præ impunitatis securitate. Sed hoc est Dei optimi, & tantùm boni, patientiæ iniuriam facere, violentiæ ianuam pandere, probos non defendere, improbos non coërcere. Luc. 6. 28. & seq.

DEVS IVSTITIA SEORSIM. I. SCHOLIA.

PRÆCIPIENDÆ. *Si quæras; Cur Deus præceperit nobis in nova lege tam exactam perfectamque patientiam, Luc. 6. 28. vt alibi vidimus, non inuenies rationem veram & stabilem apud Deum Marcionis, sed apud solum Deum Creatorem, qui officium veri & boni iudicis implet, quique dum nos vlciscì proprias iniurias prohibet, vltorem se exactissimum & vindicem fore promittit.* Mihi vindictam & ego reddam in tempore. PATIENTIÆ PONDVS. *Propriè, grauat enim hoc onus, nisi speretur patientiæ retributio ab eo, cui vindicta faciendæ relinquitur. Quis aliàs non succumbat huic oneri imposito, non tantùm abstinendi ab vltione, sed & reddendi bonum pro malo, alteram maxillam præbendi, præter ablatam tunicam & pallium dimittendi, si non esset Deus Iudex & vindex?* DISCIPLINÆ INTERIST. *Non potest fieri, absque dispendio regiminis, & pacis reipublicæ humanæ; in qua si Deus ipse summus Iudex, tam per se quàm per iudices, crimina impunita reliquat; effusis habenis debacchabitur iniquitas, quæ metu vltionis & vindictæ veluti habenâ frenatur.* VTRVM QVE OCVLVM. *Alludit ad legem talionis in veteri lege, de qua alibi; cuius metu, ne vnum quidem oculum effodere, aut dentem pugno excutere timebant, ne quis oculum pro*

cula, & dentem pro dente reddere cogeretur. HOC A EST DEI OPTIMI, *Marcionis scil. pro impunitatis securitate, patientiam omni iniuria exponere, & viam pandere omni violentia & crimini. Accipite Augustinum directè in hanc rem, lib. 4. de Ciuit. cap. 4.*

S. August. Remotâ iustitiâ, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt nisi parua regna? manus etenim ipsa hominum est, cùm imperio principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda diuiditur. Hoc malum, si in tantùm perditorum hominum accessibus crescit, vt & loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiuget, euidentiùs regni nomen assumit, quod ei iam in manifesto confert, non B adempta cupiditas, sed addita impunitas. Eleganter enim & veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cùm idem rex hominē interrogasset, quid ei videretur, vt mare haberet infestum? ille liberâ contumaciâ, quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, Imperator. *Sic absque iustitiâ, regna & imperia ipsa magna latrocinia sunt, patente portâ omnibus violentiis. Et lib. 2. cap. 21. circa finem vbi de Romana Republica.* Viderint laudatores eius, etiam illis antiquis viris & moribus qualis fuerit, vtrùm in ea August. vigenerit vera iustitia, an fortè nec tunc fuerit vius moribus, sed picta coloribus, &c. Verā autem iustitia non est, nisi in ea Republica, cuius conditor, rectorque Christus est: *Qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum, quique & spe mercedis, & metu pœna veriusque æterna, suos ciues arcet à vitiis* August. *& ad virtutes impellit:* Et si ipsam rempublicet dicere, quoniam eam rem populi esse, negare non possumus. Si autem hoc nomen quod alibi aliterque vulgatum est, ab vsu nostro locutionis est fortè remotius, in ea certè ciuitate est vera iustitia, de qua Scriptura Sancta dicit: gloriosa de te dicta sunt ciuitas Dei.

2. Dei iustitia pœnas recto ordine infligit absque malitia. 2. Cont. Marc. cap. 14. in. m.

a Math. 7. 18. ET, quia Marcion defendit a *Arborem bonam malos quoque fructus non licere producere.* Sed malitiam tamen nominauit, quod optimus non capit. numquid aliqua interpretatio subest, etiam earum malitiarum intelligendarum, quæ possint & in optimum decucurrisse? Subest autem. Dicimus denique malitiam nunc significari, non quæ ad naturam redigatur Creatoris, quasi mali, sed quæ ad potestatem quasi iudicis; secundùm quam enun-

b Esa. 45. 7. c Hier. 18. 11. tiarit, b *Ego sum qui condo mala. &*, c *Ecce ego emitto in vos mala.* Non peccatoria, sed victoria. quorum satis diluimus infamiam, vt congruentium iudici. Sicut autem, licet male dicantur, non reprehenduntur in iudice; nec hoc nomine suo malum iudicem ostendunt: Ita & malitia hæc erit intelligenda nunc, quæ ex illis malis iudiciariis deputata, cum ipsis competat iudici. Nam & apud Græcos interdum malitiæ pro vexationibus & læsuris, non pro malignitatibus ponuntur, sicut & in isto articulo.

DEI IVSTITIA SEORSIM. II. SCHOLIA.

DEFENDIT. *Asserit de Deo suo bono per arborem bonam significato, qui proinde fructus malos pœna & vindicta non possit producere, tanquam sè indignos, & suo genio repugnantes: Vnde & vult Marcion per malam arborem malos vindicta fructus ferentem, intelligi Deum malum Creatorem.* NON LICERE. *Non posse.* SED MALITIAM TAMEN. *Ironicè se corrigit Tertullianus, quasi diceret; admitto, fateor, vt alibi vidimus, Deum nostrum pœnitet, de malitia quam cogitauerat facere peccantibus, quam ignoscit pœnitentibus; sed distinguenda malitia est, pœna iustè inflicta, à malitia peccati. De quo iam dictum alibi.* OPTIMVS. *Deus Marcionis.* NON HABET. *Non est capax. Vel ex sensu Marcionis, si Deus Creator optimus esset, de eo fructus malitia non prodiret.* DECVCVRRISSE. *Fluxisse, quæ potuerunt cadere in Deum optimum, eique conuenire.* ECCE EGO *Ierem. 18. 11.* Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem: reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras & studia vestra. INFAMIAM. *Quam inde voluistis aspergere Creatori; scil. 2. Cont. Marc. cap. 16. vt titulo sequenti patet.* DEPVTATA. *Inter illa mala pœna à iudice inflicta computantur.* APVD GRÆCOS. *De hoc, iam alibi dicta non repeto.* Quòd *Deus Creator iustitiæ plectens, & virgâ corrigens, malus non*

S. August. *sit, & peruersus, sed rectus, præclarè docet Aug. in Psal. 44. in versum, virga directionis virga regni tui:* Directionis virga est, quæ dirigit homines, curui erant, distorti erant, sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua mala diligebant, non voluntatem suam C Deo subdebant, sed voluntatem Dei ad suas concupiscentias flectere volebant. Irascitur enim peccator, & iniquus, plerumque Deo, quia non pluit, & non vult sibi Deum irasci, quia fluit. *Id est, in illicita fluxu concupiscentiæ labitur.* Et ad hoc propemodum sedent quotidiè homines, vt disputent contra Deum: hoc facere debuit: hoc non benè fecit. *Maximè dum ipsi morbo vel damno aliquo tan-* August. *quentur.* Tu videlicet vides quid facias, ille nescit? Distortus tu es, ille rectus est. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Distortum ad rectum quando coniungis? collimari non potest. Tanquam si in pauimento æquali ponas lignum curuum, non adiungitur, non cohæret, non coaptatur pauimento. Pauimentum vbique æquale est, sed illud curuum est, non coaptatur æquali. Ergo Dei volũtas æqualis est. *Æqua, iusta, recta* Tua curua est. Propterea tibi curua videtur illa, quia tu illi coaptari non potes; dirigere ad illam, tene illam. Nam si illam velis curuare ad te, quia non potes, frustra conaris. Illa semper directa est. Vis illi hærere? corrigere. Erit virga ipsius qui te regit, virga directionis. Inde & rex à regendo dicitur. Non autem regit qui non corrigit. Ad hoc est rex noster rectorum rex, quomodo & sacerdos à sanctificãdo nos, ita & rex à regendo nos. *Hinc Psal. 71 tanquam vero regi postulat à Patre iusto rege iustitiam. Deus iudicium tuum* August. *regi da, & iustitiam tuam filio regis.* Sed quid ait alio loco? cum sancto sanctus eris; & cum viro innocente innocens eris. Et cum electo, electus eris; & cum peruerso, peruersus eris: non quia peruer-

sus Deus, sed quia peruersi, peruersum eum putant. Placet tibi bonum, bonus est Deus; displiceat tibi, quasi prauus est Deus. Curuus est ad te, *respectu tui, in tua æstimatione*, Tua curuatura facit hoc; nam illius rectitudo semper manet. Audi in alio Psalmo. Quàm bonus Deus Israël rectis corde! virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, &c. Vide virgam directionis, dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatẽ. Accede ad istam virgam. Sit tibi Rex Christus: regat te virga ista, ne frangat te. Virga enim ferrea est illa inflexibilis. Et quid dictum est? Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli conteres eos. Alios regit, alios conterit; regit spiritales, conterit carnales, &c. dilexisti iustitiam, &c. Vide quomodo illi iam incipias conA iungi; cùm odisti quod odit. Peccatum puniturus est, quia virga directionis est, virga regni ipsius. Sed non potest vt non puniat peccatum. Puniendum est peccatum: si puniendum non esset; nec peccatum esset. Præueni illum: non vis vt ipse puniat, tu puni. Ideò enim adhuc ipse parcit, differt, tenet manum, arcum intendit, hoc est minas. *Et pœne temporales actualiter infligere, minæ sunt æternarum*, Clamaret tantùm, feriturum se, si vellet ferire? differt ergo manum à peccatis tuis, tu noli differre. Conuerte te ad punienda peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergo erit, aut à te, aut ab ipso. Tu agnosce, vt ille ignoscat.

3. *Dei iustitia quomodo iniquitatem Patrum exigit de filiis: & quomodo eius seueritas, immò & ipsa instrumenta iustitiæ bona sint. 2. Cont. Marc. cap. 15. à p. ad f. & 16. in p.*

NOlite reprehendere iudicem, sed reuincite malum iudicem. Nam etsi patrum delicta ex filiis exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, vt vel posteritatibus suis prospicientes, legi diuinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quàm suam curet? Sed etsi benedictio patrum, semini quoque eorum destinabatur, sine vllo adhuc merito eius; cur non & reatus Patrum in filios quoque redundaret? Sicut gratia, ita & offensa: vt per totum genus & gratia decurreret, & offensa. saluo eo quod postea decerni habebat: Non dicturos [a] *Acidam vuam patres manducasse, & filiorum dentes obstupuisse*; id est, *Non sumpturum patrem delictum filij, nec filium delictum patris; sed vnumquemque delicti sui reum futurum*, Vt post duritiam populi, duritiâ legis edomitâ, iustitia iam non genus, sed personas iudicaret. Quamquam si Euangelium veritatis accipias, ad quos pertineat sententia reddentis in filios patrum delicta, cognosces. ad illos scilicet qui hanc vltro sibi sententiam fuerant irrogaturi, [b] *Sanguis illius super capita nostra, & filiorum nostrorum.* Hoc itaque omnis prouidentia Dei censuit, quod iam audierat. Bona igitur & seueritas, quia iusta, si bonus iudex, id est iustus. Item cetera bona, per quæ opus bonum curritbonæ seueritatis, siue ira, siue æmulatio, siuè sæuitia. Debita enim omnia hæc sunt seueritati, sicut seueritas, debitum est iustitiæ. Vindicanda erit procacitas ætatis verecundiam debentis. Atque ita non poterunt iudici exprobrari, quæ iudici accedunt, carentia & ipsa culpa, sicut & iudex. Quid enim; si medicum quidem dicas esse debere, ferramenta verò eius accuses, quòd secent, & inurant, & amputent, & constrictent? quando sine instrumento artis, medicus esse non possit. Sed accusa malè secantem, importunè amputantem, temerè inurentem, atque ita ferramenta quoque eius, vt mala ministeria, reprehende. Proinde est enim, cùm Deum quidem iudicem admittis, eos verò motus & sensus, per quos iudicat, destruis.

Exo. 20 5.

Gen. 12 3. Gen. 13. 15. & 16. Gen. 15. 18. Gen. 17. 7. Gen. 18. 18. Hier. 31. 29. [a] Ezech. 18. 2. & 18 19. [b] Matth 27. 25.

CAP. XVI.

4. *Dei iustitia, bonitatis eius protectrix est. 2. Cont. Marc. cap. 17. in p.*

HÆc itaque dispecta, totum ordinem Dei iudicis operarium, & (vt digniùs dixerim) protectorem Catholicæ & summæ illius bonitatis ostendunt: quam semotam à iudiciariis sensibus, & in suo statu puram nolunt Marcionitæ in eodem Deo agnoscere, P*luentem super bonos & malos, & solem suum oriri facientem super iustos & iniustos*: Quod alius Deus omnino non præstat. Nam etsi hoc quoque testimonium Christi in Creatorem Marcion de Euangelio eradere ausus est, sed ipse mundus inscriptus est, & omni à conscientia legitur: & erit hæc ipsa patientia Creatoris in iudicium Marcionis.

Matth. 5. 45.

DEI IVSTITIA SEORSIM. III. IV. SCHOLIA.

COMPVLERAT. *Prouocarat.* MAGIS FILIORVM. *Vnde Noë acerbius vltus est procacitatem filij sui Cham, maledicendo Chanaam filium eius quàm si ipsi imprecatus esset.* BENEDICTIO PATRVM. *Tota Genesis testatur, filios in parentibus benedictos.* SICVT GRATIA. *Id est benedictio Patrum.* ET OFFENSA. *Peccatum eorum, in filios quoad pœnam redundabat.* SALVO EO. *Absque præiudicio proprij meriti vel peccati singulorum, cui Deus iustus iudex proprium præmium vel supplicium* B *constituerat.* NON DICTVROS. *Id referendum in præcedentia licet remota, vbi ait,* In filios quoque, &c. *Qui propriis conniti delictis, ob eaque puniti, non poterant dicere quod aliàs pœnam Patrum portantes dicebant. Ierem. 31. 29.* In diebus illis non dicent vltra, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. NON SVMPTVRVM PATREM. *Id est portaturum pœnam, Ezech. 18. 2.* Quid est hoc quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud in terram Israël, dicentes: Patres

ed by Google

comederunt vuam acerbam, &c. Viuo ego dicit Dominus Deus, si erit vltra vobis parabola hæc in prouerbiũ in Israël. Ecce omnes animæ meę sunt: vt anima Patris, ita & anima filij mea est. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. *Et rursum versu* 20. Filius nõ portabit iniquitatẽ Patris, & Pater non portabit iniquitatem filij. 70. *Non accipiet iniquitatem.* Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. AD ILLOS. *Scil. Iudæos.* SANGVIS ILLIVS. *Matth. 27. 25.* Sanguis eius super nos & super filios nostros. HOC CENSVIT. *Velut censor & Iudex sententiam tulit.* IAM AVDIERAT. *Sicut enim* Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: *Sic audit quæ adhuc dicta non sunt. Vnde dicè & profundè loquens, subiicit:* OMNIS PROVIDENTIA; *Quasi diceret, omnis rei futuræ præscientia. Sicut &* Auris zeli audit omnia *dicenda necdum dicta.* CVRRIT. *Exercetur.* VINDICANDA ERIT. *Iudici & Patri.* PROCACITAS ÆTATIS. *Id est filij protervi & procaces, qui ex verecundia honorem parentibus, vt iuuenes senibus exhibere debent. Vnde & Noë iustè Cham procacem maledixit, & Elisæus in pueros caluitiem suam irridentes, Vrsos accersiuit.* ACCEDVNT. *Conueniunt. Quæ pertinent vt appendices ad iudicis personam.* CONSTRICTENT. *Constringant vt ligamenta.* QVANDO. *Cùm, quandoquidem.* SENSVS. *Affectiones, attributa iudicis, iram, zelum, vindictam.*

4. ORDINEM OPERARIVM. *Qui Deum iudicem verum & iustum, omnibus perfecti iudicis attributis ornatum probat.* CATHOLICÆ. *Omnis, in omnibus etiam seueritatis & vindictæ actibus bona.* QVAM SEMOTAM. *Quam Marcionite in Deo vero volunt omnino puram & sine vlla admixtione seueritatis, zeli vindictæ esse volunt.* SENSVS IVDICIARIOS. *Affectus iudici proprios.* EODEM DEO. *Duos enim Deos fingunt; nostrum Creatorem iustum sine benitate; & suum bonum sine iustitia; & sic nullum Deum credunt, quia Deus bonus & iustus esse debet.* PLVENTEM SVPER, &c. *Matth. 5. 45.* Qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. *Pluentem autem refert ad benitatem Dei Marcionis,* ALIVS DEVS. *Quàm Creator Solis, & author pluuiæ.* IN CREATOREM. *In laudem Creatoris, de Creatore dictum.* MVNDVS INSCRIPTVS. *Hæc sententia & effectus eius legitur in fronte omnium quæ sunt in mundo.* HÆC IPSA. *Quâ abutitur Marcion, quem quamuis scelestum complut, cui Sol eius lucem præbet, eum in iudicio condemnabit. Nec me lector hic Augustini oblitum putet. Sic enim primum locum exponit numeri 3. vbi Tertull. citat Exodi 20. 5.* Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes visitans iniquitatem Patrum in filios, 70. *Reddens peccata Patrum in filios.* In tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me. *In* S. Augustꝰ *quem locum Aug. to. 3. in libro Enchir. cap. 46.* Parentum quoque peccatis paruulos obligari, non solùm primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur: illa quippè diuina sententia; *Exodi. 34. 7.* Reddam peccata Patrum in filios, tenet eos vtique, antequam per regenerationem ad testamentum nouum incipiant pertinere. Quod testamentum prophetabatur, cùm diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata Patrum suorum, nec vlteriùs futuram in Israël parabolam illam: Patres manducauerunt vuam acerbam, &c. Ideo enim quisque renascitur, vt soluatur in eo quidquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata quæ malè agendo postea committuntur, possunt & pœnitendo sanari. *Et to. 6. lib. Cont. Adimantum cap. 6.* De eo quod in Exodo scriptum est, ego sum Deus zelans, tribuens filis tertiæ generationis parentum peccata, qui me oderunt: huic loco, Manichæi, *Marcionitæ, diceret Tertullianus.* Illud de Euangelio dicunt esse contrarium quod Dominus dicit Luc. 6. 27. Estote benigni sicut Pater vester cœlestis, qui Solem suum oriri facit, &c. Sed dicant nobis quibus dicturus est Dominus, ite in ignem æternum qui paratus est, &c. Si omnibus parcit, & neminem damnat, quare, intelligendum est, & illud rectum esse, quod Deus retribuit parentum peccata filiis qui eum oderunt? Ex eo enim quod addidit, qui me oderunt, intelligitur, eos puniri peccatis parentum, qui in eadem peruersitate parentum perseuerare voluerunt. Tales enim non sæuitiâ, sed potiùs iustitiâ Dei, & sua iniquitate puniuntur, &c. Excæcauit eos malitia eorum. Et alio loco, funiculis peccatorum suorum vnusquisq; cõstringitur. Quibus testimoniis veteris Testamẽti de nouo cõsentit Apostolus dicens, Rom. 1. 24. Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum quâ concordiâ vtriusque Testamenti, satis ostenditur, non esse sæuũ Deum, sed vnumquemque in se sæuire peccando. *Quod autem Catholica eius benitas & misericordia in omnes, & super omnia opera eius, absque iustitiæ moderamine & veluti protectione esse non debeat, docuit Psaltes Psal. 96.* Iustitia & iudicium, correctio sedis eius. *Aug. legit* Directio sedis eius. August. *Corrigit autem excessum lenitatis, velut olei nimij acetum iustitiæ. Dirigit autem misericordiam, vt eam iustè distribuat, vt alibi notauit Tertull. & ipse Aug. lib.* August. *9. de Ciuit. cap. 5. Vbi de misericordia per iustitiam temperata,* Quid est misericordia? nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua vtique si possumus, subuenire compellimur. Seruit autem motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, vt iustitia conseruetur; siue cum indigenti tribuitur, siue cum ignoscitur pœnitenti *Sic enim iustitia dirigit misericordiam, cùm rectè & iustè eam dispensat pro cuiusque necessitate vel merito; parcit peccanti misericordia, sed iustitia exigit pœnitentem,*

DEVS IVDEX.

1. Deum iudicem omnis anima naturaliter attestatur contra libertinos. De Testim. Animæ cap. 2. in m.

SVnt qui etsi Deum non negent, dispectorem planè, & arbitrum, & iudicem non putent (in quo vtique nos maximè reiiciunt, qui ad istam disciplinam metu prædicati iudicij transuolamus) sic Deum honorantes, dum curis obseruationis, & molestiis animaduersionis absoluunt, cui ne iram quidem adscribunt. nam si Deus (inquiunt) irascitur, corruptibilis & passionalis est. porrò quod patitur, quodque corrumpitur, etiam interitum potest capere, quem Deus non capit. At ijdem alibi animam diuinam & à Deo conlatam confitentes, cadunt in testimonium ipsius animæ retorquendum aduersus opinionem superio-

rem. Si enim anima aut diuina aut à Deo data est, sine dubio datorem suum nouit. Et si nouit, vtique & timet, & tantum postremò ad auctorem. An non timet, quem magis propitium velit quàm iratum? Vnde igitur naturalis timor animæ in Deum, si Deus non vult irasci? Quomodo timetur, qui nescit offendi? Quid timetur, nisi ira? Vnde ira, nisi ex animaduersione? Vnde animaduersio, nisi de iudicio? Vnde iudicium, nisi de potestate? Cuius potestas summa, nisi Dei solius? Hinc ergo tibi, anima, de conscientia suppetit domi, ac foris, nullo irridente, vel prohibente prædicare, Deus videt omnia, & Deo commendo, & Deus reddet, & Deus inter nos iudicabit. Vnde tibi hoc non Christiana? atque adeo plerunque & vittâ Cereris redimita, & pallio Saturni coccinata, & Isidis linteata. In ipsis denique templis Deum iudicem imploras, sub Æsculapio stans; Iunonem in ære exaurans, Mineruam calceans furuis galeam formis, & neminem de præsentibus Deis contestaris. in tuo foro aliunde iudicem appellas. in tuis templis alium Deum pateris. O testimonium veritatis, quæ apud ipsa dæmonia testem efficit Christianorum.

DEVS IVDEX I. SCHOLIA.

SVNT. *Inter Gentiles.* DISPECTORIM. *Alium nostrorum indagatorem.* NOS MAXIME. *Christianos.* AD ISTAM DISCIPLINAM. *Fidem Christianam.* TRANSVOLAMVS. *Ab infidelitate. Et quidem vt columba timida, anima metu iudicij conuersa volat ad Petra foramina, ad plagas Christi Patris, vt ipsummet cuiusdem iudicem. Vnde Propheta.* Abscondere in fossa humo, *Humanitate Christi, pedibus, manibus, Latere fossa,* A facie furoris Domini. *Nec iam iratus, sed placatus dicet de templo & domo corporis sui:* Feciſtis eam speluncam latronum. *Sic tandem timore iudicis multi transuolant ad fidem, quorum* Pedibus timor addidit alas. DEVM HONORANTES. *Gentiles credunt se Deum cum Epicuro maximè honorare; dum æstimant sic beatum, vt sit immunis ab omnibus curis rerum humanarum, vt nec obseruet quid agant homines, nec eos corrigere, nec iis irasci, & animi sui diuini pacem his affectibus turbare debeat.* IDEM. *Ethnici.* CONLATAM. *Collatam.* CADVNT. *Diceres Psaltes:* Comprehentur in consiliis quibus cogitant. *Capiuntur verbis suis: vel vt ait Sapiens:* Stultus labiis cæditur. *Sic enim contra præcedentem de Deo opinionem retorqueo quod dicunt de anima diuina & à Deo data.* AD AVCTOREM. *Id est, dum vel recogitat tantum* Deum *authorem suum, magno cum honore & timore respicit.*

Aug. R. QVIS TIMETVR, *&c. Aug. Concione 28. in Psal. 118.* Rationem reddens, cur multùm flere debuerit, & suum grauiter deflere peccatum: Iustus es, inquit, Domine, & rectum iudicium tuum. Mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam valde. Hæc itaque iustitia Dei, rectumque iudicium & veritas, omni est metuenda peccanti. Hac enim damnantur diuinitus, quicumque damnantur, nec est omnino qui de sua damnatione contra Deũ iustum rectè conqueri possit. Inde fletus rectus est pœnitentis, quoniam si cor eius impœnitens damnaretur, iustissimè vtique damnaretur. Sanè iustitiam dicit testimonia Dei, iustum quippè se probat, mandando iustitiam. Est enim hæc veritas, vt Deus testimoniis talibus innotescat. *Sed & testimonium habet ab ipsa anima, cui naturaliter indita eſt lex honoris & timoris erga Deum, vt hic probat Tertullianus, cuius iram & iudicium timet & vindictam omnis anima, vt ait alibi Tertull.* Naturaliter Christiana. VNDE ANIMADVERSIO. *Subtiliter Aug in hanc rem, sic differit scribens in Psal. 44. vbi dat exemplum Danidis vbique timorem suum erga Deum iudicem contestantis.* Attende exemplum in alio Psalmo pœnitentiæ: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Numquid dixit, à me? alio enim loco apertè dicit, ne auertas faciem tuam à me. Ergo auerte faciem tuam à peccatis meis. Nolo videas peccata mea: quia videre Dei, animaduertere est. Ideo & Iudex quod punit, animaduertere dicitur, id est animum illuc vertere. Intendere vtique ad puniendum, quia iudex est. Sic est & Iudex Deus. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Tu ab ipsis faciem noli auertere, si vis vt Deus ab ipsis auertat faciem suam. Vide quomodo hoc offert Deo *Quasi munus & hostiam pœnitentis, vel in compensationem, vt Deus non aduertat, quia faciem iudicis præoccupat in confessione.* In ipso Psalmo, facinus meum ego, inquit, agnosco, & peccatum meum ante me est semper. Hoc non vult esse ante Deum, quod vult esse ante se. DE POTESTATE. *Sic apud Ioannem Christus:* Potestatẽ habet iudicium facere. *Et rursum:* Timete eum qui postquam corpus occiderit, potestatem habet & animam perdere in Gehennam. HINC. *A lumine & timore naturali summæ illius potestatis.* NON CHRISTIANA. *Gentilis anima.* VITTA CERERIS. *Dum in honorem Cereris in templo eius Sacrificas, vitta, id est fasciâ lineâ redimita, caput cincta.* COCCINATA. *In veste coccinea in honorem Saturni, cui color hic sanguineus sacer erat vt crudeli propriorum filiorum mactatori. Vnde & Tertull. lib. de Pallio, quòd frequens sit coccus in Galatia:* Galatici, inquit, ruboris superiectio *Indumentum* Saturnum commendat. *Et Lipsius. Saturn. c. 5. notat pallium coccineum fuisse proprium indumentum Sacerdotũ Saturni, cui gladiatores ad placandos Manes mortuorum, humanum sanguinem offerebant.* LINTEATA, *Lineis induta in honorem Isidis cuius statua sic induta videbatur. Isis autẽ eadem frumenti Dea apud Ægyptios, quæ Ceres apud Romanos. Vnde Martianus Capella lib. 2.* Frumentum Isis in Ægypto. Triptolemus apud Atticos docuere. STANS. *Aliqui iacentes velut mortui sanitatem ab eo poscebant, stantes alij, vt in sanitate starent & perseuerarent incolumes.* IN ÆRE EXAVRANS. *Æream eius statuam deaurans. Alij legunt:* In Aëre exorans. *Quod licet non reprobem, quia sub Dio, in prospectu nubium & aëris, quorum Iuno Dea fingitur ara eius frequenter extructa sunt; tamen propter sequentia, quæ Statuarum ornamenta indicant ab artificibus facta, retinui Rigaltij lectionem.* MINERVAM. *Alij legunt,* Mineruæ Galeam. *Elegantiorem lectionem & Tertulliani stilo aptiorem retinui.* CALCEANS. *Sic Martialis* Caput calceatum dixit: *Indutum. Galeam igitur Minerua capiti serpentinis, Leoninis, aliisque furuis, id est tristibus aut terribilibus formis armatam dixit. Sine ergo artifices, sine cultores idolorum alloquatur Author, dicit, Gentiles nullo ex astantibus diis contestari quasi indi-*

es: & bellè quidem, nam, Oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt, manus habent & non palpant. *Vnde Aug. lib. 1. de Ciuit. c. 6 vbi de Fabio parcente diis Tarentinorũ armatis; quẽ sic inducit:* Relinquamus, inquit, Tarentinis Deos iratos. *At ex Paulo:* Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. IN TVO FERO. *Conscientia scilicet.* ALIVNDE, *Quàm ex templis. Vbique scilicet presentem, Iouis omnia plena.* IVDICEM. *Deum vnum verum.* PATERIS, *Ex seruitute dæmonum dura. Vnde Chrysol.* Vni seruire libertas est, captiuitas multis. APVD DÆMONIA. *In templis, cultu idololatria media.* TESTEM. *Ipsum Gentilem, testimonio veritatis, quam expressa fides Christiana profitetur, vltro è conscientia & lumine naturali erumpente, testem exhibet vnius Dei veri iudicis.*

S. Augusti.

2. *Deus Iudex scrutans corda, cuique reddens pro meritis. 5. Contr Marc. cap. 7. in p.*

1. Cor. 4. 5. ET *Occulta tenebrarum ipse inluminabit*, Vtique per Christum, qui Christum inluminationem repromisit; se quoque lucernam pronuntiauit, *Scrutantem corda & renes.* Ab illo erit & *Laus vnicuique*, A quo & contrarium laudis vt à iudice.

DEVS IVDEX. II. SCHOLIA.

IPSE. *Deus Creator.* INLVMINABIT. *Illuminabit.* PER CHRISTVM. *1. Cor. 4. 5.* Qui iudicat me Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. *Præterdicta alibi de lucerna, deque scrutante corda & renes, hæc superadde ex Aug. in Psal. 100.* Nondum reuelatum est iudicium. Nox est, apparebit dies, apparebit iudicium. Audi Apostolum: Itaque nolite ante tempus iudicare quidquam. Quid est ante tempus? ante diem. *Et to. 3. in Enchir. cap. 121.* Audi quid ante diem dixerit, donec veniat Dominus & illuminet, &c. Nam quandiu non vides cor meum, & non video cor tuum, nox est. Non enim scimus mortales corda mortalium. Tunc autem illuminabit Dominus, &c. Quia id laudabitur, & diligetur à proximo in proximo *Et ex aduerso vituperabitur malum;* Quod, ne lateat, ab ipso illuminatur Deo. *Qui & Christum lumen & lucernam promiserat in veteri testamento. Idem Aug. in Ep. ad Italicam:* Notitia nostri certior intus est, vbi nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Sed cùm venerit Dominus, & illuminauerit abscondita tenebrarum, & manifestauerit cogitationes cordis, tunc nihil latebit proximum in proximo: nec erit, quod suis quisque aperiat, abscondat alienis, vbi nullus erit alienus. *In iudicio remotus à cognitione bonorum & malorum: in gloria autem nemo non proximus erit perfecto vinculo charitatis.* Lux verò ipsa, qua illuminabuntur hæc omnia, quæ modò absconduntur, qualis, aut quanta sit, quis lingua proferat, quis saltem mente contingat? profectò lux illa ipse est Deus, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ, sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum.

S. Aug. — Aug. — Aug.

3. *Deus iudex iustus, cuique iuxta opera reddit: proindeque Hebræis Ægyptiorum spolia tribuit. 4. Cont. Marc. cap. 24. à p.*

a Luc. 10. 7. b Deut. 25. 4. 1. Cor. 9. 9. 1. Tim. 5. 18. Exo. 11. 2. & 35. Exo. 1. 11.

a DIgnus est autem operarius mercede sua. Quis magis pronuntiarit, quàm Deus iudex? Quia & hoc ipsum iudicare est, dignum facere mercede operarium. Nulla retributio non ex iudicatione constitit. Iam nunc & hîc lex consignatur Creatoris, etiam boues operantes dignos operarios mercede iudicantis; b *Boni*, inquit, *terenti os non colligabis.* Quis tam præstans in homines, nisi qui & in pecudes? Quod si & Christus dignos mercede pronuntiat operarios, excusauit præceptum illud Creatoris, de vasis aureis & argenteis Ægyptiorum auferendis. Qui enim villas & vrbes operati fuerant Ægyptiis, digni vtique operarij mercede, non ad fraudem sunt instructi, sed ad mercedis compensationem, quam aliàs à dominatoribus exigere non poterant.

4. *Deus Iudex temporalia ex æquo bonis & malis dat iudicium æternum vtrisque seruans ad Scap. cap. 2. à p.*

QVi est verus, omnia sua ex æquo & prophanis, & suis præstat. Ideóque & iudicium constituit æternum de gratis & ingratis.

DEVS IVDEX III. & IV. SCHOLIA.

QVAM DEVS IVDEX. *Hîc probat vt alibi iam vidimus Christum Dei Creatoris esse filium, qui & Patrem iudicem imitatur pronuntians tanquam Iudex sententiam debita mercedis operariis Euangelicis, quos & Paulus iuxta legem Creatoris bobus comparat iusto laboris fructu & cibo non fraudandis. Cùm ergo proprium sit iudicis distribuere, & retribuere cuique pro meritis, & Christus & Deus Creator iudicis officio perfunctus est.* PRÆSTANS IN HOMINES. *Beneficus & iustus & prouidens distributor,* EXCVSAVIT. *Innocens declaranit mandatum Dei Creatoris, quo iussit Hebræis, vt alibi ex Augustino vidimus, Ægyptios spoliare; dum fert sententiam pro operariis mercede dignis. Hebræis siquidem, ciuitates ædificauerant in Ægypto, nec vllam tot laborum mercedem acceperant. De operariis Euangelij mercede dignis sic Aug. to. 9. tract. 17. in Io.* Operarij sumus & adhuc in vinea laboramus. Finito die, finito opere merces restituetur. *Corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex, inquit, bis ille,*

Aug.

Digitized by Google

qui abundantius omnibus laborauit. Sed quis operarius perdurat, ad accipiendam mercedem, nisi qui pascitur dum laborat? Non enim & tu operario tuo mercedem solam daturus es? Non etiam affers illi, vnde vires reparet in labore? pascis vtique, cui mercedem daturus es. *Et to. 9. libro de Pastoribus:*
Augus. Vnde viuitur, est necessitatis accipere, est charitatis præbere. *Quin & iustitia, dispersit enim dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Et si dignus est operarius cibo suo, & Paulus 1. Tim. 5. vbi & de bobus: qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo &*
Augus. *Doctrina* Non tanquam venale sit Euangelium, vt illud sit pretium eius, quòd sumunt, qui annuntiant, vnde viuant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiunt sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Euangelij seruiunt. Non expectant illi mercedem, nisi vnde & isti salutem.

4. QVI EST VERVS. *Deus Iudex.* OMNIA SVA. *Temporalia bona & mala, quæ ab ipso sunt.* EX ÆQVO. *Iustè & rectè cum æquitate maxima.* ET PROPHANIS. *Gentilibus.* ET SVIS. *Fidelibus.* IVDICIVM ÆTERNVM. *Extremum, cui omnes adstabunt, in quo sententia immota pronuntiabitur, cuius effectus æternus erit.* DE GRATIS. *In fauorem & gratiam eorum qui gratis fuerunt in Deum & benè vsi fuerunt bonis & malis temporalibus.* ET INGRATIS. *Ethnicis, qui Deum ex tot bonis malisque*

A *Dei prouidentia misericorditer datis, & iustè inflictis, non cognouerunt, non amauerunt, non timuerunt.* De *quibus Psaltes 54. 21.* Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum, extendit manum suam in retribuendo. *Aug. lib. 1. de Ciuit. c. 8. Deum æquum iudicem bona & mala bonis ac malis communiter distribuere in hac vita; bona æterna solis bonis, mala æterna solis malis, in iudicio seruare sic notauit.* Cur ista diuina misericordia etiam ad impios ingratósque peruenit? cur putamus, nisi quia eam ille præbuit, qui quotidie facit oriri Solem suũ super bonos & malos? &c. Quamuis enim quidam eorum ista cogitantes, pœnitendo ab impietate se corrigant: quidam verò, sicut Apostolus dicit, diuitias bonitatis & longanimitatis Dei contemnentes, secundùm duritiam cordis sui, & cor impœnitens thesaurisent sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius: tamen patientia Dei ad pœnitentiam inuitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Itemque misericordia Dei fouendos amplectitur bonos, sicut seueritas Dei puniendos corripit malos. Placuit quippè diuinæ prouidentiæ, præparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti: & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona & mala, vtrisque voluit esse communia: vt nec bona cupidiùs appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur: nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.
S. Augus.

5. Deus Creator lucis vtriusque principium, iustus index, Iudæos excæcauit. 5. Cont. Marc. cap. 11. circa m.

SCimus quosdam sensus ambiguitatem pati posse, de sono pronuntiationis, aut de modo distinctionis, quum duplicitas earum intercedit. Hanc Marcion captauit sic legendo, [a] *In quibus Deus æui huius:* Vt Creatorem ostendens Deum huius æui, alium suggerat Deum alterius æui. Nos contrà, sic distinguendum dicimus, *In quibus Deus;* Dehinc; *Æui huius excæcauit mentes infidelium;* In quibus, Iudæis infidelibus; in quibus opertum est aliquibus Euangelium adhuc sub velamine Moysi. Illis enim Deus labiis diligentibus eum, corde autem longè absistentibus ab eo, minatus fuerat, [b] *Aure audietis, & non audietis. Oculis videbitis, & non videbitis;* [c] *Et nisi credideritis, nec intelligetis;* [d] *Et auferam sapientiam, sapientium & prudentiam prudentium irritam faciam.* Hæc autem non vtique de Euangelio Dei ignoti abscondendo minabatur. Ita, etsi *Huius æui Deus*, Sed infidelium huius æui excæcat cor, quòd Christum eius non vltro recognouerint, de scripturis intelligendum. Et positum in ambiguitate distinctionis hactenus tractasse, ne aduersario prodesset, contentus victoriæ; næ vltro possum & in totum contentionem hanc præteriisse simpliciori responso. præ manu erit huius æui Dominum, diabolum interpretari, qui dixerit, Propheta referente, [e] *Ero similis Altissimi, ponam in nubibus thronum meum;* Sicut & tota huius æui superstitio illi mancipata est, qui excæcet infidelium corda, & in primis, apostatæ Marcionis. Denique, non vidit occurrentem sibi clausulam sensus, [f] *Quoniam Deus qui dixit ex tenebris lucem lucescere, reluxit in cordibus nostris ad illuminationem agnitionis suæ, in persona Christi.* Quis dixit, [g] Fiat lux? Et de illuminatione mundi, quis Christo ait, [h] *Posui te in lumen Nationum*, Sedentium scilicet in tenebris, & in vmbra mortis? Cui respondet Spiritus in psalmo, ex prouidentia futuri, [i] *Significatum est*, inquit, *Super nos lumen personæ tuæ Domine.* [k] *Persona autem Dei, Christus Dominus.* Vnde & Apostoli suprà, [l] *Qui est imago*, inquit, *Dei.* Igitur si Christus persona Creatoris dicentis, *Fiat lux;* Et Christus & Apostoli, & Euangelium, & velamen, & Moyses, & tota series secundùm testimonium clausulæ, Creatoris est *Dei huius æui*, Certè non eius qui nunquam dixit, *Fiat lux.*

a 2. Cor. 4. 4.
Ibid.
Esa. 29. 13. Matth. 7. 6.
b Esa. 6. 9. & 10.
c Esa. 7. 9.
d Esa. 29. 14.
e Esa. 14. 14.
f 2. Cor. 4. 6.
g Gen. 1. 3.
h Esa. 42. 6. Et Psal. 106. 10.
i Psal. 4. 7.
k Thren. 4. 20.
l 2. Cor. 4. 4. Gen. 1, 3.

DEVS IVDEX. V. SCHOLIA.

SENSVS *Sententias Scripturæ.* AMBIGVITATEM. *Diuersimodè accipi posse, sine attendatur quo tono & sono pronuntientur, vel quid voces ambiguæ sonent, & significent; sine quomodo virgulæ ipsæ ponendæ sint, & ad quid verba voceſque referantur. Et ex hac ambiguitate occasionem arripuit Marcion, vt Deus*

duos introduceret ex loco Pauli 2 Cor. 4. 4. Si etiam A opertum est, *Syr. velatum est* Euangelium nostrum: in iis qui pereunt, est opertum: in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est Imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum: Nos autem seruos vestros per Iesum: quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere *Aduerte eundem Deum Creatorem lucis esse, qui Paulum illuminauit:* Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu. *Alios locos hîc citatos à Tertulliano alibi iam positos & expositos prætereo. Quo ad præsentem, Syr. paulò aliter:* Iis quorum Deus huius mundi obcæcauit B mentes, vt non credant, ne oriatur illis lux Euangelij, &c. Quoniam Deus est qui dixit è tenebris lucem orituram, qui quidem orietur in cordibus nostris, vt illustremur per cognitionem gloriæ Dei, in persona Ieschua Meschicho. SVB VELAMINE. *Alludit ad Moysim, cuius vt faciem splendidam eum non possent ferre filij Israël, velo eam operuit; sic nec Iudæi Christi gloriam in Euangelio declaratam, vnde & Paulus ait adhuc,* Velamen esse super corda eorum. DEI IGNOTI. *Scilicet Marcionis, de quo Prophetæ Creatoris vt incognito, vel aduersario suo, testimonium non dedissent, nec minas pro eius honore pronunciassent.* VLTRO DE SCRIPTVRIS, *&c. Pungit inexcusabiles Iudæos, qui vltro è suis scripturis prodeuntem Christum non cognouerunt.* ET POSITVM. *Et positum sit, inquit, sit ita, huc vsque in dubia interpretatione loci Pauli disputauerim cum Marcione, ne illi prodesset expositio sua, contentus sim victoriâ meâ.* NÆ, *Certè poteram tacitâ expositione meâ precedenti:* PRÆMANV. *In promptu, facile est dicere, per Deum aui huius Diabolum intelligere,* Rectorem & principem mundi, tenebrarum harum, *Quem sic inducit loquentem Esa. 14. 14.* Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. SVPERSTITIO. *Gentilitas idololatra.* NON VIDIT. *Non aduertit Marcion, quomodo Paulus concludat hanc sententiam.* QVIS DIXIT? *Nisi Deus Creator.* SPIRITVS. *Sanctus scil. in Propheta suo Dauid.* PERSONA DEI. *A Deo Patre producta, ad* D S. Augustin. *Patrem relata. Vnde dixit iuxta Aug. tract. 29 in in Io. 7.* Mea doctrina non est mea, *Id est persona mea non est mea.* Quid enim tam tuum quàm tu? Et quid tam nõ tuum, quàm tu, si alicuius es quod es? *Vel persona Dei, id est Imago referens Patrem, Patrem representans. Vnde dixit Salomon:* Ex occursu faciei cognoscitur vir. *Et Christus:* Philippe, qui videt me videt & Patrem meum. CLAVSVLÆ. *Finis sententiæ Pauli.* CERTE NON EIVS. *Dei Marcionis. Eiusdem* Dei *est lux corporea & spiritalis,* Tuus est dies, & tua est nox, &c. Posuisti tenebras & facta est nox *Idem est Deus,* Qui de tenebris vocauit nos in admirabile lumen suum. Qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat. *Illuminat, & excæcat. De velamine & cæcitate Iudæorum déque toto hoc Tertulliani textu præcisè ad eius mentem sic loquitur Aug. in duobus eximiis locis. Primus sit to. 6 lib. 2.* E S. Augustin. *Cont. Aduersarium legis & Prophet. c. 7.* Non omnes qui Christiani appellantur, ad Christum transeunt, sed quibus auferetur velamen, quod in lectione veteris testamenti manet. Qui enim sunt, *Qui tenent adhuc vetus testamentum:* In veteri Testamento, impediente velamine, nec vetus intelligunt, nec nouum. Qui autem transeunt ad Christum, remoto velamine per nouum, intelligunt vetus & nouum. Vtinam & isti cæci oppugnatores legis & Prophetarum, sic transeant ad Christum, vt non sint in eis, in quibus obuelatum ipsum Euangelium. In his enim qui pereunt, esse obuelatum ait Apostolus, in quibus Deus sæculi huius excæcauit mentes infidelium, &c. Vbi miser iste, *aduersarius scil. legis, qualis & Marcion* Deum sæculi huius vult intelligi malum: tanquam illi seruierit Moyses in veteri testamento, quasi hoc Apostolus dixerit. Vbi si necesse esset intelligi Deum sæculi huius, Deum impiorum, hoc est diabolum; quoniam omnes dij gentium dæmonia, & vtique multò maximè princeps dæmoniorum; non mirum esset, quandoquidem quorumdam Deus etiam venter est dictus. Ait enim Apostolus, quorum Deus venter est, nec ideo Deus venter est, ita, si potest dici Deus huius sæculi diabolus, non ideo diabolus Deus est, quia nec dæmonia sunt dij, quamuis dij Gentium sint dæmonia. Potest quippè sæculum in malo intelligi, vnde dicit Apostolus Petrus: 2. 1. Eripite vos de præsenti sæculo maligno. Sed cùm alter pateat intellectus, quid necesse est hîc diabolum putare significatum, ac non potiùs Deum verum, iustum & bonum, qui excæcauit mentes infidelium sæculi huius: vt non hîc distinguatur; in quibus Deus sæculi huius: ac deinde subinferatur; excæcauit mentes infidelium: sed ita potiùs; in quibus Deus; ac deinde subinferatur: sæculi huius excæcauit mentes infidelium: hoc est, infidelium sæculi huius mentes excæcauit. *Capite autem sequenti, scil. vltimo, præcisius respondet titulo nostro qui est de Deo iudice, iustè excæcante infideles.* Aug. Sed istis non placet, C vt Deus bonus mentes excæcet aliquorum. Non enim attendunt Saluatoris verba Io. 9. 39 dicentis: in iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. *De quo vide Aug. tract. 44. in f. & tract. 53. in Io.* Aug. Ille igitur qui secundùm Apostolicam sententiam; cuius vult misereatur, & quem vult obdurat: procul dubio, quem vult illuminat, & quem vult excæcat. Sed non est iniquitas apud Deum, cui dicit Ecclesia: misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Illuminat ergo misericordiâ, excæcat iudicio, vtique æquissimo, etsi occultissimo. Inscrutabilia enim sunt iudicia eius. Cui tamen dicitur: sedisti super thronum, qui iudicas æquitatem. *Similem locum habet lib. 21. Cont. Faust. Manich. cap. 9.* Aug. Numquid & hîc Apostolus cùm diceret, Deus: addidit, huius sæculi? vbi etiamsi quis diabolum intellexerit excæcare mentes infidelium, non negamus, malis suasionibus, quibus qui consentiunt, iustitiæ lumen amittunt, Deo retribuente quod iustum est. Hæc omnia legimus in Scripturis Sanctis. Nam & illud dictũ est de seductione extrinsecùs veniente. Cor. 11. Timeo ne sicut serpens Euam seduxit in versutia, corrumpantur mentes vestræ à simplicitate & castitate, quæ est in Christo Iesu, &c. Hîc perturbati homines non intelligũt in vno eodémq; opere malo, non postea consequente aliâ quæ manifesta erit, sed quadam continuò comitante vindictâ, aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de iustitia punientis: cùm diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit. Quocirca in opere malo, id est excæcatione infidelium, si intelligatur, & diabolus propter suadendi malignitatem, vt sic distinguatur, Deus huius sæculi, non mihi videtur absurdum. Neque enim sine additamento dicitur, Deus: cum adiungitur, huius sæculi, id est hominum impiorum, non nisi in hoc sæculo florere volentium; secundùm quod dicitur, & malum sæculum, sicut scriptum est Gal. 1. 4. vt eximeret nos de præsenti sæculo maligno, *&c. Quæ eadem sunt cum precedentibus contra aduersarium legis, &c.*

DEVS

6. Deum iudicem & vltorem Marcion auerſatur. 4. Cont. Marc. cap. 27. in f.

HÆc omnia ad infuſcandum Creatorem ingerebat, vt ſæuum, erga quem delinquentes, *Væ* habituri eſſent. Et quis ſæuum non potiùs timeret prouocare, deficiendo ab eo? Tantò magis ergo demerendum docebat, quem timendum ingerebat. Sic oportebat Chriſtum Creatoris. Luc. 11. 42. & ſeq.

7. Et 5. Cont. Marc. cap. 4. circa fin.

a *Erratis, Deus non deridetur.* Atquin derideri poteſt Deus Marcionis, qui nec iraſci nouit, nec vlciſci. b *Quod enim ſeminauerit homo, hoc & metet.* Ergo retributionis & iudicij Deus intentat. c *Bonum autem facientes non fatigemur.* Et, d *Dum habemus tempus, operemur bonum.* Nega Creatorem, bonum facere præcepiſſe, & diuerſa doctrina ſit diuerſæ diuinitatis. Porrò, ſi retributionem prædicat, ab eodem erit & corruptionis meſſis & vitæ. e *Tempore autem ſuo metemus;* Quia & Eccleſiaſtes, f *Tempus*, inquit, *erit omni rei.*

a Gal. 6. 7.
b Ibid. 8.
c Ibid. 9.
d Ibid. 10.
e Ibid. 9.
f Eccle. 3. 2. & ſeq.

DEVS IVDEX. VI. & VII. SCHOLIA.

HÆC OMNIA. *Maledicta ſcil. congeſta in Scribas & Phariſæos Hypocritas, qua Chriſtus toto hoc capite 11. Lucæ, euomuit.* AD INFVSCANDVM. *Inhonorandum Deum Creatorem, tanquam ſæuum & crudelem. Ironicè dicta. Marcionem inducit ſic reſpondentem ſibi obiicienti quòd Chriſtus tam lenis, & tam manſueti Dei filius, toties tamen vnico capite, Væ in Phariſæos fulminaret; Quòd Chriſtus non ex ſe neque ex parte Dei ſui ſic imprecaretur, ſed quaſi denigrans famam* Dei *Creatoris, qui legis ſuæ tranſgreſſores, & vt ait Tertull.* Deficientes ab eo, *vt ſæuus & crudelis malediceret.* ET QVIS SÆVVM. *Sic reſpondet Tertullianus, ſi ita eſt ſæuus Deus noſter Creator, ideò timendus, & bonis operibus eum promerendum ſic docuit Chriſtus, quem toties timendum inculcauit, quoties væ illis à Creatore comminatus eſt. Et quæ illi cura honoris & timoris debiti Creatori, ſi Chriſtus nihil ad eum pertineret, ſi eius filius non fuiſſet?* SIC OPORTEBAT. *Loqui, talem eſſe, nempè zelatorem gloriæ Patris, ad cuius obſequium metu iræ eius excitabat. De his minis & væ Phariſæorum, Aug. toto* Auguſt. *Ser. 30. de Verb. Domini, & primò quidem de externa lotione, internâ neglectâ:* Quomodo non pepercit homini, à quo fuerat inuitatus? magis obiurgando pepercit, vt correcto in iudicio parceret, &c. *Tum de Eleemoſyna danda ad omnia mundanda, & illorum tacita in corde irriſione, quòd minuta quæque etiam decimarent:* Credo quia reuocauerunt Auguſt. ad ſe, & putauerunt Dominum Chriſtum inaniter loqui, quaſi eis qui non facerent eleemoſynas, cùm ipſi ſcirent opera ſua quòd & minutiſſima & contemptibilia fructuum ſuorum decimabant, & Eleemoſynas dabant, &c. Hoc autem Dominus ſciens, continuò ſubiunxit: Veruntamen væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui decimatis mentam, & relinquitis grauiora legis, iudicium & charitatem, &c. Et hæc oportet facere, & illa non omittere. Quæ facere? Iudicium & charitatem, iuſtitiam & miſericordiam, & illa non omittere. Facite illa, ſed iſta præponite, &c. Quid eſt facere miſericordiam? Si intelligis, à te incipe. Quomodo enim es miſericors alteri, ſi crudelis ſis tibi? &c. Audi ſcripturam Eccli. 30. Miſerere animæ tuæ placens Deo, &c. Quicumque malè viuis, quicumque infideliter viuis, redi ad conſcientiam tuam, & ibi inuenis mendicantem animam tuam, inuenis egentem, inuenis pauperem, inuenis ærumnoſam, &c. Si mendicat, eſurit iuſtitiam, &c. In iudicio & charitate fac eleemoſynam cum anima tua. Quid eſt iudicium? reſpice & inueni; diſplice tibi, pronun-

A tia in te. Et quid eſt charitas? dilige Dominum Deũ tuum, &c. Dilige proximum tuum, &c. *Aduerte in rem noſtram, dictum ab Auguſtino ſic Chriſtum obiurgando pepercisſe, vt correctis, & in ſtatum perfectiorem reductis, in iudicio parceret; vt ira & væ præſentis tẽporis, ſit ad conſummationẽ & perfectionẽ, ne incidant, in conſumptionis & deſtructionis vltimam iram, quam incurrent, quibus dicet* Diſcedite maledicti in ignem æternum. *De qua ſic Auguſtinus Concione 2. in Pſal. 58. verſu 14.* Et de execratione & mendacio annuntiabuntur in conſummatione, in ira conſummationis, & non erunt. *Vbi ſic legit Aug.* Ex maledicto & mendacio annuntiabuntur conſummationes, in ira conſummationis, &c. Eſt ita conſummationis, & eſt ira conſumptionis; nam omnis vindicta Dei, ira dicitur. Sed aliquando ad hoc vindicat Deus, vt perficiat: aliquando ad hoc vindicat, vt damnet. Quomodo ad hoc vindicat, vt perficiat? flagellat omnem filium quem recipit. Quomodo ad hoc vindicat vt damnet? quando poſuerit impios ad ſiniſtram, & dixerit eis: Ite in ignem æternum, &c. Illa ira conſumptionis eſt, non conſummationis. Annuntiabuntur autem conſummationes in ira conſummationis: id eſt prædicabitur ab Apoſtolis, quia vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia; & pertinuit ad humiliationis medicinam, infirmitas hominis. Hæc cogitantes illi, & inuenientes, atque confitentes iniquitates ſuas, non erunt. Quid non erunt? In ſuperbia ſua. *In luxuria ſua, in impietate ſua; ſubiicis enim Pſaltes,* Conuertentur ad veſperam, &c. S. Auguſt.

B

C 7. ERRATIS. *Gal. 6. 7. & ſeq.* Nolite errare, Deus non irridetur, quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua *Syr. per carnem ſuam*, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: *Syr. ne tedio ſit nobis.* Tempore enim ſuo metemus, non deficientes. *Quo ex loco Tertull. ridet Deum Marcionis, qui nec ſcit iraſci & minari, nec vlciſci; Deum autem Creatorem hinc colligit non ridendum, ſed timendum & amandum, vt iudicem minas intentantem, & retributionem promittentem.* NEGA CREATOREM. *Non poteſt hoc negare Marcion, cùm totum vetus teſtamentum plenum ſit promiſſis, quibus inuitas ad ſeruanda præcepta iuſtitiæ, & miſericordiæ in pauperes, qua hic Paulus ſub ſeminis ſimilitudine commendat. Non eſt, inquit, quod aliam à Creatore Diuinitatem bonam aſtruas, ex præceptis, aut promiſſis datis in nouo teſtamento; ſi enim tempus ſeminandi*

& operandi bonum, dixit esse Paulus sub spe messis; id dixerat & Creator apud Ecclesiastem, & Deus bonus Marcionis, ipso inuito, minabitur messem corruptionis & damnationis, qui promittit messem vitæ æternæ; quod vtrumque vni Deo Creatori conuenit, bono & iusto. 3. August. *Locum autem Pauli sic exponit Aug. to. 4. lib. in ep. ad Gal. circa finem.* Nolite errare, &c. Nouit inter quæ verba perditorum hominum laborent, qui constituuntur in fide earum rerum quas non vident. Vident enim seminationem operum suorum, sed messem non vident. Nec talis eis messis promittitur, *A iusto iudice* Qualis hîc reddi solet; quia iustus ex fide viuit. Quia qui seminauerit, inquit, in carne sua, &c. Hoc dicit de amatoribus voluptatum, magis quàm Dei. In carne enim sua seminat, qui omnia quæ facit, etiamsi bona videantur, propterea tamen facit, vt carnaliter ei benè sit. Qui autem seminauerit in spiritu, &c. Seminatio in spiritu est, ex fide cum charitate seruire iustitiæ, & non obaudire desideriis peccati, quamuis de mortali carne existentibus. Messis autem vitæ æternæ, cùm inimica nouissima destruetur mors, &c. Messis autem nostra in fine promittitur; *In iudicio* Et ideò perseuerantiâ opus est: qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

DE DEO QVOMODO INFIRMA DICANTVR.

1. Deo infirmitas non ideo conuenit, quòd à Moyse impediatur percutere populum; sed bonitas agnoscitur, quæ Moysen excitauit ad sic orandum. 2. Cont. Marc. cap. 26. in m. ad f.

SAtis & tunc pusillus Deus in ipsa etiam ferocia sua, cùm ob vituli consecrationem efferatus in populum, de famulo suo postulat Moyse, [a] *Sine me, & in ira dispердam illos, & faciam te in nationem magnam.* Vnde meliorem soletis affirmare Moysen Deo suo, deprecatorem, immò & prohibitorem iræ. [b] *Non facies enim*, inquit, *istud, aut & me vnà cum eis impende.* Miserandi vos quoque cum populo, qui Christum non agnoscitis in persona Moysi figuratum, patris deprecatorem, & oblatorem animæ suæ pro populi salute. Sed sufficit, si & Moysi propriè donatus est populus ad præsens. quod vt famulus postulare posset à Domino, id Dominus à se postulauit. Ad hoc enim famulo dixit, *Sine me, & dispердam illos.* Vt ille postulando, & semetipsum offerendo non sineret; atque ita disceres quantum liceat fideli & Prophetæ apud Deum.

a Exo. 32. 10.
b Ibid. 32.

DEI INFIRMA. I. SCHOL.

PVSILLVS DEVS. *Vilis & contempribilis sensu vestro ô Marcionite.* FEROCIA. *Sanitia & crudelitate sua, quod exaggerat eius imbecillitatẽ, vt etiã tunc, cùm magis suã sententiã exercere, & declarare debuisset, sic pusillus apparuit, vt famulum etiam sũm rogaret, quasi vinctus, vt sibi vlcisci liceret de maximo peccato Idololatriæ, quo populus maiestatem suam vitulo aureo in Deum consecrato postposuisset.* SINE ME. *Exodi 32. 10.* Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. *Dabo tibi, hoc delato, meliorem amplieremque populum gubernandum.* 70. Et nunc sine me, & indignatus irâ in eos, atteram eos, &c. *Paraph. Chald.* Et nunc dimitte deprecationem tuam à facie mea, & irascetur furor meus contra eos, & consumam eos, faciamque, &c. *Hinc Iulianus Apostata blasphemat Deum Hebræorum, vt pœnitentem falli, varium & mutabilem. Cui respondet Cyrillus lib. 5. & Theod. in hunc locum. Sed Hiero. in Ezech. 13. Iuxta Chald. aduertit Dei Clementiam, qua se veluti ligari finit oratione suorum. Greg. lib. 9. Mor. c. 11.* Sententia Dei Sanctorum precibus frangitur. *Et rursum.* Quid est aliud dimitte me? Quam deprecandi ausum præbere. MISERANDI VOS. *Marcionite.* CVM POPVLO, *Iudæo.* DEPRECATOREM. Cum clamore valido & lacrymis exanditus pro sua reuerentia. MOYSI PROPRIE. *Ad literam.* DOMINVS A SE. *Quia inspirauit Moysi vt postularet. Sicut ex Paulo.* Spiritus postulat pro nobis, *id est ex Aug.* Postulare facit. *Quod autem Tertull. dixit Christum in persona Moysi figuratum, sic breuiter Augustinus to. 4. lib. 2. in Exod. q. 144.* Iratus quidem Moyses videtur tabulas testimonij digito Dei scriptas collegisse, atque fregisse, magno tamen mysterio figurata est iteratio Testamenti noui, quoniam vetus fuerat abolendum, *per Christum*, & constituendum nouum. Notandum sanè quantâ pro populo ad Deum supplicatione laborauerit, qui tam seuerus in eos vindicando extitit, &c. *Eiq. 147.* Aduertendum est quantum malum in illo peccato perspexit Moyses, quòd tanta cæde crediderit expiandum, qui eos sic diligebat, vt pro eis illa verba Deo funderet. *Et lib. 22. Cont. Faust. cap. 79.* Comparans vnusquisque piè prudens, illam cædem, & hanc precem, videt profectò apertissimèque videt, quantum malum sit animæ per simulacra dæmonum fornicari, quando sic sæuit, qui sic amat.

B
C
Augustin.
Augustin.
Augustin.
Augustin.

2. Dei infirmitates in scriptura relatæ probant bonitatem filij iam inde apparentis, & præludentis Incarnationi suæ. 2. Cont. Marc. cap. 27. inp. ad circa f.

IAm nunc vt & cetera compendio absoluam, quæcunque adhuc vt pusilla & infirma & indigna colligitis ad destructionem Creatoris, simplici & certâ ratione proponam: Deum non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos & sensus & affectus suscepisset, per quos vim maiestatis suæ, intolerabilem vtique humanæ mediocritati, humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria; & ita iam Deo digna, quia nihil tam dignum Deo, quàm salus hominis. De isto pluribus retractarem, si cum ethnicis agerem; quamquam & cum hæreticis non multò diuersa congressio ster. Quatenus & ipsi Deum in

Gen. 11. 1. & seq.
Gen. 17. 1. & seq.
Gen. 18. 1. & seq.
Philipp. 2. 6.

Digitized by

figura & in reliquo ordine humanæ conditionis diuerſatum iam credidiſtis, non exigetis vtique diutius perſuaderi Deum conformaſſe ſemetipſum humanitati, ſed de veſtra fide reuincimini. Si enim Deus, & quidem ſublimior, tanta humilitate faſtigium maieſtatis ſuæ ſtrauit, vt etiam morti ſubiiceret, & morti crucis; cur non putetis noſtro quoque Deo aliquas puſillitates congruiſſe, tolerábiliores tamen ſudaïcis contumeliis & patibulis & ſepulcris? An hæ ſunt puſillitates, quæ iam præiudicare debebunt Chriſtum humanis paſſionibus obiectum, eius Dei eſſe, cui humanitates exprobrantur à vobis? Nam & profitemur Chriſtum ſemper egiſſe in Dei Patris nomine; ipſum ab initio conuerſatum; ipſum congreſſum cum Patriarchis & Prophetis, filium Creatoris, Sermonem eius, quem ex ſemetipſo proferendo filium fecit, & exinde omni diſpoſitioni ſuæ, voluntatique præfecit; [a] *Diminuens illum modico citra Angelos*, Sicut apud Dauid ſcriptum eſt: qua diminutione, in hæc quoque diſpoſitus eſt à Patre, quæ vt humana reprehenditis, ediſcens iam inde à primordio, iam inde hominem, quod erat futurus in fine. Ille eſt qui deſcendit; ille qui interrogat; ille qui poſtulat; ille qui iurat. Ceterùm, patrem nemini viſum, etiam commune teſtabitur Euangelium, dicente Chriſto, [b] *Nemo cognouit Patrem niſi filius*; Ipſe enim & veteri Teſtamento pronuntiarat: [c] *Deum nemo videbit, & viuet*; Patrem inuiſibilem determinans, in cuius auctoritate & nomine ipſe erat Deus, qui videbatur, Dei filius. Sed & penes nos Chriſtus, in perſona Chriſti accipitur, quia & hoc modo noſter eſt. Igitur quæcunque exigitis Deo digna, habebuntur in Patre inuiſibili, incongreſſibilique & placido, & (vt ita dixerim) Philoſophorum Deo. Quæcunque autem vt indigna reprehenditis, deputabuntur in filio, & viſo, & audito, & congreſſo, arbitro patris & miniſtro, miſcente in ſemetipſo hominem & Deum; in virtutibus, Deum; in puſillitatibus, hominem; vt tantùm homini conferat, quantum Deo detrahit: totum denique Dei mei penes vos dedecus, Sacramentum eſt humanæ ſalutis. Conuerſabatur Deus vt homo diuinè agere doceretur. Ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo poſſet. Deus puſillus inuentus eſt, vt homo maximus fieret.

Gen. 3. 9. & ſeq. Gen. 12. 1. & ſeq. Io. 1. 1. & 14. a Pſal. 8. 6. Gen. 18. 21. Gen. 3. 9. & ſeq. Gen. 4. 6. & ſeq. Exo. 32. 10. Gen. 22. 16. b Matth. 11. 27. c Exo. 33. 20.

DEI INFIRMA. II. SCHOLIA.

COLLIGITIS. *Martionita ex veteri teſtamento.* AD DESTRVCTIONEM. *Vt Creatoris gloriam euertatis.* HVMANOS CONGRESSVS. *Cum hominibus colloqui & conuerſari.* NISI HVMANOS, *&c. Et hic errorem inſinuat ſuum de quo alibi. Qua dicit Dei filium incarnandum, quoties in veteri teſtamento cum Prophetis aliiſque collocutus & conuerſatus eſt, in vera, licet nondum nata carne, apparuiſſe. Quod autem humanos affectus verè tum ſuſceperit, vt iræ, zeli, pœnitentiæ, &c. Similiter erroneum eſt, ſed more hominum, cum hominibus égit, non propriè aſſumptâ humanâ ira vel miſericordiâ, quæ Deo non conuenit, niſi remotâ perturbatione & defectu humano, vt alibi ex Aug. diximus.* VIM INTOLERABILEM. *Sic & Moyſi* incontemplabilem faciem *Praefulgore, dixit. Ita & ſponſa radios maieſtatis ſponſi ſui attemperatos ſuis oculis dixit intellectu humanitatis.* En ipſe ſtat retrò poſt parietem noſtrum, reſpiciens per cancellos, proſpiciens per feneſtras. *Aug. Ep. 3. ad Volusianum.* Ita inter Deum & homines mediator apparuit, vt in vnitate perſonæ copulans vtramque naturam, & ſolita ſublimaret inſolitis, & inſolita ſolitis temperaret. CONGRESSIONEM. *Sit, perſeueret diſputatio.* DIVERSATVM. *Philipp 2. 6.* Qui cum in forma Dei eſſet, &c. In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. *De conuerſatione eius, & ordine conditionis humanæ, quam ſuſceperus erat, factus homo. Baruch. 3. 38. ſic loquitur:* Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. *Quòd viator factus ille, qui terminus eſt viæ noſtræ, ſic teſtatur Ieremias:* Expectatio Iſraël ſaluator eius in tempore tribulationis: quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendũ *70. adhuc exteſſus:* Expectatio Iſraël Domine: & ſaluabis in tempore malorũ; Quare factus es ſicut aduena in terra, & quaſi indigena diuertens ad diuerſorium? *Cui nec locus naſcenti in via, fuit in diuerſorio, nec locus proprius vbi caput reclinaret.* REVINCIMINI. *Conuincimini retortâ in vos ipſos fidei veſtra victoriâ.* SVBLIMIOR. *Chriſtus Deus veſter quem longè præponitis Creatori. Si Deus ille noſtro eminentior, vt creditis, ſic humiliauit ſe, vt ſe ad mortem uſque crucis deponeret, cur indignum putatis Deo noſtro viliori aliquas humiliationes, infirmitateſque conuenisse, qua qualeſcumque fuerint, longè tamen illa in veteri lege ſuſcepta à filio Dei Creatoris incarnando ſunt tolerabiliores opprobriis, cruce, ſepulcro mendicato, quibus ſe Deus & Chriſtus veſter ſubiecit, & quidem ſi in fictitia carne vt vultis, tantò turpius, quantò fallacius, & Deo verò indignius.* AN HÆ, *&c. Ille inquam ipſe quas filium Dei iam in veteri Teſtamento ſubiiſſe dicimus, vel humiliationes, illa quas vos in Chriſto veſtro agnoſcitis, iam nobis fauent, & iudicium pro nobis contra vos proferunt, Chriſtum illum qui ſe humanis affectibus & paſſionibus ſubiecit, Dei noſtri Creatoris eſſe filium, cui velut indignas affectiones humanas exprobratis. Nos enim profitemur ab initio mundi Chriſtum incarnandum, veluti Patris ſui procuratorem eius nomine tractaſſe & collocutum eſſe cum Adamo, Noë, Abraham, aliiſque Patriarchis & Prophetis.* FILIVM FECIT. *Genuit.* DISPOSITVS EST. *Deputatus & miſſus.* EDISCENS. *Quaſi iam preludens incarnationi ſuæ, & ediſcens veluti affectus humanos. Vnde ſic Sapientia incarnanda Prouer. 8.* Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. *Plura de filio Dei in veteri lege apparente dicemus Verbo, Trinitatis ſecunda perſona.* QVI DESCENDIT. *Gen. 18. 21. In Sodomitas:* Deſcendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: An non eſt ita, vt ſciam. QVI INTERROGAT, *Gen. 3. 9.* Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei: vbi es? *Et Gen. 4. 6.* Quare iratus es, ео. *Triſtis factus es?* Et cur concidit facies tua? *Et*

A B C

versu 9. Vbi est Abel frater tuus? QVI POSTVLAT. *Exodi 32. 10.* Dimitte me vt iracscatur furor meus. QVI IVRAT. *Gen. 22. 16.* Per memetipsum iurauidicit Dominus, &c. *Psal. 104. 9.* Quod disposuit, ad Abraham, & iuramenti sui ad Isaac. COMMVNE. *Quod nos omnes Catholici admittimus: Matth. 11. 27.* Nemo nouit filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. PENES NOS. *Nostro sensu, Christus in propria persona locutus est. Exo. 33. 20. dum ait Moysi* Non poteris videre faciem meam, *Id est diuinitatem meam.* Non enim videbit me homo & viuet. HOC MODO. *Id est in quantum est filius Creatoris, Christus noster est.* DEO DIGNA. *Id est, recipimus & Marcionita, quæ vultis Deo esse dignæ, vtpote. quod* B *inuisibilis sit, remotus à commercio humano, affectibus iræ & zeli, quæ omnia Epicurai Deo imperturbabili & placido digna censuerit, Hæc nos Deo Creatori & Patri Christi congrua dicemus: cætera autem in veteri Testamento dicta, vt vilia & infirma quæ iudicatis esse indigna Deo, hæc filio Creatoris incarnando, & humanis affectibus præludenti, & velut assuescenti tribuemus, qui tum ministerio nuntij, procuratoris, & iudicis à Patre missus fungebatur, humana forma assumpta, vt commodius cum hominibus conuersaretur.* MISCENTEM. *In semetipso. Sequentia iam alibi exposuimus. Cæterum in hæc quæ de præludio dicit author noster, de vero & reali, Verbi Dei cum carne commercio, & mixtura, absque tamen confusione substantiarum, & in* C *vnitate personæ, præter iam dicta, ex Aug. superaddo, ep. 3. ad Volusianum.* Duarum rerum incorporearum commixtio facilius credi debuit quàm vnius incorporeæ, & alterius corporeæ. Nam si anima in sua natura non fallitur, incorpoream se esse comprehendit; multò magis incorporeum est Verbum Dei, ac per hoc, Verbi Dei & animæ credibilior debuit esse permixtio quam animæ & corporis. Sed hoc in nobis ipsis experimur, illud in Christo credere iubemur. Si autem vtrumque nobis pariter inexpertum, credendum præciperetur, quid horum citius crederemus? quomodo non fateremur duo incorporea, quàm vnum corporeum, alterumque incorporeum, facilius potuisse misceri? Si tamen non indignè ad ista, mixtionis vel mixturæ nomen admittitur, propter consuetudinem corporalium rerum longè aliter se habentium aliterque notarum. Verbum igitur Dei, idemque Dei filius Patri coæternus, eademque virtus, & Sapientia Dei, à superno fine creaturæ rationalis, vsque ad infimum finem creaturæ corporalis attingens fortiter, & disponens omnia suauiter, præsens, *sensibus humanis spectabilis vt homo,* Et latens, *vt Deus inaccessibilis lucis,* Nusquam concluſa, nusquam discissa, nusquam tumida, *vt in homine clauderetur, in anima & corpore diuideretur, in sinu Patris, & in sinu matris; & breui corpusculo immensa diuinitas concluſa, intumesceret;* Sed sine mole vbique tota, longè alio modo quodam, quàm eo quo creaturis cæteris adest, suscepit hominem, seque & illum, fecit vnum Iesum Christum, mediatorem Dei & hominum, æqualem Patri secundùm diuinitatem, minorem Patre secundùm carnem; hoc est secundùm hominem: incommutabiliter immortalem, secundùm æqualem Patri diuinitatem; eumdemque mutabilem atque mortalem, secundùm cognitam nobis, *vel cognatam,* infirmitatem: In quo Christo, eo tempore quod opportunissimum ipse nouerat, & ante sæcula disposuerat, venit hominibus magisterium & adiutorium, ad capessendam sempiternam salutem. *Quo loco pulchrè exposuit Tertullianus.*

S. Aug.

3. Deo ignorantiam non affingit illud Geneſis, Adam vbi es? &, vbi est frater tuus? sed increpatio est amici, vel inuitatio ad confessionem. 2. Cont. Marc. cap. 25. in p. ad vltra m.

IAm nunc vt omnia eiusmodi expediam, ad ceteras pusillitates, & infirmitates, & incongruentias (vt putatis) interpretandas purgandasque pertendam. Inclamat Deus, a *Adam, vbi es?* Scilicet ignorans vbi esset; & causato nuditatis pudore, an de arbore gustasset interrogat, scilicet incertus. Immò nec incertus admissi, nec ignorans loci. Enimuerò oportebat conscientiâ peccati delitescentem, euocatum prodere in conspectum Domini, non solâ nominis inclamatione, sed cum aliqua iam tunc admissi fugillatione. Nec enim simplici modo, id est interrogatorio sono legendum est, *Adam, vbi es?* Sed impresso & incusso, & imputatiuo, *Adam, vbi es?* Id est in perditione es; id est, iam hîc non es; vt & increpandi, & dolendi exitus vox sit. Cæterùm, qui totum orbem comprehendit manu, b *Velut nidum;* c *Cuius cælum thronus, & terra scabellum,* Nimirum huius oculos aliqua paradisi portio euaserat, quo minùs illi vbicunque Adam ante euocationem viseretur, tam latens, quàm de interdicta fruge sumens? Speculatorem vineæ vel horti tui, lupus aut furunculus non latet. Deum, puto de sublimioribus oculatiorem, aliquid subiecti præterire non posse. Stultè, qui tantum argumentum diuinæ maiestatis, & humanæ instructionis, naso agis. Interrogabat Deus, quasi incertus, & hîc liberi arbitrij probans hominem, in causa aut negationis aut confessionis daret ei locum sponte confitendi delictum, & hoc nomine releuandi. Sicut de Caïn scisciatur, d *Vbinam frater eius;* Quasi non iam vociferatum à terra sanguinem Abelis audisset: sed vt & ille haberet potestatem ex eadem arbitrij potestate sponte negandi delicti, & hoc nomine grauandi; atque ita nobis conderentur exempla confitendorum potiùs delictorum, quàm negandorum: vt iam tunc initiaretur Euangelica doctrina, e *Ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo damnaberis.* Nam etsi Adam propter statum legis deditus morti est, sed spes ei salua est, dicente Domino, f *Ecce Adam factus est tanquam vnus ex nobis:* De futura scilicet adlectione hominis in diuinitatem. Denique; quid sequitur? & g *Nunc nequando extendat manum, & sumat de ligno vitæ & viuat, in æuum.* Interponens enim, *Et nunc,* Præsentis temporis verbum, temporalem, & ad præsens dilationem vitæ feciſſe se ostendit.

a Gen. 3. 9.

Gen. 3. 9

b Isa. 10. 14.

c Esa. 66. 1.

d Gen. 4. 9.

e Math. 12. 37.

f Gen. 3. 22.

g Gen. 3. 22.

DEI INFIRMA. III. SCHOLIA.

SCILICET IGNORANS. *Ironicè Vel ex sensu Marcionis sic interrogauit Adam; quòd ignoraret, vbi esset.* CAVSATO. *Cùm Adam latibuli quæsiti causam & prætextum allegasset, eo quòd nudus esset. Gen. 3. 9.* Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui eo quòd nudus essem, & abscondi me. SVGILLATIONE. *Reprehensione.* IMPRESSO. *Vt impresseris & incusseris hac voce, sensum pudoris & doloris.* HIC NON ES. *Non es ille iustus & innocens, qualem condidi. Vel.* Hîc non es *Vbi te posueram futurum immortalem, paradisi incolã, vndè iam iam reprobicio, & eiicio ad terram spinas & tribulos germinaturam, in sudore vultus tui pane tuo vescendum.* EXITVS. *Euentus, casus, eiectionis à Paradiso.* NIDVM. *Esa. 10. 14.* Inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, & sicut colliguntur ouа quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui: & non fuit qui mouueret pennam, & aperiret os, & ganniret. 70. Concutiam ciuitates habitatas, & orbem terræ totum. Et apprehendam manu quasi nidũ, & quasi oua derelicta tollam: & non est qui effugiat me, aut contradicat mihi. CÆLVM THRONVS. *Esa. 66. 1.* Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. *Prouo. 70.* Thronus, subpedaneum. OCVLATIONEM. *Quia nullum inde eius oculis impedimentum.* SVBIECTI. *Sub oculis eius positi.* NASO AGIS. *Naso erecto & excusso subsannas & derides.* QVASI INCERTVS. *Non quod verè incertus esset, sed vt homo se agnosceret libentius, dum interrogatus à Deo de peccato, sponte confiteri posset ad veniam, vel dissimulare & excusare, ad maiorem culpam.* HOC NOMINE. *In quantùm liber erat, vel in quantùm pœnitens & confitens de Adam interrogato à Deo, sæpius egit Augustinus, selectionis colligam. to. 4 lib. 83 qq. q. 65. in qua duas simul eiusdem speciei quæstiones exponit, Lazari & Adæ.* Quod interrogat dicens; vbi eum posuistis? vocationem nostram quæ fit in occulto arbitror significari. Prædestinatio enim vocationis nostræ occulta est: cuius secreti signum est interrogatio Domini, quasi nescientis, cùm ipsi nesciamus: sicut dicit Apostolus, vt cognoscam, sicut & cognitus sum: vel quòd ignorare se peccatores alio loco Dominus ostendit, dicens, non noui vos. Quod significabat Lazarus sepultus, quia & in disciplina, & in præceptis eius, non sunt peccata. *Vnde paulò supra dixit, in allegoria accipiamus Lazarum, animam terrenis peccatis obrutam, id est omne humanum genus.*

Augusti. Huic interrogationi simile est illud in Gen. Adam vbi es? quoniam peccauerat, & se absconderat à facie Dei. Quam occultationem hîc sepultura significat: vt peccantis habeat similitudinem moriens: sepultus absconditi à facie Dei. *Et to 5. lib.*

Augusti. *13. de Ciuit. c. 15.* In eo quòd inobediens motus in carne animæ inobedientis exortus est, propter quem pudenda texerunt, sensa est mors vna, in qua deseruit animam Deus. Ea significata est verbis eius, quando timore dementi sese abscondenti homini dixit, Adam vbi es? non vtique ignorando quærens, sed increpando admonens, vt attenderet vbi esset, *Scilicet in statu mortis*, in quo non esset Deus *Vera vita anima eius.* Cùm verò iam corpus ipsa anima deseruit ætate corruptum, & senectute confectum, venit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens homini dixerat, terra es, & in terram ibis. *Et to. 3. lib.*

Augusti. *11 de Gen. ad lit. c. 34.* Vbi es? Increpantis vox est, non ignorãtis. Et hoc sanè ad aliquã pertinet significationem: quod sicut præceptum viro datum est, per quem veniret ad fœminam; ita vir prior interrogatur. Præceptum enim à Domino per virum vsque ad fœminam; peccatum autem à diabolo per fœminam vsque ad virum. VBI NAM FRATER. *Gen. 4. 9.* Vbi est Abel frater tuus? *De hoc, Aug. to. 6. lib. 12. Cont Faustum c. 10.* Interroget Deus Cain, non tanquam ignarus, cum à quo discat; sed tanquam Iudex reum quem puniat, &c. *Et to 9. de quæstionibus c. 3.* Interrogat Deus Cain quasi nescius, quasi ignarus, & dicit, vbi est Abel frater tuus? quæ vox non est ignorantis, sed peccatum ante oculos sceleratè ponentis; vt inexcusabilis sit omnis homo qui & admonitus pœnitere non vult in malo. Vbi est, &c. Hoc fuit dicere ei, agnosce Cain, non me potuisse latere, id quod me putasti posse latere. Agnosce quid feceris, & de proximo age pœnitentiam, vt possis accipere indulgentiam. Verùm ille sensu durior, in scelere pertinacior, &c. Dicit, nescio, &c. Et Dominus illi; quid fecisti? vox sanguinis, &c. Si agnoscerem fraternitatem, tantam nõ committeres immanitatem. Si timeres meum iudicium, in fratrem non committeres parricidium, &c. Agnosce iam terra, quoniam irrigata es sanguine innocentis, confunce vocem negantis, suscipe sanguinem confitentis. DAMNABERIS. *Matth. 12. 37.* Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. STATVM LEGIS. *Statutam legem, qua edixit Deus:* Quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini. ADLECTIONE. *Assumptione humanæ naturæ à Verbo, in qua verum est Christum factum Deum, ob identitatem hypostasis Verbi. Et per Christum spes immortalitatis recuperanda.* ET NVNC. *Sic Gen. 3. 22* Nunc ergo no forte mittat manum suam & sumat etiam de ligno vitæ & comedat, & viuat in æternum. Et dimisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. 70. Et nunc, ne aliquando extendat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & edat, & viuat in æternũ. *Aug. to. 1. lib. 2. de Gen. cõt manich. cap.* S. August. *22* Factus est tanquam vnus ex nobis, dupliciter intelligi potest: vel vnus ex nobis, quasi & ipse Deus; quod pertinet ad insultationem, sicut dicitur vnus ex Senatoribus, &c. Vel sic dictum est, ex nobis, quomodo dicitur ex Exconsulibus, aut Proconsulibus, qui iam non est: &c. Manus autem porrectio, bene significat crucem, per quam vita æterna recuperatur, &c. Benè dictum est, dimisit, non exclusit; vt ipso peccatorum suorum pondere, tanquam in locum sibi congruum videretur vrgeri, &c. Dimissus est ergo de Paradiso suauitatis, vt operaretur terram, de qua sumptus erat; id est vt in corpore isto laboraret, & ibi si posset, collocaret sibi meritum redeundi. Moratus est autem contra Paradisum in regione, quæ vtique beatæ vitæ contraria est; nam beatam vitam Paradisi nomine significatam existimo. DILATIONEM. *Deus non sic eiecit hominem de Paradiso terrestri, vt nulla ei spes superesset, regressus ad vitam immortalem; sed tunc ad præsens tempus distulit, vt per Christum futurum sicut vnus ex personis Trinitatis, qui ex Patre.* Prædestinatus est filius Dei secundùm spiritum sanctificationis, &c. *Homo in meliorem cœlestem æternumque Paradisum restituendus esset. De quo & ipse in Cruce, manum extendens ad crucem, licet lignum mortis, fructum vitæ omnibus hominibus carperet, atque porrigeret, diuturnus & latroni,* Hodie mecum eris in Paradiso, *Quia & ipse peccatum agnouerat confitens, & pœnitens dicensque*: Nos digna factis nostris patimur. *Quod Adam, Cainque interrogati non fecerunt.*

4. *Deo adſcribi non debet ignorantia, vel infirmitas, in deſcenſu ad Sodomam. 2. Cent. Marc. cap. 25. in fin.*

a Gen. 18. 21. SEd ad Sodomam & Gomorrham deſcendens, a *Videbo*, ait, *ſi ſecundùm clamorem peruenientem ad me conſument, ſi verò non; vt agnoſcam.* Et hîc videlicet ex ignorantia incertus, & ſcire cupidus. An hic ſonus pronuntiationis neceſſarius, non dubitatiuum, ſed comminatiuum exprimens ſenſum ſub ſiſcitationis obtentu? Quòd ſi deſcenſum quoque Dei irrides, quaſi aliter non potuerit perficere iudicium, niſi deſcendiſſet; vide ne tuum æquè Deum pulſes. Nam & ille deſcendit, vt quod vellet, efficeret.

5. *De Deo quomodo pœnitentia dicatur. Vide Verbum Dei immutabilitas. num. 5.*

De Deo plura, vide Verbo, Trinitas.

DEI INFIRMA. IV. SCHOLIA.

DESCENDENS. *Gen.* 18. 21. Deſcendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: An non eſt ita, vt ſciam. 70. Si ſecundùm clamorem ipſorum venientem ad me conſummantur; ſin autem non, vt ſciam. ET HIC VIDELICET. *Iniuriè, vel ex mente Marcionis obiicientis.* TVVM DEVM PVLSIS. *Eâdem obiectione feriar.* DESCENDIT. *De cœlo in Synagogam, & in terras ad conuerſandum etiam de deſcenſu ad Sodomas. Auguſtinus to. 4. lib. quæſtionum in Gen. 4. 39.* S. Auguſt. Verba hæc, ſi non dubitantis, quid horum potiùs euenturum ſit, ſed iraſcentis & minantis accipiamus, nulla quæſtio eſt. More quippè humano Deus in ſcripturis ad homines loquitur, & eius iram nouerunt ſine perturbatione eius, intelligere qui nouerunt. Solemus autem etiam ſic minaciter loqui: videamus ſi non tibi facio: aut videamus ſi non illi facio: & ſi non potuero tibi facere: vel ſciam, id eſt hoc ipſum experiar, vtrum non poſſim: quod comminando, non ignorando dicitur, irati appa- A ret affectus: ſed perturbatio non cadit in Deum; mos autem humanæ locutionis, & vſitatus eſt, vt humanæ infirmitati congruat: cui Deus coaptat locutionem ſuã. *Ita & lib. 9. de Ciuit. cap. 5. vbi de Angelis.* Qui & Deũ repræſentabant in hac Sodomorum vindicta. Iſtarum nomina paſſionum, conſuetudine locutionis humanæ etiam in eos vſurpantur, propter quandam operum ſimilitudinem, non propter affectionum infirmitatem: Sicut ipſe Deus ſecundùm ſcripturas iraſcitur, nec tamen vlla paſſione turbatur. Hoc enim Verbum vindictæ vſurpauit effectus, non illius turbulentus affectus. *Vide* Auguſt. *in hanc rem multa & præclara to. 4. lib. 2. qq. ad Simplicianum q. 2. vbi doctiſſimè reſpondet quærenti quomodo in Deo, cui omnia præſentia ſunt, ſit præſcientia futurorum, quomodo ira quæ turbida eſt, ſit in Deo tranquillo, quomodo miſericordia, zelus, pœnitentia, &c. Quæ omnia breuitatis cauſâ prætereo, alibi iam ſufficienter expoſita.* B

DIABOLVS ET DÆMON.

1. *Dæmones, & ſubſtantiæ ſpiritales à Philoſophis & Poëtis agnitæ, & execratæ à Plebe. Apol. cap. 22. in p.*

DIcimus eſſe ſubſtantias quaſdam ſpiritales: nec nomen nouum eſt. Sciunt dæmonas Philoſophi, Socrate ipſo ad dæmonij arbitrium expectante. quidni? cùm & ipſi dæmonium adhæſiſſe à pueritia dicatur, dehortatorium planè à bono. dæmonas ſciunt poëtæ. & iam vulgus indoctum in vſum maledicti frequentat. nam & Satanam principem huius mali generis, proinde de propria conſcientia animæ eâdem execramenti voce pronuntiat.

2. *Dæmones eſſe, & mali omnis authores, omnis anima naturaliter nouit. De Teſtim. an. cap. 3. per totum.*

ENimverò cùm dæmonia adfirmamus eſſe, ſanè quaſi non & probemus, qui ea ſoli de corpotibus exigimus; aliqui Chryſippi adſentator inludit. Et eſſe, & abominationem ſuſtinere, execrationes tuæ reſpondent. Dæmonium vocas, hominem aut immunditiâ, aut malitiâ, aut inſolentiâ, aut quacunque maculâ, quam nos dæmoniis deputamus, aut ad neceſſitatem odij importunum. Satanam denique in omni auerſatione, & aſpernatione, & deteſtatione pronuntias, quem nos dicimus malitiæ Angelum, totius erroris artificem, totius ſeculi interpolatorem, per quem homo à primordio circumuentus, vt præceptum Dei excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de ſuo ſemine infectum, ſuę etiam damnationis traducem fecit. Sentis igitur perditorem tuum. Et licet ſoli illum nouerint Chriſtiani, vel quæcunque apud Dominum ſecta, & tu tamen eum noſti, dum odiſti.

Digitized by Google

3. Dæmon à natiuitate, non Socrati tantùm, sed omni Gentili ex superstitione prouocatur. De An. cap. 39. in p. & supra num. 1.

CVi enim hominum non adhærebit spiritus nequam, ab ipsa etiam ianua natiuitatis animas aucupabundus, vel quà inuitatus, tota illa puerperij superstitione? ita omnes idololatriâ obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc veteri infulis apud idola confectis redimiti, genimina sua dæmoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinæ & Dianæ eiulatur: dum per totam hebdomadam Iunoni mensa proponitur: dum vltima die Fata scribunda aduocantur: dum prima etiam constitutio infantis super terram, Statinæ deæ sacrum est. Quis non exinde aut totum filij caput reatui vouet, aut aliquem excipit crinem, aut tota nouacula prosecat, aut sacrificio obligat, aut sacro obsignat, pro gentica, pro auita, pro publica aut priuata deuotione? Sic igitur & Socratem puerum adhuc spiritus dæmonicus inuenit. Sic & omnibus Genij deputantur, quod dæmonum nomen est. Adeò nulla fermè natiuitas munda est. Vtique Ethnicorum.

DIABOLVS. I. II. III. SCHOLIA.

SPIRITALES. *Angelos. Et notatu dignum, cum inter errores eius sit anima rationalis corporalitas, itemque in Angelis malis, appetitum admittat fœminarum, quarum amore libidinoso peccauerint, hic Angelos & dæmones agnoscat substantias spiritales.* AD DÆMONII ARBITRIVM. *Vt nihil nisi suggerente dæmone sibi à puericia adhærente, & ex eius nutu aggrederetur. Vnde Minutius:* Eos Spiritus dæmonas esse Poëtæ sciunt, Philosophi disserunt, Socrates nouit, qui ad nutum & arbitrium assidentis sibi dæmonis vel declinabat negotia, vel petebat. Aug. *Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 14.* Apuleius Platonicus Madaurensis de hac re sola vnum scripsit librum, cuius titulum esse voluit de Deo Socratis: vbi disserit & exponit, ex quo genere Numinum Numinem sibi Socrates habebat adiunctum, & amicitiâ quâdam conciliatum, à quo perhibetur solitus admoneri, vt desisteret ab agendo, quando id quod agere volebat, prosperè non fuerat euenturum. Dicit enim apertissimè, & copiosissimè asserit, non illum Deum fuisse, sed dæmonem diligenti disputatione pertractans istam Platonis de Deorum sublimitate, & hominum humilitate, dæmonum mediocritate sententiam. DÆMONAS SCIVNT. *Alij legunt vno contextu:* Dehortatorium planè à bono omnes sciunt Poëtæ. *Vt enim dæmonium ad malum omne impellit, sic auertit ab omni bono.* FREQVENTAT. *Cùm olim dæmones apud Gentiles venerationi essent, iam frequenter cùm alicui maledicit vulgus, dæmoni deuouetur.* MALI GENERIS. *Non naturâ sed peccato mali.* CONSCIENTIA. *Naturali luce indità animæ, execrationi & abominationi habetur Satanas.*

2. CVM DÆMONIÀ. *Alij interrogatiuè legunt:* Cur dæmonia. SANE QVASI, *&c. Ironicè dicta: quasi verò, inquit, &c. Cur non affirmaremus nos Christiani, esse dæmonia, cum nos soli inter omnes homines, malas has bestias, humanis corporibus abigamus: quidquid aliquis, Chrysippi opinioni blandiens, dæmones nullos esse dicitet, & nobis, aliisque dari dæmones affirmantibus, illudat. Animalia Aug. dicit aëria; to. 1. lib. 1. Cont. Academ. cap. 7. Vbi de versibus* Auguſt. *ab alio compositis.* Talia cùm in memoriam nostram incurrerint, non mirum est, si sentiri possunt ab huius aëris animalibus quibusdam vilissimis, quos dæmonas vocant, à quibus nos superari acumine ac subtilitate sensuum posse concedo. *Et lib. 2. de* Auguſt. *Ordine, cap. 9.* Metuenda est aëriorum animalium mira fallacia. *Ep. autem ad Deo gratias, spiritalem creaturam dæmonem esse dicit:* Cùm omnis creatura partim corporalis, sit partim verò incorporalis, quam etiam spiritalem vocamus, manifestum est, id quod à nobis piè ac religiosè fit, à voluntate animi proficisci, quæ creatura spiritalis est, & omni corporali præponenda. Vndè colligitur, corporali creaturæ non esse sacrificandum; restat spiritalis, quæ vel pia, vel impia est: pia scilicet in hominibus & Angelis iustis, & Deo ritè seruientibus impia verò in hominibus & Angelis iniquis, quos etiam dæmones dicimus. *Vnde & infra Tertull. subiicit, dæmonium vocas hominem, aut immunditiæ, aut malitiæ, &c. Quam dæmoniis deputamus, id est imputamus,* Ac per hoc, nec spiritali quamuis iustæ S. Auguſt. creaturæ sacrificandum est: quoniam quantò magis pia est & subdita Deo, tantò minùs se tali honore dignatur, quem scit non deberi nisi Deo. RESPONDENT. *Attestantur esse dæmones.* IMPERTVNVM. *Ineptum & vanum est ad exprimendum alicuius rei malæ odium, eam tanquam dæmonem execrari, nisi dæmones sint, & esse credantur. Alij minùs aptè legunt.* Opportunum. INTERPOLATOREM. *Figmentis suis corruptorem.* TRADVCEM. *Quasi visem sibi connexuit, vt de damnatione sua participaret, corrupto fonte & radice in Adam, traduxit virus suum in omnes rinulos & ramos.* SOLI. *Ex fide & scriptura.* QVÆCVMQVE SECTA. *Id est quicumque Deum verum colunt.* DVM ODISTI. *Testimonium das, probas odio tuo & execratione te credere, esse dæmones. De Saturno nomine cuicumque malè aduersanti homini impositio, Christus ipse Dominus asserter, sibi ad crucem anhelanti aduersantem Petrum vocando Satanam, quem aliàs beatum dixit se Christum filium Dei viui confitentem.* Vade post me satana. *Aug. ser. 13. de Verbis Do.* Idem ipse Pe- S. Auguſt. trus, paulò ante beatus, posteà satanas, in momento vno, infra pauca verba miraris differentiam nominum, differentias attende causarum. Quid miraris quia paulò ante beatus, postea satanas? attende causam quare beatus, quia non tibi reuelauit caro, &c. Si enim caro & sanguis hoc tibi reuelàret, de tuo; quia verò non caro, &c. Sed Pater, &c. De meo, non de tuo: &c. Quare autem illud quod horrescimus, & repetere nolumus, quare, nisi quia de tuo? non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. *Et to. 9. tract. de quarta feria c. 5.* Talia S. Auguſt. sapientem increpauit, & Apostolum diabolum vocauit, dicens, redi retrò satanas, &c. Æstimauit enim Petrus totam illam diuinitatis pulchritudinem absorberi potuisse in corporis humani specie, & nesciebat agi illud magnum Sacramentum,

quòd propterea ſe illam pulchritudinem quodammodo expoliaret, vt quam ſibi coniungere dignabatur ſponſam Eccleſiam, eandem ipſam pulchritudinem ipſe veſtiret. Non enim dando perdebat illud quod erogando creſcebat. Ille dedit, hæc accepit; & iſta quod non habuit inuenit, & ille dando, quod dedit non amiſit; quia cum ipſa pulchritudine à mortuis reſurrexit. Quid expaueſcis Petre, quaſi perdiderit Chriſtus illam pulcrã veſtem, quando eum nudum intendebas in ligno pendentem? Noli expaueſcere, noli timere, noli negare: tunicam illam diuinitatis atque immortalitatis Chriſtus non perdidit in cruce, quia ſponſæ ſuæ eam conſignauit in dote. *Sathanas ergo dictus Petrus, qui inſtigatus à ſathana Chriſtum dehortabatur à tanto bono mortis, quà omnia à ſe in hominem damna congeſta reparari timebat, ſicut ſuprà Tertull. dæmonium dixit,* Dehortatorium planè à bono, *Et ſatanam dictum quemlibet* in auerſatione & deteſtatione.

3. HOMINVM. *Paganorum ſcil. de quibus hîc loquitur, vt patet ex ſequentibus. Quamquam non negem, omni puero in peccato originali naſcenti, & diabolo proinde ſubiecto, dæmonem adhærere, donec in baptiſmo exſufflatus abigatur; licet tamen à Deo, vt notat Aug. etiam infantes baptizati, dæmonibus agitandi permittantur.* PVERPERII SVPERSTITIONE. *Quam in partu pueri exerceri ſolitam fusè deſcribit in ſequentibus.* IDOLOLATRIA OBSTETRICE. *Adeò tota in omnibus exercetur, vt ipſa videatur eſſe obſtetrix eductioni pueri, eiuſque partui præfecta.* DVM IPSI. *Puerorum ſcil. patres.* INFVLIS. *Mitris, ſiue faſciis, & taniis, primò in ſimulacris Deorum poſitis, ſicut nunc piè & ſanctè, in ſanctorum imaginibus, vel ſepulchris, aut reliquiis, zona vel corolla, aliaque eiuſmodi poſita, pragnantibus ad fauſtum puerperium imponuntur.* REDIMITI. *Coronati.* VTERI. *Ventres matrum præcincti. Vt adipſas non ad patres referas.* GENIMINA CANDIDATA. *Iam inde conſecratos idololatriæ pueros ſuos, myſteriiſque deorum initiatos profitentur.* EIVLATVR. *Vna cum eiulante & vagiente puero reclamatur Lucina & Diana.* PER TOTAM HEBDOMADAM. *De Septimana, à puero nato celebri videndus Suidas & Heſychius. De menſa Iunoni parata vſque ad octauum diem in puellis, nonum in pueris, qui & luſtricus dicebatur ex Plut. Feſto & Macrob. Videndus idem Macrob. lib. 3. Saturn. c. 11. Seneca autem & Plin.* Singulis, & geniũ & Iunonem dederunt. FATA SCRIBVNDA ADVOCANTVR. *Hic luſtricus dies erat, quo & mulieres quæ iuuerant parientem, manus purgabant; quo propinqui & amici vocabantur, electo vno qui nomen puero imponeret, tum fata ſcribebantur, hoc eſt innocuis diis, & amicis & vetulis proſpera puero accinebantur. De quo ſic Aug. 4. de Ciuit. c. 11, & de toto apparatu puerperij, vbi Iouem & ſummum Deum, omnium minutorum deorum munia implere dicit, ex mente ſubtilium Gentilium.* Ipſe præſit nomine Liberi, virorum ſeminibus, & nomine Liberæ, fœminarum.

A Ipſe ſit Dieſpiter, qui partum perducat ad diem Ipſe ſit Dea Mena, quam præfecerunt menſtruis fœminarum. Ipſe Lucina, quæ à parturientibus inuocetur. Ipſe opem ferat naſcentibus excipiens eos ſinu terræ, & vocetur Opis. Ipſe in vagitu os aperiat, & vocetur Deus Vaticanus. Ipſe leuet de terra, & vocetur dea Leuana. Ipſe cunas tueatur, & vocetur dea Cunina. Nõ ſit alius, ſed ipſe in deabus illis, quæ fata naſcentibus canunt, & vocantur Carmentes. *Hæc prius dicta Nicoſtrata Ioni Arcadum Regis filia apud Varronem erant dicta Carmena. Ex aliis Caſmena vel Camena. De huiuſmodi deabus rurſum Aug. lib. 4. de Ciuit. c. 21.* Quid opus erat Auguſt. Opi Deæ commendare naſcentes, Deo Vaticano vagientes, Deæ Cuninæ iacentes, Deæ Ruminæ ſugentes, Deo Statilino ſtantes. *Tertull. Statinæ Deæ vult Sacrum fieri primo die, quo infans ſuper terram ſtare incipit.* Deæ Adeonæ adeuntes, Abeonæ abeuntes, Auguſt. deæ Menti, vt bonam haberent mentem, Deo Volumno, & Deæ Volumnæ, vt bona vellent, diis nuptialibus, vt bene coniugarentur; diis agreſtibus, vt fructus vberrimos caperent. Et maximè ipſi diuæ Fructeæ, Martî & Bellonæ, vt benè belligerarent; Deæ Victoriæ, vt vincerent; Deo Honori, vt honorarentur; deæ Pecuniæ, vt pecuniosi eſſent. EXINDE. *Poſt primum annum, vel vt alij malunt, poſt tertium, aut quartum.* TOTVM CAPVT. Totã nouaculâ profecando. *Vt ſubiicit, id eſt tondendo.* EXCIPIT CRINEM. *Iuxta diuerſos mores, vel totum radit, nullo capillo excepto, vel crinem aliquem excipit, & creſcere ſinit, ſicut in ſummo vertice Dacæ factitabant, teſte Adriano Iunio. Abantes ex Plut. in Theſeo, capillum anteriorem radere ſolebant. Arabes iuxta Herodotum, in formam rotundam tempora attondebant. Maxies autem, teſte Herodoto eodem; ſiniſtrâ vasâ, dexteram capitis partem intonſam relinquebant. Romani ex Ouidio lib. 2. faſt. prorſus intonſi, Arymphai è contra ſecundùm Solinum & Pomponium Melam, totum caput radebant.* PRO GENTICA. *Id eſt Gentis & Patriæ, deuotione.* SACRIFICIO OBLIGAT. *Poſt ſolemnem luſtrum ſacrificium offertur, quo pueri caput & vita dæmonibus obſtringitur.* SACRO OBSIGNAT. *Ex Turnebo, votum in charta ſcriptum, idoli genibus cera obſignatum affigebatur, vt teſtantur Prudentius & Apuleius.* REATVI VOVET. *Id eſt, voto ſuſcepto obſtringit puerum idololatriæ. Diſcrimen notat Macrob. in materia voti, inter damnatum, & reum lib. 3. cap. 2.* Hæc vox, voti reus, propria eſt Sacrorũ: vt reus vocetur, qui ſuſcepto voto ſe numinibus obligat; damnatus qui promiſſa nõ ſoluit. *Alij legunt,* Relatui vouet. *Vtramque recipio lectionem, vt reatus ad votum ſacrilegum idololatriæ pertineat, relatus autem referatur ad ceremoniam, qua ex Proclo in Tim. Plat. poſt tertium, aut quartum annum, parentes pueros offerebant inſcribendos inter tribules, iurantes ſuos eſſe, tum Ioui & Minervæ ſacra faciebant, & puerum ſiſtebant ad aram. Pueri autem comam Apollini, puellæ autem Diana conſecrabant.*

5. Auguſt.

4. Diabolus diuinitatem appetiit, & diis mendacibus mundum impleuit. 5. Cont. Marc. cap. 17. circa. m.

QVis iſte? Sine dubio ille, qui ipſi Creatori filios incredulitatis obſtruit, aëre iſto potitus, ſicut dicere eum profert & refert: [a] *Ponam in nubibus thronum meum, Ero ſimilis Altiſſimo.* Hic erit diabolus, quem & alibi, (ſi tamen ita & Apoſtolum legi volunt) [b] *Deum ani huius* agnoſcemus. Ita enim totum ſeculum mendacio diuinitatis impleuit.

a Eſa. 14. 14.
b 2. Cor. 14. 4.

Diabolus,

5. Diabolus, in Angelum lucis se transfigurans & Deum mentiens, in Magis & Pythonibus animas mortuorum, & ipsius Samuelis, ab inferis euocare se fingit. De anima cap. 57. Anim.

MVlta vtique & aduersùs Apostolos Simon & Elymas Magi, sed plaga cæcitatis de præstigiis non fuit. Quid noui æmulatio veritatis à spiritu immundo? Ecce hodie eiusdem Simonis hæreticos, tanta præsumptio artis extollit, vt etiam Prophetarum animas ab inferis mouere se spondeant. Et credo quia mendacio possunt. Nec enim Pythonico tunc spiritui minùs licuit animam Samuelis effingere, post Deum, mortuos consulente Saüle. Absit alioquin vt animam cuiuslibet sancti, nedum Prophetæ, à dæmonio credamus extractam, edocti quod, [a] *Ipse Satanas transfiguretur in Angelum lucis*, Nedum in hominem lucis, etiam Deum se adseueraturus in fine, [b] *Signaque portentosiora editurus, ad euertendos, si fieri possit, electos.* Dubitauit, si forte, tunc prophetam se Dei asseuerare, & vtique Saüli, in quo iam ipse morabatur? Ne putes alium fuisse qui phantasma administrabat, alium qui commendabat; sed eundem spiritum & in pseudoprophetide, & in apostata facilè mentiri, quod fecerat, credi, per quem Saülis [c] *Thesaurus illic erat, vbi & cor ipsius*, Vbi scilicet Deus non erat. Et ideò per quem visurum se credidit, vidit: quia per quem vidit, & credidit. Si & de nocturnis imaginibus opponitur, sæpè non frustra mortuos visos, (nam & Nasammonas propria oracula apud parentum sepulcra manssitando captare, vt Heraclides scribit, vel Nymphodorus, vel Herodotus: & Celtas apud virorum fortium busta eâdem de causa abnoctare, vt Nicander adfirmat) non magis mortuos verè patimur in somnis, quàm viuos, sed eâdem ratione mortuos quà & viuos, & omnia quæ videntur. Non enim quia videntur, vera sunt, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renuntiatur.

a 2. Cor. 11. 14. 2. Thess. 2. 4. b Math. 24. 24. c 1. Reg. 28. 15. c Math. 6. 21.

6. Diabolus non est mundi Deus, licet sit rector peccatorum. Calumniator est, mendacium imponens Deo. 5. Cont. Marc. cap. 18. circa fin.

Aduersùs mundi tenentes luctatio si nobis, O quanti iam Dij Creatores! Cur enim non & hoc vindicem, vnum mundi tenentem nominari debuisse, si Creatorem significabat, cuius essent, quas præmisit potestates? Porrò, quum suprà quidem [b] *Induere nos iubeat armaturam, in qua stemus ad machinationes diaboli;* iam ostendit diaboli esse, quæ diaboli esse, quæ diabolo subiungit, [c] *Potestates & mundi tenentes tenebrarum istarum*, Quæ & nos diabolo deputamus. Aut si diabolus Creator est, quis erit diabolus apud Creatorem? An sicut duo Dei, ita & duo diaboli, & pluraliter potestates & mundi tenentes? Sed quomodo Creator & diabolus & Deus idem? cùm diabolus non idem & Deus & diabolus. Aut enim ambo & Dei, si ambo iam, diaboli; aut qui Deus hic & non diabolus, sicut nec diabolus Deus. Ipsum vocabulum diaboli, quæro ex qua delatura competat Creatori? Fortasse detulit aliquam Dei superioris intentionem, quod ipse ab Archangelo passus est, & quidem mentito. Non ideò enim interdixerat illius arbusculæ gustum, ne Dei fierent, sed ne de transgressione morerentur.

a Ephes. 6. 12. b Ibid. 11. c Ibid. 12. Gen. 3. 4. Gen. 2. 17.

DIABOLVS. IV. V. VI. SCHOLIA.

QVIS ISTE? *Agebat hic Tertull. de operario incredulitatis diabolo, secundùm Paulum.* OBSTRVIT. *Quorum aures occludit ne audiant Verbum Dei, oculos, ne videant.* POTITVS. *Quia hunc de ionibus aëreis locum concessit Deus.* REFERT. *Supple Esaias 14. 14.* Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo *De peccato diaboli, superbiaque quâ Deo se subiicere noluit, qua homini inuidit, sapè Augustinus. Hæc breuiter note. lib. 14. de Ciuit.* August. *c 3. Vbi cùm eum suasorem omnis peccati carnalis dixisset: sic concludit:* Cùm sit etiam talium peccatorum suasor & instigator occultus: est tamen maximè superbus atque inuidus. Quæ illum vitiositas sic obtinuit, vt propter hanc esset in carceribus caliginosi huius aëris æterno supplicio destinatus, &c. Ille secundùm seipsum viuere voluit, quando in veritate non stetit. *Quod sic explicat lib. 11. cap.* Aug. *15.* Sic accipiamus quod in veritate fuerit, sed non permanserit. Et illud, quod ab initio diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus est, sed ab initio peccati, quòd ab ipsius superbia cœperit esse peccatum. *Sic autem in veritate non stetit, quia sub Deo esse noluit, sed sicut ille, independenter à Deo beatus & Deo similis. In quo mendax fuit, & vt subiicit Tertull.* Mendacio diuinitatis mundum impleuit; dum idololatriam introduxit. DEVM ÆVI. *Supra iam exposuimus, nec repetimus.*

5. MVLTA. *Signa & prodigia magica. Supple*, dederunt, *Et ostenderunt. Alij legunt* Simon dedit. DE PRÆSTIGIIS. *Inter præstigia non est numeranda. Vera enim narratur à Luca, Act. 13. 11. Paulo sic contra Elymam Magum loquente.* Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns Solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret. Tunc Proconsul, *Sergius Paulus*, cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini. *Translat. Syr.* Perculsus est, credi-

ed by Google

ditque doctrinæ Domini. QVID NOVI. *Nihil, inquit, nouum, cùm diabolus ex æmulatione, imitatur Dei prodigia, iuxta antiquum zelum diuinæ potestatis; cùm etiamnùm hæretici, Simonis Magi discipuli, inflati arte magica, etiam Sanctorum animas se posse ab inferis euocare iactitent, & velut cerni spondeant.* MENDACIO POSSVNT. *Fictè, præstigiosè.* TVNC. *Dum Saül consuluit Pythonissam agitatam spiritu Pythonico, sic dicto ab Apolline Pythio.* POST DEVM. *Consultum, nec sibi respondentem.* NEDVM IN HOMINEM. *Qualis erat Propheta videns abscondita, & diuina luce futura præuidens. 2. Cor. 11. 14.* Eiusmodi Pseudapostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ, Syr. *transformantur in ministros iustitiæ*, Quorum finis erit secundùm opera ipsorum. IN FINE. *Seculi scil. in Anti-Christo, sicut initio mundi similis esse altissimo voluerat. 2. Thess. 2. 4.* Qui aduersatur, & extollitur supra omne, Syr. *effertur supra omnem.* Quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus. *Translat. Syr.* Qui vocatur Deus, & religio; adeò vt & in templo Dei tanquam Deus sedeat, & ostentet seipsum, quasi Deus sit. *De quo sic breuiter Aug. tract. 29. in Io. 7.* S. Augus. *circa finem:* Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Hic erit ille qui vocatur Antichristus, extollens se, sicut Apostolus ait, supra omne quod dicitur Deus, & quod colitur. Ipsum quippè annuntians Dominus gloriam suam quæsiturum, non gloriam Patris, ait ad Iudæos, ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me: Alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis. Significauit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est: inflatus, non solidus, & ideò non stabilis, sed vtique ruinosus, &c. *Et cùm Christum vnigenitum & æqualem Patri, Deum de Deo dixisset, in forma hominis gloriam Patris non suam quæsisse, & nos multò magis omnia ad eius gloriam referre debere, sic concludit:* Intende tibi, creatura es, S. Augus. agnosce Creatorem; seruus es, ne contemnas Dominum. Adoptatus es, sed non meritis tuis, quære eius gloriam, à quo habes hanc gratiam homo adoptatus, cuius gloriam quæ finit qui est ab illo vnicus natus. ADVERTENDOS *Matth. 24. 24.* Surgent Pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi. DVBITAVIT, *&c. Ironicè. Quasi verò, inquit, dubitauerit dæmon iam dudum in Saüle arreptitio habitans, ai dicere, & affirmare, se esse Samuelem.* ADMINISTRABAT. *Samuelis animam representabat, idem erat dæmon, vel similis spiritus nequam, qui in Pythonissa,* commendabat; *Dicebat se videre inter Deos, id est inter iudices Hebræorum defunctos, ascendentem de Limbis Patrum animam Samuelis.* IN APOSTATA. *Spiritu diabolico, superbo, de quo Sapiens:* Initium superbiæ apostatare à Deo. FACILE MENTIRI. *Fingere & representare fallaciter.* FECERAT CREDI. *Posse felices animam Prophetæ euocare ex inferis.* PER QVEM. *Quo suadente.* VIDIT. *Per dæmonem decipientem & illudentem sensibus, per quem crediderat se posse cum mortuo colloqui Samuele.* SI OPPONITVR. *Si contra obiicitur, non frustra, sed verè sæpè visas nocturnas imagines mortuorum; cùm ex Plinio lib. 5. c. 5. Mesammones in ora Syrtis habitantes, sic dicti, quòd inter mediat arenas habitent; Tertull. vocat Nasamonas, qui aliquandiu commorando in parentum sepulcris, oracula A captabant, & Celtæ, id est Galli inter Sequanam & Garumnam habitantes, teste Nicandro Colophonio Medico, qui tres scripsit libros de oraculis, idcirco etiam circa busta pernoctarent; in quibus corpora bellatorum fortium combusta fuerant; sentio tamen, dum somniamus, sicut illi in bustis & sepulcris noctes transigebant; nec vivos nec mortuos verè, sed illusoriè posse cernere.* QVIA ADIMPLENTVR. *Non ex fallaci visu, sed actuali euentu, fides somniis habenda est. De Apparitione Samuelis expressè & fusè Augustinus to. 4. lib. 2. qq. ad Simplicianum q. 3. & lib. de octo dulcitij quæst. q. 6 eadem ferè ad verbum repetit, vbi problematicè tractat hanc quæstionem. Sic igitur quæstione* 3. Quæris, vtrùm spiritus immundus qui Augus. erat in Pythonissa, potuerit agere, vt Samuel à B Saüle videretur, & loqueretur cum eo? Sed multò maioris miraculi est, quòd ipse satanas princeps omnium immundorum spirituũ potuit loqui cum Deo, & petere ad tentandum Iob iustissimum virum, qui etiam tentandos Apostolos petiit, &c. Quòd si hoc mouet, quòd licuerit maligno spiritui excitare animam iusti, & tanquam de abditis mortuorum receptaculis reuocare; nonne magis mirandum est, quòd satanas ipsum Dominum assumpsit & constituit super pinnam templi? &c. Nisi fortè dixerit, faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Deum viuum, vnde voluit, assumendum, & vbi voluit constituendum; quàm ad Samuelis defuncti spiritum à suis sedibus excitandum. Quòd si illud in Euangelio, nos ideo non perturC bat, quia Dominus voluit atque permisit, nullâ diminutione suæ potestatis & diuinitatis id fieri; sicut ab ipsis Iudæis, quamquam peruersis atque immundis, & facta diaboli facientibus, & teneri se, & vinciri, & illudi, & crucifigi, atque interfici passus est. Non est absurdum credere, ex aliqua dispensatione diuinæ voluntatis permissum fuisse, vt non inuitus, nec dominante, aut subiugante magicâ potentiâ, sed volens atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, quæ & Pythonissam illam, & Saülem latebat, consentiret spiritus Prophetæ Sancti, se ostendi aspectibus Regis, diuinâ eum sententiâ percussurus. Cur enim anima boni hominis à malis viuis euocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam, cùm & viui plerúmque D boni vocati ad malos veniant, & agant cum eis quod officium postulat æquitatis, seruato atque inconcusso decore virtutis suæ, & illorum vitiis pro rerum præsentium, vel vsu vel necessitate tractatis? *Tum immediatè subiicit Tertulliani sententiam*: Quamquam in hoc facto potest esse alius facilior intellectus, & expeditior exitus; vt non verè spiritum Samuelis excitatum à requie suæ credamus, sed aliquod Phantasma & imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quam propterea scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines, rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt, &c. Si igitur liquidò constat, nominibus earum rerum quarum imagines sunt, easdem imagines appellari, non mirum est quod scriptura dicit, Samuelem visum, etiam si fortè imago Samuelis visa apparuit machinamento eius, *Vt supra dixit Tertullianus.* Qui transfigurat se velut in Angelum lucis, & ministros suos velut ministros iustitiæ. *Postea quærens quomodo à spiritu mendacij vera prædicta sint Sauli; respondet*; Cùm vult Deus etiam per infimos & infernos spiritus aliquem vera agnoscere, temporalia dumtaxat atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est, & non incongruum, vt omnipotens & iustus ad eorum pœnam, quibus ista prædicun- Augus.

tur, vt malum quod eis impendet, antequam veniat, A prænoscendo patiantur, occulto apparatu mysteriorum suorum, etiam spiritibus aliquid talibus diuinationis impertiat, vt quod audiunt ab Angelis, prænuntietur hominibus; tantùm autem audiunt, quantùm omnium Dominus atque moderator, vel iubet, vel sinit. *Subiicit de more, demònem falsum vero miscuisse; dum ait Saüli; mecum eris, deinde ait*; Aut si propterea Samuel Saüli dixit, mecum eris: vt non ad æqualitatem fœlicitatis, *si verus Samuel apparuit*: Sed ad parem conditionem mortis referatur, quòd vterque homo fuerit, & vterque mori potuerit, iamque mortuus, mortem viuo prænuntiarit. *Libro autem de cura pro mortuis cap. 15.* Samuel prophera defunctus, viuo B Saüli etiam Regi, futura prædixit: quamuis nonnulli, non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse: cùm liber Ecclesiasticus *Qui ab Ecclesia iam inter Canonicos est receptus.* Quem Iesus filius traditur, & propter eloquij nonnullâ similitudinẽ, Sirach, scripsisse Salomonis pronuntiatur, contineat in laude Patrum, quòd Samuel etiam mortuus prophetauerit. Sed si hunc libro Hebræorum, quia in eorum non est canone, contradicitur; quid de Moyse dicturi sumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio cum Helia qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus? *De prophetia Samuelis post mortem, sic Eccli. 46. 23.* C Post hoc dormiuit, *mortuus est*, Et notum fecit Regi, ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem suam de terra in prophetia, delere impietatẽ gentis.

6. MVNDITENENTES. *Quasi mundi rectores, tenentes mundi habenas. Ephes. 6. 11.* Induite vos armaturam Dei; *Syr. totam armaturam*, Vt possitis stare aduersus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Syr. paulò aliter.* Et cum possessoribus mundi huius tenebrosi, & cum spiritibus malis qui sub cœlo sunt. QVANTI. *Illudit Marcioni, dum non iam vnum Creatorem, sed multos* D *malos ex Apostolo probat mundi rectores.* VINDICEM. *Asseram ad victoriam, & insultationem Marcionis.* PRÆMISIT. *Prius dixit Paulus.* STEMVS AD, *&c. Superandas scilicet.* AD. *Aduersùs.* DEPVTAMVS. *Adscribimus.* APVD CREATOREM. *Quem Marcion dicit à Creatore factum.* DVO BIS. *Vt docet Marcion, bonus & malus, ita & putat duos esse diabolos, bonum & malum.* ET PLVRALITER. *Sicut Paulus in plurali dixit*, Potestates, & rectores. ET DIABOLVS, ET DEVS. *Vnus scilicet & idem simul quomodo esse potest, cùm diabolus non sit idem simul & Deus & diabolus?* ET DEI *Dij, supple sunt.* EX QVA DELATVRA. *Ex qua accusatione. & calumnia, & quorum fratrum, denominari potest* E *diabolus. Creator noster, diabolus enim significat accusatorem siue delatorem. Apoc. 12. 10.* Protectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte. FORTASSE DETVLIT. *Ironicè. A deferendo, delator.* DEI SVPERIORIS. *Qui esset Deo Creatore & diabolo superior, vtpote Deus ille bonus Marcionis.* INTENTIONEM. *Scil. ob quam Creator ille diabolus, esum ligni scientiæ boni & mali dixerat, esse vetitum, quod eo gustato, dij futuri erant primi parentes.* AB ARCHANGELO PASSVS. *Doctè; sicut enim diuina patiuntur, qui à Deo illuminantur, infusâ scientiâ, & reuelatione rerum occultarum; sic Angeli inferiores ab Archangelis superioribus illuminati, ab eis pati, id est recipere lucem dicuntur. Atque vt Psaltes de Angelo lucis inferiorem sibi Angelum illustrante dixit.* Dies diei eructat verbum; *Sic & diabolus superior inferiorem docens vel ei deferens aliquod consilium occultum, benè dicitur*: Nox nocti indicare scientiam. ET QVIDEM MENTITO. *Nec mirum*: Mendax est enim diabolus, quilibet, & Pater eius; *Non quòd generet demon demonem, sed quòd superior inferiorem instruat; & vt Christus exponente Augustino dixit Iudeis*: Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere: *Non naturâ Patrem, sed imitatione dixit: Sic Archangelus ille mendacior, Angelum mendacem instruxit; Qui suggessit & detulit homini falsum, & Deo illi superiori iniurium, vtpote zelotypum consilium: dum dixit Euæ, fructum non ideo veritum, quòd mortifer esset propter transgressionem; sed præ zelo & inuidia, ne eo gustato omniscius homo, sicut Deus fieret. Gen. 3. cùm dixisset serpens versu primo*: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradisi? *Subiecit versu 4.* Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus 70. *sciebat*, Quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, *Chald. sicut principes scientes inter bonum & malum* Scientes bonum & malum. *Sensus Tertulliani sic fit clarus: si Marcion Deum Creatorem diabolum simul vult esse, quæro an ex delatura nomen acceperit, quòd à superiore diabolo acceptum Dei sui boni consilium detulerit Euæ, vt zelum eius deferret, & quasi zelotypum accusaret? Sic bellè iocatur, & facetè Marcioni illudit. Nos seriò cum Aug. Pauli locũ explicemus Ephes. 6. 12.* S. Augustin *Nullum scio locum scripturæ tam frequenter ab eo tractatum. Libro de Natura Boni. Tract. 79. in 10. 14. Ser. 8. de Verbis Domini. Ser. expresso in verba Pauli, &c. Sic autem in Psal. 143.* Prœliorum & bellorum genera commemorare fortasse longum est, & gerere facilius, quàm explicare. Habes vnum bellum quod commemorat Apostolus; non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, id est aduersùs homines à quibus videmini pati molestias. Non aduersùs ipsos pugnatis, sed aduersùs principes & potestates, & rectores mundi. Et ne intelligeres mundi, cœli & terræ; ostendit quid diceret, tenebrarum, inquit, harum. Mundi scilicet, non qui per ipsum factus est, quia & mundus per eum factus est; sed mundi, qui eum non cognouit: quia & mundus eum non cognouit. Hæ tenebræ non sunt naturâ; sed voluntate, &c. Ergò bellum gerimus, aduersùs rectores tenebrarum harum, rectores scil. infidelium, diabolum & Angelos eius. *Et in Psal. 119.* Numquid homines solos habet inimicos Ecclesia? Quid est homo carni & sanguini deditus, nisi Caro & sanguis? sed ait Apostolus, non est nobis colluctatio, &c. Sed aduersùs, &c. Rectores tenebrarum harum, id est rectores iniquorum mundum istum diligentium, & propterea tenebrarum: quia & nos fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Aduersùs spiritalia, inquit, nequitiæ in cœlestibus, id est diabolum & Angelos eius: quem diabolum alio locò dicit principem potestatis aëris huius. *Et in Psal. 30. Concione 3. Cùm eundem locum retulisset*, Cuius S. Augustin mundi, *inquit*, cœli, terræ? absit. Huius mundi rector non est, nisi Creator. Sed quem dicit mundum? amatores mundi. Denique addidit & exponit quod dico: mundi tenebrarum harum. Quarum vtique tenebrarum, nisi infidelium & impiorum? &c. *Et in Psal. 76.* Rectores eos mundi dixit, S. Augustin quia ipsi regunt dilectores mundi. Non enim regunt mundum, quasi rectores sint cœli & terræ,

ſed mundum peccatores dicit, & mundus eum non cognouit. Talem mundum illi regunt, qui non cognoſcunt Chriſtum. Contra hos habemus inimicitias perpetuas. Denique quaſlibet habeas inimicitias aduersùs hominem, cogitas finire, ſiue illius ſatisfactione, ſi ille te læſit; ſiue tuâ, ſi tu læſiſti: ſiue alterutrius, ſi vos inuicem læſiſtis, laboras ſatisfacere & concordare. Cum diabolo autem & Angelis eius, nulla concordia eſt. Ipſi nobis inuident regnum cœlorum. *Quæ ceciderunt, ruinas facientes, à nobis impleandas.* Miteſcere erga nos omnino non poſſunt. *In cœleſtibus autem dixit habitare dæmones, non in cœlis, ſed in aëre, auium & nubium cœlo. Sic exponente Auguſtino in Serm. Vigilia Paſchæ, à Beda citato in hunc locum ep. ad Epheſios.* Sunt iſta ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus, non vbi ſidera diſpoſita effulgent, & ſancti Angeli commorantur, ſed huius aëris infimi caliginoſo habitaculo, vbi & nebula conglobatur: Et tamen ſcriptum eſt: qui operit cœlum nubibus, vbi & aues volitant, & tamen dicuntur volatilia cœli. In his ergo cœleſtibus, non illâ ſuperiore tranquillitate cœleſtium, habitant iſti nequiſſimi ſpiritus, contra quos nobis colluctatio ſpiritalis indicitur: vt deuictis Angelis malis, illo præmio perfruamur, quo Angelis bonis incorrupta æternitate ſociemur. Vnde alio loco, *Epheſ. 2.* Idem Apoſtolus, cùm ſignificaret tenebroſum diaboli Principatum; ſecundùm ſpiritum, inquit, mundi huius, ſecundùm Principem poeſtatis aëris huius, qui nunc operatur in filiis infidelitatis. Quod ergo eſt ſpiritus mundi huius, hoc ſunt rectores mundi: Et ſicut illic expoſuit, quòd dixerit mundum, in filiis infidelitatis; ſic etiam hîc, cùm addidit, tenebrarum harum. & quod ibi ait, principem poteſtatis aëris; hoc iſto loco, in cœleſtibus. Gratias itaque Domino Deo noſtro, qui nos eruit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij Charitatis ſuæ. Ab illis ergo tenebris Euangelica luce diſtincti, & ab illis poteſtatibus ſanguine pretioſo redempti, vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Nam quicumque habetis fidem per dilectionem operantem, miſſus eſt princeps huius mundi foras à cordibus veſtris; ſed forinſecus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret; Non ergo detis locum diabolo, quacumque ex parte penetrare molienti, ſed qui eum foras miſit, patiendo pro vobis, aduersùs eum, habitet intus in vobis. Cùm vobis ille dominaretur, fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ſicut filij lucis ambulate aduersùs tenebras, earumque rectores, in matre luce vigilate, & Patrem luminum, de ſinu matris lucis orate. *Tandem epiſt. 49. ad Deogratias, cùm dixiſſet nec bonis Angelis ſacrificandum; ſic de rectoribus tenebrarum infert:* Quantò ergo pernicioſiùs eſt ſacrificare Dæmoniis, hoc eſt iniquæ ſpiritali creaturæ, quæ in hoc proximo, & caliginoſo cœlo inhabitans, tanquam in aëreo carcere, ſuo prædeſtinata eſt ſupplicio ſempiterno?

5. Auguſt.

Auguſt.

7. *Diabolus corruptor Scripturæ, æmulus Dei, & Simius omnium myſteriorum Diuinorum. De præſcr. cap. 40. in p. ad circa f.*

SEquetur, à quo intellectus interpretetur eorum quæ ad hæreſes faciant. A diabolo ſcilicet, cujus ſunt partes interuertendi veritatem, qui ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum, idolorum myſteriis æmulatur. Tingit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos: expoſitionem delictorum de lauacro repromittit; & ſi adhuc memini, Mithra ſignat illic in frontibus milites ſuos: celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid quòd & ſummũ Pontificem vnis aliàs vnius nuptiis ſtatuit, habet & virgines, habet & continentes! Ceterùm ſi Numæ Pompilij ſuperſtitiones reuoluamus, ſi ſacerdotalia officia, inſignia, & priuilegia, ſi ſacrificalia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſtè diabolus moroſitatem illam Iudaïcæ legis imitatus eſt? Qui ergo ipſas res, de quibus ſacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter affectauit exprimere in negotiis idololatriæ, vtique & idem & eodem ingenio geſtiit, & potuit inſtrumenta quoque diuinarum rerum & ſanctorum Chriſtianorum, ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, profanæ & æmulæ fidei attemperare. Et ideo, neque à diabolo immiſſa eſſe *ſpiritalia nequitiæ*, ex quibus etiam hæreſes veniunt, dubitare quis debet, neque ab idololatria diſtare hæreſes, quum & auctoris & operis eiuſdem ſint; cujus & idololatria.

Epheſ. 6. 12.

DIABOLVS. VII. SCHOLIA.

SEQVITVR, *vt ſcilicet abſque vlla terginerſatione reſpondeamus quærenti, vnde hauriatur peruerſa interpretatio & ſenſus corruptus Scripturæ, à diabolo, erroris omnis, mendacij, hæreſis vt & Idololatriæ parente. Alij legunt*: ſed quæritur. *Parum refert ad ſenſum.* CVIVS SVNT PARTES, *proprium diaboli eſt peruertere veritatem, eamque cùm extinguere non poteſt, erroribus infuſcare.* RES SACRAMENTORVM. *Non effectum intelligit, quem ſolus Deus per Sacramenta producit, nempe characterem in aliquibus, in omnibus autem, obice non poſito, gratiam. Sed per res, intelligit materiam, formam, miniſtros, ceremonias, aliaque ad Sacramenta pertinentia, quæ tanquam æmulus Dei, & rerum diuinarum æmulator & ſimius, à cultu diuino, & religione, tranſfert in Idololatriam.* TINGIT. *Baptizat.* CREDENTES, *vt ſacramentum fidei, baptiſmum ſcilicet imitetur.* EXPOSITIONEM, *depoſitionem, ablutionem. Siue vt alij legunt:* Expiationem. REPROMITTIT, *frequens eſt Author in compoſitis, Emphaſi è hîc, quaſi certos faciat inculcato promiſſo venia delictorum ex baptiſmo ſuo.* MITHRA. *Solem alibi dixi eſſe Perſis, & de eo iam fuſius.* SIGNAT, *vt in Confirmationis Sacramento.* PANIS OBLATIONEM. *Euchariſtiæ Sacramentum & ſacrificium Miſſæ.* IMAGINEM RESVRRECTIONIS. *Sacramentum pœnitentiæ, quo ex morte peccati ad vitam gratiæ reſurgimus.* REDIMIT. *Cingit coronam capiti, quam tamen impoſitam vertici, detractamque inſerit gladio; quo teſtetur miles ſe coronam non mereri ante certamen; vt zeletur Paulum dicentem:* nemo coronabitur, niſi qui legitimè certamerit. PONTIFICEM, *Principem Sacerdotum Mi-*

libra. VNIS NVPTIIS. *alij*, vniùs ſiue vnicis. *Quòd vt apud nos à Sacerdotio polygamos excludimus, & iuxta Paulum exigat*, Epiſcopum vnius vxoris virum. *& hoc ad æmulationem Sacramenti Ordinis.* NVMÆ, Auguſt. *hunc Aug. Hydromantiæ ſtudioſum notat. Et lib. 2. de Ciuit. c. 16.* Numa Pompilius qui Romulo ſucceſſit in regnum, quaſdam leges quæ regendæ ciuitati ne- Auguſt. quaquam ſufficerent, condidiſſe fertur, qui eis etiã multa ſacra conſtituit. *Et lib. 7. cap. 34.* Ne admonere ſufficiat, Sacrorum cauſas à Rege Pompilio Romanorum ſacrorum inſtitutore conſcriptas, nec populo, nec Senatui, nec ſaltem ipſis Sacerdotibus innoteſcere debuiſſe. Ipſumque Numam Pompilium curioſitate illicitâ, ad ea dæmonum peruenisſe ſecreta, quæ ipſe quidem ſcriberet, vt haberet vnde legendo commoneretur. Sed ea tamen, cùm Rex eſſet, qui minimè quemquam metueret, nec doceret aliquem, nec delendo, vel quoquo modo conſumendo perdere auderet. Ita, quod ſcire neminem voluit, ne homines nefaria doceret; violare autem timuit, ne Deos iratos haberet, obruit vbi tutum putauit: ſepulcro ſuo propinquare aratrum poſſe non credens. *Supra dixerat Terentium Bubulcum, aratrum traiiciendo eruiſſe libros Numæ, detuliſſe ad Prætorem, ab illo ad Senatum latos, lectiſque cauſis, Senatus Edicto, igni traditos.* Senatus autem, cùm Re- Auguſt. ligiones formidaret damnare maiorum. Et ideo Numæ aſſentiri cogeretur, illos tamen libros tam pernicioſos eſſe iudicauit, vt nec obrui rurſus iuberet, ne humana curioſitas, multò vehementiùs, rem iam proditam quæreret, ſed flammis aboleri nefanda monimenta: vt quia iam neceſſe exiſtimabant ſacra illa facere, tolerabiliùs erraretur, cauſis eorum ignoratis, quàm cognitis ciuitas turbaretur. PIACVLORVM, *ſacrificiorum expiationis vel criminum, qua piacula grandia ſuperſtitioſè vocabant.* MOROSITATEM, *ſarcinam & multitudinem cæremoniarum legalium pregrauantem.* DE QVIBVS, *quibus.* SANCTORVM, *rerum Sanctarum, Sacramentorum ſcil. & rerum Sacramentalium.* ÆMVLÆ. *Aduerſa.* ATTEMPERARE, *accommodare, configurare, conformare.* SPIRITALIA NEQVITIÆ, *artes malitiæ diabolicæ. De ſpiritalibus nequitiæ, vide dicta Scholio præcedenti.* AVCTORIS, *diaboli,* OPERIS. *Fallacis & diabolici.* CÆTERVM, *cùm diabo-*

lus omnia diuina & Sacra vt Deo inuidus, eiuſque in omnibus æmulus imitetur, vt qui ab exordio mundi diuinitatem ambiit, fieri volens ſimilis altiſſimo, inde ſemper negotium idololatriæ, fallaciæ, hæreſiſque promouit; vt à vera Religione ad idololatriam & hæreſim adduceret, & pro Deo coleretur procuranit. Non ergo colendus eſt vt Deus, ſed vt Dei æmulus conſpuendus.

Aug. 8. de Ciuit. c. 16. Cùm ex Apuleio Platonico retuliſſet, dæmones humanis perturbationibus commoueri, eoſque definiſſet, concluſiſſetque eſſe miſeræ animalia; eis proinde ſacrificandum non eſſe conficit capite ſequenti. Ita ergo cap. 16. De moribus dæmonum cùm S. Auguſt. idem Platonicus loqueretur, dixit eos eiſdem quibus homines perturbationibus agitari, iniuriis; obſequiis, doniſque placari, gaudere honoribus, diuerſis Sacrorum ritibus oblectari, & in eis ſi quid neglectum fuerit commoueri, &c. breuiter autem eos definiens, ait, dæmones eſſe genere animalia, animo paſſiua, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna, &c. *Tum ſingula carpit Aug.* quòd genere ſunt animalia, non eſt magnum: quia hoc ſunt & pecora: *aduerto ego apud Ezech. Cherub. dici* S. Auguſt. *& pingi animalia myſtica* quòd mente rationalia non eſt ſupra nos, quia ſumus & nos: quòd tempore æterna, quid boni eſt, ſi non beata? melior eſt enim temporalis fœlicitas, quàm miſera æternitas. quòd animo paſſiua, quomodo ſupra nos eſt? quando & nos hoc ſumus: neceſſa eſſet, niſi miſeri eſſemus. quòd corpore aërea quanti æſtimandum eſt, cùm omni corpori præferatur animæ qualiscumque natura? Et ideo religionis cultus qui debetur ex animo, nequaquam debetur ei rei quæ inferior eſt animo. *Et cap. 17. ſic concludit.* Omnem motum cor- S. Auguſt. dis & ſalum mentis, omneſque turbellas & tempeſtates animi, quibus dæmones æſtuare atque fluctuare aſſerit, nos vera religio deponere jubet. Quæ igitur cauſa eſt, niſi ſtultitia? Errorque miſerabilis, vt ei te facias venerando humilem, cui te cupias eſſe viuendo diſſimilem: & religione colas, quem imitari nolis, cùm religionis ſumma ſit imitari quẽ colis. *Imitari porrò noluit Deum in bonitate, nec colere in veritate in qua non ſtetit, ſicut Seraphim, ſed cecidit Lucifer & Cherubim; qui pro Deo coli voluit in terris, qui verum & vnum Deum colendum, cum Angelis Dei adorare noluit in cœlis.*

8. *Diabolus æmulus Dei ſuos habet Martyres, & patientes. V. Verbum Patientia Gentilium.*

9. *Dæmones oraculorum & medicinarum fallacium authores. de An. cap. 46. in f.*

DE oraculis etiam ceteris, apud quæ nemo dormitat, quid aliud pronuntiabimus, quàm dæmoniacam eſſe rationem eorum ſpirituum, qui jam tunc in ipſis hominibus habitauerint, vel memorias eorum affectauerint ad omnem malitiæ ſuæ ſcenam in iſta æque ſpecie diuinitatem mentientes, eâdemque induſtriâ etiam per beneficia fallentes medicinarum, & admonitionum, & prænunciationum, quæ magis lædant juuando, dum per ea quæ juuant, ab inquiſitione veræ diuinitatis abducunt, ex inſinuatione falſæ. & vtique non clauſa vis eſt, nec ſacrariorum circumſcribitur terminis; vaga & peruolatica, & interim libera eſt. quo nemo dubitauerit, domus quoque dæmoniis patere; nec tantùm in adytis, ſed in cubiculis homines imaginibus circumuenire.

10. *Et Apol. cap. 22. in m. ad f.*

OMnis ſpiritus ales. hoc & angeli & dæmones. igitur momento vbique ſunt. totus orbis illis locus vnus eſt, quid vbi geratur tam facilè ſciunt, quàm enuntiant. velocitas, diuinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur. ſic & auctores interdum videri volunt eorum, quæ annuntiant. & ſunt planè malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam. diſpoſitiones etiam Dei, & tunc prophetis concionantibus exceperunt, & nunc lectionibus reſonantibus carpunt. ita & hinc ſumentes quaſdam temporum ſortes, æmulantur diuinitatem;

dum furantur diuinationem. In oraculis autem, quo ingenio ambiguitates temperent iſt euentus, ſciunt Crœſi, ſciunt Pyrrhi. Ceterùm teſtudinem decoqui cum carnibus pecudis Pythius eo modo renuntiauit, quo ſupra diximus. momento apud Lydiam fuerat. Habent de incolatu aëris, & devicinia fiderum, & de commercio nubium cœleſtes ſapere paraturas, vt & plunias, quas jam ſentiunt, repromittant. Benefici planè & circa curas valetudinum. Lædunt enim primò, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum noua, ſiue contraria, poſt quæ deſinunt lædere, & curaſſe creduntur. Quid ergo de ceteris ingeniis, vel etiam viribus fallaciæ ſpiritalis ediſſeram? phantaſmata Caſtorum, & aquam cribro geſtatam, & nauem cingulo promotam, & barbam tactu irrutatam; vt numina lapides crederentur, & Deus verus non quæreretur.

DIABOLVS IX. ET X. SCHOLIA.

APVD QVÆ, *ad que captanda nemo ſomniat. Agebat de oraculis & præſagiis captis ex ſomniis, de quibus ſuo loco dicemus, & aliquid ſuprà attigimus num. 5. vbi de Naſammonis & Celtis.* DÆMONIACAM RATIONEM, *fallaciam & artem ſpirituum malignorum.* IAM TVNC, *dum viuerent homines.* MEMORIAS AFFECTAVERINT, *ſtuduerint memoriam mortuorum excitare in animis dormientiũ.* AD SCENAM, *vt aſſiterent, quaſi in theatro omne genus fallacia diabolica.* SPECIE, *vt non tantùm in ſacrificiis & idolis, ſed in oraculis & præſagiis datis ſomniantibus, opinionem diuinitatis ſibi apud homines parerent, cùm Oracula, vel rerum occultarum, vel futurarum in ſomnis panderent.* PER BENEFICIA, *ſic ſæpè animi agritudinem, per valetudinem corporis* B *reſtitutam procurant dæmones, & à Deo vero inquirendo, qui ſolus verè vt vita, ſic ſanitatis author eſt,* Qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam; *Ad dæmones, per idololatricam ſuperſtitionem ſciſcitandos, tanquam Deos abducunt.* NON CLAVSA. *Monumentis mortuorum, quorum memorias, id eſt monumenta, multi conſulunt, nec templorum adytis, nec ſacellorum terminis concluditur vis diabolica. Aërei ſunt dæmones vndequaque liberè circumuolitant.* QVO NEMO, *&c. Vt nemo dubitet, patere priuatas cuiuſque domus & cubilia illuſioni dæmonum, qui Phantaſticis imaginibus decipiunt homines, vel in ſtatuis & idolis, diiſque laribus & penatibus illudant idololatris. De huiuſmodi Oraculis, ſic Aug. lib.* C *2. de Ciuit. cap. 16. iuxta Apuleium:* Inter cætera etiã dicit ad eos pertinere diuinationes Augurum, Aruſpicum, Vatum, atque ſomniorum: ab his quoque eſſe miracula Magorum. *Quomodo autem dent oraculá, aliquando vera, plerumque falſa, ex Aug. ſubiiciam ſequenti Scholio, cùm literam expoſuero.* S. Auguſt.

10. OMNIS SPIRITVS. *Angelus, ſiue bonus, ſiue malus, aliger eſt, vnde & in ſcriptura Cherubim alati deſcribuntur, ob velocitatem omni alite perniciorem.* ET ANGELI. Qui facis Angelos tuos ſpiritus. ET DÆMONES: Spiritus nequam à Domino. VBIQVE SVNT. *Crudè nimis dictum, ſoli enim immenſo Deo vbique eſſe conuenit, Angeli autem* D *boni, & mali, ſpheram habent ſuo Ordini & gradui præſcriptam, ſicque definitam, vt ſic ſint in vno loco, vt eſſe ſimul non poſſint in altero. Sed, vbique, dixit, quòd citiſſimè ab vno loco tranſuolare poſſint in alium. De Deo autem ſolo ſcriptura dicit;* Quo ibo à ſpiritu tuo? &c. *Et de Spiritu Sancto:* Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. SVBSTANTIA IGNORATVR. *Cuius eſt tanta velocitas.* BONORVM NVNQVAM. *Saltem bonos ſine, quem præ malitia & & inuidia hominum nunquam intendunt; licet Deo ſic volente, & vtentes eorum miniſterio, & bonos euentus non tantùm nunciare, ſed & efficere poſſint.* ET TVNC. *In veteri Teſtamento.* ET NVNC. *Dum in Eccleſia recipiuntur.* TEMPORVM SORTES. *Caſus pro diuerſitate temporum futuros; de quibus Pſalmes:* In manibus tuis ſortes meæ. *Alij legunt,* Tempora mea. FVRANTVR. *Quia proprium Dei vſurpant, cui futura præſentia ſunt, etiam occultiſſima cogitationes futuræ; ſic fatente Pſalmiſtâ:* Intellexiſti cogitationes meas de longè, &c. Et omnes vias meas præuidiſti, &c. Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua. TEMERENTIN EVENTVS. *Circa futura, ſemper ambigua dant oracula; tum quòd certi non ſint, maximè circa contingentia, ex hominis libertate pendentia, tum vt vtrinque poſſint famoſum mendacij nomen euadere. Furunculis autem rectè comparat, occulta in obſcuro ſuffurantibus.* SCIVIT CROESI. *Videndus Euſeb. lib. 5. De Prap. Euang. c. 10. Hoc fuit oraculum ab Apolline delphico datum Croeſo, qui regnum Lydiæ à predeceſſoribus acceptum, pietate in Apollinem tueri volens, eius Delphicum templum auro, argentóque, ſupra omnia templa diuùm ornauerat; Apollinem ergo conſulens ſuper exitu belli ſuſcepti contra Perſas, hoc reſponſum accepit.*

Intrepidus ſi Croeſus Halym tranſmiſerit amnem,
Imperium perdit magnũ regnumque ſuperbum.
Perdo, enim, Verbum ambiguum eſt. SCIVNT PYRRHI. *Oraculum Apollinis Pythij ambiguum refert Ennius.* Aiote Æacida Romanos vincere poſſe. *Quod ab Ennio confictum, notat Minutius Felix, quòd iam tum Apollo, verſificare deſiiſſet. Auguſtinus lib. 3. de Ciuit. c. 17.* Accitus etiam à Tarentinis Auguſt. Pyrrhus Rex Græciæ, tunc ingenti gloria celebratus, Romanorum hoſtis effectus eſt: cui ſanè de rerum futuro euentu conſulenti ſatis vrbanè Apollo ſic ambiguum oraculum edidit, vt è duobus, quidquid accidiſſet, diuinus haberetur. Ait enim: dico te Pyrrhe, vincere poſſe Romanos. Atque ita ſiue Pyrrhus à Romanis, ſiue Romani à Pyrrho vincerentur, ſecurus fatidicus expectaret euentum. Quæ tunc & quàm horrenda vtriuſque exercitus clades? in qua tamen ſuperior Pyrrhus extitit, vt iam poſſet Apollinem pro ſuo intellectu prædicare diuinum: niſi proximè alio prælio Romani abſcederent ſuperiores. TESTVDINEM DECOQVI. *Ad Croeſum refert; qui cum carne agni clam, vt refert Herodotus, coxerat teſtudinem; quòd Apollo Pythius, id. dæmon, qui momento temporis Lydiam tranſuolarat, per Pythoniſſam reuelauit.* HABENT SAPERE. *Poſſunt ſcire, & præſcire diſpoſitiones elementorum; paratáſque pluuias, aliaque meteora præmunciant.* VALETVDINVM. *Morborum, quos arte diabolicâ procurant, eâdemque curant; & vt famam miraculi ſibi concilient, per nona, vel etiam contraria morbis remedia, maleficium tollunt; & dum ceſſant vexare, morbum curaſſe videntur.* INGENIIS. *Animis.* PHANTASMATA CASTORVM. *Valerius Maximus libro 1. cap. 8.* Caſtorem, *inquit,* & Polluccm pro Imperio populi Romani excubuiſſe cognitum eſt; quòd adlatum Iuturnæ,

suum, equorumque sudorem abluere visi sunt. *Videndus de eadem apparitione Dionysius lib. 6. Antiq. Et Florus lib. 2. cap. 12. lib. 3. c. 3. Et Minutius:* Testes equestrium fratrum in lacu sicut se ostenderant, statuæ consecratæ; qui anheli, spumantibus equis atque fumantibus, de Perse victoriam, eadem die qua vicerant, nuntiauere. *Castores, Croesos, Pyrrhos, de more, in plurali, pro singulari posuit.* AQVAM CRIBRO. *Tuscia Virgo Vestalis fuit; de qua Valer. lib. 8. c. 1 Plin. lib. 28. cap. 22. Dion. lib. 2. & noster. Aug. lib. 10 de Ciuit. c 16. de hac, & alia muliercula Claudia dicta: sic habet:* Quòd natum, qua simulacrum matris Phrigiæ, *Idæ*, vehebatur, tantis hominum boumque conatibus immobilem redditam, vna muliercula, zona alligata, ad suæ pudicitiæ testimonium, mouit & traxit: Quòd virgo Vestalis, de cuius corruptione quæstio vertebatur, aquâ implero cribro de Tiberi, neque profluente, abstulit controuersiam, &c. *Mulierculam dixit Aug. vt distinguat eam à Vestali, hac cum impudica haberetur ob nimium corporis cultum, rogauit deam vt hoc pacto suam probaret castitatem. Qua ibidem, arti dæmonum imputat.* BARBAM IRRVFATAM. *Vide Sueto. in vita Neronis c. 1. Vbi ait, L. Domitium authorem originis Ænobarbi, reuertentem rure obuiam habuisse duos formâ venustiore iuuenes, qui ei iusserunt, vt Senatui & populo victoriam certam nuntiaret; in cuius fidem, genas mentumque prius nigrum, sæpius verimque demulcendo, in rutilum æneumque colorem commutarunt, vnde posteà, & eius posteri barbâ rufâ fuerunt. Vere simile, tunc duos dæmones, Castorem & Pollucem fuisse mentitos. Quibus similibusque portentis, diabolus idola saxea pro diis & numinibus haberi fecit, vt Dei veri cultum in suum transferret. De artibus & fallaciis dæmonum toto hoc capite recensitorum à Tertulliano, docte tractat Aug. lib. de diuinatione dæmonum cap. 4. 5. & 6.* Quantùm, inquit, valeat aëris elementum, quo eorum *dæmonum* corpora, *assumpta non informata*, prævalent, ad multa visibilia inuisibiliter molienda, mouenda, mutanda, atque versanda, longum est nunc demonstrare; & puto quòd vel mediocriter facilè occurrat. Quæ cùm ita sint, primùm sciendum est, quoniam de Diuinatione dæmonum quæstio est, illos ea plerumque prænuntiare, quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpè potestatem, & morbos inmittere, & ipsum aërem vitiando morbidum reddere, & peruersis, atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere: de quorum moribus certi sunt, *probabiliter scilicet, agnita etiam præsenti rēperamenti dispositione.* Quòd sint eis talia suadentibus consensuri. Suadent autem miris & inuisibilibus modis, per illam subtilitatem suorum corporum, corpora hominum non sentientium penetrando, seseque cogitationibus eorum, per quædam imaginaria visa miscendo, siue vigilantium, siue dormientium. Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, ante prædicunt, &c. Aliquando & hominum dispositiones, non solùm voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cùm signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, totâ facilitate perdiscunt: *Quod licet assuetâ modestiâ, se audacius affeuerasse dicat, quòd occultissimum erat, lib. 2. Retract. c. 30. subiicit tamen, peruenire ista ad notitiam dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum esse.* Atque hinc etiam multa futura prænuntiant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non nouerunt, &c. Hac atque huiusmodi facultate, *acuti sensus, potiùs quàm aërei corporis.* Multa dæmones futura prænuntiant, cùm tamen ab eis longè sit altitudo illius Prophetiæ, quam Deus per Sanctos Angelos, & Prophetas operatur: nam si quid de illa Dei dispositione prænuntiant, audiunt vt prænuntient: & cùm ea prædicunt, quæ inde audiunt, non fallunt, neque falluntur: veracissima enim sunt Angelica & Prophetica oracula, &c. Nec obesse aliquid, *supple credatur*, Imo etiam prodesse, ad maiorem notitiam famamque veritatis, cùm de illa etiam hi, quidquid nouerunt, dicunt, qui ei peruersis motibus contradicunt. In cæteris autem prædictionibus suis dæmones plerũque & falluntur, & fallunt. Falluntur quidem, quia cùm suas dispositiones prænuntiant, ex improuiso desuper aliquid iubetur, quod eorum consilia cuncta perturbet: velut si aliquid disponant quilibet homines quibuslibet potestatibus, quod non prohibituros suos præpositos arbitrantur, idque facturos se esse promittant, &c. Sed ne apud cultores suos pondus authoritatis amittant, id agunt, vt interpretibus suis, signorumque suorum conjectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti, &c. *Tandem & dæmones ex Prophetarum oraculis edocti, sua propria oracula cessatura, ex ambitione diuinitatis prædixerunt. Sic ibid. Aug. cap 7.* Quid mirum si iam eminente Templorum aut simulacrorum euersione, quam Prophetæ Dei summi, tantò ante prædixerant, Serapis dæmon alicui cultorum suorum hoc de proximo prodidit, vt suam quasi diuinitatem, *ex diuinatione scilicet, futuri captatam*, recedens vel fugiens commendaret.

Auguſt. — A — B — C — D — S. Auguſt. — S. Auguſt.

11. *Dæmones vt plures in vno corpore Magdalenæ, sic plures animæ in eodem esse possunt. De An. Cap. 25. circa f.*

SI qui, vt Plato, perinde non putat duas animas in vnum conuenire, sicut nec corpora, ego illi non modò duas animas in vnum congestas ostendissem, sicut & corpora in fœtibus, verum & alia multa cum animâ conserta, dęmonis scilicet, nec vnius, vt in Socrate ipso; verum & septenarij spiritus, vt in Magdalena; & legionarij numeri, vt in Gerasseno, quò facilius anima cum anima conseretur ex societate substantiæ, quàm spiritus nequam ex diuersitate naturæ.

Luc. 8. 2. Marc. 16. 9. Marc. 5. & 9.

DIABOLVS. XI. SCHOLIA.

SI QVI. *Si quis sit Platoni similis, aut Chrysippo, vel Ammonio Platonico, qui duas animas negant simul esse posse in eodem corpore; sicut nec duo corpora simul esse possunt.* IN FORTIBVS. *Duo sic facilè corpora sunt simul, & sine portento, & penetratione quantitatum; fœtus enim in matris vtero continetur.* ALIA MVLTA. *Aëria scilicet & subtilia dæmonum corpora, non tantùm vnius, vt hic ait, de dæmone Socratis, sed septem, vt de Magdalena legitur, & in illo Gerasseno, de quo legionem dæmonum expulit*

Chriſtus. NVMERI. *Legio 6666. militibus conſtabat. Ex Liuio tamen libro 7. de Bello Maced. ſingulæ legiones Romanæ quina millia & quadragenos, ſingula habebant. Ex Varrone lib. 4. de lingua Latina, dicta legio, quòd milites viritim legi ſolerent. Legionem pariter diuidit in decem cohortes; Cohortem in quinque manipulos; manipulum, in viginti quinque milites. Angeli autem, vt & dæmones in Scriptura militiam conficiunt. Et à mundi exordio,* Factum eſt prælium magnum in cœlo: Michaël & Angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius, &c. *Apoc. 12. 7. De Magdalena, quamquam Auguſtinus*
S. Auguſt. *videatur dubitare, an fuerit illa peccatrix, quæ fuit ſoror Lazari, tract. 49. in Io. vbi ait:* Ecce ipſa ſoror Lazari, ſi tamen ipſa eſt, quæ pedes Domini vnxit vnguento, & terſit capillis ſuis quos lauerat lacrymis; meliùs ſuſcitata eſt, quàm frater eius de magna malæ conſuetudinis mole eſt liberata; erat enim famoſa peccatrix; & de illa dictum eſt, dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. *Tamen lib. 2. de conſenſu Euang. c. 79. ſine dubio eandem eſſe aſſerit his verbis, cùm de Simone rem dubiam reliquiſſet, an fuiſſet ille idem Phariſeus, de quo*
S. Auguſt. *Luc 7. qui & Leproſus Io. 11. fuiſſe dicitur:* Nihil aliud intelligendum arbitror, niſi, non quidem aliam fuiſſe mulierem, quæ peccatrix tunc acceſſit ad pedes Ieſu, & oſculata eſt, & lauit lacrymis & terſit capillis, & vnxit vnguento, cui Dominus adhibitâ ſimilitudine de duobus debitoribus ait, dimiſſa eſſe peccata multa, quoniam dilexit multùm, ſed eandem Mariam bis hoc feciſſe: ſemel ſcilicet quod Lucas narrauit, cum primò accedens cum illa humilitate, & lacrymis, meruit peccatorum remiſſionem. Nam hoc & Ioannes, quamuis non ſicut Lucas quemadmodum factum eſſet narrauerit, tamen ipſam Mariam commendans commemorauerit, cùm iam de Lazaro reſuſcitando cœpiſſet loqui, antequam veniret in Bethaniam. Quod ita ibi narrat: erat autem quidam, inquit, languens Lazarus in Bethania, de Caſtello Mariæ & Marthæ ſororis eius. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extерſit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Hoc dicens Ioannes, atteſtatur Lucæ, qui hoc in domo Phariſæi cuiuſdam Simonis factum eſſe narrauit. Iam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rurſus fecit, aliud eſt, quod ad Lucæ narrationem non pertinet, ſed pariter narratur à tribus, Ioanne ſcilicet, Mathæo, & Marco. *Cæterùm, cùm Luc. 7. primam Chriſti apud Simonem Phariſæum, per Magdalam vnctionem deſcripſiſſet cap. 7. 37. Statim orditur cap. 8. his verbis vt eandem notet peccatricem:* Et factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per ciuitates & Caſtella, prædicans & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quę vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierãt. *Marc. autem 16. 9. vbi de Chriſti reſurrectione, & apparitionibus:* Surgens autem manè primâ Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalene, de qua
S. Auguſt. eiecerat ſeptem dæmonia. *Quod & notauit Aug. lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 24. circa f.* Poſteaquam commemorauit eas, *Mulieres pias,* trementes, & pauentes exiſſe à monumento, & nemini quicquam dixiſſe, adiunxit, quòd reſurgens Dominus apparuerit manè primâ Sabbathi, primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia. GERASENO *Marc. 5. 1. in regione Geraſenorum hunc dæmoniacum curatum refert. Interrogatus autem dæmon à Chriſto, verſu 9.* Quod tibi nomen eſt? & dicit ei: Legio mihi nomen eſt, *Syr. Legio eſt nomen noſtrum,* quia multi ſumus. QVO FACILIVS. *Sic in rem concludit Tertul. Vt, inquit, ex his exemplis intelligas facilius duas animas humanas ſimul in vno corpore commiſceri, propter ſocietatem & ſimilitudinem eiuſdem naturæ ſpecificæ, quàm ſpiritus tot dæmonum, ab humano ſpiritu naturâ diuerſos in eodem poſſeſſo commorari. Myſticè de hoc Geraſeno dæmoniaco Aug. to. 4. lib. 2. qq. Euang. q. 13.* Quòd in regione Geraſe- Auguſt.
norum curauit Dominus cum, in quo erat legio dæmonum; ſignificatæ ſunt Gentes quæ multis dæmonibus ſeruiebant. Quòd ſine veſtimento erat, non habebat fidem. Quòd in domo non habitabat, in conſcientia ſua non requieſcebat. Quòd in monumentis manebat, in mortuis operibus, hoc eſt peccatis delectabatur. Quòd autem compedibus ferreis & cathenis ligabatur, ſignificat graues & duras leges Gentium, quibus & in eorum republica peccata cohibentur. Quòd etiam vinculis talibus diruptis agebatur à dæmonio in Eremum, ſignificat quòd etiam ipſis tranſgreſſis legibus, ad ea ſcelera cupiditate ducebatur, quæ iam vulgatem conſuetudinem excederent. Quòd autem in porcos paſcentes in montibus dæmonia ire permiſſa ſunt, ſignificat immundos & ſuperbos homines, quibus dæmonia dominantur per idolorum cultus. Quòd autem in ſtagnum præcipitati ſunt, ſignificat quòd iam clarificata eſt Eccleſia, & liberato populo Gentium à dominatione dæmoniorum, in abditis agunt ſacrilegos ritus ſuos, qui Chriſto credere noluerunt, cæca & profunda curioſitate ſubmerſi. Quòd autem paſtores porcorum fugientes iſta nuntiauerunt, ſignificat quoſdam etiam primates impiorum, quamquam Chriſtianam legem fugiant, potentiam tamen eius, per Gentes, ſtupendo & mirando prædicate. Quòd Geraſeni prodeant videre quod factum eſt, &c. Et rogant Ieſum vt ab eis diſcederet, magno timore perculſi; ſignificat multitudinem vetuſta ſua vita delectatam, honorare quidem, ſed nolle pati Chriſtianam legem, dum dicunt quòd eam implere non poſſint, admirantes tamen fidelem populum à priſtina perdita conuerſatione ſanatum. Quòd ille cupit iam eſſe cum Chriſto, & tamen dicitur ei, redi in domum tuam, & enarra quanta tibi fecit Deus; ex illa Apoſtoli ſententia rectè poteſt intelligi, cùm ait, cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto; multò magis optimum: manere in carne neceſſarium propter vos. Vt ſic quiſque intelligat, poſt remiſſionem peccatorum, redeundum ſibi eſſe in conſcientiam bonam, & ſeruiendum Euangelio propter aliorũ etiam ſalutem: vt deinde etiam cum Chriſto requieſcat, ne cum præproperè iam vult eſſe cum Chriſto, negligat miniſteriũ prædicationis fraterneq; redẽptioni accõmodatum. *Hactenus Auguſtinus.*

18. *Diabolus eſt dominus & Pater malorum, & Zizaniorum Author. de An. Cap. 16. in f.*

ATquum dicit: [a] *Fuimus aliquando naturâ filij iræ,* irrationale indignationum ſuggillat, quòd non ſit ex ea natura quæ à Deo eſt, ſed ex illa quam diabolus induxit, Dominus & ipſe dictus ſui ordinis, [b] *Non poteſtis duobus dominis ſeruire.* pater & ipſe cognominatus, [c] *Vos ex diabolo*

[a] Epheſ. 2. 3.
[b] Matth. 6. 24.

diabolo patre estis. Ne timeas & illi proprietatem naturæ alterius adscribere, posterioris & adulterę, quem legis auenarum, superseminatorem, & frumentarię segetis nocturnum interpolatorem. c Io. 8 44. Math. 13. 25.

DIABOLVS. XII. SCHOLIA.

CVM DICIT. *Ephes. scilicet 2. 3.* Eramus natura filij iræ sicut & cæteri. SVGGILLAT. *Reprehendit appetitum inferiorem irascibilem, contra rationem insurgentem, eique ex pœna peccati originalis per diabolum inuecti dominantem, quem rationi Deus ab initio subiecerat.* SVI ORDINIS. *Sibi subiectis dominans peccatoribus; vel respicit ordinem hierarchicum, quem diaboli seruant, vt & probat ex Matthæi 6. 24.* Nemo potest duobus Dominis seruire; *diabolo, præsidi auaritiæ & cupiditatis, & Deo Domino liberali.* PATER ET IPSE. *Diabolus scilicet, non tantùm Dominus, sed & Pater in scriptura dicitur. Nec est quòd quis timeat eum naturæ corruptæ autorem dicere propriè, id est in quantum corrupta, quem nouimus ex parabola Euangelij posteriorem Deo optimo boni seminis naturæ & gratiæ seminatore superseminatorem zizaniorum, quibus frumentariam segetem interpolauit & depranauit. Vt habes Matth. 13. 25.* Cùm dormirent homines venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. *Quem inimicum ipse Christus diabolum esse dixit versu 39.* Inimicus qui seminauit ea, est diabolus. *De filiis iræ naturâ prater alibi dicta, hæc breuiter, Lector, accipe ex Aug. in Psal. 52.* Vindicta primi peccati, *à diabolo suggesti,* Ipsa vocatur ira Dei, quæ de iudicio Dei venit: vnde Dominus de non credente ait: sed ira Dei manet super eum. Cum ira enim Dei mortales nascimur. Vnde dicit Apostolus, fuimus & nos aliquando, &c. Quid est naturâ filij iræ? nisi quia portauimus nobiscum pœnam primi peccati. *Expressius autem ad mentem Tertull. Aug. lib. 1. retract. c. 15.* Si quæritur quomodo accipiamus quod ait Apostolus: fuimus & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri: respondemus naturam in his verbis meis me intelligi voluisse illam, quæ propriè natura dicitur, in qua sine vitio creati sumus. Nam ista propter originem natura appellatur, quæ origo vtique habet vitium, quod est contra naturam. S. Augst. S. Augst.

13. *Diabolus Astronomiam, incantationes, & metalla homini ostendit. 1. De cultu fœm. cap. 2. à p.*

CVm & materias quasdam benè occultas, & artes pleraſque non benè reuelatas, seculo multò magis imperito prodidissent si quidem & metallorum operta nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires prouulgauerant, & omnem curiositatem, vsque ad stellarum interpretationem, designauerant propriè & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris glorię contulerunt.

DIABOLVS. XIII. SCHOLIA.

BENE OCCVLTAS. *Ex Dei prouidentia, in-* *ſtè, & ad hominis salutem in terra sinu latentes.* NON BENE REVELATAS. *A dæmonibus scilicet deceptoribus hominum.* MAGIS IMPERITO. *Minùs erudito quàm nunc.* PRODIDISSENT. *Detexissent.* OPERTA. *Minas & venas auri argentique sub terra defossas.* HERBARVM INGENIA. *Proprietates & naturas.* TRADVXERANT. *Ex occulto in vsum publicum eduxerant.* PROVLGAVERANT. *Alij legunt minùs scitè* Promulgauerant. CVRIOSITATEM. *Vox pertinens ad secreta curiosiora magiæ. Vnde Aug. Ep. 5. ad Marcellinum:* Illud, si sapiunt, attendant, qui magicas artes non nisi pro fœlicitate terrena vel damnabili curiositate conquirunt. STELLARVM INTERPRETATIONEM. *Non solùm nominum earum, sed & proprias cuiusque influentias, maximè circa Astrologiam iudiciariam, quâ contingentia prædicere præsumunt Magi.* PECVLIARITER. *Quasi proprium mulierum peculium, scil. supellectilem & mundum muliebrem, ex lapillis, armillis, murenulis, coloribus, aliisque huiusmodi vanitatibus instructum.* S. Augustin.

14. *Diabolus per Magos aut aliter mira operans, & eadem quæ dij Gentium, probat se iis similem ex operationis similitudine. Apol. cap. 23. in p.*

PORRÒ si & magi phantasmata edunt; & iam defunctorum infamant animas, si pueros in eloquium oraculi elidunt, si multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt, si & somnia immittunt, habentes semel inuitatorum angelorum & dæmonum assistentem sibi potestatem, per quos & capræ, & mensæ diuinare consueuerunt; quantò magis ea potestas de suo arbitrio, & pro suo negotio studeat totis viribus operari, quod alienæ præstat negotiationi? aut si eadem & Angeli & dæmones operantur quæ & dij vestri, vbi est ergo præcellentia diuinitatis, quam vtique superiorem omni potestate credendum est? Non ergo digniùs præsumetur ipsos esse, qui se Deos faciant, cùm eadem edant, quæ faciant Deos credi, quàm pares angelis & dæmonibus, Deos esse? Locorum differentia distinguitur, opinor, vt à templis Deos æstimetis, quos alibi Deos non dicitis: vt aliter dementire videatur, qui sacras turres peruolat, aliter qui tecta viciniæ transilit: & alia vis pronuntietur in eo qui genitalia vel lacertos, alia, qui sibi gulam prosecat. Compar exitus furoris, & vna ratio est instigationis. Sed hactenus verba, iam hinc demonstratio rei ipsius, quâ ostendemus vnam esse vtriusque nominis qualitatem.

DIABOLVS. XIV. SCHOLIA.

PHANTASMATA EDVNT. *Fictis imaginibus ludificant.* INFAMANT ANIMAS. *Id est euocant ex inferis, & famam sæpè mortuorum infuscant dum eis crimina imputant, quæ ex phantasmatibus mortuorum, ore fictitio eliciunt. Alij legunt,* inclamant. *De quibus ipse Tertull. lib. de Anima c. 57.* In illa alia specie magiæ, quæ iam quiescentes animas euellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est operatior sanè, quia & phantasma præstatur, & corpus adfingitur. ELIDVNT. *De oraculis elicitis per pueros ad terram elisos velut examines, paulò post tamen velut è morte, somno, vel extasi redeuntes ad se quasi consultis diis oracula pandere redierint. De quo sic Apuleius.* Confixere puerum quempiam carmine incantatum, remotis B arbitris, secreto loco arulâ & lucernâ, & paucis conscijs testibus, vbi incantatus sit, corruisse; postea nescientem sui excitatum, &c. Puerum in aqua simulachrum Mercurij contemplantem, quæ futura erant centum sexaginta versibus cecinisse, &c. INVITATORVM. *Alij legunt* Inuitatorem, *Scilicet potestatem assistentem sibi, quâ per Angelos & dæmones somnos inducant, & in iis excitent somnia, quorum euentus prosperos spondeant.* PER QVOS. *Supple dæmones, & capræ, & mensa dant oracula. De capris testis Diodorus lib. 16. eas primùm Delphis dedisse oraculũ. Greg. lib. 7. ep. 7. & lib. 3. dial. c. 26. & 28. Notat Longobardos vsos capite capræ ad diuinationem, quod postea pro Deo coluerunt. Clem. Alex. in Exhort. ad Gent.* Ad harum præstigiarum mercaturæ societatem adducuntur Capræ, quæ sunt ad diuinationem exercitatæ; & corui qui hominibus responsa dare ab hominibus dicuntur. *De mensis consule Amnianum libro 9. Mensam huiusmodi Sozomenus lib. 6. c. 35. vocat Tripodem.* EA POTESTAS. *Diabolica.* SVO NEGOTIO. *Quæ studet sibi suoque cultui lucrari homines.* ALIENÆ. *Magicæ.* VBI PRÆCELLENTIA. *Cùm vos Gentiles Deos vestros dæmonibus præcellere dicatis, in quonam excellunt si Angeli & dæmones in huiusmodi operibus diis vestris coæquantur? Digniùs ergo credetur, ipsos esse dæmones qui se Deos volunt haberi, cùm eadem opera faciant, ex quibus dij se tales esse probant; quàm si Deos eosque deponatis, vt eos Angelis & dæmonibus pares esse fateamini. Nec differentia locorum Deos distinguet à dæmonibus. Dum in templis eos censetis, & vocatis, & coluis vt Deos; quos in locis prophanis Deos non diciris.* VT ALITER DEMENTIRE, *&c. Vt alia insania & furoris specie agi putetis, vel à Deo meliore instigari, cum qui è turribus templi se præcipitat quasi pernolans, & præ gaudio, in alicuius diui honorem, quasi alis sumptis in mortem prorupit; quàm ille, qui ex aliquo tecto suæ vicinia in pauimentum desilit.* ALIA VIS. *Diuina scilicet furori præsidens sit in eo, qui in honorem Cybeles sibi genitalia, vel in honorem Bellonæ sibi lacertos, vel in honorem Martis gulam secat.* EXITVS FVRORIS. *Euentus idem virorumque est, eodemque dæmonio pariter instigantur.* HACTENVS VERBA. *huc vsque, verbis & rationibus conuicimus, nullam esse differentiam quoad artes istas magicas, diuinationes, furores; & quidquid vos Gentiles discernatis nominum qualitates; vt alios dicatis à dæmone, alios à Deo instigari, siue diuina pati; iam effectu probabimus. & demonstrabimus, in possessis à dæmonio hominibus vi exorcismorum, ipsos, qui se Deos alibi esse dicunt, confiteri, Deo sic iubente per Ecclesiasticum exorcistam, se esse veros dæmones. Quòd dæmones circulatores agant in magis. Testis Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 18.* De ista tanta ludificatione dæmonum, nos quid dicamus, Augustꝰ qui hæc legent fortassis expectant, &c. Nec sanè dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, *agebat de transformationibus hominum in lupos, asinos,* Augustꝰ *&c.* De qualibus factis ista vertitur quæstio, sed specie tenus, quæ à Deo vero sunt creata commutant, vt videantur esse, quod non sunt. Non itaque solum animum, sed nec corpus quidem vllâ crediderim dæmonum arte vel potestate in membra vel lineamenta bestialia veraciter posse conuerti, sed phantasticum hominis, quod etiam cogitando, siue somniando, per rerum innumerabilia genera variatur, & cùm corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit, sopitis aut oppressis corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figurâ corporeâ posse perduci. *Et lib. 8. c. 14. aptè iuxta Tertull. de locorum differentia tractat secundùm Platonicos* Augustꝰ *quos irridet:* Omnium, inquiunt, animalium, in quibus est anima rationalis, tripertita diuisio est. In Deos, homines, dæmones: dij excelsissimum locum tenent, homines infimum, dæmones medium. Nam deorum sedes in cœlo est, hominum in terra, in aëre dæmonum. Sicut eis diuersa dignitas est locorum, ita etiam naturarum. Proinde dij sunt hominibus, dæmonibusque potiores; homines verò infra Deos & dæmones constituti sunt, vt elementorum ordine, sic differentiâ meritorum. Dæmones igitur medij, quemadmodum diis, quibus inferiùs habitant postponendi; ita hominibus superiùs, quibus præferendi sunt. Habent enim cum diis communem immortalitatem corporum, animorum autem cum hominibus passiones, &c. *Deinde post multa contra Apuleium Platonicum dignitatem dæmonum commendantem, sic concludit, pro Tertulliano, probante dæmones pro diis haberi velle, & eadem cum diis operari, eisdemque delectari.* Quid ipse Apuleius, quod in dæmonibus laudaret, inuenit, Augustꝰ præter subtilitatem & firmitatem corporum, & habitationis altiorem locum? nam de moribus eorum, cùm de omnibus generaliter loqueretur, non solùm nihil boni dixit, sed etiam plurimùm mali. Denique lecto illo libro, *De Deo Socratis.* Prorsus Augustꝰ nemo miratur, eos etiam scenicam turpitudinem in rebus diuinis habere voluisse; & cùm deos se putari vellent, deorum criminibus oblectari potuisse; & quicquid in eorum sacris obscuna solemnitate, seu turpi crudelitate, vel ridetur, vel horretur, eorum affectibus conuenire.

C

D

15. Dæmonis operatio est hominis euersio; Anima quidem per peccatum, corporis autem per morbum: sed animâ pascitur plusquam nidore & sanguine victimarum. Apol. cap. 22. à p.

OPeratio eorum est hominis euersio. Sic malitia spiritalis à primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos; animæ verò repentinos & extraordinarios per vim excessus, suppetit illis ad

vtramque ſubſtantiam hominis adeundam ſubtilitas & tenuitas ſua. Multùm ſpiritalibus viribus licet, vt inuiſibiles & inſenſibiles in effectu potiùs quàm in actu ſuo appareant. Si poma, ſi fruges, neſcio quod auræ latens vitium, in flore præcipitat, in germine exanimat, in pubertate conuulnerat, ac ſi cæca ratione tentatus aër peſtilentes hauſtus ſuos offundit. Eàdem igitur obſcuritate contagionis, aſpiratio dæmonum & Angelorum, mentis quoque corruptelas agit, furoribus & amentiis fœdis, ac ſæuis libidinibus, cum erroribus variis; quorum iſte potiſſimus, quo Deos iſtos, captis & circunſcriptis hominum mentibus commendat, vt & ſibi pabula propria nidoris & ſanguinis procuret, ſimulacris, ac imaginibus oblata. Et quæ illis accuratior paſcua eſt, quàm vt hominem à recogitatu veræ diuinitatis auertant præſtigiis falſæ diuinationis? Quas & ipſi quomodo operentur expediam.

DIABOLVS. XV. SCHOLIA.

OPERATIO. *Nihil ſic opere & effectu vonten-* A *nit. c. 6.* Illiciuntur dæmones ad inhabitandum per
dit diabolus, quàm vt hominem in corpore & ani- creaturas, quas non ipſi, ſed Deus condidit, dele-
ma ſubuertat. AVSPICATA. *Cœpit operari ad hominis* ctabilibus pro ſua diuerſitate diuerſis, non vt ani-
ruinam, ſtatim poſt creationem hominis. VALETVDI- malia cibis, ſed vt ſpiritus, ſignis; quæ cuiuſque
NES. *Morbos.* EXCESSVS. *Turbulentos & violentos* delectationi congruunt, per varia genera lapidum,
paſſionum motus, interdum vſque ad amentiam & fu- herbarum, lignorum, animalium, carminum, ri-
rorem. VTRAMQVE SVBSTANTIAM. *Animæ* tuum. Vt autem illiciantur ab hominibus, priùs
& corporis. ADEVNDAM. *Aggrediendam, vel ſub-* eos ipſi aſtutiſſimâ calliditate ſeducunt, vel inſpi-
tiliter penetrandam, maximè autem corpus. Nam de rando eorum cordibus virus occultum, vel etiam
anima; ſolius eſt Dei intimam eius ſubſtantiam intimo fallacibus amicitiis apparendo, eorumque pau-
illapſu penetrare. EFFECTV. *Actualem inſinuatio-* cos diſcipulos ſuos faciunt, *Magos ſcil.* plurimorúmque doctores. Neque enim potuit, niſi
nem ſpiritus diabolici, vt inuiſibilem, non ſentimus, primùm ipſis docentibus diſci, quid quiſque
nec percipimus: ſed effectu nocuo probamus SI PO- B illorum appetat, quid exhorreat, quo inuite-
MA, *&c. Sicut, inquit, aër, vel aura peſtilens, in flore* tur nomine, quo cogatur; vnde magicæ artes, ea-
corrupto, venturas fruges præmaturè diſpergit, extin- rumque artifices extiterunt. Maximè autem poſſi-
guit in germine, & in ipſa iam maturitate vulnerat, ve- dent corda mortalium; qua potiſſimum poſſeſſione
luti ſi aër occulta & ignota cauſa corruptus eſſet: ſic ſe gloriantur, cùm ſe transfigurant in Angelos lucis.
habet occulta contagio & flatus diabolici ſpiritus, & in- *Hæc accuratior paſcua anima hominis & humana ſalu-*
terdum etiam Angelici, quibus Deus vtitur vt miniſtris *tis exerſo, ſecundùm noſtrum Tertullianum.* Sunt ergo
ſua iuſtitiæ & prouidentiæ. Vnde Pſaltes, de his, quaſi facta eorum plurima, quæ quantò magis mirabilia
vento & ſpiritu vtentes loquens intelligi poteſt: Qui fa- confitemur, tantò cautiùs vitare debemus. Sed ad
cis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem hoc vnde nunc agimus, nobis etiam ipſa proſi-
vrentem. *Et Apoc. 7. 2.* Vidi alterum Angelum ciunt. Si enim hæc immundi dæmones poſſunt,
aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei quantò potentiores ſunt Sancti Angeli, quantò
viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis potentior his omnibus Deus, qui tantorum mi-
quibus datum eſt nocere terræ & mari; dicens, raculorum effectores, etiam ipſos Angelos feciſſe
nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, &c. *Et quid aliud volunt ſeptem Angeli ha-* C *Eſt lib. 2. de Ciuit. cap. 26. licet breuiùs, tamen expreſſiùs ad mentem Tertull. ſic concluſit.* Quis alius ſpi-
bentes ſeptem phialas plenas ira Dei? CIRCVMSCRI- ritus occulto inſtinctu nequiſſimas agitans men-
PTIS. *Deceptis.* COMMENDAT. *Idololatria per-* tes, & inſtat faciendis adulteriis, *dixit Tertull.*
ſuaſa deorum cultum commendabilem reddit. PABV- *mentis corruptelas agit, furoribus & amentiis fœdis,*
LA PROPRIA. *Non quòd propriè dæmon hoc paſtu indigeat, ſed quòd honore diuino ſibi, in idolis,* *&c.* & paſcitur factis, niſi qui etiam Sacris talibus S. Auguſt.
per thus & ſacrificia oblato maximè delectetur, vt non oblectatur, conſtituens in templis ſimulacra dæ-
aliis diis, quàm ſibi, ſacra fieri procuret. ACCVRA- monum, amans in ludis ſimulacra vitiorum, ſuſ-
TIOR. *Quid magis diaboli palato ſapit? qua exquiſi-* turrans in occulto, *Tangis Art agiam, cuius incanta-*
tiores epula, quàm vt homines oraculis, auguriiſque, *tionibus res & verba ſacra miſcentur; vel artem dæ-*
& cæteris præſtigiis deceptos, à Dei vnius & veri cultu *monum, qua in oraculis ſi quid inſti fundunt, ambi-*
& pia & frequenti deuotione auertat, vt ad vana & vana ſacrificia ſibi ſub deorum nomine facienda con- *guum & obſcurum, & plerumque errori permixtum*
uertat? De variis prælectamentis dæmonum, quibus vt *eſt*, ad decipiendos etiam paucos bonos; frequen- S. Auguſt.
cibis paſcuntur, præclarè loquitur Aug. lib. 21. de Ci- tans in aperto inuitamenta nequitiæ ad poſſiden-
Auguſt. dos innumerabiles malos?

16. Dæmon inuidet Chriſtiano, quem ſimul timet & odit; & per Gentiles blanditiis & pœnis ad idololatriam prouocat, & tum triumphatur, cùm pro fide condemnatur Chriſtianus.
Apol. cap. 27. in p.

PRouocati ad ſacrificandum, obſtruimus gradum, pro fide conſcientiæ noſtræ, quâ certi ſumus, ad quos iſta perueniant officia, ſub imaginum proſtitutione, & humanorum nominum conſecratione. Sed quidam dementiam exiſtimant, quod cùm poſſimus & ſacrificare in præſenti, & illæſi abire, manente apud animum propoſito, obſtinationem ſaluti præferamus. Datis ſcilicet conſilium, quo vobis abutamur, ſed agnoſcimus vnde talia ſuggerantur, quis totum hoc agitet, & quomodo nunc aſtutiâ ſuadendi, nunc duritiâ ſæuiendi ad conſtantiam noſtram deiiciendam operetur. Ille ſcilicet ſpiritus dæmoniacæ & Ange-

licæ paraturæ, qui noſter ob diuortium æmulus, & ob Dei gratiam inuidus, de mentibus veſtris aduersùs nos præliatur, occultâ inſpiratione modulatis & ſubornatis ad omnem, quam in primordio exorſi ſumus, & iudicandi peruerſitatem & ſæuiendi iniquitatem. nam licet ſubiecta ſit nobis tota vis dæmonum & eiuſmodi ſpiritus, vt nequam tamen ſeruiì, metui nonnunquam contumaciam miſcent, & lædere geſtiunt, quos aliàs verentur. odium enim etiam timor ſpirat. præterque & deſperata conditio eorum ex prædamnatione, ſolatium reputat fruendæ interim malignitatis, de pœnæ mora. & tamen apprehenſi ſubiguntur, & conditioni ſuæ ſuccidunt, & quos de longinquo oppugnant, de proximo obſecrant. Itaque cùm vice rebellantium ergaſtulorum, ſiue carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis ſeruitutis, erumpunt aduersùm nos, in quorum poteſtate ſunt, certi impares ſe eſſe, & hoc magis, perditos; ingratis reſiſtimus vt æquales, & repugnamus perſeuerantes in eo quod oppugnant, & illos nunquam magis detriumphamus, quàm cùm pro fidei obſtinatione damnamur.

DIABOLVS. XVI. SCHOLIA.

PROVOCATI. *A vobis Gentilibus, per dæmones ſacrificia exigentes, concitatis.* OBSTRVIMVS GRADVM. *Huic nefando crimini obſiſtimus; ſcientes certiſſimè, hunc cultum ſub nomine hominum mortuorum, & idolorum exhibitum, ad dæmones pertinere, quos tanquam Deos colitis & conſecratis.* PROSTITVTIONE. *Sic Propheta frequenter idololatriam, fornicationem & proſtitutionem appellant.* In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo, tu proſternebaris meretrix. *In lucis coram idolis. Quæ etiam in proſtibulis, & lupanaribus erigebantur.* APVD ANIMVM. *In conſcientia manente propoſito fidei, ſpecie tenus ſacrificando, euadere poſſumus tormenta Tyrannorum; qua conſtanter ferendo profide, & ſalutem corporis, anima ſalui poſtponendo, obſtinati & dementes cenſemur à vobis.* ABVTAMVR. *Fallendo vos ipſos, fingendo idololatriam actu externo, quam interno actu fidei deteſtamur.* QVIS TOTVM HOC. *Nouimus arte dæmonis hæc nobis per vos ſuggeri conſilia, qui & primæ parenti ſuaſit:* Nequaquam moriemini. PARATVRÆ. *Naturæ Angelicæ diſpoſitionis diabolicæ.* OB DIVORTIVM. *Separationem ab Angelis lucis, & æterna beatitudine.* INVIDVS. *Ob gratiam Chriſti, quâ homines ad reparandas Angelorum ſedes, deſtinauit.* DE MENTIBVS. *Tanquam de arce ſua munita.* ADVERSVS NOS. *Alij minus ſcitè*, apud nos. MODVLATIS. *Supple mentibus veſtris affabrè factis & compoſitis, vt & perperàm in nos ſententiam formatis, & iniquè ſanctis.* CONTVMACIAM MISCENT. *Licet timeant Chriſtianos, interdum rebelles & contumaces agunt, & timore compreſſi, etiam metu odium pariente, in nos erumpunt. Præterea etiam deſperata eorum ſalus, aliquod credit ſolatium capere, dum morante pœna, id eſt donec pro vltima pœna, clauſtri abyſſi carcere recludantur, dum Deo ſic pro nobis melius prouidente, proficimus cùm illi quadam ſua beatitudine perfruantur, tentando & exercendo electos.* SVCCIDVNT. *Succumbunt cœleſtes illi ſpiritus, longè ſublimioris naturæ, hominibus de limo factis.* OBSECRANT. *Exorcizantes, ſicut olim Chriſtum legio,* Ne eos mitteret in abyſſum. CVM VICE REBELLANTIVM ERGASTVLORVM. *Ergaſtula, carceres, metalla, & alia id genus ſeruitia, ſumit pro ſeruis, & vilibus mancipiis, & reis damnatis ad carceres & metalla, quibus ſimiles ſunt dæmones; nam vt illi interdum erumpunt in dominos & cuſtodes ſuos, ſic dæmones in Chriſtianos.* CERTI. *Experientiâ virtutis & fidei Chriſtianæ.* INGRATIS. *Inuitis, vel fingimus, nos quaſi ex æquo cùm eis contendere cum longè eis ſuperiores ſimus.* IN EO. *In fide ſcil. & vnius Dei cultu.* OBSTINATIONE. *In bonam partem in conſtantia, vel ſecundùm opinionem Gentilium, vt ſupra dixit,* Obſtinationem ſaluti præferamus. DAMNAMVR. *Condemnamur ad mortem. Auguſtinus de mora pœnæ abyſſi, quam metuit diabolus, tractat lib. 11. de Ciuit. c. 33. in p.* Peccaſſe quoſdam Angelos, & in huius mũdi ima detruſos, qui eis velut carcer eſt, vſque ad futuram in die iudicij vltimã damnationem, Apoſtolus Petrus apertiſſimè oſtẽdit, dicens; quòd Deus Angelis peccantibus non pepercerit, ſed carceribus caliginis inferni retrudens, tradiderit, in iudicio puniendos reſeruari. *Quòd errore delectentur humano, & ſacrificiis gaudeant, ſic habet ep. 49. ad Deo gratias q. 3. circa f.* Cùm ſe homines ſuperioribus cœleſtibus poteſtatibus, quæ non ſunt dæmonia, ſacrificare dicunt, & ſolius nominis intereſſe arbitrantur, quòd illi Deos, nos eos Angelos appellamus, non ſe oppomunt eis ludificandis multiplici fallacia niſi dæmones, qui errore delectantur. & quodammodo paſcuntur humano, quoniam ſancti Angeli non approbant ſacrificium, niſi quod ex doctrina veræ ſapientiæ, veræque religionis, offertur vni vero Deo, cui ſancta ſocietate deſeruiunt. *Etin Pſal. 96.* Si adores & ſeruias dæmonibus, erunt Domini tui. Et qui erunt Domini tui? inuidi tui, libertati tuæ neceſſe eſt ſemper inuideant, ſemperque velint te poſſidere, ſemper talem facere, qualem poſſint ſecum trahere. Eſt enim inſita maleuolentia quædam & pernicies nocendi iiſtis malis ſpiritibus, gaudent de malo hominum, & de fallacia noſtra, ſi nos fefellerint, paſcuntur. Et quid quærunt? non quibus in æternum dominentur, ſed cum quibus in æternum damnentur. Quomodo ſolet maleuolus latro nominare innocentem. Numquid ſi fuerit vnus incenſus, minus ardet, ſi duo ardeant? minus moritur, ſi duo moriantur? pœna illi non minuitur, ſed maleuolentia paſcitur, &c. Talis eſt diabolus; ſeducere vult illos, qui cum illo puniantur. Et quia non poteſt fallere iudicem Deum, non enim nominat, *accuſat.* Apud illum innocentem; vera crimina volens habere, quæ obiiciat, peccata perſuadet.

Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

17. Diabolus tentare poteſt, inducere non poteſt niſi volentes. De Exhort. Caſt. cap. 2. in f.

SI quæris vnde venit ea voluntas, qua quid volumus aduersùs Dei voluntatem; dicam, Ex nobis ipſis. Nec temerè; ſemini enim tuo reſpondeas neceſſe eſt: ſiquidem ille princeps & generis & delicti, Adam, voluit, quod deliquit. Neque enim diabolus voluntatem ei impoſuit delinquendi, ſed materiam voluntati ſubminiſtrauit. Ceterùm, volun-

tas Dei in obaudientiam venerat. Proinde & tu si non obaudieris Deo, qui te, proposito præcepto, liberæ potestatis instituit, per voluntatis libertatē volens deuerges in id quod Deus non vult. & ita te putas à diabolo subuersum, qui etsi quid vult te velle, quod Deus non vult, non tamen facit vt & velis; quia nec tunc istos protoplastos ad voluntatem delicti subegit; immò neque inuitos, neque ignorantes quid Deus nollet. vtique enim nolebat fieri, cùm admisso mortem destinabat. Ita diaboli opus vnum est, tentare quod in te est, an velis. at vbi voluisti, sequitur vt & sibi subiungat, non operatus in te voluntatem, sed nactus occasionem voluntatis.

18. Diabolus nihil potest in nos, nec porcos, nisi permissus. V. Verbum Tentatio. num. 1. àm.

DIABOLVS. XVII. SCHOLIA.

QVID VOLVMVS. *Aliquid Dei voluntati contrarium.* EX NOBIS. Perditio tua ex te Israël. *Dostè Aug. & iuxta Apostolum ser. 13 de Verb. Apost. vbi ponderat verba*; Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Qui te volebas iam extollere, vbi audisti, si spiritu actiones carnis mortificaueritis viueris, dicturus eras; hoc potest voluntas mea, hoc potest liberum arbitrium meum. Quæ voluntas? quod liberum arbitrium? nisi ille regat, cadis; nisi regat, iaces, &c. *Et post multa in hanc rem, sic concludit:* Prorsus si deseruerit, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adiuuante, liberâ voluntate, sed malè; ad hoc idonea est voluntas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo, fit damnabilis ancilla. SEMINI TVO. *Origini tuæ & stirpi, Adæ scilicet, in quo peccante voluntariè, in eius voluntate peccasti.* NECESSE FIT. *Suppositio Adæ peccato, iam vt ait Augustinus in Ie. c 9.* Peccatum pro natura inoleuit. *Et iam nullus potest homo de semine Adæ, excepta beatissima virgine, nasci sine peccato. Quod si de peccato cuiusque actuali loquitur Author, quo singuli peccando, volumus Dei voluntati aduersari, sicut aduersatus est Adam; sicut ille suasus tantùm, & non coactus, sed libens diabolo consensit, ita & nos.* VOLVNTATEM IMPOSVIT. *Non coëgit voluntatem.* IN OBAVDIENTIAM. *Audierat Adam, & nouerat Dei voluntatem prohibentis esum ligni scientiæ.* OBAVDIERIS. *Obedieris.* LIBERÆ POTESTATIS. *Liberi arbitrij compotem creauit. Quamquam, vt proprio loco cum Aug. dicemus, longè distet libertas præsens post peccatum, ab illa in qua fuerat conditus in statu innocentiæ.* VOLENS DIVERGES. *Sponte & liberè flecteris in peccatum, contra Dei voluntatem. Aug. lib. 1. Retract. c. 9. vbi explicat quod dixerat libro 3. de lib. arb. c. 17.* Aut voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi: nec est cui rectè imputetur peccatum, nisi peccanti. Non ergo est cui rectè imputetur peccatum, nisi voluntati. *Et paulo post Scil. cap. 18.* Quis, inquam, peccat in eo quod nullo modo caueri potest? peccatur autem; caueri igitur potest. *Quo loco, dicit Pelagianos, iactasse Augustinum sua fauisse sententiæ. Sed, vt subiicit, frustra hoc putarunt.* Voluntas quippè est qua & peccatur, & rectè viuitur: quod his verbis egimus. Volũtas ergo ipsa, nisi Dei gratia liberetur à seruitute, quâ facta est serua peccati, & vt vitia superet, adiuuetur: rectè piéque viui à mortalibus non potest. *Plenius autem eodem libro cap. 13 vbi retractat dicta libro de vera Religione cap. 14.* Vsqueadeò peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Potest videri falsa hæc definitio; sed si diligenter discutiatur inuenietur esse verissima. Peccatum quippè illud cogitandum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati, &c. Quamuis & illa quæ non immeritò, non voluntaria, peccata dicuntur; quia vel à nescientibus, vel à coactis perpetrantur, non omninò possunt sine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate vtique facit, quod cùm faciendum non sit, putat esse faciendum. Et ille, qui concupiscenti aduersùs spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, & in eo non facit quod vult. Sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo non facit nisi quod vult, liber scilicet iustitiæ, seruusque peccati. *Et hoc venit ab illo peccato, quod est simul pœna peccati.* Et illud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non vtantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium. *Alij legunt voluntarium.* Non itaque falsum est quod dixi: vsque adeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Ideò gratiâ Dei, non solùm reatus omnium præteritorum soluitur in omnibus qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis: verùm etiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, & præparatur à Domino, quod fit spiritu fidei & Charitatis. QVID VVLT. *Aliquid.* NON FACIT VT TE VELIS. *Id est non cogit libertatem. Aug. in Psal. 96. agens de Psalmi titulo, qui est*; Psalmus cantici, in die Sabbati, docet te agere Sabbatum in corde tuo. Primum est vt tu ipse si aliquid profecisti, Deo confitearis ex eo quod profecisti, quia munera ipsius sunt, non merita tua. Hinc incipe Sabbatum, non tibi tribuendo, quasi non acceperis quod accepisti; neque excusando te ab eo quod facis mali, quia ipsa sunt tua. Peruersi enim homines & perturbati, *Quales fuere primi parentes peccatores, Eua dicens, serpens decepit me, Adam subinferens, mulier quam dedisti mihi, &c. Vterque iam facilis & pronus ad excusandas excusationes in peccatis.* Qui non agunt Sabbatum, mala sua Deo tribuunt, bona sua sibi, &c. Quærit quem accuset, ne confiteatur Deo, &c. Si non est valde impius, ad manum sathanam habet quem accuset. satanas fecit, dicit, ipse mihi persuasit. Quasi satanas habeat potestatem cogendi. Astutiam suadendi habet. Sed si satanas loqueretur, & taceret Deus, haberes vnde te excusares: modò, aures tuæ, *Sicut protoplastorum, de quibus hic Tertullianus profert exemplum*, positæ sunt inter monentem Deum, & suggerentem serpentem; quare huc flectuntur, hinc auertuntur? non cessat satanas suadere malum, sed nec Deus cessat admonere bonum. Satanas autem non cogit inuitum; in tua potestate est consentire, aut non consentire. Si aliquid persuadente satana mali feceris, dimitte satanam, accusa te, vt accusatione tua, Dei misericordiam merea-

Augus. Augus. Augus. Aug. Augus. Augus. Augus. S. Augus. S. Augus. S. Augus.

sis: Expetis illum accusare qui non habet veniam? A te accusa, & accipis indulgentiam, &c. Aliquando autem remissis omnibus, *Id est fato, inclinatione malâ, diabolo relictis,* Omnino directè eunt in Deũ: Et quando peccant dicunt; Deus hoc voluit, & si nollet Deus, non peccarem. Ergone ad hoc monet Deus vt non audiatur, *admonens, suadens, deterrens*: vt non pecces; sed accusetur, quia peccas? quid ergo nos docet Psalmus iste? Bonum est confiteri Domino. Quid est confiteri Domino? in vtraque re: & in peccato tuo, quia tu fecisti; & in bono facto confiteri Domino, quia ipse fecit. ADMISSO. *Peccato commisso, vel homini peccatum admittenti, vel statim atque commisisset: tùm dixerit Deus* Quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini. DESTINABAT. *Decernebat, minabatur.* OPVS VNVM. *Hoc solum potest in te; quod tentare & probare potest, an velis ei consentire.* SVBIVNGAT. *Subiiciat.* NACTVS OCCASIONEM. *Ex libertate voluntatis vtrimque flexibilis, occasionem tentandi sumit, vt te alliciat ad peccandum.*

19. Diabolus tentator malignus est, & invidiâ infirmus. Deus autem tentando probat.
De orat. cap. 8. per totum.

ADjecit ad plenitudinem tam expeditæ orationis, vt non de remittendis tantùm, sed etiam de auertendis in totum delictis supplicaremus; NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM, Id est, ne nos patiaris induci, ab eo vtique qui tentat. Cæterùm absit vt Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cuiusque, aut deijcere gestiens. Diaboli est & infirmitas & malitia. Nam & Abrahamum non tentandæ fidei gratiâ sacrificare de filio iusserat, sed probandæ, vt per eum faceret exemplum præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neque pignora Deo cariora habenda. Ipse à Diabolo tentatus, præsidem & artificem tentationis demonstrauit. Hunc locum posterioribus confirmat. *Orate*, dicens, *Ne tentemini*. Adeò tentati sunt Dominum deserendo, qui somno potiùs indulserant quàm orationi. Eo respondet, clausula interpretans quid sit, Ne nos deducas in tentationem. Hoc est enim, SED DEVEHE NOS A MALO.

Math. 6. 13. Iacob. 1. 13. Gen. 22. 1. Luc 22. 40.

DIABOLVS. XIX. SCHOLIA.

AD PLENITVDINEM. *Explica in quo sita sit hæc plenitudo & perfectio orationis dominicæ; scilicet, vt non tantùm petamus dimitti nobis peccata iam commissa, sed vt non sinas Deus nos induci ad consensum tentationis ad peccandum.* EXPEDITÆ. *Nam tantùm plena & perfecta est oratio Dominica, quæ plenè petit bona, & à malis liberationem, sed & simul est succincta, nec onerosa longitudine.* NE NOS INDVCAT. *Aug. ep. 121. ad Probam', vbi de oratione Dominica:* Si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantùm existimo, nihil inuenies, quod non ista dominica contineat & concludat oratio. *De vltima autem petitione sic to. 4. lib. 2. de Ser. Do. in monte cap. 9.* Multũ precando ita dicunt, *Sicut hîc Tertullianus*. Ne nos patiaris induci in tentationem: exponentes videlicet quomodo dictum sit, inducas. Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruit ordine occultissimo ac meritis. Causis etiam sæpè manifestis dignum iudicat illum quem deserat, & in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, aliud est tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest, siue sibi ipsi, sicut scriptum est Eccli. 34. 9. qui non est tentatus, qualia scit? siue alij, sicut Apostolus ait Gal. 4. 14. & tentationem vestram in carne mea non spreuistis, &c. Nam Deo noti sumus, & ante omnes tentationes, qui scit omnia antequam fiant. Quod itaque scriptũ Deut. 13. 3. tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligatis eum, &c. Pro eo quod est, vt scire vos faciat, &c. Non ergo hîc oratur, vt non tentemur, sed vt non inferamur in tentationem: tanquam si quispiam, cui necesse sit igne examinari, non oret, vt igne non contingatur, sed vt non exuratur. Vasa enim figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. *Eccli. 27. 6. &c.* Sed libera nos à malo. Orandum est enim, vt non solum non inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur, sed ab illo etiam liberemur quo iam inducti sumus. *Et Ser. 184. de temp. circa f.* Aliud est tentari, sine quo nullus probatus est iustus; aliud in tentationem induci, id est à tentatore induci. Hoc est ergo quod oramus, vt non permittat nos Deus tentari supra id quod possumus, sed faciat cum tentatione proventum, vt possimus sustinere, &c. DELECTARE ORANTIENS. *Quasi delectetur, si tentationi succumbamus.* INFIRMITAS. *Ignorantia scilicet. Quia nescit, sicut nec nos, an amore vel odio digni simus.* MALITIA. *Quia ille gestit & petulanter inhiat ruinæ nostræ.* DE SILICO. *Victimam de filio facere.* PROBANDÆ. *Vt seipsum Abraham probaret, & eius fidem approbaret Deus. Præterea etiam vt ex ipso daret exemplum, parentibus, liberos, & liberis parentes Deo postponendi; vt per hoc exemplum viam faceret præcepto suo, quo super omnia Deum diligendum edicturus erat. Præceptum habes Deut. 33. 9.* Qui dixit Patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro vos; & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. IPSE. *Christum scilicet.* DEMONSTRAVIT. *Math. 4. 1. & seq.* Iesus ductus est in desertum à Spiritu, *Sancto scilicet, qui, vt in fine capitis tertij legitur, specie columbæ descendit super eum; vnde & Syr: Subductus est à Spiritu Sanctificatis in desertum, vt tentaretur ab accusatore, id est diabolo.* Et accedens tentator dixit ei, &c. Rursum scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum, &c. ORATE, DICENS. *Math. 26. 41.* Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. ADIO. *Vnde & validè tentati, & in tentationem inducti sunt, quia obliti fuerant orationis Dominicæ, nec dixerant:* Et ne nos inducas in tentationem. *Dum vt ait scriptura*; Eo relicto omnes fugerunt. EÒ RESPONDET. *Huc facit, eò collimat.* CLAVSVLA. *Conclusio orationis Dominicæ.* HOC EST ENIM. *Prorsus eodem sensu Augustinus sapius exposuit, idem esse liberari à malo, quod, non induci in tentationem. Ser. 126. de temp. vbi totam dictur-*

S. August. C D August. August.

vit orationem dominicam. Inducit Deus in tentationem, *Sicut ait Psaltes, induxisti nos in laqueum, &c. Sed anima nostra, sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Cùm tentari permittit, vt probet, non vt perimat. Tentat autem non quasi mentium nescius humanarum, sed vt suos fideles faciat in sæculo manifestos, &c. Ex quo apparet à Deo tentationes huiusmodi prouenire, & diabolum nihil sine Dei permissione valere, &c. Educit verò, cùm liberat à malo; à malo autem liberat, quando super id quod possumus, non nos permittit tentari. *Idem autem 7. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 4.* Non quòd ipse Deus tali tentatione aliquem tentet, nam Deus intentator malorum est, Iacobi 1. 13. Ipse enim neminem tentat: sed vt si fortè tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adiutorio eius non desertamur, vt in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Deinde addimus, quod perficietur in fine, *In Resurrectione.* Cùm absorbebitur mortale à vita. Sed libera nos à malo. Tunc enim nulla erit talis concupiscentia, cum qua certare, & cui non consentire iubeamur. Sic ergo totum hoc in tribus beneficiis positum, breuiter peti potest: Ignosce nobis ea, in quibus sumus à concupiscentia abstracti, adiuua ne abstrahamur à concupiscentia, auser à nobis concupiscentiam. *Et lib. de natura & gratia cap. 57. vbi sic contra Pelag.* Isti tantam tribuunt potestatem voluntati, vt pietati auferant orationem. Nam vtique, vt diabolo resistamus, & fugiat à nobis, ideo precantes dicimus, ne nos inferas in tentationem: ideò & admoniti sumus, tanquam ab imperatore milites exhortante, & dicente, vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Vide preterea, qua habet lib. de bono perseuerantiæ c. 6. & 7. fusissimè.*

20. *Diabolum victorem, Dei bonitas vincere nos glorioſiùs fecit. 2. Cont. Marc. cap. 10. in f.*

CErtamini dedit spatium, vt & homo eâdem arbitrij libertate elideret inimicum, quà succiderat illi; probans suam, non Dei culpam; & ita salutem dignè per victoriam recuperaret, & diabolus amariùs puniretur, ab eo, quem eliserat antè, deuictus; & Deus tantò magis bonus inueniretur, sustinens hominem glorioſiorem in paradisum, ad licentiam decerpendæ arboris vitæ, iam de vita regressurum.

21. *Diabolo aduersario seruandum pactum prima renuntiationis. De An. cap. 35.*
V. Purgatorium.

DIABOLVS. XX. SCHOLIA.

CERTAMINI. *Totam vitam pro spatio certaminis dedit Deus. Vnde Iob.* Tentatio est vita hominis super terram. *In quem locum Aug. 10. 4. libro in Iob c. 7.* Tentationem dicit tanquam stadium certaminis, vbi vincit homo, vel vincitur. ELIDERET. *Benè ad serpentem, de quo Psaltes*: Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. *Psal. 136. vbi Aug. legit.* Elidet infantes tuos ad petram, &c. Qui sunt paruuli Babylonis? nascentes malæ cupiditates. Sunt enim qui cum vetere cupiditate rixantur. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat aduersùm te mala consuetudo, cùm paruula est, &c. Elide illam. Sed times ne elisa non moriatur. Ad petram elide. Petra autem erat Christus, &c. Nolite libenter colloqui cum voluptatibus vestris. *Sicut Eua cum serpente, sicut Adam cum Eua, quam remisit noluit contristare.* Hostis maior est, occidatur ad petram: breuis hostis est, elidatur ad Petram: & maiores ad Petram occidite, & minores ad Petram elidite. Petra vincat: in petra ædificamini, si non vultis tolli, aut à ventis, aut à pluuia. Si vultis armati esse contra tentationes in sæculo, crescat & roboretur desiderium Ierusalem æternæ in cordibus vestris, transiet captiuitas, veniet fœlicitas; damnabitur hostis extremus. *Nouissima inimica mors, & diabolus, ex cuius inuidia mors; cum parvulis eius, id est concupiscentiis, eius suggestu, illectis.* Et cum rege sine morte triumphabimus. *Tum verò cum eodem Psalte dicemus Deo probatori, de tentatore exultantes*: In Petra exaltasti me, & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. *Idem Aug. in Psal. 130.* Nescit diabolus quanta bona de illo fiant, etiam cùm sæuit. Sæuiens intrauit cor Iudæ, sæuiens tradidit Christũ, sæuiens crucifixit, & crucifixo Christo redemptus est orbis terrarũ. Ecce sæuitia diaboli diabolo obfuit, nobis autem profuit. Sæuiendo enim, quos tenebat, amisit, redemptos sanguine Domini, quem, cum sæuiret, effudit. Si sciret tantum damnum se passurum, non funderet in terram pretium, quo redemptum est genus humanum. SVCCIDERAT. *Succubuerat.* PROBANS SVAM, *&c. Ex victoria post de victore parta, libero arbitrio à Deo sanato, & Dei gratiâ adiuto, discens & confitens, suâ, & non Dei culpâ, in primo illo conflictu à diabolo se esse superatum ex defectibili libertate.* AMARIVS. *Quàm acerbum fuit superbo illi tentatori, à mancipio sibi subacto, postea vinci & triumphari. Id innuit Aug. in verba Psal. 67.* Rex virtutum dilecti dilecti, & speciei domus diuidere spolia. Spolia, inquit, dicuntur quæ victis hostibus detrahuntur. Hoc quid sit, Euangelium nos admonet, vbi legimus Math. 12. nemo intrat in domum fortis, vt vasa eius diripiat, nisi priùs alligauerit fortem. Alligauit ergo diabolum Christus spiritalibus vinculis, superando mortem, & super cœlos ab inferis ascendendo. Alligauit cum Sacramento Incarnationis suæ, quia nihil in eo reperiens morte dignum, tamen est permissus occidere, ac sic alligato abstulit tanquam spolia vasa eius. Operabatur quippè in filis diffidentiæ, quorum infidelitate vtebatur ad voluntatem suam. Hæc vasa Dominus mundans remissione peccatorum, hæc spolia sanctificans hosti erepta prostrato atque alligato, diuisit ea speciei domus suæ; *Supra exposuit, Ecclesiæ, quam speciosam Christus fecit, diuidendo ei spolia, sicut speciosum est corpus distributione membrorum.* Alios constituens Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & doctores in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. *Tandem ser. 9. de diuersis.* Diabolum non vides, sed quid te delectet, vides. *Lucrum, formosam feminam, vt supra dixerat.* Vince intus quod tu sentis; pugna, quia qui te regenerauit Iudex est: proposuit luctam, parat coronam. Sed quia sine dubio vinceris, si illum adiutorem non habueris, si te deseruerit, ideò ponis in oratione, ne nos inferas

in tentationem. SVSTINENS. In multa patientia vasa iræ, &c. *Donec mutata in vasa misericordiæ, meliori, cœlesti, & æterno paradiso redderet.* AD LICENTIAM. *Vt iam licitas homini resuscitato, & de virâ redditâ, à terrâ in cœli culmen redeunti paradisum regresso,* Victori edere de ligno vitæ quod est in medio Paradisi, de quo edens non moriatur in æternùm.

DII GENTILIVM.

1. *Dij Gentilium vani, qui hominum legibus instituuntur, & destituuntur. Apol. cap. 5. in p.*

VT de origine aliquid retractemus eiusmodi legum; vetus erat decretum, ne qui Deus ab imperatore consecraretur, nisi à senatu probatus. Scit M. Æmilius de Deo suo Alburno. Facit & hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu diuinitas pensitatur. nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. homo iam Deo propitius esse debebit. *Et libro. 2. ad nationes, cap.* 1.

2. *Et Apol. cap. 6. in f.*

ETiam circa ipsos Deos vestros quæ prospectè decreuerant Patres vestri, ijdem vos obsequentissimi rescidistis. Liberum patrem cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo vrbe, sed vniuersâ Italiâ eliminauerunt. Serapidem, & Isidem, & Harpocratem cum suo cynocephalo, Capitolio prohibitos, id est, curiâ Deorum pulsos, Piso & Gabinius Coss. non vtique Christiani, euersis etiam aris eorum abdicauerunt, turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes. His vos restitutis summam majestatem contulistis. Vbi religio? vbi veneratio maioribus debita à vobis? habitu, victu, instructu, censu, ipso denique sermone proauis renuntiastis. Laudatis semper antiquos, sed nouè de die viuitis. Per quod ostenditur, dum à bonis maiorum institutis deceditis, ea vos retinere & custodire quæ non debuistis, cùm quæ debuistis non custoditis. Adhuc quod videmini fidelissimè tueri à patribus traditum, in quo principaliter reos transgressionis Christianos destinatis, studium dico Deorum colendorum, quo maximè errauit antiquitas, licet Serapidi iam Romano aras restruxeritis; licet Baccho iam Italico furias vestras immolaueritis, suo loco ostendam proinde despici & negligi & destrui à vobis aduersus maiorum auctoritatem. *Et lib. 1. ad Nat. c. 10. & lib. 2. ad Nat. c. 8. & 10.*

DII GENTIVM. I. & II. SCHOLIA.

RETRACTEMVS. *Cenies ponit, pro,* Tractemus. EIVSMODI LEGVM. *Romanarum & gentilium, plerumque erroneatum; de quibus capite precedenti dixerat, maximè, quibus Christianos inauditos condemnari sanciebant, solo hoc nomine, quòd vnicum Deum colerent, & diis sacrificare recusarent.* VETVS DECRETVM. *De quo Eusebius lib. 2. Hist. cap. 2. Linius lib. 13.* NE QVI. *Ne quis. Hoc est decretum quod extat apud Crinitum lib. de Bon. Discipl. cap. 3. ex libris Pontificum excerptum, & in hac verba conceptum:* Separatim nemo sit habens Deos nouos, siue aduenas, nisi publicè adscitos priuatim coluntо. SCIT M. ÆMILIVS. *Alij legunt.* Vt fecit. *Sed stilus est loquendi Tertulliani. De Anima cap. 6.* Scit Thales, scit Chrysippus. *Et lib. de Bapt. c. 5.* Sciunt opaci quique fontes. *Et cap. 9.* Sciunt Pilati manus. DE DEO ALBVRNO. *Alij legunt* Alburna. *Hic cùm casu in statuam nomen Alburni præferentem incidisset, noluit eum Deum agnoscere antequam super hoc Senatum consuluisset. De hoc rursum lib. 1. Cont. Marc. cap. 18. de quo alibi tractatum est à nobis.* AD CAVSAM NOSTRAM. *Christianorum scil. de quorum vero Deo sententiam iustam ferre non potestis, quia homines estis, & puros homines, imò plerumque maximè impuros & impios, in deos refertis.* PENSITATVR. *Merita ponderantur hominum, vtrùm in deos consecrari mereantur; hoc examinat, & pensitat humanum arbitrium. Adeò vt pendeat diuinitas ab hominum æstimatione; & nisi homini placitum fueris, nisi homini arriserit, nullus Deus erit; sic fis vt non iam homo Deum, sed Deus hominem sibi imploret & opem propitium. Sic Adinulus,* Ecce ornatur, consecratur, oratur, tunc postremò Deus est, cùm homo illum voluit, & dedicauit. *Aug. lib. 8. de Ciuit c. 23. vbi de Hermæ Ægyptio, siue Trimegisto:* August. Ille Ægyptius, *inquit,* alios Deos dicit esse à summo Deo factos, alios ab hominibus. Hoc qui audit, sicut à me positum est, putat dici de simulacris, quæ opera sunt manuum hominum; at ille visibilia, & contrectabilia simulacra velut corpora deorum esse asserit: Inesse autem his quosdam spiritus inuitatos, qui valeant aliquid, siue ad nocendum, siue ad desideria eorum nonnulla complenda, à quibus eis diuini honores, & cultus obsequia deferuntur. Hos ergo spiritus inuisibiles, per artem quandam visibilibus rebus corporalis materiæ copulare, vt sint quasi animata corpora, illis spiritibus dicata & subdita simulacra, hoc esse dicit, Deos facere, eamque magnam & mirabilem deos faciendi accepisse homines potestatem. *Subiicit postea eumdem Hermem præsentientem futuram simulacrorum euersionem deplorasse. Tum subdit:* In August. quo videtur hoc tempus prædicere, quo Christiana religio, quantòest veracior atque sanctior, tantò vehementiùs & liberiùs cuncta fallacia figmenta subuertit, vt gratia verissimi Saluatoris liberet hominem ab his diis quos fecit homo: & ei Deo subdat, à quo factus est homo, &c. Et nescio quomodo illâ obscuratione, cordis, *De qua Rom. 1. obscuratum est insipiens cor eorum;* ad ista delabitur, vt diis quos confitetur ab hominibus fieri, semper velit homines subdi, & hæc futuro tempore, *simulacra scilicet,*

Plangat

plàngàt auferri. Quaſi quicquam ſit infelicius homine, cui ſua figmenta dominantur: cùm ſit facilius, fieri, Deos colendo quos fecit, ne ipſe ſit homo; quàm vt per eius cultum dij eſſe poſſint, quos fecit homo. Citius enim fit, vt homo in honore poſitus, pecoribus, non intelligens comparetur; quàm vt operi Dei ad eius imaginem facto, id eſt ipſi homini, opus hominis præferatur. Quapropter meritò homo deficit ab illo qui eum fecit, cùm ſibi præficit ipſe quod fecit.

Et lib. 2 ad Nat. cap. 1. PER ARTIFICEM. *Diabolum.* MAGISREI. *Per ignorantiam affectatam, & voluntariam.* PATENT OCVLI. *Vt iuxta Pſalten:* Similes illis fiant, qui faciunt ea; & Auguſt. omnes qui confidunt in eis *Pſal. 113 Vbi Auguſtinus.* Videant ergo, inquit, illi apertis & ſentientibus oculis, & adorent clauſis & mortuis mentibus, nec vidientia, nec viuentia ſimulacra. INSTITVTOS NON. *Supple*, Ignoretis. ALIQVANDO COEPTVM. *Quod initium habet, non eſt æternum, nec diuinum.* TEMERITAS. *Quibus licet initio conſcientia tenera ſit, tamen obdureſcit, dum non vult inſtrui, ſed affectat in errore perſeuerare.* INGENTI. *Multitudine errorum, vna circumcingitur veritas.* QVOSCVMQVE VVLT. *Vera diuinitas, quando vult, ita rebelles flectit & mutat voluntates, vt de perſe-*Auguſt. *cutoribus faciat defenſores. Ita Auguſtinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 9.* Oramus inquit, non ſolùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, niſi vt fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes; à quo niſi ab illo de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Deo? *Sic & ex mente Tertulliani, veritas fidei, & Deus auctor eius, de ipſis aduerſariorum argumentis, ipſos euertit errores; & inde ſeipſam tuetur veritas, vnde oppugnatur.* GRAVVM CONFERENS. *Procedens in diſputationem.* ELEGI VARRONEM. *Et*Auguſt. *hunc elegit Auguſtinus in libris de Ciuitate, & inter cetera ex Varrone deprompta, libro 6. cap. 20.* Quale eſt, inquit, quod tria genera Theologiæ dicit eſſe, id eſt rationis quæ de diis explicatur; eorumque vnum Mythicon appellari, alterum Phyſicon, tertium Ciuile? Latinè ſi vſus admitteret, genus quod primum poſuit, fabulare appellaremus; ſed fabuloſum dicamus: à fabulis enim mythicon dictum eſt; quoniam μῦθος Græcè fabula dicitur. Secundum autem, vt naturale dicatur, iam & conſuetudo locutionis admittit. Tertium etiam ipſe Latinè enuntiauit, quod ciuile appellatur deinde ait, mythicon appellant, quo maximè vruntur Poëtæ: Phyſicon quo Philoſophi: Ciuile quo populi. Primi, inquit, quod dixi, in eo ſunt multa contra dignitatem, & naturam immortalium ficta, &c. Secundum genus eſt, de quo multos libros Philoſophi reliquerunt. In quibus eſt, dij qui ſint, vbi, quod genus, quale, ex quonam tempore, an à ſempiterno fuerint, &c. Tertium genus eſt, quod in vrbibus ciues, & maximè Sacerdotes, noſſe atque adminiſtrare debent. In quo eſt, quos Deos publicè colere, quæ ſacra & ſacrificia facere quemque par ſit. Prima Theologia maximè accommodata eſt ad theatrum, ſecunda ad mundum, tertia ad Auguſt. vrbem. *Et concludit ipſe Auguſt.* Theatrũ, *inquit*, vbi eſt niſi in Vrbe? quis theatrum inſtituit niſi ciuitas? Propter quid inſtituit, niſi propter ludos ſcenicos? vbi ſunt ludi ſcenici, niſi in rebus diuinis, de quibus hi libri tantâ ſolertiâ conſcribuntur? *Et cap. 6. ſic*Auguſt. *Varronem aggreditur* Cernis quidem quàm ſint res diuinæ ab humanis nugis atque mendaciis dirimendæ, ſed vitioſiſſimas populorum opiniones, & conſuetudines in ſuperſtitionibus publicis vereris offendere, quas à Deorum natura abhorrere, vel talium, quales in huius mundi elementis humani animi ſuſpicatur infirmitas, & ſentis ipſe, &c. Naturales Deos colere cupis, ciuiles cogeris, inueniſti alios fabuloſos, in quos liberiùs quod ſentis euomas, vnde & iſtos ciuiles velis noliſue perfundas, &c. Nec alij dij rideantur in theatris, quàm qui adorantur in templis: nec aliis ludos exhibeatis, quàm quibus victimas immolatis. Quantò liberiùs ſubtiliúſque iſta diuideres, dicens alios eſſe Deos naturales, alios ab hominibus inſtitutos? ſed de inſtitutis aliud habere litteras Poëtarum, aliud Sacerdotum: vtraſque tamen ita eſſe inter ſe amicas conſortio falſitatis, vt gratæ ſint vtræque dæmonibus, quibus inimica eſt doctrina veritatis. DEORVM CENSVM. *Originem, ſeriem* RETRACTANI. *Identidem tractant.* PASSIVA. *Communis, trinialis.* MVNICIPALIS ADOPTIO. *Seruilis, prolibito ciuitatum & populorum adſcititij dij, pendentes à vulgi opinione quos creat pro arbitrio ſuo & adoptat ſibi qualibet natio, & populus, vnde & municipale ius dicitur, ſine lex, propria cuiuſque municipij & ciuitatis l. 3. § planè. ff. Quod vi aut clam. l. 3. §. Diuus. ff. de ſepulchr. viol.*

2. PROSPECTE. *Cum magna prudentia.* OBSEQVENTISSIMI. *Ironicè dicta.* RESCIDISTIS. *Vox iuris.* Reſcindere rem iudicatam. *L. 10. C. de Procur. &*; Reſcindere quæ pronuntiauerunt. *L. 27. ff. de pœnis, &c.* LIBERVM PATREM. *Bacchum Quintus Marcius Philippus, & Poſthumius* S. Auguſt. *Albinus hoc fecerunt.* CVM MYSTERIIS. *Scil. Bacchanalibus. Aug. lib. 6. de Ciuit. cap. 9.* Bacchanalia ſummâ celebrantur inſaniâ. Vbi Varro ipſe confitetur à Bacchantibus ralia fieri non potuiſſe, niſi mente commotâ. Et tamen poſtea diſpliceuerunt Senatui ſaniori, & ea iuſſit auferri. *Vide Liuium lib 39. Anno ab vrbe condita 569. & Valer. Max.* S. Auguſt. *lib. 6. cap. 3.* SERAPIDEM ET ISIDEM. *De Api, ſiue Serapi, iam alibi ex Aug. dixi. De Iſide frequenter in libris de Ciuit. tractat. lib. 8. cap. 26.* Iſin vxorem Oſiris, quàm multa bona præſtare propitiam, quantis ſcimus obeſſe iratam? *Sic induxit loquentem Mercurium.* Deinde vt oſtenderet ex hoc genere eſſe Deos quos illa arte homines faciunt, &c. De *Harpocrate Deo ſilentij lib. 18. de Ciuit. cap.* S. Auguſt. 3. Quoniam ferè in omnibus templis vbi colebantur Iſis & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, vt ſilentium fieret; hoc ſignificare idem Varro exiſtimat, vt homines eos fuiſſe taceretur. CYNOCEPHALO. *Huius meminit lib. 2. de Ciuit. cap. 14. & lib. 3. c. 12 Vbi cùm de matre Deorum diciſſet, ſubiecit poſt memoratum Capitolium, à Tarquinio rege fabricatum:* Indignum erat, vt cùm eius filius iam colli capitolino præſideret, adhuc ipſa in loco ignobili S. Auguſt. latitaret. Quæ tamen ſi omnium Deorum mater eſt, non eſt ſecuta ſolùm Romam quoſdam filios ſuos, verùm & alios præceſſit etiam ſecuturos. Miror ſanè ſi ipſa peperit Cynocephalum; *capite canino Deum Ægyptium.* Qui longè poſtea venit ex Ægypto. SVO. *Referri ad Iſidem, cuius Cynocephalus creditur fuiſſe filius à Virgilio Æneid. 8.* Latrator Anubis. *Vt videlicet ſicut Harpocrates ſilentium indicebat, ne quis diceret Serapim & Iſidem fuiſſe mortales; ſic contra dicentes, pro parentibus diis Cynocephalus allatraret.* CAPITOLIO PROHIBITOS. *Quod erat Deorum omnium curia. Liuius lib. 3.* Iupiter optimus maximus, Iuno Regina, & Minerua, alij dij deæque obſidentur. *Scilicet in Capitolio, ſic dicta ex Cedrene, quòd Vrbis caput eſſet.* PISO, ET CA-

Omniloquium.

DIRIVS. *Hi Conſules, prædictos à Tertulliano Deos extra capitolium eiecerunt. De Piſone vide Lact. lib 1. cap. 6. Arnobium lib. 3. de Gabinio eundem Arnob. lib. 2.* NON CHRISTIANI. *Vt non hic de Chriſtianis conqueramini; cum ipſi Conſules Gentiles eſſent, qui ſine iudicio, indecoras, indignaſque diis, & inutiles ſuperſtitiones eliminarunt, quas ipſi iam, Ethnici reſtituebant, & ſummo, hoc eſt diuino honore dignos cenſebant.* INSTRVCTV. *Supellectile.* CENSV. *Origine, receditis ſcil. à Patribus veſtris degeneres.* DESTINATIS. *Notatis, & ad ſupplicium decernendis condemnandos.* IAM ROMANO. *Non Ægyptio, vel rurſum poſt exilium reſtituto.* IAM ITALICO. *In Italiam reuocato, vel qui priùs inter Thraces Sabi vel Sabaſius dicebatur à ſaltationibus Bacchicis, teſte Photio, quod nos ſaltare dicimus Barbari*
S. Auguſt. *dicunt σαβάζειν.* MAXIME PRAVIT ANTIQVITAS. *Scilicet dum Deos colendos docuit, & artem Deos faciendi adinuenit. Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 24. poſt introductum Hermem loquentem de arte faciendi Deos:* Neſcio, inquit, vtrùm ſic confictrentur dæmones adiurati, quomodo iſte confeſſus eſt. Quoniam, inquit, proaui noſtri multùm errabant circa deorum rationem increduli, & non animaduertentes ad cultum religionemque diuinam inuenerunt artem, quâ efficerent Deos. Numquid nam ſaltem mediocriter eos dixit erraſſe, vt hanc artem inuenirent faciendi Deos, aut contentus fuit dicere, errabant, niſi adderet & diceret, multùm errabant? Ita ergo multus error & incredulitas, non animaduertentium ad cultum religionemque diuinam, inuenit artem quâ efficeret Deos. Et tamen, quòd multus error, & incredulitas, & à cultu ac religione diuina auerſio animi inuenit, vt homo arte faceret Deos, hoc dolet vir ſapiens, tanquam religionem diuinam venturo certo tempore auferri. Vide ſi non & vi diuina maiorum ſuorum errorem præteritum prodere, & inuidiâ diabolicâ pœnam dæmonum futuram dolere compellitur: Si enim proaui eorum multùm errando circa deorum rationem incredulitate & auerſione animi à cultu ac religione diuina, inuenerunt artem quâ Deos efficerent; quid mirũ ſi hæc ars deteſtada, quidquid fecit auerſa à religione diuina, aufertur religione diuina; cùm veritas emendet errorem, fides redarguat incredulitatem, conuerſio corrigat auerſionẽ.

Et lib. 1. ad Nationes cap. 10. ADMENTATIONIBVS. *Admotis machinis, telis, iaculis.* ADSOLAVERVNT. *Solo affixerunt, conculcarunt.* SECTAM CHRISTIANAM. *Sollemnem morem noſtrum, quo Deos veſtros nihili pendimus.* HORVM. *Deorum ſcilicet, & laſa diuina maieſtatis rei eſſe conuincimini. Nullus hîc ſenſus, aliquid intercidiſſe probat.* CONSPIRASSE. *Videtur vos ſimul in ſuperſtitione & impietate profeciſſe, qui quò plures Deos colitis, plura in eos ſacrilegia in dies admittitis.* INCVLCATIS. *Conculcatis.* QVOD MODICO *Tanto maiori contumelia quo ad inferiora & viliora deiiciuis* IN HASTARIVM. *Venditionem auctionariã. Vt ſub voce præconis dij venales ſubhaſtarentur. Vt inſtar Chriſtianorũ venalium traderentur diuerſtri. Vnde dixit in Apologetico;* In haſtario vectigales ſumus. NEGOTIATIO. *Contra Rigaltiũ, retineo lectionem, nec muto. Tanta, inquit, eſt, & tam venalis hodie apud vos Religio, & idolorum rerumque ſacrarum commercium tantum, vt omnis alia negotiatio videatur eſſe proſcripta.* PVBLICANIS REFICITVR. *Paſcitur, augetur Religio cultuſque deorum queſtuariorum operâ quàm Sacerdotum.* CVM DEIS. *Quos tamen dicitis immortales.* TENSA. *Vehicula argentea aut eburnea erant, quibus deorum exuuiæ in circo pompaticè vehebantur. De quibus Suetonius in Octauio cap. 43. in Veſpaſiano cap. 5. in Iulio cap. 76.* SOLISTERNIA. *Soliorum, & thororum apparatus.* COELVM PATET. *Per apotheoſin in cœlites & diuos transcribuntur.* IN CAELVM RECEPTI. *Teſtis Proculus Romulei in cœlum aſcenſus.* PERIVRII PVNVS. *Immunis à periurio, qui Deos verè eſſe non credit.* DENOTATIOR. *Maiori reprehenſione dignairriſio, quia mordacior eſt ipſo contemptu, qui ſapit aliquam generoſitatem.* VVLGÆ. *Ex vulgo & infima plebe guloſi ſibi optima ſeruantes, & diis offerentes deteriora.* CESSIT LITTERATVRA. *Succeſſit, profecit.* VNDA OMNIS. *A quo velut fonte, & mari fluit Poëſis & ceteris abundantia fabellarum.* SVPER SARPEDONEM. *Homero teſte Iliad. 16. Iouis filius eſt ex Laodamia Bellerofontis filia, Lycia Rex, à Patroclo interfectus, dum Priamo ſuppetias ferret contra Græcos. Cuius corpus ab Apolline iuſſu Iouis è mortuorum turba ſua relatum in caſtra, ablutum flumine, & ambroſio rore conſperſum, Regiiſque indutum veſtibus, funerandum traditur militibus.* DISCRIMINATORES IMPENDERIT. *In diſcrimen vitæ iudices miſerit, de crimine ſuo decernentes, in crimen vocauerit: vt ſic fama reddita ſit Socrati.* ROMANE STILI. *Qui Latinè egit, quod Græcè Diogenes.* IOVIS ELOGIA. *Crimina repreſentari.* EROGANDIS. *Comburendis, vel alio ſupplicio dignis.* SALTANI ARGVMENTA. *Iouis acta turpia in ſcena actitant.* PENNATVLVS *Qui pro capillitio, galerum alatum præfert capiti.* IGNITVLVS. *Ob Caducaum ſerpentes habentem linguam igneam exerentes.* ADSOLANT. *Proterunt, & conculcant.* REDIMITIS. *Aliâ ex parte compenſatis delictis honoribus.* LICET. *Licentiam meritò accipitis agendi quidlibet in Deos quorũparentes & domini ac fabricatores eſtis.*

Et libro 2. ad Nat. cap. 8. GENTILE GENVS. *Hæc eſt tertia Theologiæ ſpecies, docens cultum deorum, quos vna quæque gens pro libito ſibi inſtituit, & propriuata cuiuſque plebis notitia.* TOTVS ORBIS. *Elementa intelligit & aſtra communiter à gentibus culta, quæ tamen probari non poſſunt veram continere diuinitatem.* MVNICIPES. *Municipia dicebantur ciuitates ſuo iure & legibus vtentes, muneribus tamen & honoribus populi Romani fungebantur, nullâ populi Romani lege adſtricti. Municipes ergo erant municipiorum incolæ, qui priuatos ſuos Deos in ſuis ciuitatibus colebant.* PARVM EST. *Parum erat idololatriæ Ægyptiorum, quòd homines Deos facerent, niſi etiam beſtias priuatas ſpiritu rationali adorarent.* ANGVEM SVVM. *Mordentem caudam, lapſus temporis, & anni reuolutilis Symbolum.* SERAPIS. Auguſt. *Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 4.* Cùm Rex Argiuorum tertius Apis eſſet, mortuus eſt Iſaac annorum centum octoginta, & reliquit gemihos ſuos annorum centum & viginti: quorum minor Iacob pertinens ad ciuitatem Dei de qua ſcribimus, maiore vtique reprobato, habebat duodecim filios, quorum illum qui vocabatur Ioſeph, mercatoribus in Ægyptum tranſeuntibus fratres, adhuc Iſaac auo eorum vtuente, vendiderant. Stetit autem ante Pharaon Ioſeph, quando ex humilitate quam pertulit, ſublimatus eſt, cùm triginta eſſet annorum: quoniam ſomnia Regis diuinè interpretatus, prænuntiauit ſeptem vbertatis annos futuros, quorum abundantiam præpollentem, conſequentes alij ſeptem ſteriles fuerant conſumpturi. Et ob hoc eum Rex præfecerat Ægypto, de carcere liberatum, quo eum conieceratintegritas caſtitatis: quam fortiter ſeruans malè amanti Dominæ, & malè credulo Domino mentituræ, veſte etiam derelicta, de manibus attrahentis aufugiens, non conſenſit ad ſtuprum. Secundo au-

cem ànno ſeptem annorũ ſterilium, Iacob in Ægyptum cum ſuis omnibus venit ad filium, agens annos centum & triginta: ſicut interroganti Regi ipſe reſpondit, cùm Ioſeph ageret triginta & nouem, ad triginta ſcilicet quos agebat, quando à Rege honoratus eſt, additis ſeptem vbertatis annis, & duobus famis. *Debinc vt appareat, quàm reſpondeat* Auguſt. *Tertulliano Auguſtinus, ſtatim cap. 5. agit de Serapi.* His temporibus, inquit, Rex Argiuorum Apis nauibus tranſuectus in Ægyptum, cùm ibi mortuus fuiſſet, factus eſt Serapis omnium maximus Ægyptiorum Deus, &c. Conſtitutum eſt etiam de illo, vt quiſquis cùm hominem dixiſſet fuiſſe, capitalem penderet pœnam. Et quoniam ferè in omnibus templis vbi colebantur Iſis, & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, vt ſilentium fieret: hoc ſignificare idem Varro exiſtimat, vt homines eos fuiſſe taceretur. *Harpocrates erat, de quo & Tertull. Apol. 6.* Serapidem & Iſidem, & Harpocratem cum ſuo Cynocephalo Capitolio prohibitos, &c. Serapidi iam Romano aras reſtruxeritis. A REGINA. *Lapſus memoria. Cùm fuerit vxor Putipharis Eunuchi Pharaonis Gen. 39. 7. & ſequentibus.* EXCELSIOR. *Vnde & manipulus eius in agro erectus apparuit.* QVIBVSDAM. *Pinterna & piſtori Pharaonis.* SPIRITVS SVI. *Prophetici.* DETRACTIS. *Reiectis diuinis & Magis quos conſuluerat.* HVNC SERAPIDEM. *Iulius Firmicus Serapin dixit Ioſeph, quòd Sare pronepos eſſet.* EX SVGGESTV. *Statua Serapis habebat in capite pilenm in modum modij, ſiue cumuli tritici conformatum. Sic Ruffinus Hiſt. 11. vbi de ſtatua Serapis:* Cuius, inquit, capiti modius ſuperpoſitus, indicet vitam mortalibus frugum largitate præberi. *Graci item cumulũ & acernum dicunt σωρὸν.* Auguſt. *Auguſtinus autem ſupra cap. 5.* Nominis, *inquit*, huius, cur non Apis etiam poſt mortem, ſed Serapis appellatus ſit, facillimam rationem Varro reddidit: quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes iam σαρκοφάγον vocant, σωρὸς dicitur Græcè: & ibi cum venerari ſepultum cœperunt, priuſquam templum eius eſſet extructum: velut Soroſapis, vel Sorapis primò; deinde vna litterâ vt fieri aſſolet, commutatâ, Serapis dictus eſt. *Serapis porrò dictus eſt quaſi princeps boum, quod fanem ſeptennem ab Ægypto depuliſſet, magnum ei templum dedicatum eſt, in quo bos nutriebatur, agriculture ſymbolum, vt notat Auguſtinus ſupra. Et verò ipſe Ioſeph ſomnium ſeptem boum pinguium expoſuerat.* CANEM APVD INFEROS. *Cerberum cuſtodem regni Plutonis.* COMPRESSATVS. *Oppreſſio. Coegit enim Ægyptios frumenta emere. Et hac voce rurſum vſus eſt Scorp. cap. 3. vbi agit de oppreſſione Iſraelitarum.* Nec poterant omninò ſubſiſtere à facie inimicorum ſuorum. Quocumque proceſſerant, manus erant ſuper illos in mala, & compreſſati ſunt valde. PHARIAM ADIVNGVNT. *Et hic labitur memoriâ. Expreſsè enim Geneſis 41. 50. legitur:* Nati ſunt autem Ioſeph filij duo *Manaſſes & Ephraim*, antequam veniret fames; quos peperit ei Aſeneth filia Putiphare Sacerdotis Heliopoleos. *Et ſupra verſu 45. inter cætera munera, quæ Pharao contulit Ioſeph:* Dedit illi vxorem Aſeneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos. ANVBIN. *Hic eſt quem Tertullianus Apol. 6. Aug. lib. 2. de Ciuit.* S. Auguſt. *cap. 14. Cynocephalum vocant, qui canina facie ab Ægyptiis colitur, quòd in expeditione bellica Patrem Oſirim ſecutus fuiſſet. Cypr. ad Demetriadem Ægyptiis aliiſque Gentilibus exprobrat.* Crocodili, & Cynocephali, & lapides, & ſerpentes à vobis coluntur. *Et Minutius Felix in Octauio.* Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo, & aliis ſacerdotibus luget, plangit, inquirit, & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infeliciſſimæ matris imitantur: mox inuento paruulo gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur. RECONTRANS. *Contrarians. In cane Ægyptij caninos mores ſuos oblatrantes regibus expreſſerunt.* DIRECTA. *Puſillanimis in reſiſtendo extraneis, & in Hebræi populi ſeruâ oppreſſione crudelis & pluſquam canina gens Ægyptia.*

3. *Dij Gentilium nec noſtrâ, nec ipſorum fide dij ſunt, ſed homines mortales, cultu indigni: & dij facti homines mortui. Apol. cap. 10. àp. ad f.*

DEos veſtros colere deſinimus, ex quo illos non eſſe cognoſcimus. Hoc igitur exigere debetis, vtì probemus non eſſe illos Deos, & idcirco non colendos, quia tunc demum coli debuiſſent, ſi dij fuiſſent. tunc & Chriſtiani puniendi, ſi quos non colerent, quia putarent non eſſe, conſtaret illos Deos eſſe. Sed nobis, inquitis, dij ſunt. Appellamus, & protiocamus à vobis ad conſcientiam veſtram. illa nos iudicet, illa nos damnet, ſi poterit negare omnes iſtos Deos veſtros homines fuiſſe. ſi & ipſa inficias ierit, de ſuis antiquitatum inſtrumentis conuincetur, de quibus eos didicit; teſtimonium perhibentibus ad hodiernum, & ciuitatibus in quibus nati ſunt; & regionibus in quibus aliquid operati veſtigia reliquerunt, in quibus etiam ſepulti demonſtrantur. Nec ego per ſingulos decurram, tot ac tantos, nouos, veteres, barbaros, Græcos, Romanos, peregrinos, captiuos, adoptiuos, proprios, communes, maſculos, feminas, ruſticos, vrbanos, nauticos, militares. otioſum eſt etiam titulos perſequi, vt colligam in compendium, & hoc, non quò cognoſcatis, ſed recognoſcatis: certè enim oblitos agitis. Ante Saturnum Deus penes vos nemo eſt. ab illo cenſus totius, vel potioris, vel notioris diuinitatis. Itaque quod de origine conſtiterit, id & de poſteritate conueniet. Saturnum itaque, quantùm literæ docent, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neque Caſſius Seuerus, aut Cornelius Nepos, neque vllus commentator eiuſmodi antiquitatum, aliud quàm hominem promulgauerunt. ſi, quantùm rerum argumenta, nuſquam inuenio fideliora, quàm apud ipſam Italiam, in qua Saturnus, poſt multas expeditiones, poſtque Attica hoſpitia, conſedit exceptus ab Iano, vel Iane, vt Salij volunt. mons quem incoluerat, Saturnius dictus. ciuitas, quam depalauerat, Saturnia vſque nunc eſt. tota denique Italia poſt Oenotriam, Saturnia cognominabatur. ab ipſo primùm tabulæ. & imagine ſignatus nummus, & inde ærario præſidet. Tamen ſi ho-

Lactantius lib. 1. cap. 13. vbi duos primos, Græcos fuisse Historicos, duos postremos dicit Latinos, vt & Minucius Fœlix: vterque autem his quatuor Authoribus Saturnum deorum principem hominem fuisse contestantur: COMMENTATOR. *Scriptor.* RERVM. *Quas egit Saturnus.* ARGVMENTA. *Supple docent.* ATTICA HOSPITIA. *Postquam Athenis commoratus est.* A IANE. *Alij Iegum, Eano, Lingua corruptâ, vel vetustâ.* VT SALII. *Non puto hic intelligere Sacerdotes Martis numero 12 à Numa institutos, sed Germaniæ populos seu Francos de quibus Amm. Marcel. libro 17. à quibus Alciat. vult legem Salicam institutam. De Iano, Augustinus lib. 7. de Ciuit. c. 4.* Saturnum fugientem benignus excepit, cum hospite partitus est regnum, vt etiam ciuitates singulas conderent. Ille Ianiculum, ille Saturniam. DEPALAVERAT. *Vox Architecturæ, quâ vitur lib. 3 Cent. Marc. cap. 6 vbi de Paulo,* Quod Architectum se prudentem affirmat, hoc inueniunt significari depalatorem disciplinæ diuinæ. *Et contra Hermog. c. 19. vbi de mundi fabrica per Deum artificem.* Incultis primò elementis depalans quodammodo mundum. *Saturnus ergo vrbem suam depalauerat, palis cinxerat, vallauerat, rudibus primò & incultis extruxerat.* POST OENOTRIAM. *Quæ priùs dicta erat Oenotria, siue à rege huius nominis, siue à vino. Vide Strabo lib. 6. & Arist. libr. 7. Polit.* TABVLÆ. *Literæ scriptæ in tabellis. Cypr. de vanitate Idol.* Hic literas imprimere, hic signare nummum in Italia primus instituit; vnde æratum Saturni vocatur. *In cuius æde ærarium Romanum fuisse fertur. de eodem Lact. lib. 1. cap. 13* Hunc errantem atque inopem Ianus excepit, cuius rei argumenta sunt nummi veteres, in quibus est cum duplici fronte Ianus, & in altera parte, Naus. *Quæ scilicet appulit Saturnus in Italiam.* TAMEN SI HOMO, *&c. Quidquid illustre gesserit hic primus & summus Deus, homo fuit, homo natus ex homine patre.* DE COELO. *Vt fingunt Poëtæ. Aug. lib. 7. de Ciuit. c. 19.* Saturnus si cœli est filius, Iouis est filius. Cœlum enim esse Ioucm, immutabiliter & diligenter affirmant. Ita ista quæ à veritate non veniunt, plerumque & nullo impellente seipsa subuertunt. *Quomodo enim Iupiter & filius & pater Saturni esse potest. Si Iupiter cœlum est, & Saturnus cœlo patre natus est? quomodo & Iouis, & omnium* Deorum *pater est? Ibidem paulo supra facete carpit hoc Numen falce armatum.* An falcem sceptro perdito accepit, vt qui primis temporibus, *Quibus omnia tellus nullo poscente ferebat,* Rex fuerat otiosus, filio *Ioue* regnante, fieret operarius laboriosus? QVA IGNOTI. *In quantum personæ ignotæ quoad originem, vel subitò aduentantes. Arnobius.* Vt in hodiernum, inopinatò visos, *Quasi è machina scenæ, cœloque fallaci, vel nube delabentes,* Cœlo missos; ignobiles & ignotos, terræ filios nominamus. AGEBANT. *Viuebant, spectabant, loquebantur.* GENERIS EXAMEN. *Posteritatem deorum numerosam.* SEMINIS SVI PAR *Parentibus suis similes, scilicet homines. Concludamus hoc Scholium eximio loco Aug. ridentis, vt solet, homines ex diis natos. Libro 3. de Ciuit. cap. 3.* Irridere fabulas fortasis existimor: Nec grauiter agere tanti ponderis causam. Non ergo credamus, si placet, Æneam fuisse Veneris filium. Ecce concedo, si nec Romulum Martis. Si autem illud, cur non & illud? An Deos fas est hominibus fœminis, mares autem homines deabus miscere nefas? *Ex animis vtique, vt actiuo semine masculo, fœmineo passiuo prapollente homines genitos credi par est.* Dura, vel potius non credenda conditio, quod ex iure Veneris *Dea libidinis, amoris & concubitus, quæ proprio iure multò magis vti potuit in congressu cum homine, quod licuit Marti ex iure ab ea mendicato,* In concubitu Marti licuit, hoc in iure suo ipsi Veneri non licere. At vtrumque firmatum est authoritate Romana. Neque enim minùs credidit recentior Cæsar auiam Veneream, quàm patrem antiquior Romulus Martem. *Et cap. seq.* Dixerit aliquis: Itane tu ista credis? Ego verò ista non credo. Nam & vir doctissimus eorum Varro falsa hæc esse, quamuis non audenter, neque fidenter, penè tamen fatetur. Sed vtile esse ciuitatibus dicit, vt se viri fortes, etiamsi falsum sit, ex diis genitos esse credant, vt eo modo animus humanus velut diuinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas, præsumat audaciùs, agat vehementius, & ob hoc impleat ipsa securitate feliciùs, &c. Vbi intelligamus plura iam sacra & quasi religiosa potuisse confingi, vbi putata sunt ciuibus etiam de ipsis diis prodesse mendacia.

Et libro 2. ad Nat. cap. 12. RVBES. *Erubescendos.* LE. *Lenones.* CENSVS. *Registrum, series deposcunt, sine quibus describi non possunt.* POSTERITATIS. *Origo præiudicat toti posteritati. Qualis origo, tales posteri, vt sicut Saturnus Deus primus, homo fuisse conuincitur, homines quoque cæteri omnes ab ipso propagati fuisse credantur.* ERANT VNDE. *Pro, vnde erant. Antequam Saturnus de cœlo & terra, tanquam parentibus nasceretur, diu fuerunt innupti, & absque liberis, adolescere illos & grandescere oportuit, priusquam tantum Deum tot deorum patrem gignerent.* VOX INSOLESCERE. *Viriliter sonare.* VBERA LAPILLISCERE. *Intumescere in duritiem.* ATHOS *Mons inter Macedoniam & Thraciam, tantæ altitudinis, vt vsque ad insulam Lemnon vmbram porrigat teste Plinio lib. 4. cap. 12.* In cuius, inquit, forum Solstitio Athos eiaculatur vmbram. *De quo & lib. 4. cap. 10.* Singos fretum, quo montem Athon Xerxes Rex Persarum continenti abscidit in longitudine passuum 1500. Mons ipse à planitie excurrit in mare 75. mille passuum. Ambitus radicis, centum quinquaginta milia colligit. Oppidum in cacumine fuit Acroton. SVBOLE. *Soboie. Gignere desierunt.* VVLCANVS. *Qui gladios fabricaret.* NISI ILLAM. *Terram mare velut mas ambit, sed illud fortè repellit dulcibus aquis assueta.* MELIVS QVAM LVPI. *Saturnus paulò melior & mitior lupis catulos vorantibus esset, si exponeret filios, nec eos deuoraret. Hîc mordet Romanos de Remo & Romulo expositis, & à lupa nutritis.* DIDICISSET. *Castrare scilicet patrem, sicut ille falce sua castrauerat cœlum.* ABALIENATO. *Amoto per matrem Ioue, nè sicut cæteri, voraretur à Saturno, & lapide pro eo substituto, quem vorauit, & donec digereretur, Iupiter adoleuit.* DIV SECVRVS. *Saturnus hac arte diu nil sibi timens à filiis, vixit, donec Iupiter clam enutritus grandior factus, patrem regno priuatum opprimeret.* ORIGINI NVLLOS. *Cùm sint origo cæterorum, ipsi origine carent.* BT. *Deducunt.* QVÒD OPERE. *Laboris ope semina in terram iacta sementem faciam iuxta genus suum.* HVIVS TRANSLATIO. *In Deos transcriptio.* SVA QVALITATE. *Quale est, in quantùm tempus est.* VACAT. *Non potes fingere Saturnum tempus esse, vel Deum, cùm fuerit corpus, & homo, & origo eius literis conscripta sit.* ATTICA HOSPITIA. *Cùm in Græcia hospitatus esset.* DEPALAVERAT. *Palis primo sicis, pro muris cinxerat.* SATIATA. *Integra & abundanti.* DIVINARVM. *Sibyllarum oracula intelligit.* QVAM OMNIS. *Supple Gentilis. Vel quòd semper prælata fuerint oracula Sibyllina.* ILLA SIBYLLA. *Lactantius lib. 1. cap. 6.*

Ffid. lib. 8. Orig. c. 8. refert decem Sibyllas. Clem. Alex. lib. 1. Strom. & Suidas plures. Consule nostrum Onuphrium de Sibyllis, & earum carminibus. Præcipuam inter eas, & nobilem præter cæteras Erythræam fuisse commemorant. *Inquit Lactantius libro de Ira Dei cap. 22. Eiusdem meminit Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 23.* CVIVS VOCABVLA. *Ffid. lib. 8. Orig. cap. 8. Erophylam Babylone ortam facit, dictam Erythream ab insula, in qua eius carmina inuenta sunt. Vel per vocabula, intelligis oracula, quæ Gentiles Magis & diuinis imputabant.*

De Saturno quidquid hîc Tertullianus, illud habet
S. August. *Augustinus. Inter cætera lib. 4. de Ciuit. cap. 10.* Cur non data est patri Iouis, etiũ non sublimior, B
æqualis certè sedes honoris? quia Saturnus, inquiunt, temporis longitudo est. Tempus igitur colunt, qui Saturnum colunt, & rex deorum Iupiter insinuatur natus ex tempore. Quid enim indignum dicitur, cùm Iupiter & Iuno nati dicuntur ex tempore; si cœlum est ille, & illa terra? Nam hoc quoque in libris suis habent eorum docti atque sapientes; neque de figmentis Poëticis, sed de Philosophorum libris, à Virgilio dictum est:

Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus Æther,
Coniugis in gremium lætæ descendit.

S. August. *Id est in gremium telluris aut terræ. Et lib. 7. cap. 18. vbi de Varrone*: Facilius, inquit, fieri potuit, vt C
iuuenis impius vel ab impio patre interfici metuens, & auidus regni, patrem pelleret regno, quàm quod iste interpretatur, ideò Saturnum patrem à Ioue filio superatum, quod ante est causa, quæ pertinet ad Iouem, quàm semen quod pertinet ad Saturnum. Si enim hoc ita esset, numquam Saturnus prior fuisset, nec pater Iouis esset. Semper enim semen causa præcedit, nec vnquam generatur ex semine. *Pergit cap. 19. Physiologiam ridere Varronis, sicut initio capitis huius Tertullianus dixerat:* Rideant vanitatem, an exprobrem cæcitatem?
S. August. *Sic Augustinus Varronem referens:* Saturnum, inquit, dixerunt quæ nata ex eo essent solitum deuorare, quòd ea semina, vndè nascerentur reditent? & quòd illi pro Ioue gleba obiecta est deuoranda, significat, inquit, manibus humanis obrui cœptas serendo fruges, antequam vtilitas arandi esset inuenta. Saturnus ergo dici debuit ipsa terra non semina. Ipsa enim quodammodo deuorat quæ genuerit, cùm ex ea nata semina, in eam rursus recipienda redierint, &c. An falcem sceptro perdito accepit, vt qui primis temporibus Rex fuerat otiosus, filio regnante fieret operarius laboriosus? &c. Quòd cœlum, inquit, patrem Saturnus castrasse in fabulis dicitur, hoc significat penès Saturnum, non penès cœlum semen esse diuinum: hoc propterea, quantùm intelligi datur, quia nihil in cœlo de seminibus nascitur. Sed ecce Saturnus, si cœli est filius, Iouis est filius. Cœlum enim esse Iouem immutabiliter & diligenter affirmant, &c. CRONON appellatum dicit, quòd Græco vocabulo significat temporis spatium, sine quo semen, inquit, non potest esse fœcundum. *Et lib. 6.* August. *cap. 8.* Saturnum suos filios deuorasse ita nonnulli interpretantur, quòd longinquitas temporis, quæ Saturni nomine significatur, quidquid gignit ipsa consumat. *De tempore regni Saturni breuiter lib. 18.* August. *de Ciuit. cap. 15.* Per ea, inquit, tempora regnum finitum est Argiuorum, *post mortem Iosue*, Translatum ad Mycenas, vnde fuit Agamemnon, & exortum est regnum Laurentum, vbi Saturni filius Picus regnum primus accepit, iudicante apud Hebræos fœmina Delbora, sed per illam Dei spiritus id agebat, nam & prophetissa erat, &c. Iam ergo regnabant Laurentes vtique in Italia, ex quibus euidentior ducitur origo Romana post Græcos, &c. Cùm primus Laurentum Picus esse cœpisset, de huius Pici patre Saturno viderint quid sentiant talium deorum cultores, qui negant eum hominem fuisse, de quo & alij scripserunt, quòd ante Picum filium suum ipse in Italia regnauerit. *Et testem adducis Virgilium.*

4. *Deos, eorumque artes præcessit mundus omnibus necessariis instructus, à Deo vero factus, cui soli gloria debita est. Apol. cap.* 11. *à p.*

SI est qui faciat Deos, reuertor ad causas examinandas faciendorum ex hominibus deorum: nec vllas inuenio; nisi, si ministeria & auxilia officiis diuinis desiderauit ille magnus Deus. Primò indignum est, vt alicuius opera indigeret, & quidem mortui, cùm digniùs ab initio Deum aliquem fecisset, qui mortui erat operam desideraturus. Sed nec operæ locum video. totum enim hoc mundi corpus siue innatum & infectum secundùm Pythagoram, siue natum & factum secundùm Platonem, semel vtique in ista constructione dispositum, & instructum, & ordinatum, cum omni rationis gubernaculo, inuentum est. imperfectum non potuit esse, quod perficit omnia. nihil Saturnũ & Saturniam gentem expectabat. Vani erunt homines, nisi certi sint, à primordio & pluuias de cœlo ruisse, & sydera radiasse, & lumina floruisse, & tonitrua mugisse, & ipsum Iouem, quæ in manu eius ponitis, fulmina timuisse. item omnem frugem ante Liberum, & Cererem, & Mineruam, immo ante illum aliquem principem hominem, de terra exuberasse, quia nihil continendo & sustinendo homini prospectum post hominem potuit inferri. Denique inuenisse dicuntur necessaria ista vitæ, non instituisse. quod autem inuenitur, fuit; & quod fuit, non eius deputabitur qui inuenit, sed eius qui instituit. erat enim antequam inueniretur. cæterùm si propterea Liber Deus, quòd vitem demonstrauit, malè cum Lucullo actum est, qui primus cerasa ex Ponto Italiæ promulgauit, quòd non est propterea consecratus, vt nouæ frugis auctor, quia inuentor & ostensor. Quamobrem si ab initio & instructa, & certis exercendorum officiorum suorum rationibus dispensata vniuersitas constitit, vacat ex hac parte causa allegendæ humanitatis in diuinitatem, quia quas illis stationes & potestates distribuistis, tam fuerunt ab initio, quàm & fuissent etiamsi deos istos non creassetis.

DII GENTILIVM. IV. SCHOLIA.

SIEST. *Suppoſito, quod paulò ſupra conuicerat,* A *quòd ſit ſummus aliquis Deus, qui Minores Deos faciat.* REVERTOR. *Quia iam de his cauſis egerat.* EX HOMINIBVS. *Qui priùs homines fuerint mortales, & poſt mortem tranſcripti ſint in Deos.* OPPICIIS DIVINIS. *Ad officia & opera diuina facienda opus habuerit ſummus ille Deus, ſine quibus, eòrumque adiutorio ſibi neceſſario non potuiſſet ea perficere.* ET QVIDEM MORTVI. *Cum indignum ſit Deo omnipotente, & ad omnia peragenda ex ſe ſufficientiſſimo, cuiuſquam à ſe facti, ſiue Dei, ſiue hominis auxilio indigere; multò magis indignum eſt, indiguiſſe opera hominis mortui, & poſt mortem facti à ſe Dei.* QVI MORTVI ERAT, *&c. Et vbi eſſet Dei ſummi præſcientia? qui ſi præſciſſet ſibi neceſſarium* B *futurum adiutorium hominis mortui ad mundum adminiſtrandum & gubernandum, non potius ab initio mundi Deum aliquem produxiſſet ſibi in ſuis operibus futurum adiutorem?* NEC OPERÆ LOCVM, *&c. Non video vllam neceſſitatem introducendi tot Deos adiutores diuina prouidentia, ſe ſolâ præſtantis ſufficientiſſimè omnia mundo & homini huius incolæ ab exordio mundi, omnibus numeris abſoluto & pleniſſimè inſtructo. Siue enim mundus ab æterno fuerit, vt cenſuit Pythagoras, ſiue conditus in tempore, vt tenet Plato, ſimul & ſemel ratione & ſapientiâ diuinâ plenè diſpoſitus & ordinatus eſt; nec credibile eſt mundo aliquid defuiſſe ad perfectionem, qui omnia qua in eo ſunt, Deo regente, ad cumulum pro cuiuſque rei gradu perfectionis prouehis.* NIHIL EXPECTABAT. *Nullo modo mundus per-* C *fectionem ſuam expectabat à Saturno, eiuſque filiis diis, quos plurimis præceſſit ſeculis.* VANI ERVNT, *&c. Stulti erunt, qui certo non credent ab initio mundi, pluuias abundantes ex aëre fluxiſſe, & cœlum aſtris, velut pratum floribus, exornatum; & tonitrua mugiſſe, qua ipſe Iupiter timuerit, antequam ei Gentiles ex homine Deo facto fulmen manibus impoſuiſſent.* OMNEM FRVGEM. *Explicat tres præcipuas; vinum ſcilicet, ante Liberum; triticum ante Cererem; oleum ante Minervam;* PRINCIPEM HOMINEM. *Ante Adam generis humani principem, vel quemcumque tandem Deum Gentilium cuiuſcumque fructus, vel rei* D *homini neceſſaria, primum inuentorem. Imperfectus enim mundus fuiſſet, ſi ante factum hominem omnia neceſſaria ad continendum, & ſuſtinendum hominem non habuiſſet.* INVENISSE DICVNTVR. *Dij Gentilium non Auctores & factores rerum, ſed inuentores ſiue detectores, & demonſtratores rerum iam factarum eſſe referuntur.* DEPVTABITVR. *Reputabitur.* MALE CVM LVCVLLO. *Iniuriam facitis illi, qui à Ponto in Italiam primus ceraſa portauit, cum ideo Liberum Deum feceritis, quòd vitem inuenerit.* VACAT. *Fruſtra prouehiur in Deum homo, cum ab initio, mundus conſtaret iis omnibus, propter qua tot diuerſa Numina creaſtis, quibus officia, poteſtatem, ſtationem & locum per totum mundum diſtribuiſtis; vt hic Deus cœlo, iſte igni, alter aëri, &c. hoc Numen* E *tritico, aliud oleo, &c. præſideret.* ALLEGENDÆ. *Aſſumendæ, quam ſummus Deus velut collegam & comminiſtram, conſortemque diuinitatis in diuerſis officiis adoptaret. Multitudinem tot deorum ſupernacaneâ vbique carpit Aug. in libris de Ciuitate. Inter cetera* Auguſt. *lib. 4. cap. 8. vbi de diis, diuerſis mundi partibus præfectis;* Quando poſſint vno loco libri huius commemorari omnia nomina deorum aut dearum, quæ illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt, ſingulis rebus propria diſpertientes officia Numinum? Nec agrorum munus vni alicui Deo committendum arbitrati ſunt, ſed rura Deæ Ruſinæ; iuga montium, Deo Iugatino; collibus, Deam Collatinam; vallibus, Valloniam præfecerunt, &c. Nec omnia commemoro, quia me piget quòd illos non pudet, &c. *Similia habet cap. 10.* S. Auguſt. Omnes hos Deos habent ſuis nominibus appellatos, ſuis officiis diſtinctos, ſuis Aris Sacriſque veneratos. *Et cap. 11. vbi rurſum de diuerſis diis, quaſi partibus & officiis Iouis,* Hi omnes dij, deæque, ſit S. Auguſt. vnus Iupiter; ſiue ſint, vt quidam volunt, omnia iſta partes eius, ſiue virtutes eius, ſicut eis videtur, quibus eum placet eſſe mundi animum, quæ ſententia velut magnorum multorumque doctorum eſt; hæc ſi ita ſint, quòd quale ſit, nondum interim quæro; quid perderent, ſi vnum Deum colerent prudentiore compendio? quid enim eius contemneretur, cùm ipſe coleretur? Si autem metuendum fuit, ne prætermiſſæ, ſiue neglectæ partes eius iraſcerentur: non ergo, vt volunt, velut vnius animantis hæc tota vis eſt, quæ omnes ſimul continet Deos, quaſi ſuas virtutes, vel membra, vel partes: ſed ſuam quæque pars habet vitam à cæteris ſeparatam; ſi præter alteram iraſci altera poteſt; & alia placari, alia concitari. Si autem dicitur omnes ſimul, id eſt totum ipſum Iouem potuiſſe offendi, ſi partes eius non etiam ſingillatim minutatimque colerentur, ſtultè dicitur. Nulla quippè earum prætermitteretur, cùm ipſe vnus, qui haberet omnia, coleretur, &c. Si autem ſtellas omnes ideò colunt, quia in Ioue ſunt, quẽ colunt, iſto cõpendio poſſent in illo vno omnibus ſupplicare. *Et lib. 7. cap. 29. probat omnia officia, qua Phyſiologi ad* S. Auguſt. *mundum parteſque eius quaſi minores Deos retulerunt, vni Deo tribuenda eſſe;* Nos Deum colimus, non cœlum & terram, quibus duabus partibus mundus hic conſtat: Nec animam nec animas per viuentia quæcumque diffuſas, ſed Deum qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt: qui fecit omnem animam, ſiue quocumque modo viuentem, & ſenſus rationis expertem, ſiue etiam ſentientem, ſiue etiam intelligentem, &c. *Et cap. 30.* Hæc facit atque agit vnus verus Deus. Sed ſicut idem Deus S. Auguſt. vbique totus, nullis incluſus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes ſectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum & terram præſente potentia, non abſente natura. *Alij legunt, non indigente.* Sic itaque adminiſtrat omnia quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat: quamuis enim nihil eſſe poſſit ſine ipſo, non tamen ſunt vlla quod ipſe. *Lib. tandem 4. cap. 11. vbi partes* S. Auguſt. *Iouis ex mente Gentilium deſcribit.* Ipſe Liber in vineis, Ceres in frumentis, Diana in Syluis, Minerua in ingeniis. *De artibus tandem & inuentionibus rerum diuerſarum, tantùm abeſt; vt tot dij, quot res vel artes inuentæ, credendi ſint & colendi; ſed vnus verus Deus, qui tot in mundo à ſe creato vitæ neceſſaria, vtilia, delectabilia prouidit, & menti rationali hominis tot artes excogitandi vim indidit. De quibus ſuè tractat Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 24.* Nonnè humano S. Auguſt. ingenio tot tantæque artes ſunt inuentæ & exercitæ, partim neceſſariæ, partim voluntariæ, vt tam excellens vis mentis atque rationis in his etiam rebus quas ſuperfluas, imò & periculoſas perniciоſaſque appetit, quantùm bonorum habeat in natura, vnde iſta potuit vel inuenire, vel diſcere, vel exercere teſtetur, &c. Huius tamen naturæ condi-

tor, cùm sit, vtique Deus verus & summus, ipso cuncta quæ fecit administrante & summam potestatem summamque habente iustitiam, numquam profecto in has miserias decidisset, atque ex his, A præter eos solos qui liberabuntur, in æternas esse pœnas itura, nisi nimis grande peccatum in homine primo, de quo cæteri exorti sunt, præcessisset.

5. Dij iniustè facti ob merita falsa: cùm homines criminosissimi fuerint velo donati, & meliores inferno relicti. Apol. cap. 11. in. m. ad fin.

SEd conuertimini ad causam aliam, respondentes collationem diuinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem. & hinc conceditis opinor illum Deum deificum iustitiâ præcellere, qui nec temerè, nec indignè, nec prodigè tantum præmium dispensarit. Volo igitur merita recensere, an eiusmodi sint, vt illos in cœlum extulerint, & non potius in imum tartarum merserint, quem, carcerem pœnarum infernarũ, cùm vultis, affirmatis. illuc enim abstrudi solent impij quique in parentes, & in sorores incesti, & maritarum adulteri, & virginũ raptores, & puerorum contaminatores, & qui fæuiunt, & qui occidunt, & qui furantur, & qui decipiunt, & quicunque similes sunt alicuius Dei vestri, quem neminem integrũ à crimine aut vitio probare poteritis, nisi hominem negaueritis. Atquin vt illos homines fuisse non possitis negare, etiam istæ notæ accedunt, quæ nec Deos postea factos credi permittunt. Si enim talibus vos puniendis præsidetis; si commercium, colloquium, conuictum malorum & turpium probi quique respuitis, horum autem pares Deus ille maiestatis suæ consortio asciuit, quid ergo damnatis quorum collegas adoratis? suggillatio est in cœlo vestra iustitia. Deos facite criminosissimos quosque, vt placeatis diis vestris. illorum est honor, consecratio coæqualium. Sed, vt omittam huius indignitatis retractatum; probi, & integri, & boni fuerint. quot tamen potiores viros apud inferos reliquistis? aliquem de sapientia Socratem, de iustitia Aristidem, de militia Themistoclem, de sublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de copia Crœsum, de eloquentia Demosthenem. quis ex illis diis vestris grauior & sapientior Catone? iustior & militarior Scipione? quis sublimior Pompeio? felicior Sylla? copiosior Crasso? eloquentior Tullio? quantò digniùs istos Deos ille assumendos expectasset, præscius vtique potiorum? properauit, opinor, & cœlum semel clusit, & nunc vtique melioribus apud inferos mussitantibus erubescit.

DII GENTILIVM. V. SCHOLIA.

CONVERTIMINI. *Respicite ex alia parte alterum causam, ob quam hominibus mortuis, nomen & honorem diuinitatis conferre soletis. Si enim vos Gentiles interrogem, cur meros homines in Deos transcribatis, respondetis, vos eis hunc honorem tribuere, tanquam mercedem & præmium debitum eorum meritis, & virtutibus.* ET HINC, *&c. Et per consequens, inquit, concedere debetis, Deum illum vestrum summum omnium, qui alios facit Deos, omnibus iustitiâ præire, vnde magnâ cum equitate, tantum præmium diuinitatis debuit dispensare. Hoc suppositio, videamus quodnam fuerit meritum illorum hominum, quos Deus Deorum fecit Deos, & inuenietis ob crimina dignieres inferno, quàm cœlo; cùm similes hi dij vestri fuerint criminosissimis quibusque, quos vos cæteris inferni pœnis addictos creditis, cum sanè sapere vultis.* CONTAMINATORES. *Sodomitæ.* QVEM NEMINEM. *Quorum nullum.* NISI HOMINEM. Nemo enim mundus à sorde, nec infans cuius est vita vnius diei super terram. ISTÆ NOTÆ. *Infamiæ & criminis.* NEC DEOS. *Post mortem factos, &c. Quasi diceret; nec potestis negare Deos vestros priùs fuisse homines, qui humana gessisse, & humanis criminibus notati fuisse conuincuntur; nec iustè tam scelerati, à summo Deo vestro iusto dij facti, & inferno digni ob scelera, cœlo & diuinitate compensati, ab homine sano credi possunt. Cùm enim vos ipsi iudices Gentiles tales sanè puniatis, & à vestro hominumque commercio abigatis, quomodo creditis Deum vestrum summum, in consortium sum assumere, & creare Deos ipsis similes? Quomodo condemnatis reos, quibus similes Deos vestros adoratis?* SVGGILLATIO. *In cœlo æquitur sanctitas vestra, dum diis æquales reos condemnat.* RETRACTATVM. *Tractatum.* PROBI FVERINT, *&c. Sed esto, velo vt isti dij ob virtutem digni cœlo & diuinitate fuerint; quot melieres in omnibus viros in cœlum prouehendos, reliquistis in inferis?* ILLE EXPECTASSET. *Deus scil. summus, qui melieres futuros præscire debuit, longè iustius expectasset donec viuerent & bonâ vitâ mererentur diuinitatem, à se pro meritorum gradu cuique post mortem conferendam, ne inferioris meriti diis cœlum impleret, in quo postea locus melioribus non superesset.* CLVSIT. *Occlusit.* MVSSITANTIBVS. *De iniustitia summi Dei conquirentibus, ipse in cœlo pudore suffunditur.* DE SAPIENTIA. *Propter sapientiam.* SOCRATEM. *Quem non tantùm homines, sed & oraculum Apollinis Pythij, sapientissimum proclamauit. Aduerte ordinem Tertulliani pariantis & coæquantis illustres Græciæ & Latij viros: Primò ponit Græcos, deinde Latinos.* ARISTIDEM. *Ab Atheniensibus cognominatus est Iustus.* THEMISTOCLEM. *Insignis fuit bellica gloria. In bellis ex Medico, & Marathonico, dux factus Atheniensium contra Xerxis nauales copias.* DE SVBLIMITATE. *Generositate animi, quâ, Anaxagoræ de mundis innumerabilibus differenti, ingemuit se nec vnius adhuc mundi compotem; quâ fleuit nihil sibi à patre triumphatore relinquâ patrandum; quâ Asiam cum Dario partiri recusauit; qui in Olympicis nolnit nisi cum Regibus & sibi paribus cursu contendere.* POLYCRATEM. *Hic Tyrannus fuit in Samo insula opibus & fœlicitate insignis; cui cùm nihil aduersi occurreret, annulum proiecit in mare; quem etiam coquus eius piscem exenterans, inuenit: postremò ab Oronte Persarum Satrapa dolo captus & in crucem actus est. Vide Strab. lib. 14. & Herodo-*

vedet. lib. 3. CROESVM. *Lydorum Regem ditiſſimum, quem cum Solon monuiſſet, neminem ante mortem beatum dicendum, factum eſt vt à Cyro victus, & Pyra impoſitus, Solonis nomen ingeminans, Cyrum mouerit quærere quis Deorum vel hominum eſſet, quem in extremis conſtitutus ſic reclamaret; ſapiens monitum edoctus, vicemque ſimilem fortuna metuens, Cræſum ab incendio eripuit.* CATONE. *Cenſorio ſcilicet, cuius elogia vide apud Ciceronem lib. de Senectute. Plin. lib. 7. c. 27.* SCIPIONE. *De hoc plenè Liuius, qui maior ſiue Africanus & iuſtitiâ, & re bellica inſignis*
Auguſt. *fuit, de quo ſæpius Aug. in libris de Ciuit.* SYLLA. *Loquitur Tertull. de fama quam ſibi parere voluit; nam licet bellicus fuerit, minus tamen fœlix re, quàm nomine. Videndus Plinius, Valer. Max. &c. De hoc* B *apertè Solinus c. 7.* Qui attingat ad titulum fœlicitatis, necdum repertus eſt, & qui felix cenſeri iure debuerit. Namque Cornelius Sylla dictus potius eſt, quàm fuerit felix. CRASSO. *Marcus Craſſus apud Romanos cognomentum diuitis eſt conſecutus, negauit quemquam habendum diuitem, qui ex annuo reddito exercitum alere non poſſet.* PROPERAVIT. *Imprudentia præcipiti cœlum implenit, multis indignioribus, cum futuri præſcius, locum relinquere debuiſſet dignioribus. Quod fuerint homines diis ipſis meliores, teſtatur Aug. lib. 2. de Ciuit. cap. 14. vbi Platonem extollit laudes ſcenicos prohibentem, & Poëtas Deorum vitia canentes vrbe pellentem*: Cui tandem
Auguſt. honeſtius diuinos honores decerneret ciuitas; vtrũ Platoni hæc turpia & nefanda prohibenti, an dæmonibus hac hominum deceptione gaudentibus, C quibus ille vera perſuadere non potuit? hunc Platonem Labeo inter ſemideos commemorandum putauit, ſicut Herculem, ſicut Romulum. Semideos autem Heroïbus anteponit; ſed vtroſque inter Numina collocat. Verumtamen iſtum quem appellat Semideum, non Heroïbus tantum, ſed etiam diis ipſis præferendum eſſe non dubito. *Et paulo poſt*: Eum quandoquidem ipſi volunt fuiſſe Semideum, præferendum eſſe cenſemus, ſi non Romulo & Herculi, quamuis iſtum nec occidiſſe fratrem, nec aliquod perpetraſſe flagitium, quiſquam hiſtoricorum vel Poëtarum dixit, aut finxit; certè vel Priapo, vel alicui Cynocephalo poſtremò vel Febri, qui Romani Numina partim peregrina receperunt, partim ſua propria ſacrauerunt. D *Parum eſſet, ſi ſtultis & ridiculis diis, Gentiles, homines illuſtres virtute, & egregiis factis iniuſtè poſtponerent, niſi & ſceleratiſſimos, Deos conſecrarent, & turpia quæque, tam Poëtarum laudibus, quàm ſcenicorum actibus repræſentarent imitanda. Aug. lib. 2. de Ciuit. cap.*
Auguſt. 7. Si Philoſophi aliquid inuenerunt, quod agendæ bonæ vitæ, beatæque adipiſcendæ ſatis eſſe poſſit, quantò iuſtius talibus diuini honores decernuntur? quanto melius & honeſtius in Platonis templo *Quo dignior eſt quàm dij criminoſi* Libri eius legerentur, quam in templis dæmonum Galli abſcinderentur, *Hi erant Sacerdotes Deæ Cybeles exſecti, dicti Galli,* E *à Galloſluuio, circa quem Orgia & furias celebrabant, de quibus Tertull. Apol. 23. & 25. Minut. in Octau. Lact. lib. 1. c. 21.* Molles conſecrarentur, inſani ſecarentur, & quidquid aliud, vel crudele, vel turpe, vel turpiter crudele, vel crudeliter turpe, in Sacris talium Deorum conſeerari ſolet? &c. Omnes cultores talium Deorum, mox vt eos libido perpulerit, feruenti, vt ait Perſius, tinctа veneno, magis intuentur quid Iupiter fecerit, quàm quid docuerit Plato, vel cenſuerit Cato. Hinc apud Terentium flagitioſus adoleſcens ſpectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc, Iouem quo pacto Danaë miſiſſe aiunt

Omniloquium.

in gremium quondam imbrem aureum: Atque ab hac tanta Authoritate adhibet patrocinium turpitudini ſuæ, cùm in ea ſe iactat imitari Deum. At quem Deum? inquit: qui templa cœli ſummo ſonitu concutit. Ego homuncio id non facerem? ego vero illud feci, ac lubens. *Et lib. 1. Confeſſ. c. 16.* Væ S. Auguſt. tibi flumen moris humani, quis reſiſtet tibi, quandiu ſiccaberis? quouſque volues Euæ filios in mare magnum & formidoloſum, quod vix tranſeunt qui lignum conſcenderint? nonne ego in te lego tonantem Iouem & adulterantem? & vtique non poſſet hæc duo; ſed actum eſt, vt haberet authoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falſo tonitruo. Quis autem pentulatorũ magiſtrorũ audiat aure ſobria ex eodem puluere hominem clamantẽ & dicentẽ; *Magiſtrũ ſcilicet Grammatices.* Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat: diuina mallem ad nos. *Supple tranſtuliſſet exempla virtutum imitanda.* Sed verius dicitur; S. Auguſt. quod fingebat hæc quidem ille, ſed hominibus flagitioſis diuina tribuendo, ne flagitia, flagitia putarentur; & vt quiſquis ea feciſſet, non homines perditos, ſed cœleſtes Deos videretur imitatus. *Et ſub finem capitis, refert eandem hiſtoriam verbis iiſdem de adoleſcente Iouem adulterum imitari volente.*

Et libro 2. ad Nat. cap. 9. DISPOSITIONEM. *Qua Gentiles diuidunt deorum cognitionem & cultum, in Phyſicum Mythologicum & gentilem.* SVBSTITVTIO. *Cultus vnius veri Dei, in tot idololatria ſpecies ſubrogatio. Vox iuris. Subſtituere enim eſt, in eius qui iam certum locum obtinuit, alterum ſupponere. Sic ſubſtituuntur arbores l. 18. ff de vſufructu. In locum mortuarum, vel infructuoſarum alias reponere. l 14. ff. de impens. in res dot. Item ſubſtituuntur pecora l. 69. ff. de vſufructu. Subſtituuntur etiam heredes, qui eorum loco ſufficiuntur qui prius erant l. 1. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtitut.* PVBERTATEM. *Idololatria primordia velut vna & ſemina fuit, & propaganit.* TANTAM VANITATEM. *Supple diſtinguit, adeò vanus eſt ipſe Varro.* ATTICOS STVPORES. *Stupidam Græcorum idololatriam Romani ſuſceperunt.* IGNOTIS DEIS. *Act. 17. 23.* Præteriens & videns ſimulacra veſtra, inueni & aram, in qua ſcriptum erat: ignoto Deo *Syr. cui miſcriptum erat Dei reconditi.* Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. COLIT ERGO. *Sic Chriſtus Samaritanæ Io. 4. 20.* Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. VT EVLSI. *Fungi meliores.* QVAM PHYSICO. *Tam in Phyſico Theologia genere.* HOSTILIVM. *Quos hoſtes colunt.* INDE CONCEPTOS. *De diis factis ex hominibus, natos Deos, hoc eſt deorum filios.* COLOR CONSECRATIONIS. *Ratio & prætextus deificationis.* TELVM CAMBVM. *Lapides mittuntur in canes.* VOLGARE VOLNVS. *Vulgare vulnus, & plebeium* SVBIICIENDVS. *Conſtanti fœmina poſtponendus.* ANTENOR. *Troianus, patriæ proditor, qui legatos ad repetendam Helenam miſſos excepit hoſpitio, & Vlyſſem intra mœnia ſimulato habitu cognitum non indicauit.* FORMAM ET PATREM. *Id eſt exemplum Patris ſecuta, vitæ ſuæ non conſuluit fugiendo.* ASTYANACTE. *Vnicus fuit filius Hectoris ex Andromache, quem Vlyſſes è turri præcipitauit, ne quid ſupereſſet quod excidium Troiæ poſſet vlciſci.* FILIVM VENERIS. *Æneam, quem ex Venere ſuſcepit Anchiſes.* VERSEDI. *Equi curſus velociſſimi. Dicti à vehenda rheda. Alludit ad Æneam baiulum Patris in diuos relatum.* ARGIVI IVVENES. *Qui matrem curru traxerunt in templum, ne ſacris abeſſet.* IN TERMINAS. *Semiramis Babylonem, Dido Carthaginem extruxit, quàm à Corio hæ-*

bulo, quo tantùm terra emtrat initio, Taurino quantum posset circumdare tergo, *Byrsam vocauit.* IVVS. *Vel vt contra ius naturæ, furore percitus proximos laderet, vel vaticinaretur & iura daret.* HVMANISSIMO ALCINOO. *Fertur Vlysses à Nausica filia Alcinoi repertus vestes accepisse, deinde Pallados opera ad Areten Alcinoi coniugem deductum, dona, naues & socios accepisse, qui eum in Ithacam reduxere, in qua dormientem cum donis deposuere. Tertullianum secutus est Augustinus in libris de Ciuitate, ex* S. Auguſt. *quo passim plurima decerpsimus & alibi iam retulimus in rempræsentem. Pauca nunc accipe de diis incertis, & certis, libro 6. de Ciuit. cap. 4 vbi Varronem irridet* In tribus nouissimis libris, Deos certos, & incertos, & selectos diligenter explicans, nullam deorum naturam prætermittere videtur.

Et lib. 1. ad Nat. cap. 13. VM EST. *Dictum, probatum est.* COMPENDIVM. *Origo primorum deorum cognita, breue compendium nobis est, vt cito credamus eorum posteros, non alios quàm homines mortales fuisse.* ALLEGENDI. *Potestatem habentem in manu, qua possit facere Deos.* AMMINICVLA. *Adminicula.* TAM PIVS. *Ironicè. Saturnus enim vexator filiorum, vt Iupiter patris oppressor & regni eius inuasor.* IN DVOS CVLLEOS. *Pœnâ parricidæ, & incestus dignus Iupiter.* PRETIA LVXVRIÆ. S. Auguſt. *Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 13* Quicumque finxerunt à Ioue ad stuprum raptum pulcherrimum puerum Ganymedẽ, quod nefas Rex Tantalus fecit, & Ioui fabula tribuit Vel Danaes per imbrem aureum appetisse concubitum, vbi intelligitur pudicitia mulieris auro fuisse corrupta: quæ illis temporibus vel facta, vel ficta sunt, aut facta ab aliis, & ficta de Ioue; dici non potest, quantum mali de hominum præsumpserint cordibus, quòd possent ista patienter ferre mendacia, quæ tamen etiam libenter amplexi sunt: qui vtique quanto deuotius Iouem colunt, tanto eos qui hæc de illo dicere ausi sunt, seuerius punire debuerunt. Nunc verò non solùm eis qui ista finxerunt, irati non sunt, sed nisi talia figmenta etiam theatris agerent, ipsos Deos potius iratos habere timuerunt. BOVEM CYGNVM. S. Auguſt. *Aug. lib. 4. de Ciuit. cap. 27.* Poëticum sanè deorum genus cur Scæuola respuat, eisdem litteris non tacetur, qui sic videlicet Deos deformant, vt nec bonis hominibus comparentur, cùm alium faciunt furari alium adulterare, &c. Iouem ipsum conuerti in bouem *Cùm rapuit Europam* aut Cygnum *Cùm concubuit cum Leda.* Vt cum aliqua concumbat. *Deum furem Mercurium intelligit. Qui Tiresiæ boues, Martí gladium, Vulcano forcipem, Neptuno tridentem, Apollini arcum & sagittas, Veneri cestum, Ioui sceptrum surripuit.* ADICIAM. *Adiiciam.* EXIS. Auguſt. GEBAT SIMILITVDINEM. *Augustinus ibid. post scelera & indigna diis recitata:* Deam homini nubere, *Sicut ex Hesiodo in Theogonia aurora Thitano, Tethys Peleo, Venus Anchisæ, Circe Vlyssi nupsit.* Saturnum filios deuorare: nihil denique posse confingi miraculorum atque vitiorum, quod non ibi reperiatur, quæ à deorum natura longè absint: ô Scæuola Pontifex maxime, ludos tolle si pores, præcipè populis, ne tales honores diis immortalibus deferant, vbi crimina deorum libeat mirari, & quæ fieri possunt placeat imitari, &c. Quæ si mala sunt, & propterea nullo modo de deorum maiestate credenda, maior est deorum iniuria, de quibus impunè finguntur, sed non te audiunt, dæmones sunt, praua docent, turpibus gaudent: non solùm non deputant iniuriam, si de illis ista fingantur, sedeam prorsus iniuriam ferre non possunt si per eorum solemnia non agantur. *De Æneæ pio Veneris filio sic rursum ludit Augustinus lib. 3. de Ci-* Auguſt. *uit. cap. 3.* Nulla, inquit, causa est, quare dij, quibus vt dicunt, steterat illud imperium, cùm à Græcis præualentibus probentur victi, Troianis peierantibus fingantur irati. Nec adulterio Paridis, vt rursus à quibusdam defenduntur, vt Troiam desererent, succensuerunt. Authores enim doctoresque peccatorum esse assolent, non vltores. Vrbem Romam, inquit, Sallustius, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, qui Æneâ duce profugi incertis sedibus vagabantur. Si ergo adulterium Paridis vindicandum numina censuerunt, aut magis in Troianis, aut etiam in Romanis puniendum fuit, quia Æneæ mater hoc fecit. *Quam Paris prætulit Iunoni.* Sed quomodo illud flagitium oderant, *In raptu Helenæ, quam iubente Venere cognouit. Iliad. 3.* Qui in sua socia Venere Auguſt. non oderant, vt alia omittam, quod cum Anchise commiserat, ex quo Æneam pepererat? An quia illud factum est indignante Menelao, illud autem concedente Vulcano? dij enim credo non zelant coniuges suas, vsqueadeò vt eas etiam cum hominibus dignentur habere communes. Irridere fabulas fortassis existimor, nec grauiter agere tanti ponderis causam. Non ergo credamus, si placet, Æneam fuisse Veneris filium. Ecce concedo, si nec Romulum Martis. Si autem illud, cur non & illud? *Ex Rhea Syluia filia Numitoris.* An Deos fas est hominibus fœminis, mares autem homines Auguſt. deabus misceri nefas? dura vel potius non credenda conditio, quod ex iure Veneris *Huic negotio præsidentis* In concubitu, Marti licuit, hoc in iure suo ipsi Veneri non licere. At vtrumque firmatum est authoritate Romana. Neque enim minus credidit recentior Cæsar *Septingentis annis à Romulo Iulius Cæsar natus* Aniam Venerem, quàm Patrem antiquior Romulus Martem.

Æneæ pietatem, ex eaque diuinitatem videt Augustinus, cui & dij Troia fuerint commendati lib. 1. de Ciuit. cap. 3. vbi post inuectam Iunonem iratam à Virgilio dicentem: Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor, Ilium in Italiam portans, victosque Auguſt. penates. Itane istis penatibus victis, Romam nè vinceretur commendare debuerunt? sed hæc Iuno dicebat velut irata mulier, quid loqueretur ignorans. Quid Æneas ipse pius toties appellatus, nonne ita narrat, sacra manu, victosque Deos? &c. Nonne Deos ipsos, quos victos non dubitat dicere, sibi potius, quàm se illis perhibet commendatos, cùm ei dicitur: Sacra suosque tibi commendat Troia penates. *Tampij hominis, non tantum patris, sed & deorum baiuli deificationem commemorat lib. 18. de Ciuit. cap. 19.* Eo inquit, tempore post captam Troiam atque deletam, Æneas cum viginti nauiAuguſt. bus, quibus portabantur reliquiæ Troianorum, *Victique penates* In Italiam venit, regnante ibi Latino, & apud Athenienses Mnestheo, apud Sicyonios Polyphide, apud Assyrios Tautane, apud Hebræos iudex Labdon fuit. Mortuo autem Latino, regnauit Æneas, tribus annis eisdem in supradictis locis manentibus Regibus, nisi quòd Sicyoniorum iam Pelasgus erat, & Hebræorum iudex Sanson: qui cùm mirabiliter fortis esset, putatus est Hercules. Sed Æneam, quoniam quando mortuus est, non comparuit, Deum sibi fecerunt Latini. *Corpus Æneæ quæsitum, cùm quarto anno contra Mezentium & Regem Tyrrhenorum & Rutulorum pugnans interiisset, nusquam appareret, alij necatum in flumine iuxta quod pugnauerat, alij ad Deos abiisse senserunt. Latini sacellum heroi dicauerunt cum inscriptione:*

Patri Deo indigeti, qui Numici amnis vndas temperat. *Ita Dionyſius lib. 1. Indigetes porrò dicti, quaſi in diis agentes, vel quos indigitari & nominari ſit nefas; Vel quòd indigentibus opem ferant. Dictus itaque eſt Æneas Iupiter indiges & Latialis, cui in Italia inſtituti ab Aſcanio ſex dies feriati ſacrificiorum, in quo ludo, iuxta Feſtum, eſt repræſentatio vitæ humanæ, in qua infima nunc ad ſummum efferuntur, nunc ſumma ad ima velut os & caput in præceps, deiiciuntur. Oſcilla enim capita & ora habebant humana.*

6. Dij Gentium quàm vani & pudendi, facti ex vaſis erubeſcendis, & ex materia, Martyrum contemptorum pœnâ, vexata. Apol. cap. 12. per totum.

CEſſo iam de iſtis, vt qui ſciam me ex ipſa veritate demonſtraturum quid non ſint, cùm oſtendero quid ſint. Quantùm igitur de diis veſtris, nomina ſolummodo video quorundam veterum mortuorum, & fabulas audio, & ſacra de fabulis recognoſco. quantùm autem de ſimulacris ipſis, nihil aliud deprehendo, quàm materias ſorores eſſe vaſculorum inſtrumentorumque communium, vel ex iiſdem vaſculis & inſtrumentis quaſi fatum conſecratione mutantes, licentiâ artis transfigurante, & quidem contumelioſiſſimè, & in ipſo opere ſacrilegè: vt reuera nobis, maximè qui propter Deos ipſos plectimur, ſolatium pœnarum eſſe poſſit quòd eadem & ipſi patiuntur, vt fiant. Crucibus & ſtipitibus imponitis Chriſtianos. quod ſimulacrum non priùs argilla deformat cruci & ſtipiti ſuperſtructa? in patibulo primum corpus Dei veſtri dedicatur. Vngulis deraditis latera Chriſtianorum. at in Deos veſtros per omnia membra validiùs incumbunt aſciæ, & runcinæ, & ſcobinæ. Ceruices ponimus. ante plumbum & glutinum & gomphos ſine capite ſunt dij veſtri. Ad beſtias impellimur. certè quas Libero, & Cybelę, & Cœleſti applicatis. Ignibus vrimur. hoc & illi à prima quidem maſſa. In metalla damnamur. inde cenſentur dij veſtri. In inſulas relegamur. ſolet & in inſula aliqui Deus veſter, aut naſci aut mori. Si per hæc conſtat diuinitas aliqua, ergo qui puniuntur, conſecrantur, & numina erunt dicenda ſupplicia. Sed planè non ſentiunt has iniurias & contumelias ſuæ fabricationis dij veſtri, ſicut nec obſequia. O impiæ voces! ò ſacrilega conuicia! Infrendite, inſpumate, iidem eſtis, qui Senecam aliquem pluribus & amarioribus de veſtra ſuperſtitione perorantem probatis. Igitur ſi ſtatuas & imagines frigidas mortuorum ſuorum ſimillimas non adoramus, quas milui, & mures, & araneæ intelligunt, nonnè laudem magis, quàm pœnam merebatur repudium agniti erroris? poſſumus enim videri lædere eos, quos certi ſumus omninò non eſſe? quod non eſt, nihil ab vllo patitur, quia non eſt.

DII GENTILIVM VI. SCHOLIA.

CEſſo iam de istis. *Et ego hîc ceſſo tractare de iſtis alibi exponendis à nobis, Verbo, Martyres.* Sed planè. *Certè dij veſtri vel in quantum mortui homines ſunt, vel quatenus idola ſenſu carentia, nec mouentur obſequiis, nec accenduntur iniuriis.* Cuius fabricationis. *Dum ſcilicet fabricantur ex materia communi vaſculis ſordidis, & in ipſa fabricatione torquentur malleis aliiſque inſtrumentis ſculptorum, aliorumque artificum.* O impiæ voces. *Sic inducit Gentiles exclamantes in ſe, nec ſe multum curare exclamationes eorum, dicit, cùm & ipſi ſint Gentiles, quales erant, qui olim Senecam contra vanitatem idolorum & Deorum, ipſo Tertulliano grauiùs perorantem, non reprehenderant.* Amarioribus. *Alij legunt* Maioribus. Mortuorum suorum. *Quos repræſentant, quibus conſecrata ſunt.* Quas milui. *Baruch. 6. Penè per totum præclarè tractat Idola Gentium. Inter cætera, verſu 15. & ſeq.* Sicut vas hominis confractum inutile efficitur, tales ſunt & dij illorum: Conſtitutis illis in domo, oculi eorum pleni ſunt puluere à pedibus introcuntium, &c. Corda verò eorum dicunt elingere ſerpentes qui de terra ſunt, dum comedunt eos, & veſtimentum eorum, & non ſentiunt. Nigræ ſunt facies eorum à fumo, qui in domo fit. Supra corpus eorum, & ſupra caput eorũ volãt noctuæ & hirundines, & aues etiam ſimiliter, & Cattæ. Vnde ſciatis, quia non ſunt dij. Intelligunt. *Sentiunt eſſe inſenſibiles & immobiles. Omnes penè Patres cernatim idola vident. Lact. lib. 2. c. 4. Arnob. lib. 6. Clem. Alex in Protreptico. Minutius Felix:* Quanta de diis veſtris animalia muta naturaliter indicant, mures, hirundines, milui? Non ſentire eos ſciunt, norunt, inculcant, inſident: ac niſi abigatis, in ipſo Dei veſtri ore nidificant Araneæ verò faciem eius intexunt, & de ipſo capite ſua fila ſuſpendunt. *Vide à nobis alibi dicta in hanc rem ex Aug. in Pſal. 113. vbi præferi mures & ſerpentes idolorum incolas, ipſis deorum ſimulacris. Vide etiam quæ habet to. 2. ep. 49. ad Deogratias. q. 3. primo de Ciuit. c. 2. de Pallade capta:* Neque enim homines à ſimulacro, ſed ſimulacrum ab hominibus ſeruabatur. Quomodo ergo colebatur vt Patriam cuſtodiret & ciues, quæ ſuos non ualuit cuſtodire cuſtodes. *Item lib. 8. de Ciuit. cap. 24. in M. Idola rides ſenſu carentia. Et ſer. 31. de Ver.* Dc. Deus aureus, & Deus ligneus ad pretium diſpares ſunt, ad habere oculos & non videre, pares ſunt, fratres ſunt. *Sic Tertull. hoc capite in p. dixit, materias idolorum, ſorores eſſe vaſculorum.* Ecce qualibus docti homines Romam cuſtodibus commiſerunt, habentibus oculos & non videntibus. Aut ſi Romam ſeruare potuerunt, quare ipſi antè perierunt? &c. Quomodo cuſtodirent tecta veſtra, qui non potuerunt cuſtodire ſimulacra ſua? Repudium. *Ex ipſo quòd erroris noſtri recognito renunciauimus, laudem potius quàm pœnam merebamur.*

S. Auguſt.

S. Auguſt.

Digitized by Google

7. *Deos monſtruoſos Gentiles colunt, & Chriſtianis Deum Aſinino capite affingunt. Apol. cap. 16. in fin.*

SEd noua iam Dei noſtri in iſta proximè ciuitate editio publicata eſt, ex quo quidam fruſtrandis beſtiis mercenarius noxius picturam propoſuit cum eiuſmodi inſcriptione, DEVS CHRISTIANORVM ONOCHOETES. Is erat auribus aſininis, altero pede vngulatus, librum geſtans, & togatus. Riſimus & nomen, & formam. Sed illi debebant adorare ſtatim biforme numen, quia & canino & leonino capite commiſtos, & de capro & de ariete cornutos, & à lumbis hircos, & à cruribus ſerpentes, & planta vel tergo alites Deos receperunt. Hæc ex abundanti, ne quid rumoris inrepercuſſum quaſi de conſcientia præteriſſemus. Quæ omnia conuerſi iam ad demnoſtrationem religionis noſtræ repurgauimus. *Et lib. 1. ad Nat. cap. 14.*

8. *Diis indignum coninguim, vt & ſexus diuerſitas. Cont. Valent. cap. 33. & 34. V. Valentiniani.*

9. *Deorum numerus criminum ſeries eſt, & fœcunditas ridicula numero trigeſimo concluſa. Cont. Valent. cap. 7. & 8. Vide. V. Valentiniani.*

10. *Dij Gentium ſanguinis humani, tam impij, quàm innocentis auidi. Apol. cap. 9. V. Verbum ſanguis humanus, num. 1.*

DII GENTILIVM. VII. SCHOLIA.

IN ISTA CIVITATE. *Rome.* IN FRVSTRANDIS BESTIIS. *Vel gladiatorem intelligit eludentem vngues & dentes beſtiarum in circo, vel pictorem miro artificio pingentem, vt beſtias deciperet, ſicut alter Zeuxis aues pictio racemo. Vel quòd belluas ex ſimili pictarum forma illectas fruſtraretur.* NOXIVS. *Reus forte damnatus ad beſtias, qui redemit vitam ſuam hac arte imponens Chriſtianis, tum maximè odioſis Gentilibus, vt veri Dei cultum infamaret.* ONOCHOETES. *Alij legunt* Ononychites, *Ab auribus & vngulis Aſininis. Sed illi Gentiles ipſi aſſueti monſtra huiuſmodi colere, debebant ſtatim adorare hoc Numen biforme, vel vt alij legunt* Formæ Numen *Supple talis, monſtruoſe.* ALITES. *Qualis Mercurius cum ſuis talaribus.* EX ABVNDANTI, *quaſi ſuperflua & omnibus nota dico, ne quid non retudiſſe & repercuſſiſſe in aduerſarios videar.* DE CONSCIENTIA. *Quaſi conſcij idololatriæ, quam arguimus in Gentilibus.* CONVERSI. *Iam ad fundamenta noſtræ fidei demonſtranda.* REPVRGAVIMVS. *Sicut fodientes fundamenta, terram egerunt, ſic nos huiuſmodi ſordes & obiectiones priùs diluimus. Aug. lib. 2. de Ciuit. c 22. Romanorum ſuperſtitionem, Ægyptiacæ ſimilem dicit: vbi de Roma à Gallis capta:* Hæc Numinum turbâ vbi erat, cùm longè antequam mores corrumperentur antiqui, à Gallis Roma capta & incenſa eſt? an præſentes fortè dormiebant? tunc enim totâ vrbe in hoſtium poteſtatem redactâ, ſolus collis Capitolinus remanſerat, qui etiam ipſe capererut, niſi ſaltem anſeres, diis dormientibus vigilarent. Vnde penè in ſuperſtitionem Ægyptiorum, *Vt bouem Apim ſic fortè Aſinum colentium*, beſtias, aueſque colentium, Roma deciderat, cùm anſeri ſolemnia celebraret. *Quid Ianum Bifrontem & quadrifrontem memorem? qui Biformem nobis Deum Aſininum obiiciunt? Audiant Aug. de Iano loquentem lib. 7. c. 4.* Iſti in cultu deorum, omnis dedecoris appetitores, cuius, *Iani ſcilicet*, Vitam minùs turpem inuenerunt, eum ſimulacri monſtruoſi deformitate turpârunt: nunc eum Bifrontem, nunc etiam quadrifrontem, quaſi geminum facientes. An fortè voluerunt, vt quoniam plurimi dij ſelectierubeſcenda perpetrãdo amiſerant frontem, quantò iſte innocentior eſſet, tantò frontoſior appareret? *Et cap. 8. vbi interpretationem Gentilium explodit, quatuor mundi partes, & Ianus, per Ianum quadrifrontem ſignificari dicentes:* Non habent omnino vnde quatuor ianuas quæ intrantibus & exeuntibus pateant, interpretentur ad mundi ſimilitudinem; Sicut de Bifronte, quòd dicerent, ſaltem in ore hominis inuenerunt, niſi Neptunus fortè ſubueniat, & porrigat piſcem, *Sic pilum innuit Neptunum*, cui, præter hiatum oris & gutturis, etiam dextra & ſiniſtra fauces patent. Et tamen hanc vanitatem, *Idololatriæ*, Per tot ianuas nulla effugit anima, niſi quæ audit veritatem dicentem: Ego ſum Ianua. *Et quidem ab diabolo multiformi idololatria parente dicitur apud Iob. 41. 4.* Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius 70. *Et in rugam pectoris eius* Quis intrabit? portas vultus eius quis aperiet?

Et libro primo ad Nat. cap. 14. DETRIMENTO CVTIS. *Solius circumciſione præputij, quam Paulus vocat* Expoliationem carnis. VTIQVE MAGIS. *Maiore detrimento; poſtquam ſeipſum locauit gladiatorem, ad ſpectaculum pugnæ cum beſtiis.* CVM INCEDIT. *Cùm procedit in arenam, ridiculum exponit, & omnibus illudendum Chriſtianorum Deum.* ALIVS DEVS. *Quàm Iudæorum, perſi arum, peregrinorum.* CVREMVS. *Scilicet retorquere in voſmet ipſos cultum deorum, capita, & alas habentium animalium & volucrum.* ALITES PLANTA. *Mercurium intelligit, galero, talaribus, humeris alatum.* DENOTATIS. *Nota aſini & legis inuitis. De Mercurio inter cætera Auguſtinus libro 7. de Ciuit. c. 14.* Mercurius, inquit, ſi ſermonis etiam deorum poteſtatem gerit, ipſi quoque Regi deorum dominatur, ſi ſecundùm eius arbitrium Iupiter loquitur, aut loquendi ab illo accipit facultatem: quod vtique abſurdum eſt, &c. Quòd ſi ſermo ipſe dicitur eſſe Mercurius, ſicut illa, quæ de eo interpretantur, oſtendunt: Nam ideò Mercurius, quaſi medius currens dicitur appellatus, quòd ſermo currat inter homines medius; ideo Ἑρμῆς Græcè, quod ſermo, vel interpretatio, quæ vtique ad ſermonem pertinet, ἑρμηνεία, dicitur: Ideo & mercibus præeſſe, quia inter vendentes, & ementes ſermo ſit medius: ideo alas ei in capite &

8. Auguſt.

3. Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

pedibus ponunt, volentes significare volucrem ferri per aëra sermonem. Ideò pernuntium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata enuntiantur: Si ergo Mercurius ipse sermo est, etiam ipsis confitentibus, Deus non est. Sed cùm sibi Deos faciunt eos qui dæmones sunt, immundis supplicando spiritibus, possidentur ab eis, qui non dij, sed homines sunt.

Nos verò longè absumus ab Ethnicis: Nec dicimus Deum ad arbitrium nostrum loqui, sed nos potiùs ab eo accipere benè loquendi facultatem, Iacobo dicente, quòd, linguam nemo hominum domare potest. *Sapiente præscribente:* Domini est gubernare linguam. *Prouerb. 16. 1. Lubet integrum locum referre; quem sic transfert & explicat Aug. lib. 2. ad Bonifacium. Conc. duas epist. Pelagianorum.* Quod scriptum est, inquit, hominis est præparare cor, & à Domino respo nsio linguæ. Non benè intelligendo, falluntur, vt existiment, cor præparare, hoc est bonum inchoare, sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Absit, vt sic intelligant filij promissionis: tanquam, cùm audierint Dominum dicentem, sine me nihil potestis facere; quasi conuincant eum dicentes; Ecce, sine te possumus cor præparare. Aut cùm audierint à Paulo Apostolo; non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: tanquam & ipsum conuincant, dicentes: Ecce idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc & boni aliquid cogitare. Quis enim potest sine bona cogitatione, ad bonum, cor præparare? absit vt sic intelligant nisi superbi sui arbitrij defensores, fidei Catholicæ desertores. Ideò quippè scriptum est: hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ: quia homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui si tangit cor, homo præparat cor. In responsione autem linguæ, *Sequitur Septuag. interpres*, Id est, in eo quod præparato cordi, lingua diuina respondit, *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua: & dices ecce adsum* Nihil operis habet homo; sed totum est à Domino Deo. Nam sicut dictum est: hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ: ita etiam dictum est Psalmo 80. Aperi os tuum, & adimplebo illud: quamuis enim nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen nos aperimus, illius adiumento, & opere nostro; implet autem illud Dominus, sine opere nostro. Nam quid est, præparare cor, & os aperire, nisi voluntatem parare? Et tamen in eisdem litteris legitur: præparatur voluntas à Domino, Prouerb. 8. & labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Psal. 50. Ecce Dominus admonet vt præparemus voluntatem, in eo quod legimus, hominis est præparare cor: Et tamen vt hoc faciat homo, adiuuat Deus, quia præparatur voluntas à Domino. Et aperit os, ita iubendo, vt nemo possit, nisi ipse id faciat adiuuando, cui dicitur, labia mea aperies, &c. Ad Moysem famulum suum dicit: Exod. 4. Ego aperiam os tuum, & instruam te quæ debeas loqui, &c. Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, quando facit homo.

Auguſt.

Iupiter igitur, dictus quasi iuuans Pater, non ad arbitrium Mercurij loquitur, aut loquendi ab illo accipit facultatem, sed os & lingua hominis, accipit à Dei adiutorio, vt rectè loquatur. Dominus dat mihi linguam disciplinæ, vt sciam quando oporteat proferre sermonem. *Quod porrò supra dixit Augustinus de Mercurio nuntio, medio currente sermone, eloquentia, & commercij Dei, quòd sermo Deus non sit,* S. Auguſt. *verissimè dixit. Verum*, Verbum Patris, & Sermo, nuntius à regalibus sedibus missus est, alatus Angelus testamenti, mediator Dei & hominum, qui commercio diuinitatis & carnis, pro nihilo saluos fecit homines, & absque auro, vel argento, & vlla commutatione, per eum medium, emimus vinum & lac, & multiplicati sumus à fructu frumenti, vini & olei sui. Quem aduocatum habemus apud Patrem, pro transgressoribus orantem, & exauditum pro sua reuerentia, cuius gratia diffusa in labiis, cuius sermo velociter currit. *Missum accipe nuntium & legatum. Psalmo* 47. Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius. *Vbi Augustinus*; quando inquit, leuaremur ad adi- S. Auguſt. pem frumenti & satietatem, nisi mitteret Verbum suum terræ, qua grauabamur? venit ad terras Verbum eius. Quomodo eius? aut quod est Verbum eius? vsque in velocitatem currit Verbum eius, &c. Ipsa velocitate quid velocius? &c. Attingit à fine vsque ad finem fortiter; & vbi est quod dicitur Sap. 7. de sapientiæ Spiritu: acutus, mobilis, certus, incoinquinatus? &c. *An non* Exultabit vt gygas ad currendam viam? *An non* Vocauit ab Oriente auem? Esa. 46. 11. *Sed quæ auis?* Deut 32. Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, assumpsit & portauit in humeris suis, *Nec quiuit donec referret in cœlum.*

11. *Dij Gentium ab ipsis probrosè tractantur, dum impuri tastis miscentur, dum vile quodlibet ipsis immolatur, dum digladiari & vulnerari finguntur, dum crimina eorum per mimos scenis exponuntur. Apol. cap. 13. in f. & 14 per totum. & 15. ad circa fin.*

CVm Larentinam publicum scortum, Velim saltem Laidem, aut Phrynen, Intet Iunones, & Cereres, ac Dianas adoratis; cùm Simonem Magum cinædum statuâ, & inscriptione sancti dei inauguratis; cùm de pædagogiis aulicis eicio quem synodi deum facitis; licet non nobiliores dij veteres, tamen contumeliam à vobis deputabunt, hoc & aliis licuisse, quod soli ab antiquitate præceperant. Volo & ritus vestros recensere, non dico quales sitis in sacrificando, cùm enecta, & tabidosa, & scabiosa quæque macta tis: cùm de opimis & integris superuacua quæque truncatis, capitula & vngulas, quæ domi quoque pueris vel canibus destinassetis; cùm de decimâ Herculis, nec tertiam partem in aram eius imponitis. laudo magis sapientiam, quòd de perdito aliquid eripis. Sed conuersus ad literas vestras, quibus informamini ad prudentiam & liberalia CAP. XIV. officia, quanta inuenio ludibria! Deos inter se propter Trojanos & Achiuos vt giadiatorum paria congressos depugnasse. Venerem humana sagitta sauciatam. Martem tredecim mensibus in vinculis pene consumptum. Iouem ne eandem vim à ceteris cœlitibus experi-

Digitized by G

retur, operâ cuiuſdam monſtri liberatum: & nunc flentem Sarpedonis caſum: nunc fœdè ſubantem in ſororem ſub commemoratione non ita dilectarum iam pridem amicarum. Exinde quis non Poëta ex auctoritate principis ſui dedecorator inuenitur deorum? hic Apollinem Admeto regi paſcendis pecoribus addicit. ille Neptuni ſtructorias operas Laomedonti locat. eſt & ille de Lyricis, Pindarum dico, qui Æſculapium canit, auaritiæ merito, quia medicinam nocenter exercebat, fulmine iudicatum. malus Iupiter, ſi fulmen illius eſt, impius in nepotem, inuidus in artificem. hæc neque vera prodi, neque falſa confingi apud religioſiſſimos oportebat. Nec tragici quidem, aut comici parcunt, & non ærumnas vel errores domus alicuius Dei præfantur. taceo de Philoſophis, Socrate contentus, qui in cóntumeliam deorum quercum, & hircum, & canem deierabat. Sed propterea damnatus eſt, Socrates quia Deos deſtruebat. Planè olim, id eſt, ſemper, veritas odio eſt. tamen cum pœnitentia ſententiæ, Athenienſes, & criminatores Socratis poſtea affixerint, & imaginem eius auream in templo collocarint reſciſſa damnatio teſtimonium Socrati reddidit. Sed & Diogenes neſcio quid in Herculem ludit: & Romanus Cynicus Varro trecentos Ioues, ſiue Iupiteres dicendum, ſine capitibus introducit. Cetera laſciuiæ ingenia etiam voluptatibus veſtris per deorum dedecus operantur. diſpicite Lentulorum & Hoſtiliorum venuſtates, vtrùm mimos an deos veſtros in jocis & ſtrophis rideatis. mœchum Anubim, & maſculum Lunam, & Dianam flagellatam, & Iouis mortui teſtamentum recitatum, & tres Hercules famelicos irriſos. Sed & hiſtrionum literæ omnem fœditatem eorum deſignant. luget Sol filium detractum de cœlo lætantibus vobis. & Cybele paſtorem ſuſpirat faſtidioſum, non erubeſcentibus vobis. & ſuſtinetis Iouis elogia cantari, & Iunonẽ, Venerem, Mineruam à paſtore iudicari. Quid, quòd imago dei veſtri ignominioſiſſimum caput & famoſum veſtit? quòd corpus impurum, & ad iſtam artem effeminatione productum Mineruam aliquam, vel Herculem repræſentat? nonne violatur maieſtas, & diuinitas conſtupratur plaudentibus vobis? Planè religioſiores eſtis in cauea, vbi ſuper ſanguinem humanũ, ſuper inquinamenta pœnarum proinde ſaltant dij veſtri, argumenta & hiſtorias noxiis miniſtrantes, niſi quòd & ipſos Deos veſtros ſæpè noxij induunt. vidimus aliquando caſtratum Atyn illum Deum ex Peſſinunte. & qui viuus ardebat, Herculem induerat. riſimus & inter ludicras meridianorum crudelitates Mercurium mortuos cauterio examinantem. vidimus & Iouis fratrem gladiatorum cadauera cum malleo deducentem. Singula iſta, quæque adhuc inueſtigare quis poſſet, ſi honorem inquietant diuinitatis, ſi maieſtatis fagia adſolant? de contemptu vtique cenſentur, tam eorum qui eiuſmodi factitant, quàm eorum quibus factitant. Sed ludicra iſta ſint. Ceterùm ſi adijciam, quæ non minùs conſcientiæ omnium recognoſcent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque ædituorum & Sacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis, & apicibus, & purpuris, ture flagrante, libidinem expungi, neſcio ne plus de vobis dij veſtri, quàm de Chriſtianis querantur. certè ſacrilegi de veſtris ſemper apprehenduntur. Chriſtiani enim templa nec interdiu norunt. ſpoliarent forſitan ea & ipſi, ſi & ipſi ea adorarent.

Vide libr. 2. ad Nat. cap. 7. & 8. 10. 14.

CAP. XV.

DII GENTILIVM. XI. SCHOLIA.

CVM LARENTINAM. *Alij vocant Larentiam, vel Laurentinam, Floram aliqui volunt, & Accam; ſed Minutius eas diſtinguit.* Acca, Larentia & Flora meretrices propudioſæ, inter morbos Romanorum & deos computandæ. *Aug. lib. 6. de Ciuit. c. 7. ſic de Laurentina: inter cætera ludicra, & Prophana:* Vnde etiam illud eſt, quod Herculis ædituus otioſus atque feriatus, luſit teſſeris ſecum, vtraque manu alternante, in vna conſtituens Herculem, in altera ſeipſum: ſub ea conditione, vt ſi ipſe viciſſet, de ſtipe templi ſibi cœnam pararet amicamque conduceret: Si autem victoria Herculis fieret, hoc idem de pecunia ſua, voluptati Herculis exhiberet: Deinde cum à ſeipſo tanquam ab Hercule victus eſſet, debitam cœnam, & nobiliſſimam meretricem Laurentinam, *Alij legunt, Larentinam*, Herculi dedit. At illa cum dormiiſſet in templo, vidit in ſomnis Herculem ſibi eſſe commixtum, ſibique dixiſſe, quòd inde diſcedens, cui primum inueni obuia fieret, apud illum eſſet inuentura mercedem, quam ſibi credere deberet ab Hercule perſolutam. Ac ſic abeunti, cùm primus inuenis ditiſſimus Tarutius occurriſſet, eamque dilectam ſecum diutius habuiſſet, illâ hærede relictâ, defunctus eſt. Quæ ampliſſimam adepta pecuniam, ne diuinæ mercedi videretur ingrata, quod acceptiſſimum putauit eſſe Numinibus, populum Romanum etiam ipſa ſcripſit hæredem: Atque illâ non comparente, inuentum eſt teſtamentum, quibus meritis, eam ferunt honores etiam meruiſſe diuinos. *Tertul. Apol. 24. hanc vocat* Proſtitutiſſimam lupam. *Macrob. 1. Saturn. c. 20. & Lact. lib. 1. c. 20. feſta eius*, Laurentinalia, *dicta commemorant.* LAIDEM. *Sicilienſis originc Corinthum venit, adeo formoſa, vt neminem admitteret niſi pretio ſoluto quod poſceret; ad quam Demoſtenes Corinthum venit; quæ cùm ab eo pro vna nocte pretium exigeret decem milium drachmarum, reſpondit ille;* Tanti pœnitere non emo. PHRYNEM. *Athenienſis hæc meretrix, de qua Quintil. lib. 2. c. 15. Arnob. lib. 6. eam formoſiſſimam fuiſſe narrat origine Theſpiacam. Plutarch. lib. 2. de Alexandri fortuna notat ei ſtatuam Delphis erectam.* SIMONEM MAGVM. *Iuſtin. Mart. notat huic Samaritano, magia celebri, Sta-*

Digitized by Google

euam intra duos pontes Tyberis Romæ erectam cum in-
ſcriptione, Simoni Deo ſancto. *Alij legunt*, Semoni
Sango Deo Fidio Sacrum. *Sed Sangus Rex Sabino-*
Auguſt. *rum fuit, de quo Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 9.* Sabini
etiam Regem ſuum primum Sangum, ſiue vt aliqui
appellant Sanctum. *Lact. lib. 1. c. 15. Sancum vocat*
Retulerunt in Deos. DE PÆDAGOGIIS. *Pedagogia erant Collegia, in quibus pueri delicatuli nutrie-*
bantur molliter à Pædagogis, velatique procedebant con-
tra Solem. Seneca ep. 124. Omnium Pædagogia ve-
lata facie vehuntur. SYNODI DEVM. *In deorum*
Concilio allectum. Alij legunt, Cinædum Deum,
Cinædi infames erant, ſic dicti quaſi pudore vacui,
operis Sodomitici proſtibula. De Adriani Amaſio ali-
bi expoſui. LICET NON NOBILIORES. *Quam-*
quam, inquit, veſtri antiqui, his recentioribus non
multo digniores ſint, querentur tamen de vobis, & im-
putabunt vobis hanc contumeliam, quod per vos, aliis
multis infamibus, Magis, Scenis, Cinedis in deorum
cœtum adſumi licuerit; quod veneranda antiquitas Pa-
trum veſtrorum ſibi ſolis vt ſelectis Numinibus contu-
lerat. ENECTA. *Fame vel morbo.* TRVNCATIS.
Extrema capita & vngulas conſecratis in victimam,
quæ quidem vilia & abiecta viliſſimis ſeruulis & ca-
nibus dare ſoletis. DE DECIMA HERCVLIS. *Iam*
dixi alibi ſolitam à Gentibus dari Herculi Eſculento-
rum decimam partem, cuius decimæ tertiam iam tan-
tum partem dabant. LAVDO MAGIS, *&c. Ironicè.*
DE PERDITO. *Perdunt enim quidquid idolis im-*
pendunt. CONVERSVS, *&c. Si, inquit, libros ve-*
ſtros, & Homeri maximè lego, ibi video Deos veſtros
Auguſt. *gladiatores agere. Aug. lib. 2. de Ciuit. cap. 25.* In
quadam Campaniæ lata planitie, vbi non multo
poſt ciuiles acies nefario prœlio conflixerunt, ipſi
inter ſe prius pugnare viſi ſunt. *Agit de demonibus*
ſiue diis Gentium Namque ibi auditi ſunt primum
ingentes fragores; moxque multi ſe vidiſſe nun-
ciarunt per aliquot dies, duas acies prœliari. Quæ
pugna vbi deſtitit, veſtigia quoque velut homi-
num & equorum, quanta de illa conflictatione ex-
primi poterant, inuenerunt. Si ergo veraciter in-
ter ſe Numina pugnarunt, iam bella ciuilia excu-
ſentur humana: conſideretur tamen quæ ſit talium
deorum vel malitia, vel miſeria. Si autem ſe pu-
gnaſſe finxerunt, quid aliud egerunt, niſi vt ſibi
Romani bellando ciuiliter, tanquam deorũ exem-
plo nullum nefas admittere viderentur. PROPTER
Auguſt. TROIANOS. *Aug. lib. 3. de Ciuit. c. 2. Plura hic*
tacta à Tertulliano decurrit. Ipſa Troia vel Ilium,
vnde origo eſt populi Romani, &c. Eoſdem ha-
bens Deos & colens, cur à Græcis victum, captum
atque deletum eſt? Priamo, inquiunt, ſunt reddi-
ta Laomedontea paterna periuria. *Laomedon Ili fi-*
ius, Mœnia Troiæ extruenda dedit Neptuno & Apol-
lini, iurans pro labore mercedem, qua eos fraudauit.
Auguſt. Ergo verum eſt, quod Apollo atque Neptunus ei-
dem Laomedonti mercenariis operibus ſeruierunt.
Illis quippè promiſiſſe mercedem, falſumque iu-
raſſe perhibetur. Miror Apollinem nominatum di-
uinatorem, in tanto opificio laboraſſe, neſcientem
quod Laomedon fuerat promiſſa negaturus: quam-
quam nec ipſum Neptunum Patruum eius, fratrem
Iouis, regem maris, decuit ignarum eſſe futuro-
rum, &c. Neſcientes igitur tanti dij, Neptunus &
Apollo Laomedontem ſibi negaturũ eſſe mercedẽ,
ſtructores mœnium Troianorum gratis & ingratis
fuerunt. Videant ne grauius ſit tales Deos credere,
quã diis talibus peierare. Hoc enim nec ipſe Home-
rus facilè credidit, qui Neptunum quidem contra
Troianos, Apollinem autẽ pro Troianis pugnantẽ
facit, cum illo periurio, ambos fabula narret in-
feſſos. Si igitur fabulis credunt, erubeſcant talia
colere Numina: ſi fabulis non credunt, non obtem-
dant Troiana periuria, aut mirentur deos periu-
ria puniſſe Troiana, amaſſe Romana. Vnde enim
coniuratio Catilinæ in tanta tamque corrupta ciui-
tate, habuit etiam eorum grandem cõpiam quos
manus atque lingua periurio, aut ſanguine ciuili
alebat? VENEREM, *&c. Aliquid hic intercidiſſe à*
primis exemplaribus exiſtimo, cum dicat ab eodem Dio-
mede penè interfectum Æneam, cum de eo nihil prius
dixiſſet. De hoc vulnere non ſagitta, ſed lancea inflicto
meminit Homerus Iliad. 5. MARTEM, *&c. Ori &*
Ephialta fratres fuerunt, Neptuni filij, qui nono ætatis
anno finguntur in altitudinem nouem ingerum excre-
uiſſe, montes montibus impoſuiſſe, diis bellum indi-
xiſſe, cœlum oppugnaſſe, telis Apollinis confixos Ho-
merus ait. 11. Odiſſ. de his ad mentem Tertulliani ſic lo-
quitur Iulius Firmicus de errore Prophan. Relig. Ori
& Ephialtæ edicto, Mars Bellipotens temporali
exilio damnatus, ferrea Catenarum vincula ſu-
ſtinuit. MENSIBVS TREDECIM *Tertulliano con-*
teſtatur Arnobius lib. 4. SARPEDONIS. *Matrem*
apud Troiam lacrymis ſanguineis filium chariſſimum
flenit teſte Homero Iliad. 16. SVBANTEM. *Vox*
turpitudinis à Suibus ducta, cum libidinẽ exercent, aut
appetunt. SVB COMMEMORATIONE. *Tum Iu-*
noni teſtatur numquam ſic dilectas ſibi fuiſſe Semelem,
Danaëm, aliaſque amicas. NEANDEM VIM.
Similia vincula. CVIVSDAM MONSTRI. *Cen-*
timani Briarei. PRINCIPIS SVI. *Homeri Regis*
Poëtarum exemplo. HIC APOLLINEM. *Alter*
Poëta hunc Deum Prophetam, paſtorem facit. Alter
Neptunum murorum artificem operarij mercede condu-
ctum, &c. Aug. de Apolline lib. 18. de Ciuit. c. 13.
Latona peperit Apollinem, non illum cuius ora- S. Auguſt.
cula ſolere conſuli ſuperiùs loquebamur, ſed illum,
quem cum Hercule ferunt Admeti Regis armen-
ta pauiſſe: qui tamen ſic eſt Deus creditus, vt plu-
rimi ac penè omnes, vnum eundemque Apollinem
fuiſſe opinentur. ÆSCVLAPIVM. *Pindarus in-*
ter Lyricos Poëtas clarus, dicit Iouem percuſſiſſe fulmi-
ne Æſculapium nepotem ſuum, vtpote filium Apolli-
nis, eo quod vitam reddidiſſet Hypolito, auri mercede
victus. ARTIFICEM *Scil. ſanitatis & vitæ* QVIA
MEDICINAM. *Alij legunt* Quà *In quantum.* No-
CENTER. *Alij:* Nolenter, *Quia ſcilicet nolebat niſi*
lucro captato ſanare. Vnde nocenter, id eſt cum noxa
crimine auaritiæ medicinam profitebatur, cuius me-
rito eſt fulminatus. NEQVE VERA PRODI. *De-*
tegi. Aug. lib. 18 De Ciuit. c. 13. Quicumque fin- S. Auguſt.
xerunt à Ioue ad ſtuprum raptum pulcherrimum
puerum Ganimedem, quod nefas Tantalus fecit,
Ex Euſebio, ob raptum Ganimedis, Troij Patris eius,
& Tantalo bellum exortum dicit, & Ioui fabula tri-
buit, vel Danaës per imbrem aureum, appetiſſe
concubitum, vbi intelligitur pudicitia mulieris
auro fuiſſe corrupta: quæ illis temporibus, vel fa-
cta, vel ficta ſunt, aut facta ab aliis, & ficta de
Ioue, dici non poteſt quantum malum de hominum
præſumpſerint cordibus, quòd poſſent iſta patien-
ter ferre mendacia, quæ tamen etiam libenter am-
plexi ſunt: qui vtique quantò deuotius Iouem co-
lunt, tantò eos qui hæc de illo dicere auſi ſunt, ſe-
uerius punire debuerunt. Nunc verò non ſolum
eis qui iſta finxerunt, irati non ſunt; ſed niſi talia
figmenta etiam in theatris agerent, ipſos Deos po-
tius iratos habere timuerunt. PRÆFANTVR.
Id eſt in præfatione, vel plangunt, vel rident facta deo-
rum. DILIBRABAT. *In contemptum Iouis, alio-*

rumque Deorum, quibus hæc sacra erant; Quercus Ioni; Hircus Baccho; canis Plutoni, ob Cerberum, vel Diana venatrici. Vel quod censuerit perinde esse iurare per Iouem, ac per quercum, &c. Vnde vt contemptor deorum ab Athenienſibus condemnatus est. PLANE. *Non miror inquit, veritas enim semper odium peperit. Seneca Ep. 104.* Obiecta est ei Religionum violatio, & inuenturis corruptela, quam immittere in Deos, in Patres, in rempublicam dictus est. RESCISSA. *Vox iuris.* Actio reſciſſoria. *De qua in l. honorariis. §. Sed cum reſciſſa. ff. de Act. & oblig. inde* Reſcindere iam iudicatam. *L. 10. C. de procur.* Reſcindere quæ pronuntiauerunt. *L. 27. ff. de pœnis.* Reſcindere teſtamentum. *L. 36. ff. de Statuliberis.* DIOGENES. *Vel aliquis eius diſcipulus, vtpote Lucianus, qui inducit Diogenem interrogatum à mercatore, quem imitaretur, cui reſpondente, Herculem: Subiecit mercator baculo quidem eum imitaris, ſed vbi pellis Leonina? &c. Alij de Diogene comico vel alio Smirneo, ſeu Cyreneo.* ROMANVS CYNICVS. *Quod vt alter Diogenes liberè Deos carpſerit.* SINE CAPITIBVS. *Sine principio & origine, vel capite minutos, quorum conditio, familia, ciuitas ignoratur.* LASCIVIÆ INGENIA. *Artes & artifices voluptatum veſtrarum, operam ſuam vobis locant cum magno Deorum probro.* DISPICITE LENTVLORVM, *&c. Famoſos legite Mimographos veſtros, quàm plena ſunt ſcurrilitate, & deorum irriſione eorum ſcripta, dubium ſanè verum in his dij veſtri, aut eorum mimi rideantur.* MOECHVM ANVBIM, *&c. Nomina ſunt Comœdiarum. Cynocephalum ſupra diximus Anubim.* LVNAM MASCVLVM. *Euſeb. lib. 3. de Præpar. Euang. c. 3. notat Apollinopoli viſam Lunam forma virili.* HERCVLES FAMELICOS. *Philoſtratus lib. 2 imaginum veracitatem notat in Hercule.* LVGET SOL. *Phaëtontem filium è curru lapſum.* CYBELE. *Vide Arnob. lib. 4. & Minutium. Hunc paſtorem exſecuit ob contemptum ætatis ſuæ, vt ex eo Deum faceret Eunuchum.* ELOGIA. *In vtalam partem ſæpè ſumit, pro criminibus & notis infamiæ.* A PASTORE; *Paride, pomum Veneri tribuente; vt trium Dearum formoſiſſimæ.* IMAGO DEI. *Id eſt repræſentatio deorum ſit in ſcena per infames ſcenitas.* CORPVS IMPVRVM. *Mulieris ſcenicæ plerumque meretricis; vel alicuius adoleſcentis, ad artem ſcenicam effeminatè compoſiti.* MINERVAM ALIQVAM. *Quid turpius, quàm virginem Deam, aut Herculem fortem, per tales repræſentari? & vos interim applaudere huiuſmodi actitatoribus.* IN CAVEA. *Arena & gladiatorum ludis.* RELIGIOSIORES. *Ironicè dicta.* DIVESTRI. *Qui Deos repræſentant.* NOXIIS MINISTRANTES. *Duplicem notat irreligionem; primò quod dij per propria ſua crimina, homicidia, &c. Gladiatoribus ad mortem damnatis, tragœdiarum materias ſubminiſtrant. Secundò quod rei & damnati ad arenam, Deos ipſos induunt, hoc eſt repræſentant.* CASTRATVM ATYN. *De facto in theatro caſtrabant illum qui hunc Deum Peſſinunte crinndum actitabat, de quo paulò ſupra cum Auguſtino tractauimus.* QVI VIVVS ARDEBAT. *Qui de facto incendebatur; Herculem æneũ, qui viuus arſerat, repræſentabat. Vide Senecam in Hercule Oeteo.* MERIDIANORVM. *Spectaculorum quæ exhibebantur Meridie. De quibus Sueton. in Claudio cap. 34. Seneca Ep. 1.* Caſu in meridianum ſpectaculum incidi, luſus expectans, & ſales, & aliquid laxamenti. LVDICRAS NVDITATES. *Quia non erant lethales. Alterum, Mercurium repræſentantem, vidi, quo Poëtæ virga ſua animas orco educere, & reanimandæ corpori reuocare fingunt; fingentes ſe mortuos. Actuali cauterio virga in extremo ignea, probantem mortuine an viui eſſent.* IOVIS FRATREM. *Plutonem, eum qui non excitabantur, virga illa ignea, vel quæſiit alios gladiatores verè in arena occiſos, vnco malleo & furcato deducentem ad inferos.* SINGVLA ISTA, *&c. Si hæc exempla, & alia huiuſmodi honorem læsæ diuinæ maieſtatis, & apicem eius ad ſolum vſque proſternunt, vel obſoletum reddunt.* FASTIGIA ADSOLANT. *Alij* Veſtigia obſoletant. *Id. trita nimis ex frequenti actuatione, & contemptibilia reddunt diuinitatis argumenta.* CENSENTVR. *Originem ducunt hæc deorum veſtrorum opprobria, tam à mimis & ſcenicis, quàm à vobis qui his ſpectaculis delectaminis.* NON MINVS. *Quam quæ foris in theatro patent.* SVB IISDEM VITTIS. *In ipſo Pontificio & Sacerdotali habitu. Dicta iam alibi de his inſignibus flaminum non repeto.* EXPVNGI. *Impleri inter Sacra, thure adhuc fumante nullo habito reſpectu, in habitaculis Sacerdotum templo ipſi coniunctis, in templis verò ipſis condici & tractari lenocinia & adulteria.* QVAM DE CHRISTIANIS. *In hac cauſa dij veſtri non habent quod de Chriſtianis conquerantur, qui non iam noctu, ſed nec de die quidem templa veſtra adeunt. Frequenter, imò ſemper ſacrilegi templorum violatores & prædatores, non Chriſtiani ſed Gentiles comminiſcuntur. Teſtis Dionyſius, qui referente Valerio lib. 5. Coronam auream Iouis Olympio, barbam ſimilem Æſculapio, menſas aureas argenteaſque templo detraxit.* SPOLIARENT, *&c. Fortè Chriſtiani Sacrilegi eſſent, ſi idolorum & templorum cultores eſſent, tunc enim quod Gentilium eſt proprium fallitarent.*

Et lib. 2. ad Nat. cap. 7. VT MOPSVS. *Vates fuit, qui iuxta Pomponium Melam In finibus Pamphyliæ Phaſelim vrbem condidit. Alius ex Strabo lib. 9. Theſſalus. Alius denique Apollinis filius qui certauit cum Calchante de peritia diuinandi.* AMPHIARAVS. *Plinius lib. 7. cap. 56. Cuius titulus eſt; quæ quis inuenerit in vita:* Auguria ex auibus Car: à quo Caria appellata. Adiecit ex cæteris animalibus Orpheus. Aruſpicium Delphus, igniſpicia Amphiaraus; auſpicia auium Tireſias Thebanus. *Sed alios eiuſdem nominis notat Tertull. Mopſum Africanum, & Amphiaraum Bœotum.* COELVM INFAMATIS. *Pollutis incorruptibilem ſedem hominibus corruptibilibus & mortalibus, eò tranſcripsit in diuos.* DILIBERI PEIERANTES. *Sicut ridetur Proculus pro Romulo in cœlum aſcendente teſtis periurus.* AVFERTIS. *Multatis honoribus.* MONETAM REPERCVTITIS. *Vt imagine alterius principis eraſa, in odium, altera imponitur; vel vt ſit nummis adulterinis, qui deferuntur ad auri argentique cudendi & feriendi præſides. Sic Dio libro 50. tradit factum nummis Claudianis.* TANTÆ INDVLGENTIÆ. *Abſit, vt Deus verus & iuſtus iudex, qui benè meritis cantùm & iuſtis, cœli, & gloriæ conſortium largitur, infimæ plebi proſtituat, hominum in cœlites & dinos transcribendi poteſtatem.* MISE. *Miſerandæ. Quales ſint caſus Deorum lugendi.* CORONATVM. *Vt regem Poëtarum.* CERES PASSA. *Inrapta Proſerpinæ filia, quæ cùm in campis Ennæis flores legeret, à Plutone rapta eſt. Obtinuit tandem Ceres à Ioue, vt Proſerpina ſex menſibus Anni, ſecum apud ſuperos, & totidem apud inferos cum marito eſſet; quod Mythologici ad Lunam referunt, quæ æquali temporis ſpatio ſuperius & inferius hemiſphærium illuſtrat.* AMPVTATVR. *Caſtratur. Auguſtinus lib. 6. de Ciuit. cap. 7.* Reuocatur, inquit, ad Theologiam ciuilem. Theologia fabuloſa, theatrica, ſcenica, indignitatis & turpitudinis plena, &c. Cùm verò hæc dedecora, non Poëtarum, ſed populorum: non mimorum, ſed ſacrorum: non theatrorum, ſed templorum: id eſt non fabuloſæ, ſed ciuilis Theologiæ, à tanto

authore

authore *Varrone* Produntur, non fruſtra hiſtriones, ludicris artibus fingunt, deorum, quæ tanta eſt, turpitudinem; ſed planè fruſtra Sacerdotes velut ſacris ritibus conantur fingere deorum, quæ nulla eſt, honeſtatem. Sacra ſunt Iunonis, & hæc in eius dilecta inſula Samo celebrantur, vbi nuptum data eſt Ioui. Sacra ſunt Cereris, vbi à Plutone rapta Proſerpina queritur. Sacra ſunt Veneris, vbi amatus eius Adonis aprino dente extinctus iuuenis formoſiſſimus plangitur. Sacra ſunt Matris Deûm, *Idæa Cybeles*, vbi Atys pulcher adoleſcens ab ea dilectus, & muliebri zelo abſciſus, etiam hominum abſciſorum, quos Gallos vocant, infœlicitate deploratur, &c. Quid de ſacris eorum boni ſentiendum eſt, quæ tenebris operiuntur, cum tam ſint deteſtabilia quæ proferuntur in lucem? HERCVLEVM POLLVCTVM. *Apol. 29.* Herculanarum, decimarum & Pollu&orum ſumptus tabulatij ſupputabunt. *Plautus*, vt decumam partem ex voto Herculi polluceam. *Mercatores pollucebant diis libamenta de mercibus. Hinc pollucere eſt magnificè & ſplendidè de ſacrificio conuiuari, de quo conuiuio non guſtabant mulieres Lanuuinæ, oppidi Latij in via Appia incolæ. Fortè in odium Larentinæ ſcorti Herculis, de qua ſupra.*

Et libro 2. ad Nat. cap. 10. DE LARENTINA. *Publicè colenda ſcribere non puduit gentiles Authores.* MERITORIVM. *Quæ captabat quæſtum de corpore proſtituto. Nam mereri, teſte Valla, eſt mercede operari; vnde dicta loca meritoria, rhedæ, muli, ſcorta meritoria.* DVODECIM TITVLIS. *Victoriis annumerari: de ludo aditui Herculis, vide ſupra relata ex Auguſtino.* CORNAT IGNIS. *Cœna datur igni in ſacrificium, quaſi ipſe ignis cenaret vices Herculis gerens.* QVI SOL. *Vt viderſa Anaxagoras Solem dixit lapidem ignitum: de quo Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 41.* Miror, inquit, cur Anaxagoras reus factus ſit, quia Solem eſſe dixit lapidem ardentem, negans vtique Deum; cùm in eadem ciuitate gloria floruerit Epicurus, *Athenis ſcilicet* vixeritque ſecurus, non ſolùm Solem, vel vllum ſyderum Deum eſſe non credens, ſed nec Iouem, vel vllum deorum omnino in mundo habitare contendens, ad quem preces hominum ſupplicationeſque perueniant. CV.....NIA. *Cœna omnia.* LENONIS LVDO. *Quo pepigerat de ſcorto dando Herculi.* FVNCTAM. *In ſomnis rem habuiſſe cum Hercule, eoque imaginatione potitam.* OR CERBER. *Fœlicior Larentina Cerere, qua & Herculi iam mortuo arriſit; vt Deo facto, vel in ſomnis frueretur. Hic tacitè innuit per ironiam, quòd cùm ſacris Cereris, mulieres Athenienſes abſtinerent thoro, quod, nè illuſionibus nocturnis polluerentur, planta dicta, agnocaſto ſternerent; quibus & feſtis vinum non adhibebatur; & feria eius polluta credebantur, ſi quis tunc cognouiſſet vxorem. Hinc apud Ouidium extat Elegia, in qua de Cerere queritur, quòd in eius feſto amicâ frui non liceret. Ceres porrò dicta Theſmophoros, quaſi legifera, quòd prima inuentrix frugum & ſegetum, leges ſanxerit, limitum diuidendis agris ponendorum. Plin. lib. 24. cap. 9. vbi de Agnocaſto*: Græci Lygon vocant, alij Agnon: quoniam matronæ Theſmophoriis Athenienſium caſtitatem cuſtodientes, his foliis cubitus ſibi ſternunt, &c. Ad Venerem impetus inhibet: eóque maximè phalangiis aduerſantur, quorum morſus genitale excitat. *In hoc ergo, iuxta impudicos gentiles, Larentina fortunatior Cerere, qua mortuo Hercule in diuos tranſcripto per ſomnium functa eſt; cùm deuotæ Cereri, feſtis eius abſtinerent thoro, & agnocaſto impudica ſomnia pellerent. Fœliciores Chriſtiani qui ipſis feſtorum pernigiliis continent, ipſum Agnum Chriſtum*, frumentum electorum & vinum germinans virgines. *acceptura.* ANTINOO. *Hic teſte Pauſania, puer Bythinicus formoſiſſimus, cui Adrianus Cæſar templum apud Mantineam erexit, & Antinoeam Ægypti ab eo Nuncupauit. Aug. lib. 7.* S. Auguſt. *de Ciuit. c. 26. vbi de turpitudine deorum Gentilium, maximè de magna deorum matre, & ſummo Ioue raptore Ganymedis: ſic contra Varronem:* De mollibus, inquit, eidem Matri magnæ, contra omnem virorum, mulierumque verecundiam conſecratis, qui vſque in heſternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, inceſſu fœmineo, per plateas vicoſque Carthaginis, etiam à populis, vnde turpiter viuerent, exigebant, nihil Varro dicere voluit, nec vſpiam me legiſſe commemini. Defecit interpretatio, etubuit ratio, conticuit oratio. Vicit Matris magnæ omnes Deos filios non numinis magnitudo, ſed criminis. Huic monſtro nec Iani monſtroſitas comparatur. Ille in ſimulacris habebat ſolam deformitatem, iſta in ſactis deformem crudelitatem. Ille membra in lapidibus addita, hæc in hominibus perdita. Hoc dedecus, tot Iouis ipſius, & tanta ſtupra non vincunt. Ille inter fœmineas corruptelas, vno Ganymæde cœlum infamauit, illa tot mollibus profeſſis & publicis, & inquinauit terram, & cœlo fecit iniuriam. *Et lib. 4. c. 25. de Ioue.* Iſte, inquit, alienarum dicitur adulterator vxorum, iſte pueri pulchri impudicus amator & raptor. S. Auguſt.

Et libro 2. ad Nationes cap. 14. ADICIAM. *Adiiciam.* CONSTAN....RIT. *Conſtanter occideris.* LVDO PVNITI. *Addicti beſtiis.* ARENARIÆ VILITATIS. *Locantes ſe vili pretio ad ſpectaculum, in arena pugnando cum beſtiis.* OCVLIS SVBLGISSE. *Deſpexiſſe.* ERVNT. *Occiderunt.* SVBLE..., *Sublatate tanta facilitate.* TVRPIVS IOVE. *Qui ſaltem à capra nutritus eſt.* FVLMINE HAVSTVS. *Æſculapius à Ioue fulmine interemptus. Ferunt quòd cùm Iupiter querelas deorum inferorum audiſſet, quod regnum ſuum Æſculapius imminueret, mortuos ad vitam reuocando, illum fulmine interemit: vnde Apollo pater eius iratus, Cyclopas fulminis artifices, ſagittis occidit.* THESEA SVVM. *Theſeus fuit Ægei Regis Athenarum, & Æthræ filius, qui Medea Neuerca operâ, veneno penè extinctus adoleſcens, poſt obitum Patris ad regnum euectus, expugnauit Amazones, & earum Reginam Hippolytem rapuit, de qua genuit Hippolytum. Minotaurũ in Labyrintho occidit, Ariadnam Phædramque Minois filias clam ſecum abduxit: ſed relictâ Ariadnâ in inſula Chio, cuius ope & filo de Labyrintho exierat, ſua ſeruatricis oblitus, Phædram duxit vxorem. Cùm enim Theſeus ab Athenienſibus Cretam miſſus à Minotauro deuorandus Ariadnâ operâ euaſiſſet, beneficij immemor eam periurus in Chio, ſeu Naxo deſeruit, quam Bacchus poſtea duxit, ainſque coronam nouem ſtellis ornatam, quam à Venere acceperat, inter aſtra retulit Gnoſiam dictam. Quod autem virginitatem non ſeruaſſet, fertur occiſa à Dianâ ſagittâ. Theſeus autem patria regnoque pulſus in inſulam Syrum naufragauit, ibique à Nicomede occiſus; vel vt alij, poſt cœnam ex alto deambulans corruit. Qui tamen eſt poſt obitum adoratus vt Deus. Æſculapij meminit Auguſtinus libro 3. de Ciuit. cap. 12.* Æſculapius, inquit, ab Epidauro *vbi prius colebatur* abiuit Romam, vt peritiſſimus Medicus in Vrbe nobiliſſima artem glorioſius exerceret. *Deinde de matre deorum & Febri eius filia locutus*, vtrum, inquit, etiam dea Febris ex illa nata ſit, viderit Æſculapius pronepos eius. *Hippolytum & Androgeum Minois filium ab Athenienſibus occiſos, Græci referunt ab Æſculapio reuocatos ad vitam. De eodem Tertull.* S. Auguſt.

Auguſt.

Apol. 14. Est & ille de Lyricis, Pindarum dico, qui Æsculapium canit suaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum. *De eodem Arnobius lib. 1.* Nonne Æsculapium medicaminum repertorem, post pœnas & supplicia fulminis, custodem nuncupauistis, & præsidem sanitatis, valetudinis, & salutis? *De Æsculapio in Deos relato Augustinus lib. 8. de Ciuit. cap. 26. inducit Hermem Ægyptium sic fantem:* Auus inquit tuus, ô Aesclepi, medicinæ primus inuentor, cui templum consecratum est in monte Lybiæ circa littus Crocodilorum, in quo eius iacet mundanus homo, id est corpus: reliquus enim vel potius totus, si est homo totus in sensu vitæ, melior, remeauit in cœlum; omnia etiam nunc hominibus adiumenta præstans infirmis numine nunc suo, quæ antè solet medicina præbere. Ecce dixit mortuum coli pro Deo in eo loco vbi habebat sepulcrum. Falsus an fallens, dicendo quod remeauit in cœlum, omnia etiam nunc hominibus adiumenta præstans infirmis. *Ridet & lib. 3. cap. 17. otiosum Æsculapium in grandi peste Romana. Vbi querit vbi essent dij Romani.*

S. Augustin. Vbi erant inquit, &c. quando graui pestilentia cæteris laborantibus, multi etiam in exercitu icti fulmine perierunt? vel quando itidem alia in tolerabili pestilentia, Æsculapium ab Epidauro quasi medicum Deum Roma aduocare atque adhibere compulsa est: quoniam regem omnium Iouem, qui iam diu in Capitolio sedebat, multa stupra quibus adolescens vacauerat, non permiserant fortasse discere medicinam, &c. Atque in tanta strage bellorum, etiam pestilentia grauis exorta est mulierum. Nam priusquam maturos partus ederent, grauidæ moriebantur. Vbi se credo Æsculapius excusabat, quòd ἐξάπαυστος se, *Id est vel medicum principis, vel medicorum principem* Non obstetricem profitebatur.

Et quoniam hoc capite Tertullianus duos homines mortales iungit transcriptos in dinos, Herculem & Æsculapium, de vtroque simul Augustinus lib. 4. de
S. August. *Ciuit. cap. 27.* Relatum est, inquit, in litteris doctissimum Pontificem Sceuolam disputasse tria genera tradita deorum: vnum à Poëtis, alterum à Philosophis, tertium à Principibus ciuitatis. Primum genus nugatorium dicit esse: quòd multa de diis fingantur indigna: secundum non congruere ciuitatibus, quòd habeat aliqua superuacua, aliqua etiam quæ obsit populis nosse, &c. Quæ sunt autem illa quæ prolata in multitudine nocent? Hæc, inquit, non esse deos Herculem, Æsculapium, Castorem, Pollucem. Proditur enim à doctis quòd homines fuerint, & humana conditione decesserint. Quid aliud quàm quòd eorum qui sint dij, non habeant ciuitates vera simulacra, quòd verus Deus nec sexum habeat, nec ætatem, nec definita corporis membra. Hæc Pontifex nosse populos non vult, nam falsa esse non putat. Expedire igitur existimat falli in religione ciuitates. quod dicere etiam in libris rerum diuinarum ipse Varro non dubitat. Præclara religio quò confugiat liberandus infirmus, *ad medicum scilicet Aesculapium:* & cùm veritatem qua liberetur inquirat, credatur ei expedire, quòd fallitur. *Herculem, Iouis, & Alcmenes filium, Iuno implacabili semper odio prosecuta, quod ex pellice natus esset, nouis semper monstris eum insecuta, quorum semper victor exstit. Occidit autẽ Theodamantem quòd sibi cibũ negasset, eiusque filium Hylam sibi charissimum secum abduxit. Quo allusit hîc Tertullianus dicens:* ob decori pueri amissionem desertam militiam Argonautarũ. *Ad hæc, Eurytum Oethalia regem occidit, & deleuit vrbem Oethaliam, & Iolem Euryti filiam sibi negatam vxorem, quam tamen ei despenderat, vi obtinuit, eamque in Euboeam abduxit, cum autem Deianira coniux eius Zelotypa, ab Iolet amore vellet eum abstrahere, Centauro Consule, misit viro vestem Nessi Centauri sanguine infectam, quam cum sacrificaturus Hercules induisset, in rabiem versus, constructa pyra seipsum incendit: & post mortem in deos relatus est. Macrobius lib. 1. Saur. cap. 20. Herculem dicit esse Solem, quòd Heraclis significet aëris gloriam. Duodecim autẽ labores eius, duodecim signa Zodiaci, quæ totidem conficit mensibus. Cyrillus lib. 6. contra Iulianum,* Ipsi, inquit, hominibus sacrificauerunt, iisque turpibus, & libidinosis, & omnibus modis vituperandis. Qualis sanè quidam fuit celeberrimus Hercules, quem fuisse Alcmenæ & Iouis filium dicunt, cui magnum & eximium præmium constituerunt, quòd vna nocte quinquaginta virgines viriarit. *Et Clemens Alex. in Exhort. ad Gentes:* Hercules, inquit, quinquaginta filias Thestiæ vna nocte vitiauit, vt qui simul adulter & sponsus fuerit tot virginum. *Lact. lib. 1. cap. 9.* Quid tandem inquit, potuit in eo esse diuini, qui suis ipse vitiis mancipatus, & mares & fœminas, contra omnes leges infamiâ, dedecore, flagitio affecit? *De Herculis obitu Augustinus. lib. 18.* August. *de Ciuit. c. 12.* His temporibus *Ab exitu Israël ex Ægypto vsque ad mortem Iosuæ,* Hercules in Tylia clarus habebatur, sed nimirum alius, non ille de quo supra locuti sumus. Secretiore quippè historia, plures fuisse dicuntur, & Liberi Patres, & Hercules. Hunc sanè Herculem, cuius ingenia duodecim facta commemorant, *de quibus Lact. lib. 1. cap. 9. Boëtius lib. 4. de Consolat. met. 7. Clem. Alex. lib. 5. Strom. Apollodorus lib. 2. de Orig. deorum* Inter quæ Antæi Afri necem non cõmemorant, quòd ea res ad alterum Herculem pertinet, in Oeta monte à seipso incensũ, produnt suis litteris, cùm ea virtute, qua monstra subegerat, morbum tamen *Caducum siue Herculeum*, quo languebat, sustinere non posset. *De quo & Minutius in Octauio, & Cypr. lib. de Vanit. Idol.* Hercules vt hominem exuat, Oetæis ignibus concrematur.

12. Dij Gentium iniusti non colendi, & thus melius cadaueribus quàm ipsis impenditur. Apol. cap. 41. in f.

SI verò ab eis quos colitis, omnia vobis mala eueniunt nostri causa, quid colere perseueratis tam ingratos, tam iniustos? qui magis vos in dolorem Christianorum iuuare & asserere debuerant, quos separare deberent à meritis Christianorum.

13. Et Apol. cap. 42. in m.

TVra planè non emimus. Si Arabiæ quæruntur, scient Sabæi pluris & Charioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm diis fumigandis.

DII GENTILIVM. XII. & XIII. SCHOLIA.

NOSTRI CAVSA. *Quia dij vestri succensent, quod cultus eorũ à Christianis tollatur, quàm stulti estis qui adhuc in eorũ cultu perseueratis, qui sunt tam ingrati zelo vestro, tamque iniusti, vt vos innocentes pro nostro crimine puniant, cum potius debuissent, in publicis cladibus discernere bona merita vestra, à malis meritis Christianorum, vos enim ab his redimentes, in Christianorum capita noxia, omnem iram suam exercere debuissent. Tota ratio Patrum in Apologeticis conscribendis, & quæ maximè Augustino zelum mouit scribendorum librorum 22 de Ciuit. fuit, quòd Gentiles cladis omnes imputarent Religioni Christianæ, quæ deorum cultum vt impium execrabatur. Sic ipsè testatur lib. 2. Retract. c. 43.* Interea Roma, Gothorum irruptione agentium sub Rege Alarico, atque impetu magnæ cladis euersa est, cuius euersionem deorum falsorum multorumque cultores quos vsitato nomine paganos vocamus, in Christianam religionem referre conantes, solito acerbius, & amarius Deum verum blasphemare cæperunt: vnde ego exardescens zelo domus Dei aduersus eorum blasphemias, vel errores, libros de Ciuitate Dei scribere instituí. *Libro autem tertio de Ciuitate cap. 17.* Vbi erant illi dij, qui propter exiguam fallacemque huius mundi felicitatem colendi existimantur, cum Romani, quibus se colendos mendacissimâ astutiâ venditabant, tantis calamitatibus vexarentur? vbi erant, quando Valerius Consul ab exulibus & seruis incensum Capitolium cum defensaret occisus est? faciliusque ipse prodesse potuit Ædi Iouis, quam illi turba tot numinum, cum suo maximo atque optimo Rege, cuius templum liberauerat, subuenire? Vbi erant, quando densissimis fatigata ciuitas seditionum malis, cum legatos Athenas missos ad leges mutuandas paulùm quieta opetiretur, graui fame pestilentiaque vastata est? &c. Vbi erant, quando Galli Romam ceperunt, spoliauerunt, incenderunt, cædibus impleuerunt? &c. *Quæ fusè prosequitur: & lib. 1. cap. 1.* Quidquid vastationis, trucidationis, depræda-tionis, concremationis, in ista recentissima clade commissum est, fecit hoc consuetudo bellorum. *Non religio Christianorum.* Quod autem more nouo factum est, quòd inusitatâ rerum facie, immanitas barbara, tam mitis apparuit, vt amplissimæ Basilicæ implendæ, populo cui parceretur, eligerentur & decernerentur, vbi nemo feriretur, vnde nemo raperetur, quò liberandi multi à miserantibus hostibus ducerentur, vnde captiuandi nulli, nec à crudelibus hostibus abducerentur; hoc Christi nomini, hoc Christiano tempori tribuendum, quisquis non videt, cæcus, quisquis videt, nec laudat, ingratus, quisquis laudanti reluctatur, insanus est. Ablit vt prudens quisquam hoc feritati imputet barbarorum. Truculentissimas, & sæuissimas mentes ille terruit, ille frænauit, ille mirabiliter temperauit, qui per Prophetam *Dauid, Psal. 88.* tantò antè prædixit; visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum; misericordiam autem meam, non dispergam ab eis.

Augus. A B Augus. C Augus. D

13. NON EMIMVS. *Quæ Idolis incendamus.* ARABIÆ. *Si à vobis Gentilibus requiruntur thura ex Arabia, norunt Sabæi, à Christianis, inungendis cadaueribus in Domino morientium plus impensas mercium suarum Aromaticarum, quàm vos stulti profunditis in famigranda Idola deorum. Nec mirum si in conspectu hominum sit nobis pretiosa Sanctorum sepultura, cum* Pretiosa sit in conspectu Domini mors Sanctorum eius. *Quamquam enim similia sint, quoad sensum priuationem, mortuorum corpora, & idolorum; sensum tamen hac nullum vnquam habuerunt, ista humanum. Pulchrè Religionem sepulturæ cõmendat Aug. lib. 1. de Ciuit. cap. 13.* Nec contemnenda & abiicienda sunt corpora defunctorum maximéque iustorũ atque fidelium, quibus tanquã organis & vasis ad omnia bona opera *Et ad oracula vera & diuina* Sanctus vsus est Spiritus. *Sicut ad oracula obscura & decepioria idolis vsus est spiritus malignus, sicut & corporibus deificatorum hominum sceleratorum, ad omnia flagitia exercenda.* Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi, tantò charius est posteris, quantò erga parentes maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & Antiquorum iustorum funera officiosâ pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa: Ipsique dum viuerent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandauerunt, &c. *Subiicit, laudatum ab Angelo Tobiam ob curam sepulturæ mortuorum, Magdalenam à Christo, Iosephum ab Arimathia à Ioanne;* & concludit: Verum istæ Authoritates non hoc admonent, quod insit vllus cadaueribus sensus, sed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. QVÆRVNTVR. *Alij legunt*, Queruntur, *Quasi diceret, vrens plurali, vt solet.* Si Arabia queruntur, *Id est si Arabes conquerentur de nobis.*

S. August. S. August. S. August.

14. *Diis frustra Romani Regnum & felicitatem imputant; tum quòd Deos extraneos; tum quòd ante deorum cultum regna prospera fuerint. Apol. cap. 25. à p. ad m.*

QVoniam Romani nominis propriè mentio occurrit, non omittam congressionem, quam prouocat illa præsumptio dicentium, Romanos pro merito religiositatis diligentissimæ in tantum sublimitatis elatos, vt orbem occuparint, & adeo Deos esse, vt præter ceteros floreant qui illis officium præter ceteros faciant. scilicet ista merces à Romanis deis pro gratia expensa est. Sterculus, & Mutunus, & Larentina prouexit imperium: peregrinos enim deos non putem extraneæ genti magis fautum voluisse quàm suæ; & patrium solum, in quo nati, adulti, nobilitati, sepultique sunt, transfretanis dedisse. Viderit Cybele, si vrbem Romanam, vt memoriam Trojani generis adamauit, vernaculi sui scilicet aduersus Achiuorum arma protecti, si ad vltores transire prospexit, quos sciebat Græciam Phrygiæ debellatricem subacturos. Itaque majestatis suæ in vrbem collatæ grande docu-

Digitized by Google

mentum noſtra etiam ætate propoſuit, cum M. Aurelio apud Syrmium reipublicæ exempto die ſextodecimo calendarum Aprilium, Archigallus ille ſanctiſſimus die nono calendarum earundem, quo ſanguinem impurum lacertos quoque caſtrando libabat, pro ſalute Marci iam intercepti ſolita æquè imperia mandauit. O nuntios tardos, ò ſomniculoſa diplomata, quorum vitio exceſſum imperatoris non ante Cybele cognouit! Næ deam talem riderent Chriſtiani. Sed non ſtatim & Iupiter Cretam ſuam Romanis faſcibus concuti ſineret, oblitus antrum illud Idæum, & æra Corybantia, & iucundiſſimum illic nutricis ſuæ odorem. Nonne omni capitolio tumulum illum ſuum præpoſuiſſet, vt ea potius orbi terra præcelleret, quæ cineres Iouis texit? Vellet Iuno Punicam vrbem poſthabita Samo dilectam ab Æneadarum vtique gente deleri? quod ſciam, *hic illius arma, hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus eſſe, Si qua fata ſinant, iam tum tenditque fouetque.* miſera illa coniux Iouis & ſoror aduerſus fata non valuit, planè *fato ſtat Iupiter ipſe.* Neotantum tamen honoris fatis Romani dicauerunt dedentibus ſibi Carthaginem aduerſus deſtinatum, votumque Iunonis, quantum proſtitutiſſimæ lupæ Larentinæ. Plures deos veſtros regnaſſe certum eſt. Igitur ſi conferendi imperij tenent poteſtatem, cum ipſi regnarent, à quibus acceperant eam gratiam? quem coluerat Saturnus & Iupiter? aliquem, opinor, Sterculum. Sed Romæ poſtea cum indigenis, etiam ſi qui non regnarunt, tamen regnabatur ab aliis nondum cultoribus ſuis, vt qui nondum dij habebantur. ergo aliorum eſt regnum dare, quia regnabatur multo antè quàm iſti dij inciderentur.

15. *Et Apol. cap. 26. à p.*

QVid erratis? prior eſt quibuſdam diis ſuis ſilueſtris Roma. antè regnauit, quàm tantum ambitum capitolij extrueret. regnauerunt & Babylonij ante Pontifices, & Medi ante Quindecim viros, & Ægyptij ante Salios, & Aſſyrij ante Lupercos, & Amazones ante virgines Veſtales. poſtremò ſi Romanæ religiones regna præſtant, nunquam retro Iudæa regnaſſet deſpectrix communium iſtarum diuinitatum, cuius & Deum victimis, & templum donis, & gentem fœderibus aliquandiu honoraſtis, nunquam dominaturi eius, ſi non vltimò deliquiſſet in Chriſtum.

DII GENTILIVM. XIV. & XV. SCHOLIA.

ROMANI NOMINIS. *Cum hac queſtio exigat à nobis, vt diſputemus contra eos, qui præſumunt, Romanos præ ceteris orbis populis in faſtigium dignitatis euectos, propter exactiſſimum cultum diis exhibitum; & idololatriæ meritò, totius mundi Dominos factos: quo Argumento efficaciter probare ſe putant, Deos vere eſſe; & ſic verè eſſe, vt illi, dijs remunerantibus, præ ceteris hominibus floreant, qui præ ceteris cultum ipſis exhibent.* SCILICET ISTA MERCES. *Alij legunt:* Si iſta merces. *Perinde mihi eſt; ſiue ironicè dicat, ſiue ſic concludat; Si dij Romanis pro pietate ſibi exhibita felicitatem imperij rependerunt, Deus Stercutus & Matunus, vel* Mutinus, *Vt alij, & Larentina, qui propriè dij Romani, erant, plus fauerunt Genti ſuæ, quàm aduentitij & peregrini. Quomodo enim credibile eſt Deos peregrinos oblitos ſui populi, eius terræ Romanis extraneis tranſtuliſſe?* VIDERIT CYBELE. *Et ipſa aduentitia Romanis, non domeſtica Dea. Fuit vxor Saturni, ſic dicta à Phrygiæ monte, ſiu oppido, vbi eius ſacra ſunt inſtituta; Mater Deorum Peſſinuntia dicta, à Peſſinunte Emporio Phrygiæ. De qua ſuè Aug. lib. 7. de Ciuit. cap. 24. Senſus Tertulliani hic eſt.* Dixi, inquit, Deos extraneos non debuiſſe plus fauere Romanis, quàm propriis ſuis populis; & quamquam Cybele Romam tranſlata fuerit, neſcio ſi cùm eſſet Phrygia, Romanos Phrygibus præferre debuerit, fortè id egit, quod ſciret Æneam ſubditum ſuum naturalem, quem contra arma Achiuorum protexerat; *Iam Italiam occupaſſe, præuidebat forſitan etiam, Romanos debellaturos eſſe hoſtes ſuos Græcos, qui patriam ſuam Phrygiam ſubuertrant.* ITAQVE MAIESTATIS SVÆ, *&c. Ironicè dicta. Quaſi verò, inquit, Dea vera, & futuri præſcia fuerit Cybele; grande prouidentiæ illius extitit argumentum, & cura quam habuit Romani Imperij, poſtquàm Romam tranſlatum fuit ſimulacrum eius, maieſtatem eius, vt omnium Deorum matris repræſentans; cum nec præſcire, nec impedire potuerit obitum Marci Aurelij Imperatoris, cui apud Sirmios* Lombardiæ tranſpad. Oppidum *Mortuo; Archigallus, princeps Eunuchorum in honorem Cybeles Caſtratorum, tanquam adhuc viuenti, ſeptimo die poſt mortem eius vota perſoluit; ſanguinem ſuum ex lacertis expreſſum offerens magnæ Deorum Matri, pro ſalute Imperatoris.* REIPVBLICÆ EXEMPTO. *Erepto è vinis, magno Reipublicæ damno.* INTERFECTI. *Alij interempti.* SOLITA ÆQVE IMPERIA, *&c. Referendum ad Cybelem quæ ignorans Aurelium mortuum, quaſi ſuo proregi ſolita per ſacrificulos placita ſua nuntiabat.* O NVNTIOS TARDOS, *&c. Lepida Ironia. Quaſi diceret; erubeſcite tardigradi nuntij Cybeles, veſque ſomnolenti diplomatum eius, per Pontificem in ſomniis, dea oracula captantem, decretorum perlatores: veſtrâ culpâ factum eſt, vt obitum Imperatoris tardius Cybele cognouerit. Diplomata, littera ſunt principum ſigillis obſignatæ. In iure ſunt litteræ Magiſtratuum, quibus, alicunde exeundi poteſtas datur. Modeſt. l. 27. §. 2. ff ad leg. Cornel.* Falſo diplomate commeauit. *Vennuleius de verborum obligatione l.* Continuus, *Dicit ſummò diplomata pro itineris feſtinatione, cum litteræ principis aut Magiſtratus, duplicatæ & ſignatæ impetrantur, vt duplum iter equorum celeritate conficiatur. Pulchrè in rem Tertull. qui nuncios tardos & ſomniculoſa diplomata, hic carpit. Sunt qui oracula interpretantur diplomata. Breuia, vel litteras Pontificias.* SED NON STATIM, *&c. Si, inquit, dij cultores ſuos præferunt aliis populis, eiſque conferunt imperium, Iupiter*

S. Auguſt.

ille post Saturnum & Cybelem Numinum princeps; passus non esset Cretam siue Candiam insulam in medio Ponto centum Vrbium fama claram, in qua antrum Ionis, vbi ipse & Iuno, & reliqui fratres nati referuntur, à Romanis seperari, & fascibus Consularibus subiici, vel facibus, vt alij legum bellicis terreri & incendi: antrum suum, Idaum siue Cretense in quo sepultus est, Capitolio pratulisset. ÆRA CORYBANTIA: *Tinnitum dulcissimum recordatus, quo puer mulcebatur ibidem: fragori bellico Romanorum prapositisset. Corybantus & Curetes, Gnossium Minois regium, in Creta, condiderunt, & fuerunt inuentores modulaturarum in armis saltationum, teste Eusebio.* NVTRICIS SVÆ. *Capra Amaltheæ, cuius odor & memoria ibidem suauissima spirabat. Vel alludit ad cornu eius plenum fructibus & floribus, quod cornu abundantiæ vocitatum est. Fabulam longam vtramque pretereo.* CINERES IOVIS. *Iupiter hanc insulam vbi sepultus est, cuius Roma pratulisset si quid possent dij Gentium* VELLET IVNO, *&c. An vellet Iuno Carthaginem deleri, quam prapositerat Samo, vbi nata & educata fuerat: eamque subuerti permisisset à Romanis, ab Æneæ oriundis, suisque inimicis?* QVOD SCIAM. *Certè si quid apud Virgilium legi, Iuno in Carthagine regnum suum stauit; & tamen miserrima fuit summa dearum, qua fatis obsistere non valuit. Nec mirũ certè, cùm ipse Iupiter sit fato subiectus, vt Poëta canunt; & tamen, quod stupendum est, Romani plus honoris tribuerunt meretrici famosissimæ Larentinæ, quàm fatis, quæ contrà Iunonis intentum & voluntatem sibi Carthaginem subegerunt.* PLVRES DEOS. *Scimus Romulum & Cæsares in Deos à vobis transcriptos, regnum Romanum teuuisse. Si ergo dij possunt dare regna, quæro à quibus ipsi diis regna acceperant? quem Deum ante se Saturnus & Iupiter reges coluerunt, vt regna acciperent pro mercede sui cultus? nullum certè potestis assignare præter Sterculum Deum, stercorandis agris præfectum.* SED ROMÆ POSTEA. *Siqui indigenæ, siue Aborigines, non regnarunt, regnum tamen occupabatur ab aliis, qui Deos non colebant: nec eos colere poterant qui nondum inter Deos habebantur à Romanis. Certum ergo sit, alia regnorum principia quærenda esse, cum multò ante quàm dij à Romanis culti sculperentur, ante Saturnum & Iouem regna floruerint. De Larentina iam diximus.*

Auguſt. *De Mutino Aug. lib. 4. de Ciuit. cap. 11.* Ipse sit Mutinus, qui est apud Græcos Priapus, si non pudet. *De eo Lact. lib 1. cap.* 20. Mutinus, in cuius sinu pudendo nubentes residebant, vt earum pudicitiam prior Deus delibasse videatur.

Auguſt. *De Sterculo Aug. lib.* 18. *cap.* 15. Pici Patrem Stercen fuisse asseuerant, à quo peritissimo agricola inuentum ferunt, vt fimo animalium agri fœcundarentur, quod ab eius nomine Stercus dictum est, vnde & hunc quidam Stercutium vocatum ferunt. *A nullo autem Deorum, nec ab ipso Ioue, felicitatem regni expectandam, sed ab vno vero Deo, docet lib. 4. de Ciuit. c. 25.*

Auguſt. Si humana infirmitas sensit non nisi ab aliquo Deo dari posse fœlicitatem, & hoc senserunt homines, qui tam multos colebant Deos, in quibus & ipsum eorum regem Iouem, quia nomen eius à quo daretur fœlicitas ignorabant, & ideo ipsius rei nomine quam credebant ab illo dari, eum appellare voluerunt. Satis ergo indicant, nec ab ipso Ioue dari posse fœlicitatem, quem iam colebant; sed vtique ab illo, quem nomine ipsius fœlicitatis colendum esse sentiebant. Confirmo prorsus à quodam Deo, quem nesciebant, eos credidisse dari fœlicitatem. Ipse ergo quæratur, ipse colatur, & sufficit. Repudietur iste cœtus innumerabilium deorum. Illi non sufficiat hic Deus, cui non sufficit munus eius. Illi inquam non sufficiat ad colendam Deus dator fœlicitatis; cui non sufficit ad accipiendum ipsa fœlicitas. Cur autem sufficit; nonne enim habet homo quid amplius optare debeat, qui tenet vnum Deum datorem fœlicitatis. Non est ipse quem nominant Iouem. Nam si eum datorem fœlicitatis agnoscerent, non vtique alium, vel aliam à quo daretur fœlicitas, nomine ipsius fœlicitatis inquirerent. Neque enim ipsum Iouem, cum tantis iniuriis colendum putarent. Iste alienarum dicitur adulterator vxorum; iste pueri pulcri impudicus amator & raptor. *Et eodem lib c 33.* Deus ille fœlicitatis author & dator, quia solus est verus Deus, ipse dat regna terrena & bona, & malis. Neque hoc temerè, & quasi fortuitò. *Sicut supra Tertull. dixit Romanos dedisse fatis praualentibus Iunoni & Ioui, fiam fœlicitatem acceptam.* Quia Deus est, non fortuna, sed prò rerum ordine ac temporum, occulto nobis, notissimo sibi: cui tamen ordini temporum non subditus seruit, sed cum ipse tanquam Dominus regit, moderatorque disponit: fœlicitatem verò non dat nisi bonis.

Auguſt. 15. QVID ERRATIS *Romani, qui creditis regnum Romanum vobis à diis datum, cùm Roma adhuc inculta, nec polita, vt postea fuit, præcesserit Deorum suorum originem aut cultum? Regnum Romanum extitit, priusquam extrueretur ambitus Capitolij, deorum omnium receptaculum. Priusquam Pontifices à Ponte ligneo faciendo, vel reficiendo dicti, rebus diuinis Sacrisque præficerentur, floruit regnum Babylonicum, &c. idque quoque regnarunt ante Quindecimuiros, qui Duumuiris primò, deinde Decemuiris, horum prefectis successerunt. Sic quoque regnarunt Ægyptij priusquam essent Salij, à Numa creati ex ordine Patriciorum, duodecim Martis Sacerdotes, qui Saliendo, arma deorum laudabant, ex Dion. lib. 1. Sic & Assyrij, ante Lupercos, qui nudi in honorem Dei Pan sacrificabant q. d. & Crepi dicti, à plagarum crepitu inflicto obuiis, de quibus videndus Iuuenis, Dionysius, Tarquinius Regnarunt & Amazones ante virgines Vestales.* RELIGIONES. *Cultus diis exhibitus à Romanis.* RETRÒ. *Longè prius quam Roma Deos coleret.* DEVM VICTIMIS. *Sic Iosephus lib. 2. Antiq. c. 16* M. Agrippa Deo hecatomben sacrificauit, *Dum scilicet esset Ierosolymis ad id ab Herode excitatus.* GENTEM FOEDERIBVS. *Habes id sæpius factum à Romanis circa Iudæos. lib 1. Macb. c 8. 12. 15. lib. 2. Macb. c. 11. Vide Iosephum lib. 12. Antiq. c. 17. lib 13 cap. 8 9. 12. lib. 14 c. 16. &c.* VLTIMÒ. *Per Christicidium,* Mensuram implens Patrum suorum, *Quo iuxta Prophetiam Danielis, vt alibi diximus, & regno, & Sacerdotio Iudæa spoliata, Gentilibus idololatris data est in pradam. De Quindecimuiris Pontificibus, &c. Præditis Aug. lib. 6 de Ciuit. cap. 3 circa f. Vbi ex* S. Auguſt. *ipso Varrone, probat in rem Tertulliani, Romam præcessisse Deos suos. In medio autem vbi tractat de partitione librorum Varronis.* Tres præcedentes qui ad homines pertinent ita subdiu sit, vt primus sit de Pontificibus; secundus de auguribus, tertius de Quindecimuiris Sacrorum, &c. *Sic autem in fine:* S. Auguſt. Iste ipse Varro, propterea se prius de rebus humanis, de diuinis autem postea scripsisse testatur, quòd prius extiterint ciuitates deinde ab eis hæc instituta sint. Vera autem Religio non à terrena aliqua ciuitate instituta est, sed planè cœlestem ipsa instituit ciuitatem. Eam verò inspirat & docet verus Deus, dator vitæ æternæ veris cultoribus suis. *Efficacissimè autem conuincit ex eodem Varrone, idololatriæ probatissimo Authore, & proinde Gentilibus irreprobabili teste, quidquid Tertullianus hic probare contendit. Sic igitur Aug. cap. 4 in p.* Varronis confitentis ideo se prius de rebus humanis scripsisse, po-

S. Auguſt.

stea de diuinis, quia diuinæ istæ ab hominibus in- A
S. Augst. stitutæ sunt, hæc ratio est: sicut prior est, inquit, pictor, quàm tabula picta; prior faber, quàm ædificium: Ita priores sunt ciuitates, quàm ea quæ à ciuitatibus sunt instituta. Dicit autem se prius scripturum fuisse de diis, postea de hominibus, si de omni natura deorum scriberet. Quasi hîc de aliqua scribat, & non omni, aut verò etiam aliqua, licet non omnis deorum natura, non prior debeat esse quàm hominum? &c. Aut de omni natura deorum scribit, aut de aliqua, aut omnino de nulla. Si de omni, præponenda est vtique rebus humanis: si de aliqua, cur non etiam ipsa, res præcedat humanas? An indigna est præferri etiam vniuersæ naturæ hominum, pars aliqua deorum? Quod si multum est, vt aliqua pars diuina præponatur vniuersis rebus humanis, saltem digna est vel Romanis. Rerum quippè humanarum libros, non quantum ad orbem terrarum, sed quantum ad solam Romam pertinet, scripsit. Quos tamen rerum diuinarum libris se dixit scribendi ordine meritò prætulisse: sicut pictorem tabulæ pictæ, sicut fabrum ædificio. Apertissimè confitens quod etiam istæ res diuinæ, sicut pictura, sicut structura, ab hominibus institutæ sint. Restat vt de nulla deorum natura scripsisse intelligatur: Neque hoc apertè dicere voluisse, sed intelligentibus licuisse. Vbi enim dicitur, non omnis, vsitatè quidem intelligitur aliqua Sed potest intelligi, & nulla: quoniam quæ nulla est, nec omnis, nec aliqua est. Nam vt ipse dicit, si omnis esset natura deorum, de qua scriberet, scribendi ordine, rebus humanis præponenda esset; vt autem, & ipso tacente, veritas clamat, præponenda esset certè rebus Romanis, etiamsi non omnis, sed saltem aliqua esset. Rectè autem postponitur, ergo nulla est. Non itaque rebus diuinis anteferre voluit res humanas, sed rebus veris noluit anteferere res falsas. In his enim quæ scripsit de rebus humanis, secutus est historiam rerum gestarum: quæ autem de his quas diuinas vocant, quid nisi opiniones rerum vanarum? *Quid lepidius & fortius ad deorum omnium vanitatem explodendam afferri potest?* B

16. *Deorum cultui falsò adscribitur Romani Imperij felicitas; cum prius fuerint felices Romani, quàm Religiosi: & cremantum imperij venerit à bellis, & victoriis sacrilegis. Apol. cap. 25. in m. ad f.*

QVàm vanum est, fastigium Romani nominis religiositatis meritis deputare, cum post imperium, siue adhuc regnum, auctis iam rebus religio profecerit. Nam etsi à Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res diuina apud Romanos constabat, frugi religio, & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & nidor exilis, & Deus ipse nusquam: nondum enim tunc ingenia Græcorum atque Tuscorum fingendis simulacris vrbem inundauerant, Ergo non ante religiosi Romani quàm magni. Ideòque non ob hoc magni, quia religiosi. Atqui quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo de irreligiositate prouenit? Ni fallor enim omne regnum vel imperium bellis quæritur, & victoriis propagatur. Porro bella & victoriæ, captis & euersis plurimùm vrbibus constant: id negotium sine deorum iniuria non est. Eædem strages mœnium & templorum. pares cædes ciuium & sacerdotum. nec dissimiles rapinæ sacrarum diuitiarum, & profanatum. Tot igitur sacrilegia Romanorum, quot trophæa. tot de deis, quot de gentibus triumphi. tot manubiæ, quot manent adhuc simulacra captiuorum deorum. Et ab hostibus ergo suis sustinent adorari, & illis imperium sine fine decernunt, quorum magis iniurias quàm adorationes remuneratse debuerant. Sed qui nihil sentiunt, tam impunè lædantur, quam frustra coluntur. Certè non potest fidei conuenire, vt religionis meritis excreuisse videantur, qui, vt suggessimus, religionem aut lædendo creuerunt, aut crescendo læserunt. Etiam illi, quorum regna conflata sunt in imperij Romani summam, cùm ea amitterent, sine religionibus non fuerunt. *Et libro. 2. ad Nat. cap. 15.*

DII GENTILIVM. XVI. SCHOLIA.

QVAM VANVM. *Quàm frusti estis, Romani, claritatem vestri nominis & Imperij, idololatriæ meritis, & deorum cultui imputare: Cùm idem cultus, tum demum creuerit, cùm regnum vestrum primò, deinde imperium, ante deorum cultum institutum & auctum sit.* ET SI A NVMA. *Licet Numa curiosus Magiæ scrutator, & sacrificiorum rerumque diuinarum à dæmonibus acceptarum institutor fuerit, in principio tamen, absque templis & idolis, Roma cultus diis incultus & rudis exhibebatur.* FRVGI RELIGIO. *Parcis & paruis sumptibus exercebatur, Capitolium excelsum nondum erat, altaria, subitò, vt sit dabat occasio, ex obuio cespite, & gramine extruebantur; vasa non erant exquisita, sed lutea, qualibus Samij vrebantur; Nidor quoque thuris, aut victimarum exiguus erat; nec alicuius Dei simulacrum extabat. Nec dum enim Thusci & Græci sculpterent Romam* C *adumbrant, vrbem idolis impleturi.* ERGO NON ANTE, *&c. Primi igitur confitet floruisse Romanorum regnum, quàm cultum deorum excultum.* DE IRRELIGIOSITATE. *Romanum regnum & imperium creuit potius per religionis cultusque deorum Prophanationem, quàm per religionem. Cum enim regnum comparetur bellis, & promoueatur victoriis; & bella & victoria fiant ex ruinis; templa euertuntur cum domibus primariis, Sacerdotes mixtim occiduntur cum ciuibus; adium Sacrarum vt prophanarum spolia diripiuntur.* MANVBIÆ. *Spolia sunt mancupia.* SVSTINENT. *Patiuntur dij captiui adorari se à victoribus & hostibus suis; & Romanis æternum imperium tribuunt.* MAGIS INIVRIAS. *Dum scilicet ab eis reperirentur & captiui abducerentur Romam, aperta & insultante iniuria.* QVAM ADORATIONES. *Alij legunt.* Adolationes. *Antiqua vox, pro.* Adu- D

lationes. *Cùm* Meliora sint vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula blandientis: *Cùm enim Romani vi aperta templa hostium spoliarent, velut vulnera deorum hostium cordibus infligebant, sed ex dilectione, Deos maiori honore, populus maior habiturus erat; sed vt subiicit Tertull. & iniuriis & cultu honorifico, nihil insensibilia simulacra mouere potuerant.* FIDEI CONVENIRE. *Credibile non est, Romanos pietatis erga Deos merito creuisse, cùm, vt diximus, Romani Deos hostium captiuos abducendo & triumphando, proindéque offendendo, excreuerint.* ETIAM ILLI, *&c. Praterquam quod populi à Romanis subacti, quibus inflatum creuit eorum imperium, sine cultu deorum non fuerint; qui proinde à diis suis defendi contra violentiam Romanorum debuerunt; ipsique potius augeri quàm minui, si quid dij potuissent pro cultoribus suis. Alibi vidimus regna latrociniis aucta; nec à diis falsis, sed à Deo vero dari & gubernari. Quod autem Roma sine diis fuerit, & floruerit, sic idem Aug. lib. 4. de Ciuit. cap. 28. vbi de scenicis ludis, diis Romanorū institutis.* Nullo modo dij tales, qui talibus placantur, vel potius accusantur honoribus, vt maius sit crimen, quod eis falsis oblectentur, quàm si de illis vera dicerentur, Romanum Imperium augere & conseruare potuissent. Hoc enim si possent, Græcis potius donum tam grãde conferrent, qui eos in huiusmodi rebus diuinis, hoc est ludis scenicis, honorabilius digniusque coluerunt, &c. Sicut autem potuerunt auream pecuniã habere Romani, quamuis Deum Aurinum non colerent, sic & Argenteam habere potuerunt & æream, si nec Argentinum, nec eius Patrem colerent Æsculanum, &c. Sic ergo & regnum inuito quidem Deo verò nullo modo habere possent, diis vero istis falsis, & multis ignoratis, siue contemptis, atque vno illo incognito, & fide sincera ac moribus culto, & melius hic regnum haberent, quantumcumque haberent, & post hoc acciperent sempiternũ, siue hîc haberent, siue non haberent. *Et to. 10. ser. 29. de Verbis Domini.* Alexandria olim tales Deos perdidit, Constantinopolis, ex quo cõdita est in magnam Ciuitatẽ. quoniã à magno imperatore condita est, olim Deos ipsos falsos perdidit, & tamen, & crescit, & creuit, & manet. Quandiu vult Deus, manet; non enim & illi ciuitati; quia hoc dicimus, æternitatem promittimus. Carthago in nomine Christi manet, & olim euersa est à scelestis, quia non fuit cœlestis, sed terrestris. Et illud quod dicunt non est verum, quia continuò diis perditis Roma capta est, afflicta est, prorsus non est verum; ante simulachra ipsa, euersa sunt, & sic victi sunt Gothi cum Rhadagaiso, &c. Euersis in vrbe Roma omnibus simulacris, Rhadagaisus Rex Gothorum cum ingenti exercitu, multò numerosiore quàm Alarici fuit, venit. Paganus homo erat Rhadagaisus. Ioui sacrificabat quotidie, nuntiabatur vbique quòd à sacrificiis non desisteret Rhadagaisus; tunc omnes isti; *Dixerunt* Ecce nos non sacrificamus, ille sacrificat, vinci habemus à sacrificante, quibus non licet sacrificare. Deus ostendens quia non in istis sacrificiis est ipsa temporalis salus, ipsa regna terrena, victus est Rhadagaisus adiuuante Domino miro modo. Postea venerunt Gothi non sacrificantes, sed fide Christiani, non Catholici, tamen idolis inimici, venerunt; Idolis aduersantes, & ipsi ceperunt. Vicerunt de idolis præsumentes, & perdita idola adhuc quærentes, & perditis adhuc sacrificare cupientes, sed ibi erant & nostri, *Catholici*, & afflicti sunt; sed nouerant dicere; benedicam Dominum in omni tempore. Afflicti sunt in regno terreno, sed regnum cœlorum non perdiderunt; imò ad illud capessendum, exercitatione tribulationum, meliores effecti sunt.

Et libro 2. ad Nat. cap. 15. IN SYDERA SEPELISTIS. *Mortuos inter astra retulistis.* DE COELO. *Pro digni cœlo, vel de cœlo prosperi inuocantur.* CASTORES. *Dicti Tindaridæ Castor & Pollux, gemini fratres, Iouis ex Leda filij, eodem enim Helena ono nati quam à Theseo raptam receperunt. Cùm autem Castor diem suum vltimum obiisset, Pollux immortalis petiit à Ioue, vt immortalitatem cum fratre partiretur. Obtinuit itaque, vt alternis vicibus morerentur & viuerent. Et significant signum Geminorum in Zodiaco. quorum altero occidente, alter exoritur, & vice versa.* De *his Lactantius lib. 1. cap. 19.* Eosdem Poëtæ alternis viuere, alternis mori narrant, vt iam sint non deorum tantùm, sed omnium mortalium miserrimi, quibus semel mori non licet. *Et Minutius in Octauio:* Castores alternis moriuntur vt viuant. *Dij maris habiti sunt, & à Nautis in tempestate inuocantur, quòd mare piratis liberauerint. Non Deos sed homines dicit Augustinus libro 18. de Ciuit. cap 14.* Extiterunt, inquit, Poëtæ, qui etiam Theologi dicerentur, quoniam de diis carmina faciebant: sed talibus diis, qui licet magni homines, tamen homines fuerunt, aut mundi huius quem Deus verus fecit, elementa sunt, aut in principatibus & potestatibus, pro voluntate Creatoris, & non suis meritis ordinati, &c. Opinione hominum in Deos relati, sicut & alij homines eorum temporum, inter quos fuerunt Castor & Pollux. PERSEVS. *Et hic Iouis filius ex Danaë creditus, qui Andromedam Cephei filiam monstro marino expositam liberauit & duxit vxorem. De his Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 13.* Per ea tempora *Post mortem Iosue* Perseus, & vxor eius Andromeda, posteaquàm sunt mortui, sic eos in cœlum receptos esse crediderunt, vt imagines eorum stellis designare, eorumque appellare nominibus non erubescerent, nec timerent *A Perseo Persiam dictam putat Orosius, in qua maxima bella gesserat. Andromeda filio Phœnicis dicto Cepheo & Cassiopeia genita est omnes in cœlum translati. Cepheus stellas habet 19. à tergo minoris Vrsæ. Cassiopeia 13. quam propè mediam secat circulus lacteus. Andromeda in cœlum abducta à Minerua, quod Patriæ & parentibus maritum prætulerit, proxima est Cassiopeæ, & habet 20 stellas. Perseus 19. Et manu dextra circulum Arcticum tangit, dextro pede caput aurigæ, de quibus consulendus est Hyginus & Aratus.* ERIGONA. *Teste Hygino Icarij filia fuit, quæ ex dolore patris occisi à rusticis temulentis seipsam suspendit. Quam miserati dij in sydus Virginis transtulerunt. Ex eodem Hygino iuxta Ouidium 5. Fast. Canis Erigoneius est sydus cœleste quàm Caniculam vulgo dicimus.* IOVIS EXOLETVS. *Scortum masculum, prouectioris iam etatis. Ganymedem intelligit. Cicero pro Milone.* Clodius semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat. DAMNASTIS. *Quasi indignum eliminastis.* PRÆDES PRORVM. *Generaliter dicti sponsores, qui pro aliis fidei iubebant & prades dicti satisdatores pro re de qua apud iudicem lis est: ne interea qui tenet diffidens causæ, possessionem deteriorem faciat.* CREIVS POMPEIVS. *Aliter Apol. 11. vbi de inuentoribus rerum:* Malè cum Lucullo actum est, qui primus Cerasa ex Ponto Italiæ promulgauit. RVISSE *inuentores merniſſe.* SANCTIPS ... *Sanctificastis* PROVOCATIS. *Laditis. Reliqua habes Apol. cap. 25. 26. Quæ consules suis locis.* IDEM REGNA DISPENSAT. *Vide dicta ex Aug. Verbo Imperator. num. 6.*

Augus. S. Augus. S. Augus. S. Augus.

S. Augus. *quibus addo quod idem lib. 5. de Ciuit. c. 21.* Qui Perfis dedit segetes sine cultu deæ Segetiæ: qui alia dona terrarum, sine cultu tot deorum, quos isti rebus singulis singulos, vel etiam rebus singulis plures præposuerunt: ipse etiam regnum dedit sine cultu eorum, per quorum cultum se isti regnasse crediderunt. *Ridiculos item carpit Romanos diis vanis dilatationem Imperij tribuentes lib. 4. de Ciuit. cap. 1.* Quæramus, inquit, si placet, ex tanta deorum turba, quam Romani colebant, quem potissimùm, vel quos Deos credant illud Imperium dilatasse, atque seruasse. Nequeenim in hoc tam præclaro opere, & tantæ plenissimo dignitatis audent aliquas partes deæ Cluacinæ tribuere, aut Volupiæ, quæ à voluptate appellata est, aut Libentinæ cui nomen est à libidine, aut Vaticano, qui infantum vagitibus præsidet, aut Cuninæ quæ cunas eorum administrat, &c. Quando autem possint vno loco libri huius commemorari omnia nomina deorum, aut dearum, quæ illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt, singulis rebus propria dispertientes officia numinum? Nec agrorum munus vni alicui Deo committendum arbitrati sunt, sed rura Deæ Rusinæ: luga montium Deo Iugatino: collibus Deam Collatinam; vallibus, Valloniam præfecerunt. Nec saltem potuerunt vnam Segetiam talem inuenire, cui semel segetes commendarent, &c. Quando ergo Segetia curaret imperium, cui curam gerere simul & segetibus, & arboribus non licebat? Quando de armis Cunina cogitaret, cuius præpositura paruulorum A cunas non permittebatur excedere? Quando Nodotus adiuuaret in bello, qui nec ad folliculum spicæ, sed tantum ad nodum geniculi pertinebat? SCIVNT PROXIMI. *Sancti Angeli & beati per reuelationem vel per proximos intelligit Christianos, qui ab Apostolo ad Thessalonicenses scribente didicerunt. 2. Thess. 2.* 3. Ne quis vos seducat vllo modo; quoniam nisi venerit discessio primùm, *Syr. rebellio,* & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. Vbi præmonet Paulus defectionem & ruinam Imperij Romani, & reuelationem Antichristi præcessuram aduentum Domini. Vbi D. Thomas lect. 1. vel discessionem à fide, intelligit, vel ab Imperio Romano, cui totus mundus erat subditus. Dicit autem Augustinus quod hoc figuratur Dan. 2. in B statua vbi nominantur quatuor regna, & post illa aduentus Christi. Et quia hoc erat conueniens signum quod Romanum Imperium firmatum fuit, ad hoc vt sub eius potestate prædicaretur fides per totum mundum. Sed quomodo est hoc, quia iam diu gentes recesserunt à Romano Imperio necdum venit Antichristus? dicendum est quod nondum cessauit, sed est cõmutandum de temporali in spirituale, vt dicit Leo Papa in Sermone de Apostolis. Et ideo dicendum est quia discessio à Romano Imperio debet intelligi, non solùm à temporali, sed à spirituali, scilicet à fide Catholica Romanæ Ecclesiæ: est autem hoc conueniens signum, quia sicut Christus venit, quando Romanum Imperium omnibus dominabatur, ita è conuerso signum Antichristi est discessio ab eo. Augus.

17. *Diis sacrificare pro salute Imperatoris, non est vrgendus Christianus; cum imperator sit diis melior, ipsorum Gentilium sensu. Apol. cap. 28. & 29. per totum.*

QVoniam facilè iniquum videretur liberos homines inuitos vrgeri ad sacrificandum; nam & aliàs diuinæ rei faciundæ libens animus indicitur, certè ineptum existimaretur, si quis ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos vltro, sui causa, placare deberet, ne præ manu esset iure libertatis dicere, Nolo mihi Iouem propitium. tu quis es? me conueniat Ianus iratus ex qua velit fronte. quid tibi mecum est? Formati estis ab iisdem vtique spiritibus, vt nos pro salute imperatoris sacrificare cogatis. & imposita est tam vobis necessitas cogendi, quàm nobis obligatio periclitandi. Ventum est igitur ad secundum titulum læsæ augustioris majestatis. siquidem maiore formidine, & callidiore timiditate Cæsarem obseruatis, quàm ipsum de Olympo Iouem. & meritò, si sciatis. quid enim? ex viuentibus quilibet, non mortuo potior? sed nec hoc vos ratione facitis, potius quàm respectu præsentaneæ potestatis. adeo & in isto irreligiosi erga Deos vestros deprehendimini, cum plus timoris humano dominio dicatis. citius denique apud vos per omnes Deos, quàm per vnum geniũ Cæsaris peieratur. Constet igitur prius, si isti quibus sacrificatur, salutẽ imperatoribus, vel cuilibet homini impertiri possunt, & ita nos crimini maiestatis addicite. Si angeli aut dæmones, substantiâ pessimi spiritus, beneficium aliquod operantur, si perditi conseruant, si damnati liberant, si denique, quod in conscientia vestra est, mortui viuos tuentur, iam vtiq; suas primò statuas & imagines, & ædes tuerentur, quæ, vt opinor, Cæsarum milites excubiis suis salua præstant. puto autem hæ ipsæ materiæ de metallis Cæsarum veniunt, & tota templa de nutu Cæsaris constant. multi denique dij habuerunt Cæsarem iratum. facit ad causam, si & propitium; cum illis aliquid liberalitatis aut priuilegij confert. ita qui sunt in Cæsaris potestate, cuius & toti sunt, quomodo habebunt salutem Cæsaris in potestate, vt eam præstare posse videantur, quam facilius ipsi à Cæsare consequantur? Ideo ergo committimus in majestatem imperatorum, quia illos non subiicimus rebus suis? quia non ludimus de officio salutis ipsorum, qui eam non putamus in manibus esse plumbatis? sed vos religiosi, qui eam quæritis vbi non est, petitis à quibus dari non potest, præterito eo, in cuius est potestate. insuper eos debellatis, qui eam sciunt petere, qui etiam possint impetrare, dum sciunt petere.

DII GENTILIVM. XVII. SCHOLIA.

QVONIAM FACILE, *&c. Quia, inquit, loquens Iudicibus Gentilium aperte iniustum esse videretur, si cogerentur homines liberos ad sacrificium, quod sponte offerri debet, stultitia & iniustitia imputaretur, si quis*

si quis à quopiam ex Prefectis impelleretur ad cultum Deorum, quos vltro & absque vlla vi, quàm metus & honoris Diis debiti, venerari debet: ne statim ex innato tare libertatis, quemlibet ex Diis ius sibi eligendi diceret, non indigeo Iouis adiutorio, nihil mihi cura, propi jnm an aduersum Iouem habeam; tu quis es qui me ad Ioui potius quam alteri Deo sacrificandum adigis? Ianus item Bifrons quam velit mihi faciem iratam obuertat, ei similiter dicam, quid mihi & tibi? te Deum non agnosco. Quoniam ergo, inquit, id cuique dicere saluem in corde libitum esse, aperiè videtis; à spiritibus malignis instructi estis, cogere nos, Diis, quos colit Imperator, pro eiusdem salute sacrificare; ad quod vos vrget obligatio Magistratura vestre, neparum affecti indicemini erga salutem Imperatoris, cuius etiam causâ expositi summo vel periculo neganda fidei, vel amittenda vitæ. VENTVM EST IGITVR, *&c. & hic est, inquit, titulus secundus & quidem grauior reatus Christianorum; quòd renuant sacrificare Dijs, pro salute Imperatoris; Cuius maiestas, & vobis, & nobis etiam multo amplius quàm Deorum augustior est, & honoratior. Vobis, quidem, quia cautius & timidius honoratis Imperatorem quàm ipsum summo in Olympi throno Iouem; & iustè quidem, si sciatis quemlibet viuum esse quolibet mortuo meliorem. Diceret sapiens:* melior est canis viuus, leone mortuo. *Verùm non cum iudicio & ratione sic facitis, sed potius ex timore & respectu presentis & oculis subiecta maiestatis, qua & plebem, & Prefectos suo tribunali representare & sistere potest, reosque condemnare. In quo testamini satis impietatem erga Deos vestram, quos hominibus postponitis, quibus plus timoris & reuerentiæ consecratis. Adeò vt vnicus genius & Damonium Cæsaris, plus à vobis in iureiurãdo reuerentiâ extorqueat, quàm simul omnes Dij.* CONSTET IGITVR. *Probate igitur primò si Dij vestri, quibus nos pro Imperatore sacrificare vultis, non dico Imperatori, sed hominum infimo, vllam possint præstare gratiam; quod si probare possitis, tum demum nos, si recusauerimus; tanquam reos condemnate.* SVBSTANTIA PESSIMI. *Si crudè sumas, error est, Angeli enim etiam mali, quos aliter vocat dæmones; substantiam & naturam optimam habent & amabilem. sic sentit Aug. 14. de Ciuit. cap. 6.* Quóniam nemo naturâ, sed quisquis malus est, vitio malus est, perfectum odium debet malis, qui secundum Deum viuit; vt nec propter vitium oderit hominem *vel Angelum*, nec amet vitium propter hominem, sed oderit vitium, amet hominem. Sanato enim vitio, totum quod amare, nihil autem quod debeat odisse, remanebit. *Et expressè de diabolo. lib. 21. de Ciuit. cap.* 17. Propter naturam, non propter malitiam diaboli, dictum rectè intelligimus, Iob. 40. hoc est initium figmenti Domini: quia sine dubio, vbi esset vitium malitiæ, natura non vitiata præcessit, &c. quapropter etiam voluntas mala grande testimonium est naturæ bonæ. Sed Deus sicut naturarum bonarum optimus Creator est, ita malarum voluntatum iustissimus ordinator, vt cum malè illæ vtuntur naturis bonis, ipse bene vtatur etiam voluntatibus malis. Itaque fecit, vt diabolus institutione illius bonus, voluntate sua malus, in inferioribus ordinatus illuderetur ab Angelis eius, *siue à spiritibus Angelicis bonis, siue hominibus Angelicè viuentibus, tentationes eius eludantur*, id est, vt prosint tentationes eius Sanctis, quibus eas obesse desiderat. Et quoniam Deus, cum eum conderet, futuræ malignitatis eius non erat vtique ignarus, & præuidebat quæ bona de malo eius esset ipse facturus, propterea psal. 103. ait: draco hic quem finxisti ad illudendum ei; vt in eo ipso, quod eum finxit, licet per suam bonitatem bonum, iam per suam præscientiam præparasse intelligatur, quómodo illo vteretur &c malo. *Pessimos ergo Tertull. dixit spiritus substantiâ, latè loquendo, non strictè. Vel in quantum substantia in Scriptura sumitur pro bonis, & donis, & beneficiis, sicut dicitur:* Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, &c. *Pessimi item dicuntur. Si enim bonum est diffusiuum, optimumque diffusissimum; cum miserrimi sint, pauperrimique nihilque habeant quod effundant, pessimi propriè substantiâ dicti sunt. Quod patet ex sequentibus Tertulliani verbis:* Si beneficium aliquod operantur, si perditi conseruant, &c. IN CONSCIENTIA. *quod scitis* MORTVI. *Iam respicit homines mortuos transcriptos in Deos.* SALVA PRÆSTANT. *id est custodiunt, & conseruant.* MATERIÆ, *ex quibus Idola facta sunt.* CÆSAREMIRATVM. *quando furore bellico cum vrbibus hostium, templa & idola subuertit.* AD CAVSAM. *Vt scilicet probem imperatorem meliorem esse diis, cum & ipsi nunc iratum, dum destruit, nunc propitium imperatorem experiantur, ex liberalitate & priuilegiis in templa & Sacerdotes collatis.* COMMITTIMVS. *Crimen læsa maiestatis.* REBVS SVIS. *Idolis ex materia, & ab artificibus, & ex iussu ipsorum Imperatorum factis.* DE OFFICIO. *Sacrificio ridiculo & vano, oblato pro salute ipsorum.* MANIBVS PLVMBATIS. *Immobilibus, nihil operantibus, nec brachio, nisi plumbo aut alio camento cohærentibus.* VOS RELIGIOSI. *Ironicè.* PRÆTERITO EO. *Desero Deo vero.* EOS DEBELLATIS. *Christianos persequimini, qui per fidem veram sciunt salutem Imperatoris ab vno vero Deo petendam, & possunt eiusdem fidei & gratia merito, eam impetrare ab eo qui promisit:* Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: *Et rursum:* Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. *Vnde Aug. breuiter & dulcè:* Fides impetrat, quod lex imperat. *Qua lex? naturalis, qua præcipit orare pro principibus: diuina, exemplo Dauidis:* Domine saluum fac Regem. *Lex item gratiæ, Paulo iubente* 1 Tim. 2. 1. Obsecro primùm omnium fieri, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt. Vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram saluatore nostro Deo. *Ecce qui propriè orandus est pro salute Imperatorum,* Per quem Reges regnant, Rex Regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem. *Nec tantum obsecrat Paulus, sed & vult absolutè, & vbique, manus innocentes fidelium leuari pro iis ad Deum. Subiicit enim versu* 8. Volo ergo viros orare in omni loco, *Non iam in vno aut altero deorum templo* Leuantes puras manus. *Tandem Romanum regnum à solo vero Deo regi, & conseruari, à quo omnia dantur regna, probat Aug. lib. 5. de Ciuit. cap.* 21. Non tribuamus dandi regni atque Imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat fœlicitatem in regno cœlorum solis piis, regnum verò terrenum, & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet, &c. Ille igitur vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deserit genus humanum, quando voluit, & quantum voluit Romanis regnum dedit: qui dedit Assyriis, vel etiam Persis, à quibus solos duos Deos toli, vnum bonum, alterum malum, continent literæ istorum: vt taceam de populo Hebræo, &c. Qui præter vnum Deum non coluit, & quando regnauit. *Id est, & cum magis regnum Iudeum floruit, tum vnicum Deum coluit.* Qui ergo Persis dedit segetes, sine cultu Deæ Segetiæ; qui alia dona terrarum, sine cultu tot deorum, quos isti rebus singulis singulos, vel etiam rebus singulis plures præposuerunt: ipse etiam re-

Augustin. — S. Augustin. — S. Augustin. — S. Augustin.

gnum dedit sine cultu eorum, per quorum cultum A se isti regnasse crediderunt. Sic etiam hominibus, *Quemadmodum populis, sic singulis principatum dedit* Qui Mario, ipse Caio Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suauissimis imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo. Et ne per singulares ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano, &c. Hæc planè Deus vnus & verus regit & gubernat, vt placet, & si occultis causis, numquid iniustis?

18. *Dei vita & sensu carentes Christiani ladere non possunt, nec proinde plectendi sunt; sed ipsi gentiles contemptores & mercatores Deorum. Apol. cap. 12. in f. & 13. in p. ad circa fin.*

SI statuas & imagines frigidas mortuorum suorum simillimas non adoramus, quas mures & araneæ intelligunt, nonne laudem magis, quam poenam merebatur repudium agniti erroris? possumus enim videri lædere eos, quos certi sumus omnino non esse? quod non est, nihil ab vllo patitur, quia non est. Sed nobis dij sunt, inquis. Et quo-
CAP. XIII modo vos è contrario impij, & sacrilegi, & irreligiosi erga Deos vestros deprehendimini? qui quos præsumitis esse, negligitis; quos timetis, destruitis; quos etiam vindicatis, illuditis. Recognoscite si mentior. Primò, quia cum alij alios colitis, vtique quos non colitis, offenditis. prælatio alterius, sine alterius contumelia non potest procedere, quia nec electio sine reprobatione. jam ergo contemnitis, quos reprobatis, quos reprobando offendere non timetis. nam vt supra perstrinximus, status Dei cuiusque in senatus æstimatione pendebat. Deus non erat, quem homo consultus noluisset, & nolendo damnasset. Domesticos Deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis, pigneratio, venditando, demutando, aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerua, vt quisque contritus atque contusus est dum diu colitur, vt quisque Deum sanctiorem expertus est domesticam necessitatem. Publicos æquè publico iure feratis, quos in hastario vectigales habetis. sic capitolium, sic olitorium forum petitur. sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris diuinitas addicta conducitur. Sedenim agri tributo obusti, viliores: hominum capita stipendio censa, ignobiliora. nam hæ sunt notæ captiuitatis. dij verò, qui magis tributarij, magis sancti. immo qui magis sancti, magis tributarij. majestas quæstuaria efficitur; circuit cauponas religio mendicans. exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri. non licet Deos nosse gratis: venales sunt. Quid omnino ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis? ædes proinde, aras proinde. idem habitus, & insignia in statuis. vt ætas, vt ars, vt negotium mortui fuit, ita Deus est. quo differt ab epulo Iouis, silicernium? à simpulo, obba? ab aruspice, pollinctor? nam & aruspex mortuis apparet. Sed dignè imperatoribus defunctis honorem diuinitatis dicatis, quibus & viuentibus eum addicitis. accepto ferent dij vestri, immo gratulabuntur, quod pares eis fiant Domini sui.

DII GENTILIVM. XVIII. SCHOLIA.

SI STATVAS. *Primam hanc partem expositam vide supra num. 6.* SED NOBIS. *Inducit Gentilem respondentem sibi, quidquid dicatis vos Christiani, Deos istos nos Gentiles credimus, & colimus.* ET QVOMODO, *&c. Subsumit Tertullianus, & retorquet: si dij sunt in æstimatione vestra, tanto magis impij & sacrilegi estis, vtpote qui contemnatis, & destruatis, & illudatis eis ipsos quos Deos esse dicitis.* QVOS VINDICATIS. *Quos vestros esse tutelares dicitis.* Vindicare *enim in iure* Est, vel dominium rei, vel ius quod quis habet in re, sibi asserere. ALIOS COLITIS. *Cum pro libito, vestrum aliqui Deos aliquos colant, aliis despectis, sine eorum offensione, hæc electio & prælatio fieri non potest.* PRÆSTRVXIMVS. *Diximus supra.* STATVS. *Dei cuiusque cultus pendebat ab authoritate Senatus, qui ex hominibus compositus, de diis censendis, vel respuendis decernebat.* QVOS LARES. *August. lib. 9. de Ciuit. c. 11. vbi loquitur ex*
S. August. *sententia Platonis, & aliorum Platonicorum.* Dicit quidem & animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt, Lemures seu Laruas, si mali. Manes autem Deos dici, cum incertum est bonorum eos, seu malorum esse meritorum. In qua opinione quantam voraginem aperiant sectandis perditis moribus, quis non videat, si vel paululum attendat? quandoquidem, quamlibet nequam fuerint homines, vel Larvas se fieri dum opinantur, vel dum Manes Deos, tantò peiores fiunt, quantò sunt nocendi cupidiores; vt etiam quibusdam sacrificiis tanquam diuinis honoribus, post mortem se inuitari opinentur vt noceant. IN CACABVLVM, *&c. Diis vestris abutimini, de eorum idolis, vt vilibus quibusque domestica supellectilis vasis instrumentisque disponentes, vt non tantum pigneri detis, vendatis, commutetis miseros Deos vestros, sed, quod irreligiosissimum est, deorum antiquissimum Saturnum in vas sordidissimum, receptaculum excrementorum extremorum vel parum cacabum conflatis. vt sapientissimam Minernam in vas poterium.* VT QVISQVE CONTRITVS. *Prout quodque idolum vetus, ex cultus diuturnitate, frequenti lapsu & pulsu, attritus fuerit, si domestica necessitas vrgeat, tum vel ad ruinam domus sarciendam, tum ad filiam collocandam, Deus impenditur, & necessitati, vt sanctiori Numini seruit.* PVBLICOS AQVE. *Nec minor irreuerentia vestra erga Deos publicos inuenitur; cum enim in templis seruari summa reuerentia deberent eos:* IN HASTARIO. *Id est loco, vbi voce præconis proscriptorum bona subhastantur, & venduntur, expositis eis.* VECTIGALES. *Id est quos ab hostibus spoliatis captiuos abduxistis. Et ij quidem publici erant, qui ad fiscum pertinentes publicè vendebantur. In iure, vectigalis pecunia est, quæ ex vsura reditibus prouenit. Vectigalibus agri*

qui ex hoſte captus ſubiiciebatur. Alij ſtelegunt. Quot A in haſtario vectigales habetis? *Vt ſic diſtinguant tres deorum differentias: vt ſint domeſtici, publici, vectigales.* SIC CAPITOLIVM, *&c. Sic nullum ponitis diſcrimen inter forum olerum & Capitolium deorum, cum promiſcuè vendantur cum oleribus Numina.* SVB EADEM HASTA. *Indiſcriminatim res prophanæ, cum idolis venduntur. Haſta enim expoſita in foro, ſignificabat ibi res venales.* ANNOTATIONE QVÆSTORIS. *Vox iuris, aliquando ſignificans reſcriptum principis, propria eius manu ſubſcriptum; aliquando autem breuem & priuatam ſcripturam ſine teſtibus factam. L. 5. & l. 7. C. de probat. L. vltima C. de Cenſuen. fiſci debitor. Hic Tertull. ſumit pro notis Quæſtoris fiſci, qui Deos publicos vectigales locabat,* B *& in tabulis notabat, vt ſuo tempore ſummam conſtitutam paſtamue fiſco quæreret, idolumque tempore finito reciperet, rurſus locandum.* SED ENIM AGRI. *Vnum porrò diſcrimen aduerto inter agros hominesque tributarios, quique per ſingula capita cenſum annuum, & ſtipendium ſolunt, & Deos vectigales: quod viliores ſunt agri & homines tributarij, dij verò chariores & ſanctiores æſtimantur, ex quorum locatione plus quæſtus fiſco congeritur ex maieſtate diuina, quæſtui expoſita.* RELIGIO MENDICANS. *Carpit Sacerdotes per ſingulos vicos & tabernas mendicantes, exigentesque mercedem pro introitu templi, vt non liceat gratis panimentum eius attingere, nec dij ipſi abſque pretio colantur.* QVID OMNINO. *Sic Deos veſtros contemnitis, vt ſimuli prorſus modo eos colatis, vt colitis mortuos; adibus ſilicem,* C *& Aris extructis, iiſdem habitibus & inſignibus, & ſicut atas eſt in mortuo, ſic repræſentatur atas in Idolo. Preterea epulum quod Ioui iam grandi extruitis, non differt à Silicernio. quod exhibetur mortuis ſenibus; & vt Simpulum ex Varrone à ſumendo dictum, continens vinum quod in ſacrificiis diis libabatur, non differt ab Obba, id eſt ex eodem Varrone, dolio ſine apotheca Triclinari, in quo vaſe ventricoſo, Sacrum ſibat diis manibus; fortè dicta quòd in honorem defunctorum compotatio fieret in Obba, per urbem: hinc Virgilius ſimul iungit libationem Ioui, & Anchiſi Patri Æneæ mortuo factam:* Nunc pateras libate Ioui, precibuſque vocate Anchiſem genitorem, & via reponite menſis. *Sic denique nullum diſcrimen eſt inter Pollinctorem,* D *qui curat cadauera & funera defunctorum, & Aruſpicem, qui eadem præſtat in rebus diuinis, quæ Pollinctor in rebus humanis. Vt enim Aruſpex inſpicit hoſtias, & animalia mortua Aris impoſita,* Apparens, *Id eſt aſſiſtens & miniſtrans diis, ſic Pollinctor hominum cadueribus lauandis, ungendis, &c. Melius ni fallor per mortuos intelligit idola inſenſibilia, vel mortuorum in Deos tranſcriptorum imagines.* DIONE IMPERATORIBVS. *Ironicè.* VIVENTIBVS. *Viui enim imperatores frequenter & dicti, & ſcripti ſunt dum viuerent* Diui. ACCEPTO FERRENT. *Sibi imputabunt collatum honorem dij veſtri, gratulabuntur etiam vobis, quòd in nomine & honore diuino colatis Imperatores, qui deorum Domini ſunt. eorum iuſſis, & nutu, & auro, & templis, & Statuis ſu[illegible] dij, proindéque prorſus Deorum Domini ſunt. Magnam verò gratiam habebunt vobis dij veſtri, quòd, cum ſerui ſint Imperatorum & omnino ab eis dependentes, eo uſque extollantur, quòd ad eorum nomen & honorem Imperatores deiiciatis, & ſic ſeruos Dominis adæquetis. Claudamus hanc de diis Gentilium materiam præclaro Auguſtini loco lib. 4. de Ciuit. c. 30. vbi vtitur ipſo Ciceronis, ſacra & Idola Gentilium irridentis, teſtimonio.* S Auguſt. Cicero Augur, *Vt ipſemet teſtatur 2. de legibus* Irridet auguria, & reprehendit homines, eorum, & corniculæ vocibus vitæ conſilia moderantes. Sed iſte Academicus, qui omnia eſſe contendit incerta, indignus eſt, qui habeat vllam in his rebus authoritatem. Diſputat apud eum Q. Lucilius Balbus in 2. de Deorum Nat. lib. & cum ipſe ſuperſtitiones, ex natura rerum velut Phyſicas & Philoſophicas inferat, indignatur tamen inſtitutioni ſimulacrorum, & opinionibus fabuloſis, ita loquens: videtiſne, vt à Phyſicis rebus, benè atque vtiliter inuentis ratio ſit tracta ad commentitios & fictos Deos? Quæ res genuit falſas opiniones, erroreſque turbulentos, & ſuperſtitiones penè aniles. Et formæ enim nobis deorum & ætates, & veſtitus, ornatuſque noti ſunt: genera præterea, coniugia, cognationes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ: nam & perturbatis animis inducuntur. Accepimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias. Nec verò, vt fabulæ ferunt, dij bellis prœliiſque caruerunt. Nec ſolum vt apud Homerum, cum duos exercitus contrarios, alij dij ex alia parte defenderent, *His pro Græcis, illis pro Troianis certantibus, vt habet Homer. Iliad. 20. & Athan. orat. cont. Gentes.* Sed etiam, vt cum Titanis, aut cum gygantibus ſua propria bella geſſerunt. *Legendus Heſiod. in Theogon. & Greg. Naz. orat. 1. in Iulian.* Hæc & dicuntur & creduntur ſtultiſſimè, & plena ſunt vanitatis, ſummæque leuitatis. Ecce interim quæ confitentur qui defendunt Deos Gentium, &c. Hæc vtique cum tanquam ſuperſtitioſa culpantur, implicat iſta culpa Maiores, talium ſimulacrorum inſtitutores atque cultores: implicat & ipſum, qui quantolibet eloquio ſe in libertatem nitatur euoluere, neceſſe habebat iſta venerari. Nec quod in hac diſputatione diſertus inſonat, mutire auditet in populi concione. *Tum piè ſapienterque concludit:* Agamus itaque, Chriſtiani, Domino Deo noſtro gratias, non cœlo & terræ, ſicut iſte diſputat, ſed ei qui fecit cœlum & terram: qui has ſuperſtitiones, quas iſte Balbus, velut balbutiens vix reprehendit, per altiſſimam Chriſti humilitatem, per Apoſtolorum prædicationem, per fidem Martyrum pro veritate morientium, & cum veritate viuentium, non ſolum in corporibus religioſis, verùm etiam in ædibus ſuperſtitioſis, libera ſuorum ſeruitute ſubuertit.

DISCIPVLI CHRISTI.

Diſcipuli Septuaginta in totidem palmis figurati. 4. cent. Mart. cap. 24. in p.

a *Adlegit & alios ſeptuaginta Apoſtolos* Super duodecim. Quo enim duodecim? ſecundùm totidem fontes in Elim; ſi non & ſeptuaginta, ſecundùm totidem arbuſta palmarum? a Luc. 10. 1. Num. 33. 9.

DISCIPVLI CHRISTI. SCHOLIA.

ALLEGIT. *Luc. 10. 1.* Designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, &c. APOSTOLOS. *Aduerte, præter duodecim, propriè Apostolos dictos, Tertullianum Septuaginta duos discipulos, etiam Apostolos nominare: quòd, cùm Apostolus significet* Missum *Christus Luc. 10. 1. post eorum designationem,* Misit eos ante faciem suam in omnem locum & ciuitatem quò erat ipse venturus. QVÒ DVODECIM? *Vt quid autem duodecim elegit Apostolos, & 70. Discipulos? nisi vt se probaret Christus esse Filium* Dei *Creatoris, qui figuras veteris Testamenti implebat? vt sicut Exo. 15. 27.* Venerunt in Elim filij Israël, vbi erant duodecim fontes aquarum, & 70. Palmæ. & Castrametati sunt iuxta aquas. *Quod repetitur Num. 33. 9. sic per Apostolos, plebem suam irrigaret, & potaret aquis sapientiæ salutaris, & victorias reportaret. Septuaginta porrò, pro, 72 Posuit. Tacianus enim in Harmonia Euang. Ammon. in Concord. Euang. Epiph. in Panar. lib. 1. c. vlt. 72. ponunt. Hiero. licet ad Fabiolam 70. tantùm numeret, tamen in Can. Euang.*
S. August. *Luc. 10. 72. fuisse testatur. Et noster Aug. lib. 2. qq. Euang. q. 14. de 72 discipulis,* Sicut viginti quatuor horis totus orbis peragitur, atque à Sole lustratur; ita mysterium illustrati orbis per Euangelium Trinitatis, in septuaginta duobus discipulis intimatur. Viginti quatuor enim ter, in septuaginta duobus ponimus. Quòd autem binos mittit, Sacramentum est charitatis. Siue quia duo sunt charitatis præcepta, siue quia omnis charitas, minus quàm inter duos esse non potest. *Quòd autem apud aliquos Authores, vt hic apud Tertullianum septuaginta tantum recenseantur, id accidit, sicut ad breuitatem dicimus septuaginta Interpretes, qui procul dubio 72. fuerunt, sex ex singulis duodecim tribubus. Sic olim Romæ Collegium Centumuirûm dicebatur, licet centum quinque essent; tres nimirum ex singulis triginta quinque tribubus. Hunc etiam numerum 72. discipulorum elegit Christus iuxta eundem numerum seniorum electorum à Moyse iussu Dei, vt habetur Exodi 24.* Ascende ad Dominum, tu & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta senes ex Israël. *Et versu 9.* Ascenderunt Moyses & Aaron, Nadab & Abiu & septuaginta de senibus Israël. *Hos adiutores dedit Deus Moysi conquerenti se non posse sufficere tantæ multitudini, Num. 11. 16.* Congrega mihi septuaginta viros de Senibus Israël, quos tu nosti quod Seniores populi sint, & Magistri; & duces eos ad Ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi. *Quem numerum repetit versu 24. & 25. Sic apud Iudeos Concilium Synedrim 72. constabat. Augustinus* Augustin. *porrò, hunc numerum dilatat. De consensu Euang. cap. 17. ex Luc. 6.* Stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius &c. Non vtique diceret turbam discipulorum homines duodecim. Aliis quoque scripturarum locis hoc euidenter apparet, discipulos eius omnes appellatos, qui ab eo discerent, quod ad æternam vitam pertinet. *Et ser. 48. de Verb. Do. in f.* Augustin. Si manserimus in verbo eius, vere discipuli eius sumus. Non enim soli illi duodecim, sed omnes qui manemus in Verbo eius verè discipuli eius sumus, & cognoscemus veritatem, & veritas liberabit nos.

DIVES, ET DIVITIÆ.

1. *Dives vix castus & fidelis. 2. ad Vxo. cap. 3. in m.*

DIfficile in domo Dei, dives, ac, si quis est, difficilè cœlebs,

DIVES, ET DIVITIÆ. 1. SCHOLIA.

DIFFICILE. *Matth. 19. 23.* Amen dico vobis quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum. *Sine regnum accipiatur pro gloria cœli, siue pro fide, per quam peruenitur ad regnum vt hîc sumit Tertullianus. Et quidem quomodo credit auarus dives, cum ex Paulo auaritia sit idolorum seruitus & simula-*
S. August. *crorum: inde Aug. ser. 5. de Ver. Do. iuxta Paulum 1. Tim. 6. 10.* Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide. Sed qui? qui volunt diuites fieri. Aliud est esse diuitem; aliud, velle diuitem fieri. Dives est, qui à diuitibus natus est: non quia voluit, dives est, sed quia multi hæreditates dimiserunt. DIFFICILE CÆLEBS. *Quid ita? castitas & continentia, donum Dei est, quod cùm non omnes accipiant dicente Christo, Matth. 19. 11.* Non omnes capiunt Verbum istud, sed quibus datum est, &c. Et sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum; *Quo difficilè dives intrat; ideo & difficilè cœlebes fiunt diuites, vestium mollium, & epularum luxum, & corrumpendarum mulierum, vt Danaëm aurea pluuia corrupit Iupiter, facultatem ministrante diuitiarum abundantia. Vnde Aug. supra immediatè subiecit mirè consonantia verba Tertulliani menti.* Video facultates, non interrogo voluptates. *Quasi diceret, non opus esse longa inquisitione ad sciendum, si dives sit Castus an lubricus; non sunt interagandi testes criminis vbi ipsum crimen est manifestum: voluptates autem sunt testes diuitiarum; raro enim accidit vt in abundantia diuitiarum, non sit abundantia voluptatum. Testis pro omnibus dives epulo, qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et quomodo castitas cum luxu & gula permanebit?* Augustin.

2. *Diuites opibus ad peccatum abutentes, ab eodem Deo & Christo Creatoris maledicti, à quo & pauperes benedicti. 4. Cont. Marc. cap. 15. à p.*

Luc. 6. 24. SI Væ Creatoris est, quod in diuites spectat, ergo Christus non est diuitibus offensus, sed Creator; & ratas habet Christus diuitum causas, superbiam dico, & gloriam, & secu-
Luc. 6. 20. li studia, & Dei incuriam, per quæ Væ merentur à Creatore. Sed quomodo non eiusdem

sit diuites reprobare, qui suprà mendicos probarit? Nemo non contrarium eius quod probauerit, reprobat. Itaque si Creatori deputabitur maledictio in diuites, eiusdem defendetur benedictio in mendicos; & totum iam opus Christi, Creatoris est. Si Deo Marcionis adscribetur benedictio in mendicos, eiusdem imponetur & maledictio in diuites; & erit par iam Creatoris, tam bonus quàm & iudex; nec erit iam discrimini locus, quo duo Dei fiunt: sublatoque discrimine, supererit vnum Deum renuntiari Creatorem. Igitur Væ, si & vox maledictionis est, vel alicuius austerioris inclamationis, & à Christo dirigitur in diuites, debeo Creatorem diuitum quoque aspernatorem probare, sicut probaui mendicorum aduocatorem.

DIVES II. SCHOLIA.

VÆ CREATORIS. *Si, vt vult Marcion, solius est Dei Creatoris irasci, maledicere; imprecari, maximè diuitibus, si illud væ quod in diuites Euangelium iaculatur, dum ait Christus Luc 6. 24.* Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. *Vel vt habet Syr.* Quoniam recepistis consolationem vestram; *Hinc sequitur contra Marcionem, quod lex noua pertinet ad Creatorem, sicut & vetus. In vtrisque enim diuites arguuntur. Sequitur item si solus Creator in diuites inuehatur, quod Christus vt vinus aduersarius secundum Marcionem, approbet diuites, eorumque peccata ex abundantia & vsu peruerso diuitiarum nascentia; propter que merentur à Creatore maledici. Deinde patet, Christum eo ipso quod eodem capite Lucæ versu 20. Beatos dixit pauperes, maledictos eis contrarios dixisse diuites.* DEPVTABITVR. *Imputabitur.* DEFENDETVR. *Sustinebitur, concludetur.* TOTVM OPVS. *Quo scilicet benedixit & maledixit. Vnde conficitur, nullum superesse locum Marcioni, quo duos Deos astruat, nostrum, malum Creatorem, oportet vindicem & maledicentem: suum, tamummodo bonum. Aut enim vtrumque aqualiter opus maledicendi, & benedicendi conuenit eius Deo, & sic duo non erunt dij; & inuitus fatebitur Deum suum propter maledictu esse malum: Aut vtrumque nostro; vt sit & bonus & iustus, & proinde nullus erit Marcionis Deus.* DIVITVM CAVSAS. *Ob quas scilicet à Deo maledici merentur, superbiam, & vanam gloriam, Dei pauperumque eius iniuriam & contemptum, ex diuitiarum abundantia communiter venientem de superbia diuitum pauperes contemnentium, sic Aug. Ep. 120. ad Honoratum, vbi explicat versum Psalmi,* Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ: diuites terræ superbos intelligere debemus. Si rectè superiùs pauperes, humiles intelligebamus, de quibus in Euangelio Dominus dicit; B. pauperes spiritu, &c. Neque enim frustra ita distincti sunt, vt de pauperibus supra diceretur *Eodem Psalmo 21.* Edent pauperes & saturabuntur: hîc verò, manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ: & ipsi quippè adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius, sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quoniam non imitantur. Manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes: quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum vt sequamur vestigia eius. *Et in Psal. 48.* Manducauerunt & adorauerunt, &c. Adorant quidem Deum, sed humanitatem nolunt exhibere fraternam. *De superbia rursum Ser. 5. de Ver. Do. ex 1. Tim. 6.* Præcipe diuitibus huius mundi. Præcipe. Quid? præcipe ante omnia, non superbè sapere. Nihil est enim quod sic generent diuitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici: vermis diuitiarũ, superbia. Ergo præcipe diuitibus huius mundi non superbè sapere. Excluſit vitium, doceat vtum. Vnde autem non superbè sapere? de eo quod sequitur. Neque sperare in incerto diuitiarum. Qui non sperant, non superbè sapiunt. Si non altum sapiunt, timent; si timent, non altum sapiunt. Quàm multi heri diuites, hodie pauperes: quàm multi dormiunt diuites, & venientibus latronibus & cuncta auferentibus, euigilant pauperes. Ergo non sperare *Docet* In incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter, temporalia & æterna: sed magis ad fruendum æterna, ad vtendum temporalia. Temporalia tanquam viatoribus, æterna tanquam habitatoribus. Temporalia, vnde bona faciamus; æterna vnde boni efficiamur, &c. Ex eo autem quod habent, quid faciant? audi quid. Diuites sint in operibus bonis, facilè tribuant. Habent enim vnde. Quare non faciunt? pauperras difficultas est. Facilè tribuant, habent vnde. Communicent, *Quàm aptè; communicas corpori & sanguini Christi; audi Paulum, beneficentia & communionis nolite obliuisci; Audi & Aug. sic manduca vt edaces, sic accipe vt des.* Communicent, id est pares suos mortales agnoscant, &c. *Tum de pauperе pascendo,* Vtere precario, da pauperibus vilia. Expectat à te, expectas à Deo. Expectat ille manum quæ facta est secum: expectas tu manum quæ fecit te. Sed non solum te fecit, sed & pauperem tecum. Dedit vobis vnam viam, istam vitam. Inuenistis vos comites; vnam viam ambulatis. Ille nihil portat, tu nimium oneratus es. Illi nihil secum portat, tu interim plus portas quàm opus est. Oneratus es, da illi de eo quod habes: & illum pascis & onus minuis, &c. *Supra autem pulchrè dixerat ad comprimendam diuitum superbiam:* Excepta substantiâ facultatum, tales sunt qui petunt, quales sunt à quibus petunt. Quam frontem habes petendo ad Dominum tuum, qui non agnoscis parem tuum? Non sum, inquit, talis, absit à me vt talis sim, Inflatus, obsericatus ista loquitur de pannoso. Sed ego nudos interrogo. Non interrogo in vestibus quales sitis, sed quales nati fueritis. Ambo nudi, ambo infirmi, ambo miseram viram inchoantes, ideo ambo plorantes. Ecce recole diues primordia tua: vide vtrum huc aliquid attuleris. Iam venisti & tanta inuenisti: die rogo te, quid attulisti? dic quid attuleris; aut si dicere erubescis, Apostolum audi. 1 Tim. 6. nihil intulimus in hunc mundum, &c. Sed fortè quia nihil attulisti, & hîc multa inuenisti, aliquid hinc tecum ablaturus es? & hoc fortasse amore diuitiarum trepidas confiteri: audi & hoc, Apostolus dicat, qui te non palpat; nihil intulimus in hunc mundum, vtique quando nati sumus. Sed nec auferre aliquid possumus, vtique quando de mundo eximus. Nihil attulisti, nihil hinc auferes: quid ergo inflas contra pauperem?

S. Augustin.

S. Augustin.

3. Diuitis & Lazari vera hiſtoria. De An. cap. 7. in p.

QVantum ad Philoſophos, ſatis hæc, quia quantum ad noſtros ex abundanti; quibus corporalitas animæ in ipſo euangelio relucebit. Dolet apud inferos anima cuiuſdam, &
Luc.16.23 punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digito animæ felicioris implorat ſolatium ſoris. Imaginem exiſtimas exitum illum pauperis lætantis, & diuitis mœrentis? & quid illic Lazari nomen, ſi non in veritate res eſt? Sed etſi imago credenda eſt, teſtimonium erit veritatis.

4. Diuitis & Lazari hiſtoria, in Euangelio ſubſcripta morti Ioannis, prædixit Herodi ſimilem exitum. 4. cons. Marc. cap. 34. à med.

Luc.16.23 HOc mihi differuiſſe proficiet, etiam ſubſequens argumentum diuitis apud inferos dolentis, & pauperis in ſinu Abrahæ requieſcentis. Nam & illud, quantum ad ſcripturæ ſuperficiem, ſubitò propoſitum eſt, quantum ad intentionem ſenſus, & ipſum cohæret mentioni Ioannis male tractati, & ſugillatui Herodis male meritati, vtriuſque exitum deformans, Herodis tormenta, & Ioannis refrigeria; vt iam audiret Herodes, *Habent illic Moyſen & Prophetas, illos audiant.*
Ibid. 29.

DIVES. III. ET IV. SCHOLIA.

QVANTVM AD PHILOSOPHOS. *Sufficiunt hactenus dicta vt Philoſophos conuincamus, de Anima corporea & effigiata; Chriſtianis autem noſtris id rationibus probare ſuperfluum eſt, cum habeant in Euangelio id probatum, ex digito Lazari, ſinu Abrahæ, lingua oculiſque diuitis. De hoc errore Tertulliani ſuo loco diximus.* CVIVSDAM. *Diuitis Epulonis, quem Chriſtus non nominat, ſed ſimpliciter dicit:* Homo quidã erat diues, &c. *vel vt fama parentum parceret; vel iuxta Pſaltem in contemptum diuinum:* qui vocauerũt nomina in terris ſuis Nec memor ero nominum eorũ per labia mea. Deleantur de libro viuentiũ, & cum Iuſtis non ſcribantur. *Lazari autem nomen, probat non eſſe ſimplicem parabolam, ſed veram hiſtoriam, certè quotquot Patres præter vnum Chryſoſt. legi, veram hiſtoriam fuiſſe tenent Origenes, Cyrillus, Iren. Iuſtin. Iſid. Pelusiota, Ambr. Auguſt. Chryſol. Greg. hiſtoriam reputant, Sicut & hic Tertullianus.* ANIMÆ FELICIORIS, *Lazari, lætantis in ſinu Abrahæ.* IMAGINEM. *Parabolam?* EXITVM. *obitum.* ET SI IMAGO, *quamuis ſimplex eſſet parabola, ſufficeret tamen ad probandam animæ corporalitatem & effigiem; Dico ego, veram poſt hanc vitam bonorum & malorum operum mercedem, & gloriam ſuadendam. Aug. aperat hanc hiſtoriam diuitis pauperem contemnentis, ſui ſimilibus diuitibus, Ser. 19. de verb. Apoſt.* Diues, inquit, erat,
S. Auguſt. non dixit calumniator, non dixit pauperum oppreſſor, non dixit rerum alienarum raptor, aut delator, aut receptor; non dixit pupillorum ſpoliator, non dixit viduarum perſecutor, nihil horum: ſed erat quidam diues. quid magnum eſt? Diues erat, de ſuo diues erat. Cui aliquid tulerat? an fortè illi auferret, & Dominus de illo reticeret, & perſonam eius acciperet ſi crimina eius abſconderet, qui nobis dicit Io. 7. nolite perſonaliter iudicare? Si vis ergo audire crimen diuitis illius, noli ampliùs quærere, quam audis à veritate. Diues erat, induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Quod ergo eius crimen? Iacens ante ianuam eius vlcerosus, & non adiutus. *Niſi à Domino, ſecundum nomen eius, qui adiutor eſt in opportunitatibus in tribulatione; & ipſum Lazari nomen, quod ex Hiero. ſignificat Adiutum. tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor:* hoc enim apertè
S. Auguſt. de illo dictum eſt, quod immiſericors erat Propter hanc ſolam inhumanitatem quâ contemnebat pauperem ante ianuam ſuam iacentem, nec congruè A dignèque paſcebat, mortuus & ſepultus eſt. Et cùm apud inferos in tormentis eſſet, leuauit oculos ſuos, & vidit pauperem in ſinu Abrahæ. *Quis & mortuus patebat pauperi, ſicut viuus pauperes excipiebat.* Et quid pluribus immorer? deſiderauit guttam, qui non dedit micam, &c. Si hæc ergo pœna Auguſt.
eſt auarorum, quæ pœna raptorum? Sed aut mihi raptor rerum alienarum; ego ſimilis illius diuitis non ſum. Agapes facio, *conuiuia dilectionis pauperibus exhibeo* vinctis in carcere victum mitto, nudos veſtio, peregrinos ſuſcipio. dare te putas? tollere noli, & dediſti. Cui dederis, gaudet; cui abſtuleris, plorat: quem duorum iſtorum exauditurus eſt Dominus? dicis ei cui dederis; gratias age, quia accepiſti: ſed alter tibi ex alia parte dicit; Ego gemo; cui abſtuliſti, & penè totum tenuiſti, & exiguum illi dediſti, &c. dicit tibi Deus; ſtulte, iuſſi vt B dares, ſed non de alieno. Si habes, da de tuo: ſi non habes quod des de tuo, meliùs nulli dabis quàm alteros ſpoliabis, &c. Intellige ergo ſtulte, qui vis Eleemoſynam facere de rapina, quoniam ſi quando paſcis Chriſtianum, paſcis Chriſtum; quando ſpolias Chriſtianum, ſpolias Chriſtum. Attendite quid ſiniſtris dicturus eſt: Ite in ignem æternum. quare? Eſurui enim, &c. Nudus fui, &c. Ite, quòd in ignem æternum. prorſus ite. Quare? nudus fui, &c. Si ergo in ignem æternum ibit, cui dicturus eſt Chriſtus, nudus fui, &c. quem locum in igne æterno habebit, cui dicturus eſt, veſtitus fui, & ſpoliaſti me?

4. PROFICIET. *Ad cauſam meam faciet, quâ probo contra Marcionem, Chriſtum eſſe legis veteris defenſorem, qua adulteria prohibebat, nec volebat vxoris adhuc fratris, habentiſque filiam, duci vxorem; quam legem Præcurſor Chriſti tuebatur, Herodi dicens;* C non licet tibi, *lege tantùm permittente defuncto fratre ſine liberis ſemen ex eius vidua ſuſcitari.* Non licet tibi habere vxorem fratris tui. *Vnde Chriſtus ſtatim ſubiecit hiſtoriam diuitis & Lazari; quod valde notandum; cum enim immediatè dixiſſet prius Luc 16. 16.* Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit, &c. omnis qui dimittit vxorem ſuam & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. *Nulla intermedio, de diuite, & Lazaro texit hiſtoriam:* Homo quidam erat diues, &c. *Tertull. autem innuit Ioannem in Lazaro, Herodem in diuite figuratum. Hos*

autem argumento vult conuinci, *Christum tueri partes Creatoris boni simul & iusti, gaudia Lazaro, pœnas diuiti rependentis; Christum item, Moysem & Prophetas approbare, dum inducit Abraham in loco refrigerij respondentem diuiti, pro fratribus rogenti:* Habent Moysem & Prophetas, audiant illos. NAM ET ILLVD, &c. *Sine, inquis, literam primo aspectu claram aduertas, siue sensum, & scopum Christi, vtrumque pulchrè connectitur mentioni factæ à nobis paulò suprà de Ioanne carcerato & decollato, & Herode, propter meritum suum malum, à Ioanne reprehenso.* VTRIVSQVE EXITVM. *Mortem Ioannis, & Herodis.* DEFORMANS. *Pingens, delineans, in diuite, & Lazaro.* IAM AVDIRET. *Iam tum Herodes in terris, quod diues ab Abraham, in inferis; scilicet quod supra dixi.* Habent Moysem & Prophetas. *De diuite dolente apud inferos, & pauperem lætante, rursum Aug. ser. 212. de temp.* Huius vitæ falsitate deceptus ille in purpura & byssо, jacentem vlcerosum pauperem ante suam ianuam contemnebat; sed ille linctus à canibus, thesaurum sibi æternum in Abrahæ gremio comparabat, & si non abundanti facultate, pia tamen & opima voluntate. Ille autem diues, qui sibi magnus videbatur in purpura & byssо, mortuus & sepultus est. Et quid inuenit? æternam sitim, indeficientes flammas. Successit ignis purpuræ & byssо; eâ tunicâ ardebat, quâ se expoliare non poterat. Pro epulis, ariditas; & desiderium guttæ de digito pauperis, sicut illi micarum de mensa diuitis. Sed illius egestas præteriens, huius pœna permanens. *Et ser. 229. de tem.* Sicut aqua extinguit ignem, sic Eleemosyna extinguit peccatum. Si ergo aperueris pauperibus manus tuas, Christus tibi aperiet ianuas suas, vt paradisi possessor introeas, &c. Diuitis purpurati fuge, frater, exemplum, cuius canes pauper Lazarus suis vulneribus pauit, & micas cadentes de mensa diuitis non accepit. Sed post non longum temporis interuallum mutatæ sunt vices. Pauper beatitudinem emit mendicitate, & diues supplicium facultate. Ille in Abrahæ gremio ab Angelis eleuatur, diues verò ad inferni profunda perducitur, de quo loco vidit diues pauperem, imo iam pauper diuitem, &c. Sunt & hîc diuites, ad quos nunc loquimur. Vnius sunt nominis, caueant ne sint vnius conditionis, &c. Totum diuitis corpus flammis Gehennæ consumitur, & sola lingua amplius cruciatur. *Hoc dixerat Tertull. Num. 3. punitur in flamma, & cruciatur in lingua.* Ideo sine dubio in lingua maiorem sentit ardorem, quia per eam superbè loquendo contempserat pauperem. Ipsa enim lingua quæ noluerat dicere, vt Eleemosyna pauperi donaretur, grauius gehennæ flammis exuritur, &c. *Post multa autem lamenta, sic inducit loquentem:* Sæuit in me ignis, & parcit; cruciat, & reseruat: nec totum est quod punit, cui sæuum est quod ignoscit.

A Augustin. B S. Augustin. S. Augustin.

5. Diuitiæ sunt mammona iniquitatis, ex quo amici pauperes comparandi sunt. 4. Cent. Marc. c. 35. in 2. V. infra. V. Dominus. 3.

6. Diuitiæ dantur à Deo in bonum vsum; sed facta aduocatæ peccatorum omnibus causis, absque misericordia pauperum, diuites reprobant in iudicio. 4. Cent. Marc. cap. 15. circa m.

IGitur Væ, si & vox maledictionis est, vel alicuius austerioris inclamationis, & à Christo dirigitur in diuites, debeo Creatorem diuitum quoque aspernatorem probare, sicut probaui mendicorum aduocatorem: vt Christum in hac quoque sententia Creatoris ostendam, locupletantis quidem Salomonem. Sed quia permissâ sibi optione, maluit ea postulare, quæ sciebat Deo grata, sapientiam; & meruerat etiam diuitias consequi, quas non magis voluit: quamquam & diuitias præstare, non incongruens Deo sit; per quas & diuites solatio iuuantur, & multa inde opera iustitiæ & dilectionis administrantur. Sed accidentia vitia diuitiis, illa in Euangelio quoque, Væ diuitibus, adscribunt: [a] *Quoniam*, inquit, *Recepistis aduocationem vestram.* Vtique ex diuitiis, de gloria earum, & secularibus fructibus. Itaque in Deuteronomio Moyses, [b] *Ne*, inquit, *Cùm manducaueris, & repletus fueris, & domos magnas ædificaueris, pecoribus & bubus tuis multificatis, & pecunia & auro, exaltetur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui.* Quemadmodum & Ezechiam regem thesauris inflatum, & de eis potius quàm de Deo gloriatum apud illos qui ex Perside aduenerant, insilit per Isaïam, [c] *Ecce dies veniunt, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt; & quæ patres tui congesserunt, in Babylonem transferentur.* Sic & per Hieremiam quoque edicit, [d] *Ne glorietur diues in diuitiis suis; & qui gloriatur, scilicet in Deo glorietur.* Sic & in filias Sionis inuehitur per Esaïam, cultu & diuitiarum abundantia inflatas; comminabundus & alibi nobilibus & superbis: [e] *Dilatauit orcus animam suam, & aperuit os suum, & descendent inclyti & magni & diuites* (Hoc erit Christi Væ, super diuites) *Et humiliabitur homo;* Vtique exaltatus diuitiis. *Et inhonorabitur vir;* Vtique ob substantiam honorabilis. De quibus & rursus, [f] *Ecce Dominus virtutum conturbabit glorioſos cum valentia, & elati comminuentur, & ruent gladio sublimes.* Qui magis quàm diuites? Quia [g] *Receperunt scilicet aduocationem suam*, Gloriam & honorem, sublimitatem ex diuitiis. A quibus auertens nos & in psalmo quadragesimo octauo, [h] *Ne timueris*, inquit, *Quum dites factus fuerit homo, & quum abundabit gloria eius; quoniam quum morietur, non tollet omnia, nec descendet cum illo gloria sua.* Item in sexagesimo primo, [i] *Ne desideraueritis diuitias; & si relucent, ne adsecerit cor.* Idipsum postremò verbum Væ, olim per Amos in diuites affluentes delitiis destinatur: [k] *Væ*, inquit, *Qui dormiunt in lectis eburneis, & delitiis fluunt in thoris suis; qui edunt hædos de gregibus caprarum, & vitulos de gregibus boum lactentes, complaudentes ad sonum organorum, tanquam perseuerantia deputauerunt, & non tanquam fugientia: qui bibunt vinum ex quassis, & vngentis primitiis vnguntur.* Igitur & si tantummodo deberantem à di-

1. Reg. 3. 13.
a Luc. 6. 24.
b Deut. 8. 12. & seq.
c Esa. 39. 6.
d Hier. 9. 23.
Esa. 3. 16. & seq.
e Esa. 5. 14. Luc. 6. 24.
f Esa. 10. 33.
g Luc. 6. 24.
h Psal. 48. 17.
i Psal. 61. 11.
k Amos. 6. 1. 4. & seq.

uitiis oſtenderem Creatorem, non etiam prædamnantem diuites etiam verbo ipſo quo & Chriſtus, nemo dubitaret ab eodem adjectam in diuites comminationem per Væ Chriſti, à quo ipſarum materiarum, id eſt, diuitiarum dehortatio præcucurriſſet. comminatio enim, dehortationis acceſſio eſt.

DIVES. ET DIVITIÆ. VI. SCHOLIA.

DICITVR, *vt fulminis iaculum vibraturin diuites.* DEBEO CREATOREM, *&c. vt probem Coriſtum Dei Creatoris eſſe filium, diuitibus imprecantem, & pauperes benedicentem, debeo quoque probare Creatorem eius Patrem, pauperum & mendicorum Patronum & protectorem, qui eos eligat, diligat, ad ſe vocet; ſicut aſpernatur & reprobat diuites. Licet enim ditauerit Salomonem, nec diuitiæ ex natura ſua malæ ſint, & à Deo præſtentur hominibus, ad ſolatium bonorum diuitum, & opera miſericordiæ erga pauperes, & juſtitiæ quoque exercenda, dentur; tamen propter vitia, quæ vt plurimum ex diuitiarum malo vſu proceduut, væ & maledictionem tam in lege veteri, quàm in noua, diuitibus accerſunt. Quod ditauerit Salomonem patet ex 3. Reg. 3. 11 & ſeq.* Dixit Dominus Salomoni: quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum ludicium; Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi: diuitias ſcilicet & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in regibus, cunctis retro diebus. *Diuitias ex ſe malas non eſſe, diſertè probat. Aug. Ser. 115. de diuerſis, qui eſt tertius in feſto S. Cypriani cap. 9.* Ipſum laudabit Scriptura; Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit. Eccli. 31. 10. Qui poſt aurum non abiit. Poſt te debet ire aurum, non tu poſt aurum. Nam bonum eſt aurum. Non enim aliquid mali creauit Deus. Tu noli eſſe malus, & bonum eſt aurum Ecce pone aurum inter bonum hominem & malum. Tollat malus; inopes opprimuntur, iudices corrumpuntur, leges peruertuntur, res humanæ peruertuntur. Quare? quia aurum tulit malus. Tollat bonus, pauperes paſcuntur, nudi veſtiuntur, oppreſſi liberantur, captiui redimuntur. Quanta bona de auro quod habet bonus! quàta mala de auro quod habet malus! Vt quid ergo dicitis aliquando ſtomachati; ô ſi non eſſet ipſum aurum! Tu noli amare aurum. Si malus es, is poſt aurum: ſi bonus es, it poſt te? Quid eſt, it poſt te? Tu ducis, non duceris: quia poſſides, non poſſideris. Ergo redeamus ad verba S. Scripturæ Qui poſt aurum non abiit. Qui potuit tranſgredi, &c. Quis eſt hic? &c. Quàm multi audiunt, Quis eſt hic? Et tamen abſit vt deſperem hîc eſſe aliquem, imò non aliquem, ſed aliquos. Abſit vt de area tanti Patrisfamilias deſperem. Qui longè aream videt, ſolam paleam putat. Inuenit grana qui nouit inſpicere. Vbi te offendit palea, ibi latet granorum maſſa Vbi te offendit quod triturando contunditur; ibi eſt quod triturâ purgatur. Ibi eſt, certus eſto, ibi eſt Poſtremò ille certus eſt qui ſeminauit, qui meſſuit, qui ad aream congregauit. Nouit ibi eſſe vnde horreum repleatur, quando fuerit ventilatum. Modica qualicumque ventilatio fuit tempore perſecutionis: quæ inde grana proceſſerunt? inde floruit Vticenſis maſſa candida: inde tam magnum & electum granum, hic beatiſſimus Cyprianus. Quàm multi diuites tunc contempſerunt quod habuerũt: quàm multi pauperes tunc in tẽtatione defecerunt! Ecce in tentatione illa, tanquam in ventilatione, diuitibus non obfuit habere aurum: Pauperibus quid profuit non habere aurum? Illi viterunt, illi defecerunt. Non faciunt bonos mores, niſi amotes boni. Tollatur horum de rebus humanis immò adſit aurum, vt probet res humanas. *Hinc ibid. ſapiens: qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt, erit illi gloria æterna, &c.* Antequam haberes, humilis eras: habere diuitias cœpiſti, & pauperes contempſiſti. Quale bonum eſt, vnde peior factus eſt? Peior factus es, quia malus eras, & quid te peiorem poſſet facere, neſciebas. Ideò hæc à me petebas: dedi, & probaui: inueniſti, & inuentus es: latebas quando non habebas. Corrigere, euome cupiditatem, bibe charitatem, &c. Sed dicis mihi, non eſt ergo bonum aurum. Immo bonum eſt aurum. Sed mala faciunt de bono auro mali: bona faciunt de bono auro boni. *Et Ep. 89. ad Hilarium, vbi reſpondet quæſtioni facte, an diuites poſſint ingredi regnum Dei:* Euaſerũt iſtorum diſputationes Patres noſtri Abraham, & Iſaac, & Iacob, qui tantò ante ex hac vita migrarunt. Habebant quippe hi omnes non paucas diuitias, ſicut fideliſſima Scriptura teſtatur, &c. Et quamuis ſuperbus diues, qui induebatur purpura, & byſſo, &c. mortuus apud inferos torqueretur: tamen ſi pauperis vlceroſi, qui ante ianuam eius contemptus iacebat, miſertus fuiſſet, mereretur & ipſe miſericordiam. Et, ſi pauperi illi meritum eſſet inopia, non juſtitia, non vtique ab Angelis in Abrahæ gremium, qui diues hîc fuerat, tolleretur. Sed vt nobis oſtenderetur, nec in iſto paupertatem per ſeipſam diuinitus honoratam, nec in illo diuitias fuiſſe damnatas: ſed in iſto pietatem, in illo impietatem ſuos exitus habuiſſe: ſic ſuſcepit impium diuitem cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem ſuſciperet ſinus diuitis. Qui ſanè cum hîc diues viueret, diuitias ſic habebat, & eas præ Dei præceptis tam parui pendebat, vt etiam cum ipſius filij immolatione nollet offendere Deum iubẽtem, quem ſuarum diuitiarum & ſperabat, & optabat hæredem. *Et Ep. 120. ad Honoratum, de gratiâ noui teſtamenti:* In noua Teſtamento nec defuit, nec deeſt bonorum fidelium multitudo, qui etiam iſta temporali felicitate præpolleant, & in ea largitoris Dei bonitatem miſericordiamque experiantur, tenentes tamen quod diſpenſator noui teſtamenti diuitibus huius ſæculi Apoſtolus præcepit. 1. Tim. 6. 17 non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundanter ad fruendum, vt benefaciant diuites, ſint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam, qualis in Chriſti non tantum ſpiritu, verum etiam in carne manifeſtata eſt cum reſurrexit à mortuis. *Expreſſius autem in rem Tertulliani, de operibus ſimul miſericordiæ & juſtitiæ, quæ exigit Deus à diuitibus, vt ex iis boni fiant diuites, ſic loquitur Ser. 5. de Verb. Dom.* Ipſæ diuitiæ bonæ ſunt, ſed iſta omnia bona quæ commemoraui à bonis & malis haberi poſſunt. Et cum bona ſint, bonos tamen facere non poſſunt. Eſt ergo bonum, quod faciat bonum: Et eſt bonum, vnde facias bonum. Bonum, quod facit bonum. Deus eſt. Non enim facit hominem bonum, niſi ille qui ſemper eſt bonus. Ergo vt ſis bonus, Deum inuoca. *id eſt, vt ipſe alibi explicat, in te voca.* Aliud autem bonum eſt, vnde facias bonum, id eſt, quid-

quid

quid habueris. Aurum eſt, argentum eſt; bonum eſt, non quod te faciat bonum, ſed vnde facias bonum. Habes aurum, habes argentum; & concupiſcis aurum, & concupiſcis argentum. Et habes, & concupiſcis: & plenus es, & ſitis: morbus eſt, & non opulentia. Sunt homines in morbo, humore pleni ſunt, & ſemper ſitiunt: humore pleni ſunt, & humorem ſitiunt. Quomodo ergo delectaris opulentiâ, qui habes hydropem concupiſcentiam? &c. Quod bonum, inquis, facturus ſum de auro? non audiſti Pſalmum? 111. Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Hoc eſt bonum, hoc eſt bonum, vnde ſis iuſtitiâ bonus. Si habes bonum vnde ſis bonus, fac bonum de bono, vnde non es bonus. Habes pecuniam, erega. Erogando pecuniam, auges iuſtitiam. Diſperſit enim, diſtribuit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Vide quid minuatur, & quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur iuſtitia. ADVOCATIONEM. *Vulgata, & Syr.* Recepiſtis conſolationem veſtram. *Et quidem diuitiæ in omnibus cauſis lucrandis patrocinantur, in mulieribus, iudicibus, ſeruis, caſtrorum finitimorum cuſtodibus, corrumpendis.* SÆCVLARIBVS. *Huius ſæculi bonis & deliciis, pompâ, &c. Quæ pecunia comparantur.* BVBVS MVLTIPLICATIS. *Bobus multiplicatis. Sic habet textus Deut. 8. 12.* Ne poſtquam comederis & ſatiatus fueris, domos pulcras 70. *bonas* Ædificaueris, & habitaueris in eis, habueriſque armenta boum & ouium greges, argenti & auri, cunctacumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, & de domo ſeruitutis. 70. *vero.* Et bobus tuis & ouibus tuis multiplicatis tibi, argento & auro multiplicato tibi, exalteris corde, &c. INSILIT. *Inuehitur. Eſa. 39. 1. & ſeq. vbi refertur quomodo Merodach filius Baladan Rex Babylonis, miſit cum literis munera per nuntios ad Regem Ezechiam.* Lætatus eſt autem ſuper eis Ezechias, & oſtendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa quæ inuenta ſunt in theſauris eius. QVÆ CONGESSERVNT. *Vulgata verſu. 6.* Quæ theſauriſauerunt Patres tui vſque ad diem hanc, in Babylonem: 70. *addunt: venient, & nihil relinquent.* Non relinquetur quidquam dicit Dominus. PER IERÆMIAM. *c 9. 23.* Hæc dicit Dominus: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur; ſcire & noſſe me; quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & iudicium & iuſtitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus. IN FILIAS SION IS. *Eſa. 3.* Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant: 70. *Pedibus ſimul ludentes* Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. 70. Humiliabit Deus principales filias Sion, & Dominus denudabit habitum earum. ET ALIBI. *Eſa. 5. 14.* Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino: 70. *Vt non ceſſet.* Et deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes, glorioſique eius ad eum. 70. *autem*, Et deſcendent inclyti, & magni, & diuites, & peſtilentes eius. *Proſequitur textus vulgatus:* Et incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur. 70. *porro*, Et humiliabitur homo, & dehonorabitur vir, & oculi ſublimes humiliabuntur. OB SVBSANTIAM. *Opes. Vt prodigus perdit* Portionem ſubſtantiæ, diſſipauit ſubſtantiam. ET RVRSVS. *Eſa. 10. 33.* Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, & excelſi ſtatura ſuccidentur, & ſublimes humiliabuntur. Et ſubuertentur condenſa ſaltus ferro. 70 *Secutus eſt Tertullianus.* CVM ABVNDABIT. *Pſal. 48. 17.* Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: Quoniam cum interierit, non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria eius. *In quem locum Aug.* Vides viuentem, cogita morientem. Quid hîc habeat attendis, quid ſecum tollat attende, &c. Illud ſecum tollit vnde inuoluitur, & quod illi erogatur ad pretioſum & marmoratum ſepulcrum, ad inſtruendam memoriam, *Ad extruendum monumentum, quod mentem monet & memoriam inſtruit viuentis de defuncto.* Hoc ſecum tollit. Ego nec hôc dico. *Secum tollere.* Exhibentur enim iſta non ſentienti. Si dormientem & non vigilantem ornas, in lecto ſecum illa habet. Fortè ornamenta ſunt in corpore iacentis, & fortè ille in ſomnis in pannis ſe videt. Quod ſentit ei plus eſt, quàm quod non ſentit. Quamquam & illud, cum euigilauerit, non erit; tamen dormienti magis illud erat quod in ſomnis videbat, quàm illud quod non ſentiebat, &c. Quid habebit corpus mortuum? quid habebit caro putreſcens? quid habebit caro non ſentiens? ſi aliquid habuit diues ille, cuius lingua ſicca erat, tunc habebit homo aliquid de ſuo, &c. Vbi ſenſus, ibi homo, vbi nullus ſenſus, non eſt homo. Iacet vas quod continebat hominem, domus quæ habebat hominem. Corpus dicamus domum, ſpiritum dicamus habitatorem domus. Spiritus torquetur apud inferos; quid illi prodeſt, quia corpus iacet in Cinnamis, & aromatibus, inuolutum pretioſis linteis? tanquam ſi Dominus domus mittatur in exilium, & tu ornes parietes ipſius. Ille in exilio eget, & fame deficit, vix ſibi vnam cellam inuenit, vbi ſomnum capiat; & tu dicis, fœlix eſt, nam ornata eſt domus illius. Quis te non aut iocari, aut inſanire arbitretur? ornas corpus, torquetur ſpiritus. Da aliquid ſpiritui, & dediſti aliquid mortuo. Sed quid illi dabis, quando vnam guttam deſiderauit, & non accepit? hîc enim contempſit mittere ante ſe aliquid. *Quod prudentes faciunt, ſi præſciant ſe mittendos in exilium*, &c. Quod manducauerat apud ſuperos, hoc digerebat apud inferos, &c. Mâducarat pretioſas epulas ore carnis, ore cordis mâducabat iniquitatem. Quod apud ſuperos ore cordis manducarat, hoc apud inferos in illis ſupplicijs digerebat. Et quidem quod temporaliter manducauerat, in æternum malè digerebat, &c. *Ergo Pſaltem audi:* Ne timueris cum diues factus fuerit homo. Quare timebas *inquit ibid. Aug.* S. Auguſt. Quia diues factus eſt homo? timebas ne ſine cauſa crederes, ne fortè perdidiſſes laborem fidei tuæ, &c. Vides alium feciſſe lucrum de fraude, & nihil mali pati; & times eſſe bonus? Ne timueris, &c. Oculos non vis habere niſi in præſentia? futura promiſit, qui reſurrexit NE DESIDERAVERITIS. *Pſal. 61. 11.* Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere, diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. *Aug. ibid.* Vana eſt S. Auguſt. iniquitas, nihil eſt iniquitas, &c. Florere poteſt; *Tertullianus diceret relucere poteſt, ſcilicet ob fulgorem metalli, & pompam vanam diuitum*, ad tempus iniquitas, permanere non poteſt. Nolite ſperare ſuper iniquitatem; & in rapinam ne concupiſcatis. Non es diues, & rapere vis. Quid inuenis? quid perdis? ô lucra damnoſa! Inuenis pecuniam, perdis

iustitiam, &c. Quid rapias vides, à quo rapiaris non vides. Nescis circuire inimicum tanquam leonem rugientem, & quærentem quod rapiat? præda illa quam vis rapere, in muscipula est: tenes, & teneris. In rapinam ergo ne concupiscas, ô pauper, sed concupisce in Deum, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Pascet te, qui fecit te. Qui pascit latronem, non pascet innocentem? pascet te qui Solem suum oriri facit, &c. Si pascit damnandos, non pascet liberandos. Ergo in rapinam nolite concupiscere. Dictum est hoc pauperi fortassis aliquid de necessitate rapturo. Diues procedat, non habeo ego, inquit, necessitatem rapiendi, nihil mihi deest, abundant omnia. Et tu audi, diuitiæ si fluant, ne apponatis cor. Ille non habet, iste habet. Ille non quærat rapere quod non habet: iste non apponat cor in eo quod habet. Diuitiæ si fluant, id est, si exundent, tanquam de fonte currant, ne apponatis cor. Noli de te præsumere, noli ibi te figere. Certè vel hoc time, diuitiæ si fluant. Non videt, quia si ibi cor posueris, & tu flues? DESTINATVR. *Vibratur.* QVI DORMIVNT. *Amos 6. 1. & seq.* Væ qui opulenti estis in Sion; 70. *qui despiciunt Sion*: Et confiditis in monte Samariæ: optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël, &c. Qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. 70. *Tangentes Sabbata mendacia.* Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij; sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. 70. *nihil habent de Dauid, sed eius loco legunt: quasi stantia putauerunt, & non quasi fugientia.* Bibentes vinum in phalis 70. *defecatum, & primis vnguentis vngunntur*, Et optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph. *Aug. lib. 4. de doctrina Christiana cap. 7. vtitur hoc loco, vt probet eximiam scripturæ sanctæ Eloquentiam.* Quid est, inquit, quod isto eloquio aures sobriæ plus desiderent? primò ipsa inuectio, quasi sopitis sensibus, vt euigilarent, quo fremitu illisa est? Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, &c. Plura quidem quæ pertinent ad præcepta eloquentiæ, in hoc ipso loco, quem pro exemplo posuimus, possunt reperiri; sed bonum auditorem, non tam si diligenter discutiatur instruit, quàm si ardenter pronuntietur, accendit. Neque enim hæc humanâ sapientiâ composita *Cum, vt bis eodem capite notauit, armentarius esset, & rusticum de rustico natus* Sed diuinâ mente sunt fusa, & sapienter, & eloquenter; non intentâ in eloquentiam sapientiâ, sed à sapientia non recedente eloquentiâ. IOITVRSI, *&c. Concludit iuxta intentum suum contra Marcionem: Si, inquit, Deum Creatorem probarem tantummodo à diuitiarum concupiscentia auertisse homines, nec quidquam dicerem de diuitum condemnatione ab eo facta, eadem voce Væ, antequam Christus eis imprecaturus aduenisset, nullus dubitaret, ab eodem Deo Creatore impulsum filium eius Christum, ad maledicendum diuitibus eadem imprecatoria voce Væ, à quo emanauerat prius simplex à diuitiis deterratio.* PRÆCVRRISSET. *Præcessisset.* ACCESSIO EST. *Exaggeratio sequens, adiecta primò facta deterrationi.*

August.

7. *Diuitiarum inter fratres diuidendarum iudicium renuit Christus, non quasi Iudex, aut pacis fratrum non consulens vt Moyses, sed quasi auersator seminis diuisionis.*
4. Cont. Marc. cap. 28. in f.

a Exo. 2. 13.
b Ibid. 14.
c Luc. 12. 14.
d Dan. 5. 20. Luc. 1. 52. 1. Reg. 2. 8.
e Psal. 112. 7. & 8.
f Luc. 12. 20.
Esa. 39. & seq. & 4. Reg. 20. 13. & seq.

ECce planè diuersum exemplum Moysi & Christi. Moyses rixantibus fratribus vltro intercedit, iniurioſum increpat, a *Quid proximum tuum percutis?* Et reijcitur ab illo b *Quis te constituit magistrum aut iudicem super nos?* Christus vero postulatus à quodam, vt inter illum & fratrem ipsius diuidunda hereditate componeret; operam suam, & quidem tam probæ causæ, denegauit. Iam ergo melior Moyses meus Christo tuo, fratrum paci studens, iniuriæ occurrens. Sed enim oprimi & non iudicis Dei Christus: c *Quis me*, inquit, *Iudicem constituit super vos?* Aliam vocem excusationis inuenire non potuit, ne ea vteretur qua improbus vir, & impius frater, adsertorem probitatis atque pietatis excusserat. Denique probauit malam vocem, vtendo ea; & malum factum, pacis inter fratres componendæ declinatione. Aut nunquid indignè tulerit, hoc dicto fugatum Moysen? Ideoque in causa pari disceptantium fratrum, voluit illos commemoratione eiusdem dicti confudisse? Planè ita. Ipse enim tunc fuerat in Moyse, qui talia audierat, spiritus scilicet Creatoris. Puto iam alibi satis commendasse nos, diuitiarum gloriam damnari à Deo nostro; d *Ipsos dynastas detrahente de solio*, „ *Et pauperes allenante de sterquilinio*, Ab eo ergo erit & parabola diuitis blandientis sibi de prouentu agrorum suorum, cui Deus dicit; f *Stulte, hac nocte animam tuam reposcent: quæ autem parasti, cuius erunt?* Sic denique rex de gazis & apothecis delitiarum suarum apud Persas gloriatus, per Elaïam malè audiuit.

DIVES, ET DIVITIÆ. VII. SCHOLIA.

ECCE PLANE, *&c. Ironicè dicta contra Marcionem. Ex hoc exemplo, antithesim & contrarietatem legis Euangelicæ à Mosaïca colligentem; vt Christum faciat aduersarium Creatori, & proinde alterum Dei, scilicet sui boni filium.* MOYSES RIXANTIBVS. *Exod. 2. 11. & seq.* In diebus illis postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos, viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis, Cumque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes: dixitque ei, qui faciebat iniuriam: quare percutis proximum tuum? qui respondit: quis te constituit Principem, & Iudicem super nos? Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? *Hoc Moysi factum sæpius tractauit Augustinus. Duos tantum textus proferam. Primum ex 6. lib. 22. contra Faustum cap. 70.* Consultâ illâ æternâ lege, reperio non debuisse hominem, ab illo qui

nullam potestatem ordinatam gerebat, quamuis iniurioſum & improbum occidi. Verumtamen animæ virturis capaces ac fertiles, præmittunt ſæpè vitia, quibus hoc ipſum indicent, cui virtuti ſint potiſſimum accommodatæ, ſi fuerint præceptis excultæ. Sicut enim agricolæ, quam terram viderint, quamuis inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam eſſe pronuntiant, &c. & quem montem oleaſtris ſylueſcere aſpexerint, oleis eſſe vtilem culturâ accedente non dubitant: ſic ille animi motus, quo Moyſes peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam perpetientem, non obſeruato ordine poteſtatis, inultum eſſe non perrulit: non virtutum fructibus inutilis erat, ſed adhuc incultus; vitioſa quidem, ſed magnæ fertilitatis ſigna fundebat. *Sic de Pauli perſequentis Eccleſiam zelo* B
Auguſt. *ſubiicit.* Tanquam ſylueſtre erat vitium, ſed magnæ feracitatis indicium. *Item de Petro gladio defendente Dominum:* Dominus iuſſerat vt ferrum diſcipuli
Auguſt. eius ferrent, ſed non iuſſerat vt ferirent. Quid ergo incongruum, ſi Petrus poſt hoc peccatum factus eſt Paſtor Eccleſiæ, ſicut Moyſes poſt percuſſum Ægyptium factus eſt rector illius Synagogæ? Vterque enim non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate, Iuſtitiæ regulam exceſſit: vterque odio improbitatis alienæ; ſed ille fraterno, iſte Dominico; licet adhuc carnali, tamen amore peccauit. Reſecandum hoc vitium, vel eradicandum. Sed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus, excolendum. *Factum tamen ſic excuſat in principio capitis:* Quamquam illi C
Auguſt. Deus non præciperet, in perſona tamen Prophetica ad hoc diuinitus fieri permiſſum eſt, vt futurum aliquid præſignaret. *Et to. 4. lib. qq. in Exo. q. 2. ſic rurſum excuſat ex Act. 7. 25.* Stephanus dicit in Actibus Apoſtolorum; *de Moyſe loquens percutiente Ægyptium:*
Auguſt. putabat intelligere fratres ſuos, quod per eum Deus daret illis ſalutem; vt per hoc teſtimonium videatur Moyſes iam diuinitùs admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, hoc audere potuiſſe. *De correptione autem alterius iniurioſi nihil apud Auguſt. reperi.* REIICITVR AB ILLO, *his ſcilicet verbis ſupra poſitis.* POSTVLATVS A QVODAM *Luc. 12. 13.* Ait ei quidã de turba: Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit illi: homo, quis me conſtituit Iudicem aut diuiſo- D
rem ſuper vos? dixitque ad illos: *Syr. & ait diſcipulis ſuis* videte, & cauete ab omni auaritia; *qua innuit laboraſſe diuidenda hæreditatis petitorem*, quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt ex his quæ poſſidet. *Clarius Syr.* neque enim in abundantia diuitiarum eſt vita. *Lata ſic icet & contenta.* IAM ERGO. *quid hic dices, Marcion, qui vetus teſtamentum, Moyſem & Deum eius reſpuis, vt ſanum? Vides hic Chriſtum, quem fingis tuum, à Moyſe pacifico & rixarum inimico ſuperari in benignitate?* SED ENIM, *&c. dices forte, Marcion, Chriſtum id recuſaſſe, in quantum Dei tui optimi filius erat, qui enim Iudex non fit, officium autem ſit Iudicis lites componere, & hæreditates partiri,* E
ideo Chriſtum hoc Iudicium ſuſcipere non debuiſſe. Quod expreſsè teſtatus eſt, dum ait: Quis me conſtituit Iudicem? &c. *quaſi diceret; Pater meus non eſt Iudex, nec me miſit iudicare.* ALIAM VOCEM. *iam loquitur Tertull. & obiicit Marcioni, præterito reſponſo, quod dedignatur dare tam futili obiectioni, ſecurus de dicto Chriſti:* Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio: *Sirita, inquit, vltrò hoc tibi do: Chriſtus non ſit Iudex: Sed dic mihi Marcion, an Chriſtus ille tuus tam ſapiens & doctus, Patris Verbum, tantâ verborum penuriâ laborabat, vt non poſſet excuſare ſe ab iſta hæreditatis diuiſione, aliis verbis quàm*

Omniloquium,

ipſiſſimis, quibus vſus eſt vir improbus, qui Moyſen virum pium à lite componenda repulerat? PROBAVIT: *Chriſtus eo ipſo quod eadem omnino verba ſimili in cauſa, & quidem improba & dura vſurpauit, rixam illam approbaſſe videtur, & fratres inter ſe litigare voluit, dum ſe à lite componenda duris verbis excuſauit? vbi ergo eius bonitas?* AVT NVMQVID, *&c. An non potius, Marcion, ſi quid ſapis, intelligere debes, Chriſtum verè bonum, & Dei Creatoris optimi filium iiſdem verbis in veteri teſtamento ſcriptis vſum, vt indicaret ſe indignè tuliſſe, hac voce repulſum Moyſem; & ſimul fratres inter ſe litigantes ſuper hæreditate, eiuſdem dicti & facti commemoratione confundere.* ITA. *ſic ſe res habet. Sic interpretandus eſt hic locus.* IPSE IN MOYSE, *Chriſtus tum figurabatur in Moyſe.* SPIRITVS CREATORIS, *ſæpè dixit Chriſtum Dei Spiritum, de Deo Deum.* Deus enim ſpiritus eſt. *Io. 4. vel idem ſpiritus Creatoris regnabat in veteri, qui in noua lege. Idem Creator inſpirauit ſic loqui Moyſi & Chriſto; ſic figuræ & veritati.* DAMNARI *Condemnari.* DYNASTAS. *1. Reg. 2. 8.* Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat. Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. *Et Pſal. 112. 7.* Suſcitans à terra inopem, &c. DETRAHENTE DE SOLIO. *Sic Ierem. 49. 16. Loquitur Dynaſtæ & potenti principi:* Cum exaltaueris quaſi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus *Sic & apud Dan. Nabuchodonoſor depoſuit de Solio Ita enim Danieli Baltazari Dan. 5. 18.* O Rex, Deus altiſſimus regnum & magnificentiam, gloriam, & honorem dedit Nabuchodonoſor patri tuo Et propter magnificentiam quam dederat ei, vniuerſi Populi, tribus & linguæ tremebant, & metuebant eum: quos volebat, interficiebat; & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat; & quos volebat, humiliabat. Quando autem eleuatum eſt cor eius: & ſpiritus illius obfirmatus eſt, *Pagn. ex Hebr. induratus eſt*, ad ſuperbiam, depoſitus eſt de Solio regni ſui, & gloria eius ablata eſt, & à filiis hominum eiectus eſt; ſed & cor eius cum beſtiis poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio eius. Fœnum quoque vt bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum eſt, donec cognoſceret quòd poteſtatem haberet altiſſimus in regno hominum, & quemcumque voluerit, ſuſcitabit ſuper illud. *Quod & ipſi Balthazari accidit, eius ſolio dato Perſis & Medis. Sic apud Iob ſoluit baltheum regum, & cingit eos fune. apud Pſalmum:* terribili, & ei qui aufert ſpiritum principum, &c. AB EO ERGO. *cum in nouo idem facit, quod factum eſt in veteri teſtamento; manifeſtum eſt, ab eodem Deo Creatore per eius Filium Chriſtum, Parabolam illam dictam in condemnationem diuitum, quam immediatè ſubiecit, poſt recuſatam diuiſionem hæreditatis inter fratres, quæ habetur Luc. 12. 16.* Hominis cuiuſdam vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra ſe dicens: quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: hoc faciam; deſtruam horrea mea & maiora faciam. & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea: & dicam animæ meæ; anima, habes multa bona poſita *Syr. repoſita.* in annos plurimos; requieſce, comede, bibe, epulare. *Syr. oblectare.* dixit autem illi Deus: ſtulte, *Syr. Expers rationis.* Hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues. *Syr. autem:* in Deo. *De hac parabola ſæpè Aug. to. 10. Ser. 212. de tem.* S. Auguſt. Meritò illi vaniſſimo diuiti inſultauit Deus, vt admoneret nos, ne talia imitaremur; cui regio fructuoſa ſuccedens, turbauit hominem copiâ,

plus quàm inopiâ. Cogitauit enim apud ſe dicens; A quid faciam? quò congregem fructus meos? & cum æſtuaſſet arctatus, tandem ſibi viſus eſt conſilium inuenisſe, ſed vanum conſilium. Hoc enim conſilium non inuenit prudentia, ſed auaritia. Deſtruam, inquit, &c. ait illi, ſtulte, in quo tibi ſapiens videris, ſtulte, quid dixiſti? dico animæ meæ; S. Auguſt. habes multa bona, ſatiare. Hac nocte auferetur à te anima tua, &c. quid enim prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? Ideò Prouer. 13. redemptio animæ viri diuitiæ eius. Has ille vanus & ſtultus diuitias non habebat; animam quippè ſuam Eleemoſynis non redimebat. Fructus perituros condebat; recondebat inquam perituros fructus periturus, nihil largiens Domino, ad quem fuerat exiturus. Quam frontem habiturus erit in illo iudicio, cum audire cœpit, eſurini enim? &c. Animam enim ſuam ſuperfluis & nimiis epulis ſatiare cupiebat, tot inanes pauperum ventres ſuperbiſſimus contemnebat. Neſciebat pauperum ventres Apothecis ſuis eſſe tutiores. Quod enim recondebat in illis apothecis ſuis, fortaſſis & à furibus auferebatur. Si autem reconderet in pauperum ventribus, in terra quidem digerebatur, ſed in cœlo tutius ſeruabatur. *Rurſum de eodem diuite Ser. 19. de Ver. Apoſt. à p.* S. Auguſt. Numquid iſte diues aliena quærebat? fructus ſuos colligere diſponebat, vbi poneret conſulebat, non de cuiuſquam vicini agris, non limite perturbato, non ſpoliato paupere, non circumuento ſimplice, ſed tantummodo de ſuis colligendis cogitabat. Audite quid audierit qui tenaciter ſeruabat ſua, & hinc intelligite quid expectent qui rapiunt aliena, &c. Ait illi Deus: ſtulte, vbi tibi ſapiens videris, ibi ſtulte. Stulte, inquit, hac nocte, &c. Si ſeruaueris, tua non erunt; ſi erogaueris, tua erunt. Quid, inquit, reponis, quod relicturus es? Ecce increpatus eſt ſtultus malè recondens. Si ſtultus eſt qui recondit ſua, vos inuenite nomen ei, qui tollit aliena. Si ſordidus eſt reconditor ſuorum, vlceroſus eſt raptor alienorum. Sed non qualis ille vlceroſus; qui iacebat ante ianuam diuitis, & cuius canes lingebant vlcera. Ille enim vlceroſus erat in corpore, non raptor in corde. Fortaſſis aliquis reſpondeat & dicat: non valde magna pœna erat illi homini, cui dixit Deus, ſtulte. Non ſic dicit Deus, ſtulte, quomodo homo dicit. Tale in quemquam Dei verbum, iudicium eſt. Numquid enim Deus ſtultis daturus eſt regnum cœlorum? quibus autem non eſt daturus regnum cœlorum, quid eis reſtat niſi pœna gehennarum? *Sic ſtulta virgines excluſæ ſunt regno cœlorum, per quas ſignantur anima vacua oleo miſericordiæ operum.* REX. *Ezechias ſcilicet, de quo vide dicta Scholio precedenti.* DELICIARVM. *Vnguentorum & aromatum.* MALE AVDIVIT. *Malum præſagium à Propheta Eſaia accepit, vt ſupra item dictum eſt. Quæ comminationes iiſdem verbis habentur 4. Reg. 20. 13. & ſequentibus.*

DOCTOR ET PRÆDICATOR.

1. Doctor & Prædicator nullus admittendus, niſi conſentiens Apoſtolis & primis Doctoribus, qui omnia fidei neceſſaria acceperunt à Chriſto, & ea primis Eccleſiis voce vel ſcripto tradiderunt. De præſcr. cap. 19. in f. & 20. per totum, & 21. in p.

ETſi non ita euaderet conlatio ſcripturarum, vt vtramque partem parem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt: Quibus competat fides ipſa: Cujus ſunt ſcripturæ: A quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina quâ fiunt Chriſtiani: vbi enim apparuerit eſſe veritatem & diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas ſcripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum. Chriſtus Ieſus Dominus noſter, permittat dicere interim, quiſquis eſt, cujuſcunque Dei filius, cujuſcunque materiæ homo & Deus, cujuſcunque fidei præceptor, cujuſcunque mercedis repromiſſor, quid eſſet, quid fuiſſet, quam patris voluntatem adminiſtraret, quid homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipſe pronuntiabat, ſiue populo palam, ſiue diſcentibus ſeorſum. Ex quibus, duodecim præcipuos lateri ſuo adlegerat deſtinatos Nationibus magiſtros. Itaque vno eorum decuſſo, reliquos vndecim digrediens ad patrem poſt reſurrectionem iuſſit [a] *ire & docere Nationes, intinguendas in Patrem & in Filium & in Spiritum ſanctum.* Statim igitur Apoſtoli, quos hæc appellatio Miſſos interpretatur aſſumpto per ſortem duodecimo Mathia in locum Iudæ, ex Auctoritate Prophetiæ, quæ eſt in pſalmo Dauid conſecuti promiſſam vim Spiritus ſancti ad virtutes & eloquium, primò per iudæam conteſtatâ fide in Ieſum Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis; de hinc in orbem profecti eandem doctrinam eiuſdem fidei nationibus promulgauerunt, & proinde Eccleſias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur vt Eccleſiæ fiant, ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, vt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaque, tot ac tantæ Eccleſiæ, vna eſt illa ab Apoſtolis prima; ex qua omnes. Sic omnes prima, & Apoſtolicæ, dum vnâ omnes probant vnitatem: dum eſt illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis. quæ jura non alia ratio regit, quàm ejuſdem ſacramenti vna traditio. Hinc igitur dirigimus præſcriptionem, ſi Dominus Ieſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores, quàm Chriſtus inſtituit; quia [b] *nec alius patrem nouit niſi filius, & cui filius reuelauit*, nec aliis videtur reuelaſſe filius, quàm Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id eſt, quid illis Chriſtus reuelauerit, & hîc præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicãdo, tam viua, quod aiunt, voce, quã per epiſtolas

CAP. XX.

[a] Mat. 28. 19. Act. 1. 25. Pſal. 108. 8 Pſal. 40. 10. Act. 1. 8. Act. 2. 3. Act. 2. 14. Marc. 16. 20. Act. 13. 1. Act. 14. 6.

CAP. XXI.

[b] Matt. 10 1. & ſeq. Luc. 10 1. & ſeq.

1. Theſſ. 2. 14.

DOCTOR. I. SCHOLIA.

ETSI NON ITA, &c. *Immediatè prius dixerat*, Ergo non ad scripturas prouocandum est, *Tanquam ad iudicem primò competentem* Nec in his constituendum certamen. *Hoc est lis & controuersia dirimenda.* In quibus, aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa *Deinde prosequitur*: Nam etsi. &c. *Quasi diceret: licet in controuersia suscepta de Scripturis, inter Catholicum & hæreticum, par & æqualis non esset inter vtrumque conflictus; rerum tamen ordo exigit, vt proponatur & quæratur primò, an Christiano, an hæretico competat fides vera, & ad quem horum scriptura pertineat, &c.* DISCIPLINA, QVA FIVNT CHRISTIANI *Doctrina, qua instruuntur Catechumeni. De qua Psaltes prædixit Psal 17.*

Augusti. Disciplina tua ipsa me docebit. *Hinc hortatur Psal. 2.* Apprehendite disciplinam. *In quem locum Aug.* Hoc est, inquit, quod ait, intelligite reges & eruditimini, nam intelligere & eruditi, hoc est apprehendere disciplinam. Verumtamen in eo quod dicitur, apprehendite, satis significatur præsidium quoddam atque munimentum esse aduersus omnia quæ obesse possent. *Et in Psal. 118.* Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, *Vbi Augustinus*

Augusti. *legit*: Suauitatem, & eruditionem, & scientiam doce me. Vel sicut plures codices habent, disciplinam; sed disciplinam, quam Græci appellant *παιδειαν*, vbi scripturæ nostræ ponere consueuerunt, ibi intelligenda est per molestias eruditio, secundum illud, quem enim diligit Dominus corripit, &c. Hæc autem apud Ecclesiasticas literas dici assolet disciplina, interpretata de Græco vbi legitur *παιδεια*. &c. *Et hæc est propriè disciplina qua fiunt Christiani, quibus sic loquitur Apostolus*: Vobis datum est, non solum vt in eum credatis, sed & pro illo pariamini. *De qua sic in eundem Psal. loquitur*

Augusti. *Aug.* Cum quo ergo facit Deus suauitatem, id est cui propitius inspirat boni delectationem, atque vt apertius id explicem, cui donatur à Deo Charitas Dei, & propter Deum Charitas proximi, profectò instanter orare debet, quò tantum sibi augeatur hoc donum, vt non solum pro illo contemnat delectationes cæteras, sed etiam pro illo quaslibet perferat passiones. *Disciplina autem est proprie doctrina veritatis, quam Christus Apostolis dedit & abundantius se per Spiritum Sanctum daturum esse promisit,* A *dicens*: Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Pro qua tuenda datur à Deo patientia.* QVISQVIS EST CHRISTVS. *Abstrahendo loquitur, & primo petitâ veniâ, dum ait,* Permittat dicere. *Quisquis, inquit, sit Christus, cuiuscumque Dei, Marcionis, vel alterius hæretici, vel veri Dei Creatoris filius.* CVIVSCVMQVE MATERIÆ. *Sine Hermogeniana Deo coæua, sine à Deo Creata Doctor. Vel per materiam intelligit substantiam corporum Christi, quam Marcionita Phantasticam, alij sydeream, nos humanam credimus & veram.* DISCENTIBVS. *Discipulis.* EX QVIBVS. *Vide sequentia alibi exposita Verbo Apostoli 7.*

II OMNE GENVS, &c. *Quodcumque genus, æstimari debet & iudicari secundum suam originem; & omnes proindè Ecclesiæ, à prima sub Apostolis nata Ecclesia suam fidem & disciplinam mutuatæ, secundum eius regulam iudicari debent, an si conformentur, an ab ea deficiant, vt sic Apostolicæ vel hæreticæ censeantur.* ITAQVE TOT, &c. *Vide hanc sententiam expositam infra Verbo Ecclesia. 11.* TAM VIVA VOCE, &c. *Hæc est traditio, de qua innuit locutum Paul. 2. Thess. 2. 12. & seq.* Nos debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione Spiritus, & in fide veritatis: In qua & vocauit vos per Euangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ Domini nostri Iesu Christi. Itaque fratres state & tenete traditiones, *Syr. præcepta.* Quas didicistis, siue per Sermonem *Viua voce*, Siue per Epistolam nostram. *Suo loco proprio de traditionibus dicturi, sufficit nunc vnum pro iis Augustini re-* S. Augst.
C *ferre locum to. 7. lib. 1. Cont. Crescon. Grammaticum cap. 33. vbi de vnitate Baptismi.* Quamuis huius rei certum de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen scripturarum etiã in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, *Ex vsu per traditionem accepto* Quam ipsarum scripturarum commendat authoritas. *Quæ commendatio tanta est, vt Paulus scribat, eam esse* Columnam & firmamentum veritatis. *Quam veritatem quilibet prædicator annuntiare debet iuxta scripturam eiusque sensum ab Ecclesia nobis traditum.*

8. Doctorum sub Paulo diuersa intentio, fidem Dei vel Christi diuersi non inuexit. 5. Cont. Marc. cap. 20. in. 9.

CVm prædicationis enumerat varietatem, [a] *Quod alij ex fiducia vinculorum eius, audentius sermonem enuntiarent; alii per inuidiam & contentionem; quidam vero & per sermonis* [a] Philipp. 1. 14. & seq.
existimationem, plerique ex dilectione, nonnulli ex æmulatione, jam aliqui & ex simultate Christum prædicarent; erat vtique vel hic locus taxandæ ipsius prædicationis de diuersitate sententiæ, quæ tantam efficeret etiam animorum varietatem. Sed causas solas animorum, non regulas sacramentorum in diuersitate proponens, vnum tamen Christum, & vnum eius Deum, quocunque consilio prædicatum confirmat; & ideo, [b] *Nihil mea, inquit, siue* [b] Philipp. 1. 18.
causatione, siue veritate Christus annuntietur; quia vnus annuntiabatur, *siue ex causatione, siue ex veritate fidei.* Ad fidem enim prædicationis retulit mentionem veritatis, non ad regulæ ipsius: quia vna quidem erat regula, sed fides prædicantium, quorumdam vera, id est simplex, quorundam nimis docta. Quod quum ita sit, apparet eum Christum prædicatum, qui semper adnuntiabatur. Nam si alius, longè ab Apostolo, induceretur, feciſſet diuersitatem nouitas rei. Nec enim defuissent, qui prædicationem euangelicam nihilominus in Christum Creatoris interpretarentur; quum & hodie major pars sit omnibus in locis sententiæ nostræ, quàm hæreticæ. Quò ne hîc Apostolus de diuersitatis denotatione & increpatione tacuisset. Ita quum diuersitas ne taxatur quidem, nouitas non probatur.

DOCTOR II. SCHOLIA.

PRÆDICATIONIS VARIETATEM. *Cum Paulus enumerat diuersitatem intentionum, & priuata studia singulorum predicatorum, stulte hinc Marcion colligit diuersitatem fidei circa Deum & Christum. Non enim notat Paulus vllam tum fuisse inter predicatores fidei diuersitatem, vt alter predicaret Deum Creatorem, alter Deum nouum & Christum, qualem inuexit Marcion. Si enim aliqua fuisset inter eos circa fidem sententiarum diuersitas, quæ illos inter se diuisisset, hoc maximè loco Paulus arguisset tam peruersam in diuersitate sententiæ, tanti ponderis, diuersitatem.* CAVSAS SOLAS. *Ob quas scilicet animi inter se diuisi erant.* NON REGVLAS SACRAMENTORVM. *Paulus non proposuit, non obiecit vllam fuisse inter eos diuisionem circa fidei & Sacramentorum regulam, quacunque enim intentione predicarent, vnicum Deum sicut & vnicum Christum eius filium, ab eis predicatum esse testatur. Locus Pauli sic habet ad Philipp. 1. 14. & seq.* Plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis abundantius, auderent sine timore Verbum Dei loqui. *Syr. clarius; confidentiores facti sunt ob vincula mea, & procliniores fuerunt, absque timore, ad proloquendum Sermonem Dei.* Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem, Christum prædicant: quidam ex Charitate: scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis Quid enim? dum omnimodo, siue per occasionē, siuè per veritatē Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Scio enim quod hoc mihi proueniet ad salutē per vestrā orationem, & subministrationē Spiritus Iesu Christi. S. Augusti. *Aug. de hoc Apostoli loco cōtra Mercenarios sic loquitur tract. 46. in Io 10.* Inter Mercenarios, filiosq; distinguens, videte quid dixerit; quidam per inuidiam & contentionem, &c. Illi mercenarij erant, Paulo Apostolo inuidebant. Quare inuidebant, nisi quia temporalia requirebant? sed quid adiungat attendite: quid enim? cum omnimodo, siue occasione, siue veritate Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, &c. Veritas est Christus, veritas à mercenariis occasione annuntietur, veritas à filiis veritate annuntietur. Filij æternam Patris hæreditatem patienter expectant: Mercenarij temporalem mercedem festinanter exoptant. Mihi humana gloria, cui mercenarios inuidere video, minuatur, & tamen per linguas mercenariorum & filiorum diuina Christi gloria diffametur, cum siue occasione *Acceptâ lucri vel laudis, vel cōtentionis* Siue veritate, *Sinceritate & veritate cordis simplicis* veri Christi gloriam quærentis, Christus annuntietur. *Et Ser. 49. de* S. Augusti. *Verb. Domin.* Audi Apostolum gementē de talibus. Dicit alios annuntiare Euangelium per Charitatem, alios per occasionem: de quibus dicit, annuntiant Euangelium non rectè; rem rectam, *Aduerte ad mentem Tertulliani Paulum non arguere doctrinam fidei diuersam, eundem enim Christum & rectum dogma, sed non recto animo annuntiabant* Sed ipsi non recti. Quod annuntiant, rectum est: sed qui Augusti. annuntiant, non sunt recti Quare non est rectus? quia aliud quærit in Ecclesia. Non Deum quærit. Si Deum quæreret, castus esset; quia legitimum maritum anima Deum habet. Quisquis à Deo præter Deum aliquid quærit, non castè Deum quærit. Videte fratres, si vxor amet maritum, quia diues est, non est casta. Non enim maritum amat, sed aurum mariti. Si autem maritum amat, & nudum amat & pauperem amat. Si enim propterea amat, quia diues est, quid si, quomodo sunt casus humani, proscribatur, & subitò egens remaneat? renuntiat illi fortè; quia quod amabat, non maritus erat, sed res eius. Si autem verè maritum amat, etiam pauperem plus amat, quia cum misericordia amat. NIHIL MEA. *Supple interest. Nihil mihi cure quomodo Christus annuntietur, etiam dispendio gloriæ meæ, modo annuntietur: ipsi viderint, qui ex predicatione veritatis, lucrum aut gloriam captant.* AD FIDEM, *&c. Quod, inquit, dixit Paulus,* Siue ex veritate: *Quod mentionem hìc fecit Paulus veritatis, voluit per eam intelligi veram fidei regulam: In qua sui temporis predicatores non erant diuisi; vnum enim Christum & Patrem eius Deum Creatorem predicabant: sed per,* Fidem, *Intelligit conscientiam & intentionem eorum. Aliqui enim sincerè & simpliciter, sicut ipse Paulus predicabam,* Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis. *Aliorum autem predicatio, nimis docta erat, id est inflata & superba, cupidi enim erant laudis aut lucri per vanam scientiam aucupandi; alij ædificandi proximi, de vterisque Paulus vno verbo sic fatur:* Scientia inflat, charitas autem ædificat. VERA ID EST SIMPLEX. *In filio simplici veritas in his qui non sē nec sua, sed Christum quærebant; in aliis, qui contra Petrum* Doctas fabulas sequebantur, *In intentione saltem, non erat veritas, sed vanitas.* QVI SEMPER. *Ab initio, in veteri lege, in Patrum figuris, & Prophetarum oraculis predicebatur.* LONGE AB APOSTOLO. *Si, inquit, isti predicatores diuisi inter se & diuersi intentionibus, alium Christum nouum induxissent, multò longius ab Apostolo recedentes & eius fide, longè aliam reprehensionem meruissent, nec iam de diuersitate stylì, vel intentionis, sed de ipsa nouitate dogmatis, arguiere & seueriore sententia condemnati.* NEC DEFVISSENT, *&c. Et quidem si tunc aliquis nouum Christum induxisset, sicut longè postea inuexit Marcion; fuissent plurimi, qui Euangelium de Christo scriptum, non de Christo Marcionis, sed filio Dei Creatoris interpretati essent: Cùm etiam hodie constet, Ecclesiam Catholicam vbique diffusam sic sentire, multòque plures esse Catholicos id sentientes, quam Marcionitas contradicentes.* QVÆ NE HIC. *Vt tu Marcion aduertas Paulum nihil de hac à te inuenta Christi noui doctrina dixisse, cum nullam circa duos Christos diuersitatem in predicatoribus sua ætatis denotauerit, id est reprehenderit, cum ergo nec leniter quidem hanc diuersitatem attigerit, nouo tuo Christo non fauit, nec potes, hanc nouitatem aliquo Pauli testimonio probare.*

3. *Doctor faciat quod decet. De Patien. cap. 1. in. p. V. Patientia. 1.*

4. *Doctoribus & Pradicateribus Euangelij Deus prouidet vt bobus. V. Verbum Paulivirtutes 10.*

5. *Doctores suos Christus vt Moysen & Eliam, sua presentia & gloria consolatur. 4. Cont. Marc. cap. 22. à p. V. Christi magnalia. 4. à p.*

Digitized by Google

DOMINICA DIES.

Dominica die ieiunare, vel à Paſchate ad Pentecoſtem orando genu flectere, nefas. De Corona. cap. 3. à m. V. Traditio. num. 5.

DOMINVS.

1. *Domini nomen Auguſtus recuſauit, quo dulcius eſt nomen Patris. Apol. cap. 34. in p.*

AVguſtus, imperij formator, ne Dominum quidem dici ſe volebat. Et hoc enim Dei eſt cognomen. Dicam planè imperatorem Dominum: ſed quando non cogor, vt Dominum, Dei vice, dicam. Ceterùm liber ſum illi. Dominus enim meus vnus eſt, Deus omnipotens, & æternus, idem qui & ipſius. Qui pater patriæ eſt, quomodo Dominus eſt? Sed & gratius nomen eſt pietatis, quàm poteſtatis. Etiam familiæ magis patres, quàm Domini vocantur.

DOMINVS. I. SCHOLIA.

IMPERII FORMATOR. *Quia à Iulio inchoatum Imperium formauit Auguſtus, quem idem* Auguſt. *Tertull. lib. de Anima c. 46. Imperij reformatorem dixit. Sub hoc, teſte Auguſtino lib 3. de Ciuit. cap. 30. Chriſtus natus eſt.* Hinc ad alium Cæſarem, qui poſt Auguſtus appellatus eſt, peruenerunt, quo Imperante natus eſt Chriſtus. NE DOMINVM QVIDEM. *Rationem reddit Oroſius lib. 6. Hiſt. cap. 21.* Auguſt. Dominum ſe appellari paſſus non eſt, quo *regnante ſcilicet* verus Dominus, Totius generis humani inter homines natus eſt. *Vide Sueto. in Auguſto cap. 53. vbi refert ſemper exhorruiſſe tanquam maledictum Domini appellationem, & mimum in ludis exclamantem eum eſſe Dominum æquum & bonum, populumque blandientem ſigno manus & vultus repreſſiſſe, & die poſtero edicto cauiſſe, ne quis ſe Dominum vocaret, quod nomen nec à ſuis liberis, aut nepotibus, vel ſerio vel loco paſſus eſt.* DEI COGNOMEN. *Vide dicta à nobis Verbo Deus Dominus, conſule præterea Auguſtinum lib. 12. de Ciuit. c. 15. vbi problematicè diſputat, an Domini cognomen Deo conueniat ab æterno.* Ego quidem ſicut Dominum Deum aliquando Dominum non fuiſſe, dicere non audeo, ita hominem Auguſt. numquam antea fuiſſe, & ex quodam tempore primum hominem creatum eſſe, dubitare non debeo. Sed cum cogito, cuius rei Dominus ſemper fuerit, ſi ſemper creatura non fuit, affirmare aliquid Auguſt. pertimeſco. *Et circa finem capitis.* Quomodo Creator ſemper fuit Dominus, ſi creatura ſeruiens non ſemper fuit: aut quomodo creata eſt, & non potius creatori coæterna eſt, ſi ſemper fuit, vereor ne facilius iudicer affirmare quod neſcio, quàm docere quod ſcio. IMPERATOREM DOMINVM. *Cum Apoſtolus velit,* Omnem animam poteſtatibus ſublimioribus eſſe ſubiectam; *Imperatorem libenter Dominum dicam & agnoſcam: Sed ſi cogar eum pro Deo Domino agnoſcere, non faciam.* CÆTERVM LIBER. *Præter enim ſubiectionem quam debeo & reddo poteſtati ſæculari, animus meus liber eſt, qua libertate me Chriſtus donauit, & vni vero Domino Deo omnipotenti & æterno* Seruio ſpiritu. *Et* Vbi ſpiritus, ibi libertas, *Quæ idololatriæ non ſeruit; nec Imperatorem vllum alium Deum adorat, quàm qui* Dominus eſt Dominantium, *Qui & ipſius Imperatoris Dominus eſt.* FAMILIÆ PATRES. *Aug. lib. 19. De Ciuit. cap. 16.* Etiamſi habuerunt S. Auguſt. ſeruos iuſti Patres noſtri, ſic quidem adminiſtrabant domeſticam pacem, vt ſecundum hæc temporalia bona, filiorum ſortem à ſeruorum conditione diſtinguerent; ad Deum autem colendum, in quo æterna bona ſperanda ſunt, omnibus domus ſuæ membris pari dilectione conſulerent. Quod naturalis ordo ita præſcribit, vt nomen Patrumfamilias hinc exortum ſit, & tam latè vulgatum, vt iniquè etiam dominantes, hoc ſe gaudeant appellari. Qui autem veri Patresfamilias ſunt, omnibus in familia ſua tanquam filiis ad colendum & promerendum Deum conſulunt: deſiderantes atque optantes venire ad cœleſtem domum, vbi neceſſarium non erit officium conſulendi iam in illa immortalitate fœlicibus: quò donec ventatur, magis debent Patres, quòd dominantur, quàm ſerui tolerare, quòd ſeruiunt.

2. *Dominorum in ſeruos crudelitas, eorum ſanguinem bibens, ſaginatur. De Pallio cap. 5. à m.*

IMmergo æquè ſcalpellum acerbitati ei, quâ Vedius Pollio ſeruos murænis inuadendos obiectabat. Noua ſcilicet ſæuitia delectato teneræ beſtiæ, & edentulæ, & exunguis, & excornis, de piſcibus placuit feras cogere, vtique ſtatim coquendis, vt in viſceribus earum, aliquid de ſeruorum ſuorum corporibus & ipſe guſtaret.

DOMINVS. II. SCHOLIA.

IMMERGO ÆQVE. *Acuto ſtilo, velut ſcalpello & lancinula vtitur, vt intimè penetret immanem cum gula crudelitatem huius Vedij, ſicut aliorum in conuiuiis luxum argueret. Hic interdum ab auctoribus, Seneca, Tacito, Plinio, Atedius vocatur.* INVADENDOS. *Deuorandos, in vinaria coniectos, in fruſta concisos.* DELECTATO PLACVIT FERAS COGERE. *Ex tenera beſtia, edentula, exungui, excorni, contra naturam piſcis huius, quaſi feras ex Murenis faciebat, & piſcinas in theatra vertebat, in quibus ſeruos ſuos cum Leonibus vel vrſis diſcerpendos vorandoſque iaciebat. De eo ſic Plin. lib. 9. c. 23.* Inuenit in hoc animali documenta Vedius Pollio eques Romanus ex amicis Auguſti, viuariis earum immergens damnata mancipia, non tanquam ad hoc feris terrarum non ſufficientibus, ſed quia in alio

Digitized by Google

genere totum pariter hominem distrahi, spectare non poterat. EDENTVLAM. *Alij* Exedentulam. *Quasi sine dentibus. Alij eam dicunt dentatam. Vt sit, non probo alios legentes*, Terrenæ bestiæ. *Cum apertè dicas, piscis esse genus. Licet hac ætate, inter Christianos maximè, tam crudeles Dominos non cernamus, plerumque tamen acerbiores in seruos se præstant, quàm humanitas, & Christiana Charitas postulat. Augustinus lib. 1. de Ser. Dom. in Monte cap. 19.* S. Augst. Non Christianum oportet sic possidere seruum, quomodo equum aut argentum, quanquam fieri possit, vt maiore pretio valeat equus quàm seruus, & multò magis aliquod aureum vel argenteum. *Et homilia 42 vbi de oratione Dominica. Notat seruos Dominis, quantum ad Deum spectat communem Patrem, esse fratres.* Pater noster, quanta dignatio! Hoc dicit Imperator, hoc dicit mendicus: hoc dicit Dominus, hoc dicit seruus eius. Simul dicunt, Pater noster, &c. Intelligunt ergo se esse fratres, quando vnum habent Patrem. Sed non dedignetur fratrem habere seruum suum Dominus eius, quem fratrem voluit habere Dominus Christus. S. Augst. *Et lib. 19. de Ciuit. c. 14. inf. ex 1. Tim. 5.* Quisquis autem suis & maximè domesticis non prouidet, fidem denegat, & est infideli deterior. Hinc itaque etiam pax domestica oritur, id est ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium. Imperant enim qui consulunt: sicut vir vxori, parentes filiis, Domini seruis. *Vnde apud Iob, reges simul iunguntur consulibus, innuens indignos regere, qui consulere nesciunt suorum subditorum saluti: ait enim, somno requiescerem cum Regibus & consulibus terræ;* S. Augst. Obedient autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filij parentibus, serui Dominis. Sed in domo iusti viuentis ex fide, & adhuc ab illa cœlesti ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant, seruiunt eis, quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: nec principandi superbiâ, sed prouidendi misericordiâ. *Et lib. 4. de Ciuit. c. 3. in f. solatur seruos oppressos à Dominis malis;* Iustis quidquid malorum ab iniquis Dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. S. Augst. Proinde bonus, etiam si seruiat, liber est. Malus autem etiam si regnet, seruus est: Nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot dominorum, quot vitiorum. De quibus vitiis cum ageret scriptura diuina; à quo quis, inquit, deuictus est, huic & seruus addictus est. Augst. *Et in Psal. 124.* Non relinquet virgã peccatorũ super sortem iustorum, &c. Sunt Domini, sunt & serui. Diuersa sũt nomina Dominus, seruus sed homines, & homines paria sunt nomina. Et quid dicit Apostolus Ephes. 6. docẽs seruos Dominis suis subditos esse? serui obedite Dominis vestris secundum carnem, quia est Dominus secundum spiritum. Ille est verus Dominus & æternus, isti autem temporales secundum tempus, &c. Cum Christo iubente, seruis homini, non illi seruis, sed ei qui iussit. Et hoc ait, obaudite Dominis vestris secundum carnem, cum timore & tremõre, & in simplicitate cordis, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed quasi serũi Christi, facientes bonam voluntatem Dei, ex animo, cum bona voluntate. Ecce non fecit de seruis liberos, sed de malis seruis bonos seruos, &c. Et vt corroboraret seruum, hoc dixit, exemplo meo serui, quia prior ego seruiui iniquis. Dominus enim tanta in passione sustinens, à quibus sustinuit, nisi Dominus à seruis? & à quibus, nisi à malis seruis? &c. Sentitur ad tempus virga peccatorum super sortem iustorum, sed non ibi relinquitur, non erit in æternum. Veniet tempus quando vnus agnoscatur Deus: veniet tempus, quando vnus Christus in claritate sua apparens congreget ante se omnes gentes, & diuidat eas, sicut diuidit Pastor hœdos ab ouibus, &c. Videbis ibi multos seruos inter oues, & multos Dominos inter hœdos: & rursus multos Dominos inter oues, & multos seruos inter hœdos. Non enim quia sic consolati sumus seruos, omnes serui boni sunt: aut quia sic reprehendi superbiam Dominorum, omnes Domini mali sunt. Sunt boni & fideles Domini, & sunt mali. Sunt boni & fideles serui, & sunt mali. Sed quandiu serui boni seruiunt malis Dominis, ferant ad tempus, quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, &c. Vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas, sed teneant ab iniquitate manus suas, & ferant iniquitatem, non faciant: melius est enim iniustitiam ferre quàm facere.

3. Dominis duobus, Deo & Mammonæ, seruire qui dixit impossibile, duos Deos non inuehit.
4. Cont. Marc. cap. 33. in p. ad m.

Luc 16. 13. Luc. 16. 9. QVibus duobus Dominis neget posse seruiri, quia alterum offendi sit necesse, alterum defendi, ipse declarat, Deum proponens & Mammonam. Deinde mammonam quem intelligi velit, si interpretem non habes, ab ipso potes discere. Admonens enim nos, de sæcularibus suffragia nobis prospicere amicitiarum, secundùm serui illius exemplum, qui ab actu summotus, dominicos debitores diminutis cautionibus releuat in subsidium sibi. *Et ego,* inquit, *Dico vobis, facite vobis amicos de Mammona iniustitiæ;* De nummo scilicet, de quo & seruus ille. Iniustitiæ enim auctorem & dominatorem totius sæculi nummum scimus omnes. Cui famulatam videns Phariſæorum cupiditatem, ammentauit hanc sententiam, *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Irridebant denique Phariſæi pecuniæ cupidi, quòd Luc. 16. 13. intellexissent scilicet mammonam de nummo dictum, ne quis existimet in Mammona Creatorem intelligendum, & Christum à Creatoris illos seruitute reuocasse. Quid? nunc potius ex hoc disce, vnum à Christo Deum ostensum. Duos enim Dominos nominauit, a Luc. 16. 13. Deum & Mammonam, Creatorem & nummum. Denique, a *Non potestis Deo seruire* Vtique ei, cui seruire videbantur; *Et Mammonæ*, Cui magis destinabantur. Quod si ipse alium se ageret, non duos dominos, sed tres demonstrasset. Et Creator enim Dominus, quia Deus. Et vtique mogis Dominus, quàm Mammonas; magisque obseruandus, quà magis Dominus. Quale est enim, vt qui Mammonam Dominum dixerat, & cum Deo iunxerat, vere ipsorum Dominum taceret, id est Creatorem? Aut nunquid tacendo eo, concessit seruiendum ei esse, si solummodo sibi & Mammonæ negauit posse seruiri? Ita, cùm

vnum

vnum Deum ponit nominaturus & Creatorem, si alius esset ipse, Creatorem nominauit, quem dominum sine alio Deo non posuit. Et illud itaque relucebit, quomodo dictum b *Si b* Luc. 16. ñ
in Mammona injusto fideles non extitistis, quod verum est quis vobis credet? In nummo scilicet injusto, non in Creatore, quem & Marcion justum facit. c *Et si in alieno fideles inuenti non estis,* c Ibid. 12.
quod meum est, quis dabit vobis? Alienum enim debet esse à seruis Dei, quod injustum est. Creator autem, quomodo alienus erat Pharisæis, proprius Deus Iudaïcæ gentis? Si ergo hæc non cadunt in Creatorem, sed in Mammonam, *quis vobis credet quod verius est? & quis vobis dabit quod meum est?* non potest quasi alius dixisse, de alterius Dei gratia. Tunc enim videretur ita dixisse, si eos in Ceatorem non in Mammonam, infideles notando, per Creatoris mentionem distinctiones fecisset Dei alterius, non commissuri suam veritatem infidelibus Creatoris. Quomodo tunc alterius videri potest; si non ad hoc proponatur; vt à re, de qua agitur, separetur?

DOMINVS. III. SCHOLIA.

ALTERVM OFFENDI. *Luc. 16.* 13. Nemo seruus potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, *Syr. vnum honorabit* & alterum contemnet: Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi *non tantum hæc postrema, sed & totam precedentem de Villico & Mammona iniquitatis parabolam*, qui erant auari, & deridebant illum. IPSE DECLARAT. *Christus explicat, qui sint illi duo Domini. Nec locum reliquit Marcioni, quo posset exponere per duos Dominos hinc Deum suum bonum, inde Deum Creatorem malum: cum ait*, Deo & Mammonæ. *Et ne quod dubium superesset, de interpretatione Mammona, ipsemet explicuit per Mammonam intelligendam esse concupiscentiam auri & argenti.* DE SÆCVLARIBVS, *de bonis sæculi, vnde & meminit Christus versu 8.* Quia filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico: facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. AB ACTV SVMMOTVS. *Vox iuris, administrationem seu dispensationem pecuniæ significat apud Scævolam. l. 40. §. 3. ff. de Statuliberis:* Stichus seruus meus actor, si rationem omnem actus sui hæredi meo reddiderit, liber esto. *Actum item administrare vel agere, id est rem administrare dixit Vlpianus in l. 1. §. si Seruus. ff si is qui test. lib. &c.* Luc. 16 3. *& seq.* ait Villicus intra se: quid faciam, quia Dominus meus aufert à me Villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione mea *ab actu summotus: Syr. cum exierim à dispensatione*, recipiant me in domos suas. DOMINICOS. *qui Domino suo debebant.* DIMINVTIS CAVTIONIBVS. *Vox item Iuris. Generaliter in iure per cautionem intelliguntur instrumenta, tabulæ, Symgraphæ & Chirographa. l. 5. si qua sunt. ff. familiæ erciscundæ l. Iulia. 40 ff si cert. pet. &c. hinc Vlp. l. 5. §. 6. ff. Commod.* Si tibi codicem commodauero, & in eo Chirographum, debitorem tuum cauere iusseris. *Generaliter item sumitur pro omni Scriptura, qua cui prospicitur, siue obligationis, siue liberationis probandæ causa emittatur pro Chirographo. l. 40. si Cert. pet. l. penultima. §. vltimo ad l. Falcidiam. l. 27. depos. l. 15. §. quod dicitur. Et l. 26. ff. de pign. Hic sumitur pro Chirographo liberationis, vt patet ex textu Luc. 16. 5. & seq.* Conuocatis itaque singulis debitoribus Domini sui, dicebat primo: quantum debes Domino meo? at ille dixit: Centum cados olei. *Syr. metretas. id est mensuras* dixitque illi: accipe cautionem tuam, *Syr. librum tuum, id est Chirographum* & sede cito: Scribe quinquaginta. *Syr. addit Metretas* deinde alij dixit: tu verò quantum debes? qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: accipe literas tuas, & scribe octoginta. *Cados porrò, mensura est verum liquidarum, continens congios decem, vel ex aliis duodecim. Congius item ex aliis dictus Chus sex sextarios continet. Corus autem quadraginta modios capit, modius verò viginti sextarios.* INIVSTITIÆ. *textus habet.* Iniquitatis. AMMENTAVIT. *alij*, Amentauit, *id est vibrauit sagittam. Verbum ab Amento dictum, quod significat omne ligamen, veluti lorum, quo media hasta religatur, vt iaci longius possit. Vnde Lucanus.* Iaculum amentauit habena. *Et Cicero de Oratore, metaphoricè dixit*, Ammentatas hastas ab alio accipere, eaque Oratoris viribus torquere, *pro, argumentis aliunde depromptis, quasi telis, quibus vtitur orator.* NE QVIS, *Marcionita scil. sibi blandiatur, quasi Christus per Mammonam, non Auaritiam, sed Deum Creatorem intellexerit, à cuius seruitio, ad Deum suum nouum abducere voluerit.* QVID? *quid habes hic, Marcion, quod obiicias? fatere conuictus, Christum hoc dicto confirmasse vnicum esse Deum Creatorem.* VTIQVE EI. *Scilicet Creatori, cuius legis veteris, videbat Pharisæos in omni occasione maximos zelatores, & proinde eius seruos.* CVI MAGIS, *seruiri, ob hipocrysim, magnificatas fimbrias, dilatata phylacteria, traditiones Seniorum, exterius videbantur.* DESTINABANTVR. *Non fato aut stella, sed voluntate mala, & habitu auaritiæ in Mammonam inclinati. Et ob id destinati in scopum correctionis Christi.* ALIVM SE AGERET. *Si Christus de duobus Dominis loquens, cum sit ipse Dominus & vnus cum Patre Creatore Deus, per Deum, alium præter se, Deum intelligeret, vel ipse alium repræsentaret Deum Dominum, non duos hic, sed tres Dominos demonstrasset.* OBSERVANDVS, *honorandus, colendus.* QVALE EST. *Phrasis communis Tertulliano. quis tam desipiat, vt putet, &c.* DEVM IVNXERAT. *in eadem sententia, composuerat cum Mammona, vtriusque seruitutem simul incompatibilem docens. Cum igitur testeipso Marcione. Deus Creator sit author metalli, vt aliorum corporum, fieri non potuit, vt eum argueret auaros Pharisæos, Mammonæ potius, quã Deo seruientes: per Deum non intellexerit Creatorem, & Dominũ auri, & ipsorum Iudeorum, maximéque Pharisæorum.* AVT NVMQVID, *&c. vel, quæro à Marcione, vtrum Christus, non expresso nomine Creatoris, eo ipso concesserit posse Creatori seruiri, si illam incompatibilitatem seruitutis restrixerit ad Deum suum nouum.* CVM VTRVM, *ex duobus scilicet Dominis, quibus simul seruiri non potest: cum vnum Deum dixit, profectò, cùm hactenus ipsi nullum alium præter Creatorem nossent, non alium quam ipsum intellexit; quia si alius Deus præter eum fuisset illum sine dubio nominasset.* RELVCEBIT. *Intelligetur, quo sensu Christus dixerit hanc sententiam Luc. 16. 10.* Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: Et qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo Mammona fideles non fuistis; *Creaturæ potius, quàm Creatori seruientes, Auaritiæ*

Idololatria, aliena rapientes, nihil pauperibus largientes quod verum eſt, *veras gratiæ diuitias, Euangelij diſpenſationem, Eloquia Dei, Argentum igne examinatum, pecuniam Dei ad menſam fœnoris ſpiritalis.* quis credet vobis? & ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, *vobis primò credita ſunt Eloquia Dei. Vobis primum Euangelium miſſum eſt* quis dabit vobis? Notat hic Tertullianus, Chriſtum, per Mammonam iniuſtum, iniuſtam auaritiam intellexiſſe, non autem Deum Creatorem, quem & ipſe Marcion ideo reprobat, quod iuſtum & iudicem agnoſcat, per alienum item. non potuit Creatorem intelligere, quem & ipſi Marcionitæ proprium fatentur Iudæorum Deum: ſed alienum dixit Mammona iniuſtum & proinde à iuſtitiæ, & Iuſti Dei ſectatoribus alienum. QVASI ALIVS. *Chriſtus ſcil. quàm Creatoris filius, de alio Deo, quàm de Deo Creatore. Et eius gratia locutus fuiſſet.* TVM ENIM, *Chriſtus dicens, quis vobis credet & committet Dei Patris mei gratiam, quæ propriè meæ, & longè veriores diuitiæ ſunt? non potuit de alio Deo intelligere, quàm de Deo Creatore Tunc enim de altero Deo & Domino locutus fuiſſe videri poſſet, ſi ro Mammona expreſsè nominato, loco eius, Creatorem poſuiſſet: ſic dicendo:* non poteſtis Deo ſeruire, & Creatori. *cum notauit, id eſt arguit Phariſæos de auaritia, & infidelitate. & iniuſtitia in modico mammona adminiſtrando.* PER CREATORIS MENTIONEM. *tum enim ſi ſpecialem mentionem feciſſet Dei Creatoris, aperta a dediſſet duorum Deorum diſtinctionem, dum Creatorem alteri Deo appoſuiſſet ſcil. Deo & Chriſto Marcionis, qui ſuam veritatem, Euangelium, gratiam, committere noluiſſet Iudæis, ſeruis, Creatoris, cuius bonis temporalibus infideliter vtebantur.* QVOMODO TVNC, *&c. talis eſt concluſio & ſcopus totius capitis. Cum Chriſtus de iniuſto Mammona loquebatur, agebat de re aliena à Deo Creatore, quatenus iniuſta res erat, hoc eſt iniuſtè adminiſtrata, auarè retenta, & prælata ſeruitio Creatoris, nec pauperibus diſtributa. Non autem quatenus aurum & argentum bona creata ſunt, ſic enim non erant aliena, ſed ab eo creata. res item de qua agebatur, erat, iniuſta adminiſtratio bonorum temporalium. qua Phariſæi poſſidebant tanquam proprietarij, & non vt diſpenſatores bona ſibi à Creatore commiſſa.* ALTERIVS VIDERI POTEST, *altera ſeparata, diſtincta, ab altero Deo & Domino. res de qua agebatur, ſcilicet iniquum Mammona, altera à Deo videri non poteſt, niſi ſic à Chriſto proponatur parabola duorum Dominorum; vt Dominus Deus, à Domino Mammona ſeparatus & diſtinctus intelligatur, quod ſi vt oppoſita inuicem diſtinguantur, profectò per Mammonam, Deus Creator non poteſt intelligi.* De hac parabola conſulendus *Aug. to. 4. lib. 2. qq. Euang. q. 34.* S. Auguſt. In villico quem Dominus eiiciebat de Villicatione, & laudauit eum, quòd in futurum ſibi proſpexerit, non omnia debemus ad imitandum ſumere, &c. è contrario dicuntur iſtæ ſimilitudines, vt intelligamus, ſi laudari potuit ille à Domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placent Domino Deo, qui ſecundum eius præceptum illa opera faciunt, &c. quod autem de centum cadis olei, quinquaginta ſcribi fecit à debitore; & de centum coris tritici, octoginta, ad nihil aliud valere arbitror, niſi vt ea quæ ſimiliter in Sacerdotes, atque in Leuitas Iudæi, quiſque operatur in Chriſti Eccleſia, abundet juſtitia eius ſuper Scribarum & Phariſæorum, vt cum illi decimas darent, iſti dimidias dent: ſicut non de fructibus, *mallem fraudibus: de quibus non dimidium, ſed quadruplum reddidit. Nec enim video quomodo fr ctus legitimi non ſint computandi inter bona Zachæi.* Sed ipſis bonis ſuis fecit Zachæus aut certè duplicet decimam, & duas decimas dando, *reſpicit centum ad cœloginta ſubductis duabus decimis.* Superet impendia Iudæorum. Mammona verò iniquitatis ideo à Domino appellata eſt iſta pecunia quam poſſidemus ad tempus, quia Mammona diuitiæ interpretantur. nec ſunt iſtæ diuitiæ niſi iniquis qui in eis conſtituunt ſpem atque copiam beatitudinis ſuæ. à juſtis verò cùm hæc poſſidentur, eſt quidem iſta pecunia, ſed non ſunt tamen illis diuitiæ, niſi cœleſtes, & ſpiritales, quibus indigentiam ſuam ſpiritaliter ſupplentes exclusâ egeſtate miſeriæ, beatitudinis copia ditabuntur. Quod dicit: ſi in alieno fideles non fuiſtis: alienas appellat terrenas facultates: quia nemo eas ſecum moriens aufert. hoc eſt quod dicit Dauid, ne timueris cum dites factus fuerit homo, &c. quoniam non cum morietur accipiet omnia, &c. Quod ait, aut vnum odiet, & alterum diliget, &c. aut alteri adhærebit, aut alterum contemnet. Adhærebit ſcilicet diabolo, cum quaſi eius præmia temporalia ſectatur, contemnet autem Deum. Non dixit odiet, ſed contemnet: ſicut ſolent minas eius poſtponere cupiditatibus ſuis, qui de bonitate eius ad impunitatem ſibi blandiuntur. *De Amicis procurandis de Mammona iniquitatis ſic Aug. ſer. 35. de Verb. Dom. vbi & de Zacheo.* Qui habetis de malo, facite inde bonum. qui non habetis de malo, nolite acquirere de malo Eſto bonus, tu qui bonum facis de malo: Et cum cœperis boni aliquid facere de malo, noli remanere tu malus. Numi tui conuertuntur in bonum, tu autem remanes malus? &c. Mammona iniquitatis diuitiæ ſunt ſæculi omnes, vndecumque ſint, &c. Honeſtè acquiſiſti, &c. tamen etiam ſic noli illas dicere diuitias: Nam ſi dicis illas diuitias, amabis illas Et ſi amaueris illas, peribis cum illis: perde, ne pereas; dona, vt acquiras, ſemina, vt metas. Has diuitias noli appellare, quia verè non ſunt. paupertate plenæ ſunt, & ſemper obnoxiæ caſibus, &c. Ergo illæ ſunt veræ diuitiæ, quas cum habuerimus, perdere non poſſumus. Et ne fortè propter illas furem timeas, ibi erunt, vbi nullus auferat. Audi Dominum tuum: theſaurizate vobis theſauros in cœlo, quo fur non accedat. tunc erunt diuitiæ, quando eas migraueris. quamdiu in terra ſunt, diuitiæ non ſunt, ſed diuitias vocat illas mundus, iniquitatis vocat Deus. Ideo Mammona iniquitatis, quia diuitias illas vocat iniquitas. *Et iniquè vocat, quia nomen hoc non meretur. Ser. autem 25. de Verb. Dom. pauperem & diuitem inuicem iuuari ſic probat.* Auguſt. Diues & pauper, duo ſibi ſunt contraria, ſed iterum ſibi ſunt neceſſaria. Nullus indigeret, ſi inuicem ſe ſupportaret: Et nemo laboraret, ſi ſe ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus eſt, & pauper propter diuitem factus eſt. pauperis eſt orare, & diuitis erogare; Dei eſt pro paruis magna penſare, *reſpendere.* De miſerſcordia eius parua, magna naſcitur copia. Fœcundus eſt ager pauperum, ergò reddit Dominantibus fructum. Via cœli eſt pauper, per quam venitur ad Patrem. Incipe ergo erogare, ſi non vis errare Patrimonij tui, quo es ligatus, compedem in hac vita reſolue, vt liberè ad cœlum poſſis accedere, &c Da in terra Chriſto, quod tibi reddat in cœlo. tribue pauperi, ſi non vis flammis exuri, &c. Nemo poteſt ſtare, ſed omnes cogimur tranſire, &c. ſi ante nos aliquid mittemus, non ad inane hoſpitium venietemus.

ECCLESIA.

* 1. *Ecclesia in tribus personis est. De exhort. Cast. cap. 7. in m.*

SEd vbi tres, Ecclesia est, licet laïci. Vnusquisque enim sua fide viuit. a *Nec est personarum acceptio apud Deum.* Matth. 18. 20. a Rom. 2. 11.

ECCLESIA. I. SCHOLIA.

VBI TRES. *Illud Matth. 18. 19. respicit, vbi ait Christus.* Si duo ex vobis consenterint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum *Aug. in præfatione Psal. 130.* Sæpè admonuimus charitatem vestram, non quasi vnius hominis cantantis vocem accipi debere, sed omnium qui sunt in Christi corpore. Et quia in illius corpore sunt omnes, tanquam vnus homo loquitur. Et ipse est vnus, qui & multi sunt. Multi enim sunt in seipsis, vnus sunt in illo qui vnus est. Ipsum est autem *Corpus scilicet Ecclesia* etiam templũ Dei, de quo dicit Apostolus: templum enim Dei sanctum est, quod vos estis. Omnes qui credunt in Christum, & sic credunt vt diligant, &c. *Vt excludat fidem damnum fatentium se ad eius corpus non pertinere, dicentium, quid nobis & tibi est fili Dei?* Omnes ergo qui sic credunt, tanquam lapides sunt viui, *Quia iustus ex fide vivit.* De quibus templum Dei ædificatum est, & tanquam ligna imputribilia, quibus Arca illa compacta est, quæ in diluuio mergi non potuit. Hoc autem templum est, id est ipsi homines, vbi rogatur Deus, & exaudit. Quisquis enim præter templum Dei orauerit Deum, non exaudiatur ad illam pacem supernæ Ierusalem, &c. Ille autem in templo Dei orat, qui orat in pace Ecclesiæ, in vnitate Corporis Christi, quod corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum, & ideò exauditur, quia orat in templo. Ipse enim orat in spiritu & veritate, qui orat in pace Ecclesiæ. *Porrò vbi tres consentiunt, ibi pax & corpus Christi, quod est Ecclesia, nec sine capite Christo, qui ait:* Ibi sum in medio eorum. *Verùm cùm hic locus à libro, & authore iam corrupto, & extra Ecclesiam posito excerptus sit, & dixerit falsò,* Vnumquemque sua fide viuere, *Cùm fides sit communis, & una totius Ecclesiæ; nec ex Aug.* animetur, hoc est viuat ex fide & spiritu Christi, nisi qui fuerit in corpore Christi; *Quia denique hic etiam ordinem Hierarchicum excludit, dum ait,* Etiam laïci; *Est prauè vtitur loco Pauli, vt confirmet tres personas meræ laïcas Ecclesiam componere, vt in Montano, cum duabus suis Prophetissis, Maximilla & Priscilla, Ecclesia consistat; titulo stellam præfiximus, ad cauendum scopulum. Non tamen inficior, Ecclesiam ab exordio mundi in paucis fuisse, in Adam & Eua. In Noë, vxore, tribus filiis, totidemque nuribus. In Christo, Ioseph, Maria, inde, in paucis Apostolis & discipulis. Quibus Christus ait:* Nolite timere pusillus grex. S. Augustin. Augustin. Augustin.

2. *Ecclesia Trinitatis corpus est, & sponsa. De Bapt. cap. 6. in fin.*

QVum sub tribus & testatio fidei, & sponsio salutis pignerentur, necessariò adiicitur Ecclesiæ mentio: quoniam vbi tres, id est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium Corpus est.

ECCLESIA. II. SCHOLIA.

QVVM SVB TRIBVS. *Vt plenè intelligas, scito prius dixisse, fidem & gratiam baptismi obsignatam fuisse, in Patre & Filio & Spiritu Sancto, & tres Personas Trinitatis arbitras fidei nostræ, siue quòd prò nutu & arbitrio* Dei Nobis partita sit mensura fidei *Sine meritis nostris; siue quòd in adultis, Trinitas iudicet, an fide simplici vel ficta ad Baptismum accedamus, & tunc iuxtà dispositionem eadem Trinitas certam nobis spondeat salutem, sufficiente ad confirmandam spem nostram numero diuinarum personarum, cùm sufficiat ad stabiliendum omne Verbum numerus duorum, vel trium testium. Pulchrè subinfert Auth r noster:* Cùm sub tribus, *Supplè personis diuinis* Et testatio fidei, *Nostra Deo appignerata trino & uni fit facta,* Et sponsio salutis pignerentur; *Trinitate in forma baptismi nominata salutem nobis & gratiam efficaciter promittente.* Necessario adiicitur Ecclesiæ mentio. *Dum scilicet Catechumenus baptizandus, in una fide, vnoque baptismo suscipiendo, credere se profitetur:* Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. QVONIAM VBI TRES. *Ideò dixit necessariò fieri mentionem Ecclesiæ in professione fidei & baptismi, quo intratur in Ecclesiam: quod cùm caput & corpus vnum sint, non possit credere in Deum Patrem omnipotentem, & vnicum filium eius, & in Spiritum Sanctum Dominum, & in vnum caput Ecclesia Deum trinum & vnum, qui non credit in Ecclesiam, quæ est corpus eius. De hac interrogatione fieri solita, An crederet Catechumenus in Ecclesiam Catholicam, Videndus Cypr. Ep. 70. & 76. Hiero. Contra Luciferianos. Aug. homil. ad Neoph. & lib. 5. Cont. Donatistas c. 20. vbi respondet Donatistis:* Illud autem quale est, vt ideò puretur hæreticus non habere Baptismum, *Quàm valdè conferre possit* Quia non habet Ecclesiam? Et vtique cùm baptizatur, etiam de Sancta Ecclesia interrogatur. *Hæ sunt obiectiones rebaptizantium.* Quasi verò ille qui non factis intus, sed verbis, sæculo renuntiat, non hoc in baptismo interrogetur. Sicut ergo huius falsa responsio non efficit, vt baptismus non sit quem percipit: sic & illius de Ecclesia sanctâ falsa responsio, non efficit vt baptismus non sit quem percipit. Et sicut ille, si postea, quod fallaciter responderat, veraciter impleat, non ei baptismus repetitur, sed vita corrigitur: sic & ille, si postea veniat ad Ecclesiam, de qua interrogatus falsum responderat, quia eam se habere, dum non haberet, putabat; ipsa quam non habebat, ei datur, non quod acceperat, iteratur. TRIVM CORPVS EST. *Quia tres personæ Trinitatis vnum essentia sunt, proinde vnum caput est corporis Ecclesiæ; cui nisi vt membra coniamur, Dei spiritum non vinificamur.* Vnus panis Sacramentum est S. Augustin.

vnitatis; quoniam ſicut Apoſtolus dicit: vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Proinde Eccleſia Catholica ſola Corpus eſt Chriſti, cuius ille caput eſt, Saluator corporis ſui. Extra hoc corpus neminem viuificat ſpiritus Sanctus, quia ſicut ipſe dicit Apoſtolus, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis. Non eſt autem particeps diuinæ Charitatis, qui hoſtis eſt vnitatis. Non habent itaque Spiritum Sanctum qui ſunt extra Eccleſiam. De illis quippè ſcriptum eſt. *Iude 19.* qui ſeipſos ſegregant, animales, ſpiritum non habentes. Sed nec ille eum percipit qui fictus eſt in Eccleſia, quoniam deinde ſcriptum eſt *Sap. 1. 5.* Sanctus enim Spiritus diſciplinæ effugiet fictum. Qui ergo vult habere Spiritum Sanctum, *Et cum hoc ineffabili complexu genitoris & geniti, vni Deo in eius corpore & ſponſa eius Eccleſia adhærere*, caueat foris ab Eccleſia *Quæ trium corpus eſt*, remanere; caueat in eam ſimulatè intrare; aut ſi iam talis intrauit, caueat in eadem ſimulatione perſiſtere, vt veraciter coaleſcat arbori vitæ. *Ait Aug. ep. 50. ad Bonifacium Comitem, in fine. Expreſſius autem de tribus perſonis, quibus vt vni capiti Deo, hæret corpus eius, quod eſt Eccleſia. Ep. 119 ad Ianuarium à p Paulum inducens, Rom. 8. 11.* Si Spiritus eius *Id eſt Patris* Qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, per inhabitantem Spiritum eius in vobis. Hoc igitur vniuerſa Eccleſia, quæ in peregrinatione mortalitatis inuenta eſt, expectat in fine ſæculi, quod in Domini noſtri Ieſu Chriſti corpore præmonſtratum eſt, qui eſt ex mortuis primogenitus: quia & corpus eius, cuius caput eſt ipſe, non niſi Eccleſia eſt.

August.

August.

* 3. *Eccleſia vniuira, & vnum Chriſti corpus in Eua figurata. De Exhort. Caſt. cap. 5. in p. ad vltra m.*

Gen. 2. 21. AD legem ſemel nubendi dirigendam, ipſa origo humani generis patrocinatur, conteſtans quid Deus in primordio conſtituerit, in formam poſteritati recenſendam. Nam quum hominem figulaſſet eique parem neceſſariam proſpexiſſet, vnam de coſtis eius mutuatus, vnam illi feminam finxit; quum vtique nec artifex, nec materia defeciſſet. plures coſtæ in Adam, & infatigabiles manus in Deo, ſed non plures vxores apud Deum. & ideo homo Dei Adam, & mulier Dei Eua, vnis inter ſe nuptiis functi, formam hominibus Dei, de originis auctoritate, & prima Dei voluntate ſanxerunt. Denique a *Erunt duo*, inquit, *in carne vna*; non tres, neque quatuor. Alioquin, jam non *vna caro*, nec duo in vnam carnem. Tunc erunt, ſi conjunctio, & concretio in vnitatem, ſemel fiat. Si verò rurſus aut ſæpius, jam vna eſſe deſiit; & erunt non duo in vnam carnem, ſed vna plane coſta in plures. At quum Apoſtolus b *in Eccleſiam & Chriſtum* interpretatur, *Erunt duo in vnam carnem*; ſecundum ſpiritales nuptias Eccleſiæ & Chriſti; vnus enim Chriſtus, & vna eius Eccleſia; agnoſcere debemus duplicatam & exaggeratam eſſe nobis vnius matrimonij legem, tam ſecundum generis fundamentum, quam ſecundum Chriſti ſacramentum. De vno matrimonio cenſemur vtrubique, & carnaliter in Adam, & ſpiritaliter in Chriſto. Duarum nationatum vnum eſt monogamiæ præſcriptum. In vtraque degenerat, qui de monogamia exorbitat.

a Gen. 2. 24.

b Epheſ. 5. 31 32.

ECCLESIA. III. SCHOLIA.

AD LEGEM, &c. *Et hic locus ex lib. corrupto & author ab Eccleſia iam ſeparato, depromptus eſt, ſi crudè, vt ſonat, ſumitur, hæreticus eſt, quia ſecundas condemnat nuptias, & legem imponit ſemel tantum nubendi; cùm, vt ſuſè infra ſuo loco dicemus, per Apoſtolum liceat pluries nubere. Honeſtatis tamen, non neceſſitatis lege, vnicas nuptias hic commendari cupio. Dicit ergo author: vt directe probem legem ſemel nubendi præſcriptam, ei in primis ſuffragatur ipſa humani generis inſtitutio, quæ teſtatur hanc legem ab initio à Deo conſtitutam, ad exemplum & formam rei poſteritati præſcribendam. Cum enim magnus ille figulus Deus, de luto corpus primi hominis finxiſſet, & ei adiutorium ſimile prouidiſſet, de vna eius coſta, vnicam fecit feminam.* APVD DEVM. *Id eſt à Deo inſtituta non ſunt.* HOMINIBVS DEI. *Fidelibus.* DE ORIGINIS AVCTORITATE. *Propter pondus quod habere debet in poſteris, ad exemplar primi Matrimonij, componendos.* FORMAM SANXERVNT. *Quaſi legem ſtatuerunt.* NON VNA CARO. *Contrà Gen. 2. 24 & Epheſ. 5. 31.* Erunt duo in carne vna. *Vel vt habet Syr.* Et erunt ambo vna caro. TVNC ERVNT. *Supplè vna caro.* SEMEL PIA. *Semel tantum nubendo.* IN ECCLESIAM. *De Eccleſia dum ait, Epheſ. 5. 32.* Sacramentum hoc magnum eſt ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. *Tranſlat. Syr.* Hoc arcanum magnum eſt, ego autem loquor de Meſchicho, & de Eccleſia ipſius. VNA ECCLESIA. *De vnitate Eccleſiæ videndus Auguſtinus in 7. libro eximio, quem ſcripſit, & inſcripſit de vnitate Eccleſiæ, contra Epiſtolam Petiliani Conſtantinienſis Epiſcopi Donatiſtæ. Breuiter autem Epiſtola 120. de gratia noui Teſtamenti ad Honoratum, in qua decurris Pſalmum 21. & vbi attigit verſum 21.* Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Framea, aut, gladius eſt; nec vtique tali ferro Chriſtus occiſus eſt, ſed cruce; nec latus eius gladio, ſed lancea percuſſerunt. Tranſlato ergo verbo, frameam linguam dixit perſequentium; ſicut in alio pſalmo dicitur, & lingua eorum gladius acutus: vnde, quia in eius carne lingua prævaluit malignorum, orat vt animæ nihil noceat, cum dicit, erue à framea animam meam: vt hæc in prophetia oratio, *Prophetica oratio, non animam Chriſti Phyſicam, ſed myſticam ſignificans.* Si ad caput corporis, *Id eſt Chriſtum caput Eccleſiæ* referas, non videatur velut indigentis petitio, ſed potius rei futuræ figurata prædictio. *Quod myſterium in ſequentibus explicat.* Aut certè, quia corpus eius, hoc eſt Eccleſia, graues perſecutiones fuerat perpeſſura, frameam dixit, qua maximè trucidati ſunt Martyres, vnde vult eorum animas eripi, ne timeant eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non poſſunt, & conſentiant ad illicita. Aut

C

D

August.

August.

etiam in ipſorum paſſionibus inimicorum linguam frameam dicit, vnde animam ſuam, hoc eſt, animam corporis ſui, animam Sanctorum ſuorum vult erui. Quod autem ſequitur: & de manu canis vnicam meam. nihil aptius quàm vnica Eccleſia mihi videtur intelligi. Canem verò appellauit mundum, non ratione, ſed conſuetudine, contra inſolitam veritatem, latrantem. Hæc eſt enim canum natura, vt cum quibus habent conſuetudinem, ſiue illi boni, ſiue mali ſint, non ad eos latrent; inſolitorum autem perſonis viſis, etiam innocentibus, irritentur. Manu autem canis, poteſtatem mundi ſignificauit. Cuius etiam regnum infeſtum futurum corpori ſuo, id eſt Eccleſiæ ſuæ, leonis nomine figurauit, in eo quod adiunxit: ſaluum me fac de ore leonis. Vndè eſt ſcriptum Prouerb. c. 19. 12. & c. 20. 2. Nihil intereſt inter minas regis, & iram leonis quamquam & diabolum Apoſtolus Petrus, leoni comparet rugienti, & quærenti circumeundo quem deuorer. *De coſta autem eductam Eccleſiam, hoc eſt de latere Chriſti, diſertè idem Aug. alibi à nobis relatus. tract. 9. à m. in Io. 2. tract. 120. in Io. 20. in p. item in Pſal. 126. in Pſalmum autem 128. in verſum*, Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Vxor tua, inquit, Chriſto dicitur: Ergo vxor eius, Eccleſia eius: vxor eius nos ipſi, ſicut vinea eius fertilis, &c. Sed in quibus? in lateribus domus tuæ, &c. Quæro quæ ſint latera domus? &c. Latera dicimus domus eos, qui inhærent Chriſto, &c. Nec ſine cauſa & ipſa coniux de latere facta eſt. Viro dormiente, Eua facta eſt. Moriente Chriſto, Eccleſia facta eſt. Et illa de latere viri, cùm coſta detracta eſt: & illa de latere viri, quando latus lancea percuſſum eſt, & Sacramenta

A profluxerunt. *Sed aduerte lector, primò, quàm doctè Auguſtinus vxorem domui comparet; ſic enim de prima vxore Scriptura loquitur, quaſi de domo:* Ædificauit coſtam in mulierem. *Secundò domum viri à muliere forti tanquam à firmis lateribus fulciri. Tertiò contra Tertulliani errorem, non vnum latus, ſed latera poni; quòd plures ſucceſſiuè poſſit vir ducere, idque abſque præiudicio ſignificationis matrimonij vnici, vnius Chriſti, cum vna Eccleſia.* Vnica columba. *Cum enim morte, teſte Apoſtolo, vir & vxor lege matrimonij ſoluti ſint, denuo poſſunt nubere, poſt alterutrius obitum, & nouo contracto Matrimonio vnius cum vna, ſaluum manet ſignum Sacramenti Chriſti cum Eccleſia.* GENERIS FVNDAMENTVM. *Matrimonium Adæ*
B *& Euæ, ex quo omne genus propagatum eſt. Sic enim in Actis legimus.* Ex vno fecit omne genus hominum habitare ſuper terram. CENSEMVR VTRAQVE. *Tam in Adam Monogamo, quàm in Chriſto vnius Eccleſiæ viro, inhemur & obligamur, vnius matrimonij ſemel ſuſcepti Sacramento eſſe contenti.* CHRISTI SACRAMENTVM. *De quo ſupra diximus ex Paulo:* Sacramentum hoc magnum, &c. *Alij legunt:* Chriſti firmamentum. *Quod Chriſtus exemplo ſuo confirmauerit monogamiam Adami.* CARNALITER. *Ob Matrimonium Carnale Adæ cum Eua, & ſpiritale Chriſti cum Eccleſia.* DVARVM NATIVITATVM. *Primò enim ex primo Matrimonio naſcimur ex homine homines; ex ſecundo* Non ex
C ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati, poteſtatem accepimus filios Dei fieri. PRÆSCRIPTVM. *Vna lex præſcripta eſt.* IN VTRAQVE. *Natiuitate, & degeneres à Patre Adam monogamo, & à Chriſto*, Epiſcopo animarum noſtrarum, vnius vxoris, Eccleſiæ viro.

Auguſt.

4. *Eccleſia Sponſa Chriſti Creatoris, non competit Marcioni nubere prohibenti.* 5. *Cont. Marc. cap.* 12. *circa fin.*

SI & virginem ſanctam deſtinat Eccleſiam aſſignare Chriſto, vtique vt ſponſam ſponſo: non poteſt Imago coniungi inimico veritatis rei ipſius. 2. Cor. 11. 2.

5. *Eccleſia abiecta Synagoga prælata, quam Chriſtus in ea natus, meliorem Matrem agnouit. V. Verbum Parentes, &c.*

ECCLESIA. IV. SCHOLIA.

DESTINAT. *Optat Apoſtolus his verbis*, 2. Cor. 11. 1. *& ſeq.* Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me: *Syr. Sed & ſufferris me* Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam, exhibere Chriſto. NON POTEST IMAGO, &c. *Cum Marcion Matrimonium reſpueret, neſcio qua fronte Apoſtolum ſibi vſurpet & Chriſtum. Cum enim Chriſtus per Paulum quaſi per internuntium & imaginem ſuam ſe repræſentantem, Corinthios quaſi membra Eccleſiæ corpori congregata, ſibi deſponſaret, quomodo Marcion fidem Chriſti teneat, qui imagini eius, Paulo ſcilicet ſapius matrimonium commendanti aduerſatur? Melius & clarius ad literam: res ipſa, & veritas de qua hic loquitur Tertullianus, eſt ipſum reale matrimonium Adæ cum Eua, quod Marcion inimicus Dei Creatoris, à quo in Paradiſo inſtitutum eſt, reſpuit & reiicit; nuptias prorſus tollens & condemnans, ſicut & totum vetus Teſtamentum. Imago autem ſiue imitatio illius prototypi matrimonij Adæ cum Eua, de eius dormientis latere ſumpta, eſt ſpiritale matrimonium Chriſti morientis in Cruce, cum Eccleſia de latere eius lancinato cum Sacramentis egreſſa. Hanc igitur Imago*
D *hoc ſpiritale matrimonium, coniungi, conuenire non poteſt Marcioni inimico matrimonij veri & realis: Hoc eſt nec ad Paulum, nec ad Chriſtum, nec ad Eccleſiam pertinet Marcion hæreticus, vt membrum putridum, ſeparatus, iectus à nuptiis Agni, ſicut nuptias reprobat, ſine veſte nuptiali, ſine Charitate, ſine vnitate fidei Eccleſia miſſus foras in tenebras exteriores hæreſeos. Quod Tertull. per veritatem, intelligat reale matrimonium Adæ & Euæ, ſequentia verba Pauli confirmant:* Timeo autem ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate *Fidei vnius in vnum ſimpliciter Chriſtum & Deum; cum duos induxerit Marcion & Deos & Chriſtos, ſicut ſerpens plures Deos dicens, eritis ſicut dij, &c.* Quæ eſt in Chriſto. Nam ſi is
E qui venit, *Syr. addit ad vos* Alium Chriſtum prædicat, *Sicut prædicauit Marcion*, quem non prædicauimus: aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis: aut aliud Euangelium, quod non recepiſtis, rectè pateremini. *Syr. ironicè quoque eadem ſenſu:* Pulchrè aſſenſum præbetis. *Aug. tract. 13. in Io. 9.* Comedebat eum zelus domus Dei, quam tamen zelabat Chriſto non ſibi. *Ea ex ruinis domus Dei*

S. Auguſt.

Eccleſiam vocat iuxta Pſal. 68. zelus domus tuæ, &c.
S. Auguſt. Sponſus enim zelat ſibi ſponſam ſuam; Amicus autem ſponſi non ſibi eam debet zelare, ſed ſponſo. Apoſtolus amicus ſponſi zelat & ipſe, non ſibi, ſed ſponſo. Audi vocem zelantis: zelo Dei vos zelo, dixit; non meo, non mihi, ſed zelo Dei. Vnde? quomodo? quam zelas, vel cui zelas? deſponſaui enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Quid ergo times? quare zelas? timeo, inquit, ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam aſtutia ſua: ſic & veſtri ſenſus corrumpãtur à caſtitate quæ eſt in Chriſto Ieſu omnis Eccleſia virgo appellata eſt. Diuerſa eſſe membra Eccleſiæ, diuerſis donis pollere videris atque gaudere. Alij coniugati, aliæ coniugatæ: alij viduati vxoribus, vltra non quærunt. Aliæ viduatæ maritis, vltra non quærunt: alij integritatem ab ineunte ætate conſeruant; aliæ virginitatem ſuam Deo vouerunt. Diuiſa ſunt munera, ſed omnes iſti, vna virgo eſt. Vbi eſt iſta virginitas? non enim in corpore. In corpore paucarum fœminarum eſt. Et ſi dici virginitas in viris poteſt, pãucarum virorum ſanctitas. Integritas etiam corporis eſt in Eccleſia; *Scil. in ſtatu virginum,* Et honorabilius membrum eſt. Alia autem membra, non in corpore ſed omnia in mente ſeruant virginitatem. Quæ eſt virginitas mentis? integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas. Hanc virginitatem timebat, ille qui zelabat ſponſam, à ſerpente corrumpi. Sicut enim membrum corporis violatur in quodam loco, ſic ſeductio linguæ violat virginitatem cordis. In mente non corrumpatur, qui non vult ſine cauſa tenere corporis virginitatem. Quid ergo dicam fratres mei? & hæretici *Maximè Marcionitæ, vt alibi diximus* Habent virgines, & multæ ſunt virgines hæreticorum. Videamus, ſi ſponſum amant, vt virginitas iſta cuſtodiatur: cui cuſtoditur? Chriſto, inquit, videamus ſi Chriſto, & non Donato. *Et non Marcioni, gloriam ex noua ſua hæreſi ſapienti.* Auguſt.

6. *Eccleſia Corpus Chriſti facta de Gentibus conuerſis, iuxtà Prophetas. 4. Cont. Marc. cap. 13. in fin.*

Luc 6.17. COnueniunt à Tyro, & ex aliis regionibus, multitudo etiam tranſmarina. hoc ſpectabat
a Pſal. 86. 4. & 5. Pſalmus a *Et ecce Allophyli & Tyrus & populus Æthiopum iſti fuerunt illic. Mater Sion dicet homo, & homo factus eſt in ea,* (quoniam Deus homo natus eſt) *& ædificauit eam voluntate Patris:* vt ſcias ad eum tunc Gentiles conueniſſe, quia Deus homo erat natus, ædificaturus eccleſiam ex *voluntate Patris*, ex Allophilis quoque. Sic & Eſaias, b *Ecce iſti veniunt de longinquo; iſti autem veniunt ab aquilone & mari; alij autem de terra Perſarum.* De quibus &
b Eſa. 49. 12. c Ibid. 8. d Ibid. 21. turſus c *Attolle per circuitum oculos tuos, & vide, omnes congregati ſunt.* De quibus & infrà, d *Vides ignotos & extraneos: Et dices cordi tuo, Quis iſtos genuit mihi? Porrò, hos quis mihi educauit? At hi mihi vbi fuerunt?* Hic erit Chriſtus non Prophetarum? Et quis erit Chriſtus Marcionitarum? ſi peruerſitas placet qui non fuerit Prophetarum.

ECCLESIA. VI. SCHOLIA.

A Tyro. *Hic probat contra Marcionem conſenſum vtriuſque Teſtamenti de Eccleſia congregata ex gentibus in vnum Chriſti capitis corpus: & Pſalterii & Eſaiam Lucæ concordare conuincit. Luc. quidem 6. 17.* Stetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa, & Ieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, qui venerant vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. *Vbi vides corpus Eccleſiæ conflatum non tantum ex Iudæis, ſed & Gentilibus Tyri & Sidonis. Sicut teſtatus eſt Pſalmus 86. 4. & ſeq* Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthyopum, hi fuerunt illic. Numquid Sion dicet: homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. *Tertull. ſecutus 70. Allophylos poſuit, item habent 70. Sicut & Ambroſius, & Aug. Pſalterium Romanum,* Æthyopicum, & Arabicum, Mater Sion dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. *Quod idem eſt quod legis Tertull.* Voluntate Patris *Quem locum Pſalmi pluries iam cum Aug. explicaui Caterum quod Eccleſia etiam de gentibus, & Æthiopibus ſit collecta teſtatur ſponſa Cant. 1. 5.* Nigra ſum, ſed formoſa. *Quod Aug. dupliciter explicat. Primo ob commixtionem bonorum & malorum. Iiſdem Sacramentis Eccleſia participantium. Secundò propter Gentiles in idem corpus cum Iudæis compactos. Prima expoſitio habetur to 3 lib. 3. de Doctr. Chriſtiana cap. 32.* Tanquam vnum ſit vtrumque corpus, propter temporalem commixtionem & communionem Sacramentorum. Ad hoc pertinet in Canticis Canticorum, fuſca ſum & ſpecioſa vt tabernacula Cedar, ſpecioſa ſum vt pelles Salomonis. Non enim ait, fuſca fui, vt tabernacula illa Cedar & ſpecioſa ſum vt pelles Salomonis: ſed vtrumque ſe eſſe dixit, propter temporalem vnitatem intra vna retia piſcium bonorum & malorum. Tabernacula enim Cedar ad Iſmaëlem pertinent, qui non erit hæres cum filio liberæ. *Dum in Reſurrectionis littore, & conſummatione ſæculi exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum. Secunda expoſitio tractatur to. 10. ſer. 101 de temp. à p.* Helias in deſerto coruis miniſtrántibus paſcebatur, & Chriſtus in deſerto mundi huius, gentium fide reficitur, &c. Propterea & de Gentium Eccleſia dicitur, nigra ſum & formoſa filia Ieruſalem. Vnde eſt Eccleſia nigra & formoſa, nigra per naturam, formoſa per gratiam. Vnde nigra? Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, &c. Vnde formoſa? Aſperges me hyſſopo, &c. Vnde nigra? Apoſtolus dicit, video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, &c. Vnde formoſa? quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum, &c. Poſt hæc iubetur Helias proficiſci in Sareptam Sidoniorum, vt ibi paſcatur à vidua, &c. Vidua iſta ad quam propheta mittitur, typum Eccleſiæ gerebat, ſicut & corui illi qui Heliæ miniſtrauerant figurãm Gentium habuerunt. Venit ergo Helias ad viduam, quia Chriſtus venturus erat ad Eccleſiam. *Caterùm aptè vidua hæc de populo Sidonis, pauit Heliam Chriſtum, hoc eſt corpus eius refecit & perfecit Eccleſia Gentium, vt tranſiret in Sion, Sidon. Mater enim Sion primo Eccleſia in Iudæa in qua homo, id eſt Chriſtus Deus homo natus eſt, caput Eccleſiæ Iudææ, corporis ſui caput. Bis autem repetit,*
S Auguſt. S. Auguſt. Auguſt.

homo & homo : propter caput & corpus: vel homo Iudæus, & homo Gentilis, in matre Sion, hoc est Ecclesia vna nigra & formosa, Gentili & Iudæa renascuntur. Cuius domus & ciuitatis, & sponsæ agni fundamentum & lapis angularis, patre sic volente, Christus est, qui fecit vtraque vnum. Et sicut Moyses, Æthyopissam, hoc est Gentilem duxit vxorem. ET ESAIAS *Cap. 49. 12.* Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi. 70. *Prorsus vt Tertull* Alij autem de terra Persarum. ET RVRSVS. *Eodem cap. versu 18.* Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. ET INFRA. *Scilicet versu 21.* Et dices in corde tuo: quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiua: & istos quis enutriuit? Ego destituta & sola: & isti vbi erant? hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. 70. *autem.* Et dices in corde tuo, &c. Ego autem absque liberis & vidua: & istos quis enutriuit mihi? Ego autem derelicta sum sola: & isti mihi vbi erant? &c. Et ad insulas leuabo signum meũ. *Crucis scilicet Vexillum.* HIC ERIT CHRISTVS, *&c. Et post tot clara testimonia de Christo vocante Gentes in vnam Ecclesiam, quæ non tantum in Euangelio noui Testamenti, sed & in veteri scripta sunt, poteris negare, ô Marcion, Christum alium esse, quàm qui longè ante aduentum suum à Propheris veteris legis prænuntiatus est?* ET PERVERSITAS, *&c. Si peruersum dogma Marcionis audias, quis alius erit Christus Marcionitarum, quàm ille ipse qui à Prophetis prænuntiatus est? Si hunc ipsum non admittunt, nullum Christum habent.*

7. Ecclesia Paradiso significata 2. Cont. Marc. cap. 4. à m.

BOnitas amplius delicias adiecit homini, vt quamquam totius orbis possidens, in amœnioribus moraretur, translatus in Paradisum, iam tunc de mundo in Ecclesiam. Gen. 1. 8.

ECCLESIA. VII. SCHOLIA.

BONITAS. *Dei exuberans in hominem. præter necessaria vitæ, etiam superaddidit omnimodas delitias. Vt bene dixerit Seneca:* Ad delicias amamur. *Nec satis fuit dedisse homini totius orbis possessionem, nisi præterea ad specialem habitationem, formatum ad imaginem suam, transferret in Paradisum, locum vsque voluptatis. Gen. 2. 8.* Plantauerat Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. 70. verò, Plantauit Deus Paradisum in Eden, ad Orientem, & posuit ibi hominem quem plasmauerat. IN ECCLESIAM. *Vt iam inde Paradisus figura fuerit Ecclesiæ in quam homo de mundo, hoc est de statu naturæ ad statum gratiæ transferendus adumbraretur. Defecto deliciarum locus est Ecclesia, in qua fons gratiæ, omnis generis ligna, sanctos, & eorum virtutes significantia.* August. *Arbor vitæ Eucharistia Sacramentum, &c. Aug. to. 3. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 25.* Paradisus dicta est Ecclesia sicut in Cantico Cant. legitur, hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, paradisus cum fructu pomorum. Inde ecciderunt vel aperta & corporali separatione omnes hæretici; vel occultâ, & spiritali, quamuis in ea corporaliter esse videantur, omnes cohuerti ad vomitum suum, &c. August. *Et lib. 12. c. 26.* Ecclesia quæ nos congregat in Charitatis sinu, paradisus dicta est cum fructu pomorum. Sed hoc figuratè dictum est tanquam illo paradiso, vbi propriè fuit Adam, Ecclesia figurata sit per formam futuri. Quamquam diligentius considerantibus forrassis occurrat, illo paradiso corporali, in quo Adam corporaliter fuit, & illam vitam Sanctorum significaram, quæ nunc agitur in Ecclesia, & illam, quæ post hanc erit in æternum. *Quod repetit eodem lib. 12. c. 34. & lib. 13. de Ciuit.* S. August. *cap. 21.* Possunt hæc etiam in Ecclesia intelligi, vt ea melius accipiamus, tanquam prophetica indicia, præcedentia futurorum; Paradisum scilicet Ecclesiam, sicut de illa legitur Cant. 4. Quatuor autem Paradisi flumina, quatuor Euangelia; *Supra dixerat, quatuor virtutes Cardinales,* Ligna fructifera, S. August. sanctos; fructus autem eorum, opera eorum: Lignum vitæ, Sanctum Sanctorum. *De quo apud Dan. donec vngatur Sanctus Sanctorum.* Vtique Christum: lignum scientiæ boni & mali, proprium voluntatis arbitrium. Nec seipso quippè homo, diuina voluntate contemptâ, nisi perniciosè vti potest: atque ita discit, quid interfit, vtrum inhæreat communi omnibus bono, an proprio delectetur. Sic quippè amans, donatur sibi, vt inde timoribus, mœroribusque completus, cantet in psalmo, si tamen malâ sua sentit: ad meipsum anima mea conturbata est: correctusque iam dicat, fortitudinem meam ad te custodiam.

8. Ecclesia Petri nauicula agitata fluctibus. De Bapt. cap. 12. à m.

NAuicula illa figuram Ecclesiæ præferebat, quod in mari, id est seculo, fluctibus, id est persecutionibus & tentationibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente. donec orationibus sanctorum, in vltimis suscitatus, compescat seculum, & tranquillitatem suis reddat. Matth. 8. 24. & seq.

ECCLESIA. VIII. SCHOLIA.

NAVICVLA ILLA. *De qua Matth. 8. 23. seq.* Ascendente eo in nauiculam secuti sunt eum discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes: Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis & mari, *Syr. cohibuit ventum ac mare.* Et facta est tranquillitas magna. PER PATIENTIAM. *Sinendo, & permittendo Ecclesiam persecutionibus conteri, vsque ad finem seculi.* IN VLTIMIS. *Tandem, sub finem.* SÆCVLVM, *Mundi potestates. Sepius Aug. Nauem fluctuantem, intra Tempestatis molem, dicit* S. Augst.

Ecclesiam. De fluctibus insurgentibus in eam sic in Psal. A *92. in versum, mirabiles elationes maris. Vbi ipse vertit*, Mirabiles suspensuræ maris. Suspensuræ maris Id huius sæculi, &c. Suspensuræ exaltationes sunt, quia quando irascitur mare, suspenduntur fluctus. Suspendantur fluctus quantum volunt, fremat mare quantum vult: mirabiles quidem suspensuræ maris, mirabiles minæ, mirabiles persecutiones. Sed vide quid sequitur: mirabilis in excelsis Dominus. Compescat se ergo mare, & aliquando tranquilletur, detur pax Christianis. Turbabatur mare, fluctuabat nauicula. Nauicula Ecclesia est, mare seculum est. Venit Dominus, *Altera scilicet vice Matth. 14 præter hanc, qua dormiens excitatus est* S. August. Ambulauit super mare, & pressit fluctus. Quomodo B ambulauit Dominus super mare? super capita istorum fluctuum magnorum spumantium. Potestates, & Reges crediderunt, & subiugati sunt Christo. Ergo non terreamur, quia mirabiles suspensuræ maris, mirabilis in excelsis Dominus. *In Psalmum autem 25. Notat fideles in naucula Ecclesiæ fluctuantes agitari vento blasphemiæ contra Dei prouidentiam, quæ malos florere sinit, bonos autem persecu-* S. August. *tiones pati.* Periclitabatur nauigium in stagno, & dormiebat Iesus. Nauigamus enim per quoddam stagnum, & ventus & procellæ non desunt: tentationibus quotidianis, huius sæculi propè completur nostrum nauigium. Vnde autem fit, nisi quia dormit Iesus? si non dormiret in te Iesus, tempestates istas non paterêris, sed tranquillitatem haberes interius, conuigilante tecum Iesu: quid est autem dormire Iesum? fides tua quæ est de Iesu, obdormiuit. Surgunt procellæ stagni huius. vides malos florere, bonos laborare, tentatio est, fluctus est. Et dicit anima tua ô Deus, ipsa est iustitia tua, vt mali floreant, boni laborent? dicis Deo, ipsa est iustitia tua? & Deus tibi, ipsa est fides tua? hæc enim tibi promisi, ad hoc Christianus factus es vt in sæculo istô florereς, & in futuro postea, in inferno miserrimè torquereris? &c. Excita Iesum & dic, magister perimus. Mouent enim incerta stagni: perimus. Euigilabit ille, id est, redit ad te fides tua, & adiuuante illo considerabis in anima tua, C quia quæ dantur modò malis, non cum illis perseuerabunt. Aut enim viuentes eos deserunt, aut à morientibus deseruntur. Tibi autem quod promittitur manebit in æternum, illis quod temporaliter conceditur, citò tollitur. *Sapius idem Augustinus Ecclesiam cum Arca Noë comparat, & inter cætera, cum tractat de ætatibus mundi, eam comparat eidem Arcæ, quæ velut firmamentum in medio aquarum subsistebat, de lignis quadris fabricata. in signum firmitatis. Cui quadrat quod habet in præfatione Psalmi 47. cuius titulus est* Laus Cantici filiis Chore secundâ Sabbati. *Quod sic explicat, quia cum prima die facta* August. *sit lux, secunda die Sabbathi id est septimana, factum est firmamentum.* Secunda Sabbati, id est post diem primum, quem dominicum dicimus, quæ etiam secunda feria dicitur, factum est firmamentum cœli, imò firmamentum cœlum. Cœlum enim vocauit Deus firmamentum. &c. Non frustra Dominus ait de Moyse, de me enim ille scripsit: &c. Vt intelligas Deum fecisse lucem, cum Christus à mortuis resurrexisset. Tunc enim reuera illa lux diuisa est à tenebris, quando immortalitas à mortalitate discreta est. Quid ergo sequitur, nisi vt capiti etiam corpus fieret quod est Ecclesia? &c. Secundam ergo Sabbati non debemus intelligere nisi Ecclesiam Christi: sed Ecclesiam Christi, in his qui scripti sunt in cœlo; Ecclesiam Christi, in his qui mundi huius tentationibus non cedunt. Ipsi enim digni sunt nomine firmamenti. Ergo Ecclesia Christi in his qui firmi sunt, de quibus dicit Apostolus, debemus autem nos firmi infirmitates infirmorum sustinere, appellata est firmamentum. De hoc cantatur in psalmo, audiamus, agnoscamus, sociemur, gloriemur, regnemus. Namque eam etiam firmamentum Apostolicis literis appellatam audi & agnosce: quæ est, inquit, Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. De hoc firmamento cantatur filiis Chore, quos nostis esse filios sponsi Crucifixi in Caluariæ loco: *Vbi de latere Ecclesia egressa, per quod vt ostium ex Aug. diluuio saluandi intramus; Chore namque Caluitium interpretatur.*

9. *Ecclesiæ Romanæ dignitas à Petri, Pauli, Ioannis, martyrio, & consensu doctrinæ. De Præscr. cap. 36. per totum.*

AGe iam qui voles curiositatem meliùs exercere; in negotio salutis tuæ, percurre ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia habes Philippos, habes Thessalonicẽses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est, statu felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. videamus quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit. Vnum Deum nouit, Creatorem vniuersitatis, & Christum Iesum ex virgine Maria filium Dei Creatoris & carnis resurrectionem: Legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis litteris miscet, & inde potat fidem: eam aquâ signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, martyrium exhortatur, & ita aduersus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio, non dico jam quæ futuras hæreses prænuntiabat, sed de qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo 1. Io. 2. 19. factæ sunt aduersus illam. Etiam de oliuæ nucleo mitis & opimæ & necessariæ, asper oleaster oritur; etiam de papauere ficus gratissimæ & suauissimæ, ventosa & vana caprificus exurgit. Ita & hæreses de nostro frutice, non nostro genere, veritatis grano, sed mendacio syluestres.

ECCLESIA. IX. SCHOLIA.

AGEIAM. *Licet nimiam in rebus fidei, ratione inueſtigandis curioſitatem reprobem, non improbo tamen, ſi, vt curioſi ſunt veſtiganda antiquitatis peregrini, curioſitatem tuam exerceas ad negotium ſalutis tuæ. Inquire ipſa Eccleſiæ naſcentis incunabula, videre poteſ adhuc extantes Cathedras, in quibus ſederunt Apoſtoli, & adhuc voces eorum ſonant, leguntur in officio diuino, & de pulpito per Epiſcopos & Prædicatores pronuntiantur, adeò vt & ipſi Apoſtoli in eis repræſentari videantur.* CATHEDRÆ. *Optat. Mileuit. contra Parmen.* Negare non poteſ ſcire te in vrbe Romana Petro primò Epiſcopalem Cathedram eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus. PRÆSIDENT. *alij* præſidentur *ſcilicet ab Epiſcopis reguntur Eccleſiæ, in quibus olim ſederunt Apoſtoli, iis nunc præſident eorum ſucceſſores.* AVTHENTICÆ. *Originales, vox Iuris. hinc lex Authentica, decretum authenticum quod comprobatum eſt authoritate multorum. Alciatus aduertit apud Iulianum & Paulum Iuriſconſultos ſumi pro re certa fidei. Authentica autem tabulæ ſunt Primariæ, ex quibus tanquam ex fonte exemplaria deſcripta ſunt. Sic ſumit hic Tertullianus. Sic Vlpianus in f. leg. 4. ff. familiæ erciſcundæ. Vbi ait* hæredem exemplum debere dare, tabulas verò Authenticas ipſum tenere, aut in ædem deponere. *Sic & lege finali. ff. de teſtam. quemadmodum apèr. & Paulus lib. 5. ſenten. tit. 12. Authenticum ſumunt pro originali.* PROXIMA EST, *&c. ſi propè Achaiam moraris, &c.* SI ITALIÆ ADIACES. *Hæc vna eſt ex præcipuis præſcriptionibus contra hæreticos; qua probat veram & Orthodoxam eſſe doctrinam, quæ conſpirat & conſentit cum Eccleſijs fundatis ab Apoſtolis, inter quas præcipua & caput omnium eſt Eccleſia Romana. Si, inquit, vel in Italia, vel iuxta eã habitas, ſcis ibi Romam caput orbis.* NOBIS QVOQVE, *Africanis,* STATV FELIX. *Sic repoſui, quòd elegantior ſit, lectione Rigaltij: qui legit ſimpliciter,* Iſta quàm felix. *Sentu autem dixit; tum quia cum Pſalte canit:* ſtatuit ſupra petram pedes meos: *Et Chriſtus Petro dixit:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. *Tum quia inconcuſſa hactenus ſteterit, & ſtabit vſque ad conſummationem ſæculi:* Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. TOTAM DOCTRINAM. *Accepto Spiritu Sancto, de quo eis Chriſtus dixerat* docebit vos omnem veritatem. APOSTOLI. *Petrus & Paulus. Sic & ipſe Tertull. 4. cont. Marc.* Quid Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus, ſanguine quoque ſuo ſigiatum reliquerunt. *Item contra Gnoſticos,* vitas Cæſarum legimus; Orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit: Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci aſtringitur. *Tunc* Paulus Romanæ ciuitatis conſequitur facultatem, eum illic Martyrij renaſcitur generoſitate. ADÆQVATVR, *ob ſimile genus mortis, quia Crucifixus eſt.* IOANNIS EXITV. *Baptiſta ſcilicet decollati.* OLEVM IGNEVM. *feruens.* IN INSVLAM. *Pathmos.* QVID DIDICERIT. *alij legunt,* quid dixerit. CONFESSERARIT. *quaſi collata & conſentiente teſſera, & eiuſdem fidei Symbolo; conſenſerit.* CVM AFRICANIS. *pungit hîc Marcionem, qui Africam nouo ſuo dogmate infecerat, duos Deos inuexerat, mundi Creatorem malum; reſpuerat blaſphemians, Chriſtum in vera de virgine carne natum, Dei Creatoris filium negabat; legem veterem & prophetas reiiciebat, quas Ioannes ſimul cum nouo teſtamento coniunctim recipiebat, ex quibus fidem hauſtam ipſe ſuis propinabat diſcipulis, aquæ baptiſmi vnius*

A *characterem imprimentis ſignabat, in Confirmatione Spiritu Sancto quaſi veſte induebat, iuxta Chriſti verba, Luc. 24. 49.* Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in ciuitate, quoad vſque induamini virtute ex alto. *Dictè, vt aſſolet Tertull. Confirmationis Sacramentum veſti comparat ſuperueniemi ex alto. Nam ſi iuxta Paulum,* quotquot baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis: *in Confirmatione, habitus fidei corroboratus, indumentum ſuperueniens à Spiritu ſancto rectè dicitur. Quam fidem & Chriſti carne paſcendo, nutrit & auget.* MARTYRIVM EXHORTATVR. *Alij legunt:* Martyrio. *bellè vtrumque: cum ex Auguſt. non tantum ipſorum Martyrum conſtantia viſa, ſed ipſa eorum feſtiua ſolemnitas, ad parem conſtantiam fideles hortetur:* ſolemnitates Martyrum, exhortationes Martyriorum ſunt. *Sine autem hæc omnia de fide à Ioanne prædicata, ſiue de Eccleſia Romana intelligantur, perinde mihi eſt; ſiue enim illa, ſiue Ioannes, nullum in numerum fidelium recipit, qui contra primam Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ fidem & doctrinam, aliquid ſentit. Hæc enim eſt inſtitutio & doctrina, quæ non tantum futuras hæreſes prædixit, ſed de qua hæretici Apoſtatantes ab Eccleſia prodierunt, qui primò in eius ſinu & fide erant, ſed ab eo tempore quo* filij matris pugnauerunt contra eam, *non fuerunt ex illa, ſic dicente Ioanne; 1. Ioa. 2. 19.* Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. DE PAPAVERE, *id eſt grano & ſemine.* CAPRIFICVS, *ſylueſtris ficus.* NON NOSTRO GENERE *non noſtri generis; degeneres.* VERITATIS GRANO, *per appoſitionem. quia genus noſtrum, granum eſt veritatis, ſemen verorum fidelium. Non igitur hæretici ſunt oleaſtri & ficus ſylueſtres, in quantum de grano & ſemine veritatis, primò in Eccleſia nati ſunt per baptiſmum; ſed in quantum proprio mendacio & errore ab Eccleſia defecerunt. Alij legunt,* hæreſes de noſtro fructificauerunt vel fruticarunt, non noſtræ degeneres veritatis grano, & mendacio ſylueſtres. *De authoritate Eccleſiæ Romanæ quam hîc Tertull. commendat, à qua tanquam authore & principe, fidem hauſit Africana Eccleſia, Patres omnes certatim ſcribunt, poſt Paulum, qui eam primò Catholicam dixit Rom. 1.* Quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo. *Ob quam vocem ſic Cyprianus Ep. 57. ad Cornelium.* Dum apud vos vnus animus, & vna vox eſt, Eccleſia omnis Romana confeſſa eſt, claruit, fratres chariſſimi, quam de vobis Beatus Apoſtolus prædicauit, & præconio futurorum, merita veſtra conteſtari, dum parentes laudat, filios ptonocabat. *Auguſt. ep. 95. ad Innocentium, vbi de Pelagio, eiuſque ſequacibus:* Aut à tua veneratione actiendus eſt Romam; *vbi eſt Cathedra & Iudex controuerſiarum caput Eccleſiæ,* & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, qua fateatur, ſi tamen iam fateatur, ad non peccandum, iuſtéque viuendum, homines adiuuari. Aut hoc ipſum cum eo per literas agendum; & cum inuentus fuerit hanc dicere, quam docet Eccleſiaſtica & Apoſtolica veritas, tunc ſine vllo ſcrupulo Eccleſiæ, ſine latibulo ambiguitatis vllius abſoluendus eſt. *Expreſsè autem ep. 162. contra Donatiſtarum pertinaciam. Conſpirat omnino cum Tertulliano, de Africana Eccleſia, à Romana propagata.* Erat tranſmarinis vicina regionibus & famâ celebertima nobilis. *Carthago ſcilicet* vnde non mediocris vtique authoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in

B S. Auguſt.

C S. Auguſt.

D S. Auguſt.

S. Auguſt.

qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias literas eſſe coniunctum, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur. *Quam Eccleſiam Romanam tanti ſemper fecit, vt to. 6. lib. cont. Epiſtolam Manichæi, quam vocant fundamenti, nec Euangelio, ſine Eccleſia Romana authoritate crediderit.* Euangelium, inquit, A fortè mihi lecturus es, & inde Manichæi perſonam tentabis aſſerere. Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, non credo? Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas. quibus ergo *Pontificibus, ſiue Epiſcopis Romanis, & Conciliis eorum authoritate collectis* obtemperaui dicẽtibus, credite Euangelio; cur eis non obtemperẽ, dicentibus mihi, noli credere Manichæo.

S. Auguſt.

10. *Eccleſiæ Apoſtolicæ, & Matrices, cum omni earum ſobole, eandem Regulam, & Symboli fidei tenentes, vnam Eccleſiam faciunt. De Præſcr. cap. 20. in fin.*

Act. 14. 22. ECcleſias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, vt Eccleſiæ fiant. ac per hoc, & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, vt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum, omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ, vna eſt illa ab Apoſtolis prima ex qua omnes. Sic omnes prima, & Apoſtolicæ, dum vna omnes. Probant vnitatem, dum eſt illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis. quæ jura non alia ratio regit, quàm ejuſdem ſacramenti vna traditio.

11. *Eccleſiæ conſenſus vnanimis in eaſdem traditiones, veritatem fidei probat, Eccleſiamque non erraſſe à prima fide. De præſcr. cap. 28. per totum.*

Io. 14. 26. & 16. 13. AGe nunc, omnes errauerint; deceptus ſit & Apoſtolus de teſtimonio reddendo: nullam reſpexerit Spiritus ſanctus, vtì eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, vt eſſet doctor veritatis: neglexerit officium Dei villicus, Chriſti vicarius, ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipſe per Apoſtolos prædicabat: ecquid veriſimile eſt, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint? nullus inter multos euentus vnus eſt exitus variaſſe debuerat: error doctrinæ eccleſiarum. ceterùm, quod apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum. audeat ergo aliquis dicere illos erraſſe qui tradiderunt.

ECCLESIA. X. ET XI. SCHOLIA.

APVD VNAMQVAMQVE. *ſic Act. 14. 22. vbi de vrbibus variis, Derbe, Lyſtra, Iconio, Antiochia, Piſidia Pamphilia, Perge, Attalia, & cæteris regionibus quibus euangelizabant Apoſtoli:* Cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Preſbyteros, & oraſſent cum jeiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt. *Sic & Apoc. 1. 4.* Ioannes ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia. *De quo Hier. ſcribit:* totas Aſiæ fundauit & rexit Eccleſias. TRADVCEM FIDEI. *Doctrinam ſcilicet, eiuſdem fidei traditionem ab Apoſtolis & Apoſtolicis Eccleſiis derivatam. Vox ſumpta ab agricultura, maximè à vitibus, ex quibus propagines & ramuſculi ſub terra dilatati effundantur in alias vites ex prima radice propagatas in Sobolem.* VT ECCLESIÆ FIANT. *vt Eccleſia prima & matrici iunctæ, ad vnamquæ pertinentes vnum cum ea nomen ſortiantur:* DEPVTANTVR. *reputantur.* OMNE GENVS, *vnumquodque æſtimari debet eſſe tale, qualis eſt origo eius & principium, de quo participat.* TOT AC TANTÆ. *toto orbe diſperſæ, & per regna in ſingulas* Epiſcopatus *diffuſæ.* AB APOSTOLIS, *ſupple fundatæ.* EX QVA OMNES, *ſcilicet alia tradutta & derivata ſunt.* OMNES PRIMA, *vnam omnes faciunt cum iſta prima.* DVM VNA, *omnes ſunt ſimul.* PROBANT VNITATEM. *melius ſic lego, & faciliori ſenſu diſtinguo. Hanc vnitatem omnium Eccleſiarum, cum prima ab Apoſtolis fundata, probant hæc tria, quæ initio naſcentis Eccleſiæ in vſu erant, & ab Apoſtolis, & viris Apoſtolicis ad nos per traditionem venerunt. Primum eſt communicatio pacis, ſine per pacem, oſculum intelligat, quod commendat Paulus,* Salutate inuicem in oſculo ſancto. *ſine in ingreſſu domus, vel aduentantibus hoſpitibus daretur, ſive poſt Euchariſtiæ ſumptionem in Miſſa, ſive per pacem, accipiat reconciliationem peccatorum lapſorum, qui ab Epiſcopis, intuitu ſupplicationum Martyrum, ad reconciliationem, & participationem Sacramentorum admittebantur in Eccleſia. Secundum mutua inter fideles fratrum appellatio, quod tam in Actis Apoſtolorum quàm in eorum Epiſtolis eſt vſitatiſſimum. Nomen autem Chriſtiani primò inuectum eſt Antiochiæ. Actorum 11. 26. vbi de Barnaba & Paulo:* Annum totum conuerſati ſunt ibi in Eccleſia: & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani. *Tertium eſt* CONTESSERATIO HOSPITALITATIS. *hoc eſt mutua & benigna hoſpitum fratrum exceptio, quam commendat* Apoſtolus, hoſpitales inuicem ſine murmuratione. *teſſera proprie ex Macrob. lib. 2. in ſomnium Scip. figura erat omni ex parte quadrata, ſive cubus, qualis ſunt tali in ludo aleæ. Apud milites erat Symbolum, quo ſeſe ab hoſtibus & exploratoribus diſcernebantur. Et erat tabella iuxta Polybium, quam Tribuni ſub noctem ab Imperatore acceptam Centurionibus ferebant, hi Decurionibus, deinde iſti ſingulis Decuriæ militibus, à quibus ſtatim referebatur ad Imperatorem. Teſſera præterea hoſpitalis erat lignum dimidiatum aut aliquid ſimile quæ dabatur hoſpitibus; quam dum quiſque hoſpes proferebat, continuò agnoſcebatur, & recipiebatur vt amicus. Tales ſunt apud Religioſos literæ teſtimoniales, quas vulgo dicimus obedientias. Eſt & apud Iureconſultos teſſera frumentaria, quam qui exhibebat, frumentum pro portione Romæ à Principe accipiebat. Vt ſunt hodie nummi plumbei, velærei, vel quid huiuſmodi datum pro Symbolo. Vlp. l. 52. §. 1. ff. de Iudic.* Si libertis ſuis teſſeras frumentarias emi volue-

rit, &c. *Paulus Iureconsultus l. 49 ff. de leg. §. 1.* Si Titio frumentaria tessera legata sit, &c. *Ex Turnebo erat frustilla lignea quadrata, certa notâ insignita, quæ dabatur iis, quibus erat ius petendi frumenti publici. A Dione tamen fuerunt & rotundæ tesseræ, globuli, &c.* QVÆ IVRA. *Vel ea, quibus hospites recipi debebant, vel consuetudines præfatæ, vim iuris habentes, non aliunde quàm à traditione processerunt.* EIVSDEM SACRAMENTI. *Fidei, iusiurandi, doctrinæ, participationis & administrationis cuiuscunque Sacramenti Ecclesiæ. Hospitalitatis sic fuit inter cæteros Episcopos obseruatio: Augustinus, vt cùm Religiosus & Monachus esset, antequam Presbyter fieret, & deinde Episcopus, vellet omnino consortium fratrum deserere, vel hospitalitatem erga aduenas præterire, hæc de seipso referas Ser. 49. de diuersis qui vt opus germanum Augustini recipitur à Beda, Concilio Aquisgranensi, Bellarmino, Erasmo, & Doctoribus Louanienſibus.* Nostis
Augst. omnes aut penè omnes, sic nos viuere in ea domo quæ dicitur domus Episcopi, vt quantùm possumus imitemur eos Sanctos de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum, nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia, &c. Ego, quem Deo propitio videtis Episcopum vestrum, iuuenis veni ad istam ciuitatem, vt multi vestrùm nouerunt. Quærebam vt constituerem Monasterium, & viuerem cum fratribus meis; *Vides iam fratres, hoc est Monachos habentem; vt & testatur Possidius in vita eius cap. 5 fuerat Presbyter Monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundùm modum & Regulam, sub sanctis Apostolis constitutam, &c. Quod iam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad sua reuearet.* Spem quippè om-
Augst. nem sæculi reliqueram, & quod esse potui, esse nolui, nec tamen quæsiui esse quod sum. Elegi in domo Dei mei abiectus esse, &c. *Vide vt antequam Hipponem aduentaret, & Presbyter aut Clericus fieret, prorsus sæculo renuntiauerat, Monachus erat, abiectus in domo Dei, cum fratribus Monachis viuens apud Tagastem, vnde venerat Hipponem quæsiturus locum vbi & amicum lucraretur Deo, & locum quereret aptum extruendo monasterio laicorum.* Vsque adeo au-
Augst. tem timebam Episcopatum, vt quoniam cœperat esse alicuius iam momenti inter Dei seruos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem, cauebam. Et hoc agebam quantùm poterant, vt in loco humili, *Statu illi Monachi* salutarer, ne in alto periclitarer, &c. Veni ad istam ciuitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, vt nobiscum esset in Monasterio. Quasi securus perueni, quia locus habebat Episcopum. Apprehensus Presbyter factus sum, & per hunc gradum perueni ad Episcopatum. Non attuli aliquid, non veni ad hanc Ecclesiam, nisi cum istis indumentis, *Cur mentionem faceret vestimentorum, nisi Monachalia & à secularibus distincta fuissent?* Quibus illo tempore vestiebar. Et quia hîc disponebam esse in Monasterio cum fratribus; *Vtique laicis Monachis.* Cognito instituto & voluntate mea, ■. Memoriæ senex Valerius, dedit
E mihi hortum illum, *Vtique remotum à domo Episcopali, licet intra fines Episcopalis redditus conclusus esset,*
Augst. in quo nunc est Monasterium. Cœpi boni Propositi fratres colligere compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me: vt quomodo ego tenuè paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogaui, sic facerent & illi qui mecum esse voluissent, vt de communi viueremus: commune autem nobis esset magnum & vberrimum prædium ipse Deus. Perueni ad Episcopatum; vidi necesse habere Episcopum exhibere humanitatem

A assiduam, quibusque venientibus, siue transeuntibus. Quod si non feciſſem Episcopus inhumanus dicerer; si autem consuetudo ista in Monasterio, *Illo fratrum laicorum contemplationi vacantium*, permissa esset, indecens esset. *Quieti & tranquillitati non congrua.* Et ideo volui habere in ista domo Episcopi mecum Monasterium Clericorum. *Quorum vita actuosior, aptior proinde foret dictæ hospitalitati, siue humanitati omnibus exhibendæ. De multis Ecclesiis in vnam primam Apostolicam consentientibus sequenti scholio cum Augustino dicemus.*

II. AGE NVNC, &c. *Esto, inquit, demus aduersariis omnes Ecclesias cum prima Apostolica conspirantes, & ab ea traductas errasse, demus ipsum Apo-*
B *stolum Paulum decepium esse cum quibusdam ex eis testimoniũ laudis reddidit, Spiritum Sanctum oculis sponsi in nullam earum coniecisse, vt eam in vera fidei lumen adduceret, qui tamen ad hoc, ideo maximè missus à Christo est, ideo à Patre petitus. Sic enim Io. 14. 26.* Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. *Et cap. 16. 13.* Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Syr. autem iuxta Tertull.* Deducet vos in omnem veritatem. *Et Io. 14. 16.* Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis. DEI VILLICVS. *Non quod Spiritus Sanctus sit inferior & veluti minister Pa-*
C *tris & filij, sed quia in Christi vices successit, vt Ecclesiam quasi villam Patris administraret.* IPSE PER APOSTOLOS. *Quasi per organa sua, quibus linguas igneas dederat, de quibus Christus:* Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. ÆQVIS VERISIMILE, *&c. Post tot & tanta absurda quæ vltro concedo hæreticis, est ne credibile, tot simul errasse Ecclesias, & in vnam errando fidem pariter consensisse? debuerat certè inter tot errores diuersus esse exitus, & non vnus & idem, tot diuersi debuerant esse errores, quot erant Ecclesiæ diuersæ. Ergo cum sit vna fides, vnus & idem omnium Ecclesiarum consensus, non*
D *eas errasse dicendum est, sed acceptam a Spiritu Sancto, per Apostolos traditam eiusdem fidei veritatem, conseruasse. Quis ergo audeat dicere Apostolos errasse, qui eam primis Ecclesiis tradiderunt, à quibus posteriores Ecclesiæ traditam ad nos vsque transmiserunt? aliàs suo loco dicturi de Ecclesiæ traditionibus; nunc de Apostolicarum Ecclesiarum consensu in vera & vna fide, & in ea perseuerantia nonobstante malorum cum bonis & zizaniorum cum tritico mixtura quadam ex Augustino* S. Augst. *subiicio libro 2. contra Cresconium Grammaticum c. 37. vbi sic contra Donatistas Ecclesiam in Africa periisse, & apud Donati sequaces solùm remansisse iactantes.* Vos contagione malorum Afrorum periisse dicitis *Ecclesiam scilicet* de orbe terrarum, & in parte Donati, eius reliquias remansisse, tanquam in frumentis à zizanis & palea separatis, contra Cyprianum apertissimè sentientes, qui dicit, nec malorum permixtione bonos perire in Ecclesia, nec eosdem malos posse ante tempus iudicij diuini à bonorum permixtione separari. Vos itaque secundùm vestrum errorem vel potiùs furorem accusare cogimini non solum Cæcilianum & Ordinatores eius, sed etiam illas Ecclesias, quas in Scripturis Apostolicis & Canonicis pariter legimus, non solùm Romanorum, quò ex Africa ordinare paucis vestris soletis Episcopum, verum etiam Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Thessalonicensium, Colossensium, Philippensium, ad quas apertissimè scribit Apostolus Paulus: Hierosolymitanam, quam

primus Apostolus Iacobus Episcopatu suo rexit: Antiochensem, vbi primò appellati sunt discipuli Christiani: Smyrnensem, Thiatyrensem, Sardensem, Pergamensem, Philadelphensem, Laodicensem, ad quas est Apocalypsis Apostoli Ioannis. Tot alias Ecclesias, Ponti, Cappadociæ Asiæ, Bithyniæ, ad quas scribit Apostolus Petrus; & quidquid aliud se Paulus ab Ierusalem, vsque ad Illyricum Euangelio repleuisse testatur; vt taceam de aliis tam latis atque immensis terrarum partibus, in quas ex his Apostolicis laboribus & plantationibus porrecta creuit & crescit Ecclesia. *Viden vt consentis Tertulliano supra loquenti de propagatis per traductionem Ecclesiis tanquam vitibus; vt sponsa de tanta multiplicatione dicat, posuerunt me custodem in vineis, nonis scilicet propagatis, vineam meam non custodiui. Adeo ampliata est extendens propagines suas ad flumen & mare, & terminos orbis terræ, vt iam ei custodiendæ vix sufficiat.* Istas certè Ecclesias quas ex Literis
S. August. diuinis atque Canonicis nominauit, tam longè ab Africa constitutas, tanquam perierint ex peccatis Afrorum, accusare cogimini, nec corrigitis errorem vestrum, qui vos ad tantum scelus, nefariâ dissensione compellit. Nos autem vt istum errorem vestrum facilius conuincamus, nec ipsos Afros, quorum falsò crimen in cæteras etiam Gentes perfundere auderis, nec ipsos inquam defendere cogimur. Habent enim cum illis transmarinis Ecclesiis societatem regni, si innocentes fuerint: Si autem nocentes, tanquam zizania frumento, nec in Africa obesse potuerunt eis, qui se propter illos etiam cognitos, ab vnitate Ecclesiæ separare noluerunt. *Multas item Ecclesias vnam esse Ecclesiam, eodem Spiritu, & sensu fidei & Charitatis, breuiter dixit Aug. in Psal. 141. vbi de pluribus viis loquitur.* Quæ via, ipsæ & viæ: quemadmodum quæ Ecclesia, ipsæ Ecclesiæ; & quod cœlum, ipsi cœli: pluraliter dicuntur, & singulariter dicuntur. Propter vnitatem Ecclesiæ, vna Ecclesia; vna est columba mea, vna est matri suæ. Propter congregationes fraternas, per loca, multæ sunt Ecclesiæ; Ecclesiæ, inquit, *Paulus ad Gal. 1.* Iudææ quæ erant in Christo, &c. Ecclesias sic dixit; & vnam Ecclesiam sic dicit 1. Cor. 10. Sine offensione Estote, Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei. Sic ergo & viæ & via, & semitæ & semita, &c. Quia multa præcepta sunt, & quia eadem multa præcepta ad vnum rediguntur, quia plenitudo legis charitas; propterea viæ istæ in multis præceptis ad vnam colliguntur, & vna dicuntur, quia via nostra charitas est. *Et via vna, fides in multis articulis, à qua multa Ecclesia non aberrant, sed vnam faciunt; & vnum ouile vnum, Pastorem, & Pastorum Principem Christum, viam, & vitam audiens & sequens.* Augusti

12. *Ecclesiæ veritas probatur à successione Episcoporum institutorum ab Apostolis, & vnanimi Apostolicæ Doctrinæ consensu. De præscr. cap. 32. in. p. ad vltra m.*

SI quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, vt ideo videantur ab Apostolis traditæ quia sub Apostolis fuerint, possumus dicere. Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert: sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum itidem. perinde vtique & ceteræ exhibent quos ab Apostolis in episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolicâ comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque Apostolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent. nisi illi qui ab Apostolis didicerunt, & aliter prædicauerunt. Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis, auctorem suum proferant, vt multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minùs Apostolicæ deputantur, pro consanguinitate doctrinæ.

ECCLESIA. XII. SCHOLIA.

SIQVE. *Hæreses scilicet, de quibus immediatè antea loquebatur dicens:* Sententia manebit aduersus posteriores quasquehæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit, ad defendendam sibi veritatem. INTERSERERE. *Immiscere se impudenter audeant, & dicere se coætas Apostolis, & ideo possidere Apostolicam fidem & doctrinam, quòd tempore Apostolorum extiterint; vrgeo vt probent primò originem suarum Ecclesiarum, & expenant ordinem suorum Episcoporum.* PERSEVERAVERIT. *In eodem sensu, doctrina, fide cum Apostolis.* ANTECESSOREM. *Non solùm significat prædecessorem, sed iuris diuini doctorem.* CENSVS SVOS. *Originem suam in publico producunt, vt testimonium irreprobabile antiquissimæ veritatis. Vel,* CENSVS. *Id est famam, æstimationem substantiæ fidei & doctrinæ probant.* CONLOCATVM. *Collocatum, institutum.* CLEMENTEM. *Aduerte Tertullianum non dicere Clementem immediatè post Petrum rexisse Ecclesiam, sed ab ipso ordinatum fuisse, id est consecratum Episcopum. S. Ignatius in Ep. ad Mar. Cassob. dicit expressè, Clementem successisse Petro, & proindè post Linum & Cletum Romanam Cathedram occupasse. Quidquod & lib. 3. Carm. imput. Tertull. Clemens non modò post Cletum, sed & post Anacletum numeratur. Quamquam quidam, & maximè Graci, Cletum & Anacletum pro eodem sumpserint confundentes.* Cæterum, *cum ex Hiero. lib. de Script. Eccl. in Clem. Euseb. 3. Hist. cap. 28. Niceph. lib. 2. cap. 18. aliisque tam Latinis quàm Gracis; nec non ex ipso libro de Rom. Pontif. apertè constet Clementem Anno 3. Traiani martyrio coronatum, omnino non potuit immediatè sedere post Petrum, cùm ab eo tempore vsque ad tertium annum Traiani 33. anni intercurrerint, Clemens*

autem nouem tantùm annis rexerit Ecclesiam. *Vnde sua, Lino, & Cleto; occupanda Sedi Romanæ, danda sunt spatia.* Et cum *Irenæo lib. 3. c. 3. Optato. lib. 2. Epiph. lib. 27. Hiero. in Clem. Martyrologio Romano 23. Septembr. 26. Aprilis, & 23. Nouemb. post Linum & Cletum numerandus est, sicut & in Canone Missæ nominamus. Quòd si Hiero. in Esa. 52. dixit Clementem successisse Petro, id obiter dixisse dicendus est, & aliter sensisse dum accuratiùs id tractauit; vel explicandum est, non intellexisse de immediata successione, sed mediata Lini & Cleti. Sanctus Epiph. hæresi 27. & Rufinus præfat. lib. recognit. negant Clementem à Petro quidem manus impositionem accepisse, sed recusasse Episcopatum vsque ad mortem Lini & Cleti, quòd ipsius Petri Coadiutores extitissent. Et quidem sic fuit, dum vixit Petrus, quo defuncto Linus successit, eidemque Cletus, & Cleto Clemens. Augustinus noster ep. 145. quam cum Fortunato & Alipio scribit Generoso 2 p. vbi de promissione facta Abrahæ & semini eius. Paulò aliter numerat, & Anacletum, siue Cletum, postponi Clementi, licet Lino non præponat. Et numerat Pontifices à Petro vsque ad Anastasium sibi succedentes.* Has promissiones tenenti, si tibi Angelus de cœlo diceret, dimitte Christianitatem orbis terræ, & tene partes Donati, cuius ordo tibi exponitur in epistola Episcopi tuæ ciuitatis, Anathema esse deberet: quia te à toto præcidere, & in partem *Donati scilicet* contrudere conaretur, & alienare à promissis Dei. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est,

Aduerte lector quod hoc loco ait Tertullianus: CONFINGA TALE ALIQVID HÆRETICI.

Quantò certiùs, & verè salubriter, ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait; super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus; Lino, Clemens; Clementi, Anacletus; Anacleto, Euaristus; &c. Damaso, Siricius; Siricio, Anastasius. In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur; &c. In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedram sedet, etiamsi quisquã traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidens, ait de præpositis malis: quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt. Vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino sit collocata, numquam tempestate sacrilegi Schismatis dissipetur: sicut isti dissipati sunt, qui legunt in codicibus sanctis, Ecclesias quibus Apostoli scripserunt, & nullum in eis habent Episcopum. *Causa huius Epistolæ fuit, quòd Generosus misisset Augustino quandam Epistolam sibi scriptam, a quodam Donatistarum presbytero, qui in ea scribebat, Angelum de cœlo missum, qui iussisset sibi enarrari Ordinem quo fundata & propagata fuisset Ecclesia & Christianitas ciuitatis suæ. Cui respondet Augustinus, vt dicto Presbytero, hanc Epistolam 145. perferat, vt eum doceat, Christianitatem totius orbis non esse dimittendam, pro sequenda Christianitate peruersa vnius ciuitatis.* ET CÆTERÆ. *Scilicet Ecclesiæ.* APOSTOLICI SEMINIS TRADVCES. *Episcopos à viris Apostolicis consecratos successores, qui semen fidei & doctrinæ Apostolicæ, ad nostra vsque tempora, interruptè nusquam, traduxerunt.* ILLICITVM. *Illicitum.* NIHIL PROMOVEBVNT. *Nihil proficient.* NEQVE APOSTOLICI. *Viri per Apostolos instructi.* DIDICERVNT. *Alij.* Desciuerunt. AD HANC FORMAM. *Ad hunc modum, successionis scilicet, & originis suæ probandæ, hæretici compellentur ab Ecclesiis etiam hodiernis, quæ propter eiusdem doctrinæ & fidei consanguinitatem & consensum, non minùs Apostolicæ reputantur, quàm si immediatè Ecclesiis ab Apostolis ipsis fundatis successissent. Huius successionis frequenter meminit Augustinus to. 7. in p. in Psalmo contra partem Donati, circa finem.* S. Auguſt

Scitis Catholica quid sit, & quid sit præcisũ à vite. Si qui sint inter vos cauti, veniant, viuant in radice, Antequam nimis arescant, iam liberentur ab igne, Ideo non rebaptizamus, quod vnũ signũ est in fide. Non quia vos sanctos videmus, sed solam formam tenere.

Baptismi scil. Ecclesiæ.

Quia ipsam formam habet sarmentum quod præcisum est de vite.

Sed quid illi prodest forma, si non viuit de radice? Venite fratres, si vultis, vt inseramini in vite. Dolor est cùm vos videmus præcisos ita iacere, Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede, Et in ordine illo Patrum, quis, cui successit, videte: Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.

Et ep. 161. ad Honoratum Episcopum Donatistam, vbi ex Psalte & Apostolo Ecclesiam Catholicã & Romanã toto orbe diffusam probat, de eodem Apostolo subiicit.

Deinde ipse ab Ierusalem in circuitu per totam Asiam vsq; in Illiricum Euãgelium prædicauit, Ecclesias constituit atque fundauit, non ipse, sed gratia Dei cum eo, sicut ipse testatur. Quid autem euidentius apparere potest, quàm cum in eius Epistolis nomina etiã regionum vel ciuitatum inuenimus? Ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippẽses, ad Thessalonicenses, ad Colossenses scribit. Ioannes etiam ad Septem Ecclesias, in quibus etiã vniuersam Ecclesiã septenario numero intelligimus commendari, Ephesum, Smyrnam, Sardes, Philadelphiam, Laodiciam, Pergamum, Thiatyram. *Ephesum nuper omiserat lib. 2. contra Cresc. cap. 37. relatus à nobis Verbo Ecclesia num. 11. inf.* Quibus omnibus Ecclesiis nos hodie communicare manifestum est, sicut manifestum est vos istis Ecclesiis non communicare. Quærimus ergo vt nobis respondere non graueris, quam causam fortè noueris, qua factum est vt Christus amitteret hæreditatem suam per orbem terrarum diffusam, & subitò in solis Afris, nec ipsis omnibus, *Sed solis, vt vultis, Donatistis*, remuneret? Etenim Ecclesia Catholica est etiam in Africa, quia per omnes terras eam Deus esse voluit, & prædixit. Pars autem vestra quæ Donati dicitur, non est in omnibus illis locis, in quibus & literæ, & sermo, & facta Apostolica cucurrerunt, &c. *Quam appositè cum Tertulliano conspirat noster Augustinus. De eiusdem Ecclesia Catholica hoc est toto orbe diffusa nomine, & successione Episcoporum Romanorum idem Aug. to. 6. lib. cont. epistolam fundamenti Manichæi cap. 4. iam alibi à nobis relato.* S. Auguſt. Multa sunt quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes hæretici se Catholicos videri velint; quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel Basilicam suam, vel Domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta C[illegible]

S. Auguſt. ſtiæ nominis chariſſima vincula, rectè hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia. *Et in Pſal.* 44. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij. Genuerunt te Apoſtoli ipſi miſſi ſunt, ipſi prædicauerunt, ipſi Patres. Sed numquid nobiſcum corporaliter ſemper eſſe potuerunt? &c. Ergo illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? abſit. Pro Patribus tuis, nati ſunt tibi filij. Quid eſt, pro patribus? &c. Patres mihi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis, filij nati ſunt tibi; conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt? ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es, de prole tua, tibi creuit Paternitas. Pro Patribus tuis, &c. Agnoſcant qui præciſi ſunt, A *Hæretici & Schiſmatici*: Veniant ad vnitatem, adducantur in templum Regis. Templum ſuum Deus vbique collocauit, fundamenta Prophetarum & Apoſtolorum vbique firmauit, &c. Quid ergo prodeſt confiteri, & extra templum confiteri? quid prodeſt precari, & in monte non precari? Voce, inquit, mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. De quo monte? de quo dictum eſt, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. De quo monte? quem vidit Daniel ex paruo lapide creuiſſe, & fregiſſe omnia regna terrarum, & impleuiſſe omnem faciem terræ, ibi adoret qui vult accipere; ibi petat, qui vult exaudiri; ibi confiteatur, qui vult ſibi ignoſci: propterea populi confitebuntur tibi. *Quid melius? quid eruditius?*

13. Eccleſiæ hymni, cantica, ſacrificium Prophetata ſunt. 3. cont. Marc. cap. 22. in fin.

FRatres Chriſti, filios ſcilicet Dei, gloriam Patri Deo relaturos pſalmus vigeſimus primus canit ex perſona ipſius Chriſti ad Patrem, [a] *Enarrabo nomen tuum fratribus meis: in medio eccleſiæ hymnum tibi dicam.* Quod enim in nomine & ſpiritu ipſius hodie fieri habebat, meritò à ſe futurum prædicabat. Et paulo infrà: [b] *A te laus mihi in eccleſia magna.* & in ſexageſimo ſeptimo, [c] *In eccleſiis benedicite Dominum Deum*; vt pariter concurreret & Malachiæ prophetia, [d] *Non eſt Voluntas mea dicit Dominus, & ſacrificia veſtra non accipiam; quoniam ab ortu ſolis vſque in occaſum nomen meum glorificatum eſt in nationibus, & in omni loco ſacrificium nomini meo offertur, & ſacrificium mundum*; gloriæ ſcilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni. Quæ omnia cùm in te quoque deprehendantur, & ſignaculum frontium, & Eccleſiarum ſacramenta, & munditiæ ſacrificiorum, debes iam erumpere, vtì dicas ſpatium Creatoris tuo Chriſto prophetaſſe.

[a] Pſal. 21. 23.
[b] Ibid. 26.
[c] Pſal. 67. 27.
[d] Malach. 1. 10. & ſeq.

ECCLESIA. XIII. SCHOLIA.

AD PATREM, *Supple dicentis.* ENARRABO. *Pſalmo 21. 23.* Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. 70. Cantabo te. *in quem locum Aug. to. 2. ep. 120. ad Honoratum de gratia noui Teſtamenti.* Intuere quid legamus tantò ante Prophetatum, quid iam cernamus impletum. Narrabo nomen tuum, &c. in medio Eccleſiæ cantabo te. Fratres illi ſunt, de quibus in Euangelio ait; vade; dic fratribus meis. Eccleſia illa eſt quam modò dixit vnicam ſuam: hæc vnica Catholica, quæ toto orbe copioſa diffunditur, quæ vſque ad vltimas Gentes creſcendo porrigitur. Vnde in Euangelio dicit, & prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet finis. quod autem ait, cantabo: hoc eſt illud Canticum nouum, de quo in alio Pſalmo dicitur, Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Habes hîc vtraque, & quo cantico cantaturum ſe dixerit, & in cuius Eccleſiæ medio: illud pertinet ad nouum Canticum, hæc ad omnem terram. *Breuiùs idem Aug. ſed eodem ſenſu. to. 8. in Pſal. 21. Expoſit. 1. & 2. vbi per Eccleſiam magnam non hanc vel illam partem, ſed totum orbem intelligit.* Numquid exigua pars orbis terrarum Eccleſia magna eſt? Eccleſia magna totus orbis eſt IN NOMINE, *&c. quod fieri debebat à membris eius, ſpiritu eius, & in nomine eius, Chriſtiano ſcilicet, in vnum Eccleſiæ corpus congregatis, hoc capiti imputandum prædicebatur. Ita Auguſtinus prefatâ epiſtolâ*: Ipſe quippe cantat in nobis, cuius gratiâ cantamus, ſicut dicit Apoſtolus 2. Cor 13. 3. an vultis experimentum accipere eius qui in me loquitur Chriſtus? medium verò Eccleſiæ, ad eminentiam licet referas, *potes referre.* & ad ipſam manifeſtationem; quia omnia, quantò clariùs nota ſunt, tantò magis in medio eſſe dicuntur; vel certè ad interiores Eccleſiæ, *id eſt referre potes ad viſcera, hoc eſt fideles intimiores & medullatiores Eccleſiæ.* quia interiora ſunt media. Neque enim omnis qui labiis perſonat, cantat Canticum nouum, ſed qui eo modo cantat, vt Apoſtolus admonet, dicens Epheſ. 5. 19. Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Intus enim eſt hoc gaudium, vbi vox laudis & canitur & auditur, qua voce laudatur qui gratis amandus eſt toto corde, tota anima, tota mente, amatoremque ſuum accendit in ſe gratia Spiritus ſancti, &c. Narrabo nomen tuum fratribus meis: quia Deum nemo vidit vnquam, ſed vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. PAVLO INFRA. *Pſal. 21. 26.* Apud te laus mea in Eccleſia magna. 70 *vt Tertull.* A te laus mea, &c. *Auguſtinus epiſtolâ citatâ cum vulgatis legit.* Apud te laus mea in Eccleſia magna confitebor tibi, non quanta iſta Synagoga eſt, quæ irridet mortem derelicti, ſed in Eccleſia magna diffuſa per omnes Gentes, quæ credit in reſurrectionem non derelicti, &c. Et nunc quod ait, confitebor tibi. in eis vtique qui confitebuntur in quibus & loquitur Confeſſio autem, non tantùm peccatorum eſt, ſed & laudis Dei, ſicut ipſe in Euangelio: Confitebor tibi, inquit, Pater, Domine cœli & terræ, &c. INÈ CCLESIIS. *Pſal. 67. 27.* In Eccleſiis benedicite Deo Domino; 70. *Deum Dominum* de fontibus Iſraël. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Qui eſtis ex vena Iſraël *In quem locum Aug. verſum præcedentem ſumens*, præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus; in medio adoleſcentularum, *Iuuenculatum*, tympaniſtriarũ principes ſunt Apoſtoli: Ipſi enim præuenerunt, vt populi ſequerentur. Præuenerunt annuntiantes nouum Teſtamen-

S. Auguſt. 3. Auguſt. 3. Auguſt. 3. Auguſt. Auguſt. Auguſt.

tum, coniuncti psallentibus, de quorum bonis operibus etiam visibilibus, tanquam organis laudis glorificaretur Deus, &c. Ita sunt in medio ministri præpositi Ecclesiarum nouarum: hoc est enim Adolescentularum, carne edomita Deum laudantium: hoc est enim tympanistriarum, eo quod tympana fiant corio siccato & extento. Ideò ne quisquam carnaliter ista acciperet, & ex his verbis, quosdam luxuriæ choros in animum induceret; sequitur, & dicit: in Ecclesiis benedicite Dominum, &c. Ecclesiæ sunt Adolescentulæ, nouâ gratiâ decoratæ. Ecclesiæ sunt tympanistriæ, castigata carne spiritaliter sonoræ. In Ecclesiis ergo benedicite Dominum Deum, de fontibus Israël. Inde prius elegit, quos fontes faceret. Nam inde sunt electi Apostoli; & hi primitus audierunt: qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet vnquam; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Io. 4. VT PARITER. *Cum Psalte scilicet, concineret Malachias, quod in omni loco, & à Solis ortu ad occasum non tantùm laudis, sed & verum sacrificium secundum ordinem Melchisedech in Ecclesia magna, offerretur Deo, & sicut ipse Christus gloriam Deo Patri retulit, dum accepto pane, eleuatis oculis in cœlum gratias agens benedixit, &c. Et post sumptam Eucharistiam, hymno dicto exiit in montem Oliueti; sic quoque fieret in vniuersa Ecclesia.* NON EST VOLVNTAS. *Malach. 1. 10. & seq.* Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. 70. *Non est voluntas mea in vobis dicit Dominus omnipotens: & sacrificium non suscipiam de manibus vestris* Ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum 70. *Clarificatum est.* In gentibus, & in omni loco sacrificatur. 70. *incensum offertur* Et offertur nomini meo oblatio munda; 70. *Sacrificium mundum* Quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. 70. *autem*, Omnipotens. *Hunc locum Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 35. à p. de Ecclesia & altaris sacrificio accipit:* Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christũ iam cernimus propagatã, Iudæis apertissimè dicit ex persona Dei: non est mihi voluntas in vobis: &c. Ab ortu enim Solis, &c. Et in omni loco sacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda, quia magnum, &c. Hoc sacrificium, per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à Solis ortu vsque ad occasum, Deo iam videamus offerri, sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est, non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possint; Quid adhuc expectant alium Christum; *Et quid Marcionita predicant alium* Cum hoc quod propheratum legunt, & impletum vident, impleri non potuerit, nisi per ipsum? *Et lib. 19. cap. 23. circa fi.* Cessaturas victimas, quas in vmbra futuri offerebant Iudæi, & vnum Sacrificium gentes à Solis ortu vsque ad occasum, sicut iam fieri cernimus, oblaturas, per Prophetas Hebræos, oracula increpuere diuina. *Et to. 6. lib. 1. contra Aduers. legis & Prophet. c. 20. à p. idem reperit.* IN TE QVISQVE, *&c. In tua, Marcion, disciplina & Ecclesia reperiuntur, & sunt in vsu Ecclesiarum Catholicarum Sacramenta, & signacula crucis frontibus tuorum imprimuntur, & Sacrificia tam Altaris, quàm orationum, & hymnorum offeruntur. Quamquam circa Christum & Deum erres, proinde sine fide hæc omnia præstes, & tuis discipulis exhibeas.* MVNDITIÆ. *Quia mundos exigunt sacrificia:* Non enim speciosa est laus in ore peccatoris. DEBES ERVMPERE. *Ironicè dicta, ab insultante Marcioni, Deum Creatorem, & vetus testamentum resputni, in quo tamen Prophetata sic exactè impleas, vt possis vel debeas erumpere, & excitari de somno tuo, & videre spatium & tempus omne legis veteris consumptum in edendis de Christo Prophetiis. Quem Christum eius dicit item ironicè; quasi diceret, ô Marcion, quam longè est à vero Christo nostro, tuus phantasticus qui repentinus, nulla Prophetæ præcinente, de cœlo ruit improuisus; nostrum est, in laudes & hymnos erumpere, & Eucharisticum sacrificium in omni loco, in Ecclesia magna, offerre Deo Creatori. quòd miserit Christum, factum ex muliere, factum sub lege, tanto temporis spatio Prophetarum in lege & Prophetis Creatoris.*

August.

August.

August.

Appendix Patrum in commendationem S. Ecclesiæ Romanæ à Petro fundatæ.

PLacet ordiri à sententia Patrum Concilij Florentini *sessione 36. in litteris vnionis, circa finem.* Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, & Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiã à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditum esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorũ, & in sacris Canonibus continetur. *Anacletus in fine Epistola prima Decretalis.* Si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, ad Sedem Apostolicam, si appellatum fuerit, referantur. Quoniã Apostoli hoc statuerunt iussu Domini Saluatoris: vt maiores & difficiliores quæstiones semper ad Sedem referantur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam dicente ipso, tu es Petrus, &c. *Idem Anacletus Epistola 2.* In nouo testamento, post Christum Dominum à Petro Sacerdoralis cœpit ordo, iuxta illud apud Matthæum, tu es Petrus, &c. Et primus ille ligandi & soluendi potestatem accepit à Domino, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt: ipsis quoque decedentibus, in locum eorum successerunt Episcopi. *Et Epist. 3.* Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & Eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias ac totum Christiani populi gregem assecuta est. Secunda Sedes est apud Alexandriam sub Marco Euangelista. Tertia apud Antiochiam sub Petro Apostolo, qui illic, priusquam Romam veniret; habitauit, & Ignatium Episcopum constituit. Petrus & Paulus eodem tempore, & vno die sub Nerone principe passi sunt, & ambo sanctam Romanam Ecclesiam sua morte consecrarunt, & aliis omnibus vrbibus in vniuerso mundo, eam suo venerando triumpho prætulerunt. *Extat & Epistola Decretalis Marcelli Papæ ad Episcopos Antiochenæ Prouincia. Vbi primò definit de Primatu Ecclesiæ Romanæ, ad quam omnes quasi ad caput, iuxta Apostolorum sanctiones, Episcopi suffugere, eamque appellare debent, vt inde accipiant liberationem, vnde acceperunt informationem, & consecrationem: cui cessit Antiochena, quæ olim erat prima. Ab eodem constitutum est, vt nulla Synodus fieret præter eiusdem Sedis authoritatem. Est & inter decreta Pelagij 2. in Epistola, in qua definit, generales Synodos non posse conuocari nisi authoritate Apostolicæ Sedis, quoniam Sedi B. Petri, singulari priuilegio & authoritas est tradita, & quæ*

nunquam vlla Synodus rata legitur, quæ Apostolica A
authoritate non fuerit fulta. Et hoc definiuit contra Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, qui intemerat Concilium quoddam generale conuocari. In eadem porro Epistola sequentia verba subiecit: Orate fratres, vt honor Ecclesiasticus nostris diebus non euacuetur, neque vnquam Romana Sedes, quæ instituente Domino, caput est omnium Ecclesiarum, priuilegiis suis vsquam careat, aut spolietur. *Ita & in actione 2. septimi Concilij Generalis, Nicæni secundi, tractatur de Authoritate Romani Pontificis, & quod Ecclesia Romana sit caput omnium Ecclesiarum. Est & Decretalis Nicolai primi, distinct. 22. c. 1. Cuius maxima pars in hoc insumitur, vt probet Romanam Ecclesiam primam esse inter omnes, superque omnes habere* B
potestatem, vtpote quæ sola à Domino immediate super Petrum fundata fuerit. Quòd Synodus absque authoritate Romani Pontificis non valeat. Quod Ecclesiæ Romanæ, non Nicænæ, nec vlli aliæ Synodus priuilegium aliquod tribuerit, & eam totius potestatis plenitudinem meruisse, omniumque Christi ouium accepisse regimen; cùm cæteras Episcopatuum Cathedras Ecclesia Romana instituerit. Ideo & defectu consensus Romani Pontificis septima Synodus generalis, conciliabulum sub Leone hæretico Imperatore Constantinopoli celebratum, veram Synodum non fuisse declarat actione 6. eo quòd non habuerit cooperarium Romanum Pontificem, nec illius Sacerdotes, nec per Vicarios, nec per Prouinciales litteras, quemadmodum fieri in synodis solet. Et in C
Concilio octauo Generali Constantinopoli celebrato sub Adriano 2. anno 3. Basilij Imperatoris. Canone 21. Si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia, oportet venerabiliter & cum conuenienti reuerentia, de proposita quæstione scisciari.

Cyprianus lib. 4. Epist. 8. ad Cornelium Papam, Primatum agnoscit Ecclesia Romana, ita scribens: Nos, inquit, singulis nauigantibus, ne cum scandalo vllo nauigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent, & tenerent. *Quod & agnouit prior Irenæus lib. 3. Cont. hæresis cap. 3.* Maxima omnium est, & antiquissima, à gloriosis- D
simis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata, & constituta. Ad quam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea quæ ab Apostolis est traditio. *Athanasius pariter Sedem Apostolicam agnoscit in Epistola ad agentes vitam solitariam, vbi de Arrianis:* Ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quòd Sedes illa Apostolica esset, vel quòd Roma Metropolis esset Romanæ ditionis, neque recordati se eos Apostolicos viros in suis literis appellasse, &c. *Et apud eundem Athanasium in Ep. Episcoporum Ægyptiorum & ipsius Athanasij: & rursum in rescripto eiusdem* E
Marci Papæ de missione capitulorum Nicæni Concilij iisdem facta. Marcus S. Romanæ Apostolicæque Sedis, & vniuersalis Ecclesiæ Episcopus *Appellatur. Ambrosius in Concilio Aquileiensi contra Palladium, & Secundianum Arriana hæresis defensores; eius opera coactum & terminatum. Epistola 4. ad Imperatores Gratianum, Valentinianum, & Theodosium contra Vrsicinum Antipapam.* Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam Sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda foret clementia vestra, inde enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant. *Et ibid.* F
lib. 1. Epistolarum Ep. 5. Ambrosij ad Theophilum, Sanè, inquit, referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus eam iudicaturum, quæ etiã illi displicere nequeant. Ita enim vtile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communi nostræ dissensionem non afferat, vt nos quoque vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognouerimus quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur. *Cui Ecclesiæ præclarum hoc testimonium perhibet, vt ibidem Epistola:* Credatur, inquit, symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & seruat.

Et mirum quidem quòd impudenter hæretici negent Petrum Romanam fundasse Ecclesiam; testis enim est Irenæus lib. 3. aduersùs hæreses cap. 1. Matthæus, inquit, in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Euangelij, cùm Petrus & Paulus Romæ Euangelizarent & fundarent Ecclesiam. *Et ibid. cap. 3.* Maximæ, inquit, & antiquissimæ, & ab omnibus cognitæ, à glorioſissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem. *Et prior quidem Petrus eam fundasse vel ex eo patet, quod Paulus scribens ad Romanos cap. 1. 11.* Desidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritalis ad confirmandos vos. *Quod Theodoretus scribens in hanc Epistolam valde ponderat:* Sunt, inquit, hæc quæ dicta sunt plena humilitatis; non enim dixit vt dem, sed vt impertiar: communico enim ex iis quæ accepi: & quia primus eis magnus Petrus doctrinam Euangelicam præbuit, necessariò intulit, ad confirmandum vos: non aliam, inquit, doctrinam adfero, sed eam quæ iam oblata est, confirmare, & arbores iam plantatas irrigare. *Hegesippus lib. 5. de Excidio Ierosol. cap. 2. Petrum passum Romæ confirmat his verbis:* Proxima, inquit, nocte salutatis fratribus proficisci solus cœpit. Vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, & adorans eum dixit; Domine quò vadis? dicit ei Christus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quod in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis, non vtique corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate. Et conuersus in Vrbem redit, captusque à persecutoribus cruci adiudicatus, poposcit inuersis vestigiis cruci affigeretur, quòd indignum iudicaret simili modo quo filius Dei crucifigi. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vel quia persecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipse Paulus alter cruce, alter gladio necati sunt. *Eusebius in Chronico ad Annum Christi 44.* Petrus Apostolus natione Galilæus, Christianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam profiscitur, vbi Euangelium prædicans 25. Annis eiusdem Vrbis Episcopus perseuerat. *Et ad Annũ Domini 70.* Post Petrum, inquit, primus Romanã Ecclesiam tenuit Linus. inquit, *Et lib. 2. cap. 13.* Sub ipso, inquit, Claudij Imperio benigna & propitia Dei totius huius vniuersitatis rectoris erga humanũ genus prouidẽtiã, fortem ac præpotentem, & reliquorũ omnium Apostolorũ propter potestatis amplitudinem facilè principem Petrum, Romam versus, ad eiusmodi pestiferam humanæ vitæ corruptelam, quasi manu deduxit. *Et ibid. cap. 14.* Paulum proinde Romæ eo regnante securi percussum, & Petrum etiam suffixum cruci, historiarum monumentis proditum est. *Athanasius in Apologia de fuga sua, circa finem.*

ſuum. Petrus, inquit, & Paulus, cùm audiſſent oportere ſe Romæ martyrium ſubire, non abiecerunt eam profectionem, ſed potiùs cum gaudio abierunt. *Cyrillus Ieroſol. Catecheſi 6. vbi de Simone Mago, cui Claudius ſtatuam erexerat cum inſcriptione* Simoni Deo ſancto: *ab Apoſtolis Petro & Paulo Roma reiectum notat. Chryſoſtomus autem Romam commendat ob pretioſiſſimum corporum Apoſtolorum depoſitum homil. 32. in ep. ad Rom.* Non ita cælum ſplendeſcit, quando radios ſuos Sol ex ſe emittit, quemadmodum Romanorum Vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Petrus, hinc Paulus, &c. *Iuſtinianus in Authentica. & Imperatores Gratianus Valentinianus & Theodoſius ad populum Conſtantinop.* Cunctos populos quos clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus religione verſari, quam diuinum Petrum Apoſtolum, tradidiſſe Romanis, religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Pontificem Damaſum ſequi claret; & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum Apoſtolicæ ſanctitatis. *Auguſtinus item lib. de hæreſibus poſt initium vbi de Simone*: in qua, inquit, Auguſt.

A Vrbe B. Apoſtolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit *Et noſter Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia Chriſti*: quod duorum, inquit, magnorum luminarium Petri ſcilicet Paulique verbis, tanquam ſplendentibus radiis illuſtrata, eorumque decorata corporibus, Romana quæ mundi cacumen eſt, tenet & docet Eccleſia, totuſque cum ea Chriſtianus orbis.

Hinc Optatus Mileuitanus, lib. 2. cont. Parmen. Negare nó potes ſic ire te in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt: In qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur: ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. *Primatum itaque Eccleſiæ Romanæ omnes agnoſcant, & poſt Tertulliani, totque Patrum teſtimonia Petrum Romæ fuiſſe, ibique Eccleſiam Catholicam inſtituiſſe toto orbe venerandam, negare erubeſcam.*

B

ELECTI.

* *Electi plurimos eſſe debent, ad ſaluandam Dei bonitatem. 1. cont. Marc. cap. 24. à p.*

NOn omnes ſalui fiunt, ſed pauciores, omnibus, & Iudeis, & Chriſtianis Creatoris. Pluribus verò pereuntibus, quomodo perfecta defenditur bonitas ex majore parte ceſſatrix? paucis aliqua, pluribus nulla; cedens perditioni, partiaria exitij? Quod ſi plures ſalui non erunt, erit jam non bonitas, ſed malitia perfectior. Sicut enim bonitatis operatio eſt, quæ facit ſaluos: ita malignitatis, quæ non facit ſaluos. Magìs autem non faciens ſaluos, dum paucos facit, perfectior erit in non iuuando, quàm iuuando. Non poteris & in Creatorem referre bonitatem, in omnes defectionem. Quem enim judicem tenes, diſpenſatorem ſi fortè bonitatis oſtendis intelligendum, non profuſorem; quod Deo tuo vindicas. Vſqueadeo hac ſola eum prefers bonitate Creatori; quam ſi ſolam profitetur. & totam, nulli deeſſe debuerat.

ELECTI. SCHOLIA.

NON OMNES, *&c. ad literam hic Tertull. probat contra doctrinam Marcionis, Deum eius non eſſe ſummè bonum, imò magìs eſſe malum quàm bonum; ſi enim, vt vult Marcion, Deus eius Chriſtum ſuum miſit ad ſaluandos homines, & illi tantùm ſalui eſſe debeant qui Deo ſuo & Chriſto eius credunt, multòque pauciores ſint Marcionitæ, quàm Iudæi, & Gentiles conuerſi ad Chriſtum Dei Creatoris; profectò Deus Marcionis pauciſſimos ſaluans, bonitatem valde exilem habere conuincitur.* PARTIARIA EXITII. *partem magnam habens in damnatione multorum. Vel ex parte ſimilis eſt Creatori, & conſors eſt malignitatis eius.* IN CREATOREM REFERRE. *Non potes, Marcion, recriminari ſimilem tuo Deo, in noſtro Creatore videri bonitatem; multo minùs dicere, eam erga omnes defeciſſe. Cùm enim ideo Creatorem auerſeris, quod ſit Iudex, quod teneas & credas eum eſſe Iudicem, eo ipſo forſitan æquum ſubintelligis eſſe diſtributorem bonitatis, vt reddat in judicio cuique pro meritis, cùm Deum tuum jactes profuſorem & prodigum bonitatis, ob quam tantummodo eum præponis Deo noſtro Creatori. Iam verò ſi nihil habens ſeueritatis & juſtitiæ, ſolius eſt & totius bonitatis* Deus, *eam nulli negare debuerat; & proinde omnes ad fidem Marcionis vocare, iuſtificare, & glorificare, cùm tamen ſint omnium pauciſſimi. Titulum huius textus aſteriſco prænotaui, quod poſſit hic locus Tertulliani, per ſenſum adaptationis applicari, multitudini Electorum; hoc ſaluo, quòd ſine malignitate, ſed magna æquitate, occulto, ſed iuſto iudicio plures ſint reprobi quàm electi. Cùm enim poſſet Deus abſque vlla iniuſtitia omnes in maſſa Adæ corruptos, perditos voluntaria primi parentis culpâ, reprobare, multos tamen ex eâ, pura bonitate, & miſericordia dignatus eſt eligere. De hoc magno in ſe numero electorum, dicet in comparatione reproborum paruo, iuxta verbum expreſſum Chriſti,* multi vocati, pauci verò electi, *quædam hìc ex Aug. profero teſtimonia. Certum eſſe numerum electorum ait to. 7. lib. de corrept. & gratia cap. 13.* Qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei, ita certus eſt numerus, vt nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis, &c. *quod probat ex Apoc. 3.* Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius non eſt acceptarus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus. *Magnum autem eſſe numerum, probat lib. 5. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 27. vbi tractat locum Cant. 4. hortus concluſus ſoror mea ſponſa, &c.* Omnis pulchritudo filiæ Regis intrinſecus, in quibus eſt numerus certus Sanctorum prædeſtinatus ante mundi conſtitutionem. Illa verò multitudo ſpinarum, *circa lilium* ſiue occultis, ſiue apertis ſeparationibus forinſecus adiacet ſuper numerum. Annuntiaui, inquit, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Numerus ergo ille Iuſtorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, de quibus dictum eſt, nouit Dominus qui ſunt eius, ipſe eſt hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ, paradiſus cum fructu pomorum. *Quàm multæ arbores, quot aquæ guttæ, in illo horto, fonte, puteo! Sed omnia iſta concluſa ſunt, nouit ſolus Dominus qui ſunt eius. Et in Pſal. 39. in verſum.* Annuntiaui & locutus ſum, &c. Eſt numerus, *inquit*, ſunt ſuper numerum. Numerus certus eſt pertinens ad illam cœleſtem Ieruſalem. Nouit enim Dominus qui ſunt eius; Chriſtianos timentes, Chriſtianos fide-

C

D

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

les, Christianos præcepta seruantes, Dei vias ambulantes, à peccatis abstinentes, si ceciderint confitentes, ipsi ad numerum pertinent. Sed numquid soli sunt? iunt & super numerum. nam & si modò pauci sunt, pauci in comparatione multitudinis malarum frequentiarum; quantis turbis implentur Ecclesiæ stipantur parietes, pressuris se vrgent, prope se suffocant multitudine, &c. multi verè conuersi, multi falsò conuersi: & pauciores sunt verè conuersi, plures falsò conuersi. quia multiplicati sunt super numerum. *Supple Electorum. Et in Psal.* S. August. 146. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. quid magnum Deo numerare multitudinem stellarum, &c. Cui capilli capitum numerati sunt? &c. Sunt stellæ quædam lumina in Ecclesia consonantia noctem nostram, omnes quibus dicit Apostolus Philipp. 2 in quibus apparetis tanquam luminaria in mundo verbum vitæ habentes. Illas stellas numerat Deus, omnes secum regnaturos, &c. Intra parietes istos plures sunt quam futuri sunt in regno Dei, in illa Ierusalem cœlesti: ipsi super numerum sunt. Animaduertat quisque vtrum luceat in tenebris, vtrum in iniquitate sæculi tenebrosa non seducatur: Si non fuerit seductus nec victus, tanquam stella erit, quam iam numerat Deus. Et omnibus, inquit, eis nomina vocat, ibi est totum præmium, habemus nomina quædam, nomina apud Deum, vt nouerit Deus nomina nostra, hoc optare debemus, hoc agere, hoc satagere quantùm possumus, non de aliis rebus gaudere. *Stella denique licet innumerabiles Abrahæ posteri electi in Isaac vero Christo, multò plures arenæ reproborum figurata sunt in Ismaël. Numerum prædestinatorum, non simpliciter à Deo electum ad ruinas Ierusalem implendas, sensit Gregorius; cùm enim draco qui cum Michaële pugnauit, tertiam tantùm partem stellarum, id est Angelorum, cauda sua traxerit in ruinam; si numerus hominum electorum ad gloriam, huic tantùm tertiæ parti coæquari deberet, ad eorum qui cum Michaële in veritate steterunt, summam non assurgeret. Ita autem Gregorius homilia 34. in Euangelia.* Quia, inquit, superna illa Ciuitas ex Angelis & hominibus constat, ad quam tantùm credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos Angelos remansisse, sicut scriptum est, Deut. 32. 8. Statuit terminos gentium secundùm numerum Angelorum Dei: debemus & nos aliquid ex illis distinctionibus supernorum ciuium, ad vsum nostræ conuersationis trahere, nosque ipsos ad incrementa virtutum, bonis studiis inflammare. *Ac ne quis de vltimo tantùm choro postremæ hierarchiæ, id est solis Angelis, ipsum loqui crederet, cùm fusè priùs de singulis nouem ordinum proprietatibus disseruisset, præmissa subiecit.* Debemus aliquid ex illis distinctionibus supernorum ciuium, &c. *Quod vt impressius persuaderet, fusissimè dictas proprietates electis imitandas pro modulo, subiecit.* Quia enim, inquit, illuc tanta ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum: superest, vt ipsi quoque homines qui ad cœlestem patriam redeunt, ex eius agminibus, aliquid illuc reuertentes imitentur. Distinctè namque conuersationes hominũ, singulorum agminum ordinibus congruunt, vt in eorum sortem per conuersationis similitudinem deputentur. Nam sunt plerique qui parua capiunt, sed tamen hæc eadem parua piè annuntiare fratribus non desistunt. Isti itaque in Angelorum numerum currunt. Et sunt nonnulli qui diuinæ largitatis munere refecti, secretorum cœlestium summa, & capere præualent, & nuntiare. Quò ergo isti nisi inter Archangelorum numerum deputantur? Et sunt alij qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo ergo isti, nisi ad supernarum virtutum sortem, & numerum congruunt? Et sunt nonnulli qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis, & vi acceptæ Potestatis eiiciunt. Quo itaque isti meritum suum, nisi inter Potestatum cœlestium numerum sortiuntur? Et sunt nonnulli qui acceptis virtutibus etiam electorum hominum merita transcendunt: Cúmque bonis meliores sunt, electis quoque fratribus principantur. Quo ergo isti sortem suam, nisi inter Principatuum numeros accipiunt? Et sunt nonnulli qui sic in semetipsis cunctis vitiis, omnibusque desideriis dominantur, vt ipso iure munditiæ, Dij inter homines vocentur, &c. quo ergo isti nisi inter numeros Dominationum currunt? Et sunt nonnulli qui dum se sollicita intentione discutiunt, diuino timori semper inhærentes, hoc in munere virtutis accipiunt, vt iudicare rectè & alios possint, &c. quid ergo isti nisi Throni sui Conditoris sunt? Et sunt nonnulli, qui tanta Dei ac proximi dilectione pleni sunt, vt Cherubim plenitudo scientiæ dicitur, & Paulo dicente didicimus, quia plenitudo legis est charitas, &c meritorum suorum sortem inter Cherubim numeros perceperunt. Et sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis facibus accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant, nihil iam in hoc mũdo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abiiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amant & ardent, atque in ipso suo ardore requiescunt, amando ardent, loquendo & alios accendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt, &c. qui ergo ita ad amorem sui Conditoris inflammati sunt, quo nisi inter Seraphim sortem suæ vocationis acceperunt? *V. Tom. 3. V. Prædestinatio.*

ELEEMOSYNA.

1. Eleemosyna, & misericordiæ omnis opera, in vtraque lege mandata. 4. Cont. Marc. cap. 17. circa. f.

Misericordiam quoque præcipiens: [a] *Estote*, inquit, *misericordes, sicut pater vester misertus est vestri.* Hoc erit, [b] *Panem infringito esurienti, & mendicos sine tecto in domum tuam inducito, & nudum si videris tegito*; &, [c] *Iudicate pupillo & justificate viduam.* Agnosco doctrinam eius veterem, qui [d] *mauult misericordiam quàm sacrificium.* Aut si alius nunc misericordiã præcepit, quia & ipse misericors sit; cur tanto æuo, misericors mihi non fuit? *Nolite iudicare, ne iudicemini. Nolite condemnare, ne condemnemini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, pressam, ac fluentem dabunt in sinum vestrum. Eádem qua mensi eritis mensurâ, remetietur vobis.* Vt opinor, hæc retributionem pro meritis prouocatam sonant.

a Luc. 6. 36.
b Esa. 58. 7.
c Esa. 1. 17.
d Osee 6. 6.
e Luc. 6. 37. & 38.

ELEEMOSYNA. I. SCHOLIA.

Misericordiam. *Luc. 6. 36.* Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est, nolite iudicare, &c. *Iam alibi diximus de hoc loco cum Augustino, cui addo ex eodem quod habetur. 4.* August.

Augst. *lib. 2. qq. Euang. q. 8.* Quod Dominus dicit, date, & dabitur vobis, &c. Ex illa ſententia accipi poteſt, qua dicit & alio loco, vt ipſi recipiant vos in æterna tabernacula; vt plebi præceptum eſſe videatur quod dictum eſt, date & dabitur vobis. Secundùm quam ſententiam dixit Apoſtolus Gal. 6. 6. communicet qui catechiſatur Verbo Dei, ei qui ſe catechiſat in omnibus bonis. Non enim diceret, dabunt in ſinum veſtrum, niſi quia per illorum meſira, quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli dederint, mercedem cœlestem recipere merebuntur. PANEM INFRINGITO. *Eſa. 58. 7.* Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque, induc in domum tuam: 70. *& pauperes ſine tecto, &c.* Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. 70. *vere.* Domeſticos ſeminis tui. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* A carne tua non abſcondaste. *Sicut faciunt ſuperbi diuites, qui nolunt agnoſci à pauperibus parentibus, vel qui iubent oſtiario vt dicat, ſe non eſſe domi. Hunc totum Eſaiam alibi*

Augst. *cum Aug explicauimus; alibi tamen quod habet in eundem, Sermone 62. de temp. circa. f.* Quis erit qui ſe poſſit excuſare, cùm etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit? & quare frigidæ dixit? ne forte ſe poſſet aliquis pauper de lignorum penuria excuſare, aut dicere, ſe vaſculum, vbi aquam calefaceret, non habere. Denique & per beatum Prophetam, fratres chariſſimi, Dominus ita hortatur & admonet Eleemoſynam fieri, vt propè nullus pauper ſit, qui ſe valeat excuſare. Sic enim ait Eſa. 58 Hoc eſt ieiunium quod elegi, dicit Dominus: frange eſurienti panem tuum. Non dixit vt integrum daret, cum forte pauper ille alium non haberet: ſed, frange; inquit; hoc eſt dicere, etiam ſi tanta paupertas tibi eſt, vt non habeas niſi vnum panem, ex ipſo tamen frange, & pauperi tribue. Et egenum, inquit, ac ſine tecto, induc in domum tuam; ſi aliquis ita pauper eſt, vt non habeat vnde tribuat pauperi cibum, vel in vno angulo domus ſuæ peregrino præparet lectulum. Quid nos ad hæc dicturi ſumus, fratres, vel quam excuſationem habere poterimus, qui amplas & ſpatioſas domus habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum, ignorantes, imò non credentes, quod in omnibus peregrinis Chriſtus excipitur: ſicut ipſe dicit Math. 25. hoſpes fui & ſuſcepiſtis me? &c. laborioſum & faſtidioſum nobis eſt, in pauperibus recipere Chriſtum in patriam noſtram; timeo ne nobis ille vicem reddat in cœlo, & nos non recipiat in beatitudinem ſuam. Contemnimus illum in mundo, timeo ne nos ille iterum contemnat in cœlo; ſecundùm illud quod ipſe dixit, eſurivi & non dediſtis, &c. Hoſpes fui, &c. IVDICATE PVPILLO. *Eſa. 1. 17.* Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. 70. Iuſtificate. *Id eſt cauſam eius iuſtam defendite.* AGNOSCE VETEREM. *Pungit Marcionem, probans Chriſtum filium eſſe Dei Creatoris, qui miſericordiam commendat ſecundùm exempla veteris teſtamenti.* SI ALIVS. *Deus ſcil. nouus Marcionis.* CVR TANTO ÆVO. *Cur tandiu abſtinuit ab exercenda miſericordia.* MIHI NON FVIT. *Vel quod iam diu vixiſſet Tertullianus, antequam Marcion dogma ſuum de ſuo nouo bono Deo inuexiſſet; vel quod ſibi applices quod de toto mundo dicere voluit; ſibi per Charitatem totum mundum applicando.* RETRIBVTIONEM SONANT. *Carpit rurſum Marcionem, & conuincit, Deum eius nouum propria Chriſti ſui voce dici iudicem, qui promotus, vel inuitatus bonis gloriam, malis panam pro vice rependit; quod tamen horret Marcion.*

2. *Eleemoſyna iuſtius pauperibus, quàm diis erogatur. Apol. cap. 42. circa fin.*

CErtè, inquitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt. ſtipes quotus quiſque iam iactat? Non enim ſufficimus & hominibus, & Diis veſtris mendicantibus opem ferre; nec putamus aliis, quàm petentibus impertiendum. denique porrigat manum Iupiter, & accipiat. Cùm interim plus noſtra miſericordia inſumit vicatim, quàm veſtra Religio templatim.

3. *Eleemoſyna erogandæ in pauperes, ærarium publicum. Apol. cap. 39. à p.*

SI quod arcæ genus eſt, non de honoraria ſumma quaſi redemptæ religionis congregatur. modicam vnuſquiſque ſtipem menſtruâ die, vel cùm velit, & ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit. nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis humandiſque & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitutis, iamque domeſticis ſenibus, item naufragis. & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis, dumtaxat ex cauſa Dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ fiunt.

ELEEMOSYNA. II. ET III. SCHOLIA.

CERTÈ, INQVITIS. *Vos Gentiles nobis obiicitis, Chriſtianos multiplicatos, imminuere quotidie deorum templis, quod cum Gentiles eſſent, eorum ornatui vel ſacrificiis impendebant: quàm pauci iam ſunt, qui ſtipem aliquam proiiciant ara, vel gazophilacio Templi.* NON ENIM SVFFICIMVS. *Reſpondet Tertull. pro Chriſtianis. Fateor, inquit, noſtras facultates non poſſe ſimul & veſtris diis inſenſibilibus & miſeris, & hominibus vinis pauperibus alendis & inducndis ſuffi ere.* QVAM PETENTIBVS. *Vina voce eos geſtu ſuum neceſſitatem teſtantibus. Quod nec Iupiter ſummus deorum facere poteſt: dabo inquis, ei eleemoſynam, ſi manum porrigat ad accipiendum. Noueris interim religio veſtra, id eſt idololatrica ſuperſtitio, nos largiores eleemoſynas pauperibus præſtare, viuis Dei templis, hoc eſt pauperibus, quos per ſingulos vicos, vel in plateis reperimus, vel pudibundos in ſingulis domibus latentes viſitamus, vel in publicis Xenodochiis alimus & reficimus; quàm vos per ſingula templa & numina impendatis. De ſtipe diis data, nota Sacerdotes ea huiuſmodi colligentes, vocatos eſſe Æruſcatores. De quibus Varro:* Dius, cùm theſauriſaſſes, ſtipem di-

S. Auguſt. cunt. *Non minùs facetè retundit Gentiles Auguſtinus lib. 3. de Ciuit. cap. 19. in. f. vbi de erario Romano exhauſto, & armis deorum detractis, non Chriſtianorum causâ, ſed bellorum: cùm de afflictione ſecundi belli Punici ageret:* Tanta militum inopia ſecuta eſt, vt Romani, reos facinorum, propoſitâ impunitate colligerent, ſeruitia libertate donarent, atque ex illis pudendus non tam ſuppleretur, quàm inſtitueretur exercitus. Seruis itaque, imò, ne faciamus iniuriam iam libertis, pro Romana Republica pugnaturis arma defuerunt. Detracta ſunt templis, tanquam Romani dijs ſuis dicerent, ponite quæ tam diu inaniter habuiſtis, ſi fortè aliquid vtile inde facere poſſint noſtra mancipia, vnde vos, noſtra numina, nihil facere potuiſtis. Tunc etiam ſtipendijs ſufficiendis cùm defeciſſet ærarium, in vſus publicos opes venere priuatæ. Adeò vnoquoque id quod habuit, conferente, vt præter ſingulos annulos aureos, ſingulaſque bullas miſerabilia dignitatis inſignia, nihil ſibi auri Senatus ipſe, quantò magis cæteri ordines tribuſque relinquerent. Quis ferret iſtos, ſi noſtris temporibus ad hanc inopiam cogerentur, cùm eos modo vix feramus, quando pro ſuperflua voluptate plura donantur hiſtrionibus, quàm tuis legionibus pro extrema ſalute coliata ſunt.

3. ARCÆ GENVS. *Gazophilacium pauperum.* NON DE HONORARIA SVMMA. *Alij legunt,* oneraria *vel*, Ordinaria. *Theſaurus hic non conficitur ex ſumma collecta ad emendum titulum honoris & nominis Chriſtiani, quaſi ematur de nouo acquiſitus, vel redimatur amiſſus.* MENSTRVA DIE. *Aliquo die menſis huic collecta, vel ſpontaneæ largitioni addicto.* INGRATIS VORATRINIS. *Conuiuiis voracitatis, Deo, Sanctiſque ingratis.* DOMESTICIS SENIBVS. *Id eſt nimia ætate, domo egredi non valentibus.* IN METALLIS. *Martyres ad metalla damnatos intelligit, exules, carceratos.* DVMTAXAT, *&c. Non quòd reis neget faciendam Eleemoſynam, ſed quòd tanta eſſet tum fidelium ſanctitas, vt dictis pœnis nullâ causa criminis ſubiacerent, ſed ſolùm propter Chriſti nomen, & Dei ſectam, hoc eſt Chriſtianam fidem, quem frequenter ſectam vocat, à ſequendo Deo & Chriſto, qui dixit:* Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. ALVMNI CONFESSIONIS, *&c. Id eſt aluntur impendijs eorum, qui Deum ſimiliter confitentur* De collecta pro pauperibus fieri ſolita, *ſic Paulus 1. Cor 16.* 1. De collectis autem quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam Sabbati, *Id eſt Dominica, quæ vna, id eſt prima, in ſcriptura dicitur. Syr. autem; quolibet Sabbato.* Vnuſquiſque veſtrum apud ſe: *Syr. domi ſuæ,* ſeponat, recondens quod ei bene placuerit: vt non cùm venero tunc collectæ fiant. Cùm autem præſens fuero: quos probaueritis, *Syr. Elegeritis, mittam cum Epiſtola*, per epiſtolas hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem. *Harum collectarum meminit Aug. de ſer. Do. in monte citatus à Beda in hunc locum. lib. 2. cap. 17. circa m.* Apoſtolus Paulus poteſt videri de craſtino cogitaſſe cùm dicit, de collectis autem, &c. Vnuſquiſque veſtrum apud ſe ponat theſaurizans, &c. His & huiuſmodi ſcripturarum locis ſatis apparet Dominum noſtrum non hoc improbare, ſi quis humano more iſta procuret. *Imò verò maximè probat, cùm non ſibi ipſi, ſed Chriſti pauperibus theſaurizet. De huiuſmodi Eleemoſynis ſtipe collatis, videndus Cyprianus de opere & Eleemoſynis, ep. 95. & 89. aliique Patres. Vidua porrò à Chriſto laudata eſt, quæ duo minuta æris, hoc eſt quadrantē, miſerat in gazophilacium, vt habetur Marci 12. 41. & ſeq. & Luc. 21. 1. & ſeq. Aug. in Pſal. 63.* Quid eſt gazophilacium? arca Dei, vbi colligebatur ea, quæ ad indigentiam ſeruorum Dei mittebatur. O homo cor tuum ſit potiùs arca Dei vbi habitent diuitiæ Dei, vbi ſit numinus Dei, mens tua, habens imaginem Imperatoris tui: cùm ergo hæc ita ſint, qualis illa innocentiæ ſimulatio fuit, pecuniam ſanguinis. *Agebat de triginta denaris, quos Sacerdotes in Gazophilacium mittere noluerunt.* Non mitterre in aream, & ipſum ſanguinem mittere in conſcientiam? *Iuda multi peiores, qui,* vendunt pro argento iuſtum, *nec pretium reſtituunt templo, vel pauperi ſpoliato, vel pauperum gazophilacio, nec ſaltem in peregrinorum ſepulturam impendunt, & ſanguine Chriſti in paupere Lazaris, cor ſuum maculant. Caterum theſauriſat ſibi in cœlo qui ſponte confert ſtipem pauperi. De vidua autem duo minuta mittente in gazophylacium ita Aug. homilia 8. in m. vbi agebat de Zacheo dimidio bonorum ſuorum emente regnum cœlorum.* Qui a prior emit, fortè tu non inuenis quod emas? emit enim regnum cœlorum. Et ille emit, & tibi integrum ſeruatur quod emas. Noli timere ne anguſtet te compoſſeſſor: omnibus latum eſt quod charitas poſſidet. Duobus enim minutis emit quædam vidua regnum cœlorum, quæ miſit in gazophylacium duos numos. Amen, Amen dico vobis, nullus ampliùs miſit in domum Dei quàm iſta vidua. Illi enim de abundantia ſua miſerunt, hæc autem totum quod habuit, miſit. Quia enim præbebat ei Dominus victum, iam ei duo numi ſuperflui reſtiterant ad victum eius diei: ideo miſit illos in domum Dei, & emit ſibi regnum cœlorum. Ecce quod timebas ne carum eſſet, & non eſſes idoneus. En duobus numis valet. Si terrebat te pretium quod dedit Zacchæus, conſoletur te hoc pretium quod dedit hæc vidua. Plus addo. Chariſſimi, valet & viliùs. Vilior eſt calix aquæ frigidæ, vilior eſt ſola bona voluntas. Audi clamantes Angelos: in terra pax hominibus bonæ voluntatis. An fortè non benè diximus viliorem bonam voluntatem? Imò ipſa eſt omnibus charior, & totum habet, qui bonam voluntatem habet: quia in dimidio rerum ſuarum Zacchæus ſi bonam voluntatem non haberet, nihil dediſſet, bona enim voluntas, ipſa dicitur charitas. *Idem Aug. in Pſal. 36.* Iuſtus autem miſeretur & commodat. Fœneratur peccator & non ſoluit. Videre egeſtatem, videre diuitias. Ille accepit & non ſoluit: Iſte miſeretur & commodat, abundat illi. Quid ſi pauper eſt? etiam ſic diues eſt. *Qualis vidua, de qua ſupra.* Tu autem ad diuitias eius pios oculos intende, reſpicis enim aream inanem, conſcientiam Deo plenam non reſpicis. Non habet extrinſecùs facultatem, ſed habet intrinſecùs charitatem. De charitate quanta erogat, & non finitur? Etenim ſi habet foris facultatem, dat ipſa charitas, ſed ex eo quod habet. Si autem non inuenit foris quod det, dat benevolentiam, præſtat conſilium, ſi poteſt; præſtat auxilium, ſi poteſt. Ad extremum, ſi nec conſilio, nec auxilio adiuuare poteſt, vel voto adiuuat, vel orat pro contribulato, & fortè magis ipſe exaudiatur, quam qui porrigit panem. Habet ſemper vnde det, cui plenum pectus eſt charitatis. Ipſa eſt charitas, quæ dicitur & voluntas bona. Plus à te Deus non exigit, quàm quod tibi intus dedit. Vacare enim non poteſt voluntas bona, & ſi numus tibi ſuperſit, non porrigis pauperi: ipſi inter ſe pauperes præſtant ſibi de voluntate bona, non ſunt inter ſe infructuoſi. Vides cæcum duci à vidente, quia numos non habuit quos daret egenti; commodauit oculos non habenti.

Digitized by Google

Vnde hoc factum est vt membra sua commodaret ei qui non habet, nisi quia intus inerat voluntas bona, thesaurus pauperum? in quo thesauro dulcissima requies, & vera securitas: ad ipsum amittendum nec latro admittitur, nec naufragium metuitur. Seruat secum quod intus habet, nudus cuadit, & plenus est, iustus ergo misereatur & commodet.

4. *Eleemosynam vix vltrò dat, qui damna rei suæ fert impatienter. De Pat. cap. 7. in m. ad f. & 8. in p.*

IAm qui minutum sibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiàm ignaniâ, non constanter sustinere constituit: nescio an facilè, vel ex animo, ipse rei suæ manum inferre posset in causa eleemosynæ. Quis enim ab alio secari omnino non sustinens ipse ferrum corpori suo ducit? Patientia in detrimentis exercitatio est largiendi & communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit nisi idem sit, qui auferenti tunicam, etiam pallium offerre possit? Quomodo amicos de mammona fabricabimus nobis, si eum in tantùm amauerimus, vt amissum non sufferamus? Peribimus cùm perdito. Quid hîc inuenimus, vbi habemus amittere? Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortasse animæ antepouant. Nam & faciunt, cùm lucri cupiditatibus quæstuosa pericula mercimoniorum in mari exercent: cum pecuniæ causâ etiam in foro nihil damnationi timendum aggredi dubitant. cùm denique ludo & castris sese locant, cùm per viam in mores bestiarum latrocinantur. Nos verò secundùm diuersitatem, qua cum illis sumus, non animam pro pecunia, sed pecuniam pro anima deponere conuenit; seu sponte in largiendo, seu patienter in amittendo. Ipsam animam, ipsumque corpus in seculo isto expositum omnibus ad iniuriam gerimus, eiusque iniuriæ patientiam subimus: minorum deliberatione lædemur? Absit à seruo Christi tale inquinamentum, vt patientia maioribus tentationibus præparata, in friuolis excidat. Math. 5. 40. Luc. 16. 9. Cap. viii.

ELEEMOSYNA. IV. SCHOLIA.

MANVM INFERRE. *Tollere aliquid ex eius manu, vel horreo.* FERRVM DVCIT. *Ferro vulnerat suum corpus.* PATIENTIA IN DETRIMENTIS, *&c. Qui patienter fert detrimenta bonorum, eo ipso disponitur ad faciendam Eleemosynam bonorum suorum.* PERIBIMVS. *Sapienter ille Philosophus opes suas in mare proiiciens.* Ne peream, vos perdam. QVID HIC INVENIMVS. Nihil intulimus in hunc mundum, nec auferemus. *Et Seneca:* Natura excutit exeuntem sicut intrantem, non licet plus efferre, quàm inuleris. *Sensus melior: quid hic quarimus, quod inuenimus, vbi illud amittere, vel dimittere debemus?* GENTILIVM EST. *Qui bona æterna non sperant; nec thesaurus expectant in cœlo.* NIHIL DAMNATIONI TIMENDVM. *Aduocati, iudices, aliique forenses auidi lucri, ruinam famæ bonorum vitæ iniustissimè contra innocentes moliuntur, qua perditissimi quique & addicti damnationi & morti aggredi vix auderent.* LVDO. *Gladiatorio & arena.* CASTRIS. *Militia periculis.* BESTIARVM. *Instar luporum vel Leonum.* CVM ILLIS. *Ab illis, qui à Christiani fide & moribus ab Ethnicis differunt.* MINORVM DELIBERATIONE. *Qui tot grauiora patimur, an hesitabimus ferre leuiora? Alij legunt,* Delibatione, *leuiter perstringente & summis veluti labiis vel unguibus patientiam delibante iniuria. Alij,* Deliba*tione, tanquam parati ad maiora iacula & vulnera, quasi ad libratam & intentatam leuiusculam sagittam tremuli expauescant.* INQVINAMENTVM. *Nota infamiæ pusillanimitatis. Et propria igitur auferri nobis libenter patiamur, & ea liberaliter pauperi petenti largiamur, numquam amittenda, sed hîc nobis ad cumulum iustitiæ, & in cœlo gloria thesaurizanda. Augustinus ser. 5. de Verb. Dom.* Vide quid minuatur, & quid augeatur. Minuitur pecunia, augetur iustitia. Illud minuitur quod eras dimissurus, illud minuitur quod eras relicturus; illud augetur, quod in æternum possessurus. Consilium do lucrorum: disce mercari. Laudas enim mercatorem qui vendit plumbum, & acquirit aurum: & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit iustitiam? &c. *Et Ser. 50. de temp.* Præsentia mala temporalia quæ multùm homines exhorrent, sub quibus plurimùm murmurant, & murmurando offendunt emendatorem, ne inueniant saluatorem. Præsentia mala sine dubio transitoria sunt, autilla per nos transeunt, *Bene in rem Tertull. etenim sagitta tua transeunt, leuia sunt damna præsentia, lucra pariunt æterna, data pauperibus, procurant æterna,* Aut nos per illa transimus: aut transeunt nobis viuentibus; aut dimittuntur nobis morientibus, &c. Verumtamen si curis tantis homines æstuant ad euadendas temporales & transcurrentes, vel potiùs transuolantes tribulationes: *De quibus proprie Psalles, sagittà volante in die, negotio perambulante in tenebris.* Quid est cogitandum vt homo euadat manentes, & tunc sine duran-tes? &c. A molesto conuiuio nemo est excusatus. Bibendum fuit quod propinauit Adam; &c. Psal. Nos admonet quomodo facti fuerimus, & quò peruenerimus. Ait enim quamquam in imagine Dei ambulet homo, & ideò magna res est homo, tamen vanè conturbabitur. Et quasi quæreremus vnde vanè conturbabitur? thesaurizat, inquit, & ignorat cui congregabit ea, &c. Quid dementius? quid infelicius? certè sibi? non; quare sibi non? &c. Quia thesaurus durat, & transit qui congregat, &c. Quia moritur homo, perdurante thesauro, &c. Conturbatur, thesaurizat, cogitat, laborat, curis inuigilat, per diem vexaris laboribus, per noctem agitaris timoribus, vt sacellus tuus impleatur numis, anima tua febricitat curis, &c. Vt damna taceamus, vt tanta pericula, & in singulis lucris, singulas mortes, mortes dico, non corporum, sed malarum cogitationum, vt accedat aurum, perit fides, vt foris vestiaris, intus expoliaris, &c. Vt aduersa prætereamus, prospera sola cogitemus. Eccé thesaurizas, ecce vndique lucra confluunt & more fontium numi currunt. Vbique ardet inopia.

S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin.

vndique fluit copia, &c. Ecce acquiris, non infructuosè conturbaris, tamen vanè conturbaris. Quare, inquis, vanè conturbor? Ecce saccos impleo, parietes mei vix capiunt quod acquiro. Quare vanè conturbor? thesaurizas, & ignoras cui ea congreges; aut si scis, cui, obsecro te, dic & mihi, &c. Mihi, inquis. Hoc audes dicere moriturus? filiis meis, inquis. Hoc audes dicere de morituris? magna pietas, thesaurizat pater filiis: Imò magna vanitas, thesaurizat moriturus morituris. Si propter te, quia moriturus dimittis, quid colligis? hæc causâ & filiorum, successuri sunt, non permansuri. Omitto dicere, quibus filiis; ne fortè quod congregauit auaritia, perdat luxuria, &c. Illis dico quod tibi dicebam, filio tuo dico, cui seruas? &c. Omitto dicere, quia fortè dum viuis, thesaurizas furi. Vna nocte venit, & tot diebus ac noctibus paratum inuenit, &c. Quàm multa quæ congregauit inanis vanitas, parata inuenit hostilis crudelitas! &c. Nolite vobis condere thesauros in terra, vbi tinea, &c. Non cessat rapina graſſari, non enim cessat fraudare auaritia, non enim cessat periurare malitia, totum vt quid? vt thesaurizetur. Et vbi ponatur? in terra. Rectè quidem, à terra in terram. Homini enim à quo nobis dixi laborem fuisse propinatum, dictum est peccanti, terra es, & in terram ibis. Meritò thesaurus in terra, quia cor in terra. Vbi est ergo quod habemus ad Deum? &c. Væ nobis, ruit mundus; si ruit, quare non migras? si tibi architectus diceret, ruituram domum, nonne priùs migrares, quàm murmurares? structor mundi tibi dicit ruituram mundum, & non credis? audi vocem prædicentis, audi consilium commonentis. Vox prædicentis est, cœlum & terra transibunt. Vox commonentis est, nolite vobis condere thesaurum in terra, &c. Da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Non sine thesauro remanebis, sed quod habes in terra sollicitus, habebis in cœlo securus, &c. Veni & sequere me, vt ducam te ad thesaurum tuum. Non est hoc dispendium, sed compendium, &c. Frumentum ponis in terram, venit amicus tuus, qui nouit frumenti & terræ naturam, docet tuam imperitiam, dicit tibi, quid feciſti? &c. Humidus locus est, putrefecit quod posuisti, &c. Migra in superiora. Audis ergo amicum, consilium dantem de frumento tuo, & contemnis Deum consilium dantem de corde tuo? frumentum tuum times ponere in terra, & cor tuum perdis in terra? &c. Quomodo pœnitet eos qui non fecerunt? *Supple cor in cœlum cum thesauro non posuerunt.* Modò quid sibi dicunt? in cœlo haberemus quod in terra perdidimus. Inuasit hostis domum, numquid inuaderet cœlum? occidit seruum custodem, numquid occideret Dominum seruatorem? &c. Si migranda sint quæ habemus, in eum locum transferamus vnde ea non perdamus; quid sunt pauperes quibus damus, nisi latuarij nostri, per quos in cœlum de terra migramus? da latuario tuo, das, *bajulo*, ad cœlum portat quod das. Quomodo, inquis, ad cœlum portat? & video quia manducando consumit. Prorsus non tenendo, sed manducando transportat, &c. Si ante tu mendicantem non contempsisti, attende ad quem peruenerit quod dedisti. Cùm vni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Christus accepit quod dedisti. *Caput in membris, in cœlo, & terra. Ecce ego vobiscum sum, &c. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis, visibilem scilicet, sed in membris latentem.* Ille accepit qui tibi vnde dares, dedit. Ille accepit, qui in fine tibi seipsum dabit, &c. *Et cùm retuliſſet sententiam bonorum & malorum, venite benedicti, discedite maledicti.* Quære, *inquit*, causas vel tantæ mercedis, vel tanti supplicij, percipite regnum, & ite in ignem æternum. Quare illi percepturi sunt regnum? Esuriui enim: &c. Quare illi ituri in ignem æternum? Esuriui enim, &c. Quid est hoc rogo? &c. *Stupet alia non laudasse opera maiora. Et concludit ob solam misericordiam hos regnare, illos ob eius defectum damnari.* Quantùm hoc excellit, quando cætera tacuit, & hoc solum Dominus nominauit? &c. Quàm multa posset in impios dicere, si quærerent; quare imus in ignem æternum? quare, quæris, adulter, homicida, fraudator, sacrilege, blasphemator, infidelis? nihil horum: sed, quia esuriui, & non dedisti mihi manducare. Video vos moueri, sicut moueor. Et verè mira res. Huius autem admirabilis rei colligo vt possum rationem, quam vos non celabo. Scriptum est Eccl. 5. sicut aqua extinguit ignem, ita Eleemosyna extinguit peccatum. Item scriptum est Eccli. 29. Include Eleemosynã in corde pauperis, & ipsa pro te deprecabitur Dominum. Item scriptum est Dan. 4. Consilium meum audi Rex, & peccata tua Eleemosynis redime, &c. Proinde illis quos damnaturus est, imò plùs illis quos coronaturus solas Eleemosynas imputabit: tanquam dicens, difficile est, vt si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inueniam vndè vos damnem; sed ite in regnum: Esuriui enim, &c. Non ergo itis in regnum, quia non peccastis, sed quia vestra peccata Eleemosynis redemistis. *Similiter & de damnatis, damnandisque ob multa crimina, &c.* Quasi eis diceret, non inde, vnde putatis, sed quia esuriui, & non dedistis, &c. Si enim ab illis omnibus vestris factis auersi, & ad me conuersi, illa omnia crimina atque peccata Eleemosynis redemissetis, ipsæ Eleemosynæ modò liberarent vos, & à reatu tantorum criminum absoluerent. Beati enim misericordes, &c. Modò autem ite in ignem æternum: iudicium sine misericordia, ei qui non fecit misericordiam, &c. Date panem terrenum, & pulsate ad cœlestem, Dominus panis est. Ego sum panis, inquit, vitæ, &c. Nullius eget, ideò verus est Dominus, dixi Domino, Deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges. Cùm ergò sit Dominus, & verus Dominus, & bonorũ nostrorũ non egeat, tamen vt aliquid erga eum faceremus, & esurire dignatus est in pauperibus suis, &c. Breuiter ergo audiãt homines, dignè que considerent, quantũ sit meritũ, Christum pauisse esurientem, & quale sit crimen Christum contempsisse esurientem. Mutat quidem homines in melius pœnitentia peccatorum, sed nec ipsa videtur aliquid profutura, si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit, &c. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. De hoc vtique fructu superiùs ait, facite fructus dignos pœnitentiæ, &c. Qui sint autem isti fructus, consequenter ostendit, *Ioannes scil. Baptista*, &c. Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat, &c. Quid proderit deprecari, si te dignum non fecerit exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ; vt tanquam sterilis arbor excidaris, & in ignem mittaris? *Hæc de Augustini medulla, congessi in locum moralem, pro Eleemosyna, quam in rem Tertulliani non potuit fortioribus argumentis commendare, contra auaritiam thesaurizantium in terra.*

S. Auguſt.

Augustin.

Augustin.

5. Eleemosyna fœneratoria præstanda omni petenti, etiam extraneo, multò magis proximo, iuxta vtramque legem. 4. Cont. Marc. cap. 16. in m.

OMni petenti te, *dato;* vtique indigenti: vel tantò magis indigenti, si etiam & abundanti. Ne quis ergo indigeat, datori imperatam habes in Deuteronomio formam Creatoris: [b] *Non erit*, inquit, *in te indigens; vti benedicens benedicat tę Dominus Deus tuus:* datorem scilicet, qui fecerit non esse indigentem. Et plus hîc, non enim petenti jubet dari. *Sed non sit*, inquit, *indigens in te;* id est, cura vltro ne sit. quo magis petenti præjudicat dandum, etiam in sequentibus: [c] *Si autem fuerit indigens è fratribus tuis, non auertes cor tuum, nec constringes manum tuam à fratre tuo indigente. Aperiens aperies illi manum, fenus fenerabis illi quantum desiderarit.* fenus enim nisi petenti dari non solet. Sed de fenore postmodum. Nunc si qui voluerit argumentari, Creatorem quidem fratribus dari jussisse, Christum vero, omnibus petentibus; vt hoc sit nouum atque diuersum: immo vnum erit ex his, per quæ lex Creatoris erit in Christo. Non enim aliud Christus in omnes præcepit, quàm quod Creator in fratres. Nam etsi major est bonitas quæ operatur in extraneos, sed non prior eâ quæ antè debetur in proximos. Quis enim non diligens proximos, poterit diligere extraneos? Quòd si secundus gradus bonitatis est in extraneos, qui in proximos primus est; eiusdem erit secundus gradus, cuius & primus; facilius quàm vt eius sit secundus, cuius non extitit primus. Ita Creator & secundùm naturæ ordinẽ, primùm in proximos docuit benignitatem, emissurus eam postea & in extraneos; & secundùm rationem dispositionis suæ, primò in Iudæos, postea & in omne hominum genus. Idcoque, quamdiu intra Israëlem erat sacramentum, meritò in solos fratres misericordiam mandabat. At vbi Christo [d] *Dedit gentes hereditatem, & possessionem terminos terræ*, & cœpit expungi quod dictum est per Osee, [e] *Non populus meus, populus meus; & non misericordiam consequuta, misericordiam consequuta.* Natio scilicet: exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excipiens in miseratione, sicut in vocatione. Ita & si quid amplius docuit, hoc quoque in hereditatem gentium accepit.

[a] Luc 6. 30.
[b] Deut. 15. 4.
Ibid.
[c] Ibid. 7. & 8.
[d] Psal 2. 8.
[e] Osee. 1. 9.

6. Eleemosyna lucrum. Apol. cap. 39. V. Verbum Cœnâ, num. 2. in m.

ELEEMOSYNA. V. SCHOLIA. *V. Aug. ser. 27. de Verb. Apostoli. Item. Tertull.*

Augus. OMNI PETENTI. *Luc 6. 30.* Omni petenti te, tribue. *Syr. cuilibet poscenti à te, dato.* Et qui aufert quæ tua sua sunt, ne repetas. *Aug. lib. 1. de Ser. Do. in monte c.* 20. Omni petenti, inquit, non omnia petenti, vt id des, quod dare honestè & iustè potes. Quid si enim pecuniam petat, qua innocentem coretur opprimere? quid si postremò stuprum petat? sed ne multa persequar quæ sunt innumerabilia, id profectò dandum est, quod nec tibi, nec alteri noceat, Quantùm sciri, aut credi ab homine potest. Et cui iustè negaueris quod petit, indicanda est ipsa iustitia, *dando instructionem ignaro,* vt non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamuis non semper id quod petit dabis, sed aliquando melius aliquid dabis, cùm petentem iniustè, correxeris. VTIQVE INDIGENTI. *Supponitur enim indigere qui petit.* ET ABVNDANTI. *Supple des. Dare debes multò magis indigenti.* FORMAM CREATORIS. *Hìc pungit Marcionem jactantem Christum suum filium Dei noui bonum & largum; & probat nihil eum noui de misericordia & Eleemosyna præstanda omni petenti, præcipere; sine egeat, sine abundet; cùm in hoc, præscripsum secutus sit regulam Creatoris, qui iubet sic dari & prouideri proximo, vt nullus sit indigens. Sic enim Deut. 15. 4.* Omnino indigens & mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem. 70. *vero* Non erit in te egenus: quia benedicens benedicet te Dominus Deus tuus in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi in sorte, vt hæreditet eam. ET PLVS HIC. *Supplè Creator, maiorem vult exhiberi charitatem.* IN SEQVENTIBVS. *Deut. 15. 7.* Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum. *Ita & 70.* Nec contrahes manum: *Tertull. sequutus est 70.* Sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. 70. Aperiens aperies manus tuas, & fœnus fœnerabis ei quantùm poscit, secundùm quod egebit. *Augustinus supra ex Math. 5. 42.* Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne auertaris; *Sic prosequitur:* Quod autem ait, qui vult à te mutuari, ne auersatus fueris: ad animum referendum est. Hilarem enim datorem diligit Deus. Mutuatur autem omnis qui accipit, etiam si non ipse soluturus est. Cùm enim misericordibus Deus plura restituat, omnis qui beneficium præstat, fœneratur. Aut si non placet accipere mutuantem, nisi eum qui accipit redditurus, intelligendum est, Dominum duo ipsa genera præstandi esse complexum. Namque aut donamus, quod damus beneuolè, aut reddituro commodamus. Et plerumque homines, qui proposito diuino præmio, donare parati sunt; ad dandum quod mutuum petitur, pigri fiunt, quasi nihil recepturi à Deo, cùm rem quæ datur, ille qui recipit, exsoluat. Rectè itaque ad hoc beneficij tribuendi genus nos diuina hortatur authoritas, dicens, & qui voluerit à te mutuari, &c. Id est, ne propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quia & pecunia te vacuat, & Deus tibi non redditurus est, cùm homo reddiderit. Sed cùm id ex præcepto Dei facis, apud illum, qui hæc iubet, intructuosum esse non potest. *Ex dictis patet mutuum datum pauperi absque spe recipiendi à paupere, fœnus esse respectu Dei reddentis centuplum. Accipe Augustinum in Psal. 36.* Tota die miseretur & commodat. *Vbi ipse vertit,* Et fœneratur, &c. Deus noster, *inquit,* qui te prohibet esse fœneratorem, iubet te esse fœ-

A

B

C

S. August.

S. August.

neratorem: & dicitur tibi, fœnera Deo. Si fœneras homini, habes spem: & si fœneras Deo spem non habebis? &c. Quid ergo, inquis, facio, vt sim vtilis fœnerator? attende quid facit fœnerator: minus vult dare certè, & plus accipere; hoc fac & tu: da modica, accipe magna. Vide quâ latè crescat fœnus tuum. Da temporalia, accipe æterna: da terram, accipe cœlum. Et cui dabo? fortè, dicis. Ipse Dominus prodit quem fœneres, qui tibi iubebat ne fœnerator esses. Audi scripturam, *Prou. 19. 17.* Quomodo fœneres Dominum: fœnerat, inquit, Dominum, *70. fœnerat Deo; vulgata, fœneratur Domino. Sanct. Pagn. ex Hebr. mutuat Domino qui largitur pauperi.* Qui miseretur pauperis. Non S. Austug. enim eget à te Dominus, sed habes alium qui à te egeat. Illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper quod tibi retribuat, & tamen ipse vult retribuere, & non inuenit quid, sola in illo remanet beneuolentia orandi pro te. Cùm autem pauper orat pro te, tanquam Deo dicit; Domine, mutuum accepi, fidedic pro me. Proinde, & si non tenes pauperem redditorem, sed idoneum tenes fide iussorem. Ecce Deus tibi de scriptura sua, *Quasi Chirographo debiti*, dicit, da, securus esto, reddam. Quomodo solent dicere fide iussores? quid dicunt? ego reddo, ego accipio, mihi das. Putamusne & hoc dicit Deus, ego accipio, mihi das? planè, si Deus est Christus, quod non dubitatur. Ipse dixit esuriui, &c. Et cùm illi dicent, quando te vidimus esurientem? vt ostenderet, se pauperum fideiussorem, omnium membrorum suorum sponsorem, quia ille caput, illi membra, & cùm accipiunt membra, caput accipit; cùm vni, inquit, ex his minimis meis feciſtis mihi feciſtis. Eia auare, fœnerator, vide quid dediſti, quid accepturus es. Si dediſſes paucam pecuniam, & ille cui dederas, pro parua pecunia tua daret tibi magnam villam, incõparabiliter amplius valentem quàm tu pecuniã dederas; quantas gratias ageres? quantâ lætitiâ tollereris? Audi quam possessionem det, quã fœneraſti: Venite benedicti Patris mei, percipite. Quid? quod dediſtis? absit. Terrena dediſtis, quæ si non dediſſetis, in terra putrescerent. Quid enim inde facturus esses si non dediſſes? quod periturum erat in terra, seruatum est in cœlo. Ergo quod seruarum est, hoc accepturi sumus. Seruatũ est meritum; factus est thesaurus tuus meritũ tuũ. Nam vide quid sis accepturus. Percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi. Contra, illi qui fœnerare noluerunt, quid audient? Ite in ignem æternum qui paratus est. &c. Et quid vocatur regnum quod accipimus? attendite sequentia: Isti ibunt in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam. Ad hoc ambite, hoc emite, ad hoc fœnerate. Habetis Christum in cœlo sedentem, in terra petentem: inuenimus quomodo fœneret. Iustus tota die miseretur & fœnerat, & semen eius in benedictione erit, &c. Apostolus dicit, bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus infatigabiles. Itaque dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. *Hoc est illud, omni petenti te tribue*, Hoc est semen tuum quod erit Auguſt. in benedictione. Terræ committis, & tantò ampliùs colligis: Christo committis, & perdis? vide ipsum semen expressiùs nominatum ab Apostolo, cùm de Eleemosynis diceret. Hoc enim ait, qui parce seminat, parce & metet, &c. Sed respice ad psalmum alium, euntes ibant & flebant, &c. POSTMODVM. *Supplè dicemus.* SI QVI. *Si quis, Marcionita scilicet.* VT SIT NOVVM. *Vt ex diuerso precepto inde concludat nouum & diuersum esse Deum noui testamenti, à Deo veteris.* IMMO VNVM. *Quinimo, inquit, vnum idemque preceptum est. Eundem Deum colligo, ex eo quod video legem veterem Creatoris expressè transcriptam in lege noua. Licet enim Christus iusserit dari omni petenti, nihil aliud iussit quàm Creator: omnes enim sumus fratres & proximi, Dei filij omnes. Nam ex Aug.* Nulla est cogitanda Auguſt. longinquitas generis, vbi est natura communis. NON EXTITIT PRIMVS. *Quia Deus Marcionis prorsus incognitus, nihil fecit, aut precepit.* PRIMVM. *Inprima & veteri lege.* POSTEA. *Idem in noua lege.* SACRAMENTVM. *Mysterium fidei, quia*, Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius. MERITÒ. *Ne commercio Gentilium ad idololatriam traheretur.* DEDIT. *Deus Creator.* EXPVNGI. *Impleri.* NATIO. *Gentilitas.* VOCATIONE. *Ad fidem* Non enim est distinctio Iudæi & Græci, nam idem Deus omnium. AMPLIVS DOCVIT. *Dum dixit*, Omni petenti, &c. *Scilicet etiam Gentili: in hoc etiam si probauit filium Creatoris, cuius prophetiam impleuit, dicentis per Psalmum.* Dabo tibi Gentes, &c. *Et tunc nihil ampliùs precepit quàm lex vetus; vt scilicet omnibus iam absque vlla distinctione factis Dei filiis, vt & Abrahæ per fidem, iam non extraneis, sed fratribus sit præstanda Eleemosyna & Charitas.*

EPIPHANIA.

Epiphania & magorum vocatio. Cons. Iud. cap. 9. V. Verbum Christi Elogia. Num. 18.

EPISCOPVS.

* *Episcopi, soliciti plebis ieiunia indicere soliti. De Ieiun. cap. 13. in m.*

BEnè autem, quod & Episcopi vniuersæ plebi mandare ieiunia assolent; non dico de industria stipium conferendarum, vt vestræ capturæ est; sed interdum & ex aliqua solicitudinis Ecclesiasticæ causa.

EPISCOPVS. SCHOLIA.

BENE AVTEM. *Desciuerat ab Ecclesia, dum scripsit hunc librum; & quanquam calumniam imponat Episcopis, quòd captarent occasionem lucri, dum indictis publicis ieiuniis, ad redimendum onus ieiunij, certam stipem per singulos exigerent: fatetur tamen Episcopalem authoritatem, in obligando populo; & licet ex inuidia minuat curam eorum Pastoralem, solicitudinem tamen Ecclesiasticam in eis vel inuitum agnoscit. Quòd autem ait:* Bene autem, &c. *Id dixit, quasi faueremus etiam Episcopi, ieiuniorum extraordinariorum commendationi, quibus Tertull. duplicis quadragesimæ Montanistarum defensor superstitiosus instabat. Hic pauca de Episcoporum vigilantia, onere & debito ex Aug. refero. in Psal. 126. in p. vbi tractat de Ierusalem & Ecclesia.* Quomodo habet ædificantes, Auguſt. laborantes vt ædificetur, sic habet & custodientes. Nam

Digitized by Google

Nam ad cuſtodiam pertinet, quod dicit Apoſtolus: timeo ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & veſtræ mentes corrumpantur à caſtitate, *Fidei integritate, & ſimplicitate.* Quæ eſt in Chriſto. *Sic & Epiſcopi cuſtodientes Eccleſias, indicebant ieiunia & abſtinentiam, ne ſicut ſeducta eſt Eua pergulam, ſic & fideles ſeducantur, &c.* Cuſtodiebat, cautus erat, vigilabat quantum poterat ſuper eos quibus præerat. Et Epiſcopi hoc faciunt. Nam ideò altior locus poſitus eſt Epiſcopis, vt ipſi ſuperintendant, & tanquam cuſtodiant populum. Nam & Græcè quod dicitur Epiſcopus, hoc Latinè ſuperintentor interpretatur: quia ſuperintendit, quia deſuper videt. Quomodo enim vinitori altior ſit locus, ad cuſtodiendam vineam; ſic & Epiſcopis altior locus factus eſt. *Vt ſinguli poſſint dicere:* Poſuerunt me cuſtodem in vineis. *De quibus & ipſa ſponſa:* Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem. *De onere & ſarcina ſic Ser. 19. de Ver. Apoſtoli.* Beatus Apoſtolus air quodam loco *1. Cor. 9. 26.* Non ſic pugno quaſi aërem cædens, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo; *Ieiuniis & flagellis edomo, ne recalcitret ſicut Ada guloſo;* Ne forte aliis prædicans, *Indicens ieiunia & auſteritates; dum inculco, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, &c. Regnum Dei non eſt eſca & potus.* Ipſe reprobus inueniar. Suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, vbi aries tremit? inter multa ergo quæ ſcripſit Apoſtolus, qualis eſſe Epiſcopus debeat, etiam illud audiuimus, &c. Inter cætera ait, Epiſcopum potentem eſſe debere in doctrina ſana, vt contradicentes redarguere poſſit. Magnum opus eſt, grauis ſarcina, clinus arduus. *Et lib. 19. de Ciuit. c. 19. ex 1. Tim. 3.* Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Exponere voluit quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris. Græcum eſt enim. Atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur, ſuperintendit, curam ſcilicet eorum gerens: ἐπὶ quippè ſuper, σκοπὸς verò intentio eſt. Ergo ἐπισκοπῶν, ſi velimus, Latinè ſuperintendere, dicere poſſumus; vt intelligat, non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. *Inter cætera autem Epiſcopis impoſita à Paulo, qui inſtruendorum Epiſcoporum ſollicitus erat, ſicut eum arctabat,* Solicitudo omnium Eccleſiarum: *1. Tim. 3. 2.* Monet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, *Syr. fuiſſe maritum vnius vxoris, qui mente ſua vigilet, & caſtum, & moderatum, & diligentem aduenas,* Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum: non ligitioſum, non cupidum. *Syr. explicarius:* Non autem qui modum tranſeat in vino, neque cuius manus currat ad percutiendum: ſed ſit manſuetus, & non ligitioſus, neque amator argenti. *Eadem penè repetit ad Titum 1. 6. & 7.* Et *inter cætera vult Epiſcopum* Non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum. *Quod hic in ſui temporis Epiſcopis, captatâ occaſione lucri, pro ieiuniis redimendis, calumniatur Tertullianus.*

Multum facit ad commendationem dignitatis Epiſcopalis, quòd & Apoſtoli Epiſcopi, & Epiſcopi Apoſtoli dicti ſint. Nam Actorum primo, Petrus de Matthia ſubrogando Inde Apoſtolatui illud Pſalmi 108. applicauit Epiſcopatum eius accipiat alter. *Et Hieronymus lib. de Script. Eccl. Iacobum dicit ordinatum Hieroſolymorum Epiſcopum. Sic & primi Epiſcopi vocati ſunt Apoſtoli ſicut Epaphroditus, Andronicus, & Iunias. De quibus conſule Epiſtolas ad Philipp. 2. ad Rom. 16. & 2. Cor. 8. Alibi diximus & preſbyteros dictos Epiſcopos, quod ex eorum Collegio legerentur. Et initio naſcentis Eccleſiæ, vt habetur Actorum 15. Seniores ſiue preſbyteri cum Apoſtolis in Concilium conueniebant. Et ex Hieronymo in Tit. 1. ante obortæ ſchiſmata communi preſbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur; poſtea vero dicit preſbyteros ſubditos fuiſſe Epiſcopis, qui ſoli in grauioribus Eccleſiæ negotiis gerendis ſunt admiſſi. Aduerſo 1. Tim. 5. Paulum ipſum Timotheum Epheſinum Epiſcopum monere, ne aduerſus presbyterum accuſationem accipiat, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Quo liquet iam tum Epiſcopum iudicem fuiſſe presbyterorum. Hinc & idem Paulus in Epiſtola ad Titum, eum admonet, vt conſtituat per ciuitates presbyteros. Quos & Epiſcopos vocat. Ignatius item Ep. 7. ad Tharſenſes, 9 ad Philadelph. Vndecima ad Smyrneos, presbyteros ſubiicit Epiſcopis; & presbyteros Apoſtolis, Epiſcopos autem in gradu comparat Chriſto. Chriſtus porro non Petrò tantum, ſed & Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus* Epiſcopis, *ſaluo ſemper primatus Romanæ Sedis honore, & Ordine Hierarchico ſummi capitis, & principatus; ligandi & tribuit ſoluendi poteſtatem. Adeò vt non tantum peccata retinere in ſuis Diœceſibus poſſint, ſicut in tota Eccleſia Pontifex ſummus, ſed ad ieiunia aliaque Eccleſiaſtica diſciplina obſequia ſibi ſubditos obligare, pariterque ligatos abſoluere. Nec prætcribo quod habet Baro. An. Chr. 316. Conſtantinum reſcripſiſſe Protogeni Sardiniæ Epiſcopo, Dominos manumittere volentes ſeruos ſuos, eos in Eccleſia coram Epiſcopis & populo præſentaturos: ius tribuens Epiſcopis, quo pro libito ſeruos iugo & vinculo ſeruitutis ſoluerent, quod antea ad Magiſtratus, & virgam Prætoriam pertinebat. Quid quod & Clericorum ſeruos ſic Epiſcopis oblatos, non ſolùm libertos ab eis fieri voluit, ſed & ciues Romanos ſic cenſeri, ſicut ſi Romanis tabulis forent inſerti. Quod poſtea idem Imperator ſcripſit Epiſcopo Cordubenſi, & refertur in Cod. Theod. l. 2. De his Conſtitutionibus Conſtantini Sozomenus lib. 2. cap. 9. Auguſtinus huius moris meminit Ser. 50. de diuerſis, vbi de Valente Diacono Eccleſiæ ſuæ.* Mancipia, inquit, ſunt ei cum fratre communia, & nondum diuiſa. Diſponit ea manumittere, ſed non poteſt antequam diuidantur. Quid enim ad ſe pertineat adhuc ignorat. &c. Hoc agitur, hoc ſine dilatione peragendum eſt, vt illi ſeruuli diuidantur, & manumittantur, & ſic det Eccleſiæ, vt eorum excipiat alimentum, &c. De laboribus ſuis antequam eſſet clericus, emerat aliquos ſeruulos, hodie illos in conſpectu veſtro manumiſſurus eſt Epiſcopalibus geſtis. *Sed quanquam magna ſit Romanis ciuis dignitas, & creandi ciuis Romani de ſeruo magna Epiſcopalis authoritas à Conſtantino conceſſa, maior multò ſupra modum eſt poteſtas, qua Chriſti Regis Regum liberalitate, Epiſcopis peccati & diaboli ſeruos ſoluere, & in libertatem filiorum Dei aſſerere, & ciues ſanctorum & domeſticos Dei reare poſſunt.*

Auguſt. Auguſt. Auguſt. S. Auguſt.

ESVRIENTES SATIANDI.

Eſurientes atiandi ex vtraque lege. 4. Cent. Marc. cap. 14. circa m.

Beati *eſurientes, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Poſſem hunc titulum in ſuperiorem tranſmiſiſſe, quod non alij ſunt eſurientes, quàm pauperes & mendici, ſi non & hanc pro- a Luc 6. 21.

missionem Creator specialiter in Euangelij scilicet sui præstructionem destinasset. Siquidem per Esaïam, de eis quos vocaturus esset à summo terræ; vtique Nationes: [b] *Ecce*, inquit, *velociter & leuiter aduenient.* Velociter, quà properantes sub finibus temporum. Leuiter, qua sine oneribus pristinæ legis. [c] *Non esurient, neque sitient*: ergo saturabuntur. Quod vtique nisi esurientibus & sitientibus non promittitur. Et rursus, [d] *Ecce*, inquit, *Qui seruiunt mihi, saturabuntur; vos autem esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, bibent; vos autem sitietis.* Videbimus & contraria ista, an Christo præministrentur: interim quod esurientibus saturitatem repromittit, Dei Creatoris est.

[b] Esa. 5. 26.
[c] Esa. 49. 10.
[d] Esa. 65. 13. & seq.

ESVRIENTES. SCHOLIA.

BEATI ESVRIENTES. *Luc. 6. 21.* Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. *Matth. autem 5. 6.* Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. HVNC TITVLVM. *Honoris scilicet, quo beatos dixit esurientes, referre possem in precedentem, quo dixit beatos pauperes & mendicos: sed cum etiam Deus Creator in veteri Testamento, quasi præparans, & præfigurans quod in lege noua pariter sua docere debebat, idipsum promittat; non est quod vtramque beatitudinem confundam, cum sigillatim vtraque tam in veteri quàm nouo testamento sit scripta, vt etiã in hoc, ab eodẽ Deo sibi mirè consentiente fluxisse Marcion vel inuitus agnoscat.* A SVMMO TERRÆ. *Ab extremis terræ, à Deo remotissimis Gentilibus.* ECCE VELOCITER. *Esa. 5. 26.* Et eleuabit signum *Vexillum crucis* In nationibus procul, & sibilabit ad eum *Populum Gentilem* De finibus terræ: & ecce festinus velociter veniet. 70. In nationibus quę procul *Sunt.* Et sibilabit eos ab extremo terræ. Et ecce citò leuiter veniũt. Non esurient, neq; laborabunt, *Siti* Neque dormitabunt, neque dormient. *Vulgata, in singulari vt cœperat*: Non est deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet. SVB FINIBVS. *In plenitudine temporum, in vltima lege gratiæ.* SINE ONERIBVS. *Iugo grauis legis Mosaïcæ.* ET RVRSVS. *Esa. 65. 13.* Ecce serui mei comedent & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. *Tertull. sequutus ad verbum. 70. nisi quod habent*, Manducabunt. CONTRARIA ISTA. *S. quod væ & maledicta in affluentes bonis & ridentes, & compotantes, sicut in Euangelio scripta sunt, sic & in lege veteri sint præscripta, vt Christo eadem dicturo præfigurata fuerint; de quibus nos suo loco diximus.* INTERIM, *&c. Dum nunc superfedeo locos veteris scripturæ in hanc rem referre, vides Marcion, Deum Creatorem in noua lege sicut & veteri, saturitatem esurientibus promisisse, eundem vtique vtriusque legis authorem. Isti autem à Deo reprobati sunt Iudæi superbi, Gentiles autem esurientes satiandi. De quibus Aug. tract. 26. in Jo. 6. in p. vbi sic contra Iudæos superbos, sui plenos, nec esurientes panem vitæ & intellectus.* Isti à pane de cœlo longè erant, nec eum esurire nouerant. Fauces cordis languidas habebant, auribus apertis surdi erant, videbant, & cæci stabant. Panis quippè iste, interioris hominis quærit esuriem: vnde alio loco dicit, beati qui esuriunt, &c. Iustitiam verò nobis esse Christum Paulus Apostolus dicit, ac per hoc, qui esurit hunc panem, esuriat iustitiam, sed iustitiam quæ de cœlo descendit, iustitiam quam dat Deus, non quam sibi facit homo. Si enim nullam sibi homo faceret iustitiam, non diceret Apostolus de Iudæis: ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti Rom. 10. 3. Inde erant isti, qui panem de cœlo descendentem non intelligebant, quia sua iustitia saturati, iustitiam Dei non esuriebant. Quid est hoc, iustitia Dei, & iustitia hominis? Iustitia Dei hîc dicitur, non qua iustus est Deus, sed quam dat homini Deus, vt iustus sit homo per Deum. Quæ autem erat illorum iustitia? qua de suis viribus præsumebant, & quasi impletores legis seipsos ex sua virtute dicebant. *Et homil. 44.* Quid ait? *Supple Maria*, Esurientes impleuit bonis, &c. Qui sunt esurientes? Humiles, indigentes. *Sic supra Tertull. in textu* Qui sunt diuites? superbi & inflati. *Subdit exemplum de Pharisæo & Publicano, quorum verba recitat, & sic Pharisæo loquitur:* Rogare veneras, ante laudare? totum te habere dixisti, nihil tanquam egenus petisti, &c. Insultas, non exultas, &c. O diuitem exinaniendum. *Dehinc sic Publicanum affatur:* Veni, veni, pauper esuriens Publicane, imò ibi sta, vbi stas, &c. Quò oculos non leuabat, ibi cor habebat, &c. O esurientes bonis implendum, &c. *Et rursum ad Pharizæum conuersus:* Vade nunc & iacta diuitias tuas; iacta te, & dic, diues sum. Quàm diues! si volo, iustus sum; si nolo, iustus non sum. In potestate habeo iustum esse, & iustum non esse. Non audis in Psalmo; qui confidunt in virtute suâ? Ergo Deus tibi carnem, Deus tibi sensum, Deus tibi animam, Deus tibi mentem, Deus tibi intelligentiam dedit; tu das tibi ipsi iustitiam. Quid est caro, quid sunt sensus, quid est anima, quid est mens, quid est intelligentia, sine iustitia? nonne omnia ista, si iustitia careant, ad pœnam valebunt? Ergo tam diues es, vt cùm Deus tibi dederit inferiora, des tibi potiora? male diues, exinaniende diues; si tamen habes, quod te dixisti habere; quid habes quod non accepisti? nec tamen à superbo & diuite illo Pharizæo, de his quæ te habere dixisti, gratias Domino agere didicisti. *Sermone autem 14. de sanctis. Qui est in festo omnium Sanctorum.* Beati qui esuriunt, &c. Accedit quidem quotidie remediũ saturitatis, *Pro fame corporis,* Sed non est sanatum vulnus infirmitatis. Esuriamus ergo sitiamusque iustitiã, vt ipsa iustitia saturemur, quam nunc esurimus & sitimus. Inde enim saturabimur, quod esurimus & sitimus. *Planè sensu Tertulliani.* Interior homo noster esuriat & sitiat. Habet enim cibum suum, habet potum suum. Ego sum, inquit panis, &c. Habes panem esurientis; desidera & potum sitientis: quoniam apud te est fons vitæ.

S. Augustin.
Augustin.
Augustin.
Augustin.

EVANGELIVM.

1. *Euangelium Christi vnicum est, nec aliud expectandum à Creatore, multo minus à Paulo, vel Angelo. 5. Cont. Marc. cap. 2. in. m.*

EST autem Euangelium etiam Dei noui, quod vis tunc ab Apostolo defensum. Iam ergo duo sunt Euangelia apud duos Deos, & mentitus erit Apostolus, dicens, *Quod aliud*

* *Omnino non est*, quum sit & aliud; quum sic suum Euangelium defendere potuisset, vt potiùs demonstraret, non vt vnum determinaret. Sed fortasse vt fugias hinc; & ideo, dices, subtexit, b *Licet angelus de cœlo aliter euangelizauerit, anathema sit*; Quia & Cratorem sciebat Euangelizaturum. Rursus ergo te implicas. Hoc est enim quo attringeris. Duo enim Euangelia confirmare, non est eius qui aliud iam negarit. Tamen lucet sensus eius qui suam præmisit personam. *Sed & si nos aut angelus de cœlo aliter Euangelizauerit.* Verbi enim gratiâ dictum est. Ceterùm, si nec ipse aliter euangelizaturus, vtique nec Angelus. Ita Angelum ad hoc nominauit, quò multò magis hominibus non esset credendum, quando nec angelo, nec Apostolo; non angelum ad Euangelium referret Creatoris.

a Gal. 1. 7.

b Gal. 1. 8.

Ibid. 8.

EVANGELIVM I. SCHOLIA.

DEI NOVI. *A Marcione inuecti. Vis, inquit, ô Marcion, Apostolum Paulum defendisse Euangelium nouum Dei tui noui, cum Galatis scribens, cap. 1. dixit, versu 6.* Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud; nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi, Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquàm quod Euangelizauimus vobis, anathema sit. *Syr. autem: Conuersi fueritis, &c.* Ad Euangelium aliud. Quod quidem non est: sed prout sunt aliqui, illud est, *peruersum, sicut sunt peruersi. Sed non est Euangelium, hoc est bonum nuntium,* qui terrorem vobis incutiũt, & volunt inuertere Euangelium Meschicho. ERGO DVO SVNT. *Tuo sensu, Marcion.* APVD DVOS. *Deum tuum nouum, & veterem Deum Creatorem.* CVM SIT. *Sicut tibi placet.* POTIVS DEMONSTRARET. *Errás Marcion, si enim Paulus voluisset Euangelium tueri Dei noui, non iam, vt fecit, vnicum esse Euangelium definiisset, sed potiùs illud Euangelium Dei noui quale esset, demonstrare laborasset. Sed fortè vt euadas hanc responsionem meam, dices subiecisse Apostolum anathematizare se etiam Angelum, si de cœlo aliter Euangelizaturus aduenerit, quia sciebat Deum Creatorem Euangelizaturum. Sed tantùm abest vt euadas laqueum, quinimo eo ipso te magis implicas. Nec enim potuit Paulus asserere duo esse Euangelia, vnum Dei noui, alterum Creatoris, cùm immediatè iam ante negasset omnino aliud esse Euangelium præter suum, quamquam clarè mentem suam aperuit, cùm & seipsum sicut & Angelum, in exemplum dedit, cùm ait;* Sed & si nos aut Angelus de cœlo aliter, &c. *Quo apertè probat, nullum verum, præter vnicum, esse Euangelium, proindeque* A vnicum Deum. *Angeli autem & sui ipsius fecit mentionem, non vt innueret per Euangelium Angeli, Euangelium Creatoris mali, & seductoris; sed vt doceret homini aliud Euangelium prædicanti, multò minùs credendũ esse, cùm nec sibi ipsi, Apostolo Christi, nec Angelo de cœlo Euangelizanti credendum esset, quinimo anathematizandum, si aliud Euangelium & diuersum à suo prædicaret. Præter eximium locum relatum à nobis ex Aug. in Psal. 103. in fine, vbi hunc locum Apostoli pulcherrimè exponit, Verbo, Pauli doctrina, hîc subiicio breuiter quod habet to. 4. in expos. Epistolæ ad Gal.* Non quemadmodum ipsos conturbant, ita etiam conuertunt Euangelium Christi quia manet, firmissimum: sed tamen conuertere volunt, qui à spiritalibus, *Legis gratiæ*, Ad carnalia *Legis Mosaica*, reuocant intentionem credentium. Illis enim ad ista conuersis, manet Euangelium non conuersum. Et ideò cùm dixisset, conturbantes vos, non dixit, & conuertentes: sed volentes, inquit, conuertere Euangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus, &c. Veritas propter seipsam diligenda est non propter hominem, aut propter Angelum, per quem annuntiatur. Qui enim propter annuntiatores diligit eam, potest etiam mendacia diligere, si qua fortè ipsi sua protulerint. *Et tract. 98. in Ioannem:* Admonitio beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat; si quis vobis Euangelizauerit, &c. Non ait, plusquam accepistis, sed præterquam quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt supplereret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat, tollit: qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via.

S. August.

S. August.

2. *Euangelij promulgatio à Christo, Apostolis, & Apostolicis viris mandata. 4. Cont. Marc. cap. 2. in p.*

TRanseo nunc ad Euangelij, sanè non Iudaïci, sed Pontici, interim adulterati demonstrationem, præstructuram ordinem quem aggredimur. Constituimus in primis, Euangelicum Instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Euangelij promulgandi ab ipso Domino sit impositum. Si & Apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis, & post Apostolos. Quoniam prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illi auctoritas magistrorum, immo Christi, qui magistros Apostolos fecit. Denique, nobis fidem ex Apostolis Ioannes & Matthæus insinuant; ex Apostolicis, Lucas & Marcus instaurant, iisdem regulis exorsi, quantùm ad vnicum Deum attinet Creatorem, & Christum eius, natum ex virgine, supplementum Legis & Prophetarum. viderit enim si narrationũ dispositio variauit, dum modo de capite fidei conueniat, de quo cum Marcione non conuenit.

Math. 28. 19. & 20.

EVANGELIVM II. SCHOLIA.

NON IVDAICI. *Ab Apostolis & ab Apostolicis viris conscripti, primò pro Iudæis scripti:* Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed D quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, *Syr. vosmetipsos rescinditis, ne digni sitis vita perenni*, ecce conuertimur ad Gentes

PONTICI. *Corrupti à Marcione in Ponto nato.* A PRÆSTRVCTVRAM. *Quæ demonſtratio viâ ſternet diſputationi, quam ordinatè aggredior contra Marcionem.* INSTRVMENTVM. *Librum authenticum Euangeliorum.* AB IPSO DOMINO. *Dum à reſurrectione ſua ad Aſcenſionem eos inſtruxit, vt ait Lucas. Act. 1. 3.* Quibus præbuit ſeipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis *Syr. ſignis quamplurimis.* Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. *Id eſt Eccleſiâ, ædificandâ verbo & Euangelio. Vnde & Matth. 28. 19.* Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis. SI ET APOSTOLICOS. *Si dicimus librum Euangeliorum habuiſſe pro authoribus ſuis etiam viros Apoſtolicos, Lucam ſcil.* B *& Marcum Euangeliſtas.* DE GLORIÆ STVDIO. *Quaſi cum æmulatione affectare voluiſſent Euangelium ſcribere, abſque iuſſu & conſilio Apoſtolorum.* INSTAVRANT. *Quaſi renouant & inculcant dicta & facta Chriſti.* EISDEM REGVLIS. *Euangelia enim exordium ſumunt à Deo & Chriſto, nec duos Deos aut Chriſtos, ſicut dogmatizauit Marcion, ſed vnicum docent.* SVPPLEMENTVM. *Quia dixit:* Non veni legem ſoluere, ſed implere. VIDERIT, *&c. Si Euangeliſta interdum in rebus enarrandis diuerſo ordine procedunt; parum intereſt; cùm de principiis fidei, vno Deo & Chriſto conueniant, ſic enim de myſticis quatuor animalibus Ezechiel, eodem calamo in ſubſtantia articulorum capitalium fidei conſpirantibus ait.* Iunctæ erant pennæ alterius ad alterum: *Nec mirum, quia,* vbi erat eiuſdem ſpi- C ritus impetus, illuc gradiebantur. *Decapite autem fidei, hoc eſt vnico Deo & Chriſto, nulla nobis Euangelium incorruptum tenentibus, cum Marcione conuentio; de quo, ſpiritu præſago Paulus ad Coloſſ. 2. 19.* Non tenens caput, *Syr. nec amplectitur caput,* ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. *Tranſlat. Syr.* Excreſcit incremento Dei. *De eodem capite 1. Cor. 11. 3.* Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput, Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: caput vero Chriſti, Deus. *Aug. Ser. de* S. Auguſt. *Symbolo, citatus à B. Iacobo loco.* Ille genitor, ille genitus. Ille non de filio, ille de Patre. Ille huius principium, vnde & caput Chriſti dicitur; quamuis & Chriſtus principium, ſed non Patris: hic D verò illius. Imago, quamuis nulla ex parte diſſimilis, & omnino indifferenter æqualis. Filius Patri debet quòd eſt. Hoc etiam vtique debens Patri, quod idem Patri æqualis ac par eſt. Pater autem nulli debet quidquid eſt. *De conſenſu autem* S. Auguſt. *Euangeliſtarum ſuis Aug. to. 4. per quatuor libros integros. Et lib. 2. retract. c. 16.* Per eoſdem annos, quibus paulatim libros de Trinitate dictabam, ſcripſi & alios labore continuo, interponens eos illorum temporibus in quibus ſunt libri quatuor de conſenſu Euangeliſtarum, propter eos, qui tanquam diſſentientibus calumniantur, quorum primus liber aduerſus eos ſcriptus eſt, qui tanquam maximè ſapientem Chriſtum vel honorant, vel honorare ſe fingunt, & ideo nolunt Euangelio credere, quia non ab ipſo illa conſcripta ſunt, ſed ab eius diſcipulis, quos exiſtimant ei diuinitatem, quâ crederetur Deus, errore tribuiſſe. *De eorum concordantia Aug. Ep. 80. ad Heſychium.* Non diſ- Auguſt. crepant rebus, ſi alius aliquid dicit, quod alius tacet: aut alio modo dicit: magis autem collata inuicem iuuant, vt legentis intellectus regatur. *Cur quatuor fuerint. Docet libro de conſenſu cap. 2.* Iſti Auguſt. quatuor Euangeliſtæ vniuerſo terrarum orbi notiſſimi, & ob hoc fortaſſe quatuor, quoniam quatuor ſunt partes orbis terræ, per cuius vniuerſitatem Chriſti Eccleſiam dilatari, ipſo ſui numeri Sacramento, quodammodo declararunt, hoc ordine ſcripſiſſe perhibentur. Primùm Mathæus, deinde Marcus, tertiò Lucas, vltimò Ioannes. Vnde alius eis fuit ordo cognoſcendi atque prædicandi, alius autem ſcribendi. Ad cognoſcendum quippè, atque prædicandum, primi vtique fuerunt qui ſecuti ſunt Dominum, in carne præſentem dicentem audierunt, facientemque viderunt, atque ex eius ore ad Euangelizandum miſſi ſunt. Sed in conſcribendo Euangelio, quod diuinitus ordinatum eſſe credendum eſt, ex numero eorum quos ante Paſſionem Dominus elegit, primum atque vltimum locum duo tenuerunt. Primum Mathæus, vltimum Ioannes, vt reliqui duo qui ex illo numero non erant, ſed tamen Chriſtum in illis loquentem ſecuti erant, tanquam filij amplectendi, ac per hoc in loco medio conſtituti, vtroque ab eis latere munirentur. Horum ſanè quatuor ſolus Mathæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio; C Cæteri Græco. Et quamuis ſinguli ſuum quemdam narrandi ordinem tenuiſſe videantur, non tamen vnuſquiſque eorũ velut alterius præcedentis ignarus, voluiſſe ſcribere reperitur, vel vt ignorata prætermiſiſſe, quæ ſcripſiſſe alius inuenitur: ſed ſicut vnicuique inſpiratum eſt, non ſuperfluam cooperationem ſui laboris adiunxit. *Tandem cur non tantùm duos Apoſtolos, ſed & duos diſcipulos Deus ad Euangelium ſcribendum impulerit, pulchrè differit ſer. 146. de temp.* Duo ſunt ex illis duodecim Apo- Auguſt. ſtolis, id eſt Mathæus & Ioannes: ſed illorum præceſſio infœcunda non fuit, vt conſequentes comites non haberent. Marcus & Lucas Apoſtolorum non pares, ſed ſuppares fuerunt. *Tertull. hic vocat eos Apoſtolicos.* Ideo iam voluit Spiritus Sanctus etiam ex his qui inter duodecim non fuerunt, eligere ad Euangelium conſcribendum duos, ne putaretur gratia Euangelizandi vſque ad Apoſtolos peruenisſe, & in illis fontem gratiæ defeciſſe. Cùm enim dicat Dominus de Spiritu ſuo, & de Verbo ſuo: quod ſi quis perceperit, dignéque habuerit, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam: fons vtique manando ſe indicat, non remanendo. Per Apoſtolos peruenit gratia ad alios, & miſſi ſunt Euangelizare; quoniam qui vocauit primos, ipſe vocauit ſecundos: ipſe vocabit etiam vſque ad nouiſſimum tempus, corpus vnigeniti ſui, id eſt Eccleſiam toto orbe diffuſam.

3. *Euangelij noſtri antiquitas, veritatem eius contra adulterinum Marcionis præſcribit.*
4. Cont. Marc. cap. 4. per totum & 5. in p.

FVnis ducendus eſt contentionis, pari hinc inde niſu fluctuante. Ego meum dico verum, Marcion ſuum. Ego Marcionis adfirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur; & ei præiudicans vitiationem, quod poſterius reuincetur? In quantùm enim falſum corruptio eſt veri, in tantùm præcedat neceſſe eſt veritas fallum. Prior erit res paſſio-

ne, & materia æmulatione. Alioquin, quàm absurdum, vt si nostrum antiquius probauerimus, Marcionis verò posterius; & nostrum antè videatur falsum quàm habuerit de veritate materiam, & Marcionis antè credatur æmulationem à nostro expertum quàm est editum? & postremò id verius existimetur, quod est serius post tot ac tanta iam opera atque documenta Christianæ religionis seculo edita, quæ edi vtique non potuissent sine Euangelij veritate, id est, ante Euangelij veritatem? Quod ergo pertinet ad Euangelium interim Lucæ, quatenus communio eius inter nos & Marcionem de veritate disceptat, adeo antiquius Marcione est, quod est secundùm nos, vt & ipse illi Marcion aliquando crediderit; quum & pecuniam in primo calore fidei Catholicæ Ecclesiæ contulit, projectam mox cum ipso postea quàm in hæresim suam à nostra veritate desciuit. Quid nunc si negauerint Marcionitæ, primam apud nos fidem eius, aduersùs epistolam quoque ipsius? Quid si nec epistolam agnouerint? Certè antitheses non modò fatentur Marcionis, sed & præferunt. Ex his mihi probatio sufficit. Si enim id Euangelium quod Lucæ refertur penes nos (viderimus an & penes Marcionem) ipsum est quod Marcion per antitheses suas arguit, vt interpolatum à protectoribus Iudaïsmi ad concorporationem Legis & Prophetarum, quâ etiam Christum inde configerent, vtique non potuisset arguere, nisi quod inuenerat. Nemo, post futura reprehendit, quæ ignorat futura; emendatio culpam non antecedit. Emendator sanè Euangelij, à Tiberianis vsque ad Antoniniana tempora euersi, Marcion solus & primus obuenit, expectatus tamdiu à Christo pœnitente iam quòd Apostolos præmisisse properasset sine præsidio Marcionis. Nisi quòd humanæ temeritatis, non diuinæ auctoritatis negotium est hæresis, quæ sic semper emendat Euangelia, dum vitiat. quum etsi discipulus Marcion, non tamen super magistrum, & si Apostolus Marcion. a *Sine ego*, inquit Paulus, *sine illi, sic prædicamus*. Et si Prophetes Marcion, & spiritus Prophetarum, Prophetis erunt subditi. Non enim euersionis sunt, sed pacis. Etiam si angelus Marcion, citius anathema dicendus quàm euangelizator, quia aliter euangelizauit. Itaque dum emendat, vtrumque confirmat; & nostrum anterius, id emendans quod inuenit; & id posterius, quod de nostri emendatione constituens, suum & nouum fecit. In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis; pariter vtique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.

Matth. 16. 24. a 1. Cor. 15. 11. 1. Cor. 14. 3 & 12. Gal. 1. & Cap. 4.

EVANGELIVM. III. SCHOLIA.

FVNIS DVCENDVS. *Metaphora sumpta ab vtrinque trahentibus funem, fortiori præripiente suo contendenti, post nisum hinc inde fluctuantem. Supponamus, inquit, Tertull. Marcionem nobiscum in hac Euangelij disceptatione pari iure contendere. Ego dico Euangelium Luca quod teneo, verum esse & legitimum: quod pariter de suo, quamquam corrupto, asseris Marcion. Quis hanc causam dirimet? quis æquus arbiter, nisi præscriptio temporis, palmam dabit, illi Euangelio quod antiquius esse reperietur, & illud corruptum & vitiatum esse determinabit, quod posterius esse conuincetur? Cùm enim falsitas sit corruptio veritatis, necessariò veritas debet esse prior falsitate. Res quælibet, passione & corruptione sua prior est, & subiectum* A *amulationis obiectumque imitationis, precedit tempore* B *ipsam æmulationem. Vnde constat quod Euangelium nostrum, probatum antiquius Euangelio Marcionis, falsificatum ostendi non potest, quin prius admittatur verum fuisse, vt posset postea, per corruptores, fieri materia falsitatis. Quis enim credat Marcionem æmulatum fuisse, siue causam æmulationis ex nostro Euangelio sumpsisse, antequam ipsum fuisset in lucem editum? Quis sana mentis, existimet Euangelium Marcionis longè posterius nostro, esse verius; præsertim post tanta opera, miracula, documenta fidei Christiana, quæ ante nostri Euangelij veritatem, edi non poterant, & quæ ad eius veritatem confirmandam edita fuerunt?* COMMVNIO EIVS. *Quod cum Marcione commune habemus; vnicum enim, ceteris reiectis, Euangelium Lucæ, vt alibi vidimus, pro suo libito truncatum primis capitibus, & consarcinatum admittit Marcion. De veritate autem eius, an apud ipsum, an apud nos sit, quæstio est. Sed vel eò liquet nostrum verius esse, quia est antiquius: & antiquius conuincitur, quod & ei ipse met credideris Marcion, antequam illud corrumperet. Tum enim cùm esset Catholicus, & integro Lucæ* C *Euangelio crederet feruens Christianus, pecuniam etiam dedit Ecclesiæ ducenta nimirum Sestertia, quam tamen summam cum ipso in perditionem Ecclesia proiecit.* ADVERSVS EPISTOLAM. *Eius meminit lib. 1. Cont. Marc. c. 1.* Non negabunt discipuli eius primam illi fidem nobiscum fuisse, ipsius literis testibus. ANTITHESES. *Librum Marcionis sic inscriptum, quo Luca Euangelio contradicit, & arguit quasi falsificatum & corruptum à Christianis, qui Iudaismum tuebantur & veterem legem cum Euangelio compingebant, adeo vt & hoc pacto Christum veluti cum Iudæis conspirantes configerent legem nouam ab eo editam, veteris admixtione corrumpendo. Sed si id arguit Marcion per suas antitheses legis nouæ cum veteri, profectò non potuit arguere Euangelium Luca, nisi quod iam ante suum editum inuenerat.* NEMO POST, &c. *Nemo enim arguit quæ adhuc futura sunt, ignorat enim futura, nec quisquam emendat vel corrigit culpam, antequam culpa facta sit.* EMENDATOR, &c. *Ironicè dicta. Marcion inquit corrector Euangelij Lucæ, à tempore Tiberij Cæsaris, vsque ad Antoninum Pium corrupti, expectatus fuit tandiu à Christo, ad emendationem Euangelij sui. Pœnitet nimirum Christum quod antequam præsidium haberet Marcionis, Apostolos nimium festinasset impellere ad prædicandum, scribendumque Euangelium.* SIC EMENDAT. *Hoc negotiũ est hæresis, vt semper corrumpat Euangelia, dum ea se emendare iactitat. Sed licet inter 70. discipulos tenseretur, Marcion, meminerit à Christo dictum, non esse discipulum super Magistrum. Et licet Apostolus esset, noverit Paulum Apostolum & sibi ipsi, & Angelo aliter Euangelizanti, anathema dixisse.* SIVE

EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM EIVSQVE, VERITAS.

1. *Euchariſtiæ, & Reſurrectionis veritati non derogat obiectio haretica,* Caro non prodeſt quidquam; *Quod tantum ſignificat non verè laniandam carnem. De Reſur. cap. 37. in. p. ad vltra m.*

ET ſi carnem ait nihil prodeſſe, ex materia dicti dirigendus eſt ſenſus. Nam quia durum & intolerabilem exiſtimauerunt ſermonem eius, quaſi verè carnem ſuam illis edendam determinaſſet; vt in ſpiritum diſponeret ſtatum ſalutis, præmiſit, [a] *Spiritus eſt qui viuificat.* atque ita ſubjunxit, *Caro nihil prodeſt*; ad viuificandum ſcilicet. Exequitur etiam quid velit intelligi ſpiritum, *Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus ſunt, vita ſunt.* ſicut & ſupra, [b] *Qui audit ſermones meos, & credit in eum qui me miſit, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, ſed tranſiet de morte ad vitam.* Itaque Sermonem conſtituens viuificatorem, quia ſpiritus & vita Sermo, eumdem etiam carnem ſuam dixit; quia & [c] *Sermo caro erat factus*; proinde in cauſam vitæ appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus. Nam & paulò antè, carnem ſuam, panem quoque cœleſtem pronontiarat; vrgens vſquequaque per allegoriam neceſſariorum pabulorum memoriam patrum, qui panes & carnes Ægyptiorum præuerterant diuinæ vocationi. Igitur conuerſus ad recogitatus illorum, quia ſenſerat diſpergendos, [d] *Caro*, ait, *Nihil prodeſt.* Quid hoc ad deſtruendam carnis reſurrectionem? Quaſi non liceat eſſe aliquid, quod etſi nihil proſit, aliud tamen ei prodeſſe poſſit. Spiritus prodeſt, viuificat enim. Caro nihil prodeſt, mortificatur enim. Itaque, ſecundùm nos magis collocauit vtriuſque propoſitionem. Oſtendens enim quid proſit, & quid non proſit; pariter illuminauit, quid cui proſit: ſpiritum ſcilicet carni mortificatæ viuificatorem. [e] *Veniet enim hora*, inquit, *Quum mortui audient vocem filij Dei; & qui audierint, viuent.* Quid mortuum, niſi caro? & quid vox Dei, niſi Sermo? & quid Sermo, niſi ſpiritus? Meritò carnem reſuſcitaturus, quod factus eſt ipſe; & ex morte, quam paſſus eſt ipſe; & ex ſepulcro, quò illatus eſt ipſe.

a Io. 6. 64. Ibid.
b Io. 5. 24.
c Io. 1. 14.
Io 6. 31 & 49 & 59.
d Io. 6. 64.
e Io. 5. 25.

EVCHARISTIÆ, SACRAMENTVM. I. SCHOLIA.

ETSI CARNEM. *Licet Chriſtus dixerit Io. 6. 64.* Spiritus eſt qui viuificat, Caro non prodeſt quidquam: verba quæ ego locutus ſum vobis, *Syr. qua ego loquor vobiſcum* Spiritus & vita ſunt. EX MATERIA. *Senſus, inquit, rectus & directus huius dicti & ſermonis Chriſti ſumendus eſt ex materia, de qua tunc tractabat. Non enim tum ſermo erat de carnis reſurrectione, quam impugnantes hæretici contra Tertullianum, hoc loco abutebantur; quibus aptè reſpondet, perperam eos vti hoc textu, cùm non ageret Chriſtus de reſurrectione, ſed de Sacramento Euchariſtiæ.* QVIA DVRVM. *Sic enim cum doceret in Synagoga Capharnaum Io. 6. 61.* Multi audientes ex diſcipulis eius dixerunt, Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? ſciens autem Ieſus apud ſemetipſum quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis: hoc vos ſcandalizat? ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius? Spiritus eſt, &c. *Syr. parum differt:* Hoc vos offendit? &c. Eo loci, vbi erat à principio. *Aug. in Pſal. 98. expreſsè de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia explicat verſum*, Adorate ſcabellum pedum eius, &c. Exponens mihi, quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit: terra autem ſcabellum pedum meorum Eſa. 66. Anceps factus ſum: timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rurſus timeo non adorare ſcabellum Domini mei, quia Pſalmus mihi dicit, adorate ſcabellum, &c. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra. ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius; Suſcepit enim de terra terram; quia Caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit; inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, *Qui vt homo meruerat ab Angelis, non tantum Dei Patris pedibus, ſed nouiſſimus hominum factus, vermis & non homo ſe hominum pedibus conculcandũ in humana carne dedit.* Et non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. *Cum inquam de veritate carnis ſumpta in Sacramento clarè dixiſſet, de modo ſubiecit, & cur hæc Caro ſit adoranda; non ſcilicet vt ſimpliciter Caro eſt, ſed vt eſt vnita Verbo & Deo, qui Spiritus eſt, vnde & veri adoratores, in Spiritu & veritate veram carnem eius debent adorare, quæ ex ſe ſola nihil prodeſſet, niſi Verbum Caro factum eſſet; non viuificaret, niſi ſpiritui, id eſt diuinitati vnita eſſet; & niſi Verbum vita, ſpiritum & vitam verbis dediſſet, quibus conſecratur Euchariſtia, & ponitur corpus eius ibidem reale & verum, ſed ad modum ſpiritus, inuiſibile ſcilicet, & indiuiſibile. Sicut enim ait Chriſtus,* Quod natum eſt ex carne, Caro eſt; *Id eſt Caro Chriſti vera, nata eſt de carne Mariæ. Sic* Quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt. *Id eſt idem Chriſti corpus opere Spiritus ſancti formatum, ſpirituale factum eſt; vt de facto ad inſtar Spiritus, illeſâ carne Mariæ, illibato virginitatis eius ſigillo*, Portâ clauſâ, horto concluſo, fonte ſignato *Manente, naſceretur, ſicut ſpirituale de tumulo egreſſum, ianuis clauſis diſcipulorum ingreſſum cœnaculum, aſcendens penetrauit cœlum. Inde dixit*; Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius? *Id eſt, vt exponit Aug. licet etiam ante mortem meam dem vobis manducandam carnem meam, eam non diuidetis dentibus, ſed integram & indiuiſam ſumetis, ſicut integrum videbitis corpus meum conſcendens cœlum, quod vt penetrabo, ſic penetratâ quantitate hoſtiæ totum Corpus meum in indiuiſibili poſitum ſimul cum veſtro corpore collocabo. Hæc ſunt Auguſtini verba tract. Auguſt. 27. in cap. 6. Io.* Si ergo videritis, &c. Quid eſt hoc?

A

B

C

S. Auguſt.

hinc

hinc ſoluit quod illos mouerat? hinc aperuit vnde fuerant ſcandalizati? hinc placè, ſi intelligerent.

Illi enim putabant eum erogaturum, *conſumpturum quaſi in particulas diſtribuendo ſingulis*; Ille autem dixit ſe aſcenſurum in cœlum, vtique integrum. Cùm videritis filium hominis aſcendentem, &c. Certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus ſuum. Certè vel tunc intelligetis quia gratia eius non conſumitur morſibus. *Ita & in Pſal. 98.* Durum illis viſum eſt quod ait, niſi quis manducauerit carnem meam, &c. Acceperunt illud ibidè, carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt: durus eſt hic ſermo. *Et quomodo durus? mollia ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Ipſi erant duri, non ſermo. Etenim ſi duri non eſſent, ſed mites eſſent, dicerent ſibi: Non ſine cauſa dicit hoc, niſi quia eſt ibi aliquod Sacramentum latens. *Subiicit quòd ſi remanſiſſent cum Apoſtolis, inſtructi fuiſſent de modo, qui non excludit realitatem, ſed explicat ſumptionem.* Ille inſtruxit eos, & ait illis, Spiritus eſt qui viuificat, &c. Spiritaliter intelligite quod locutus ſum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis? *Id eſt in quantùm viſibile eſt, non illud ſcindetis dentibus manducando, nec videbitis formam externam corporis, nec ſanguinem effundetis ſenſibiliter quemadmodum carnifices;* Et bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, ſpiritaliter intellectum viuificabit vos. Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi. *Rurſum tract. 27. in Io. 6. exponit verba*, Caro non prodeſt quidquam, &c. Dicamus ei; patitur enim nos non contradicentes, ſed noſſe cupientes. O Domine, magiſter bone, quomodò caro non prodeſt quidquam, cùm tu dixeris; niſi manducauerit is? &c. An vita non prodeſt quidquam, & propter quid ſumus quod ſumus, niſi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? quid eſt ergo, non prodeſt quidquam caro? non prodeſt quidquam, ſed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippè ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Proinde ſic dictum eſt, caro non prodeſt quidquam, quomodo dictum eſt, ſcientia inflat. Iam ergo debemus odiſſe ſcientiam? Abſit. Et quid eſt, ſcientia inflat? Sola, ſine charitate. Ideò adiunxit, charitas verò ædificat. Adde ergo ſcientiæ charitatem, & erit vtilis ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc, caro non prodeſt quidquam; ſed ſola caro. Accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimùm. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum Caro non fieret, vt habitaret in nobis. QVASI VERE. *Non quod excludat Tertull veram manducationem, qua fit, traiiciendo corpus Chriſti per modum cibi, ex ore in ſtomachum; cùm dixeris Chriſtus:* Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Sed excludit veram diuiſionem, & dilaniationem in particulas, qua fit in cibo communi, qui ſcinditur gladiis & demitur.* VT IS SPIRITVM. *Vt doceret, ſtatum ſalutis noſtræ, non à ſola Carne Chriſti, & preciſa à Spiritu, id eſt verbo; ſed à Deo & Verbo, nobis ab æterno diſpoſitam inſinuaret, pulchro ordine ſic ſententiam diſpoſuit; vt prius diceret,* Spiritus eſt qui viuificat. *Deinde diceret:* Caro non prodeſt quidquam. EXEQVITVR. *Proſequitur, vel, oſtendit quid per Spiritum intelligat.* SPIRITVS SVNT. *Sic tranſlatio Syriaca ad verbum.* ET SVPRA. *Scil. c. 5 24.* Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit; *Syr. nec ſubibit iudicium.* Sed tranſit à morte in vitam *Aug tract. 22. in Io.* Secundùm iudicium diſcretionis oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Chriſti, ſecundùm iudicium autem damnationis, qui audit verba mea, &c. In iudicium non veniet, &c. Quid eſt in iudicium non veniet? in damnationem non veniet. ITAQVE SERMONEM. *Dicens verbum ſuum vim habere viuificandi animam per gratiam, & in reſurrectione etiam corpora, quia ſermo, id eſt Chriſtus Verbum Patris Deus eſt. Caro enim ſpiritus eſt, & quod factum eſt in ipſo vita erat.* EVMDEM ETIAM. *Sermonem ſcilicet, id eſt Verbum.* CARNEM SVAM DIXIT. *Ob vnitatem ſcilicet Perſonæ, quia* Verbum Caro factum eſt, & Deus & homo vnus eſt Chriſtus. IN CAVSAM VITÆ. *Ad vitam animæ & carnis conſequendam, Verbum* Dei *appetendum eſt; & auidè eſuriendum, per quod etiam in Sacramento, ceu per formam conſecratur Panis in Corpus eius, vnde ex Aug.* Non minùs videri debet eſſe Verbum Dei quàm corpus Chriſti PAVLÒ ANTE. *Io. 6. 48.* Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt, hic eſt panis de cœlo deſcendens; vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur, &c. Et Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. VRGENS PER ALLEGORIAM. *Pungens & arguens veteres Hebræos, qui memores panum & carnium Ægypti, eos præponebant Dei vocationi, qui eos vocabat ad manna, quod erat allegoria & figura Euchariſtiæ, qua in veram terram promiſſam pergimus,* Ambulantes in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei. RECOGITATVS. *Quia videbat cogitationes eorum, quas ſciebat abituros à ſe.* QVID HOC, *&c. Quid hæretici vtuntur hoc loco, qui nihil facit ad euertendam reſurrectionem carnis?* NON LICEAT. *Non poſſit eſſe.* SPIRITVS PRODEST. *Carni ſcilicet.* SECVNDVM NOS. *Chriſtianos. Chriſtus, inquit, ſic loquendo confirmauit vtramque in Chriſto naturam; nempè quod verbum ſit & ſpiritus, id eſt Deus, & Caro, id eſt homo.* ILLVMINAVIT. *Clarè docuit, Chriſtum Dei Verbum viua voce ſua viuificaturum corpora noſtra, ſicut & ſuam ipſam viuificauit carnem mortuam.* NISI SERMO. *Verbum.* NISI SPIRITVS. *Deus quia* Deus erat Verbum. MERITO CARNEM *Iuſtè carnem noſtram reſuſcitabit, quia frater & caro noſtra factum eſt Verbum, in qua & pro nobis mortuus eſt, & ſepulchro conditus. Vnde Aug.* Meum teſtor eſſe quod cecidit, *Vnde ex eodem dictum eſt cadauer,* Vt meum ſit, quod reſurrexit. Meum teſtor eſſe quod iacuit intra tumulum, vt meum ſit quod aſcendit in cœlum.

Auguſt. Auguſt. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

2. *Euchariſtiæ Sacramentum verum Corpus Chriſti continet. 5. Cont. Marc. cap. 8. à p.*

SÆpè iam oſtendimus hæreſes apud Apoſtolum, inter mala vt malum poni, & eos probabiles intelligendos, qui hæreſes vt malum fugiant. Proinde panis & calicis Sacramento, iam in Euangelio probauimus corporis & ſanguinis dominici veritatem, aduersùs phantaſma Marcionis. Sed & omnem iudicij mentionem Creatori competere, vt Deo iudici, toto penè opere tractatum eſt. 1. Cor. 11. 19. Luc. 22. 19 & 20. 1. Cor. 11. 29. & ſeq.

vndique fluit copia, &c. Ecce acquiris, non infructuosè conturbaris, tamen vanè conturbaris. Quare, inquis; vanè conturbor? Ecce saccos impleo, parietes mei vix capiunt quod acquiro. Quare vanè conturbor? thesaurizas, & ignoras cui ea congreges; aut si scis, cui, obtestor te, dic & mihi, &c. Mihi, inquis. Hoc audes dicere moriturus? filiis meis, inquis. Hoc audes dicere de morituris? magna pietas, thesaurizat pater filiis: Imò magna vanitas, thesaurizat morituris. Si propter te, quia moriturus dimittis, quid colligis? hæc causâ & filiorum, successuri sunt, non permansuri. Omitto dicere, quibus filiis; ne fortè quod congregauit auaritia, perdat luxuria, &c. Illis dico quod tibi dicebam, filio tuo dico, cui seruas? &c. Omitto dicere, quia fortè dum viuis, thesaurizas furi, Vna nocte venit, & tot diebus ac noctibus paratum inuenit. &c. Quàm multa quæ congregauit inanis vanitas, parata inuenit hostilis crudelitas! &c Nolite vobis condere thesauros in terra, vbi tinea, &c. Non cessat rapina graſſari, non enim cessat fraudare auaritia, non enim cessat periurare malitia, totum vt quid? vt thesaurizetur. Et vbi ponatur? in terra. Rectè quidem, à terra in terram. Homini enim à quo nobis dixi laborem fuisse propinatum, dictum est peccanti, terra es, & in terram ibis. Meritò thesaurus in terra, quia cor in terra. Vbi est ergo quod habemus ad Deum? &c. Væ nobis, ruit mundus; si ruit, quare non migras? si tibi architectus diceret, ruituram domum, nonne prius migrares, quàm murmurares? structor mundi tibi dicit ruiturum mundum, & non credis? audi vocem prædicentis, audi consilium commonentis. Vox prædicentis est, cœlum & terra transibunt. Vox commonentis est, nolite vobis condere thesaurum in terra, &c. Da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Non sine thesauro remanebis, sed quod habes in terra sollicitus, habebis in cœlo securus, &c. Veni & sequere me, vt ducam te ad thesaurum tuum. Non est hoc dispendium, sed compendium, &c. Frumentum ponis in terram, venit amicus tuus, qui nouit frumenti & terræ naturam, docet tuam imperitiam, dicit tibi, quid feciſti? &c. Humidus locus est, putrefecit quod posuisti, &c. Migra in superiora. Audis ergo amicum, consilium dantem de frumento tuo, & contemnis Deum consilium dantem de corde tuo? frumentum tuum times ponere in terra, & cor tuum perdis in terra? &c. Quomodo pœnitet eos qui non fecerunt? *Supple cor in cœlum cum thesauro non posuerunt.* Modò quid sibi dicunt? in cœlo haberemus quod in terra perdidimus. Inuasit hostis domum, numquid inuaderet cœlum? occidit seruum custodem, numquid occideret Dominum seruatorem? &c. Si migranda sunt quæ habemus, in eum locum transferamus vnde ea non perdamus; quid sunt pauperes quibus damus, nisi latuarij nostri, per quos in cœlum de terra migramus? da latuario tuo, das, *bajulo*, ad cœlum portat quod das. Quomodo, inquis, ad cœlum portat? & video quia manducando consumit. Prorsus non tenendo, sed manducando transportat, &c. Si ante tu mendicantem non contempsisti, attende ad quem peruenerit quod dedisti. Cùm vni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Christus accepit quod dedisti. *Caput in membris, in cœlo, & terra. Ecce ego vobiscum sum, &c. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis, visibilem scilicet, sed in membris latentem.* Ille accepit

S. August.

A qui tibi vnde dares, dedit. Ille accepit, qui in fine tibi seipsum dabit, &c. *Et cùm retulisset sententiam bonorum & malorum, venite benedicti, discedite maledicti.* Quære, *inquit*, causas vel tantæ mercedis, vel tanti supplicij, percipite regnum, & ite in ignem æternum. Quare isti percepturi sunt regnum? Esurijui enim: &c. Quare isti ituri in ignem æternum? Esurijui enim, &c Quid est hoc rogo? &c. *Stupet alia non laudasse opera maiora. Et concludit ob solam misericordiam hos regnare, illos ob eius defectum damnari.* Quantùm hoc excellit, quando cætera tacuit, & hoc solum Dominus nominauit? &c. Quàm multa posset in impios dicere, si quæreremus; quare imus in ignem æternum? quare, quæris, adulter, homicida, fraudator, sacrilege, blasphemator, infidelis? nihil horum: sed, quia esurijsti, & non dedisti mihi manducare. Video vos moueri, sicut moueor. Et verè mira res. Huius autem admirabilis rei colligo vt possum rationem, quàm vos non celabo. Scriptum est Eccl. 5. sicut aqua extinguit ignem, ita Eleemosyna extinguit peccatum. Item scriptum est Eccli. 29. Include Eleemosynã in cordo pauperis, & ipsa pro te deprecabitur Dominum. Item scriptum est Dan. 4. Consilium meum audi Rex, & peccata tua Eleemosynis redime, &c. Proinde illis quos damnaturus est, imò plùs illis quos coronaturus solas Eleemosynas imputabit: tanquam dicens, difficile est, vt si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inueniam vndè vos damnem; sed ite in regnum: Esurijui enim, &c. Non ergo itis in regnum, quia non peccastis, sed quia vestra peccata Eleemosynis redemistis. *Similiter & de damnatis, damnandisque ob multa crimina, &c.* Quasi eis diceret, non inde, vnde putatis, sed quia esurijui, & non dedistis, &c. Si enim ab illis omnibus vestris factis auersi, & ad me conuersi, illa omnia crimina atque peccata Eleemosynis redemissetis, ipsæ Eleemosynæ modò liberarent vos, & à reatu tantorum criminum absoluerent. Beati enim misericordes, &c. Modò autem ite in ignem æternum: iudicium sine misericordia, ei qui non fecit misericordiam, &c. Date panem terrenum, & pulsate ad cœlestem, Dominus panis est. Ego sum panis, inquit, vitæ, &c. Nullius eget, ideò verus est Dominus, dixi Domino, Deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges. Cùm ergò sit Dominus, & verus Dominus, & bonorũ nostrorũ non egeat, tamen vt aliquid erga eum faceremus, & esurire dignatus est in pauperibus suis &c. Breuiter ergo audiat homines, dignè que considerent, quantũ sit meritũ, Christum pauisse esurientem, & quale sit crimen Christum contempsisse esurientem. Mutat quidem homines in melius pœnitentia peccatorum, sed nec ipsa videtur aliquid profutura, si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit, &c. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. De hoc vtique fructu superiùs ait, facite fructus dignos pœnitentiæ, &c. Qui sint autem isti fructus, consequenter ostendit, *Ioannes scil. Baptista*, &c. Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat, &c. Quid proderit deprecari, si te dignum non fecerit exaudiri, non faciendo fructus dignos pœnitentiæ; vt tanquam sterilis arbor excidaris, & in ignem mittaris? *Hæc de Augustini medulla, congessi in locum moralem, pro Eleemosyna, quam in rem Tertulliani non potuit fortioribus argumentis commendare, contra auaritiam thesaurizantium in terra.*

Augustin.

Augustin.

Augustin.

Digitized by Google

5. *Eleemoſyna fœneratoria præſtanda omni petenti, etiam extraneo, multò magis proximo, iuxta vtramque legem. 4. Cont. Marc. cap. 16. in m.*

Omni petenti te, dato; vtique indigenti: vel tantò magis indigenti, ſi etiam & abundanti. Ne quis ergo indigeat, datori imperatam habes in Deuteronomio formam Creatoris: [b] *Non erit*, inquit, *in te indigens; vti benedicens benedicat te Dominus Deus tuus*: datorem ſcilicet, qui fecerit non eſſe indigentem. Et plus hic, non enim petenti jubet dari. *Sed non ſit*, inquit, *indigens in te;* id eſt, cura vltro ne ſit. quo magis petenti præjudicat dandum, etiam in ſequentibus: [c] *Si autem fuerit indigens è fratribus tuis, non auertes cor tuum, nec conſtringes manum tuam à fratre tuo indigente. Aperiens aperies illi manum, fenus fenerabis illi quantum deſiderarit.* fenus enim niſi petenti dari non ſolet. Sed de fenore poſtmodum. Nunc ſi qui voluerit argumentari, Creatorem quidem fratribus dari juſſiſſe, Chriſtum vero, omnibus petentibus; vt hoc ſit nouum atque diuerſum: immo vnum erit ex his, per quæ lex Creatoris erit in Chriſto. Non enim aliud Chriſtus in omnes præcepit, quàm quod Creator in fratres. Nam etſi major eſt bonitas quæ operatur in extraneos, ſed non prior eâ quæ antè debetur in proximos. Quis enim non diligens proximos, poterit diligere extraneos? Quòd ſi ſecundus gradus bonitatis eſt in extraneos, qui in proximos primus eſt; eiuſdem erit ſecundus gradus, cuius & primus; faciliùs quàm vt eius ſit ſecundus, cuius non extitit primus. Ita Creator & ſecundùm naturæ ordinẽ, primùm in proximos docuit benignitatem, emiſſurus eam poſtea & in extraneos; & ſecundùm rationem diſpoſitionis ſuæ, primò in Iudæos, poſtea & in omne hominum genus. Ideoque, quamdiu intra Iſraëlem erat ſacramentum, meritò in ſolos fratres miſericordiam mandabat. At vbi Chriſto [d] *Dedit gentes hereditatem, & poſſeſſionem terminos terræ*, & cœpit expungi quod dictum eſt per Oſee, [e] *Non populus meus, populus meus; & non miſericordiam conſequuta, miſericordiam conſequuta.* Natio ſcilicet: exinde Chriſtus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excipiens in miſeratione, ſicut in vocatione. Ita & ſi quid amplius docuit, hoc quoque in hereditatem gentium accepit.

[a] Luc 6. 30.
[b] Deut. 15. 4.
Ibid.
[c] Ibid. 7. & 8.
[d] Pſal 2. 8.
[e] Oſeæ. 1. 9.

6. *Eleemoſyna lucrum. Apol. cap. 39. V. Verbum Cœna, num. 2. in m.*

ELEEMOSYNA. V. SCHOLIA. *V. Aug. ſer. 27. de Verb. Apoſtol. In rem. Tertull.*

Auguſt. OMNI PETENTI. *Luc 6. 30.* Omni petenti te, tribue. *Syr. cuilibet poſcenti à te, dato.* Et qui aufert quæ tua ſua ſunt, ne repetas. *Aug. lib. 1. de Ser. Do. in monte c. 20.* Omni petenti, inquit, non omnia petenti, vt id des, quod dare honeſtè & iuſtè potes. Quid ſi enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere? quid ſi poſtremò ſtuprum petat? ſed ne multa perſequar quæ ſunt innumerabilia, id profectò dandum eſt, quod nec tibi, nec alteri noceat, Quantùm ſciri, aut credi ab homine poteſt. Et cui iuſtè negaueris quod petit, indicanda eſt ipſa iuſtitia, *dando inſtructionem ignaro*, vt non eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamuis non ſemper id quod petit dabis, ſed aliquando melius aliquid dabis, cùm petentem iniuſtè, correxeris. VTIQVE INDIGENTI. *Supponitur enim indigere qui petit.* ET ABVNDANTI. *Supple des. Dare debes multò magis indigenti.* FORMAM CREATORIS. *Hìc pungit Marcionem jactantem Chriſtum ſuum filium Dei noui bonum & largum; & probat nihil eum noui de miſericordia & Eleemoſyna præſtanda omni petenti, præcipere; ſiue egeat, ſiue abundet; cùm in hoc, præſcripeam ſecutus ſit regulam Creatoris, qui iubet ſic dari & prouideri proximo, vt nullus ſit indigens. Sic enim Deut. 15. 4.* Omnino indigens & mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus eſt tibi in poſſeſſionem. 70. *vero* Non erit in te egenus: quia benedicens benedicet te Dominus Deus tuus in terra, quam Dominus Deus tuus dat tibi in ſorte, vt hæreditet eam. ET PLVS HIC. *Supplè Creator, maiorem vult exhiberi charitatem.* IN SEQVENTIBVS. *Deut. 15. 7.* Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus

A tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum. *Ita & 70.* Nec contrahes manum: *Tertull. ſequutus eſt 70.* Sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris. 70. Aperiens aperies manus tuas, & fœnus fœnerabis ei quantùm poſcit, ſecundùm quod egebit. *Auguſtinus ſupra ex Math. 5. 42.* Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne auertaris; *Sic proſequitur:* Quod autem ait, qui vult à te mutuari, ne auerſatus fueris: ad animum referendum eſt. Hilarem enim datorem diligit Deus. Mutuatur autem omnis qui accipit, etiam ſi non ipſe ſoluturus eſt. Cùm enim miſericordibus Deus plura reſtituat, omnis qui beneficium præſtat, fœneratur. Aut ſi non placet accipere mutuantem, niſi eum qui accipit redditurus, intelligendum eſt, Dominum duo ipſa genera præſtandi eſſe complexum. Namque aut donamus, quod damus beneuolè, aut reddituro commodamus. Et plerumque homines, qui propoſito diuino præmio, donare parati ſunt; ad dandum quod mutuum petitur, pigri fiunt, quaſi nihil recepturi à Deo, cùm rem quæ datur, ille qui recipit, exſoluat. Rectè itaque ad hoc beneficij tribuendi genus nos diuina hortatur authoritas, dicens, & qui voluerit à te mutuari, &c. Id eſt, ne propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quia & pecunia te vacuat, & Deus tibi non reddituus eſt, cùm homo reddiderit. Sed cùm id ex præcepto Dei facis, apud illum, qui hæc iubet; infructuoſum eſſe non poteſt. *Ex dictis patet mutuum datum pauperi abſque ſpe recipiendi à paupere, fœnus eſſe reſpectu Dei reddentis centuplum. Accipe Auguſtinum in Pſal. 36.* Tota die miſeretur & commodat. *Vbi ipſe vertit,* Et fœneratur, &c. Deus noſter, *inquit,* qui te prohibet eſſe fœneratorem, iubet te eſſe fœ-

B

C

S. Auguſt.

S. Auguſt.

neratorem: & dicitur tibi, fœnera Deo. Si fœneras homini, habes ſpem: & ſi fœneras Deo ſpem non habebis? &c. Quid ergo, inquis, facio, vt ſim vtilis fœnerator? attende quid facit fœnerator: minus vult dare certè, & plus accipere; hoc fac & tu: da modica, accipe magna. Vide quā latè creſcat fœnus tuum. Da temporalia, accipe æterna: da terram, accipe cœlum. Et cui dabo? fortè, dicis. Ipſe Dominus prodit quem fœneres, qui tibi iubebat ne fœnerator eſſes. Audi ſcripturam, *Prou. 19. 17.* Quomodo fœneres Dominum: fœnerat, inquit, Dominum, *70. fœnerat Deo; vulgata, fœneratur Domino. Sanct. Pagn. ex Hebr. mutuat Domino qui largitur pauperi.* Qui miſeretur pauperis. Non S. Auſtug. enim eget à te Dominus, ſed habes alium qui à te egeat. Illi porrigis, ille accipit. Non enim habet B pauper quod tibi retribuat, & tamen ipſe vult retribuere, & non inuenit quid, ſola in illo remanet beneuolentia orandi pro te. Cùm autem pauper orat pro te, tanquam Deo dicit; Domine, mutuum accepi, fidedic pro me. Proinde, & ſi non tenes pauperem redditorem, ſed idoneum tenes fide iuſſorem. Ecce Deus tibi de ſcriptura ſua, *Quaſi Chirographo debiti*, dicit, da, ſecurus eſto, reddam. Quomodo ſolent dicere fide iuſſores? quid dicunt? ego reddo, ego accipio, mihi das. Puramuſne & hoc dicit Deus, ego accipio, mihi das? planè, ſi Deus eſt Chriſtus, quod non dubitatur. Ipſe dixit eſuriui, &c. Et cùm illi dicent, quando te vidimus eſurientem? vt oſtenderet, ſe pauperum fidei- C iuſſorem, omnium membrorum ſuorum ſponſorem, quia ille caput, illi membra, & cùm accipiunt membra, caput accipit; cùm vni, inquit, ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Eia auare, fœnerator, vide quid dediſti, quid acceptarus es. Si dediſſes paucam pecuniam, & ille cui dederas, pro parua pecunia tua daret tibi magnam villam, incōparabiliter amplius valentem quàm tu pecuniā dederas; quantas gratias ageres? quantâ lætitiâ tolleretis? Audi quam poſſeſſionem det, quā fœneraſti: Venite benedicti Patris mei, percipite. Quid? quod dediſtis? abſit. Terrena dediſtis, quæ ſi non dediſſetis, in terra putreſcerent. Quid enim inde facturus eſſes ſi non dediſſes? quod periturum erat in terra, ſeruatum eſt in cœlo. Ergo quod ſeruatum eſt, hoc accepturi ſumus. Seruatū eſt meritum; factus eſt theſaurus tuus meritū tuū. Nam vide quid ſis accepturus. Percipite regnum quod vobis paratum eſt ab initio mundi. Contra, illi qui fœnerare A noluerunt, quid audient? Ite in ignem æternum qui paratus eſt, &c. Et quid vocatur regnum quod accipimus? attendite ſequentia: Iſti ibunt in combuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam. Ad hoc ambite, hoc emite, ad hoc fœnerate. Habetis Chriſtum in cœlo ſedentem, in terra petentem: inuenimus quomodo fœneret. Iuſtus tota die miſeretur & fœnerat, & ſemen eius in benedictione erit, &c. Apoſtolus dicit, bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus infatigabiles. Itaque dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. *Hoc eſt illud, omni petenti te tribue*, Hoc eſt ſemen tuum quod erit Auguſt. in benedictione. Terræ committis, & tantò ampliùs colligis: Chriſto committis, & perdis? vide ipſum ſemen expreſſiùs nominatum ab Apoſtolo, cùm de Eleemoſynis diceret. Hoc enim ait, qui parce ſeminat, parce & metet, &c. Sed reſpice ad pſalmum alium, euntes ibant & flebant, &c. POSTMODVM. *Supplè dicemus.* SI QVI. *Si quis, Marcionita ſcilicet.* VT SIT NOVVM. *Vt ex diuerſo precepto inde concludat nouum & diuerſum eſſe Deum noui teſtamenti, à Deo veteris.* IMMO VNVM. *Quinimo, inquit, vnum idemque preceptum eſt. Eumdem Deum colligo, ex eo quod video legem veterem Creatoris expreſsè tranſcriptam in lege noua. Licet enim Chriſtus iuſſerit dari omni petenti, nihil aliud iuſſit quàm Creator: omnes enim ſumus fratres & proximi, Dei filij omnes. Nam ex Aug.* Nulla eſt cogitanda Auguſt. longinquitas generis, vbi eſt natura communis. NON EXTITIT PRIMVS. *Quia Deus Marcionis prorſus incognitus, nihil fecit, aut precepit.* PRIMVM. *Inprima & veteri lege.* POSTEA. *Idem in noua lege.* SACRAMENTVM. *Myſterium fidei, quia*, Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius. MERITÒ. *Ne commercio Gentilium ad idololatriam traheretur.* DEDIT. *Deus Creator.* EXPVNGI. *Impleri.* NATIO. *Gentilitas.* VOCATIONE. *Ad fidem* Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci, nam idem Deus omnium. AMPLIVS DOCVIT. *Dum dixit*, Omni petenti, &c. *Scilicet etiam Gentili: in hoc etiam ſi probauit filium Creatoris, cuius propheciam impleuit, dicentis per Pſalmum*, Dabo tibi Gentes, &c. *Et tunc nihil amplius precepit quàm lex vetus; vt ſcilicet omnibus iam abſque vlla diſtinctione factis Dei filiis, vt & Abrahæ per fidem, iam non extraneis, ſed fratribus ſit præſtanda Eleemoſyna & Charitas.*

EPIPHANIA.

Epiphania & magorum vocatio. Cont. Iud. cap. 9. V. Verbum Chriſti Elogia. Num. 18.

EPISCOPVS.

* *Epiſcopi, ſoliciti plebis ieiunia indicere ſoliti. De Ieiun. cap. 13. in m.*

BEnè autem, quod & Epiſcopi vniuerſæ plebi mandare ieiunia aſſolent; non dico de induſtria ſtipium conferendarum, vt veſtræ capturæ eſt; ſed interdum & ex aliquā ſolicitudinis Eccleſiaſticæ cauſa.

EPISCOPVS. SCHOLIA.

BENE AVTEM. *Deſciuerat ab Eccleſia, dum* D *ſcripſit hunc librum; & quanquam calumniam imponat Epiſcopis, quòd captarent occaſionem lucri, dum indictis publicis ieiuniis, ad redimendum onus ieiunij, certam ſtipem per ſingulos exigerent: fatetur tamen Epiſcopalem authoritatem, in obligando populo; & licet ex inuidia minuat curam eorum Paſtoralem, ſolicitudinem tamen Eccleſiaſticam in eis vel inuitum agnoſcit. Quòd autem ait:* Bene autem, &c. *Id dixit, quaſi fauerent etiam Epiſcopi, ieiuniorum extraordinariorum commendationi, quibus Tertull. duplicis quadrageſimæ Montaniſtarum defenſor ſuperſtitioſus inſtabat. Hic pauca de Epiſcoporum vigilantia, onere & debito ex Aug. refero. in Pſal. 126. in p. vbi tractat de Ieruſalem & Eccleſia.* Quomodo habet ædificantes, Auguſt. laborantes vt ædificetur, ſic habet & cuſtodientes. Nam

Nam ad cuſtodiam pertinet, quod dicit Apoſtolus: A timeo ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ſic & veſtræ mentes corrumpantur à caſtitate, *Fidei integritate, & ſimplicitate.* Quæ eſt in Chriſto. *Sic & Epiſcopi cuſtodientes Eccleſias, indicebant ieiunia & abſtinentiam, ne ſicut ſeducta eſt Eua pergulam, ſic & fideles ſeducantur, &c.* Cuſtodiebat, cautus erat, vigilabat quantum poterat ſuper eos quibus præerat. Et Epiſcopi hoc faciunt. Nam ideò altior locus poſitus eſt Epiſcopis, vt ipſi ſuperintendant, & tanquam cuſtodiant populum. Nam & Græcè quod dicitur Epiſcopus, hoc Latinè ſuperintentor interpretatur: quia ſuperintendit, quia deſuper videt. Quomodo enim vinitori altior fit locus, ad cuſtodiendam vineam; ſic & Epiſcopis altior locus B factus eſt. *Vt ſinguli poſſint dicere:* Poſuerunt me cuſtodem in vineis. *De quibus & ipſa ſponſa:* Inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem. *De onere & ſarcina ſic Ser. 19. de Ver. Apoſtoli.* Beatus Apoſtolus ait quodam loco *1. Cor. 9. 26.* Non ſic pugno quaſi aërem cædens, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo; *Ieiuniis & flagellis edomo, ne recalciret ſicut Adã guloſo;* Ne fortè alius prædicans, *Indicens ieiunia & auſteritates; dum inculco, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, &c. Regnum Dei non eſt eſca & potus.* Ipſe reprobus inueniar. Suo timore nos terruit. Quid enim faciet agnus, vbi aries tremit? inter multa ergo quæ ſcripſit Apoſtolus, qualis eſſe Epiſcopus debeat, etiam illud audiuimus, C &c. Inter cætera ait, Epiſcopum potentem eſſe debere in doctrina ſana, vt contradicentes redarguere poſſit. Magnum opus eſt, grauis ſarcina, cliuus arduus. *Et lib. 19. de Ciuit. c. 19. ex 1. Tim. 3.* Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Exponere voluit quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris. Græcum eſt enim. Atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur, ſuperintendit, curam ſcilicet eorum gerens: ἐπὶ quippè ſuper, σκοπὸς verò intentio eſt. Ergo ἐπισκοπῶν, ſi velimus, Latinè ſuperintendere, dicere poſſumus; vt intelligat, non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, D non prodeſſe. *Inter cætera autem Epiſcopis impoſita à Paulo, qui inſtruendorum Epiſcoporum ſollicitus erat, ſicut eum arctabat,* Solicitudo omnium Eccleſiarum: 1. *Tim.* 3. 2. Monet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, *Syr. fuiſſe maritum vnius vxoris, qui mente ſua vigilet, & caſtum, & moderatum, & diligentem aduenas,* Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, Doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum: non ligitioſum, non cupidum. *Syr. explicatius*: Non autem qui modum tranſeat in vino, neque cuius manus currat ad percutiendum: ſed ſit manſuetus, & non ligitioſus, neque amator E argenti. *Eadem penè repetit ad Titum 1. 6. & 7.* Et *inter cætera vult Epiſcopum* Non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum. *Quod hic in ſui temporis Epiſcopis, captata occaſione lucri, pro ieiuniis redimendis, calumniatur Tertullianus.*

Multum facit ad commendationem dignitatis Epiſcopalis, quòd & Apoſtoli Epiſcopi, & Epiſcopi Apoſtoli dicti ſint. Nam Actorum primo, Petrus de Matthia ſubrogando Iudæ Apoſtolatus illud Pſalmi 108. applicauit Epiſcopatum eius accipiat alter. *Et Hieronymus lib. de Script. Eccl. Iacobum dicit ordinatum Hieroſolymorum Epiſcopum. Sic & primi Epiſcopi vocati ſunt Apoſtoli ſicut Epaphroditus, Andronicus, & Iunias. De quibus conſule Epiſtolas ad Philipp. 2. ad Rom. 16. & 2. Cor. 8. Alibi diximus & preſbyteros dictos Epiſcopos, quod ex eorum Collegio legerentur. Et initio naſcentis Eccleſiæ, vt habetur Actorum 15. Seniores ſiue preſbyteri cum Apoſtolis in Concilium conueniebant. Et ex Hieronymo in Tit. 1. ante obortas ſchiſmata communi preſbyterorum conſilio Eccleſia gubernabantur; poſtea verò dicit preſbyteros ſubditos fuiſſe Epiſcopis, qui ſoli in grauioribus Eccleſiæ negotiis gerendis ſunt admiſſi. Aduerſo 1. Tim. 5. Paulum ipſum Timotheum Epheſinum Epiſcopum monere, ne aduerſus preſbyterum accuſationem accipiat, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Quo liquet iam tum Epiſcopum iudicem fuiſſe preſbyterorum. Hinc & idem Paulus in Epiſtola ad Titum, eum admonet, vt conſtituat per ciuitates preſbyteros. Quos & Epiſcopos vocat. Ignatius item Ep. 7. ad Tharſenſes, 9. ad Philadelph. Vndecima ad Smyrneos, preſbyteros ſubiicit Epiſcopis; & preſbyteros Apoſtolis, Epiſcopos autem in gradu comparat Chriſto. Chriſtus porro non Petrò tantum, ſed & Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, ſaluo ſemper primatus Romanæ Sedis honore, & Ordine Hierarchico ſummi capitis, & principatus; ligandi & tribuis ſoluendi poteſtatem. Adeò vt non tantum peccata retinere in ſuis Diœceſibus poſſint, ſicut in tota Eccleſia Pontifex ſummus, ſed ad ieiunia aliaque Eccleſiaſtica diſciplina obſequia ſibi ſubditos obligare, pariterque ligatos abſoluere. Nec præteribo quod habet Baro. An. Chr. 318. Conſtantinum reſcripſiſſe Protogeni Sardiniæ Epiſcopo, Dominos manumittere volentes ſeruos ſuos, eos in Eccleſia coram Epiſcopis & populo præſentaturos: ius tribuens Epiſcopis, quo pro libito ſeruos iugo & vinculo ſeruitutis ſolueret, quod antea ad Magiſtratus, & virgam Prætoriam pertinebat. Quid quod & Clericorum ſeruos ſic Epiſcopis oblatos, non ſolùm libertos ab eis fieri voluit, ſed & ciues Romanos ſic cenſeri, ſicut ſi Romanis tabulis forent inſerti. Quod poſtea idem Imperator ſcripſit Epiſcopo Cordubenſi, & refertur in Cod. Theod. l. 2. De his Conſtitutionibus Conſtantini Sozomenus lib. 2. cap. 9. Auguſtinus huius moris meminit Ser. 50. de diuerſis, vbi de Valente Diacono Eccleſiæ ſuæ.* Mancipia, inquit, ſunt ei cum fratre communia, & nondum diuiſa. Diſponit ea manumittere, ſed non poteſt antequam diuidantur. Quid enim ad ſe pertineat adhuc ignorat, &c. Hoc agitur, hoc ſine dilatione peragendum eſt, vt illi ſeruuli diuidantur, & manumittantur, & ſic det Eccleſiæ, vt eorum excipiat alimentum, &c. De laboribus ſuis antequam eſſet clericus, emerat aliquos ſeruulos, hodie illos in conſpectu veſtro manumiſſurus eſt Epiſcopalibus geſtis. *Sed quamquam magna ſit Romanis ciuis dignitas, & creandi ciuis Romani de ſeruo magna Epiſcopalis authoritas à Conſtantino conceſſa, maior multò ſupra modum eſt poteſtas, qua Chriſti Regis Regum liberalitate, Epiſcopio peccati & diaboli ſeruos ſoluere, & in libertatem filiorum Dei aſſerere, & ciues ſanctorum & domeſticos Dei reare poſſunt.*

Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

S. Auguſt.

ESVRIENTES SATIANDI.

Eſurientes atiandi ex vtraque lege. 4. Cont. Marc. cap. 14. circa m.

Beati eſurientes, quoniam ipſi ſaturabuntur. Poſſem hunc titulum in ſuperiorem tranſmiſiſſe, quod non alij ſunt eſurientes, quàm pauperes & mendici, ſi non & hanc pro- a Luc 6. 21.

missionem Creator specialiter in Euangelij scilicet sui præstructionem destinasset. Siquidem per Esaiam, de eis quos vocaturus esset à summo terræ; vtique Nationes: [b] *Ecce*, inquit, *velociter & leuiter aduenient.* Velociter, quà properantes sub finibus temporum. Leuiter, quia sine oneribus pristinæ legis. [c] *Non esurient, neque sitient*: ergo saturabuntur. Quod vtique nisi esurientibus & sitientibus non promittitur. Et rursus, [d] *Ecce*, inquit, *Qui seruiunt mihi, saturabuntur; vos autem esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, bibent; vos autem sitietis.* Videbimus & contraria ista, an Christo præministrentur: interim quod esurientibus saturitatem repromittit, Dei Creatoris est.

b Esa. 5. 26.
c Esa. 49. 10.
d Esa. 65. 13. & seq.

ESVRIENTES. SCHOLIA.

BEATI ESVRIENTES. *Luc. 6. 21.* Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. *Matth. autem 5. 6.* Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. HVNC TITVLVM. *Honoris scilicet, quo beatos dixit esurientes, referre possem in precedentem, quo dixit beatos pauperes & mendicos: sed cum etiam Deus Creator in veteri Testamento, quasi preparans, & prefigurans quod in lege noua pariter sua docere debebat, idipsum promittat; non est quod vtramque beatitudinem confundam, cum sigillatim vtraque tam in veteri quàm noua testamento sit scripta, vt etiã in hoc, ab eodẽ Deo sibi mirè consentiente fluxisse Marcion vel inuitus agnoscat.* A SVMMO TERRÆ. *Ab extremis terræ, à Deo remotissimis Gentilibus.* ECCE VELOCITER. *Esa. 5. 26.* Et eleuabit signum *Vexillum crucis* In nationibus procul, & sibilabit ad eum *Populum Gentilem* De finibus terræ: & ecce festinus velociter veniet. 70. In nationibus quę procul *Sunt.* Et sibilabit eos ab extremo terræ. Et ecce citò leuiter veniũt. Non esurient, neq; laborabunt, *Siti* Neque dormitabunt, neque dormient. *Vulgata, in singulari vt cœperat*: Non est deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet. SVB BIBIBVS. *In plenitudine temporum, in vltima lege gratiæ.* SINE ONERIBVS. *Iugo graui legis Mosaïcæ.* ET RVRSVS. *Esa. 65. 13.* Ecce serui mei comedent & vos esurietis: Ecce serui mei bibent, & vos sitietis. *Tertull. sequutus ad verbum. 70. nisi quod habent*, Manducabunt. CONTRARIA ISTA. *S. quod væ & maledicta in affluentes bonis & ridentes, & compotantes, sicut in Euangelio scripta sunt, sic & in lege veteri sint præscripta, vt Christo eadem dicturo præfigurata fuerint; de quibus nos suo loco diximus.* INTERIM, *&c. Dum nunc supersedeo locos veteris scripturæ in hanc rem referre, vides Marcion, Deum Creatorem in noua lege sicut & veteri, saturitatem esurientibus promisisse, eundem vtique vtriusque legis autorem. Isti autem à Deo reprobati sunt Iudæi superbi, Gentiles autem esurientes satiandi. De quibus Aug. tract. 26. in Jo. 6. in p. vbi sic contra Iudæos superbos, sui plenos, nec esurientes panem vitæ & intellectus.* Isti à pane de cœlo longè erant, nec eum esurire nouerant. Fauces cordis languidas habebant, auribus apertis surdi erant, videbant, & cæci stabant. Panis quippè iste, interioris hominis quærit esuriem: vnde alio loco dicit, beati qui esuriunt, &c. Iustitiam verò nobis esse Christum Paulus Apostolus dicit, ac per hoc, qui esurit hunc panem, esuriat iustitiam, sed iustitiam quæ de cœlo descendit, iustitiam quam dat Deus, non quam sibi facit homo. Si enim nullam sibi homo faceret iustitiam, non diceret Apostolus de Iudæis: ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti Rom. 10. 3. Inde erant isti, qui panem de cœlo descendentem non intelligebant, quia sua iustitia saturati, iustitiam Dei non esuriebant. Quid est hoc, iustitia Dei, & iustitia hominis? Iustitia Dei hîc dicitur, non qua iustus est Deus, sed quam dat homini Deus, vt iustus sit homo per Deum. Quæ autem erat illorum iustitia? qua de suis viribus præsumebant, & quasi impletores legis seipsos ex sua virtute dicebant. *Et homil. 44.* Quid ait? *Supple Maria*, Esurientes impleuit bonis, &c. Qui sunt esurientes? Humiles, indigentes. *Sic supra Tertull. in textu* Qui sunt diuites? superbi & inflati. *Subdit exemplum de Pharisæo & Publicanò, quorum verba recitat, & sic Pharisæo loquitur:* Rogare veneras, an te laudare? totum te habere dixisti, nihil tanquam egenus petisti, &c. Insultas, non exultas, &c. O diuitem exinaniendum. *Deinc sic Publicanum affatur:* Veni, veni, pauper esuriens Publicane, imò ibi sta, vbi stas, &c. Quò oculos non leuabat, ibi cor habebat, &c. O esurient em bonis implendum, &c. *Et rursum ad Pharizæum conuersus:* Vade nunc & iacta diuitias tuas; iacta te, & die, diues sum. Quàm diues! si volo, iustus sum; si nolo, iustus non sum. In potestate habeo iustum esse, & iustum non esse. Non audis in Psalmo; qui confidunt in virtute suâ? Ergo Deus tibi carnem, Deus tibi sensum, Deus tibi animam, Deus tibi mentem, Deus tibi intelligentiam dedit; tu das tibi ipsi iustitiam. Quid est caro, quid sunt sensus, quid est anima, quid est mens, quid est intelligentia, sine iustitia? nonne omnia ista, si iustitia careant, ad pœnam valebunt? Ergo tam diues es, vt cùm Deus tibi dederit inferiora, des tibi potiora? male diues, exinaniende diues; si tamen habes, quod te dixisti habere; quid habes quod non accepisti? nec tamen à superbo & diuite illo Pharizæo, de his quæ te habere dixisti, gratias Domino agere didicisti. *Sermone autem 14. de sanctis. Qui est in festo omnium Sanctorum.* Beati qui esuriunt, &c. Accedit quidem quotidie remediũ saturitatis, *Pro fame corporis,* Sed non est sanatum vulnus infirmitatis. Esuriamus ergo sitiamusque iustitiã, vt ipsa iustitia saturemur, quam nunc esurimus & sitimus. Inde enim saturabimur, quod esurimus & sitimus. *Planè sensu Tertulliani.* Interior homo noster esuriat & sitiat. Habet enim cibum suum, habet potum suum. Ego sum, inquit panis, &c. Habes panem esurientis; desidera & potum sitientis: quoniam apud te est fons vitæ.

A
B
C
D
8. Augustin.
Augustin.
Augustin.
Augustin.

EVANGELIVM.

1. *Euangelium Christi vnicum est, nec aliud expectandum à Creatore, multo minus à Paulo, vel Angelo. 5. Cont. Marc. cap. 2. in. m.*

EST autem Euangelium etiam Dei noui, quod vis tunc ab Apostolo defensum. Iam ergo duo sunt Euangelia apud duos Deos, & mentitus erit Apostolus, dicens, *Quod aliud*

itized by Google

* *Omnino non est*, quum sit & aliud; quum sic suum Euangelium defendere potuisset, vt potiùs demonstraret, non vt vnum determinaret. Sed fortasse vt fugias hinc; & ideo, dices, subtexit, b *Licet angelus de cœlo aliter euangelizauerit, anathema sit*; Quia & Cratorem sciebat Euangelizaturum. Rursus ergo te implicas. Hoc est enim quo astringeris. Duo enim Euangelia confirmare, non est eius qui aliud iam negarit. Tamen lucet sensus eius qui suam præmisit personam. *Sed & si nos aut angelus de cœlo aliter Euangelizauerit.* Verbi enim gratiâ dictum est. Cetertùm, si nec ipse aliter euangelizaturus, vtique nec Angelus. Ita Angelum ad hoc nominauit, quò multò magis hominibus non esset credendum, quando nec angelo, nec Apostolo; non angelum ad Euangelium referret Creatoris.

a Gal. 1. 7.

b Gal. 1. 8.

Ibid. 8.

EVANGELIVM I. SCHOLIA.

DEI NOVI. *A Marcione innecti. Vis, inquit, ô Marcion, Apostolum Paulum defendisse Euangelium nouum Dei tui noui, cum Galatis scribens, cap. 1. dixit, versu 6.* Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud; nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi, Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquàm quod Euangelizauimus vobis, anathema sit. *Syr. autem: Conuersi fueritis, &c.* Ad Euangelium aliud. Quod quidem non est: sed prout sunt aliqui, illud est, *peruersum, sicut sunt peruersi. Sed non est Euangelium, hoc est bonum nuntium,* qui terrorem vobis incutiũt, & volunt inuertere Euangelium Meschicho. ERGO DVO SVNT. *Tuo sensu, Marcion.* APVD DVOS. *Deum tuum nouum, & veterem Deum Creatorem.* CVM SIT. *Sicut tibi placet.* POTIVS DEMONSTRARET. *Erras Marcion, si enim Paulus voluisset Euangelium tueri Dei noui, non iam, vt fecit, vnicum esse Euangelium definiisset, sed potiùs illud Euangelium Dei noui quale esset, demonstrare laborasset. Sed fortè vt euadas hanc responsionem meam, dices subiecisse Apostolum anathematizare se etiam Angelum, si de cœlo aliter Euangelizaturus aduenerit, quia sciebat Deum Creatorem Euangelizaturum. Sed tantùm abest vt euadas laqueum, quinimo eo ipso te magis implicas. Nec enim potuit Paulus asserere duo esse Euangelia, vnum Dei noui, alterum Creatoris, cùm immediatè iam ante negasset omnino aliud esse Euangelium præter suum, quamquam clarè mentem suam aperuit, cùm & seipsum sicut & Angelum, in exemplum dedit, cùm ait;* Sed & si nos aut Angelus de cœlo aliter, &c. *Quo apertè probat, nullum verum, præter vnicum, esse Euangelium, proindeque vnicum Deum. Angeli autem & sui ipsius fecit mentionem, non vt innueret per Euangelium Angeli, Euangelium Creatoris mali, & seductoris; sed vt doceret hominem aliud Euangelium prædicanti, multò minùs credendũ esse, cùm nec sibi ipsi, Apostolo Christi, nec Angelo de cœlo Euangelizanti credendum esset, quinimo anathematizandum, si aliud Euangelium & diuersum à suo prædicaret. Præter eximium locum relatum à nobis ex Aug. in Psal. 105. in fine, vbi hunc locum Apostoli pulcherrimè exponit, Verbo, Pauli doctrina, hîc subiicio breuiter quod habet to. 4. in expos. Epistola ad Gal.* Non quemadmodum ipsos conturbant, ita etiam conuerrunt Euangelium Christi quia manet, firmissimum: sed tamen conuertere volunt, qui à spiritalibus, *Legis gratiæ*, Ad carnalia *Legis Mosaica*, reuocant intentionem credentium. Illis enim ad ista conuersis, manet Euangelium non conuersum. Et ideò cùm dixisset, conturbantes vos, non dixit, & conuertentes: sed volentes, inquit, conuertere Euangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus, &c. Veritas propter seipsam diligenda est non propter hominem, aut propter Angelum, per quem annuntiatur. Qui enim propter annuntiatores diligit eam, potest etiam mendacia diligere, si qua fortè ipsi sua protulerint. *Et tract. 98. in Ioan. circa f.* Admonitio beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat; si quis vobis Euangelizauerit, &c. Non ait, plusquam accepistis, sed præterquam quod accepistis. Nam si illud diceret, sibi ipsi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat, tollit: qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via.

S. Augustin.

S. Augustin.

2. *Euangelij promulgatio à Christo, Apostolis, & Apostolicis viris mandata. 4. Cont. Marc. cap. 2. in p.*

TRanseo nunc ad Euangelij, sanè non Iudaïci, sed Pontici, interim adulterati demonstrationem, præstructuram ordinem quem aggredimur. Constituimus in primis, Euangelicum Instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Euangelij promulgandi ab ipso Domino sit impositum. Si & Apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis, & post Apostolos. Quoniam prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non adsistat illi auctoritas magistrorum, immo Christi, qui magistros Apostolos fecit. Denique, nobis fidem ex Apostolis Ioannes & Matthæus insinuant; ex Apostolicis, Lucas & Marcus instaurant, iisdem regulis exorsi, quantùm ad vnicum Deum attinet Creatorem, & Christum eius, natum ex virgine, supplementum Legis & Prophetarum. viderit enim si narrationũ dispositio variauit, dummodo de capite fidei conueniat, de quo cum Marcione non conuenit.

Math. 28. 19. & 20.

EVANGELIVM. II. SCHOLIA.

NON IVDAICI. *Ab Apostolis & ab Apostolicis viris conscripti, primò pro Iudæis scripti:* Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed Omniloquium. D quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, *Syr. vosmetipsos rescinditis, ne digni sitis vita perenni*, ecce conuertimur ad Gentes

PONTICI. *Corrupti à Marcione in Ponto nato.* PRÆSTRVCTVRAM. *Quæ demonſtratio viâ ſternet diſputationi, quam ordinatè aggredior contra Marcionem.* INSTRVMENTVM. *Librum authenticum Euangeliorum.* AB IPSO DOMINO. *Dum à reſurrectione ſua ad Aſcenſionem eos inſtruxit, vt ait Lucas. Act. 1. 3.* Quibus præbuit ſeipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis *Syr. ſignis quamplurimis.* Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. *Id eſt Eccleſiâ, ædificandâ verbo & Euangelio. Vnde & Matth. 28. 19.* Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis. SI ET APOSTOLICOS. *Si dicimus librum Euangeliorum habuiſſe pro authoribus ſuis etiam viros Apoſtolicos, Lucam ſcil. & Marcum Euangeliſtas.* DE GLORIÆ STVDIO. *Quaſi cum æmulatione affectare voluiſſent Euangelium ſcribere, abſque iuſſu & conſilio Apoſtolorum.* INSTAVRANT. *Quaſi renouant & inculcant dicta & facta Chriſti.* EISDEM REGVLIS. *Euangelia enim exordium ſumunt à Deo & Chriſto, nec duos Deos aut Chriſtos, ſicut dogmatizauit Marcion, ſed vnicum docent.* SVPPLEMENTVM. *Quia dixit:* Non veni legem ſoluere, ſed implere. VIDERIT, *&c. Si Euangeliſtæ interdum in rebus enarrandis diuerſo ordine procedunt; parum intereſt; cùm de principiis fidei, vno Deo & Chriſto conueniant, ſic enim de myſticis quatuor animalibus Ezechiel, eodem calamo in ſubſtantia articulorum capitalium fidei conſpirantibus ait.* Iunctæ erant pennæ alterius ad alterum: *Nec mirum, quia,* vbi erat eiuſdem ſpiritus impetus, illuc gradiebantur. *De capite autem fidei, hoc eſt vnico Deo & Chriſto, nulla nobis Euangelium incorruptum tenentibus, cum Marcione conuentio; de quo, ſpiritu præſago Paulus ad Coloſſ. 2. 19.* Non tenens caput, *Syr. nec amplectitur caput,* ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. *Tranſlat. Syr.* Excreſcit incremento Dei. *De eodem capite 1. Cor. 11. 3.* Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput, Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: caput vero Chriſti, Deus. *Aug. Ser. de Symbolo, citatus à B. in hoc loco.* Ille genitor, ille genitus. Ille non de filio, ille de Patre. Ille huius principium, vnde & caput Chriſti dicitur; quamuis & Chriſtus principium, ſed non Patris: hic verò illius. Imago, quamuis nulla ex parte diſſimilis, & omnino indifferenter æqualis. Filius Patri debet quòd eſt. Hoc etiam vtique debens Patri, quod idem Patri æqualis ac par eſt. Pater autem nulli debet quidquid eſt. *De conſenſu autem Euangeliſtarum ſuſè Aug. to. 4. per quatuor libros integros. Et lib. 2. retract. c. 16.* Per eoſdem annos, quibus paulatim libros de Trinitate dictabam, ſcripſi & alios labore continuo, interponens eos illorum temporibus in quibus ſunt libri quatuor de conſenſu Euangeliſtarum, propter eos, qui tanquam diſſentientibus calumniantur, quorum primus liber aduerſus eos ſcriptus eſt, qui tanquam maximè ſapientem Chriſtum vel honorant, vel honorare ſe fingunt, & ideo nolunt Euangelio credere, quia non ab ipſo illa conſcripta ſunt, ſed ab eius diſcipulis, quos exiſtimant ei diuinitatem, quâ crederetur Deus, errore tribuiſſe. *De eorum concordantia Aug. Ep. 80. ad Heſychium.* Non diſcrepant rebus, ſi alius aliquid dicit, quod alius tacet: aut alio modo dicit: magis autem collata inuicem iuuant, vt legentis intellectus regatur. *Cur quatuor fuerint. Docet libro de conſenſu cap. 2.* Iſti quatuor Euangeliſtæ vniuerſo terrarum orbi notiſſimi, & ob hoc fortaſſe quatuor, quoniam quatuor ſunt partes orbis terræ, per cuius vniuerſitatem Chriſti Eccleſiam dilatari, ipſo ſui numeri Sacramento, quodammodo declaratum, hoc ordine ſcripſiſſe perhibentur. Primùm Mathæus, deinde Marcus, tertiò Lucas, vltimò Ioannes. Vnde alius eis fuit ordo cognoſcendi atque prædicandi, alius autem ſcribendi. Ad cognoſcendum quippè, atque prædicandum, primi vtique fuerunt qui ſecuti ſunt Dominum, in carne præſentem dicentem audierunt, facientemque viderunt, atque ex eius ore ad Euangelizandum miſſi ſunt. Sed in conſcribendo Euangelio, quod diuinitus ordinatum eſſe credendum eſt, ex numero eorum quos ante Paſſionem Dominus elegit, primum atque vltimum locum duo tenuerunt. Primum Mathæus, vltimum Ioannes, vt reliqui duo qui ex illo numero non erant, ſed tamen Chriſtum in illis loquentem ſecuti erant, tanquam filij amplectendi, ac per hoc in loco medio conſtituti, vtroque ab eis latere munirentur. Horum ſanè quatuor ſolus Mathæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio; Cæteri Græco. Et quamuis ſinguli ſuum quemdam narrandi ordinem tenuiſſe videantur, non tamen vnuſquiſque eorũ velut alterius præcedentis ignarus, voluiſſe ſcribere reperitur, vel vt ignorata prætermiſiſſe, quæ ſcripſiſſe alius inuenitur: ſed ſicut vnicuique inſpiratum eſt, non ſuperfluam cooperationem ſui laboris adiunxit. *Tandem cur non tantùm duos Apoſtolos, ſed & duos diſcipulos Deus ad Euangelium ſcribendum impulerit, pulchrè differit ſer. 146. de temp.* Duo ſunt ex illis duodecim Apoſtolis, id eſt Mathæus & Ioannes: ſed illorum præceſſio infœcunda non fuit, vt conſequentes comites non haberent. Marcus & Lucas Apoſtolorum non pares, ſed ſuppares fuerunt. *Tertull. hic vocat eos Apoſtolicos.* Ideo iam voluit Spiritus Sanctus etiam ex his qui inter duodecim non fuerunt, eligere ad Euangelium conſcribendum duos, ne putaretur gratia Euangelizandi vſque ad Apoſtolos perueniſſe, & in illis fontem gratiæ defeciſſe. Cùm enim dicat Dominus de Spiritu ſuo, & de Verbo ſuo: quod ſi quis perceperit, dignéque habuerit, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam: fons vtique manando ſe indicat, non remanendo. Per Apoſtolos peruenit gratia ad alios, & miſſi ſunt Euangelizare; quoniam qui vocauit primos, ipſe vocauit ſecundos: ipſe vocabit etiam vſque ad nouiſſimum tempus, corpus vnigeniti ſui, id eſt Eccleſiam toto orbe diffuſam.

5. Auguſt.

5. Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

3. *Euangelij noſtri antiquitas, veritatem eius contra adulterinum Marcionis præſcribit. 4. Cont. Marc. cap. 4. per totum & 5. in p.*

FVnis ducendus eſt contentionis, pari hinc inde niſu fluctuante. Ego meum dico verum, Marcion ſuum. Ego Marcionis adfirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio, ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur; & ei præiudicans vitiationem, quod poſterius reuincetur? In quantùm enim falſum corruptio eſt veri, in tantùm præcedat neceſſe eſt veritas falſum. Prior erit res paſſio-

ne, & materia æmulatione. Alioquin, quàm abſurdum, vt ſi noſtrum antiquius probauerimus, Marcionis verò poſterius; & noſtrum antè videatur falſum quàm habuerit de veritate materiam, & Marcionis antè credatur æmulationem à noſtro expertum quàm eſt editum? & poſtremò id verius exiſtimetur, quod eſt ſerius poſt tot ac tanta iam opera atque documenta Chriſtianæ religionis ſeculo edita, quæ edi vtique non potuiſſent ſine Euangelij veritate, id eſt, ante Euangelij veritatem? Quod ergo pertinet ad Euangelium interim Lucæ, quatenus communio eius inter nos & Marcionem de veritate diſceptat, adeo antiquius Marcione eſt, quod eſt ſecundùm nos, vt & ipſe illi Marcion aliquando crediderit; quum & pecuniam in primo calore fidei Catholicæ Eccleſiæ contulit, projectam mox cum ipſo poſtea quàm in hæreſim ſuam à noſtra veritate deſciuit. Quid nunc ſi negauerint Marcionitæ, primam apud nos fidem eius, aduersùs epiſtolam quoque ipſius? Quid ſi nec epiſtolam agnouerint? Certè antitheſes non modò fatentur Marcionis, ſed & præferunt. Ex his mihi probatio ſufficit. Si enim id Euangelium quod Lucæ refertur penes nos (viderimus an & penes Marcionem) ipſum eſt quod Marcion per antitheſes ſuas arguit, vt interpolatum à protectoribus Iudaïſmi ad concorporationem Legis & Prophetarum, quâ etiam Chriſtum inde configerent, vtique non potuiſſet arguere, niſi quod inuenerat. Nemo, poſt futura reprehendit, quæ ignorat futura; emendatio culpam non antecedit. Emendator ſanè Euangelij, à Tiberianis vſque ad Antoniniana tempora euerſi, Marcion ſolus & primus obuenit, expectatus tamdiu à Chriſto pœnitente iam quòd Apoſtolos præmiſiſſe properaſſet ſine præſidio Marcionis. Niſi quòd humanæ temeritatis, non diuinæ auctoritatis negotium eſt hæreſis, quæ ſic ſemper emendat Euangelia, dum vitiat. quum etſi diſcipulus Marcion, non tamen ſuper magiſtrum, & ſi Apoſtolus Marcion. a *Sine ergo*, inquit Paulus, *ſiue illi, ſic prædicamus*. Et ſi Prophetes Marcion, & ſpiritus Prophetarum, Prophetis erunt ſubditi. Non enim euerſionis ſunt, ſed pacis. Etiam ſi angelus Marcion, citiùs anathema dicendus quàm euangelizator, quia aliter euangelizauit. Itaque dum emendat, vtrumque confirmat; & noſtrum anterius, id emendans quod inuenit; & id poſterius, quod de noſtri emendatione conſtituens, ſuum & nouum fecit. In ſumma, ſi conſtat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, id ab initio, quod ab Apoſtolis; pariter vtique conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum.

Math. 10. 24. a 1. Cor. 15. 11. 1. Cor. 14. 3. & 12. Gal. 1. 8. CAP. V.

EVANGELIVM. III. SCHOLIA.

FVNIS DVCENDVS. *Metaphora ſumpta ab A vtrinque trahentibus funem, fortiori præripiente ſuo contendenti, poſt miſſum hinc inde fluctuantem. Supponamus, inquit, Tertull. Marcionem nobiſcum in hac Euangelij diſceptatione pari iure contendere. Ego dico Euangelium Luca quod teneo, verum eſſe & legitimum: quod pariter de ſuo, quamquam corrupto, aſſerit Marcion. Quis hanc cauſam dirimet? quis æquus arbiter, niſi præſcriptio temporis, palmam dabit, illi Euangelio quod antiquius eſſe reperietur, & illud corruptum & vitiatum eſſe determinabit, quod poſterius eſſe conuincetur? Cùm enim falſitas ſit corruptio veritatis, neceſſariò veritas debet eſſe prior falſitate. Res qualibet, paſſione & corruptione ſua prior eſt, & ſubiectum æmulationis obiectumque imitationis, præcedit tempore B ipſam æmulationem. Vnde conſtat quod Euangelium noſtrum, probatum antiquius Euangelio Marcionis, falſificatum oſtendi non poteſt, quin prius admittatur verum fuiſſe, vt poſſet poſtea, per corruptores, fieri materia falſitatis. Quis enim credat Marcionem æmulatum fuiſſe, ſine cauſam æmulationis ex noſtro Euangelio ſumpſiſſe, antequam ipſum fuiſſet in lucem editum? Quis ſana mentis, exiſtimet Euangelium Marcionis longè poſterius noſtro, eſſe verius; præſertim poſt tanta opera, miracula, documenta fidei Chriſtianæ, quæ ante noſtri Euangelij veritatem, edi non poterant, & quæ ad eius veritatem confirmandam edita fuerunt? COMMVNIO EIVS. Quod cum Marcione commune habemus; vnicum enim, cæteris reiectis, Euangelium Lucæ, vt alibi vidimus, pro ſuo libito truncatum primis capitibus, & conſarcinatum admittit Marcion. De veritate autem eius, an apud ipſum, an apud nos ſit, quæſtio eſt. Sed vel eò liquet noſtrum verius eſſe, quia eſt antiquius: & antiquius conuincitur, quod & ei ipſemet crediderit Marcion, antequam illud corrumperet. Tum enim cùm eſſet Catholicus, & integro Lucæ Euangelio crederet feruens Chriſtianus, pecuniam etiam dedit Eccleſiæ ducenta nimirum Seſtercia, quam tamen ſummam cum ipſo in perditionem Eccleſiæ proiecit.* ADVERSVS EPISTOLAM. *Eius meminit lib. 1. Cont. Marc. c. 1.* Non negabunt diſcipuli eius primam illi fidem nobiſcum fuiſſe, ipſius literis teſtibus. ANTITHESES. *Librum Marcionis ſic inſcriptum, quo Lucæ Euangelio contradicit, & arguit quaſi falſificatum & corruptum à Chriſtianis, qui Iudaïſmum tuebantur & veterem legem cum Euangelio compingebant, adeo vt & hoc pacto Chriſtum veluti cum Iudæis conſpirantes configerent legem nouam ab eo editam, veteris admixtione corrumpendo. Sed ſi id arguit Marcion per ſuas antitheſes legis nouæ cum veteri, profectò non potuis arguere Euangelium Lucæ, niſi quod iam ante ſuum editum inuenerat.* NEMO POST, &c. *Nemo enim arguit quæ adhuc futura ſunt, ignorat enim futura, nec quiſquam emendat vel corrigit culpam, antequam culpa facta ſit.* EMENDATOR, &c. *Ironicè dicta. Marcion inquit corrector Euangelij Lucæ, à tempore Tiberij Cæſaris, vſque ad Antoninum Pium corrupti, expectatus fuit tandiu à Chriſto, ad emendationem Euangelij ſui. Pœnitet nimirum Chriſtum quod antequam præſidium haberet Marcionis, Apoſtolos nimium feſtinaſſet impellere ad prædicandum, ſcribendumque* Euangelium. SIC EMENDAT. *Hoc negotiũ eſt hæreſis, vt ſemper corrumpat Euangelia, dum ea ſe emendare iactitat. Sed licet inter 70. diſcipulos tenseretur, Marcion, meminerit à Chriſto dictum, non eſſe diſcipulum ſuper Magiſtrum. Et licet Apoſtolus eſſet, noverit Paulum Apoſtolum & ſibi ipſi, & Angelo aliter Euangelizanti, anathema dixiſſe.* SIVE

EGO. 1. *Cor. 15. 11.* Siue ego, siue illi, sic prædicamus. Et sic credidistis. *Id est consensimus, nec diuersa quoad substantiam fidei prædicauimus, nec vos diuersa credidistis.* SI PROPHETES. *Si Marcion velit tanquam Prophetæ agnosci, sciat mentes posteriorum Prophetarum, prioribus Prophetis Magistris suis esse morigeros & consentientes: nec enim dona Spiritus Sancti ad Schismata & diuisiones, sed ad pacem & ædificationem Corporis Christi data sunt. Alludit autem ad 1. Cor. 14 3.* Nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem. *Et versu* 12. Si & vos quoniam æmulatores estis spirituum, *Syr. quandoquidem zelatores estis donorum Spiritus*, ad ædificationem Ecclesiæ quærite vt abundetis. DVM EMENDAT. *Dum Marcion corrigit, seu potius depravat purum Euangelium Lucæ, quod inuenit.* IN SVMMA. *Vt summatim dicam.* ID VERIVS. *Esse, quod prius est.* AB APOSTOLIS TRADITVM. *Scilicet posterioribus Euangelistis, quod in suis Euangeliis scriberent.* ECCLESIAS APOSTOLORVM. *Fundatas ab Apostolis.* FVERIT SACROSANCTVM. *Immutabiliter & inuiolabiliter custoditum, quale est Euangeliū Lucæ, quod sartum & integrum manet, quodque cum Marcionis Euāgelio collatū, eius mutilationes & corruptiones plenè cōuincit. De Euāgelij Lucæ authoritate sic Aug. ser. 140. de tēp.* Recitata est nobis Domini resurrectio sicut Lucas Euangelista conscribit, &c. Non vos debet mouere quod alius Euangelista dicit, si quid alius prætermittit, &c. Authoritas autem tanta est Euangelij Sancti, vt quia in eis loquebatur spiritus vnus, verum etiam sit, quod dixerit vnus. *Et to. 4. lib. 1. de consensu Euang. cap. 1. Notat D. Lucam & Marcum licet posteriores Apostolis, eiusdem tamen authoritatis esse ad veritatem fidei suadendam.* Inter omnes diuinas authoritates quæ Sanctis literis continentur, Euangelium meritò excellit. Quod enim lex & prophetæ, *quos respuit Marcion*, futurum esse prænuntiauerunt, hoc redditum atque completum in Euangelio demonstratur, cuius primi prædicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum ipsum & Saluatorem nostrum Iesum Christum etiam præsentem in carne viderunt, qui non solùm ea quæ ex ore eius audita, vel ab illo sub oculis suis operata, dicta, & facta meminerant: verùm etiam quæ priusquam illi per discipulatum adhæserant, in eius natiuitate, vel infantiâ, vel pueritia, diuinitùs gesta, & digna memoria, siue ab ipso, siue à parentibus eius, siue à quibuslibet aliis certissimis indiciis, & fidelissimis testimoniis requirere, & cognoscere potuerunt, impositio sibi Euangelizandi munere, generi humano, annuntiare curarunt. Quorum quidam, hoc est Mathæus & Ioannes, etiam scripta de illo, quæ scribenda visa sunt, libris singulis ediderunt. Ut ne putaretur, quod attinet ad percipiendum & prædicandum Euangelium, interesse aliquid, vtrū illi annuntient, qui eundem Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt; An ij, qui ex illis fideliter comperta crediderunt, diuinâ prouidentiâ procuratum est per Spiritum Sanctum, vt quibusdam etiam ex illis qui primos Apostolos sequebantur, non solùm annuntiandi, verùm etiam scribendi Euangelium, tribueretur authoritas. Hi sunt Marcus & Lucas. *Quorum posterior infantiæ & pueritiæ Christi mysteria primis capitibus fusè describit, quæ ideò Marcion abstulit. Sic autem exorsus est caput primum:* Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum: *Syr. addit in quibus nos omnes acquieuimus*; Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile. *Ut etiam scribit Actus Apostolorum, quorum Lucas author est, vt testatur Hiero. Prologo in Euang. sicut & in Acta. Augustinus porro lib. 1. de consensu cap. 3. in f. aduertit Lucam non habuisse socium breuiatorem, sicut Marcum habuit Mathæus. Cuius rei dat rationem:* Non habuit tanquam breuiatorem coniunctum Lucas, sicut Marcum Mathæus. Et hoc fortasse non sine aliquo Sacramento, quia Regum est non esse sine Comitum obsequio: unde ille qui regiam personam Christi narrandam susceperat; habuit sibi tanquam comitem adiunctum, qui sua vestigia quodammodo sequeretur. Sacerdos autem, quoniam in Sancta Sanctorum solus intrabat, propterea Lucas, cuius circa Sacerdotiū Christi erat intentio, non habuit tanquam socium subsequentem, qui suam narrationem quodammodo breuiaret. *Capite autem 6.* Quod per vitulum Lucas significatus sit propter maximam victimam Sacerdotis, neutri dubitauerunt. Ibi enim à Sacerdote Zacharia incipit, *post præfationem prædictam*, Sermo narrantis. Ibi cognatio Mariæ & Elizabeth commemoratur, ibi Sacramenta primi Sacerdotij in Infante Christo impleta narrantur. *Tandem cap. 7. de quatuor Euangelistis sic concludit, vt quatuor animalia iungat currui diuino, sicut fecit Ezechiel.* Has Domini Sanctas quadrigas, quibus per orbem vectus subigit populos leni suo iugo & sarcinæ leui, quidam vel impia vanitate, vel imperita temeritate calumniis appetunt, vt eis veracis narrationis derogent fidem, per quos Christiana religio disseminata per mundum, tanta fertilitate prouenit, vt homines infideles iam inter seipsos calumnias suas mussitare vix audeant, compressi fide Gentium, & omnium deuotione populorum. *Mussitantem suo tempore Marcionem, & detrahentem fidem Euangelio Lucæ, impietate temeraria, fide, & deuotione sua, & doctrina compressit Tertullianus.*

Aug. Aug. Aug. Aug.

4. Euangelium Petri & Pauli sanguine signatum. 4. Cont. Marc. cap. 5. à p.

1. Cor. 3. 2. Gal. 6. 16. VIdeamus quod lac à Paulo Corinthij hauserint; ad quam regulam Galatæ sint recorrecti; quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesij; quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt.

EVANGELIVM. IV. SCHOLIA.

VIDEAMVS QVOD LAC, &c. *Prosequitur immediatè, quod precedenti textu tractabat, veram & sanam esse fidei doctrinam, quæ ab Apostolis tradita, in Ecclesiis ab ipsis fundatis incorrupta & Sanctasanctaperseuerabat. Vnde iam urget Marcionem, vt conferat Euangelium suum corruptum, & nostrum sincerum, cum Pauli & Petri doctrina, quæ est Ecclesiæ Romanæ doctrina, quam Apostoli suo sanguine subscripserunt. De Corinthiis quidem lacte Pauli nutritis sic 1. Cor. 3. 1. & 2.* Et ego fratres non potui vobis loqui

quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis. *Aug in tit. Psal. 119.* In principio erat Verbum, &c. Cape si potes, arripe, cibus est. Sed dicturus es mihi, ille quidem cibus est, sed ego infans sum, &c. Ergo quia tu lacte nutriendus es, ille autem cibus est, ipse cibus per carnem tibi traiectus est ad fauces. Quomodo ergo cibum mater comedit, vt per carnem traiiciat ad infantem lac factum; sic cibus Angelorum Dominus, Verbum Caro factum est, & factus est lac; & dicit Apostolus; lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, &c. Ergo dando lac, descendit ad paruulos, & quia descendit, descendentem dedit. Ait enim, numquid dixi me aliquid inter vos scire, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum? quia si diceret tantum, Iesum Christum, est Iesus Christus etiam secundum diuinitatem, secundum id quod erat Verbum apud Deum, filius Dei Iesus Christus: sed hunc, id est hoc modo dictum paruuli non capiunt. Quomodo ergo capiunt qui lac capiunt? Iesum Christum, inquit, & hunc Crucifixum. Suge quod pro te factus est, & cresces ad id quod est. *Id est per fidem vera humanitatis, peruenies ad fidem diuinitatis. Aptissimè contra Marcionē veram Christi carnem negantem; quam velut lac sugit Ecclesia Romana, sanguine vt & lacte vtriusque Apostoli enutrita & rigata. Nam & Petrus ait:* Quasi modò geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, vt cum eo crescatis in salutem. REGVLAM GALATAE. *Gal. 6. 16.* In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israël Dei. *Id est Israël ad Deum Creatorem pertinentis; contra Marcionem. Aug. in Psal. 67. in versum* Date gloriam Deo, super Israël magnificentia eius. De quo dicit Apostolus, super Israël Dei. Non enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israëlitæ; quoniam est & Israël secundum carnem. Vnde ait: videte Israël secundum carnem. Non autem qui filij carnis, hi filij sunt Dei. *Non quod Paulus, vt alibi diximus, neget carnem opus esse Dei, sed opera carnis reprobat, & ambulantes secundum carnem, id est carnalia legis veteris præcepta, maximè circumcisionem Abrahæ retinere volentes, circumcisione spirituali ei iam substitutâ per Christum:* Sed filij promissionis deputantur in semine. *Computantur inter verum semen, & filios Abrahæ & Israël, secundum spiritum adoptionis filiorum.* Tunc ergo, quando erit sine vlla malorum commixtione populus eius, tanquam massa ventilabro emundata, tanquam Israël *Nathanaël* In quo dolus non est, tunc eminentissimè erit super Israël *Ouibus separatis ab hœdis in iudicio, quod in Deo suo tantummodo bono, & non iusto iudice, non admittit Marcion*, Magnificentia eius & virtus eius in nubibus. *Sic apud Dan. Ecce venit cum nubibus, id est Sanctis, assessoribus suis.* Non enim solus veniet ad iudicium, sed cum senioribus populi sui; *Esa. 3. 14* Quibus promisit quòd sedebunt super sedes iudicaturi; *Duodecim tribus Israël*; Qui etiam Angelos iudicabunt. Hæ sunt nubes. Denique ne aliud, nubes intelligerentur, secutus adiunxit; mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israël. Tunc enim & nomen ipsum verissimè ac plenissimè implebitur Israël, quod est videns Deum, quandò videbimus eum sicuti est. Ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. Nunc fragiles & infirmi, habemus enim thesaurum istum *Fidei & spei gloriæ* In vasis fictilibus. Tunc verò etiam corporum glorioſi[illegible]ma commutatione, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ. Seminatur enim hoc corpus in infirmitate, surget in virtute. Ipse ergo dabit virtutem, quam in sua carne præmisit, de qua dicit Apostolus, virtutem resurrectionis eius. Fortitudinē autē, quia inimica destruetur mors. *Quot verba tot Marcionis hæreses destructa, tot Tertulliani sententiæ contra eum confirmatæ pro fide Romanæ Ecclesiæ, de vnico Deo Israël, & legis gratia, de vera Christi carne, de Christo iudice, de carnis, a Marcione depretiatæ, vera resurrectione.* ROMANI DE PROXIMO. *Quid sentiant Romani, quorum fides, vt ait Paulus, verè Catholica* Annuntiatur in vniuerso mundo. Πρῶτον μὲν εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὑπὲρ πάντων ὑμῶν ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Primùm quidem gratias ago Deo meo, per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo. *Vnde & dicta est Catholica Ecclesia Romana.* QVIBVS. *Vt distant hæretici, negantes Petrum fuisse Romæ, sub Nerone, vt alibi ait Tertullianus, sanguinem cum Paulo fudisse. Sic iuxta Psalterium, verterunt Aug. in Psal. 92.* Testimonia tua credita facta sunt nimis; Magis quàm mirabiles erant suspensuræ maris *Mina & persecutiones, vt exponit* Quia dixerat illud ante, Io. 16. Hæc dico vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram, &c. cœperunt pati, & confirmauerunt in se quod illis prædixerat Dominus, & magis fortes facti sunt. Cum enim videbant impleri in se passiones, sperabant compleri in se coronas. *Et sic fidem Euangelicam martyres & testes facti, sanguine suo, nimis credibilem faciebant.* Et quid factum est de his omnibus? domum tuam decet sanctificatio Domine. Domum tuam, totam domum tuam; non hîc aut hîc, aut ibi, sed domum tuam per totum orbem terrarum. Quare per totum orbem terrarum? quia correxit orbem terræ qui non commouebitur. *Sicut Tertull. hîc dicit quòd Galatæ prius ab Apostolo conuersi, lapsi per seductores, fuerunt denuo correcti, vel, vt habet,* Ad regulam primam Apostolicæ fidei recorrecti. *Supra dixerat Aug. quòd boni, qui stabiles sunt in fide, sunt orbis terrarum immobilis.* Domus Domini fortis erat, per totum terrarum orbem erit. Multi cadent, sed domus illa stat. Multi turbabuntur, sed domus illa non mouebitur. Domum tuam decet Sanctificatio Domine. Numquid paruo tempore? absit. In longitudine dierum. *Quàm firma fides, quam stabilis domus, cuius ex Paulo fundamentum est Christus, & post ipsum, Petra Petrus, & fundamentum cum eo Paulus. Qui & suo sanguine Romanam Ecclesiam cimentauerunt. Vt supra dixerit Tertull. appositè* Felix statu Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus, *De Roma loquebatur* Passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur. *Aug. ser. 28. de Sanctis circa f.* Currunt vterque ad palmam Martyrij & vterque perueniunt ad coronam, non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni vertentis occasu. Petrus pro Christo, capite deorsum verso, in ligno suspenditur; Paulus pro Christo, gladio trucidatur, &c. Piscatorem suspendit hamus crucis, persecutorem mucrò minuit persecutoris, &c. Præstitit passio socios, quos fecerat fidei prædicatio copulatos.

EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM EIVSQVE, VERITAS.

1. *Euchariſtiæ, & Reſurrectionis veritati non derogat obiectio haretica,* Caro non prodeſt quidquam; *Quod tantum ſignificat non verè laniandam carnem. De Reſur. cap. 37. in. p. ad vltra m.*

ETſi carnem ait nihil prodeſſe, ex materia dicti dirigendus eſt ſenſus. Nam quia durum & intolerabilem exiſtimauerunt ſermonem eius, quaſi verè carnem ſuam illis edendam determinaſſet; vt in ſpiritum diſponeret ſtatum ſalutis, præmiſit, [a] *Spiritus eſt qui viuificat.* atque ita ſubjunxit, *Caro nihil prodeſt*; ad viuificandum ſcilicet. Exequitur etiam quid velit intelligi ſpiritum, *Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus ſunt, vita ſunt.* ſicut & ſupra, [b] *Qui audit ſermones meos, & credit in eum qui me miſit, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, ſed tranſiet de morte ad vitam.* Itaque Sermonem conſtituens viuificatorem, quia ſpiritus & vita Sermo, eumdem etiam carnem ſuam dixit; quia & [c] *Sermo caro erat factus*; proinde in cauſam vitæ appetendus, & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus. Nam & paulò antè, carnem ſuam, panem quoque cœleſtem pronontiarat; vrgens vſquequaque per allegoriam neceſſariorum pabulorum memoriam patrum, qui panes & carnes Ægyptiorum præuerterant diuinæ vocationi. Igitur conuerſus ad recogitatus illorum, quia ſenſerat diſpergendos, [d] *Caro*, ait, *Nihil prodeſt.* Quid hoc ad deſtruendam carnis reſurrectionem? Quaſi non liceat eſſe aliquid, quod etſi nihil proſit, aliud tamen ei prodeſſe poſſit. Spiritus prodeſt, viuificat enim. Caro nihil prodeſt, mortificatur enim. Itaque, ſecundùm nos magis collocauit vtriuſque propoſitionem. Oſtendens enim quid proſit, & quid non proſit; pariter illuminauit, quid cui proſit: ſpiritum ſcilicet carni mortificatæ viuificatorem. [e] *Veniet enim hora*, inquit, *Quum mortui audient vocem filij Dei; & qui audierint, viuent.* Quid mortuum, niſi caro? & quid vox Dei, niſi Sermo? & quid Sermo, niſi ſpiritus? Meritò carnem reſuſcitaturus, quod factus eſt ipſe; & ex morte, quam paſſus eſt ipſe; & ex ſepulcro, quò illatus eſt ipſe.

a Io. 6. 64. Ibid.
b Io. 5. 24.
c Io. 1. 14.
Io 6. 31 & 49 & 59.
d Io. 6. 64.
e Io. 5. 25.

EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM. I. SCHOLIA.

ETSI CARNEM. *Licet Chriſtus dixerit Io. 6. 64.* Spiritus eſt qui viuificat, Caro non prodeſt quidquam: verba quæ ego locutus ſum vobis, *Syr. qua ego loquer vobiſcum* Spiritus & vita ſunt. EX MATERIA. *Senſus, inquit, rectus & directus huius dicti & ſermonis Chriſti ſumendus eſt ex materia, de qua tunc tractabat. Non enim tum ſermo erat de carnis reſurrectione, quam impugnantes hæretici contra Tertullianum, hoc loco obtendebantur; quibus aptè reſpondet, perperam eos uti hoc textu, cùm non ageret Chriſtus de reſurrectione, ſed de Sacramento Euchariſtiæ.* QVIA VERVM. *Sic enim cum doceret in Synagoga Capharnaum Io. 6. 61.* Multi audientes ex diſcipulis eius dixerunt, Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? ſciens autem Ieſus apud ſemetipſum quia murmurarent de hoc diſcipuli eius, dixit eis: hoc vos ſcandalizat? ſi ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius? Spiritus eſt, &c. *Syr. parum differt:* Hoc vos offendit? &c. Eo loci, vbi erat à principio *Aug. in Pſal. 98. expreſsè de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia explicat verſum*, Adorate ſcabellum pedum eius, &c. Exponens mihi, quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit: terra autem ſcabellum pedum meorum Eſa. 66. Anceps factus ſum: timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum & terram. Rurſus timeo non adorare ſcabellum Domini mei, quia Pſalmus mihi dicit, adorate ſcabellum, &c. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra. ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius; Suſcepit enim de terra terram; quia Caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit; inuentum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, *Qui vt homo mineratus ab Angelis, non tantum Dei Patris pedibus, ſed nouiſſimus hominum factus, vermis & non homo ſe hominum pedibus conculcandũ in humana carne deiecit:* Et non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. *Cum inquam de veritate carnis ſumptæ in Sacramento clarè dixiſſet, de modo ſubiecit, & cur hæc Caro ſit adoranda; non ſcilicet vt ſimpliciter Caro eſt, ſed vt eſt vnita Verbo & Deo, qui Spiritus eſt, vnde & veri adoratores, in Spiritu & veritate veram carnem eius debent adorare, quæ ex ſe ſola nihil prodeſſet, niſi Verbum Caro factum eſſet; non viuificaret, niſi ſpiritui, id eſt diuinitati vnita eſſet: & niſi Verbum vita, ſpiritum & vitam verbis dediſſet, quibus conſecratur Euchariſtia, & ponitur corpus eius ibidem reale & verum, ſed ad modum ſpiritus, inuiſibile ſcilicet, & indiuiſibile. Sicut enim ait Chriſtus,* Quod natum eſt ex carne, Caro eſt; *Id eſt Caro Chriſti vera, nata eſt de carne Mariæ. Sic* Quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt. *Id eſt idem Chriſti corpus opere Spiritus ſancti formatum, ſpirituale factum eſt; vt de facto ad inſtar Spiritus, illæſâ carne Mariæ, illibato virginitatis eius ſigillo*, Portâ clauſâ, horto concluſo, fonte ſignato *Manente, naſceretur, ſicut ſpiritale de tumulo egreſſum, ianuis clauſis diſcipulorum ingreſſum cœnaculum, aſcendens penetrauit cœlum. Inde dixit*; Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius? *Id eſt, vt exponit Aug. licet etiam ante mortem meam dem vobis manducandam carnem meam, eam non diuidetis dentibus, ſed integram & indiuiſam ſumetis, ſicut integrum videbitis corpus meum conſcendens cœlum, quod vt penetrabo, ſic penetratâ quantitate boſtiæ totum Corpus meum in indiuiſibili poſitum ſimul cum veſtro corpore collocabo. Hæc ſunt Auguſtini verba tract. Auguſt. 27. in cap. 6. Io.* Si ergo videritis, &c. Quid eſt hoc?

A

B

C

S. Auguſt.

hinc

hinc ſoluit quod illos mouerat? hinc aperuit vnde fuerant ſcandalizati? hinc planè, ſi intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum, *conſumpturum quaſi in particulas diſtribuendo ſingulis*; Ille autem dixit ſe aſcenſurum in cœlum, vtrque integrum. Cùm videritis filium hominis aſcendentem, &c. Certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus ſuum. Certè vel tunc intelligetis quia gratia eius non conſumitur morſibus. *Ita & in Pſal 98.* Durum illis viſum eſt quod ait, niſi quis manducauerit carnem meam, &c. Acceperunt illud ſtultè, carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt quòd præciſurus eſſet Dominus particulas quaſdam de corpore ſuo, & daturus illis, & dixerunt: durus eſt hic ſermo. *Et quomodo durus? mollia ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Ipſi erant duri, non ſermo. Etenim ſi duri non eſſent, ſed mites eſſent, dicerent ſibi: Non ſine cauſa dicit hoc, niſi quia eſt ibi aliquod Sacramentum latens. *Subiicit quòd ſi remanſiſſent cum Apoſtolis, inſtructi, fuiſſent de modo, qui non excludit realitatem, ſed explicat ſumptionem.* Ille inſtruxit eos, & ait illis, Spiritus eſt qui viuificat, &c. Spiritaliter intelligite quod locutus ſum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis: *Id eſt in quantum viſibile eſt, non illud ſcindetis dentibus manducando, nec videbitis formam externam corporis, nec ſanguinem effundetis ſenſibiliter quemadmodum carnifices.* Et bibituri illum ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, ſpiritaliter intellectum viuificabit vos. Et ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi. *Rurſum tract. 27. in Io. 6. exponit verba*, Caro non prodeſt quidquam, &c. Dicamus ei; patitur enim nos non contradicentes, ſed noſſe cupientes. O Domine, magiſter bone, quomodò caro non prodeſt quidquam, cùm tu dixeris; niſi manducaueritis? &c. An vita non prodeſt quidquam, & propter quid ſumus quod ſumus, niſi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? quid eſt ergo, non prodeſt quidquam caro? non prodeſt quidquam, ſed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippè ſic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Proinde ſic dictum eſt, caro non prodeſt quidquam, quomodo dictum eſt, ſcientia inflat. Iam ergo debemus odiſſe ſcientiam? Abſit. Et quid eſt, ſcientia inflat? Sola, ſine charitate. Ideò adiunxit, charitas verò ædificat. Adde ergo ſcientiæ charitatem, & erit vtilis ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc, caro non prodeſt quidquam; ſed ſola caro. Accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimùm. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum Caro non fieret, vt habitaret in nobis. QVASI VERE. *Non quod excludat Tertull veram manducationem, qua fit, traiiciendo corpus Chriſti per modum cibi, ex ore in ſtomachum; cùm dixerit Chriſtus:* Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. *Sed excludit veram diuiſionem, & dilaniationem in particulas, qua fit in cibo communi, qui ſcinditur gladiis & dentibus.* VT IN SPIRITVM. *Vt doceret, ſtatum ſalutis noſtræ, non à ſola Carne Chriſti, & præciſa à Spiritu, id eſt verbo; ſed à Deo & Verbo, nobis ab æterno diſpoſitam inſinuaret, pulchro ordine ſic ſententiam diſpoſuit; vt prius diceret,* Spiritus eſt qui viuificat. *Deinde diceret:* Caro non prodeſt quidquam. EXEQVITVR. *Proſequitur, vel, oſtendit quid per Spiritum intelligat.* SPIRITVS SVNT. *Sic tranſlatio Syriaca ad verbum.* ET SVPRA. *Scil. Io. 5 24.* Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit; *Syr. nec ſubibit iudicium.* Sed tranſiit à morte in vitam *Aug tract. 22. in Io.* Secundum iudicium diſcretionis oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Chriſti, ſecundùm iudicium autem damnationis, qui audit verba mea, &c. In iudicium non veniet, &c. Quid eſt in iudicium non veniet? in damnationem non veniet. ITAQVE SERMONEM. *Dicens verbum ſuum vim habere viuificandi animam per gratiam, & in reſurrectione etiam corpora, quia ſermo, id eſt Chriſtus Verbum Patris Deus eſt. Verbi enim ſpiritus eſt, & quod factum eſt in ipſo vita erat.* EVMDEM ETIAM. *Sermonem ſcilicet, id eſt Verbum.* CARNEM SVAM DIXIT. *Ob vnitatem ſcilicet Perſonæ, quia* Verbum Caro factum eſt, & Deus & homo vnus eſt Chriſtus. IN CAVSAM VITÆ. *Ad vitam animæ & carnis conſequendam, Verbum* Dei *appetendum eſt; & auidè eſuriendum, per quod etiam in Sacramento, ceu per formam conſecratur Panis in Corpus eius, vnde ex Aug.* Non minùs videri debet eſſe Verbum Dei quàm corpus Chriſti PAVLÒ ANTE. *Io. 6. 48.* Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt, hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur, &c. Et Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. VRGENS PER ALLEGORIAM. *Pungens & arguens veteres Hebræos, qui memores panum & carnium Ægypti, eos præponebant Dei vocationi, qui eos vocabat ad manna, quod erat allegoria & figura Euchariſtiæ, qua in veram terram promiſſam pergimus,* Ambulantes in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei. RECOGITATVS. *Quia videbat cogitationes eorum, quos ſciebat abituros à ſe.* QVID HOC, &c. *Quid hæretici viuntur hoc loco, qui nihil facit ad euertendam reſurrectionem carnis?* NON LICEAT. *Non poſſit eſſe.* SPIRITVS PRODEST. *Carni ſcilicet.* SECVNDVM NOS. *Chriſtianos. Chriſtus, inquit, ſic loquendo confirmauit vtramque in Chriſto naturam; nempè quod verbum ſit & ſpiritus, id eſt Deus, & Caro, id eſt homo.* ILLVMINAVIT. *Clarè docuit, Chriſtum Dei Verbum viua voce ſua viuificaturum corpora noſtra, ſicut & ſuam ipſam viuificauit carnem mortuam.* NISI SERMO. *Verbum.* NISI SPIRITVS. *Deus quia* Deus erat Verbum. MERITO CARNEM *Iuſtè carnem noſtram reſuſcitabit, quia frater & caro noſtra factum eſt Verbum, in qua & pro nobis mortuus eſt, & ſepulchro conditus. Vnde Aug.* Meum teſtor eſſe quod cecidit, *Vnde ex eodem dictum eſt cadauer*, Vt meum ſit, quod reſurrexit. Meum teſtor eſſe quod iacuit intra tumulum, vt meum ſit quod aſcendit in cœlum.

Auguſt. Auguſt. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

2. *Euchariſtiæ Sacramentum verum Corpus Chriſti continet. 5. Cont. Marc. cap. 8. à p.*

SÆpè iam oſtendimus hæreſes apud Apoſtolum, inter mala vt malum poni, & eos probabiles intelligendos, qui hæreſes vt malum fugiant. Proinde panis & calicis Sacramento, iam in Euangelio probauimus corporis & ſanguinis dominici veritatem, aduerſùs phantaſma Marcionis. Sed & omnem iudicij mentionem Creatori competere, vt Deo iudici, toto penè opere tractatum eſt. 1. Cor. 11. 19. Luc. 22. 19 & 20. 1. Cor. 11. 29. & ſeq.

EVCHARISTIA. II. SCHOLIA.

SÆP. *Pluries de facto inculcauit hanc Pauli sententiam*, 1. Cor. 11. 19. oportet & hæreſes eſſe. *Syr. futurum eſt etiam vt eos eatenus ſint inter vos vt* qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. VTMALVM, *neceſſarium, quo benè vtitur Deus ad ipſius veritatis ampliorem notitiam, per ipſam eius impugnationem, vt ſic Eccleſia appareat candida veritate, & ſimpleatur illud*: ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias: *Et probati & electi inter reprobos magis lucent*, ſicut luminaria in cœlo, in medio nationis peruerſæ. SACRAMENTO. *Quid apertius contra hæreticos? cum dicat hoc Sacramento panis & calicis de quo Paulus poſt Euangeliſtas, veritatem corporis & ſanguinis Chriſti aperiè ſe probaſſe dicat.* CONTRA PHANTASMA, *ad refellendam hæreſim Marcionis, qui dixit corpus Chriſti non fuiſſe verum, ſed phantaſticum. Neque enim phantaſma datum eſt pro mundi vita, ſed Chriſtus ait*, Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: *Nec phantaſticum cibus eſt, ſed* caro mea, inquit, verè eſt cibus, &c. SED ET OMNEM, *&c. non tantùm probauimus veritatem carnis Chriſti, ex vero cibo & potu Sacramenti panis & cali ■, ſed inſuper ex indicio quod ait Paulus cibi ſumere indignè communicantes, conuincimus Chriſtum, & eius Apoſtolum Paulum, ad Deum Creatorem pertinere, non ad Deum Marcionis: quia cùm Marcion ■eum ſuum nouum bonum tantummodo, & totius vindictæ & iudicij exſortem vltri, & Deum Creatorem vltorem & judicem, proinde nec Paulus nec Chriſtus eius eſt, ſed Dei Creatoris, qui* omnẽ judicium dedit filio. Dedit ei poteſtatem judicium facere, quia filius hominis eſt: *Cui addo, ex indicio comminato indignè communicanti, conuinci veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento: quis enim inter picturam & corpus non diiudicet? nec Paulus dixit indicium ſumere, qui non diiudicat phantaſma, vel figuram, aut ſignum corporis Chriſti: ſed*, ait 1. Cor. 11. 27. Quicumque manducauerit panem hunc *nota, hunc, vt diſcernat à communi, ſicut infra, de pane illo.* Vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. *Syr. & bibat ex hoc calice* qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. *Syr. autem*: condemnationem ſibiipſi comedit & bibit, cùm non diſcernat corpus Domini. *Ex quo loco frequenter Aug. veritatem corporis Chriſti probat. vt tract. 26. in Ioan.* S. Auguſt. Quam multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur, vnde dicit Apoſtolus, judicium ſibi manducat & bibit. Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? & tamen accepit, & cùm accepit, in eum inimicus intrauit; non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit. *Et tract. 50.* S. Auguſt. Cum Sanctis diſcipulis vndecim intrabat & exibat, ad ipſam Dominicam cœnam pariter acceſſit, conuerſari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. De vno pane & Petrus & Iudas accepit, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Iudas ad mortem: quomodo enim ille odor bonus, ſic ille cibus bonus: ſicut ergo odor bonus, ita & cibus bonus, bonos viuificat, malos mortificat. Qui enim manducauerit indignè iudicium ſibi manducat & bibit: Iudicium ſibi, non tibi: tolera malum bonus, vt venias ad præmia bonorum, ne mittaris in pœnam malorum. *Et Ser. 46. de verb. Dom. in p.* Qui manducant carnem Domini & bibunt ſanguinem eius, cogitent quid manducent & bibant, ne ſicut Apoſtolus dixit, judicium ſibi manducent & bibant, &c. *Et rurſum*: quanta nobis cura eſſe debet in ædificandis fidelibus, vt proſit eis quod accedunt, ne ſibi tales epulas in judicium manducent & bibant, vt autem non in judicium manducent & bibant, bene viuant, *Et tract. 62. in Ioan. à p.* Quid miraris ſi datus eſt Iudæ panis Chriſti, per quem manciparetur diabolo, cum videris è contrario datum Paulo Angelum diaboli, per quem perficeretur in Chriſto: ita & malo bonum obfuit, & malum bono profuit. Recordamini vnde ſit ſcriptum, quicumque manducauerit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit, &c. & de his erat ſermo cum hoc Apoſtolus diceret, qui Domini corpus velut alium cibum quemliber, indiſcretè negligenterque ſumebant: hîc ergo ſi corripitur qui non diiudicat, hoc eſt, non diſcernit à cæteris cibis Dominicum corpus, quomodo non damnatur, qui ad eius menſam fingens amicum, accedit inimicus? Si reprehenſione tangitur negligentia conuiuantis, qua pœna percutitur venditor inuitantis? &c. Intrauit autem Sathanas poſt hunc panem, in Domini traditorem, vt ſibi iam traditum plenius poſſideret, in quem prius intrauerat vt deciperet. Neque enim non in illo erat, quando perrexit ad Iudæos, & de pretio tradendi Dominum pactus eſt, cum hoc apertiſſimè Lucas Euangeliſta teſtetur, & dicat; Intrauit autem Sathanas in Iudam, &c. & abiit, & locutus eſt cum Principibus Sacerdotum, &c. prius ergo intrauerat immittendo in cor eius cogitationem qua traderet Chriſtum: talis enim iam venerat ad cœnandum; nunc autem poſt panem intrauit in eum, non ad hoc, vt alienum tentaret, ſed vt proprium poſſideret. *Subdit panem intinctum, & datum poſt ſumptam Euchariſtiam traditori, fuiſſe ſignum quo reuelabat traditorem*: Quid erat panis *intinctus* ſcilicet *in condimento agni* traditori datus, niſi demonſtratio, cuius gratiæ *Euchariſtia*, fuiſſet ingratus, &c. Cum homini ingrato intraſſet panis in ventrem, hoſtis in mentem, &c. Cùm Dominus panis viuus panem mortuo tradidiſſet, *Euchariſticum* & panem *intinctum* tradendo, panis *viui & Euchariſtici* traditorem oſtendiſſet; quod facis, inquit, fac citius. Non præcepit facinus, ſed prædixit, Iudæ malum, nobis bonum. Quid enim Iudæ peius, & quid nobis melius quam traditus Chriſtus ab illo aduerſus illum, pro nobis, præter illum? quod facis, &c. O Verbum libentius parati ad paſſionem, quam irati ad vindictam, &c. non tam in perniciem perfidi ſæuiendo, quàm ad ſalutem fidelium feſtinando, &c. Cogitauit pecuniæ lucrum *Iudas ſcilicet* & inuenit animæ detrimentum: accepit mercedem quam voluit, ſed nolenti data eſt quam meruit: tradidit Iudas Chriſtum, tradidit Chriſtus ſeipſum: ille agebat negotium ſuæ venditionis, ille noſtræ redemptionis. *O iudicia Dei abyſſus multa! Iudas panem vinum ad mortem edit, quia non diiudicans corpus Domini, in judicium incidit, & judicium ſibi manducauit & bibit.*

3. In Eucharistia accidentia panis iuxta Prophetam sunt signa Corporis Christi, sicut panis eiusdem figura fuerat. Cont. Iud. cap. 10. à m.

DE hoc ligno etiam Deus insinuat per Hieremiam, quòd essetis dicturi: [a] *Venite, mittamus in panem eius lignum, & conteramus eum à terra viuorum, & nomen illius non memorabitur amplius.* Vtique in Corpus eius lignum missum est. Sic enim Christus reuelauit, [b] *panem Corpus suum* appellans, cuius retro Corpus in panem Prophetes figurauit.

[a] Hierem. 11. 19.

[b] Io. 6. 46. Luc. 22. 19.

4. Eucharistia est figura Corporis Christi crucifixi; sicut in veteri lege, panis, Corpus eius figurabat. 3. cont. Marc. cap. 19. à p.

HOc lignum & Hieremias tibi insinuat, dicturis prædicans Iudæis; [a] *Venite, mittamus lignum in panem eius.* vtique in corpus. Sic enim Deus in euangelio quoque vestro reuelauit. [b] *panem corpus suum* appellans, vt & hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in panem Prophetes figurauit, ipso Domino hoc sacramentum postea interpretaturo.

[a] Hierem. 11. 19.

[b] Io. 6. 51. Luc. 22. 19.

5. In Eucharistia, vel persona Christi, figura, forma, similitudinis, effigiei, & imaginis nomen, Dei, carnis, & substantiæ veritatem non excludunt. 5. cont. Marc. cap. 20. à p.

PLanè de substantia Christi putant & hîc Marcionitæ suffragari Apostolum sibi, quòd phantasma carnis fuerit in Christo quum dicit, quòd [a] *in effigie Dei constitutus, non rapinam existimauit pariari Deo, sed exhausit semetipsum acceptâ effigie serui,* non veritate *& in similitudine hominis,* non in homine; *& figura inuentus homo,* non substantiâ, id est non carne: quasi non & figura, & similitudo & effigies substantiæ quoque accedant. Benè autem, quod & alibi [b] *Christum, imaginem Dei inuisibilis* appellat. Nunquid ergo & hîc quà in effigie eum Dei collocat æquè non erit Deus Christus verè, si nec homo verè fuit in effigie hominis constitutus? Vtrobique enim veritas necesse habebit excludi, si effigies, & similitudo, & figura, phantasmati vindicabitur. Quòd si in effigie, & imagine, quà filius Patris verè Dei prædicatus est, etiam in effigie & imagine hominis, quà filius hominis, verè hominem inuentum. Nam & inuentum, ratione potuit, id est certissimè hominem: quod enim inuenitur, constat esse. Sic & Deus inuentus est per virtutem, sicut homo per carnem; quia nec morti subditum pronuntiasset, non in substantia mortali constitutum. Plus est autem quod adjecit, [c] *Et mortem crucis.* Non enim exaggerat atrocitatem, extollendo virtutem subjectionis, quam imaginariam phantasmate scisset, frustrato potiùs eam, quàm experto; nec virtute functo in passione, sed lusu.

[a] Philipp. 2. 6. & seq.

[b] Coloss. 1. 15.

[c] Philipp. 2. 8.

EVCHARISTIA. III. IV. ET V. SCHOLIA.

MITTAMVS, *hunc locum iam alibi explicauimus de ligno crucis.* DICTVRI, *vos Iudei.* LIGNVM MISSVM. *Dum primò humeris eius illud imposuerunt. Secundò dum in illo eum crucifixerunt.* REVELAVIT. *Expositit quid significaret in scriptura ille panis, nempe corpus suum, dum ait:* Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. RETRO, *prius, scilicet in veteri lege.* IN PANEM. *pro, in pane. Vel quia dixit Ieremias,* mittamus lignum in panem eius. *Vel quia in panem Eucharisticum oculos mentis Prophetæ intendebat; & figuratiuè sumpsit nomen panis, pro corpore eius: quia præuidebat, prius in Sacrificio incruento immolandum sub specie panis; & panem illum consecratum, & transubstantiatum in corpus eius, propter priorem panis substantiam, & accidentia panis remanentia, & datum in verum cibum,* qualis est panis, *adhuc panem vocat. Et quia sacrificium incruentum signum erat figuratiuum & repræsentatiuum cruenti Sacrificij crucis; ideo dixit; mittamus lignum in panem eius; Augustinus in Psal. 3. Eodem sensu cum Tertulliano, Eucharisticum panem, figuram corporis Christi dixit, nec est quod hinc Sacramentarij sibi Augustinum fauisse blandiantur. Nemo enim negat, imo fatentur omnes, omne Sacramentum esse signum, & proinde figuram repræsentatiuam, & significatiuam alterius: dico autem Sacramentum & Sacrificium incruentum repræsentasse & figurasse cruentum; & corpus Christi idem quidem substantiâ, diuersum autem qualitate, in Sacramento & in cruce fuisse. Cùm enim in Sacramento sit modo spirituali, immortali, indiuisibili, in Cruce fuit mortale, visibile, diuisibile. Signum autem & figura, idipsum corpus repræsentauit in cruce immolatum, cùm vice clauorum, verbum quo consecratur panis, sit gladius iuxta Paulum, quo præcisè per formam, panis in corpus conuertitur; & licet ob concomitantiam, & sanguis & anima & Verbum ibi verè producantur, & Christus perfectus, & viuus & glorioſus; tamen vi verborum præcisè, non ibi producitur, nisi corpus; sicut vi verborum in calice, nil nisi sanguis efficitur; licet per concomitantiam, totus ibi sit Christus. Sic ergo fit vt speciebus distinctis, hinc corpus, inde sanguis separatim consecratus, significent quod Christi sanguinem in cruce separatum repræsentet, sicut & animam à carne. Præterhæc, cùm in Sacramento sit modo indiuisibili, nec sensibus veratur, vel aliquo proprio motu, velut mortuus iacet, & mortuum in cruce figurat. Vnde illud Ioannis in Apoc. illi conuenit:* Vidi Agnum stantem *quia iam non moritur, & stat viuus in Eucharistia, quia per verba vitæ & spiritum viuificantem panis vinum ibi producitur:* tanquam occisum. *Quia tanquam mortuus, insensibilis, immobilis, ibi stat, quamdiu stant integræ species; quibus cor-*

rumpis, tota eius præsentia corporalis perit, & prorsus ibi esse desinit, vt sic perfectum holocaustum, & totius sui esse Sacramentalis destructio fiat; quod perfectissimum est omnium sacrificium, & in aliquo ipso cruento sacrificio perfectius, in quo scilicet corpus quidem mortuum est, sed saltem mansit in cruce & tumulo integrum. Locus Augustini sic habet in tit. Psalmi 3. qui est: Psalmus Dauid cùm fugeret à facie Absalon filij sui. *Vbi post expositam breuiter literam, sic allegoricè de Iuda post communionem à diabolo possesso:* Cum
S. Augus. eum diabolus penitùs inuasit, in eo quod scriptum est; & intrauit diabolus in cor eius; benè accipitur, à facie eius Christum fugisse; non quia Christus diabolo cessit, sed Christo discedente, diabolus possedit. Quem discessum, fugam esse in hoc psalmo appellatum, celeritatis causâ arbitror: quod Verbo etiam Domini significatur, dicentis; quod facis, citò fac, &c. Absalon autem, sicut quidam interpretantur, in Latina lingua dicitur, Patris pax. Quod mirum videri potest; siue in historia Regnorum, cùm bellum aduersus Patrem Absalon gesserit; siue in historia Noui Testamenti, cùm traditor Domini Iudas fuerit, quemadmodum Patris pax possit intelligi. Sed & ibi qui diligenter legunt, vident in illo bello, Dauid pacatum fuisse filio: qui etiam magno cum dolore planxit extinctum dicens, Absalon filius meus, quis dabit mihi mori pro te: & in historia Noui testamenti, ipsa Domini nostri tanta & tam mirãda patientia, quòd eum tandiu pertulit tanquam bonum, cùm eius cogitationes non ignoraret, cùm adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendauit, & tradidit; quòd denique in ipsa traditione, eius osculum accepit; benè intelligitur pacem Christum exhibuisse traditori suo, quamuis ille tam sceleratæ cogitationis interno bello vastaretur. Et ideo Absalon Patris pax dicitur, quia Pater habuit pacem, quam ille non habuit. *Cui conuenit illud psaltis:* Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. *Cæterùm, concedo figuram id est Sacramentum, siue signum representatiuum mortis sua, dedisse Iuda; sed signum plenum re ipsa signata, hoc est corpore suo, & sanguine. Aliàs perperam Paulus legem vmbraticam discerneret à noua continente veritatem; nec Sacramenta noua legis distingueret ab antiquis, quæ vocat,* Vacua & egena Elementa.
S. Augus. *Vnde Aug. lib. 17. de Ciuit. cap. 20. vbi refert locum Eccle. 5.* Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet: quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mensæ huius pertinet, quam Sacerdos ipse mediator Testamenti Noui exhibet secundùm ordinem Melchisedech, de corpore & sanguine suo? id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri; propter quod etiam votem; illam in Psalmo 39. eiusdem mediatoris, per Prophetam loquentis agnoscimus: Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi; quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus, corpus eius offertur, & participantibus ministratur. *Non figura nuda, sed corpus, sub figura, signo, Sacramento, speciebus panis & vini. Et de Iuda quidem, præter dicta præcedenti Scholio, ita Augustinus in Psal. 10.*
S. Augus. Iustus autem quid fecit? &c. Christus quid vobis fecit, qui traditorem suum tantâ patientiâ pertulit, vt ei primam Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo ommendatam, sicut cæteris Apostolis traderet? quid vobis fecit Christus, *Loquitur Donatistis, & rebaptizantibus, Sacramenta dedignantibus, ab aliis quàm sua factionis ministratis,* qui eundem traditorem suum, quem diabolum nominauit, qui ante traditionem Domini, nec loculis dominicis fidem potuit exhibere, cum cæteris discipulis ad prædicandum regnum cœlorum misit; vt demonstraret dona Dei peruenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit, per quem accipiunt, qualis Iudas fuit? Augus.

4. HOC FIGVRA. *Crucis scilicet.* DEVS, *Christus.* EVANGELIO QVOQVE VESTRO. *Luca scilicet, quod solum admittunt Marcionita. Vt, præterquam quod Io. 6. 52. Christus dixit,* Panis quem ego dabo Caro mea est pro mundi vita: *Luc. quoque 22. 19.* Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. HINC IAM. *In veteri lege quam reprobas Marcion.* CORPORIS SVI FIGVRAM. *Panem iam inde sumpsisse pro figura sui corporis; panem elegisse ad præfigurandum corpus suum, quod sub figura & specie panis daturus erat. Quod sufficienter exposuimus paragrapho præcedenti.*

5. DE SVBSTANTIA CHRISTI. *Quod ad Christum attinet, & corporis eius substantiam, stultè putant Marcionitæ Paulum sibi suffragari, in eo quod sentiunt, Christum non habuisse veram carnis humanæ substantiam, sed phantasticam, cum ait Philip. 2. 6.* Qui cum in forma, *Syr. imagine,* Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. PARIARI. *Parem esse & æqualem Deo.* NON VERITATE. *Quod Apostolus vsus sit voce effigiei, similitudinis, & figura, quasi excludens veritatem.* ACCEDANT. *Siue vt accidentia substantiæ aduenientia dicat, siue quòd hæc nomina etiam substantiæ conueniant, & de ea rectè prædicentur, nec huiusmodi, prædicata veritatem & realitatem substantiæ excludant.* BENE AVTEM. *Benè, inquit, nobiscum agitur ad refellendam cauillationem aduersarij, quòd idem Paulus, Epistola sequenti scilicet ad Coloss. 1. 15. vbi de eodem Christo loquitur:* In quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum: qui est Imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ. QVA IN EFFIGIE, &c. *In quantùm etiam hic eum appellat effigiem & imaginem Dei, Christum à diuinitatis veritate excludit: Si & à veritate carnis, vt vult Marcion excluditur à Paulo, dicente eum in similitudinem hominum factum, &c.* PHANTASMATI VINDICABITVR. *Quasi proprium rei phantastica & imaginaria tribuetur. Quòd si velis Marcion, Christum non minùs fuisse verum Deum, licet Apostolus eum vocet effigiem & imaginem Patris; fateatur etiam non minùs verè fuisse hominem, non minùs veram induisse carnem; licet dixerit Apostolus eum habuisse hominis effigiem & similitudinem.* RATIONE. *Rationabiliter, indicieusè, nec sine causa dixit Paulus sic inuentum, qualis verè erat, Deum inuentum & probatum per signa & portenta Deo propria; hominem verum, per veras carnis infirmitates, veramque mortem, & mortem atrocissimam crucis, quam ideo exaggerat, ad commendandam obedientiæ eius excellentiam. Quod non fecisset si phantasticam agnouisset.* FRVSTRATO. *Christo scilicet in imaginaria carne non experto talem acerbitatem, nec virtute patientiæ tanta perpesso, sed quasi ludo frustrante, & ludente sine fingente passionem. Quem quidem locum Tertull. licet ad Eucharistiam directè non referat, tamen pulchrè realitati Corporis Christi in Sacramento quadrat; vt sicut probat hic Tertull. contra Marcionem, nomina figuræ, & similitudinis, non excludere veritatem carnis & diuinitatis Christi; sic quoque nos*

ipſum Tertull. nec Auguſtinum nec alium quemcunque Patrem ſic loquentem, de tradita Apoſtolis à Chriſto figura ſui corporis, corporis ipſius veritatem traditam vnquam excluſiſſe. Alias author Arrianiſmi eſſet Paulus, Chriſtum negans eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, dicit ait Hebr. 1. 3. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ Syr. germen gloriæ & Imago ſubſtantiæ eius, Et figura ſubſtantiæ eius, &c. Cum tamen ſubiiciat, Sedere ad dexteram maieſtatis in excelſis, & meliorem Angelis effectum, &c. Et ad Coloſſ. 1. dicitur eſt, Imago Dei inuiſibilis. Quod ſic exponit Aug. libro de 10. Chordis: Filius hominis habet imaginem Patris ſui, & hoc eſt quod Pater eius, quia homo eſt ſicut Pater eius, &c. Sed in creatura non hoc eſt Imago Dei, quod eſt in filio, qui hoc eſt quod Pater, id eſt Deus, Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia. De quo ſubiicit cap. 2. idem Paulus, In ipſo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter. De quo ita Aug. in Pſal. 67. in verſum. Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, &c. Non quia in aliis, inquit, non inhabitat, ſed quia in ipſis per ipſum: in ipſo quippè inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, non vmbraliter, tanquam in templo à Rege Salomone facto, ſed corporaliter, id eſt ſolide atque veraciter: quoniam Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi 2. Cor. 5. Quod, ſiue de Patre dictum accipiamus, quoniam ipſe ait, Pater autem in me manens facit opera; ego autem in Patre, & Pater in me: ſiue ita intelligatur, Deus erat in Chriſto, Verbum, erat in homine: ſic erat vtique Verbum in carne, vt Verbum etiam caro factum ſolus propriè diceretur, id eſt homo Verbum, in vnam Chriſti perſonam copularetur. Quod ſpectat ad Euchariſtiam, in qua Auguſtinus traditam dixit figuram Corporis Chriſti, ſiue ſignum, non proinde negauit realitatem, nec ſignum nudum, ſed plenum ipſa re ſignificata commendauit, ſicut eium to. 6. lib. Cont. Adimantum Manichæi diſcipulum ait, cap. 12. vbi ex Deuteronomio 12. 23. Ne ſanguinem comedas: ſanguis enim eorum pro anima eſt. 70. verè ſicut Hebr. & Chald. Quia ſanguis eius eſt anima. Vbi eſt ſermo de pecoribus. Non, inquit, ad me pertinet quid agatur de pecoris anima; poſſum etiam interpretari præceptum illud in ſigno eſſe poſitum. Non enim Dominus dubitauit dicere, Hoc eſt Corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui. Per ſignum intelligit Sacramentum, ſiue ſpecies panis & vini, quæ verè non ſunt corpus & ſanguis Chriſti, ſed mera accidentia ſunt, at non vacua; continent enim ſubſtantiam carnis & ſanguinis Chriſti, ſicut ſanguis pecorum dicitur anima, quia eſt ſignum animæ, non abſentis, ſed præſentis. Vnde idem Aug. quæſt. 57. in Leuit. docet ſanguinem dici animam, quia continet animam. Ita ergo prorſus Sacramentum Euchariſtiæ figura & ſignum erat Corporis Chriſti, quod continebat. Sic etiam intelligendus eſt Ep. 23. ad Bonifacium circa f. Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? *In cruento Sacrificio crucis:* Et tamen in Sacramento, non ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed omni die, populis immolatur, nec vtique mentitur qui interrogatus, cum reſponderit immolari. Si enim Sacramenta, *Signa ſenſibilia & externa, quæ diſtinctè & diuiſim ſub diuerſis ſpeciebus, diuiſum à corpore ſanguinem in cruce repræſentant*: quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine, plerumque etiam ipſarum rerũ nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm quemdam modum Sacramentum *Species Euchariſtiæ conſecratæ* Corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, Sacramentum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt: ita Sacramentum fidei, *Id eſt Baptiſmus* Fides eſt. *In qua ſententia, vir intelligens, nil contra realitatem corporis Chriſti in Euchariſtia dixit, ſed vt continens quodam modo, tropico ſcilicet & figuratiuo ſuinitur pro contento, ſic ſpecies Sacramentales continentes latens corpus & ſanguinem Chriſti, dicuntur quodammodo corpus & ſanguis Chriſti. Ita planè docet forma calicis: Luc 22. 20.* τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Hic eſt calix, nouum teſtamentum in ſanguine meo, pro vobis effundendus. *Neque enim Calix ipſe, manuum eius contactu, vel oris affatu ignito ſolutus & liquefactus pro nobis effuſus eſt, vt vulnerum pro nobis effuſum, vt nec panis pro nobis traditus eſt, ſed corpus ſub panis ſpeciebus contentus, & ſanguis contentus in Calice ſub vini ſpeciebus pro nobis in cruce effuſus eſt.* Et ſtulti aliquando ſapite. *Hæreticos alloquor, quibus Eſaias cap. 7.* Niſi crediderit is, non intelligetis, *Sicut & iam fidelibus, niſi in hac fide perſeuerent, ait verſio communis:* Si non credideritis, non permanebitis: *Et Sanct. Pagn. ex Hebr.* Si non credatis verbis meis, *Efficacibus, quibus dixi, Hoc eſt corpus meum, &c.* Eſt, *Supplè certum*, Quia non eritis ſtabiles.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Angelus.

Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

6. *Euchariſtiam Chriſtus ſumpſit, tanquam ſuum proprium Paſcha, ſub panis & vini ſpeciebus, figuram veri & non phantaſtici corporis in cruce immolandi, tradendi à Iuda, & ab ipſo edendi. 4. Cont. Marc. cap. 40. pro totum & 41. in p.*

SCit & quando pati oporteret eum cuius paſſionem lex figurat. Nam è tot feſtis Iudæorum, Paſchæ diem elegit. In hoc enim ſacramentum pronuntiarat Moyſes, [a] *Paſcha eſt Domini.* Ideo & adfectum ſuum oſtendit, [b] *Concupiſcentiâ concupiui Paſcha edere vobiſcum, antequam patiar.* O legis deſtructorem, qui concupierat etiam Paſcha ſeruare! Nimirum veruecina illum Iudaïca delectaret? An ipſe erat, qui [c] *tãquam ouis ad victimam adduci habens, & tanquam ouis coram tondente ſic os non aperturus*; figuram ſanguinis ſui ſalutaris implere concupiſcebat? Poterat & ab extraneo quolibet tradi; ne dicerem & in hoc Pſalmum expunctum, [d] *Qui mecum panem edit, leuabit in me plantam.* Poterat & ſine præmio tradi. Quanta enim opera traditoris circa eum, qui populum coram offendens, nec tradi magis potuiſſet quàm inuadi? Sed hoc alii competiſſet Chriſto non qui prophetias adimplebat. Scriptum eſt enim, [e] *Pro eo quod venundedêre juſtum.* Nam & quantitatem & exitũ pretii poſtea Iuda pœnitentre reuocati, & in emptionem dati agri figuli, ſicut in Euangelio Matthæi continetur, Hieremias præcanit, [f] *Et acceperunt triginta argentea pretium appretiati vel honorati, & dederunt ea in agrum figuli.* Profeſſus itaque ſe concupiſcentiâ concupiſſe edere Paſcha vt ſuum, (indignum enim vt quid alienum concupiſceret Deus) & *acceptum panem*, & diſtributum diſcipulis, corpus, illum, ſuum fecit, *hoc eſt corpus meum* dicendo, id eſt figura corporis mei.

Leuit. 23. 5. & ſeq. per totũ. Luc. 22 15.
a Exo. 12. 11.
b Luc. 22. 15.
c Eſa. 53. 7. Luc. 22. 15.
d Pſal. 40. 10.
Luc 22. 21. 47 & ſeq.
e Amoſ. 2. 6. Math. 27. 3. & 6. 7. 9.
f Hierem.

Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cęterùm vacua res; quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet. Aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate: ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus ſuum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit? non intelligens veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti, dicentis per Hieremiam [b] *Aduersùs me cogitauerunt cogitatum dicentes, Venite conjiciamus lignum in panem eius*; ſcilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declarauit, corpus ſuum vocans panem. Sic & in calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam corporis confirmauit. Nullius enim corporis ſanguis poteſt eſſe, niſi carnis. Nam etſi quia corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certe ſanguinem niſi carnea non habebit. Ita conſiſtit probatio corporis, de teſtimonio carnis; probatio carnis, de teſtimonio ſanguinis. Vt autem & ſanguinis veterem figuram in vino recognoſcas, adderit Eſaïas, [i] *Quis*, inquit, *qui aduenit ex Edom? rubor veſtimentorum eius ex Boſor. Sic decorus in ſtola* * *violenta cum fortitudine? Quare rubra veſtimenta tua? & indumenta ſicut de foro torcularis pleno conculcato?* Spiritus enim propheticus velut jam contemplabundus Dominum ad paſſionem venientem, carne ſcilicet veſtitum, vt in ea paſſum, cruentum habitum carnis in veſtimentorum rubore deſignat, conculcatæ & expreſſæ vi paſſionis, tanquam de foro torcularis, quia exinde quaſi cruentati homines de vini rubore deſcēdant. Multò manifeſtiùs Geneſis in benedictione Iudæ, ex cujus tribu carnis cenſus Chriſti proceſſurus, jam tunc chriſtum in Iuda deliniabat [k] *Lauabit inquit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum*; ſtolam & amictum carnem demonſtrans, & vinum ſanguinem. Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit [l] *Va, ait, per quem traditur filius hominis*. Ergo iam væ, conſtat imprecationis & comminationis inclamationem intelligendam, & irato & offenſo deputandam: niſi ſi Iudas impune erat tantum ſceleris relaturus. Aut ſi impunè vacat Væ. Si non impunè, vtique ab eo puniendus, in quem ſcelus traditionis admiſit. *V. Verbo ſenſus externi 3. in. f.*

[b] Hierem. 11. 19.
[i] Eſa. 63. 1.
* violentia.
[k] Gen. 49. 11.
[l] Luc. 22. 22.

CAP. XLI.

EVCHARISTIA. VI. SCHOLIA.

SCIT. *Ipſe Chriſtus, de quo Ioannes 13. 3.* Sciens A quia omnia dedit ei Pater in manus, *Vt poſſit omnipotenti verbo quo facta ſunt omnia, ex pane falſo, corpus ſuum facere, illum totaliter in ſuam ſubſtantiam conuertendo*, Et quia à Deo exiit, & ad Deum vadit, *Moriturus proximè*, Surgit à cœna. *Legali & typica agni Paſchalis, &c.* PASCHÆ DIEM. *Pro Cœna Euchariſtica, verum diem Paſcha elegit, in qua figuram implenit, ſe verum agnum in locum figuratiui ſubſtituens, in Sacrificio incruento; quo ſigaum & Sacramentum dedit cruenti, in cruce, ſequenti die offerendi.* IN HOC. *Ad hoc Sacramentum ſignificandum dixerat Moyſes:* Exo. 12. 11. Eſt enim Phaſe, id eſt tranſitus Domini. 70. *autem*, Paſcha eſt Domino. *In quo vt Agnus de vita ad mortem, populus ab Ægypto in terram promiſſam; ſic panis & vini ſubſtantia in carnem & ſanguinem Domini tranſitura erat, ſignificans & figurans tranſitum Chriſti à vita ad mortem.* ADFECTVM SVVM. *Docte & ſubtiliter Aug. in titulum Pſalmi 33. fuſiſſimè de tranſubſtantiatione loquitur in verba. 1. Reg. 21. Vnde titulus excerptus eſt, qui ſic habet:* Pſalmus Dauid, cùm mutauit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum, & abiit. *Vbi aduerte primò, non fuiſſe Abimelech, ſed Achis, nec ſine myſterio mutatum nomen.* Conſulentes, *inquit*, nomina iſta, inuenimus interpretari Abimelech, Patris mei regnum, & interpretari Achis quomodo eſt? &c. Quomodo eſt? Verbum eſt admirantis, & non intelligentis, &c. Regnum Patris, regnum erat Iudæorum. Mutauit ergo vultum ſuum *Chriſtus in Dauid Rege figuratus* Coram Iudæis, & dimiſit eum & abiit. Quem dimiſit? Ipſum populum Iudæorum dimiſit, & abiit. Quæris modò Chriſtum apud Iudæos, & non inuenis. Vnde dimiſit, & abiit? quia mutauit vultum ſuum. Hærentes enim illi, Sacrificio ſecundùm ordinem Aaron, non tenuerunt Sacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech; & amiſerunt Chriſtum, & ceperunt eum habere gentes, quò non miſerat ante præcones. *Ideſt prophetas, &c.* Achis dixi interpretari, quomodo eſt? recordamini Euangelium, quando loquebatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus de corpore ſuo niſi, &c. Caro mea verè eſt eſca, &c. Et non intelligentes, putauerunt neſcio quid durum dicere, &c. Quaſi dicentes, quomodo eſt? error enim & ignorantia, & ſtultitia in perſona Regis Achis. Vbi enim dicitur, quomodo eſt? non intelligitur: vbi non intelligitur tenebræ ignorantiæ ſunt. Erat ergo in illis regnum ignorantiæ quaſi Rex Achis: id eſt regnum erroris eis dominabatur, &c. Quaſi furor iſte, & inſania videbatur, dare carnem ſuam manducandam hominibus, &c. Sed Regi Achis inſanire videbatur, id eſt ſtultis, & ignorantibus: Ideo dimiſit eos, & abiit: fugit corde eorum intellectus, ne eum poſſent comprehendere: & quid dixerunt illi? &c. Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam, &c. Et affectabat ille. Quid eſt affectabat? affectum habebat. Quid eſt affectum habere? quia compaſſus eſt infirmitatibus noſtris, & ideò voluit ipſam carnem ſuſcipere, *Primò, incarnando ſe, ſecundò ipſam carnem ſuam in Sacramento ſuſcipiendo, vt & ſanguinem, quibus ſe ad confligendum cum morte vincenda armaret.* In qua mortem occideret, &c. Tympanizabat ad oſtia ciuitatis, & ferebatur in manibus ſuis, &c. Quoniam qui crucifigitur in ligno extenditur: vt autem tympanum hat caro, id eſt corium, in ligno extenditur, dictum eſt 1. Reg. 21. tympanizabat; id eſt crucifigebatur, &c. Quis portatur in manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari, &c. Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait. Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. CONCVPISCENTIA. *Luc. 22. 15.* De-

5. Auguſt.

C

Auguſt.

ſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis quia ex hoc *Ab hoc tempore* Non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit, accipite & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat *Hactenus de Cœna legali & potu communi ſimplicis vini. Per regnum autem Dei intellegit nouam legem gratiæ, iam iam inſtituendam, in qua implere debebat figuram Agni, ſe pro Agno vero ſubſtituto in locum typici. Vnde cùm dicat ſe manducaturum & bibiturum nouum in Regno Dei, certum eſt, & figuram ipſam impleſſe veritate ſubſtitutâ, & ſuum verbum compleſſe. Cùm enim non venerit legem ſoluere, ſed adimplere, implenit in rigore præcipuum legis Sacramentum, edendo Paſcha: & ſignanter dixit* Hoc Paſcha, *Quaſi poſtremum; cuius loco intromittere volebat verum Paſcha, ſeipſum. Aliàs figura nobilior fuiſſet veritate, vt Agnus nudo pane. Præterea cùm dixerit in vltima cœna, poſt lotionem pedum, præparans omnimoda puritate diſcipulos, corpus ſuum ſuſceptoros;* Exemplum dedi vobis, &c. Et cœpit Ieſus facere & docere: *Debuit ipſe incipere vſum Euchariſtiæ, maximè cùm durus hic ſermo plurimis diſcipulis viſus fuiſſet, vt horrorem tolleret. Præterea cùm ipſe Sacerdos eſſet, & Sacrificium inſtitueret, de cuius integritate eſt ipſa victima ſumptio, & etiam de eſſentia, victimæ deſtructio, quæ totalis debet eſſe & perfecta in perfectiſſimo omnium ſacrificio, videlicet holocauſto; holocauſtum autem hoc non aliter omnimodè fiat, niſi per totalem deſtructionem rei immolatæ. hoc eſt corporis & ſanguinis Chriſti; totus debuit in cibum mutari Chriſtus, & corpus ſuum edere, & bibere ſanguinem ſuum, quibus ſumptis factum eſt holocauſtum. Addo, & conſumptis ſpeciebus, perire totam præſentiam realem Chriſti, pendentem ibi à conſernatione ſpecierum. Cùm igitur immediatè poſt diſtributum ſimplex vinum, ſubiciat Lucas:* Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens; hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, &c. Similiter & Calicem, &c. *Sequitur, quod corpus ſuum & ſanguinem ſumpſerit. Nec dicas, nullam fieri mentionem, quòd ipſe ſumpſerit; neque enim mentio facta eſt prius, quòd agnum comederit. Sed ad vtrumque ſufficit, quod dixerit:* Deſiderio deſideraui, &c. Ex hoc non manducabo illud, *Syrne non amplius comeſturum illud, quouſque compleatur in regno Dei,* Et non bibam de generatione vitis, &c. *Cum igitur ſtatim poſt & panem & calicem conſecrauit, profectò & nouum inſtituit, & ſumpſit.* O LEGIS DESTRVCTOREM. *Pulchra ironia contrà Marcionem, qui fingebat Chriſtum legis aduerſarium, cuius tamen præcipuum myſterium deſideranter implebat. An, inquit, ſi talis eſſet, vt vis Marcion, agni carne à Iudæis ſumi ſolita, ſic delecta retur? An non potius ipſe erat ouis per Eſaiam deſtinata ad victimam, & implere concupiſcebat figuram legis, ſuum ſanguinem, ſanguini agni ſubrogando, quo verè ſalutem potamus, & hauſimus aquas cum gaudio de fontibus ſaluatoris. Quin & ipſe voce Dauidica, iamtum præcinebat, Pſal. 115.* Calicem ſalutaris accipiam, &c. Tibi Sacrificabo hoſtiam laudis. AB EXTRANEO. *Et non à Iuda diſcipulo.* NE DICEREM. *Contra te Marcion.* EXPVNCTVM. *Impletum.* QVI MECVM PANEM. *Pſal 40.10.* Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, *Sanct Pagn ex Hebr. cui fidebam.* Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. *Sanct. Pagn. ibid.* Magnificauit aduerſum me calcaneum. 70. *Non differunt à vulgatis. Symmachus,* Homo qui mecum pacificè agebat, cui fidebam, comedens mecum panem meum, magnificatus eſt contra me inſequens. *Aquila,* Magnificatus eſt contra me calcaneo. S. Auguſt.

Auguſtinus, Ampliauit ſuper me calcaneum. Erexit ſuper me pedem, conculcare me voluit. Quis eſt iſte homo pacis ipſius? Iudas. Et in illum Chriſtus ſperauit, quia dixit, in quem ſperauit? Nonne illum ab initio nouerat? Nonne antequam naſceretur futurum ſciebat? nonne omnibus diſcipulis dixerat, ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? quomodo ergo in illum ſperauit, niſi quia in membris ſuis ipſe erat? &c. Quomodo dixit eſurijui, *Et dediſtis mihi manducare, &c.* Sic dixit ſperauit, &c. Cùm vnus ex minimis meis ſperauit, ego ſperaui. *Dixerat ſupra, fideles videntes Iudam cum aliis Apoſtolis, talia de eo ſperaſſe, qualia expectabant ab aliis Apoſtolis.* Qui edebat panes meos. Quomodo ipſum oſtendit in paſſione de illis verbis prophetiæ? *Sic in 13. Math. 26. Marc. 14. Ioannes autem expreſſius verſu 18. Ego ſcio quos elegerim: ſed vt adimpleatur ſcriptura: qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum ſuum.* Per buccellam illum deſignauit, vt appareret de illo dictum, qui edebat panes meos. Rurſus quando venit vt traderet eum, oſculum illi dedit, vt appareret de illo dictum, homo pacis meæ. *Tandem lectio habens in ſingulari panem ſicut habetur & in Euangelio, panem Euchariſticum ſonat; panes autem in plurali, tam de vſualibus, quàm de azymis cum agno comeſtis, quam etiam de iiſdem in condimento agni, intellis intellige. Rurſum Pſalmo 54. de Euchariſtico cibo & potu.* Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos. *De Iuda participante ſacri, intelligi poteſt. Sic enim Auguſtinus ibidem:* Qui ſunt dulces cibi: non omnes qui adſunt nouerunt; *Aderant concionanti tam infideles quàm adhuc Catechumeni, nondum Euchariſtiæ participes.* Sed non amaricent qui nouerunt, vt poſſint illis, qui adhuc non nouerunt dicere: guſtate & videte, quoniam dulcis eſt Dominus *Et illud:* Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti. *In manna abſcondito, omnem dulcedinem continente,* timentibus te. *Quamquam igitur Chriſtus plenus gratia, & crementi eius incapax, & in termino gloriæ quoad animam; nec proinde viator, egeret hoc Sacramento; quia tamen, vt ait D. Thomas, ibi,* Dulcedo ſpiritalis in proprio fonte deguſtatur, *hac frui voluit, vt ſimul impleret illud Cantici 5. 1.* Comedi fauum cum melle meo. 70. *manducauit panem meum cum melle meo.* Bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, *exemplo meo, & poſt me,* & inebriamini chariſſimi. 70. *fratres* ego dormio, & cor meum vigilat. *Quæ poſtrema, Ioanni ſupra pectus recumbenti conueniunt: fauus autem continens mel, ſignificat ſpecies panis & vini carnem & ſanguinem Chriſti abſconditè continentes. Vinum autem cum lacte, ſpecies vini lac puerorum Chriſti lactentium concludentes, quas ipſe ſumpſit, auidiſſimè concupiſcens, quo nos etiam cum concupiſcentia parati creſcimus ad ſalutem. De quo Petrus:* Quaſi modò geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, vt cum eo creſcatis in ſalutem *Accipite Auguſtinum in tit. Pſalmi 33. ſic profundè hæc myſteria docentem, Chriſtum ipſum ſumpſiſſe;* Mutauit neſcio quis vultum ſuum. Quis eſt iſte? &c. Notus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus. In corpore & ſanguine ſuo, voluit eſſe ſalutem noſtram. Vnde autem commendauit corpus & ſanguinem ſuum? de humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Reſpice altitudinem ipſius; In principio erat Verbum, &c. Ecce cibus ſempiternus: ſed manducant Angeli, manducant ſuperne Virtutes, manducant cœleſtes ſpiritus, manducant & ſaginantur, & intre- S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

grum manet, quod eos fatiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? *supple peruenire.* Vnde cor tam idoneum illi cibo? oportebat ergo, vt mensa illa lacteſceret, & ad parúulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur, niſi per carnem trauciatur? nam mater hoc facit; quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus eſt infans qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ, *id eſt paruam papillam* & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane pauit nos ſapientia Dei, quia Verbum caro factum eſt, &c. Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducauit homo, &c. id eſt Verbum illud, quo paſcuntur Angeli ſempiternum, quod eſt æquale Patri, manducauit homo, &c. ſaginantur ergo illo Angeli; ſed ſemetipſum exinaniuit, vt manducaret panem Angelorum homo, formam ſerui accipiens, &c. mortem autem crucis: vt iam de cruce commendaretur nobis caro & ſanguis Domini, nouum ſacrificium, quia mutauit vultum ſuum, &c.

S. Auguſt.

Viden vt mutat non iam vultum panis, id eſt ſpeciem externam, ſed internam ſubſtantiam in carnem, &c. mutat vultum ſuum apparentem in latentem, vt fiat ipſe ſacrificium & victima immutata; & Sacerdos, verbi, & formæ ſacramentalis gladio, ſe immolauit, immolatumque comedit. O quanta mutatio vultus! vt qui vultu ſuo, ſignato imagine Patris, forma, inquam, diuina & facie deſiderabili paſcit Angelos cibus æternæ veritatis; qui Moyſem & Heliam, treſque chariores Apoſtolos pauit facta altera ſpecie vultus eius; nos infantes etiam latente vultu carnis, per verum cibum & potum latentem ſub ſpecie panis & vini, ſaginet forma deitatis. Tandem ne nos infantes horreremus matris carnem edere, hoc eſt diuina ſapientia humanitatem, panem ipſum quaſi mater incarnauit, dum ſpeciebus panis & vini manentibus, panem in carnem & vinum in ſanguinem conuerſum prior ſumpſit, vt nobis in lac verteret. SINE PRÆMIO, *ſine pretio & mercede pacta cum Principibus Sacerdotum.* QVANTA ENIM. *quid opus erat tam circumſpecta traditione, pretij pacto, oſculi ſigno, vt Ieſus caperetur, qui quotidie obuius erat populo? Adeo vt facilius violenter inuadi à turba poſſet, quàm à diſcipulo occultè tradi, niſi voluiſſet, vt Chriſtus verus filius Creatoris, ſingulas Patris ſui Prophetias implere?* CORAM OFFENDENS. *oluiam & palam quotidie occurrens populo.* ALII, *ſcilicet Chriſto Marcionis repente de cœlo lapſo & priùs occulto, nec vſpiam per Prophetas annunciato, propriè fuiſſet, nec ità tradi. Vel* CORAM OFFENDENS, *quòd Chriſtus eſſet Iudæis* lapis offenſionis & ſcandali, *frequenter obuius.* NON QVI. *ſupple, ei, qui Chriſtus erat Creatoris, qui* venerat legem non ſoluere, ſed adimplere. SCRIPTVM EST. *Amos 2. 6.* Super tribus ſceleribus Iſraël: *70. Impietatibus* & ſuper quatuor, non conuertam eam: 70. *non auerſabor eum*, pro eoquod vendiderit pro argento juſtum. EXITVM. *quid tandem factum ſit de pretio relato à Iuda pœnitentiâ ducto.* REVOCATI. *pretij relati.* IN EVANGELIO *Matth. 27. 6.* Principes Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: non licet eos mittere in corbonam, *Syr. in domum oblationis.* quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldama. hoc eſt ager ſanguinis vſque in hodiernum diem. Tunc implerum eſt quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Iſraël, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut

A conſtituit mihi Dominus. *Syr. autem*, quod dictum fuerat per Prophetam dicentem: Et accepi triginta argenteos pretium illius honorandi, de quo pacti ſunt à filiis Iſrael. Et dedi eos pro agro figuli, vti præceperat mihi Dominus.

Locus difficilis, cum apud Zachariam 11. 13. reperiatur, & non apud Ieremiam, de quo Aug. lib 3. de conſenſu Euang. cap. 7. Vbi primò notat aliquos codices, vt hîc retulimus ex Syriaco non habere nomen Ieremiæ, ſed ſimpliciter Propheta, per quem intelligitur Zachariæ. Secundò in vetuſtiſſimis codicibus, haberi nomen Ieremiæ, & ſic debere teneri; quid ergo inquit intelligendum eſt, niſi hoc actum eſſe ſecretiore conſilio prouidentiæ Dei, qua mentes Euangeliſtarum ſunt gubernatæ? &c. Prima illa cauſa vtiliſſima debet facillimè cogitari, etiam ſic eſſe inſinuatum, *vt ſcilicet Matthæi menti occurrerit Zacharias pro Ieremia* ita omnes Sanctos Prophetas vno ſpiritu locutos, mirabili inter ſe conſenſione conſtare, vt hoc multò amplius ſit, quàm ſi omnium omnia *oracula* prophetarum, vno vnius hominis ore dicerentur: Et ideò indubitanter accipi debere, quæcumque per eos Spiritus ſanctus dixit, & ſingula eſſe omnium, & omnia ſingulorum, &c. vt non abſurdè, imò congruentiſſimè etiam Ieremiæ deputaremus, quod per Zachariam dictum reperiremus, &c. Quod ergo hinc argumentum ſumere conantur vel infideles, vel imperiti homines, quaſi ad oſtendendam diſſonantiam Sanctorum Euangeliſtarum, hæc potiùs debent aſſumere fideles & docti, ad oſtendendam vnitatem Sanctorum etiam Prophetarum. *Subiicit, aliquid tamen in vtroque Propheta ſimile reperiri, & ex vtroque Matthæum partim vnam conflaſſe ſententiam, partim, vt Spiritu ſancto plenus erat, ex ſpeciali reuelatione reliquum ſuppleuiſſe. De facto antequam hæc apud Auguſtinum legerem, diligenter vtrumque Prophetam contuli. Et Zacharie 11. 12. ſcriptum legi:* Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: proiice illud ad ſtatuarium, decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos: & proieci illos in domum Domini, ad ſtatuarium. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* ad theſaurarium. *70. verò* Statuerunt mercedem, &c. depone eos in conflatorium: & conſiderabo ſi probatum eſt, ſicut probatus ſum pro eis. & tuli triginta argenteos, &c. In conflatorium. *Ieremia autem 32. 8.* Intellexi quod Verbum Domini eſſet Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui eſt in Anathoth: Et appendi ei argentum ſeptem ſtateres. *70. ſeptem ſiclos, & decem argenti* & decem argenteos. Et *verſu* 14. Sume libros iſtos, librum emptionis hunc ſignatum, & librum hunc qui apertus eſt: Et pone illos in vaſe fictili, vt permanere poſſint diebus multis. *De agro autem figuli, & dicto libro, ſic ſuprà concludit Auguſtinus.* Liber empti agri apud Ieremiam iubetur mitti in vas fictile, & emitur hic de pretio Domini ager figuli, & hoc ad ſepulturam peregrinorum, tanquam ad permanſionem quietis eorum, qui in hoc ſeculo peregrinantes conſepeliuntur Chriſto per baptiſmum. Nam & illam emptionem agri hoc ſignificare Ieremiæ dixit Dominus, quia erit permanſio de captiuitate liberatorum in illa terra. *Sic enim ſupra verſu* 14. vt permanere poſſint diebus multis. VT SVVM. *quia Iudæorum Paſcha erat, qui erant populus Dei Creatoris Patris ſui: & agnum & azyma produxerat.* INDIGNVM. *Si fuit hic Chriſtus filius Dei Marcionis boni, quaſi inuidus rem aduerſarij concupiuit, & indignè vel violentia vſurpauit, vel precario iure ea vſus eſt. vel, ſuum notanter dixit, ſicus Chriſtus dixerat*: hoc Paſcha. *Quia panem azymum*

Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

B

C

D

E

azymum in ſuum corpus conuerſum, vt eſcam ſuauiſſimam edere concupiſcebat. FIGVRA. *Id eſt panis & vinum ſeorſim conſecrata, & continentia corpus & ſanguinem, figura erant & ſignum repreſentans mortem eius.* NON PVISSET. *Supplè corporis.* VERITATIS. *Verum corpus. Sicut dicitur*, Redemiſti me Deus veritatis: *Id eſt, Deus verus.* FIGVRAM CAPERE. *Non poſſet figurari phantaſma, figura vera phantaſmatis dari non poteſt.* PANEM FINXIT. *Si Chriſtus non habens verum corpus, ſed phantaſticum, loco corporis, vt vult Marcion, panem ſibi ſumpſit, ſequitur vt panem obtulerit pro noſtra ſalute. Sic nempè fauit Marcioni, vt non verè Chriſti corpus, ſed pro eo panis crucifigeretur, & pane mundus redimeretur.* NON PEPONEM. *Marcionem pungit non magis ſenſatum, quàm ſi peponem, vel cucurbitam loco cordis haberet. Niſi, inquit, Chriſtus figuram Hieremiæ implere voluiſſet, aquè poterat peponem, ac panem pro corpore ſuo crucifigendum dare. Quem pridie paſſionis conſecrauit.* ILLVMINATOR. *Lux implens vmbras figurarum veterum.* TVNC. *Dum Ieremias loqueretur de ligno miſſo in panem eius.* MENTIONE. *Conſecratione vel memoriali paſſionis ſuæ.* CORPORIS QVALITAS. *Si quæ corpora ſint non ex carne conflata, tamen nullum corpus niſi carneum, ſanguinem continet. Vnde conuinco Chriſtum habuiſſe verum corpus, quia carnem habuit veriſſimam, quod probatur ex veritate ſanguinis eius, de quo etiam figuram protulit Eſaias ſub ſpecie vini, ſic enim 63.1.* Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiẽs in multitudine fortitudinis ſuæ. Ego qui loquor iuſtitiã, & propugnator ſum ad ſaluãdũ. Quare ergo rubrũ eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? 70. *parum differunt, vt nec Tertullianus à 70. qui ſic legunt* Sicut de calcato torculari? plenus percalcato. *Pro eo quod vulgata*: Torcular calcaui ſolus. CARNIS CENSVS. *Origo, de tribu Iuda.* DELINIABAT. *Delineabat, deſcribebat, figurabat. Gen. 49. 12.* Lauabit, &c. Pallium ſuum *Tertull. legit vt 70.*

Immediatè ibidem prædixerat Iacob: Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem *Sanct. Pagn. ex Hebr. ad vitem optimam* O fili mi, aſinam ſuam. lauabit in vino, &c. *Quæ omnia ad humanitatem Chriſti realiter alligatam & præſentem ſanctiſſimo calici referuntur, cuius fidei aſina & pullus, gens Iudæa & Gentilis ad Chriſtum conuerſa obſtricta eſt. Indomitum enim prius populus gentium, ſicut pullus, & edomita plebs Iudæorum vt aſina Chriſti baiula triumphantis, eidem Chriſto fidem ſuam alligauit, qui ſe vitem dixit & vineam, & qui humanitatis ſuæ ſtolam diuinitatis indumentum in torculari crucis proprio ſanguine velut expreſſi botri purpurauit. Vnde & ſponſæ eius Eccleſiæ vtroque ex populo collectæ, dicitur*: Comæ *cogitationes* Sicut purpura Regis vincta canalibus. *Pagninus ex Hebr.* Caput tuum ſuper te veluti coccinum, & comæ capitis tui ſicut purpura: Rex ligatus in canalibus. Sept. in tranſcurſibus. *Quia Chriſtus Rex in Sacramenti ſpeciebus ligatus eſt, & præſens quamdiu durant. Aug. mirificè realitatem corporis & ſanguinis Chriſti commendat, & lepidè carpit Manichæorum infamiam, & in eis nouatores hodiernos idololatriam nobis in eius cultu opponentes, lib. 20. Cont. Fauſtum cap. 13* Cur, inquit, arbitretur Fauſtus parem nobis eſſe religionem *Cum ipſo*, Circa panem & calicem, neſcio; cùm Manichæis vinum guſtare, non religio, ſed ſacrilegium ſit. In vna enim, *Panis ſpecie, melius vnâ, ſoluta & libera* Agnoſcunt Deum ſuum, in cuppa nolunt: quaſi aliquid eos calcatus *Vt botrus in vindemia* Et incluſus *In dolio* offenderit. Noſter autem panis & calix, non quilibet, quaſi propter Chriſtum in ſpicis, & in ſarmentis ligatum, ſicut illi deſipiunt, ſed certa conſecratione myſticus, fit nobis Corpus Chriſti, non naſcitur. Proinde quod non ita ſit, *Communis, qui non conſecratur* Quamuis ſit panis, & calix, alimentum eſt refectionis. non Sacramentum religionis: niſi quòd benedicimus, gratiaſque agimus Domino in omni eius munere, non ſolùm ſpirituali, verum etiam corporali. Vobis autem per fabulam veſtram, in eſcis omnibus Chriſtus ligatus apponitur: *Sic Caniſte vbique & in quocumque pane non conſecrato per vinculum fidei Chriſtum alligatum accipiunt* Adhuc ligandus veſtris viſceribus, ſoluendusque ructatibus. Nam & cùm manducatis, Dei veſtri defectione vos reficitis, & cum digeritis, illius refectione deficitis. Cùm enim vos plenos reddit, reſumptio veſtra ipſum premit. Quod quidem miſericordiæ deputaretur, quandò aliquid pro vobis patitur in vobis: Niſi vos rurſus inanes relinqueret, vt à vobis liberatus effugeret. Quomodo ergo comparas panem & calicem noſtrum, & parem Religionem dicis, errorem longè à veritate diſcretum: peius deſipiens, quàm nonnulli, qui nos propter panem & calicem, Cererem ac Liberum colere exiſtimant? Quod ideo commemorandum putaui, vt aduertatis ex qua vanitate veniat etiam illud veſtrum, quod propter Sabbatum Saturno dicatos fuiſſe patres noſtros putatis. Sicut enim à Cerere & Libero paganorũ diis longè abſumus, quamuis panis & calicis Sacramentum, quod ita laudaſtis, vt in eo nobis pares eſſe volueritis, noſtro ritu amplectamur: ita Patres noſtri longè fuerunt à Saturniacis catenis, quamuis pro tempore prophetiæ Sabbati vacationem obſeruauerint. VA, AIT. *Chriſtus ſcilicet. Luc. 22. 22.* Væ homini illi per quem tradetur. *Syr. autem* Cuius manu proditur. DEPVTANDAM. *Patet per illud Va, vocem imprecatoriam, impunandam eſſe Deo & Chriſto iuſto & vindici; niſi forte velis Marcion, Iudam, poſt tantum ſcelus, nullam panam fuiſſe relaturum. Quod ſi impunis abire debebat, inſipienter, & fruſtra Chriſtus comminatus eſt: ſi non impunè, ergo à Chriſto offenſo & vindice punitus eſt. Quod tamen. Chriſto ſuo minè indignum cenſet Marcion.*

S. Aug.

S. Aug.

7. Euchariſtia Dominicum conuiuium. 2. ad Vxo. cap. 4. in m.

QVis ad conuiuium illud Dominicum, quod infamant, ſine ſua ſuſpicione dimitteret?

EVCHARISTIA. VII. SCHOLIA.

DOMINICVM. *A Chriſto Domino inſtitutum in quo Domini corpus & ſanguis ſumitur: de quo Paulus, reparans contemptum eorum, qui dicebant; quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum, bis, terque Dominum vocat, imò frequentius. 1. Cor. 11. 20.* Iam non eſt Dominicam Cœnam mã-

ducare. *Syr. autem* Non ſit ſicut æquum eſt, vt in die Domini noſtri, *Dominica ſcilicet, ſine vna, id eſt primâ Sabbati, quâ conueniebant ad frangendum panem, Euchariſticum ſcilicet. Verſu autem 23.* Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua noctè tradebatur,

&c. Mortem Domini annuntiabitis, &c Quicumque manducauerit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, &c. Non diudicans corpus Domini. QVOD INFAMANT. *Gentiles scilicet cœnam Eucharisticam, vt alibi diximus, infanticidij, & pueri immolati esu, & sanguinis eius potu infami & crudeli notantes.* SVSPICIONE DIMITTET. *Quis, inquit, vir infidelis, vxorem fidelem, antelucanis temporibus communicaturam, à latere & lectο suo dimittet, vt eat in cœtum fidelium, sine aliqua suspicione sortilegij crudelis & nefandi? Aug. Epist. 118. ad Ianuarium.* Apostolus dicit: conuenientibus vobis in vnum non est Dominicam cœnam manducare: hanc ipsam acceptionem Eucharistiæ, Dominicam cœnam vocans. *Et Ser. 33. de verbis Domini.* Cœnam manibus suis consecratam discipulis dedit: sed nos in illo conuiuio non discubuimus, & tamen ipsam cœnam fide quotidie manducamus. Nec magnum puteris in illa cœna, quam suis manibus dedit, sine fide interfuisse: melior extitit fides postea, quàm tunc perfidia. Non ibi fuit Paulus qui credidit: ibi fuit Iudas qui tradidit. Quàm multi & modo in ipsa cœna, quamuis illam tunc mensam nõ viderint, nec panem quem Dominus gestauit in manibus, oculis suis aspexerint, vel faucibus gustauerint; *Panis species intellige* Tamen quia ipsa est quæ nunc præparatur, quàm multi, etiam nunc in ipsa cœna iudicium sibi manducant & bibunt. Vnde autem tanquam occasio nata est Domino, vt de ista cœna loqueretur? dixerat vnus, de discumbentibus, in conuiuio enim erat quo fuerat inuitatus: beati qui manducant in regno Dei panem. Quasi in longinqua iste suspirabat, & ipse panis ante illum discumbebat. Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit: ego sum panis viuus qui de cœlo descendi? *Quòd autem dixit, non prodesse sine fide hunc cibum sumere, non realitatem exclusit, sed fructuosam communionem cum fide commendauit. Dixi tandem dominicum conuiuium dici, quòd Christo Domino ibi conuiuamur, qui se Dominum ibi ostendit, dum panem in corpus suum, verbo omnipotentis conuertit. Quod si Deus Pater, tunc tantum Domini nomen assumpsit, dum de homine iam facto, in paradisum, eiusque conuiuium de omni ligno, maximè vita paratum, transferendo dictum est Gen. 2.* Formauit Dominus Deus hominem, &c. Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis, &c. Lignum etiam vitæ in medio paradisi, &c. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, &c. Ex omni ligno paradisi comede; *Proinde & de ligno vitæ* De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: *Cum prius, vt alibi ex Tertull & Aug. diximus, Deus tantùm vocaretur, & non Dominus: Certè tum maximè Dominus dici meruit, cum homini, in paradiso Ecclesiæ, esum & vsum ligni vitæ, hoc est Eucharistiæ dedit. Cum nihil amplius in paradiso gloriæ, seruet præter claram eiusdem visionem. Ad realitatem corporis Christi in Eucharistia confirmandam, præter dicta V. Christus Catholicus Sacerdos. Et V. Sacrificium. Concil. Lateranense maximum, sub Innocentio 3. celebratum Anno 12 15. præsente Ierosol. & Constantinop. Patriarchis; 70. Metropolitanis 400. Episcopis. 12. Abbatibus. Prioribus Conuentualibus 800. Græci & Romani Imperij Legatis: Regum Ierusalem, Francia, Hispania, Anglie, & Cypri Oratoribus. Canone 1. de fide Catholica.* Verum Christi Corpus, & sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina, &c. Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos fuerit ritè ordinatus secundùm claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus Iesus Christus. *Concil. Florentinum in decreto de septem Sacramentis vbi de Sacramento Eucharistiæ.* Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideò admiscetur, quoniam iuxta testimonia Sanctorum Patrum creditur, ipsum Dominum in vino aquâ permixto hoc instituisse Sacramentum. Deinde quia hoc conuenit Dominicæ Passionis repræsentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa, quintus à B. Petro, in Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, panis, & vinum aqua permixtum offerri debet, quia vtrumque, id est sanguis & aqua ex latere Christi profluxisse legitur. Tertiò etiam conuenit ad significandum huius Sacramenti effectum, qui est vnio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, &c. *Supra præmiserat in Azymo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque iuxta suæ ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.* Forma huius Sacramẽti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentũ. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit. Sacramentũ. Nã ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur: ita tamen quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini: sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione factâ, totus est Christus.

Concil. Tridentinum sess 3. Cano. 1. in Decreto de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Principio docet S. Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur: in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini Consecrationem, D. N. Iesum Christum, verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, vt ipse Saluator noster, semper ad dexteram patris in cœlis assideat, iuxta modum existendi naturalem: & vt multis nihilominus aliis in locis, sacramentaliter præsens, sua substantiâ nobis adsit: ea existendi ratione, quam, etsi verbis exprimere vix possumus; possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ, assequi possumus: & constantissimè credere debemus. Ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt: hoc tam admirabile Sacramentum, in vltima cœna, Redemptorem nostrum instituisse: cùm post panis, vinique benedictionem: se, suum ipsius corpus, illis præbere, ac suum sanguinem; disertis ac perspicuis verbis, testatus est. Quæ verba à sanctis Euangelistis commemorata, & à D. Paulo postea repetita: cùm propriam illam, & apertissimam significationem præ se ferant, secundùm quam à Patribus intellecta sunt, indignissimum sanè flagitium est; ea, à quibusdam contentiosis, & prauis hominibus adfictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra vniuersum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ, tanquam columna, & firmamentum veritatis, hæc, ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est: grato semper, & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

5 August.

S. August.

Origenes homil. 5. in varios Euangelij locos. Quando sanctum cibum illudque incorruptum epulum accipis, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: tu ergo humilians temetipsum, imitare tunc Centurionem, & dicito: Domine, &c. *Et homil. 13. in Exod.* Nostis qui diuinis mysteriis interesse consuestis, quomodo cùm susceperis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione caueris, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur. *Chrysost. homil. 25. in primam Cor. vbi de Magis in præsepio adorantibus Christum.* Tu verò, inquit, non in præsepio, sed in altari: non mulierem quæ in vlnis teneat, sed Sacerdotem præsentem, & Spiritum perabundè super propositio diffusum sacrificio vides. *Et homil. 1. in verba Esaiæ,* Vidi Dominum, &c. Non cogitas ipsum inuisibiliter hîc adesse Dominum, qui vnuscuiusque motum metitur, & conscientiæ rationem habet? Non cogitas quòd Angeli huic stupendæ assistunt mensæ, cúmque reuerentia hanc circumualiant? *Theodoretus dialogo. 2.* Post sanctificationem, inquit, symbola mystica, *Signa & species Sacramenti,* Non amittunt naturalem suam proprietatem: siquidem manent in specie & figura prioris substantiæ, & possunt videri & tangi, sicut priùs: & concipiuntur talia qualia facta sunt: & creduntur & adorantur sicut existentia id quod de eis credimus. *Vnde sequitur iam in Eucharistia non esse priorem panem & vini substantiam, licet sint eadem accidentia.*

Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto. cap. 12. eleganter realitatem corporis & sanguinis Christi, eius denique adorationem describit in sanctissimo Sacramento. Adorauerunt & Angeli, de quibus scriptum est Hebr. 1. & adorent eum omnes Angeli eius. Adorant autem non solùm diuinitatem eius, sed etiam scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Psal. 98. Aut si negant quia in Christo etiã incarnationis adoranda mysteria sint, in quibus velut vestigia quædam diuinitatis expressa, & vias quasdam Verbi cœlestis aduertimus; *iuxta Psalmum, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Quantò magis in humanitate, quam assumpsit indissolubiliter diuinitas eius?* Legant quia & Apostoli adorabant eum in carnis gloria resurgentem, &c. Sed ne fortè propositum aliquos præterfugere videatur exemplum, qua ratione ad Incarnationis Dominicæ Sacramentum spectare videatur quod ait Propheta; Adorate scabellum pedum eius, consideremus. Non enim ex vsu hominum æstimare debemus scabellum. Neque enim corporalis Deus, aut non immensus, vt tanquam fulcrum pedibus eius scabellum subiectum putemus. Neque adorandum quidquam præter Deum legimus, quia scriptum est Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Quomodò ergo aduersùs legem Propheta præciperet, sub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæstio, & ideò diligentiùs consideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi, *scil. Esa. 66.* Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu, vt supra diximus, adorarunt. Neque enim diuisus Christus, sed vnus. *Propter vnitatem diuini suppositi adorandus* Neque cùm adoraretur tanquam Dei filius, natus ex virgine negabatur. *Quæ propter eandem vnitatem suppositi, non iam Christotochos, sed theotochos appellatur & creditur.* Cùm igitur incarnationis adorandum sit Sacramentum, incarnatio autem opus Spiritus sit, sicut scriptum est Luc. 1. Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: haud dubiè etiam S. Spiritus adorandus est, quando adoratur ille, qui secundùm carnem natus ex spiritu est. Ac ne quis hoc deriuet ad Mariam Virginem; *Quæ hiperdulia quidem, non verò latriâ colitur; infra Deum, super omnes Angelos, & sanctos honoranda:* Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideò ille solus adorandus, qui operabatur in templo.

Eadem pene habet Augustinus exponens præscriptum psalmi 98. locum de adoratione scabelli. De eiusdem autem Sacramenti adoratione ep. 120. cap. 27. ad Honoratum, in quo exponit psalmum 21. Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Diuites terræ superbos intelligere debemus, si rectè superiùs pauperes humiles intelligebamus. *Præmiserat enim cap. 24. & 25. Edent pauperes & saturabuntur panes, qui de cœlo descendit, qui ei coherentes, & eius pacem dilectionemque seruantes, imitantur eius humilitatem, &c. Hæc viuunt corda in seculum seculi, tanquam saturata pane cœlesti; de qua saturitate ipse dicit: nisi manducaueritis carnem meam, &c.* De quibus in Euangelio Dominus dicit, beati pauperes spiritu, &c. Contra ergo diuites terræ, hoc loco superbi intelligendi sunt. Neque enim frustra ita distincti sunt, vt de pauperibus suprà diceretur: edent pauperes & saturabuntur. Hîc verò: manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipsi quippè adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius: sed adorant tantùm, non etiam saturantur, quoniam non imitantur. Manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes: qui Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. S. Augus. S. Augus.

Et quidem Psaltes regius Psalmo 72. in spiritu præviderat adorandi Sacramenti maiestatem, dum caneret, Et erit firmamentum in terra in summis montium. *Vbi alia lectio habet:* Placenta tritici in capitibus sacerdotum. *Quod sit in adoratione scabelli, & exaltatione eius. Ait enim psalmus supra Psal. 98.* Exaltate Dominum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. *Cùm enim idem scribat:* Panis cor hominis confirmet. *Hæc triticea placenta* Firmamentum nostrum est in terra, panis Angelorum, *Et vt alij legunt,* Panis robustorum, *Illudque adorandum, vt exaltatum super capita Sacerdotum. Hinc Rabbi Simeon filius Iohai in libro Reuelationum secretorum, decurrens locum Psalmi 72.* Tunc, inquit, Deus implebitur misericordiâ, & potenti virtute verborum, quæ egredientur de ore Sacerdotum, mutabit sacrificium oblatum sibi in vnoquoque altari, in corpus Messiæ. *Et Rabbi Salomon filius Iohaiin Reuelin in Psal. 72. in verba, placenta tritici erat in terra in vertice montium.* Magistri, *inquit,* nostri hoc interpretati sunt de placentis futuris tempore Messiæ, de quibus scriptum est in libro dicto Siphra, quod istæ placentæ erunt sicut palma manus de quibus singuli reficientur. *Rabbi denique Barachias in verba Ecclesiastis:* Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est: & sicut fuit primus Redemptor, scilicet Moyses: sic erit & vltimus. Et sicut primus fecit vt manna de cœlo descenderet; sic vltimus Redemptor, qui erit Messias, ipse erit placenta tritici in terra.

Cyrill. Alexandrinus in declamatione duodecim capitum, in Synodo Ephesina, ampliorem eorum declarationem petente, sic in capite, sine Anathemate 11. contra Nestorium. Sanctum, *inquit*, ac viuificum, incruentamque in Ecclesiis celebramus sacrificiũ, non hominis alicuius nobis similis & communis corpus, consimiliter & pretiosum sanguinem esse, quod proponitur, credentes: sed magis tanquam proprium viuificantis Verbi corpus & sanguinem accipimus. Communis enim caro viuificare non potest, & hoc ipse seruator testatur dicens: caro non prodest quidquam, &c. Quoniam enim Verbi facta est propria, ob eam causam intelligitur, & est viuifica, sicut Seruator dicit: sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, etiam ille viuet propter me. *Chrysostomus ad hæc exclamat, libro 3. de Sacerdotio*: O miraculum, *inquit*, ô Dei benignitatem! qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, ac seipse tradit omnibus volentibus ipsum excipere & complecti. Et *homil. 83. in Matth.* Verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster decepru facillimus est. Illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus.

Cyprianus ser. de Cœna Domini: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, *Id est, non secundum accidentia, sed secundùm substantiã* Omnipotentiâ Verbi factus est caro. *Ambrosius lib. de initiandis cap. 9. cùm de virga Moysi bis mutata, aqua fluminis Ægypti in sanguinẽ pariter, maris rubri in murum, petra deserti in aquam.* Si tantum, *inquit*, valuit humana benedictio, vt natura conuerteret, quid dicimus de ipsâ consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nã Sacramentũ illudquod accipis, Christi sermone conficitur, &c. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo, quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est, nouas rebus dare, quàm mutare naturas. *Et lib. 4. de Sacramentis cap. 4.* Tu fortè dicis, meus est panis vsitatus: sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorũ: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? cõsecratione. Cõsecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu, &c. Quis sermo Christi? Nempè is quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factũ est cœlum: iussit Dominus, & facta est terra: iussit Dominus & facta sũt maria: iussit Dominus & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius est sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? *Hieronymus item in epist. ad Heliodorum, hoc motiuo, tangitur honore Sacerdotum.* Absit, *inquit*, vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt: perquos & nos Christiani sumus: qui claues regni cœlorum habentes, quodammodo ante iudicij diem iudicant. *Augustinus agmen claudat, exertè Christi corpus in Eucharistia suscipi à ieiunis debere præscribens, in ep. ad Ianuarium:* Et hoc, *inquit*, placuit spiritui sancto, in honorem tanti Sacramenti, vt in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Augus.

EVCHARISTIÆ EFFECTVS.

1. *Eucharistia terra lactea, & vinum spiritale. De Resur. cap. 26. à m.*

IVdæi terrena solummodò sperando, cœlestia amittunt, ignorantes & panem, de cœlesti, repromissum, & oleum, diuinæ vnctionis, & aquam spiritus, & vinum animæ vigorantis ex vite Christi. sicut & ipsam terram sanctam, Iudaïcum propriè solum reputant, carnem potiùs Domini interpretandam, quæ exinde & in omnibus Christum indutis, sancta sit terra. verè sancta per incolatum Spiritus sancti. verè lacte & melle manans, per suauitatem spei ipsius; verè Iudæa, per Dei familiaritatem. [a] *non enim, qui in manifesto Iudæus; sed qui in occulto.*

a Rom. 2. 28.

2. *Eucharistia est corpus Domini, ad altaris sacrificium sumptum, & seruatum, Christi milites ieiunos lætificat. V. Verbum. Statio.*

EVCHARISTIÆ. EFFECTVS. I. SCHOLIA.

IVDÆI TERRENA. *Aug. tract. 25. in Io. 6.* Non est ausus Moyses de se dicere, quòd daret cibum qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam. Aliquid plus iste promittebat quàm Moyses. Per Moysem quippè promittebatur regnum, & terra fluens lac & mel, temporalis pax, abundantia filiorum, salus corporis, & cætera omnia, temporalia quidem, in figura tamen spiritalia, quia veteri homini, in veteri testamento, promittebantur. Attendebant ergo promissa per Moysen, attendebant promissa per Christum; ille plenum ventrem promittebat in terra, sed cibo qui periit: iste promittebat cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Attendebant eum plus promittentem, & quasi nondum videbant maiora facientem. *Subiicit, Iudæos comparasse panes hordeaceos multiplicatos cum manna, & illud præstitisse. Et addidit Christum inducens loquentem Iudæis,* Verus ille panis qui dat vitam mundo, & ipse cibus est, de quo paulò antè locutus sum, operamini cibum qui non perit, &c. Ergo & illud manna, hunc significabat, & illa omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis, qui significabatur contemnitis. Non ergo Moyses dedit panem de cœlo, Deus dat panem. sed quem panem? forte manna? non; sed panem, quem significabat manna. Ipsum scilicet Dominum Iesum. Pater meus dat vobis panem verum. Panis enim Deus est qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo. ET OLEVM. *Psal. 103. 15.* Vt educas panem de terra & vinum lætificet cor hominis: vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. *Aug. in hunc locum*; quem panem? Christum. de qua terra? de Petro & Paulo, de cæteris dispensatoribus veritatis, &c. *Caro mea verè est cibus, &c.* de qua terra panis educitur? Verbum Dei de Apostolis, de dispen-

5. Augus. Augus. Augus.

fatoribus Sacramentorum Dei, adhuc in terra ambulantibus, adhuc corpus terrenum portantibus. Et vinum lætificet, &c. Calix tuus inebrians quàm præclarus est. Nolumus dicere, nemo se inebriet, inebriamini, sed videte vndè. Si vos inebriat calix Domini præclarus, videbitur ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore iustitiæ, videbitur postremò in alienatione mentis vestræ, sed à terrenis in cœlum, &c. quid est exhilaratio faciei in oleo? gratiæ Dei nitor quidam in manifestatione: & sicut dicit Apostolus 1. Cor. 12. Vnicuique autem datur spiritus ad manifestationem, &c. Et panis cor hominis confirmet, &c. Panis iste visibilis stomachum confirmat, ventrem confirmat: est alius panis qui cor confirmat, qui panis est cordis, &c. Panis ille justitia est, vinum illud Justitia est, veritas est, veritas Christus est, Ego sum, inquit, panis viuus, &c. Et ego sum vitis, vos sarmenta, &c. saturabuntur ligna campi: sed de ista gratia, *bona gratia, Eucharistia*, ligna campi plebes populorum. & Cedri Libani, potentes in sæculo, & ipsi saturabuntur; peruenit panis & vinum, & oleum Christi ad Senatores, ad Reges, ad nobiles. *Vt Christiani fierent oleo Christi, & eius Sacramenta reciperent.* AQVAM SPIRITVS. *gratiam, de qua Christus:* fiet in eò fons aquæ salientis in vitam æternam, &c. hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. VIGORANTIS, *si ad Christum referas, vigorem dantis: si ad animam, vigescentis ex Christi sanguine, qui de se dixit*, Ego sum vitis vera. IVDAIORVM SOLVM, *terram promissam Iudæis interpretantur ipsi terram, de qua Exodi 3. dictum est Moysi*, locus in quo stas, terra sancta est. *versu enim 8.* Educam de terra illa in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle. *Quam terram Tertull. de Christi carne explicat, quæ omnibus Christum indutis, id est, baptizatis sancta est, & veneranda, & antequam sumatur, vt sanctum scabellum Domini adoranda. Sancta per jugem habitationem Spiritus sancti; lactea & mellita, per dulcedinem gustus spiritalis, & pignus gloriæ futuræ, in qua* inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &c. FAMILIARITATEM, *qua Deus in Christo animam secum ad conuiuium admittit, nec tantùm ad colloquium; sed sicut Judæa singulis familiis lac & mel fundebat, sic lactea Christi humanitas omnibus Christianis dulcedinem suam effundit.* NON ENIM, *&c. Non est igitur quòd Iudæus lacte terram suam lacteam, &c. & Dei erga se familiaritatem. Non enim Iudæus carnalis, & aperte professionem Iudaismi faciens, Deo acceptus est; sed qui spiritaliter, & in corde filius est Abrahæ, cui vera terra promissa, & benedictio in semine Christus fuit. Terra item promissa fuit beatissima Virgo Maria ex mente diui Augustini; cui sic loquitur Ser. 13. de temp.* Cum gaudio dicamus sanctæ Virgini Mariæ Matri Domini nostri Iesu Christi; dicamus & non confundamur: lacta mater Christi, & Dominum nostrum, & cibum; *En Dominicum conuiuium, de quo præcedenti Scholio*, lacta panem de cœlo venientem, & in præsepi positum, velut pibrum cibaria iumentorum Illic enim cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: circumcisio scilicet & præputium, cohærendo lapidi angulari; *inde, id est ex Maria egressus est lapis & pastor Israël; fundamentum simul fidei & panis confirmantis cor hominis firmamentum. Adeò vt se ipsum lapidem, fecerit panem, & de petra melle saturaret suum populum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Quorum primitiæ fuerunt Pastores &

Magi Lacta eum qui talem fecit te, vt ipse fieret in te; qui tibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & donum virginitatis non abstulit natus. *Addo & hoc tribuit quod sugeret genitus; quo nos quasi modo genitos infantes ad salutis incrementum enutriret in Sacramento præstitus. Sed & ipsam Virginem, post ascensum Christi in cœlum, hac cœlesti mensa fruituram, & impleturã per diuersas & frequentes cõmuniones probat illud Cantici:* Venter tuus aceruus tritici vallatus liliis: *Sic inducit Angelum affantem, Ser. 14. de temp. in fine.* Lactabis infantem proprium, Creatori suo cum porrigis lactis, & cibis cœlestibus satiaris: pannis inuoluis puerum, qui tibi immortale donauit indumẽtum: in præsepio ponis infantilia membra, qui cœlestem tibi præparauit mensam. *Et ne quid desit ad complementum figuræ terræ promissæ in Maria; ipsa lacte riganit botrum illum, in ligno crucis suspendendum, & exprimendum prælo in vinum animæ vigorantis. Accipite Aug. Ser. 100. de temp. à p.* Sicut vua illa Christum Deum figurauit, ita & terra repromissionis, in qua natus est, Sanctæ Mariæ videtur imaginem prætulisse. In ipsa enim impletum est, Veritas de terra orta est. *de qua ipsemet Christus, caro mea vèrè est cibus, & sanguis meus vèrè est potus.* Quomodo autem B. Maria non fuit terra repromissionis, quæ per Prophetam multò ante promissa est? Nam per B. Esaiam Dominus eam ante multa annorum spatia repromisit. Sic enim ait: Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium. Exhibita est enim vua de terra repromissionis, ipsa est enim de qua legimus: fuxerunt mel de petra, & oleum de firma Petra. Et de ipsa Scriptum est; Petra autem erat Christus. Et illud *Deut. 32. 14. butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum & arietum filiorum Basan, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ bibistis meracissimum* cum adipe renium & sanguine vuæ. Et iterum: lauabit in vino stolam suam, & amictum suum in sanguine vuæ. Hæc inquam vua in ligno suspensa duorum defertur obsequio, quæ nobis vtique, sicut iam dictum est, duûm Testamentorum repræsentatur oraculis, quæ in ligno crucis pependit, cuius vinum in pretium nostrum, passionis expressione profluxit. *Sed vindemia defecata, & mera vt aiunt gusta, calix vini meri, absque mixto crudelis & cruenti Sacrificij, fuit in Cœna Dominica, in qua bibimus vinum cum lacte nostro, quia vua virginis lacte fuit enutrita.* Hanc vuam duo deferunt inserto vecte pendentem: possunt isti duo, Christianum vel Iudaïcum populum figurare, &c. & quia prior fuit Iudæorum populus, præcedit Iudæus, sequitur Christianus. Salutem suam is ante conspectum suum gerit, ille post dorsum. Hic obsequium præfert, ille contemptum, &c. Iudæus proximum se æstimat, sed absentat; Christianus ergo præsenti munere fruitur, Iudæus solo onere prægrauatur: quia Christus sicut credenti salus, ita onus est non credenti, &c. Ideò post sequitur iste, sed spem suam sub oculis habens, antecedit & proficit. *sic Tertull. supra, per suauitatem spei ipsius, &c.* Ille prior graditur, sed deserit & recedit. portat quidem Christum in lege Iudæus, sed à gratia quam in mysteriis portat, auersus est, &c. Vnde amborum Dominus & redemptor noster, ab hoc adorante gestatur, ab illo se auersante suspenditur, &c. Christum Dominum, quem prior populus Iudæorum, & post dorsum reliquit & crucifixit, nos postea venientes adorare & portare meruimus, secundùm illud quod Apostolus ait, glorificate & portate Deum in corpore vestro.

3. Eucharistia animam impinguat. De Resur. cap. 8. in m.

CAro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.

4. Eucharistiâ, omni conuiuio lautiore, & omni margaritâ pretiosiore, filij Christi vescuntur; nè mendicius Patre suo cœnent. De Pall. cap. 5. à m. V. Pallium. num. 3. à m.

EVCHARISTIÆ EFFECTVS. III. SCHOLIA.

CARO. *Quia os, lingua, fauces carnis, vt verum cibum & potum, carnem & sanguinem Christi in stomachum demittunt.* SAGINETVR, *vt per Christi carnem, diuinitatem eius coniunctam, cum gratia plenitudine ad salutis augmentum capiamus; dicentes cum Psalte:* Sicut adipe & pinguedine repleatur anima S. Augus. mea. *Supra dixeras Augustinus de Angelorum cibo facto homini communi:* Manducant & saginantur, & integrum manet, quod eos satiat & lætificat. *Et ser. 33. de Verbis Do. vbi ad fructuosam communionem non sufficere realem sumptionem specierum, sub quibus est vera caro & sanguis, nisi cum fide sumatur:* S. Augus. Noli parare fauces, sed cor. Inde cõmendata est istà cœna. Ecce credimus in Christum, quem fide accipimus. In accipiendo nouimus quid cogitemus. Modicum quòd accipimus, *paruam speciem*, & in corde saginamur. Non ergo quod videtur, *species externa* sed quod creditur, pascit. *Quòd autem per lac humanitatis, perueniamus ad saginam deitatis, vel vt ait Tertull.* De Deo anima saginetur, *Praclarè differit Aug. Ser. 38. de Ver. Do. circa f.* S. Augus. Verè dictum est lac. Lac enim dat paruulis, vt cibum sapientiæ det maioribus, lactare patienter, vt anidè pascaris. Quomodo enim fit etiam lac, quo lactantur infantes? nonne esca erat in mensa? Sed inualidus est infans ad comedendam escam quæ in mensa est. Quid facit mater? Incarnat escam, & conficit lac de ipsa. Conficit nobis quod capere possimus. Sic Verbum caro factum est, vt lacte paruuli nutriremur, qui ad cibum quidem eramus infantes. Verum hoc interest; quia quando cibum mater incarnatum lac facit, cibus in lac conbertitur. Incommutabiliter autem manens Verbum, carnem assumpsit, vt esset quodammodò contextum. *Sicut verba contexuntur verbis & nominibus, vt fiat sententia & oratio.* Quod est, non corrupit, non commutauit, vt per habitum tuum, *in quo inuentus est vt homo*, tibi loqueretur, non in hominem transmutatus atque conuersus. *Conuertit quidem panem & vinum in carnem & sanguinem, & per contextum inseparabilis concomitantia, in ipsum Verbum, Patrem, & Spiritum; vt dum carnem sumit caro nostra, quod factum est Verbum, per ipsam carnem lacteam, Deo Verbo, & tota inseparabili Trinitate anima saginetur:* Inconuertibilis enim, & in- Augus. commutabilis, & omnino inuiolabilis manens, factus est quod tu, ad te quod ipse ad Patrem. Ipse enim infirmis quid dicit, vt possint recuperato visu, Verbum ex aliqua parte attingere, per quod facta sunt omnia? Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Deus filius Deo Patri aqualis, ipsum summa sua delectatione pascit; pascit & hominem. Vnde dicebat:* Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, viuet propter me. *Ipse enim infirmis, quid dicit, vt possint recuperare illum visum, mundi cordis, qui obscuratus fuerat apertis oculis carnis cibo vetito, facto collyrio cibo iusto?* Nisi manducaueritis, Augus. &c. Venite ad me omnes qui laboratis, vt in sudore vultus vescamini pane vestro communi, & onerati estis; & ego reficiam vos pane cœlesti, habitante Christo per fidem in cordibus vestris. In charitate radicamini, atque fundamini, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. *Quid hoc est, nisi carne pasta Christi, animam fidelem, per fidem formatam, sine per dilectionem operantem plenè de Deo saginari?*

5. Eucharistia cœna viscералis, pascit fideles, ieiunis manentibus hæreticis. Cont. Iud. cap. 14. à m.

Leuit. 16. 7. Math. 27. 28. & seq. Hebr. 13. 12. VNus eorum circundatus coccino, maledictus, & conspputatus, & conuulsus, & compunctus, à populo extra ciuitatem abjiciebatur in perditionem, manifestis notatus insignibus Christi passionis; qui coccinea circundatus veste, & conspputatus, & omnibus contumeliis afflictus, extra ciuitatem crucifixus est. Alter verò pro delictis oblatus, & sacerdotibus tantùm templi in pabulum datus, secundæ repræsentationis argumenta signabat: qua delictis omnibus expiati sacerdotes templi spiritalis, id est Ecclesiæ, Dominicæ gratiæ quasi visceratione quadam fruerentur ieiunantibus ceteris à salute.

6. In Eucharistia Patrem nostrum sumentes in cibum, mortem eius benedictam facimus. 1. Cont. Marc. cap. 1. à p.

PArentum cadaueta cum pecudibus cæsa, conuiuio conuorant. Qui non ita decesserint, vt escatiles fuerint, maledicta mors est.

EVCHARISTIÆ EFFECTVS. V. ET VI. SCHOLIA.

VNVS ORVM. *Præter dicta alibi, hæc accipe accommodata ad Eucharistiam. Agit de duplici Sacrificio, cruento, & incruento, sub figura duplicis hostiæ, eumdem Christum, veram hostiam repræsentantis. Figura habetur Leuit. 16. 7.* Duos hircos stare D faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij: mittensque super vtrumque sortem, vnam Domino, & alteram capro emissario: cuius exierit sors Domino, offert illum pro peccato: cuius autem in caprum emissarium, statuet eum viuum co-

Digitized by Google

ram Domino, vt fundat preces ſuper eo, & emittat eum in ſolitudinem. *Primus ille Chriſtum lupis, canibus, leonibus extra ciuitatem amandandum in Sacrificio cruento figurauit, qui Hebr. 13. 12.* Extra portam paſſus eſt, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum *Alter autem incruentum figurabat.* SECVNDÆ REPRÆSENTATIONIS. *Alterius veritatis implenda per realem præſentiam Chriſti in Eccleſiæ ſacrificio incruento.* SACERDOTES. *Non tantum intelligit miniſtros altaris, ſed & fideles omnes, quibus Petrus ait:* Vos autem gens Sancta, genus electum, regale Sacerdotium. TEMPLI SPIRITALIS. *Ad differentiam materialis Salomonis. In hoc enim noſtro,* Veri adoratores, adorant Patrem. in ſpiritu & veritate; *Et Chriſtum in Euchariſtia poſitum, velut in* domo, quam ſibi eius Sapientia ædificauit, vbi miſcuit vinum, poſuit mensam, immolauit victimas ſuas *In vna omnes implens* Vbi ſpiritu viuificante, & per verba, quæ ſpiritus & vita ſunt, caro eius & ſanguis, verus cibus & verus potus *Conficitur, Sanctiſſima Trinitas adoratur. Quod autem vetera illa ſacrificia Chriſtum figurarent ſic teſtatur Auguſtinus lib. 18. contra Faustum cap. 6. in f.* De
Auguſt. ſacrificiis animalium, quis noſtrum neſciat, magis ea peruerſo populo; *Subinde ad idola deſluenti, & variis ſacrificiis vni Deo exhibendis occupando,* Congruenter impoſita, quàm Deo deſiderātioblata? ſed tamen etiā in his figuræ noſtræ fuerunt, quia noſtra mundatio, & Dei propitiatio, nobis ſine ſanguine nulla eſt. Sed illarum figurarum veritas Chriſtus eſt, cuius ſanguine redempti & mundati ſumus: nam in figuris eloquiorum diuinorum, & Taurus dictus eſt propter virtutem crucis, cuius cornibus impios ventilauit: *De qua Abacuc. 3. vbi de extremitatibus, ſine cornibus eius, quibus manus volens obtulit: cornua, inquit, in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius: quam ſubiecit, dicens de morte & diabolo triumphato per crucem; ante faciem eius ibit mors, & egrediatur diabolus ante pedes eius. Et quaſi orbis*
Auguſt. *menſuras crux haberet ſibi ſubiectas: ſtetit, inquit, & menſus eſt terram:* Et Aries, propter innocentiæ principatum: & hircus, *De quo hic eſt ſermo,* Propter ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum. *Id eſt de Chriſto facto hoſtia pro peccato, peccatum hominum expiauit & delenit, immo ſeueriſſime in ſeipſo innocentiſſimo condemnatum puni-*
Auguſt. *uit.* Et ſi quod aliud ſacrificij genus expreſſius commemoraueris, in eo quoque tibi Chriſtum propheratum eſſe monſtrabo. DOMINICÆ GRATIÆ. *Euchariſtia, quam & corpus dominicum & Cœnam Dominicam alibi dixit.* QVASI VISCERATIONE QVADAM. *Viſcera quidem miſericordiæ in hoc ſacrificio nobis effundit, vbi* Hircum cum medulla tritici edimus, & ſanguinem Vuæ bibimus meraciſſimum. *De quo vnico Sacrificio, & iuxta Paulum,* Vna oblatione conſummante in ſempiternum ſanctificatos *Pſalles pro Chriſto proloquens dicebat Deo Patri:* Holocauſta medullata offeram tibi, cum incenſo arietum, offeram tibi boues cum hircis. *Sed viſceratio aliquid plus importat. Vox enim iuris eſt, qua ſignificat* Largitionem carnis, quæ publicis epulis fiebat, vel in funere alicuius excellentis perſonæ. *De qua Linius libro 8.* Et populo viſceratio data à M. Flauio in funere matris. *De ea Pomponius l. 54. de leg. & fid. lib. 32.* L. Titius plebi quina millia dedit, hoc amplius Seius, viſcerationem. *Paulus item Iuriſconſultus. l. 21. de legibus, lib. 30. de viſceratione loquitur dum ait:* Quod ad diuiſionem ſingulorum ciuium relictum videtur. *Cicero etiam lib 2. de offic.* Prodigi qui epulis & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu pecunias profundant. *En prodigam Chriſti in homines largitatem, non in matris, ſed propria morte, & ſugi eius memoria factam. Nobis ſuam carnem & ſanguinem, quaſi quadam viſceratione largitur, vt nos, monente Paulo,* Induti viſcera miſericordiæ, beneficentiæ, & communionis non obliuiſcamur, ſed neceſſitatibus Sanctorum, id eſt pauperum Chriſti fratrum communicemus: *Nobis etiam ludum quendam gladiatorium expreſſit in hac ſecunda, id eſt altera ſpecie Sacrificij, quam Tertull.* Secundam repræſentationem *Dixit; quòd licet in vltima cœna,* Gladio Verbi bis acuto, *ſub diuerſis ſpeciebus ſeipſum immolans, cruentum die ſequenti in Caluaria exhibendum expreſſerit, ſecundum tamen dici poteſt, quia poſt cruentum, uſque ad finem mundi, factus eſt* Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. *In quo quidem incruento myſterio, vt ait noſter Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 29. in f. vbi de ſpectaculis Chriſtianorum,* Vis & pugillatus, & luctatus? præſto ſunt non pauca ſimul. Aſpice impudicitiam dejectam à caſtitate; *Hic in Sacramento, in quo eſt vinum germinans virgines, Dagon, idolum Veneris, Arca præſente corruit* Perfidiam cæſam à fide; *in myſterio fidei, Capharnaitarum & Sacramentarorum perfidia caditur;* Sæuitiam à miſericordia contuſam; *Crudelis auaritia, ſæua in pauperes, hîc à Chriſti largitate conteritur.* Petulantiam à modeſtia adumbratam; *Chriſto ſub ſpeciebus velato, immobili, ſenſibus non uente, & confundente petulcos hominis & vagos ſenſus; præſto ſunt, vt vides, non pauca ſimul gladiatorum paria:* Et tales ſunt apud nos agones, in quibus & ipſi coronamur. Vis autem & ſanguinis aliquid? habes Chriſti. *Qui quotidie incruentè effunditur in Miſſæ ſacrificio. Eleganter autem dixit Author noſter;* Quaſi viſceratione quadam, *Non enim vera eſt dilaniatio cæſarum & diuſarum diſtributio carnium, qualem malè & crudeliter intelligebant Capharnaita. Sic enim facinus Chriſtus præcepiſſet fieri, qui in modo ſpiritali ſumi hîc voluit, non tamen excludente realem præſentiam carnis & ſanguinis ſui, ſed memoriam cruenti Sacrificij reuocante & figurante hinc corpore ſeorſum, inde ſanguine conſecrato, hoſtia fracta, & dominicis buccellis ſigillatim fidelibus diſtributis, id repræſentantibus. Et ſic patet reſponſio lucidiſſima faciendа hæreticis, quoties obiecerint Tertullianum, aut Auguſtinum figuratè accipientibus dicta in Euangelio, de manducatione corporis Chriſti, cùm alioquin firmiter, & expreſsè de realitate, vt vidimus, ſcripſerint Sic ergo intellige quod habet Aug. to. 3. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 16.* Si præceptiua locutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans, aut vtilitatem, aut beneficium iubens, non eſt figurata. *Hoc eſt, ad literam vt ſonant verba, accipienda eſt.* Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata eſt. *Non ad literam* S. Auguſt.
crudè, ſed ſenſu ſpiritali accipienda eſt: ſicut immediatè ſubiicit de præcepto Euchariſtiæ ſumendæ: Niſi S. Auguſt.
manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus, vel flagitium, videtur iubere. *Si crudè cum Capharnaitis hæc viſceratio abſolutè ſumatur de effuſo ex venis ſanguine, & carne conciſa; vnde ſcitè dixit Tertull. quaſi viſceratione quadam,* Et, habes ſanguinis aliquid, *Et ipſe ait, qui hîc repræſentatur, in memoriā cruenti ſacrificij. Cuius incruentum figura eſt, totum ſanguinem, non aliquid eius continens. Vnde ſubiicit Aug.* Figura eſt ergo præcipiens, Paſſioni S. Auguſt.
Domini eſſe communicandum, *Sub ſpeciebus panis, & vini, corpus eius, & ſanguinem verè ſumendo, ſed modo ſuaui, non crudeli:* Et ſuauiter atque vtiliter

S. Augst. recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata sit. IEIVNANTIBVS CÆTERIS. *Iudæis, & hæreticis, non* haurientibus salutem à Domino *de vero esu & potu; sed vt ait Aug.* Imagines rerum famelica cogitatione lambent, vtinam fatigarentur inedia, & dicant, quis S. Augst. ostendet nobis bona? *Sed picto racemo Zeuxis, pictis Heliogabali epulis, id est figuris inanes relinquamus pastos ventos hæreticos.* Ventosque pascentes.

Sed & IEIVNANT A SALVTE, *gentiles omnes, qui ad baptismi gratiam, ad Eucharistiæ cœnam viscerales, ad fidem non vocati, suâ culpâ, peccati originalis merito, vel etiam actualium, quo, lumine naturali, cæteris Dei donis abutentes, ab vnius Dei cultu ad Idolorum adorationem peruersè conuersi creaturæ magis quàm Creatori seruiunt.* IEIVNANT A SALVTE *multi etiam fideles, & plerique, quod lugendum est, Sacerdotes, qui licet* Virgine adhuc saliua, *vt ait Tertullianus, id est ieiuni, ad altare, mensamque Dominicam accedant, conscientiâ peccati lethalis inquinata, non salutem sed iudicium sibi manducant & bibunt.* Quàm multi de altari sumunt, & de S. Augst. ipso altari moriuntur, *ait Augustinus. Et nunquid tamen in ipsa consecratione Calicis,* in Cœna Domini, sic præmittitur, qui pridie quàm pro nostra, omniumque salute pateretur, hoc est hodiè, *& in altari crucis, pro nostra omniumque salute Christi sanguis effusus est? Neque verò hic mihi hæreticus aliquis aut libertinus, Innocentium III. & Doctorem Angelicum opponat: facilè enim argumẽta ex ipsis adducta dissoluã. Sic enim mihi nuper Innocentij liber obiectus est, vbi libro 3. de officio Missæ, cap. 15. folio 67. enim ticulus est:* Pro quibus sanguis Christi effusus est. *Respondet verba sumpta ex Euangelio Matthæi in consecratione Calicis:* Pro multis effusus est in remissionem omnium peccatorũ. Pro solis prædestinatis effusus est, quantũ ad efficaciã, sed pro cunctis hominibus effusus est quantũ ad sufficientiam. Effusio namque sanguinis iusti pro iniustis, tam efficax fuit ad pretium, vt si vniuersitas crederet Redemptorem, nulla omnino diaboli vincula remanerent, &c. quia ergo iniustè punitus est, iniusti iustè sunt liberati. Assumpsit enim in se pœnam pro omnibus, vt daret per se gloriam vniuersis, *Nec sibi contradicit, nec cum eo Innocentius X. in sua, vt volunt hæretici, Constitutione confligit. Certum est enim,* non esse Semipelagianum, sed plenè Catholicum, dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum. *Et hæreticum est contrarium dicere, cùm absolutè scriptum sit ab Apostolo,* Christum pro omnibus mortuum. *Et Ioanne;* propitiationem esse pro totius mundi peccatis. *Cui plenè respondet Innocentius III. postremus his verbis:* assumpsit in se pœnam pro omnibus, vt daret per se gloriam vniuersis. *Quis enim neget per se sufficiens & plus quàm sufficiens meritum & pretium sanguinis Christi? imò, vt præmiserat,* tam efficax ad pretium, vt si vniuersitas crederet Redemptorem, nulla omnino diaboli vincula remanerent; vt sic daret per se gloriam vniuersis. *Sed quia non omnes credunt, ideo ex Paulo solis* credentibus & obtemperantibus sibi factus est causa salutis æternæ. *Efficax inquam causa omnibus obtemperantibus, & cum gratiâ, & dono obtemperantibus, qui pro omnibus etiam reprobis sufficiens obtulit pretium. Quod autem dixit* pro solis prædestinatis effusum sanguinem, quantum ad efficaciam; *nec sibi, nec Innocentio X. nec Concilio Tridentino repugnat. Indubiè enim intelligendum est, non de quocumque effectu, siue efficacia applicationis meriti sanguinis Christi, cui omnes fideles & baptizati, quantumuis reprobi, verè & propriè efficienterque participant: sed de plena, perfecta, consummata efficacia, qua speciali dono, in finem vsque perseuerent. Dicente Apostolo de prædestinatis, vt alibi diximus:* Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. *Multi enim iuxta Euangelium,* ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: *in finem vsque non perseuerant, nec Dei mandatis constanter obtemperant, à quibus, sua culpa, sua superbia, & gratia sufficientis negligentiâ, iusto Dei iudicio repelluntur. Quod veriens Dauid, supplex orabat, psal. 118. 10.* ne repellas me à mandatis tuis. *Hoc est ne finas me repelli seductum & inductum à tentatore. Ne finas me ingratitudine mea iram tuam prouocare, quâ, manente licet sufficiente auxilio; efficaci tuo destituar adiutorio. Sic enim exponit Augustinus hunc locum Psaltis concione* 5. Ecce, inquit, orat vt adiuuetur ad custodienda Augst. verba Dei, in quo dixerat viam suam corrigere iuniorem. Nam vtique hoc est, ne repellas me à mandatis tuis. Quid est enim à Deo repelli, nisi non adiuuari? *adiutorio scilicet efficaci.* Mandatis quippe eius rectis atque arduis, *non ex seipsis, iugum enim eius suaue, & onus leue, sed spectatâ, vt subdit, natura lapsa infirmitate* humana non contemperatur infirmitas, nisi præueniens eius adiuuet charitas. Quos autem non adiuuat, *efficaciter vt supra,* Hos meritò perhibetur repellere, tanquam flammeâ frameâ prohibeantur indigni, ne manum extendant ad arborem vitæ. *Ne viuant in æternum, hoc est ne perseuerent in gratia Dei, quæ est vita æterna, & inducit in ea perseuerantes vsque in finem, in gloriam quæ non habet finem.* Quis est autem dignus, ex quo per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt? Sed indebitâ Dei misericordiâ sanatur debita nostra miseria. Nam iste qui loquitur, & dicit: in toto corde meo exquisiui te, ne repellas me, &c. Et hoc vnde posset, *Aduerte rursum indigere nos gratia efficaci, ad orandum,* Nisi eum auersum ad se ipse conuerteret cui dicitur: Deus tu conuertens viuificabis nos: & ille perditum quæreret, & errantem ille reuocaret, qui dicit Ezech. 34. Quod perierat requiram, & quod errauerat reuocabo? inde est quod & corrigit viam suam in custodiendo verba Dei. ILLO REGENTE, ILLO FACIENTE: *Ita tamen vt ipse liberè & cum plena indifferentia & liberrimè faciat absque necessitate & coactione:* Neque enim per se *Solum, & proximè* ipse posset: cùm Ieremias propheta fateatur & dicat: iuxta 70. cap. 10. 23. Scio Domine, quoniam non est hominis via eius: neque vir ibit & corrigit viam suam. *Vel vt lego apud Fortunatum Fanensem nostri Ordinis in sua translatione 70. Interpretum:* Et diriget gressum suum. *Et ibid. ex Santte Pagnino ex Hebr.* Noui Domine quòd non est hominis via eius, nec eius est, vt præparet gressum suum *Vulgata autem:* Scio Domine quia non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. *Quis enim dirigat cor suum, ad orandum sicut oportet, distractionibus plenus, nisi Deo dirigente, cui dicitur optando ex eius dono,* Dirigatur Domine oratio mea, &c. *Tu paraſti directiones, &c. Quis vel Iesum innocet, nisi in Spiritu sancto postulante, id est postulare faciente?* Qui & cum clamore valido & lacrymis exauditus est pro sua reuerentia, in eo clamans in quo nos adoptionis filij clamamus, Abba pater. *Hinc Augustinus Epist. 206. inscripta Palatino. In supplem. Parte 1.* Oras non iam, vt accipias diuitias aut honores præsentis sæculi, aut aliquid vanitatis, sed ne intres in tentationem. At Augst. quod vtique si homo sibi præstare posset volendo, non posceretur orando. Quapropter vt non intremus in tentationem, sit voluntas sufficeret, non

oraremus,

oremus, quæ tamen si deesset, nec orare posse-
mus. Adsit ergo, vt velimus, oremus autem, vt
valeamus quod voluerimus, cùm ipso donante,
rectè sapuerimus. Quod donum quia iam acce-
pisti, est vnde gratias agas. *Et hic Diuus Thomas
sic: intelligendus est, quomodo suprà Innocentius III.
cùm 3. parte qu. 21. ar. 4. præmisso loco Hebr. 5. cum
clamo e valido, &c. sic concludit:* Cùm Christi vo-
luntas absoluta Deo semper fuerit conformis, sem-
per oratio à Deo Patre fuit exaudita. *Tum in corpo-
re:* Respondeo, inquit, dicendum, quòd oratio
est quodammodo interpretatiua voluntatis humanæ. Tunc ergo alicuius orantis exauditur oratio,
quando eius voluntas adimpletur. Voluntas autem
simpliciter hominis est; rationis voluntas: hoc enim B
absolutè volumus, quod secundùm deliberatam
rationem volumus. Illud autem quod volumus se-
cundùm motum sensualitatis, vel etiam secundùm
motum voluntatis simplicis, quæ consideratur vt
natura, non simpliciter volumus, sed secundùm
quid, scilicet si aliud non obsistat, quod per deli-
berationem rationis inuenitur. Vnde talis voluntas
magis est dicenda velleitas, quàm absoluta volun-
tas, quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non ob-
sisteret. Secundùm autem voluntatem rationis,
Christus nihil aliud voluit, nisi quod sciuit Deum
velle. Et ideò omnis absoluta voluntas Christi,
etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo con-
formis. Et per consequens omnis eius oratio fuit
exaudita. Nam & secundùm hoc aliorum orationes C
implentur quòd sunt eorum voluntates Deo con-
formes: secundùm illud Rom. 8 qui autem scruta-
tur corda, scit, id est approbat, quid desideret Spi-
ritus, id est quid faciat sanctos desiderare: quo-
niam secundùm Deum, id est secundùm conformi-
tatem diuinæ voluntatis, postulat pro sanctis.
A secundum autem argumentum quod erat: ipse ora-
uit, vt peccatum crucifixoribus suis ignosceretur,
vt patet Luc. 22. Non tamen omnibus peccatum il-
lud fuit dimissum: nam Iudæi fuerunt pro illo pec-
cato puniti. *Addo ego vt plerumque excæcati. Sic respon-
det:* Ad secundum dicendum, quòd Dominus non
orauit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam
pro omnibus qui erant credituri in eum: *quod intel-
ligendum est vt suprà, de plena & efficaci fide per dile-
ctionem operante perseueranter vsque in finem, cùm cer-* D
*tum sit orasse, & sanguinem fudisse pro quocumque fi-
deli, etiam non perseueraturo & reprobo; nemo enim fi-
dem, nemo gratiam quantulancumque supernaturalem
accipit nisi per merita orationis & sanguinis Christi.* Sed
pro his solùm qui erant prædestinati, & per ipsum
vitam consecuturi æternam. *Et hæc est perfecta &
cõsummata salus, quam solis prædestinatis, vt diximus,
impendit. Et hæc iuxta Concil. Trid. sess. 6. cap. 2. & 3. vbi
Iudæis & Gẽtibus, hoc est toti mundo, cùm dixisset Chri-
stum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius:* Verùm,
inquit, & si ille pro omnibus mortuus est, non om-
nes tamen mortis eius beneficium recipiunt: *istam
autem non receptionem clarè explicat subiiciens:* sed ij B
dumtaxat, quibus meritũ passionis eius communi-
catur, &c. cùm renascentia per meritum passionis
eius, gratiâ qua iusti fiunt, illis tribuatur. *Quod
optimè in Catechismo Romano ex Decreto Cõcilij Trid.
Pij V. Pontificis Maximi iussu edito declaratur parte
2. cap. 4. de Eucharistia Sacramento numero nihil 20. de
forma conficiendi sanguinis.* Appositè, inquit, potiùs
quàm in consecratione Corporis, Passio Domini-
ca commemoratur his verbis: Qui effundetur in
remissionem peccatorum. Sanguis enim separatim
consecratus, ad passionem Domini & mortem, &
passionis genus ante omnium oculos ponendum,

A maiorem vim & momentum habet. Sed verba illa
quæ adduntur pro vobis & pro multis, à Matthæo
& Luca singula à singulis, *pro vobis apud Lucam 22.
21. apud Matth. 26. 28. pro multis:* sumpta sunt: quæ
tamen sancta Ecclesia Spiritu Dei instructa simul
coniunxit; pertinent autem ad passionis fructum
atque vtilitatem declarandam. Nam si eius virtu-
tem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem à
Saluatore effusum esse fatendum erit: *efficientia,
de qua suprà Innocentius I II:* Si verò fructum, *id est
efficaciam siue efficientem communicationem; de qua
Concil. Trid.* quem homines ex eo perceperint, co-
gitemus, non ad omnes, sed ad multos tantùm, *vt
habet expressa forma Calicis:* eam vtilitatem peruenire facilè intelligemus. *Vnde miror nodum in scirpo
quærentes & in manifesto nubilum. Et licet Iudam
ex ceperit ab efficacia perseuerantiæ, ei tamen ex Augu-* S. August.
*stino primam Eucharistiam ore suo confectam tradidit,
licet non in remissionem, sed augmentum peccatorum,
quia bonum malè malus accepit: Caterùm alibi proba-
nimus pro Iuda mortuum, cui magnas gratias contulit
vi & merito futuræ passionis.* Cùm igitur pro vobis
dixit: eos qui aderant, vel delectos ex Iudæorum
populo, quales erant discipuli, excepto Iuda, qui-
buscum loquebatur, significauit. Cùm autem ad-
didit, pro multis, reliquos electos ex Iudæis aut
Gentibus intelligi voluit. Rectè ergo factum est,
vt, pro vniuersis, non diceretur, cùm hoc loco
tantummodò de fructibus passionis sermo esset,
quæ salutis, *æterna scilicet, & non temporalis etiam
multi reprobi pro præsenti iustitia percipiunt,* fructum
delectis solùm attulit. Atque huc spectant verba il-
la Apostoli Hebr. 9. Christus semel oblatus est, ad
multorum exhaurienda peccata. Et quod Dominus
apud Ioannem 17. inquit: Ego pro eis rogo, non pro
pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi,
quia tui sunt. *Ceteri iuxta Tertullianum, à salute sci-
licet æterna ieiunabunt,* famem patientur vt canes,
& circuibunt ciuitatem, *æterna Babylonis, & exitum
nullum inuenient. Tu verò,* lauda Hierusalem Do-
minum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confor-
tauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis
in te; qui posuit fines tuos pacem, & adipe fru-
menti satiat te. *Vsi Aug. in Psal. 147.* transiit fames S. August.
& sitis iustitiæ, succedit saturitas. Qui ibi erit adeps
frumenti, nisi panis ille qui de cælo descendit ad
nos? In patria ipsa quomodo saturabit, qui in pe-
regrinatione sic pauit?

6. PARENTVM CADAVERA. *Hoc Ter-
tull. de Pœnicis refert, quod aly historici de Antro-
pophagis; isti autem simul parentum senum cadave-
ra comedebant; Quorum autem carnes à filiis non ede-
bantur, crudeli superstitione, mors eorum infausta cen-
sebatur. Felix mors Christi, & pretiosa, cuius filij simul
eius carnem comedunt, in memoriam mortis eius, quæ
per Iob prædixerat cap. 31. 31.* Si non dixerunt viri ta-
bernaculi mei, quis det de carnibus eius vt sature-
mur? *70. autem,* quod si & sæpè dixerunt ancillæ
meæ, quis vtique det nobis, vt carnibus eius satie-
mur? cùm valde bonus essem. *De Antropophagis
Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 20. vbi & in resurrectione, sin-
gulis etiam denoratis carnem restituendam probat:* Si
quispiam confectus fame atque vescatur cadaueri- S. August.
bus hominum, quod malum aliquoties accidisse, &
vetus testatur historia & nostrorum temporum in-
felicia experimenta docuerunt, &c diximus om-
nipotentem Deum posse reuocare quod fugit, &c.
ab illo quippe altero tanquam mutuo sumpta de-
putanda est: quæ sicut æs alienum ei redhibenda
est, vnde sumpta est. *Christi autem caro viuifica sum-
pta, velut germen est resurrectionis gloriosæ; vnde Chri-*

ſus: qui manducat meam carnem, &c. habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. *Vnde Auguſtinus, & de matre Monica, nil curante vbi corpus conderetur, de reſurrectione ſecura, notat libro 6. Confeſſ. cap. 2 prohibitam à beato Ambroſio, ob abuſum Italiæ, ad memoriam, id eſt ſepulchra martyrum, pultes, & panem, & merum afferre iuxta morem Africæ:* Quia, *inquit*, illa quaſi parentalia, ſuperſtitioni Gentilium eſſent ſimillima, abſtinuit ſe libentiſſimè, & pro caniſtro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias Martyrum afferre didicerat, vt & quod poſſet, daret egentibus, & ſi, *Aly legunt, ſic*, Communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cuius paſſionis imitatione immolati & coronati ſunt Martyres. *Senſus longè melior eſt*, Et ſic, *in quo & ipſa memor dicti Pauli, beneficentiæ in pauperes non erat immemor, & communioni corporis Chriſti participabat, de quo martyres fortitudinem patiendi, & ſpem ad gloriam reſurgendi hauſerant.*

S. Auguſt.

7. Euchariſtia, panis quotidianus, Chriſto nos vnit inſeparabiliter, & vitam æternam donat. De Orat. cap. 6. in p.

a Matth. 6. 11. b Io. 6. 35. Ibid. 33. c Luc. 22. 19.

PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA NOBIS HODIE, ſpiritaliter potiùs intelligamus. Chriſtus enim panis noſter eſt, quia vita Chriſtus, & vita panis b *Ego ſum*, inquit, *panis vitæ*. Et paulo ſupra: *Panis eſt Sermo Dei vini, qui deſcendit de cœlis*. Tum quod & corpus eius in pane cenſetur: c *Hoc eſt corpus meum*. Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & indiuiduitatem à corpore eius.

8. Et de Præſcr. cap. 36. circa f.

LEgem & Prophetas cum Euangelicis & Apoſtolicis litteris miſcet, & inde potat fidem, eam aquâ ſignat, Sancto Spiritu veſtit, Euchariſtiâ paſcit.

EVCHARISTIÆ EFFECTVS. VII. ET VIII. SCHOLIA.

SPIRITALITER POTIVS. *Quàm de pane materiali ad victum carnis neceſſario.* VITA CHRISTVS. *Qui dixit:* Ego ſum via, veritas & vita. PANIS VITÆ. *Io. 6. 35.* Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet in æternum. SVPRA. *Verſ. 33.* Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. IN PANE CENSETVR. *Conſecratur, æſtimatur, iudicatur, creditur à fidelibus eſſe ſub ſpeciebus panis, quæ ob ſimilitudinem, panis dicuntur. Vel ſi omnem ſubſtantiam, cenſum & redditum Dei in Chriſti corpore contentum intelligas, iuxta Auguſtinum diſce quod,* Animæ in gratia conſtitutæ cenſus & hæreditas dignatur eſſe ipſa diuinitas. *Non autem hîc fauet Lutheranis impanatoribus, tranſubſtantiationis incredulis; non enim cum pane, ſine in pane, vult cenſeri à Chriſtianis eſſe Chriſti corpus, ſed cenſetur, iubetur à Chriſto, qui primus in pane conſecrauit corpus ſuum. Sine melius, panẽ in corpus ſuum conſecrando mutauit, cæteros poſt ſe Apoſtolos & Sacerdotes iubens hoc facere, ad eius imitationem & mortis eius memoriam.* PERPETVITATEM. *Indiuiduam corpori eius inhærentiam, ſicut ex Cyrillo, duæ cera liquefactæ coaleſcunt. Inde Chriſtus Io. 6. 57.* Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. *In quem locum Auguſtinus tract. 27.* Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. PANEM QVOTIDIANVM. *De frequenti & quotidiano vſu Euchariſtiæ, vel ex reſpectu & honore interminendo, vel ex feruore continuando, ſic Aug. ep. 118. ad Ianuarium.* Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Euchariſtiam. Quæſieris, quare? quoniam, inquit, eligendi ſunt dies, quibus puriùs homo continentiúſque viuat, quò ad Sacramentum digniùs accedat. Qui enim manducauerit indignè iudicium, &c. Alius contra: imò, inquit, ſi tanta eſt plaga peccati, atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda ſint, authoritate Antiſtitis, debet quiſque ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eâdem authoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non vt arbitrio ſuo, cùm libet, vel auferat ſe communioni, vel reddat. Cæterùm ſi peccata tanta non ſunt, vt excommunicandus quiſquam homo iudicetur, non ſe debet à quotidiana Medicina Dominici corporis ſeparare. Rectiùs inter eos fortaſſe quiſquam dirimit litem, qui monet, vt præcipuè in Chriſti pace permaneant. Faciat autem vnuſquiſque quod ſecundùm fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit, Zachæus, & ille Centurio; cùm alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum, alter dixerit, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ambo Saluatorem honorificant diuerſo & quaſi contrario modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti. Valet etiam ad hanc ſimilitudinem quòd in primo populo vnicuique manna ſecundùm propriam voluntatem in ore ſapiebat; ſic in ore cuiuſque Chriſtiani, Sacramentum illud quomodo ſumatur, æſtimandum. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere; & ille honorando non audet vllo die prætermittere; contemptum ſolum non vult cibus ille, ſicut manna faſtidium. Inde enim & Apoſtolus indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non diſcernebant à cæteris cibis, veneratione ſingulariter debitâ. Continuò quippè cùm dixiſſet, iudicium ſibi manducat & bibit, addidit vt diceret, non diiudicans corpus Domini. Quod ſatis toto ipſo loco, in epiſtola ad Corinthios 1. ſi diligenter attendatur, apparet. *Et to. 4. lib. 2. de Ser. Do. in monte cap. 7. in hac verba orationis Dominicæ*; Panem noſtrum quotidianum da nobis, &c. De Sacramento corporis Domini, vt illi non moueant quæſtionem, qui plurimi in Orientalibus partibus non quotidie Cœnæ Dominicæ communicant, cùm iſte panis quotidianus dictus ſit: vt ergo illi taceant, neque de hac re ſuam ſententiam defendant, vel ipsâ authoritate Eccleſiaſticâ ſint contenti, quòd ſine ſcandalo iſta faciunt, neque ab eis qui Eccleſiis præſunt facere prohibentur, neque non obtemperantes damnantur: vnde probatur, non hunc in illis partibus intelligi quotidianum panem. Nam

S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

Digitized by Google

magni peccati crimine arguerentur, qui ex eo non accipiunt quotidie. *Et Ser. 28. de Verbis Domini cum dixisset ex Græco* (*meum*) *supersubstantialem panem*, Non iste, *inquit*, panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulsit, &c. Latinus autem hunc panem quotidianum dixit, &c. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodũ Græci in Oriente consueuerunt. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic viue vt quotidie merearis accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Sanctus Iob quotidie pro filiis offerebat Sacrificium, *& quotidie manna pluebat, & die veneris, pro sabbato, quo non pluebat, duplex mensura colligebatur*, ne fortè aliquid vel in corde, vel in sermone peccassent. Ergo tu audis, quòd quotiescunque offertur Sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini, *Ascensio* significetur, & remissio peccatorum: & panem istum vitæ nostræ quotidianum non assumis? qui vulnus habet medicinam requirit; vulnus est, quia sub peccato sumus: Medicina est cœleste & venerabile Sacramentum, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit. Quomodo? filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie est, quando Christus resurgit. Heri & hodie ipse est. Paulus Apostolus ait. *O stupenda dignitas Sacerdotis: vt qui semel ex vtero virginis nasci dignatus est, qui hodie, vt ab æterno, & quotidie* ex ore altissimi prodit, primogenitus omnis creaturæ, *quotidie oriri velit in manibus, & ex ore Sacerdotis; vt in os & stomachum cuiuslibet dignè communicantis ingrediatur, cuius* deliciæ esse cum filiis hominum. *Et rursum homil. 42. in qua exponit orationem Dominicam*: Intelligitur hoc etiam valde bene, panem nostrum quotidianum, &c. Eucharistiam tuam quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant, vt bona faciant, vt in bonitate, & fide & bona vita perseuerent. *Quod Tertull. dixit, petendo panem quotidianum perpetuitatem postulamus in Christo.* Hoc optent, hoc orent: quia qui non perseuerant in bona vita, *id est gratia*, separabuntur ab illo pane. Ergo panem nostrum quotidianum da, &c. Quid est? sic viuamus, vt ab altari tuo non separemur. *Vide infrà V. ad Euchar. dispositio. n. 4.*

August.

August.

August.

8. MISERT. *Scilicet Ioannes Apostolus vetus & nouum testamentum simul coniungit.* VNDE POTAT IDEM. *Propinat bibendam fidelibus, ex his veritatis fontibus haustam.* AQVA SIGNAT. *Baptismo Characterem fidei imprimit animæ baptizatæ.* SANCTO SPIRITV VESTIT. *Confirmationis Sacramento*, *seu*, Virtute ex alto superinduit. *Præterindutum Iesum in Baptismo: domestici quippè sapientiæ* vestiti sunt duplicibus. EVCHARISTIA PASCIT. *Optimè, quasi proprio* Fidei mysterio, *Quod etiam in consecratione calicis inseritur. Nutritur enim & crescit fides tanto cibo, & vero animæ alimento. De quo sic Aug. ser. 2. de Ver. Apostoli in p.* Audiuimus veracem magistrum, diuinum redemptorem, humanum Saluatorem, commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum: locutus est enim nobis de corpore & sanguine suo: corpus dixit escam, sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles. Audientes autem, quid aliud quàm vitam audiunt? cùm ergo commendans talem escam, & talem potum, diceret, nisi manducaueritis carnem meam, &c. Non habebitis vitam in vobis. Et hoc diceret de vita, quis alius quàm ipsa vita? erit autem illi homini mors, non vita, qui mendacem putauerit vitam, &c. Illud manducare refici est: sed sic reficeris, vt non deficiat, vnde reficeris. Illud bibere, quid est nisi viuere? manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam, & integra est vita. *Sicut oculus lucem participat Solis, & integrum ei manet lumen: quantò magis hoc de Sole iustitiæ, de quo Io. 1. Et vita erat lux hominum. Et qui veritas & vita est, verè dixit carnem suam vitam, & vitam æternam.* Tunc autem hoc erit, id est vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, *Species scilicet panis & vini, quæ inuisibiliter, realiter tamen continent corpus Christi, sicut inuisibilis anima continetur in corpore nostro, illudque sua vi continet, vt sustinet Christus accidentia.* In ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur. Audiuimus enim ipsum Dominum dicentem, spiritus est qui viuificat, &c. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt, inquit, quidam qui non credunt. Ipsi dicebant: durus est hic sermo, quis potest eum audire? durus est, sed duris: hoc est, incredibilis, sed incredulis. *Nam vt ait Paulus:* Fides ex auditu auditus autẽ per verbum Christi: *Cui sic loquenti, qui non credit, auditu fidei caret, durè audit,* Ab auditione mala timebit. *Sed &* Qui non credit, iam iudicatus est, & si iustus ex fide viuit, mortuus est qui non habet fidem. *Et indicandus est verè seuerè, qui mendacem indicauit veritatem dicentem.* Caro mea verè est cibus, &c.

S. August.

S. August.

S. August.

S. August.

9. *Eucharistiam etiam sub specie vini olim sumptam à baptizatis; vt discerent etiam subire baptismum sanguinis. De Bapt. cap. 16. à p.*

VEnerat *per aquam & sanguinem*, sicut Ioannes scripsit, vt aquâ tingueretur, sanguine glorificaretur; proinde nos faceret aquâ vocatos, sanguine electos. Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit; quatenus qui in sanguinem eius crederent, aquâ lauarentur. qui aquâ lauissent, etiam sanguinem potarent. Hic est baptismus, qui lauacrum & non acceptum repræsentat, & perditum reddit.

à 1. Io. 5. 8. Io. 19. 34.

EVCHARISTIAM DEBENT SVSCIPERE BAPTIZATI. IX. SCHOL.

VENERAT. *Sic 1. Io. 5. 6.* Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus: non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. AQVA TINGVERETVR. *In Iordane à Ioanne baptizaretur.* SANGVINE GLORIFICARETVR. *Rex martyrum coronaretur, & sanguinem fundens ex latere, filius Dei cognosceretur. Hinc passioni & sanguinis effusioni proximus, cùm iam suum in institutione SS. Sacramenti sanguinem potasset, & potum ex eo discipulis præbuisset, in præclaro illo sermone in Cœna facto, cùm dixisset Io. 13. 30. post egressum Iude:* Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum. Et *cap. 15. 1. Vitem se dixisset, de qua iam sanguinem vua instrumentum biberant discipuli; quòque ipse*

ebrius vt Noë, in crucis tabernaculo nudandus, & ab Hebræo populo velut Cham maledicto irridendus erat, & sanguinem crudeliter effusurus: vt horsaretur suos palmites adferendam in persecutionibus putationem, & refundendum pro potato sanguinem. Ego sum, inquit, vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum; & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructũ plusafferat, &c. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multum. *Quam pulchrè, post Eucharistiam sumptam, de qua dixerat Io. 6. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo:* In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. *Hoc est, post eum venientes, tollentes crucem, sequentes eum. Et cap. 16.* 2. Absque Synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. *Tum verò cap. 17. 1. se fuso sanguine clarificandum volens ostendere.* Pater, *inquit*, venit hora, clarifica filium tuum, *Syr.* Glorifica, vt filius tuus clarificet te &c. Et nunc clarifica me tu Pater, apud temetipsũ, claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te. *Et qua est hæc claritas & gloria, nisi quia petit, vt sicut* In principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: *Sic & per sanguinem apud homines Deus agnoscatur. Vnde & eo mortuo, post fusum ex latere sanguinem, multi percutientes pectora sua clamabant:* Verè filius Dei erat iste. AQVA VOCATOS. *Per baptismum enim vocamur, & per hanc ianuam intramus in Ecclesiam.* SANGVINE ELECTOS. *Certissimè enim quicumque pro Christo sanguinem fundunt, in electorum numero computantur. Cum multi baptizati, in fide, & gratia, & charitate non perseuerent vsque in finem.* HOS DVOS. *Videsem dicta in hunc locum. V. Baptismus sanguinis. 2.* REPRÆSENTAT. *Martyrium quippe statim cœlum aperit, & idem præstat quod baptismus, sed iam post lauacrum morienti. Vox parrò iuris. Vnde Cicero Philippica 2.* Ego, *inquit*, corpus, libenter obtulerim, si repræsentari morte mea, libertas ciuitatis posset. *Id est accelerari. Sic Seneca lib. 5. epist. 1.* Petis à me, vt id quod in diem suum dixeram debere differri, repræsentem, & scribam tibi *Sed & in iure, non tantùm significat ante diem soluere, sicut accipit Vlpianus l. 8. § 3. ff. de transact. Sed & locum alterius ac numerum obtinere, vel tantundem valere. Et eodem Vlpiano l. 1. § 1. ff. si is qui testa.* Culpa dolo proxima, dolum repræsentat. *Repræsentare item dicitur Præses Prouinciæ ius in Prouincia, qui in eadem iudicis & iuris vicem tenet. l. 1. C. vbi causa stat. Eodem modo pecunia repræsentatur quæ in computationem, vel solutionem perinde admittitur, atque si statim deberetur, cùm tamen in diem sit debita, ita Vlpianus in l. cùm hi. ff. de transact. Sic ergo baptismus sanguinis, vicem aquæ supplet, & ante diem iudicij in gloriam induxit animam, & corpus interdum incorruptum seruat, & per miracula glorificat.* PERPETVM REDDIT. *Non quidem baptismum ipsum irreiterabilẽ, sicut habet characterem indelebilem, sed eius gratiam per peccatum lethale amissam; vel soluit peccatorum pœnam, quam & ipsam baptismus abstulerat in adultis.*

ETIAM SANGVINEM POTARENT. *Duplex sensus est horum verborum. Primus, vt potare sanguinem, sit cum filiis Zebedæi calicem Christi bibere, quem iuxta Hilarium, à se in Martyres transferri à patre postebat, vt non solus biberet: vnde & secundùm Augustinum, in hac agonia non caput tantùm, sed & totum corpus, baptismo sanguinis ex sudore perfusum est, quia & corpus eius quod est Ecclesia, cum iisdem filiis Zebedæi, calicem eius debebat bibere, & baptismo quo ipse, habebat baptizari. Accipe Augustinum in Supplemento, parte 2. ser. 34. de Martyribus. Vbi ex Psalm.* Quid retribuam Domino, &c. Quærit, *inquit*, quid retribuat: angustias patitur, vnde debitum soluat, non inuenit. Quid retribuam? &c. Et quasi inuenerit quod retribueret. Calicem, *inquit*, salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Quid est hoc? Certè reddere cogitabat. Adhuc quærit accipere, dicens: calicem salutaris accipiam. Quis est calix iste? calix passionis, amarus, & salubris: calix, quem nisi priùs biberet medicus, tangere timeret ægrotus. Ipse est calix iste. Agnoscimus in ore Christi calicem istum, dicentis, Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Nam & filij Zebedæi, per matrem suam quæsierunt excelsa loca, vt vnus eorum sederet à dextris, alius à sinistris, quibus ille ait: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Altitudinem quæritis? per vallem venitur ad montem. Sedem quæritis claritatis? priùs bibite calicem humilitatis. De ipso calice dixerunt Martyres: calicem salutaris accipiam, &c. Imperator cœlorum regebat mentem & linguam eorum, & per eos diabolum in terra superabat, & in cœlo Martyres coronabat. O Beati, qui sic biberunt calicem istum! Sustinuerunt dolores, & acceperunt honores. *Viden, vt respondet Tertulliano, de Christo dicenti.* Eum venisse vt aqua tingueretur, sanguine glorificaretur, &c. Et qui aqua lauissent, etiam sanguinem potarent. *Sed vnde sanguinem calicis martyrij generosè potassent, nisi quia priùs calicem Sacramenti potati generosè, sanguinem pro sanguine rependere didicissent? Accipe ibid. supra Augustinum.* Egit, *inquit*, in cruce grande commercium; ibi solutus est sæculus pretij nostri. Quando latus eius apertum est lancea percussoris, emanauit inde pretium totius orbis. Empti sunt fideles, & martyres, sed martyrum fides probata est: testis est sanguis. Quod illis impensum est, rependerunt: & impleuerunt quod ait sanctus Ioannes 1. Io. 3. 6. Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere & alibi dicitur, *Prouerb. 23. 1.* Ad mensam sedisti magnam, diligenter considera quæ apponuntur tibi, quoniam talia oportet te præparare. Magna mensa est, vbi epulæ sunt ipse Dominus mensæ. Nemo pascit conuiuas de scipio. Hoc facit Dominus Christus. Ipse inuitator, ipse cibus, & potus. Agnouerunt ergo Martyres quid comederent, & biberent, vt talia redderent. Sed vnde talia redderent, dedit, qui prior impendit. *Et paulo supra.* Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Quando & in conspectu nostro pretiosa est, quomodo non & in conspectu eius, pro cuius nomine facta? Sed pretium mortium illarum, mors est vnius. Quantas mortes emit iste vnus moriens, qui si non moreretur, granum frumenti non multiplicaretur? Audistis verba eius cùm appropinquaret passioni, id est cùm nostræ appropinquatam redemptioni. Io. 12. 24. Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

QVI AQVA LAVISSENT, ETIAM SANGVINEM POTARENT. *Vtrum hic erat diligenter excutiendum, vtrum infantes baptizati deberent ex necessitate sumere sanctam Eucharistiam: sed habes amplissimum de ea re tractatum in calce tomi primi, in Alphabeto errorum imputatorum Augustino Verbo An infantibus Eucharistiam necessariam censuerit, pag. 23. & sequentibus, vbi concluſimus, vsum quidem talem fuisse in Ecclesia, non autem necessitatem, quoad realitatem Sacramenti, sed quoad effectum eius, scilicet participationem corporis & sanguinis Christi pro omnibus*

Aug.

Aug.

Aug.

Aug.

Aug.

S. Aug.

traditi in mortem; & quoad incorporationem ſub Chriſto A *capite, cum corpore eius myſtico quod eſt Eccleſia. Effectus autem alij, nempè vitæ, & remiſſionis peccatorum, in vnico baptiſmo, abſolutè ad ſalutem neceſſario complebantur in paruulis, morte præuentis antequam Euchariſtiam percipere poſſent. Vnde quod hic ait Tertullianus:* Qui aqua lauiſſent, etiam ſanguinem potarent: *Poſt commemoratum vulnus lateris dominici aquâ ex ſanguine manantis: reſpicit, iuxta Auguſtinum, primum calicem aquâ mixtum, in vltima cœna, & primâ Euchariſtiâ Apoſtolis traditâ conſecratum, cui omnes baptizati, etiam infantes, abſque communione reali, in effectu participant, qui eſt remiſſio peccatorum. Sicut & panis conſecrato, de quo dixit.* Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. *Sicut de calice dixerat:* Qui pro vobis effundetur, in remiſſionem B peccatorum. *Et quia de pane dixerat.* Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: *Infantes autem baptizati vitam habeant gratiæ:* Iuſtus enim ex fide vniit: *Panem vtique illum & calicem participant, & in numero fidelium cenſentur, quia credunt, & habent filium Dei in ſe. Et hoc ſenſu intelligendus eſt Auguſtinus: qui licet duo hæc Sacramenta diſtinguat, neceſſitatem tamen Euchariſtiæ non ponit in reali ſuſceptione tunc vſitatâ, ſed in participatione effectuum eius nempe ſalutis, fidei, vitæ gratiæ, remiſſionis peccatorum, quæ omnia in caſu impoſſibilitatis, in vnico baptiſmo ſupplebantur. Et ex his locis præ ceteris difficilis apud Auguſtinum exponitur lib. 1. de pecc. meritis cap. 20.* Dominum audiamus, non quidem Auguſt. hæc de Sacramento lauacri dicentem, ſed de Sacra- C mento ſanctæ menſæ ſuæ, quò nemo ritè niſi baptizatus accedit, niſi manducaueritis, &c. non habebitis vitam in vobis. Quid vltra quærimus? &c. Poſſint-ne ſine participatione corporis huius & ſanguinis in ſe habere vitam? *Sed eodem capite præmiſerat:* Si percepto baptiſmate paruulus de hac Auguſt. vita emigrauerit, ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur, in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, iuſtificatos præſentiâ Creatoris illùminat: peccata enim ſola ſeparant inter homines & Deum, quæ ſoluuntur Chriſti gratiâ. *Et rurſum ibid. ſubiicit:* Ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data eſt, quæ data eſt pro ſæculi vita. Et ſi non manducauerint D carnem filij hominis, nec ipſi habebunt vitam. *Hoc autem fit per baptiſmum, cuius ſuſceptione participant carni data pro mundi vita. Quod confirmat ſequentibus verbis hunc effectum ſoli baptiſmo tribuens:* Auguſt. Hunc eſt, *inquit*, illud Io. 3. Pater diligit filium, & omnia dedit in manus eius. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. In quo igitur horum genere ponemus infantes? In eorum qui credunt in filium, an in eorum qui ſunt increduli filio? in neutro ait aliquis. Quia cùm adhuc credere non poſſunt, nec increduli deputandi ſunt. Non hoc iudicat Eccleſiaſtica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adiungit. *Si ergo fideles ſunt, ex fide in Baptiſmo ſuſcepta viuunt: ſi viuunt, participant pani vitæ, quæ eſt effectus Euchariſtiæ, porro quod toties vrget Auguſtinum, infantes debere eſſe participes menſæ Dominicæ, eſt, quod Pelagiani infantes in Adam non eſſe mortuos crederent: qui licet faterentur eos excludi regno ex aqua & ſpiritu ſancto non renatos, eos tamen vitæ æternæ dicebant eſſe participes: quos vt vrgeret acriùs Auguſtinus, toties inculcat illud niſi manducaueritis, &c. non habebitis vitam in vobis, & illis vſum tum communem Euchariſtiæ pueris date obiiciebat, cuius tamen non realem ſumptionem, ſed effectum in baptiſmo neceſſitatem contendebat.*

Eodem ſenſu intelligendum eſt quod habet eodem libro 1. de pecc. merit. cap. 24. Nulla, *inquit*, ex noſtro S. Auguſt. arbitrio præter baptiſmum Chriſti ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit ſcriptura diuina, omnibus humanis ingeniis præferenda. Optimè Punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud quàm ſalutem, & Sacramentum corporis Chriſti, nihil aliud quàm vitam vocant. Vnde, niſi ex antiqua, vt exiſtimo, & Apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter baptiſmum, & participationem dominicæ menſæ, non ſolum non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem, & vitam æternam, poſſe quenquam hominum peruenire? Hoc enim & ſcriptura teſtatur. Nam quid aliud tenent, qui baptiſmum nomine ſalutis appellant, niſi quod dictum eſt ad Tit. 3. ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis: & quod Petrus ait: 1. 3. Sic & vos ſimili forma baptiſma ſaluos facit. Quid aliud etiam qui Sacramentum menſæ Dominicæ vitam vocant, niſi quod dictum eſt, ego ſum panis vitæ. Panis quem ego dabo, &c. Et ſi non manducaueritis, &c. Si ergo, vt tot & tanta diuina teſtimonia concinunt, nec ſalus, nec vita æterna ſine baptiſmo & corpore & ſanguine Domini, *Qui in baptiſmo participatur, vnde & vim ſuam baptiſma ſumpſit*, cuiquam ſperanda eſt, fruſtrà ſine his promittitur paruulis. *Tum paucis interiectis aperte concludit iuxta præmiſſam expoſitionem noſtram.* Non itaque dubitemus etiam pro S. Auguſt. infantibus baptizatis ſanguinem fuſum, *cui proinde certò participant, in menſa Apoſtolis tradita*, qui priuſquam funderetur, *cruentè*, ſic in Sacramento datus, & commendatus eſt, vt diceretur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. *Ego verò & infantibus perſecutionis tempore datam puto cum Tertulliano, vt ſanguinem pro ſanguine, cum parentibus Chriſto rependerent. Tandem quoniam Tertullianus hic baptizatis communionem ſub vtraque ſpecie datam inſinuare videtur, paulò fuſiùs hac de re tractabimus. Et primò quidem quid certò tenendum ſit ex Sacroſancta Synodo Tridentina proferam, Seſſione 21. cap. 1.* Sancta ipſa Synodus, à Spiritu ſancto, qui ſpiritus eſt ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & pietatis, edocta, atque ipſius Eccleſiæ iudicium, & conſuetudinem ſecuta, declarat ac docet, nullo diuino præcepto laïcos, & clericos non conficientes, obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum: neque vllo pacto ſalua fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat; nam & ſi Chriſtus Dominus in vltima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit: non tamen illa conſtitutio & traditio eò tendunt, vt omnes Chriſti fideles ſtatuto Domini, ad vtramque ſpeciem accipiendam adſtringantur. Sed neque ex ſermone illo apud Ioannem 6. rectè colligitur vtriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe, vtcumque iuxta varias ſanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur. E Namque qui dixit: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: Dixit quoque. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: dixit etiam; Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Et denique qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo dixit: qui manducat hunc panem viuet in æternum. *Cuius causâ ſequentes canones edidit. Can. 1.*

Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles vtramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit. *Can. 2.* Si quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam, non iustis causis & rationibus adductam fuisse, vt laïcos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicare, aut in eo errasse: anathema sit. *Et Can. 3.* Si quis negauerit totum & integrum Christum omnium gratiarum fontem & authorem, sub vna panis specie sumi, quia, vt quidam falsò asserunt, non secundùm ipsius Christi constitutionem sub vtraque specie sumatur, anathema sit. *Can. 4.* Si quis dixerit paruulis, antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema, sit. Duos verò articulos, aliàs propositos nondum tamen excussos; videlicet, an rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, vt communicaret laïcos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub vna tantùm panis specie, ita sint retinendæ, vt nulla ratione calicis vsus cuiquam sit permittendus: & an si honestis & Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno, calicis vsus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendum sit, & quænam sint illæ, eadem sancta Synodus in aliud tempus oblatâ sibi quamprimùm occasione examinandos atque definiendos reseruat. *Sessione tandem 22. cap. 2. in fine: hanc concessionem calicis relinquit prudenti Summi Pontificis arbitrio, his verbis.* Nunc, *inquit*, eorum, pro quibus petitur saluti consultum volens, decreuit integrum negotium ad sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod vtile reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus vsum calicis, fore iudicauerit.

Sapienter autem Ecclesia abstulit vsum calicis, tum quòd ob numerositatem populi Christiani, maximè in festis annuis, in magnis parœciis vix possit ob concursum plebis euitari periculum effusionis, vt etiam queritur Chrysost. ep. 2. ad Innocentium: Sanctuaria, *inquit*, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysterijs, & viderunt omnia quæ intus erant: quin & Sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est. *Præterea quòd sunt abstinentes vino, qui ne odorem quidem inde ferre possunt, aut absque periculo vomitus, vel magna nausea post alios bibere. Ad hæc quot plagæ in orbe in quibus aut rarissimum est vinum, aut prorsus nullum? Et in calidis frigidisque regionibus seruatum consecratum pro cõmunicantibus, aut acescit, aut congelatur. Quid quòd, & cùm sub Apostolis adhuc Nazaræatus subsisteret; vt patet Act. 21. 23. & 24.* Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se, his assumptis sanctifica te cum illis, &c. *Nazarei autem prorsus abstinerent vino, quomodo Eucharistiam sub vtraque specie sumpsissent? Inficiari tamen non possumus vsum calicis olim fuisse. Nam tomo 2 Conciliorum in vita Gelasij Papæ primi.* Huius temporibus inuenti sunt Manichæi in Vrbe Roma, quos in exilio deportari præcepit, quorum quoque codices ante fores Basilicæ S. Mariæ incendio concremauit. *Vbi notatur, quòd sicut tempore Leonis tum Manichæi latitabant in Vrbe, qui ne detegerentur, cum Catholicis communicabant, superstitiosè tamen abstinentes à sumptione calicis, quia cum Cerinthe vinum dicebant esse diaboli creaturam. Vnde voluit Gelasius discerni Catholicos ab eis edito Canone qui extat dist. 2. de consecratione.* Comperimus autem quòd quidam sumptâ tantummodo Corporis sacri portione, à Calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubiò quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire. *Quo quidem non infertur, absolutè necessariam habitam fuisse communionem sub vtraque specie, sed damnatam tantùm fuisse superstitiosam & hæreticam abstinentiam. De qua S. Leo ser. 4. de temp. quadr.* Cùm ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis: ita in sacramentorum communione se temperant, vt interdum tutiùs lateant, ore indigno Christi corpus accipiunt, *vt hinc videas pro libito vtramque vel vnam speciem sumptam à Catholicis, inter quos diu latebant, donec superstitiosa abstinentia vini detecta est*, Sanguinem verò redemptionis haurire omnino declinant. Quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, vt vobis huiusce modi homines ex his manifestentur indiciis: & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi, à sanctorum societate, Sacerdotali auctoritate pellantur. *Sed licet concedamus vsum Calicis etiam sub Apostolo Paulo in vsu Corinthi Ecclesiæ fuisse, vt testatur Cyprianus sermone de lapsis, Chrysostomus homil. 18. in 2. Cor. 8. Theodoret. lib. 3. cap. 18. tamen ex Conciliis, Patribus Latinis & Græcis, quin & ipsa Scriptura testis, Eucharistia sub vna specie sumpta plurimùm inuenitur. Concilium pariter Nicænum can. 13. Vnius meminit speciei in Viaticum dari solita: etiam excommunicatis:* De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque seruabitur, vt si quis egreditur è corpore, vltimo & necessario viatico minimè priuetur. *Et paulò inferius*; Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter, ex oblatione dare debebit. *Item in Concilio Eliberino C. 76. communio laïca, id est sub sola panis specie pro pœnitentia indicitur.* Si quis Diaconum permiserit se ordinari, & postea fuerit in crimine detectus mortis quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum actâ legitimâ pœnitentiâ post triennium accipere communionem. Quòd si alius detexerit, post quinquennium accipere communionem laïcam debere. *Concil. Sardicense. Can. 2. vbi de Episcopis Sedem mutantibus. Canone 1. & 2.* Osius Episcopus dixit: non minùs mala consuetudo, quàm pernicioſa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de sua Ciuitate ad aliam transire Ciuitatem. Manifesta est enim causa quâ hoc facere tentat, cùm nullus in hac re inuentus sit Episcopus, qui de maiori ciuitate ad minorem transiret. Vnde apparet auaritiæ ardore eos inflãmari, & ambitioni seruire, & vt damnationem agant. Si omnibus placet, huiusmodi pernicies, sæuiùs & austeriùs vindicetur, vt nec laïcam communionem habeat, qui talis est: Respondentes vniuersi: placet. *Canone autem secundo, damnat etiam Episcopos dicentes se vocatos litteri populi.* Omnino has fraudes damnandas esse arbitror, itaut nec laïcam in fine communionem talis accipiat. Si verò omnibus placet, statuite. Synodus; placet. *Concilium autem Laodicenum Prouinciale confirmatum in sexta Synodo Generali celebrata in Trullo præsente Constantino, vbi agitur de hostiis in quadragesima consecrandis Sabbato, & Dominica, pro reliquis diebus Hebdomadæ, quibus Sacerdotes sub vna specie communicabant:* Non oportet in quadragesima panem offerri nisi Sabbato, & Dominica tantùm. *Concilium 4. Carthaginense 214. Episcoporum. Canone 38. nulla factâ mentione calicis:* Vt Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si ne-

ceſſitas cogat, iuſſus eroget.

Vſum Euchariſtiæ ſ. ſub vnica panis ſpecie, nullâ ſuſpicione calicis, innuunt Patres Latini, & Graci. Tertullianus libro 2. ad Vxorem cap. 5. Non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciuerit, panem non illum eſſe credit, qui dicitur. *Cyprianus ſer. de lapſis.* Cùm quædam mulier arcam ſuam, in qua Dominici ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterita eſt, ne auderet attingere. Et alius qui & ipſe maculatus, ſacrificio à Sacerdote celebrato, partem, *buccellam & particulam panis conſecrati*, cum cæteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Domini odere, & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus inuenit. *Narrat Gregorius Magnus libro 3. Dialog. cap. 3. linguam mutam ſub vna ſpecie communicantis ſalutam.* Agapitus, inquit, Miſſarum ſolemnia exorſus, ſacrificium in conſpectu Dei omnipotentis immolauit. Quo peracto ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque aſſiſtente & aſpiciente eum vniuerſo populo, mox à terra in propriis pedibus glorioſus erexit, cúmque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua ſoluta eſt. *Gregorius Turonenſis libro de vita Patrum cap. 5.* Sciens S. Gallus reuelante Domino ſe poſt triduum migraturum, conuocat populum, & omnibus, confracto pane, communionem ſanctâ & prâ voluntate largitur. *Ambroſius oratione funebri de ſuo fratre Satyro.* Quid, *inquit*, obſeruantiam eius erga Dei cultum prædicem? Qui priùs quàm perfectioribus eſſet initiatus myſteriis, in naufragio conſtitutus, cùm ea quâ veheretur nauis ſcopuloſo illiſa vado, & vrgentibus hinc inde fluctibus ſolueretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterij exiret è vita, quos initiatos eſſe cognouerat, ab iis diuinum illûd fidelium Sacramentum popoſcit, non vt curioſos oculos inferret arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit collo, atque ita ſe deiecit in mare. *Paulinus item Preſbyter in vita ipſius Ambroſij.* Honoratus, *inquit*, Sacerdos Eccleſiæ Vercellenſis, cùm in ſuperiori domo ſe ad quietem compoſuiſſet, tertiò vocem vocantis ſe audiuit, dicentiſque ſibi: furge, feſtina, quia eſt modò receſſurus. Qui deſcendens obtulit S. Ambroſio Domini corpus, quod vbi accepit, emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens, vt in virtute eſtæ anima refectior, angelorum nunc conſortio, quorum vitâ vixit in terris, & Eliæ ſocietate lætetur: quia vt Elias numquam Regibus, vel vllis poteſtatibus, ita nec iſte pro Dei timore loqui veritus eſt. *Hæc Paulinus; non Nolanus Epiſcopus, ſed Preſbyter Mediolanenſis, & Amanuenſis ipſius Ambroſij, qui hanc vitam ad Auguſtinum conſcripſit; quem & ſæpè Auguſtinus ipſe ſalutabat in fine Epiſtolæ 59. ad Nolanum Epiſcopum.* Compreſbyterum Paulinum, & omnes, qui tuâ præſentiâ in Domino perfruuntur, germanos ſalutamus affectu. *Auguſtinus homil. 26. ex quinquaginta.* Quantâ, *inquit*, ſolicitudine obſeruamus quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, vt nihil ex ipſo de noſtris manibus cadat in terram, tanta ſolicitudine obſeruemus, ne Verbum Dei quod nobis erogatur, dum aliquid cogitamus, aut loquimur, de corde noſtro pereat. *Et ſer. 252. de tempore circaſ.* Omnes, *inquit*, viri, quando communicare deſiderant, lauant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Chriſti accipiant, &c. Sic corpus caſtum, & cor mundum exhibeant, vt cum bona conſcientia, Chriſti Sacramenta ſuſcipiant. *Idem etiam lib. 3. de Conſenſu Euang. cap. 25. duobus Emmaüs diſcipulis traditum ſub vna ſpecie panis Chriſtum dicit:* Ne agnoſceretur Ieſus, facta eſt permiſſio vſque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participatâ, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſit agnoſci, &c. *Vbi præmiſerat*; Quale vult admirabile corpus, de qualicumque corpore verum de vero facit, qui de aqua vera, verum vinum fecit. Sed non ita fecerat, quando apparuit illis duobus, in alia effigie. *Scilicet peregrini: non enim verè ſe transfiguraverat, ſed vt ſupra dixit Auguſtinus, ipſo permittente, inimicus eorum oculos faſcinarat. Theophilactus in Luc 24. & Beda, fractionem panis apud Emmaüs intelligunt Euchariſtiam ſub vnica ſpecie. Et Hieronymus ad Euſtochium in Epitaphio Paulæ, per eam hanc domum Cleophe dicit à Chriſto conſecratam.* Nicopolis, inquit, priùs Emmaüs vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus, Cleophæ domum in Eccleſiam dedicauit.

Eumdem vſum apud Patres Græcos inuenio, licet in Eccleſia Græca dent etiam communionem ſub ſpecie vini, guttulam in Cocleari paruulo porrigentes. Iuſtinus Apol. 2. pro Chriſtianis ad Antoninum Pium teſtatur apud primos Chriſtianos morem fuiſſe, vt Diaconi portarent Euchariſtiam his, qui prepediti ad Eccleſiam conuenire non potuerunt. Irenæus in Epiſt. ad Victorem Papam apud Euſeb. lib. 5. hiſt cap. 24. His, *inquit*, Epiſcopis, qui in aliis Eccleſiis ſic obſeruabant, Euchariſtiam miſerunt. *Et lib. 6. cap. 36. refert epiſt. Dionyſij Alexandrini, ad Fabium Antiochenum, vbi inducit Serapionem morti proximum, poſt triduum quo omni motu & ſenſu caruerat, ſic nepoti ſuo loquentem:* Cui iam appropinquanti, priuſquam cum eo quod geſtabat intraret ædes, Serapion denuò voce recuperatâ dixit: veniſti fili? Tametſi preſbyter non poteſt venire, tu tamen præſta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer quam apportarat, madefactam in os ſenis infudit. Atque ille ſimul atque eam pedetentim per fauces demiſerat, illicò extremum ſpiritum edidit. *Euagrius lib. 4. cap. 35. refert puerum à Patre Judæo miſſum in fornacem, quòd cum pueris communicaſſet, à Deipara præſeruatum & nutritum reperium incolumem. Vbi hæc habet:* Vetus fuit conſuetudo Conſtantinopoli; vt ſi quando multæ admodum particulæ puri & immaculati corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent, pueri impuberes qui ſcholas frequentabant, accerſerentur, eaſque manducarent *Orig. homil. 13. in Exod.* Noſtis qui diuinis myſteriis intereſſe conſueuiſtis, quomodo cùm ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſeruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat. Quòd ſi circa corpus eius, *Nil agit de ſanguine conſecrato*, conſeruandum tantâ vtimini cautelâ, & meritò vtimini, quomodo putatis minoris eſſe piaculi verbum Dei neglexiſſe quàm corpus eius. *Baſilius denique in ep. ad Cæſarium Patricium vnica ſpeciei panis ſumendi morem tempore perſecutionis commemorat.* Illud autem, *inquit*, in perſecutionis temporibus, neceſſitate cogi quempiam non præſente Sacerdote aut miniſtro communionem propriâ manu ſumere, nequaquam ſupernacaneum eſt demonſtrare, propterea quòd longâ conſuetudine hoc ipſo eorum vſu confirmatum eſt. Omnes enim in eremis ſolitariam vitam agentes, vbi non eſt Sacerdos, communionem domi ſeruantes à ſeipſis cómunicant. In Alexandria verò & Ægypto vnuſquiſque eorum qui ſunt de populo, vt plurimùm

S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt. Auguſt. Auguſt. Auguſt.

habet communionem in domo ſua: ſemel enim Sacerdote ſacrificium conſecrante & diſtribuente, meritò participare & credere oportet. Etenim & in Eccleſia Sacerdos dat partem, & accipit eam qui ſuſcipit cum omni libertate, & ipſam admouet ori propriâ manu.

Denique & figuris, & locis expreſſis ſacra Scriptura, vnica ſpecies commendatur. Figuris quidem, arboris vita, agni Paſchalis, panum propoſitionis & Manna. Adeo vt preter panem & vinum Melchiſedech Sacerdotis, nil habeamus delineatum: Sed hoc ſacrificium, ſolos reſpicit Apoſtolos & Sacerdotes. Et Actorum 2. 46. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis. A *Tranſlat. Syr.* Quotidie perſeuerabant in templo vnanimes, & frangebant munus benedictum, capiebantque cibum exultantes, & cum puritate cordis. *Et ibid. verſu 42.* Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis. *Syr.* Euchariſtiæ. *Act. 20. 7.* Vna Sabbati cùm conueniſſemus ad frangendum panem. *Tranſlat. Syr.* Primo die hebdomadis, dum congregati eſſemus ad frangendam Euchariſtiam. *Quod Beda in hunc locum, Author operis imperfecti homil. 17. & Caluinus ipſe ibidem ſic intelligunt de vnica ſpecie: de qua & Paulus 1. Cor. 10. 17.* Vnus panis vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus. *Syr. Emphaticè:* Ex vno illo pane accipimus.

AD EVCHARISTIAM DISPOSITIO.

1. *Euchariſtia ſumptio ſupponit Animam Baptiſmate lotam. De Bapt. cap. 16. V. Verbum. Baptiſmus ſanguinis num. 2.*

2. *Et de Bapt. cap. 19. V. Verbum Baptiſmi ſolemnis tempus.*

3. *Euchariſtia vitulus eſt ſaginatus, ſupponens in manducante annulum fidei, & innocentiæ veſtem. De Pudic. cap. 9. à m.*

Luc 15. 15. Ibid. 17. Ibid. 22. & 23.

ILle eum præfecit porcis, vt familiare id dæmonum pecus paſceret, vbi nec ille compoſſet vitalis eſcæ, ſimulque alios videret in opere diuino abundantes pane cœleſti. Recordatur patris Dei, ſatisfacto redit, veſtem priſtinam recipit ſtatum ſcilicet eum; quem Adam tranſgreſſus amiſerat. Anulum quoque accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obſignat, atque ita ex inde opimitate Dominici corporis veſcitur, Euchariſtia ſcilicet,

AD EVCHARISTIAM DISPOSITIO III. SCHOLIA.

IL LE. *Ciuis regionis longinqua cui adhæſit Prodigus. Luc. 15. 15.* Adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. IN OPERE DIVINO. *Mercenarios & ſeruos Dei bene operantes in Eccleſia.* ABVNDANTES PANE. *Tam verbi, quàm Sacramenti.* RECORDATVR. *Luc. 15. 17.* In ſe autem reuerſus dixit: quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? VESTEM PRISTINAM. Dixit pater ad ſeruos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius. STATVM SCILICET. *Innocentiæ nempè neceſſariæ, vt ligno vitæ frueretur, quod erat figura Sacramenti.* FIDEI PACTIONEM. *Quia in baptiſmo interrogatus, renuntians mundo & diabolo, fidem ſuam obligat Deo, & iam, ſeruus factus iuſtitiæ, ſit liber à peccato.* ATQVE ITA. *Cum tali præparatione, fidei ſcilicet, innocentiæ, libertatis gratia, mundis etiam à terra pedum affectibus, velut opimo & ſaginato vitulo, ſic Chriſti corpore veſcitur. Ne ſine veſte nuptiali inuentus à Rege foras* mittatur in tenebras exteriores. *Aug. lib. 2. qq. Euang. q. 35.* Stola prima eſt dignitas, quam perdidit Adam, ſerui qui eam proferunt, reconciliationis prædicatores. Annulus in manu, pignus eſt Spiritus Sancti propter gratiæ participationem, quæ digito Dei bene ſignificatur. Calceamenta in pedes, præparatio euangelizandi, ad non tangenda terrena. Vitulus ſaginatus, S. Auguſt. A ipſe item Dominus; ſed ſecundùm carnem ſuſceptus opprobriis. Quod autem imperat vt adducanteum *Verſu 23. & adducite vitulum ſaginatum & occidite, Syr. bouem, & manducemus & epulemur. Syr. oblectemur* Quid aliud eſt, niſi vt prædicent eum, & annuntiando venire faciant in exhauſta fame viſcera filij eſurientis? Nam etiam vt occidant eum, iubet; hoc eſt, vt mortem eius inſinuent. *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, &c. mortem Domini annuntiabitis, &c.* Tunc enim cuique occiditur, cum credit occiſum, &c. Et iſtæ epulæ atque feſtiuitas nunc celebrantur per orbem terrarum Eccleſia dilatata atque diffuſa. Vitulus enim ille, in corpore & ſanguine Dominico, & offertur Patri, & paſcit totam domum. *Et tract. 5. de tempore barbarico cap. 7. à p.* Nunc quoniam tempus eſt exhortari omnes ad pœnitentiam, vt filij errantes reuertantur, eiſque conuiuium à Patre ſaginati vituli præparetur, etiam nos, dilectiſſimi, parati ſimus huic conuiuio tanquam amici ac domeſtici intereſſe; maximè, quia cum iſto patrefamilias ad menſam eius quotidie accedentes, non nos iam dignatur vocare ſeruos ſed amicos, &c. mactet vitulum ſaginatum, hominem illum ſuſceptum, etiam pro latronibus crucifixum: aduocet amicos ſuos, diſcipulos quibus dicebat Io. 15. Si feceritis quæ mando vobis, iam vos non dicam ſeruos, ſed amicos, præparetur illud conuiuium cœleſte, aſtet ille Chorus Angelorum ſuauiter declamans, gloria in Excelſis, &c. Auguſt. Auguſt. Auguſt.

4. *Euchariſtia*

4. Eucharistia æternitatis cibus est, exigens lotum, passionibus exemptum, non ingratum & defluentem ad Idola, vt Iudæus manna pastus. Cont. Iud. cap. 3. circa f.

ISraël qui Deo fuerat cognitus, quique ab eo in Ægypto exaltatus fuerat, & per Erythræũ pelagum transvectus est, quique in eremo mannâ cibatus, quadraginta annis ad instar æternitatis redactus, nec humanis passionibus contaminatus, aut seculi huius cibis pastus, sed Angelorum panibus mannâ cibatus, tatis-que beneficiis Deo obligatus Domini & Dei sui oblitus est, dicens ad Aaraon [a] *Fac nobis deos qui nos præcedant.* Exodi 14. 22. Exo. 16. 35. Psal. 77. 26. a Exo. 32. 1.

AD EVÇHARISTIAM DISPOSITIO. IV. SCHOL.

DEO COGNITVS. *Non quòd Gentilis Deo fuisset ignotus, sed de notitia dilectionis loquitur.* EXALTATVS. *Amplificatus numero, & amplâ possessione terræ, de qua Deuteronom. 32 13.* Constituit eũ super excelsam terrã, vt comederet fructus agrorum, &c. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Equitare fecit eum super excelsa terræ. *Et Esa.* 1. 2. Filios enutrui, & exaltaui. ERYTHRÆVM. *Mare rubrum intelligit à rubedine aquarum ab aliquibus ita dictum. Alij ab Erythra Rege, Perſei & Andromedæ filio dictum volunt, qui in confinio maris Rubri regnum habuit. Sic & Mare Rubrum vocat Plin. lib. 6. cap. 23. & Dionysius de situ orbis.* AD INSTAR ÆTERNITATIS. *Quia nec calceamenta, nec vestes passæ sunt corruptionem.* ANGELORVM PANIBVS. *Psal.* 77. 26. Panem Angelorum manducauit homo. SATIS. *Supra modum. Hic aduerte manna figuram Eucharistiæ, exigere ad dignam manducationem, & totius maris aquas ad lauacrum, & puritatem Angelorum. Cum verò ad æternitatem rediget, & incorruptionem gloriæ ducet Eucharistia dignè sumpta, & post, exigat gratos fideles, qui nullum alium Deum ducem quærant quàm Christum; qui vt verus cibus & vera vita, sic & certa via. Cuius sanguine vt mari Rubro illuimur; quo duce, vt columna nubis & ignis, recto tramite, per desertum vitæ, ad terram promissam transimus; quo, vt cœlesti & Angelico pane reficimur, ne in via vitæ huius deficiamus. Aug. lib. 12. Contra Faustum c. 28. ex* 1. *Cor.* 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, &c. Exponendo vnum, in cætera introduxit intellectum. Si enim Petra Christus propter firmitatem, cur non & manna Christus tanquam panis viuus qui de cœlo descendit? quo verè qui vescuntur, spiritaliter viuunt. Nam illi veterem figuram carnaliter accipientes, mortui sunt; sed cùm dicit Apostolus; eundem cibum spiritalem manducauerunt; ostendit & illud spiritaliter intelligi in Christo, sicut & potum cur spiritalem dixisset, aperuit, cùm subiunxit, petra autem erat Christus. Quo aperto, cuncta fulserunt, Cur ergo non & nubes Christus, & columna, quia rectus & firmus, & fulciens infirmitatem nostram, per noctem lucens, per diem non lucens; vt qui non vident, *in nocte fidei, credentes, intelligant*, videant: & qui vident, *ratione volentes discutere mysteria fidei, sicut ad Solem manna liquatum ex oculis euanescebat*, Cæci fiant Rubet & mare Rubrum, baptismus vtique Christi sanguine consecratus: hostes sequentes à tergo moriuntur, peccata præterita. *Et tract.* 11. *in Io.* 3. Quando manna manducauit populus Israël? cùm transisset mare rubrum. Mare autem rubrum quid significet, audi Apostolum, &c. In Moyse baptizati sunt in nube & in mari. *Pulchrè agebas enim de renascentia necessaria ex aqua baptismi, & Spiritu Sancto, qui ex Origene per columnam nubis significabatur.* Si ergo figura maris tantùm valuit, species baptismi quantùm valebit? Si quod gestum est in figura, trajectum populum ad manna perduxit, quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui, traiecto populo suo? &c. Quo traiiciebat? ad manna. Quod est manna? Ego sum, inquit, panis viuus qui de cœlo descendi, &c. Notum est quid acceperint Iudæi, populus ille Israël; notum est quid illis pluisset Deus de cœlo: & nesciunt Catechumeni, quid accipiant Christiani? erubescant ergo, quia nesciunt, transeant per mare Rubrũ manducent manna, vt quo modo crediderũt in nomine Iesu, sic se, *nota, se, non figuram, sed se totum, hominem Deum*, ipsis credat Iesus. *Id est committat, confidat illis iam fidelibus & baptizatis tam pretiosum thesaurum. Nos verò, vt quotidie ante manna venus terram verrebat; sic dicamus cum Iob ad mundities cordis*; Antequam comedam suspiro: *Et rursum.* Quasi modo geniti infantes, & *recenter baptizati*, lac istud concupiscamus. *Licet panis sit quotidianus, nec aliud in rigore exigat panis vita, quam immunitatem à peccato mortali, ne iudicium manducet & bibat, qui indignus accipit: Et à censuris à communione remouentibus, absolutionem: tamen quicumque se in affectu peccati venialis alicuius agnoscit, qui tanti Sacramenti sanctitudini non conuenit, eo se indignum humiliter agnoscat; cùm sanctissimi, & doctissimi Ecclesiæ Patres, se à communione quotidiana, etiam pro lenibus, & humanæ fragilitate contractis venialibus culpis, & indecentiis, ab altari subduxerint, & alios se remouere persuaserint. Palladius enim in vita S. Ioannis Chrysostomi, notat eum à diuinis mysteriis abstinuisse, quòd inter Eusebium, & Antonium arbiter constitutus, aliquam animi pacem in hac lite componenda, amisisset. D. Item Hieronymus aduersùs Vigilantium scribens:* Quando, inquit, iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit, Basilicas Martyrum intrare non audeo: Ita totus & corpore, & animo pertimesco. Deridcas forsan, & mulierculârum deliramenta subsannes. *Ambrosius quoque in oratione funebri de obitu Theodosij, hunc Imperatorem laudat, quòd obsessos in acie hostes, abstinuerit à Sacramentorum consortio. Gregorius autem Magnus, audito quòd pauper in Vrbe mortuus esset fame, id suæ negligentiæ imputans, quamuis omnium solicitudinem gereret assiduam, à sanctissimo Missæ sacrificio abstinuit. D. Tandem Bernardus in vita S. Malachiæ, notat eum arguisse Diaconum, quòd nocturna imaginatione delusus, non se altaris ministerio subtraxisset. Qui sui iuris est, siue laicus, siue Sacerdos, de consilio prudentis, & docti directoris, & pro modo perturbationis, à sanctissimo Sacramento, & sacrificio, vel humiliter abscedat, vel maiori cum humilitate indignum se reputans, ad illud accedat. Cæterum doctissimi, & sapientissimi Ecclesiæ Doctoris, S. Patris Augustini monito concludam. Tractatu itaque 26. in Io. 6. vbi de Manna:* Videte ergo, inquit, fratres, panem cœlestem spiritaliter manducare, innocentiam ad altare apportare, peccata & si sunt quotidiana, vel non sunt mortifera, antequam ad altare accedatis,

August. August. August. S. Augus.

attendite quod dicatis, dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si dimittis, dimittetur tibi, ſecurus accede, panis eſt, non venenum. Sed vide ſi dimittis: nam ſi non dimittis, mentiris, & ei mentiris quem non fallis. Deo mentiri potes, Deum fallere non potes. Nouit ille quid agas; intus te videt, intus te examinat, intus inſpicit, intus iudicat, intus aut damnat, aut coronat.

5. Euchariſtia in Azymis conſecrata, iuxta figuram, Azymos requirit, & puros ſuſcipientes. 5. Cont. Marc. cap. 7. à p.

1.Cor. 5. 7. Exo.12.15. *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis Azymi.* Ergo Azymi figuræ erant noſtræ apud Creatorem. Sic *& paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Quare paſcha Chriſtus, ſi non paſcha figura Chriſti, per ſimilitudinem ſanguinis ſaluatis, & pecoris Chriſti? Quid nobis & Chriſto imagines imbuit ſolennium Creatoris, ſi non erant noſtræ?

AD EVCHARISTIAM DISPOSITIO. V. SCHOLIA.

EXPVRGATE. 1. *Cor. 5. 6. & ſeq. Vbi arguit Corinthios de ſua caſtitate gloriantes, & inceſto Corinthio ſe præferentes, quem à ſe debuerant expellere propter ſcandalum, & non inde efferri ob ſua Caſtimonia bonum.* Non eſt bona gloriatio veſtra. *Syr. indecora eſt,* neſcitis, quiamodicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; Itaque epulemur. *Syr. idcirco feſtum agamus* non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: *Syr. maroris, abſinthij* ſed in azymis ſinceritatis & veritatis *Syr autem.* Et ſanctimoniæ. ERGO AZYMI, *ſupple panes edendi cum Agno Paſchali, & per ſeptem dies; nos ipſos figurabant in veteri lege Creatoris. Exod. 12. 15.* Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael, à primo die. vſque ad diem ſeptimum &c. *Et verſu 18.* Primo menſe, quartadecima die menſis, ad veſperam comederis azyma, vſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam. Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus veſtris: qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Iſraël, tam de aduenis, quàm de indigenis terræ. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris edetis azyma. *Quod in omnibus lectionibus & verſionibus paſſim inculcatur.* QVARE PASCHA CHRISTVS? *vrget Marcionem, vt eum conuincat, Paulum, & Chriſtum, ad Deum Creatorem pertinere, dum veterem legem, & præcipua eius Sacramenta, figuras Chriſti notat; qui in pecore, id eſt agno, & eius ſanguine, quo aſperſa poſtes domus, ab angelo exterminatore domum ſaluam notabant, ſanguinem Chriſti, quo ſaluamur, figurando.* QVID NOBIS ET CHRISTO? *vt quid, inquit, Paulus Chriſto & nobis applicat figuras contentas in feſtis ſolemnibus, & cæremoniis Dei Creatoris, id eſt veteris teſtamenti; ſi, vt ait idem Paulus, figuræ iſtæ non erant noſtræ? in rem autem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ plurimum faciunt hæc; cùm tam azyma, in quibus Chriſtus, ex lege impleta, neceſſariò conſecrauit; quàm eſus agni, & ſanguis eius, fuerint figuræ noſtri Sacramenti. Vnde Paulus ad ſanctam communionem exigit azymos, & agnos immaculatos, & ab omni macula expurgatos. Dio autem præcipuè inquinamenta excludit ad literam, primò immunditiam; Agit enim ibi de inceſto; nec vult cum ſimplici fornicario communicari fideles, nec cum eo cibum communem ſumere; quanto minùs Euchariſticum? quod intelligendum eſt de noto, & ſcandaloſo. Alterum eſt ſuperbia, & vana gloria, qua quis de aliene vitio, quaſi innocens exultat, vnde ait;* non eſt bona gloriatio veſtra. *Sic exponit* S. Auguſt. *Auguſtinus to. 7. lib. 3. cont. epiſtolam Parmeniani. c. 2.* Cùm diciſſet Apoſtolus, tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, *inceſtum Corinthium,* vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu: etiam atque etiam commendans, humilitate lugentium hoc debere fieri, non ſuperbiâ ſæuientium; continuò ſubiecit; non bona gloriatio veſtra: vel, per exprobrationem pronuntiationis; bona gloriatio veſtra: Sic enim nonnulli, & maximè Latini codices habent, &c. cùm & ſuperiùs dixerit, inflati eſtis, & non potiùs luctum habuiſtis: & hîc continuò ſubiungat, neſcitis quia modicum fermentum, &c. quid ad ipſam inanis gloriationis corruptionem congruentius referri poteſt? ſuperbia quippe velut ex vetuſtate primi hominis, qui ſuperbiâ lapſus eſt, quaſi fermentata & corrupta mente, facit elatos in vnam conſperſionem, qui ſibimet in eam ſimili iactantiæ vanitate conſentiunt. Et gloriari quidem non de peccatis ſuis, ſed ſuper alterius peccata, tanquam ex comparatione innocentiæ ſuæ, modicum videtur fermentum, quia de ſuis etiam iniquitatibus gloriari, multum fermentum eſt. *Paulò poſt, refert exemplum Phariſæi, inſultantis Publicano; deinde cætera Apoſtoli exponit.* Expurgate vetus fermentum vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi. Quid eſt, vt ſitis, & quid eſt, ſicut eſtis? niſi quia erant ibi tales, erant ibi non tales; quos, vt tales eſſent, exemplo talium commonebat, &c. vt ſuſferendo inuicem in dilectione, ſeruarent vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, & inuicem onera ſua portantes, implerent vtique legem Chriſti; qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad docendam humilitatis viam, vſque ad mortem Crucis humiliari dignatus eſt; & tanquam Medicus ægrotantes, ita cum dilectione pertulit peccantes, de quibus dixerat, non eſt opus ſanis Medicus, ſed ægrotantibus: ſtatimque principale propoſuit exemplum dicens: Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: vt tantæ humilitatis exemplo, diſcerent expurgare vetus fermentum; id eſt quidquid in eis ſuperbiæ de veteri homine remanſiſſet. Itaque, inquit, diem feſtum celebremus, non vtique vnam diem, ſed totam vitam; *Vt enim Chriſtus ſemper vixit propter Patrem, ſic, inquit, qui manducat me, viuet propter me, imitabitur me, caſtè, humiliter, miſericorditer, ſanctè viuet, vt quotidie mereatur viuere de me,* non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & malignitatis, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. Malitia quippe eſt & malignitas, velut de alieno peccato gloriari, quaſi tunc debeat de iuſtitia ſua quiſque gaudere, cùm alium non iuſtum eſſe conſpexerit. Sinceritas autem & veritas eſt, & ſi proficit aliquis, meminiſſe quid fuerit, multò magis miſereri lapſorum: quandoquidem ipſe erectus à lapſu ſuo per Chriſti miſericordiam, qui ſine vllo ſuo peccato ſe pro peccatoribus humiliauit, Sed ne perniciosè relinquantur, & quaſi diſſimulanter negligantur aliena peccata, quod non eſt minoris crudelitatis, quàm illud ſuperbiæ, ſequitur & dicit:

Auguſt. Auguſt.

Digitized by Google

scripsi vobis in Epistola, non commisceri fornicarijs, &c. An quia non poterant ab eis corporaliter separari, ne similiter eradicarent & triticum, sufficiebat eis à talibus corde seiungi vita moribusque distingui, propter compensationem custodiendæ pacis & vnitatis, propter salutem infirmorum & lactentium frumentorum, ne membra corporis Christi per sacrilega Schismata laniarent? &c.

6. Eucharistiam conficiens aut recipiens, ab omni arte mala, maximéque Idololatria abstineat. De Idol. cap. 7. per totum. & 8. in p.

TOta die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in ecclesiam venire: De aduersarij in officina domũ Dei: attollere ad Deũ patrem manus mattes idolorum: his manibus adorare, quæ foris aduersùs Deum adorantur: eas manus admouere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed etiam ipsi tradunt aliis quod contaminauerunt. Adleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! Semel Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus præscidendæ! Viderint iam, an per similitudinem dictum sit, [a] *Si te manus tua scandalizat, amputa eam.* Quæ magis amputandæ, quam in quibus Domini corpus scandalizatur? Sunt & aliæ complurium artium species, quæ etsi non contingunt idolorum, fabricationem tamen ea sine quibus idola nihil possunt, eodem crimine expediunt. Nec enim differt, an extruas vel exornes: si templum, si aram, si ædiculam eius instruxeris: si bratteam expresseris, aut insignia, aut etiam domum fabricaueris, maior est eiusmodi opera, quæ non effigium confert, sed auctoritatem.

[a] Matt. 5. 30. CAP. VIII

AD EVCHARISTIAM DISPOSITIO. VI. SCHOLIA.

AD HANC PARTEM. *Speciem criminis redarguendam, quâ Christianus Idolorum artifex, non eruboscit, ab officinâ, in qua sculpsit, finxit, pinxit Idola, ad templum Dei veri venire, & eadem manus, quibus Idola formauit, ad Deum Patrem erando tollere, quæ extra Ecclesiam, ab Ethnicis; ob excellens artificium, quasi diuina adorantur contra cultum veri D i. Non pudet porrigere manus illas ad corpus Christi recipiendum*, sicut in primitiua Ecclesia fiebat, & etiam tempore Augustini *qua Idola faciunt, que, vt alibi cum Augustino diximus, sunt veluti quædam corpora dæmonibus fabricata, in quibus habitabant & reddebant oracula.* AB ALIIS, *scilicet Sacerdotum manibus.* ACCIPIANT, *corpus Christi.* QVOD CONTAMINANT. *quoad possunt, cùm ibi corpus Christi sit impassibile, vt nec radius Solis contactu luti polluitur.* IPSI TRADVNT. *Idolorum artifices, ad C sacros ordines assumpti, Missam celebrant, & corpus Christi tractant, & manibus communicantium similiter pollutis tradunt.* QVOTIDIE. *aduerte Missam quotidie celebratam, & vsum quotidianum Eucharistiæ pro laicis.* O MANVS PRÆSCIDENDÆ. *sic milites decepti à Iuliano, simul ad eum clamant, apud Greg. Naz. orat. 3.* manus amputa, quas sceleratè porreximus. AN PER SIMILITVDINEM. *Iam inquit, non disputo, figuratè, an realiter sit accipiendum quod Christus ait Matth. 5. 30.* Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te. vnum scio, quòd si qua causa iusta sit manus præscindendæ, ea est, quòd post opus Idololatriæ, ad corpus Christi conficiendum, aut accipiendum porrigatur. NIHIL POSSVNT. *Non mouent ad D Idololatriam, sicut facit ornatus.* EXPEDIVNT, *expeditè & ornatè conficiunt.* BRATTEAM, *vel bracteam. sunt autem bracteæ tenues lamina auri, vel argenti resonantes, quibus simulachra inaurari solebant.* INSIGNIA, *arma, quibus singuli dij discernebantur.* MAIOR OPERA, *granior est Idololatriæ, quia confert Idolis ornamenta, quibus trahuntur magis homines ad Idololatriam, quàm ipsa effigie & nudâ ac simplici formâ Idoli cuiusliber. Quod autem corpus Christi solitum esset laicorum manibus accipi, seruari, & portari domum, testis ipse Tertullianus lib. de Orat. cap. 14.* Nonne solemnior erit Statio tua, *statutum* Omniloquium,

B *& solemne ieiunium*, si & ad Aram Dei steteris? accepto corpore Domini, & reseruato, *vt domi accipias, seruato vique ad tempus vesperum ieiunio*, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, *communicando quidem prius*, & executio officij. *Ieiunium exactè obseruando. De hoc more sumpta manibus Eucharistiæ, Cypr. de lapsis; vbi loquitur de laico lapso.* Quòd non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore pollato Domini sanguinem bibat; *tum sumebant vtramque speciem* Sacerdotibus sacrilegus irascitur. *Parvulos olim Eucharistia participes fuisse, & quàm graue sit his communicantes, Idolothytorum, & mensæ dæmoniorum communicare, docuit Aug. in ep. 23. ad Bonifacium Coepiscopum. Vbi inducit Cyprianum in epistola de lapsis, pro infantibus hoc Sacramento refectis, & postea a parentibus Idolothyto pastis sic fantem:* Nonne, *inquit*, illi cùm iudi- S. August. C cij dies venerit, dicent, nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini, ad prophana contagia sponte properauimus? perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas, &c. Hanc defensionem non subnecteret nisi iustissimam crederet, & in Dei iudicio paruulis profuturam. Si enim verè dicitur, nos nihil fecimus, anima quæ non peccauerit ipsa, cur morietur? &c. Illud verò quod in eadem commemoratur Epistola, quandam paruulam, turbatis in fugam parentibus, nutrici derelictam, atque ab eadem nutrice dæmonum sacrilegiis impactam, postea in Ecclesia Illatam sibi Eucharistiam miris motibus respuisse; Ideò mihi videtur diuinitùs factum, ne maiores D putarent, nihil se in paruulos in illa iniquitate peccare, sed potiùs intelligerent, per illum significantem quodammodò gestum corporis eorum qui loqui non poterant, se mirabiliter admoneri, quid ipsi facere deberent, qui post tantum illud nefas, Sacramentis salutaribus irruebant, vnde se vtique pœnitendo abstinere deberent. *Et epistola ad Thibaritanos, præclarè in rem Tertull.* Armemus dexteram gladio spirituali, vt sacrificia funesta fortiter respuat, Eucharistiæ memor quæ Dominni corpus accepit. *Et Ruffinus lib. 6. hist. cap. 33. sic loquitur de Donato sine Donatiaro*; qui, inquit, Sacramenta diuidens populis, accipientium manus teneret, S. August.

nec priùs permitteret ſumere, quàm ſibi per ea, quæ vnuſquiſque tenebat in manibus, iuraret. *Sed expreſsè Auguſtinus, duo in rem noſtram conficit, primò præfatum morem, ſecundò puritatem & innocentiam operum. Serm. 252. de temp.* Non eſt graue nec laborioſum quod ſuggero; hoc dico quod vos frequẽter facere aſpicio. Omnes viri quando communicare deſiderant, lauant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina; *alij vocant Dominicalia* vbi corpus Chriſti accipiant. Non eſt graue quod dico, fratres; quomodo viri lauant aquâ manus ſuas, ſic eleemoſinis lauent conſcientias ſuas. Similiter & mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi corpus Chriſti accipiant: ſic corpus caſtum, & cor mundum exhibeant, vt cum bona conſcientia Chriſti Sacramenta ſuſcipiant. Rogo vos, fratres, numquid eſt aliquis, qui in arca ſordibus plena velit mittere veſtem ſuam? & ſi in arca ſordibus plena veſtis non mittitur pretioſa, quâ fronte in anima quæ peccatorum ſordibus inquinatur, Chriſti Euchariſtia ſuſcipitur? &c. qui in arca ſua non vult ſcintillam ignis includere, quare in anima ſua flammam iracundiæ non timet accendere. Ideo in arcam ignem non mittimus, quia diligimus veſtem noſtram; flammam verò iracundiæ ideo non extinguimus, quia non ſolùm non diligimus, ſed etiam odio habemus animam noſtram, ſecundim id quod ſcriptum eſt; qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. *Et Ser. 100. de temp. vbi de botro terra promiſſa Chriſtum in Sacramento exprimente*; tunc de illa ſpiritali vua, de qua nobis vinum lætitiæ prælum Crucis expreſſit, cum ſecura conſcientia bibere poterimus, ſi nos, nec luxuria ſordidauerit, nec iracundia combuſſerit, nec inflauerit ſuperbia, nec auaritia obſcurauerit, nec inuidia vipereo veneno percuſſerit. Omnia enim iſta de corde ſuo debet expellere, qui ad Altare deſiderat, vel optat accedere. Et quia ſpiritalis vindemia, id eſt paſchalis ſolemnitas imminet, in qua feſtiuitate botrus ille, de quo ſuperius diximus, per iniuriam vel pondera Crucis expreſſus eſt, de tanta ac tali vua accepturi Calicem ſalutaris, & vinum lætitiæ bibituri, exceptoria cordis vel pectoris noſtri cum grandi nitore ac diligentia, ieiuniis, vigiliis, orationibus, eleemoſynis, & præcipuè caſtitatis nitore mundemus: Contra nullum hominem odium in corde ſeruantes, & non ſolum amicos, ſed etiam inimicos & aduerſarios diligentes, cum ſecura conſcientia in oratione Dominica dicamus, dimitte nobis debita noſtra, &c.

S. Auguſt. Auguſt.

7. Euchariſtia à ieiunis mane ſumpta, de manu Sacerdotis, quam reuerenter, ne cadat in terram, cauendum eſt. De Cor. cap. 3. à m.

EVchariſtiæ ſacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præſidentium ſumimus, &c. Calicis, aut panis, etiam noſtri, aliquid decuti in terram anxiè patimur.

8. Et 2. ad Vxor. cap. 5. circa fi.

NOn ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſciuerit panem, non illum credit eſſe qui dicitur? & hæc ignorans quiſque rationem ſimpliciter ſuſtinebit? ſine gemitu? ſine ſuſpicione panis an veneni? ſuſtinent quidam, ſed vt inculcent, vt inludant huiuſmodi feminis.

AD EVCHARISTIAM DISPOSITIO. VII. ET VIII. SCHOL.

IN TEMPORE VICTVS. *Hîc, attende quanti ponderis ſit traditio Eccleſiæ, de qua agit ex profeſſo toto hoc capite tertio; vt cùm Chriſtus Euchariſtiæ Sacramentum, omnibus præceptum, dum ait*, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Non habebitis vitam in vobis; *Etiam ipſe tempore cœnæ ad veſperam Paſcha inſtituerit, tamen mos iam inualuerat, vt mane ante lucem conuenientibus fidelibus in Eccleſiam, ob metum Tyrannorum, ab Epiſcopis & preſbyteris ſumenda traderetur. Iuſtinus autem Martyr Apol. 2. Diaconos huic miniſterio præfuiſſe dicit:* Præſidens, poſtquam gratiarum actionem perfecit, & populus vniuerſus apprecatione læta eam comprobauit, qui apud nos vocantur Diaconi, diſtribuunt vnicuique præſentium, vt participent eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & aquam. *Licet ergo Chriſtus nec tempus communionis, nec à quibus ſumenda eſſet expreſſerit, reliquit id Apoſtolorum & Eccleſiæ placito, cuius hîc traditionem duplicem Tertullianus adnotauit.* CALICIS, *&c. Duo hîc notat, vel ex vno, alterum inſinuat; nempè quod, de more, etiam de vſuali & communi pane & vino aliquid in terram excuſi & cadere de communi menſa, fideles niſi cum aliqua animi inquietudine ferebant; idque, tam propter reſpectum largitatis & prouidentiæ diuinæ, quæ has præcipuas eſcas homini produxit: quàm propter reuerentiam Corporis & Sanguinis Chriſti, qui has ſpecies ſuo Sacrificio & Sacramento elegit; vnde emphaticè innuit, quanto maiori anxietate caueatur, ne quid de pane & calice conſecrato excidat, cùm* etiam noſtri panis & calicis aliquid in terram excuti ægrè feramus. *De ſumpta à ieiunis Euchariſtia meminit Auguſtinus ep. 118. ad Ianuarium: vbi reſpondet quærenti de Sacrificio Miſſæ feriâ quintâ maioris Hebdomadæ ſero vel manè offerendo, ſeruandam conſuetudinem loci.* Faciat quiſque quod in ea Eccleſia in quam venerit, inuenerit, &c. Nec ideò putari debet inſtitutum eſſe multis locis, vt illo die poſt refectionem offeratur, quia ſcriptum eſt; identidem & calicem accipiens poſt cœnam, dicens, &c. Ipſam enim potuit appellare cœnam, quâ iam corpus acceperant, vt deinde calicem acciperent; Apoſtolus namque alibi dicit: conuenientibus ergo in vnum, non eſt Dominicam cœnam manducare: hanc ipſam acceptionem Euchariſtiæ dominicam cœnam vocans. Illud magis mouere potuit homines, vtrùm iam refecti die illa, vel offerrent, vel ſumerent Euchariſtiam quod in Euangelio dicitur; cùm autem illi manducarent, accepit Ieſus panem, & benedixit; cùm etiam ſuperiùs dixiſſet; cùm ſerò factum eſſet, recumbebat cum duodecim, & manducantibus eis dixit, quoniam vnus ex vobis me trader. Poſt enim tradidit Sacramentum. Et liquidò apparet, quando primùm acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Numquid ta-

Auguſt.

men propterea calumniandum est vniuersæ Eccle- A siæ, quòd à ieiunis semper accipitur? *Vide dicenda sequenti Scholio.*

8. MARITVS. *Ethnicus.* SECRETÒ. *In suo secretiori cubiculo, asseruatam de more Eucharistiam.* ANTE OMNEM CIBVM. *Quia mane ieiuni fideles quotidie communicabant, acceptis, persecutionis tempore, de manu Sacrificantis pluribus partibus, particulis, buccellis, panis consecrati; de quibus Tertul. lib. de Monogo.* Sic dabunt viros & vxores, quomodo buccellas. *Episcopi enim & Presbyteri præsidebant nuptiis contrahendis, in quibus coniuges communicabant, & buccellas hostiæ consecratæ sumebant manibus, sicut manum alter alterius sumebat coniugum. Tertull. autem iam hæreticus, secundas nuptias condemnans, exprobrabat eatis sive Sacerdotibus, quòd sic darent licentiam nubendi frequenter, vt communicandi; quòd diuinâ buccellâ quotidie sumptâ & consumptâ, alteram sequenti die sumeret, & sic de cæteris: ita planè, vno coniuge mortis morsu consumpto, alium possent accipere. Dicam ego, coniuges, vt buccellas, in gratia debere sumi, quia Sacramentum est vtriusque vinculum, & matrimonium signum est coniugij Christi cum Ecclesia, & eiusdem cum anima fideli. Deinde quia vt castè sumitur hostia, sic coniux; etiam, quòd ob reverentiam purissimi Sacramenti die nuptiali sumpti, thorum immaculatum seruare debeant; ne vt septem mariti Sare; sic corpus Domini non discernentes, sed sicut equus & mulus agentes, Asmodeo dominante intereant; cum Oza, Arcam irreuerenter, præcedenti nocte vxore cognitâ, attingentes, repente corruant; & cum Dagon idolo veneris iuxta Arcam, manna Eucharistiæ figura continentem collocato concidant. Notandum enim quod ait Psalter:* Mittit Christallum suam sicut buccellas. *Quid purius christallo? speculo Dei maiestatis, splendore, & imagine Patris? O quàm* pulchra est casta generatio cum claritate! *Speculum est, in quo resplendet* Figura substantiæ eius & imago bonitatis illius, in quo dilecto sibi complacet. *Hanc christallum misit nobis sicut buccellas: quomodo? quia sicut in integro speculo christallino, & in singulis eius partibus diuisis, tota facies, & imago videtur; sic in hostia integra, & in singulis eius buccellis, totus Christus continetur. Puritate ergo christallo simili hæc buccella pretiosa sumenda est; vt abstineat ab omni actu carnali; sit* Electus ex omni carne, qui frumentum electorum recipit, & vinum germinans virgines. *Audiat indignus quid referat Cyprianus libro de lapsis:* Cùm quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, *De quo dictum est; quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei, non dabis sanctum tuum videre corruptionem; nolite Sanctum dare canibus & margaritas vestras ne proiicite ante porcos, manibus indignis tentasset aperire, igne inde* B *surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et libro de spectaculis, de quodam Christiano loquitur, ad ea currente, cum adhuc super se haberet corpus* Domini, *quod mane acceperat:* Festinans ad spectaculum, dimissus, *cum aliis assistentibus à Sacerdote dicente Ite missa est;* & adhuc gerens secum, vt assolet, Eucharistiam, inter corpora obscœna meretricum tulit, plus damnationis meritus de spectaculi voluptate. *De ieiuno autem communicante, sic Aug. ep. 118. ad Ianuarium circa f.* Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Chri- S. Augustr
stiani, priùs dominicum corpus intraret quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere. Namque saluator quò vehementiùs commendaret, mysterij illius altitudinem; vltimum hoc voluit arctiùs infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset, &c. Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectauit, vt vno certo die per annum, C quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri, & accipi liceat corpus & sanguinem Domini. Honestiùs autem arbitror ea hora fieri, vt qui etiam ieiunauerit, post refectionem quæ horâ nonâ fit, ad oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus ante dominicam illam cœnam prandere, *tunc fieri solitam die Ienis Sancto,* Sed nulli etiam contradicere audemus. SI SCIVERIT PANEM. *Si maritus Ethnicus sciat vxorem suam fidelem mane ieiunam ante quemlibet cibum panem sumere, cùm sit infidelis, nec nostri capax mysterij credere non potest illum esse Eucharisticum panem.* RATIONEM, *&c. An simplici illa ratione & responsione contentus erit, nec ingemiscet suspicans panem illum intinctum in sanguine pueri* Vt infideles dictitabant, *recenter in Sacris Christianorum immolati, vel ad aliquod sortilegium sumpti?* SVSTINENT QVIDEM. *Alij legunt,* Quidam. *Audiunt aliqui mariti, sed vt conculcent & spernant hæc Sacra, vt sæpius inculcando & exprobrando, illudant suis vxoribus, patiuntur eas manè ieiunas ante omnem cibum hunc panem sumere in secreto.*

EXCOMMVNICATIO.

I. *Excommunicatio iudicij futuri præiudicium est. Apol. cap. 39. à p.*

IBidem etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu; summumque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.

EXCOMMVNICATIO. I. SCHOLIA.

IBIDEM. *In cœtibus & congregationibus fidelium.* CASTIGATIONES. *Reprehensiones.* CENSVRA DIVINA. *Sententia excommunicationis auctoritate diuina concessa Ecclesiæ Prælatis. Christo dicente Apostolis, & successoribus,* Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis. MAGNO PONDERE. *Maturè discernendo grauitatem criminis.* DE DEI CONSPECTV. Deus stetit in Synagoga deorum in medio autem Deos diiudicat. PRÆIVDICIVM. *Quasi prædictio est fu-*

turi iudicij, vel vt aiunt Patres de Petri aliorumque Apostolorum & successorum sententia: Præiudicata auctoritas est. CONVENTVS; Cœtus fidelium. SANCTI COMMERCII. Participationis Sacramentorum, & Ecclesiastice sepulture. Cypr. ad Pomponium: Spiritali gladio, superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur: neque enim viuere foris possunt, cùm domus Dei vna sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit. Et epistola 62. Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus; intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separamur. Et Optatus Mileuit. excommunicatos vocat, Ramos fractos ab arbore, abscissos palmites à vite, riuum concisum à fonte. S. August. Aug. autem homilia 50. Constituto in corde iudicio, adiit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini. Vt qui separari à regno cœlorum timet per vltimam sententiam summi iudicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cœlestis panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri iudicij, Cuius præiudicium hic ait esse Tertull. Vt cùm alij accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus alis vitam æternam, alij in mortem præcipitentur æternam. Ad hoc enim altare quod nunc in Ecclesia est in terra positum, terrenis oculis expositum, ad mysteriorum diuinorum signacula celebranda, multi etiam scelerati possunt accedere. quoniam Deus commẽdat in hoc tempore patientiam suam, vt in futuro exerceat seueritatem suam. Accedunt enim ignorantes, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam eos adducit: Illi autem secundùm duritiam cordis sui, & cor impœnitens, thesaurisant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique iuxta opera sua. Ad illud autem altare quo præcursor pro nobis introiuit Iesus, quo caput Ecclesiæ præcessit, membris cæteris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus, vt iam commemorauit, dixit Apostolus: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Solus enim Sacerdos, sed planè totus, ibi assistit, adiuncto scilicet corpore, cui caput est, quod iam ascendit in cœlum. Ipse est, cui dixit Apostolus Petrus, plebs sancta, regale Sacerdotium. Quomodo ergo in interiora veli, & in illa inuisibilia Sanctasanctorum introire audebit aut poterit, qui medicinam disciplinæ contemnens, noluit paulisper à visibilibus separari? *De Exomologesi implenda, déque operibus satisfactoriis ante Eucharistiam faciendis, & ipsa interdum pro grauibus delictis intermittenda, excommunicatione voluntaria Augustinus sermone 252. de temp.* S. August. Vnusquisque, *inquit*, consideret conscientiam suã, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognouerit, priùs orationibus, ieiuniis, vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat accipere, &c. Qui enim agnoscens reatum suum, ipse se humiliter ab Altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ remouere voluerit, ab æterno illo, & cœlesti conuiuio excommunicari penitus non timebit, &c Auertat hoc Deus à nobis fratres charissimi, & concedat vt mala ista aut nunquam velimus admittere, aut si admissa fuerint, sine vlla mora pœnitentia, vel pace, studeamus sanare, *Id est exomologesi & reconciliationis Sacramento*; Et largioribus eleemosynis festinemus abluere; ne fortè si cùm peccatorum vulneribus ante tribunal æterni iudicis venerimus, ab illa æterna Ecclesia, & ab illa cœlesti Ierusalem perpetua excommunicatione separemur. *De peccatis sine secreto, sine publicè confitendis & de excommunicatione ab Episcopis in magnos peccatores ferenda, & voluntaria ab altaribus propter ea separatione, D. Prosper libro 2. de vita contemplatiua cap. 7.* Quid mirum, inquit, si animos aliorum, quales sint, sine ipsorum confessione nescimus, cùm nos ipsos ita hodie nouerimus, vt quales futuri simus, crastino, nesciamus. Cùm verò fratres quilibet peccata sua tanquam medicis vulnera quibus vrgentur, aperiunt, operam dare debemus, vt quantocius ad suauitatem Deo auctore perueniant, ne in peius dissimulata curatione proficiant. Ea autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus vndequaque claruerint, quæcumque non fuerint leni patientiæ medicamento sanata, velut igni quodam piæ increpationis vrenda sunt, & curanda. Quòd si nec sic quidem æquanimiter sustinentis, ac piè increpantis medela profecerit in eis, qui diu portati & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi: ne sicut caro morbis emortua si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpit: ita isti qui emendari despiciunt, & in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant, &c. Quòd si ipsi iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus, restinguent æterni ignis incendia, &c. Exceptis peccatis quæ tam parua sunt vt caueri non possint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus, & dicimus, Dimitte nobis, &c. Illa crimina caueantur, quæ publicata suos auctores humano faciunt damnari iudicio. Qui autem ea commiserint, & ideò prodere metuunt, ne sententiam iustæ excommunicationis accipiant, sine causa communicant, imò verò dupliciter contra se iram diuinæ indignationis exaggerant, quòd & hominibus innocentiam fingunt, & contempto Dei iudicio, abstinere se ab altari propter homines erubescunt. Quapropter Deum sibi facilius placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, sed vltro crimen cognoscunt: qui aut propriis illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis quales occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, & ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam tanquam mortuam plangunt; certi quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non solùm amissa recipiant, sed etiam ciues supernæ ciuitatis effecti, ad gaudia sempiterna perueniant.

2. *Excommunicatio comminatoria, & late sententiæ; qua Paulus non tantum vsus est, sed etiam pœnâ mortis in incestum. De pudic. cap. 14. circa m.*

1. Cor. 5. 2. QVomodo [a] *vt auferatur de medio illorum?* non vtique vt extra Ecclesiam detur; hoc enim non à Deo postularetur quod erat in præsidentis officio; sed vt per mortem hanc quo-

que communem & propriam carnis ipsius, quæ iam cadauer, quæ capulum esset immunditiâ irrecuperabili tabiosum, pleniùs de Ecclesia deberet auferri. Et ideo, quomodo interim potuit auferri, [b] *iudicauit dedendum eiusmodi satanæ in interitum carnis.* Maledici enim eam sequebatur quæ diabolo proiiciebatur, vt sacramẽto benedictionis exauctoraretur, nunquàm in castra Ecclesiæ reuersura. Videmus itaque hoc in loco diuisam Apostoli seueritatem in quendam inflatum & in quendam incestum; in alterum virgâ, in alterum sententiâ armatum. Virgâ, quam minabatur; sententiâ, quam exequebatur. illam adhuc coruscantem, hanc statim fulminantem, quâ increpabat, quâque damnabat. Certumque est exinde increpitum quidem sub intentatione virgæ tremuisse, damnatum verò sub repræsentatione pœnæ periisse: statim ille timens plagam; abiit ille luens pœnam. [b] Ibid. 5.

EXCOMMVNICATIO. II. SCHOLIA.

QVÓMODO. *Supplè accipiendum est quod ait Apostolus 1. Cor. 5. 13. vbi loquitur de incesto Corinthio:* Auferte malum ex vobis ipsis. *Syr. verò,* Tollite autem sceleratum è medio vestri. DETVR. *Amandetur.* NON A DEO. *Id dicit, quia immeritò prius dixerat Paulus.* Eos qui foris sunt Deus iudicabit. *Quasi iam coram Deo extra Ecclesiam essent huiusmodi scelerati. Quod crudius intelligit Tertull. ipse tum verè hæreticus, & extra Ecclesiam.* IN PRÆSIDENTIS OFFICIO. *Quasi diceret; cùm id posset Episcopus ex officio, nempè excommunicare Corinthium illum, nec à Deo, nec ab ipsis Corinthiis id peteret Paulus, nisi per ablationem eius de medio, mortem ipsam corpoream intellexisset, cuius caro per tam grande incesti scelus, iam instar cadaueris putrida & irreparabiliter tabida facta erat, non tantum per censuram, vinis communem, auferri debebat ab Ecclesia, sed & tolli à vinis, & cadauer eius* sepulturâ asini sepeliri, *Et Ecclesiastica sepultura priuari.* QVÆ CAPVLVM. *Ex Nonio, capulum est, quidquid rem aliquem capit, sumitur etiam pro feretro. Alij legunt* Quod captiuum esset. *Supplè cadauer seruum immunditia.* QVIMODO POTVIT. *Donec,* inquit, *pleniùs per mortem auferretur, quomodo potuit, Paulus abstulit sententiâ excommunicationis latâ, vel ferendâ. Non enim simpliciter tradidit satanæ, sed tradendum iudicauit. 1. Cor. 5. 3. & seq.* Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. *Syr. autem, & absolutè à Paulo condemnatum, & à Corinthiis condemnandum innuit.* Ego quidem absum à vobis corpore, vobis autem proximus sum spiritu, iamque condemnaui vt proximus eum qui sic operatus est, &c. Vt tradatis eum satanæ ad exitium corporis, vt spiritus seruetur, &c. MALEDICI EAM, *&c. Sequebatur,* inquit, *vt hæc caro vt abominanda malediceretur à Corinthiis, & mortis maledicto addiceretur.* EXAVCTORARETVR. *Ab auctoritate & potestate, honore, participatione benedicti Sacramenti Eucharistiæ priuaretur. Et quamquam id tantùm intelligatur de possessione à dæmone, cui à Paulo traditus erat incestus ille; dæmoniaci, & excommunicati maximè hoc iure priuantur.* NVMQVAM. *Hic error eius de non recipiendis lapsis.* CASTRA. *Hinc vox deducta,* Exauctorationis, *Quæ militibus degradatis applicatur. Exauctorari enim est,* Militiâ remoueri, insignibus militaribus spoliari. *L. 4. § Non omnis ff. de re militari l. 29. ff. de liber. Causa Vlp. l. 2 §. 2 ff. de his qui notantur infamia.* Sed etsi eum exauctorauerit, id est, insignia militaria extraxerit, inter infames efficit, licet non addidisset, ignominiæ causâ se eum exauctorasse.

Ex hoc loco Pauli, Theophilactus censuit Paulum actu excommunicasse Corinthium. Alij excommunicandum Prælatis Ecclesiæ Corinthi tradidisse. Chrysost. Aug. Ansel. aliique citati à Baronio Anno Chri. 57. Hinc probant authoritatem Prælatorum Ecclesiæ in ferenda excommunicatione. Tradi autem satanæ dicuntur, quòd post excommunicationem, priuati suffragiis, Sacramentis, sacrificiis, curâ pastorum, &c. magis sint in potestate diaboli, vt notant Hiero. ep. 1. ad Heliod. Innocentius apud Aug. ep. 51. & alij. Per interitum carnis, Chrysost. Theod. Ansel. &c. Intelligunt morbos, quibus caro luxuriosa frenatur. Ambr. & Aug. carnalis voluptatis interitum. Excommunicatos item frequenter à dæmone possessos, Ambr. hìc docet cum Theod. & habetur, cap. Audi. *Et cap.* Omnis. 11. q. 3. *& exempla frequentia sunt in vitis Patrum de excommunicatis statim abreptis à dæmonio. Et Paulinus in vita S. Ambrosij narrat quemdam ab eo excommunicatum, statim abreptum & discerptum à dæmonio.* DIVISAM SEVERITATEM. *Hic Tertull. apertè vtramque speciem excommunicationis notat, latæ scilicet, & ferendæ sententiæ. Nam præcedente cap. 1. Cor. 4. vbi contra inflatos quosdam,* non quemdam, vt hîc vult Tertull. *Quasi vibrans gladium & virgam excommunicationis intentans ait versu 18.* Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. *Et versu 21.* Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? INCREPITVM. *Seuerè reprehensum.* REPRÆSENTATIONE. *Pœnæ præsenti, & sententiâ latâ fulminatum.* ABIIT. *Ab Ecclesia, à Dei protectione recessit. De auferendo malo per censuram sic Aug. to. 4 lib. de fide & operibus cap. 2.* Neque, *inquit,* quia illam primi populi, *Hebræi,* commixtionem Moysis Dei famulus patientissimè perferebat, ideo non in multos etiam gladio vindicauit. Et Phinees Sacerdos, adulteros simul gladio vltore confixit. Quod vtique, *Non vt perperam hic voluit Tertullianus etiam gladio materiali iussum occidi Corinthium,* degradationibus, & excommunicationibus significatum est esse faciendum in hoc tempore, cùm in Ecclesiæ disciplinâ visibilis fuerit gladius cessaturus. Nec quia B. Apostolus inter falsos fratres tolerantissimè congemiscit, quosdam etiam diabolicis inuidentiæ stimulis agitatos, Christum tamen prædicare permittit: Ideo parcendum censet illi qui vxorem Patris sui habuit, quem præcepit congregatâ Ecclesiâ tradere satanæ in interitum carnis vt spiritus, &c. Aut ideo ipse alios non tradidit satanæ, vt discerent non blasphemare. Aut frustra dicit, &c. Cum huiusmodi nec cibum quidem sumere, &c. Auferte malum ex vobis ipsis. Vbi quidam, quod dictum est, ex vobis ipsis, ita intelligunt, vt ex seipso vnusquisque auferat malum. Hoc est vt ipse sit bonus. Sed quomodolibet intelligatur, siue vt seueritate Ecclesiæ, mali excommunicationibus. S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin.

corripiantur; siue vt se quisque corripiendo & corrigendo, à seipso auferat malum: illud tamen quod supra dictum est, non habet ambiguitatem, vbi præcepit non commisceri eis fratribus, qui in aliquo supradicto vitio, *Fornicationis, idololatriæ, auaritiæ, ebrietatis, rapacitatis*, nominantur, id est noti famosique sunt. *Et lib. 5. qq. in Deut. q. 39.* Morietur fur ille, *Deut. 24. 7.* Id est homo qui furatus est hominem; & auferetis malignum ex vobis ipsis. Assiduè hoc dicit scriptura, cùm iubet occidi malos. *Hinc ortus error Tertulliani, etiam in lege noua, duram hanc legem contra incestum renouantis.* Quâ locutione vsus est etiam Apostolus cùm diceret, &c. Auferte malum ex vobis ipsis, &c. Nec ait τὸ πονηρὸν. id est hoc malignum, sed τὸν πονηρὸν, Quod est, hunc malignum. Ex quo apparet, eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, vt excommunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. *Et to. 3. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 40. vbi comparat excommunicatum, cum Adamo ligno vitæ priuato, & ejecto Paradiso.* Alienatus à vita, non solum quam fuerat, si præceptum seruasset, cum Angelis accepturus; sed ab illa etiam, quam ducebat in Paradiso, fœlici quodam corporis statu, seperari vtique debuit à ligno vitæ. Siue quod ex ipso illo subsisteret felix ille ipse status corporis, ex re visibili, virtute inuisibili. *Quasi quodam Sacramento, Eucharisticum figurante.* Siue quod in eo esset Sacramentum visibile inuisibilis Sapientiæ: alienandus vtique inde fuerat, vel iam moriturus, vel tanquam excommunicatus: sicut etiam in hoc paradiso, id est Ecclesia, solent à Sacramentis Altaris visibilibus homines disciplinâ Ecclesiasticâ remoueri. Et eiecit Adam, & collocauit eum contra Paradisum, *ex aduerso, vt eius aspectu compungeretur*, voluptatis. Et hoc significandi gratia factum est, sed tamen factum; vt contra paradisum, quo beata vita etiam spiritaliter significatur, habitaret peccator, vtique in miseria. Et ordinauit Cherubim & flammeam romphæam quæ vertitur, *versatilem, vt sit spes euadendi per reconciliationem & absolutionem ab Anathemate*, custodire viam ligni vitæ. Hoc per cœlestes vtique potestates etiam in paradiso visibili factum esse credendum est; vt per Angelicum ministerium esset illic ignea quædam custodia: non tamen frustra factum esse; nisi quia significat aliquid etiam de Paradiso spiritali, *allegorice, Ecclesia scilicet, in quo Angeli id est Episcopi gladio Anathematis arcent ab Eucharistia.* Non est vtique dubitandum.

S. Auguſt

S. Auguſt

S. Auguſt.

Auguſt.

EXCVSATIO.

Nullam excusationem peccati necessitas potest obtendere. De Cor. cap. 11. circa f.

NOn admittit status fidei necessitates. Nulla est necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi. Nam & ad sacrificandum & directò negandum, necessitate quis premitur tormentorum siue pœnarum: tamen nec illi necessitati disciplina connivet: quia potior est necessitas timendæ negationis & obeundi martyrij, quàm euadendæ passionis, & implendi officij. Ceterùm subuertit totam substantiam sacramenti causatio eiusmodi, vt etiam voluntariis delictis fibulam laxet. Nam & voluntas poterit necessitas contendi, habens scilicet vnde cogatur.

EXCVSATIO. SCHOLIA.

STATVS FIDEI. *Qui firmus & inconcussus esse* C *debet, nullo prætextu necessitatis, nulla excusatione commouendus est. Alij legunt*, Allegationem necessitatis. NVLLA EST NECESSITAS. *Nihil enim, vt alibi diximus, liberam animam ad peccatum cogere potest. Immò vt ait Tertull. vnica nobis est necessitas imposita à Deo, non peccandi, sub pœna mortis animæ & corporis. Nec primi parentes in statu integræ naturæ, se obtentu necessitatis peccandi excusarunt, sed ille ex complacentia vxoris, ista ex deceptione serpentis excusationem sumpsit.* DIRECTÒ. *Statim absque ambagibus Christianus compulsus à tyrannis negare Christum & diis sacrificare, vi tormentorum, nec hac necessitate tuendæ vitæ excusatur, cui Christiana disciplina non acquieuit: Christo negante discipulum, nisi oderit non tantùm patrem & matrem, sed insuper animam & vitam suam.* IMPLENDI OFFICII. *Dum connexionem habet cum aliquo alio idololatriæ.* SVBSTANTIAM SACRAMENTI. *Fidei in baptismo susceptæ, quæ à Paulo dicitur*, Substantia rerum sperandarum, *Et fidei item sine iusiurandi Deo præstiti in eius susceptione.* CAVSATIO. *Prætextus, excusatio.* VOLVNTARIIS. *Iis quibus libido cuiusque inclinatur, nullâ necessitate cogente.* FIBVLAM. *Viam pandit.* VOLVNTAS. *Alij legunt, voluptas.* CONTENDI. *Poterit aliquis contendere, se necessitate vrgente libidinis coactum ad peccatum. Præterea alibi dicta ex Augustino, dum agimus contra diuersas excusationes peccantium, hæc acci[illegible] ex eodem in Psal. 72. in versum:* Prodiit quasi ex adipe, &c. Non quomodocumque transeundum est quod dixit, prodiit ex adipe iniquitas eorum. Sunt enim mali, sed macie mali; ideo mali, quia macri; id est exiles; exiguitate quadam necessitatis affecti, & ipsi mali, & damnandi. Ferenda est enim magis omnis necessitas, quàm perpetranda est aliqua iniquitas. Tamen aliud est de necessitate, *inopiâ*, peccare, aliud in abundantia. Pauper mendicus furtum facit, ex macie processit iniquitas. Diues abundat rebus tantis, quare diripit res alienas? Illius iniquitas ex macie, huius ex adipe processit. Ideo macro cùm dicis, quare hoc fecisti? humiliter afflictus & abiectus respondet, necessitas coëgit me. Quare non timuisti Deum? egestas compulit. Dic diuiti, quare hoc facis, & non times Deum? si tamen tantus es qui possis dicere, vide si vel dignatur audire, vide si non etiam in teipsum prodiet iniquitas ex adipe eius. *Et to. 7. libro de gratia & lib. Arbitrio cap. 2.* Ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promissa præmia perueniret. Ideò enim data sunt, vt homo excusationem de ignorantia non haberet, sicut Dominus dicit in Euangelio de Iudæis: si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

D

Auguſt.

Auguſt.

fuo. De quo peccato dicit, niſi de illo magno, quod præſciebat eorum futurum, quando iſta dicebat, id eſt, quo eum fuerant occiſuri? neque enim nullum habebant peccatum, antequam Chriſtus veniſſet in carne ad eos. Item dicit Apoſtolus, reuelatur ira Dei de cœlo in omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem in iniquitate detinent: quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim eius, &c. vt ſint inexcuſabiles. Rom. 1. quomodo dicit inexcuſabiles, niſi de illa excuſatione, qua ſolet dicere humana ſuperbia: ſi ſciſſem, A feciſſem; ideo non feci, quia neſciui: Aut ſi ſcirem, facerem; ideo non facio, quia neſcio? hæc eis excuſatio tollitur, quando præceptum datur, vel ſcientia non peccandi manifeſtatur, &c. *Subiicis multa exempla, inter quæ, in rem præciſè Tertulliani, de tormentis non timendis, officiis, & dignitatibus, & coronis reſpuendis, dum agitur de fide & ſalute æterna.* Nolite timere eos qui occidunt corpus, S. Auguſt. &; qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, &c. Qui ergo nouerunt diuina mandata, auferetur eis excuſatio, quam ſolent homines habere de ignorantia.

EXEMPLVM.

Exempli boni neceſſitas. 2. de cultu Fœm. cap. 13. in p.

ALiqua fors dicet: Non eſt mihi neceſſarium, hominibus probari: nec enim teſtimonium hominum requiro: [a] *Deus conſpector eſt cordis.* Scimus omnes, dum tamen quid idem per apoſtolum dixerit recordemur: [b] *Probum veſtrum coram hominibus appareat.* Ad quid, niſi vt malitia acceſſum ad vos omnino non habeat; vel vt malis exemplo & teſtimonio ſitis? Aut quid eſt, [c] *Luceant opera veſtra?* Quid autem nos Dominus *lucem mundi vocat?* quid ciuitati ſuper montem conſtitutæ comparauit; ſi non relucemus in tenebris, & extamus inter demerſos? *Si lucernam tuam ſub modio abſtruſeris*, in tenebris derelicta à multis incurſeris neceſſe eſt. Hæc ſunt quæ nos luminaria mundi faciunt, bona ſcilicet noſtra. Bonum autem dumtaxat verum & plenum, non amat tenebras, gaudet videri, & in ipſas denotationes exultat.

a 1. Reg. 16. 7.
b Philip. 4. 5.
c Math. 5. 16. & 14.
Math. 5. 14.
Ibid. 15.

EXEMPLVM. SCHOLIA.

ALIQVA FORS. *Fortè aliqua mulier ſtudioſa cultus & ornatus corporis, dicet.* DEVS CONSPECTOR. *1. Reg. 16. 7.* Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 70. Homo aſpiciet in faciem: Deus autem aſpiciet ad cor. PROBVM VESTRVM. *Philipp. 4 5.* Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus propè eſt. *Syr. autem:* Manſuetudo veſtra nota ſit, &c. *In quem locum Aug. epiſt. ad Marcellinum:* Omnia bona opera amant in luce conſtitui, non propter humanam gloriam, ſed vt videant, ait Dominus, bona opera veſtra, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt; & ideo non ſufficit Apoſtolo monere vt manſuetudinem ſeruaremus, ſed vt eam etiam notam omnibus faceremus. Manſuetudo, inquit, veſtra nota ſit omnibus hominibus; D & alio loco; manſuetudinem veſtram oſtendentes ad omnes homines. *Et 2. Cor. 8. 21.* Prouidemus enim bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. MALITIA, *&c. vt ſitis adeo perfecti & pleni bonitate, vt ex abundantia interna redundet exemplum in proximum, & nullus ſit in vobis locus peccatis, de quibus dicebat Pſalmes.* Ab alienis parce ſeruo tuo. *Id eſt malis exemplis, qua proximum inducunt ad peccatum.* VT MALIS. *Corrigendis exemplo veſtro bono.* ET TESTIMONIO. *Quo in iudicio conuincantur, eos potuiſſe facere, quod vos ſimilis ſortis viderunt facientes.* EXTAMVS. *Quaſi eminentes montes reſpectu vallium, id eſt profundorum in peccatis.* A MVLTIS INCVRSERIS. *Multi in te per noctem offendent, obuiis quibuſque eris petra ſcandali, caſtitatem enim tuam internam velut lucernam ſub modio abſconditam non vident, & cultum externum corporis, ameris impuri illicem vident, vt venalem tuam pudicitiam putent, luxus & luxuria inſignibus patentibus.* PLENVM. *Iuxta Philoſophum*: Bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu. GAVDET VIDERI. *Non propter laudis humanæ, ſed, vt ſuprà, ad Dei gloriam & exemplum proximi.* DENOTATIONES. *Irriſiones & cachinnos. Aug. quantùm boni mali-vè ſit in exemplo, breuiter docet ſer. 163. de temp. in fine.* Nemo ſe circumueniat, fratres chariſſimi, nullus homo ſibi ſolummodo viuat: & ſicut frequenter ſuggeſſi, quantoſcumque aliquis exemplo ſanctæ vitæ ædificauerit, cum tantis, & pro tantis mercedem B. Vitæ retributionis accipiet: & quantiſcumque exemplum malæ conuerſationis, etiam ſi non eum illi ſequantur præbuerit, pro tantis ſe malis rationem nouerit redditurum. Et *libro quinto de Ciuit. cap. 14. de luce exempli danda proximo iuxta Math. 5.* Non, *inquit*, vt videamini ab eis, id eſt, hac intentione, vt eos ad vos conuerti velitis: quia non per vos aliquid eſtis: ſed vt glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt, ad quem conuerſi, fiant quod eſtis. *Et ſer. 2. de Verbis Domini, qui totus eſt in diſcutiendo, quomodo conſonent & Chriſtus & Paulus ſibi ipſi, dum iuſtitiam coram hominibus facere, & hominibus placere prohibent; & coram hominibus lucere, & hominibus placere ſuadent: vbi ſic circa finem.* Quiſquis ita vult videri hominibus opera ſua, vt ille glorificetur, à quo ea quæ in illo videntur, accepit; & ſic ad imitandum bonum idem, ipſi qui vident pietate fidei prouocentur, verè lumen eius lucet coram hominibus: quia lux de illo charitatis radiatur, non ſuperbiæ fumus euomitur: & in eo ipſe cauet ne iuſtitiam ſuam faciat coram hominibus, vt videatur ab eis: quia nec ſuam deputat illam iuſtitiam, nec ideo facit, vt ipſe videatur: ſed vt ille intelligatur qui laudatur in homine iuſtificato, vt faciat & in laudante, quod laudatur in altero: id eſt vt laudantem faciat eſſe laudabilem. *Et in fine ſic de Paulo concludit:* Et non placebat hominibus propter ſuam vtilitatem, ne Chriſti ſeruus non eſſet: & placebat hominibus propter illorum ſalutem, vt Chriſti eſſet diſpenſator idoneus: quia & illi coram Deo conſcientia ſufficiebat; & de illo coram hominibus, quod imitarentur elucebat.

Auguſt. E

S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

EXOMOLOGESIS, SIVE POENITENTIA PVBLICA.

Confessio, pœnitentia, & satisfactio publica pro peccatis semel tantùm concessa.

1. *De Pœnit. cap. 9. in p.*

HVius pœnitentiæ secundæ, & vnius quantò in arcto negotium est, tantò operosior probatio est; vt non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est, quâ delictum Domino nostrum confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur. Itaque exomologesis, prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. *Et Verbo Pœnitentiæ conditiones. Num. 5.*

2. *Et de pœnit. Cap. 10. in f.*

MIserum est sic ad exomologesin peruenire. Malo enim ad miseriam peruenitur; Sed vbi pœnitendum est, desinit miserum, quia factum est salutare. &c. *Vide V. Confessio peccati 4.*

3. *Et de pœnit. cap. 9. à m.*

DE ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare: Cæterùm, pastum, & potum, pura nosse non ventris scilicet, sed animæ causâ: plerumque verò ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum suum, Presbyteris aduolui & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia Exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat: Cùm squalidum facit, magis mundatum reddit: Cùm accusat, excusat: Cùm condemnat, absoluit. In quantùm non peperceris tibi, in tantùm tibi in Deus, crede, parcet.

4. *Et de pœnit. cap. 12. in p.*

SI de Exomologesi retractas gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet: & pœnæ priùs magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites, &c. Igitur cùm scias aduersùs gehennam, post prima illa intinctionis Dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia; Cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? &c. peccator restituendo sibi, institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore Exomologesin operatus, vnguium aquilinum in morem efferatione, & capilli incuriâ horrorem leoninum præferente. pro malæ tractationis (*supple merito,*) quem homines perhorrebant, Deus recipiebat. Contra autem Ægyptius Imperator, qui populum Dei aliquando afflictum diu Domino suo denegatũ persecutus, in prœlium irruit, post tot documenta plagarum, discidio maris, quod soli populo peruiũ licebat, reuolutis fluctibus perit. Pœnitentiam enim, & ministerium eius exomologesin abiecerat. Quid ergo vltra de istis duabus humanæ salutis quasi plancis, stili potiùs negotium, quàm officium conscientiæ meæ curans? peccator enim omnium notarum cùm sim, nec vlli rei nisi pœnitentiæ natus, non facilè possum super illa tacere, quam ipse quoque, & stirpis humanæ; & offensæ in Dominum princeps Adam, exomologesi restitutus in paradisum suum, non tacet. *Vide Verbo satisfactio. num. 2. & V. Confessio peccati 2. & V. Æternitas 5. & V. Pœnitentia 6.*

EXOMOLOGESIS. I. II. III. IV. SCHOLIA.

1. HVIVS PŒNITENTIÆ SECVNDÆ. *quid sit Exomologesis, & quomodo hic textus exponendus sit, vide in eum iam dicta Verbo*, Confessio peccati. *num. 2.*

2. MISERVM EST. *Habes item Verbo*, Confessio peccati. *numero 4.*

3. DE IPSO QVOQVE HABITV. *Consule hunc locum exponendum, Verbo* pœnitentia. *num. 6. to. 3.*

4. SI DE EXOMOLOGESI RETRACTAS. *Vide iam dicta Verbo* Æternitas. *5. à medio, ad fin. Vide item Verbo* Satisfactio. *num. 2. to. 3.*

Præter hæc, accipe sequentem de Exomologesi, & pœnitentia publica Appendicem, ex sacris canonibus Conciliorum excerptam.

Digitized by Google

Publica pœnitentia, & solemnis, non dabatur quibuſuis peccatoribus, ſed illis tantùm qui publicè peccauerant. Ita Concilium 3. Arelatenſe cap. 26. vbi dicitur, vt qui publico crimine conuicti ſunt, Reipublicæ indicentur, & publicam pœnitentiam agant, ſecundùm Canones.

Ita & Toletanum 1. *Canone 2. in quo ſic habetur:* pœnitentem dicimus, qui poſt baptiſmum, aut pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus, grauiſſimiſque peccatis, publicam pœnitentiam egerit. *Pœnitentiæ ſolemnis conditiones, & modos, ex variis Conciliorum canonibus colligere licet; præcipuè verò ex Concilio Agathenſi cap. 15. vbi etiam diſcrimen, inter ſecretam pœnitentiam, & hanc publicam, in qua deponebant comam, veſtimenta mutabant, ciliciumque induebant, manifeſtè oſtenditur. Habeturque ſuè apud Gratianum, diſt. 50. cap.* In capite Quadrageſimæ. *Et in epiſtola Cleri Romani, ad Cyprianum, & apud Zonomenum, lib. 6. Eccle. hiſt. cap. 16. deſcribitur habitus, & conditio pœnitentium, Eccleſiarum Occidentalium.*

Ferùm circa modum, & vſum, pœnitentiæ, audi Concilium Coloniense Prouinciale, An. Do. 1536. tempore Papæ Pauli III. congregatum, authoritate Hermanni Archiepiſcopi, qui poſtea in hæreſim lapſus eſt: ſic enim capite 38. loquitur: In publicis verò criminibus, quemadmodum neceſſe eſt, ita iubemus ad canones antiquos pœnitentiæ publicæ regredi, atque adeò ad Chriſti, & ſui diſcipuli Pauli inſtitutum reuerti; qui ad Corinthios exemplo oſtendit; quomodo oporteat Eccleſiam in publicè peccantem animaduertere, donec ipſe publicè peractâ pœnitentiâ ſatisfecerit.

Quòd ſi deſideras verba Concilij Agathenſis mox citati, hæc ſunt Can. 15. Pœnitentes, quo tempore pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper caput à Sacerdote ſicut vbique conſtitutum eſt, conſequantur. Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutauerint, abiiciantur.

Accipe & concilium Barcinonenſe, Can. 6. Pœnitentes viri tonſo capite, & Religioſo habitu vtentes, ieiuniis & obſecrationibus vitæ tempus peragant. *Et Can. 7.* vt pœnitentes non epulis interſint, nec negotiis operam dent, in datis, & acceptis: ſed tantùm in ſuis domibus vitam frugalem agere debeant. *Ex to. 2. Concil. parte 2. pag. 31. col. 1. B.*

Habes & Toletanum 3. Can. 12. quicunque ab Epiſco, vel preſbitero, ſanus, vel infirmus pœnitentiam poſtulat, ſi vir eſt, priùs eum tondeat, & ſic pœnitentiam ei tradat. Si verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, niſi priùs mutauerit habitû. *rationem addit huius mutationis, & tonſura, quia laicis dum tribuitur deſidioſè pœnitentia, facilè in crimen relabuntur.*

Concilium item Moguntinum primum, ſub Rabano Archiepiſcopo, An. 847. temp. Lotarij 4. cap. 31. Modus, tempuſque pœnitentiæ, peccata ſua confitentibus, aut per antiquorum Canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum ſcripturarum auctoritatem, aut per Eccleſiaſticam conſuetudinem, imponi debet à Sacerdotibus. Nam qui pro peccatis grauibus leues quoſdam, & inuſitatos imponunt pœnitentiæ modos, conſuunt puluillos, ſecundùm propheticum ſermonẽ, ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis, ad capiendas animas. Sed diſcretio ſeruanda eſt inter pœnitentes, qui publicè & qui abſconsè pœnitere debeant. Nam qui publicè peccat oportet vt publicâ mulctetur pœnitentiâ, & ſecundùm ordinem Canonũ, pro merito ſuo, & excõmunicetur, & reconcilietur,

Omniloquium.

Pœnitentes verò tam expletionem temporis conſtituti, quàm facinoris remiſſionem deſiderent, nec eis ſufficiat, ſi à quarumdam rerum perceptionibus abſtineant, niſi ſe etiam à noxiis delectationibus ſubtrahant, declinantes à malo faciant bonum, & pacem perſequantur.

Quantum ad eos, qui pœnitentiam publicam de iure imponere poterãt, decernit Concil. Carthaginienſe 3. cap. 31. ſub Stephano primo. Pœnitentibus Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur. *Sicut ex eodem cap. 22. & Hipponenſe ſub Siricio 3. cap* 32. Pœnitentem Preſbyteri, inconſulto Epiſcopo non reconcilient, niſi neceſſitate cogente.

A pœnitentia imponenda arcentur Abbates & Monachi. Ita Concilium Lateranenſe generale ſub Calixto II. Can. 17 Interdicimus Abbatibus, & Monachis publicas pœnitentias dare.

Præterea lege Concilium Wormacienſe, *An. 868. Can.* 25. *Quo pœnitentibus ſecundùm differentiam peccatorum Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur: ibique dicitur,* quòd debeat Sacerdos omnia penſare in pœnitentia imponenda.

Ad hæc Concil. Tolet. 3. ſub Pelagio 2. An. 589. cuius ſunt hæc verba; Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm Canonem, ſed fœdiſſimè, pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, vt quotieſcumque peccare libuerit, totiens à Preſbytero, ſe reconciliari expoſtulent: & ideò, pro coercenda tam execrabili præſumptione, id à ſancto Concilio iubetur, vt ſecundùm formam Canonum antiquorum dentur pœnitentiæ.

Quantùm ad tempora pœnitentiæ publicæ, lege decretа lata à Gregorio 3. ſummo Pontifice, Conciliorum *to. 3. parte 1. folio 355. poſt epiſtolas eiuſdem Gregorij: ibi enim fuiſſimè tempora diuerſa pœnitentiæ, pro diuerſis criminibus præſcribuntur.*

Similiter & in Concilio Wormacienſi, *citato* Can. *86. pœna ei qui Sacerdotem ſponte occiderit, imponitur. Et in præcedentibus & ſuccedentibus aliis* Canonibus *quibuſdam criminibus pœna decernitur, vt parricidiis, fratricidiis, paganum occidentibus, &c.*

Concilium etiam Tribuienſe, anno 895. tempore Formoſi Papæ, cap. 55. 56. 57. 58. explicat pœnam ſeptennem voluntarij homicidij. Antea etiam ibidem varia pœna, variis criminibus imponuntur.

Quantũ ad perſonas, quæ pœnitentiæ publicæ ſubiaceãt, conſule Concilium Agathenſe, ſub Symmacho Papa. Can. 15. cuius in medio ſic legitur. Iuuenibus etiam pœnitentia non facilè committenda, propter ætatis fragilitatem.

Item Concilium Aurelianenſe 3. ſub Vigilio, Can. 24. ſic habet: Vt ne quis benedictionem pœnitentiæ iuuenibus perſonis credere præſumat. Certè coniugatis; niſi ex conſenſu partium, ætate iam plenâ, eam dare non audeat. *Eadem prohibet circa coniugatos, Concilium Arelatenſe ſecundum, Can. 22. ſub Siricio Papa.*

Quid quod & Siricius Papa, nec Clericis pœnitentiam agere permittit. Vnde illud eiuſdem Siricij ad Hymerium ep. 1. cap. 14. relatum à Gratiano diſt. 51. cap. 66. Illud quoque nos par fuit prouidere, vt ſicut pœnitentiam agere, cuiquam non conceditur Clericorum: ita & poſt pœnitudinem, ac reconciliationem, nulli vnquam laïco liceat honorem clericatus adipiſci. *Pœnitentiam tamen Clericis deſiderantibus non negandam dicit Concilium Arauſicanum 1. ſub Leone 1. Can. 4. Quod tamen non de omni gradu clericaturæ, nec de illa pœnitentia infamante, & proinde irregularitatem inducente intelligendum patuerim.* Pœnitentia publicâ purgandus Monachus,

qui ad militiam vel ad nuptias deuolutus est. *Ita Vernense 2. sub Sergio 2. cap. 4. Videndum nunc nobis est, à quibus pœnitentes arceantur; ac primò quidem constat ex premissa authoritate Siricij, pœnitentes à Cleri atu prohiberi. Quod confirmatur ex Concilio Carthaginiensi 4. à Leone 3. approbato, in quo erant Episcopi 214 Quod Can. 68. dicit.* Ex pœnitentibus, quamuis sit bonus, Clericus non ordinetur. Si per ignorantiam factum fuerit, deponatur à Clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinauerit talem, etiam ab Episcopatus sui, ordinandi dumtaxat potestate priuetur. *Confirmatur secundò ex Concilio Toletano 1. Can. 2.* Placuit vt pœnitentes non admittantur ad Clerum, nisi tantùm si necessitas, aut vsus exegerit. Et tunc inter Ostiarios deputentur, vel inter Lectores, ita vt Euangelium aut Epistolam non legant. Si qui autem ordinati sunt Diacones, inter Subdiacones habeantur, ita vt manum nó imponant, nec sacra contingant: eum verò pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, grauissimisque peccatis, pœnitentiam publicam gesens, sub Concilio, diuino fuerit reconciliatus altario. *Canones apud Niceam constituti, pœnitentes etiam ab infimis officiis Clericorum excludebant. Quod vltra expositiones allatas supra, potest etiam intelligi de illis tantùm pœnitentibus, qui post actam pœnitentiam, secularis militia cingulum accipiebant. De quibus Innocentius scribit Victricio Rothomagensi Episcopo, ep. 2. cap. 2. vt refertur à Gratiano dist. 50. cap. 61.* Si quis post remissionem peccatorum, cingulum militiæ secularis habuerit, ad Clericatum admitti omnino non debet.

Secundò pœnitentes arcentur à connubio, ex Concilio Arelatensi 2. Can. 21. Pœnitentes, quæ defuncto viro alij nubere præsumpserint, vel suspectâ, vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerint, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceantur. Hoc etiam de viro, in pœnitentia posito, placuit obseruari.

Quid porrò Canones, circa reconciliationem pœnitentium statuerint, nunc dicendum. Ac primò quidem Concilium Nicænum, 318. Episcoporum Can. 13. Qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obseruabit etiam nunc, ita vt si fortè, quis recedit ex corpore, necessario vitæ suæ viatico non defraudetur. *Concilium Toletanum II. Can. 12.* Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutinè à reconciliationis gratia differendus est. *Ibi etiam dicitur, orandum esse, & oblationem esse faciendam, pro pœnitentibus, nondum acceptâ reconciliatione morientibus, quod & statuit Concil. Carthag. 4 Can. 79* Pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non possit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur. *Vnde Can. 81.* Mortuos pœnitentes Ecclesiæ afferant, & sepeliant. *Concilium quidem Eliberitanum, sub Marcello 1. habitum An. 305 sub Constantio ex Baro-ibid.* edixit can. 1 Placuit intereos, qui post fidē baptismi salutaris, adultâ ætate, ad templū idololatraturus accesserit, & fecerit, quod est principale, quia est summum scelus, placuit nec in fine eum Communionem accipere. *Ita & sequentibus Canonibus, eâdem pœnâ multat aliis criminibus irretitos. Huic Synodo interfuere doctrina & confessione illustres, Osius Cordubensis, & Valerius Cæsaraugustanus. Verum sincerè pœnitentibus, non esse vita negandum viaticum, etiam non acta legitima pœnitentia, si mortis supernenerit periculum, statuit Nicæna Synodus citata Can. 13. & Ancyritana Can. 6. & Aurelianensis 2, Can. 12. sic ait,* De iis qui in pœnitentia positi vita excesserunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti. *Hanc autem canonum discrepantiam soluit Innocentius. 1. epist. 1. cap. 2. ex. to. 1. Conciliorum parte 1. fol. 199.* De iis obseruatio prior, durior: posterior, interueniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur, nam cùm illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas, homines de reconciliatione securos, non reuocaret à lapsu, negata meritò communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur, & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, iam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis. Et ne Nouatiani hæretici negantis veniam, asperitatem & duritiam subsequi videamur. Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema Communio, *Concilium etiam Carthaginiense, Episc. 214. probatum à Leone 3. habitum sub Anastasio 1. An. 398. Can. 76. 77. 78. Canonis verò 77. hæc verba sunt.* Sic pœnitentes qui in infirmitate sunt, viaticum accipiant. *Idem videbis in Can. 9. Barcinonensi.* Iubemus verò in infirmitate positis beatificā benedictionem percipiant. *Beatificam vocat, quòd digne accipientes ad beatitudinem inducat; Christo dicente.* Qui manducat hunc panem viuet in æternùm. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et beatus qui manducabit panem in regno Dei. *Mitto multa alia Concilia de eadem re, nec tamen omitto Canonem 51. Apostolorum.* Si quis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, eum qui à peccatis conuertitur, non recipit, sed eiicit, deponatur. Quoniam Christum molestiâ afficit, qui dixit, Gaudiū est in cœlo propter vnum peccatorem pœnitentiâ agentem. *Quanto magis, si pœniteus in extremo vitæ discrimine fuisset: pœnitentes in Ecclesia recipiendos sensit S. Ignatius Martyr epistola 9. ad Philadelph. à principio:* Obsecro vos, *inquit*, quotquot pœnitentiâ ducti redierint ad vnitatem Ecclesiæ, suscipite illos cum omni mansuetudine, vt per bonitatem & patientiam vestram resipiscentes ex diaboli laqueis, digni iam Christo facti, salutem consequantur æternam in regno Christi. *Vnde hæc increpatio Cœlestini in epist. ad Episcopos Galliæ cap. 2.* Agnouimus, *inquit*, pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subueniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, vt de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem redimere quo se ille expediri desiderat, & liberari. Quid hoc rogo aliud est, quàm morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absolui possit, occidere? cùm Deus ad subueniendum sit paratissimus, & inuitans ad pœnitentiam, sic promittat peccatori, inquiens; quacumque die conuersus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei. Et iterum: nolo mortem peccatoris, sed tantùm vt conuertatur, & viuat. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegauerit, & desperat de clementia Dei, qui eum ad subueniendum morienti sufficere vel in momento posse, non credit. Perdidisset latro, in cruce præmium, ad Christi dexteram pendens, si illum vnius horæ pœnitentia non iuuisset. Vera ergo ad Deum conuersio in extremis positorum, mente potiùs est æstimanda, quàm tempore, Propheta hoc taliter asserente Ezech. 18. Cùm conuer-

sus ingemueris, tunc saluus eris. Cùm ergo, Dominus sit cordis inspector, quouis tempore non est deneganda pœnitentia postulanti, cùm ille se obliget iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari.

Si porrò conualuissent ægroti, aut supremum vitæ periculum euasissent, nondum completo pœnitentiæ curriculo, quod deerat, adimplere debebant. Ita Concilium Barcinonense, Can. 8. De his qui in infirmitatibus poscunt pœnitentiam, & à Sacerdote accipiunt, si postea conualuerint, vitam pœnitentium peragant, exceptâ manus impositione, segregati à communione, quandiu probabilem Sacerdos eorum approbauerit vitam. *Arausicanum 1. cap. 3. Epaunense cap. 36.* Si superuixerint, qui acceptâ in extremis pœnitentia communicarant, stent in ordine pœnitentium. *Et Carthaginiense 4. Can. 78.* Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperunt, non se credant absolutos, sine manus impositione, si superuixerint.

Pœnitentes, qui post acceptam pœnitentiam, ad sæculares illecebras, derelictâ pœnitentiâ fuerunt reuersi, à communione, & fidelium conuiuio submouendi. *Turonense 1. cap. 8. Venetum. cap. 3. Aurel. 1. cap. 11. Tolet. 4. cap. 55.* Viatico concesso vsque ad exitum excommunicandi. *Ita Aurel. 3. cap. 25.* Communicare non poterunt, nisi professioni reformentur. *Sic Epaunense cap. 29. Pœnitentia autem, non tantùm vt pœna inspigebatur, sed etiam vt donum magnum pœnitentibus concedebatur. Primò enim pœnitentes ab excommunicatione, siue à peccatis propter quæ excommunicationis vinculo tenebantur, absolubãtur. Secundò specialis gratia per benedictionem pœnitentiæ, eorum animis infundebatur, quâ ad exercitia pœnitentiæ feruenter amplexanda mouebantur, & amariùs de peccatis conterebantur, & ex impositæ pœnitentiæ grauitate, criminis sui grauitatem melius æstimabant. Quam gratiam licet non Sacramentalem, realem tamen fuisse docet duodecimum Toletanum, Can. 1.* Sicut baptismum, quod nescientibus paruulis, sine vlla contentione, in fide tantùm proximorum accipitur, ita & pœnitentiæ donum, quod nescientibus illabitur, absque vlla repugnantia, inuiolabiliter hi qui illud exceperint, obseruabunt. *Donum item fuisse pœnitentiæ concessionem, Concilij Valentini in Gallia verba indicant:* Vt his, iuxta Synodum Nicænam, satisfactionis aditus quidam non negetur, ne infœlicibus lacrymis, vel solatij ianua, desperatione claudatur. *Quia per pœnitentiæ locum ab Ecclesia sibi solemniter concessum, sperabant se posse Deo satisfacere, & veniam obtinere.*

Aduerte primis sæculis, grauibus peccatis, idololatriæ, mœchiæ, homicidij, apostasiæ, in mortis articulo etiam denegatam absolutionem, & communionem licet eis pœnitentia concederetur; Per quam tamen sperabant à Deo misericordiam consequi sempiternam; quâ spe animati duros vsque ad mortem, pœnitentiæ labores sustinebant. Vnde Tertullianus sic Exomologesim extollebat. Hæc omnia *inquit*, exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Deum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione, æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.

Aduertendum item quatuor hominum generibus concessam fuisse pœnitentiam. Primo moribundis, & sensu omni carentibus, qui eam ante istam extremitatem petiisse, probatis testibus, comperiebantur, de quibus præcitata Concilij Toletani verba sumenda sunt: Pœnitentiæ donum quod nescientibus illabitur: *Quo etiam à peccato excommunicationis subiecto absoluebantur. Secundum genus erat eorum, qui in morte sanamente, & sensibus, absque communione tamen beneficium pœnitentiæ accipiebant. Tertium genus est eorum, quibus imponebatur vsque ad mortem, in qua tantùm communionem accipiebant. Quartum denique eorum, qui acceptâ, & plenè consummatâ pœnitentiâ, perfectè reconciliabantur Ecclesiæ, & ad omnia eius bona, & Sacramenta cum cæteris fidelibus participanda, admittebantur.*

Animaduertendum præterea, pœnitentes inter excommunicatos, & fideles, medium quendam statum obtinuisse. Licet enim à communione fidelium arcerentur pœnitentes, hoc est orationes, sacra, sacrificia, oblationes, agapas, stationes, vigilias, ieiunia, communia non haberent; tamen impositione manuum; à pœnitentibus vinculum excommunicationis tollebatur, & per illam absolutionem educebantur à potestate Sathanæ, & spem habebant redeundi ad gratiam Dei, per meritum pœnitentiæ. Deinde licebat eis, quod non excommunicatis, in omnibus humanitatis officiis cum cæteris fidelibus versari, victum sumere, &c. Quod si fortè ante pœnitentiam impletam animam agerent, nec tum Ecclesiæ reconciliati, oblationes tamen pro eis fiebant ad altare à parentibus, vt patet ex Concilio Arelat. Can. 12. Carthaginiensi 4. Can. 79. Epaunensi Can. vltimo.

Semel datam pœnitentiam alibi vidimus ex Tertulliano, Ambr. & Augustino. Et Concilium Eliberitanum Can. 2. & 3. perpetuæ pœnitentiæ addicebat in graue peccatum lapsos, & Can. 7. Si quis fortè fidelis, post lapsum mœchiæ, post tempora constituta, actâ pœnitentiâ, denuo fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem. *Quod & repetit Can. 47. vbi additur:* Non esse diutiùs id ferendum, ne communio fidelium in contemptum vocetur. *Sic temporibus Syricij, Sanctorum Innocentij, & Leonis, & Concil. Arel. Venet. Turon. Andegan. Tolet. relapsis, quamdiu viuerent, Eucharistia negabatur.*

Post tempora verò Concilij Eliberitani, Concil. Neocæsariense statuit, mulierem in adulterium relapsam, egrè posse beneficium pœnitentiæ accipere. Laodicense Canone, dicit, pœnitentiam dari posse, eâdem impletâ, communionem, multis peccatis lethalibus inquinato. Siricius relapsis eripit quidem pœnitentiæ locum, sed hoc relaxat, vt missæ interfint, & Eucharistiam sumant in morte. Sed anno 490. Patres Toletani 3. graniter conquesti sunt, quòd toties quoties peccatum esset, ad pœnitentiam admitterentur peccatores, & statuerunt iuxta veterum Patrum decreta, & vsum antiquum semel tantùm indulgeri pœnitentiam; post quam lapsi excluderentur omni spe communionis fidelium. Relaxatio igitur ista quotidianæ pœnitentiæ facta est quarto sæculo, & ampliata quinto, & sequentibus refrigescente feruore.

Nec prætereundum Decretum Concilij Niceni, Can. 13. quo vult additis perpetuæ pœnitentiæ dari reconciliationem in mortis articulo, supponere, ante hoc tempus aliquando negatam pœnitentibus communionem. Per communionem autem, intelligenda non est Eucharistia, sed secundum Concil. Sardicense, Can. 1. communio laïca, siue reconciliatio, absolutio, & participatio communionis Sanctorum, & societatis fidelium; quam tamen Concil. Sardicense Can. 1. præfato, interdicit Episcopis, qui anaritia causâ, de minori ciuitate, in maiorem transibant. Osius Episcopus dixit: non minùs mala consuetudo, quàm pernicioſa corruptela funditùs eradicanda est, ne cui liceat Episcopo, de sua ciuitate, ad aliam transire ciuitatem. Manifesta est enim causa, quâ hoc facere tentant, cùm nullus in hac re inuentus sit Episcopus qui de maiori Ciuitate, ad minorem transiret. Vnde ap-

paret, auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni seruire, & vt damnationem agant. Si omnibus placet, huiusmodi pernicies sæuiùs & austeriùs vindicetur, vt nec laïcam communionem habeat qui talis est Respondetur vniuersi: Placet. *Colle-ctum est Concilium generale, iussu Constantij Imperatoris, vt Athanasius rediret ad suam Ecclesiam, qua pulsus fuerat per Episcopos Arrianos. Conuenerunt Episcopi Orientales 76. Occidentales circiter trecenti. Iuxta ipsum Athanasium in ep. ad Solitarios. Socrates, & Sozom. trecenti ex Occidente, ex Oriente 76. quibus consentit Baro. anno 347. Orientales statim discesserunt à Concilio, & seorsum aliud fecerunt, in quo dogmata Arij statuerunt. Causa discessus fuit, quia dixerunt, nolle se ad verba procedere, nisi prius à Concilio submouerentur, Pauli, & Athanasij defensores, quod Occidentales Episcopi non sunt passi: Et nihilominus residui qui remanserant numero 121. statuerunt Canones 21. cui vnanimes subscripserunt:* Omnis Synodus dixit: Vniuersa quæ constituta sunt, Catholica Ecclesia in vniuerso orbe diffusa custodiat. *Episcopos igitur illos primùm Concilium communione laica; id est, prohibet eos numero & societati fidelium laicorum adscribi, & à peccatis absolui. Sic in Concilio Arelatensi primo, Apostatis communio, & absolutio in morte negatur.*

Hunc rigorem relaxauit Cyprianus in epistola præmissa ad Antonianum, lib. 4. ep. 2. iustisque de causis. Ne me, *inquit*, quis existimet à proposito meo leuiter recessisse, & cùm Euangelij primò vigorem, & inter initia defenderem, postmodum videar animum meum à disciplina, & censura priore flexisse; vt his, qui libellis conscientiam suam maculauerint, vel nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem putauerim: quod vtrumque non sine librata diu & ponderata ratione à me factum est. *Frequenter de libellis, & libellaticis Cyprianus; & inter cætera in dicta epistola 52. ad Antonianum:* Nec tu existimes libellaticos cum sacrificatis æquari oportere, &c. quàm acerbâ duritiâ libellaticos cum iis, qui sacrificauerint, iungere. *Subiicit libellaticos, pusillanimitate sola deiectos, libellum supplicem Magistratui obtulisse, & pretio redemisse vexationem, ne cogerentur Idolis immolare. In epistola 15. ad Presbyteros & Diaconos Roma, culpat alios libellos à martyribus exiorios, ad obtinendam per eos relapsis veniam.*

Habetur lib. 3. epist. 5. vbi vtrumque libellorum vsum reprehendit. Cùm, *inquit*, comperissem eos, qui sacrilegis contactibus manus suas, atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent; exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, vt sine vllo discrimine atque examine singulorum, darentur quotidie libellorum millia, contra Euangelij legem. *Quo dicitur, qui erubuerit me confiteri coram hominibus, erubescam & ego eum confiteri, &c. qui non audit animam suam, &c.* literas feci, quibus Martyres & Confessores consilio meo, quantùm possent, ad Dominica præcepta reuocarem. Item Presbyteris, & Diaconibus non defuit Sacerdotij vigor, vt quidam minùs disciplinæ memores, & temeraria festinatione præcipites, qui cum lapsis communicare iam cœperant, comprimerentur, &c. Postmodum verò, cùm quidam de lapsis, siue sua sponte, siue aliquo incitatore, audaci flagitatione proruerent, vt pacem sibi à Martyribus, & Confessoribus promissam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad Clerum literas feci; & legi ei mandaui, vt ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello accepto de sæculo excederent, Exomologesi factâ, & manu eis in pœnitentiam impositâ, cum pace sibi à martyribus promissa, ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me authorem temerè constitui; sed cùm videretur, & honor Martyribus habendus, & eorum qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus, & præterea quæ de hoc ad Clerum nostrũ per Clementium Hyppodiaconum nuper feceratis, vt iis, qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, & pœnitentes communicationem desiderarent, subueniretur; standum putaui & cum vestra sententia, ne actus noster qui adunatus esse, & consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet. *Cæterum cùm constet in hac una Epistola, bis nomen communicationis, siue communionis, & pacis, pro reconciliatione, & societate fidelium vsurpari: pariter & in epistola ad Antonianum, vbi & de mœchis ad pœnitentiam, & de Trophimo ad Ecclesiam redeunte:* Sic, *inquit*, admissus est Trophimus, vt laïcus communicet, &c. non quasi locum Sacerdotis vsurpet, &c. Et mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcirco virginitas in Ecclesia deficit, aut continentiæ propositum glorioſum per aliena peccata langueſcit. Floret Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ seruat, nec quia adultero pœnitentia, & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur, &c. Et quidem apud antecessores nostros, quidam de Episcopis istic in prouincia nostra dandam pacem mœchis non putauerunt; & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, non tamen à Coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt: vt quia apud alios adulteris pax non dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur. Manente concordiæ vinculo, & perseuerante Catholicæ Ecclesiæ indiuiduo sacramento, actum suum disponit, & dirigit vnusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus. *Et hæc quidem Cypriani verba cùm transcripsisset Augustinus* Augustinus *in epist. 48. ad Vincentium, sic concludit in propositum nostrum.* Quid ad hæc, inquit, dicis frater Vincenti? Nempe intueris hunc tantum virum, pacificum Episcopum, & fortissimum Martyrem, nihil vehementius saegisse, quàm ne vnitatis vinculum rumperetur. Vides enim parturientem, non solùm vt paruuli in Christo concepti nascantur, verùm etiam ne iam nati de sinu matris excussi moriantur. Porrò autem ipsam rem quam contra impios separatores commemorauit, attende. Si adulteris communicabant, qui pœnitentibus adulteris pacem dabant; Numquid illi, qui hoc non faciebant, collegio maculabantur istorum? Si autem, quod veritas habet, & quod Ecclesia meritò tenet, rectè pœnitentibus adulteris pax dabatur, illi qui in totum locum pœnitentiæ contra adulteros claudebant, impiè vtique agebant, qui membris Christi sanitatem negabant, & claues Ecclesiæ pulsantibus subtrahebant, & misericordissimæ patientiæ Dei, quæ illos propterea sinebat viuere, vt pœnitendo sanarentur, sacrificio contriti spiritus, & contribulati cordis oblato, duâ crudelitate contradicebant. *In Concilio item Tolet. 1. Can. 4. vbi de Subdiacono agitur, de communione, siue communicatione laïca;* Qui tertiam acceperit vxorem, abstentus biennio, postea inter laïcos reconciliatus communicet. *Sub Cornelio Papa contra Nouatianam hæresim, statuentem Deum non dedisse Ecclesiæ potestatem capitalium peccatorum retinendi, vel remittendi; statutum est, vt lapsis daretur pœnitentiæ locus, quod cum introduceret-*

tur, metus eſt Nouatianus acriùs contra Eccleſiam insurgere, quòd nouum morem inueheret admittendi grauium peccatorum reos, ad reconciliationem; contra quem Eccleſia mitius cum reis agere cœpit, vt eius errorem enerueret.

Monſtris autem, fornicationis ſcilicet, inceſtibus, Sodomiis, beſtialitatibus, Concilium Eliberinum Canone 71. nec in morte abſolutionem dabat, vt nec priùs tempore Tertulliani, ſicut ipſe teſtatur: Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora, & in ſexus, vltra iura naturæ, non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra. *Contiguum innuit Eccleſiæ tectum. vbi excommunicati ad tempus lacrymis ſuis, & ſqualore miſericordiam implorabant; à quibus etiam alicuius monſtri rei, tanquam indigni remouebantur. Poſtea tamen in Concilio Ancyrano, pro menſura grauitatis, 20. 15. annorum, vel vſque ad mortem reconciliatio dilata eſt, ſicut & poſt Concil. Nycænum tempore D. Baſilij huiuſmodi ſceleratis ad pœnitentiam, & communionem admiſſi ſunt.*

Tandem ne quid huic tractatui deſit, ſummatim de quatuor pœnitentiæ gradibus aliquid attingam, quos Gregorio Thaumaturgo aliqui adſcribunt, qui ſunt, fletus, auditio, ſubſtratio, conſiſtentia; quos Tertullianus attigit, dicens libro de Patientia: Hæc inquit, expectat, & exorat, & exoptat pœnitentiam, quandòque inituris ſalutem. *Prima vox lacrymas & fletus exprimit, & adolutiones, quibus ſperabant peccatores ad pœnitentiam admitti. Secundò exoptabant in ſe congeri pœnas, quibus in tertio gradu cito exercerentur. In tertio exorabant, vt veniam delictorum impetrarent. In quarto ſalutem inibant, cùm conſtitiſſent aliquandiu, iam pœnis ſoluti, antequam Euchariſtiam ſuſciperent; quæ perfecta eſt hominis ſalus. In primo itaque gradu, in introitu Eccleſiæ lacrymantes prouoluebantur ad fidelium pedes, ſiue cùm egrederentur, ſiue cum ingrederentur ad ſacra myſteria.*

Cùm longo ſatis tempore in hoc gradu fuiſſent, ad ſecundum gradum admittebantur, vt ſtarent, & orarent inter Catechumenos; & dicebantur audientes; & omnia Catechumenorum propria ſubibant, niſi quòd multo mitiùs cum Catechumenis agebatur. Stabant igitur pœnitentes inter eos, & quæ tractabantur de fide, & moribus, audiebant à Catechumenorum magiſtris, & prima rudimenta ediſcebant; eoſque ibi diutius detinebat Eccleſia, quàm Catechumenos, quòd cenſeret per ignorantiam, aut oblitionem legis diuinæ, ipſos in peccata relapſos. Hinc Patres Concilij Agath. Epaun. Arel. ſic de iis: Stent inter Catechumenos; quinque annos exigant inter catechumenos, cum catechumenis diſcedant, &c.

Tertius gradus eſt ſubſtratio; in quo iuxta Tertullianum animum mœrore deiiciebant. Diebus quippè, quibus ſolemnia ſacra peragebantur, aut ieiunabatur, veniebant ad Eccleſiam, & ibi loco humili, poſtquam catechumeni oratione factâ diſceſſerant, non longè à ianua perfuſi lacrymis, ſe in faciem proſternebant, retro abſidem, ſiue ambonem, remotum à ſanctuario. Tum Epiſcopus vnà cum Sacerdotibus manibus expanſis ad eos accedebat, & aliquas orationes ſuper eos recitabat, poſt quas citò è templo diſcedebant. Concil. 4. Carthag. Can 80. Omni tempore ieiunij manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur.

Nec obſtat quod in Concilio Agdenſi & Epaunenſi, iubetur, vt pœnitentes cum catechumenis egrediantur: quia paruâ morâ poſt eos egrediebantur, nec cum fidelibus in oratione permanebant. Expreſsè enim Concil. Laodicenſe Can. 19. dicit catechumenos ante pœnitentes egreſſ.s. In hoc ergo tertio gradu, primò ſimul omnes pœnitentes ſe humiliter in faciem proſternebant retro ambonem ſiue ſuggeſtum Eccleſiæ. Secundò in hac proſtratione manebant, donec ſuper eos Epiſcopus certas orationes recitaſſet, & eis manus impoſuiſſet. Vnde & Felix Papa de pœnitentibus huius tertij gradus, & Canones vtuntur his vocibus. Iacere, proſterni, ſubſterni, humi volui, adhærere pauimento, ſub iugo pœnitentiæ ſubmitti, caput pœnitentiæ inclinare, ſub manus Sacerdotis colla ſubmittere. *De impoſitione manuum Canon 19. Laodiceni. Quæ impoſitio fiebat in 1. parte Miſſæ. Et Canon 11. tertij Toletani vult* Pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. *Quæ quidem impoſitio manuum & oratio publica, non leui pudore eos afficiebat, de qua Ambroſius lib. 2. de pœnitentia cap. 9.* Publicæ ſupplicationis reuocentur pudore. *Per crebram autem orationem, & impoſitionem manuum, cæteraque humilitatis, & auſteritatis exercitia, quæ in hoc tertio gradu imponebantur, per multa annorum ſpatia, pro grauitate criminum, expiabantur hominum crimina, & gratia Dei, remiſſioque peccati, & contra malas, bonæ conſuetudines inducebantur:* Quam formam & circa mulieres quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, ſeruandam eſſe cenſuit. *Syricius Papa.*

In quarto gradu erant conſiſtentes, qui vnà cum fidelibus in Eccleſia conſiſtebant; & ſolis orationibus communicabant. Ita Concilium Nycænum Canonibus 11. 12. 13. Ancyranum Can. 4. 5. 7. 8. 9. 16. Stabant enim cum fidelibus, ſed non erant oblationis participes. Decurſo igitur tertio gradu, dabatur abſolutio, & ad ſimplicem communionem fidelium admittebantur, & ad quartum gradum tranſibant; in quo egreſſis catechumenis, & tertij gradibus pœnitentibus, ipſi in Eccleſia manebant, orationibus ſolemnibus, & ſacro Myſterio aderant, Euchariſtiam cernere permittebantur, & ſolâ Euchariſtiâ recipiendâ prohibiti, & oblatione in Euchariſtiam conſecranda, & nominis inter cæteros fideles commemoratione, & mentione priuabantur. Tum exacto iſtius pœnitentiæ tempore, maiorem reconciliationem, & ſuſcipiendæ Euchariſtiæ poteſtatem accipiebant. Atque his gradibus ad ſanctum Chriſti corpus ſuſcipiendum diſponebantur, tanta erat erga illud tremendum myſterium præparatio. Prima itaque, & minor reconciliatio, erat, qua pœnitentes abſoluebantur à peccato, & excommunicationis vinculo, & reſtituebantur communioni fidelium, & corpori Chriſti myſtico. Secunda, qua amplius purgati, & ſatisfactione impletaiam, pro maiori reuerentia aliquandiu ſtantes in quarto gradu, poſt præſtitutum arbitrio Epiſcopi tempus, plenum accipiebant ius ad communionem corporis Chriſti, & vſum omnium Sacramentorum. Vt ergo Canones emciliet, quibus Preſbytero conceditur, pœnitentes reconciliare in neceſſitate; de minori reconciliatione intelligendum eſt, cùm maior Epiſcopo ſeruaretur. Quæ à Concilio Ancyrano Can. 7. Perfectio communionis 9. perfectio.16. plena communio. *Concilio Vaſenſi. Can. 2.* reconciliatio abſolutiſſima. *A Concilio Barcinonenſi Can. 9.* Beatica communio dicebatur.

Quarti Carthaginienſis, Turon. & Brachar. 2. Tolet. 1. Reconciliationem altario ſancto, & diuino, & Sacramentis. *Concludo verbis Concilij 4. Carthaginienſis Can. 76.* Reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia. *Et Cypr. lib. 3. ep. 14.* Per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri, ius communionis accipiant. *Et infra queritur quòd:* Nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſitâ, Euchariſtia iis datur: cùm ſcriptum ſit, qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, &c. *Et hæc de gradi-*

paret, auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni seruire, & vt damnationem agant. Si omnibus placet, huiusmodi pernicies sæuiùs & austeriùs vindicetur, vt nec laïcam communionem habeat qui talis est Responderunt vniuersi: Placet. *Collectum est Concilium generale, iussu Constantij Imperatoris, vt Athanasius rediret ad suam Ecclesiam, quæ pulsus fuerat per Episcopos Arrianos. Conuenerunt Episcopi Orientales 76. Occidentales circiter trecenti. Iuxta ipsum Athanasium in ep. ad Solitarios. Socrates, & Sozom. trecenti ex Occidente, ex Oriente 76. quibus consentit Baro. anno 347. Orientales statim discesserunt à Concilio, & seorsum aliud fecerunt, in quo dogmata Arij statuerunt. Causa discessus fuit, quia dixerunt, nolle se ad verba procedere, nisi prius à Concilio submouerentur, Pauli, & Athanasij defensores, quod Occidentales Episcopi non sunt passi: Et nihilominus residui qui remanserant numero 121. statuerunt Canones 21. cui vnanimes subscripserunt:* Omnis Synodus dixit: Vniuersa quæ constituta sunt, Catholica Ecclesia in vniuerso orbe diffusa custodiat. *Epi, copos igitur illos priuat Concilium communione laica; id est, prohibet eos numero & societati fidelium laicorum adscribi, & à peccatis absolui. Sic in Concilio Arelatensi primo, Apostatis communio, & absolutio in morte negatur.*

Hunc rigorem relaxauit Cyprianus in epistola præmissa ad Antonianum, lib. 4. ep. 2. iustisque de causis. Ne me, *inquit*, quis existimet à proposito meo leuiter recessisse, & cùm Euangelij primò vigorem, & inter initia defenderem, postmodum videar animum meum à disciplina, & censura priore flexisse; vt his, qui libellis conscientiam suam maculauerint, vel nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem putauerim: quod vtrumque non sine librata diu & ponderata ratione à me factum est. *Frequenter de libellis, & libellaticis Cyprianum; & inter cætera in dicta epistola 52. ad Antonianum:* Nec tu existimes libellaticos cum sacrificatis æquari oportere, &c. quàm acerbâ duritiâ libellaticos cum iis, qui sacrificauerint, iungere. *Subiicit libellaticos, pusillanimitate sola deiectos, libellum supplicem Magistratui obtulisse, & pretio redemisse vexationem, ne cogerentur Idolis immolare. In epistola 15. ad Presbyteros & Diaconos Romæ, culpat alios libellos à martyribus exteros, ad obtinendam per eos relapsis veniam.*

Habetur lib. 3. epist. 5. vbi vtrorumque libellorum vsum reprehendit. Cùm, *inquit*, comperissem eos, qui sacrilegis contactibus manus suas, atque ora maculassent, vel nefandis libellis nihilominus conscientiam polluissent; exambire ad Martyres passim, Confessores quoque importuna & gratiosa deprecatione corrumpere, vt sine vllo discrimine atque examine singulorum, darentur quotidie libellorum millia, contra Euangelij legem. *Quo dicitur, qui erubuerit me confiteri coram hominibus, erubescam & ego eum confiteri, &c. qui non audit animam suam, &c.* literas feci, quibus Martyres & Confessores consilio meo, quantùm possent, ad Dominica præcepta reuocarem. Item Presbyteris, & Diaconibus non defuit Sacerdotij vigor, vt quidam minùs disciplinæ memores, & temeraria festinatione præcipites, qui cum lapsis communicare iam cœperant, comprimerentur, &c. Postmodum verò, cùm quidam de lapsis, siue sua sponte, siue aliquo incitatore, audaci flagitatione proruerent, vt pacem sibi à Martyribus, & Confessoribus promissam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad Clerum literas feci; & legi ei mandaui, vt ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello accepto de sæculo excederent, Exomologesi factâ, & manu eis in pœnitentiam impositâ, cum pace sibi à martyribus promissâ, ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me authorem temerè constitui; sed cùm videretur, & honor Martyribus habendus, & eorum qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus, & præterea quæ de hoc ad Clerum nostrũ per Clementium Hyppodiaconum nuper feceratis, vt iis, qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, & pœnitentes communicationem desiderarent, subueniretur; standum putaui & cum vestra sententia, ne actus noster qui adunatus esse, & consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet. *Cæterum cum constet in hac vna Epistola, his nomen communicationis, siue communionis, & pacis, pro reconciliatione, & societate fidelium vsurpari: pariter & in epistola ad Antonianum, vbi & de mœchis ad pœnitentiam, & de Trophimo ad Ecclesiam redeunte:* Sic, *inquit*, admissus est Trophimus, vt laïcus communicet, &c. non quasi locum Sacerdotis vsurpet, &c. Et mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcirco virginitas in Ecclesia deficit, aut continentiæ propositum glorioſum per aliena peccata languescit. Floret Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ seruat, nec quia adultero pœnitentia, & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur, &c. Et quidem apud antecessores nostros, quidam de Episcopis istic in prouincia nostra dandam pacem mœchis non putauerunt; & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, non tamen à Coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt: vt quia apud alios adulteris pax non dabatur, qui non dabat, de Ecclesia separaretur. Manente concordiæ vinculo, & perseuerante Catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit, & dirigit vnusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus. *Et hæc quidem Cypriani verba cùm transcripsisset Augustinus* Augustin. *in epist. 48. ad Vincentium, sic concludit in propositum nostrum.* Quid ad hæc, inquit, dicis frater Vincenti? Nempe intueris hunc tantum virum, pacificum Episcopum, & fortissimum Martyrem, nihil vehementius fategisse, quàm ne vnitatis vinculum rumperetur. Vides enim parturientem, non solùm vt paruuli in Christo concepti nascantur, verùm etiam ne iam nati de sinu matris excussi moriantur. Porrò autem ipsam rem quam contra impios separatores commemorauit, attende. Si adulteris communicabant, qui pœnitentibus adulteris pacem dabant; Numquid illi, qui hoc non faciebant, collegio maculabantur istorum? Si autem, quod veritas habet, & quod Ecclesia merito tenet, rectè pœnitentibus adulteris pax dabatur, illi qui in totum locum pœnitentiæ contra adulteros claudebant, impiè vtique agebant, qui membris Christi sanitatem negabant, & claues Ecclesiæ pulsantibus subtrahebant, & misericordissimæ patientiæ Dei, quæ illos propterea sinebat viuere, vt pœnitendo sanarentur, sacrificio contriti spiritus, & contribulati cordis oblato, duâ crudelitate contradicebant. *In Concilio item Tolet. 1. Can. 4. vbi de Subdiacono agitur, de communione, siue communicatione laïca;* Qui tertiam acceperit vxorem, abstentus biennio, postea inter laïcos reconciliatus communicet. *Sub Cornelio Papa contra Nouatianam hæresim, statuentem Deum non dedisse Ecclesiæ potestatem capitalium peccatorum retinendi, vel remittendi; statutum est, vt lapsis daretur pœnitentiæ locus, quod cum introd. cere-*

tur, motus eſt Nouatianus acriùs contra Eccleſiam insurgere, quod nouum morem inueheret admittendi grauium peccatorum reos, ad reconciliationem; contra quem Eccleſia mitius cum reis agere cœpit, vt eius errorem euerteret.

Monſtris autem, fornicationis ſcilicet, inceſtibus, Sodomiis, beſtialitatibus, Concilium Eliberinum Canone 71. nec in morte abſolutionem dabat, vt nec priùs tempore Tertulliani, ſicut ipſe teſtatur: Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora, & in ſexus, vltra iura naturæ, non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra. *Comiguum innuit Eccleſiæ teſtum. vbi excommunicati ad tempus lacrymis ſuis, & ſqualore miſericordiam implorabant; à quibus etiam alicuius monſtri rei, tanquam indigni remouebantur. Poſtea tamen in Concilio Ancyrano, pro menſura grauitatis, 20. 25. annorum, vel vſque ad mortem reconciliatio dilata eſt, ſicut & poſt Concil. Nycænum tempore D. Baſilij huiuſmodi ſcelerati ad pœnitentiam, & communionem admiſſi ſunt.*

Tandem ne quid huic tractatui deſit, ſummatim de quatuor pœnitentiæ gradibus aliquid attingam, quos Gregorio Thaumaturgo aliqui adſcribunt, qui ſunt, fletus, auditio, ſubſtratio, conſiſtentia; quos Tertullianus attigit, dicens libro de Patientia: Hæc inquit, expectat, & exorat, & exoptat pœnitentiam, quandòque inituris ſalutem. *Prima vox lacrymas & fletus exprimit, & adnolationes, quibus ſperabant peccatores ad pœnitentiam admitti. Secundò exoptabant in ſe congeri pœnas, quibus in tertio gradu cito exercerentur. In tertio exorabant, vt veniam delictorum impetrarent. In quarto ſalutem inibant, cùm conſtitiſſent aliquandiu, iam pœnis ſoluti, antequam Euchariſtiam ſuſciperent; quæ perfecta eſt hominis ſalus. In primo itaque gradu, in introitu Eccleſiæ lacrymantes prouoluebantur ad fidelium pedes, ſiue cùm egrederentur, ſiue cum ingrederentur ad ſacra myſteria.*

Cùm longo ſatis tempore in hoc gradu fuiſſent, ad ſecundum gradum admittebantur, vt ſtarent, & orarent inter Catechumenos; & dicebantur audientes; & omnia Catechumenorum propria ſubibant, niſi quòd multo mitiùs cum Catechumenis agebatur. Stabant igitur pœnitentes inter eos, & quæ tractabantur de fide, & moribus, audiebant à Catechumenorum magiſtris, & prima rudimenta ediſcebant; eoſque ibi diutius detinebat Eccleſia, quàm Catechumenos, quòd cenſeret per ignorantiam, aut oblitionem legis diuinæ, ipſos in peccata relapſos. Hinc Patres Concilij Agath. Epaun. Arel. ſic de iis: Stent inter Catechumenos; quinque annos exigant inter catechumenos, cum catechumenis diſcedant, &c.

Tertius gradus eſt ſubſtratio; in quo iuxta Tertullianum animum mœrore deiiciebant. Diebus quippè, quibus ſolemnia ſacra peragebantur, aut ieiunabatur, veniebant ad Eccleſiam, & ibi loco humili, poſtquam catechumeni oratione factâ diſceſſerant, non longè à ianua perfuſi lacrymis, ſe in faciem proſternebant, retro abſidem, ſiue ambonem, remotum à ſanctuario. Tum Epiſcopus vnà cum Sacerdotibus manibus expanſis ad eos accedebat, & aliquas orationes ſuper eos recitabat, poſt quas citò è templo diſcedebant. Concil. 4. Carthag. Can 80. Omni tempore ieiunij manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur.

Nec obſtat quod in Concilio Agdenſi & Epaunenſi, iubetur, vt pœnitentes cum catechumenis egrediantur: quia paruâ morâ poſt eos egrediebantur, nec cum fidelibus in oratione permanebant. Expreſiè enim Concil. Laodicenſe Can. 19. dicit catechumenos ante pœnitentes egreſſos. In hoc ergo tertio gradu, primò ſimul omnes pœnitentes ſe humiliter in faciem proſternebant retro ambonem ſiue ſuggeſtum Eccleſiæ. Secundò in hac proſtratione manebant, donec ſuper eos Epiſcopus certas orationes recitaſſet, & eis manus impoſuiſſet. Vnde & Felix Papa de pœnitentibus huius tertij gradus, & Canones vtuntur his vocibus. Iacere, proſterni, ſubſterni, humi volui, adhærere pauimento, ſub iugo pœnitentiæ ſubmitti, caput pœnitentiæ inclinare, ſub manus Sacerdotis colla ſubmittere. *De impoſitione manuum Canon 19. Laodiceni. Quæ impoſitio fiebat in 1. parte Miſſæ. Et Canon 11. tertij Toletani vult* Pœnitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. *Quæ quidem impoſitio manuum & oratio publica, non leui pudore eos afficiebat, de qua Ambroſius lib. 2. de pœnitentia cap. 9.* Publicæ ſupplicationis reuocentur pudore. *Per crebram autem orationem, & impoſitionem manuum, cæteraque humilitatis, & auſteritatis exercitia, quæ in hoc tertio gradu imponebantur, per multa annorum ſpatia, pro grauitate criminum, expiabantur hominum crimina, & gratia Dei, remiſſioque peccati, & contra malas, bonæ conſuetudines inducebantur:* Quam formam & circa mulieres quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus deuinxerunt, ſeruandam eſſe cenſuit. *Syricius Papa.*

In quarto gradu erant conſiſtentes, qui vnà cum fidelibus in Eccleſia conſiſtebant; & ſolis orationibus communicabant. Ita Concilium Nycænum Canonibus 11. 12. 13. Ancyranum Can. 4. 5. 7. 8. 9. 16. Stabant enim cum fidelibus, ſed non erant oblationis participes. Decurſo igitur tertio gradu, dabatur abſolutio, & ad ſimplicem communionem fidelium admittebantur, & ad quartum gradum tranſibant; in quo egreſſu catechumenis, & tertij gradibus pœnitentium, ipſi in Eccleſia manebant, orationibus ſolemnibus, & ſacro Myſterio aderant, Euchariſtiam cernere permittebantur, & ſolâ Euchariſtiâ recipiendâ prohibiti, & oblatione in Euchariſtiam conſecranda, & nominis inter cæteros fideles commemoratione, & mentione priuabantur. Tum exacto iſtius pœnitentiæ tempore, maiorem reconciliationem, & ſuſcipiendæ Euchariſtiæ poteſtatem accipiebant. Atque his gradibus ad ſanctum Chriſti corpus ſuſcipiendum diſponebantur, tanta erat erga illud tremendum myſterium præparatio. Prima itaque, & minor reconciliatio, erat, qua pœnitentes abſoluebantur à peccato, & excommunicationis vinculo, & reſtituebantur communioni fidelium, & corpori Chriſti myſtico. Secunda, qua amplius purgati, & ſatisfactione impletaiam, pro maiori reuerentia aliquandiu ſtantes in quarto gradu, poſt præſtitutum arbitrio Epiſcopi tempus, plenum accipiebant ius ad communionem corporis Chriſti, & vſum omnium Sacramentorum. Vt ergo Canones omnes, quibus Preſbytero conceditur, pœnitentes reconciliare in neceſſitate; de minori reconciliatione intelligendum eſt, cùm maior Epiſcopo ſeruaretur. Qua à Concilio Ancyrano Can. 7. Perfectio communionis 9. perfectio, 16. plena communio. *Concilio Vaſenſi. Can. 2.* reconciliatio abſolutiſſima. *A Concilio Bartinonenſi Can. 9.* Beatica communio dicebatur.

Quarti Carthaginienſis, Turon. & Brachar. 2. Tolet. 1. Reconciliationem altario ſancto, & diuino, & Sacramentis. *Concludo verbis Concilij 4. Carthaginienſis Can. 76.* Reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia. *Et Cypr. lib. 3. ep. 14.* Per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri, ius communionis accipiant. *Et infra queritur quòd:* Nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſitâ, Euchariſtia iis datur: cùm ſcriptum ſit, qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, &c. *Et hac de gradi-*

bus pœnitentia dicta sufficiant. A

Nunc paucis de Exomologesis voce; de qua toties Tertullianus, & Cyprianus. Hanc satis indicant non fuisse confessionem auricularem, sed publicam, & multi temporis, in squalore, cilicio, cinere, ieiunio, prostratione, cæterisque austeritatibus, graviorum criminum, coram omnibus publicationem. Vnde Tertullianus supra; Tantò operosior probatio est, vt non solâ conscientiâ præferatur, sed etiam aliquo actu administretur, &c. Exomologesis, prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens, misericordiæ illicem, &c. *Et lib. de pudicitia:* Pœnitentiam mœchi, ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens conciliciatum, & concineratum, cum dedecore & horrore compositum, prosternens in medium, ante viduas, ante B Presbyteros, omnium lacrymas suadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem. *Cùm autem confessio auricularis vnâ horâ vel breui tempore peragatur; exomologesis multo protrahebatur; sicut de Nabuchodonosor Tertullianus:* Diu, *inquit*, pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus. *Ita & Cypr. lib. 1. epist. 11.* Æstimato iusto tempore postea exomologesi factâ, ad Ecclesiam redeant. *Et lib. 3. ep. 14.* Agant peccatores pœnitentiam iusto tempore, & secundùm disciplinæ ordinem, ad exomolegesin veniant, &c. Nondum pœnitentia facta, nondum exomologesi finita. *Epist. 23.* Triennio iugiter ac dolenter, vt scribitis, cum summa pœnitentiæ la- C mentatione planxerunt. *Et Saluianus lib. 1.* Quando ei exomologesis diuturna opitulabitur, iam in extremis sito? sed cilicio carnes conteret, ac famila, & cinere solidabit, vt mollitiem videlicet voluptatis præteritæ, præsentium asperitatum duritia compenset? *Tandem intelligi non potest de pœnitentia Sacramentali, seu confessione auriculari, sed de exomologesi quod habet D. Cyprianus, lib. 3. ep. 17. qui in absentia sua, cuicunque presbytero, vel etiam Diacono concedit vrgente morte, vel infirmitate graui, exomologesin pœnitentis excipere, & per impositionem manus eum in pace ad Deum mittere; quod aliqui de absolutione ab excommunicatione intelligunt:* Occurrendum, *inquit*, puto fratribus nostris, vt qui libellos à martyribus acceperunt; si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non D expectent præsentiam nostram, quin apud presbyterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, vt manu ei in pœnitentiâ impositâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres literis ad nos factis desiderauerunt. *Agit de his, qui in idololatriam lapsi, ante mortem per libellos martyrum, manus sibi imponi flagitabant, per quam rigorosæ satisfactiones pœnitentiæ supplebantur, & communioni fidelium restituebantur, quod absente presbytero, id concedente Episcopo potuit præstare diaconus. Cui tamen nunquam facta est potestas Sacramentaliter absoluendi.*

Cæterùm in extremis tantum pœnitentiam petenti graviter insultat Cyprianus in citata sæpius epistola ad Antonianum: Pœnitentiam, *inquit*, non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifestâ lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitauit esse moriturum.

Augustinus coronidem imponet huic appendici. Ser. 23. de Verb. Domini: Tempus est misericordiæ, age Augus. pœnitentiam. Tempore iudicij habes illam agere? eris in virginibus illis contra quas clausum est ostiũ: Domine, Domine, aperi nobis. Numquid non pœnitentiam egerunt, quæ secum oleum non portauerunt? & quid illis profuit sera pœnitentia, quando eas irridebat vera sapientia? Clausum est ergo ostium. Et quid illis dictum est? non noui vos. Non illas nouit, qui omnia nouit? Quid ergo est non noui vos? improbo vos, reprobo vos. In arte mea non vos agnosco, ars mea nescit vitia. Hoc est autem magnum: & nescit vitia, & iudicat vitia. Nescit faciendo, iudicat arguendo. *Et homilia 41. de verè pœnitentibus.* Pœnitentes, pœnitentes, Augus. pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes; mutate vitam, reconciliamini Deo, & vos cum catena pascetis? *Id est, ante absolutionem admittemini ad pascua Sacramentorum?* Qua inquis catena? quæ ligaueritis in terra? &c. Audis ligatu- Augus. ram, & Deo putas facere impostura? &c. Ægrotant homines, mittunt ad Ecclesiam, vel portantur ad Ecclesiam, & baptizantur, & renouantur, & fœlices hinc exeunt. Sed non ipsa est causa pœnitentiæ. Qui nondum accepit baptismum, nondum violauit Sacramentum: qui autem violauit Sacramentum, malè & perdite viuendo, & ideo remotus est ab Altari, ne iudicium sibi manducet, & bibat, mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur cùm viuit, dum sanus est: expectet etiam tunc reconciliari quando incipit mori? experti sumus multos expirasse expectantes reconciliari, &c. Si quis positus in vltima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quia benè hinc exit, &c. Agens pœnitentiam & reconciliatus cùm sanus est, & postea benè viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus, &c. Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam ipsam tunc quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.

De modo, & tempore danda pœnitentia, & reconciliatione, ita decreti parte 1. dist. 50. cap. 54. iuxta Concil. Agathense. In capite quadragesimæ, omnes pœnitentes qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu & vultu protestantes. Ibi adesse debent decani, id est Archypresbyteri parochiarum, & presbyteri pœnitentium, qui eorum conuersionem diligenter inspicere debent, & secundùm modum culpæ, pœnitentiam per præfatos gradus, *à nobis relatos supra*, iniungere. Post hæc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni Clero septem pœnitentiales psalmos in terra prostratus Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet: tunc resurgens ab oratione, iuxta quod Canones iubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem priùs mittat, deinde Cilicio capita eorum operiat: & cum gemitu, & crebris suspiriis denuntiet eis, quòd sicut Adam proiectus est de paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia abiiciuntur: post hæc iubeat ministris, vt eos extra ianuas Ecclesiæ expellant: Clerus verò prosequatur eos cum responsorio,

ponsorio, in sudore vultus tui vescèris pane tuo, &c. Vt videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, atque commotam, non paruipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini Cœna, rursus ab eorum decanis, & eorum presbyteris Ecclesiæ liminibus repræsententur. Pœnitentes Ecclesiasticus vsus in cœna Domini ad percipienda Domini Sacramenta, reconciliat. *Sic Cabilonense 2. cap. 47. Ita & Innocentius 1. in epistola cap. 1. num. 7.* De pœnitentibus verò, qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. *Publicè pœnitentes cilicino habitu velut hœdos reprobatione dignos in sinistra positos, sæculo septimo adnotauit S. Eligius, homilia 8. in die Cœnæ Domini.* Nunc, inquit, ad vos sermo noster dirigitur, quos mater Ecclesia quasi non suos recognoscens, ob fœditatem scelerum vestrorum, dudum à se repulit: modò verò quia Domino per dignos pœnitentiæ fructus placuistis, mundantes vos, quantum humana fragilitas permittit, ab omni inquinamento carnis, & spiritus, per crebra ieiunia, & afflictiones corporum, quasi iam suos ad se reuocat. Immensa namque Dei pietas sinum misericordiæ suæ omnibus aperit, dicendo per Prophetam Ioël. 2. mox vt ingemueris, saluus eris: & Psalmista, *inquit*, sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. Cur ergo in sinistra parte Ecclesiæ positi estis? Non sine causa vsus Ecclesiæ hoc obtinuit: verùm quia Dominus in iudicio oues, hoc est iustos, à dextris, hœdos verò, id est peccatores, à sinistris ponet; hœdi enim significant peccatores. Vnde & cilicia, quæ sunt indumenta pœnitentium, è pilis hœdorum, atque caprarum fiunt: hœdus namque in lege pro peccato semper iubetur offerri. Signat tamen Christum, *In Iacob pellibus hœdinis, Esaiæ peccatorem exprimentem*, Qui in similitudinem carnis peccati, ostensus est, & pro nostris delictis oblatus est. Ipse enim peccata nostra portauit in corpore suo super lignũ. Quocirca si ad pristinam actionis vitam, quantum Dominus vos custodire dignabitur, redire non valetis, *Aduerte cerimoniam, & altum pœnitentium, cum in die cœnæ reconciliabantur*, Manus vestras in sublime porrigentes ostendite, quia magis cœlestia, quàm terrena diligitis, & vestra iam conuersatio in cœlis est. His vestræ promissionis signis, quibus magis Domino, quàm diabolo seruire promittitis, *Vt Dauid pœnitens: leuani*, inquit, *manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, &c. In noctibus extollite manus vestras in sancta, &c.* Gaudium nobis permaximum exhibetis, quia vt Dominus patefecit, de conuerso peccatore gaudium fit in cœlo coram Angelis Dei, &c.

Subiicit parabolam prodigi, comminum vituli saginati, id est Christi. Qui, *inquit*, vitulus dicitur saginatus, quia caro eius spiritali pinguedine & virtute opima est, adeo vt sola sufficerit ad tollenda mundi peccata, &c. Vitulus iste sacerrimus Deo Patri per Sacerdotes offertur, & in vitam æternam pascit percipientes: quia cùm quotidie immolatur, semper integer permanet, & immaculatus & viuus. *Verum prius stola prima, & annulo prodigus honoratur.* Stola, *inquit*, prima, est beata vestis Innocentiæ, quam protoplastus Adam benè à Deo conditus accepit, sed malè à diabolo deceptus amisit. *Tum reconciliationẽ subiicis pœnitentiæ:* Licet, inquit, fratres chariſſimi, per diuinam gratiam nobis collatam, & per impositionem manuum Episcopalium, credatis vos posse absolui à peccatorum vestrorum vinculis, quia statim restituemini sacris altaribus: nullus tamen debet vitam suam negligere, sed omni vitæ spatio, tanquam in ipso pœnitentiæ rigore positus, debet ante oculos habere mala quæ fecit, ne securitate torpens, rursus ad eadem, aut maiora flagitia prolabatur, dicens cum Psalmista; quoniam iniquitatem meam ego cognosco, &c. Esaias quoque peccatoribus dicit: lauamini, mundi estote. Lauatur itaque, & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non admittit. Lauatur, & non est mundus, qui plangit quæ gessit, nec deserit, & post lacrymas, ea quæ fleuerat, repetit. Sic denique & alibi animam pœnitentem, atque iterum delinquentem sermo diuinus increpat, dicens, Ier. 2. quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas! quisquis ergo culpas præteritas plangit, hunc necesse est modum teneat, vt sic admissa defleat, ne iterum flenda committat; *Quæ sanctus Eligius deprompsit ab Augustino sermone 66. de tempore:* Quatenus diuino munitus auxilio, facinora quæ gessit, seuera corporis afflictione, & Eleemosynarum largiflua redemptione purget, atque consumat: sicque renouatus irriguis lacrymarum fontibus, ante conspectum tremendi iudicis mundus appareat, dignè ab ipso pro benefactis quæ fecit coronandus. *Denique & die in Cœna Domini, pœnitentes reconciliandos admisit.* In hac, inquit, die post typicum illud Pascha completum, ad verum Pascha transiens, mysterium corporis & sanguinis sui primùm Apostolis tradidit, & propter formam humilitatis commendandam, eo die pedes eorum lauit. Et hinc est, quod eodem die altaria, templique parietes, & pauimenta lauantur; & vasa purificãtur, quo die etiã pœnitentes reconciliãtur, quia scilicet ipsa die, qua Sacramẽta corporis & sanguinis sui, Dominus primùm confecit, ac discipulis tradidit, oportebat, vt ad hæc præsumenda, pœnitentes restaurarentur; eo videlicet tempore, quo sanguis Christi in remissionem omnium peccatorum fusus est.

S. Augustinus

Superest vt & aliquid cũ Baronio An. Chri. 56. & 390. De vsu pœnitentiæ publicæ abrogato dicamus iuxta Socratem, & Sozomenum. Occasio fuit sub Siricio, Anno Pontificatus eius 6. immane scelus, quo Diaconus Ecclesiæ Constantinopolitanæ nobilem viduam Diaconissam constuprauit; quæ cùm ex consilio, vel iussu Presbyteri pœnitentiarij, suum crimen, & Diaconi, publica confessione propalasset, presbyterum Nectarius ab hoc munere dimouit. Cuius facti causã Sozomenus lib. 7. cap. 16. narrat Theodosium edicto cauisse, ne mulieres, nisi liberos haberent, & annum sexagesimum peregissent, diaconissæ munus obirent. Quod promulgatum fuit Mediolani mense Iunio, & habetur in Cod. Theod. l. 27. Quòd verò dicta vidua bona sua exhausisset, ditando diacono, eadem lege decreuit, ne vidua quouis titulo, vel Ecclesiæ, vel eius ministris bona relinquerent. Sed hanc edicti partem, vt Ecclesiæ & pauperibus aduersam, Ambrosius duobus post mensibus Veronæ lata contraria lege, Theodosium rescindere compulit; quæ habetur eodem Cod. l. 28. Socrates, & Sozomenus, ob præmissum facinus & scandalum, narrant exomologesim prorsus abrogatam à Nectario, & ab eodem factam cuique potestatem, seipsum iudicandi, & sic percipiendi Eucharistiam, absque alia pœnitentia; addunque Canonem illum Nectarij, ab omnibus ferè Episcopis Orthodoxis vsu approbatum. Sed cùm dicti authores secta Nouatiani fuerint, proindeque pœnitentiæ aduersarij, verosimile est hunc Nectarij Canonem ab iis fuisse confictum. Quod & si verum admitteremus, certum est Nectarium rerum Ecclesiasticarum prorsus ignarum, facilè ab Nouatianis fuisse deceptum, quibus familia-

rissimè vtebatur. Falsissimum autem est, Canonem Nectarij, & morem illum ab aliis Episcopis fuisse receptum, cùm Greg. Nyss. Nectarij coætaneus in ep. ad Letoium Mitylenes Episcopum, Canones ediderit pœnitentiales, quibus præscripsit, vt à presbyteris pensato ponderc peccatorum, pœnitentia per Canones indicta imponatur. Et Chrysostomus qui proximè successit Nectario, homilia 83. in Matth. Et homil. 60. ad Pop. Antiochenum, monet Sacerdotes, ne quempiam sinant aliqua improbitate vel sorde pollutum ad Sacram mensam accedere. Et homil. 61 ad Pop. Antioch. homil. 33. in Matth. libro 3. de Sacerdotio, & alibi, demonstrat suo tempore fuisse in Ecclesia pœnitentes, & presbyteros, qui eis absolutionem impertirent. Et idem homil. 10. in Matth. ait peccatorum confessionem solitam esse præcedere Eucharistiæ sumptionem. Quod si aliquando Chrysostomus hortatus est suos, vt Deo, non hominibus velut in theatro confiterentur peccata sua, manifestum est, eum non à secreta, sed à publica dehortatum confessione, cuius occasione ortum illud fuerat scandalum. Cæterùm idem est, idemque intellexit esse, secretò in confessione Sacramentali vni Sacerdoti, atque Deo soli peccata confiteri. Verùm neque omnino ab hoc tempore penitus ablegata fuit Exomologesis, confessio, & pœnitentia publica; vel imposita, vel vltrò petita, & suscepta; vt, teste Hieronymo epist. 30. de Fabiola vidua publicapœnitentia; quam Aug. ep. 53. & 54. Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 10. Chrysost. homil. 2. in ep. ad Ephes. semel tantùm fieri debere, ne vilescat, in xta Tertullianum contestantur. S. August.

Legenda Epistola S. Leonis Papa decretalis, numero 80. ad vniuersos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos. Vbi supponit ex Apostolica institutione, & regula, admitti debere pœnitentes ad confessionem auricularem, nec cogi debere ad publicam; & habetur de pœnit. distinct. 2. Illam, inquit, contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui à quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri; *De pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur,* Ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio publicè reciteur: cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem, apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur: dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim ista confessio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. *Non quòd velit, absolutionem esse merè deprecatoriam, cùm sciat dictum Apostolis, & in eis Episcopis, & presbyteris, quæcumque ligaueritis, &c. Et idem ser. 2. in Anniuers. Assumptionis suæ.* Dum ligandorum, soluendorumque arbiter mansurâ etiam in cœlis iudiciorum suorum definitione præficitur. *Et ser. 3. de eadem. Et 2. in Natali Apostolorum.* Transiuit, *inquit,* in Apostolos alios vis istius potestatis, &c. Manet Petri priuilegiũ, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium: nec nimia est vel seueritas, vel remissio, vbi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod Petrus aut ligauerit, aut soluerit. Tunc enim demùm plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientiæ confitentis. *Et ex his, varius pro temporum exigentia, vel remissus, vel austerus fuit, nusquam culpabilis, pro Prælatorum prudentia, & clauium potestate, pœnitentiæ vsus.*

EXORCISMVS.

* *Exorcismus vim habet in Ecclesia contra dæmones. De An. cap. 57. à p.*

HAnc quoque fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor, etiam rebus probamus, quum in exorcismis, interdum aliquem se ex parentibus hominem, suis affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut & alibi Deum nihil magis curans, quàm hoc ipsum excludere quod prædicamus, ne facilè credamus animas vniuersas ad inferos redigi, vt & iudicij & resurrectionis fidem turbet. Et tamen ille dæmon postquam circumstantes circumuenire tentauit, instantia diuinæ gratiæ victus, id quod in vero est, inuitus confitetur.

EXORCISMVS. SCHOLIA.

HANC FALLACIAM. *Quâ scilicet dæmon in corpore possesso, vel in loco quem infestat, fingens se esse animam parentis alicuius defuncti, vel gladiatoris, aut damnati ad bestias, vel Deũ aliquem; vt hoc pacto sententiã nostram excludat. Nota errorem Tertulliani, de quo suo loco diximus: quo credidit, omnes, præter martyrũ animas in loco subterraneo recludi vsque ad diem resurrectionis.* Quàm fidem, inquit, *vt & iudicij extremi obscurat dæmon, dum animas alibi, quàm sub terra diuersari suadet.* CIRCVMVENIRE. *Decipere.* INSTANTIA. *Vrgente exorcista, vi gratiæ, sibi à Deo concessæ, ad abigendos dæmones.* IN VERO. *Quod verum est. Hic aduerte lector vim exorcismi ad dæmones pellendos, & veritatem à mendace spiritu extorquendam. Exorcismos videt Christianorum aduersarius Vlpianus l. 1. ff. de varia & extraordinaria cognit. vbi eos impostores vocat:* Si, vt vulgari verbo impostorum vtar, exorcizauit. *De vi exorcismi ad pellendos dæmones à non adhuc baptizatis, sic Aug. to. 7. lib. 2 de nuptiis & concupiscentia, ad Valerium cap.* 18. Omnes baptizandi infantuli, non ob aliud exsufflantur, nisi vt ab eis princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cùm ex Adam nascuntur, si in Christo non renascantur, & in eius regnum, per gratiam facta vasa misericordiæ transferantur. *Et lib. 1. ad eundem cap. 20.* In veritate itaque, non in falsitate, potestas diabolica exorcizatur in paruulis, eique renuntiant, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, vt eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini transferantur. Quid ergo in eis est, per quod in potestate diaboli tenentur, donec eruantur inde per Sacramentum Baptismatis Christi, quid est nisi peccatum? Non enim aliud inuenit diabolus vnde

Augustin.

Augustin.

humanam possit suo iuri mancipare naturam, quam bonam bonus auctor instituit. Nullum autem peccatum paruuli in sua vita commiserunt proprium: remanet igitur originale peccatum, per quod sub diaboli potestate captiui sunt, nisi inde lauacro regenerationis & Christi sanguine redimantur, & transeant in regnum Redemptoris sui, fruſtratâ potestate captiuatoris sui, & datâ potestate, quâ fiant ex filius huius sæculi, filij Dei. *In Psalmum autem 65. ad lauacrum, notat, non peruenire vt fiant vasa gratiæ, nisi per ignem. Sic exponens versum*, Transiuimus per ignem & aquam, &c. Vas quod in igne formatum est, aquam non timet: vas autem si solidatum igne non fuerit, tanquam lutum aquâ solnetur. Noli festinare ad aquam: per ignem, *tribulationis*. Transi ad aquam, *prosperitatis* vt transeas & aquam. Propterea, & in Sacramentis, & in catechisando, & in exorcisando, adhibetur priùs ignis. Nam, vnde plerumque immundi spiritus clamant, ardeo, si ille ignis non est? post ignem autem exorcismi, venitur ad baptismum, vt ab igne ad aquâ, &c. ab aqua ad refrigerium. *Libro tandem 10. de Ciuit. cap. 22. de exorcisatis vbicumque & vndecumque dæmonibus*: Verâ pietate homines Dei aëream potestatem inimicam contrariamque pietati, exorcizando eiiciunt, non placando: omnes tentationes aduersitatesque eius vincunt orando, non ipsam, sed Deum suum aduersùs ipsam. *De vi exorcismorum siue adirationum videndus idem Tertul. Apol. cap. 23. De Præscript. cap. 41. de Spectac. cap. 26. Cypr. in ep. ad Demetrium. Cyrill. Ierosol in præfat. Catech. Optat. Milen. lib. 4. Iustin. Mart. in Apol. Minutius in Octau. Lact. lib. 2. c. 16. & Isid. lib. 2. de Offic. c. 20. & ante eos Clem. Rom. lib. 8. Constit. cap. 26. & Ignat. in ep. ad Antiochenses.*

Auguſt.

EXTREMÆ-VNCTIONIS SACRAMENTVM.

Corporis etiam languores curans, mulieres hæretica vsurparunt. De Præscrip. Cap. 31. in m.

IPsæ mulieres hæreticæ quàm procaces! Quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere: ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes.

EXTREMÆ VNCTIONIS SACRAMENTVM. SCHOL.

CVRATIONES REPROMITTERE. Cætera huius capitis *exposituri infra V. Hæreticorum elogia, nunc tantùm breuiter de curatione infirmorum facta per extremæ vnctionis oleum, quod mulieres hæretica ætatis Tertulliani temerè vsurpabant. Primò enim Iacobus Apostolus cap. 5. 14.* Infirmatur quis in vobis? Inducat *Syr. vocet* Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, *Syr. sanitati restituet ipsum ægrotum*, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. *Quæ verba Concilium Vuormaciense cap. 72. de hoc Sacramento interpretatur. Et transcribit verba Innocentij Papæ primi in epistola 1. ad Decentium, in qua arguens confirmatos extremam vnctionem pœnitentibus*: Quibus, *inquit*, reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi? *Sic Canone 69. Arabico Concilij Nicæni*: Transacto anno debet Sacerdos benedicere aquam & oleum, non sicut fit in baptismo, neque sicut benedicitur chrisma, sed sicut oleum infirmorum. *Meminit & huius Sacramenti olei Origenes homil. 2. in Leuit. Ephrem libro de vita spirituali puncto 75. Cyril. Alex. lib. 6. de adoratione in spiritu. Chrysost. libro 3. de Sacerdotio. Hiero. in vita Hilarionis. Greg. magnus sermone feria quinta. Beda in verba Marci 6.* Vnde, *inquit*, patet ab ipsis Apostolis, hunc sanctum Ecclesiæ morem esse traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo Pontificali consecrato. *Hoc porrò oleum, ab Episcopo confectum, à Presbytero applicari & ministrari posse docuit Innocentius Papa in decretis suis. Canone 8.* Illud quod in beati Apostoli Iacobi epistola conscriptum est; infirmatur quis in vobis, &c. Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo. Cæterùm illud superfluum videmus adiectum, vt de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcircò de presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere chrismate, sine cunctatione potest cuius est chrisma conficere. Pœnitentibus istud fundi non potest, *Id est ob grauia peccata pœnitentia publica obstrictis*, Quia genus est Sacramenti. *Concilium item Florentinum in decreto de septem Sacramentis.* Quintum Sacramentum est extrema-vnctio, cuius materia est oleum oliuæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, cuius de morte timetur, dari non debet: qui vngendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma autem huius Sacramenti hæc est. Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum, &c. Et similiter in aliis membris. Effectus verò est mentis sanatio: in quantùm autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc Sacramento habetur Iacobi quinto. Infirmatur aliquis, &c.

Eodem loco Iacobi Apostoli commendat Augustinus Extremam vnctionem. Ser. 215. de temp. Quotiens aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum vngat, vt illud quod scriptum est impleatur in eo: Infirmatur aliquis vestrûm, &c. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiâ cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgenti merebitur obtinere. Cùm ergo duplicia bona possint in Ecclesia inueniri, quare per præcantatores, per fontes & arbores, & diabolica philacteria, per characteres, & Aruspices, & diuinos, vel sortilegos, multiplicia sibi mala miseri homines conantur inferre? *Videndus de eodem lib. de visitatione infirmorum. & tract. de rectitud. Catholicæ conuersationis.*

S. Auguſt.

S. Auguſt.

FESTORVM DIERVM OBSERVATIO.

*1. *Qualis sit licita, vel illicita. Et de ieiuniis quartæ & sextæ feriæ & sabbati. De Ieiun. cap. 14. inp.*

Gal. 4.10. HOrum [a] *Tempora obseruantes, & dies & menses & annos*, Galaticamur. Planè, si Iudaïcarum cerimoniarum, si legalium solennitatum obseruantes sumus: illas enim Apostolus dedocet, compescens veteris Testamenti in Christo sepulti perseuerantiam, &

Rom 6.4. noui sistens. Quòd si [b] *nouæ conditio in Christo*, iam noua & solennia esse debebunt; aut si omnem in totum deuotionem temporum, & dierum, & mensium, & annorum erasit Apostolus, cur Pascha celebramus annuo circulo, in mense primo? cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus? cur stationibus quartam & sextam sabbati dicamus, & ieiuniis Parasceuem? quamquam vos etiam sabbatum, si quando continuatis, nunquam nisi in Pascha ieiunandum secundùm rationem alibi redditam. Nobis certe omnis dies etiam vulgata, consecratione celebratur. Nec ergo apud Apostolum differentiæ ratio, distinguentem noua & vetera.

[a] Gal. 6.15.

FESTA. I. SCHOLIA.

HORVM. *Ieiuniorum, de quibus ex professo agit.* GALATICAMVR. *Galatas imitamur, digni reprehensione Pauli, qui scribit ad Gal.* 4. 10. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis? dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. *Aug. to.* 4.

S. Augst. *in ep. ad Gal.* Quandò, non circumcisis, sed Gentibus loquitur, sicut in tota epistola apparet, non vtique ad circumcisionem dicit eos reuerti, in qua numquam fuerant, sed ad infirma, inquit, & egena elementa, &c. Quod de Gentibus intelligere cogimur: his enim supra dixerat; sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui naturâ non sunt dij, seruistis. Ad quam seruitutem reuerti eos velle significat, cùm ait, quomodo reuertimini ad infirma, &c? Quod autem adiungit, dies obseruatis, &c. Magis hanc sententiam confirmare videri potest. Vulgatissimus est enim error Gentilium iste, vt vel in agendis rebus, vel expectandis euentibus vitæ, ac negotiorum suorum, ab Astrologis, & Chaldæis notatos dies, & menses, & annos, & tempora obseruent. *Subiicit tamen alium sensum de Iudæis.*

S. Augst. Et Iudæi seruiliter obseruant dies, & menses, & annos, & tempora, in carnali obseruatione Sabbati, & Neomeniæ, & mense nouorum, & septimo quoque anno, quem vocant Sabbatum Sabbatorum. Quæ quoniam erant vmbræ futurorum, iam aduenientè Christo, in superstitione remanserunt, &c. *Postea exponit elementa mundi quæ sint:*

S. Augst. Manifestum est, volumina temporum, per elementa huius mundi, hoc est cœlum, & terram, & motus atque ordinem syderum administrari: quæ infirma appellat; ex eo quod infirma & instabili specie variantur: Egena verò, ex eo quod egent summa & stabili specie Creatoris, vt quoquomodo sunt, esse possint. *Deinde innebitur in obseruantes Ephemerides. Et to. 6. lib. contra Adimantum Manich. discipulum, cap.* 16.

S. Augst. Nos quoque & dominicum diem, & Pascha solemniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierum festiuitates. Sed quia intelligimus quò pertineant, non tempora obseruamus, sed quæ illis, significantur temporibus, &c. Repudiamus itaque temporum obseruationem cum Apostolo, & temporalium signorum intelligentiam tenemus cum Apostolo, duorumque testamentorum differentiam sic probamus, vt in illo sint onera seruorum, in isto gloria liberorum. PLANE. *Fateor*, inquit, *censura Apostoli dignus sum, si legis cerimonias restituere præsumo.* NOVI SISTENS. *Stabiliens pro litera veteris legis, veluti vmbræ transeuntis, solidum spiritum, & gratiam noui testamenti.* NOVA CONDITIO. *Gal.* 6. 15. In Christo enim Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. *Syr. autem*, Nihil enim est circumcisio, neque præputium. SOLENNIA. *Festa, solennitates.* ANNVO CIRCVLO. *In reuolutione cuiusque anni.* PASCHA CELEBRAMVS. *Diem transitus Domini intellige, quo implenit mortis suæ figuram, vel quo à morte transiuit ad vitam immortalem. Repeteret enim in parasceues nomine, diei Veneris sancti, ieiunij celebritatem.* MENSE PRIMO. *Aug. in ep.* 119. *ad Ianuarium,* Augst. *vbi præfatum locum Pauli ad Gal. refert.* Non nos de Sole, & Luna, annuis menstruisve temporibus actionum nostrarum euenta coniicimus; ne in vitæ humanæ periculosissimis tempestatibus, tanquam scopulis miseræ seruitutis illisi; à libero arbitrio naufragemus, &c. *Præcisè autem de Paschate;* Pro- Augst. pter hanc vitæ nouitatem primus mensis in anni mensibus, celebrationi huic attributus est. Nam ille dicitur mensis nouorum. Quia verò in toto tempore sæculi, nunc tertium tempus apparuit, ideò resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, vbi iam manifestatio est Sacramenti priùs occulti in Prophetico ænigmate. Hoc ergo & in lunari numero significatur: quia enim septenarius numerus solet in scripturis ad quandam perfectionem mysticus apparere, tertia hebdomada Lunæ, à Pascha celebratur, qui dies occurrit à quartadecima, in vicesimam primam. EXINDE. *A Paschate vsque ad Pentecosten.* IN OMNI EXVLTATIONE. *Non tantùm anima Christo suscitato collætamis, sed & corporis, dum non maceratur ieiuniis.* STATIONIBVS. *Ieiuniis quartâ, & sextâ feriâ septimanæ statuis. Horum ieiuniorum meminit B. Ignatius ep. ad Philipp. Clem. Alex. 7. Strom. Hiero. in ep. ad Gal. & Aug. in ep.* 86. *ad Casulanum, contra quemdam vrbicum, qui ieiunandum Sabbato contendebat. Inter cetera fusè huius epistolæ, cùm de Pharisæo bis Sabbato ieiunante dixisset:* Puto, quòd si ter in Sab- Augst. bato quis ieiunat, iam superat Pharisæum, qui bis in Sabbato ieiunabat. Quòd si & quater, vel etiam, vt nullus dierum, excepto Sabbato, & Dominico, prætermittatur, in hebdomade, quinquies ieiunatur, quod multi totâ vitâ suâ faciunt, maximè in Monasteriis constituti: non solùm Pharisæus, qui bis in Sabbato ieiunabat, verùm etiam Christia-

Digitized by Google

nus, qui quartâ, & sextâ feriâ, & ipso Sabbato A ieiunare consueuit, quod frequenter Romana plebs facit, in labore ieiunij superabitur. *Sicut & ipse Tertul. hereticus dum hæc scriberet, vnâ quadragesimâ non contentus, nisi & secundam adderet, vincitur ab his, qui totâ vitâ abstinent à carnibus, & quotidie, exceptâ Dominicâ, ieiunant.* SABBATI. *Septimana, qua à precipuo eius die apud Iudæos, vocata est Sabbatum.* IEIVNIIS PARASCEVEM. *Hic duo notanda. Primò per parasceuem, intelligi posse Sabbatum, siue vigiliam Dominicæ, quæ successit Sabbato Iudæorum; apud quos parasceue tantùm erat præparatio magni illius Sabbati, quod incidebat in hebdomadam Azymorum, post manducationem, agni Paschalis. Et quia non licebat quocumque Sabbato cibos coquere, & parare, sed id die veneris fiebat; multò minùs id licitum erat illo die solennis Sabbati. Tertull. autem parasceuem hic vocat, non vt 4. Const. Marc. c. 12. Sabbatum cuiuscumque hebdomadis, quod est vigilia Dominicæ. Secundò hic propriè per parasceuem, non vnius tantùm diei Veneris maioris Hebdomadæ ieiunium, sed solenne, & ipsa die Sabbati & vigilia paschatis continuatum intelligit. Vnde non in singulari, sed plurali dixit:* Dicamus ieiuniis parasceuem. *Scilicet vt ad solennitatem Paschalem continuato duorum dierum ieiunio, Veneris & Sabbati præparemur. Vsu porro scripturæ, & significatione vocis, parasceue, idem est quod præparatio. Matt. 27 62.* Altera autem die, quæ est post parasceuem, conuenerunt principes Sacerdotum, &c. *Id est die Sabbati, quo Christus in monumento iacebat, Marci 15. 42.* Cùm iam sero esset factum, quia erat parasceue, quod est ante Sabbatum. *Luc.* 23. 54. Et dies erat parasceues, & Sabbatum illucescebat. *Io.* 19. 14. Erat autem parasceue Paschæ. *Ibid.* 31. Quoniam parasceue erat. *Et rursum* 42. Propter parasceuem Iudæorum. *De quo Augustinus tract. 117. in Io. 19.* Parasceue erat præparatio Paschæ, pascha verò nostrum sicut dicit Apostolus, immolatus est Christus; cuius Paschæ præparationem, si ab hora noctis nona computemus; tunc enim videntur principes Sacerdotum pronuntiasse immolationem Domini dicentes, reus est mortis: cùm adhuc in domo Pontificis audiretur. Vnde congruenter accipitur, inde cœpisse præparationem veri paschæ, cuius vmbra erat paschæ Iudæorum, id est immolationis Christi, ex quo à Sacerdotibus pronuntiatus est immolandus. *Congruum igitur est, vt duos dies parasceues ieiuniis dedicemus, alterum memoriæ ligni vetiti, de quo edens Adam in Eden, morti subiectus, mortem in omne genus humanum effudit: alterum memoriæ Dominicæ passionis eodem die peractæ, vt nos cum Adam per lignum crucis reuocaret ad vitam. Et hoc alluſit Irenæus, lib. 5. aduersus hæreses cap. 23.* Siue, *inquit*, secundùm vnum, & eumdem diem, in quo manducauerunt, & mortui sunt; quoniam vna conditionis dies, *Id est creationis, & mortis.* Siue secundùm hunc circulum dierum; quia in ipsa mortui sunt, in qua & manducauerunt; hoc est parasceue, quæ dicitur pura cœna, id est feria sexta, quam & Dominus ostendit, passus in ea. *Varia tandem fuit obseruatio ieiunij Sabbati. In Occidente enim seruabatur, non in Oriente, saltem ex præcepto Ecclesiæ, nisi vigiliâ Paschatis. Consulendus hac de re idem Aug. ep. 118. & Hiero. ep. 28. Roma tamen seruabatur vt etiamnum abstinentia in Sabbato.* QVAMQVAM VOS. *Romani.* VOS SABBATVM SI QVANDO CONTINVATIS. *Id est duos, si forte dies continuos in ieiunio transigitis, non tantùm in parasceue, sed & Sabbato sancto; id semel in anno apud vos agitur.* SECVNDVM RATIONEM. *Quia scil. tunc recolitur memoria mortis & sepulturæ Dominicæ, de qua prædixerat Christus:* Auferetur ab eis sponsus, & ieiunabunt. *Sabbatis itaque reliquis, nullum erat indictum ieiunium. Vnde Ignatius ep. 3. ad Philipp.* Si quis Dominicam diem, aut Sabbatum, vno excepto, ieiunarit, hic Christi interfector est. *Quasi diceret, excepto isto die, qua agitur memoria sepulturæ Domini qua propriè & verè sepultus est, peccat; & Christum non festiuo gaudio, sub finem Sabbati lucescentis in primam Sabbati gloriosè resurgentem, excipit: sed vt sepultum adhuc ieiunus ac mœrens deflet, &c.* NOBIS CERTE. *Montanistis.* OMNIS DIES. *Vt ostendat suos non Galaticari* VVLGATA CONSECRATIONE. *Communi ac simplici ieiunio Sabbatum quodlibet celebratur.* ETIAM VVLGATA. *Sic alij distinguunt: communis qualibet totius anni dies.* CONSECRATIONE. *Corporis Christi, in Missa Sacrificio. Tangit hic Græcos, qui diebus ieiunij, Missam saltem matutino tempore, non celebrabant; quòd crederent Stationem, id est ieiunium solemne violari, accepto corpore, & sanguine Christi; vt ipse docet, lib. de Orat. cap. 14. circa f.* Stationum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quòd statio soluenda sit, *Ieiunium credatur solui & violari,* accepto corpore Domini. CELEBRATVR. *Cùm maxima sit solemnitas Paschæ; & quotidie agnum paschalem verum comedamus.* DIFFERENTIÆ RATIO. *Licet Paulus distinguat nouam legem à veteri, nullam tamen differentiam dierum statuit, pro obseruantia ieiuniorum; quamquam nos rationem assignauerimus, propter quam vsque ad Pascha exclusiuè, non autem post Pascha vsque ad Pentecostem ieiunemus: quia videlicet, sponso Christo cum filiis, id est Apostolis tum commorante, in lætitia fideles viuere condecet. Proinde,* inquit, *liberum reliquis nobis Apostolus duas, tresve quadragesimas obseruare, si voluerimus, nec enim eo arguemur cum Galatis, dies, menses, & annos cum Gentilibus aut Iudæis superstitiosè obseruantibus.* INÆQVALITAS VESTRA. *Non nos arguit Apostolus tanquam superstitiosos, Galatarum more, dierum obseruatores: sed vos ridendi estis, qui cùm nobis exprobretis, nos veteri formæ Galatarum conformari, simul & nouæ nos inducere ieiunia dicitis.*

Augst.

S. Augst.

* 2. *Festa sanctè & non turpiter colenda sunt. Apol. Cap. 35. in f.*

PRopterea igitur publici hostes Christiani, quia imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant, quia veræ religionis homines etiam solemnia eorum, conscientiâ potiùs quàm lasciuiâ celebrant. Grande videlicet officium! focos & toros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hæccine solemnes dies principum decent, quæ alios dies non decent? Qui obseruant disciplinam de Cæsaris respectu,

hiram propter Cæsarem deserent? & malorum morum licentia pietas erit? occasio luxuriæ religio deputabitur?

FESTA. II. SCHOLIA.

PVBLICI HOSTES. *Reipublicæ hostes censentur Christiani* VANOS. *Quia inde vana gloria.* MENTIENTES *Quia sæpè Gentiles vellent mortuos, quos honorant.* TEMERARIOS. *Quia temerè quod uni vero Deo debetur, homini dicant & consecrant.* HOMINES. *Christiani veræ fidei & unicæ religionis professores.* SOLEMNIA EORVM. *Dies solemnes, Imperatorum natali, victoriæ, &c. dedicatos.* CONSCIENTIA. *Ex obligatione veræ pietatis, Deo optimo maximo vitæ & victoriæ authori, & filio eius* Principi regum terræ, per quem reges regnant, *& victoriam reportant, gratias referentes, non Ioui, non Martì; nec potu aut epulis nimiis, sed sobriè & castè, orando, & unicum missæ Sacrificium offerendo pro Imperatore.* GRANDE VIDELICET, *&c. Ironicè dicta.* FOCOS ET TOROS. *Triclinia, & lectisternia cum apparatu coquinæ ad epulas per vices & compita celebrandas.* HABITV ABOLERE. *Faciem ciuitatis honestè, in publica taberna speciem transformare.* LVTVM COGERE. *Id est exaggerare lutì faciorem effuso per luxum vino; vel vomitu ebriosorum condensare.* LIBIDINIS ILLECEBRAS. *Choreas intelligit publicas, ad libidinem prolectantes.* ALIOS RITS. *Communes & vulgares.* DISCIPLINAM. *Modestiam, mores compositos.* DE CÆSARIS RESPECTV. *Propter reuerentiam legum Imperatorum vel ob præsentiam & aspectum Cæsarum.* PROPTER CÆSAREM. *Ob festum solemne Cæsaris.* PIETAS ERIT. *Censebitur pietas, & erga Imperatorem affectus.* RELIGIO DEPVTABITVR? *Putabitur religionis actus & deuotio. Hæc ad literam asseriso prænotato innì posse Sanctorum solennitatibus, a plerisque Christianis peruersè & Gentilium more celebratis, applicari. Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 27. duplicem Gentilium errorem in solennibus Deorum & Imperatorum suorum, altibus contrariis fidelium & Christianorum confundit; qui nec sanctos vt Deos, nec vitia, sed virtutes eorum piè & sanctè celebrabant.* Nec nos Martyribus templa, Sacerdotia, Sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sanè memorias eorum, tanquam sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum, pro veritate certarunt, vt innotesceret vera religio, falsis religionibus fictisque conuictis: quod etiam si qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audiuit aliquando fidelium, stantem Sacerdotem ad Altare, etiam super sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias, *Id est templa & altaria*, offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & sanctis suis Angelis cœlesti honore sociauit? vt eâ celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ renouatione adhortemur, &c. Quicumque etiam epulas suas eò deferunt, quod quidem à Christianis melioribus non fit, & in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo: tamen quicumque id faciunt, quas cùm apposuerint, orant, & auferunt, vt vescantur; vel ex eis etiam indigentibus largiantur, *Vt ideo suasit Tobias filio, & ad refrigerium defuncti; panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue*, Sanctificari eas volunt permerita Martyrum in nomine Domini Martyrum. Non autem ista esse sacrificia Martyrum nouit, qui nouit vnum, quod Deo illic offertur sacrificium Christianorum. Nos itaque Martyres nostros, nec diuinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, sicut colunt illi Deos suos: nec sacrificia illis offerimus, nec eorùm probra in eorum sacra conuertimus. *Vt subiiciat de Osiri & Isde Ægypti Regibus, & diis, quibus huiusmodi sacrificia prophana Gentiles obtulerunt. De cursitationibus autem, iniuriis, impudentiis, cæterisque à Tertulliano prætaxatis, Augustinus similia in prauos Christianos, festis & locis sanctis abutentes iaculatur. Ser. 215. de temp.* Ante omnia vbicumque fueritis, siue in domo, siue in itinere, siue in conuiuio, siue in consessu, verba turpia & luxuriosa, nolite ex ore vestro proferre, sed magis vicinos & proximos vestros iugiter admonete, vt semper quod bonum est, & honestum loqui studeant, ne fortè detrahendo, malè loquendo, & in sanctis festiuitatibus choros ducendo, cantica luxuriosa & turpia proferendo, de lingua sua, vnde debuerant Deum laudare, inde sibi vulnera videantur infligere. Isti enim infelices & miseri homines, qui balationes & saltationes ante ipsas Basilicas Sanctorum exercere, nec metuunt, nec erubescunt, & si Christiani ad Ecclesiam venerint, pagani de Ecclesia reuertuntur; quia ista consuetudo balandi, de paganorum obseruatione remansit. Et iam videte qualis est ille Christianus, qui ad Ecclesiam venit orare, & neglectâ oratione, sacrilega verba paganorum non erubescit ex ore proferre. Videte tamen, fratres charissimi, si iustum est, vt ex ore Christianorum, vbi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum, quasi venenum diaboli proferatur? *vt dicatur.* Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est.

A

B

C

D

5 August.

Augustin.

Augustin.

FIDES.

1. *Fidei clauis corda clausa Christo aperit. Cont. Iud. cap. 7. à p.*

NEc de isto pluribus quærendum, cùm retro omnes Prophetæ de eo præcinuerint, vt Esaïas dicit [a] *Sic dicit Dominus Deus Christo meo Domino, cujus tenui dexteram, vt exaudiant illum gentes: fortitudines regum disrumpam, apertam ante illum portas, & ciuitates non claudentur illi.* Quod ipsum adimpletum videmus. Cui enim dexteram tenet pater Deus, nisi Christo filio suo? quem exaudierunt omnes gentes, id est, cui omnes gentes crediderunt, cuius & prædicatores Apostoli in psalmis Dauid ostenduntur: [b] *In vniuersa, inquit, terra exiit sonus eorum, & vsque ad terminos terræ verba eorum.* In quem enim alium vniuersæ gen-

a Esa 45.1

b Psal. 18. 3.

Digitized by Google

tes crediderunt, nisi in Christum qui iam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt; [c] *Parthi, Medi, Elamitæ; & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam; & incolentes Pontum, & Asiam, & Pamphyliam; immorantes Ægyptum, & regionem Africæ quæ est trans Cyrenem inhabitantes? Romani & incolæ;* tunc & in Hierusalem Iudæi, & ceteræ gentes: vt iam Getulorum varietates & Maurorum multi fines; Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diuersæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum; & abditarum multarum gentium, & prouinciarum, & insularũ multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat: vt pote ante quem omnium ciuitatum [d] *Portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ: ante quem ferreæ sunt comminutæ, & valuæ æreæ sunt apertæ.* Quamquam & ista spiritaliter sint intelligenda, quo præcordia singulorum variis modis à diabolo obsessa fide Christi sint reserata: attamen perspicuè sunt adimpleta, vtpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi inhabitet.

[c] Act. 2. 9. & seq.

[d] Esa. 45. 1. Apoc. 3. 7. Psal. 106. 16.

FIDES. I. SCHOLIA.

DE ISTO. *Christo scilicet, cuius frustra aduentum expectant Iudæi; cum iam aduentu suo prophetias veteres impleuerit.* RETRO OMNES. *Prius, iuxta illud.* Huic omnes prophetæ testimonium perhibent. ESAIAS. *cap. 45. 1.* Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius Gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. *Tertull. secutus 70. dicta iam non repeto.* IN VNIVERSA. *Psal. 18. 5.* In omnem terram, &c. *Aug. in hunc locum* Non sunt loquelæ, neque sermones, &c. Quorum nisi corũ illorum qui enarrant gloriam Dei? &c. Legite Actus Apostolorum quomodo veniente super eos Spiritu Sancto, omnes impleti sunt illo & loquebãtur linguis omnium Gentiũ, sicut Spiritus Sanctus dabat eis pronuntiare, &c. Sed non ibi tantum vbi impleti sunt, sonuerunt; In omnem terram exiuit sonus eorum, &c. Ideò & nos hîc loquimur; sonus enim ille ad nos vsque peruenit: sonus qui in omnem terram exiit. Et si hæreticus, *Dico ego in rem Tertull. si Iudæus* Ad Ecclesiam non intrat, ideo sonus in omnem terram exiit, vt tu in cœlum intres. *Apertum clausæ fidei.* O pestilentiose, litigiose, pessime, & adhuc errare volens: ô superbe fili, audi testamentum Patris tui! Ecce, quid planius, quid apertius? In omnem terram sonus eorum, &c. Numquid expositione opus est? quid contra te conaris? PARTHI, MEDI, &c. *Act. 2. 9. Benè probat impletam Prophetiam Psaltis. Tertull. omisit Iudæam. Sic habet locus.* Parthi & Medi & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & proselyti, Cretes & Arabes; audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. TVNC. *Cùm Spiritus Sanctus descendit in Apostolos.* VT IAM. *Dum hæc scribo.* GETVLORVM VARIETATES. *Asperi, inculti, vagi, vnde & vary vocantur, quia nullis certis legibus & moribus regebantur. De quibus consule Pomponium Melam.* MVLTI FINES *Gentes multæ Mauritaniæ.* DIVERSÆ NATIONES. *Prouincia. Vel propter Saxones, Germanos, Galliam Celticam, Belgicam, Cisalpinam & Transalpinam, &c.* INACCESSA LOCA. *Ex quo colligo hunc librum ab eo scriptum ante expeditionem Britannicam à Seuero susceptam sub finem vitæ, in qua periit. Quæ tamen loca iam Christo subiecta erant.* NVLLÆ CLAVSÆ. *Apoc. 3. 7.* Habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. SERÆ ÆREÆ. *Psal. 106. 16.* Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. ATTAMEN PERSPICVE. *Clarè, mysticè sunt impleta de Ecclesia & populo Christiano toto orbe iam sparso & cognito.* FIDE CHRISTI RESERATA. *Fidem, Dei donum esse, sine clauem quæ corda clausa à Diabolo per incredulitatem, aperiat veritati, vbique docet Augustinus; sed maximè libro De Prædestinatione Sanctorum scripto ad Prosperum & Hilarium inter cætera cap. 2. ex Philipp. 2.* Vobis donatum est pro Christo, non solum vt credatis in eum, verumetiam vt patiamini pro eo. Vtrumque ostendit Dei donum, quia vtrumque dixit esse donatum. Nec ait, vt pleniùs & perfectiùs credatis in eum, sed, vt credatis in eum. Nec seipsum misericordiam consecutum dixit, vt fidelior; sed vt fidelis esset: quia sciebat non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo eius augmentum, sed ab eo se factum fidelem, à quo & Apostolus factus est. *Expressius autem de fidei clausi corda obserata aperiente eodem lib. c. 20.* Illud etiam initium fidei hominum, donum Dei esse nos admonet, cum hoc significet Apostolus in ep. ad Colosſ. 4. Orationi instate, vigilantes in illa, in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium Verbi sui ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum, vt manifestem illud, ita vt oportet me loqui. Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis, vt credat, *Sicut & de Christo dicitur circa discipulos stultos & incredulos; aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas*, Et initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicantur & disputantur, admittat; ne per infidelitatem corde clauso, ea quæ dicuntur, improbet ac repellat? vnde & ad Corinthios 1. 6. ait: permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecostem. Ostium enim mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi. Quid hîc aliud potest intelligi, nisi prædicato ibi per eum primitus Euangelio, credidisse multos, & multos eiusdem fidei aduersarios extitisse, secundum illud Domini Io. 6. Nemo ad me venit, nisi cui datum fuerit à Patre meo: & Luc. 8. vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, illis autem non est datum? Itemque ad eosdem in 2. ep. Cor. 2. idem Apostolus: cum venissem, *inquit*, Troadem in Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, &c. Vale illis faciens exij in Macedoniam. Quibus vale fecit, nisi eis qui crediderant, in quorum scilicet cordibus Euangelizanti apertum est ostium? &c. Redeamus ad ostij apertionem, qua initium fidei audientium significauit Apostolus, ad Colosſ. 4. quid est enim, orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium verbi, nisi apertissima

Augusti.

S. Augusti.

S. Augusti.

demonſtratio, etiam ipſum initium fidei eſſe donum Dei? Non enim orando peteretur ab eo, niſi ab ipſo tribui crederetur. Hoc donum celeſtis gratiæ in illam purpurariam deſcenderat *Act.* 16. 14. *Quædam mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo Syr. quædam venditrix purpuræ* Cui ſicut ſcriptura dicit
S. Auguſt. in Actibus Apoſtolorum, Deus aperuerat ſenſum eius, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur: ſic enim vocabatur, vt crederet. Agit quippè Deus quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando, vt etiam per eos impleatur, quæ manus eius & conſilium prædeſtinauit fieri. *Ser. 156. de temp. in f.* Igneam illam rompheam & paradiſi ianuam, quam nullus potuit infringere, hodie Chriſtus cum latrone reſerauit. Hodie dixit Chriſtus ad Angelos: aperitè mihi portas Iuſtitiæ, &c. Quæ cum ſemel aperta eſt, numquam credentibus clauditur. Ex eo tempore, quo paſſus eſt Dominus vſque ad præſentem diem, hæc porta *Iuſtitiæ, & fidei* Clauſa eſt & reſerata: clauſa eſt peccatoribus & incredulis, reſerata eſt iuſtis & credentibus. Per hãc ingreſſus eſt Petrus, per hãc ingreſſus eſt Paulus, per hãc quotidie de toto mundo iuſtorũ animæ ingrediuntur. Duæ enim ſunt portæ; porta paradiſi, & porta Eccleſiæ: per portam Eccleſiæ, intramus in portam paradiſi. *Fidem non ex nobis, ſed ex Deo nobis eſſe, ſicut & orationem, & quamcunque cogitationem, & voluntatem bonam, docet idem Auguſtinus,*
S. Auguſt. *lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. circa finem:* Præcipitur, *inquit*, vt rectè viuamus, hac vtique mercede propoſita, vt in æternum benè viuere mereamur. Sed quis poteſt rectè viuere, & benè operari, niſi iuſtificatus ex fide? præcipitur, vt credamus, vt dono accepto Spiritus ſancti, per dilectionem benè operari poſſimus. Sed quis poteſt credere, niſi aliqua vocatione, hoc eſt aliqua rerum teſtificatione tangatur. Quis habet in poteſtate, tali viſo attingi mentem tuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? quis autem animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet poteſtatem, vt vel occurrat quod eum delectare poſſit, vel delectet, cùm occurrerit? cùm ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu noſtro, & induſtria, aut operum meritis comparatur: quia vt ſit nutus voluntatis, vt ſit induſtria ſtudij, vt ſint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur. Propterea petere iubemur, vt accipiamus, & quærere, vt inueniamus, & pulſare, vt aperiatur nobis. *Et hoc eſt quod ille Tertullianus ait, fides Chriſti reſerata.* Nonne aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potius frigida, & penè nulla, imò omnino interdum ita nulla, vt neque hoc in nobis cum dolore aduertamus: quia ſi vel hoc dolemus, iam oramus? Quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere, & quærere, & pulſare ille concedit, qui vt hæc fugiamus, *Scilicet teporem, frigus, &c. Alij legunt, faciamus, id eſt petamus, quæramus, pulſemus*, iubet. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quandoquidem nec velle, nec currere, niſi eo mouente, atque excitante poterimus. Auguſt.

2. Fides Chriſtiana, nihil nouum aut portentoſum ſuſcipit, quod non omnes publicæ literæ, etiam aduerſariorum admittant lumenque naturæ. De teſtim. An. cap. 1. per totum. & 2. in p.

MAGNA curioſitate, & majore longe memoria, opus eſt ad ſtudendum, ſi qui velit ex literis receptiſſimis quibuſque philoſophorum, vel poëtarum, vel quorumlibet doctrinæ ac ſapientiæ ſecularis magiſtrorum teſtimonia excerpere Chriſtianæ veritatis, vt æmuli peſecutoreſque eius de ſuo proprio inſtrumento, & erroris in ſe, & iniquitatis in nos rei reuincantur. Nonnulli quidem, quibus de priſtina literatura & curioſitatis labor & memoriæ tenor perſeuerauit, ad gentes opuſcula penes nos condiderunt, commemorantes & conteſtificantes in ſingula rationem & originem & traditionem; & ſententiarum argumenta, per quæ recognoſci poſſit, nihil nos aut nouum aut portentoſum ſuſcepiſſe, de quo non etiam communes & publicæ literæ ad ſuffragium nobis patrocinentur, ſiquid aut erroris ejecimus, aut æquitatis admiſimus. *& paulò infra.* Nouum teſtimonium aduoco, immò omni literatura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine maius, id eſt totum quod eſt hominis. Conſiſte in medio Anima, ſeu diuina & æterna res es, ſecundum plures Philoſophos, eò magis non mentiens: ſeu minimè diuina, quoniam quidem mortalis, vt Epicuro ſoli videtur; eò magis mentiri non debens, ſeu de cœlo exciperis, ſeu de terra conciperis, ſeu numeris ſeu atomis concinnaris, ſeu cum corpore incipis, ſeu poſt corpus induceris, vnde vnde, & quoquo modo hominem facis animal rationale, ſenſus & ſcientiæ capaciſſimum. Sed non eam te aduoco, quæ ſcholis formata, Bibliothecis exercitata, Academiis & porticibus Atticis paſta, ſapientiam ructas. Te ſimplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam compello; qualem te habent, qui te ſolam habent; illam ipſam de compito, de triuio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus eſt, quoniam aliquantulæ peritiæ nemo credit. Ea expoſtulo; quæ tecum homini infers; quæ aut ex temetipſa, aut ex quocumque authore tuo ſentire didiciſti. non es, quod ſciam, Chriſtiana: fieri enim non naſci ſoles Chriſtiana. tamen nunc à te teſtimonium flagitant Chriſtiani, ab extranea aduerſus ſuos, vt vel tibi erubeſcant, quod nos ob ea oderint & irrideant, quæ te nunc conſciam de-
CAP. II. tineant. Non placemus, Deum prædicantes, hoc nomine vnico, vnicum, à quo omnia, & ſub quo vniuerſa. Dic teſtimonium ſi ita ſcis. Nam te quoque palam, & tota libertate, qua non licet nobis domi ac foris audimus ita pronuntiare; quod Deus dederit; &, ſi Deus voluerit. Eâ voce & aliquem eſſe ſignificas, & omnem illi confiteris poteſtatem, ad cuius

ſpectas

ſpectas voluntatem; ſimul & cæteros negas Deos eſſe, dum ſuis vocabulis nuncupas, Saturnum, Iouem, Martem, Mineruam. ſolum Deum confirmas, quem tantùm Deum nominas: vt & cùm illos interdum Deos appellas, de alieno, & quaſi pro mutuo vſa videaris. De natura quoque Dei quam prædicamus, nec te latet. Deus bonus Deus benefacit, tua vox eſt. Planè adiicis, ſed homo malus; ſcilicet contrariâ propoſitione, obliquè & figuraliter exprobrans, ideo malum hominem, quia à Deo bono abceſſerit. Etiam, quòd penes Deum, bonitatis & benignitatis, omnis benedictio, inter nos, ſummum ſit Diſciplinæ & conuerſationis Sacramentum; benedicat te Deus, tam facilè pronuntias, quàm Chriſtiano neceſſe eſt. At cùm in maledictum conuertis benedictionem, Dei perinde dicto, omnem ſuper nos poteſtatem eius conſiſtere, ſecundùm nos confiteris.

3. Fidei articulos naturæ lumen, Scripturæ Sacræ, & Prophanæ probant; Et omnes ad eam amplectendam prouocant. de Teſtim. An. cap. 5. per totum. & 6. in p. ad circa f.

HÆc teſtimonia animæ quantò vera, tantò ſimplicia: quantò ſimplicia, tantò vulgaria: quantò vulgaria, tantò communia: quantò communia, tantò naturalia: quantò naturalia, tantò diuina. Non puto cuiquam friuolum & frigidum videri poſſe, ſi recogitet naturæ majeſtatem, ex qua cenſetur auctoritas animæ. Quantùm dederis magiſtræ tantùm adiudicabis diſcipulæ. Magiſtra natura, anima diſcipula. Quicquid aut illa edocuit, aut iſta perdidicit, à Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet ipſius magiſtiæ. Quid anima poſſit de principali inſtitutore præſumere, in te eſtæſtimare de ea quæ eſt in te. Senti illam, quæ vt ſentias efficit: recogita in præſagiis vatem, in omnibus augurem, in euentibus proſpicem. Mirum ſi à Deo data nouit homini diuinare. Tam mirum, ſi eum à quo data eſt, nouit. Etiam circũuenta ab aduerſatio meminit ſui auctoris & bonitatis, & decreti eius & exitus ſui, & aduerſarij ipſius. Sic mirum, ſi à Deo data eadem canit, quæ Deus ſuis dedit noſſe. Sed qui eiuſmodi eruptiones animæ, non putauit doctrinam eſſe naturæ congenitæ, & ingenitæ conſcientiæ tacita commiſſa dicet potiùs diuentilatis in vulgus opinionibus publicatarum literarum vſum iam & quaſi vitium corroboratarum taliter ſermocinandi. Certè prior anima quàm litera, & prior ſermo quàm liber & prior ſenſus quàm ſtilus, & prior homo ipſe, quàm Philoſophus & poëta; Nonquid ergo credendum eſt ante literaturam & diuulgationem eius, mutos ab huiuſmodi pronuntiationibus homines vixiſſe? nemo Deum & bonitatem eius, nemo mortem, nemo inferos loquebatur: mendicabat ſermo, opinor immo nec vllus eſſe poterat, ceſſantibus etiam tunc, ſine quibus etiam hodie beatior, & locupletior, & prudentioreſſe non poteſt, ſi ea quæ tam facilia, tam aſſidua, tam proxima hodie ſunt, in ipſis quodammodo labiis parta, retrò non fuerunt, antequam literæ in ſæculo germinaſſent, antequam Mercurius, opinor, natus fuiſſet. Et vnde ordo ipſis literis contigit, noſſe, & in vſum loquelæ diſſeminare, quæ nulla vnquam mens conceperat, aut lingua protulerat, aut auris exceperat? Atenim cum diuinæ ſcripturæ, quæ penes nos vel Iudæos ſunt, [a] *In quorum olea, ex oleaſtro inſiti ſumus*, Multò ſæcularibus literis, non modicâ tantum ætate aliquâ, antecedant, vt loco ſuo edocuimus ad fidem earum demonſtrandam; & ſi hæc eloquia de literis vſurpauit anima, vtiq; de noſtris credendſi erit, non de veſtris: quia potiora ſunt ad inſtruendam animã priora: quàm poſtera, quæ & ipſa à prioribus inſtrui ſuſtinebant; cùm erſi de veſtris inſtructam concedamus ad originem tamen principalem traditio pertineat, noſtrumque omnino ſit quodcumque de noſtris ſumpſiſſe & tradidiſſe cõtigit vobis. Quod cùm ita ſit, non multùm refert à Deo formata ſit animæ conſcientia, an à literis Dei. Quid igitur vis homo, de humanis ſententiis litterarum tuarum exiſſe hæc in vſus communis calloſitatem? Crede itaque tuis, & de commentariis noſtris tantò magis crede diuinis. Sed de animæ ipſius arbitrio perinde crede naturæ. Elige quam ex his fidelius ſorores obſerues veritatis. Si de tuis literis dubitas, neque Deus, neque natura mentitur. vt & naturæ & Deo credas, crede animæ. Ita fiet vt & tibi credas. Illa certè eſt quam tanti facis quantùm illa te facit, cuius es totus, quæ tibi omnia eſt; ſine qua nec viuere, potes nec mori, propter quam Deum negligis. Cum enim times fieri Chriſtianus, eam conueni; cur alium colens, Deum nominat? cur, cùm maledicendos ſpiritus denotat, dæmonia pronũtiat? cur ad cœlum conteſtatur, & ad terram deteſtatur? cur alibi ſeruit, alibi vindicem conuenit? cur de mortuis iudicat? cur verba habet Chriſtianorum, quos nec auditos viſoſquo vult? cur aut nobis dedit ea verba, aut accepit à nobis? cur aut docuit, aut didicit? Suſpectam habe conuenientiam prædicationis, in tanta diſconuenientia conuerſationis. Vanus es, ſi huic linguæ ſoli, aut Græcæ, quæ propinquæ inter ſe habentur, reputabis eiuſmodi, vt neges naturæ vniuerſitatem. Non Latinis, nec Argiuis ſolis anima de cœlo cadit. omnium gentium vnus homo varium nomen eſt. vna anima, varia vox: vnus ſpiritus, varius ſonus. propria cuique genti loquela, ſed lo-

[a] Rom. 11. 24.

Cap. 1 &

quelæ materia communis. Deus vbique, & bonitas Dei vbique; dæmonium vbique, & maledictio dæmonij vbique, iudicij diuini inuocatio vbique, mors vbique, & conscientia mortis vbique, & testimonium vbique. omnis anima suo iure proclamat, quæ nobis nec mutire conceditur.

FIDES. II. & III. SCHOLIA.

MAGNA CVRIOSITATE. *Longum*, inquit, *opus aggreditur, quisquis vult aduersarios fidei & veritati Christianæ conuincere, vt eos à veritate aberrasse, & iniustè in Christianos insurgere coarguat. Debet enim quicunque vult hoc præstare, & curiosè legere Philosophorum & Poëtarum Gentilium libros, & collecta eorum testimonia mandare memoriæ, quæ etiam Christianæ veritati suffraganter, vt sic propriis suis libris & testimoniis conuicti nobis oblatare cessent.* NONNVLLI QVIDEM, *&c. Plures*, inquit, *ex fidelium numero curiosi literati scripserunt opuscula contra Gentiles, quibus sigillatim, originem fidei Christianæ, traditionem eius, & fundamenta doctrinæ eius, simul testarentur Christianos nihil in sua fide noui aut monstruosi ab Ecclesia propositum suscepisse credendum, quod communes & ipsis humanæ literæ ex Philosophorum sententiæ non admittant, siue aliquid ad bonos mores iustitiamque pertineat, recepit doctrina Christiana, sine quid erroneũ & contra veritatẽ reiecit.* CONTESTIFICANTES IN SINGVLA. *Simul testimonium dantes. Alij legunt*, In sugillationum & originum, & traditionum, & sententiarum, argumenta per quæ, &c. *Tum erit diuersus sensus; vt velit, Authores Christianos scripsisse contra Gentiles, & carpsisse origines, traditiones, sententias, &c. Gentilium. Nota ex Hiero. in Catalogo, apud Latinos, Tertullianum primum fuisse post Apollonium, qui scripserit Apologeticum contra Gentiles. Græci autem in eodem genere scripserunt. Quadratus, Aristides, Iustinus Philosophus, Anaxagoras, Meliton, Theophilus, Antiochenus, Apollinarius, Tatianus, Irenæus, Clemens Alex. & Miltiades. Quorum non pauca excerpsit Tertul. & transcripsit in suum Apologeticum.* ADVOCO. *In confirmationem, eiusdem veritatis contra Gentiles; ipsammet nempè animam probare se naturaliter Christianam esse, in multis, quæ lumine naturali sentit, quæ Christiani credunt.* TOTO HOMINE MAIVS. *Homine scilicet exteriori; & actibus etiam rationis, quæ foras mittit anima, hoc enim maximum est in homine, quod de Deo naturaliter, magnè, & præclarè sentiat.* TOTVM QVOD EST. *Quasi homo sine cognitione & timore Dei, non sit homo. Eccle. 12. 13.* Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo: 70. Finis verbi, omne audi, &c. *Quasi diceret hæc est summa doctrinæ: post hæc audita, tacendum est; nihil maius dici, & disci potest, quàm Dei notitia, timendi, & amandi; quia hoc est omnis homo*, Sine quo nihil est omnis homo; *Vt ait Bernardus. Sed prior illo Aug. lib. 20. de Ciuit. c. 3. Cùm omnia vanitatem esse dixisset, cum Salomone, concludit de homine*: In diebus vanitatis suæ, interest plurimùm, vtrùm resistat, an obtemperet veritati; & vtrùm sit expers veræ pietatis; *Vt Gentilis carent fide*; an particeps: *vt Christianus fide per dilectionem operante*: non propter vitæ huius vel bona acquirenda, vel mala vitanda, vanescendo transeuntia; sed propter futurum iudicium; per quod erunt & bonis bona, & malis mala sine fine mansura. Denique iste Sapiens, hunc librum *Eccle.* Sic concluserit, vt diceret: Deum time, & mandata eius custodi: quia hoc est omnis homo: quia omne hoc opus Deus adducet in iudicium, in omni despecto,

S. Auguſt.

Etiam circa vilissimum quemque hominem, Siue bonum, siue malum; *opus feceris hìc, in hac vita.* Quid breuius, verius, salubrius dici potuit? Deum, *inquit*, time, &c. Quia hoc est omnis homo. Quicumque enim est hoc, est custos vtique mandatorum Dei: quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginẽ reformatur, remanens in similitudine vanitatis. Quia omne hoc opus, id est, quod ab homine fit in hac vita, siue bonũ, siue malũ, Deus adducet in iudicium, in omni despecto, id est in omni etiã qui cõtemptibilis hîc videtur, & ideo, nec videtur: quoniã Deus & ipsum videt, nec eum despicit, nec cùm iudicat, præterit. CONSISTE IN MEDIO. *Sic compellat animam; prodi in medium.* MORTALIS. *Æstimaris.* EO MAGIS MENTIRI, *&c. Rationem non video, cur mentiri non debeam, posito quòd sit mortalis: nam si talis esset, defectibilis esset, & si à propria existentia, multo magis à veritate deficere posset. Nec satisfacis quod dicunt aliqui, non mentiri, quòd cogitet se morituram: quia sic non apprehenderet iudicium, post mortem nihil futura. Referendum ergo est ad id, quod priùs dixit animam rem diuinam & æternam esse, quæ proinde de Deo æterno veritatem participare debuit.* DE COELO. *à Deo lapsa.* DE TERRA. *Simul cum carne à parentibus traducta.* ATOMIS CONCINNARIS. *Sicut ex Basil. homil. 1. in Hexa. quidam inepti ex atomis inter se complicatis omnia componi dixerunt.* POST CORPVS. *Perfectè organizatum.* VNDE VNDE. *Vndecumque procedas.* SENSVS. *Rationis, iudicij, æstimationis.* FORMATA. *Erudita.* ACADEMIIS. *Ambulacris umbrosis. Academia, Platonis erat Gymnasium, sicut Lyceum Aristotelis.* PORTICIBVS. *Locis spatiosis ad deambulandum, qualis erat schola Peripateticorum.* PASTA. *Enutrita Philosophicis disciplinis, propriis animæ rationalis alimentis.* RVCTAS. *Ex plenitudine sapientiæ.* TE SOLAM. *Nudam, & inuestem scientiarum habitu.* TOTAM. *Quæ nihil nisi triuiale & commune nostri; nihil præter compita, triuia, textrinas frequentasti, præter opera vilia, & fœminea tractasti.* ALIQVANTVLÆ. *Minùs enim fidei adhibetur mediocri tantum scientiâ imbutis, quàm prorsùs ignorantibus, sensu modo communi polleant.* HOMINI INFERS. *Primæ scilicet principia, cum quibus omni homini infunderis.* NON EX SANGVINIBVS. *Imò &*; Naturâ filij Iræ; non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati: ex aqua & Spiritu Sancto. *Vide dicta præcedenti Scholio, de dono fidei, quâ fiunt Christiani.* ADVERSVS TVOS. *Gentiles, vt tu Gentilis.* TIBI ERVBESCANT. *Coram te, & tuo testimonio conuicti.* OBEA. *Propter eadem omnino fidei dogmata.* CONSCIAM DETINEANT. *Ream eorumdem criminum teneant; cùm tu, & ipsi eadem nobiscum sentiatis.* NON PLACEMVS. *Ethnicis scilicet.* HOC NOMINE. *Quo eum vocamus Deum.* A QVO. *Creata sunt omnia.* SVB QVO. *Reguntur omnia.* ILLI CONFITEBERIS. *Tribi debere, inesse potestatem.* PRO MVTVO. *Mutuata à Deo vero & vnico, appellatione diuinitatis.* PENES DEVM. *Vel intelligit apud Deum totius bonitatis & benignitatis fontem, sicut Apostolus vocat eum*, Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis:

Vel quòd Deus ſuam benedictionem largiri ſoleat, omni homini bono & benigno. INTER NOS. *Vt nos Chriſtiani credimus, quorum hoc eſt præcipuum totius vitæ & diſciplinæ ſymbolum, ſenſus communis fidelium; quòd, quidquid boni, maliue, fauſti, vel infauſti hominibus accidit, à Dei prouidentia euenire; à cuius benedictione, omne bonum, ſicut & à maledictione, malum omne accidit; iuxta illud:* Si malum eſt in ciuitate quod non fecerit Dominus. *Et hoc,* inquit, *ſenſit anima Gentilis, dum æquè in promptu habet, quàm Chriſtiana, hanc vocem, dum benè amice precaris.* Benedicat te Deus. *Quid enim aliud nos cum Palæ dicimus?* Benedicat nos Deus Deus noſter, &c. DICTO. *Id eſt, nomine Dei, imprecando, omnem boni & mali poteſtatem à Deo pendere nobiſcum fateris.*

3. HÆC TESTIMONIA. *Quæ precedenti capite quatuor protulerat de animæ immortalitate, à nobis ſuo loco expoſita, tantò veriora ſunt, quantò ſunt ſimpliciora. Simplex enim & nuda eſt veritas.* TANTÒ DIVINA. *Quia à Deo naturæ auctore communiter omni animæ rationali inſcripta.* FRIGIDVM. *Spernendum.* CENSETVR AVCTORITAS. *Penditur & æſtimatur dignitas animæ.* DE PRINCIPALI, *De Deo, vero principio, & vnico Creatore animæ, anima poteſt de ſua dignitate præſumere, id. æſtimare.* IN TE EST. *Potes re ipſa tu indicare, quanta ſit anima rationalis, ex ipſis eius in te effectibus; viden, vt per eam non modo præſentia ſentias, ſed & futura proſpicias, vt quaſi auguri ſimilis & vati ſit anima prudens?* MIRVM. *Ironicè quaſi diceret: mirum videlicet ſi à Deo, diuina facta, noueris aliquid futurum diuinare.* TAM MIRVM, *&c. Si non eſt mirum quòd anima v. à Deo creata & data homini, nouit ipſa animare, multò minùs mirum eſt, ſi ipſum Deum à quo data eſt ipſa cognoſcit.* ETIAM CIRCVMVENIA. *Obſeſſa à* Leonibus rugientibus præparatis ad eſcam, *In ipſo tribulationis feruore, in angoſſis & periculis; Dei, Creatoris ſui, mortis ſuæ, iudicij, & ipſius diaboli meminit.* SIC MIRVM. *Nihil,* inquit, *mirum, ſi omnis anima naturali lumine & inſtinctu pronuntiat, quæ Deus ſuis fidelibus per ſuperius lumen fidei dedit agnoſcere.* TACITA COMMISSA. *Addidit ad fideicommiſſa, quæ Deus ſimul & concreauit omni animæ rationali; quæ in repentinis caſibus, ex habitu naturali erumpit in huiuſmodi ſenſus, quos fides credit, quos tamen impij volunt tribuere caſui & opinionibus publicis, & vſui loquendi.* CERTE PRIOR ANIMA. *Hæc non repetoiam aliis expoſita; quibus probat animam; ſenſum communem, ſermonem, & linguam ante concepiſſe & formaſſe omnes huiuſmodi ſententias, quàm illæ exprimerentur literæ, aut libri ſcriberentur.* NEMO DEVM. *Hæc omnia ironicè dicta.* MENDICABAT. *Fortè,* inquit, *ſermo humanus, antequam ſcriptura eſſet, ab eius literis voces mendicabat, quibus fari poſſet. Verum quidem eſt, initio non fuiſſe, ante literas & eloquentiam, ſic floridum & locupletem, tantumque ſermonem. Sed tamen erat, quanquam rudis, & ſine vlla arte, antequam Mercurius doceret literas; indita à natura anima rationali prima principia per os & linguam promebantur.* ET VNDE ORDO. *Sed quæro ego vnde ortus ſit ipſe ordo, ſeries, connexio literarum?* NOSSE. *Vnde ipſa fluxit notitia; quomodo homo didicit vti literis ad loquendum, ſi mens eius & ratio ipſas literas non præceſſit.* PENES NOS. *Apud nos Chriſtianos.* IN QVORVM OLEA. *Rom. 11. 24.* Si tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam: quantò magis ij qui ſecundùm naturam inſerentur ſuæ oliuæ? *Tranſlat. Syr.* Si tu ex tua olea Sylueſtri naturali amputatus es, & præter naturam tuam inſitus es in oleam optimam; quantò magis ergo ij, ſi inſerantur in oleam ſuam naturalem? *Quaſi diceret Paulus; ſi tu Gentilis, ex Paganiſmo ſterili & incolto, inſtar oleaſtri, contra communem inſerendi morem, in bonam oliuam, id eſt cultam, & fertilem, & ſuauem Eccleſiam Iudæorum, ex quibus primò collecta eſt, inſitus es; quantò magis Iudæus, qui naturaliter ortus eſt ex ſanctis Patriarchis & fidelibus, qui erant populus, & Eccleſia Dei; ſi perfidiam deſerat, & inſeratur ſuæ oliuæ, id eſt priſtinæ Eccleſiæ Dei? Hunc locum Pauli tractat Auguſtinus in Pſal. 72.* Cùm ſe erigerent gentes, ſic eas reprimit. Si enim tu, inquit, ex naturali exciſus oleaſtro, &c. Noli gloriari aduersùs ramos. Nam ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Ergo de radice Patriarcharum dicit fractos quoſdam ramos, propter infidelitatem, & inſertum ibi oleaſtrum, vt eſſet particeps pinguedinis oliuæ; id eſt Eccleſiam ex Gentibus venientem. Et quis inſerit oleaſtrum in oliua? oliua ſolet eſſe in oleaſtro, oleaſtrum in oliua numquam vidimus. Nam quiſquis fecerit, non inuenit baccas niſi oleaſtri. Quod enim inſeritur, hoc creſcit, & eius rei fructus inuenitur. Inuenitur non radicis fructus, ſed ſurculi. Hoc oſtendens Apoſtolus, omnipotentiâ ſuâ Deum feciſſe, vt oleaſter in radicem oliuæ inſereretur, & non baccas ſylueſtres, ſed oliuam daret, ad omnipotentiam Dei reuocans hoc Apoſtolus ait, ſi tu ex naturali, &c. Noli gloriari aduersùs ramos. Sed dicis, ait: fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Benè, propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſta, noli altum ſapere, ſed time, &c. Noli ſuperbire quia inſertus es, ſed time ne frangaris per infidelitatem, ſicut illi fracti ſunt, &c. Nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet, &c. SÆCVLARIBVS. *Humanis Gentilium literis.* HÆC ELOQVIA. *Quibus erumpit anima ad Deum, iudicium eius, & alia huiuſmodi ex communi naturæ ſenſu didicit, ſi huiuſmodi ſententias hauſit ex aliquibus literis, potius certè has deprompſit ex Scripturis Sacris longè antiquioribus, quàm ex poſterioribus humanis vnde Gentiles eas excerpſerunt.* SVSTINEBANT. *Expectabant: debebant enim à literis prioribus ſe, hanc mendicare veritatem.* NON MVLTVM REFERT, *&c. Siue à Deo immediatè, ſiue à ſcriptura diuinâ inſtructa ſit anima de his principiis, parum intereſt. Quid igitur, ô Gentilis, quid ſic diſputas & contendis ab humanis literis primùm hæc homines didiciſſe, & velutilongo, calloſo & obtrito vſu dictam animam in has voces erumpere?* DE COMMENTARIIS. *Libris Chriſtianorum multò magis crede, quia diuini ſunt, ſi tuis humanis credis.* DE ARBITRIO. *Iudicio ipſius animæ, quæ inſtructa ratione, naturâ magiſtra prima lumini credit.* ILLA CERTE EST. *Anima, vel natura.* QVANTVM. *Quàm magnum & excellentem.* NEC MORI. *Quia non moritur homo, niſi emittendo animam.* PROPTER QVAM. *Hic carpit amorem proprium, quo anima ſeipſam ſupra Deum diligit; cùm Chriſtus iubeat, Chriſtianum volentem fieri, præter patrem & matrem,* adhuc odiſſe & animam ſuam. EAM CONVENI. *In ſecreto mentis foro, eam interroga; cur cùm Deum vnicum verum nominet, ex mero naturæ rationalis impetu, alium tamen falſum Deum colat.* CONTESTATVR. *Teſtem inuocat, cœleſte numen, quaſi omnis boni auctorem, cur in execrationibus* Terram ſcabellum pedum eius *optet debiſcere, & inimicum abſorbere? vel ſuſpiciendo cœlum, quid niſi Deum inuocat, terram cum irâ pede quatiendo, quid niſi dæmonia execratur?* CVR ALIBI SERVIT. *Dæmoni ſcilicet, in templo, & alibi Deum verum, vindicem inuocat?* IVDICAT.

Eos panâ vel premio dignos censet, si animam immortalem Deumque iustum non sentit? SVSPECTAM HABE. *Cùm tanta sit contrarietas vitæ & morum Gentilis & Christiani, valde tibi suspecta sit ò Gentilis, tanta concordantia sententiarum, in quas æqualiter erumpit, & anima hominis Gentilis, & Christiani; vt credas potiùs vel potius vel à natura priore omni scriptura, vel à Scriptura Sacra saltem potiùs quàm à Gentili desumptas huiusmodi veritates.* VANVS ES. *Stultus es, si huic Latinæ linguæ tantummodo vel Græcæ. Id est populo Græco & Latino, aut vtriusque tantùm literis ætate vicinis huiusmodi sententias de Deo, anima, dæmonibus adscripseris, in præiudicium totius humanæ naturæ, per vniuersum orbem in omni lingua, populo, natione, idipsum sentientis. Neque enim solis Latinis ante Græcis anima à Deo infunditur. Licet varia sint hominum nomina, Orientalium, Occidentalium, Carthaginiensium Romanorum, &c. Commune tamen & vnum nomen est, homo.* CONSCIENTIA MORTIS. *Simul omnes sciunt se moriturus.* TESTIMONIVM VBIQVE. *Supple anima rationalis & immortalis vbique terrarum datur. Vnde titulus huius libri est de* Testimonio animæ. SVO IVRE. *In quantùm libera est, ea omnia proclamat fidei Christianæ consentanea, de quibus nobis Christianis, nec tacitè loquì & mussitare licet. Cùm suis propriis locis iuxta Tertull. & testimonia Augustini, de anima eiusque immortalitate, de Deo iudice, de Angelis & dæmonibus, cæterisque ab anima lumine naturali cognitis, satis superque tractauerimus, quibus anima etiam infidelis fidem præbet; vnicum hîc de fide Christiana, rationabiliter hæc omnia, aliaque plurima supra sensum, non tamen contra rationem credentis subiicio. Aug. in Psal. 118. Concione 18. Notat rationem humanam, ex cognitis lumine naturali, per fidem proficere ad intelligenda eadem ipsa, firmiùs.* Quamuis, *inquit*, nisi aliquid intelligat, nemo possit credere in Deum, tamen ipsâ fide qua credit, sanatur, vt intelligat ampliora. Alia sunt enim quæ nisi intelligantur non credimus; & alia sunt, quæ nisi credamus, non intelligimus. Nam cùm fides sit ex auditu, auditus autem per Verbum Dei, quomodo credit prædicanti fidem, qui, vt alia taceam, linguam ipsam quam loquitur non intelligit? Sed nisi essent rursus aliqua quæ intelligere non possumus, nisi ante credamus; Propheta non diceret, *Esa. 7.* Nisi credideritis, non intelligetis. Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quæ credat, & fides proficit ad credenda quæ intelligat; & eadem ipsa vt magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens. Sed hoc non fit propriis tanquam naturalibus viribus, sed Deo adiuuante, atque donante: *Fidem scilicet, quâ mundas corda hominum Act. 17. sicut dedit ipsi cordi & rationi vim primæ principia cognoscendi:* Sicut medicinâ fit, non naturâ, vt vitiatus oculus vim cernendi recipiat. *Rursum de Dei, per duplex lumen rationis & fidei, notitia, sic differit idem Aug. homil. 32. vbi Dei attributis, per effectus cognitis, Dei scientiam acquiri, iuxta Paulum docet; Sed tamen arcana prius credi debere, quàm intelligi probat ex Propheta Esaïa.* Arcana & secreta regni Dei prius quærunt credentes, quàm faciant intelligentes. Fides enim gradus est intelligendi; intellectus autem meritum fidei. Apertè hoc Propheta dicit omnibus præproperè & præposterè intelligentiam requirentibus, & fidem negligentibus. Ait enim: nisi credideritis, non intelligetis. Esa. 7. habet ergo & fides ipsa quoddam lumen suum in scripturis, in Prophetia, in Euangelio, in Apostolicis lectionibus. Omnia enim ista, quæ nobis ad tempus recitantur, lucernæ sunt in obscuro loco, vt nutriamur ad diem. *Ad lumen gloriæ.* Dicit Apostolus Petrus; habemus certiorem propheticũ sermonem, cui benè facitis intendentes tanquã lucernę in obscuro loco, donec dies lucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris, &c. Ascendere vis, & gradus obliuisceris. Vtique peruersè. Homo, si iam tibi possem ostendere quod videres, non hortarer, vt crederes. Ergo fides est, sicut alibi definitum est sperandarum substantia, conuictio rerum quæ non videntur. Si non videntur, quomodo conuincutur; quia sunt? vnde enim sunt ista quæ vides, nisi ex illo, *Prime omnium esse*, quod non vides? vtique vides aliquid, vt credas aliquid; & ex eo quod vides, credas quod non vides. Ne fis ingratus ei qui te fecit videre, vnde possis credere, quod nondum potes videre. Dedit tibi Deus oculos in corpore, rationem in corde; excita rationem cordis, erige interiorem habitatorem interiorum oculorum tuorum; assumat fenestras suas, inspiciat creaturam Dei, &c. Siccine vti illis debes, vt pecus tantùm, vt videas quid addas ventri, non menti? Erige ergo rationalem aspectum, vtere oculis vt homo, intende cœlum & terram, ornamenta cœli, fœcunditatem terræ, volatus auium, natatus piscium, vim seminum, ordinem temporum. Intende facta, & quære factorem; aspice quæ vides, & quære quem non vides. Crede in eum quem non vides, propter ista quæ vides. Et ne sermone meo te exhortatum putes, Apostolum audi dicentem Rom. 1. 20. Inuisibilia enim à creatura mundi, per ea quæ facta sunt conspiciuntur. Postponebas ista, nec attendebas vt homo, sed vt animal irrationale; clamauit ad te Propheta, & frustra clamauit; nolite esse sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus: videbas ergo ista, & postponebas. Quotidiana miracula Dei non facilitate, sed assiduitate viluerant, &c. Mirati sunt homines Dominum Deum nostrum Iesum Christum de quinque panibus saginasse tot millia, & non mirantur per pauca grana impleri segetibus terras. Quæ aqua erat, vinum factum viderunt homines, & obstupuerunt: quid aliud fit de pluuia per radicem vitis: Ipse illa fecit, ipse ista: illa, vt pascaris; ista, vt mireris. Sed vtraque miranda sunt, quia opera Dei sunt. Videt homo insolita, & miratur: Vnde est ipse homo qui miratur? vbi erat? vnde processit? vnde forma corporis? vnde membrorum distinctio? vnde habitus iste speciosus? de quibus primordiis? de quàm contemptibilibus? & miratur alia, cùm sit ipse mirator, magnum miraculum. Vnde ergo ista quæ vides, nisi ex illo quem non vides? *Quos modis etiam præter fidem Deus homini innotuit? Quam insita naturaliter homini Dei notitia, cuiuscunque animæ etiam Gentilis & barbaræ, in Deum auctorem suum eruptiones & exclamationes: fusè hoc loco testatus est Tertullianus.*

S. August.

S. August.

4. Fidei symbolum vniforme, & inuiolabile est. de vel. Virg. cap. 1. à p.

REgula quidẽ fidei vna omnino est, sola immobilis, & irreformabilis credendi scilicet in vnicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & Filium eius Iesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos per carnis etiam resurrectionem.

FIDES. IV. SCHOLIA.

REGVLA FIDEI. *Sic Clem. Rom. ep. 1. Symbolum vocat regulam fidei, sic Lucifer Episcopus Calaritanus lib. 2. ad Constantium, Euseb. Gallicanus de Symbolo fidei. Ambrosius Ser. 38. Clauem vocat.* Duodecim Apostolorum Symbolo, fides Sancta concepta est, qui velut periti artifices in vnum conuenientes, Clauem suo Concilio conflauerunt. Clauem enim quandam ipsum Symbolum dixerim, per quod reserantur diaboli tenebræ, vt lux Christi adueniat. Aperiuntur conscientiæ clausa peccata, vt iustitiæ fulgeant opera manifesta. *Aug. Symboli excellentias breuiter complexus est Ser. 131. de temp.* Doctrina Symboli, virtus est Sacramenti, illuminatio animæ, plenitudo credentium, in eò quod docetur aut discitur, & vnitas Trinitatis, & Trinitas distincta personis, & opulentia Creatoris, & redemptio passionis. Hoc nexus infidelitatis absoluitur, hoc, *vt Claue*, vitæ ianua panditur, hoc gloria confessionis ostenditur. Symbolum, dilectissimi, breue est verbis, sed magnum est Sacramentis: paruum ostendens immunitione latitudinis, sed totum continens compendio breuitatis: Exiguum est, vt memoriam non obruat; sed diffusum, vt intelligentiam supercedat. Confirmans omnes perfectione credendi, desiderio confitendi, fiduciâ resurgendi, &c. Quidquid enim præfiguratum est in Patriarchis, quidquid nuntiatum est in scripturis, quidquid prædictum est in prophetis, vel de Deo ingenito vel ex Deo Dei vnigenito, vel de Spiritu sancto, quamuis latenter ostensum sit, vel de suscipiendi hominis, *Incarnationis*, Sacramento, vel de morte Domini, resurrectionisque mysterio, totum hoc breuiter iuxta oraculum propheticum, *Esa. 10. 22. Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam. Vel iuxta 70. Verbum consummans, & breuians in iustitia: quoniam sermonem breuiatum facit Dominus in toto orbe terræ.* Symbolum in se continet confitendo. VNA OMNINO. *Quia ex Paulo:* Vnus Deus, vna fides. IMMOBILIS. *Rectè; qui fides est substantia siue fundamentum. Vnde & Ecclesia dicta, ob fundamentum fidei;* Columna & firmamentum veritatis. *Cyrill. Alex. ep. ad Anastasium.* Basis quædam, & fundamentum immotum & inconcussum per vniuersum orbem jactum est, sincera irreprehensibilisque fidei confessio. IRREFORMABILIS. *Quia forma credendi & norma in Symbolo contenta inuariabilis perseuerat, & stabit vsque ad iudicium.* PER CARNIS RESVRRECTIONEM. *Siue quòd scriptum est:* Mortuus est & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur: *Siue quòd mediâ priùs resurrectione, iudicaturus est viuos & mortuos. Sic exponis Aug. sermone præcitato:* Conditionem naturæ nostræ, quam de homine matre natus assumpsit, super cœlos in dexteram Dei Patris collocauit. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. In ipso corpore venturus est ad iudicium, in quo ascendit ad cœlum. Christianos iudicat & paganos, iustos & peccatores, fideles & impios. *Perperam enim quidam hunc articulum Symboli explicant, & illud 1. Thess. 4. 14.* Hoc enim vobis dicimus in Verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini; non præueniemus eos, qui dormierunt, &c. Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis, &c. *Quasi aliqui qui victuri sunt vsque ad iudicium, morituri non sint, sed viui rapiendi. Et quis conflagrationem vltimam euadet? &.* Quis est homo qui viuit & non videbit mortem? *Et vbi illud Pauli.* Sicut in Adam omnes moriuntur, &c. Et omnes quidem resurgemus? Et quid resurgit, nisi quod moritur? Et Paulus ipse qui loquitur, incertus de die iudicij, tàm pro se, quàm superstitibus vsque ad illum circa diem non est mortuus? *Sic Aug. 20. de Ciuit. c. 20.* Hæc verba Apostolica quando veniet Dominus Christus vtique ad viuos & mortuos iudicandos præclarissimè ostendunt. Sed quæri solet, vtrùm illi quos hîc viuentes inuenturus est Christus, quorum personam in se atque illos qui tunc secum viuebant, transfigurabat Apostolus, numquam omnino morituri sint: An ipso temporis puncto, quo cum resurgentibus rapientur in nubibus obuiam Christo in aëra, ad immortalitatem, per mortem, mira celeritate transibunt? neque enim dicendum est, fieri non posse, vt dum per aëra in sublime portantur, in illo spatio & moriantur, & reuiuiscant, &c. Ad hunc autem sensum, quo existimemus etiam illos quos hîc viuos inuenturus est Dominus, in ipso paruo spatio, & passuros mortem, & accepturos immortalitatem, ipse Apostolus nos videtur vrgere, vbi dicit; in Christo omnes viuificabuntur; cùm alio loco de ipsa loquens resurrectione corporum dicat: tu quod seminas non viuificatur, nisi priùs moriatur, &c. Cùm nec resurrectio fieri possit, nisi mors præcesserit, &c. Nec ab illa sententia qua homini dictum est: terra es, & in terram ibis, futuros illos sanctos arbitremur immunes, si eorum morientium, *in illo raptu*, in terram non recident corpora: sed sicut in ipso raptu morientur, ita & resurgent, dum feruntur in aëra. In terram quippè ibis, & in hoc ibis, amissâ vitâ, quod eras antequam sumeres vitam. *Id est in terram.* Id est hoc eris exanimis, quod eras antequam esses animatus. *Per mortuos igitur, intellige infideles; per viuos, credentes & fideles.*

S. Augustin.

Augustin.

S. Augustin.

5. Fide iustus vivit ex utraque lege. 5. Cont. Marc. cap. 3. à m.

EX fidei libertate iustificetur homo, non ex legis seruitute: Quia [a] *Iustus ex fide viuit.* Quod si Prophetes Abacuc prænuntiauit, habes & Apostolum Prophetas confirmantem, sicut & Christus. Eius ergo Dei erit fides, in qua viuet iustus; cuius & lex, in qua non iustificatur operarius.

[a] Gal. 3. 11. Habac. 2. 4. Gal. 3. 11.

6. Fides famem non timet. De Idol. cap. 12. circa f.

NEmo eorum, quos Dominus allegit, Non habeo, dixit, quo viuam. Fides famem non timet. Scit etiam famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quàm omne

Rom. 8. 35.

mortis genus. Didicit non respicere vitam, quantò magis victum? Quotusquisque hæc adimpleuit? Sed a *Quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia.*

a Luc. 18. 27.

7. Fides viua elidit ictus scorpionum, id est hæreticorum. Scorp. cap. 1. à m.

TV, fides si vigilat, ibidem, Scorpio pro solea anathema inlidito, & relinquito in suo sopore morientem.

FIDES. V. VI. & VII. SCHOLIA.

EX FIDEI LIBERTATE. *Esto, inquis; Marcion, & tecum Paulum sequor. Do tibi, non iustificari operarium legis veteris; siue ex operibus legis in seruitutem generantis; sed ex fide Christi, & obseruatione legis gratiæ, quæ in libertatem generat, quæ iustificat, quæ viuificat impium; Quia Paulus Gal. 3. 11. dixit:* Quoniam autem in lege, *Id est veteris legis cerimoniarum obseruatione,* nemo iustificatur apud Deum, manifestum est: quia iustus ex fide viuit. *Syr. autem:* Illud est manifestum; quandoquidem scriptum est, iustus in fide viuet. *Nihil inde tibi Marcion accedit, imò contra te facit. Nam sicut Christus venit legem & Prophetas implere, sic & Paulus confirmare; vt & hic Abacuc. c. 2. 4.* EIVS ERGO. *Idem itaque est Deus vtriusque legis, eadem fides, eumdem Deũ respicit Creatorem. Aug. in Psal. 32. Conc. 1.* Nolo vos interrogare de iustitia vestra, fortassis enim nemo vestrûm mihi audebit respondere, iustus sum: sed interrogo vos de fide vestra: sicut nemo vestrûm audet dicere, iustus sum, sic nemo audeat dicere, fidelis sum. Nondum quæro quid viuas, sed quæro, quid credas? responsurus es te credere in Christum. Non audisti Apostolum, iustus ex fide viuit? *Hebr. 11.* Fides tua iustitia tua. Quia vtique si credis, caues. *Quid? scorpionum morsus, hæreses, lapsum eiusdem fidei; times, ne sine operibus moriatur fides.* Si autem caues, conaris. Et conatum tuum nouit Deus & voluntatem tuam inspicit; & luctam cum carne considerat; & hortatur vt pugnes; & adiuuat, vt vincas, & certanté inspectat; & deficienté subleuat, & vincentem coronat. *Quomodo autem non viuit qui vincit:* Hæc est enim victoria, quæ vincit mundum fides nostra. *Quod autem ait iuxta Abacuc. & repetit Paulus Rom. 1. 17. & ad Hebr. 11.* Iustum ex fide viuere, *Intelligit initium & fundamentum vitæ spiritalis esse fidem, & eius lucem, de qua Ioa.* Vita erat lux hominum. *Est etiam progressus vitæ & perfectio, quando fides per dilectionem operatur. Aug. autem to. 4. in ep. ad Galat. c. 3. vbi de fide formata & perfecta:* Quod ait; quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt legis; sub timore vult intelligi, non in libertate: vt scilicet corporali præsentique vindicta. vindicaretur in eos, qui non permanerent in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt facerent ea, &c. Ille autem iustificatur, *Fide, fundamento rerum sperandarum non apparentium.* Qui eum gratis colit; non scilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipso præter ipsum, aut timore amittendi. In ipso enim solo vera nostra beatitudo atque perfecta est; & quoniam inuisibilis est oculis carneis, fide colitur quamdiu in hac carne viuimus; sicut supra dixit, quod autem nunc viuo in carne; in fide viuo Filij Dei: & ipsa est iustitia, quò pertinet quod dictum est, quia iustus ex fide viuit. Hinc enim ostendere voluit, quia in lege, *Id est operibus & praxi cerimoniarum legis,* nemo iustificatur, quia scriptum est iustum ex fide viuere, &c. Qui autem viuebant in his operibus, *Id est facientes ea, non plectebantur morte, cui prænaricatores addicebantur.* Timebant vtique, ne si non ea fecissent, lapidationem, vel crucem, vel aliquid huiusmodi paterentur. Ergo qui fecerit ea, *inquit,* viuet in illis: id est, habebit præmium, ne ista morte puniatur. Non ergo apud Deũ, *Supple sic iustificabitur fidelis,* Cuius fide si quis in hac vita vixerit, cùm hinc excesserit, tunc eũ *Deum ipsum* magis habebit præsentissimũ præmium. *Quia non vt nunc per speculum & in Ænigmate fidei, vel per cancellos creaturarum, retrò post parietem, sed facie ad faciem cùm apparuerit, videbimus eum sicuti est. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Non itaque ex fide viuit, quisquis præsentia quæ videntur, vel cupit, vel timet: quia fides Dei ad inuisibilia pertinet, quæ post dabuntur. Nam est ista quædam in operibus legis iustitia, *Vt iustè Deus à morte temporali eximeret legalium cerimoniarum obseruatores:* Quando sine suo præmio relicta non est; vt qui fecerit ea, viuat in eis. *Doctè & subtiliter ad litteram. Sine fide nullam veram esse virtutem, nullamque iustitiam qua rectè viuitur, diserè probat Augustinus libro 4. Cont. Iul. cap. 3.* Abst, *inquit,* vt sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus. Abst autem vt sit iustus verè, nisi viuat ex fide: iustus enim ex fide viuit. Rom. 1. quis porrò eorum, qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam fortè tu solus, iustum dixerit infidelem, iustum dixerit impium, iustum dixerit diabolo mancipatum? Sit licet ille Fabricius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus, quorum me nominibus tanquam in antiqua Romana curia loqueremur, putasti esse terrendum. Verùm tu in hac causa & si ad scholam Pythagoræ prouoces, vel Platonis, vbi eruditissimi atque doctissimi viri multò excellentiores cæteris Philosophiæ nobilitati veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodammodo imprimuntur à forma illius æternæ immutabilisque substantiæ, quod est Deus, etiam illic aduersùs te quantum donat, qui nos vocauit, pietatis libertate clamabo: nec in istis est vera iustitia, quia iustus ex fide viuit. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi: finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Quomodo sunt verè iusti, quibus vilis est humilitas veri iusti? Quò enim propinquauerunt intelligentiâ, inde superbiâ recesserunt: quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Quomodo est in eis vera iustitia, in quibus non est vera sapientia? quam si eis tribuemus, nihil erit causæ cur eos non ad illum regnum peruenire dicamus, de quo scriptum est Sap. 6. concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum. Ac per hoc Christus gratis mortuus est, si homines sine fide Christi, ad veram fidem *Fidelitatem,* ad virtutem veram, ad iustitiam veram, ad sapientiam veram, quacumque re alia, quacumque ratione perueniunt. Prorsus sicut de lege verissimè, ait Apostolus, si per

S. Augus. S. Augus. S. Augus. S. Augus. Augus. Augus.

legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus A
eſt: ita veriſſimè dicitur, ſi per naturam vo-
luntatemque iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mor-
Auguſt. tuus eſt. Per quod enim vera iuſtitia, per hoc etiam
regnum Dei. Deus namque ipſe, quod abſit, erit
iniuſtus, ſi ad eius regnum verus non admittitur
iuſtus, cùm & ipſum eius regnum iuſtitia ſit, quem-
admodum ſcriptum eſt. Rom. 14. non eſt regnum
Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudium.
Porrò ſi veram iuſtitiam non habent impij, profe-
ctò nec alias virtutes comites eius, & ſocias: quia
cùm non ad ſuum referuntur auctorem dona Dei,
hoc ipſo mali his vtentes, efficiuntur iniuſti: ſi
quas habent, veras non habent: ac per hoc, nec
continentia ſiue pudicitia, vera virtus eſt im-
piorum. B

NEMO EORVM, *&c. Apoſtolorum, quos de mundo elegit, dixit ſe metuere famem; cùm, quiſquis fidem Chriſti ſuſcipit, ſit per eam velut ſcutum & loricam contra omnia mortis genera, proindeque & famem armatus. Quàm enim multi martyres eam experti ſunt? Sed quis fidelis timeat famem, cùm vt ſupra diximus,* Iuſtus ex fide viuat? Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. *Quis Dei prouidentia credit, & multis paſſeribus quos paſcit Pater cœleſtis, meliorem ſe non didicit? qui,* & pullis coruorum inuocantibus eum, & omni carni dat eſcam, cuius comæ ſicut abietes, *ex quibus fiat,* Nauis inſtitoris de longè portans panem; vel vt elate palmarum, nigræ quaſi coruus, *Et per cornos, Helia prouidens, & Paulo Eremita de palma victum & veſtitum prabens. Vt, quamquam in extrema ſterilitate, & rerum omnium inopia, impoſſibile ſit homini victum ſibi ſuiſque querere; Deo ſit facile, non tantùm,* de lapidibus panes, ſed & homines & filios Abrahæ ſuſcitare. *Ad literam Tertull. Paulus famem non timebat, quia fidem habebat formatam charitate, cum diceret, Rom. 8. 35.* Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? *Et 1. Cor. 11. 27. inter labores & erumnas ſuas computat:* In fame, & ſiti, in ieiuniis multis. *Aug. ſer 16. de verbis Apoſt. circa f. vbi refert illud Rom.* Quis nos ſeparabit? &c. Quia propter te mortificamur tota die propter te, *inquit,* & vbi eſt? beati qui non viderunt, & crediderunt. D
Ecce vbi eſt, in te eſt, quia & fides ipſa in teipſo eſt. An fallit nos Apoſtolus, qui dicit Epheſ. 3. habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris? *Et quis timeat mori fame habens in ſe panem viuum, qui de cœlo deſcendit, habentem verba vitæ æternæ? credens quod non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, &c.* Si hoc eſt fides,
Auguſt. quid erit ſpecies? audi quid erit. 2. Cor. 15. vt ſit Deus omnia in omnibus. Quid eſt omnia? quidquid hîc quærebas, quidquid hîc pro magno habebas, ipſe tibi erit, &c. Manducare & bibere? ipſe tibi erit cibus, ipſe tibi erit & potus: quidquid hîc volebas, ſanitatem corporis fragilem, tranſeuntem? ipſe tibi immortalitas erit. Quid hîc quærebas? diuitias amabas? auare, quid enim tibi ſufficit, ſi Deus ipſe non ſufficit? Sed quid amabas? gloriam? honores? Deus tibi erit gloria, cui & modò dicitur, gloria mea, & exaltans caput meum. Iam enim exaltauit caput meum: caput noſtrum Chriſtus eſt. Sed quia miraris quia caput; & cætera membra exaltabuntur, tunc erit Deus omnia in omnibus. *Et in Pſal. 36 in verſum:* Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur, quoniam peccatores peribunt. Eſt enim, *inquit,* ſaturitas eorum. Nam dies famis, vitæ huius ſunt: aliis eſurientibus, illi ſaturantur. Nam ille, *Apoſtolus,* vnde gloriaretur dicens, gloriamur in tribulationibus, ſi egeſtatem intus pateretur? videbantur foris anguſtiæ, ſed intus latitudo erat. Quid autem facit malus homo, cùm ea perit tribulari? foris nihil habet, ablata ſunt omnia: in conſcientia nullum ſolatium eſt. Non eſt quò exeat, quia dura ſunt; non eſt quò intret, quia mala ſunt. Meritò ei fit quod ſequitur; quoniam peccatores peribunt. Quibus enim locus nuſquam eſt, quomodo non peribunt? &c. Quomodo conſolabatur ille plenus ſaginâ interiore, & de ipſa ſagina ructans, Dominus dedit, Dominus abſtulit?

7. SI VIGILAT. *Aliquorum enim dormitat, quorum perſonam agebat Pſalles, cùm diceret:* Dormitauit anima mea præ tædio: *Et quia,* Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. *Aptè ſubiecit;* Confirma me in verbis tuis. *Aug. in Pſal. 118.* Quid eſt dormitauit, niſi à ſpe refriguit, qua ea *Mirabilia in quibus exerceri cupiebat? in lege Dei mirabilia, quia fides proponit excedentia captum mentis.* Se apprehenturam eſſe crediderat? ſed confirma me, inquit, in verbis tuis, ne ab eis quoque ad quæ peruenisſe me iam ſentio, decidam dormitando. *Aduerte hîc Tertull. agere contra Gnoſticos, à martyrio ſubeundo debortantes, quos ob blandam ſpeciem, & titillantem amore vitæ præſentis, & Dei benitatis, qua filios ſuos vltrò ſe morti dedere non exigit; Scorpio rectè comparat ſoporem inducenti: quos in ſuo ſopore, id eſt hæreſi morientes, calcandos anathemate, & elidendos velut ſolea, conſulit; quibus nec dicendum ane. Et à via iniqua eorum pes remouendus. Appoſitè ergo in hanc rem ſubiicit Auguſtinus, cùm nihil ſit in lege Dei ſic admirabile quam vitæ præſentis, omniumque in ea blandientium, pro Deo eiuſque fide tuenda contemptus.* Confirma itaque me in eis verbis tuis, quæ iam te- S Auguſt.
neo, quæ iam facio; vt ex eis ad alia poſſim proficiendo peruenire. *Supra dixerat; ſunt quædam Dei iuſtificationes ita mirabiles, vt humana infirmitas ab eis, qui experti non ſunt, non ad eas poſſe peruenire credatur. Vnde laborans iſte, & earum difficultate quodammodo fatigatus, adiungit: dormitauit anima, &c. Tum ſubiungit,* Et quid impedit in via iuſtificationũ Dei ſic ambulare, vt homo facilè poſſit S. Auguſt.
ad illa etiam mirabilia peruenire? quid putamus, niſi quod amoueri in conſequentibus rogat dicens, viam iniquitatis amoue à me, & à lege tua miſerere mei. Qua lege, niſi lege fidei? &c. Hæc eſt lex fidei, qua credimus & oramus, per gratiam nobis donari, vt faciamus quod per noſmetipſos implere
non poſſumus. *Et ſer. 29. de Verbis Do.* Spes, quan- S. Auguſt.
tùm mihi videtur ouo comparatur. Spes enim nondum peruenit ad rem. Et ouum eſt aliquid, ſed nondum eſt pullus. Quadrupedes ergo, *mundani carnales,* pariunt filios; aues autem, *ſpiritales fideles,* ſpem filiorum. Spes ergo ad hoc nos hortatur, vt præſentia contemnamus, futura expectemus: ea retro ſunt obliuiſcentes, cum Apoſtolo in anteriora extendamur, &c. Nihil ergo tam inimicum ſpei, quàm retrò reſpicere, id eſt in eis rebus quæ præterlabuntur & tranſeunt ſpem ponere, &c. E
Quod videt quis, quid ſperat? ouum eſt. Eſt ouum, & nondum pullus eſt, & teſtudine tectum eſt: non videtur, quia operitur: *Quia fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum conuictio non apparentium:* Cum patientia expectetur, feruescat, vt viueſcat, &c. Ouo tuo ſcorpium time, vide quia de cauda percutit quam retrò habet. Non ergo ſcorpius perimat ouum tuum, mundus iſte, *Gnoſticus iſte,* ſpem tuam, vt ita dicam, veneno eò contrario, quò retrario. Quanta tibi loquitur mundus, quanta poſt dorſum ſtrepit vt retrò reſpicias? id eſt vt in rebus præſentibus, nec præſentibus, non enim dicenda ſunt

præsentia, numquam stantia, spem tuam ponas; & ab eo quod promisit Christus, & nondum dedit, sed quia fidelis est, dabit, auertas animum tuum, & velis requiescere in mundo pereunte, &c. Æterna promittit æternus: si credidero, *Si fides vigilat, inquit, Tertull. nec blandiente Scorpio obdormiscat*; Ex A mortali fiam æternus. Quid strepis ô munde? immunde quid strepis? quid auertere conaris? tenere visperiens; quid faceres si maneres? quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? ergo si habeo spem, *in fidei basi fundatam*, Si teneo spem, ouum meum non est à scorpio percussum. Aug.

8. *Fides & veritas Catholica omni hæresi prior est.* De *Præscr. cap. 29. in f. & 30. in p.*

ANtè hæresis, quàm vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit: post rem similitudo succedit. ceterùm, satis ineptum, vt prior doctrinâ hæresis habeatur; vel quoniam ipsa est quæ futuras hæreses cauendas prænuntiabat. Ad eius doctrinæ Ecclesiam scriptum est, immò ipsa doctrina ad Ecclesiam scribit [a] *Etsi Angelus de cælo aliter euangelizauerit citra quàm nos, anathema sit.* Vbi tunc Marcion, Ponticus nauclerus, Stoïcæ studiosus? Vbi Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos, neque adeò olim fuisse, Antonini fere principatu, & in Catholicæ primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub Episcopatu Eleutherij benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, quam fratres quoque vitabant, semel & iterum eiecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis quæ Ecclesiæ intulerat, nouissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminauerunt. Postmodum idem Marcion pœnitentiam confessus, cùm conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si ceteros quos perditioni erudisset, Ecclesiæ restitueret, morte præuentus est.

Math. 24. 5. 11. & 24.

a Gal. 1. 9. Cap. XXX.

9. *Et de Præscr. cap. 31. per totum.*

AB excessu, reuertar ad principalitatem veritatis, & posteritatem mendacitatis disputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum in primore constituit, auenarum autem sterilis feni adulterium ab inimico diabolo postea superducit. Propriè enim doctrinarum distinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum. Ea sententia manebit aduersùs posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem.

Math. 13. 27. & seq. Luc. 8. 11.

Et contra Hermog. cap. 1. in p.

SOlemus Hæreticis compendij gratiâ de posteritate præscribere. In quantùm enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreses prænuntiauit, in tantùm posteriores quæque doctrinæ hæreses præiudicabuntur, quia sunt quæ futuræ veritatis antiquiore regulâ prænuntiabantur.

Et 5. Contra Marc. cap. 19. in p.

SOleo in præscriptione aduersùs hæreses omnes, de testimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam nostram omni hæretica posteritate.

10. *Et de Præscr. cap. 35. à p. ad fin.*

SI negant veritatem eius, debent probare illam quoque hæresin esse, eâdem formâ reuictam, qua ipsæ reuincuntur: & ostendere simul vbinam quærenda sit veritas, quam apud illas non esse iam constat. Posterior nostra res non est. Immo omnibus prior est: hoc erit testimonium veritatis, vbique occupantis principatum. ab Apostolis vtique non damnatur. immò defenditur: hoc erit indicium proprietatis. Quam enim non damnant, qui extraneam quamque damnauerunt, suam ostendunt, ideoque & defendunt.

FIDES. VIII. IX. & X. SCHOLIA.

ANTE HÆRESIS? *Alii legunt in plurali.* Ante hæreses? *Quasi vero, hæresis veritatem fidei præcesserit, cùm sit ipsa posterior, corruptio præcedentis, sicut acetum vini; & ferrum prius quàm rubigo, & homo necessariò præcedit ipsius hominis imaginem.* IPSA EST. *Doctrina veritatis. Math. 24. 5.* Multi venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus & multos seducent. *Et versu 11.* Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. *Et versu 24.* Surgent enim pseudo-Christi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia; Itaut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. STOICÆ SVDIOSVS. *Philosophus Stoicus.* ANTONINI. *Circa Antonini tempora extiterunt. Quia Valentinus & Cerdo Magister Marcionis, venerunt Romam sub Antonino Pio, & Hygino Papa teste Euseb. in Chron. Marcion paulò post sub Aniceto & Eleutherio Pont. & Antonino Philosopho successore Pij.* CATHOLICÆ. *Supple Ecclesiæ. Alij legunt in Catholicam doctrinam.* ELEVTHERII BENEDICTI. *Quasi diceret, beati,*

Digitized by Google

Beati ſancti. EIECTI. *Excõmunicati & vitati à Catholicis.* DVCENTIS SESTERTIIS. *Ex Budaï ſupputatione ſumma, quinque millium aureorum, quos dederat Eccleſiæ, iuxta morem naſcentis Eccleſiæ, quo ad pedes Apoſtolorum agrorum pretia in vſum communem fratrum mittebantur.* PERPETVVM DISCIDIVM. *Tertiam & vltimam excommunicationem.* POENITENTIAM CONFESSVS. *Cùm publicè ſe pœnituiſſe teſtatus eſſet.* PACEM RECEPTVRVS. *Ad communionem Eccleſiæ admittendus.* SI CAIEROS. *Hæc conditio reconciliationis eius, quæ exigi ſolebat ab hæreſiarchis, qui non aliter recipiebantur, niſi promitterent ſe pro poſſe facturos, vt ſeductos in errorem, ſecum ad veritatem fidei reducerent: cui quidem conditioni dum annueret Marcion, & implenda ſe accingeret, morte præuentus eſt. De hac conditione ab hæreſiarchis exigi ſolita, conſule Euſebium lib. 6 cap. 35. & Cyprianum in ep. ad Antoninum de Trophymo. Poſteriores veritate futuras hæreſes docuit poſt Tertullianum* Auguſtinus *to. 7. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 25 vbi* Auguſt. *& ſimul circa ſ. locum Pauli Gal. 1. 9. Hic citatum, & à nobis alibi expoſitum retexit, mirè probans in diabolo ipſo, ſeminatore zizaniorum, à Deo ſeminatam priùs fuiſſe veritatem quàm in ſeipſo mendacium ſeminaret, & in Adamo ſuperſeminaret, & per eum totum genus humanum mendacio inficeret, qui & ex Tertull. alibi, primus omnium fuit hæreticus. Sic ergo cum Tertulliano, futuras hæreſes, veritate poſteriores probat. Et frumenta & purgamenta ſine zizaniis admixta diſcernit.* Ecce frumenta eius 1. Tim 3. vt ſcias quemadmodum te oporteat, in domo Dei conuerſari quæ eſt Eccleſia Dei viui. Columna & firmamentum veritatis, &c. Ecce purgamenta eius 1. Tim. 4. Spiritus autem, *inquit*, manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus ſeductoribus, doctriniſque dæmoniorum, &c *Nouiſſima tempora non ſolem mundi intelligit, ſed poſteriora veritate fidei ſeminata zizania.* Si ſuarum ſuſpicionum, vel criminationum, vel calumniarum ſectatores credulos quærit, *Dometus* Auguſt. *ſcilicet*, & vult traducere in aliud Euangelium, quod non eſt aliud, *quia aliud, non eſt bonũ ſemen verbi veritatis, ſed malũ hæreſis*, atque annuntiare nobis, præterquam quod accepimus, & ſi Agelus de cœlo eſſet, anathema eſſet: quoniam & diabolus, qui propterea de cœlo cecidit, quia in veritate non ſtetit, ſi anathema fuiſſet homini, quando ei præterquam quod à Domino Deo acceperat, annuntiauit, primi parentes carnis noſtræ, nec in pœnam mortis incidiſſent, nec de loco, fœlicitatis exiiſſent.

9. AB EXCESSV. *A digreſſione, quâ, ceu per parentheſim, de Marcione, Appelle, Nigidio, Hermogene tractaueram; iam regredior, vt priores, & primas, ſiue principales partes contendam ad veritatem Catholicam pertinere; poſterioritatem verò ad mendacium hæreticum, Alij in datiuo legunt ſic:* Ad principalitatem veritati, & poſteritatem mendacitati deputandam. PATROCINIO. *Do in confirmationem parabolam zizaniorum, quæ poſteriùs frumento ſuperſeminata ſunt ab inimico.* ADVLTERIVM *Falſitatẽ & mendacium à principe eius diabolo ſuperinductum:* Cũ enim mendaciũ loquitur ex proprio loquitur. FIRMAT. *Hæc parabola boni ſimilis & zizaniorum propriè repræſentat duas diſtinctas doctrinas, Catholicam veram, & Hæreticam falſam.* ALIBI. *Luc. 8. 11.* Semen eſt Verbum Dei. EX IPSO ORDINE. *Priùs, vel poſteriùs ſeminati.* EA SENTENTIA. *Sic ſentiendum eſt de omnibus hæreſibus, quæ poſteriores ſunt Catholicæ veritate. Nec vllus hæreticus adeo impudens eſt, vt ſibi de errore ſuo poſteriore & nouo conſcius, audeat aut poſſit ſibi arrogare veritatem. Parabola zizaniorum habetur Math. 13. 24. & ſeq. vbi aperiè dicit bonum ſemen primò ſeminatum.* Simile factum eſt regnum cœlorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cum autem dormirent homines venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici. *Aug to. 4. lib. qq. Euang. in Math. q.* 11. Quoniam Dominus agrum ipſum non Eccleſiam, ſed hunc mundum interpretatus eſt, bene intelliguntur hæretici, quia non ſocietate vnius Eccleſiæ, vel vnius fidei, ſed ſocietate ſolius nominis Chriſtiani in hoc mundo permiſcentur bonis, &c. *Et in Pſal. 149.* Quando ipſe expoſuit, quod propoſuit ipſe quis audet contradicere manifeſtæ veritati? cùm autem Dominus parabolam hanc exponeret, ait: qui autem ſeminat bonum ſemen, *Verbum veritatis*, eſt filius hominis; ſe vtique demonſtrans Bonum vero ſemen, filij ſunt regni: *Et regnum Dei intra vos eſt Chriſto habitante per fidem in cordibus veſtris. Qui voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Ipſa eſt Eccleſia Sanctorum: zizania autem filij ſunt Maligni. *Diaboli erroris & hæreſis filij, poſteriùs Catholicis nati*; Ager hic, eſt mundus, &c. *Sed pul herrimè to. 7 lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 19. vbi pluribus locis probat bonum ſemen Catholicorum per totum agrum mundi ſparſum. Act.* 1. Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vſque in totam terram, &c. Et Math. 24. prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. *Cùm de parabola hac ageret.* Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, &c. Cùm egeret interprete, &c. Ipſe ait, bonum ſemen eſſe filios regni, agrum mundum, meſſem finem ſæculi. Tale aliquid proferte, vel vnum quo apertiſſimè Africa declaretur, *In qua tunc erant zizania Donatiſta*, vel in reliquis *orbis plagis veritatem fidei retinens*, Sola derelicta, ad principium, *Principalitatem diceret Tertullianum veritatis perdita reſtituenda*, renouandi & implendi orbis ſola ſeruata. Neque enim tot teſtimoniis cõmendaretur, *bonum ſemen veritatis primò ſeminatum per Apoſtolos, per totum agrum mundi*, quod erat citò periturum: & ſic taceretur, *Vt nihil omnino de ſecta Africana Donatiſtarum diceretur*, aut quod S. Auguſt. ſolum eſſet reliquendum, aut ex quo ſolo totum eſſet reparandum & implendum. Si autem non poteſtis, quod tam iuſtè à vobis flagitamus, oſtendere; credite veritati, *primò ſeminate*, conticeſcite, obdormiſcite, *Vel tandem*, à furore expergiſcimini in ſalutem. An adhuc dicitis, ſi apud vos eſt Eccleſia, vt quid nos ad eius pacem perſequendo compellitis? Aut ſi mali ſumus, quid nos quæritis? & ſi zizania ſumus, ſinite nos creſcere vſque ad meſſem. *Hæc ſunt verba epiſtolæ Petiliani Conſtantinienſis Epiſcopi Donatiſtæ, contra quem hunc librum* S. Auguſt. *ſcripſit.* Quaſi nos, quibus modis poſſumus, aliud aganus, niſi ne triticum ſimul eradicetur, dum ante tempus zizania ſeparantur. Quicumque enim boni in æternum futuri ſunt, & ſi ad tempus mali ſunt, non zizania, ſed triticum ſunt in præſcientia Dei. Sic autem nos accuſatis, quare vos quæramus ſi mali eſtis? Quaſi non eo perieritis, quò mali eſtis, & ideo ſitis quærendi, quia periſtis. Vt perditi quæramini, quæſiti inueniamini; inuenti reuocemini: ſicut illa ouis à paſtore, ſicut illa drachma à muliere, ſicut ille filius qui mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt. *Pulchrè in rem noſtram, vt enim priùs ouis, drachma, filius, in ouili, crumena, domo Patris; ſic priùs veritas, quàm eius per hæreſim corruptio.* Ille vos enim quærit, qui in Sanctis habitat, & imperat vt quæramini. PRAEVN-

TIAVIT. *Vt Paulus*: Oportet, *inquit*, & hæreſes esſe. COMPENDIVM FIGERE. *Breui & facili clauo inſolentiam hæreticorum comprimere, quaſi terminum immobilem ponere, quem tranſilire non poſſint.*

10. SI NEGANT. *Hæretici.* VERITATEM EIVS. *Doctrinæ Catholicæ.* EADEM FORMA. *Similiter & eodem modo iiſdemque argumentis conuictam, quibus ſecta noua conuincuntur hæreſes eſſe.* NOSTRA RES. *Fides & veritas Catholica.* PRINCIPATVM. *Principium, ordinem primum tam temporis quàm dignitatis.* PROPRIETATIS. *Hac notâ propriè diſcernitur veritas à mendacio hæreſeon, quòd Apoſtoli defendant veritatem, & ſuam eſſe probant; cùm errorem, mendacium, hæreſim omnem vt poſteriorem futuram iam prædamnauerint; ſicut & ipſe Chriſtus attendendum prænouit à falſis prophetis, & vnicam Eccleſiæ ſuæ veritatem à veris paſtoribus, hauriendam, & audiendam ab ouibus ſuis aperè dixit. Sic rurſum Aug. in hanc rem lib. de vnitate Eccleſiæ cap.* S. Auguſt. 25. Præceptum paſtoris, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, & nunc glorificatus & exaltatus ſedet ad dexteram Dei Patris, corde fideliſſimo & firmiſſimo retinete, dicentis: quæ ſunt oues meæ, vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Audiſtis eius vocem manifeſtiſſimam non ſolùm per legem, & prophetas, & pſalmos, ſed etiam per os proprium commendantis Eccleſiam ſuam futuram. Et ea quæ prædixit, quemadmodum ex ordine conſecuta ſint in actibus, & literis Apoſtolorum, quæ diuinarum ſcripturarum Canonem complent, legendo perſpicitis. Non eſt obſcura quæſtio in qua vos fallant, quos ipſe Dominus prædixit futuros, atque dicturos: Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic, ecce in deſerto, quaſi vbi non eſt frequentia multitudinis: Ecce in cubiculis, quaſi in ſecretis traditionibus atque doctrinis. Habetis Eccleſiam vbique diffundi, & creſcere vſque ad meſſem. Habetis ciuitatem, de qua ipſe qui eam condidit, ait, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem conſtituta. *Aduersùs quam, nec porta inferi, id eſt hæreſes ad inferos ducentes, & diabolum zizaniorum ſeminatorem, non prænalebunt.* Neque enim falli poteſt diuina ſententia, quoniam creſcunt vſque ad meſſem. *Vtraque* Auguſt. *vique, ſed non ſimul & ab eodem ſeminata, licet ſimul creſcant vſque ad meſſem.* Itaque & in aliis gentibus ſæpè nonnulla membra Eccleſiæ prævalentibus hæreſum & ſchiſmatum ſeditionibus, preſſa atque obumbrata ſunt, & tamen quia inerant, paulò poſt nullo dubitante claruerunt.

11. *Fidei articulis credendum eſt, vbi multa clara teſtimonia ſcripturæ quadrant, contrà quædam obſcura. 3. Cont. Marc. cap. 20. in p.*

SVfficit hucuſque de his interim ordinem Chriſti decucurriſſe, quo talis probatus quaſliter adnuntiabatur, non alius haberi debeat, quàm qui talis adnuntiabatur; vt iam ex iſta conſonantia rerum eius, & ſcripturarum Creatoris, illis etiam reſtituenda ſit fides, ex præiudicio maioris partis, quæ ad diuerſas ſententias, vel in dubium deducuntur, vel negantur.

FIDES. XI. SCHOLIA.

ORDINEM CHRISTI. *Gradatim deſcripſiſſe, iuxta vetus Teſtamentum, ſeriem natiuitatis, vitæ, mortis & reſurrectionis Chriſti, quo ordine Chriſtus talis probatus eſt, qualis per Prophetas prædicebatur, nec alius haberi aut recipi debeat.* CONSONANTIA. *Ex ipſa concordia rerum pertinentium ad Chriſtum, cum ſcripturis veteris Teſtamenti; illis rebus Chriſti, vel ſcripturis ipſis. fides hactenus negata ab hæreticis, & eis debita reddatur, ſumpto præiudicio ex maiori parte ſententiarum, quæ diuerſimodè ab hæreticis & Catholicis expoſita, vel omnino negantur ab hæreticis, vel in dubium ab alterutris ſenſum reuocantur. Quomodo ſint inuicem conferenda ſcripturæ, docuit Aug. lib. 3. de* S. Auguſt. *Doctrina Chriſt. c. 2.* Cùm verba propria faciunt ambiguam ſcripturam; primò prouidendum eſt, ne malè diſtinxerimus, aut pronuntiauerimus. Cùm ergo adhibita intentio incertum eſſe prouiderit, quomodo diſtinguendum, aut quomodo pronuntiandum ſit, conſulat regulam fidei, quam de ſcripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ authoritate percepit, &c. Quòd ſi ambæ, vel etiam omnes, ſi plures fuerint, partes, ambiguitatem ſecundùm fidem ſonuerint, textus ipſe ſermonis à præcedentibus & conſequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio poſuerunt, reſtat conſulendus: vt videamus, cuinam ſententiæ, de pluribus quæ ſe oſtendunt, ferat ſuffragium, eamque ſibi contexi patiatur. *Talem autem Chriſtum veniſſe, qualis, vt ait hîc Tertull. annuntiabatur, ſine prophetiæ impleſſe, præclarè docet Aug. in Pſal. 71.* Auguſt. *circa f. in verſum*: Et erit firmamentum in terra, in ſummis montium. Omnes enim promiſſiones Dei in illo etiam, id eſt in Chriſto firmatæ ſunt, quia in illo impletum, quidquid pro ſalute noſtra prophetatum eſt. Nam ſumma montium, ſcripturarum diuinarum authores, id eſt per quos miniſtratæ ſunt, intelligere conuenit; in quibus vtique ipſe eſt firmamentum, quoniam ad illum omnia quæ diuinitus ſcripta ſunt, referuntur. Hoc autem in terra eſſe voluit, quia propter eos qui in terra ſunt, illa conſcripta ſunt. Vnde & ipſe in terram venit, vt ea cuncta firmaret, id eſt, in ſe monſtraret impleri. Oportebat enim, inquit, impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege, & prophetis, & pſalmis de me, id eſt, in ſummis montium. Sic enim venit in nouiſſimis temporibus manifeſtus mons Domini, paratus in cacumine montium: quod hîc ait, in ſummis montium. *Hic paratus erat, de quo idem Pſalles pro ſe cæteriſque prophetis dicebat, vt lucernis lucentibus in caliginoſo loco vmbroſæ legis donec Lucifer oriretur, Ioannes finis legis, finem ipſum legis indigitans:* Paraui lucernam Chriſto meo.

12. *Fides in Chriſtum, per prædicationem Prophetarum diſponi debuit. 3. Cont. Marc. cap. 2. in f.*

ET vtique tantum opus, quod ſcilicet humanæ ſaluti parabatur, vel eatenus ſubitum non fuiſſet, quà per fidem profuturum. In quantùm enim credi habebat, vt prodeſſet; in tantùm paraturam deſiderabat, vt credi poſſet; ſubſtructam fundamentis diſpoſitionis & prædicationis; quo ordine fides informata, meritò & homini indiceretur à Deo, & Deo

exhiberetur ab homine; ex agnitione debens credere, quia posset; quæ scilicet credere didicisset ex prædicatione.

FIDES. XII. SCHOLIA

TANTVM OPVS. *Incarnationis.* PARABATVR. *Ad salutem prædestinatorum. Vnde ab Augustino definitur prædestinatio*, Præparatio beneficiorum Dei. *Quorum maximum est istud, quo*, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. SVBITVM. *Qualem Christi aduentum fingit Marcion, subito de cœlo in Synagogam lapsi.* PER FIDEM. *Quam habebant Patres veteris testamenti, in Christum venturum, cuius mysterij fides eis proficiebat ad salutem.* CREDI HABEBAT. *debebat credi ab illis, aliter enim illis non profuisset: Nobis autem idem credentibus vt prodesset, quia difficilè creditu erat, debuit tanti mysterij fides præparari, & disponi per prædicationem, id est prædictionem veterum prophetarum.* QVO ORDINE. *Ac dispositione suauissapientiæ Dei fides instructa, sic iustè potuit exigi à Deo, & suauius præstari Deo ab homine, quia homo cognitâ iam lectâ Prophetiâ, debuit huic mysterio credere, quod ei facile fuit, cùm vidit euentum respondere promissis; sicut Patres veteris testamenti, propter auctoritatem Dei loquentis per Prophetas, in Christum venturum credere didiceram. Quod hic Tertullianus contra Marcionem, hoc Augustinus contra Manichæos torquet. to. 6. lib. de quinque hæresibus cap. 5.* Diuersis telis, diuersi concidunt aduersarij. Ordo itaque iste seruandus est, vt loquens de Euangelio, non fileam de Prophetis. Sed ego, *inquit*, Manichæus, *inquit, Marcion. in hoc Manichæi Magister* Nec Moysem accipio, nec Prophetas. Quid ait de Paulo Apostolo, *Quem & Marcion recipit*, qui in exordio Epistolæ suæ ad Romanos scribens, ait, Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem? Audis quia Euangelium per Apostolos non exhiberetur, nisi per prophetas antea promitteretur? Audis quia Dei filius secundùm diuinitatem, factus est filius hominis ex semine Dauid secundùm carnem? quid est enim, in quo prophetæ, contrarij sunt Euangelio? dixit enim propheta, *Esaias scilicet*; Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum. Veniat Angelus, & prædicet Verbum: aperiatur terra, audiat Maria, germinet Saluatorem, pariat Iesum. Propheta dixit, *idem Esaias*, Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Hoc etiam Euangelista cùm diceret, secutus est, & exposuit dicens, nobiscum Deus. Frustra Manichæe conaris aduersari prophetis. Ecce Apostolus, dicit de filio suo, qui factus est ei de semine Dauid secundùm carnem. Quod prophetæ præuiderunt & prædixerunt, hoc Apostoli viderunt, & prædicauerunt. Qui erat, factus est. Quid erat? quid factus est? Verbum erat, caro factus est. Deus erat, homo factus est: suscepit humanitatem, non amisit diuinitatem: factus humilis, mansit sublimis.

S. August.

Augustin.

13. *Fides Resurrectionis Christi meritum habet in difficultate credendi Apol. cap. 21. à m.*

HVnc Iudæi detractum, & sepulchro conditum, magnâ etiam militaris custodiæ diligentiâ circunsederunt; ne, quia prædixerat tertia die resurrecturum se à morte, discipuli furto amoliti cadauer fallerent suspectos. Sed ecce die tertia concussâ repente terra, & mole reuolutâ, quæ obstruxerat sepulcrum, & custodiâ pauore disjectâ, nullis apparentibus discipulis, nihil in sepulcro repertum est, præterquam exuuiæ sepulcri. nihilominus tamen primores, quorum intererat & scelus diuulgare, & populum vectigalem & famularem sibi à fide reuocare, surreptum à discipulis jactitauerunt. nam nec ille se in vulgus eduxit, né impij errore liberarentur, vt & fides non mediocri præmio destinata difficultate constaret.

Matth. 27. 62. & seq. Et Matth. 28. 11. & seq.

FIDES. XIII. SCHOLIA.

HVNC. *Christum. Alij legunt*, Tunc. DETRACTVM. *Depositum de cruce. Pulchrè describit sequentia quæ habentur Matth. 28. 58.* Tunc Pilatus iussit reddi corpus, *Iesu. Ioseph ab Arimathea:* Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda. *Syr. linteo lini mundi.* Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra, & aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit, &c. Altera autem die, quæ est post parasceuem, conuenerunt principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum dicentes; Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: post tres dies resurgam. Iube ergo custoditi sepulcrum vsque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum; *Syr. addit*, *noctu* Et dicant plebi, surrexit à mortuis: *Syr. de domo mortuorum.* Et erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: habetis custodiam *Syr. custodes*: Ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, *Syr custodierunt*, signantes lapidem cum custodibus. *Cap. autem 28. 2.* Et ecce terræ motus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem, *Syr. addit*, *ab ostio*, & sedebat super eum: erat autem aspectus eius sicut fulgur: & vestimenta eius sicut nix: præ timore autem eius exteriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. PRIMORES. *Principes Sacerdotum.* QVORVM INTERERAT. *Propter odium Christi, quem seductorem dixerant.* SCELVS. *Impostura, & cadaueris ablati.* VECTIGALEM ET FAMVLAREM. *Seruientem, & vectigal pendentem Cæsari.* A FIDE. *Resurrectionis Christi.* ILLE IN VVLGVS. *Christus non seipsum coram populo rediuiuum è tumulo exhibuit, sed tantùm discipulis se manifestauit*, prædordinatis à Deo testibus. EXVVIÆ SEPVLCRI. *Lintea mina, quibus inuolutus fuerat, in sepulcro relicta.* NE IMPII. *Iudæi excæcati, & traditi in reprobum sensum.* DIFFICVLTATE CONSTARET. *Firmior esset fides, & ob difficultatem, meritum haberet, & grande claræ visionis præmium. Aug.*

difficultatem huius mysterij eâdem lance cum Tertulliano librat scribens in Psal. 101. in versum, Respondit ei in via virtutis suæ, *Sive vt legit Augustinus*; In via fortitudinis suæ. Christus est, ipse est. Ego sum, inquit, via, veritas, & vita. Sed ante resurrectionem non agnoscebatur à populo suo: & maximè crucifixus ex infirmitate, latuit quis esset, donec fortis resurgendo appareret. Non ei ergo respondit Ecclesia in via infirmitatis, sed in via fortitudinis suæ: quia post resurrectionem vocauit Ecclesiam de toto orbe terrarum, iam non infirmus in cruce, sed fortis in cœlo. Non enim laus fidei Christianorum est, quia credunt mortuum Christum, sed quia credunt resurrexisse Christum. Nam mortuum & Paganus credit: & hoc tibi pro crimine obiicit, quia in mortuum credidisti. *Quasi Deus esset, vel posset mori Deus.* Quæ igitur laus tua? credere resurrexisse Christum, & sperare te resurrecturum esse per Christum, hæc est laus fidei. Si enim credideris, *ait Paulus Rom.* 10. in corde tuo quia Dominus est Christus Iesus, & confessus fueris ore tuo, quia Deus suscitauit eum à mortuis, saluus eris. Non ait, si confessus fueris, quia Deus eum tradidit occidendum: sed quia eum Deus suscitauit à mortuis, si confessus fueris, tunc saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quare autem credimus & mortuum? quia credere eum resurrexisse, non possumus, nisi priùs mortuum fuisse credamus. Quis enim resurgit, nisi mortuus fuerit? quis expergiscitur, nisi priùs dormierit? sed, numquid qui dormit, non adiicit vt resurgat? hæc fides est Christianorum.

S. Augst. A Augst.

14. *Fidei doctrina hæc sola recipienda est, quæ respondet doctrinæ Ecclesiarum conditarum ab Apostolis, siue scripto, siue voce, eam tradiderint. De Præscr. cap. 21. per totum. & 22. in p.*

Hinc igitur dirigimus præscriptionem, si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit; quia[a] *Nec alius patrem nouit nisi filius, & cui filius reuelauit*, nec aliis videtur reuelasse filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandùm, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hîc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua, quod aiunt, voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Superest ergo vti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cuius regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, & ex hoc ipso, an ceteræ de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quòd nulli doctrina diuersa. Hoc est testimonium veritatis. Sed quoniam tam expedita probatio est, vt si statim proferatur, nihil iam sit retractandum, ac si prolata non sit à nobis, locum interim demus diuersæ parti, si quid putant ad infirmandam hanc præscriptionem mouere se posse.

Math. 10. 1. Luc. 10. 1. a Math. 11. 27. 2. Thess. 2. 2. & 14. Cap. xxii

FIDES. XIV. SCHOLIA.

Hinc igitvr. *Alij legunt, hanc.* Dirigimvs. *Quasi telum torquemus contra hereticos, recipientes hæresiarchas, aliud docentes, quàm quod Apostoli, à Christo missi docuerunt.* Veritati deputandam. *Tribuendam, hoc est, veram esse doctrinam omnem, quæ concordat in fide cum primis Ecclesiis fundatis ab Apostolis.* Quod aiunt. *Ipsemet ait Paulus 2. Thess. 2.* Rogamus vos, &c. Vt non citò moueamini à vestro sensu; neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam; quasi instet dies Domini: *Et rursum versu 14.* State, & tenete traditiones. *Syr. constanter tenete præcepta*, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. De mendacio. *Ex mendacio profectam, siue, mendacem esse censendam.* Vti, *Vt.* Censeatvr. *Orta ex traditione Apostolorum.* Diversa. *Sit, idipsum enim omnes sentiunt:* Vnus est eis Deus, vna fides, vnum baptisma. Hoc est testimonivm. *Quia fides & veritas vnica est.* Expedita. *Succincta, prompta, facilis.* Retractandvm. *Tractandum.* Ac si prolata. *Quasi dicat; supponamus, non à nobis allatam hanc probationem, vt detur interea locus aliquis disputationi, vt aduersarij proferant, si quid possunt, contra nostram, pro Catholica veritate, sententiam. Quod Tertullianus hic dixit, doctrinam omnem mendacem esse sentiendam, quæ aliter sentit, quàm Ecclesia ab Apostolis fundatæ, aliarumque matrices & origines, senserint; etiam intelligendum est, vt alibi notauit idem author, de viris Apostolicis, quales sunt Episcopi & Ecclesiæ Doctores, qui, ex Augustino.* Pro patribus *Id est post Patres Apostolos*, Nati sunt filij; *Vnde Augustinus notat se ab Ambrosio didicisse, quoties in doctrina ipsa Scripturæ sanctæ, aliquid occurreret, quod ad litteram, orthodoxæ fidei Ecclesiæ, aut rectæ rationi repugnaret, tunc, dimissâ litterâ occidente, spiritualem sensum esse sequendum, sic itaque loquitur lib. 6. Confess. cap. 4. à p.* Gaudebam etiam, quòd vetera scripta legis & prophetarum iam non illo oculo mihi legenda proponerentur, quo antea videbantur absurda, cùm arguebam tanquam ita sentientes sanctos tuos, verum autem non ita sentiebam: & tanquam regulam diligentissimè commendaret, sæpè in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium lætus audiebam; littera occidit, spiritus autem viuificat; cùm ea quæ ad literam peruersitatem docere videbantur, remoto mystico velamento, spiritaliter aperiret. *Præterea dicta alibi de fide vera vnica Ecclesia, sum-*

A

B

Augst.

data vnanimi consensu, hæc addo ex Augustino lib. de
August. *moribus Ecclesiæ cap. 7. inf. quibus, in vera Catholica fide manere persuadeor. Nec eam desero:* Refugere in tenebrosa cupientibus, per dispensationem ineffabilis sapientiæ, nobis illa opacitas, *Obscuritas scripturæ, parcens oculorum debilitati caliginem quærentium*, auctoritatis occurrat, & mirabilibus rerum, vocibusque librorum, veluti signis temperatoribus veritatis, vmbrisque blandiatur. Quid potuit pro salute nostra fieri amplius? quid beneficentius? quid liberalius diuinâ prouidentiâ dici potest, quæ à legibus suis hominem lapsum, & propter cupiditatẽ rerum mortalium, iure ac meritò mortalem sobolem propagantem, non omnino deseruit? habet enim potestas illa iustissima, miris & incomprehensibilibus modis, per quasdam secretissimas successiones rerum sibi seruientium, quas creauit, & seueritatem vindicandi, & clementiam liberandi. Quod quidem, quàm sit pulcrum quàm magnum, quàm Deo dignum, quàm postremò id quod quæritur, verum, nequaquam intelligere poterimus, nisi ab humanis & proximis incipientes, veræ religionis fide præceptisque seruatis, non deserimus viam, quam nobis Deus & Patriarcharum segregatione, & legis vinculo, & Prophetarum præsagio, & suscepti hominis Sacramento, & Apostolorum testimonio, & Martyrum sanguine, & Gentium occupatione, *Conuersione*, munuit.

15. Fides quæstiones non admittit, quas semper de nouo hæretici inducunt; & quæ signum sunt, vel non inuentæ fidei, vel amissæ. De Præscr. cap. 9. à p. 10. 11. & 12. per totum.

IN primis hoc propono: Vnum vtique & certum aliquid institutum esse à Christo, quod credere omnimodò debeant nationes, & idcirco quærere, vt possint cum inuenerint, credere. Vnius porrò & certi instituti, infinita inquisitio non potest esse. Quærendum est donec inuenias, & credendum vbi inueneris: & nihil amplius, nisi custodiendum, quod credidisti: dum hoc insuper credas, aliud non esse credendum, ideóque nec requirendum, cùm id inueneris & credideris quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod instituit. De hoc quidem si qui dubitat, constabit penes nos esse id quod à Christo institutum est. Interim ex fiducia probationis præcenio, admonens quosdam, nihil esse quærendum vltra quæ crediderunt, id esse quod quærere debuerunt: nè, [a] *Quærite & inuenietis*, sine disciplina rationis interpretentur. Ratio autem dicti huius in tribus articulis constitit: In re, in tempore, in modo. In re, vt quid sit quærendum considerres. In tempore, vt quando. In modo, vt quousque. Igitur quærendum est quod Christus instituit, vtique quando non inuenis. vtique donec inuenias. Inueneris autem, cùm credideris. nam non credidisses, si non inueniſſes; sicut nec quæsisses, nisi vt inuenires. Ad hoc ergo quæris vt inuenias, & ad hoc inuenis vt credas. Omnem prolationem quærendi & inueniendi credendo fixisti. Hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi. hanc tibi fossam determinauit ipse qui te non vult aliud credere, quàm quod instituit, ideóque nec quærere. Ceterum si quia & alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum quærere debemus, in quantum possumus inuenire, semper quæremus, & nunquam omnino credemus. Vbi enim erit finis quærendi? vbi statio credendi? vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? sed & Valentinus proponit, *Quærite & inuenietis*. Apud Valentinum? sed & Apelles hac me pronuntiatione pulsabit, & Hebion, & Simon, & omnes ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi addicant. Ero itaque nusquam, dum vbique conuenio; *Quærite & inuenietis*, Et velut si nusquam, & quasi qui nunquam apprehenderim illud quod Christus instituit. quod quæri oportet, quod credi necesse est, Impunè erratur, nisi delinquatur; quamuis errare delinquere est. Impunè, inquam, vagatur, qui nihil deserit. At enim si quod debui credere credidi, & aliud dennò puto requirendum, spero vtique & aliud esse inueniendum, nullo modo speraturus istud, nisi quia aut non crediderat, qui videbat credidisse; aut desij credidisse. Ita fidem meam deserens, negator inuenior. Semel dixerim, Nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat vnam ex decem drachmis anus illa, & ideo quærebat: vbi tamen inuenit, quærere desiit. Panem vicinus non habebat, & ideo pulsabat: vbi tamen apertum est ei, & accepit, pulsare cessauit. Vidua à iudice petebat audiri, quia non admittebatur: sed vbi audita est, hactenus institit. Adeo finis est & quærendi & pulsandi, & petendi. [b] *Petenti enim dabitur*, inquit, *& pulsanti aperietur, & quærenti inuenietur.* Viderit qui quærit semper, quia non inuenit. Illic enim quæritur, vbi non inuenietur. Viderit qui semper pulsat, quia nunquam aperietur. illic enim pulsat vbi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquam audietur. ab eo enim petit, qui non audit. Nobis etsi quærendum esset adhuc, & semper, vbi tamen quæri oportet; apud hæreticos? vbi omnia extranea & aduersaria nostræ veritati; ad quos vetamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, donatiuum & stipendium captat; nisi planè desertor & transfuga & rebellis? Etiam anus illa intra tectum suum drachmam requirebat. etiam pulsator ille vicini januam tundebat. etiam vidua illa non inimicum, licet durum, iudicem interpellabat. Nemo inde instrui potest, vnde destruitur. nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in nostro, & à nostris, & de nostro: idque duntaxat quod, salua regula fidei, potest in quæstionem deuenire.

a Math. 7. 7. CAP. X.

Luc 15. 4. Luc. 11. 4. & seq Luc 18. 2. & seq. b Luc 11. 8. CAP. XII. 1. Io. 1. 10. Luc 15. 4. Luc 11. 4. Luc 18. 2. & seq.

FIDES. XV. SCHOLIA.

ALIVD NON ESSE CREDENDVM. *Diuersum* A *scilicet & contrarium fidei Orthodoxæ.* CONSTAT PENES NOS. *Certum est apud Catholicos, in Ecclesia catholica esse totam veritatem & fidem: vt si quis de ea dubitet, non alibi eam quærere debeat.* FIDVCIA PROBATIONIS. *Adeo certus sum me posse irefragabiliter probare quod dico.* PRÆVENIO. *Alij* Præuento, præuerto. QVOSDAM. *Peruersè & perperam interpretantes, quod ait Christus.* Quærite, & inuenietis, *Luc. 11. 8. Ne sine regimine & ductu rationis illud prauo sensu explicent, sed cùm inuenerint quæ credenda erant, nihil vltra quærant; quia illud ipsum, quod iam credunt, est, totum id, quod quærere debuerunt.* OMNEM PROLATIONEM. *Id est perseuerantiam, moram in quærendo.* FIXISTI. *Posuisti metam & terminum inuestigationis, quando credidisti.* FRVCTVS IPSE. *Id est inuentio rei quæsitæ.* FOSSAM. *Similitudo sumpta à Castris; quorum limites & fines fossis coërcentur.* VBI STATIO? *A re militari rursum depromit, milites enim stationes suas præterpredi non audent.* EXPVNCTIO. *Impletio & terminus.* APVD MARCIONEM. *Si dixeris finem quærendi esse apud Marcionem, nec vltra quidquam quærendum circa fidem, quia omnem eius plenitudinem accepit; Valentinus dicet se vlteriùs aliquid inuenisse, & hortabitur vt apud se quærant quid inueniant. Et sic de cæteris.* PVLSABIT. *Inuitabit.* NON HABENT ALIVD. *Dicendum mihi, quo me sua secta adiiciant.* NVSQVAM. *Nulli certæ sectæ affixus eo, dum nouæ subinde hæretici, nec eâdem voce conueniunt, & compellunt dicentes semper, quærite, &c.* IMPVNE ERRATVR. *Id est, licet omnis error pœnam aliquam mereatur, longè tamen mitior est pœna erroris qui fit per meram ignorantiam, ante susceptam veritatem hinc Paulus:* Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea. *Contrà, de aliis post fidem susceptam errantibus D. Petrus. 2. 2. 20.* Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. HACTENVS INSTITIT. *Cessauit instare, & importunam se præbere.* ADEO FINIS. *Supple in omnibus rebus quærendis statuendus est.* QVÆRENTI INVENIENTVR. Et qui quærit D inuenit. VIDERIT. *Dubius & in fide semper hæsitans.* ILLIC ENIM. *Apud hæreticos.* ADHVCIT SEMPER. *Vt hortatur Psaltes:* Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper. *Psal. 104. 4. in quem locum Augustinus:* Vt eum quærendo, atque ad eum accedendo, & illuminemur, & confortemur, ne cæcitate quid faciendum sit, non videamus; aut infirmitate non faciamus, etiam quando videamus. Quod ergo est ad videndum, accedite ad eum, & illuminamini; hoc est ad faciendum, quærite Dominum, & corroboramini. Quærite, *inquit*, faciem eius semper. Quæ est facies Domini, nisi præsentia Dei? sicut facies venti, & E facies ignis, &c. Nihil aliud quàm earum rerũ præsentiam volens intelligi, quarum nominat faciem. Sed quid est, quærite faciem eius semper? scio quidem quia mihi adhærere Deo bonum est: sed si semper quæritur, quando inuenitur? an semper dixit, in tota vita ista, qua hîc viuitur, ex quo nos id facere debere cognouimus, quando & inuentus quærendus est? iam quippè illum inuenit fides, sed adhuc eum quærit spes. Charitas autem, & inuenit eum per fidem, & eum quærit habere per speciem; vbi tunc sic inuenietur, vt sufficiat nobis, & vlteriùs non quæratur. Nisi enim eum in ista vita inueniret fides, non diceretur *Esa. 55.* Quærite Dominum. Et cùm inueneritis eum; derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas. Item, si fide inuentus, non adhuc esset perquirendus; *Per spem scilicet:* Non diceretur Rom. 8. Si enim quod non videmus, speramus; per patientiam expectamus. Et quod Ioannes ait, 1. 3. scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. An fortè etiam cùm facie ad B faciem viderimus eum sicuti est, adhuc perquirendus erit? est sine fine quærendus, quia sine fine amandus. Dicimus etiam præsenti alicui, non te quæro, id est non te diligo: ac per hoc, qui diligitur, etiam præsens quæritur, dum charitate perpetua, ne fiat absens, optatur. Proinde, quem quisque diligit, etiam cùm eum videt, sine fastidio semper vult esse præsentem; hoc est, semper quærit eum esse præsentem. Et nimirum hoc est, quærite faciem eius semper; vt non huic inquisitioni, qua significatur amor, finem præstet inuentio, sed amore crescente, inquisitio crescat inuenti. *Quo sensu dictum est:* Qui edunt me adhuc esurient, & C qui bibunt, adhuc sitient. *Quod non similiter est de fide, quæ quiescit à quærendo, dum veritatem inuenis in Ecclesia Catholica; quâ inuentâ, cessat quærere & quæstiones curiosas & superfluas proponere.* AB INFOEDERATIS. *Ab his, cum quibus nullum fœdus initum est.* DONATIVVM. *Liberalitatem Imperatoris intelligit, qua in vno vel altero nummo aureo consistebat. Donativa autem in l. 10. ff. de re milit.* Sunt largitiones ab imperatoribus in milites collatæ, vel ob victoriam, vel ob adoptionem, vel ob auspicia imperij. *Aliter dicta,* Augustatica, *apud Marcellinum Comitem in Chron. &* Clauaria, *apud Cornel. Tacit. lib. 19. sic dicta,* à clauis caligalibus. SALVA REGVLA. *Salus Symbolo fidei. Contra quæstiones curiosas, & inutiles sic breuiter Augustinus lib. 11. Confess. cap. 30.* Ego in tempora dissilui, quorum ordinem nescio, & tumultuosis varietatibus dilaniantur cogitationes meæ, intima viscera animæ meæ, donec in te confluam purgatus & liquidus igne amoris tui. Et stabo, atque solidabor in te, *sicut figura liquefacta firmatur in modulo suo,* in forma mea, veritate tua; nec patiar quæstiones hominum, qui pœnali morbo, plus sitiunt, quàm capiunt; & dicunt; quid faciebat Deus, antequam faceret cœlum & terram? aut quid ei venit in mentem, vt aliquid faceret, cùm antea nũquam aliquid fecerit? Da illis Domine, bene cogitare quid dicant, & inuenire, quia non dicitur nunquam, vbi non est tempus. Qui ergo dicitur numquam fecisse, quid aliud dicitur, nisi nullo tempore fecisse? videant itaque nullum tempus esse posse sine creatura tua, & desinant istam vanitatem loqui. Extendantur etiam in ea quæ ante sunt, & intelligant te ante omnia tempora æternum Creatorem omnium temporum, neque vlla tempora tibi esse coæterna, nec vllam creaturam, etiam si est aliqua supra tempora.

S. Augustin.

Augustin.

** 16. Fidei ſimpliciter credendum eſt abſque quæſtione curioſa: & tenendum, vnum Deum eſſe, Creatorem, & Verbum Filium eius Incarnatum, natum, mortuum, ſuſcitatum, aſſumptum in cælum; vnde miſit S. Spiritum Vicarium. Hæc Regula fidei, de qua nulla quæſtio niſi apud hæreticos. De Præſcr. cap. 7. in f. & 8. per totum.*

QVid ergo Athenis, & Hieroſolymis? quid Academiæ, & Eccleſiæ? quid hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat [a] *Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum.* Viderint qui Stoïcum & Platonicum & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt. Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtm Ieſum, nec inquiſitione poſt Euangelium. Cùm credimus, nihil deſideramus vltrà credere. Hoc enim priùs credimus, non eſſe quod vltra credere debeamus. Venio itaque ad illũ articulum, quem & noſtri prætendunt ad ineundam curioſitatem, & hæretici inculcant ad importandam ſcrupuloſitatem. Scriptum eſt, inquiunt; [b] *Quærite, & inuenietis.* Quando hanc vocem Dominus emiſit, recordemur. Puto in primitiis ipſis doctrinæ ſuæ, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Chriſtus eſſet. Et cùm adhuc nec Petrus illum Dei filium pronunciaſſet: cùm etiam Ioannes de illo certus, eſſe deſiſſet. Meritò ergo tunc dictum eſt, *Quærite & inuenietis*, Quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat. Et hoc quantùm ad Iudæos. ad illos enim pertinet totus ſermo ſuggillationis iſtius, qui habebant vbi quærerent Chriſtum. [c] *Habent*, inquit, *Moyſen & Heliam*, Id eſt Legem & Prophetas Chriſtum prædicantes: ſecundum quod & alibi aperte: [d] *Scrutamini*, inquit, *Scripturas in quibus ſalutem ſperatis. Illæ enim de me loquuntur.* Hoc erit, [e] *Quærite & inuenietis.* Nam & ſequentia in Iudæos competere manifeſtum eſt, *Pulſate & aperietur vobis.* Iudæi retro penes Deum fuerant, dehinc ejecta ob delicti, extra Deum eſſe cœperunt. Nationes verò nunquam penes Deum, niſi [f] *Stillicidium de ſitula, & puluis ex area;* Et foris ſemper. Itaque qui foris ſemper, quomodo pulſabit eò vbi nunquam fuit? quam januam nouit, in quam nec receptus, nec iectus aliquando? an qui ſcit ſe intus fuiſſe & foras actum, is potiùs pulſauit; & oſtium nouit? Etiam, *Petite & accipietis*; Ei competit, qui ſciebat à quo eſſet petendum, à quo & erat aliquid repromiſſum: à [g] *Deo ſcilicet Abraham, Iſaac & Iacob*, Quem nationes non magis nouerant quàm vllam repromiſſionem eius. Et ideo ad Iſraël loquebatur: [h] *Non ſum*, inquit, *miſſus, niſi ad oues perditas domus Iſraël. Nondum canibus jactabat panem filiorum:* [i] *Nondum in viam nationum ire mandabat.* Si quidem in fine præcepit, vt vaderent ad docendas & tinguendas nationes; conſecuturi mox Spiritum ſanctum paracletum, qui illos [k] *Deducturus eſſet in omnem veritatem.* Et hoc ergo illò facit, Quòd ſi nationibus deſtinati doctores Apoſtoli, ipſi quoque doctorem conſequuturi erant paracletum; multò magis vacabat erga nos; *Quærite & inuenietis*: Quibus vltro erat obuentura doctrina per Apoſtolos, & ipſis Apoſtolis per Spiritum ſanctum. Omnia quidem dicta Domini omnibus poſita ſunt. per aures Iudæorum ad nos tranſierunt; ſed pleraque in perſonas directa, non proprietatem admonitionis nobis conſtituerunt, ſed exemplum.

a Sap. 1. b. CAP. VIII.

b Math. 7. 7.

Math. 16. 16.

Math. 11. 2.

c Luc. 16. 29.

d Io. 5 39.

e Math. 7. 7. Ibid.

f Eſa. 40. 15. 1. Cor. 5. 12. & 13. & Coloſſ. 4. 5. 1. Tim. 3. 7.

g Exo. 3. 6.

h Math. 15. 24. & 26.

i Math. 10. 5. Math. 28. 19.

k Io. 16. 13. Math. 7. 7. Rom. 15. 19.

17. Et de Præſcr. cap. 13. & 14. in f. ad m.

REgula eſt autẽ fidei, vt iam hinc quid defendamus profiteamur, illa ſcilicet qua creditur: Vnum omnino Deum eſſe; nec alium præter mundi conditorem; qui vniuerſa de nihilo produxerit, per Verbum ſuum primò omnium emiſſum: Id Verbum filium eius appellatum, in nomine Dei variè viſum à Patriarchis; in Prophetis ſemper auditum, poſtremò delatum ex ſpiritu Patris Dei & Virtute, in virginem Mariam, carnem factum in vtero eius, & ex ea natum egiſſe Ieſum Chriſtum: exinde prædicaſſe nouam legem, & nouam promiſſionem regni cœlorum: virtutes feciſſe: fixum cruci; tertia die reſurrexiſſe: in cœlos ereptum ſediſſe ad dexteram Patris: miſiſſe vicariam Vim Spiritus ſancti, qui credentes agat: venturum cum claritate, ad ſumendos ſanctos in vitę ęternæ & promiſſorũ cœleſtium fructum, & ad profanos adiudicandos igni perpetuo, facta vtriuſque partis reſuſcitatione cum carnis reſtitutione. Hęc regula à Chriſto, vt probabitur, inſtituta, nullas habet apud nos quęſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hęreticos faciunt. Ceterùm manente formâ eius in ſuo ordine; quantumlibet quęras & tractes, & omnem libidinem curioſitatis effundas, ſi quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari: eſt vtique frater aliqui doctor, gratiâ ſcientię donatus: eſt aliqui inter exercitatos conuerſatus; aliqui tecum curioſus, tecum tamen quęrens: nouiſſimè ignorare melius eſt; ne quod non debeas, noris; quia quod debeas, noſti. [a] *Fides*, inquit, *tua te ſaluum fecit*: Non exercitatio ſcripturarum. Fides in regula poſita eſt: habes legem, & ſalutem de obſeruatione legis: exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritię ſtudio. Cedat curioſitas fidei, ce-

CAP. XIV.

a Luc. 18. 42.

dat gloria saluti. Certè aut non obstrepant, aut quiescant. Aduersùs regulam nihil scire, omnia scire est.

FIDES. XVI. & XVII. SCHOLIA.

QVID ATHENIS? *Vbi supra dixerat fuisse Apostolum, & vidisse ibi sectas inter se pugnantes. Quasi diceret Tertull. nihil commercij inter litigantes de veritate Philosophos Atheniensis, & pacificos Christianos, vnice veritatis, in Ecclesia Catholica vera Ierusalem, possessores: Non sumus discipuli*, fluctuantes & circumlati omni vento doctrinæ, *in porticu Stoïcorum, sed in porta Salomonis tranquillo, ab ipsò didicimus. Sap. 1. 1.* Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum: peruersæ enim cogitationes separant à Deo. PORTICV SALOMONIS. *Vbi Christus docuit Io. 10. 23. sicut & Apostoli, Actu. 3. & 5.* VIDERINT. *Hæretici, qui ex Philosophicis quæstionibus curiosis, non Christianismum perfecerunt, sed erroribus instruxerunt opinionibusque Stoicorum, Platonicorum, & Dialecticorum. Aug. Ser. 13. de Verb. Apost. vbi de Epicureis & Stoïcis:* S. August. Illi, *inquit*, secundùm carnem viuentes, isti secundùm animam viuentes, nec illi, nec isti, secundùm Deum viuentes. Ideo cùm ad vrbem Atheniensium, vbi istæ Philosophorum disciplinæ studio & contensione feruebant, venisset Apostolus Paulus, sicut in Actibus Apostolorum legitur, *Act. 17* &c. Contulerunt cum illo quidam Philosophorum Epicureorum, & Stoicorum; contulerunt cum illo secundùm carnem viuentes; contulerunt cum illo secundùm animam viuentes, contulit cum illis secundùm Deum viuens. Dicebat Epicureus mihi frui carne bonum est. dicebat Stoïcus, mihi frui mea mente bonũ est. Dicebat Apostolus; mihi autem adhærere Deo bonum est. Dicebat Epicureus, beatus, cuius est in fructu voluptas carnis eius. Dicebat Stoïcus, immo beatus cuius est in fructu virtus animi eius. Dicebat Apostolus, beatus, cuius est nomen Domini spes eius. Errat Epicureus, falsum est enim, esse hominem beatum, cuius est in fructu voluptas carnis eius. Fallitur & Stoïcus, falsum est enim, & omnino mendosissimum, Beatum esse hominem, cuius est in fructu virtus animi eius. Beatus ergo cuius est nomen Domini spes eius, &c. *Et post multa concludit.* Quid tibi prodest, quia non eris Epicureus, & eris Stoïcus? S. Augst. siue Epicureus eris, siue Stoïcus eris, inter filios Dei non eris. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei: non qui secundùm carnem viuunt suam, non qui secundùm spiritum suum viuunt; non qui carnis voluptate ducuntur, non qui spiritu suo aguntur; *Non qui sophismata dialectica, aut Platonica disciplina sapientiã sequuntur*; Sed quotquot spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. *Et qui tandem sunt Filij Dei? Accipe à Ioanne:* Potestatem dedit filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. CVRIOSITATE. *Quæstionibus curiosis.* POST CHRISTVM. *Cognitum, qui est ipsa* Veritas & Vita, *qui docuit nos veram viam fidei ad vitam æternam. Qui* ostium est, per quem habemus introitum ad Patrem. *Ait enim:* Nemo venit ad Patrem, nisi per me. *Et rursum:* Ego sum ostium. *Aug. tract. 46. in Io. 10. Stupet Christum simul & Pastorem, veris fidei pascuis, hoc est seipso,* Veritatis Verbo quo nos Pater genuit, *Pascentem oues, & ostium esse, & ostiarium. Et dicit, in aliis, ostiarium esse aliquid maius ostio, hic autẽ idipsum esse.* Deus dixit, Veritas dixit mutari nõ potest quod immutabilis dixit. Dicam ergo in huius profunditate quæstionis quid mihi videatur: Eligat vnusquisque quod placet, pia tamen sentiat, sicut scriptum est: *Eo idem locus hic à Tertulliano citatus.* Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Ostiarium fortè ipsum Dominum debemus accipere: multò sunt enim, *id est magis*, inter se diuersa in rebus humanis, pastor & ostium, quàm ostiarius & ostium; & tamen Dominus se pastorem dixit, & ostium: cur ergo non intelligamus ipsum & ostiarium? si enim consideremus proprietates, Dominus Christus nec pastor est, sicut consueuimus nosse & videre pastores; nec ostium est; nec enim eum faber fecit, *Sanctus Ioseph sponsus virginis*, Sed Spiritus sanctus, de virgine fecit. Si autem secundùm aliquã similitudinẽ & ostiũ, & pastor est, &c. Non ergo pigeat nos, fratres, secundùm quasdam similitudines, ipsum accipere ostium, ipsum ostiarium. Quid enim est ostium? quo intramus. Quis est ostiarius? qui aperit. Quis ergo se aperit, nisi qui seipsum exponit? *Et ego manifestabo ei meipsum.* Et pastoribus, id est Apostolis, ostium seipsum, ostiarius ipsemet aperuit; *Et post discessum suum, vt infra docet Tertull. Vicarium in ostio aperiendo eisdem posuit Spiritum Sanctum, Doctorem omnis veritatis*; Ecce Dominus dixerat ostiũ; non intellexeramus; quando non intelleximus, clausum erat; qui aperuit, ipse est ostiarius. Nulla ergo est necessitas aliud quærere, nulla necessitas. *Nonne diceres, lector, cum Tertulliano dicente, nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, conspirasse Augustinum* Sed fortasse est voluntas. Si est vo- Augst. luntas, noli exorbitare, noli à Trinitate discedere. Si personam aliquam quæris ostiarij, Spiritus Sanctus occurrat; non enim dedignabitur ostiarius esse Spiritus sanctus, quando ipsum ostium esse dignatus est filius. Vide ostiarium, fortè Spiritum Sanctum ipse Dominus discipulis suis de spiritu Sancto dicit; ipse vos docebit omnem veritatem. Ostium quid est? Christus. Quid est Christus? Veritas. *Quid veritas reuelata? obiectum fidei.* Quis aperit ostium nisi qui docet omnem veritatem? POST IESVM. *Quid quærimus vltra inuento Iesu scientiarum Domino, doctrinâ Patris*, In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi? *Termino proinde omnis scientia, cui sponsa in Cant. dicit:* Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie. *Vbi nulla vmbra dubietatis.* Ne vagari incipiam post greges *Pastorum mercenariorum, id est hæreticorum.* POST EVANGELIVM. *Quid enim restat inuento bono nuntio veritatis, nisi vt eo desero in mendacium, incurrat? à fide aberret in hæresim, à via recta in obliquam & tortuosam serpentis: qui primus quæstionum curiosarum, & pernicios arum inuentor dixit Eue*; Cur præcepit vobis Deus? &c. *Scriptum est enim*: In cogitationibus impij interrogatio erit. ET NOSTRI. *Catholici curiosi, vt sibi viam aperiant curiositati, quam ex loco Ad cap. 7. 7. sibi licitam esse retendunt, & quã hæretici frequentiùs vtuntur, vt scrupulos simplicibus eximant, inquirenda apud eos amplioris veritatis.* IN PRIMITIIS. *Dum primò docere cupit.* IOANNES. *Baptista. De hoc errore, suo loco. Credidit Tertull. & sæpius inculcauit Ioannem Baptistam spiritu Prophetiæ destitutum, quo Christum ex vtero cognouerat; eò quod legatur, mississe discipulos,*

discipulos, Vt interrogarent eũ tu quis es? *Cùm tamen* A *dicat Apostolus*: Sine pœnitẽtia sunt dona & vocatio Dei. SVGGILLATIONIS. *Reprehensionis. Suggillare propriè est liuido colore inquinare, & suggillata, in facie dicuntur, quod vibices in corpore. Rud. in l. sed si hactenus. §. 1. de in jus voc. l. Ip. de iniur. l. item apud. Suggillare ergo est, deridere, quòd rideri soleam ex contusione liuidi.* VBI. *Quæreren*, scilicet *in scripturis veteris Testamenti, quas implere venerat.* HABENT MOYSEM. *Desuo Tertull. adiecit Eliam, Luc. 16. 29.* Ait illi, *Scilicet diuiti*, Abraham: habent, *Quinque fratres tui.* Moysem & Prophetas: audiant illos. ALIBI APERTE. *Io 5. 39.* Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. *Et paulò infra versu 45.* Nolite putare quia ego accusaturus B vos sum apud Patrem. est qui accusat vos Moïses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. RETRO, PENES DEVM. *Prius Dei domestici, & fideles.* EXTRA DEVM. *Extra viam fidei, infideles facti.* NATIONES. *Gentiles, prius Deum ignorantes, similes guttis extra situlam, & pulueri extra aream positis. Alibi iam expositos locos prætereo.* QVOMODO PVLSABIT. *Probat hæc non dicta fuisse Gentili populo, sed Iudæo.* IN FINE. *Sub discessum suum in cœlum.* AD TINGVENDAS. *Baptizandas Gentes.* ILLO PACIT. *Ad illudipsum pertinet, quòd Spiritus Sanctus datus Apostolis ad docendas omnes Gentes, sicut & alij loci prælegati probant, non gentilibus, sed* C *Iudæis dictum, vt Christum quærerent in lege promissum, & in eum inuentum crederent, non autem nobis hoc dictum est vt quæreremus.* VACABAT. *Frustra nobis scriptum hoc fuisset, quibus absque labore inquirendi omnis veritatis notitia vltrò tradenda erat per Apostolos. Licet enim omnia Christi verba, tam Gentiles, quàm Iudæos possint instruere, & priùs dicta Iudæis, ad nos peruenire; pleraque tamen sic propriè personis Iudæorum dicta sunt, vt non tam nos admoneant, vel arguant, quàm nobis simpliciter rerum gestarum exempla recitent. Concludamus hoc Scholium aptissimo D. Augustini loco to. 1. lib 2. de Gen. contra Manich. c. 2. vbi agebat de ejecto Adam Paradiso, & Cherubim custode eius.* Hæc secreta verborum si non reprehendentes D Augus. & accusantes, sed quærentes & reuerentes Manichæi mallent discutere, non essent vtique Manichæi. *Maniaci & insani.* Sed daretur petentibus, & quærentes inuenirent, & pulsantibus aperiretur. Plures enim quæstiones in hoc sermone proponunt, qui diligentiâ piâ quærunt, quàm isti miseri atque impij. Sed hoc interest, quòd illi quærunt, vt inueniant; isti nihil laborant, nisi non inuenire quod quærunt. Hic ergo totus sermo, primò secundùm historiam discutiendus est, deinde secundùm prophetiam. Secundùm historiam facta narrantur; secundùm prophetiam, futura prænuntiantur. Sanè quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt secundùm literam accipere, id est, non aliter in- E telligere, quàm littera sonat; & potuerit euitare blasphemias, & omnia congruentia fidei Catholicæ prædicare; non solùm ei non est inuidendum, sed præcipuus, multúmque laudabilis intellector habendus est. Si autem nullus exitus datur, vt piè & dignè de Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figuratè atque in ænigmate proposita ista credamus, habentes auctoritatem Apostolicam, à quibus tam multa de libris veteris testamenti soluuntur ænigmata: modum, quem intendimus teneamus, adiuuante illo, qui nos petere, quærere, & pulsare, adhortatur, vt omnes istas figuras rerum, secundùm Catholicam fidem, siue quæ ad histo- riam, siue quæ ad prophetiam pertinent, explicemus; non præiudicantes meliori diligentiorique tractatui, siue per nos, siue per alios, quibus Dominus reuelare dignatur. *Et hic quidem textus Augustini vtilissimus, tum ad quærendum scripturæ verum sensum, secundùm fidem; tum ad discernendum genuinum hæretici à Catholico, in quæstionibus de fide proponendis.*

17. REGVLA FIDEI. *Id est, symbolum Apostolorum. Quod, cum Tertulliano regulam etiam fidei vocant. Orig. in Proœmio libr. Periarch. Clem. Alex. 4. Strom. Iren. lib. 1. Aliique: sed maximè noster Augustinus Ser. 1 in vigil. Pent. de expositione Symboli.* S. Augus. Sancti Apostoli certam regulam fidei tradiderũt, quam secundùm numerum Apostolicum duodecim sententiis comprehensam, Symbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & per quam hæreticam conuincerent prauitatem. EMISSVM. *Ex ore, id est intellectu Patris genitum*: Ex ore altissimi prodij. IN NOMINE DEI. *Sicut sæpè in Euangelio dixit, se venisse in nomine Patris sui, ad gloriam eius declarandam hominibus: sic in veteri lege, quasi sua incarnationi præludens, diuersimodè sanctis Patriarchis apparuit, & Prophetis locutus est.* EX SPIRITV ET VIRTVTE. *Alludit ad ista*: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. EGISSE. *De facto fuisse Iesum Christum, vnicum Regem & Sacerdotem, Saluatorem mundi, in regno & Sacerdotio Iesu Naue duce & principe populi, & Iesu Iosedech Sacerdote figuratum, ipsum in veritate repræsentantem.* NOVAM PROMISSIONEM. *Quia lex vetus terram tantùm lacteam promittebat.* VIRTVTES. *Miracula.* EREPTVM. *Terræ scilicet, vel oculis Apostolorum, dum*, nubes suscepit eum ab oculis eorum. VICARIAM VIM. *Alium Paracletum, vices Christi sponsi, doctoris, consolatoris post eius discessum, supplentem.* CREDENTES AGAT. Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei. *Vide dicta Scholio præcedenti, & alibi.* CLARITATE. *Gloriâ.* Deus noster manifestè veniet. Sicut vidistis eum ascendentem in cœlum. SVMENDOS. Sumam vos ad meipsum. FRVCTVM. *Fruitionem.* RESTITVTIONE. *Sic Petrus in Actis*: Quem oportet cœlum suscipere, vsque ad tempus restitutionis omnium. PENDERE. *Vtrimque suspendi in dubij æquilibrio.* FRATER ALIQVI. *Aliquis Doctor Christianus.* DONATVS. Alij datur sermo scientiæ, &c. TECVM TAMEN. *Nihilominus, similiter.* NOVISSIME. *Tandem vt concludam.* IGNORARE. *Curiosa & superflua.* EXERCITATIO. *Disputatio de scripturis.* IN REGVLA. *In Symbolo tota continetur fides.* GLORIAM. *Vanam*: Quia Scientia inflat. NON OBSTREPANT. *Curiosi fratres, & hæretici.* ADVERSVS REGVLAM. *Contra fidem præscriptam in Symbolo. Multa quidem sunt, quæ salua fide curiosè & exercitationis gratiâ quæri & disputari possunt. De fide autem, simpliciter eius regula in Symbolo contenta sine disceptatione credenda est. Aug. to. 1. lib. 2. de Ordine cap. 5.* Duplex est via, quam se- S. Augus. quimur, cùm rerum nos obscuritas mouet, aut rationem, aut certè auctoritatem. Philosophia rationem promittit, & vix paucissimos liberat *Ab obscuritate & proinde errore, facilè enim in tenebris errat.* Quos tamen non modò non contemnere illa mysteria, *Occulta prouidentia Dei de quibus tractabat*, Sed sola intelligere, vt intelligenda sunt, cogit. *Nempè iusta in omnibus esse Dei iudicia.* Nullumque S. Augus. aliud habet negotium, quæ vera, & vt ita dicam, germana Philosophia est, quàm vt doceat, quòd sit omnium rerum principium sine principio, quan-

tusque in eo maneat intellectus, quidue inde in nostram salutem sine vlla degeneratione *A bonitate eius, sapientia, &c.* manauerit: quem vnum Deum omnipotentem, eumque tripotentem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum docent venerauda mysteria, quæ fide sincerâ & inconcussâ populos liberant: nec confusâ, vt quidam: nec contumeliosâ, vt multi prædicant. Quantùm autem illud sit quòd etiam nostri generis corpus, tantus propter nos Deus assumere atque agere dignatus, quàtò videtur vilius, tantò est clementiâ plenius, & à quadã ingeniosorum superbiâ, longè latéq; remotius. *Sine, vt ait alibi*, Quantò tu elatior, tantò ille à te altior. *Quæ sint quæstiones, quæ absque præiudicio fidei agitari possunt, docet Aug. to. 7. libro 2. de Peccato originali contra Pelagium & Celestium cap. 23.* S. August. Longe aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quàm sunt illæ, in quibus, salua fide qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiua suspenditur, aut aliter quàm est, humanâ & infirmâ suspicione coniicitur. Veluti cùm quæritur, qualis vel vbi sit paradisus; vbi constituit Deus hominem quem formauit ex puluere; cùm tamen esse illum paradisum fides Christiana non dubitet. Vel cùm quæritur, vbi sit nunc Helias, vel Enoch; an ibi, *In paradiso*, an alicubi alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus viuere. Vel cùm quæritur, vtrùm in corpore, an extra corpus, in tertium cœlum sit raptus Apostolus: quamquam sit ista impudens inquisitio, id scire volentium, quod se ille, cui hoc præstitum est, salua vtique fide nescire testatur. Vel quot sint cœli, in quorum tertium se raptum esse commemorat. Vel vtrùm elementa mundi huius conspicabilis quatuor an plura sint. Quid faciat Solem lunamque deficere, &c. Cur antiqui homines tamdiu vixerint, quàm Sancta Scriptura testatur; & vtrùm proportione longioris ætatis, filios serâ pubertate gignere cœperint. Vbi potuerit Mathusalem viuere, qui in Arca non fuit; qui, sicut in plerisque codicibus, & Græcis, & Latinis, numerantur anni, reperitur superuixisse diluuio: vel vtrum paucioribus, qui rarissimi inueniuntur, potiùs credendum sit, in quibus ita est numerus conscriptus annorum, vt ante diluuium defunctus fuisse monstretur: quis enim non sciat in his atque huiusmodi variis & innumerabilibus quæstionibus, siue ad obscurissima opera Dei, siue ad scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, & multa ignorari, salua Christiana fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine. *Et cap. sequenti probat non sic esse articulos fidei, quibus absque vlla quæstione, vel tergiuersatione simpliciter & absolutè credendum est. Maximè vbi agit de ruina humani generis ex Ada peccato, & iustificatione ex Christi gratia.* August. In horum duorum hominum causâ, propriè fides Christiana consistit. Vnus est enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Quoniam non est aliud nomen sub cœlo, datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri; & in illo definiuit Deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Itaque sine istâ fide, hoc est sine fide vnius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu, sine fide, inquam, resurrectionis eius, quam Deus hominibus definiuit, quæ vtique sine incarnatione eius, ac morte, non potest veraciter credi: sine fide ergo incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos iustos, vt iusti essent à peccatis, potuisse mundari, & Dei gratiâ iustificari, veritas Christiana non dubitat: siue in eis iustis, quos sancta scriptura commemorat; siue in eis iustis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluuium, vel inde vsque ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solùm in filiis Israël sicut fuerunt, sed etiam extra eumdem populum, sicut fuit Iob. Et ipsorum enim corda eadem mundabantur mediatoris fide, & diffundebatur in eis charitas per Spiritum Sanctum, qui vbi vult spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei gratia, gratia erit vllo modo, nisi gratuita fuerit omni modo.

18. *A fide anni vita censendi. De Monog. cap. 11. à m.*

1 Cor. 7. 27. a *Vinctus es vxori, ne quæsieris solutionem. Solutus es ab vxore, ne quæsieris vxorem: Si autem acceperis vxorem, non deliquisti*: Quia ante fidem soluto ab vxore, non numerabitur post fidem secunda vxor, quæ post fidem prima est. A fide enim etiam ipsa vita nostra censetur.

* 19. *In fide naufragi damnati. De pudic. cap. 13. circa f.*

1. Tim. 1. 19. NAufragos eos iuxta fidem pronuntiauit, non habentes iam solatium nauis Ecclesiæ. Illis enim venia negatur, qui de fide in blasphemiam impegerunt.

20. *Fidem non habens; vel ab ea excidens, mortuus est. De Car. Chri. cap. 2. in m. V. Marcion.*

EX qua, oro te, auctoritate? si propheta es, præmuntia aliquid. si Apostolus, prædica publicè. si Apostolicus, cum Apostolis senti; si tantùm Christianus es, crede quod traditum est. similis istorum es, meritò dixerim, morere. nam & mortuus es, qui non es Christianus, non credendo, quod creditum Christianos facit. Et eò magis mortuus es, quò magis non es Christianus, qui cùm fuisses, excidisti, rescindendo quod retrò credidisti.

FIDES. XVIII. XIX. & XX. SCHOLIA.

VINCTVS ES VXORI. *1. Cor. 7. 27.* Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti. *Tertullian. secutus est translationem Syriacam.* ANTE FIDEM. *susceptam fœlices: vir per mortem vxoris solutus Matrimonij vinculo; si post fidem susceptam, alteri nubat, non censebitur Bigamus, nec secundæ vxori iunctus reputabitur: quia primum Matrimonium non erat Sacramentum, vtpote inter Ethnicos contractum, sed solum contractus ciuilis. Vxor igitur ducta post baptismum, prima ei vxor esse censetur.* A FIDE ENIM. *&c. Quia,* inquit, *cum vita nostra ipsa & animi eius censeantur & numerentur, ex quo fidem susceperimus,* Iustus enim ex fide viuit, & fides est quæ iustificat, hoc est viuificat impium; *Multò magis censeri, siue numerari debent Matrimonia, eorumque numerus, ab eo tempore, quo Christiani facti sumus. Quòd autem accepta fidei anni veræ vitæ sint computandi, sicut ex aduerso mors censenda à fide perdita; vide paulo infra numero. 20.*

19. NAVFRAGOS. *1. Tim. 1. 19.* Hoc præceptũ commendo tibi fili Timothee, secundũ præcedentes in te Prophetias, *Syr iuxta primas Prophetias quæ extiterunt de te.* Vt milites in illis in bonã militiã, habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt: *Syr. à fide exciderunt*: Ex quibus est Hymenæus & Alexander. *Fidei necessitatem ad euitandũ naufragiũ pulchrè docuit Aug. in Præfat. Psal. 31.* Nemo computet bona opera sua ante fidem: vbi fides non erat, bonũ opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valdè attendas, quid homo faciat, sed quid cũ facit, aspiciat; quò lacertos optimæ gubernationis dirigat. Fac enim hominem optimè gubernare nauim, & perdidisse quò tendit, quid valet, quia artemonẽ optimè tenet, optimè mouet, dat proram fluctibus, cauet ne latera infligantur, tantis est viribus, vt detorqueat Nauim, quò velit, atque vnde velit: & dicatur ei vsquequo is? & dicat, nescio: aut non dicat, nescio, sed dicat ad illum portum eo, nec ducat in portum, sed in saxa festinet; nonne iste quantò sibi videtur in naui gubernanda agilior & efficacior, tantò periculosius eam sic gubernat, vt ad naufragium properando perducat? &c. *Vbi vides fidem esse ducem vitæ, sine qua certum incurrit homo naufragium.* NON HABENTES IAM. *Error apertus Tertulliani, quo lapsos à fide, in nauim Ecclesiæ ad veniam recipi nolebat. Ecclesiam esse nauem alibi probauimus ex Augustino, & ad eam, eiusque malum, Christum crucifixum, in naufragio recurrendum saniis docuit Augustinus Ser. 2. de Verb Apost.* Veni ad Christum, noli longa itinera meditari. Vbi credis, ibi venis. Ad illum enim, qui vbique est, amando venitur, *Fide per dilectionem operante, vel charitate ipsa, qua ex Paulo omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet,* Non nauigando. Sed quoniam etiam in tali itinere abundant fluctus & tempestates diuersarum tentationum, in crucifixum crede, vt fides tua, lignum *Nauim* possit ascendere. *Non* mergeris, sed ligno portaberis. Sic sic in huius sæculi fluctibus nauigabat ille, qui dicebat, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Mirum est autem quod prædicato Christo crucifixo, *Et mirabilius quod Christo ipso in cruce pendente, & loquente, & orante, audiunt & vident duo latrones tam diuerso exitu,* Audiunt duo; vnus contemnit, *Nauim ascendit.* Alter ascendit. Qui contemnit, imputet sibi qui ascendit, non arroget sibi. Audiuit enim à veraci Magistro, nemo venit ad me, nisi datum fuerit à Patre meo. Gaudeat, quia datum est, gratias agat danti, corde humili, non arroganti: *Sicut Pharisæus superbè apud se orans, & de se præsumens alioquè despiciens, & dicens, gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum* Ne quod humilis meruit, *Publicanus* Superbus amittat *Pharisæus.* Nam etiam qui iam in ipsa via iusta ambulant, si sibi eam tribuerint, & viribus suis, pereunt de illa. *Vnde monet Psalles; exultate ei cum tremore, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Hoc est fide ipsa, quæ iustificat impium.* Ideò humilitatem nos docens Sancta Scriptura, per Apostolum dicit; cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Et ne sibi aliquid inde darent, quia dixit, operamini: continuò subiunxit, Deus enim est, qui operatur in vobis, & velle, & operari, pro bona voluntate. Deus est qui operatur in vobis: ideò cum timore & tremore vallem facite, imbrem suscipite. Depressa implentur, alta siccantur, gratia pluuia est. Quid ergo miraris, si Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiã? Ideò cum timore & tremore, id est cum humilitate; noli altum sapere, sed time. Time, vt implearis; noli altum sapere, ne ficceris. *Et ne extra spem ponat lapsum à gratia, vel fide; paulò post subiicit ex Psalte conturbato, ex auersione faciei Dei ab exaltato & humiliato:* Conturbatus, quia siccatus; siccatus, quia exaltatus. *Vt Gelboë indignus rore & pluuia* Dic ergo siccus & aridus, vt rursus implearis: anima mea velut terra sine aqua tibi. Dic, anima mea velut terra sine aqua tibi.

20. OROTEO *Marcion.* AVTHORITATE. *Contra fidem carnis Christi, & eius mysteria ab Ecclesia credita dogmatizas?* PVBLICE. *Es non in occulto vt solent hæretici noui, nocte cum dormiunt homines superseminare zizania tritico.* MAGIS NON ES, *&c. Subtiliter distinguit infidelitatem positiuam à negatiua, & ait, Marcionem, multo magis Christianum non esse, quàm sit ethnicus, qui numquam habuit fidem. Licet enim & hic infidelis sit, & proinde mortuus qui fidem non habet, qui tamen eam habuit, & priùs credidit, multò magis mortuus & infidelis habendus est. Acceptam enim Christi fidem, Christiani nomen & vitam sponte & positiuè perdidit.* RESCINDENDO. *Vox iuris, significans abrogare. Habes titulum in iure de rescind. vend. & de actione rescissoria, de qua in l. honorariis. §. Sed cum rescissa ff. de act. & oblig. vitam à fide pendere, vt mortem ab infidelitate profundè docuit Augustinus in Psal. 134. in versum* Qui percussit primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus. Primogenita nostra salua sint in Domino, *Cor primum viuens, & vltimum moriens, fides principium & fundamentum vitæ supernaturalis,* Quoniam ipse ea dedit nobis. Molesta autem pœna est, & nimiùm terribilis plaga, mors primogenitorum. Quæ sunt primogenita nostra? mores isti nostri, *Mores intelligit Ecclesiæ Catholicæ, de quibus scripsit.* Quibus nunc seruimus Deo, ipsa sunt primogenita nostra. Primitias enim habemus ipsam fidem, vnde incipimus. Ecclesiæ quippè dictum est; *In Canticis Canticorum* Venies & pertransies ab initio fidei: & nemo incipit benè viuere, nisi à fide. Fides ergo nostra in primogenitis nostris est. Quando custoditur fides nostra, cætera subsequi possunt. *Plene respon-*

Augustin. Augustin. S. Augustin.

det menti Tertulliani dicentis: à fide ipsa vita nostra censetur. Hoc est originem & exordium habet. Nam quando purgantur homines, *Deo, vt habeatur in Actis, per fidem purificante corda hominum.* Quotidie proficiendo in melius, meliusque viuendo, ipso interiore homine renouato de die in diem, sicut dicit Apostolus, &c. Idcò fit, quia primogenita fides viuit: *Aduerte & primogenitam filiam Iob dictam diem, quæ ex Gregorio significat fidem. Addo ego, hanc iustorum semitam crescere sicut lucem, & pertransire ab initio fidei, vsque ad perfectum diem.* De qua primogenita fide & Apostolus ait Rom. 8 non solum autem, *Supple omnis creatura ingemiscit.* Sed & nosipsi primitias spiritus habentes, id est dantes S. Augusti. Iam Deo primitias spiritus nostri, hoc est ipsam fidem tanquam primogenita nostra: tamen in nobismetipsis ingemiscimus adoptionē expectantes, redemptionē corporis. Si ergo magna Dei gratia est, vt conseruetur fides nostra: magna pœna est occidere primogenita; quando homines in afflictione Ecclesiæ constituti, perdunt fidem. Affligunt enim Ecclesiam, vt perdant fidem. Nam & ipsa Ægyptus afflictio interpretatur. Quicumque ergo affligunt Ecclesiam, quicumque scandala Ecclesiæ immittunt, & si Christiani appeliantur, moriuntur primogenita eorum. Erunt infideles, & erunt inanes. *Non pleni dierum, sed vacui, vnde Barnabas plenus fide & spiritu dicitur.* Habentes tantùm nomen & signum. *Characterem baptismi indelebilem. Cæterùm ei dicitur illud Apoc. nomen habes, quod vivas & mortuus es.* In corde autem primogenitum suum Augusti. sepelierunt, vsquedeò, vt quando eis aliquid dixeris, propter bonam vitam, propter spem vitæ æternæ, & propter timorem ignis æterni, apud se subsannent: aut si tales sunt, vt audeant coram te, os torqueant, & dicant, quis huc inde reuersus est? dicunt sibi homines quod volunt, & Christianus est. Sed quia affligens, occisus est primogenitus eius, mortua est fides eius: & hoc ab homine vsque ad pecus. Dicam, fratres, quod sentio. Homines intelligas spiritaliter significari, tanquam doctos, propter rationalem animam quod est homo; pecora verò, indoctos, sed tamen habentes fidem, nam non haberent primogenita. Sunt docti qui affligunt Ecclesiam, Schismata & hæreses faciendo. *Sicut Marcion aliique contemporanei Tertulliani.* Proinde nec in illis inuenis fidem, quoniam facti sunt Ægyptus, id est afflictio populo Dei. Occisa sunt primogenita eorum, trahunt post se turbas indoctas, ipsa sunt pecora. In hac ergo afflictione, qua Ecclesia affligitur, moritur in affligentibus fides. Moriuntur primogenita, & in ipsis doctis, & indoctis, quia occidit Deus *Non infundendo infidelitatem, sed iusto iudicio subtrahendo à superbis gratiam*, Primogenita Ægyptiorum ab homine vsque ad pecus.

21. *Fidei firmitas non pendet à lapsu doctorum. De Præscr. cap. 3. à p.*

QVid ergo si Episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regula fuerit, ideò hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?

FIDES. XXI. SCHOLIA.

MARTYR. *Qui propriè confessor fidei est, & apud Græcos, testis eius, dum in carcere torquetur; si postea vi tormenti, vel blanditiis, aut præmiis ablatis, à recta fidei regula deficiat in hæresim, aut idolatriam; non ideo hæresis vincet veritatem fidei Catholicæ, contra quam nec porta inferi prævalebunt.* OBTINERE. *Vox iuris significans idem quod vincere l. 5. §. 5. ff. Iudic. solu. in Iure Canonico obtinere quis dicitur, qui ius in re habet, quam canonicè possidet.* EX PERSONIS. *Sanctitas & firmitas fidei non pendet ex personis, sed personarum sanctitas, & constantia, & vita ipsa iustorum à fide dependet. Licet ergo Episcopi, & ipsi Martyres multa iam passi pro fide, defuerint; ipsis deficientibus, fides Ecclesiæ non deficit,* Fundata est quippè supra firmā Petram. *Homo verò supra ipsam fragilitatem suam. Non ergo magna fides est, & viua, & excellens quia in magnis hominibus inuenitur. Sed magni, vini, excellentes sunt homines, quia magnus Dominus, solus author fidei, magnam eis dedit fidem per quam excellenter viuerent, vel à morte per fidem suscitati, in æternum viuerent. Nec enim Episcopi, vel doctores, vel ipsi Apostoli, quamquam in fide & sanctitate vitæ gygantes fuerint, vel vnum peccatorem ad vitam fidei, vel gratiæ suscitare vnquam potuerunt. Psal. 87.* Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? *In quem locum Aug.* S. Augusti. Significat isto verbo, quo ait, numquid mortuis? &c. Homines corde ita mortuos, vt eos ad vitam fidei tanta Christi mirabilia non mouerent, &c. Aut Medici suscitabunt? &c. In Hæbræo quidem aliter se habere firmatur: non enim Medici, sed gygantes esse perhibentur, &c. Si superbos Gygantum nomine insinuatos intelligamus, de quibus dicit Apostolus 1. Cor. 1. vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius sæculi? *Id est curiosus scrutator rerum.* Non fuit incongruum, eosdem Medicos nuncupare, velut per artem sapientiæ suæ promittentes animarum salutem. Contra quos dicitur Psal. 3. Domini est salus. Si autem in bono acceperimus gygantes, quia & de ipso Domino dictum est, exultauit vt gygas ad currendam viam, &c. Non est absurdum, vt ijdem ipsi magni & fortes, etiam Medici vocentur. Vnde dicit Apostolus Paulus, Rom. 11. Si quomodo æmulari potero carnem meam, *Cum zelo ædificare gentem Iudæam.* Vt saluos faciam aliquos ex illis. Sed etiam tales Medici, quamuis non de suo curent, quia nec Medici corporis curant de suo, tamen quantumlibet per fidele mysterium opitulentur saluti, viuentes curare possunt, non mortuos excitare; de quibus dictum est numquid mortuis facies mirabilia? nimis enim occulta Dei gratia, est, qua hominum mentes quodammodo reuiuiscunt, vt possint à quibuslibet eius ministris præcepta sanitatis audire. Quam gratiam commendat in Euangelio Dominus dicens, Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, &c. Nisi fuerit ei datum à Patre meo. *Vt audiat scilicet verba vitæ.* Vt ostenderet eam ipsam fidem, qua credit, & ex morte sui cordis anima reuiuiscit, dari nobis à Deo. Quantumlibet ergo existant excellentes verbi prædicatores & veritatis, etiam per miracula sua fortes, tanquam magni Medici agant cum hominibus, si mortui sunt, & tua gratia non reuixerint; numquid mortuis facies mirabilia aut medici exsuscitabunt, & hi, quos exsuscitabut, confitebuntur tibi? hæc

enim confessio indicat viuos : non sicut alibi scriptum est, *Eccli. 17.* A mortuo velut qui non sit, perit confessio, &c. Numquid enarrabit quis in sepulcro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? &c. Animæ namque mortuæ corpus sepulcrum est. Vnde Dominus in Euangelio talibus dicit : similes estis sepulcris dealbatis, &c. *Quòd tandem ex fide, personarum excellentia probetur, probatur ex fidei ipsius dignitate. Quod probat Aug. in Psal. 72. in versum : propter dolos posuisti eis :* August. Quia, *inquit*, dolosi sunt, dolos patiuntur, &c. Vt terrena bona eligant, & relinquant æterna. &c. Qualecor habet quis, vt inueretur vestem, & perdat fidem? ille cui tulit vestem, passus est fraudem, an iste, qui tanto damno percutitur? si pretiosior est vestis quàm fides, maiore damno ille afficitur. Si autem incomparabiliter fides excedit totum mundum, ille videbitur damnum vestis perpeti; huic autem dicitur, quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ damnum patiatur? *Patitur autem, quia per fidem mortuam sine operibus, & ipse moritur. Et quantum perdit qui dignitatem Filij Dei, & hæreditatem gloriæ perdit? maneat homo, maneat doctor, Episcopus, Rex, Pontifex; si fidem amisit, totum perdidit.* Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. *Accipite Augustinum ser. 1. de verbis Apost. in f.* S. August. Nullæ sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quàm est fides Catholica; quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat, virgines, viduas, & coniugales, casto pudore conseruat. Clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, in æterna hæreditate cum Angelis sanctis communicat. Sicut ipse Dominus promittendo confirmat : in resurrectione, neque nubunt, neque vxores ducunt, sed, erunt æquales Angelis Dei.

22. Fides Catholica liberè tuenda contra Sophistas, hæreticos & ethnicos; tenendo Deum omnia de nihilo creasse, Christi verum corpus sumptum de virgine, carnem excitandam de morte 5. Cont. Marc. cap. 19. in m.

CVm monet [a] *Cauendum à subtililoquentia & Philosophia, & inani seductione, quæ sit secundùm elementa mundi* : Non secundùm cœlum aut terram dicens, sed secundùm litteras seculares, & *Secundùm traditionem* ; Scilicet hominum subtililoquorum & Philosophorum : longum est quidem, & alterius operis, ostendere, hac sententia omnes hæreses damnari, quòd omnes ex subtililoquentiæ viribus & Philosophiæ regulis constent. Sed Marcion principalem suæ fidei terminum, de Epicuri schola agnoscat, Dominum inferens hebetem, ne timeri eum dicat; collocans & cum Deo Creatore materiam, de portieu Stoïcotum : negans carnis resurrectionem, de qua proinde nulla Philosophia consentit. Cuius ingeniis tam longè abest veritas nostra, vt & iram Dei exigitare formidet, & omnia illum ex nihilo protulisse confidat, & carnem eandem restituturum repromittat, & Christum ex vulua virginis natum non erubescat, ridentibus philosophis, & hæreticis, & ethnicis ipsis. [b] *Stulta* enim *Mundi elegit Deus, vt confundat sapientes* : Ille sine dubio, qui ex respectu huius suæ dispositionis, [c] *Perditurum, se sapientiam sapientium* Præminabatur. Hac simplicitate veritatis, contraria subtililoquentiæ & philosophiæ, nihil peruersi possumus sapere.

[a] Coloss. 2. 8.
[b] 1. Cor. 1. 27.
[c] Esa. 29. 14.

FIDES. XXII. SCHOLIA

CVM MONET. *Paulus scilicet. Coloss. 2. 8.* Videte ne quis vos decipiat. *Syr. spolier. Habitu scili et finet* Per Philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum; *Syr. doctrinam* Secundum elementa mundi, *Syr. rudimenta* Et non secundum Christum. *Aug. ep. 59. ad Paulinum*, Quibus ita scribit, metuebat eos seduci vmbris rerum dulci nomine scientiæ, & auerti à luce veritatis, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hanc autem sub nomine sapientiæ vel scientiæ, curam vanarum superfluarumue obseruationum, & de superstitione Gentilitatis, maximéque ab eis qui Philosophi sunt nuncupati, & à Iudaïsmo cauendam esse cernebat, vbi erant vmbræ futurorum remouendæ, quoniam lumen earum iam Christus aduenerat, &c. Vult eos fide nutriri vt capaces fiant participandorum thesaurorum sapientiæ & scientiæ, qui sunt absconditi in Christo, ne antequam sint ad hæc idonei, verisimili sermone capiantur, & à veritatis itinere deuient. *Et tibio primo e Ger. addi.* Respondendum est hominibus, qui calumniari libris nostræ salutis & eruditionis affectant, vt quidquid ipsi de natura rerum *Hec sunt elementa mundi* Veracibus documentis demonstrare potuerunt, ostendamus nostris literis non esse contrarium : quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus, nostris literis, id est Catholicæ fidei contrarium protulerunt, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum. Atque ita teneamus mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ absconditi, vt neque falsæ Philosophiæ loquacitate seducamur, neque falsæ religionis superstitione terreamur. ALTERIVS OPERIS. *Alterius quàm instituti nostri.* TERMINVM. *Scopum.* DOMINVM HEBETEM. *Deum otiosum & stupidum, nihil humana curantem, nulla re commotum, iraſci & vlcisci impotentem, ne Deum tremendum colat, sed mitem tantummodo & bonum, qualem induxit Epicurus, vel vt Stoici in suo porticu & Schola docuerunt, sic Hermogenes negat Deum ex nihilo creasse omnia, quia ex nihilo nihil fieri Philosophi crediderunt; Ideoque materiam Deo coæuam, ipsi necessariam ad mundi fabricam sensit Hermogenes & Marcion, vt patet 1. Cont. Marc. c. 15. in m. Veritem idem Marcion cum Sadducæis negauit carnis resurrectionem, cui omnis Philosophia contradicit, dicens:* A priuatione ad habitum, non dari regressum. INGENIIS. *Ab ingeniis, sententiis, & opinionibus Philosophiæ, vel Marcionis.* VERITAS NOSTRA. *Fides nostra.* ILLE. *Deus Creator, & author vtriusque legis.* EX RESPECTV. *Præsen-*

maximè dispensatione Incarnationis filij sui, per quem de nihilo fecit & facula, cuius merito, carnem omnem hominum suscitabit. His inspectis mysteriis, & propter illa dixit Paulus, stulta mundi elegisse Deum, & ideò citat illud Esaiæ 29. 14. Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis: Ideò ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentiũ eius abscondetur. 70. autem Fruſtra colunt me, docentes hominum præcepta atque doctrinas. Propterea ecce adiiciam, vt transferam populum istum; & transferam eos: & perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium abscondam.

23. Fidei sancta impudentia, erubescere non debet confiteri Christum priùs pro nobis confixum; vt Deo satisfaciat pro impudentia idololatriæ. 4. Cont. Marc. cap. 21. in f.

CEterùm, vt non verus, qui non videbatur; ita nec de crucis maledicto erubescendus, cuius carebat veritate, carens corpore. Non poterat itaque dixisse, [a] *Qui mei confusus fuerit.* Noster hoc debuit pronuntiasse, [b] *Minoratus à patre modico citra angelos:* [c] *Vermis, & non homo; ignominia hominis, & nullificamen populi;* Quatenus ita voluit, [d] *Vt liuore eius sanaremur*, Vt dedecore eius salus nostra constaret. Et meritò se pro suo homine deposuit, pro imagine & similitudine sua, non aliena; vt, quoniam homo non erubuerat lapidem & lignum adorans, eâdem constantiâ non confusus de Christo, pro impudentia idololatriæ, satis Deo faceret per impudentiam fidei. Quid horum Christo tuo competit, Marcion, ad meritum confusionis? Planè pudere te debet, quod illum ipse finxisti.

a Luc 9. 26.
b Psal. 8. 6.
c Psal. 21. 7.
d Esa. 53. 3.

FIDES. XXIII. SCHOLIA.

VT NON VERVS. *Christus Marcionis Phantasticus, qui proindè non verè videbatur, qui vere nõ erat obiectum visus, sed illusorium.* ERVBESCENDVS. *Proindè nec verè crucifixus; vnde nec à suis erubescendus, qui maledictum crucis & opprobrium non subierat. Non ergo Christus Marcionis potuit hoc dicere Luc. 9. 26.* Qui me erubuerit, & meos sermones; hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum. *Vel vt habet Syriaca, cui respondet Tertull.* Quem autem puduerit mei, meorumque sermonum; pudebit eius filium hominis, cùm venerit in gloria Patris sui, cum Angelis suis Sacrosanctis. *Noster Christus in veteri lege Prophetatus, & omnem humiliationem & confusionem passus, vt legem impleret, infra Angelos, hominum nouissimus, vermis & opprobrium factus. Locos scripturæ alibi relatos prætereo.* PRO SVO HOMINE. *Quem fecit ad imaginem suam. Cum Deus & Christus Marcionis ne vermiculum quidem fecerit.* DEPOSVIT. Humiliauit semetipsum, &c. LAPIDEM ET LIGNVM. *Deos lapideos & ligneos.* DE CHRISTO. *Lapide offensionis & Petra scandali, in ligno crucis crucifixo.* IMPVDENTIA IDOLOLATRIÆ. *Quæ enim maior, quàm opera manuum hominum, & vilium artificum, insensibilia, & irrationabilia homines rationales, & Philosophos, & Senatores, & Imperatores adorare, contempto Deo vero, vnico rege regum, & Domino dominantium, in terra eius, de auro, thure, bonis eius? Hinc per Prophetam exprobrat:* Hæc nescivit quia ego dedi ei aurum & argentum, quæ fecerunt Baal. PER IMPVDENTIAM FIDEI. *Hanc satisfactionem exigit Deus, vt frontosa sit fides conuersi, & sanctè impudens, vt* Christum Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam, *Deum crucifixum sine confusione & erubescentia confiteantur, qui iuxta Paulum, propter gloriam Patris, nostramque salutem,* Proposito gaudio, sustinuit crucem confusione contemptâ. FINXISTI. *Mendacem & impostorem Christum tuum phantasticum inuexisti. Egregiè, in scopum Tertulliani collimat Augustinus, in Psal. 68 in versum,* Quoniam propter te sustinui exprobrationem, operuit irreuerentia *Confusio* Faciem meam. Nihil magnum est quod dicitur, sustinui: sed quod dicitur, propter te sustinui. Si enim sustines quia peccasti, propter te sustines, non propter Deum. Quæ enim vobis gloria est, ait Petrus, si peccantes punimini, & suffertis? Si autem sustines quia mandatum Dei seruasti, verè propter Deum sustines, & merces tua manet in æternum, quia propter Deum sustinuisti opprobria. Ideò enim prior ille sustinuit, vt nos sustinere disceremus. Et si ille, qui non habebat, quod illi obiiciebatur; quantò magis nos, qui etsi non habemus peccatum, quod nobis obiicit inimicus, habemus tamen alterum, quod dignè in nobis flagelletur, &c. Porrò si ille, qui omnino nihil rapuerat, qui verissimè dixerat, ecce venit princeps mundi huius, & in me nihil inueniet, dictus est peccator, dictus est iniquus, dictus est Beelzebub, dictus est insanus: tu dedignaris, serue, audire pro meritis tuis, quod Dominus audiuit, nullis meritis suis? ille venit, vt tibi præberet exemplum, &c. Ecce tu audis, & deficis. Fruſtrà ergo ille audiuit; non enim propter se, sed propter te audiuit. Quoniam propter te sustinui exprobrationem, operuit irreuerentia faciem meam. Irreuerentia quid est? non confundi, &c. Ergo irreuerentia, quasi impudentia est. Oportet vt habeat Christianus irreuerentiam istam, quando venerit inter homines, quibus displicet Christus. Si erubuerit de Christo, de libro viuentium delebitur. Opus est ergo vt habeas irreuerentiam, quando tibi de Christo insultatur: quando dicitur, cultor crucifixi, adorator malè mortui, venerator occisi. Hæc si erubueris, mortuus es. *Quia fidem amittis, de libro viuentium ex fide deleris; cum iustis, qui ex fide viuunt, non scriberis* Sententiam quippè ipsius vide, qui neminem fallit: qui me erubuerit coram hominibus, & ego, &c. Obserua igitur tu, sit in te irreuerentia. Frontosus esto, quando audis opprobrium de Christo, prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis Christi armasti? *Et Concione 2. in eundem psalmum à p. in versum*: Tu agnoscis opprobrium meum, & confusionem meam, & verecundiam meam. Quid est opprobrium meum? quid est confusio? quid est verecundia? opprobrium est, quod obiicit inimicus; confusio est, quæ mordet conscientiam; verecundia est, quæ facit ingenuam frontem, etiam de falsi criminis obiectione erubescere. Erubescere quidem,

S. Augustin.

S. Augustin.

non est crimen : aut si crimen est, non est illius cui obiicitur, sed eius qui obiicit. Sed tamen infirmitas humani animi plerumque verecundatur, etiam cùm falsum obiicitur; non quia obiectum est, sed quia creditum. Omnia hæc sunt in corpore Domini, *Ecclesiâ & fidelibus*: Nam confusio in illo non
Augusti. poterat esse, in quo culpa non inueniebatur. Obiiciebatur crimen Christianis, hoc ipsum quòd Christiani essent. Illa quidem gloria erat. Fortes libenter accipiebant, & sic accipiebant, vt omnino in Nomine Domini sui non erubescerent, operuerat enim irreuerentia faciem ipsorum habentium frontem Pauli dicentis: non enim erubesco Euangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti. O Paule, nonne tu es adorator Crucifixi? parum est, *inquit*, inde mihi non erubescere, imò hinc solùm glorior, vnde me putat inimicus erubescere: mihi autem absit gloriari, &c. Huic ergo tali fronti opprobrium solum poterat obiici: nam nec confusio poterat esse in conscientia iam sanata, nec verecundia in fronte iam libera. Sed cùm obijceretur quibusdam, quòd Christũ interfecerint, meritò compuncti sunt malâ conscientiâ, & salubriter confusi atque conuersi, vt possent dicere, tu cognouisti confusionem meam. Tu ergo Domine nosti non solùm opprobrium meum, *pro Christo loquitur*, Sed & confusionem meam in quibusdam, & verecundiam in quibusdam; qui quamuis in me credant publicè me tamen coram impiis confiteri erubescunt, plus apud se valente linguâ humanâ, quàm promissione diuinâ.

24. Fides non omnibus communiter & promiscuè datur. De Anima, cap. 6. à m. ad 2. Thess. 3. 2.

NOn *omnium est credere*, Quod Christianorum est.

FIDES NON OMNIBVS. XXIV. SCHOL.

NON OMNIVM. *Huic Tertulliani sano dogmati, vtrumque conforme est testamentum. Hoc enim Psaltes Iudæis adgratulans cecinit Psal. 75.* 1. Notus in Iudæa Deus: in Israël magnum nomen eius. *Et rursum: Psal. 147. versu vltimo.* Qui annuntiat Verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. *Esaias item eidem adblandiens populo præ gentibus electo cap. 60. 2.* Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, *70. caligo super Gentes*; super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. *Num autem Testamentum organo Pauli id testatur 1. Thess. 3. 1. & seq.* De cætero fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium est fides. *Quod idem est quod hîc ait Tertullianus:* NON OMNIVM. *Sanctus Prosper lib. 3. Responsionum ad Genuenses in Respons. ad dubium 3. vbi agit de errore Augustini circa initia fidei, quæ in hominis libertate posuerat, antequam à Deo reuelationem accepisset.* Cùm, *inquit*, omnes opiniones suas censoriâ grauitate discuteret, istam quam obtrectatores eius eligunt improbasse respondet libro 2. Retract. cap. 1. quam ante Pelagianæ hæresis ortum, futuro errori amicam esse præuidit. ET REVELATA SIBI GRATIÆ VERITATE REIECIT. Quæ igitur ratio est, vt hanc viri huius professionem non approbemus, qua nos ad castigandas opiniones nostras, si quas fortè imprudenter incidimus, exemplo suæ correctionis instituit: &c. Quam peruersitatem omnino incurrit, qui fidem ad Dei munera non putat pertinere: aut ideò eam se iactitat ad Deum referre, *Quod Pelagius iactabat*, Quia ab ipso sit creata natura, cui rationabilem inseruit libertatem, per quam vnusquisque, & credere, & non credere, in sua habeat potestate: & de hoc naturali bono, qui nullis præcedentibus meritis cùm crearetur, accepit, cætera dona mereatur. Hoc autem qui asserit, fatetur credo nobiscum, quòd in primo Adam omnium hominum natura vitiata sit; nec negat illam in suo lapsu suas amisisse virtutes, quas nisi per gratiam recipiat, habere non possit. Quid est autem, quod eidem naturæ solam fidem non vult esse præreptam, quam nisi primam amisisset, cæteris bonis omnibus non careret? credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo: Et cùm spiritu superbiæ inebriatus esset, discessit à Domino cor eius. Et factus est seruus apostatæ, dum vult esse liber iustitiæ. Cùm itaque non haberemus continentiam, &c. nisi has virtutes Spiritus sanctus daret, quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum eius inueniretur, nisi eam idem Spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet? Vnde si quod Adam perdidit, posteritas non amisit, ipsum solum læsit peccatum eius, & non genus humanum. Sed omnes in vno peccauerunt, & præuaricationis merito, tota eius propago damnata est: Omnes igitur quod Adam perdidit perdiderunt. Perdidit autè primitus fidem, quam omnes quia primum potuimus amittere, primam habemus accipere. Placeat ergo nobis hæc gratiæ prædicatio, qua fides donum Dei esse defenditur, & in nullo nobis poterit Pelagianus error illudere: qui vt gratiam persuadeat debitam, fidem non vult esse donatam. *Benè itaque Tertullianus sequens Paulum, & præueniens Augustinum non humanæ libertati, sed Dei bonæ voluntati tribuit donum fidei, vbi dicit:* NON OMNIVM EST CREDERE. *In quem Pauli locum D. Thomas lectione 3,* Ostendit, *inquit*, quid petendum est vt tollantur impedimenta prædicationis. Ideo dicit currat: sicut Coloss. 4. orantes simul etiam pro nobis, vt Dominus aperiat nobis ostium sermonis ad loquẽdum mysterium Christi. Item vt clarificetur, scilicet per claram & lucidam expositionem apud rudes, & sapientes, sicut & apud vos, &c. Item per miracula, quæ sunt demonstrationes fidei. Est enim omnis scientia clara, per demonstrationem. Et hoc est orandum Act. 4. Da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. Item secundò orandum est pro prædicatoribus, vt liberentur ab importunis, & malis hominibus, scilicet Pseudapostolis, qui sunt importuni in disputando, mali in seducendo. Vel à persecutoribus, qui cogitauerunt iniquitatem in corde. Et ratio huius petitionis est, quia omniũ non est fides. Quia licet videantur habere eam, non tamen habent veram. Esa. 53. Domine, quis credidit auditui nostro? Rom. 10. non omnes obediunt Euangelio.

In quem rursum locum Doctor Angelicus lect. 2. in Rom. 10. Ostendit, *inquit*, ex prioribus non semper sequi posteriora. Licet enim non possit esse quòd quis credat, nisi audiat à prædicante; non tamen

quicumque audit à prædicante, credit. Et hoc eſt A quod ſubdit, non omnes obediunt Euangelio 2. Theſſ. 3. non enim omnium eſt fides. Hoc autem dicit, ideò, vt oſtendatur quòd verbum exterius loquentis, non eſt cauſa ſufficiens fidei, niſi cor homines attrahatur virtute Dei loquentis. Io. 6. omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me. Et ſic, quòd homines credunt, non eſt attribuendum prædicatoris induſtriæ. Per hoc etiam oſtenditur, quòd omnes increduli non excuſantur à peccato; ſed illi qui non audiunt, & non credunt. Io. 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. *Qui tamen nec ſi Chriſtum non audiſſent, & eius miracula non vidiſſent, ſine peccato fuiſſent. Sed ſignanter dixit:* De peccato ſuo, *Hoc eſt incredulitate in Chriſtum. Vnde Auguſtinus tract. 89. in Io.* Quid eſt ergo, ſi non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent? Numquid ſine peccato erant Iudæi, antequam Chriſtus ad eos veniſſet? quis hoc vel ſtultiſſimus diceret? ſed magnum quoddam peccatum, non omne peccatũ quaſi ſub generali nomine vult intelligi: hoc eſt enim peccatum quo tenentur cuncta peccata: quod vnuſquiſque ſi non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc eſt autem, quia non crediderunt in Chriſtum, qui propterea venit, vt credatur in eum. Hoc peccatum ſi non veniſſet, non vtique haberent: aduentus quippè eius, quantùm credentibus ſalutaris, tantùm non credentibus exitialis factus eſt. B C

Subdit de Gentilibus: Poteſt, *inquit*, mouere quærentes, vtrùm hi, ad quos non venit Chriſtus, nec locutus eſt eis, habeant excuſationem de peccato ſuo. Si enim non habent, cur hîc dictum eſt, propterea iſtos non habere, quia venit, & locutus eſt eis? ſi autem habent, vtrùm ad hoc habeant, vt à pœnis alienentur, an vt mitiùs puniantur? Ad hæc inquiſita pro meo captu, Domino donante reſpondeo: habere illos excuſationem, non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus. Sed non in eo ſunt numero hi, ad quos in diſcipulis venit, & quibus per diſcipulos eſt locutus. Quod & nunc facit. Nam per Eccleſiam ſuam venit ad Gentes, & per Eccleſiam ſuam loquitur Gentibus, &c. Reſtat inquirere vtrum hi, qui priuſquam Chriſtus veniret in Eccleſiam ad Gentes, & priuſquam Euangelium eius audirent, vitæ huius fine præuenti ſunt, ſeu præueniuntur, poſſunt habere hanc excuſationem? poſſunt planè; ſed non ideo poſſunt effugere damnationem. Quicumque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Quæ quidem Apoſtoli verba, quoniam id quod ait, peribunt, terribiliùs ſonat, quàm quod ait, iudicabuntur: non ſolùm nihil adiuuare hanc excuſationem, videntur oſtendere, verum etiam plus grauare: qui enim ſe, quia non audierunt, excuſabunt, ſine lege peribunt, &c. Qui certè vtique, niſi in eo Saluatore ſaluentur, qui venit quærere quod periret, ſit, perditionem ſine dubio pertinebunt. Quamuis dici poſſit, alios grauiùs, alios leuiùs perituros: id eſt alios grauiores, alios leuiores pœnas in ſua perditione paſſuros. D E

S. Auguſt.

S. Auguſt.

Redeo ad D. Thomam, qui eâdem lect. 2. in Rom. 10. Fides eſt virtus infuſa diuinitus. Philipp. 1. vobis datum eſt, vt in eum credatis. Ad fidem autem duo requiruntur: quorum vnum eſt cordis inclinatio ad credendum; & hoc non eſt ex auditu, ſed ex dono gratiæ: Aliud autem eſt determinatio de credibili: & iſtud eſt ex auditu. Et ideò Cornelius, qui habebat cor inclinatum ad credendum, neceſſe habuit vt ad eum mitteretur Petrus, qui ſibi determinaret quid eſſet credendum.

NON OMNIVM EST CREDERE. *Cur non omnium eſt? An non fides pendet ab hominis libera voluntate? Auguſtinum accipe libro de ſpiritu & littera cap. 30.* De illa, *inquit*, fide quærimus, vtrùm in poteſtate ſit qua credimus Deo, vel credimus in Deum. Hinc enim ſcriptum eſt Gen. 15. credidit Abraham Deo, & deputatum eſt illi ad iuſtitiam. Et Rom. 4. credenti in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides ad iuſtitiam. Vide nunc, vtrùm quiſque credat ſi noluerit; aut non credat, ſi voluerit. Quòd ſi abſurdum eſt, *Quid eſt enim credere, niſi conſentire, verum eſſe quod dicitur?* Conſenſio autem vtique volentis eſt: profectò fides in poteſtate eſt. Sed ſicut Apoſtolus dicit Rom. 1. nõn eſt poteſtas niſi à Deo. *Addo & ego ex Jo. 1. poteſtatem dedit filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ſicut Petro pater cœleſtis reuelauit.* Quid igitur cauſæ eſt, cur non & de iſta nobis dicatur 1. Cor. 4. quid enim habes quod non accepiſti? nam vt credamus, Deus dedit. Nuſquam autem legimus in ſanctis Scripturis: non eſt voluntas niſi à Deo: & rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo: quoniam mala voluntas iam ſola, peccatum eſt, etiam ſi deſit effectus, id eſt, ſi non habeat poteſtatem. Porrò cùm voluntas mala accipit poteſtatem implere quod intenditur, ex iudicio Dei venit, apud quem non eſt iniquitas. Punit etiam iſto modo, nec ideo iniuſtè, quia occultè. Auguſt. Auguſt.

Licet ergo nemo credat niſi volens, non tamen omnes accipiunt credendi poteſtatem, nec omnibus præparatur voluntas à Domino. *Vnde Tertullianus ſubiicit* QVOD CHRISTIANORVM EST. *Id eſt fidelium, qui vel olim in Chriſtum venturum, vel nunc in eum qui venit, credunt. Licet enim omni homini rationali naturaliter ſit indita poteſtas, id eſt facultas & potentia, ſiue capacitas ad credendum, non omnibus tamen, ſed quibus Deus vult miſereri, tribuitur, vera credendi poteſtas. Vnde Auguſtinus ep. 107. ad Vitalem* Numquid Apoſtolum Paulum pro Iudæis infidelibus habentem talia vota culpabis? de quibus ait Rom. 10. bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum pro illis in ſalutem. Quin etiam Theſſalonicenſibus dicit: de cætero fratres, orate pro nobis, vt Verbum Domini currat, & glorificetur, ſicut etiam apud vos, & vt eruamur ab iniquis & malis hominibus: non enim omnium eſt fides. Quomodo curreret, & glorificaretur Verbum Dei, niſi ad fidem conuerſis eis quibus prædicaretur: quandoquidem iam credentibus dicit, quemadmodum & apud vos? Scit certè hoc ab illo fieri, quem vult rogari vt hoc faciat, vt etiam eruatur ab iniquis & malis hominibus, qui profectò & illis orantibus, non erant crediturí. Propter quod addidit, non enim eſt omnium fides: tanquam diceret; non enim apud omnes, etiam nobis orantibus, glorificabitur Verbum Dei. Quia ipſi vtique fuerant crediturí, qui ordinati erant in vitam æternam, prædeſtinati in adoptionem filiorum penes ſum Chriſtum in ipſum, & electi in ipſo ante mundi conſtitutionem. Sed ideò Deus per orationes credentium, nondum credentes credere facit, vt oſtendat quia ipſe facit. Nemo eſt enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat, Deum facere, quod rogari Auguſt.

rogari se præcepit vt faciat. Hæc & alia testimonia A diuina, quæ commemorare longum est, ostendunt Deum gratiâ suâ auferre infidelibus cor lapideum, & præuenire in hominibus bonarum merita voluntatum. Ita vt voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non vt gratia merito voluntatis antecedente donetur. Hoc etiam gratiarum actio indicat, quod oratio: oratio pro infidelibus; gratiarum actio pro fidelibus. Qui enim est orandus vt faciat; illi est actio gratiarũ reddenda cùm fecerit.

Porrò cùm facultas rationalis sit omnibus hominibus & capacitas fidei, sapienter dixit Tertullianus. NON OMNIVM ESSE CREDERE, QVOD CHRISTIANORVM EST. *Quod pulchrè exponit Augustinus lib. de Prædest. Sanctorum cap. 5.* In hac, *inquit*, Augustin. Apostoli euidentissima intentione, qua contra humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur; dona Dei naturalia suspicari, siue ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, siue vitiatæ naturæ qualescumque reliquias, nimis quantùm existimo absurdum est. Numquid enim per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Hic autem priùs dixit: 1 Cor. 4 quis enim te discernit? & deinde addidit: quid autem habes quod non accepisti? posset quippè dicere homo inflatus aduersùs alterum *Sicut inflati erant de acceptis melioribus Magistris gloriantes.* Augustin. Discernit, me fides mea, iustitia mea, vel si quid aliud. Talibus occurrens C cogitationibus bonus Doctor: quid autem habes, *inquit*, quod non accepisti? à quo, nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi. Si autem & accepisti aut, quid gloriaris quasi non acceperis? Nihil autem huic sensui tam contrarium est, quàm de suis meritis sic quemquam gloriari, quasi ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei; sed gratia, quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est & bonis & malis. Sit ergo gratia naturæ attributa, qua sumus animantia rationalia, discernimurque à pecoribus. Sit etiam gratia naturæ attributa, qua in ipsis hominibus à deformibus pulcri, vel ingeniosi discernuntur à tardis, ac si quid huiusmodi est. Sed non se ille quem coërcebat Apostolus aduersùs pecus D inflabat, nec aduersùs hominem alterum, de aliquo naturali munere, quod inesse posset & pessimo: sed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam, sibi, non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit: quis enim te discernit? &c. Vt enim sit naturæ, fidem posse habere, numquid & habere? non enim omnium est fides: cùm fidem posse habere, sit omnium. Non autem ait Apostolus, quid autem potes habere quod non accepisti, vt posses habere? sed ait; quid autem habes, quod non accepisti? proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. Illa itaque natura, in E qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem: ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem, &c. Non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideò ad ipsam quoque fidem quæ in voluntate est, pertinet: quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?

Et quidem Pelagius ipse gratiam, qua hominis ad benè agendum liberum adiuuatur arbitrium expressè confiteretur non omnibus hominibus dari, sed solis Christianis. Licet & in hoc erret quòd gratiam fidei bono imputet usui libertatis, & proinde repugnet Apostolo donum gratiæ fidei gratis datum asserenti. Hæc sunt tam Pelagij verba quàm responsio Augustini lib. de gratia Christi cap. 31. vbi sic inducit se defendentem Pelagium. Ecce, *inquit*, ad beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua purè atque simpliciter, ad peccandum, & ad non peccandum, liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus, diuino semper adiuuatur auxilio. *Respondet Augustinus.* Cernitis itaque, pro intellectu, quem vobis S. Augustin. Dominus dedit, hæc eius verba soluendæ non sufficere quæstioni. Quærimus enim adhuc, quo auxilio liberum adiuuari dicat arbitrium, ne fortè sicut solet, velit intelligi legem atque doctrinam? Si enim quæras, cur dixerit, semper? poterit respondere, quia dictum est, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Deinde cùm de hominis conditione, & ad peccandum atque non peccandum, naturali eius possibilitate quædam interposuisset, adiunxit dicens: quam liberi arbitrij potestatem, dicimus in omnibus esse generaliter, in Christianis, Iudæis atque Gentilibus: in omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam, sed IN SOLIS CHRISTIANIS, IVVATVR GRATIA. *Instat & vrget Augustinus:* Iterum quærimus quâ gratiâ? & adhuc S. Augustin. poterit respondere, lege, atque doctrinâ Christianâ. Deinde quamlibet sentiat gratiam, ipsis Christianis secundùm merita dari dicit, cùm eos, qui hæc dicunt, iam in Palestina sicut supra commemoraui, sua illa præclara purgatione damnauerit. Nam verba eius ista sunt: in illis, *inquit*, nudum & inerme est conditionis bonum: in eis dicit qui Christiani non sunt. Deinde cætera contexens; in his verò, *inquit*, qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio. Videtis adhuc incertum esse quo auxilio. Sed adhuc sequitur de illis qui Christiani non sunt, & dicit: illi ideò iudicandi atque damnandi sunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè vtuntur libertate concessa. Hi verò remunerandi sunt, qui benè libero vtentes arbitrio, merentur Domini gratiam, & eius mandata custodiunt. Nempè manifestum est, eum dicere, gratiâ secundùm merita dari, quâlibet eam, vel qualemlibet significet, quâ tamen apertè non exprimit.

Deinde probat hanc non esse veram gratiam: Nam S. Augustin. cùm eos remunerandos dicit, qui benè vtuntur libero arbitrio, & ideò mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur. Vbi est ergo illud Apostoli, Rom. 3 iustificati gratis per gratiam ipsius? vbi est & illud Ephes. 2. gratiâ salui facti estis? & ne putarent per opera; addidit, per fidem. Rursus ne ipsam fidem sine gratia Dei sibi putarent esse tribuendam. Et hoc, *inquit*, non ex vobis, sed Dei donum est. Nempè ergo illud vnde incipit omne, quod merito accipere dicimur, sine merito accipimus, id est ipsam fidem. Aut si negatur dari, quid est quod dictum est, sicut vnicuique partitus est Deus mensuram fidei? Si autem sic dicitur dari, vt reddatur meritis, non donetur: quid est quod iterum dicit Philipp. 1. vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, verumetiam vt patiamini pro eo? vtrumque enim donatum esse testatus est, & quòd credit in Christum, & quòd patitur quisque pro Christo. Isti autem libero arbitrio sic applicant fidem, vt fidei videlicet reddi videatur, non gratuita, sed debita gratia: ac hoc iam nec gratia, quia nisi gratuita, non est gratia. *Fidē igitur & gratiā non omnibus dari, iuxta Paulū, & experientiam palpabilem ex maximo infidelium numero, sed solis Christianis propriam esse, nec ipse Pelagius*

in fenſiſſimus impugnator potuit diſſentire.

Hinc S. Fulgentius Eremitici Auguſtiniani Ordinis lumen, in epiſtola Synodica ad Epiſc. Africanos. De Gratia, inquit, non dignè ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari: cùm non ſolùm non omnium ſit fides, ſed adhuc nonnullæ gentes inueniantur, ad quas fidei prædicatio non peruenit. B. autem Apoſtolus dicit: quomodo inuocabunt, in A quem non crediderunt? quomodo autem audient ſine prædicante? Non itaque gratia omnibus datur: quandoquidem ipſius gratiæ participes eſſe non poſſunt, qui fideles non ſunt: nec poſſunt credere ad quos inuenitur ipſe fidei auditus minimè peruenille. *Præcecinerat Pſalter*; Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

FILII.

1. *Filiorum voluptas amariſsima, & onus graue, maximè tempore perſecutionis* 1. *ad Vxo. cap.* 5. *V. Nuptiæ ſecundæ numero* 11.

2. *Filij Deo poſtponendi. V. Verbum, Diabolus. num.* 29.

* 3. *Filij ſpecula ſunt parentum, non ſolâ corporis effigie, ſed & moribus animæ. De An. cap.* 5. *in m.*

VVlt & Cleanthes non ſolùm corporis lineamentis, ſed & animæ notis ſimilitudinem parentibus in filios reſpondere, de ſpeculo ſcilicet morum, & ingeniorum, & adfectuum.

FILII. III. SCHOLIA.

CLEANTHES. *Zenonis diſcipulus fuit, teſte Laërtio in Zenone, & Clem. Alex. 6. Strom.* INFILIOS. *Alij legunt* In filiis. *Sed Tertullianus promiſcuè frequenter ſumit vtrumque caſum.* ANIMÆ NOTIS. *Hic Tertull. agebat ſecundum errorem ſuum de corporalitate & effigie animæ, & vult animas ex traduce ſumptas, ex lineamentis animarum ex parentibus ſuſceptarum, ſimilitudinem imprimi animabus filiorum. Hanc Cleanthis opinionem ſic refert S. Nemeſius cap.* 2. Cleanthes ratiocinationem nectit eiuſmodi: non ſolùm, inquit, corpore, parentum ſimiles naſcimur, ſed etiam animâ, affectionibus, moribus, habitibus. ſimilitudo porrò & diſſimilitudo in corpore, non in non corpore ſpectantur; corpus igitur anima eſt. ADIECTVVM. *Paſſionum. Pulchrè dixit Tertull. filios parentes vt ſpecula repræſentare, & mores imitari. Sunt enim veluti forma exemplares, quæ informant & imbuunt filios, vt non tantùm leproſus leproſum generet, ſed & dives ſuperbus & auarus, ſuperbum & auarum. Ita Aug. in Pſal.* 48. *in verſum* Relinquent alienis diuitias ſuas. Quaſi eos poſuit in maledicto, qui cùm mortui fuerint, alieni poſſidebunt res ipſorum Ergo felices, *à contrario*, ipſi qui relinquunt filios in poſſeſſione ſua, quibus ſuis ſuccedunt. Habuit filios, non eſt mortuus: *Vnde ſapiens: mortuus eſt*, inquit, *Pater eius, & quaſi non mortuus, reliquit enim ſibi ſimilem poſt ſe*: Quid filij ipſius? *Supple facient, niſi iuxta ſpeculum & exemplum parentum ſuorum*? Et ipſi ſeruant quod eis reliquerunt, parentes ſui. Patum eſt quia ſeruant, & augent. Quibus & ipſi ſeruant? filiis ſuis, & illi filiis, & tertij filiis. Quid Chriſto? Quid animæ C ritæ? omnia filiis. Inter filios ſuos, quos habent in terra, computent vnum fratrem quem habent in cœlo, cui totum dare debebant, vel diuidant cum illo, &c. Attendamus illos diuites qui malè vixerunt, qui ſuperbè egerunt; mortui ſunt, & reliquerunt, non dico extraneis, ſed filiis ſuis reliquerunt diuitias ſuas, & filij ipſorum viam parentum ſuorum ſequuntur. Sicut illi ſuperbi, ita & iſti; ſicut illi rapaces, ita & iſti; vt illi auari, & iſti. Alieni ab illis ſunt. Nam vt noueritis quia illi alieni ſunt, ſubuenirent illi diuiti qui ardebat in flamma, ſucceſſores ipſius diuitiarum, &c. Quid tibi diceret dives? habeo quinque fratres. Vnum fratrem mihi amicum non feci, qui iacebat ante ianuam. Illi mihi fratres ſubuenire non poſſunt quipoſſidebant diuitias meas, alieni à me facti ſunt. *Sed cùm anima noſtra vnicum Deum Patrem agnoſcat & Creatorem, Patrem miſericordiarum*, Eſtote perfecti & miſericordes ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt: *Ne exprobret*: Filij alieni mentiti ſunt mihi, &c. Numquid filij Æthyopum eſtis mihi? *Hic certè non alienis, ſed filiis ſibi ſimilibus, portantibus imaginem cœleſtis, conformibus imagini filij ſui, relinquet diuitias ſuas, numquam deceſſurus, poſt mortem ſucceſſoris propriam*, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, conſeruatam in cœlis. *Idem Aug. in Pſal.* 131. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meũ, & teſtimonia mea hæc quæ docebo illos: & filij eorum ſedebunt in æternùm ſuper ſedem tuam, &c. Meritum filiis parentes faciunt. *Addo, & exemplum. Inde poſt multa ſubiicit:* Tunc eris filius Dauid, ſi cuſtodieris. Si autem non, non eris filius Dauid. Filiis Dauid promiſit Deus, noli dicere, filius ſũ Dauid, ſi degeneras Si Iudæi illud nõ dicunt, qui de ipſa ſtirpe nati ſunt, imò dicunt illud, ſed delirant: apertè enim Dominus, ait, ſi filij Abrahæ eſtis, facta Abrahæ facite. Inde illos negauit filios, quia facta non faciebant. Nam quomodo nos dicimur filij Dauid, qui de eius ſtirpe non ſumus ſecundùm carnem? reſtat vt filij non ſimus, niſi imitando fidem, niſi colendo Deum, ſicut & ille coluit. Si ergo quod tibi per ſtirpem non ſperas, per facta non vis aſſequi, quomodo in te complebitur, quia ſedebis ſuper ſedem Dauid? *Et in Pſal.* 46. Principes populorum conuenerunt cum Deo Abraham. Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Verum eſt, dixit hoc Deus, & ſuperbierunt inde Iudæi, & dixerunt nos filij Abrahæ ſumus. Superbientes de nomine paterno, gerentes eius carnem, non tenentes eius fidem: ſemini adhærentes, moribus degenerantes. Denique Dominus quid ait eis ita ſuperbientibus? ſi filij Abrahæ eſtis, &c. Item quid dixit illi Ioannes, &c? Et quid eis dicit? progenies viperarum. Illi ſe dicebant filios Abrahæ, & ipſe illos dicebat filios viperarum: numquid Abraham vipera erat? ſed quia malè viuendo dæmones imitati erant, & eorum filij facti erant, quos imitando, malè viuebant; progenies, inquit, viperarum, quis vobis oſtendit fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & nolite dicere apud voſmetipſos, Patrem habemus Abraham, & quaſi ſuperbire de genere Abrahæ. Potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ Non enim remanturus eſt Abraham ſine filiis, ſi vos eam-

S. Auguſt.

S. Auguſt.

S. Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

sauerit Deus: potens est enim & damnare quos odit, & illi reddere quod promisit. Et vnde illi redditurus est filios, si damnaret Hebræos de carne eius progenitos? de lapidibus istis. Ostendebat illis lapides in Eremo. Qui erant lapides, nisi Gentes, quæ lapides adorabant? lapides quare? adorando A lapides, dicti erant lapides: quia psalmus dixerat, similes illis fiant qui faciunt ea, &c. Tamen de ipsis lapidibus reddidit filios Abrahæ. Modò omnes qui lapides adorabamus, conuersi ad Dominum, filij Abrahæ facti sumus: non ducendo ab illo carnem, sed imitando fidem.

4. *Filij parentibus obedientes, promissionem habent; & filiorum cura parentibus iniuncta est in vtraque lege.* 5. *Cont. Marc. cap. 18. à m.*

[a] OBAVDIANT *& parentibus filij.* Nam & si Marcion abstulit, [b] *Hoc est enim primum in promissione præceptum;* Lex loquitur, *Honora patrem & matrem.* Et, [c] *Parentes, enutrite filios in disciplina & correptione Domini.* Audisti enim & veteribus dictum, [d] *Narrabitis hæc in auribus filiorum vestrorum, & filij vestri æquè in auribus filiorum suorum.* Quò iam mihi duos Deos, si vna est disciplina? & si duo sunt, illum sequar qui prior docuit.

a Ephes. 6. 1.
b Exod. 20. 12.
c Ephes. 6. 4.
d Deut. 6. 7.

FILII IV. SCHOLIA.

OBAVDIANT. *Obediant. Ephes. 6. 1.* Filij obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: vt benè sit tibi, & sis longæuus super terram. MARCION ABSTVLIT. *Sequentia scilicet verba, quòd ea Paulus ex veteri testamento, quod Marcion respuebat, transcripsisset; legis scilicet veteris cultor, vt ab eodem Deo data. Sic enim habetur Exo. 20. 12.* Honora patrem tuum, & matrem, vt sis longæuus super terram. quam Dominus Deus tuus dabit tibi. *70. paulo aliter,* Vt benè tibi sit, & vt longæuus sis, super terram bonam, quam Dominus Deus tuus dat tibi. PARENTES, *&c. Ephes. 6. 4.* Et vos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate eos in disciplina & correptione Domini. VETERIBVS DICTVM. *Deut. 6. 7.* B Narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, &c. *Aduerte Tertullianum hic ex pluribus scriptura locis, hunc contexuisse. Sic Psalmo 77. 3.* Quanta audiuimus, & cognouimus ea: & patres nostri narrauerunt nobis. Non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera. *Et versu 6.* Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera. Filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis. QVÒ DVOS DEOS. *Vt quòd Marcion duos inducit Deos, falsò sibi persuadens, diuersos Deos & authores vtriusque legis, ex diuersa doctrina; cùm sint omnino eadem præcepta. Sed esto, quamuis duos Deos admitterem, rationabilius eum colerem & sequerer qui primus docuit, cuius alter tantùm videretur esse discipulus eadem ex ipso hauriens, suisque præscribens. Augustinus eodem argumento, in* C *eademque materia similiter, post Marcionem errantem arguit Adimantum Manichæi discipulum lib. contra eum scripto to. 6. cap. 6.* De eo quòd scriptum est in Exodo honora patrem, &c. Huic etiam loco vbi de honorandis parentibus Deus præcepit, illum Euangelij locum Manichæi dicunt esse contrarium, vbi Dominus cuidam dicenti, ibo primùm vt sepeliam patrem meum, respondit; sine vt mortui mortuos sepeliant, tu autem veni & annuntia regnum Dei, &c. Et parentes honorare debemus, & eos tamen propter annuntiationem regni Dei nullâ impietate contemnimus. Nam si veteri testamento contrarium est Euangelium propter istam sententiam, incipit etiam Apostolo esse contrarium, qui & filios monet vt honorent parentes, & parentes, vt diligant filios. Non solùm autem, sed etiam Dominus videbitur sibi ipsi contrarius, quod credere nefas est; quia loco alio dicit homini quærenti vi-

Augustin.

tam æternam, si vis venire ad vitam, serua mandata, in quibus etiã illud commemorat, honora patrem, &c. Quibus mandatis perfectis, etiam ad dilectionẽ Dei crescitur, in qua est tota perfectio. Nã dilectio proximi, certus gradus est ad dilectionẽ dei. Et ideò respõdenti quòd omnia mandata illa seruauit, dicit, vnum ei deesse, si vult esse perfectus; vt vendat omnia quæ habet, &c. Ex quo manifestum est, & honorem parentum in gradu suo esse seruandum, & eos tamen in diuini amoris comparatione præsertim si impedimento sunt, nullâ dubitatione debere contemni. Nam & in scripturis veteribus habes positum Deut. 33. 9. qui dicit patri, aut matri, non noui vos, & qui filios suos non agnouit, ipse autem cognouit testamentum tuum. Ergo, si & in nouo testamento, *sicut in veteri,* commendatur parentum dilectio; & in veteri, *sicut in nouo,* commendatur parentum contemptus; ex vtroque capite, duo sibi testamenta consentiunt. *Quod attinet ad* S. August. *honorem parentum, Aug. to. 9. lib. de to. Chordis;* Dicit Apostolus honora patrem tuum, & matrem, quod est primum mandatum. Quomodo primum, quando quartum? nisi quia in septenario numero est primum pertinens ad dilectionem proximi. *Addo & primum in promissione, quia nulli alteri promissio coniuncta est sicut isti, vt gratus principio vitæ, longam etiam super terram illi creatur habere vitam. Et in Psal. 127. vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouella olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.* Quales, *inquit,* debent esse filij? quales? pacifici. S. August. Quare pacifici? quia beati pacifici, quia ipsi filij Dei vocabuntur. Quia ergo in oliua fructus est pacis, oleum enim pacem significat, signe charitate nulla pax est: & manifestum est quòd qui diuiserunt pacem non habent charitatem. Vnde iam exposui charitati vestræ, quare columba folia cum fructu portauit ad arcam, vt significaret, quia & illi qui foris baptizati sunt, *apud hæreticos,* sicut ligna illa extra arcam baptizata sunt, *lauata aquis diluuij.* Non sola folia habuerunt, id est verba sola: sed habuerunt & fructum, quod est charitas, *fructus spiritus Sancti,* ipsa columba, *Spiritus Sanctus,* illos reportat ad arcam, & veniunt ad vnitatem, *Ecclesiæ scilicet vincæ Christi matris nostræ.* Tales ergo filij, *hæretici conuersi,* debent esse in circuitu mensæ Domini, *Eucharistiæ,* velut nouellatio oliuarum. Perfecta res est, magna beatitudo. Iam quis ibi nolit esse? *Sic ergò parentes iuxta Tertullianum & Paulum, debent enutrire filios in disciplina & correptione Domini, paterna scilicet & olea plena, vt discant pa-*

ciſcè viuere, & menſam Domini dignè frequentare. A *Tum ſubiicit, ſteriles non debere inuidere fœcundis,*
S. Auguſt. *fœcundos autem ſtudere, vt benè enutriantur filij.* Cùm videris aliquem blaſphemum habere vxorem, filios, nepotes, & te fortè non habere; noli zelare: vide quia & in te completum eſt, ſed ſpiritaliter, &c. *Scilicet in bonis operibus;* Cœperas attendere, ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum: iam fortè oculi tui ibant per illos qui non timent Dominum, & videbant ibi vxores fœcundas, filios abundantes circumire menſam patris ſui. Neſcio quà ibas, *in blaſphemias, vel mœrores, & inuidias;* Benedicat te Dominus, ſed ex Sion. Noli quærere illas benedictiones quæ non ſunt ex Sion, &c. Dat illa, ſed non vides, quia & pecoribus dedit? non ergo de Sion eſt iſta benedictio. Benedicat te Do- B
minus ex Sion, & videas quæ bona ſunt Ieruſalem. Nam illa bona non ſunt Ieruſalem, *vbi non nubunt, ſed ſunt æquales Angelis.* Vis videre quia non ſunt bona Ieruſalem? & auibus dictum eſt; creſcite & multiplicamini Pro magno vis habere quod auibus donatum eſt? vocè quidem Dei donarum eſſe, quis neſciat? ſed vtere bonis iſtis, ſi accipis: & magis cogita quomodo nutrias qui nati ſunt, quàm vt naſcantur. Non enim iam fœlicitas eſt habere filios, ſed bonos habere. De nutriendis labora ſi nati fuerint; ſi autem non nati, age gratias Deo. Fortè minùs ſolicitus eris, & tamen ſterilis non remanſiſti illius matris, *Eccleſiæ*, fortè filij per te naſcuntur ſpiritaliter de iſta matre, qui ſunt vt nouellæ oliuarum, &c. Conſoletur ergo te Deus, vt videas bona Ieruſalem. Illa enim bona ſunt. Quare ſunt? quia æterna ſunt. Quare ſunt? quia ibi eſt rex, *Qui dixit;* Ego ſum qui ſum. Iſta verò bona, ſunt, & non ſunt: non enim ſtant, labuntur, fluunt. Filij ſunt paruuli, blanditiis paruulis blandiuntur paruuli. Numquid ſtant in eo? ſed optas vt creſcant, vt accedat ætas, optas. Sed vide quia cùm accedit vna, altera moritur. Veniente pueritia, moritur infantia: veniente adoleſcentia, moritur pueritia: veniente iuuentute, moritur adoleſcentia: veniente ſenectute, moritur iuuentus: veniente morte, moritur omnis ætas. Quot optas gradus ætatis, tot ſimul optas & mortes ætatum. Non ſunt ergo iſta. Num deinde nati ſunt tibi filij in terra tecum victuri, an te potiùs excluſuri, & ſucceſſuri? ad eos gaudes qui nati ſunt, vt excludaris? Nati enim pueri tanquam hoc dicunt parentibus ſuis; eia cogitate & vos ire hinc: agamus & nos mimum noſtrum. Mimus eſt enim generis humani in tota vita tentationis, quia dictum eſt: vniuerſa vanitas omnis homo viuens. *In imagine pertranſit homo.* Et tamen ſi gaudetur ad filios ſucceſſuros; quantò gaudendum eſt ad filios, cum quibus permanebimus, & ad illum Patrem, cui nati ſumus, non morituri, ſed vt nos cum illo ſemper viuamus? ipſa ſunt bona Ieruſalem, quia ipſa ſunt. *Ad ea inſtruendi filij, de quibus, ait ſcriptura:* Cum ſemine eorum permanent bona, hæreditas ſancta nepotes eorum.

FIRMAMENTVM.

Firmamentum cælum aliud non eſt, quàm primò creatum, aquas diuidens. Cent. Hermog. cap. 26. à p.

a Gen. 1. 7. a *ET ſeparauit inter aquam quæ erat infra firmamentum, & quæ ſuper firmamentum, & vocauit Deus firmamentum cælum,* Ipſum quod in primordio fecerat.

FIRMAMENTVM. SCHOLIA.

SEPARAVIT INTER AQVAM. *Gen. 1. 6.* A Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis: & fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. Vocauitque Deus firmamentum cælum. *70. paulò aliter.* Fiat firmamentum in medio aquæ, & ſit diſcernens inter aquam & aquam. Et factum eſt ſic. Et fecit Deus firmamentum: & diuiſit Deus inter aquam quæ erat ſub firmamento, & inter aquam quæ ſupra firmamentum. Et vocauit Deus firmamentum cælum. Et vidit Deus, quia bonum eſt. *Aduertendum eſt nec in Hebrais, nec Chald. nec in Vulgatis haberi,* Vidit Deus quòd eſſet bonum. *Aduerte item pulchrè contra Hermogenem dicentem ex materia Deo coæua factum eſſe firmamentum ſicut & cætera, adiicere Tertullianum ſequentia verba:* IPSVM QVOD IN PRIMORDIO. *De quo ſcilicet ſicut de nihilo creato dixerat Moyſes verſu primo.* In principio creauit Deus cælum & terram. *Præter alibi dicta de firmamento, hic breuiter adiicio*
S. Auguſt. *quod habet Auguſtinus to. 1. lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 11. vbi & in ſingulari legit:* Diuiſit Deus inter aquam quæ eſt ſuper firmamentum, & inter aquam quæ eſt ſub firmamento, & vocauit Deus firmamentum cælum, & vidit Deus quia bonum eſt, hæc non memini Manichæos reprehendere ſolere: tamen, quòd diuiſæ ſunt aquæ, vt aliæ eſſent ſuper firmamentum, & aliæ ſub firmamento, quoniam materiam illam dicebamus nomine aquæ appellatam; credo ſub firmamento cœli, materiam corporalem rerum viſibilium, ab illa incorporali rerum inuiſibilium fuiſſe diſcretam. Cùm enim cœlum ſit corpus pulcherrimum, omnis inuiſibilis creatura excedit etiam pulcritudinem cœli: & ideo fortaſſe ſuper cœlum eſſe dicuntur aquæ inuiſibiles, quæ à paucis intelliguntur, non locorum ſedibus, ſed dignitate naturæ ſuperare cœlum: quamquam de hac re nihil temerè affirmandum eſt. Obſcura eſt enim, & remota à ſenſibus hominum, ſed quoquo modo ſe habeat, antequam intelligatur, credenda eſt. *Vel quia ſcriptum inuenis Eſa. 7. iuxta 70.* Niſi crediderit non intelligetis: *Vel quòd in obſcuro iam credendum eſt ſimpliciter, ſiue corporales, ſiue ſpirituales aquas eſſe ſupra firmamentum cœli, donec ipſi nos in cælum Deo miſerante tranſlati clarè intelligamus & videamus quanam ſint illa aqua. Certum eſt tamen aquas multas ibi eſſe, & populos multos, in quibus non ſedet & præſidet Babylon Apoc. 17. ſed Ieruſalem mater noſtra, de quibus ſcriptum eſt:* Aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.

FOETVS.

* 1. *Fœtus animatio post exitum ab vtero, errorea est. De An. cap. 25. in p. ad circa f.*

IAm nunc regrediar ad causam huius excessus; vt reddam quomodo animæ ex vna redundent, quando, & vbi& ex qua ratione sumantur. De qua specie nihil refert à Philosopho, an ab hæretico, an à vulgo quæstio occurrat. Nullà interest professoribus veritatis de aduersariis eius, maximè tam audacibus quàm sunt primò isti qui præsumunt non in vtero concipi animam, nec cum carnis figulatione compingi atque produci; sed effuso iam partu, nondum viuo infanti extrinsecùs imprimi. ceterum, semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, motuque naturali vegetatum compingue scere in solam substantiam carnis: eam editam, & de vteri fornace fumantem, & calore solutam, vt ferrum ignitum, & ibidem frigidæ immersum, ita aëris rigore percussam, & vim animalem rapere, & vocalem sonum reddere. Hoc Stoïci cum Æneside mo, & ipse interdum Plato, quum dicit, Perindè animam extraneam aliàs, & extorrem vteri, prima adspiratione nascentis infantis adduci, sicut exspiratione nouissima educi. Videbimus an sententiam finxerit. Nec ex Medicis quidem defuit Hicesius, & naturæ & artis suæ præuaricator. Puduit, opinor, illos hoc statuere, quod feminæ agnoscerent. At quantò roboratior exitus, à feminis reuinci, quàm probari? in ista namque specie nemo tam idoneus magister, arbiter, testis, quàm sexus ipsius. Respondete matres, vosque prægnantes, vosque puerperæ; steriles & masculi taceant; vestræ naturæ veritas quæritur, vestræ passionis fides conuenitur; an aliquam in fœtu sentiatis viuacitatem, alienam de vestro? de quo palpitent ilia, micent latera, tota ventris ambitio pulsetur, vbique ponderis regio mutetur? an hi motus gaudia vestra sint, & certa securitas, quòd ita infantem & viuere confidatis & ludere? an si desierit inquies eius, illi priùs pertimescatis? an & audiat iam in vobis, quum ad nouum sonum excutitur? an & ciborum vanitates illi desideretis, illi etiam fastidiatis? an & valetudinibus inuicem communicetis? ille quidem vsque eò, de contusionibus vestris, quibus & ipse intus per eadem membra signatur, rapiens sibi iniurias matris. Si liuor ac rubor, sanguinis passio est, sine anima non erit sanguis: si valetudo animæ accessio est, sine anima non erit valetudo: si alimonia, inedia, crementa, decrementa, pauor, motus, tractatio est animæ, his qui fungitur, viuet. denique definit viuere, qui definit fungi. denique & mortui eduntur, quomodo, nisi & viui? qui autem & mortui, nisi qui priùs viui? Atquin & in ipso adhuc vtero infans trucidatur, necessaria crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum; matricida, ni moriturus. Itaque & inter arma medicorum & organon est, quo priùs patescere secreta coguntur, tortili temperamento, cum anulocultro, quo intus membra cæduntur, anxio arbitrio; cum hebete vnco, quo totum facinus extrahitur violento puerperio. Est etiam æneum spiculum, quo iugulatio ipsa dirigitur, cæco Iatrocinio: ἐμβρυοσφάκτιον appellant, de infanticidij officio, vtique viuentis infantis peremptorium. hoc & Hippocrates habuit, & Asclepiades, & Erasistratus, & maiorum quoque professor Herophilus, & mitior ipse Soranus, certi animal esse conceptum, atque ita miserti infelicissimæ huiusmodi infantiæ, vt priùs occidatur, ne viua lanietur. De qua sceleris necessitate nec dubitabat credo Hicesius, iam natis animam superducens ex aëris frigidi pulsu, quia & ipsum vocabulum animæ penes Græcos de refrigeratione respondeat, Num ergo Barbaræ Romanæque gentes aliter animantur, quia animam aliud quid, quàm ψυχὴν cognominauerunt? Quantæ verò nationes sub feruentissimo axe censentur, colorem quoque excoctæ? Vnde illis anima, quibus aëris rigor nullus? Taceo cubiculares æstus, & omnem illic caloris paraturam enitentibus necessariam, quas adflari vel maximè periculum est. In ipsis penè balneis fœtus elabitur, & statim vagitus auditur. Cæterùm si aëris rigor thesaurus est animæ, extra Germanias, & Scythias & Alpes, & Argæos nemo debuit nasci. Atquin & populi frequentiores apud orientalem & meridialem temperaturam, & ingenia expeditiora, omnibus Sarmatis etiam mente torpentibus. Et animi enim de rigoribus scitiores prouenirent, si animæ de frigusculis euenirent. Cum substantiâ enim & vis. His ita præstructis, possumus illos quoque recogitare, qui exsecto matris vtero viui aërem hauserunt, Liberi aliqui & Scipiones. Quòd si qui, vt Plato, perinde non putat duas animas in vnum conuenire, sicut nec corpora, ego illi non modo duas animas in vnum conuenire, sicut nec corpora, ego illi non modo duas animas in vnum congestas ostendissem, sicut & corpora in fœtibus, verùm & alia multa cum animâ conferta, dæmonis scilicet, nec vnius, vt in Socrate ipso; verum & septenarij spiritus, vt in Magdalena; & legionarij numeri, vt in Gerasseno, quò faciliùs anima cum anima conferetur ex societate substantiæ, quàm spiritus nequam ex diuersitate naturæ. Mar. 16. 9. Mar. 5. 9.

FOETVS. I. SCHOLIA.

IAM NVNC REGREDIAR. *Redeo nunc ad id quod capite 22. concluseram : animas scilicet omnium hominum ex vna primi parentis derivatas, productas, traductas in omnes.* EXCESSVS. *Redundantia exitus, processus tot animarum ex vna.* DE QVA SPECIE. *De qua materia dum disputo, nihil refert undecunque contra me disputetur : sum enim paratus hanc veritatem sustinere contra Philosophos, hæreticos, & plebem aliter sentientem.* FIGVLATIONE. *Formatione. Alludit ad primum figmentum corporis humani ex luto.* SEQVESTRATVM. *Seorsim repositum in vulua matris.* VEGETATVM. *Anima vegetatiuâ mouente.* COMPINGVESCERE. *Coagulari, conformari in solidam carnis substantiam.* EAM EDITAM. *Substantiam scilicet carnis foras partu in lucem editam, & vi caloris solutam, instar ferri igne liquefacti, & statim aqua frigida immersi cum fremitu & sono strepere; sic carnem animam concipere, occursu aëris frigidi, & vocis seu vagitus pueriles sonum emittere.* EXTRANEAM ALIAS. *Quæ priùs extra corpus erat, quasi extorris : siue extra terram vteri, qua prima pueri nascentis aspiratione adducta sit vt viueret, tum informatus humanâ animâ, qui priùs vegetatiuâ tantùm & sensitiuâ viuebat : sicut eadem anima rationalis extremo habitu in morte emisso, foràs eiicitur.* ÆNESIDEMO. *Fuit hic Heraclitii discipulus, cuius meminit Tertull. cap 9. & 14. huius libri de Anima.* STOICI. *Sic de Chrysippo Stoïco Plutarch. libro de pugnis Stoïcorum :* Chrysippus censet fœtum in vtero ali vt plantam. Cùm autem in lucem editus est, frigefactum ex aëre, & induratum, mutare spiritum, & fieri animal. INTERDVM PLATO. *Benè interdum, quia & interdum etiam fœtum in vtero animal esse dixit, ita & Plutar. lib. 5. de placitis Philosophorum cap. 5.* Plato ait, fœtum in vtero animal esse; nam & moueri ibi, & ali, Stoïci partem esse ipsius vteri, non animal. Et sicut fructus, arborum partes dicimus, videmusque maturos decidere, sic & fœtum. FINXERIT. *Fabulam in hac re induxerit.* NEC DEFVIT. *In hanc quoque sententiam abiit Hicesius. Plin. lib. 27. cap. 4. vbi de planta dicta Anonimo:* Anonimos, non inueniendo, nomen inuenit. Affertur è Scythia, celebrata Hicesio non paruæ authoritatis Medico. *De planta loquitur vulneribus medicinali & mammis, & sanguinem extreantibus. Ex Strabo. libro 12. circa finem. Smyrnæ præfuit in Schola Erasistrea, quem tamen hic reiicit Tertull.* PVDVIT OPINOR, &c. *Sensus est ironicus. Quasi tantos Philosophos & Medicos in materia fœtus id sentire, vel iis terminis describere, ea qua vel fœmina sentirent & loqui possent; vel illos pudere debuit, sentire prorsus aliter quàm ipsa vsu communi fœmina experiantur.* QVANTO ROBORATIOR EXITVS. *Rursum ironicè. Quasi diceret : fortiùs videlicet vos expeditis, ô Philosophi, & Medici, ex huius quæstionis nexu, cùm à mulierculis vester error quotidiano ipsarum experimento conuincitur, quàm si philosophica probatione contra vos agetetur. Alij legunt :* Ruboratior exitus : *Maiori cum rubore confusi ab hac quæstione exibitis. Quis enim eorum de hoc negotio testimonium reddere potest quàm matres, prægnantes, & pueros parientes ? Non hic steriles fœminas in testes voco, nec viros qui hoc experiri non possunt; fœcundas, id quod loquimur, passas obtestor.* ALIENAM DE VESTRO. *Propria vita & à vestra separata viuentem.* DE QVO. *Vnde.* MICENT LATERA. *Intumescant, cum toto ventris ambitu & tumore agitentur.* PONDERIS REGIO. *Nunc ex dextro, nunc ex sinistro latere pendus vestri fœtus sentiatis.* HI MOTVS. *Infantis, gaudium vobis afferunt. Ex his motibus certam vitam fœtus Medici colligunt. Sic Galenus libro de semine. Et Hypocrates libro 1. de morbis mulieb ribus, & lib. de natura pueri.* INQVIES. *Inquietudo, motus.* EXCVTITVR. *Mouetur, dum nouum aliquem sonum audit.* CIBORVM VANITATES. *Ideo enim, propter conceptum fœtum, grauidæ matres appetitu ciborum inanium, inutilium, & sæpè noxiorum, fastidióque bonorum torquentur, quem morbum Latini Malacium, siue picam, ob varietatem appetitus, vocant, vt Græci* κισσαν. *Vnde alij legunt:* Ciborum varietates. VALETVDINIBVS. *Infirmitatibus.* SANGVINIS PASSIO. *Ex sanguine procedit.* ANIMÆ ACCESSIO. *Morbus, vel dolor sine anima sensum tribuentr, esse non potest.* TRACTATIO. *Operatio.* MORTVI EDVNTVR. *Fœtus foràs mittuntur. Mors autem supponit vitam præcedentem.* NECESSARIA CRVDELITATE. *Nisi enim infans occidatur, matrem suam ipse occidet.* ANVLOCVLTRO. *Inter instrumenta Chirurgorum, est quidam gladius flexibilis, qui anulo gubernatur, vt hinc inde facilius torqueatur. Alij legunt* Annulo cultrato. ANXIO ARBITRIO. *Cum magna sollicitudine. Cuius cultri cuspis est obtusa & hebes.* TOTVM PACINVS. *Infanticidium. Alij legunt* Totum pecus. *Sicut lib. 4. contra Marc. cap. 21. & lib. de Resur. c. 34. vbi de homine composito ex anima & carne ait:* Quod pecus totum est. CÆCO LATROCINIO. *Quia instar latronis in obscuro inuadit puerum ingulandum.* ἐμβρυοτόκια, *alij* ἐμβρυοδάσονται, *Alij,* ἐμβρυοτρέκται, *vel,* ἐμβρυοσφάκται. MAIORVM PROSECTOR. *Quia & homines viuos dissectabat crudelis Herophilus, & eo paulò humanior Soranus.* NEC DVBITABAT. *Licet Hicesius diceret animam iam effuso partui superinduci ex occursu aëris, frigidi.* PENES GRÆCOS. ψυχὴ, *enim anima est, &* ψυχάζω. *refrigero. Idipsum Tertull. videt libro de Anima cap. 27.* Si frigidum nomen est animæ Græcorum quare & corpus, exemptâ eâ, *amotâ* friget ? ANIMAM ALIVD QVID. *Non ab* ἀνεμος. *id est vento vel aëre, sed ab animatione, animam dixerunt. Si à Græc.* ψυχὴ, *ab* τὸ ψυχὸν ἔχειν. *quæ habet & regis carnem.* FERVENTISSIMO AXE. *Polo Antartico, Meridionali, in Zona torrida.* COLOREM EXCOCTÆ. *Exusti coloris.* CVBICVLARES ÆSTVS. *Intelligit hypocausta, siue furnos, thermas priuatas, & facticias.* IN IPSIS PENE BALNEIS. *Quia frequenter adhiberi solent ad facilitatem partus; aquâ enim calidâ in qua excocta fuerint malue, cum fœno græco, semine lini, & hordeo, paratur balneum mulieri cum difficultate parienti, vt aduertit Tertula lib. de passionibus mulierum cap. 17.* SI ARIS RIGOR. *Hæc & sequentia alibi à nobis exposita vide.* HIS PRÆSTRVCTIS. *Quasi fundamentis positis.* VIVI AEREM HAVSERVNT. *Quod supponit animatos ex vtero matris, non animam suscepisse, ex occursu aëris frigidi.* LIBERI SCIPIONES. *Plin. lib. 7 c. 9.* Auspicatius enecta parente gignuntur, sicut Scipio Africanus prior, natus; *est scilicet hoc modo ;* primusque Cæsar, à cæso matris vtero dictus: qua de causa Cæsones appellati. *Qui scilicet sic nati sunt, vocantur.* LIBERI. *Vtitur frequenter plurali pro singulari. Porrò Liber ex Iouis semine exsectus fingebatur.* SI QVI. *Si quis.* DVAS ANIMAS. *Sed singulas singulis corporibus assignat ideòque ne plures inducere, tres gradus animæ in vnoquoque corpore distinxit vt alibi vidimus. De dæmonio Socratis, septem spiritu-*

bus malignis in Magdala, legione dæmonum in Gerasene, totaque hac sententia alibi explicata nil retexo. De fœtus animatione & vita infantis quando incipiat, Augustinum hic refero sic fantem to. 3. lib. Enchir. ad Laurentium cap. 86. August. Scrupulosissimè quidem inter doctissimos quæri ac disputari potest, quod vtrùm ab homine inueniri possit, ignoro; *Non vtrùm in vtero viuat, sed*, quando incipiat homo in vtero viuere. Vtrùm sit quædam vita & occulta, quæ nondum motibus viuentis appareat. Nam negare, vixisse puerperia, quæ propterea membratim exsecantur, vt eiiciantur ex vteris prægnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquantur, occidant. Impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori potest. Mortuus verò, vbicumque illi mors potuerit euenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum. Neque enim & monstra, *monstruosi fœtus humani animati anima rationali*, quæ nascuntur & viuunt, quamlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potiùs correcta, emendataque naturâ. *Sic paucis lineis fusum Tertulliani ratiocinium complexus est sanctissimus doctor circa fœtus animationem in vtero matris.*

2. *Fœtus animatio in vtero matris, probatur exemplis Rebecca, Elizabeth, Mariæ, matris quoque Hieremiæ. De anima c. 26. per totum.*

OMnis inæqualitas sententiæ humanæ vsque ad Dei terminos. in nostras iam lineas gradum colligam, vt quod Philosophis Mediciſque respondi, Christiano probem. De tuo, frater, fundamento fidem ædifica: Aspice viuentes vteros sanctissimarum feminarum, nec modo spirantes iam illic infantes, verùm etiam prophetantes. Ecce viscera Rebeccæ inquietantur, & longè adhuc partus, & aëris nullus impulsus. Ecce duplex fœtus in Gen. 25. 22.
locis matris tumultuator, & nusquam adhuc populi duo. Portentosa forsitan petulantia infantiæ, antè certantis quàm viuentis, antè animosæ quàm animatæ, si tantummodo matrem subsultando turbasset. At cùm partus aperitur, & numerus inspicitur, & auguratus recognoscitur, puto iam non animæ solummodo probantur infantium, sed & pugnæ. Detinebatur qui præuenerat nasci à præuento, nec dum pleniùs edito, tantùm manu nato. Et Gen. 25. 25.
si ipse animam de prima aspiratione potabat Platonico more, aut de aëris rigore carpebat Stoïcâ formâ, quid ille qui expectabatur, qui adhuc intus detinebatur, & foris iam detinebat? Nondum opinor spirans plantam fratris inuaserat, etiam nunc calens matre, se priorem prodisse cupiebat. O infantem & æmulum, & validum, & olim contentiosum, credo quia viuum. Aspice etiam singulares conceptus, & quidem monstrosiores, sterilis & virginis, quæ vel hoc ipso imperfectos edere potuissent pro euersione naturæ, vt altera femini stupida, altera intacta. Decebat, si fortè, sine anima nasci, qui fuerant non rite conLuc. 1. 7. & 31.
ceptis sed & illi viuunt, in suo quisque vtero. exultat Elizabeth, Ioannes intus impulerat: glorificat Dominum Maria, Christus intus instinxerat. Agnoscunt matres suos inuicem fœtus, agnitæ mutuo ab ipsis vtique viuentibus, qui non tantùm animæ erant, verùm & a Hier. 1. 5.
spiritus. Sic & ad Hieremiam legis Dei vocem: [a] *Priùs quàm te in vtero fingerem, noui te.* Si fingit Deus in vtero, & affat ex primordij forma, [b] *Et finxit Deus hominem, & flauit in eum flatum vitæ.* Nec nosset autem hominem Deus in vtero, nisi totum, [c] *Et priusquam exires de vulva, sanctificaui te.* Et mortuum adhuc corpus? vtique nequaquam: *Deus enim viuorum, non mortuorum.* b Gen. 2. 7. c Hier. 1. 5.

FOETVS II. SCHOLIA.

OMNIS INÆQVALITAS. *Disparitas opinionum humanarum. Quasi diceret, licitum quidē, hinc inde diuersimodè disputare de rebus quibuscumque; vtrasque sententias in diuersum posse sustineri rationibus humanis; sed dum venitur ad terminos fidei, dum scriptura diuina aliquid apertè declarat, apud Christianos ponendi sunt fines omni disputationi. Ita se res habet in quæstione fœtus: inter Philosophos diuersæ sunt opiniones, de quibus præcedenti Scholio, sed iam,* inquit, *me recipio intra lineas & limites Christianorum, & exemplis scriptura probo fœtum animatum esse in vtero.* DE TVO. *De scriptura tua, Christiane, hoc fundamentum strue fidei huius veritatis.* VISCERA REBECCÆ. *Gen. 25. 22.* Colidebantur in vtero paruuli. 70. *verò.* Exultabant infantes in ea. *Augustinus;* gestiebāt. *Hieronymus,* calcitrabant *Aquila,* confringebantur. *Symmachus,* in similitudinem nauis in superficiem ferebantur. LONGE ADHVC. *Longè ante partum.* AERIS IMPVLSVS. *Cuius occursu, vt supra dictum est, Stoici animam volebant corpori infundi.* POPVLI DVO. *Sicut futurum prædixit Deus, Rebeccæ Deum interroganti, de qua re sic Aug. q. 72. in Gen.* Quod de Rebecca scriptum est, quia venit interrogare Dominum, cùm gestirent puerperia in vtero eius; quæritur quò ierit: tunc enim non erant Prophetæ aut Sacerdotes secundùm ordinem tabernaculi aut templi Domini. *Dubium ibi relinquit, an abierit ad aram vetustam ab Abraham, & Deus ei responderit per somnium; An fortè adhuc viuentem Melchisedech consuluerit, qui pra sanctitate Angelus habebatur. Euseb. Gennad. & Theod. affirmant in monte Moria consuluisse Melchisedech: quem Hebræi putant fuisse Sem, filium Noë. Responsum autem accepit, quod habetur Gen. 25. 23.* Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce Gemini in vtero eius reperti sunt. Qui prior egressus est rufus erat, 70. *exiit autem primogenitus rubeus totus,* & totus in more pellis hispidus; vocatumque est nomen eius Esaü. protinus alter egrediens, plantam fratris 70. *eal-*
S. Aug.

caneum Esaü, tenebat manu. Et idcirco appellauit eum Iacob. Id est supplantatorem. PORTENTOSA FORSITAN, *&c. Sic obiicit ex parte aduersariorum, quasi hæc exempla prodigiosa sint, nec inde probari omnem fœtum animatum esse in vtero matris. Sed respondet geminos istos suis motibus non tantùm turbasse matrem, sed quòd & in partu duos gemini visi sunt vini.* AVGVRATVS RECOGNOSCITVR. *Id est de facto comperitur, non vanum fuisse augurium matri datum de luctu duorum populorum, Iudæi & Gentilis.* NON ANIMÆ, *&c. Id est non tantùm fœtus animati & vini comperti sunt, sed & ipsa pugna declarata est cùm manu detineret primogenitum suum Iacob, qui solâ manu adhuc natus, id est in lucem editus cernebatur.* PLATONICO MORE. *Iuxta sententiam Platonis.* STOICA FORMA. *Modo Stoicorum supra citato.* B *Si*, inquit, *hoc verum est, quomodo poterat Iacob manu inanimata plantam fratris retinere, quam, nondum spirans aerem externum frigidum, viuens in vtero matris, inuaserat?* CALENS MATRE. *Calore matris præseruatus ab aëre frigido.* PRIOREM PRODISSE. *Primogenitum nasci.* ÆMVLVM. *Naturali zelo primogenituræ. Vel fauet hic Tertullianus opinioni Dionysii Carthusiani dicentis hanc collisionem siue luctam Iacob cum Esau similem fuisse exultationi Baptistæ, & proinde sanctificatum Iacob ex vtero. Verum, quamquam æmulatio in homine supponat vsum rationis, non dicit actum sanctitatis. Nec meritum agnescit in Iacob Paulus, vt nec in Esaü, sed malum in vtroque meritum* C *peccati originalis.* VALIDVM. *Adeò vt plantam firmiter teneret fratris.* OLIM. *Diu ante partum.* STERILIS. *Elizabeth.* VIRGINIS. *Mariæ.* IMPERFECTOS. *Non vinos.* PROEVERSIONE. *Propter leges naturæ euersas.* SEMINI STVPIDA. *Incapax seminis ob ætatis frigus.* INTACTA. *Viro incognita.* NON RITE. *Supra leges naturæ.* INSTINXERAT. *Dederat instinctum.* ET SPIRITVS *Id est mente, & rationis vsu fruentes, & pleni sancto Spiritu.* FINGEREM. *Ier. 1. 5.* Priusquam te formarem in vtero, noui te. *Isa & 70.* PRIMORDII FORMA. *Iuxta Protoplastem Adam, de quo sæpius alibi.* NISI TOTVM. *Scilicet conflatum ex anima & corpore.* IN VTERO. *Benè distinguit, nam alibi* D *notauit, limum, siue ex limo corpus hominis primi, nec dum animatum, vocatum esse hominem* MORTVVM ADHVC. *Latè sumit, pro* Nondum viuum: *Dolè quidem, cùm corpus inanime non sit subiectum gratiæ sanctificantis; & Deus, licet sit etiam rerum inanimatarum Deus specialiter tamen ipse fons vitæ, ob gradum nobiliorem essendi, maximè verò vitæ rationalis, & insuper gratiæ; delectatur vocari:* Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus viuorum, & non mortuorum: *Id est peccatorum. De duobus populis in vtero luctantibus sæpius egit Augustinus. Vnicum eligam locum tract. 11. in Io.* Duo homines, duo populi, S. Augusti. bonus populus, malus populus, sed tamen in vno ventre luctantur. Quanti mali sunt in Ecclesia, & vnus vterus portat, donec in fine discernantur! & boni aduersùs malos clamant, & mali aduersùs bo- E nos reclamant, & in vnius visceribus vtrique luctantur. Numquid semper simul erunt: in fine exitur ad lucem, declaratur natiuitas, *electi & reprobi*, quæ hîc in Sacramento figuratur, & tunc apparebit, Iacob dilexi, Esaü autem odio habui. *De reprobatione autem & electione vtriusque sic libro 1. quæst. 2. ad Simplicianum. Vbi illud Rom. 9. clarissimè explicat & applicat profundissimo prædestinationis mysterio. Et quod ille multis paginis disserit, hoc breui compendio complector: hæc igitur tota summa ratiocinij eius: cùm Apostolus dicit Rebeccam vno concubitu vtrumque concepisse, excludit occasionem referendi prædestinationem in propriam complexionem, aut constitutionem astrorum, sicut dicebant Manichæi: cùm ait Rebeccam ex Isaac concepisse, tollit occasionem eam referendi in parentum merita. Cùm autem dicit,* Antequam quidquam boni vel mali egissent, *Excludit propria merita siue præsentia, siue præterita, siue futura, & quidquid ex parte liberi arbitrij afferri potest. Videhac de re quod habet epist. 105. ad Sixtum Presbyterum. Et in Enchir. ad Laur. cap. 98, de exultatione autem Iacob, & Baptistæ, simul tractat epist. 57. ad Dardanum.* Aisti, de prægnantibus, quid Augusti sentias opto cognoscere, cùm credulitatis fidem pro puero mater Ioannis Baptistæ responderit. *Huic sic respondet Augustinus*: Hæc sunt certè verba Elizabeth matris Ioannis: Beata tu inter mulieres, &c. Et vnde hoc mihi, &c. Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Hoc autem vt diceret, sicut Euangelista prælocutus est, repleta est Spiritu Sancto; quo proculdubio reuelante cognouit, quid illa exultatio significasset infantis, id est, illius venisse matrem, cuius præcursor ipse & demonstrator esset futurus. Potuit ergo esse ista significatio rei tantæ à maioribus cognoscendæ, non à paruulo cognitæ, &c. Neque ipsa dixit, exultauit in fide infans in vtero meo, sed exultauit in gaudio. Videmus autem exultationem non solum paruulorum, sed etiam pecorum, non vtique de aliqua fide, vel religione, vel quacumque rationali cognitione, *Sed ex anima mouente, vt supra ex Tertull. visum est* venientem. Sed hæc, planè inusitata & noua ex- Auguſt. tiuit, quia in vtero, & ad eius aduentum quæ hominum saluatorem fuerat paritura. Ideò mira, ideò in magnis signis deputanda. Ideò hæc exultatio, & tanquam matri Domini reddita resalutatio, tanquam solent miracula fieri, facta est diuinitus in infante, non humanitus ab infante. Quamquam etiàsi vsqueadeo est in illo puero acceleratus vsus rationis & voluntatis, vt intra viscera materna iam posset agnoscere, credere, consentire; quod in aliis paruulis, ætas expectatur, vt possint; etiam hoc in miraculis habendum diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplum naturæ. Nam quando Deus voluit, etiam iumentum mutum, *asina Balaam*, rationabiliter est locutum, &c. Quocirca, nec quod factum est in Ioanne contemno, nec inde regulam quid sentiendum sit de paruulis, figo: Imò id in illo propterea mirabiliter prædico, quia in aliis non inuenio. Habet quidem aliquid simile etiam illa in Rebeccæ vtero lucta geminorum. Verùm & hoc vsque adeò prodigium fuit, vt diuinum propterea mulier oraculum quæreret, & audiret, duobus illis infantulis, duos populos fuisse figuratos. *De Ieremia tandem à Deo cognito antequam formaretur in vtero, idem Aug. libro 6. de Gen. ad lit.* Auguſt. *cap. 9.* Vbi illum nosset, antequam ita formasset, etsi nostræ infirmitati assequi, vel difficile, vel impossibile est, vtrùm in aliquibus propinquioribus causis, sicut Leui in lumbis Abrahæ decimatus est: An in ipso Adam, in quo humanum genus tanquam radicaliter institutum est; & in eo ipso, vtrùm iam cùm de limo formatus esset; an cum causaliter in his operibus factus, quæ creauit omnia simul; an verò ante omnem potiùs creaturam, sicut elegit & prædestinauit sanctos suos ante mundi constitutionem: an potiùs in omnibus præcedentibus causis, siue quas commemorauit, siue quas non commemorauit, *In Verbo suo causa ideali, & exemplari omnium rerum; in decreto suo; in omnipotentia sua & bonitate, prima & summa omnium causa*, Priusquam in vtero for- Auguſt. maretur, non arbitror scrupulosiùs quæri oportere.

Dummodo

Dummodo Ieremiam conſtet, ex quò eſt in hac luce A à parentibus editus, ex illo egiſſe vitam propriam, quâ grandeſcens ætatis acceſſu, poſſet viuere ſiue benè ſiue malè: antea verò nullo modo, non ſolùm priuſquam in vtero formaretur, ſed nec iam ibi formatus antequam natus. Neque enim habet vllam cunctationem illa Apoſtolica ſententia de geminis in Rebeccæ vtero nondum agentibus aliquid boni aut mali. Nec tamen fruſtra ſcriptum eſt. *Quanquam ex priuilegio Ieremiæ & Baptiſtæ ſancti ſcati ſint in vtero, concepti tamen ſunt in peccato. Nec illa ſanctificatio propriis aut Parentum meritis, ſed purè miſericordia* Dei *imputanda.* Nec infantem mundum B eſſe à peccato, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. Et illud in Pſalmo; ego in iniquitatibus conceptus ſum, &c. Et quòd in Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccauerunt. Nunc autem liquidò teneamus, quælibet parentum merita tranſiciantur in prolem, quæcumque gratia Dei, antequam naſcatur, quemque ſanctificet, nec iniquitatem eſſe apud Deum; nec boni maliue agere quenquam quod ad propriam perſonam pertineat, antequam natus eſt: Illamque ſententiam, quâ nonnulli putant, *Origeniſte*, alibi peccaſſe magis, minúſque animas, & pro diuerſorum meritis peccatorum, in diuerſa corpora eſſe detruſas, Apoſtolicæ non ſententiæ: cùm apertiſſimè dictum ſit, nihil egiſſe nondum natos, ſeu boni, ſeu mali. *Aduerte Auguſtinum non negare ſanctificationem in vtero, ſed vſum rationis excludere, quì niſi miraculo, in pueris haberi non poteſt: nec item negare vitam puerorum in vtero matrum, imò cum Tertulliano affirmare.*

FORTITVDO.

1. *Fortitudinis Paganorum exemplis, anima carnem excitet ad patientiam, ſpe æternæ gloriæ. Ad Mart. cap. 4. à p. ad f.*

COlloquatur ſpiritus cum carne de communi ſalute, nec iam de incommodis carceris, ſed ipſo agone & prœlio cogitans. Timebit forſitàn caro gladium grauem, & crucem excelſam, & rabiem beſtiarum, & ſummam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis: ſed ſpiritus contraponat ſibi & carni, acerba licet iſta, à multis tamen æquo animo excepta, immo & vltro appetita, famæ & gloriæ cauſa; nec à viris tantùm, ſed etiam à feminis, vt vos quoque, benedictæ, ſexui veſtro reſpondeatis. Longum eſt ſi enumerem ſingulos qui ſe gladio confecerint, animo ſuo ducti. De feminis ad manum eſt Lucretia, quæ vim ſtupri paſſa, cultrum ſibi adegit in conſpectu propinquorum, vt gloriam caſtitati ſuæ pareret. Mutius dexteram ſuam in ara cremauit, vt hoc factum eius fama haberet. Minùs fecerunt philoſophi, Heraclitus, qui ſe bubulo ſtercore oblitum exuſſit; item Empedocles, qui in ignes Ætnæi montis diſſiluit, & Peregrinus, qui non olim ſe rogo immiſit; cùm feminæ quoque contempſerint ignes. Didon, nè poſt virum dilectiſſimum nubere cogeretur: Item Aſdrubalis vxor, quæ iam ardente Carthagine cùm maritum ſuum ſupplicem Scipioni videret, cum filiis ſuis in incendium patriæ deuolauit. Regulus, dux Romanorum captus à Carthaginienſibus cùm ſe vnum pro multis captiuis Carthaginienſibus compenſari noluiſſet, maluit hoſtibus reddi, & in arcæ genus ſtipatus, vndique extrinſecus clauis tranſfixus, tot cruces ſenſit. Beſtias femina libens appetiit, & vtique aſpides, ſerpentes tauro vel vrſo horridiores, quas Cleopatra immiſit ſibi, ne in manus inimici peruenirent. Sed mortis metus non tantus eſt, quantus tormentorum. Itaque, ceſſit carnifici meretrix Athenienſis? quæ conſcia coniurationis cùm propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos, & nouiſſimè linguam ſuam comeſtam in faciem tyranni expuit: vt nihil agere ſe ſcirent tormenta, etſi vltra perſeuerarent. Nam quæ hodie apud Lacedæmonas ſolennitas maxima eſt, Διαμαστίγωσις id eſt flagellatio, non latet. In quo ſacro ante aram nobiles quique adoleſcentes flagellis affliguntur aſtantibus parentibus, & propinquis, & vtì perſeuerent adhortantibus. ornamentum enim & gloria deputabitur maiore quidem titulo, ſi anima potiùs ceſſerit plagis, quàm corpus. Igitur ſi tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, beſtias, tormenta contemnant ſub præmio laudis humanæ; poſſum dicere, [a] *Modica ſunt iſta paſſiones ad conſecutionem gloriæ cæleſtis,* Et diuinæ mercedis. Si tantì vitrum, quantì margaritum? Quis ergò non libentiſſimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo? [a] Rom. 8. 18.

FORTITVDO. I. SCHOLIA.

DE COMMVNI SALVTE. *Quia caro magnam* C *gloriam expectat in reſurrectione de paſſo fortiter martyrio.* AGONE. *Fidei ſcilicet certaminis in Martyrio.* BENEDICTÆ. *Alloquitur ſanctas fœminas.* SEXVI VESTRO. *In quo multa mulieres fortiter multa ſunt paſſæ.* LVCRETIA VT GLORIAM CASTITATI PARARET. MVTIVS VT FAMAM HABERET, &c. SVPRA MODVM LAVDIS HVMANÆ. Et hoc vanitas eſt, & afflictio ſpiritus. *Et vanus finis, euanidum vtique omne Gentilium opus facis, & propter finem malum, nempè factum, & vanam gloriam, quæ certè peccatum eſt, malum, atque peccatum, etiamſi materialiter, & forinſecus appareat illuſtre bonum, & fortitudinis opus. Quod præter dicta verbo,* Caſtitas Gentilium: *Diſertè probat Auguſtinus, explicans quod opponi ſolet inuicta Paulum, Gentiles naturâ duce bona opera feciſſe. Ita enim lib. de ſpiritu & littera cap. 27. & ſeq.* Nec mouear, *inquit,* quòd naturaliter eos dixit quæ legis ſunt facere: non ſpiritu Dei, *Supple dixit*: Non gratiâ. Hoc enim agit 3. Augu.

ſpiritus gratiæ, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus inſtauret in nobis. Vitiũ quippè contra naturam eſt, quod vtique ſanat gratia, &c. Proinde naturaliter, *id eſt iuxta naturam ſanã, & non corruptã*, homines quæ legis ſunt, faciunt. Qui enim hoc non faciunt, vitio non faciunt. Quo vitio lex Dei eſt deleta de cordibus. Ac per hoc, vitio ſanato, cùm ſic ſcribitur, fiunt quæ legis ſunt naturaliter: non quod per naturam, *id eſt hac diſſinctione, naturaliter*, negata ſit gratia, ſed potiùs per gratiam reparata natura, &c. Et quia non eſt diſtinctio, *Gentilis ſcil. & Iudæi*, omnes peccauerunt & egent gloriâ Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Qua gratia in interiore homine, *etiam Gentili, nec tege Iudaica & Moyſi imbuto*, renouato, iuſtitia ſcribitur, quam culpa deleuerat. Si autem hi qui naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum quos Chriſti iuſtificat gratia: ſed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter iuſtéque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ ſecundùm iuſtitiæ regulam, *Scilicet exteriorem, & apparentem, qualis erat & Phariſæorum, qui faciebant iuſtitiam vt apparerent coram hominibus*: non ſolùm vituperare non poſſumus, *Quis enim eleemoſynam dare, mortuum ſepelire, iniuriam pati, fidem ſeruare, non laudet?* Verum etiam meritò rectéque laudamus: quanquam ſi diſcutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iuſtitiæ debitam laudem defenſionemue mereantur. *Finem poſtea diſcuſſuri, à quo bonum quodlibet opus rectitudinem ſuã ſumit; vnde procedam quædam materialiter, & ex ipſa natura operis, recte facta declarat, ſubiicient*: Quia inquit, non vſqueadeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, meritò dici poſſit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere, &c. *Vnde Tertullianus*, In optimis nonnihil peſſimi, & in peſſimis *dixit* nonnihil optimi: *Deinde verè dicit corruptionem naturæ gratiâ mediatoris removandam fuiſſe, etiam in ipſis Iudæis, diuina lege inſtructis*: A cuius, *inquit*, gratia ſi alieni ſunt illi de quibus agimus, *Gentiles*, Qui ſecundùm illum modum de quo ſuperius ſatis diximus; naturaliter quæ legis ſunt faciant; quid eis proderunt excuſantes cogitationes in die quâ iudicabit Deus occulta hominum, niſi fortè vt mitiùs puniantur? ſicut enim non impediunt à vita æterna iuſtum, quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuſlibet peſſimi hominis inuenitur, &c. qui legem non habentes, *Moſaicam, ſed naturalem tantùm*, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, ſi non illi ſunt intelligendi, *Gentiles incircumciſi, credentes tamen in Deum verum*, qui pertinent ad gratiam mediatoris; ſed illi potiùs, qui cùm Deum verum vera pietate non colant, habent tamen quædam opera bona in vita impia: An fortè hoc ipſo probandum credidit quod ſupra dixerat, quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum, & quod poſtea dixit, quia non Iudæorum Deus eſt tantùm, ſed etiam Gentium? Quòd quantulacumque legis opera naturalitet inſita non inuenirentur in eis qui legem non acceperunt; niſi ex reliquiis imaginis Dei. *Cæterùm cùm bonum opus ſit ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu: cauſa autem finalis & intentio actionem moralem rectam & bonam faciat: Clariſſimum eſt, infideles defectu fidei, in vltimum finem qui Deus eſt, intentionem ſuam in Deum verum dirigere non valentes*, Alienatos à vita Dei, tenebris obſcuratum habentes intellectum, *nullum opus bonum ſecundum Deum facere; quia non habent rectum finem. Inde idem Auguſtinus, in epiſtola 107. ad Vitalem, probat ariem in hoc maximam diaboli, quòd fidelis, pijs, ac ſpecie veræ boni operibus Gentilium, decipere geſtiat.* Aliquos, *inquit*, eorum, per quos ampliùs decipere affectat ſinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur per quaſque Gentes, præcipuéque in Gente Romana, qui præclarè glorioſiſſiméque vixerunt. Sed quoniam ſicut veriſſima ſcriptura dicit, omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, Rom. 14. 23 Et ſine fide impoſſibile eſt vtique placere Deo, Hebr. 11. 6 in hominibus nihil ſic agit hic princeps, quàm vt non credatur in Deum, nec ad Mediatorem, à quo ſoluuntur opera eius, *Et per fidem operante dilectione verè opera bona fiunt*, credendo veniatur. *Et ep. 105. ad Sixtum* Opera inquit bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, *A Deo ſcilicet infuſa*, ſine qua, illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt. *Et præfatione in Pſal. 31.* Multi, *inquit*, gloriantur de operibus; & inuenis multos paganos propterea nolle fieri Chriſtianos, quia quaſi ſufficiunt ſibi de bona vita ſua. Benè viuere opus eſt, ait: quid mihi præceptum eſt Chriſtus? vt bene viuam? iam bene viuo. Quid mihi neceſſarius eſt Chriſtus? nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupiſco, nullo adulterio contaminor, &c. Habet gloriam, ſed non ad Deum, &c. *Et poſt multa, cùm de Abraham filium immolare parato diuiſſet*: Magnum, *inquit*, opus, ſed ex fide. Laudo ſuperædificationem operis, ſed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis; ſed in fide agnoſco radicem, &c. Ea ipſa opera quæ dicuntur ante fidem, quantumuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt. Ita mihi videntur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera ſua ante fidem. Vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. *Tantum abeſt, vt opus ſine fide placeat*: Deo, *cui placet vtpote ſummo bono, omne quod bonum eſt; quin potiùs infidelis opus, carens fine debito, nec propter Deum factum, Deum irritat; non propter materiale operis, quod ex genere ſuo bonum eſt; ſed defectu debita propter Deum intentionis. Quâ quidem fide non iniuſtè priuatur, quia Dei donum eſt, quod cui vult ex miſericordia largitur, cui vult non iniuſtè negat; imo iuſtiſſimè, propter peccatum originale, quo omnes à gratia Dei, & omni dono ſupernaturali, & per conſequens à fide excidimus, & puniri meruimus. Ita Fulgentius libro 1. de veritate Prædeſt. cap. 18.* Patrum eſt, *inquit*, nobis fidem ſcire vnicuique diuinitus dari, niſi certiſſimè nouerimus, tantam vnicuique tribui, quantam Deus donare dignatur, non quantam humana voluntas meretur. Quæ priuſquam accipiat fidem, punitionem per ſeipſam mereri poteſt, non fidem. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt; *Vel ſaltem defectus.* Et ſine fide, impoſſibile eſt placere Deo. Qui autem Deo non placet, ſine dubio diſplicet: Et qui Deo diſplicet, non eum mitigat, ſed potiùs exacerbat. Nullum igitur accipiendæ fidei meritum, poteſt habere voluntas quæ non habet fidem: quia fidem non habere, hoc eſt diſplicere Deo. Infidelitatis autem malum, non iuſtificationis, ſed damnationis eſt meritum. *Nec immeritò nominandus hoc loco noſtri quondã Ordinis Generalis E. C. Seripandus Cõcilij Tridentini Præſidens cui noſter Caſalius, ſuum de quadripartita iuſtitia librum ſacrauit. Qui ſic præfatum Paulinum expenſis in præclara commentaria Epiſtola*

A B C D E

S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt. Auguſt. Auguſt. Auguſt. Auguſt. Auguſt. Auguſt.

ad Romanos. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quicquid, *inquit*, agimus fidei non congruens, & interiori animi nostri sententiæ, quam de his rebus sequimur quæ Deo placent displicent-ue, peccatum est, & vim habet condemnandi. Hæc est fidei norma atque præscriptio, quâ bonæ actiones à malis discernuntur. Non est autem prætereundum, magnum Basilium in iis, quæ de moribus scripsit ex hac Pauli regula hunc collegisse foritem. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Fides ex auditu est. Auditus per Verbum Dei. Quidquid ergo non est ex Verbo Dei, peccatum est. Verissima profectò conclusio, quæ tota constat, & conficitur ex Pauli in hac epistola dictis, &c. Vtitur autem hac eâdem Pauli lege, & regula B P. Augustinus sæpissimè, vt ostendat nostras omnes actiones seclusâ fide, ex qua, vt ipse inquit, recta est intentio, peccata esse: quæ quamuis non propria ac germana videatur esse huius loci sententia, *Quæ de Idolothytis ex fide, id est conscientia non edendis agit ad literam*, Reuerà tamen ex hac regula necessariò efficitur. Nam si actio fidei non congruens, *Hic fidem Christianam, quâ discernimur à Gentili, intelligit*, peccatum est, quantò magis quæ ab animo ab omni fide vacuo proficiscitur, peccatum censendum atque æstimandum erit? *Cui consonat illud eiusdem Basilij magni in cap. 2. Esa.* Omnis vtique operatio quæ efficitur præter rectitudinem scripturæ, apud Deum execrabilis est abominatio. *Quid prior ipso Augustino de vanis & falsis, licet in facie hominum lucentibus Gentilium operibus senserit beatissimus ac fortissimus & eloquentissimus martyr Cyprianus, & quid in hac causa sentiat, S. Romana Ecclesia apertè manifestat; cùm Dominica 4. post Pascha in Breuiario Romano ex decreto Sacrosancti Concilij Tridentini restituto, Pij 5. Pontificis Max. iussu edito, & Clementis 8. auctoritate recognito, publicè proponit eximium contextum ex tractatu eiusdem Cypriani de bono patientiæ legendum in officio.* Hanc se sectari Philosophi quoque profitentur: sed tam illis patientia falsa est, quàm & falsa sapientia est. Vnde enim vel sapiens esse, vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam Dei nouit? *Ex ipso Cypriano suppleo, qua breuitatis causâ præteriit Ecclesia:* Quando ipse de iis, qui sibi sapere in mundo videtur, moneat & dicat, *Esa. 29. 14. iuxta 70.* Perdâ sapientiâ sapientium, & prudentiâ prudentiũ reprobabo. Item B. Apostolus Paulus plenus Spiritu sancto, & vocandis formandisque gentibus missus, contestetur & instruat, dicens: videte ne quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum, &c. Quæ sapientia illic vera non est, esse non potest vera patientia. Nam si sapiens ille est, qui est humilis & initis: Philosophos autem nec humiles videmus esse, nec mites, sed multùm sibi placentes, & hoc ipso quòd sibi placeant, Deo displicentes: *Cui certè bonũ displicere non potest*: Apparet illic verant nõ esse patientiam, vbi sit insolens affectatæ libertatis, *Id est animi ab omni passionis nubilo & nauo peccati liberi*, audacia & exerti ac seminudi pectoris inuerecunda iactantia. *Tum resumis Ecclesia.* Nos autem, fratres dilectissimi, qui philosophi non verbis sed factis sumus, nec vestitu sapientiam. *Viden ut pallium am, & plenam hypocrisi & superbia, proindeque vitio maximo plenam Gentilium virtutem carpit & vellicat*: sed veritate præferimus: qui virtutum conscientiam magis quàm iactantiam nouimus: qui non loquimur magna, sed viuimus: quasi serui & cultores Dei, patientiam quam magistr eiis cœlestibus discimus, obsequiis spiritalibus præbeamus.

Omniloquium.

Est enim nobis cum Deo virtus ista communis. Inde patientia incipit, inde claritas eius & dignitas caput sumit. Origo & magnitudo patientiæ Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quæ Deo chara est. Bonum quod amat maiestas diuina commendat. Si Dominus nobis & Pater Deus est, recte-mur patientiam Domini pariter & Patris: quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. *Quem Cypriani locum inter multos alios ex eodem excerptos adduxit Aug. lib. 4. ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8 & 9.* S. August. Numquid, *inquit*, iste sanctus tam memorabilis Ecclesiarum in verbo veritatis instructor, liberum arbitrium negat in hominibus, quia Deo totum tribuit quo rectè viuimus? &c. Virtutemque excellentissimam, hoc est patientiam, non à nobis dicit incipere, ac deinde adiuuari Spiritu Dei, sed ab ipso caput, ab ipso originem sumere? postremò nec propositum bonum, nec studium virtutis, nec mentes bonas, sine gratia Dei incipere, & esse in hominibus cõfitetur; *ad Quirinum supra retuleras scribentem*: In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. S. August. *Gentiles autem Philosophi in omnibus erant gloriantes, ipsisque Pharisæis saltem fidelibus peiores, qui omnia opera sua faciebant, vt viderentur ab hominibus.* Quid tam in libero arbitrio constitutum, quàm quod lex dicit non adorandum idolum, nec mœchandum, non homicidium perpetrandum: ista autem sunt atque huiusmodi crimina, quæ si quispiam commiserit, à corporis Christi communione reuocetur. Et tamen si Beatissimus Cyprianus his non committendis existimaret nostram sufficere voluntatem, non sic intelligeret quod in oratione Dominica dicimus: *Aduerte eodem sensu Cyprianum cum Tertulliano hanc expositisse particulam.* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; vt hoc nos petere assueueraret, ne intercedente aliquo grauiore delicto, dum absentes, & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur. *Vbi vides, quòd cùm lex iubeat*, declinare à malo, & facere bonum, *Nec Christianum, nec multò minus Gentilem ex reliquiis rectæ rationis, sine Deo, & gratia eius adiutorio, nec facere bonum, quale est opus patientiæ, fortitudinis, &c. nec declinare à malo idololatria, mœchiæ, homicidij, &c. Tum concludit Augustinus.* S. August. Respondeant certè hæretici noui, quid bonorum meritorum præcedat in hominibus inimicis nomini Christiano. *Id est Gentilibus & infidelibus.* Non solùm enim non habent bonum, *intellige vere ac solide virtutis secundùm Deum talis, quia secundùm homines & apparenter sine vi loquitur Augustinus, ratione officij, & ex genere suo, proximo compati, iniuriam pati, fortiter agere bonum est, nec vulpari potest, vt fusè diximus to. 1. p. 2. tam in prælectione, quàm in Alphab. V. Virtutes Gentilium, quò remitto lectorem*: Non solùm, *inquit*, non habent bonum, sed habent etiam pessimum meritum: *peccati originalis, infidelitatis, multorumque actualium, & ipsius vt plurimum superbiæ in operibus bonis ex genere suo.* Et tamen etiam sic Cyprianus intelligit quod in oratione dicimus: fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra: vt & pro ipsis qui propter hoc terra intelliguntur, oremus: *de genere enim sunt illius terreni, cui iuxta S. Prosperum alibi citatum à nobis fide perdita, & facto infideli dictum est, terra es, & ipsi terrena sapiunt, sibi & hominibus in bonis suis placent & gloriantur.* Oramus ergo non solùm S August. pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus? nisi vt fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes. A quo nisi ab

illo, de quo scriptum est *Prouerb. 1. 35. iuxta 70.* A Præparatur voluntas à Deo. DISCANT ERGO ESSE CATHOLICI. Qui dedignantur, si quid mali non faciunt, & si quid boni faciunt, non in seipsis, sed in Domino gloriari. *Quid fortius in rem Tertulliani fortitudinem Gentium vanam & superbam dissipanti:* Fortitudo Gentium dissipata est; dissipabit Dominus ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Dominus spreuit eos. Quoniam tu es Domine patientia mea, diligam te Domine fortitudo mea. Fortitudinem meam ad te custodiam. Melior est patiens viro forti. *Sed nec patiens verè sine Deo, nec verè fortis sine Deo Christianus, multò minùs Gentilis est.*

Alium referam octaui seculi magni nominis Auctorem, cuius Autographum ex Bibliotheca Floriacensi seruat hodie Bibliotheca sancti Germani Parisiensis, mihi à pererudito ac pijssimo Bibliothecario Domno Luca sæpius excerpendum, assuetâ omnibus indulgentiâ prolatum est. De quo *Possevinus Societatis Iesu Scriptor eximius.* Claudius Clemens Scotus Bedæ Venerabilis discipulus, & Alcuini Abbatis & Leuitæ in fundanda Academia Parisiensi Collega, ob sapientiæ doctrinam, extremâ penè senectute, Anno 761. si rectè annorum Democharis series inita est, *Alioquin multò seriùs*, Creatus legitur Episcopus tricesimus primus Antissiodorensis. Scripsit in quinq; libros Moysi, in Iosue, in Iudicum, in Ruth, in Psalterium, in Matthæum, de Concordantia Euangelistarũ, in epistolas Pauli cõmentaria manuscripta Cassini sub nomine Claudij Antissiodori littera Longobardica in pluteo quinto ad læuam. Summa verò eius & commentarij in epistolam ad Galatas excusi sunt Parisiis anno 1542. sub eius nomine. Trithemius de viris illustribus Ordinis sancti Benedicti, Sixtus Senens. Biblioth. lib. 4. *Ipse itaque Claudius in rem nostram scribens in illud Rom. 14. 23. Quod & ad Augustini mentem Bonifacius 2. Papa retulit in ep. ad Cæsarium Arelatensem, confirmans Canones Synodi Arausicanæ 2.* Omne quod non est ex fide peccatum est. Quis, inquit, audeat dicere donum Dei esse peccatum? Anima enim, & corpus, & quæcumque bona animæ & corpori naturaliter insita sunt, etiam in peccatoribus dona Dei sunt. Quoniam Deus, non sibi ipsi ista fecerunt. De his autem quæ faciunt, dictum est, omne quod non est ex fide peccatum est. *Saltem defectus est, quia deficit à recto ordine finis.* Cùm igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad coniugalem pudicitiam pertinere, siue hominibus placere quærentes, vel sibi, vel aliis, siue in his rebus, quas vitiosè concupiscunt, humanas molestias deuitantes, siue dæmonibus seruientes; non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. Ac per hoc, bona voluntas, quæ se abstrahit à peccato, fidelis est: quia iustus ex fide viuit. Ad fidem autem pertinet credere in Christo; & nemo potest credere in eum, nisi fuerit illi datum. Nemo igitur potest habere voluntate iustitiam, nisi nullis præcedentibus meritis acceperit, hoc est gratuitam desuper gratiam. *Cui subiungo Bernardum, de præcepto & dispensatione, cap. 17. de intentione iuxta Augustini mentem disserentem.* Ego verò, *inquit*, vt interior oculus verè simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat: habet quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam; & nescio quemadmodum iudicio veritatis, vera esse possit cum falsitate simplicitas, &c. Quomodo denique verè simplex erit oculus, cum ignorantia veritatis? Aut verò vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? &c. Cæterùm, sicut oculum simplicem duo ista faciunt bona; amor boni, & cognitio veri: sic nequam oculum duo è regione mala constituunt; cæcitas, qua fit vt veritatem non agnoscat: & peruersitas, qua fit vt diligat iniquitatem. *Quod si hoc etiam de fideli dictum est, quid de infideli sentiendum est? Capite autem 18.* De fide vera, non falsâ, puto dixisse Apostolum, omne quod non est ex fide, peccatum est. Non autem ex fide vera, bonum creditur, quod malum est: Est enim falsum: peccatum igitur est. Vtrumque proinde complectitur præsens capitulum, omne quod non est ex fide, &c. Et næcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam: quia B quod à nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio praua, & malum non penitùs excusat recta, &c. Verùm quod absque vel minimo peccato non est, purum bonum minimè est. *Quomodo ergo infidelis, nesciens verum Deum, ad quem intentionem dirigere non potest, verè bonum facere opus potest?*

Nec dicas Deum iustum & bonum, & mala opera, compensare non posse, & Romanis in mercedem operum moralium, imperium dedisse. Primò enim dico, in operibus illorum, aliquid boni, fuisse, & quamlubetcumque bonum, sine mercede aliqua non fuisse. Et sicut Augustinus lib. cont. Mendacium. cap. 15. discernit in obstetricum Hebræarum opere, & mendacium & benefactũ Mirandũ, *inquit*, non est, quòd vno tempore, in vna causa Deus vtrumque conspiciens, id est factum misericorditer, factumque fallaciter, & bonum remunerauit, & propter hoc bonum, malum illud ignouit. *Ita in iuste & fortiter ex genere suo benefactis Romanorum, Deus vtrumque vidit, opus bonum temporaliter remunerans, & malum ex defectu intentionis, & fidei, puniendum in altera vita seruans. Secundò, opera eorum vana fuisse Augustinus probat ex mercede vana libro 5. de Ciuit. cap. 15.* De talibus, *inquit*, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, vt glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait, Amen dico vobis perceperunt mercedem suam. Sic & isti, *Romani*, &c. tanquam verâ viâ nisi sunt ad honores, imperium, gloriam, &c. Non est quòd de summi & veri Dei iustitia conquerantur, perceperunt mercedem suam. *Subiicit & aliam rationem.* Non solùm, inquit, vt talis merces talibus hominibus redderetur, Romanum Imperium ad humanam gloriam dilatatum est, verùm etiam vt ciues æternæ illius ciuitatis, quamdiu hîc peregrinantur, diligenter, & sobriè illa intueantur exempla, & videant quanta dilectio debeatur supernæ patriæ propter vitam æternam, si tantùm à suis ciuibus terrena dilecta est, propter hominum gloriam. *Cæterùm non quòd Romani simpliciter boni essent, sed in comparatione aliorum infidelium minùs mali: his ideo iustus distribuit, potiùs quàm aliis peioribus dedit imperium. Huc facit quod habet Augustinus lib. 5. de Ciuit. cap. 21.* Non tribuamus, *inquit*, dandi regni atque imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat fœlicitatem, regnum cœlorum solis piis: regnum verò terrenum & piis, & impiis: sicut ei placet, cui nihil iniustè placet, &c. Hæc planè Deus vnus & verus regit & gubernat, vt placet. Et si occultis causis, numquid iniustis?

Obiicientibus porrò, Stoïcos saltem, multa virtutis moralis documenta tradidisse, & plurima eius opera fecisse; nec malum opus, appellari posse, quod in finem virtutis referatur. Idem Augustinus, lib. 19. de ciuit. cap 25. Quamlibet, *inquit*, videatur animus corpori, & ratio vitiis laudabiliter imperare, si tamen Deo animus, & ratio ipsa non seruit, sicut seruiendum ipse præcepit, nullo modo corpori vitiisque

S. Augustin.

Augustin.

Augustin.

Augustin.

Augustin.

rectè imperat. Nam qualis corporis atque vitio- A rum poteſt eſſe mens domina, veri Dei neſcia, nec eius imperio ſubiugata, ſed vitioſiſſimis dæmonibus corrumpentibus proſtituta? proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat carni, & vitijs ad quodlibet adipiſcendum, vel tenendum, niſi ad Deum tetulerit, etiam ipſæ vitia ſunt potiùs, quàm virtutes. Nam licet à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur eſſe virtutes, cùm ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt; & ideò non virtutes, ſed vitia iudicanda ſunt.

Hinc Auguſtinus Iulianum carpit Gentilem pariter & Chriſtianam fortitudinem libero arbitrio tribuentem, & refertur à S. Proſpero ſententia, 295. & habetur lib. 1. operis perfecti Cont. Iulianum ſect 82. Iulianus dixit: libertas arbitrij poſſibilitas eſt vel admittendi, vel vitandi peccati, expers cogentis neceſſitatis, quæ in ſuopte iure habet, vtram ſuggerentium partem ſequatur, id eſt, vel ardua aſperaque virtutum, vel demerſa & paluſtria voluptatum. *Et proſequitur ſect. 83.* Quod vt breuiter abſoluatur, poſſibilitas eſt ad hoc ſolum excubans, nè homo vel in peccatum à quoquam impellatur, vel à peccato abſtrahatur voluntate captiua; quam non poſſe capi, ſi dedi ipſa noluerit, teſtatur fortitudo: cuius lacerti in contemptu dolorum, & per Gentiles, & per Chriſtianos aſſiduè claruerunt. *Auguſtinus reſpondit*: Hoc eſt vtique quod ait hæreſis veſtra: ad hoc enim additis & Gentiles, nè piæ fortitudi- C nis opus Dei gratia Chriſtiani facere potuiſſe, aut feciſſe credantur; quæ Chriſtianis eſt propria, non Chriſtianis, Gentilibuſque communis. Audite ergo & intelligite: fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Chriſtianorum Dei charitas facit; quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, quod eſt à nobis, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

HERACLITVS. *Intercute laborans, teſte Laërtio libro 9.* Seipſum ſtabulo boum includens, & fimo bubulo obruens, eo calore arbitrabatur noxium ac exundantem humorem exhaurire poſſe. *De Empedocle alibi.* PEREGRINVS. *Hic fuit Philoſophus apud Piſas, qui rogo, quem ex lignis compoſuerat, ſemetipſum incendit.* NON OLIM. *Non à longo tempore: quia vixit ſub Seuero Imperatore. Vide Lucianum in* D *libro de morte Peregrini. Euſeb. Caſar. in Chron. Gellium lib. 12. noct. Attic. c. 11.* DIDO. *Fabellam texuit Virgilius; Æneam enim non cognouit. Alij enim referunt eam coactam ſecundò nubere Hiarbæ, ſe igni dediſſe.* ASDRVBALIS VXOR. *Idipſum refert Florus lib. 2 cap. 15. & Valer. Max. lib. 3. c. 2. cùm exprobraſſet marito ſuo quadraginta millium virorum duci, quod vitam à Scipione petiſſet, apprehenſis manibus duobus liberis, à culmine domus ſe in medium Carthaginis præcipitauit incendium, Didonem imitata eiuſdem ciuitatis conditricem.* MERETRIX ATHENIENSIS. *De eadem iam egerat in Apol. cap. vlt. de qua conſule Valer. Max. Ciceronem in Tuſcul. Plin. lib. 34 cap. 8.* LÆNAM IAM VOCAT. *Et ſtatuam eius commendat his verbis*: Et Iphicratis Læna laudatur. Scortum hæc lyræ cantu familiare Harmodio & Ariſtogitoni, conſilia eorum de tyrannicidio, vſque ad mortem exercuciata, tyrannis non prodidit. Quamobrem Athenienſes & honorem habere ei volentes, nec tamen ſcortum celebraſſe, animal nominis eius fecere; atque vt intelligeretur cauſa honoris, in opere linguam addi ab artifice voluerunt. *Hæc equuleum ſupra mortem timens, ne veritas exterqueretur, linguam ſibi præcidit. Eiuſdem meminit lib. 7. cap. 23.* Patientia, *inquit*, corporis, vt eſt crebra ſors calamitatum, innumera documenta peperit. Clariſſimum fœminis lænæ meretricis, quæ torta non indicauit Harmodium, & Ariſtogitonem tyrannicidas in viris Naxarchi, qui ſimili de cauſa cùm torqueretur præroſam dentibus linguam, vnamque ſpem iudicij, in tyranni os expuit. TORMENTA. *Flagellatos Adoleſcentes Lacedæmonas vide apud Plutarchum, Philoſtratum, Senecam. Præcipuè Nazianzenum ora. 3.* Spartanos adoleſcentes laudis virgis ſe ſe lacerantes, & aram cruore reſperſam, deam caſtam oblectantem. *Dianam intellige, vel Orthopiam Byſantiorum numen.* DEVTABITVR. *Dignius cenſebitur etiam apud Gentiles.* A RIMA CESSERIT. *Exceſſerit de corpore;* QVANTI MARGARITVM. *Alij addunt*, Verum. *Vitrea eſt planè quæcunque mundi fortuna, Archimedis globo vitreo par. Inde in Apoc. Ioannis, coram throno Dei, mare vitreum, quòd præ cœli gloria, etiam mare diuitiarum, voluptatum, honorum, vitreum ſit fragile.* HABEAT EROGARE. *Debeat conſumere vetus in rogo, vel ſimplicius, dare, diſpergere, diſſipare.* MODICÆ SVNT. *Rom. 8. 18.* Si filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes, autè Chriſti: Si tamen cõpatimur, vt & conglorificemur. Exiſtimo enim quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. *Syr.* Exiſtimo nequaquam dignas eſſe perpeſſiones huius temporis gloriâ illâ, quæ reuelanda eſt in nobis. *Aug. ſer. de Apoſtolo Paulo qui eſt 3. de conuerſione & 36. de diuerſis.* Ipſe dicit qui patiebatur, & ſciebat pro quo nomine patiebatur, & quo fructu patiebatur; non ſunt condignæ, &c. Sæuiat mundus, fremat mundus, increpet linguis, coruſcet armis; quidquid poteſt faciat: quid faciet ad id quod accepturi ſumus? Appendo quod patior, contra id quòd ſpero: hoc ſentio, illud credo: & tamen plus valet quod credo, quàm quod ſentio. Quidquid eſt quod ſæuit pro nomine Chriſti, ſi poteſt vinci, tolerabile eſt: ſi non poteſt vinci, migrare hinc facit: non extinguit, ſed accelerat. Quid accelerat? ipſum præmium, ipſam dulcedinem, quæ cùm venerit, ſine fine erit. Opus cum fine, merces ſine fine. *Et Ber. de Conuerſ. ad Cler. c. 30.* Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur, ad præſentem conſolationis gratiam, quæ immittitur, ad futuram gloriam quæ promittitur nobis. *Quantùm ad exempla Gentilium hic relata à Tertulliano vide, alibi iam dicta, & dicenda ſequenti Scholio, in quo duo capita auctoris noſtri ſimul iungo propter identitatem materiæ.*

Augvſt.

B

C

D

S. Auguſt.

2. Fortiter aduerſa pati renuere pudeat pro veritate, quod multi pro ſæculi vanitate & laude ferunt. Ad Mart. Cap. 5. per totum.

OMitto nunc gloriæ cauſam eadem omnia ſæuitiæ, & cruciatus certamina, jam apud homines affectatio quoque, & morbus quidam animi conculcauit. Quot otioſos affectatio armorum ad gladium locat? Certè ad feras ipſas affectatione deſcendunt, & de morſibus, & de cicatricibus formoſiores ſibi videntur. Iam & ad ignes quidam ſe autorauerunt, vt certum ſpatium in tunica ardente conficerent. Alij inter venatorum taureas ſcapulis patientiſſimis

inambulauerunt. Hæc, benedicti, non sine causa Dominus in seculum admisit; sed ad nos & nunc exortandos, & in illo die confundendos, si reformidauerimus pati pro veritate in salutem, quæ alij affectauerunt pro vanitate in perditionem.

3. Fortiter pati non dedignemur pro Deo, qui vel hominis causâ, vel inuiti tot casus sustinemus à seculo. Ad Mart. cap. 6. per totum.

SEd hæc exempla constantiæ omittamus de affectatione venientis. Conuertamur ad ipsam conditionis humanæ contemplationem, vt & illa nos instruant, si qua constanter adeunda sint, quæ & inuitis euenire consueuerunt. Quotiens enim incendia viuos cremauerunt? quotiens feræ & in siluis suis, & in mediis ciuitatibus elapsæ caueis, homines deuorauerunt? quot à latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce extincti sunt, torti priùs, immo & omni contumeliâ expuncti? Nemo non etiam hominis causâ pati potest, quod in causa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel præsentia nobis tempora documenta sint, quantæ qualesque personæ inopinatos natalibus, & dignitatibus, & corporibus, & ætatibus suis, exitus referunt, hominis causâ: aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab aduersariis eius, si pro eo steterint. *V. Verbum, Patientia.*

FORTITVDO. II. & III. SCHOLIA.

GLORIÆ CAVSAM. *Propter quam homines tanta patiuntur.* EADEM. *Qua fidelibus ad fidem abiurandam intentantur.* AFFECTATIO. *Studium nimium & diligentia placendi hominibus, & vanam gloriam aucupandi* MORBVS. *Libido quædam. De quo morbo Augustinus;* Maligni atque peruersi homines, & in semetipsos crudeliores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. AD GLADIVM LOCAT. *Vt venditicij gladiatores. Sic & Cipr. de spectac.* Ictibus infelix facies locatur, vt infelicior venter saginetur. AD FERAS. *Cum quibus certent.* AVTORAVERVNT. *Obligauerunt. Auctoratus propriè gladiator dicitur, qui mercedem accipit vt pugnet, vratur, cædatur, occidatur, ex Quintiliano, Liuio, Suetonio.* SPATIVM. *In arena.* TVNICA ARDENTE. *Pice & bitumine illita, qualem induit S. Erasmus sub Maximiano & Diocl. tunica arua candente vestitus. Et Seneca ep. 14. inter alia tormenta.* Cogita, *inquit,* illam tunicam alimentis ignium, & illitam & intextam, & quidquid aliud habet, præter hæc commenta, sæuitia. TAVREAS. *Flagella ex corio taurino.* VENATORVM. *Qui in arena bestiarios fugientes flagellabant.* IN SÆCVLVM. *Inter spectacula Gentilium. Ideò permisit.* IN ILLO DIE. *Iudicij. Dicente Propheta,* Et tu ab Ægypto confunderis.

3. ADEVNDA. *Vltrò subeunda.* CAVEIS. *Receptaculis bestiarum in arena pugnantium. Sicut elapsa sunt, teste Ammiano lib. 29. Vna Vrsa, quas alebat Valentinianus, ad spectaculum dilacerandorum hominum, quo mirè delectabatur. Nomen vni,* Mica aurea, *Alteri,* Innocentia. EXPVNCTI. *Absolutissimè opprobriis & contumeliis affecti; vt nihil contumeliæ implendum defuerit. De quo sic Psaltes:* Imple facies eorum ignominiâ. HOMINIS CAVSA. *Seuerè fortè Imperatoris. Quidquid sit, pudor est, Christianos dedignari pati pro Deo, & cœli gloriâ, quidquid hominum causâ, vel inuiti patimur, quaque gladiatores, vel laudis, vel præmij spe, & tot Gentiles vanæ gloriæ libidine turpiter potiùs quàm fortiter toleranunt. Et hæc summa est horum trium capitum Tertulliani. Hæc omnia complexus est Augustinus lib 5 de Ciuit. cap. 14.* Huic cupiditati, *gloriæ humanæ,* melius resistitur sine dubitatione, quàm cedetur. Tantòrenim quisque est Deo similior, quantò ab hac immunditia mundior. Quæ in hac vita, etsi non funditùs eradicâtur ex eo, quia etiam benè proficientes animos tenebre non cessat; saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ, &c. Hoc secuti sunt martyres qui Scæuolas & Curtios, & Decios, non sibi inferendo pœnas, sed illatas ferendo, & virtute vera, quoniam vera pietate, & innumera multitudine superarunt. Sed cùm illi essent in ciuitate terrena, quibus propositus erat omnium pro illa officiorum finis, incolumitas eius, & regnum, non in cœlo, sed in terra; non in vita æterna, sed in decessione morientium, & successione morituorum; quid aliud amarent quàm gloriam, qua volebant etiam post mortem tanquam viuere in ore laudantium? *Et cap. 18. fusè prosequitur exempla Bruti & Torquati,* August. *filiis occidentium; Mutij Scæuolæ, Curtij, Reguli, &c. Sic ergo inter cætera:* Quid magnum est pro illa æterna cœlestique patria, cuncta sæculi huius, quàmlibet iucunda blandimenta contemnere, si pro hac temporali atque terrena filios Brutus potuit & occidere, quod illa facere neminem cogit? &c. *De Scæuola autem:* Qui regno cœlorum imputaturus est merita sua, si pro illo non vnam manum, neque hoc sibi vltrò faciens, sed persequente aliquo patiens, totum flammis corpus impenderit? Si Curtius armatus equo concito in abruptum hiatum terræ se præcipitem dedit, deorum suorum oraculis seruiens, qui iusserant, vt illuc, id quod Romani haberent optimum, mitteretur, &c. Quid se magnum pro æterna patria fecisse dicturus est, qui aliquem fidei suæ passus inimicum, non se vltro in talem mortem mittens, sed ab illo missus obierit, quandoquidem à Domino suo, eodemque rege patriæ suæ certius oraculum accepit; Nolite timere eos August. qui corpus occidunt? &c. *Et de Regulo item;* Qui cruciatus non sunt pro fide illius patriæ contemnendi, ad cuius beatitudinem fidesipsa perducit? aut quid retribuetur Domino pro omnibus quæ retribuit, si pro fide, quæ illi debetur, *Donum enim Dei est,* talia fuerit homo passus, qualia pro fide, quam perniciosissimis inimicis debebat, passus est Regulus? &c. Proinde per illud imperium tam latum, tamque diuturnum, virorumque tantorum virtutibus præclarum atque glorioſum, & illorum intentioni, merces quam quærebant, est reddita, & nobis proposita ne cessariæ commonitionis exempla: vt si virtutes, quarum iste vicumque sunt simules, quas isti pro ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſissima ciuitate, non tenuerimus, pudore pungamur; si tenuerimus, superbia non exsol-

S. August.

S August.

zed by Google

lamur. Quoniam ſicut dicit Apoſtolus, indignæ ſunt paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ad humanam verò gloriam præſentiſque temporis, ſatis digna vita exiſtimabatur illorum.

FVCVS

Fucantes ſe, Deum iniuriâ afficiunt, & diabolo ſeruiunt, à quo id didicerunt. 2. de cult. Fem. cap. 5. à p. ad f.

NOn ſupergrediendum vltra quàm ſimplices & ſufficientes munditiæ concupiſcunt, vltra quàm Deo placet. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vrgent, genas rubore maculant, oculos fuligine porrigunt. Diſciplicet nimirùm illis plaſtica Dei: in ipſis ſe nimirum arguunt, & reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cùm emendant, cùm adjiciunt, vtique ab aduerſario artifice ſumentes additamenta. Is eſt diabolus. Nam quis corpus mutare monſtraret, niſi qui & hominis ſpiritum malitiâ transfigurauit? ille indubitatè huiuſmodi ingenia concinnauit, vt in vobis pareat manus vos quodammodo Deo inferre. Quod naſcitur, opus Dei eſt: Ergo quod infingitur, diaboli negotium eſt. Diuino operi ſatanæ ingenia ſuperducere quàm ſceleſtum eſt! Serui noſtri ab inimicis noſtris nihil mutuantur. milites ab hoſte imperatoris ſui nihil concupiſcunt. De aduerſario enim eius in cuius manu ſis, aliquid vſui poſtulare, tranſgreſſio eſt. Chriſtianus à Malo illo adjuuabitur in aliquo? neſcio an hoc nomen ei perſeueret. erit enim eius, de cuius doctrinis inſtrui concupiſcit. Quantùm autem à veſtris diſciplinis & profeſſionibus aliena ſunt, quàm indigna nomine Chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis indicitur? effigie mentiri, quibus linguâ non licet? apperere quod datum non ſit, quibus alieni abſtinentia traditur? adulterium in ſpecie exercere, quibus ſtudium pudicitiæ ſit? Credite benedictæ quomodo præcepta Dei cuſtodietis, liniamenta eius in vobis non cuſtodientes?

FVCVS. SCHOLIA.

NON SVPERGREDIENDVM *Exceſſus cultus corporis cauendus eſt, & modeſto decore, & munditiæ, contenta eſſe debent Chriſtiana fœmina.* VRGENT. *Cogunt artificiis magis tenſam & politam cutem reddere. Alij legunt.* Vngunt. RVBORE. *Ceruſſa. Cypr. de diſciplina & habitu virg. dicerat,* Genas mendacio ruboris inficere FVLIGINE PORRIGVNT. *Sic Hieron. ad Furiam:* Orbes ſtibio fuligi natos *arguit. Nigrum pulueren intellige. Vnde Cypr. ſupra,* Oculos circumducto nigrore fucare. *Alij legunt,* Collinunt, *id eſt vngunt, illiniunt: porrigere autem eſt adaperire, diducere, cum aliquo decore aduentitio.* PLASTICA DEI. *Effigies à Deo Plaſmata.* IN IPSIS SE. *In ſeipſis, Deum arguunt. Cypr.* C *ſupra*, Et audet quiſquam mutare & conuertere quod Deus fecit? Et *Ambr. lib. 1. de Virg.* Prior de ſe pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata eſt. Ita dum aliis ſtudet placere, priùs ſibi ipſa diſplicet. SPIRITVM TRANSFIGVRAVIT. *Animam corrupit, & mutauit in ſimilitudinem iumenti.* HVIVSMODI INGENIA. *Artificia.* MANVS INFERRE. *Cypr. ſupra:* Manus Deo inferunt, quando id quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt. INFINGITVR. *Alij ſimplicius,* Fingitur. SERVI NOSTRI. *Eadem aliis verbis habet de Preſcr. cap. 12.* Quis ſeruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? &c. A MALO. *diabolo.* HOC NOMEN. *Chriſtiani.* B TRADITVR. *Præcipitur.* ADVLTERIVM. *Ex adulterinis coloribus & formis, vnde Ambr.* Ex adulterio vultus, meditantur adulteria caſtitatis. LINAMENTA. *Liniamenta cuti ipſi & corpori à natura impreſſa. Vide alibi dicta de fuco inter ornamenta mulierum ex Auguſtino to. 2. ep. 73. to. 3. lib. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 21. & ſer. 247. de temp. cui hic addo quod habet ſer. ſequenti 248. de Continentia, in rem præciſè Tertulliani.* Perpendite quantùm neceſſaria vobis ſit continentia, per quam Chriſti diſci- S. Auguſt. pulatui condigni, ad regnum poteſtis cum eo venire perpetuum. Continentia verò & ſobrietas, non in ſola integritate carnis conſiſtit, ſed etiam in cultu & ornatu, vita pariter, & moribus. Debet enim vnuſquiſque continens eſſe ab omnibus illicitis. His autem quæ licita ſunt, debet cum modeſtia & ſobrietate vti, &c. Caſtitatem debet amare, & fornicationem fugere, &c. Victu & veſtitu contentus eſſe, &c. Humiliter ſentire, & mundi pompam contemnere, &c. Oculos contra vanitatem claudere, &c. *Non porrigere fuligine, vt ait hic Tertullianus,* guttur & naſum ad illecebram dulcium ciborum & ſuauium odorum non libenter adhibere, ſed magis bonam & ſuauem odorem virtutum appetere. Manus & pedes & omnia membra corporis ſolicitè cuſtodire, ne fiant arma iniquitatis peccato, ſed magis potentiæ arma Deo, ad deſtruendum ſpiritalem inimicum.

FVGA IN PERSECVTIONE.

1. Fugere perſecutionem de ciuitate in ciuitatem, datum eſt Apoſtolis, vt vbique fidem ferrent, & Iſraelitas conuerterent. de fuga cap. 6. à p.

[a]CVm cœperint, inquit, *perſequi vos, fugite de ciuitate in ciuitatem.* Hoc in perſonas proprié Apoſtolorum, & in tempora, & in cauſas eorum pertinere defendimus, ſicut præcedentes & ſubſequentes ſenſus probabunt, qui nonniſi in Apoſtolos competunt: [b]*In viam Nationum ne ieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne introieritis; ſed ite potiùs ad oues*

[a] Matth. 10. 23.

[b] Ibid. 5.

perditas domus Israëlis. Nobis autem & via Nationum patet, in qua & inuenti sumus, & vsque in finem incedimus; & nulla ciuitas excepta est, quà per totum orbem prædicamus: sed nec cura nobis Israëlis injuncta est extra ordinem, nisi quà & omnibus gentibus prædicare debemus. Etiam, si apprehendamur, non in concilia eorum perducemur, nec in synagogis illorum flagellabimur; sed Romanis vtique potestatibus & tribunalibus objiciemur. Sic igitur & fugæ præceptum, Apostolorum conditio desiderabat, quoniam primò prædicandum erat ad oues perditas domus Israëlis. Vt ergo perficeretur prædicatio, apud quos priores perfici oportebat, vti panem antè filij quàm canes sumerent; ideò illis fugere tunc ad tempus præcipit, non propter eludendum periculum proprio nomine persecutionis, (atquin persecutiones eos passuros prædicabat, & tolerandas docebat) sed propter profectum annuntiationis, ne statim oppressis, Euangelij quoque disseminatio perimeretur. Neque enim quasi tacitè in aliquam ciuitatem transfugiendum erat, sed quasi vbique annuntiaturis; & ex hoc vbique persecutiones subituris, donec replerent doctrinâ suâ. Denique, [c] *Non consummabitis*, inquit, *ciuitates Israëlis.*

Matt. 15. 26.

[c] Matt. 10. 23.

FVGA IN PERSECVTIONE. I. SCHOLIA.

CVM CORIPERINT. *Matth. 10. 23.* Cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. IN APOSTOLOS. *Apostolis.* IN VIAM NATIONVM. In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Israël. *Syr. autem* Ex domo Israël. PATET. *Iam Christo Gentibus prædicato.* INVENTI SVMVS. *Gentiles nati, de quibus dictum est:* Inuentus sum à non quærentibus me. VSQVE IN FINEM. *Circa mundi finem.* Quia repellitis Verbum Dei, ecce conuertimur ad Gentes. *In fine autem:* Dispersiones Israëlis congregabit. EXCEPTA EST. *Sicut exceperat ciuitates Samaritanorum.* QVA. *In quantùm.* EXTRA ORDINEM. *Specialiter.* OMNIBVS GENTIBVS. *Id est generaliter, tam Iudeis quàm Gentibus.* SI APPREHENDAMVR. *Ob prædicationem Euangelij.* FLAGELLABIMVR. *Sicut prædixerat Christus versu 17.* Tradent vos in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos. VTI PANEM. *Vt panem. Matth. 15. 26.* Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. *Syr.* Obiicere. PROBIETVM. *Vt Euangelium propagaretur.* ANNVNTIATVRIS. *Supple dictum est.* NON CONSVMMABITIS. *Matth. 10. 23.* Non consummabitis ciuitates Israël donec veniat filius hominis. *Syr. verò.* Nequaquam absolueritis. *Aduerte græcam vocem τέλεω, significare idem quod finire & perficere, quo sensu Latinum consummo, respondet: vt sit sensus: non percurretis omnes Israëlitarum ciuitates de alia in aliam fugiendo, donec veniam ad vos iuuandos & liberandos, siue præsentia corporali, siue adiutorio inuisibili. Ita Chrysost. Theophil. & Euthym. vel, non peragrabitis omnes Iudææ ciuitates, donec rediuiuus vobis appaream. Sic D. Thomas, Lyr. Abul. Caiet. &c Alij: Donec veniam ad euertendam Ierosolymam, & Iudæam, statumque Iudæorum, per Vespasianum & Titum. Rupertus autem sic:* Tot erunt per orbem Ecclesiæ, & ciuitates meo nomini dicatæ, qui sum verus Israël, vt non possit quiuis consummare illas, donec veniat regnum Dei. *Hilarius putat intelligi, non consummandos, id est generaliter conuertendos Israëlitas per Apostolos, vel eorum successores, nisi sub finem mundi. Audiamus quid in hunc locum scripserit Augustinus; qui contra Tertullianum iam corruptum, & perperam fugam in persecutione licitam, negantem, & Martyrij auidum, idem scripsisset, si coëtaneus eius fuisset, quod habet to. 7. lib. 1. contra secundam epistolam Gaudentij Donatistæ cap. 20.* Rectè ista dicerentur à vobis quærentibus Martyrum gloriam, si haberetis Martyrum causam. Non enim fœlices ait Dominus, qui mala ista patiuntur, sed qui propter filium hominis patiuntur, qui est Christus Iesus. Vos autem non propter ipsum patimini, sed contra ipsum; Patimini quippè ideo, quia non ei creditis: & toleratis ideò, ne credatis. Et *cap. 18.* Hoc planè laudo, quod agnoscitis vos, sed quòd non vos corrigitis doleo. Quid enim hac tua professione manifestius, quâ declaras satis non vos ad eorum pertinere consortium, quibus Dominus ait: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam? Nempè hoc est quod paulò antè dixi; posse te mihi verissimè respondere si dicas, nec iste meus est persecutor, nec ego auditor sum Christi. Ecce hoc apertissimè dicis. Quomodo enim es auditor Christi, cùm ille suis auditoribus, hoc est, sectatoribus promittat; vsque in finem sæculi non defuturas, ad quas confugiant ciuitates, quandocumque persecutionem passi fuerint, dicens: Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israël donec veniat filius hominis? Tu autem in hac persecutione, quam vos queritmini perpeti, iam decesse vobis dicis loca, quò fugere, & vbi tanquam in portu possitis ab hac tempestate requiescere; loquens contra promissionem Christi, qui dicit, non defuturas ciuitates, quò fugiant sui qui persecutionem patiuntur, donec veniat, id est, vsque ad consummationẽ sæculi. Quia ergo ille hoc promisit suis quod vos non inuenitis, profectò ille mentitur, si vos eius estis: sed quia ille non mentitur, vos eius non estis. Ac per hoc nec Tribunus cui scribis, persecutor est vester, sed persecutor persecutoris vestri, hoc est erroris vestri, quo compulsi talia facitis, vt de illorum genere sitis, de quibus scriptum est, quòd persecutionem passi sunt ab ipsis factis suis. Proinde si intelligatis quid in vobis qui vos diligunt, persequantur: Ipsa sine dubio, à quibus persecutionem patimini, facta mala vestra fugietis, & coniungemini eis, qui vt vos liberent, persequuntur vestros persecutores: non enim nisi vestros persequuntur errores.

August.

August.

* 2. *Fugienda non est persecutio, quia à Deo venit, ineuitabilis; nec timor negationis prætexendus est. de fuga cap. 4. & 5. per totum.*

SI constat, à quo persecutio eueniat, possumus jam consultationem tuam inducere, & determinare ex hoc ipso prætractatu, Fugiendum in persecutione non esse. Si enim persecutio à Deo euenit, nullo modo fugiendum erit quod à Deo euenit. Sicut duplex ratio defendit, quia neque debeat deuitari, neque euadi possit quod à Deo euenit. Non debet deuitari, quia bonum. Necesse est enim bonum esse omne quod Deo visum est. Et nunquid ideò in Genesi sic positum est, [a] *Et vidit Deus quia bonum est*; non quòd ignoraret bonum esse, nisi vidisset; sed vt hoc sono portenderet bonum esse, quod Deo visum est: multa quidem sunt, quæ à Deo eueniant, & alicujus malo eueniant. Immo bonum est ideo, quia à Deo euenit, vt diuinum & rationale. Quid enim diuinum non rationale, non bonum? Quid bonum non diuinum? Si autem sensui cuiusque videtur, non sensus hominis præjudicat statui, sed status sensui. Status enim vniuscuiusque certum quid est, & dat sensui legem, ita sentiendi statum, sicuti est. Si autem statu quidem bonum quod à Deo venit: (nihil enim à Deo non bonum, quia diuinum, quia rationale) sensui verò malum videtur, erit status in tuto, sensus in vitio. Statu optima res Pudicitia, & Veritas, & Iustitia, quæ à multorum sensu displicent. Nunquid ideò status sensui addicitur? Ita & persecutio statu bona est, quia diuina & rationalis dispositio; sensui eorum verò quorum malo venit, displicet. Vides etiam illud malum rationem apud Deum habere, cùm quis in persecutione euertitur de salute, sicut & illud bonum ratione contingere, cùm quis ex persecutione proficit in salute? Nisi si irrationaliter quis aut perit apud Dominum, aut saluus est: is non poterit persecutionem malum dicere, quæ etiam in mali parte bonum est, dum ratione administratur. Ita si bonum persecutio quoquo modo, quia de statu constat, meritò definimus, quod bonum est, vitari non oportere; quia delictum sit, quod bonum est, recusare; eo amplius quod Deo visum est: jam verò nec posse vitari, quia à Deo euenit, cuius voluntas non poterit euadi. Igitur qui putant fugiendum, aut malum exprobrant Deo, si persecutionem vt malum fugiant; bonum enim nemo deuitat; aut fortiores se Deo existimant, qui putant se euadere posse, si Deus tale aliquid voluerit euenire. Sed, Quod meum est, inquit, fugio, ne peream si negauero. illius est, si voluerit etiam fugientem me reducere in medium. Hoc mihi priùs respondè, Certus es te negaturum si non fugeris, an incertus? Si enim certus, iam negasti; quia præsumendo te negaturum, id despopondisti, de quo præsumpsisti; & vanè iam fugis ne neges, qui si negaturus es, iam negasti. Si verò incertus es, cur non ex æqualitate incerti metus, inter vtrumque euentum, etiam confiteri te posse præsumis; & saluum magis fieri quò minùs fugias; sicut negaturum te præsumis, vt fugias? Iam nunc aut in nobis est vtrumque, aut totum in Deo. Si in nobis est confiteri aut negare, cur non id præsumimus quod est melius, id est, confessuros nos? nisi si vis confiteri, pati non vis. Nolle autem confiteri, negare est. Si verò in Deo totum est, cur non totum relinquimus arbitrio eius? agnoscentes virtutem & potestatem; quod possit nos sicut fugientes reducere in medium; ita & non fugientes, immo & in medio populo conuersantes obumbrare. Quale est, vt ad fugiendum, Deo honorem reddas, qui possit te etiam fugientem producere in medium; ad contestandum autem inhonores illum, desperans potentiam protectionis ab illo? Quare non magis ex hac parte constantiæ, & fiduciæ in Deum, dicis, Ego, quod meum est, facio, non discedo. Deus si voluerit, ipse me proteget. Hoc potiùs nostrum est, stare sub Dei arbitrio, quàm fugere sub nostro. Rutilius sanctissimus martyr, quum totiens fugisset persecutionem de loco in locum, etiam periculum (vt putabat) nummis redemisset, post totam securitatem quam sibi prospexerat; ex inopinato apprehensus, & præsidi oblatus, tormentis dissipatus, credo pro fugæ castigatione; dehinc ignibus datus, passionem quam vitarat, misericordiæ Dei retulit. Quid aliud voluit Dominus nobis demonstrare hoc documento, quàm fugiendum non esse; quia nihil fuga profit si Deus nolit? Immò, inquit, quia præceptum adimpleuit, fugiens de ciuitate in ciuitatem. Sic enim voluit quidam, sed & ipse fugitiuus argumentari; & qui proinde nolunt intelligere sensum Domini, illius pronunciationis, vt eam ad velamentum timiditatis suæ vtantur, cum & personas suas habuerit, & tempora, & causas.

a Gen. 1. per totũ.

CAP. V.

CAP. VI.

FVGA IN PERSECVTIONE. II. SCHOL.

POSSVMVS INDVCERE. *Loquitur Christianus deliberanti & consultanti fugiendum sit, necne, dum instat persecutor.* EX PRÆTRACTATV. *Ex prædictis. Dixerat enim, sine Dei voluntate nec vnius assis passerem cadere in terram.* DEINDE, *Tuorum*

Omniloquium.

tur sententiam nostram, de non fugienda persecutione. Primò quod impossibile sit euadere, quod Deus vult fieri. Secundò quod non debeat euitari quod bonum est. Bonam igitur persecutionem nemo fugiat. Quod non possit euitari, testatur Psalmus 138. Quo ibo à spiritu

S Auguſt. tuo, &c. *In quem locum Aug.* Quis eſt locus receptarus fugitiuum Dei? &c. Vbi non eſt Deus? quis fallit Deum? quem non videt Deus? à quo fugitiuum ſuum non repetit Deus? &c Quis poteſt fugere in mundo ab illo ſpiritu, quo plenus eſt mundus? *Quòd autem perſecutio bona ſit prater dicenda toto titulo de Patientia, hac breuiter ab Auguſtino excipe, in Pſal. 29* Ipſo ſuo exemplo mediator demonſtrauit, quando nobis deſuper permittit homines nocere, non voluntatem nocendi deſuper dari, ſed poteſtatem. *Neque enim Chriſtus dixit voluntatem, ſed non haberes in me poteſtatem vllam, niſi datum tibi eſſet deſuper.* Vnuſquiſque enim malus apud ſe habet voluntatem nocendi: vt autem poſſit nocere, non habet in poteſtate. Vt velit, iam reus eſt: vt poſſit, occulta diſpenſatione prouidentiæ Dei, in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam; quomodo permiſſi ſunt allophyli, ideſt alienigenæ, capere populum Iſraël, quia peccauerat in Deum. Ad probationem autem, permiſſus eſt diabolus in Iob. Probatus eſt enim Iob, confuſus eſt diabolus. Ad coronam verò permiſſi ſunt perſecutores in Martyres: occiſi ſunt Martyres; quaſi viciſſe arbitrati ſunt perſecutores. Illi in manifeſto falsò triumpharunt, illi in occulto verè coronati ſunt. SENSVI VIDETVR. *Supple, non eſſe bonum & rationale.* STATVI. *Rei ipſius veritati.* DAT LEGEM. *Quia cum veritas ſit conformitas intellectus cum obiecto, & ipſa veritas ſit bonum intellectus tunc bonus eſt intellectus, & ſenſus cùm verè intelligit, ſentit, & æſtimat res, vt ſunt. Exponentia determinatur ab obiectis.* A SENSV. *Æſtimatione multorum ſtultorum & peccatorum, qui res ſenſibiles tantùm & corporeas, & ſenſui delectabiles æſtimant.* ADDITVR. *Quaſi victoriam obtinenti ſupra rei veritatem.* ILLVD MALVM RATIONEM HABERE. S. Auguſt. *Quia iuſto Dei iudicio; ex Auguſtino de Ciuit.* Paleæ conteruntur, frumenta purgantur; aurum rutilat, palea fumat. IN MALI PARTE. *In quantùm pœnali iudicio reprobus deſeritur.* QVOD MEVM EST. *Quod ex parte mea poſſum facere, ago pro ſalute mea, fugiens ne vi tormenti negem Chriſtum.* ILLIVS EST. *Dei ſcilicet.* DISPONDISTI. *Deſperaſti de Dei gratia, præſumens eam tibi Deum negaturum.* EST VTRVMQVE. *Equidem vtrumque prius à Deo, qui & iuſtè reprobum deſerit ob meritum peccati, ſiue originalis, ſiue actualis, vt docet conſtanter Auguſtinus: & electo dat perſeuerantiæ gratiam; & totum in nobis, vt liberè, Deo deſerto, negemus fidem eius¶ & liberè gratiæ eius efficaci reſpondeamus, cum Paulo dicentes:* Non ego ſed gratia Dei mecum. OBVMBRARE. *Sic tegere, vt nec ab inimicis videamur; ſic protegere, vt ſcuto bonæ voluntatis eius protecti, ſub vmbra alarum eius nulla aduerſarij tela timeamus Aug. in Pſal. 17.* S. Auguſt. Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi tui, in tegmine alarum tuarum proteges me. Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi, quæ apparet perparua & exigua, per eam tamen dirigitur acies luminis, quo lux & tenebræ diiudicantur, ſicut per Chriſti humanitatem, diuinitas iudicij, diſcernens inter iuſtos & peccatores. In regmine alarum; &c. in munimento charitatis & miſericordiæ tuæ proteges me. *Et in Pſal 56. cuius titulus eſt.* Cùm fugeret Dauid à facie Saül in ſpeluncam. S. Auguſt. *Quod Auguſtinus applicat Chriſto, qui non tantùm fugit à Iudæis, & Herode, in ſuorum exemplum, ſed uſque in ſpeluncam ſepulturæ, vt in carne occultaretur, & in ſpelunca ſepulcri latere.* S Auguſt. Quid eſt contegi ſpeluncâ? contegi terrâ: qui enim fugit in ſpeluncam, terrâ contegitur, ne videatur. Portabat autem terram Ieſus, carnem quam acceperat de terra, & in ea ſe occultabat, ne à Iudæis inueniretur Deus. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, &c. Illi ergo non cognoſcentes Deum, crucifixerunt hominem, &c. Fugit ergo ſecundùm carnem in ſpeluncam à facie Saül, &c. *Poſtea ſubiicit de ſpelunca ſepulcri. Sed donec hora veniſſet, Ieſus abſcondit etiam carnem ſuam, vt dicitur in Euangelio:* Abſcondit ſe, & exiuit de templo. *Et quod in hoc Pſalmo notatu dignißimum, eſt, quòd iuxta paraphraſtem Chaldaicum habetur,* Miſit aranearn in ore ſpeluncæ, *Pro eo quod legimus,* Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum qui benè fecit mihi. *Sicut & Sancto Felici martyri Nolenſi, aliera aranea ſubitum tegmen fecit, dum perſecutorem fugeret. Verſus autem præcedenti ſic Pſaltes:* Et in vmbra alarum tuarum ſperabo donec tranſeat iniquitas. *In quem locum ſic Auguſtinus:* Vſque Auguſt. in finem ſæculi, nec iniquitas deerit premens, nec iuſtitia patiens. Et in vmbra alarum tuarum, &c. Vt ab actu iniquitatis non arefcam, tu vmbraculum præbebis mihi. *Tandem neceſſitatem huius vmbraculi tam perfectis quàm imperfectis probat idem* Auguſt. *Aug. in Pſal. 62.* Et in velamento pennarum tuarum exultabo Hilareſco in bonis operibus, quia ſuper me eſt velamen pennarum tuarum. Si me non protegas, quia pullus ſum, miluus me rapiet, &c. Paruuli ſumus, ergo protegat nos Deus ſub vmbraculo alarum ſuarum. Quid cùm maiores facti fuerimus? bonum eſt nobis vt & tunc protegat nos, vt ſub illo maiore ſemper nos pulli ſimus. Semper enim ille maior eſt quantumcumque creuerimus. Nemo dicat protegat me cùm paruulus ſum: quaſi aliquando ad tantam magnitudinem poſſit peruenire, quæ ſibi ſufficiat. Sine protectione Dei nihil es, ſemper ab illo protegi velimus; tunc ſemper in illo magni eſſe poterimus, ſi ſemper ſub illo paruuli ſimus. QVALE EST. *Quàm alienum à ratione.* DEO HONOREM. *Dum ſcilicet credis te Deum honorare, dum dicis te ideo fugere perſecutionem, quia id Deus per Chriſtum conſuluit tibi, vel ideò te fugere, vt Deum honores, fidem eius ſeruando incolumem. Quis honor Domino, in ſeruo timido & fugitiuo?* AD CONTESTANDVM. *Ad dandum vi cum martyribus teſtimonium, ignominiâ illum afficis dum deſperas ſatis potentem te contra perſecutores protegere.* QVOD MEVM EST. *Liberum mihi, manere, vel fugere.* NOSTRVM EST. *Non quòd velit gratiam perſeuerantiæ à nudo pendere arbitrio; ſed, proprium eſſe Chriſtianorum, Dei prouidentiæ ſe committere, & firmiter ſub eius voluntate ſtare, nec timere; vt cum Pſalte dicant:* Non timebo mala, quoniam tu mecum es. RVTILIVS. *De hoc 4. Nonas Auguſti ſic Martyrologium Romanum, iiſdem penè cum Tertulliano terminis.* In Africa, S. Rutilij Martyris, qui cùm ſæpius de loco in locum perſecutionem fugiſſet, & periculum interdum etiam pecuniâ redemiſſet, ex inopinato comprehenſus, & præſidi oblatus tormentis plurimis cruciatur: demum ignibus traditus, egregio martyrio coronatur. CASTIGATIONE. *Quaſi in pœnam culpæ, plura paſſus fuerit, quàm ſi primo ſteriſſet ſub iudice.* MISERICORDIÆ RETVLIT. *Reſtituit debitam ſufferentiam Martyrij, miſericordiæ Dei, qui toties fugienti pepercerat. Meliori quàm hæretici ſenſu, non ſibi, ſed Dei gratiæ impuiauit. Apoſtola dicente:* Vobis datum eſt, non ſolum vt credatis in eum, ſed etiam vt pro illo patiamini. IMMÒ, INQVIT, *ſic inducit loquentem Chriſtianum, pro fugâ verè licita certantem.* VOLVIT QVIDAM. *Tacitè carpit aliquem Conuum, fuga defenſorem.* ET QVI PROINDE. *Similiter, inquit, alij fugitiui, ſe hoc loco Euangelij tuentur; non attem-*

dentes Christum hoc pronuntiasse pro Apostolis, & tempore quo Euangelium vbique sparsuri, vbique Deo sic ordinante persecutionem patiebantur, vt annuntiato Euangelio in vna ciuitate, ex ea pellerentur in aliam, & sic profugi, non mortis euadendæ causa, sed Euangelij disseminandi, hinc inde fugerent, sicut dixi numero primo. Caterum quanquam laudandus sit animus generosus, non est condemnandus fugitiuus, exemplo ipsius Christi & auctoritate eius verbi, de quo in sequentibus dicemus.

3. *Fugere nos persecutionem frustra, patet exemplo Ionæ, si Deus nos velit pati.*
De fuga cap. 10. in m. ad f.

FVgerat & quidam animosus Propheres Dominum; traiecerat ab Ioppe Tarsum, quasi & à Deo transfretaret; sed illum non dico in mari & in terra, verùm in vtero etiam Ioan. 1. 3. bestiæ inuenio, in quo nec mori per triduum potuit, nec vel sic Deum euadere. Quanto melius Dei seruus? qui, siue inimicus Dei imminet, non fugit eum; sed potius contemnit, confidens scilicet de tutela Domini; siue Deum reformidat, quanto magis sub oculis eius astitit, dicens, Dominus est, potens est: omnia illius sunt: vbi vbi fuero, in manu eius sum; faciat quod vult, non discedo; & si perire me volet, ipse me perdat, dum me ego seruo illi. Malo inuidiam ei facere, per voluntatem ipsius pereundo, quàm bilem, per meam euadendo.

FVGA. III. SCHOLIA.

ANIMOSVS PROPHETES. *Ionas scilicet. Inuicè dicta.* A DEO TRANSPRETARET. *A quo nihil longè est. Hinc Psalm. 138.* Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c. *Aug. in hunc locum;* Quo ibit fugitiuus iste à facie Dei? vertit se huc, atque illuc, quasi quærens locum fugæ suæ. Si ascendero, &c. Tandem cognouisti malè fugitiue, nullo pacto te posse fieri longè ab eo, à quo longinquare voluisti. Ecce vbique est: quò tu iturus es? inuenit consilium. & hoc ab illo, qui eum iam reuocare dignatur, inspiratum. Si ascendero in cœlum, &c. Si me extulero, te inuenio repressorem; si me abscondero, te inuenio inquisitorem: & non inquisitorem tantùm, sed & inuestigatorem. Si enim superbiero de iustitia mea, tu ibi es cuius est vera iustitia. Si peccando venero in profundum malorum, & confiteri contempsero, dicens; quis me videt? *Prouerb. 18.* In inferno enim quis confitebitur tibi? Psalmo 6. etiam illic ades, vt vindices. Quò ergo iturus sum, vt à facie tua fugiam, id est iratum te non sentiam? hoc consilium inuenit; sic fugiam, inquit, à facie tua, sic fugiam à spiritu tuo, ab vltore spiritu, à vindice facie sic fugiam. Quomodo? si recipiam pennas meas in directum, *Vbi Vulgata, si sumpsero pennas meas diluculo,* Et habitauero in extremis maris. Sic possum fugere à facie tua. Si in extrema maris vult fugere à facie Dei, ibi non erit ille à quo fugit de quo dixit, si descendero in infernum, ades? mirum si in extremis maris non est, qui nec apud inferos deest Sed noui, *inquit,* quomodo fugiam ab ira tua. Recipiendæ sunt pennæ meæ, non in prauum, sed in directum; vt nec in superbam erigat præsumptionem, *Præsumendo me vires habere sufferendæ persecutionis* Nec in perditam mergat desperationem. *De gratia Dei & protectione diffidens.* Quas pennas vult assumere, nisi duas alas, duo præcepta charitatis? *Pro fide Christi, & pro fratribus instruendis, vel animam constanter ponendo; vel, si vtrumque postulet, ad tempus fugiendo:* In quibus duobus præceptis, *Sicut in aere pendet columba duabus alis, vnde idem dixit, quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Tota lex pendet & Prophetæ. Has, *inquit,* alas, has pennas si recipiam sic, & habitabo in extremis maris possum fugere à facie tua, ad faciem tuam, & à facie irati, ad faciem placati. Quid enim est extremum maris, nisi finis sæculi? illuc tam volemus spe & desiderio, habentes alas geminæ charitatis. Non sit nobis requies, nisi in extremis maris. Nam si alibi requiem habere voluerimus, in mare precipitabimur. Volemus quousque finiatur mare, suspendamus nos pennis geminæ dilectionis, ad Deum interim spe volemus, & illum finem maris spe fideli præmeditemur, &c. Recipiam, *inquit*; ergo amiserat, &c. *Vel in peccato Adami, vel in actuali.* Recipiamus pennas per charitatem, quas amisimus per cupiditatē. Cupiditas enim viscum facta est pennarum nostrarum, elisit nos de libertate aëris nostri, id est aurarum illarum liberarum Spiritus Dei. Inde elisi perdidimus pennas, & fuimus quodammodo captiuati in aucupis potestate; inde nos sanguine suo redemit, quem fugimus, vt caperemur *A Diabolo.* Nutrit nobis pennas de præceptis suis, & erigimus iam eas sine visco. Non amemus mare, sed volemus in extrema maris: Nemo trepidet, sed nemo de pennis suis præsumat, quia & pennatos nisi ipse erigat, nisi ipse deducat, præcipitabimur in profunda maris, lassati & fatigati, quasi præsumentes de viribus nostris. Opus ergo est vt habeamus pennas, & opus est vt ipse reducat. Adiutor enim noster est. *Qui dat velle & operari. Qui reddit pennas, sublenat, & deducit ab extremo ad extremum maris.* Habemus liberum arbitrium, sed ipso libero arbitrio quantum possumus, nisi nos adiuuet ille, qui iubet? etenim illuc manus tua deducet me, & adducet me dextera tua. *Quid literalium ex parte, pro impossibilitate fuga à facie Dei, à qua Ionas fugere volebat. Ionæ 1. 3.* Surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie Domini. *Quid spiritualius pro cauenda præsumptione, & desperatione, proque refugio ad Deum certo, & necessario eius in profundo persecutionis mari transfretando, adiutorio, Quod attinet ad totam Ionæ figuram, Christo applicationem, vide pulcherrima apud Aug. epist. 49. ad Deo gratias, per totam quæstionem vltimam, & to 9 lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 6. vbi singulariter de fuga eius tractat. Hic nota hereticum iam Tertullianum, perperam in exemplum fugientium persecutionem, in medium adducere Ionam, cùm ille Deum, isti homines fugerent.* DEI SERVVS, &c. Aliter legunt alij, Quontò melius qui siue iniquus, *Id est quamuis peccator, credens tamen Deo,* Deum timens, non fugit eum, sed potius contemnit, *Non quidem Deum, sed pœnam imminentem sibi à Deo non tam metuit; sed pro Deo contemnit,* Confidens scilicet, &c. NON FVGIT EVM. *Inimicum scilicet Dei, id est persecutorem.* SVB OCVLIS EIVS. *Deum habens præsen-*

August. August. S. August. S. August.

tem, dicit ch̃ psalte: Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. INVIDIAM, QVAM BILEM. *Non quod Deus sit capax alterutrius, sed emphaticè dixit, constantiam martyrum, quamdam veluti Deo amanti, amoris prouocare æmulationem, cùm Deus sit impassibilis, & Christus assumpto humano corpore passus, videat sibi martyrem sanguinem & vitam pro sanguine & vita rependere. Vnde alibi Tertull. sic inducit carnem Christo inuidiam facientem:* Næ gloriosa illa, enisa reddere Christo vices suas, &c. Vt hoc ei debeat, quod debere desierit, &c.

4. *Fugere nos persecutionem Deus non vult, ex confusione confitenda fidei. De fuga cap. 7. in p.*

Math. 10. 23. SI à Deo persecutio est; quale est vt idem fugiendam eam mandet, qui & infert? quam si euadi vellet, melius non immitteret, ne voluntatem suam alia voluntate præuaricari videretur. Aut pati enim nos voluit persecutionem, aut fugere. Si fugere, quomodo pati? si pati, quomodo fugere? Iam verò quanta inæqualitas sententiarum iubentis fugere, & inuitantis ad passionem, contrariam fugæ? [a] *Qui confessus fuerit in me, & ego confitebor in illo coram Patre meo.* Quomodo confitebitur fugiens? quomodo fugiet confitèns? *Qui me confusus fuerit, & ego confundar eum coram patre.* Si deuito passionem, confundo confessionem. [b] *Felices qui persecutionem passi fuerint causâ nominis mei.* Infelices ergo qui fugiendo ex præcepto, non erunt passi. [c] *Qui sustinuerit in finem, iste saluabitur.* Qui ergo me iubens fugere, vis in finem sustinere? Tanta diuersitas sententiarum si non congruit diuinæ grauitati, apparet ex his quoque præceptum fugæ suam tunc habuisse rationem, quam ostendimus. Sed infirmitatem, inquit, quorundam prospiciens Dominus, pro sua humanitate nihilominus & portum fugæ demonstrauit. Non enim idoneus erat etiam sine fuga, tam turpi, & indigno, & seruili præsidio, saluos facere in persecutione, quos sciret infirmos? Atquin non fouet, sed recusat semper infirmos; primùm docens non fugiendos esse persecutores, sed potius non timendos [d] *Nolite timere eos, qui corpus occidere possunt, animæ autem nihil valent facere. Sed timete eum, qui & corpus & animam perdere potest in gehennam.* Atque exinde quæ timidis præfinit? [e] *Qui pluris fecerit animam suam quàm me, non est me dignus. &, Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non potest esse meus discipulus.* Postremò, in Apocalypsi non fugam timidis offert, sed inter ceteros reprobos [f] *Particulam in stagno sulphuris & ignis, quod est mors secunda.*

a Math. 10. 32.
Ibid. 33.
Marc. 8. 38.
b Math. 5. 10.
c Math. 10. 22.
d Math. 10. 28.
e Luc. 14. 26. & 27.
f Apoc. 21. 8.

5. *Fugienda non est ira hostis, sed ferenda patienter, nec timidè petenda tenebræ. De fuga cap. 9. à p. ad m.*

a Ephes. 4. 27.
b Ephes. 5. 16.
c Ibid. 8.
d Ephes. 6. 11.
Ibid. 11. & 16.
e 1. Io. 3. 16.

SEd cùm admonet, [a] *Ne locum malo demus*; Non fugæ suggerit consilium, sed iracundiæ docet temperamentum. Et si [b] *Redimendum tempus dicit, quia dies nequam sunt.* Non per fugam, sed per sapientiam conuersationis, lucrari nos vult commeatum. Ceterum, qui [c] *Lucere nos iubet velut filios lucis*, Non iubet fugâ abscondi, vt filios tenebrarum [d] *State immobiles* Præcipit; vtique nec fuga mobiles. & *Accinctos*, In fugam, an in occursum Euangelij? arma quoque demonstrat, quæ fugituris non essent necessaria, inter quæ & *Clypeum, quo possitis tela diaboli extinguere*, Resistentes sine dubio, & excipientes omnem vim illius. Proinde & Ioannes [e] *Pro fratribus quoque animas ponendas* Docet, nedum pro Domino. Hoc a fugientibus non potest adimpleri.

FVGA IN PERSECVTIONE. IV. & V. SCHOLIA.

B

QVALES EST. *Quàm indignum Deo constante & immutabili.* IN ME. *Vide alibi dicta, & locos hic relatos consule.* CONFVNDO CONFESSIONEM. *Pudore officio fidem, de qua erubesco, quasi indignæ sit patientia, & confessione mea.* EX PRÆCEPTO. *Quo inssit* Fugite in aliam GRAVITATE *Immutabilitati.* HABVISSE RATIONEM *Scilicet de ciuitate in ciuitatem spargendi Euangelij* INQVIT *Pro fuga disputans.* NON ENIM IDONEVS, &c. *Respondet Tertullianus, quasi verò, inquit, Deus non potuisset aliter infirmos præseruare, vt sæpè contigit, persecutores excæcando, manus torrorum enervando, fulmine percutiendo, &c. Quàm tam pudenda fuga eos eripiendo.* RECVSAT. *Repellit à se.* QVI PLVRIS FECERIT Luc. 14. 26. Si quis C venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. *Quem locum expendit Aug. ep. 38. ad Lorum de contemptu mundi; pro Christo sequendo, omnia hæc contemnenda docet:* Hoc etiam quisque de anima sua cogitet, vt etiam in ipsa priuatum affectum oderit, qui proculdubio temporalis est. Diligat autem in ea communionem societatemque illam, de qua dictum est: erat illis in Deum anima vna, & cor vnum. Sic enim anima tua non est propria, sed omnium fratrum, quorum animæ etiam tuæ sunt; vel potius, quorum animæ cum tua, non animæ, sed anima vna est Christi vnica, quæ de manu canis vt eruatur, canitur in Psalmis. *Erue de manu canis vnicam meam.* Inde ad contemptum mortis facillimè peruenitur. Nec succenseant parentes, hoc præcipere Dominum, vt eos oderimus; quando nobis hoc de anima nostra præcipitur, &c. PARTICVLAM. *Apoc. 21. 8.* Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure;

S. Augus.

quod eſt mors ſecunda. *Sed timiditantum hic intelligunt, timore fidem negantes, & in negatione ſine pœnitentia morientes. Quod autem ait hic Tertullianus:* Aut pati nos voluit perſecutionem, aut fugere; *Et rurſum*: præceptum fugæ ſuam tunc habuiſſe rationem. *Quando fugienda ſit perſecutio vel non, rectius*
Auguſt *docuit Auguſtinus to. 7. lib. 1. contra Gaudentium cap. 16 vbi ſic ſcribens*, Fugam mihi quaſi ex lege perſuades, ſed factor legis tantum debet audire, &c. Audi & Dominum dicentem, quia bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis: mercenarius autem, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & fugit, & lupus rapit eas, & diſpergit *Sic reſpondet Auguſtino*: Ecce quomodo intelligit Euangelium pars Donati: itane Apoſtolus non Paſtor, ſed mercenarius erat, quando per murum in ſporta ſumiſſus, fugit manus eius, qui eum comprehendere cupiebat? & tu es Paſtor, qui eas, quas vt Dominicas oues habes, vt errore in animo pereant, furore corpus interimant, etiam tecum vis perdere, tecum quæris occidere, nec audis paſtorem, paſtorumque principem dicentem; fur non venit niſi vt occidat & perdat? Ad hoc veniſti qui abſceſſeras, ad hoc rediſti qui fugeras? Hoc opus furis eſt & latronis, non paſtoris aque cuſtodis, &c. Mercenarius autem, quem ſignificat Dominus, viſo lupo, non corpore ſed animo fugit, quando deſerit timore iuſtitiam. Sicut fugit Secundus veſter Tigiſitanus, quando Purpurium Limatenſem de homicidio coi feſſum, magiſque terribilem, ne Primatum perderet vel Epiſcopatum, timuit. Corpore autem etiam boni illi Paſtores Apoſtoli in perſecutione fugerunt, nec ideò tamen oues Chriſti cura & animo reliquerunt. Si ergo & tu Paſtor eſſes, prior in lupi parte non eſſes, deinde imperium Domini tui, qui ſeruos ſuos in perſecutionibus figere iuſſit, per os cuiuſlibet etiam peccatoris obedienter audiſſes, nec contra Dominum tuum argumentareris & diceres: factorem legis tantùm debere audiri, &c. Peccatori quidem dicit Deus, vt quid tu enarras iuſtitias meas, &c. Sed ideò, quia illi nihil prodeſt qui dicit, & quod dicit, non facit: prodeſt autem illi, qui etiam per malum, bonum audit, & quod audit facit. Non eſt quidem ſpecioſa laus in ore peccatoris, ſed ſpecioſa eſt in vita moribuſque factoris, etiamſi hunc audierit ex ore peccatoris. Quantumlibet ergo exiſtimes tribunũ eſſe peccatorem, & legis non eſſe factorem; obedienter tamen audi, non iſtum, ſed illum, etiam per illum, qui dicit: ſi vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Quid ſtatis? audite, & fugite, Chriſtus hoc imperat non tribunus. *Et cap. 31. vbi contra Circumcelliones, furori ſuo præcipiti patrocinantes, ex odio præcepto in animam, & exemplo Raziæ, qui ſecundi Mach. 4. cum non poſſet fugere gladio ſe percuſſit, præcipitem è muro dedit, viſcera manibus diſcerpſit, & laudatus eſt à ſcriptura, quòd elegerit nobiliter mori, &c. Et ſic concludit Aug* Laudatus eſt iſte Raziæ amator ciuitatis, vt valde benè audiens, id eſt bonæ famæ, quia Pater Iudæorum appellatus eſt, & quòd continentiam tenuerit in Iudaiſmo. Iſtam verò eius mortem mirabiliorem, quàm prudentiorem narrauit, quemadmodum facta eſſet, non tanquam facienda eſſet ſcriptura laudauit. noſtrum eſt autem ſicut Apoſtolus admonet 1. Theſſ. 5. omnia probare quæ bona ſunt tenere, ab omni ſpecie mala nos abſtinere, &c.
Auguſt. *Et multis interiectis ſic de Samſon*: quod cum inimicis occidit & ſeipſum, quando ſuper ſe atque illos deiecit domum, mortem quam mox ab eis fuerat perpeſſurus, communem voluit cum illis habere, quia non poſſet euadere. Quod quidem non ſua ſponte fecit, ſed hoc ſpiritui Dei tribuendum eſt, qui vſus eſt eo vt faceret, quando illi affuit quod facere non poterat, quando idem ſpiritus defuit. Sicut Abrahæ factum, quando filium voluit immolare, quod Deo iubente fuit obedientia, Deo non iubente, quid fuit niſi dementia? his ſacris literis eruditus B Cyprianus in confeſſione ſua dixit, diſcipl nam *Doctrinam Eccleſiæ Orthodoxam & Euangelicam, quæ dicit, trahent vos, &c. trademini, &c.* Prohibere ne quis ſe offerat *Iudici & perſecutori, aliàs enim tentare eſt Deum & præſumere, niſi inſpiratio certa impellat, vt impulit aliquos Sanctos.* Videte quantum mali faciatis, cum vos vultis occidere qui eſtis indiſcipinati, *Inobedientes diſciplinæ præfatæ.* Etiam ſi vos aliis hoc vobis facere cupientibus velletis offerre: fugam præcipit quem vocatis Saluatorem: fugam permittit perſecutor. Quid ergo ſequimini, vt veſtris ignibus pereatis, niſi veſtrum furorem? &c. Quibus fuga & diuinitus iubetur, & humanitus relaxatur, &c. Interrogate Chriſtum, iubet vos fugere; interrogate Tribunum, permittit vos fugere; ſi & ipſum Raziam interrogare poſſetis, reſponderet vobis, ego non potui fugere. Vos ergo, nec Chriſtum Saluatorem, nec Tribunum perſecutorem, nec Raziam auctorem habetis. *Interrogemus nos Auguſtinum: & reſpondebit, quomodo intelligendum ſit odium animæ, & parentum Epiſt. 38. ad Letum.* Sicut hoc præceptum quo perdere iubemur animam noſtram, non ad id valet, vt ſe quiſque interimat, quod inexpiabile nefas eſt: & tamen valet vt interimat in ſe carnalem animæ affectum, quo cum impedimento futuræ vitæ, præſens vita delectat. Hoc eſt enim quod dictum eſt, oderit animam ſuam, & perdat eam. Quod tamen diligendo fit, quandoquidem apertiſſimè fructum eiuſdem animæ acquirendæ, in eodem præcepto commemorat, dicens: qui perdidit eam in iſto ſæculo in vita æterna inueniet eam: Ita de parentibus rectiſſimè dicitur, vt qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, ſed ſpiritali gladio, Verbo Dei, carnalem affectum eorum, quo & ſeipſos, & eos quos genuerunt irritamentis huius ſæculi obligare conantur, piè fideliterque percutiens, & occidens, illud in eis viuere faciat, quo fratres ſunt. *Fidem ſcilicet & charitatem* Quo cum filiis ſuis tempor alibus parentes æternos, Deum Eccleſiamque cognoſcunt.

5. ADMONET. *Paulus Epheſ. 4. 27.* Iraſcimini, & nolite peccare: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo. *Syr. autem*: Nec dederitis locum criminatori. CONSILIVM. *Paulus ſic monendo, non ſuadet fugere perſecutionem; ne, ſi remaneamus, occaſionem accipiat demon euertendi fidem; ſed ne per iram vaſa fiamus & domus* 5. Auguſt. *diaboli, apta proinde in interitum. Huius loci expoſitionem, apiè tamen in hanc rem tractat Aug. ſcribens in Pſal. 141.* Tentator non ceſſat pulſare vt irrumpat, ſi clauſum inuenerit, tranſit. Ideò Apoſtolus, quia in noſtra poteſtate eſt oſtium claudere, oſtium cordis non parietum, ibi enim & cubiculum; &c. neque deris, *inquit*, locum diabolo. Etenim ſi intrauit & poſſedit, attende quia tu negligenter clauſiſti, aut claudere neglexiſti. Quid eſt autem claudere oſtium? hoc oſtium, tanquam duas haber valuas, cupiditatis & timoris. Aut cupis aliquid terrenum, & hac intrat; aut times aliquid terrenum, & hac intrat. Timoris ergo & cupiditatis ianuam claude contra diabolum, aperi ad Chriſtum. Quomodo ipſas valuas aperis ad Chriſtum? cupiendo regnum cœlorum, timendo ignem gehennarum.

Per cupiditatem sæculi diabolus intrat; per desiderium vitæ æternæ, Christus intrat. Per timorem pœnarum temporalium diabolus intrat, per timorem ignis æterni Christus intrat, ecce martyres clauserunt tanquam contra diabolum, Christo aperuerunt. Promisit eis multa mundus iste, riserunt, clauserunt valuam cupiditatis aduersus diabolum. Minatus est mundus iste, bestias, ignes, cruces, non timuerunt; clauserunt timoris valuam contra diabolum. Videamus si aperuerunt illas Christo. Qui confessus me fuerit, *inquit*, coram hominibus, &c. Amauerunt ergo Christum regnum cœlorum, vbi eos confitebitur Christus. Quomodo eos confessurus est Christus? venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Videamus si timoris valuam Christo aperuerunt, quam diabolo clauserunt. Vno eodemque loco Dominus monet hoc, vt & diabolo claudatur & sibi aperiatur. Nolite, *inquit*, timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Monuit vt timoris valua in faciem diaboli clauderetur. Ergo nihil est timendum? non ergo aperitur aditus timoris Christo, qui clausus est diabolo? statim subiecit tanquam dicens, exclusisti illum? aperi mihi. Sed cum timete, inquit, qui habet potestatem & animam & corpus occidere in gehennam ignis. Iam verò, si quis timeat locum dare diabolo, persecutoribus oblatus, vel traditus qui eum compellant aperire valuas cupiditatis, & timoris rerum temporalium, & ipsius vitæ; longè melius, & tutius, cupiditate cœli, & timore inferni, persecutionem fugiet, datâ sibi vtens à Christo licentiâ fugiendi de ciuitate in ciuitatem. REDIMENDVM TEMPVS. *Vide hunc locum expositum infra numero septimo. Textum tamen hic refero Ephes. 5. 15. & seq.* Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis? *Syr. circumspectè*. Non quasi insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus *Syr. qui redimunt occasionem suã* Quoniã dies mali sunt: propterea nolite fieri imprudentes: *Syr. ne fueritis rationis expertes* sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. COMMEATVM. *Libertatem viæ, transitum liberum ad Deum.* FILIOS LVCIS. *Ephes. 5. 8.* Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. STARE IMMOBILES. *Ephes. 6. 11.* Induite vos armaturam Dei, *Syr. ad litt totam*, Vt possitis stare *Syr. obsistere* Aduersus insidias diaboli. *Et versu 13* Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti, state. *Syr. autem*, Vt possitis occurrere malo; cumque instructi fueritis in omnibus stetis. ACCINCTOS *Ephes. 6. 14.* State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: ET CLYPEVM. *Et versu 16.* In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. *Syr. autem* Et cum his, assumite vobis spem fidei, vt viribus valeatis, &c. EXCIPIENTES. *Constanter clypeo retundentes.* PRO FRATRIBVS *1. Io. 3. 16* in hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere NON POTEST ADIMPLERI. *Nos, quomodo possit iuxta Augustinum sequenti Scholio docebimus.*

* *6. Persecutionem fugere, eamque redimere pecuniâ non licet, in præiudicium fidei: & pudendum est auro redimere, quem Christus redemit sanguine. De fuga cap. 12. per totum.*

QVod pertinet, frater, ad tuum problema habes sententiæ nostræ responsionem, & exhortationem. Porrò, qui quærit, An persecutio fugienda sit, sequentem quoque quæstionem iam prospiciat necesse est; an si fugienda non est, redimenda certè sit. Vltrò igitur & de hoc tibi suggeram, definiens persecutionem, quam constat non esse fugiendam, proinde nec redimendam. Pretium interest. Ceterùm, sicut fuga redemptio gratuita est; ita redemptio nummaria fuga est. Certè & huius, timiditatis consilium est. Quod times, redimis; ergo fugis. Pedibus stetisti, cucurristi nummis. Hoc ipsum, quòd stetisti ex redemptione, fugisti. Vt autem redimas hominem tuum nummis, quem sanguine suo redemit Christus, quàm indignum Deo, & dispositione eius! [a] *Qui filio suo non pepercit pro te, vt fieret maledictum pro nobis; quia maledictus qui pependerit in ligno;* [b] *Qui tanquam ouis ad victimam ductus est, & tanquam agnus ante tondentem, sic non aperuit os; sed posuit dorsum suum in flagella, maxillas autem in palmas; & faciem non auerit à sputaminibus, & inter iniquos deputatus est, &* [c] *traditus est in mortem, mortem autem crucis.* Totum hoc, vt nos à peccatis lucraretur. Sol cessit diem emptionis nostræ. Apud inferos emancipatio nostra est, & stipulatio nostra in cœlis. [d] *Sublenate sunt portæ sempiternæ, vt introiret rex gloriæ, Dominus virtutum*, Hominem de terris, immo ab inferis, mercatus in cœlos. Quis est nunc qui aduersus illum reluctatur, immo depreciat, & mercedem eius tam magno comparatam, pretiosissimo scilicet sanguine, commaculat? Iam ergo melius fugere quàm fieri viliorem, si non tanto sibi constabit homo, quanti constitit Domino. Et Dominus quidem illum redemit, ab [e] *Angelis mundi tenentibus potestatibus, à spiritalibus nequitiæ, à tenebris huius æui, à iudicio æterno, à morte perpetua.* Tu autem pro eo pacisceris cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo præside, sub tunica & sinu, (quod aiunt) vt furtiuo, quẽ coram toto mundo Christus emit, immò & manumisit. Hunc ergo liberum pretio æstimabis, & pretio possidebis, nisi eodem; quanto (vt diximus) Domino constitit, sanguine suo scilicet? Vt quid ergo de homine, Christũ redimis in homine, in quo Christus est? Non aliter & Simon facere tentauit, cùm pecuniam Apostolis obtulit pro spiritu Christi. Audiet ergo & iste, qui se redimens, Christi spiritum redemit, [f] *Pecunia tua tecum sit in interitum, quoniam gratiam Dei pretio consequendam putasti.* Quis talem abnegatorem spernat? Quid enim dicit ille concussor? Da mihi pecuniam. Certe ne eum tradat, siquidem non aliud venditat, quàm quod præstaturus est præmio tuo. Cùm das, vtique ne tradaris, voluisti. Non traditus autem, traduci ha-

a Rom. 8. 32. Gal. 3. 13.
b Esa. 53. 7.
c Philipp. 2. 8.
d Psal. 23. 7.
e Ephes. 6. 12.
f Act. 8. 18. & seq.

bebas? Ergo dum nolendo tradi, non vis traduci, nolendo negasti, quod te esse, traduci noluisti. Immo, inquis, dum nolo traduci quod sum, sum confessus id esse, quod nolo traduci, id est Christianum. Potes itaque te martyrem vindicare? constanter ostendisse Christum? Redimens, non ostendisti. Apud vnum si forte confessus es, ergo & apud plures nolendo confiteri, negasti. Ipsa salus, iudicabit hominem excidisse, dum euadit. Excidit ergo, qui maluit euasisse. Negatio est etiam, martyrij recusatio. Christianus pecuniâ saluus est; & in hoc nummos habet, ne patiatur, dum aduersùs Deum erit diues. Atenim Christus sanguine fuit diues pro illo. [g] *Felices itaque pauperes, quia illorum est*, inquit, *Regnum cælorum*, Qui animam solam in confiscato habent. Si [h] *Non possumus Deo seruire & Mammonæ*, Possumus à Deo redimi & à Mammona? Quis enim magis seruiet Mammonæ, quàm quem Mammonas redemit? Postremò, quo exemplo vtéris in redemptionem traditionis? Apostoli persecutionibus agitati, quando se, pecuniâ tractantes, liberauerunt? quæ illis vtique non deerat, ex prædiorum pretiis ad pedes eorum depositis; certè multis locupletibus credentibus viris ac feminis, qui his etiam refrigeria subministrabant. Quando Onesiphorus, aut Aquila, aut Stephanus, hoc modo eis in persecutione succurrerunt? Paulus quidem, cùm Felix præses pecunias accepturum se pro eo à discipulis speraſſet, de quo & ipse in secreto tractauit cum ipso, neque ipse pro se, neque discipuli pro eo numerarunt. Illi vtique discipuli, qui flentes quòd Hierosolymam tendere perseueraret, & persecutiones prædicatas illic, non præcaueret, postremò inquiunt, [i] *Fiat voluntas Dei*. Quæ ista voluntas? vtique vt pateretur pro nomine Domini, non vt redimeretur. [k] *Oportet enim quomodo Christus animam suam posuit pro nobis; ita fieri pro eo & à nobis*; Nec tantùm pro ipso, immo etiam *pro fratribus*, propter ipsum. Quod Ioannes docens, non & fratribus numerandum, sed moriendum potiùs pronuntiauit. Nihil interest, si quem Christianum redimere non debeas, aut emere. Et adeò voluntas Dei sic est. Aspice regnorum & imperiorum vtique à Deo dispositum statum, [l] *In cuius manu cor regis*, Tanta cottidie ærario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum: nec vnquam vsque adhuc ex Christianis tale aliquid prospectum est, sub aliquam redemptionem capitis & sectæ redigendis, cùm tantæ multitudinis nemini ignotæ fructus ingens meti posset. Sanguine empti, sanguine munerati, nullum nummum pro capite debemus: quia caput nostrum Christus est. Non decet Christum pecuniâ constare. Quomodo & martyria fieri possent in gloriam Domini, si tributo, licentiam sectæ compensaremus? Itaque qui eam præmio pacisci tur, dispositioni diuinæ aduersatur. Cùm igitur nihil nobis Cæsar indixerit in hunc modum stipendiariæ sectæ, sed nec indici vnquam tale quid possit, Antichristo iam instante, & in sanguinem, non in pecunias hiante Christianorum, quomodo mihi proponere potest scripturam esse, [m] *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari?* Miles me, vel delator, vel inimicus concutit; nihil Cæsari exigens, immò contrà faciens; cùm Christianum legibus humanis reum, mercede dimittit. Alius est denarius, quem Cæsari debeo, qui ad eum pertinet, de quo tunc agebatur, tributarius, à tributariis scilicet, non à liberis debitus. Aut quomodo *Reddam quæ sunt Dei Deo?* Vtique proinde imaginem & monetam ipsius, inscriptam nomine eius, id est, hominem Christianum? Quid autem Deo debeo, sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem quem pro me filius fudit ipsius? Quòd si Deo quidem hominem & sanguinem meum debeo; nunc verò in eo sum tempore, vt quod Deo debeo, exposcat, vtique fraudem Deo facio, id agens, ne quod debeo, soluam. Benè obseruaui præceptum, *Cæsari reddens quæ sunt Cæsaris, Deo verò quæ sunt Dei* abnegans.

g Matth. 5. 1.
h Luc. 16. 13.
Act. 4. 34. 35. & Act. 5. 2.
2. Tim. 1. 16. & 4. 19.
Act. 6. 5.
Act. 24.
i Act. 21. 14.
k 1. Io. 3. 16.
l Prou. 21. 1.
1. Cor. 6. 20.
Ephes. 4. 15. & 5. 23.
m Matth. 22. 21.
Ibid.
Ibid.

FVGA IN PERSECVTIONE. VI. SCHOLIA.

PROBLEMA. *Carpit fidelem, quòd saltem dicas quæstionem esse problematicam, & posse vtrimque teneri, & ferendam esse constanter persecutionem, & eam posse fugiendo declinari.* PRETIVM INTERest. *Sola differentia est, quòd grauius sit fugam pecuniâ redimere, quàm fugere.* NVMMARIA FVGA. *Qua nummis redimitur, cùm datur pecunia persecutori, vt sinat quietè domi viuere Christianum, ne eum pro se tuenda tribunali sistat, aut cogat fugere.* ET HVIVS *Fugæ scilicet consilium venit a pusillanimi timere. Et licet pedibus fiat, qui fugam redimit nummis, cucurrit, & longè fugit à feruore fidei & charitatis.* HOMINEM TVVM. *Teipsum, hominem illum externum, corpus tuum vel parentis.* SOL CESSIT. *Quando recessit subductâ luce. Emphaticè dictum; vt exultauit sicut gygas ad currendam viam, non fugæ suadendo mortem, sed ad eam tutis currendo viribus, dicens:* Periit fuga à me. *Emptori igitur huic auido, quærenti bonas margaritas, animas nostras. Sol cessit diem, hoc est diei partem, tres nempè horas; non vt in tenebris furaretur, sed pretio magno sui sanguinis, emeret animas nostras.* EMANCIPATIO. *Facta est scilicet, dum Christus descendit ad inferos,* Contriuit portas æreas, vectes ferreos confregit, *Vincula captiuorum rupit, à seruitute diaboli eripuit, è manu cepit, hoc est ex potestate principis tenebrarum; stipulauit cum Patre, vt suo descensu ad inferos, nobis mercaretur ascensum in cœlos.* EMANCIPATIO. *Vox iuris, generaliter definita est,* Actus hominis, quo filius familias, aut seruus, sui iuris efficitur. *Instit. quibus modis patria potestas soluitur. §. 5. num. 1. est autem duplex.* Legitima, quæ est ex lege duodecim tabularum. Alia imperatoria, secundùm rescriptum Anastasij, vel Iustiniani, *De prima, videnda lex pen-*

tima C. de Emancip. liberis. De altera L. finali C. eadem. SIPVLATIO. *Contractus est omnium firmissimus, & solidissimus, & definitur,* Contractus nominatus verbis initus, interrogatione præcedente, & congrua interrogationem subsequente responsione; quæ respondens interroganti obligatur ad dandum, vel faciendum id quod se daturum vel facturum promittit. *L. 5. §. 1. ff. de verborum oblig. Stipulationem autem inde dictam, Trebonianus tradit, quod stipulum apud veteres, firmum appellabatur, ferè à stipite firmiter defixo in terra. Alij derivant* ΑΠΟ ΤΟ ΣΤΕΡΕΟΣ. *stereos enim significat, astringo, & alligo. Vnde Paulus lib. 5. sent. tituto 7. stipulationem dictam ait,* quasi firmum astringendæ obligationis vinculum. *Quod mirè convenit Christo, cruci infixa caluaria confixo; in quo ex Paulo,* Amen, *Id est firmiter solidata sunt Dei promissiones; qui in cruce affixis* Chirographum quod erat contrarium nobis & expoliauit principatus, *Captivum fortem alligans, & vasa eius, id est animas nostras ei peccato mancipatas, eripuit, & cœlum nobis à patre stipulatum, inuiolabili iure conquisiuit.* RELVCTATVR. *Nolens eius exemplo persecutionem fortiter pati.* DEPRETIAT. *Vilipendis seipsum, dum æstimat se pecuniâ redimibilem à persecutore, quem Christus æstimauit toto suo sanguine redimendum, & sic seipsum Christo dato in compensationem tot laborum & dolorum quasi mercedem, & tanti pretij mercem, turpiter fœdat.* IAM ERGO. *Quasi diceret, si homo non cogitet hoc pretium, non se cum Christi vita ponderet in libra crucis quasi ex æquo ponderatum, tum poterit fugere persecutionem, & melius quidem faciet, quàm si se redimendo pecuniâ, hoc pretio se faciat viliorem. Quamquam enim fuga pudenda sit militi Christiano, viso Christo duce pro seipso fortiter pugnante, longè magis pudendum est, se ipsius sanguine redemptum, à persecutore, pecunia redimere, & post tanti negotiatoris æstimationem, se tam vili re æstimare.* MYNDITENENTIBVS. *Ephes. 6. 12. Prosequitur locum inchoatum cap. 9. de fuga in persecutione, relatum à nobis Scholio 5.* Non est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harùm, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Syr. autem.* Cum possessoribus mundi huius tenebrosi, & cum spiritibus malis qui sub cœlo sunt. PRO EO. *Pro persecutione vitanda.* PACISCERIS. *Iurisconsulti reprobant pacisscentes pro crimine, cum delatore vel milite, &c.* Pacisci dicimus de eo quod certum & indubitatum est. *L. 1. ff. de transact. lex quoque 12. tab. permittebat pacisci de furto, notat Cuiacius. Transigere autem & pacisci in hoc differunt, quòd is qui transigit, quasi de re dubia, & lite incerta tractat; qui verò pacisciur, donationis causâ, rem certam & indubitatam liberalitate remittit l. 1. ff. de transact.* MILITE. *Satellite. Præfecti.* FVRVNCVLO PRÆSIDE. *Sic enim specie iuris legum latarum in Christianos, eos vexabant, & furtim pecuniam ad vexationis redemptionem captabant.* VT EVERTIVO. *Refert ad præcedentia,* Pro eo pacisceris, *Teipso scil. Christi seruo, tanto pretio publicè die solemni, in Caluaria empto, tanquam si seruus furtim à legitimo Domino subductus, emptus esset.* DE HOMINE. *A puto homine, præfecto, milite, delatore.* IN QVO CHRISTVS. *Vt caput in membro. Vel in quo totum est Christi pretium impensum.* SPIRITV CHRISTI. *A Christo missi & producti vt Deus est, & meritis eius Apostolis dati.* SPERNAT. *Non quòd velit honorandum esse talem fidei negatorem, imò aggravat negationem eius, & in pondere gravitatis pro cæteris considerationis dignam ponit. Cum enim fugam censeat negationi iuncta specie, & videatur vi torqueri negare, fragilitatem ne-*

cessitatis excusat, & ideo non ait, Qui negat me, sed, Qui fugit me. ERVBESCAT. *Non erubescat in iudicium produci, vt Christianus agnoscereris, si fugisses traditus, & traductus. Traduco ex Erasmo & Budæo idem est, quod apud Græcos, catamidiare dicunt, id est infamia afficere, velut in exemplum proponere deridendum per vicos & theatra.* VINDICARE. *In iure est suum repetere, dominium rei; vel ius quod quis habet in re, sibi asserere.* NON OSTENDISTI. *Christo testimonium non dedisti.* IPSA SALVS. *Vita salua propter datam pecuniam* EXCIDISSE. *A fide.* NEGATIO. *Tacita fidei.* IN HOC. *In hunc finem.* ADVERSVS DEVM. *Qui diues est in omnes qui inuocant eum, A quo & diuitias accepit.* FVIT DIVES. In quo sunt omnes thesauri, &c. Empti enim estis pretio magno. FELICES ITAQVE. *Iure ergo pauperes soli beati, & iure primam & vltimam beatitudinem sic clausit;* Quoniam ipsorum est regnum cœlorum: *Quia si diuites possunt persecutionem pecuniâ redimere licitè, & sine peccato, soli pauperes hoc habent priuilegium, quòd possint,* Persecutionem pati propter iustitiam, *Qui nihil habent, quo se redimant, nihil quod fisco addicant, præter animam, id est vitam suam, qua cupiditatem & sitim auaritiæ tyrannorum impleant.* IN CONFISCATO MABET. *Confiscare est fisco & principis ærario applicare. L. finali de Bon. eorum qui sibi mortem, &c. L. 4. C. de re mil. Vnde Sueto. in Augusto cap. 15.* Deuictis his & confiscatis, promissa veteranis præmia solutentur. *Vel vt extremam paupertatem innueret Tertullianus, dixit pauperes nihil præter vitam habere in peculio suo. Sed largè & improprie; nam ex Asconio,* Quia maior est summa pecuniæ publicæ, quàm priuatæ, factum est vt fiscus pro pecunia dicatur. MAMMONAS REDEMIT. *Eleganter dictum, cùm eius fiat seruus, qui se emit, aut redimit, pecuniæ sit seruus, qui eâ redimitur.* PECVNIA TRACTANTES. *Pacisscentes, vt supra dixit.* REFRIGERIA. *Necessaria vitæ, vnde & per Prophetam:* Reficite lassum, hoc est refrigerium meum. ONESIPHORVS. *De quo 2. Tim. 1. 16.* Det misericordiam Dominus Onesiphori domui; quia sæpè me refrigeratuit, *Syr. plures me refocillauit,* & catenam meam *Syr. de Catenis quibus vinctus sum,* non erubuit. AVT AQVILA. *De his 2. Tim. 4. 19.* Salutа Priscam & Aquilam, & Onesiphori domum. AVT STEPHANVS. *Non referendum ad Paulum, cui sic persecutori & lapidantium vestimenta seruanti succurrere non potuit, sed Apostolos alios & fideles respicit, quibus Stephanus ærarij fidelium dispensator, potuit ministrare. Actorum 6. 5. Ad hoc ministerium electus est pro, Stephano, Stephana legenda est, si ad Paulum referas, cuius & meminit, 1. Cor. 1. 16.* Baptizaui autem & Stephanæ domum. *Et 1. Cor. 16. 15. 17.* FELIX PRÆSES. *Act. 24. 25. & seq.* Disputante illo de iustitia & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix; respondit; quod nunc attinet, vnde

tempore

tempore autem opportuno accersam te: simul & A sperans quod pecunia *Syr. munus* Ei daretur à Paulo, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. PRÆDICATAS. *Prædictas ab Agabo Propheta, de quo alibi.* FRATRIBVS NVMERANDVM. *Christianis, pro persecutionis redemptione persoluendum.* ADEO VOLVNTAS. *Perinde, similiter Deus prohibet sub pœna simoniæ, emere donum Spiritus Sancti, quo* Gratis & sine argento redimimur. *Et simus Christiani, & redimere vetat Christianum teipsum à persecutore.* ASPICE. *Alij* Ab apice regnorum, *Id est à principibus præpositis à Deo statibus.* REMEDIA CENSVVM. *Eleganter dictum, quod quamquam nutriendo augendóque principem ærario tot inuentiones quærendæ pecuniæ quotidie procurentur, nusquam tamen adhuc vel ex primatis* B *Christianorum capitibus, vel ex tota secta, id est congregatione fidelium à persecutione redimendorum aliquid præstitum sit.* MVNERATI. *Quod enim donum maius?* Numquid cum illo omnia nobis pariter bona donauit? CONSTARE. *Æstimari, Emi.* LICENTIAM SECTÆ. *Libertatem Christum sequendi absque periculo vitæ. Affectat hoc nomen frequenti vsu in bonam partem.* DISPOSITIONI. *Quasi diceret, cùm discussus Deus de corde regis, nec inclinauerit illud ad bonæ confessionem, qui pecunia se redimit, agit contra dispositionem Dei.* CÆSAR. *Imperator quilibet Gentilis.* STIPENDIARIÆ. *Stipendio redemptæ.* INDICI VNQVAM. *More Patrum loquitur quasi iam vicinus Antichristi tempori.* SCRIPTVRAM ESSE. C *Nullus*, inquit, *obsicere mihi potest scriptum esse in fauorem huiusmodi redemptionis.* LEGIBVS HVMANIS *Imperialibus Gentilium, Christianos ob solum nomen & fidem reos pœna dignos iudicantium.* NON A LIBERIS. *Quales se Iudæi censebant.* PROINDE. *Sicut Cæsari nummus eius nomine & imagine signatus.* HOMINEM ET SANGVINEM. *Hominem vt creatum ad imaginem: sanguinem, quo per ascensum purpureum sanguinis Christi, à comis regina Ecclesiæ purpureis, ad crurum pedes, indutus sumus Christum. porphyrogeniti*, Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sumus, *Et omes purpurei velleris, quas non nouit, sed renasci voluit Deus*, Quæ ascenderunt D de lauacro *Sanguinis Christi*, Indutæ Dominum Iesum in baptismo. IN EO TEMPORE. *Persecutionis.* ID AGENS. *Pecuniâ datâ in redemptionem, debito Deo soluendo summum hominum imperatorem fraudo.* BENE OBSERVAVI. *Pulcra ironia duplicem prænaricationem carpit: primò quod nihil debens Cæsari nihil exigenti, soluat, & debitam Deo imaginem & Christo sanguinem non restituat. Hic aduerte, primò Tertullianum malè fugam comparare redemptioni persecutionis, cum vna sit licita, altera sit illicita, de qua Cyprianus propriè respondet terminis Tertulliani, dicentis huiusmodi redemptorem commaculare Christi mercedem, vbi scribens Antoniano lib. 4. ep. 2. quæ iam est ex ordinatione Pamelij 52.* Ne me E aliquis existimet à proposito meo leuiter recessisse; & cùm Euangelicum vigorem, primò & inter initia defenderim, postmodum videat animum in eum à disciplina & censura priore flexisse, vt his, qui libellis *Supplicibus scilicet, quibus timidi oblatis, petebant à iudicibus cum aliquo pretio, ne sacrificare cogerentur* Conscientiam suam maculauerint, vel nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem *Indulgentiam dandam, ad Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ recipienda* Putauerim. Quod vtrumque non sine librata diu & ponderata ratione à me factum est. *Et ibidem clarius eos vocans libellaticos, eorum crimen quamuis damnet, non tamen æquat negantibus fidem, & sacrificantibus idolis.* Nec tu existimes, frater charissime, sicut quibusdam videtur, libellaticos cum sacrificatis æquari oportere, quando inter ipsos etiam qui sacrificauerint, & conditio frequenter, & causa diuersa sit. Neque enim æquandi sunt, ille qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosiluit, & qui reluctatus & congressus diu ad hoc funestum opus necessitate peruenit, &c. Cum ergo inter ipsos qui sacrificarint multa sit diuersitas; quæ inclementia est, & quàm acerba duritia, libellaticos cum his qui sacrificauerint iungere? *Inducit deinde talem loquentem*: Ad Magistratum vel veni, vel alio eunte mandaui, Christianum me esse, sacrificare mihi nó licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc præmiũ, ne quod non licet, faciã. Nunc tamen *Iam loquitur ipse Cypr.* Etiam iste qui libello maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse, etsi manus pura sit, *A thure ollæ tacto*, Et os eius feralis cibi *Idolothyti* Contagia nulla polluerint, conscientiam tamen eius esse pollutam. Hæc auditis nobis, & lamentatur, & quòd deliquerit, nunc admonetur & non tam crimine, quàm errore deceptus, quòd iam de cætero instructus, & paratus sit, contestatur. *Et de Papa Cornelio in eadem epistola paulò superius de hoc, falsò accusato, sic scribit:* Exploratæ collegas nostros scias & verissimè comperisse, nulla illum libelli, vt quidam iactant, labe maculatum esse. *Et rursum ibidem*: Placuit examinatis causis singulorum, libellaticos interim admitti, sacrificatis in exitu subueniri, *In morte* Quia exomologesis apud inferos non est. *Et infra*: Quando multò & grauior & peior sit mœchi quàm libellatici causa, cum hic necessitate, ille voluntate peccauerit. *Quod autem solus Christus ius habuerit nos redimendi, breuiter ab Augustino accipe in Psal. 129.* Et ipse redimet Israël, ab omnibus iniquitatibus S. August. suis, &c Ideò præcessit ille sine peccato, vt deleat peccata sequentium. Nolite in vobis præsumere, sed à vigilia matutina præsumite. *Paulò supra dixerat, quia vigiliâ matutinâ resurrexit Dominus, & hoc debet sperare corpus, quod in capite præcessit, &c. Spera autem vsque ad nollem, quousque sit nox vniuersi generis humani, in occasu seculi.* Videte caput vestrum resurrexisse & ascendisse in cœlum. *Quid concinnius Tertulliano dicenti, apud inferos emancipationem nostram, stipulationem in cœlis, & Christum hominem ab inferis mercatum in cœlos. Nullum nummum pro capite dandum, quia caput nostrum Christus est.* In illo S. August. culpa non erat, sed per illum vestræ culpæ delebuntur, ipse redimet Israël ab omnibus iniquitatibus suis. Quia Israël vendere se potuit, & fieri venundatus sub peccato, redimere se ab iniquitatibus non potest. *Neque à morte, quia debet vitam Christo, qui mortis debitum non habebat.* Ille potuit redimere, qui se non potuit vendere, qui non commisit peccatum, ipse est redemptor à peccato: ipse redimet Israël: vnde redimet? ab illa iniquitate, an ab illa? ab omnibus iniquitatibus suis *Et à morte?* Eruet à morte animas eorum, &c. Qui redimit de interitu vitam tuam. *Quod tandem notat Tertull. Apostolos non redemisse pecunia vexationem, negare non potest, licuisse vitam fuga redimere, & posse Prælatos Ecclesiæ alioquè, causa exigente fugere; quod probat Augustinus ep. 180. ad Honoratum. Vbi fusè explicat quando Pastores Ecclesiæ fugere possint, vel* S. August. *debeant remanere. Nam de primatis personis certum est quod possint ad periculum negationis vitandum, quantum potuerint fugere.* Faciant serui Christi, ministri verbi & Sacramenti eius, quod præcepit, siue permisit. Fugiant omnino de ciuitate in ciuitatem,

quando eorum quiſquam ſpecialiter à perſecutoribus quæritur, vt ab aliis, qui non ita requiruntur, non deſeratur Eccleſia, ſed præbeant cibaria conſeruis ſuis, quos aliter viuere non poſſe, nouerunt. Cum autem omnium, id eſt Epiſcoporum & Clericorum eſt commune periculum, ij qui aliis indigent *Laïci populi* Non deſerantur ab his quibus indigent, &c. Si aliqui deſeruerunt plebes ſuas, hoc eſt quod dicimus fieri non debere. Neque enim tales docti auctoritate diuina, ſed humano vel errore decepti, vel timore ſunt victi. Cur enim ſibi putant indifferenter obtemperandum eſſe præcepto, vbi legunt de ciuitate in ciuitatem eſſe fugiendum; & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non eſt ei cura de ouibus? cur non iſtas duas Dominicas, veraſque ſententias, vnam ſcilicet, vbi fuga ſinitur, aut iubetur; alteram, vbi arguitur atque culpatur, ſic intelligere ſtudent, vt inter ſe reperiantur non eſſe contrariæ, ſicut non ſunt? Et hoc quomodo reperitur, niſi attendatur quod iam ſuperius diſputaui, tunc de locis in quibus ſumus, premente perſecutione fugiendum eſſe Chriſti miniſtris, quando ibi aut plebs Chriſti non fuerit, cui miniſtretur, aut etiam fuerit, & poteſt impleri per alios neceſſarium miniſterium, quibus non eſt eadem cauſa fugiendi: ſicut in ſporta ſubmiſſus, quod ſupra memoraui, fugit Apoſtolus, cum à perſecutore propriè ipſe quæreretur, aliis vtique neceſſitatem ſimilem non habentibus, à quibus illic miniſterium abſit vt deſereretur Eccleſiæ, ſicut fugit S. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, cum eum ſpecialiter apprehendere Conſtantius cuperet Imperator, nequaquam à cæteris miniſtris deſerta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat. Cum autem plebs manet, & miniſtri fugiunt, miniſteriumque ſubtrahitur, quid erit niſi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non eſt cura de ouibus? veniet enim lupus, non homo, ſed diabolus, qui plerumque fideles Apoſtatas eſſe perſuaſit, quibus quotidianum miniſterium Dominici corporis defuit, & peribit infirmus in tua non ſcientia, ſed ignorantia; frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt, &c. Non quia iſta *Violentia perſecutorum, conſuprratio fœminarum, &c.* Non ſunt vitanda cum poſſunt; *Loquitur de afflictione concipienda à Prælatis ex aſpectu vexationis plebis,* Sed quia potius ferenda ſunt quando vitari ſine impietate non poſſunt; niſi forte quiſquam contenderit, non eſſe miniſtrum impium, qui tunc ſubtrahit miniſterium pietati neceſſarium, quando magis eſt neceſſarium. An non cogitamus cùm ad iſtorum periculorum peruenitur extrema, nec eſt poteſtas vlla fugiendi; quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab vtroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem? vbi ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? &c. Quando eſt commune periculum, magiſque timendum eſt, ne quiſquam id facere *Fugere* credatur, non conſulendi voluntate, ſed timore moriendi, magiſque fugiendi obſit exemplo. *Aliis Epiſcopis & Clericis* Quam viuendi profit officio, *Ouibus ſuis* Nulla ratione faciendum eſt, &c. Non quidem talis eſt iſta tempeſtas, *Perſecutionis*, quando laïcorum & clericorum eſt commune periculum, ſicut in naui vna commune periculum eſt mercatorum atque nautarum. Verùm abſit vt tanti pendenda ſit hæc nauis noſtra, vt debeant eam nautæ & maximè gubernator periclitantem deſerere, etiam ſi in ſcapham tranſiliendo, vel etiam natando poſſit effugere. Quibus enim metuimus ne noſtra deſertione pereant, non temporalem mortem, quæ quandoque ventura eſt, ſed æternam, quæ poteſt, ſi non caueatur, euenire; & poteſt, ſi caueatur, etiam non venire, metuimus, &c. Nemo excipiat perſonam ſuam, vt ſi aliqua gratia videtur excellere, ideo ſe dicat, vita, & ob hoc, fuga eſſe digniorem. Quiſquis enim hoc putat, nimium ſibi placet, quiſquis autem hoc dicit, omnibus diſplicet. Sunt ſanè qui arbitrantur, Epiſcopos & Clericos non fugientes in talibus periculis, ſed manentes, facere vt plebes decipiantur, *Et hæc eſt deceptio & error Tertulliani, qui nullo modo, & nulli fugiendum eſſe perſecutionem definiebat.* Cùm ideò non fugiunt, quia manere ſuos præpoſitos cernunt. Sed facile eſt hanc reſponſionem, vel inuidiam declinare, alloquendo eaſdem plebes, atque dicendo: non vos decipiat, quòd de loco iſto non fugimus. Non enim propter nos, ſed propter vos potius hîc manemus, ne vobis non miniſtremus quidquid ſaluti veſtræ, quæ in Chriſto eſt, nouimus neceſſarium. Si ergo fugere volueritis, *En vt plebi licet fugere* Et nos ab iſtis, quibus tenemur, vinculis ſolutis. Quod tunc puto eſſe dicendum, quando verè videtur vtile eſſe, ad loca tutiora migrare. Quo audito, ſi vel omnes, vel aliqui dixerint, in illius poteſtate ſumus, cuius iram nullus quocumque vadit, euadit: cuius miſericordiam, vbicumque ſit, poteſt inuenire, qui nuſquam vult ire, ſiue certis neceſſitatibus impeditus, ſiue laborare nolens ad incerta ſuffugia *Quærenda*, Et non ad finienda, ſed ad mutanda pericula; proculdubio iſti deſerendi non ſunt miniſterio Chriſtiano. Si autem hoc audito abire maluerint, nec illis manendum eſt, qui propter illos manebant; quia ibi iam non ſunt, propter quos manere adhuc debeant. Quicumque igitur iſto modo fugit, vt Eccleſiæ neceſſarium miniſterium, illo fugiente, non deſit, facit quod Dominus præcepit, ſiue permiſit. Qui autem ſic fugit, vt gregi Chriſti ea quibus ſpiritaliter viuit alimenta ſubtrahantur, mercenarius ille eſt, qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non eſt ei cura de ouibus. *Et per hæc, ex longa epiſtola excerpta, patet plena reſponſio omnibus circa fugam in perſecutione dubiis proponendis.*

S. Auguſt.

Augu.

7. Perſecutionem fugere, eamque, vel Eccleſiæ libertatem pecuniâ redimere non ſuadet illud Chriſti; Omni petenti tribue; *Neque illud;* Ciba inimicum tuum. *De fuga cap. 13. per totum, & 14. ad m.*

a Luc 6. 30.

SEd & [a] *Omni petenti me, dabo.* In cauſa eleemoſynæ, non in concuſſuræ. Petenti, inquit. Porro, qui concutit, non petit. Qui comminatur, ſi non acceperit, non poſtulat, ſed extorquet. Non eleemoſynam expectat, qui non miſerandus, ſed timendus venit. Dabo igitur miſericordiæ, non timiditatis meæ nomine; vbi qui accepit, Deum honorat, & benedictionem mihi reddit: non vbi amplius ſe benefactum præſtitiſſe credit, & prædam ſuam

adſpiciens dicit, De reatu eſt. [b] *Paſcam & inimicum.* Sed inimicitiæ alios habent titulos. Non tamen dixit traditorem, aut perſecutorem, aut concuſſorem. Nam huic quantò magis *Cárbones acernabo ſuper caput*, Si non me redemerò? Proinde, inquit, [c] *Qui tibi tunicam ſuſtulerit, vel etiam pallium, concede.* Ad eum pertinet, qui rem, non qui fidem meam eripere quæſierit. Concedam & pallium non minanti traditionem. Si minatus fuerit, etiam tunicam repoſcam. Omnium iam nunc Dominicarum pronuntiationum ſui ſunt, & cauſæ, & regulæ, termini. non in infinitum, nec ad omnia ſpectant. Atque adeò qui [d] *Omni petenti dari*, ſubet, ipſe ſignum petentibus non dat. Alioquin ſi omnibus paſſim petentibus dandum putas, tu mihi videris, non dico vinum febricitanti, ſed etiam venenum, aut gladium, mortem deſideranti, daturus. [e] *Facite autem vobis amicos de Mammona;* Quomodo intelligendum ſit, parabola præmiſſa doceat, ad populum Iudaïcum dicta, qui commiſſam ſibi rationem Domini cùm malè adminiſtraſſet, deberet de Mammonæ hominibus, quod nos eramus amicos ſibi potius proſpicere, quàm inimicos; & releuare nos à debitis peccatorum, quibus Deo detinebamur, ſi nobis de dominica ratione conferrent; vt cum cœpiſſet ab huius deficere gratia, ad noſtram fidem refugientes, *Reciperentur in tabernacula æterna.* Quāmuis nunc puta aliam interpretationem parabolæ & ſententiæ iſtius, dum ſcias veriſimile non eſſe, vt concuſſores noſtri in amicitiam redacti per Mammonam, recipiant tunc nos in tabernacula æterna. Sed quid non timiditas perſuadebit? quaſi & fugere, ſcriptura permittat, & redimere præcipiat. Parum denique eſt, ſi vnus, aut alius ita eruitur. maſſaliter toræ Eccleſiæ tributum ſibi irrogauerunt. Neſcio, dolendum, an erubeſcendum ſit, cùm in matricibus Beneficiariorum & Curioſorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur. Hanc epiſcopatui formam Apoſtoli prouidentius condiderunt, vt regno ſuo ſecuri frui poſſent ſub obtentu procurandi. Scilicet enim talem pacem Chriſtus ad Patrem regrediens, mandauit à militibus per Saturnalitia redimendam. Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo Dominica ſolemnia celebrabimus? Vtique quomodo & Apoſtoli; fide, non pecuniâ tuti; quæ fides ſi montem transferre poteſt, multo magis militem. Eſto ſapientiâ, non præmio cautus. Neque enim ſtatim & à populo eris tutus, ſi officia militaria redemeris. Vna ergo tibi & Fides, & Sapientia, ad tutelam opus eſt: quibus non adhibitis, & redemptionem tuam potes perdere; adhibitis, haud redemptionem deſiderare. Poſtremò ſi colligere interdiu non potes, habes noctem, luce Chriſti luminoſa aduerſus eam. Non potes diſcurrere per ſingulos, ſit tibi & in tribus Eccleſia. Meliùs eſt turbas tuas aliquando non videas, quàm addicas. Serua Chriſto virginem ſponſam. Nemo quæſtum de ea faciat.

[b] Roman. 10.
Luc 6. 35.
Prou. 25. 21.
[c] Matth. 5. 4.
[d] Luc 6. 30.
Luc 16. 9.

CAP. XIV. *Matth. 21.* 21.

FVGA IN PERSECVTIONE. VII. SCHOLIA.

OMNI PETENTI. *Sic inducit pro redemptione vexationis certantem, & ſcriptura locis abutemur:* *Luc. 6. 30.* Omni autem petenti te, *Syr. poſcenti à te,* dato: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. IN CAVSA ELEEMOSYNÆ. *Hic decipitur Tertullianus, neque enim in ſola cauſa Eleemoſyna dicit hoc Chriſtus, ſed in omni cauſa, in qua vult nos charitate, non neceſſitati modo, ſed cuicumque poſtulationi, ex conſcientia acquieſcere proximo, ſed & inſuper cedere violenter auferenti, vt patet ex immediate precedentibus:* Benefacite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. Et qui te percutit in maxillam; præbe & alteram, & ab eo qui aufert tibi veſtimentum, *Syr. pallium tuum.* Etiam tunicam, noli prohibere. *Quamquam rectè paulo infra hæc referens, applicet ſuri vel rapturi externa bona tollenti, & non perſecuturi fidem negare compellenti, niſi externis bonis vexatio redimatur; cui tum reſiſtendum eſt, nec pars una tantum boni, ſed & omnia cedenda, & liberè confitenda fides. Hic ſubiicio quod ſupra promiſi de redimendo tempore, relictâ perſecutori tunica. De quo ſic Auguſtinus Ser. 24. de verbis Apoſtoli, in qua expreſsè* Auguſt. *ſermonem texuit.* Dies malos, fratres, duæ res faciunt, malitia, & miſeria, &c. Sed miſeria hominum communis eſt, non debet malitia eſſe communis, &c. Quid ait Apoſtolus? omnes qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur. Ecce quia dies mali ſunt, ſine perſecutione, hic viuere iuſti non poſſunt. Qui inter malos viuunt, perſecutionem patiuntur, omnes mali perſequuntur bonos, ſi non ferro & lapidibus, ſed vita & moribus, &c. Expectatis à me fortè ſcire, quid eſt tempus redimere? dicturus ſum quod pauci audiunt, pauci ferunt, pauci aggrediuntur, pauci agunt: tamen dicam, quoniam ipſi pauci qui me audituri ſunt, inter malos viuunt. Redimere tempus, hoc eſt, quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid vt Deo vaces, non litibus, perde. Ergo ex eo quod perdis, pretium eſt temporis. Certè quando pro tuis neceſſitatibus procedis ad publicum, das nummos, & emis tibi panem, aut vinum, aut oleum, aut lignum, aut aliquam ſupellectilem: das, & accipis; aliquid amittis, aliquid acquiris, hoc eſt emere, &c. Quod habes, emptum eſt; quod amittis pretium eſt. Quomodo ergo perdis numos, vt emas tibi aliquid: ſic perde numos, vt emas tibi quietem. *Quanto magis pro æterna quiete omnia tibi eripi ſinis temporalia, quam pro temporalium portione redimenda, ad tempus, perdere æterna* Quid S. Auguſt. aliud dixit Deus, quàm redimentes tempus; quando ait, ſi quis vult in iudicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere. *Maximè ſi minatur te ob Chriſtianam fidem Præfecto Gentili delaturum* Dimitte ei S. Auguſt. & pallium? iudicio vult tecum contendere, & tunicam tuam tollere; vult auocare te litibus à Deo tuo; non habebis quietum cor, non habebis tranquillum animum, enerteris cogitationibus tuis, irritaris aduerſus ipſum aduerſarium tuum. Ecce tempus perdidiſti. Quanto ergo melius eſt, minimum amittas, & tempus redimas? &c. *Et homil. 1.*

S. Auguſt. *ex 50.* In hac vita iubet nos Apoſtolus redimere tempus, &c. Et quid eſt redimere tempus, niſi cum opus eſt, etiam detrimento temporalium commodorum, ad æterna quærenda & capeſſenda, ſpatia temporis comparare? *Dico ego compendio temporis vitæ, martyrio glorioſo finiendæ, æternitatis ſpatia comquirere?* S. Auguſt. Vnde & Dominus præcipit dicens: ſi quis voluerit tecum iudicio contendere, &c. Vt ſcilicet amiſſa re aliqua temporali, impendas ad quietem, quod eras impenſurus ad litem. QVI ACCEPIT. *Pauper humilis & gratus.* DE REATV. *De timore, puſillanimitate, negatione tacita Chriſtiani.* ALIOS TITVLOS. *Cauſas, ob quas teneor inimico benefacere.* NON DIXIT. *Paulus ſcilicet Rom. 12. 20. iuxta Proverb. 25. 21.* Si eſurierit inimicus tuus ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens B carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. *Syr. autem* Ne vincat vos malum, ſed vincite malum bonitate. S. Auguſt. *Quem locum ſic exponit Aug. to. 3. lib. 3 de Doct. Chriſt. cap. 16.* Cum poſſit dupliciter interpretari, vno modo ad nocendum, altero ad præſtandum; ad beneficentiam te potius charitas revocet, vt intelligas carbones ignis, eſſe vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus ſuperbia ſanatur eius, qui dolet ſe inimicum fuiſſe hominis, à quo eius miſeriæ ſubuenitur. S. Auguſt. *Et to. 4. in Expoſit. ep. ad Rom. propoſitione 71.* Intelligendum eſt, ad hoc dictum eſſe, vt cum quis nos læſerit, prouocemus ad pœnitentiam facti ſui, cum ei nos benefacimus. Iſti enim carbones ignis ad exuſtionem, id eſt contribulationem ſpiritus va- C lent, qui eſt quaſi caput animæ, in qua exuritur omnis malitia, cùm homo in melius per pœnitentiam commutatur; vt ſunt illi carbones, de quibus dicitur in pſalmis, quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis. *Et Ser. 168.* Hoc loco cum S. Auguſt grandi diligentia obſeruandum eſt, ne fortè dum cum benè non intelligimus, de medicamentis nobis vulnera faciamus. Solent enim nonnulli hoc præceptum quaſi ad ſatiandum furorem ſuum aſſumere. Dicunt enim apud ſe, ecce cibo inimicum meum, vt ardeat in æternum. Auertat Deus huiuſmodi intelligentiam ab animis noſtris, &c. Caput in homine ſenſus rationalis intelligitur; qui ſenſus cum à feruore charitatis recedens factus fue- D rit frigidus, vnde ſcriptum eſt, quia abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, *Syr. Elanqueſcet*, neceſſe eſt vt quod obeſt ſaluti, contrarium ſapiat, vt cui deberet eſſe amicus, inimicus exiſtat. Ad ſanandum ergo talem phreneticum, homines ſanctos, & charitatis igne ſuccenſos hortatur Spiritus Sanctus, dicens: Carbones ignis, &c. Cùm enim inimico tuo pio animo frequentius benefeceris, quamlibet ſit impius & crudelis, barbarus & cruentus, tamen tandem aliquando erubeſcit & dolet, & pœnitere incipit quod admiſit, &c. PRONVNTIATIONVM. *Sententiarum Chriſti.* IPSE SIONVM. *Luc. 11. 29.* Generatio hæc, generatio nequam eſt: ſignum quærit, & ſignum non dabitur E ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. AD POPVLVM IVDAICVM. *Ad arguendum populum Iudaicum dicta eſt parabola villici diſſipatoris bonorum Domini ſui.* RATIONEM DOMINI. *Rem, bona Dei, legem & prophetas, & Sacramenta vetera.* Primò credita ſunt eis eloquia Dei, &c. De Sion enim exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem. MAMMONA HOMINIBVS, *Gentilibus auaritia deditis.* Quæ eſt idolorum ſeruitus. *Proſpicere, prouidere.* RESERVARE NOS. *Sicut villicus cautè debitoris Domini ſui ex parte ſublenauit.* DE DOMINICA RATIONE. *De Verbo Dei, lege eius.* NVNC PVTA. *Liberum tibi facio, vt putes aliam eſſe huius parabolæ myſticum ſenſum, modo ſcias, conceſſorem, & pœnâ extorquere volentem negationem fidei, reconciliatum nobis per munera, pecuniamque perſecutionis redemptricem, non poſſe poſt mortem, nos recipere in æterna gloria tabernacula, ſed potius in inferni carcerem ſempiternum.* PARVM EST. *Leuis mihi quærendi cauſa eſſet, ſi vnus aut alter fidelis ſic ſe pretio redimeret: ſed, proh dolor: iam tota Eccleſia, integri populi collectim, maſſam tributi magni ſibi impoſuerunt, ad huiuſmodi redemptionem.* IN MATRICIBVS. *Matriculis, regiſtris, libris fiſci, in quibus debita vilium perſonarum impoſita ſcribuntur, quales ſunt, caupones, Lanij, id eſt carnem lanientes & vendentes, alij legunt* lantos, *A Lano fori Romani ſic dictos, circumforaneos, & propolas, qui circumeunt forum venditandi cauſa. Ex qua ſumma, huiuſmodi hominum ſorti impoſita, beneficiarij, id eſt miniſtri Imperatoris beneficia & largitatem ſumebant, ſicut & Curioſi, id eſt viri qui comitabantur Præſides, & curioſè per Prouincias inquirebant geſta, quæ renuntiarent Præſidi.* FVRES BALNEARVM. Qui ex balneo quid furripiunt, maximè eorum qui in balneis lauant. *L. 1. ff. de furibus Balnearum. Habes & balnearium furtum L. finali. ff. eodem.* APOSTOLI PROVIDENTIVS. *Prudentiores vtique fuerunt Apoſtoli, filij lucis, dum exemplo ſuo & doctrina, formam præſcripſerunt Epiſcopis, pro fratribus & ouibus animas ponere; nec pretextu ſalutem omnium procurandi, & regno, hoc eſt Eccleſiis ſuis tutius prouidendi, perſecutionem pecunia redemerunt; erubuiſſem ſiquidem, inter alearum magiſtros, & mulierum proſtitutores recenſeri, cum plebe ſua; vt ex collato pretio, venatores illi curioſi, & beneficiarij Cæſarum & Præſidum, munerarentur.* SCILICET ENIM. *Ironicè.* A MILITIBVS. *Satellitibus Præſidum, & Curioſis.* PER SATVRNALITIA. *Munera his ſimilia, quæ vtrimque à Romanis, in Saturni feſtis, mittebantur. Nec eſt quod hîc arguar, ſi Fugalia Saturnalitiis iungam; de quibus Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. cap. 6.* Fugalia celebrantur, effuſa omni licentia turpitu- Auguſt. dinum; & verè fugalia, ſed pudoris & honeſtatis. *Quæ feſta fuerunt Romæ inſtituta in memoriam exactorum Regum & liberatæ Reipublicæ. Feſtum hoc Regifugium Vocat Cenſorinus, de die natali; quo eo die Tarquinius ab exercitu ad Porſenam Etruſcorum Regem fugiſſet. Fugalia autem, Februario menſe agebantur, poſt feſta Terminalia. Pudendum ſanè Fugalia colere paſtores mercenarios, & viſo lupo fugere; & ſupra pudorem eſt, vitam vnius momenti redimere mortis refugas. Terminum magis, & curſus metam ponant paſtores, & oues ipſæ, vbi paſtor, factus ouis, poſuit ſuam. In cruce ſcilicet.* COLLIGERVS. *Vel plebem, vel ex plebe, alendis pauperibus pecuniam.* ESTO SAPIENTIA. *Serpentis, caput, hoc eſt Chriſtum, & fidem, totius corporis periculo, ſeruando.* NON PRÆMIO. *Munere dato in redemptionem.* Non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ. OFFICIA MILITARIA. *Milites, & miniſtros, ad officium Curioſi, & exploratoris, vel exactoris, miſſos.* LVCE LVMINOSA. *Id eſt fide Chriſti.* Columna nubis & ignis, *De qua Pſaltes*; Nox illuminatio mea in deliciis meis. IN TRIBVS. Vbi fuerint duo vel tres congregati, &c. AD DICAS. *Tributo huic nefario.* VIRO INEM SPONSAM. *Ne corrumpatur Eccleſia, facta venalis, & redempta pretio. Alludit ad Paulum;* Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

FVRTVM.

Furtum non fuit in expoliatione Ægyptiorum, ſed iuſſa à Deo, & iuſta Iſraëlitis debita mercede acceptio 2. Cont. Marc. cap. 20. à p. ad f.

AGe, infeliciſſime hæretice, teipſum expoſtulo arbitrum: cognoſce in vtramque gentem prius, & ita de auctore præcepti iudicabis. Repoſcunt Ægyptij de Hebræis vaſa aurea & argentea. contrà, Hebræi mutuas petitiones inſtituunt, allegantes ſibi quòque eorumdem patrũ nomine, ex eodẽ ſcripturæ inſtrumẽto, mercedes reſtitui oportere illius operariæ ſeruitutis, pro laterinis deductis, pro ciuitatibus & villis ædificatis. Quid iudicabis, optimi Dei electot? Hebræos fraudem agnoſcere debere, an Ægyptios compenſationem? Nam & aiunt ita actum per legatos vtrimque; Ægyptiorum quidem repetentium vaſa, Iudæorum verò repoſcentium operas ſuas: & tandem vaſis illis renuntiauerunt ſibi Ægyptij. Hodie aduerſus Marcionitas amplius allegant Hebræi, negantes compenſationi ſatis eſſe quantumvis illud auri & argenti, ſi ſexcentorum millium operæ per tot annos vel ſingulis nummis diurnis æſtimentur. Quæ autem pars maior? repetentium vaſa, an incolentium villas & vrbes? Querela ergo major Ægyptiorum, an gratia Hebræorum? Vt ſolo iniuriatum iudicio Hebræi Ægyptios repercuterent, liberi homines in ergaſtulum ſubacti, vt ſolas ſcapulas ſuas Scribæ eorum apud ſubſellia ſua oſtenderent, flagellorum contumelioſa atrocitate laceratas: non paucis lancibus & ſcyphis, pauciorum vtique diuitum vbique, ſed totis & ipſorum facultatibus, & popularium omnium collationibus ſatisfaciendum Hebræis pronuntiaſſes? Igitur ſi bona Hebræorum cauſa, bona iam & cauſa, id eſt, mandatum Creatoris, qui & Ægyptios gratos fecit neſcientes, & ſuum populum in tempore expeditionis angusto, aliquo ſolatio tacitæ compenſationis expunxit. Planè minus exigi iuſſit: Hebræis enim etiam filios Ægyptij reſtituere debuerant.

Exo. 11. 2. 35. Exo. 1. 11. Exo. 5. 14. & 16. Exo. 1. 16. & 22.

FVRTVM. SCHOLIA.

CONOSCES. *Tanquam iudex examina prius merita vtriuſque Gentis, Ægyptij populi & Hebraï, & tam pro tua impudentia, Marcion, ſententiam feres in Deum Creatorem, qui iuſſit Hebræis vt expoliarent Ægyptios.* REPOSCVNT. *Repetunt Ægyptij vaſa, quæ mutuauerant Hebræis; ex alia parte Hebræi repetunt ab Ægyptiis Patrum ſuorum operas debitas, quas olim pro ciuitatibus lateritiis extruendis compenſare debuerant. Quam hîc ſententiam feres, tu qui Deum tuum optimum tibi elegiſti, contempto Creatore.* AIVNT. *Rabini ſcilicet; cùm nihil tale ſcriptura narrat.* RENVNTIAVERVNT. *Ceſſerunt Hebræis, conticti, nihil ſibi inde deberi, cum merces Hebræis debita pro tot annorum ſeruitute, longè excederet vaſorum pretium.* QVÆ PARS MAIOR. *Exaggerat debitum Ægyptiorum, qui longè plures frue-bantur vrbibus extructis ſudore Hebræorum, quàm eſſent ij, quorum vaſa abſtulerant Hebræi.* VT SOLO. &c. *Tanto*, inquit, *grauius damnum paſſi ſunt Hebræi, vt etiamſi nihil operis eſſent pro Ægyptiis, vel pro ſola infamia & iniuria, omne damnum pecunia excedente, reparandâ, omnia iſta vaſa non ſufficerent; & haberent Hebræi quod iuſtè repoſcerent ab Ægyptiis in iudicio iniuriarum, quòd liberi homines, non ſolum in ſeruitutem redacti, ſed & flagellati atrociter fuerint.* SCRIBÆ EORVM. *Hebræorum; per ſcribas imelige Procuratores & Aduocatos Hebræorum. Exo. 5.* 14. Flagellati ſunt qui præerant operibus filiorũ Iſraël ab exactoribus Pharaonis, dicentibus; quare nõ impletis mentiræ laterum ſicut prius, nec heri nec hodie? veneruntque Præpoſiti filiorum Iſraël, & vociferati ſunt ad Pharaonem, dicentes: cur ita agis contra ſeruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur. *Eodem numero exigunter non ſecus ac ſi materia ſolita daretur.* En famuli tui flagellis cedimur, & iniuſtè agitur contra populum tuum. 70. *autem ter hoc loco præpoſuit huiuſmodi operum, vocant Scribas:* Flagellati ſunt Scribæ de genere filiorum Iſraël, qui impoſiti fuerant ſuper ipſos à Præfectis Pharaonis, &c. Ingreſſi autem Scribæ filiorum Iſraël, &c. Videbant autem Scribæ filiorum Iſraël, &c. *Sic dicti, quòd numerum & operariorum & operum in regiſtro haberent.* APVD SVBSELLIA. *Ad tribunalia Ægyptiorum, vel in propriis ſcribarum ſubſelliis, vbi ſedentes, ſingulis Hebræis imponebant operas. Vbi exaggerat iniuriam, quòd nec Præfectis parcerent, quos innocentes ſeruorum flagris cederent Præfecti Pharaonis.* GRATOS, NESCIENTES. *Dum vaſa præbuerunt, quibus ſatisfacerent Hebræis.* EXPEDITIONIS. *Prompti exitus.* EXPVNXIT. *Debita mercede remunerauit, ſatisfecit populo. Vox hæc valde exprimit libellum computorum, in quo dum debitum perſoluitur, quod ſcriptum erat expungitur.* ETIAM FILIOS. *Quos in Nilo mergebant, vel aliter necari ab obſtetricibus iuſſerat Pharao. Sic enim obſtetricibus præceperat Exodi 1. 16.* Si maſculus fuerit, interficite eum. *Sciens autem nil huiuſmodi egiſſe obſtetrices, ſic verſa 22.* Præcepit ergo Pharao omni populo ſuo dicens: quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proicite: quidquid fœminini reſeruate. 70. *autem* Omne maſculinum quodcumque natum fuerit Hebræis, in flumen proicite; & omne fœminimum viuificate illud. *Id eſt ſinite viuere, conſeruate. Paulò alibi dicta ex Auguſtino circa ſpoliationem Ægyptiorum, hæc ſubiicio nouæ to. 4. lib. 2. qq. in Exodum q. 39.* Eſt iſta nonnulla quæſtio, ſi ſeorſum habitabant Hebræi in terra Geſſen, vbi nec plagæ fiebant quibus regnum Pharaonis affligebatur, quomodo quiſque petit à proximo vel à proxima aurum, argentum, & veſtem; præſertim quia vbi primum hoc mandatur per Moyſen, ſic poſitum eſt, & mulier à vicina ſua, vel concellanea, ſi ita dicendum eſt, vel cohabitatrice ſua. *Conſulũ lectionem 70. & nihil de vicina, vel proxima habent. Vnde credo exemplaria eius reſpondiſſe verſioni communi.* Vnde intelligendum eſt, etiam in terra Geſſen non

S. Auguſt.

solos Hebræos habitasse, sed eis aliquos Ægyptios A in illa terra cohabitatores fuisse, ad quos potuerunt, merito Hebræorum, etiam illa diuina beneficia peruenire; vt hinc eos & diligerent iidem Ægyptij cohabitatores, ac, quod petebant, facilè commodarent: nec tamen Deus iudicauit ita illos alienos fuisse ab iniuriis & contritionibus, quas populus Dei pertulit, vt nec isto damno, *expoliationis vsurarum* ferirentur, qui plagis illis, propterea quod terræ illi parcebatur, percussi non erant. *De eadem spoliatione præclarè scripsit idem Aug. in Psal. 104. sic legens*: Eduxit eos in argento & auro. Adiungit etiam hoc laudibus Dei, quòd argento & auro ditatos Israëlitas eduxit de Ægypto: quia & ipsi tales erant, qui nondum possent contemnere laborum suorum licet temporalem, tamen debitam iustamque mercedem. Nec in eo quod Ægyptios deceperunt, à quibus sibi vt commodaretur aurum argentumque petierunt, putandus est Deus huiusmodi dolos, eis qui sursum cor habent, vel iubere, vel, si fecerint, approbare. Magis enim per illa Dei verba, vtique ab illo qui cor eorum videbat, & cupiditates examinabat, permissi sunt facere ista quæ iussit, non tamen sine aliquo profectu animæ carnalis, quòd & his fecerunt, qui talia iustè passi sunt; & quamuis per dolum, ab iniquis hominibus tamen, quod sibi reddi debuit, abstulerunt. Sicut enim Ægyptiorum iniquitate, sic istorum infirmitate, ad id quod opus erat illis factis figurandum & prænuntiandum diuinè vsus est Deus. *De quo mystico significato consule à nobis dicta, iuxta eundem Augustinum.*

S. Augst.

GAVDIVM.

Gaudia nautica, vana. Cont. Valent. cap. 12. à p.

QVis nauclerus non etiam cum dedecore lætatur? Videmus quotidie nauticorum lasciuias gaudiorum. Itaque vt nautæ ad symbolam semper exultant; tale aliquid & Æones.

GAVDIVM VANVM. SCHOLIA.

CVM DEDECORE. *Irrationaliter, cum excessu, ebriosorum more.* AD SYMBOLAM. *Collationem Ciborum, vel pecuniæ societatis & aris collatitij, propter quod nautæ exultant.* TALE ALIQVID ÆONES. *Qui scilicet noui quotidie superuenientes, tumultum Gaudij plenum conficiunt; vel alludit ad pandoram, cui singuli dij suum symbolum & donum contulerunt. Sic præclarè videt Æonas Valentini, quorum gaudia nauticis comparat; paulò enim suprà dixerat,* Magno cum gaudij fructu hymnis Patrem concinunt. Diffundebatur & ipse lætitia, vtique benè cantantibus filiis, & nepotibus. *De Symbolis comparatorum, Prouerb. 24. 20.* Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & B dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. *Paulò aliter 70.* Ne fueris bibax vini, neq; extendas te ad Symbola, *Tertul. femineo vsus est iuxta Terentium in Andria.* Et carnium emptiones omnis enim ebrius & scortator mendicabit; & induetur diruptis & laceris omnis somnolentus. *Hunc locum contra vana gaudia seculi retuli, de quibus plura alibi reperies, consulto rerum & scripturæ ind.ce habe interim hæc ex Augustino in Psal. 125.* Cum conuerterit Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati, &c. Post septuaginta annos redit ille populus ad ciuitatem suam. *Ex captiuitate Babylonica.* Septuaginta anni, significant omne tempus quod septem diebus voluitur. Cùm autem C transierit omne tempus, tunc redimus & nos ad Patriam nostram, quomodo ille populus post septuaginta annos rediit à captiuitate Babyloniæ. Babylonia enim est mundus iste. Babylonia enim interpretatur confusio. Videte, si non est confusio tota vita humana. Quidquid agunt homines in spe vana, *In gaudio vano*, Cum cognouerint quid agut, erubescunt. *En Tertullianus, cum dedecore lætatur, lasciuias gaudiorum, &c.* Ab ista ergo confusione iam conuersi erant quibus dicit Apostolus: quam enim gloriam habebatis in his, in quibus nunc erubescitis? confusio est ergo ista tota vita rerum humanarum non pertinens ad Deum. In hac confusione, id est in ista Babylonia *In qua ex eodem Aug.*

S. Augst.

multi lugent luctu Babylonico; quia gaudent gaudio Babylonico, & nautico, quia gaudent lucris & flent damnis Captiua tenetur Sion. Sed conuertit Dominus captiuitatem Sion, & facti sumus, inquit, sicut consolati: id est gauisi sumus tanquam consolationem accipientes. *Sicut gaudere solent qui in luctu consolationem accipiunt.* Consolatio non est nisi miserorum, consolatio non est nisi gementium & lugentium. Quare, quasi consolati, nisi quia adhuc gemimus? gemimus in spe, consolamur in re. Cum transierit spes, de gemitu gaudium veniet æternum, vbi non opus erit consolatione, quia nulla miseria sauciabimur, &c. Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Os fratres mei, quod habemus in corpore, quomodo repletur gaudio? non solet impleri, nisi aqua, aut cibo, aut potu, aut aliqua re tali missa in os, &c. Et quando os plenum habemus, loqui non possumus. Habemus autem intus os, id est in corde: vnde quidquid procedit si malum est, inquinat nos: si bonum est, mundat nos, &c. Ibi est os quod implebitur tibi gaudio, & quando taces. Quando enim taces & gaudes, os tuum clamat ad Deum. Sed vide vnde gaudeas. Si de sæculo gaudes, immundo gaudio vociferaris ad Deum; *Sicut nautæ, & Æones Valentini*; Si verò de redemptione gaudes, *Spe gaudentes, expectamus redemptionem corporis nostri Saluatorem. Expectamus, qui reformabit corpus, &c. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Quomodo dicit Psalmus iste: cum conuerterit Dominus captiuitatem Sion, &c. Tunc impletur vero gaudio os tuum &c. In ipso gaudio vel in ipso ore quod habemus intus, & manducamus & bibimus, *Non vt Nauta & comparatores ad Symbolam, sed inuitante Christo, venite & comedite amici, & inebriamini charissimi, collatis symbolis panis & vini, signis, non vacuis elementis, sed plenis corporis & sanguinis sui,* Sicut de isto ore ad refectionem corporis, sic & de illo ore ad refectionem cordis. Nam vnde Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam? quoniam & ipsi saturabuntur, &c. *Inde & Psalmus*: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Et rursum*: Educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis,

Augst.

Augst.

Augst.

Augst.

vt exhilares faciem in oleo, &c. *Et ſer 37. de Ver.* A
Auguſt. *Dom.* Sicut non poteſt homo duobus Dominis ſeruire: ſic nemo poteſt gaudere in ſæculo, & in Domino. Multum inter ſe hæc duo gaudia differunt, ſuntque omnino contraria. Quando gaudetur in ſæculo, non gaudetur in Domino. Quando gaudetur in Domino, non gaudetur in ſæculo. Vincat gaudium in Domino, donec finiatur gaudium in ſæculo. Gaudium in Domino ſemper augeatur: gaudium in ſæculo ſemper minuatur donec finiatur, &c. Gaudete in Domino ſemper. In ſæculo gaudium quod eſt? gaudere de iniquitate, gaudere de turpitudine, gaudere de dedecore, gaudere de deformitate. De his omnibus gaudet ſæculum, quæ omnia non eſſent, niſi homines voluiſſent. Alia B
ſunt quæ faciunt homines, alia quæ patiuntur: & alia ſi nolunt, ferunt. Quid ergo eſt hoc ſæculum, & quod eſt gaudium ſæculi? dico, fratres, breuiter quantum poſſum, quantum Deus adiuuat, feſtinanter, breuiter dico. Sæculi lætitia eſt impunita nequitia. Luxurientur homines, fornicentur, in ſpectaculis nugentur, ebrioſitate ingurgitentur, turpitudine fœdentur, nihil mali patiantur; & videte ſæculi gaudiũ. Iſta mala quæ cõmemoraui, non caſtiget fames, non belli timor, non aliquis timor, non aliquis morbus, nõ aliquæ aduerſitates; ſed ſint omnia in rerũ abundantia, in pace carnis, in ſecuritate malæ mentis; & videte ſæculi gaudium, ſed non cogitat Deus ſicut homo. Alia eſt Dei cogitatio, alia hominis. Magnæ miſericordiæ eſt, nequitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur, in extremo gehennæ damnare, modo flagello, dignatur caſtigare. Nam vis noſſe, nulla pœna, quanta ſit pœna, pſalmum interroga: irritauit Dominum peccator, &c. Quare obſecro? quid vidiſti? qui autem hoc exclamauit, vidit peccatorem impunè luxuriantem, malè facientem, bonis abundantem, & exclamauit, irritauit Dominum peccator, &c. Præ magnitudine iræ ſuæ non requirit. Intelligite, fratres Chriſtiani, miſericordiam Dei; quando caſtigat mundum, non vult damnare mundum, &c. Ideò non exquirit, quia multum iraſcitur. Magna eſt ira eius, parcendo ſæuit, ſed ioſtè ſæuit: eſt enim ſeueritas, quaſi ſæua veritas. Si ergo aliquando ſæuit parcendo, bonum eſt nobis vt iubueniat caſtigando, &c. Ergo, fratres, gaudete in Domino, non in ſæculo: ideſt gaudete in veritate, non in iniquitate: gaudete in ſpe æternitatis, non in floꝛe vanitatis. *Quid melius ad exprimendam gaudij mundani vanitatem?*

GENTILES.

GENTILIVM PROBRA.

1. *Gentilis iumentum eſt, Chriſtianus, homo. De Reſurr. cap. 52. à m.*

IN hoc & figurata ſubiicit exempla animalium & elementorum. *Alia caro hominis*, Id eſt, ſerui Dei, qui verè homo eſt: *Alia iumenti*, Id eſt, ethnici, de quo & Propheta: *Adſimilatus eſt*, inquit, *Homo irrationabilibus iumentis.* 1. Cor. 15. 39. Pſal. 48. 13.

GENTILIVM PROBRA. I. SCHOLIA.

IN Hoc. *Ad probandum diuerſum reſurgentium* A
ordinem, bonorum & malorum, fidelium & Gentilium; Paulus ſubiicit exempla quæ figurant Chriſtianos & Ethnicos 1. Cor. 15. 39. Non omnis caro, eadem caro: ſed alia quidem hominũ, alia verò pecorũ, &c. *Syr. clarius* Omne corpus æquale non eſt: aliud eſt corpus hominis, & aliud iumenti. *In quem locum*
Auguſt. *Aug.* In his omnibus iſte ſenſus eſt, ſi genera carnis, cum ſint cuncta mortalia, differunt tamen inter ſe pro diuerſitate animantium, &c. Nonne mirum eſt quod in reſurrectione mortuorum, diſtabit gloria meritorum. *Sic ſcribit in ep. ad Conſentium.* VERE HOMO. *Quia rationabiliter vivit, & ſecundum Deum, Gentilis autem more iumenti ſecundum ſenſum animalem, de quibus vt iumentis Pſalites:* Dorſum eorum ſemper incurua. ADSIMILATVS. *Pſal. 48. 13.* Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. *Quem locum ſic exponit Aug. to. 3. lib. 6. de Gen. ad lit. cap. 12* Hoc excellit in homine, quia Deus ad
Auguſt. imaginem ſuam hominem fecit, propter quod ei dedit mentem intellectualem qua præſtat pecoribus, &c. In quo honore poſitus, ſi non intellexerit, vt benè agat, eiſdem ipſis pecoribus, quibus prælatus eſt, comparabitur. Sic etenim ſcriptum eſt, homo in honore poſitus, non intellexit, comparatus eſt pecoribus inſenſatis, &c. Nam & pecora Deus fecit, ſed non ad imaginem ſuam. Nec dicendum eſt, hominem ipſe fecit, pecora verò, iuſſit, & facta ſunt: & hunc enim & illa per verbum ſuum fecit, per quod facta ſunt omnia. Sed quia idem Verbum & ſapientia & virtus eius eſt, dicitur & manus eius, non viſibile membrum, ſed efficiendi potentia. Nam & eadem ſcriptura quæ dicit, quòd Deus hominem de limo terræ finxerit. Gen. 2. 7. dixit etiam ibidem 19. quod beſtias agri de terra finxerit, &c. Si & hominem de terra, & beſtias de terra ipſe formauit, quid habet excellentius in hac re, niſi quod ipſe ad imaginem Dei creatus eſt? nec tamen hoc ſecundum corpus, ſed ſecundum intellectum mentis, &c. Quamquam & in ipſo corpore habeat quandã proprietatem quæ hoc indicet, quòd erecta ſtatura factus eſt, vt hoc ipſo admoneretur, non ſibi terrena eſſe ſectanda, velut B
pecora, quorum voluptas omnis ex terra eſt, vnde in aluum cuncta pecora prona atque proſtrata ſunt. Congruit ergo & corpus eiuſdem animæ rationali, non ſecundum lineamenta figuraſque membrorum; ſed potius ſecundum id quod in cœlum erectum eſt, ad intuenda quæ in corpore ipſius mundi ſuperna ſunt; ſicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in ſpiritalibus, naturâ magis excellunt, vt quæ ſurſum ſunt ſapiat, non quæ ſuper terram. *Fidelis ergo, vt homo, & corpore, & mente, vivit erectus in cœlum. Gentilis vt iumentum, pronus in terram.*

ed by Google

2. Gentilium virtus non est vera, nec solida. V. Verbum Castitatis species vnm. 3. & 4. & Cast. custodia 1. & 9.

3. Gentilis in prodigo figuratus. De Pudic. cap. 9. in m.

VIde an habeat ethnicus substantiam in Deo patre, census, & sapientiæ, & naturalis agnitionis in Deum; per quam & Apostolus notat [a] *In sapientia Dei, non cognouisse*
a1. Cor. 1. 21. *mundum, per sapientiam, Deum*, Quam vtique à Deo acceperat. Hanc itaque prodegit longè à Domino moribus factus, inter errores, & illecebras & libidines seculi, vbi fame ve-
Luc 15. 12. 15. ritatis compulsus, tradidit se principi huius æui. Ille eum præfecit porcis, (vt familiare id dæmonum pecus pasceret) vbi nec ille compos esset vitalis escæ, simulque alios videret in opere diuino abundantes pane cœlesti. Recordatur Patris Dei, satisfacto redit, vestem pristinam recipit; statum scilicet eum, quem Adam transgressus amiserat. Anulum quoque accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet. Hic erit prodigus filius, qui nunquam retro frugi; qui statim prodigus, quòd non statim Christianus. Hunc & Pharisæi de sæculo ad patris complexus reuertentem, in publicanis & peccatoribus mœrebant. Et ideo ad hoc solum maioris fratris accommodatus est liuor; non quia innocentes & Deo obsequentes Iudæi, sed quia inuidentes nationibus salutem, planè quos semper apud patrem esse oportuerat. Et vtique Iudæus ad primam statim vocationem Christiani gemit, non ad secundam restitutionem. Illa enim etiam ethnicis relucet, hæc verò quæ in Ecclesiis agitur, ne Iudæis quidem nota est.

4. Gentiles Romani à Maiorum institutis, circa cultum Deorum, & morum honestatem defecerunt. Apol. cap. 6. in p. ad m. vide. V. Abstinentia Rom. 1.

GENTILIVM PROBRA. III. SCHOLIA.

FTUNICVS. *Fusè hunc locum tractat, & gentili ap. A plicat parabolam prodigi, de qua iam alibi diximus. Et quamquam in errorem suum detorqueat, vt sub finem textus, vtin cauda venenum suum serpens hereticus insinuauit, dum ait*, Iudæus ad primam statim vocationem Christiani, *Idest, Gentilis ad Christianissimam vocati & transeuntis, zelo æstuat, & inuidia*. Gemit: non ad secundam restitutionem: *Quæ fit per primam & solemnem pœnitentiam semel lapsi post baptismum: post quam, lapsum Tertullianus nolebat recipi in Ecclesia. Tamen non incongruè, vt patet ex sequentibus in toto hoc textu, Gentilis prodigo comparatur.* IN DEO PATRE. *Gentilem enim vt Iudæum erauit, dicente Paulo:* Nam idem Deus omnium. B CRIGSVS. *Originis, quia & à Deo per Creationem processit.* ET SAPIENTIÆ. *In quantum ad imaginem Dei factus est, naturaliter sapit & agnoscit Deum, in eumque vt principium, vt finem suum naturali lumine & amore fertur, & hæc eius est substantia quam prodegit & dissipauit, de qua prima Cor. 1. 21.* In Dei sapientia, *Effectibus & creaturis sapienter à Deo conditis & ordinatis* Non cognouit mundus *Populus Gentilis* Per sapientiam, Deum. *Per lumen naturæ; obscurato intellectu, & corruptâ voluntate per peccatum.* LONGE A DOMINO. *Aug. in Psal. 34. Con-*
8 August. *cione 2.* Nonnunquam in vno homine vtrumque contingit, vt aliquando propinquet, & aliquando C longè fiat: propinquat luce veritatis, longè fit nubilo carnis Neque enim, fratres, Deo qui vbiq; est, & nullo continetur loco, aut per loca propinquamus, aut ab illo per loca remouemur. Propinquare illi, est similem illi fieri: recedere ab illo, dissimilem illi fieri. Nonne cum vides duas res propè similes, dicis, propinquat hæc illi? & quando tibi dissimilia demonstrantur, quamuis vno loco, & plerumque vna manu teneantur, dicis, longè est hæc
5 August. species ab illa. *Et in Psal 84. in versum*: Verumtamen propè timentes eum salutare ipsius. In veteri, inquit, testamento timebatur Deus, ne daret illos in captiuitatem, ne tolleret illis terram, ne grandine contunderet vites ipsorum, ne faceret steriles vxores eorum, ne auferret ab eis filios ipsorum. Hæc enim carnalia promissa Dei tenebant adhuc paruas animas, & propter hæc timebatur Deus; sed propè illis erat, qui vel propter hæc ipsum timebant. Terram petebat Paganus à Diabolo, terram petebat Iudæus à Deo. Vnum erat quod petebant, sed non vnus à quo petebant. Petebat iste quod paganus petebat, discernebatur tamen à pagano, quia ab illo ista petebat, qui omnia fecerat; & propè illis erat Deus, qui Gentibus longè erat. Tamen respexit & eos qui longè erant, *Sicut pater prodigi vidit eum cum adhuc longè esset* Et eos qui propè erant, sicut dicis Apostolus, Ephes. 2. & veniens, Euangelizauit pacem his qui erant longè, & pacem his qui propè. Quos dixit, qui erant propè? Iudæos, qui vnum Deum colebant. Quos dixit, qui erant longè? Gentes qui dimiserant Deum à quo facti erant, & colebant illa quæ ipli fecerant. Non enim regionibus longè est quisque à Deo, sed affectibus. Amas Deum, propè es: odisti Deum, longè es. Vno loco stans, & propè es, & longè es. FAME COMPVLSVS. *Quia veritas proprium obiectum est, & bonum intellectus.* PRINCIPI ÆVI. *Diabolo mundi principi.* DÆMONVM PECVS. *Ob immunditiem, vnde & legio petiit in porcos mitti. Aug. to. 9. tract. 5. c. 7. de* Augst. *tempore Barbarico.* Porcos pauit, quando dæmonum voluptates suis factis impleuit fortasse illos porcos pauit, quos petierat diabolus à Domino, dicens iube nos intrare in gregem porcorum. Fame contritus est quia panem Verbi Dei non inueniebat. Siliquis cupiebat saturare ventrem suum, quando tortuosis cogitationibus replebat animam suam. VITALIS ESCÆ. *Panis vini qui de cœlo descendit.* SATISFACTO REDIT. *Reuertitur ad Patrem, pœnitentiâ eius satisfactum. Sequentia exposita habes alibi.* NVMQVAM

QVAM RETRÒ PRVGI. *Qui priùs numquam bonus fuit, & ab initio prodigus, vt Ada peccatum & idololatriam, quod de Christiano dici non potest, ex quo factus est Christianus, sed tantùm ab eo tempore quo post susceptam fidem labitur in peccatum, cuius pœnitens, & reuertens excipitur à Patre.* HVNC. *Gentilem.* DE SÆCVLO. *Gentilitatis errore.* AD PATRIS. *Dei cognitionem per fidem redeuntem.* IN PVBLICANIS. *Qui figuram ethnicorum gerebant.* MOERABANT. *Dolebant ex inuidia.* AD HOC SOLVM. *Mysterium significandum, natu maioris inuidia applicata est.* INNOCENTES. *Quia dixit Pater natu maiori:* Fili tu semper mecum es. ESSE OPORTVERAT. *Qui tamen longè per idololatriam & murmur frequens à Deo recessérat.* ILLA ENIM. *Prima vocatio alicuius Gentilis ad fidem, statim manifestatur aliis gentilibus, ex animoda vitæ mutatæ dissimilitudine.* HÆC VERO. *Secunda vocatio, quæ iam Christiano, Deo ad pœnitentiam vocante, præstatur, & in Ecclesia peragitur, nec ab ipsis Iudæis, multo minùs à Gentilibus cognoscitur. Huic errori Tertulliani, lapsos post baptismum & pœnitentiam primam non recipientis, aduersatur Augustinus, Præfato tract. 5. de temp. Barbarico cap. 7. in fine; vbi sic Christum inducit loquentem Petro:* Egrediatur Pater ad primogenitum filium nolentem intrare, dicat Christus Petro, *Nolenti intrare;* intra in gaudium Domini tui: respiciat negantem, & faciat confessorem: compungat flentem, faciat amatorem: exhortetur eum paterna voce: fili, inquit, tu meus es, tu es Petrus: & si me negasti, meus es. Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Tu meus es. & omnia mea tua sunt. Tibi dabo claues, &c. *Non solùm vt intres tu, sed & Iudæos & Gentiles solutos, ostiarius & custos domus, intromittas. qui ad vocem anicilli ostiaria, cur clauseras & os confessioni.* Apud te, Petre, sunt claues; dignare iam ad conuiuium intrare. *Ad vitulum saginatum occisum edendum; ad fidem passioni, confessionem peccati, participationem corporis Christi.* Oportebat hæc fieri, quoniam frater tuus latro, *prodigum & ethnicum significans,* mortuus erat, & reuixit, &c. Si Petrus, antequam Christus pro omnibus crucifigeretur, regni cœlorum claues accepit; quâ illuc introiuit latro ille, iam non reus, nisi per latus quod aperuit Iudæus? *Sicut per latus arcæ Noë animalia munda & immunda:* Et nunc veniant omnes, *Iudæi & Gentiles,* Quicumque amant Paradisum, locum quietis, locum securitatis, locum perpetuæ fœlicitatis, locum in quo non pertimescas barbarum, in quo nullum patiaris aduersarium, nullum habebis inimicum. Venite omnes, intrate omnes. Est quâ possitis intrare, patet latus. Ostendit enim ille latro, quo debeant omnes intrare, neminem suo exemplo docuit desperare: *Cui dixit, hodie mecum eris in Paradiso:* Contendite ait Dominus intrare per angustam portam. Quid angustius illo foramine, quod vnus è militibus percutiendo latus crucifixi aperuit? & tamen per has angustias penè iam totus mundus intrauit. Venite & vos Iudæi, vocat vos, quem crucifixistis. Filius Dei: contendite intrare per angustam portam, per hanc enim introierunt Patres vestri. Illi, qui vt crucifigeretur clamauerunt, qui in ligno suspensum viderunt, qui irriserunt, qui caput agitauerunt, per istas tamen angustias, *plagas* introierunt. Non enim inaniter clamabat ille pendens in cruce: Pater, ignosce illis, &c. Per has ergo, vt dixi, angustias, per angustam portam lateris Christi ingressus est latro mutatus, pœnitens Iudæus, conuersus omnis Paganus, & ab eo exiit foras malus hæreticus Arrianus. *Et pereuersus Tertullianus, fatuus Nouatianus, relapsos excludens à venia.* S. Augustin. S. Augustin. Augustin.

5. Gentilis scripteres suos reprobat, dum aliquid pro nobis proferunt. De Testim. An. cap. 1. à p.

NÈ suis quidem magistris, aliàs probatissimis atque lectissimis, fidem inclinauit humana de incredulitate duritia, sicubi in argumenta Christianæ defensionis impingunt. tunc vani poëtæ, cùm Deos humanis passionibus & fabulis designant. tunc philosophi duri, cùm veritatis fores pulsant. Hactenus sapiens & prudens habebitur, qui propè Christianum pronuntiauerit, cùm si quid prudentiæ aut sapientiæ affectauerit, seu cerimonias despuens, seu seculum reuincens, pro Christiano denotetur. Iam igitur nihil nobis erit cum literis & doctrina peruersæ felicitatis, cui in falso potiùs creditur, quam in vero. viderint si qui de vnico & solo Deo pronuntiauerunt. immo nihil omnino relatum sit, quod agnoscat Christianus, ne exprobrare possit. Nam & quod relatum est, neque omnes sciunt, neque qui sciunt constare confidunt. tantò abest vt nostris literis annuant homines, ad quas nemo venit, nisiiam Christianus.

GENTILIVM PROBRA. V. SCHOLIA.

NE SVIS QVIDEM. *Frustrà ad conuincendos Gentilium errores, probandamque Catholicam veritatem, proferrem testimonia doctorum Gentilium; licet enim eos in cæteris omnibus fide dignos & receptissimos habeant, si quando tamen casu scribendo incidant in aliqua argumenta, quibus Catholica veritas & aliquis eius articulus probari & confirmari possit, pro duritia cordis ab incredulitate formata, non inclinant aurem, & impleturin eis illud Apostoli:* A veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. *Tum enim Poëtas vt vanos æstimant, cùm rident ipsi Deos suos, passionibus & vitiis humanis subditos carpunt, & fabulis suis eorum vitia delineant. Quia tum respondent doctoribus Christianis, probantibus cultum non deberi vitiosis hominibus, quos Gentiles in Deos transcripserunt. Tum etiam Gentilium Philosophi ab ipsis reprobantur vt duri & non audiendi, cùm prope accedunt ad veritatem, & penè intrant in consensum nostrorum dogmatum.* HACTENVS SAPIENS. *Vsque huc, eatenus Gentilis doctor receptibilis erit donec propè accedat ad sensum & vocem Christiani, nam si quid simile dixerit, tunc Christianam sapientiam emulari & affectare videbitur suis, siue superstitiosis idololatriæ cerimonias irrideat, siue Gentilitatem de errore conuincat, infamiâ notatur quasi Christianus esset.* NIHIL CVM LITERIS: *Nullum testimonium proferam ex libris Gentilium.* PERVERSÆ FELICITATIS. *Felix siquidem est doctrina cui creditur, quæ recipitur, & honoratur: illa certè peruersè felix est, quæ dum vera dicit respuitur, & dum falsa docet recipitur.* VIDERINT, D

&c. Quàm malè cum doctoribus istis agitur, qui & naturali lumine scripserunt, sicut & nos credimus, vnum Deum colendum. IMO NIHIL. *Sed volo nihil à doctoribus Gentilium scriptum, quod legere possit Christianus vt argumento ad hominem possit conuincere Gentilem, vel saltem exprobrare Gentili. Licet enim multa ab eis scripta sint vel ex nostris fontibus hausta & transcripta, vel ipsis ad confusionem à Deo veritatis sic volentis dictata, plerique Gentiles ignorant, & qui legerunt & norunt, non putant tamen hanc firmam esse veramque doctrinam.* TANTO ABEST, *&c. Quòd si ita auertunt aures & oculos à libris suis, quantò longius absunt & horrent à nostris, ad quorum intelligentiam nemo peruenire potest nisi per lumen fidei, dicente Esaia sapiùs à nobis relato cap. 7. iuxta 70.* Nisi crediderit is non intelligetis. *Quantùm ad Authores Gentilium quomodo iis sit vtendum monet Augustinus to. 3. lib. 2.* 3 Augu. *de doctr. Christ. cap. 11.* Philosophi qui vocantur, si qua fortè vera, & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. *Et to. 6. lib. 13. Cont.* 8. Augu. *Faustum cap. 15.* Sibyllæ, & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui alij vates, vel Theologi, vel sapientes, vel Philosophi Gentium, de Filio Dei, aut de Patre Deo, vera prædixisse, seu dixisse perhibentur: valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem reuincendam, *Iisdem vocibus vtitur Augustinus cum Tertulliano, eâdem in causâ,* Non tamen ad 6. Augu. istorum auctoritatem amplectendam, cùm illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos congentiles populos, idola, & dæmonia colenda, partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt. *Et lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 44. & vltimo.* Ipsi Gentiles, si Augu. quid diuinum & rectum in doctrinis suis habere potuerunt, non improbauerunt Sancti nostri, quamuis illi per suas superstitiones, & idololatriam, & superbiam, cæteròsque perditos mores detestandi essent, & nisi corrigerentur, diuino iudicio puniendi. Nam & Paulus Apostolus, apud Athenienses, cùm de Deo quædam diceret, perhibuit testimonium, quòd quidam eorum tale aliquid dixerint; *Act. 17. 28. in medio Areopagi dixit: sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt; ipsius enim & genus sumus*; Quod vtique si ad Christum venirent, agnosceretur in eis, non improbaretur. Et S. Cy- Augustin. prianus, talibus aduersùs eosdem ethnicos vtitur testibus: nam cùm de Magis loqueretur; quorum tamen, inquit, præcipuus Hostanes, & formam viri Dei negat conspici posse, & Angelos veros sedi eius dicit assistere. In quo & Plato pari ratione consentit, & vnum Deum seruans, cæteros Angelos, vel dæmones dicit. Hermes quoque Trimegistus vnum Deum loquitur, & eum comprehensibilem atque inestimabilem confitetur. *Hæc habentur apud Cypr. lib. de Idolorum vanitate.*

6. *Gentiles iudices, torquendo Christianos, contra formam iuris agere conuincuntur. Ad Scap. cap. 4. à p.*

QVid ampliùs tibi mandatur, quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta reuocare? Videtis ergo quomodo ipsi vos contra mandata faciatis, vt confessos, negare cogatis. Adeo confitemini innocentes esse nos, quos damnare statim ex confessione non vultis. Si autem contenditis ad elidendos nos, iam ergo innocentiam expugnatis.

GENTILIVM PROBRA. VI. SCHOLIA.

TIBI. *Ad Scapulam Præfectum conuertit sermonem.* MANDATVR. *Vel ab Imperatore, vel à legibus præcipitur.* CONFESSOS DAMNARE. *Condemnare ad mortem crimen suum fatentes.* AD TORMENTA. *Tortura rursum applicare ad extorquendam confessionem criminis.* VT CONFESSOS. *Nos esse Christianos, contra formam iuris & iudicij vestri, negare compellatis vi tormentorum, idipsum, quod confessi sumus, nempè nos esse Christianos, quod totum est crimen nostrum.* ADEO CONFITEMINI, *&c. Ac per hoc apertè fatemini innocentiam nostram, cùm non nos, sicut alios nocentes statim confessos damnatis ad mortẽ. sed id ipsum quod sumus confessi, nouis tormentis negare compellitis. Porrò si vexatio vestra eò tendit, vt euertatis fidem nostram, nec vllum aliud in nobis crimen agnoscitis, conuincimini iniusti iudices; tum quòd contra formam iuris procedatis, tum quòd innocentiam persequamini. Vnde Minutius Felix, in eosdem peruersos iudices*: Exercentes in his peruersam quæstionem, non quâ verum erueret, sed quâ mendacium cogeret. *Et Cypr. ad Demetr.* Si crimen est, cur non interficis confitentem? Si crimen non est, quid persequeris innocentem? torqueri enim debui, si negarem. *Aug. lib. 19. de Ciuit. cap. 6. vbi de tormentis* 8. Augu. *adhibitis ad veritatem extorquendam,* Cùm in sua causa quisque torquetur, & cùm quæritur vtrùm sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere. *In causa autem Christiani pro fide vexati, pro certa virtute, & innocentia*: certissimas pœnas: non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur. Ac per hoc ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis. Et quod est intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque si fieri posset fontibus lacrymarum; cùm propterea iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, vt & tortum, & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torserat. Si enim secundùm istorum sapientiam, *Gentilium & mundanorum, & mollium non valentium pati pro veritate*, delegerit ex hac vita fugere, quàm diutius illa sustinere tormenta: quod non commisit, commisisse se dicit. *Sicut ex aduerso, vt in hac vita maneat, vi tormenti cogitur Christianus negare quod erat, & dicere se magnum crimen commisisse, Deos negando, & Christum confitendo.* Quo damnato & occiso, vtrum nocentem, an innocentem iudex occiderit, adhuc nescit, quem ne innocentem nesciens occideret, torsit; ac per hoc innocentem, vt sciret, torsit, & dum nesciret occidit, &c.

Digitized by Google

7. Gentiles luxuria, & inceſtui dediti; Chriſtiani verò pudicitia omnis obſeruantiſſimi. Apol. cap. 9. à m. ad circa f.

INceſti qui magis, quàm quos ipſe Iupiter docuit? Perſas cum ſuis matribus miſceri Cteſias refert. Sed & Macedones ſuſpecti, quia cum primùm Oedipum tragœdiam audiſſent, ridentes inceſti dolorem, ΕΛΑΥΝΕ, dicebant, ΕΙC ΤΗΝ ΜΗΤΕΡΑ. Iam nunc recogitate quantum liceat erroribus ad inceſta miſcenda, ſuppeditante materias paſſiuitate luxuriæ. In primis filios exponitis ſuſcipiendos ab aliquâ prætereunte miſericordia extranea, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis. Alienati generis neceſſe eſt quandoque memoriam diſſipari. & ſimul error impegerit, exinde iam tradux proficiet inceſti, ſerpente genere, cum ſcelere. Tunc deinde quocunque in loco, domi, peregrè, trans freta comes eſt libido; cuius vbique ſaltus facilè poſſunt alicubi ignaris filios pangere, velut ex aliqua ſeminis ſparſione; vt ita ſparſum genus, per commercia humana, concurrat in memorias ſuas, neque eas cœtus inceſti ſanguinis agnoſcat. Nos ab iſto euentu diligentiſſima & fideliſſima caſtitas ſeptit; quantúmque ab ſtupris, & ab omni poſt matrimonium, exceſſu, tantum & ab inceſti caſu tuti ſumus. quidam multò ſecuriores totam vim huius erxotis virgine continentia depellunt, ſenes pueri. *Et lib. 1. ad Nat. cap. 16.*

GENTILIVM PROBRA. VII. SCHOLIA.

INCESTI QVI MAGIS. *Obiecta Chriſtianis crimina falſa inceſtuum in cœtu commiſſorum, extinctis luminibus, cum matre & ſorore; de quibus dixerat cap. 8. tam retorquet in ipſos, dicendo nullos homines plus vacare inceſtui, quam Gentiles, quos Iupiter exemplo ſuo, ad id criminis prouocauerit; Siquidem ipſe inceſtum matrimonium contraxit cum Iunone ſorore ſua. Quod cum Varroni obiiceretur, id ad elementa retulit. De quo myſterio ſic Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. cap. 10.* Cur illi *Ioui* ſcilicet Etiam Iunovxor adiungitur, quæ dicitur Soror & coniunx? quia Iouem, inquiunt, *Cum Varrone doctores Gentilium*, In Æthere accipimus, in aëre Iunonem: & hæc duo elementa coniuncta ſunt, alterum ſuperius, alterum inferius. Non eſt ergo ille, de quo dictum eſt, Iouis omnia plena: Si aliquam partem implet & Iuno. An vterque, vtrumque implet, & ambo iſti coniuges, in duobus iſtis elementis, & in ſingulis ſimul ſunt? cur ergo Æther datur Ioui, aër Iunoni? poſtremò ſi ipſi duo ſatis eſſent, quid eſt quod mare Neptuno tribuitur, terra Plutoni? & ne ipſi quoque ſine coniugibus remanerent, additur Neptuno Salacia, Plutoni Proſerpina. Nam ſicut inferiorem cœli partem, id eſt aërem, inquiunt, Iuno tenet: Ita inferiorem maris, Salacia, & terræ inferiorem Proſerpina. CTESIAS. *Hic ex Suida, Hiſtoriam Perſicam libris triginta conſcripſit. De Perſis ſic Theodoritus Oratione 9 contra Grecos:* Perſæ Zaradi inſtituti legibus, matrum, ſororum, filiarumque miſcebantur connubiis. *Vnde paucis verbis id attigit Minutius Felix,* Ius eſt apud Perſas miſceri cum matribus. *Vide Hiero lib. 2. contra Iouin. cap. 36. Greg. Nyſſ. in epiſtola contra fatum. Lexicon tandem Alexandrinum id Perſas à diis accepiſſe refert his verbis,* Ninus alter Saturni filius Matrem Semiramidem in vxorem duxit. Vnde Perſis accepta lex parentes & ſorores in conſortium thori adſciſcendi. Vnde Picus, *Id eſt Iupiter* Iunonem ſororem matrimonio ſibi copulauit. *Nec tacuit idipſum Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 2.* Cum egreſſo Abraham de Babylonia, promiſit ei Deus, ex illo magnam gentem futuram, & in eius ſemine omnium gentium benedictionem, Aſſyrij quartum regem habebant, Sicyonij quintum: apud illos enim regnabat filius Nini poſt matrem Semiramidem, quæ ab illo interfecta perhibetur, uſa filium mater inceſtare concubitu. Hanc putant nonnulli condidiſſe Babylonem, quam quidem potuit inſtaurare. MACEDONES SVSPECTI. *Eiuſdem criminis inceſtus, quòd cum viderent in theatro repræſentari Oedipum valde dolentem, quòd neſcius cum Iocaſta matre commiſiſſet inceſtum, dolorem eius quaſi indignum irriſerunt, nihili facientes hoc nefas. Et cachinnantes exclamauerunt his verbis, in tragœdia Sophoclis ſcriptis.* ἴλαυνε εἰς τὴν μητέρα. *Id eſt age, duc in matrem.* ἐλαύνειν Græcis idem eſt quod agere, ducere, mouere, *ſic vocis ambiguitate ludebant quaſi dicerent Oedipo regi ac duci belli, tanquam vrbem ſubacturo, duc in matrem. Matrem enim ſubegerat neſcius. Alij legunt:* ἔμηνε τὴν μητέρα. *Inſaniit in matrem. Alij,* ἔμυσε, *euomuit ab ἐμέω, ideſt euomo, vel ἐμάνη. Inceſtauit.* PASSIVITATE LVXVRIÆ. *Vagâ vbique luxuriâ Gentilium, quàm ſæpè in inceſtum incidunt, etiam errantes & neſcientes.* IN PRIMIS. *Ex iſta communi libidine, fit vt filios ſæpè ex fornicatione genitos exponatis, ab aliquo, per miſericordiam, tranſeunte, alendos, vel adoptandos à melioribus parentibus.* ALIENATI GENERIS. *Eccùm huiuſmodi liberi à propriis parentibus alienati tandem aliquando proprierum parentum memoriam perdant, duas ita frequentis apud Gentiles inceſtus cauſas aſſignat: Primò quòd ex frequenti & paſſim apud omnes Gentiles communi luxuria, filios exponant; ſecundo quòd eoſdem emancipatos à patria ſua poteſtate, dent aliis parentibus melioribus ſe adoptandos. Vnde fit, vt à proprio ſuo genere alienati, vel expoſitione, vel adoptione, tranſeant in aliam familiam; vnde accidit tandem aliquando lapſu temporis, vt proprij generis & parentele obliuiſcantur: quo errore & obliuione ſemel in animum inducta, creſcunt propagationes inceſtorum, & genus ipſum cum inceſti labe ſerpit latius. Duas has cauſas ex vno Oedipo induxit, quas attigit Lactantius lib. 6. c. 20.* Quæ poſſint & ſoleant accidere in vtroque ſexu vel per errorem, quis non intelligit? quis ignorat? quod vel vnius Oedipodis declarat exemplum duplici ſcelere confuſum. Tam igitur nefarium eſt exponere, quàm necare. *Is Oedipus Laij Thebanorum regis & Iocaſtæ filius fuit. Accepto oraculo Apollinis, Laius, ſe à filio occidendum, ipſum dedit paſtori interficiendum. Paſtor horrens ab infanticidio, ipſum pedibus perforatis, vimine ſuſpendit in arbore, inedia necandum. Hunc pertranſiens Phorbas paſtor alter, vagitu motus, detra-*

tum, Regina Corinthiorum carenti liberis, dedit; accepit illa quasi munus de cœlo, vocatum Oedipum à pediens vulnere tumentibus. Inde post multa tempora Laium incognitum interemit. Iocastam matrem nescius duxit, quatuor filios ex ea genuit, quo duplici crimine aliquando cognito, sibi oculos eruit. COMES LIBIDO *Cum libido, & propensa in luxuriam natura, vbique occasiones reperiat.* CVIVS SALTVS. *Insultus & impetus libidinis, vt equorum & taurorum in obuias quasque equas & vaccas insultantium, possunt facilè incidere in aliquas sui generis, & ignaris filios serere & plantare, sicut pauguntur & seruntur arbores, ex seminis sparsione.* CONCVRRAT IN MEMORIAS. *Incidat in propriam prolem, dum vagæ libidini vbique indulget. Memoriam dixit, quòd Patres in liberis, vt in suis imaginibus vivis, suam relinquant memoriam. Sic fit*, inquit, *per passiua illa, id est passim apud Gentiles frequentia carnis commercia, vt genus idem tam diuersis in locis sparsum, concurrat, & redeat, vel per matrimonia, vel aliam copulam, in propriam parentelam.* COETVS. *Multitudo prolis incestuosa, vel coitus incesti sanguinis; id est cum sanguine & genere proprio incestum commercium.* NOS AVTEM. *Christianos castitati obligatos* DILIGENTISSIMA. *Quia diligenter aduertitur apud nos, ne in gradibus prohibitis matrimonium contrahatur* FIDELISSIMA. *Ob fidem exactissimam coniugum. Quam sic commendabat filio Tobias cap. 4. 13.* Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam, nùmquam patiaris crimen scire. EXCESSV. *Id est post mortem coniugis soluto matrimonio, in viduitate castè viximus, nec primum matrimonium excedimus, ad secundum transeuntes.* MVLTO SECVRIORES. *Quia difficilius est, vt alibi monuit, post gustatas voluptates, abstinere, quàm illis omnino carere.* VIRGINE CONTINENTIA. *Castitate virginali.* SENES PVERI. *Qui à puero ad senectam vsque, incorruptam virginitatem seruant. Hanc vitam castam in omni sexu, ætate, conditione fides Christiana exigit à suis cultoribus. Hæc est illa* Castimonia, sine qua nemo videbit Deum. Et omnis qui habet spem hanc in eo, sanctificat se sicut & ille sanctus est. *1. Io. 3. 3. Syr. autem* Purificat seipsum, sicut & ille purus est. *Augustinus autem* Castificat seipsum sicut & ille castus est. *Sic tract. 4. in 1. Io.* Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, vt diceret, castificat semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus? *Vnde Salomon. noui quod nemo possit esse continens, nisi Deus det. Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est* Sed Deus te nolentem non castificat. Ergo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum: castificas te, non de te, sed de illo, qui venit vt habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid, ideo & tibi aliquid tributum est: ideo autem tibi tributum est, vt dicas sicut in psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis, adiutor meus esto, aliquid agis: nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat? *De castitate in omni gradu seruata apud Christianos, ex Dei gratia iuuante hominis liberum arbitrium; quod infideles omnino non præstant, sic à Deo doctus per visionem ante baptismum testatur Augustinus lib. 8. Confess. cap. 11. vbi de luxuria succutiente vestem eius carneam*: Putasne sine istis poteris? *Deliciis viuere.* Sed iam tepidissimè hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte qua intenderem faciem, & quò transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem, neque dubitarem. & extendens ad me susciendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri, & puellæ; ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ & virgines anus, *Tertull. senes pueri*, Et in omnibus, ipsa continentia, nequaquam sterilis, *O, quàm pulcra est casta generatio cum claritate!* Sed fœcunda materfiliorum Gaudiorum, de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: tu non poteris quod isti, & istæ? *En potestas liberi arbitrij.* An vero isti, & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? *En necessarium gratiæ adiutorium.* Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? proiice te securus in eum, noli metuere, non se subtrahet, vt cadas. *Sic Tertullianus tantùm ab incesti casu tuti sumus.* Proiice te securus, excipiet te & sanabit te. Et erubescebam nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, & cunctabundus pendebam. Et rursus illa, quasi diceret, obsurdesce aduersus immunda illa membra tua super terram, vt mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui. *Quid ita? quia* Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonia eius dulciora super mel & fauum.

Et ad Nat. libro 1. cap. 16. HORAM LVCERNARVM. *Quia noctu, canibus ad candelabra vinctis, & offis tractis, lucernas extinguentibus, in incestus ruere nos fingitis.* METVO. *Verendum mihi scilicet est, ne Christianos libidinosiores Ethnicis fateri cogar.* DETINEBO. *Quod accusem in vobis simile forte non inueniam.* LAVDATE CONSILIVM. *Sed in hoc saltem fatemini, nos consulere pudori, nec palam in luce, sed in tenebris misceri consanguineis.* ADVLTERAM NOCTEM. *Vel qua adulteria committimus; vel quam extinctis lucernis procuramus.* TERRENIS. *Soli & Luna terram illustrantibus.* QVODCVMQVE FACIMVS. *Sic Augustinus ser. 12. in Psal. 118. in versum*; Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, &c. Quis est, *inquit*, qui suum opprobrium suspicatur, & non magis nouit suum quisque opprobrium, quàm cuiuslibet alienum? suspicari enim potius alienum potest homo, non suum: quoniam quod suspicatur ignorat: in suo autem opprobrio non est cuiusque suspicio, sed scientia, vbi loquitur conscientia. Quid est ergo quod ait opprobrium meum, quod suspicatus sum? nimirum de superiore sensu etiam iste ducendus est: quoniam quandiu non auertit homo oculos suos, ne videat vanitatem, quod in seipso agitur, hoc de aliis suspicatur. *Et lib. de vera innocentia cap. 21.* De occultis alieni cordis temerè iudicare peccatum est. Et eum, cuius opera non videntur nisi bona, iniquum est ex suspicione reprehendere: cùm eorum quæ hominis sunt incognita, solus Deus iudex sit, quia iustus est & inspector verus. INCESTA FRVVNTVR. *Omni vos tempore fruimini incestis.* ETIAM IN TENEBRIS. *Bellè & propheticè. Cùm cæca libidine Gentiles palàm incesta committant, & vt ait Paulus*, Alienati à vita Dei, tenebris obscuratum habentes intellectum, faciant ea quæ non conueniunt; *Christiani & in tenebris Deum cuncta videntem veriti, à crimine abstinent; cum Psalte dicentes:* Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis: quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur. LIBERE FIVNT. *Commiscentur; vt iam dupliciter*, Non sint duo, sed vna caro. *Et 1. Cor. 6. 16.* An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? *Quod probauerunt, quod delectabile putant, curam omnibus agunt.* FACTITANT. *Actitant, in tragœdiis publicis repræsentant.* CONSTERNATVS. *Quasi non*

S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin. Augustin. Augustin. Augustin.

plauſu, ſed deriſu à ſpectatoribus exceptus eſſet. RETACTA PERSONA. *Depoſita Oedipi larua.* QVANTVLA MACVLA. *Parum eſſet, ſi ſoli Macedones, & Perſæ, inceſta probarent, ſed totus Gentilis orbis pollutus eſt hac macula.* Omnis caro corrupit viam ſuam. NOS ENIM. *Ex fama à vobis in nos diſperſa.* SI QVA GENS. *Nulla prorſus, niſi Chriſtiana, quæ profitetur caſtitatem.* QVANTA MATERIA INCESTI. *Fieri enim poteſt, vt tu filiam exponens, poſt longâ tempora eam ducas vxorem, vel habeas concubinam; & ſororem pariter à patre expoſitam.* INCVRSENT. *Cum ipſis coeundo.* PLANE ALIQVA DISCIPLINA. *Vel ironicè dicta. Vel ſi ſeriò, ſic explico. Fieri quidem poteſt, vt aliqui inter vos, vel ſapientia, vel ætate frigidiores in* B *venerem, caueatis nè domi, vel foris, ſaltus & ſiluas ſpargatis inceſtum, poſteris veſtris, ex vago concubitu.* STATIVO. *Sine ſtetis domi, ſiue peregrinemini.* TALIS TRAGOEDIA. *Quam poſtea mimici in comœdiam tranſtulerunt.* FVSCIANO PRÆFECTO VRBI. *Dum Roma Fuſcianus Prefecturam gereret, quidam facinoroſus, eius indicio pœna reatus ſui condigna addictus, populum traxerat ad ſpectaculum; cùm ecce quidem puer patriæ domus limen egreſſus, nutricis & Padagogi incuriâ, à prætereuntibus abſtractus à domo paterna ductus eſt in Aſiam: à quibus per viam doctus aliqualiter Græculè loqui, ab ipſo limine, ſalutem hero Græcè precatus, & benevolentiam eius Græcè captauit.* ASIÆ ÆTATE. *Interea* A *dum à puritia ad adoleſcentiam, tranſactis in Aſia aliquot ætatis ſuæ annis reductus Romam, in foro venalis cum aliis ſeruis exponitur. Hunc neſcius pater, qui nec prudenter ſatis eum cuſtodierat puerum, emit ſeruum, eoque tanquam Græco emptitio vſus eſt: & vt veſtra refert hiſtoria, vinctum ad villæ agriculturam mittit; vbi dudum Pedagogus, & nutrix ſuæ negligentiæ pœnas dabant. Illi inter ſe caſus ſuos referunt. Et vi populo Romano, & Gentili hæc macula imputaretur, Deo ſic volente.* SPIRITVS DE DIE CONCVTIT. *De die in diem, Pedagogus, nutrix, adoleſcens, ex mutua relatione præteritorum, etiam ipſius diei & ſpectaculi, cuius causâ abductus eſt, concuſſo, & commoto animo incipit recognoſci.* DOMINOS IAM PARENTES. *Proximè, iam iamque, qui vt ſeruum Domini vinctum tenebant, Pater & Mater agnoſcendi, diligentius inquirunt.* INFOELICITER INVENITVR. *Quia mater necdum certa. Ex frequenti in villa viſu adoleſcentis, vt altera vxor Putiphari, adoleſcentem in ſtuprum & inceſtum prouocauit. Quo ſcelere agnito, poſt plenam filij inuentionem, ipſa ſe, & vir eius laqueo ſuſpendit. Et pro ſtipendio ſtupri, & inceſti Prefectus malè ſuperſtiti filio, parentum bona adiudicauit.* INTENTATIS. *Iacula torquetis. Litem moueis.* ETIAM NON SACRAMENTIS. *Sed ſacrilegiis & idolalatriæ ſuperſtitionibus. Nos enim Deo vero, vos idolis, & mortuis ſacrificatis.*

8. *Gentiles cæci, crimina ſua vera in ſe non videbant; ſed in fidelibus, in quibus non erant, eſſe credebant & ipſi rei innoxios accuſabant. Apol. cap. 9. in f.*

SI hæc in vobis eſſe conſideraretis, proinde in Chriſtianis non eſſe perſpiceretis. Iidem oculi renuntiaſſent vtrumque. ſed cæcitatis duæ ſpecies facilè concurrunt, vt qui non vident, quæ ſunt, & videre videantur, quæ non ſunt.

9. *Et Apol. cap. 4. in p.*

IAm de cauſa innocentiæ conſiſtam; nec tantùm refutabo quæ nobis obiiciuntur, ſed etiam in ipſos retorquebo qui obiiciunt; vt ex hoc quoque ſciant omnes, in Chriſtianis non eſſe, quæ in ſe, non neſciunt eſſe; ſimul vtì erubeſcant accuſantes, non dico peſſimi optimos, ſed iam, vt volunt, compares ſuos. Reſpondebimus ad ſingula, quæ in occulto admittere dicimur, quæ palàm adinueniuntur, in quibus ſceleſti, in quibus vani, in quibus damnandi, in quibus irridendi deputamur. *Et lib. 1. ad Nat. cap. 20.*

GENTILIVM PROBRA. VIII. ET IX. SCHOL.

SI HÆC. *Crimina, quæ vos de facto comminiſcimini.* C PRÆIBEDE. *Sicut vere vos reos, ſic nos alia ex parte innocentes eſſe cognoſceretis.* CÆCITATIS DVÆ SPECIES. *A Chriſto etiam in Phariſæis notata.* Feſtucam in oculo fratris videntibus, trabem in oculo ſuo non conſiderantibus. *De ſe tantam cæcitatem amoueri poſcebat Pſaltes cum diceret, Pſal.* 118. Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum, *In quem locum Aug.* Ideo ſuum dixit opprobrium, quod de aliis ſuſpicatum eſt, quia & hoc quod Apoſtolus ait, 2. Cor. 10. comparantes ſemetipſos ſibimetipſis, non intelligunt: hoc enim procliuius homo ſuſpicatur in alio, quod ſentit in ſemetipſo. Hoc itaque opprobrium ſuum petebat auferri, quod in ſe ſenſerat, & in aliis fuerat D ſuſpicatus.

Auguſt.

9. CONSISTAM. *Siue vt miles in gradu firmus, ſiue vt patronus cauſam ſuſcipiens innocentiæ Chriſtianorum.* RETORQVEBO. *Vt illos eorundem criminum reos probem, quæ in Chriſtianos iactant, Pſal.* 63. Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum. *In quem locum Aug.* Noſtis quemadmodum ſibi faciunt de cannis ſagittas infantes. Quid feriunt, aut vnde feriunt? quæ manus, aut quod telum? quæ arma, aut quæ membra? *Feriunt rupem, Chriſti ſponſam Eccleſiam Gentiles*, Pueri ſenſibus, non malitia, *Calumnias torquent, in ſeipſos retorquendas. Quibus ſic Paulus Rom. 2. 1.* In quo iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. VTI ERVBESCANT. *Sicut Chriſtus pudore ſuffudit Phariſæos, adulteram accuſantes, dum ait Ioannis 8. 7.* Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat, &c. Audientes autem, vnus poſt vnum exibant incipientes à ſeniori- bus. *In quem locum Aug tract. 33. in Io.* Videte quàm plenum ſit iuſtitia, plenum manſuetudine, & veritate: qui ſine peccato eſt, &c. O reſponſio ſapientiæ! Quomodo eos intromiſit in ſe? fortè enim calumniabantur, *Chriſto ſcilicet, quaſi legis deſtructori.* Seipſos intrinſecus non perſcrutabantur. Adulteram videbant, ſe non perſpiciebant.

5 Auguſt.

S. Auguſt.

Digitized by Google

Prævaricatores legis, legem impleri cupiebant, & hoc calumniando: Non verè, tanquam adulteram, castitate damnando, &c. Impleatur lex, lapidetur adultera, sed numquid in illâ puniendâ, lex implenda est *Lapidando reum* à puniendis? consideret se vnusquisque vestrum, intret in semetipsum, ascendat tribunal mentis suæ, constituat se ante conscientiam suam, cogat se confiteri. Scit enim qui sit, quia nemo scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Vnusquisque in se intendens, peccatorem se inuenit; ita planè. Ergo aut istam dimittite, aut simul cum illa pœnam legis excipite, &c. Qui sine peccato est, &c. Hæc vox iustitiæ est; puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus: impleatur lex, sed B non à prævaricatoribus legis. Hæc vox omnino iustitiæ est, quâ iustitiâ illi tanquam trabali telo percussi, *Trabem habentes in oculo* sese inspicientes & reos inuenientes, vnus post vnum, omnes recesserunt. *Et recedant Gentiles similiter percussi sagitta parunlorum in sensu, sed adulterum malitia, & adulterorum, & incestorum, & crudelium criminibus conuicti.* PALAM ADINVENIVNTVR. *Apertè ficta & inuenta contra nos esse commincuntur. Vel qua apertè & manifestè committere Gentiles arguuntur.* SCELESTI. *In Infanticidio & incestu.* VANI. *Stulti in cultu hominis crucifixi, pro Deo habiti.* Prædicamus Iesum Christum crucifixum, Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam. DAMNANDI. *Vt læsæ maiestatis rei, & Imperatorum legibus, & religioni aduersarij.* DEPVTAMVR. *In spectaculum destinamur irrisionis. Psal. 43. 14.* Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his qui sunt in circuitu nostro.

Et lib. 1. ad Nat. cap. 20. VESTROS. *Vobis similes in criminibus.* NON ODISTIS. *Si vos ipsos diligitis, cur nos vobis similes & proximos odistis.* TERTIVM GENVS. *Vel alludit ad predicta de Cynopennis, Sciapodibus, Antipodibus: vel carpit Gentiles Hermaphroditas; quod tertium est genus, nec mas, nec fœmina, vtrique libidini exercendæ aptius. Vel Eunuchos, fœminas nobiles, & viros stipantes. Vnde teste Lampridio, Alexander Seuerus dicebat Eunuchos esse tertium genus hominum, nec videndum nec in vsu habendum à viris, sed nec à fœminis nobilibus.* COLLEGIO. *Societate, similitudine, qua vestri collega sumus paribus moribus. Æmulatio enim oritur inter similes.* IAM DE FINE. *Propter eumdem finem. Quasi dicerent: dicetis forte, nos heroas vestros, & viros fortes imitari, & eodem vanæ gloriæ fine, in confessione fidei nostræ, cum simulatione & hypocrisi, pro veritate certare, & constanter pro ea qualibet tormenta pati: horrenda insuper crimina, imponuntur nobis; & satis est ea nobis per calumniam inferri, vt credantur absque testibus, probationibus, inquisitionibus: cùm in aliis omnibus reis hac forma iuris obseruetur. Præsumitis enim satis vobis esse, ad instructionem, detectionem, conuictionem criminum nostrorum, & ad consilium vestrum iudiciumque dirigendum, quòd ethnici, aduersæ partes nostræ, talia crimina perpetrent. Contra quos Paulus: Rom. 2. 1.* Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas. *D. Thomas in hoc loco:* Est, inquit, triplex iudicium: vnum quidem iustum, quod fit secundùm regulam iustitiæ. Sap. 1. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Aliud est iudicium non iustum, quod scilicet fit contra regulam iustitiæ. Sap. 6 Cùm essetis ministri regni eius, non rectè iudicastis. Est autem tertium iudicium temerarium, contra quod dicitur Eccle. 5. Ne temerè quid loquaris. Quod quidem dupliciter committitur; vno modo, quando aliquis procedit absque debita veritatis cognitione. Contra id quod dicit Iob 29. Causam quam ignorabam, diligentissimè inuestigabam. Alio modo quando aliquis vsurpat sibi iudicium de occultis, de quibus solus Deus iudicare habet 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare, &c. Est autem aliquid occultum non solùm quoad nos, sed secundùm sui naturam, ad solam Dei cognitionem pertinens quidem: primò, cogitatio cordis Ierem. 17. Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, probans renes. Secundò contingens futurum Esa. 51. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & dicemus quia dij estis vos. Et ideò, sicut dicit Aug. de Ser. Do. in monte lib. 2. c. 18. duo sunt, in quibus iudicium temerarium cauere debemus, cùm incertum est, quo animo quidque factum fuerit; vel cùm incertum est, qualis quisque futurus est, qui nunc vel bonus, vel malus apparet, &c. Primum ergo iudicium non est condemnationis causa, sed secundum & tertium, &c. Excludit aliam excusationis causam, scilicet innocentiam. Tu qui iudicas alios, teipsum condemnas, quia tu agis; & ita videtur quòd contra conscientiam agis. Matth. 7. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non consideras, &c. Et Augustinus dicit lib. 2. de Sermone Domini in monte c. 30. Primùm cogitemus cùm aliquem reprehendere necessitas nos cogit, vtrum sit tale vitium quod numquam habuimus: & tunc cogitemus nos habere potuisse: vel tale quod habuimus, & iam non habemus: & tunc tangat memoriam fragilitas communis, vt illam correctionem non odium, sed misericordia præcedat: si autem inuenimus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus, sed congemiscamus, & ad pariter conandum inuitemus. VESTRA DENIQVE. *Leges vestræ & sancita iubent produci testes, & vtramque partem audiri.* NATVRÆ VITIO. *Naturam corruptam sequimini.* IN EXTRANEOS. *Ab alienis à vestro genere continentis, & consanguinitis non parcitis.* EXERTIORES FORIS. *Circa iudicium exterorum, id est Christianorum, solutiores estis in legum formis, & circa Gentiles domesticos vestros, subiectis estis legibus.* DISCITE. *diligenter inquirite.* NON NOVERITIS. *Inquirere negligatis.*

August.

10. *Gentilium feritas in sanguinis & humanæ carnis esu, & expositione eiusdem bestiis, longè dispar à mansuetudine Christiana, etiam animalium sanguinem auersante. Apol. cap. 9. in m.*

DE sanguinis pabulo, & eiusmodi tragicis ferculis, legite, necubi relatum sit (est apud Herodotum, opinor) defusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum nationes quasdam federi comparasse. Nescio quid & sub Catilina tale degustatum est. aiunt & apud quosdam gentiles Scytharum, defunctum quemque à suis comedi. Longè excutro. Hodie

illic Bellonæ ſacratos, ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus, eſui datus, ſignat. item illi, qui munere, in arena noxiorum iugulatorum ſanguinem recentem auida ſiti comitiali morbo medentes auferunt, vbi ſunt? item illi, qui de arena ferinis obſoniis cœnant? qui de apro, qui de ceruo petunt? Aper ille quem cruentauit, colluctando deterſit. ceruus ille in gladiatoris ſanguine jacuit. ipſorum vrſorum aluei appetuntur, cruditantes adhuc de viſceribus humanis. tuctatur proinde ab homine caro paſta de homine. Hæc qui editis, quantùm abeſtis à conuiuiis Chriſtianorum? Minus autem & illi faciunt qui libidine fera humanis membris inhiant, quia viuos vorant? minus humano ſanguine ad ſpurcitiam conſecrantur, quia futurum ſanguinem lambunt? non edunt infantes planè, ſed magis puberes: Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus; qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur vel intra viſcera ſepulto. denique inter tentamenta Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos admouetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porrò quale eſt, vt quos ſanguinem pecoris horrere confidatis, humano inhiare credatis? niſi fortè ſuauiorem eum experti. quem quidem, & ipſum proinde examinatorem Chriſtianorum, adhiberi vt foculum, vt acerram, oportebat. Proinde enim probarentur ſanguinem humanum appetendo, quemadmodum ſacrificium reſpuendo: alioquin necandi, ſi guſtaſſent, quemadmodum ſi non immolaſſent. & vtique non deeſſet vobis in auditione cuſtodiarum & damnatione ſanguis humanus.

GENTILIVM PROBRA. X. SCHOLIA.

DE SANGVINIS PABVLO. *Iam retorquet in Gentiles, quod falsò torquerant in Chriſtianos: nempè eos infantis crudeliter occiſi manducare carnem, & ſanguinem bibere* NECVBI RELATVM, *&c. Videte ſi fortè apud Herodotum id referatur, legi quidem, ſed non abſolutè affirmo apud Herodotum, ſed alicubi legi. De facto non reperitur apud Herodotum, ſed multi alij referunt, plures nationes mutuò ex brachiis educto ſanguine, guſtatoque, inuicem fœdera innxiſſe.* FOEDERI COMPARASSE. *Ad fœdus ineundum, aptaſſe. Sic Valerius lib. 9. refert de Sariaſtre contra patrem ſuum Tigranem Armeniæ Regem, cum amicis conſpiraſſe, dextris manibus educto, & poto ſanguine. Sic Toxaris apud Lucianum. Sic Tacitus lib. 12. Annal. ait morem hunc fuiſſe Regibus, è pollice ducto ſanguine fœdera contrahere.* Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſeratum. Et *Melalib. 2. cap. 1.* Nec fœdera quidem incruenta ſunt, ſauciant ſe qui paciſcuntur, exemptumque ſanguinem vbi permiſcuere, deguſtant. Id putant manſuræ fidei pignus certiſſimum. *Nec Chriſtus ipſe noui fœderis & teſtamenti mediator, ſine ſuo ſanguine ſanciuit illud, vnde & in conſecratione calicis, inuiolabilis fidei myſterium voluit eſſe, dum ſuum nobis bibendum dedit, & magno myſterio. Prouerb. 9. vbi verſio communis habet;* Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum. *Alij legunt cum Tertull.* Iugulauit filios ſuos: *Id eſt martyres, à quibus, pro ſanguine, ſanguinem exegit: quo alluſit Auguſtinus, dum ait:* Exigitur de manducante quod manducat. *Vnde Paulus quibuſdam exprobrat:* Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis. *De fœdere in ſanguine Chriſti: ſic Zacharias:* Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua. *In quem locum. Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 35.* Alio loco ad ipſum Chriſtum in ſpiritu prophetiæ loquens, de remiſſione peccatorum per eius ſanguinem: tu quoque, *inquit*, in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua. Quid per hunc lacum velit intelligi, poſſunt diuerſa ſentiri, etiam ſecundùm rectam fidem. Mihi tamen videtur non eo ſignificari melius, niſi humanæ miſeriæ ſiccam profunditatem quodammodo, & ſterilem. vbi non ſunt fluenta iuſtitiæ, ſed iniquitatis lutum. De hoc quippè lacu etiam in pſalmo dicitur: Et eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto limi. *Pulcro autem conſexu ſubiecit Zachariæ, Malachiam alibi relatum à nobis*: In omni loco ſacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda. *Quod ſtatim Auguſtinus de ſacrificio incruento explicauit; cui & nos ſanguinem cordis, id eſt ex Aug. alibi relato, lacrymas pro ſacrificio rependere debemus. Vnde ſicut in Calice miſcetur aqua vino, ſic lacryma id eſt, ſanguis cordis miſcendus Chriſti ſanguini in Sacrificio & pacto incruento, quo Chriſtus mixto mirificè delectatur. Sic enim in calice collectas peccatorum lacrymas dixit S. Birgitta, ſe poculum habere ſuauiſſimum. Aduerte teſtamentum ſumi non ſolùm pro diſpoſitione hereditatis, ſed & pro fœdere & pacto. Vtrumque autem nobis in Chriſti ſanguine ſancitum eſt, teſtamentum pacis, ſimul & hereditatis. Patrem enim pacauit hoc ſanguine, quo & hereditatem, non terra promiſſe, ſed gloriæ confirmauit.* Cibabo te hæreditate Iſraël Patris tui. Frumento & vino ſtabiliui eum. Tu es pars hæreditatis meæ & calicis mei. *Hinc Auguſtinus*: Portio calicis mei Dominus æternus eſt. *Et quæ alia portio, & pars palli? Et Dei hereditas?* Tu es pars mea, & hæreditas mea, Iſraël. *Aug. in lib. 83. quæſt.* Cùm dicimus, mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo; poſſidet nos Chriſtus, mortuo illo qui nos poſſidebat, cùm ei renuntiamus, morimurque illi & ipſe nobis. *De ſanguine Teſtamentò ſæpiùs Paulus ad Hebræos, maximè cap. 9. 7.* Semel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine, &c. *Et verſu 11. & 12.* Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, &c. neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta, &c. Et ideo noui Teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis. *Tranſlat. Syr.* Vt per mortem ſuam fieret redemptio iis qui tranſgreſſi fuerant teſtamentum primum, vt illi promiſſionem conſequantur, qui vocati ſunt ad hæreditatem æternam: SVB CATILINA. *Videndus Florus & Saluſtius. De quo ſic breuiter Minutius Felix, cum de Saturno loqueretur.* Ipſum credo docuiſſe, ſangui-

Auguſt. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

Digitized by Google

nis fœdere coniurare Catilinam. SCYTHARVM. *Vide Plin. libro 7 cap. 2. Petronium, Lucianum, & Sidonium.* BELLONÆ. *Dea belli, qui se dedicant, sanguine de femore edu&to, & palma manus, vel Parmula, vt legunt alij. Id est vase ad formam parmæ, id est clypeoli, fa&to excepto, consecrantur, quem etiam hauriunt. Vide Minutium, Lactantium, Lampridium.* MVNERE. *Munus intelligit, gladiatorum, paria, quasi in munus & leuamen tadij, & laboris, exhibita populo.* NOXIORVM. *Reorum.* IVGVLATORVM. *Alij* Rigulatorum, vel riculatorum *Quod retro agerentur riculo, id est strophio, vel linteo, quo & vulnera obligabant.* COMITIALI MORBO. *Ita & Minutius, Scribonius Largus cap. 12. de remediis huius morbi. Plin. lib. 28. cap. 1.* Sanguinem gladiatorum bibunt, vt viuentibus poculis, comitiales morbi: quod spectare facientes in eadem arena feras quoque, horror est. At herculè, illi ex homine ipso sorberi efficacissimum putant caldum spirantemque, & vnà ipsam animam ex oculo vulnerum; cùm plagis ne feratum quidem, admoueri ora fas sit humana. Alij medullas crurum quærunt, & cerebrum infantium *Nos non cruentè, vt calumniabantur Gentiles, sed incruentè.* Non in fermento malitiæ, sed in Azymis sinceritatis & veritatis, *Christum, agnum anniculum, cum capite, pedibus, intestinis, sanguine, innocenter ad omnes animi & corporis morbos curandos accipimus.* FERINIS OBSONIIS. *De feris in arena, vel ab ipsis inuicem feris, vel gladiatoribus occisis, escas sumunt. Qua fera toties humanum sanguinem & carnem vorarunt.* PETVNT? *Ob auiditatem quam habent humani sanguinis. Nam aper linguâ aterrit sanguinem eius quem luctando cruentauit.* IACVIT. *Alij.* Iactauit. ALVEI. *Alui adhuc cruda viscera hominum continentes. Alueos dicit quasi fluuij Nili, sanguinem puerorum Hebræorum absorbentis.* RVCTATVR. *Cùm ex plenitudine euomitur, vel ructus emittitur.* A CONVIVIIS. *Vel mystica Cœna agni, vel agapibus exhibitis pauperibus, vel modestis vsualibus cœnis.* LIBIDINE FERA. *Horrendam hic carpit libidinem, quam Martialis* Irrumationem, *vocat, qua vinum membrum virile ori inserunt. Taceo, quod horreo, quod in hereticis quibusdã notauit Augustinus de Eucharistia humano semine confecta.* IVVENVM SANGVINEM. *Qui inde in liberis gignendis produceretur.* NON EDVNT INFANTES. Quod nobis obiiciunt. SED PVBERES. *Dum virilia fugunt.* CHRISTIANIS, *prs, coram Christianis.* NE ANIMALIVM. *Respicit legem non tantùm veterem, sed & nouam, sanguinem, & suffocatum animal edere prohibentem. Gen. 9. 3. etiam ante legem Moysi,* Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, &c. excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. *Quod prohibuit primò, secundùm Chrysostomum, & Rupertum, vt homines à crudelitate & sanguinis humani effusione remoueret. Vnde statim subiecit Deus:* Quicumque effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius. *Secundò, quia cum Leuit. 17. 11. scriptum sit, vbi & comestio sanguinis prohibetur;* Quia anima carnis, in sanguine est. *Id est, ex Aug. q. 57. in Leuit. sicut oleum Augustalis ignem in lampade, sic sanguis alit vitam.* Et ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. *Adeò vt sibi soli seruet, vt authori vitæ, sanguinem offerendum pro vita peccatoris; vt notat Chrysost. & D. Thomas. Tertiò. Ex Ruperto, id prohibet cuiâ paternâ, pro conseruatione corporis, quia brutorum sanguis est terrestris, melancholicus, & causa morborum, si comedatur. Venit item ideo & esum morticinorum spontè mortuorum, vel suffocatorum, quòd sanguis ab eis non fuerit separatus. Qua lex renouata fuit ab Apostolis. Actor. 15. 29.* Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, benè agetis. *Quæ lex vsque ad Tertullianum, & Minutium, sed & Bedam etiam, & Rabanum perduranit. Nunc autem in farciminibus & botulis licitè sumitur.* INTRA VISCERA. *Animalium suffocatorum, vel botulorum sanguine distentorum, & plenorum.* INTER TENTAMENTA. *Dum eos tentatis aliquid facere contra legem: vt Antiochus tentabat per carnes porcinas, Eleazarum, & Machabæos.* PER QVOD EXORBITARE. *Aberrare à regula, & disciplina Christiana.* QVALE EST. *Quàm stultè creditis infantum sanguinem sitire, quos scitis abhorrere ab animalium sanguine; nisi forte eos vestrum appetitum imitari putatis, qui experientia nostis delicatiorem esse cæteris sanguinibus.* IPSVM EXAMINATOREM. *Vultis probare esu sanguinis, an sint Christiani, sicut aram ignitam & thuribulum adhibetis, vt eat ad idololatriam impellatis.* PROINDE PROBARENTVR. *Sicut,* inquit, *ex sanguinis humani appetitu, quasi notâ Gentilis propriâ, dignosceretur aliquis non esse Christianus, sed Gentilis; sic dignoscitur esse Christianus, dum sacrificare renuit, & oblatum poculum & acerram respuit.* ALIOQVIN NECANDI: *Deo in veteri lege statuente. Leuit. 17. 14. vbi de sanguinis esu prohibito.* Quicumque comederit illum, interibit. QVEMADMODVM. *A vobis scilicet occidendi, si non sacrificassent. Alij sic legunt.* Alioquin negandi, si non gustassent, quemadmodum si immolassent. *Vel sic alius sensus: sicut probarentur à vobis, id est laudarentur quasi Gentiles, appetendo vobiscum sanguinem humanum; aliàs negandi esse Gentiles; sic negandi erunt Christiani esse, si immolauerint.* NON DEBEBAT. *Ad hanc probationem faciendam ex sanguine, magnam haberetis copiam humani sanguinis propinandi, ex tot vinctis & reis Gentilibus, dum causas eorum auditis, & damnatis ad mortem.*

GENTILIVM LAVDABILIA.

1. *Gentilium præsides multi humanè tractarunt Christianos. Ad Scap. 4. à p.*

QVanti præsides, & constantiores & crudeliores, dissimulauerunt ab huiusmodi causis? vt Cincius Seuerus, qui Thysdri ipse dedit remedium, quomodo responderent Christiani, vt dimitti possent. vt Vespronius Candidus, qui Christianum, quasi tumultuosum ciuibus suis satisfacere, dimisit. vt Asper, qui modicè vexatum hominem, & statim dejectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter aduocatos & adsessores, dolere se incidisse in hanc causam. Pudens etiam missum ad se Christianum, in elogio concussione eius intellecta, dimisit, scisso eodem elogio, sine accusatore negans se auditurum hominem, secundùm mandatum.

GEN-

ed by Google

GENTILIVM LAVDABILIA. I. SCHOLIA.

PRÆSIDES. *Prefecti iustitiæ apud Gentiles.* CONSTANTIORES. *Ir flexibiliores ipso Scapula.* CAVSIS. *Christianorum, quos hoc solo nomine quòd Christiani essent, condemnare noluerunt.* CINEIVS. *Lamprid. in vita Commodi vocat eum Cingium. Thysdri, alij legunt* Thristri, Tyristri, vel Tiristi. *Ciuitas Europæ in Mysia inferiori, apud Ptolomæum, tabula. 9.* DEDIT REMEDIVM. *Quale illud fuerit non explicat. Vero simile, benigna aliqua interrogatione, aut excusatione declinabat causas, & iudicia Christianorum. Sicut Liuius testatur de Romano Consule.* Benigna interrogatione mitius responsum elicere conatus est. *Sicut & Suetonius de Augusto cap. 33.* Dixit ius, non diligentiâ modo summa, sed & lenitate; siquidem manifesti August. parricidij reum, ne culeo insueretur, quòd non nisi confessi afficiuntur hac pœna, ita fertur interrogasse: certè Patrem non occidisti? VESPRONIVS CANDIDVS. *Cognomento Verus, de quo vide Spartianum, Cassiodorum, & Lampridium.* QVASI TVMVLTVOSVM. *Sensus est: dimisit ille Christianum; quasi tumultuosum esset, suis ciuibus satisfacere. Non ergo intelligendum est, quòd Christianus ille suis ciuibus esset importunus; sed hanc sumpsit excusationem, dicens rem plenam tumultus, & valde onerosam sibi esse, satisfacere ciuibus suis.* ASPER. *Consul, Arionindi collega. Vnus fortè ex duobus qui post obitum Sueri Consules memorantur à Cassiodoro.* HOMINEM. *Christianum.* DEIECTVM. *Ab equuleo, in quo leuiter vexatus fuerat.* INTER ADVOCATOS. *Ex Brissonio & Asconio;* Aduocati dicebantur quicumque amico præsentiam suam commodabant; moris enim erat in iudiciis tum priuatis, tum publicis, amicos omnes aduocare, quorum authoritate moueri posse iudices putabantur. *Vlpianus in l. 1. §. Aduocatos ff. de Extraord. crimin. dicit aduocatos accipiendos esse omnes qui agendis causis, quoquo modo operantur. Differt tamen aduocatus à Patrono, quòd hic causam agat, quasi orator; ille in consilium aduocetur.* ASSESSORES. *Paulus in l. penultima consiliarios appellat. Es sunt Iurisperiti, qui ab iis qui iudicium exercent in consilio, publice constituto salario, adhibebantur. Quorum officium constabat in causis cognitionũ, postulationũ, libellorum, editorum, decretorum, epistolarum. l. 1. & passim de offic. Aff ff.* PVDENS. *Hunc Baronius to. 2. Annal. pag. 151. ait fuisse de nobili Rudentium familia. Consul fuit sub* Antonino, *& Vero, ex Cassiodoro.* IN ELOGIO. *Non hic significat, vt sumitur aliquando, testimonium & commendationem honestam; sed tabellam, in qua causa & crimen rei scriptum erat. Est ergo iuxta Modestinum l. 3. ff. de re militari;* Testificatio de inquisitione criminis alicuius rei, quæ ad Magistratum, siue Præsidem, mitti solet. Cum autem non omnes ex bona fide Elogia scriberent, qui cum elogio mittebantur obsignato ad Præsidem, ex integro audiendi erant. CONCVSSIONE INTELLECTA. *Id est violentia militum, qua iniustè extorserant vestem, aut pecuniam. Qua concussio in Elogio siue informatione scripta & obsignata erat. De more autem legum, huiusmodi concussores, aduersus reum accusatores esse non poterant, nec audiebantur à iudicibus: vt benè notat Vlpianus l. 1. ff. de concussione. Concussionis porro rei sunt, pœnaque legis Cornelia teneri inbentur, qui in accusationem innocentium coierint l. 2. de Concuss. Vnde non mirum si Pudens, vir prudens & æquus, iuxta legem & mandatum, concussores noluerit audire, Christianum accusantes. Hæc exẽpla Præsidum siue Consulum retulit Tertullianus aliàs constantium & crudelium, hoc est in reos alicuius criminis sæuientium; qui tamen in Christianos innocentes, ex ingenita humanitate, clementiam exercuerant; vt ad lenitatem flecteret Scapulam; nec feris ipsis suo generi & speciei parcentibus, nihilque nocentibus, crudelior esset. Quam in rem concinit Augustinus lib. 19. de Ciuit. c. 12. vbi cum de Tigride & Milvo scriberet, sic argumentatur.* S. Augst. Quantò magis homo fertur quodammodo naturæ suæ legibus, ad ineundam societatem, pacemque cum hominibus, quantum in ipso est, omnibus obtinendam, &c. Nullum quippè vitium ita contra naturam est, vt naturæ deleat etiam extrema vestigia.

2. Gentilium conuersio post Christi mortem impleta, vt predicta est. 3. Cont. Marc. cap. 20. à p. ad f. & cap. 21. in p. ad circa f.

AMplius nunc superstruimus ea quoque paria ex scripturis Creatoris, quæque post Christum futura præcinebantur. Nec enim dispositio expuncta inueniretur, si non ille veniisset, post quem habebat euenire. Adspice vniuersas nationes de voragine erroris humani, exinde emergentes ad Deum Creatorem, & ad Deum Christum; & si audes, nega prophetatum. Sed statim tibi in psalmis promissio Patris occurret, [a] *Filius meus es tu, ego hodie generaui te. Postula de me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ.* Nec poteris magis Dauid filium eum vendicare, quàm Christum; aut terminos terræ Dauid potius promissos, qui intra vnicam Iudæorum gentem regnauit, quàm Christo, qui totum iam orbem Euangelij sui fide cepit. Sic & per Esaïam, [b] *Ecce dedi te in dispositionem generis mei, in lucem nationum aperire oculos cæcorum;* Vtique errantium; *Exsoluere de vinculis vinctos;* Id est, de delictis liberare; *Et de cella carceris,* id est mortis; *Sedentes in tenebris,* Ignorantiæ scilicet. Quæ si per Christum eueniunt, non in alium erunt prophetata, quàm per quem eueniunt. Item alibi, [c] *Ecce testimonium cum nationibus posui, principem & imperantem nationibus. Nationes quæ te non sciunt, inuocabunt te, & populi confugient ad te.* Nec enim hæc in Dauid interpretaberis; quia præmisit, [d] *Et disponam vobis dispositionem æternam, religiosa & fidelia Dauid.* Atquin hinc magis Christum intelligere debebis ex Dauid deputatum carnali genere, ob Mariæ virginis censum. de hoc enim promisso iuratur in psalmo ad Dauid, [e] *Ex fructu ventris tui collocabo super thronum tuum.* Quis iste venter est? ipsius Dauid? vtique non. neque enim pariturus esset Dauid. sed nec vxoris eius:

[a] Psal. 2. 7.
[b] Esa. 42. 6. 7.
[c] Esa. 55. 4.
[d] Ibid. 3.
[e] Psal. 131. 11.

non enim dixisset, *Ex fructu ventris tui;* Sed potius, Ex fructu ventris vxoris tuæ. Ipsius ergo dicendo ventrem, superest vt aliquem de genere eius ostenderit, cuius ventris futurus esset fructus Caro Christi; quæ ex vtero Mariæ floruit. Ideòque & fructum ventris tantùm nominauit, vt proprié ventris; quasi solius ventris non etiam viri: & ipsum ventrem ad Dauid redegit; ad principem generis, & familiæ patrem. nam quia viro deputare non poterat virginis eum ventrem, patri deputauit. Ita, quæ in Christo noua dispositio inuenitur hodie, hæc erit quàm tunc Creator pollicebatur; e *Religiosa & fidelia Dauid* appellans, quæ erant
• Esa. 55. 3. Christi, quia Christus ex Dauid: immo ipsa erit caro ejus, religiosa & fidelia Dauid, iam sancta, religione; & fidelis, ex resurrectione. Nam & Nathan propheta in secundo Basiliarum, professionem ad Dauid facit f *Semini eius quod erit*, inquit, *ex ventre ipsius*. Hoc si in Salomonem simpliciter edisseres, risum mihi incuties. Videbitur enim Dauid peperisse Salomonem. An & hic Christus significatur, ex eo ventre semen Dauid, qui esset ex Dauid, id est Mariæ? Quin & ædem Dei magis Christus ædificaturus esset hominem scilicet sanctum, in quo potiore templo inhabitaret Dei spiritus, & in Dei filium magis Christus habendus esset, quàm Salomon filius Dauid. Deniq; & thronus in æuum, & regnum in æuum, magis Christo competit quàm Salomoni temporali scilicet regi. Sed & à Christo misericordia Dei non abscessit; Salomoni verò etiam ira Dei accessit post luxuriam & idololatriam ‖ *Suscitauit enim illi Satan hostem Idumæum*. Cum ergo nihil horum competat in Salo-
f 2. Reg. 7. 12.
g 3. Reg. 11. 9. monem, sed in Christum, certa erit ratio interpretationum nostrarum, ipso etiam exitu rerum probante, quas in Christum apparet prædicatas. & ita in hoc erunt h *sancta & fidelia Dauid*. Hunc Deus *testimonium nationibus posuit*, non Dauid: *principem & imperantem nationibus*, non Dauid, qui soli Israëli imperauit Christum hodie inuocant *Nationes, quæ eum non sciebant; & populi ad Christum hodie confugiunt, quem retro ignorabant*. Non potest futurum
h Supra Esa. 55. 3. & 4. dici, quod vides fieri. Sic nec illam iniectionem tuam potes sistere ad differentiam ductum
Cap. xxi. Christorum; quasi Iudaïcus quidem Christus populo soli ex dispersione redigendo destinetur à Creatore, vester verò omni humano generi liberando collatus sit à Deo optimo; quum postremò priores inueniantur Christiani Creatoris, quàm Marcionis; exinde vocatis omnibus populis in regno eius, ex quo i *Deus regnauit à ligno*, nullo adhuc Cerdone, ne-
i Psal. 95. 10. dum Marcione. Sed & reuictus de nationum vocatione conuertere jam in proselytos. Quæris qui de Nationibus transeant ad Creatorem, quando & proselyti diuersæ & propriæ conditionis seorsum à Propheta nominentur: k *Ecce*, inquit Esaïas, *proselyti per me accedent ad te*; ostendens ipsos quoque proselytos per Christum accessuros ad Deum. Et Nationes, quod sumus nos, proinde suam habebant nominationem, sperantes in Christum: l *Et in nomine*, inquit, *eius Nationes sperabunt*. Proselyti autem, quos in Nationum prædicatione
k Esa. 16. 4.
l Esa. 42. 4. substituis, non in Christi nomine sperare solent, sed in Moysi ordine, à quo institutio illorum est. Ceterùm allectio Nationum à nouissimis diebus exorta est. Iisdem verbis Esaïas, m *Et erit*, inquit *in nouissimis diebus manifestus mons Domini*; vtique sublimitas Dei: *& ædes Dei super summos montes*; vtique Christus, catholicum Dei templum, in quo Deus colitur, constitutum super omnes eminentias virtutum & potestatum. n *Et venient ad eum vniuersæ*
m Esa. 2. 2. n Ibid. 2. & 3. *Nationes; & ibunt multi, & dicent: Venite ascendamus in montem Domini, & in ædem Dei Iacob; & annuntiabit nobis viam suam, & incedemus in ea. Ex Sion enim exibit lex, & sermo Domini ex Hierusalem*. Hæc erit via sua, nouæ legis Euangelium, & noui sermonis, in Christo jam, non in Moyse. *Et iudicabit inter Nationes*; de errore scilicet earum. *Et reuincent populum amplum*, ipsorum in primis Iudæorum, & proselytorum. o *Et concident machæras suas*
o Esa. 2. 4. *in aratra, & sibynas in falces*, Id est, animorum nocentium, & linguarum infestarum, & omnis malitiæ atque blasphemiæ ingenia, conuertent in studia modestiæ & pacis. *Et non accipiet gens super gentem machæram:* Vtique discordiæ; *Et non discent amplius bellare*, Id est, inimicitias perficere; vt & hic discas Christum non bellipotentem, sed paciferum repromissum. Hæc aut prophetata nega, quum coràm videntur; aut adimpleta quum leguntur. Aut si non negas vtrumque, in eo erunt adimpleta, in quem sunt prophetata.

GENTILIVM LAVDABILIA. II. SCHOLIA.

SVPERSTRVIMVS. *Addimus iam dictis, quibus probauimus ex scripturis veteris testamenti, Christum paria, imò eadem gessisse quæ predicta erant in lege veteri; etiam illa quæ post Christi ascensum in cœlum, futura prædicebantur, impleta esse.* DISPOSITIO EXPVNCTA. *Impletus ordo Prophetiæ non cerneretur circa predicta, nisi Christus venisset; post cuius aduentum, & reditum in cœlum, debebat hæc dispositio euenire; scilicet per Apostolos, in omnem terram exeuntes, conuersio gentium.* ADSVICE. *Eadem ad verbum repetit, quæ habentur contra Iudæos c. 11. Locos hîc positos non repeto, vtpote alibi expositos.* EXINDE. *Post Christi ascensum ad Deû Creatoris fidem ex idololatria exeuntes.* FILIVM EVM. *Ibi nominatum.* IN ALIVM PROPHETATA. *De alio. Vsque huc habes contra Iudæos cap. 12* ITEM ALIBI. *Esa. 55. 4.* Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem Gentibus. Ecce gentem quam nesciebas vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current, propter

ed by Google

Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſraël, quia glorificauit te. 70. *ſic legunt*, Ecce teſtimonium in Gentibus dedi eum, &c. Gentes quæ neſciebant te, &c. Et populi qui ignorabant te, &c. IN DAVID. *De Dauid.* PRÆMISIT. *Verſu ſeil. tertio.* Audite, & viuet anima veſtra, & feriam vobiſcum, pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles. 70. Exaudite me, & viuet in bonis anima veſtra. Et conſtituam vobis teſtamentum æternum, Sancta Dauid fidelia. EX DAVID DEPVTATVM. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* OB MARIÆ CENSVM. *Originem ducam de Maria. Vide hac exponenda Verbo, Maria, 4.* NOVA DISPOSITIO. *Teſtamentum nouum* CARO EIVS. *Per verba Eſaiæ, in* Religioſis, *intelligitur religio & cultus carnis Chriſti ob vnionem Verbi adorandæ, vt alibi ex Auguſtino diximus,* Auguſt. Adorandum ſcabellum, carnem eius de terra virgine ſuſceptam. *Quam & Magi primitiæ gentium,* Adorauerunt pingues terræ. *De quarto ſum:* Coram illo procident Æthyopes, & inimici eius *prius, cùm eſſent idololatræ,* terram lingent. *Carnem lambent,* Auguſt. *oſculando pedes eius. Aug. in Pſal.* 71. Dominabitur à mari vſque ad mare, à quolibet fine terræ, ad quemlibet finem dominaturum dixit, cuius nomen & poteſtas toto orbe fuerat prædicanda, multúmque valitura, &c. Et à flumine, ſcilicet Iordane, vbi ſupra baptizatum Dominum cùm deſcenderet Spiritus ſanctus, ſonuit vox de cœlo, hic eſt filius meus dilectus. Hinc ergo doctrina C eius incipiens, & Magiſterij cœleſtis auctoritas, dilatatur vſque ad terminos orbis terræ, cùm prædicatur Euangelium regni in toto orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Coram illo decident Æthyopes, &c. Per Æthyopes, à parte totum, omnes gentes ſignificat, eam eligens gentem, quam potiſſimùm nominaret, quæ in finibus terræ eſt. Coram illo procident, dictum eſt, adorabunt eum, &c. Porrò ſchiſmata, per hominum nomina, ſe fuerant diuiſura; & homines amando, quibus auctoribus ſciſſa ſunt, gloriæ Chriſti quæ per omnes terras eſt, inimicatura, ideo cùm dixiſſet, coram illo decident Æthyopes; & inimici eius terram lingent: id eſt homines amabunt, *per quos ſcilicet tanquam auctores hinc inde* D *ſchiſmata diuidentur.* Vt inuideant Chriſti gloriæ, cui dictum eſt; exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua. Homo quippè audire meruit: terra es, & in terram ibis. Hanc terram lingendo, id eſt talium authoritate vaniloqua delectati, eos amando, & in ſuauiſſimos habendo, contradicunt diuinis eloquiis, quibus Catholica Eccleſia prænuntiata eſt, non in aliqua parte terrarum futura, ſicut quælibet ſchiſmata, ſed vniuerſo mundo fructificando atque creſcendo, vſque ad Æthyopes, extremos videlicet & teterrimos hominum peruentura. ET FIDELIS EX RESVRRECTIONE. *Non tantùm enim caro Chriſti ſancta & adoranda, religione & cultu latriæ ab omnibus gentibus; ſed &* fidelis *apparuit* In omnibus E verbis ſuis, ſicut ſanctus in omnibus operibus ſuis. *Vt enim promiſerat, tertia die reſurrexit.* BASILIARVM. *Regum 2. Reg. 7. 12.* Suſcitabo ſemen tuum poſtte, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum. 70. *verò*, Suſcitabo, &c. Qui erit ex ventre tuo, & parabo regnum eius, &c. Et erigam thronum eius vſque in ſæculum. IN SALOMONEM. *De Salomone.* HOMINEM SANCTVM. *Sanctam Chriſti humanitatem intelligit, de qua Prouer. 9.* Sapientia ædificauit ſibi domum. DEI SPIRITVS. *Idiomate Auctoris, intelligitur Dei Verbum. De cuius humanitate Paulus:* In quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter THRONVS IN ÆVVM. *Aug in Pſal. 44.* Erat ſedes regni populi Iudaici S. Auguſt. temporalis, pertinens ad eos qui ſub lege erant. Venit ille vt liberaret eos qui ſub lege erant, & ſub gratia conſtitueret. Sedes eius in ſæculum ſæculi. O æternitatis diuinitas! Non enim poſſet Deus ſedem habere temporalem. SATAN HOSTEM IDVMÆVM 3. *Reg. 11. 9.* Iratus eſt Dominus Salomoni, quòd auerſa eſſet mens eius à Domino Deo Iſraël, qui apparuerat ei ſecundò, &c. *Et verſu 14.* Suſcitauit autem Dominus aduerſarium Salomoni Adad Idumæum. de ſemine Regio, B qui erat in Edom. 70. *verò*, Et ſuſcitauit Dominus Satan Salomoni Ader, &c. IN SALOMONEM. *Salomoni.* PRÆDICATAS. *Prophetatas.* INIECTIONEM TVAM. *Quâ ſcilicet iniicit pranam interpretationem ſuam Marcion, volens Deum Creatorem, vtpote ſuo Deo optimo inferiorem, & minus bonum, ſoli populo Iudæo colligendo ex diſperſione miſiſſe Chriſtum ſuum. Cùm Deus Marcionis ſuum Chriſtum miſerit ad liberandum omne genus humanum.* CVM POSTREMÒ. *Quid tandem dicet Marcion, cùm Chriſtiani Dei noſtri Creatoris, à Chriſto vtique ſic dicti, longè præceſſerint ætate Chriſtianos Marcionis; cùm non iam Marcion, ſed nec Cerdon ipſe Marcionis magiſter exiſteret.* EXINDE. *Ab ipſo tempore mortis Chriſti, ſtatim atque regnauit à ligno, vbi voce magnâ clamauit, vt extremos terra Gentiles vocaret ad fidem, & regno ſuo id eſt Eccleſiæ aggregaret, Paulo atteſtante,* Cum clamore valido & lacrymis, exauditus eſt, pro ſua reuerentia. *Quod apertè Pſaltes declarauit vbi Pſalmo 95. 10. in eodem verſu iunxit, ſic legente Auguſtino cum Tertulliano,* Commouebitur à S. Auguſt. facie eius vniuerſa terra: dicite in gentibus, *Nationibus,* Quia Dominus regnauit à ligno. IN PROSELYTOS. *Aduenas.* ECCE PROSELYTI. *Eſa. 16. 4.* Habitabunt apud te profugi mei. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* Expulſi mei. 70. Accolent tibi profugi Moab. *Omnem quem potui librum conſului, nullibi ſic ſcriptum reperi. Sed ſufficit quòd profugi, & accolæ, id eſt aduenæ Moabitæ Gentiles fuerint, qui per Chriſtum, ad Deum Creatorem fuerint conuerſi, id eſt, per Apoſtolos Chriſti. Vnde paulò ſupra ſic induxit Marcionem interrogantem:* QVÆRIS QVI DE NATIONIBVS. *Interrogas, Marcion, & quaſi ignarus petis, qui inter Gentiles ad fidem Creatoris tranſeant; cùm Moabitæ propriè & diuerſæ conditionis ab aliis gentibus, & populi nomine diſtincti à Iudæorum Proſelytis, qui & ſuos habebant aduenas, ab Eſaiæ nominentur.* ET NATIONIS. *Gentiles in genere nominati ſunt apud eundem Eſaiam cap. 42. 1.* Dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium Gentibus proferet. *Et verſu 4.* Legem eius inſulæ expectabunt. 70. *verò*, In nomine eius Gentes ſperabunt. NATIONVM PRÆDICATIONE. *In prophetia de Gentilibus ſcripta, Marcion pro Gentilibus proſelytos voluit intelligere Iudæorum, qui tantùm ab eſt vt in Chriſti nomine ſperare ſoleant, quin potiùs hæreant veteri teſtamento & Moyſi à quo inſtituti ſunt. De quibus ipſe Tertull. lib. contra Iudæos cap. 1.* Diſputatio habita eſt Chriſtiano, & Proſelyto Iudæo, &c. Occaſio quidem defendendi etiam Gentibus ſibi diuinam gratiam, habuit hinc prærogatiuam, quòd ſibi vindicare Dei legem inſtituerit homo ex Gentibus, nec de proſapia Iſraëlitûm Iudæus. *Proſelytus igitur apud Iudæos erat, qui ex Gentibus ad legem Iudaïcam tranſierat, de quo proſelyto, intellige illud Exo. 12. 19. vbi de agno Paſchali:* Qui comede-

tic fermentatũ penetrabit anima eius de cœtu Israël, A raun de aduenis, quàm de indigenis terræ. *Indigena sunt inde geniti, id est ex Iudæa. Aduena autem siue Proselyti, qui ex Gentilitate ad legem Iudæorum conuersi erant. Vtramque Proselytorum speciem agnouit Augustinus; de Iudæis quidem lib. 18. de Ciuit. cap.* S. Augst. 47. Quisquis proselytus, alienigena id est, non ex Israël progenitus aduena populi Israël. *Et to. 6. lib.* S. Augst. *contra Adimantum Manich. discipulum cap. 16.* Peruersitatibus suis faciebant, vt cùm aliquis Gentilis ad legem eorum transisset, id est, factus esset Proselytus, haberet mores eorum, & fieret filius gehennæ multò plùs, quàm ipsi essent. Dabant enim magnam operam, vt Iudæus fieret aliquis ex Gentibus, & Iudæum factum, cogebant suos mores pessimos imitari. *A quo sic ipse dehortatur, to. 4.* B *lib. de fide & operibus, cap. 26. fidem & opera exigens.* S. Augst. Nec sic faciamus Christianos, quomodo Iudæi proselytos; quibus Dominus ait Math. 23 15. Væ vobis Scribæ & Pharisæi qui circuitis mare & terram, facere vnum proselytum: cùm autem feceritis, facitis eum filium gehennæ duplò quàm vos estis. *Quia peccatis Gentilium, addebant preuaricationem Iudæorum.* Sed potiùs sanam doctrinam Dei Magistri in vtroque teneamus: Et sancto Baptismo, consona sit vita Christiana; nec cuiquam homini, si vtrumlibet defuerit, vita promittatur æterna. *De proselytis autem ex Gentibus sic in Psal.* 145 *vbi pro aduenis sic legit*: Dominus custodit proS. Augst. selytos: proselyti, aduenæ sunt. Omnis Ecclesia Gentium proselyta est; aduentitia enim est ad Patres, non de carne eorum nata, sed imitando filia. C Dominus tamen custodit, non aliquis homo. Orphanum & viduam suscipiet, &c. Secundum quendam modum omnes pupilli sumus, absente Patre, non mortuo, pupillus enim, secundùm homines, mortuo patre fit, &c. Omnia integra sunt Creatori: tamen nos quandiu sumus in corpore hoc, & peregrinationis locum incolimus, absens est pater noster, ad quem clamamus, Pater noster qui es in cœlis. Ideo Ecclesia vidua, quasi absente sponso, absente viro. Veniet ille qui illam modo protegit non visus, sed desideratus. Magno enim desiderio rapimur, & amore eius quem non videmus, desideramus. Inhærebimus amplexibus, visis, si nondum visis fide detinemur. ET SYBINAS. *Esa. 2.* D 4. Conflabunt gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces. *Tertull. retinuit vocem græcam telum, vel lanceam significantem.* ALLECTIO. *Vocatio, electio Gentilium.* CATHOLICVM TEMPLVM. *Christum & Ecclesiam vniuersalem, toto orbe diffusam. Hunc locum præter præscriptos, Verbo,* Christi Elogia *32. Rursum exponit S. P. Aug. in Psal. 45. in verba*, Venite & videte opera Domini. *Catholicum montem, siue Christum, siue Ecclesiam, totum orbem occupantem notat, & templum Catholicum, in quo vbique Deus adoratur & colitur.* Animaduerte, *inquit*, orbem terrarum, veni & vide. Si enim non venis, non vides: si non vides, non credis: si non credis, longè stas. Si credis, venis; si credis, vides. Quomodo enim venitur ad montem istum? Numquid pedibus? numquid nauibus? *Quoniam & per præ-*

dicationem, & fidem montium, id est Apostolorum, translatus est mons Christus in cor maris, ad quem veniatur nauibus: Numquid pennis? Numquid equis? Augst. quantùm ad locorum spatia, ne satagas, ne conturbetis. Ipse ad te venit. Etenim ex lapide paruo creuit, & factus est mons magnus, ita vt impleret vniuersam faciem terræ. Dan. 2. Quid vis ergo ad eum per terras venire, qui terras implet? Ecce iam venit, euigila credendo. Euigilantes pulsat, si tamen in eis non tantus somnus est, quo etiam contra montem venientem obdurescant; sed audiant, Ephes. 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Debinc ad mentem Tertulliani, Gentiles ad montem venientes, humili fide, & Iudæos offendentes inducit*, Multum, *inquit*, erat B Iudæis. *Id est difficile ob tumorem, & inuidiam*, vi- Augst. dere lapidem. Lapis enim ille adhuc paruus erit. Meritò & paruum contempserunt, contemnendo offenderunt, & offendendo quassati sunt: restat vt & conterantur. Hoc enim de lapide illo dictum est, qui offenderit in lapidem illum, conquassabit eum: super quem venerit conteret eum. Luc. 20. 18. &c. Sed neminem conterit excelsus veniens, nisi quem conquassauerit humilis iacens, &c. Non est mirum si Iudæi non agnouerunt, quem tanquam paruulum lapidem, ante pedes suos iacentem contempserunt: illi mirandi sunt, qui adhuc tam magnum montem nolunt agnoscere. Iudæi in lapidem paruum, non videndo, offenderunt: Hæretici in montem offendunt. Iam enim creuit ille lapis, iam dicimus illis, ecce impleta est prophetia Danielis. Lapis ille qui erat paruulus, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. *Quem occupat Catholicum Dei templum*, Quare in illum offenditis, & non in illum ascenditis? quis tam cæcus est, vt offendat ad montem? quasi ideo ad te venerit vt habeas in quem offendas, & non habeas in quem ascendas? Venite ascendamus in montem Domini. Esaïas hoc dicit, cap. 2. venite ascendamus. Quid est, venite ascendamus? venite, & credite. Ascendamus, hoc est proficiamus. Isti autem nec venire volunt, nec ascendere, nec credere, nec proficere. Latrant contra montem, iam in illum toties offendendo, quassati sunt, & nolunt ascendere, semper eligentes offendere. Dicamus illis; venite & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram. Sed Iudæis & hæreticis in monte offendentibus, & à lapide diuisis angulari, manet tamen immotum in gentibus templum. PROSELYTORVM. *Qui legem Moysi amplexati sunt.* NON BELLIPOTENTEM. *Qualem reprobat Marcion Christum nostrum, filium Domini Sabaoth.* CORAM. *Apertè fieri cernitur.* VTRVMQVE. *Scilicet prophetata & impleta. Aug.* Augst. *in Psal. 71.* Reges Tharsis & insulæ, &c. Omnes S. Augst. gentes seruient ei. Hoc iam non expositorem, sed contemplatorem desiderat; imò non solum lætantium fidelium, sed etiam infidelium gementium, *vel contritione conuersorum, vel dolore suorum, idololatriam deserentium*, infertur aspectibus. *Et hæc præclarè de Gentilium conuersione dicta sufficiant.*

3. *Gentilis in Naaman leprosus, à septem peccatis per Christum ablutus. 4. cent. Marc. cap. 9. à p.*

Luc. 4. 27. 4. Reg. 5. 10. Luc. 5. 12. SI Helisæus propheta Creatoris vnicum leprosum Naaman Syrum, ex tot leprosis Israëlitis, emundauit, nec hoc ad diuersitatem facit Christi; quasi hoc modo melioris, dum Israëlitem leprosum emundauit extraneus, quem suus Dominus emundare non valuerat; Syro facilius emundato significato per Nationes emundationis in Christo lumine, earum, quæ septem maculis capitalium delictorum inhorrerent idololatria, blasphe-

mia, homicidio, adulterio, ſtupro, falſo teſtimonio, fraude Quapropter ſepties quaſi per ſingulos titulos in Iordane lauit: ſimul & vt totius hebdomadis caneret expiationem, quia vnius lauacri vis & plenitudo Chriſto ſoli dicabatur, facturo in tertis, ſicut ſermonem compendiatum, ita & lauacrum.

GENTILIVM LAVDABILIA. IIII. SCHOLIA.

EX TOT LEPROSIS. *duo hic tangit. Primò hiſtoriam Naaman Syri lepreſi fusè deſcriptam 4. Regum 5. & à Chriſto perſtrictam Luc. 4. 27.* Multi leproſi erāt in Iſrael ſub Heliſæo Propheta: & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus. AD DIVERSITATEM CHRISTI. *Et ſi, inquit, Eliſæus Propheta Dei Creatoris nullum Iſraëlitam ad eundem Creatorem pertinentem à lepra mundauerit, & Chriſtus ſi? Iudeis exprobrauerit, nihil tamen fecit hoc pro Marcione duos Chriſtos introducente, vnum malum, filium Creatoris, qui nec ſuos quidem à lepra mundare voluerit; alterum filium Dei ſui boni & optimi, qui licet extraneus à Gente Iudæa, leproſos tamen Iſraëlitas curare non eſt dedignatus beneficiens etiam populo Dei Creatoris aduerſarij ſui, imo & ſine acceptione perſonarum, cùm & inter decem leproſos quos ſemel & ſimul mundauit, fuerit vnus alienigena & Samaritanus.* ISRAELITEM LEPROSVM. *Reſpicit miraculum relatum Luc. 5. 12.* Cùm eſſet in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Ieſum, & procidens in faciem rogauit eum dicens; Domine ſi vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo: mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab eo. *Ex quibus Marcion inferre voluit Chriſtum Dei ſui meliorem Creatore, cuius Propheta nullum leproſum Iſraëlitam curare voluit, aut potuit. ſed ſtultè id colligit. Primò quia ſtatim Chriſtus ipſe ſe filium Creatoris probauit, dum ſubiecit verſu 14.* Vade oſtende te Sacerdoti, & offer pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes in teſtimonium illis: *Quod teſtimonium? me ſcilicet non eſſe deſtructorem legis & Prophetarum. Secundò, quia cùm Chriſtus illis exprobrauit exemplum Eliſæi, docuit apertè ſe vetus teſtamentum approbare. Deinde contra Marcionem item, ſe non è cœlo lapſum, ſed è Galilea ortum: priùs enim eodem Luca cap. 4. 22 ſcriptum eſt:* omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant: Nonne hic eſt filius Ioſeph? & ait illis: vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura teipſum: *compatriotas tuos,* quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. *Syr. in ciuitate tua, ſi licet Nazareth, de qua verſu 16. & venit Nazareth vbi erat nutritus.* Amen dico vobis quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. *Quod deinde probat exemplis Heliæ, & Heliſæi; quorū vnus ad Sareptanam viduam, alter ad Naaman Syrum miſſus eſt. Non ergo hinc diuerſus Chriſtus probari poteſt, ſed vnus & idem. Quid ergo ex his conficitur? Iudeis reprobatis, Gentiles electos, & gratiâ baptiſmi Gentiles à Chriſto vero lumine illuſtratos, & à ſeptem maculis lepra peccati purgatos. Porro, cùm peccatum ſit prævaricatio legis, quæ Decalogo continetur, & numerus ſeptenarius, ſit numerus vniuerſitatis: Draco autem ſepticeps, in Apocalypſi, cornua decem habeat; quibus ſcilicet Deum petit, & proximum, generalitas peccatorum: ſepties lotus in Iordane Naaman Gentilis, titulos, elogia, & nomina, ſine debita omnium peccatorum in baptiſmo deponit & ſoluit Gentilis baptizatus: Nam Spiritus ſanctus cum ſeptiformi gratia deſcendit in Chriſtum in Iordane lotum, qui in Cruce pendens, ab Eſaia* viſus erat tamquam leproſus, *aquâ & ſanguine omnem peccati lepram abſterſurus. Sic igitur impletum eſt illud Pſalmi:* Contribulaſti capita draconum in aquis: IDOLOLATRIA, BLASPHEMIA, *&c. Eligit precipua capita decalogo aduerſaria. Idololatria enim primo mandato, & vnius Dei cultui repugnat; blaſphemia ſanctificationi nominis Dei Reliqua quinque, contra famam, bona, vitam proximi, pugnant, & ſummam continent ſecundæ tabulæ.* HEBDOMADIS, *ſeptem dierum, quibus totum tempus voluitur in peccato, per Chriſti baptiſma ſimul & ſemel expiatur, cui ſoli agno tollenti peccata mundi, plenitudo gratiæ ſanctificantis à Deo Patre ſeruabatur, & in Heliſeo Naaman mundante per aquam, figurabatur, qui ſicut iuxta Eſaiam in verbo Euangelij breuiato, & in duobus præceptis amoris Dei & proximi legem & Prophetas, ipſe ſuis legis & Prophetarum, conſummare debebat; ſic omnia lauacra & baptiſmata, diluuij, maris rubri, maris anei, Naaman, baptiſte in Iordane, piſcinæ quoque, in modica baptiſmi ſui aqua breuiare debebat, ſicut & omnes figuras Euchariſtiæ. vt impleretur illud de duobus precipuis Sacramentis: Eſa. 30. 20.* Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem. *Adde & aquam breuem pœnitentiæ, cùm Deus Ezechiæ placatus dixerit:* Vidi lacrymam tuam. *Quod lauacrum compendioſius?* CANERET EXPIATIONEM. *Præfiguraret feſtum expiationis, quod poſt ſeptem menſium hebdomades ſeptimo menſe, die decimo colebatur. Leuit. 23. 27.* Decimo die menſis huius ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus: affligetiſque animas veſtras in eo: & offeretis holocauſtum Domino. *Verùm quia,* totius hebdomadis, *magnæ energiæ eſt, per totam hebdomadam, id eſt plenam, Iubilæum intelligo, poſt ſeptem ſeptimanas annorum celebratum. De myſterio ſeptenarij numeri prater hîc & alibi dicta, accipe Auguſtinum tom. 4. lib. 4. quæſtionum in Num. qu. 33. quæ eſt de vacca rufa, de qua & Paulus ad Hebr.* Iuuenca rufa carnem Chriſti ſignificat. Sexus fœmineus eſt, propter infirmitatem carnis, rufa eſt propter ipſam cruentam paſſionem, &c. ſine vitio dicitur hæc iuuenca, &c. erat quippe illa caro in ſimilitudine carnis peccati, ſed non caro peccati, &c. & non eſt ſuperpoſitum ſuper eam iugum; non enim ſubiugata eſt iniquitate, cui ſubiugatos inueniens liberauit, &c. dabis eam ad Eleazarum Sacerdotem. Cur non ad Aaron? niſi fortè ita præfiguratum eſt, non ad tempus quod tunc erat, ſed ad poſteros huius Sacerdotij paſſionem Domini peruenturam? Et eiicient eam extra caſtra. ſic & eiectus eſt Dominus paſſurus extra ciuitatem, &c. & accipiet Eleazar ſanguinem eius, & aſperget contra faciem tabernaculi teſtimonij in ſanguine eius ſepties. Hæc teſtificatio eſt, Chriſtum ſecundùm ſcripturas fudiſſe ſanguinem in remiſſionem peccatorum, &c. & ideo ſepties, quia ipſe numerus ad mundationem pertinet ſpiritalem, &c. *De Naaman tandem Syro, vide eundem Auguſtinum to. 10. Sermone 207. & 208. de tempore, qui integri de ipſo: Hæc ſummatim ex vtroque colligo. Ex primo quidem.* S. Auguſt. Miratur vno iuſſu affuiſſe virtutem, miratur operatum Domini., *opus miraculoſum.* miratur detectum tanti temporis vitium, &c. Gaudet Naaman, Propheta lætatur, & ab vtriſque Dominus collaudatur. Gaudet Naaman, quod optauerat ſe percepiſſe, & quod crediderat inueniſſe. Gaudet Propheta in opere, lætatur populus in virtute, &c.

S. Auguſt.

Tunc lætus Naaman Heliſæo offert munera, tunc ſanitatis voto obtulit dona. Nõ enim pretium curationis eſt quod offero, &c. nec pretio poteſt redimi, nec vllo munere inueniri, &c. *Deinde de Gieſi percuſſo lepra ob munera accepta.* O meritum
S. Auguſt. Heliſæi! vno tempore duplex virtus oſtenditur, & gemina poteſtas Prophetæ ſanctiſſimi demonſtratur. Curatur Naaman Syrus, & lepra Gieſi perfunditur. Seruo Syro fideli gloriam attulit, & ſeruo perfido intulit pœnam, &c. alius ſuis redditur ſanus, alius cunctis oſtenditur maculatus. *Sermone*
S. Auguſt. *autem 2. vbi de puella Iudæa captiua, ſuggerente Dominæ ſuæ, vxori Naaman militiæ Principi, accerſendum Heliſeum.* Puella illa Prophetiæ imaginẽ geſſit, quia licet tempore illo in ſolâ Iudæâ gratia Prophetiæ floruerit: tamen non potuit fieri, niſi vt etiam ad vicinas gentes beata eius notitia perueniret. Audiuit ergo Naaman puellam, & venit ad Heliſæum; audiuit populus Gentium prophetam, & venit ad Chriſtum; Naaman veniens ad Heliſæum, ſanatur à lepra: Et populus Gentium veniens ad Chriſtum, ab omni peccatorum lepra purgatur. Poteſt, &c. Gieſi Iudæorum populum figurare, qui eo tempore peccati lepra percutitur, quo ab ea Gentium populus liberatur, &c. tunc peccati lepra perfundi meruerunt, quando contra cœleſtem Medicum ore ſacrilego clamauerunt, tolle tolle, &c. Ergo eo tempore in illis remanſit lepra, quo ad Gentes, Domini tranſiit Gratia. Denique ſic & Apoſtolus Petrus ad eos locutus eſt dicens: Act. 13. vobis, inquit, oportuit primùm loqui verbum Dei, ſed quia vos indignos iudicaſtis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes, &c. quòd autem audiens Naaman vt lauaretur ſepties in Iordane, indignatus eſt, & nolebat annuere, & ab amicis ſuis conſilio accepto, acquieuit vt lauaretur, & purgatus eſt: hoc ſignificauit, quia populus Gentium, antequam Chriſtus crucifigeretur, ipſi Chriſto per ſe loquenti non credidit, *nec enim Chriſtus prater Magos, paucoſque Gentiles, per ſeipſum vocauit*, ſed poſtea prædicantibus Apoſtolis ad Sacramentum Baptiſmi fideliter venit *Quaſi fidelibus amicis conſulentibus annuens*, Naaman munera obtulit beato Heliſæo, & ille accipere noluit; Chriſti in hoc gratiam figuratam intellige, quæ ideo gratia dicitur, quia gratis datur. Sic enim Dominus in Euangelio diſcipulis dixit: Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, dæmones expellite. Gratis accepiſtis, gratis date. *Videſ quàm aptè reſpondeat Auguſtinus Tertulliano dicenti*; Syro emundato ſignificatam in nationibus emundationis in Chriſto gratiam expiatricem horrendarum macularum, ſeptem capitalium delictorum. Auguſt.

4. Gentilis Iudæo Prælatus, & maior natu populus, ſubjectus minori. cont. Iud. cap. 1. ap.

OCcaſio defendendi etiam Gentibus ſibi diuinam gratiam, habuit hinc prærogatiuam quod ſibi vindicare Dei legem inſtituerit homo ex gentibus, nec de proſapia Iſraëlitûm Iudæus. Hoc enim ſat eſſe, poſſe gentes admitti ad Dei legem, ne Iſraël adhuc ſuperbiat,
a Rom. 13. 28. & ſeq. quòd [a] *gentes velut ſtillicidium ſitulæ, aut puluis ex area* deputentur. Quamquam habeamus ipſum Deum idoneum pollicitatorem, & fidelem ſponſorem, qui Abrahæ promiſerat quòd
Iſa. 40. 15 [b] *in ſemine eius benedicerentur omnes nationes terræ*, & quòd [c] *ex vtero Rebeccæ duo populi & duæ*
b Gen. 22. 17. *gentes eſſent proceſſuræ*: vtique Iudæorum, id eſt Iſraël; & Gentium, id eſt noſter. Vterque
c Gen. 25. 21. 23. ergo *populus, & gens* eſt appellatus; ne de nominis appellatione priuilegium gratiæ ſibi quis audeat defendere. Duos etenim populos & duas gentes proceſſuras ex vnius feminæ vtero Deus deſtinauit, nec diſcreuit gratiam in nominis appellatione, ſed in partus editione: vt qui prior eſſet de vtero proceſſurus, minori ſubjiceretur, id eſt poſteriori. Sic namque ad
d Gen. 25. 23. Rebeccam Deus locutus eſt, dicens: [d] *Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi de ventre tuo diuidentur, & populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Itaque cùm populus ſeu gens Iudæorum anterior ſit tempore, & major per gratiam primæ dignationis in lege, noſter verò minor ætate temporum intelligatur, vtpote in vltimo ſeculi ſpatio adeptus notitiam diuinæ miſerationis; proculdubio ſecundum edictum diuinæ locutionis, prior, & major populus, id eſt Iudaïcus, ſeruiat neceſſe eſt minori; & minor populus, id eſt Chriſtianus, ſuperet majorem.

GENTILIVM LAVDABILIA. IV. SCHOLIA.

OCcasio defendendi, *Gentiles*, inquit, *hinc occaſionem ſumpſerunt fidem & gratiam à Deo conceſſam, ſicut & Iudæis ſibi affirmandi, quòd quilibet homo natione Gentilis, nec origine Iudæus, ſed fide Iſraëlita & filius Abrahæ legem etiam diuinam ſibi traditam ex* Dei *miſericordia vindicare poſſit.* Homo ex gentibvs. *Paulus hic poteſt intelligi; qui licet profeſſus Hebræum ſe eſſe genere, tamen quia Apoſtolus Gentium electus eſt, ſic loquitur quaſi proſapiæ ſuæ ſenſum omnem exuerit, & Iudæos de lege ſibi data gloriantes aduersùs Gentiles compreſſerit; hoc ſufficere iudicans, quod poſſint Gentes recipi ad legem gratiæ Dei, qui nullum excludit, apud quem* Non eſt diſtinctio Iudæi vel Græci, *Id eſt Gentilis; ne etiamnum Chriſto omnibus nato, ſicut olim Iudæus, ſuperbiat contra Gentiles, quaſi ſoli Iudæi ſint intra ſinum Dei, & ab eo dilecti, concluſique eius in vtero, velut aqua in ſitulâ, & frumentum in area, Gentiles autem velut ſtilla extra ſitulam, aut puluis & palea extra aream, hoc eſt reputentur foràs eiici & reprobari à gratia & miſericordia. Reſpicit certè locum Pauli Rom. 3. 27. vbi ſic loquitur Iudæus.* Vbi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? factorum? non: ſed per legem fidei. *Quem locum exponit Auguſtinus libro de Spiritu & litera, vbi ait*: Siue gloriationem dixerit laudabilem, quæ in Domino eſt; eamque excluſam, id eſt non vt abſcederet, pulſam, ſed vt emineret, expreſſam: vnde & excluſores dicũtur quidã artifices argentarij: hinc eſt & illud in Pſalmis, vt excludantur hi qui probati ſunt argento: id eſt vt emineant hi, qui probati ſunt eloquio Dei. Nam & alibi dicitur, eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum. ſiue gloriationem vitioſam, de ſuperbia venien- Auguſt.

y Google

tem commemorare voluerit; eorum ſcilicet, qui cum ſibi iuſtè videntur viuere, ita gloriantur quaſi non acceperint. Eamque non per legem factorum, *Vt Iudæi per opera legis & cerimonias obſeruationeſque Phariſaicas*, ſed per legem fidei. *Quam & Gentiles acceperunt humiliter Deum laudantes* Dicit excluſam id eſt eiectam & abiectam, quia per legem fidei quiſque cognoſcit ſi quid benè viuit, Dei gratia ſe habere: & vt perficiatur in dilectione iuſtitiæ, non ſe aliunde conſequuturum. Quæ cogitatio pium facit: quia pietas eſt vera ſapientia. *Proſequitur Paulus.* Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. *Non quod Paulus velit, poſſe ſaluari hominẽ ex fide ſola ſine bonis operibus, vt notat Auguſtinus lib. 83. qq. q. 76. ſed tantũ* Auguſt. *agit de fide quæ præcedit ipſa opera legis. Vnde Gentiles ad fidem conuerſi ſine operibus legis Moſaicæ iuſtificari poſſunt. Quod directè voluiſſe intelligitur ex ſequentibus:* An Iudæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Immo & Gentium. Quoniam quidem vnus eſt Deus qui iuſtificat circumciſionem, *Id eſt Iudæum circumciſum* Ex fide, & præputium, *Id eſt Gentilem incircumciſum* per fidem. *Et cap. 4. 16.* Ideo ex fide, vt ſecundum gratiam, *Non propter merita operum legis, vel præcedentia fidem* firma ſit promiſſio omni ſemini: non ei qui ex lege eſt ſolum, *Iudæo circumciſo, de proſapia Abrahæ* Sed & ei qui ex fide eſt Abrahæ, *Qui per fidem filius Abrahæ cenſetur*, Qui Pater eſt omnium noſtrum. Sicut ſcriptum eſt: quia Patrem multarum Gentium poſui te. VTERQVE ERRO. *Tam Gentilis, quàm Iudæus.* DEFENDERE. *Vox iuris familiaris Tertulliano; & ſignificat vindicare. L. ſi oleum, de dol. mal. vel iudicium accipere l. 53. ff. de procuratoribus. L. cenſio quot modis ſumatur, vide Bart. in l. liberto. in fin. ff. de Neg. Geſt.* PRIVILEGIVM GRATIÆ. *Idcò Gentili & Iudæo æqualiter nomen Gentis & populi datur à ſcriptura, ne vel ex nomine proprio alteruter aduerſus alium gloriatur de priuilegio gratiæ, quæ abſque acceptione, data eſt vtrique Genti, & populo.* PARTVS EDITIONE. *Dum Rebecca Eſau primogenitum priùs enixa eſt, Iacob autem poſteriùs.* PRIMÆ DIGNATIONIS. *Quia primo dignatus eſt legem dare Iudæo per primogenitum ſignificato, quàm Gentili per Iacob natu minorem expreſſo. Duò hîc cum Auguſtino dicenda ſuperſunt in rem Tertulliani. Primò quo hi duo Rebeccæ filij, Iudæum, & Gentilem, ſiue Chriſtianum ex Gentilitate conuerſum ad Chriſtum ſignificent. Secundò quo modo maior, ſine Iudæus, Gentili ſubſeruiat.* Auguſt. *Auguſtinus ergo libro 16. de Ciuit. cap. 35.* Geſtiebant gemini adhuc in vtero eius incluſi. Qua moleſtia cum angeretur Dominum interrogauit, accepitque reſponſum: Duæ gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi de ventre tuo ſeparabuntur, & populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Quod Paulus Apoſtolus magnum vult intelligi gratiæ documentum. Rom. 9. quia nondum illis natis, nec aliquid agentibus boni ſeu mali, ſine vllis bonis meritis eligitur minor, maiore reprobato: quoniam proculdubiò quantum attinet ad originale peccatum ambo pares erant: quantum autem ad proprium, nullius eorum vllum erat, &c. Quod autem dictum eſt maior ſeruiet minori, nemo fere noſtrorum aliter intellexit, quàm maiorem populum Iudæorum, minori populo Chriſtiano ſeruiturum. Et reuera quamuis in gente Idumæorum quæ nata eſt de maiore, cui duo nomina erant, nam & Eſaü vocabatur, & Edom, vnde Idumæi, hoc videri poſſit impletum; quia poſtea ſuperanda fuerat à populo, qui ortus eſt ex minore, id eſt ex Iſraëlitico, eique fuerat futura ſubiecta: tamen in aliquid maius intentam fuiſſe iſtam Prophetiam, qua dictum eſt: populus populum ſuperabit, &c. Conuenientius creditur. Et quid eſt hoc niſi quod in Iudæis & Chriſtianis euidenter impletur? *Et cap. 42. Idem repetit, & ſimile quid, adumbratiũ in duobus filiis Ioſeph Ephraim & Manaſſe, quorum minori manum dextram impoſitam mutare noluit.* S. Auguſt. Ita factum eſt etiam in duobus filiis Ioſeph. Nam maior geſſit typum Iudæorum, Chriſtianorum autem minor, &c. Mutare manus noluit, ſed dixit: Scio fili, ſcio, & hic erit in populum, *Iudæorum* Et hic exaltabitur: ſed frater eius iunior, maior illo erit, & ſemen eius erit in multitudinem Gentium. Etiam hîc duo illa promiſſa demonſtrant: nam ille in populum, iſte in multitudinem Gentium. Quid euidentius quàm his duabus promiſſionibus contineri populum Iſraëlitarum, orbemque terrarum, *Gentiles toto orbe ſparſos*, In ſemine Abrahæ: illum ſecundùm carnem, iſtum ſecundùm fidem? *Et in Pſal. 77. Probat multis exemplis primos futuros, qui erant nouiſſimi.* S. Auguſt. Sic Abel iuſtus maiori prælatus eſt fratri, ſic Iſmaël Iſaac, ſic Eſaü congemino ſuo, ſed tamen priùs nato, ipſe Iacob; ſic Phares & ipſi congemino ſuo, *Zaram*, Qui prius manum ex vtero miſerat & cœperat naſci, & iam naſcendo præceſſit: Sic Dauid maioribus prælatus eſt fratribus: & propter quod iſtæ omnes atque aliæ ſimilitudines, non ſolum dictorum, ſed etiam factorum parabolæ præceſſerunt: ſicque populo Iudæorum prælatus eſt populus Chriſtianus, pro quo redimendo, quemadmodum Abel à Caim, ſic à Iudæis occiſus eſt Chriſtus. Hoc præfiguratum eſt etiam, cum Iacob decuſſatim *Chriſtum figurans manibus extenſis in cruce, vnum ex latronibus eligens, alterum reprobãs* Porrectis manibus, dextera tetigit Ephrem ad ſiniſtram conſtitutum, eumque præpoſuit Manaſſe ad dexteram conſtituto, quem ſiniſtra ipſe tangebat. *Quomodo tandem maior ſeruiat minori docet idem Aug. Ser. 78. de tempore in medio.* S. Auguſt. Secundum literam, in Eſaü vel in Iacob non videmus impletum. Non enim corporaliter Beato Iacob Eſaü ſeruiſſe commemorat ſcriptura, &c. Quomodo ergo populus maior ſeruiat minori, qui hoc diligenter attendit in Chriſtianis, vel in Iudæis agnoſcit. Maior enim & ſenior populus Iudæorum, iuniori, id eſt populo Chriſtiano ſeruire probatur, dum per totum mundum libros diuinæ legis ad inſtructionem omnium Gentium portare cognoſcitur. Ideò enim per omnem terram Iudæi diſperſi ſunt, vt cum aliquem paganum ad fidem Chriſti volumus inuitare, & ab omnibus Prophetis ipſum Chriſtum eſſe annuntiatum teſtamur: & ille reſiſtens dixerit, à nobis potiùs quàm à Spiritu Sancto libros diuinæ legis eſſe conſcriptos: nos habeamus, vnde eum redarguere, certa ratione poſſimus, dicentes ei: ſi de meis libris tibi dubitatio naſcitur, *Id eſt de nouo teſtamento* Ecce Iudæorum libros, *Vetus teſtamentum* Vtique inimicorum noſtrorum, quos certum eſt, ſi ego conſcribere vellem, mutare non potui: ipſos relege, & cum in ipſis, hoc quod in meis libris, inueneris, noli eſſe incredulus ſed fidelis. Hoc ordine maior populus minori ſeruire cognoſcitur, dum etiam per illorum libros ad credendum in Chriſto Gentium populus inuitatur. Sed & alio modo populus maior ſeruiet minori. Quo, inquis, ordine? illo vtique, quo mali ſeruiunt bonis, non vtique obſequendo, ſed perſequendo. Quomodo ergo mali ſeruiunt bonis? quomodo perſecutores martyribus, quomodo limæ, vel mallei auro, quomodo

molæ seruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia: vt illi coquantur, illi consumantur, &c. Quomodo in fornace aurificis, palea seruit auro, vbi fine dubio palea consumitur, aurum probatur, &c. De vno semine Isaac, & Esau nascitur, & Iacob: sicut de vno Baptismo Domini saluatoris, & de Ecclesiæ vtero, *vt Rebecca* Procreatur populus Christianus: qui tamen pro morum diuersitate, sicut & Iacob, *Differebat ab Esaü* In duas partes diuiditur, cùm ex fructibus operum, vna pars cognoscitur carnalis, alia spiritalis. Ideò autem dixit, maior seruiet minori; quia semper maior est numerus malorum, quàm bonorum: Et sicut illi duo paruuli in vtero Rebeccæ, ita & isti populi in ventre Ecclesiæ, vsque in diem iudicij colliduntur; dum humilibus aduersantur superbi, dum castos adulteri persequuntur, dum quorum infinitus est numerus, ebrioſi sobrios insectantur, dum benignis inuidi æmulantur, dum Eleemosynarios raptores, dum pacificos extinguere cupiunt iracundi, dum eos qui cœlestia sapiunt, ad terram retrahere luxurioſi conantur. *Quo, quid doctius, moralius, in rem Tertulliani expressius apud omnes simul Patres inueniri possit, ignoro.*

5. *Gentiles illuminati, cæcatis iudæis. 5. cont. Marc. cap.* 11. *in m.*

Dicit ergo, [a] *nos jam aperta facie*, vtique cordis quod velatum est in Iudæis, *contemplantes Christum, eadem imagine transfigurari à gloria* (qua scilicet Moyses transfigurabatur à gloria Domini) *in gloriam*: ita corporalem Moysi inluminationem de congressu Domini, & corporale velamen de infirmitate populi proponens, & spiritalem reuelationem, & spiritalem claritatem in Christo superducens, [b] *tanquam à Domino*, inquit *spiritum*, totum ordinem Moysi, figuram ignorati apud Iudæos, agniti vero apud nos, Christi fuisse testatur.

[a] 2. Cor. 3. 18. Exo. 34. 29. 30. 33. 35.

[b] 2. Cor. 3. 18.

GENTILIVM LAVDABILIA, V. SCHOLIA.

Dicit ergo. *Paulus scilicet 2. Cor 3. 13.* Nõ sicut Moyses ponebat velamen super faciẽ suam, vt non intenderẽt filij Israël in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum. Vsque in hodiernum enim diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur; sed vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersus fuerit ad Dominum, *Populus Israël* Auferetur velamen. Dominus autem spiritus est: vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. *Alludit ad mulierem Synagogam, quam Paulus vult velari in signum subiectionis legi viri: lege autem quasi viro viuente, id est lege Moysi regnante, populus in Agar expressus in seruitutem filios generabat. Moyses ergo Synagogam representans velamen accepit, & velata plebs quandiu seruit legi veteri, nec spiritum recipit legis gratiæ, in qua est libertas, & eius signum reuelata facies. Vnde subiicit Paulus personam gerens Gentilium conuersorum: cuius plenitudo intrauit, cæcitate ex parte Israël facta;* Nos verò omnes reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem *Sine velo, vt Christi facies in Thabor non velata apparuit, vtpote filius, & veritas verè liberans gratia adoptiuos* Transformamur tanquam à Domini spiritu. *Translat. Syr. clarius effert ista.* Inijciebat velamen super faciem suã, ne intpicerent Israelei in finem eius quod aboletur. *Abolenda erat lex quoad cerimonias, Sacramenta, sacrificia, per finem eius, scilicet Christum, finis enim legis Christus, quem ob meritum, & iustum Dei iudicium, ne agnoscerent, qui & caput erat legis & author, in figuram Moysen velauit faciem. Vnde subiicit de cæcitate Iudæorum*: Sed obcæcati sunt mente sua. Siquidem vsque in hodiernum diem, cum testamentum vetus legitur, illud velamen perstat super eos, nec reuelatur quod per Meschicho *Messiam Christum* Obliteratur, &c. At cum aliquis ex eis conuertetur, &c. Tolletur ab eo velamen, &c. Nos autem omnes reuelatâ facie gloriam Domini quasi per speculum contemplamur, & ad eandem imaginem transformamur, *Sicut Moyses contemplando Deum in monte, ita & nos Christum, ab eius gloria & claritate, eleuamur in similitudinem gloriæ & claritatis eius.* Transformamur à gloria in gloriam, &c. Nos [illegible] *Christianos ex Gentibus con-*

uersos, in nouæ legis, aperto corde & intellectu, Christum incognitum Iudeis, contemplantes, similiter cum Moyse in Dei gloriam transfigurari: vt sicut illuminatio Moysi procedens ex consortio Domini, quasi ex speculo splendorem in faciem Moysi iaculantis, corporalis fuit, & velamen etiam corporale quod sibi imposuit, propter infirmitatem oculorum Israëlitarum; sic Paulus superduxit, id est induxit Gentilibus conuersis ad Christum, ex eius consortio, cognitione, & fide, spiritalem claritatem, & aspectum eius, absque velamento, contemplationem. In quo quidem mysterio Paulus docere voluit, quod de Moyse recensuit, figuram fuisse Christi, quem cæci Iudei non cognouerunt vtpote velatum, nos verò Gentiles reuelatum agnouimus. Domino spiritvvm. *Solus Tertullianus sic legit, cùm omnia Autographa, tam Græca, quàm Latina, in singulari legant, tanquam à Domini, vel à Domino Spiritu. Unde κυρίου πνεύματος. Vbi, apud Græcos, duplex genitiuus optimè traducitur,* à Domino Spiritu. *Vnde Chrysost. & Basil. contra Macedonium, probant Spiritum Sanctum esse Deum & Dominum, qui velamen auferat, conferatque intelligentiam scripturarum. Quò respexit Tertullianus dicens* à Domino Spirituum, *Iuxta Paulum, dona spiritus distinguentem, inter quæ est intelligentia scripturarum; in quibus, velut speculis, Christus reuelatur, à claritate obscuriori veteris testamenti, ad clariorem noui; Nosque à claritate Dei cognitii per effectus, ad claritatem fidei, & ab hac, in claritatem visionis beatificæ, per virtutum cremenra proficimus: dicente Psalmista*; Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion. *Sion autem, speculam licet significet; Non inde Paulus dixit speculantes, sed à speculo. Quod notauit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 8.* Vir tantus, tamque spiritalis, videmus nunc, *inquit*, per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Quale sit, & quod sit hoc speculum si quæramus, profectò illud occurrit, quòd in speculo, nisi Imago, non cernitur. Hoc ergo facere conati sumus, vt per imaginem hanc, quod nos sumus, *Tanquam per effectum nobilem*, Videremus vtcumque, à quo facti sumus, tanquam per speculum. *Multò melius in filio, Patris imagine; qui videt me, videt & Patrem meum.* Hoc significat etiam illud quod ait idem Apostolus, nos autem reuelatâ facie, &c. De gloria in gloriam tanquam à Domini Spiritu. Speculantes

Augustinus

lantes dixit, per ſpeculum videntes, non de ſpecula proſpicientes. Quod in Græca lingua non eſt ambiguum. *Græca vox*, κατοπτριζόμενοι. Satiſque apparet Apoſtolum à ſpeculo, non à ſpecula dixiſſe, gloriam Domini ſpeculantes. Quod verò ait in eandem imaginem transformamur: vtique imaginem Dei vult intelligi, eandem dicens, iſtam ipſam ſcilicet id eſt quam ſpeculamur: quia eadem imago eſt, & gloria Dei, ſicut alibi dicit; vir quidem non debet velare caput ſuum, cùm ſit imago, & gloria Dei. *Hinc Synagoga velata velo tabernaculi, & Moyſi, ob cæcitatem Iſraël, & velata myſteria: vir autem Chriſtus, & Gentilis creuit in virum perfectum, renelatâ facie contemplans Chriſtũ renelatum in libertate ſpiritus.* Transformamur ergo, dicit, de forma in formam mutamur, atque tranſimus de forma obſcura, in formam lucidam; quia & ipſa, *anima rationalis*, obſcura imago Dei eſt; &, ſi imago, profectò etiam gloria, in qua homines creati ſumus, præſtantes cæteris animalibus. *De quo ad literam Pſalites: minuiſti eum paulo minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* De ipſa quippè natura humana dictum eſt, 1. Cor. 11. vir quidem non debet velare caput, cùm ſit imago & gloria Dei. Quæ natura in rebus creatis excellentiſſima, cùm à ſuo Creatore ab impietate iuſtificatur, à deformi forma, formoſam transfertur in formam. Eſt quippè & in ipſa impietate, quantò magis damnabile vitium, tantò certiùs natura laudabilis. *Vt maior macula & turpior, certiùs probat veſtem eſſe pretioſam, aut faciem fuiſſe decoram.* Et propter hoc addidit, de gloria in gloriam: de gloria creationis, in gloriam iuſtificationis, &c. De gloria fidei, in gloriam ſpeciei; de gloria qua Filij Dei ſumus, in gloriam qua ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Quod verò adiunxit, tanquam à Domini ſpiritu, oſtendit gratiâ Dei nobis conferri tam optabilis transformationis bonum. *Quàm diſtat à gratia & luce Gentium cæcitas Iudæorum, qui A transire nolunt ab vmbra, & nocte; & coruuta facie Moyſi, tanquam Luna, ad lucem, diem, Solem, noua legis: nec à forma ſeruitutis, ad formam libertatis; à pueritia ſub vacuis elementis & rudimentis quibus erudita eſt infantia Iudaica, ad virum perfectum. Qui ſcripturas non ſcrutantur, cum Pſalte non petunt velamen auferri, nec dicunt:* Reuela oculos meos; & conſiderabo mirabilia de lege tua. *O ſi cum Paulo dicerent:* Quando eram paruulus, ſapiebam vt paruulus, &c. Factus vir, euacuaui quæ erant parvuli. *Quem locum iungit huic à Tertulliano citato* Aug. *lib. 22. de Ciuit. cap. 29.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, &c. In hac vita, hominum mirabilium prophetia ita B comparanda eſt illi vitæ, quaſi paruuli ad iuuenem, &c. *Deinde vbi de facie ad faciem.* Niſi, *inquit*, eſſet etiam interioris hominis facies, non diceret idem Apoſtolus: nos autem reuelata facie, &c. Tanquam ad Domini Spiritum. Nec aliter intelligimus quod in pſalmo canitur: accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non erubeſcent. *Sed erubeſcunt Iudei Chriſtum confiteri crucifixum, quem ſtultitiam olim Gentiles putabant, in erroris cæcitate, iam Dei virtutem & ſapientiam agnoſcunt, manente velamine ſuper faciem Iudæorum, q. à non attendunt, Chriſto crucifixo, ſciſſum fuiſſe velum.* C *Hoc eſt ex Auguſtino, renelata eum Tabernaculo fuiſſe myſteria. Tandem in lege ſua, velut ſpeculo, Chriſtum veniſſe, prophetiis impletis, contemplari nolunt, cùm Auguſtinus de tenebris Gentium vocatus ad fidei lucem, librum inſcripſerit nomine* Speculum *qui tam ex veteri quàm ex nouo Teſtamento collectus eſt, in quo Chriſtum, & Chriſtiana fidei myſteria deſcripta ſpeculari poſſumus. Et to. 1. lib. de vera Religione, Chriſtum verum hominem factum in omnibus virtutibus nobis exempla dediſſe, facta inductione pulcherrima, cum fuſè probaſſet, ſic ſpeculum factum eſſe concludit:* Tota itaque vita eius in terris per hominem quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit. *cap. 16.*

Aug. Aug. Aug. S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

GLORIA VERA.

Gloria, ſi Chriſtiano ſumenda eſt, quæratur in bonis ſpiritalibus, vel in carne pro Chriſto patiente. 2. de cultu fœm. cap. 3. à m. ad f.

SI omnis gloria vana, & ſtuporata, quantò magis quæ in carne? nobis dumtaxat. Nam etſi gloriandum eſt, in ſpiritus bonis, non in carne placere velle debemus, quia ſpiritalium ſectatores ſumus. Quibus operamur, illis gaudeamus. de his gloriam carpamus de quibus ſalutem ſperamus. Planè gloriabitur Chriſtianus etiam in carne, ſed quum propter Chriſtum lacerata duraverit, vt ſpiritus in ea coronetur, non vt oculos & ſuſpiria adoleſcentium poſt ſe trahat. Ita, quod ex omni parte in vobis vacat, meritò & non habentes, faſtidiatis, & habentes negligatis. Sancta femina ſit naturaliter ſpecioſa, non adeò ſit occaſioni; certè ſi fuerit, non ignorare, ſed etiam impedire ſe debet.

*Sancta fœmina, ſi naturaliter ſpecioſa, non adeò ſit occaſio. Certè ſi & fuerit, non adiuuare, ſed etiã impedire debet.

GLORIA VERA. SCHOLIA.

OMNIS. *Niſi ad Deum referatur, & in boni: ſolidis & æternis conſtituatur.* STVPORATA. *Stupida; vel, ex qua ſtuporem & admirationem hominum, captant vani homines.* QVANTÒ MAGIS, *Cùm expreſsè Eſa. 40. ſcriptum ſit verſu 6.* Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, *70. omnis gloria hominis. Sanct. Pagn. ex Heb. & omnis pietas eius* Quaſi flos agri, &c. *De quo Aug. ſer. 42. de Ver. Domini:* Illud recolite fratres, illud propheticum & Euangelicum, *Quòd in noua lege etiam repetatur Jacobi 1. 10. & 1. Petri 1. 24.* Legitur hoc teſtimonium; omnis caro fœnum, & omnis honor carnis D vt flos fœni: fœnum aruit, flos decidit, Verbum Domini manet in æternum. Verbum Domini etiã fœno dat honorem, & honorem non tranſitorium. Dat enim & carni immortalitatem. Sed priùs tranſiit tribulatio vitæ huius, de qua nobis præſtat auxilium, cui diximus, *Ne de nobis gloriaremur, ponentes carnem brachium noſtrum.* Da nobis auxilium de tribulatione: *& maximè de tribulatione carnis, quam habent huiuſmodi nupti & nubere volentes, & cogitantes qua ſint mundi vt inuicem de carne placeant.* Tota quippè iſta vita intelligentibus tribulatio eſt. Sunt enim duo tortores animæ, *Adde*

Aug.

Digitized by Google

carnis. Non simul torquentes, sed cruciatu alternantes. Horum duorum tortorum nomina sunt, timor, & dolor. Quando tibi bene est, times: quando malè est, doles. Seculi huius, quem non decipit prosperitas? non frangit aduersitas? tenenda est in hoc fœno, & in diebus fœni via tuitor, Verbum Dei. Cùm enim dictum esset, omnis caro fœnum, &c. Quasi nos quæramus, quæ fœno spes? quæ flori fœni stabilitas? Sed Verbum, *inquit*, Domini manet in æternum. Et vnde, inquis, ad me Verbum Domini? VERBVM CARO FACTVM EST. Et habitauit in nobis. Verbum enim Domini tibi dicit: noli respuere promissum meū, quia non respui fœnum tuum. *Promisit immortalem carnis gloriam, per ipsius carnis afflictionem & dolorem, vt infra subiicit Tertullianus.* Hoc nobis præstitit Verbum Domini, *In æternum manens, & carnis assumptæ æternam, ex morte, gloriam conferens, vt ad ipsum nos teneremus, ne cum flore fœni transiremus.* NOBIS DVMTAXAT. *Scilicet Christianis, vana habetur omnis gloria, & maximè carnis, ex qua Gentiles præcipuè gloriantur.* BONIS. *Alij legunt* Bono IN CARNE. *Alij*, Carnis. QVIBVS. *Alij*, In quibus. DVRAVERIT. *Perseueraverit constans fuerit, obdurverit.* SVSPIRIA ADOLESCENTIVM. *Hiero. in ep. ad Eustoch.* Hæ sunt, quæ per publicum notabiliter incedunt, & furtivis oculorum nutibus, adolescentium greges post se trahunt. *Quod & repetit in ep. ad Gerantiam*: Nec oculorum nutibus, & hilaritate vultus iuuenum post se greges trahat. VACAT. *Fieri potest.* NON HABENTES. *Florem huiusmodi fœni, & formam carnis.* SIT NATVRALITER. *Non quærat artificium & lenocinium formæ.* OCCASIONI. *Scandalo. Hiero. ad Marcellam:* Illæ Christianos oculos scandalizant, quæ purpurisso, & quibusdam fucis ora oculosque depingunt; quarum facies gypseæ, & nimio candore deformes, idola mentiuntur. SI FVERIT. *Scandalo.* NON IGNORARE. *Se dare occasionem scandali. Neque enim coram Deo excusabitur prætextu ignorantiæ, cùm debeat cauere, & impedire scandalum. Quòd, tam de forma corporis, quàm propriis spiritus bonis, Deo sit referenda gloria, nec vana sibi sumenda, pulchrè docuit Aug. libro de Spiritu & litera. Vòi de Theosunia*: Si ad verbi originem latinè expressam interpretaretur, Dei cultus, dici poterat, qui in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata. Vnde & in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino Deo nostro agere gratias admonemur. Erit enim ingrata, si quod illi ex Deo est, sibi tribuerit, præcipuéque iustitiam, cuius operibus velut propriis, & velut à semetipsa sibimet partis, non vulgariter, tanquam ex diuitiis, aut membrorum formâ, aut eloquentiâ, cæterisque, siue externis, siue corporis, siue animi bonis, quæ habere etiam scelerati solent: sed tanquam de his, quæ propriè sunt bona bonorum, quasi sapienter inflatur. *Rationabilius quàm de vanis & corruptibilibus gloriatur, propriè ad sensum Tertulliani; & tamen vanè, nisi in Domino glorietur. Quid enim habes quod nõ accepisti &c.* Quo vitio repulti à diuinæ stabilitate substantiæ, *Sicut folles tumidi, & mobiles, à firmitate muri repelluntur; vel à diuitiis æternis & stabilibus exheredantur.* Etiam quidam magni viri ad idololatriæ dedecus defluxerunt. *Sicut flos fœni, sic efflorebit, vt Psalmes ait. Et sicut Lucifer primus idololatra, de quo propheta*; Eleuatum est cor tuum in decore tuo.

Augusti.

GLORIA VANA.

Vide Verbum Vana, Gloria.

GLORIA COELI.

1. Gloria deitatis ferri non potest à vinis; cùm nec gloria corporis Christi videri potuerit, absque excessumentis. Cont. Prax. cap. 15. V. Verbum. Paulus Christum vidit. num. 11.

2. In gloria cœli mansiones multæ veræ; apud Ennium & Valentinianos, fictæ. Cont. Valent. cap. 7. in p.

PRimus omnium Ennuis poëta Romanus, *Cœnacula maxima cœli* simpliciter pronuntiauit, de lati situs nomine, vel quia Iouem illic epulantem legerat apud Homerum. Sed hæretici quantas supernitates supernitatum, & quantas sublimitates sublimitatum in habitaculum Dei sui cujusque suspenderint, extulerint, expanderint, mirum est. Etiam Creatori nostro Enniana cœnacula in ædicularum dispositæ sunt formâ, aliis atque aliis pergulis superstructis, & vnicuique Deo per totidem scalas distributis, quot hæreses fuerint. Meritorium factus est mundus. insulam Feliculam credas tanta tabulata cœlorum. [nescio vbi] Illic enim Valentinianorum Deus ad summas regulas habitat.

GLORIA COELI. II. SCHOLIA.

SIMPLICITER. *Quamquam Poëta, non tantas finxit fabulas, quantas Valentiniani pro Æoribus suis. Cœnacula enim cœli maxima, dixit, vel propter latitudinem loci siti in superiori mundi parte. vel quia apud Homerum libro 1. Iliadis circa finem, & frequenter alibi, apud eumdem Poëtam legerat Iouem in cœlo epulantem; cœnacula à cœnando dicta, in cœlo posuit. Alij legunt*, Elati situs nomine. ENNIANA CORNACVLA. *Qualia finxit Ennius post Homerum;* PERGVLIS. *Domus partibus exper-*

rectis. VNICVIQVE DEO. *Æmi. Scalæ. Gradus, pro singulorum meritis, & gradibus hæreseon Valentinianarum.* MERITORIVM. *Diuersorium. variis structuris ampliatum, stabulum, siue taberna; à verbo*, Mereri, *quod est, quæstus causa, aliquid operari. Hinc triclinia, balnea vehicula, meritoria dicuntur, mercede conducta.* MVNDVS. *Siue cœlestis, siue Elementaris, in* Meritorium *est conuersus.* INSVLAM FELICVLAM. *Alludit ad insulam dictam Felicem, vel ad tabernas amplas, aut forum*

Digitized by Google

institorum siue mercatorum, circa quod undequaque A *per omnia latera sunt domuncula & apotheca mercatorum.* TANTA TABVLATA. *Tot diuersas consignationes:* NESCIO VBI. *Innuit spatia imaginaria, in vacuo Valentinianorum cerebro.* DEVS. *Summus scilicet omnium, qui proinde pro gradu meriti in summo cœlo habitat. Nos vt pro fabulis veritatem loquamur,* Mercatorum *dicam, cœlestem mundum, & terrestrem. Hunc quidem vbi apud stabularium à præterunte Samaritano curandus traditus est seminuus ille relictus homo, vbi tempus est meriti, tam Medico quàm agro, & diuersi proficiendi gradus, tam misericordiæ, quàm patientiæ: Illum vero, quia in eo pro mensura meriti est retributionis modus cuique* B *tribuendus à summo Deo,* qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. *Illic conuiuia magna, illic:* conuiuium pinguium, conuiuium medullatorum & vindemiæ defæcatæ. *Illic suos amicos,* Filius hominis faciet discumbere, & transiens ministrabit illis: illic inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &c. O Israël, *exclamat Baruch,* quàm magna est domus Dei & ingens locus possessionis eius! *De diuersitate mansionum sic habet* August. *Aug. to. 6. lib. de sancta Virginit. cap. 27.* Quia in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ sunt mansiones apud Patrem; ac per hoc in denario quidem non impari, *agebat de* C *operatis vineæ, & de essentiali gloria, eadem omnibus data, significata denario diurno,* non viuet alius alio prolixiùs: in multis autem mansionibus honoratur alius, alio clariùs. *Et ibidem paulo supra:* August. Si cœlum significaretur illo denario, nonne, in cœlo esse, omnibus est commune sidcribus? & tamen alia est gloria Solis, *Puta Christi,* Alia Lunæ, *Beatæ virginis,* Alia stellarum. *Id est, Sanctorum quæ rursum inuicem discernuntur claritate. Idem inculcas to. 9. tractatu 67. in Io.* Nullus eorum alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro suo quisque acceptaturus est merito. S. August. *Et ibid. de dicto denario:* Quo denario, inquit, vita significatur æterna; vbi amplius alio nemo viuit; quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura, sed multæ mansiones, diuersæ meritorum in vna vita æterna significant dignitates, &c. Tanquam stellæ Sancti diuersas mansiones, diuersas claritates, tanquam in cœlo sortiuntur in regno. Sed propter vnum denarium; nullus separatur à regno, &c. Non erit aliqua inuidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis. *Et tract. 68. à p.* S. August. An istæ mansiones & sunt & parandæ sunt? *Id miratur, ob dictum Christi vado parare vobis locum.* Quomodo ergo mansiones in domo Patris, non aliæ, sed ipsæ? & sine dubio, si iam sunt, parandæ non sunt, & nondum sunt, si parandæ sunt: quomodo putamus, nisi quomodo etiam Propheta prædicat Deum, quia fecit quæ futura sunt? non enim ait, qui facturus est, quæ futura sunt: sed, qui fecit, quæ futura sunt. Ergo & fecit ea, & facturus est ea. Nam neque facta sunt, si ipse non fecit: neque futura sunt, si ipse non fecerit: fecit ergo ea, prædestinando; facturus est, operando, &c. Elegit prædestinando ante mundi constitutionem; elegit vocando, ante mundi consummationem. Sic & mansiones præparauit, & præparat; nec alias, sed quas præparauit, has præparat, qui fecit quæ futura sunt. Quas præparauit prædestinando, præparat operando. *Qui iuxta Paulum,* Operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate. *Qui & iuxta Psalten,* Gratiam & gloriam dabit, qui coronat te in misericordia & miserationibus, *Et locum dabit, pro gradu accepti meriti, in diuersis mansionibus.*

3. Gloria cœli primò quærenda electis, cui reprobi terrenam præferunt. 3. Cont. Marc. cap. 24. in m.

QVid tibi videtur, cùm Abrahæ semen, post primam promissionem, qua in multitudinem arenæ repromittitur, ad instar quoque stellarum destinatur; nonne & terrenæ & cœlestis dispositionis auspicia sunt? Cum Isaac benedicens Iacob filium suum; [a] *Det,* ait, *tibi Deus de rore cœli, & de opimitate terræ;* nonne vtriusque indulgentiæ exempla sunt? Denique animaduertenda est hîc etiam structura benedictionis ipsius. Nam circa Iacob, qui quidem posterioris & prælatioris populi figura est, id est nostri, prima promissio cœlestis est roris; secunda terrenæ opimitatis. Nos enim primò ad cœlestia inuitamur, cùm à seculo auellimur, & ita postea inuenimur etiam terrena consecuturi. Et Euangelium vestrum quoque habet, [b] *Quærite primùm regnum Dei, & hæc adjicientur vobis.* Cetcrùm, ad Esaü promittit benedictionem terrenam, & subjicit cœlestem: [c] *De opimitate terræ* dicens *erit inhabitatio tua, & à rore cœli.* Iudæorum enim dispositio in Esaü, priorum natu & posteriorum affectu filiorum, à terrenis bonis imbuta per legem postea ad cœlestia per Euangelium credendo, deducitur.

Gen. 15.15. Gen. 15. 5. Gen 26.4. a Gen. 27. 28. b Luc. 12. 31. c Gen. 27. 39.

GLORIA COELI. III. SCHOLIA.

QVID TIBI VIDETVR. *O Marcion, tu qui* A *spiritalia, cœlestia, eterna bona gloriæ, & gratiæ, Deo tuo optimo adscribis, & Deo nostro Creatori, terrena tantum disponenda & distribuenda relinquis. Quid tibi videtur de eo quod scriptum est in Genesi, vbi posteritas Abrahæ non tantùm multitudini arenæ comparatur, sed & stellis? nonne in hoc legis, & clarè vides, Creatorem nostrum de cœlestibus æquè ac terrenis disponere? Quin etiam in ipso benedictionis ordine, Iacob populi Gentilis, & Christiani figura, primò cœlestia accipit, iussus primò quærere regnum Dei, bonis terrenis postea, pro necessitate, tribuendis. Iudæus autem adumbratus in Esau, primò per terrena bona, ad legis transfioris obseruantiam inuitatur, deinde per legem Euangelicam, ad bona cœlestia æternamque gloriam excitatur. Quo liquet, Deum Creatorem, vtriusque legis, populi, mercedis, esse Dominum & dispensatorem.* IN MVLTITVDINEM ARENÆ *Gen. 13.15.* Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum. Faciamque semen tuum sicut puluerem terræ: 70. *Sicut arenam terræ*: Si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. STELLARVM. *Gen. 15. 5.* Suspice cœlum, & numera stel-

las, si potes. Et dixit ei; sic erit semen tuum. *Et* A
Gen. 26. 4. Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli: daboque posteris tuis omnes regiones has: & benedicentur in semine tuo, omnes gentes terræ. DE OPIMITATE. *Gen. 27. 28.* Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini; & seruiant tibi populi, &c. A SÆCVLO. *A Gentilitate.* EVANGELIVM VESTRVM. *Scilicet Luca, quod solum Marcionita recipiunt.* AD ESAV. *Gen. 28. 39.* Cúmque eiulatu magno fleret motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua. *10. autem*: Compunctò autem Isaac, exclamauit voce Esaü, & fleuit: respondens autem Isaac pater eius, dixit ei: Ecce de pinguedine terræ erit B
habitatio tua: & de rore cœli desuper. *De posteritate Abrahæ arenæ comparata, tractat Augustinus lib.*
S. Aug. *16. de Ciuit. cap. 21.* Faciam semen tuum tanquã arenam terræ: quod ea locutione dictum est, quã Græci dicunt hyperbolen, &c. Quis enim non videat, quàm sit incõparabiliter amplior arenæ numerus, quam potest esse omnium ab ipso Adam, vsque ad terminum sæculi? quantò ergo magis quàm semen Abrahæ, non solùm quod pertinet ad Israëliticam gentem, verumetiam quod est, & futurum est, secundùm imitationem fidei, toto orbe terrarum in omnibus gentibus? quod semen in comparatione multitudinis impiorum profectò in paucis est: quamuis & ipsi pauci faciant innumerabilem multitudinem suam, quæ significata est secundùm hyperbolen per arenam terræ, &c. *Et lib. 22. Cont.* C
S. Augst. *Faustum c. 89. in m. de eadem multitudine electorum:* Hinc euidenter apparet, quod per Prophetam Oseam *cap. 1. num. 10.* dictum est: & erit numerus filiorum Israël quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur: & quod consequenter adiunctum est. & erit in loco, vbi dictum est eis: non populus meus vos: dicetur eis; Filij Dei viui: non omnino de illo Israël esse dictum, qui est secundùm carnem, sed de illo, de quo Apostolus Gentibus dicit: vos ergo Abrahæ semen estis, secundùm promissionem hæredes. *De stellis*
S. Augst. *autem sic idem lib. 16. de Ciuit. cap. 23.* Rursus semen innumerabile, non sicut arena terræ, sed sicut stellæ cœli: vbi mihi magis videtur promissa D
posteritas cœlesti fœlicitate sublimis. *Vt per arenam numerosiorem stellis, plures reprobi proiiciendi sicut puluis à facie terræ; electi paucores eleuandi ad*
S. Augst. *firmamentum gloriæ per stellas significati sint.* Nam quantùm ad multitudinem pertinet, quid sunt stellæ cœli ad arenam terræ? nisi quis & istam comparationem in tantùm esse similem dicat, in quantùm etiam stellæ dinumerari non valent, quia nec omnes eas videri posse credendum est. Nam quantò quisque acutius intuetur, tantò plures videt. Vnde & acerrimè cernentibus aliquas occultas esS. Augst. se meritò existimatur, exceptis eis syderibus, quæ in alia parte orbis, *Augustinus agnoscit Antipodas, quos negasse omninò aliqui censuerunt.* A
nobis remotissima oriri & occidere perhibentur. Postremò quicumque vniuersum stellarum numerum comprehendisse & conscripsisse iactantur, sicut Aratus, vel Eudoxus, vel si qui alij sunt, eos libri huius contemnit authoritas. *Genesim intelligit, cùm dixit Abrahæ Deus*, numera stellas si potes. *Et Ieremia. 33.* Sicut dinumerari non possunt stellæ cœli, & metiri arenæ maris, sic multiplicabo semen Dauid serui mei. *De benedictione autem, lib. 16. de Ciuit. cap. 37.* Quis est dolus simS. Augst. plicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? ipsa autem benedictio qualis est? Ecce, inquit, odor filij mei, tanquam odor agri pleni quem benedixit Dominus. Et det tibi Deus de rore cœli, &c. Hoc est de verborum pluuia diuinorum: & de vbertate terræ, hoc est de congregatione populorum: eius est multitudo frumenti & vini, hoc est multitudo, quam colligit frumentum & vinum in Sacramento corporis & sanguinis eius. *Vnde Paulus vim colligendi fideles in vnum agnoscens in hoc Sacramento ait: vnum corpus, vnus panis multi sumus, qui de vno pane participamus. Quæ enim sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Et seruiant gentes, ipsum adorent principes. Ipse est Dominus fratris sui, quia populus eius dominatur Iudæis. Ipsum adorent filij Patris eius, hoc est filij Abrahæ secundùm fidem; quia & ipse filius est Abrahæ secundùm carnem. De Isaac autem decepto, nec irato, sic concludit. Expauit Isaac, & alium pro alio se benedixisse cognoscens, miratur, & quisnam ille sit percunctatur; nec tamen se deceptum esse conqueritur, imò confestim reuelato sibi intus in corde magno Sacramento, deuitat indignationem, confirmat benedictionem. *Inde & quæstione 80. in Genesim iuxta Graecum, ἐξέστη, Ecstasi raptum Isaac notat, pro eo quod legimus expauit Isaac.* Quis non hic maledictionem potiùs expeAugust. ctaret irati, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur? ô res gestas, sed prophetice gestas! in terra, sed cœlitus: per homines, sed diuinitus. *Discrimen autem vtriusque benedictionis aduertit item Aug. ser. 78. de temp.* Omnes qui in August. Ecclesia Catholica terrena sapiunt, terram diligunt, terram concupiscunt, & omnem spem suam in terra constituunt, ad Esaü pertinent. Quicumque ideo Deo seruire optat, vt honoribus crescat, & lucra terrena percipiat, & ipse ad Esaü, id est ad terrenam fœlicitatem pertinere cognoscitur, in Esaü enim carnales intelliguntur, in Iacob verò spiritales. *Et Ser. 44. de diuersis, qui est de Iacob, & Esau fusissimus, vbi notat bonis & malis in vtroque signatis, communia esse bona cœlestia, & terrena, quantùm ad Sacramenta.* A rore cœli omnes scripturas, August. omnem sermonem diuinum, à fertilitate verò terræ omnia visibilia Sacramenta; visibile enim Sacramentum ad terram pertinet. Hæc omnia communia habent in Ecclesia, & boni & mali, &c. Sed illi mali bonam pluuiam in radicem spinarum conuertunt: illi autem boni ad fructum bonum pluuiam trahunt. Nam simul pluit Dominus super segetem & spinas: sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem: & tamen vna est pluuia: sic Verbum Dei omnes compluit, videat quisque qualem radicem habeat. Ambo illud habent quod iam diximus, quod nouimus, quod nostis: sed vt seruiant ei gentes, non accepit nisi Iacob: quia carnales in Ecclesia per totum orbem terrarum non seruiunt nisi spiritalibus. Quare? quia de illis proficiunt spiritales. *Paulò supra dixerat; de illis proficium, cum ipsi deficiunt.* Nam ideò carnales homines serui dicuntur: & si quod nolunt faciunt, *quod* August. *proprium est seruorum*, prodest tamen spiritalibus mala conuersatio carnalium; quia & ex eadem conuersatione proficiunt, & per tolerantiam coronantur. *Ne quid desit, idem Aug. iuxta Tertull.* August. *transitum Iudæorum à terrenis ad cœlestia expressit, libro 17. de Ciuit. cap. 7.* Quamdiu legitur Moyses, velamen super corda eorum positum est. Cùm autem quisque inde transierit ad Christum, auferetur velamen. Transeuntium quippè intentio ipsa mutatur de vetere, ad nouum; vt non iam quisque intendat accipere carnalem, sed spiritualem fœlicitatem. Propter quod ipse magnus Propheta Sa-

muel, antequam vnxisset Regem Saül, &c. Assumpsit lapidem vnum, & statuit illum inter Maspha nouam & veterem, & vocauit nomen eius Abenexer, quod est Latinè, lapis adiutorij: & dixit: vsque huc adiuuit nos Dominus 1. Reg. 7. Maspha interpretatur contentio; *nisus quo tenditur in aliquid*; Lapis ille adiutorij, mediatio est Saluatoris, *quem etiam figurabat medius Isaac inter Iacob & Esau, vtrumque benedicens, & transire faciens Iudaum ad promissiones cœlestes à terrenis*; Per quem transeundum est à Maspha vetere, ad nouam, id est ab intentione, qua expectabatur in carnali regno, *in Saule expresso & petito ab Hebræis, ad Dauid, regnum Christi figurantem, transitu facto*, beatitudo falsa carnalis; ad intentionem, qua per nouum testamentum expectatur in regno cœlorum beatitudo verissima spiritalis: qua quoniam nihil melius est, huc vsque adiuuat Deus. *Sicut etiam, per vitem, ros & pluuia mutatur in vinum; sicut aquam Christus in Cana, vera vitis, transmutauit in vinum: sic veteris Testamenti & Iudæi, tanquam Esau, mutauit promissiones & benedictiones in Iacob: vt qui priùs terrena præferebant, iam cœlestia gaudia & gloriam æternam in Christo quærant, sublato velamine.* Accipe Augustinum tract. 9. in Io. 2. Bonum vinum Christus seruauit vsque adhuc, id est Euangelium

Augus.

Augus.

A

B

suum, &c. Prophetia, quando in illa Christus non intelligebatur aqua erat, in aqua enim vinum quodammodo latet; & dicit Apostolus, quid intelligamus in ista aqua 2. Cor. 3 &c. Cùm transieris, *inquit*, ad Dominum auferetur velamen. Velamen dicit adopertionem prophetiæ, vt non intelligeretur. Tollitur velamen, cùm transieris ad Dominum: sic tollitur insipientia cùm transieris ad Dominum; & quod aqua erat, vinum tibi fit. Lege libros omnes propheticos, non intellecto Christo, *in eis figurato, & bonis gratia & gloria, in rore cœli, frumento & vino adumbratis*, Quid tam insipidum & fatuum inuenies? Intellige ibi Christum, non solùm sapit quod legis, sed etiam inebriat, mutans mentem à torpore, vt præterita obliuiscens, *quasi post dorsum relicta bona terræ*, in ea quæ ante sunt extendaris, &c. *id est cœlestia & aterna promissa in Euangelio, vbi omnis aqua tribulationum, quibus anima & corporis hydria sex diebus huius miseræ vitæ impletur vsque ad summum in septima perpetuæ quietis, à Christo mutabitur in* Vinum verè lætificans cor hominis. *Vbi idem ipse qui gemebas exclamans*; Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam. *In spe cantet*: Replebimur in bonis domus tuæ, &c. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, &c.

* *4. Gloria Regni Cœlestis solis violentis patet, de An. cap. 55. in f.*

ET, quomodo Ioanni in spiritu, paradisi regio reuelata, quæ subjicitur altari, nullas alias animas apud se præter martyrum ostendit? quomodo Perpetua fortissima martyr sub die passionis in reuelatione paradisi, solos illic commartyres suos vidit; nisi quia nullis romphæa, paradisi janitrix cedit nisi qui in Christo decesserint; non in Adam; Noua mors pro Deo, & extraordinaria pro Christo, alio & priuato excipitur hospitio. Agnosce itaque differentiam ethnici, & fidelis, in morte. Si pro Deo occumbas, vt Paracletus monet, non in mollibus febribus, & in lectulis, sed in martyriis; si crucem tuam tollas, & sequaris Dominum, vt ipse præcepit; tota paradisi clauis, tuus sanguis est. Habes etiam de paradiso à nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini. Apoc. 6. 9

GLORIA COELI. IV. SCHOLIA.

SVBIICITVR ALTARI. *Apoc. 6. 9.* Vidi subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: vsquequo Domine Sanctus & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de iis qui habitant in terra? & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: *Donec superuestiantur corpore immortali, pro secunda stola, iam amicti lumine gloriæ essentialis, sicut vestimento.* Et dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiendi sunt sicut & illi. NVLLAS ALIAS. *Et hic vnus est ex erroribus, quo credidit, nullas præter Martyrum animas cœlo frui, vsque ad diem iudicij. Saniùs Augustinus in Martyrum animabus, sumpta parte Ecclesiæ triumphantis pro tota, omnium Sanctorum animas intellexit, quæ non solùm pro Domino, Martyrio glorioso defuncta sunt, sed & in Domino, id est eius gratia ex corpore migrarunt, quocumque morbo; de quibus Psal. 126. 3.* Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce, *Continuò post somnum mortis, si dilecti, omni labe, & ad pœnam obligatione, sine liberi*, Ecce hæreditas Domini, filij: merces fructus ventris. *Et Apoc. 14.* Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis.

C

D

Quo loco vitur Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 19. vbi & insinuat locum Apoc. 6. 9. de animabus Martyrum sub Altari, dum recolit animas occisorum propter testimonium Iesu, & propter Verbum Dei: Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad Altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi, &c. Cur enim fiunt ista nisi quia fideles etiam defuncti membra eius sunt? quamuis ergo cum suis corporibus nondum, ita tamen eorum animæ regnant cum illo, dum isti mille anni decurrunt. *De quibus Apoc. 20. regnauerunt cum Christo mille annis:* Vnde in hoc eodem libro & alibi legitur: Beati mortui qui in Domino moriuntur, &c. Regnat itaque cum Christo nunc primùm Ecclesia in viuis & mortuis. Propterea enim sicut dicit Apostolus, mortuus est Christus, vt & viuorum, & mortuorum dominetur. Sed ideo tantummodo Martyrum animas commemorauit, quia ipsi præcipuè regnant mortui, qui vsque ad mortem pro veritate certauerunt. Sed à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, quod est regnum Christi. *Priorem locum ex Psal. 126. scio Augustinum applicare resurrectionis mercedi, vbi ventrem Ecclesiæ comparat vtero Rebeccæ:* In illa resurrectione mor-

S. Augus.

S. Augus.

S. Augus.

S. Augus.

Digitized by Google

tuorum apparebit partus Ecclesiæ, transiet dolor & gemitus. Et quid dicitur? Ecce hæreditas Domini, &c. Non hic fructus, &c. Quæ est ipsa merces? ipsa merces, resurgere à mortuis. Quæ est ipsa merces? surgere postquam sediſti. Quæ est ista merces? Lætari, postquam manducaſti panem doloris. Cuius ventris? Ecclesiæ. In cuius ventre, quia eius typum Rebecca gestabat, duo illi gemini tanquam duo populi luctabantur. *Sic in vtero Ecclesiæ, electi cum persequentibus reprobis*, Vna mater in visceribus suis dissentientes fratres nondum natos continebat. Pulsabāt materna viscera discordiis internis. Gemebat illa, vimpatiebatur, sed patiens discernebat, quos geminos prægnás pertulerat. Sic & modò fratres, quandiu gemitus datus est Ecclesiæ, *in partu Martyrum, & violenter rapientium cœlum*, quandiu parturit Ecclesia, ipsi sunt intus & boni & mali. Fructus autem ventris, quia ipsum dilexit mater; Iacob dilexi, dicit & Deus, Esaũ autem odio habui: Ambo de vno vtero processerunt, vnus amari meruit, *ex dono gratiæ*: Alius reprobari, *ex merito vtriusque peccati*. In dilectis ergo eius, fructus erit. *Post somnum mortis, in resurrectione*. Ergo merces fructus eius ventris. *Id est resurrectio, fructus est doloris, quem Ecclesia patitur, dum ventre portat martyrem, & quemcumque iustum, persecutionem patientem, maximè duriorem à fratre baptizato, sed reprobo. A quocumque autem vel ferenda est violentia, vel sibimet pro cœli gloria inferenda.* PERPETVA. *Aug. to. 9. tract. 5. qui est de tempore Barbarico cap. 5.* Habetis virorum fortium magna exempla. Vicerunt Martyres mundum, inter quos martyres mares, etiam fœminæ repertæ sunt fortiores, &c. Et cùm tot ibi sint viri, quare istæ duæ præ omnibus nominantur, nisi quia infirmior sexus, aut æquauit virorum fortitudinem, aut superauit? Vna earum erat prægnans, alia lactans: Fœlicitas parturiebat, Perpetua lactabat. Sed tandiu hæc Perpetua lactauit, quandiu acciperet ab illo Pastore simul & Patre buccellam lactis, *Intellige Sanctam Eucharistiam, buccellam lacteam*, Quâ acceptâ, dulcedo felicitatis perpetuæ, eam fecit contemnere filium, spernere patrem, non inhærere mundo, perdere animam pro Christo. *Vel per buccellam lactis, gustum, siue prægustum pralibati torrentis voluptatis, botri terræ promissæ, lacte & melle emanantis.* Felicitas verò quæ sociam habebat Perpetuam, & parturiebat, & dolebat; obiecta bestiis gaudebat potiùs quàm timebat. Quæ virtus in fœminis! qualis est gratia, quæ cùm se infundit, nullum indignum iudicat sexum! Gratias, *supplè agamus*, Gratiæ Dei; reparauit enim sexum mulierem. In opprobrium magnum mulier remanserat, quia ab initio per mulierem, peccatum; & propter hanc omnes morimur. Diabolus vnam Euam deiecit, sed Christus natus ex virgine multas fœminas exaltauit. Perpetua & Felicitas caput calcauerunt serpentis, quod Eua ad cor suum intus admisit. Illam seduxit, falsa promittendo, illas non valuit superare fœuiendo. Illam decepit in paradisi fœlicitate, has non potuit adire nec sub substantiarum depositâ potestate. Illius inter paradisi delicias ruinâ gaudius est; harum inter pœnas fortitudinis constantiam. ipse quodammodo diabolus expauit. Meritò sic sunt exaltatæ, meritò viris vel coæquatæ, vel prælatæ. Quamuis enim in Christo Iesu non sit seruus neque liber, non sit masculus neque fœmina, sed omnes sint vnum, occurrentes in virum perfectum; descendit tamen hoc donum ex magna gratia. Perpetua enim & Felicitas, nomina istarum sanctarum feminarum, merces est Sanctorum omnium Martyrum. *Quia scilicet perpetuo in æternitate fœlices erunt. Quod Perpetua virilis fuerit fœmina, docuit visio, de qua idem Augustinus to. 7 lib. 4. de Origine animæ quem scripsit ad Vincentium Victorem cap. 18.* De conscriptis vitionibus Martyrum dicendum est aliquid, quoniam tu etiam inde testimonium adhibendum putasti. Nempè S. Perpetua vita sibi est in somnis cum quodam Ægyptio in virum conuersa luctari. Quis autem dubitet in illa similitudine corporis, animam eius fuisse non corpus, quod vtique in suo fœmineo sexu manens, sopitis sensibus iacebat in stratis, quando anima eius in illa virilis corporis similitudine luctabatur? &c *Sed ibidem Augustinus refert quod valet ad errorem Tertulliani pretaxatum, ex actis eiusdem S. Perpetuæ retundendum, vbi de fratre eius septenni Dinocrate, precibus eius liberato.* Si in non vero corpore, *In quo apparuit ei fratris anima*, vera miseria fuit animæ quæ significabatur adumbrato corporis vulnere, de qua sororis Sanctæ orationibus meruit liberari, &c. *In cuius Sanctæ actis, à Baronio in Annot. ad Martyrologium Rom. citatis, narratur idem Dinocrates liberatus sororis precibus æterna fœlicitate donatus, contra Tertullianum, solos Martyres in cœlo vidisse narrantem.* ROMPHÆA. *Gladius versatilis Cherubin custodis Paradisi.* CEDIT. *Viam aperit.* NON IN ADAM. *Morte naturali.* NOVA. *Non vt vetus, pro merito peccati, sed noua pro Dei fide & gratia noui Testamenti.* EXTRAORDINARIA. *Violenta; spontanea tamen, vnde & extraordinaria, quia præter ordinem est naturæ, vt sui ipsius destructionem appetat; vt Christo sponte oblato, spontaneam mortem offerat & referat.* ALIO. *Non communi inferorum; in loco tamen quieto receptaculo.* PRIVATO. *Quo cæteri, præter Martyres, priuantur.* DIFFERENTIAM. *Cùm mors fidelis, vt naturalis est, non differat ab infideli.* VT PARACLETVS. *Vel Montanus, vt magis inclino, ob eius errorem; vel Spiritus Sanctus ad Martyrium impellens.* IN MOLLIBVS. *Respectu violentiæ martyrij in cæteris, equuleis, lanienis, tolerati.* VT PRÆCEPIT. Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. TOTA CLAVIS. *Sic Stephano hac clausi cœli aperti sunt. Sic violenti rapiunt illud. De quo loco plura Scholio 6. dicturi breuiter perstringimus ex Aug. lib. 1. de ser. Do. in Monte cap. 15. vbi refert verba Christi Luc. 14.* Quisquis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. *Quod in memoratis duabus sanctis impletum supra vidimus*, &c. Sed quàm verum est quod regnum cœlorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Quanta enim vi opus est, vt homo diligat inimicos, & oderit patrem & matrem, &c. Vtrumque enim iubet, qui ad regnum cœlorum vocat, &c. Regnum æternum, quo discipulos suos quos etiam fratres appellat, vocare dignatus est, non habet huiusmodi necessitates temporales. *Intelligit per illas necessitates, propagationem generis humani per parentes, & societatem inter coniuges & consanguineos, vitaque propria conseruationem, quas necessitates in quantum corruptibiles odisse debet Christianus, vel cùm propterea conseruanda fides aut gratia Dei, & proinde cœli gloria amittenda est: Quam qui meditatur, omnia præsentia odit, facta sibi in omnibus violentia; cùm in cœlo innupti similes sint futuri Angelis, vbi vnus pater, cum Angelis & hominibus fratribus, in vna matre Ierusalem.* Coniugium, *inquit*, cum illo simul nobis in vnum redactis quasi vnius coniugis erit, qui nos

S. Augustin. S. Augustin. Augustin. Augustin. Augustin. Augustin.

de prostitutione huius sæculi, sui sanguinis effusione liberauit. *Quod si Paulus de Ecclesia militanti ex fidelibus in vnam virginem collecta, desponsari vni viro virginem castam exhibere Christo; quantò magis de triumphanti?* Necesse est ergo, vt oderit

August.

A ea quæ transeunt, discipulus Christi, *Non tantùm in se, sed in suos violentus.* In iis quos secum ad ea venire desiderat quæ semper manebunt: & tantò magis hæc eis oderit, quantò magis eos diligit.

5. Gloria cogitatio sensum doloris sopit. ad Mart. cap. 2. in f.

ET si corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, & non stadia opaca, aut porticus longas proponens tibi, sed illam viam quæ ad Deum ducit. Quotiens eam spiritu deambulaueris, totiens in carcere non eris. Nihil crus sentit in neruo, cum animus in cœlo est. Totum hominem animus circumfert, & quò velit, transfert. [a] *Vbi autem erit cor tuum, illic erit & thesaurus tuus.* Ibi ergo sit cor nostrum, vbi volumus habere thesaurum.

[a] Math. 6. 21.

GLORIA COELI. V. SCHOLIA.

CORPVS INCLVDITVR. *In carcere.* DETINETVR. *In vinculis.* STADIA OPACA. *Arboribus hinc inde spatia longa consita, ad cursum & exercitationem.* ILLAM VIAM. *De qua Christus Matth. 7. 14.* Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. *Aug. Ser. 55. de temp. & mutu pœna, & cogitatione & spe gloriæ, vbi thesaurum & cor reponere debemus, hortatur ad cuiuslibet duru ferenda.* Quid permanet in homine, nisi quod quisque aut legendo, aut orando, aut bona opera faciendo, pro animæ salute, in thesauro conscientiæ suæ recondiderit? infelix enim voluptas, infelicior cupiditas atque luxuria, per transitoriam dulcedinem præparat sempiternam amaritudinem. Absunentia vero, vigiliæ, orationes, atque ieiunium, *Quin & ipsa angustiæ eæ sunt, de quibus hic Tertullianus*, per brevissimas angustias perducunt ad paradisi delicias: quia non mentitur veritas quæ in Euangelio dicit, arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam, &c. Nec per latam viam diu gaudetur, nec per angustam & asperam longo tempore laboratur, quia & isti post breuem tristitiam accipiunt vitam æternam; & illi post paruum gaudium patiuntur sine fine supplicium. *Deinde breuiter contemnenda mundi ambitacra & delicias mediationis gloria docet.* Iste mundus aut ridet nos, aut ridetur à nobis: aut acquiescimus, & despicimur, aut contemnimus, vt æterna præmia consequamur. Ac sic aut contemnis & despicis mundum, aut acquiescis & premeris vel calcaris à mundo. Sed melius est vt calces mundum, & calcato eo gradum tibi facias, per quem in sublime conscendas. IN NERVO. *Instrumento ligneo quo crura tenebantur vincta in carcere, vbi erant plura foramina; Ex Catone, Plauto, Eusebio; quo vtebantur tyranni ad diuaricanda, & distrahenda, luxandáque Martyrum crura.* CVM ANIMVS IN COELO. *Meditatione, spe, amore, corde. Cùm enim cor & animus sit principium vitæ & sensus, abstractus animus à corpore, eum sensu primas, cùm magis ibi sit vbi amat, quam vbi animat. Inde ex Aug. Laurentius mediis in ignibus, cœli refrigeria possidebat.* TOTVM HOMINEM. *Quia cùm totus homo consistat in interiore & exteriore, in sensibili & intelligibili, vbi fueris anima, ibi secum transferes,*

August.

B *& quod sensibile est in homine, vt patet in Ecstaticis, qui ignem & gladium non sentiunt. Bellè in hanc rem Augustinus in Psal. 129.* Sæculi homines infeliciter felices sunt. Martyres autem feliciter infelices erant. Erant enim ad tempus infelices, sed in æternùm felices: & in eo ipso quod erant ad tempus infelices, putabantur magis infelices qui in erant. Quid enim dicit Apostolus? quasi tristes, semper autem gaudentes. Quare semper? & hìc, & ibi. Prorsus & hìc, & ibi. Hìc enim vnde gaudemus? de spe. Ibi vnde gaudemus? de re. Magnum gaudium habet spes gaudentis. Et, si spe gaudentes, videte quid sequitur; in tribulatione patientes. Martyres ergo ideo in tribulatione patientes erãt, C quia spe gaudebant. Sed quia nondum erat illud quod promittitur, quid dicit Apostolus? Spes quæ videtur non est spes. Si autem quod non videmus, speramus; per patientiam expectamus. Ecce quare omnia Martyres pertulerunt; quia, quod non videbant, per patientiam expectabant: Illi qui eos occidebant, quæ videbant, amabant: illi qui occidebantur, ad ea quæ non videbant, suspirabant, & ea quæ non videbant, apprehendere festinabant, & quòd tardiùs occidebantur, moras sibi fieri arbitrabantur. Ergo fratres Felix Martyr & verè fœlix & nomine & coronâ, cuius hodie natalis est, contempsit mundum. An fortè quia timebat Dominum inde erat fœlix? Inde erat beatus, quia vxor eius tanquã vinea fertilis in terra, & filij eius circumdederunt mensam eius? omnia ista perfectè habet, sed in corpore illius, *Id est Ecclesia Christi*, qui hìc describitur. Et quia sic ille intellexit, cõtempsit præsentia, vt acciperet futura. Nouerint autem fratres non eum passum mortem, quam alij Martyres passi sunt. Confessus est enim; dilatus est ad tormenta, alio die inuentus est corpus exanime, clauserant enim illi carcerem; sed corpori, non spiritui. *Qui etiam in carcere deambulabat in cœlo, vbi thesaurus & cor eius erat.* Quem illic parabant torquere carnifices, absentem inuenerunt, perdiderunt sæuitiam suam. Iacebat exanimis, sine sensu, illis, ne torqueretur: cum sensu apud Deũ, vt coronaretur. *Vide supra dicta de Perpetua, & Felicitate, quibus beatus Felix in sortis felicitate respondet, vt quadras in contextus nostri ordine.*

D

S. Augustin.

S. Augustin.

6. Gloria meditatio agonem leuat, à paruis ad magna certamina progredientis. ad Mart. cap. 3. in m. ad f.

PROinde vos benedicti, quodcunque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus viuus est: Xystarches Spiritus sanctus: corona æternitatis: brabium angelicæ substantiæ politia in

Digitized by Google

cælis, gloria in ſecula ſeculorum. Itaque epiſtates veſter Chriſtus Ieſus, qui vos ſpiritu vnxit, & ad hoc ſcamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere, vt vires corroborarentur in vobis. Nempe enim & athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, vt robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur; quantò plùs in exercitationibus laboraverint, tantò plùs de victoria ſperant. [a] *Et illi*, inquit Apoſtolus, *vt coronam corruptibilem conſequantur; nos æternam conſecuturi*, carcerem nobis pro palæſtra interpretemur, vt ad ſtadium tribunalis, bene exercitati incommodis omnibus, producamur: quia virtus duritiâ extruitur, mollitiâ verò deſtruitur. *V. Verbum, Fortitudo, num. 1.*

a 1. Cor. 9. 25.

GLORIA COELI. VI. SCHOLIA.

BENEDICTI. *Chriſtianos ad Martyrium hortatur in carcere durè tractatos.* BONVM AGONEM. *1. Tim. 6. 12.* Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus. *Et Hebr. 12. 1.* Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. AGONOTHETES. *Qui præeſt certamini, & proponit munera certantibus. Sic Cyrillus Alex. homil. 1. de Paſch.* Agonotheta iuſtorum eſt Deus. *Et Chryſoſt. orat. de Bapt. Chriſti. dat Agonithæ humeris ſtolam, capiti coronam, manibus eius virgam. Et homil. 21. ad Pop. Antioch.* Hic Agonotheta propugnatoribus commilito fit & auxiliator, cum ipſis contra diabolum pugnam B attingens. *Hiero. lib. 1. contra Iouin.* Proponit Agonotheta præmium, inuitat ad curſum, tenet in manu virginitatis brauium, oſtendit puriſſimum fontem, & clamitat; qui ſitit veniat, & bibat. XISTARCHES. *Xyſtis & ſtadiis præſidens.* EPISTATES. *A Philone dicitur* Sacri certaminis Præfect. *A verbo. ἐπίστημι. Præſideo, Magiſtratum gero.* CORONA ÆTERNITATIS. *Cuius circumferentia nuſquam, centrum ſemper; cuius reſpectu aiebat Paulus*: Momentaneum & leue tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. BRABIVM. *Certaminis præmium, aliter*, Brauium, *De qua Paulus*: Vnus accipit brauium. POLITIA. C *Concinium Angelorum habitatio. De qua Paulus*: Ciues Sanctorum & domeſtici Dei, &c. *Subſtantia eadem gloria, & immortalitas.* SCAMMA. *Locum certaminis ſive arenam circumſeptam foſſis, in qua athleta pugnabant à verbo σκάπτω, id eſt fodio. Chryſoſt. ſer. 33. de hemoroiſſa*: Dicere non eſt auſa, ne circumſtantiam confunderet, & oneraret auditum, ne fieret populorum fabula, quæ tot annis ſtadium & ſcamma fuerat paſſionum. *Id eſt dolorum: & S. Ephrem de luctu ſpirituali à p.* Scamma eſt medius locus, in quo athletæ luctantur. ANTE DIEM AGONIS. *Martyrij & mortis.* ATHLETÆ SEGREGANTVR. *Abſtrahuntur à deliciis enervantibus, vt robuſtiores evadant. Expreſsè Paulus 1. Cor. 9. 25.* Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet; & illi quidem vt corruptibilem coronam D accipiant, nos autem incorruptam. PALÆSTRA. *Locus exercitationis eſt.* STADIVM, *autem, veri certaminis; cùm Paleſtra ſit locus preludij. Præclarè*

S. Auguſt. *Auguſtinus vitro comparat corruptibilem fragilemque coronam mundanæ gloriæ lib. 4. de Ciuit cap. 3.* Vitro lætitia eorum comparetur fragiliter ſplendida, cui timeatur horribiliùs, ne repente frangatur, de imperij magnitudine ac latitudine velle gloriari. *Et lib. 5. cap. 16. exemplo Gentilium pro vana gloria certantium fideles hortatur*: Ciues æternæ illius ciuitatis,

S. Auguſt. quandiu hic peregrinantur, diligenter & ſobriè illa inquirantur exempla, & videant, quanta dilectio debeatur ſuperna patriæ propter vitam æter-

nam, ſi tantùm à ſuis ciuibus terrena dilecta eſt propter hominum gloriam. *Et Ser. 20. de Sanctis, vbi dat abundanter quod ſupra promiſſum Scholio 4. iam exoluam.* A diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur. Nouimus quia familiariter mens humana in diuerſis huius mundi illecebris & concupiſcentiis deuicta fugit laborem, expetit voluptatem, & vix adducitur, vt conſuetudinem à ſe vitæ prioris excludat: Sed cum cœperit cogitare vlrimi diei neceſſitatem, ac futuri iudicij pondus, incitata & ſtimulata, vel ſpe præmij, vel timore ſupplicij, voluntarium bellum indicit paſſionibus, & vim facit priſtinis ſuis deſideriis, & violenter ſe vincere ipſa contendit. Non enim ſine violentia fieri poteſt, vt de abundantia & deliciis, ad famem & ſitim, ad abſtinentiam & crucem tranſeat, vt à ſomno priùs atque otio, amicam carnem contritione vigiliſque conficiat. Non inquam ſine violentia fieri poteſt, vt vnuſquiſque iracundiam patientiâ, ſuperbiam humilitate commutet: amore paupertatis, diuitiarũ ac ſufficientiæ affluentiã ſuperet, vinolentiam ſobrietate, luxuriã caſtitate cõdemnet, & homo ſubitò in virũ trãsformetur perfectũ, & quodammodo alter reddatur ex altero, ac ſic à talibus per violentiã regnũ cœleſte diripitur. Duo autem ſunt abſtinentiæ & crucis genera, vnũ corporale, aliud ſpiritale: vnum à potu atque epulis temperare, appetitum gulæ à delectationibus & molliſſimis ſuauitatibus coërcere, ab his quæ per taſtum, & guſtum, viſumque decipiunt, ſenſum viriliter reuocare, ac violenter abſtrahere. Alterum abſtinentiæ & crucis genus eſt pretioſius atque ſublimius; motus animi regere, & perturbationes illius, modeſtiæ tranquillitate placare; iræ, ac ſuperbiæ impetus, quaſi feram beſtiam refrenare; litigare quotidie contra vitia ſua, increpare ſe quâdam cenſurâ auſteritatis & virtutis, & rixam quodammodo cum homine interiore conſerere. Pretioſa in conſpectu Dei crux eſt. *Agonotheta noſtri, cui & Angelis in hoc virtutis ſtadio ſpectaculum ſumus, &c.* Hæc qui facit, præ- Auguſt. rupto paſſionis muro, violenter ad cœlorum regna conſcendit. Vim itaque ſibi facturus eſt anima, vt palmam laborum, quam ſibi ſubtrahi multis inimicis aduerſantibus ſentit, viribus contendat eripere. Neceſſe ergo eſt, cum ſummo labore ex hoc mundo rapere palmam ſaluris, & quaſi excubantibus circumiectis hoſtibus, *quaſi ex horto Heſperidum*, obſeſſos peruigili intentione fructus decerpere, & prædam à theſauro vitæ velut de medio abreptam ſæculi huius incendio reportare, &c. Adhuc & alio ordine regnum cœlorum vim patitur, quando illud homines acquirunt, quod Angeli perdiderunt; quando illuc adoptati humiles aſcendunt, vnde ſuperbi incolæ ceciderunt. Ergo cùm inter tantos inuidos, inter tantos latrones, & inuiſibiles inſidiatores viuamus, quibus tan-

dem

dem viribus cœlorum regna captemus? *Dei certè gratia, quam dat humilibus, luctantibus cum superbis Angelis, attestante Paulo quod*; Non est colluctatio nobis aduersus carnem & sanguinem, sed aduersùs rectores mundi huius, & potestates tenebrarum harum.

GRATIA DEI.

1. *Gratiam & pacem præfatur in Epistolis Paulus Apostolus Creatoris; qua à Deo Patre, & Christo per Patrem dominante, dantur peccatori Deum offendenti & rebelli. 5. cont. Marc. cap. 5. in p.*

PRæstructio superioris epistolæ ita duxit vt de titulo eius non retractauerim, certus & alibi retractari eum posse; communem scilicet, & eundem in epistolis omnibus: quod non vtique salutem præscribit eis quibus scribit, sed [a] *gratiam & pacem*. Non dico, quid illi cum Iudaïco adhuc more, destructori Iudaïsmi? Nam & hodie Iudæi in pacis nomine appellant, & retrò in scripturis sic salutabant. Sed intelligo illum deffendisse officio suo prædicationem Creatoris, [b] *Quàm maturi pedes euangelizantium bona euangelizantium pacem!* Euangelizator enim bonorum, id est gratiæ Dei, paci eam præferendam sciebat. Hæc cùm [c] *à Deo Patre nostro, & Domino Iesu* adnuntians, communibus nominibus vtatur comperentibus nostro quoque sacramento, non puto dispici posse quis Deus Pater, & Dominus Iesus prædicetur, nisi ex accidentibus, cui magis competant. Primò quidem Patrem Dominum præscribo, non alium agnoscendum, quàm & hominis & vniuersitatis Creatorem & institutorem. Porrò, Patri etiam Domini nomen accedere ob potestatem, quod & Filius per Patrem capiat. Dehinc, gratiam & pacem non solum ejus esse, à quo prædicabantur, sed eius qui fuerit offensus. nec gratia enim fit, nisi offensæ; nec pax, nisi belli. & populus autem per disciplinæ transgressionem, & omne hominum genus per naturæ dissimulationem, & deliquerat, & rebellauerat aduersùs Creatorem. Deus autem Marcionis & quia ignotus, non potuit offendi, & quia nescit irasci. Quæ ergo gratia à non offenso? quæ pax à non rebellatore?

a 1. Cor. 1. 3.

b Esa. 52. 7. Nahum. 1. 15. & Rom. 10. 15.

c 1. Cor. 1. 3.

GRATIA DEI. I. SCHOLIA.

PRÆSTRVCTIO ITA DVXIT. *Dum de epistola ad Galatas superiùs argumenta struxi contra Marcionis errorem, non iudicaui necessarium esse, tractare de eius titulo, cùm alibi possem id agere, quia communis est & idem titulus omnibus Pauli epistolis, qui non more aliorum præfatur cum precatione salutis, sed Gratia & pacis, dum non sic scribit vt alij*: Salus: *Sed vt hîc* 1. Cor. 1. 3. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo. DESTRVCTORI. *Non iam*, inquit, *Marcionem interrogo, dicens; Si Paulus, vt vult Marcion, à Deo suo bono, æmulo Creatoris, missus est ad Iudaïsmum euertendum; quid iudaïcum morem vsurpat, non solum veterem, sed etiam hodiernum, quo se salutant, & inuitant, præmisâ pace? sed addo insuper, quod Paulus iuxta Esaïam Prophetam Creatoris*, alibi à nobis expositum, *bonum & donum gratiæ Dei, & noui Testamenti, etiam paci veteri præferendum confirmabat; hoc facto, se Creatoris Apostolum probans. Cùm autem Paulus vtatur nominibus tam Marcioni, quàm fidei nostræ mysterio congruentibus, & dicat*. Gratiam & pacem à Deo Patre nostro & Domino Iesu: *Cuinam ex duobus diis, & Christis, competant nomina Domini & Patris, acutè discernendum est, ex proprietatibus conuenientibus. Decerno enim primò, nullum alium Patrem agnosci posse Dominum, quàm qui mundum & hominem creauit: præterea dico, Deo Patri congruere nomen Domini, propter potestatem & dominium patriæ potestatis, quam solus qui creauit & genuit, legitimè exercere potest: quod nomen proinde Deo Marcionis nihil creanti non competit*, QVOD ET FILIVS. *Quod item nomen Domini iustè Paulus tribuit filio, in quantùm à Patre genitus est Dominus*, per quem fecit & sæcula; per quem omnia facta sunt. *Accepit igitur à Deo Patre honorem, vt eum Rex Dauid ex carne & semine suo factum hominem, vt Deum de Patre Deo genitum, communem omnium Patrem Dominumque agnosceret, & diceret de equali Patri Domino*: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: *Et Christus Patri*: Dominus dixit ad me; filius meus es tu; ego hodie genui te. *Christo autem Marcionis, per Patrem, non conuenit nomen Domini; quia Pater eius nihil per ipsum creauit, in quod dominium suum exerceret, quo titulum Domini iure caperet*. DEHINC GRATIAM ET PACEM, &c. *Secundo, dico, & definio contra Marcionem, propriè eius Dei esse dare gratiam & pacem, qui non tantùm, per suos Prophetas eam dandam esse prædixit, & à suis Apostolis velut maturis & pulcris pedibus suis, in summo perfectionis monte, hoc est lege Euangelica annunciare debebat; sed maximè, quòd gratiam dare & pacem ad regem & iudicem pertineat, qui à suis subditis contra se pugnantibus & rebellibus, fuerit offensus*. POPVLVS AVTEM. *Israëliticus per legis violationem Deo Creatori rebellis fuit, & omne genus humanum, in Adam, contra Deum peccauit*. DISSIMVLATIONEM. *Dissimulauit enim humani generis princeps Adam, se Creatoris esse seruum, libero abusus arbitrio; & diuino renuit obedire mandato; & quasi dissimulasset, id est, animaduertere neglexisset, naturam suam & libertatem à Domino Deo creatam, quasi Dominus sui ipsius esset, naturalem suam seruitutem non agnouit; cùm tamen Deus, vt alibi diximus, ipse dominium suum dissimulauerit, nomen* DOMINI *non vsurpans donec hominem propriè seruum suum crearet, qui propriè & solus Dominum intelligere posset. De quo sic Psalles*: Noluit intelligere vt bene ageret; iniquitatè meditatus est in cubili suo, &c. *id est corde suo. Quia iniquè se subduxit Domini sui dominio. Deus autem Marcionis nullo effectu & opere notus, & laudi vel irasci nescius, non potuit offendi. Non ergo Paulus fuit eius Apostolus; nec à Deo Marcionis, aut Christo eius, tanquam Patre & Domino gratiam & pacem dare, & prædicare potuit hominibus. De*

d by Google

gratia sic Augustinus epistola ad Sixtum: De gratiæ
S. Augst. Dei commendatione maximè ad Romanos Apostolica epistola loquitur, vt inde se prædicatio eius, velut à capite orbis, toto orbe diffunderet. Hæc est enim, qua iustificatur impius, id est fit iustus, qui priùs fuerat impius. Et idcò percipiendæ huius gratiæ merita nulla præcedunt: quia meritis impij, non gratia, sed pœna debetur. Nec ilta esset gratia, si non daretur gratuita, sed debita redderetur. *Pacem autem, reconciliationem cum inimicis esse docuit Paulus, & post eum Augustinus, ad mentem Tertulliani, primo retractationum.* Gratia Dei,
S. Augst. qua nobis donantur peccata, vt reconciliemur Deo, pax autem qua reconciliamur Deo. *Et Rom. 5. Commendat suam charitatem Deus in nobis, quoniã cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est, &c.* Cùm inimici essemus,
S. Augst. reconciliati sumus Deo. *Aug. in Psal. 85.* Dominus noster pro impijs mortuus est: neque enim merita nostra præcesserant, pro quibus Filius Dei moreretur; sed magis quia nulla erant merita, magnâ erat misericordia. Quàm certâ ergo, quàm firmâ promissione seruat iustis vitam suam, qui donauit iniustis mortem suam! *Et tract. 110. in Io. hanc gratiam & pacem exaggerat inimicis & rebellibus datam, per verum Dominum Iesum Christum qui nos Angelis prætulit mera gratia sua, de qua non gloriari, sed magis humiliari debemus. Insignis prorsus locus est, & sensum Tertulliani exsuperans; circa finem*
S. Augst. *tractatus sic habet.* Incomprehensibilis est dilectio qua diligit Deus, neque mutabilis. Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem filij eius, *pacificantem, & gratum facientem hominem Deo, hoc est gratiam dantem & pacem*, nos cœpit diligere: sed ante mundi constitutionem dilexit nos, vt cùm eius vni genito etiam nos filij eius essemus, priusquam omnino aliquid essemus. Quòd ergo reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, non sic audiatur, non sic accipiatur, quasi ideo nos reconciliauerit ei filius, vt iam inciperet amare, quos oderat, sicut reconciliatur inimicus inimico, vt deinde sint amici, & inuicem diligant, qui oderant inuicem: sed iam nos diligenti reconciliati sumus ei, cum quo, propter peccatum, inimicitias habebamus. Quod vtrùm verum dicam attestetur Apostolus: commendat, inquit, dilectionem suam Deus in nobis: quoniam adhuc cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Habebat itaque ille erga nos Charitatem, etiam cùm inimicitias aduersùs eum exercentes, operaremur iniquitatem: Et tamen ei verissimè dictum est; odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem. Proindè miro, & diuino modo, & quando nos oderat, diligebat: oderat enim nos *in quantùm iniquos, & inimicos, & rebelles peccatores*, quales ipse non fecerat. Et quia iniquitas nostra, opus eius, *id est naturam bonam, quam Deus Marcionis non fecit, sed Deus Creator condidit*, non omni exparte consumpserat; nouerat simul in vnoquoque nostrûm, & odisse quod feceramus, & amare quod fecerat; & hoc quidem in omnibus *creaturis quibuscunque*, intelligi potest de illo, cui veraciter dicitur; nihil odisti eorum quæ fecisti. Non enim, quodcumque odisset, esse voluisset, aut omnino esset, quod omnipotens esse noluisset; nisi & in eo quod odit, esset etiam quod amares. Meritò quippè odit, & velut à regula suæ artis, *Verbi sui, omnium artificis sapientiæ suæ, vnicæ Ideæ suæ, & formæ omnium exemplaris*; Alienum improbat vtrumque: amat tamen suum, etiam in vitiosis, vel sanationis beneficium, *Gratiam medicinalem Christi alibi vocat*, vel damnationis iudicium, *vtique rectum. Vt ex beneficio misericordia, & gratia data, & pax inimicis & rebellibus, sine vllis meritis, magis eluceat; & in damnatione reproborum iustissima, rectum iudicium appareat. Quod vtrumque vt bonum & optimum, & Deo, & hominibus & Angelis amabile est: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Iustus Dominus & iustitiam dilexit. Diligit misericordiam & iudicium. Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda. Rectorum scilicet tam Angelorum quàm hominum. In vtroque enim attributo exclamat Psaltes: Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde.* Ita Deus & nihil odit eorum quæ fecit: naturarum enim, non vitiorum conditor, mala quæ odit, ipse non fecit: & de malis eisdem, vel sanando ea per misericordiam, vel ordinando per iudicium, bona sunt ipsa quæ fecit. Cùm igitur eorum quæ fecit, nihil oderit, quis dignè possit eloqui, quantùm diligat membra vnigeniti sui, *Electos intelligit propter quos, & reprobi sunt, qui eos iniuste persequendo, ad augenda patientiæ merita; & gratitudinem beneficij electionis, rependendam; cùm & damnationis' meritum haberent æque inimici eius, sicut & reprobi.* Et quantò ampliùs ipsum vnigenitum, in quo condita sunt omnia, visibilia & inuisibilia, quæ in suis generibus ordinata, ordinatissime diligit? membra quippè vnigeniti, ad Angelorum Sanctorum æqualitatem, gratiæ suæ largitate perducit. *De quo scriptum est, orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, iustitia in reprobos homines & Angelos, abundantia & largitas pacis in electos homines & Angelos. In diebus eius, non tantùm, quibus homo factus, copiosum redemptionem operatus est in medio terræ; sed diebus, de quibus scriptum est: egressiones eius, id est effusiones gratiæ, à diebus æternitatis. De quibus rursum Abacuc: Deus autem noster rex, ante sæcula operatus es salutem in medio terræ. Et pro reprobis subiicit: terribilis est, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua. Ex tunc, inquam, ab æterno, in eos qui natura futuri videbantur filij iræ, vel in peccato originali, vel in proprio actuali. De cælo auditum fecisti iudicium, in Luciferum & suos coapostatas; de quo Christus: videbam satanam, ab æterno scilicet, tanquam fulgur de cælo cadentem.* Vnigenitus autem, cùm sit Dominus omnium, *Sic Tertull. post Paulum, gratiam, & pacem à Domino Iesu Christo dat Romanis*, Proculdubio est
Augst. Dominus Angelorum, naturâ, qua Deus est, non Angelis, sed Patri potiùs æqualis. Gratiâ verò qua homo est, quomodo non excedit excellentiam cuiuslibet Angeli, cùm sit vna persona carnis & Verbi? quamquam non desint qui etiam nos Angelis præferant, quia pro nobis, inquiunt, non pro Angelis mortuus est Christus, *id est malis: vnde moriens non tam pondere emersit capitis quàm amoris, in terram inclinato capite emisit spiritum. Licet tamen pro Angelis immortalibus & sanctis non sit mortuus, vt eos iustificaret aut viuificaret; caput tamen Angelorum est, quia caput est omnis Ecclesiæ, in quo omnes tam Angeli quàm homines electi sunt ante constitutionem mundi; vt de plenitudine gratiæ ei datæ, acciperent vniuersi. Et ipse cum omnibus, iuxta Aug. sine suis meritis, ex mera Dei gratia prædestinatus Filius Dei, &*
Augst. *caput omnium electorum. Augustinus ergo sic gloriam nostram vanam comprimit, si aduersùs Angelos de prælatione extollamur, quod pro nobis mortuus sit Christus, vt nobis mereretur gratiam & pacem.* Id quid est aliud, quàm de impietate velle gloriari? Etenim Christus, sicut ait Apostolus iuxta tempus *Præfinitum à Deo, vel iuxta Syr. cùm essemus peccatores, id est ipso inimicitiarum tempore, quia tempus miserendi eius quia venit tempus, acceptum & opportunum gratiæ in-*

dignis dande, pro impiis mortuus est. Hîc ergo non A meritum nostrum, sed Dei misericordia commendatur. Nam quale est, ideo se velle laudari, *idque super Angelos*, quia vitio suo tam detestabiliter ægrotauit, vt non posset aliter quàm Medici morte sanari? *Cùm Angeli medicum incarnandum stantes & sani adorauerint, cùm intro luceret Pater vnigenitum suum in orbem terra; cuius & meritis, & Dei Patris gratiâ cæteri in veritate non stantibus, perstiterunt.* Non est hæc nostrorum gloria meritorum, sed medicina morborum. An ideo nos præferimur Angelis, *malis scilicet*; quia cùm & Angeli peccauerint, nihil eis tale, vnde sanarentur, impensum est; quasi aliquid eis vel paruum fuerit impensum, & nobis amplius? Quod etsi factum esset, adhuc quæri posset, vtrum ideo fuisset factum quòd steteramus excellentiùs, an quòd desperatiùs iacebamus? cùm verò nouerimus bonorum omnium Creatorem reparandis Angelis malis nihil gratiæ contulisse: cur non potiùs intelligimus, quòd tantò damnabilior eorum indicata sit culpa, quantò erat natura sublimior? Tantò enim minùs quàm nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuerunt. Nunc autem in offendendo Creatorem, tantò execrabiliùs beneficio eius ingrati extiterunt, quantò beneficentiùs sunt creati: nec eis satis fuit desertores esse illius, nisi & nostri fierent deceptores. Hoc itaque nobis magnum bonum conferet, qui dilexit nos sicut dilexit Christum: vt propter ipsum, cuius membra nos esse voluit æquales Angelis sanctis simus, quibus & naturâ inferiores conditi sumus, & peccato indigniores facti, qui eorum fieri qualescumque socij deberemus. *Mirare mecum lector stupendum Sanctissimi Doctoris ingenium, qui tot profunda Theologiæ mysteria, lapsus Angelorum, & hominum, prædestinationis, gratiæ, Incarnationis Verbi, sic diserte, sic clarè vnâ paginâ complexus est, quod vix multis tractatibus & voluminibus alij doctores conficiant.*

5. Gratia Dei disponit & præparat, & perficit hominis iustificationem. De Bapt. cap. 18. ap.

SI Philipus tam facilè tinxit Eunuchum, recogitemus manifestam & exertam dignationem Domini interfuisse. Spiritus Philippo præceperat in eam viam pertendere; spado & ipse inuentus est non otiosus, nec qui subitò tingui concupisceret: sed ad templum orandi gratiâ profectus scripturæ diuinæ impressus, sic oportebat deprehendi, cui vltro Deus Apostolum miserat, ad quem rursus Spiritus, vt se curriculo Eunuchi adiungeret, iussit; scriptura ipsius fidei occurrit; in tempore exhortatus, adsumitur, Dominus ostenditur; fides non moratur; aqua non expectatur; Apostolus perfecto negotio eripitur. Act 8. 29. & seq.

GRATIA DEI. II. SCHOLIA.

SI PHILIPPVS. *Diaconus est & non Apostolus.* A STAM FACILE. *Prompte in occursu viæ, non præmissis longis institutionibus, vt fieri solet catechumenis.* TINXIT EVNVCHVM. *Candacis Reginæ baptizauit.* EXORTAM DIGNATIONEM. *Apertam Dei gratiam, quæ dignata est in huiusmodi dispositionibus dispensare, cuius ipsa suppleuit defectum; tacit: enim eius animum disponebat per occupationem lectionis sacræ, & pij itineris quo venerat ad templum adoraturus.* SIC OPORTEBAT. *Non quòd interdum gratia sine vlla præuia dispositione, imo omnino contraria se opponente, detur. Sicut in Saulo, &, Neania siue Procopio factum est; sed agit de via communi, qua suauiter operatur: vt intentus esset Scripturæ sacræ, & in intentione orandi, habens initia fidei, ex Deo tamen, sine quo nec potest aliquid boni cogitari, cui vltro Deus Philippum ad eum baptizandum miserat.* APOSTOLVM. *Bis hoc loco Apostolum dixit. Sicut & Clemens Rom. 6. Constit. Apost. cap 7. Euseb lib. 3. Hist cap. vltimo. Aug. in Proœmio lib. 1. de Doct Christiana.* Spadonem illum qui Esaïam Prophetam legens, non intelligebat, neque Apostolus ad Angelum misit, nec per Angelum ei, quod non intelligebat expositum; aut diuinitus in mente, sine hominis ministerio, reuelatum est, sed potiùs suggestione diuinâ missus est ad eum, sedítque cum eo Philippus qui nouerat, *intelligebat*, Esaïam Prophetam, eique humanis verbis & linguâ quod in scriptura illa tectum erat, aperuit. *Reuocat tamen in dubium an Apostolus, an Diaconus fuerit, tract. 6. in Io. cap. 1.* Legimus multos credidisse in Samaria per prædicationem Philippi, intelligitur autem siue vnus ex Apostolis, siue ex Diaconis: quia septem ibi Diaconos legimus ordinatos, inter quos est etiam nomen Philippi. *Isidorus Pelus. epistola 447. iuxta Hiero. Diaconum sensit. Et ep. 448. Datrationem, quòd præter Apostolos, qui Ierosolymis remanserunt interfecto Stephano, omnes alij dispersi sint per Iudæam & Samariam. Et epistola 450. probat item fuisse Diaconum, quia si fuisset Apostolus, non fuisset opus ab Ierosolymis in Samariam mitti Apostolos Petrum & Ioannem ad dandum Spiritum Sanctum, id est confirmationis Sacramentum; quod Diaconus conferre non poterat, potuisset autem Philippus Apostolus. Deinde sicut Lucas Act. 21. eumdem Diaconum vocauit Euangelistam; & Paulus Rom. 16. inter Apostolos, propter persecutionem, recensuit Andronicum & Iuniam; quidni & propter missionem specialem, Patres, Philippum Diaconum, vocare potuerint Apostolum? Sic Paulus Rom. 16. 7.* Salutate Andronicum & Iuniam cognatos & concaptiuos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerûnt in Christo. *Syr. autem*: Qui mecum captiui fuerunt, sunt-que percelebres inter Apostolos. SCRIPTVRA OCCVRRIT. *Dei gratiâ, incidit in scripturam, qua posset de fide in Christum instrui, circa mysterium passionis.* TEMPORE EXHORTATVS. *Dum obsecraret Philippum, vt sederet secum, & dum ait Actor. 8. 34.* Obsecro te de quo propheta dixit hoc, de se an de alio aliquo? aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à scriptura ista, Euangelizauit ei Iesum. *Sic Acto. 21. 8.* Intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem, Diaconus scilicet, mansimus apud eum. ADSVMITVR. *Ad fidem pleniorem & gratiam admittitur.* DOMINVS. *Iesus, loco Esaiæ, in quem inciderat, intellectus esse demonstratur.* FIDES NON MORATVR. *Statim credit explicationi Philippi.* NON EXPECTATVR. *Act. 8. 36.* Dum irent per viam venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua,

Augus.

Augus.

quid prohibet me baptizari? dixit autem Philippus: si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: credo Filium Dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum: & descenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. ERIPITVR. *Ab oculis Eunuchi. Ibidem versu 39.* Cùm ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens Philippus autem inuentus est in Azoto, &c. *Spiritus autem iste fuit Angelus, vt patet ex versu 26.* Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, &c. Et ecce vir Æthyops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthyopum, &c. Dixit autem spiritus Philippo, accede & adiunge te ad currum istum, &c. *Vnde & Psaltes*: Qui facit Angelos suos spiritus, *Hoc est, eos qui semper sunt spiritus, quando vult Angelos facit; id est nuntios & ministros. Ex hoc textu dicit lector, omnia diuina gratiæ referenda esse, non tantùm, ex quo contra Pelagium scripsit Augustinus, sed & longè ante id censuit Tertullianus; dum ait, baptismi gratiam collatam Eunucho*: manifestam & exertam Domini dignationem. *Deinde intellige, dispositionem fidei inchoatæ, ad pleniorem in Christum fidem; iter susceptum ad templum, adorandi causa, occupationem sacræ lectionis; ergo viatorem Philippum, charitatem, quæ eum, vt reficeret, quasi lassum, secum fecit in curru sedere; & si quas alias habuit dispositiones, à Deo prorsus accepisse a quo est, quidquid boni est in nobis; sine dispositio sit, sine forma, sine initium, sine profectus, sine perfectio fidei & gratiæ; cùm scriptum sit*: Præparatur voluntas à Domino; tu parasti directiones; ipse diriget consilium eius; operatur in nobis velle & operari. *Quod si ex Aug. iuxta Psaltem, etiam de corona, quam iustitiæ vocat Paulus, ob meritum, & Dei pactum, dixit Psaltes.* Qui coronat te in misericordia & miserationibus; gratiam & gloriam dabit Dominus: *Quantò magis Dei gratia imputandum est ipsius fidei inchoatæ augmentum, de quo Paulus:* Qui incrementum dat Deus. *Ne ergo dicas, Eunuchi initia & dispositiones, plenam fidem & gratiam baptismi meruisse; cùm expresiè dicat Tertull.* Vltrò Deum Apostolum misisse Eunucho: *In quo alia ex parte notat cooperationem liberi arbitrij in dispositionibus Deo inspirante recipiendis, dum ait:* Sic oportebat deprehendi. *Nec fuit contentus semel, prælationem, vt par est, dare gratiæ, semper & vbique preuenienti: Cùm enim dixisset:* Cui vltro Deus Apostolum miserat; *id est sine merito, ex mera gratia. Iterum inculcat*: Scriptura eius fidei occurrit. *Preuenit, non casu, sed Deo volente & disponente, vt incideret in locum de Passione Christi, ex qua tota est vis baptismi & gratiæ. Fidei ergo initia à Deo, & eius gratia, sine qua, nec multùm, nec parum, sed nihil non dico agere, sed cogitare possumus, tanquàm ex nobis. Iam accipe lector Augustinum olim errantem, dum initia fidei, prædestinationem & meritis tribueret. Libro de prædestinatione Sanctorum cap. 2. felè impatienter Semipelagianos, initia fidei, suis meritis tribuentes, & non Dei gratiæ.* Tanquam, *inquit*, fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantùm augeatur in nobis, eo merito, quo cœpit à nobis, &c. Rom. 11. quis prior dedit illi & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et ipsum igitur initium fidei nostræ ex quo, nisi ex ipso est? &c. Quis autem dicat eum qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? &c. *Deinde ibidem, prorsus à Deo fidem inchoari sic docet*: Quisquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte vitare sententiam, veraciter intelligat dictum, quod Apostolus ait, ad Philipp. 1. Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt pro eo patiamini. Vtrumque enim ostendit Dei donum, quia vtrumque dixit esse donatum. Nec ait, vt plenius & perfectius credatis in eum, sed, vt credatis. Nec seipsum misericordiam consecutum dixit, vt fidelior, sed vt fidelis esset, &c. Scripta sunt etiam Actorum 9. fidei eius initia, &c. Auersus quippè à fide quam vastabat, eique vehementer aduersus, repente est ad illam gratiâ potentiore conuersus, conuertente illo, cui hoc ipsum facturo, per Prophetam dictum est Psal. 84. Tu conuertens viuificabis nos; vt non solùm ex nolente fieret volens credere, verumetiam ex persecutore, persecutionem, in eius fidei quam persequebatur, defensione pareretur. Donatum quippè illi erat à Christo, non solùm vt crederet, sed & pro illo pateretur. Et ideo commendans istam gratiam quæ non datur secundùm aliqua merita, sed efficit omnia bona merita 1. Cor. 3. Non quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, &c. Quis non videat priùs esse cogitare quàm credere? &c. Quamuis enim raptim, quamuis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes antecedent, moxque illa ita sequatur, vt quasi coniunctissima comitetur; necesse est tamen vt omnia quæ creduntur, præueniente cogitatione credantur; quamquam & ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare, &c. Fides, si non cogitetur, nulla est: & non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. *Et cap. 3. vbi refert* Cyprianum *dicentem*, In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. *Et ex 1. cor. 4.* Quid habes quod non accepisti, &c. Quo, *inquit*, præcipuè testimonio etiam ipse conuictus sum, cùm similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & iustè & piè vivamus in hoc sæculo, &c. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant ante Episcopatum scripta. *Et dicit se in 1. Retract. cap. 23. sic correxisse: dum scriberet*: Nondum, *inquit*, diligentiùs quæsieram, nec adhuc inueneram qualis sit electio gratiæ, &c. *Et cap. 4.* Ecce quare dixi superiùs, hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam meipsum fuisse conuictum, cùm de hac re aliter saperem, quàm mihi Deus in hac quæstione soluenda, cùm ad Episcopum Simplicianum scriberem, reuelauit. *Sed & aduertendum quod habet in eodem libro cap. 2.* Si operatur Deus fidem nostram miro modo agens in cordibus nostris vt credamus, numquid metuendum est, ne totum facere non possit; & ideò homo sibi primas eius vindicat partes, vt nouissimas ab illo accipere mereamur? &c. Redditur hoc pacto debita, non donatur gratis; debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœptæ, fides aucta, &c. Cur autem non totum tribuatur homini, vt qui sibi potuit instituere quod non habebat; ipse quod instituit augeat omnino non video, &c. *Subdit ex Rom. 12.* Vnicuique Deus partitus est mensuram fidei. *Et Rom. 1.* Pax fratribus & charitas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo, &c. Componit homo cum Deo, vt partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod est clariùs, primam tollit ipse, & sequentem dat illi. *Quid diceret Augustinus, si audiret, se, contra sententiam Apostoli, discernentes, & gloriantes de ipsa iustificationis impletione; quasi ipsum complementum non exceperint, sicut & initium; aut*

S. August. S. August.

August. August. August. August. August.

liberi arbitrij ad plenam conuerſionem conſenſus, à ſuaui & efficaci impulſu gratiæ non pendeat? Dicunt enim aliqui; quod ſi duo eundem prædicatorem audiant, de eodem peccato rei coram Deo, eodem interiori motu gratiæ ad conuerſionem excitentur; vnum reſpuere, alterum acceptare gratiam; totamque differentiam pendere à bono vel malo vſu liberi arbitrij: vnde ſequetur, quod vnus ſe diſcernet ab alio, quia voluit, quod alter noluit. Quod eſt apertè contra Paulum. Si enim hic vult converti, ex mero ſuo arbitrio, profectò ſe ipſum diſcernit, & gloriatur quaſi non acceperit. Quid autem habes quod non accepiſti? *Dicendũ eſt ſanè, quòd ſi idem omnino ſit gradus gratiæ, & vtraque ſit efficax, vtrumque fore convertendum; idque, vt ait Auguſtinus, inuincibiliter, & inſuperabiliter: aliàs, non converſo inefficax tantùm erit data, alteri efficax, & proinde diuerſa. Quamquam, vt rectiùs loquar, & ipſa quam voco inefficacem, reſpectu plenæ converſionis, eſt ſemper efficax reſpectu altiſſimi conſilij Dei, qui facit ea gratiâ quod intendi. Nam quamquam non efficiat inſtum, efficit tamen ad iuſtitiam diſpoſitum; ſi non eradicat à peccato peccatorem, ipſum certè concutit & mouet, vel aliquem effectum occulti iudicij ſui in anima peccatoris producit. Cùm verò dat gratiam efficacem, talis eſt, vt quamquam poſſit ſimpliciter loquendo, ſecundùm Concilium Tridentinum à peccatore reſpui; numquam tamen de facto & actu reſpuitur, neque enim ſimul efficax, & non efficax eſſe poteſt. Sic nec Concilium Tridentinum aduerſatur Auguſtino, nec Auguſtinus Cœlio. Cùm Concil ũ de poteſtate reſpuendi, Auguſtinus de actualitate non reſpuendi loquatur. Sic Auguſtinus libro de Prædeſt. Sanctorum cap. 8.* Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippè tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. *Quod de gratia efficaci prorſus intelligendum eſt; cùm ex conſtitutione Innocentij decimi, interiori gratia, tam intellectus quàm voluntati præſtita, ſicut propria experientia docemur, ſæpiſſimè reſiſtamus.* Quando ergo patet intus auditur, *Ioannis 6. omnis qui audiuit a Patre & didicit, venit ad me.* Et docet, vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, ſicut Prophetâ *Ezech. 11.* prædicante promiſit. Sic quippè facit filios promiſſionis & vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Cur ergo non omnes docet, vt veniant ad Chriſtum? niſi quia omnes quos docet, miſericordiâ docet: quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult miſeretur, & quem vult obdurat: Sed miſeretur bona tribuens, obdurat digna retribuens. *Qui cùm omnes in perditionis maſſa concluſos iuſtè damnaſſet iuſtitia, aliquos inde eripere voluit, merâ miſericordiâ. Deinde Auguſtinus ſibi obiicit, quod Chriſtus, Ioannis 6. 45. ex Eſaïæ 54. 13. citat:* Eſt ſcriptum in prophetis: & erunt omnes docibiles Dei. Quod teſtimonium cùm præmiſiſſet, tunc ſubdidit, omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Sicut ergo integrè loquimur, cùm de aliquo literarum Magiſtro, qui in ciuitate ſolus eſt, dicimus: omnes iſte hîc literas docet: non quia omnes diſcunt, ſed quia nemo niſi ab illo diſcit, quicumque ibi literas diſcit: ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Chriſtum: non quia omnes veniunt, ſed quia nemo aliter venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apoſtolus quantùm àperiendum indicauit: quia volens oſtendere iram, & demonſtrare potentiã ſuam, attulit in multa patientia. *Verſio communis habet: ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum. Syr. autem: intulit plurima longanimitate ſua iram aduerſus vaſa iræ conſummata ad exitium.* Vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem; & vt notas faciat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Hinc eſt quòd verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt: his autem qui ſalui fiunt, virtus Dei eſt. Hos omnes docet venire ad Chriſtum Deus, hos omnes vult ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Nam ſi & illos, quibus ſtultitia eſt verbum crucis, vt ad Chriſtum venirent, docere voluiſſet, proculdubio venirent & ipſi. Non enim fallit, aut fallitur, qui ait, omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Abſit ergo, vt quiſquam non veniat, qui à Patre audiuit & didicit. *Sic ſubiicit:* Quare, inquiunt, non omnes docet? Si dixerimus, quia nolunt diſcere; quos non docet; reſpondebitur nobis: & vbi eſt, quod ei dicitur Pſal. 84. Domine tu conuertens viuificabis nos? aut ſi non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Eccleſia ſecundùm præceptum Domini pro perſecutoribus ſuis? &c. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, niſi vt Deus in eis operetur & velle? &c. Si ergo fides orantium, Dei præuenit gratiam, *Quando orant pro infidelibus aut peccatoribus*, numquid eorum fides, *aut bona voluntas*, pro quibus oratur, vt credant, *aut conuertantur*, Dei præuenit gratiam? Quando quidem hoc pro eis oratur, vt non credentibus, id eſt fidem non habentibus, fides ipſa donetur. Cùm igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam non credunt: ſed qui credunt, prædicatore foris ſonante, intus à Patre, *reuelante intellectui, efficaciter inſpirante voluntati*, audiunt atque diſcunt: qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt: hoc eſt, illis datur vt credant, illis non datur: quia nemo, *inquit*, venit ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum, &c. Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. *Nec dicas tractionem illam vim inferre libero arbitrio, quia nihil magis liberum, & minùs violentũ, quàm quod eſt ſecundùm naturam. Motus quippè naturalis intellectus eſt in verum, & voluntatis in bonum: cùm ergo Deus intellectui clarè proponit, & per intellectum verè illuminatum, obiicit voluntati verum bonum, Verbum bonum, in quo & per quod eſt omne bonum, nullâ neceſſitate, nullâ violentiâ ſed connaturali prorſus motu impellentis: gratia, attrahente gratia, ſuauiter vincente & vincente gratia, fertur in bonum. Et cùm longè magis, ſpiritalis anima, ſimilibus ſibi ſpiritalibus bonis delectetur; fit vt conuicta interiori luce veritatis boniſui, ſuis ſui, Dei ſcilicet, præponderrante delectatione mentis, omni voluptati carnis; hâc deſertâ, illam totis vlnis amplectatur; & quamuis maneat illi poteſtas, ſimpliciter loquendo, non amandi; eo ipſo tamen, & in ſenſu compoſito, quo ſpiritu Dei agitur, gratis efficaciè mouetur, voluptate potentiſſimâ trahitur, ſubductâ fallaciâ carnalis voluptatis, diſſipatâ ignorantiæ nube, mollitâ cordis duritiâ, non reſiſtit, ſed conſentit; Deo ſcilicet operante, & velle, & operari; non pro noſtra, quam ipſe operatur, ſed pro ſua bona voluntate; quæ, vt alibi dixit Auguſtinus, iuxta Prophetam,* Facit vt in iuſtificationibus eius ambulemus: Ille, inquit, facit vt faciamus, dans vires efficaciſſimas voluntati. *Sic tandem concludit, cap. 8.* Fides igitur, & inchoata & perfecta, donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno, *Adam ſcilicet*, omnes iſſe in condemnationem, ſine dubitatione iuſtiſſimam. Ita vt nulla Dei

A B C D E

Auguſt. Auguſt. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt. S. Auguſt.

esset iusta reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam quòd plurimi liberantur, Et quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscunt: vt, qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur. Cur autem istum potiùs, quàm illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Meliùs enim & hic audimus, aut dicimus; Rom. 9. 20. O homo, tu quis es respondeas Deo? quàm dicere audeamus, quasi nouerimus quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit. *Nihil hominem boni supernaturalis, ex se, & arbitrij liberi viribus agere absque gratia præuenientis efficacia, pluribus docuit S. Isidorus iuxta Augustinum, & Gregorium; secundum quos, & iuxta Paulum, verbis expressis, testatur libro 2. Sent. de gratia cap. 5.* Confessionem hominis non esse humanæ virtutis. Nam si confessionem boni operis, non in nobis Deus operatur, cur per Prophetam dicitur, Psal. 110. Confessio, & magnificentia opus eius? Ab illo enim nobis omnia bona suâ gratiâ præueniente donantur. Nam nihil boni operis dedimus, per quod confessionem fidei accipere mereamur. *Dicente Apostolo, quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Profectus hominis donum Dei est. Nec à se potest quisquam, sed à Domino corrigi. Non enim quicquam boni habet proprium homo, cuius via non est eius, testante Propheta Ierem. 10. scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos. Sciant liberi arbitrij defensores, nihil posse homines in bonum, suâ prænalere virtute, nisi diuinæ gratiæ sustententur iuuamine. Vnde per Prophetam Dominus dicit; Oseæ 13 perditio ex te tua Israël, tantùm in me auxilium tuum. *Vulgata licet omisso, exte, simpliciter dicat, perditio tua Israël: idem sonat, tua, quod exte; nec sensum variat.* Quasi diceret: vt pereas, tuo merito, *tribuendum est*; vt salueris, meo auxilio. Hominis meritum superna gratia non vt veniat, inuenit, sed postquam venerit, facit: atque ad indignam mentem veniens, facit in ea meritum quod remuneret, quæ solùm inuenerat, quod puniret. Quid enim ex se ille latro meruit, qui de faucibus inferni crucem ascendit, de cruce paradisum adiit? reus quidem ille, & fraterno sanguine venit cruentus, sed diuinâ gratiâ in cruce mutatus, &c. Spiritualis gratia non omnibus distribuitur, sed tantummodo electis donatur. *Supple electis ad fidem, siue Christianis, vt statim subiicit, secundùm Paulum, & Augustinum.* Non enim omnium est fides. Quam quidem etsi plurimi suscipiunt, opus tamen fidei non consequuntur. *Scilicet iustificationem, & in ea perseuerantiam. Quam sententiam* D. *Augustini prorsus esse centum locis ipse confirmat. Hæc ergo breuiter & summatim in rem Tertulliani excerpsi, vt appareat, Æthyopem illum Prefectum Gaza Reginæ Candacis Æthyopiæ, à Philippo Diacono dealbatum, à meris Dei gratia accepisse, non tantùm vt ex toto corde crederet, hoc est fide per dilectionem operante; sed & inciperet credere, & credens orare*: Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt? *Et quomodo orabunt, cùm*, nesciamus quid oremus, nisi Spiritus postulet pro nobis? *Hoc est iuxta Augustinum, postulare nos faciat*, In quo clamamus Abba Pater, *In quo & venit Simeon etiam iustus.* Spiritu in templum, *In quo & Eunuchus nondum credens in Christum, De Simeone Luc. 2. 27.* Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu Sancto, &c. Et venit in Spiritu in templum. *Translat. Syr. expressius:* Hic ipse venerat per Spiritum. *De quo tandem Zach. 12. 10.* Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum. *Hebr. & miserationum. 70. & misericordiæ.* Et aspicient ad me, quem confixerunt & plangent eum planctu quasi super vnigenitum. *Vt sciamus iunctam esse & concatenatam Dei misericordiam orationi, sed ad eam necessarium esse spiritum precum, quem acceperat Eunuchus vt iret ad templum adoraturus & oraturus; vt qui iam ex Dei gratia credebat in Deum, Dei Spiritu veniret in templum, & spiritu precum orans, gratiam & fidem ampliorem obtineret; eodem Spiritu, in locum Esaiæ, de Christo confixo, incideres; eodem Spiritu per Angelum Philippum ad Eunuchum mitteret, & explicanti mysterium passionis, intus audiens Patrem docentem toto crederet corde cui nullum cor resistit, dicente scriptura de ipso corde Regis maximè libero:* Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit, inclinabit illud. *Et rursum de omnibus simul:* Et voluntati eius quis resistet? & non est qui possit resistere voluntati tuæ. *Claudamus hanc materiam eximio Augustini loco lib. de correptione & gratia cap. 14. vbi id probat multis exemplis.* Augustin. Cùm homines per correptionem, in viam iustitiæ, seu veniunt, seu reuertuntur; quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbusculis operante, dat incrementum Deus; cui volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium? sic enim velle, & nolle, in volentis, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult. *Id est iustum iudicium, vt ibidem paulò supra breuiter dixerat.* Et peccatis iusta pœna debetur, & ad ipsam pertinet iusta correptio, quæ medicinaliter adhibetur, *Per Prælatum aut Predicatorem*; etiam si salus ægrotantis incerta est: vt si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum *per gratiam Christi sanantem efficaciter & suauiter*, Si autem non pertinet, sit correptio pœnale tormentum. Sub isto ergo incerto, ex charitate adhibenda est, cuius exitus ignoratur; & pro illo cui adhibetur, orandum est vt sanetur. *Ad id autem quod dicunt hinc, induci homines ad desperationem, respondet Augustinus lib. de dono perseuerantiæ cap. 22. in fine:* Augustin. Absit à vobis, ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis homo qui spem habet in homine. Ier. 17. Et bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Psal. 117. Quia beati omnes qui cõfidunt in eum. Hanc spem tenentes, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, &c. Hæc atque huiusmodi, cùm dicuntur siue paucis Christianis, siue multitudini Ecclesiæ, cur metuimus sanctorum prædestinationem, & veram Dei gratiam id est quæ non secundùm merita nostra datur; sicut eam sancta scriptura prædicat, prædicare? An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus, & infœlicissimus poneret?

3. Gratia Dei vis subiicit sibi sine necessitate, & coactione conuertibilem in vtramlibet humanam libertatem. De Anima cap. 21. in me.

NOn *dabit arbor mala bonos fructus*, si non inseratur; *Et bona malos dabit*, si non colatur; & [b] *lapides filij Abrahæ fient*, si in fidem Abrahæ formentur; & genimina viperarũ *fructum pœnitentiæ facient*, si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis diuinæ gratiæ, potentior vtique naturâ, habens in nobis subiacentem sibi liberã arbitrij potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur, quæ cùm sit & ipsa naturalis atque mutabilis, quoquò vertitur, naturâ conuertitur. Inesse autem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter, iam & Marcioni ostendimus, & Hermogeni. [a] Math. 7 18. [b] Math. 3. 9. Ibid. 7.

GRATIA DEI. III. SCHOLIA.

NON DABIT ARBOR. *Math. 7. 18.* Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere. SI NON INSERATVR. *Rom. 11. 17.* Tu autem cùm oleaster esses, insertus es in illis, *Syr. in locum ipsorum. id est, in Gentilis, in locum Iudeorum*, Et socius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es. *Hæc est vis gratiæ, & vocationis gratuitæ populi Gentilis, inseri in oliuam fidei Abrahæ, ideò dicit Patris multarum gentium, cuius fide, tanquam radicis succo imbuti & informati, acerbitatem oleastri, in oliua domestica Dei dulcedinem; venenum viperarum, in pœnitentiæ fructum; duritiem lapideorum cordium & lapides aderamus, in mollitiem carnei cordis, & flexibilis in bonum, vi gratiæ naturæ corruptæ prepollente, & liberam arbitrij potestatem subiiciente sibi, connexi sunt. Præter dicenda Verbo Mutatio 3. hæ interim accipe. Aug. in Psal. 72. in titulum Psalmi.* Cùm sc, *inquit*, August. erigerent gentes, sic eas reprimit. Si tu ex naturali excisus oleastro, insertus es in illis; noli gloriari aduersùs ramos. Nam si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. Ergo de radice Patriarchatum dicit fractos quosdam ramos propter infidelitatem, & insertum ibi oleastrum, vt esset particeps pinguedinis oliuæ, id est Ecclesiam ex gentibus venientem. Et quis inserit oleastrum in oliua? Oliua solet esse in oleastro, oleastrum in oliua numquam vidimus. Nam quisquis fecerit, non inueniet baccas nisi oleastri. Quod enim inseritur, hoc crescit, & eius rei fructus inuenitur. Inuenitur non radicis fructus, sed surculi. Hoc ostendens Apostolus omnipotentiâ suâ Deum fecisse, vt oleaster in radicem oliuæ insereretur, & non baccas syluestres, sed oliuam daret; ad omnipotentiam Dei reuocans hoc Apostolus, ait; si tu ex naturali, &c. Noli gloriari aduersùs ramos, &c. *Vides vim diuina gratiæ naturæ potentiorem. Rursum Augustinus* August. *in Psal. 134.* In Abraham, *inquit*, & Isaac, & Iacob, totam Ecclesiam eius cogitate. Omne autem semen Israël, non solùm quod est carne, sed etiam quod est ex fide, &c. Arborem quidem benedixit quamdam, eamque oliuam creauit, sicut dixit Apostolus, ipsos Patriarchas sanctos, vnde effloruit populus Dei. Sed hæc arbor oliuæ putata est, non amputata; & inde rami superbi fracti sunt. Ipse est blasphemus & impius populus Iudæorum: Manserunt tamen rami boni & vtiles: nam inde Apostoli fuerunt, & cùm ibi rami vtiles relicti essent, per Dei misericordiam insertus est oleaster gentium, cui dixit Apostolus, tu autem cùm esses oleaster, &c. *Vides per misericordiam & gratiam indignos assumi, & per omnipotentiam malos conuerti. Sic enim quoquo vertibilem fecit libertatem; vt ex bona in malam, & mala in bonam conuerti possit: sed ex mala in bonam vi potentiore gratiæ, ex bona in malam vertibilis est iam corruptione naturæ. Sicut primo erat ex ipsa defectibilitate creaturæ. De quo Hiero.* A *lib. 2. Cont. Iouinianum, qui abutens loco Matthei 7. præcitato, negabat conuertibilem naturam in malum, in homine baptizato:* Si hoc, *inquit*, ita est, respondemihi, quomodo Paulus cùm esset arbor mala, persequens Ecclesiam Dei, postea fecit fructus bonos? & Iudas, cùm esset arbor bona, signa faciens cum Apostolis, postea versus in proditorem, fecerit fructus malos? αὐτεξούσιον. *Eadem voce vsus est Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. Macarius Ægyptius homilia 15. & alij Græci. Conuertibilem in vtramlibet partem hominis libertatem hîc dixit Tertullianus, qui infra Verbo, Libertas 2. inducitur ab eo,* quasi libripens emancipati à Deo boni, &c. Quoniam & hoc ratio bonitatis exigeret voluntariè exercendæ; ex libertate scilicet arbitrij, non faciente institutioni, non seruiente. *Quinimò tunc plenè Dominus erat homo innocens, non solùm suæ voluntatis, sed etiam auxilij gratiæ sufficientis, quæ vi pro libito poterat. Nunc autem in instam pœnam, debet libertas hominis peccatoris* subiici dominio gratiæ efficacis. Dum libripens erat, & æqua vtrinque lance,* * Licet insequam liber erat ad bonum, quàm ad malum, poterat se differens, *ad vtrumlibet æqualiter conuertere: nunc autem vna parte inclinatus in malum, non potest ex se nisi malum facere, in bonum autem, nisi excitante & impellente efficaciter gratia, non potest* per seipsum surgere: Nec genimen vipere fructum pœnitentiæ facere; nec Lapis fieri filius Abrahæ; nec arbor mala bonos fructus facere; nisi prædominante libero arbitrio, robore gratiæ.* * Proximè

B C HÆC ERIT VIS DIVINÆ GRATIÆ, POTENTIOR VTIQVE NATVRA. *Vt benè dixerit Aug. de corrept. & grat. cap. 8.* Ecce quemadmodum secundùm gratiam, non contra eam, libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippè humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ potiùs libertatem; & vt perseueret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. *Et cap. 11. potentiorem expressè vocat gratiam hominis lapsi, quàm stantis; qua per mediatoris meritum, libertas inclinata erigitur; & eius imperio subiicitur.* Ille, *inquit*, non opus habebat eo adiutorio quod implorant isti, cùm dicunt Rom. 7. video aliam legem in membris, &c. Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum, &c. Ille verò nulla tali rixa à seipso, aduersùs seipsum tentatus atque turbatus; in illo beatitudinis loco, sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc, verumtamen POTENTIORE GRATIA indigent isti: & quæ potentior quàm vnigenitus Dei Filius, &c. *Deinde post multa apertè dicit, gratiam Adæ innocenti arbitrio libero fuisse subiectam.* Nec, *inquit*, ipsum Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, *Vt supra diximus ex mutabilitate & defectibilitate creaturæ*; Ad bonum autem, * nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti; * In edit. Rom. sic le- S. Augustin. S. Augustin. S. Augustin.

bono: quod adiutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Tale quippè erat adiutorium, *vtpote subiectum tunc libero arbitrio*, Quod desereret, cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc prima est gratia quæ datae st primo Adam, sed hæc POTENTIOR est in secundo Adam. *Id est, quam iam homo lapsus habet per meritа Chi sti, qua subiicit sibi, tanquam* Domina *& victrix, liberum arbitrium.* Prima
S. Augu. est enim, qua fit, vt homo habeat iustitiam si velit: secunda ergo PLVS POTEST, qua etiam fit, vt velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem, contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parua erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij, quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium, si vellet, desereret. Hæc autem TANTO MAIOR EST, vt parum sit homini, per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam EFFICIATVR VT VELIT, &c. Est quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo. Vnum enim horum in illo fuit, alterumnon fuit. HÆC ERIT VIS DIVINÆ GRATIÆ, &c. HABENS IN NOBIS SVBIACENTEM SIBI LIBERI ARBITRII POTESTATEM. *Et quid rationabilius, quid iustius? Subiecta sibi gratiâ superbus uti noluit, vt obediret; gratia nunc vt Domina imperet, & subiiciat sibi vis eius liberam arbitrij potestatem: absque vllo tamen regia creatura, & liberi arbitrij detrimento, sed potius augmento, adeo vt nec coacte nec necessariò, sed liberè prorsus imò regiè libertas gratiæ subiecta seruiat.* Quid enim erit liberius libero arbitrio, quando non poterit seruire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est sanctis Angelis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito,
S. Augu. in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. *Ait Aug. de corrept. & gratia cap. 11. in fine.* IAM ET MARCIONI OSTENDIMVS. *Et quidem fusissimè libro 2. Cont. Marc. cap. 4. 5. 6. & 7. Vide dicta à nobis copiosè Verbo*, Liberras, & Liberum arbitrium, *à numero 1. ad 11. Et* HERMOGENI. *Libro contra Hermog. cap. 12.* Si demutabitur natura in materia, de malo in bonum demutari poterit, & in Deo de bono in malum. Hoc loco dicet aliquis, *Scilicet ex Hermogenis discipulis*, Ergo de lapidibus filij Abrahæ non suscitabuntur, & genimina Viperarum non facient pœnitentiæ fructum, & filij iræ non fient filij pacis, si natura mutabilis non erit. Temerè ad
E ista exempla respicies, ô homo: *Ad hominis enim liberum arbitrium spectant, per se & ex natura sua, conuertibile ad vtrumlibet:* Non enim competunt ad causam materiæ, quæ *Secundum errorem tuum* innata est, ea quæ nata sunt, lapides, & viperæ, & homines. Horum enim natura, habendo institutionem, habere poterit & cessationem. Materiam verò rene semel æternam determinatam, vt infectam: & ideò indemutabilis, & incorruptibilis naturæ credendam, ex ipsius etiam sententia Hermogenis. HÆC ERIT VIS, *&c. Vim tamen nullam, necessitatem nullam, nullam coactionem inferens libertati, suum licet semper infallibiliter gratia præpotens, & efficax consequatur effectum. Constitutiones enim summi Pontificis, & omnium ac singularum*

A *quinq; propositionũ ab eo damnatarum censura, iubens, volens, vt Ecclesiæ filius, & Augustini discipulus vltrò subscribe. Atque vt ipse olim*, Non crederem, *inquit*, Euangelio, nisi me Ecclesiæ moueret auctoritas: *Sic ego vicissim, quamuis Augustini doctrinæ addictissimus*; Non crederem Augustino, nisi me eiusdem Ecclesiæ moueret auctoritas. *Qua tantopere sanctissimum Doctorem commendauit, vt cum semper ducem, maximè in causa gratiæ sit secuta, & eius aduersarios semper deprompti ex inuictissima eius arce armis victrix & inuicta præstranerit; Innocentio, Bonifacio, Celestino, Gelasio, Hormisda, Felice 4. Bonifacio 2. aliisque testantibus. Interim quod ad necessitatem libero arbitrio nullo modo impositam, accipe*
Augu. *Augustinum in Psal. 99.* Omnis, inquit, seruitus
B amaritudine plena est, omnes conditione seruili obligati, & seruiunt, & murmurant. Noli timere illius Domini seruitutem, non erit tibi gemitus, non murmur, non indignatio. Nemo se petit inde venalem, quia dulce est quòd redempti omnes sumus. Magna fœlicitas est, fratres, esse in ista domo magna seruum, etsi cum compedibus, noli timere serue compedite, confitere Domino. Meritis tuis attribue compedes tuas: confitere in compedibus tuis, si vis vt in ornamenta vertantur, &c. Libera seruitus est apud Dominum, libera seruitus, vbi non necessitas, sed charitas seruit, &c. seruum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit. Io.
C 8. Si manseritis, inquit, in verbo meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Simul es & seruus, & liber. Seruus, quia factus es; liber quia amaris à Deo à quo factus es. Imò etiam inde liber, quia amas eum à quo factus es, &c. Seruus es Domini, libertus es Domini: non te sic quæras manumitti, vt recedas de domo manumissoris tui. *Quanta porrò libertas sit gratia liberum arbitrium solentis à laqueis & visco peccati, perbellè edisserit scribens in Psal. 138. decurrens hæc verba:* Si recipiam pennas meas in directũ,
Augu. & habitauero in extremis maris. Recipiendæ, inquit sunt pennæ meæ, non in prauum, sed in directum; vt nec in superbam erigat præsumptionem,
D nec in perditam mergat desperationem. Quas pennas vult assumere, nisi duas alas, duo præcepta charitatis: in quibus duobus præceptis tota lex pẽdet & prophetæ. Has, *inquis*, alas, has pennas si recipiam, sic & habitabo in extremis maris. Possum fugere à facie tua, ad faciem tuam: & à facie irati, ad faciem placati. Quid enim est extremum maris, nisi finis sæculi? Illuc iam volemus spe, & desiderio, habentes alas geminæ charitatis, &c. Quis autem nos perducat, attendite. Ille ipse, cuius faciem irati volumus fugere. Quid enim sequitur? Si recipiam pennas meas, &c. Recipiam, inquit; ergo amiserat, &c. Etenim illuc manus tua deducet me, & adducet me, *Vulgata, tenebit me, perseuerantiam connotans vsque in finem diuinæ gratiæ tribuendam.* Recipiamus pennas per charitatem,
Augu. quas amisimus per cupiditatem: cupiditas enim viscum facta est pennarum nostrarum; elisit nos de libertate aëris nostri, id est auratum illarum liberarum Spiritus Dei. Inde elisi perdidimus pennas, & fuimus quodammodo captiuati in aucupis potestate: inde nos sanguine suo redemit, quem fugimus, vt caperemur. Nutrit nobis pennas de præceptis suis, & erigimus iam eas sine visco. Non timemus mare, sed volemus in extrema maris. Nemo trepidet, sed nemo de pennis suis præsumat: quia & pennatos nisi ipse erigat, *Hæc est vis gratiæ naturâ potentior*, Nisi ipse deducat, præcipitabimur in profunda maris, lassati & fatigati, quasi

præsumentes

præsumentes de viribus nostris Opus ergo est, vt habeamus pennas, & opus est vt ipse deducat. Adiutor enim noster est. Habemus liberum arbitrium, sed ipso libero arbitrio quantum possumus, nisi adiuuet ille qui iubet? *Quantum potest homo cum alis liberi arbitrij, cum intellectu, & voluntate, velut pennis ligatis, & inuiscatis, nisi vt per se, sine gratia, & eius vi præpotente, conans volare non eat in directum, sed præcipitetur in peccati profundum. Non periit quidem peccato liberum arbitrium; sed iuxta Concilium Tridentinum à nobis alibi citatum, vires amisit. Vnde Aug. lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2.* Liberum arbitrium vsque adeo in peccatore non periit, vt per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet, quod eis iubet. *Et in Enchir. ad Laur. cap. 30.* Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdit, & ipsum: *Non quoad substantiam, sed quoad vires, & perfectionem liberè & facilè operandi bonum, vt liquet ex sequentibus*: Sicut enim qui se occidit, vtique viuendo se occidit; sed se occidendo, non viuit, nec seipsum potest resuscitare cùm occiderit: ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est liberum arbitrium; *Quoad vires, non quoad naturam eius & substantiam, sed tamen intellectu ignorantiâ cæcato, concupiscentiæ fumo; & voluntate in malum inclinatâ*; A quo enim quis deictus est, huic & seruus addictus est, Petri certè Apostoli est ista sententia 2. Petri 2. Quæ cùm vera sit, qualis quæso potest seruti addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim seruit, qui sui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati seruus est. Vnde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit seruus. Ipsa est vera libertas propter recti facti, lætitiam, *Vnde Psalm., signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. Alij hîc legunt, propter rectè faciendi licentiam*, Simul & pia seruitus, propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benè faciendum, vnde erit homini addicto, & vendito, nisi redimat ille cuius illa vox est Io. 8. Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis? quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquis de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum benè nisi se vanâ superbiâ inflatus extollat, quam cohibet Apostolus dicens, Ephes. 2. gratia salui facti estis per fidem. *Rursum quod gratia quantumuis efficax, non necessitet, nec cogat libertatem, clara docet, plana, & omni acceptione dignissima, nuperrima Innocentij X. Constitutio, & tertia propositionis censura, qua dicitur*: Ad merendum, & demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione; hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. *Nulla quippè necessitas est, vt supra dixit Augustinus, vbi charitas seruit. Nulla necessitas, sed voluptas; sicut ex hypothesi quod gratia sit efficax, boni & meritorij operis sequatur in homine liberè agente, actus infallibilitas. Admitto rursum quod præscribit S. Pontifex in secunda*: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, numquam resistitur, hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. *Quoties enim, heu quoties, non dico rectæ rationi & lumini naturali, & syndereſi; sed interiori illustrationi diuinæ, & inspirationi resistimus? vnde & illud comminatur*, Vocaui, & renuistis, &c. *Interiori gratiæ sufficienti, etiam graui corde resistimus. Quam dico sufficientem vt producat effectum quem de facto producit, etiam peccatoris resistentis illuminando intellectum, vt quod faciendum, vel fugiendum est videat; sed & sufficeret ad cor molliendum, nisi nimia duritiei, & concupiscentiæ feruidioris repugnantia, vel ex peccato originali relicta, vel proprio habitu corroborata resisteret. Qua gratia etiam in eodem gradu, alteri cordi minus duro, plenum effectum communicaret. Sed cùm Augustinus dixit voluntati Dei & eius gratiæ nullum resistere arbitrium, de voluntate Dei absoluta, & gratia pleniore & efficaci intelligendus est; Sic ergo Augustinus libro de corrept. & gratia c. 12.* Subuentum, *inquit*, est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliquâ vinceretur, &c. Fortissimo quippè dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis seruauit, vt ipso donante, inuictissimè quod bonum est, vellent, & hoc deserere inuictissimè nollent. *Item Scholio precedenti ex libro de prædest. cap. 8.* Hæc gratia quæ humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. *Cui subnecto quod habet de gratia & lib. Arb. c. 6.* Cùm dicit, faciam vt faciatis; quid aliud dicit, nisi, auferam à vobis cor lapideum, & dabo cor carneum, vnde faciatis. Et hoc quid est, nisi, auferam cor durum vnde non faciebatis, & dabo cor obediens, vnde faciatis. *Sic de lapidibus vis gratiæ naturæ potentior, suscitare potest filios Abrahæ. Et de corrept. & gratia c. 14.* Volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, & nolle, in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult, &c. Qui tamen hoc non facit, nisi per ipsorum hominum voluntates sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. *Nec sufficit ad veram interpam gratiam noua legis, gratiam inquam Redemptoris, vt interius intellectus de rectè faciendis illuminetur, nisi simul voluntas ad illud amandum, suauiter, amore iustitiæ, non timore pœnæ terribiliter impellatur. Hoc enim postremum, ad legem veterem pertinere docuit Augustinus, prius autem ad nouam. Gratia enim interiori intellectum illustranti, & voluntatem etiam timore concutienti resistitur; Gratia autem efficaci, suauiter, & per charitatem infusam suadenti non item. Sic Augustinus libro de gratia Christi, contra Pelagium, & Cœlestium cap. 13.* Qua, *inquit*, gratia agitur, non solùm vt facienda nouerimus, verùm etiam vt cognita faciamus: nec solùm vt diligenda credamus, verùm etiam vt credita diligamus. Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius, & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant, & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus: itaut non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt agere, &c. Tanquam hoc sit certissimum indicium quòd à Deo didiceris, si id quod didiceris feceris, &c. Qui autem nouit, quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundùm gratiam, sed secundùm legem: non secundùm spiritum, sed secundùm literam. Quamuis multi, quod imperat lex facere videantur timore pœnæ, non amore iustitiæ; quam dicit Apostolus Philip. 3. iustitiam suam quæ, ex lege est, tanquam sit imperata, non data. Si autem data est, non dicitur iustitia nostra, sed Dei: quia sic fit nostra, vt sit nobis ex Deo. Dicit enim: vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ & fide est Iesu, iustitiam ex Deo, &c. Quia ex lege iustitia dicitur, quæ fit propter legis mandatum: iustitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, vt non sit terribile, sed suaue mandatum: sicut oratur in Psalmo 118. Suauis es Domine, & in tua suauitate doce me iustitiam tuam. Id est, vt non formidine pœnæ seruiliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delectet esse cum lege. *Vt petebat sapiens, mitte illam, vt mecum sit, & mecum laboret. O Iugum suaue, & onus leue!* Præceptum quippè liber facit qui libens facit: & hoc modo quisquis dicit, agit omninò quidquid agendum didicerit. De isto docendi modo, etiam Dominus ait; omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit *Sed restiterit, sed consentire*

5 August.

5. August.

August.

August.

August.

5. August.

5. August.

5. August.

noluerit, Non de illo rectè dicitur, audiuit quidem, & didicit sibi esse veniendum, sed facere nō vult quod dicit: prorsus non rectè dicitur de illo docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut veritas quitur. omnis qui didicit, venit quisquis non venit, profectò nec didicit. *Hæc est vis gratiæ efficacis, cui nullum resistit arbitrium. Qua sine coactione & necessitate, suauiter ex nolente facit volentem. Vnde subiicit cap. 14.*

S. Augustin. Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis. Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit; non autem potest nisi adiutum esse, si venit: & sic adiutum, vt non solùm quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat, &c. Omnis qui didicit à patre, non solùm potest venire, sed venit: vbi iam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.

B *Rursum Augustinus concione quinta in Psal. 118 versu 10.* In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mādatis tuis. Ecce, *inquit*, orat, vt adiuuetur ad custodienda Verba Dei, in quo dixerat viam suam corrigere iuniorem. Nam vtique hoc est, ne repellas me à mādatis tuis. Quid est enim à Deo repelli, nisi non adiuuari? Mandatis quippè eius rectis atque arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præueniens eius adiuuet charitas. Quos autem non adiuuat, hos meritò perhibetur repellere, & tanquam flammeâ framea prohibeantur indigni, ne manum extendant ad arborem vitæ. Gen. 3. Quis est autem dignus, ex quo per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt? Sed indebitâ Dei misericordiâ, sanatur debita nostra miseria. Nam

C iste qui loquitur & dicit, In toto corde meo exquisiui te: & hoc vnde posset, nisi eum auersum, ad se ipse conuerteret, cui dicitur Psalmo 84. Deus tu conuertens vinificabis nos: & ille perditum quæreret, & errantem ille reuocaret, qui dicit Ezech. 34. quod perierat requiram, & quod errauerat reuocabo? Inde est quod & corrigit viam suam in custodiēdo Verba Dei, illo regente, illo faciente: neque enim per se ipse posset, cum Ieremias propheta fateatur, & dicat, Scio Domine quoniam non est hominis via eius, neque vir ibit, & corrigit viam suam: *Ista 70. vulgata autem: nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. Sanct. Pagn. ex Hebr. vt præparet gressum suum.* A Domino quippè hoc etiam iste superius optauit vbi ait: vtinam dirigantur viæ meæ, &c. *Et D. Thomas lect. 1. in 1. Cor. 15.* Non ego, sed gratia Dei mecum. Quæ, inquit mouet voluntatem ad hoc. Esaias enim: omnia opera nostra operatus es in nobis. Philipp. 2 qui operatur in nobis & velle & operari. Deus enim non solùm infundit gratiam, qua nostra opera grata fiunt & meritoria, *Et habitualis gratia*: Sed etiam mouet ad benè vtendum gratia infusa: *Et actualis*, Et hæc vocatur gratia cooperans. *Et Lect. 2. in 2. Cor. 13. in Verba*, Oramus consummationem vestram: id est perfectionem. In rebus enim naturalibus, quælibet res naturalis tendit naturaliter ad suam perfectionem, ad quam habet naturale desiderium. Et ideo cuilibet rei datur virtus naturalis, vt ad suam perfectionem naturalem possit peruenire. Gratia autem datur homini à Deo, per quam homo perueniat ad suam vltimam, & perfectam consummationem, id est beatitudinem, ad quam habet naturale desiderium. Vnde quando aliquis non tendit ad suam perfectionem, signum est quòd non habeat satis de gratia Dei. Et ideò Apostolus, vt isti possint in gratia crescere, orat vt perficiantur. Et Philip. 1. oro vt charitas vestra, &c. Ephes. 6. Vt possitis resistere in die malo. *Diuina etiam vim gratia, cui nulla resistit duritiei, D. Gregorius agnouit, lib. 18 mor. cap. 17. in verba Iob. 28.* Lapis solutus calore in æs vertitur. Tunc, *inquit*, lapis calore soluitur, cùm cor durum, atque à diuini amoris igne frigidum, eodem diuini amoris igne tangitur, & in feruore spiritus liquatur: vt ad sequentem vitam desideriorum æstu ardeat, quam prius audiens insensibilis manebat, &c. Lapis ergo solutus calore in æs vertitur: quia dura mens superni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur: vt peccator, qui prius insensibilis extiterat, postmodum & per authoritatem fortis, & per prædicationem sonorus fiat. Quod benè per Esaiam dicitur, cap 40. qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. Fortitudinem mutamus, cùm conuersi tanta virtute præsens sæculum fugimus, quanta hoc ante quærebamus. *Et lib. 16. Mor. cap. 17. id verba Iob 23.* Nemo auertere potest cogitationes eius. Sicut enim, *inquit*, immutabilis natura est, ita immutabilis cogitatione. Cogitationē quippè eius nullus auertit, quia nemo resistere occultis eius iudiciis prævalet. *Sine cogitet cogitationes pacis, sine afflictionis: sine mollire velis duritiam cordis, sine obdurare cor vt Pharaonis; non quidem impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam. Et in cap. 5. Cant.* Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Ad verbum inquit, sponsi liquefactam se dicit, quia dum Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiā cordis mox dissoluit: & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere possit hoc, quod se capere intra se exultat; & intus miretur quid fuerit, & quid factam subito seipsam videat *Vide Verbo Meditatio 3. Et in Alphabeto errorum Verbo Libertas.*

GRATIARVM ACTIO.

Gratiarum actio verum sacrificium est. 4. Cont. Marc. cap. 35. à m.

Luc 17. 14. VNum illum solutum ex decem memorem diuinæ gratiæ Samariten miratus, non mandat offerre munus ex lege; quia satis iam obtulerat, gloriam Deo reddens, hoc & Domino volente interpretari legem. Et tamen cui Deo gratiam reddidit Samarites, quando nec Israëlites alium Deum vsque adhuc didicissent? cui alij, quàm cui omnes remediati retrò à Christo? ideò,

Ibid. 19. *fides tua te saluum fecit*, audit; quia intellexerat veram se Deo omnipotenti oblationem gratiarum scilicet actionem, apud verum templum, & verum Pontificem eius Christum, facere debere.

GRATIARVM ACTIO. SCHOLIA.

VNVM ILLVM. *Ex decem leprosis, dum irent, D curatis, Samaritanum & Gentilem ad se reuersum non misit ad templum, aut Sacerdotes, ad offerendum sacrificium.* HOCEI DOMINO, *&c. Non soluentis legem quasi malam, sed impletam declarante. Lex enim figurabat in templo Christum, qui dixit de suo corpore,* Soluite templum hoc. *Et Salomon ipse de templo suo, illud mysticum adumbrante:* Sapientia ædificauit sibi domum, *In Sacerdote, & Sacerdotio veteri, sum-*

mum Pontificem Christum, verum templum simul, & Sacerdotem; cùm alia essent figuratiua; & in Sacrificiis, præter verum Eucharisticum Christi, præcipuum à fidelibus offerendum pro obtinenda gratia purgatiua lepra peccati, sacrificium laudis, & gratiarum actionis. CVI DICO. *Nisi Creatori, quem vnicum, & alij nouem leprosi ex Israël, & hic Samaritanus nouerat; vsque hue ignoto Deo Marcionis noua. Deo enim Creatori hic gratias egit, cui cæteri omnes prius à Christo sanati:*

IDEO, VIRES TVA. *Quâ ſcilicet à Chriſto datâ, intellexit Chriſtum eſſe verum Sacerdotem, templum, &c. Aptiſſimè in hanc rem Aug. to. 6. lib. 1. contra Aduerſarium legis, & Prophetarum cap. 18. in f. in verba Pſalmi 149.* Sacrificium laudis honorificabit me, & ibi via quâ oſtendam illi ſalutare Dei. Iam de hoc ſalutari Dei, quòd ipſe ſit Chriſtus, ſupra commemoraui atque monſtraui. Quod eſt autem ſacratius laudis ſacrificium, quàm in actione gratiarum? & vnde maiores agendæ ſunt Deo gratiæ, quàm pro ipſius gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum? Quod totum fideles in Eccleſiæ ſacrificio ſciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum generum ſacrificiorum. Iſti autem vaniloqui reprehenſores veteris teſtamenti, *Qualis erat Marcion*, Etiamſi cætera quæ commemoraui de hoc pſalmo minùs intelligunt, ſufficiat etſi, quantùm ad præſentem quæſtionem attinet, quia Deus Prophetarum, qui Deus eſt etiam Apoſtolorum, non manducat taurorum carnes, nec ſanguinem potat hircorum. Talem quippè eum nouerant Sancti qui pleni eius ſpiritu iſta dicebant. Vnde illud quod Dauid obtulit vt populo parceretur *2. Reg. 24. 25. eo quòd populum numeraſſet* 70. *millibus peſtis mortuis*: Vmbra erat futuri: qua ſignificatum eſt, quòd per vnum *Alij legunt verum*, Sacrificium, cuius illa figura erant, ſaluti populi ſpiritaliter parcitur. Ipſe eſt enim Chriſtus Ieſus, qui traditus eſt ſicut Apoſtolus dicit propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Propter quod etiam dicit, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus *Et ibid. cap. 19.* Si ſacrificia, quæ in illo templo ſecundùm veterem legem offerebantur Deo, tanquam idolorum ſacrificia damnarentur, vel tanquam dæmoniis immolata; nullo modo ipſe Dominus Chriſtus leproſo, quem mundauerat, diceret, vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. Nondum enim dederat pro ſacrificiis illis omnibus, ſui corporis ſacrificium, nondum ſuſcitauerat ſui corporis templum. Nec de illo templo eiiciens eos qui boues & columbas vendebant, diceret: domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. *De Sacrificio autem actionis gratiarum. ſer. 10. de Verb. Apoſtoli, in rem noſtram præciſè:* Proponit nobis Apoſtolus ſcientiam gratiarum actionis. Mementote quid vltima Euangelica lectio reſonet, quomodo Ieſus Dominus laudat gratias agentem, ingratos improbat, mundatos in cute, leproſos in corde. Quid ergo Apoſtolus? fidelis, *inquit*, ſermo, & omni acceptione dignus. Quis eſt iſte ſermo? quia Chriſtus Ieſus venit in mundum; vt quid peccatores ſaluos facere? Quid tu? quorum primus ego ſum. Qui dicit, vel, non ſum peccator; vel, non fui; ingratus eſt Saluatori. Nullus hominum in iſta, quæ ex Adam deſluit, maſſa mortalium, nullus omnino hominum non ægrotus, *non leproſus; quia lepra Naaman adhæſit Giezi & ſemini eius vſque in ſempiternum. Naaman, id eſt pulcher, decorus, motum præparans, id eſt Lucifer qui commouit Angelos, elenatus in decore ſuo, lepram ſui peccati, ſuperbiam, & ingratitudinem. Giezi, id eſt valli viſionis, aut pectoris, Adamo, inquam, in valle humiliationis poſito, communicauit; quæ omnibus eius poſteris adhæſit.* Nullus ſine gratia Chriſti. Quid de paruulis pueris? ſi ex Adam, ægroti. *Leproſi. Agni ſanguine indigent & paſſeris ſolitarij, hoc eſt ſolius ſine peccato, vt mundentur à lepra.* Nam & ipſi portantur ad Eccleſiam. Et ſi pedibus illuc currere non poſſunt, alienis pedibus currunt vt ſanentur. Accomodat illis mater Eccleſia aliorum pedes vt veniant, aliorum cor, vt credant, aliorum linguam vt fateantur. Vt quoniam, quòd ægri ſunt alio peccante, prægrauantur; ſic cùm hi ſani ſunt, alio proeis confitente, ſaluentur, &c. ægroti eſtis, accedite ad eum, & ſanamini: cæci eſtis, accedite ad eum & illuminamini: & qui ſani eſtis, ei gratias agite: & qui ægrotatis, ad eum ſanandi currite omnes. Venite adoremus, &c. coram Domino qui fecit nos, & homines, & ſaluos. Nam ſi ille nos fecit homines, nos autem ipſi nos fecimus ſaluos, aliquid illo melius fecimus. Melior eſt enim ſaluus homo, quàm quilibet homo, &c. Noli te extollere ſuper Deum, ſubde te Deo, adora, proſternere, *cum leproſo iſto*, confitere illi, qui fecit, te: quia nemo recreat, niſi qui creat; nemo reficit niſi qui fecit: &c. Sane quando te fecit, quid tu faceres, non habebas. Quando autem iam es, *& totus in peccatis natus, & tot propriis actibus reus*, Habes & tu ipſe quod facias; ad Medicum curras, Medicum implores, qui vbique es. *Chriſtus ſcilicet: non ſecundum humanitatem; ſed vt Verbum eſt: de quo Pſalte.: miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos. Qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Et vt implorares, excitauit cor tuum, & poſſe implorare donauit tibi. Deus eſt enim, inquit, *Paulus ad Philipp. 2. 13.* Qui operatur in vobis & velle, & operari, pro bona voluntate: quia vt haberes bonam voluntatem, illius vocatio præceſſit. Clama, Deus meus, miſericordia eius præueniet me. Vt eſſes, vt ſentires, vt audires vt conſentires, præuenit te miſericordia eius. Præuenit te in omnibus: præueni & tu in aliquo iram eius. In quo, inquis, in quo? confitere iſta omnia à Deo te habere, quidquid boni habes à te, quidquid mali. Ne in bonis tuis illũ contemnas, te laudes: ne in malis tuis illũ accuſes, te excuſes; ipſa eſt vera confeſſio. Ille qui in tantis bonis præuenit te, venturus eſt ad te, & inſpecturus dona ſua, & mala tua; quomodo bono eius vſus fueris, inſpicit te, &c. Antequam veniat, propitietur; antequam aſſit, placetur. Habes enim Sacerdotem, per quem poſſis placare Deum tuum, & ipſe cum Patre Deus eſt ad te, qui homo eſt propter te, &c. Præueniens faciem eius in confeſſione, *cum leproſo ante faciem eius procidens in faciem tuam*; Accuſate; iubilans in Pſalmo, lauda illum. Accuſando te, & laudando eum qui fecit te, veniet qui mortuus pro te, & viuificabit te. Hoc tenete, in hoc perſiſtite. Nemo varietur, nemo leproſus ſit. Doctrina inconſtans, *Tanquam fluctuantes, qui circumferuntur ſicut paruuli, omni vento doctrinæ, nec firmi ſtant in antiqua Eccleſiæ doctrina; qui ab iucuntur variis doctrinis & peregrinis, & de ſuo ingenio noua miſcent, ſolidæ & vniformi Scripturæ Sacræ de materia gratiæ.* Non habens vnum colorem, mentis lepram ſignificat: & iſtam Chriſtus mundat. Fortè in aliquo variaſti, *A malo ſenſu in bonum conuerſus, loquitur certè multis etiamnum lectione librorum eius ſanius quàm priùs de gratia ſentientibus,* Et inſpexiſti, & in melius ſententiam commutaſti, & quod varium erat, *Vt pellis leproſi*, vnius coloris effectum eſt. Noli tibi tribuere, ne ſis inter nouem qui gratias non egerunt. Vnus egit gratias: cæteri Iudæi erant, ille alienigena erat, Gentes alienigenas ſignificabat, numerus ille *decem leproſorum, quorum vnicus decimus gratus, in munus gratia accepta quaſi decimam obtulit in ſacrificio.* Numerus ille Chriſto decimas dedit. Illi ergo debemus quòd ſumus, quòd viximus, quòd intelligimus: quòd homines ſumus, quòd benè viximus, quòd rectè intelleximus, illi debemus. Noſtrum nihil niſi peccatum quod habemus. Quid enim habes quod non acceperiſti? vos ergo, maximè qui ſcitis quid audiatis, curatum ab ægritudine, *Leproſum ſignificare nos omnes peccatores*, mundatum à varietate, ſurſum cor ponite, & Deo gratias agite. *Sic peroranti omnium doctorum lingua, obmutescant ſcidij, & de nouellis ſuis varietatibus vaniſſimè gloriantes.*

Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

Auguſt.

5. Auguſt.

GVLÆ PECCATVM.

1. *Gula primi hominis, & cruda esca, mortem; abstinentia autem vitam peperit. Scorp. cap. 5. V. Martyrium. 8. circa m. Pœnitentia. 10. circa m. Patientiæ exempla. 2.*

* 2. *Gula Adam salutem vendidit, quam ieiunia redimere debemus. De Ieiun. cap. 3 à p. ad. f.*

Gen. 2. 17. a Ephes. 5. 32. 1. Cor. 2. 14. Gen. 3. 6. & 9.

ACceperat Adam à Deo legem non gustandi de arbore agnitionis boni & mali, morituros si gustasset. verùm & ipse tunc in psychicum reuersus post ecstasin spiritalem, in qua a *magnum illud sacramentum in Christum & Ecclesiam* prophetauerat; nec jam capiens quæ erant spiritus facilius ventri quàm Deo cessit, pabulo potiùs quàm præcepto annuit; salutem gulâ vendidit. manducauit denique, & periit. saluus alioquin, si vni arbusculæ ieiunare maluisset. vt iam hinc animalis fides semen suum recognoscat, exinde deducens carnalium appetitionem, & spiritualium recusationem. Teneo igitur à primordio homicidam gulam, tormentis atque suppliciis inediæ puniendam, etiam si Deus nulla ieiunia præcepisset; ostendens tamen vnde sit occisus Adam, mihi reliquerat intelligenda remedia offensæ, qui offensam demonstrarat: vltrò cibum, quibus modis quibusque temporibus potuissem; pro veneno deputarem, & antidotum famem sumerem, per quam purgarem mortis à primordio causam, in me quoque cum ipso genere trans ductam certus hoc Deum velle, cuius contrarium noluit satisque confidens placituram illi continentiæ curam, à quo damnatam comperissem incontinentiæ culpam. Porrò, cùm & ipse ieiunium mandet, & animam conquassaram, propriè vtique cibi angustiis, sacrificium appellet, quis iam dubitabit omnium ergà victum macerationum hanc fuisse rationem, qua rursus interdicto cibo, & obseruato præcepto, primordiale iam delictum expiaretur, vt homo per eandem materiam causæ satis Deo faciat, per quam offenderat, id est per cibi interdictionem; atque ita salutem æmulo modo redaccenderet inedia, sicut extinxerat sagina, pro vnico illicito plura licita cõtemnens.

Psal. 50. 19.

GVLÆ PECCATVM. II. SCHOLIA.

AGNITIONIS. *Scientiæ.* INPSYCHICVM. *Animalem.* EXTASIM. *Somnum extaticum, de quo alibi;* Immisit Dominus soporem in Adam. PROPHETAVERAT. *Dum prædixit Christi cum humana carne & Ecclesia coniugium. De quo vide dicta alibi.* NEC IAM CAPIENS. *Alludit ad Paulum 1. Cor. 2. 14.* Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. *Syr. autem,* Non recipit spiritalia. CESSIT VENTRI. *Gula obedivit.* VNI IEIVNARE. *Ab una abstinere.* IAM HINC. *Ab ipso primo peccatore gula perdito.* ANIMALIS FIDES. *Hic carpit Psychicos & animales, vt vocat, Christianos, iam hæreticus, & nimis auidus ieiuniorum, cui vna Ecclesia Romana quadragesima non sufficiebat vnde animalem fidem vocat, sapientem gulam, & de semine Adæ per gulam facti animalis, & terrestris, terrenaque sapientis exortam.* SPIRITVALIVM. *Præceptorum scilicet Montani, quem Spiritum Sanctum paracletum esse credebat.* HOMICIDAM GVLAM. Plures occidit gula quàm gladius, *Imò omnes in Adam guloso occidit.* SVPPLICIIS INEDIÆ. Secundùm mensuram delicti erit & plagarum modus. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. PRO VETERNO. *Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 13.* Si aliquid mali esset lignum illud, vnde prohibuit hominem Deus, cius ipsius mali natura venenatus videretur ad mortem. Quia verò ligna omnia in Paradiso bona plantauerat, qui fecit omnia bona valde, nec vlla ibi natura mali erat, quia nusquam est mali vlla natura, &c. Ab eo ligno quod malum non erat, prohibitus est, vt ipsa per se præcepti conseruatio bonum illi esset, & transgressio malum. Nec potuit meliùs & diligentiùs commendari quantũ malum sit sola inobedientia, cùm ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset, non vtique peccasset. Nam qui dicit, Verbi gratiâ, noli tangere hãc herbam, si fortè venenosa est, mortemque prænuntias, si tetigerit, sequitur quidem mors contemptorem præcepti, sed etiam si nemo prohibuisset, atque ille tetigisset, nihilominùs vtique moreretur: illa quippè res cõtraria saluti vitæq; eius esset, siue indè vetaretur siue nõ vetaretur, &c. Cùm vero illud tãgitur, quod nec tãgenti obesset, si nõ prohiberetur, nec cuiquam alteri, quãlibet tangeretur; quare prohibitum est, nisi vt ipsius per se bonũ obedientiæ, & ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur &c. *Præceptum autem primum & vnicum Adæ datum fuit abstinentiæ, ex qua obedientiam hominis Deus probare voluit. Et graui lapsu ex arbore caput humani generis elisum, omnia sua membra posteroſque confregit, & in vna esca Saturno crudelior, omnes filios deuorauit. Quàm magnus inobedientiæ lapsus & ruina, quâ contra Deum præcipientem abstinentiam elatus est, ex gula Deus & immortalis fieri præsumens, ex spiritali in animalem, ex immortali in mortalem delapsus:* Homo cũ inhonore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, &c. *Vnde Aug. ibid. cap. 2 inf.* Nec fieri potest, vt voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit quid interest inter bonum & malum: bonum scilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ: Id est superbiæ & contumaciæ; peruersæ imitationis Dei, & noxiæ libertatis. *Addo in rem Tertull. malum gulæ, & bonum abstinentiæ.* IN ME QVOQVE In omnes homines mors pertransiit. CONTINENTIÆ. *Abstinentiæ.* ANIMAM CONQVASSATAM. *Psal. 50.* Cor contritum & humiliatum, Deus non despicies. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & planctu, &c. Sacrificium Deo spiritus contribulatus RVRSVS. *Post primam abstinentiam indictam Adamo.* PERIANDIM MATERIAM. *Abstinentiam ab escis.* REDACCENDERIT. *Extinctum lumen gratiæ resuscitaret.* SAGINA. *Super omnia ligna concessa ad esum, quibus poterat saginari, etiam fructu prohibito superimpleri volens. Vt ergo lumen virinsque vitæ, & spiritalis & animalis, reparemur, antidoto abstinentiæ vtamur contra gulæ venenum mortiferum, ex quo mors vtraque venit. Sic enim sensit Augustinus omnem vitam extinctam; de quo Ioannis 1.* Et vita erat lux hominum, *Dum ait*

A B C D

Augustin.

S. Augustin.

Augustin. lib. 13.

Auguſt *lib 13 de Ciuit. c. 12.* Quando dixit Deus primo illi homini, quem in Paradiſo conſtituerat, de ligno vetito: quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini: Non tantùm primæ mortis partem priorem, vbi anima priuatur Deo; *vero lumine ſuo*: Nec tantum poſteriorem, vbi corpus priuatur animâ: nec ſolùm ipſam totam primam, vbi anima & à Deo, & à corpore ſeparata punitur; ſed quidquid mortis eſt vſque ad nouiſſimam quæ ſecunda dicitur, & quâ eſt nulla poſterior, comminatio illa complexa eſt. Auguſt. *Idem Aug. tract. 1. in Io. exponens illud Ioannis* Et vita erat lux hominum. Ex ipſa, *inquit*, vita homines illuminantur, pecora non illuminantur, quia pecora non habent rationales mentes, quæ poſſunt videre ſapientiam. Homo autem factus ad imaginem Dei habet rationalem mentem, per quam poſſit percipere ſapientiam. Ergo illa vita, per quam facta ſunt omnia, ipſa vita lux eſt, & non quorumcumque animalium, ſed lux hominum: vndè paulò poſt dicit, erat lumen verũ, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Sed lumen rationis, gratiæ, vitæ omnis, ſibilus ſerpentis gula peccatum ſuadentis exeruxit; profugum & confuſum à Deo & ſeipſo in tenebras & latebras miſit. De quo ſic Aug. lib. 13. de Ciuit. cap. 13.* Poſteaquam præcepti S. Auguſt. facta tranſgreſſio eſt, confeſtim gratiâ deſerente diuinâ, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt. *Qui ergo in Adam à Deo, confuſi gula meritò, à luce ad tenebras receſſimus, à paradiſi terreſtris deliciis expulſi, ad Deum & paradiſum cœleſtem, abſtinentia præcepto, lumen virumque recepturi & vitam accedamus, ſic inuitante Propheta*: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.

3. Gula populi Iſraël ad manna nauſeantis multarum ciborum abſtinentiâ multata eſt. De Ieiun. c. 5. à p. ad f.

PRimus populus primi hominis reſculpſerat crimen, pronior ventri quàm Deo deprehenſus; cùm de duritia Ægyptiæ ſeruitutis valida manu Dei & ſublimi brachio ereptus Dominus eius viſus, & terræ lacte & melle mananti deſtinatus; ſtatim autem ſolitudinis Exo. 14. 4. incopioſæ circumſpectu ſcandalizatus ſaturitatis Ægyptiæ detrimenta ſuſpirans, in Moyſen Exo. 33. 3. & Aaron muſſitauit: [a] *Vtinam obiiſſemus percuſſi à Domino in terra Ægypti, quando ſuper ollas carnium ſedebamus, & panes in plenitudinem comedebamus. Quomodo eduxiſti nos in hac deſerta ad interficiendam ſynagogam iſtam fame.* Eadem ventris prælatione deploraturus erat eoſdem duces ſuos & Dei arbitros, quos deſiderio carnis, & recordatu Ægyptiarum copiarum exacerbabat, [b] *Quis nos veſcet carne? venerunt in mentem nobis piſces, quos in Ægypto edebamus gratis & cucumeres, & pepones, & porri, & cepe, & allia. At nunc anima noſtra arida; nihil niſi manna vident oculi noſtri.* Ita & illis xerophagiæ panis angelici diſplicebant, allium potiùs, & cepe, quàm cœlum fragrare malebant. Et ideò tam ingratis gratiora & eſculentiora quæque detracta ſunt, puniendæ ſimul gulæ & exercendæ continentiæ cauſa, vt illa damnaretur, iſta erudiretur. [a] Exo. 16. 2. & 3. & 7. 8. [b] Num. 11. 5. & 6.

GVLA. III. SCHOLIA.

PRIMVS POPVLVS. *Hebræus in primogenito Eſaü guloſo figuratus, primogenituræ contemptore, ſicut & ille fuit nauſeator cœleſtis eſcæ.* RESCVLPSERAT. *Idololatriâ ventris, renouauerat primam Adæ idololatriam, à pomo ſeu Deo diuinitatem ſperans. Vnde & ſculptile & conflatile vetitum in vitulo reſculpſit.* DOMINVS RIVS. *Quaſi diceret. Deus pluſquam ſatis probauit prodigiis in fauorem populi Iſraëlitici factis, ſe eſſe eius Dominum, cuius tamen præcepto contempto maluit ſuo ventri ſeruire. Exo 14. 4.* Glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, ſcientque Ægyptij, quia ego ſum Dominus. LACTE. *Exo. 13. 5.* Iurauit Patribus tuis, vt daret tibi terram fluentem lacte & melle INCOPIOSÆ. *Deſertæ, inopis, vitæ omnis copiis deſtitutæ.* MVSSITAVIT. *Murmurauit.* Exo. 16 2. Murmurauit omnis congregatio filiorum Iſraël contra Moyſen & Aaron in ſolitudine. Dixeruntque filij Iſraël ad eos: vtinam mortui eſſemus per manum Domini, 70. *percuſſi à Domino*, in terra Ægypti, quando ſedebamus, *pranſuri, habentes coram nobis plenas ollas carnium*, ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate: cur eduxiſtis nos, 70 *quoniam eduxiſtis* In deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem, 70. *Synagogam hanc*, Fame? PRÆLATIONE. *Deo in arbitris ſuis contempto.* DEPLORATVRVS. *In dolorem & gemitum compulſurus* Moyſem & Aaron. EXACERBABAT. *De hac Dei in ducibus populi exacerbatione, fuſè in hanc rem* Auguſtinus *ſcripſit in Pſal. 77.* Auguſt. 40. Appoſuerunt adhuc peccare ei, id eſt non credere. *Et hæc prima ex gula Adæ macula, qui credidit ſerpenti, & non Deo dicenti, morte moriemini.* Nam hoc eſt peccatum, de quo arguit Spiritus mundum, ſicut Dominus dicit: de peccato quidem, quia non crediderunt in me. Et exacerbauerunt altiſſimum in ſiccitate. Quod alij codices habent in inaquoſo, &c. Vtrùm in illa eremi ſiccitate, an potiùs in ſua? quia licet bibiſſent de petra, non ventres, ſed mentes aridas habebant, nullâ virentes ſiccitate iuſtitiæ. In qua ſiccitate magis fideliter Deo ſupplices eſſe debuerant, vt qui ſatietatem donauerat faucibus, æquitatẽ donaret & moribus. Ad eum quippè fidelis anima clamat: oculi mei videant æquitatem. Et tẽtauerunt Deũ in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Aliud eſt petere credẽdo vt aliud tẽtando. Denique ſequitur: & detraxerunt de Deo, & dixerũt nũquid poterit Deus parare menſam in deſerto, quoniã percuſſit petrã & fluxerunt aquæ? &c. Non credentes ergo petierunt eſcas animabus ſuis. Non ſic Apoſtolus Iacobus eſcam mentis præcepit poſtulari: *Aduerte animales Hebræos eſcam carnalem petere animabus. Sic ſtultus ille diues dicebat animæ ſuæ: Epulare anima mea, habes bona plurima.* Sed à S. Auguſt. credentibus eam peti admonet, non à tentantibus, arque detrahentibus Deo. Si quis autem veſtrûm, inquit, indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, &c. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans, &c. Quid eſt quod ait: audiuit Dominus & diſtulit? An diſtulit eos introducere in terram promiſſionis quò ducebantur, quod intra paucos dies fieri poterat? &c. Et filij eorum, *cùm mortui ſint patres in deſerto*, In terram promiſſionis ingreſſi ſunt. *Patres enim qui corde reuerſi erant in terram Ægypti, indigni erant lactea terra & mellea.* An diſtulit pœnam; vt priùs ſatiaret etiam infidelem concupiſcentiam, ne propterea putaretur iratus, quia hoc ab illo licet tentantes & detrahentes petebant quod facere non poſſet? &c. ÆGYPTIARVM COPIARVM. *Alimentorum Ægypti.* QVIS NOS VESCET. *Num. 11. 5.* Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis

veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & alia. Anima noſtra arida eſt 70. *nunc autem anima noſtra arida; nihil præter in manna oculi noſtri. Supplè intenti ſunt.* Nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man. XEROPHAGIÆ. *Arida eſca.* FRAGRARE. *Pulchrè opponit fœtorem & grauem odorem alliorum, ſuauiſſimo Angelici panis odori.* ESCVLENTIORA. *Vt quadrupedibus, & volatilibus, per legem interdictis, in pœnam gulæ.* CONTINENTIÆ. *Abſtinentia, quam in figura docere nos volebat, vt ei adhuc arctius vacaremus, condemnantes gulam, quam Deus condemnauit in Hebræis. Vide dicenda ſequenti Scholio.*

4. *Et de Ieiun. cap. 16. à. p. ad. m.*

Num. 11. 33. & 34. 1. reg. 4. 17. & 18. 3. reg. 12. 22. 3. reg. 13. 45 & ſeq.

ILle certè Deus, cui nec populus incontinens gulæ placuit, nec ſacerdos, nec prophetes. Manent adhuc monumenta concupiſcentiæ, vbi ſepultus eſt populus carnis auidiſſimus vſque ad choleram ortygometras cruditando. Eliditur pro templi foribus ſenior Heli, filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu. hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens, ſacrificiorum carnalium defraudatrix. Sameas, homo Dei cùm exitum prophetaſſet idololatriæ introductæ à rege Hieroboam poſt manum ejus regis arefactam, & ſtatim reſtitutam, poſt altare diffiſum ob hæc ſigna & ſatisfactione inuitatus à rege, plane excuſauit. Prohibitus enim à Deo fuerat, illic cibum in totum attingere; ſed ab alio mox ſene mentito prophetiam temerè paſtus ſecundùm verbum Dei ibidem factum ſuper menſam, non eſt in paternis ſepultus; leonis enim in via occurſu proſtratus, & apud exteros conditus, pœnam deſerti ieiunij luit. Hæc erunt exempla & populo & epiſcopis, etiam ſpiritalibus, ſi quam in continentiam gulæ admiſerint. Sed nec apud inferos admonitio ceſſauit, vbi in diuite quidem conuiuia cruciantur, in paupere verò ieiunia recreantur, habentia præceptores Moyſen & Prophetas.

Luc. 16. 29.

GVLA. IV. SCHOLIA.

ILLE DEVS. *Iſraëlitarum.* INCONTINENS GVLÆ. *Dum petiit carnes.* PLACVIT. *Imò diſplicuit. Num. 11. 33. vbi, de ortygometris, ſiue coturnicibus;* Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſcemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum. percuſſit eum plagâ magnâ nimis. *Et hoc eſt quod ſignificat Tertullianus his verbis: vſque ad choleram; id eſt Dei iram.* Vocatuſque eſt ille locus, ſepulchra concupiſcentiæ: Ibi enim ſepelierunt populum qui deſideranerat. NEC SACERDOS. *Duo filij Sacerdotis Heli.* NEC PROPHETES. *Seductus à pſeudoprophetâ, de quo infra. Qui licet aliàs propheta fuiſſet, mentitus eſt tamen ſe ab Angelo monitum, vt Sameam ad edendum compelleret.* CRVDITANDO. *Crudam eſcam adhuc in ore habendo. De hac Dei ira in gulaſos Auguſtinus in Pſal. 77.* Subiiciens, *inquit*, quàm euidentibus beneficiis ingrati fuerunt: & imandauit, inquit, nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit: & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis, &c. Tranſtulit Auſtrum de cœlo, & induxit in virtute ſua Africũ. Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata, &c. Manducauerunt & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, non ſunt priuati à deſiderio ſuo. Ecce quare diſtulerat. Quid autem diſtulerit audiamus. Adhuc eſca erat in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, &c. Diſtulerat ergo, vt priùs, faceret, quod eum facere non poſſe crediderant, deinde inferret quod eos pati oportebat. *Subiecit quòd ſi Deo credidiſſent, & deſiderium ſpiritus, & carnis impleſſet.* Qui cibaria miſit eis in abundantia vt ſatiaret meredulos, non eſt inefficax dare credentibus verum ipſum de cœlo panem, quem manna ſignificabat, qui verè cibus eſt Angelorum, quod Dei Verbum corruptibiles incorruptibiliter paſcit; quod vt manducaret homo, caro factum eſt. & habitauit in nobis: ipſe enim panis per nubes Euangelicas vniuerſo orbi pluitur, & apertis prædicatorum cordibus, tanquam cœleſtibus ianuis, non murmuranti, & tentanti Synagogæ, ſed credenti, & in illo ſpem ponenti Eccleſiæ prædicatur. *Et rurſum tract. 73. in Io. à p. vbi agit de indiſcretis orationibus, & perniciosa importune petentibus, ex Iacobi 4.* Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Malè ergo vſurus eo quod vult accipere, Deo potiùs miſerante non accipit.

A

B

C

S. Auguſt.

D

S. Auguſt.

Proinde ſi hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur exauditus, magis metuendum eſt, ne quod poſſet non dare propitius, det iratus. An non videmus Iſraëlitas malo ſuo impetraſſe quod culpabili concupiſcentiâ petierunt? concupierant enim carnibus veſci, quibus pluebatur manna de cœlo. Faſtidiebant quippè quod habebant, & quod non habebãt, impudenter petebant: quaſi non melius peterent, non vt cibus qui decrat indecenti deſiderio præſtaretur, ſed vt ille qui aderat, ſanato faſtidio ſumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potiùs Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala. Non quia malum eſt carne veſci, cùm de hac re loquens Apoſtolus 1. Tim. 4. 4. dicat: omnis creatura Dei bona eſt, &, nihil abiiciendum, quod cum gratiarũ actione accipitur: ſed quia, ſicut quidem ipſe ait Rom. 14. 20. Malum eſt homini, qui per offenſionem manducat. Et ſi per hominis offenſionem, quantò magis Dei? cuius in Iſraëlitis non parua erat offenſio, repudiare quod dabat ſapientia, & petere id quo inhiabat concupiſcentia, quamuis illi nec peterent, ſed quia deerat, murmurarent. HELI. 1. *Reg. 4. 17.* Reſpondens ille qui nuntiabat: fugit, inquit, Iſraël coram Philiſthijm, & ruina magna facta eſt in populo: inſuper & duo filij tui mortui ſunt, Ophni & Phinees. 70. *non eos nominant.* Et Arca Dei capta eſt. Cumque ille nominaſſet Arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus, 70. *& contribulatum eſt dorſum eius*, mortuus eſt. NVRVS IVS. *Ibidem verſu 19.* Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui 70. *cùm concepiſſet ad pariendum*, Et audito nuntio, quòd capta eſſet Arca Dei, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus, incuruauit ſe & peperit: Irruerant enim in eam dolores ſubiti. In ipſo autem momento mortis eius, 70. *Et in tempore ſuo moritur.* Dixerunt ei, quæ ſtabant circa eam: ne timeas, quia filium peperiſti. Quæ non reſpondit eis, neque animaduertit: & vocauit puerum Ichabod, dicens; tranſlata eſt gloria de Iſraël, quia capta eſt Arca Dei. Et pro ſocero ſuo, & pro viro ſuo. DOMVS IMPVDENS. *Familia tota denigratur, propter duorum filiorum impudentiam, & gulam; qua de detractis ſacrificij carnibus veſcebatur. Vel quia ſacrilegè cum mulieribus dormiebant. De his ſic. 1. Reg. 2. 12. & ſeq.* Venerat puer Sacerdotis, dum ce-

querentur carnes, &c. Nunc dabis, alioquin tollam vi. Erat autem peccatum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini. 70. *vero*, quoniam contemnebant sacrificium Domini. *Versu autem* 22. Dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, &c. *Et versu* 24. Voluit Dominus occidere eos. 70. *autem*: Volens volebat Dominus disperdere illos. *De his siu Aug to. 6. lib. 1. contra Aduers. legis cap 16.* Propterea videtur hinc Deus legis & Prophetarum, qui vnus & verus est Deus, crimine crudelitatis arguendus: quia propter leuissimas causas, vel etiam erubescendas, pœnam mortis, vel corporalis inflixit: quòd Dauid populum numerasset; quòd infantes, sicut iste dicit, filij Heli Sacerdotis, de ollis, vel cacabis Deo præparatis, aliquid degustassent. Qua in re non disputo, quantum & quàm perniciosum elationis vitium tam sancto viro, vt vellet Dei populum numerare & subrepserit, eorumque mortibus, non æternis, sed iam iamque humana conditione venturis, & celeriter transituris, fuerit flagellatus quorum fuerat multitudine inflatus. Nec dico filios Heli fuisse infantes, vt iste loquitur, nesciens quid loquatur; sed eius ætatis, qua possent, *Peccare*, & deberent, *iustè plecti*, pro sacrilego ausu, quo se Domino Deo in Sacrificiis præferebant, digna coërcitione cohiberi. Quod neglectum, *Ab Heli Patre impunitum*, non sibi consulens, sed populo, cui religio pietasque profuisset, bello etiam vindicauit. Vbi Dei timorem potuerunt augere victuri, per eorum mortes, qui fuerant, etsi senescerent, post non longa temporum spatia morituri. SAMEAS HOMO DEI. 3. *Reg 12. 22.* Factus est sermo Domini ad Semeiam virum Dei. 70. Factum est verbum Domini ad Samæam hominem Dei. CVM EXITVM. 3 *Reg. 13. 1. & seq.* Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel, Ieroboam stante super Altare & thus iaciente. Et exclamauit contra altare in sermone Domini, & ait: hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, *Principum, vel lucorum & saltuum in montibus*, Qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. Deditque in illa die signum, 70. *& dabit in die illa prodigium*, Dicens: hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, & effundetur cinis. 70. *pinguedo*. Qui in eo est. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra Altare in Bethel, extendit manum suam de Altari, dicens, apprehendite eum; & exaruit manus eius quã extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de Altari, &c. SATISFACTIONE. Orauit vir Dei faciem Domini. & reuersa est manus regis ad eum, & facta est sicut priùs fuerat. Locutus est autem Rex ad virum Dei: veni mecum domum vt prandeas, & dabo tibi munera. Respondit que vir Dei ad Regem; Si dederis mihi mediam partem Regni tui, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. Sic enim mandatum est mihi sermone Domini præcipientis; non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti, &c. *Textus prosequitur fallaciam Prophetæ mentientis Deum sibi iussisse, vt secum iret, & comederet, quo fallo concludit versu* 10. Cumque federent ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam; quia non obediens fuisti ori Domini, non inferetur cadauer tuum in sepulcrum Patrum tuorum, &c. Et inuenit eum Leo in via, & occidit eum, & erat cadauer eius proiectum in itinere: asinus autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer, &c. Non comedit Leo de cadauere, nec læsit asinum. *Subiicit, senem illum mentientem, cadauer sepeliisse in sepulchro suo. Quod factum breuiter Augustinus attigit to. 4. lib. de cura pro mortuis cap. 7.* Hactenus voluit Dominus seruum suum plectere, qui non sua contumacia spreuerat præceptum eius implere, sed alienâ decipiente fallaciâ, obedire se credidit, quando non obediuit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, vt ad supplicium tartareum eius deinde anima raperetur: quandoquidem ipsum eius corpus idem leo, qui occiderat, custodiuit, iumento etiam quo vehebatur, illæso, & simul cum illa immani fera, intrepida præsentia ad sui Domini funus adstante. Quo mirabili signo, apparet hominem Dei coërcitum potiùs temporaliter vique ad mortem, quàm punitum esse post mortem, &c. *Et cap. 8. inp.* Deus leonem Prophetæ corpus, quod ipse occiderat, vlteriùs non permisit attingere, & fecit de peremptore custodem. *Si venialis culpa gulæ, vel non satis exacta probatio & discretio spirituum, quam Tertull. innuit per*, temerè pastum? *Mernit mortem temporalem, timeant gulosi cum epulone diuite lautè pasti, nec micas dantes paupori, mortem æternam. Moysem* ET PROPHETAS. *Maximè Eliam, quadragesimæ obseruatores.*

Augus. S. Aug. S. August.

5. Gulæ peccatum auaritiâ maius. De Ieiun. cap. 6. in m. Vide Ieiunij effectus. 6. in f.

** 6. Gula Deus est ventricolæ, & primogenitorum venditori. De Ieiun. cap. 16. in f. & 17. in p.*

*DEus tibi *venter est*, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos cocus, & sanctus Spiritus nidor & condimenta charismata & ructus prophetia. Vetus es, vera si velimus dicere, tu qui tantùm gulæ indulges, & merito te priorem jactitas; semper agnosco sapere Esau venatorem ferarum ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissimæ disciplinæ tuæ venis, ita spiritu deficis. si tibi lenticulam defruto inrufatam obtulero, statim totos primatus tuos vendes apud te Agape in caccabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet. * Philip. 3. 18. CAP. XVII.

7. Gula, & mensarum luxus & crudelitas in Togatis. V. verbum, Senatores.

8. Gula vel leuis periculosa. De Ieiun. cap. 18. circa f. Vide infra V. Ieiunij antiquitas. 6. circa. f.

GVLA. V. SCHOLIA.

DEVS VENTER. *Philipp.* 3. 18. Multi ambulant, quos D sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi; quorum finis interitus: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. *In quã rem breuiter ex Aug.* D. *Prosper, lib. Sententiarum* Hoc ab homine colitur, quod plus diligit. Vnde quia Deus omnibus rebus maior & melior inuenitur, plùs omnibus diligendus est vt colatur. *Ventricola autem, gulam, & ventrem, & carnis delicias, pra omnibus diligunt; de quibus Rom.* 16. 18. Huiusce modi, Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri. *Hos graphicè describit Tertullianus & benè congruit Gastrimargis hæc descriptio: nisi Authorin Catholicos insurgeret, quibus tanquam Psychicis, id est animalibus, hanc ventris curam, ipse iam hæreticis imponit.* PVLMO TEMPLVM. *Quasi tota deuotio, & cultus sit, & respiratio, res ventris curare. Est item Plinio lib. 6. cap. 47. & lib. 17. cap vltimo, pulmo piscis sensu carens, certa nautis futuræ tempestatis signa prebens. Et quidem de gula repentina tempestate punienda. Iob cecinit*: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, &c. *Et Christus*; Sicut in diebus Noë erant edentes & bibentes, &c. AQVALICVLVS. *Deductum nomen ab aqualiculo, id est vase, in quo porci comedunt. Teste Cornuto Aqualiculus proprie venter est porci, & transfatè de hominis aluo dicitur.* SACERDOS COCVS. *Qui videlicet cibos victimas Deo ventri immolat & parat.* NIDOR. *Culinæ scilicet, vbi ciborum odor, & spiritus, fragrat pro thure.* CHARISMATA. *Quasi dona pretiosissima.* RVCTVS PROPHETIA. *Sicut Deo, & Spiritu Sancto pleni,* Eructant verbum bonum, *Sic isti cibis & vinis repleti, nihil nouum.* *Alij sic legunt*: Prophetia vetus est. *Sed lectio*

Augus.

hæc, doctior est, vt patet. VETVS ES, *&c. Vt verum dicam,* A *tu Psychice, hominem verum sapis, hoc est animalem,* Qui non sapis quæ sunt spiritus, *Id est doctrinæ Montani nostri. Iure te iactas, Montanum præcessisse, & priorem esse Ecclesiam Romanam, sectâ nostrâ nouâ: Sed prioritatem istam cognosco similem priori natu Iacob, illi gulosо venatori Esaü, qui domesticis cibis non contentus ferarum venationi inflabat; sic tu quoque de laxissima institutione, & more Ecclesiæ Romanæ venis, sicut ille de campo à venatione.* INDAGANDIS TVRDIS. *Turdus inter primas aues, ad saporem eligitur, gallicè,* Griue. *Est & piscis inter saxatiles nobilis, ex Plin. lib. 32. cap.* 11. SPIRITV DEFICIS. *Vel ex cursu venationis animus & pulmone siue halitu deficiente; vel, vt supra, minus habens spiritus, qui strictam Montani, duplicem quadragesimam obseruantis, disciplinam non admittis.* DEFRVTO INFVSATAM. *Vino rubro media ex parte cocto, offam de lenticula, rubefactam, vt alteri Esaü obtulero.* PRIMATVS TVOS. *Tu qui priorem te iactas, ius primogenituræ tuæ mihi vendes, offa pretio.* APVD TE. *In Ecclesia tua Romana.* AGAPE. *Non iam conuiuium dilectionis paratum pauperi, sed vnica charitas, & dilectio tua, est, vt cibus electus in cacabis ferueat feruor fidei in coquinis ardeat, sic tota in diuersis ferculis iaceat Adeo mens repit in visibilibus cibis; cùm spirituales conuersentur in cœlis, vnde Paulus, cùm dixisset,* Quorum Deus venter est, &c. *Statim subiecit:* Nostra autem conuersatio, *Syr. aptius in rem nostram, noster autem cultus* in cœlis est. *Deum cœli colimus, non ventrem; cœlestem mensam, panem in regno Dei, manna absconditum, torrentes voluptatis, credimus, expectamus, diligimus; & vt auidiùs comedamus,* & repleamur in bonis domus Dei, *Nunc arctiùs ieiunamus. Aptissimè Augustinus ser. 44. de diuersis cap. 1.* Qui Spiritum Dei accepit spiritaliter sapit. Dixit enim Apostolus; sapere secundùm carnem, mors est: & ad hoc promisit Dominus spiritum paracletum veritatis: ergo sicut promisit, & misit; vt vnusquisq; iam qui eũ spiritum recepit, non sit tẽporalibus voluptatibus seruus, sed Dominus corporis factus, & sernus Creatoris, dirigat se in viâ præceptorũ Dei; nec vestigia eius nutent, nec oculi eius palpitent; sed intentione fidei proficiat, vt veniat ad id quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Quod creditur antequã videatur, vt cùm venerit, qui credidit, non confundatur. Intendat ergo ambulans in spe, sperans quod nondum tenet, credens quod nondum videt, amans cui nondum hæret. Exercitatio autem animæ in fide, & spe, & charitate, facit eum idoneũ capere quod venturum est, &c. Recordamini ergo duos filios Isaac, D Esaü, & Iacob, quomodo maiori præponitur minor: vt ad Iacob pertineatis, Esaü non ametis. Erit autem Esaü qui vult carnaliter viuere, vel carnalia in futuro sæculo sperare. Siue ergo carnaliter viuens, & talibus gaudens in hoc tempore, & talia de Deo sperans, qualia habent & mali, & totam fœlicitatẽ suã in ipsa ponens, de qua gaudent & iniqui; aut certè contemnens istam præsentem, & talem sperans in futuro, carnalis est, & carnalem fidem habẽs, carnalem spem, carnalẽ charitatem. *Si Augustinus emendasset commentari Tertullianum, quid apposuisset hoc loco dixisset:* Fides autem spiritalis est, credere quòd protector sit temporaliter Dominus tuus, vt venias ad illud 3. Augus. quod temporale non erit. Et sperare te habiturum vitam Angelorum, non in corruptionibus carnis, non in voluptatis illecebris, non in fornicationibus, & ebrietatibus, & gaudio epularum carnalium, non in superbia possessionum dominationis terrenæ, sed tantummodo, quomodo Angeli viuunt. Viuunt autem Angeli in gaudio, non creaturæ, sed Creatoris. Gaudium enim creaturæ est, quidquid videtur: gaudium Creatoris est quod non videtur oculis corporis, sed purgata acie mentis. Beati mundo corde. Ad quam visionem beati sunt? *An vt videant abacos vasis argenteis & aureis stratos, aulas auleis sericis indutas, mensas, cibis & vinis exquisitissimis instructas?* 4. Augus. Quoniam ipsi Deum videbunt, &c. *Deinde capite 8. Iuxta Tertullianum, de veteri & carnali:* Qui sic intellexerunt, quasi præsens illis aliquid daretur pro magno, & futurum nihil quæsierunt. &c. Ad maiorem filium pertinent, ad vetus testamentum pertinent. *Et cap. 11.* Nemo fit spiritalis, nisi ex carnali; sed si perseueret in prudentia carnis, semper erit Esaü: si autem fiat spiritalis, est filius minor, sed ipse minor erit maior: ille enim tempore præcedit, iste virtute. Namque cùm coxisset lentem Iacob, desiderauit Esaü accipere, &c. Vendidit primogenita sua minori: abstulit ille voluptatem temporalem, abstulit ille dignitatem sempiternam, &c. *Et cap. 13.* Perdiderunt primatum suum, quia conuersi corde in Ægyptum, manducauerunt lentem, *Lens cibus est Ægypti, vt paulò supra dixerat;* accipite; *intelligite,* Populus Christianus es, *in Hebræo fideli expressus,* Sed in ipso populo Christiano illi primatum tenent, qui pertinent ad Iacob: qui verò carnaliter viuunt, carnaliter credunt, carnaliter sperant, carnaliter diligunt, adhuc ad vetus testamentum pertinent, nondum ad nouum: adhuc in sorte sunt Esaü, nondum in benedictione Iacob. *De venditione autem primogenturæ: sic lib. 16. de Ciuit. cap. 37. in p.* Primatus maioris transfunditur in minorem, ex pacto & placito inter illos; eò quòd lenticulam, quam minor parauerat, maior immoderatiùs concupiuit, eoque pretio primogenita sua fratri, iuratione interpositâ, vendidit. Vbi discimus in vescendo, non cibi genere, sed auiditate immoderata, quemque culpandum. *Et tract. 73. in Io.* Vt sciremus, non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatẽ: Non propter porcum, sed propter pomum, mortem primus homo inuenit; & Esau primatus suos, non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. *Porro licet Isaac dixerit Gen. 27. vt notat Aug. ser. 44 de diuersis.* Venit frater tuus cum dolo; dixit Isaac, de homine sine dolo, &c. C Quomodo dolus non est dolus? quomodo petra non est petra. Quia aliud significat, &c. Quia figuratũ erat quod agebatur, ideo dictum est, & venit cum dolo. Nam illo doloso homini benedictionem non confirmaret, cui debebatur iusta maledictio. Non ergo erat verus ille dolus, maximè quia non est mentitus, dicendo; ego sum filius tuus maior Esaü, iam enim ille pactus fuerat cum fratre suo, & vendiderat primogenita sua. *Adde & Rebeccam matrem audisse à Domino, maior minori seruiet, hoc est ius primogeniti in minorẽ transfero.* Hoc se dixerat habere Patri, quod ille perdiderat, in istum transierat, &c. Primogeniti honor ibi erat, in illo non erat, qui eum vendiderat. *Notatu dignum, quòd Augustinus iuxta Tertullianum dicentem;* Totes primatus tuos vendes, *simili voce plurali vsus, est, duo enim erant, in primogenitura, iura, vnum temporale, scilicet ad hereditatem paternam, cuius duplicem portionem habebat natu maior: vt Gen. 49. Iacob de Ruben ait;* Ruben primogenitus meus, prior in donis, maior in imperio. *Et Deut. 21. vbi de primogenito est sermo:* Dabit ei de iis quæ habuerit, cuncta duplicia. *Aliud ius in lege naturæ, & priusquam tribui Leuitica Sacerdotium traderetur, primogenito Sacerdotij dignitas competebat. Vtrumque autem vendidit Esau primus Simoniacus, & similes multos habet, qui beneficia vendunt, vt gulæ & luxuriæ satisfaciant. Hinc propter Simoniam, Paulus vocat eum sacrilegum & profanum, hoc est procul à Sacris remouendum. Hebr. 12. 16.* Contemplantes ne quid desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinantur multi. Ne quis fornicator, aut profanus, vt Esaü: qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim, quoniã & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam. *Profanus autem Græcè βέβηλος. Latinum vel irreligiosum significat, quod proprie quadrat Esaü Sacerdotio depositum. Ius item hoc spirituale intellexit Augustinus in Psal. 46. in versum,* Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob quem dilexit, &c. Prior natus est Esaü, & posterior natus est Iacob: sed qui posteriùs natus est, prælatus est primo nato, qui per gulam perdidit primogenita sua, &c. Ille plùs amauit quod corporaliter concupierat, quàm quod spiritaliter priùs nascendo meruerat. *Nam propter sacerdotiũ secundùm Melchisedech æternum, dictum est:* Frumento & vino stabilitum enim.

August. August. August. August. August. August. August.

H

HÆRESIS.

1. Hæresis ab eligendo dicta, quod proprio sensu credenda eligat; cum tamen iuxta Apostolos nil proprio iudicio sit eligendum. De Præscr. cap. 6. à p.

HÆreses dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis siue ad instituendas, siue ad suscipiendas eas vtitur. Ideo & sibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, sibi elegit. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignauerunt. ad Titum. 3. 11.

HÆRESIS. I. SCHOL.

GRÆCA VOCE. *Ab αἱρέω. Cui respondet, haereo. Alij ab ἐρείδω, id est innitor & firmo.* ELECTIONIS. *Sic Hiero. in Ep. ad tit. cap. 1.* Hæresis Græcè ab electione dicitur, quod vnusquisque id sibi eligat, quod ei esse melius videtur. *Et Isid. lib. 8. cap. 3. eadem refert ad verbum quæ habet Tertullianus. Hiero. scribens in Ep. ad Gal. cum repetyisset eandem etymologiam, hereticum dicit qui ad arbitrium suum Scripturam intelligit contra verum sensum.* Quicumque igitur aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, à quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest. *Monuit enim Petrus in Ep. 2. cap. 1. 20.* Hoc primùm intelligentes quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. *Et idem ibidem cap. 3. 16.* Charissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi Sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, *agebat de iudicio per ignem & seductoribus circa illud tempus.* In quibus sunt quędam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate. *Propriè dixit, non quasi eam tribuens libero arbitrio fluctuanti, sed quia propria est fidelium, supra firmam Petram, ex Dei misericordia, stabilitorum in Ecclesia, quæ* est columna & firmamentum veritatis. *Augustinus ad literam, Petri locum explicat contra hæreticos etiam hodiernos, salutem, fidei absque operibus tribuentes, cùm cumbustio ignis æterna sine operibus misericordia inuentos maneat, lib. de fide & operibus cap. 14. in f. vbi exponens locum Pauli, de lignis, fœno, & stipula & saluis per ignem, corrupto hæreticorum sensu, qui fundamentum fidei tenentes, bona opera superædificare neglexerunt. Tum de loco 1. Cor. 3. difficilis & ab hæreticis corrupto, sensum suum eligentibus, sic loquitur:* In his deputanda est, *Sententia de ligno, fœno, stipula, &c.* qua Petrus dicit esse in Scriptis eius quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines peruertere ad proprium suum interitum, vt contra euidentissima testimonia Scripturarum, securos faciant, de percipienda salute nequissimos, nequitiæ suæ pertinacissimè cohærentes, & *hæretici sunt suo sensui proprio hærentes,* nec emendando aut pœnitendo mutatos. *Tum, quàm cautè cauenda sit hæresis, ferè semper fundata in Scriptura malè intellecta, suâ modestiâ docet:* Hic à me fortasse quæratur, de ipsa Pauli Apostoli sententia, quid ego sentiam, & quonam modo intelligendam putem; fateor hîc me malle audire intelligentiores atque doctiores, qui sic eam exponant, vt illa omnia, *testimonia scilicet Scripturæ de necessitate bonorum operum*, vera & inconcussa permaneant, quæ supra commemoraui, & quæcumque alia non commemoraui: quibus apertissimè Scriptura testatur, nihil prodesse fidem, nisi eam quam definiuit Apostolus, id est quæ per dilectionem operatur: sine operibus autem saluare non posse, neque præter ignem, neque per ignem: quia si per ignem saluat, ipsa vtique saluat. Absolutè autem dictum est & apertè: quid prodest si dicat quis fidem se habere, opera autem non habet, numquid poterit fides saluare illum? SIBI DAMNATVM. *Sic ad Titum. 3. 11. vbi de hæretico.* Sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. *Translat. Syr.* Scias eiusmodi hominem peruersum esse, & sceleratum, quique reum peragit seipsum. IN QVO DAMNATVR, *ipsum dogma, propter quod condemnatur ab Ecclesia, elegit sibi.* INDVCERE, *de nouo introducere, quod proprium est Hæresiarcharum.* QVOD ALIQVIS, *quod proprium est sectariorum & recipientium dogmata hæresiarcharum.* AVCTORES, *exempla.* ACCEPTAM A CHRISTO, *dicente Matth. 28. 19. & seq.* Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, &c. docentes eos seruare omnia quęcumque mandaui vobis. *Et vnus pro omnibus Apostolis Ioannes 1. 1. 4.* Quod vidimus & audiuimus annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum. FIDELITER, *nullo ex suo sensu superaddito.* NATIONIBVS, *Gentilibus.* ADSIGNAVERVNT, *consignarunt, tradiderunt. Vel alludit ad baptisma, signaculum fidei, cum quo fidem plenam, & singula eius mysteria Gentes docuerunt, vnde simul dixit Christus supra:* Euntes docete omnes Gentes: baptizantes eos, &c.

A B C D

Aug.

2. Hæreses oportuit esse, vt & traditorem; sed væ vtrisque. De Præscr. cap. 30. à p.

[a] OPortebat hæreses esse: nec tamen ideo bonum hæreses, quia eas esse oportebat. Quàsi non & malum oportuerit esse: nam & Dominum tradi oportebat, [b] *sed væ traditori*: ne quis etiam hinc hæreses defendat.

[a] 1. Cor. 11. 19. [b] Marc. 14. 21.

3. Hæreses Authore diabolo in Scripturæ corruptione fundatæ. De Præscr. cap. 39. in f. & 40. in p.

NEc periclitor dicere, ipsas quoque scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias submin istrarent, cum legam: [a] *Oportere hæreses esse*, quæ sine scripturis esse non possunt. Sequetur, à quo intellectus interpretetur eorum quæ ad hæreses faciant?

[a] 1. Cor. 11. 19.

bono: quod adiutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippè erat adiutorium, *vtpote ſubiectum tunc libero arbitrio*, Quod deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc prima eſt gratia quæ data eſt primo Adam, ſed hæc POTENTIOR eſt in ſecundo Adam. *Id eſt, quam iam homo lapſus habet per merita Chriſti, quæ ſubiicit ſibi, tanquam Domina & victrix, liberum arbitrium.* Prima S. Auguſt. eſt enim, qua fit, vt homo habeat iuſtitiam ſi velit: ſecunda ergo PLVS POTEST, qua etiam fit, vt velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem, contraria concupiſcentem, voluntate ſpiritus vincat. Nec illa quidem parua erat, qua demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrij, quoniam ſic adiuuabatur, vt ſine hoc adiutorio in bono non maneret, ſed hoc adiutorium, ſi vellet, deſereret. Hæc autem TANTO MAIOR EST, vt parum ſit homini, per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, ſi velit, niſi etiam EFFICIATVR VT VELIT, &c. Eſt quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeueranter tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo. Vnum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. HÆC ERIT VIS DIVINÆ GRATIÆ. &c. HABENS IN NOBIS SVBIACENTEM SIBI LIBERI ARBITRII POTESTATEM. *Et quid rationabilius, quid iuſtius? Subiecta ſibi gratiâ ſuperbus vti noluit, vt obediret; gratia nunc vt Domina imperet, & ſubiiciat ſibi vis eius liberam arbitrij poteſtatem: abſque vllo tamen regia creatura, & liberi arbitrij detrimento, ſed potius augmento, adeo vt nec coacte nec neceſſariò, ſed liberè prorſus imò regiè libertas gratiæ ſubiecta ſeruiat.* Quid enim erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire peccato, quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt ſanctis Angelis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, S. Auguſt in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. *Aug. de corrept. & gratia cap. 11. in fine.* IAM ET MARCIONI OSTENDIMVS. *Et quidem fuſiſſimè libro 2. Cont. Marc. cap. 4. 5. 6. & 7. Vide dicta à nobis copiosè Verbo*, Libertas, & Liberum arbitrium, *à numero 1. ad 11. Et* HERMOGENI. *Libro contra Hermog. cap. 12.* Si demutabitur natura in materia, de malo in bonum demutari poterit, & in Deo de bono in malum. Hoc loco dicet aliquis, *Scilicet ex Hermogenis diſcipulis*, Ergo de lapidibus filij Abrahæ non ſuſcitabuntur, & genimina Viperarum non facient pœnitentiæ fructum, & filij iræ non fient filij pacis, ſi natura mutabilis non erit. Temerè ad iſta exempla reſpicies, ô homo: *Ad hominis enim liberum arbitrium ſpectant, per ſe & ex natura ſua, conuertibile ad vtrumlibet:* Non enim competunt ad cauſam materiæ, quæ *Secundum errorem tuum* innata eſt, ea quæ nata ſunt, lapides, & viperæ, & homines. Horum enim natura, habendo inſtitutionem, habere poterit & ceſſationem. Materiam verò tene ſemel æternam determinatam, vt infectam: & ideò indemutabilis, & incorruptibilis naturæ credendam, ex ipſius etiam ſententia Hermogenis. HÆC ERIT VIS, *&c. Vim tamen nullam, neceſſitatem nullam, nullam coactionem inferens libertati, ſuum licet ſemper infallibiliter gratia præparet, & efficax conſequatur effectum. Conſtitutiones enim ſummi Pontificis, & omnium ac ſingularum quinq; propoſitionũ ab eo damnatarum cenſura, lubens, volens, vt Eccleſiæ filius, & Auguſtini diſcipulus vtrò ſubſcribo. Atque vt ipſe olim*, Non crederem, *inquit*, Euangelio, niſi me Eccleſiæ moueret auctoritas: *Sic ego viciſſim, quamuis Auguſtini doctrinæ addictiſſimus*; Non crederem Auguſtino, niſi me eiuſdem Eccleſiæ moueret auctoritas. *Qua tantopere ſanctiſſimum Doctorem commendauit, vt cum ſemper ducem, maximè in cauſa gratiæ ſit ſecuta, & eius aduerſarios ſemper deprompti ex inuictiſſima eius arce armis victrix & inuicta proſtrauerit; Innocentio, Bonifacio, Celeſtino, Gelaſio, Hormiſda, Felice 4. Bonifacio 2. aliiſque teſtantibus. Interim quod ad neceſſitatem libero arbitrio nullo modo impoſitam, accipe Auguſtinum in Pſal. 99.* Omnis, inquit, ſeruitus amaritudine plena eſt, omnes conditione ſeruili obligati, & ſeruiunt, & murmurant. Noli timere illius Domini ſeruitutem, non erit tibi gemitus, non murmur, non indignatio. Nemo ſe perit inde venalem, quia dulce eſt quòd redempti omnes ſumus Magna fœlicitas eſt, fratres, eſſe in iſta domo magna ſeruum, etſi cum compedibus, noli timere ſerue compedite, confitere Domino. Meritis tuis attribue compedes tuas: confitere in compedibus tuis, ſi vis vt in ornamenta vertantur, &c. Libera ſeruitus eſt apud Dominum, libera ſeruitus, vbi non neceſſitas, ſed charitas ſeruit, &c. ſeruum te charitas faciat, quia liberum te veritas fecit. Io. 8. Si manſeritis, inquit, in verbo meo, verè diſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Simul es & ſeruus, & liber. Seruus, quia factus es: liber quia amaris à Deo à quo factus es. Imò etiam inde liber, quia amas eum à quo factus es, &c. Seruus es Domini, libertus es Domini: non te ſic quæras manumitti, vt recedas de domo manumiſſoris tui. *Quanta porrò libertas ſit gratia liberum arbitrium ſoluentis à laqueis & viſco peccati, perbellè edidſerit ſcribens in Pſal. 138. decurrens hæc verba:* Si recipiam pennas meas in directũ, Auguſt. & habitauero in extremis maris. Recipiendæ, inquit ſunt pennæ meæ, non in prauum, ſed in directum; vt nec in ſuperbam erigat præſumptionem, nec in perditam mergat deſperationem. Quas pennas vult aſſumere, niſi duas alas, duo præcepta charitatis: in quibus duobus præceptis tota lex pẽdet & prophetæ. Has, *inquis*, alas, has pennas ſi recipiam, ſic & habitabo in extremis maris. Poſſum fugere à facie tua, ad faciem tuam: & à facie irati, ad faciem placati. Quid enim eſt extremum maris, niſi finis ſæculi? Illuc iam volemus ſpe, & deſiderio, habentes alas geminæ charitatis, &c. Quis autem nos perducat, attendite. Ille ipſe, cuius faciem irati volumus fugere. Quid enim ſequitur? Si recipiam pennas meas, &c. Recipiam, inquit; ergo amiſerat, &c. Etenim illuc manus tua deducet me, & adducet me, *Vulgata, tenebit me, perſeuerantiam connotans vſque in finem diuinæ gratiæ tribuendam.* Recipiamus pennas per charitatem, Auguſt. quas amiſimus per cupiditatem: cupiditas enim viſcum facta eſt pennarum noſtrarum; eliſit nos de libertate aëris noſtri, id eſt aurarum illarum liberarum Spiritus Dei. Inde eliſi perdidimus pennas, & fuimus quodammodo captiuati in aucupis poteſtate: inde nos ſanguine ſuo redemit, quem fugimus, vt caperemur. Nutrit nobis pennas de præceptis ſuis, & erigimus iam eas ſine viſco. Non timemus mare, ſed volemus in extrema maris. Nemo trepidet, ſed nemo de pennis ſuis præſumat: quia & pennatos niſi ipſe erigat, *Hæc eſt vis gratiæ naturâ potentior*, Niſi ipſe deducat, præcipitabimus in profunda maris, laſſati & fatigati, quaſi præſumentes

præsumentes de viribus nostris Opus ergo est, vt habeamus pennas, & opus est vt ipse deducat. Adiutor enim noster est. Habemus liberum arbitrium, sed ipso libero arbitrio quantum possumus, nisi adiuuet ille qui iubet? *Quantum potest homo cum aliis liberi arbitrij, cum intellectu, & voluntate, velut pennis ligatis, & inuisceatis, nisi vt per se, sine gratia, & eius vi prapotente, conans volare non eat in directum, sed præcipitetur in peccati profundum. Non periit quidem peccato liberum arbitrium; sed iuxta Concilium Tridentinum à nobis alibi citatum, vires amisit. Vnde Aug. lib. 1. ad Bonifa-*
Augustin. *cium, cap.* 2. Liberum arbitrium vsque adeo in peccatore non periit, vt per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc
Augustin. eis placet, quod eis lubet. *Et in Enchir. ad Laur. cap. 30.* Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdit, & ipsum: *Non quoad substantiam, sed quoad vires, & perfectionem liberè & facilè operandi bonum, vt liquet ex sequentibus*: Sicut enim qui se occidit, vtique viuendo se occidit; sed se occidendo, non viuit, nec seipsum potest resuscitare cùm occiderit: ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amissum est liberum arbitrium; *Quoad vires, non quoad naturam eius & substantiam, sed tamen intellectu ignorantiâ cæcato, concupiscentia fœdo; & voluntate in malum inclinatâ*; A quo
Augustin. enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est, Petri certè Apostoli est ista sententia 2. Petri 2. Quæ cùm vera sit, qualis quæso potest serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim seruit, qui sui Domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati seruus est. Vnde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitiæ cœperit seruus. Ipsa est vera libertas propter recti facti, lætitiam, *Vnde Psalm., signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. Alij hîc legunt, propter rectè faciendi licentiam*, Simul & pia seruitus, propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benè faciendum, vnde erit homini addicto, & vendito, nisi redimat ille cuius illa vox est Io. 8. Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis? quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquis de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum benè, nisi se vanâ superbiâ inflatus extollat, quam cohibet Apostolus dicens, Ephes. 2. gratia salui facti estis per fidem. *Rursum quod gratia quantumuis efficax, non necessitet, nec cogat libertatem, clara docet, plana, & omni acceptione dignissima, nuperrima Innocentij X. Constitutio, & tertia propositionis censura; qua dicitur*: Ad merendum, & demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione; hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. *Nulla quippe necessitas est, vt supra dixit Augustinus, vbi charitas seruit. Nulla necessitas, sed voluptas; licet ex hypothesi quod gratia sit efficax, boni & meritorij operis sequatur in homine liberè agente, actus infallibilitas. Admitto rursum quod præscribit S. Pontifex in secunda*: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ, numquam resistitur, hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. *Quoties enim, heu quoties, non dico rectæ rationi & lumini naturali, & synderesi; sed interiori illustrationi diuinæ, & inspirationi resistimus? vnde & illud comminatur*, Vocaui, & renuistis, &c. *Interiori gratiæ sufficienti, etiam graui corde resistimus. Quam dico sufficientem vt producat effectum quem de facto producit, etiam peccatoris resistentias illuminando intellectum, vt quod faciendum, vel fugiendum est videat; sed & sufficeret ad cor molliendum, nisi nimia duritiei, & concupiscentiæ feruidioris repugnantia, vel ex peccato originali relicta, vel proprio habitu corroborata resisteret. Qua gratia etiam in eodem gradu, alteri cordi minus duro, plenum effectum communicaret. Sed cùm Augustinus dixit voluntati Dei & eius gratiæ nullum resistere arbitrium, de voluntate Dei absoluta, & gratia pleneque efficaci intelligendus est; Sic ergo Augustinum libro de*
5 Augustin. *corrept. & gratia c. 12.* Subuentum, *inquit*, est infirmitati voluntatis humanæ, vt diuinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliquâ vinceretur, &c. Fortissimo quippè dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis seruauit, vt ipso donante, inuictissimè quod bonum est, vellent, & hoc deserere inuictissimè nollent. *Item Scholio præcedenti ex libro de prædest. cap. 8.* Hæc gratia quæ humanis cor-
S. Augustin. dibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. *Cui subnectit quod habet de gratia & lib. Arb. c. 6.* Cùm dicit, faciam vt faciatis; quid aliud dicit,
S. Augustin. nisi, auferam à vobis cor lapideum, & dabo cor carneum, vnde faciatis. Et hoc quid est, nisi, auferam cor durum vnde non faciebatis, & dabo cor obediens, vnde faciatis. *Sic de lapidibus vis gratiæ naturæ potentior, suscitare potest filios Abrahæ. Et de corrept. & gratia c. 14.* Volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbi-
S. Augustin. trium. Sic enim velle, & nolle, in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult, &c. Qui tamen hoc non facit, nisi per ipsorum hominum voluntates sine dubio habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. *Nec sufficit ad veram internam gratiam nouæ legis, gratiam inquam Redemptoris, vt interius intellectus de rectè faciendis illuminetur, nisi simul voluntas ad illud amandum, suauiter, amore iustitiæ, non timore pœnæ terribiliter impellatur. Hoc enim postremum, ad legem veterem pertinere docuit Augustinus; prius autem ad nouam. Gratia enim interiori intellectum illustranti, & voluntatem etiam timore concutienti resistitur; Gratiæ autem efficaci, suauiter, & per charitatem infusam suadenti non item. Sic Augu-*
S. Augustin. *stinus libro de gratia Christi, contra Pelagium, & Cœlestium cap. 13.* Qua, *inquit*, gratia agitur, non solùm vt facienda nouerimus, verùm etiam vt cognita faciamus: nec solùm vt diligenda credamus, verùm etiam vt credita diligamus. Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius, & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant, & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus: itaut non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt agere, &c. Tanquam hoc sit certissimum indicium quòd à Deo didiceris, si id quod didiceris feceris, &c. Qui autem nouit, quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundùm gratiam, sed secundùm legem: non secundùm spiritum, sed secundùm literam. Quamuis multi, quod imperat lex facere videantur timore pœnæ, non amore iustitiæ; quam dicit Apostolus Philip. 3. iustitiam suam quæ, ex lege est, tanquam sit imperata, non data. Si autem data est, non dicitur iustitia nostra, sed Dei: quia sic fit nostra, vt sit nobis ex Deo. Dicit enim: vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ & fide est Iesu, iustitiam ex Deo, &c. Quia ex lege iustitia dicitur, quæ fit propter legis mandatum: iustitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, vt non sit terribile, sed suaue mandatum: sicut oratur in Psalmo 118. Suauis es Domine, & in tua suauitate doce me iustitiam tuam. Id est, vt non formidine pœnæ seruiliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delectèr esse cum lege. *Vt petebat sapiens, mitte illam, vt mecum sit, & mecum laboret. O Iugum suaue, & onus leue!* Præceptum quippè liber facit qui libens facit: & hoc modo quisquis dicit, agit omninò quidquid agendum didicerit. De isto docendi modo, etiam Dominus ait; omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit *Sed resistiteris, sed consentire*

noluerit, Non de illo rectè dicitur, audiuit quidem, & didicit sibi esse veniendum, sed facere nō vult quod dicit: prorsus non rectè dicitur de illo docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut veritas quitur. omnis qui didicit, venit quisquis non venit, profectò nec didicit. *Hæc est vis gratiæ efficacis, cui nullum resistit arbitrium. Qua sine coactione & necessitate, suauiter ex nolente facit volentem. Vnde subiicit cap. 14.*

S. Augus. Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire arbitrio voluntatis. Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit; non autem potest nisi adiutum esse, si venit: & sic adiutum, vt non solùm quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat, &c. Omnis qui didicit à patre, non solùm potest venire, sed venit: vbi iam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est.

Rursum Augustinus concione quinta in Psal. 118 versu B
S. Augus. *10.* In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mādatis tuis. Ecce, *inquit*, orat, vt adiuuetur ad custodienda Verba Dei, in quo dixerat viam suam corrigere iuniorem. Nam vtique hoc est, ne repellas me à mādatis tuis. Quid est enim à Deo repelli, nisi non adiuuari? Mandatis quippè eius rectis atque arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præueniens eius adiuuet charitas. Quos autem non adiuuat, hos meritò perhibetur repellere, & tanquam flammeâ framea prohibeantur indigni, ne manum extendant ad arborem vitæ. Gen. 3. Quis est autem dignus, ex quo per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt? Sed indebitâ Dei misericordiâ, sanatur debita nostra miseria. Nam C iste qui loquitur & dicit, In toto corde meo exquisiui te: & hoc vnde posset, nisi eum auersum, ad se ipse conuerteret, cui dicitur Psalmo 84. Deus tu conuertens viuificabis nos: & ille perditum quæreret, & errantem ille reuocaret, qui dicit Ezech. 34. quod perierat requiram, & quod errauerat reuocabo? Inde est quod & corrigit viam suam in custodiēdo Verba Dei, illo regente, illo faciente: neque enim per se ipse posset, cum Ieremias propheta fateatur, & dicat, Scio Domine quoniam non est hominis via eius, neque vir ibit, & corrigit viam suam: *Ita 70. vulgata autem: nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos. Sanct. Pagn. ex Hebr. vt præparet gressum suum.* A Domino quippè hoc etiam iste superius optauit vbi ait: vtinam dirigantur viæ meæ, &c. *Et D. Thomas lect. 1. in 1. Cor. 15.* Non ego, sed gratia Dei mecum. Quæ, inquit mouet voluntatem ad hoc. Esaias enim: omnia opera nostra operatus es in nobis. Philipp. 2 qui operatur in nobis & velle & operari. Deus enim non solùm infundit gratiam, qua nostra opera grata fiunt & meritoria, *Et habitualis gratia*: Sed etiam mouet ad benè vtendum gratia infusa: *Et actualis*, Et hæc vocatur gratia cooperans. *Et Lect. 2. in 2. Cor. 13. in Verba*, Oramus consummationem vestram: id est perfectionem. In rebus enim naturalibus, quælibet res naturalis tendit naturaliter ad suam perfectionem, ad quam habet naturale desiderium. Et ideo cuilibet rei datur virtus naturalis, vt ad suam perfectionem naturalem possit peruenire. Gratia autem datur homini à Deo, per quam homo perueniat ad suam vltimam, & perfectam consummationem, id est beatitudinem, ad quam habet naturale desiderium. Vnde quando aliquis non tendit ad suam perfectionem, signum est quòd non habeat satis de gratia Dei. Et ideò Apostolus, vt isti possint in gratiâ crescere, orat vt perficiantur. Et Philip. 1. oro vt charitas vestra, &c. Ephes. 6. Vt possitis resistere in die malo. *Diuina etiam vim gratiæ, cui nulla resistit durities, D. Gregorius agnouit, lib. 18 mor. cap. 17. in verba Iob. 28.* Lapis solutus calore in æs vertitur. Tunc, *inquit*, lapis calore soluitur, cùm cor durum, atque à diuini amoris igne frigidum, eodem diuini amoris igne tangitur, & in feruore spiritus liquatur: vt ad sequentem vitam desideriorum æstu ardeat, quam prius audiens insensibilis manebat, &c. Lapis ergo solutus calore in æs vertitur: quia dura mens superni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur: vt peccator, qui prius insensibilis extiterat, postmodum & per authoritatem fortis, & per prædicationem sonorus fiat. Quod benè per Esaïam dicitur, cap 40. qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem. Fortitudinem mutamus, cùm conuersi tanta virtute præsens sæculum fugimus, quanta hoc ante quærebamus. *Et lib. 16. Mor. cap. 17. id verba Iob 23.* Nemo auertere potest cogitationes eius. Sicut enim, *inquit*, immutabilis naturâ est, ita immutabilis cogitatione. Cogitationē quippè eius nullus auertit, quia nemo resistere occultis eius iudiciis prævalet. *Sine cogitet cogitationes pacis, sine afflictionis: sine mollire velis duritiam cordis, sine obdurare cor vt Pharaonis; non quidem impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam. Et in cap. 5. Cant.* Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Ad verbum inquit, sponsi liquefactam se dicit, quia dum Christus se per spiritum suum animæ desideranti infundit, omnem duritiā cordis mox dissoluit: & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere possit hoc, quod se capere intra se exultat; & intus miretur quid fuerit, & quid factam subito seipsam videat *Vide Verbo Mutatio 3. Et in Alphabeto errorum Verbo Libertas.*

GRATIARVM ACTIO.

Gratiarum actio verum sacrificium est. 4. Cont. Marc. cap. 35. à m.

Luc 17.14. VNum illum solutum ex decem memorem diuinæ gratiæ Samaritem miratus, non mandat offerre munus ex lege; quia satis iam obtulerat, gloriam Deo reddens, hoc & Domino volente interpretari legem. Et tamen cui Deo gratiam reddidit Samarites, quando nec Israëlites alium Deum vsque adhuc didicisset? cui alij, quàm cui omnes remediati retrò à Christo? ideò,
Ibid. 19. *fides tua te saluum fecit*, audit; quia intellexerat veram se Deo omnipotenti oblationem gratiarum scilicet actionem, apud verum templum, & verum Pontificem eius Christum, facere debere.

GRATIARVM ACTIO. SCHOLIA.

VNVM ILLVM. *Ex decem leprosis, dum irent, D curatis, Samaritanum & Gentilem ad se reuersum non misit ad templum, aut Sacerdotes, ad offerendum sacrificium.* HOC ET DOMINO, *&c. Non soluendæ legem quasi malam, sed impletam declarante. Lex enim figurabat in templo Christum, qui dixit de suo corpore,* Soluite templum hoc. *Et Salomon ipse de templo suo, illud mysticum adumbrante:* Sapientia ædificauit sibi domum; *In Sacerdote, & Sacerdotis veteri, sum-*
mum Pontificem Christum, verum templum simul, & Sacerdotem; cùm alia essent figuratiua; & in Sacrificiis, præter verum Eucharisticum Christi, præcipuum à fidelibus offerendum pro obtinenda gratia purgatiua lepræ peccati, sacrificium laudis, & gratiarum actionis. CVI DEO. *Nisi Creatori, quem vnicum, & alij nouem leprosi ex Israël, & hic Samaritanus nouerat; vsque huc ignoto Deo Marcionis nouo. Deo enim Creatori hic gratias egit, cui cæteri omnes prius à Christo sanati:*

IDEO, FIDES TVA. *Quâ ſcilicet à Chriſto datâ, intellexit Chriſtum eſſe verum Sacerdotem, templum, &c. Aptiſſimè in hanc rem Aug. to. 6. lib. 1. contra Aduerſarium legis, & Prophetarum cap. 18. inf. in verba Pſalmi 149.* Sacrificium laudis honorificabit me, & ibi via quâ oſtendam illi ſalutare Dei. Iam de hoc ſalutari Dei, quòd ipſe ſit Chriſtus, ſupra commemorauimus atque monſtrauimus. Quod eſt autem ſacratius laudis ſacrificium, quàm in actione gratiarum? & vnde maiores agendæ ſunt Deo gratiæ, quàm pro ipſius gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum? Quod totum fideles in Eccleſiæ Sacrificio ſciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum generum ſacrificiorum. Iſti autem vaniloqui reprehenſores veteris teſtamenti, *Qualis erat Marcion*, Etiamſi cætera quæ commemorauimus de hoc pſalmo minùs intelligunt, ſufficiat etſi, quantùm ad præſentem quæſitionem attinet, quia Deus Prophetarum, qui Deus eſt etiam Apoſtolorum, non manducat taurorum carnes, nec ſanguinem potat hircorum. Talem quippè eum nouerant Sancti qui pleni eius ſpiritu iſta dicebant. Vnde illud quod Druid obtulit vt populo parceretur *2. Reg. 24. 25. eo quòd populum numeraſſet* 70. *millibus peſte mortuis*: Vmbra erat futuri: qua ſignificatum eſt, quòd per vnum *Alij legunt verum*, Sacrificium, cuius illa figura erant, ſaluti populi ſpiritaliter parcitur. Ipſe eſt enim Chriſtus Ieſus, qui traditus eſt ſicut Apoſtolus dicit propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Propter quod etiam dicit, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus *Et ibid. cap. 19.* Si ſacrificia, quæ in illo templo ſecundùm veterem legem offerebantur Deo, tanquam idolorum ſacrificia damnarentur, vel tanquam dæmoniis immolata, nullo modo ipſe Dominus Chriſtus leproſo, quem mundauerat, diceret, vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. Nondum enim dederat pro ſacrificiis illis omnibus, ſui corporis ſacrificium, nondum ſuſcitauerat ſui corporis templum. Nec de illo templo eiiciens eos qui boues & columbas vendebant, diceret: domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. *De Sacrificio autem actionis gratiarum, ſer. 10. de Verb. Apoſtoli, in rem noſtram præcisè:* Proponit nobis Apoſtolus ſcientiam gratiarum actionis. Mementote quid vltima Euangelica lectio reſonet, quomodo Ieſus Dominus laudat gratias agentem, ingratos improbat, mundatos in cute, leproſos in corde. Quid ergo Apoſtolus? fidelis, *inquit*, ſermo, & omni acceptione dignus. Quis eſt iſte ſermo? quia Chriſtus Ieſus venit in mundum; vt quid peccatores ſaluos facere? Quid tu? quorum primus ego ſum. Qui dicit, vel, non ſum peccator; vel, non fui; ingratus eſt Saluatori. Nullus hominum in iſta, quæ ex Adam defluit, maſſa mortalium, nullus omnino hominum non ægrotus, *non leproſus; quia lepra Naaman adhæſit Giezi & ſemini eius vſque in ſempiternum. Naaman, id eſt pulcher, decorus, motum præparans, id eſt Lucifer qui commouit Angelos, elenatus in decore ſuo, lepram ſui peccati, ſuperbiam, & ingratitudinem. Giezi, id eſt valli viſionis, aut pectoris, Adamo, inquam, in valle humiliationis poſito, communicauit, quæ omnibus eius poſteris adhæſit.* Nullus ſine gratia Chriſti. Quid de paruulis pueris? ſi ex Adam, ægroti. *Leproſi. Agni ſanguine indigem & paſſeris ſolitarij, hoc eſt ſolius ſine peccato, vt mundentur à lepra.* Nam & ipſi portantur ad Eccleſiam. Et ſi pedibus illuc currere non poſſunt, alienis pedibus currunt vt ſanentur. Accommodat illis mater Eccleſia aliorum pedes vt veniant, aliorum cor, vt credant, aliorum linguam vt fateantur. Vt quoniam, quòd ægri ſunt alio peccante, prægrauantur; ſic cùm hi ſani ſunt, alio proeis confitente, ſaluentur, &c ægroti eſtis, accedite ad eum, & ſanamini: cæci eſtis, accedite ad eum & illuminamini: & qui ſani eſtis, ei gratias agite: & qui ægrotatis, ad eum ſanandi currite omnes. Venite adoremus, &c. coram Domino qui fecit nos, & homines, & ſaluos. Nam ſi ille nos fecit homines, nos autem ipſi nos fecimus ſaluos, aliquid illo melius fecimus. Melior eſt enim ſaluus homo, quàm quiliber homo, &c. Noli te extollere ſuper Deum, ſubde te Deo, adora, proſternere, *cum leproſo ipſo*, confitere illi, qui fecit, te: quia nemo recreat, niſi qui creat; nemo reficit niſi qui fecit: &c. Sanè quando te fecit, quid tu faceres, non habebas. Quando autem iam es, *& totus in peccatis natus, & tot propriis actibus reus*, Habes & tu ipſe quod facias; ad Medicum curras, Medicum implores, qui vbique es. *Chriſtus ſcilicet: non ſecundùm humanitatem; ſed vt Verbum eſt: de quo Pſalm. miſit Verbum ſuum, & ſanauit eos. Qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Et vt implorares, excitauit cor tuum, & poſſe implorare donauit tibi. Deus eſt enim, inquit, *Paulus ad Philipp. 2. 13.* Qui operatur in vobis & velle, & operari, pro bona voluntate: quia vt haberes bonam voluntatem, illius vocatio præceſſit. Clama, Deus meus, miſericordia eius prænenit me. Vt eſſes, vt ſentires, vt audires vt conſentires, prænenit te miſericordia eius. Prænenit te in omnibus: prænenì & tu in aliquo iram eius. In quo, inquis, in quo? confitere iſta omnia à Deo te habere, quidquid boni habes, à te, quidquid mali. Ne in bonis tuis illũ contemnas, te laudes: ne in malis tuis illũ accuſes, te excuſes; ipſa eſt vera confeſſio. Ille qui in tantis bonis prænenit te, venturus eſt ad te, & inſpecturus dona tua, & mala tua; quomodo bono eius vſus fueris, inſpicit te, &c. Antequam veniat, propitietur; antequam aſſit, placetur. Habes enim Sacerdotem, per quem poſſis placare Deum tuum, & ipſe cum Patre Deus eſt ad te, qui homo eſt propter te, &c. Prænueniens faciem eius in confeſſione, *cum leproſo ante faciem eius procidens in faciem tuam*; Accuſate; iubilans in Pſalmo, lauda illum. Accuſando te, & laudando eum qui fecit te, veniet qui mortuus pro te, & viuificabit te. Hoc tenete, in hoc perſiſtite. Nemo varietur, nemo leproſus ſit. Doctrina inconſtans, *Tanquàm fluctuantes, qui circumferuntur ſicut paruuli, omni vento doctrinæ, nec firmi ſtant in antiqua Eccleſiæ doctrina; qui abducuntur variis doctrinis & peregrinis, & de ſuo ingenio noua miſcent, ſolida & vniformi Scripturæ Sacræ de materia gratiæ.* Non habens vnum colorem, mentis lepram ſignificat: & iſtam Chriſtus mundat. Fortè in aliquo variaſti, *A malo ſenſu in bonum conuerſus, loquitur certè multis etiamnum lectione librorum eius ſanius quàm priùs de gratia ſentientibus*, Et inſpexiſti, & in melius ſententiam commutaſti, & quod varium erat. *Vt pellis leproſi.* vnius coloris effectum eſt. Noli tibi tribuere, ne ſis inter nouem qui gratias non egerunt. Vnus egit gratias: cæteri Iudæi erant, ille alienigena erat, Gentes alienigenas ſignificabat, numerus ille *decem leproſorum, quorum vnicus decimus gratus, in munus gratiæ acceptæ quaſi decimam obtulit in ſacrificio.* Numerus ille Chriſto decimas dedit. Illi ergo debemus quòd ſumus, quòd viuimus, quòd intelligimus: quòd homines ſumus, quòd benè viximus, quòd rectè intelleximus, illi debemus. Noſtrum nihil niſi peccatum quod habemus. Quid enim habes quod non acceperiſti? vos ergo, maximè qui ſcitis quid audiatis, curatum ab ægritudine, *leproſum ſignificare nos omnes peccatores*, mundatum à varietate, ſurſum cor ponite, & Deo gratias agite. *Sic perorante omnium doctorum lingua, obmutescant fideles, & de nouellis ſuis varietatibus vaniſſimè glorientes.*

Auguſt. Auguſt. Auguſt. Auguſt. Auguſt. Auguſt.

GVLÆ PECCATVM.

1. *Gula primi hominis, & cruda esca, mortem; abstinentia autem vitam peperit. Scorp. cap. 5. V. Martyrium. 8. circa m. Pœnitentia. 10. circa m. Patientiæ exempla. 2.*

* 2. *Gula Adam salutem vendidit, quam ieiunia redimere debemus. De Ieiun. cap. 3 à p. ad. f.*

Gen. 2. 17. a Ephes. 5. 32. 1. Cor. 2. 14. Gen. 3. 6. & 9.

ACceperat Adam à Deo legem non gustandi de arbore agnitionis boni & mali, morituros si gustasset. verùm & ipse tunc in psychicum reuersus post ecstasin spiritalem, in qua a *magnum illud sacramentum in Christum & Ecclesiam* prophetauerat; nec jam capiens quæ erant spiritus faciliùs ventri quàm Deo cessit, pabulo potiùs quàm præcepto annuit; salutem gulâ vendidit. manducauit denique, & periit. saluus alioquin, si vni arbusculæ ieiunare maluisset. vt iam hinc animalis fides semen suum recognoscat, exinde deducens carnalium appetitionem, & spiritualium recusationem. Teneo igitur à primordio homicidam gulam, tormentis atque suppliciis inediæ puniendam, etiam si Deus nulla ieiunia præcepisset; ostendens tamen vnde sit occisus Adam, mihi reliquerat intelligenda remedia offensæ, qui offensam demonstrarat: vltrò cibum, quibus modis quibusque temporibus potuissem; pro veneno deputarem, & antidotum famem sumerem, per quam purgarem mortis à primordio causam, in me quoque cum ipso genere transductam certus hoc Deum velle, cuius contrarium noluit satisque confidens placituram illi continentiæ curam, à quo damnatam comperissem incontinentiæ culpam. Porrò, cùm & ipse ieiunium mandet, & animam conquassatam, propriè vtique cibi angustiis, sacrificium appellet, quis iam dubitabit omnium erga victum macerationum hanc fuisse rationem, qua rursus interdicto cibo, & obseruato præcepto, primordiale iam delictum expiaretur, vt homo per eandem materiam causæ satis Deo faciat, per quam offenderat, id est per cibi interdictionem; atque ita salutem æmulo modo redaccenderet inedia, sicut extinxerat fagina, pro vnico illicito plura licita cõtemnens.

Psal. 50. 19.

GVLÆ PECCATVM. II. SCHOLIA.

AGNITIONIS. *Scientia.* INPSYCHICVM. *Animalem.* EXTASIM. *Somnum extaticum, de quo alibi;* Immisit Dominus soporem in Adam. PROPHETAVERAT. *Dum prædixit Christi cum humana carne & Ecclesia coniugium. De quo vide dicta alibi.* NEC IAM CAPIENS. *Alludit ad Paulum 1. Cor. 2. 14.* Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. *Syr. autem,* Non recipit spiritalia. CESSIT VENTRI. *Gulæ obedivit.* VNI IEIVNARE. *Ab una abstinere.* IAM HINC. *Ab ipso primo peccatore gula perdito.* ANIMALIS FIDES. *Hîc carpit Psychicos & animales, vt vocat, Christianos, iam hæreticus, & nimis auidus ieiuniorum, cui vna Ecclesiæ Romanæ quadragesima non sufficiebat vnde animalem fidem vocat, sapientem gulam, & de semine Adæ per gulam facti animalis, & terrestris, terrenaque sapientis exortam.* SPIRITVALIVM. *Præceptorum scilicet Montani, quem Spiritum Sanctum paracletum esse credebat.* HOMICIDAM GVLAM. Plures occidit gula quàm gladius, *Imò omnes in Adam guloso occidit.* SVPPLICIIS INEDIÆ. Secundùm mensuram delicti erit & plagarum modus. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. PRO VENENO. *Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. c. 13.* Si aliquid mali esset lignum illud, vnde prohibuit hominem Deus, eius ipsius mali natura venenatus videretur ad mortem. Quia verò ligna omnia in Paradiso bona plantauerat, qui fecit omnia bona valde, nec vlla ibi natura mali erat, quia nusquam est mali vlla natura, &c. Ab eo ligno quod malum non erat, prohibitus est, vt ipsa per se præcepti conseruatio bonum illi esset, & transgressio malum. Nec potuit melius & diligentius commendari quantũ malum sit sola inobedientia, cùm ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset, non vtique peccasset. Nam qui dicit, Verbi gratiâ, noli tangere hãc herbam, si fortè venenosa est, morteinque prænuntias, si tetigerit, sequitur quidem mors contemptorem præcepti, sed etiam si nemo prohibuisset, atque ille tetigisset, nihilominùs vtique moreretur: illa quippè res cõtraria saluti vitæq; eius esset, sine indè vetaretur sine nõ vetaretur, &c. Cùm vero illud tãgitur, quod nec tãgenti obesset, si nõ prohiberetur, nec cuiquam alteri, quãlibet tangeretur; quare prohibitum est, nisi vt ipsius per se bonũ obedientiæ, & ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur? &c. *Præceptum autem primum & vnicum Adæ datum fuit abstinentiæ, ex qua obedientiam hominis Deus probare voluit. Et graui lapsu ex arbore caput humani generis elisum, omnia sua membra posterosque confregit, & in una esca Saturno crudelior, omnes filios deuorauit. Quàm magnus inobedientiæ lapsus & ruina, quâ contra Deum præcipientem abstinentiam elatus est, ex gula Deus & immortalis fieri præsumens, ex spiritali in animalem, ex immortali in mortalem delapsus:* Homo cũ inhonore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, &c. *Vnde Aug. ibid. cap. 2 inf.* Nec fieri potest, vt voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit quid interest inter bonum & malum: bonum scilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ: Id est superbiæ & contumaciæ; peruersæ imitationis Dei, & noxiæ libertatis. *Addo in rem Tertull. malum gulæ, & bonum abstinentiæ.* IN MEQVOQVE In omnes homines mors pertransiit. CONTINENTIÆ. *Abstinentiæ.* ANIMAM CONQVASSATAM. *Psal. 50.* Cor contritum & humiliatum, Deus non despicies. Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & planctu, &c. Sacrificium Deo spiritus contribulatus RVRSVS. *Postprimam abstinentiam indictam Adamo.* PERRANDIM MATERIAM. *Abstinentiam ab esca.* REDACCENDERIT. *Extinctum lumen gratiæ resuscitaret.* SAGINA. *Super omnia ligna concessa ad esum, quibus poterat saginari, etiam fructu prohibito superimpleri volens. Vt ergo lumen virinsque vitæ, & spiritalis & animalis, reparemur, antidoto abstinentiæ vtamur contra gulæ venenum mortiferum, ex quo mors vtraque venit. Sic enim sensit Augustinus omnem vitam extinctam; de qua Ioannis 1.* Et vita erat lux hominum, *Dum ait*

A B C D

S. Augustin.

Augustin.

Augustin. lib. 13.

Auguſt. *lib. 13. de Ciuit. c. 12.* Quando dixit Deus primo illi homini, quem in Paradiſo conſtituerat, de ligno vetito: quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini: Non tantùm primæ mortis partem priorem, vbi anima priuatur Deo; *vero lumine ſuo*: Nec tantum poſteriorem, vbi corpus priuatur animâ: nec ſolùm ipſam totam primam, vbi anima & à Deo, & à corpore ſeparata punitur; ſed quidquid mortis eſt vſque ad nouiſſimam quæ ſecunda dicitur, & quâ eſt nulla poſterior, comminatio illa complexa eſt. Auguſt. *Idem Aug. tract. 1. in Io. exponens illud Ioannis* Et vita erat lux hominum. Ex ipſa, *inquis*, vita homines illuminantur, pecora non illuminantur, quia pecora non habent rationales mentes, quæ poſſunt videre ſapientiam. Homo autem factus ad imaginem Dei habet rationalem mentem, per quam poſſit percipere ſapientiam. Ergo illa vita, per quam facta ſunt omnia, ipſa vita lux eſt, & non quorumcumque animalium, ſed lux hominum: vndè paulò poſt dicit, erat lumen verũ, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Sed lumen rationis, gratiæ, vitæ omnis, ſibilus ſerpentis gula peccatum ſuadentis exanxit; profugum & confuſum à Deo & ſeipſo in tenebras & latebras miſit. De quo ſic* S. Auguſt. *Aug. lib. 13. de Ciuit. cap. 13.* Poſteaquam præcepti facta tranſgreſſio eſt, confeſtim gratiâ deſerente diuinâ, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt. *Qui ergo in Adam à Deo, confuſi gula meritò, à luce ad tenebras receſſimus, à paradiſi terreſtris deliciis expulſi, ad Deum & paradiſum cœleſtem, abſtinentia præcepto, lumen virumque recepturi & vitam accedamus, ſic inuitante Propheta*: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.

3. Gula populi Iſraël ad manna nauſeantis multorum ciborum abſtinentiâ multata eſt. De Ieiun. c. 5. à p. adf.

PRimus populus primi hominis reſculpſerat crimen, pronior ventri quàm Deo deprehenſus; cùm de duritia Ægyptiæ ſeruitutis valida manu Dei & ſublimi brachio ereptus Dominus eius viſus, & terræ lacte & melle mananti deſtinatus; ſtatim autem ſolitudinis incopioſæ circumſpectu ſcandalizatus ſaturitatis Ægyptiæ detrimenta ſuſpirans, in Moyſen & Aaron muſſitauit: [a] *Vtinam obiiſſemus percuſſi à Domino in terra Ægypti, quando ſuper ollas carnium ſedebamus, & panes in plenitudinem comedebamus. Quomodo eduxiſti nos in hac deſerta ad interficiendam ſynagogam iſtam fame.* Eadem ventris prælatione deploraturus erat eoſdem duces ſuos & Dei arbitros, quos deſiderio carnis, & recordatu Ægyptiarum copiarum exacerbabat, [b] *Quis nos veſcet carne? venerunt in mentem nobis piſces, quos in Ægypto edebamus gratis & cucumeres, & pepones, & porri, & cepe, & allia. At nunc anima noſtra arida; nihil niſi manna vident oculi noſtri.* Ita & illis xerophagiæ panis angelici diſplicebant, allium potiùs, & cepe, quàm cœlum fragrare malebant. Et ideò tam ingratis gratiora & eſculentiora quæque detracta ſunt, puniendæ ſimul gulæ & exercendæ continentiæ cauſa, vt illa damnaretur, iſta eruditetur.

Exo. 14. 4. Exo. 33. 3. [a] Exo. 16. 2. & 3. & 7. 8. [b] Num. 11. 5. & 6.

GVLA. III. SCHOLIA.

PRIMVS POPVLVS. *Hebræus in primogenito Eſau guloſo figuratus, primogenituræ contemptore, ſicut & ille fuit nauſeator cœleſtis eſcæ.* RASCVLPSERAT. *Idololatriâ ventris, renouauerat primam Adæ idololatriam, è pomo ſeu Deo diuinitatem ſperans. Vnde & ſculptile & conflatile vitulum in vitulo reſculpſit.* DOMINVS EIVS. *Quaſi diceret. Deus pluſquam ſatis probauit prodigiis in fauorem populi Iſraëlitici factis, ſe eſſe eius Dominum, cuius tamen præcepto contempto maluit ſuo ventri ſeruire. Exo. 14. 4.* Glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, ſcientque Ægyptij, quia ego ſum Dominus. LACTE. *Exo. 13. 5.* Iurauit Patribus tuis, vt daret tibi terram fluentem lacte & melle. INCOPIOSÆ. *Deſertæ, inopis, vitæ omnis copiis deſtitutæ.* MVSSITAVIT. *Murmurauit. Exo. 16. 2.* Murmurauit omnis congregatio filiorum Iſraël contra Moyſen & Aaron in ſolitudine. Dixeruntque filij Iſraël ad eos: vtinam mortui eſſemus per manum Domini, 70. *percuſſi à Domino*, in terra Ægypti, quando ſedebamus, *pranſuri, habentes coram nobis plenas ollas carnium*, ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate: cur eduxiſtis nos, 70 *quoniam eduxiſtis* In deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem, 70. *Synagogam hanc*, Fame? PRÆLATIONE. *Deo in arbitris ſuis contempto.* DIPLORATVRVS. *In dolorem & gemitum compulſurus Moyſen & Aaron.* EXACERBABAT. *De hac Dei in ducibus populi exacerbatione, fusè in hanc rem Auguſtinus ſcripſit in Pſal. 77.* Auguſt. 40. Appoſuerunt adhuc peccare ei, id eſt non credere. *Et hæc prima ex gula Adæ macula, qui credidit ſerpenti, & non Deo dicenti, morte moriemini.* Nam hoc eſt peccatum, de quo arguit Spiritus mundum, ſicut Dominus dicit: de peccato quidem, quia non crediderunt in me. Et exacerbauerunt altiſſimum in ſiccitate. Quod alij codices habent in inaquoſo, &c. Vtrùm in illa eremi ſiccitate, an potiùs in ſuaſ quia licet bibiſſent de petra, non ventres, ſed mentes aridas habebant, nullâ virentes ſiccitate iuſtitiæ. In qua ſiccitate magis fideliter Deo ſupplices eſſe debuerant, vt qui ſatietatem donauerat faucibus, æquitaté donaret & moribus. Ad eum quippè fidelis anima clamat: oculi mei videant æquitatem. Et tétrauerunt Deũ in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Aliud eſt petere credẽdo vt aliud tẽtando. Denique ſequitur: & detraxerunt de Deo, & dixerũt nũquid poterit Deus parare menſam in deſerto, quoniã percuſſit petrã & fluxerunt aquæ? &c. Non credentes ergo petierunt eſcas animabus ſuis. Non ſic Apoſtolus Iacobus eſcam mentis præcepit poſtulari: *Aduerte animales Hebræos eſcam carnalem petere animabus. Sic ſtultus ille dives dicebat anima ſua: Epulare anima mea, habes bona plurima.* Sed à credentibus eam peti admonet, non à tentantibus, atque detrahentibus Deo. Si quis autem veſtrûm, inquit, indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, &c. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans, &c. Quid eſt quod ait: audiuit Dominus & diſtulit? An diſtulit eos introducere in terram promiſſionis quò ducebantur, quod intra paucos dies fieri poterat? &c. Et filij eorum, *cùm mortui ſint patres in deſerto*, In terram promiſſionis ingreſſi ſunt. *Patres enim qui corde reuerſi erant in terram Ægypti, indigni erant lactea terra & mellea.* An diſtulit pœnam; vt priùs ſatiaret etiam infidelem concupiſcentiam, ne propterea putaretur iratus, quia hoc ab illo licet tentantes & detrahentes petebant quod facere non poſſet? &c. S. Auguſt. ÆGYPTIARVM COPIARVM. *Alimentorum Ægypti.* QVIS NOS VESCET. *Num. 11. 5.* Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis

veniunt cucumeres, & pepones, porriquę, & cepe, & alia. Anima noſtra arida eſt 70. *nunc autem anima noſtra arida; nihil prater in manna oculi noſtri. Supplè intenti ſunt.* Nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man. XEROPHAGIÆ. *Arida eſca.* FRAGRARE. *Pulchrè opponit fœtorem & grauem odorem alliorum, ſuauiſſimo Angelici panis odori.* ESCVLENTIORA. *Eſ quadrupedibus, & volatilibus, per legem interdictis, in pœnam gulæ.* CONTINENTIÆ. *Abſtinentiæ, quam in figura docere nos volebat, vt ſi adhuc arctius vacaremus, condemnantes gulam, quam Deus condemnauit in Hebrais. Vide dicenda ſequenti Scholio.*

4. *Et de Ieiun. cap. 16. à. p. ad. m.*

Num. 11. 33. & 34. 1. reg. 4 17. & 18. 3. reg. 12. 22. 3. reg. 13. 45 & ſeq.

ILle certè Deus, cui nec populus incontinens gulæ placuit, nec ſacerdos, nec prophetes. Manent adhuc monumenta concupiſcentiæ, vbi ſepultus eſt populus carnis auidiſſimus vſque ad choleram ortygometras cruditando. Eliditur pro templi foribus ſenior Heli, filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu. hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens, ſacrificiorum carnalium defraudatrix. Sameas, homo Dei cùm exitum prophetaſſet idololatriæ introductæ à rege Hieroboam poſt manum ejus regis arefactam, & ſtatim reſtitutam, poſt altare diffuſum ob hæc ſigna & ſatisfactione inuitatus à rege, plane excuſauit. Prohibitus enim à Deo fuerat, illic cibum in totum attingere; ſed ab alio mox ſene mentito prophetiam temerè paſtus ſecundùm verbum Dei ibidem factum ſuper menſam, non eſt in paternis ſepultus; leonis enim in via occurſu proſtratus, & apud exteros conditus, pœnam deſerti ieiunij luit. Hæc erunt exempla & populo & epiſcopis, etiam ſpiritalibus, ſi quam in continentiam gulæ admiſerint. Sed nec apud inferos admonitio ceſſauit; vbi in diuite quidem conuiuia cruciantur, in paupere verò ieiunia recreantur, habentia præceptores Moyſen & Prophetas.

Luc. 16. 29.

GVLA. IV. SCHOLIA.

ILLE DEVS. *Iſraëlitarum.* INCONTINENS GVLÆ. *Dum petiit carnes* PLACVIT. *Imò diſplicuit. Num. 11. 33. vbi, de ortygometris, ſiue coturnicibus;* Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſcemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plagâ magnâ nimis. *Et hoc eſt quod ſignificat Tertullianus his verbis: vſque ad choleram; id eſt Dei iram.* Vocatuſque eſt ille locus, ſepulchra concupiſcentiæ; Ibi enim ſepelierunt populum qui deſiderauerat. NEC SACERDOS. *Duo filij Sacerdotis Heli.* NEC PROPHETES. *Sedulius à pſeudoprophetâ, de quo infra. Qui licet aliàs propheta fuiſſet, mentitus eſt tamen ſe ab Angelo monitum, vt Samaam ad edendum compelleret.* CRVDITANDO. *Crudam eſcam adhuc in ore habendo. De hac Dei ira in gulioſos Auguſtinus in Pſal. 77.* Subiiciens, *inquit*, quàm euidentibus beneficiis ingrati fuerunt: & imandauit, inquit, nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit: & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis, &c. Tranſtulit Auſtrum de cœlo, & induxit in virtute ſua Africũ. Et pluit ſuper eos ſicut pulueremcarnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. &c. Manducauerunt & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, non ſunt priuati à deſiderio ſuo. Ecce quare diſtulerat. Quid autem diſtulerit audiamus. Adhuc eſca erat in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, &c. Diſtulerat ergo, vt prùs, faceret, quod eum facere non poſſe crediderant, deinde inferret quod eos pati oportebat. *Subiecit quòd ſi Deo credidiſſent, & deſiderium ſpiritus, & carnis impleſſet.* Qui cibaria miſit eis in abundantia vt ſatiaret incredulos, non eſt inefficax dare credentibus verum ipſum de cœlo panem, quem manna ſignificabat, qui verè cibus eſt Angelorum, quod Dei Verbum corruptibiles incorruptibiliter paſcit; quod vt manducaret homo, caro factum eſt. & habitauit in nobis: ipſe enim panis per nubes Euangelicas vniuerſo orbi pluitur, & apertis prædicatorum cordibus, tanquam cœleſtibus ianuis, non murmuranti, & tentanti Synagogæ, ſed credenti, & in illo ſpem ponenti Eccleſiæ prædicatur. *Et rurſum tract. 73. in Io. à p. vbi agit de indiſcretis orationibus, & pernicioſa imperitum petentibus, ex Iacobi 4.* Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Malè ergo vſurus eo quod vult accipere, Deo potiùs miſerante non accipit.

A

B

C

S. Auguſt.

D

S. Auguſt.

Proinde ſi hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur exauditus, magis metuendum eſt, ne quod poſſet non dare propitius, det iratus. An non videmus Iſraëlitas malo ſuo impetraſſe quod culpabili concupiſcentiâ petierunt? concupierant enim carnibus veſci, quibus pluebatur manna de cœlo. Faſtidiebant quippè quod habebant, & quod non habebãt, impudenter petebant: quaſi non melius peterent, non vt cibus qui decrat indecenti deſiderio præſtaretur, ſed vt ille qui aderat, ſanato faſtidio ſumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potiùs Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala. Non quia malum eſt carne veſci, cùm de hac re loquens Apoſtolus 1. Tim. 4. 4. dicat: omnis creatura Dei bona eſt, &, nihil abiiciendum, quod cum gratiarũ actione accipitur: ſed quia, ſicut quidem ipſe ait Rom. 14, 20. Malum eſt homini, qui per offenſionem manducat. Et ſi per hominis offenſionem, quantò magis Dei? cuius in Iſraëlitis non parua erat offenſio, repudiare quod dabat ſapientia, & petere id quo inhiabat concupiſcentia, quamuis illi nec peterent, ſed quia decrat, murmurarent. HELI. 1. *Reg. 4. 17.* Reſpondens ille qui nuntiabat: fugit, inquit, Iſraël coram Philiſtæis, & ruina magna facta eſt in populo: inſuper & duo filij tui mortui ſunt, Ophni & Phinees. 70. *non eos nominant.* Et Arca Dei capta eſt. Cumque ille nominaſſet Arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus, 70. *& contribulatum eſt dorſum eius*, mortuus eſt. NVRVS EIVS. *Ibidem verſu 19.* Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui 70. *cùm concepiſſet ad pariendum*, Et audito nuntio, quòd capta eſſet Arca Dei, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus, incuruauit ſe & peperit: Irruerant enim in eam dolores ſubiti. In ipſo autem momento mortis eius, 70. *Et in tempore ſuo moritur.* Dixerunt ei, quæ ſtabant circa eam: ne timeas, quia filium peperiſti. Quæ non reſpondit eis, neque animaduertit: & vocauit puerum Ichabod, dicens; tranſlata eſt gloria de Iſraël, quia capta eſt Arca Dei. Et pro ſocero ſuo, & pro viro ſuo. DOMVS IMPVDENS. *Familia tota demigratur, propter duorum filiorum impudentiam, & gulam; quæ de detractis ſacrificij carnibus veſcebatur. Vel quia ſacrilegè cum mulieribus dormiebant. De his ſic. 1. Reg. 2. 12. & ſeq.* Veniebat puer Sacerdotis, dum ce-

querentur carnes, &c. Nunc dabis, alioquin tollam vi. Erat autem peccatum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificio Domini. 70. *vero*, quoniam contemnebant sacrificium Domini. *Versu autem* 21. Dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, &c. *Et versu* 24. Voluit Dominus occidere eos. 70. *autem*: Volens volebat Dominus disperdere illos. *De his sic Aug. to. 6. lib. 1. contra Aduerf. legis cap 16.* Propterea videtur hinc Deus legis & Prophetarum, qui vnus & verus est Deus, crimine crudelitatis arguendus: quia propter leuissimas causas, vel etiam erubescendas, pœnam mortis, vel corporalis inflixit: quòd Dauid populum numerasset; quòd infantes, sicut iste dicit, filij Heli Sacerdotis, de ollis, vel caccabis Deo præparatis, aliquid degustassent. Qua in re non disputo, quantum & quàm pernicioſum elationis vitium tam sancto viro, vt vellet Dei populum numerare & subrepserit, eorumque mortibus, non æternis, sed iam iamque humana conditione venturis, & celeriter transituris, fuerit flagellatus, quorum fuerat multitudine inflatus. Nec dico filios Heli fuisse infantes, vt iste loquitur, nescientes quid loquatur; sed eius ætatis, qua possent, *Peccare*, & deberent, *insuè plecti*, pro sacrilego ausu, quo se Domino Deo in Sacrificiis præferebant, digna coërcitione cohiberi. Quod neglectum, *Ab Heli Patre impunitum*, non sibi consulens, sed populo, cui religio pietasque profuisset, bello etiam vindicauit. Vbi Dei timorem potuerunt augere victuri, per eorum mortes, qui fuerant, etsi senescerent, post non longa temporum spatia morituri. SAMEAS HOMO DEI. 3. *Reg* 12. 22. Factus est sermo Domini ad Semeiam virum Dei. 70. Factum est verbum Domini ad Samæam hominem Dei. CVM EXITVM. 3 *Reg.* 13. 1. *& seq.* Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel, Ieroboam stante super Altare & thus iaciente. Et exclamauit contra altare in sermone Domini, & ait: hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, *Principum, vel luctorum & saltuum in montibus*, Qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. Deditque in illa die signum, 70. *& dabit in die illa prodigium*, Dicens: hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, & effundetur cinis. 70. *pinguedo*. Qui in eo est. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra Altare in Bethel, extendit manum suam de Altari, dicens, apprehendite eum; & exaruit manus eius quã extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de Altari, &c. SATISFACTIONE. Orauit vir Dei faciem Domini. & reuersa est manus regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat. Locutus est autem Rex ad virum Dei: veni mecum domum vt prandeas, & dabo tibi munera. Respondit que vir Dei ad Regem; Si dederis mihi medietatem partem Regni tui, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto. Sic enim mandatum est mihi sermone Domini præcipientis, non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti, &c. *Texens prosequitur fallaciam Prophetæ mentientis Deum sibi iussisse, vt secum iret, & comederet, quo fallo concludit versu* 20. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam; quia non obediens fuisti ori Domini, non inferetur cadauer tuum in sepulcrum Patrum tuorum, &c. Et inuenit eum Leo in via, & occidit eum, & erat cadauer eius proiectum in itinere: asinus autem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer, &c. Non comedit Leo de cadauere, nec læsit asinum. *Subiicit, senem illum mentientem, cadauer sepeliisse in sepulchro suo. Quod factum breuiter Augustinus attigit to. 4. lib. de cura pro mortuis cap. 7.* Hactenus voluit Dominus seruum suum plectere, qui non sua contumacia spreuerat præceptum eius implere, sed alienâ decipiente fallaciâ, obedire se credidit, quando non obediuit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, vt ad supplicium tartareum eius deinde anima raperetur: quandoquidem ipsum eius corpus idem leo, qui occiderat, custodiuit, iumento etiam quo vehebatur, illæso, & simul cum illa immani fera, intrepida præsentia ad sui Domini funus adstante. Quo mirabili signo, apparet hominem Dei coërcitum potiùs temporaliter vique ad mortem, quàm punitum esse post mortem, &c. *Et cap. 8. inp.* Deus leonem Prophetæ corpus, quod ipse occiderat, vlteriùs non permisit attingere, & fecit de peremptore custodem. *Si venialis culpa gule, vel non satis exacta probatio & discretio spirituum, quam Tertull. innuit per*, temerè pastum; *Mernit mortem temporalem, timeant gulosi cum epulone diuite lautè pasti, nec micas dantes pauperi, mortem æternam. Moysem* ET PROPHETAS. *Maximè Etiam, quadragesima obseruatores.*

Augus.

S. Aug.

S. Augus.

5. *Gulæ peccatum anaritiâ maius. De Ieiun. cap. 6. in m. Vide Ieiunij effectus. 6. in f.*

* 6. *Gula Deus est ventricola, & primogenitorum venditori. De Ieiun. cap. 16. in f. & 17. in p.*

DEVS tibi *venter est*, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos cocus, & sanctus Spiritus nidor & condimenta charismata & ructus prophetia. Vetus es, vera si velimus dicere, tu qui tantùm gulæ indulges, & merito te priorem jactitas; semper agnosco sapere Etau venatorem ferarum ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissimæ disciplinæ tuæ venis, ita spiritu deficis. si tibi lenticulam defruto inrufatam obtulero, statim totos primatus tuos vendes apud te Agape in caccabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet. a Philip. 3. 18. CAP. XVII.

7. *Gulæ, & mensarum luxus & crudelitas in Togatis. V. verbum, Senatores.*

8. *Gula vel lenis periculosa. De Ieiun. cap. 18. circa f. Vide infra V. Ieiunij antiquitas. 6. circa. f.*

GVLA. V. SCHOLIA.

DEVS VENTER. *Philipp.* 3. 18. Multi ambulant, quos D sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi; quorum finis interitus: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. *In quã rem breuiter ex Aug.* D. *Prosper, lib. Sententiarum* Hoc ab homine colitur, quod plus diligit. Vnde quia Deus omnibus rebus maior & melior inuenitur, plùs omnibus diligendus est vt colatur. *Ventricola autem, gulam, & ventrem, & carnis delicias, pra omnibus diligunt, de quibus Rom.* 16. 18. Huiusce modi, Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri. *Hos graphicè describit Tertullianus & benè congruit Gastrimargis hac descriptio; nisi Author in Catholicos insurgeret, quibus tanquam Psychicis, id est animalibus, hanc ventris curam, ipse iam hæreticis imponit.* PVLMO TEMPLVM. *Quasi tota deuotio, & cultus sit, & respiratio, res ventris curare. Est item Plinio lib. 6. cap.* 47. *& lib.* 17. *cap vltimo, pulmo piscis sensu carens, certa nautis futura tempestatis signa prabens. Et quidem de gula repentina tempestate punienda, Iob cecinit*: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, &c. *Et Christus*; Sicut in diebus Noë erant edentes & bibentes, &c. AQVALICVLVS. *Deductum nomen ab aqualico, id est vase, in quo porci comedunt. Teste Cornuto Aqualiculus proprie venter est porci, & translatè de hominis aluo dicitur.* SACERDOS COCVS. *Qui videlicet cibos victimas Deo ventr. immolat & parat.* NIDOR. *Culina scilicet, vbi ciborum odor, & spiritus, fragrat pro thure.* CHARISMATA. *Quasi dona pretiosissima.* RVCTVS PROPHETIA. *Sicut Deo, & Spiritu Sancto pleni,* Eructant verbum bonum, *Sic isti cibis & vinis oppleti, melius edunt. Alij sic legunt:* Prophetia vetus est. *Sed lectio*

H

HÆRESIS.

1. Hæreſis ab eligendo dicta, quod proprio ſenſu credenda eligat; cum tamen iuxta Apoſtolos nil proprio iudicio ſit eligendum. De Præſcr. cap. 6. à p.

HÆreſes dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas eas vtitur. Ideo & ſibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur, ſibi elegit. Nobis verò nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignauerunt. ad Titum. 3. 11.

HÆRESIS. I. SCHOL.

GRÆCA VOCE. *Ab αἱρέσιν. Cui reſpondet, hæreo. Alij ab αἱρέω, id eſt innitor & firmo.* ELECTIONIS. *Sic Hiero. in Ep. ad tit. cap. 1.* Hæreſis Græcè ab electione dicitur, quod vnuſquiſque id ſibi eligat, quod ei eſſe melius videtur. *Et Iſid. lib. 8. cap. 3. eadem refert ad verbum quæ habet Tertullianus. Hiero. ſcribens in Ep. ad Gal. cum repetiſſet eandem etymologiam, hæreticum dicit qui ad arbitrium ſuum Scripturam intelligit contra verum ſenſum.* Quicumque igitur aliter ſcripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt. *Monuit enim Petrus in Ep. 2. cap. 1. 20.* Hoc primùm intelligentes quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. *Et idem ibidem cap. 3. 16.* Chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi Sapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, *agebat de iudicio per ignem & ſeductoribus circa illud tempus.* In quibus ſunt quędam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Vos igitur fratres, præſcientes cuſtodite, ne inſipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate. *Propriè dixit, non quaſi eam tribuens libero arbitrio fluctuanti, ſed quia propria eſt fidelium, ſupra firmam Petram, ex Dei miſericordia, ſtabilitorum in Eccleſia, quæ* eſt columna & firmamentum veritatis. *Auguſtinus ad literam, Petri locum explicat contra hæreticos etiam hodiernos, ſalutem, fidei abſque operibus tribuentes, cùm cumbuſtio ignis æterna ſine operibus miſericordiæ inuentos maneat, lib. de fide & operibus cap. 14. inf. vbi exponens locum Pauli, de lignis, fœno, & ſtipula & ſalus per ignem, corrupto hæreticorum ſenſu, qui fundamentum fidei tenentes, bona opera ſuperadificare neglexerunt. Tum de loco 1. Cor. 3. difficilis & ab hæreticis corrupto, ſenſum ſuum eligentibus, ſic loquitur:* In his deputanda eſt, *Sententia de ligno, fœno, ſtipula, &c.* qua Petrus dicit eſſe in Scriptis eius quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines peruertere ad proprium ſuum interitum, vt contra euidentiſſima teſtimonia Scripturarum, ſecuros faciant, de percipienda ſalute nequiſſimos, nequitiæ ſuæ pertinaciſſimè cohærentes, & *hæretici ſunt ſuo ſenſui proprio hærentes,* nec emendando aut pœnitendo mutatos. *Tum, quàm cautè cauenda ſit hæreſis, ferè ſemper fundata in Scriptura malè intellecta, ſuâ modeſtiâ docet:* Hic à me fortaſſe quæratur, de ipſa Pauli Apoſtoli ſententia, quid ego ſentiam, & quonam modo intelligendam putem; fateor hîc me malle audire intelligentiores atque doctiores, qui ſic eam exponant, vt illa omnia, *teſtimonia ſcilicet Scripturæ de neceſſitate bonorum operum*, vera & inconcuſſa permaneant, quæ ſupra commemoraui, & quæcumque alia non commemoraui: quibus apertiſſimè Scriptura teſtatur, nihil prodeſſe fidem, niſi eam quam definiunt Apoſtolus, id eſt quæ per dilectionem operatur: ſine operibus autem ſaluare non poſſe, neque præter ignem, neque per ignem: quia ſi per ignem ſaluat, ipſa vtique ſaluat. Abſolutè autem dictum eſt & apertè: quid prodeſt ſi dicat quis fidem ſe habere, opera autem non habet, numquid poterit fides ſaluare illum? SIBI DAMNATVM. *Sic ad Titum. 3. 11. vbi de hæretico.* Sciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. *Tranſlat. Syr.* Scias eiuſmodi hominem peruerſum eſſe, & ſceleratum, quique reum peragit ſeipſum. IN QVO DAMNATVR, *ipſum dogma, propter quod condemnatur ab Eccleſia, elegit ſibi.* INDVCERE, *de nouo introducere, quod proprium eſt Hæreſiarcharum.* QVOD ALIQVIS, *quod proprium eſt ſectatorum & recipientium dogmata hæreſiarcharum.* AVCTORES, *exempla.* ACCEPTAM A CHRISTO, *dicente Matth. 28. 19. & ſeq.* Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, &c. docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis. *Et vnus pro omnibus Apoſtolis Ioannes 1. 1. 4.* Quod vidimus & audiuimus annuntiamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum. FIDELITER, *nullo ex ſuo ſenſu ſuperaddito.* NATIONIBVS, *Gentilibus.* ADSIGNAVERVNT, *conſignarunt, tradiderunt. Vel alludit ad baptiſma, ſignaculum fidei, cum quo fidem plenam, & ſingula eius myſteria Gentes docuerunt, vnde ſimul dixit Chriſtus ſupra:* Euntes docete omnes Gentes: baptizantes eos, &c.

Aug.

2. Hæreſes oportuit eſſe, vt & traditorem; ſed væ vtriſque. De Præſcr. cap. 30. à p.

a *OPortebat hæreſes eſſe:* nec tamen ideo bonum hæreſes, quia eas eſſe oportebat. Quaſi non & malum oportuerit eſſe: nam & Dominum tradi oportebat, b *ſed væ traditori*: ne quis etiam hinc hæreſes defendat. a 1. Cor. 11. 19. b Marc. 14. 21.

3. Hæreſes Authore diabolo in Scripturæ corruptione fundatæ. De Præſcr. cap. 39. in f. & 40. in p.

NEc periclitor dicere, ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent, cum legam: a *Oportere hæreſes eſſe*, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſunt. Sequetur, à quo intellectus interpretetur eorum quæ ad hæreſes faciant? a 1. Cor. 11. 19.

Omniloquium.

A diabolo ſcilicet, cuius ſunt partes interùertendi veritatem, qui ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum, idolorum myſterijs æmulatur.

4. Hæreſes affines Idololatriæ, ab eodem parente diabolo ortæ. De Præſcr. cap. 40. in f.

DEum aut fingunt alium aduerſus Creatorem; aut ſi vnicum Creatorem confitentur, aliter eum differunt, quàm in vero eſt. Itaque omne mendacium quod de Deo dicunt, quodammodo genus eſt idololatriæ.

5. Hæreſis vt febris mortiferæ non miranda ſed cauenda, quæ vt malum neceſſarium tentandæ & firmandæ fidei à Deo permittitur. De Præſcr. cap. 1. & 2. per totum.

CAP. II.

Matth. 24. 11 & 24. 1. Cor. 11. 19

COnditio præſentium temporum, etiam hanc admonitionem prouocat noſtram, non oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas: ſiue quia ſunt; futuræ enim prænuntiabantur: ſiue quia fidem quorumdam ſubuertunt; ad hoc enim ſunt, vt fides habendo tentationem, haberet etiam probationem. Vanè ergo & inconſideratè plerique hoc ipſo ſcandalizantur, quod tantum hæreſes valeant, quantum ſint; cùm quid ſortitum eſt, vt omnimodo ſit, cauſam accipit ob quam ſit. Sic vim conſequitur, per quam ſit; ne eſſe non poſſit. Febrem denique inter ceteros mortiferos & cruciarios exitus, erogando homini deputatam, neque quia eſt miramur, eſt enim; neque quia erogat hominem, ad hoc enim eſt. Proinde hæreſes ad languorem & interitum fidei productas, ſi expaueſcimus hoc eas poſſe; prius eſt, vt expaueſcamus hoc eas eſſe; quæ dum ſunt, habent poſſe; & dum poſſunt, habent eſſe. Sed enim febrem vt malum, & de cauſa, & de potentia ſua, vt notum eſt, abominamur potius quàm miramur, & quantum in nobis eſt, præcauemus, non habentes abolitionem eius in noſtra poteſtate: hæreſes verò mortem æternam, & maioris ignis ardorem inferentes, malunt quidam mirari quod hoc poſſint, quam deuitare ne poſſint: cum habeant deuitandi poteſtatem. Ceterum, nihil valebunt, ſi illas tantum valere non mirentur. Aut enim dum mirantur, in ſcandalum ſubminiſtrantur: aut quia ſcandalizantur, ideo mirantur, quaſi quod tantum valeant, ex aliqua veniat veritate. Mirum ſcilicet vt malum vires ſuas habeat: niſi quod hæreſes apud eos multum valeant, qui in fide non valent: in pugna pugilum & gladiatorum plerumque non quia fortis eſt, vincit quis, aut quia non poteſt vinci, ſed quoniam ille qui victus eſt, nullis viribus fuit: adeò idem ille victor, benè valenti poſtea comparatus, etiam ſuperatus recedit. Non aliter hæreſes de quorumdam infirmitatibus, habent quod valent, nihil valentes, ſi in benè valentem fidem incurrant.

HÆRESIS. II. III. IV. V. SCHOL.

OPORTEBAT. *1. Cor. 11. 19.* Audio ſciſſuras, *Schiſmata. Syr. dſ̈idia*, eſſe inter vos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreſes eſſe. *Syr. futurum eſt etiam vt contentiones ſint inter vos: quò qui probati ſunt inter vos, innoteſcant.* Vt qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis. *De hac hæreſeon neceſſitate, quaſi malo neceſſario, ad probationem bonorum, vt bona ex malis eorumque contrarietate meliora fiunt; ſic Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 51. vbi & ſimul, Authore diabolo hæreſes Idololatriæ ſucceſsiſſe notat, & vtiles eſſe Eccleſiæ.* Videns diabolus templa dæmonum deſeri, & in nomen liberantis mediatoris currere genus humanum, hæreticos mouit, qui ſub vocabulo Chriſtiano, doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ, quaſi poſſent indifferenter ſine vlla correptione haberi in Ciuitate Dei, ſicut ciuitas confuſionis, *Babylon mundi Gentilis*, indifferenter habuit Philoſophos inter ſe diuerſa, & aduerſa ſentientes. Qui ergo in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid prauumque ſapiunt, ſi correpti vt ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis. Etiam ſic quippe veris illis Catholicis membris Chriſti, malo ſuo proſunt, dum Deus vtitur malis benè, *ſicut & Iuda traditore alijſque ſcandaloſis*, & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum. Inimici enim omnes Eccleſiæ quolibet errore cæcentur, vel malitiâ deprauentur: ſi accipiunt poteſtatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam: ſi tantummodo malè ſentiendo aduerſantur, exercent eius ſapientiam: *vt detegat & conuincat errores*: vt autem etiam inimici diligantur, exercent eius beneuolentiam, aut etiam beneficentiam; ſiue ſuaſibili doctrina cum eis agatur, ſiue terribili diſciplina. Ac per hoc diabolus princeps impię ciuitatis, aduerſus peregrinantem in hoc mundo Ciuitatem Dei, vaſa propria commouendo, nihil ei nocere permittitur. Cui proculdubio & rebus proſperis conſolatio, vt non frangatur aduerſis: & rebus aduerſis exercitatio, vt non corrumpatur proſperis; per diuinam prouidentiam procuratur: atque ita temperatur vtrumque ab alterutro, vt in pſalmo illam vocem non aliunde agnoſcamus exortam: ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ iocundauerunt animam meam.

S. Aug.

A B C

3. NEC PERICLITOR, *ſupple errare.* SIC DISPOSITAS: *obſcurè.* VT HÆRETICIS. *Non quod eo fine, vt eſſent hæreſes: Deus enim ſic eſſet Author mali; ſed quod præſciret, inde futuras, ex libertate hæretica, quam Deus ad bonum electorum ordinauit.* SINE SCRIPTVRIS, *malè intellectis. Aug. lib. 1. de Trin. cap. 3. circa f.* Arbitror ſanè nonnullos tardiores, *ingenio obtuſiori*, Aug. in quibuſdam locis librorum meorum opinaturos, me ſenſiſſe quod non ſenſi, aut non ſenſiſſe quod ſenſi. *Ita planè ſe res habet hodie in materia de gratia & libero arbitrio.* Quorum errorem mihi tribui non debere quis neſciat, ſi velut me ſequentes, meque non apprehendentes, deuiauerint in aliquam falſitatem, dum cogor per quædam denſa & opaca viam carpere; quandoquidem nec ipſis Sanctis diuino-

rum librorum authoritatibus, vllo modo quisquam rectè tribuerit tam multos & varios errores hæreticorum; cum omnes ex eisdem Scripturis, falsas atque fallaces opiniones suas conentur defendere. *Deinde demonstrat humilitate sua, quàm longè sit à superba hæreticorum contumacia.* Admonet me planè ac
Aug. mihi iubet suauissimo imperio lex Christi, hoc est charitas, vt cùm aliquid falsi in libris meis me sentisse homines putant, quod ego non sensi, atque ipsum falsum alteri displicet, alteri placet; malim me reprehendi à reprehensore falsitatis, quàm ab eius laudatore laudari. Ab illo enim, quamuis ego non rectè, qui hoc non senserim, error tamen ipse rectè vituperatur. Ab hoc autem, nec ego rectè laudor à quo existimor id sensisse quod vituperat veritas, nec ipsa sententia quam vituperat veritas.
Aug. *Rursum to.3. lib.7. de Gen. ad lit. c.9. circa f. ex Scripturis malè intellectis ortas hæreses dicit, tractans locum Psal.48.* Homo in honore positus, *in Ecclesia per baptismum Dei filius factus*; non intellexit, &c. *Scriptura sensum*, comparatus est pecoribus insensatis, &c. *Proiectis margaritis ante porcos*, neque enim, *inquit*, *Aug.* non omnes hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones, contra earum veritatem peruicaciter asserunt. *Et*
Aug. *to.9. tract. 18. in Io. inp.* Neque natæ sunt hæreses, & quędam dogmata peruersitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè. Et quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur. Itaque, charissimi, valde cautè hæc audire debemus, ad quæ capienda paruuli sumus, & corde pio, & cum tremore, sicut scriptum, hanc tenentes regulam sanitatis, vt quod secundùm fidem qua imbuti sumus intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus: quod autem secundùm sanam fidei regulam intelligere nondum potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus: hoc est, vt etiam si quid nescimus, bonum tamen & verum esse, minimè dubitemus, &c. Suscepi tractanda diuina homo, spiritalia carnalis, æterna mortalis. Etiam à me, charissimi, longè sit vana præsumptio, si volo sanus in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis, 1.Tim.3.15. pro modulo meo capio quod vobis appono. Vbi aperitur, pascor vobiscum, vbi clauditur, pulso vobiscum. *Nihil temerè interpretandum docet humillimus & sapientissimus doctor: vt solent superbissimi hæretici.* SEQVITVR. *Alij legunt* sed quæritur, à quo intellectus inuertatur eorum quę ad hæreses faciant. *Sed sensus non est alius. Sequetur, inquit, supple vt quæramus, à quo sentiendum sit, peruersam Scriptura intellectum & expositionem prauam venire: & sine dubio dicendum est, eam hæreticos hausisse à Magistro diabolo: qui quia* in veritate non stetit; *proprium hoc habet, vt inuertat, hoc est confundat, & peruertat suis mendacijs & erroribus, veritatem fidei. Nec mirum cum & ab initio zelatus Dei gloriam, inuidensque ei, in Gentilium mysterijs Idololatricis, res ipsas Sacramentorum nostrorum fabulis & nugis commentisque emulatus, imitatione sua depranare studuerit. Quod porro hæresis species sit Idololatria vide sequenti Scholio.*

4. DEVM FINGVNT. *Sicut Marcionita.* DISSERVNT, *sicut Valentiniani. Augustinus to.4.q.29. in*
Aug. *Iosue. Miratur, Iosue dixisse populo Israël, vt auferrent Deos alienos.* Nec putandum est, hoc illum inaniter præcepisse; non enim ait: & nunc auferte Deos alienos, si qui sunt in vobis; sed omnino tanquam sciens

esse, qui sunt, inquit, in vobis. Proinde Propheta Sanctus, in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo, alienas à Deo, & ipsas admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum Deum vtique & falsum, in cogitatione portat. Quis est autem qui sic cogitet Deum quemadmodum ille est? ac per hoc relinquitur fidelibus, quamdiu perĕgrinantur à Domino, auferre a corde suo inuentia vana phantasmata, quæ se cogitationibus ingerunt, velut talis, aut talis sit Deus, qualis vtique non est: & dirigere cor ad illum fideliter, vt quemadmodum, & quantum nobis expedire nouit, ipse se insinuet per Spiritum suum, donec absumatur omne mendacium; Vnde dictum est; omnis homo mendax: & transacta non solum impia falsitate, verum etiam ipso speculo & ænigmate, facie ad faciem cognoscamus, sicut & cogniti sumus; quemadmodum Apostolus dicit: 1.Cor.13. 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. *Et adhuc expressius to.1. lib. de Vera Religione cap.38.* Est alius S. Aug. deterior & inferior cultus simulachrorum, quo phantasmata sua colunt, & quidquid animo errante, cum superbia vel tumore, cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obseruant, donec fiat in anima, *error vterimus Atheismi*, nihil omnino colendum esse, & errare homines, qui superstitioni se inuoluunt, & misera se implicant seruitute. Sed frustra hoc sentiunt: non enim efficiunt vt non seruiant: remanent quippe ipsa vitia, quibus vt illa colenda opinarentur, attracti sunt. Seruiunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi. Nego esse quemquam istorum, qui nihil colendum existimant, qui non aut carnalibus gaudijs subditus sit, aut potentiam vanam foueat, aut aliquo spectaculo delectatus insaniat. Ita, nescientes diligunt temporalia, vt inde beatitudinem expectent. His autem rebus, quibus quisque beatus vult effici, seruiat necesse est, velit, nolit. Nam quocumque duxerint, sequitur: & quisquis eas vitus fuerit auferre posse, meruitur. *Quibus in iudicio dicet*; Vbi sunt Dij tui in quibus habebas fiduciam? &c. *Postremò à diabolo suffectus ait Idololatria hæreses to.9.* S. Aug. *tract. de Vtilitate Ieiunij cap.8.* Cum deseretur *diabolis cultus in Idolis*, & multi ad vnum Deum concurrerent, eius sacrilega Sacramenta deserere, templa euertere, Idola frangere, Sacrificia prohiberent, vidit se perdidisse quos tenebat: vidit à sua familia recessisse, verum Deum cognouisse; quid faceret? quomodo insidiaretur? concordes nos, scit quod possidere non possit; vnum Deum nobis diuidere non potest, falsos Deos nobis supponere non potest. Sentit esse vitam nostram charitatem, mortem nostram dissensionem: lites immisit inter Christianos, quia multos Deos non potuit fabricare Christianis: sectas multiplicauit, errores seminauit, hæreses instituit: sed quidquid fecit, de palea Dominica fecit. Ecce securitas nobis est, licet illo sæuiente, licet illo insidiante, & dissensiones varias inter Christianos seminante: Si Deum nostrum agnoscamus, si concorditer teneamus, si fidem seruemus, securi simus, fratres. Frumentum de area aut non recedit, aut redit. Aliquid aufert palearum vento tentationis, vndè nobis faciat non viam perditionis, sed opus exercitationis. *Ideo & oportet hæreses esse, vtique vtiles Ecclesiæ, vt supra vidimus, & sequenti Scholio videbimus.*

5. CONDITIO PRÆSENTIVM, &c. *Status præsentium, vrget me, non tantum, contra persecutores Gen-*

riles, hortari constantiam Christianorum; sed etiam vt eorum fidem præmuniam contra artes hæreticorum; & in primis admoneam fideles simplices, ne ad exortas hæreses obstupescant, quasi aliquid noui & mirabile in se contineant; cùm à Christo futura fuerint prænuntiata, & proinde fuerint expectanda; nec etiam miranda sunt, quòd aliquos à fide in hæresim trahant; cùm id etiam Apostolus prædixerit; oportere hæreses esse, *tum quod oporteat impleri propheriam Christi; tum quòd ad probationem & perfectionem electorum à Deo permittantur.* QVANTVM SVNT. *Id est scandalum frustra aliqui infirmi in fide, sumunt de hæresibus, sine in quantum sunt, sine quatenus prædent aliquibus per eas seductis, cùm quidlibet ideo accidat, vt sit, vt id producat tanquam causa propria effectum, propter quem vel à Deo sit, vel fieri permittitur, quod dicitur vulgò:* qui dat esse, dat consequentia ad esse. *Et rursum:* operati, sequitur esse. SIC VIM, &c. *Ne res & status eius sine essentia corruat, vim operandi statim consequitur, per quam, id est propter quam esse accepit. Vt enim non miremur, si febris hominem erogat, id est devorat, vt in rogo ponitur, quia ideo à Deo infligitur, pro pœna peccati: sic hæresis in pœnam peccatorum; vt & sensum reprobum dat hæretico Deus, non infundendo errorem, sed iusto iudicio subtrahendo veritatem.* CRVCIARIOS EXITVS *fines & mortes excruciantes hominem,* EROGANDO HOMINI, *corpori humano consumendo & quasi in rogo posito & igni tradito lento comburendo. Aduerte, tempore quo scripsit hunc librum, sub Severo & Antonino Caracalla, Nigidij, & Hermogenis hæreses viguisse. Quantum autem veiles sint Ecclesiæ, præter supra memorata, accipe ab Augustino:* S.Aug. *lib.7. Confess. cap.19.* Improbatio hæreticorum facit eminere quid Ecclesia tuta sentiat, & quid habeat sana doctrina. Oportuit enim & hæreses esse, vt probati manifesti fierent inter infirmos. *Et lib. de* S.Aug. *Vera Religione cap.6.* Neque in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum, quærenda est Religio; sed apud eos solos qui Christiani, Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id est integritatis custodes, & recta sectantes. Hæc enim Ecclesia Catholica per totum orbem validè D latèque diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cùm euigilare voluerint. Vtitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo inuitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit; omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem: siue illi informandi sint adhuc, siue reformandi, siue recolligendi, siue admittendi. *Et eodem lib. cap. 8.* Quoniam verissimè dictum est, oportet multas hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos, vtamur etiam isto diuinæ prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici E fiunt, qui etiamsi essent in Ecclesia, nihilominus errarent, cum autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum docendo, quod nesciunt; sed ad verum quærendum, carnales, & ad verum aperiendum, spirituales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos, quandiu imperitiæ nostræ tenebris delectati, dormire malumus, quam lucem veritatis intueri. Qua-propter multi vt diem Dei videant & gaudeant, *alludit ad dictum Christi, Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est,* per hæreticos de somno excitantur. Vtamur igitur etiam hæreticis, non vt eorum approbemus errores, sed vt Catholicam disciplinam aduersus eorum insidias asserentes, vigilantiores & cautiores simus, etiamsi eos ad salutem reuocare non possumus. *Et lib.1. de Gen. cont. Manich. c.1.* Ideo di- Aug. uina prouidentia multos diuersi erroris hæreticos esse permittit, vt cùm insultant nobis, & interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, & diuinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea & Apostolus dicit, oportet hæreses esse, &c. Illi enim Deo probati sunt, qui benè possunt docere: sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent. Docere autem nolunt, nisi eos qui doceri quærunt. Sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias, & insultationes hæreticorum quasi de somno excitentur, & de imperitia sua erubescant sibi, & de illa imperitia sua periclitari se sentiant: qui homines si bonę sunt fidei, non concedunt hæreticis, sed quid eis respondeant, diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus, vt petentes accipiant, & quęrentes inueniant, & pulsantibus aperiatur. Qui autem desperant se posse in Catholica disciplina inuenire quod quærunt, arteruntur erroribus; & si perseueranter inquirunt, ad ipsos fontes, à quibus aberrauerant, post magnos labores fatigati, atque sitientes, & penè mortui reuertuntur. *De prouidentia Dei in bonum Ecclesiæ hæreses ordinante, sic idem Aug. in Psal.9.* Dum superbit impius, ac- Aug. C cenditur pauper. Mirum est, inquit, & verum; quanto studio bonæ spei paruuli accendantur ad rectè viuendum comparatione peccantium: quo mysterio agitur, vt etiam hęreses esse permittantur: non quia ipsi hæretici hoc volunt, sed quia hoc de peccatis eorum diuina operatur prouidentia; quæ lucem & facit, & ordinat, tenebras autem tantum ordinat, vt sit earum comparatione lux gratior, sicut hæreticorum comparatione, iucundior est inuentio veritatis. Ea quippe comparatione, probati manifesti fiunt inter homines, qui Deo noti sunt. *Aliud aliquid in eandem rem dixerat Scribens in Psal.7.* Sagittas suas ardentibus vel ardentes operatus est, &c. quia non sagittas tantum, sed etiam vasa mortis dixit in arcu Dominum parasse, quæri potest quæ sint vasa mortis. An fortè hæretici? Nam & ipsi ex eodem arcu, id est ex eisdem Scripturis, in animas non in charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt, quod non contingit nisi pro meritis. Propterea diuinę prouidentiæ, etiam ista dispositio tribuenda est; non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat cùm peccauerint. Malo enim voto, per peccatum legentes, *Scripturam oculo mentis errore cæcato;* malè coguntur intelligere, vt ipsa sit pœna peccati: quorum tamen morte, *quia vasa sunt mortis, apta in interitum,* filij Catholicæ Ecclesiæ, tanquam quibusdam spinis, à somno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant Scripturarum. Oportet enim & hæreses esse, vt probati, inquit, manifesti fiant inter vos: hoc est inter homines, cum manifesti sint Deo, &c. Vt intelligamus vnicuique homini supplicium fieri de peccato suo, & eius iniquitatem in pœnam conuerti. Nec putemus illam tranquillitatem & ineffabile lumen Dei, de se proferre, vnde peccata puniantur: sed ipsa peccata sic ordinare, vt quæ fuerunt delectamento homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti. *Pulchrè omnia, profundè omnia, appositè omnia ad sensum D. Pauli, & Tertulliani mentem.*

6. Hæreſes prædictas mirari non debemus, ſed lupos ſub ouium pelle cauere. De Præſcr. cap. 4. in p.

MEmores ſimus tam Dominicarum prænuntiationum, quàm Apoſtolicarum litterarum, quæ nobis & futuras hæreſes prænuntiarunt; & fugiendas præfinierunt: & ſicut eſſe illas non expaueſcimus, ita poſſe id propter quod fugiendæ ſunt, non miremur. Inſtruit Dominus multos eſſe venturos, ſub pellibus ouium rapaces lupos. Quænam iſtæ ſunt pelles ouium, niſi nominis Chriſtiani extrinſecus ſuperficies? Qui lupi rapaces; niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli; ad infeſtandum gregem Chriſti intrinſecus deliteſcentes? Qui Pſeudoprophetæ ſunt, niſi falſi Prædicatores? Qui pſeudapoſtoli, niſi adulteri Euangelizatores? Matth. 24. 11. & 24. Matth. 7. 15 2. Cor. 11. 13 & 15.

HÆRESIS. VI. SCHOL.

DOMINICARVM, *quibus Chriſtus Dominus, & Apoſtoli prædixerunt, futuras, & fugiendas hæreſes.* LVPOS. *Matth.* 7. 15. Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. NOMINIS CHRISTIANI SVPERFICIES. *Aug. to. 3. in Enchir. ad Laur. cap.* 5. Certum propriumque fidei Catholicæ fundamentum, Chriſtus eſt: fundamentum enim aliud, ait Apoſtolus, nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Neque hoc ideo negandum eſt proprium fundamentum eſſe fidei Catholicæ, quia putari poteſt aliquibus hæreticis hoc nobiſcum eſſe commune. Si enim diligenter quæ ad Chriſtum pertinent cogitantur, nomine tenus inuenitur Chriſtus apud quoſlibet hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, re ipſa non eſt apud eos. Quod oſtendere nimis longum eſt, quoniam commemorandæ ſunt omnes hæreſes, ſiue quæ fuerunt, ſiue quæ ſunt, ſiue quæ poterunt eſſe, ſub vocabulo Chriſtiano; & quàm ſit hoc verum, per ſingulas quaſque monſtrandum eſt. Quæ diſputatio tam multorum eſt voluminum, vt etiam infinita videatur, *hæreſim pictam & fictam ſponſam, pulchrè diſcernit Auguſtinus à vera ſponſa Chriſti Eccleſia. to. 6. in Oratione contra Iudæos, Paganos, & Arianos, cap.* 22. Caput & corpus, Chriſtus & Eccleſia. Nec ab illo ſeparemur, aliquid aliud de illo, ſicut hæretici credendo, nec ab iſta, prauis noſtris moribus declinando: hæc eſt mater vera, *ouis germana, agniculos fideles generans ex Ariete Chriſto, cornibus inter vepres, capite corona ſpinea cincto, pro oue & agnis immolato*; pia mater & caſta, intrinſecus ſui viri dignitate ornata; *qualem vidit Ioannes ſponſam Agni deſcendentem Ieruſalem de cœlo à Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo: cuius filia regis ab intus omnis gloria*; non forinſecus mendacio fallente turpiter colorata. Non nos ab iſta matre, & nomen confictum ſeducat alienum; non nos Eccleſiæ ſpecies aliena decipiat: *qualis eſt qualibet hæreſis, vel nunc Iudaiſmus.* Sponſa Chriſti non eſt quę virum ſuum non cogneſcit: turpis eſt quæ tanti viri ſpeciem ſuis ſermonibus fuſcare, & *fucare*, contendit. Fruſtra tibi Eccleſiæ nomen imponis, & *ouis, & Chriſtiana, hæreſis qualibet*, Iudæa ſubdola, decipiens quia decepta. *A proprio iudicio errante, & diabolo erroris & mendacij principe, lupo lucifuga ſe in angelum lucis transfigurante.* Video quidem quod aptes formam ſub ſpecie aliena. *Propriè ad mentem Tertulliani, vbi hîc ſubjecit.* SENSVS ET SPIRITVS SVBDOLI. *2. Corint.* 11. 13. Eiuſmodi pſeudapoſtoli, ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti; & non mirum: *in textu habet Tertullianum: non miremur*; ipſe enim Satanas transfigurat ſe in angelum lucis. Non eſt ergo magnum ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri Iuſtitiæ; quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum. *Reuertor ad Auguſtinum ſupra ſic loquentem hæreſi, lupi inſtar ſub ouina pelle Dominicum graſſantis in gregem.* Quid te componis? quid tantum te exornas? quid fimbrias tuas expandis? cur te contra veram ſponſam æquare contendis? *Audi ſponſum in Canticis* 6. 7. Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea, &c. *Vna eſt illa de qua Pſalmo* 44. Aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato circumdata varietate, &c. *in Hebr. habetur Aſtitit coniux ad dexteram tuam in diademate aureo*; Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus. *Et vt noueris, poſt Romanam Eccleſiam virginem, alias Eccleſias virgines quoque, vt membra virginco corpori, ſub eodem capite applicatas ſubjecit:* Adducentur regi virgines poſt eam, &c. *Proſequitur Auguſtinus* non te recipit ſponſus, quia non es ſponſa. Sed pulchram te dicis eſſe, & de auro, *Scriptura, & varietate linguarum, ſic exponente Auguſtino in Pſal.* 44. *circumamicta varietatibus*, atque ornamentis plurimis gloriaris: reſpondet tibi ſponſus ſpecioſus forma præ filijs hominum: ſpecies fornicariæ facta eſt tibi. Irreuerens facta es in omnibus. *Ier.* 3. 3. *vulgata*; *frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* 70. *ſine rubore facta es ad omnes.* Quod ſi dixeris, quare? reſpondet, quia ſub ſpecie ſponſæ componis te, & mentiris ſponſum tuum eſſe me, &c. Non ſicut Patrem appellas me; ego enim & Pater vnum ſumus. Non ſicut Patrem appellaſti me, & principem virginitatis tuæ. Verba ſunt Chriſti per Prophetam: *Ier.* 3. 4. Si ego eſſem princeps virginitatis tuæ, ſeruares integritatem tuam, ſicut integram ſeruasti Matrem meam. Quia ergo nec principem virginitatis tuæ, nec Patri me agnoſcis æqualem, nec ego te agnoſco virginem. Noli te amplius iactare quod non es, agnoſce turpitudinem tuam; Arrius abſtulit integritatem tuam. Non es igitur ſponſa, quia non es integra. Fruſtra enim illum ſponſum vocas qui non eſt tuus: turpem enim viduam non accipit Chriſtus. *Doctè & profundè tangit hæreſim Iudaizantium. Cum enim Synagoga veteri legi, iuxta Paulum, tanquam viro nupſiſſet; morte huius viri lege ſoluta, hoc eſt abolita lege quoad cæremonialia, vidua turpis manſit Synagoga, adhuc legi quaſi viro adhærens; quam Chriſtus repudiatam, non vult accipere in vxorem. Vel alloquitur Arrianam hæreſim Iudaiſmo in hoc congruentem, quòd Chriſtum æqualem Patri non agnoſcat. Deinde reuocat omnem hæreſim, vt depoſita fallacia, cum veris ouibus ad gregem Chriſti, Eccleſiam redeat.* Redi, redi, repudiata redi, confuſa redi, ſerpentinis fraudibus violata redi non dignitate cœleſti compoſita, ſed humanis aſſertionibus reconuenta, redi. *Alludit ad conuentiones matrimoniales, quibus ſine Synagoga per fidem, ſine hæreſi qualibet per baptiſmum cum Deo, & Chriſto conuenerat, ſed poſtea hæreticorum dogmatibus, errori & hæreſi, relicta veritate & S. Aug.*

ed by Google

fide Christi, alicui secta haereticæ conuenerat. Deinde
S Aug. *subdit:* Fallere temetipsam potes, fallere sponsum non potes. *Vides eor lupi sub ouina pelle latens.* Nouit enim ille quam quęrat; agnoscit, quam vocat. Semper enim viuit mater. *Ecclesia scilicet incorrupta & immortalis, cui ne fides non defectura promissa est Petro.*
S. Aug. Nouerca, quid te supponis? non potes excludere pulchram Dominam, cum turpis sis ancilla, *mancipium erroris,* species fornicarię facta est tibi. Non enim seruas vni viro fidem, quæ Catholicam non tenes vnitatem. Ille enim sponsus Matrem quærit veram, quæ piè filios suos nutriat: non turpem, quæ alienos fraudulenter occidat. *Nonne eodem sensu cum Tertulliano loquente de adulteris euangelizatoribus, & lupis rapacibus?* Qui, inquit, lupi rapaces, nisi sensus A & spiritus subdoli ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? *Tandem concludit Augustinus: In commendationem verę & vnicæ sponsæ, lupinam haeresim tolerantis.* Vide quæ sit hæc mater vera, quæ adhuc te tolerat suos filios præfocantem, suo viro iniuriam facientem. Tolerat, quia patientiam exhibet sui sponsi, & expectat auras libertatis, vt vindicetur ab eo eius humilitas, quoniam eam viri sui obtinet charitas. *Veniet tempus, quo* Abraham ancillam eijciat & filium eius: *Veniet, quo* Angeli eius de regno eius colligant omnia scandala. *Et to. 4. lib. 2. de Ser. Domini in Monte cap. 24. in verba* cauete à pseudoprophetis, &c. Sed isti, inquit, non Aug. fallunt oculum simplicem qui arborem dignoscere, ex fructibus, nouit.

Aug.

7. *Hæresis Antichristos facit, & eius persecutio grauior est Antichristi persecutione. De Præscr. cap. 4. in m.*

1. Io. 2. 18. & 22. QVi Antichristi interim, & semper, nisi Christi rebelles? Nunc sunt hæreses, non minus doctrinarum peruersitate Ecclesiam lacessentes, quàm tunc antichristus persecutionum atrocitate persequetur: nisi quod persecutio & martyras facit, hæresis apostatas tantum. Et ideo [a] *haereses quoque oportebat esse, vt probabiles quique manifestarentur,* tam qui in persecutionibus steterint, quàm qui ad hæreses non exorbitauerint.

a 1. Cor. 11. 19.

8. *Hæresis non prænalet nisi in infirmos. De Præscr. cap. 2. V. supra, num. 5.*

HÆRESIS. VII. SCHOL.

INTERIM. *Donec moriatur Antichristus singularis ille homo peccati.* SEMPER, *non defuerunt ab initio qui contra Christi fidem & Ecclesiam rebelles fuerint, quales sunt haeretici.* TVNC ANTICHRISTVS, *sub finem mundi quod persecutionibus aget Antichristus:* Vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi; *hoc nunc faciunt haereses. Et licet tempore Tertulliani astutia sola & non viribus etiam pollerent haeretici vt tantum facerent Apostatas, postea etiam principibus corruptis, fecerunt martyres persecutionibus saeuiendo. Quod haeretici in vtroque persecutionis genere, & absolute sint Antichristi, hoc est contra Christum Christianosque saeuientes, artibus, & viribus: docuit Augustinus to. 6. lib. 2.*
S. Aug. *contra Aduers. legis & Prophet. cap. 12.* Deus verus est, in cuius templo falsus ille sessurus est, ad quem pertinet etiam iste qui sub nomine Christi, quod est nomen Dei, hoc est Christianum se videri volens, superextollitur contra Christum: *loquitur de ipso haeretico aduersario legis, qui, vt supra diximus, sub ouina pelle, sub Christiani nomine, lupus intrinsecus, gregem Christi inuadebat, pertinens ad Antichristum:* seque ostendit Antichristum; non vnum illum maiorem ceteris, sed ex his aliquem, de quibus dicit Ioannes Euangelista. 1. 2. 18. Nunc Antichristi multi facti sunt. Eos enim dicebat haereticos, qui temporibus Apostolorum esse cœperant. Hi autem cœperunt esse post Ascensionem dumtaxat in cœlum Domini nostri Iesu Christi, ab illo Simone Mago, quem legimus in Actibus Apostolorum baptizatum. *Subjecit tales fuisse, contradictores legis veteris, & duos Deos inducentes, Basilidem, Carpocratem, Cerdonem, Marcionem, Apellem, Patricianum. Certum parum est occasionis Simonis Magi haeretici, Neronem eius amantissimum, primam Romae per Apostolorum Petri & Pauli Martyrium persecutionem indixisse. Idem Aug. to. 9. tract. 3.*
S. Aug. *in primam Ioannis Epistolam.* Audite & videte; omnes certè qui exeunt de Ecclesia, & ab vnitate Ecclesiæ præciduntur, Antichristi sunt: nemo dubitat; ipse enim designauit, *Ioannes scilicet dicens:* ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: *scilicet secundum* B *praedestinationem & firmitatem in fide: erant enim ex nobis, per fidem susceptam in baptismo, nec foras exissent, nisi prius intus fuissent.* Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Quicumque ergo non manent nobiscum, sed exeunt ex nobis, manifestum est, quòd Antichristi sunt. Et quomodo probantur Antichristi? ex mendacio. *Quia Christus est veritas.* Et quis est mendax, nisi qui negat quoniam Iesus est Christus? Interrogemus hæreticos, quem inueniunt hæreticum, qui negat quia Iesus non est Christus? &c. Statim confitetur, quia Iesus Christus est. Si ergo ille est Antichristus qui negat Iesum esse Christum, nec nos possunt dicere Antichristos, nec nos illos: quia & nos confitemur & C illi. Si ergo nec illi nos dicunt, nec nos illos, ergo nec illi à nobis exierunt, nec nos ab ipsis. Si ergo non à nobis exiuimus, in vnitate sumus. Si in vnitate sumus, quid faciunt in hac ciuitate duo altaria? *agebat contra Donatistas* quid faciunt diuisæ domus? diuisa coniugia? quid facit communis lectus, & diuisus Christus? Admonet nos, *Ioannes,* vult nos fateri quod verum est. An ipsi à nobis exierunt, an nos ab ipsis? &c. hæc quęstio & nos, & ipsos turbat, si non intelligatur. Aut nos sumus Antichristi, aut illi sunt Antichristi. Illi nos Antichristos vocant, & dicunt quod exiuimus ab eis: Nos illos similiter. Sed designauit hęc Epistola Antichristos. Quicum- D que negat quod Iesus sit Christus, ipse est Antichristus. Iam ergo quæramus quis neget, & non attendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim omnes interrogentur, omnes vno ore confitentur, Iesum esse Christum. Quiescat paululum lingua, vitam interroga. Si inueneritis hoc, si ipsa Scriptura nobis dixerit, quia negatio eorum, non tantum lingua fit, sed & factis; Certè inuenimus multos Antichristos, qui ore confitentur Christum, & moribus dissentiunt à Christo. Vbi inuenimus hoc in Scriptura? Paulum audi Apostolum; de talibus cum loqueretur, ait, ad Tit. 1. confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant. Inuenimus & ipsos

Digitized by Google

Antichriſtos. Quiſquis factis negat Chriſtum Antichriſtus eſt. Non audio quid ſonet, *lingua*. Sed video quid viuat. Opera loquũtur & verba requiriꝰmus? Quis enim malus, non benè vult loqui? ſed quid dicit de talibus Dominus? Matth. 14. Hypocritæ, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Voces veſtras ad aures meas affertis, ego cogitationes veſtras inſpicio, voluntatem ibi malam video, & fallos fructus oſtenditis. Noui quid inde colligam, non colligo de tribulis ficus, non colligo de ſpinis vuas. Matth. 7. vnaquæque enim arbor a fructu cognoſcitur. *Diceret Iacobus: oſtende mihi ex operibus fidem tuam.* Magis mendax eſt Antichriſtus, qui ore profitetur Ieſum eſſe Chriſtum, & factis negat: Ideo mendax, quia aliud loquitur, aliud agit. *Cum ergo & contra exempla & verba Chriſti, humilis, mitis, patientis injuriæ, & nemini inferentis, hæretici ſint mendaces contra veritatem, crudeles & feri contra manſuetudinem, Chriſtianos à fide per terrorem, ſimulationem, perſecutionem abducentes, hi profectò ſunt Antichriſti. Pergit Auguſtinus, & malos Chriſtianos probare Antichriſtos.* Si facta interroganda ſunt, non ſolum multos inuenimus Antichriſtos foras exiiſſe, ſed multos nondum manifeſtos, quod foras exierint. Quotquot enim habet Eccleſia perjuros, fraudatores, adulteros, ebrioſos, fœneratores, mangones, *id eſt Magiſtros formæ & decoris ſic dicti, hominum mercatores. Vel etiam aliorum mercium interpolatores, qui allicunt fucatis meretibus emptores* & omnia quæ numerare non poſſumus: ſi contraria ſunt doctrinæ Chriſti, contraria ſunt verbo Dei. Verbum autem Dei Chriſtus eſt: quidquid contrarium eſt Verbo Dei, in Antichriſto eſt. *Quaſi membrum ſub capite, & in corpore Antichriſti.* Antichriſtus enim contrarius eſt Chriſto, &c. Corrige quod tu feciſti, vt ſaluetur quod in te Deus fecit. Si autem non vis, & amas, & amplecteris peccata tua, contrarius es Chriſto. Intus ſis, *in Eccleſia viſibiliter*, foris ſis, *inter hæreticos*, Antichriſtus es. Intus ſis, foris ſis, palea es. Sed quare foris non es? quia occaſionem venti non inueniſti. *Id eſt, vel linguæ hæreticæ, eductentis, vel manus & poteſtatis perſequentis, fraudem, aut violentiam non incurriſti.* S. Aug.

9. *Hæreſis detectio, eius deſtructio eſt. Cont. Valent. cap. 3. in f.*

HVnc primum cuneum congreſſionis armauimus, detectorem & deſignatorem totius conſcientiæ illorum, primamque hanc victoriam auſpicamur: quia quod tanto impendio abſconditur, etiam ſolummodo demonſtrare, deſtruere eſt.

10. *Hæreſes ridiculæ ſola declaratione explodantur: blaſphemiæ autem ſeriò arguendæ. Cont. Valent. cap. 6. in f.*

QVamquam diſtulerim congreſſionem, ſolam interim profeſſus narrationem, ſicubi tamen indignitas meruerit ſuggillari, non erit delibatione tranſfunctoria expugnatio. Congreſſioni luſionem deputa, Lector, ante pugnam. Oſtendam, ſed non imprimam vulnera. Si & ridebitur alicubi, materiis ipſis ſatisfiet: multa ſunt ſic digna reuinci; ne grauitate adorentur. Vanitati propriè feſtiuitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia lætans; de æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt. Curandum planè ne riſus eius rideatur, ſi fuerit indignus. Ceterùm vbicumque dignus riſus, officium eſt.

HÆRESIS. IX. & X. SCHOL.

PRIMVM CVNEVM. *Ex Vegetio lib. 2. Eſt peditum multitudo in cunei, hoc eſt inſtrumenti quo ligna finduntur formam redacta, cuius pars prima anguſtior in latiorem procedit. Vtitur hac ſimilitudine Tertullianus cum Valentinianis diſputaturus, vt prima eius congreſſio ſit, vt rimetur & detegat occulta eorum myſteria, vt inde certam ſibi victoriam ſpondeat, ſi detegat latibula tanta arte ceu vulpina ſub terra defoſſa. Subito enim atque fabula illa detecta fuerint, in fumum euaneſcent, & propria mole concident. De gladio igitur ſine cuneo Tertulliani, dicam, vulpibuſque latentibus, hæreticis omnibus, ipſa detectione captis & victis, factiſque ridiculis; illud Pſaltis:* Introibunt in inferiora terræ, *vt lateant*: tradentur in manus gladij: *vt vincantur*: partes vulpium erunt: *vt non tantum ſint lupi ſicut ſupra vidimus, ſub ouina pelle latentes, ſed & partim vulpes ex fallacia abſcondita. Aug. in Pſal. 80. vbi propriè quod de Manichæis habet, de Valentinianis aut Deos quot aonas fingentibus, dici poteſt.* Multi hæretici cum paganis, alios & alios Deos ſibi ipſi fecerunt, & eos etiam ſi non in templis, tamen quod eſt peius, in ſuo corde poſuerunt: & falſorum ridendorumque ſimulachrorum templa ipſi facti ſunt. Magnum opus eſt, intus hæc Idola frangere, & locum Deo viuenti, non recenti mundare. *Tractabat verſum huius Pſalmi: Iſrael ſi audieris me, non erit in te Deus recens: ſed pro vno recenti, per Valentinianos, noui recentesque venerunt eorum plurimi.* Vulpes, inſidioſos, maximèque hæreticos ſignificant, doloſos, fraudulentos, cauernoſis anfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes, &c. Iſtæ vulpes ſignificantur in Canticis Cantic. cap. 2. vbi dicitur, capite nobis vulpes, puſillas exterminantes vineas *animas ſimplices, & ignorantes, mirantesque quaſi doctas fabulas*, latentes in cauernis tortuoſis. Capite nobis, conuincite nobis; capis enim, cùm quem de falſitate conuincis.

Aug.

10. *Aptè ſub eodem ſcholio, duos explico titulos, ob congruentiam.* CONGRESSIONEM. *Certamen proprium.* PROFESSVS NARRATIONEM. *Nunc propoſui ſimpliciter enarrare commentum & fabulam Valentiniana hæreſis.* INDIGNITAS. *Eiuſdem hæreſis meritum exegerit, ad liuorem vſque, in faciem cadi; non perfunctoriè, & quaſi eius errorem delibans, leuiterque perſtringens, expugnabo.* LVSIONEM DEPVTA. *Præludium puta, ante ſeriam diſputationem.* OSTENDAM, *quaſi digito deregens & ſubſannans errorem ridiculum.* NON IMPRIMAM, *quaſi profundè perfodiens.* MATERIIS, *ex ſe ridiculis. Sicut & ipſe Tertull. de impoſita Chriſtianis adoratione Dei, Aſinino capite:* Vidimus, & riſimus. REVINCI, *ſicut illi veritatem in fabuloſa vanitatis inſtituta, quaſi victam & captiuam detinent; ſic ipſa*

fabulæ vanitas ridicula, digno risu remuncetur. GRAVITATE, *seria responsione.* ADORENTVR, *nimio respectu digna visa.* PROPRIE CEDIT, *ultro, sequitur irrisitem & facetia.* SI FVERIT INDIGNVS. *Aug. to.1.*
S. Aug. *lib.1.contra Academicos cap.5.* Ratio præveniat risum tuum; nihil enim est fœdius risu irrisione dignissimo. *Veritas autem securа videt, & exultat, contra mendacium semper victoriosè prævalens.* Aug. Ep.174. *ad*
S. Aug. *Pascentium contra Arrianos in fine:* Non bonum hominis est hominem vincere, sed bonum est homini, vt eum veritas vincat volentem, quia malum est homini, vt eum veritas vincat inuitum. Nam ipsa vincat necesse est, siue negantem, siue confitentem. OFFICIVM EST *proprium opus veritatis est, ex officio incumbit veritati, vt prodentem è tenebris mendacium seu vulpem exfumigatam, festinus jocis excipias & explodas.*

11. Hæreses & schismata, duo mala pariter fugienda, quæ in bonum Ecclesiæ à Deo permittuntur. De Præscr. cap.5. per totum, & 6. in p.

SI dissensiones & schismata increpat, quæ sine dubio mala sunt, & in continenti hæreses subiungit: quod malis adjungat, malum vtique profitetur, & quidem maius: cum ideo
1. Cor.11. 19. credidisse se dicat de schismatibus & dissensionibus, quia sciret * *etiam hæreses oportere esse:* ostendit enim grauioris mali prospectu de leuioribus se facile credidisse: certè non vt ideo de malis crediderit, quia hæreses bonæ essent, sed vti de pejoris quoque notæ tentationibus prænoneret non esse mirandum, quas diceret tendere ad probabiles quosque manifestandos, scilicet quos non potuerint deprauare. Denique si totum capitulum ad vnitatem continendam, & separationes coërcendas sapit: hæreses verò non minus ab vnitate diuellunt,
1. Cor.1.11. & seq. & 1. Cor. 11.18. 19. quàm schismata & dissensiones, sine dubio & hæreses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua schismata & dissensiones: ac per hoc non eos probabiles facit, qui in hæreses diuerterint, cùm maximè diuerti ab eiusmodi objurget, edocens vnum omnes loqui & idipsum sapere, quod etiam hæreses non sinunt. Nec diutius de isto, si idem est Paulus, qui &
Rom.12.16 alibi hæreses inter carnalia crimina numerat, scribens ad Galatas; & qui Tito suggerit, b *hominem hæreticum post primam correptionem recusandum, quod perversus sit eiusmodi & delinquat, vt*
CAP. VI. Gal.5.20. b Tit.3.10. & 11. *à semetipso damnatus.* Sed & in omni penè epistola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreses taxat, quarum opera sunt adulteræ doctrinæ.

HÆRESIS. XI. SCHOL.

INCREPAT. *Paulus. 1.Cor.11.18.* Primùm quidem conuenientibus in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo. ET IN CONTINENTI. *Statim subjecit:* Nam oportet & hæreses esse. PROSPICIT. *Præscientiâ, & prænisione futurarum hæreseon, tanquam grauissimum malorum, dixit Paulus se fundamentum habuisse credendi, orta esse inter Corinthios schismata.* NON ESSE MIRANDVM. *Quasi de rebus vel ex se mirabilibus vel improuisis; vel timendum & expauescendum quasi à malis inenitabilibus; cum ideo eas Deus permittat, vt reprobis hæreticis, vel eis adhærentibus, tanquam paleâ ab area Christi, id est Ecclesia vento tentationis euellis, fideles & stabiles prius inter paleas latentes appareant; vel similes auro & argento igne probato puriores euadant: Aug. in Psal.54. in versum:* Contaminauerunt testamentum eius, diuisi sunt ab ira vultus eius. Hæreticis, inquit, exerta est,
S. Aug. *aperta & nota vt inter tenebras lux splendida.* Catholica; *veritas & Ecclesia*; & ex his qui malè sentiunt, probati sunt qui benè sentiunt. Multa enim latebant in Scripturis; & cum præcisi essent hæretici, quæstionibus agitauerunt Ecclesiam Dei. Aperta sunt quæ latebant, & intellecta est voluntas Dei. Inde dicitur in alio psalmo, congregatio taurorum inter vaccas populorum, vt excludantur hi qui probati sunt argento. Excludantur enim, dixit, emineant, eant, appareant. Vnde dicuntur & in arte argentaria exclusores, id est, ex quadam confusione massæ, suæ formæ expressores. Ergo multi qui optimè poterant Scripturas dignoscere & pertractare, latebant in populo Dei: nec asserebant solutionem quæstionum difficilium, cum calumniator nullus instaret. Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Arriani? Numquid perfectè de pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Nouatiani? Sic non perfectè de baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores: nec de ipsa vnitate Christi enucleatè dicta erant, quę dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa vrgere cœpit fratres infirmos, vt iam illi qui nouerant hæc tractare atque dissoluere, ne perirent infirmi sollicitati quæstionibus impiorum, sermonibus & disputationibus suis obscura legis in publicum deduxerunt, &c. vt excludantur hi, id est, appareant qui latebant, qui probati sunt argento. Quid est argento? Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, &c. hunc sensum obscurum videte quemadmodum in lucem excludat Apostolus, oportet enim & hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos. Quid est, probati? probati argento, probati eloquiò. Quid est, manifesti fiant? excludantur. Quare hoc? propter hæreticos. Quid est propter hæreticos? Propter congregationem taurorum inter vaccas populorum. TOTVM CAPITVLVM *scilicet. 1.Cor.11.* SAPIT. *Intelligens liquet, scriptum esse ad seruandam vnitatem fidelium, & omnia schismata & hæreses tollendas.* DIVERTI OBIVRGET. *Alij legunt,* deuerti obiurgans, *id est cum reprehensione inculcans, ab erroribus diuertendum esse, maximè ab hæresi, quæ grauior est schismate. Nam ex Aug.tom.7.l.2. contra Cresc.cap.7.* Dicitur schisma Aug. esse recens congregationis ex aliqua sententiarum diuersitate dissensio; hæresis autem, schisma inueteratum. *Vnde & peior hæresis est schismate. Omnem autem divisionem reprobat Paulus. Ait enim:* Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei, &c. EDOCENS. *Rom.12.16.* Idipsum inuicem sentientes. NEC DIVTIVS, *supple loquar.* SI IDEM EST. *Imò idem ipse.* INTER CARNALIA. *Gal.5.19.* Manifesta sunt autem

opera

opera carnis ; quę ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitię, contentiones, æmulationes, irę, rixę, diſſenſiones, ſectę. *Quem locum Auguſtinus ſic exponit lib. 14. de Ciuit. cap. 2. in f.* Inſpiciamus diligenter illum locum Epiſtolæ D. Pauli quem ſcripſit ad Galatas, vbi ait ; manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt adulteria, &c. Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, &c. in operibus carnis quæ manifeſta eſſe dixit, eaque commemorata damnauit, non illa tantum inuenimus, quæ ad voluptatem pertinent carnis, ſicuti ſunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, ebrietates, commeſſationes : verùm etiam illa, quibus animi vitia demonſtrantur à voluptate carnis aliena. Quis enim ſeruitutem quæ Idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſentiones, hæreſes, inuidias, non potius intellgat animi vitia eſſe, quam carnis ? quandoquidem fieri poteſt, vt propter Idololatriam, *ſicut Veſtales*, Vel hæreſis alicuius errorem, *ſicut Origeniſtæ & Marcionitæ*, à voluptatibus carnis temperetur : & tamen etiam tunc homo, quamuis carnis libidines continere, atque cohibere videatur, ſecundùm carnem viuere hac Apoſtolica authoritate conuincitur : & in eo quod abſtinet a voluptatibus carnis, damnabilia opera carnis agere demonſtratur, &c. Cur ergo hęc omnia & his ſimilia, Doctor Gentium in fide & veritate, opera carnis appellat, niſi quia eo locutionis modo, quo totum ſignificatur à parte, ipſum hominem vult nomine carnis intelligi? *quod & repetit cap. ſequenti, vbi & de Diabolo maximè inuido & animoſo :* Hæc omnia cùm habeat ſine carne, quomodo ſunt opera carnis ; niſi quia opera ſunt hominis, quem ſicut dixi, nomine carnis appellat ? *Ideo autem etiam vitia ſpiritalia tribuuntur carni, quia omnis defectus humanæ rationis aliquo modo originem trahit ex ſenſu carnali, ſi quidem nihil eſt in intellectu, quod prius aliquo modo non fuerit in ſenſu. Opera autem dicuntur carnis, quia ſunt peccata hominis carnalis, ſecundùm carnem ſapientis, & peccato corrupti*, RECVSANDVM, *deuitandum, Ad Tit. 3. 10.* Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus : ADVLTERÆ, *aliena a fide, mixtæ mendacio. Vlp. L. 1. §. ut quoque ff. de ſeruo corrupto.* Vt rationes dominicas intercideret, adulteraret. *Schiſmata & hæreſes ab vnitate diuellere, ſuprà dixit Author noſter. Et quidem, vt vnitatem fidei Eccleſiæ, ſectæ, id eſt hæreſes ſoluunt, diuidendo Chriſtum, hoc eſt diuiſim & ſeparatim de Chriſto aliter ſentiendo, quàm Eccleſia Catholica ; ſic ſchiſmata diuidunt & ſeparãt ab vnitate capitis vel à vinculo Charitatis corporis Eccleſiæ, membra ſchiſmatica ; & vtrumque crimen præ cæteris fugiendum. Aug. to. 4. lib. quæſt. Euang. ſecundùm Matth. q. 11.* Solet quæri, Schiſmatici quid ab hæreticis diſtent ; & hoc inueniri, quòd Schiſmaticos non fides diuerſa faciat, *ſicut facis hæreſis*, ſed communionis diſrupta ſocietas, &c. Videntur ſpicis corruptis eſſe ſimiliores, ſicut ſcriptum eſt : ventò autem corrumpetur filius iniquus ; vel paleis ariſtarum fractis, vel ſciſſis, & de ſegete abruptis. *Schiſmatis originem attigit Auguſtinus in Pſal. 25. vbi notat ex ſcandalo malorum Chriſtianorum, aliquos ab Eccleſia ſe ſeparare.* Quoniam ego in innocentia mea ambulaui, & in Domino ſperans non mouebor. Quid eſt in Domino ſperans ? ille titubat inter malos, qui non in Domino ſperat. Hinc factum eſt, vt Schiſmata fierent. Trepidauerunt inter malos, cùm ipſi peiores eſſent ; & quaſi nollent eſſe boni inter malos. O ſi frumenta eſſent, vſque ad tempus ventilationis paleam in area tolerarent ! Sed quia palea erant ; *mobiliores in fide, quàm a'ij in moribus*, flauit ventus ante ipſam ventilationem, & rapuit de area paleam, & proiecit in ſpinas : Et palea quidem inde proiecta eſt ; *id eſt ſchiſmaticos* : ſed numquid quod remanſit frumentum, ſolum eſt ? non volat ante ventilationem niſi palea : *Ante iudicium, vnde Ioannes in manu Chriſti Iudicis ponit ventilabrum : Et Chriſtus ipſe dicit, in Iudicio, Angelos collecturos de regno Dei, hoc eſt Eccleſia, omnia ſcandala, in ignem mittenda.* Ventilabitur verò palea, *id eſt mali Chriſtiani*, cùm venent tempus ventilationis. Hoc dixit iſte ; in innocentia mea ambulaui, & in Domino ſperans non mouebor : ſi enim ſperauero in homine, viſitus ſum fortaſſe ipſum hominem aliquando malè viuentem, nec eas vias tenentem, quas, vel didicit, vel docet in Eccleſia bonas, ſed quas Diabolo docente ſectatus eſt ; ſed quia ſpes mea in hoc erit, titubante homine, titubabit ſpes mea ; & cadente homine, cadet ſpes mea. Quia verò in Domino ſperans, non mouebor. *Quod autem tam hæretici quàm Schiſmatici ab vnitate Eccleſiæ, & ſpiritu vnitatis & Charitatis diuiſi ſint, proindeque reprobi ; doctè diſſerit Auguſtinus ſermone illo prælongo de Verbis Domini vndecimo circa f.* Intueamur quemadmodum eos ipſos increpans ait, neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis ? hoc vtique nullo modo diceret ab Eccleſia ſegregatis, qui dicti ſunt, *animales*, ſpiritum non habentes. Sed nec ille dicendus eſt eſſe in Eccleſia, & ad iſtam ſocietatem ſpiritus pertinere, qui cum quibus Chriſti corporali tantũ cõmixtione ficto corde miſcetur. Sanctus enim Spiritus diſciplinæ, effugiet fictum. Quapropter quicũque in ſchiſmaticis vel hæreticis cõgregationibus, vel potius ſegregationibus, baptizantur, quãuis non ſint renati Spiritu ; *Intelligo de adultis, qui ob peccatũ hæreſis & ſchiſmatis, gratia, fidei, Spiritus Sancti ſunt incapaces ; licet characterem Baptiſmi recipiant*, tanquam Iſmaëli ſimiles, qui ſecundùm carnem natus eſt Abrahæ, *Ita & illi quod carnale eſt baptiſmi, formam ſcilicet & materiam cum ipſo interno charactere recipiunt indelebili, & non repetendo*, Non ſecundùm Iſaac, qui ſecundùm ſpiritum ; quia per repromiſſionem : *Iterata enim promiſſio fuit ſpiritalis ſeminis, multiplicationis cœleſtium donorum, & in firmamento gloriæ lux ſtellarum ; ex quo, Draconum cauda, id eſt hæreſi, vel ſchiſmate tertia pars detracta :* tamen cùm ad Catholicam, *Eccleſiam conuerſi*, veniunt, & ſocietati Spiritus aggregantur, quem foris proculdubio non habebant, non eis repetitur lauacrum carnis. Non enim defuit etiam foris poſitis iſta forma pietatis : ſed accedit eis, quæ niſi intus non poteſt dari, vnitas ſpiritus in vinculo pacis. Tales quippe erant antequam Catholici eſſent, de qualibus dicit Apoſtolus, habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Poteſt enim eſſe viſibilis forma palmitis, etiam præter vitem : *à vite præciſi*, ſed inuiſibilis vita radicis haberi non poteſt niſi in vite. Proinde corporalia Sacramenta quæ portant & celebrant etiam ſegregati ab vnitate Corporis Chriſti, formam poſſunt exhibere pietatis ; Virtus verò pietatis inuiſibilis & ſpiritalis, ita in eis non poteſt eſſe, quemadmodum ſenſus non ſequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore. *Vt membrum ergo putridum & peſtilens præciſum à corpore, ſchiſmaticum & hæreticum fugiamus : & ne in ſchiſma, vel hæreſim labamur, toto animo cauеamus : Auguſtinum cum Apoſtolo audientes Ser. 28. de diuerſis :* Paulus Apoſtolus, ſeruus ipſius, *Chriſti, dicentis ; quis me conſtituit diui-*

S Aug.

S. Aug.

forem inter vos? quando dicebat 1. Cor. 1. 10. obsecro vos fratres, *per nomen Domini Iesu Christi*: vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: *sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*: nolebat esse diuisor. Denique monuit eos, qui
S.Aug. ad ipsius nomen currebant, & Christum diuidebant:

A Vnusquisque vestrum dicit; Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego Cephæ, Ego Christi. Diuisus est Christus? numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Videte ergo quàm mali sint homines, qui volunt esse diuisum, *eum scilicet*, qui nolut esse diuisor.

12. Hæreseon euersores, Irenæus, Iustinus, Miltiades, Proculus, commendantur. Cont. Valent. cap. 5 à p.

NEc vndique dicemur ipsi nobis finxisse materias, quas tot iam viri sanctitate & præstantia insignes, nec solum nostri antecessores, sed ipsorum hæresiarcharum contemporales, instructissimis voluminibus & prodiderunt & retuderunt: vt Iustinus Philosophus & Martyr, vt Miltiades Ecclesiarum sophista, vt Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator, vt Proculus noster, virginis senectæ, & Christianæ eloquentiæ dignitas: quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optauerim assequi.

HÆRESIS. XII. SCHOL.

NEc vndique *sicut faciunt hæretici, sectores errorum, vel confictores sectarum. Vel, non fingimus, aut affingimus hæreticis errores, cùm tot viri docti eos dudum refutauerint; sicut* IVSTINVS. *Intelligit librũ D. Iustini contra Sectas, & hæreses compositum, de quo Hier. in Catalogo Scriptorum Eccl.* MILTIADES SOPHISTA, *in bonam partem sumit, quod polleret disputando contra hæreticos. Hunc & Iustinum, sub Imperatore Commodo vixisse notat ibidem Hier.* IRENÆVS. *De quo sic Aug. to. 7. lib. 1. Cont. Iul.*
S.Aug. *Pelag. cap. 3. vbi citat veteres Patres.* Irenæus Lugdunensis Episcopus, non longè à temporibus Apostolorum fuit. Iste ait, non aliter saluari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundùm similitudinem carnis peccati in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia traxit ad se, & viuificauit mortuos, &c. Protoplasti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentia deuicta per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti. Videsne antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat? DOCTRINARVM. *Hæreticarum, maximè Valentini duobus primis libris, quos antè legit Tertullianus.* PROCVLVS NOSTER, *compatriota, vel Secta Montani, aliter dictus Proclus.* VIRGINIS SENECTÆ, *quòd vsque ad senium virgo manserit. Sunt qui legere malint:* Virginis Sectæ, *id est Ecclesiæ incorruptæ. Sed cum fuerit secta Montani per hæresim corrupta, virgo esse non potest. Sed plures Procli vel Proculi à Tertulliano numerantur. Vnus Catholicus, & vt puto Presbyter, de quo ad Scapulam cap. 4. vbi de Seuero Patre Antonini:* Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur Euhodeæ Procuratorem, qui eum per oleum aliquando curauerat, requisiuit: *Alter, de quo lib. de Præscriptionibus cap. 52. tertius, nisi idem sit, de quo hîc loquitur. Augustinum quoque meminit & veterum Patrum qui scripserunt contra hæreticos. Vt habet to. 6. in Epistola ad*

B *Quodvult Deum, cui inscripsit librum de Hæresibus:* Aug.
Philastrius quidam Brixiensis Episcopus, quem cum S. Ambrosio Mediolani etiam ipse vidi, scripsit hinc librum, *id est de hac materia, scilicet de hæresibus.* Nec illas hæreses prætermittens, quæ in populo Iudæo fuerunt ante Aduentum Domini, easque. 28. commemorauit, & post Domini Aduentum. 128. Scripsit hinc etiam Græcè Episcopus Cyprius, Epiphanius, in doctrina Catholicæ fidei laudabiliter diffamatus, sed ipse veriusque temporis hæreses colligens. 80. amplexus est, &c. Neque putandum est aliquas ignorasse Epiphanium, quas nouerat Philastrius: Cùm Epiphanium longè Philastrio doctiorem inuenerimus, &c. *Et libro eodem de Hæresibus, hæresi 57.*
C *sic eundem Epiphanium commendat:* Supradictus Epis- Aug.
copus Cyprius apud Græcos inter magnos habitus, & à multis in Catholicæ fidei sanitate laudatus, cuius ego in commemorandis hæreticis, non modum, sed ordinem sum secutus: *Et rursum Hæresi 83.* Cum Eusebij Historiam perscrutatus essem, cui Aug.
Ruffinus à se in Latinam linguam translatę, subsequentium etiam temporum duos libros addidit, non inueni aliquam hæresim, quam non legerim apud istos. *Tandem circa finem libri meminit Hieronymi:* Aug.
Audiui scripsisse de hæresibus S. Hieronymum, sed ipsum eius opusculum, nec in nostra Bibliotheca inuenire potuimus, nec vnde possit accipi, scimus, quod si tu scieris, perueni, & ego per te ad illud perueniam, & forsitan habebis melius aliquid, quàm hoc nostrum: quamuis nec ipsum, licet hominem doctissimum omnes hæreses arbitrer indagare potuisse. *Qua ideo ex Augustino retuli, vt videat lector, nec in hac parte, modestiæ Tertulliani cedere; tam in memorandis cum laude antecessoribus suis, quàm in professione sectandæ antiquorum fidei & Doctrinæ. Sic enim concluserat in textu Tertull.* quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optauerim assequi.

D

13. Hæreses Sadducæorum, Marcionitarum, Valentinianorum, Hermogenis, &c. ab Apostolis damnatæ, vel tunc existentes, vel prædictæ futuræ de præscr. cap. 33. & 34. per totum & 35. in p.

ADhibeo super hæc, ipsarum doctrinarum recognitionem, quæ tunc sub Apostolis fuerunt, ab iisdem Apostolis & demonstratæ & dejeratæ. Nam & sic facilius traducentur: dum aut jam tunc fuisse deprehendentur, aut ex illis quæ jam tunc fuerunt, semina sumpsisse.
1. Cor. 15. 12. seq. Paulus in prima ad Corinthios, notat negatores & dubitatores resurrectionis, hæc opinio propria Sadducæorum, partem eius vsurpat Marcion, & Apelles, & Valentinus, & si qui alij
Gal. 5. 1. & per tomm. resurrectionem carnis infringunt. Et ad Galatas scribens, inuehitur in obseruatores & defensores circumcisionis & legis: Hebionis hæresis est. Timotheum instruens, nuptiarum
1. Tim. 4. 3. quoque interdictores suggillat: ita instituunt Marcion & Apelles eius secutor. Æquè tangit

eos, qui dicerent factam iam resurrectionem: id de se Valentiniani adseuerant. Sed & cum genealogias indeterminatas nominat, Valentinus agnoscitur: apud quem Æon ille nescio qui noui & non vnius nominis, generat è sua Charite Sensum & Veritatem: & hi æquè procreant duos, Sermonem & Vitam: dehinc & isti generant Hominem & Ecclesiam, estque hęc prima ogdoas æonum, exinde decem alij, & duodecim reliqui æones miris nominibus oriuntur, in meram fabulam triginta æonum. Idem Apostolus, cum improbat elementis seruientes, aliquid Hermogenis ostendit, qui materiám non natam introducens, Deo non nato eam comparat, & ita matrem elementorum deam faciens, potest ei seruire quàm Deo comparat. Ioannes verò in Apocalipsi idolothyta edentes & stupra committentes iubetur castigare. Sunt & nunc alij Nicolaïtæ, Caïana hæresis dicitur. At in epistola eos maximè antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, & qui non putarent Iesum esse Filium Dei. Illud Marcion, hoc Hebion vindicauit. Simonianæ autem magiæ disciplina angelis seruiens, vtique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur. Hæc sunt, vt arbitror, genera doctrinarum adulterinarum, quæ sub Apostolis fuisse, ab ipsis Apostolis discimus: & tamen nullam inuenimus institutionem, inter tot diuersitates peruersitatum, quæ de Deo Creatore vniuersorum, controuersiam mouerit. Nemo alterum Deum ausus est suspicari. Facilius de Filio quàm de Patre hæsitabatur, donec Marcion præter Creatorem alium Deum solius bonitatis induceret: Apelles Creatorem angelum nescio quem glorioſum, superioris Dei, faceret Deum legis & Israëlis, illum igneum affirmans: Valentinus æonas suos spargeret, & vnius æonis vitium in originem deduceret Dei Creatoris. His solis, & his primis reuelata est veritas diuinitatis, majorem scilicet dignationem, & pleniorem gratiam à diabolo consecutis, qui Deum sic quoque voluerit æmulari, vt de doctrinis venenorum, quod Dominus negauit, ipse faceret, [a] *Discipulos super Magistrum.* Eligant igitur sibi tempora vniuersæ hæreses, quæ quando fuerint, dummodo intersit quæ quando, dum de veritate non sint, vtique quæ ab Apostolis nominatæ non fuerunt, sub Apostolis fuisse non possunt, si enim fuissent, nominarentur & ipsæ, vt & ipsæ coërcendæ: quæ verò sub Apostolis fuerunt, in sua nominatione damnantur. Siue ergo eædem nunc sunt aliquantò expolitiores, quæ sub Apostolis rudes, habent suam exinde damnationem: siue aliæ quidem fuerunt, aliæ autem postea obortæ, quiddam ex illis vsurpauerunt, habendo cum eis consortium prædicationis, habeant necesse est etiam consortium damnationis; præcedente illo fine supradicto posteritatis, quo etsi nihil de damnaticiis participarent, de ætate sola præjudicarentur: tantò magis adulteræ, quantò nec ab Apostolis nominatæ. Vnde firmius constat, has esse, quæ adhuc tunc nuntiabantur futuræ. His definitionibus prouocatæ à nobis & reiectæ hæreses omnes, siue quæ posteræ, siue quæ coætaneæ Apostolorum, dummodo diuersæ: siue generaliter, siue specialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ; audeant respondere & ipsæ aliquas eiusmodi præscriptiones aduersus nostram disciplinam.

2.Tim.2. 17.18. Tit.3.9.

Gal.4.3. & 9.

Apoc.2.20. 2.Io.1.7. Coloss.2. 18. Act.8.20.

Cap.xxxiv

[a] Luc.6. 40.

Cap.xxxv.

HÆRESIS. XIII. SCHOL.

A Dhibeo *iam à me dicta addo.* Doctrinarvm. *Dogmatum hæreticorum.* Recognitionem. *Aduertentiam, qua recognoscimus, Apostolos prætaxasse, & arguisse qua nunc docent, & post Apostolos docuerunt hæretici contra veritatem.* Eierate, *detestate.* Traducentvr, *palam vana & ridicula explodenda detegantur.* Iam tvnc, *Apostolorum tempore.* Semina, *ortum, originem.* Notat negatores: *arguit. 1.Cor.15.12. & seq.* Si Christus prędicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est? Partem eivs, *hæresis Saddæcæorum; neque enim omnes opiniones Saddæcæorum, sed hanc secuti sunt contra Resurrectionem pugnantem.* Infringvnt, *tota violentia impugnant.* Ad Galatas, *per totum, vt alibi vidimus.* Hebionis. *Aug.to.6. lib. de hæresibus, hæresi* 10. Hebionæi Christum tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia legis obseruant, Circumcisionem scilicet carnis, & cętera, à quorum oneribus per nouum Testamentum liberati sumus. Nvptiarvm Interdictores. *Seuerè arguit quasi vulnus infame faciei imprimens. 1.Tim.4.3. cùm dixisset nouissimè venturos hypocritas:* Prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus

Aug.

B

A creauit, &c. *de quibus Augustinus. lib.30. contrà Faustum cap.6.* Si ad virginitatem sic adhortaremini, quemadmodum hortatur Apostolica doctrina; qui dat nuptum, bene facit; & qui non dat nuptum, melius facit, vt bonum esse nuptias diceretis; sed meliorem virginitatem, sicut facit Ecclesia, quæ verè Christi est Ecclesia; non vos Spiritus Sanctus ita prænuntiare, dicens, prohibentes nubere; Ille enim prohibet, qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud melius anteponit. Denique vos eum præcipuè concubitum detestamini, qui solus honestus & coniugalis est; & quem matrimoniales quoque tabulæ præ se gerunt, liberorum procreandorum causà. Vnde verè non tam concūbere, quàm nubere prohibetis. Concumbitur enim etiam causa libidinum; nubitur autem non nisi filiorum. Ita institvvnt, *sic docent & profitentur Marcion, & post eum Apelles.* Æqve tamen, *sic etiam serpit Paulus. 2.Tim.2.17. & seq.* Semino eorum vt cancer serpit: ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate ceciderunt, dicentes Resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorumdam fidem: *De quo sic Aug. est. 121. serm. de diuersis cap.19.* Intendite fratres, rogamus vos, non est res parui-

S.Aug.

S.Aug.

pendenda, de fide nostra agitur, cui non tam à paganis cauendum est, quam à quibusdam peruersis, qui se Christianos dici, & videri volunt. Non enim deerant, etiam sub Apostolis, qui dicerent resurrectionem iam factam esse, & fidem quorumdam peruerterent; de quibus Apostolus; qui circa veritatem, inquit, errauerunt. DE SE. *Se iam scilicet resurrexisse.* GENEALOGIAS. *vide alibi dicta* AGNOSCITVR. *ab Apostolo Propheratus.* NESCIO QVI. *quis de Valentinianis proprio loco dicturi, nunc supersedemus. Dicit Æonem primum, noui, & multiplicis nominis, pro libito scilicet Valentini primi huius fabulæ authoris appellati.* PRIMA OGDOAS. *primus numerus octonarius constat.* IN MERAM FABVLAM. *Licet omnes hæretici fabulosi sint in multis, mera fabula est Valentiniana hæresis in fictione triginta Æonum, de quibus intelligendum est Augustinus. lib. de hæresibus*
S Aug. *circa finem, vbi definit in genere hæreticos:* Sunt hæretici, quod fatendum est, qui singulis, *iuxta numerum articulorum Symboli Apostolici:* vel non multò amplius dogmatibus, oppugnant regulam veritatis: sicut Macedoniani, vel Photiniani, atque alij quicumque ita se se habent. Illi autem, vt ita dixerim, fabulones, id est, qui fabulas vanas, easdemque longas perplexasque contexuerunt, tam multis falsis dogmatibus pleni sunt, vt ipsi quoque illa numerare non possint. *De Hermogene suo loco diximus. de Nicolaitis, Caianis, Simonianis, &c. dicemus infra Verbo. Hæretici.* 2. VINDICAVIT, *asseruit.* ANGELIS SERVIENS. *Insinuat locum Pauli ad Coloss.* 2. 18. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, *Translat. Syr.* Ne quis porrò velit cum humilitate mentis vos reos efficere, vt fiatis serui cultus Angelorum, dum innititur iis quæ non vidit, & frustra turgescit mente carnis suæ. *Locus difficilis. Prouoce*, Religione, *habetur in Græco,* θρησκία. *Voce derivata à Thracibus in Græcos, Apud Thraces enim Orpheus religionem deorum id est Angelorum, siue dæmonum, inuenit, & tradidit.*
S.Aug. *De quo loco sic Aug. ep.* 59. *ad Paulinum:* Vulgo dicitur qui diuitem affectat, thelodiues; & qui sapientem, thelosapiens; & cætera huiusmodi. Ergo & hic thelohumilis quod plenius dicitur thelon humilis, id est volens humilis, affectans humilitatem; quod intelligitur, volens videri humilis. Hoc enim in talibus obseruationibus agitur, vt cor hominis velut religione humile reddatur. Addidit autem & culturam Angelorum, vel sicut vestri codices habent, religionem Angelorum, quæ Græcè θρησκία, dicitur, Angelos volens intelligi, principatus, quos elementorum mundi huius præpositos, in his obseruationibus colendos esse arbitrantur. *Quos vt refelleret Paulus, paulò supra dixerat de Christo: Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*
S.Aug. Nemo ergo vos, inquit, conuincat, cum sitis corpus Christi, volens videri humiles corde in cultura Angelorum, quæ non vidit inculcans. Vel, sicut quidam codices habent, quæ vidit inculcans, &c. quia homines, ista suspicionibus & opinionibus agunt; non quod viderint ista esse facienda. Aut certè, quæ vidit inculcans. ideo magna existimans, quia vidit ea quibusdã locis obseruari alibi ab hominibus, quorũ authoritati haberet fidem, etiam ratione non reddita: & ideo sibi magnus videtur, quia ei contigit, quorumdam sacrorum videre secreta. Sed plenior sensus est, quæ non vidit, inculcans frustra, inflatus mente carnis suæ. Mirabiliter eum ibi dixit inflatum mente carnis suæ; vbi thelohumilem supra di-

A xerat, fit enim miris modis in anima hominis, vt de falsa humilitate magis infletur, quàm si apertius superbiret. Et non tenens inquit caput, quod vult Christum intelligi, &c. *Et aptè quidem ad vanum & impium dæmonum cultum, vel bonorum etiam Angelorum idololatriam condemnandam: vt Paulus supra dixerat Principatus & potestates dæmoniacas à Christo expoliatas; sic postea subiecti, Christum caput esse omnium, scilicet bonorum Angelorum quibus & ipsi seruiunt. Non igitur hic Paulus carpit Religionem Iudæorum legem acceptam ab Angelis adhuc colentium,*
B *quam satis aperte vbique Paulus reiicit, sed arguit Simonem Magum, Menandrum, Saturninum, Basilidem, Cerinthum, Sethianos, Caianos, colentes Angelos, quasi minores Deos, mundi & hominis opifices, per Prophetas locutos. Inter quos, Cerinthus Angelos Christo præponebat, & Deum Hebræorum daturem legis Moysi Angelum asserebat.*

Simon autem Magus, ex Epiphanio, docebat animas purgari per nomina certa principatuum & potestatum Cœlestium. Et quidem hunc errorem traxerat ex Platonicis, qui medios quosdam Deos ponebant, de quibus Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 18. vbi conuincit Apulei, aliorumque Platonicorum errorem; qui medios Angelos malos, eorumque cultus, Deum propitium fieri volebant. Aug.
Frustra eis *Angelis malis*, Apuleius, & quicumque ita sentiunt, hunc detulit honorem; sic eos in aere medios inter æthereum Cœlum, terramque constituens; vt, quoniam nullus Deus miscetur homini, quod Platonem dixisse perhibent, isti ad Deos perferant preces hominum, & inde ad homines impe-
C trata, quæ poscunt. Indignum enim putauerunt, qui ista crediderunt, miscери homines diis, & Deos hominibus, *colloquio, commercio, &c.* dignum autem, miscери dæmones & diis, & hominibus; hinc petita qui allegent, inde concessa qui apportent: vt videlicet homo castus, & ab artium Magicarum sceleribus alienus, eos patronos adhibeat, per quos illum dij exaudiant qui hæc amant: quæ ille non amando fit dignior, quem facilius & libentius exaudire debeant. Amant quippe illi scenicas turpitudines, quas non amat pudicitia: amant in maleficiis Magorum
D mille nocendi artes, quas non amat innocentia. Ergo & pudicitia, & innocentia, si quid à diis impetrare voluerit, non poterit suis meritis, nisi suis interuenientibus inimicis. Habemus contra ista, *supple figmenta Poetica*, magistrum eorum, & tantæ apud eos authoritatis Platonem. INSTITVTIONEM. *Hæresim.* ALTERVM DEVM. *Præter vnum Deum Creatorem.* DE FILIO. *cuius aliqui diuinitatem, alij humanitatem impugnarunt.* HÆSITABATVR. *dubitabatur, vel hæresis formabatur.* SOLIVS BONITATIS. *qui tantum bonus, & non iustus esset.* CREATOREM
E ANGELVM. *Apelles præter Deum maximum, fecisse alium Deum minorem superioris Dei, id est inferiorem supremo omnium Deo; quem quidem Creatorem Angelum, aut virtutem, aut Angelum vocat mundi visibilis conditorem. Hunc igneum dicit, & Deum qui dedit decalogum in igne in Sina, & in columna nubis & ignis, duxit Israëlem per desertum, Dixit autem,* Superioris Dei, *id est à Deo maximo conditum:* ÆONIS VITIVM. *Intelligit Eftroma. Hic Deus, erat abortus, sine forma & specie: vnde varia Æonum genera prouenerunt.* IN ORIGINEM DEDVCERET, *à Deo Creatore originem ducens, vel ex quo Deus Creator ducat originem.* HIS SOLIS, *Ironicè quasi verò à diabolo patre mendacij & fabularum inuentore, reuelata sit vera diuinitas: vt sic & Christo aduersaretur dicenti, non esse discipulum super Magistrum, dum plenius ipso Christo docuerint Pseudapostoli veritatem. Vel alio sensu:*

cum diabolus ſemper deitatem affectauerit, & plures Deos inuexerit, dum ait Eua: eritis ſicut dij, *cum ipſe ſit Magiſter hæreticorum, voluit Valentinianos Diſcipulos ſuos ſupra ſe eſſe, dum non iam duos, aut tres, ſed triginta deos ſuggeſſit in tot Æonibus.* DE DOCTRINIS VENENORVM. *Per Doctrinam hæreticam, vtique venenatam prima ſerpentis lingua. Auguſtinus de hæreſi Pelagiana:* ſine vlla dubitatione mihi claruit quàm eſſet Chriſtianæ ſaluti venenum illius peruerſitatis inimicum. ELIGANT. *Sicut hæreſis eſt electio pertinax prauæ & corruptæ ſententiæ, ſic, inquit, Tertullianus, eligant ſinguli hæretici, quo tempore orta fuerint & à quo hæreſiarcha conficta quandocumque fuerint, vel eſſe cœperint; parum nobis, vel nihil intereſt: multum autem & hoc ſolum intereſt, vt probemus, & agnoſcamus eas à veritate non eſſe exortas, à veritate enim mendacium non procedit certè quæcumque hæreſes ab Apoſtolis in ſuis Epiſtolis non fuerunt nominatæ, tempore Apoſtolorum non fuerunt, nam eas nominatim condemnaſſent; coæuas enim ſibi, nominando condemnauerunt.* EXINDE. *iam tum, ab Apoſtolis condemnata ſunt rudiores & crudiores, quæ nunc à recentioribus ſunt exultæ.* PRÆCEDENTE ILLO FINE, &c. *Si autem hæreſes ſunt poſteriores Apoſtolorum temporibus, eo ipſo fine, de quo ſupra diximus, quo poſteriores ſunt Apoſtolica veritate, à qua recedunt, ſola ſua ætate poſtera condemnatione dignæ iudicantur; quamquam nihil haberent commune cum hæreſibus damnatis ab Apoſtolis. Aduertet Tertullianum ſæpius, inculcaſſe, omnem hæreſim, vt à veritate exorbitantem, eſſe poſteriorem veritate.* TANTO MAGIS, &c. *Doctrina enim qualibet tanto eſt falſior & mendacior, quanto minus ab Apoſtolis nominata, & præſcripta eſt:*

Aug.

A *Cùm Spiritus ſanctus omnem veritatem tradendam Eccleſiæ, docuerit Apoſtolos.* Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, &c. docebit vos omnem veritatem. *Vel melius ad literam.* TANTO MAGIS, &c. *Cùm Apoſtolis prædixerint nouiſſimis temporibus futuros Pſeudoprophetas; & oportere hæreſes eſſe; nullas ſpecialiter nominando, tantò magis huiuſmodi Doctrinæ, ab Apoſtolica recedentes hæretica habenda ſunt, quantò minus ſpecialiter fuerunt nominatæ. Quod ſequentia indicant,* HAS ESSE. *Hæreticas doctrinas.* ADHVC TVNC, *tempore Apoſtolorum nondum exiſtentes, ſed futuras.* HIS DEFINITIONIBVS, *rationibus & formis diſputandi.* DVMMODO DIVERSÆ, *ſupple, ſint ab Apoſtolicis doctrinis.* EIVSMODI PRÆSCRIPTIONIS. *Vox iuris, qua definitur,* legitima definitio temporis ideo conſtituta, vt in omnibus negotiis opportunitas cum tranquilitate retineatur. *Sumitur & pro vſucapione; cùm domino vindicanti rem ſuam, poſſeſſio longi temporis obiicitur, tunc, ei præſcribi dicitur. Præſcribere item ſignificat excipere, ſine exceptionem opponere. l. qui agnitis; & l. penultima ff. de excep. l. penult. & l. fin. C. eadem. Sic Paulus Iureconſultus 3. Conſ. in legem penult. ff. eodem tit.* Si quis ſtatuam in municipio ea mente poſuit, vt ea municipij eſſet, & eam petere vult, excludi eum oportet præſcriptione in factum. *Præſcriptio igitur apud Tertullianum propriè eſt generalis Eccleſiæ defenſio, & exceptio, qua hæreticorum impetus retunditur, & eludit. Et quoties aliquis reus crimen ſibi obiectum in accuſatorem detorquet, totics in eum præſcribere dicitur, ſic contra hæreticos præſcribit; Catholicos non defeciſſe à fide Apoſtolorum, ſed hæreticos ab ea exorbitaſſe.*

B

C

14. *Hæreſis Praxeanæ Zizania. Cont. Prax. cap. 1. à m.*

FRuticauerant auenæ Praxeanæ; hîc quoque ſuperſeminatæ, dormientibus multis in ſimplicitate doctrinæ; traductæ dehinc per quem Deus voluit, etiam euulſæ videbantur. Matth. 13. 25.

25. Et ibidem in f.

AVenæ verò illæ vtique tunc ſemen excuſſerant. Ita aliquandiu per hypocriſin ſubdola viuacitate latitauit, & nunc denuo erupit. Sed & denuo eradicabitur, ſi voluerit Dominus, in iſto commeatu; ſi quominus, a *die ſuo colligentur omnes adulteræ fruges, & cum cæteris ſcandalis igni inextinguibili cremabuntur.* a Matth. 13. 25. & 30.

HÆRESIS. XIV. & XV. SCHOL.

FRVTICAVERANT, *pullulauerant.* AVENÆ PRAXEANÆ. *hæretica opiniones Praxeæ contra Trinitatis myſterium dogmatizantis, per Auenas intelligit Zizania, de quibus Matth. 13. 25.* Cum dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici. *Nec tamen extra rem hæreſes Auenæ comparauit. Nam ex Plin. lib. 18. nat. hiſt. cap. 17.* Primum omnium frumenti vitium Auena eſt, &c. Soli maximè cœlique humore hoc euenit vitium, &c. eſt & aliud ex vicino auenæ vitium, cum amplitudine inchoata granum, ſed nondum matura, priuſquam roboretur corpus, afflata noxio caſſum & inanè in ſpica euaneſcit, quodam abortiuo. *Sic frumentum fidei in Baptiſmo ſatum in mente Praxeæ, vel alterius hæretici, in auenam degenerat, ſoli, id eſt animæ defectibilis vitio, vel aeris, id eſt prauæ conuerſationis & colloquij humore, vel afflatu noxio diaboli in ſpicam auenæ euaneſcit, iumentorum pabulum, id eſt inſipientium. De Zizaniis Aug. to. 4. lib. quæſtionum Euangelicarum ſecundum Matthæum q. 11.* Poſſunt dici filij mali etiam hæretici, quia ex eodem Euangelij ſemine, & Chriſti nomine procreati, pra-

Aug.

D uis opinionibus ad falſa dogmata conuertuntur, &c. HIC QVOQVE *in Africa.* DORMIENTIBVS. *Matth. 13. 25.* Cum dormirent homines venit inimicus, &c. *ſecuri nimis in ſimplicitate fidei Prælati, qui vigilare debuerant.* TRADVCTÆ. *detectæ, & explodendæ productæ in medium.* PER QVEM, &c. *per Beatum Zephyrinum Papam. De quo ſic Optat. Mileuit. lib. 1. cont. Parmen.* Praxeas & cæteri temporibus ſuis à Zephyrino Vrbico, & Tertulliano Carthaginenſi vſque ad Cathaphrygas ſuperati ſunt. *Se per modeſtiam tacuit Tertullianus.*

E 15. SEMEN EXCVSSERANT, *quæ prius latebant ſub terra, foras per culmum & ſpicam prodierunt.* COMMEATV, *in hac vita, & via, donec mundus hic durat, & Deus finit nos viuere, & iter huius vitæ dat tranſigere. Latere hæreticos, donec deteganter, docuit Auguſtinus lib. quæſt. ſecundum Matth. q. 11. in f. & ſeq.* Cum diabolus aſperſis prauis erroribus, falſiſque opinionibus ſuperſeminaſſet, hoc eſt præcedente nomine Chriſti, *vt veritas ſemper prior eſt mendacio,* hæreſes ſuperiecciſſet, magis ipſe latuit, atque occultiſſimus factus eſt, &c. cum autem creuiſſet

S. Aug.

Digitized by Google

herba & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & Zizaña. Cum enim ſpiritalis homo eſſe cœperit, diiudicans omnia, tunc ei errores incipiunt apparere, &c. DIE SVO COLLIGENTVR. *Matth.* 13. 30. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm Zizania, & alligate ea in faſciculos ad cõburendum, triticum autem congregate in horreũ meum. *Aug. ibidem.* Cur non vnum faſcem, aut non vnum acervum Zizaniorum fieri dixit? niſi fortè propter varietatem hæreticorum, & non ſolum à tritico, verum etiam à ſeipſis diſcrepantium, ipſa vnius cuiuſque hæreſeos propria conuenticula, in quibus ſingillatim ſua communione deuincti ſunt, nomine faſciculorum deſignauit? Vt iam tunc, incipiant alligari ad comburendum, cum à Catholica communione ſegregati, ſuas proprias quaſi Eccleſias habere cœperint: vt combuſtio earum ſit in fine ſæculi, modo alligatio faſciculorum. Sed ſi ita eſſet, non iam multi reſipiſcendo, & in Catholicam remeando, ab errore deſciſcerent. Qua-propter & alligatio faſciculorum in fine futura eſt; vt non confusè, ſed pro modo peruerſitatis ſuæ vnius-cuiuſque erroris pertinacia, puniatur. *Interea dum iudicium veniat, dedocti hæretici à ſpiritalibus, non tollendi è medio, ſed tolerandi donec conuertantur, aut bonos exerceant, ſic ibid.* S. Aug. *Aug.* Cum igitur eſſe quiſque ſpiritalis cœperit, cognoſcit errores hæreticorum, & omnino diiudicat atque diſcernit quidquid audierit aut legerit abhorrere à regula veritatis, &c. poteſt ei ſuboriri voluntas, vt tales homines de rebus humanis auferat, ſi aliquam temporis habeat facultatem: ſed vtrum facere debeat, iuſtitiam Dei conſulit, &c. Hinc eſt quod ſerui dicunt, vis imus & colligimus ea? quibus veritas ipſa reſpondet: non ita hominem conſtitutum eſſe in hac vita, vt certus eſſe poſſit qualiſquisque futurus ſit poſtea, cuius in præſentia cernit errorem: vel quid etiam error eius conferat ad profectum bonorum: non eſſe tales auferendos de hac vita, ne cùm malos conatur interficere, bonos interficiat, quod fortè futuri ſunt: aut bonis obſit, quibus & inuiti fortè vtiles ſũt: ſed tunc opportunè fieri, cum iam in fine non reſtat vel tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occaſione atque comparatione alieni erroris. Tunc autem non ab hominib. ſed ab Angelis fieri. *& to. 9. lib. de* Aug. *Ouibus cap. 5.* Quid hic faciunt hirci in grege Dei? in iiſdem paſcuis, in iiſdem fontibus, & hirci tamen ſiniſtræ deſtinari dextris miſcentur, & prius tolerantur quàm ſeparabuntur: Et hic exercetur ouium patientia, ad ſimilitudinem patientiæ Dei. Separatio enim ab illo erit, aliorum ad ſiniſtram, aliorum ad dextram. Nunc autem ipſe tacet, tu vis loqui, &c. vnde ipſe tacet? à vindicta iudicij, non à verbo correptionis: *Vnde Paulus, poſt vnam & alteram correptionem, vitari vult hominem hæreticum, non tamen eradicari è vita.* Ipſe nondum ſeparat, tu vis ſeparare? ipſe mixta tolerat qui ſeminauit. *Supple bonum triticum factum poſtea Zizaniorum ſemen.* Si ante Ventilationem. *Iudicij Dei*, frumentum vis eſſe Aug. purgatum, tuo vento, *præſumptionis*, peſſimè ventilaberis, &c. graue videbatur eſſe, *Seruis*, Zizania inter frumentum, & verè graue erat. Sed alia eſt agri conditio, alia quies horrei, tolera, ad hoc enim natus es, tolera, quia fortè toleratus es. Si ſemper bonus fuiſti, habeto miſericordiam: ſi aliquando malus fuiſti, noli perdere memoriam. Et quis eſt ſemper bonus? facilius, ſi te Deus diligenter diſcutiat, inueniat te etiam nunc malum, quàm tu te ſemper bonum. Ergo toleranda ſunt Zizania hæc inter frumentum; hirci inter arietes, hœdi inter oues. Quid autem ille de frumento? in tempore, inquit, meſſis dicam meſſoribus, colligite primùm Zizania, & alligate in faſciculos ad comburẽdum ea, triticum autem meum recondite in horreo. Tranſiet ergo agri concretio, *in quo ſimul concreſcunt frumenta & Zizania*, veniet meſſis diſcretio. *Sic patientior Tertulliano, ſenſit Auguſtinus.*

HÆRETICI DIVERSI.

1. Hæreticus primus Adam, eligens voluntati ſuæ magis quàm diuinæ legi adhærere; quo pejores ſunt Marcionitæ. 2. Cont. Marc. cap. 2. in f.

QVis dubitabit, ipſum illud Adæ delictum, hæreſin pronuntiare, quod per electionem ſuæ potius, quàm diuinæ ſententiæ admiſit? Niſi quod Adam nunquam figulo ſuo dixit, Non prudenter definxiſti me: confeſſus eſt ſeductionem: non occultauit ſeductricem: rudis admodum hæreticus fuit: non obaudijt: non tamen blaſphemauit Creatorem, nec reprehendit auctorem, quem à primordio ſui, bonum & optimum inuenerat: & ipſe ſi fortè iudicem fecerat à primordio.

HÆRETICI DIVERSI. I. SCHOL.

QVIS DVBITABIT. *Cum ſæpius dixerit hæreſim dictam ab electione, ſicut libro de Præſcr. cap. 6* Hæreſes dictę Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas ea vtitur. *& cap. 37.* Quod de ſua electione ſectati hæreticorum nomine admittunt. *Et rurſum ibidem*, quam vnuſquiſque de ſuo arbitrio aduerſus Apoſtolos aut protulit, aut recepit. *Et primo contra Marc.* Hinc iam deſtinari poſſit hæreticus, qui deſerto quod prius fuerat, id poſtea elegerit, quod retro non erat; *haud dubium, Adam fuiſſe omnium primum hæreticum, qui maluit & prælegit ſua mendaci opinioni, quàm Dei veracis adhærere voluntati. Vnde Aug. lib. 1. de lib. arbitrio cap. 16.* Quid quiſque ſectandum & amplectendum eligat, in voluntate eſſe poſitum conſtitit. *& lib. 3. cap. 1.* Quid Aug. opus eſt quæri vnde iſte modus exiſtat quo voluntas auertitur ab incommutabili bono, ad commutabile bonum, cum eum non niſi animi & voluntarium, & ob hoc culpabilem eſſe fateamur. *Sic voluit & elegit ſuam diuinæ præferre voluntatem primus homo factus hæreticus. Sic & eodem ſenſu omnium hæreticorum princeps Diabolus eligens ſuæ adhærere voluntati potius quàm diuinæ. De quo Aug. lib. 12. de Ciuit. cap. 1.* Aug. Alij ſua poteſtate potius delectati velut bonum ſuum ſibi ipſi eſſent, ſuperiore communi omnium beatifico bono, ad propria defluxerunt: & habentes elationis faſtum pro excelſiſſima æternitate;

vanitatis aſtutiam, pro certiſſima veritate; ſtudia partium, pro individua charitate; ſuperbi fallaces, inuidi effecti ſunt. Beatitudinis igitur illorum cauſa eſt *bonorum Angelorum Michaëlis*, adhærere Deo. Quo circa iſtorum miſeriæ cauſa, *Angelorum draconis*, ex contrario eſt intelligenda, non adhærere Deo. *Sed ſua electioni hærere; vnde & primus hæreſiarcha ſicut & primus Idololatra, qui in veritate non ſteterit, & homini ſtanti inuidens, eum veneno hæreticæ infecit. Et lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 14. de mala electione, qua maluit ſua primus homo adhærere voluntati, quàm diuinæ.* Bonum incommutabile Deus eſt, homo autem, quantum ad eius naturam, in qua eum Deus condidit, pertinet, bonum eſt quidem, ſed non incommutabile vt Deus. Mutabile autem bonum, quod eſt poſt incommutabile bonum, melius bonum fit, cum bono incommutabili adhæſerit, amando atque ſeruiendo rationali & propria voluntate. Ideo quippe & hoc magni boni natura eſt, quia & hoc accepit, vt poſſet ſumi boni adhærere naturæ. Quod ſi noluerit, bono ſe priuat, & hoc ei malum eſt, vnde per iuſtitiam Dei etiam cruciatus conſequitur. Quid enim tam iniquum, quàm vt benè ſit deſertori boni? Neque vllo modo fieri poteſt vt ita ſit: ſed aliquando amiſſi ſuperioris boni non ſentitur malum, cum habetur quod amatum eſt inferius bonum. Sed diuina Iuſtitia eſt, vt qui voluntate amiſit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amauit, dum naturarum Creator vbique laudetur. Adhuc enim eſt bonum, quod dolet amiſſum bonum: nam niſi aliquod bonum remanſiſſet in natura, nullus boni amiſſi dolor eſſet in pœna. *Quanſa, in rem Tertulliani vna complexum ſit ſententiâ, penſitet lectorem, dum hic contra Marcionem Deum bonum ſimul & iuſtum à primordio notet; agit enim ibi de primo hominis lapſu: quàm bona ſint creaturæ indicat; ex libero præterea arbitrio malè eligenti, & Deo non adhærenti omnem ei miſeriam fluxiſſe inſinuat.* NISI QVOD ADAM, &c. *pungit Marcionem, quòd fuerit acutior, & ſuperbior hæreticis, qui opera Creatoris arguit, ipſumque Creatorem.* DEFINXISTI. *Rom. 9. 20.* Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit: quid me feciſti ſic? *Tranſlat. Syr.* Num dicet figmentum ei qui ipſum effinxit: cur me ita effinxiſti? SEDVCTIONEM. *Alibi, ex Paulo, & Auguſtino vidimus, Adam non fuiſſe ſeductum, ſed Euam; non ineptè tamen ait, Adam ſeductum; ſed non à ſerpente, ſed à muliere.*

Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 31. mulier quam dediſti mecum, mihi dedit à ligno, & edi. Numquid dixit peccaui? ſuperbia habet confuſionis deformitatem, & non habet confeſſionis humilitatem. Ad hoc iſta conſcripta ſunt, &c. vt aduertamus, quomodo ſuperbia laborent homines hodie, non niſi in Creatorem conantes referre ſiquid egerint mali, cùm ſibi velint tribui, ſi quid egerint boni. Mulier, inquit, quam dediſti mecum, id eſt, quam dediſti, vt eſſet mecum; hæc mihi dedit, &c. Quaſi ad hoc data ſit, vt non ipſa potius obediret viro, & ambo Deo. *Vbi Auguſtinus, contrà Tertull. Adamum docet hæreticum non tam rudem, ſed expolitum, in ſuperbia hæreſis propriæ; cuius initium eſt apoſtatare à Deo.* Et dixit Dominus Deus mulieri: quid hoc feciſti? & dixit mulier: ſerpens ſeduxit me, & manducaui. Nec iſta confitetur peccatum, ſed in alterum refert, impari ſexu, pari faſtu, &c. quaſi cuiuſquam ſuaſio, præcepto Dei debuerit anteponi. *Sed vterque in hæreſim lapſus; ille elegit ſua adhærere vxori ſeductæ; illa, ſerpenti ſeducenti:* NON OBAVDIIT, *non obedivit Deo.* BONVM ET OPTIMVM. *Pungit Marcionem, dicentem, Deum ſuum bonum & optimum, Creatorem autem malum quia & iudex eſt; ſed contrà, Tertull. ideo dicit Adam ſenſiſſe Deum Creatorem optimum, quòd nec ei iuſtitia bonitas defuerit.* SI FORTE IVDICEM. *Non quòd ipſe creationis iure iudex non ſit Deus ſuorum operum, cùm ex Hebræo, primus verſus Geneſis habeat ante creationem hominis:* In principio creauit Eloim, *id eſt iudices. Vnde dixit,* forte, *quòd ſua culpa ſit à primordio iudicem expertus, qui ex eodem Tertulliano:* De ſuo bonus, de noſtro iuſtus eſt. *Hinc vt iudex interrogat* Adam vbi es? *De quo ſic Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 34.* Increpantis vox eſt, non ignorantis, &c. ſicut præceptum viro datum eſt, per quem veniret ad fœminam; ita vir prior interrogatur. Præceptum enim à Domino per virum, vſque ad fœminam: peccatum autem à diabolo, per fœminam, vſque ad virum. *Qui prior & ſolus interrogatur quia caput eſt mulieris, & generis humani, in quo omnes ſpoliati & vulnerati ſumus. Deinde ſententiâ prolatâ in ſerpentem, virum, & mulierem, ſe iudicem probauit & vindicem. Aug. ibid. cap. 36.* quod ſerpenti dicitur, ad eum qui per ſerpentem operatus eſt, vtique refertur, &c. *Et cap. 37.* Maritum habere Dominum meruit, mulieris, non natura, ſed culpa.

S. Aug. S. Aug. S Aug. S Aug.

2. Hæreticorum ſpecialium mentio vſque ad tempora Tertulliani, Iudaiſmi, Sadducæorum, Phariſæorum, Doſitei & eorum qui ex Euangelio prodierunt, Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Baſilidis, Nicolai, Ophitarum, Cainæorum, Sethoitarum. &c. De Præſc. cap. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. V. Tomo primo, lib. de Præſcriptionibus quæ, ab prodixitatem, hic præterea.

HÆRETICI II. SCHOL.

CAP. 45. A CONLATIONE, *quia conferendum non eſſe, nec diſputandum cum hæreticis, probauit, de Scripturis; quod hæretici nullum ius in eis habeant.* DOSITHEVM. *Samaritanus iſte, differt ab altero, quem Theodoretus recenſet inter primos naſcentis Eccleſiæ hæreticos. Libro 1. fabularum hæret. Nam agit hic Tertull. de Iudaiſmi hæreſibus, hoc eſt, legis Iudaicæ. Hunc & Hiero. Epiph. & Damaſc. Samaritanum fuiſſe, ait, Philaſter autem Iudæum genericè nominat.* SADDVCAEOS. *Ex Philaſtrio, Sadducæi ſic dicti, à Sadoch homine Iudæo.* PHARISÆI. *Aug. Ser. 30. de Verbis Dom.* Phariſæi Iudæi erant, quaſi egregij Iudæorum. Nobiliores enim atque doctiores. *Et Ser. 15. de Verb. Apoſt.* Primarij quidam erant, & quaſi ad nobilitatem Iudaïcam ſegregati, non contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Phariſæi. Nam dicitur hoc verbum ſegregationem interpretari, quomodo in Latina lingua egregius, quaſi à grege ſeparatus. ADDITAMENTA. *Scilicet traditiones, præter legem, expiationes & baptiſmata calicum, de quibus Chriſtus Matth. 15. & Marc. 7.* Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? HERODIANOS. *Damaſcenus intelligit, credentes Chriſtum eſſe illum Herodem qui occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, Epiphanius eum ſub quo Chriſtus paſſus eſt; Aug. to. 4. libro qq. ex nouo Teſtamento q. 40. cum Philaſtrio conſentit dicente hos Herodianos dictos ab Herode Rege Iudæorum percuſſo ab Angelo, quem ve-*

S.Aug. *Christum receperunt. De quo ſic ſupra Aug.* Ipſe eſt qui & Iacobum occidit gladio fratrem Ioannis, qui poſtea percuſſus ab Angelo Dei ſcatens vermibus expirauit. *Epiph. hæreſi vigeſima dat occaſionem hæreſis:* quod imperium tranſlatum fuerat in externum hominem. Scriptura teſtante Gen. 49. non deficiet Sceptrum de Iuda & Dux de femore eius donec veniat qui mittendus eſt.

CAP. 46. EX EVANGELIO *ex quo Euangelium ſcriptum eſt, vel ex quo Chriſtus legem nouam ſtatuit.* SIMON MAGVS. *Ex Epiph. hæreſi 21. dicitur oriundus à ciuitate Gittharum in Samaria.* A DÆMONE, *ſe obſidente. Alij legant:* ad dæmonem ſecum errantem: *a Iudæis quærendam, & Deum adorandum. Hanc dæmonem intelligunt fuiſſe ſcortum ſiue meretricem, nomine Helenam. Videndus de eo Epiph. Irenæus, Theod. &c. Aug. de Simonianis ſic, libro de hæreſibus Hæreſi prima.*

S Aug. Simoniani à Simone Mago, qui baptizatus à Philippo Diacono ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, pecunia voluit emere à Sanctis Apoſtolis, vt etiam per impoſitionem manus eius, daretur Spiritus Sanctus. Hic Magicis fallacijs deceperat multos. Docebat autem deteſtandam turpitudinem indifferenter vtendi fœminis, nec Deum feciſſe mundum. Negabat etiam carnis reſurrectionem: & aſſerebat ſe eſſe Chriſtum, itemque Iouem ſe credi volebat, Mineruam verò meretricem quandam Selenem, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat: imagineſque, & ſuam & eiuſdem meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas, quas & Romæ, tanquam Deorum ſimulachra authoritate publica conſtituerat. In qua vrbe B. Apoſt. Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit. Dixerat ſe in monte Sina legem Moyſi in Patris perſona dediſſe Iudæis. Tempore Tyberij in ſibi perſona putatiuè apparuiſſe: poſtea ſe in linguis igneis Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos veniſſe. Chriſtum autem nec veniſſe, nec à Iudæis quidquam pertuliſſe. MENANDER. *Immediatè pòſt Auguſtinus eodem quoque ordine Menandrum recenſet Simonis diſcipulum. Sic*

S. Aug. *enim hæreſi ſecunda.* Menandriani à Menandro etiam ipſo Mago diſcipulo eius, qui mundum aſſerebat, non à Deo ſed ab Angelis factum. *De eius baptiſmo alibi diximus.* SATVRNINVS. *Vide Irenæum lib. 1. cap. 22. Et Epiph. lib. 1. cap. 23. Ad loci difficilis intelligentiam: Saturninus dicebat ſe eſſe virtutem quandam innaſcibilem, in mundo ſuperiore reſidentem, Angelos verò longè à ſe, & loco, & dignitate diſtantes, mundum hunc inferiorem produxiſſe. Et quoniam à ſe, Deo quodam cæleſti, Angeli viderant micaſſe quiddam fulgidum & radioſum, irritamentum quoddam ex zelo eius Angeli ſumpſerunt, vt ad ſimilitudinem huius luminis, quod à Saturnino erumpere viderant, facerent hominem; qui cùm inſtar vermiculi reptaret humi, nec poſſent illi lumen adijcere, Saturninus miſeratus hominem ad ſimilitudinem ſui factum, miſit in eum ſcintillam vitæ, qua erexit & viuificauit hominem, & eandem Saturninum, lumen illud, & virtutem ſuperiorem, propter meram ſuam miſericordiam, ſcintillam illam ſiue animam conſeruare voluiſſe, cætera autem hominis, id eſt carnem, in totum ſine ſpe reſurrectionis reliquiſſe perire. Hæc clarius expoſui, lecto Epiphanio, Irenæo, & Theodoreto.* SCINTILLAM SALVAM ESSE. *Supple, voluiſſe dicunt. Virtutem illam miſericordem & ſplendidam. Breuius de eo Auguſtinus hæreſi tertia:* Saturniani à quodam Saturnino, qui turpitudinem Simonianam, in Syria confirmaſſe perhibetur. Qui etiam mundum ſolos Angelos ſeptem præter inſcientiam Dei Patris feciſſe dicebat. BASILIDES, *& hunc ſubijcit Auguſtinus hæreſi quarta:*

A Baſilidiani à Baſilide, qui in hoc diſtabat à Simonianis, quòd trecentos ſexaginta quinque cœlos eſſe dicebat, quo numero dierum annus includitur. Vnde etiam quaſi Sanctum nomen commendabat, quod eſt ἅβραξας, cuius nominis literæ ſecundum Græcam ſupputationem eumdem numerum complent. Sunt enim ſeptem, α. & β. & ρ. & α. & ξ. & α. & ς. id eſt, vnum, & duo, & centum, & vnum, & ſexaginta, & vnum, & ducenta, quæ fiunt, in ſumma; trecenta ſexaginta quinque. Mundum iſtum, vel hominem non credunt à Domino factum, ſed à trecenteſimo ſexageſimo quinto cœlo. Amatoria carmina ſtudioſe diſcunt, à Iudæis non credunt Chriſtum crucifixum, ſed Simonem Cyre-

B nenſem, qui angariatus ſuſtulit crucem eius. *Hic ex Euſebio & B. Irenæo Alexandrinus, in Ægypto ſuam hæreſim ſparſit. Hiero. lib. 1. in Amos, notat apud Gentiles Mithram ſub aliarum literarum eundem numerum conficientium, voce adoratum. Et quidem aptius, cùm Sol in Mithra intelligatur, qui tot diebus proprio motu ſigna Zodiaci decurrit homini cæteriſque animalibus dans, conſeruanſque vitam.* PROBOLAS. *Primas phalangum partes, alij ſynonimam vocem editionis putant; ſicut vtitur Irenæus frequenter, & ipſe Tertull. contra Praxeam.* SORTITO. *Sorte contigit, vt dux eſſet populi Hebræi, ſeminis Abrahæ.* BELLA CONCVTERE, *excitare. Vnde Deus Sabbaoth d Ebr. Dominus exercituum.* NON AB HOC, *Deo Creatore mundi.*

C IN PHANTASMATE. *in imaginaria carne.* SIMONEM *Cyrenicum.* NE QVIS, *&c. Credens in Chriſtum, conuinceatur in illum Simonem credidiſſe.* SALVTEM CORPORIBVS, *vitam immortalem.* NICOLAVS. *Sunt qui Nicolaum excuſent, & tantum ab illo vocatos Nicolaitas, tot turpitudinum Authores damnant.* IN CONCVPISCENTIA *lumen turpiter concupiniſſe.* ÆONES. *Sic & Epiphanius; cum alij legant,* omnes, *ſed vt quid adderet poſt,* omnes, quoſdam turpitudinis natos? *maſculam in Nicolao libidinem notat Epiphanius. Hiero. in Ep. de Fabiano lapſo:* Iſte Nicolaus Diaconus ita immundus extitit, vt etiam in præſepe Domini nefas perpetrarit. *Philaſtrius autem libro de hæreſibus, ſic inter cætera, de hæreſi Nicolaitarum:* Dicunt

D autem, & dogmata ponentes iſta: antè erant ſolum tenebræ, & profundum ex aqua, atque terræ diuiſio facta in medio, & Spiritus ſeparauit hæc elementa. Tunc ergo tenebras intuentes in ſpiritum, genuerunt quatuor Æonas; & iſti quatuor, genuerunt alios quatuor Æonas. Hoc autem dextera atque ſiniſtra lux ſunt; &, quemdam etiam concubuiſſe cum illa muliere & virtute dicunt, de qua nati ſunt dij, & homines, & Angeli, & ſeptem Spiritus dæmoniorum. *Auguſtinus hæreſi quinta:* Nicolaitæ à Nicolao nominati ſunt, vno, vt perhibetur, ex illis Aug. ſeptem, quos Apoſtoli Diaconos ordinauerant. Iſte

E cùm de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, velut purgandi ſe cauſa, permiſiſſe fertur, vt ea, qui vellet, vteretur. Quod eius factum in Sectam turpiſſimam verſum eſt, qua placet vſus indifferens fœminarum. Hi nec ab ijs quæ idolis immolantur cibos ſuos ſeparant, & alios ritus Gentilium ſuperſtitionum non auerſantur. Narrant etiam quædam fabuloſa de mundo, neſcio quæ barbara principum nomina, *Philaſtrius, Barbelo, Noram, Ialdabaoth, Calaceum dixit.* Quibus terreant auditores; quæ prudentibus riſum potius faciunt, quàm timorem. Intelliguntur autem etiam iſti non Deo tribuere creaturam, ſed quibuſdam poteſtatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt. APOCALYPSIS DOMINI. *Sic enim primo verſu incipit Ioannes:* Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam

facere

facere seruis suis. Hoc TENES. *Apoc. 2. 6. Angelo Ephesi dictum est*: hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

CAP. 47. OPHITÆ. *Proximè, inquit, accesserunt Nicolaïtis, ex quibus fluxerunt errores eorum; sic autem vocantur, quòd serpentem colant, quem eductum, in suam mensam, & panem credebant Eucharistiam suam sanctificare. Aug. hæresi 17.* Ophitæ à colubro nominati Aug. sunt; coluber enim Græcè Ophis dicitur. Hunc autem colubrum qui decepit Adam & Euam, Christũ arbitrantur. Sed habent etiam verum colubrũ quem nutriunt, & venerantur. Qui & incantante Sacerdote egreditur de spelunca, & ascendit super altare innixum speluncæ, & oblationes eorum lambit, & inuoluens se circa eas regreditur ad speluncam: & ita confringunt oblationes in Eucharistiam, quasi à serpente Christo, vt illi putant sanctificatas. Tradunt huius serpentis cultum à Nicolaïtis, siue Gnosticis ad istos deductum. *Vide plura apud Epiph. hæresi 34. & Philastrium, quæ hîc ad longum referre piget.* IN SVBSTANTIA CARNIS, *veram carnem habuisse negant.* SALVTEM CARNIS, *resurrectionem.* CAINÆORVM, *sic dicti a* CAIN *fratricida, quem magni pendunt.* OPERATA SIT. *Vim dederit, impulerit ad occidendum fratrem. De hac hæresi consulendus Philastrius, & Epiphanius hæresi 38. de his Augustinus hæresi 18.*

Aug. Caïani propterea sic appellati, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortissimę esse virtutis: simul & Iudam traditorem diuinum aliquid putant esse, & scelus eius beneficium deputant: asserentes eum præscisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Iudæis propterea tradidisse: Illos etiam qui Schisma facientes in primo populo Dei terra dehiscente perierunt, Chore, Dathan, & Abiron; & odomitas colere perhibentur: blasphemant legem, & Deum legis authorem, carnisque resurrectionem negant. SETHOITARVM. *Sic dicti sunt à Seth, de quo sic Eua Gen. 4. 25.* Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens; posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. VT EVACVARENTVR, *scilicet gloria, in comparatione puri seminis, ex quo Seth genitus est* CATACLYSMVM, *diluuium* PERMIXTIONIS SEMIN *quo Angeli mixti sunt, hominibus id est progenies orta ex filijs Dei concupiscentibus filias hominum, vt habetur in Genesi.* SED ENIM ILLOS, *Angelos scilicet, qui Cain & Abel ex priore semine impuro ortos, docuerant, dicunt, furtim, & insciæ virtute illa magna, submisisse in arcam Noë aliquem filium Cain, ex corrupto illo semine genitum, vt semen malitiæ non periret.* IPSVM FVISSE *supple reputatum Christum. De Sethoitis vide Philastrium. Et Epiphanium hæresi 39. De his quoque Augustinus hæresi 19.* Sethiani nomen acceperunt à filio Aug. Adæ, qui vocatus est Seth: eum quippe honorant, sed fabulosa & hæretica vanitate. Dicunt enim eum de superna matre natum, quam perhibent conuenisse cum superno patre: Vnde diuinum semen aliud nasceretur, tanquam filiorum Dei. Hi quoque multa de Principatibus & potestatibus vanissima fabulantur: quidam eos dicunt Sem filium Noë Christum putare.

CAP. 48. CARPOCRATES. *De hoc Philastrius. Eusseb. lib. 4. cap. 7. Nicephorus lib. 4. hist. Eccl. cap. 2. hic sub Adriano Imperatore, & Xysto summo Pontifice emersit circa annum Christi 129.* PROLATOS, *productos* SOLAM ANIMAM. *Non autem corpus.* TENTATA *malim, cum alijs legere* Retenta *cum sensus congruus aliàs facile dari non possit. Neque enim sola anima salus tentata, & euersa est à diabolo; & à Deo mors vtraque intentata, cùm dixit*: quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini. *Quod Augustinus intelligit de morte animæ, Deo & gratia eius propter peccatum ab anima recedente; & ipsa anima à corpore discessura. Nisi fortè* tentata *dicatur, pro* probata, siue approbata. *Solita anima resurrectione & salute. Vt, sicut credidit Christi animam solam in cœlum assumptam, sic & animas solas in cœlum recipiendas. De hoc Augustinus libro de hæresibus hæresi 7.* Carpocratiani sunt à S. Aug. Carpocrate, qui docebat omnem turpem operationem, omnemque adinuentionem peccati: nec aliter euadi atque transiri principatus & potestates, quibus hæc placent, vt possit ad cœlum superius perueniri. Hic etiam Iesum hominem tantummodo, & de vtroque sexu natum putasse perhibetur, *hoc est Ioseph filium* sed accepisse talem animam quæ sciret ea quæ superna essent, atque nuntiaret. Resurrectionem corporis simul cum lege abjiciebat. Negabat mundum à Deo factum, sed nescio à quibus virtutibus. Sectæ ipsius fuisse traditur quædam Marcellina, quæ colebat imagines Iesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incensumque ponendo. CERINTHVS. *De eo Nicephorus lib. 3. c. 14. Philastrius. Eusseb. lib. 3. cap. 22.* AB ILLIS. *Angelis, de quo Augustinus supra hæresi 8.* Cerinthiani à Cerin- S. Aug. tho, ijdemque Merinthiani à Merintho. Mundum ab Angelis factum esse dicentes, & carne circumcidi oportere, atque alia huiusmodi legis præcepta seruari. Iesum hominem tantummodo fuisse, nec surrexisse, sed resurrecturum asseuerantes. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales ventris, & libidinis, voluptates, futuros fabulantur; vnde etiam Chiliastæ sunt appellati. HEBION. *Videndus Eusebius lib. 3. hist. cap. 21. vbi aduertit ex eo quod Hebionita solum Euangelium Hebraum recipiunt, benè eis hoc nomen conuenire, nam Hebion lingua Hebraïca pauperem & egentem significat; quo ipsorum mentis & intelligentiæ tenuitas propriè declaratur. Et Hiero. in primum caput Esa.* Iudaïci erroris hæredes Hebionitæ, qui pro humilitate *exilitate* sensus, nomen pauperum susceperunt; omnesque mille annorum delicias præstolantes, & equos, & quadrigas, & lectos, & cætera sic intelligit, *ad literam* vt scripta sunt. *Nec hos præterijt Augustinus hæresi 10.* Hebionei Christum etiam S. Aug. tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia legis obseruant, circumcisionem scilicet carnis & cætera, à quorum oneribus per nouum Testamentum liberati sumus. Huic hæresi Epiphanius Sanseos, & Elceseos ita copulat, vt sub eodem numero, tanquam vna sit hæresis, ponat: aliquid tamen interesse significans; quamuis & in consequentibus loquatur de illis, ponens eos sub numero suo. Eusebius verò Elcesaitarum sectam commemorans, fidem in persecutione dicit negandam docuisse, & in corde seruandam.

VALENTINVS, *Differo nunc, ne repetam, de Valentinianis dicere, & Æonibus fabulosis, proprio suo loco Verbo* Valentiniani. *Breuiter nunc quædam verba obscura explico.* CIRCVMDVCENS. *Velut in gyrum exponens irridendas.* PLEROMA, *sublimiorem cœli locum, à plena amplitudine sic dictum.* ÆONES, *sæcula. Hoc enim nomine Valentinus Deos suos nuncupabat.* SIZYGIAS. *Combinationes* BYTHON, *profundum.* EX HIS QVOQVE. *Homine scilicet, & Ecclesia.* TRIACONTADA, *numerum tricenarium.* OGDOADE, *numero octonario* DECADE, *denario.* DYODECADE, *duodenario.* BYTHON ILLVM. *Volunt Æon tricesimus* CAP. 49.

videre Rython. DICTO IAO. *Dicendo hanc vocem,* Iao. *quod sonat* pronuntiatio. *Cùm igitur hic tricesimus Æon in defectum incidit, factus est Achamoth.* DICIT, *supple Valentinus.* CONTRISTATA EST. *supple illa Achamoth Æon fœmina.* DE APORIATIONE, *inopia, defectu, desperatione.* PROPATOREM, *primo Patre.* IN SUBSTANTIA, *in vera carne humana.* HVIVS CARNIS, *nostræ propriæ, qualem nunc habemus.* SED ALTERIVS, *Cœlestis, vel Angelicæ.* PTOLOMÆVS. *De tribus sequentibus, vide Philastrium, & Epiphanium. De Ptolomæo quidem hæresi 33. de Secundo hæresi 32. de Heracleone hæresi 36. Aug. hæresi 13.*

S.Aug. Secundiani hoc à Valentinianis distare dicuntur, quod addunt opera turpitudinis. Ptolemæus quoque Discipulus Valentini, hæresim nouam condere B cupiens, quatuor Æonas, & alios quatuor asserere maluit. *Deinde paulò post hæresi 16. Heracleonitæ ab*

n S.Aug. *Heracleone Discipulo superiorum, duo asserunt principia, vnum ex altero, & ex his duobus alia plurima. Feruntur autem, suos morientes nouo modo quasi redimere, id est per oleum, Balsamum, & aquam, & inuocationes quas Hebraïs verbis dicunt super capita eorum.* Ex ILLA MONADE, *vnico principio quod pronuntiatione vocant sua efficientia Æonas tantummodo duos genuit.* TOTVM VALENTINVM, *id est etiam eius doctrinam.*

CAP. 50. MARCVS QVIDAM. *Vide Nicephorum lib. 4. citantem Irenæum. Philastrium, Eusebium lib. 4. Hist. Eccl. Augustinus hæresi 14.* Marcus etiam nescio quis, hæ-

S.Aug. resim condidit, Negans resurrectionem Carnis, & C Christum non verè sed putatiuè passum asseuerans. Duo quoque opinatus est ex aduerso sibi esse principia. Quiddam tale etiam ipse de Æonibus sicut Valentinus, affirmans. COLARBASVS. *Præter Epiphanium & Prateolum, & quæ hic habet Tertullianus, hæc Aug. hæresi 15.* Colarbasus secutus est istos, non multum aliter sentiens, vitam omnium hominum & generationem in septem syderibus consistere affirmans. IESVM CHRISTVM. *Id est coaluisse in vnum; vt qui Iesus erat, per columbam Christus & vnctus fieret.* PRONVNTIETVR. *Dicatur, vocetur sic apud Græcos.* HABERE, *conficere, iuxta significationem numerorũ quos singulæ literæ Alphabeti Græci significant, summatim numerũ 801.* PERCVRRVNT. *Imo retrocedendo decurrũt ab ω. ad α.* NON TANTVM IAM. *Non tantùmodo inutile, sed & pernitiosum propter hæresim. De hoc numero distinctè Pamelius, sic constat ex nomine Græco φιλοτέκνα, quod significat columbam, sic dictam, quòd circumobeundo amorem exerceat; sic inquam constat numerum 801. vt ω. apud Græcos pro 80. ϟ. pro quinque ϙ. pro centum. ϡ. pro decem σ. pro 200. τ. pro 300. υ pro quinque φ. pro centum. & α. pro vno sumatur. Vnde conficitur summa, octingenta, & vnum, & notatu dignum, quòd Christus dicendo se esse. α. & ω. eundem se numerum, hoc est plenitudinem donorum Spiritus sancti possidere insinuauit. Nam ω. octingentis æquiualet, α. autem vni.* COMPVTANT OGDOADAS. *Epiphanius ex Irenæo, notat Alphabetum Græcorum habere Monadas octo, id est vnitates; decadas octo, id est denarios, hecatoncadas octo, id est centenas octo. 888.* IN SVBSTANTIA: *in vera carne, de hoc columbæ numero alibi Aug.*

CAP. 51. CERDON. *Vide Eusebium lib. 4. & Nicephorum item lib. 4. hist. cap. 3. Sub Imperatore pio Antonino & Hygino Pontifice suum virus effudit.* INITIA DVO. *Duo principia.* RENVNTIAT *abnegat Creatorem.* SVPERIORIS DEI. *Boni scilicet. De eo Aug. hæresi 21.*

S.Aug. Cerdoniani à Cerdone nominati, qui duo principia sibi aduersantia dogmatizant: Deumque legis ac Prophetarum non esse Patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed iustum, Patrem verò Christi bonum: Christumque ipsum natum ex fœmina, nec habuisse carnem, nec verè mortuum, nec quidquam passum, A sed simulasse passionem. Quidam verò in duobus principiis suis, duos deos ita cum dixisse perhibent, vt vnus eorum esset bonus, alter autem malus: resurrectionem mortuorum negant, spernunt etiam Testamentum vetus. MARCION QVIDAM. *Contra hunc scripsit Irenæus Lugd. Episc. Iustinus Martyr, Theophilus Antiochenus Episcopus. De eo legendus Eusebius. lib. 4. hist. cap. 10. Niceph. lib. 4. cap. 3. 9. & 28. Et Philastrius. Augustinus noster, hæresi 22.* Marcion Aug. quoque à quo Marcionitæ, Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis: quamuis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia: bonum, iustum, prauum, sed Eusebius Synerum quemdam non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit Authorem. LVCANVS, *De eo rursum idem Tertull. lib. de resur. cap. 2. Philastrius item. Sunt qui eum vocent Lucianum a quo Lucianistæ dicti sunt. Alij duos faciunt diuersos cum Baronio: quidquid sit secundum Tertull. Eadem secutus est Marcionis dogmata Lucanus, qui sub Antonino Pio, & Pio quoque primo Pontifice dogmatizauit, per omnia secutus Marcionem, vt & Hilarius lib. 6. de Trinit. & Irenæus lib. 3. cap. 3. testantur.* APELLES. *Vide Niceph. lib. 4. hist. cap. 28. Euseb. lib. 5. cap. 13. & Philastrium.* IN CARNEM *suam. Vel mollitie peccato, vel aptius fornicatione, de qua Paulus:* qui fornicatur, in proprium corpus peccat. *Lapsus est autem amore cuiusdam Philumenæ captus.* SEGREGATVS. *An Marcione eum à se tanquàm indignum repellente, qui & ipse vt supra dixit Tertullianus,* propter stuprum cuiusdam virginis ab Ecclesiæ communicatione abiectus est? *An vt aliquid etiam figmenti supra Marcionem adderet? Certè. Subiicit enim Apellem finxisse Deum mundo supremo, & infinito spatiis imaginarium à se facto præsidentem, in quo multos Angelos fecit, præter quos aliam virtutem excellentem condidit, quam licet Dominum vocet, Angelum tamen significare voluit.* HOC VVLT, &c. *ab hoc Domino siue Angelo supremo vult Apelles hunc mundum inferiorem conditum, ad exemplar illius superioris. Cui quidem mundo inferiori immiscuit pœnitentiam, eò quod longè imperfectior esset mundo superiore. Sine quod ille doleret ex zelo, quod non potuerit attingere perfectionem Dei opificis superioris mundi; sine quòd homines mundi inferioris ad pœnitentiam & dolorem, inuidiamque mouerit, quòd imperfectiores essent Angelis, superioris mundi incolis.* SIC DISPERSIS, *restitutis singillatim partibus sydereis quas mutuò sumpserat, descendens ad terras, sicut & fecit singulis elementis.* SED MARCIONIS, *scil. more, mutilato, & consarcinato.* SOLARVM. *Non autem etiam corporum.* LECTIONES. *Codices reuelationum de Apelle Augustinus hæresi 23.* Aug. Apellitæ sunt quorum Apelles est princeps, qui duos quidem introducit Deos; vnum bonum, alterum malum, non tamen in duobus diuersis, atque inter se aduersis esse principiis, sed vnum esse principium: Deum scilicet bonum, & ab illo factum alterum: qui cùm malignus esset, inuentus est in sua mundum malignitate fecisse. Apellem dicunt quidam etiam de Christo tam falsa sensisse, vt diceret eum, non quidem carnem duxisse de Cœlo, sed ex elementis mundi accepisse, quam mundo reddidit, cùm, sine carne resurgens, in Cœlum ascendit. *Subiicit Augustinus Severum, & post hanc interruptionem, redit ad Apellem: Neque enim apud vllum legi Severo tributam esse Philumenem.* Hic præterea Philumenam puellam dicebat inspiratam diuinitùs ad prænuntianda Aug. futura: ad quam somnia atque æstus sui animi referens, diuinationibus, seu præsagiis eius secretim erat solitus præmoueri, eodem phantasmate, eidem Phi-

Digitized by Google

lumenæ pueri habitu ſe demonſtrante, qui puer apparens, Chriſtum ſe aliquando, aliquando eſſe aſſereret Paulum, à quo phantaſmate ſciſcitans, ea ſoleret reſpondere, quæ ſe audientibus diceret. Nonnulla quoque illam miracula operari ſolitam, inter quæ illud præcipuum, quod in anguſtiſſimi oris ampullam vitream, panem grandem immitteret, eumque extremis digitulis leuare ſoleret illæſum, eoque ſolo quaſi diuinitus ſibi cibo dato fuiſſet contenta.

CAP. 52. TATIANVS. *Hic vixit circa Annum Domini.* 173. *Antonini Philoſophi Imperatoris, & Soteri Pontificis temporibus. Hic, quamdiu vixit, Iuſtinus Philoſophus Martyr errorem ſuum non aperuit. De hoc ſcripſit Hiero. 2. in Amos. Epiphanius, & Philaſtrius.* SAPIT, *ſequitur Valentinum. Niſi quod addidit hæreſibus Valentini, Adamum non potuiſſe ſaluari: Cui obycit Tertullianus; cùm homines cæteri, magnæ illius arboris, ſcilicet humani generis rami, per Chriſtum ſalui fiant, poſſe & radicem eius, Adamum quoque ſaluari. De hoc*
Aug. *Auguſtinus hæreſi.* 26. Tatiani à Tatio quodam inſtituti, qui & Encratitæ appellati ſunt, nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus, abiſque corruptionibus faciunt: nec recipiunt in fiorum numerum, coniugio vtentem, ſiue marem, ſiue fœminam: non veſcuntur carnibus, eaſque omnes abominantur: prolationes. *Tertullianus alibi vocat probolas*, quaſdam fabuloſas ſæculorum etiam ipſi ſapiunt: Saluti primi hominis contradicunt. Epiphanius Tatianos & Encratitas ita diſcernit, vt Encratitas Tatiani ſchismaticos dicant. SECVNDVM PHRYGAS. *Græcè habetur.* κατὰ φρυγὰς, *quod iuxta Euſeb. lib. 5. cap. 14. in Phrygia & in Aſia viſi ſint: Vide Nicephorum lib. 4. cap. 22. Philaſtrium item & Euſebium. Cætera clara ſunt. De his Auguſtinus hæreſi 26.*
Aug. Cataphriges ſunt, quorum Authores fuerunt, Montanus tanquam Paracletus, & duæ Prophetiſſæ ipſius, Priſca & Maximilla. His nomen prouincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibique vixerunt, & etiam nunc in eiſdem partibus populos habent: Et ideo dicunt eos permiſiſſe Apoſtolum Paulum, quia ex parte ſciebat, & ex parte prophetabat; nondum enim venerat quod perfectũ eſt. Hoc autem perfectum in Montanum, & eius Prophetiſſas venire delirant. Sacramenta perhibentur funeſta habere. Nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur, miſcentes eum farinæ, panemque inde facientes: qui puer ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro Martyre: ſi autem vixerit, pro Magno Sacerdote.

CAP. 53. BLASTVS. *Videndus Euſebius lib. 5. cap. 14. Nicepb. lib. 4. cap. 30. hic ad Iudaiſmum, Chriſti legem nouam redigere volebat, & Iudæorum more Paſcha præcisè celebrari Luna decima-quarta; cùm ex decreto Victoris Papæ celebrandum eſſet die Dominica proximè ſequenti; quod ſi dies Dominica incideret in Lunam 14. Martij, tranſferendam erat Paſcha in ſequentem Dominicam*
Aug. *proximam. De hoc Auguſtinus hæreſi 29.* Teſſareſcædecatitæ, hinc appellati ſunt, quod non niſi quartadecima Luna, menſe Martio, Paſcha celebrant, cuilibet ſeptem dierum occurrat dies; & ſi dies Dominicus occurrerit, ipſo die ieiunant & vigilant. THEODOTVS. *Fuit Nicephor. lib. 4. cap. 21. de hoc canario profeſſione, & genere Biſuntino, tractat & Philaſtrius.* NEGAVIT *fidem Chriſti, pro qua fuerat comprehenſus.* IVSTITIÆ, *ſanctitatis. Nec hunc oblitus eſt Auguſtinus hæreſi 33.* Theodotiani à Theodo-
Aug. tione quodam inſtituti, hominem tantummodo Chriſtum àſſeuerant. Quod dicitur idem Theodo-

A tion, *idem planè qui Theodotus ab aliis dicitur*, propterea decuiſſe, quia in perſecutione lapſus, iſto modo ſe caſus ſui deuitare putabat opprobrium, ſi non Deum negaſſe, ſed hominem videretur. ALIVS THEODOTVS. *Et hic ſupra alium Theodotum addit Chriſtum inferiorem eſſe Melchiſedech; quòd à Pſalte dicatur Chriſtus eſſe Sacerdos ſecundum ordinem eius.* COELESTEM VIRTVTEM. *Angelum quemdam excellentem Angelorum mediatorem.* APATOR, ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. Vt habet Paulus Heb. 7. 3. *Non autem talis fuit abſolutè ſed quia genealogiam eius Scriptura tacuit. Non*
B *vt Iudæi volunt honeſtatis cauſa, quod ex fornicatione genitus eſſet; Sed quod Scriptura, non Gentilium, ſed Iudæorum ſtirpem narrandam ſuſceperit. Sicut & tacet genealogiam Iob. Vel etiam quia reſpectu Sacerdotij, ſine Patre ſupple Sacerdote erat; hoc eſt non hereditario iure Sacerdotium poſſidebat. Tertiò ex Chryſoſt. Theoph. Naz. & Ambr. figura Chriſti erat; qui ex Auguſtino.* Ex S. Aug.
Patre ſine Matre Deus: Ex Matre ſine Patre homo. *Fuit ergo hic Theodotus Author Melchiſedecianorum, de quibus Aug. hæreſi 34.* Melchiſedeciani, Melchiſe- S. Aug.
dech Sacerdotem Dei excelſi, non hominem fuiſſe, ſed virtutem Dei eſſe arbitrantur. *De eo ſic* S. Aug.
idem Aug. to. 4. quæſt. 72. in Gen. Cuius tanta fuit excellentia, vt à nonnullis dubitetur, vtrum homo an
C Angelus fuerit. PRAXEAS QVIDAM. *Ex Philaſtrio Aſiaticus genere; qui ſub Galieno Cæſare, & Stephano I. Pontifice apparuit circa annum Chriſti 260. Cuius, inquit Tertullianus, quidam Victorinus errorem confirmare ſtuduit; contra quem Tertullianus ſcripſit de Trinitate: in qua Praxeas plures negabat perſonas; eò quòd Monarchia in plures diſperſa, authoritate minuatur.*
PRAXEANOS *Auguſtinus cum Sabellianis & Hermogenianis ponit Praxeanos. Hæreſi 41.* Praxejanos à S. Aug.
Praxea quidam vocant, & Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt, qui Praxeas & Hermogenes eadem ſentientes in Africa fuiſſe dicuntur, nec tamen iſtæ plures ſectæ ſunt, ſed vnius ſectæ plura nomina ex his hominibus qui in ea maximè innotuerunt; ſicut Donatiſtæ ijdem Parmenianiſtæ, ſicut
D Pelagiani ijdem Celeſtiani. Vnde ergo ſit factum, vt Noëtianos & Sabellianos, non vnius hæreſis duo nomina, ſed tanquam duas hæreſes ſupradictus Epiſcopus *Epiphanius*, poneret, liquidò inuenire non potui; quia ſi quid inter ſe differunt tam obſcurè dixit, ſtudio forſitan breuitatis, vt non intelligam, &c. Philaſter autem Brixianus Epiſcopus in prolixiſſimo libro quem de hæreſibus condidit, & 128. hæreſes arbitratus eſt computandas, Sabellianos continuò poſt Noëtianos ponens, Sabellius, inquit, diſcipulus eius, qui ſimilitudinem ſui Doctoris itidem ſecutus eſt, vnde & Sabelliani poſtea
E ſunt appellati, qui & Patripaſſiani, *à Patre Paſſo ſcilicet*, & Praxejani à Praxea, & Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa, qui & ita ſentientes abjecti ſunt ab Eccleſia Catholica. Certè iſte eoſdem poſtea Sabellianos dixit appellatos, qui ea quæ Noëtus, ſentiebant. Et alia nomina eiuſdem ſectæ commemorauit, & tamen Noëtianos & Sabellianos ſub duobus numeris tanquam duas hæreſes poſuit, qua cauſa, ipſe viderit. *De Patripaſſianis rurſum Aug. tract. 36. in Io. 8. in verba.* Verum eſt S. Aug.
iudicium meum, quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater, &c. quod dicitur miſſus veniſſe ad nos, incarnatio ipſius commendatur, quia Pater non eſt incarnatus; nam Sabelliani dicti ſunt quidam hæretici, qui vocantur, & Patripaſſiani, qui dicunt

ipſum Patrem paſſum fuiſſe. Noli tu Catholice; ſi enim fueris Patripaſſianus, non eris ſanus. Ergo intellige miſſionem Filij nominatam incarnationem Filij: Patrem autem incarnatum eſſe non credas, ſed & à Filio incarnato Patrem receſſiſſe non credas. Ille carnem portabat, ille autem cum Filio erat. *Et quomodo aut, ſi cum filio erat, cum filio non eſt incarnatus & paſſus? quia actio & paſſio ſunt ſuppoſitorum, vnio autem directè facta eſt, & terminata ad perſonam Verbi*

A *ſolam, vnde & ſola incarnata eſt, & in carne paſſa.* Aug. Si in cœlo Pater, in terra Filius, quomodo Pater cum Filio erat? quia & Pater & Filius vbique erant, &c. vbique ergo eſt qui nullo clauditur loco: noli ab illo auerti, & tecum eſt. Si vis ad eum peruenire, noli piger eſſe amare: non enim pedibus, ſed affectibus curris. Vno loco manens venis, ſi credis & diligis.

HÆRETICORVM ELOGIA.

1. Hæretici tortuoſi ſerpentes, & filij diaboli, ambages quærunt. De Car. Chri. cap. 20. in p.

Qvalis eſt autem tortuoſitas veſtra, vt ipſam *Ex* ſyllabam præpoſitionis officio adſcriptam, auferre quæratis, & alia magis vti, quæ in hac ſpecie non inuenitur penes ſcripturas ſanctas? Per virginem dicitis natum, non ex virgine.

Matth. 1. 16
Rom. 1. 3.

HÆRETICORVM ELOGIA. I. SCHOL.

TORTVOSITAS VESTRA. *Pungit Valentinianos, alioſque negantes veram Chriſti carnem ſumptam ex Virgine, quem tamen diſertè & expreſsè Paulus ait factum ex muliere. Et Rom. 1. 3.* Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. *Et Matth. 1. 16.* De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. *Illi autem pro præpoſitione*, ex; *quæ ſonat, non tranſitum per carnem, ſed ſumptam ex Maria carne Chriſti carnem, ſupponebant aliam, ſerpentina & tortuoſa malitia, vt dicerent*, per, *pro*, ex; *vt tanquam per fiſtulam tranſiſſe Chriſtum per Mariam dogmatizarent. Vnde Tertullianus lib. de Præſcr. c. 49.* Chriſtum quaſi aquam per fiſtulam, ſic per Mariam Virginem tranſmeaſſe, *dixiſſe ait Valentinus, & contra Valent. cap. 27. notat eos dixiſſe Chriſtum*, non Matrem eam, *beatiſſimam Virginem*, ſed viam paſſum. *Ambr. lib. de Incar. cap. 6.* Virtus venit in Virginem, ſed natum eſt corpus ex Virgine; & ideo cœleſtis quidem deſcenſio, ſed humana conceptio eſt. *Tortuoſitatem hæreticam urget*

B *idem Ambr. in Epiſt. ad Siricium Papam.* Deuia peruerſitatis produntur dicere; Virgo concepit, ſed non Virgo generauit, &c. *Sic peruersè demant, ſic obliquè & tortuosè gradiuntur, ſic inſtar aſpidis, obſurdeſcunt veritati, ad fabulas conuerſi, dicente Pſalmiſta* 57. Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter. Deus conteret dentes eorum
C in ore ipſorum, molas leonum confringet Dominus. *In quem locum Auguſtinus*: Habemus & in hæ- Aug.
reticis hoc documentum, & experimentum, quia & ipſos inuenimus eſſe ſerpentes indignatione obſurdatos, nolentes audire medicamentum medicatum à ſapiente: & in ore ipſorum contriuit Dominus dentes eorum, &c. Vbi non poſſunt lubricâ fallaciâ ſerpere vt aſpides, apertâ violentiâ fremunt vt leones.

2. Hæretici ab Ezechiele notati: Contra quos Scriptura vnitatem Dei & Chriſti, & veritatem carnis eius tuetur. De Car. Chri. cap. 23. in f. & 24. per totum.

LEgimus quidem apud Ezechielem de vacca illa, quæ peperit, & non peperit. Sed videte, ne vos iam tunc prouidens Spiritus ſanctus notarit hac voce, diſceptaturos ſuper vterum Mariæ. Ceterùm, non, contra illam ſuam ſimplicitatem, pronuntiaſſet dubitatiuè,
CAP. XXIV. Eſaïa dicente, a *Concipiet, & pariet.* Quod enim Eſaïas iaculatur in ſuggillatione hæreticorum ipſorum, & in primis, b *Væ qui faciunt dulce amarum, & tenebras lucem*: iſtos ſcilicet notat,
a Eſa. 7. 14.
b Eſa. 5. 20.
qui nec vocabula iſta in luce proprietatum ſuarum conſeruant; vt anima non alia ſit, quàm quæ vocatur; & caro non alia quàm quæ videtur; & Deus non alius, quàm qui prædicatur.
c Eſa. 45. 5. Ideo etiam Marcionem proſpiciens, c *Ego ſum*, inquit, *Deus; & alius abſque me non eſt.* Et
d Eſa. 46. 9. cùm in alio idipſum eodem modo dicit: d *Ante me Deus non fuit*, neſcio quas illas Valentinianorum Æonum genealogias pulſat. e *Et, non ex ſanguine, neque ex carnis & viri voluntate,*
e Io. 1. 13.
f Gal. 1. 8. *ſed ex Deo natus eſt*, Hebioni reſpondit. Æquè, f *Etiamſi angelus de cœlo aliter euangelizauerit vobis quàm nos, anathema ſit*; ad energema Apelleiacæ virginis Philumenes filum dirigit:
g 1. Io. 4. 3. certè, g *qui negat Chriſtum in carne veniſſe, hic Antichriſtus eſt*: Nudam, & abſolutam, & ſimplici nomine naturæ ſuæ pronuntians carnem, omnes diſceptatores eius ferit. Sicut & definiens ipſum quoque Chriſtum vnum, multiformis Chriſti argumentatores quatit, qui alium faciunt Chriſtum, alium Ieſum; alium elapſum de mediis turbis, alium detentum; alium in
Matth. 17. 1 & ſeq. ſeceſſu montis, in ambitu nubis, ſub tribus arbitris clarum; alium ceteris paſſiuum, ignobilem; alium magnanimum, alium verò trepidantem; nouiſſimè, alium paſſum, alium reſuſ-
Luc. 9. 28. Act. 1. 11. citatum: per quod ſuam quoque in alia carne reſurrectionem adſeuerant. Sed benè, quod idem veniet de cœlis, qui eſt paſſus, idem omnibus apparebit, qui eſt reſuſcitatus. h *Et vide-*
h Zac. 12. 10 Io. 19. 37. *bunt, & agnoſcent, qui eum confixerunt*: vtique ipſam carnem, in quam ſæuierunt; ſine qua, nec ipſe eſſe poterit, nec agnoſci: vt & illi erubeſcant, qui adfirmant carnem in cœlis vacuam

ſenſu, vt vaginam exempto Chriſto, ſedere: aut qui carnem & animam tantundem, aut tatummodo animam, carnem verò non iam.

HÆRETICORVM ELOGIA. II. SCHOL.

APVD EZECH. *Vide dicta Verbo Maria. 10. inf.* NOTARIT HAC VOCE. *An dicendo*, peperit, & non peperit? *Vt Academicos nihil certi affirmantes, & de omnibus rebus dubitantes, argueret? An potius voce vaccæ, eos carpere voluit? Nam ex Aug. in*
Aug. *Pſal. 64. referente locum Pſalmiſta, ex Pſal. 67.* Congregatio taurorum inter vaccas populorum: Taurorum id eſt ſuperborum cornupetarum, &c. quas dixit vaccas? animas ſeductibiles. *Sed & ego, & ſeductos, & ſeducentes, & tauros, & vaccas, ſiue vitulos, dico hæreticos.* ESAIAS IACVLATVR. *ſcilicet cap. 5.* 20. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. *A quo maledicto cauendum nobis eſſe monuit Auguſ-*
Aug. *tinus, in Enchir. ad Laur. c. 13.* Cauendum eſt ne incidamus in illam ſententiam prophetícam, vbi legitur, væ ijs qui dicunt quod bonum eſt, malum; &
Aug. quod malum eſt, bonum. *Et cap. 19.* In quibuſdam rebus magno, in quibuſdam paruo, in quibuſdam nullo malo, in quibuſdam etiam nonnullo bono fallimur. *Quod propriè in rem noſtram, de ſeductis vel ſeducentibus hæreticis, deceptis & decipientibus ſubiungit, contra veram Chriſti carnem ex Maria ſump-*
Aug. *tam errantes.* Nam magno malo fallitur homo, cùm hoc non credit, quod ad vitam ducit æternam. Paruo autem malo fallitur, qui falſum pro vero approbando, incidit in aliquas moleſtias temporales, quibus tamen adhibita fidelis patientia, conuertit eas in vſum bonum. Veluti ſi quiſquam bonum hominem putando qui malus eſt, aliquid ab eo patiatur mali. Qui verò malum hominem ita bonum credit, vt nihil ab eo patiatur mali, nullo malo fallitur, nec in eũ cadit illa prophetica deteſtatio: Væ ijs qui dicunt quod malum eſt, bonum. De ipſis enim rebus, quibus homines mali ſunt, non de hominibus dictum intelligendum eſt. Vnde qui adulterium dicit bonum, rectè arguitur illa voce prophetica. Qui verò ipſum hominem dicit, bonum, quem putat caſtum & neſcit adulterum, nec in doctrina rerum bonarum & malarum, ſed in occultis humanorum fallitur morum: Vocans hominem bonum, in quo putat eſſe, *caſtitatis bonum*, quod eſſe non dubitat bonum; & dicens malum adulterum, & bonum caſtum: ſed hunc bonum dicens, neſciendo adulterum eſſe; illum malum, neſciendo caſtum. Porro ſi per errorem, euadit quiſque perniciem, ſicut ſuperius dixi, nobis in itinere contigiſſe, etiam aliquid boni homini errore conferri. Sed cum dico in quibuſdam rebus, nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli; non ipſum errorem dico nullum malum, vel nonnullum bonum: ſed malum quo non venitur, *intenditur ve-*
niendo, vel bonum quo venitur errando, id eſt ex ipſo errore quid non eueniat, vel quid proueniat: nam ipſe per ſeipſum error, aut magnum in re magna, aut paruum in re parua, tamen ſemper eſt malum. Quis enim niſi errans, malum neget, approbare falſa pro veris, aut improbare vera pro falſis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis? Sed aliud eſt, bonum hominem putare, qui malus eſt, quod eſt erroris: & aliud eſt, ex hoc malo aliud malum non pati, ſi nihil noceat homo malus, qui putatus eſt bonus: Itemque aliud eſt, ipſam viam putare, quæ non eſt ipſa, & aliud eſt ex hoc erroris malo aliquid boni conſequi; velut eſt, ab inſidiis malorum hominum liberari. *In re autem præſenti: & errat qui putat hæreticum eſſe bonum, qui peſſimus eſt; & veracem qui mendax eſt; & viam & ducem qui denique & ſeducit eſt. Hæreticum enim omnino contrarijs vocibus res appellat; & carnem Chriſti veram ab Scriptura toties dictam & probatam, phantaſticam putat.* IN LVCE PROPRIETATVM. *In clara & aperta ſignificatione.* PROSPICIENS, *prauidens Eſaias Marcionem duos Deos introducturum.* CVM IN ALIO, *ſupple loco, prædiceret venturos Valentinianos, cum infinitis Genealogijs Æonum ſuorum.* PVLSAT, *carpit.* ET NON EX SANGVINE. *Ita & Ioannes cum hæreſim Hebionis deſtruere vellet, Chriſtum purum hominem aſſerentis, ait Chriſtum ex Deo natum. Solus, quod ſciam, ſic hunc locum legit Tertullianus. Nam in Euang. Io. 1. 13.* Non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. *Tranſlat. Syr. ſolum hoc habet diuerſum, vt legat:* qui non ex ſanguine, &c. ſed ex Deo geniti ſunt. *Cæterùm non de Chriſto, ſed de omnibus qui credunt in nomine eius hæc dicta ſunt. Expreſsius probaſſet contra Hebionem, & Deum, & hominem, ex verbis Ioannis ibidem:* Deus erat Verbum, &c. & Verbum caro factum eſt, &c. ÆQVE. *Similiter, cùm Paulus dicit*, etiam ſi Angelus. ENERGEMA, *dæmonium Philumenes, quam Apelles adamauit.* PRONVNTIANS CARNEM. *Cum Ioannes, nude, ſimpliciter, & abſolutè dicat, in carne veniſſe Chriſtum, omnes hæreticos contra Veritatem eius diſputantes ferit.* IN SECESSV. *Matth. 17. 1.* Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, &c. IN AMBITV NVBIS. *Ibidem verſu 5.* Ecce nubes lucida obumbrauit eos. SVB TRIBVS ARBITRIS, *teſtibus tribus Apoſtolis.* PASSIVVM, *communem, nec aliquid ſupra alios homines habentem.* PER QVOD SVAM, *&c. vt hoc argumento, & exemplo Chriſti in altera carne ſurgentis, probent homines etiam in alia carne ſurrecturos.* SED BENE. *Supple cum Catholicis agitur, ad defenſionem eiuſdem in Chriſto ſuſcitatæ carnis; quòd Angeli dixerunt Act. 1. 11.* Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. *Benè item eſt quod Ioannis 19. 37. iuxta Zach. 12. 10.* Videbunt in quem transfixerunt. *Vel vt habet Tranſlat. Syr.* Reſpicient in eum quem perfoderunt.

Aug. tract. 21. in Io. 1. hunc locum ex Actis tractans. S. Aug.
Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Quomodo, inquit, eum videbant ire? in carne quam tetigerunt, quam palpauerunt, cuius etiam cicatrices tangendo ſibi probauerunt, in illo corpore, in quo cum eis intrauit & exiuit, per quadraginta dies, manifeſtans ſe eis in veritate, non in aliqua falſitate, non phantaſmate, non vmbra, non ſpiritu; ſed quemadmodum ipſe dixit non fallens; palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Eſt quidem illud iam corpus dignum cœleſti habitatione, non ſubiacens morti, non mutabile per ætates. Non enim ſicut ad illam ætatem ab infantia creuerat, ſic ab ætate quæ iuuentus erat, vergit in ſenectutem: manet ſicut aſcendit, venturus ad eos, quibus, antequam veniat, verbum ſuum voluit prædicari. Sic enim veniet in forma humana. Hanc videbunt & impij, videbunt & ad dexteram poſiti, videbunt ad ſiniſ-

tram ſeparati, ſicut ſcriptum eſt, videbunt in quem pupugerunt; corpus ipſum videbunt quod lancea percuſſerunt. Lanceâ non percutitur Verbum. In hoc enim impij videre potuerunt, quod & vulnerare potuerunt, &c. Ecce videbitur forma hominis à pijs & impijs; à iuſtis, & iniuſtis; à fidelibus, & ab infidelibus; à gaudentibus, & à plangentibus; à confiſis, & confuſis. *Sic Auguſtinus plenè reſpondet mentis Tertulliani, de vera Chriſti carne eiſdem locis probata, & de erubeſcentia & confuſione hæreticorum, qui eam negauerunt, appoſitè tractat.* NEC IPSE ESSE. *Verus ſcilicet homo.* ILLI ERVBESCANT. *Tangit hic hæreticos quoſdam anonymos ſui temporis. Nam Paſſioniſtæ, Seleuciani, & Hermiani, quibus hunc errorem tribuit Philaſtrius, qui carnem Chriſti ſenſu vacuam, vt vaginam, Chriſto ex ea remoto, in cœlo ſedere fingunt; quòd in Sole dicatur poſuiſſe, id eſt depoſuiſſe tabernaculum, id eſt carnem, in qua habitauit in hominibus; poſteriores Tertulliano fuerunt.* TANTVMDEM. *Id eſt illi etiam hæretici erubeſcere debent, qui non tantum carnem, ſed & animam, Chriſtum in cœlum aſcendentem excuſſiſſe dicunt, vt aſſerant ſolum Verbum à dextris Dei ſedere.* AVT TANTVMMODO ANIMAM, *&c. Vel qui dicunt, quòd Chriſtus animâ ſolâ ſeruatâ, depoſita carne, quam iam non habet, ſedeat à dextris virtutis Dei: cum Lucas expreſsè dicat de Stephano, Act. 7. 55.* Cùm eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei. *Sunt qui ſic exponant illud* TANTVMDEM: *vt ſcilicet, ſicut alij ſolam carnem à Chriſto id eſt Verbi, ſoluta vnione Verbi, ſedere à dextris dicunt; Sic alij, carnem & animam Chriſti ſimiliter à Verbo ſeparatam, iisdem ſedere ſentiant. Locos ſcripturæ hinc à Tertulliano citatos habes alibi expoſitos.*

3. Hæreticus omnis Marcioni ſartori nouitatis cum veteri Euangelio ſimilis eſt. 4. Cont. Marc. cap. 11. circa f.

Luc. 5. 36. ERraſti in illa etiam Domini pronuntiatione, qua videtur noua & vetera diſcernere. Inflatus es vtribus veteribus, & excerebratus es nouo vino; atque ita veteri, id eſt, priori Euangelio pannum hæreticæ nouitatis adſuiſti.

HÆRETICORVM ELOGIA. III. SCHOL.

ERRASTI. *O Marcion.* PRONVNTIATIONE, *Chriſti ſententia, Luc. 5. 36.* Dixit autem & ſimilitudinem ad illos; *Scribas & Phariſæos:* quia nemo commiſſuram à nouo veſtimento immittit in veſtimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo. Et nemo mittit nouum vinum in vtres veteres: alioquin rumpit vinum nouum vtres, & ipſum effundetur, & vtres peribunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittendum eſt, & vtraque conſeruantur. DISCERNERE. *Pungit Marcionem, quòd non intelligat Chriſti parabolam, qua, licet diſcernat legem veterem à noua, ſicut veſtimentum & vinum vetus à nouo; non tamen duos Deos, aut contrarias ſibi leges Chriſtus ſignificare voluit; licet nouum Teſtamentum veteri præpoſuerit, cuius Sacramenta, ſimul cum veteribus cærimonys obſeruanda non ſunt, ſicut non congruunt panni noui & veteres, vt nec vinum nouum veteribus vtribus:* INFLATVS ES. *Eum comparat veteri vtri, diſtento vento præſumptionis. Vel inflatum eum dicit bile & indignatione contra veterem legem, & noui ſui erroris vino turbatum, vel nimio & præpoſtero zelo noui Teſtamenti ebrium, qui longè priori, & hæreſi ſuæ, vetuſtiori Euangelio vero, pannum ſuæ nouæ hæreſeos conſuat. Auguſtinus hunc locum Lucæ tractat to. 4. lib. 2. qq. Euang. q. 18. vbi de abſtinentia à cibis legalibus. Comparat Apoſtolos vtribus nouis gratiâ noui Teſtamenti:* erant iam 6 Aug. vtres noui, cùm poſt Aſcenſum Domini, deſiderio conſolationis eius, orando & ſperando innouabantur. Tunc enim acceperunt Spiritum ſanctum, quo impleti, cùm omnium, qui de diuerſis gentibus aderant, linguis loquerentur, dicti ſunt muſto pleni. Nouum enim vinum, iam nouis vtribus venerat. *Et to. 6. lib. 35. contra Fauſtum cap. 2.* Fauſtus nouo S. Aug. melle plenus, reſpuit acetum vetus: & Paulus aceto vetere plenus, effudit dimidium, quo caperet infuſum mel nouum, non ſeruandum, ſed corrumpendum. *Aduerte hæc dicta ſecundùm mentem Fauſti.* Videbis enim quod ait Apoſtolus: Paulus ſeruus Chriſti Ieſu, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Aug. Dei: ex melle nouo eſt: illud autem quod ſequitur: quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem: ex aceto vetere. Quis hoc ſuſtineret audire, niſi nos conſolaretur idem dicens, oportet & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis? Sed quid opus eſt eadem iam ſuperius ſatis dicta repetere? Nam pannum nouum, & veſtimentum vetus, & vinum nouum, & vtres veteres, non duo teſtamenta ſignificare, ſed duas vitas, & ſpes duas: ad duo verò teſtamenta intelligenda, illam datam eſſe à Domino ſimilitudinem; propterea omnis ſcriba eruditus in regno Dei, ſimilis eſt Patrifamilias proferenti de theſauro ſuo noua & vetera, &c. duas enim ſpes ſi quis habendas putauerit, vt vna propter regnum cœlorum Deo ſeruiat, & altera propter fœlicitatem terrenam, hæc illam non capit: & cùm hæc aliqua tribulatione fuerit perturbata, deficiens homo amittet etiam illam. Inde eſt & illud; nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, quod expoſuit dicens, non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ. Vetus autem teſtamentum, rectè intelligentibus prophetia eſt noui Teſtamenti. Itaque & in illo primo populo Sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui intelligebant quod agebant, vel quod per eos agebatur, in nouo Teſtamento habebant iſtam ſpem ſalutis æternæ: ad illud enim pertinebat quod intelligebant, & diligebant: quia etſi nondum reuelabatur, iam tamen figurabatur. Ad vetus autem illi pertinebant, qui non illic amplius quàm promiſſa temporalia cogitata concupiſcebant, in quibus æterna figurata & prophetata non intelligebant. *Fauſto non diſpar Marcion, nouo melle plenus, reſpuit acetum vetus; vtribus veteribus inflatus, hoc eſt contra vtres veteres, & vetus teſtamentum ſtomachatus.*

Digitized by Google

4. *Hæreticus omnis naturâ turbulentus, loquax, impudens, impudicus. V. Verbum Hermogenes pictor in motu, &c.*

5. *Hæretici cæci & Cæcorum duces, trabem non vident in oculis suis : Et male arbores malos fructus faciunt 4. Cont. Marc. cap. 17. à m.*

SEd [a] *cæcus cæcum ducit in foueam.* Credunt aliqui Marcioni. Sed [b] *non est discipulus super magistrum.* Hoc & meminisse debuerat Apelles, Marcionis de discipulo emendator. [c] *Eximat & de oculo suo trabem hæreticus*, tunc in oculo Christiani si quam putat stipulam, reuincat. Proinde & [d] *arbor bona non proferat malum fructum*, quia nec veritas hæresim: [e] *nec mala bonum*, quia nec hæresis veritatem. Sic nec Marcion aliquid boni de thesauro Cerdonis malo protulit, nec Apelles de Marcionis; multò enim hæc congruentius in ipsos interpretabimur, quę Christus in homines allegorizauit, non in duos deos secundùm scandalum Marcionis. Puto me non temerè huic vsque adhuc lineæ insistere, qua definio, nusquam omnino alium Deum à Christo reuelatum.

a Luc. 6. 39.
b Ibid. 40.
c Ibid. 42.
d Ibid. 43.
e Ibid. 45.

HÆRETICORVM ELOGIA. V. SCHOL.

CÆCVS CÆCVM. *Luc 6. 39.* dicebat illis & similitudinem: Numquid potest cæcus, cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt? Non est Discipulus super Magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut Magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras? aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? hypocrita, eiice primũ trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui. Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructũ bonum: Vna enim quæque arbor de suo fructu cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam. *Prima & extrema huius loci attigit* B *Augustinus, to. 9. lib. de Pastoribus cap. 10.* Terret non Aug. solum cæcum ducentem sed & cæcum sequentem. Neque enim ait; cadit in foueam ducens, & non cadit sequens: sed cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadunt, &c. Securi, inquiunt, sequimur Episcopos nostros; dicunt hoc sæpè hæretici, quando veritate manifestissima conuincuntur, nonne oues sumus? illi de nobis reddent rationem: reddent planè malam de morte vestra. De morte ouis malignæ reddet malus pastor malam rationem, &c. Si ergo non bonam rationem reddit, qui non quæsiuit errantem, qualem reddet qui fecit errantem? hoc est C quod dico: si in Catholica, *supple Ecclesia*, constitutus Episcopus, non bonam rationem reddit de oue, si non quæsierit errantem de grege Dei; qualem rationem redditurus est hæreticus, qui non solum non reuocauit ab errore, sed etiam impulit in errorem, &c. Si furantem, *iam omnibus, & Discipulis loquitur*, ipse te pascet facto suo: tibi venenum subministrat, non cibum. Si verò hoc ab illo audis, quod non dicit de suo, *agit de Doctore Catholico verum quidem docente, sed malè operante*, sed de Dei, non potest quidem vua de spinis legi. Nam & ipsius Domini sententia est: Nemo colligit de spinis vuam, & de D tribulis ficus, &c. quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Nempe facientes mala, vtique spinæ sunt. Quomodo vis de spinis me colligere vuam verbi tui? respondebitur, non est illa vua spinarum: sed aliquando increscens sarmentum implicat se in sepem, & pendet vua inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum. Tu si esurieris, & aliud non habes vnde sumas, cautè manum mitte, ne lacereris à spinis, id est ne facta imiteris malorum, & lege vuam inter spinas pendentem, sed de vite nascentem. Ad te perueniat boni alimentum, A spinis seruatur ignis tormentum. *In hæreticis autem Doctoribus plerumque nihil præter spinas inuenies. Nam & Doctrina peruersa est, & mores corrupti: nec hæc audienda est, nec illi sequendi. Interdum autem mores boni exterius apparent, sed cum radix & arbor sit corrupta, pro inde boni fructus esse non possunt; & poma sunt Gomorrhæ, plena vento & cinere, solo cortice decora.* DE THESAVRO CERDONIS, *Magistri sui, vt nec Apelles de Marcionis quoque Magistri sui.* SCANDALVM MARCIONIS, *hæresim, quæ scandalum & lapidem offensionis dedit infirmis in fide.* HVIC LINEÆ, *huic sententiæ: Metaphora sumpta iuxta Turnebium ab iis qui ita collato pede pugnabant, vt eum à linea ducta non referrent, sed semper ei insisterent. Hæc autem est linea Tertulliani, cui mordicus insistis, quòd neque Christus, neque Paulus, in verbis, aut parabolis suis, duos vnquãdeos introducere voluerint, sicut præsũpsit Marcion.*

DE THESAVRO MALO. *Luc. 6. 45.* Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; Et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Aug. to. 3. in Enchir. ad Laur. c. 13. vbi tractat tres locos Euangelij, à Tertull. allatos.* Malus homo de malo thesauro, &c. S. Aug. quid est autẽ malus homo, nisi mala natura quia homo natura est? porro si homo aliquod bonũ est quia natura est, quid est malus homo, nisi malũ bonum. *Immediatè prædixerat, cauendum est nè incidamus in illam sententiam Propheticam vbi legitur, væ vis qui dicunt quod bonum est malum, &c.* Tamen cùm duo ista discernimus, inuenimus nec ideo malum, quæ homo est; nec ideo bonum, quia iniquus est: sed bonum, quia homo; malum, quia iniquus. Quisquis igitur dicit, malum est, hominem esse: aut, quod bonum est, iniquum esse; incidit in propheticam illam sententiam: væ iis qui dicunt, &c. Opus enim Dei culpat, quod est homo: & vitiũ hominis laudat, quod est iniquitas. Omnis itaque natura etiamsi vitiosa est, in quantum natura est, bona est: in quantum vitiosa est, mala est: *Et cap. 14. vbi docte disseritur* D *de contrariis, quæ simul esse, vel non esse possunt in eodem subiecto.* S. Aug. Qua-propter in iis contrariis quæ mala & bona vocantur, illa Dialecticorum regula deficit, qua dicunt: nulli rei duo simul inesse contraria. Nullus enim aër simul est tenebrosus & lucidus: nullus cibus aut potus simul dulcis est & amarus: nullum corpus simul vbi album, ibi & nigrum: nullum simul vbi deforme, ibi & formosum. Et hoc in multis ac penè in omnibus contrariis reperitur, vt in vna re simul esse non possint. Cùm autem bona & mala nullus ambigat esse contraria, non solum simul esse possunt, sed etiam mala omnino sine bonis,

& niſi in bonis eſſe non poſſunt, quamuis bona ſine malis eſſe poſsũt. Poteſt enim homo vel angelus non eſſe iniuſtus: Iniuſtus autem, nõ poteſt eſſe niſi homo vel angelus: Et bonum, quod homo; bonum quod Angelus: *id eſt in quantum eſt homo vel angelus*, malum quod iniuſtus; & hæc duo contraria, ita ſimul ſunt, vt ſi bonum non eſſet, *naturæ*, in quo malum eſſet, *culpæ*, prorſus nec malum eſſe potuiſſet: quia non modo, vbi conſiſteret, ſed vnde oriretur corruptio, non haberet, niſi eſſet quod corrumperetur. Quod niſi bonum eſſet, nec corrumperetur: quoniam nihil eſt aliud corruptio, quàm boni exterminatio. Ex bonis igitur mala orta ſunt, & niſi in aliquibus bonis non ſunt: Nec erat aliàs vnde oriretur vlla mali natura: nam ſi eſſet, in quantum natura eſſet, profecto bona eſſet: & aut incorruptibilis natura, magnum eſſet bonum: aut etiam natura corruptibilis nullo modo eſſet, niſi aliquod bonum; *ſupple eſſet*, quod bonum, corrumpendo, poſſet ei nocere corruptio. Sed cum mala ex bonis orta eſſe dicimus, non putetur hoc Dominicæ ſententiæ refragari, qua dicit; non poteſt arbor bona fructus malos facere. Non poteſt enim, ſicut veritas dicit, colligi vua de ſpinis, quia non poteſt vua naſci de ſpinis. Sed ex bona terra, & vites naſci poſſe videmus, & ſpinas. Et eodem modo, tanquam arbor A mala fructus bonos, id eſt opera bona, non poteſt facere voluntas mala. Sed ex bona hominis natura, oriri voluntas, & bona poteſt, & mala. Nec fuit prorſus vnde primitus oriretur voluntas mala, niſi ex Angeli & hominis natura bona. Quod & ipſe Dominus eodem loco, vbi de arbore & fructibus loquebatur, apertiſſimè oſtendit, ait enim: aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum: Satis admonens, ex arbore quidem bona, malos; aut ex mala, bonos naſci fructus non poſſe. Ex ipſa tamen terra, cui loquebatur, *hoc eſt humana natura & voluntate*, vtramque arborem oriri poſſe. *Et ex his omnibus ſubtiliter & doctè diſſertis, tam ex Tertull. quàm ex Auguſtino, nec duos Deos vnum autorem boni, alterum autorem mali, ſed vnicum ſolum boni autorem colligo; qui bonum & hominem & Angelum condidit, quorum vterque ſe malum facere nec potuit, niſi bonus eſſet à Deo bono conditus: Colligo item hæreticum omnem à fide bona in qua ſicut & in operibus bonus à Deo bono in Chriſto bono creatus fuerat ex nihilo meriti, electione ſua, & propria libertate factum hæreticum, ex bona terra Eccleſia euulſum & eradicatum, in ſpinas arboremque malam ignibus æterni pabulum, fuiſſe conuerſum.*

B

6. *Hæreticorum & Gentilium turpitudo myſterij velo tegitur. Cont. Valent. cap. 1. per totum.*

VAlentiniani frequentiſſimum planè collegium inter hæreticos, quia plurimum ex Apoſtatis veritatis, & ad fabulas facilè eſt, & diſciplinâ non terretur. Nihil magis curant quàm occultare quod prædicant; ſi tamen prædicant qui occultant. Cuſtodiæ officium, conſcientiæ officium eſt. Confuſio prædicatur, dum religio adſeueratur. Nam & illa Eleuſinia, hæreſis & ipſa Atticæ ſuperſtitionis, quod tacent pudor eſt. Idcirco & aditum prius cruciant, diutius initiant, linguam conſignant, cùm epoptas antè quinquennium inſtituunt; vt opinionem ſuſpendio cognitionis ædificent: atque ita tantam majeſtatem exhibere videantur, quantam præſtruxerunt cupiditatem. Sequitur jam ſilentij officium. Adtentè cuſtoditur quod tardè inuenitur. Ceterùm tota in adytis diuinitas, tota ſuſpiria epoptarum, totum ſignaculum linguæ, ſimulacrum membri virilis reuelatur. Sed naturæ venerandum nomen allegorica diſpoſitio prætendens, patrocinio coactæ figuræ ſacrilegium obſcurat, & conuicium falſi, ſimulacris excuſat. Proinde quos nunc deſtinamus hæreticos, ſanctis nominibus & titulis & argumentis veræ religionis, vaniſſima atque turpiſſima figmenta configurantes, facili caritati, ex diuinæ copiæ occaſione, quia de multis multa ſuccedere eſt, Eleuſinia Valentiniani fecerunt lenocinia, ſancta ſilentio magno, ſola taciturnitate cœleſtia. Si bona fide quæras, concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, Altum eſt aiunt. Si ſubtiliter tentes, per ambiguitates bilingues communem fidem adfirmant. Si ſcire te ſuboſtendas, negant quidquid agnoſcunt. Si cominus certes, fatuam ſimplicitatem ſua cæde diſpergunt. Ne diſcipulis quidem proprijs antè committunt, quàm ſuos fecerint. Habent artificium quo priùs perſuadeant, quàm edoceant. Veritas autem docendo perſuadet, non ſuadendo docet.

HÆRETICORVM ELOGIA. VI. SCHOL.

FREQVENTISSIMVM, *numeroſum, inter cæteras ſectas; quia cùm hæretici fiant ex Apoſtatis à vera fide; & cùm facilè ſit & pronum homini, ex primo peccato, quo mendacio ſerpentis deceptus eſt homo, ad fabulas conuerti, ſicut dixit Apoſtolus*; à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur: *præ cæteris autem ſectis, fabuloſa ſit hæreſis Valentini; nihil mirum, ſi multis ad eam confluant.* DISCIPLINA, *ſeueritas & rigor morum in hac hæreſi ſeruandorum, nulla ſit, qua ab eius profeſſione deterreat, ſicut eſt in Eccleſia Romana grauis & exacta cenſura.* QVOD PRÆDICANT, *quod docent.* CVSTODIÆ OFFICIVM *eo ipſo, quod magno ſilentio cuſtodiunt ſua myſteria, vt huic vni rei, & officio præ cæteris ſtudeant, vt* C *maximum ſilentium ſeruent, hinc probatur, conſcientiæ eorum pudere ſuffundi, nec audere publicare, de myſteriis ſuis, quid in animo ſentiant. Quicumque enim apertè confitetur hanc religionem, apertè prædicat ſuum pudorem.* ELEVSINIA, *Sacra Cereris, in quibus, Græcorum ſuperſtitio poteſt & appellari Gentilium hæreſis; in qua taciturnitas & ſilentium, indicium eſt pudoris.* ADITVM ERVCIANT, *id eſt priuſquam aditum aperiant, dent ingreſſum, prius cruciant hoc eſt extorquent iuſurandum ſilentij; vel valuas ipſas crucibus ſeu lignis tranſuerſis muniunt; difficilè admittunt; non citò conſerant, linguæ ſigillum ſilentij imponunt, vel caſtitate, humicubatione, victus caſtigatione exercitant & probant admittendos. Alij legunt*, diutius initiant quàm conſignant,

id

id est prinsquam eis secreta sua consignent. CVM EPOPTAS. *Alij legunt*, cum & portas ante quinquennium instituunt. *Hoc est quinquennio integro, prolegomena quædam, sine isagoges, & introductiones quasdam præambulas doceant, antequam ad mysteria admittant suos nouitios:* EPOPTÆ *autem in Sacris, dicti sunt Mystæ, qui toto anno, vel vt hîc quinque integros, initiati, ad spectanda Sacra admittebantur: Vnde & Græci Sacrorum inspectionem, ἐποπτείας vocant: Sic Chalcidius, in Timæon Platonis, Epopticam inquisitionem dixit, sublimem contemplationem ex sinceriſsimæ rerum scientiæ fonte manantem.* SVSPENDIO COGNITIONIS, *dum tandiu suspendunt suos tyrones & candidatos à cognitione mysteriorum.* SVSPIRIA EPOPTARVM. *Id est desideria eorum qui ad inspicienda arcana anhelant, solius mẽbri virilis inspectione implentur. Alij legunt* Tot siparia portarum. *Id est vela, quibus portæ obteguntur.* NATVRÆ NOMEN. *Ethnici specioso velo naturæ, cui ea miranda, huiusmodi turpitudinibus significari prætendunt, obumbrant figura violentæ patrocinio, sua potius sacrilegia quàm Sacra.* ET CONVITIVM FALSI, &c. *vt probè intelligas, aduerte Pontificem Sacrorum Eleusinæ, ad simulacrum membri virilis, tanquam ad aliquem Deum adorandum prouolui solitum, qui ideo crimine falsi tenebatur, quod aliud mente & corde coleret, aliud oculis & adoratione externa; dicebat enim ijs qui ipsi crimen seu conuitium falsi imponebant, suique similibus rei pudendæ adoratoribus; se non huiusmodi simulacrum, sed naturam per illud allegoricè repræsentatam colere; sicque conuitium falsi, simulacris excusabat, & mendacium mendacio, falsum falso; Cùm nihil aliud sit simulacrum, quàm mendacium & falsum. De Sacris Eleusinæ Augustinus tractat lib. 7. de*
Aug. *Ciuit. cap. 20.* In Cereris Sacris prædicantur illa Eleusinia, quæ apud Athenienses nobiliſsima fuerunt. De quibus iste nihil interpretatur nisi quod attinet ad frumentum, quod Ceres inuenit, & ad Proserpinam, quam rapiente Orco perdidit, & hanc ipsam dicit significare fœcunditatem seminum, quæ cum defuisset quodam tempore, eadem sterilitate mœreret, exortam fuisse opinionem, quod filiam Cereris, id est ipsam fœcunditatem quæ à proserpendo Proserpina dicta esset, Orcus abstulerat, & apud inferos detinuerat. Quæ res cum fuisset luctu publico celebrata, quia rursus eadem fœcunditas redijt, Proserpinâ reddità, exortam esse lætitiam. Et ex hoc solemnia instituta. Dicit deinde multa in mysterijs eius tradi, quæ nisi ad frugum inuentionem non pertineant. *Ex Theodoreto, hæc sacra Athenas delata sunt ab Orpheo, & à Græcis Romam. De his iam egit Tertullianus Apol. cap. 7. videndus Lactantius lib. 1. cap. 21. Arnob. lib. 5. Minutius in Octauio. Clem. Alex. in Exhort. ad Gentes. Naz. sermone in Epiph. Augustinus sequenti cap. de Sacris Liberi præ impudentia publica,*
Aug. *pudenda.* In Italiæ Compitis quædam dicit, *Varro scilicet*, Sacra Liberi celebrata, cum tanta licentia turpitudinis, vt in eius honorem pudenda virilia colerentur: non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia. *Cùm saltem secretò in Sacris Eleusinæ colerentur.*

Frequenter autem Aug. libris de Ciuit. explodit Varronem, aliosque Gentilium Doctores huiusmodi obscœna de natura rebus interpretantes; maximè lib. 7. de Ci-
Aug. *uit. cap. 33.* Per hanc religionem & veram, potuit aperiri, Deos Gentium esse immundiſsimos dæmones, sub defunctarum occasionibus animarum, vel creaturarum specie mundanarum, Deos se putari cupientes, & quasi diuinis honoribus, eisdem scelestis ac turpibus rebus, superba impuritate lætantes, atque ad verum Deum conuersionem humanis animis inuidentes. Ex quorum immaniſsimo & impiiſsimo dominatu homo liberatur, cùm credit in eum qui præbuit tantæ humilitatis exemplum, quanta illi superbia ceciderunt, &c. quorum Sacra Varro dum quasi ad naturales rationes referre conatur, quærens honestare res turpes, quomodo his quadret & consonet, non potest inuenire, &c. Tamen vt cumque conatus est, vt sensum horribilibus rebus offensum, velut naturalium causarum ratione reddita deliniret. SIMVLACHRIS. *Non tantum membri illius pudendi, sed & Idoli Harpocratis, Dei silentij.* PROINDE. *Sicut, inquit, Sacra Eleusis in Græcia celebrata, sub religionis specie, & silentij velo, sua pudenda mysteria obtegebant; sic & hæretici Valentiniani, quos feriendos in scopum nobis destinauimus, sub speciosis titulis & apparentijs veri cultus diuini, turpiſsimas fabulas modulantur, & persuadent simplicibus, qui ex nimia & facili charitate credulis sunt. Alij legunt,* facili claritati. *Sed obscurius, licet verbum sit claritatis: quod explicant de fide facili & clara. Mallem tũ legere:* facili claritate. *Id est, cùm mysteria vera fidei, faciliora & clariora sint, quàm tot inuolucra, ambagesque Æonũ Valentini.* EX DIVINÆ COPIÆ OCCASIONE. *Id est facilè simplicitas Christianorum abducitur ad tot Deos & Æonas credendos, quia Valentiniani occasionem sumunt suadendæ tantæ deorum copiæ, & abundantis genealogiæ, ex eo quòd fides Orthodoxa iam eos docuit copiam, hoc est fœcunditatem Dei Patris filium generantis, & cùm eo producentis Spiritum sanctum. Alij referunt minus ad rem, ad copiam & abundantiam sensuum Diuinæ Scripturæ.* QVIA DE MVLTIS, &c. *Quia potest simplicibus suaderi, de multis personis, multas procedere posse.* ELEVSINIA FECERVNT. *Valentiniani, sua mysteria, in hoc similia fecerunt Eleusinijs; vt silentio, & prætextu summæ reuerentiæ, quasi quodam lenocinio attraxerint, & prolectanerint multos discipulos, curiositate sciendi noua & occulta, quæ nihil cœleste habent, nihil altum, & sublime præter silentium; quod & ex Scripturis, in sua mysteria deduxerunt; cùm vnus ex Æonibus Bythos, alter Sige, id est Silentium, vocetur. Altum scilicet, profundum, cœleste silentium seruant. Arcanorum suorum vmbraculum; quia scriptum est:* Dum quietum silentium tenerent omnia, Omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus venit. *Sap. 18. 14. & Apoc. 8. 1.* Factum est silentium in cœlo quasi media hora. *Et Psal. 64. 1. Ex Hebr.* Tibi silet laus in Sion. SI QVÆRAS, *à Valentinianis, quid credant.* CONCRETO, *rugoso, & austero vultu.* BILINGVES. *Per æquiuocum. De quibus Psaltes.* Venenum aspidum sub labijs eorum. Labia dolosa in corde & corde locuti sunt. COMMVNEM FIDEM, *nobis & illis, simplicem fidem, non aliam quàm nostram.* QVIDQVID AGNOSCVNT, *supple te scire.* FATVAM SIMPLICITATEM. *Alij simpliciter legunt:* Tuam simplicitatem. SVA CÆDE DISPERGVNT. *Id est si contra eos arctius, & velut de propinquo, de rerum mysterijs disputes; Itaut non habeant, conuicti, quid respondeant, seipsos velut pugno & colapho cadentes, totam disputationem vimque rationum dissipant, fatentes stultã fidei suæ simplicitatem.* COMMITTVNT, *reuelant sua mysteria.* QVAM EDOCIANT. *Prius exigunt fidem à discipulis, quàm singillatim explicent sua mysteria, cùm vera fides nostra prius doceat omnia mysteria, & catechumenus de singulis instruat, quàm ad Baptismum suscipiendum suadeat; prius enim cognouit, quàm fidem exigat, & iusiurandum.*

7. Hæretici ab ethnicis mendicant argumenta contra fidem. De Resur. cap.3. in m.

SI hæreticus ad vulgi vitia, vel seculi ingenia confugerit, Discede, dicam, ab ethnico, hæretice; etsi vnum estis omnes, qui Deum fingitis, dum hoc tamen in Christi nomine facis, dum Christianus tibi videris, alius ab ethnicoes: redde illi suos sensus, quia nec ille de tuis instruitur. Quid cæco duci inniteris, si vides? quid vestiris à nudo, si Christum in-
Matth.15. 14. duisti? quid alieno veteris clypeo, si ab Apostolo armatus es? Ille potius à te discat carnis resurrectionem confiteri, quàm tu ab illo diffiteri: quia si & à Christianis negari eam oporteret, sufficeret illis de sua scientia, non de vulgi ignorantia instrui. Adeo non erit Christianus, qui eam negabit, quam confitentur Christiani, & his argumentis negabit, quibus vtitur non Christianus. Auser denique hæreticis, quæ cum ethnicis sapiunt; vt de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.

HÆRETICORVM ELOGIA. VII. SCHOL.

SI HÆRETICVS, &c. *Si quis hæreticum negans resurrectionem carnis, ad erroneas plebis opiniones, vel ad Gentilium sententias, ad erroris sui defensionem confugerit; monebo eum, vt quamquam cum ethnico sentiat in eo, quòd sicut Gentilis plures Deos, sic & Marcion, & Valentinus plures quoque inducit; quia tamen sub Christiani nomine, in quantum sibi videtur esse Christianus, proindeque diuersus ab ethnico; commonebo, vt relinquat ipsi sententias suas, & opiniones: cùm Gentilis nolit emendicare sententias Christianorum, ad doctrinam suam confirmandam.* SI VIDES. *Si te lumen fidei habere putas, quid cæcum ducem sequeris? Si Christum in baptismo induisti, si omni doctrina superuestitus es, & virtute ex alto; quid habitus scientiæ quæris à pagano, nec Christo nec Spiritu sancto vestito? Si scutum fidei, gladium spiritus galeam salutis, &c. ab Apostolo, arce Ecclesia munitissima, sumpsisti; quid te armis Gentili clypeo, contra* sagittas potentis acutas? SAPIVNT *sentiunt.* SISTANT, *proponant & sustineant. Sic Hier. contra Ioan. Ierosol.* Eadem opponunt nobis ethnici; qui Christianum esse te dicis, Gentilium arma depone. *Agebat de resurrectione. Sic D. Ephrem contra negantes resurrectionem:* Cum ethnicis sentis, & dicis mortuorum resurrectionem non esse. O os abominandum, & Deo inimicum, per quod Diabolus loquitur mendax! &c. Quomodo non percussit te angelus qui resurrectionem prædicauit, dixitque mulieribus, quia surrexit Christus ex mortuis primitiæ dormientium? Vbi te statuemus? Cum Gentilibus an cum Christianis? Quem te appellabimus, paganum, aut Christianum? Sed absit à me te sic sentientem, Christianum nuncupare: qui enim ita sentiunt, Christiani dici non debent. Si verò & se Christianos appellant, ipsi se seducunt: non enim pars ipsorum erit cum Christianis, & cum Christo vero Deo nostro, qui nobis donauit resurrectionem; sed in gehenna illorum portio erit; vbi vermis eorum non moritur, & ignis ipsorum non extinguitur. *Ita & sensit Augustinus, nisi quod & maiori supplicio hæreticos addicit quàm ethnicos, lib.21. de Ciuit. cap.25.* Aug. Qui rectè intelligunt, non dicendum esse, eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi; non rectè promittunt eis, qui vel in hæresim, vel etiam in Gentilium superstitionem, ex illius corporis vnitate labuntur, liberationem quandoque ab æterni igne supplicij. Primùm quia debent attendere quàm sit intolerabile, atque à sana doctrina nimis deuium, vt multi, ac penè omnes qui hæreses impias condiderunt, exeuntes de Catholica Ecclesia, & facti sunt hæresiarchæ, meliores habeant causas, quàm hi qui nunquam fuerunt Catholici; cùm in eorum laqueos incidissent; si illos hæresiarchas hoc facit liberari, à supplicio sempiterno, quòd in Catholica Ecclesia baptizati sunt, & Sacramentum corporis Christi, in vero Christi corpore primitus acceperunt: cum pejor vtique sit desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quàm ille qui non deseruit, quam nunquam tenuit: Deinde quia & his occurrit Apostolus eadem verba proferens, & enumeratis illis carnis operibus, *inter quæ hæresis & schisma nominatur*, eadem veritate prædicens: quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. *Quo enim supplicio supra ethnicos digni sunt, qui ab ipsis arma sumunt, vt sanctam Matrem Ecclesiam oppugnent? De quibus queritur populus fidelis, quasi fratribus, ob generationem eiusdem baptismi;* filij matris meæ, pugnauerunt contra me. *Vide infra numero 15.*

8. Hæretici Circulatorum, Astrologorum, Philosophorum, & Magorum familiares. De Præscr. cap.43. in p.

a Matth. 7. 7. NOtata sunt etiam commercia hæreticorum cum Magis quampluribus: cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scilicet deditis. a *Quærite & inuenietis*, vbique meminerunt. Adeò & de genere conuersationis qualitas fidei æstimari potest: doctrinæ index disciplina est.

HÆRETICORVM ELOGIA. VIII. SCHOL.

NOTATA SVNT. *Vt reprehensione digna, colloquia, & societas conuersationum, & morum, quibus hæretici communicant, non tantum cum Simone Mago simul & hæretico, sed etiam ætate nostra, cum pluribus sortilegis.* CIRCVLATORIBVS, *circumforaneis, histrionibus, simiarum & ferarum ostensoribus, impostoribus.* ASTROLOGIS, *iudiciarijs scilicet, diuinis, & ariolis.* PHILOSOPHIS *Sophistis, vel curiosis supra modum occultorum naturæ venatoribus.* QVÆRITE, *sic in his omnibus curiositatibus hæretici tuentur sè, loco Euangelij malè exposito, dum curiosa sectantur.* ADEÒ ET DE GENERE *sic, inquit, ex his cum quibus conuersantur, & quos imitantur hæretici, quam corrupta sit eorum fides, quisque iudicare potest. Cum mores satis*

Digitized by Google

iudicent, quæ ſit eiuſque doctrina. Vnde cum etiam humanis legibus hæ malæ artes plectuntur, hæretici quoque ab humana conuerſatione eliminandi ſunt, cùm & ſocietatem habeant cum dæmone. Auguſtinus Aug. *teſtis, libro 8. de Ciuit. cap. 19.* Aduerſus magicas artes, de quibus quoſdam nimis infœlices, & nimis impios etiam gloriari libet, in nomine dæmonum, ipſam publicam lucem teſtem citabo. Cur enim tam grauiter iſta plectuntur ſeueritate legum, ſi opera ſunt numinum colendorum? An fortè iſtas leges Chriſtiani inſtituerunt, quibus artes magicæ puniuntur? Secundùm quem alium ſenſum, niſi quo hæc maleficia generi humano pernicioſa eſſe non dubium eſt? &c. Nonne in duodecim tabulis, id eſt Romanorum antiquiſſimis legibus, Cicero commemorat eſſe conſcriptum, & qui hoc fecerit, ſupplicium conſtitutum, *Sic enim in hac lege ſcriptum erat* qui fruges excantaſſit, qui malum carmen incantaſſit, pœnas dato: neue alienam ſegetem pellexerit incantando, ne incantanto, ne agrum defruganto. *Quod fiebat arte magica, ſegetes ex agro vicini in ſuum tranſplantando, vel ex horreo proximi in proprium tranſuehendo. Quantò grauioris criminis rei ſunt hæretici, qui meſſem Chriſti & triticum, id eſt animas, ad ſuas hæreſes trahunt, inſtrumenta diabolica prorſus, vt ſenſit Auguſtinus, to. 9. lib. de Paſtoribus, cap. 12. vbi hæreticos comparat perdicibus, quæ illices ſunt, vt ait Varro, & traditrices generis ſui.* In Aug. Propheta, inquit, Ieremia ait: Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit, faciens diuitias ſuas non cum iudicio, &c. Perdix quidem à quibuſdam maioribus, & ante nos Scripturarum tractatoribus, diabolus intellectus eſt, congregans quæ non peperit. Non enim ille Creator, ſed deceptor eſt; *circulator, incantator, Magorum princeps, & hæreticorum, qui vna perdice à perdendo dicta, captâ in cauea ſua, alias cantu allicit in laqueum*; faciens diuitias ſuas non cum iudicio. Non enim ad eum pertinet, quis iſto, aut illo modo erret: *non cum iudicio hoc diſcernit, ſiue Magus vel hæreticus:* omnes errantes vult, quibuſlibet erroribus. Quàm diuerſæ ſunt hæreſes, quàm diuerſi errores, Ille in omnibus vult errare homines. Non dicit diabolus, Donatiſtæ ſint, & non Arriani: ſiue hic ſint, ſiue illic, ad eum pertinent congregantem ſine iudicio. Idola, inquit, adoret, meus eſt: In Iudæorum ſuperſtitione remaneat, meus eſt: deſerta vnitate, in illam vel illam hæreſim pergat, meus eſt. Congregat ergo, ſine iudicio faciens diuitias ſuas. Sed quid ſequitur? In dimidio dierum eius derelinquent eum, & in nouiſſimis erit inſipiens, &c. Et iſte perdix, id eſt Draco, id eſt ſerpens, tanquam ſapiens erat, *callidior cæteris animantibus*, quando Adam per Euam decepit: verum dicere putatus eſt, bonum conſilium dare exiſtimatus eſt, contra Deum creditus eſt, &c. Poſtea non ei creditur, & dicitur ei, renuntiamus tibi, ſufficit quod incautos primos decepiſti. Ergo ita erit in nouiſſimis ſuis inſipiens, apertæ erunt fraudes eius, & ideo iam fraudes non erunt, &c. Exiſtat aliquis hæreticus, & ſi non frater diaboli, certè adiutor & filius: & ipſum dixerim perdicem, contentioſum animal. Hoc enim animal, vt aucupes norunt, etiam contendendi ſtudio capitur. Contendunt iſti contra veritatem, & contenderunt, ex quo ſe diuiſerunt, &c. *Tum aggreditur hæreticum contumacem captum & conuictum:* Vbi eſt nunc ceruix tua? vbi lingua tua? vbi ſibilus S. Aug. tuus? certè in nouiſſimis tuis factus es inſipiens: pauiſti ſine iudicio. Non enim verum vis, vel de errore tuo, vel de veritate iudicare. Paſcit contra te Chriſtus cum iudicio. *locum Ezech. tractabat: paſcam eas cum iudicio*; diſcernit oues ſuas ab ouibus non ſuis: quæ ſunt oues meæ, inquit, audiunt vocem meam, & ſequuntur me. *Sicut & perdices audiunt vocem Matris, & deſerunt fallacem, & furem, ſic deceptæ ab hæreticis anima, relictis deceptoribus, audita Chriſti voce redeunt ad Eccleſiam; & frumenta prædeſtinata, ad tempus erepta incantatione hæretica, reportantur in horreum.*

9. Hæretici cum Simone Mago, proſtibula Spiritus ſancti donis æquiparant. De An. cap. 34. in p. V. Metempſycoſis 2. in p.

10. Hæretici corruptores virginitatis fidei, vel per eos corrupti, reddent rationem eius in iudicio, cum ſeductis à pſeudoſignis. De Præſcr. cap. 44. in p. ad m.

PRoinde hæc preſſioris apud nos teſtimonia diſciplinæ ad probationem veritatis accedunt: à qua deuertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicij, quo [a] *omnes nos neceſſe eſt apud Chriſti tribunal aſtare, reddentes rationem*, in primis ipſius fidei. Quid ergo dicent qui illam ſtuprauerint adulterio hæretico, virginem traditam à Chriſto? Credo allegabunt, nihil vnquam ſibi ab illo vel ab Apoſtolis eius, de ſeris & peruerſis doctrinis futuris prænuntiatum, & de cauendis abominandiſque præceptum. Agnoſcant ſuam potius culpam quàm illorum, qui nos tantò antè præſtruxerunt. Adjicient præterea multa de auctoritate cuiuſque doctoris hæretici, illos maximè doctrinæ ſuæ fidem confirmaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe, futura ſignificaſſe, vtì meritò Apoſtoli crederentur. Quaſi nec hoc ſcriptum ſit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad falla- Matth. 24. ciam muniendam corruptæ prædicationis. 11. & 24.

[a] 2. Cor. 5. 10.

11. Hæretici fidei impugnatores, eius principia euellunt. De Bapt. cap. 2. V. Baptiſmi materia, 1.

HÆRETICORVM ELOGIA. X. SCHOL.

APVD NOS, *verè Chriſtianos.* PRESSIORIS, *firmioris, ſolidioris, à vanis, & ſuperſtuis fabulis, quibus luxuriat hæretica diſciplina in hoc Gentilis ſimilis, expurgatæ Catholicæ diſciplinæ.* TESTIMONIA *præſcriptiones intelligit, quibus ſupra, veritatem fidei Catholicæ comprobauit.* ACCEDVNT *quaſi munimina & ſuſtentacula.* DEVERTERE, *tantiſper aberrare.* OMNES NOS, 2. *Cor.* 5. 10. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue

[a] Omniloquium.

bonum ſiue malum. *Tranſlat. Syr.* Vt reportet vnuſquiſque in corpore ſuo id quod egit ſibi, ſiue bonum, ſiue malum. *Et Rom.14.10.* Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, &c. itaque vnuſquiſque pro ſe rationem reddet Deo. IN PRIMIS. *Quomodo? cum ſcriptum ſit:* qui non credit iam iudicatus eſt?

S.Aug. *Accipe ab Auguſtino:* Nondum apparuit iudicium, ſed iam factum eſt iudicium. *tract. 12. in Io. 3. Sed maximè de fide per hæreſim corrupta reddenda erit ratio, & ſubeunda condemnatio, dicente Chriſto:* qui crediderit ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur. *Quod ſi ratio reddenda eſt de donis acceptis, & talentis diſſipatis, cum hoc ſit, teſte Petro,* pretioſum donum, *quo* diuinæ ſumus conſortes naturę. *Et Ioannis 1. quo,* poteſtatem dedit filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: *quanta eſt fidei corruptæ ratio reddenda, quæ virgo integra tradita fuerat in baptiſmo à Chriſto? & quam conſtuprandam hæreticis quia tradidit adulterio nefando praui dogmatis?* In primis, *autem dixit, de fide reddendam rationem, licet enim in iudicio Matth. 25. fiat ſola mentio operum negligentium, cùm opera bona ſicut fructus; ſanam, integram, & quaſi virginem ſupponant radicem; multò magis de fide corrupta reddenda erit ratio. Et ſi:* Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: *Si,* omnem palmitem in Chriſto non ferentem fructum excident, colligent, in ignem mittent arſurum: *quid fiet de arbore, vel radice corrupta, vel per hæreſim à Chriſto radice præciſa?* CREDO ALLEGABVNT, *fortè, inquit, Chriſto iudici pro ſua defenſione, dicent, nunquam ſe, vel Chriſti, vel Apoſtolorum verbis præmonitos fuiſſe, ſub ſerum tempus & poſt eius in cælum aſcenſum, venturos pſeudoprophetas. Alij pro ſeris, legunt,* ſæuis: *id eſt crudelibus, & impijs hæreticorum doctrinis, quæ pietatem erga Deum effodiunt, & fidem virginem obtruncant, & domum Dei vſque ad fundamentum euertunt. De quibus Pſaltes:* Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea. *Et Abacuc.3.* Denudaſti fundamentum eius vſque ad collum. *Fidem enim, & radicem,*

S. Aug. *& fundamentum dixit Auguſtinus:* fides eſt fundamentum ædificij, ſpes murus æneus, Charitas tectum atque faſtigium. Prima radix, ſecunda ramus, tertia fructus. *Et in præf. Pſal.139.* Non eſt omnium

S. Aug fides, 1. Theſſ.3. fides autem ſic eſt in anima, vt radix bona, quæ pluuiam in fructum ducit: perfidia verò, & error diabolicus, & cupiditas mala, radix omnium malorum: ſicut radix ſpinarum, etiam dulcem pluuiam ad punctiones conuertit.

Fundamentum autem fidei Chriſtum, ſine quo ædificantes bona opera, vel in quo mala extruentes, ſiue hæretici fidem adulterantes, ſiue Chriſtiani charitatem & gratiam peccato mortali violantes, ſiue in bono fundamento mala opera producentes, æternum arſuri damnabuntur, ſuè differit Auguſtinus in Pſal.80. in verſum Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula. *Vbi ſic interrogat baptizandum & fidem quaſi nobilem virginem ſibi à Chriſto traditam in*

S. Aug. *ſponſam ſuſcepturum.* Renuntias? *ſupple diabolo Patri mendacij, erroris, hæreſis, &c.* renuntio, & redit ad quod renuntiatur, *ſiue ad hæreſim abiuratam, ſiue ad Idololatriam, ſiue ad peccatum mortale quodlibet.* Vtique quibus rebus renuntias, niſi factis malis, niſi factis diabolicis, factis à Deo damnatis, furtis, rapinis, perjuriis, homicidiis, adulteriis, *maximè fides, de quibus hic agit Tertullianus* ſacrilegiis, ſacris abominandis, curioſitatibus? *id eſt magijs, de quibus Scholio præcedenti.* His omnibus renuntias, & rurſus his inflexus, ſuperaris. Facta ſunt tibi poſteriora deteriora prioribus. Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabris cœni. Inimici Domini mentiti ſunt ei. Et quanta patientia Domini? quare non proſternuntur? quare non trucidantur? quare non terra dehiſcente ſorbentur? quare non cœlo flagrante incenduntur? quia magna patientia Domini. Et erunt impuniti? abſit. Non ſibi tantum de Dei miſericordia blandiantur, vt ſibi eius iniuſtitiam polliceantur. Ignoras quia Dei patientia ad pœnitentiam te adducit? tu autem ſecundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. Et ſi modo non reddit, tunc reddet. Si enim modo reddit, ad tempus reddit. Non conuerſo autem, nec correcto, in æternum reddet, &c. & erit tempus eorum in æternum, &c. non ſibi polliceatur vnuſquiſque habens facta nefaria, quæ regnum Dei non poſſidebunt, & dicat ſibi: quoniam habeo ſignum Chriſti, *characterem baptiſmi*, & Sacramenta Chriſti, non delebor in æternum: & ſi purgor, per ignem ſaluus ero. Nam quid eſt, quod ait Apoſtolus de his qui habent fundamentum? fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Quid eſt, inquiunt, quod ſequitur? vnuſquiſque autem ſuper fundamentum videat quid ſuperædificet; alius enim ſuperædificat aurum, argentum, lapides pretioſos, alius ligna, fœnum, ſtipulam: vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit, &c. Non dabo quod non accipio, timens terreo: ſecuros vos facerem, ſi ſecurus fierem ego. Ignem æternum timeo. Et erit tempus eorum in æternum. Non accipio niſi ignem æternum, de quo alio loco ſcriptura dicit, ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur. Sed de impiis dixit, ait aliquis, non dixit de me; qui quamuis peccator ſim, quamuis adulter, quamuis fraudator, quamuis raptor, quamuis perjurus, *quæ omnia elogia aptè in hæreticum cadunt, vt patet penſitanti*, habeo tamen in fundamento Chriſtum, Chriſtianus ſum, baptizatus ſum, ego per ignem, *tribulationis alicuius huius vitæ*, purgor; & propter fundamentum, non pereo, &c. attende ergo ipſum iudicem venientem. Benè, Deo gratias. Non tacuit ſententiam definitiuam. Non miſit foras reos, & duxit velum? *dicens, abſcondam faciem meam ab eis*, ante voluit prænuntiare, quod diſpoſuit facere: Nempe, congregabuntur ante eum omnes gentes. Quid de illis faciet? ſeparabit eas; & alios ponet ad dexteram, alios ad ſiniſtram. Numquid medius locus ſeruatus eſt? quid dextris dicturus eſt? Venite benedicti, &c. Quid ſiniſtris? Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Si non times mitti quò, vide cum quo. Si ergo, &c. qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt, ſi ergo à dextris Dei non erunt, non reſtat niſi vt ſint à ſiniſtris. Siniſtris quid dicet? ite in ignem æternum. Quia erit tempus eorum æternum. AGNOSCANT SVAM, *illi à fide aberrantes propria libertate, præmoniti de futuris hæreticis.* QVAM ILLORVM. *Apoſtolorum.* PRÆSTRVXERVNT, *prius longè ante hæreſes inſtruxerunt venturos, qui poſitum fundamentum vnicum Chriſtum euellerent. Alij non ita benè legunt.* Agnoſcent ſuam potius culpam, quàm ſuorum, *ſupple hæreſiarcharum, quos, vt apertos pſeudopropheras ſequi non debebant*, qui nos non ante præſtruxerunt. *Id eſt qui non ab initio, ſicut Apoſtoli, non inſtruxerunt Eccleſiam, ſed iam ſeminato tritico in agro, zizania ſuperſeminauerunt. Alij ſic explicent, vt præcedentem ironiam continuet. Fortè Chriſtus & Apoſtoli in iudicio excuſabunt hæreticos ſuos, ab hæreſiarchis ſeductos, quòd per culpam ſuam & obliuionem*

non eos præmonuerint, de venturis pseudoprophetis, quos cauissent. ADJICIENT PRÆTEREA, *supple seducti ab hæreticis, ad suam excusationem: Doctores suos, viros fuisse magnæ authoritatis, & miraculis, & futurorum præsignificationibus, id est prophetijs suam doctrinam confirmasse.* VTI MERITO, *adeone iustè pro Apostolis haberentur. Quasi verò, inquit, & Christus non prædixerit prodigia & signa pseudoprophetarum facienda ad confirmandam peruersam doctrinam.*

12. Hæreticorum disciplina confusa, mulieres docere permittit; inconstans in gradibus seruandis: non ethnicos conuertere, sed fideles peruertere curat, & inter se diuisi hæretici, ad euertendam Christi vineam conciliantur. De Præscr. cap. 41. per totum, & 42. in p. ad m.

NOn omittam ipsius etiam conuersationis hæreticæ descriptionem, quàm futilis, quàm terrena, quàm humana sit; sine grauitate, sine auctoritate, sine disciplina; vt fidei suæ congruens. In primis quis cathecumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnici si superuenerint, a *sanctum canibus, & porcis margaritas*, licet non veras, iactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cuius penes nos curam lenocinium vocant: pacem quoque passim cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Antè sunt perfecti catechumeni, quàm edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ, quàm procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes: nunc neophytos conlocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur; quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laïcus: nam & Laïcis sacerdotalia munera injungunt. De verbi autem administratione quid dicam; cum hoc sit negotium illis, non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi? hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent. Adime illis legem Moysi, & Prophetas, & Creatorem Deum; accusationem eloqui non habent. Ita fit vt ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quàm exstructiones iacentium ruinarum. Ad hæc solummodo opera humiles, & blandi, & summissi agunt.

a Matth. 7. 6.

CAP. XLII.

13. Hæretici nullo seruato ordine disputant. De Resur. cap. 2. circa m.

ORdo semper à principalibus deduci exposcit, vt de ipso, prius constet, à quo dicatur dispositum esse, quod quæritur. Atque adeò & hæretici ex conscientia infirmitatis, nunquam ordinariè tractant.

14. Hæretici phantasmata sua pro reuelationibus habent inter se diuisi. Cont. Valent. cap. 4. circa f.

SI aliquid noui adstruxerint, reuelationem statim appellant præsumptionem, & charisma ingenium; nec vnitatem, sed diuersitatem.

15. Et de Præscr. cap. 42. à p.

CÆterum nec suis præsidibus reuerentiam nouerunt, & hoc est quod schismata apud hæreticos ferè non sunt; quia cum sint, non parent. Schisma est vnitas ipsis. Mentior si non etiam à Regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur quę accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino; Idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspectæ hæreses omnes, in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur. Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide, extorres, sine lare vagantur.

HÆRETICORVM ELOGIA. XII. XIII. XIV. XV. SCHOL.

CONGRVENS, *similis fidei hæreticæ, futili, terrena, inordinata, conuersatio hæreticorum.* QVIS CATECHVMENVS. *Nullum discrimen inter eos qui instruuntur & discunt apud hæreticos, & eos qui iam profitentur & plenè credunt; cùm quatuor essent distincti gradus in Ecclesia Catholica:* Competentes, Catechumeni, fideles, pœnitentes. *De competentibus, & catechumenis, gradibusque eorum distinctis, fusè*
Aug. *Aug. to. 4. lib. de fide & operibus, cap. 5.* Videamus, vnde agitur, id est, verum ad percipiendum baptis-

B mum sic admittendi sunt homines, vt nulla ibi vigilet diligentia, ne sanctum canibus detur: *Ea vt respondet etiam hoc loco Tertulliano, hoc hæreticis exprobranti:* vsque adeò vt nec apertissimi adulterij perpetratores, & eius perseuerantiæ professores, à Sacramento tantæ sanctitatis videantur arcendi: quo sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eandem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, ieiuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis, & veris vxoribus, se concu-

bituros profiterentur; atque huius rei, quamuis alio tempore licitæ paucis ipſis ſolemnibus diebus, *feſtum Paſcha vel Pentecoſtes baptiſmo ſolemni deſtinatum, præcedentibus*; nullam continentiam ſeruaturos. Quomodo igitur ad illa ſancta, recuſans correptionem, adulter admittitur, quo recuſans obſeruationem non admittitur coniugatus? Sed prius, inquiunt, baptizetur; deinde doceatur, quid ad bonam vitam moreſque pertineat. Fit hoc, vbi quemquam fortè dies vrget extremus, vt ad verba pauciſſima, quibus tamen omnia continentur, *verbi gratia, credis in Deum? in Eccleſiam? & omnia quæ credit Eccleſia? doles? & renuntias omnibus peccatis, &c.* Credat, Sacramentumque percipiat, vt ſi ex hac vita migrauerit, liberatus exeat à reatu præteritorum omnium peccatorum. Si autem ſanus petiit ſpatium diſcendi quæ diſcenda ſunt, quod aliud opportunius tempus reperiri poteſt, quo audiat, quemadmodum fidelis fieri, ac viuere debeat, quàm illud, cùm attentiore animo, atque ipſa religione ſuſpenſo, ſaluberrimæ fidei Sacramentum petit? An vſque adeò diſſimulamus à ſenſibus noſtris, vt vel nos-ipſos non recordemur, quàm fuerimus attenti atque ſolliciti, quid nobis præciperent, à quibus catechiſabamur, cùm fontis illius Sacramenta peteremus, atque ob hoc competentes etiam vocaremur: vel non intueamur alios, qui per annos ſingulos ad lauacrum regenerationis accurrũt, quales ſint ipſis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, ſcrutantur; quanta vigilantia conueniant, quo ſtudio ferueant, qua cura pendeant? Si tunc tempus non eſt diſcendi, quæ vita congrua tanto, quod accipere deſiderant, Sacramento, quãdo erit? an verò cùm acceperint in tantis criminibus permanentes, etiam poſt baptiſmum non noui homines, ſed rei veteres: vt videlicet peruerſitate mirabili, prius eis dicatur, induite hominem nouum: & cùm induti fuerint, poſtea dicatur, exuite veterem; cum Apoſtolus ſanum ordinem tenens, dicat: exuite veterem, & induite nouum: & ipſe Dominus clamet; nemo aſſuit pannum nouum veſtimento veteri; & nemo mittit vinum nouum in vtres veteres? quid autem aliud agit totum tempus, quo catechumenorum locum & nomen tenent; niſi vt audiant quę fides, & qualis vita debeat eſſe Chriſtianis? vt cum ſeipſos probauerint, tunc de menſa Domini manducent, & de calice bibant; quoniam qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat, &c.

Vnde Petrus eoquod recenter baptizatis, ſtatim die Paſchatis corpus Chriſti ſumendum dabatur, quaſi modo, inquit, geniti infantes rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite, vt cum eo creſcatis in ſalutem. S.Aug. *Subiecit Auguſtinus*, quòd autem fit per omne tempus quod in Eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt, vt ad nomen Chriſti accedentes, *Chriſtiani ſcilicet* catechumenorum gradus accipiant: hoc fit multò diligentius & inſtantius, his diebus, quibus competentes vocantur; cùm ad percipiendum baptiſma, ſua nomina iam dederunt. *Vbi nota, & diuerſos catechumenorum gradus, & competentium à catechumenis diuerſitatem. Hi enim erant iam inſtructi, & proximiores percipiendo baptiſmo, qui nomen ſuum militiæ Chriſtianæ immatriculabant. De quo ſic idem Aug. de ſeipſo memor. lib. 9. Confeſſ. cap. 6.* Vbi tempus aduenit, quo me nomen dare oporteret, relicto iam Mediolanum remeauimus, placuit & Alipio renaſci in te mecum, iam induto humilitate Sacramentis tuis congrua, &c. Sociauimus eum, *Adeodatum filium*, coæuum nobis in gratia tua, &c. *De competentibus & Ser. 116. de temp. qui eſt tertius in ramis palmarum, propria titulo*, ad competentes. *Vbi ſic habet:* Competentes dicuntur, ſimul petentes: quomodo conſedentes nihil eſt aliud, niſi ſimul ſedentes: & colloquentes, nihil eſt aliud, niſi ſimul loquentes: concurrentes ſine dubio non intelliguntur, niſi ſimul currentes, &c. Ecce iam quare hoc nomen competentes habeant, didicerunt: Nunc verò iſti qui ſimul petunt, debent ſcire quid petunt. Quid ergo petũt, qui baptiſmi Sacramenta deſiderant? quid vtique, niſi vt qui erant vaſa diaboli, mereantur effici vaſa Chriſti? totum in nobis ſpiritaliter impletur miniſteriis Angelorum, &c. *Poſtea hortatur eos, vt vſque ad Paſcha diligenter examinent conſcientias ſuas, &c.* Pro omnibus his cum gemitu, & Aug. compunctione, miſericordiam Dei quęrant, & ad baptiſmi Sacramenta per pœnitentiam mundati perueniant, &c. vt caſtitatem ante baptiſmum cuſtodiant, & poſt baptiſmum non paruo tempore ſe à voluptate cuſtodiant, &c. & quia omnes competentes vterus matris Eccleſiæ, Chriſto inſpirante, concepit, nihil iniuſtum aut inhoneſtum exerceant, ne fortè, malè agendo, viſcera materna concutiant: *hinc mulier Apoc. 12. cruciabatur vt pareret:* & ante legitimum partum, velut aborſum eos Mater ſancta proijciat: ſed magis omnes competentes benigni ſint, humiles, manſueti, ſobrij; vt ad ſalutaris baptiſmi Sacramentum ordine legitimo conuenientes, de hœdis conuertantur in agnos, de ſiniſtra transferantur ad dexteram, cum illis, qui ad dexteram erunt, illam deſiderabilem vocem feliciter audituri, venite benedicti, &c. *Vide eundem Ep. 155. ad Marcianum circa f. & to. 4. de cura pro mortuis, cap. 12. in f. vbi alter etiam dedit nomen inter competentes.* PARITER ADVENT, *ſine diſcretione admittuntur in illorum Eccleſiam, cùm catechumeni in Catholica, non ſederent cum cæteris fidelibus, nec Laici cum Clericis, nec mulieres cum viris, ſed ſinguli in loco & gradu ſuo.* PARITER AVDIVNT, *rudiores cum doctis, ſublimia & humilia documenta; cùm Paulus docuerit Eccleſiam Catholicam, eiuſque magiſtros, primò lac potum dare quàm eſcam paruulis nondum valentibus portare ſolidum cibum. Catechumeni enim paruuli, & prorſus ineruditi, domi de elementis fidei eruditebantur; inde in Eccleſia audiebant, & facta concione iubebantur templo diſcedere. Adhuc myſteriorum incapaces, nec ſimul cum fidelibus orabant.* LICET NON VIRAS; *quia falſam doctrinam docent & ſenſum corruptum Scripturæ.* PROSTRATIONEM, *Conculcationem & vilificationem doctrinæ ſuæ omnibus etiam ethnicis euulgata, iactant quaſi ſimplicitatis virtutem, ſicut apud Chriſtianos in rebus diuinis cum diſcretione diſtribuendis curam, lenocinium quoddam ad ſimplices decipiendos, dictitant.* PACEM QVOQVE. *Ad communionem indifferenter, abſque peracta pœnitentia, reos admittunt, vel ethnicos, & quoſcumque, ſine diſcrimine in conſortium coniugiumque recipiunt. Vel aptius, ob ſequentia; cùm omnibus etiam aliis ſectis conueniunt licet diuerſa ſentientibus; modo cum illis ad vnam Eccleſiæ fidem impugnandam colligentur. Sic enim inter ſe plerumque diuiſi,* in eo dum conuenirent aduerſum me cõciliati ſunt. *Sic enim voce Pſaltis Eccleſia iam olim de hæreticorum contra ſe colligatione querebatur.* OMNES TVMENT. *Nullus hæreticus non ſuperbus. Hinc Hiero. in cap. 1. Oſee.* Hæretici matrem habent iniquitatis ſuæ ſuperbiam, dum ſemper ſe ſcire altiora iactitant, & in Eccleſiæ contumeliam debacchantur. *De gnoſticis id* Aug. *teſtatur Auguſtinus lib. de hæreſ. hæreſi 6.* Gnoſtici propter excellentiam ſcientiæ ſic ſe appellatos eſſe, vel appellari debuiſſe gloriantur, cùm ſint ſuperioribus omnibus vaniores atque turpiores. Denique

cum ab aliis atque aliis per diuersas tertarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam
Aug. turpitudinem. *Et lib. de Pastoribus cap. 8.* Alia secta in Africa, alia hæresis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Mesopotamia &c. diuersis locis sunt diuersæ, sed vna mater superbia omnes genuit, sicut vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles, toto orbe diffusos. Non ergo mirum si superbia parit dissensionem, charitas vnionem. AVDEANT DOCERE, *cum ab Apostolo, à maritis domi interrogando discere iubeantur; in Ecclesia bene facere. Sic & Clem. Rom. constit. Apostolicarum. cap. 6. Inducit loquentes Apostolos:* Non permittimus mulieres in Ecclesia docere, sed tantùm orare, & Magistros audire; nam Magister ipse est & Dominus Iesus Christus, cùm nos duodecim ad docendum populum Gentesq; misisset, nusquam mulieres misit ad prædicationem, quanquam non deerant; erat enim nobiscum mater Domini. *Et Concil. Carthag. 4. Can. 99. cui adfuit & subscripsit Augustinus:* Mulier quamuis docta & sancta, viros in conuentu docere non præsumat. EXORCISMOS AGERE. *Siue ad expellendos damones, siue ad morbos ex incantatione veneficisque causatos,* CONTENDERE, *disputare de Scriptura & materiis fidei.* CVRATIONES REPROMITTERE, *quasi haberent à Spiritu Sancto sicut Apostoli alisque Sancti,* donum curationum. TINGVERE *baptizare. Sic & apud Clem. lib. 3. Constit. Apost. cap. 9. edicunt Apostoli;* De mulieribus, an hæ baptizare debeant, significamus vobis, quod non paruum periculum imminet eis quæ hoc faciunt &c. Imo iniquum & impium. *Et Augustinus cum aliis Patribus in Concil. 4. Carthag. Can. 101.* mulier baptizare non præsumat. *Quòd mulieres haereticæ, hæc, aliaque ministeria Sacerdotalia ausu temerario aggressæ sint, de Montanistis & Pepusianis testatur Augustinus. haresi 27.* Pepusiani à loco quodam nominati sunt,
Aug. quam Ciuitatem desertam dicit Epiphanius. Hanc autem isti diuinum aliquid esse arbitrantes, Hierusalem vocant, tantum dantes mulieribus principatum, vt Sacerdotio quoque apud eos honorentur. *quod Clem. Rom. loco citato Gentilium sacrificulas sapere notat,* dicunt enim Quintillæ, & Priscillæ, in eadem ciuitate Pepusa Christum specie fœminæ reuelatum: Vnde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur. Faciunt & ipsi de sanguine infantis, quod Cataphryges *Montanistæ* facere supra diximus. Nam & ab eis perhibentur exorti. Denique alij hanc Pepusan, non esse ciuitatem, sed villam dicunt fuisse Mōtani, & Prophetissarum eius, Priscæ, & Maximillæ; & quia ibi vixerunt, ideo locum meruisse appellari Ierusalem. ORDINATIONES, *loquitur de Sacramento Ordinis, & de Officiis Ecclesiasticis, sine Ordine, hoc est confusè, & inconstanter gestis.* NEOPHYTOS CONLOCANT, *recenter in fide Christo genitos, in dignitate Episcopali collocant: contra Paulum talem fieri Episcopum. prohibentem 1. Tim. 3. 6.* Non Neophytum, *Syr. ne sit puer Disciplinæ suæ* ne in superbiam elatus in iudicium incidat Diaboli. SÆCVLO OBSTRICTOS. *Præfecturæ Gentili, sine Togæ, sine militiæ, sine etiam sit iuxta Paulum* negotiis sæcularibus implicatus, *nisi hæc deserat.* PROFICITVR *in gradu & honore.* IPSVM ESSE, *satis est desertâ Ecclesiâ Catholicâ in haereses transfugisse, vt hoc ipso gradum aliquem promereri quis possit.* SACERDOTALIA MVNERA. *Clem. Rom. lib. 3. Constit. Apost. can. 10.* Neque laïcis concedimus aliquod Sacerdocale munus exercere, veluti sacrificium, baptismum, manus impositionem, vel benedictionem, magnam siue paruam; non enim sibi quis sumit honorem, sed qui vocatur à Deo; & per Episcopi manus datur hæc dignitas: Et qui ad eam promotus non est, sed eam sibi vsurpat Oziæ pœnam sustinebit. ADIME ILLIS LEGEM. *Maximè hic pungit Marcionitas, Moysem, cum lege veteri, & Deo Creatore reprobantes.*

PRINCIPALIBVS. *Hæc Aristoteles vniuersalia vocat,* 13.
vt deinde facilius fiat conclusio de singularibus. VT DE IPSO *de quo tractatur.* A QVO, *tanquam principio & causa efficiente.* EX CONSCIENTIA, *quia haretici benè sibi sunt conscij, quòd infirma sint eorum argumenta, quibus frustra probare contendunt carnis resurrectionem non esse; & duos Deos esse, quorum vnus sit rerum corporalium author, à quo proinde carnis resurrectio pendet, alius Deus superior & melior; Ideo communiter nullum ordinem seruant in tractatibus & disputationibus suis, nec incipiunt à principio & causa efficiente, sed perturbato ordine, primò de carnis vilitate tractant, vt Deum bonum, eius authorem esse non posse probent, & eam indignam resurrectione suadeant; vt sic dissuasi q quos seducere conantur, à fide & spe in Deum Creatorem, abducant in fidem Dei illius boni, qui spiritalia tantùm suis cultoribus retribuat.*

ADSTRVXERINT *artifices vtique haretici, nouorum* 14.
figmentorum; quod præsumunt de nouo fingere, quasi reuelationem à Spiritu Sancto acceptam venditant; & quod proprio ingenio adinuenerunt, donum Dei vocant. NEC VNITATEM, *Sicut vna est fides Catholicorum; sed diuersitatem opinionum & sectarum. Sic diuersi inter se capitibus & sententiis, contra nos ad Christi vineam demoliendam caudis iunctis certant.*

NORVNT, *supple exhibere.* NON SVNT. *Non quòd* 15.
non sint vt subijcit, sed quòd visitatissimæ sint diuisiones & quasi perpetui contextus schismatis, non apparet diuersitas, quia semper est diuersitas. VNITAS IPSIS, *id est non aliam habent vnitatem haretici, in nullo alio concordant, quàm in assidua discordia. Alij legunt:* Non parent schismata, est enim vnitas ipsa. *Id est ipsa schismata, sunt tota vnitas & consensus hæreticorum.* A REGVLIS, *ipso fidei eorum Symbolo.* DE SVO, *pro libito hinc inde detorquet & flectit quò vult* PROFECTVS REI. *Progressus conformatur origini. Vt enim haresiarchæ errorum Authores pro libito finxerunt eos, sic eorum Discipuli pro arbitrio suo eos admittunt & diuersificant,* FIDEM INNOVARE, *primò acceptam, nouo modo exponere & variare.* NEC ECCLESIAS *cœtus & conuentus certos & determinatos vniformi credendi norma.* SINE MATRE. *Matrice & originali Ecclesia, quam vniformiter sequantur.* SINE SEDE. *Vel Episcopali, vel certo loco consistentes nusquam.* ORBA FIDE, EXTORRES, *vagi, & oculo fidei priuati, & notandum, diuersitatem, & schismata haereticorum ex irreuerentia erga suos Præsides & authores procedere, à quibus diuiduntur, sicut & ipsi inter se capitibus diuisi sunt, & cauda ligati, hoc est sine & intentione nocendi Ecclesiæ, in hoc similes vulpibus Samsonis, de quibus sic Augustinus, in Psal. 80. in versum: Israël si audieris me, non* S. Aug.
erit in te Deus recens &c. Multi hæretici cum paganis alios & alios Deos ipsi sibi finxerunt, alios & alios Deos sibi ipsi fecerunt, & eos etiam si non in templis, tamen quod est peius, in suo corde posuerunt, & falsorum ridendorumque simulacrorum templa ipsi facti sunt. Magnum opus est intus hæc idola frangere; & locum Deo viuenti, non recenti mundare. Omnes enim isti aliud atque aliud sentientes, alios atque alios Deos sibi facientes, *sicut Valentiniani & Marcionitæ* ipsamque fidem falsitate variantes, videntur dissentire: sed omnes à terrenis cogitationibus non recedunt, in terrenis cogitationibus conseruiunt sibi. Opinio diuersa est, vanitas vna est. De illis in alio psalmo dicitur: ipsi de vanitate in

vnum colligantur. Quamuis opinionum varietate discordent, simili tamen vanitate colligantur. Et nostis quia vanitas retro est, posterior est; *ideo Tertull. pluries dixit alibi, omnem hæresim posteriorem esse veritate Catholica* ideo ille quæ retro oblitus est, id S.Aug. est vanitatem oblitus, in ea quæ ante sunt, id est in veritatem extensus, sequitur ad palmam supernę vocationis Dei in Christo Iesu. Ergo in peius sibi isti consentiunt, quamuis dissentire à se inuicem videãtur. Ideo Samson caudas vulpium colligauit. Vulpes insidiosos, maximeque hæreticos significant &c. faciunt sibi ergo Deos recentes quique quales volunt. Quid enim impedit officinam decepti cordis fabricare phantasma quale voluerit? Sed omnes hi in posterioribus consentiunt, id est simili vanitate detinẽtur. *Vel fine superbia, ex inuentione nouæ sectæ, vnde volunt æstimari, vel & simili crudelitate, qua vineam & cæteta Ecclesiæ incendunt, licet, vt subjcit Augustinus, electis nihil noceant, sed prosint maximè,* S.Aug. *Christo id intendente.* Vnde Samson noster, qui etiam interpretatur Sol ipsorum, eorum scilicet quibus lucet, non omnium, sicut est Oriens super bonos & malos; sed Sol quorundam, Sol Iustitiæ, figuram enim habebat Christi: Colligauit vt dicere cœpo-

A ram, caudas vulpium, & ibi ignem alligauit: ignem ad incendẽdum, sed messes alienigenarum. Proinde tales consentientes, in posterioribus tantum caudis colligati, trahũt ignem corrũpentem, sed non incendunt nostrorum segetes. Nouit enim Dominus qui sunt eius, & recedit ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea *quæ per ignem probantur & mundantur* sed & lignea & fictilia, *quæ in cineres & fracturas dissipantur* & alia quidem sunt in honorem, alia verò in contumeliam. Si quis autem mundauerit se ab huiusmodi, *Phantasmatibus Deorum & diuersitatibus errorum nouorum & recentium pra antiB qua fide vnius Dei antiqui dierum & æterni* erit vas in honorem vtile Deo, ad omne opus bonum paratum; Aug. & ideo nec caudas vulpium, nec faces vulpium pertimescet &c. Non erit in te Deus recens. Mouet me quod dixit, in te: non enim dixit, à te, quasi simulachrum forinsecus adhibitum; sed in te, in corde tuo, in imagine phantasmatis tui, in deceptione erroris tui, tecum portabis Deum tuum recentem, remanens vetustus. Si ergo me audieris, me, inquit, quia ego sum qui sum, non erit in te Deus recens.

16. Hæretici priuilegium est, mentiti, fingere articulos fidei, prurita argumentandi agitari, Ethnicis peiores esse. De Car. Chri. cap. 15. in p.

LIcuit & Valentino ex priuilegio hæretico, carnem Christi spiritalem comminisci. Quiduis eam fingere potuit, quisquis humanam credere noluit.

17. Et ibid. à m.

TAlia & ethnici volutabunt. Ergo Dei filius in tantum humilitatis exhaustus? &, Si resurrexit in exemplum spei nostræ, cur nihil tale de nobis probatum est? Meritò ethnici talia, sed meritò & hæretici. Nunquid enim inter illos distat; nisi quod ethnici non credendo credunt, at hæretici credendo non credunt?

Et ibid. in p.

CAP. 16. INsuper argumentandi libidine, ex forma ingenij hæretici, locum sibi fecit Alexander ille.

HÆRETICORVM ELOGIA. XVI. & XVII. SCHOL.

EX PRIVILEGIO. *Vsurpato scilicet & præsumpto* C *ab omnibus hæreticis.* COMMINISCI, *fingere, ne videlicet inferior Angelis haberetur, cùm tamen ideo ex professo Psaltes eum dicat minoratum ab Angelis, & Paulus Hebr. 2. 9. ex loco Psalmi citato sic concludat:* Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius: in eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Eum autem, qui modicò quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum: vt gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem. *Translat Syr.* Nam Deus ipse per gra- D tiam suam pro omnibus gustauit mortem. *Nihil ergo metuendum ignominiæ ex carnis sub Angelis vilitate, quam ob vnionem Verbi Deus super Angelos pedibus eius subiectos exaltauit. Aug. tom. 6. lib. 3. Contra Ma-*S.Aug. *ximinum Arrian. Epist. cap. 25.* quod tibi videtur nihil magnum de Deo Patre dici, si forma serui maior est, qua maiores videntur & Angeli, non rectè cogitas quem locum in rebus habeat humana natura, quæ condita est ad imaginem Dei. Maiores Angeli dici possunt homine, quia maiores sunt hominis corpore, maiores sunt & animo, sed in forma, quam peccati originalis merito, corruptibile aggrauat cor-

pus. *Excellunt etiam spiritus Angelici sine discursu intelligentes quaslibet animas rationales discursu vtentes: Sed humana natura corpoream & spiritalem naturam in se colligens, in aliquo dici potest excedere Angelicam tantummodo spiritalem; à qua rursus exceditur, ob puram spiritalitatem, Deo & Domino spirituum simplici, similiorem: Deus enim spiritus est, pergit Augustinus naturam humanã ob Verbi vnionem pra Angelis extollere.* Naturâ verò humanâ, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato Aug. potuit deprauari, solus maior est Deus. Denique, propter quid dictum sit, minorasti eum modico minus quàm Angelos, aperuit Scriptura, vbi legitur *loco Apostoli præcitato:* eum autem modicò minus quàm Angelos minoratum vidimus Iesum propter passionem mortis. Non ergo propter naturam hominis, sed propter passionem mortis. Naturâ verò hominis, quæ mente rationali intellectuali, creaturas cæteras antecedit, Deus solus est maior; cui vtique iniuria facta non est vbi scriptum est 1. Io. 3. 20. Maior est Deus corde nostro. Filius ergo Dei susceptum hominem leuaturus ad Patrem, quando dicebat: si diligeretis me, gauderetis vtique quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est: non carni suæ solum, sed etiam menti, quam gerebat humanam, Deum Patrem vtique præferebat: quę tota sine dubio forma agnoscitur serui, quoniam tota seruit

creatura

creatura Creatori. QVIDVIS TAM FINGERE. *Sine spiritalem, vt Valentinus, ne vel in hoc inferior esset Angelis: sine Phantasticam vt Marcion; sine Sydeream, vt Apelles. Sed qualiscumque fuisset, sine spiritalis, sine corporea, propter personam Verbi assumentis, Angelis semper eminentior extitisset, quibus & humana idcirco prælata est. De priuilegio porro hæretico; Illud Augustinus Diabolicum vocat, quia vt diabolus in veritate non steterit, & quod voluit finxit, sic & hæretici. Ita ipse* Aug. *to. 6. lib. 22. Cont. Faustum cap. 15.* An fortè quæ de nouo Testamento similia protulimus, ipsa quoque audent dicere falsa esse atque peruersa priuilegio illo suo diabolico, &c.

17. ETHNICI VOLVTABVNT. *Voluent & reuoluent, contra veram Christi carnem & incarnationem similes hæretici-paganis. Augustinus lib. 22. Cont. Faust. cap. 14.* B Aug. Si paganus in nouo Testamento talia reprehenderet, qualia isti reprehendunt in veteri, &c. *Sed præsens in rem, apud Aug. to. 2. Ep. 2. quæ est Volusiani ad Aug. ab ethnico sumentis argumentum:* Intra corpusculum vagientis infantiæ latet, cui parua putatur vniuersitas, patitur puerilitatis annos, adolescit, iuuentute solidatur, tamdiu à sedibus suis abest ille regnator, atque ad vnum corpusculum totius mundi cura transfertur, &c. CVR NIHIL TALE. *Imo verò & de nobis tam in veteri quàm in nouo Testamento, per Eliam, & Elisæum; Christum, Apostolos, Sanctosque plurimos, in nouæ legis data sunt exempla spei resurrectionis nostræ. Quin & Christo surgente, vt ait Euangelista.* Multorum Sanctorum corpora surrexerunt. DE NOBIS. *Gentilibus scilicet, sed nunquid vt in actis Beatæ Agnetis habetur, quòd filium Præfecti Gentilis ab Angelo custode relatore virginitatis eius occisum, Sanctæ Martyris precibus est suscitatum? plena sunt historia Ecclesiastica talium exemplorum.* MERITO ETHNICI, *quia non habent fidem, excusabiles.* TALIA *supple obijciens.* MERITO ET HÆRETICI. *Non quod pariter excusentur, quia sponte exciderunt à fide, quia priuati cum infidelibus reputantur.* ETHNICI NON CREDENDO, *fidem supernaturalem non habendo.* CREDVNT, *humana fide, multis mysteriis, Verbi gratia, Deum esse, bonum & iustum, &c. & vnicum, lumine naturali, vel authoritate Doctorum Gentilium persuasi.* HÆRETICI CREDENDO, *non quòd velit, amissâ per hæresim quamlibet omni prorsus fide, & propter eius indissibilitatem, peccantes in vno articulo factus omnium reus, supernaturaliter adhuc aliquid credere: sed quòd* A *ex habitu credendi, affluxque fidei producendi, dum fideles essent, remanserit in eorum animis quædam credulitatis facilitas circa aliqua mysteria quæ expressè non impugnarunt.* NON CREDVNT, *alijs scilicet articulis, quæ expressè & ex professo reprobauerunt. De quibus & illud dici potest, qui non vident id est Gentiles videntes;* & qui vident, *hæretici* non vident, & cæci fiunt. *Pro libito enim, his reiectis, illa recipiunt, & pro suo arbitrio credunt, aut non credunt. De quibus Aug. to. 6. lib. 17. Cont. Faust. cap. 3. in f.* Vndique tergiuersatio S. Aug. vestra conuincitur: apertè dicitis non vos credere Christi Euangelio: Nam qui in Euangelio, quod vultis creditis, quod vobis non creditis, vobis potius quàm Euangelio creditis. ARGVMENTANDI LIBIDINE. *Bellè pungit ingenium hæretici contentiosum. Hinc Augustinus illis aptat illud Psal. 67. Dissipa Gentes quæ bella volunt: Vbi legit Augustinus.* Dispergentes quæ bella volunt. Non enim correctioni, sed contentioni student. Hoc ergo prophetat, vt ipsi potius dispergantur qui corrigi nolunt, qui gregem Christi dispergere affectant. Gentes autem appellauit non propter generationes familiarum, *quia non sunt orti ex Gentilibus* sed propter genera sectarum, vbi series successionis confirmat errorem. EX FORMA. *Ex more & modo familiari hæreticis.* ALEXANDER ILLE. *cuius nomen tacuerat cap. 15.* Penes quemdam ex Valentini factione, *nec potuit esse ille Martyr de quo agit Suidas, cum essent Valentiniani, teste ipso Tertulliano*, refragatores Martyrij. *Veteris hæretici, huius nominis, meminit apud Augustinum Epistola 11. Hieronymus, & de eodem Ep. 19. ad Hieronymum, Augustinus:* Laodicenum, cuius nomen taces, de S. Aug. Ecclesia dicis nuper egressum; Alexandrum autem veterem hæreticum; Origenem verò ac Didymum reprehensos abs te lego in recentioribus opusculis tuis. *Vbi miror Augustinum dicere non nominatum Laodicenum, cùm in pleriscque exemplaribus legerim in Epistola 11. Hieronymi ad Aug.* Prætermitto Didymum, videntem meum, & Apollinarem Laodicenum, de Ecclesia nuper egressum, & Alexandrum veterem hæreticum. *Sed non dubito prætermissum nomen Laodiceni in Autographo quod Augustinus à Hieronymo accepit. Quidquid sit, vetus ille fuit respectu ætatis eorum hæreticus ille Alexander, contra quem hic scribit Tertullianus. Nec potuit esse vetustior ille, de quo Paulus 1. Tim. 1. 20.* Quidam circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander.

18. Hæretici simplices decipient, obijciendo eis res sensibiles faciliores occultis fidei. De Resur. cap. 3. inf. & 4. in p.

COmmunes sensus simplicitas ipsa commendat, & compassio sententiarum, & familiaritas opinionum; coque fideliores existimantur, quia nuda & aperta & omnibus nota definiunt. Ratio autem diuina, in medulla est, non in superficie; & plerunque æmula manifestis. Itaque hæretici, inde statim incipiunt, & inde præstruunt; dehinc interstruunt, vnde sciunt facilè capi mentes, de communione fauorabili sensuum. CAP. IV.

HÆRETICORVM ELOGIA. XVIII. SCHOL.

COMMVNES SENSVS, *intelligit quæ communi omnium sensu recepta sunt, qualia sunt prima naturæ principia naturali lumine nota; sicut, Deum esse, animam immortalem, &c. vel accipit plurium in eumdem sensum conspirationem. Sicut idem Tertull. dixerat huius capitis initio:* Est quidem *licet* & de communibus sensibus sapere in Dei rebus. *Sensus autem huius loci est: cum simplicitas ipsa receptibiles faciat absque vlla argumentatione, communes & vulgares sensus & dicta,* ET COMPASSIO, *id est sympathia & velut consD piratio, & familiaritas receptarum vulgò opinionum, eas tantò fideliores & receptibiliores reddat, quo absque vlla argumentatione, res in nudo & aperto positas enuntiant; ex aduerso autem, dispositio, sine ratio diuina, id est mysteria fidei, intima sunt, & oppositæ manifestis;* fides enim est argumentum non apparentium: *hinc fit, vt hæretici seducere volentes animas simplices, prima in eis fundamenta erroris iaciant, & inter ædificandum falsa sua dogmata interponant communes aliquos sensus vulgò receptos, per se patentes; vt mysteria fidei occulta,*

vel impoßibilia, vel ridicula ſuadeant, ſicut ſerpens ſeduxit Euam apparente ſpecie ligni vetiti, à quo prohibendo tanquam mortifero vel malo, Deum legem ſtatuere non debuiſſe perſuaſit. Sic hæretici quæ fauent communi ſenſui, hæc ſuggerunt quaſi plauſibilia & aperta. Sed monet Paulus. 2. Cor. 11. timeo ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit verſutia ſua, ſic & veſtræ mentes corrumpantur & excidant à ſimplicitate & caſtitate quæ eſt in Chriſto. *De quo ita Aug. in Pſal.* S.Aug. 90. *circa f.* Draco quomodo inſidiatur? per hæreticos. Talez timens Paulus ne ab illis corrumperetur Eccleſia à Virginitate fidei, quam geſtabat in corde; ait; deſponſaui enim vos vni viro Virginem caſtam, exhibere Chriſto: & timeo ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita & mentes veſtræ corrumpantur à caſtitate quæ eſt in Chriſto. Virginitatem corporis paucæ fœminæ habent in Eccleſia, ſed virginitatem cordis omnes fideles habent. In ipſa fide virginitatem cordis timebat corrumpi à Diabolo, quam qui perdiderint ſine cauſa ſunt virgines corpore. Corrupta corde, quid ſeruat in corpore? Ideo mulier Catholica præcedit virginem hæreticam. Illa enim non eſt virgo in corpore; iſta mulier facta eſt in corde; Et mulier, non à marito Deo, ſed à ſerpente. *Et tract. 8. in Io. 2. Vbi eundem Pau-*
S. Aug. *li locum tractat.* Qui videntur ſic honorare Chriſtum, vt negent eum carnem habuiſſe, nihil aliud eum quam mendacem prædicant: qui enim mendacium prædicant in hominibus, quid ab eis expellunt niſi veritatem? Immittunt Diabolum, excludunt Chriſtum: Immittunt adulterum, excludunt ſponſum; paranymphi ſcilicet, vel potius lenones A & ſerpentes. Ad hoc enim loquuntur, vt ſerpens poſſideat, Chriſtus excludatur. Quomodo poſſidet ſerpens? quando poſſidet mendacium, quando poſſidet falſitas, ſerpens poſſidet: quando poſſidet veritas, Chriſtus poſſidet: Ipſe enim dixit; Ego ſum veritas: de illo autem dixit; & in veritate non ſtetit, quia veritas in eo non eſt. Sic eſt autem veritas Chriſtus, vt totum verum accipias in Chriſto verum Verbum Patris, æquale Patri, vera anima, vera caro caro, verus homo, verus Deus, vera natiuitas, vera paſſio, vera mors, vera reſurrectio *de qua expreſſè hoc loco Tertullianus.* ſi aliquid horum dixeris falſum, intrat putredo; de veneno ſerpentis naſcuntur vermes mendaciorum, & nihil integrum remanebit. *& vbi erit fidei virginitas, vbi eius corrumpitur integritas & ſimplicitatis indiuiſibilitas? quæ vno*
B *puncto conſiſtit, quo ſublato, nihil reſtat fidei, cum eadem ſit ſimplex in omnibus articulis, prima veritatis reuelantis authoritas.* Quid eſt ergo, inquit *hæretium* quod ait Dominus? quid mihi & tibi eſt mulier, &c.? reſiſtamus hæreticis. Quid dicit ſerpens veternoſus venenorum inſibilator & inſpirator antiquus? quid dicit? non habuit matrem fœminam Ieſus. Vnde probas? quia dixit, inquit, quid mihi & tibi eſt mulier? quis hoc narrauit? nempe Ioannes Euangeliſta dixit, & erat ibi mater Ieſu, &c. ſi falſa mater, falſa caro, falſa mors, falſa vulnera paſſionis, falſæ cicatrices reſurrectionis, non veritas credentes in eum, ſed potius falſitas liberabit. Immo verò, falſitas cedat veritati, & confundantur omnes qui propterea ſe volunt videri veraces, quia Chriſtum conantur demonſtrare fallacem, &c.

19. Hæretici malè omnia examinando & probare volendo, in errorem incidunt. De Præſcr. cap. 4. inf.

1.Cor.11.19 NEque eos *probabiles* intelligi jubet, qui in hæreſim fidem demutant: ſicut ex diuerſo ſibi interpretantur, quia dixit alibi: [a] *Omnia examinate, quod bonum eſt tenete.* Quaſi non a 1.Th. 5.21 liceat omnibus malè examinatis in electionem alicuius mali impingere per errorem.

HÆRETICORVM MORES. XIX. SCHOL.

IVBET, *Paulus ſcilicet. 1. Cor. 11. 19.* Oportet & hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. *Quem locum peruertunt hæretici, qui contra mentem Apoſtoli, ſe probabiles intelligi volunt. Praeter plures, allatas ſupra ex Auguſtino expoſitiones huius loci; accerſ & hanc ab eodem in Pſal. 7. in verſum.*
S.Aug Arcum ſuum tetendit & parauit illum, & in eo parauit vaſa mortis. Quæri, inquit, poteſt quæ ſint vaſa mortis. An forte hæretici? Nam & ipſi ex eodem arcu, id eſt ex eiſdem Scripturis, in animas, non charitate inflammandas, ſed venenis perimendas inſiliunt; quod non contingit niſi pro meritis. Propterea diuinæ prouidentiæ, etiam iſta diſpoſitio tribuenda eſt, non quia ipſa peccatores facit, ſed quia ipſa ordinat cùm peccauerint. Malo enim voto, per peccatum, legentes *malo ſine Scripturam* malè coguntur intelligere, vt ipſa ſit pœna peccati. Quorum tamen *vaſorum mortis* morte, filij D Catholicæ Eccleſiæ tanquam quibuſdam ſpinis à ſomno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant Scripturarum. Oportet enim & hæreſes eſſe, vt probati, inquit, manifeſti fiant inter vos: hoc eſt, inter homines, cum manifeſti ſint Deo.
S.Aug. *Et in Pſal. 9. in verſum:* Dum ſuperbit impius accenditur pauper. Mirum eſt, inquit, & verum, quanto ſtudio bonæ ſpei paruuli ſaccendantur ad rectè viuendum, comparatione peccantium. Quo myſterio agitur, vt etiam hæreſes eſſe permittantur: non quia ipſi hæretici hoc volunt, ſed quia hoc de C peccatis eorum diuina operatur prouidentia, quæ lucem & facit & ordinat, tenebras autem tantùm ordinat; vt ſit earum comparatione, lux gratior, ſicut hæreticorum comparatione, iucundior eſt inuentio veritatis. *Et inter multas hæreſes, vna Eccleſia, ſicut lilium inter ſpinas.* Ea quippe comparatione, probati manifeſti fiunt inter homines, qui Deo noti ſunt. EX DIVERSO, *alieno ſenſu & mente Apoſtoli* ALIBI 1. *Theſſ.* 5.21. Omnia autem proba. te, quod bonum eſt, tenete; ab omni ſpecie mala, abſtinete vos. *Tranſlat. Syr.* Ab omni voluntate mala fugite. *Idem Aug. tom. 7. lib. de nat. & grat. contra Pelag. cap. 39.* Magna planè ſententia con- Aug.
cluſit hunc locum, cum ait, *ſcilicet Pelagius* credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus aſtruere, quod de cunctis etiam dixiſſe ſufficiat. *Cui reſpondet Auguſtinus*: contra ego dico, nec omne quod leginus, credere nos debere, propter illud quod Apoſtolus ait: omnia legite, quæ bona ſunt tenete, *quod paraphraſticè vertit Auguſtinus ſicut iam præmiſi, Latina, & Syriaca habent, non, legite; ſed probate; Græca autem.* πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε, *omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Et aſtruere aliquid etiam quod non legimus, nefas non eſſe. Poſſumus enim aliquid bona fide teſtes aſtruere, quod experti ſumus, etiamſi non legimus. Hic fortè reſpondet; Ego cum hæc dicerem, de Scripturis ſanctis agebam. O vtinam, non dico aliud quam in illis literis legit,

verum contra id quod legit, nihil vellet asserere, fideliter & obedienter audiret quod scriptum est: per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit in quo omnes peccauerunt: & non infirmaret tanti medici gratiam, dum fateri non vult naturam humanam esse vitiatam. IN ELECTIONEM. *Vnde supra dixit hæreses ab electione dictas, & verè omnes ex Scriptura malè probata & intellecta, obstaque ad fundandos errores, exorta sunt.*

HÆRETICI QVOMODO SCRIPTVRAS DIVINAS TRACTENT.

1. Hæretici Lucifugæ Scripturarum. De Resur. cap. 47. circa f.

AGe iam, quod ad Thessalonicenses ipsius Solis radio putem scriptum; ita claret; qualiter accipient lucifugæ isti scripturarum: [a] *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos?* Non sufficit, sed sequitur: *Et integrum corpus vestrum, & anima, & spiritus sine querela conseruentur in præsentia Domini.* [a] 1. Thess. 5. 23. ibid.

2. Hereticis Scripturis de more abutuntur. Cont. Hermog. cap. 19. in p.

AD originale instrumentum Moysi prouocabo, vnde & diuersa pars suspiciones suas ingratis fulcire conatur, ne scilicet non inde instrui videretur, vnde oportet. Itaque occasiones sibi sumpsit quorundam verborum, vt hæreticis ferè mos est, simplicia quæque torquere.

3. Hæretici scripturam torquent. Cont. Hermog. cap. 27. circa f.

HÆ sunt argutiæ & subtilitates hæreticorum, simplicitatem communium verborum torquentes in quæstionem. Magna scilicet quæstio est, Si erat terra, quæ facta est.

4. Hæretici Scripturas paucas malè intellectas, contra plurimas frustra proferunt. Cont. Prax. cap. 20. per totum.

ARgumentationibus eorum adhuc retundendis opera præbenda est, si quid de scripturis ad sententiam suam excerpent, cætera nolentes intueri, quæ & ipsa regulam seruant, & quidem salua vnione diuinitatis, & monarchiæ sonitu. Nam sicut in veteribus nihil aliud tenent quàm, [a] *Ego Deus, & alius præter me non est*; ita in Euangelio, responsionem Domini ad Philippum tuentur, *Ego & pater vnum sumus*. &, [b] *Qui me viderit, videt & patrem*. &, [c] *Ego in patre, & pater in me*. His tribus capitulis, totum instrumentum vtriusque Testamenti volunt cedere, cùm oporteat secundùm plura, intelligi pauciora. Sed proprium hoc est omnium hæreticorum. Nam quia pauca sunt, quæ in silua inueniri possunt, pauca aduersus plura defendunt, & posteriora aduersus priora suscipiunt: Regula autem omni rei semper ab initio constituta, ex prioribus & ex pluribus, in posteriora præscribit, vtique & in pauciora. [a] Esa. 45. 5. [b] Io. 10. 30. Io. 14. 9. [c] ibid. 10.

5. Hæretici corruptores Scripturarum sanarum. 4. Cont. Marc. cap. 5. inf.

HIs ferè compendiis vtimur, quum de Euangelij fide aduersus hæreticos experimur, defendentibus & temporum ordinem posteritati falsariorum præscribentem, & auctoritatem ecclesiarum traditioni Apostolorum patrocinantem: quia veritas falsum præcedat necesse est; & ab eis procedat, à quibus tradita est.

6. Hæretici Scripturam cum Marcione mutilant & corrumpunt 5. Cont. Marc. cap. 2. inf.

QVod idcirco præstruximus, vt iam hinc profiteamur nos proinde probaturos, nullum alium Deum ab Apostolo circumlatum, sicut probauimus, nec à Christo, ex ipsis vtique Epistolis Pauli, quas proinde mutilatas etiam de numero, forma jam hæretici Euangelij præjudicasse debebit.

7. Hæretici abutuntur Paulo, dum volunt eum ambages texere fidei debitæ Creatori. 5. Cont. Marc. cap. 18. circa f.

[a] *OBaudiant parentibus filij*. Nam etsi Marcion abstulit. *Hoc est enim primum in promissione præceptum*: Lex loquitur: *Honora patrem & matrem*. [a] Eph. 6. 1.

Et ibidem inf.

ET quale erit, vt ambiguitatibus, & per ænigmata nescio quæ, Creatorem taxaret: qui Ephes. 6. 19. in catenis iam constitutus, ob libertatem prædicationis, constantiam manifestandi sacramenti in apertione oris, quam ibi expostulare à Deo mandabat, Ecclesiæ vtique præstabat?

8. Hæretici Epistolam ad Ephesios inscribunt ad Laodicenos. 5. Cont. Marc. cap. 11. circa m.

PRæterea hîc & de alia epistola, quam nos ad Ephesios præscriptam habemus, hæretici verò ad Laodicenos.

Digitized by Google

9. Hæretici ex Scriptura dubia certam impugnant. De Pudic. cap. 16. inf.

EST hoc solenne peruersis & idiotis & hæreticis, iam & Psychicis vniuersis, alicuius capituli ancipitis occasione aduersus exercitum sententiarum instrumenti totius armari.

10. Hæretici adijciunt Scripturæ. f. Cont. Marc. cap. 15. à p.

SEd nec oneraſſet illos, imputando etiam Domini necem, qui & Dominum interfecerunt, dicendo, [a] *& Prophetas, suos*; licet *suæ*, adiectio sit hæretici.

a 1. Theſſ. 2. 15.

11. Hæretici ad Scripturam addentes, timeant Væ Apocalypsis. Cont. Hermog. cap. 22. inf.

AN autem de aliqua subiacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat *Væ* illud, adijcientibus aut detrahentibus destinatum.

Apoc. 18. & 19.

HÆRETICI SCRIPTVRÆ CORRVPTORES. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. SCH.

SVb vno Scholio omnes textus exposui propter conuenientiam, & brevitatis causam. Verba difficilia explano, & vnum aut alterum locum Augustini subjcio. LVCIFVGÆ. *Noctuæ sunt hæretici qui clariora lucè testimonia non ferunt nictantibus mentis oculis. Vel, dicuntur lucifugæ, quòd velut bubones soleant in tenebris, & obscuris locis Scripturæ delitescere, & ad eas quasi tutissimum asylum confugere. Quod tamen in hac luce præstare non possunt resurrectionis aduersantes, quam Paulus ita clarè describit, vt non atramento obscuro, sed ipso micantis Solis radio, illam pingere videatur; in qua corpus totum incorruptibilitatis & integritatis restituetur; & absque vllo aduersantis spiritus carnis litigio placidissimo pacis fœdere consociabitur.* QVALITER ACCIPIENT. *Hæretici scilicet, quomodo interpretabuntur hunc locum Pauli, alibi à nobis expositum de resurrectione,* IN *qua integrum, id est incorruptum corpus erit, & pars animalis, id est inferior appetitus subdetur spiritui sine reluctatione, vbi iam Deo præsente, quem videbimus facie ad faciem, non* concupiscet caro aduersus spiritum, nec spiritus aduersus carnem. *Etsi soleant ad locos obscuros, & claræ veritati resurrectionis, vt putant aduersos confugere, quid huic loco respondebunt?*

2. INSTRVMENTVM. *Librum Geneseos.* PROVOCABO, *quasi ad tribunal Scriptura Sacra, originalis, nec corrupta; ex qua Scriptura per hæreticos corrupta sumuntur fundamenta errorum.* DIVERSA PARS, *Hermogenistarum hæreticorum.* SVSPICIONES, *opiniones.* INGRATIS, *frustra. Cùm enim oporteret Hermogenem ex Scriptura sana, & benè intellecta instrui ad veritatem & fidem Creationis ex nihilo; ne ex ea instrui videretur planè & simpliciter, vt debet, ad literam intellecto nomine Principij, pro initio temporis, vel filio, in quo Pater, & per quem omnia creauit; intelligere maluit hæc verba*; In Principio creauit Deus, &c. *quasi de materia omnium rerum principio Deo coæterna. Sic enim subiecit Tertull.* Nam & ipsum principium, in quo Deus fecit cœlum & terram, aliquid voluit fuisse, quasi substantiuum & corpulentum, quod in materiam interpretari possit (*id est in fauorem materiæ*) nos autem vnicuique vocabulo proprietatem suam vindicamus, principium, initium esse; & competisse, ita poni, rebus incipientibus fieri. *Subjcit, vt alibi diximus, de Verbo & filio, debere intelligi.*

3. TORQVENTES. *Aptè; tortores enim sunt Scripturæ. In quæstionem vocant, verum terra, quæ facta est; erat antequam facta esset, ridicula quæstio.*

4. EORVM, *hæreticorum* EXCERPENT. *Sic, vt infra ait Aug. videbimus, pro libito decerpunt quæ volunt ex Scripturis, nolentes eas cernere, quæ regulam fidei hoc*

A *est Symbolum Apostolicum continent, circa mysterium Trinitatis, absque eo quòd vnitatem soluant diuinitatis: non enim voci* Monarchiæ, *quam affectant Praxeani, contradicunt.* IN VETERIBVS, *Scripturis veteris Testamenti, non recipiunt nisi eas quæ sunt de vnitate Diuinitatis, qualis est locus Isaiæ citatus, & relatus alibi à nobis: sic ex nouo Testamento nihil admittunt, nisi quod congruit istis duobus locis, quis perperso eorum sensu personas Patris & Filij videntur in vnam confundere. Et volunt his tribus locis, omne vtrumque Testamentum, omnesque in vtroque locos distincte de tribus personis loquentes cedere; cum sano iudicio & communi omnium sensu, non ex paucis plurima, sed ex plurimis pauca debeant intelligi.* IN
B SYLVA *multorum locorum testificantium de tribus personis distinctis.* POSTERIORA. *Siue ordine temporis, siue claritate intellectus, & sensus. Nam quantum ad dignitatem attinet, eadem est in omnibus authoritas Dei reuelantis, & loquentis* IN *Scripturis.* REGVLA AVTEM, *principium vnum & fundamentum, siue vna ex præscriptionibus Tertulliani contra hæreticos, est quod omnes hæreses sint posteriores Catholicæ veritate. Quod igitur spectat ad mysterium Trinitatis; Cum priores semper & plures fuerint qui à Prophetis & Apostolis iuxta Scripturas instructi, distinctas tres personas in Trinitate credendas esse nobis tradiderunt; procul facessat posterior veniens Praxeas cum paucioribus & minus explicitis locis personas confundens: cedat veritati Catholicæ prioris semper, & in pluribus & clarioribus Scripturæ locis fundatæ.*

C 5. COMPENDIIS, *vijs brevibus & facilibus hæreticos conuincimus.* EXPERIMVR. *Disputantes cum eis de fidei articulis in Euangelio contentis, eorum ignorantiam & falsitatem experientia disputationis probamus.* DIVENDENTIBVS. *His vijs tuemur veritatem Catholicam in Scriptura vel traditione Apostolica consentam hæreses omnes tempore præcessisse, & hæreticos Scriptura falsarios redarguimus, quos proinde ab vsurpatione sanæ doctrinæ depellimus.* AVTHORITATEM ECCLESIARVM, *&c. His vijs compendiosis etiam probamus. Authoritatem Ecclesiarum suffragari Catholicæ veritati, & doctrinæ ipsis ab Apostolis traditæ; cùm non possint hæretici posteriores tempore Catholicis, probare sedes suas ab vllo Apostolo, vel Ecclesia ab Apostolis, aut eorum legitimis successoribus fundata institutas.* QVIA VERITAS, *sæpius inculcat, veritatem esse omni mendacio, & hæresi, priorem: sicut & malum omne, est boni alicuius præcedentis corruptio posterior.* AB EIS PROCEDAT, *ab Apostolis scilicet Ecclesiarum magistris, qui acceptam vel à Christo veritatem primâ, vel à Spiritu veritatis, omnem veritatem Ecclesijs tradiderunt,*

quam hæretici falsarij Scripturarum corruperunt.

6. PRÆSTRVXIMVS *præmisimus quasi fundamentum eorum quæ in sequentibus dicturi sumus de Pauli Epistolis; qui nusquam fauit Marcioni, duos Deos inducenti; nullum enim alium præter Creatorem, hinc inde prædicando vel scribendo docuit.* DE NVMERO, *quantum ad numerum. Reiecit enim Epistolas ad Timotheum, ad Titum, ad Hebræos. Et alias quas recepit, vt aduertit etiam Epiphanius, aliquibus sententijs truncauit.* FORMA IAM, *&c. Id enim circa Epistolas Pauli facilè persuadet, modus, quo iam tractauerat sanctum Christi Euangelium. Nam reiectis prorsus tribus Euangelijs, solum Lucæ Euangelium recepit, cuius prima capita abstulit.*

7. OBAVDIANT. *Ephesiorum* 6. 1. Filij obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est: honora patrem tuum & matrem tuam quod est mandatum primum in promissione: MARCION ABSTVLIT. *Vel quia consentit Paulus veteri in hoc lege, vel ne bonus etiam in hoc Creator appareat.* LEX LOQVITVR *scilicet vetus Exo.* 20. 12. *quod & habet Paulus:* vt sis longæuus super terram, 70. *addunt* bonam quam Dominus Deus tuus dabit 70. *dat* tibi. ET QVALE ERIT. *Quis credat Paulum per verba ambigua voluisse reprehendere Creatorem, dicendo Ephesiorum* 6. 12. *Eum esse Autorem malitiæ dæmonum, eo quod dixerit in cælestibus eos habitare, id est aëre, cuius vt cæli Deus Creator, est authoritas aut versu* 12. Spiritualia nequitiæ in cœlestibus, *vel vt habet Translatio Syr.* qui sub cœlo sunt spiritibus malis? IN CATHENIS *dixerat enim Paulus, eo quod liberè veritatem prædicasset, Ephesiorum* 4. 1. Obtecro. Vos ego vinctus in Domino. MANIFESTANDI SACRAMENTI. *Scilicet Incarnationis aliorumque fides in Deum Creatorem & filium eius verè Incarnatum mysteriorum.* MANDABAT. *Scilicet Ephesiorum* 6. 18. *& seq. Cum de spiritalibus nequitia in cælestibus dixisset, cum quibus lucta est nobis. Ad quam arma spiritalia porrexerat, sic & de vinculis suis, & oratione ad Deum facienda, qua gratiam obtineret; non enigmaticè & timidè, sed aperte erè & clarè nuntiandi Deum Creatorem eiusque filium Incarnatum, sic fatur:* per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus Sanctis: & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij: (*translat Syr. vt palam & publicè prædicem arcanum Euangelij*) pro quo legatione fungor in Catena; ita vt in ipso audeam, prout oportet me loqui. *Translat. Syr.* Vt cum fiducia eloquar illud. QVAM MANDABAT *siue libertatem & apertionem oris, siue ipsam Ecclesiam postulare iubebat.* PRÆSTABAT. *Hæc enim oratio & fructus eius in ipsius Ecclesiæ profectum redundabat, iuxta Psalmum:* Oratio mea in sinu meo conuertetur: Aug. *Vel vt vertit Aug.* In sinum meum conuertetur. *Vbi applicat illud Christo.* Hoc intelligo dictum, quia in sinu suo habebat Deum Patrem. Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi. (*Ait Paulus*) in se habebat quem deprecaretur, non erat ab illo longè, quia ipse dixerat, ego in Patre, & Pater in me est. Sed quia oratio ad ipsum magis hominem pertinet, secundum enim quod Verbum est Christus non orat, sed exaudit, & non sibi subuenire quærit, sed cum Patre omnibus subuenit: quid est oratio mea in sinum meum conuertetur? nisi in meipso humanitas interpellat diuinitatem. Sicut proximium quasi fratrem nostrum ita complacebam, &c. Sic anima placet Deo non longè posita, in illo enim mouemur & sumus, quasi fratri, quasi propinquo, quasi amico, &c.

8. PRÆSCRIPTAM *inscriptam.* HÆRETICI *adeò peruersi sunt, vt & Marcionitæ ipsam inscriptionem Epistolæ ad Ephesios peruerterint, cum & primus versus eius aperte dicat ad Ephesios scriptam.* Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu, Gratia vobis & pax. &c.

9. SOLEMNE, *vsitatum & commune.* IAM ET PSYCHICIS, *animalibus Catholicis. Sic ipse iam factus hæreticus fideles vocat.* ANCIPITIS, *obscuri, & proinde vtrimque interpretabilis.* INSTRVMENTI TOTIVS *libri integri.*

10. ONERASSET. *Imposuisset illis Paulus hanc infamiæ notam.* 1. *Thess.* 2. 14. *& seq.* Eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis (*Apostoli scilicet*) qui & Dominum occiderunt Iesum & Prophetas, & nos persecuti sunt. LICET SVOS. *Si ad Iesum referatur hoc vox, suos: Marcion contra seipsum id adiecisset, veteris testamenti Prophetas ad Iesum & Deum noui Testamenti pertinere, contra se confessus. Sin autem ad Iudæos referant, perinde contra Marcionitas hinc infertur Paulum Phophetas veteres defendere, dum eorum persecutores arguit. Et quidem sic exponit translatio Syriaca:* Et Prophetas qui ex ipsis erant, nosque insectati sunt.

11. TIMEAT VÆ. *Apoc. vltimo* 18. Contestor audienti Verba Prophetiæ libri huius: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro hoc. DESTINATVM, *intentatum velut iaculum fulmineum in scopum.*

Superest vt ex Augustino videamus quomodo hæretici tractent Sacras Scripturas to. 6. *lib.* 22. *Contra Faustum cap.* 11. Quidquid est in Euangelio, vel in Epistolis Canonicis, quo adiuuari suam hæresim putent id esse à Christo & Apostolis dictum teneant atque suadeant: quidquid autem ex eisdem codicibus aduersus eos sonuerit, immissum ab infalsatoribus ore impudenti, ac Sacrilego non dubitent dicere. Cui furori eorum authoritatem omnium librorum extinguere atque abolere conanti, iam supra quantum suscepti operis ratio finere videbatur, non pauca respondi. Nunc illud admoneo, vt cum insanas & sacrilegas fabulas suas Christiani nominis pallio velare contendant, videant tamen, quando ista contra Scripturas Christianas disputant, non à nobis contra paganos tantum, sed etiam contra Manicheos, veritatem Codicum diuinorum Testamenti vtriusque defendi. *Et in Psal.* 8. *in versum.* Ex ore S.Aug. infantium & lactentium perfecisti laudem, &c. Benè non ait, fecisti, sed perfecisti laudem, sunt enim in Ecclesiis etiam hi qui iam non lacte potantur, sed vescuntur cibo, quos idem Apostolus significat dicens, sapientiam loquimur inter perfectos. Sed non ex his solis perficiuntur Ecclesiæ; quia si soli essent, non consuleretur generi humano. Consulitur autem, cum illic quoque nondum capaces cognitionis rerum spiritualium atque æternarum, nutriuntur fide temporalis historiæ, quæ pro salute nostra post Patriarchas & Prophetas, ab excellentissima Dei virtute atque sapientia, etiam suscepti hominis Sacramento administrata est, in qua salus est omni credenti: vt authoritate commotus, præceptis inseruiat, quibus purgatus vnusquisque, & in charitate radicatus atque fundatus, possit currere cum Sanctis, non iam paruus in lacte, sed iuuenis in cibo, comprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem & profundum, scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, &c. *Subycit psalter, & postea cum Au-*

S. Aug. *gustinus*. Propter inimicos tuos. Inimicos huic dispensationi quæ facta est per Iesum Christum & hunc crucifixum, generaliter accipere debemus omnes qui vetant credere incognita, & certam scientiam pollicentur: sicut faciunt hæretici vniuersi, & illi qui in superstitione gentilium Philosophi nominantur. *Hic etiam aduerte consentire Tertullianus Augu-*
S. Aug. *stinum, Philosophis hæreticos sæpè comparanti.* Non quod scientiæ pollicitatio reprehendenda sit: sed quod gradum saluberrimum & necessarium fidei negligendum putant, per quem in aliquid certum, quod esse nisi æternum non potest, oportet, ascendi. Hinc eos apparet, nec ipsam scientiam habere, quam contempta fide pollicentur, quia tam vtilem ac necessarium gradum eius ignorant. Ex ore ergo infantium, &c. Mandans primò per Prophetam Esa. 7. Nisi credideritis non intelligetis: & ipse per se dicens: beati qui non viderunt & crediturí sunt, propter inimicos: contra quos etiam illud dicitur: confiteor tibi Domine cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis, à sapientibus enim dixit, non qui sapientes sunt, sed qui esse se putant: vt destruas inimicum & defensorem: *vulgata vterem.* Quem nisi hæreticum? Nam & ipse est inimicus & defensor; qui fidem Christianam cum oppugnet *maximè armis & sagittis ex Scriptura malè intellecta, vel corrupta depromptis* videtur defendere. Quamquam etiam Philosophi huius mundi benè intelligantur inimici & defensores: quandoquidem filius Dei virtus & sapientia Dei est, quâ illustratur omnis quisquis veritate sapiens efficitur. Huius illi se amatores esse profitentur, vnde etiam Philosophi nominantur: & propterea illam videntur defendere, cum inimici sint eius, quoniam superstitiones noxias, vt colantur & venerentur huius mundi Elementa, suadere non cessant.

S. Aug. *Expressius autem de Scriptura Sancta subjecit:* Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. Legimus digito Dei scriptam legem, & datam per Moysem sanctum seruum eius. Quem digitum Dei multi intelligunt Spiritum Sanctum. Quapropter, si digitos Dei, eosdem ipsos ministros: Spiritu Sancto repletos, propter ipsum Spiritum qui in eis operatur, rectè accipimus, quoniam per eosdem nobis omnis diuina Scriptura confecta est: conuenienter intelligimus hoc loco cœlos dictos libros vtriusque Testamenti, &c. Quoniam videbo cœlos, &c. Cernam & intelligam Scripturas, *de quibus ait Esa. 34. cælum plicabitur sicut liber* quas operante Spiritu Sancto, per ministros tuos conscripsisti, &c. Inclinauit Scripturas Deus vsque ad infantium & lactentium capacitatem. Sicut in alio psalmo canitur; & inclinauit cœlos & descendit: & hoc fecit propter inimicos, qui superba loquacitate, inimici crucis Christi, etiam cum aliqua vera dicunt, paruulis tamen & lactentibus prodesse non possunt, &c. Hinc ergo destruitur temerarius & cæcus pollicitator veritatis, qui est, inimicus & defensor, cum videntur cœli, opera digitorum Dei, id est intelliguntur Scripturæ perductæ vsque ad infantium tarditatem: & eos per humilitatem historiæ fidei, quæ temporaliter gesta est, ad sublimitatem intelligentiæ rerum æternarum benè nutritos & reboratos, erigũt in ea quæ confirmant. Isti quippe cœli, id est isti libri, opera sunt digitorum Dei: Sancto etenim Spiritu in Sanctis operante confecti sunt. Nam qui gloriam suam potius quam salutem hominum attenderunt,

A *sicut Philosophi Gentiles & hæretici*, sine Spiritu Sancto loquuti sunt, in quo sunt viscera misericordiæ Dei. *In ipsis autem sunt viscera crudelia, qui animas seducere & vrere volunt. Quæ porro temeritas in hæreticorum digitis & eorum ministris, qui* posuerunt in cœlum eo tuum? *Et quod Dei digito scriptum est in cœlis vtriusque legis quasi duabus tabulis, nunc eradere, nunc peruertere, nunc additamentis suis corrumpere præsumunt: Video digitos vindices, in pariete scribentes contra eos sententiã, sicut Christus digito scribebat in terra, recedentes à se hypocritas Pharisæos, sicut præscriptum est.* Recedentes à te in terra scribentur. *Eorumdem hæreticorum audaciam notauit Augustinus lib. 3. de Gen. ad lit. imperfecto libro cap.*

B 1. De obscuris naturalium rerum, quæ omnipotenti Deo artifice facta sentimus, non affirmando, sed quærendo tractandum est, in libris maximè *scilicet Scripturæ Sacræ* quos nobis commendat authoritas, *Ecclesiæ scilicet quæ Canonicos ab Apochryphis discernit, de qua idem Aug. alibi: non crederem Euangelio nisi me Ecclesiæ moueret authoritas.* In quibus temeritas asserendę incertæ dubiæque opinionis difficile sacrilegij crimen euitat, ea tamen quærendi dubitatio Catholicę fidei metas non debet excedere: Et quoniam multi hæretici ad suam sententiam quę præter fidem est Catholicæ disciplinę, expositionem Scripturarum diuinarum trahere consueuerãt; ante tractationem huius libri, Catholica fides explicanda est: Est autem hæc, Deum Patrem omnipotentem, vniuersam creaturam fecisse atque constituisse per filium suum vnigenitum, id est sapientiam & virtutem suam consubstantialem sibi, & coæternam, in vnitate Spiritus Sancti; Et ipsius consubstantialis & coæterni. Hanc ergo Trinitatem dici vnum Deum, eumque creasse & fecisse omnia quę sunt, in quantum sunt, Catholica disciplina dici iubet, ita vt iubet: Itaut creatura omnis, siue intellectualis, siue corporalis, vel quod breuius dici potest secundum verba diuinarum Scripturarum, siue inuisibilis, siue visibilis, non de Dei natura, sed à Deo, sit facta de nihilo: nihilque in ea esse, quod ad Trinitatem pertineat, nisi quod Trinitas condidit, ista condita est. *Diceres Augustinum hac vnica sententia concludere voluisse contra hæreticos Scriptura abutentes, quidquid hic Tertull. tot diuersis textibus contra Hermogenis materiam infectam, & creationem omnium rerum ex nihilo ab eo negatam; Praxeas contra distinctionem personarum in vnitate essentiæ diuinæ, Marcion contra Deum Creatorem dogmatizauerunt. Sed in Psal. 67. in versum.* Increpa feras calami. *Vulgata, arundinis.* Nam & ferę, inquit, quoniam non intelligendo nocent, & feræ calami sunt, quoniam Scripturarum sensum pro suo errore peruertunt. Per calamum quippe tam conuenienter Scripturæ significantur, quam sermo per linguam, &c. dicit Apostolus Petrus, indoctos & instabiles peruertere Scripturas ad proprium suum interitum. Hæ sunt feræ calami, &c. De his est etiam quod adiungit congregatio Taurorum inter vaccas populorum, &c. Tauros vocans propter superbiam durę indomitæque ceruicis: significat enim hæreticos. Vaccas autem populorum, seductibiles animas intelligendas puto, quia facilè hos Tauros sequuntur. Non enim populos vniuersos seducunt, in quibus sunt graues & stabiles. Vnde scriptum est in populo graui laudabo te, sed in eis populis quos inuenerint vaccas.

Aug.

Aug.

Aug.

C

D

E

HÆRETICI QVOMODO TRACTANDI.

1. Hæretici non sunt Christiani: & Scripturæ corruptores ius non habent de ea disputandi nobiscum, qui eam integram seruauimus. De Præscr. cap. 37. 38. per totum. & 39. ad circa f.

SI hæc ita se habent, vt veritas nobis adiudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis non esse admittendos hæreticos ad ineundam de scripturis prouocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo quod de sua electione sectati hæreticorum nomina admittunt. Ita non Christiani, nullum ius capiunt Christianarum litterarum. Ad quos meritò dicendum est, Qui estis? quando, & vnde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique Marcion iure syluam meam cædis: quâ licentiâ Valentine fontes meos transuertis? qua potestate Apelles limites meos commoues? mea est possessio. Quid hìc ceteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorùm. sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo: vos certè exhæredauerunt semper & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos, Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio, aduersus Apostolos, aut protulit, aut recepit? Illic igitur & scripturarum, & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas doctrinæ inuenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coëgit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quæ docerent. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ sine corruptela instrumentorum eius: ita & nobis, & à nobis integritas doctrinæ non competisset, sine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, vt aliquid contrarium ei quod esset in scripturis deprehensum, detractione, vel adiectione, vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt scripturæ ab initio suo: ex illis sumus, antequam aliter fuit; antequam à vobis interpolarentur. Cum autem omnis interpolatio posterior credenda sit, veniens vtique ex causa æmulationis, quæ neque prior, neque domestica vnquam est eius quod æmulatur, tam incredibile est sapienti cuique, vt nos adulterùm stilum intulisse videamur scripturis, qui sumus à principio & primi, quam illos nos non intulisse qui sunt & posteri & aduersi. Alius manu scripturas, alius sensus expositione interuertit. Neque enim si Valentinus integro instrumento vti videtur, non callidiore ingenio, quàm Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exertè & palam machæra, non stilo vsus est: quoniam ad materiam suam cædem scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit: quoniam non ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas, excogitauit: & tamen plus abstulit, & plus adiecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, & adjiciens dispositiones non comparentium rerum. Erant ingenia de [a] *spiritalibus nequitiæ, cum quibus luctatio est nobis* fratres; merito contemplanda [b], *fidei necessaria, vt electi manifestentur*, vt reprobi detegantur. Et ideo habent vim, & in excogitandis instruendisque erroribus felicitatem: non adeo mirandam, quasi difficilem & inexplicabilem, cum de secularibus quoque scripturis exemplum præsto sit eiusmodi facilitatis. Vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius Geta Medeam tragœdiam ex Virgilio pleniſſimè exsuxit. meus quidem propinquus ex eodem poëta inter cetera stili sui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homerocentones etiam vocari solent, qui de carminibus Homeri propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositis in vnum farciunt corpus. Et vtique fœcundior diuina litteratura ad facultatem cuiusque materiæ.

CAP. XXXVIII.

CAP. XXXIX.

a Eph. 6. 12.

b 1. Cor. 11. 19.

2. Cum hæreticis semper quærentibus non conferendum qua fideles non sunt qui de fide dubitant De Præscr. cap. 14. in m. ad f.

VT non inimici essent veritatis hæretici, vt de refugiendis eis non præmoneremur, quale est conferre cum hominibus qui & ipsi adhuc se quærere profiteantur? Si enim adhuc verè quærunt nihil adhuc certi reppererunt: & ideo quæcumque videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt quandiu quærunt. Itaque tu qui perinde quæris, spectans ad eos qui & ipsi quærunt, dubius à dubijs, incertus ab incertis, [a] *cæcus à cæcis in foueam deducaris necesse est.* Sed quum decipiendi gratia prætendunt se adhuc quærere, vt nobis per sollicitudinis iniectionem tractatus suos insinuent: denique vbi adierint ad nos, statim, quæ dicebant quærenda esse, defendunt: iam illos sic debemus reputare, vt sciant nos

a Math. 15. 14.

Google

non Chriſto, ſed ſibi negatores eſſe. Cum enim quærunt adhuc, nondum tenent: cum autem non tenent, nondum crediderunt. Cum autem nondum crediderunt, non ſunt Chriſtiani. At cum tenent quidem & credunt, quærendum tamen dicunt vt defendant: antequam defendant, negant quod confitentur ſe nondum credidiſſe, dum quærunt. Qui ergo nec ſibi ſunt Chriſtiani, quantò magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem diſputant? cui veritati patrocinantur, qui eam à mendacio inducunt?

3. *Licet Hæretici abutantur noſtris verbis & rebus à nobis ſumptis, non ideo eſt abſtinendum ab eis. Cont. Prax. cap. 8. in p.*

HOc ſi qui putauerit me αἰῶνα aliquam introducere, id eſt, prolationem rei alterius ex altera, quod facit Valentinus alium atque alium Æonem de Æone producens; primò quidem dicam tibi, non ideo non vtitur & veritas vocabulo iſto, & re ac cenſu eius, quia & hæreſis vtitur; immo hæreſis potius ex veritate accepit, quod ad mendacium ſuum ſtrueret. Prolatus eſt ſermo Dei an non? Hîc mecum gradum fige. Si prolatus eſt, cognoſce probolam veritatis, & viderit hæreſis ſi quid de veritate imitata eſt.

HÆRETICI QVOMODO TRACTANDI. I. II. III. SCHOL.

SI *hæc quæ ſcilicet cap. 36. dixerat de Authoritate Eccleſiarum Apoſtolicarum, & earum doctrina orthodoxa ab eis hauſta, & adhuc perſeuerante apud Catholicos.* NOBIS ADIVDICETVR. *Non hæreticis.* IN REGVLA. *Symbolo Apoſtolorum* PROVOCATIONEM, *diſputationem.* QVOS SANE SCRIPTVRIS. *Amphibologica ſententia eſt. Vel enim dicit hæreticos carere ſuffragio Scripturarum, vel dicit, ſe abſque ope Scripturarum, & nullo ad teſtimonium adducto loco, ſola ratione conuincere, hæreticos nullum ius habere diſputandi de Scripturis; quod ius amiſerunt, dum ab Eccleſia, & à filiorum Chriſti nomine, & re, diſcedentes, vtroque teſtamento & Scripturis omnibus ſanctis meritò priuati ſunt.* HÆRETICORVM NOMINE, *qui dicti ſunt ab electione propria voluntate facta opinionum & ſectarum ſuarum.* IN MEO *fundo.* TRANSVERTIS. *Aliorſum derivas.* LIMITES COMMOVES. *Cum ſacri ſint, inviolabiles, immobiles. Vnde ſubjicit.* ORIGINES FIRMAS. *Firmatas & ſubſcriptas manu Apoſtolorum, & quod plus eſt à Chriſto lapide angulari. Et cum Eccleſia ſit* columna & firmamentum veritatis, *vt poſt* fundata ſupra firmam Petram, aduerſus quam nec portæ Inferi preualeant: *Sto firmus in fide Eccleſiæ. Vel per origines, intelligit inſtrumenta originalia Scripturæ integræ.* AVTHORIBVS. *Author, Apud Iureconſultos, eſt ille à quo quis ius in re comparauit, aut alius quæ fuit. Authores pupillorum vocantur, in quorum adminiſtratione infirma ætas reſque eorum ſunt. Ideoque filios Regum pupillos ſub Authoribus fuiſſe legimus. Et ex Budæo Authoritas eſt nomen vnum ex his quæ dominium rerum perficiunt. Quæ omnia facilè eſt applicare Apoſtolis.* SICVT CAVERVNT. *Hæc, & quæ ſequuntur, ad teſtamentum pertinent.* Cauere, *verbum eſt iuris ciuilis proprium, & ex Feſto ſolemnis veterum pronuntiatio. Sumitur autem hic pro diſponere & ordinare. l. Epiſtola. ff. de pactis. Cauere etiam dicitur is qui ſpondet, vt liquet ex verbis Pauli Iuriſconſulti. Cum pro quo, ff. de in ius voc. Et l. Lucius. 46. §. Paulus.* ADIVRAVERVNT. *Sic ſoliti hæredes adiurari, ad executionem teſtamenti.* ABDICAVERVNT, *familia Chriſtiana abiecerunt. l. 6. C. de Patria poteſtate:* abdicatio quæ Græco more ad alienandos liberos vſurpatur; & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. Conſulenda. l. 2. §. Et cùm placuiſſet. ff. de orig. Iur. cauſæ autem abdicationis erant, ſi filius patri obedire nollet, & eius voluntati contumax obſiſteret, ſi eum injuria afficeret, ſi noctu foris cubaret, ſi libidini vacaret, &c. Ex Alciato autem lib. 2. diſpunct. cap. 28. differt abdicatio ab exhæredatione; quòd illa in vita fieri ſolebat; nempe cùm quis familia pellebatur; hæc verò in teſtamento, vimque ſuam poſt mortem tantum habebat, vnde ſequitur abdicationem grauiorem eſſe exhæredatione; primò quia abdicatio fit ſine lege, exheredatio verò lege. Secundò exhæredatio ſummouet tantùm ab hæreditate poſt mortem, abdicatio priuat omni iure filij ante, & poſt mortem vnde abdicatus filius, ipſo facto, niſi reuocetur à patre, eſt exhæredatus. Non è contra. Hinc à Briſſonio; Abdicatio extremum fulmen eſt patriæ poteſtatis. *Et qui abdicatum recepiſſet reus fiebat læſæ maieſtatis. Quæ omnia rectè conueniunt hæreticis fulmine Anathematis percuſſis, qui ſponte electa opinione peruerſa & propria, exierunt ab Eccleſia, & ſanctæ Matri renuntiauerunt, & communi in circuitu orbis Catholica veritati; de qua Pſaltes, non in vno, vel altero angulo, ſicut ſunt Secta, Schiſmata, diviſiones, hæreſeon;* veritas tua in circuitu tuo.

Auguſt. lib. 12. cap. 25. Confeſſ. Veritas tua nec mea Aug.
eſt, nec illius, aut illius, ſed omnium noſtrum, quos ad eius communionem publicè vocas terribiliter admonens nos, *ſub pœna fulminea abdicationis, & Anathematis* vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quiſquis *vt facit hæreticum* id quod tu omnibus ad fruendum proponis, ſibi propriè vindicat, & ſuum vult eſſe quod omnium eſt, à communi propellitur ad ſua, hoc eſt, à veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium, de ſuo loquitur. *Et in Pſal. 75. in verſum,* vouete & reddite Domino Deo noſtro, omnes qui
in circuitu eius offertis munera, &c. Quod Deus ad- Aug.
monet, dicam vobis quid ex his verbis ipſa mihi inſpirare dignatus ſit: ſi melius aliquid poſtea viſum fuerit, & hoc veſtrum eſt, quia communis eſt omnibus veritas. Non eſt mea nec tua: non eſt illius aut illius, omnibus communis eſt. Et fortaſſis ideo media eſt, vt in circuitu eius ſint omnes qui diligunt veritatem. Quidquid enim omnibus commune eſt, in medio eſt. Quare in medio dicitur? vt tantum diſtet ab omnibus, & tantum propinquet omnibus. Quod non in medio eſt, quaſi priuatum ſit. Quod publicum eſt, in medio ponitur, vt omnes qui veniunt, percipiant, illuminentur. Nemo dicat, meum eſt, ne in parte ſua velit facere, quod in medio eſt omnibus. Quid eſt ergo, omnes qui in circuitu eius ſunt offerent munera? omnes qui intelligunt communem eſſe omnibus veritatem, & non illam faciunt quaſi ſuam, ſuperbiendo de illa; Ipſi offerent munera, qui humilitatem habent, *qui humiliter captiuant intellectum ſuum in obſequium fidei, & communi expoſitioni Scripturæ per Eccleſiam Catholicam.* Qui autem quaſi ſuum faciunt

Digitized by Google

ciunt quod omnibus commune eſt, tanquam in
niedio poſitum ad partem ſeducere conantur, non
offerent hi munera,&c. Ipſi humiles qui commu-
nem nouerunt eſſe omnibus veritatem, cui offe-
rent munera?terribili & ei qui aufert ſpiritum prin-
cipum. Spiritus enim principum, ſuperbi ſunt ſpi-
ritus. Illi ergo non ſunt ſpiritus eius; quia & ſi ali-
quid nonerunt, ſuum volunt eſſe non publicum.
Vide infra dicenda hoc ipſo Scholio contra hæreticorum
principes contemptores veritatis communis, & à ve-
ritate contemptos, exhæredatos, abdicatos, Anathe-
mate fulminatos. Quod autem & titulo Chriſtiani, &
iure teſtamenti ceciderint, bellè diſſerit Auguſtinus in
Aug. *pſalm.* 21. *concio.* 2. Pſalmum attendite, pſalmum le-
gite. Ecco Chriſtus paſſus eſt, ſanguis eius fuſus eſt,
ecce Redemptor noſter, ecce pretiũ noſtrum. Quid
emit? dicatur mihi. Quid interrogamus? quid ſi
mihi aliquis dicat, ô ſtulte quid interrogas? codi-
cem portas, ibi habes vnde emit. Ibi quære quid
emit. Ecce ibi habes: Commemorabuntur & con-
uertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ. Sed
hæretici oblti ſunt, &c. attende quia repetit, & ſur-
dos pulſat. Et adorabunt in conſpectu eius vniuer-
ſæ patriæ Gentium. Adhuc ſurdus eſt, non audit,
pulſetur iterum: quoniam Domini eſt regnum &
ipſe dominabitur gentium. Tres iſtos verſus tene-
te fratres. *Pro Catholica veritate in circuitu orbis diſ-*
fuſa facientes. Hodie cantati ſunt & ibi; *in conuen-*
ticulis Donatiſtarum, & in Eccleſiis malignantium aut
fortè deleuerunt eos. *Conſonat Tertulliano id ipſum*
hæreticis exprobranti, credite mihi fratres mei, ita æſ-
tuo, ita vim patior, vt mirer neſcio quam ſurditatem, & duritiam cordis ipſorum, vt aliquando du-
bitem, vtrum habeant illud in codicibus. Hodie
currunt omnes ad Eccleſiam: *cœtum hæreticorum.*
Hodie omnes intenti audiunt pſalmum, omnes
ſuſpenſo corde audiunt, ſed fac, *puta* quia non ſunt
intenti. Nunquid vnus verſus eſt, *huius Pſalmi* 21.
commemorabuntur, &c. Euigilas, ſed adhuc fricas
oculos. Et adorabunt in conſpectu, &c. Excute
ſomnum, adhuc grauaris, audi: quoniam Domini
eſt regnum, &c. *Quod inculcat vt pungat deſertores*
veritatis in circuitu; & in partem Donati recedẽtes. Si
eſt adhuc quod dicãt, neſcio: litigent cũ Scripturis,
non nobiſcũ. Ecco codex ipſe, contra illum certent.
Vbi eſt lingua? *hæretici dicentis ſe vel ab incendio for-*
tuito, vel à flãma Gentili ſeruaſſe vtrũque Teſtamentũ.
Nos ſeruauimus Scripturas, ne arderent? Seruatæ
ſunt vnde tu ardeas. Quid ſeruaſti? aperi, lege; tu
ſeruaſti, & tu oppugnas? Quid ſeruaſti à flamma,
quod delere vis lingua? *& lingua ignis eſt vniuerſi-*
tatis iniquitatis. Ecce quantus ignis, quam magnam ſyl-
uam incendit: Syr. ignis quoque minimus, ramos mul-
tos incendit. Iac. 3. 5. *Aptè in verba Tertulli. quo Mar-*
cion iure ſyluam meam cædis? Non credo, non credo
quia ſeruaſti: prorſus non credo, non ſeruaſti; ve-
riſſimè dicunt noſtri quia tu tradidiſti. Ille proba-
tur traditor, qui lecto teſtamento, non ſequitur. Ec-
ce legitur, & ſequor; legitur, & recuſas; cuius ma-
nus miſit in flammam? qui credit & ſequitur; an qui
dolet quia eſt quod legatur? &c. Teſtamentum Pa-
tris noſtri exiit de qualibet cauerna: neſcio qui fu-
res tollere volebant, neſcio qui perſecutores incen-
dere volebant. Vndecumque probatum eſt, lega-
tur. Quare litigas? fratres ſumus, *propter chara-*
ctherem baptiſmi indelebilem, vel propter creationem
& imaginem Dei. Quare litigamus? Non inteſta-
tus mortuus eſt pater; fecit teſtamentum, & ſic
mortuus eſt: mortuus eſt & reſurrexit. Tandiu
contenditur de hæreditate mortuorum, quandiu

A teſtamentum proferatur in publicum; & cum Te-
ſtamentum prolatum fuerit in publicum, tacent
omnes, vt tabulæ aperiantur & recitentur. Index
intentus audit. Aduocati ſilent, præcones ſilentium
faciunt, vniuerſus populus ſuſpẽſus eſt: vt legantur
verba mortui non ſentientis in monumento. Ille
ſine ſenſu iacet in monumento & valent verba ip-
ſius: Sedet Chriſtus in cœlo, & contradicitur te-
ſtamento eius? &c. Qui fecit teſtamentum, vi-
uit in æternum: audit voces noſtras, agnoſcit
ſuam. Legamus, quid litigamus? vbi inuenta
fuerit ipſa hæreditas ipſam teneamus: aperi teſta-
mentum, lege in primo capite pſalterij, &c. Pa-
ter quid dicit ad Filium? poſtula a me, & dabo tibi
B gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam
fines terræ: *dicebat ſupra Tertullianus hæretico: qua*
poteſtate Apelles limites meos commoues? extenduntur vbique fines & limites Eccleſiæ Catholicæ hæredi-
tatis Chriſti, omnibus Chriſtianis communes & eos conſtringis ad te? ſolet fieri fratres, vt quando S. Aug.
quæritur de poſſeſſione, quærantur affines. In-
ter affines, illum, & illum, quæritur hæres, aut
cui donatur, aut qui emit. Inter quos affines
quæritur? Inter illum, & illum poſſidentes. *Per*
C *affines, conterminos, ſiue limitrophos intellexit.* Qui
dimiſit omnes fines, *id eſt qui reliquit filio, vt fi-*
lium nobis & Eccleſiæ ſuæ tradidit teſtamento ſuo om-
nes orbis fines, nullos dimiſit affines. Quocum-
que te verteris, Chriſtus eſt. Fines terræ habes hæ-
reditatem, huc veni, totam mecum poſſide. Qua-
re litigando vocas ad partem? huc veni, bono tuo
vinceris, totam habebis, &c Aliquando veni-
mus ad illos dicentes; quæramus verum, inueni-
mus verum. Et illi; *reſpondent ſcilicet*; vos tenete,
quod tenetis. Oues tuas habes, oues meas habeo:
noli moleſtus eſſe ouibus meis, quia & ego non
ſum moleſtus ouibus tuis. Deo gratias: meæ ſunt
oues, illius ſunt oues. Chriſtus quid emit? Im-
mo nec meæ, nec tuæ. Sed illius ſunt qui illas
emit, illius ſunt qui illas ſignauit, &c. Si ibi eſt
Chriſtus, illò eant meæ, quia non ſunt meæ. Si
hîc eſt Chriſtus, huc eant tuæ, quia non ſunt
tuæ, &c. Quid ad defenſionem poſſeſſionis tuę
D titulos Chriſti poſuiſti? *dum ſcilicet dicis, ecce hîc*
eſt Chriſtus, ego dico; per totum eſt mundum. Non-
ne hoc faciunt nonnulli in domo ſua? ne domum
ipſius inuadat aliquis potens, ponit ibi titulos po-
tentis, titulos mendaces. Ipſe vult eſſe poſſeſſor, &
frontem domus ſuæ de titulo alieno munire: vt
cum titulus lectus fuerit conterritus quis potentia
nominis, abſtineat ſe ab inuaſione, &c. Et videte
fratres quando potens aliquis inuenerit titulos
ſuos, nonne iure rem ſibi vendicat & dicit, non
ponerem titulos meos niſi res mea eſſet? titulos
meos poſuit, mea res eſt. Vbi nomen meum in-
uenio, meum eſt. Numquid titulos mutat?
titulus qui erat, ipſe eſt; poſſeſſor mutatur,
E titulus non mutatur. Sic & qui baptiſmum habent
Chriſti, ſi veniunt ad vnitatem, *ex Secta & diuiſio-*
ne hæretica, redeunt ad vnicam Eccleſiam: non mu-
tamus titulos, aut delemus titulos: *manet character,*
nomen Chriſtiani, &c. Sed agnoſcimus titulos re-
gis noſtri, titulos Imperatoris noſtri. Sed quid di-
cimus? ô Domus miſera, ille te poſſideat cuius ti-
tulos habes; Chriſti titulos habes, noli eſſe Dona-
ti poſſeſſio.

Vacuum hæretici titulum, hoc eſt nomen Chriſtia-
ni, & credentis, habent: quibus dicitur in Apoc.
Nomen habes quod viuis, & mortuus es. *Nam*
ex eodem Auguſtino, mortuus eſt qui non habet S. Aug.

fidem. *Et Teſtamenti paterni contradictor & falſarius, eius, non habet abdicatus in eo aliquid, vel ex eo ſumendi ſibi.* PROTVLIT. *Vt caput hæreſeos.* RECEPIT, *ſicut eius ſectarius.* ILLIC, *apud hæreticos.* SCRIPTVRARVM *litera Sacræ corruptio.* EXPOSITIONVM. *Senſuum alienorum à veritate, eſſe cenſenda eſt peruerſitas, apud quos eſt ab Apoſtolica Doctrina, Doctrinæ hæreticæ diuerſitas.* ALITER. *Quàm habent originalia inſtrumenta, & libri Scripturæ Canonici, continentes ſanam doctrinam.* NISI ALITER. *Supple ſcriptum haberent.* SVCCEDERE *in finem ſeminandæ hæreſeos.* QVID CONTRARIVM NOBIS, *noſtræ fidei.* IN NOSTRIS, *libris Sacris.* REMEDIAREMVS. *Reformaremus.* QVOD SVMVS. *Quod ſentimus & credimus.* EX ILLIS, *illas ſuſtinemus, illas tota fide & diſciplina referimus, priuſquam eas alteraretis.* EX CAVSA, *&c. Quia zelus & æmulatio præſupponit obiectum quod æmulandum ſit.* NEQVE DOMESTICA. *Quis enim verè filius, frater, ſeruus, domeſticus, Patri familias, Domino aduerſetur? quis verè fidelis verbum Dei quo credit corrumpere ſtudeat?* SCRIPTVRAS, *literam.* INTEGRO INSERVISSENTO *totam Scripturam admittens.* MACHÆRA *qua truncat totum vetus teſtamentum, magnam partem noui, & reliquum mutilat.* AD MATERIAM. *Ad errorem ſuum ſtabiliendum.* MATERIAM AD SCRIPTVRAS. *Valentinus prius ſibi finxit materiã quã poſſet ad Scripturas malè intellectas applicare.* ERANT INGENIA. *Marcionis & Valentini, à malignis ſpiritibus inſpirata.* MERITO CONTEMPLANDA. *Examinanda, vt iuxta Paulum eorum nequitia detecta, electi, id eſt doctores fideles & veraces, deſtructis eorum mendacijs emineant. Iuxta Paulum ſæpius citatum: quem vnſum loco præclaro Auguſtini illuſtro. In Pſalm. 106.* Hanc S.Aug. ſententiam planè Paulus expreſſit: oportet enim, inquit, hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis. Oportet & Tauros ſeducẽteſſe, vt qui probati ſunt argento manifeſti ſint, hoc eſt excludãtur. Quid eſt argento probati? Eloquia domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptulum, &c. ET IDEO HABENT VIM. *Ideo Deus permittit hæreſes vigere, & aliquo ſucceſſu hæreſiarchas ingenij ſubtilitate errores ſuos adinuenire, vt eminentior eorum adinuentionibus & commentis appareat veritas.*

Hic aduerte ex Aug. Hereſiarchas ingenioſos & magnos fuiſſe artifices. Sic notauit Auguſtinus in Pſal. 124. *Vbi de montibus magnis, malis, & bonis.* Vt S.Aug. noueritis quales ſint montes in circuitu eius *Hieruſalem ſcilicet*, vbi commemoratuit montes bonos Scriptura valdè raro, & difficile aut forte nũquam, vt non ſtatim ibi nominet Deũ, aut ſimul ſignificet; ne ſpes remaneat in montibus, &c. At verò de illis montibus malis quando loquitur Scriptura, non eis addidit Dominum, tales montes, iam ſæpè diximus vobis, ſignificant magnas quaſdam animas, ſed malas. Non enim putetis, fratres, quia potuerunt fieri hæreſes per aliquas paruas animas. Non fecerunt hæreſes niſi magni homines: ſed quantum magni, tantum mali montes. Non enim montes erant tales qui ſuſciperent pacem, vt colles ſuſciperent iuſtitiam: ſed illi diſſenſionem ſuſceperant à Diabolo patre ſuo. Venturi enim ſunt homines, & dicturi tibi, magnus ille vir, *ſupple eſt*, & magnus ille homo. Qualis fuit ille Donatus? Qualis eſt Maximinianus? & neſcis Photinus qualis fuit? & Arrius qualis fuit? *Sed qualis fuit Auguſtinus mons Dei, mons pinguis, præparatus in vertice iſtorum montium, electus, probatus argento eminens ſuperillos? Qualis fuit Tertullianus adhuc Catholicus ſuper Martionem, Valentinum, Praxeam?* omnes iſtos montes nominauimus, ſed naufragoſos. Videtis quia lucet de illis aliqua flamma ſermonis, & aliquais de ipſis ignis accenditur. *Vt ſolet de turribus & montibus Pharus accendi:* ſi nauigatis in ligno, noctem patimini, id eſt caliginem huius vitæ, non vos fallant, nec dirigatis illuc nauim. Vbi ſunt ſaxa, ibi naufragia magna fiunt. Cum ergo tibi laudati fuerint iſti montes, & cœperit tibi ſuaderi vt venias ad ipſos montes, quaſi ad auxilium, & ibi requieſcas, reſponde: In Domino confido quomodo dicitis animæ meæ tranſinigra in montes ſicut paſſer? *Sed illi montes quamuis magni ingenio, pauci tamen ſunt & contemptibiles reſpectu Catholicorum. Vnde idem Aug. in Pſal. 106. in verſum.* Et pauci facti ſunt, &c. Effuſus eſt contemptus ſuper principes. Vt, inquit, pauci fierent, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, &c. Multum de ſe præſumentes, *inflati ſuperbia montes*, pauci facti. Manifeſti ſunt, fratres, omnes qui ſe diuidunt ab vnitate, pauci fiunt, &c. Cum enim cœperit ad eos non pertinere multitudo vnitatis, *Eccleſia ſcilicet Catholica vniuerſalis, omnium temporũ, partiũ orbis, nationum*, in hæreſi & in ſchiſmate pauci ſunt. Et pauci facti ſunt, & vexati ſunt, *& à principibus Chriſtianis, & à proprio conſcientia torqueri* à tribulatione malorum & dolore, *Paulo dicente: tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum; & Sapiente præcinente Paulo: ſemper præſumpſit ſana perturbata conſcientia.* Effuſus eſt Aug. contemptus ſuper principes. Reprobati enim ſunt ab Eccleſia Dei: Et magis quia principes eſſe voluerunt, *eminere capite ſuper cæteros, ſicut montes*; Ideo cõtempti ſunt, *omnis mons & collis humiliabitur*; & facti ſunt ſal infatuatum, proiectũ foras, ideo conculcatur ab homimibus, &c. Ecce effuſus eſt contemptus ſuper principes, ſuper illos Tauros. *Vaccas id eſt plebes ſimplices ſeducentes.* Quare contempti ſunt? aliud annuntiantes. Qui ſunt contempti? Anathematizati. *Montes fulmine percuſſi.* Quiſquis enim vobis annuntiauerit, præterquam quod accepiſtis, Anathema ſit. Quid tam contemptum, quam ſal infatuatum quod foras proiectum conculcatur? Et videte ſi non principes ſunt: ipſum Paulum audite; *de quo Chryſoſt. quot verba, tot fulmina*: licet ſi nos, aut Angelus de cœlo Euangelizauerit vobis præterquam quod accepiſtis, Anathema ſit. Principes ſunt, docti ſunt, magni ſunt, lapides pretioſi ſunt: quid adhuc dicturus es? Numquid Angeli ſunt? Et tamen, ſi Angelus de Cœlo vobis anuntiauerit, præterquam quod accepiſtis, Anathema ſit: quia & ipſe diabolus de Cœlo lapſus eſt. *Qui dixerat, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis. Qui in medio lapidum ignitorum ambulauit. Sathanas quaſi fulgur de cœlo cecidit ſerpens factus repens & ſeductor, hæreticorum caput.* Effuſus eſt ergo contemptus ſupor principes eorum. *Et quis contemptus?* Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonẽ & Draconem. *Dictum eſt ſerpens, de Eccleſia, hæreſiarcharum Principi:* Ipſa conteret caput tuum. *Dictum eſt & ipſi Eccleſiæ ſponſæ candidæ ſimplicitate fidei, & veritatis, victoriosæ de varietate pardorum, hoc eſt diuerſorum hæreticorum; & manſuetudine ſuſceptæ inſitis iuxta Iacobum, verbi veritatis, de Leonum Tyrannorum crudelitate triumphanti:* Veni ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana 70. *tranſibis à Principio fidei.* De vertice Sanir, *id eſt via lucernæ, aut Deo vigilarum; & quæ vigilantior in Deo, quæ lucerna verbo Dei vero & incorrupto*

ſplendidior, quàm eadem Eccleſia, mulier fortis, de qua Prouer. 31. ſcriptum eſt; non extinguetur in nocte lucerna eius. & Hermon, *id eſt ex Aug. lumen exal-*
Aug. *tatum, Chriſtus in crucem & Cœlum. Vel ex eodem, Anathema, id eſt, deteſtatio peccati.* De cubilibus leonum, & montibus pardorum. *Contemnit praterea Tertullianus eoſdem montes dum bicait, fœlicitatem ingeniorum hæreticorum verſipellium,* NON ADEO MIRANDAM, *&c. Et rationem ſubijcit:* CVM DE SÆCVLARIBVS, *rarum, inquit, opus non eſt, conſarcinare ex Scripturis fœcundiſſimis, & de omni materia tractantibus, ſicut* Spiritus ſapientiæ vnus eſt & multiplex; *Hinc inde excerpendo & truncando textus, & in vnam materiam confuendo hæreſes diuerſimodas texere, cùm multi prophani Authores, quos vocant* Centones, *concinnauerint, verſus hinc inde colligendo & in aliam omnino fabulam transfigurando.* HOSIDIVS GETA *Alij* Voſidius. *alij* Ouidius. *Et quidem lib. 4. de Ponto Eleg. 3. ſe Getam facit* Carmina quæ facio penè Poëta Getæ *quod exulauerit in humo Getica, vt patet ex libris Triſtium & de Ponto. Coetanus fuit Virgilio & ei Medeam aliqui tribuunt. Habetur tamen Senatuſconſultum ſub Claudio Cæſare factum:* Cn. Hoſidio Geta. L. Vagellio Coſſ. *erutum Neapoli Anno Chri.* 1603. *quod erat contra eos, qui lucri cauſa emebant ædificia, vt ea euertendo plus acquirerent, quàm fuerat pretium, quo ea emendo comparauerant.* PINACEM CEBETIS. *Thebani, ſcilicet Pythagorici, qui ſcripſit tres dialogos: quorum primus inſcriptus eſt,* Pinax, *id eſt tabula, in qua deſcribitur iter ad virtutem & voluptatem, cum vtriuſque domo.* HOMEROCENTONES, *ex Homero centenos verſus in aliam materiam transfiguratos. De quibus ſic Iſidorus lib. 1. cap. 39. Tertulliano reſpondens.* Centones apud Grammaticos vocari ſolent, qui de Carminibus Homeri, vel Virgilij, ad propria opera more centenario ex multis hinc inde compoſitis, in vnum faciunt corpus, ad facultatem cuiuſque ma-
Aug. teriæ. *Centonum memini Auguſtinus lib. 17. de Ciuit. cap. 11. Vbi de Pſalte Chriſto teſtimonia redditurus* copiâ, inquit, quàm inopiâ magis impedior. Omnia enim ponere vitandæ prolixitatis cauſa prohibeor; vereor autem, ne cùm aliqua elegero, multis qui ea nouerunt, videar magis neceſſaria præteriſſe: deinde quia teſtimonium quod profertur, de contextione totius Pſalmi debet habere ſuffragium: vt certè nihil ſit, quod ei refragetur, ſi non omnia ſuffragantur: ne more centonum, *ſicut Valentiniani aliqui hæreſiarcha fecerunt:* ad rem, quam volumus, tanquam verſiculos decerpere videamur, velut de retrogrado carmine, quod non de re illa, ſed de alia longeque diuerſa reperiatur eſſe conſcriptum. Hoc autem, vt in quocumque Pſalmo poſſit oſtendi, exponendus eſt totus. Quod quanti operis ſit, & aliorum, & noſtra volumina, in quibus hoc fecimus, ſatis indicant. Legat ergo illa qui voluerit, & potuerit; inueniet quot & quanta Rex Dauid *Poëta ſanctus*, idemque Propheta de Chriſto & Eccleſia prophetauerit: de Rege ſcilicet, & Ciuitate quam condidit. *Centones dicti ex ſimilitudine veſtium ex pannis vel lanis diuerſicoloribus contextarum. Habes in Bibliotheca Patrum Homerocentones Eudoxiæ Imperatricis, & Virgiliocentones Probæ Falconiæ.*

2. VT NON INIMICI, *Eſto, inquit, licet inimici non eſſent hæretici veritatis, & Eccleſiæ, licet non moneret nos Paulus eos eſſe deuitandos, quorſum cum eis conferre volumus quaſi docendi, & firmandi in dubijs, ab eis qui ſemper quærunt, id eſt mouent quæſtiones,*

quaſi & ipſo dubitent? Aut enim verè quærunt, & proinde adhuc non inuenerunt veritatem, & adhuc à cæcis cæcum ducatum petis, in foueam deducendus; aut fingunt ſe quærere, vt curioſos ſollicitent & pungant deſiderio legendi libros ſuos; & ſic cum aditum ſibi fecerint in credulorum animos, cum eis conuerſari, tam quaſi certas ſententias ſuas erroneas tueantur, quas primò ſub quæſtionum velo proponebant. Ab ipſo igitur iam exordio, cùm proponunt nobis quæſtiones ſuas, nouas, & contra Chriſti verus Euangelium; ſtatim debemus eos à nobis repellere, & dicere nos non Chriſtum, ſed eos tunquam Antichriſtes abnegare. DVM QVÆRVNT. *Ipſo enim facto quod in quæſtionem & dubium vocant quod certo de Chriſto & tota fide tenendum eſt fatentur ſe nondum credidiſſe quod quærunt. Hinc offendi non debent, ſi dicamus eos non eſſe Chriſtianos, qui ſe non eſſe, proprio ore confitentur, dum quærunt dubij; cùm fides Chriſtiana ſit certa.* QVALEM FIDEM. *Cum ſimplex & nuda ſit fides & veritas, qualem fidem per diſputationem fallacem & mendacem, quæſtiones mouendo, in animos noſtros inducere volunt? niſi mendacem prorſus & fallacem. Quæſtiones, ignorantiam ſupponere docuit Auguſtinus, in titulum Pſal. 33. Enarratione 1. Circa f.* Vbi dicitur quomodo eſt? S.Aug.
Non intelligitur: Vbi non intelligitur, tenebræ ignorātię ſunt. Erat ergo in illis regnum ignorantię quaſi Rex Achis. Id eſt, Regnum erroris eis dominabatur. Achis enim ſignificat, quomodo eſt? *Et concione 2. in eundem titulum:* In illo verbo, quod, quomodo eſt, *ſic enim interpretatur ex Hebræo Achu*, dicitur, ignorantia ſignificatur, S.Aug.
vt verbum mirantis & non agnoſcentis intelligas. *Et in Pſal. 106. vbi de hæreticis.* Cum ſeparati ſint, & per quæſtiones malignas inquietent nos propoſitum eſt nobis ex illis, & inquiſitionis ſtudium, *quod de doctis tantum, vt patet ex contextu, intelligit, quorum eſt diſcutere, & ſoluere quæſtiones, quas ſimplices nec audire debent,* & timoris exemplum. Vnuſquiſque tremit cum alterum videt exiſſe, tanquam ex illius exitu dicatur illi: quapropter qui ſe putat ſtare, videat ne cadat, &c. Quid de illis dictum eſt in quodam Pſalmo? Congregatio Taurorum, id eſt ceruicatorum & ſuperborum, congregatio Taurorum inter vaccas populorum. Vaccas dicit ſeductiles animas, quę facilè conſentiunt ſeductoribus Tauris. Sed quare hoc? vt excludantur hi qui probati ſunt argento. Quid vt excludantur? vt appareant, & eminent illi qui ſunt probati in eloquio Dei. Cum enim reſpondeatur hæreticis ex neceſſitate, ædificantur Catholici ex vtilitate, &c. Quicumque ſunt probati in hoc argento, id eſt in eloquio Domini, non poſſunt exterere hoc argentum, niſi quęſtionibus inquietati hæreticorum. *Vaccas porro abactas & ſeductas à Tauris docuit Apoſtolus 2. Tim. 3. vbi à p. ad m. graphicè pingit hæreticos ex mente Auguſtini.* Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, *Syr. amantes pecuniæ*, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, *Syr. precipites*, tumidi, & voluptatum amatores, magis quàm Dei: habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita. Ex his enim ſunt qui penetrant domos, *Syr. irrepunt in domos*, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs; ſemper diſcentes, *ab hæreticis quæſtiones proponentibus*, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. *Quem locum applicat Auguſtinus hæreticis, tam ſcribendo in Ioannem, quàm Epiſtola ad Heſich. Epiſcopum. Quod verò* S.Aug.

S.Aug. *vt habet textus*, cæci ſint & duces cæcorum, *habet idem Aug. in Pſal. 54. in verſum*: non eſt illis commutatio, & non timuerunt Deum. Fratres mei, inquit, vnum remedium eſt. Timeant Deum, deſerant Donatum. Dicis illi, eris in hæreſi, in Schiſmate, & neceſſe eſt vt Deus retribuat iſtis malis. Venies in damnationem, noli tibi blandiri verbis tuis, ne ſequaris cæcum ducem. Cæcus enim cæcum ducens, ambo in foueam cadunt. Quid ad me? ait. Quomodo heri vixi, ſic & hodie: parentes mei quod fuerunt, hoc & ego. Non times Deum? &c. Cogita quia iſta omnia veta ſunt quæ leguntur; quia eſt fides Chriſti quæ falli non poteſt. *Sic Tertullianus ſupra, è contra de fide hæreticorum; qui per fallaciam veniunt, qualem fidem diſputant? id eſt diſputando & quærendo ſuſtinent.* Quomodo in hæreſi remanebis, ad tantam euidentiam Sanctæ Catholicæ, quam diffundit Deus per totum orbem terrarum; quam antequam diffunderet promiſerit, renuntiauit, ſic exhibuit vt promiſit? Ergo caueant, & obſeruent qui non timent Deum; extendit manum ſuam in retribuendo: polluerunt teſtamentum eius, diuiſi ſunt præ ira vultus eius. Quid expectatis? qua majore nota oſtendantur hæretici? diuiſi ſunt præ ira vultus eius. *Cæterùm quæ ſit differentia Catholici benè quærentis, & hæretici peruersè & curiosè inquirentis docuit Auguſtinus. tract. 63. in Io. in p.* Diuini Cantici vox eſt: quærite Deum, & viuet anima veſtra. Pſal. 63. quæramus inueniendum, quæramus inuentum, vt inueniendus quæratur, occultus eſt; vt inuentus quæratur, immenſus eſt. Vnde alibi dicitur, quærite faciem eius ſemper; Satiat enim quærentem, in quantum capit; & inuenientem capaciorem facit, vt rurſus quærat impleri, vbi plus capere cœperit. Non ergo ita dictum eſt, quærite faciem eius ſemper; quemadmodum de quibuſdam, ſemper diſcentes, & ad ſcientiam veritatis, nunquam peruenientes: ſed potius ſicut ille ait: *Eccleſiaſticus. c. 18.* Cum conſummauerit homo, tunc incipit: Donec ad illam vitam veniamus, vbi ſic impleamur, vt capaciores non efficiamur; quia ita perfecti erimus, vt iam non proficiamus. Tunc enim oſtendetur nobis, quod ſufficit nobis. Hîc autem ſemper quæramus, & fructus inuentionis, non ſit finis inquiſitionis. Neque enim propterea non ſemper, quia hîc tantùm, ſed ideo hîc ſemper dicimus eſſe quærendum, ne aliquando hîc putemus ab inquiſitione ceſſandum. Nam & de quibus dictum eſt, ſemper diſcentes, & ad veritatis ſcientiam nunquam peruenientes: hîc ſunt vtique ſemper diſcentes. Cùm verò de hac vita exierint. Iam non erunt diſcentes, ſed erroris ſui mercedem recipientes. *Dum in inferno dicent: Ergo errauimus à via veritatis, &c.* Sic enim dictum eſt ſemper diſcentes, &c. tanquam diceretur: ſemper ambulantes, & numquam ad viam peruenientes. Nos autem ſemper ambulemus in via, donec eò veniamus, quò ducit via: muſquam in ea remaneamus, donec perducat vbi manemus: atque ita & quærendo tendimus, & inueniendo, ad aliquid peruenimus; & ad id quod reſtat, quærendo & inueniendo tranſimus: quouſque ibi fiat finis quærendi, vbi perfectioni non ſupereſt intentio proficiendi. *Nihil, vt vides lector, cedit Auguſtinus Tertulliano.*

3. Hoc. *Dicto ſcilicet ſuo, ſiue ſententiâ, quæ immediatè prius dixerat, loquens de ſubſtantia ſermonis cap. 7. contra Praxeam. Vbi ait de Verbo Patris;* quæcumque ſubſtantia Sermonis fuit, illam dico perſonam, & illi nomen filij vindico: & dum filium agnoſco, ſecundum à Patre defendo. *Neque verò inde quis concludat contra me, Valentinum in ſuis probolis, ſiue prolationibus, & productionibus Æonum, ex Æonibus, me fuiſſe imitatum.* Veritas, *Scriptura ſacra, vel fides Catholica.* Censv, *Energia & propria ſubſtantia rei ſignificatæ per nomen.* Prolatvs *propriè dictum de Sermone ſiue Verbo Patris. Hinc Pſalmus*; dixit Dominus, &c. Eructauit cor meum verbum bonum. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, &c. *dicere enim Patris, eſt proferre ſermonem, & generare verbum. Hinc ipſa apud Salomonem ſapientia Patris:* Ego ex ore altiſſimi prodij. Probolam veritatis. *Aug. tract. 39. in Io. 8. in verba* qui me miſit verax eſt: tanquam, inquit, diceret ideo verum iudico, quia filius veritatis veritas ſum. Pater verax, filius veritas. Quid putamus eſſe amplius? Cogitemus ſi poſſumus, quid eſt amplius verax an veritas? de quibuſdam quæramus: pius homo an pietas? ſed plus eſt ipſa pietas: pius enim à pietate, non pietas à pio: poteſt enim eſſe pietas, etſi ille qui pius erat, factus eſt impius: ipſe perdidit pietatem, pietati nihil abſtulit: *idem quærit, & respondet, de pulchritudine, & caſtitate; & concludit*: Si ergo plus pietas quàm pius, plus pulchritudo quàm pulcher, plus caſtitas quàm caſtus; numquid dicturi ſumus, plus veritas quam verax? Si hoc dixerimus, filium incipiemus dicere patre majorem, ait enim apertiſſimè ipſe Dominus: Ego ſum via & veritas & vita. Ergo ſi filius veritas, pater quid? niſi quod ait ipſa veritas, qui me miſit verax eſt. Filius veritas, pater verax: quid plus ſit quæro, ſed æqualitatem inuenio. Verax enim pater, non ab ea veritate verax eſt, cuius partem cepit, *à quo enim acciperet, qui dat omnibus affluenter, primum omnium ſine principio, principium, fons & origo omnium perſonarum, ſolus quidem filij, & cum filio Spiritus Sancti.* Sed quam totum genuit. Si eſt verax anima, eſt veritas apud Deum, cujus eſt particeps anima: cujus particeps ſi non fuerit anima, omnis homo mendax: ſi omnis homo mendax, nullus homo de ſuo eſt verax. Pater autem verax, de ſuo eſt verax, quia genuit veritatem. Aliud eſt, verax eſt homo iſte qui iam percepit veritatem: Aliud eſt verax Deus, qui genuit veritatem. Ecce quomodo verax eſt Deus, non participando, ſed generando veritatem. *Neque verò abſtinendum eſt à verbis, aut myſteriis, quibus à nobis ſumptis abuntur hæretici, vt benè docuit Auguſtinus lib. 2. de doct. Chriſtiana c. 18.* Non propter ſuperſtitionem prophanorum, debemus Muſicam fugere, ſi quid inde vtile ad intelligendas ſanctas Scripturas rapere potuerimus: nec ad illorum Theatricas nugas conuerti, ſi aliquid de Cytharis & de Organis, quod ad ſpiritalia capienda valeat, diſputemus. Neque enim & litteras diſcere non debuimus, quia earum repertorem dicunt eſſe Mercurium: aut quia iuſtitiæ virtutique templa dedicarunt, & quæ corde geſtanda ſunt, in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis iuſtitia virtuſque fugienda eſt. Imò verò, quiſquis bonus veruſque Chriſtianus eſt, Domini ſui eſſe intelligat, vbicumque inuenerit veritatem, quam confitens & agnoſcens, etiam in literis ſacris ſuperſtitioſa figmenta repudiet, *qualia ſunt Æones Valentini*, dolearque homines, atque caueat, qui cognoſcentes Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerũt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. *Quod denique ſupra gentiles cauendi ſint hæretici, quaſi propinquiores hoſtes, plerumque nobiſcum ſentientes, quæ ſumpſerunt ex nobis; pulchrè Auguſtinus ediſſerit in Pſal. 54. in verſum,*

Aug.

Aug.

Aug. redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum *quod hæreticis, & maximè ſchiſmaticis ab vnitate & pace diuiſis applicat*: contra illos, inquit, qui non amant pacem in pace redimet animam meam; quia cum his qui oderunt pacem eram pacificus, &c. ab his qui appropinquant mihi. Nam ab illis *ſcilicet ethnicis* qui longè ſunt à me, facilis cauſa eſt. *id eſt facilius eſt cauere à laqueo*, non me tam citò fallit qui dicit, veni Idolum adorare: multum à me longè eſt. Chriſtianus es? *Supple ſi hæreticum & ſchiſmaticum occultum interrogo*, Chriſtianus, inquit. Ex propinquo aduerſatur, prope eſt, &c. quoniam in multis erant mecum. Quare dixit, qui appropinquant mihi? quia in multis erant mecum. In hoc verſu duæ ſententiæ occurrunt. In multis erant mecum. Baptiſmum habebamus vtrique, in eo erãt mecum. Euangelium vtrque legebamus, in eo erãt mecum. Feſta Martyrum celebrabamus, erant ibi mecum. Paſchæ ſolemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum, ſed non omnino mecum. In ſchiſmare non mecum, in hæreſi non mecum. In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis proſunt multa, in quibus mecum. Etenim, fratres, videte quàm multa enarrauit Apoſtolus Paulus: vnum dixit, ſi illud defuerit, fruſtra ſunt alia. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, ait, ſi habeam omnem prophetiam, & omnem fidem, & omnem ſcientiam; ſi montes transferam, ſi diſtribuam omnia mea pauperibus, ſi tradam corpus meus ita vt ardeat; Quàm multa enumerauit? his omnibus multis deſit vna charitas, illa numero plura ſunt, hæc pondere major eſt. Ergo in omnibus Sacramentis mecum, in vna charitate non mecum, &c. rurſus alio modo; *explico hunc verſum*, qui ſe ſeparauerant à me, mecum erant, non in paucis, ſed in multis. Etenim per totum orbem terrarum pauca ſunt grana, multæ ſunt paleæ. Quid ergo ait? in palea mecum erant; in tritico non mecum erant. Et appropinquat palea tritico; de vno ſemine exit, in vno agro radicatur, vnâ pluuiâ nutritur, eumdem meſſorem patitur, eandem triturationem ſuſtinet, eandem ventilationem expectat, non in vnum horreum intrat. *Concludo per id quod ſupra dixerat.* Ipſa eſt palea Dominicæ areę, hinc illos paucos ſuperbiæ ventus excuſſit, tota palea non volabit, niſi cum ille *qui ventilabrum habet in manu ſua*, in vltimo ventilabit.

4. Hæretici vitandi poſt primam, non dico diſputationem, ſed correptionem: ſtultum enim & periculoſum eſt de ſcriptura cum eis diſputare. De Præſcr. cap. 15. 16. 17. 18. per totum & 19. in p.

SEd ipſi de ſcripturis agunt, & de ſcripturis ſuadent. Aliunde ſcilicet loqui poſſent de rebus fidei, niſi ex litteris fidei? Venimus igitur ad propoſitum: hoc enim dirigebamus, & hoc præſtruebamus adlocutionis præfatione, vt jam hinc de eo congrediamur de quo aduerſarii prouocant. Scripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam mouent: in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendos eos ad vllam de ſcripturis diſputationem. Si hæ ſunt illæ vires eorum, vti eas habere poſſint, diſpici debet, cui competat poſſeſſio ſcripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit. Hoc de conſilio diffidentiæ, aut de ſtudio aliter ineundæ conſtitutionis induxerim, niſi ratio conſtiterit, in primis illa, quod fides noſtra obſequium Apoſtolo debeat, prohibenti quæſtiones inire, nouis vocibus aures accommodare, [a] *hæreticum poſt vnam correptionem conuenire*, non poſt diſputationem. Adeò interdixit diſputationem, correptionem deſignans cauſam hæretici conueniendi: & hoc vnam, ſcilicet, quia non eſt Chriſtianus: ne more Chriſtiani, ſemel & iterum, & ſub duobus aut tribus teſtibus caſtigandus videretur; cum ob hoc ſit caſtigandus, propter quod non ſit cum illo diſputandum: deinde quoniam nihil proficiat congreſſio ſcripturarum, niſi planè vt ſtomachi qua ineat euerſionem, aut cerebri. Iſta hæreſis non recipit quaſdam ſcripturas: etſi quas recipit, non recipit integras: adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit: etſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtilus. Variæ præſumptiones, neceſſariò nolunt agnoſcere ea; per quæ reuincantur, his nituntur quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promouebis exercitatiſſime ſcripturarum, cum ſi quid defenderis negetur: Ex diuerſo, ſi quid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione: nihil conſequeris, niſi bilem de blaſphematione. Ille verò, ſi quis eſt, cujus cauſa in congreſſum deſcendis ſcripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreſes deuerget? hoc ipſo motus, quod te videat nihil promouiſſe, æquo gradu negandi & defendendi aduerſa parte, ſtatu certè pari, altercatione incertior diſcedet, neſciens quam hæreſin iudicet. Hæc vtique & ipſi habent in nos retorquere. Neceſſe eſt enim & illos dicere à nobis potius adulteria ſcripturarum & expoſitionum mendacia inferri, qui proinde ſibi defendant veritatem. Ergo non ad ſcripturas prouocandum eſt: nec in his conſtituendum certamen, in quibus, aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut par incertæ.

CAP. XVI. 1. Tim. 6. 4. & 20.
[a] Tit. 3. 10.
Matth. 18. 16.
CAP. XVII.
CAP. XVIII.
CAP. XIX.

Digitized by Google

5. Hæretici ſi aggrediendi ſunt, cum principibus eorum, non verò cum diſcipulis agendum. Cont. Valent. cap. 5. in p.

MIhi autem cum Archetypis erit limes principalium magiſtrorum, non cum adfectatis ducibus paſſiuorum diſcipulorum.

6. Hæretici ſeuerè tractandi ſunt. Scorpiacè cap. 2. à p.

AD officium hæreticos compelli, non inlici dignum eſt, duritia vincenda eſt, non ſuadenda.

7. Hæretici principia fidei ſuæ probare cogendi ſunt. 5. cont. Marc. cap. 1. à m. V. Pauli conuerſio. 1.

8. Hæretici non audiendi, ſi quid extra Scripturam proferunt. de Car. Chri. cap. 7. à p.

NOn recipio, quod extra ſcripturam de tuo infers.

9. Hæretici compellendi, vt probent miraculis miſſionem ſuam: ſed ipſi, mutato ſigno, de viuis mortuos faciunt: de Præſcr. cap. 30. in. f.

CEterùm & Nigidius neſcio qui, & Hermogenes, & multi alij qui adhuc ambulant peruertentes vias Dei, oſtendant mihi ex qua auctoritate prodierunt. Si alium Deum prædicant, quomodo eius Dei rebus & litteris & nominibus vtuntur aduerſus quem prædicant? ſi eundem, quomodo aliter? Probent ſe nouos Apoſtolos eſſe: dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, iterum ipſum docuiſſe, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum reſuſcitatum? ſic enim Apoſtolos ſolet facere, dare illis præterea
Marc. 16. virtutem, eadem ſigna edendi, quæ & ipſe. Volo igitur & virtutes eorum proferri:
17. & 20. niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in peruerſum æmulantur. illi enim de mortuis viuos faciebant, iſti de viuis mortuos faciunt.

10 Hæretici licet aliqui tempore Apoſtolorum nati, non poſſunt probare, ſe ab Apoſtolis inſtitutos; nec ſucceſſionem Epiſcoporum ſuorum. de Præſcr. cap. 32. per totum.

CEterùm, ſi quæ audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, vt ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem & Anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: Sicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert, ſicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum itidem. Perinde vtique & cæteræ exhibent quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiam inlicitum eſt? Sed etſi confinxerint, nihil promouebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diuerſitate & contrarietate ſua pronuntiabit, neque Apoſtoli alicuius auctoris eſſe, neque Apoſtolici: quia ſicut Apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent, ita & Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent, niſi illi qui ab Apoſtolis didicerunt, aliter prædicauerunt. Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Eccleſijs, quæ licet nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis, Auctorem ſuum proferant, vt multò poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur: tamen in eadem fide conſpirantes, non minus Apoſtolicæ deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreſes ad vtramque formam à noſtris Eccleſijs prouocatæ, probent ſe quaquâ putant Apoſtolicas. Sed adeo nec ſunt: nec probare poſſunt quod non ſunt: nec recipiuntur in pacem & communicationem ab Eccleſijs quoquo modo Apoſtolicis. ſcilicet, ob diuerſitatem ſacramenti, nullo modo Apoſtolicæ.

HÆRETICI QVOMODO TRACTANDI. IIII. V. VI. VII. VIII. IX. X. SCHOL.

SE IPSI, *dicet forſitan aliquis, ad defenſionem haereticorum, haereticos penè ſemper de Scripturis tractare, & ſuadere, ex Scripturis, quaſi fontibus ſuis, hauſtas opiniones ſuas. Cui reſpondet Tertullianus: quaſi vero, inquit, cùm de fide agitur, alunde poſſint argumenta ſumi, quàm ex Scripturis, & verbo Dei; ex quo integra quoad literam & incorrupta, quoad ſenſum, vera*

A fides animis infunditur, dicente Paulo: fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei, *de quo & Pſaltes:* lucerna pedibus meis verbum tuum, &c. & lex tua veritas, &c. & ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque, &c. principium verborum tuorum veritas. *Sicut ex aduerſo qualibet hæreſis, ſicut ex manna corrupto vermes, ſic errores ex Scriptura litera,*

Digitized by Google

vel ſenſu peruerſo, errores produxit. DIRIGEBAMVS, *quaſi in ſcopum, noſtram diſputationem; & prefati fueramus, vt iam inde ſerio diſputemus; ſcilicet hæreticos non eſſe admittendos, quoties nos prouocant, vt cum eis de Scriptura dimicemus.* OBTENDVNT, *quaſi ſcutum impenetrabile, quo audaces ad conflictum deſcendunt, & aliquos ignaros primâ fronte in admirationem rapiunt, & firmos in fide, ipſo in conflictu, locorum & textuum multitudine male intellectorum fatigant; infirmos, quaſi piſces hac eſca capiunt.* MEDIOS, *fluctuantes, & inter fidem & hæreſim hæſitantes, cum inquietudine animi ex diſputatione dimittunt.* OBSTRVIMVS, *opponimus primò & præcaueris.* VTI, *vt, quomodo, quo iure.* CVI COMPETAT. *Ad quem pertineat, ad hæreticum, an ad fidelem. Bellè Clem. Alex. lib. contra Hæreticos, eorum artem in abuſu Scripturæ notat.* Si propheticis Scripturis vti qui ſectantur hæreſes auſi fuerint; primùm quidem, non omnibus, deinde non integris vtuntur; nec vt dictat corpus, & contextus prophetiæ; ſed quæ ambiguè dicta ſunt eligentes, *vnde ab electione dictos ait noſter Tertull.* in priuatas ſuas opiniones, ſparſim paucas voces carpentes, veluti floſculos; neque quod ſignificatur per eas conſiderantes, ſed ipſa nuda dictione abutentes, in omnibus ferè verbis quæ proferunt, reperias eos ſolis nominibus inhærentes. *Vnde & hæretici dici poſſunt. Pulchrum adhuc Vincentius Lyr. Commonitione prima, cap. 26.* Hic fortaſſe aliquis interroget, an & hæretici diuinæ Scripturę teſtimonijs vtantur? Vtuntur planè, & vehementer quidem: nam videas eos volare, per ſingula quęque Sanctæ legis volumina, per Moyſi, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud ſuos, ſiue alienos; ſiue priuatim, ſiue publicè; ſiue in ſermonibus, ſiue in libris, ſiue in conuiuijs, ſiue in plateis; nihil vnquam penè de ſuo proferunt quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samozateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumque peſtium; cernes infinitam exemplorum congeriem; propè nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris Teſtamenti ſententijs fucata aut colorata ſit, ſed tantò magis cauendi & pertineſcendi ſunt, quantò occultius ſub diuinæ Legis vmbraculis latitant, ſciunt enim fœtores ſuos, nulli eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalantur; atque idcirco, eos cœleſtis eloquij velut quodam aromate aſpergunt, vt ille qui humanum facilè reſpiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. *Id & notauit Auguſtinus de omnibus ferè hæreticis contrà quos diſputauit; ſed nunc breuiter accipe quæ dixit tract. 18. in Io. c.* Neque, inquit, natę ſunt hæreſes, & quędam dogmata peruerſitatis, illaqueantia animas, & in profundum prępcipitantia, niſi dum Scripturæ bonę intelliguntur non benè; & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur. *Aduerte vocem Tertulliani, Scripturas, inquit, obtendunt, & hac ſua audacia, &c.* Itaque, chariſſimi, valde cautè hoc audire debemus, ad quę capienda paruuli ſumus, &c. Arriani hæretici dicentes, non per carnem, ſed ante carnem, *ſuſceptam*, filium ipſum qui ſuſcepit carnem, minorem eſſe quàm Patet eſt, & non eſſe eiuſdem ſubſtantię cuius Patęr eſt; capiunt ex his verbis anſam calumnię, & reſpondent nobis: videtis quia Dominus Ieſus cum animaduerteret Iudæos ex hoc moueri, quod Patri Deo ęqualem ſe faceret, talia verba ſubiunxit, vt ſe ęqualem non eſſe monſtraret, &c. quaſi dicens: quid iraſcimini? quid indignamini? non ſum ęqualis, quia non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Qui enim non poteſt, inquiunt, facere à ſe quidquam niſi quod viderit Patrem facientem, vtique minor eſt, non æqualis. In hac regula cordis ſui diſtorta & praua hęreticus audiat nos nondum obiurgantes, ſed adhuc quaſi quærentes, &c.

HOC DE CONSILIO. *Volo, inquit; æſtimes, quod ea quæ dixi de recuſanda hæreticis diſputatione ex Scriptura ſumpta materia; fruſtra dixerim, quod conſiteri, ſumatur à te quaſi euaſio nata ex timore, & diffidentia victoriæ. Volo vt cenſeas me cautè & ſubdolè ſtatum diſputationis contra eos inire voluiſſe, niſi ſufficiens tibi ratio, videatur, abſtinendi à diſputatione cum hæreticis; quòd in primis fides Chriſtiana nos obligęt hanc reuerentiam exhibere Paulo eximio fidei Magiſtro, qui expreſsè prohibet aures præbere hæreticis, nouarum vocum, & doctrinarum peregrinarum inuectoribus, diſputare cum eis, mouere quæſtiones; vt nulla ſuperſit nobis ex Apoſtoli prohibitione, cum hæretico conuerſandi cauſa, quia non eſt Chriſtianus; quàm vt eum ſemel correptum, deſeramus; cùm ad Chriſtianum ſemel atque iterum, correptum, poſt vnam & alteram correptionem, adhibere etiam duos vel tres teſtes ab Euangelio moneamur.* CVM OB HOC. *Ideo, inquit, diſco ab Apoſtolo, nullo modo cum hæretico eſſe diſputandum; non ſolum de Scriptura, ſed de quacunque circa fidem materia, vel qualibet in genere controuerſia, quia nullo modo permittit cum eo tractare, quàm ad eius correptionem; ad hæc accedit, quòd hæc altercatio de Scripturis ſit ſemper tumultuoſa, & ſtomachum euertat, aut cerebrum, & bilem moueat. Locus Pauli ſubijcio, 1. Tim. 6. 3.* Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus, Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quę ſecundum pietatem eſt, ſanæ doctrinæ: *Syr. & doctrinæ reuerentia Dei,* ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quęſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum & qui veritate priuati ſunt, exiſtimantium quęſtum eſſe pietatem. *Aug. carpit ſuperbiam hæreticorum & quæſtum auarum, tam in Ep. 57. ad Dioſcorum circa finem, quàm libro de vtilitate credendi ad Honoratum, cap. 1. Ille quidem prius citato loco, his verbis, vbi ſoli Dei gloriæ ſeruiendum dicit, non humanæ, ſicut hæretici vanæ gloriæ cupidi.* Huius nos glorię ſeruimus, huic S. Aug. te immobiliter atque conſtanter credere hortamur, per quem factum eſt, vt non pauci, ſed populi etiam qui non poſſunt, iſta dilucidare ratione, fide credant; donec ſalutaribus præceptis admuniculati, euadant ab his perplexitatibus in auras puriſſimæ atque ſinceriſſimæ veritatis. Cuius authoritati tantò deuotius obtemperari oportet, quantò videmus nullum iam errorem ſe audere extollere ad congregandas ſibi turbas imperitorum, *egerat ſupra de Philoſophis Stoicis, Epicureis, Platonicis, erroribus ſuis pleroſque ſeducentibus*, qui non Chriſtiani nominis velamenta conquirat. *Sicut hæretici, maximè Scriptura abutentes, de quo agit hic Tertullianus,* eos autem ſolos ex veteribus præter Chriſtianum nomen, in conuenticulis ſuis, aliquantò diutius vel frequentius perdurare, qui Scripturas eas tenent per quas annuntiatum eſſe ipſum Dominum Ieſum Chriſtum, ſe intelligere, & videre diſſimulant. *Vnde ex hac diſſimulatione orta eſt Logomachia ſiue pugna verborum, de qua hic Paulus.* Porro illi, qui cum in vnitate atque communione Catholica non ſint, Chriſtiano tamen nomine gloriantur, coguntur aduerſari credentibus, & audent imperitos quaſi ratione traducere, quando, maximè, cum iſta Medicina *qua curare voluit curioſam ſuperbiam inſpiratam à ſer-*

pente quæſtionem mouente: cur præcepit vobis Deus? &c. & ſcientiam ſuperbam inſinuante: eritis ſicut dij, &c. & oculos rationis aperiente, contra ſimplicem fidem. Hinc hoc tumore agros filios, & curioſitate rationis, ex parentibus traductis, pro remedio exegit Deus, fidei oculos velatos, & cæcum obſequium. Cum iſta, inquit,
S.Aug. Medicina Dominus venerit, vt fidem populis imperaret. Sed hoc facere coguntur, vt dixi, quia iacere ſe abiectiſſimè ſentiunt, ſi eorum Authoritas cum Authoritate Catholica conferatur. Conantur ergo authoritatem ſtabiliſſimam fundatiſſimæ Eccleſiæ quaſi rationis nomine & pollicitatione ſuperare. Omnium enim hæreticorum quaſi regularis eſt iſta temeritas. *Scribens autem ad Honoratum prius deceptum à Manichæis, to.6. lib. de Vtilitate credendi, cap.1. Duo hæreticorum vitia notat, vanam gloriam, & turpis lucri cupiditatem; & diſtinguit hæreticum, ab eo qui fallaciter deceptus ab hæretico, eius errori cre-*
S.Aug. *didit.* Hæreticus eſt, vt mea fert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratia, falſas ac nouas opiniones, vel gignit vel ſequitur: Ille autem qui huiuſmodi hominibus credit, homo eſt imaginatione quadam veritatis ac pietatis illuſus.

Alium locum Pauli ducitur ex Ep. ad Tit. cap.3. 10. Stultas quæſtiones.& genealogias,& contentiones, & pugnas legis deuita, ſunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita. *Tranſlat. Syr. paulo aliter* cæterum à ſtultis quæſtionibus, & fabulis genealogiarum *quales Æonum Valentini* & à contentionibus & digladiationibus Scribarum recede, &c. *Deuitandi igitur ſunt, quia ſunt in Cathedra peſtilentiæ ſedentes, tum propter ſuperbiam, tum propter errorem peſtiferum. Sic exponente Auguſtino illud Pſalmi primi* Cathedra peſtilentiæ rectè intelligitur, quia non
S.Aug. ferè quiſquam eſt qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Peſtilentia eſt enim morbus latè peruagatus, & omnes, aut penè omnes inuoluens: quamquam accommodatius accipiatur Cathedra peſtilentiæ, pernicioſa doctrina, cuius ſermo vt Cancer ſerpit. *Vt ait Paulus, 2. Tim.2. 17.* Solicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis: prophana autem & vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum vt Cancer ſerpit: *Tranſlat. Syr. inſtar Cancri morbi depaſcentis, apprehendet multos* ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate ceciderunt. *Aug. citatus à Beda in 2. Cor. 11. Sermone, quod tribus modis Chriſtus intelliga-*
Aug. *tur:* Nolite quæſtiones mirari hominum, qui ſerpunt ſicut Cancer,quemadmodum dicit Apoſtolus; ſed cuſtodite aures veſtras, & virginitatem mentis veſtræ, tanquam deſponſati ab amico ſponſi, vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto, &c. Sæpe ergo, vt Scriptum eſt, aures veſtras ſpinis; adhuc muſſitat ſerpens, & non tacet. Quærit pollicitatione quadam ſcientiæ deijcere de paradiſo Eccleſiæ, quem non permittat redire ad illum paradiſum vnde primò eiectus eſt. Quod geſtum eſt in in illo paradiſo, hoc geritur in Eccleſia. Nemo nos ſeducat ab iſto paradiſo. Sufficiat quod illic lapſi ſumus; vel experti corrigamur. Ipſe eſt ſerpens qui ſemper ſuggerit iniquitatem, & impietatem. Ipſe aliquando promittit impunitatem,quemadmodum promiſit dicens. Numquid morte moriemini? ipſe talia ſuggerit, vt modo malè viuant Chriſtiani. Numquid omnes, inquit, perditurus eſt Deus? Numquid omnes damnaturus eſt Deus? *Sed maximè aures claudendæ ſunt ſibilanti ſerpenti per linguam hæretici, blanda facie, decipere volentis, & corrumpere ſimplicitatem & virginitatem fidei. Vnde Auguſtinus ibidem.* Mentes veſtras, inquit, timuit, corrumpi Apoſtolus, vbi eſt fidei virginitas, modo ergo anima virginitatem tuam conſerua, fœcundanda poſtea in amplexu ſponſi tui. ISTA HÆRESIS, *in genere de hæreſi quacunque loquitur.* CONVERTIT, *in alium ſenſum contrarium detorquet.* OBSTREPIT, *aduerſatur.* CORRVPTOR STILVS, *Scriptura hæretici, Scripturæ Sacræ literam corrumpens.* VARIÆ PRÆSVMPTIONES. *Diuerſæ à vera fide hæreticorum opiniones.* NECESSARIO, *quia aliter conuincuntur errores eorum ſi ea teſtimonia Scripturæ admittant, quæ orthodoxam continent fidem.* EX FALSO, *fallaciter & ſubdolè contexuerunt.* DE AMBIGVITATE, *nacti occaſionem verbi alicuius aut ſententiæ obſcuræ, & vtrimque interpretabilis.* QVID PROMOVEBIS? *quid diſputando de Scripturis cum hæretico proficies, quicunque Catholicus es verſatiſſimus in Scripturis?* DEFENDERIS, *ſuſtinueris, in Scriptura eſſe fundatum.* NEGBIVR, *vel ſic intelligendum, vel in codice ſuo ſic ſcriptum.* DE BLASPHEMATIONE, *ob blaſphemiam hæretici.* ÆQVO GRADV, *propter imperitiam, iudicans litem vtrinque pendere & conflictum pari gradu, & cæſtu, dubiam facere victoriam.* QVAM HÆRESIN, *id eſt quænam opinio ex duabus vtrimque defenſis ſit hæretica, vel Catholica.* HÆC VTIQVE, *dicet eadem quoque poſſe hæreticos in nos retorquere.* NECESSE EST. *Retorquebunt planè, non enim habent aliter quo euadant, niſi dicendo, non ipſos, ſed nos falſarios eſſe, & corruptores tam literæ, quàm ſenſus Scripturæ: Apud ipſos verò eſſe incorruptam veritatem.* ERGO NON AD SCRIPTVRAS, *&c. Vnde concluditur non eſſe vocandos hæreticos ad certamen ineundum de Scripturis.* PARINCERTÆ. *Alij legunt* parum certa, *quod idem eſt.*

5. CVM ARCHETYPIS. *Cum primario dogmate præcipuorum, Principum Hæreſiarcharum.* LIMES ERIT. *Terminus diſputationis.* ADFECTATIS DVCIBVS, *non cum eis congrediar qui poſt Primarios hæreſeos Magiſtros, affectarunt, & videri voluerunt duces & inuentores alicuius de nouo ſuperadditi, dictorum Magiſtrorum inuentis, vt communes & vulgares diſcipulos poſt ſe abducerent. Et quidem maior iam victoria, ex nobiliori Aduerſario. Sic ſe profitetur imitari prædeceſſores ſuos, Iuſtinum Philoſophum & Martyrem, Miltiadem, Irenæum.* Quos, inquit, in omni opere fidei quemadmodum in iſto optauerim aſſequi. *Sic Auguſtinus, Donatum, Pelagium, Manem, alioſque hæreticorum Archimagiſtros eſt aggreſſus.*

6. AD OFFICIVM. *Ambr. lib.1. Officiorum:* Officium ab efficiendo dictum putamus,quaſi efficium: ſed propter decorem ſermonis, vna immutata litera, officium nuncupari, vel certè vt ea agas quæ nulli officiant, proſint omnibus. *Ius autem vox eſt quæ ſignificat iudicij actionem, & appellatur, iudicium extraordinarium, l.1. C. de Libertis & eorum liberis, & illud iudicium extraordinarium dicitur actio, in l. Liberti, C. eodem titulo. Significat etiam interdum ſeruile miniſterium, l.46. §. actores, ff. de Iure fiſc. & hoc quidem ab artificio ſeparatur, l.65. §.1. ff. de leg. lib.3. l.24. ff. de Manumiſſis teſtamento, diſtinguitur etiam à miniſterio, l.65. ff. de leg. Quocunque modo ſumas, hæreticorum aduerſarius Tertullianus, eos compelli voluit ad officium,* NON INLICI. *Id eſt blandè allici, quia ob duritiem querneam non ſunt capaces blandæ tractationis, nec molliti ſermonis ſuper oleum, ſed iaculis ſunt feriendi. Nec enim ſunt ad quos Apoſtolus Iacobus, cap.1. 21.* In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. *Auguſtinus*

guſtinus, tamen quamquam infenſus hæreticis, leniter tamen interdum cum eis egit, vtpote ejuſdem Iacobi diſcipulus, qui ait cap. 3. 13. Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ *vel vt habet tranſlat. Syr.* per ſapientiam manſuetam. *Sic enim ipſe Auguſtinus to. 1. cum Manichæis ſe egiſſe narrat lib. 1. de Moribus Eccl. Catholicæ. cap. 1.* Quoniam duæ maximè ſunt illecebræ Manichæorum quibus decipiuntur incauti, vt eos velint habere Doctores; *Scripturæ corruptores & aduerſarios virtutis*: vna, cùm Scripturas reprehendunt, vel quas malè intelligunt, vel quas malè intelligi volunt, altera cùm vitæ caſtæ, & memorabilis continentiæ imaginem præferunt: hic liber congruentem Catholicæ diſciplinæ ſententiam noſtram, de vita & moribus continebit: in quo fortaſſe intelligetur, & quàm ſit facilè ſimulare, & quàm difficilè habere virtutem. Eum ſanè modum tenebo ſi potero, vt neque in illorum morbos qui mihi ſunt notiſſimi, tam grauiter inuehar, quàm illi in ea quę ignorant. *Nam teſte Iuda Apoſtolo: quæcumque ignorant, blaſphemant.* Sanari enim eos potius ſi fieri poteſt, quàm oppugnari volo: & ea de Scripturis aſſumam teſtimonia, quibus eos neceſſe ſit credere, de nouo ſcilicet teſtamento; *quod ſcilicet admittunt*, de quo tamen nihil proferam eorum quę ſolent, imm illa eſſe, dicere cũ magnis anguſtijs coarctantur; ſed ea dicam quæ & approbare, & laudare coguntur. Nec omnino vllam relinquam teſtem ſententiam productam de Apoſtolica diſciplina, cui non de veteri teſtamento ſimilem comparem: vt ſi euigilare, tandem depoſitâ pertinaciâ ſomniorum ſuorum, & in Chriſtianæ fidei lucem aſpirare voluerint, animaduertant, & quàm non ſit Chriſtiana vita quam oſtentant, & quàm ſit Chriſti Scriptura quam lacerant. *& Epiſt. 61. ad Dulcitium quæ eſt de coërcendis hæreticis:* non tu in eos ius gladij vllis legibus accepiſti, aut imperialibus conſtitutis, *ſtatutis, conſtitutionibus*, quorum tibi iniuncta eſt executio, hoc præceptum eſt, vt necentur, &c. quod autem etiam ipſum Epiſcopum illorum, *Circumcellionum*, putaſti litteris alloquendum, humaniſſimè oſtendiſti, quantâ manſuetudine temperati ſint in Catholica Eccleſia, etiam qui poteſtate Chriſtiani Imperatoris, ſiue terrendo, ſiue plectendo, corrigendis præficiuntur erroribus; niſi quod honorificentioribus eum verbis tractaſti, quàm decebat hæreticum *Iuſtinianus tamen Imp. Nouella 42. Scribenti libros hæreticos pœnam inflixit amputationis manus. & in Epiſt. 159. ad Marcellinum Iudicem, vbi erat leniter agi contra Clericos circumcelliones, qui Reſtitutum Preſbyterum Catholicum occiderant, & Innocentio item Preſbytero oculum eruerant, digitumque præciderant.* Mihi, inquit, ſolicitudo maxima incuſſa eſt, ne fortè ſublimitas tua cenſeat eos tanta legum ſeueritate plectendos, vt qualia fecerunt, talia patiantur, &c. Nolumus paſſiones ſeruorum Dei quaſi vice talionis, paribus ſupplicijs vindicari. Non quò ſceleſtis hominibus licẽtiam facinorum prohibeamus auferri, ſed hoc magis ſufficere volumus, vt viui, & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine inſana, ad ſanitatis otium, legum coërcitione dirigantur, vel à malignis operibus alicui vtili operi deputentur. Vocatur quidem & iſta damnatio: ſed quis non intelligat magis beneficium quàm ſupplicium nuncupandum, vbi nec ſæuiendi relaxatur audacia, nec pœnitendi Medicina ſubtrahitur? Imple, Chriſtiane Iudex, pij Patris officium; ſic ſuccenſe iniquitati, vt conſulere humanitati memineris, &c. Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipſa inquiſitione ſeruaſti: quando tantorum ſcelerum confeſſionem, non extendente equuleo, non ſulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, ſed virgarum verberibus eruiſti. Qui modus coercitionis à magiſtris artium liberalium, & ab ipſis parentibus & ſæpè etiam in iudicijs, ſolet ab Epiſcopis adhiberi, &c. Paſſiones Catholicorum ſeruorum Dei, quæ infirmis ad ædificationem ſpiritalem vtiles eſſe debent, haud reciproca inimicorum, à quibus paſſi ſunt pœna decoloretis, ſed potius refracta iudiciaria ſeueritate & veſtrâ fidem, *alloquitur tam Proconſulem, quàm Marcellinum Iudicem*, quia filij eſtis Eccleſiæ, & ipſius matris manſuetudinem commendare minimè negligatis.

Sic item lib. 3. contra Creſconium Grammat. cap. 50. Nullis bonis in Catholica hoc placet, ſi vſque ad mortem in quemquam licet hæreticum ſæuiatur. Neque verò ſi longè à morte cuiuslibet moleſtijs, libido vlciſcendi malum pro malo retribuat, approbamus: multò ampliùs deteſtantes, ſi ex hac occaſione, velut pro vnitate conandi, concupita quiſque auferat aliena; non illa, quæ ſub nomine Eccleſiæ non debent ab hæreticis poſſideri, ſed quorumcũque priuata. *Idem tamen Aug. aduertit ſæpenumero hæreticos conuictos de hæreſi, pecuniâ fuiſſe mulctatos: maximè eodem libro, cap. 47. vbi de Poſſidio Calamenſi Epiſcopo à Criſpino Preſbytero grauiter cæſo*: Exhibitus Criſpinus, & quod ſe eſſe Proconſuli quærenti negauerat, facillimè conuictus hæreticus, decem tamen libras auri, quam mulctam in omnes hæreticos Imperator Maior Theodoſius conſtituerat, intercedente Poſſidio, non eſt compulſus exoluere. *Quam totam hiſtoriam tacito ſuo nomine ex modeſtia, refert idem Poſſidius in vita Auguſtini cap. 12. cum prius cap. 11. ſe inter decem illos viros excellentes, Præpoſitos primis Africæ Cathedris, tacuiſſet; quos ex primo, & vnico, cuius ipſe meminit cap. 9, Auguſtini Monaſterio, ex Monachis laicis, factos Clericos, deinde Epiſcopos apertiſſimè narrauit; vt abſque inuidia legenti conſtabit, & vt fuſius in vindicijs noſtris quadripartitis probauimus. Dicta ſummæ taxatæ à Theodoſio in Epiſcopos, vel Clericos conuictos hæreſeos, meminit idem Aug. Ep. 50. ad Bonifacium Comitem, quæ tota eſt de moderatè coërcendis hæreticis; & alibi ſæpè. Tractatu autem 6. in 10. circa finem, probat Epiſcopos & Clericos hæreticorum nihil poſſidere poſſe, nec iure diuino, nec humano.* Ecce vbi Gaius eis donauit fundum Eccleſiæ, cui præerat Fauſtinus, *obiecit hoc ſibi dicentem hæreticum pro Fauſtino Epiſcopo ſuo.* Cuius Epiſcopus erat Fauſtinus? Eccleſiæ. Quid eſt Eccleſiæ? Eccleſiæ, dixit, cui præerat Fauſtinus. Sed non Eccleſiæ præerat Fauſtinus, *Catholicæ ſcilicet*, ſed parti præerat, *Donatiſtarum*, Columba autem Eccleſia eſt. *Tum inducit hæreticum rurſum dicentem ſibi:* quid clamas? non deuorauimus villas, columba illas habeat. *Cui rurſum Auguſtinus*: quæratur quæ ſit columba, & ipſa habeat: Nam noſtis, fratres mei, quia villæ iſtæ non ſunt Auguſtini, &c. Quo iure defendis villas? diuino an humano? reſpondeant, diuinum ius in ſcripturis habemus, humanum ius in legibus Regum. Vnde quiſque poſſidet quod poſſidet? nonne iure humano? Nam iure diuino, Domini eſt terra & plenitudo eius, pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, & pauperes & diuites vna terra ſupportat. Iure tamen humano dicit; hæc villa mea eſt, hæc domus mea, hic ſeruus meus. Iure ergo humano, iure Imperatorum. Quare? quia ipſa

iura humana per Imperatores & Reges ſeculi Deus diſtribuit iure humano. Vultis legamus leges Imperatorum, & ſecundum ipſas agamus de villis? Si iure humano vultis poſſidere, recitemus leges Imperatorum: videamus ſi aliquid voluerint ab hæreticis poſſideri. *Debinc introducit hæreticum, dominationem aſpernantem, ſic fantem:* Sed quid mihi eſt Imperator? Secundum ius ipſius, *reſpondet Auguſtinus* poſſides terram. Aut tolle iura Imperatorum, & quis audet dicere mea eſt illa villa, aut meus eſt ille ſeruus, aut domus hæc mea eſt? Si autem vt teneantur iſta ab hominibus, iura acceperunt regum, vultis recitemus leges, vt gaudeatis, quia vel vnum hortum habetis: & non imputetis niſi manſuetudini columbæ, quia vel ibi vobis permittitur permanere? leguntur enim leges manifeſtæ, vbi præceperunt Imperatores eos, qui præter Eccleſiæ Catholicæ communionem, vſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis authorẽ, nihil nomine Eccleſiæ audeãt poſſidere. *Inſtant hæretici*: ſed quid nobis & Imperatori? *Reſpondet Aug.* Sed iam dixi de iure humano agitur. Et tamen Apoſtolus voluit ſeruiri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit; *Petrus 1. Petri 2. 17. Deum timete, Regem honorificate*, Regem reuereremini. Noli dicere, quid mihi & Regi? quid tibi ergo & poſſeſſioni? per iura Regum poſſidentur poſſeſſiones. Dixiſti, quid mihi & Regi? noli dicere poſſeſſiones tuas: quia ad ipſa iura humana renunciaſti, quibus poſſidentur poſſeſſiones. Sed de diuino iure ago, ait. Ergo Euangelium recitemus: videamus quouſque Eccleſia Catholica Chriſti eſt, *id eſt extenditur*: ſuper quem venit columba, quæ docuit, *Ioannem ſcilicet*: hic eſt qui baptizat: quomodo ergo iure diuino poſſideat, qui dicit, ego baptizo, cùm dicat columba, hic eſt qui baptizat: cùm dicat Scriptura, vna eſt columba mea, vna eſt matri ſuæ? quare laniaſtis columbam? Imò laniaſtis viſcera veſtra: Nam vobis laniaſtis, columba integra perſeuerat. Ergo fratres mei, ſi vbique non habent quod dicant, ego dico vobis quid faciant. Veniant ad Catholicam, & nobiſcum habebunt, non ſolum terram ſed etiam illum qui fecit cœlum & terram.

Tandem quod iuxta Tertull. cogendi ſint hæretici ad officium & debitum fidei, probat Auguſtinus ad Donatum Preſbyterum partis Donati. Ep. 204. Diſplicet tibi quia trahetis ad ſalutem cum tam multos noS. Aug. ſtros ad perniciem traxeris, &c. Si neque hoc putas tibi fieri debuiſſe, quia neminem exiſtimas cogendum eſſe ad bonum, attende quid Apoſtolus dixerit, qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus concupiſcit: & tamen tam multi vt Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni; quanto magis vos ab errore pernicioſo, in quo vobis inimici eſtis, trahendi eſtis & deducendi ad veritatem, vel cognoſcendam, vel eligendam; non ſolum vt honorem *Martyrij quem ſtultè affectabant Circumcelliones ſeipſos occidendo vel homines ad ſuam necem cogendo*, ſed etiam ne peſſimè pereatis? dicis Deum dediſſe liberum arbitrium, ideo non debere cogi hominem nec ad bonum: quare ergo illi de quibus ſupra dixi, coguntur ad bonum? Attende ergo, quod conſiderare nonvis. Ideo voluntas bona *cogentis ad bonum* miſericorditer impenditur, vt mala voluntas hominis dirigatur. Nam quis neſciat, nec damnari hominem niſi merito malæ voluntatis, nec liberari niſi bonam habuerit voluntatem?

A Non tamen ideo qui diliguntur malę ſuæ voluntati impunè & crudeliter permittendi ſunt, ſed vbi poteſtas dátur, & à malo prohibendi, & ad bonum cogendi. Nam ſi voluntas mala ſemper ſuæ permittenda eſt libertati, quare Iſraëlitæ recuſantes & murmurantes, tam duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram promiſſionis compellebantur? Si voluntas mala ſuæ permittenda eſt libertati, quare Paulus non eſt permiſſus vti peſſima voluntate, qua perſequebatur Eccleſiam, ſed proſtratus eſt, vt excæcaretur, & excęcatus eſt vt mutaretur, mutatus vt mitteretur, miſſus, vt qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur? Si voluntas mala ſemper ſuæ
B permittenda eſt libertati, quare monetur pater in ſcripturis ſanctis *Eccli. 30. 12.* filium durum non ſolum verbis corripere, ſed etiam latera eius tundere: vt ad bonam diſciplinam coactus & domitus dirigatur, &c. Si mala voluntas ſemper ſuæ permittẽda eſt libertati, quare corripiuntur negligentes Paſtores, & dicitur eis, errantem ouem non reuocaſtis, perditam non requiſiſtis? & vos oues Chriſti eſtis, characterem Dominicum portatis in Sacramento quod accepiſtis, ſed erratis & peritis. Non ideo vobis diſpliceamus, quia reuocamus errantes, & quærimus perditos. Melius enim facimus voluntatem Domini monentis, vt vos ad eius ouile redire cogamus, quàm conſentiamus voluntati ouium errantium,
C vt perire vos permittamus, &c. Si ſalus iſta corporalis ſic cuſtodienda eſt, vt etiam in nolentibus ab eis qui eos diligunt, ſeruetur; quanto magis iſta ſpiritalis, in cuius deſertione mors æterna metuitur? &c. Attendis & ſæpè repetis, ſicut audio, quod in Euangelio ſcriptum eſt, receſſiſſe à Domino 70. diſcipulos, & arbitrio ſuæ malæ atque impiæ diſceſſionis fuiſſe permiſſos, cæteriſque duodecim qui remanſerant fuiſſe reſponſum, numquid & vos vultis ire? Et non attendis, quia tunc primum Eccleſia nouo germine pullulabat, nondumque in ea fuerat completa iſta prophetia; & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient
D illi. Quod vtique quanto magis impletur, tanto maiore vtitur Eccleſia poteſtate; vt non ſolum inuitet, ſed etiam cogat ad bonum. Hoc tunc Dominus ſignificare volebat, qui quamuis haberet magnam poteſtatem, prius tamen elegit commendare humilitatem. Hoc & in illa conuiuij ſimilitudine ſatis euidenter oſtendit, vbi miſit ad inuitatos & venire noluerunt, & ait ſeruo: exi in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, & debiles, & cæcos, & claudos introduc huc, &c. Exi in vias & ſepes & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Vide nunc quemadmodum de his qui prius venerunt, dictum eſt; introduc eos: non dictum eſt, compelle: Ita ſignificata ſunt Eccleſiæ primordia adhuc creſcentis, vt eſſent etiam vires
E compellendi. Proinde quia oportebat eius iam viribus & magnitudine roborata etiam compelli homines ad conuiuium ſalutis æternę, poſteaquam dictum eſt, factum eſt quod iuſſiſti, & adhuc eſt locus: exi inquit, in vias, & ſepes, & compelle intrare. Qua propter ſi ambularetis quieti, extra hoc conuiuium ſalutis ęternę, & ſanctæ vnitatis Eccleſiæ, tanquam in vijs vos inueniremus: Nunc verò quia per multa mala & fœua quæ in noſtros committitis tanquam ſpinis & aſperitate pleni eſtis. Vos tanquam in ſepibus inuenimus, & intrare compellimus. Qui compellitur, quò non vult, cogitur, ſed cùm intrauerit, iam volens paſcitur.

Cohibe itaque tam iniquum & impacatum animum, vt in vera Ecclesia Christi inuenias salutare conuiuium. *Hæc fusius tractauimus, ne quid desit quærenti, quomodo sint tractandi hæretici, & quod ius in eos habeat Ecclesia.*

8. DE IVO INFERS. *Loquitur Apelli hæretico, qui dicebat eos qui Christo prædicanti nuntiauerunt, matrem eius & fratres foris stare, tentandi gratia id ei nuntiasse: cui respondet Tertull.* Hoc quidem Scriptura non dicit, alias non tacens, cùm quid tentationis gratiâ factum est circa eum. *Vnde hic dicit se hanc Apellis interpretationem non admittere, cùm sit præter Scripturam, solitam expresiè dicere, quoties aliquis Christo locutus est, eum tentandi causa.*

9. NIGIDIVS NESCIO QVI. *Nescio quis. Nullum reperi hactenus qui Nigidij hæretici faceret mentionem. De Nigidio figulo insigni Mathematico, Philosopho Pythagoricos æmulante, agit Augustinus: libro 5. de Ciuit. cap. 3. sed hic erat, tempore Octauij Augusti, quem orbis dominum fore prædixit.* EX QVA AVTHORITATE, *quo mittente prædicauit?* REBVS, *Sacramentis, Scripturis, &c. qua fronte mendicant à Deo res, quibus aduersus eum militent.* SIC SOLET. *Vt probent se esse nouos Apostolos, debent probare se esse tales, eodem modo, quo primi Apostoli à Christo missi.* EADEM SIGNA, *miracula, Marc. 16. 17.* Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. *De Miraculis, ad fidei confirmationem factis Augustinus, libro 22. de Ciuit. cap. 9.* Cui nisi huic fidei atteſtantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne? Nam & ipsi Martyres huius fidei Martyres, id est huius fidei testes fuerunt. Huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro ista fide mortui sunt, qui hæc à Domino impetrare possunt, propter cuius nomen occisi sunt, &c. siue Deus ipse per seipsum miro modo, quo res temporales operatur æternus: siue per suos ministros ista faciat, & eadem ipsa quæ per ministros facit, siue quædam faciat etiam per Martyrum spiritus; sicut per homines adhuc in corpore constitutos: siue omnia ista per Angelos, quibus inuisibiliter, immutabiliter, & incorporaliter imperat, operetur: vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, &c. Ei tamen atteſtantur hæc fidei, in qua carnis in æternum resurrectio prædicatur. APOSTOLOS IN PERVERSVM. *Miracula hæreticorum notat esse contraria Apostolicis. Apostoli enim fidem propagando miraculis, non tantum mortuis corpore vitam dederunt, sed & fidem,* ex qua viuit iustus per verbum Dei, *animis inferendo vitam æternam tribuerunt; hæretici autem falsis suis dogmatibus fidem in multis extinguendo, eorum animas prius viuas occiderunt; & ad literam corpora necant, vt notat Hieronymus Bolsecum in vita Calvini, cap. 13. cum quemdam Brulæum, morbum, & mortem simulantem, dum fingit excitare à mortuis, de facto mortuum vidit; vxore reclamante, multisque testibus huius egregij miraculi Genevæ factis. Augustinum de miraculis Apostolorum, tract. 82. in Io.* Qui credit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet: prius ego facio, deinde & ipse faciet, quia facio vt faciat. Quæ opera, nisi vt ex impio iustus fiat? & maiora horum faciet, quorum obsecro? numquid nam omnium operum Christi maiora facit, qui cum timore & tremore suam ipsius salutem operatur? quod vtique in illo, sed non sine illo, Christus operatur. *Peruersè autem hæretici imitantur Apostolos Christi adiutores in salutem animarum; dum auertunt à fide, seducunt animas, & in suas hæreses mortiferas abducunt.*

10. SI QVÆ *hæreses.* INTERSERERE. *Quasi Zizania connata tritico, & cognata Apostolis.* EDANT ERGO. *Si volunt hoc nobis suadere, producant in testimonium huius antiquitatis, originem suarum Ecclesiarum, & seriem successionum suorum Episcoporum, sicut nos ostendimus nostrorum. Id, præter alibi dicta, insinuat Augustinus in Epistola 56. ad Dioscorum circa f.* S.Aug. *Vbi de hæreticis:* Iacere se abiectissimè sentiunt, si eorum Authoritas cum authoritate Catholica conferatur, &c. Sed ille fidei Imperator clementissimus, & per conuentus celebertimos populorum, atque gentium, sedesque ipsas *Ecclesias* Apostolorum, arce authoritatis muniuit Ecclesiam, & per pauciores piè doctos & verè spiritales viros, copiosissimis apparatibus etiam inuictissimæ rationis armauit. *Alibi dum de Ecclesia ageremus, expressissimos locos Augustini, circa successionem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ retulimus; vt & exposuimus sequentem textum vsque ad hæc verba quæ nunc explanamus:* ITA OMNES HÆRESES. *Vicissim, inquit, prouocamus quascumque hæreses, vt duplici hoc modo probent se verè esse Apostolicas, vt iactitant. Primo quidem probando successionem Episcoporum suorum; secundo doctrinæ suæ cum Apostolica cognationem & germanitatem.* OB DIVERSITATEM SACRAMENTI. *Non intelligit baptismum diuersum, sed fidem, quæ cum in Sacramento eadem, eadem pariter infantibus infundatur, postea ab adultis perperitur; vel si adulti fictè credant, dum verè baptizantur. Vt claudam hunc tractatum de hæresibus, qui penè totus constat libro Tertulliani de Præscriptionibus, breuiter quid sit præscriptio, & quot contra hæreticos pro fide Orthodoxa præscriptiones agnoscat Author, hic refero: Præscriptio itaque vox in iure frequentissima, pro exceptione accipitur, l. qui agnitis, & l. penultima, ff. de exceptionibus, l. penultima, & l. finali, C. eodem. Alciatus in libr. de quinque pedum præscript. dicit exceptionem esse generale nomen cuiusque defensionis, contra actionem quoquomodo obiectam. Sic Tertullianus contra hæreticos noua dogmata introducere volentes, suas opponit præscriptiones, quibus excipit, siue defendit veritatem sanæ fidei, contra eorum iniustam actionem, decem autem numero recenses præscriptiones; quarum primam ponit, cap. 15. quòd non sint admittendi ad disputationem de Scripturis: Secunda quæ habetur, cap. 20. & 21. quòd per Christum Apostolis, & per illos Ecclesiis Apostolicis, fides vera sit tradita; ex quo sequitur nullam aliam doctrinam recipiendam esse, quàm quæ ab Apostolis viua voce, aut per Epistolam sit tradita. Tertia continetur in cap. 28. quæ deprimitur ab vnanimi diuersarum Ecclesiarum ab Apostolis aut viris Apostolicis fundatarum, consensu. Quartam refert, cap. 29. petitur ex eo quod hæretici omnes & eorum dogmata posterius eruperint, quam veritas, quæ tempore præcesserit. Quinta & Sexta refertur, cap. 32. & ducitur à successione Episcoporum, & à germanitate cum doctrina Apostolica, quam inuiolabilem tenent, tam Episcopi legitimi, quàm Ecclesiæ quibus præsunt. Septima legitur in cap. 33. deducitur à conuenientia hæreseon præsentis temporis, cum iam damnatis olim ab Ecclesia. Octauam lege cap. 36. quam sumit ab Authoritate Ecclesiarum Apostolicarum Cathedralium, & maximè Romana, quam qui deserit, ha-*

fertur tentatur. Nonam accipe cap. 38. qua arguet haereticos de interpolatione & corruptione Scripturæ, haereticis familiari. Decima tandem & vltima describitur in moribus corruptis haereticorum, & confusione prorsus inordinata disciplinæ, cap. 41.

HEBDOMADES SEPTVAGINTA.

Hebdomades septuaginta à Daniele prædictæ supputantur, & impletæ, Christo nato & mortuo, Ierosolymaque euersa, communiuntur. Cont. Iud. cap. 8. per totum.

REquirenda tempora prædictæ & futuræ natiuitatis Christi, & passionis eius, & exterminii ciuitatis Hierusalem, id est, vastationis eius. Dicit enim Daniel: [a] *& ciuitatem sanctam, & sanctum exterminari cum duce venturo, & destrui pinnaculum vsque ad interitum* Venturi itaque Christi ducis sunt tempora requirenda, quæ inuestigabimus in Daniele: quibus computatis, probabimus venisse eum, etiam ex temporibus præscriptis, & ex signis competentibus, & ex operationibus eius, quæ probamus ex consequentibus quæ post aduentum eius futura adnuntiabantur, vt tam adimpleta omnia quàm prospecta credamus. Sic igitur de eo Daniel prædicauit, vt & quando & quo in tempore gentes esset liberaturus: ostenderet, & quoniam post passionem Christi ista ciuitas exterminari haberet. Dicit enim sic: [b] *In primo anno sub Dario filio Assueri ex semine Medorum, qui regnauit super regnum Chaldæorum, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum. Et* [c] *adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem vidi in visione in principio, volans, & tetigit me, quasi hora sacrificii vespertini, & intelligere fecit me, & locutus est mecum, & dixit: Daniel, nunc exiui imbuere te intelligentia, in principio obsecrationis tuæ exiuit sermo. Et ego veni vt adnuntiem tibi, quia vir desideriorum tu es, & cogita in verbo, & intellige in visione.* LXX *hebdomadæ breuiatæ sunt super plebem tuam, & super ciuitatem sanctam, quoadusque inueteretur delictum, & signentur peccata, & exorentur iniustitiæ, & inducatur iustitia æterna, vt & signetur visio & prophetes, & vngatur sanctus sanctorum. Et scies & perspicies: & intelliges à profectione sermonis, integrando & reædificando Hierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomadas septem & dimidiam, &* LXII *& dimidiam, & conuertet, & ædificabitur in latitiam, & connallationem, & innouabuntur tempora, & post hebdomadas has* LXXII, *& exterminabitur vnctio, & non erit: & ciuitatem & sanctum exterminabit cum duce aduenientis, & concidentur quomodo in cataclysmo vsque ad finem belli, quod concidetur vsque ad interitum. Et confirmabit testamentum in multis. Hebdomada vna, & dimidiâ hebdomadis, auferetur mexum sacrificium & libatio, & in templo execratio vastationis, & vsque ad finem temporis consummatio dabitur super hac vastatione.* Animaduertamus igitur terminum, quomodo in vero prædixit LXX hebdomadas futuras, in quibus si receperint eum, [d] *ædificabitur in latitudinem, & in longitudinem, & innouabuntur tempora.* Prouidens autem Deus quid esset futurum, & quoniam non tantum non recipient eum, verum & insequentur, & tradent eum morti, & recapitulauit, & dixit. [e] *In sexaginta duabus hebdomadibus nasci illum & vngi sanctum sanctorum. Hebdomades autem* VII, *& dimidia cum implerentur, pati habere, & ciuitatem exterminari post vnam & dimidiam hebdomadam*, quo scilicet tempore septem & dimidia hebdomadæ completæ sunt. Dicit enim sic: [f] *Et ciuitatem & sanctum exterminari cum duce venturo, & concidentur sicut in cataclysmo, & destruet pinnaculum vsque ad interitum.* Vnde igitur ostendimus quoniam venit Christus intra LXII & dimidiam hebdomadas? Numerabimus autem à primo anno Darii, quomodo in ipso tempore ostenditur Danieli visio ipsa. Dicit enim: [g] *Et intellige, & conijce ad perfectionem sermonis respondente me tibi hæc.* Vnde à primo anno Darii debemus computare, quando hanc visionem vidit Daniel. Videamus igitur anni quomodo impleantur vsque ad aduentum Christi. Darius enim regnauit annis XIX. Artaxerxes regnauit annis XL. Deinde rex Ochus, qui & Cyrus, regnauit annis XXIV. Argus anno vno. Alius Darius, qui & Melas nominatus est, annis XXII. Alexander Macedo annis duodecim. Deinde post Alexandrum, qui & Medis & Persis regnarat, quos reuicerat, & in Alexandria regnum suum firmauerat, quando & nomine suo eam appellauit, regnauit illic in Alexandria Soter annis XXXV. cui succedens Philadelphus, regnauit annis triginta nouem. Huic succedit Euergetes, annis XXV. Deinde Philopator annis XVII. Post hunc Epiphanes, annis XXIV. Item alius Euergetes, annis XXIX. Soter annis XXXVIII. Ptolomæus annis XXXVIII. Cleopatra annis XX. mensibus VI. Item adhuc Cleopatra conregnauit Augusto annis XIII. Post Cleopatram Augustus aliis annis XLIII. Nam omnes anni imperii Augusti, fuerunt anni LVI. Videmus autem quoniam quadragesimo & primo anno imperii Augusti, quo post mortem Cleopatræ imperauit, nascitur Christus. Et superuixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus, annis XV. Et erunt reliqua tempora annorum in diem natiuitatis Christi anni XLI. Efficiuntur autem anni CCCCXXXVII menses VI. Vnde adimplentur LXII. hebdomadæ & dimidia, quæ efficiunt annos CCCCXXXVII, menses VI. in diem natiuitatis Christi. Et [h] *manifestata est iustitia æterna, & vnctus est sanctus*

[a] Dan. 9. 26.
[b] Dan. 9. 1.
[c] Ibid. 20. & seq.
[d] Dan. 9. 25.
[e] Dan. 9. 24. 26.
[f] Dan. 9. 25.
[g] Ibid.
[h] Dan. 9. 24

ſanctorum: id eſt Chriſtus, *& ſignata eſt viſio & prophetia, & dimiſſa ſunt peccata*, quæ per fidem nominis Chriſti, omnibus in eum credentibus remittuntur. Quid eſt autem quod dicit, *ſignari viſum & prophetiam?* Quoniam omnes Prophetæ nuntiabant de ipſo, quod eſſet venturus, & pati haberet: Igitur quoniam adimpleta eſt prophetia per aduentum eius, propterea ſignari viſionem & prohetiam dicebat, quoniam ipſe eſt ſignaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo Prophetæ nuntiauerant. Poſt enim aduentum Chriſti & paſſionem ipſius, [i] *iam non viſio, neque prophetes eſt*, qui Chriſtum nuntiet venturum. Denique hoc ſi non ita eſt, exhibeant Iudæi Prophetarum poſt Chriſtum aliqua volumina, Angelorum aliquorum viſibilia miracula, quæ retro Patriarchæ viderunt vſque ad aduentum Chriſti, qui iam venit, [k] *ex quo ſignata eſt viſio, & prophetia*, id eſt ſtatuta. Et merito Euangeliſta: [l] *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem Baptizatorem.* Baptizato enim Chriſto, id eſt ſanctificante aquas in ſuo baptiſmate, omnis plenitudo ſpiritalium retro chariſmatum in Chriſto ceſſerunt, ſignante viſionem & prophetias omnes, quas aduentu ſuo adimpleuit. Vnde firmiſſimè dicit aduentum eius *ſignare viſum & prophetiam.* Itaque oſtendentes & numerum annorum & tempus LX duarum & dimidiæ hebdomadarum adimpletum, tunc veniſſe Chriſtum, id eſt natum; videamus aliæ VII. & dimidia hebdomades, quæ ſunt ſubdiuiſæ in abſciſſione priorum hebdomadarum in quo actu ſint adimpletæ. Poſt enim Auguſtum qui ſuperuixit poſt natiuitatem Chriſti anni XV efficiuntur, cui ſucceſſit Tiberius Ceſar, & imperium habuit annis XXII, menſibus ſeptem, diebus viginti, huius quintodecimo anno imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi XXX quum pateretur. Item Caius Cæſar, qui & Caligula, annis III, menſibus VIII, diebus XIII. Nero Cæſar annis IX, mẽſibus IX, diebus XIII. Galba mẽſibus VII, diebus VI. Otho menſibus III, diebus V. Vitellius menſibus VIII, diebus X. Veſpaſianus anno primo imperii ſui debellauit Iudæos, & fiunt anni numero quinquaginta duos menſe ſex. Nam imperauit annis nouem: atque ita in diem expugnationis ſuæ Iudæi impleuerunt hebdomadas LXX prædicta, à Daniele. Igitur expletis his quoque temporibus, & debellatis Iudæis, poſtea ceſſauerunt illic libamina & ſacrificia, quæ exinde illic celebrari non potuerunt. Nam & vnctio illic exterminata eſt poſt paſſionem Chriſti. Erat enim prædictum exterminari illic vnctionem, ſicut eſt in pſalmis prophetatum: [m] *Exterminauerunt manus meas & pedes.* Quæ paſſio huius exterminii intra tempora LXX hebdomadarum perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Coss. Rubellio Gemino, & Fufio Gemino, menſe Martio, temporibus Paſchæ, die VIII Calendarum Aprilium, die prima azymorum, quo agnum vt occiderent ad veſperam à Moyſe fuerat præceptum. Itaque omnis ſynagoga filiorum Iſrael eum interfecit, dicentes ad Pilatum, cum vellet eum dimittere: [n] *Sanguis huius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* &, [o] *Si hunc dimiſeris, non es amicus Cæſaris*: vt adimpleri poſſent omnia quæ de eo fuerant ſcripta.

Ibid.

[i] Pſal. 73.9.

[k] Dan. 9.24

[l] Math. 11. 13. Luc. 16.16.

[m] Pſal. 21.18

Exo. 12.15.

[n] Matth. 27 25.

[o] Io. 19.12. Act. 13.33.

HEBDOMADES SEPTVAGINTA. SCHOL.

SANCTVM EXTERMINARI. *Supple templum debere.* CIVITATEM SANCTAM, *Ieruſalem.* PINNACVLVM, *faſtigium & ſummitatem ædificij eius in acumen tendentis.* AD INTERITVM. *Quaſi diceret à ſummo ad imum; vt non remaneat, ſecundum Chriſti prophetiam*, lapis ſuper lapidem: *de quo & Pſaltes extremo exitio, dixit:* Exinanite exinanite, vſque ad fundamentum in ea. DANIEL PRÆDICAVIT, *prophetauit.* HABERIT, *deberet.* IN PRIMO ANNO, *textum breuiter decurro, & verba quæ diuerſa ſunt à vulgatis annoto. Daniel. 9.1.* In Anno primo Darij filij Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper Regnum Chaldæorum: Anno vno regni eius, *Sanct. Pagn. ex Hebr. Anno primo.* Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum de quo factus eſt ſermo Domini, 70. *qui factus eſt ſermo Domini* ad Ieremiam prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni. Et poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in Ieiuniis, ſacco, & cinere, &c. QVEM VIDI. *Vulgata & 70.* quem videram in viſione à principio. VOLANS. *Ita & 70. ſed vulgata* cito volans. QVASI HORA. *Ita 70. Sed vulgata:* tetigit me in tempore Sacrificij veſpertini. ET INTELLIGERE. *Vulgata*, & docuit me, & locutus eſt mihi. IMBVERE TE, *&c. Ad verbum ſecutus eſt 70. Vulgata autem ſic*, Nunc egreſſus ſum vt docerem te & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es: tu ergo animaduerte ſermonem, & intellige viſionem, 70. Hebdomades abreuiatæ ſunt ſuper populum tuum. *Sanct. Pagn. ex Hebr. deciſæ ſunt.* Et ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, 70. *peccatum, & ſignentur peccata, & deleantur iniquitates, & exorentur iniquitates, & adducatur Iuſtitia ſempiterna, & ſignetur viſio & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Et finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, &c. & impleatur viſio, & prophetia, &c. ET SCIES, *&c. vulgata.* Scito ergo & animaduerte ab exitu ſermonis vt iterũ ædificetur Ieruſalẽ, vſquẽ ad Chriſtũ ducem, 70. *ab exitu ſermonis ad reſpondendũ, & ædificandũ Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem Hebdomades ſeptem, & Hebdomades ſexaginta duæ.* Hebdomades, ſeptem, & Hebdomades ſexaginta duæ erunt. *Signari peccata dixit, vel completo eorum numero; vel quòd Chriſtus venturus ſuo ſanguine ea deleturus eſſet, & veniam eorum ſubſcripturus. Nam iuxta Paulum* tulit de medio Chirographum quod erat contrarium nobis & affixit illud cruci. SEPTEM, ET DIMIDIAM. *Hæc nec in Hebræo, nec apud 70. ſic leguntur. Hiero. lib. 1. Comment. in Dan. vbi*

recenſet interpretationes veterum Patrum. Scio de hac quæſtione ab eruditiſſimis viris variè diſputatum, & vnumquemque pro captu ingenij ſui dixiſſe quod ſenſerat. Quia igitur periculoſum eſt de Magiſtrorum Eccleſiæ iudicare ſententiis, & alterum præferre alteri; dicam quid vnuſquiſque ſenſerit, lectoris arbitrio derelinquens, cuius expoſitionem ſequi debeat. *Tum refert opiniones Africani in quinto temporum volumine., Euſebij Pamphili, Hippolyti, Apollinaris Laodæni, Clementis Alexandrini, Origenis, Tertulliani noſtri, & tandem Hebræorum, vbi ſic eos in fine inducit loquentes.* Nec nos, inquiunt, moueat, quòd primùm numerentur ſeptem Hebdomadæ & poſtea ſexaginta duæ, & rurſum vna, quæ in duas partes diuiditur; eſt enim hoc idioma ſermonis Hebraici, & antiquorum ſermonis Latini: vt ante, minorem numerum ſupputent, & poſtea maiorem. Verbi gratia nos iuxta proprietatem linguæ noſtræ nunc dicimus: Abraham vixit annis 175. illi è contrario loquuntur: vixit Abraham annis quinque, & ſeptuaginta, & centum. Non igitur vt legitur, ita impletur; ſed vt totum pariter ſupputetur. *Vnde aduerto Tertullianum anticipatè locutum de illa vna Hebdomada, quæ in duas partes diuiditur.* ET CONVERTET, *&c.* 70. & reuertetur, & ædificabitur platea & murus; & euacuabuntur tempora. Et poſt Hebdomadas ſexaginta duas exterminabitur vnctio: & iudicium non eſt in eo: & ciuitatem, & Sanctuarium diſſipabit cum duce aduenient: excidentur in diluuio, & vſque ad finem belli conciſi ordine, deſolationibus. *Vulgata autem* & rurſum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et poſt Hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit eius populus qui eum negaturus eſt, & Ciuitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.

IN LÆITTIAM. *Sic ſolus legit, nec ineptè, cùm in plateis latis, latari deberet populus ædificans. Vnde lætitia, quaſi latitia dicitur; & platea lata & ſpatioſa via ciuitatis eſt.* ET CONFIRMABIT. *Sequutus eſt* 70. *qui ſic habent;* & confirmabit teſtamentum multis Hebdomada vna, & in dimidio Hebdomadis auferetur meum Sacrificium, & libamen: & in templo abominatio deſolationum: & vſque ad conſummationem temporis, conſummatio dabitur ſuper deſolationem. *Vulgata verò:* Confirmabit autem pactum multis Hebdomada vna: & in dimidio Hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.

S.Aug. *De hac prophetia Auguſtinus, lib. 18. de Ciuit. cap. 34. in p.* Daniel etiam tempus quo venturus fuerat Chriſtus atque paſſurus, numero definiuit annorum, quod longum eſt computando monſtrare, & ab aliis factitatum eſt ante nos. *Et Ep. 78. ad Heſychium illas Hebdomadas, de primo, non de ſecundo Aduentu voluit intelligi. Sic enim in p. ſcribit:* Ego maximè illud de Hebdomadibus Danielis, ſecundum tempus quod iam tranſactum eſt, intelligendum puto; nam de Saluatoris aduentu qui expectatur in fine, tempora dinumerare non audeo; nec aliquem Prophetam de hac re numerum annorum exiſtimo præfiniſſe, ſed illud potius præualere, quod ipſe Dominus ait, nemo poteſt cognoſcere tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. *Et Epiſt. 80. ad eumdem de ſuprema mundi die, eundem arguit, hebdomades Danielis de ſecundo Aduentu ad iudicium interpretantem.* Hebdomades inquit, Sancti Danielis, non ad primum Domini aduentum, ſicut pluribus viſum eſt, ſed ad ſecundum potius exiſtimas pertinere. Itane ergo breuiabuntur? *alludit ad dictum Chriſti de Aduentu ſecundo loquentis: niſi breuiarentur dies iſti, non ſalua fieret omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur,* vt vel vna in eis hebdomada minus futura ſit, & falſa erit prophetia quæ tanta diligentia numerum hebdomadarum definire curauit, vt quiddam diceret etiam dimidio hebdomadis implendum? miror ſi per prophetiam Chriſti deſtruitur prophetia Danielis, &c. poſtremò multo certius ſecuriuſque dicitur, Domini aduentum intra 70. aut vt plurimum intra centum annos, futurum, ſi hebdomades iſtæ ipſum prænuntiant. Anni enim 490. ſunt in hebdomadibus 70. à natiuitate autem Domini hodie computantur anni fermè 420. A Reſurrectione autem vel Aſcenſione eius anni plus minus 390. Ac per hoc, ſi ex quo natus eſt computetur, 70. ſunt reliqui: ſi ex quo paſſus eſt circiter centum remanent: intra quos Danielis omnes hebdomades, ſi de nouiſſimo eius aduentu prophetatæ ſunt, implebuntur. Qui ergo dicit intra tot annos erit, *ſecundus ſcilicet Aduentus.* Tunc falſum dicit, ſi vltra erit. Sed quia breuiabuntur, pauciores poterunt eſſe, &c. proinde tota quæſtio eſt vtrum Danielis hebdomades primo aduentu Domini impletę ſint, &c. relinquitur itaque vt qui vult cogere iſtam prophetiam credi ſæculi fine complendam, contendat quantum poteſt, & oſtendat ſi poteſt primo Aduentu Domini non fuiſſe completam, contra tot expoſitores diuinorum eloquiorum, qui hanc, non ſolum computatione temporum, verum etiam rebus ipſis completam fuiſſe demonſtrant, maximè quod ibi ſcriptum eſt: & vngetur Sanctus Sanctorum: vel propter quòd in eadem prophetia Hebræi codices expreſſius habent: occidetur Chriſtus, & non erit eius; id eſt non erit eius ciuitatis; quoniam ſic alienatus eſt a Iudæis, qui eum propterea Saluatorem, Redemptoremque ſuum non eſſe crediderunt, quia occiderunt. Neque enim in fine ſæculi vngendus, aut occidendus eſt Chriſtus, vt ulla prophetia Danielis, tunc expectetur implenda, quæ nondum creditur impleta. CONVERTET *ſupple triſtitiam conceptam ex ruina priori in lætitiam ædificationis nouæ. Supereſt vt breuiter textum hunc difficilem exponamus.* Conſummetur præuaricatio *peccatorum mundi, in Chriſti morte, qua peccatum omne conſumet & delebit.* Et adducatur iuſtitia ſempiterna. *Per Chriſtum, cuius iuſtitia manet in ſæculum ſæculi.* Et impleatur viſio & prophetia *Chriſto hæc omnia ſuo aduentu implente.* Et vngatur ſanctus ſanctorum. *Chriſtus ab vnctione præ conſortibus dicitur; tam Inuiſibiliter, vnctus Spiritu ſancto, in primo inſtanti incarnationis, quàm viſibili columba, in baptiſmo.* Ab exitu ſermonis, *à quarto Sedecia Anno qui fuit 12. Nabuchodonoſor. Qui poſtea regnauit 34. annis: omnes quippe anni Imperij eius fuerunt 45. Euillermodach 23. Balſaſar 3. Darius Medus 2. Cyrus 4. templi inſtauratio & duratio 466. Vnde ſi auferas 42. qui fluxerunt à morte Chriſti vſque ad ruinam templi, ſiunt 490. Anni, quos conficiunt 70. hebdomades Annorum. Cum ſepties ſeptuaginta faciant, 490.* Vſque ad Chriſtum *qui in vltima occiſus eſt,* abbreuiatæ ſunt. *Deſinitæ, ſtatutæ ſunt, non vlterius differetur aduentus Chriſti; ab eo tempore quo à Rege Perſarum exibit edictum quo permittet Nehemia & Iudæi vt Ieroſolymam reſtaurent, ſupererunt tantum vſque ad Chriſtum* 490. *Anni, vel abbreuiatas dicit ob meritum precum Danielis, Eſaiæ aliorumque Prophetarum, qui ex D. Bonauentura de congruo meriti ſunt accelerationem Incarnationis.* Rurſum ædificabitur *repetitio eſt reſe-*

rendæ ad præcedentia vbi ait, vt iterum reædificetur Ierusalem, *Quod subjecit*, in angustia temporum, *intellige vel propter hostes angustijs prementes; vel quod breuissimo tempore scilicet 52. diebus quasi furtim muros absoluerunt, vt habetur 2. Esdræ 6. 15.* post Hebdomades sexaginta duas. *Sub intelligi iam dictas septem quæ cum sexaginta duabus faciunt annos 483. nam hebdomadæ septuagesimæ occisus est Christus.* Et non erit eius populus. *Impletâ tunc scilicet prophetiâ Osee 1.* Voca nomen eius, non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non vester Deus. *Subjecit Daniel* diffipabit populus, *Scilicet Romanus veniens cum duce & Imperatore Tito.* Statura desolatio. *A Deo decreta in populum Iudæum, carentem Prophetis, templo, Rege, Sacerdotio.* Confirmabit pactum multis. *Testamentum nouum, legem Euangelicam multis signis & operibus, vel pluribus hominibus*, hebdomada vna *vltima scilicet & septuagesima, cuius quidem tribus primis annis cum dimidio, Christus Euangelium prædicabit*, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia. *id est transactis tribus primis annis vltimæ huius hebdomadis, cum medio Anno, omne Sacrificium legis Mosaicæ; quod erat figurativum tam Eucharistiæ quam Crucis, tolletur, & abrogabitur; vnico, & vero sacrificio Corporis & sanguinis Christi, in locum omnium legalium subrogato.* Et erit in templo abominatio desolationis, *scilicet Romanus exercitus qui templum prophanabit; alij prophanationem intelligunt factam per quosdam dictos legis Zelotas, qui erant homicidæ & scelerati qui occupato & prophanato templo, & castrorum more communito, in proprios conuertere semebant rapinis & cædibus; primò quidem sub Cestio Iudææ Præfecto, deinde sub Vespasiano & Tito. Origenes & Augustinus priorem opinionem tenent ob locum Matthæi. 24.* Cum videritis ab exercitu circumdari Ierusalem. *Ibidem enim agit de abominatione desolationis quæ dicta est per Danielem Prophetam. Et quidem, cum Idola in scriptura frequenter abominatio dicantur, tot signa & vexilla Romanorum, Iouem, Martem, Palladem, cæterosque Gentilium Deos referentia, illata sint templo, rectè abominatio desolationis vocanda sunt, populum desolatum affligentia; quorum omnium testis est Iosephus auctor.* Et vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio; *quæ non erit paucorum annorum, sicut Babylonica, sed vsque ad finem mundi; constat enim ex Seuero, Rufino, & Chrysostomo, quod non tantum sub Iuliano Apostata, sed quoties Iudæi templum instaurare moliti sunt, toties à Deo prodigijs cælestibus sunt repulsi. Quæ autem nunc stat Ierusalem, prorsus alio loco, quamquam vicino extructa est, & quamuis vrbs, & templum, aliqua ex parte ab Antichristo sint reparanda, remanebit tamen ibi abominatio desolationis, nempe Idolum Antichristi, qui in templo sedebit, & adorabitur vt Deus, de quo sic Paulus 2. Thess. 2. 4.* Homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; itaut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. ANIMADVERTAMVS TERMINVM *præscriptum & definitum hic Danieli.* IN VERO, *verè*, SI RECIPERINT, *Iudæi scilicet, Christum post septuaginta hebdomadas, vel in postrema.* ÆDIFICABITVR IN LATITVDINEM. *Ierusalem scilicet omni benedictione temporali, & spirituali creuisset, cum primò & præcipuè Messias ex Iudæis nasciturus, eorum saluti, si recepissent eum, aduenisset.* INNOVABVNTVR TEMPORA. *Tempora legis veteris, in nouam trans-*

sibunt nouo homine, noua faciente omnia.

RECAPITVLAVIT, *Daniel quæ supra dixerat, repetijt.* IN SEXAGINTA *quæ cum sequentibus septem & dimidia subintelligenda, faciunt completum numerum hebdomadarum.* A PRIMO ANNO DARII *qui scilicet à Daniele dicitur filius Assueri. Vbi aduerte nomen Assueri hîc non esse proprium, sed commune Regibus Medorum; sicut Artaxerxes erat commune Persarum, Darius ergo iste filius erat Astiagis, dicti Assueri, id est ex Hebræo, magni capitis, siue capitanei & principis. Hic Darius anno vno, primo & vnico, regnauit in Babylone; quo anno, qui erat septuagesimus captiuitatis Babylonicæ, & vltimus, mundi autem 3430. Ante Christi Nativitatem 529. Daniel didicit septuaginta hebdomades superesse vsque ad Christum ducem; id est vsque ad baptismum Christi, ex quo docere & docere cœpit Apostolos. Quidquid de errore calculi Tertulliani circa supputationes annorum & mensium aliquorum Regum citatorum, & dissensum Hieronymi ab eo, dicatur; nihil moror; vnicum hîc aduerto, quòd post multam diuersorum Authorum circa hæc, lectionem, nihil probabilius reperi, quàm hebdomades, iuxta Lyranum & Galatinum, non esse lunarium, sed Solarium annorum septimanas. Deinde inchoandas esse ab anno septimo Artaxerxis cognomento longimani, qui concurrit cum anno 4. Olympiadis 80. & cum anno vrbis conditæ 297. Vnde ad baptismum Christi qui incidit in annum 15. Tiberij, fluxerunt hebdomades 69. conficientes annos 483. deinde in medio septuagesimæ & vltimæ hebdomadæ, id est anno 487. qui fuit 18. Tiberij Cæsaris, occisum Christum; & tribus annis post eius mortem finiri hebdomades 70. & complere Annos 490. Artaxerxes autem, cuius nomen significat magnum bellatorem, & hebraicè Achasueros latinè Assuerus dicitur, ille fuit, cuius sermo exijt de reædificanda Ierusalem Anno eius septimo; qui, vt patet 1. Esdræ 7. 7. & seq. misit Esdram in Ierusalem, cum multis concaptiuis. Ita enim habet textus:* Ascenderunt de filiis Israël & de filiis Sacerdotum, & de filiis Leuitarum, & de cantoribus, & de Nathinæis, in Ierusalem Anno 7. Artaxerxis Regis, &c. *& versu* 11. hoc est autem exemplar Epistolæ edicti quod dedit Rex Artaxerxes Esdræ Sacerdoti Scribæ erudito, &c. Artaxerxes Rex Regum Esdræ Sacerdoti Scribæ legis Dei cœli doctissimo, salutem. A me decretum est, vt cuicumque placuerit in regno meo de populo Israël, & de Sacerdotibus eius & de Leuitis ire in Ierusalem, tecum vadat, &c. & vt feras argentum & aurum quod Rex & consiliatores eius sponte obtulerunt Deo Israël, cuius in Ierusalem tabernaculum est, &c. *Cum igitur, vt textus sequens habet, vsque ad centum talenta argenti dederit ei Rex, vt impenderet cui rei vellet; ipse autem & Iudæi, nihil aptabilius haberent, quam templum, vrbem, eiusque muros reparari, dictam summam, & alia tributa quæ permisit Rex ab Esdra exigi, in huiusmodi opera fuisse impensa. Cedrenus porro in Artaxerxe, & Theodoretus tenent dictum Regem misisse Esdram, vt muros Ierusalem reædificaret, Euseb. autem, & alij passim Chronolog. præcisè 70. hebdomades incipiunt numerare ab anno 7. Artaxerxis, vsque ad passionem Christi.* SIGNARI VISVM *quæ sequuntur alibi sunt expositæ.* HVIVS QVINTO DECIMO ANNO. *apertus error Authoris, sicut & alter, quem habet lib. 1. cent. Marc. vbi ait, Christum Anno 12. Tiberij Cæsaris reuelatum, neutrum enim verum est. Si enim de prima eius reuelatione per Angelum Pastoribus, & per stellam magis facta, sit*

ſermo, ſub Auguſto natus, & reuelatus eſt, vt patet Luc. 2. 1. Exijt edictum à Cæſare Auguſto, &c. *vbi & Angelus eum reuelat Paſtoribus. Si autem agatur de Reuelatione facta Ioanni per columbam, & vocem Patris, qui deinde eum reuelauit dicens,* Ecce Agnus Dei, &c. *Certum eſt ex Luc. 3. eam factam vt habetur verſu.* 1. Anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæſaris. *Et Ibidem verſu.* 22. Factum eſt cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu baptizato & orante, apertum eſt cœlum: & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, *Et hoc eſt tempus vnctionis Sancti Sanctorum.* VNCTIO EXTERMINATA *Regnum & Sacerdotium Iudæorum.* SICVT EST IN PSALMIS: *non quod velit, per illam exterminationem Sacerdotij & Regni, intelligere Chriſti ipſius mortem; cùm dixerit illam factam poſt paſſionem Chriſti; ſed ſicut vox exterminationis apud Danielem, ſic & apud Pſaltem, ſaltem ſecundum lectionem Tertulliani habetur.* PASSIO EXTERMINII A *lacerationis ſcilicet pedum & manuum Chriſti in cruce.* DIE OCTAVO CALENDARVM *qui incidit in diem vigeſimum quintum Martij, quo de Virgine conceptus eſt Chriſtus, ſui & conſentit Auguſtinus.* DIE PRIMA AZYMORVM, *aduerte prius dixiſſe, temporibus* Paſchæ. *Non enim ipſo die naturali quo Agnum comedit cum diſcipulis, hoc ipſo paſſus eſt, ſed die ſequenti. Hinc ſcriptum Matth.* 26. 17. Prima die Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes vbi vis paremus tibi comedere Paſcha, &c. *quod mane dixerunt: & verſu* 20. Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis. B *Sequenti autem die in Crucem actus eſt quo item die, & ſequentibus Paſcha, non quidem agnum Paſchalem, ſed Azyma comedebant, Vnde ſcriptum eſt Ioannis* 18. 28. Adducunt Ieſum à Caipha in Prætorium. Erat autem mane: & ipſi non introierunt in Prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. *Quod vtique non mane, ſed veſpere comederant præcedenti ſecundum legem, ſi per Paſcha, agnus Paſchalis intelligatur.*

HERMOGENES.

1. Hermogenis Elogia. Cont. Hermog. cap. 1. à p.

HErmogenis doctrina tam nouella eſt, denique ad hodiernum homo in ſeculo, & naturâ quoque hæreticus etiam turbulentus: qui loquacitatem, facundiam exiſtimet; & impudentiam, conſtantiam deputet; & maledicere ſingulis, officium bonæ conſcientiæ judicet. Præterea pingit illicitè, nubit aſſiduè: legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit: bis falſarius, & cauterio & ſtilo: totus adulter, & prædicationis & carnis: ſiquidem & nubentium contagio fœtet, nec ipſe Apoſtolicus Hermogenes in regula perſeuerauit. Sed viderit perſona, cum doctrina mihi quæſtio eſt.

2. Hermogenes ignorantiſsimus. Cont. Hermog. cap. 3. circa f.

ADiiciam ego propter non intelligentes, quorum Hermogenes extrema linea eſt.

3. Hermogenes pictor peſsimus. Cont. Hermog. cap. 2. in p.

HAnc primam vmbram planè ſine lumine peſſimus pictor illis argumentationibus colorauit.

4. Hermogenes pictor, in motu materiæ confuſo, ſeipſum pinxit. Cont. Hermog. cap. 45. in f.

HErmogenes eundem ſtatum deſcribendo materiæ, quo eſt ipſe, inconditum, confuſum, turbulentum, ancipitis & præcipitis & feruidi motus, documentum artis ſuæ dum oſtendit, ipſe ſe pinxit.

5. Hermogenes plures nubens quàm pingens. De Monog. cap. 16. à p.

TAlis infirmitas & tertio & quarto, & vſque ſeptimo forſitan matrimonio ſufficit; vt quæ totiens fortior, quotiens fuerit infirmior; habitura iam non Apoſtolum auctorem, ſed Hermogenem aliquem, plures ſolitum mulieres ducere quàm pingere. materia enim in illo abundat, vnde & animam eſſe præſumens, multò magis ſpiritum à Deo non habet.

HERMOGENES I. II. III. IV. V. SCHOL.

NOVELLA EST. *Coætaneus Tertulliano hinc colligitur fuiſſe Hermogenes.* AD HODIERNVM, *ſupple diem hic homo in mundo vixit.* NATVRA QVOQVE *genium pingit omnium hæreticorum, qui ex hæreſis natura, turbulenti, loquaces, impudentes, maledici ſunt; & lucem ponentes tenebras,*

Digitized by Google

bras, dicentesque malum bonum, vitia sua quasi virtutes reputant, PINGIT ILLICITE. *Alij per errorem legunt,* licitè. *Cum enim hic arguat Hermogenis vitia, artem pictoriam ex se bonam, utilem, ac proinde licitam non reprehendisset, nisi aut Idola, aut imagines turpes & libidinosas depinxisset.* NVBIT ASSIDVE *quod esset polygamus, cùm Tertullianus per errorem ipse Monogamiam tanquam præceptam defenderet.* LIGEM DEI *qua initio mundi dixit* Crescite & multiplicamini, *trahit ad experimentum & fomentum suæ libidinis.* IN ARTEM CONTEMNIT, *quia vt abutatur lege Dei nuptias honestas permittentis, in fauorem libidinis, quàm implere vult pretextu adimplendæ legis; sic eandem Dei legem, volentem vnumquemque labore manuum viuere, contemnit; vel pictura destitutâ, otiosè viuens, vt libidinosè; vel abutens arte & lege, Idola, & libidinosa depingens.* BIS FALSARIVS *hæretico more Scripturas falsificans stylo corruptiuo; & cauterio, quo ex Irenæo vt Gnostici discipulos suos in aure dextera signabant, vt fecit Gnostica Marcellina Romæ sub Aniceto; sic Hermogenes suis discipulis falso dogmate imbutis cauterium inurebat. De quibus Paulus, plus mente quàm carne corruptis* 1. *Tim.* 4. 1. *&* 2. Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide; attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentiũ conscientiam, *quod autem sequitur,* prohibentium nubere *non conuenit Hermogeni.* TOTVS ADVLTER, *& mente corruptus ob hæresim & doctrinam falsam quam prædicat, & carne, quam libidine violat.* NVBENTIVM CONTAGIO. *Probat adulterum carne, quod ipse erroneus circa secundas nuptias, quas sensit adulterus, eas reprobaret; mente autem, quod à regula & Symbolo Apostolorum factus hæreticus recessisset. Vnde dixit* nec ipsum Apostolicum. *Et alludit ad alium Hermogenem, qui Paulo Apostolo renuntiauerat* 2. *Tim.* 1. 15. Scis hoc, quod auersi sunt à me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes. *Cui similem in Apostasia notat eiusdem nominis contemporaneum suum.* VIDERIT PERSONA *parum interest qualis fuit ipse Hermogenes, sed multum interest eius peruersam doctrinam confutare, qua plures animas eripit Ecclesia.*

2. EXTREMA LINEA. *Pingit picturem, vsu termino artis eius picturia. Nota extremis humanistis conceitatio Parrasij & Praxitelu picturum ætatis suæ principum, lineas delicatissimas cum æmulatione ducentium. Postremum autem inter obtusos intellectu sensit Hermogenem, vt pote cæno materiæ, quam tuebatur, immersum.*

3. PRIMAM VMBRAM. *Acutè rursum in artem eius inuehens, sine luce vmbram pinxisse dicit, ineptis argumentis contra Dei omnipotentiam disputante, quòd sine materia nihil facere potuerit. Sed Creator omnipotẽs opus suum à lumine cæpit dicens* fiat lux. *Cui vmbras & tenebras opposuit, dum* diuisit lucem à tenebris, & vocauit lucem diem, & tenebras noctem. *De origine & exordio picturæ, legendus Plinius, libro* 35. *cap.* 3. De picturæ initiis incerta, nec instituti operis quæstio est. Ægyptii sex millibus annorum apud ipsos inuentam, priusquam in Græciam transiret affirmant, vana prædicatione, vt palam est. Græci autem alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam, *supple affirmant* omnes *dicunt repertam picturam* vmbrâ hominis lineis circumductâ. Itaque talem primam fuisse: Secundam, singulis coloribus, & MONOCHROMATON dictam, posteaquam operosior inuenta erat, duratque talis etiam nunc. Inuentam lineatem dicunt à Philocle Ægyptio, vel Cleanthe Corinthio. *Sic carpit Hermogenem æquè rudem Logicæ, vt & picturæ tyrunculum.*

4. STATVM MATERIÆ *naturam* ANCIPITIS *ob indifferentiam eius ad varias formas.* FERVIDI MOTVS. *vide dicta alibi de materiæ motu.* DOCVMENTVM ARTIS. *Vel respicit artem hæretici, præcipitu, & cæci, vel artem picturis, qua seipsum & motum animi sui, in pictura motus materiæ representauit.*

5. TALIS INFIRMITAS, *quam in accusationem adducunt pluries nubentes, abutentes verbis Christi,* Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: *hæc, inquit, infirmitas Patronum non habebit Paulum, continentiam suadentem, sed Hermogenem; qui deserta pictura arte, ad scribendas hæreses transijt: & iam sæpiùs vxores ducit, quàm pingit; homines forsitan imagines viuas Dei, malens producere, quàm picturas mortuas; de pictore sculptor effectus abutens præcepto, tum ad multiplicationem generis humani necessario,* crescite & multiplicamini. *Nouerit ergo Hermogenes frustra excusare se, ob infirmitatem carnis; quæ non infirma, sed fortis & valida committitur; quæ tot vxoribus ducendis sufficiat.* VSQVE SEPTIMO *pungit illum, insinuando obiectionem Saduczorum factam Christo. Matth.* 22. *de vxore, quæ septem fratres successiuè duxerat.* MATERIA ABVNDAT, *Carpit eius libidinem & abundantiam luxuriæ, ex occasione materiæ, quam Deo coæuam finxit.* VNDE ET ANIMAM, *ex qua materia Hermogenes etiam animam rationalem originem ducere, dogmatizare præsumpsit. Vnde colligit, acuto verbo, spiritum & intellectum non habere à Deo, sed totum esse materiæ infixum, animalem, similem equo & mulo quibus non est intellectus.*

Sunt qui Hermogenem cum Hermia confundant, ob similitudinem errorum, sed eos distinguit Augustinus. Nam hæresi 41. *vt suprà vidimus,* Praxeas & Hermogenes eadem sentientes, in Africa fuisse dicuntur, *de Hermia autem sic hæresi* 59. Seleuciani vel Hermiani ab authoribus, Seleuco & Hermia, qui elementorum materiam, de qua factus est mundus, non à Deo factam dicunt, sed Deo coæternam, Nec animam Deo tribuunt Creatori, sed Creatores esse animarum Angelos volunt, de igne & spiritu. Malum autem asserunt esse aliquando à Deo, aliquando à materia. Negant Saluatorem in carne sedere ad dexteram Patris, sed ea se exuisse perhibent, eamque in sole posuisse, accipientes occasionem de Psalmo vbi legitur: in sole posuit tabernaculum suum: negant etiam visibilem paradisum: baptismum in aqua non accipiunt. Resurrectionem non putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum. *Vt vt sit, Hermogeni pictori, & egregio in commentis Poëtæ, sæpiùs nubenti, aptè consonant hi errores, quos ex artis privilegio fingere, vt pingere potuit. Eius impudentiam graphicè descripsit Augustinus in alio hæreticonempe Iuliano to.* 7. *lib.* 5. *cont. Iul. cap.* 2. *vbi acutè vellicat dicentem, nudos parentes primos cum innocentia fuisse impudentes.* Pudentes, inquit Aug. fecit nequitia: quos impudentes iustitia faciebat. Imò verò tua ista sententia ita est indecenter impudens, & deformiter nuda, vt eam quantalibet folia verborum consuas, operire non possis. *Alludit ad folia ficus, quibus motum carnis indecentem tegere & reprimere, cõfugientes ad vmbram, & lasibula, voluerunt,* à pictoribus me didicisse derides, quod Adam & mulier eius, *monogami tamen, & vno, tanto tempore, matrimonio contenti; vt alibi exaggerat Tertull.* pudenda contexerint, & Horatianum illud decantatum audire me præcipis; pictoribus atque Poëtis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Ego verò non à pictore manium figurarum *vel lubrica-*

rum, quales illicitè pingebat Hermogenes. Sed à Scriptore diuinarum dſdici literarum; quia illi primi homines antequam peccarent, nudi erant, & non confundebantur; in quibus abſit vt tanta innocentia tam impudens eſſet, ſed nondum inerat, quod puderet. Peccauerunt, attenderunt, erubuerunt, operuerunt, & adhuc clamas, nihil indecens, nouúque ſenſerunt. Hanc planè impudentiam nimis incredibilem, abſit vt dicam, nullus te Apoſtolus, aut Propheta, ſed nec pictor docuit, nec Poeta. Illi quippe ipſi quibus quidlibet audendi, ſicut elegantet dictum videtur, ſemper fuit æqua poteſtas, confunderentur tale aliquid ridendum fingere, quale tu credendum non confunderis diſputare. Duas enim A ſimul habitantes, quarum altera eſt optima, altera eſt peſſima, velut inter ſe conuenientes atque concordes, innocentiam ſcilicet atque impudentiam, nullus pictor pingere, nullus Poëta canere auderet: Nec eorum quiſquam ita de ſenſibus deſperaret humanis, vt etiam hoc ſibi audendi æquam crederet poteſtatem, ſed inſanam potius vanitatem. *Aptè in Iulianum hæc torſit Auguſtinus & acutè. Nec longè aberrat telum eius ab Hermogenis impudentia & libidine quidlibet audente ex pictoris licentia, & ſic ſi alteralectio placet*, pingente licitè; *& ex priuilegio hæretico, impudenter omnipotentiam Deo negante, de materia animum rationalem educente, aſſiduè nubente, plures vxores ducente, quàm lineas.*

HOMO EIVSQVE DIGNITAS.

1. Homo præcipuè per animam conſtituitur. De Car. Chri. cap. 12. in p.

OStenſa ſit nunc Anima per carnem, ſi conſtiterit illam oſtendendam quoquomodo fuiſſe, id eſt incognitam ſibi & nobis. Quamquam in hoc vana diſtinctio eſt: quaſi nos ſeorſum ab anima ſimus; cùm totum quod ſumus anima ſit denique, ſine anima nihil ſumus: ne hominis quidem, ſed cadaueris nomen.

2. Homo per eamdem animam ſpirat, per quam viuit. De An. cap. 10. à m. ad f. & 11. in p.

QVid eſt, oro te, ſpirare? flatum, opinor, ex ſemetipſo agere. Quid eſt non viuere? flatum, opinor. ex ſemetipſo non agere. Hoc enim reſpondere debebo, ſi non idem eſt ſpirare quod viuere? Sed mortui erit non agere flatum: ergo viuentis eſt agere flatum. Sed & ſpirantis eſt agere flatum: ergo & ſpirare viuentis eſt. Vtrumque ſi ſine anima decurrere potuiſſet, non fuiſſet animæ ſpirare, ſed ſolummodo viuere. Atenim viuere ſpirare eſt, & ſpirare viuere eſt. Ergo totum hoc, & ſpirare & viuere, eius eſt, cuius & viuere, id eſt animæ. Denique, ſi ſeparas ſpiritum & animam, ſepara & opera: agant in diſcreto aliquid ambo, ſeorſum anima, ſeorſum ſpiritus: anima ſine ſpiritu viuat, ſpiritus ſine anima ſpiret; alterum relinquat corpora, alterum remaneat, mors & vita conueniant. Si enim duo ſunt, anima & ſpiritus, diuidi poſſunt, vt diuiſione eorum, alterius diſcedentis, alterius immanentis, mortis & vitæ concurſus eueniat. Sed nullo modo eueniet: ergo duo non erunt, quæ diuidi non poſſunt; quæ diuidi poſient, ſi fuiſſent: Sed licet & duo eſſe concreta. Sed non erunt concreta, Si aliud eſt viuere, aliud ſpirare, diſtinguunt ſubſtantias opera: & quantò nunc firmius eſt, vt vnum credas, cùm diſtantiam non das, vt ipſa ſit anima ſpiritus dum ipſius eſt ſpirare, cuius & viuere. Quid enim, ſi diem aliud haberi velis, aliud lucem quæ accidat diei? cùm dies ipſa lux ſit. Planè erunt & alia genera lucis, vt ex ignium miniſterio. Erunt enim & aliæ ſpiritus ſpecies, vt ex Deo, vt ex diabolo. Ita cum de anima & ſpiritu agitur, ipſa erit anima ſpiritus, ſicut ipſa dies lux. Ipſum eſt
CAP. XI. eſt enim quid, per quod eſt quid. Sed vt animam ſpiritum dicam præſentis quæſtionis ratio compellit, quia ſpirare alii ſubſtantiæ adſcribitur: hoc dum animæ vindicamus, quam vniformem & ſimplicem agnoſcimus, ſpiritum neceſſe eſt certa conditione dicamus; non ſtatus nomine, ſed actus; nec ſubſtantiæ titulo, ſed operæ; quia ſpirat, non quia ſpiritus propriè eſt. nam & flare, ſpirare eſt. Ita & animam, quam flatum ex proprietate defendimus, ſpiritum nunc ex neceſſitate pronuntiamus.

HOMO EIVSQVE DIGNITAS. I. ET II. SCHOL.

OSTENSA SIT, *ſuperiori capite probauerat Animam non poſſe oſtendi per carnem. Nunc, inquit, vltro concedamus Animam poſſe oſtendi per carnem, quod Valentiniani exigunt; quaſi Anima ſit ſibi aut nobis incognita.* QVAMQVAM *in hoc, &c. quod inquit, dixi quaſi diſtinguendo hominem ab Anima; corrige me, nulla enim eſt hæc diſtinctio; neque enim nos ſeorſum diſtincti ſumus ab anima noſtrâ,* TOTVM QVOD SVMVS. *Loquitur iuxta ſenſum diſcipulorum Platonis & Pythagoræ, dicentium Animam ſolam conſtituere hominem: Plato quippe in Alcibiade* B *probat corpus non eſſe hominem, ſed aliquid hominis; bona verò externa, non eſſe hominis, ſed fortunæ. Sic Lactantius de Opif. Dei, cap. 1.* Corpus vas eſt quodammodo fictile, quo animus id eſt homo ipſe vetus continetur. *Et Epictetus dicit*, morbos alterius cuiuſpiam *ſcilicet corporis* impedimentum, non tui. NIHIL SVMVS *non quod omnino neget aliquid eſſe hominem mortuum, ſed vt ſubjcit, ne quidem nomen hominis corpus exanime habet, ſed tantùm cadaueris. Auguſtinus to. 3. lib. de fide & Symbol., cap. 10. tria diſtinguit in homine:* Tria ſunt quibus homo conſtat: S. Aug.

Aug. ſpiritus, anima & corpus; quæ rurſus duo dicuntur, quia ſæpè anima ſimul cum ſpiritu nominatur. Pars enim quædam eius rationalis, qua carent beſtiæ, ſpiritus dicitur: principale noſtrum ſpiritus eſt. *quod Tertull. alibi vocat, τὸ ἡγεμονικὸν*, deinde vita, qua coniungimur corpori, anima dicitur. Poſtremò iſtud quod viſibile eſt vlumum, noſtrum eſt corpus, &c. hic ſpiritus etiam vocatur, mens, de quo dicit Apoſtolus: mente ſeruio legi Dei; qui item alio loco dicit, teſtis eſt mihi Deus cui ſeruio in ſpiritu meo. Anima verò cum carnalia bona appetit, caro nominatur. Pars enim eius quædam reſiſtit ſpiritui, non naturâ ſed conſuetudine peccatorum. Vnde dicitur; mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Quæ conſuetudo in naturam verſa eſt ſecundum generationem mortalem peccato primi hominis. Ideoque ſcriptum eſt, & nos aliquando fuimus naturaliter filii iræ, id eſt vindictæ, per quam factum eſt vt ſeruiamus legi peccati. Eſt autem animæ natura perfecta cùm ſpiritui ſuo ſubditur, & cùm ſequitur ſequentem Deum: *id eſt cum anima ſequitur ſpiritum, & ſpiritus ſequitur Deum* ideo animalis homo *id eſt viuens ſecundum appetitum animalem & inferiorem* non percipit quæ ſunt ſpiritus, Dei. Sed non tam citò anima ſubiugatur ſpiritui, ad bonam operationem, quàm citò ſpiritus Deo, ad veram fidem, & bonam voluntatem: ſed aliquando tardius eius impetus, quo in carnalia & temporalia deſtuit, refrenatur. Sed quoniam & ipſa *anima inferior* mundatur, recipiens ſtabilitatem naturæ ſuæ, dominante ſpiritu qui ſibi caput eſt, cui eius capiti caput eſt Chriſtus, non eſt deſperandum, etiam corpus reſtitui naturæ propriæ *qua in ſtatu innocentiæ plenè ſubiectum erat ſpiritui* ſed vtique non tam citò quam anima, ſicut nec anima tam citò quàm ſpiritus, ſed tempore opportuno, in nouiſſima tuba, cum mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. *Tertullianum porrò per animam, hic intelligit ſpiritum ſine mentem, hominem diuidens in animum & carnem. Hanc autem animam & ſenſu carentem nihil ait eſſe hominis, niſi cadauer. Cui conſonat*
Aug. *Auguſtinus ſcribens in verba Pſalmi* 48. Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam non cùm morietur accipiet hæc omnia. Nec, *inquit*, quod tollit ſepultura, tollit ſecum mortuus. Vbi enim ſenſus, ibi homo: vbi nullus ſenſus, non eſt homo. Iacet vas quod continebat hominem, domus quæ habebat hominem. Corpus dicamus domum, ſpiritum dicamus habitatorem domus, &c. da aliquid ſpiritui, & dediſti aliquid mortuo.

In discretio, *ſeparatim*. Conveniant, *ſimul ſint*. Concreta *ſi ex duobus coalita eſſent & compoſita*. Distinguvnt svbstantias *effectus diuerſi probabunt diuerſas eſſe ſubſtantias anima & ſpiritus*. Qvid enim, *idem dicis tu qui animam, à ſpiritu, quo ſpirat, & viuit homo, vis diſtingui; ac ſi diſtingueres lucem à die, cum nihil ſit aliud dies quam lux*. Plane ervnt. *Sic inducit obiicientem, ſpeciem aliam lucis venire ab igne, quam à Sole*, Ervnt enim *Sic, reſpondet Tertull. & iuxta Paulum* probandi ſunt ſpiritus, ſi ex Deo ſint, *quia ſunt & ex diabolo. Sed meA lius quia Deus ſpiritus eſt bonus & increatus, diabolus autem & Angelus ſpiritus creatus, &c.* Distantiam, *diuerſitatem non aſſignas*. Ipsvm esse qvod, *eſt tale per illud quod eſt tale. Sicut dies eſt lucida, per lucem*. Vt animam spiritvm dicam, *vt probem animam nihil aliud eſſe quam ſpiritum, vrgeor ab aduerſa parte obiicientem mihi quod animam corpus habere dixerim, & proinde aduerſum me concludente, animam non poſſediſſe ſpiritum. Compellor itaque explicare*. Vt dicam *id eſt quo ſenſu intelligam, cum voco animam ſpiritum, quia & aliæ ſubſtantiæ, præter animam, ſpiritus appellantur, Deus, Angelus, ventus, &c. cum itaque appellationem ſpiritus etiam animæ rationali adſcribamus, quam non multiformem, ſed vnam & ſimplicem in vnoquoque corpore humano eſſe aſſerimus, determinare debemus qua conditione &*
B *quomodo eam ſpiritum appellemus. Dicimus igitur eam ſpiritum, non quòd talis ſit natura eius & ſubſtantia, ſed quòd de facto ſpirat, non quòd proprie ſpiritus ſit. Aduerte hic negare ipſum, animam proprie eſſe ſpiritum, prout ſpiritus opponitur corpori, propter errorem de quo alibi, quo tenet animam eſſe corpoream*. Nam et flare, *vnde & dictum eſt: de anima primi hominis*: Inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem, *vnde ſubiecit ſe tenere & defendere animam* ex proprietate, *id eſt propriè eſſe flatum*. Nvnc ex necessitate *ſupple quia neceſſarium eſt nobis contra Hermogenem diſputantibus, animam dicere ſpiritum, quia Hermogenes eam ex materia originem ducere dicitabat. Auguſtinus rurſum diſtinguit animam & ſpiritum to. 7.*
C *lib. 4. de Anima & eius origine cap.* 23. Non habent S Aug.
ſpiritum pecora, id eſt intellectum & rationis ac ſapientiæ ſenſum, ſed animam tantùm. Nam & de illis dictum eſt, producant aquæ repentia animarum viuentium, & producat terra animam viuentem. Vt ergo pleniſſimè ac planiſſimè noueris eam, quæ anima eſt, more diuinorum eloquiorum etiam ſpiritum dici, appellatur pecoris ſpiritus, &c. Sicut legitur in libro Eccleſiaſtis, quis ſcit ſpiritus filiorum hominis ſi aſcendat ipſe ſurſum, & ſpiritus pecoris ſi deſcendat ipſe deorſum in terram. Itemque in diluuii vaſtitate, ita ſcriptum eſt, & mortua eſt omnis caro, &c. & omnia quæcunique habent ſpiritum vitæ. Vbi remotis omnibus dubitationis ambagibus, generale nomen animæ eſſe intelligimus ſpiritum. Cuius quidem nominis ſignificatio tam
D latè patet, vt etiam Deus vocetur ſpiritus, & iſte flatus aereus, quamuis ſit corporeus, appellatur in pſalmo ſpiritus tempeſtatis. Quapropter & eam quæ anima eſt, etiam ſpiritum nuncupari puto, quod admonitus his quæ commemoraui diuinarum teſtimoniis paginarum, vbi & anima pecoris, cui non eſt intellectus, appellata legitur ſpiritus, *vt Gen. 8. omne ſerpens qui mouetur ſuper terram, & omnis homo, & omnia quæcunque habent ſpiritum vitæ, id eſt flatum & ſpiraculum*, non negabis vltèrius. Quo circa ſi & illa, quæ de anima incorporea diſputata ſunt, capis & ſapis, non eſt vnde tibi diſpliceam, quod eam me ſcire dixi non corpus eſſe, ſed ſpiritum: quia & corpus non eſſe monſtratur, & generali nomine ſpiritus nuncupatur.

3. Homines fictilia vaſa, Dei Creatoris gloriam portantes eius opus ſunt. ſ. Cont. Marc. cap. 11. circa f.

PRætereo hic & de alia Epiſtola, quam nos ad Epheſios præſcriptam habemus, hæretici verò ad Laodicenos. Ait enim [a] *meminiſſe Nationes, quod illo in tempore cùm eſſent ſine Chriſto, alieni ab Iſraële, ſine conuerſatione, & teſtamentis, & ſpe promiſſionis, etiam ſine Deo* Epheſ. 2. 11. & 12.

essent, in mundo vtique etsi de Creatore. Ergo si nationes sine Deo dixit esse, Deus autem illis diabolus est, non Creator, apparet dominum æui huius eum intelligendum, quem Nationes pro Deo receperunt, non Creatorem quem ignorant. Quale est autem vt non eiusdem habeatur thesaurus in fictilibus vasis nostris, cuius & vasa sunt: Nam si gloria Dei est in fictilibus vasis tantum thesauri haberi; vasa autem fictilia Creatoris sunt: ergo & gloria Creatoris est, cuius vasa eminentiam virtutis Dei sapiunt, & virtus ipsa. Quia propterea in vasa fictilia commissa sunt, vt eminentia eius probaretur. Ceterùm, iam non erit alterius Dei gloria, ideoque nec virtus, sed magis dedecus & infirmitas, cuius eminentiam fictilia & quidem aliena ceperunt.

2.Cor.4.7.

Ibid.

HOMINIS DIGNITAS. III. SCHOL.

AD LAODICENOS, *vide supra dicta Verbo: haretici quomodo Scripturas tractent.* AIT MEMINISSE, *monet vt meminerint. Sic Ephes. 2. 11, & seq.* Memores estote quod aliquando vos gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, *natione scilicet Iudæa* quæ dicitur Circumcisio in carne manu facta: quia eratis in illo tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. *Id est non credebatis in vnum verum Deum, & in Iesum Christum eius filium, & quasi hospites & extranei à promissis, à Deo datis suis filijs in vtroque testamento; spem non habebatis vitæ æternæ, & ab Israëlitarum conuersatione quasi immundi abiecti eratis, quia toti carnales, & in præputio gloriantes æstimabamini à Iudæis, qui de Circumcisione manu facta & literali, se supra vos extollebant, vt de notâ & charactere filiorum Dei.* ETSI DE CREATORE, *id est licet & mundus, & ipsi Gentiles in mundo sint opera quæ à Deo Creatore facta sunt. Vnde concludit Tertull. nihil hîc Marcion habet, quo ex loco Pauli contra Deum Creatorem insultet, nam si nationes, id est Gentiles dixit fuisse sine cultu Dei, intelligit, sine cultu Creatoris, & Christi eius filij. Illi enim diabolum, mundi Gentilium, & reproborum omnium Dominum, Deum & rectorem colebant, quem & Paulus ibidem versu 2. vocat* principem potestatis aëris huius, spiritum qui nunc operatur in filios diffidentiæ. *Quod Augustinus to. 4. lib. 83. quæst. q. 79. magis explicat de Principatu diaboli in Animas quam in corpora; non quòd non sæpè etiam corpora Gentilium vexauerit.* Non exit, ait, Sathanas, sed potius in intima ingreditur, vt in eo sic operetur quemadmodum dicit Apostolus: secundum Principem potestatis aëris huius, qui nunc operatur in filijs diffidentiæ. Non enim sensus corporis eorum turbabat atque torquebat, aut eorum corpora collidebat, sed in eorum voluntate, vel potius cupiditate regnabat. *Et Epistola ad Vitalem. 107.* hæc potestas tenebrarum, id est diabolus, qui etiam dicitur princeps potestatis aëris, operatur in filijs diffidentiæ, princeps iste rector tenebrarum, id est diabolus diffidentiæ filiorum, *supple est*, Regem eorum, ad arbitrium suum, quod neque ipse habet liberum ad benè faciendum, sed ad maximam maleuolentiam pœnâ sui sceleris obduratum: vnde nemo sanæ fidei, credit aut dicit hos Apostatas Angelos ad pristinam pietatem correcta aliquando voluntate conuerti, quid ergo operatur hæc potestas in filiis diffidentiæ *sine vt ait Tertull. alienis alienos à spe promissionis*, nisi opera sua mala, & in primis maximeque ipsam diffidentiam & infidelitatem, qua sunt inimici fidei per quam scit eos posse mundari, *vt fiant ex vasis iræ vasa misericordiæ, & ex vasis fortis, vasa fortioris, vt infra dicam* posse sanari, posse perfectissimè liberos, quod eis vehementer inuidet, in æternitate regnare. Itaque aliquos eorum, per quos amplius decipere affectat, sinit habere nonnulla velut opera bona in quibus laudantur per quasque gentes, præcipuèque in gente Romana, qui præclarè glorioſissimeque vixerunt. Sed quoniam, sicut veracissima scriptura dicit, omne quod non est ex fide, peccatum est; & sine fide impossibile est vtique placere Deo: non hominibus, nihil sic agit hic princeps, quàm vt non credatur in Deum, nec ad mediatorem à quo soluuntur opera eius, credendo veniatur. *Aprissimè ad mentem Tertulliani, & locum Pauli de Gentibus, quos diabolus princeps mundi tanquam vasa sua possedit, & à cultu Dei Creatoris & fide in Christum eius filium auertit.*

S.Aug.

S.Aug.

QVALE EST AVTEM *quis, inquit, ô Marcion, sic desipiat, vt tecum dicat, Creatorem quidem humani corporis, vt pote vilis ex luto fictis opificem, Thesaurum autem & gloriam ex eo redundantem est Dei tui boni? Cùm Deo tuo non inde gloria, sed dedecus accedat, & infirmitas imputanda sit, quod sublimitatem & gloriam suam, in vase fictili, & ab aduersario Deo suo mendicato recondere opus habuerit, Quantò melius & sanius creditur, eiusdem Dei Creatoris esse thesaurum & vasa, in quibus tantum thesaurum licet fictilibus condidit, vt ex ignobilitate vasorum sublimior & eminentior tam virtus quam gloria eius appareret; locum Pauli refero 2. Cor. 4. 7. cùm Paulus dixisset superius, Deum huius sæculi, id est diabolum excæcasse mentes infidelium, ne Christum agnoscerent quem ipse prædicabat, de tenebris eductus in lucem, sic versu 6. ait:* Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. *Translat. Syr. vt illustremur per cognitionem gloriæ Dei in persona Ieschua Meschicho* habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. *id est ex D. Thoma; cùm lux Euangelij, gratia nouæ legis, prædicatio verbi Dei, tam fragilibus & vilibus ministris, de luto formatis committatur, non nobis, sed Deo gloria tribuenda est. Hæc ad literam. Cætera, vt suprà dixi, magis Tertulliano respondent.* Qui & alibi *luteum hoc, & vas nostri Corporis extollit, ex dignatione Dei illud tractantis, & formantis; nec non ex anima rationali tanta hospite, cui parabatur. Augustinus autem hominis totum, tanquam operis & vasis Dei, erepti à diabolo, vt fieret ex vase iræ apto in interitum conterendum virga ferrea, vas honoris, gratiæ, & gloriæ capax, dignitatem commendat verbis immediatè sequentibus, Epistolæ præstatæ: vbi cùm dixisset opus diaboli esse, vt non crederetur in Deum, neque in mediatorem Christum.* Sed ipse, inquit, Mediator intrat in domum fortis, id est, in hoc sæculum mortalium, sub potestate diaboli, quantùm ad ipsum pertinet, constitutum: de ipso quippe scriptum est, quod potestatem habeat mortis; *id est mortalium, vasorum interitus & mortis sic enim Hebr. 2. 14. quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem; vt*

Aug.

per mortem destrueret eum qui habebat mortis impe- A *rium, id est diabolum.* Intrat in domum fortis, id est, in suo dominatu habentis genus humanum; & prius alligat eum, id est, eius coercet & cohibet potestatem, potestatis suæ fortioribus vinculis. & sic eripit vasa eius quæcumque prædestinauit eripere, *nota vasa electionis* arbitrium eorum ab eius potestate liberans, vt illo non impediente, credant in illum libera voluntate. Proinde hoc opus est gratiæ, non naturæ. Opus est inquam gratiæ *quâ ira & peccato vacuato, implentur vasa misericordiæ* quam nobis attulit secundus Adam, non naturæ; quam totam perdidit in semetipso primus Adam. *de quo scriptum est Eccli.21.17. cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit* opus est gratiæ tollentis peccatum, & viuificantis mortuum peccatorem, non opus legis ostendentis peccatum, nec a peccato viuificantis. Nam ille magnus gratiæ prædicator, peccatum, inquit, non cognoui nisi per legem. Et si data esset, inquit, lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Opus est hoc gratiæ, quam qui accipiunt, doctrinę salutari scripturarum sanctarum, etsi fuerint inimici, fiunt amici; non opus eiusdem doctrinę, *vt sentiebant Pelagiani* quam qui audiunt, & legunt sine gratia Dei, peiores eius efficiuntur inimici. *Sic sui temporis hæreticos euertit Augustinus, vt suos ait Marcionitas Tertullianus. Hic pro authore boni & Creatore naturæ; ille pro eodem conditore gratiæ, contra ejus inimicos strenuè certans.*

4. Homo opus Dei Creatoris tam in natura quam in gratia. 5. Cont. Marc. cap. 17. à m.

IPsius [a], inquit, *sumus factura, conditi in Christo.* Aliud est enim facere, aliud condere. Sed vtrumque vni dedit. Homo autem factura Creatoris est. Idem ergo condidit in Christo, qui & fecit. Quantùm enim ad substantiam, fecit; quantùm ad gratiam, condidit. [a] Ephes. 2. 10.

HOMINIS DIGNITAS. IV. SCHOL.

IPSIVS FACTVRA. *Ephes.* 2. 8. gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. *Syr. idque non extitit ex vobis.* Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur, ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, *Syr. ad opera illa bona*, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. ALIVD EST FACERE, *quasi plus sit condere, quàm facere. Verbum quidem*, condo, *significantius est, quàm* facio. *Apud latinos enim idem significat, quod recondo, repono, quasi in locum aliquem interiorem do ad custodiam, quasi thesaurum aliquem. Significat etiam idem quod simul do, ædifico, compono. Quod aptè quadrat gratiæ, licet enim in Christo, vt verbum est, & cum Christo, Deus pater nos creauerit; tamen longè excellentiùs in eo, cum eo, per eius incarnationis, & mortis merita, tanquam thesaurum suum, in gratia condidit, composuit, ædificauit ad gloriam suam*, abstondit in abscondito faciei suæ à B conturbatione hominum. *In Græco habetur, κτισθέντες, à verbo κτίζω. id est condo, constituo, ædifico.* VTRVMQVE VNI DEDIT. *ne quid sibi inde, vel Deo suo nomo, solius legis gratia & noui testamenti authori, tribuat Marcion, duos Deos ponens, Creatorem malum, solius naturæ factorem, & suum bonum gratiæ in Christo conditorem; Paulus vtrumque opus, & naturæ, & gratiæ, vnico Deo Creatori adscripsit. Vnde concludit, cùm teste Paulo, & ipso Marcione fatente, homo sit factura Creatoris, & Paulus dicat non alium, sed ipsummet Deum hominem in Christo condidisse; sequitur, quòd non duo Dii sint, sed idem factor substantiæ, & naturæ, idemque conditor gratiæ. Augustinus rursum hoc loco commincit Pelagianos frequenter, & nos inducit ad gloriam omnem Deo bonorum omnium authori, de* D *omnibus donis, maximè gratia, tribuendam; vt dum hominis dignitatem attendimus, ex ea, dignationis diuinæ gratiam simus. Sic itaque ipse to. 7. lib. de gratia &* Aug. *lib. Arb. cap. 8.* Quid est hoc, quòd cùm Dei gratiam commendans, dixisset; non ex operibus, ne forte quis extollatur, cur hoc dixerit rationem reddens, ipsius enim sumus, inquit, figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis? quomodo ergo non ex operibus, ne fortè quis extollatur? sed audi & intellige, non ex operibus dictum, tanquam tuis, ex teipso tibi existentibus, sed tanquam his, in quibus te Deus finxit, id est formauit & creauit: hoc enim ait: ipsius sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, non illa creatione, quâ homines facti sumus, sed eâ de quâ ille dicebat, qui vtique iam homo erat: cor mundum crea in me Deus: & de qua dicit Apostolus 2. Cor. 5. 17. si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt: Ecce facta sunt noua, omnia autem ex Deo. Fingimur ergo, id est formamur, & creamur in operibus bonis, quæ non præparauimus nos, sed præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Itaque fratres charissimi si vita bona nostra nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est; hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, vt verum sit, quoniam verum est, quia reddet vnicuique Deus secundum C opera sua. *Et in Psal. 18. expos. 2.* opera manuum eius annuntiat firmamentum, &c. Cœlum firmamentum, firmum cor, non timidum cor, &c. quæ sunt opera manuum eius? gloria Dei, illa qua salui facti sumus, qua creati in bonis operibus sumus. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis, non solùm quippe homines, sed etiam iustos, si tamen sumus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. *Et in Psal. 143.* melius est aliquid esse, quia S. Aug. iustus es, quàm quia homo es. Inferius aliquid das Deo, & superius tibi? Totum illi da, in toto ipsum lauda: non cadas de manu artificis. Vt esses, quis fecit? nonne scriptum est, quia sumpsit Deus limum de terra, & formauit hominem? antequam homo esses, limus eras; antequam limus esses, nihil eras. Sed non de isto solo figmento gratias agas artifici tuo. Audi aliud eius figmentum vbi te fecit, &c. *Tùm refert locum præcitatum Pauli, & concludit.* Da intellectorem, & totum dixit. Gratia salui facti estis. Vbi audis gratiam, gratis intellige. *Supple datam.* Si ergo gratis, nihil tu attulisti. Nihil meruisti. Nam si meritis aliquid redditum est, merces est, non gratia. Gratia, inquit, salui facti estis per fidem. Expone illud apertiùs propter arrogantes, propter sibi placentes, propter ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. Et hoc quidem apertiùs: Et hoc, inquit, quòd

gratiâ salui facti estis, non ex vobis, sed Dei donum est. Sed & nos fortè aliquid fecimus, vt dona Dei mereremur; non ex operibus, inquit, ne fortè quis extollatur. Quid ergo? nos benè non operamur? Imo operamur. Sed quomodo? ipso in nobis operante: quia per fidem, *& hæc donum Dei est*: locum damus in corde nostro, ei qui in nobis, & per nos bona operatur. Audi enim, vnde opereris bona; ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu, &c. Ista est suauitas abundans memoriæ, ipsius circa nos: hanc ructando prædicatores eius, iustitiâ eius exultabunt, non suâ. *Ergo vt creatio facta est ex nihilo, sic gratia ex nihilo meruit*; *vnde* pro nihilo saluos facies illos.

f. Homo ex omnibus creaturis instructus, in quo Christus omnia instaurauit. Cont. Valent. cap 12. circa f.

VNum omnes bonum conferebant, quod omnes erant. De modo forsitan fuerit ratio, aut de forma ipsius iam peræquationis. Igitur ex ære collatitio, quod aiunt, in honorem & gloriam patris, pulcerrimum Pleromatis, sidus fructumque perfectum compingunt, Iesum: Eum cognominant Soterem, & Christum, & Sermonem de patruitis: & Omnia iam, vt ex omnium de floratione constructum, Graculum Æsopi, Pandoram Hesiodi, Acci Patinam, Nestoris Cocetum, Miscellaneam Ptolomæi. Quam propius fuit de aliquibus Atticis curis Pancarpon vocari, à tam otiosis auctoribus nominum?

HOMINIS DIGNITAS. V. SCHOL.

VNVM OMNES BONVM *lepidè carpit figmentum Valentini qui discernens Æonas suos, eos tamen æquales facit ex ejusdem boni participatione, quod in vnum Iesum contulerunt.* FVERIT RATIO *disputandi scilicet, & quærendi à Valentino, quomodo idem bonum, quod erant ipsi Æones, in vnum Iesum congesserint, & quatenus omninò sibi sint æquales & similes.* IGITVR EX ÆRE, *&c. adagio vtitur* æris collatitii, *quo carpit hunc Iesum, ex se pauperculum, omnibus Æonibus as suum conferentibus ad eum ditandum; putantes hoc facto se patrem, nempe quem vocat Panton, id est omnium Patrem honorare. Alludit ad veteres, apud quos multa fiebant,* ære collato: *quibus inscribebatur.* ÆR. COLL. *alij deterrùm legunt,* ære collocatitio. PVLCERRIMVM. *pulcherrimum.* PLEROMATIS SYDVS, *id est plenitudinis. Erat autem Pleroma tabulatum superius tricenarij diuinitatis Æonum, qui locus omnibus cœlis supereminet. Sydus dixit quasi coronam Ariadnæ, dictam Gnosiam, septem stellis adornatam, quam Liber à Venere acceptam dedit ei, cui viuenti nupserat. Septenarius porrò numerus, vniuersitatis est numerus.* FRVCTVM PERFECTVM Pancarpon, *scilicet, vt manna esset, omnem saporem continentem.* SOTEREM, *Saluatorem, &c.* DE PATRVITIS. *Irenæus & Epiphanius, reddunt*: patronimicè, *sunt autem patronimica ex Grammaticis, quæ formantur à nominibus Patrum, sicut Priamides, intelliguntur filij Priami. Vbi aduerte Christum Iesum, Soterem, Sermonem, filium Demiurgi id est opificis, jam ex superioribus Æonibus quasi Patribus hæc nomina sortitum.* ET OMNIA IAM. *id est Iesus iste vnus omnia Æonum attributa complectitur, vt velut apis omnium flosculis delibatis, suum suum melque componens. Vnde Irenæus*, vnumquemque ait, eo quod habebat in se optimum florentissimum conferentes collationem fecisse. GRACVLVM ÆSOPI *Gallicè* Gay. *Auis aliarum plumis induta, qualis & cornicula Horatij de qua lib. 1. Ep. 3.*

Ne si fortè suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus.

PANDORAM HESIODI. *De hac Irenæus lib. 2. cap. 37.* Sed neque de Paulo, *omnia omnibus facto*, tacendum est. Sed exigendum ab his, in cuius Æonis typum Apostolus nobis traditus est, nisi fortè in Saluatoris compositi eorum, qui ex omnium collatione subsistit: quem & omnia nuncupant, eò quòd sit ex omnibus de quo & Hesiodus Poeta splendidè significauit, Pandoram, id est omnium munus nominans eum, ob hoc, quod ex omnibus optimum munus in eo sit collatum, &c. & non solùm per Hesiodum hoc operata est mater eorum; *quæ apud Valentinos est vltima secundæ quadrigæ, vel Sophia, quæ Ektromatis sive abortiui fœtus tertia est, & rursum Mater sexta*; mysterium dici; sed & Pindari est Lytici sapienter valde, vt cælet Demiurgum in Pelope, *quem Pater Tantalus, exceptis in hospitium diis, apposuit in cibum*, cuius caro in partes à Patre diuisa est, & ab omnibus diis collecta, & allata, & compacta, Pandoram hoc modo significauit, &c. *de Pandora alibi diximus, de qua Tertull. libro de corona mil. cap. 7.* Si fuerit aliqua Pandora, quam primam fœminarum memorat Hesiodus hoc primum caput coronatum est à charitibus, cùm ab omnibus muneraretur. ACCI PATINAM, *hic fuit non impar Apicio eximiè goloso, qui omnia ventri impendebat. Per Patinam accipe ferculum pretiosum, porro Troiano, vel boui Germano omnibus cibis referto simile. de huiusmodi Patinis Plinius lib. 10. Nat. hist. cap. 11.* Maximè insignis est in hac memoria Clodii Æsopi tragici histrionis Patina sexcentis sestertiis tarata, in qua posuit aues cantu aliquo, aut humano sermone vocales, nummis sex singulas coëmptas: nullâ aliâ inductus suauitate, nisi in his imitationem hominis manderet, ne quæstus quidem suos reueritus, illos opimos & voce meritos: *quod attrahendo in theatro gestu & voce quæstum magnum fecisset*, dignus prorsus filio, à quo deuoratas diximus Margaritas. Non sit tamen facile, vt verum fatear, inter duos iudicium turpitudinis, nisi quod minus est summas rerum naturæ opes, quàm hominum linguas, *ob imitationem sic vocat*, cœnasse. *Et lib. 31. cap. 12. vbi de figulinis Patinis*: vt luxu quoque aliqua conringat autoritas figlinis, Tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur, summa Cœnarum lautitia. Vna erat murenarum, altera luporum, tertia myxonis piscis, &c. NESTORIS, *Alexandrinus Grammaticus est, qui Marcellum erudiuit sororis Augusti filium. Malim tamen Nestorem Poëtam Licium, Patrem Lysandri Poëtæ. Hic tempore Seueri Imperatoris scripsit Iliadem, cuius hic carpit luxum, & eum suum contemporaneum, inter Poëtas recensèt.* COCETVM *didici ex Commentario Casauboni ad Characteres Theophrasti,*

Digitized by

xu xiuua Neſtoris intelligi, de qua Homerus 11. Iliad. veteres quippe Latini potum illum quem hic Tertull. Cocetum vocat, Cyceonem appellabant, ex varijs liquidu compoſitum & mixtum poculum magno illi Neſtori filio Nelei & Chloridis propinatum. Hinc fortè, & propter eius eloquentiam dictitatum, quod melle dulcior ex ore eius flueret oratio. MISCELLANEAM PTOLOMÆI. vel intelligit Bibliothecam omnibus ſacris & prophanis libris inſtructam, quam in animi ſui curioſi pabulum compoſuit, undequaque collectis voluminibus Ptolomæus Philadelphus Ptolomæi Lagi filius. Ille fuit vir doctiſſimus Stratonis diſcipulus. Qui, vt ſuo loco dicemus, augendæ Bibliothecæ ſuæ, libris veteris teſtamenti ex Hebræo in Græcum vertendis, collegit 70. interpretes. Vel fuit alter Ptolomæus Aſtrologus Ægyptius, vina, vt aiunt, omnium artium liberalium bibliotheca. Vel denique alter eiuſdem nominis, quem Ioſephus ait generum fuiſſe Simonis ducis Iudæorum, quem tempore belli Machabæorum vrbi Iericho præfecerat, quemque regni cupiditate incenſum, inuitatum ad Cœnam (fortè Miſcellaneam & omnibus cibis extructam) incautum interfecit.

QVAM PROPIVS. Facilius fuit Valentinianis tanto otio fabuloſa tot Æonum nomina inter ſe diſcorditer concordantia, pariter imparia, inæqualiter peræquata, & pacificè pugnantia excogitantes, ab inuentionibus Græcorum, & cura quæ pugnas ferarum vel beſtiarum cicurum exponebant in theatro, hunc ſuum Æonem Ieſum vocare PANCARPON de quo ſic Caſſianus Collat. 5. cap. 14. Coram Regibus huius mundi omnigenis congredi beſtiis præmiorum contemplatione conſuerunt, quod ſpectaculi genus vulgò Pancarpum nuncupatur. Sylua autem, qualem deſcribit Capitolinus pictam fuiſſe in domo Cneï Pompeï; differt à Pancarpo, quod Sylua circus eſſet arboribus circumſitus ad ſpeciem Sylua, in qua homines cum Tauris, Struthionibus, Onagris, Cervis, alijſque cicuratis pugnabant. Pancarpus autem eſſet Amphitheatrum in quo certabant cum feris. Alij intelligunt coronam ex omnibus floribus decerptis, hinc inde conſertam, alij merendam ſine collationem ex omnibus fructibus, qualem Amalthea cornu exhibet. De Pancarpo Secundinus Manichæus, in ſua ad Auguſtinum Epiſtola circa med. vbi eius mordet credulitatem circa relata in veteri teſtamento: An tibi leones in lacu placuerũt, quia cauæ non erant? An tibi ſterilitas Saræ doluit, cuius pudoris diſtractor maritus, ſororem fingens extulerat? ſed fortè poſt Daretis & Entelli certamen, Iacob & ipſius Pammachiam expectare volueras? An numerum Amorhæorum; an Pancarpum in Arca Noë conſpicere diſpoſueras? Cui breuiter reſpondet Auguſtinus. ep. 6. lib. contra eundem Secundinum, Aug. cap. 23. Tanta illic deformitate captiuo, Deo veſtro vicio & vinclo, nomine Pancarpi, qui in ludicris muneribus edi ſolet, propter omnium generum quæ inerant, beſtias, exagitatis aream Noë, quæ per omne genus animalium, futuram ex omnibus gentibus figurabat Eccleſiam. Vbi te vel non aduertentem, vel ignorantem gratulor congruum poſuiſſe vocabulum: Pancarpos enim, omnis eſt fructus, quod in Eccleſia ſpiritaliter viſum eſt: & non attendis Noë cum ſuis inter illas feras, quo illæſus ingreſſus eſt, vnde illæſus egreſſus eſt, quam felicior fuerit Deo veſtro, qui ferina rabie gentis tenebrarum dilaniatus, & deuoratus eſt. Itaque ille non Pancarpus, ſed Pœnæcarpus factus eſt, qui omni feritate diſcerptus eſt. Quod ſtultè Valentiniani de plenitudine ſui Ieſu, ego ſanius de homine intelligo & dico, qui ex omnium rerum deflouratione conſtructus eſt, de quo ſapiens: hoc, inquit, quod continet omnia. Corpus enim, omnia elementa continet, cui omnis cœli militia ſeruit, cui aſtra fulgent, & ſuis influentijs, omnia in ſublunaribus ſenſuum eius oblectamenta proferunt; animus verò Angelis coæquatur, & Deo ſimilatur. Plato in Alcibiade, ſine de natura hominis, vbi Alcibiadi quærenti ex quibus conſtet homo, & quodnam imperet, reſpondet Socrates. Aut animam, aut corpus, aut totum ipſum ex vtriſque compoſitum. Dixit & Plato poſt Mercurium, hominem inter animalia miraculum eſſe diuinum.

Sed melius adhuc Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. cap. S. Aug. 11. Deus ſummus & verus cum Verbo ſuo & Spiritu Sancto, quæ tria vnum ſunt, Deus vnus, Omnipotens, Non triginta Æones fabuloſi, nec tres Charites in vnam Pandoram donis cumulandam intentæ; Creator & factor omnis animæ, atque omnis corporis; cuius ſunt participatione fœlices, quicumque ſunt veritate, non vanitate fœlices; qui fecit hominem animal rationale ex anima & corpore: qui eum peccantem, nec impunitum eſſe permiſit, nec ſine miſericordia dereliquit: qui bonis & malis, eſſentiam etiam cum lapidibus, vitam ſeminalem etiam cum arboribus, vitam ſenſualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum ſolis Angelis dedit; à quo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo: à quo eſt menſura, numerus & pondus. Et poſt hæc quæris, cur homo potius Verbum factum ſit quam Angelus? Nempe iuxta Paulum Epheſ. 1. 6 & ſeq. Gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia & prudentia: vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum eius, quod propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt in ipſo. Quod Irenæus lib. 3. cap. 18. ſic exponit quòd ſumendo hominem, compẽdium vniuerſi, omnem creaturam ad Verbum, quaſi caput ſuum & originem reduxit, & ſibi vniens quodammodo deificauit. In quo quidem, vt ſupra dixit Auguſtinus, hominem non dereliquit; ſed ſpoliatum vt illum deſcendentem ab Ieruſalem in Iericho, induis ſeipſum ille plenus gratiæ & veritatis, repletus dono Spiritus ſancti, in quo inhabitat plenitudo diuinitatis, ille tandem, de quo Paulus ad Coloſſ. 1. 19. In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, &c. Et ibid. cap. 2. 3. in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, & verſu 9. In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter vt quid iſta plenitudo? niſi vt fieret quod ſequitur: & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis. Et Epheſ. 3. 19. vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ex hoc Pancarpo omnes flores & fructus carpimus; ex eo in quo velut amphitheatro & ſpectaculo, lupo, canes, Tauri, Iudæi, Gentiles, dæmones, peccata noſtra certarunt, pax noſtra & victoria per Ieſum, in hoc Neſtoris Cocero, ſuauiſſimum calicis inebriantis poculum de Altari ſumimus; Acca Patinam, omnem ſuauitatem continentem; Miſcellaneam denique Ptolomæi habemus in illo, qui ſcientiarum Dominus eſt. Qui ſermo eſt Verbum & doctrina Patris, qui denique qui eſt a & o. Et poſt hanc erga hominem, Dei dignationem, quis eius ſupra Angelos non extollat dignitatem, vt ſequentia docent?

6. Homo Angelo fortior & sublimior, cui omnia subiecta sunt, & ipse Angelus malus, quem iudicaturus est. 2. Cont. Marc. cap. 8. in m.

Psal.103.4. Heb.1.7. ETsi Angelus qui seduxit; sed liber & suæ potestatis qui seductus est; sed imago & similitudo Dei, fortior angelo; sed adflatus Dei generosior spiritu materiali, quo angeli constiterunt. *Qui facit*, inquit, *spiritus angelos, & apparitores flammam ignis.*
Psal. 8. 6. Quia nec vniuersitatem homini subiecisset infirmo dominandi, & non potibri angelis, quibus nihil tale subiecit.

7. Et 2. Cont. Marc. cap. 9. à m.

Hebr. 1. 14. 1. Cor. 6.3. QVum verò ad angelum prouocatur, fortiorem defendam necesse est dominum vniuersitatis; cui iam angeli administrant; qui etiam angelos iudicaturus est, si in Dei lege constiterit, quod in primordio noluit.

HOMINIS DIGNITAS. VI. ET VII. SCHOL.

ETSI ANGELVS, *malus, serpentem indutus.* FORTIOR ANGELO, *in quantum, vt alibi vult author, Adam quoad corpus factus est ad imaginem Christi, qui Deus est, propter suppositum Verbi. Ex mente enim Tertulliani, Deus pro causa exemplari, siue Idea corporis Adæ, habuit ante se corpus Christi: vnde cum homo Rex omnium animantium esset, & reptilium, fortior erat Angelo illo seductore formam serpentis assumente. In quantum autem erat similitudo Dei per gratiam*, diuinæ factus consors naturæ, *fortior erat, & superior Angelo lapso, qui hanc similitudinem amiserat. Quidquid & in Genesi legimus, Iacob oratione sua praualuisse ad Angelum bonum, cum quo luctatus est tota nocte.* ADFLATVS DEI, *anima rationalis, Deo insufflante, & quasi ex se producente facta, non quidem quasi particula sed tamen ob tam nobile principium & originem, generosa, videtur excellere spiritu Angelico, in quantum Angeli dicuntur à Paulo post Psaltem, flamma siue ignis vrens, qua cum visibiliora & sensibiliora sint quàm flatus, & flatus Dei; materialiora in hoc Angelus spiritus ab Authore censetur & corporalior, quam anima & spiritus hominis. Porro noster Author tam animam quàm Angelum corporalem finxit. Augustinus in Ench. ad Laur. cap. 59.* Angeli quis explicet cum qualibus
S. Aug. corporibus apparuerint hominibus, vt non solum cernerentur, verum etiam tangerentur, & rursus non solida corpulentia, sed spiritali potentia quasdam visiones non oculis corporeis, sed spiritalibus, vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid, non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis etiam ibidem ipsi constituti, *ac proinde spiritus subtiliores & penetrabiliores hominis mente*, sicut scriptum est in Prophetarum libro, *Zach.* 2. & dixit mihi Angelus qui loquebatur in me: non enim ait, qui loquebatur ad me, sed in me. Vel appareant in somnis, & colloquantur more somniorum. Habemus quippe in Euangelio Matth. 1. Ecce Angelus Domini apparuit illi in somnis dicens, &c. his enim modis velut indicant se Angeli contrectabilia corpora non habere, faciuntque difficillimam quæstionem, quomodo Patres eis pedes lauerint; quomodo Iacob cum Angelo tam solida contrectatione luctatus sit. Cum ista quæruntur, & ea sicut potest quisque coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & abiit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est vt hæc atque huiusmodi affirmentur vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur? Magis opus est diiudicare atque dignoscere, cùm se Sathanas transfigurat velut Angelum A lucis, ne fallendo ad aliqua pernicioſa seducat. Nam quando sensus corporis fallit, mentem verò non mouet à vera rectaque sententia, qua quisque vitam fidelem gerit, nullum est in religione periculum.

Et in Psal. 103. vbi explicat locum hîc relatum à Tertulliano. Esse Angelos nouimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus, & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt; & cùm spiritus sunt, non sunt Angeli; cum verò mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim officii nomen est, non naturæ. *aduerte Gregorium hanc ab Augustino exterpsisse sententiam* quæris nomen huius naturæ, spiritus est: quæris officium, Angelus est. Ex eo quod est, spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est. Vide illud in homine, nomen naturæ, homo, officii, miles. Nomen naturæ, vir, officii, præco: homo enim, fit præco: id est quihomo erat, fit præco, B non qui erat præco, fit homo. Sic ergo, qui erant iam spiritus conditi à Creatore Deo, facit eos Angelos, mittendo eos nuntiare quod iusserit, & ignem flagrantem facit ministros suos. Legimus apparuisse ignem in rubo. Leginus etiam missum ignem desuper, & implesse quod præceptum est. Ministrauit ergo, cùm impleret *iussum Dei*: cùm esset, in natura sua erat: *purus scilicet spiritus, & prorsus immaterialis* cum egit quod iussum est, ministerium impleuit. *Hinc liquet contra Tertull. hominem inferiorem esse Angelo ob compositionem animæ eius cum materia.* QVIA NEC VNIVERSITATEM *Alia, inquit, est ratio quâ homo præcellit Angelis, quia istis non est dictum* dominamini, &c. *Nec de ipsis dictum, sed de homine Psalmo* 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, &c. *Etiam ipsi Angeli, vt habet Tertull. numero sequenti* cui iam Angeli administrant. C *id est non tantum irrationales creaturæ, sed & intellectuales, de quibus Psalmo* 90. Angelis suis mandauit de te, &c. *& Paulus* omnes sunt administratorii spiritus, *cæterùm hominem omnia continere, & omnibus præesse & Angelis adæquari testatur Aug. Ser. 27. de Verbis Apost.* Vbi Scriptura narrat, quod Aug.
facti sumus: Ibi subiungit, vt nos pecoribus non solum anteponat, sed & præponat, id est vt ea nobis subiecta sint. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum, & serpentium quæ repunt super terram. Vnde habeat potestatem? propter imaginem Dei, &c. habemus ergo vt cuncta breuiter retexamus, ipsum esse cum lignis & lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum bestiis, intelligere

ligere cum Angelis. *Quæ rursum Gregorius ad verbum ab Augustino deprompsit.*

7. AD ANGELVM PROVOCATVR. *Agit hîc contra Marcionem sicut supra, hominem in quantum opus est Dei Creatoris vilipendentem, quasi vel ob peccatum ex libertate commissum, culpa refundi debuerit in Authorem naturæ Deum, quod paragrapho præcedenti retudit, dicens hominem ex libertate tum integra potuisse superare Angelum tentatorem: hîc autem, quamquam fassus hominem vt flatum Dei, longè Deo inferiorem, si tamen, inquit, certamen de excellentia hominis cum Angelo conferatur, & inferior homo Angelo à Marcione dicatur. Tuebor, inquit, & firmiter sustinebo, necessariò supponendum esse, hominem ex triplici capite esse Angelis meliorem. Primò quia à summo rerum Domino, mundi prorex & Dominus est constitutus: secundò quia & mundum ad seruitium hominis Angeli administrant, & ipsius hominis pedibus à lapidum offendiculo præcauent. Tertiò quia si homo in lege & gratia Dei constans perseueranerit, quod noluit primus homo; etiam iuxta Paulum, vt alibi diximus, Angelos reprobos iudicabit, scilicet prima Cor. 6. 3. de quo* A *sic Augustin. in Psal. 86.* Ipse se iudicaturum dixit, S.Aug. non homines tantùm, sed & Angelos: Quos Angelos, nisi Apostatas Angelos? *Et in Psal.* S.Aug. 110. *in versum* opera manuum eius veritas & iudicium. Teneatur veritas ab iis qui iudicantur hîc. Iudicántur hîc Martyres, & ad iudicium perducuntur, qui non solùm eos à quibus iudicati sunt; sed etiam Angelos diiudicent aduersus quos eis erat colluctatio, etiam cũ ab hominibus iudicari viderentur; *quia malis Angelis instigantibus, Præfecti Tyrannorum, eos torquebant.* Nec separaret eos à Christo tribulatio, angustia, fames, nuditas, gladius. *Addit & Paulus Rom. 8. 38.* Certus sum enim quia neque mors neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, &c. *In quem locum Aug. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 11.* Non separat Angelus: non enim S.Aug. est Angelus cùm inhæremus Deo, nostrâ mente potentior: non separat virtus; nam si virtus hîc illa nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhærens Deo.

HOMO IMAGO DEI EST.

2. Homo quàm bonus, ex materia, forma, cæterisque bonis: Imago Dei est, non iussu, sed manu facta; cui omnia mundi bona parata sunt. 2. Cont. Marc. cap. 4. in m.

INterim mundus ex bonis omnibus constitit, satis præmonstrans quantum boni pararetur illi, cui præparabatur hoc totum. Quis denique dignus incolere Dei opera, quàm ipsius imago & similitudo? Eam quoque bonitas & quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso [a] *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Bonitas dixit, [a] Gen.1.26. bonitas finxit hominem de limo, in tantam substantiam carnis ex vna materia tot qualitatibus exstructam. Bonitas inflauit animam, non mortuam, sed viuam. Bonitas præfecit vniuersis fruendis atque regnandis, etiam cognominandis. Bonitas amplius delicias adiecit homini, vt quamquam totius orbis possidens, in amœnioribus moraretur, tranflatus in paradisum, iàm tunc de mundo in Ecclesiam. Eadem bonitas & Gen. 2. 8. adiutorium prospexit, ne quid non boni: [b] *Non est enim*, inquit, *bonum, solum esse hominem.* [b] Gen. 2. 18. Sciebat illi sexum Mariæ, & deinceps Ecclesiæ profuturum.

HOMO IMAGO DEI EST. 1. SCHOL.

INTERIM MVNDVS, *&c. quidquid somniet Marcion, Deum nostrum Creatorem, esse malum Deum, malarum & corruptibilium & noxiarum creaturarum conditorem; non minus interea mundus ex omnibus bonis conflatus est*; Vidit enim cuncta quæ fecerat. & erant valde bona. PRÆMONSTRANS, *ante creationem hominis, cui Deus mundum totum per Verbum bonum factum bonum destinabat & dicabat, iuxta Psalmum 44. 1.* Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. *Quamquam hîc non significet*, dico; dedico, *sed simpliciter vt Græcum sonat*, loquor. *Loquitur pater Verbum eructans, & ex plenitudine bonitatis foras per Verbum ex nihilo producens creaturas bonas. Sed cui tandem Regi, cuius Regis vsui & dominio eas dicit & dicendo dicat, & destinat, nisi homini quem & ad suam, & Verbi sui, qui est* Rex Regum & Dominus dominantium, *imaginem & similitudinem vtique Regiam, maiori præ cæteris creaturis, & operantiori bonitatis effectu, non iam verbo imperatiuo*, fiat, *sed blando*, faciamus; *nec verbo tantùm, sed & manu tractans latum, fecit Regem omnium rerum conditarum? Qui enim seruos fecerat alias creaturas, imperans iusserat, vt fierent, & prodirent vocata ex nihilo:* vocans generationes ab exordio, *cœli scilicet & terræ*, vocans ea, quæ

B non sunt tanquam ea quæ sunt. 70. *sic habent, λέγω ἐγὼ τὰ ἔργα μου τῷ βασιλεῖ. Augustinus in* S.Aug. *Psal. 44. per hunc Regem intelligit filium* intellexerunt quidam Patris personam dicentis, Eructauit cor meum, &c. commendantis nobis natiuitatem quandam ineffabilem, &c. *Tum subdit de Christo*, dictum est, magister bone, & dicit quid me interrogas de bono? Addidit etiam, nemo bonus, nisi vnus Deus. Quomodo ergo & ipse bonus, nisi quia Deus? non solum autem Deus, sed cum Patre vnus Deus. Non enim dicendo, nemo bonus, nisi vnus Deus, discreuit se, sed vniuit. Eructauit cor meum Verbum bonum. Dixerit hoc Deus Pater de Verbo suo bono, atque benefico bono nostro, per quod solum bonum vtique boni esse possumus; sequitur; dico ego opera mea Regi. Adhuc Pater loquitur. Si adhuc C Pater loquitur, quæramus & hoc quomodo secundum fidem veram & Catholicam intelligamus, dico ego opera mea Regi. Si enim Pater dicit opera sua filio suo Regi nostro, quæ opera Pater dicturus est filio, cum omnia opera Patris, per filium facta sint? An fortè; dico ego opera mea Regi, ipsum dico, generationem filij significat? *Sicut illud eiusdem Psalmi: Dixit Dominus Domino meo*, quid est enim dico? Verbum profero, & vnde profert Deus

Verbum niſi ex corde ſuo, & intimo ſuo? &c. quare ergo, opera mea dico? Quia in ipſo Verbo omnia opera Dei. Quidquid enim facturus erat Deus in creatura, iam in Verbo erat. Nec eſſet in rebus, niſi eſſet in Verbo: quomodo & in re non eſſet fabrica, niſi eſſet in conſilio. Sicut in Euangelio dicitur quod factum eſt in illo, vita erat. Erat ergo quod factum eſt, ſed in Verbo erat, & omnia opera Dei ibi erant, & opera nondum erant. *Exiſtentia in ſe.* Sed Verbum erat, & Verbum hoc erat Deus, & apud Deum erat, & filius Dei erat, & cum Patre vnus Deus erat.

Quod autem Tert. dixerat, mundus ex bonis omnibus conſtitit. *Sic ibid. deſcribit Auguſtinus.* Si per S.Aug. Verbum omnia, & Verbum de Deo, inſpice fabricam factam per Verbum; & exiſto ædificio mirare conſilium. Quale Verbum eſt, per quod factum eſt cœlum & terra, & omnis ornatus cœli, omnis fœcunditas terræ, diffuſio maris, diſtenſio aëris, fulgor ſyderum, claritas ſolis & lunæ: Videntur hæc. Tranſcende & hæc, cogita Angulos, principatus, ſedes *thronos intelligit*, dominationes, poteſtates, omnia per ipſum facta ſunt. Vnde ergo iſta bona facta ſunt? Quia creata tum eſt per quod fierent, Verbum bonum. Ergo Verbum bonum; & ipſi Verbo dictum eſt magiſter bone. Et ipſum Verbum reſpondit: quid me interrogas de bono? *Potens equidem telum, & ſagitta Auguſtini potentis acuta, in corda inimicorum Regis, Dei ſcilicet Creatoris, & ipſius hominis, vere imaginis Regis; quem Miſantropi Marcionitæ, vt inimici domeſtici eius blaſphemando depretiant, opus, & opificem malum dictitando.* IN TANTAM SVBSTANTIAM *tam excellentem, tot elementorum qualitatibus, tot neruis, muſculis, venis, arteriis oſſibus, ſenſibus, facultatibus, forma, decore, ex vna limi materia conſtructis.* INFLAVIT, *inſufflauit.* FRVENDIS, *impropriè, quaſi vſufructu vniuerſorum accepto; cùm ex Auguſtino frequenter:* vti fruendis, & frui vtendis, maxima ſit abuſio. *Solo enim Deo fruimur, cæteris vtimur.* REGNANDIS, *cùm dixit, dominamini.* COGNOMINANDIS. *Dum Gen. 2. 19.* formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis ipſum eſt nomen eius. Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ. DELICIAS ADIECIT: *Gen. 2. 8.* Plantauerat Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, 70. *in eadem ad Orientem*, in quo poſuit hominem quem formauerat. 70. *verò, limum reſpiciunt, quo formatus eſt; & habent*: quem plaſmauerat. IAM TVNC. *Figurans ſcilicet in Paradiſo Eccleſiam, vt alibi ex Auguſtino diximus; ſicut & de Sacramento quod ſubijcit, tàm Verbi cum carne ex Mariâ ſumpta, quàm ejuſdem Verbi Incarnati cum Eccleſia.* ADIVTORIVM PROSPEXIT *prouidit vxorem Euam.* NE QVID NON BONI, *vt diſcat Marcion Deum Creatorem*, bonũ ex integra cauſa, *id eſt omni ex parte cauſam omnis boni.* SCIEBAT ILLI, *Adamo, adjutricem fore, & mediatricem, ad ſalutem, Mariam ejuſdem ſexus cum Euâ ſuâ, mediatrice ruinæ, & toti Eccleſiæ, cui genuit ſponſum nouum Adam, nouo modo, omnia noua facientem, fœmina circumdante virum delatere, id eſt vtero fœminæ progreſſurum* tanquam ſponſum de thalamo ſuo. *De homine facto ad imaginem, ſeorſum, licet eodem die, ſed diuerſo ordine & forma loquendi, ita Aug. to. 3. lib. de Gen. ad lit. imperfect. c. 16.* Dixit Deus; faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem Aug. noſtram. Et hîc animaduertenda quædam coniunctio & diſcretio animantium. Nam eodem die factum hominem quo beſtias: ſunt enim ſimul, *quoad corpus*, omnia terrena animantia, & tamen propter excellentiam rationis, ſecundum quam ad imaginem Dei & ſimilitudinem efficitur homo, ſeparatim de illo dicitur, poſtquam de cæteris terrenis animantibus ſolitè concluſum eſt, dicendo, & vidit Deus quia bonum eſt. Conſiderandum etiam illud quod in cæteris, non dixit Deus, faciamus: vt hoc quoque modo voluerit Spiritus Sanctus humanæ naturæ inſinuare præſtantiam. *Quaſcilicet, non iuſſu, vt cætera creata, ſeruituti ſubjecta, ſed conſilio Trinitatis collecto, rex omnium & Imago ſummi Regis faciendа erat.*

2. Homo ad imaginem filij Dei factus eſt, qui homo futurus erat. Cont. Prax. cap. 12. à p.

Gen. 1. 27. ET *fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum.* Cur non, ſuam, ſi vnus qui faciebat? & non erat ad cuius faciebat? Erat autem ad cuius imaginem faciebat: ad filii ſcilicet, qui homo futurus certior & verior, imaginem ſuam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habebat, imago veri & ſimilitudo.

3. Et de reſur. cap. 6. à p.

REcogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientia, prouidentia, & ipſa in primis adfectione, quæ liniamenta ducebat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & caro
a Gen. 1. 26. Sermo, quod & terra tunc. Sic enim præfatio patris ad filium, a *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et fecit hominem Deus.* id vtique quod finxit *ad imaginem Dei fecit*
b Philip. 2. 6 *illum*, ſcilicet Chriſti. Et Sermo enim Deus, b *qui in effigie Dei conſtitutus non rapinam exiſtimauit pariari Deo.* Ita limus ille iam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, ſed & pignus.

HOMO IMAGO DEI EST, II. III. SCHOL.

AD IMAGINEM DEI, *Gen. 1. 27.* Et creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creauit illũ, 70. *Secutus eſt Author.* CVR NON SVAM. *Pulchrè & docte contra Praxeam perſonas confundentem in vnam. Dicit ergo, non fruſtra dictum,* ad imaginem Dei, *ſcilicet, filii, qui eſt imago Patris, referens Patrem natura identitate, relatus ad Patrem, diuerſitate perſonæ, non autem dixit,* Ad ſuam, *ſcilicet perſonam propriam reſtringendo, quia pater erat vnus qui faciebat, & filius alter à patre perſonâ, vnus cum patre ſubſtantiâ; ad cujus imaginem faciebat hominem.* CERTIOR ET VERIOR. *hic aduerte inſinuatum errorem Authoris.*

ani in veteri teſtamento dixit filium in vera, licet nondum nata carne apparuiſſe, vnde incarnandum dixit futurum hominem verorem & tertiorem. Vel quòd abſolutè loquendo, nullus homo tot probationibus ſe conuincere deberet certum & verum hominem, vigore rationis & ſapientiæ, & veritate carnis infirma & paſſibilis, quam futurum erat Chriſtum. Vel denique quòd cum ipſum exemplar, ſit certa, & vera regula rei factæ ad exemplum, Deus autem pater immo ob opus indiuiſum ad extra, Trinitas, in formando homine de limo, coram oculis haberet pro imagine vera & ſimilitudine Adæ faciendi, Chriſtum futurum hominem; qui quidem vt Verbum, vt Deus, vt Dei filius, imago patris eſt & figura ſubſtantiæ ejus, & propter identitatem ſuppoſiti, totus Chriſtus verè dicitur, & eſt, imago Dei; ad imaginem & ſimilitudinem Dei, id eſt Chriſti, ſecundum animam & corpus fecit primum hominem. Quod probant ſequentia numero tertio relata, recogita totum, &c. *quod alibi iam expoſitum prætereo, contentus vno Auguſtini loco. Aug. to. 3. lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 22. vbi non in corpore, ſed in mente imaginem Dei ponit:* Nos qui fruimur & vtimur alijs rebus, Aug. res aliquæ ſumus. Magna enim quædam res eſt homo factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, non in quantum mortali corpore includitur, ſed in quantum beſtias rationalis animæ honore præcellit. *Et to. 1. lib. 1. de Gen. contra Manich. c. 17.* Iſtam maxi- C mè quæſtionem ſolent Manichæi loquaciter agitare Aug. & inſultare nobis, quòd hominem credamus factum ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Attendunt enim figuram corporis noſtri, & infœliciter quærunt, vtrum habeat Deus nares, & dentes, & barbam, & membra etiam interiora, & cætera quæ in nobis ſunt neceſſaria. In Deo autem talia ridiculum eſt, imò impium credere, & ideo negant, hominem factum eſſe ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Quibus reſpondemus, membra quidem iſta in ſcripturis plerumque nominari, cùm Deus inſinuatur audientibus paruulis, & hoc non ſolum in veteris teſtamentilibris, ſed etiam in noui, &c. Sed omnes qui D ſpiritaliter intelligunt non membra corporea per iſta nomina, ſed ſpiritales potentias accipere didicerunt, ſicut galeas & ſcutum & gladium, &c. Epheſ. 6. &c. & quòd homo ad imaginem Dei factus dicitur, ſecundum interiorem hominem dici, vbi eſt ratio, & intellectus; vnde etiam habet poteſtatem piſcium maris, &c. cùm enim dixiſſet, faciamus hominem, &c. addidit continuò, & habeat poteſtatem piſcium maris, & volatilium cæli, &c. vt intelligeremus non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, ſed propter eam poteſtatem, *facultatem potentiam rationis*, qua omnia pecora ſuperat, &c. Quamuis etiam corpus noſtrum ſic fabricatum ſit, vt indicet nos meliores eſſe quam beſtias, & propterea Deo ſimiles, &c. Quo ſignificatur etiam animum noſtrum in ſuperna, id eſt in æterna ſpiritalia erectum eſſe debere; ita intelligitur per animum maximè atteſtante etiam erectâ corporis formâ, homo factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei.

Et quoniam Tertull. ob Chriſti humanitatem, ideam Patris, dum corpus hominis de luto formaret, vult etiam factum hominem ad imaginem Dei, hoc eſt ad ſimilitudinem Chriſti qui eſt Filius Dei, de vtraque imagine per Chriſtum in homine reformata doctè & ſubtiliter Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. cap. 2. vbi de Deo loquente hominis ſic fatur. Ad illud hominis ita loquitur, quod S. Aug. in homine cæteris quibus homo conſtat, eſt melius & quo ipſe Deus ſolus eſt melior. *Vbi inſinuat, nec Angelum anima rationali eſſe meliorem cùm Dei ſermonis, & Verbi ipſius incarnati ſit capax.* Cùm enim homo rectiſſimè intelligatur, vel ſi hoc non poteſt, ſaltem credatur factus ad imaginem Dei: profectò ea ſui parte eſt propinquior ſuperiori Deo, quia ſuperat inferiores partes ſuas, quas etiam cum pecoribus communes habet. Sed quia ipſa mens, cui ratio & intelligentia naturaliter ineſt, vitijs quibuſdam tenebroſis & veteribus imalida eſt, non ſolum ad inhærendum fruendo, *ſummo ſcilicet bono*, verùm etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renouata atque ſanata, fiat tantæ fœlicitatis capax: fide primum fuerat imbuenda atque purganda. In qua vt fidentius ambularet ad veritatem, ipſa veritas Deus, Dei filius, homine aſſumpto, non tamen Deo conſumpto eandem conſtituit atque fundauit fidem, vt ad Deum iter eſſet homini, per hominem. Hic eſt enim mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Per hoc enim mediator, per quod & homo; per hoc & via. Quia ſi inter eum qui tendit, & illud quò tendit via media eſt, ſpes eſt perueniendi. Si autem deſit, aut ignoretur, quà eundum ſit, quid prodeſt noſſe quò eundum ſit? Sola eſt autem aduerſus omnes errores via munitiſſima, vt idem ipſe ſit Deus & homo; quò itur, Deus: quà itur, homo.

4. *Ad imaginem ſuam Deus faciens hominem, non dixit Angelis, faciamus hominem, &c. Cont. Prax. cap. 12. in p. ad m.*

SI te adhuc numerus ſcandalizat Trinitatis, quaſi non connexæ in vnitate ſimplici, interrogo quomodo vnicus & ſingularis pluraliter loquitur? [a] *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; cùm debuerit dixiſſe, Faciam hominem ad imaginem & ſimilitudinem meam; vt pote vnicus & ſingularis. Sed & in ſequentibus, [b] *Ecce Adam factus eſt tanquam vnus ex nobis.* fallit, aut ludit; vt cùm vnus, & ſolus, & ſingularis eſſet, numerosè loqueretur: aut nunquid angelis loquebatur, vt Iudæi interpretantur, quia nec ipſi filium agnoſcunt; an quia ipſe erat pater, filius, ſpiritus, ideo pluralem ſe præſtans, pluraliter ſibi loquebatur? Immo quia iam adhærebat illi filius, ſecunda perſona, Sermo ipſius; & tertia, Spiritus in Sermone, ideo pluraliter pronuntiauit, Faciamus, &, Noſtram, &, Nobis. Cum quibus enim faciebat hominem, & quibus faciebat ſimilem? cum filio quidem, qui erat induturus hominem; ſpiritu verò, qui erat ſanctificaturus hominem, quaſi cum miniſtris & arbitris, ex vnitate Trinitatis loquebatur.

[a] Gen. 1. 26.

[b] Gen. 3. 22.

HOMO IMAGO DEI. IV. SCHOL.

NVMERVS, *perſonarum.* SCANDALIZAT, *vt te in errorem inducat & lapidem offenſionis ponat circa fidem vnius Dei.* IN VNITATE *vnius ſimplicis* E *eſſentiæ diuinæ.* NVMEROSE, *quaſi numerus eſſet perſonarum, vt eſt de facto.* NVMQVID ANGELIS. *Plato in Timæo, Philo de Opif. ſex dierum, & Iudæi, volunt*

Deum hîc locutum Angelis, quod tanquam impium respuunt Basil. Chrysost. Theod. & Aug. lib. 16. de Civit. cap. 6. Poterat & illud quando factus est homo, S.Aug. de Angelis intelligi, quod dictum est, faciamus hominem, quia non dixit, faciam: sed quia sequitur ad imaginem nostram, nefas est credere ad imaginem Angelorum hominem factum, aut eandem esse imaginem Angelorum & Dei. Et ideo rectè illic intelligitur pluralitas Trinitatis. Quæ tamen Trinitas, quia vnus est Deus, etiam cum dixisset, faciamus: & fecit, inquit, Deus hominem ad imaginem Dei: non dixit, fecerunt dii, aut ad imaginem Deorum. S.Aug. *Et to. 3. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 19.* Non indifferenter accipiendum, quod in aliis operibus dicitur, dixit Deus, fiat, *quia alia opera non erant ad imaginem Dei, nec regia opera, sed serua, voce imperatiua prodire de nihilo iussa,* hîc autem dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem, &c. ad insinuandum scilicet, vt ita dicam, pluralitatem personarum, propter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Quam tamen deitatis vnitatem intelligendam statim admonet dicens, & fecit Deus hominem ad imaginem Dei: non quasi Pater ad imaginem Filij, aut Filius ad imaginem Patris, alioqui non verè dictum est, ad imaginem nostram, si ad Patris solius, *in quantum Pater est omnino alius a filio,* aut Filij solius imaginem factus est homo: sed ita dictum est, fecit Deus ad imaginem Dei, tanquam diceretur: fecit Deus ad imaginem suam. Cum autem nunc dicitur, ad imaginem Dei, cum superius dictum sit, ad imaginem nostram; significatur, quòd non id agat illa pluritas personarum, vt plures Deos, vel dicamus, vel credamus, vel intelligamus: sed Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, propter quam Trinitatem dictum est, ad imaginem nostram, vnum accipiamus Deum, propter quod dictum est ad imaginem Dei. NEC IPSI FILIVM AGNOSCVNT. *Non hoc absolutè dicit, cum Iudæos sciat tres personas agnouisse, & Rabinis expresse in illud trisagion Esa. 6. 3.* Clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. *quo ex loco non solùm Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 23. Naz. orat. in Pasch. Hiero. & alij, sed & Rabi Simeon filius Ioai*; Sanctus, inquit, hic est Pater, Sanctus hic est filius, Sanctus, hic est Spiritus Sanctus. *Hæc ex Galatino retuli lib. 2. de Arcan. cap. 1. vbi addit Rabinos sanxisse saltem bis in die, in ortu & occasu Solis, tam præfata verba, quàm ista Deut. 6. 4.* Audi Israël, Deus Deus noster, Deus vnus est *ab Hebræis recitari. Quin & Genebrardus in fine libri primi Chronol. citat antiquum Rabinum R. Ibba qui dicit, hos tres* Sanctus, *vocari alibi tria specula, tria luminaria, tres supremos Patres, principio & fine carentes: alibi dici coronam, sapientiam & intelligentiam, alibi tria* Iod *significantia tres*, Iehoua, *id est tres personas diuinas. Non ergo Iudæi Filium negant, sed non agnoscunt hîc Patrem Filio locutum, sed Angelis.* ADHÆREBAT ILLI, *in vnitate essentiæ.* SPIRITVS IN SERMONE. *Vel quia Spiritus, Patrem & Filium pro vnico habet principio; vel quia Pater, in Filio, & Spiritus Sancto est, identitate essentiæ.* COMMINISTRIS. *Non hîc inferiores personas vult intelligi, sed cooperantes in opere ad extra.* ARBITRIS, *quia simul cum Patre iudicabant & videbant quod vnus ex ipsis induturus esset hominem, & videbant secundum mentem Tertulliani, numero 2. & 3. expositum; Adam similem factum, tanquam vnam ex tribus personis, scilicet tanquam Filium, dum ejus humanitatem assumendam à Verbo, pro idea & causa exemplari Trinitas haberet præoculu.* EX VNITATE. *Quia vna erat operatio & indistincta Trinitatis, tam loquendo, quàm faciendo, quamuis secunda tantum persona futura esset homo.*

5. *Homo imago & nummus Dei, Deo reddendus, vt Cæsari nummus. De Idol. cap. 15. à p.*

a Matth. 22. 21. Luc. 20. 25. Ibid. *Reddenda*[a] *sunt Cæsari quæ sunt Cæsaris*, bene quod apposuit, *& quæ sunt Dei Deo.* Quæ ergo sunt Cæsaris? scilicet de quibus tunc consultatio mouebatur, *præstandane esset census Cæsari, an non.* Ideo & monetam ostendi sibi Dominus postulauit, & de imagine cuius esset requisiuit: & cum audisset, Cæsaris: *Reddite*, ait, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo:* id est imaginem Cæsaris Cæsari, quæ in nummo est; & imaginem Dei Deo, quæ in homine est: vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum. Alioquin, quid erit Dei, si omnia Cæsaris?

6. *Et 4. Cont. Marc. cap. 38. à p.*

a Matth. 22. 21. Luc. 20. 25. *Reddite*[a] *quæ Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quæ erunt Dei? quæ similia sunt denario Cæsaris, imago scilicet & similitudo eius. Hominem igitur reddi iubet Creatori, in cuius imagine & similitudine & nomine & materia expressus est. Quærat sibi monetam Deus Marcionis. Christus denarium hominis suo Cæsari iubet reddi, non alieno; nisi quod necesse est qui suum denarium non habet.

HOMO IMAGO DEI. V. ET VI. SCHOL.

REDDENDA SVNT CÆSARI. *Id sibi obiecit ex parte quorundam Christianorum, qui Gentilium solemnitates in honorem Imperatorum, in multis idololatriam sapientes, sibi licere contendebant, ex dictis Christi, iubentis:* reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c. *quibus scitè respondet id verum esse, quoties, vt tunc agetur de tributo reddendo, & numismate censûs, imagine Cæsaris insignito. Imò & quoties honor Imperatorius, non aduersabitur summi omnium principis Dei cultui,* per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. *Alias audiendus Petrus, dicens,* melius est obedire Deo, quàm hominibus. *Et Christus ipse:* Nemo potest duobus Dominis seruire. *Quod si applicat auaritiæ & cupiditati, qua est Idololatria latè sumpta & impropriè, quantò magis dicendum est de ipsa idololatria strictè sumpta, de qua hic agit Tertullianus, Augustinus autem to. 7 lib. 1. cont. Cresconium Grammat. cap. 17. & 18. acutè respondens sibi Dialecticam obycienti Grammatico, Christum hoc loco docuisse doctores uti Dialectica, ad captiosos aduersarios capiendos, sicut hîc vetitur Tertull. contra frigidos Christianos, in Idololatriam respectu Cæsaris declinantes & cauillantes huius prætextu textus.* Cùmquisque suis responsionibus vincitur, & si malè respondit, Aug.

non habet quod imputet diſputatori, ſed ſibi: & ſi benè reſpondit, *id eſt verè, contra ſeipſum tamen, & priorem ſuam ſententiam*; reſpondit, erubeſcit vlterius reſiſtere, non iam diſputatori, ſed ſibi. In quo genere cùm Dominus aduerſus Iudæos crebrò ageret, eoſque illorum reſponſionibus captos, concluſoſque conuinceret, non vos audierant, nec à vobis *Donatiſtæ conuiciorum magiſtris*, conuitiari didicerant. Nam libentius & inuidioſius eum fortaſſe Dialecticum quàm Samaritanum appellarent. Quomodo enim putas eos contortos atque confuſos, cùm volentes eum capere in verbo, priùs interrogauerunt, vtrum liceret tributum reddere Cæſari, bicipiti videlicet complexione inſidiantes, vt quodlibet, eligens caperetur? Si licere reſponderet; tanquam reus eſſet aduerſus populum Dei. *Qui ſe liberum ab omni tributo credebat.* Si autem diceret non licere, tanquam Cæſaris aduerſarius perimeretur: vbi ille nummum ſibi popoſcit oſtendi: & interrogauit cuius haberet imaginem & inſcriptionem. At illi cum reſpondiſſent, Cæſaris: aperta enim veritas hoc eos reſpondere cogebat, continuò Dominus eorum reſponſione colligatos ac captos trahens: reddite, inquit, Cæſari, &c. Obſecro te, illine fuerunt Dialectici, qui prætenſis interrogationis inſidiis decipiendo ſuperare moliti ſunt: An ille potius qui ex hoc ipſo quod interrogauerunt, veram eorum reſponſionem, prudentiâ interrogationis eliciens, illud verum quod ab eo putabant periculosè dici, ipſos compulit confiteri? &c. Cur ſibi nummum demonſtrari flagitauit, vt ſententiam ſuam veracem exprimeret etiam de ore fallacium, ac non potius ait: abſcedite, neque enim loquendum eſt vobiſcum qui captioſas interrogationes proponitis, qui dialecticè mecum agere vultis? *hoc eſt diſputare ſubtiliter*, nihil tale dixit, nec aduerſus captioſos interrogatores, & verborum noſtrorum callidos captatores, exemplum tale nobis propoſuit, ſed vt eos potius etiam veritatis inimicos, vigilanti interrogatione, & inuictâ ratione, teſtimonium veritati perhibere coganus. Hoc nobis faciant veſtri, ſi nos malitioſi, & dialectici ſumus. *id eſt conuincant nos, vt Chriſtus conuicit Iudæos.* An ſe timere indicant, ne hoc eis nos potius faciamus? ſi autem Chriſtum dixeris dialecticum, laudabis dialecticam, quam mihi pro crimine obiecteras. *Viden vt eodem loco Auguſtinus ſuos, ſicut & Tertullianus ſui temporis conuincit aduerſarios.* SI OMNIA CÆSARIS. *Si & cultum Deo ſoli debitum transferas ad ſolemnia Cæſaris feſta, Gentilium ritu colenda, & animam tuam & corpus, & ipſum totum Dei imagine inſignitum, quaſi ſpolium & trophæũ diaboli curruí triumphandum, & abducendum tradas: quid Deo ſupererit, quod reddas?*

6. REDDI IVBET CREATORI. *Benè contra Marcionem, qui hominem opus Creatoris, & ex materia & forma, & anima, & corpore, & nomine, hoc eſt debito, vel etiam ob ipſum nomen hominis derivatum ab humo ſiue limo à Deo creato, vult eripere.* QVÆRAT SIBI, &c. *Otioſus ille Deus Marcionis, qui nec materiam monetæ condidit.* SVO CÆSARI, cuius cor in manu eius, & poteſtas, & imperium. NON ALIENO. *Nullus enim Rex ab alio factus eſt, quàm ab eo, qui non ſolùm ſuperhomines Reges, ſed inſuper,* & Rex magnus eſt ſuper omnes Deos. *Chriſtus igitur & hominibus ſuis, & Cæſari à ſe Imperatori creato, & proinde maximè ſuo, & non alieno, à Patre ſuo Creatore noſtro facto, iubet reddi denarium.* NISI QVOD NECESSE EST, &c. *ſupple ei Deo, nempe Marcionis, de quo ſupra dixerat:* quærat ſibi monetam Deus Marcionis. *Senſus igitur eſt, quod Chriſtus hoc reſponſo ſe probet filium Dei*

A *Creatoris, cujus hominem, vt pote ab eo creatum ad imaginem ſuam, vult reddi quod ejus eſt, ſicut & Cæſari facto Regi à ſummo Rege Creatore, vult reddi ſuum etiam denarium, cujus & ipſam materiam fecit, iuxta illud Aggæi 2. meum eſt aurum, & meum eſt argentum. Carpit autem Matthæus Deum, qui cùm proprium denarium non habeat, vt nec hominem, nec Regem, adeò pauper & mendicus eſt, vt neceſſe ſit ei aliquid dare, qui nihil prorſus habet. Vnde ſi Marcion velit hoc loco Lucæ 20. 25. Deum ſuum nouum intelligere dum Chriſtus dixit, reddenda eſſe Deo quæ ſunt Dei; profectò nihil ei reddendum erit, cujus nihil eſt, & qui nihil dedit, vt poſſit & redd.. Vnde germanus ſenſus obſcuri loci eſt; vt ironicè dictum accipias,* niſi forte neceſſe ſit & Deo reddere qui ſuum denarium, hoc eſt hominem imagine ſua inſignitum non habet. *Auguſtinus autem in* S. Aug.

B *Pſal. 4. in verſum,* ſignatum eſt in nobis lumen vultus tui Domine, hoc lumen, inquit, eſt totum hominis & verum bonum, quod non oculis, ſed mente conſpicitur. Signatum autem dixit in nobis tanquam denarius ſignatur Regis imagine. Homo enim factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quam peccando corrupit. Bonum ergo eius eſt verum atque æternum, ſi renaſcendo ſignetur. *Et ſicut naſcendo, factus eſt homo Dei Imago per naturam, ſic renaſcendo fiat ſimilitudo per gratiam, & ex unctione à Chriſto Chriſtianus nominetur.* Et ad hoc credo pertinere quod quidam prudenter intelligunt illud quod Dominus viſo Cæſaris nummo ait, reddite

C Cæſari, &c. tanquam ſi diceret: quemadmodum Cæſar à vobis exigit impreſſionem imaginis ſuæ, ſic & Deus. Vt quemadmodum illi redditus nummus, ſic Deo anima lumine vultus eius illuſtrata atque ſignata. *Et in Pſal. 70.* Nouit Deus quod creat, & S. Aug. quale ſit per eius bonitatem, & quale futurum ſit per propriam voluntatem. Nouit Deus & ordinauit omnia. Vt autem homo ſit aliquid, conuertit ſe ad illum à quo creatus eſt. Recedendo enim frigeſcit, accedendo ferueſcit: recedendo tenebreſcit, accedendo clareſcit. *Vt ſignatum lumen reformetur, vt prodigus, cujus ſubdit exemplum, à regione longinqua, reuerſus honori redditus eſt.* Ergo quiſquis vult eſſe

D ſimilis Deo, vt ad illum ſtet, fortitudinemque ſuam, ſicut ſcriptum eſt, ad illum cuſtodiat, non ab illo recedat *ei ſe reddat vt nummum, & ad ſimilitudinem redeat.* ei cohærendo ſignetur, tanquam ex annulo cera, illi affixus habeat imaginem eius: faciens quod dictum eſt, mihi adhærere Deo bonum eſt, verè cuſtodit ſimilitudinem & imaginem ad quam factus eſt. Porro autem ſi peruersè voluerit imitari Deum, *imago enim ab imitando dicta*; vt quomodo Deus non habet à quo formetur, non habet à quo regatur, ſic ipſe velit ſua poteſtate vti; *ſibi ipſi Rex eſſe, ad ſeipſum & propriam excellentiam omnia quaſi debita referre, & reddere tanquam Cæſari, quaſi Cæſaris eſſent;*

E vt quomodo Deus, nullo formante, *ſignante imaginem in denario*, nullo regente viuat: quid reſtat fratres, niſi vt recedens ab eius calore torpeſcat, recedens à veritate, vaneſcat, recedens ab eo quod ſummè atque incomparabiliter eſt, in deterius mutatus deficiat? hoc diabolus fecit, imitari Deum voluit, ſed peruersè: non eſſe ſub illius poteſtate, ſed habere contra illum poteſtatem.

Et ibid. ſupra ſic inducit Adamum ſuperbiâ lapſum a luce & decore imaginis per ſuperbiam: Cui benè erat ſub Rege bono *numiſma cenſus, in integra libertate,* S. Aug. *reddendo Cæſari vero, & Regum maximo reddendo meipſum,* captiuus factus ſum ſub meo ſeductore: & clamo ad te, quia cecidi abs te, *& à vetitâ arbore, ſignata & ſculpta imago, grauí lapſu colliſa diſrupta eſt,*

donec in rota Crucis, figulus Chriſtus, ſepultus in agro figuli, imaginem repararet. Et vnde abs te cecidi? Cum quæro eſſe peruersè similis tibi. Quid enim? Deus nonne ad ſuam ſimilitudinem nos vocat. Nonne ipſe eſt qui dicit, diligite inimicos veſtros, &c. hæc dicens ad ſimilitudinem Dei nos hortatur. Denique quid adiungit? vt ſitis, inquit, filii Patris veſtri, &c. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater, &c.* quid enim ipſe facit? hoc facit certè, qui ſolem ſuum oriri facit, &c. qui enim benè vult inimico ſuo, Deo ſimilis eſt. Nec iſta ſuperbia, ſed obedientia eſt. Quare? quia ad imaginem Dei facti ſumus. *Non ſolum ex anima rationali creati ſimiles, hoc eſt ſpiritus, intelligentes, immortales; ſed nota illud, τὸ, ad imaginem, id eſt hoc ſine, ad hunc finem, vt Dei benignitatem imitemur.* Faciamus, inquit, hominem, &c. non ergo aliquid alienum eſt, ſi imaginem Dei tenemus in nobis: vtinam eam per ſuperbiam non amittamus Sed quid **B** eſt per ſuperbiam? Velle eſſe ſimilis Deo. *Subaudi peruersè per independentiam. Aduerte Auguſtinum hæc ſcribere in verſum.* Domine ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura eſt, potentiam tuam & iuſtitiam vſque in altiſſima quæ feciſti magnalia; Deus quis ſimilis tibi. *Similis certè homo humili Chriſto, benigno Chriſto, imagini Patris Chriſto, da benefacit inimico; cui ſimilis erit & in cœleſti regno. Eſt & alia via reformãdæ & ſignandæ imaginis peccato deturpatæ; per confeſſionem peccatũ enim Deo diſplicet, quod ipſe quærit & accuſat, & damnat, ſicut Adam lapſũ, dicendo,* Adam vbi es? *Ille in regione diſſimilitudinis, etiam ſuperbè excuſans, quod ſuperbè commiſit, Deo ſimilis eſſe volens per ſcientiam, ſimilis factus jumentis inſipientibus, per inobedientiam ignorantiæ punitam. Ac ne longius abeam, ſic* **A** *Aug. in Pſal. 75. in verſum* Notus in Iudæa Deus, *id eſt, vt exponit in confeſſione,* in Iſraël magnum nomen eius, *id eſt in viſione Dei.* Iudæa, inquit, confeſſio interpretatur, Iſraël videns Deum, poſt Iudæam, Iſraël, ſic hic poſitum eſt, notus in Iudæa Deus, &c. Deum vis videre, prius confitere tu, & ſic in teipſo fit locus Dei, quia factus eſt in pace locus eius. Quandiu enim non confiteris peccata tua, quodammodo rixaris cum Deo. Quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi diſplicet, laudas? punit ille furem, tu laudas furtum; punit ille ebrioſum, tu laudas ebrioſitatem. Litigas cum Deo, non feciſti illi locum in corde tuo, quia factus eſt in pace locus eius. Et quomodo incipis pacem habere cum Deo: incipis illi in confeſſione. Pſalmi vox eſt dicentis: incipite Domino in confeſſione, &c. Incipite adiungi Deo. Quomodo? vt hoc vobis diſplicet, quod & illi diſplicet, &c. factus enim es ô homo ad imaginem Dei: per vitam verò peruerſam & malam, perturbaſti in te, & exterminaſti in te imaginem conditoris tui. Factus diſſimilis, attendis in te, & diſplices tibi: tam ex eo cœpiſti ſimilis fieri, quia hoc in te tibi diſplicet, quòd diſplicet Deo, &c. *Alibi dixit:* **Aug.** incipis confiteri; à confeſſione incipis decorari: confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius: deformis eras, confitere vt ſis pulcher, confeſſionem & decorem induiſti, incipis in confeſſione, perficieris in pace, *quando abſorpta erit mors in victoriam. In Ieruſalem pacis, vbi iam nulla luctus, vel pugna.*

HOMO INTERIOR ET EXTERIOR, VETVS ET NOVVS, QVALIS.

1. Homo interior & exterior, quis à Paulo intelligatur renouari & corrumpi. De Reſur. cap. 40. V. Reſurrectionem negantes num. 9.

* *2. Et de Ani. cap. 9. citat ſ.*

HIc erit homo interior, alius exterior, dupliciter vnus: habens & ille oculos & aures ſuas, quibus populus Dominum audire & videre debuerat; habens & ceteros artus, per quos & in cogitatibus vtitur, & in ſomniis fungitur. Sic & diuiti apud
Luc. 16. 24. inferos lingua eſt, & pauperi digitus, & ſinus Abrahæ. Per has lineas & animæ Mar-
Apoc. 6. 9. tyrum ſub altari intelliguntur.

HOMO INTERIOR II. SCHOL.

HIC ERIT HOMO, *&c. per hominem interiorem, intelligit ſecundum errorem ſuum, effigiem & lineamenta, ac ſenſus animæ; per exteriorem corporis externi formam.* DVPLICITER VNVS. *Quia cum vnus idemque ſit homo, duplici conſtat forma & effigie, interiori, & exteriori.* DOMINVM AVDIRE. *Alij legunt:* Paulus Dominum audire. *Sed extra rem omnino, quamquam alibi Paulus de homine externo & interno loquatur. Sed carpit Iſraëlitas, cæcos & ſurdos toties in Scriptura notatos.* PER HAS LINEAS, *lineamenta*
S. Aug. *Auguſtinus to. 7. lib. 4. de Anima & eius origine ad Vincentium Victorem cap. 21. vbi ejus errorem arguit circa viſiones & ſomnia.* Non omnis ſimilitudo corporis corpus eſt; dormi, & videbis, ſed cum euigilaueris, vigilanter diſcerne quod videris. In ſomnis enim tibi velut corporeus apparebis; Neque id corpus tuum, ſed anima tua, nec verum corpus, ſed ſimilitudo corporis erit. Iacebit enim corpus tuum, ambulabit ipſa; ſilebit lingua corporis tui, loquetur illa, clauſi erunt oculi tui, videbit illa. Et vtique viuentia iacebunt tui corporis membra, non mortua.

C Ac per hoc nondum extracta eſt velut de vagina ſua, gelata illa forma, ſicut putas, animæ tuæ, & in ea tamen tota atque integra cernitur ſimilitudo carnis tuæ. Ex hoc genere ſimilitudinum corporalium, quæ non corpora *ſunt, & tamen,* ſicut corpora apparent, ſunt omnia quæ ſanctos libros legens in Propheticis etiam viſionibus non intelligis, quibus ſignificantur ea quæ geruntur in temporibus; vel præterito, vel futuro. Falleris autem in eis, non quia ſunt ipſa fallacia, ſed quia non ea ſicut accipienda ſunt, accipis. Vbi enim viſæ ſunt animæ Martyrum, *ſub altari ſcilicet, vt alibi vidimus*; in eadem reuelatione, viſus eſt agnus quaſi occiſus, habens cornua ſeptem. Ibi equi, aliaque animalia, ſicut opportuit, figurata. Ibi poſtremò & ſtellæ ceciderunt, & cœlum plicatum eſt vt liber, nec tamen tunc concidit mundus. Iſta itaque omnia ſi ſapienter accipimus, quamuis dicamus viſa veracia, non tamen vera dicimus corpora, *Vbi vides hunc Vincentium Tertullianiſtam fuiſſe, & cum Tertulliano effigiatam & corpoream animam credidiſſe. De homine verò, iuxta Paulum, intro-*

rieri, & exteriori, accipe Augustinum, to. 3. lib. 12. de Trinitate, cap. 1. Videamus vbi sit quasi quoddam hominis exterioris interioriſque confinium. Quidquid enim habemus in animo commune cum pecore, rectè adhuc dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus homo exterior deputabitur, sed adiunctà quadam vitâ suâ, compages corporis, & omnes sensus vigent, quibus instructus est ad exteriora sentienda: Quorum sensorum imagines infixæ in memoria cùm recordando reuisuntur, res adhuc agitur ad exteriorem hominem pertinens. Atque in his omnibus non distamus à pecore, nisi quòd figurâ corporis, non proni, sed erecti sumus. Qua in re admonemur ab eo qui nos fecit, ne meliore nostri parte, id est animo, similes pecoribus simus, à quibus corporis erectione distamus; non vt in ea quæ sublimia sunt in corporibus animum proiiciamus. *Sicut de carnali dicitur in scriptura; proiecit in terram intima sua.* Nam vel in talibus quietem voluntatis appetere, prosternere est animum. Sed sicut corpus ad ea quæ sunt excelsa corporum, id est ad cœlestia naturaliter erectum est: sic animus qui substantia spiritalis est, ad ea quæ sunt in spiritalibus excelsa erigendus est, non elatione superbiæ, sed pietate iustitiæ.

Aug.

Subtilius adhuc & deuotius. in Psal. 4. in versum; Dedisti lætitiam in cor meum. Non ergo, inquit, foris quærenda est lætitia, *in exteriori homine, & multiplicibus sensuum obiectis*, ab his qui adhuc graues corde diligunt vanitatem, & quærunt mendacium; sed intus, vbi signatum est lumen vultus Dei. *Vbi effigies animæ, vbi oculi, & aures, & lingua, vbi auditur quid loquatur intus Dominus, vbi gustatur & videtur quàm suauis est Dominus.* In interiore enim homine habitat Christus, vt ait Apostolus. Ephes. 3. ad ipsum enim pertinet videre veritatem, cùm ipse dixerit, ego sum veritas; & cùm loquebatur in Apostolo dicente, 2. Cor. 13. an vultis experimentum eius accipere qui in me loquitur Christus? Non foris vtique, sed in ipso corde, id est in illo cubili vbi orandum est, &c. *Cùm dixisset postea iuxta Psaltem, multiplicatos à fructu vel, vt ipse vertit; à tempore frumenti, &c. Nec homo exterior gustet panem vinum, Calicem inebriantem, & præclarum, oleum impinguans caput, sic concludit*: talis anima, inquit, temporalium bonorum decessione & successione, id est à tempore frumenti, vini & olei sui, innumerabilibus completa phantasmatibus sic multiplicata est, vt non possit agere quod præceptum est, sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Ista enim multiplicitas, illi simplicitati vehementer aduersa est: & ideo istis relictis, qui multi sunt, multiplicati scilicet temporalium cupiditate, *per sensus hominis exteriores accensa*, & dicunt, quis ostendit nobis bona, quæ non oculis foris, sed intus, *in abscondito & interiore cordis homine qui locuples est in cõspectu Dei, tanquam nihil habens creatum & externum, & omnia possidens in pace, in vno Deo, qui idipsum est omne & simplex bonum*; cordis simplicitate quærenda sunt, vir fidelis exultat & dicit: in pace in idipsum, &c. Singulares ergo & simplices id est secreti à multitudine, ac turba nascentium rerum ac morientium amatores æternitatis & vnitatis esse debemus, si vni Deo & Domino nostro cupimus inhærere, *secundùm scilicet interiorem hominem.*

S.Aug.

S.Aug.

3. *Homo vetus & nouus, quomodo intelligendus sit: & quomodo totus homo vetus peccato, nouus gratiâ fiat; cùm excepto Adamo in omnibus Anima & caro simul sint secundum natiuitatem. De Resur. cap. 45. per totum.*

RVrsus alia cæcitate in duos homines impingunt; in veterem, & in nouum; monente Apostolo, [a] *deponere nos veterem hominem, qui corrumpitur per concupiscentiam seductionis; renouari autem spiritu sensus, & induere nouum hominem, qui secundùm Deum conditus est, in iustitia, & religione veritatis*; vt & hic ad duas substantias distinguendo, vetustatem ad carnem, nouitatem ad animam, corruptionem perpetuam veteri defendat, id est carni. Porrò, si secundùm substantias, nec anima nouus homo, quia posterior; nec caro ideo vetus, quia prior. quantulum enim temporis inter manum Dei & adflatum? ausim dicere, etiamsi multò prior anima caro, eo ipso quod anima impleri se exspectauit, priorem eam fecit. Omnis enim consummatio atque perfectio, etsi ordine postumat, effectu tamen anticipat. Magis illud prius est, sine quo priora non possunt. Si caro vetus homo; quando istud? à primordio? atquin Adam nouus totus, & ex nouo vetus nemo. nam & exinde à benedictione genituræ, caro atque anima simul fiunt, sine calculo temporis; & quæ simul in vtero etiam seminantur, quod docuimus in commentario animæ, contemporant fœtu, coætant natu; duos istos homines sanè ex substantia duplici, non tamen & ætate, sic vnum edunt, dum prior neuter est. Citius est, totos nos aut veteres, aut nouos esse: quà enim alterum possimus esse, nescimus. Sed Apostolus veterem hominem manifestè notat: [b] *Expone enim*, inquit, secundùm pristinam conuersationem, *veterem hominem*, non secundùm alicuius substantiæ senium. Neque enim carnem præcipit deponamus, sed quæ & alibi carnalia ostendit; opera, non corpora accusans, de quibus & hic subiicit: [c] *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque ad proximum suum, quoniam membra alterutrum sumus.* [d] *Irascimini autem, & nolite delinquere.* [e] *Sol non occidat super iracundiam vestram. Neque dederitis locum diabolo.. Qui furabatur, iam non furetur, immo potius laboret operando manibus, vti habeat impartire indigenti.* [f] *Omnis sermo turpis non procedat ex ore vestro, sed qui sit optimus ad ædificationem fidei, vt gratiam audientibus præstet. Et nolite contristare Spiritum Dei sanctum, in quo signati estis, in redemptionis die. Omnis amaritudo, & ira, & clamor, & blasphemia, & indignatio auferatur à vobis, cum omni malitia. Estote autem in alterutrum benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus vobis donauit in*

[a] Ephes. 4. 22.
[b] Ephes. 4. 22.
Gal. 5. 19.
[c] Ephes. 4. 25.
[d] Psal. 4. 5.
[e] Ephes. 4. 27.
[f] ibid. 29. & seq.

Chriſto. Igitur qui carnem, veterem hominem exiſtimant, cur non mortem ſibi properant, vt vetere homine depoſito, præceptis Apoſtoli occurrant? Nos enim qui totam fidem in carne adminiſtrandam credidimus, immo & per carnem, cuius eſt & os ad proferendum optimũ quemque ſermonem, & lingua ad non blaſphemandum, & cor ad non indignãdum, & manus ad operandum & largiendum; tam vetuſtatem hominis, quàm nouitatem; ad moralem, non ad ſubſtantialem differentiam pertinere defendimus. Atque ita, pariter agnoſcimus, hominem qui ſecundùm priſtinam conuerſationem vetus fuerit; eundem & corrumpi; ita dictum ſecundùm concupiſcentiam ſeductionis, quemadmodum & veterem ſecundùm priſtinam conuerſationem, non ſecundùm carnem per interitum perpetuum. Cetetùm, carne tam ſaluum quàm eundem; vt pote vitioſam diſciplinam, non corpulentiam exutum.

HOMO VETVS ET NOVVS. III. SCHOL.

RVRSVS, *non contenti, inquit, aduerſarij reſurrectionis carnis, iam abuſi loco Pauli, de interiore & exteriore homine; alium hic locum adſtruunt ejuſdem Apoſtoli, quo cæcorum more, non intellecto, impingunt in errorem; dum incidunt in veterem & nouum hominem, quo prauè ſentiunt veterem, hoc eſt corpus hominis, in perpetuam corruptionem abiturum in morte, abſque vlla ſpe renouationis & reſurrectionis, Paulum dixiſſe mentiuntur, cùm hic locus de eodem homine ſecundùm veterem Adam, & concupiſcentias carnales viuente, exuendo; & ſecundùm nouum hominem Chriſtum bonis moribus & conuerſatione Chriſtiana induendo, loquatur, nec de ſubſtantia, ſiue natura humana, ſed de diſciplina, & moribus veterem Adam ſapientibus, in nouum commutandis ſit ſermo, vt patet ex toto contextu Pauli, Sic habet Epheſ. 4. 22. cùm dixiſſet de gentibus ambulantibus in vanitate ſenſus, & tenebris* B *eorum, qui ſe tradiderunt impudicitiæ, &c. ſic concludit*, vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Ieſu. Deponere vos *Syr. vt deponatis à vobis conuerſationes veſtræ priores, hominem illum veterem qui corrumpitur concupiſcentijs erroris*, ſecundùm priſtinam conuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate. *Syr. pietate*, veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquiminiſi veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra. Iraſcimini & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo. *Syr. criminatori.* Qui furabatur, iam C non furetur: magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. Omnis ſermo malus *Syr. execrandus*, ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis. Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blaſphemia tollatur à vobis cũ omni malitia. Eſtote autem inuicem benigni, miſericordes, donãtes inuicem ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis. VT RI HIC. *Sicut & præcedenti capite quaſi Paulus fauens negantibus reſurrectionem carnis, veterem & nouum hominem diſtinguat inter veterem, id eſt carnem, & nouum id eſt animam.* VETERI DEFENDAT, *attribuat.* SI SECVNDVM SVBSTANTIAS. *Si de ſubſtantijs quæ conſtant hominem intelligendus ſit Paulus, anima poſterius corpore creata, nouus & prior homo dici non poterit; nec proinde caro prius facta, vetus & poſterior homo dicetur.* QVANTVLVM, *&c. quãquam, inquit, nihil penè temporis fuerit lapſum, inter plaſmatum de limo corpus manibus Dei, & animam corpori inſufflatam. Sed & licet caro multo tempore* A *ante animam facta fuiſſet, in quantum tamen omnem vitam & ſenſum ad plenitudinem perfectionis ſuæ, expectabat ab anima, ceſſit illi primatum dignitatis.* ORDINE POSTVMAT *tempore poſterior eſt.* PRIVS EST *dignitate.* PRIORA, *tempore nihil valent producere,* Et quid caro ante animam? NOVVS TOTVS, *quia ante creationem, nullus; vnde de nouo, & corpore, & anima conditus nouus, vetus dici in principio non potuit* A BENEDICTIONE GENITVRÆ, *ex quo Deus benedixit primis parentibus, dicens,* Creſcite & multiplicamini. *Ab Adamo deinceps corpus & anima hominis ſine ſuppoſitatione diuerſi temporis ſimul fiunt. Quod verum eſſet ſi intelligeret, eodem momento, quo vltima diſpoſitio requiſita ex parte organorum corporis introducta eſt, ſimul creari & infundi animam, ſed ſequentia aperiè probant errorem ejus, de quo ſuo loco diximus, de anima ſimul cum ſemine ex parentibus traducta in poſteros: dum ait* in vtero matris animam pariter cum carne ſeminari: IN COMMENTARIO *in lib. de Anima.* CONTEMPORANT, COÆTANT, *alij legunt*, coætaneant. *Hoc eſt eodem inſtanti concipiuntur.* DVOS HOMINES, *interiorem & exteriorem, nouum & veterem, quem vocant aduerſarij, abutentes authoritate Pauli.* VNVM EDVNT, *vnicum hominem conſtant, quia neuter eorum prior altero naſcitur.* CITIVS EST, *&c. Aptius & breuius abſque differentia noui & veteris, dicendum eſt homo, aut totus vetus, aut totus nouus eſſe,* QVA ALTERVM. *Non enim video vel ſcire poſſum quomodo poſſit aliqua pars noſtri dici prior vel poſterior, Alio ſenſu intelligi poteſt illud*, quâ alterum, *de veteri homine, qui non poteſt omnino intelligi; neque de ipſo Adamo, toto nouo facto, neque de nobis qui quotidie, vt ab exordio, toti noui,* C *quoad ſubſtantiam vtramque animæ & carnis, producimur. Vnde reſtat, vt Paulum manifeſtè locutum intelligamus de veteri conuerſatione, & vita, ſecundum mores reproba, non de aliqua anima vel carnis ſubſtantia expolianda propter detritam vetuſtatem, & irreparabilem.* ALIBI CARNALIA *ſcilicet ad Gal. 5. 19. de quo alibi & nos.* Manifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, &c. OCCVRRANT *promptâ obedientiâ parent iubenti veterem hominem deponere.* FIDEM IN CARNE, *id eſt opera fidei per miniſterium & organa carnis.* AD MORALEM. *Moraliter, non ad literam intelligi debere aſſerimus diſtinctionem illam Pauli, inter veterem, & nouum hominem.* ET CORRVMPI, *ſic corruptio de qua loquitur Apoſtolus accipienda, non eſt de carne poſt mortem irreparabili,* D *ſed de corruptione quæ fit per concupiſcentiam illicitorum, quæ tamen & reparabilis eſt per Dei gratiam, & peccatorũ pœnitentiam.* CÆTERVM CARNE SALVVM. *de cætero nonimus ex mente Pauli hominem non alium, ſed eumdem quoad ſubſtantiam carnis, renouari ſpiritu, vt, pote qui mores corruptos, non verò corporis ſubſtantiam exuat, dum* expoliat veterem hominem cum actibus ſuis.

De

De hac Pauli locutione, iuxta Tertullianum sentit Au-
Aug. *gustinus. to. 3. lib. 4. de Trinit. cap. 17.* Spiritum mentis, eum spiritum qui mens est, alibi quoque apertiùs etiam imaginem nominauit, scilicet aliis verbis idipsum præcipiens Coloss. 3. expoliantes vos inquit veterem hominem cum actibus suis, induite nouum hominem qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum. Quod ergo ibi legitur, *Ephes.* 4. Induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est, hoc isto loco, induite nouum hominem qui renouatur &c. Ibi autem ait, secundum Deum: hîc verò secundum imaginem eius qui creauit eum. Pro eo verò quod ibi posuit, in iustitia & sanctitate veritatis: hoc posuit hîc, in agnitione Dei. Fit ergo ista renouatio, reformatioque mentis secundum Deum, ne secundum aliam creaturam fieri putetur. Ideo autem secundùm imaginẽ Dei, vt in ea re intelligatur fieri hæc renouatio,
Aug. vbi est imago Dei, id est in mẽte, &c. *& cap. 17.* Sanè ista renouatio, non momento vno fit ipsius conuersionis, sicut momento vno fit illa in baptismo renouatio, remissione omnium peccatorum, neque enim vel vnum quantulumcumque remanet quod non remittatur; sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, reualescere, &c. Ita prima curatio est, causam remouere langueris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum; secunda, ipsum sanare langorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione hujus imaginis, &c. de qua re Apostolus apertissimè locutus est dicens 2. Cor. 4. & si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem, &c. Qui de die in diem proficiendo renouatur, transfert amorem à temporalibus ad æterna, à visibilibus ad intelligibilia, à carnalibus ad spiritalia, atque ab istis cupiditatem frenare atque minuere, illisque se charitate alligare diligenter insistit. Tantum autem facit, quantum diuinitus adjuuatur; Dei quippe sententia est, sine me nihil potestis facere. *Quod iam dixerat cap. 16.* conuertuntur ad Dominum, ab ea deformitate, quâ per cupiditates sæculares conformabantur huic sæculo: reformantur ex illo audientes Apostolum dicentem Rom. 12. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate mentis vestræ, vt incipiat illa imago ab illo reformari; à quò formata est. Non enim reformare seipsum potest, sicut potuit deformare, &c. sed peccando, iustitiam & sanctitatem veritatis amisit, propter quod hæc imago deformis & decolor facta est, hanc recipit, cum reformatur, & renouatur. *Et cap.* S. Aug.
14. Iam se non diligit peruersè, sed rectè, cùm
B Deum diligit, cujus participatione, imago illa non solum est, verum etiam ex vetustate renouatur, ex deformitate reformatur, ex infœlicitate beatificatur. *Tandem cap. 17. sic concludit de illo in renouatione pro-* S. Aug.
gressu, in quo, inquit, profectu & accessu, tenentem mediatoris fidem, cum dies vitæ hujus vltimus quemque compererit, perducendus ad Deum, quem coluit, & ab eo perficiendus, excipietur ab Angelis Sanctis, incorruptibile corpus in fine sæculi, non ad pœnam, sed ad gloriam recepturus. In hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio. *Apta conclusione Augustinus claudit; & docens resurrectionem carnis; quam hic propriè intendit Tertullianus; & locum Pauli, in veritatem ejus exponens.*

HOMICIDIVM.

1. Homicidij species aborsus est. De Exhort. Cast. cap. 12. àm.

QVid facies si nolis, si nouam vxorem de tua conscientia impleueris? dissoluas medicaminibus conceptum? Puto nobis non magis licere nascentem nocere, quàm natum.

HOMICIDIVM. I. SCHOL.

SI NOLIS, *subire scilicet leges, quibus ad suscipiendos liberos, ad coniugium cogebantur veteres. De ijsdem legibus libro 2. ad vxorem cap. 7. & Apol. 4.* Nonne vanissimas Papias leges quæ ante liberos suscipi cogunt, quàm Iuliæ matrimonium contrahi. *De his legibus alibi dictum. Ex Vlpiano, nisi intra centum dies celebs nuberet, nihil commodi ex testamento suorum capere permittebatur.* SI NOVAM VXOREM, *ductam post mortem priorie. Alij non habent* nouam. DE TVA CONSCIENTIA, *sciens & volens, nullis coactus legibus.* IMPLEVERIS, *impregnaueris.* MEDICAMINIBVS, *potione diabolica, vt alibi diximus ex Augustino, conceptum fœtum dissolues? Concilium Ancyranum circa Annum Domini 308. parum ante Nicænum Concilium, & ab eodem approbatum, vt constat Act. 4. Concilij Florentini, contra fornicarios partus sui parricidas sic decreuit simul & contra aborsum procurantes, Canone 21.* De mulieribus quæ fornicantur, D
& partus suos necant, sed & de his quæ agunt secum vt vtero conceptus excutiantur, antiqua quidem definitio est, vsque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia remoueri. Humanius autem nunc definimus, vt eis decem annorum tempus tribuatur. *Concilium autem Eliberitanum circa Siluestri Papæ primi, & Nicena Synodi tempora celebratum in Hispania Canone 63.* Si qua mulier per adulterium, absente marito conceperit, idque post facinus occiderit, placuit ei nec in fine dandam esse communionem, eò quòd geminauerit scelus. NOCERE. *Actiuè sumit, pro nascenti nocere, sic frequenter Patres. Alij legunt;* nascentem necare. NON MAGIS LICERE. *imò verò minus. Longè enim minus licet iam in utero nato vitam eripere, quam*

paripere nascituro: quidquid infra dicat numero 3. Nec refert, natam quis eripiat animam, an nascenti disturbet. *Parùm certè esset, licet in se sit maximum, fieri corpusculi humani homicidam, nisi & anima pueri in peccato originali mortua & vita æterna regno priuaretur, & æterno, licet omnium leuissimo supplicio, & damnatione plecteretur. De quo vide propriè loco quæ de peccato originali dicemus ex Augustino, & alijs paribus fusè deprompta, Verbo peccatorum diuisio.*
2. *Interim accipe quæ iactat Augustinum in impiam parentum crudelium ferinatem. libro 2. de Adulterin. coniug. cap. 12.* Quare dicit. 1. Cor. 7. si se non conti- S. Aug.
net, nubat? vtique propterea, ne per eam incontinentiam cogatur adulterare. Si ergo se continet, nec nubat, nec generet. Si autem non se continet, licitè nubat, nec turpiter generet, aut turpius concumbendo non generet. Quamquam hoc quod vltimum dixi, nonnulli faciunt etiam licitè conjugati. Illicitè namque & turpiter, etiam cum legitima vxore concumbitur, vbi prolis conceptio deuitatur. Quod faciebat Onam Gen. 38. 9. filius Iudæ, & occidit illum propter hoc Deus. Propagatio itaque filiorum, ipsa est prima, & naturalis, & legitima causa nuptiarum: Ac per hoc qui propter incontinentiam coniunguntur, non sic debent temperare malum suum vt bonum exterminent nuptiarum. *Actius autem multò grauiter in crudeles parentes libro 1. De nupt. & concup. cap. 14. vbi exponit illud Pauli. 1. Cor. 7. vbi ad incontinentiam vitandam debitum inuicem reddi permisit:* hoc dico secundum veniam non S. Aug.
secundum imperium. Vbi ergo venia danda est, aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur. Cùm igi-

tur culpabilis non ſit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptijs imputandus eſt, quid ſecundùm veniam concedit Apoſtolus, niſi quod conjuges dum ſe non continent, debitum ab alterutro carnis expoſcunt, non voluntate propaginis, ſed libidinis voluptate? quæ tamen volupeas, non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Quo circa etiam hinc ſunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad ſe, ignoſci facit propter ſe. Neque enim etiam iſte concubitus quo ſeruitur concupiſcentiæ, ſic agitur vt impediatur fœtus, *& cap. 15. ſic proſequitur præcipuus in rem* Sed tamen aliud eſt, non concumbere niſi ſola voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, ſed non præter coniugem, quod venialem habet culpam: quia etſi non cauſa propagandæ prolis concumbitur, non tamen huius libidinis cauſa, propagationi prolis obſiſtitur, ſiue voto malo, ſiue opere malo. Nam qui hoc faciunt, quamuis vocentur coniuges, non ſunt; nec vllam nuptiarum retinent veritatem, ſed honeſtum nomen velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autem, quando eouſque progrediuntur, vt exponant filios qui naſcuntur inuitis. Oderunt enim nutrire, vel habere, quos gignere metuebant. Itaque cùm in ſuos ſæuit, quos nolens genuit tenebroſa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifeſta crudelitate conuincitur. Aliquando eò vſque peruenit hæc libidinoſa crudelitas vel libido crudelis, vt etiam ſterilitatis venena procuret, & ſi nihil valuerit, conceptos fœtus aliquando intra viſcera extinguat, ac fundat, volendo ſuam prolem prius interire quàm viuere: aut ſi in vtero tam viuebat, occidit antequam naſcatur, prorſus ſi ambo tales ſunt, coniuges non ſunt. Et ſi ab initio tales fuerunt, non ſibi per connubium, ſed per ſtuprum potius conuenerunt. Si autem non ambo ſunt tales, audeo dicere, aut illa eſt quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter eſt vxoris.

S. Aug.

2. Et de Ani. cap. 37. à p.

Exo. 21. 22. Ex eo fœtus in vtero homo, à quo forma completa eſt. Nam & Moyſis lex tunc aborſus reum talionibus iudicat, quum iam hominis eſt cauſa, quum iam illi vitæ & mortis ſtatus deputatur, quum & fato iam inſcribitur, etſi adhuc in matre viuendo, cum matre plurimùm communicat ſortem.

3. Homicidium, vel in ſoluto ſemine, Chriſtiano vetitum. Apol. cap. 9. à p.

NObis homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc ſanguis in hominem deliberatur, diſſoluere non licet: homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet: homo eſt & qui eſt futurus: etiam fructus omnis iam in ſemine eſt.

HOMICIDIVM II.-III. SCHOL.

EX EO *ab eo tempore cenſetur homo, fœtus qui in vtero matris conceptus eſt, à quo forma dans vitam, eum viuificat & animat.* TALIONIBVS IVDICAT. *id eſt, talia lex iubet pati, qualia damna quis intulit: vt animam, & vitam det, pro anima & vita ablata.* HOMINIS EST CAVSA. *dum anima rationalis infuſa eſt organizato corpori, quæ hominem facit viuentem, ſicut & rationalem.* VITÆ ET MORTIS STATVS. *cum homo & viuere, & mori poſſe cenſetur* FATO IAM INSCRIBITVR. *humanæ vitæ caſibus ſubijcitur. Fatum dicit locutione Gentilium quibus loquebatur. Et vult tantum ſano ſenſu, infantem iam tum ſubordinari primis & vniuerſalibus cauſis, à quibus pendet vita & mors animalium. Contra fati credulos ſapiſſimè inuehitur Auguſtinus. Pauca hic perſtringam, Tract. 8. in Io.*

S. Aug. 1. Non ſolùm Chriſtus non habuit, quod appellas fatum, ſed nec tu, aut ego, aut ille, aut quiſquam hominum. Verumtamen ſeducti ſeducunt, &c. dant iſti nummos vt ſe vanitatibus vendant, intrant enim ad Mathematicum, vt emant ſibi Dominos, quales Mathematico dare placuerit, jvel Saturnum, vel Iouem, vel Mercurium, vel ſi quid aliud ſacrilegi nominis. Intrauit liber, vt nummis datis ſeruus exiret. Imò verò non intraret ſi liber eſſet; ſed intrauit quò eum Dominus error, & Domina cupiditas traxit, Vnde & veritas dicit Io. 8. Omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati. *Et tract. 31. in Io.* Nemo miſit in illum manus, quia nondum venit hora eius. Hoc eſt quia nolebat. Quid eſt enim, nondum venit hora eius? Non enim Dominus ſub fato natus eſt: hoc nec de te credendum eſt: quanto minus de illo per quem factus es? ſi tua hora voluntas eſt illius; illius hora quæ eſt niſi voluntas ſua? Non ergo horam dixit qua cogeretur mori, ſed qua dignaretur occidi: tempus enim expectabat quo moreretur, quia & tempus expectare voluit, quo naſceretur. *Et tract. 104. in Io. 17.* Pater venit hora, clarifica filium tuum. Oſtendit, inquit, omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri ſineret, ab illo eſſe diſpoſitum, qui temporis ſubditus non eſt: quoniam quæ futura erant per ſingula tempora, in Dei ſapientia cauſas efficientes habent, *vnde ſcriptum eſt, fecit quæ futura ſunt*, in qua nulla ſunt tempora. Non ergo credatur hæc hora fato vrgente veniſſe, ſed Deo potius ordinante. Nec ſyderea neceſſitas Chriſti connexuit paſſioni; abſit enim vt ſydera mori cogerent ſyderum conditorem. Non itaque Chriſtum tempus, vt moreretur, impegit, ſed tempus Chriſtus, quo moreretur, elegit: qui etiam tempus quo de Virgine natus eſt, cum Patre conſtituit, de quo ſine tempore natus eſt, &c. Dicit ergo, Pater venit hora, qui cum Patre diſpoſuit omnes horas. *Et tract. 37. in Io. 8.* Nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius. Hoc nonnulli cùm audiunt, ſub fato fuiſſe Dominum Chriſtum, & credunt, & dicunt, ecce Chriſtus habebat fatum. O ſi cor tuum non eſſet fatuum, non crederes fatum! Si fatum, ſicut nonnulli intellexerunt, à fando dictum eſt, *vt & cæli enarrant gloriam Dei, & quæ ſtellæ tot linguæ clamant, ipſe fecit nos, ipſe regit nos, & non ipſum nos*, id eſt à loquendo: Verbum Dei quomodo habet fatum, quando in ipſo Verbo omnia ſunt quæ condita ſunt? Non enim aliquid Deus conſtituit, quod ante neſciuit: in Verbo ipſius erat, quod factum eſt. Mundus factus eſt: & factus eſt, & ibi erat. Quomodo & factus eſt, & ibi erat? quia domus quam ædificat ſtructor, prius in arte erat; *id eſt in mente & idea artificis*, & ibi melius erat, ſine vetuſtate, ſine ruina: tamen vt oſtendat artem, fabricat domum: & proceſſit quodammodo domus ex domo: & ſi domus ruat, ars manet. Ita apud Dei Verbum erant omnia quæ condita ſunt, quia omnia in ſapientia fecit Deus, & cuncta nota fecit: non enim quia fecit, didicit: ſed quia nouerat, fecit, &c. Præceſſit ergo Verbũ Dei, &c. In principio erat Verbũ. Et vnde cælũ & terra? omnia per ipsũ facta sũt.

S. Aug.

S. Aug.

Tu ergo ponis Chriſtum ſub fato? vbi ſunt fata? in cœlo, inquis, in ordine & conuerſionibus ſyderum: quomodo ergo fatum habet, per quem factum eſt cœlum, & ſydera: cùm tua voluntas, ſi rectè ſapias, tranſcendat & ſydera? *Sapiens quippe dominabitur aſtris, dum carnem aſtris & elementis ſubditam, ſapientia deſurſùm data à patre luminũ, rationem gubernãte, carnem*
Aug. *quoque licet rebellem frano domabit, & flectet.* An quia noſti Chriſti carnẽ fuiſſe ſub cœlo? ideo putas & poteſtatem Chriſti ſubditam cœlo: Audi ſtulte, nondũ venerat hora eius, non quâ cogeretur mori, ſed quâ dignaretur occidi, &c. Hanc ergo horam ille expectabat, non fatalem, ſed opportunam, & voluntariam: vt prius omnia complerentur quæ ante paſſionem ipſius compleri oportebat, &c. vt cùm impleta eſſent, tunc veniret paſſio, diſpoſitionis ordine, non fatali neceſſitate.

FORMA COMPLETA EST, *fœtus perfectè formatus, & proximè ad formam id eſt animam rationalem excipiendam diſpoſitus.* MOYSIS LEX. *Exo.21.22.* Si rixati fuerint viri: & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit; ſubiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit ſubſecuta, reddet animã pro anima. *Aliter 70.* Sin autẽ rixentur duo viri, & percuſſerint mulierem in vtero habentem, & exierit infans eius non formatus, mulctã mulctabitur, prout indixerit vir mulieris, dabit cũ poſtulatione. Si autem formatus fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combuſtionem pro combuſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. ET SI ADHVC. *quamquam, inquit, vt fœtus portio matris cenſetur, eidem ſorti cum matre ſubiacet, dum ejus in vtero viuit. Hic eſt germanus ſenſus. Quamquam aliqui fatum hîc intelligunt tempora fatalia vitæ; ſed vt prænotauì, ſecundum Gentiles loquebatur. Immediatè enim prædixerat de Ælemona, alendo fœtui in vtero præfecta, Nona & Decima à ſolicitioribus menſibus dicta; de Parcis, & Lucina. Macrob. lib. 1. in ſomnium Scipionis, cap. 13.* Conſtat, inquit, numerorum certam, conſtitutamque rationem animas ſociare corporibus. Hi numeri dum ſuperſunt, perſeuerat corpus animari: cùm verò deficiunt, mox arcana illa vis ſoluitur, quâ ſocietas ipſa conſtabat. Et hoc eſt, quod fatum, fatum, & fatalia vitæ tempora vocamus. Anima ergo ipſa non deficit, quippe quæ immortalis atque perpetua eſt; ſed completis numeris, corpus fatiſcit: nec anima laſſatur animando, ſed officium ſuum deſerit corpus, cùm iam non poſſit animari, &c. hæc eſt igitur naturalis verè mors, cùm finem corporis ſolus numerorum ſuorum defectus apportat: non cùm extorquetur vita corpori *morte violenta*, adhuc idoneo ad continuationem, &c. *quæ ſenſum nec à Scriptura abhorret; nam & Pſaltes:* In manibus tuis ſortes meæ, *alia verſio habet*, tempora mea: *quibus manibus? exponit ipſe:* manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me. *Et de numero fatali rurſum:* Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos. *Quid inde? finitur numeris & menſuris*; & ſubſtantia, inquit, mea, tanquam nihilum ante te. *Subſtantia enim carnis redit in puluerem*: auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. *Tandem*: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt, *& Iob*: numerus menſium eius apud te eſt. *De lege talionis pro aborſu accipe Auguſtinum to. 4. lib. 2. quæſtionum q. 80. in Exo.* Si litigabunt duo
Aug. viri, & percuſſerit quis mulierem fœtam in vtero habentem, & exierit infans eius nondum formatus,

detrimentum patietur quantum indixerit vir mulieris, & dabit cum poſtulatione. *Vulgata & arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima.* Niſi videtur ſignificationis alicuius cauſa dici hæc magis, quam Scripturam circa huiu modi facta occupatã. Nam ſi illud attenderet, ne prægnans mulier percuſſa in aborſum compelleretur, non poneret duos litigantes viros, cum poſſit & ab vno hoc admitti, qui cum ipſa muliere litigauerit, vel etiam non litigauerit, ſed alienæ poſteritati nocere volendo id fecerit. Quod verò non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputauit quod tale in vtero geritur. Hic de anima quæſtio ſolet agitari, vtrum quod formatum non eſt, nec animatum quidem poſſit intelligi, & ideo non ſit homicidium, quia nec exanimatum dici poteſt, ſi adhuc animam non habebat. Sequitur enim & dicit, ſi autem formatum fuerit, dabit animam pro anima. Vbi, quid aliud intelligitur, niſi & ipſe monetur? Nam hoc & in cæteris *damnis illatis proximo.* Ex hac occaſione iam præcepit: *Notatu dignum quod lex talionis ex hac occaſione cœpit vt eſt initium læſionis proximi in fœtu*, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combuſtionem pro combuſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore, talionis videlicet æquitate. Quæ lex *ſtatuta Exodi 21. 22. & ſeq.* ideo conſtituit, vt demonſtraret quæ vindicta debeatur. Niſi enim per legem ſciretur quid vindictæ deberetur, vnde ſciretur quid venia relaxaret, vt dici poſſet, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? debitores igitur lege monſtrantur, vt appareat, quid dimittatur quando ignoſcitur. Neque enim debita dimitteremus, niſi quid nobis deberetur, lege indice diſceremus. Si ergo illud informe puerperium iam quidem fuerit, ſed adhuc quodammodo informiter animatum, quoniam magna de animâ quæſtio non eſt præcipitanda indiſcuſſa temeritate ſententiæ, ideo lex noluit ad homicidium pertinere: quia nondum dici poteſt anima viua in eo corpore quod ſenſu caret, ſi talis eſt in carne nondum formata, & ideo nondum ſenſibus prædita. Quod autem dixit, *iuxta verſionem 70.* & dabit cum poſtulatione quod maritus mulieris informi excluſo dandum conſtituerit, non eſt in promptu intelligere. Ad animam quippe, quod Græcus *codex* habet, δώσει μετὰ ἐπιτιμήσεως, pluribus modis intelligitur, & tolerabilius cum poſtulatione dictum eſt, quàm ſi aliud diceretur. Fortaſſis enim poſtulabit, vt de eo modo Deo ſatisfaciat, etiamſi maritus mulieris non expectat. *Sanctes Pagn. legit*, & dabit vt ſtatuerint iudices. *Chald. autem*, dabit per ſententiam iudicum. *Lege etiam 12. tabularum, lex talionis vigebat:* Si membrum rupit meum, ex pacto talio eſto. *Et apud Philoſophum lib. 5. Ethic.* Si quæ quis fecit iniuſtè, eadem & patiatur. *Et hæc quidem lex non ſeuera erat, ſed clemens; cùm metu talionis, injuriam proximi prohiberet. Vnde Tertull. lib. 2. cont. Marc. cap. 18.* Non iniuriæ mutuò exercendæ licentiam ſapit, ſed in totum cohibendæ violentiæ proſpicit, &c. vt licentia retributionis, prohibitio eſſet prouocationis.

Et Aug. libro 32. contra Fauſtum vindictæ & furoris S.Aug. non fomes, ſed limes eſt iuſtus. *Quæſtione autem 23. ex veteri teſtamento quam Auguſtini agnoſcit & citat Gratianus 32. quæſt. 2. vbi eadem præmiſſa qu. ſubtilius agitatur.* Nec Eſa. 44. 2. ab his diſſentiens, ait: ſic dicit Dominus Deus qui fecit te, & finxit te in vtero. Si ergo in vtero fingitur, iam formato, corpori tri- S.Aug. buitur *anima de qua agit.* Cùm enim omnia membra

implet corporis, figurata dicitur in corpore; *aduerte non propriè effigiatam dicere, sed quasi figuratam videri, supra enim arguit hunc errorem in Tertullianum, & se ipsum statim explicat dum subijcit*; vt sicut aqua, cum sit sine effigie, missa tamen in vas, figurata videtur: ita & anima, cùm sit natura incorporea & simplex, quasi formatur in corpus, singula membra viuificans. Quod quidem Moyses manifestius tradidit, dicens; si quis percusserit mulierem in vtero habentem, & abortiuerit: si formatum fuerit, det animam pro anima: si autem informatum fuerit, *inanimatum* mulctetur pecuniâ; vt probaret non esse animam ante formam, *id est antequam forma corporis sit sunt organa requisita ad animam recipiendam plenè instructa.* Itaque si iam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata. *Et hic* B *corrigit errorem Tertulliani dicentis animas ex tradvce.* Nam si cum semine & anima existit ex anima, multæ animæ quotidie pereunt, cùm semen fluxu quodam non proficit natiuitati. Sed si propius respiciamus, videmus quid sequi debeamus, contemplemur facturam Adæ. In Adam enim exemplum datum est, vt ex eo intelligatur, quia iam formatum corpus accepit animam. Nam potuerat animam limo terræ admiscere, & sic formare corpus. Sed ratione informabatur, *id est sapienter vt à prima omnium ratione* quia primùm oportebat domum compaginari, & sic habitatorem induci. Anima certè, quia spiritus est, *imago Dei, qui spiritus est; similitudo diuini Spiritus, per gratiam eius, qui ab exordio ferebatur super aquas, quem insufflans Christus dedit Apostolis; vt & anima insufflata est Adæ in faciem spiraculum vitæ;* in sicco habitare non potest, *ideo ex limo domus corporis facta est.* Ideo in sanguine fertur. *Vt Spiritus ferebatur super aquas.* Cùm ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima? an foris vagatur, quamdiu immittatur: cùm ratio tradat, sic dari eam vt animet corpus, non vt otiosa vagetur.

3. Nobis *Christianis.* Semel *ex lege Dei prohibente* non occides. Deliberatvr, *quasi naturâ, vel potius Deo deliberante, quomodo organa corporis aptè ex semine formentur. Alij legunt* delibatur, *id est incipitur efformari fœtus, necdum plenè coaluit.* An nascentem. *non quòd anima per partes, & diuersa momenta nascatur, sed organa paulatim efformantur.* Iam in semine *& hîc errorem suum detegit, quo animam simul cum semine trajci voluit. Minutius in Octauio, hoc genus homicidij exaggerat his verbis:* Sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciunt, antequam pariant. *De vi seminis Augustinus to. 5. lib. 22. de ciuit. cap.* 24. Sic creauit hominem Deus, vt illi adderet fertilitatem quandam, quâ homines alios propagaret, congenerans eis ipsam etiam propagandi possibilitatem, non necessitatem, &c. huic autem propagationi si conformatio non adhiberetur, nec ipsa in sui generis formas modosque procederet, &c. Sicut ergo ait Apostolus de institutione spirituali, quâ homo ad pietatem iustitiamque formatur: neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: ita etiam hic dici potest, nec qui concumbit, nec qui seminat, est aliquid, sed qui informat Deus: nec mater, quæ conceptum portat, & partum nutrit, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Ipse namque operatione quâ nunc vsque operatur, facit vt numeros suos explicent semina, & S. Aug.

à quibusdam latentibus atque inuisibilibus inuolucris, in formas visibiles huius quod aspicimus decoris euoluant. Ipse incorpoream, corporeamque naturam, illam præpositam, istam subiectam, miris modis copulans & connectens, animantem facit. Quod opus eius tam magnum & admirabile est, vt non solum in homine quod est animal rationale, & ex hoc cunctis terrenis animantibus excellentius atque præstantius; sed in qualibet minutissima muscula, benè consideranti stuporem mentis ingerat, laudemque pariat Creatoris. *De seminis autem vi in qua Tertullianus fructum latere dicit, sic habes to. 3. lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 7.* Omnia primordia seminum, Aug. siue vnde omnis caro, siue vnde omnia fruteta gignuntur, humida sunt, & ex humore concrescunt. Insunt autem in illis efficacissimi numeri, trahentes secum sequaces potentias ex illis perfectis operibus Dei, à quibus in die 7. requieuit. *Et cap. 13.* consideremus cuiuslibet arboris pulchritudinem in robore, Aug. ramis, frondibus, pomis: hæc species non vtique repente tanta ac talis est exorta, sed quo etiam ordine, nouimus. Surrexit enim à radice, quam terræ primum germen infixit: atque inde omnia illa formata & distincta creuerunt. Porrò illud germen ex semine. *Supple ortum est.* In semine ergo illa omnia fuerunt primitus, non mole corporeæ magnitudinis, sed vi potentiâque causali. Nam illa magnitudo, copia terræ humoriſque congesta est. Sed illa in exiguo grano, mirabilior, præstantiorque vis est, quâ valuit adiacens humor commixtus terræ, tanquam materies veri in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem ac figuram, in fructuum formas & opulentiam, omnemque ordinatissimam distinctionem. Quid enim ex arbore illa surgit aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminis illius extractum atque depromptâ est? *De semine autem humano lib. 22. de Ciuit. cap. 14.* hunc perfectionis modum *agebat de statura corporum.* Sic habent omnes, vt cum illo concipiantur, atque nascantur: sed habent in ratione, non in mole: sicut ipsa iam membra omnia sunt latenter in semine, cùm etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes, ac si quid huiusmodi. In qua ratione vninscuiusque materiæ indita corporali, iam quodammodo, vt ita dicam, liciatum esse videtur, *metaphora sumpta à texentibus quasi iam illa velut tela texta sit in puero, sed nondum explicata* quod nondum est; imò quod latet, sed accessu temporis erit, vel potius apparebit. In hac ergo infans iam breuis aut longus est, qui breuis longusue futurus est. *Sic Ezechias in Cant.* Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me. *Et Iob.* velut à texente tela succiditur. *Probat deinde, Deum, qui ex nihilo cuncta fecit, & ex modico semine totam molem corporis; sic vel ex minima portione materiæ corporis, posse illi resurrectione etiam quod viuenti defuerat perfectionis corporis supplere. Cap. autem 13. de abortiuis, quærit an resurrecturi sint.* Abortiuos fœtus, Aug. qui cùm iam vixissent in vtero, ibi sunt mortui, resurrecturos vt affirmare, ita negare non audeo, quamuis non videam quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum. *Ipse tamen vt alibi vidimus etiam matres animationem impedientes, ait pro tot animabus rationem reddituras, quot creasset Deus si semen in quo innata erant organa animæ capacia non dissoluissent, aut sterilitatem sibi non procurassent.*

4. Homicida diabolus alter eſt. De Car. Chri. cap. 17. circa f.

EVa nihil tunc concepit in vtero lex diaboli verbo. Immò concepit. Nam exinde vt abiecta parêret, & in doloribus parçret, verbum diaboli ſemen illi fuit. enixa eſt denique diabolum fratricidam. Gen. 4. 1. & 8.

HOMICIDA. IV. SCHOL.

TVNC, *cùm ſerpenti deceptori credidit.* IMMO CONCEPIT. *Non quidem in vtero corporis, ſed in medio cordis:* Concepit enim dolorẽ & peperit iniquitatem. EXINDE. *Ex quo conſenſit diabolo, & parnit proſtrata ſtratori, & ob meritum peccati partus doloribus ſententialiter eſt addicta, excepit verbum diaboli primi omnium homicidæ, tanquam ſemen quoddam homicidij; vnde factum eſt, vt primus ejus partus fuerit Caim homicida; qui, quia diabolum imitatus eſt homicidam ab initio, diabolus quoque à Tertulliano nuncupatur. Vbi aduerte, non ex ſerpente, tanquam incubo, & ex ſemine illius, Euam concepiſſe Caim; ſed, vt, inquit;* abiecta pareret, & in doloribus pareret. *Hoc eſt, ad hoc ſuggeſtio diaboli quaſi quoddam ſemen fuit maledictionis, quo & doloribus partus ſubjecta eſt, & in primo partu, peperit homicidam. Sicut verbum angeli Gabrielis, cui Maria conſenſit, quoddam ſemen benedictionis fuit, quo* beatior mente quàm ventre, *prius in vtero cordis Dei Filium concepit, qui verè ex carne ejus de Spiritu ſancto, ejus conceptus eſt in ventre, dum* Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis. *Vnde Tertullianus ſubjecit,* contra Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Iſrael, interemptorem ſuum, ſaluum quandoque præſtaret. *Hinc Fulgentius Ser. de laud. Virg.* proiicite dolores, quos Eua per ſerpentem accepit, & quos per Angelum Maria ſuſcepit, honores aſſumite. *Auguſtinus autem ſæpè Iudæos Chriſticidas, Caim fratricidæ comparauit. Inter cæteros locos habes ſic ſantem lib. 15. de* Aug. *Ciuit. cap. 7. in f.* Inualeſcente inuidentiæ vitio, fratrem inſidiatus occidit. Talis erat terrenæ conditor ciuitatis. Quomodo autem ſignificauerit etiam Cain Iudæos à quibus Chriſtus occiſus eſt Paſtor ouium hominum, quem Paſtor ouium pecorum præfigurabat Abel, quia in allegoria prophetica res eſt, par-

A co nunc dicere, & quædam hîc aduerſus Fauſtum Manichæum dixiſſe me recolo. *Scilicet lib. 12. cap. 9. per totum unde hæc verba excerpo.* Occiditur Abel minor natu à fratre maiore natu; occiditur Chriſtus caput populi minoris natu, à populo Iudæorum maiore natu. Ille in campo, iſte in Caluariæ loco. S. Aug. *De Chriſto autem ſuos homicidas ſaluante accipe dicta ab eodem tract. 38. in Io. 8.* Quid conuerſo non ignoſcitur, ſi fuſus Chriſti ſanguis agnoſcitur? Quis homicida deſperet, ſi in ſpem redditus eſt à quo etiam Chriſtus occiſus eſt? Crediderunt inde multi, donatus eſt eis ſanguis Chriſti, vt magis eum biberent quo liberarentur, quàm rei de illo effuſo tenerentur. *Et tract.* S. Aug. *40. vbi de exaltatione Chriſti in Crucem.* Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum, &c. qui ſæuientes occiderunt, mutati crediderunt: & quem ſanguinem ſæuiendo fuderunt, credendo biberunt. Illa tria millia, & illa quinque millia Iudæorum, *quæ Petrus poſtea prædicando conuertit,* quos ibi videbat, quando dicebat, cum exaltaueritis, &c. tanquam dicens; differo cognitionem veſtram, *ſi enim cognouiſſent numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*; vt impleam paſſionem meam. Ordine verſo, cognoſcetis qui ſum, &c. hoc oportebat impleri per eorum manus, qui poſtea fuerant credituri: quibus dixit, cum exaltaueritis, &c quare hoc? niſi vt nemo deſperaret in quocumque ſcelere malè ſibi conſcius, quando videat eis donari homicidium, qui occiderant Chriſtum. *Deſperet homicida ab initio Lucifer, deſperet Caim voce ſanguinis fraterni, de fratricidio clamante vindictam; nos iuxta Paulum etiam Chriſticidæ ſperemus, qui* acceſſimus ad aſperſionem ſanguinis melius clamantem quàm Abel. *Clamat enim* ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.

HVMILIS ET HVMILITAS.

1. Humiles electi, protecti, & promecti ad excelſa 4. Cont. Marc. cap. 23. à p.

ECce Chriſtus diligit paruulos, tales eſſe docens debere qui ſemper maiores velint eſſe. Luc. 9. 47. & ſeq.

HVMILITAS I. SCHOL.

DILIGIT PARVVLOS. *Luc. 9. 47. & ſeq.* Apprehendit puerum & ſtatuit illum ſecus ſe, *Syr. apud ſe.* Et ait illis: Quicumque ſuſceperit puerum iſtum in nomine meo, me recipit: Et quicunque me receperit, recipit eum qui me miſit. Nam qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt. *Et Marc. 10. 14.* Offerebant illi paruulos vt tangeret illos: diſcipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Ieſus, indignè tulit, & ait illis; ſinite paruulos venire, & ne prohibueritis eos: talium enim eſt regnũ Dei. Amen dico vobis: quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud: & complexans eos, *Syr. cumque tuliſſet eos ſuper brachia ſua*, & imponens manus ſuper illos benedicebat eos. MAIORES VELINT ESSE. *Vnde pluries inculcaui* qui ſe humiliauerit, exaltabitur. *Auguſtinus humillimus,*

C *vbique ſuperbiam humiliat, & exaltat humilitatem. Ex horto ampliſſimo paucos ſeligo floſculos. Sic orditur librum primum de Ciuit. cap. 1. vbi Deo humiliter de magno opere, non ſibi gloriam imputat:* Magnum opus & arduum, ſed Deus adiutor noſter eſt. Nam ſcio quibus viribus opus ſit, vt perſuadeatur ſuperbis quanta ſit virtus humilitatis, quâ fit vt omnia terrena cacumina, temporali mobilitate nutantia, non humano vſurpata faſtu, ſed diuinâ gratiâ donata celſitudo tranſcendat. Rex enim & conditor ciuitatis huius, de qua loqui inſtituimus, in Scriptura populi ſui ſententiam diuinæ legis aperuit, quâ dictum eſt; Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Hoc verò quod Dei eſt, ſuperbæ quoque animæ Spiritus inflatus affectat, amatque ſibi in laudibus dici: Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Digitized by Google

S. Aug. *et libro 14. cap. 13.* Bonum est sursum habere cor: non tamen ad seipsum; quod est superbiæ, sed ad Dominum, quod est obedientiæ, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis miro modo quod sursum faciat cor; & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor: hoc quidem quasi contrarium videtur, vt elatio sit deorsum, & humilitas sursum; sed pia humilitas facit subditum superiori. Nihil est autem superius Deo: & ideo exaltat humilitas, quæ facit subditum Deo. Elatio autem quæ in vitio est, eo ipso quòd respuit subjectionem, & cadit ab illo, quo non est quidquam superius, & ex hoc erit inferius, & fit quod scriptum est psal. 72. dejecisti eos dum extollerentur. Non enim ait, cum elati fuissent, vt prius extollerentur, & postea dejicerentur: sed cum extollerentur, tunc dejecti sunt. Ipsum quippe extolli, iam deiici est. *Postea vtramque ciuitatem, Christi, & diaboli, ex amore sui & Dei, hoc est ex superbia & humilitate discernit; & concludit de Adam superbo per superbum serpentem dejecto:* Hinc delectauit quod dictum est, eritis sicut dij: quod melius esse possent, summo veroque principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam. Dij enim creati non sua virtute, sed Dei veri participatione sunt dij. Plus autem *homo* appetendo minus est: qui dum sibi sufficere delegit ab illo qui ei verè sufficit, defecit. Illud itaque malum, quo cùm sibi homo placet, tanquam & ipse sit lumen, auertitur ab eo lumine quod ei si placet, & ipso fit lumen: illud inquam malum præcesserat in abdito, *occultâ cordis superbiâ*, vt sequeretur hoc malum *esus ligni vetiti, & inde humiliationis mentis sub lege carnis*: quod perpetratum est in aperto. Verum A est enim quod scriptum est Prouerb. 16. ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Illa prorsus ruina quæ fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in manifesto, dum illa ruina non esse putatur; quis enim exaltationem ruinam putat? Cùm iam sit ibi defectus, quo est relictus excelsus: Quis autem ruinam esse non videat, quando fit mandati euidens atque indubitata transgressio? *& Ser. 213. de temp.* Quanta sit veræ humilitatis virtus, facilè ex verbis Domini agnoscitur, qui vt superbiam Pharisæorum damnaret, dixit; omnis qui se exaltat humiliabitur, &c. humilitatis quippe passibus ad cœli culmina conscenditur, quia Deus excelsus, non superbiâ, sed humilitate attingitur, de quo dictum est Iacobi 4. Deus superbis resistit, &c. vnde & in psalmis dicitur 137. excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Alta posuit pro superbis. Humilia verò respicit vt attollat: alta, id est superba cognoscit vt deiiciat. Discamus humilitatem, per quam Deo propinquare poterimus: sicut ipse in Euangelio ait, discite à me, &c. per superbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de cœlo, per humilitatem Dei, fragilitas humanæ naturæ ascendit in cœlum. *Vnde in principio sermonis ex Psalmo 122.* quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Si ergo Dominus altissimus, cujus excellentiæ & magnitudinis non est finis, in omni creatura sua, & ea quæ in supernis, & ea quæ in infimis est constituta, in Angelis videlicet, & in hominibus, humilitatem considerat & probat: quantùm necesse est nobis humilitati semper studere, ipsamque in omnibus conseruare, vt sic placeamus conditori nostro? Aug.

B

Aug.

2. *Humilibus, & non superbè sapientibus seculi, Deus Creator abscondita in Prophetis reuelauit. 4. Cont. Marc. cap. 25. à p.*

ABscondit præmisso obscuritatis propheticæ instrumento, cujus intellectum fides mereretur: [a] *Nisi enim credideritis, non intelligetis*; & reos habuit sapientes atque prudentes, ex ipsis operibus tot ac tantis intelligibilem Deum non requirentes, vel perperam in illum philosophantes, & ingenia hæreticis subministrantes; & nouissimè, [b] *zelotes est.* Denique olim hoc per Esaïam cócionabatur, quod Christus gratulatur; [c] *Perdam sapientiã sapientium, & prudentium prudentiã celabo.* Sicut & alibi tam abscondisse, quàm reuelatũ esse significat, [d] *Et dabo illis thesauros absconditos; inuisibiles aperiam illis.* Et rursus, [e] *Quis alius dissipauit signa ventriloquorum, & diuinationes ex corde; auertens in posteriora sapientes, & cogitationes eorum infatuans?* Si autem & Christum suum illuminatorem Nationum designauit, [f] *Posui te in lucem Nationum*; quas interpretamur in nomine paruulorum, sensu scilicet retrò paruas, & imprudentiâ infantes; iam verò & humilitate fidei pusillas: facilius vtique credemus eundem etiam paruulis reuelasse per Christum, qui & retrò absconderit, & per Christum reuelationem repromiserit. Aut si Deus Marcionis, ea quæ à Creatore abscondita retrò fuerant, patefecit; ergo iam Creatori negotium gessit, res ejus edisserens. Sed in destructionem, inquis, vtì traduceret eas: ergo illis traduxisse debuerat, quibus Creator abscondit, sapientibus & prudentibus. Si enim benignitate faciebat, illis erat agnitio præstanda, quibus fuerat negata; non paruulis, quibus nihil Creator inuiderat. Et tamen vsque adhuc; puto, probamus exstructionem potius Legis & Prophetarum inueniri in Christo, quàm destructionem.

[a] Esa. 7. 9. Rom. 1. 22.
[b] Exo. 20. 5.
[c] Esa. 29. 14.
[d] Esa. 45. 3.
[e] Esa. 44. 25.
[f] Esa. 42. 6. & 49. 6.

3. *Humilitas latens, aperto ieiunio melior est. De orat. cap. 14. V. Pax. num. 3.*

HVMILITAS. II. SCHOL.

ABSCONDIT, *verbis obscuris celat, non aperte detegit, cui intellectui fidem Deus soleat tribuere; quis intellectus dignum se præbeat fide, vel potius, quis inter credentes mereretur intelligere quod credidit.* PRÆMISSO INSTRVMENTO, *prius citato loco obscuro veteris testamenti ex Propheta Esaia, quem sæpius iam exposuimus, hîc præterco.* REOS HABVIT. *Paulum scilicet alibi etiam vitatus, condemnat Philosophos Gentiles, qui cum Deum ex operibus visibilibus inuisibilem cognouissent non sicut Deum glorificauerunt, frustra proinde de illo philosophantes, imò & contra illum multa blasphemantes, & per hoc superuenturis hæreticis artem &*

adinuentionem errorum ſubtilium præbeatur.

NOVISSIME *tandem, inquit, ô Marcion, quidquid obijcias, Deum creatorem, apparere inuidum, vipote ſua celantem arcana, & Zelotypum quid dices cum legeris, Chriſtum, quem ſingis tuum, gratulari Eſaiæ Prophetæ Creatoris, qui, vt alibi viſum eſt & explicatum, ia-ctabat perditurum ſe ſapientiam ſapientum; & rurſum ex aduerſo, quod latebat aperturum ſe.* SICVT ET ALIBI *Eſa.* 45. 3. Et dabo tibi theſauros abſconditos & arcana ſecretorum: vt ſciatis quia ego Dominus qui voco nomen tuum, Deus: Iſrael 70. *autem*, & dabo tibi theſauros tenebroſos, abſconditos, inuiſibiles aperiam tibi: vt ſcias quia ego Dominus Deus tuus, &c. ET RVRSVS *Eſa. ſcil.* 44. 25. Irrita faciens ſigna diuinorum & ariolos in furorem vertens. Conuertens ſapientes retrorſum: & ſcientiam eorum ſtultam faciens. 70. *verò*, quis alius diſſipabit ſigna Pythonum? &c. auertens prudentes retrorſum, & conſilium eorum ſtultum faciens. *Quis alius ſcilicet quàm Creator? Vnde verſus præcedentis dicebat, probans ſe eumdem eſſe Creatorem, & redemptorem, qui in noua. & veteri lege, reprobatis ſapientibus ſuperbis, elegit humiles ſapienter indoctos.* Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator ex vtero, ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus ſtabiliens terram, & nullus mecum. *Scilicet Angelus, homo, creatura nulla, nec ipſa Hermogenis materia. Cum eo tamen Verbum & Spiritus Sanctus: quia opera Trinitatis ad extra, ſunt indiuiſa.* VENTRILOQVORVM *Alludit ad Sybillam de qua Virgilius:* Magnum ſi pectore poſſit excuſſiſſe Deum, *Apollinem ſcilicet Pythium diuinorum præſidem.* IN NOMINE PARVVLORVM. *Per paruulos in Euangelio intelligimus Gentiles, qui ante Chriſtum, iuxta Paulum* ſenſibus parui erant, non malitiâ: *poſt Chriſtum verò*, lumen ad reuelationem gentium *per fidem captiuantem & humiliantem intellectum in obſequium, in grege puſillo eorum ſimplicitate, & humilitate deputantur.* FACILIVS EVMDEM. *Longè melius & rationabilius Creatorem ipſum, qui ſe futurum promiſerat, impleſſe promiſſum iudicabimus, quàm Deum Marcionis, cujus nullum legimus prioribus ſæculis præſcriptum eſſe promiſſum.* CREATORI NEGOTIVM. *Seruiuit vtique tanquam inferior Deus Marcionis, Creatori noſtro, non iam aduerſarius eius, ſed fidelis miniſter.* SED IN DESTRVCTIONEM. *forte dices, reuelaſſe quæ ille celauerat; vt occulta illa ex obſcuro palam irridenda produceret. Sed ſi hoc eſſet, non paruulis; vt Chriſtus fecit, ſed ipſis ſapientibus, quibus Creator abſconderat, in ejus odium reuelaſſet. Quod ſi benignum eſt, tantò magis debuit ex compaſſione ipſiſmet aperire, quibus Deus ſæuus, & crudelis abſonderat, qui nihil tale erga paruulos & humiles fecerat.* ET TAMEN VSQVE ADHVC. *Nonobſtantibus igitur, ô Marcion, tuis antitheſibus, Chriſtus hactenus non aduerſatur Creatori, imo legem ejus & Prophetas implet & non deſtruit, vt enim in veteri lege, ſic in noua ſapientiam confundit, & arcana ſua abſcondens ſuperbis, reuelat paruulis: Iob enim de ſapientia loquens:* volucres inquit, cœli latet, *id eſt ſuperbos vento gloriæ: alis ſuperbiæ ſe tollentes. Pſalmo autem* 18. teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. *In quem*
Aug. *locum Auguſtinus Chriſtum inducit tuentem legem veterem:* Teſtimonium, inquit, Domini fidele: quia nemo nouit Patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare, quæ abſcondita ſunt à ſapientibus, & reuelata paruulis, quoniam Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Et concione* 27. *in Pſal.* 118. Declaratio ſermonum tuorum illuminat; & intelligere facit paruulos. Quid eſt, inquit, paruulus,
Aug. niſi humilis & infirmus? noli ergo ſuperbire, noli

A de tua, quæ nulla eſt, virtute præſumere, & intelliges quare ſit à bono Deo *quidquid dicat Marcion malæ legis, malum Arbitrem eſſe Creatorem*, bona lex data, quæ tamen viuificare non poſſit, *iuſtificare & dare gratiam*; ad hoc enim data eſt, vt te de magno, *ſuperbo, de viribus tuis præſumente poſſe ex te ſine gratia implere legem*, paruulum faceret, vt te ad faciendam legem, vires de tuo non habere monſtraret: ac ſic inops, indigus, & egenus ad gratiam confugeres, & clamares; miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. Hoc ergo ſcrutando intellexit hic paruulus quod minimus Apoſtolorum Paulus, id eſt paruulus oſtendit, *ecce vt contra Marcionem, non ſecus atque contra Pelagium vtráque lege non aduerſante ſed*
B *conſpirante, Tertullianum æmulatus, vritur Auguſtinus*, ideo datam legem quæ viuificare non poſſet, quia concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide IeſuChriſti daretur credentibus. Gal. 4. Ita Domine, ita fac miſericors Domine, impera quod non poſſit impleri; imò impera, quod non niſi per tuam gratiam poſſit impleri; vt cùm homines per ſuas vires id adimplere nequiuerint, omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus videatur. Sint omnes paruuli, & reus fiat omnis mundus tibi, quia non iuſtificabitur ex lege omnis caro coram te Deo: per legem enim cognitio peccati: Nunc autem ſine lege, *ſine obſeruantia cærimonialium veteris legis*, iuſtitia tua *lex noua gratia iuſtificantis, de qua ſcriptum eſt, vt permaneat, & non mutanda, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Manifeſtata eſt teſtimonium habens à
C lege & Prophetis, Hęc ſunt mirabilia teſtimonia tua, quæ ſcrutata eſt anima paruuli huius, & ideo inuenit, quia humiliatus eſt, & paruulus factus eſt. Quis enim facit mandata tua, ſicut facienda ſunt, id eſt ex fide quæ per dilectionem Dei operatur, niſi eius in corde per Spiritum Sanctum ipſa dilectio diffundatur? Hoc etiam iſte paruulus confitetur. Os meum, inquit, aperui & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam. Quid deſiderabat niſi facere mandata diuina? Sed non erat vnde faceret, infirmus fortia, & paruulus magna. Aperuit os confitens quod per ſeipſe non faceret, & attraxit vnde faceret, aperuit os petendo, quærendo, pulſando, & ſitiens hauſit ſpiritum bonum vnde faceret quod per ſeipſum non poterat, mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.
D Rom. 7. Si enim nos cum ſimus mali, nouimus bona data dare filiis noſtris, quantò magis Pater noſter de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus eum? *& quomodo petet Spiritum, niſi prius ipſe Spiritus dederit Spiritum precum, de quo alibi: vel cùm ipſi neſciamus quid petamus, ipſe ſpiritus poſtulet pro nobis, hoc eſt, ex*
Aug. *poſtulare faciat, in quo clamamus Abba pater, & in nomine Ieſu Dei filij, petamus patrem: quod ipſum nec ſine Spiritu Sancto poſſumus, teſtante Paulo nos niſi in Spiritu Sancto poſſe dicere, Dominus Ieſus. O quàm paruuli & pauperes ſumus, quàm vacui; ſed benè eſt, quòd pauperes ditat, & ſublenat; quòd paruulos grandes facit; quòd ex Pſalte, reſpicit in orationem humilium, vel vt alij legunt, in orationem vacui: vt eſurientem impleat*
E *bonis & humiles ſpiritu, & pauperes, & humilem populum ſaluum faciat Spiritus bonus.* Non enim qui ſpi- S.Aug.
ritu ſuo agunt, ſed quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt. Non quia ipſi nihil agunt, ſed ne nihil boni agant, à bono agũtur, vt agant. Nam tantò magis efficitur quiſque filius bonus, quãtò largius ei datur à Patre Spiritus bonus. Denique iſte adhuc petit. Os quidem aperuit & attraxit Spiritũ, ſed adhuc ad Patrem pulſat, & quærit. Bibit, ſed quantò ſuauius ſenſit, tantò ardentius adhuc ſitit. Audi verba ſitientis: reſpice in me & miſerere mei, &c. *Nec prætereo*

quod in rem plurimum faciat Tertulliani per Auguſtinum illuſtrandam, quâ docet, Chriſtum vt filium Creatoris reuelaſſe paruulis vtrobique, hoc eſt in vtraque lege, qua in vtraque malè ſapientibus, hoc eſt ſuperbis abſcondit. Sic enim Ser. 8. de Verbis do. circa f. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ. Quid Confiteor? S.Aug in quo te laudo, &c. Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Quid eſt hoc fratres? à contrario ſenſu intelligite, &c. non dixit reuelaſti ea ſtultis & imprudentibus, ſed ait, abſcondiſti quidem à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, ſapientibus & prudentibus irridendis, arrogantibus, falsò grandibus, verè autem tumentibus, oppoſuit non inſipientes, non imprudentes, ſed paruulos: qui ſunt paruuli? humiles, &c. O via Domini! aut non erat, aut latebat, vt reuelaretur nobis; Vnde Dominus exultauit? quia reuelatum eſt paruulis. Debemus eſſe paruuli; nam ſi voluerimus eſſe magni, quaſi ſapientes & prudentes, non illud nobis reuelatur. Qui ſunt magni? ſapientes & prudentes. Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Habes remedium à contrario: Si dicendo te eſſe ſapientem ſtultus factus es, dic te ſtultum, & ſapiens eris. Sed dic, dic, & intus dic, quia ſic eſt vt dicis. Si dicis, noli coram hominibus dicere, & coram Deo non dicere. Prorſus quod ad te ipſum attinet, quod ad tua, tenebroſus es. Quid eſt enim aliud eſſe ſtultum, niſi eſſe tenebroſum in corde? Denique de illis ſic ait *Paulus ſcil. Rom.* 1. dicentes ſe eſſe A ſapientes ſtulti facti ſunt. Antequam hoc dicerent, quid rurſum: *deus ſenſit Paulus*: & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dic quia tu tibi lumen non es. Vt multùm, oculus es, lumen non es. Quid prodeſt patens & ſanus oculus, ſi lumen deſit? Ergo die à te tibi lumen non eſſe, & clama, quod ſcriptum eſt, tu illuminabis lucernam meam Domine; lumine tuo Domine illuminabis tenebras meas. Meæ enim nihil niſi tenebræ; tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me: non à me mihi lumen exiſtens, ſed lumen non participans niſi in te, &c. Ergo confiteor tibi, &c. quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, &c. lumen ſe putantibus, & tenebræ erant, & eó quòd tenebræ erant, & lumen ſe putabant, nec illuminari potuerunt. Illi autem qui tenebræ erant, & tenebras ſe eſſe confitebantur, paruuli erant, non magni: humiles erant, non ſuperbi. Rectè ergo dicebant: tu illuminabis lucernam meam Domine. Se agnoſcebant, Dominum laudabant, à via ſalutari non recedebant, laudantes Dominum inuocabant, & ab inimicis ſuis ſalui erant. *Nil mirum, ſi* humiles ſpiritu ſaluabit; ſi humilibus dat gratiam; *quia ab humilium accipit gloriam. Vnde ſapiens:* magna, inquit, potentia Dei ſolius, & ab humilibus honorantur Deus. *Quid dico? & dicens cum Paulo humili, nihil ex ſe vel cogitare poſſe fatenti; dicat*, omnia poſſum in eo qui me confortat; gratiam & gloriam dabit Dominus, quicumque enim me glorificauerit honorificabit eum Pater meus qui in cœlis eſt.

HYPOCRITA.

1. *Hypocritæ, pomis Gomorrhæ ſimiles. Apol. cap. 40. circa m.*

Gen.19.25. Sap.10.7. OLet adhuc incendio terra, & ſi qua illic arborum poma conantur, oculis tenus, caterum contacta cinereſcunt.

HYPOCRITA. I. SCHOL.

OLET ADHVC, *terra Sodomorum ex incendio ſulphureo, grauem vtiamnum odorem ſpirat. Ex Philone lib. de Abraham, mare mortuum vicinum, Sodomis continuum fumum, & ſulphur exhalat, & Borchardus in deſcript. terra Sanctæ narrat ſe vidiſſe ſemper fumantem & tenebroſum, Adeò, vt videatur ex tetro vapore, os inferni; & terra ad ſex leucas, vicina, nec germen producit. Cenſetur à Solino & Plinio eſſe lacus Aſphaltites qui nec piſces, nec quidquã vinum producit: in quem ſi quod animal vinum, vel homo proijciatur, ſupernatat, nec mergitur.* CONANTVR, *nituntur ſe exerere, ſola ſuperficie lucent, minimo tactu ſolumnetur in cineres. Præter alibi dicta in hunc locum, aduerte in pomis Sodomiticis cute pulchris, medullâ cinereis, vinam hypocritæ imaginem. Quem Chriſtus in ſepulchro dealbato pleno intrinſecus oſſibus mortuorum deſcripſit. De quo Iob:* Pulchritudinem, inquit, cutis illius deuoret primogenita mors. *id eſt ex Greg. ſuperbia, quâ plenus eſt hypocrita,* & initium omnis peccati ſuperbia à *quâ* mors. *Aug. autem lib. 2. de Ser. Domini in monte cap. 3.* S.Aug. Manifeſtum eſt hypocritas non quod oculis prætendunt hominem, *ſic Tertull. ait poma conantur oculis tenus*, id etiam corde geſtare. Sunt enim hypocritæ ſimulatores, tanquam pronuntiatores perſonarum, alienarum, ſicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in tragœdia, verbi gratia, ſiue alicuius alterius ad hiſtoriam vel fabulam quæ agitur pertinentis, verè ipſe eſt. Sed ſimulat eum, & hypocrita dicitur. Sic in Eccleſia, vel in omni vi- C ta humana, quiſquis ſe vult videri quod non eſt, hypocrita eſt: ſimulat enim iuſtum, & non exhibet: quia totum fructum in laude hominum ponunt, *qui vident quod de foris eſt* quam poſſunt etiam ſimulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni, ab eiſque laudantur: ſed tales ab inſpectore cordis Deo mercedem non capiunt, niſi fallaciæ ſupplicium, &c. Illi ergo perceperunt mercedem ſuam, qui non ob aliud eleemoſynam faciunt, niſi vt glorificentur ab hominibus: non ſi glorificentur, ab hominibus; ſed ſi ideo faciunt vt glorificentur, &c. Laus enim humana non appeti à rectè faciente, ſed ſubſequi debet rectè facientem: vt illi proficiant, qui etiam imitari poſſunt, quod laudãt: non vt hîc putet aliquid eos ſibi prodeſſe quem laudant. *Et rurſum hieuius cap.* D 30. Hypocritæ tegunt ſub perſona, quod ſunt; & Aug. oſtentant in perſona, quod non ſunt. *Tactu autem, vel leuis iniuria, aut deſpectus, probantur quod ſunt putidus cinis ſcilicet. Quam longè abſunt hæc poma, à forma ſolida & pleno decore ſponſæ Canticorum. cap. 4.* 3. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecùs latet. *Præter enim externam formam, intrinſecus refertum eſt hoc pomum fructibus.* 70. *legunt:* ſicut cortex mali punici gena tua, extra taciturnitatem tuam. *Præter ſilentium, à bonis tuis internis, quæ Deus videt, nec ore iactas. Vt cum Pſalte impleas*: obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. *Et rurſum*: tibi ſilentium laus in Sion.

2. Hypocritam Chriſtus odit. 4. Cont. Marc. c. 28. in f.

MEritò non placebat illi hypocriſis Phariſæorum, labiis ſcilicet amantium Deum, non corde: a *Cauete*, inquit diſcipulis, *à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis*, non prædicatio Creatoris. Odit contumaces Patris Filius; non vult tuos tales exiſtere in illum: non in alium, in quem hypocriſis fuiſſet admiſſa, cuius exemplum à diſcipulis cauereatur. Ita Phariſæorum prohibet exemplum. In eum prohibebat illud admitti; in quem admittebant Phariſæi. Igitur quoniam hypocriſim eorum taxarat, vtique celantem occulta cordis, & incredulitatis ſecreta ſuperficialibus officiis obumbrantem; quæ clauem agnitionis habens, nec ipſa introiret, nec alios ſineret: ideo adiicit, b *Nihil autem opertum, quod non pateſiet; & nihil abſconditum, quod non dignoſcetur*: ne quis exiſtimet illum Dei ignoti retro & occulti reuelationem & adagnitionem intentare, quum ſubiiciat, etiam quæ inter ſe muſſitarent vel tractarent, ſcilicet ſuper ipſo dicentes, c *Hic non expellit dæmonia niſi in Beelzebule*, in apertum proceſſura, & in ore hominum futura, ex Euangelii promulgatione.

a Luc. 12. 1. Eſa. 29. 13.

Luc. 1. 51.

b Luc. 12. 2.

c Luc. 11. 15.

HYPOCRITA. II. SCHOL.

MERITO, *&c. Marcion captabat occaſionem arguendi legem veterem, & eius Authorem Deum Creatorem; quòd Chriſtus moneret diſcipulos, vt cauerent ab hypocriſi Phariſæorum; qui legis veteris erant exactiores præ cæteris obſeruatores: ſed Chriſtus non arguebat legem, quam intelligit Tertullianus per* prædicationem Creatoris: *Sed meritò, inquit, reprehendebat hypocriſim eorum, quâ labijs honorabant Deum, quorum cor longè erat à Deo.* CONTVMACES PATRIS. *in Patrem rebelles.* NON IN ALIVM. *Deum Marcionis; qui cùm non eſſet, in eum per hypocriſim Phariſæi peccare non poterant.* CVIVS EXEMPLVM, *ſcilicet hypocriſis.* IN EVM, *Deum Creatorem.* CLAVEM AGNITIONIS, tuliſtis clauem ſcientiæ. *De qua alibi.* ALIOS SINERET, *ſupple ingredi*: eos qui volebant intrare prohibuiſtis: IDEO ADIICIT. *Luc.* 12. 2. Nihil autem opertum eſt quod non reueletur: Neque abſconditum quod non ſciatur. *Quod Chriſtus ſubiecit ſtatim poſt fermentum Phariſæorum.* NE QVIS EXISTIMET, *&c. vt ſuadere vult Marcion, Chriſtum his verbis, contra Deum Creatorem intentatis, promittere reuelationem Dei prius incogniti ſummè boni: cùm Chriſtus probet, ſe intelligere per hanc reuelationem, non manifeſtationem noua & incognita prius diuinitatis, ſed ſecretorum cordium blaſphemantium Phariſæorum: qui exterioribus cærimonijs obumbrabant per hypocriſim incredulitatem ſuam & malitiam cordis, dum murmurabant de ipſo Chriſto: cùm dicerent. Luc.* 11. 15. In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia. *Quid de fermento Phariſæorum ſenſerit Auguſtinus, videamus to.* 3. *lib.* 3. *de doctrina Chriſt. cap.* Aug. 21. In vituperatione fermentum poſuit Dominus, cùm diceret, cauete à fermento Phariſæorum; & in laude; cùm dicere, ſimile eſt Regnum cœlorum mulieri, quæ abſcondit fermentum in tribus menſuris farinæ, donec fermentarum eſt totum. *Et to.* 4. *lib.* 2. *de conſenſu Euang. cap.* 52. *ex Math.* 16. 4. cùm veniſſent diſcipuli eius Aug. transfretum, obliti ſunt panes accipere, qui dixit illis, intuemini, & cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum, &c. vſque ad illud vbi ait, tunc intellexerunt quia non dixerit cauendum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum & Sadducæorum. Aug. *Et Ser.* 41. *de Ver. Do.* loquens illis ait cauete à fermento Phariſæorum. Tunc putauerunt ideo Dominum dixiſſe hoc, quia panes non tulerant: non intellexerunt, quia, cauete à fermento Phariſæorum, hoc dictum eſt, cauete à doctrina Phariſæorum, quæ fuit doctrina Phariſæorum niſi quam modo audiſtis, gloriam ab inuicem quærentes, gloriam ab inuicem A expectantes, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quærentes, &c. hoc eſt fermentum Phariſæorum *Et Ser.* 59. *de temp.* Hypocrita, Græco ſermone, ſimulator interpretatur, qui dum intus malus ſit, bonum S.Aug. ſe palam oſtendit, hypo, enim falſum, criſis verò iudicium ſonat. Nomen autem hypocritæ tranſlatum eſt à ſpecie eorum qui in ſpectaculis, tecta facie incedunt, diſtinguentes vultum ceruleo, niueoque colore, & cæteris pigmentis habentes ſimulacra oris, lintea gypſata, & vario colore diſtincta, &c. vt populum, dum in ludis agerent, fallerent; modò in ſpecie viri, modò in forma fœminæ, & reliquis præſtigijs. Quæ ſpecies argumenti tranſlata eſt in hos qui falſo incedunt vultu, & ſimulant quod non ſunt. Sed hypocriſeorum maculam non habere, aut paucorum, aut nullorum eſt. Nam quicumque vult ſe videri quod non eſt, hypocrita eſt. Qui tubâ ca- B nit faciens eleemoſynam, hypocrita eſt, qui in ſynagogis, & in platearum angulis orat, vt videatur ab hominibus, hypocrita eſt. Qui ieiunans demolitur faciem, vt ventris inanitatem demonſtret in vultu, & hic hypocrita eſt. Ex quibus omnibus intelligitur, hypocritas eſſe qui faciunt quodlibet, vt ab hominibus glorificentur. Mihi videtur & ille hypocrita eſſe, qui dicit fratri ſuo; dimitte vt tollam feſtucam de oculo tuo, propter gloriam hoc facere vt ipſe eſſe iuſtus videatur, vnde ei à Domino dicitur, hypocrita eiice priùs trabem de oculo tuo. Non itaque virtus, ſed cauſa virtutis, *finalis ſcilicet, ſine intentio quâ virtutis opus exerceatur*, apud Deum mercedem habet. Et ſi à recta ſemita paululum deuiaueris, non intereſt, vtrũ ad dexteram vadas, an ad ſiniſtram, cùm verum iter amiſeris. Signanter autem dicit, receperunt mercedem ſuam; C hoc eſt, non Dei ſed ſuam: Laudati enim ſunt ab hominibus, quorum causâ, exercuere virtutes. *Cùm autem hic locus Euangelij à Tertulliano relatus, hypocriſim fermento comparet; vel cum Beda dicendum eſt iuxta Paulum, modicum fermenti vanæ gloriæ totam maſſam cuiuſcumque operis boni corrumpere; vel, ſicut fermentum maſſam inflat & extollit, ſic hypocrita ſuperbiam ex modico bono, in magnum tumorem exurgere; ſic enim Paulus* 1. *Cor.* 4. 6. in nobis diſcaris *Syr. per nos diſcatis, non amplius de vobis ſentire, quàm ſcriptum eſt; vt ne quis ſupra proximum efferatur propter aliquem.* Ne ſupra quàm ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum infletur pro alio. Quis enim te diſcernit? *Syr. ſentatur te?* quid autem habes, quod non acceperis? ſi autem acceperis quid gloriaris quaſi non acceperis? *Et verſu* 18. ſic inflati ſunt quidam, *Syr.*

ſuperbi erant quidam ex vobis. Veniam autem ad vos citò ſi Dominus voluerit, & cognoſcam, non ſermonem eorum qui inflati ſunt *Syr. qui ſeſe efferunt* ſed virtutem. Non enim in ſermone eſt regnum Dei. *non omnis qui dicit mihi Domine. Et vt hic Tertull. populus hic me labijs honorat, cor autem, &c.* Sed in virtute. *Interni & ſolidâ, purâ intentione, &* 1. *Cor.* 5. 2. & vos inflati eſtis. *En fermentum maſſam extollens. Syr.* & vos ſuperbitis. *Verſu tandem* 6. non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis quia modicũ fermentum totam maſſàm corrumpit? Expurgate vetus fermentum vt ſitis noua conſperſio, &c. Itaque epulemur, non in fermento veteri, *dum in ieiunio, Angelorum cibo, paſcimus animas* neque in fermento malitiæ & nequitiæ, *ſicut hypocritæ Phariſæi*, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis. *Sic planè Paulus, non foris ab oculis hominum teſtimonium, vt quondam ipſe Phariſæus ſectâ, dilatans quoque philacteria, & magnificans fimbrias, abundantius hoc eſt ſuperbius, æmulator paternarum ſuarum traditionum; ſed poſtea de Saulo, Paulus & humilis; facta minima fimbria. De quo ſic*
S. Aug. *Auguſtinus tract. 8. in Ep. Ioannis.* De Saulo factus eſt Paulus. Quid eſt Paulus? modicus. Ergo quando Saulus, ſuperbus, elatus; quando Paulus, humilis, modicus: ideo ſic loquimur; paulò poſt, videbo te, id eſt poſt modicum. Audi quia modicus factus eſt, ego enim ſum minimus Apoſtolorum: &, mihi minimo omnium ſanctorum, dicit alio loco. Sic erat inter Apoſtolos tanquam fimbria veſtimenti: ſed tetigit Eccleſia Gentium tanquam fluxum patiens, & ſanata eſt. *Et paulò ſupra* quid ait? *Chriſtus ſcilicet.* Cauete facere iuſtitiam veſtram coram hominibus vt videamini ab eis. *Hoc eſt cauete à fermento Phariſæorum.* Numquid hoc voluit dicere, vt quæcumque bona facimus, abſcondamus ab oculis hominum & timeamus videri? Si times ſpectatores, non habebis imitatores. Debes ergo videri, ſed non ad hoc debes facere, vt videaris. Non ibi debet eſſe finis gaudij tui; non ibi terminus lætitiæ tuæ, vt putes te totum fructum conſecutum eſſe boni operis tui, cùm viſus fueris atque laudatus. Nihil eſt hoc. Contemne te, cùm laudaris, Ille in te laudetur, qui per te operatur. Noli ergo ad laudem tuam operari quod bonum agis, ſed ad laudem illius à quo habes, vt bonum agas. Abs te habes malè agere, à Deo habes benè agere, &c. *Poſtea ſubiecit de Paulo*: Et Paulus quid ait? Gal. 1. eram autem ignotus facie Eccleſijs Iudææ quæ in Chriſto ſunt. Tantùm autem audientes erant, quia, qui nos aliquando perſequebatur, nunc Euangelizat fidem quam aliquando vaſtabat: & in me magnificabant Deum, Videte quemadmodum & ipſe, quia ſic innotuit, finem non poſuerit in laudem ſuam, ſed in laudem Dei. *Videte quomodo factus ſit minima fimbria, qui magnificabat fimbrias; qui de fermento Phariſaico inflatior extollebatur, nunc Deum magnificat, ſe vero vilificat, vt ſeruus Dei iam non ſibi vel hominibus, ſed ſoli Deo placet. Accipe Aug. tract. in*
S. Aug. *Pſal.* 149. *in verſum* exultabunt ſancti in gloria. Aliquid volo dicere, audite attentius de gloria ſanctorum. Nemo enim eſt qui non amet gloriam, ſed gloria ſtultorum, popularis illa quæ dicitur, habet illecebram delectationis & deceptionis, vt ad laudem ſuam, & honorem vanorum hominum quiſque commotus, velit ſic viuere vt prædicetur ab hominibus quibuſcumque, quomodocumque. Hinc homines inſani effecti, & inflati typho inanes intus, foris tumidi, etiam res ſuas perdere volunt donando ſcenicis, hiſtrionibus, venatoribus, auguribus. Quanta donant, quanta impendunt? eſtimant vires non patrimonij tantum, ſed etiam animi ſint, &c. Propterea iſti qui tali gloria delectantur, in conſcientia ſua nihil habent. Quomodo exhauriunt arcas vt veſtes mutent, ſic exinaniunt ipſam conſcientiam, vt nihil ibi habeant pretioſum. Sancti autem qui exultant in gloria, quomodo exultent non opus eſt vt nos dicamus: ipſius pſalmi audite ſequentem verſum: exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Non in theatris, non in amphitheatris, non in circis, non in nugis, non in foris, ſed in cubilibus ſuis. Quid eſt in cubilibus ſuis, *an in thoris & lectis eburneis, aureis, purpureis?* in cordibus ſuis. *Exponit enim ſe alibi Pſaltes quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* Audi Apoſtolum Paulum 2. Cor. 1. exultantem in cubiculo ſuo. Nam gloria noſtra, inquit, hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Rurſum timendum eſt, ne quiſquam apud ſeipſum fiat ſibi placens, & quaſi ſuperbus de conſcientia ſua glorietur. Debet enim quiſque cùm tremore exultare, *monente Pſalte, exultate ei cum tremore, nequando iraſcatur Dominus & pereatis de via iuſta, quia in ſancto via tua, & deducet mites viæ ſuas, & exaltabit manſuetos in ſalutem quia ſuperbi exaltantur in ruinam* quia donum Dei eſt vnde exultat, non meritum ſuum. Etenim ſunt multi ſibi placentes, & iuſtos ſe eſſe arbitrantes, *& aſperuantes cæteros faſtu & fermento Phariſaico elati*; & procedit aduerſus illos illa pagina Prouerb. 20. dicens: quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato? Eſt ergo quidam modus in conſcientia gloriandi, vt noueris fidem tuam eſſe ſinceram, *en azyma ſinceritatis noua contra vetus fermentum*, noueris eſſe ſpem tuam certam, noueris charitatem tuam eſſe ſine ſimulatione. *Hæc eſt hypocriſis contraria cordi non ficto & conſcientiæ puræ* ſed quoniam multa ſunt adhuc fortè quæ poſſunt offendere oculos Dei, lauda eum qui tibi iſta donauit. tunc perficiet quod donauit. Propterea cùm dixiſſet, Aug.
lætabuntur in cubilibus ſuis, ne quaſi, ſibi placentes viderentur adiunxit ſtatim, exultationes Dei in faucibus eorum. Sic lætabuntur in cubilibus ſuis, vt non ſibi tribuant qnod boni ſunt, ſed illum laudent à quo acceperunt quod ſunt, à quo vocantur vt perueniant ad id quod nondum ſunt, & à quo ſperant perfectionem, cui gratias agunt quia inchoauit. Exultationes Dei in faucibus eorum iam videte ſanctos, videte gloriam eorum, videte per vniuerſum mundum, videte quod exaltationes Dei ſint in faucibus eorum. *De Phariſæis contra, laus propria in ore ipſorum, exiſtimatio propria in cubilibus eorum: tandem populus iſte inquit Tertull. Deum inducens, labijs me honorat cor autem eorum longè eſt à me.*

3. *Hypocritam & ſuperbum diſcipulum Chriſtus reprobat. 4. Cont. Marc. cap. 23. circa f.*

a Luc. 9. 57. ATenim humaniſſimus Deus, cur recuſat eum, qui ſe tam indiuiduum illi comitem offert? Si quia ſuperbè, vel ex hypocriſi dixerat, [a] *Sequar te quocunque ieris*; ergo aut ſuperbiam, aut hypocriſin recuſandam iudicando, iudicem geſſit. Et vtique damnauit, quem recuſauit, non conſecuturum ſcilicet ſalutem. Nam ſicut ad ſalutem vocat, quem non recuſat, vel etiam quem vltro vocat; ita in perditionem damnat quem recuſat.

HYPOCRITA. III. SCHOL.

ATENIM HVMANISSIMVS. *Quid hic dices, Marcion, qui Deum Creatorem ideo respuis, quia saeuus & iudex est, cùm Christus Dei tui filius humanissimus, vt pote piissimi Patris filius austerè repellat à se illum qui quacumque pergeret Christus secuturum vltrò promittebat?* SED QVIA SVPERBE, *&c. dices forsitan, Christum oculo perspicaci, præsumptionem eius vel hypocrisim videntem; ideo repulisse. Si ita est, discernendo causam eius, & suo comitatu indignum iudicando, & oblatum eius famulatum recusando, gessit personam iudicis, quod tamen in Deo nostro Creatore accusas.* QVEM VLTRO VOCAT, *vt vocauit alterum non cogitantem, cui dixit*, sequere me, *quem & à mortuo Patre sepeliendo propter melius opus reuocauit. Aug. Ser. 7. de ver Do.* lectum est Dominum Iesum differenter egisse. Cùm obtulit se vnus, vt eum sequeretur, & reprobatus est *qui Luc. 5. 57. dixit ad illum sequar te quacumque ieris, quem Math 8. 19. scribam fuisse dixit*, alius non audebat, excitatus est. *Luc. 9. 59. ait autem ad alterum sequere me* tertius differebat, & culpatus est. Luc. 9. 61. & ait alter: sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi sunt. *Syr.* vt proficiscar valedicturus filiis domus meę & veniam. Ait ad illum Iesus: nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei. *De primo sic resumit Augustinus*: Quod dixit Domine sequar te quocumque ieris: Quid tam promptum, quid tam impigrum, quid tam paratum, & quid ad tantum bonum apusſimum sequi Dominum quocumque ierit? Miraris hoc, dicens: quid est hoc quod magistro bono *humanissimo diceret Tertull.* Domino Iesu Christo inuitanti discipulos quibus daret regnum cœlorum, displicuit tam paratus? sed quia talis magister erat, qui futura præuideret, intelligimus fratres, istum hominem si sequeretur Christum, sua quæsiturum fuisse, non quæ Iesu Christi ipse enim dixit, non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, & iste de ipsis fuit, nec sic se ipse nouerat quomodo medicus inspiciebat. Nam si iam se fictum esse spectabat, si iam dolosum & insidiosum se nouerat, cui loqueretur non nouerat. Ipse est enim de quo Euangelista ait, non opus habebat vt quisquam ei testimonium perhibetet de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine. Quid ergo respondit? Vulpes foueas habent, & volatilia cœli nidos filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Sed vbi non habet? in fide tua. Vulpes enim foueas habent in corde tuo, quia dolosus es; *hypocrita*. Volatilia cœli habent nidos in corde tuo, quoniam elatus es. Dolosus & elatus, non me sequeris. Quomodo dolosus sequitur simplicitatem *adde, & superbus humilitatem?* & ad alterum continuò tacentem, & nihil dicentem, nihil promittentem, dicit, sequere me, *hunc intelligit Tertullianus dum ait, quem vltro vocat*, quantùm mali in illo, tantum boni videt in isto. Sequere me, dicis nolenti. Ecce habes hominem paratum, sequor te quocunque ieris, & tu dicis nolenti, sequere me: istum, inquit, declino quia video ibi foueas, video nidos. Quid ergo molestus es huic quem prouocas, & excusat? Ecce iam compellis, & non venit, hortaris, & non sequitur. Quid enim dicit? ibo prius sepelire patrem meum. Fides cordis eius, *quam non à se habebat, sed à Deo infusam vt centies alibi dixit Augustinus, & hoc donum Dei est.* Domino se ostendebat, sed pietas *erga patrem sepeliendum* differebat. Dominus autem Christus quando parat homines Euangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis huius temporalisque pietatis, &c. vocat te Oriens, & tu alter dis Occidentem, &c. *Concludit autem de causella superbiae & fidem, & gratiam omnem Deo imputandam.* O gratia gratis data! quid tu iustè credis te sine Deo posse seruare iustitiam? Ipsius ergo totum reputa, quod iustus es, pietati, quod autem peccator es, tuæ iniquitati adscribe. Esto accusator tuus, & ille erit indultor tuus. Omne enim crimen quod facimus, vel peccatum, nostræ est negligentiæ, & omnis virtus & sanctitas Dei est indulgentiæ. *Cur tandem recusauerit Christus veritas, & via se præsumentem rationem ex Aug. colligo Ser. 213. de temp.* Eam quippe quam non inuenerit humilem veritas fugit mentem, &c. qui enim sine humilitate bona opera agit, in ventum pulucrem portat, item scriptura dicit Eccli. 10. 9. quid superbit terra & cinis? dum vento superbiæ dispergitur, quod iejuniis & eleemosynis congregari videtur. *Nota hunc hypocritam præsumentem sequi Christum vt supra dixi, fuisse Scribam, Scribas autem & Pharisaeos simul hypocritas maledici, qui in lege, iejunijs, & eleemosynis gloriabantur.* Noli ô homo in virtutibus gloriari tuis, quia alterum habiturus eris iudicem, non te ipsum, in cuius conspectu teipsum in corde tuo studeas humiliare, quatenus ille te exaltet in tempore retributionis suæ. Descende vt ascendas, humiliare vt exalteris, ne exaltatus humilieris. Qui enim sibi vilis videtur, ante Deum pulcher est. Qui sibi displicent, Deo placent. Esto igitur paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis Dei. Tantò enim eris apud Deum pretiosior, quantò fueris ante oculos tuos despectior. In summo honore, summa tibi sit humilitas. *Quod dupliciter intelligi potest, vel quod humilitas vtpote Christi & Apostoli virtus, dicentis, gloriabor in infirmitatibus meis vt inhabitet in me virtus Christi: id est humilitas quam vult pra cateris à se disci, quam pra cunctis exaltat & honorat. Vel quod vt supra retulerat Augustinus: ex Eccli. 3. 20.* Quantò magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.

I

IDOLVM ET IDOLOLATRIA.

1. Idolum nihil eſt: & proinde dij qui dicuntur non ſunt. 5. Cont. Marc. cap. 7. in m.

a1.Cor.8.5. SI a *ſunt, qui dicuntur Dei, ſ: in cœlis, ſiue in terriss* apparet quomodo dixerit, non quaſi verè
ſint qui dicantur, quando non ſint: de idolis enim cœpit, de idolothytis diſputaturus:
b Ibid.4. b *Scimus quod idolum nihil ſit.* Creatorem autem & Marcion Deum non negat; ergo non poteſt
videri Apoſtolus Creatorem quoque inter eos poſuiſſe, qui Dei dicantur, & tamen non
c1.Cor.8.6. ſint, quando etſi fuiſſent, c *nobis tamen vnus eſſet Deus Pater.*

2. Idolum qua ex materia, vel qua effigie fiat, ſiue hominis, ſiue pecudis, non intereſt: idololatria autem eſt, omnis circa idolum ſeruitus. De Idol. cap. 3. in m.

EXinde iam caput facta eſt idololatriæ ars omnis quæ idolum quoquomodo edit. Neque enim intereſt, an plaſtes effingat, an cælator exſculpat, an Phrygio detexat: quia nec de materia refert, an gypſo, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. Quando enim & ſine idolo idololatria fiat: vtique cum adeſt idolum nihil intereſt quale ſit, qua de materia, qua de effigie, ne qui putet id ſolum idolum habendum, quod humana effigie ſit conſecratum. Ad hoc neceſſaria eſt vocabuli interpretatio. Εἶδος Græcè formam ſonat, ab eo per diminutionem εἰδωλον deductum, æquè apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma vel formula idolum ſe dici expoſcit. Inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus & ſeruitus.

IDOLVM ET IDOLOLATRIA. I. ET II. SCHOL.

SI SVNT. 1. *Cor.* 8. 5. qui dicantur dij ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſi quidem ſunt dii multi, & Domni multi: nobis tamen vnus Deus pater ex quo omnia, & nos in ipſo. SI SVNT. *Si aliquod eſſe habent in rerum natura.* APPARET QVOMODO. *quo ſenſu. Non ſcriò, ſed ironicè, Non enim verè ſunt dij plures.* QVANDO, *quando quidem.* COEPIT *tractare ſic dicendo verſu primo.* De ijs autem quæ idolis ſacrificantur. *Et verſu 4.* ſcimus quia idolum nihil eſt in mundo. MARCION, *licet ſit hæreticus, quia duos Deos inuexit, malum & bonum, non tamen negauit Creatorem eſſe Deum.* QVANDO ETSI FVISSENT. *Licet à paganis Deorum pluralitas credatur, nos tamen vnicum Deum Patrem & Creatorem omnium aſſerimus.* SCIMVS QVIA, *&c.* 1. *Cor.* 8. 4. Scimus quia nihil eſt Idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi vnus. *Prater dicta in hunc locum Verbo dij gentium num. 1. hæc ab Auguſtino accipe to.*

S.Aug. 6. *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 5. O imperita peſtis, & vanitas verſipellis, vt quid tibi obijcis, quod ſi quis tibi obijcit, neſcit cum quo agat? Neque enim vos paganos dicimus, aut ſchiſma paganorum ſed habere cùm eis quandam ſimilitudinẽ eo quod multos colatis Deos. Verũ vos eis eſſe lõgè deteriores, quòd illi colunt ea quæ ſunt, ſed pro dijs colenda non ſunt: ſunt enim & Idola, ſed ad ſalutem nihil ſunt. Et qui colit arborem, non quidem arando, ſed adorando; non id colit quod nuſquam eſt, ſed quod ita colendum non eſt. Ipſa enim dæmonia, vnde dicit Apoſtolus; *quorum cauſa ſcribit Paulus*; quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo: vtique ſunt, quibus illos immolare dicit, & quorum nos ſocios eſſe non vult. Iam verò, cœlum & terra, & ſol, & luna, & ſydera, omnia hæc manifeſta oculis apparent, atque ipſis ſenſibus præſtò ſunt. Quæ cùm pagani tanquam Deos colunt, tanquam partes vnius magni Dei: Nam vniuerſum mundum quidam eorum putant maximum Deum; ea colunt quæ ſunt. Cùm quibus quando agimus vt ea non colant, non eis dicimus, quod nulla ſint, ſed quod colenda non ſint: eiſque colendum horum omnium conditorem, Deum inuiſibilem ſuademus, cujus ſolius participatione *non ſicut Gentiles mundi hujus particulis fruentes ſe beatos putant*, beatus homo fieri poteſt, quod omnes velle nemo ambigit. Sed quia nonnulli eorum inuiſibilem & incorpoream Creaturam colunt, *vt puta Angelos & damones*, quod eſt & anima, menſque humana; tamen quia nec ejuſmodi creaturæ participatione fit homo beatus; ille non ſolùm inuiſibilis, verum etiam incommutabilis Deus, id eſt Deus verus colendus eſt, quo ſolo fruens, beatus fit cultor ejus: & quo ſolo non fruens, omnis mens miſera eſt, qualibet re aliâ perfruatur. Vos autem, cùm ea colatis quæ omnino non ſunt, ſed veſtrarum fallacium fabularum vanitate finguntur, propinquiores eſſetis veræ pietati & religioni, ſi ſaltem pagani eſſetis, vel in eorum genere qui corpora colunt, etſi non colenda, ſed tamen vera. Vnde vos veriùs dixerim, nec ſolem iſtum colere, ad cuius gyrum veſtra oratio circumuoluitur. Nam & de ipſo falſa, & tam deteſtanda iactatis, vt ſi ſuas vindicaret iniurias, jam flammis eius, *quem Anaxagoras igneum lapidem dixit, & Tertullianus de Lucifero, in medio lapidum ignitorum, hoc eſt ſyderum ambulaſti.* Nam primò cum nauim quandam eſſe dicitis: Ita non tantum, vt dicitur, toto cœlo erratis, ſed & natatis. Deinde, cùm omnium oculis rotundus effulgeta, eaque illi figura pro ſui ordinis poſitione perfecta ſit, vos cum triangulum perhibetis: id eſt per quandam triangulam cœli feneſtram, lucem iſtam mundo terriſque radiare. *Qua cùm vera non ſint, & Solem colant, qui talis non eſt, Idolum, quod nihil eſt, colunt.* Aug.

2. EXINDE *ab ipſo initio temporis quo ſtatuæ & ſimulachra fieri cœperunt.* CAPVT IDOLOLATRIÆ. *Ars omnis quæ Idola fabricat, qualiſcumque ſit artifex, & ex quacumque materia formet Idolum, ſiue plaſtes & figulus ex gypſo, vel luto; ſiue cælator & ſculptor, ex lapide, ære, argento vel auro; ſiue Phrygius, textor, ex*

ex filo, lana vel ſerico, nihil intereſt, facta eſt hujuſmodi ars, cauſa & principium cultus Idolorum. QVANDO ENIM. *Si enim antequam fabricarentur Idola, ea non minus menti Gentilium impreſſerat dæmon, vt & ſine Idolis in dijs pluribus dæmones colerentur.* NE QVI, *ne quis putet* CONSECRATVM. *Dedicatum, ſtatuarium ad cultum.* APVD NOS; *Latinos formula, Icon, imaguncula dicitur. Porro plaſtica ceteris omnibus antiquior. Deus enim per eſſentiam, vnus ſolus verus, plaſtem egit, dum hominem de luto finxit. Chryſologus ſer.* 148. *à p.* In te imaginem ſuam poſuit, vt terris inuiſibilem conditorem, viſibilis Imago præſentem poneret: & in terrenis dedit tibi vices ſuas, vt non fraudaretur Domini Vicario, mundi tam larga poſſeſſio. *De antiquitate artis plaſticæ ſic Plinius lib.* 34. *cap.* 7. Plaſtice prior, quàm ſtatuaria fuit. *De Phrygio autem opere idem Plin. lib.* 8. *cap.* 48. pietas, inquit, veſtes iam apud Homerum fuiſſe, vnde triumphales natæ, acu facere id Phryges inuenerunt. Ideoque Phrygiones appellati ſunt. *Quid autẽ ſit Idololatria vox Græca, breuiter hîc definit Tertullianus.* Idololatria, inquit, eſt omnis circa omne Idolum famulatus & ſeruitus. *Ab Auguſtino autem to.* 4. *lib.* 7. *quæſtionum* 4. 41. *in librum Iudic.* Idolum eſt cuiuſquam Dei falſi ſimulachrum: *pitta porrò pelle ſerpentis dæmon primos parentes in Idololatriam induxit, ſic Phrygius primus. De quo Aug. lib.* 11. *de Ciuit. cap.* 14. Poſteaquam Aug. ſuperbus ille Angelus ac per hoc inuidus, per eamdem ſuperbiam à Deo ad ſemetipſum conuerſus, & quodam quaſi tyrannico faſtu gaudere ſubditis, quã A ſubditus eſſe eligens, de ſpirituali paradiſo cecidit, &c. maleſuadâ verſutiâ in hominis ſenſum ſerpere affectans, cui vtique ſtanti *in vnius Dei cultu*, quoniam ipſe ceciderat, *per ſuperbiam Idololatram ſe Deo faciens; dixiſti Deum ego ſum*; inuidebat; colubrum in paradiſo corporali, vbi cum duobus illis hominibus maſculo & fœmina, animalia etiam terreſtria cætera ſubdita & innoxia verſabantur; animal ſcilicet lubricum, & tortuoſis anfractibus mobile, operi ſuo congruum, per quem loqueretur, elegit: eoque per Angelicam præſentiam præſtantioremque naturam ſpiritali nequitia ſibi ſubiecto, & tanquam inſtrumento abutens, fallaciam ſermocinatus eſt fœminæ: *& quam? niſi idololatriæ: eritis ſicut dij.* à parte ſcilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, vt gradatim perueniret ad totum: non exiſtimans virum facilè credulum, nec errando poſſe decipi, ſed dum alieno cedit errori. Sicut enim Aaron erranti populo ad Idolum fabricandum non conſenſit inductus, ſed ceſſit obſtrictus: nec Salomonem credibile eſt errore putaſſe idolis eſſe ſeruiendum, ſed blanditijs fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum: Ita credendum eſt illum virum ſuæ fœminæ, vni vnum, hominem homini, coniugem coniugi, ad Dei legem tranſgrediendam, non tanquam verum loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe, &c. & ſi credendo non ſunt ambo decepti, *ſed ſola mulier, teſte Paulo ſeducta* peccando tamen ambo capti ſunt, & diaboli laqueis implicati. S. Aug. B

3. *Idololatriæ peccatum ſummum eſt, in crimine locuples, omnia peccata contra Decalogum continens. De Idol. cap.* 1. *per totum, &* 2. *in p.*

PRincipale crimen generis humani, ſummus ſeculi reatus, tota cauſa iudicij, Idololatria. Nam etſi ſuam ſpeciem tenet vnumquodque delictum, & ſi ſuo quoque nomine iudicio deſtinatur, in idololatriæ tamen crimine expungitur. Omitte titulos, operas recognoſce: idololatres, idem homicida eſt: quæris quem occiderit? ſi quid ad elogij ambitionem facit, non extraneum, nec inimicum, ſed ipſum ſe: quibus inſidiis? erroris ſui: quo telo? offenſa Dei: quot plagis? quotquot idololatriis. Qui negat idololatren periſſe, is negabit idololatren homicidium feciſſe. Proinde adulterium & ſtuprum in eodem recognoſcas: nam qui falſis deis ſeruit, ſine dubio adulter eſt veritatis, quia omne falſum adulterium eſt. Sic & ſtupro mergitur. Quis enim immundis ſpiritibus operatus, non conſpurcatus & conſtupratus incedit? Atque adeo ſcripturæ ſanctæ ſtupri vocabulo vtuntur in idololatriæ exprobratione. Fraudis conditio ea eſt, opinor, ſi quis alienum rapiat, aut alij debitum deneget, & vtique erga hominem admiſſa fraus maximi criminis nomen eſt. At enim idololatria fraudem Deo facit, honores illi ſuos denegans, & conferens aliis, vt fraudi etiam contumeliam coniungat. Quod ſi tam fraus quàm ſtuprum atque adulterium mortem adferunt, iam in his æquè idololatria de homicidij reatu non liberatur. Poſt talia crimina, tam exitioſa, tam deuoratoria ſalutis, cetera quoque aliquem ad modum, & ſeorſum proinde diſpoſita, in idololatria conditionem ſuam repræſentant. In illa & concupiſcentiæ ſeculi. Quæ enim idololatriæ ſolennitas ſine ambitione cultus & ornatus? In illa, laſciuiæ, & ebrietates, cum plurimum victus, & ventris, & libidinis cauſa frequententur. In illa, iniuſtitia: quid enim iniuſtius eâ quæ iuſtitiæ patrem neſcit? In illa etiam vanitas, quum tota eius ratio vana ſit! In illa, mendacium, quum tota ſubſtantia eius mendax ſit. Ita fit, vt omnia in idololatria, *i.* in omnibus idololatria deprehendatur. Sed & aliàs quum vniuerſa delicta aduerſus Deum ſapiant, nihil autem quod auerſus Deum ſapiat, non dæmoniis & immundis ſpiritibus deputetur, quibus idola mancipantur, ſine dubio idololatriam admittit quicunque delinquit: id enim facit quod ad idolorum mancipes pertinet. Sed vniuerſa nomina criminum diſcedant in operum ſuorum proprietates, remaneat idololatria in eo quod ipſa eſt: ſufficit ſibi tam inimicum Deo nomen, tam locuples ſubſtantia criminis, quæ tot ramos porrigit, tot venas diffundit, vt de hoc cùm maximè materia ſuſcepta ſit, quot modis nobis præcauenda ſit idololatriæ latitudo. Quoniam multifariam ſeruos Dei, nec tantùm ignorata, ſed etiam diſſimulata ſubuertit. Ezech. 23. 3. & ſeq. per totum. CAP. 11.

IDOLOLATRIÆ PECCATVM SVMMVM. III. SCHOL.

PRINCIPALE CRIMEN. *Quod contra primum mandatum & principale, cultum Dei reſpiciens committatur. Vnde Concilium Eliberitanum, cap.1. vocat illud* crimen capitale *Nazianzenus Orat. 38.* Extremum & primum malorum. *Lactant. lib.1. Inſtit. cap.8.* ſcelus inexpiabile. GENERIS HVMANI. *Quod primi parentes idololatria conſenſerint à diabolo ſuggeſta.* TOTA CAVSA. Qui enim non credit iam iudicatus eſt. *Vel quia vt ſubjecit licet cætera peccata priuato ſuo nomine & debito, extremo iudicio, & pœnâ plectenda ſint, hoc vnum omnia in ſe complectitur.* EXPVNGITVR, *impletur, perficitur, conſummatur.* OMITTE TITVLOS. *Elogia primata ſingulorum criminum. Solebant enim reis cuiuſcumque ſceleris, tituli, ſiue nomina propry criminis affigi, vt Suetonius in Domitiano, cap.10. notauit.* Patrem familias canibus obiecit cum hoc titulo; impiè locutus Parmularius. *Et in Caligula, cap.32.* Seruum ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confeſtim tradidit, vt manibus abſciſſis, atque ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui cauſſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. *Et de Chriſti cauſa ſcripta, ſic Matth. 26. 37.* Impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: hic eſt Ieſus Rex Iudæorum. *Ttranſlat. Syr.* occaſionem mortis eius in ſcriptura. *Ioannis autem 19. 19.* Scripſit autem & titulum Pilatus: *Syr. tabulam; & impoſuit cruci eius,* & poſuit ſuper crucem: Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. *Pluries Auguſtinus in Pſalmos de hoc titulo ſcripſit, maximè in Pſal.55. cuius*
S.Aug. *titulus eſt:* in finem pro populo qui à Sanctis longè factus eſt, ipſi Dauid in tituli inſcriptionem: cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth. Ipſe titulus, inquit, oſtendat nobis populum iſtum. Scriptus eſt enim quidam titulus in Dominica paſſione, quando Dominus crucifixus eſt, erat ibi titulus inſcriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè: Rex Iudæorum, tribus linguis, tanquam tribus teſtibus, titulus approbatus, &c. *Tum de indignatis Iudæis, & Pilato reſpondente.*
S.Aug. Quia, inquit, verum eſt in alio Pſalmo 56. in tituli inſcriptione, ne corrumpas: reſpondit Pilatus: quod ſcripſi, ſcripſi. Tanquam dicens, ſcripſi, non corrumpo veritatem, & ſi vos diligitis falſitatem, &c. Longe fiant à ſanctis qui contradicentes titulo; reſpuerunt Regem Deum, & elegerunt Regem hominem. *De eodem titulo in Pſal.56.* Videmus, inquit, in
S.Aug. paſſione Domini ſcriptum fuiſſe titulum, Rex Iudæorum: vt ille titulus exprobraret frontem ipſorum; *nota non Chriſto, ſed ſibi ipſis ſua fronti, ſui criminis inſcripſiſſe elogium* quòd à Rege ſuo manus non abſtinuerunt, &c. Indignati ſunt Iudæi, quia inſcriptus erat titulus, Rex Iudæorum; puduit illos habere Regem quem crucifigere potuerunt. Non enim viderunt, quia ipſa crux, in qua eum fixerunt, futura erat in frontibus Regum. *Vnde Apoſtolus:* Si exprobramini in nomine iſto, beati. *Vnde & ſe vltro offerebant cum iſto titulo ad Martyrium. De quo ſic Tertullianus in Apol.* Chriſtiani ſuo titulo offeruntur. OPERAS RECOGNOSCE. *Noli attendere nomen & titulum, ex operibus & effectibus, aduerte omnem idololatrem eſſe homicidam.* AD ELOGII AMBITIONEM. *Inflationem, grauitatem criminis: vt ſi vitia inter ſe ambitioſè certent, vel de conditionibus & circumſtantijs crimen quodlibet circumambientibus, idololatria non tam inimicum ſuum, vel hoſtem publicum, ſed ſeipſum occidat.* PERIISSE. *Hinc Pſalter:* Intelligite &c. ne pereatis de via iuſta, os enim quod mentitur occidit animam.

A *Hinc Euſebius, Gallicanus in Exhort. ad plebem.* De mendaciis, inquit, legitur: os quod mentitur, &c. Quàm grauis ictus teli iſtius, qui cutem, viſcera, oſſa pertranſit, & à animum penetrat; ac nouo violentiæ genere, infert ei mortem, quam non poteſt facere mortalem. PROINDE. *Similiter ſtuprum & adulterium agnoſci poteſt ab idololatria commiſti.* OMNE FALSVM. *Alterum eſt, & alienum à vero. Auguſtinus contra Mendacium ſcribens, & aduerſus eos qui pro ſeruanda corporis caſtitate animi integritatem in veritate conſiſtentem violari poſſe credebant:* quid, in- Aug.
quit, de nobis tantum promeruit caſtitas, & deliquit veritas, cùm non ſit corporis, ſed animi caſtitas. *Quæ maximè adulteratur idololatria mendacio.*
B OPERATVS, *ſeruiens dæmonibus in cultu idolorum.* STVPRI VOCABVLO. *Ezech.23.3.* Et fornicatæ ſunt in Ægypto, & in adoleſcentia ſua fornicatæ ſunt: ibi ſubacta ſunt vbera earum, & fractæ ſunt mammæ pubertatis earum. 70. Ibi deuirginatæ ſunt. *Et verſu 5.* Fornicata eſt igitur ſuper me Oola *id eſt præter me alios Deos coluit* & inſaniuit in amatores ſuos. 70. Adhæſit ſuper amatores ſuos, &c. *Et verſu 8.* Inſuper & fornicationes ſuas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit, &c. FRAVDIS CONDITIO, *natura.* CONTVMELIAM, *quia Deum inhonorat, eos ſummum, ex quo ſunt omnia, nihilo poſtponendo.* MORTEM ADIERVNT, *quia peccata mortalia ſunt, morte præſenti & æternâ digna.* ÆQVE *ſimiliter.* CONCVPISCENTIÆ SÆCVLI. *In quo* quidquid eſt, aut concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum,
C aut ſuperbia vitæ. SOLEMNITAS *feſta Deorum, quorum in honorem ſpectacula, conuiuia publica, & alia libidinoſa exhibebantur.* REPRÆSENTANT, *quaſi perſonas in theatro.* RATIO VANA. *Fruſtra enim coluntur idola quæ oculos habent, & nihil vident, &c. quia idolum nihil eſt vitale, & homini ſuccurrere valens.* TOTA SVBSTANTIA *quia idololatria tota circa cultum falſorum Deorum verſatur.* OMNIA, *peccata quæ committi poſſunt contra Decalogum ſummatim continet, vt* Summus ſæculi reatus. SAPIANT, *conſentiant, conſpirent.* AD IDOLORVM MANCIPIS. *Vox iuris de qua alibi conſules indicem rerum & verborum. Dæmones Domini ſunt & mancipes idolorum quales in*
D *iure dicuntur mancipes locorum, viarum ſalinarum, id eſt conductores operum publicorum; adeò vt dæmonum ſeruituti ſe mancipent idololatræ.* SID DISCEDANT, *abeant à nobis tacita alia vocabula diuerſorum criminum, quæ circa proprios actus verſantur, quæ quidem in ſe idololatria continet, ſatis mihi materiæ ſcribendi præbet vnicum hoc crimen.* NOMINA CRIMINVM, *elogia, tituli, debita.* INIMICVM DEO, *cui plures dij zelum prouocant.* IGNORATA *quia fideles idololatriam admittunt, aut verò ignorantiâ decepti, aut diſſimulatè & ficta. Fornicationem eſſe idololatriam iuxta ſcripturam teſtatus eſt Auguſtinus, to.3. lib.3. de Doct. Chriſ-*
E *tiana, cap.7. & 8.* Fateor, inquit, aliùs demerſos Aug.
eſſe qui opera hominum *idola* Deos putant, quam qui opera Dei. Sed nobis vnus diligendus & colendus Deus præcipitur, qui fecit hæc omnia, quorum illi ſimulachra venerantur vel tanquam Deos, vel tanquam ſigna & imagines Deorum, &c. quamobrem Chriſtiana libertas eos quos inuenit ſub ſignis vtilibus, tanquam probè intentos *Iſraëlitas, ſub lege figurarum* interpretatis ſignis quibus ſubditi erant, eleuatos ad eas res quarum illa ſigna ſunt, liberauit. Ex his factæ ſunt Eccleſiæ Sanctorum Iſraëlitarum. Quos autem inuenit *Gentiles ſuperſti-*

tiosos ſub ſignis inutilibus, non ſolum ſeruilem *carnalem & vilia ſapientem* operationem ſub talibus ſignis, ſed etiam ipſa ſigna fruſtrauit, *abſtulit* remouitque omnia; vt à corruptione multitudinis ſimulatorum Deorum, quam ſæpè ac propriè ſcriptura fornicationem vocat, ad vnius Dei cultum Gentes conuerterentur, nec ſub ipſis iam ſignis vtilibus ſeruirent, ſed exercitaturæ potius animum in eorum intelligentia ſpiritali. *Signa dixit vtilia iuxta Varronem qui ſimulacra Deorum ad ſignificationem rerum naturalium tranſtulit. De quibus hic ſigna agebat peccatum Idololatria, ſummum eſſe, & omnem cum eo impietatem admitti, poſt Paulum docuit Auguſtinus citatus à Beda in Rom. 1. ex Ser. de verbis Euangelij 56. vbi de Philoſophis*
Aug. *Ethnicorum agit.* Quod viderint etiam ipſi, quantum videri ab homine poteſt, Creatorem, per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi; Paulus Apoſtolus teſtis eſt, cui vtique debent credere Chriſtiani. Ait enim cùm de talibus loqueretur: reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, &c. *aduerte & cum Tertulliano in idololatria iniuſtitiam reperiri* nũquid dixit eos non detinere veritatem? ſed veritatem in iniquitate detinent? numquid Deus ad quemquam illorum locutus eſt? numquid legem acceperunt ſicut Iſraëlita populus per Moyſem? Vnde ergo detinent veritatem, vel in ipſa iniquitate? *id eſt quomodo in mente tenens & habens cognitionem vnius veri Dei, cui tamen injuſtè negans debitum cultum, & tenebris Idololatria quaſi obſcuro carcere lucem veritatis includens* audite
Aug. quod ſequitur, & oſtendit: quia quod notum eſt Dei, inquit, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit, &c? Audi quomodo manifeſtauit. Inuiſibilia enim eius per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Interroga mundi ornatum, cœli fulgorem, &c. interroga terram, mare, aëra, &c. & vide ſi non ſenſu ſuo tanquã tibi reſpõdent, Deus nos fecit. Hæc & Philoſophi nobiles quæſierunt, & ex arte artificem cognouerunt. Quid ergo? quare reuelatur ira Dei ſuper ipſam impietatem? &c. Dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Quod curioſitate inuenerunt, ſuperbiâ perdiderunt. Dicentes ſe eſſe ſapientes, id eſt donum Dei ſibi tribuentes, ſtulti facti ſunt, &c. Audi quoniam immutauerunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Figuras enim iſtorum animalium ſibi Deos Pagani fecerunt. Inueniſti Deum, & colis Idolũ. Inueniſti veritatem, & ipſam veritatem in iniuſtitia detines. Et quod per Dei opera cognouiſti, per opera hominis perdis. Totum conſideraſti, cœli, terræ, maris, elementorumque omnium ordinem collegiſti; iſtud non vis attendere, quòd mundus opus eſt Dei, Idolum opus eſt fabri? Si faber Idolo ſicut dedit figuram, daret & cor, ab ipſo Idolo faber adoraretur. Quomodo enim, ô homo, faber tuus Deus eſt; ſic homo idoli faber eſt. Quis eſt Deus tuus? qui te fecit. Quis eſt Deus fabri? qui illum fecit. Quis eſt Deus Idoli? qui fecit illud. Ergo ſi Idolum cor haberet, nonne fabrum adoraret qui illud fecit? Ecce in qua iniquitate veritatem tenuerunt, & ad poſſeſſionem illam quam viderunt viam perducentem non inuenerunt. *Via autem Chriſtus & Verbum Patris*, Si, inquit, ibidem, via ipſa eſſe noluiſſet, ſemper erraremus. *Hæc habet Ser. 55. de verbis Domini.*

4. *Idololatriæ crimen máximum à Deo prohibitum & punitum. Scorp. cap. 2. à p. ad f.*

SVſtineant Euangelia pauliſper, dum radicem eorum exprimo legem: dum inde elicio Dei voluntatem, vnde & ipſum recognoſco. [a] *Ego ſum, inquit, Deus tuus qui te eduxi de terra Ægypti. Non erunt tibi dij alij præter me. Non facies tibi ſimulacrum eorum quæ in cælo, & quæ in terra deorſum, & quæ in mari infra terram. Non adorabis ea, neque ſeruabis eis. Ego enim ſum Dominus Deus tuus.* Item in eadem Exodo; [b] *Ipſi vidiſtis quòd de cælo locutus ad vos ſim. Non facietis vobis Deos argenteos, & Deos aureos non facietis vobis.* Secundùm hæc & in Deuteronomio; [c] *Audi, Iſrael Dominus Deus tuus vnus eſt.* Et, [d] *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Et rurſus, [e] *nè obliniſcaris Domini Dei tui, qui te eduxit de terra Ægypti, & domo ſeruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſeruabis ſoli, & illi adglutinaberis; & in nomine eius deierabis.* [f] *Non ibitis poſt Deos alienos ex dijs nationum, quæ circum vos, quia æmulator Deus Deus tuus in te: ne iratus indignetur, & exterminet te à facie terræ.* Sed & proponens benedictiones, & maledictiones: benedictiones, inquit, [g] *ſi audieritis præcepta Domini Dei veſtri quæcumque ego præcipio vobis hodie: &, non erraueritis de via, quam mandaui vobis, vt abeuntes ſeruiatis Deis alijs, quos non ſcitis.* De quibus omnifariam extirpandis: [h] *Perditione perdetis, inquit, omnia loca, in quibus ſeruierunt Nationes Deis ſuis, quas vos poſſidebitis hæreditate: ſubter montes & colles, & ſub arbores denſas quaſque effodietis aras earum, euertetis & comminuetis ſtatuas earum, & excidetis lucos earum, & ſculptilia ipſorum Deorum concremabitis igni, & diſperdetis nomen eorum de loco illo.* Adhuc ingerit quùm introïſſent terram promiſſionis, & exterminaſſent nationes eius: [i] *Caue tibi nè ſequaris eas poſteaquam exterminatæ fuerint à facie tuâ, nè requiſieris Deos illarum, dicens: Quemadmodum faciunt nationes Deis ſuis, & ego ita faciam.* Sed & id; *Si Prophetes, inquit, exſurrexerit in te, aut ſomnium ſomnians, & dederit tibi ſignum vel oſtentum, & euenerit, & dixerit; eamus, & ſeruiamus Deis alijs, quos non ſcitis: ne audiatis ſermonem Prophetæ, aut ſomniatoris illius; quia tentat vos Dominus Deus veſter, an ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra timeatis eum. Poſt Dominum Deum veſtrum abibitis, & hunc timebitis, & præcepta eius cuſtodietis, & vocem eius audietis, & illi ſeruietis, & illi adijciemini. Prophetes autem & ſomniator ille morietur: locutus eſt enim ad ſeducendum te à Domino Deo tuo.* Sed & alio Capitulo: [k] *Si autem rogauerit te frater tuus ex patre vel matre, aut filius tuus, aut filia tua, aut mulier quæ in gremio tuo eſt, aut amicus qui animæ tuæ par*

[a] Exo. 20. 2 & ſeq.
[b] Ibid. 22. 23.
[c] Deut. 6. 4.
[d] Ibid. 5.
[e] Ibid. 13.
[f] Ibid. 14.
[g] Deut. 11. 13. 22.
[h] Ibid. 12. 2.
[i] Ibid. 30.
Deut. 13. & ſeq.
[k] Ibid. 6. & ſeq.

eſt, clam dicens, eamus, & ſeruiamus Deis aliis, quos non ſcis, nec patres tui, ex Deis nationum quæ circum te proximè ſunt, aut longè, ne velis ire cum illo, & ne audieris eum. Non pariet oculus tuus ſuper eum. Nec miſereberis, nec celabis eum. Adnuntians adnuntiabis de eo. Manus tuæ erunt in eum in primis ad occidendum, & manus omnis populi in nouiſſimis, & lapidabitis illum, & morietur, quoniam quæſiuit auertere te à Domino Deo tuo. Subijcit etiam de ciuitatibus, ſi quam ex his conſtitiſſet ſuaſu iniquorum hominum tranſiſſe ad Deos alios, vt interficerentur omnes incolentes eam, & deuotamenta fierent vniuerſa eius, & colligerentur omnia ſpolia eius in omnes exitus eius, & igni cremarentur cum omnibus vaſis ſuis, & cum omni populo in conſ-
Ibid. 15.
pectu Domini Dei. [l] *Et non erit habitabilis, inquit, in æternum, non reædificabitur amplius, nec adhærebit quidquam manibus tuis ex deuotamento eius, vti auertatur Dominus ab indignatione iræ ſuæ.* Maledictionum quoque ordinem ab idolorum exſecratione commiſit: [m] *Maledictus homo qui fecerit ſcalptile, aut fuſile, aſpernamentum Domino, opus manuum artificis, & collocauerit illud in abſcondito.* In Leuitico verò: [n] *Non ſequimini, inquit, Idola, & Deos fuſiles non facietis vobis. Ego Dominus Deus veſter.* Et alibi: [o] *Filij Iſraël famuli pueri mei; Hi ſunt quos eduxi de terra Ægypti.* [p] *Ego Dominus Deus veſter. Non facietis vobis manufacta, nec ſcalptile ſtaticulum ſtatuetis vobis. Nec lapidem ſcopum ponetis in terra veſtra. Ego Dominus Deus veſter.* Et hæc quidem prima per Moyſen dicta ſunt à Domino, vtique pertinentia quoſcumque Dominus Deus Iſraëlis perinde dè Ægypto ſuperſtitioſiſſimi ſæculi, & de domo humanæ ſeruitutis eduxerit. Sed & deinceps omne os Prophetarum eiuſdem Dei vocibus ſonat, eandem legem ſuam eorumdem præceptorum inſtauratione cumulantis, nec aliud primum tam principaliter denuntiantis, quàm ab omni factura atque cultura Idolorum cauere. Vt per Da-
l Ibid. 16.
m Deut. 27. 15.
n Leu. 19. 4.
o Ibid. 25. 55.
p Ibid. 26. 1.
uid: [q] *Dei nationum argentum & aurum; oculos habent, nec vident; aures habent, nec audient; nares habent, nec odorantur; os, nec loquuntur; manus, nec contrectant; pedes, nec ingredientur. Similes erunt illis qui faciunt ea, & qui fidunt in illis.*
q Pſal. 113. 2. & ſeq. & Pſal. 134. 15. & ſeq.

5. Et ibidem, cap. 3. in p.

NEc putem diſceptandum, an dignè Deus prohibeat nomen & honorem ſuum mendacio addici, an dignè quos ab errore ſuperſtitionis auulſerit, rurſus in Ægyptum regredi nolit; an dignè à ſe non patitur abſiſtere quos ſibi adlegit. Ita nec illud expectabit retractari à nobis, an obſeruari voluerit diſciplinam quam voluit inſtituere, & an meritò vliſcatur deſertam, quam voluit obſeruatam: quando fruſtra inſtituiſſet, ſi obſeruari eam noluiſſet; & fruſtra obſeruari voluiſſet, ſi vindicare noluiſſet.

6. Et ibid. 3. à p. ad f. & cap. 4. in p.

ABerat apud Deum in monte Moyſes, quum populus tam neceſſariam abſentiam eius impatiens, Deos ſibi producere quærit, quos potius ipſe perdiderit. Vrgetur Aaron, & Exo. 32. 3. & ſeq.
iubet inaures feminarum ſuarum in ignem conferri. Amiſſuri enim erant in iudicium ſibi vera ornamenta aurium, Dei voces. Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis, ſugillans
Matth. 6. 21
illic cor habentes, vbi & theſaurum, apud Ægyptum ſcilicet inter cetera animalia bouis etiam cuiuſdam conſecratricem: itaque tria millia hominum à parentibus proximis cæſa, quia tam proximum parentem Deum offenderant, tranſgreſſionis & primordia & merita
Num. 25. 1. & ſeq.
dedicauerunt. In Arithmis, quum diuertiſſet Iſraël apud Sethim, abeunt libidinatum ad
1. Cor. 10. 8.
filias Moab, inuitantur ad idola, vt & ſpiritu fornicarentur; edunt denique de pollutis
Pſal. 105. 28
eorum: dehinc & adorant Deos gentis, & Beelphegor initiantur. Ob hanc quoque idololatriam mœchiæ ſororem viginti tria millia domeſticis obtruncata gladiis diuinæ iræ lita-
a Iudic. 2. 19.
uerunt. [a] *Defuncto Ieſu Naue, derelinquunt Deum patrum ſuorum, & ſeruiunt idolis Baalim & Aſtartis; & iratus Dominus tradidit eos in manibus diripientium; & diripiebantur ab illis, & venundabantur inimicis, nec poterant omnino ſubſiſtere à facie inimicorum ſuorum; quocunque proceſſerant, manus erant ſuper illos in malo, & compreſſati ſunt valde. Poſt quæ inſtituit ſuper illos Deus Critas, quos Cenſores intelligimus: ſed nec iſtis obaudire perſeuerauerunt: vt quis Critarum obierat, illi ad delinquendum ſupra quàm patres eorum, abeundo poſt Deos aliorum, & ſeruiendo, & adorando eos. Itaque Dominus iratus,* [b] *Quoniam quidem, ait, tranſgreſſa eſt gens iſta pactum meum, quod diſpoſui patribus eorum, & non audierunt vocem meam, & ego non adiciam ad auferendum virum à facie eorum ex Nationibus quas reliquit decedens Ieſus.* Atque ita omnes penè annales
Iud. 3. 7. & 4. 1. & ſeq. & 6. &c. 1. & ſeq.
b Iudic. 2. 19. & 20.
Critarum, & deinceps Regum, reſeruatis gentium circumcolarum viribus, bello, & captiuitate, & iugo allophylorum iram diſpenſauit Iſraël, quotienſcunque ab illo maximè in
CAP. IV.
idololatriam exorbitauerunt. Hanc igitur ſi à primordio conſtat & prohibitam, de tot tantiſque præceptis; & numquam impunè commiſſam, de tot tantiſque documentis; nec vllum

lum tam ſuperbum crimen apud Deum deputari, quàm huiuſmodi tranſgreſſionem, vtro intelligere debemus diuinarum & denuntiationum & executionum intentionem, iam tunc martyriis patrocinatam non modo non dubitandis, verum etiam ſuſtinendis, quibus ſcilicet locum fecerat prohibendo idololatriam.

IDOLOLATRIÆ CRIMEN MAXIMVM IVSTE PVNITVM. IV. V. VI. SCHOL.

SVSTINEANT. *Expectent hæretici Gnoſtici à martyrio prohibentes quòd ſubeant fideles, potius, quàm idola colant.* RADICEM EORVM *Euangeliorum ſcilicet, ad Martyrium exhortantium; quæ vitam odiendam perſuadent, ob vnius veri Dei confeſſionem.* EXPRIMO LEGEM. *Colligo iam ex lege veteri, Deum ſatis innuiſſe, ſe velle pro ſuo cultu, vſque ad mortem omnem idololatriam à fidelibus caueri, tota quippe lex vetus abominanda præſcribit idola, vt conſtat ex ſcriptura ſententijs quas profert, quæ quia nullam habent difficultatem, brevitatis cauſa prætereo; niſi quòd, quaſdam voces mutatas aduerto.* EGO SVM. *Omiſit, in Vulg.* 70. *Chald.* Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. de domo ſeruitutis. PRÆTER ME. *ita* 70. *& Chald. Vulg. & Hebr.* coram me. SIMVLACRVM. *Vulg.* Sculptile. Chald. tibi imaginem 70. tibi ipſi Idolum. IN COELO. *Vulg.* quæ eſt in cœlo deſuper. DEVS TVVS. *Vulg.* Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt. *ita reliqua.* VIRIBVS TVIS. *Vulg. & Hebr.* tota fortitudine. 70. virtute. *Chald.* ſubſtantiâ tuâ. NE OBLIVISCARIS. *Vulg.* caue diligenter. *Hebr. & Chald.* caue tibi. 70. attende tibi. DEIERABIS. *vbique*, iurabis ADGLVTINABERIS. *Soli.* 70. adhærebis. NON IBITIS. *Ita omnes, niſi* 70. *qui legunt*, non ambulate. ÆMVLATVR. 70. *& Hebr.* Deus zelotes. *Vulg. & Chald.* æmulator. EXTERMINET, *ita* 70. *Vulgata* auferat. *Hebr. & Chald.* diſperdat. SI AVDIERITIS. 70. *majore emphaſi* auditu audieritis omnia mandata quæ ego mando tibi hodie. *Vulgata ſimplicius*: Si obedieritis mandatis meis, &c. dabo pluuiam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam, &c. PERDITIONE PERDETIS. *Vulgata* Subuertite omnia loca, &c. STATICVLA. 70. ſtatuas eorum. *Parua idola.* CAVE TIBI. 70. Attende tibi ipſi, ne exquiras ſequi eos. *Vulgata*, Caue ne imiteris eas. *Sanctes Pagn. ex Hebr.* Caue tibi ne illaquees te poſt eas. INTE. *Vulgata, Hebr. & Chald.* in medio tui TENTAT VOS *Vulgata.* vt palam fiat vtrùm diligatis eum. SI ROGAVERIT *Vulgata & Chald.* Si tibi voluerit perſuadere. PARES, *Vulgata* quem diligis vt animam tuam. *Hebr.* qui eſt ſicut anima tua, *ita & Chald.* DEVOTAMENTO. 70. *Vulgata Hebr. & Chald.* anathemate. *Quod Tertullianus dixit* denotamentum, *& alia verſiones anathema tranſtulerunt, ſic abominanda idola & quæcumque ad cultum eorum pertinent docuit Auguſtinus vt nihil etiam ex eorum euerſione in proprios vſus liceat vſurpare. Sic Epiſtolâ* 154. *ad Publicolam honorabilem virum.* Apparet, inquit, illud eſſe prohibitum, Aug. ne in honorem alienorum Deorum aliquâ re vtamur; aut vt exiſtimemur ſic eam accipiendo, vt quamuis animo contemnamus; eos tamen qui noſtrum animum ignorant, ad hæc honoranda ædificemus. Et cùm templa, idola, luci, & ſi quid hujuſmodi datâ poteſtate euertuntur, quamuis manifeſtum eſt, cùm id agimus, non ea, nos honorare, ſed potius deteſtari: ideo tamen in vſus noſtros priuatos duntaxat & proprios non debemus inde aliquid vſurpare, vt appareat nos pietate iſta deſtruere, non auaritiâ. Cùm verò in vſus communes, non proprios ac priuatos, vel in honorem Dei veri conuertuntur, hoc de illis fit, quod de ipſis hominibus, cùm ex ſacrilegis & impijs in veram religionem mutantur. Hoc Deus intelligitur docuiſſe illis teſtimonijs quæ ipſe poſuiſti cùm de luco alienorum Deorum iuſſit ligna ad holocauſta adhiberi. Iudicum 6. & de Iericho, Ioſue 6. vt omne aurum, argentum & æramentum inferretur in theſauros Domini. Quapropter etiam illud quod in Deuteronomio ſcriptum eſt c. 7. Non concupiſces argentum, vel aurum illorum, nec accipies inde tibi, ne excedas propter illud, quoniam abominatio eſt Domino Deo tuo: & non conferes execramentum in domum tuam, & eris anathema, ſicut & illud eſt, & offenſione offendes, & coinquinatione inquinaberis abominatione illâ, quia anathema eſt: Satis apparet, aut ipſos priuatos vſus in talibus eſſe prohibitos aut ne ſic inde aliquid inferatur in domum, vt honoretur. Tunc enim eſt abominatio, & execratio: non cùm talibus ſacrilegijs honor apertiſſimâ deſtructione ſubuertitur. COMMISIT. *id eſt cæpit maledictis impugnare primùm idololatras, anathemata per Leuitas pronuntiando.* SCALPTILE, FVSILE, ASPERNAMENTVM, *Vulgata, & Hebr.* Sculptile, conflatile, abominationem Domini. STATICVLVM, *Vulgata* non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra. *Hebr.* lapidem depictum. PERTINENTIA QVOSCVMQVE, *Pauleius legit.* ad quoſcumque. DEI NATIONVM. Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. *Habes alibi expoſitum per Auguſtinum.*

5. NOMEN *diuinum.* HONOREM SVVM. *Cultũ latriæ vni Deo vero debitum*, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. MENDACIO. *Dijs falſis & idolis tribui. Mendacio hoc eſt idolis, cultum vni ſoli & vero Deo debitum offerre. Paulus conqueſtus eſt, & cum eo Auguſtinus to. 7. libro de vnico baptiſmo contra Petilianũ cap.* 4. Idololatras, inquit, & quod grauius eſt, non tantum cultores, ſed etiam inſtitutores ſimulacrorum redarguebat, vbi ait Rom. 1. qui cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, &c. & immutauerunt gloriam incorruptibilis dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominiis, & volucrum, & quadrupedum & ſerpentium, talia quippe nouimus fuiſſe ſimulacra Ægyptiorum, vbi & inſtituta eſſe multiplicior, multòque ignominioſior idololatria perhibetur, &c. talem ſcilicet fingentes Deum, qualis non eſt Deus, & non ſicut cognouerunt, tradentes hominibus. Et paulò poſt de talibus dicit; qui immutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Veritas quippe creaturæ à Deo eſt, non Deus: quam illi in mendacium conuerterunt, tanquam Deos colentes ſolem & lunam, & quæcumque cœleſtia atque terreſtria, *quibus & idola erexerunt*, &c. & in Actibus Apoſt. c. 17. cum de Deo vno & vero Athenienſes doceret, quòd in illo viuimus, mouemur, & ſumus, continuò ſubjunxit, ſicut quidam ſecundùm vos dixerunt. Hoc igitur, quod in Deo viuimus, &c. ex illa veritate eſt, quam illi impij ſimulacrorum cultores in iniquitate detinent. *Inde quæritur ſapiens:* Nomen incommunicabile, lignis & lapidibus impoſuerunt. *Vide Aug. to. 3. lib. 5. locutionis de Deuteronomio.* 60. *vbi de voce Græca compoſita, idololatriæ ſa-*

S.Aug. let, inquit, hoc verbum in ea seruitute scriptura ponere, quæ debetur Deo. Vnde idololatræ appellantur, qui ea seruitute idolis seruiunt. *Et libro 1. de* S.Aug. *Trinit. cap. 6.* Idololatræ dicuntur qui simulacris eam seruitutem exhibent, quæ debetur Deo. Secundum hanc enim seruitutem dictum est: Math. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Nam & hoc distinctius in Græca scriptura inuenitur; λατρεύσεις, enim habet. Porro si tali seruitute seruire creaturæ prohibemur, quandoquidem dictum est, Dominum Deum tuum adorabis, &c. Vnde & Apostolus detestatur eos qui coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm Creatori, non vtique creatura Spiritus Sanctus, cui ab omnibus sanctis, talis seruitus exhibetur, dicente Apostolo; Philipp. 3. Nos enim sumus Circumcisio, Spiritui Dei seruientes, quod est in Græco, λατρεύοντες. Plures enim codices etiam Latini sic habent: qui spiritui Dei seruimus. Græci autem omnes, aut penè omnes. In nonnullis autem exemplaribus Latinis inuenimus, non, spiritui Dei seruimus; sed, spiritu, Deo seruimus. Sed in hoc errant, & authoritati grauiori cedere detrectant. AVVLSERIT. *Pharaonis tanta duritia resistente tot prodigijs.* RVRSVS REGREDI, corde enim reuersi sunt in Ægyptum. ABSISTERE. *Vnde illis exprobratur:* abalienati sunt retrorsum. ADLEGIT. Elegit Israël in hæreditatem sibi. Eritis mihi in populum, & ero vobis in Deum. DISCIPLINAM. *Legem obseruari; cujus capitale edictum est.* Non habebis Deos alienos coram me. VOLVIT OBSERVATAM. *præcepit obseruari.*

6. ABERAT, *à populo, vt adesset Deo in monte.* TAM NECESSARIAM. *Populi saluti, cùm pro eo legem, quâ rectè viueretur, accepit.* IMPATIENS. *Supple ferre. Exo* 32. 1. Videns autem populus quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersùs Aaron, dixit: surge, fac nobis Deos qui nos præcedant: Moysi enim huic viro qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. QVOS POTIVS, *quos magis Israëliticus populus confringere & dispergere debuerat, si apud Gentilem populum inuenisset.* IVBET INAVRES. *ibid. versu* 2. Dixitque ad eos Aaron: tollite inaures aureas de vxorum filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me, fecitque populus quæ iusserat deferens inaures ad Aaron, Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio 70. *formauit eas in stylo. Chald. circino* & fecit ex eis vitulum conflatilem; dixeruntque. 70. *& dixit.* Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. CONFERRI. *Proijci & conflari.* AMISSVRI. *in pœnam grauissimam, aures surdas habituri Dei voci, quæ verè aures hominis interioris exornat.* Excæca cor populi hujus, & aures eius aggraua, incircumcisis cordibus & auribus, &c. SAPIENS IGNIS. *Sic Augustinus ignem Purgatorij pœnas pro meritis exigentem,* S.Aug. *vocat* quandam flãmæ rationalis disciplinam. *Sic vitulum potius ignis iste, quàm aliud animal effermauit. Quia* obscuratum insipiens cor eorum mutauit gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœ- S.Aug. num. *Aug. in Psal.* 105. fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile, & mutauerunt gloriam suam in similitudine vituli comedentis fœnum. Non ait, in similitudinem, sed in similitudine, &c. elegantèr sanè non ait, & mutauerunt gloriam Dei, cùm hoc fecerint, sicut etiam Apostolus loquitur, & immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis. sed gloriam suam dixit: Deus enim erat gloria eorum, si eius sustinerent consilium, & non festinarent: cui dicitur Psalmo 3. gloria mea, & exaltans caput meum. *Hujusmodi non sustinentes, Tertullianus dixit* impatientes moræ. *Moysi in monte Sina* istam gloriam suam, id est Deum mutauerunt in similitudinem vituli comedentis fœnum, vt ab eo comederentur, à quo comeduntur qui sapiunt secundùm carnem, omnis enim caro fœnum. *Sic à quadrupede deuorati sunt, fœnum facti, sicut terrena sapientes à serpente, cui dictum est* terram comedes, qui mutauerunt gloriam suam in similitudinem quadrupedum & serpentum. *Ita & Iob.* 40. 10. Ecce Behemot quem feci tecum fœnum vt bos comedet. SVGGILLANS. *Tacitè arguens & dicens:* Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum. BOVIS CONSECRATRICEM. *Deũ Serapin sub specie Bouis adorandum proposuit; de quo alibi cum Augustino diximus. Deo autem inspirante confracti ex zelo vituli aurei cinerem aquâ mixtũ populo dedit inpotũ, quo significauit ex Augustino idololatriæ euersionem, & conuersionem gentilium in fideles, sicut cibus & potus conuertitur in sumentis carnem; vt & immunda animalia iussus est Petrus occidere & manducare. Quo & sensu Christus à Samaritana petijt bibere, de qua sic* Aug. *to. 4. libro 83. quæstionum. q. 64.* Sitiebat, inquit, Dominus mulieris illius fidem, quæ quia Samaritana erat, & solet Samaria idololatriæ imaginẽ sustinere, ipsi enim separati à populo Iudæorum, simulacris mutorum animalium, id est vaccis aureis, animarum suarum decus addixerant: venerat autem Dominus noster Iesus, vt Gentilium multitudinem quæ simulacris seruiebat, ad munimentum fidei Christianæ & incorruptæ religionis adduceret, non enim est, inquit, opus sanis medicus, sed malè habentibus: eorum ergo fidem sitit, pro quibus sanguinem fudit. Dixit ergo ad eam Iesus: mulier da mihi bibere, &c. Cibus meus est vt faciam voluntatem Patris. *Et vt testatur Apostolus;* in hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli, *cujus opus maximum & sceleratissimum, idololatria est.* ITAQVE, *propterea.* TRIA MILLIA. *Vulgata, Exodi* 32. 27. Congregati sunt ad eum *Moysen* omnes filij Leui: quibus ait: hæc dicit Dominus Deus Israël: ponat vir. 70. *ponite vnusquisque* gladium super femur suum: ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, ceciderunteque in die illa quasi viginti tria millia 70. *Chald. & Hebr. quasi tria millia* hominum: Et ait Moyses: consecrastis manus vestras hodie. 70. *implenistis* Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio. Facto autem altero die locutus est Moyses ad populum: peccastis peccatum maximum. *Vnde tanta diuersitas? D. Greg. Rup. & omnes penè post Hieron. 23. millia legunt. Tertullianum autem, Ambr. Ep. 56. Isid. & Rabanus tria millia, Paulum sequuntur alij qui* 1. *Cor.* 10. 8. Neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia. *Sed respicit hic Paulus non adorationem vituli, sed fornicationem cum filiabus Moab, de quibus infra Tertullianus, ex libro Num. 25. 9. vbi tamen versiones omnes etiam 70. 24. millia legunt. Error forsitan irrepsit; quòd scriba aliquis in Hebræo, pro* viginti, *per compendium scripserit literam Caph, quæ apud Hebræos nota est numeri vicenarij: quam alij postea pro nota similitudinis vsurparunt, pro* quasi *Vnde legerunt:* quasi viginti tria millia PRIMORDIA DEDICARVNT. *Quia fuit hæc prima Israëlitarum idololatria, qua tot hominum effuso sanguine expiata est.* IN ARITHMIS. *in libro Numerorum, circa quos Arithmetica versatur vnde & nomen accepit. Hic autem liber sic dicitur, quòd à numeratione & censu populi incipiat, & per totum, nu-*

merus bellatorum capite 1. *& primogenitorum & Leuitarum cap.* 3. *mansionum in deserto, capite* 33. APVD SETHIM. *num.* 25. 1. morabatur autem eo tempore Israël in Sethim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua 70. *idolorum suorum* at illi comederunt. 70. *& manducabit populus de sacrificijs eorum, & adorauit idola eorum* & adorauerunt Deos earum. Initiatusque est Israël Beelphegor. 70. *& consecratus est Israël ipsi Beelphegor.* & iratus Dominus ait ad Moysem, tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulo 70. *& offenta eos Domino contra solem* vt auertatur furor meus ab Israël. Dixitque Moyses ad iudices Israël; occidat vnusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor, &c. *Et versu* 9. & occisi sunt viginti quatuor millia hominũ. *Tertull. secutus est Paulum. Et legit* 23. *millia; cũ vbique tamen* 24. *millia legantur.* LIBAVERVNT. *Iram Dei placauerunt tanto sacrificio. Quid sit Beelphegor, siue Phegor, & Phogor, Dicam erat Deus Phogor, sicut Beelsephon erat Deus Aquilonis. Beelphegor autem ex Hieronymo lib.* 8. *in caput* 25. *Esaiæ, & Isid. libro* 8. *cap.* 1. *erat Priapus hortorum Deus. Interpretatur autem Deus desiderij, id est concupiscentiæ. Ideoque iuxta Ariam Montanum in caput* 9. *Oseæ aperto ore pingebatur, vel Deus apertionis siue nuditatis, quòd verenda ostenderet, sicut & ejus sacerdotes in ejus sacris. Cultus eius consistebat in otio, comessationibus & libidinibus. Meretrices habebat sacrificulas. Alij putant fuisse eundem qui Chamos, id est quasi palpans & contrectans, vel dictus Græcis à cantionibus & saltationibus lasciuis. De numero porro* 24 *millium, intelligendum est, vt veritas habeatur ex Tertulliano sequente Paulum, vt comprehendantur suspensi, & alij qui perierunt per plagam à Deo immissam. Alij dicunt, vna die* 23. *millia, altera mille occisa fuisse. D. Thomas in* 1. *Cor.* 10. Ideo ceciderunt vna die 23. imo 24 millia, sed maior numerus non excludit minorem. Vnde non dicitur hîc cum præcisione *id est præcisè*, vel fortè vitium scriptorum est. *Rupertus autem hîc ponderat, Deum spiritum castissimum peccatis carnis vltorem.* Ecce, inquit, quàm Deus vt Rhinoceros, vel potius monoceros est castitatis amator, atque turpissimum Beelphegor, eiusque asseclas punit & profligat. MORCHIÆ SOROREM *affinem, ob similitudinem quæ a idolatria alterius Dei cultum & amplexũ admittit in lecto cordis; quod exprobrat Israëli Deus:* dilatasti cubile tuum. *Sponsa autem fidelis Ecclesia cor suum lectulum vocat, & floribus liliorum, vterum eius circumamictarum sponsus agnoscit, sic enim illa dilecto:* Lectulus noster floridus est, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina. *Id est incorrupta, cui vicissim sponsus:* venter tuus aceruus tritici, vallatus liliis. *Vt in multo tritico, plebem fidelem, populum grauem à leuibus paleis vndequaque vento idolatriæ abreptis separet, vt pro vera religione dicat Psaltes:* Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te, *Vallaro liliis castitatis* IESV. NAVE, *post mortem Iosue.* BAALIM, *idem qui Baal.* ASTARTIS. *Astaroth, siue Astarte, Dea erat Syrorum & Palæstinorum, quam Græci & Latini Dianam vocant & Iunonem. Augustinus autem ait, linguâ punicâ, qua ab Hebræa descendit, Iunonem vocari Astarten. In Genesi parua fit mentio vrbis dictæ Astarothcarnaim, quod in illa vrbe Diana siue luna coleretur. Carnaim autem, dicitur luna, quòd dum crescit fiat bicornis vel ex Rabi Nehemannot quod ista vrbs in colle bicorni sita esset. Diana verò, vt patet ex nummis ejus, cum luna corniculata in fronte pingi solebat.* COMPRESSATI. *Coarctati. Iudicum* 2. 19. Postquam autem mortuus esset Iudex reuertebantur, & multò faciebant peiora quàm fecerant patres eorum, sequentes Deos alienos, &c. 70: & erat, mortuo iudice reuertebantur & corrumpebantur magis. *Versu autem* 11. fecerunt filii Israël malum in conspectu Domini & seruierunt Baalim, &c. dimittentes eum, & seruientes Baal & Astaroth. 70 & Astartibus. *Prosequitur textus:* iratusque Dominus contra Israël tradidit eos in manus diripientium qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus qui habitabant per gyrum; nec poterant resistere aduersariis suis: sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, & iurauit eis, & vehementer afflicti sunt. Suscitauitque Dominus iudices qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt, &c. postquam autem mortuus esset iudex, reuertebantur, & multò faciebant peiora quàm fecerunt patres eorum, sequentes Deos alienos seruientes eis, & adorantes eos, &c. iratusque est furor Domini in Israël & ait, quia irritum fecit gens ista pactum meum quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit: & ego non delebo gentes quas dimisit Iosue? & mortuus est. 70. *verò*, & ego non apponam auferre virum à facie ipsorum de gentibus quas reliquit Iesus filius Naue? ANNALES CRITARVM. *Librorum Iudicum, & Regum.* ALLOPHYLORVM *alienigenarum.* IRAM DISPENSAVIT. *Portauit iram Dei, vindictam expertus diuinam.* DE TOT, *præceptis iteratis & repetitis in Exodo & Deuteronomio.* ET TANTIS, *tam grauibus, & sub magnis pœnis.* DENVNTIATIONVM. *Minarum.* EXECVTIONVM *Pœnarum inflictarum.* DOCVMENTIS. *Exemplis.* MARTYRIIS PATROCINATAM, *persuasisse ferenda pro vnius veri Dei cultu.* NON DVBITANDIS, *timendis humana pusillanimitate.* LOCVM FECERAT. *Præuiderat fore vt ex præcepto prohibente idololatriam, tam in veteri quàm nouæ legis occasio daretur fidelibus martyriũ subeundi ab principibus idololatriæ. Et quoniam paulò suprà, de critis, siue iudicibus populi factus est sermo, & totus hic Tertulliani textus exaggerat grauitatem criminis idololatriæ, diuinamque in eam vindictam, liber hîc referre magnam de ipso Gedeone iudice & duce populi sumptam à Deo vltionem, quam retulit Augustinus to.* 4. *lib.* 7. *quæstionum quæstione* 41. *in Iudic.* 8. *vbi per totum caput agitur de bello & victoria Gedeonis cum trecentis militibus suis, de quindecim millibus viris, quorum erant principes Madian, Oreb, & Zeb, siue Zebee, & Salmana, qui soli cum suis remanserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis ex eis centum viginti millibus bellatorum, vt habetur Iudicum* 8. 10. *versu autem* 22. Dixerunt omnes viri Israël ad Gedeon: dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filii tui, quia liberasti nos de Madian. Quibus ille ait; non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus. Dixitque ad eos: vnam petitionem postulo à vobis: date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueuerant, qui responderunt: libentissimè dabimus; expandentesque super terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda, & fuit pondus postulatarum inaurium mille septingenti sicli, absque ornamentis, & monilibus, & veste purpurea, quibus Reges Madian vti soliti erant, & præter torques aureas camelorum Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Ephra: fornicatusque est omnis Israël in eo, & factum est Gedeoni & omni domui eius in ruinam 70. *autem* in scandalum, *& ipsi Gedeon fuerunt filij septuaginta, eo quod plures haberet vxores. Dictus est autem & Gedeon, Ierobaal; cuius filios omnes super vnum lapidem occidit Abimelech, in*

S. Aug.

Ephra; vt habetur Iudicum 9. 5 in quem locum mira refert Auguſtinum loco praecitato. Vbi de Ephud, ſine Ephod Sacerdotali indumento, facto de ſpoliis Madian, quod poſuit, ſiue vt habent 70. ſtatuit in Ephrata. Statuit, inquit, quoniam ita erat ſolidum & validum,
Aug. vt ſtatui poſſet, hoc eſt poſitum ſtare. Hoc ergo illicitum cùm feciſſet Gedeon, fornicatus eſt poſt illud omnis Iſraël; id eſt ſequendo illud contra legem Dei. Vbi non fruſtra quæritur, cùm idolum non fuerit, id eſt cujuſquam Dei falſi & alieni ſimulacrum ſed Ephud, id eſt vnum de Sacramentis, *ornamentis myſticis*, tabernaculi, quod ad veſtem ſacerdotalem pertineret; quomodo fornicationem ſcriptura dicat populi iſta ſectantis atque venerantis. Ideo ſcilicet, quod præter tabernaculum Dei, viſi erant iſta quæ ſibi fieri iuſſerat Deus Iſraël, extra ſimile aliquid fieri fas non erat. Ideo ſequitur & dicit ſcriptura: & factum eſt Gedeon & domui eius in ſcandalum: id eſt, vt ab offenſo Deo diſcederet, quia & hoc quoddam genus idoli quodammodo erat, quod extra Dei tabernaculum quodlibet manu factum pro Deo coleretur: cum illa ipſa quæ iuſſa ſunt in tabernaculo fieri, ad Dei potius cultum referrentur, quam pro Deo aliquid eorum, aut pro Dei ſimulacro colendum haberetur. Quanquam per Ephud vel Ephod ea locutione quæ ſignificat a parte totum omnia poſſint intelligi quæ conſtituit Gedeon in ſua ciuitate veluti ad colendum Deum, ſimilia tabernaculo Dei, &c. quæ omnia per Ephod ſignificata ſunt, propter excellentiam, vt dixi, veſtis ſacerdotalis, &c. & propter hoc peccatum factum & illi, & domui eius in ſcandalum, vt ſic interiret, quod poſtea ſcriptura narrat, tanta eius numeroſitas filiorum. *Quæſtione autem* 42. Non prætereunda, inquit, oritur quæſtio, quomodo quieuerit terra quadraginta annos, in diebus Gedeon, cùm poſt victoriam quâ liberauit Hebræos, ex auro ſpoliorum fecerit abominationem, & poſt illam fornicatus ſit omnis Iſraël A & fuerit illi & domui eius in ſcandalum, quomodo ergo poſt hoc tantum nefas, quod & Gedeon & populus admiſit, requieuit terra quadraginta annos, cùm hoc ſcriptura ſoleat oſtendere, cùm à Domino Deo populus fornicaretur, *id eſt idola ſequeretur*; tunc potius pacem illos perdere, non acquirere: & hoſtibus ſubjugari, non ab hoſtium infeſtatione muniri? Sed intelligendum eſt, ſicut ſolet ſcriptura, per prolepſin, id eſt per præoccupationem dixiſſe, quod fecerit Ephud contra legem Dei Gedeon, ex illo auro quod fuerat hoſtibus deuictis atque proſtratis ablatum. Quia vno loco, *vnico contextu & ſine interruptione*, dicere voluit, & vnde erat aurum, & quid de
B illo factum ſit: ſed poſtea factum eſt in fine dierum Gedeon hoc peccatum, quando ſecuta ſunt etiam mala, quæ deinde ſcriptura contexuit, poſtea quam commemorauit, quot annis in diebus Gedeon terra conquieuerit; quos annos recapitulando commemorauit, id eſt ad ordinem quem præterierat priùs dicendo de illo ſcandalo, quod nouiſſimè factum eſt, &c. *Subjcit ex eodem capite Iudic. 8.* & factum eſt, cum eſſet mortuus Gedeon, & auerſi ſunt S. Aug.
filii Iſraël, & fornicati ſunt poſt Baalim, &c Maior itaque, inquit, tranſgreſſio, & fornicatio commiſſa eſt à populo poſt mortem Gedeon, quam illo viuo, propter Ephud: quoniam & illud etſi illicitè factum erat, tamen de Sacramentis tabernaculi erat: Iſta verò poſt idola fornicatio, non habet vel falſam, *quia*
C *in loco indebito*, paternæ religionis defenſionem. Vnde etiam illud Ephud, ſi non in fine temporis Gedeon, ſed ante factum eſt, ita Deus patienter tulit, vt pax in terra perſeueraret: quia licet factum erat quod prohibuerat, non tamen longè receſſerat ab illo, qui tale aliquid in tabernaculo ſuo, atque in honorem ſuum fieri iuſſerat. Nunc verò grauiora commiſſa & apertiſſimam poſt idola fornicationem populi eſſe noluit impunitam.

IDOLOLATRIÆ QVI PARTICIPENT.

1. Idololatria prius erat in vacuis templis; poſtea multiplicata per artifices Idolorum. De Idol. cap. 3. in p.

IDolum aliquandiu fetrò non erat. Priuſquam huius monſtri artifices ebulliſſent, ſola templa & vacuæ ædes erant, ſicut in hodiernum quibuſdam locis vetuſtatis veſtigia permanent. Tamen idololatria agebatur, non in iſto nomine, ſed in iſto opere. Nam & hodie extra templum & ſine idolo agi poteſt. At vbi artifices ſtatuarum & imaginum & omnis generis ſimulacrorum diabolus ſeculo intulit, rude illud negotium humanæ calamitatis & nomen de idolis conſequutum eſt & profectum.

2. Idoli artifex, eius cultore damnabilior eſt. De Idol. cap. 3. in f. & 4. per totum.

Exo. 32. 4. & 8. INde & omnis idoli artifex, eiuſdem & vnius eſt criminis: niſi parum idololatriam populus admiſit, quia ſimulacrum vituli, & non hominis ſibi confecrauit. Idolum tam
Cap. IV. fieri quàm coli Deus prohibet. Quantò præcedit vt fiat quod coli poſſit, tantò prius eſt ne fiat, ſi coli non licet. Propter hanc cauſam, ad eradicandam ſcilicet materiam idololatriæ,
a Exo. 20. 4 lex diuina proclamat: a *Ne feceris idolum.* Et conjungens, *Neque ſimilitudinem eorum quæ in cælo ſunt, & quæ in terra, & quæ in mari.* Toto mundo eiuſmodi artibus interdixit ſeruis Dei. Antecеſſerat Enoch prædicens, omnia elementa, omnem mundi cenſum, quæ cælo, quæ mari, quæ terrâ continentur, in idololatriam verſuros dæmonas, & ſpiritus deſertorum angelorum, vt pro Deo aduerſus Dominum conſecrarentur. Omnia igitur colit humanus error, præter ipſum omnium conditorem. Eorum imagines, idola; imaginum conſecratio, idololatria. Quicquid idololatria committit, in artificem quemcumque & cuiuſcunque idoli deputetur neceſſe eſt. Denique idem Enoch ſimul & cultores idoli & fabricatores in
Enoch Pro. cõminatione prædamnat. Et rurſus: *Iuro vobis, peccatores, quod in diem ſanguinis & perditionis*

iuſtitia parata eſt. Qui ſeritis Lapidibus, & qui imagines facitis aureas, & argenteas, & ligneas, & Lapideas, & fictiles, & ſeruitis phantaſmatibus, & dæmonijs, & ſpiritibus infamibus, & omnibus erroribus non ſecundum ſcientiam, nullum ab ijs inuenietis auxilium. Eſaias verò: [a] *Teſtes, ait, vos eſtis, ſi eſt Deus abſque me,* & non erant tunc qui fingunt & exſculpunt: *omnes vani qui faciunt lubita ſibi, quæ illis non proderunt.* Et deinceps tota illa pronuntiatio, quàm artifices, quàm cultores deteſtatur! cuius clauſula eſt, [c] *Cognoſcite quod cinis ſit cor illorum & terra, & nemo animam ſuam liberare poſſit.* Vbi æquè Dauid & factores. [d] *Tales fiant, inquit, qui faciunt ea.* Et quid ego modicæ memoriæ homo? vltra quid ſuggeram? quid recolam de ſcripturis? quaſi aut non ſufficiat vox Spiritus ſancti, aut vltra deliberandum ſit, an maledixerit atque damnauerit Dominus ipſos prius artifices eorum, quorum cultores maledicit & damnat?

phetia citata in Ep. Canon. Iud. verſu. 14.

[a] Eſa 44.6. 8. & 9. & ſeq.

[c] Ibid. 20.

[d] Pſal. 113. 8.

3. Et cap. 6. & 7. per totum, & 8. in p.

SI nulla lex Dei prohibuiſſet idola fieri à nobis, ſi nulla vox Spiritu ſancti fabricatoribus idolorum non minus quàm cultoribus comminaretur, de ipſo ſacramento noſtro interpretaremur nobis, aduerſas eſſe fidei eiuſmodi artes. Quomodo enim renuntiauimus diabolo & angelis eius, ſi eos facimus? Quod repudium diximus ijs, non dico cum quibus, ſed de quibus viuimus? Quam diſcordiam ſuſcepimus in eos, quibus exhibitionis noſtræ gratiâ obligati ſumus? Potes linguâ negaſſe, quod manu confiteris? verbo deſtruere, quod facto ſtruis? vnum Deum prædicare, qui tantos efficis? verum Deum prædicare, qui falſos facis? Facio (ait quidam) ſed non colo: quaſi ob aliquam cauſam colere non audeat, niſi ob quam & facere non debeat: ſcilicet ob Dei offenſam vtrubique. Immo tu colis, qui facis vt coli poſſint. Colis autem non ſpiritu viliſſimi nidoris alicuius, ſed tuo proprio: nec animâ pecudis impenſâ, ſed animâ tuâ. Illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis. Plus es illis quàm ſacerdos, cùm per te habeant ſacerdotem. Diligentia tua nomen illorum eſt. Negas te quod facis colere? Sed illi non negant, quibus hanc ſaginatiorem, & auratiorem, & maiorem hoſtiam cædis, ſalutem tuam. Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Chriſtianum ab idolis in Eccleſiam venire: de aduerſaria officina in domum Dei: attollere ad Deum patrem manus, matres idolorum: his manibus adorare, quæ foris aduerſus Deum adorantur: eas manus admouere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc ſufficit. Parum ſit, ſi ab aliis manibus accipiant quod contaminant, ſed etiam ipſi tradunt aliis quod contaminauerunt. Adleguntur in ordinem Eccleſiaſticum artifices idolorum. Pro ſcelus! Semel Iudæi Chriſto manus intulerunt, iſti quotidie corpus eius laceſſunt. O manus præcidendæ! Viderint iam, an per ſimilitudinem dictum ſit, ſi te manus tua ſcandalizat, amputa eam. Quæ magis amputandæ, quàm in quibus Domini corpus ſcandalizatur? Sunt & aliæ complurium artium ſpecies, quæ etſi non contingunt idolorum fabricationem, tamen ea ſine quibus idola nihil poſſunt, eodem crimine, expediunt. Nec enim differt, an extruas, vel exornes: ſi templum, ſi aram, ſi ædiculam eius inſtruxeris: ſi bratteam expreſſeris, aut inſignia, aut etiam domum fabricaueris. Maior eſt eiuſmodi opera, quæ non effigiem confert, ſed auctoritatem.

CAP. VII.

CAP. VIII.

4. Idoli artifex, & quinis alterius male artis opifex, inexcuſabilis eſt: nec ſerpentis ænei figura, vmbra Chriſti, in exemplum idololatriæ torqueri poteſt. De Idol. cap. 5. per totum.

PLanè impenſius reſpondebimus ad excuſationes huiuſmodi artificum, quos nunquam in domum Dei admitti oportet, ſi quis eam diſciplinam norit. Iam illa objici ſolita vox: Non habeo aliud quo viuam: diſtrictiùs repercuti poteſt, Viuere ergo habes: quid tibi cum Deo eſt? ſi tuis legibus. Tum quod & de ſcripturis audent argumentari, dixiſſe Apoſtolum, *Vt* [a] *quiſque fuerit inuentus, ita & perſeueret.* Poſſumus igitur omnes in peccatis perſeuerare ex iſta interpretatione: nec enim quiſquam noſtrûm non peccator inuentus eſt, cûm Chriſtus non alia ex cauſa deſcenderit, quàm peccatorum liberandorum. Item, Eundem præcepiſſe dicunt, ſecundùm ſuum exemplum, vt manibus vnuſquiſque operetur ad victum. Si hoc præceptum ab omnibus manibus defenditur, credo & fures & aleatores manibus ſuis viuere, & ipſos latrones manibus agere quo viuant. Item falſarios vtique non pedibus, ſed manibus operari malas literas: hiſtriones verò non manibus ſolis, ſed totis membris victum elaborare. Pateat igitur Eccleſia omnibus, qui manibus, & ſuo opere tolerantur, ſi nulla exceptio eſt artium quas Dei diſciplina non recipit. Sed ait quidam, aduerſus ſimilitudinis interdictæ propoſitionem, Cur ergo Moſes in eremo ſimulacrum ſerpentis ex ære fecit? Seorſum figuræ, quæ diſpoſitioni alicui arcanæ præſtruebantur, non ad derogationem legis, ſed ad exemplarium cauſæ ſuæ. Alioquin ſi hæc vt aduerſarij legis interpre-

[a] 1. Cor. 7. 20 & 24.

1. Cor. 4. 12

1. Theſſ. 4. 11.

Num. 21. 9.

mur, nunquid & nos, quod & Marcionitæ, inconſtantiam adſcribimus omnipotenti? quem illi hoc modo deſtruunt vt mutabilem, dum alibi vetat, alibi mandat. Si quis autem diſſimulat illam effigiem ærei ſerpentis, ſuſpenſi in modum, figuram deſignaſſe Dominicæ crucis, à ſerpentibus, id eſt, ab angelis diaboli liberaturæ nos, dum per ſemetipſam, diabolum, id eſt, ſerpentem interfectum ſuſpendit, ſiue quæ alia figuræ iſtius expoſitio dignioribus reuelata eſt, dummodo Apoſtolus affirmet omnia tunc figuratè populo accidiſſe: benè quod idem Deus qui lege vetuit ſimilitudinem fieri, extraordinario præcepto ſerpentis ſimilitudinem indixit. Si eundem Deum obſeruas, habes legem eius, [b] *Ne feceris ſimilitudinem*: ſi & præceptum factæ poſtea ſimilitudinis reſpicis, & tu imitare Moyſen, ne facias aduerſus legem ſimulacrum aliquod, niſi & tibi Deus iuſſerit.

1. Cor. 10. 6.
[b] Exo. 20. 4

5. Idolo ſciens applicandum aliquod opus ex ſe indifferens, artifex illud facere non debet. De Idol. cap. 8. in f.

CVm igitur ad hæc artificiorum genera cohortemur, quæ idolum quidem, & quæ idolo competunt, non attingam, ſint autem & hominibus communia ſæpe; quæ & idolis, hoc quoque cauere debemus, ne quid ſcientibus nobis ab aliquibus de manibus noſtris in rem idolorum poſtuletur. Quod ſi conceſſerimus & non remediis iam vſitatis egerimus, non puto nos à contagio idololatriæ vacare, quorum manus non ignorantium, in officio, vel in honore, & vſu dæmoniorum deprehenduntur.

6. Idololatriæ participant qui lucernas foribus ſuis in honorem idolorum accendunt. De Idol. cap. 15. per totum.

[a] Math. 5. 16.

SEd [a] *luceant*, inquit, *opera veſtra*. At nunc lucent tabernæ & ianuæ noſtræ: plures iam inuenies ethnicorum fores ſine lucernis & laureis, quàm Chriſtianorum. De iſta quoque ſpecie quid videtur? Si idoli honor eſt, ſine dubio idoli honor idololatria eſt. Si hominis cauſa eſt, recogitemus omnem idololatriam in hominis cauſam eſſe. Recogitemus omnem idololatriam in homines eſſe culturam, cùm & ipſos deos nationum homines retro fuiſſe, etiam apud ſuos conſtet. Itaque nihil intereſt, ſuperioris an huius ſeculi viris ſuperſtitio iſta præſtetur. Idololatria non propter perſonas quæ apponuntur, ſed propter officia iſta damnata eſt quæ ad dæmonas pertinent. *Et paucis interiectis ibid.* Ergo, inquis, honor Dei eſt, lucernæ pro foribus, & laurus in poſtibus? non vtique quod Dei honor eſt, ſed quod eius qui pro Deo huiuſmodi officiis honoratur, quantum in manifeſto eſt, ſalua operatione quæ eſt in occulto, ad dæmonia perueniens. Certi enim eſſe debemus, ſi quos latet per ignorantiam literaturæ ſecularis, etiam oſtiorum deos apud Romanos, Cardeam à cardinibus appellatam, & Forculum à foribus, & Limentinum à limine, & ipſum Ianum à ianua: & vtique ſcimus, licet nomina inania atque conficta ſint, cùm tamen in ſuperſtitionem deducuntur, rapere ad ſe dæmonia & omnem ſpiritum immundum per conſecrationis obligamentum. Alioquin dæmonia nullum habent nomen ſingillatim, ſed ibi nomen inueniunt, vbi & pignus. Etiam apud Græcos Apollinem Thyræum, & Anteliosdæmonas oſtiorum præſides legimus. Hæc igitur ab initio præuidens Spiritus ſanctus, etiam oſtia in ſuperſtitionem ventura præcecinit per antiquiſſimum propheten Enoch. Nam & alia oſtia in balneis adorari videmus. Si autem eorum ſunt quæ in oſtiis adorentur, ad eos & lucernæ & laureæ pertinebunt. Idolo feceris quidquid oſtio feceris. Hoc in loco ex auctoritate quoque Dei conteſtor, quia nec tutum eſt ſubtrahere quodcunque vni fuerit oſtenſum, vtique omnium cauſa. Scio fratrem per viſionem eadem nocte caſtigatum grauiter, quod ianuam eius ſuditò annuntiatis gaudiis publicis ſerui coronaſſent. Et tamen non ipſe coronauerat aut præceperat, nam antè proceſſerat, & regreſſus deprehenderat factum: adeo apud Deum in huiuſmodi, etiam diſciplina, familiæ noſtræ æſtimamur. Igitur quod attineat ad honores regum vel imperatorum, ſatis præſcriptum habemus, in omni obſequio eſſe nos oportere, ſecundum Apoſtoli præceptum ſubditos magiſtratibus & principibus & poteſtatibus; ſed intra limites diſciplinæ, quouſque ab idololatria ſeparamur. Propterea enim & illud exemplum trium fratrum præcucurrit, qui aliàs obſequentes erga regem Nabuchodonoſor, honorem imaginis eius conſtantiſſimè reſpuerunt, probantes idololatriam eſſe quicquid humani honoris modum ad inſtar diuinæ ſublimitatis extollit. Sic & Daniel cetera Dario ſubnixus, tamdiu fuit in officio, quamdiu à periculo diſciplinæ vacaret. Nam id ne ſubiret, non magis leones regios timuit, quam illi regios ignes. Accendant igitur quotidie lucernas, quibus lux nulla eſt: adfigant poſtibus lauros poſtmodum arſuras, quibus ignes imminent; illis comperunt & teſtimonia tenebrarum, & auſpicia pœnarum. Tu lumen es mundi, & arbor virens ſemper. Si templis renuntiaſti, ne feceris templum ianuam

Rom. 13 & ſeq.
Dan. 3. 18.
Dan. 6. 16.
Math. 5. 14
Pſal. 1. 4.

Digitized

tiam. Minus dixi: ſi lupanaribus renuntiaſti, ne indueris domui tuæ faciem noui lupanaris.

7. Ididolatriæ taxatur Mercatorum auaritia. De Idol. cap. 11. adm. V. Auaritia 1.

IDOLOLATRIÆ PARTICIPANT IDOLORVM ARTIFICES. I. II. III. IV. V. VI. SCHOL.

RETRO, *priùs: antequam ſcilicet idoli artifices numeroſi prodirent.* MONSTRI. *Quod plerumque vel vt Ianus bifrons, trifrons, quadrifrons, exhiberetur, vel capite alicujus animalis, cætero corpore humano, vel ex diuerſis animalibus ſimulacra Deorũ fabricari ſolerẽt.* SOLA TEMPLA. *abſque tot idolorum diuerſitate. Vnde Clem. Alex. lib. 1. Strom. vbi de Numa loquitur quem ex Moſaica lege ſuum hoc præceptum derivaſſe notat, ſicut & Euſebius lib. 9. de præpar. Euang. cap. 3.* Prohibuit, inquit, Romanis, ne homini, aut animali ſimilem Dei facerent imaginem, &c. Igitur qui templa ædificarunt, per centum & 70. annos, ſimulacrum nullum fecere neque effictum neque depictum. HODIERNVM, *diem.* QVIBVSDAM LOCIS, *in locis.* VETVSTATIS VESTIGIA. *Vetuſta templa adhuc extant; nuda & ſine idolis.* NON IN ISTO NOMINE. *Licet Deorum falſorum cultus opere & facto exerceretur,* B *tamen nomen idololatriæ ab idolis poſtea dictæ, nondum audiebatur. Sed in mente phantaſmata Deorum impreſſa verſabantur. Vnde Clemens Alex. loco præcitato:* occultè, inquit, indicebat Numa, *idola fieri prohibendo* non alia ratione, quam ſola mente attingendum *diuinum numen* id quod eſt optimum. *Inde Paulus Act. 17. 24. & ſeq.* Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cùm ſit Dominus non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, &c. genus ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis *Syr. aut lapidi inſculpto artificio & ſcientiâ humanâ* & cogitationis hominis diuinum eſſe ſimile. *Syr. ſimile eſſe numen* & tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant. C *Tranſlat. autem Syr.* tempora igitur idololatriæ præterire fecit Deus: hoc autem tempore præcepit omnibus hominibus vt quilibet vbique pœnitentiam agat. AGI POTEST, *idololatria ſine cultus Deorum abſque templo & idolo.* RVDE NEGOTIVM, *inultum prius opus ſuperſtitionis Gentilium quod pro diabolo eiuſque cultu quaſi procurator negotiatus eſt, & ab vno vero Deo Zelote ſuæ gloriæ tantam ſibi illatam injuriam vlciſcente omnem in homines calamitatem inuexit; per idolorum artifices, nomen idololatriæ ab idolis acceptit, & in dies cum nomine progreſſum & augmentum, de ſimulacris exultis per artifices, qui negotium idololatriæ artificio ſuo promouerunt, eleganter ſcripſit Aug.* Aug. *to. 4. lib. 83. quæſt. quæſtione 78.* Ars, inquit, illa ſumma omnipotentis Dei, per quam ex nihilo facta ſunt omnia, quæ etiam ſapientia eius dicitur, *de qua Pſaltes, omnia in ſapientia feciſti,* ipſa operatur etiam per artifices, *ſicut per Bezeleel & Ooliab, quibus intellectum dedit ad opus ſanctuarij* vt & pulchra atque congruentia faciant: quamuis non de nihilo, ſed de aliqua materia operentur, velut ligno, aut marmore, aut ebore, & ſi quod aliud materiæ genus manibus artificis ſubditur. Sed ideo iſti non poſſunt de nihilo aliquid fabricare, quia per corpus operantur: cum tamen eos numeros, & lineamentorum conuenientiam quæ per corpus corpori imprimunt, in animo accipiant ab illa ſumma ſapientia, quæ ipſos numeros, & ipſam conuenientiam longè artificioſius vniuerſo mundi corpori impreſſerit quod de nihilo fabricatum eſt? in quo ſunt etiam corpora animalium A *præſertim hominum* quæ iam de aliquo id eſt de elementis mundi *iam exiſtentibus* fabricantur, ſed longè potentius excellentiuſque, quàm cum artifices homines eaſdem figuras corporum & formas in ſuis operibus imitantur. Non enim omnis numeroſitas humani corporis inuenitur in ſtatua, ſed tamen quęcumque inueniuntur, ab illa ſapientia per artificis manum traiiciuntur, quæ ipſum corpus humanum naturaliter fabricat. Nec ideo tamen pro magno habendi ſunt qui talia opera fabricant aut diligunt: quia minoribus rebus intenta anima, quas per corpus corporaliter facit, minus inhæret ipſi ſummæ ſapientiæ, vnda iſtas potentias habet; quibus malè vtitur dum foris eas exercet: illa enim in quibus eas exercet diligens, interiorem earum formam ſtabilem negligit, & inanior infirmiorque efficitur, *ſimiles factis ijs quæ faciunt; abominabiles factis ſicut ea quæ dilexerunt* qui verò talia opera *in idola conuerſa* etiam coluerunt, quantùm deuiauerint à veritate hinc intelligi poteſt, quia ſi ipſa animalium *multò magis hominum* corpora colerent, quæ multò excellentius fabricata ſunt, & quorum ſunt illa imitamenta, quid eis infelicius diceremus? *Quantùm peccent, qui & artem, & manum, & tempus, & materiam à Deo ſibi datam dæmoni in idolis, vel imaginibus libidinoſis conferant, quæ tantò amplius ad libidinem & idololatriam prouocant quo ab excellentiori artifice hujuſmodi opera elaborata ſunt, quis ſatis æſtimet?*

2. INDE ET OMNIS ARTIFEX. *Ex quo fit & ſequitur, vt omnis artifex idoli, vno eodemque crimine reus cum idolatrâ teneatur, quodcumque tandem ſimulacrum efformet, ſive animalis, ſive hominis. Neque enim minus peccauit populus Iſraël adorans ſimulacrum vituli, quàm ſi hominis idolum coluiſſet. Omne autem idolum non tantùm coli, ſed & priùs fieri prohibuit Deus, quod factum, poſtea coli poſſet. Sic enim Exodi* 20. 4. non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra *Tum vero immediatè ſequitur,* non adorabis ea neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis & Zelotes. 70. *ego enim ſum, &c. reddens peccata patrum in filios, &c.* viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me. ANTECESSIT ENOCH, *qui præceſſit Moyſem. Cuius liber inſcribitur* duodecim Patriarcharum teſtamentum. D *Quem præter Tertullianum ſæpè citauit Origenes & Procopius; huius libri in duabus columnis lapideâ & lateritiâ incluſi referuntur.* MVNDI CENSVM. *Rerum omnium ſeriem & redditum, ſine ſubſtantiam, vt creaturæ omnes artificio dæmonum pro dijs contra mundi Dominum haberentur.* DESERTORVM. *Sic D. Iudas in vnico Epiſtola ſua Canonica & vnica capite verſu* 14. Prophetauit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorũ. *Ibidem autem verſu* 5. Ieſus populũ de terra Ægypti ſaluans, ſecundò eos qui non crediderunt perdidit; Angelos verò qui non ſeruauerunt ſuum principatum ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit. EORVM, *ſpirituum deſertorum.*

IN ARTIFICEM DEPVTETVR. *artifici imputetur.* PRÆDAMNAT, *prius condemnat artifices, quàm cultores.* ET RVRSVS. *Idem Enoch.* SANGVINIS, *vindictæ, in qua* iustus lauabit manus suas in sanguine peccatoris. PERDITIONIS. *Supple,* & QVI SERVITIS LAPIDIBVS. *Inculto & impolito. Sicut Herodianus refert, Pessimantes, eam coluisse informem lapidem de cœlo lapsum. Lactantius, lib.* 1. *cap.*20. Quid qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen est Terminus? ESAIAS VERO, *cap.*44.6. Hæc dicit Dominus Rex Israel, & Redemptor eius, Dominus exercituum. Ego primus, & ego nouissimus, & absque me. 70. *prater me,* non est Deus, &c. vos estis testes mei. Numquid est Deus absque me, & formator quem ego non nouerim? plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, vt confundantur. Quis formauit Deum, & sculptile conflauit ad nihil vtile? Ecce omnes participes eius confundentur? fabri enim sunt ex hominibus, 70. *& omnes vnde facti sunt, exarserunt, & surdi ex hominibus.* Conuenient omnes, stabunt & pauebunt, & confundentur simul. *Deinde subijcit de fabro, ferrario, artifice lignario; vbi facetè irridet eos, & concludit versu* 19. *& seq. sic inducens fabrum lignarium:* Medietatem eius, *ligni,* combussi igni, & coxi super carbones eius, panes: coxi carnes & comedi: & de reliquo eius idolum faciam? ante truncum ligni procidam? pars eius cinis est: cor insipiens adorauit illud, & non liberabit animam suam, neque dicet: fortè mendacium est in dextera mea? 70. *vero:* Scito quia cinis cor eorum, & errant, & nemo potest liberare animam suam. Videte: non dicetis, quia mendacium in dextera mea. *Sanct. Pagn. ex Hebr. clarius:* Nec dicet, nonne feci mendacium *idolum Dei falsi simulacrum* dexterâ meâ? ÆQVI ET FACTORES, *similiter artificibus imprecatur, Psal.*113 8. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. *Videlicet os habeant & non loquantur, &c. Ita & Psalmo* 134. 18. *vbi eadem repetit quæ supra. In quem postremum locum sic Augustinus:* Quid, inquit, restat figmentum nisi ridendum, non adorandum? Idola Gentium dicturus erat *simpliciter, materiam nobilem non exprimendo* fortasse vt contemneremus ista omnia: dicturus erat idola Gentium, non dico lapides, & ligna, gypsum, & testam: Non hæc dico, vilis materia est, illud quod valde amant, vel quod valde honorant, dico. Idola Gentium argentum & aurum. Certè aurum est, certè argentum est. Numquid quia lucet argentum, lucet aurum, ideo oculos habent & vident? sic, quomodo argentum est *in quantum pretiosa materia est* quomodo aurum est, vile fortè auaro, non religioso. *Superstitioso idololatræ.* Imò verò nec auaro vile, sed vile benè vtenti, & per eius erogationem cœlestem thesaurum acquirenti. Tamen, nunc cùm ista insensata sint, quid facitis homines de argento, & auro Deos? quos Deos facitis, nonne videtis quod non videant, oculos habent, &c. omnia ista artifex, faber, argentarius, aurifex facere potuit, & oculos, & aures, & nares, & os, & manus, & pedes: sed nec lucem oculis, nec auditum auribus, nec vocem ori, nec sensum naribus, nec motum manibus, nec iter pedibus dare potuit. O homo, rides iam proculdubio quod fecisti, si à quo factus es agnouisti. De illis autem qui non agnouerunt quid dicitur? Similes illis fiant qui faciunt ea, &c. Et creditis, fratres, exprimi in eis quandam similitudinem idolorum, non quidem in carne eorum, sed in interiore homine eorum: nam aures habent & non audiunt: ad illos quippe clamat Deus; qui habet aures audiendi audiat. Oculos habent, &c. habent enim oculos corporis, sed non habent oculos fidei, &c. Nares habent & non odorantur. Non sentiunt illum odorem 2. Cor. 2. Christi bonus odor sumus, sicut dicit Apostolus, in omni loco. Quid prodest quia nares habent, & non odorantur tam suauem odorem Christi? Verè in illis factum est, & verè de illis dictum est: similes illis fiant omnes qui faciunt ea, &c. Sed quotidie credunt *conuersi artifices & idololatræ* per miracula Christi Domini: quotidie aperiuntur oculi cæcorum, & aures surdorum, inspirantur nares insensatorum, dissoluuntur ora mutorum, constringuntur *resoluta* manus paralyticorum, corriguntur pedes claudorum. De lapidibus istis *factis similibus, lapidibus quos colebant* excitantur filij Abrahæ. Quibus omnibus iam dicatur Domus Israel benedicite Dominum. Omnes filij Abrahæ. Et si de lapidibus istis suscitantur filij Abrahæ, manifestum est quia illi sunt magis domus Israel qui pertinent ad domum Israel, *qui ex non videntibus, fiunt videntes & cognoscentes Deum* qui pertinent ad semen Abrahæ, non carne, sed fidei, &c. Benedicite domus Aaron. Benedicite præpositi, hoc est domus Aaron. Benedicite ministri, hoc est domus Leui. *Vt qui prius Sacerdotes & ministri erant idolorum, non timendorum; vnius veri Dei facti timendi, vt videntis, audientis, &c. punientis, munerantis, fiant cultores; vnde sequitur:* qui timetis Dominum benedicite Domino. *Lepidè Ambrosius lib.* 2. *de Virginibus post medium videt idola colentes exemplo tyranni sua quoque idola tueri se impotentiâ subsannantis:* Par est, inquit, contexere, quid de dijs suis senserit, quo magis infirmos iudicetis, quos irridet sui. Namque is cùm venisset in templum Iouis amictum aureum quo operiebatur simulacrum eius, detrahi iussit, imponi laneum: dicens aurum hieme frigidum, æstate onerosum esse: sic Deum irrisit suum, vt nec onus ferre posse, nec frigus putaret. *Videndus Cicero. de natura Deorum, lib.*3. Item cùm Æsculapij barbam vidisset auream, tolli imperauit, incongruum esse appellans, vt filius barbam haberet, cùm Apollo pater eius adhuc non haberet. Item simulacris tenentibus aureas pateras ademit, allegans accipere se debere quod dij darent: quoniam hæc sunt vota inquit hominum, vt à dijs quæ bona sunt adipiscamur: nihil autem auro melius. Quod tamen si malum est habere Deos, non debere: si bonum est, habere magis homines debere qui vti scirent. Ita ludibrio habiti sunt, vt neque Iupiter vestem suam defendere potuerit, nec barbam Æsculapius, nec Apollo pubescere adhuc cœperit, neque omnes qui dicuntur dij, retrahere potuerint pateras quas tenebant: non tam furti reatum timentes, quam sensum non habentes. Quis igitur eos colat, qui nec defendere se quasi dij, nec abscondere quasi homines possunt? Baruch. 6. At in templo cùm tertij, Reg. 13. Ieroboam Rex sceleratissimus dona quæ pater eius posuerat auferret ac super sanctum altare libaret idolis, nonne dextera eius quam tetendit exaruit, nec sua ei quæ inuocabat idola profuerunt? Deinde conuersus ad Dominum rogauit veniam statimque manus eius quæ aruerat sacrilegio, sanata est religione. Tam maturum in eo & misericordiæ diuinæ, & indignationis exemplum extitit, vt sacrificanti subito dextera adimeretur, pœnitenti venia daretur:

3. DE SACRAMENTO NOSTRO. *Iusiurando in baptismo præstito, quo diabolo renunciauimus.* SI IOS FACIMVS,

S. Aug.

FACIMVS, *ſi arte auri fabri, vel artificis lignarij, dæmones in idolis exprimimus.* DE QVIBVS VIVIMVS. *Victum quærimus idolorum artificio.* EXHIBITIONIS GRATIA *Vel intelligis cultum quem procurant artifices, vel victum quem ijdem à dæmonibus accipiunt ex pretio idolorum venditorum.* MANV CONFITERIS, *quâ mendacium & idolum effingis, efficis, formas.* AIT QVIDAM, *artifex idolorum fruſtra ſe excuſans,* VTRVBIQVE, *vtrobique.* NON SPIRITV. *Nidore cremata hoſtiæ, quæ exhibetur idolo à te facto, ſed aſpiratione tua qua laborat aſſiduè & anhelas, ſpiritu tuũ & animam tuam idolo fabricando exhauriens, vt ſias ei ſimilis quorum* non eſt ſpiritus in naribus eorum IMPENSA, *iugulata pecude, immolata.* LIBAS, *pro vino.* ACCENDIS, *pro thure.* PER TE. *Propter idolũ à te factum.* NOMEN ILLORVM. *Quia per te ob artem eximiam tuam famoſa* B *reddantur idola.* ILLI NON NEGANT. *Sciunt dæmones.* SAGINATIOREM *pinguiorem:* MAIOREM, *accepciorem* AVRATIOREM. *Cornua enim hoſtiæ deaurabant.* AB IDOLIS, *iam iam elaboratis.* ADVERSARIA OFFICINA. *Contraria fidei.* AD DEVM PATREM, *figulum & opificem tuum* MATRES IDOLORVM. *Quæ multa arte parturiente produxerunt idola.* QVÆ FORIS *ab extraneis idololatris maximi fiunt.* CORPORI DOMINI, *quod tum, vt & tempore Auguſtini, manibus nudis, homines excipiebant, ſicut mulieres in dominicalibus ſiue linteaminibus mundiſſimis.* CORPORA CONFERVNT. *Quæ non quidem informant, ſed inhabitant.* AB ALIIS MANIBVS. *Sacerdotum ſcilicet.* QVOD CONTAMINANT, *in quantum poſſunt. Nam incontaminabile eſt ſupra ſolis radium impollutum à cœno ſicut à cœlo.* IPSI TRADVNT. *In ordinem Clericalem & abominando artificio aſſumpti.* AN PER SIMILITVDINEM *Non iam allegoricè ſed ad literam & verè* NIHIL POSSVNT. *Parum conferunt ad cultum idolorum* EXPEDIVNT, *conficiunt, concinnè & elegantiori artificio elaborant, quaſi expeditius ad negotium idololatriæ.* EXTRVAS, *nuda & ſimplici architectura.* NEC DIFFERT. *Quantum ad ſpeciem criminis.* BRATTEAM, *Bracteam legunt alij, id eſt laminam auream valde tenuem. Vnde Ammianus lib. 14. dixit* auro ſtatuas curant imbracteare. INSIGNIA *arma, ſtemmata, Animalia diuerſa pro diuerſitate Deorum coronas, &c. Vnde Hyginus* qui Neptuno ſimulacrum faciunt delphinũ aut in manu, aut ſub pedibus eius conſtituere videntur, &c. MAIOR EST OPERA. *Exquiſitior.* AVTHORITATEM. *Hinc enim, ex huiuſmodi ornatu & inſignibus, ad cultum Deorum magis homines accenduntur. Quæ omnia, & templa, & ornamenta, & ſacrificia, vni Deo & ſanctis eius imaginibus, artifices cum toto ſudore, ſpiritu, & anima impendere deberent, & non idolis; quibus ſimiles fiunt qui faciunt ea. Accipite Auguſtinum Epiſtola 49. ad*
Aug. *Deo gratias quæſt. 3.* Hoc ſanè nec in iſta breuitate prætereundum eſt, quod templum, Sacerdotem, ſacrificium, & alia quæcumque ad hæc pertinentia, niſi vni vero Deo deberi noſſent dii falſi, hoc eſt dæmones qui ſunt prævaricatores Angeli, numquam E hæc ſibi a cultoribus ſuis quos decipiunt, expetiſſent. Verum hæc cùm exhibentur Deo ſecundùm eius inſpirationem atque doctrinam, vera religio eſt: cùm autem dæmonibus ſecundùm eorum impiam ſuperbiam noxia ſuperſtitio, &c. & idola quidem omni ſenſu carere quis dubitet? Verumtamen cùm his locantur ſedibus *templis & aris* honorabili ſublimitate, vt a precantibus atque immolantibus attendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atque ſenſuum, quamuis inſenſata & exanima, efficiunt infirmos animos, vt viuere ac ſpirare videantur: accedente præſertim veneratione multitudinis, quâ tantus eis cultus Dei impenditur. Quibus morbidis & peſtilentioſis affectibus medetur ſcriptura diuina, quę rem quidem notam, ſed tamen ſalubri remedio admonitionis inculcat dicēs, oculos habent & non vident, &c. Hæc enim verba quo magis aperta, & populariter vera ſunt, eò magis incutiunt ſalubrem pudorem illis, qui cum talibus ſimulacris, diuinum cum timore cultum exhibent, eaque viuentibus ſimilia venerantes adoranteſque contuentur, eiſque velut præſentibus preces allegant, victimas immolant, vota perſoluunt, ſic afficiuntur omnino, vt ea ſenſu carentia putare non audeant. Ne arbitrentur autem iſti hoc ſolum noſtros libros velle ſanare, quòd huiuſmodi affectus *circa idola* humano cordi ex idolis innaſcitur, apertiſſimè ſcriptum eſt, quòd omnes dij gentium dæmonia Pſalmo 95. Vnde & Apoſtolica diſciplina non ſolum dicit, quod apud Ioannem legitur; fratres cauete à ſimulacris: Verum etiam quod apud Paulum, quid ergo? Dico quod idolis immolatum ſit aliquid, aut idolum eſt aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis, & non Deo immolant. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Vnde ſatis intelligi poteſt non tam ipſum immolationem, nam vero Deo priſci ſancti immolauerunt, ſed quod diis falſis & dæmoniis immolatur, reprehendi à vera religione in ſuperſtitione gentium. Sicut enim veritas hortatur homines fieri ſocios ſanctorum Angelorum, ita ſeducit impietas ad ſocietatem dæmoniorum, cui præparatur ignis æternus. ſicut Regnum æternum ſocietati ſanctorum. *Sociantur autem & fiunt participes idolorũ, non ſolum cultores, ſed & eorum artifices, vt ſupra vidimus. Cuius causâ ſic exclamauit Tertull.* Proh ſcelus, &c. ô manus præcidendæ! *Sicut Dagon idoli ſuæ aræ poſiti; cuius manus & pedes obtruncati ſunt. Inde & Optatus Miletit.* ô ſcelus, inquit, nefarium, ô facinus inauditum! Auferre Deo, quod idolis præſtes; ſubducere Chriſto quod proficiat ſacrilegio. *Sic templa, aras, imagines, &c. Deo & ſanctis, debita tollunt & dæmonibus in idolis & huiuſmodi ſacrilegis artificiis operam ſuam locant.*

4. IMPENSIVS, *plenius, quod ſupra iam præſtitit.* SI QVIS NORIT *quantum ars & diſciplina artificum* D *idolorum conferat ad idololatriam.* SOLITA VOX. *Nil frequentius in ore ſculptorum pictorumue fidelium verſatur quam excuſatio quâ dicunt ſe non poſſe aliter victum ſibi quam ex arte ſua quærere.* VIVERE HABES. *Sed cum Deo viuente non cum idolis vita carentibus. Viuere debes, ſed non ſub eis, ſed Dei legibus. Nec in excuſationem adducas legem Pauli qui 1. Cor. 7. 20. & 24. præſcribit:* vnuſquiſque in quo vocatus eſt frater, in hoc permaneat, *apud Deum ſcilicet, iuxta eius præceptum quod idola fieri prohibet.* EVMDEM, *Apoſtolum 1. Cor. 4. 12.* laboramus operantes manibus noſtris. 1. *Theſſ. 4. 11.* & operam detis, vt quieti ſitis, & vt veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis. AB OMNIBVS MANIBVS, *quibuſcumque operibus etiam apertè illicitis patrocinatur hic locus Pauli.* FVRES ET ALEATORES. *Alij legunt, fures balnearios id eſt qui vel veſtes balneantium, aut vtenſilia balnei ſuffurantur.* MALAS LITERAS, *inſtrumenta falſa.* ELABORARE, *de tali labore viuere.* SIMILITVDINIS, *repræſentationis animalium in lege veteri interdictæ.* SEORSVM FIGVRÆ. *non eſt, inquit, par ratio, ſed longè diuerſa ſignorum veteris legis, quæ ante rerum veritatem præmittebantur populo rudiori, quæ non derogabant legi, ſed quæ exemplaria erant delineantia res futuras, propter quas inſtituebantur. Aliter enim interpretantes figuras veteris teſtamenti, cum Marcionitis dicemus Creatorem non-*

SENT *lauro.* PROCESSERAT. *Foras egressus.* APVD DIVM. *In Ecclesia, inter fideles, etiam in talibus cerimonijs cum idololatris deputamur si famuli nostri etiam nobis inscijs aliquid idololatriæ proximum admittant, de eorum culpa cerum Deo respondere debemus.* AD HONORES REGVM. *Respondet quasi interrogatus, quo vsque se extendat honor debitus principibus, & respondet iuxta Apostolum, in omnibus quæ contra Dei cultum non sint, cum enim ad quamuis tenuem idololatriam, ab ipsis compellimur, tunc cum Petro respondendum est:* melius est nos obedire Deo, quàm hominibus. *Sic autem Paulus Rom. 13. 1. & seq.* omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. *Aug. ser. 6. de verbis Domini, vbi de genio Carthaginis.* Si, inquit, ornamentum est aliquod genium, ciues Carthaginis benè viuant, & ipsi erunt genium Carthaginis. Si autem Carthaginis. Si autem genium dæmonium est, audisti & ibi 1. Cor. 10. quæ immolant gentes, dæmonibus immolant, & non Deo. Nolo vos socios fieri dæmoniorum, &c. quod illi numen habeant & pro numine accipiant illam statuam, arateſtatur, &c. si quæritis vnde vincantur Pagani vnde illuminentur, vnde ad salutem vocentur; deserite omnes solemnitates eorum, deserite nugas ipsorum; & si non consentiunt veritati nostræ, erubescant paucitati suæ. Bonus si fuerit qui tibi præest, *siue Dominus, siue princeps, siue magistratus* nutritor tuus est: *si enim fidelis est, te in fide enutrit & promouet, animæ & corporis curam gerit:* malus si fuerit tentator tuus est, & nutrimenta libenter accipe, & in tentatione approbare. Esto aurum, attende mundum istum tanquam fornacem aurificis, in vno angusto loco tria sunt, aurum, palea, ignis: ad illa duo & ignis apponitur, palea vritur, aurum purgatur. Cessit nescio quis minis, & adductus est ad idolium, *idolothytum* væ mihi quia paleam plango cinerem video. Non cessit minis, non cessit terroribus, adductus ad iudicem stetit in confessione sua, non est flexus ad idolum. Quid facit flamma? nonne aurum purgatur? state in Domino fratres, &c. numquid in superbiam vos erigimus, aut dicimus vobis, vt aduersus potestates ordinatas contemptores sitis? Non hoc dicimus. Qui & hinc ægrotatis, tangite & hinc fimbriam illam vestimenti; ipse dicit Apostolus: omnis anima potestatibus sublimioribus, &c. sed si illud iubeat quod non debeas facere? hic sanè contemne potestatem. Timendo potestatem ipsos humanarum rerum gradus aduertite: si aliquid iusserit curator, nonne faciendum est? tamen si contra Proconsul iubeat, non vtique contemnis potestatem, sed eligis majori seruire: nec hinc debet minor irasci si maior prælata est, &c. ergo si aliud imperator & aliud Deus, quid iudicatis? solue tributum, esto mihi in obsequium. Rectè, sed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? maior potestas. Da veniam. Tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc iam tibi assumenda est fides tua, tanquam scutum, in quo possis omnia ignita iacula inimici extinguere. NEC TVTVM. *Securum non est, metu non caret Deus vltoris tacere exempla vindictæ Dei. Quod enim vni fratri, id est fideli accidit, pro negligentia circa corrigendos seruos, id ad omnes Dominos pertinet qui vigilare debent, ne quid contra Deum in suis domibus fiat à famulis,* TRIVM FRATRVM, *trium puerorum præcessit exemplum: qui fratres dicuntur germanitate fidei & constantiæ, aurique perfect: ardentissimo camino probati.* HONORIS MODVM. *Quidquid excedit iustam mensuram honoris debiti homini, licet principi, si se Deo voluerit in cultu coæquari, ab eo recedendum est:*

Omniloquium.

A CÆTERA IVBNIXVS. *In cæteris omnibus subditus Dario tandiu ei ministrauit, quamdiu sine damno diuini cultus in eius familia mansit.* REGIOS IGNES. *Vt enim ignes non timuerunt, sic nec timuit Daniel Leones. Aug. in Psal. 96. de sanctis martyribus loquens, inter* S.Aug. *Leones, ignes, cæteraque tormenta impauidis.* Latus, inquit, fuit carcer fidelibus *vt fornax pueris, & lacus Leonum Danieli* leues fuerunt cathenæ confitentibus, habebant gaudia in cataſta, qui Christum prædicabant inter tormenta. *Et lib. 22. de Ciuit. cap. 6.* S.Aug. Quis enumeret quàm multi quantalibet sæuitiâ crudelitatis occidi, quàm Christum Deum negare maluerunt. Proinde metus quilibet leuis indignationis, quæ ab animis Romanorum, si non fieret, posse putabatur existere, compellat aliquas ciuitates positas sub iure Romano tanquam Deum colere Romulum: à Christo autem Deo, non solùm colendo, sed etiam confitendo, tantam per orbem terræ Martyrum multitudinem metus reuocare non potuit; non leuis offensionis animorum, sed immensarum variarumque pœnarum, & ipsius mortis, quæ plus cæteris formidatur. Neque tunc ciuitas Christi quamuis adhuc peregrinaretur in terris, & haberet tam magnorum agmina populorum, aduersus impios persecutores suos pro temporali salute pugnauit, sed potius vt obtineret æternam, non repugnauit. Ligabantur, includebantur, torquebantur, vrebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur. Non erat eis pro salute pugnare, nisi salutem pro Saluatore contemnere. *Et ibidem enim initio capitu, Ecclesiam Romæ, Christum Romulo collatum pratulisset, sic inter cætera concludit.* Roma, inquit, conditorem suum iam constructa & dedicata tanquam Deum coluit in templo: hæc autem Ierusalem conditorem suum Deum Christum, vt constitui posset & dedicari, posuit in fidei fundamento. Illa illum amando, esse Deum credidit: ista istum Deum esse credendo amauit: sicut ergo præcessit vnde amaret illa, & de amato iam libenter etiam falsum bonum crederet: ita præcessit vnde ista crederet: *præcesserunt enim oracula Prophetarum, Christi vita sanctissima, miracula diuinissima,* vt recta fide, non temerè quod falsum est, sed quod verum erat, amaret. *Per fidem ergo, & lucernam eius accensam in mente, tres pueri, & Daniel, cæterique veteris testamenti patres in Christum venturum credentes, libenter se Martyrijs obtulerunt, & vitam potius perdere, quàm idola colere, aut cultum Dei, legemque ipsius deserere, maluerunt.* ACCENDANT LVCERNAS. *In foribus, quibus lampas fidei non lucet; lauros imponant postibus quæ virore perdito deficcatæ foco tradentur, quibus æterni ignes & tenebræ carceris inferni sunt parata; quasque sues ignibus accensis male sibi ominantur. Tu verò Christiane, arbor plantata secus decursus aquarum ex qua fructum semper viride defluere non debet, si conuersus ex gentilissimo Deorum templis renunciasti, quid aras pro foribus extruis? quid lucernas etiam, pro januis lupanarium de more ethnicorum accensis, domui tuæ faciem lupanaris induis.* TV LVMEN. *Christo dicente:* vos estis lux mundi: *Aug ser. 256. de* S.Aug. *temp.* fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Si ergo lux in Domino, tenebræ sine Domino. *Et tract. 54. in Io.* Lumina sunt omnes sancti. S.Aug. Sed credendo, ab eo illuminantur, à quo si quis recesserit, tenebrabitur. *Et in Psal. 120.* qui voluerit S.Aug. sibi esse lumen, ipse cadit à lumine quo illuminatur. SI LVPANARIBVS. *Aug. tract. 42. in Io.* Consuetudo scripturarum est, fornicationem spiritualiter S.Aug. appellare, cum dijs multis & falsis anima tanquam prostituta subijcitur. *Sicut multi, vt supra vidimus, dijs iamnis præsidebant.*

uagantes, ad eadem Minerua conuenirent. Alij per ta- A *buiaria, intelligunt, iuxta Liuium loca quadam, in quibus instrumenta publica seruabantur, archiuia dicta. Alij locum, in quo codices & libri reponebantur, Bibliotheca scilicet, in quibus erat aliquod idolum Minerua. Varro & Festus quinquatria post diem quintum Idus Martias celebrari volunt.* PRIMAM STIPEM. *Hæc proprie dicebatur Minerual, quem pueri iuxta Horat. Satyra 6. lib. 1. dabant magistris Idibus mensium; quam ipsi magistri consecrabant Minerua.* DE IDOLOTHYTO. *Non quod immolaret idolo, sed quod id fieret in honorem idoli.* QVID MINVS EST. *Alij legunt* inquinamento, alii inquinamenti, *fine in genitiuo, fine in ablatiuo ponatur, quorum idem est sensus; neque enim inquinamento differunt, &* B *nota sordidæ idololatriæ; non minus peccant contra vnius Dei cultum, siue Saturni festa, siue Minerua à quoquam celebrantur, quæ Saturnalia infimæ sortis seruuli colere tenebantur.* PRÆSTAT QVÆSTVS *confert lucrum, promouet cultum.* IDOLO EVNCVPATVS, *alij legunt idoli, & sic iungendum:* honoribus idoli, vel confert quæstum honoribus dij vel deæ, eius idolo consecratus. *In Saturnalibus iuxta Dionem, & Athenæum, & alios, serui festiuè agebant, conuiuium illis exhibebatur, ius in domo dicebant.* STRENÆ CAPTANDÆ, *mutuò commercia munerum. Strenia inde dicta Dea, quæ Xenijs & muneribus dandis Calendis Ianuarijs præerat. Errant aliqui huius loci expositores, qui Augustinum in hujus loci illustrationem citant, libro 4. de ciuit. cap. 16. vbi de deabus Argentina, Stimula, Murcia & Strenua breuiter tractat.* Deâ Strenuâ, quæ faceret Strenuum. *Strenuum autem significat fortem, celerem, alacrem, expeditum. Nihil hæc ad strenas pertinent.* SEPTIMONTIVM *solemnitas sic dicta à septem montibus, de qua Plut. Varro, Festus; quæ celebrabatur mense Decembri, quo etiam strenæ captabantur in memoriam Vrbis conditæ, in quibus montibus sacrificium offerebatur, videlicet in Palatio, Velia, Fagutali, Saburra, Cœlio, Oppio, & Cispio Septimontium igitur festum dictum à septem montibus in quibus Vrbs condita erat.* ET BRVMÆ, *id est hyemalis Solstitij dicitur Bruma quasi dies anni breuissima, quâ orabant sibi reuolutionem solis benè hominatâ. Quâ die etiam mutua munera mitti consueuerât, quæ ideo Trullana Synodus Canone 61. vocat Brumalia; id est ex Isid. Brumosa breuinosa, id est im-* D *munda, pluuia, annosa.* CHARÆ COGNATIONIS, *id est inter agnatos superstites, quibus munera Charistia, id est gratiosa transmittebant inuicem: hoc autem fiebat, peractis festis Februis, & defunctis parentibus, multo luctu & tristitia cultis, & decimo Calend. Mart. ipso mense Februario hæc solemnitas agebatur.* HONORARIA. *Hæc festa munerum cognatorum Prætores agebant, penes quos erat jus honorarium; in quibus à magistro Christiano exigebantur etiam dari, iuxta leges moresque gentilium, munera Charistica.* FLORE. *Sic omnia pene loca coronabantur. Flore autem maximè schola, ob florem iuuentutis studiosæ, in honorem deæ Floræ.* FLAMINICÆ, & E *ipsæ uxores Flaminum coronatæ, Ædis sacræ Præfectæ sacrificant; quibus omnibus cum interesse deberent scholastici, debebant eos comitari magistri.* SCHOLA HONORATVR FERIIS, *vacant discipuli nec scholæ hu festis frequentant cum ipsique & magister feriatur.* VT ET, *natali die quod instar idoli, id est Dei colitur, vel cujuscumque; vel Imperatoris, vel Dei patriæ & loci, vt videlicet genium hoc die colerent, vt vitam cultoribus suis seruarent incolumem, qui vitam tali die acceperant. Sic fiebat vt omnis à diabolo inuenta & in gentilium animos inuecta pompa & solemnitas à magistris festiuè ageretur. Et quis hæc dicet licitè posse ludimagistrum Christianum frequentare, nisi qui etiam hanc artem non exercens conuenire idololatriam censuerit? Quasi diceret Tertullianus, non potest qui magister non est, congruè exequi quæ propriè pertinent ad ludimagistrum. Neque qui simpliciter Christianus est, ea quæ ad idololatriam pertinent facilitare. Cùm ergo ludimagister ex officio teneatur tot idololatriæ ceremonijs adesse, nulli Christiano licet ludimagisterium apud gentiles exercere; nec putet se à reatu idololatriæ liberare sub prætextu artis hujusmodi exercendæ. Augustinus vanitatem humanarum literarum docet, & plorat & videt, lib. 1. Confess. cap. 13.* Non te amabam, inquit, & fornicabar abs te, & fornicanti *id est errores gentium cum voluptate legenti & docenti* sonabat vndique *applaudentibus discipulis* Euge, Euge. Amicitia enim hujus mundi fornicatio est abs te. Et Euge, Euge dicitur, vt pudeat, si non ita homo sit. Et hæc non flebam, sed flebam Didonem extinctam, ferroque extrema secutam, sequens ipse ipsa extrema condita tua, *viles creaturas*, relicto te, è terra iens in terram, & si prohiberer ea legere, dolerem, quia non legerem quod dolerem. Talis dementia honestiores & veberiores literæ putantur, quam illæ quibus legere & scribere didici, &c. At enim vela pendent in liminibus Grammaticarum scholarum: sed non illa magis honorem secreti, quàm tegumentum erroris significant. Non clament aduersum me, *gentiles* quos iam non timeo, &c. Non clament aduersum me venditores Grammaticæ vel emptores, &c. *Et cap.* S.Aug. *16. contra flumen mortis humani innehitur.* O flumen, S.Aug. C. inquit, Tartareum, iactantur in te filii hominum cum mercedibus, vt hæc discant, & magna res agitur, cùm hoc agitur publicè in foro, in conspectu legum, super mercedem salaria decernentium; & saxa tua percutis, & sonas dicens: Hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus persuadendis, sententiisque explicandis maximè necessaria, &c. *Et* S. Aug. *Ep. 131. ad Memorium.* Non illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina Poëtarum, illo modo nostræ consonant libertati: non oratorum inflata & expolita mendacia: non denique ipsorum Philosophorum garrulæ argutiæ; qui vel Deum prorsus non cognouerunt, vel cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, &c. Absit omnino vt istorum vanitates, & insaniæ mendaces, ventosæ nugæ, & superbus error, rectè liberales literæ nominentur. *Et to. 9. tract. 10.* S.Aug. *de vtilitate ieiunij, cap. 7. vbi contra schismata fidelium inuehitur, ridens vanitatem gentilium in cultu ludicrorum & diuisorum Deorum quos ludimagistri in scholis pradicant.* Ecce, inquit, illi multos Deos falsos non diuisi colunt: numquid nos vnum verum inuenimus, vt sub vno in vnitate non simus? Multos illi & falsos, nos vnum & verum: & illi sub multis falsis non habent diuisionem, nos sub vno vero non tenemus vnitatem. Non doles, non gemis, non erubescis? Aliud addo, non solum multos Deos falsos Pagani colunt, sed plerosque sibi contrarios & inimicos. E *Subjcit de Hercule & Iunone, Vulcano & Marte, inuicem inimicis*; illis inquit, sibi iratis, concordes sunt, &c. ecce colentes multos falsos, diuersos, aduersos, tenent tamen in iis colendis qualemcumque vnitatem. Ecce dicunt contra te testimonium & ipsi Pagani, à quibus tua ieiunia separasti. Veni ergo ad vnitatem frater, vnum Deum colimus: numquam patrem & filium vidimus litigantes. Nec mihi Pagani succenseant, quòd hæc dixi de diis eorum. Quare enim irascantur verbis meis, & non potius literis suis? Illas prius, si possunt, imò, si volunt, deleant: non eis docendis Grammatici vela suspendant. Irascitur mihi quia ego dico qui dat mercedem vt filius ipsius discat?

10. Idololatria verbo etiam committitur, non quidem nominando gentium Deos; sed nomen Dei fumendo in vanum, tribuendo illud idolis, vel iurando per Deos. De Idol. cap. 20. per totum.

SEd enim cùm conuerſatio diuinæ diſciplinæ non factis tantùm, verum etiam verbis periclitetur, (nam ſicut ſcriptum eſt, a *Ecce homo & facta ejus*, ita: *Ex ore tuo iuſtificaberis,*) meminiſſe debemus, eſſe in verbis quoque idololatriæ incurſum præcauendum, aut de conſuetudinis vitio, aut timiditatis. Deos Nationum nominari lex prohibet, non vtique ne nomina eorum pronuntiemus, quæ nobis vt dicamus conuerſatio extorquet. Nam id plerumque dicendum eſt. In templo Æſculapij illum habes, & vico Iſidis habito, & ſacerdos Iouis factus eſt, & multa alia in hunc modum, quando & hominibus hoc genus nomina inducuntur. Neque enim Saturnum honoro, ſi quem ita vocauero ſuo nomine; tam non honoro quàm Marcum, ſi vocauero Marcum: ſed ait: b *Nomen aliorum deorum neque commemorabitur, neque audietur de ore tuo.* Hoc præcepit, ne deos vocemus illos. Nam & in prima parte legis, c *Non ſumes*, inquit, *nomen Domini Dei tui in vano*, id eſt idolo. Cecidit igitur in idololatriam, qui idolum nomine Dei honorauerit. Quod ſi deos dicendum erit, adjiciundum eſt aliquid, quo appareat, quia non ego illos deos dico. Nam & ſcriptura deos nominat; ſed adjicit ſuos, vel, nationum. Sicut Dauid cum deos nominaſſet, vbi ait: d *Dei autem nationum dæmonia.* Sed hoc mihi ad ſequentia magis præſtructum eſt: Ceterum conſuetudinis vitium eſt me Hercule dicere, me Dius fidius, accedente ignorantia quorundam qui ignorant jusjurandum eſſe per Herculem. Porro quid erit dejeratio per eos quos ejeraſti, quam præuaricatio fidei cum idololatria? quis enim per quos dejerat, non honorat?

a Math. 12. 37.
Exo. 23. 13.
b Exo. 23. 13.
c Exo. 20. 7.
d Pſal. 95. 5.

IDOLOLATRIA ETIAM VERBO COMMITTITVR. X. SCHOLIA.

CONVERSATIO *inſtitutum vitæ Chriſtianæ, non tantùm operibus, ſed & verbis attendi debet, ne periculum ſalutis incurratur, cùm ſcriptum ſit.* ECCE HOMO. *nullibi in ſcriptura reperi, niſi apud Pſalterem.* Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum. *Sed Iunius ſuſpicatur id ſũptum ex libro Enoch apocrypho, quem citauit capite 4. libri de idololatria. Pamelius autem, notat & ab Auguſtino relatum libro meditat. cap. 39. de verbis autẽ Math. 12. 37.* Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. INCVRSVM. *Occaſionem & periculum, quod imminet vel ex conſuetudine loquendi, vel timore fidem ſuam liberè vbique confitendi.* LEX PROHIBET *infra citat locũ Exodi ſcil. 23. 13.* Per nomen exterorum Deorum non iurabitis, 70 *Nomen Deorum aliorum non rememorabitis* neque audietur de ore veſtro. CONVERSATIO EXTORQVET. *Vſus communis loquendi, dum cum hominibus conuerſamur.* ILLVM HABES. *Sacerdotem, ædilem, &c.* HABITO *in vico dicto Iſidis, manes.* TAM NON HONORO. *Cùm aliquem ex ſuo nomine vocatum Saturnum, ſic appello, non magis eum honoro, quàm ſi Marcum ſeruum meum vocarem ad me. Non igitur abſolutè lex prohibet nomina hujuſmodi Deorum recitare, ſed vetat Dei nomen incommunicabile hominibus aliiſue creaturis à diuinitate alienis attribuere, quod prima tabula decalogi prima lex inhibet. Exodi 20. 7.* Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra. 70. non aſſumes nomen Domini tui in vano, non enim mundabit Dominus Deus tuus aſſumentem nomen eius in vano. *Paraph. Chald.* non iurabis in nomine Dei tui fruſtra. DEI NATIONVM. *Pſalmo 95. 5.* quoniam omnes dii gentium dæmonia. MAGIS PRÆSTRVCTVM EST. *Contextum & connexionem facit ad ea quæ proximè dicturus ſum.* CONSVETVDINIS VITIVM. *Malo enim more & aſſuetudine factum eſt, vt Chriſtiani per ignorantiam iurent etiam per falſos Deos cùm dicunt;* me Hercule, iurant per Herculem. *Quaſi dicerent ſic me iuuet Hercules teſtis. Sic me Deus filium. Pro, filium Iouis.* DEIERATIO *Iuratio ſacrum inſiurandum.* EIERASTI,

A *abjuraſti.* PRÆVARICATIO *qui iurat per falſos Deos, hoc eſt dæmones, & contra fidem & inſiurandum peccat quo ante baptiſmum abrenuntiauit diabolo; & ſimul fit rem idololatriæ eoſdem colens contra Deum. Quicunque enim per aliquem iurat, eum honorat, præſentem vbique credens, & in veritatis teſtem aduocans. Vnde Paulus*: homines, inquit, per maiorem ſui iurant. *Aug. lib. 7. de Ciuit. cap. 33. Deos gentium eſſe dæmonia religionem Catholicam detexiſſe dicit.* Per hanc, inquit, religionem vnam & veram potuit aperiri, Deos gentium eſſe immundiſſimos dæmonas, ſub defunctorum occaſionibus animarum, vel creaturarum ſpecie mundanarum Deos ſe putari cupientes. *idololatria etiam reos facit eos qui nomen Dei patris & filij ejus creaturis tribuunt, to. 9. lib. de decem chordis cap.* B 3. Dicit tibi: vnus eſt Deus tuus, vnum cole Deum. Tu vis dimiſſo vno Deo tuo tanquam legitimo viro animæ, fornicari per multa dæmonia; & quod eſt grauius, non quaſi apertè deſerens & repudians ſicut Apoſtatæ faciunt, ſed tanquam manens in domo viri tui admittis adulteros: id eſt, tanquam Chriſtianus non dimittis Eccleſiam, conſulis Mathematicos, aut Aruſpices, aut augures, aut maleficos, quaſi de viri domo non recedens, adultera anima, & manens in eius cõiugio fornicaris. Dicitur tibi ne accipias in vanum nomen Dei tui, non exiſtimes creaturam eſſe Chriſtum. *Vt Manichæi ſolent*, quia pro te ſuſcepit creaturam: & tu contemnis eum qui æqualis eſt Patri, & vnus cum patre. *Et Ep. 154. ad Publicolam:* C Aug. Quia & iurauit per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis vtique peccauit: ac per hoc qui vtitur fide illius quem conſtat iuraſſe per falſos Deos, & vtitur non ad malam rem ſed ad licitam & bonam, non peccato eius ſe ſociat quo per dæmonia iurauit, ſed bono facto eius quo fidem ſeruauit. *Et Ser. 28. de verbis Apoſtoli circa finem*: Tantum mali, inquit, habet iuratio, vt qui lapides colunt, timeant falſum iurare per lapides: tu non times Deum præſentem, Deum viuentem, Deum ſcientem, Deum manentem, Deum in contemptorem vindicantem. Claudit ille templum ſu-

Aug.

Aug.

Google

per lapidem, & it ad domum ſuam; ipſe ſuper Deum ſuum clauſit, & tamen quando illi dicitur, iura per Iouem, præſentis oculos timet. Et ecce dico charitati veſtræ, & qui per lapidem falſum iurat, periurus eſt. Vnde hoc dico? quia multi & in hoc fallunt, & putant, quia nihil eſt per quod iurant, non ſe crimine teneri periurij. Prorſus periurus es, quia per id quod ſanctum putas, falſum iuras. Sed ego illum ſanctum non puto. *Sic inducit Chriſtianum loquentem qui iurat infideli per Iouem* ſanctum putat cui iuras. Non enim quando iuras, tibi iuras, aut lapi iuras, ſed proximo iuras. Homini iuras ante lapidem: ſed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem; ſed punit te Deus fallentem.

11. Idololatriæ particeps eſt, qui dans eleemoſynam, tacito vero Deo, propitios ſibi Deos ab accipiente precari patitur. De Idol. cap. 22. à p. ad f.

SI cui dedero eleemoſynam, vel aliquid præſtitero beneficii, & ille mihi deos ſuos, vel coloniæ genium, propitios imprecetur, iam oblatio me, vel operatio, idolorum honor erit, per quæ benedictionis gratiam compenſat. Cur autem non ſciat, me Dei cauſa feciſſe, vt & Deus potius glorificetur, & dæmonia non honorentur in eo quod propter Deum feci? Sed Deus videt, quoniam propter ipſum feci: pariter videt, quoniam propter ipſum feciſſe me, nolui oſtendere; & præceptum eius idolothytum quodammodo feci. Multi dicunt, Nemo ſe debet promulgare. puto autem, nec negare: negat enim quicumque diſſimulat, in quacumque cauſa pro ethnico habitus. Et vtique omnis negatio idololatria eſt, ſicut omnis idololatria negatio, ſiue in factis, ſiue in verbis.

IDOLOLATRIÆ PARTICEPS EST, &c. XI. SCHOL.

IMPRECETVR. *Imploret. Vel quod falſorum Deorum inuocatio, ſit magis imprecatio quàm precatio* OBLATIO, OPERATIO, *Opus beneficum eleemoſynæ.* BENEDICTIONIS, *beneficij.* NON SCIAT. *Cur neſciat accipiens à me beneficium, quòd propter Deum verum id ei præſtiterim?* SED DEVS VIDET. *Sic inducit obijcientem.* PRÆCEPTVM EIVS *de dilectione proximi, opere, & veritate probanda.* IDOLOTHYTVM. *hanc oblationem & hoſtiam* beneficentiæ & communionis *bonorum, quodammodo victimam idolis immolaui.* PRO ETHNICO. *Qui à me accipiens beneficium, ſuper me Deos ſuos inuocans, me tacentem videt, ethnicum ſicut & ſe putat.* OMNIS NEGATIO, *etiam quæ fit diſſimulatione tacita, conniuet, & fit particeps idololatriæ.* SIVE IN VERBIS. *Addere debuerat; & ſilentio. Hinc Aug. lib. cont. mendacium cap. 6.* quaſi verò, inquit, cùm dictum eſſet corde creditur ad iuſtitiam, incaſsùm eſt additum, ore autem confeſſio fit ad ſalutem? Nonne penè omnes qui Chriſtum coram perſecutoribus negauerunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt, & tamen ore ad ſalutem nõ confitendo perierunt? *Et in Pſalmum 68.* Oportet vt habeat Chriſtianus irreuerentiam iſtam quando venerit inter homines quibus diſplicet Chriſtus: Si erubuerit de Chriſto delebitur de libro viuentium. Opus eſt ergo vt habeas irreuerentiam, quando tibi de Chriſto inſultatur, quando dicitur, cultor crucifixi, adorator malè mortui, venerator occiſi. Et ſi erubueris, mortuus es, &c. quid times frontì tuæ, quã ſigno Crucis armaſti? *Hæc habet in verſum ejuſdẽ Pſal.* 68. Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit irreuerentia faciem meam. Sit, inquit, in te irreuerentia. Frontoſus eſto, quando audis opprobrium, de Chriſto, prorſus eſto frontoſus. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

12. Idololatriæ ſpeciem omnem Eccleſia reprobat. De Idol. cap. 24. per totum.

INter hos ſcopulos & ſinus, inter hæc vada & freta idololatriæ velificata ſpiritu Dei fides nauigat, tuta ſi cauta, ſecura ſi attonita. Ceterùm inenatabile excuſſis profundum eſt, inextricabile impactis naufragium eſt, inreſpirabile deuoratis hypobrichium in idololatria: quicumque fluctus eius offocant: omnis vortex eius ad inferos deſorbet. Nemo dicat, quis tam tutò præcauebit? exeundum de ſeculo erit: quaſi non tanti ſit exire, quam idololatren in ſeculo ſtare. Nihil eſſe facilius poteſt, quàm cautio idololatriæ, ſi timor eius in capite ſit: quæcumque neceſſitas minor eſt periculo tanto comparata. Propterea Spiritus ſanctus conſultantibus tunc Apoſtolis, vinculum & iugum nobis relaxauit, vt idololatriæ deuitandæ vacaremus. Hæc erit lex noſtra, quò expedita, hòc plenius adminiſtranda, propria Chriſtianorum, per quam ab ethnicis agnoſcimur & examinamur: hæc accedentibus ad fidem proponenda, & ingredientibus in fidem inculcanda eſt, vt accedentes deliberent, obſeruantes perſeuerent, non obſeruantes renuntient ſibi. Viderimus enim ſi ſecundum arcæ typum & coruus & miluus & lupus & canis & ſerpens in Eccleſia erit: certè idololatres in arcæ typo non habetur. Nullum animal in idolatren figuratum eſt. Quod in arca non fuit; in Eccleſia non ſit. Act. 15. 20. Eſa. 34. 11. Matth. 7. 15 Philip. 3. 2. Luc. 10. 19. Gen. 7. 7.

IDOLOLATRIÆ SPECIEM OMNEM. XII. SCHOL.

SCOPVLOS. *Saxeos montes mari eminentes.* SINVS, *littora ſunt curua, quæ mare terram alluens velut ſinu amplectuntur.* VADA. *In quibus vnda brevior eſt.* *Quæ omnia cauenda dicit fidei inter idololatras velificanti Spiritu ſancto ceu Nauarcho præſide, quæ quidem tuta erit ſi prudenter & circumſpecte conuerſetur, &*

ſecura, ſi timore attonita & ſuſpenſa progrediatur. A *Mare porro idololatriæ adeò profundum eſt, vt quiſquis excuſſus fuerit in illud ex Nauc fidei, vix poſſit enatare, qui in ſcopulos impingit, ſe inde extricare non poſſit, qui vertiginante vertice abſorptus fuerit, ſuffocetur vt reſpirare nequeat:* HYPOBRICHIVM. *Barathrum. Vox Græca compoſita ab ὑπὸ & βρέχω. Quod idem eſt quod ſubdeuore, qualis erat Charybdis.* OFFOCANT. *Suffocant* QVASI NON TANTI SIT. *Quaſi non ſit idem, exire de hac vita ſiue mori, quàm in idololatria manere.* Mortuus enim eſt ex Auguſtino qui non habet fidem. *Melius itaque eſt vitam corporis quam animæ perdere.* IN CAPITE. *Siue Chriſtiani, vt præ cæteris quaſi primum omnium & caput criminum idololatriam timeat ſine ipſius monſtri omnia, vt initio dixit, vitia continentis ejus fronti inſcriptum legat:* timor. NECESSITAS. *Honoris, bonorum, vitæ ipſius jactura.* CONSVLTANTIBVS. *In illo celebri Apoſtolorum Concilio, quo Petrus excuſſit iugum graue legis ex collo fidelium Act.* 15. 10. Propter quod ego iudico non inquietari eos *de obſeruationes cærimoniarum legis* qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum. Sed ſcribere ad eos, vt abſtineant ſe à contaminatione ſimulacrorum *tranſlat. Syr. à pollutione ſacrificij* & fornicationis, & ſuffocatis, & ſanguine LEX NOSTRA. *Chriſtiana & Euangelica.* QVO EXPEDITA *eo ipſo quòd ab oneribus legis exempta eſt, eò plenius exequenda & perfectius, iuxta Chriſtum*, qui non venit legem ſoluere, ſed adimplere. AGNOSCIMVR, *dignoſcimur, & probamur.* ACCEDENTIBVS, *Ethnicis eruditi petentibus in numero Catechumenorum.* INGREDIENTIBVS, *in Eccleſiam per Ianuam Sacramentorum, hoc eſt baptiſma.* RENVNTIENT SIBI. *Suam profeſſionem abjurent.* VIDERIMVS ENIM. *Ponderemus ſi deceat iuxta figuram arcæ Noë quæ repræſentabat Eccleſiam; vtrum ſicut in ea immunda animalia cùm mundis fuerunt, ſic & in Eccleſia promiſcuè permitti debeant conuiuere mali cùm bonis. Et quidem ſi eorum carnivoros & edaces, miluum rapaces, lupos vires ſanguinum, canes impudicos & impudentes, ſerpens aſtutos figuraverint; & in Eccleſia tolerentur, à qua per excommunicationem tolli & præcidi merentur: nullum fuit in arca monſtrum quod figura eſſet idololatræ, vt præ cæteris criminibus, hoc maximè non inueniatur; quia Eccleſia eſt corpus Chriſti, ex membris fidelibus & in vnum Deum credentibus compactum. In id quod initio dixit de naufragio fidei in idololatria, facit quod habet Aug. Præfat. in Pſal. 69.* Audiamus, inquit, quoniam laborauerunt Martyres, & inter magnas tempeſtates odiorum in hoc ſeculo periclitati ſunt, non tam corpore, quod quandoque poſituri erant, ſed ipſa fide, ne deficerent, & fortè acerbis perſecutionum cedentes doloribus, vel amori vitæ huius, amitterent quod promiſerat Deus. ARCÆ TYPO *alij legunt, Archetypo, quod idem eſt. Principalis enim Eccleſiæ figura fuit Arca Noë, vt multi in locis probat Auguſtinus. Nunc quod* D *ad præſentem attinet Tertulliani ſententiam, de immundis animalibus, certum eſt ipſam Arcam ex lignis Sylueſtribus, hoc eſt Gentium populis eſſe contextam Eccleſiam, & ijſdem tanquam feris animalibus vt & domeſticis peruiam, modo in Chriſtum credant, ſuiſque vitijs, & idololatriæ maximè renuntient. Sic enim meditatur Auguſtinus concione 2. in Pſal. 103. in verſum:* potabunt omnes beſtiæ Syluæ. Quid potabunt? aquas pertranſeuntes inter medium montium. Quid potabunt? fontes emiſſos in conuallibus. *Supra concione prima dixerat montes, Apoſtolos & Prædicatores, aquas & fontes, doctrinam fidei, non tantum Iudeis, ſed & Gentibus profluentem;* & qui potabunt? Beſtiæ Syluæ, &c. euidentiſſima duo maxima occurrunt

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

documenta, quia in arca Noë, quâ nemo noſtrûm dubitat Eccleſiam eſſe præfiguratam, non includerentur omnia genera animalium, niſi in illa vnitate compaginis, omnes gentes ſignificarentur: niſi fortè puta nos, ſi omnia talia penitus diluuio deleremur, defuturam fuiſſe Deo poteſtatem inbendi, vt ea terra produceret, ſicut primo verbo eius produxerat. Non ergo fruſtra, non temerè, non aliquâ indigentiâ Dei, vel inopiâ poteſtatis, iuſſa ſunt animalia illa in Arcâ includi. Nam poſteaquam venit tempus; iam enim debemus & alterum euidentiſſimum adiungere teſtimonium: cùm ergo venit tempus, vt illud quod in arca erat præfiguratum, iam in Eccleſia compleretur, Petrus Apoſtolus dubitans B dare ſacramentum Euangelicum *fidem per baptiſmum*, Gentibus incircũciſis, &c. quodam die eſuriens cũ prandere vellet, &c. Vidit vas quoddam velut linteum quatuor lineis ſubmiti de cœlo, vbi erant animalia omnis generis beſtiæ, &c. *quæ alibi expoſuimus, & hic dicit quatuor orbis partes exprimi, quibus conuertendis quatuor Euangelia ſcripta ſunt.* Ergo, inquit, non miremur ſi de illis æquis inter medium montium pertranſeuntibus in illa doctrina Apoſtolica fluente in medio, propter concordiam communionis, omnes beſtiæ ſylvæ bibunt. Omnes enim erant in Arca, omnes in diſco, omnes mactat & C manducat Petrus, &c. quid eſt enim mactare & mandducare? Occidere in eis quod erant, & in ſua viſcera aſſumere. Diſſiluiſiſti Pagano ſacrilegia? occidiſti quod erat: date Sacramanto Chriſti incorporaſti Eccleſiæ? manducaſti, &c. potabunt omnes beſtiæ ſylue. Inde veniſtis, de ſylua collecti eſtis, & qualis ſylua? nullus hominum ibi pertranſibat, quia nullus Propheta illuc miſſus erat. Sed ad Arcam cõſtruendam conciſa ſunt ligna de ſyluis, inde ligna, inde beſtiæ, inde veniſtis. Ergo bibite: potabunt omnes beſtiæ ſyluæ. *Hujus porrò arcæ Petrus nauta fuit, alter Noë, cui vt in linteo, ſic in Arca iuſſum eſt, vt omnia animalia immunda reciperet, manducaret, in corpus Chriſti conuerſa, enutriret & potaret. Inde & ipſe prima ſua Epiſtolæ cap. 3. 19. & ſeq.* His qui in carcere erant ſpiritibus, veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei D patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca: in qua pauci, id eſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, per Reſurrectionem Ieſu Chriſti qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. *Ita Petrus deglutire iuſſus eſt, animalia immunda & mortifera, vt ea conuerteret ad vitam gratiæ. Sed interrogatio bonæ conſcientiæ in Deum, non ficta, debet præcedere baptiſma, nec ad illud recipi, vt ſupra ex Auguſtino vidimus qui peccatum aliquod graue, maximè* E *autem idololatriæ non vult deſerere. Tranſlatio Syriaca hujus loci Petri clarior eſt.* Prędicauit animabus illis, *hominibus* quę detinebantur in ſepulcro: *quantũ ad corpora: nam animæ erant in limbo; ſed nunc anima, nũc caro pro toto homine ſumitur in ſcriptura:* quę quondã inobedientes fuerant in diebus Noach, cùm lõganimitas Dei præcepit vt fieret arca ob ſpem pœnitentię eorum: & octo tantum animæ *rationales, Noë & vxoris ejus, & trium filiorum cum ſingulis vxoribus*, introierunt in eam, & ſeruatę ſunt per aquas. Quo quidem exemplo & vos ſeruamini per baptiſmum, non abluentes corpus à ſordibus, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, per Reſurrectionem Ieſu Chriſti qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur. *Ita Petrus deglutire iuſſus eſt, animalia immunda & mortifera, vt ea conuerteret ad vitam gratiæ. Sed interrogatio bonæ conſcientiæ in Deum, non ficta, debet præcedere baptiſma, nec ad illud recipi, vt ſupra ex Auguſtino vidimus qui peccatum aliquod graue, maximè autem idololatriæ non vult deſerere. Tranſlatio Syriaca hujus loci Petri clarior eſt.* Prędicauit animabus illis, *hominibus* quę detinebantur in ſepulcro: *quantũ ad corpora: nam animæ erant in limbo; ſed nunc anima, nũc caro pro toto homine ſumitur in ſcriptura:* quę quondã inobedientes fuerant in diebus Noach, cùm lõganimitas Dei præcepit vt fieret arca ob ſpem pœnitentię eorum: & octo tantum animæ *rationales, Noë & vxoris ejus, & trium filiorum cum ſingulis vxoribus*, introierunt in eam, & ſeruatę ſunt per aquas. Quo quidem exemplo & vos ſeruamini per baptiſmum, non abluentes corpus à ſordibus, ſed gratias agentes Deo cum pura conſcientia. *Huic autem puritati præ cæteris repugnat idololatriæ plena ſordibus omnium vitiorum. Vnde ſupra idem Petrus Act.* 15. 18. Viſum

eſt

Digitized by Google

est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra impo- A neatis vos ab immolatis simulacrorum.
nere vobis oneris quàm hæc necessaria: vt absti-

* 1. *Idololatriæ Participes non esse sanctarum imaginum artifices, nec earum, vt nec SS. Reliquiarum cultores. Libro de Pudic. cap. 7. in p.*

A Parabolis licet incipias, vbi est ouis perdita à Domino requisita, & humeris eius reuecta; Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, &c. Luc. 15. 5.

Et ibidem cap 10. à m. Cui ille si fortè patrocinabitur pastor quem in Calice depingis.

2. *Et lib. 2. contra Marc. cap. 21. in f. & 22. in p.*

QVi arcam sabbatis circuntulerant † impunè gesserunt: non suum enim, sed Dei opus, ex præcepto scilicet ipsius administrauerant. Proinde & [a] *similitudinem vetans fieri omnium quæ in cælo, & in terra, & in aquis*, ostendit & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes. Subjicit enim: *non adorabitis ea, neque seruietis illis.* Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Moysi à Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos qui à serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedii. Sic & Cherubim & Seraphim aurea in Arcæ figuratum exemplum, certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diuersas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur. Iosue 6. 15. CAP. XXII. a Exo. 20. 4. 5. Num. 21. 8. & seq. Exo. 25. 18.

IDOLOLATRIÆ PARTICIPES NON ESSE SANCTARVM IMAGINVM ARTIFICES, NEC EARVM, VT NEC SANCTARVM RELIQVIARVM CVLTORES. I. ET II. SCHOL.

PICTVRÆ CALICVM. *Vide dicta to. 1. in erroribus Tertull. Verbo remissio Mœchis neganda, & testimonium ab aduersario sume cõtra Iconomachos. Neque enim vsum imaginum, factus hæreticus Montanista & Novatianus, hic arguebat, sed veterem vsum & earum cultum & reuerentiam in ipso sacro sancto Missæ sacrificio supponens, cujus in Calice pastoris veri ouis erranti & recuperatæ bajuli effigies depicta erat in vitro vel chrystallo, cujus causa Episcopos & Presbyteros, recipientes mœchos ad pœnitentiam & participationem sacramentorum juggillabat: Vnde & Romanum Episcopum & principem pastorum Zephyrinum, potius quàm ipsum Christum in dicto Calice delineatum arguebat. De pudic. cap. 10. à m.* Cui ille si fortè patrocinabitur pastor quem in Calice depingis, prostitutorem & ipsum Christiani Sacramenti, meritò & ebrietatis idolum, & Mœchiæ asylum post Calicem subsecuturæ, de quo nihil libentius bibas, quàm ouem pœnitentiæ secundæ. At ego eius pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi, *id est non apocryphum librum inscriptum* pastor, *sinum pandentem mœchis, & minimo flatu fragilem, ac mobilem instar Calicis vitrei, sed Christum judicem incorruptibilem, pedibus æneis stantem super mare & terram, qualis in Apocalypsi pingitur; immotum cœlo pastorem post primam veniam datam mœchis inflexibilem & inexorabilem.* A

2. QVI ARCAM. *Iosue 6. 12. & 15.* Iosue de nocte consurgente *Hebr. mane vt & Sept.* tulerunt sacerdotes Arcam Domini, &c. die autem septimo diluculo consurgentes, circuierunt vrbem, sicut dispositum erat, septies. Ex PRÆCEPTO *Iosue 6. 2.* Dixit Dominus ad Iosue: Ecce dedi in manu tua Iericho & regem eius, omnesque fortes viros. Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas quarum vsus est in iubileo, & præcedant Arcam fœderis, septiesque circuibitis ciuitatem, *Hebr. circumibunt* & sacerdotes clangent buccinis. AD IDOLOLATRIÆ TITVLVM. *Elogium crimine.* TACITE DE FIGVRA. *Alibi diximus Christum in Cruce pendentem, mortis & peccati remedium adumbrasse. Cætera per se patent.* B

Duo hic nobis est Tertulliani doctrina contra hæreticos confirmanda sunt, primò vsus & honor sanctarum imaginum. Secundò sanctarum reliquiarum. Quantum ad primum Deus ipse qui idola prohibuit, Moysi iussit Cherubim aureos in latere propitiatorij fabricare, & serpentem æneum in deserto erigere in stipite, vt & Salomon 3. Reg. 7. 29. calare fecit Cherubim, Leones, & palmas. Esaias item 6. & seq. calamo pinxit, Deum sedentem super solium excelsum, & duos hinc inde Seraphim. Ioseph porro lib. 3. Antiquit. cap. 6. Cherubim Salomonis templi sic describit. Super tegmen eius erant effigies duæ, quas Hebræi Cherubim appellant, ea sunt animalia volucria, specie noua, à nullo vnquam hominum conspecta. Hæc dicit Moyses in Dei se vidisse sede figurata. *Libro autem 8. cap. 2.* Hæ Cherubicæ effigies quanam specie fuerint, nemo vel coniicere potest vel eloqui. *Et Osee 3. 4. mentio alterius figuræ* Dies multos sedebunt filii Israël sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Teraphim. *Sept. postrema vertunt.* Sine sacerdotio, sine manifestationibus. *Paraph. Chald.* Tsalmanaia, *simulacrũ Hieronymus post Theodotionem, & Aquilam μορφώματα figuras celatas: per quas, iuxta Rabi Dauid Kimhi, Lyr. Vatab. & alios, dæmones oracula reddebant, & futura prædicebant. Nomen verò Teraphim indifferẽs est ad idola vel imagines sacras. Sic Michol filia Saül 1. Reg. 19. 13. iuxta Hiero. Epist. 130. ad Marcellam.* Tulit Michol statuam *Sept. cenotaphia. Hebr. Teraphim quæ Græci morphomata vocant, in similitudinem feretri varui extensa*, & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis. *Nec probabile est apud Dauid aut Saülem fuisse idola, qualia fuere Teraphim quæ Rachel tulit de domo patris. Tera-* C D

phim autem apud Osæam iuxta Hieronymum ibidem similia Cherubim & Seraphim intelligenda sunt. Quæ Sept. illuminationes siue manifestationes vocant, quod ex Ephod gemmis iuxta Iosephum Pontifex reuelationes diuinas acciperet, & ex oraculo propitiatorij. Iudicum autem 18. Teraphim siue Idola Michæ Ephratitæ quos Deos sibi ablatos querebatur, tribus Dan statuit in Domo Domini in Silo cum Leuitis & sacrificatoribus.

Antiquitas imaginum in noua lege probatur ab Euagrio lib. 4. hist. Eccl. cap. 26. in imagine Christi missa Abgaro ab ipso Christo in linteo suæ vultui applicato impressa, & vrbem Edessam à Cosrohis obsidione liberante. Eusebius etiam Cæsar. libro 7. cap. 14. Christi statuam describit æneam, cum Hæmorrhoissa simbriam vestimenti eius tangens; vbi herba nascebatur, quæ dum eandem simbriam attingebat, morbis omnibus medebatur, in Cæsarea Philippi; quam vidisse testatur cum aliis Petri & Pauli imaginibus.

Sanctorum imagines commendant omnes ferè Patres. Athanasius quæstione 39. ad Antiochum, vbi neque signo, nec lapidi nos cultum exhibere tradit, sed prototypo; sicut nec Iacob, iuxta 70. exosculans & adorans fastigium virgæ Ioseph, aut Iudæi tabulas legis, aut Cherubim aureos secundùm materiam adorabant; sed Deum in his venerabantur: additque sæpius visum ex imaginibus stillare unguentum; & ex aliqua percussa sagitta, sanguinem multum: & religiosum à diabolo præseruatum ab imagine Deiparæ. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 18. sicut & Aristoteles lib. de Reminiscentia, idem, inquit, est motus imaginationis in imaginem, & in imaginatum. Vt cultus ille non sit absolutus, sed relatiuus. *Vide Greg. Nyss. orat. in sanct. Theodorum Martyrem. Naz. in orat. Heronis Philosophi. Hiero. in Ep. ad Eustoch. 27. Epitaphio S. Paulæ.* Prostrata ante crucem quasi pendentem Dominum cernere adorabat. *Ambr. Ep 63.*

Concil. Nicænum 2. in Anathematismis. Nos venerandas imagines suscipimus, nos qui secus faxint anathemate percellimus. Quicunque sententias sacræ Scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt, anathema. Qui venerandas imagines idola appellant, anathema. *Antiochena Synodus An. Do. 57. cui Nicæna Synodus secunda act. 1 suffragatur his verbis:* In Antiochena Synodo sanctorum Apostolorum dictum est saluatos non debere amplius ob idola aberrare, sed certandum esse ante Iconem Dei hominisque Iesu Christi Domini nostri. *Eiusdem meminerunt clerici Appamæi Epist. ad Patres quintæ Synodi Generalis sub Iustiniano Imperatore, contra Petrum Episcopum suum, qui imagines è templis euerterat. Synodus item Romana Episcoporum ferè mille sub Gregorio 3. pro imaginibus celebrata An. Do. 733. & alia sub Stephano 3. Roma item collecta An. 768. Synodus autem Septima act. 7. quæ fuit Generalis, habens Legatos Romani Pontificis & Patriarcham Constantinopolitanum & Episcopos 350. & hæc est Nicæna secunda; Quæ præcipuè congregata est vt hæresis Iconoclastarum damnaretur; hic verbis cultum earum commendat.* Fatemur vnanimiter nos Ecclesiasticas traditiones siue scripto, siue consuetudine valentes, & decretas retinere velle: quarum de numero est imaginum effiguratio, vt quæ historiæ Euangelicæ promissionis concinat, ad credulitatem veræ & non phantasticę incarnationis Dei, & ad vtilitatem similitudinis quam nobis exhibet, vtiliter inuentam, &c. Definimus cum omni diligentia & cura venerandas & sanctas imagines, ad modum & formam venerandæ & viuificantis crucis, è coloribus & tessellis aut alia quauis materia commodè paratas dedicandas, & in templis sanctis Dei collocandas, habendasque tum in sacris vasis, & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, in vijs publicis; maximè autem imaginem Domini & Dei Seruatoris nostri Iesu Christi, deinde intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, Venerandorum Angelorum, & omnium deinde sanctorum virorum Quò scilicet per hanc imaginum pictarum inspectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & desiderium veniant, illisque salutationem, & honorariam adorationem exhibeant, Non tamen secundùm fidem nostram veram latriam quæ solùm diuinæ naturæ competit; sed quemadmodum typo venerandæ, & viuificantis crucis, & sanctis Euangeliis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum & luminarium reuerenter accedimus, quemadmodum veteribus piè in consuetudinem hoc adductum est. Imaginis enim honor in prototypum resultat; & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum. Sic enim nostrorum Sanctorum Patrum obtinet disciplina, vel traditio Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus, vsque ad fines Euangelium suscepit. Igitur qui ausi fuerint aliud sentire aut docere, aut more impiorum hæreticorum, Ecclesiasticas traditiones contaminare, aut vanam vaniloquentiam inducere, aut quidquam de consecratis in Ecclesia abijcere: Euangelij inquam depictum codicem, aut figuram crucis, aut imaginis alicuius picturam, aut reliquias martyrum quas sciuerit esse germanas & veras, aut contra ista vafrè & improbè aliquid cogitare, quod sit cõtra Cõstitutionem Ecclesiasticam, aut vti tanquam communibus sacratis Deo repositis pretiosis, aut monasteriis reuerendis; si fuerint Episcopi aut clerici, deponuntor; si monachi aut laïci, communione priuantor.

Sancta Synodus exclamauit: omnes sic credimus, omnes idem sapimus, omnes approbantes subscribimus. Hæc est fides Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides orthodoxorum, hæc fides orbem terrarum confirmauit. Credentes in vnum Deum in Trinitate laudatum, venerandas imagines amplexamur. Qui secus agunt, Anathemate percelluntor. Qui sic non sentiunt, ab Ecclesia depelluntor.

Manichæi cerè corpus phantasticum Christo tribuentes, vt & Marcionitæ præcessores, omnes imagines consequenter eum repræsentantes respuebant. De quibus Augustinus lib. 20. cont. Faustum, cap. 21. Iam verò, Aug. inquit quod etiam inde vos Paganis vultis esse meliores, quòd illi aris, delubris, simulacris, victimis, atque incenso Deum colendum putant; vos autem nihil horum facitis, quis non rideat? *Caluinistis, aliisque hæreticis iconomachis vana errorum phantasmata colentibus dictum puta.* Quasi verò non sit satius vel lapidi qui quoquomodo est, aram constituere, & victimam offerre, quàm id quod omnino non est, in deliramento phantasmatis adorare? Verùm tu qui rationabile Dei templum te esse dixisti, quomodo hoc explicabis? Placetne tibi, vt templum Deus habeat, cuius aliquam partem diabolus fabricauerit? An vos non estis, qui dicitis omnia membra vestra, totumque corpus à maligna mente, quam Hylen dicitis. *Materia autem est*, fabricatum, eiusque ipsius fabricatricis partem illic habitare simul cum parte Dei vestri? Quæ cùm ibi teneatur, vt perhibetis, concatenata & inclusa, vtrum Dei templum, an Dei carcerem te dicere debuisti, nisi fortè animam tuam templum Dei dicis, quam ex terra luminis habes? At illam partem Dei,

Aug. vel membrum Dei ſoletis dicere, non templum Dei. Reſtat ergo vt templum Dei non te dixeris, niſi ex corpore, quod ſecundùm te diabolus fabricauit. Ecce quomodo templum Dei blaſphematis, vt non ſolùm ſanctum non eſſe dicatis, verùm etiam machinamentum diaboli, & ergaſtulum Dei. At verò Apoſtolus, templum Dei ſanctum eſt, inquit, quod eſtis vos. Et ne putes tantummodo ad animam pertinere quod dictum eſt; audi expreſſiùs: neſcitis, inquit, quia corpora veſtra templum eſt in vobis Spiritus ſancti, quem habetis à Deo? Vos autem fabricam dæmonum Dei templum dicitis, & ibi vinum ſicut Fauſtus ait, viuæ maieſtatis ſimulacrum, Chriſtum Filium Dei collocatis. Planè Chriſtus veſter phantaſmaticus, habitet in tali templo ſacrilegæ vanitatis. Ille quippe non à ſimilitudine, ſed à ſimulatione ſimulacrum vocari poteſt. *Chriſtus autem noſter, verus Deus, Dei veri imago ſubſtantialis, veram hominis formam, verus homo aſſumpſit. Vnde vera eius imago rectè & religiosè in vero eius templo, quod eſt Eccleſia, collocatur & colitur.*

Aug. *Idem Aug. lib. 1. de conſenſu Euang. cap 10. vbi agit cont. impugnatores Euangelij Chriſti, quod & plenum arte magica, & ad Apoſtolos Petrum & Paulum inſcriptum mentiebantur.* Cùm, inquit, vellent tale aliquid fingere Chriſtum ſcripſiſſe ad diſcipulos ſuos, cogitauerunt ad quos potiſſimum ſcribere potuiſſe facilè crederetur, tanquam ad illos qui ei familiariùs adhæſiſſent, quibus illud, *Pſeudoeuangelium* quaſi ſecretum dignè committeretur, & occurrit eis Petrus & Paulus. *Quem ſubijcit, niſi poſt Chriſti aſcenſum, Chriſti diſcipulum factum.* Credo quod
Aug. pluribus locis ſimul eos cum illo pictos viderunt, quia merita Petri & Pauli, etiam propter eundem paſſionis diem celebriùs & ſolemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Chriſtum & Apoſtolos eius, non in ſanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſierunt. Nec mirum ſi à pingentibus, fingentes decepti ſunt. *Non quod picturam imaginum reprobet vſitatiſſimam, ſed quòd quaſi Chriſto Paulus viuenti adhæſerit, cuius picturâ decepti ſint.*

Quod autem hæretici obijcere ſolent tam contra cultum imaginum, quàm venerationem reliquiarum, & luminarium in eorum cæmeterijs & martyrijs accendi ſoliterum; ex Concilio Elibertino, ſiue Eliberitano depromitur, quod habitum fuit in Hiſpania ſub Marcello I. An. Chr. 305. ante Concilium Nicænum. Tum verò ſub Conſtantio, & Galerio Imper. fidelibus in perſequutione lapſis, pœnitentia quidem concedebatur, ſed ad aliorum terrorem, communio negabatur, id eſt reconciliatio ſacramentalis, & abſolutio. Canon itaque 36. ſic habet: Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur. *Baronius to. 1. Annal. putat hunc Canonem ſuppoſititium eſſe, nec latum à Patribus huius Concilij: ad hæc non potuiſſe conuentum 19. Epiſcoporum, aut debuiſſe totius Eccleſiæ conſenſui prænalere. Bellarminus lib. 2. de Imaginibus, cap. 9. reſpondet, Patres huius Concilij prouidiſſe ne parietum humiditate aut puluere decor imaginum ſordeſceret. Alij ſaniùs ſentiunt, ne Gentilium perſequutione tum graſſante, imagines eorum ludibrio exponerentur, ſed tabulis mobilibus picta facilè amouerentur, & ſic ſubtraherentur iniuriæ.*

De Cereis in locis ſanctis non accendendis, ſic habet, Can. 34. Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi: inquietandi enim ſanctorum ſpiritus non ſunt. Qui hæc non obſeruauerint, arceantur ab Eccleſiæ communione. *Factum eſt vt de hoc Concilio diuerſi inter ſe diuersè ſenſerint. Quod enim 1. 2. 6. 8.*

A *12. 17. & 18. Canones Nouatiano fauere viderentur, lapſis adimentes communionem etiam in fine vitæ; & Canon. 34. Vigilantio, & 36. Iconomachis; Melchior Canus lib. 5. de locis cap. 4. Hunc Canonem 36. erroneum eſſe declarat. Bellarminus præcitato loco dicit, hoc Concilium prouinciale tantum, nec confirmatum, frequenter erraſſe, quòd Lapſos, & peccatores graues, licet pœnitentes excluſerit à communione, id eſt reconciliatione ſacramentali, & abſolutione etiam in articulo mortis, quòd Canone 69. reconciliatio & communio pro eodem ſumatur. Baronius, licet anno 56. num. 119. & tribus ſequentibus, propter Nouatianos, quibus hæc Synodus fauere videbatur, acerbiùs aliquantò & liberiùs de ea ſcripſiſſet, poſt modum, tamen multò mitius ſenſit, to. 2. An. Chr. 305. num. 42. vbi de Patribus in*
B *ea collectis, & lapſorum reconciliatione ſic ſcripſit:* Cùm quæ ab illis de ea re ſunt ſtatuta, ab Innocentio Romano Pontifice excuſentur, nemo ſit, qui accuſare præſumat. *Numero item 41. & 43 ſenſet ad terrorem, lapſos à communione Euchariſtica tantum, non verò à pœnitentia & peccatorum abſolutione remouiſſe.*

Ad Cereos quod attinet, Lactantius libro 6. cap. 2. arguebat offerentes Deo luminaria; putantes Deum veram lucem, egere lumine. Vigilantius auerſatus cultum Martyrum & reliquiarum, ritum Gentilium inuectum in Eccleſiam calumniabatur. In quem ſic Hieronymus:
Cereos, inquit, non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris; ſed vt noctis tenebras hoc ſolatio temperemus: vt vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quòd ſi aliqui propter imperitiam, & ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certe religiotarum fœminarum: de quibus verè poſſumus dicere, confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam; hoc præ honore martyrum faciunt; quid inde perdis? Cauſabantur quondam & Apoſtoli, quòd periret vnguentum; ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus vnguento indigebat, nec Martyres lumine cereorum: & tamen illa mulier in honorem Chriſti hoc fecit, deuotioque mentis eius recipitur: & quicumque accendunt cereos, ſecundùm fidem ſuam habent mercedem, &c. & abſque Martyrum reliquiis, per totas Orientis Eccleſias, quãdo legendum
D eſt Euangelium, accenduntur luminaria, iam Sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. *Addit ab lumen ipſius Euangelij, iuxta Pſalterem:* Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. *Concilium autem Elibertinum hoc Canone coërcuit Neophitos, ne Gentilium more;* lucernis diem infringerent, *vt ait alibi Tertullianus. Neque enim Patres adeo rudes erant, vt crederent, vel beatos in cælo, vel iuſtos in purgatorio poſſe inquietari luminibus. Sed per ſpiritus ſanctorum, intelligit fidelium viuentium animas, quas noluit perturbari. Sine quòd ſcandalum paterentur videntes aliquos Chriſtianos ſectari Gentilitiam ſuperſtitionem, quâ iuxta Suetonium in Tiberio cap. 98. ad ſepulcra defunctorum faces accendere ſolebant: ſine quòd animas Martyrum, ſtultâ ſimplicitate cereis accenſis quidam iuuari putarent. Quod ſi hanc inquietudinem ad defunctorum iuſtorum ſpiritus referas, cum Baronio An. Chri. 34. num. 312. reſpondeo, non propriè, ſed metaphoricè inquietari; quòd ritus ſuperſtitioſi valde ipſis diſpliceant, maximè cùm carminibus magicis animas ſuas ethnico more aduocari & ſollicitari deſinant. Ita & ipſe Plinius lib. 28. cap. 2.* Ex homine, inquit, remediorum primum maximæ quæſtionis, & ſemper incertę eſt, valeantne aliquid verba & incantamenta carminum, &c. Cur ad mentionem defunctorum, teſtamur memoriam eorum à nobis non ſollicitari?

ita & 1. Reg. 28. Anima Samuelis sic queritur de Saule consulente Pythonissam: quare inquietasti me vt suscitarer? *Cæterùm cessante periculo superstitionis in imitatione Gentilium, & ex eo nati scandali, quod Concilium voluit amoliri, piè ac sanctè in Ecclesiis & cœmeteriis lampades & cerei diu noctuque accenduntur; ad significandam fidei lucem, spem resurrectionis, & gloriæ Sanctorum, in qua credimus eos vivere, ac lucere ante Dominum. Ad funera item luminaria accendi solita antiquo vsu, testis est Theod. lib. 5. hist. cap. 36 Naz. orat. 2. contra Iul. Chrysost. homil. 14. in Ep. ad Hebr. Nyssenus in Epist. ad Olympium. Hieron. Ep. 27. ad Eustoch. in Epitaph. Paulæ.* Translata, inquit, Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus, cùm alij Pontifices lampadas, cereosque præferrent; alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesia spelunca Saluatoris est posita. *Tomo 1. Conciliorum in vita Silvestri sit mentio candelabrorum & lampadum ex auro & argento, balsamique pretiosi, & olei nardini, quod ardere volebat Constantinus coram reliquijs Petri, Pauli, Laurentij, sanctæ Crucis. Beda de temporum ratione cap. 10. agit de Numa dicante Februum mensem Plutoni, & Dijs Manibus placandis; quo per lumina lustrabantur; qui ritus gentilis in lumina purificatæ Virginis est mutatus. Concil. 4. Toletanum meminit cerei Paschalis cum quinque granis thuris, quinque plagas Christi exprimentibus, in signum Christi suscitati, & lucentis inter Apostolos quadraginta diebus. Aug. 22. de Civit. cap. 8. vbi de oleo lampadis S. Stephani, mortuum excitante:* Amicorum, inquit, eius quidam inter aliorum consolantium verba suggessit, vt eiusdem martyris oleo corpus perungeretur, factum est, & revixit. *Et in Psal. 65. de cereo baptismali:* Propterea & in sacramentis, & in catechisando, & in exorcisando, adhibetur prius ignis. Nam vnde plerumque immundi spiritus clamant, ardeo, si ille ignis non est? *Et Concilium 4. Carthag. cui subscripsit Augustinus.* Acholythus cùm ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari.

S. Aug. S. Aug.

Quantum ad reliquias Sanctorum; Arcam Testamenti pretiosam fuisse thecam reliquiarum veteris testamenti testis est Paulus Hebr. 9. 4. vbi dicit: Arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. *Moyses in exitu Ægypti ossa Ioseph transportat, debinc sepelit in Sichem. Tertio Regum, Leo corpus Prophetæ mortuum servat. Quarto Regum Eliæ pallio transit Iordanem. Ibid. mortuum corpus Elisei, mortuum suscitat, & prophetat. Eccli. 48. Vnde & Cyrill. Ierosol. Cathec. 18. virtutem notat in corporibus sanctorum. Iustinus Martyr. qu. 28.* Sanctorum corpora, & sepulcra Martyrum, & dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medica comploratorum conferunt sanationes. *Sic & fimbria Christi Marc. 5. sanat hæmoroissam, & vmbra Petri Act. 15. & sudaria & semicinctia Pauli ægros curant. Athanasius in vita Antonij, & Hieron. in Paulo, eius pallium solemnibus induebat Antonius.* Tanquam magna hæreditate ditatus lætantes per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. *Basil. homil. in Psal. 115.* In priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis illud: non contaminabitur super mortuo, & si quis tetigerit cadauer, immundus erit: & lauabit vestimenta sua. Nunc è diuerso, Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit quadantenus sanctificationis particeps: quare pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius. *Chrysost. homil. 32. in cap. 16. ad Rom.* Quis mihi nunc dabit circunfundi corpori Pauli, attigi sepulcro, videre puluerem corporis illius, &c. videre vellem puluerem oris huius, per quod Christus magnalia & ineffabilia locutus est, &c. cordis illius puluerem, &c. puluerem manuum illius quæ in vinculis fuerunt, &c. puluerem oculorum benè excæcatorum, deinde ad orbis salutem respicientium, qui & Christum in corpore videre meruerunt, &c. vellem & pedum illorum videre puluerem qui per orbem currentes, &c. vellem videre sepulcrum quo recondita sunt arma illa iustitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tunc verò cùm essent in hac vita, emortua. *Ambrosius lib. 7. Ep. 1. & Ser. de sanctis Gervasio & Prothasio:* Severus nomine, lanius ministerio, vt contigit fimbriam de veste Martyrum quâ sacræ reliquiæ vestiuntur, clamat sibi restitutum lumen. *Hieron. Ep. 17. ad Marcellam, cap. 5.* Martyrum vbique sepulcra veneramur, & sanctam fauillam oculis apponentes, si liceat etiam ore contingimus; & monumentum in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? si nobis non credimus, credamus saltem diabolo & angelis eius, qui quotiescumque ante illud de obsessis corporibus contremiscunt, rugiunt, expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes, & serò dolent crucifixisse quem doleant.

Augustinum 9. Confess. cap. 7. Memorato Antistitii tuo *Ambrosio* per visum aperuisti, quo loco latarent martyrum corpora Prothasij & Gervasij quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, vnde opportunè promeres ad coërcendam rabiem fœmineam, sed regiam. *Iustinam intelligit, Valentiniani adhuc pueri matrem Arrianam Ambrosium persequentem* cùm enim propalata, & effossa, digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solùm quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem dæmonibus sanabantur, verum etiam quidam plures annos cæcus ciuis ciuitati notissimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset, atque audisset, exiliuit, eóque se vt duceret, suum ducem rogauit. Quò perductus impetrauit admitti, vt sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum. Quod vbi fecit, atque admouit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tuæ feruentes, lucentes: inde illius inimicæ animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, à persequendi tamen furore compressus est. Gratias tibi Deus meus. *Et Epist. 103. ad Quintianum sic de perlatoribus Epistola in fine:* Portant, inquit, reliquias beatissimi martyris Stephani, quas non ignorat sanctitas vestra, sicut & nos fecimus, quàm conuenienter honorare debeatis. *Et lib. 22. de Civit. cap. 8. primò retexit* miraculum quod Mediolani factum cùm illic essemus, inquit, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit peruenire, quia & grandis est ciuitas, & ibi tunc erat Imperator, & immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Prothasij & Gervasij. *Narrat plurima miracula egrorum & mortuorum quæ ad reliquias S. Stephani sanatos esse & revixisse testatur. Inter cætera:* Puerum quemdam paruulum cùm in area luderet, exorbitantes boues qui vehiculum trahebant, rotâ obtriuerunt, & confestim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriam *Altare vbi erant reliquiæ,* posuit, & non solùm revixit, verum etiam illæsus apparuit. Sanctimonialis quædam in vicina possessione quæ

Aug. Aug. Aug. Aug.

Caſpaliana dicitur, cùm ægritudine laboraret ac deſperaretur, ad eandem memoriam tunica eius allata eſt: quæ antequam reuocaretur, illa defuncta eſt. Hac tamen tunicâ operuerunt cadaner eius parentes, & recepto ſpiritu ſalua facta eſt. Apud Hipponem Baſſus quidam Syrus ad memoriam eiuſdem Martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eóque ſecum veſtem eius detulerat, cùm ecce pueri de domo concurrerunt, qui ei mortuam nuntiarent, &c. qui cùm domum rediſſet iam ſuorum eiulatibus perſonantem, & veſtem filię quam portabat ſuper eam proiecisſet, reddita eſt vitæ. Rurſus ibidem apud nos Irenæi cuiuſdam collectarij filius ægritudine extinctus eſt. Cúmque corpus eius iaceret exanimum, atque à gementibus & plangentibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, vt eiuſdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt, & reuixit. Itemque apud nos vir Tribunitius Eleuſinus ſuper memoriam Martyris quæ in Suburbano eius eſt, ægritudine exanimatum poſuit infantulum filium ſuum: & poſt orationem quam cum multis lacrymis ibi fudit, viuentem leuauit, &c. *Deinde concludit:* Si miracula ſanitatum, vt alia taceam, ea tantummodo velim ſcribere, quæ per hunc Martyrem, id eſt glorioſiſſimum Stephanum facta ſunt in colonia Calamenſi, & in noſtra, plurimi conficiendi ſunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt, ſed tantùm de quibus libelli dati ſunt qui recitarentur in populis. *Concludamus hanc partem ſeptima Synodo generali Nicæna ſecunda Act.3.* Apoſtolicas Eccleſiæ traditiones, quibus veneratio, cultuque ſanctorum docetur, recipimus & veneramur. Eos autem vt miniſtros, amicos, & filios Dei exiſtentes honoramus. Honor enim qui à conſeruis idem ſentientibus inuicem exhibetur, indicium eſt beneuolentiæ erga Dominum, Sunt enim promptuaria Dei, & pura Chriſti habitacula, Spirituſque ſancti immaculata ſpecula. Sancti enim in Dei manu ſunt, ob idque pretioſa in conſpectu Domini, &c. Seruator noſter Chriſtus fontes ſalutares ſanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia fundentes: martyrum enim oſſa multas virtutes operantur, atque id per Chriſtum qui in his habitat.

Supereſt vt de Proceſſionibus, & inuocatione Sanctorum ſummatim aliquid attingamus. Et de Proceſſionibus quidem proprius hic locus à Tertulliano relatus eſt, vbi iuxta Ioſue meminit ſeptenæ circunductionis, & proinde proceſſionis arcæ circùm muros Iericho, in qua erant pretioſa reliquiæ veteris Teſtamenti, Ioſue 6. 6. Vocauit Ioſue filius Nun Sacerdotes, & dixit ad eos: tollite arcam fœderis: & ſeptem alij Sacerdotes tollant ſeptem Iubilæorum buccinas, & incedant ante arcam Domini. Ad populum quoque ait: Ite & circuite ciuitatem, armati præcedentes arcam Domini. Cúmque Ioſue verba finiſſet, &c. omniſque præcederet armatus exercitus reliquum vulgus arcam ſequebatur, ac buccinis omnia concrepabant. *Quid hæretici Proceſſiones ſanctiſſimi Sacramenti & reliquiarum arguunt; cùm videant à Deo commendatam in obſidione Iericho tam ſolemnem Proceſſionem? Et Chriſto intrante Ieroſolymam Matth.21. 8. alia Proceſſio deſcribatur:* plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: turbæ quæ præcedebant, & quæ ſequebantur clamabant dicentes: hoſanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini, hoſanna in altiſſimis. *Tertullianus bis meminit Proceſſionum antiquarum: primò de Præſcript. cap.43.* Vbi metus in Deum, ibi grauitas honeſta, & diligentia adtonita, & cura ſollicita, adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & ſubiectio religioſa, & apparitio deuota, ET PROCESSIO MODESTA, & Eccleſia vnita, & Dei omnia. *Alter locus habetur lib.2. ad Vxorem, cap.4. vbi nuptias cum infidelí contrahere prohibet mulieri fideli:* Viderit, inquit, qualiter viro officia pendat. Domino certè non poteſt pro diſciplina ſatisfacere, habens in latere diaboli ſeruum, procuratorem Domini ſui, ad impedienda fidelium ſtudia & officia; vt ſi Statio facienda eſt, maritus de die condicat ad balneas: ſi ieiunia obſeruanda ſunt, maritus eadem die conuiuium exerceat: SI PROCEDENDVM ERIT, nunquam magis familiæ occupatio obueniat. *Theodorus lector lib.1. collectanorum notat Marcianum Imperatorem cum Anatolio Epiſcopo Proceſſiones obijſſe.* Marcianus, inquit, ad ſupplicationes quæ in campo fiebant, pedes egreſſus, multa largitus eſt egenis. *Sozomenus lib.7. hiſt. Reliquias Meletij martyris Antiochiam; Socrates martyris Babila Daphne eodem ſolemni Proceſſione portatas; & vterque narrat Chryſoſtomum ſolitum in Proceſſionibus crucem argenteam inter duos ardentes cereos præferri iubere ſolitum. Refert etiam Ruffinus lib.2. hiſt. Theodoſium Imperatorem ſe ad bella non tam armis, quàm orationibus, ieiuniis, ſupplicationibus, & ante Martyrum & Apoſtolorum thecas proſtrationibus præparaſſe. Idipſum Nicephorus de Theodoſio Iuniore, pro pellenda fame.* Litania, inquit, inſtituta eſt, ſupplicantes proceſſere, laudibus Deum vexere, atque vna concors Eccleſia facta eſt tota ciuitas. Theodoſius ipſe medius hymnis canendis præijt habitu priuato incedens. Statim cœlum aërem turbidum ſerenitate commutauit, & frumenti non mediocrem inopiam, ingens quædam frugum copia & vbertas eſt conſecuta. *Quantùm ad Rogationum proceſſionem, Sydonius Apollinaris ſcribit S. Mammertum Epiſcopum Viennenſem, eam in meliorem formam renouaſſe. Iuſtinianus autem authenticâ 123. cap.31. contra Proceſſionum perturbatores:* Si quis hæc ſacra miniſteria conturbauerit, aut celebrare prohibuerit, capitaliter puniatur. *Et cap.32.* Hoc ipſo in Litaniis in quibus Epiſcopi & Clerici reperiuntur, cuſtodiendo, *vbi & ſignum Crucis cum reuerentia præferri iubet,* & ſiquidem iniuriam ſolum fecerit, is verberibus, exilioque tradatur.

Auguſtinus recitat etiam quid in reliquijs S. Stephani in Proceſſione ſit à Deo factum miraculi, lib.22. de Ciuit. cap.8. Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Proiecto reliquias Martyriis glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus, & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit, flores quos ferebat, dedit: recepit, oculis admouit, protinus vidit: ſtupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlteriùs non requirens. *Et ibid.* Memorati memoriam Martyris *reliquiam* quæ poſita eſt in Caſtello Synicenſi quod Hipponenſi coloniæ vicinum eſt, eiuſdem loci Lucilius Epiſcopus, populo præcedente, atque ſequente portabat, &c. Eucharius Presbyter ex Hiſpania Calamę habitans, veteri morbo calculi laborabat, per memoriam *reliquiam* ſupradicti martyris, quam Poſſidius illo aduexit Epiſcopus, ſaluus factus eſt. *Vbi videsetiam in Proceſſionibus per Epiſcopos reliquias ferri conſuetas. In Concilio tertio Bracharenſi anno 675. Canone 5. decernitur, vt vel per Leuitas, vel per Epiſcopos ferantur.* In feſtis quibuſque diebus Arcam Domini cum reliquiis non Epiſcopi, ſed Leuitæ in humeris geſtent, quibus & in veteri lege onus idem impoſitum no-

uimus esse præceptum. Quòd si Episcopus per se reliquias deportare elegerit, non ipse à Diaconibus in sella vehatur, sed potius pedestri eo vnâ cum populis progressione procedente, ad Ecclesias per eundem sanctæ Dei reliquiæ portabuntur. *Tandem loco præcitato Augustinus, de Paulo & Palladia, tremore correptis, ex matris maledicto; ad Altare S. Stephani curatis scribens, sub finem capitis:* Inde ad me curritur, vbi sedebam IAM PROGRESSVRVS, &c. S.Aug. Venit Pascha, atque ipso Dominico mane, cùm iam frequens populus præsens esset, & loci sancti cancellos, vbi martyrium erat *oratorium cum reliquijs martyris* idem iuuenis orans teneret, repente prostratus est, &c.

Concludamus cum inuocatione Sanctorum, quæ, vt nec cætera præmissa, idololatriam sapit, sed ad Dei sanctos suos honorantis, in eisque laudati cultum refertur. Baruch.3.4. Domine omnipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum eorum. 2. *Machab.15.12. narratur visio Iudæ Machabæi.* Erat autem huiusmodi visus: Oniam qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit; manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Post hoc apparuisse & alium virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: respondentem verò Oniam, dixisse: hic est fratrum amator & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta Ciuitate, Ieremias Propheta Dei. Extendisse autem Ieremiam dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem, accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersaries populi mei Israel. *Quem locum citat Origenes homil.3. in Cant. Sic 2.Petri 1.14.* Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis. *Apoc.c.8.* Viginti quatuor Seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. *Apoc.8.3.* Alius angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo. *Oratio sanctorum in collectis Liturgiarum Romæ, Ierusalem, Æthyopiæ, Mediolani, commendatur; in quibus Beatæ Virginis & sanctorum imploratur auxilium. In Concilio Chalcedonensi act.11. sic Patres omnes vna voce clamant:* Flauiano æterna memoria: ecce vitio, ecce veritas: Flauianus post mortem viuit, martyr pro nobis oret. *Quid mirum si & 2.Paral.21.12. Elia iam translato,* allatæ sunt ei *Ioram Regi* litteræ ab Elia Propheta. *Vt sciamus etiam sanctos ablatos à nobis, curam nostri agere. Iren. lib.2. cap.19. Mariam nostram aduocatam refert. Cyrillus Ierosol. Catech.5. mystag. dicit in Missa Patriarchas, Prophetas, Apostolos, & Martyres inuocari mediatores apud Deum. In Concilio Nicæno 2. œcumenico, refertur Epistola Basilij ad Iulianum Apostatam, vbi eosdem suos aduocatos agnoscit. De ijsdem orationibus Naz. in orat. funebri Patris. Chrysost. ser. de Pœnit. & ser. de sanctis Innocentio & Maximo. Cypr. Ep.7. lib 1. Ambrosius lib de Viduis, &c. Augustinus noster in Iob.14.* Miseremini mei saltem vos amici: S.Aug. Angelos, inquit, videtur postulare, vt pro eo deprecentur, aut certè sanctos, vt pro pœnitente orent. S.Aug. *Et in Psalmum 85.* Omnes, inquit, martyres qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt eorum interpellationes, nisi cum transit gemitus noster. *Ser. 17. de verbis Apostoli.* Iniuria est Aug. pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. *Ser. 5. de sanctis Petro & Paulo.* Si Aug. tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quantò magis gratia nunc permanentis? &c. Si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quantò magis efficax post triumphum? *Et in Cantione 2. in Psal. 88.* Quid tibi prodest non offensus Aug. pater, qui offensam vindicat matrem? *Donatistæ scindentes vnitatem Ecclesiæ arguit: & torqueri potest contra hæreticos eiusdem traditionem de inuocatione Sanctorum respuentes, idololatrasque nos criminantes, sub zelo Dei vnicè colendi.* Quid prodest si Dominum confiteris, Deum honoras, ipsum prædicas, filium agnoscis, sedentem ad dexteram Patris confiteris, & blasphemas Ecclesiam eius? *& matrem eius Virginem, & sanctos & fratres eius colis & honorari prohibes?* Non te corrigunt exempla humani coniugij? Si haberes aliquem patronum cui quotidie obsequereris, cuius limina fetuſĕdo contereres, quem quotidie non dico salutares, sed & adorares; cui impenderes fidelia obsequia: si vnum crimen de eius coniuge diceres, nunquid domum eius intrares? *& Ecclesiam Romanam Christi ipsam vocas Babylonem, matrem fornicationum, & idololatrem in cultu matris suæ & sanctorum?* Attendite ergo charissimi, tenete omnes vnanimiter Deum Patrem, & matrem Ecclesiam. Natalitia sanctorum cum sobrietate celebrate, vt imitemur eos qui præcesserunt: & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, vt benedictio Domini in æternum maneat super vos, fiat, fiat. *Augustinus & Cypriani sibi suffragia optauit, & licet mortuum, præsentem sibi nunquam exci-* Aug. *dente charitate cognouit.* Præsens est, inquit, non solùm per literas suas, etiam per ipsam quę in illo maximè viguit, & mori nunquam potuit, charitatem. Huic ergo inhærere, & conglutinari desiderans, si non impediat inconuenientia peccatorum meorum, orationibus eius adiutus, discam si potero per literas eius, quantâ pace per eum Ecclesiam suam Dominus, & quanto solatio gubernauerit. *Libro 1. de Bapt. cont. Donatistas cap.17. & libro 21. de Ciuit.* Aug. *cap.27.* Frequentatur, inquit, ore Christiano, cùm se cuique sanctorum humilis quisque commendat, & dicit: memor mei esto: atque vt id esse possit *sanctus scilicet*, promerendo efficit, &c. Verùm ista liberatio quæ fit, siue suis quibusque orationibus, siue intercedentibus sanctis, id agit vt in ignem quisque non mittatur æternum; non vt cùm fuerit missus post quantumcumque tempus inde eruatur, &c. Quâ opinione quidam cùm viderent homines impunitatem sibi peruersissimè pollicentes, eo quod omnes isto modo ad liberationem pertinere posse videātur, elegantissimè respōdisse perhibetur: benè potiùs esse viuendum: vt inter eos quisque reperiatur qui pro aliis intercessuri sunt liberandis. *Et lib. de cura pro mortuis, cap.16.* Deus omnipotens, qui est Aug. vbique præsens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis exaudiens martyrum preces; *præmiserat: quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur Martyres iis quos per eos certum est adiuuari.* Per Angelica ministeria, vsquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in huius vitę miseria iudicat esse præbenda: & suorum merita martyrum, vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximèque per eorum memorias, quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cuius illi confessione sunt p.ti,

mirabili atque ineffabili poteſtate ac bonitate commendet.

Præſcripſerat ſupra eadem lib. cap. 4. Profectò etiam prouiſus ſepeliendis corporibus apud memoriam ſanctorum locus, bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorum. Quoniam ſi nonnulla religio eſt vt ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe quando vbi ſepeliantur attenditur Sed cùm talia viuorum ſolatia requiruntur, quibus eorum pius in ſuos animus appareat, non video quæ ſunt adiumenta mortuorum, niſi ad hoc, vt dum recolunt vbi ſint poſita eorum quos diligunt corpora, eiſdem ſanctis illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum adiuuandos orando commendent, &c. Cùm itaque recolit animus vbi ſepultum ſit chariſſimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus. Qui cùm defunctis à fidelibus chariſſimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt ijs, qui cùm in corpore viuerent, talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe meruerunt. *O virum admirabilem, ſimilem illi*, qui octingentos interfecit impetu vno! *Vnâ ſententiâ quot euertit hereſes, quot confirmat veritates? Meritum bonorum operum, locorum ſanctitatem, ſepulturæ curam, animarum Purgatarij refrigerium, reliquias Sanctorum, ſuffragia Martyrum. Sermone 1. de S. Stephano.* Multò magis nunc exauditur pro benè oratoribus ſuis» qui ſic exauditus eſt tunc pro lapidatoribus ſuis· *Audiant itaque & confundantur Iconomachi, Sanctorum ſuffragia, reliquias Martyrum, imaginum cultum, & Proceſſiones earum ab Eccleſia matre, in honorem Dei Patris* nimis honorantis amicos ſuos, laudabilis in Sanctis ſuis *commendatas, idololatriæ imputantes: audiant inquam Auguſtinum concione 2. in Pſal. 89. in f.* Amemus Dominum Deum noſtrum. Amemus Eccleſiam eius, illum ſicut Patrem, iſtam ſicut Matrem: illum ſicut Dominum, hanc ſicut ancillam eius, quia Filii ancillę ipſius ſumus. Sed matrimonium hoc magna charitate compaginatur. Nemo offendit vnum, & promeretur alterum. Nemo dicat, in idola quidem vado, arreptitios quidem & ſortilegos conſulo, ſed tamen Dei Eccleſiam non relinquo, Catholicos ſum. Tenens Matrem, offendis Patrem. Alius item dicit, abſit à me, non conſulo ſortilegum, non quæro arreptitium *habentem ſpiritum Pythonicum*, non quęro diuinationes ſacrilegas, nec eo ad adoranda dęmonia, non ſeruio lapidibus, ſed tamen in parte Donati ſum. *Et tu dic Caluini, vel Lutheri*; Quid tibi prodeſt non offenſus Pater, qui offenſam vindicat Matrem? *Sed hæreticum non habet Deum Patrem, qui non habet Eccleſiam Matrem.*

Aug. S. Aug.

IEIVNIVM.

IEIVNII IMPVGNATIO.

** 1. Ieiunia hæretici ijſdem argumentis aggrediuntur, quibus Tertullianus imponit, nos arguere ieiunia Montaniſtarum. De Ieiun. cap. 1. in f. & 2. per totum.*

ARguunt nos quòd ieiunia propria cuſtodiamus, quòd ſtationes plerumque in veſperam producamus, quòd etiam xerophagias obſeruemus, ſiccantes cibum ab omni carne, & omni iurulentia, & vuidioribus quibuſque pomis; ne quid vinoſitatis vel edamus vel potemus: lauacri quoque abſtinentiam, congruentem arido victui. Nouitatem igitur obiectant, de cuius inlicito præſcribant; aut hæreſim iudicandam, ſi humana præſumptio eſt; aut pſeudoprophetiam pronuntiandam, ſi ſpiritalis indictio eſt, dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter adnuntiamus. Nam quod ad ieiunia pertineat, certos dies à Deo conſtitutos opponunt, vt cùm in Leuitico præcipit Dominus Moyſi decimam menſis ſeptimi diem placationis, [a] *Sancta*, inquiens, *erit vobis dies, & vexabitis animas veſtras; & omnis anima quæ vexata non fuerit illa die, exterminabitur de populo ſuo.* Certè in Euangelio illos dies ieiuniis determinatos putant, in quibus ablatus eſt ſponſus, & hos eſſe iam ſolos legitimos ieiuniorum Chriſtianorum, abolitis legalibus & propheticis vetuſtatibus. Vbi volunt enim, agnoſcunt quid ſapiat, [b] *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Itaque de cetero differenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouæ diſciplinæ, pro temporibus & cauſis vniuſcuiuſque. Sic & Apoſtolos obſeruaſſe, nullum aliud imponentes iugum certorum & in commune omnibus obeundorum ieiuniorum; proinde nec ſtationum, quæ & ipſæ ſuos quidem dies habeant quartæ feriæ & ſextæ: paſſiuè tamen currant, neque ſub lege præcepti, neque vltra ſupremam diei, quando & orationes ferè hora nona concludat de Petri exemplo, quod Actis refertur. Xerophagias verò nouum affectati officij nomen, & proximum ethnicæ ſuperſtitioni; quales caſtimoniæ Apim, Iſidem, & magnam Matrem certorum eduliorum exceptione purificant; cùm fides libera in Chriſto ne Iudaïcæ quidem legi abſtinentiam quorundam ciborum debeat, ſemel in totum macellum ab Apoſtolo admiſſa, deteſtatore eorum [c] *qui ſicut nubere prohibeant, ita iubeant cibis abſtinere à Deo condita; & ideo nos eſſe iam tunc prænotatos in nouiſſimis temporibus abſcedentes à fide, intendentes ſpiritibus, mundi ſeductoribus, doctrinis mendaciloquorum, inuſtam habentes conſcientiam.* Quibus oro te ignibus? credo quibus nuptias ſæpè deducimus, & cœnas quotidie coquimus. Sic & cum Galatis nos quoque percuti aiunt [d] *obſeruatores dierum & menſium & annorum.* Iaculantur interea & Eſaiam pronuntiaſſe, [e] *Non tale ieiunium Dominus elegit*; id eſt, non abſtinentiam cibi, ſed opera iuſtitiæ quæ ſubtexit; & ipſum Dominum in Euangelio ad omnem circa victum ſcrupuloſitatem compendio reſpondiſſe, non his communicari hominem, quæ in os

Gal. 1. 8. 9.
[a] Leuit. 23. 27.
Matth. 9. 15
[b] Matth. 11. 13.
Act. 15. 20.
Act. 10. 3.
1. Cor. 10. 25.
[c] 1. Tim. 4. 3.
[d] Gal. 4. 10.
[e] Eſa. 58. 5. Matth. 15. 11. & 20.

inferantur, ſed quæ ex ore proferantur, cùm & ipſe manducaret & biberet vſquè in notationem, [f] *Ecce homo vorator & potator*: ſic & Apoſtolum docere, [g] *quod eſca nos Deo non commendet, neque abundantes ſi edamus, neque deficientes ſi non edamus.* His & huiuſmodi ſenſibus eò iam ſubtiliter tendunt, vt vnuſquiſque pronior ventri poſſit ſuperuacua, nec adeo neceſſaria, exiſtimare ſublati, vel diminuti, vel demorati cibi officia, præponente ſcilicet Deo, iuſtitiæ & innocentiæ opera. Et ſcimus quales ſint carnalium commodorum ſuaſoriæ; quum facilè dicatur, Opus eſt de totis præcordiis credam, diligam Deum & proximum mihi. [h] *In his enim duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ*, non in pulmonum & inteſtinorum meorum inanitate.

f Matth.11. 19.
g 1.Cor.8.8
h Matth.22 40.

* 2. *Et de Ieiun. cap. 13. à p. ad m.*

ECce conuenio vos & præter Paſcha ieiunantes, citra illos dies quibus ablatus eſt ſponſus, & ſtationum ſemijeiunia interponentes, & verò interdum pane & aqua victitantes, vt cuique viſum eſt: denique reſpondetis hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio. Mouiſtis igitur gradum, excedendo traditionem, cùm quæ non ſint conſtituta obitis. Quale eſt autem, vt tuo arbitrio permittas, quod imperio Dei non das? plus humanæ licebit voluntati, quàm diuinæ poteſtati? Ego me ſeculo, non Deo liberum memini: ſic meum eſt vltrò officium facere Domino, ſicut indicere illius eſt; non tantùm obſequi ei debeo, ſed & adulari: illud enim imperio eius, hoc arbitrio meo præſto. Benè autem quod & Epiſcopi vniuerſæ plebi mandare ieiunia aſſolent; non dico de induſtria ſtipium conferendarum, vt veſtræ capturæ eſt; ſed interdum & ex aliqua ſollicitudinis Eccleſiaſticæ cauſa. Itaque ſi & ex hominis edicto, & in vnum omnes συνωμοσίαν agitatis, quomodo in nobis ipſam quoque vnitatem ieiunationum, & xerophagiarum, & ſtationum denotatis? niſi fortè in ſenatuſconſulta, & in principum mandata coitionibus oppoſita delinquimus.

Matth.9.15

3. Ieiunium & abſtinentiam Paulus non abſtulit, ſed ſolum ſcrupulum. De Ieiun. cap.15. in m.

QVidam [a] *credit omnia manducanda eſſe, quidam autem infirmus olera veſcitur; qui manducat, ne nullificet non manducantem. Tu quis es, qui alienum ſeruum iudicas? Et qui manducat, & qui non manducat, Deo agit gratias.* Cùm autem humano arbitrio veteri controuerſiam fieri, quantò magis diuino? Ita, ſciebat quoſdam caſtigatores & interdictores victus incuſare, qui ex faſtidio, non qui ex officio abſtinerent; probare verò qui in honorem, non qui in conuitium Creatoris. Et ſi claues macelli tibi tradidit, permittens eſui omnia ad conſtituendam idolothytorum exceptionem, non tamen in macello regnum Dei incluſit. *Nec*[b] *enim, inquit, eſus aut potus eſt Dei regnum*: &, [c] *Eſca nos Deo non commendat*; non vt de arida dictum putes, ſed potius de vncta & accurata. Siquidem ſubjiciens, [d] *Nec ſi manducauerimus, abundabimus; nec ſi non manducauerimus, deficiemus*; tibi magis inſonat, qui abundare te exiſtimas, ſi edas; & deficere, ſi non edas, & ideo iſta detractas.

a Rom.14. 2.
1. Cor. 10. 25.
b Rom.8.8.
c 1.Cor.8.8
d Ibid.

4. Ieiunia & feſta Paulus non damnat, ſed veteris Legis Ceremonias iam inutiles & noxias. De Ieiun. cap. 14. in p.

HOrum igitur tempora obſeruantes, & dies, & menſes, & annos, Galaticamur. Planè, ſi Iudaïcarum ceremoniarum, ſi legalium ſolennitatum obſeruantes ſumus: illas enim Apoſtolus dedocet, compeſcens veteris Teſtamenti in Chriſto ſepulti perſeuerantiam, & noui ſiſtens.

Gal. 4. 10.

IEIVNIA HÆRETICI, &c. I. II. III. & IV. SCHOL.

ARGVVNT NOS. *Pſychici, animales, & ſecundum carnem ſapientes.* IEIVNIA PROPRIA. *Secta Montaniſtarum. Duplicem nempe quadrageſimam. De qua conſule Alphabetum errorum Tertulliani, Verbo.* Quadrageſima duplex. QVOD STATIONES. *Statuta ieunia ſolemnia inſtar indefeſſorum militum, ad veſperam vſque ſine cibo ſumpto protrahamus.* XEROPHAGIAS, *trudas, & aridas eſcas.* SICCANTES, *ſicco pane contenti.* IVRVLENTIA. *Abſque vllo obſonio, & inſulo.* VINOSITATIS. *Vt non tantùm abſtineamus à vino, ſed & ab vuis paſſis.* LAVACRI. *Obſeruamus etiam rigidam abſtinentiam ab omni balneo, vt ſic tota conuerſatio magis conſonet parco & arido victui.* NOVITATEM *obijciunt nobis iidem Pſychici, & præſcribunt, nouam nos in Eccleſiam, nec receptam, proindèque illicitam ieiunij formam introducere velle; & nos vel de hæreſi arguunt, ſi præſumimus ex humana inuentione ſic agere, aut Montanum pſeudoprophetam eſſe, ſi acceptam à Spiritu ſancto hanc formam, velit introducere & præcipere.* QVAQVA EX PARTE. *Sine Pauli Anathema dicentis aliter à ſe Euangelizanti; ſine Ioannis, plagas ex Angelorum phialis imprecantis & qui appoſuerit nouam ſuæ Apocalypſim, hoc eſt reuelationem.* DECIMAM MENSIS. *Leuit.23.27.* Decimo die menſis huius ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus: affligetiſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino, &c. Omnis anima quæ afflicta non fuerit, 70. *quæcumque non humiliabitur* die hac, peribit de populo ſuo. IN EVANGELIO, *Matth.9.*

Matth. 9. 15. *vbi cum verſu præcedenti diſcipuli Ioannis dixiſſent Chriſto:* Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter: diſcipuli autem tui non ieiunant? Ait illis Iesus: Numquid poſſunt filij ſponſi *syr. filij thalami* lugere, *syr. ieiunare, vt idem ſit iejunare, quod lugere & affligere animam ſuam*, quamdiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc iejunabunt. VSQVE AD IOANNEM. *Quod refertur ad iejunium diſcipulorum Ioannis, ad quem vſque iejunia ſub lege & Prophetis obſeruata vigerant, & per nouam legem abolita fuerant, vt deinceps in noua lege quiſque pro libito, & cauſa data iejunare poſſit.* QVÆ ET IPSÆ. *Carpit nos, ſtata & conſueta iejunia ſine abſtinentiam obſeruantes diebus Mercury & Veneris.* PASSIVE CVRRANT. *Communiter ab omnibus obſeruentur, non tamen ſtrictè & ſub obligatione præcepti. Neque vltra meridiem, quæ eſt hora altiſſima diei; vel vſque ad horam nonam, quâ iuxta exemplum Petri concluditur oratio, de qua alibi dictum eſt.* AFFECTATI OFFICII. *Iejunij, quod proximè accedit ad Gentilium ſuperſtitionem; qui in honorem Apis, Iſidis, & magnæ matris. Deorum caſtitatem ſpeciali religione colebant, & in eorum cultum abſtinebant à quibuſdam cibis. Nos verò (quod ironicè dicit) quaſi ſub Chriſti ſeruitute libera, iugum legis veteris tot cibos immundos prohibentis excuſſerimus; & Paulum ipſe per fidem & nouam legem totum nobis macellum aperuerit* 1. *Cor.* 10. 25. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. *Scrupulum, an caro fuerit immolata* Domini eſt terra & plenitudo eius. Si quis vocat vos *ad menſam* infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Nos PRÆNOTATOS, *ab Apoſtolo, vt alibi diximus.* INVSTAM, *canteriatam, vt vulgata legit* QVIBVS NVPTIAS, *errorem ſuum hic tuetur de ſecundis nuptijs.* OBSERVATORES DIERVM. *Gal.* 4. 10. Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. ESAIAM. *cap.* 58. 5. Nolite ieiunare ſicut vſque in hanc diem, vt audiatur in excelſis clamor veſter. Numquid tale eſt ieiunium quod elegi per diem affligere hominem animam ſuam. OPERA IVSTITIÆ. *verſu* 6. Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. 70. *diſſolue obligationes violentorum contractuum*, dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & omne onus dirumpe. 70. *omnem iniquam ſcripturam conſcinde* frange eſurienti panem tuum, &c. NON COMMVNICARI. *Pollui. Scriptura enim iungit commune & immundum, quòd ſcilicet ab immundis gentilibus communiter ederentur cibi per legem Moyſi prohibiti. Math.* 15. 11. Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. VSQVE IN NOTATIONEM. *Itaut notaretur à Phariſæis, Matth.* 11. 19. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amator. SIC ET APOSTOLVM 1. *Cor.* 8. 8. Eſca autē nos non commendat Deo *ſiue ſumpta, ſiue detracta.* Neque enim ſi manducauerimus, abundabimus: neque ſi non māducauerimus deficiemus. *Quòd hæc indifferentia ſint ex natura ſua.* DEMORATI, *ſuſpenſi vſquè ad veſperam, vel vltra.* QVALES SVASORIÆ. *Artes ventris, eloquentes in patrocinium gulæ.* OPVS EST. *Neceſſarium & grande mandatum in dilectione Dei & proximi poſitum eſt longè omnem in lege & Prophetis abſtinentiam ſuperante, nec enim inſtitia in ventris vacuitate & inediâ poſita eſt. De ieiunio quartæ & ſextæ feriæ ſæpius Auguſtinus in prolixa Epiſtola ad Caſulanum quæ eſt* 86. *de quibus vide relata Verbo Quadrage-*

Omniloquium.

A *ſima duplex in Alphabeto errorum. Ieiunium amicorum Sponſi eo ſublato, exponit Hiero. Tropologicè, de peccatore lugente poſt amiſſam gratiam, dulcis ſponſi abſentia. Auguſtinus ſe.* 4. *lib.* 2. *quæſt. Euangelic. q.* 18. *diſtinguit duplex ieiunium, vnum gaudij, aliud triſtitiæ.* Ieiunium, inquit, aut in tribulatione eſt, aut in gaudio. In tribulatione ad propitiandum Deum pro peccatis: in gaudio verò, cùm tantò minus delectant carnalia, quantò ſpiritualium maior ſagina eſt. *Sic ieiunabat Pſaltes; cum diceret, in terra deſerta, inuia, & inaquoſa, hæc Xerophagia, ſic in ſancto apparui tibi, id eſt quaſi ſanctus coràm te, Stationes obſeruans, &c. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Cùm ergo Dominus S.Aug.

B interrogatus eſſet cur diſcipuli eius non ieiunarent, S.Aug. de vtroque ieiunio reſpondit. Nam ad illud quod in tribulatione ieiunari ſolet, pertinet quod ait, ſponſi filios tunc ieiunaturos, cùm ab eis ablatus fuerit ſponſus: tunc enim deſolabuntur, & in mœrore ac luctu erunt, donec eis per Spiritum ſanctum gaudia conſolatoria retribuantur. Quo dono percepto, etiam ieiunii alterum genus: *aduerte ſecundam quadrageſimam à Montaniſtis poſt Pentecoſtem, accepto ſcilicet Paracleto, ſeruatam, vel ante, ad eum recipiendum per ieiunium ſe diſpoſuiſſe.* Quod fiat per lætitiam, iam S.Aug.

C renouati in vitam ſpiritalem conuenientiſſimè celebrabunt. Quod antequam accipiant dicit eos tanquam vetera veſtimenta, *propter obſeruationem veteris legis*, quibus inconuenienter nouus pannus, *nouæ legis gratiæ*, aſſuitur; id eſt aliqua particula doctrinæ, quæ ad nouæ vitæ temperantiam pertinet. Quia ſi hoc fiat, & ipſa doctrina quodammodo ſcinditur, cuius particula quâ ieiunium ciborum valet, importunè traditur, cùm illa doceat generale ieiunium, non à concupiſcentia ciborum tantùm, ſed ab omni lætitia temporalium delectationum: cuius quaſi pānum, id eſt partem aliquam quæ ad cibos pertinet, dicit non oportere hominibus adhuc veteri conſuetudini deditis impertiri, quia & illinc quaſi conciſio videtur fieri, & ipſi vetuſtati non conuenit. Dicit etiam ſimiles eos eſſe veteribus vtribus quos vino nouo, id eſt ſpiritalibus præceptis faciliùs dirumpi, quàm illud continere poſſe dicit. Erant autem iam vtres noui, cùm poſt aſcenſum Domini deſiderio conſolationis

D eius, *id eſt Spiritus Paracleti conſolatoris, ab eo præcedentis, & promiſſi, mittendi*, orando & ſperando innouabantur. Tunc enim acceperunt ſpiritum ſanctum, quo impleti, cùm omnium qui de diuerſis gentibus aderant, linguis loquerentur, dicti ſunt muſto pleni. Nouum enim vinum, iam nouis vtribus venerat.

1. CONVENIO VOS. *Vox fori, quâ coram iudice prouocantur reſpondere partes aduerſæ.* PRÆTER PASCHA. *Extra quadrageſimam Paſcha præcedentem, ieiunia ſeruatis ô Pſychici, & infra dies Aſcenſionis, quibus ablatus eſt ſponſus, quatuor anni tempora, vt & quarta & ſexta feria, ſtatutis diebus, non integra quidem, ieiunia*

E *& Xerophagias, vt nos, ſed dimidia tantùm interponitis, inter Aſcenſionem & Paſcha ſequens.* ET VERO. *Et quidem aliquando ſolo pane & aqua contenti eſtis, pro cujuſque libito.* MOVISTIS GRADVM. *De ſententia in nos lata receſſiſtis, agendo aliquid præter antiquam traditionem, quod nobis prius obieciſtis. Præter ſtatuta ab Eccleſiâ ieiunia, aliqua ex propriæ voluntatis motu ſubeundo.* VT TVO ARBITRIO, *&c. quis hoc ferat, vt Paracleto Deo non concedas, ſtricta ieiunia per Montanū indicendi poteſtatem, quā humana & tuo das arbitrio.* SIC MEVM VLTRO, *&c. Sicut Dei eſt imperare ieiunia, ſic noſtrum eſt vltroneum in ieiunijs obſeruandis illi offerre obſequiū, vt quaſi ei adblādiar, ejus præueniendo præcepta.* BENE AVTEM, *pro nobis etiā facit, quòd Eccleſiæ Romanæ Epiſ-*

copi priuata in suis diœcesibus iejunia præscribere solent, non tantum lucri fabricæ Ecclesiæ captandi causa, quia in iejuniis publicis eleemosyna & oratio comites adjunguntur, & per Basilicas stipes & eleemosyna colligunturs sed etiam propter curam pastoralem imponuntur iejunia, ad arcēdas vel obtinendas pluuias, profligādos, hostes pestes, fames, cæteraque Dei flagella amouenda vtilissimum. AGITATIS. *Humiliationem iejunij solemniter & in cōmune frequenter agitis, ex vnius Pontificis, & Episcopi edicto & præcepto. Quid igitur in nobis arguitur strictam iejuniorum legem quam non ab homine, sed à Paracleto accepimus? An fortè peccamus in Imperatorum mandata, vel Senatusconsulta quæ nos prohibent in vnū coire, quasi contra Reipublicæ salutem in istis conuentibus conspiramus? Augustinus Ser. 60. de temp. vbi de oratione, Eleemosyna, & iejunio publico, quod intentione occulta vt quodcumque opus etiam publicè factum, sit absconditū.* Qui eleemosynā, inquit, pro solo amore S.Aug. Dei facit, vt ad opus bonū illum re iqui imitentur, & non ipse, sed Dominus collaudetur, etiamsi publicè faciat eleemosynā, absconsè facit, quia pro eleemosyna illa, non hoc quod videtur, desiderat: nec ab hominibus laudē, sed mercedem a Deo optat accipere, Hoc etiā & de iejunio debemus accipere. Cū enim ipse Dominus dicat: vnge caput tuum & faciem tuā laua, ne videaris hominibus iejunans: ergo contra Christi præcepta facimus, qui publicè iejuniū indicimus, & vidēte toto populo pariter cū ipso iejunamus? *Quo docet penes Episcopos fuisse & esse potestatem obstringendi populum ad publica iejunia, vi verborum Christi.* Quæcunque ligaueritis super terram, &c. *Vt Deus in cœlo ratum habeat hoc edictum, non tāquam hominis, sed vt Spiritus sancti, inxta verbū Christi:* non estis vos qui loquimini. sed spiritus Patris vestri, &c. qui vos audit, me audit, &c. *De iejunio ex proprio arbitrio seruato, neglecto Dei, superioris ue arbitrio, pulchrè Augustinus 9 libro de vtilitate iejunij cap. 5.* Qui, inquit, à nullis S.Aug. refrenat licitis, vicinus est & illicitis. Proinde fratres, licitum est coniugium, illicitū est adulteriū: & tamen tēperantes viri, vt longè sint ab illicito adultério refrenant se & aliquantùm à licito coniugio. Licita est satietas, illicita est ebriositas, tamē modesti homines vt longè se faciant à turpitudine ebrietatis, castigant se aliquantū & à libertate satietatis. Ita ergo agamus fratres, temperemus & quod facimus, scianus quare facianus. Cessando à lætitia carnis, acquiritur lætitia mētis. Proinde finis nobis iejuniorū nostrorū, ad iter D nostrū *sepple instituta sant*: quid sit ipsū iter, & quò tēdamus, hoc cōsiderandū est. Nāque & Pagani iejunāt aliquādo *vt supra vidimus ex Tertulliano de cultoribus Apis, Isidis, &c. Qui & castitatē celebant*, nec regionē quò tēdimus, norūt: & Iudæi ieunāt aliquādo, & viā in qua ābulamus, *Christū & fidē in eum*, non apprehēderūt. Tale est hoc, ac si aliquis equum domet, in quo erret. *Equi eorum caro.* Ieiunāt hæretici, video quales eant, interrogo quò eant. Ieiunatis vt cui placeatis? Deo, inquiunt, *Maximè Montanistæ, dicente* S.Aug *Tertulliano meum est vltro officium facere Domino, non tantū obsequi ei debeo, sed & adulari*, munus putatis, accipit? Sed prius vide quid dicit, relinque munus, & vade prius reconciliare fratri tuo. Nūquid mēbra tua rectè domas, qui Christi mēbra dilanias? *Ab Ecclesia, schismate dissilus.* Auditur, inquit, clamor vox vestra, E & eos qui sub ingo vestro sūt simulatis, & cædiris pugnis. Nō tale ieiuniū elegi, dicit Dominus. Improbaretur ergo ieiuniū tuū si immoderatiùs seuerus existeres in seruū tuū, approbabitur ieiunium tuū cùm non agnoscis fratrē tuū? &c. Non quæro à quo cibo abstineas, sed quē cibū diligas, &c. Diligis iustitiā? &c. S.Aug. Puto iustū esse vt maiori seruias, *Deo & Prælato*, quò tibi minor obtēperet. *Et alibi idem Aug.* tu Deo, tibi A caro. *Tu Deo subjectus, tibi caro subdita.*

3. QVIDAM CREDIT- *Rom. 14. 2* Alius credit se māducare omnia: *Syr. re omni vescendū esse* qui autē infirmus est, *cōscientiæ timidæ & scrupulosæ sēper timēs, ne fortè caro fuerit idolis immolata*, olus manducet, is qui māducat, non māducātem nō spernat: & qui nō māducat, in āducātē nō iudicet, Deus enim illū assūpsit. *Ad conscientiā liberiorē prouexit.* Tu quis es qui iudicas. *Syr. condemnas* alienū seruū, &c. DEO AGIT GRATIAS. *Aug. lib. de gratia noui testamenti, à Beda citato:* Sic, inquit, dictū est, qui māducat. Domino māducat, Aug. & qui non māducat, Domino non māducat. Ad hoc quippe addidit, & gratias agit Deo: vt ostēderet quid esset, domino facit id est, in eius laudē facit. Tūc enim rectè, tūc piè, tūc iustè fit, cū opus bonū in eius fit laudē cuius gratiā donatur vt fiat. In quo affectu proficiens, quidquid boni facit, Domino facit: hoc est in eius laudē, cuius gratiam percepit vt faciat. Vnde est actio gratiarū, quæ intimo fideliū mysterio, *Eucharistico sacrificio* celebratur *& in Psal. 21.* Ita dictū est annuntiabitur Domino generatio ventura; ac si diceretur, Domino placebūt, qui annūtiabūt, non sibi: vt ita Aug. sit Domino annūciare, sicut Domino viuere. HVMANO ARBITRIO. *Sic exorsus fuerat Paulus Rom. 14. versu* 1. Infirmū autē in fide assūmite non in disceptationibus cogitationū. *Clariùs transl. Syr.* Et verb qui est infirmus, *pusillus, qui facilè scandalizatur*, date manū, nec sitis diffidētes in cogitationibus vestris. QVANTO MAGIS D. VINDICTA. *Si hominū libertati in lege noua viuentis Paulus prohibet contrauersiā fieri, hoc est interdici vsū quorūcunque ciborū: multo magis prohibet cōdemnari cibos* C *tanquā malos quos Deus iudicauit hominis vtilitati, & honestæ voluptati concedendos. Sic Paulus nouerat carpere hæreticos venturos qui non tam ex laudabili abstinentia, quā ex contēptu Dei creatoris omnē carnis vsū interdicerēt, sicut laudare nouerat qui cū gratiarū actione non ex gula, & immoderata cōcupiscentia in opprobriū creatoris sūpturi essent.* AD CONSTITVENDAM. *Vt sic facilius suaderet abstinentiā ab idolothytis, certā scientiā talibus cognitis; cæterorū omnium ciborū vsū fidelibus concessit. Aug. in Ep. ad Publicolā.* Olus, inquit, vel quilibet fructus in quo- Aug. libet agro natus eius est qui creauit, quia Domini est terra & plenitudo eius, & omnis Dei creatura bona est. Sed si illud quod in agris nascitur cōsecratur idolo vel sacrificatur, tunc inter idolothyta deputādum est. Itaque aut certū est esse idolothytū, aut certū est non esse, aut ignoratur. Si ergo certū est esse, melius Christianā virtute respuitur. *Etiā in extrema necessitate virtutē Martyrū imitatur qui respuit.* Si autē vel non est, vel nescitur, sine vllo cōscientiæ scrupulo in vsū necessitatis assumitur. ESVS AVT POTVS, *&c. 1. Cor. 8. 8.* Quidam cum conscientia vsque nunc idoli, quasi idolothytū māducāt, & conscientia ipsorū cū sit infirma, polluitur. Esca autē nos nō cōmēdat Deo. *Syr. non dat nobis aditu ad Deū*; neq; enim, si māducauerim⁹, abūdabim⁹: *nihil enim edacitas facit ad abūdātiā sanitatis:* neque si nō māducauerim⁹, *carnes, cū aliis cibis viuere possimus*, deficiemus. *Transl. Syr.* Quidquā nobis defuturū est. *Aug. lib. 10. Confess. c. 31.* Audiui, inquit, Do- Aug. mine Deus vocē tuā: post cōcupiscentias tuas nō eas, & à voluptate tua auertere. Audiui & illā ex munere tuo, quā multū amau, neque si māducauerim⁹ abūdabim⁹, neque si nō māducauerim⁹ deerit nobis. Hoc est dicere, nec illa res me copiosū faciet, nec illa arrūnosū. Audiui & alterā, ego enim didici in quibus sū sufficiens esse; & abūdare noui, & penuriā pati noui. Omnia possū in eo qui me confortat. Ecce miles castrorū cœlestiū, nō puluis quod sumus. Sed memēto Domine quia puluis sum⁹, & de puluere fecisti hominē, & perierat & inuētus est. Nec ille in se potuit, qui idem puluis fuit, quem talia dicentem afflatu tuæ

inſpirationis adamaui: omnia poſſum, inquit, in eo qui me confortat. Conforta me, vt poſſim: da quod iubes, & iube quod vis. Iſte ſe accepiſſe confitetur, & quod gloriatur, in Domino gloriatur. TIBI INSONAT. *Vox Pauli te Pſychicum arguit, qui quia aliter quàm Paulus ſapis, & deficere times ſi ieiunas, ideo ieiunia noſtra vellicas, & omne eorum detrectas.*

4. HORVM *Iudæorum.* GALATICAMVR, *à vobis Pſychicis, ſicut Galatæ Iudaizantes à Paulo reprehenſi, arguimur. Gal.* 4. 10. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſeruire vultis? dies obſeruatis, *feſtos Iudæorum* & menſes, & tempora, & annos. PLANE. *Fateor quidem, ſi conuincere nos poſſunt Pſychici hæc ceremonialia ſeruare, à quibus Apoſtolus inſiſtens, vt confirmet eos in obſeruatione nouæ legis, & à veteri per Chriſtum ſepultæ & abrogatæ, eos dehortans.* *Auguſtinus to. 6. lib. contra Adimantum, Manichæi diſcipulum, cap.* 16. Aug. Illud, inquit, eſt Euangelio contrarium, vt quiſque rem deſerens quæ per illam vmbram figuratur, ipſius vmbræ ſequatur inanitatem. Quod volebant, qui Gentibus in Chriſtum credentibus, iugum circumciſionis imponebant quaſi ad ſalutem neceſſarium, cùm iam non eſſet vmbra in corpore figuranda, ſed res ipſa in corde geſtanda. Et quod dicit: dies obſeruatis, & Sabbata, & ſolemnitates, &c. Non ſic ſcriptum eſt vt Adimantus ponit: non enim nominat ibi Sabbatum Apoſtolus, dicit enim: dies obſeruatis, &c. Sed putet eſſe de Sabbato dictum; numquid & nos non dicimus iſta non eſſe A obſeruanda, ſed illa potius quæ his ſignificantur &c. *Et paulò ſupra:* Aduenientibus rebus quarum erant vmbræ illæ obſeruationes, id actum eſt, vt oſtenderetur in ipſis vmbris non eſſe ſpem ponendam, ſed in ipſis rebus, quas illæ vmbræ ſignificabant eſſe venturas, id eſt Chriſtum & Eccleſiam. Et propterea illa iam omnia inania erant: nec tamen ea tanquam noxia remouenda, ſed tanquam ſuperflua contemnenda Apoſtolus præcepit: vt ſi quis Iudæus Chriſto credidiſſet, propter offenſionem ſuorum non prohiberetur, *ad aliquod tempus*, in ipſis ſuperfluis remanere, nec tamen in eis ſalutem ſuam conſtitutam putaret: non enim ſigna illa, ſed ea quæ in his ſignificantur, in ſalutem introducunt. S. Aug. *Et ibid. infra:* Illi ea ſeruiliter obſeruabant, non B intelligentes ad quarum rerum ſignificationem & præuuntiationem pertinerent. Hoc in eis culpat Apoſtolus, & in omnibus qui ſeruiunt creaturæ potiùs quàm Creatori. Nam nos quoque & Dominicum diem & Paſcha ſolemniter celebramus, & quaſlibet alias Chriſtianas dierum feſtiuitates. Sed quia intelligimus quò pertineant, non tempora obſeruamus, ſed quæ illis ſignificantur temporibus. *D. Tho. in cap.* 4. *Gal.* Dies, inquit, obſeruatis Iudaico ritu, ſcilicet Sabbata: & decimum primi menſis, & huiuſmodi quæ dicuntur in gloſſa. Menſes, id eſt Neomenias; vt primum & ſeptimum menſem vt habetur Leuitici 23. tempora, ſcilicet egreſſionis de Ægypto: & quia Ieroſolymam tribus vicibus veniebant per ſingulos annos. Item annos Iubilæi: & ſeptimum annum remiſſionis.

IEIVNII ANTIQVITAS.

1. Ieiuniorum antiquitas. De Ieiun. cap. 11. à p.

PRopterea per ſingulas direximus ſpecies ieiunationum, xerophagiarum, ſtationum, vt dum recenſemus ſecundùm vtriuſque Teſtamenti paraturam, quantum proficiant recuſati, vel reciſi, vel retardati pabuli officia, eos retundamus qui hæc velut vacantia infirmant. Item dum pariter oſtendimus, quo ſemper in ordine fuerint religionis, eos reuincamus qui hæc vt noua accuſant; nec nouum enim quod ſemper, nec vacuum quod vtile.

IEIVNIORVM ANTIQVITAS. I. SCHOL.

PER SINGVLAS SPECIES. *Sermonem contexuimus & diſpoſuimus de diuerſis abſtinentiæ ſpeciebus, ieiunijs ſcilicet, ſimplicibus, Xerophagijs auſterioribus, nudo pane & aquâ tranſactis; ſtationibus, ad veſperam vſque productis.* SECVNDVM PARATVRAM. *Iuxta diſpoſitionem & exempla vtriuſque legis, vt inde refellamus eos qui hæc edomandi corporis exercitamenta vt inutilia reijciunt, quàm vtilia ſint, ſine Dies abſque omni cibo, ſine præciſo ſine ad veſperam retardato tranſigamus, vtiliter ad ſalutem.* IN ORDINE RELIGIONIS. *Quanti æſtimati ſint ſemper apud veros Dei cultores, vt nos Montaniſtas quaſi rei inutilis & nouæ inuectores accuſant, ex antiquitate & vtilitate à nobis probanda ieiunij commendantur.* *Aug. in Pſal.* 110. Aug. *vtilitatem ſimul & antiquitatem ieiunij enarrat.* Beati, inquit, poſt Pſalterium, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Erit hoc otioſorum negotium, hæc actio quietorum, hæc cura ſecurorum. Sicut enim dies iſti præteritis diebus quadrageſimæ, quibus ante reſurrectionem Dominici corporis, vitæ huius ſignificatur mœror, ſolemniter gratâ hilaritate ſuccedunt: ſic dies ille qui poſt reſurrectionem dabitur plenario corpori Domini, id eſt ſanctæ Eccleſiæ cunctis vitæ huius ærumnis atque doloribus excluſis, perpetua beatitudine ſuccedet. Hæc autem vita C de nobis exigit continentiam, vt etiam cum labore & luctamine ingemiſcentes grauati, & habitaculum noſtrum, *corpus gloriſum*, quod de cœlo eſt ſuperindui cupientes, à ſæcularibus delectationibus temperemus; & ſignificatur quadragenario numero, quo & Moyſes & Elias, & ipſe Dominus ieiunauerunt. Præcipitur enim nobis, & ex Lege, & ex Prophetis, & ex ipſo Euangelio quod teſtimonium habet à Lege & Prophetis: Vnde etiam in monte & inter vtramque perſonam medius Saluator effulſit: vt ab omnibus mundi illecebris, quibus captiui homines obliuiſcuntur Deum, auiditatem noſtram tanquam ieiunio temperantiæ refrenemus, quandiù perfectio Decalogi legis tanquam Pſalterium decem chordarum, per quatuor eiuſdem mundi partes, id eſt toto orbe prædicatur, vt decem quater ducta quadragenarium numerum ſignent; quinquagenario verò numero poſt reſurrectionem Domini quo cantamus Alleluya, non cuiuſdam temporis finis & tranſitus, ſed beata illa ſignificatur æternitas; quia denarius additus quadragenario, laborantibus in hac vita, *in vinea Domini, ſine anima propria, ſine in Domini Eccleſia*, fidelibus merces illa perſoluitur, quam & primis & nouiſſimis Pater familias præparauit æqualem.

2. Ieiunio Deus præparans hominem, quosdam cibos per legem abstulit. De Ieiun. cap. 5. in p.

Leuit. 11. 1. & seq. DEnique, vbi iam & familiaris populus allegi Deo cœpit, & restitutio hominis imbui potuit, tunc leges disciplinæque omnes impositæ, etiam quæ decerperent victum, ademptis quibusdam veluti immundis, quo facilius aliquando ieiunia toleraret homo, perpetuâ in quibusdam abstinentiâ vsus.

IEIVNIO DEVS, &c. SCHOL. II.

FAMILIARIS: *Populum Israeliticum quasi Dei familia Dei cultui aggregari cœpit.* RESTITVTIO. *Idem populum Deo post captiuitatem Ægyptiacam restituens, plenius diuinis præceptis potuit instituit.* QVÆ DECERPERENT. *Interdiceret cibos immundos, quos vsui Hebræorum præcidit, vt per abstinentiam perpetuam à cibis immundis, assuesceret & sibi temperare à mundis. Habes huiusmodi carnes prohibitas fusissimè Deuteron. 11. & seq. quas non ex se immundas & malas, vt censebant Manichæi, probat Augustinus, sed in eis abstinentiam spiritalem indictam Christianis, to. 6. lib. cont. Adimantum Manichæi discipulum, cap. 15.*

S. Aug. De eo, inquit, quod in Leuitico scriptum est: separate à mundo immundum, & nemo manducet carnem Cameli, Asini, & Leporis, & Porci, & Aquilæ, & Milui, & Corui, & Vulturis, & reliquorum; nusquam manifestiùs plenissima dolis & fraudibus anima huius hominis, *Adimanti Manichæi discipuli*, deprehendi potest, qui tanquam sibi aduersa atque contraria de vtroque testamento capitula obiecit, quàm in hoc loco, vbi commemorauit in Leuitico scriptum esse, vt à nonnullis animalium carnibus temperetur. Namque huic sententiæ illud ex Euangelio credidit opponendum, vbi Dominus dicit: nihil est ingrediens in hominem coinquinans eum, sed ea quæ procedunt ex eo. Hoc si imprudens fecit, nihil cæcius: si autem sciens, nihil sceleratius. Nonne ipse paulò ante posuerat Apostoli testimonium dicentis bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum, dum cupit de nouo testamento veteri aduersari, vbi dictum est Deut. 12. 21. secundùm desiderium animæ tuæ occide, & manduca omnem carnem? quomodo ergo nunc placet ei sententia Domini, quâ dicit nihil esse ingrediens in hominem quod coinquinet A eum? &c. Certè enim si verum est non coïnquinat illa quæ ingrediuntur in hominem, cum magno errore immundas esse dicunt escas Manichæi, cùm homines carne vescuntur. Si autem immundæ sunt tales escæ, quid de isto testimonio faciēt quod Euangelica & diuina authoritate prolatum est, vbi Dominus dicit non coïnquinaris? &c. Cùm enim quispiam Catholicus Christianus vtriusque Scripturæ venerator & intellector ei responderit, hæc non esse contraria, quòd illa de quorundam carnibus animalium, quibus non esse vescendum populo adhuc carnali præceptum est, ad significationem posita sunt humanorum morum, quos Ecclesia quæ corpus est Domini in suæ vnitatis vinculum stabile & sempiternum recipere non potest, tanquam immundas escas respuens, & in sua viscera non conuertens: vt omnia illa præcepta carnali populo imposita, futuram disciplinam spiritualis populi prophetarent. Et ideo non ea repugnare sententiæ Domini, quâ verissimè dicit, non coinquinari hominem ijs quæ per escam ingrediuntur in eum. Illa enim sententia, *veteris legis prohibens ab immundis*, seruis onera imponit, ista verò liberis iugum excutit seruitutis. Et illa tamen sic dicta est, vt seruorum onera, fidem prænuntient liberorum. Omnia enim sicut dicit Apostolus in figuram contingebant illis: scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum deuenerunt. Si ergo in figuram contingebant, *vetera parnarum de quibus agebat Apostolus*, quæ patiebantur, in figuram accipiebant, quæ monebantur. *Id est præcipiebantur obseruare. Tertull. autem voluit abstinentiam perpetuam à cibis immundis in veteri lege, figuram fuisse abstinentia seruanda ab vnimi prorsus carne in ieiunijs legis nouæ.*

B

3. Ieiunium olim 4. & 6. Sabbati. De Ieiun. cap. 10. à p.

Act. 3. 1. HÆc propter illos, qui se putant ex forma Petri agere, quam ignorant; non quasi respuamus nonam, cui & quartâ sabbati, & sextâ plurimum fungimur: sed quia eorum quæ ex traditione obseruantur, tantò magis dignam rationem adferre debemus, quantò carent scripturæ auctoritate, donec aliquo cœlesti charismate aut confirmentur, aut corrigantur.

IEIVNIVM OLIM, &c. III. SCHOL.

HÆc *quæ supra diximus de horis, post ieiunium, sumendi cibi. Dixerat autem de Petro orante ad horam nonam.* Petrum, inquit, dicam ex vetere potius vsu nonam obseruasse, tertiò orantem suprema orationis *munere.* EX FORMA. *Exemplo* QVAM IGNORANT. *Cuius rationem nescimus, in memoriam Christi hac hora expirantis.* CVI IVNGIMVR. *Ad quam vsque, ieiunia quarta & sexta feria protrahimus.* DIGNAM RATIONEM. *Qualis est premissa.* CŒLESTI CHARISMATE. *Noua aliqua reuelatione Montani.* CORRIGANTVR. *Tollantur, cessent ab vsu.* RATIONEM *quartæ, & sextæ feriæ reddit August.*

S. Aug. *Ep. 86. ad Casulanum:* Cur quartâ & sextâ maximè C ieiunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quòd considerato Euangelio, ipsâ quartâ Sabbati, *septimanæ*, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi. Intermisso autem vno die, cuius vesperâ Dominus Pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei quem vocamus quintam Sabbati: Deinde traditus est ea nocte quæ iam ad sextam Sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Hic dies primus Azymorum fuit, à vespera incipiens. Sed Matthæus Euangelista, quintam Sabbati dicit fuisse primam diem Azymorum, quia eius vespera sequente futura erat Cœna Paschalis, quâ

Digitized by Google

Cœnâ incipiebat Azymum, & ouis immolatio manducari. Ex quo colligitur quartam Sabbati fuiſſe, quando ait Dominus: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur. Ac per hoc dies ipſe ieiunio deputatus eſt: quia ſicut Euangeliſta ſequitur, & dicit; tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi, in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: Et conſilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent & occiderent. Intermiſſo autem vno die, de quo dicit Euangelium: primâ autem Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? Hoc ergo die A intermiſſo, paſſus eſt Dominus, quod nullus ambigit, ſexta Sabbati: quapropter & ipſa ſexta rectè ieiunio deputatur. Ieiunia quippe humilitatem ſignificant, vnde dictum eſt Pſal.34. humiliabam in ieiunio animam meam. Sequitur Sabbatum, quo die caro Chriſti in monumento requieuit, ſicut in primis operibus mundi requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis. Hinc exorta eſt iſta in regia, illa veſte varietas, vt alij, ſicut maximè populi Orientis, propter requiem ſignificandam, malint relaxare ieiunium: alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare, ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ.

4 Ieiunium Petri vſque ad nonam, fuit in memoriam mortis Chriſti: qui ad veſperam ieiunant, honorant Domini ſepulturam. De Ieiun. cap. 10. in m.

AN dignior apud nos ratio adferatur in nonam obſeruandi requiro, vt etiam Petro ea ratio deputanda ſit, ſi ſtatione tunc functus eſt. Venit enim de exitu Domini, quem etſi ſemper commemorari oportet ſine differentia horarum, impreſſiùs tamen tum ei ſecundùm ipſum ſtationis vocabulum addicimur. Nam & milites nunquam immemores ſacramenti, magìs ſtationibus parent. Itaque in eam vſque horam celebranda preſſura eſt, in qua à ſexta contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium, vt tunc & nos reuertamur ad iucunditatem, cùm & mundus recepit claritatem. Hoc ſi magìs ad religionem ſapit Chriſtianam, dum magìs Chriſti gloriam celebrat, poſſum æquè ſeræ ſtationis ex eodem rei ordine ſtatum figere, vt ieiunemus ad ſerum, expectantes tempus Dominicæ ſepulturæ, cùm Ioſeph poſtulatum detulit corpus, & condidit. Inde & irreligioſum eſt antè famulorum carnem refrigerare, quàm domini. Sed hoc ex argumentationum prouocatione commiſerim, coniecturas coniecturis, & tamen puto fidelioribus, repercutiens.

Act. 3. 1.

Mat. 27. 45.

Ibid. 58.

IEIVNIVM PETRI. IV. SCHOL.

(APVD NOS. *Montaniſtas.* IN NONAM, *vſque ad Nonam ſeruandi ieiunij.* EA RATIO. *Ob afflictionem, ex memoria mortis Chriſti, conceptam.* STATIONE FVNCTVS. *Steterit ieiunus. Aduerte ſtationem à militum excubiis prolixioribus ſumptam. Vnde cùm Montaniſta ieiunarent vſque ad veſperam; in dubium vocat, an ieiunio Petri vſque ad nonam tantum producto, nomen honorificum ſtationis debeat imponere.* VENIT DE EXITV. *Ratio hæc petitur à memoria mortis Chriſti, de qua Pſalles:* Et Domini Domini, exitus mortis IMPRESSIVS ADDICIMVR, *cùm maiori & impreſſiori memoria recordamur mortis Chriſti, dum vſque ad veſperam ieiuni ſtamus, quâ horâ Chriſtus expiranit.* SACRAMENTI. *Iuſiurandi militaris.* STATIONIBVS PARENT. *Probant fidelitatem ſuam & conſtantiam, diutius cæteru ſtantes in cuſtodia. Hinc Pſaltes:* A cuſtodia matutina vſque ad noctem, &c. PARENT, *obediunt ſuis ducibus, & tribunis, diurnam cuſtodiam imperantibus.* CELEBRANDA PRESSVRA. *Afflictio ieiunij colenda.* LVGVBRE OFFICIVM. *Totum orbem tenebris, vt furuis & nigris velis contegentibus, à ſexta ad nonam.* AD IVCVNDITATEM *Sumendi cibi, recreandi & refocillandi corporis.* RECEPIT CLARITATEM. *Tranſactis tenebris trium horarum, redeunte luce.* AD RELIGIONEM SAPIT, *ſcilicet dictum, ad ſaporem ieiuni palati circa res ſpirituales aptiores: quaſi diceret: ſi maior eſt Religio, hoc eſt Chriſti cultus, dum tardiùs in eius honorem cibus ſumitur, nos Montaniſtæ poſſumus ex ſtationibus noſtris, id eſt ieiunijs ſtatutis ad tempus vſque ſerotinum obſeruatis, hunc morem & ſtatutum in memoriam ſepulturæ Chriſti à Montano præfixum, commendare; cùm circa hanc horam Ioſeph ab Arimathia petyt à Pilato corpus Ieſu, & aromatibus inunctum nouo ſuo condidit in ſepulcro. De quo alibi relata ex Aug. non retexo.* CARNEM REFRIGERARE. *Alludit* B *ad verba Prophetæ:* reficite laſſum, hoc eſt refrigerium meum. QVAM DOMINI. *Cuius carnem quodammodo, vngendo, Ioſeph refrigerauit.* EX PROVOCATIONE, *Pſychicorum de nimia auſteritate ieiunij noſtri ſeri inſultantium.* COMMISERIM. *Quaſi manus conferendo repugnans, ſi non rationibus validis, ſaltem coniecturis melìùs in ſcriptura fundatis, retundens aduerſarios. De ſeris eſcis & ieiunio diu protracto ſic fatur Auguſtinus, to.1. lib. de Morib. Eccl. Catholicæ, cap.33. vbi de Monaſterijs quæ viderat Romæ & Mediolani.* Ieiunia, inquit, prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaque vſitatiſſimum, ſed continuum triduum, vel amplius ſæpiſſimè ſine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantùm, ſed etiam in fœminis, &c. atque inter hæc nemo vrgetur in aſpera quæ ferre non poteſt: nulli quod recuſat imponitur, nec ideo condemnatur à cæteris, quod in eis ſe imitandis fatetur inualidũ. Meminerũt enim quàtopere ſcripturis omnibus commendata ſit charitas; meminerunt omnia munda mundis, & non quod intrat in os veſtrum vos coinquinat, ſed quod exit. Itaque non reijciendis generibus ciborum, quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis induſtria, &c. Lege cætera. Nam longum eſt omnia interponere, & inuenies præceptum iis qui poſſunt iſta contemnere, id eſt firmioribus & ſecurioribus: ideo tamen eſſe temperandum, ne offendantur illi, quibus adhuc pro ſua imbecillitate huiuſcemodi opus eſt temperantiâ. Hæc illi de quibus agebam, norunt & tenent: Chriſtiani ſunt enim non hæretici, *quales Montaniſtæ*, intelligunt ſcripturas ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, non ſecundùm ſuperbum & commentitium nomen Apoſtolatus: *multò magis vanum Pa-*

S. Aug.

eleti nomen sibi arrogabat Montanus ferus ieiunator vbi non manducantem nemo spernit, manducantem nemo iudicat, qui infirmus est olus manducat. Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt. *Porrò quod initio huius textus dixit de Petro: vel sumptum est ex Act. 3.1.* Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam: *vbi duos comites adiunxit, orationis scilicet, ieiunium & eleemosynam. Petrus namque ascendens ad horam orationis nonam, vel ieiunus adhuc, vel horâ sextâ leuiter pransus, eleemosynam omni auro & argento pretiosiorem, sanitatem scilicet claudo præstitit. Vnde Chrysol. Ser. 43. inp.* Quod, inquit, oratio petit, impetrat ieiunium, misericordia accipit. Dant hęc sibi inuicem vitam: est namque orationis anima ieiunium, ieiunij vita, misericordia, *vel respicit illud Act. 10. 9.* S.Aug. *& 10. de quo Augustinus homil. 40.* Audiuimus quòd Beatus Petrus circa horam sextam ascenderat in cœnaculum, & cùm esuiret voluit gustare. A Parantibus autem discipulis ille factus est in excessu mentis, & vidit vas grande velut linteum magnum quatuor lineis appensum de cœlo submitti, vbi erant omnia quadrupedia & serpentia terræ, & vox de cœlo sonuit, Petre, macta & manduca. *Subjicit de animalibus mundis & immundis; de fissa vngula ad mores, ruminatione ad sapientiam pertinente.* Aug. Quare, inquit, ad mores fissa vngula? quia difficile labitur. Lapsus enim peccati signum est, &c. Data est ergo licentia Christianis, vt non secundùm vanam hanc consuetudinem faciant, sed manducent quod velint, cum moderatione *cibum sumentes* cum benedictione, *ante cibum* cum gratiarum actione, *post esum*. Fortassis ergo & Petro ita dictum est, occide & manduca: vt iam non teneret obseruationem Iudæorum; non tamen ei quasi gurges ventris & fœda voracitas imperata est. *Modum etiam temporis seruauit Petrus ad horam saltem vsque sextam ieiunus, vnde & notatum est quòd esuiret.*

5. Ieiunia sera, in tempore persecutionis, disponunt ad famem aliaque martyria facilius toleranda; licet de his edicta nulla, vel exempla scriptura proferret. De Ieiun. cap 12. à p.

VT ab Ioanne Paracletus obmutuisset, ipsi nobis Prophetæ in hanc maximè causam extitissemus: iam non dico ad exorandam Dei iram, nec ad impetrandam tutelam eius aut gratiam, sed ad præmuniendam per nosmetipsos nouissimorum temporum conditionem, indicentes omnem *nunmus enim* cùm carcer ediscendus, & fames ac sitis exercendæ, & tam inediæ quàm anxij victus tolerantia vsurpanda sit, vt in carcerem talis introeat Christianus, qualis inde prodisset; non pœnam illic passurus, sed disciplinam; nec seculi tormenta, sed sua officia; eôque fidentior processurus ad certamen è custodia abusus, nihil habens carnis, sic vt nec habeant tormenta materiam; cùm sola & arida sit cute loricatus, & contra vngulas corneus; præmisso iam sanguinis succo, tanquam animæ impedimentis, properante iam & ipsa, quæ iam sæpè ieiunans, mortem de proximo norit.

IEIVNIA SERA. V. SCHOL.

VT AB IOANNE. *Licet* Lex & Prophetæ vsque B ad Ioannem, *duraverint. Quamuis daremus hoc Psychicis, quòd Spiritus sanctus post Ioannem plusquam Prophetam, tacuisset, nec vltra Prophetia donum cuiquam tribuisset, nulla nobis alia Prophetia necessaria esset, quâ moueremur, non dico ad placandam iram Dei, aut eius protectionem & gratiam obtinendam; sed ad nos armandos contra persecutionem tyrannorum imminentem, quàm vt nos iam inde sapientes & prouidi futuri, nos muniremus per ieiuniorum humiliationem, quam rursum Græca voce νηστειαν nuncupauit; qua vera sapit humiliationem carnis. Sic nimirum, in solitudine domus reclusi, assuescunt ferendo carceri; & ante tempus, vsurpantes & præmenientes extremam famem anxio & arcto victu & potu, disciplinam potius, morem & vsum ieiunij pœnalem exercentes, quasi propria & solida exercitia frequentant in custodia.* SÆCVLI, *tyrannorum mundi, & ad martyrij certamen iam dispositi accedunt.* ABVSVS, *assuefactus longo vsu. Vel, frustratus carnificem, qui in exesis, carnibus, & siccatis assiduâ inediâ, non inuenit quod flagellet, vrat, dilaniet; siccata quippe cutis sit lorica, & pellis ossibus impacta, sit cornea, vncinos, vngulas, pectines ferreos eludens.* PRÆMISSO. *Prius per abstinentiam exhausto sanguine.* ANIMÆ IMPEDIMENTS. *Quia pinguior & obesior caro aggranat animam, & carceris corporei muros densat, & properantem ad Deum animam tardat. Ieiuna autem & exsuccida, pallensque mortem non timet, quam in se proximè repræsentat sicut eius imago, quam vt familiarem sibi non expauescit. Aptè in hanc rem Aug. in Psal. 26. 3:* dum appropiant super me nocentes vt edant carnes meas. *Sic commentatur enarratione secunda.* Ille me, inquit, illuminat, recedant tenebræ. Ille me saluat, recedat in- Aug. firmitas. Ambulans in lumine firmus, quem timebo? Non enim talem salutem dat Deus quę ab aliquo possit extorqueri: aut tale lumen est quod ab aliquo possit obtenebrari, &c. Itaque ego quid timebo, aut quem timebo? Ego quem trepidabo, aut quid trepidabo? qui me persequuntur, ipsi infirmantur, ipsi cadunt. Quare autem persequuntur? vt edant carnes meas. Quę sunt carnes meę? carnales affectus mei. *Nemo enim carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam.* Sęuiant persequendo, nihil in me moritur nisi mortale. Erit in me aliquid quò persecutor peruenire non possit, vbi habitat Deus meus. *Nec priuata domus arctior, nec angustior carcer, quia ambulabam in latitudine: nec obscura custodia, quia Dominus illuminatio mea; nec fames vrget, quia sicut adipe & pinguedine repletur anima mea. Et si infirmata sunt genua à ieiunio, caro immutatur propter oleum gratiæ spiritalis, & luctæ cum tormentis paratior accedit.* Manducent carnes meas, finitis carnibus, spiritus ero & spiritalis. Et quidem Aug. tantam salutem mihi promittit Dominus meus, vt etiam modò ista caro mortalis quę videtur permitti manibus persequentium, non pereat in æternum; sed quod demonstratum est in capite meo resurgente, hoc omnia membra sperent. Quem timeat anima mea quam inhabitat Deus? quem timebit caro mea, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem? vultis nosse quia carnes illi manducant qui nos persequuntur, nec ipsi autem carni nostrę metuendum est? seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.

S.Aug.

6. Ieiunium ad veſperam aſtris imperat, hoſtes vincit, Angelos aduocat, orationem impinguat. De ieiun. cap. 10. à m. ad f.

VIdeamus an aliquid tale nobis de vetuſtatibus quoque patrocinetur. In Exodo, habitus ille Moyſis aduerſus Amalech orationibus prœliantis vſque in occaſum perſeuerans, nonne ſtatio fuit ſera? Ieſum Naue debeliantem Amorrhæos, prandiſſe illa die exiſtimamus; cùà ipſis elementis ſtationem imperauit? Sterit ſol in Gabaon. & luna in Aialon: ſtetit ſol & luna in ſtatione, donec vltus eſt populus de inimicis ſuis; & ſteterit ſol medio cœlo, & non accedebat in occaſum, & in finem diei vnius. Non fuit dies taliſretro & in nouiſſimo, vtique tam prolixus[a] *vt*, inquit, *exaudiret Deus hominem*, parem ſcilicet ſolis, inſtantem tandiu in officio, ſtationē etiā ſerá longiorem. Certè Saül & ipſe in prœlio conſtitutus, manifeſtè munus iſtud indixit, [b] *Maledictus homo qui ederit panem ad veſperam vſque, dum vlciſcar de inimico meo, & non guſtauit totus populus eius, & tota terra non prandebat.* Tantam autem Deus præſtitit auctoritatem edicto ſtationis illius, vt Ionathan filius Saülis, quamquam ignarus ieiunationis in ſerum definitæ, guſtum mellis admiſerat, & ſorte mox de delicto ſit traductus, & vix per precem populi periculo exemptus: gulæ enim, licet ſimplicis, reus fuerat. Sed & Daniel, anno primo regis Darii, cùm ieiunus in ſacco & cinere exomologeſin Deo ageret, [c] *Et adhuc*, inquit, *loquente me in oratione, ecce vir quem videram in ſomnis initio, velociter volans adpropinquauit mihi quaſi horá veſpertini ſacrificii.* Hæc erit ſtatio ſera, quæ ad veſperam ieiunans, pinguiorem orationem Deo immolat.

Exo. 17. 12. Ioſue 10. 12. & ſeq.

a 14. Ibid.

b 1. Reg. 14. 24.

c Dan. 9. 21.

IEIVNIVM AD VESPERAM. VI. SCHOL.

DE VETVSTATIBVS. *Ex veteri teſtamento.* HABITVS, *forma expanſarum & eleuatarum manuum Moyſis, in formam crucis vſque ad ſolis occubitum, ſtationem vſque ad ſeroſtinum tempus ieiunantium figurauit.* STATIONEM IMPERAVIT *dum ait, Ioſue* 10. 12. Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. 70. Stet ſol ſuper Gabaon, & luna ſuper vallem Ælon. Et ſtetit ſol & luna in ſtatione, donec vltus eſt Dominus inimicos eorum. PAREM SOLIS, *quia ſtationem ipſe ſeruauerat diu impaſtus.* MVNVS, *officium ieiunij.* 1. *Reg.* 14. 24. Adiurauit Saül populum dicens: maledictus vir qui mãducauerit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis: & non manducauit vniuerſus populus panem: omneque terræ vulgus venit in ſaltum in quo erat mel ſuper faciem agri. 70. *autem* maledicto obſtringit populum dicens: maledictus homo, &c. & non guſtauit omnis populus panem, & vniuerſa terra prandebat. Et Iaal ſylua erat Apiarii ad faciem agri. SORTE TRADVCTVS. 1. *Reg.* 14. 42. Mittite ſortem inter me & inter Ionatham filium meum. Et captus eſt Ionathas. 70. iaciunt inter eum & inter Ionatham filium eius, & ſorte capitur Ionathas. EXOMOLOGESIM. *Toto habitu, pœnitentia ſacrificium Deo immolaret.* ET ADHVC, *&c. Dan.* 9. 21. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in viſione à principio citò volans tetigit me in tempore ſacrificii veſpertini. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* volans volatu tetigit me. 70. Tetigit me quaſi horá ſacrificii veſpertini. PINGVIOREM ORATIONEM. *Quaſi ſacrificium & victimam ſaginatiorem. De Daniele Auguſtinus Ser.* 65. *de temp. infra citando. De orationis pinguedine. Aug. Ser.* 172. *de temp.* Tunc erunt Deo accepta ieiunia ſi operibus ſanctis fuerit expiata conſcientia, &c. Cùm ſit ieiunium animæ humiliatio, quale eſt humiliari cibo, & augeri peccato, &c. faces auaritiæ ardentes extinguat, latiuſque vim dilectionis atque in alimentis pauperum abrupti apparatus, ſtipendia largiatur, &c. Hæc ſunt quæ diuinam commouent pietatem, quæ ad impetrandam precibus ſanctitatem ſemper aditum faciunt. Cæterùm ſi caput ſubſternas, atque cineres deſuper ſpargas, ſi denique collum tuum velut circulum torqueas, atque ad exorandam clementiam Dei largos fletus effundas, nihil proficis. Commouere enim diuinam non poteris pietatem, quà circa proximos tuos debitam neglexiſti charitatem, &c. Hæc ſunt quibus homo & refectus cibo frequenter impetrat quod exoptat, & ieiunans maiora præmia conſequitur ſanctitatis, &c. Imple ergo miſerationis officia & ſanctificaſti ieiunia. Sagina pauperũ viſcera & animam tuam, muneribus ſanctitatis pingueſcit. Veſti nudum, & tua peccata contecta ſunt. Peregrinum hoſpitio tuo contende ſuſcipere, vt & te Deus in cœlum regno ſuſcipiat. *Et in pſalmum* 42. *in f. in verba Eſa.* Frange eſurienti panem tuum. Fructuoſæ, inquit, erunt anguſtiæ tuæ; ſi alteri præſtiteris latitudinem ecce fraudaſti animam tuam: cui dabis, quod tibi abſtuliſti? vbi pones quod tibi denegaſti? quàm multos pauperes ſaginare poteſt intermiſſum hodie prandium noſtrum? Ita ieiuna, vt alio manducante prandiſſe te gaudeas, propter orationes, vt exaudiaris. Ibi enim ait; adhuc loquente te, dicam, ecce adſum. Si fregeris ex animo eſurienti panem tuum, quia plerumque fit à triſtibus, & à murmurantibus, vt careant tædio interpellantis, non vt reficiant viſcera indigentis, hilarem autem datorem diligit Deus. Si panem dederis triſtis, & panem & meritum perdidiſti. Ergo ex animo fac, vt ille qui intus videt adhuc loquente te dicat, ecce adſum. *Sicut adhuc loquente Daniele ſtatim adfuit Angelus cito volans,* quàm celeriter accipiuntur orationes bene operantium, & hæc iuſtitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemoſyna, oratio, vis orationem tuam volare ad Deum? *vis eius Angelum citò ad te aduolare petita referentem?* fac illi duas alas, ieiunium & eleemoſynam; tales nos inueniat lux Dei, veritas Dei, cùm venerit liberare nos à morte, qui iam venit ſubire pro nobis mortem.

A

B

C

Aug

S. Aug.

* 7. *Ieiunia vſque ad ſerotinum tempus ſtatuta, ſtationes dicebantur. De Ieiun. cap. 10. in p.*

ÆQuè ſtationes noſtras, vt indignas; quaſdam verò & in ſerum conſtitutas, nouitatis nomine incuſant, hoc quoque munus & ex arbitrio obeundum eſſe dicentes, & non vltra nonam detinendum, de ſuo ſcilicet more. V. Verbo. *Statio.*

8. Et ibid. 1. Vide ſup. num. 6.

9. Ieiunia olim Conciliorum celebrationem præcedebant. De ieiun. cap. 13. V. Verbum Concilium.

IEIVNIA VSQVE AD SEROTINVM. VII. SCHOL.

ÆQVE STATIONES. *Pſychicis ſtantes nos in ieiunijs* A *uerant, qui in fide non ficta, ſpe firma, & charitate ſincera ſeruiunt Deo, & honorant Eccleſiam eius. Taceat ergo Tertullianus cum Montano, deſertor & inhonorator Eccleſiæ, qui in ea quæ* columna & firmamentum eſt veritatis *non* STETIT. *Sic autem* STANTES *admonet proſequens Auguſtinus:* grati eſtote ne fortè er- Aug.
retis, Quia ergo STATIS, parumne eſt vobis? vbi laudandus eſt qui nos erexit iacentes, *non Lenaia* & fecit in domo ſua STARE, *non Statilinus aut Iupiter Stator* & ipſum agnoſcere, *non Lucina*, ipſumque laudare parumne hoc beneficium eſt, quod STAMVS in domo Domini? hic interim in hac peregrinatione, *addo & militia, vita quippe hominis, militia eſt ſuper terram, & ſtatio propriè militum eſt.* In hac domo
B quod etiam peregrinationis *vt & militiæ; Iſraëlitæ ſiquidem & peregrini militabant, & milites peregrinabantur, & vtrique tabernacula figebant, & alternis Stationibus excubabant.* Tabernaculum dicitur. Quia hic STAMVS. Numquid parum grati eſſe debemus, nonne cogitandum eſt, quia hîc STAMVS? &c. Nonne cogitandum eſt nobis vbi iacebamus, & quò collecti ſumus? Nonne cogitandum eſt quia omnes impii Dominum non quærebant, & ille ipſos non quærentes quæſiuit, ipſe inuentos, *quaſi dormientes* excitauit, ipſe excitatos vocauit, ipſe vocatos introduxit, & in domo ſua ſtare fecit? Hæc quiſquis cogitat, & ingratus non eſt, omnino deſpicit ſe præ amore Domini ſui, à quo ſibi tanta præſtita ſunt. Et quoniam non habet quod pro tantis beneficiis Deo re-
C tribuat, quid reſtat ei niſi gratias agere, non rependere? *Non ſe deſpexit, neque in ieiunio humiliauit animam ſuam auſterus ille* STATIONVM *obſeruator Tertullianus; ſed Catholicos hinc contemptſit, nec in domo Domini, & atriis eius* STETIT: *vnde Auguſtinus in Pſal. 133.* Atria ampliora ſpatia domus intelliguntur Qui ſtat in atriis non anguſtiatur, non premitur, quo- Aug.
dammodo dilatatur in latitudine mane, & potes diligere inimicum tuum; &c. STATis in charitate, & ſtas in atriis. In charitate latitudo eſt, in odio anguſtia. *Melior ergo lata eſt charitate anguſto ieiunio.*

Licet aliquibus videatur ſtatio idem prorſus eſſe quod ieiunium, eo quòd Hermas lib. 3. Simili 5. dicat: Quid eſt ſtatio? & dixi, ieiunium. *Et Ambroſius Ser. 36.* ſtationes vocantur ieiunia, quòd ſtantes, & commo-
D rantes in eis inimicos inſidiantes repellamus. *Et Rabanus Maurus lib. de inſtit. Cler. cap. 18. nullam aliam differentiam ponat inter ieiunium & ſtationem, quàm quod hæc ex ſtatuto Eccleſiæ fierent, illud verò pro cuiuſque arbitrio:* Ieiunium, inquit, eſt cuiuslibet diei abſtinentia; non per legem, ſed ſecundùm propriam voluntatem: ſtatio, obſeruatio ſtatutorum dierum, vt quartæ, & ſextæ feriæ, vel quadrageſimę *hæc ab Iſidoro deprompta. lib. 6. Orig. cap. 19. ſub finem. A Tertulliano tamen ſtatio, res diuerſa a ieiunio ſatis declaratur, libro 2. ad Vxorem, vbi opponit ſtationem Balneo, & ieiunium*

Pſychicis ſtantes nos in ieiunijs velut milites, vſque ad ſerotinum tempus perſeuerantes in cuſtodia, agentesque excubias, indignas Deo, quaſi de nouo inuentas, accuſant; nec volunt eas vltra horam nonam protrahi; quòd ipſi non ſoleant ſerius impaſti perſtare. Non inficior ſtationem ſiue perſeuerantiam in oratione, ieiunio, eleemoſyna, cæteriſque bonis operibus, dignis Deo, nos Domino exercituum, ceu conſtantes milites commendare, cujus tamen ſola gratia, ſiue vt ſtellæ fixæ in cælo dant lucem in cuſtodijs, ſiue vt naues in portu & ſtatione fida, ſiue vt milites conſtantes agimus. Vnum hîc in Tertulliano arguo, quòd nobis imponat quaſi pſychicis; improbare nos ſtatu & perſeuerãtia ieiunia. Nihil minus, ſed Montaniſtarum inde rumorem, morem Eccleſiæ ieiunandi mitiorem præ faſtu conculcantem: non audiunt Paulum dicentem; qui non manducat, manducantem non iudicet. Quis es tu qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo. STAT, vel cadit. Potens eſt autem STATVERE illum. *Neque nobis vt ethnicis opus eſt altera à Deo Ope, Lucina, Lenaiâ, Cunina,* STATILINO, *vt lucem primam hauriamus, extipamur in cunis, lapſi leuemur à terra, lenatique* STEMVS, *vno hæc omnia nobis opitulante, & præſtante Deo; fugitiuoſque à facie hoſtium reuocante & fragilitate titubantes confortante,* STEMVS *aduerſus inſidias diaboli ne rurſum iugo ſeruitutis ſubiecti ſimus. De Statilino Deo ridiculo vt de cæteris ſic Auguſtinus lib. 3.*
S.Aug. *de ciuit. cap. 21.* Quid, inquit, opus erat parturientibus inuocare Lucinam? &c. Quid neceſſe erat Opi
S.Aug. Deæ commendare naſcentes, Deæ Cuninæ iacentes, Deo Statilino ſtantes? *Et lib. 3. de ciuit. cap. 13.* Romulus de ſuorum iam virtute deſperans, Iouem rogauit, vt STARENT: atque ille hac occaſione nomen STATORIS inuenit. *De quo ſic Seneca lib. 4. de beneficijs cap. 7.* Iupiter, inquit, non vt hiſtorici tradunt, ex eo quod poſt votum ſuſceptum acies Romanorum STETIT, ſed quòd STANT beneficio eius omnia, STATOR STATILICOQVE *eſt. Huic vero Deo & Domino Stabat* à cuſtodia matutina vſque ad noctem *dux Domini Sabbaoth egregius Dauid*, mane, inquit, aſtabo tibi, &c. humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur. Septies in die laudem dixi tibi. *Nec contentus, niſi & commilitones ſuos, in* STATIONE *ieiunij & laudis diuinæ confirmaret. Sic quippe hortabatur eos Pſal. 134:* Laudate nomen Domini, Laudate ſerui Dominum, QVI STATIS in domo Domini in atriis domus Dei noſtri. *Quod iam dixerat pſalmo præcedente, in quem ſic Auguſtinus:*
Quid eſt qui STATIS? qui perſeueratis Quia di-
S.Aug. ctum eſt de quodam qui Archangelus fuit, & in veritate non STETIT, & dictum eſt de amico ſponſi,
S.Aug. amicus autem ſponſi STAT, & audit eum. *Et in Pſal. 134.* Quales ſint qui laudare debeant Dominum, ſubiicit & docet; qui STATIS, non qui ruitis. Illi autem STARE dicuntur qui in mandatis eius perſe-

& iejunium Epulo. Si Statio facienda ſit, maritus *Gentilis* de die condicat ad balneas. Si iejunia obſeruanda ſunt, maritus eadem die conuiuium exerceat. *Latius autem multò patet, & ad plura ſe extendit Statio, quàm iejunium. Omnes enim Chriſtiani aui Terulliani, diebus Mercurij, & Veneris ſummo manè in Eccleſiam conueniebant, ibique cum lacrymis, iejuni, Genuflexi, orationi, & contemplationi vacantes, ſtabant; id eſt morabantur, & conſtantes permanebant vſque ad horam nonam; & ſacris peractis ſumptâ Euchariſtiâ ſtationem ſoluebant; & domum redibant. Porrò ex eodem Tertull. lib. de Oratione.* Si ſtatio de militari exemplo nomen accepit; *more militum excubantium pro foribus Palatij, ſtabant in templo Chriſtiani. Cùm igitur Gentiles diluculo irirent balneas, vt Tertull. innuit Apol.42.* Non lauor diluculo, ſed lauor honeſta hora: *Ideo diſſuaſit, ne Chriſtiana fœmina nuberet gentili, petenti balneas diluculo, quo ad ſtationem ipſa de more vocabatur. Protrahi ſolebat ſtatio vſque ad horam nonam, quâ iuxta Epiphanium, & Tertullianum, Euchariſtia ſumebatur. Verba Epiphanij ſunt hæc:* Pro Synaxibus, quæ quartâ *ſupple* Feriâ, & pro Sabbato ad horam nonam fiunt; in die Dominica Matutinis horis Synaxes fiant. *Caſsianus lib.2. cap.17. & lib.4. cap.16. per Synaxem, Congregationem, Conuentum, & collectam intelligit fratrum. Albaſpinæus, Euchariſtiæ ſumptionem mauult, ne Tertulliano contradicat Epiphanius, dicens, Dominicis manè Synaxes fieri, Feriâ autem quartâ, & Sabbato, horâ nonâ. Licet Tertullianus à ſtatione militari deducens exemplum, malleat eas ad Veſperam protrahere; ſicut cùm dicit:* In Exodo habitus ille Moyſi aduerſus Amalech orationibus prœliantis, quæ in occaſum perſeuerans, nonne ſtatio fuit ſera? *Et cùm de Joſue, Soli ſtationem imperante:* Ipſis elementis ſtationem imperauit, &c. ſtetit Sol medio cœlo, &c. inſtantem tandiu in officio, ſtationem etiam ſerâ longiorem. *Ieiunia porrò ſtationum Tertullianus ſemi ieiunia appellauit. Et ſatis demonſtrat Montaniſtarum ſtationes & ieiunia ad ſerotinum vſque producta, vbi Pſychicis vſque ad nonam tantùm, in ſtationum diebus ieiunantibus inſultat ex veteribus exemplis:* poſſunt, inquit, æquè ſeræ ſtationis ex eodem rei ordine ſtatum figere, *decernere, ſtatuere,* vt ieiunemus, ad ſerum.

In ſtationibus etiam mos erat, genua flectere, vnde vtrumque coniunxit Tertullianus, in anguſtia ſtationes ieiuniis & geniculationibus aſſocians: Geniculationibus, & ieiunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ. *Nec enim ſtatio, à ſtando in pedibus. ſed à commorando & conſtanter excubando, more militum deducta eſt. Orabant vſque ad nonam. Libro de ieiun. cap.11.* Orationes fere hora nona concludebat de Petri exemplo. *Dies ſtationum vt iam vidimus, erant Mercurij & Veneris. De quibus Tertullianus frequenter:* Stationibus, inquit, quartam & ſextam Sabbati dicamus. *Epiph. in Compend. Doct. Chriſt.* Quarta & pro Sabbato ieiunium ſtatutum vſque ad horam nonam. *Et contra Ærium.* A quo non eſt aſſenſum in omnibus orbis regionibus, quod quarta, & pro Sabbato ieiunium eſt in Eccleſia decretum. *Petrus autem Alexandrinus de ieiunio quarta & ſexta feria ex traditione præcepto rationem reddit:* Quia quartâ initium de proditione Domini à Iudæis factum eſt, ſextâ autem, quod ipſe paſſus ſit pro nobis. *Locus difficilis Tertulliani lib. de Oratione enodatur ab Albaſpina vbi ait:* De ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interueniendum, quòd ſtatio ſoluenda ſit, accepto corpore Domini. Ergò deuotum Deo obſequium Euchariſtia reſoluit, an magis Deo obligat? Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris accepto corpore Domini, & reſeruato? Vtrumque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij. *Vbi primò per orationes ſacrificiorum, Miſſarum ſolemnia intelligit, in quibus poſt Communionem recitabantur quædam orationes. Secundò ſtationem ſoluendam credebant, actionem vtpote lucluoſam, ſumpto corpore Domini quod debebat publica ſequi lætitia. Per deuotum obſequium, & executionem officij, ipſam ſtationem intelligit. Subiicit vtrumque ſimul obſeruari poſſe, & ſtationem vſque ad finem orationum, & accepto à Diacono in manu corpore Domini, & reſeruato vſque ad finem orationum, & completa ſtationis, illud poſtea cum exultatione ſumendo, & ſic ſoluebatur ſtatio. Subiicit ex Actis Fructuoſi Martyris, eum feriâ quartâ & ſextâ ſtationem ſolemniter celebraſſe, & recuſaſſe oblatum poculum horâ quartâ feriæ quartæ.* Igitur ſextâ feriâ, lætus atque ſecurus feſtinabat, vti cum martyribus & Prophetis in Paradiſo quem Dominus præparauit amantibus ſe, perſolueret ſtationem. *Id eſt, vt ſicut abſoluebatur ſtatio ſumpto Chriſto velato in Euchariſtia, ſic conſummato martyrio reuelatâ facie eidem vniretur. Tandem quod habet Tertull. lib. de Ieiun. cap.14.* Cur ſtationibus quartam & ſextam Sabbati dicamus, & ieiuniis Paraſceuen? *Sic intelligendum eſt, quod dimidia vt ait ieiunia, in communibus omnium hebdomadarum* præterquam à Paſchate ad Pentecoſten, *ſtationibus ſeruarent: Ieiunia autem ſolida & integra totâ hebdomadâ ſanctæ diebus ad ſerotinum vſque frequentarent. Vnde & hos dies, Paraſceuen dixit, quaſi præparatorios ad ſolemnitatem Paſchæ, vt Paraſceue non ſit tantùm dies Veneris ſancti, ſed tota ſeptimana.*

APPENDIX EX SCRIPTVRA, Patribus, Conciliis de antiqua obſeruatione abſtinentiæ & Ieiuniorum.

Abſtinentiam ciborum eorumque delectum prima lex in Paradiſo lata auſpicata eſt: Præcepit ei dicens: ex omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali, ne comedas. *Genes. 11.2. 3. & ſeq.* Quidquid ruminat quidem & habet vngulam ſed non diuidit eam, non comedetis, &c: Omne quod habet pinnulas & ſquamas, tam in mari, quàm in fluminibus & ſtagnis comedetis. *Item Leuit. 10. 9.* Dixit Dominus ad Aaron: vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu filij tui quando intratis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. Et vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatis quæ filios Iſraël omnia legitima mea, &c. *Item Num.6.2.* Vir ſiue mulier, cùm fecerint votum. *Chald. addit votum Nazarai: 70. quicumque magnè vouerit votum purificandi puritatem Domino.* Vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare: à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt, &c. *Sic & Angelus matri Samſonis dixit Judic.13.7. & 13.* Ecce concipies & paries filium; caue ne vinum bibas, nec ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex vtero matris ſuæ vſque ad diem mortis ſuæ. *Ierem.35.14.* Prævaluerunt ſermones Ionadab filij Rechab quos præcepit

inferantur, ſed quæ ex ore proferantur, cùm & ipſe manducaret & biberet vſquè in notationem, [f] *Ecce homo vorator & potator:* ſic & Apoſtolum docere, [g] *quod eſca nos Deo non commendet, neque abundantes ſi edamus, neque deficientes ſi non edamus.* His & huiuſmodi ſenſibus eò iam ſubtiliter tendunt, vt vnuſquiſque pronior ventri poſſit ſuperuacua, nec adeo neceſſaria, exiſtimare ſublati, vel diminuti, vel demorati cibi officia, præponente ſcilicet Deo, iuſtitiæ & innocentiæ opera. Et ſcimus quales ſint carnalium commodorum ſuaſoriæ; quum facilè dicatur, Opus eſt de totis præcordiis credam, diligam Deum & proximum mihi. [h] *In his enim duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ*, non in pulmonum & inteſtinorum meorum inanitate.

f Matth. 11. 19.
g 1. Cor. 8. 8
h Matth. 22. 40.

* 2. *Et de Ieiun. cap. 13. à p. ad m.*

Matth. 9. 15 ECce conuenio vos & præter Paſcha ieiunantes, citra illos dies quibus ablatus eſt ſponſus, & ſtationum ſemijeiunia interponentes, & verò interdum pane & aqua victitantes, vt cuique viſum eſt: denique reſpondetis hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio. Mouiſtis igitur gradum, excedendo traditionem, cùm quæ non ſint conſtituta obitis. Quale eſt autem, vt tuo arbitrio permittas, quod imperio Dei non das? plus humanæ licebit voluntati, quàm diuinæ poteſtati? Ego me ſeculo, non Deo liberum memini: ſic meum eſt vltrò officium facere Domino, ſicut indicere illius eſt; non tantùm obſequi ei debeo, ſed & adulari: illud enim imperio eius, hoc arbitrio meo præſto. Benè autem quod & Epiſcopi vniuerſæ plebi mandare ieiunia aſſolent; non dico de induſtria ſtipium conferendarum, vt veſtræ capturæ eſt; ſed interdum & ex aliqua ſollicitudinis Eccleſiaſticæ cauſa. Itaque ſi & ex hominis edicto, & in vnum omnes συνοδίσαντες agitatis, quomodo in nobis ipſam quoque vnitatem ieiunationum, & xerophagiarum, & ſtationum denotatis? niſi fortè in ſenatuſconſulta, & in principum mandata coitionibus oppoſita delinquimus.

3. Ieiunium & abſtinentiam Paulus non abſtulit, ſed ſolum ſcrupulum. De Ieiun. cap. 15. in m.

a Rom. 14. 2. QVidam [a] *credit omnia manducanda eſſe, quidam autem infirmus olera veſcitur; qui manducat, ne nullificet non manducantem. Tu quis es, qui alienum ſeruum iudicas? Et qui manducat, & qui non manducat, Deo agit gratias.* Cùm autem humano arbitrio vetet controuerſiam fieri, quantò magis diuino? Ita, ſciebat quoſdam caſtigatores & interdictores victus incuſare, qui ex faſtidio, non qui ex officio abſtinerent; probate verò qui in honorem, non qui in conuitium Creatoris. Et ſi claues macelli tibi tradidit, permittens eſui omnia ad conſtituendam idolothytorum exceptionem, non tamen in macello regnum Dei incluſit. *Nec* [b] *enim, inquit, eſus aut potus eſt Dei regnum*: &, [c] *Eſca nos Deo non commendat*; non vt de arida dictum putes, ſed potius de vncta & accurata. Siquidem ſubjiciens, [d] *Nec ſi manducauerimus, abundabimus; nec ſi non manducauerimus, deficiemus*; tibi magis inſonat, qui abundare te exiſtimas, ſi edas; & deficere, ſi non edas, & ideo iſta detractas.

1. Cor. 10. 25.
b Rom. 8. 8.
c 1. Cor. 8. 8
d Ibid.

4. Ieiunia & feſta Paulus non damnat, ſed veteris Legis Ceremonias iam inutiles & noxias. De Ieiun. cap. 14. in p.

Gal. 4. 10. HOrum igitur tempora obſeruantes, & dies, & menſes, & annos, Galaticamur. Planè, ſi Iudaïcarum ceremoniarum, ſi legalium ſolennitatum obſeruantes ſumus: illas enim Apoſtolus dedocet, compeſcens veteris Teſtamenti in Chriſto ſepulti perſeuerantiam, & noui ſiſtens.

IEIVNIA HÆRETICI, &c. I. II. III. & IV. SCHOL.

ARGVVNT NOS. *Pſychici, animales, & ſecundum carnem ſapientes.* IEIVNIA PROPRIA. *Secta Montaniſtarum. Duplicem nempe quadrageſimam. De qua conſule Alphabetum errorum Tertulliani, Verbo.* Quadrageſima duplex. QVOD STATIONES. *Statuta Ieiunia ſolemnia inſtar indefeſſorum militum, ad veſperam vſque ſine cibo ſumpto protrahamus.* XEROPHAGIAS, *crudas, & aridas eſcas.* SICCANTES, *ſicco pane contenti.* IVRVLENTIA. *Abſque vllo obſonio, & inſculo.* VINOSITATIS. *Vt non tantùm abſtineamus à vino, ſed & ab vuis paſſis.* LAVACRI. *Obſeruamus etiam rigidam abſtinentiam ab omnibalneo, vt ſic tota conuerſatio magis conſonet parco & arido victui.* NOVITATEM *obijciunt nobis iidem Pſychici, & præſcribunt, nouam nos in Eccleſiam, nec receptam, proindèque illicitam ieiunij formam introducere velle; & nos vel de hæreſi arguunt, ſi præſumimus ex humana inuentione ſic agere, aut Montanum pſeudoprophetam eſſe, ſi acceptam à Spiritu ſancto hanc formam, velit introducere & præcipere.* QVAQVA EX PARTE. *Sine Pauli Anathema dicentis aliter à ſe Euangelizanti; ſine Ioannis, plagas ex Angelorum phialis imprecantis & qui appoſuerit nouam ſua Apocalypſim, hoc eſt reuelationem.* DECIMAM MENSIS. *Leuit. 23. 27.* Decimo die menſis huius ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur Sanctus: affligeriſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino, &c. Omnis anima quæ afflicta non fuerit, 70. *quæcumque non humiliabitur* die hac, peribit de populo ſuo. IN EVANGELIO, *Matth. 9.*

Matth. 9. 15. vbi cum versu praecedenti discipuli Ioannis dixissent Christo: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter: discipuli autem tui non ieiunant? Ait illis Iesus: Numquid possunt filij sponsi *Syr. filij thalami* lugere, *Syr. ieiunare, vt idem sit iejunare, quod lugere & affligere animam suam*, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc iejunabunt. VSQVE AD IOANNEM. *Quod refertur ad iejunium discipulorum Ioannis, ad quem vsque iejunia sub lege & Prophetis obseruata viguerant, & per nouam legem abolita fuerant, vt deinceps in noua lege quisque pro libito, & causa data iejunare possit.* QVÆ ET IPSÆ. *Carpit nos, stata & consueta iejunia siue abstinentiam obseruantes diebus Mercurij & Veneris.* PASSIVE CVRRANT. *Communiter ab omnibus obseruentur, non tamen stricte & sub obligatione praecepti. Neque vltra meridiem, quae est hora altissima diei; vel vsque ad horam nonam, quâ iuxta exemplum Petri concluditur oratio, de qua alibi dictum est.* AFFECTATI OFFICII. *Iejunij, quod proximè accedit ad Gentilium superstitionem; qui in honorem Apis, Isidis, & magnae matris. Deorum castitatem speciali religione colebant, & ea eorum cultum abstinebant à quibusdam cibis. Nos verò (quod ironicè dicit) quasi sub Christi seruitute libera, iugum legis veteris tot cibos immundos prohibentis excusserimus; & Paulum ipse per fidem & nouam legem totum nobis macellum aperuerit* 1. *Cor.* 10. 25. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. *Scrupulum, an caro fuerit immolata* Domini est terra & plenitudo eius. Si quis vocat vos *ad mensam* infidelium, & vultis ire; omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Nos PRÆNOTATOS, *ab Apostolo, vt alibi diximus.* INVSTAM, *castrensem, vt vulgata legit* QVIBVS NVPTIAS, *errorem suum hic tuetur de secundis nuptijs.* OBSERVATORES DIERVM. *Gal.* 4. 10. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos. ESAIAM. *cap.* 58. 5. Nolite ieiunare sicut vsque in hanc diem, vt audiatur in excelsis clamor vester. Numquid tale est ieiunium quod elegi per diem affligere hominem animam suam. OPERA IVSTITIÆ. *versu* 6. Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. 70. *dissolue obligationes violentorum contractuum*, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. 70. *omnem iniquam scripturam conscinde* frange esurienti panem tuum, &c. NON COMMVNICARI. *Pollui. Scriptura enim iungit commune & immundum, quòd scilicet ab immundis gentilibus communiter ederentur cibi per legem Moysi prohibiti. Matth.* 15. 11. Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. VSQVE IN NOTATIONEM. *Itaut notaretur à Phariſæis, Matth.* 11. 19. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amator. SIC ET APOSTOLVM 1. *Cor.* 8. 8. Esca autē nos non commendat Deo *siue sumpta, siue detracta.* Neque enim si manducauerimus, abundabimus: neque si non māducauerimus deficiemus. *Quòd hae indifferentia sint ex natura sua.* DEMORATI, *suspensi vsquè ad vesperam; vel vltra.* QVALES SVASORIÆ. *Artes ventris, eloquentes in patrocinium gulæ.* OPVS EST. *Necessarium & grande mandatum in dilectione Dei & proximi positum est longè omnem in lege & Prophetis abstinentiam superante, nec enim iustitia in ventris vacuitate & inedia posita est. De iejunio quarta & sexta feria sapius Augustinus in prolixa Epistola ad Casulanum quae est 86. de quibus vide relata Verbo Quadrag.*

Omniloquium.

A *sima duplex in Alphabeto errorum. Iejunium amicorum Sponsi eo sublato, exponit Hiero. Tropologicè, de peccatore lugente posse amissam gratiam, dulcis sponsi absentia. Augustinus to. 4. lib. 2. quæst. Euangelic. q. 18. distingait duplex iejunium, vnum gaudij, aliud tristitiæ.* Ieiunium, inquit, aut in tribulatione est, aut in gaudio. In tribulatione ad propitiandum Deum pro peccatis: in gaudio verò, cùm tantò minus delectant carnalia, quantò spiritualium maior sagina est. *Sic ieiunabat Psaltes; cum diceret, in terra deserta, inuia, & inaquosa, hoc Xerophagia, sic in sancto apparui tibi, id est quasi sanctus coram te, Stationes obseruaui, &c. Sicut adipe & pinguedine replearur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Cùm ergo Dominus S.Aug.

B interrogatus esset cur discipuli eius non ieiunarent, S.Aug. de vtroque ieiunio respondit. Nam ad illud quod in tribulatione ieiunari solet, pertinet quod ait, sponsi filios tunc ieiunaturos, cùm ab eis ablatus fuerit sponsus: tunc enim desolabuntur, & in mœrore ac luctu erunt, donec eis per Spiritum sanctum gaudia consolatoria retribuantur. Quo dono percepto, etiam ieiunii alterum genus: *aduerte secundam quadragesimam à Montanistis post Pentecosten, accepto felices Paracleto, seruatam, vel ante, ad eum recipiendum per ieiunium se disposuisse.* Quod fiat per lætitiam, iam S.Aug. renouati in vitam spiritalem conuenientissimè celebrabunt. Quod antequam accipiant dicit eos tanquam vetera vestimenta, *propter obseruationem veteris*

C *legis*, quibus inconuenienter nouus pannus, *nouæ legis gratiæ*, assuitur; id est aliqua particula doctrinæ, quæ ad nouæ vitæ temperantiam pertinet. Quia si hoc fiat, & ipsa doctrina quodammodo scinditur, cuius particula quâ ieiunium ciborum valet, importunè traditur, cùm illa doceat generale ieiunium, non à concupiscentia ciborum tantùm, sed ab omni lætitia temporalium delectationum: cuius quasi pānum, id est partem aliquam quæ ad cibos pertinet, dicit non oportere hominibus adhuc veteri consuetudini deditis impertiri, quia & illinc quasi concisio videtur fieri, & ipsi vetustati non conuenit. Dicit etiam similes eos esse veteribus vtribus quos vino nouo, id est spiritalibus præceptis faciliùs dirumpi, quàm illud continere posse dicit. Erant autem iam vtres noui, cùm post ascensum Domini desiderio consolationis

D eius, *id est Spiritus Paracleti consolatoris, ab eo procedentis, & promissi, mittendi*, orando & sperando innouabantur. Tunc enim acceperunt spiritum sanctum, quo impleti, cùm omnium qui de diuersis gentibus aderant, linguis loquerentur, dicti sunt musto pleni. Nouum enim vinum, iam nouis vtribus venerat.

2. CONVENIO VOS. *Vox fori, quâ coram iudice prouocantur respondere partes aduersæ.* PRÆTER PASCHA. *Extra quadragesimam Pascha praecedentem, ieiunia fermatis ô Psychici, & infra dies Ascensionis, quibus ablatus est sponsus, quatuor anni tempora, vt & quarta & sexta feria, statutis diebus, non integra quidem, iejunia*

E *& xerophagias, vt nos, sed dimidia tantum interponitis, inter Ascensionem & Pascha sequens.* ET VERO. *Et quidem aliquando solo pane & aqua contenti estis, pro cujusque libito.* MOVISTIS GRADVM. *De sententia in nos lata recessistis, agendo aliquid praeter antiquam traditionem, quod nobis prius objecistis. Praeter statuta ab Ecclesiâ iejunia, aliqua ex propria voluntatis motu subeundo.* VT IVO ARBITRIO, *&c. quis hoc ferat, vt Paraclero Deo non concedas, stricta iejunia per Montanū indicendi potestatem, quā humano & tuo das arbitrio.* SIC MEVM VLTRO, *&c. Sicut Dei est imperare iejunia, sic nostrum est ultroneum in iejunijs obseruandis illi offerre obsequiū, vt quasi ei adblādiar, ejus praeueniendo praecepta.* BENE AVTEM, *pro nobis etiā facit, quòd Ecclesiæ Romanæ Episco-*

copi primata in ſuis diœceſibus ieiunia præſcribere ſolent, non tantum lucri fabrica Eccleſiæ captandi cauſa, quia in ieiunijs publicis eleemoſyna & oratio comites adjunguntur, & per Baſilicas ſtipes & eleemoſyna colliguntur, ſed etiam propter curam paſtoralem imponuntur ieiunia, ad arcēdas vel obtinendas pluuias, proſtigādos, hoſtes peſtes, fames, cæteraque Dei flagella amouenda tantum ſeruus. AGITATIS. *Humiliationem ieiunij ſolemniter & in cōmune frequenter agitis, ex vnius Pontificis, & Epiſcopi edicto & præcepto. Quid igitur in nobis arguitis ſtrictam ieiuniorum legem quam non ab homine, ſed à Paracleto accepimus? An forte peccamus in Imperatorum mandata, vel Senatuſconſulta quæ nos prohibent in vnū coire, quaſi contra Reipublicæ ſalutem in iſtis conuentibus conſpiramus? Auguſtinus Ser. 60. de temp. vbi de oratione, Eleemoſyna, & ieiunio publico, quod intentione occulta vt quodcunque opus etiam publicè factum, ſit abſconditū.* Qui eleemoſynā, inquit, pro ſolo amore S.Aug. Dei facit, vt ad opus bonū illum re ſ iqui imitentur, & non ipſe, ſed Dominus collaudetur, etiamſi publicè faciat eleemoſynā, abſconsè facit, quia pro eleemoſyna illa, non hoc quod videtur, deſiderat: nec ab hominibus laudē, ſed mercedem a Deo optat accipere. Hoc etiā & de ieiunio debemus accipere. Cū enim ipſe Dominus dicat: vnge caput tuum & faciem tuā laua, ne videaris hominibus ieiunans: ergo contra Chriſti præcepta facimus, qui publicè ieiunij indicimus, & vidēte toto populo pariter cū ipſo ieiunamus? *Quo docet penes Epiſcopos fuiſſe & eſſe poteſtatem obſtringendi populum ad publica ieiunia, vt verborum Chriſti.* Quæcunque ligaueritis ſuper terram, &c. *Vt Deus in cœlo ratum habeat hoc edictum, non tāquam hominis, ſed vt Spiritus ſancti, iuxta verbū Chriſti:* non eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, &c. qui vos audit, me audit, &c. *De ieiunio ex proprio arbitrio ſeruato, negiecto Dei, ſuperioriſue arbitrio, pulchrè Auguſt. to. 9. libro de vtilitate ieiunij cap. 5.* Qui, inquit, a nullis S.Aug. refrenat licitis, vicinus eſt & illicitis. Proinde fratres, licitum eſt coniugium, illicitū eſt adulteriū: & tamen tēperantes viri, vt longè ſint ab illicito adultério refrenant ſe & aliquantùm a licito coniugio. Licita eſt ſatietas, illicita eſt ebrioſitas, tamē modeſti homines vt longè ſe faciant a turpitudine ebrietatis, caſtigant ſe aliquantū & a libertate ſatietatis. Ita ergo agamus fratres tempe emus & quod facimus, ſcianus quare faciamus. Ceſſando à lætitia carnis, acquiritur lætitia mētis. Proinde finis nobis ieiuniorū noſtrorū, ad iter noſtrū *ſupplet inſtituta ſunt*, quid ſit ipſū iter, & quò tēdamus, hoc cōſideranda eſt. Nāque & Pagani ieiunāt aliquādo *vt ſupra vidimus ex Tertulliano de cultoribus Apis, Iſidis, &c. Qui & caſtitatē colebant*, nec regionē quò tēdimus, norūt: & Iudæi ieiunāt aliquādo, & viā in qua ābulamus, *Chriſtū & fidē in eum*, non apprehēderūt. Tale eſt hoc, ac ſi aliquis equum domet, in quo erret. *Equi eorum caro.* Ieiunāt hæretici, video quales eant, interrogo quò eant. Ieiunatis vt cui placeatis: Deo, inquiunt, *Maximè Montaniſtæ, dicente Tertulliano meum eſt vltro officium facere Domino, non tantū obſequi ei debeo, ſed & adulari*, munus putatis, S.Aug accipit? Sed prius vide quid dicit, relinque munus, & vade prius reconciliare fratri tuo. Nūquid mēbra tua rectè domas, qui Chriſti mēbra dilanias? *Ab Eccleſia, ſchiſmate diuiſus.* Auditur, inquit, clamor vox veſtra, & eos qui ſub iugo veſtro sūt humulatis, & cæditis pugnis. Nō tale ieiunū elegi, dicit Dominus. Improbaretur ergo ieiunū tuū ſi immoderatiùs ſeuerus exiſteres in ſeruū tuū, approbabitur ieiunium tuū cùm non agnoſcis fratrē tuū? &c. Non quæro à quo cibo abſtineas, ſed quē cibū diligas, &c. Diligis iuſtitiā? &c. S.Aug. Puto iuſtū eſſe vt maiori ſeruias, *Deo & Prælato*, quò tibi minor obtēperet. *Et alibi idem Aug.* tu Deo, tibi

A caro. *Tu Deo ſubjectus, tibi caro ſubdita.*

3. QVIDAM CREDIT. *Rom. 14. 2* Alius credit ſe māducare omnia: *Syr. re omni veſcendū eſſe* qui autē infirmus eſt, *cōſcientiæ timidæ & ſcrupuloſæ ſēper timēs, ne fortè caro fuerit idolis immolata*, olus manducet, is qui māducat, non māducātem nō ſpernat: & qui nō māducat, māducātē nō iudicet, Deus enim illū aſsūpſit. *Ad conſcientiā liberiorē prouexit.* Tu quis es qui iudicas. *Syr. condemnas* alienū ſeruū, &c. DEO AGIT GRATIAS. *Aug. lib. de gratia noui teſtamenti, a Beda citato:* Sic, inquit, dictū eſt, qui māducat, Domino māducat, Aug. & qui non māducat, Domino non māducat. Ad hoc quippe addidit, & gratias agit Deo: vt oſtēderet quid eſſet, domino facit id eſt, in eius laudē facit. Tūc enim rectè, tūc piè, tūc iuſtè fit, cū opus bonū in eius fit laB dē cuius gratiā donatur vt fiat. In quo affectu proficiens, quidquid boni facit, Domino facit: hoc eſt in eius laudē, cuius gratiam percepit vt faciat. Vnde eſt actio gratiarū. quæ intimo fideliū myſterio, *Euchariſtico ſacrificio* celebratur *& in Pſal. 21.* Ita dictū eſt annuntiabitur Domino generatio ventura; ac ſi diceretur, Domino placebūt, qui annūtiabūt, non ſibi: vt ita ſit Domino annūtiare, ſicut Domino viuere. HVMANO ARBITRIO. *Sic exorſus fuerat Paulus Rom. 14. verſu* 1. Infirmū autē in fide aſſūmite non in diſceptationibus cogitationū. *Clarius tranſlat. Syr.* Et verò qui eſt infirmus, *puſillus, qui facilè ſcandalizatur*, date manū, nec ſitis diſſidētes in cogitationibus veſtris. QVANTO MAGIS DIVINO. *Si hominū libertati in lege noua vinentiū Paulus prohibet controuerſiā fieri, hoc eſt interdici vsū quorūcunque ciborū: multo magis prohibet cōdemnari cibos* C *tanquā malos quos Deus indicauit hominis vtilitati, & honeſta voluptati concedendos. Sic Paulus nouerat carpere hæreticos venturos qui non tam ex laudabili abſtinentia, quā ex contēptu Dei creatoris omnē carnis vsū interdicerēt, ſicut laudare nouerat qui cū gratiarū actione non ex gula, & immoderata cōcupiſcentia in opprobriū creatoris sūpturi eſſent.* AD CONSTITVENDAM. *Vt ſic facilius ſuaderet abſtinentiā ab idolothytis, certā ſcientiā talibus cognitis; cæterorū omniū ciborū vsū fidelibus conceſſit. Aug. in Ep. ad Publicolā.* Olus, inquit, vel quilibet fructus in quo- Aug. libet agro natus eius eſt qui creauit, quia Domini eſt terra & plenitudo eius, & omnis Dei creatura bona eſt. Sed ſi illud quod in agris naſcitur cōſecratur idolo vel ſacrificatur, tunc inter idolothyta deputādum eſt. Itaque aut certū eſt eſſe idolothytū, aut certū eſt non eſſe, aut ignoratur. Si ergo certū eſt eſſe, melius Chriſtianā virtute reſpuitur. *Etiā in extrema neceſſitate virtutē Martyrū imitatur qui reſpuit.* Si autē vel non eſt, vel neſcitur, ſine vllo cōſcientiæ ſcrupulo in vsū neceſſitatis aſſumitur. ESVS AVT POTVS, *&c. 1. Cor. 8. 8.* Quidam cum conſcientia vſque nunc idoli, quaſi idolothytū māducāt, & conſcientia ipſorū cū ſit infirma, polluitur. Eſca autē nos nō cōmēdat Deo. *Syr. non dat nobis aditū ad Deū;* neq; enim, ſi māducauerim°, abūdabim°: *nihil enim edacitas facit ad abūdātiā ſanitatis:* neque ſi nō māducauerim°, *carnes, cū alys cibis viuere poſſimus*, deficiemus. *Tranſlat. Syr.* Quidquā nobis defuturū eſt. *Aug. lib. 10. Confeſſ. c. 31.* Audiui, inquit, Do- Aug. mine Deus vocē tuā: poſt cōcupiſcentias tuas nō eas, & à voluptate tua auertere. Audiui & illā ex munere tuo, quā multū amaui, neque ſi māducauerim° abūdabim°, neque ſi nō māducauerim° deerit nobis. Hoc eſt dicere, nec illa res me copioſū faciet, nec illa rē noſū. Audiui & alterā, ego enim didici in quibus sū ſufficiens eſſe; & abūdare noui, & penuriā pati noui. Omnia poſsū in eo qui me confortat. Ecce miles caſtrorū cœleſtiū, nō puluis quod ſumus. Sed memēto Domine quia puluis ſum°, & de puluere feciſti hominē, & perierat & inuētus eſt. Nec ille in ſe potuit, qui idem puluis fuit, quem talia dicentem afflatu tuæ

inſpirationis adamauit: omnia poſſum, inquit, in eo qui me confortat. Conforta me, vt poſſim: da quod iubes, & iube quod vis. Iſte ſe accepiſſe confitetur, & quod gloriatur, in Domino gloriatur. TIBI INSONAT. *Vox Pauli te Pſychicum arguit, quòd quia aliter quàm Paulus ſapis, & deficere times ſi ieiunas, ideo ieiunia noſtra vellicas, & onus eorum detrectas.*

4. HORVM *Iudæorum.* GALATICAMVS, *à vobis Pſychicis, ſicut Galatæ Iudaizantes à Paulo reprehenſi, arguimur. Gal.* 4. 10. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſeruire vultis? dies obſeruatis, *feſtos Iudæorum* & menſes, & tempora, & annos. PLANE. *Fateor quidem, ſi communicare nos poſſunt Pſychici hæc ceremonialia ſeruare, à quibus Apoſtolus inſiſtens, vt confirmet eos in obſeruatione noua legis, & à veteri per Chriſtum ſepulta & abrogata, eos dehortans. Auguſtinus to. 6.* Aug. *lib. contra Adimantum, Manichæi diſcipulum, cap.* 16. Illud, inquit, eſt Euangelio contrarium, vt quiſque rem deferens quæ per illam vmbram figuratur, ipſius vmbræ ſequatur inanitatem. Quod volebant, qui Gentibus in Chriſtum credentibus, iugum circumciſionis imponebant quaſi ad ſalutem neceſſarium, cùm iam non eſſet vmbra in corpore figuranda, ſed res ipſa in corde geſtanda. Et quod dicit: dies obſeruatis, & Sabbata, & ſolemnitates, &c. Non ſic ſcriptum eſt vt Adimantus ponit: non enim nominat ibi Sabbatum Apoſtolus, dicit enim: dies obſeruatis, &c. Sed putet eſſe de Sabbato dictum; numquid & nos non dicimus iſta non eſſe A obſeruanda, ſed illa potius quæ his ſignificantur &c. *Et paulò ſupra:* Aduenientibus rebus quarum erant vmbræ illæ obſeruationes, id actum eſt, vt oſtenderetur in ipſis vmbris non eſſe ſpem ponendam, ſed in ipſis rebus, quas illæ vmbræ ſignificabant eſſe venturas, id eſt Chriſtum & Eccleſiam. Et propterea illa iam omnia inania erant: nec tamen ea tanquam noxia remouenda, ſed tanquam ſuperflua contemnenda Apoſtolus præcepit: vt ſi quis Iudæus Chriſto credidiſſet, propter offenſionem ſuorum non prohiberetur, *ad aliquod tempus*, in ipſis ſuperfluis remanere, nec tamen in eis ſalutem ſuam conſtitutam putaret: non enim ſigna illa, ſed ea quæ in his ſignificantur, in ſalutem introducunt. S. Aug. *Et ibid. infra:* Illi ea ſeruiliter obſeruabant, non B intelligentes ad quarum rerum ſignificationem & præuuntiationem pertinerent. Hoc in eis culpat Apoſtolus, & in omnibus qui ſeruiunt creaturæ potiùs quàm Creatori. Nam nos quoque & Dominicum diem & Paſcha ſolemniter celebramus, & quaſlibet alias Chriſtianas dierum feſtiuitates. Sed quia intelligimus quò pertineant, non tempora obſeruamus, ſed quæ illis ſignificantur temporibus. *D. Tho. in cap.* 4. *Gal.* Dies, inquit, obſeruatis Iudaico ritu, ſcilicet Sabbata: & decimum primi menſis, & huiuſmodi quæ dicuntur in gloſſa. Menſes, id eſt Neomenias; vt primum & ſeptimum menſem vt habetur Leuitici 23. tempora, ſcilicet egreſſionis de Ægypto: & quia Ieroſolymam tribus vicibus veniebant per ſingulos annos. Item annos Iubilæi: & ſeptimum annum remiſſionis.

IEIVNII ANTIQVITAS.

1. Ieiuniorum antiquitas. De Ieiun. cap. 11. à p.

PRopterea per ſingulas direximus ſpecies ieiunationum, xerophagiarum, ſtationum, vt dum recenſemus ſecundùm vtriuſque Teſtamenti paraturam, quantum proficiant recuſati, vel reciſi, vel retardati pabuli officia, eos retundamus qui hæc velut vacantia infirmant. Item dum pariter oſtendimus, quo ſemper in ordine fuerint religionis, eos reuincamus qui hæc vt noua accuſant; nec nouum enim quod ſemper, nec vacuum quod vtile.

IEIVNIORVM ANTIQVITAS. I. SCHOL.

PER SINGVLAS SPECIES. *Sermonem contexuimus & diſpoſuimus de diuerſis abſtinentiæ ſpeciebus, ieiunijs ſcilicet, ſimplicibus, Xerophagijs auſterioribus, nudo pane & aquâ tranſactis; ſtationibus, ad veſperam uſque productis.* SECVNDVM PARATVRAM. *Iuxta diſpoſitionem & exempla vtriuſque legis, vt inde refellamus eos qui hæc edomandi corporis exercitamenta vt inutilia reijciunt, quàm vtilia ſint, ſiue Dies abſque omni cibo, ſiue præciſo ſiue ad veſperam retardato tranſigamus, vtiliter ad ſalutem.* IN ORDINE RELIGIONIS. *Quanti æſtimati ſint ſemper apud veros Dei cultores, vt nos Montaniſtas quaſi rei inutilis & noua inuectores accuſant, ex antiquitate & vtilitate à nobis probanda ieiunij conuincantur.* Aug. D *in Pſal.* 110. Aug. *vtilitatem ſimul & antiquitatem ieiunij enarrat.* Beati, inquit, poſt Pſalten, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Erit hoc otioſorum negotium, hæc actio quietorum, hæc cura ſecurorum. Sicut enim dies iſti præteritis diebus quadrageſimæ, quibus ante reſurrectionem Dominici corporis, vitæ huius ſignificatur mœror, ſolemniter gratâ hilaritate ſuccedunt: ſic dies ille qui poſt reſurrectionem dabitur plenario corpori Domini, id eſt ſanctæ Eccleſiæ cunctis vitæ huius ærumnis atque doloribus excluſis, perpetua beatitudine ſuccedet. Hæc autem vita C de nobis exigit continentiam, vt etiam cum labore & luctamine ingemiſcentes grauati, & habitaculum noſtrum, *corpus gloriоſum*, quod de cœlo eſt ſuperindui cupientes, à ſæcularibus delectationibus temperemus; & ſignificatur quadragenario numero, quo & Moyſes & Elias, & ipſe Dominus ieiunauerunt. Præcipitur enim nobis, & ex Lege, & ex Prophetis, & ex ipſo Euangelio quod teſtimonium habet à Lege & Prophetis: Vnde etiam in monte & inter vtramque perſonam medius Saluator effulſit: vt ab omnibus mundi illecebris, quibus captiui homines obliuiſcuntur Deum, auiditatem noſtram tanquam ieiunio temperantiæ refrenemus, quandiù perfectio Decalogi legis tanquam Pſalterium decem chordarum, per quatuor eiuſdem mundi partes, id eſt toto orbe prædicatur, vt decem quater ducta quadragenarium numerum ſignent; quinquagenario verò numero poſt reſurrectionem Domini quo cantamus Alleluya, non cuiuſdam temporis finis & tranſitus, ſed beata illa ſignificatur æternitas; quia denarius additus quadragenario, laborantibus in hac vita, *in vinea Domini, ſiue anima propria, ſiue in Domini Eccleſia*, fidelibus merces illa perſoluitur, quam & primis & nouiſſimis Pater familias præparauit æqualem.

2. Ieiunio Deus præparans hominem, quosdam cibos per legem abstulit. De Ieiun. cap. 5. in p.

Leuit. 11. 1. & seq. DEnique, vbi iam & familiaris populus allegi Deo cœpit, & restitutio hominis imbui potuit, tunc leges disciplinæque omnes impositæ, etiam quæ decerperent victum, ademptis quibusdam veluti immundis, quo facilius aliquando ieiunia toleraret homo, perpetuâ in quibusdam abstinentiâ vsus.

IEIVNIO DEVS, &c. SCHOL. II.

FAMILIARIS. *Populus Israeliticus quasi Dei familia Dei cultui aggregari cœpit.* RESTITVTIO. *Idem populus Deo post captiuitatem Ægyptiacam restitutus, plenius diuinis præceptis potuit instrui.* QVÆ DECERPERENT. *Interdicerent cibos immundos, quos vsui Hebræorum præcidit, vt per abstinentiam perpetuam à cibis immundis, assuesceret & sibi temperare à mundis. Habes huiusmodi carnes prohibitas fusissimè Deuitici* 11. *& seq. quæ non ex se immundas & malas, vt censebant Manichæi, probat Augustinus, sed in eis abstinentiam spiritalem indictam Christianis, to. 6. lib. cont. Adimantum Manichæi discipulum, cap.* 15.

S. Aug. De eo, inquit, quod in Leuitico scriptum est: separate à mundo immundum, & nemo manducet carnem Cameli, Asini, & Leporis, & Porci, & Aquilæ, & Milui, & Corui, & Vulturis, & reliquorum; nusquam manifestiùs pleniſſima dolis & fraudibus anima huius hominis, *Adimanti Manichæi discipuli*, deprehendi potest, qui tanquam sibi aduersa atque contraria de vtroque testamento capitula obiecit, quàm in hoc loco, vbi commemorauit in Leuitico scriptum esse, vt à nonnullis animalium carnibus temperetur. Namque huic sententiæ illud ex Euangelio credidit opponendum, vbi Dominus dicit: nihil est ingrediens in hominem coinquinans eum, sed ea quæ procedunt ex eo. Hoc si imprudens fecit, nihil cæcius: si autem sciens, nihil sceleratius. Nonne ipse paulò ante posuerat Apostoli testimonium dicentis bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum, dum capit de nouo testamento veteri aduersari, vbi dictum est Deut. 12. 25. secundùm desiderium animæ tuæ occide, & manduca omnem carnem? quomodo ergo nunc placet ei sententia Domini, quâ dicit nihil esse ingrediens in hominem quod coinquinet A eum? &c. Certè enim si verum est non coïnquinat illa quæ ingrediuntur in hominem, cum magno errore immundas esse dicunt escas Manichæi, cùm homines carne vescuntur. Si autem immundæ sunt tales escæ, quid de isto testimonio faciet quod Euangelica & diuina authoritate prolatum est, vbi Dominus dicit non coïnquinaris? &c. Cùm enim quispiam Catholicus Christianus vtriusque Scripturæ venerator & intellector ei responderit, hæc non esse contraria, quòd illa de quorundam carnibus animalium, quibus non esse vescendum populo adhuc carnali præceptum est, ad significationem posita sunt humanorum morum, quos Ecclesia quæ corpus est Domini in suæ vnitatis vinculum stabile & sempiternum recipere non potest, tanquam immundas escas respuens, & in sua viscera non conuertens: vt omnia illa præcepta carnali populo imposita, futuram disciplinam spiritalis populi pro- B phetarent. Et ideo non ea repugnare sententiæ Domini, quâ verissimè dicit, non coinquinari hominem ijs quæ per escam ingrediuntur in eum. Illa enim sententia, *veteris legis prohibens ab immundis*, seruis onera imponit, ista verò liberis iugum excutit seruitutis. Et illa tamen sic dicta est, vt seruorum onera, fidem prænuntient liberorum. Omnia enim sicut dicit Apostolus in figuram contingebant illis: scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum deuenerunt. Si ergo in figuram contingebant, *onera parentum de quibus agebat Apostolus*, quæ patiebantur, in figuram accipiebant, quæ monebantur. *Id est præcipiebantur obseruare. Tertull. autem voluit abstinentiam perpetuam à cibis immundis in veteri lege, figuram fuisse abstinentiæ seruandæ ab omni prorsus carne in nouæ legis tempore.*

3. Ieiunium olim 4. & 6. Sabbati. De Ieiun. cap. 10. à p.

Act. 3. 1. HÆc propter illos, qui se putant ex forma Petri agere, quam ignorant; non quasi respuamus nonam, cui & quartâ sabbati, & sextâ plurimum fungimur: sed quia eorum quæ ex traditione obseruantur, tantò magis dignam rationem adferre debemus, quantò carent scripturæ auctoritate, donec aliquo cœlesti charismate aut confirmentur, aut corrigantur.

IEIVNIVM OLIM, &c. III. SCHOL.

HÆc quæ supra diximus de horâ, post ieiunium, sumendi cibi. Dixerat autem de Petro orante ad horam nonam. Petrum, inquit, dicam ex veteri potius vsu nonam obseruasse, tertiò orantem supremæ orationis munere. EX FORMA. *Exemplo* QVEM IGNORANT. *Cuius rationem nescimus, in memoriam Christi hac horâ expirantis.* CVI FVNGIMVR. *Ad quam vsque, ieiunia quartæ & sextæ feriæ protrahimus.* DIGNAM RATIONEM. *Qualis est promissa.* CŒLESTI CHARISMATE. *Noua aliqua reuelatione Montani.* CORRIGANTVR. *Tollantur, cessent ab vsu. Rationem quartæ, & sextæ feriæ reddit August.*

S. Aug. *Ep. 86. ad Casulanum:* Cur quartâ & sextâ maximè C ieiunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quòd considerato Euangelio, ipsâ quartâ Sabbati, *septimana*, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi. Intermisso autem vno die, cuius vesperâ Dominus Pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei quem vocamus quintam Sabbati: Deinde traditus est ea nocte quæ iam ad sextam Sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Hic dies primus Azymorum fuit, à vespera incipiens. Sed Matthæus Euangelista, quintam Sabbati dicit fuisse primam diem Azymorum, quia eius vespera sequente futura erat Cœna Paschalis, quâ

Digitized by Google

Cœnâ incipiebat Azymum, & ouis immolatio manducari. Ex quo colligitur quartam Sabbati fuiſſe, quando ait Dominus: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur. Ac per hoc dies ipſe ieiunio deputatus eſt: quia ſicut Euangeliſta ſequitur, & dicit; tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi, in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: Et conſilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent & occiderent. Intermiſſo autem vno die, de quo dicit Euangelium: primâ autem Azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? Hoc ergo die A intermiſſo, paſſus eſt Dominus, quod nullus ambigit, ſexta Sabbati: quapropter & ipſa ſexta rectè ieiunio deputatur. Ieiunia quippe humilitatem ſignificant, vnde dictum eſt Pſal. 34. humiliabam in ieiunio animam meam. Sequitur Sabbatum, quo die caro Chriſti in monumento requieuit, ſicut in primis operibus mundi requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis. Hinc exorta eſt iſta in regia, illa veſte varietas, vt alij, ſicut maximè populi Orientis, propter requiem ſignificandam, mallent relaxare ieiunium: alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare, ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ.

4. Ieiunium Petri vſque ad nonam, fuit in memoriam mortis Chriſti: qui ad veſperam ieiunant, honorant Domini ſepulturam. De Ieiun. cap. 10. in m.

AN dignior apud nos ratio adferatur in nonam obſeruandi requiro, vt etiam Petro ea ratio deputanda ſit, ſi ſtatione tunc functus eſt. Venit enim de exitu Domini, quem etſi ſemper commemorari oportet ſine differentia horarum, impreſſiùs tamen tum ei ſecundùm ipſum ſtationis vocabulum addicimur. Nam & milites nunquam immemores ſacramenti, magìs ſtationibus parent. Itaque in eam vſque horam celebranda preſſura eſt, in qua à ſexta contenebratus orbis defuncto Domino lugubre fecit officium, vt tunc & nos reuertamur ad iucunditatem, cùm & mundus recepit claritatem. Hoc ſi magìs ad religionem ſapit Chriſtianam, dum magìs Chriſti gloriam celebrat, poſſum æquè ſeræ ſtationis ex eodem rei ordine ſtatum figere, vt ieiunemus ad ſerum, expectantes tempus Dominicæ ſepulturæ, cùm Ioſeph poſtulatum detulit corpus, & condidit. Inde & irreligioſum eſt antè famulorum carnem refrigerare, quàm domini. Sed hoc ex argumentationum prouocatione commiſerim, coniecturas coniecturis, & tamen puto fidelioribus, repercutiens.

Act. 3. 1.

Mat. 27. 45.

Ibid. 58.

IEIVNIVM PETRI. IV. SCHOL.

APVD NOS. *Montaniſtæ.* IN NONAM, *vſque ad Nonam ſeruandi ieiunij.* EA RATIO. *Ob afflictionem, ex memoria mortis Chriſti, conceptam.* STATIONE FVNCTVS. *Stetit ieiunus. Aduerte ſtationem à militum excubiis prolixioribus ſumptam. Vnde cùm Montaniſta ieiunarent vſque ad veſperam; in dubium vocat, an ieiunio Petri vſque ad nonam tantum producto, nomen honeſtiſſimo ſtationis debeat imponere.* VENIT DE EXITV. *Ratio hæc petitur à memoria mortis Chriſti, de qua Pſalles:* Et Domini Domini, exitus mortis IMPRESSIVS ADDICIMVR, *cùm maiori & impreſſiori memoria recordamur mortis Chriſti, dum vſque ad veſperam ieiuni ſtamus, quâ horâ Chriſtus expiranit.* SACRAMENTI. *Iuſiurandi militaris.* STATIONIBVS PARENT. *Probant fidelitatem ſuam & conſtantiam, diutius cæteris ſtantes in cuſtodia. Hinc Pſalles:* A cuſtodia matutina vſque ad noctem, &c. PARENT, *obediunt ſuis ducibus, & tribunis, diurnam cuſtodiam imperantibus.* CELEBRANDA PRESSVRA. *Afflictio ieiunij celenda.* LVGVBRE OFFICIVM. *Totum orbem tenebris, vt furuis & nigris velis contegentibus, à ſexta ad nonam.* AD IVCVNDITATEM *Sumendi cibi, recreandi & reficillandi corporis.* RECEPIT CLARITATEM. *Tranſactis tenebris trium horarum, redeunte luce.* AD RELIGIONEM SAPIT, *ſcitè dictum, ad ſaporem ieiuni palati circa res ſpirituales aptiores: quaſi diceret: ſi maior eſt Religio, hoc eſt Chriſti cultus, dum tardiùs in eius honorem cibus ſumitur, nos Montaniſtæ poſſumus ex ſtationibus noſtris, id eſt ieiunio ſtatutis ad tempus vſque ſerotinum obſeruatis, hunc morem & ſtatutum in memoriam ſepulturæ Chriſti à Montano præfixum, commendare; cùm circa hanc horam Ioſeph ab Arimathia petijt à Pilato corpus Ieſu, & aromatibus immiſtum mundo ſuo condidit in ſepulcro. De quo alibi relata ex Aug. non retexo.* CARNEM REFRIGERARE. *Alludit* B *ad verba Prophetæ:* reficite laſſum, hoc eſt refrigerium meum. QVAM DOMINI. *Cuius carnem quodammodo, vngendo, Ioſeph refrigerauit.* EX PROVOCATIONE, *Pſychicorum de nimia auſteritate ieiunij noſtri ſeri inſultantium.* COMMISERIM. *Quaſi manum conferendo repugnans, ſi non rationibus validis, ſaltem coniecturis melius in ſcriptura fundatis, retundens aduerſarios. De ſeris eſcis & ieiunio diu protracto ſic fatur Auguſtinus, to. 1. lib. de Morib. Eccl. Catholicæ, cap. 33. vbi de Monaſterijs quæ viderat Romæ & Mediolani.* Ieiunia, inquit, prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaque vſitatiſſimum, ſed continuum triduum, vel amplius ſæpiſſimè ſine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantùm, ſed etiam in fœminis, &c. atque inter hæc nemo vrgetur in aſpera quæ ferre non poteſt: nulli quod recuſat imponitur, nec ideo condemnatur à cæteris, quod in eis ſe imitandis fatetur inualidũ. Meminerũt enim quàtopere ſcripturis omnibus commendata ſit charitas; meminerunt omnia munda mundis, & non quod intrat in os veſtrum vos coinquinat, ſed quod exit. Itaque non reijciendis generibus ciborum, quaſi pollutis, ſed concupiſcentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis induſtria, &c. Lege cætera. Nam longum eſt omnia interponere, & inuenies præceptum iis qui poſſunt iſta contemnere, id eſt firmioribus & ſecurioribus: ideo tamen eſſe temperandum, ne offendantur illi, quibus adhuc pro ſua imbecillitate huiuſcemodi opus eſt temperantiâ. Hæc illi de quibus agebam, norunt & tenent: Chriſtiani ſunt enim non hæretici, *quales Montaniſtæ*, intelligunt ſcripturas ſecundùm Apoſto'icam diſciplinam, non ſecundùm ſuperbum & commentitium nomen Apoſtolatus: *multò magis vanum Para-*

S. Aug.

cleri nomen sibi arrogabat Montanus ferus ieiunator vbi non manducantem nemo spernit, manducantem nemo iudicat, qui infirmus est olus manducat. Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt. *Porrò quod initio huius textus dixit de Petro: vel sumptum est ex Act.3.1.* Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam: *vbi duos comites adiunxit, orationis scilicet, ieiunium & eleemosynam. Petrus namque ascendens ad horam orationis nonam, vel ieiunus adhuc, vel horâ sextâ leuiter prandens, eleemosynam omni auro & argento pretiosiorem, sanitatem scilicet claudo præstitit. Vnde Chrysol. Ser. 43. inp.* Quod, inquit, oratio petit, impetrat ieiunium, misericordia accipit. Dant hęc sibi inuicem vitam: est namque orationis anima ieiunium, ieiunij vita, misericordia, *vel respicit illud Act.10.9. & 10. de quo Augustinus homil. 41.* Audiuimus quòd Beatus Petrus circa horam sextam ascenderat in cœnaculum, & cùm esuiret voluit gustare. S.Aug.

A Parantibus autem discipulis ille factus est in excessu mentis, & vidit vas grande velut linteum magnum quatuor lineis appensum de cœlo submitti, vbi erant omnia quadrupedia & serpentia terrę, & vox de cœlo sonuit, Petre, macta & manduca. *Subjicit de animalibus mundis & immundis; de fissa vngula ad mores, ruminatione ad sapientiam pertinente.* Aug. Quare, inquit, ad mores fissa vngula? quia difficile labitur. Lapsus enim peccati signum est, &c. Data est ergo licentia Christianis, vt non secundùm vanam hanc consuetudinem faciant, sed manducent quod velint, cum moderatione *cibum sumentes* cum benedictione, *ante cibum* cum gratiarum actione, *post esum*. Fortassis ergo & Petro ita dictum est, occide & manduca: vt iam non teneret obseruationem Iudæorum; non tamen ei quasi gurges ventris & fœda voracitas imperata est. *Modum etiam temporis seruauit Petrus ad horam saltem vsque sextam ieiunus, vnde & notatum est quòd esuriret.*

5. Ieiunia sera, in tempore persecutionis, disponunt ad famem aliaque martyria facilius toleranda; licet de his edicta nulla, vel exempla scriptura proferret. De Ieiun. cap 12. à p.

VT ab Ioanne Paracletus obmutuisset, ipsi nobis Prophetæ in hanc maximè causam extitissemus: iam non dico ad exorandam Dei iram, nec ad impetrandam tutelam eius aut gratiam, sed ad præmuniendam per nosmetipsos nouissimorum temporum conditionem, indicentes omnem *ταπεινόφρονα* cùm carcer ediscendus, & fames ac sitis exercendæ, & tam inediæ quàm anxij victus tolerantia vsurpanda sit, vt in carcerem talis introeat Christianus, qualis inde prodisset; non pœnam illic passurus, sed disciplinam; nec seculi tormenta, sed sua officia; eôque fidentior processurus ad certamen è custodia abusus, nihil habens carnis, sic vt nec habeant tormenta materiam; cùm sola & arida sit cute loricatus, & contra vngulas corneus; præmisso iam sanguinis succo, tanquam animæ impedimentis, properante iam & ipsa, quæ iam sæpè ieiunans, mortem de proximo norit.

IEIVNIA SERA. V. SCHOL.

VT AB IOANNE. *Licet* Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, *duraverint. Quamuis daremus hoc Psychicis, quòd Spiritus sanctus post Ioannem plusquam Prophetam, tacuisset, nec vltra Prophetia donum cuiquam tribuisset, nulla nobis alia Prophetia necessaria esset, quâ moueremur, non dico ad placandam iram Dei, aut eius protectionem & gratiam obtinendam; sed ad nos armandos contra persecutionem tyrannorum imminentem, quàm vt nos iam inde sapientes & prouidi futuri, nos muniremus per ieiuniorum humiliationem, quam rursum Græca voce ταπεινοφροσύνην expressit; qua vera sapit humiliationem carnis. Sit nimirum, in solitudine domus reclusi, assuescunt ferendo carceri; & ante tempus, vsurpantes & prænentientes extremam famem anxio & arcto victu & potu, disciplinam potius, morem & vsum ieiunij pœnalem exercentes, quasi propria & solida exercitia frequentant in custodia: SÆCVLI, tyrannorum mundi, & ad martyrij certamen iam dispositi accedunt.* ABVSVS, *assuefactus longo vsu. Vel, frustratus carnificem, qui in exesis, carnibus, & siccatis assiduâ inediâ, non inuenit quod flagellet, vret, dilanietet; siccata quippe cutis fit lorica, & pellis ossibus impacta, fit cornea, vncinos, vngulas, pectines ferreos eludens.* PRÆMISSO. *Priùs per abstinentiam exhausto sanguine.* ANIMÆ IMPEDIMENTIS. *Quia pinguior & obesior caro aggranat animam, & carceris corporei muros densat, & properantem ad Deum animam tardat. Ieiuna autem & exsuccida, pallensque mortem non timet, quam in se proximè representat sicut eius imago, quam vt familiarem sibi non expauescit. Aptè in hanc rem Aug. in Psal. 26. 3.* dum appropiant super me nocentes vt edant carnes meas, *sic commentatur enarratione secunda.* Ille me, inquit, illuS.Aug.

B minat, recedant tenebrę. Ille me saluat, recedat infirmitas. Ambulans in lumine firmus, quem timebo? Non enim talem salutem dat Deus quę ab aliquo possit extorqueri: aut tale lumen est quod ab aliquo possit obtenebrari, &c. Itaque ego quid timebo, aut quem timebo? Ego quem trepidabo, aut quid trepidabo? qui me persequuntur, ipsi infirmantur, ipsi cadunt. Quare autem persequuntur? vt edant carnes meas. Quę sunt carnes meę? carnales affectus mei. *Nemo enim carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam.* Sęuiant persequendo, nihil in me moritur nisi mortale. Erit in me aliquid quò persecutor peruenire non possit, vbi habitat Deus meus *Nec priuata domus artior, nec angustior carcer, quia ambulabam in latitudine: nec obscura custodia, quia Dominus illuminatio mea; nec fames vrget, quia sicut adipe & pinguedine repletur anima mea. Et si infirmata sunt genua à ieiunio, caro immutatur propter oleum gratia spiritalis, & luctæ cum tormentis paratior accedit.* Manducent carnes meas, finitis carnibus, spiritus ero & spiritalis. Et quidem Aug. tantam salutem mihi promittit Dominus meus, vt etiam modò ista caro mortalis quę videtur permitti manibus persequentium, non pereat in æternum: sed quod demonstratum est in capite meo resurgente, hoc omnia membra sperent. Quem timeat anima mea quam inhabitat Deus? quem timebit caro mea, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem? vultis nosse quia carnes illi manducant qui nos persequuntur, nec ipsi autem carni nostrę metuendum est? seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.

Digitized by Google

6. Ieiunium ad vesperam, astris imperat, hostes vincit, Angelos adducat, orationem impinguat. De ieiun. cap. 10. à m. ad f.

Videamus an aliquid tale nobis de vetustatibus quoque patrocinetur. In Exodo, habitus ille Moysis aduersus Amalech orationibus præliantis vsque in occasum perseuerans, nonne statio fuit sera? Ieiun Naue debellantem Amorrhæos, prandisse illa die existimamus; cùi ipsis elementis stationem imperauit? Stetit sol in Gabaon. & luna in Aialon: stetit sol & luna in statione, donec vltus est populus de inimicis suis; & stetit sol medio cœlo, & non accedebat in occasum, & in finem diei vnius. Non fuit dies talis retro & in nouissimo, vtique tam prolixus[a] *vt*, inquit, *exaudiret Deus hominem*, parem scilicet solis, instantem tandiu in officio, stationē etiã sera longiorem. Certè Saül & ipse in prælio constitutus, manifestè munus istud indixit, [b] *Maledictus homo qui ederit panem ad vesperam vsque, dum vlciscar de inimico meo, & non gustauit totus populus eius, & tota terra non prandebat.* Tantam autem Deus præstitit auctoritatem edicto stationis illius, vt Ionathan filius Saülis, quamquam ignarus ieiunationis in serum definitæ, gustum mellis admiserat, & sorte mox de delicto sit traductus, & vix per precem populi periculo exemptus: gulæ enim, licet simplicis, reus fuerat. Sed & Daniel, anno primo regis Darii, cùm ieiunus in sacco & cinere exomologesin Deo ageret, [c] *Et adhuc*, inquit, *loquente me in oratione, ecce vir quem videram in somnis initio, velociter volans adpropinquauit mihi quasi horâ vespertini sacrificii.* Hæc erit statio sera, quæ ad vesperam ieiunans, pinguiorem orationem Deo immolat.

Exo. 17. 12. Iosue 10. 12. & seq.

a 14. Ibid.

b 1. Reg. 14. 24.

c Dan. 9. 21.

IEIVNIVM AD VESPERAM. VI. SCHOL.

DE VETVSTATIBVS. *Ex veteri testamento.* HABITVS, *forma expansarum & eleuatarum manuum Moysi, in formam crucis vsque ad solis occubitum, stationem vsque ad serotinum tempus ieiunantium figurauit.* STATIONEM IMPERAVIT *dum ait, Iosue* 10. 12. Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. 70. Stet sol super Gabaon, & luna super vallem Ælon. Et stetit sol & luna in statione, donec vltus est Dominus inimicos eorum. PARTEM SOLIS, *quia stationem ipse seruauerat diu impastus.* MVNVS, *officium ieiunij.* 1. *Reg.* 14. 24. Adiurauit Saül populum dicens: maledictus vir qui mãducauerit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis: & non manducauit vniuersus populus panem: omneque terræ vulgus venit in saltum in quo erat mel super faciem agri. 70. *autem* maledicto obstringit populum dicens: maledictus homo, &c. & non gustauit omnis populus panem, & vniuersa terra prandebat. Et Iaal sylua erat Apiarii ad faciem agri. SORTE TRADVCTVS. 1. *Reg.* 14. 42. Mittite sortem inter me & inter Ionatham filium meum. Et captus est Ionathas. 70. iaciunt inter eum & inter Ionatham filium eius, & sorte capitur Ionathas. EXOMOLOGESIM. *Toto habitu, pœnitentiæ sacrificium Deo immolaret.* ET ADHVC, *&c. Dan.* 9. 21. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in visione à principio citò volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. *Sanct. Pagn. ex Hebr.* volans volatu tetigit me. 70. Tetigit me quasi horâ sacrificii vespertini. PINGVIOREM ORATIONEM. *Quasi sacrificium & victimam saginatiorem. De Daniele Augustinus Ser.* 65. *de temp. infra citando. De orationis pinguedine. Aug. Ser.* 172. *de temp.* Tunc erunt Deo accepta ieiunia si operibus sanctis fuerit expiata conscientia, &c. Cùm sit ieiunium animæ humiliatio, quale est humiliari cibo, & augeri peccato, &c. faces auaritiæ ardentes extinguat, latiusque vim dilectionis atque in alimentis pauperum abrupti apparatus, stipendia largiatur, &c. Hæc sunt quæ diuinam commouent pietatem, quæ ad impetrandam precibus sanctitatem semper aditum faciunt. Cæterùm si caput substernas, atque cineres desuper spargas, si denique collum tuum velut circulum torqueas, atque ad exorandam clementiam Dei largos fletus effundas, nihil proficis. Commouere enim diuinam non poteris pietatem, qui circa proximos tuos debitam neglexisti charitatem, &c. Hæc sunt quibus homo & refectus cibo frequenter impetrat quod exoptat, & ieiunans maiora præmia consequitur sanctitatis, &c. Imple ergo misericordiæ officia & sanctificasti ieiunia. Sagina pauperũ viscera & anima tua, muneribus sanctitatis pinguescit. Vesti nudum, & tua peccata contecta sunt. Peregrinum hospitio tuo contende suscipere, vt & te Deus in cœlum regno suscipiat. *Et in psalmum* 42. *inf. in verba Esa.* Frange esurienti panem tuum. Fructuosæ, inquit, erunt angustiæ tuæ; si alteri præstiteris latitudinem ecce fraudasti animam tuam: cui dabis, quod tibi abstuliſti? vbi pones quod tibi denegasti? quàm multos pauperes saginare potest intermissum hodie prandium nostrum? Ita ieiuna, vt alio manducante prandisse te gaudeas, propter orationes, vt exaudiaris. Ibi enim ait; adhuc loquente te, dicam, ecce adsum. Si fregeris ex animo esurienti panem tuum, quia plerumque fit à tristibus, & à murmurantibus, vt careant tædio interpellantis, non vt reficiant viscera indigentis, hilarem autem datorem diligit Deus. Si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti. Ergo ex animo fac, vt ille qui intus videt adhuc loquente te dicat, ecce adsum. *Sicut adhuc loquente Daniele statim adfuit Angelus cito volans*, quàm celeriter accipiuntur orationes bene operantium, & hæc iniitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemosyna, oratio, vis orationem tuam volare ad Deum: *vis eius Angelum citò ad te adolare petita referentem?* fac illi duas alas, ieiunium & eleemosynam: tales nos inueniat lux Dei, veritas Dei, cùm venerit liberare nos à morte, qui iam venit subire pro nobis mortem.

A

B

C

Aug.

5. Aug.

Digitized by Google

& iejunium Epulo. Si Statio facienda ſit, maritus *Gentilis* de die condicat ad balneas. Si iejunia obſeruanda ſunt, maritus eadem die conuiuium exerceat. *Latius autem multò patet, & ad plura ſe extendit Statio, quàm iejunium. Omnes enim Chriſtiani ævi Tertulliani, diebus Mercurij, & Veneris ſummo manè in Eccleſiam conuenichant, ibique cum lacrymis, iejuni, Genuflexi, orationi, & contemplationi vacantes, ſtabant; id eſt morabantur, & conſtantes permanebant uſque ad horam nonam; & ſacris peractis ſumptâ Euchariſtiâ ſtationem ſoluebant; & domum redibant. Porro ex eodem Tertull. lib. de Oratione.* Si ſtatio de militari exemplo nomen accepit; *more militum excubantium pro foribus Palatij, ſtabant in templo Chriſtiani. Cùm igitur Gentiles diluculo inirent balneas, vt Tertull. innuit Apol.42.* Non lauor dilucu'o, ſed lauor honeſta hora: *Ideo diſſuaſit, ne Chriſtiana fœmina nuberet gentili, petenti balneas diluculo, quo ad ſtationem ipſa de more vocabatur. Protrahi ſolebat ſtatio uſque ad horam nonam, quâ iuxta Epiphanium, & Tertullianum, Euchariſtia ſumebatur. Verba Epiphanij ſunt hæc:* Pro Synaxibus, quæ quartâ *ſupple* Feriâ, & pro Sabbato ad horam nonam fiunt; in die Dominica Matutinis horis Synaxes fiant. *Caſſianus lib.2.cap.17. & lib.4. cap.16. per Synaxem, Congregationem, Conuentum, & collectam intelligit fratrum. Albaſpinæus, Euchariſtia ſumptionem mauult, ne Tertulliano contradicat Epiphanius, dicens, Dominicis mane Synaxes fieri, Feriâ autem quartâ, & Sabbato, hora nona. Licet Tertullianus à ſtatione militari deducens exemplum, mallet eas ad Veſperam protrahere; ſicut ſum dicit:* In Exodo habitus ille Moyſi aduerſus Amalech orationibus præliantis, quæ in occaſum perſeuerans, nonne ſtatio fuit ſera? *Et cùm de Ioſue, Soli ſtationem imperante:* Ipſis elementis ſtationem imperauit, &c. ſtetit Sol medio cœlo, &c. inſtantem tandiu in officio, ſtationem etiam ſerâ longiorem. *Ieiunia porro ſtationum Tertullianus ſemi ieiunia appellauit. Et ſatis demonſtrat Montaniſtarum ſtationes & ieiunia ad ſerotinum uſque producta, vbi Pſychicis uſque ad nonam tantùm, in ſtationum diebus ieiunantibus inſultat ex veteribus exemplis:* poſſunt, inquit, æquè ſeræ ſtationis ex eodem rei ordine ſtatum figere, *decernere, ſtatuere,* vt ieiunemus, ad ſerum.

In ſtationibus etiam mos erat, genua flectere, vnde vtrumque coniunxit Tertullianus, in anguſtia ſtationes ieiuniis & genuflexionibus aſſerians: Geniculationibus, & ieiunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ. *Nec enim ſtatio, à ſtando in pedibus. ſed à commorando & conſtanter excubando, more militum deducta eſt. Orabant uſque ad nonam. Libro de ieiun. cap.11.* Orationes ſeræ hora nona concludebat de Petri exemplo. *Dies ſtationum vt iam vidimus, erant Mercurij & Veneris. De quibus Tertullianus frequenter:* Stationibus, inquit, quartam & ſextam Sabbati dicamus. *Epiph. in Compend. Doct. Chriſt.* Quarta & pro Sabbato ieiunium ſtatutum vſque ad horam nonam. *Et contra Ærium.* A quo non eſt aſſenſum in omnibus orbis regionibus, quod quarta, & pro Sabbato ieiunium eſt in Eccleſia decretum. *Petrus autem Alexandrinus de ieiunio quarta & ſexta feria ex traditione præcepto rationem reddit:* Quia quartâ initium de proditione Domini à Iudæis factum eſt, ſextâ autem, quod ipſe paſſus ſit pro nobis. *Locus difficilis Tertulliani lib. de Oratione enodatur ab Albaſpina vbi ait:* De ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interueniendum, quòd ſtatio ſoluenda ſit, accepto corpore Domini. Ergò deuotum Deo obſequium Euchari-

A ſtia reſoluit, an magis Deo obligat? Nonne ſolemnior erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris accepto corpore Domini, & reſeruato? Vtrumque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij. *Vbi primò per orationes ſacrificiorum, Miſſarum ſolemnia intelligit, in quibus poſt Communionem recitabantur quædam orationes. Secundò ſtationem ſoluendam credebant, actionem utpote luctuoſam, ſumpto corpore Domini quod debebat publica ſequi lætitia. Per deuotum obſequium, & executionem officij, ipſam ſtationem intellige. Subiicit vtrumque ſimul obſeruari poſſe, & ſtationem uſque ad finem orationum, & accepto à Diacono in manu corpore Domini, & reſeruato uſque ad finem orationum, & completa ſtationis, illud poſtea cum exultatione ſumendo, & ſic ſoluebatur ſtatio. Subiicit ex Actis Eruſtuoſi Martyris, eum feriâ quartâ &* B *ſextâ ſtationem ſolemniter celebraſſe, & recuſaſſe oblatum poculum horâ quartâ feriæ quartæ.* Igitur ſextâ feriâ, lætus atque ſecurus feſtinabat, vti cum martyribus & Prophetis in Paradiſo quem Dominus præparauit amantibus ſe, perſolueret ſtationem. *Id eſt, vt ſicut abſoluebatur ſtatio ſumpto Chriſto velato in Euchariſtia, ſic conſummato martyrio reuelatâ facie eidem uniretur. Tandem quod habet Tertull. lib. de Ieiun. cap.14.* Cur ſtationibus quartam & ſextam Sabbati dicamus, & ieiuniis Paraſceuem? *Sic intelligendum eſt, quod dimidia vt ait ieiunia, in communibus omnium hebdomadarum* præterquam à Paſchate ad Pentecoſten, *ſtationibus ſeruarent: Ieiunia autem ſolida & integra totis hebdomadæ ſanctæ diebus ad ſe-* C *rotinum uſque frequentarent. Vnde & hos dies, Paraſceuem dixit, quaſi præparatorios ad ſolemnitatem Paſcha, vt Paraſceue non ſit tantùm dies Veneris ſancti, ſed tota ſeptimana.*

APPENDIX EX SCRIPTVRA, Patribus, Conciliis de antiqua obſeruatione abſtinentiæ & Ieiuniorum.

Abſtinentiam ciborum eorumque delectum prima lex in Paradiſo lata auſpicata eſt: Præcepit ei dicens: ex omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali, ne comedas. *Leuit.* 11.2. 3. *& ſeq.* Quidquid ruminat quidem & habet vngulam ſed non diuidit eam, non comedetis, &c: Omne quod habet pinnulas & ſquamas, tam in mari, quàm in fluminibus & ſtagnis comedetis. *Item Leuit.* 10. 9. Dixit Dominus ad Aaron: vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu filij tui quando intratis in tabernaculum teſtimonij, ne morianuini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. Et vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatis quæ filios Iſrael omnia legitima mea, &c. *Item Num.*6.2. Vir ſiue mulier, cùm fecerint votum. *Chald. addit votum Nazarei:* 70. *quicumque magnè voluerit votum purificandi puritatem Domino.* Vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare: à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt, &c. *Sic & Angelus matri Samſonis dixit Iudic.*13. 7. *&* 13. Ecce concipies & paries filium; caue ne vinum bibas, nec ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex vtero matris ſuæ vſque ad diem mortis ſuæ. *Ierem.*35.14. Prævaluerunt ſermones Ionadab filij Rechab quos præcepit

filiis ſuis vt non biberent vinum: & non biberunt ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris ſui: ego autem locutus ſum ad vos de mane conſurgens & loquens, & non obediſtis mihi. *Sic & Daniel* 10.2. Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque vnguento vnctus ſum, donec complerentur trium hebdomadarum dies. *Ad hæc Gabriel de Ioanne prædixit Luc.*1.15. Erit magnus coram Domino, & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. *Matth.*3.4. Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & Zonam pelliceam ſuper lumbos ſuos. Eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſilueſtre. *Act.*15.20. *Iacobus in Concilio Ieroſolimitano poſt Petrum locutus, & Paulum, & Barnabam.* Ego inquit iudico non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur ad Deum: ſed ſcribe ad eos vt abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum, *Idolothytis*, & fornicationis, & ſuffocatis & ſanguine. *Rom.*14.21. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. *Paulus item perpetuò à vino abſtinuit vt notat Baronius Anno Chri.*58. *n.*49. *ex loco Act.*21.23. *vbi cùm veniſſet Ieroſolymam, ſuaſus eſt à fratribus.* Sunt nobis viri quatuor votum habentes ſuper ſe. *Syr. voto obnoxij, vt mundentur,* his aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis, *Syr. expende pro ipſis expenſas*, vt radant capita, & ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt: ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem, &c. Tunc Paulus aſſumptis viris poſtera die purificatus cum illis, intrauit in templum annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio. *Numerorum porrò* 6.13. *cerimonia deſcribitur nimirum vt abſtinerent à vino, caput raderent & finito tempore agnum anniculum & ouem anniculam & arietem immaculatum offerrent in templo cum caniſtro azymorum conſperſorum oleo, capilloſque deponerent, qui cremarentur vna cum ſacrificio pacificorum. Verùm cùm de tempore abſtinentiæ à vino lex non definiat, Ioſephus libro* 2. *de Bello cap.*15. *putat ex conſuetudine triginta dies fuiſſe præfinitos. Vnde liquet cùm Paulus ante diem tantùm admonitus eſſet, vt ſe purificaret, prorſus à vino abſtinuiſſe, & ſic omni tempore paratum eſſe potuiſſe ad hanc legem implendam; nec fictè & ſimulata ſanctitate cum cæteris Nazaræorum legem impleſſe.*

*Quantùm à ciborum abſtinentiâ alieni fuerint hæretici, de Valentinianis notat Irenæus lib.*1. *aduerſus hæreſes cap.*1. Intimoratè, inquit, omnia quæ vetantur, ipſorum perfecti operantur, de quibus Scripturæ confirmant, quoniam qui faciunt ea regnum Dei non hæreditabunt. Etenim Idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab iis putantes. *Et de Nicolaitis ibid. cap.*27. Indiſcretè, inquit, viuunt: pleniſſimè autem per Ioannis Apocalypſim manifeſtantur qui ſint, nullam differentiam eſſe docentes in mœchando & Idolothyton edere. *Epiphanius Hæreſi* 75. *refert Ærium neſquam lautiùs carnes quàm abſtinentiæ diebus eſſe. Auguſtinus libro de hæreſibus Hæreſi* 82. *de Ieuniano ætate ſua iuuenili orto.* Hic, inquit, omnia peccata ſicut Stoici Philoſophi paria
S. Aug. eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lauacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe ieunia, vel à cibis aliquibus abſtinentiâ. *Idem alibi notat Fauſtum Manichæum docuiſſe abſtinentiam ciborum eſſe diabolicum inuentum. Ipſe verò Lutherus Ser. de ciborum delectu diebus Veneris & Sabbat. & tota Quadrageſima carnibus veſci volebat potiùs quàm aliis diebus in odium Pontificis. Sic enim in ipſum inuehitur:* Ecce, inquit, quia tu carnis eſu mihi interdicis, & ex libertate mea præceptum facere conaris, ob eam maximè rem, & vt tibi doleat, iam veſcar carne.

Eccleſia tamen iuſtis de cauſis abſtinentias induxit ſicut in Concilio Viennenſi ſub Simplicio Papa circa annum Dom. 474. *à B. Mamerto Epiſcopo Viennenſi triduana Rogationum abſtinentia inducta eſt, ob multas Eccleſias & Palatia motu terræ euerſa, Regale Palatium, diuino igne ſuccenſum, lupos, vrſos, ac cernos, vrbem ingreſſos; & homines per totum annum deuorantes. Hanc diuinæ indignationis animaduerſionem ex offenſa omnium accidiſſe aduertentes Epiſcopi, communi conſilio decreuerunt ſeruari ieiunium, quod triduo ante Aſcenſionem Domini celebratur, ſicque tribulatio quieuit. Sidonius tamen Apollinaris lib.*5. *Ep.*4. *Rogationum diſciplinam collapſam, à S. Mamerto reſtitutam notat, ad quarum obſeruationem, Concil. Aurelianenſe eodem fere tempore celebratum, Canone* 29. *decreuit, per illud triduum ſeruos & ancillas ab opere relaxari, vt plebs vniuerſa conflueret ad Rogationum Litanias, inſiſtque omnes abſtinere carnibus. Et S. Auitus Viennenſis Epiſcopus in homilia Rogationum quæ habetur to.*7. *Biblioth. Patrum, teſtatur vniuerſam Eccleſiam vſum Rogationum poſt Concil. Viennenſe generale ſuſcepiſſe.*

*Patres iam ſi lubet in commendationem abſtinentiæ proferam, & Hieronymum quidem lib.*1. *Cont. Ionin.* Quod, inquit, nobis obiicit in ſecunda Dei benedictione comedendarum carnium licentiam datam, quæ in prima conceſſa non fuerat, ſciat quomodo repudium iuxta eloquium Saluatoris ab initio non dabatur: ſed propter duritiam cordis noſtri per Moyſem humano generi conceſſum eſt: Sic & eſum carnium vſque ad diluuium ignotum fuiſſe, poſt diluuium verò quaſi in eremo murmurantibus populo coturnices, ita dentibus noſtris neruos & virulentias carnis ingeſtas. Poſtquam autem Chriſtus venit in fine temporum & Omega reduxit ad Alpha. extremitatem retraxit ad principium. *Auguſtinus autem noſter tract.*73. *in Ioan. vbi de carnibus concupitis ab Hebræis in deſerto.* Quid eſt, inquit, quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam? Cùm videamus plerumque fideles eius petere, & non accipere. An fortè præterea quia malè petunt? Nam hoc exprobrauit Apoſtolus Iacobus cap.4. dicens: petitis & non accipitis eo quòd malè petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Malè ergo vſurus eo quod vult accipere, Deo potiùs miſerante non accipit. Proinde ſi hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur exauditus, magis metuendum eſt, ne quod poſſet non dare propitius, detiratus. An non vidimus Iſraëlitas malo ſuo impetraſſe, quod culpabili concupiſcentiâ petierunt! Concupierant enim carnibus veſci quibus pluebatur manna de cœlo. Faſtidiebant quippe quod habebant, & quod non habebant, impudenter petebant: quaſi non melius peterent, non vt cibus qui deerat indecenti deſiderio præſtaretur, ſed vt ille qui aderat, ſanato faſtidio, ſumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potiùs Deum vt delectent bona, quàm vt concedantur mala. Non quia malum eſt carnibus veſci, cùm de hac re loquens Apoſtolus dicat; Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abiiciendum quod cum gratiarum actione accipitur. 1. Tim.4. Sed quia ſicut idem ipſe ait, Rom. 14. malum eſt homini qui per offendiculum manducat. Et ſi per hominis offenſionem, quantò magis Dei? Cuius in Iſraëlitis non parua erat offenſa repudiare quod dabat ſapientia, & peteret id

quod inhiabat concupiſcentia: quamuis illi nec peterent, ſed quia deerat, murmuraret. Sed vt ſciremus non Dei creaturam eſſe culpabilem, ſed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatem, non propter pomum; ſed propter pomum, mortem primus homo inuenit: & Eſaü primatus ſuos, non propter gallinam ſed propter lenticulam perdidit.

Subiiciam hîc & noſtrum Fulgentium ex Monacho factum Epiſcopum Ruſpenſem, qui & iuxta Auguſtinum Monachos aſſumpſit in clerum, vt ſic ad Eccleſiaſticam hierarchiam pertinerent; quorum abſtinentiam pulchrè commendat. De eo Author vitæ eius tom.6. bibliothecæ Patrum parte prima cap.29. ſic ſcribit eius Diſcipulus: Conſiderans prouidus, ne quod ſerui Dei ſimplices præiudicium poſtea paterentur: obicem contradictionis, in hac Scriptura ſuis ſucceſſoribus apoſuit, quia vtilitati monachorum ſeruientium Deo nihil præpoſuit, &c. Clericorum verò ſi qua defuerunt miniſteria reparans, probatos ſibi multos ex Fratribus Monachis, ad Eccleſiaſticam militiam tranſtulit. Ibi quoque charitati conſulens, vt dum penè omnes Clericos ex illo Monaſterio ordinat, antiquæ familiaritatis monente notitiâ, nulla his aliquando inter Monachos & Clericos ventilaretur. *De earum abſtinentia ipſemet Fulgentius Libro de fide ad Petrum cap.3.* Peccata, inquit, quantò in rebus licitis; & à Deo conceſſis frequenter hominibus ſubrepunt: & quantò magis fortioribus cibis corpus impletur, & carnalibus cor hominis actibus, affectibuſque implicatur; tantò frequentior culpa in hac mortalitate contrahitur. Propterea humiles ſerui Chriſti qui cupiunt Domino ſuo ſine impedimento, & abſque animi noxia occupatione ſeruire, coniugia omnino non appetunt, & à carnibus ac vino abſtinent, *attende verba expreſſa Regulæ Auguſtini quã ipſe ſeruabat*, in quantùm corporis valetudo permittit: non quia peccatum eſt aut coniugem habere, aut vinum carneſve percipere: Nam & B. Apoſtolus dicit: quia omnis creatura Dei bona eſt, &c. coniugium quoque in primis hominibus Deus inſtituit & benedixit: propter quod Apoſtolus ait: honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Igitur ſerui Dei in eo quod à carnibus & à vino abſtinent, non tanquam res immundas refugiunt, ſed mundioris vitæ inſtituta ſectantur. *Et ibidem cap.42.* Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam Dei bonam eſſe, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: & Dei ſeruos qui à carnibus aut vino abſtinent, non tanquam immunda quæ à Deo facta ſunt reſpuere, ſed à fortioti cibo & potu, pro ſola caſtigatione corporis abſtinere. Nuptias quoque diuinitus inſtitutas & benenedictas: & meliùs quidem, ſiquiſquam ſine coniugio ſit, vt liberiùs atque plenius cogitet quæ ſunt Dei quomodo placeat Deo: tamen illis qui continentiam non vouerunt, nullum eſſe peccatum ſi vel mulier nubat, vel vir vxorem ducat. Nec ſolas primas nuptias à Deo inſtitutas, ſed etiam ſecundàs & tertias, pro eorum qui ſe continere non poſſunt, infirmitate conceſſas. Eis verò qui ſiue coniugati, ſiue à coniugio liberi continentiam Deo vouerunt, admodum eſſe damnabile, ſi vel illi coniugale opus voluerint appetere, quò ſe non acceſſuros, vel illi repetere, à quo, ſe receſſuros, illi liberà, illi communi profeſſi ſunt voluntate.

Videndi Patres Græci & inter eos Chryſoſtomus Homilia 2. in Geneſim Ser.2. de ieiunio Homil.6. ad populum Antioch. Cyril. Alex. lib.7. Cont. Iulianum. Cyril. Ieroſol. Catech. 4. Theoph. Alex. Homil. 3. in Pascha. Theodoretus in Epitome diuinorum decret. cap. de abſtinentia, & rurſum in Hiſtoria Patrum cap. 26. de Simeone Stelite. Vbi narrat de quodam Iſmaëlita converſo, obſtricto voto perpetuæ abſtinentiæ à carnibus, cui mus in ore eius mutata eſt in lapidem. Epiphanius Hæreſi 75. Si oportet, inquit, etiam conſtitutionem Apoſtolorum proferre, quomodo illic decreuerunt quarta & pro Sabbato ieiunium per omnia exceptâ Pentecoſte & de ſex diebus Paſchatis, *id eſt ante Paſcha*, quomodo præcipiunt nihil omnino accipere, quàm panem, ſalem, & aquam, qualemque diem agere, & quomodo dimittere in illuceſcentem diem Dominicam manifeſtum eſt. *Quod & repetit in Compendiaria Doctrina.*

Pudeat ſanè fideles legentes infidelium abſtinentiam. Siquidem Dicearchus in libris antiquis. & deſcript. Græciæ, refert ſub aureo Saturni ſæculo, quo humus omnia ſponte funderet, nullum ediſſe carnes, ſed ſolis terra vixiſſe fructibus vltrò natis. Xenophon in vita Cyri, narrat Perſas ſolo pane, ſale, leguminibus, victitaſſe. Chæremon Stoicus in vita veterum Sacerdotum Ægypti, ſcribit eos ova & lac ut carnes vitaſſe; Quod alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicerent mutato colore. Cleantes Cizyceuus, & Aſclepiades Cyprius, orientales ſub Pigmaleone Rege prorſus abſtinuiſſe carnibus.

Eubulus in Hiſtoria Mythræ, magorum doctiſſimos Perſas ſolâ farinâ & oleo vixiſſe. Bardeſanes Babylonius: Samaneos Gymnoſophiſtas vel pomis, vel oryza vel farina vti pro cibo. Euripides in Creta Vates Ionis non ſolùm carnibus, ſed & cunctis cibis cœlis abſtinuiſſe. Ioſephus lib.2. capt. Iud. & lib.18. antiq. & lib. cont. Appionem Eſſenos mirificè laudat quod ab vxoribus, vino, carnibus, ſemper abſtinuerint, & quotidianum ieiunium verterint in naturam.

Quadrageſimæ ſtrictam obſeruantiam commendat Canon.69. Apoſtolorum. Si quis Epiſcopus, vel Preſbyter vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor, ſanctam Paſchæ quadrageſimam non ieiunauerit; vel quartam diem, vel Paraſceuen, præter quàm ſi per imbecillitatem corporalem impediatur, deponetur: ſi ſit autem Laicus, ſegregetur. *Vnde Hiero. in Epiſt. ad Marcellam, ſcribens contra Montanum triplicis quadrageſimæ obſeruatorem:* Nos, inquit, vnam quadrageſimam, ſecundùm traditionem Apoſtolorum, tempore nobis congruo ieiunamus. *S. Leo. Ser. de Quadrageſima.* Apoſtolica, inquit, inſtitutio quadraginta dierum ieiuniis impleatur. *Cauſam primam huius ieiunij cenſent Ignatius Epiſt. ad Philipp. Baſilius Orat. 1. de ieiun. Greg. Naz. Orat. in S. Lauacrum. Hier. in caput 58. Eſa. vt Chriſto capiti noſtro conformemur. Secundam ait S. Leo Ser. 4. de Quadrageſima; vt totius anni delicta hac pœnitentiâ purgemus. Tertiam ſubiicit Chryſoſt. Homil.1. in Gen. & Hiero. in caput 3. Ioua. vt ad communionem Paſchalem nos diſponamus. Concilium Nicænum, & Laodicenum, Ignatius in Epiſt.8. ad Philip. Irenæus in Epiſt. ad Victorem, Orig. Homil.10. in Leuit. Athanaſius in Epiſt. ad Orthodoxos. Baſil. Orat. 2. & Nyſſenus Orat. de Ieiunio. Ambr. Libro 1. de Noë & Arca. Hiero. in cap. 58. in Eſaiam. Alique Patres quadrageſimam commendant. Nec prætereo rem notatu dignam pro obſeruantia quadrageſimæ, quam refert Nicephorus lib.17. cap.31.* Cùm fames Biſantij increbuiſſet, rerum neceſſariarum inopiâ, Imperator Iuſtinianus ſecundâ ſtatim imperij hebdomadâ carnes in foro venales proponendas promulgauit, & hoc quidem ſic per vim actum. Populus autem qui pietatem ſibi conſectandam ſtatuiſſet, neque eas emebat, neque edebat: mortem ſibi potius adeundam cenſens, quàm vt quicquam de patrijs moribus, ac traditionibus mutaret.

Extat Epistola Decretalis Telesphori Papæ distinct. 4. cap. statuimus, quâ statuit 7. hebdomades plenas ante sanctum Pascha Clericos omnes a carnibus ieiunare. Liberium item Papa decreuit in diebus ieiuniorum nullas lites, nullas contentiones esse debere, sed in Dei laudibus & opere necessario perstiendum, & iuxta Esaiæ 58. noluit debita in Quadragesima exigi. Ecce in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Et debitores vestros expetuis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis. *Voluit etiam hoc tempore abstineri à coniugibus.* Quia, inquit penè nihil valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, Vigiliæ, & Eleemosinæ non commendant. *Bracharense Concilium 2. Can. 9. & habetur de consecratione dist. 3.* Placuit adueniente Natalis Domini die adstanti populo post lectionem Euangelicam, nuntient vt introitum quadragesimæ nullus ignoret: in cuius principio conuenientes in vnum vicinæ Ecclesiæ per triduum cum Psalmis per Sanctorum Basilicas ambulantes, celebrent Litanias. Tertio autem die celebratis horâ nonâ sine decimâ missis, dimisso populo præcipiant Quadragesimæ seruare ieiunia. *Et in Concilio Toletano 8. Can. 9.* Quisquis sine incuitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit resurrectionis Dominicæ, verùmetiam alienus ab eiusdem diei sancta Communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore, ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi verò quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm à Sacerdote permissum percipiant. *Concilium Agathense Canone 12.* Placuit etiam, vt omnes Ecclesiæ filij, exceptis diebus Dominicis, in Quadragesima etiam die Sabbato Sacerdotali ordinatione, & distinctionis comminatione ieiunent. *Indicitur idem in Concil. Aurelianensi 4. can. 2.*

Quatuor verò temporum ieiunium delineatum est. Zach. 8. 19. Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi, erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in solemnitates præclaras: veritatem tantùm & pacem diligite. *Calixti autem Papæ extat decretum distinct. 76. ex Epist. 1. eius ad Benedictum Episcopum, quo* constituit ieiunium quatuor temporum propter fructuum terræ abundantiam iuxta prophetiam Zachariæ. Quia sicut replemur à Domino, frumento, vino, & oleo ad alenda corpora, sic repleamur ieiunio ad alendas animas. *Sed hoc Apostolicâ traditione acceptum renouauit. De ieiuniis Vigiliarum consule menologia græca, Martyrologia Romana, & Patrum homilias in Vigilias Sanctorum. Regula porrò ab Augustino tradita, & hic obseruationibus ieiuniorum ex Apostolica traditione venientium, attendenda est, libro 4. de Baptismo cap. 23.*
6. Aug: Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur. *Vide alibi dicta ex eodem. Epist. 118. ad Ianuarium. & 86. ad Casulanum.*

De ieiunio quartæ & sextæ feriæ mentionem facit S. Ignatius martyr Epist. 8. ad Philipp. circa finem, tomo 1. Biblioth. Patrum. Si quis, inquit, castè, si quis continenter viuit, non extollatur, ne perdat mercedem suam. Festiuitates ne dehonestetis: quadragesimale ieiunium ne spernatis, continet enim exemplum conuersationis Dominicæ. Post Passionis Dominicæ hebdomadam, *id est post Pentecosten & septem septimanas à Pascha*, ieiunare quartis & sextis feriis ne negligatis, ciborum reliquias pauperibus elargientes. Si quis Dominicam diem, aut Sabbatum, vnò excepto, *hoc est Vigilia Paschatis*, ieiunarit, hic Christi interfector est. *Postea tamen Latina Ecclesia ieiunium quartæ feriæ transtulit in Sabbatum. Rationem reddit Augustinus Epist. 86. ad Casulanum ex aliquorum sententia, quam & confirmat Cassianus Collat. 3. cap. 10.* Petrus Apostolorum caput, cœli ianitor, & Ecclesiæ fundamentum; extincto Simone qui fuerat diaboli non nisi ieiunio vincendi figura, idipsum Romanos edocuit, &c. Est quidem & hæc opinio plurimorum, quamuis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quòd Apostolus Petrus cum Simone mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum pridie eum eiusdem vrbis Ecclesia ieiunauerit, & consecuto tam prospero glorioſoque successu eundem morem tenuerit, eumque imitatæ sint, nonnullæ, occidentis Ecclesiæ, &c. Interminabilis, inquit, est ista contentio generans lites non finiens quæstiones. *Sed Innocentius in Epist. ad Decentium cap. 4. causam ieiunij Sabbati refert ad luctum Apostolorum qui ob metum Iudæorum conclusi ieiunauerunt. Hinc Socratis lib. 5. cap. 22. & sexta Synodi Canone 55. suppositum mendacium commenticur, quo scribitur Roma in Quadragesima solitos ieiunare fideles exceptâ Dominicâ, & Sabbato præscripto a Romano ieiunio Sabbati. Quod ieiunium commendat Concilium Eliberitanum Canone 26. & Agathense Canone 11. Quod & plerique occidentales Ecclesiæ obseruarunt. Cæterum Hiero. Epist. 18. Ambr. apud August. Epist. 86. circa finem circa hoc ieiunium morem cuiusque Ecclesiæ seruandum docent.*

Porrò cùm Ignatio, & Canon Apostolicus 55. & Clem. Rom. 7. constit. 24. ieiunium Sabbati execrantur: quòd multi sub Ignatio hæretici in oriente, post Simonem Magum, Menandri, Saturnini, Basilidæ, Cherinthi, atque Carpocratis eiusdem Ignatij sectarij, quibus Cerdon, Marcion, & alij, vt notat Epiphanius pluribus locis, successerunt; Deum Hebræorum, mundi & legis auctorem malum esse dicebant; Christumque venisse vt eum destrueret: atque adeò quòd Deus ille die Sabbati quieuisset, & Iudæi hunc diem in eius honorem lætum agerent; ipsi contra in eius contemptum ieiunarent. Vnde & fideles orientales in detestationem istorum hæreticorum Sabbatum festiuè agebant, sicut & Dominicum. Malim tamen Ignatio execranti Sabbato ieiunantes tanquam interfectores Christi, Iudæos intelligenti subscribere. Ipsi enim propriè, Christum interfecerunt Sabbati cultores. Quarta tandem diei & sexta ieiunium, illud in commemorationem Christi venditi, hoc verò crucifixi, Apostolicâ authoritate traditum satis testantur antiquissimi auctores, qui eorum meminerunt, Ignatius, præcitatâ Epistolâ, Tertullianus lib. de Ieiunio, Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. vltra med. Orig. Homil. 10. in Leuit.

IEIVNIORVM OBLIGATIO.

1. Ieiunia, vel à Deo edicta, vel ex voto liberè ſuſcepta, obligant. De Ieiun. cap. 11. à p.

SEd & illud in medio eſt, quædam ex his officiis à Deo homini imperata, legem conſtituiſſe; quædam ab homine Deo oblata, votum expunxiſſe: tamen & votum, cum à Deo acceptatum eſt, legem in poſterum facit, per auctoritatem acceptatoris: exinde enim faciendum mandauit, qui factum comprobauit.

IEIVNIA VEL A DEO, &c. SCHOL. I.

IN MEDIO. *In conſpicuo. Certum ac manifeſtum eſt.* EX HIS OFFICIIS. *Operibus pijs & auſteris, quibus carnem noſtram hoſtiam viuentem Deo exhibemus.* OBLATA, *ſponte.* VOTVM EXPVNXISSE. *Impleuiſſe partes voti. Quod quidem antequam voueatur, liberum eſt: cùm autem nuncupatum eſt Deo, & ab eo acceptatum, non minus obligat quàm lex.* FACIENDVM MANDAVIT. *Cùm per Pſalten præcepit:* Vouete & reddite, &c. *Auguſtinus in Pſal. 75.* Quiſque quod poteſt voueat, & reddat. Non voueatis, & non reddatis, ſed quiſque quod poteſt voueat & reddat; non ſitis pigri ad vouendum, non enim viribus veſtris implebitis; deficietis, ſi de vobis præſumitis: ſi autem de illo cui vouetis, vouete, ſecuri reddetis, &c. Quiſque quod vouere voluerit, voueat; illud attendat, vt quod vouerit, reddat, &c. aſpice eum qui te ducit, & non reſpicies retrò vnde te eduxit. Qui te ducit, ante te ambulat: vnde te eduxit, poſt te eſt. Ama ducentem, & non te damnat retrò reſpicientem. *Et in Pſal. 55.* In me ſunt Deus vota tua quæ reddam. Vouete, inquit, & reddite Domino Deo veſtro. Quid voueatis, quid reddatis? An fortè animalia illa quæ offerebantur ad aras aliquando? *Pingues victimas. Imò hoſtiam tam macilentam ieiuni corporis*, nihil tale offeras. In te eſt quod voueas & reddas de cordis arca profer laudis incenſum, de cellario bonæ conſcientiæ profer ſacrificium fidei. Quidquid profers, accende charitate.

Aug. S. Aug.

2. Ieiunandum eſt ob doctrinam & exemplum Chriſti. De Ieiun. cap. 15. à m. ad f.

DOminum quoque quàm indignè ad tuam libidinem interpretaris paſſim manducantem & bibentem. Sed puto quòd etiam ieiunarit, qui beatos, non ſaturatos, ſed eſurientes & ſitientes, pronuntiarit; qui eſcam profitebatur, non quam diſcipuli exiſtimarunt, ſed paterni operis perfectionem, docens operari eſcam, quæ permanet in vitam æternam; in ordinaria etiam oratione panem mandans poſtulandum, non & Attalicas diuitias. Sic & Eſaias, nõ negauit Deum elegiſſe jeiunium, ſed quale non elegerit, enumerauit.[a] *In diebus enim* inquit, *ieiuniorum veſtrorum inueniuntur voluntates veſtræ, & omnes ſubiectos vobis fœcutitis, aut ad conuitia & lites ieiunatis, & cæditis pugnis, non tale ieiunium ego elegi*; ſed quale ſubjecit, & ſubjiciendo non abſtulit, ſed confirmauit. Nam & ſi mauult opera juſtitiæ, non tamen ſine ſacrificio; quod eſt anima conflictata ieiuniis.

Matth. 11. 19. Matth. 4. 2. Matth. 5. 6. Ioan. 4 32. Ioan. 6. 27. Matth. 6. 11. & Luc. 11. 3.

[a] Eſa. 58 3.

IEIVNANDVM EST OB DOCTRINAM, &c. SCHOL. II.

DOMINVM. *Chriſtum*, AD TVAM LIBIDINEM. *pro libito, vel ad ſaturandam gulam, & regendam pratextu exempli eius frequenter cum Publicanis & peccatoribus manducantis.* ESCAM PROFITEBATVR, *dum ait Apoſtolus:* Cibum habeo manducare quem vos neſcitis. PATERNI OPERIS. Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei. DOCENS OPERARI. Operamini cibum non qui tranſit, ſed qui permanet in vitam æternam, *de quo ſic Auguſtinus tract. 25. in Ioan. 6.* Quæritis, inquit, me propter aliud, quærite me propter me. Seipſum chariſſimi, Dominus inſinuat cibum iſtum, quod in ſequentibus illuceſcit, quem filius hominis dabit vobis: expectabas credo iterum panes manducare, iterum diſcumbere, iterum ſaginari: ſed dixerat, cibum non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Hunc enim Pater ſignauit Deus. Quid eſt ſignauit? Proprium quiddam illi dedit, ne cæteris comparetur hominibus, &c. Itaque nolite me contemnere, inquit, quia filius ſum hominis, *cum hominibus manducans, ſed & ieiunandi exemplum præſtans*, & quærite à me cibum, *per meritum ieiunij orationis comitis*, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Sic enim filius hominis ſum, vt non ſim vnus ex vobis. *Quia non eſt humana perſona mea, ſed à Patre meo genita & ſignata eius imago.* Sic ſum filius hominis, vt Pater Deus me ſignaret. Quid eſt ſignaret? Proprium aliquid mihi daret, quo non confunderer cum genere humano, ſed per me liberaretur genus humanum. *Cibus porrò permanens in vitam æternam, eſt iuſtitia cibus & potus, quem qui eſurit eſt beatus, vtpotè manducaturus panem in regno Dei, ſaturandus, & torrente voluptatis inebriandus. Iuſtitia autem eſt, Deo ieiunia imperanti, Chriſto eius filio exemplum ieiunij præbenti, obtemperare.* IN ORDINARIA, *oratione Dominica.* NON ATTALICAS. *Ditiſſimus quippe fuit Attalus. Nec ſuperfluæ impendenda gulæ, ſed neceſſaria vitæ à Deo poſtulare iubemur.* ESAIAS. *cap. 58. 3.* Quare ieiunauimus & non aſpexiſti? Humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? *Scientiâ approbationis, non probaſti*, ecce in die Ieiunij veſtri, inuenitur voluntas veſtra, 70. *Inuenitis voluntates veſtras, & omnes ſubiectos veſtros affligitis*, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & cõtentiones ieiunatis, percutitis pugno impiè, nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo, *in cælo*, clamor veſter. Numquid tale eſt ieiunium quod elegi per diem affligere hominem animam ſuam? SED QVALEM VBIECIT. *Supple elegit, de quo verſu 6. ſuprà relato à nobis.* SI MAVVLT. Diſcite quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium. *Miſericordia enim & iuſtitia appellatur:* Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius, manet in ſæculum ſæculi. *Non tamen excludit ſacrificium immolatæ ieiunio carnis, quod ſit acceptius & pinguius, dum quod ſub-*

Aug.

Digitized

4. *Ieiunia ad Dei cultum, & placandum numen, Iudæi, & Gentiles indixerunt. De Ieiun. cap. 16. in m.*

NAm & Iohel exclamauit, a *Sancite ieiunium, & prædicate curationem*; prospiciens jam & tunc & alios Apostolos & Prophetas sancituros jeiunium, & prædicaturos officia curantia Deum. Vnde & qui in idolis comendis, & in aris ornandis, & ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur. Sed & omnem, τὸν παντοκράτορα, ethnici agnoscunt. Cùm stupet cœlum & aret annus, nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retrò auertunt, precem indigitant, hostiam instaurant. Apud quasdam verò colonias præterea annuo ritu saccis velati, & cinere consperfi idolis suis inuidiam supplicem obiiciunt, balnea & tabernacula in nonam vsque cluduntur. Vnus in publico ignis apud aras, aquæ nec in lancibus. Niniuiticum credo iustitium. Iudaïcum certè ieiunium vbique celebratur, cùm omissis templis per omne litus quocunque in aperto aliquando jam precem ad cœlum mittunt; & licet cultu & ornatu mœroris munus infament, tamen fidem abstinentiæ adfectant, & stellæ auctoritatem demorantis suspirant. Sed benè, quod in nostris xerophagiis blasphemias ingerens, Casto Isidis & Cybeles eas adæquas. Admitto testimonialem comparationem. Hinc diuinam constabit, quam diabolus diuinorum æmulator imiratur. Ex veritate mendacium struitur, ex religione superstitio compingitur. Hinc tu eò irreligiosior, quantò ethnicus paratior. Ille denique idolo gulam suam mactat, tu Deo non vis.

a Ioel. 1. 14. & 2. 15.

Ion. 3. 5.

IEIVNIA AD DEI CVLTVM, &c. SCHOL. IV.

SANCITE IEIVNIVM *Ioel.* 1. 14. Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes. 70. Sanctificate ieiunium, prædicate curationem. *& cap.* 2. 15. Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum. 70. *vt supra*, prædicate curationem. *Siue ieiunium curandis corporis & animæ morbis proficiat, siue Dei negotia procuret, & eius nobis gratiam imploret.* ALIOS APOSTOLOS ET PROPHETAS. *Montanum insinuat, suasque Prophetissas, Priscam, & Maximillam, aliosque eius Discipulos,* IDOLIS COMENDIS, *poliendis, excutiendis à pulnere.* CVRATIONEM FACERE, *proprium adilium opus. Et nostri parochi curati vocantur.* ETHNICI AGNOSCVNT. *Approbant & frequentant, ieiunij fructum sapientes.* STVPET COELVM. *Velut ferreum, nec rorem nec pluuiam aspergit terra* NVDIPEDALIA. *Supplicationes indicunt nudis pedibus obeundas.* RETRO AVERTVNT. *Non iam precedente Lictore & fasce, omnem fastum deponunt ab eo auersi.* PRECEM INDIGITANT, *digito monent, vel exemplo placandum numen precibus.* COLONIAS. *Populi Romani vel Africani.* INVIDIAM SVPPLICEM. *Pronoluti, affectato luctu, dijs suis videntur excitare Zelum, vt præ aliis cultis, se etiam præ ceteris populis iuuent. Adeo cibo abstinent vt nullus ad coquendas carnes domi accendatur ignis, vnus sit omnibus communis vel in templi lampadibus, vel, in aris. Adeo vacua obsonijs lances, & aridæ, vt nec in eas fundatur aqua.* NINIVITICVM IVSTITIVM. *Id est: diceres huiusmodi Gentiles in hac sui victus restrictione, observare cessationem ab omni cibi & potus genere, quo magis Deorum suorum iram sibi concilient. Iustitium autem quasi iuris Statio est & inhibitio. Quod verbum licet olim publicam iuris cessationem significaret, quo tempore lege agi non poterat, nec tria verba Praturi dicere licebat:* Do, dico, addico. *Potest tamen & priuatam iuris cessationem moribus nostris significare, vt censet Budeus. Iustitium ergo est, quas vulgus vocat,* vacantias. *Hac voce rursum vsus est Tertullianus libro de Resurrectione vbi ait.* Iustitium est. *Id est quies rerum omnium, motus cælorum, productionis terræ, &c.* OMISSIS TEMPLIS. *Cùm diruto Ierosolymitano, vbique vagi, sine templis sub dio erant.* MVNVS INFAMENT. *Sacrificium orationis suæ publicent, cultu inculto, & veste lugubri.* FIDEM ABSTINENTIÆ. *perseuerant in abstinentia à cibis immundis.* STELLÆ DEMORANTIS. *Expectant cibum sumere donec Sydus*

A *vespertinum affulgeat, & interim ieiuni & lugentes suspirant.* INGERENS. *Benè nobiscum agitur quod ea psychice congerat in nos maledicta propter Xerophagias fideliter obseruatas, & nostram Monogamiam, cultumque Dei castum, Isidis Ægypti dea, & Cybeles magnæ deorum matris, sacris & castis ritibus compares; vel per* CASTVM *intelligit castratũ Atyn.* DIVINAM CONSTABIT. *Eo ipso patebit, institutum nostrum diuinum esse & non humanum inuentum, quòd æmulator Dei in omnibus diabolus, etiam affectet diuina imitari in suis prophanis sacris.* TV IRRELIGIOSIOR. *Te inquit, psychico in Dei veri cultu superat Ethnicus, licet dæmonis cultor, quòd ad quamlibet, & cibi, & coniugij abstinentiam sit te paratior, gulam suam falso Deo seu victimam immolans, quam tu recusas Deo. August. Aptissimè in Tertulliani factum, ab vnitate Ecclesiæ diuisum licet*

B *continentem & abstinentem inuehitur, eius similes schismaticos vellicando.* Cùm ex nobis omnibus tanquam membris corpus sibi faciat, quod corpus habeat vnum caput ipsum Dominum & Saluatorem: tu contra diuellis te à membris Christi, non amas vnitatem, &c. *Deinde confundit exemplo membrorum, & ipsorum capillorum:* Si malè, inquit, te tondeat, irasceris tonsori, quia in capillis tuis non seruat æqualitatem, & tu in membris Christi, non tenes vnitatem, &c. loquuntur viscera tua, membra tua contra te, dicunt verum testimonium, & tu falsum contra membra Christi. Discreuisti te à ieiunio Paganorum. Hoc putas, & ideo securus tibi videris. Ego enim, inquis, Christo ieiuno; illi autem Idolis & dæmonijs. Accipio quod dicis, & reuerà non nego;

C discretũ est, &c. Et ipsi pagani à quibus separas ieiuniũ tuũ, admoneant te aliquid de vnitate Christi tui. *Disce ab eis in Deorum cultu, congregatis, non te segregare à corpore Christi quod est Ecclesia. Quod autem dæmones inuidi propria Dei in templis vsurpent, vide quod idem habet in Psal.* 93. Dæmonibus templa fabricata sunt, dæmonibus aræ constructæ, dæmonibus Sacerdotes instituti, dæmonibus oblata sacrificia, dæmonibus arreptitij tanquam vates instituti. Hæc omnia dæmonibus gentes exhibuerunt, hæc omnia vera non nisi vni magno Deo debentur, &c. Etenim illi dæmones volentes videri dij, non sibi ista exegerunt vt fallerent, nisi quia sciunt ea deberi vero Deo, quod sibi exigit falsus Deus. *De turpitudine Sacrorum*

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug. *Cybeles magnæ matris Deorum idem Aug. lib. 7. de Ciuit. cap. 26.* De mollibus, inquit, eidem matri magnæ contra omnem virorum mulierumque verecundiam consecratis, qui vsque in hesternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu fœmineo per plateas vicosque Carthaginis etiam à populis vnde turpiter viuerent, exigebant, nihil Varro dicere voluit, &c. defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. Vicit matris magnæ omnes Deos filios, non numinis magnitudo, sed criminis. Huic monstro nec Iani monstrositas comparatur. Ille in simulacris habebat solam deformitatem ista in sacris deformem crudelitatem. Illa membra in lapidibus addita, *ob bifrontem, trifrontem, quadrifrontem Ianum*, hæc in hominibus A perdita. *Castrabantur enim in eius honorem & paulo infrà.* Vt canerentur vel scriberentur, audacia fit vel petulantia Poëtarum. Vt verò diuinis rebus & bonoribus, eisdem imperantibus & extorquentibus numinibus adderentur, quid est nisi crimen deorum, imò verò confessio dæmoniorum, & deceptio miserorum? &c. verum illud quod de abscisorum consecratione mater deorum coli meruit, non Poëtæ confinxerunt, sed horrere magis quàm canere maluerunt. Hisne diis selectis quisquam consecrandus est, vt post mortem vinat beatè, quibus consecratus ante mortem honestè non potest viuere, tam fœdis superstitionibus subditus, & immundis dæmonibus obligatus? Aug.

IEIVNII EFFECTVS EXCELLENTES.

* *1. Ieiunium frænum est gulæ. De ieiun. cap. 2. à p. V. V. Ieiun. oblig. num. 3.*

Agnosco animalem fidem studio carnis quâ tota constat, tam multiuorantiæ quàm multinubentiæ pronam. vt meritò spiritalem disciplinam pro substantia æmulam, in hac quoque specie continentiæ accuset; proinde gulæ frenos induentem per nullas interdum, vel feras, vel aridas escas, quemadmodum & libidini per vnicas nuptias.

IEIVNII EFFECTVS, &c. SCHOL. I.

ANIMALEM FIDEM. *Nos hîc pungit, quos dixit psychicos siue Animales; vnde & fidem & disciplinam Ecclesiæ Romanæ sibi finxit animalem, sicut suam tota substantia spiritalem, à Paracleto inspiratam, nîstraque aduersam. Quasi nulli alij studeremus quàm multimodæ gulæ & voracitati, sicut & polygamiæ.* SPECIE CONTINENTIÆ. *Temperantiæ & refrenationis gulæ, quam præsumit multâ abstinentiâ & ieiunio Montanistas domuisse, vt & libidinem per primum & vnicum Matrimonium. Non aliter cum Iouiniano suisque sectatoribus egisset Tertullianus, si suo vixissent tempore, contra quos scripsit Augustinum sua ætate exortos. Sic enim libro 2. retract. cap. 22.* Iouiniana, inquit, hæresis sacrarum Virginum meritum æquando pudicitiæ coniugali, tantum valuit in Vrbe Roma, vt nonnullas etiam Sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla præcesserat, deiecisse in Nuptias diceretur; Hoc maximè argumento cùm eas vrgeret dicens; tu ergo melior quàm Sara, melior quàm Susanna, siue Anna? & cæteras commemorando testimonio Sanctæ Scripturæ commendatissimas fœminas, quibus se illæ meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorũ sanctorum sanctum cœlibatum, commem oratione Patrum coniugatorum & prædicatione frangebat. Huic monstro sancta Ecclesia quæ ibi est, fidelissimè ac fortissimè restitit. Remanserãt autem istæ disputationes eius in quorundam sermunculis ac susurris, quæ palàm suadere nullus audebat. Sed etiam occultè venenis repentibus, facultate quã donabat Dominus, occurrendum fuit: maximè quoniã iactabatur Iouiniano responderi non posse, cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum. Propter hoc librum edidi, cuius inscriptio est, de bono coniugali, &c. *De eiusdem Iouiniani hæresi tractat to. 6. libro de hæresibus. Hæresi 82. vbi eadem repetit, additque, omnia cum Stoicis, peccata æqualia, beatissimam Virginem corruptam in partu*; Nec aliquid prodesse ieiunia, vel à cibis aliquibus abstinentiam, &c. Non sanè ipse vel habebat, vel habere volebat vxorem: quod non propter aliquod apud Deum maius meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum, sed propter præsentem prodesse, necessitatem, hoc est ne homo coniugales patiatur molestias disputabat. *Loco autem retractationum præcitato, vtramque, & gulæ, & libidinis insolentiam freno temperantiæ coercendam edocuit.* Quod est, inquit, cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis: & vtrumque non est sine delectatione carnali, quæ tamen modificata temperantia refrenante, & in vsum naturalem redacta, libido esse non potest: quod ideo dictum est, quoniam libido non est bonus & rectus vsus. Sicut enim malum est malè vti bonis, ita bonum esse benè vti malis: de qua re aliàs, maximè contra nouos hæreticos Pelagianos diligentiùs disputaui.

S. Aug. A B C Aug. Aug. Aug.

2. Ieiunium statim post culpam Adæ non indictum, immò ciborum vsus ampliatus; vt homo magis pro gula satisfaceret, & Deo placeret, per liberam à multis abstinentiam. De Ieiun. cap. 4. per totum.

HÆc ratio seruabatur apud prouidentiam Dei, pro temporibus omnia modulantis, ne quis ex diuerso ad deiicie ndam propositionem nostram, Cur ergo, dicat, non statim Deus aliquam victus constituit castigationem? quinimo & auxit permissionem. Nam in primordio quidem herbidum solummodò & arboreum homini pabulum addixerat: [a] *Ecce dedi vobis omne semen sementiuum seminans semen quod est super terram; & omne lignum quod habet in semetipso fructum seminis sementini vobis erit in escam*: Postea verò ad Noe enumerata subiectione omnium bestiarum terræ, & volatilium cœli, & mouentium in terra, & piscium maris, & omnis viuentis; [b] *Erunt*, inquit, *vobis in escam: Velut olera feni dedi vobis vniuersa, verùm, carnem in sanguine animæ suæ non edetis.* Nam & hoc ipso quod eam solam carnem esui eximit, cuius

[a] Gen. 1. 29.

[b] Gen. 9. & seq.

anima

anima non per ſanguinem effunditur, omnis reliquæ carnis vſum conceſſiſſe manifeſtum eſt. Ad hæc reſpondemus, non competiſſe onerari hominem aliquâ adhuc abſtinentiæ lege, qui cùm maximè tam leuem interdictionem, vnius ſcilicet pomi, tolerare non potuit; remiſſum itaque illum libertate ipſa corroborandum. Æquè poſt diluuium in reformatione generis humani, ſuffeciſſe vnam interim legem à ſanguine abſtinendi, permiſſo vſu cæterorum. Iam enim iudicium Dominus oſtenderat per diluuium; adhuc etiam comminatus fuerat per exquiſitionem ſanguinis de manu fratris, & de manu beſtiæ. Omnis itaque iuſtitiam iudicij præminiſtrans, materiam libertatis emiſit, per veniam ſupparans diſciplinam; permittens omnia, vt demeret quædam; plus exacturus, ſi plus commiſiſſet; abſtinentiam imperaturus, cùm indulgentiam præmiſiſſet; quò magis, vt diximus, primordiale delictum expiaretur maioris abſtinentiæ operatione, in maioris licentiæ occaſione. Gen.2.17. Gen.9.4. Gen.9.5.

IEIVNIVM STATIM. SCHOL. II.

HÆC RATIO. *Caſtigandi victus à Deo ſeruabatur in ſecreto prouidentiæ, quæ, omnia ab æterno diſpoſita, congruo tempore præcipienda decreuerat*, EX DIVERSO, *ex aduerſa Pſychicorum diſciplina contra Montani propoſitum & inſtitutum inſurgentium, & dicentium: quid ergo tandiu diſtulit Deus abſtinentiæ noſtræ præceptum? nec modo non indixit ab initio reſtrictionem ciborum; ſed qui primo omnia olera & fructus primis parentibus in eſcam dederat, ſolo interdicto ligno ſcientiæ boni & mali; poſt diluuium, Noë, piſces, aues, animalia conceſſit ad victum, excepto ſanguinis pabulo.* Sic enim Gen.1.29. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſo ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam. 70. *verò*: omne pabulum ſeminale ſeminans ſemen quod eſt ſuper omnem terram, & omne lignum quod habet in ſe fructum ſeminis ſeminalis: vobis erit ad eſcam. *Gen. autem* 9. 3. omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum. Quaſi olera virentia, *prius Adæ tradita*, tradidi vobis omnia. Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum: & de manu hominis, de manu viri, & fratris eius requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. Ad imaginem quippè Dei factus eſt homo. 70. *parum diſtant*: omne reptile quod eſt viuum, vobis erit ad eſcam, ſicut olera pabuli dedi vobis omnia. Verumtamen carnem in ſanguine, *id eſt cum ſanguine, vel quæ eſt in ſanguine*, animæ, non comedetis. ESVI EXIMIT, *excipis ab eſu.* ANIMA NON PER SANGVINEM. *Dicendum fuit, ni fallor, cuius anima effunditur, id eſt vita quæ tota animalis eſt, cruitur per ſanguinis effuſionem.* AD HÆC RESPONDEMVS. *Hic locus & argumentis Pſychicorum reſpondet, tunc non fuiſſe adhuc opportunum ac maturum tempus præſcribendæ legis abſtinentiæ homini, qui nec ab vno pomo vetito voluit abſtinere.* REMISSVM LIBERTATI, *&c. dilatum fuit hoc præceptum, donec puderet hominem abuti libertate & permiſſione tam ampla ſibi à Deo data omnibus ad cibum vtendi.* REFORMATIONE, *reſtitutionem per Noë & liberos eius.* SVFFECISSE VNAM, *ſicut ab vno ligno interdixerat.* IVDICIVM PER DILVVIVM, *quò terreri poſſent à libidine carnis temperarent, ſicut per meanam exquirendi ſanguinis, ab homicidio deterruerat.* IVSTITIAM PRÆMINISTRANS. *Quaſi præparans hominem ad implendam iuſtitiam vindicatiuam, circa corpus crucifigendum abſtinentiis, vtpotè rerum mortis animæ per peccatum gulæ, quæ iuſto Dei iudicio punita eſt, & puniendæ, ſi data à Deo libertate tot ciborum abuteremur. Dedit itaque vſum liberum carnium, vt iuſte exciperet quædam.* PER VENIAM. *Indulgentiam & libertatem vtendi tot eſcis.* SVPPARANS DISCIPLINAM. *Caſtigationem & abſtinentiam liberam relinquens hoc ipſo ſupparauit, id eſt, ſuppleuit præceptum abſtinendi.* PLVS EXACTVRVS. *Tantò plus voluntariæ abſtinentiæ ab homine expectans, quò plura eius conceſſerat vſui, tantò iuſtius abſtinentiam poſteà præcepturus, quantò prius plura eſus indulſiſſet. Vt hoc pacto, pluribus & frequentioribus abſtinentiæ operibus primum gulæ peccatum expiaretur, dū homo ſe conſpexit, ampliori veſcendi libertate donatum, vt intelligeret hanc ſibi licentiam datam, vt occaſionem arriperet à pluribus abſtinendi. Quod hic Tertullianus præſentis textus initio de prouidentia diuina retulit, præclarè Auguſtinus illuſtrauit to.1. lib. de vera Religione cap.17. Vbi diuerſa licet vtriuſque teſtamenti Sacramenta, legeſque ceremoniales agnoſcat, ab eodem tamen Deo prouidè vtrumque diſpoſitum pro diuerſitate populi, latiora vel ſtrictiora fuiſſe præcepta.* Quiſquis, inquit, ideo negat vtrumque teſtamentum ab vno Deo eſſe poſſe, quia non eiſdem Sacramentis tenetur populus noſter, quibus Iudæi tenebantur, vel adhuc tenentur: poteſt dicere non poſſe fieri, vt vnus Paterfamilias iuſtiſſimus aliud imperet eis quibus ſeruitutem duriorem vtilem iudicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ mouent, quòd *in* veteri lege minora ſunt, in Euangelio maiora, & ideo putatur non ad vnum Deum vtraque pertinere: poteſt qui hoc putat perturbari, ſi vnus Medicus alia per miniſtros ſuos imbecillioribus, alia per ſeipſum valentioribus præcipiat, ad reparandam, vel obtinendam ſalutem. Vt enim ars Medicinæ cùm eadem maneat, neque vllo pacto ipſa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis eſt noſtra valetudo: ita diuina prouidentia cùm ſit ipſa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ variè ſubuenit, & pro diuerſitate morborum aliis alia iubet aut vetat, vt à vitio vnde mors incipit, *ſicut à prima gula, & morſu illicito mors iuſta, & in eius remedium abſtinentia iuſta*, & ab ipſa morte, ad naturam ſuam & eſſentiam, ea quæ deficiunt, id eſt ad nihilum tendunt, reducat & firmet. *Et to.10. Ser.4. de Verbis Apoſt.* Occaſione, inquit, acceptâ peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Sic factum eſt primò in Paradiſo, &c. vide ſerpentem mulieri illi ſuſurrantem. Quæſiuit ab ea, quid dixerit Deus: reſpondit illa: dixit nobis Deus: ex omni ligno quod eſt in Paradiſo edetis, de ligno autem ſcientiæ boni & mali, non edetis. Ex eo ſi ederitis, morte moriemini. Hoc eſt Dei mandatum. Contrà ſerpens, non inquit, morte moriemini, &c. Occaſione ergo acceptâ per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Gladio quem portabas te inimicus occidit, armis tuis te vicit. Ecce, *inquit, ſuprà idem Auguſt.* inuentus eſt illi in mortem, quòd erat in vitam, recipe mandatum: ſcito eſſe arma, non quibus occidas te, ſed S.Aug. S.Aug. S.Aug.

quibus à te occidatur inimicus. Sed noli præſumere de viribus tuis. Vide paruum Dauid contra Goliam. Vide paruum contra ingentem, ſed in nomine Domini præſumentem. Tu venis ad me, inquit, cum clypeo & lancea, ego in nomine Domini Omnipotentis. Qui præſumit de viribus ſuis, antequam pugnet, ipſe proſternitur. *Vult autem ex aduerſo Tertullianus, ad primum peccatum gulæ expiandum, nos abſtinentiæ prauenire mandatum; & ex occaſione licentiæ, arripere anſam tantò à pluribus abſtinendi, quò plura nobis à Deo conceſſa ſunt. De gula frenanda hæc ab eodem Auguſtino accipe lib.10. Confeſſ. cap. 31. circa f.* S. Aug. Non ego immunditiam obſonij timeo, *quia omnia bona à Deo creata ſunt*, ſed immunditiam cupiditatis. Scio Noë, *de quo Tertull. initio textus*, omne carnis genus quod cibo eſſet vſui, manducare permiſſum: A Heliam cibo carnis refectum; Ioannem mirabili abſtinentiâ præditum, animalibus hoc eſt locuſtis in eſcam cedentibus non fuiſſe pollutum. Et ſcio Eſaü lenticulæ concupiſcentiâ deceptum, & Dauid propter aquæ deſiderium à ſeipſo reprehenſum, & Regem noſtrum non de carne, ſed de pane eſſe tentatum. Ideoque & populus in Eremo, non quia carnes deſiderauit, ſed quia eſcæ deſiderio aduerſus Dominum murmurauit, meruit improbari, in his ergo tentationibus poſitus, certo quotidie aduerſus concupiſcentiam manducandi & bibendi. Non eſt enim quod ſemel præcidere, & vlterius non attingere decernam, ſicut de concubitu potui. Itaque freni gurturis temperata relaxatione & conſtrictione tenendâ ſunt. Et quis eſt Domine qui non rapiatur aliquantulum extra metas neceſſitatis?

3. Ieiunium carnem faciens macilentam, aptat eam pugnæ, angustæ portæ, incorruptioni, Resurrectioni. De Ieiun. cap. 17. in f.

a Rom. 8. 8. PAlam diſciplinas noſtras vindicemus. Nos certi ſumus, a *Eos qui in carne ſunt, Deo placere non poſſe*: non vtique in ſubſtantia carnis, ſed in cura, ſed in affectione, ſed in operatione, ſed in voluntate. Macies non diſplicet nobis; neque enim ad pondus Deus carnem tribuit, ſicut, b *nec ſpiritum ad menſuram*. Facilius ſi fortè per anguſtam ſalutis januam introibit caro exilior, citius reſuſcitabitur caro leuiòr, diutius in ſepultura durabit caro aridior. Saginentur pugiles & pyctæ Olympici: illis ambitio corporis competit, quibus & vires neceſſariæ, & tamen illi quoque xerophagiis inualeſcunt. Sed noſtra alia robora, aliæque vires, ſicut & alia certamina; c *Quibus non eſt luctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus mundi poteſtates, aduerſus ſpiritalia malitiæ*. Aduerſus hæc, non carne & ſanguine, ſed fide & ſpiritu robuſto oportet adſiſtere. Ceterùm, ſaginatior Chriſtianus vrſis & leonibus fortè, quàm Deo, erit neceſſarius, niſi quod & aduerſus beſtias maciem exercere debebit.

b Io. 3. 34.

c Epheſ. 6. 12.

IEIVNIVM CARNEM. SCHOL. III.

PALAM. *Aperte eneamur hauſtam à Montano diſciplinam.* CERTI SVMVS. *in Pauli Doctrina fundati,* EOS QVI IN CARNE. *Rom. 8.8.* Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. NON IN SVBSTANTIA, *quæ cum opus Dei ſit, cuius perfecta ſunt opera, caro quoad eius ſubſtantiam diſplicere non poteſt. Sed eius impinguanda ac fouenda nimia ſolicitudo & affectus non placet. Nec enim qui ſunt,* ex voluntate carnis, filij Dei ſunt. AD MENSVRAM. *Ludit in voce ponderis & menſuræ. Neque enim, inquit, ſicut Deus,* dat ſpiritum in menſura, diuidens ſingulis prout vult, *ſic carnem dedit ad pondus.* PER ANGVSTAM. Intrate, inquit, per anguſtam portam. *Per quam macilenta caro ieiunio facta exilior facilius intrat, ſicut & corporis agilitati in reſurrectione diſponitur, & exſuccida ſit pene incorruptibilis in ſepulchrum* PICTÆ, SIVE PICTES, *id eſt, pugiles, ſiue gladiatores. Inde Plin. lib. 7. cap. 47. de quodam pugile inſuperabili:* Euchymus, inquit, pycta ſemper Olympiæ victor. AMBITIO CORPORIS. *Magnus & amplior cæteris corporis circuitus, qui complexum aduerſarij & colluctatoris fruſtretur, & ſiat multo alimento robuſtior.* XEROPHAGIIS INVALESCVNT. *Cibis aridioribus, humore ſuperfluo, nerueſque ac robur eneruante exhauſti validiores ſiunt.* LVCTATIO *Epheſ. 6. 12.* Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & Poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. *Qua poſtrema clarius ſic effert tranſlat. Syr.* Et cum ſpiritibus malis qui ſub cœlo ſunt. ADSISTERE, *firmiter reſiſtere, ſtare fortiter.* QVAM DEO, *magis quàm Deo. Ineptus enim rebus diuinis eſt animus in obeſa carne, quæ gratior & acceptior eſt feris, quàm Deo qui ieiu-* B *nâ carne ſibi immolatâ delectatur; quæ & in Martyribus expoſitis beſtiis, earum dentibus oſſa tantùm pellemque exhibet. De carne ieiuniis edomanda ſic Aug. to. 9.* Aug. *lib. de vtilitate ieiunij cap. 3.* Deo ergo, inquit, places quia te excrucias? Ergo crudelis eſt, qui delectatur pœnis tuis. Reſponde huiuſmodi tentatori: excrucio me planè, vt ille parcat, &c. Nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea, &c. ſi iumento fortè inſideres, ſi equo vtereris qui te geſtiendo poſſet præcipitare, nonne vt ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem freno non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt: iter ago in Ieruſalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere: via autem mea Chriſtus eſt: ita exultantem non cohibebo ieiunio? &c. dum temporaliter fluitat, dum mortalitatis conditione prægrauatur, habet exultationes ſuas manifeſtas & periculoſas menti noſtræ: caro eſt enim adhuc corruptibilis, nondum reſurrexit, &c. Nondum habet ſtatum proprium cœleſtis habitudinis, nondum enim facti ſumus æquales Angelis Dei. *Sed interim eis aquamur dum eorum cibo, id eſt ieiunio mens paſcitur, & caro ad immortalitatem & agilitatem angelicam abſtinentiâ diſponitur. Interea cum dilectione domanda eſt & ſubiicienda ſpiritui, tanquam vxor viro, & Eccleſia Chriſto. Nunc anima carcer eſt, cuius muri crapulâ & ſaginâ denſandi non ſunt. Audi Auguſt. tract. de Ieiunio cap. 4.* Compedem putas carnem. Quis amat compedem ſuam? Carcerem putas carnem? Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habet. Quis non oderit vinculum ſuum? Quis non oderit pœnam ſuam? Et tamen nemo vnquam carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fouet eam, ſicut & Chri- Aug.

ſtus Eccleſiam. Tu ergo qui alium authorem putas carnis, alium ſpiritus, alium poſiturus es Eccleſiæ, alium Chriſto. Quod qui ſapit, deſipit, diligit ergo vnuſquiſque carnem ſuam; Apoſtolus dicit, & præter Apoſtolum, vnuſquiſque in ſe probat. Quamlibet enim ſis domator carnis, quantalibet in eam ſeueritate accendaris, neſcio vtrùm non claudes oculum, ſi aliquis ictus immineat. Eſt ergo quaſi quoddam coniugium ſpiritus & carnis. Vnde ergo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum? &c. Vnde iſta pœna quæ ducta eſt de mortis propagine? &c. Ideo concupiſcimus aduerſus carnem, vt nobis domitam carnem ſubijciamus, & eam ad obediendum attrahamus, &c. Dat vnuſquiſque & in domo ſua plerumque diſciplinam coniugi ſuæ, & eam ſubiugat renitentem, non perſequitur inimicantem. Filium tuum domas vt tibi obediat. Numquid odiſti? Numquid deputas inimicum? Seruum poſtremò tuum diligis & caſtigas, & in caſtigando obedientem facis. Habes de hac re ipſius Apoſtoli manifeſtam plenamque ſententiam. Non ſic curro, inquit, tanquam in incertum, non ſic pugillor, quaſi aërem cædens: ſed caſtigo corpus meum. Habet ergo caro ex conditione mortali quoſdam terrenos appetitus ſuos, in hos tibi ius freni conceſſum eſt. Regat te præpoſitus, vt poſſit à te regi ſubiectus. Infra te eſt caro tua, ſupra te, eſt Deus tuus, &c. Leges in inferiorem non habes niſi à ſuperiore. Seruus es, ſeruum habes, ſed Dominus duos ſeruos habet. Seruus tuus plus eſt in poteſtate Domini, quàm in tua, &c. Exercet te plerumque Dominus tuus per ſeruum tuum: vt quia fuiſti Domini contemptor, mereatis emendari per ſeruum. *Et quoniam Paulum & Piſtam & pugilem Auguſtinum inuenit, qui in textu noſtro, luctam non iam cum carne, ſed ſpiritibus nequam iucundam dixit; ſine carne, vel ſaltem ieiunâ, macidâ, & macidâ, cum ſpiritibus incorporeis eſt luctandum. Eundem retulit Aug. ſer. 8. de Verbis Do.* Quia, inquit, ſunt inuiſibiles inimici, inuiſibiliter ſunt expugnandi; quippe hoſtem viſibilem vincis feriendo, inuiſibilem vincis credendo. Viſibilis eſt hoſtis homo. *Viſibilis caro*, viſibile eſt & ferire, *caſtigare flagello & ieiunio*, inuiſibilis eſt hoſtis diabolus: inuiſibile eſt credere. Eſt ergo pugna inuiſibilis aduerſus inuiſibiles inimicos. *De eo rurſum quod author ex Paulo retulit.* Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt; id eſt, *inquit Aug.* qui in carne confidunt, qui concupiſcentias ſuas ſequuntur, qui in his habitant, qui earum voluptatibus oblectantur, qui in earum delectationibus beatam fœlicemque vitam conſtituunt. Ipſi ſunt in carne; Deo placere non poſſunt. Non enim ſic dictum eſt: qui autem in carne ſunt, &c. quaſi datum eſſet: In hac vita, cùm ſint homines, Deo placere non poſſunt. Ergo non placuerunt ſancti Patriarchæ? Ergo non placuerunt ſancti Prophetæ? ergo non placuerunt ſancti Apoſtoli? non placuerunt ſancti Martyres, qui antequam corpus patiendo deponerent Chriſtum confitendo, non ſolùm voluptatem contemnebant, ſed dolores quoque patientiſſimè perferebant? placuerunt, ſed in carne non fuerunt. Portabant carnem, non portabantur à carne. Iam enim paralytico dictum erat, tolle grabatum tuum, *id eſt corpus iam obediens ſpiritui*, qui ergo in carne ſunt, &c. non in hoc ſæculo viuendo, ſed carnis concupiſcentiis conſentiendo, Deo placere non poſſunt. *Et Ser. 13. de Verb. Apoſt.* Debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus: ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. Non quia caro malum eſt: nam & ipſa Dei creatura eſt, & ab eo condita, à quo & anima: nec iſta, nec illa pars Dei, ſed & iſta & illa creatura Dei. Ergo caro non eſt malum, ſed ſecundùm carnem viuere malum eſt, &c. Anima vt creata à ſummo bono, non tamen ſummum bonum, ſed magnum bonum. Item caro nec ſummum bonum, nec magnum bonum, ſed tamen paruum bonum. Anima ergo viuens inter ſummum bonum & paruum bonum, id eſt inter Deum & carnem, inferior Deo, carne ſuperior, quare non viuit ſecundùm ſummum bonum, ſed viuit ſecundùm paruum bonum? &c. debitrix enim eſt, non carni, vt ſecundùm carnem viuat, caro debet ſecundùm animam viuere, non ipſa ſecundùm animam viuat, caro debet ſecundùm animam viuere, non ipſa ſecundùm carnem. Ipſa viuat ſecundùm ipſam, quæ viuit de ipſa. Certè vnaquæque ſecundùm hoc viuat vnde viuit. Vnde viuit caro tua? de anima tua. Vnde viuit anima tua? de Deo tuo. Vnaquæque harum ſecundùm vitam ſuam viuat. Caro enim ſibi non eſt vita, ſed anima carnis eſt vita. Anima ſibi non eſt vita, ſed Deus eſt animæ vita, &c. Ergo quæ ſecundùm Deum debet viuere, ſi ſecundùm ſeipſam viuat, deficit; ſecundùm carnem viuit, & proficit?

Aug. Aug. Aug. S. Aug.

4. Ieiunium, & abſtinentia à lautis, ad quietem ſomni, ſomniorum interpretationem, diuinationem, & caſtitatem plurimum poteſt. De An. cap. 48. in m. ad f.

QVod & de cibis diſtinguendis vel decurandis, nunc præſumptio, nunc ſuperſtitio diſciplinam ſomniis præſcribit, examinandum eſt. Superſtitio, vt cùm apud oracula incubaturis ieiunium indicitur, vt caſtimoniam inducat: præſumptio, vt cùm Pythagorici ob hanc quoque ſpeciem fabam reſpuunt, oneroſum & inflatui pabulum. Atquin trina illa cum Daniele fraternitas, legumine ſolo contenti, ne regiis ferculis contaminarentur, præter ſapientiam reliquam, ſomniorum præcipuè gratiam à Deo redemerunt, & impetrandorum & diſſerendorum. Ieiuniis autem, neſcio an ego ſolus, plurimùm ita ſomniem, vt me ſomniaſſe non ſentiam. Nihil ergo ſobrietas, inquis, ad hanc partem? immo tantò magis ad hanc, quantùm & ad omnem: ſi & ad ſuperſtitionem, multò ampliùs ad religionem. Sic enim & dæmonia expoſtulant eam à ſuis ſomniatoribus, ad lenocinium ſcilicet diuinitatis, quia familiarem Dei norunt: quia & Daniel rurſus trium hebdomadum ſtatione aruit victu: ſed vt Deum inliceret humiliationis officiis, non vt animæ ſomniaturæ ſenſum & ſapientiam ſtrueret, quaſi non in ecſtaſi acturæ: ita non ad ecſtaſin ſubmouendam ſobrietas proficiet, ſed ad ipſam ecſtaſin commendandam, vt in Deo fiat.

Dan.1.8. Dan.9.20.

IEIVNIVM ET ABSTINENTIA, &c. IV. SCHOL.

DE CIBIS DISTINGVENDIS. *Qui facilius, vel difficilius digerantur, vel, qui animam perspicaciorem aut obtusiorem reddant.* VEL DECVRANDIS. *Id est negligendis. Alij legunt* derogandis *id est detrahendis.* PRÆSVMPTIO. *Quæ cibi aliqui præsumuntur esse nocui.* SVPERSTITIO, *gentilitia observatio idololatriam sapiens.* APVD ORACVLA INCVBATVRIS. *Sic enim captaturis oracula indicebatur ieiunium & somnus. Vt* Pausanias *notat in Bœoticis faciendi solitum in sacris Nesphys & Thesmophorij, vt notat Herodotus ieiunia seruata in honorem Isidis; & Amphiarai.* Vaticinans, inquit, in Attica, nunc somnia inducit petentibus, & Sacerdotes consulentem, vna die iubent abstinere cibo, tres dies vino, vt hauriat limpida mente responsum. OB HANC SPECIEM, *id est quietem somni; & ad reuelationem.* INFLAVI PABVLVM, *aptum ad inflandum, vt potè ventosum.* ATQVIN. *Imò verò.* TRINA ILLA FRATERNITAS. *Tres pueri Hebræi, fide & abstinentia germani. Dan.*1.8. *Vbi de Anania, Misaele, & Azaria:* Proposuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius, & rogauit Eunuchorum præpositum, ne contaminaretur, &c. & dixit Daniel ad Malatar quem constituerat Princeps Eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misaelem, & Azariam: tenta nos obiecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, &c. post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio, &c. Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum, &c. & omne verbum sapientiæ & intellectus, quod scisciatus est ab eis Rex, inuenit in eis decuplum super cunctos Ariolos & Magos qui erant in vniuerso regno eius. REDIMERVNT. *Emerunt, meruerunt.* NESCIO, *non puto.* NON SENTIAM, *non aduertam, adeo placidus fuit somnus, nullis somnijs molestus extitit.* NIHIL AD HANC PARTEM. *Quod de re nostra, nihil facit ad visiones, & somnia.* IMMO, &c. *Ieiunium non tantùm procurat placidum somnum; sed & propter eum, tranquillam mentem diuinis somnijs & visionibus aptiorem: quod si diabolicis prodest, quantò magis diuinis.* AD LENOCINIVM, *hoc pacto dæmones superbi conciliant sibi fidem diuinitatis, quia sciunt ieiunia castitatem, & vtrumque Dei familiaritatem & apparitiones promereri.* DANIEL RVRSVS. *Dan.*9.3. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, sacco & cinere, &c. Adhuc me loquente in oratione ecce vir Gabriel quem videram in visione, &c. quia vir desideriorum es. Tu ergo animaduerte sermonem & intellige visionem. TRIVM A HEBDOMADARVM STATIONE. *Stans firmiter in ieiunio & victu arido. Dan.* 10. 1. Anno 3 Cyri Regis Persarum verbum reuelatum est Danieli cognomento Baltassar, & verbum verum & fortitudo magna: intellexitque sermonem, intelligentia enim est opus in visione. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem, 70. *desideriorum, id est pinguem & delicatum, sed subtemericium & aridum,* non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meũ; sed neque vnguento vnctus sum donec complerentur trium hebdomadarum dies, &c. *Subijcit visionem Gabrielis fulgurantis aspectu:* vidi autem ego Daniel solus visionem: porrò viri qui erant mecum, non viderunt. INLICERET, *alliceret, non vt per somnium intelligentiam sibi & sapientiorem mentem procuraret; quasi aliter quàm somniando ecstasim & visionem diuinam passura non esset.* SVBMOVENDAM, *tacitè excitandam, per indultionem somni, sed sobrietas meretur, vt in Deo, & ex Deo vero, non fallaci dæmonio, Danielis extasis ieiunij merito commendetur. Quantus fuerit hic Propheta, quàm Deo & angelis eius gratus, vt & sortij eius concaptiui; quàm præsentem Deum ieiunio meruerint, docuit Augustinus, lib* 1. *de Ciuit. cap.*14. Multi Christiani etiam captiui ducti sunt. Hoc sanè miserrimum est, si aliquò duci potuerunt, vbi Deum suum non inuenerunt, &c. Fuerunt in captiuitate tres pueri, fuit Daniel, fuerunt alij Prophetæ, nec Deus defuit consolator. *Et lib.*18 *cap.*34. Danieli, inquit, etiam tempus quo venturus fuerat Christus atque passurus, numero definiuit annorum, &c. *Vnde Hiero. præfatione in Danielem.* Illud, inquit, commoneo, & nullum Prophetarum tam apertè dixisse de Christo. Non enim solùm scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris, sed etiam quo tempore venturus sit, dicit. *Eadem penè ad verbum habet Theodoretus præfat. in Dan. Quòd autem tam claras visiones & reuelationes habuerit, ieiunij merito, testatur Augustinus, Ser.*65. *de temp.* Daniel, inquit, ille futurorum gnarus, & aduentus Domini conscius, & euersionis Ierusalem manifestissimus prædicator; ideo vir desideriorum appellatus est, quia panem desiderij non comedit, & potum concupiscentiæ non bibit: quia magis Christum quàm epulas desiderabat. *Quin etiam ex eodem, qui ieiunio castitatem emerat, exemplum extitit cœlibatus, libro* 2. *quæst. Exang.*q. 44. Daniel qui elegit cœlibem vitam, id est nuptias terrenas contempsit, vt sicut dicit Apostolus sine solicitudine viueret, cogitans quæ sunt Dei, genus eorum significat qui sunt in otio, sed tamen fortissimi in tentationibus vt possint assumi, *agebat de duobus in lecto:* vnus sumetur, alter relinquetur.

Aug. Aug. Aug. Aug.

ſ. Ieiunio Anima ſit diuinis rebus aptior: gula & Ebrietas mentem obſcurat, & Dei obliuionem indicit. De Ieiun. cap.6. in p. ad m.

NVnc ſi temerè rationes caſtigati à Deo victus, & caſtigandi propter Deum à nobis, ad primordiorum experimenta reuocauimus, conſcientiam communem conſulamus, ipſa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum & potum in virgine adhuc ſaliua exhibere conſuerit rebus dumtaxat ſenſus agendis quo diuina tractantur, ſi multò pollentiòris mentis, ſi multò viuacioris cordis, quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis, eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis iam ſtercoribus æſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo ſuperſit, quàm ad laſciuiam ſapere.

a *Manducauit populus & bibit, & surrexerunt ludere.* Intellige sanctæ Scripturæ verecundiam: lusum nisi impudicum non denotasset. Ceterum, quotus quisque meminerit religionis, occupatis memoriæ locis, impeditis sapientiæ membris? nemo ita vt decet, ita vt par est, ita vt vtile est, recordabitur Deiin eo tempore, quo ipsum sibi hominem excidere solenne est. Omnem disciplinam victus aut occidit aut vulnerat. Mentior, si non Dominus ipse obliuionem sui exprobrans Israëli, causam plenitudini deputat, b *Incrassatus est dilectus & pinguefactus & dilatatus est, & dereliquit Deum qui fecit eum, & abscessit à Domino salutificatore suo.* Denique in eodem Deuteronomio eandem causam præcaueri iubens; c *Ne*, inquit, *cum manducaueris & biberis, & domos optimas ædificaueris, ouibus & bubus tuis multiplicatis, & argento & auro, extollatur cor tuum, & obliuiscaris Domini Dei tui.* Præposuit corruptelæ diuitiarum edacitatis enormitatem, cui ipsæ diuitiæ procurant. Per illas scilicet, d *Incrassatum erat cor populi, ne oculis videret, & auribus audiret, & corde coniiceret*, adipibus obstructo, quas nominatim esui abstulit dedocens hominem saginæ studere.

a Exo.32.6.

b Deut. 32. 15.

c Deut.8. 12.

d Esa.6.10.

IEIVNIO ANIMA FIT, &c. SCHOL. V.

SI TIMERE, &c. *Quasi diceret, si fortè ex nostro sensu hactenus adduximus rationes, ob quas Deus abstinentiam à quibusdam cibis hominibus indixit, & propter quas vt Deo placeamus carnem nostram ieiuniis castigare debemus, easque reuocauimus ad generis humani primordia, Adam scilicet & Noë: iam consulamus sensum communem, & attendamus qualis sit anima ieiuno adhuc corpore, & salina adhuc virgine, nullo potu ciboque permixta.* RERVM SENSVS, *id est mentis siue ingenij, quo diuina percipimus & sentimus.* TOTVM DOMICILIVM. *Carnem intelligit, & maximè ventrem & intestina humana.* PRÆMEDITATORIVM LATRINARVM. *Dum venter præparat excrementa latrinis.* AD LASCIVIAM SAPERE. *Secundùm prudentiam carnis, quæ ex Apostolo mors est. Vnde ex Hiero.* Venter, inquit, mero plenus, facilè despumat in libidinem. MANDVCAVIT POPVLVS. *Exodi* 32. 6. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. SCRIPTVRÆ VERECVNDIAM. *Iuxta quam Paulus:* nec nominetur in vobis. *Sic sub nomine ludi*, eloquia Domini, eloquia casta, *arguunt impudicitiam Israëlitarum. Sed licet alio loco cum Moabitis tam animâ per idololatriam, quàm carne per luxuriam sint fornicati, hîc tantùm surrexerunt ludere, id est saltare circa vitulum. Hinc Moyses ibidem versu* 18. Vocem cantantium ego audio. 70. præcinentium vinum. Chald. ludentium. SAPIENTIÆ MEMBRIS. *Organis cerebri.* EXCIDERE SOLEMNE. *Frequens & communis est, nimio cibo & potu hominem sui ipsius obliuisci.* VICTVS OCCIDIT, *supple immoderatus omnem recte viuendi rationem, aut tollit prorsus, aut minuit.* INCRASSATVS EST. *Alibi dicta non repeto de sequentibus locis.* PRÆPOSVIT CORRVPTELÆ. *Nimiam edacitatem deteriorem dixit abundantiâ diuitiarum, quæ negotium gulæ procurant.* QVAS NOMINATIM, *Deus enim sibi adipes victimarum reseruauit, vt hominem à sagina carnis abstraheret. Leuit.* 3. 16. Omnis adeps Domini erit: iure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis vestris, nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis. *& Leuit.* 4. 8. Adipem vituli offeret pro peccato, tam eum qui vitalia operit, quàm omnia quæ intrinsecus sunt. 70. *autem*, & omnem adipem quæ super intestina. *& ibidem versu* 9. 19. 35. *de damnis edacitatis ad Dei oblitionem prona, sic fatur Augustin. Ser.* 65. *de temp.* Moyses primus quadraginta diebus & noctibus cùm ieiunasset, legem Domini accipere meruit, per quam populis imperaret, impetrauerunt vnius hominis ieiunia, quod totius populi saturitas desperauerat. Aduertamus ergo quanta sit inter ieiunium & saturitatem distantia, inter ventrem vacuum, & pulmones epulis æstuantes. Moyses ergo quia ieiunauit, Dominum vidit; populus quia manducauit & bibit, Idola fabricatus est. *Et Ser.* 47. *de temp.* Aurum igni apponitur, & ingrati infaustum scelus expetunt, adorant imaginem quam succensus ieiecerat ignis. Vbi est quod mandatum est, audi Israël Dominus Deus tuus, vnus est? Vitulus tuus vbi erat cùm tibi Christus in mari itinera præparabat? Mare aperuit, sitientibus potum præbuit, fessos ieiunio reparauit? Luxuriosa gentilitas post saturiem lusum quærit. Sedit, inquit, populus manducare, &c. *Et Ser.* 230. *de temp.* Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiri tui subiicit. Ieiunium cor facit contritum & humiliatum quod Deus non spernit. Ieiunium concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit. Ieiunium verbositatem non amat, diuitias superfluitatem iudicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere, quod est infirmum & fragilem: Atque dum se ita intelligit imbecillem aptiorem virtutem Dei adiutorem quærit & accipit. Quærit autem per frequentes orationes & obsecrationes. Oratio quidem est refectio ieiuniorum, aduocat gratiam Spiritus sancti. Oratio duritiam cordis mollit, austeritatem temperat, ieiunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic & ieiunium sine oratione, non potest animam perfectè nutrire. Quid autem oratio nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, *quò pinguedo carnis, non finit eam scandere*, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium? *Vnde & Daniel ieiunij merito vir desideriorum est dictus.* Oratio coniunctio Spiritus sancti: si tamen orationi intentus sit animus, &c. Ieiunium inertiam tollit de anima, impedimenta carnalia aufert. Oratio verò perseuerans, iungit Deo, &c. *& ibidem*: Clamat Propheta: sitiuit in te anima mea quàm multipliciter tibi caro mea. *Ieiuna scilicet & abstinens sensualibus delectationibus*, quid autem sitiendum est? Sequitur: vt videat virtutem. Credite mihi, *tanquam experto*, si ad videndam plenam virtutem Dei, plenè sitiant animæ humanæ substantiæ, *potentia*, nec fastidio victa, *diuturnis ieiunij & orationis*, dissimulet, replebitur adipe, *quam de victima integram sibi exposcit Deus vt visum est suprà, non auferetur pinguedo sed mutatur quæstuoso commercio*, & pinguedine spiritali, &c. atque ita gaudens assistere se Domino, gloriatur. Adhærens autem anima mea Domino, incipit securitatem habere & libertatem, &c. Suscepta anima tanto patrocinio dexteræ Dei, quomodo noceri poterit ab aliqua potestate? Sicut scriptum est, quod nemo illud rapit de manu Patris. Hoc præstat ieiunium, hoc præstat oratio. *Quid subtilius? quid moralius? quid ad illustrationem Tertulliani aptius commodius?*

S.Aug.

S.Aug.

S.Aug.

Aug.

6. Ieiunantes, & continentes, Ecclesiæ, templo, & Christi cognitione sunt digni. De Ieiun. cap. 8. in p.

Luc. 2. 37. IN limine Euangelij, Anna Prophetis filia Phanuelis, quæ infantem Dominum & agnouit, & multa super eo prædicauit, expectantibus redemptionem Israëlis, post egregium titulum veteris & vniuiræ viduitatis, ieiuniorum quoque testimonio augetur, ostendens in quibus officiis assideri Ecclesiæ debeat, & à nullis magis intelligi Christum, quàm semel nuptis, & sæpè ieiunis.

IEIVNANTES ET CONTINENTES, &c. SCHOL. VI.

IN LIMINE. *Ab initio Euangelij Lucæ.* PROPHETIS. *Prophetissa Luc. 2. 37.* Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, *Syr. decrepita diebus*, & vixerat cum viro suo annis 7. à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos 84. quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens, *Syr. colens*, nocte ac die, & hæc ipsâ horâ, *Purificationis B. Virginis*, superueniens confitebatur Domino: *Syr. gratias egit Domino*, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. VNIVIRÆ, *vnius viri vxoris*. AVGETVR. *Quasi cumulus gloriæ eius fuerit ieiuniū*. QVIBVS OFFICIIS. *Operibus & exercitiis*. INTELLIGI CHRISTVM, *siue lumine fidei, siue Prophetia. De huius Anna vidua merito Aug. Ser. 20. de tempore.* S. Aug. Exultent, inquit, viduæ, infantem Christum vidua Anna cognouit, &c. Numquid enim solæ Virgines ad regnum cœlorum perueniunt? Perueniunt & viduæ. Magni meriti fuit illa vidua sancta Anna, à virginitate enim sua septem annis vixerat cum viro suo: quo defuncto, vsque ad senilem ætatem peruenerat, & in senectute sancta expectabat infantiam Saluatoris, vt paruum videret annosa, paruum agnosceret anicula, intrantem in mundum Saluatorem videret itura, *exitura. Et Ser. 13. de temp.* Aug. Salutauit Ioannes ex vtero, in vtero Saluatorem: Simeon senex Deum agnouit infantem, Anna vidua Virginem Matrem. *Eiusdem & meminit Epist. 121. ad Probam circa finem. Et to. 4. Libro de bono viduitatis cap. 13.* Aug. Meritum, inquit, Annæ illius eò maximè commendatur, quia cùm tam citò exuisset virum, per prolixam ætatem diu cum carne conflixit & vicit.

7. Ieiunium iram Dei placat, hostes vincit, sterilem fœcundat, naturam mutat, eripit periculis, culpas delet, terret Leones, mysteria reuelat. De Ieiun. cap. 7. per totum. V. Verbum Ieiun. Antiq. num. 6.

PRocessimus itaque jam ad exempla, vtì reuoluamus vtilitatis efficacia potestates istius officii, quod etiam iratum Deum homini reconciliat. Deliquerat Israël, in aquatione
1. Reg. 7. 6. & 10. apud Maspha congregatus à Samuele, sed ita statim delictum ieiunio diluit, vt periculum prœlii simul fugerit. Cùm maximè Samuel offerebat holocaustum, in nullo magis procuratam audimus Dei clementiam, quàm abstinentia populi. Et allophyli prœlio admouebant, ibidem Dominus intonuit voce magna super allophylos, & confusi sunt, & corruerunt in conspectu Israëlis; & processerunt viri Israël ex Maspha, & persecuti sunt allophylos, & vsque Betchor ceciderunt pastos impasti, armatos inermes. Hæ erunt vires ieiunantium Deo. Cœlum pro eiusmodi militat. Habes formam præsidii etiam spiritalibus bellis necessariam. Proinde cùm rex Assyriorum Sennacherib, compluribus iam ciuitatibus captis, Is-
4. Reg. 18. 29. & 19. 1. & seq. raëli per Rapsacen blasphemias & minas intentaret, nihil aliud illum à proposito in Æthiopias auertit. Dehinc, quid aliud centum & octaginta millia de exercitu eius per Angelum absumpsit, quàm Ezechiæ regis humiliatio? Siquidem duritiâ hostis annuntiatâ, vestem scidit, saccum induit, eodemque habitu seniores sacerdotum ad Deum per Esaïam adire iussit, vtique ieiunio preces prosequente: neque enim cibi tempus in periculo, nec saturitatis cultus in sacco: semper inedia mœroris sequela est, sicut lætitia accessio saginæ. Per hanc mœroris se-
Ionæ. 3. 7. quelam & inediam, etiam ciuitas illa peccatrix Niniue de exitio prædicato liberatur. Satis enim pœnitentia scelerum commendauerat Deo ieiunium triduo functa, etiam pecudibus
Gen. 19. 24. enectis, quibus iratus Deus non erat. Sodoma quoque & Gomorra euasissent, si ieiunassent. Hoc remedium agnoscit & Achab, cùm illi post transgressionem & idololatriam & necem
a 3. Reg. 21. 19. Nabuthæ, propter vineam interempti à Iezabel, exprobrasset Helias, a *Qualiter occidisti, & hereditatem possedisti: in loco, quo sanguinem Nabuthæ canes delinxerant, tuum quoque delinguent*; destituit semetipsum, & saccum carni suæ imposuit, & ieiunauit, & dormiuit in sacco: & tunc
b 3. Reg. 21. 27. & 29. sermo Domini ad Heliam, b *Vidisti vt reueritus sit Achab à facie mea: pro eo quod reueritus est, non superducam laesuram in diebus ipsius, sed in diebus filij eius superducam eam*, qui non erat ieiunaturus. Ita ieiunium in Deum reuerentiæ opus est, per quod Anna quoque ambiens vxor
1. Reg. 1. 7. & 15. Helcanæ retro sterilis, impetrauit facilè à Deo inanem cibo ventrem filio implere, & quidem Prophetâ: sed non modò naturæ mutationem, aut periculorum auersionem, aut delictorum oblitterationem; verumetiam Sacramentorum agnitionem, ieiunia de Deo mere-
Dan. 2. 16. buntur. Adspice Danielis exemplum, circa somnium regis Babylonis omnes turbantur sophistæ, negant vltro de præstantia humana posse cognosci: solus Daniel Deo fidens, &

ſciens quod ad demerendam Dei gratiam faceret, ſpatium tridui poſtulat, cum ſua fraternitate ieiunat, atque ita orationibus commendatis, & ordinem & ſignificationem ſomnii per omnia inſtruitur, tyranni ſophiſtis parcitur, Deus glorificatur, Daniel honoratur; non minorem Dei gratiam & poſtea quoque relaturus anno primo regis Darii, cùm ex recogitatu prædicatorum temporum ab Hieremia, dedit faciem ſuam Deo in ieiuniis & ſacco & cinere. Nam & Angelus miſſus ad eum, hanc ſtatim profeſſus eſt cauſam diuinæ dignationis: [c] *Veni*, inquit, *demonſtrare tibi quatenus miſerabilis es*ſ ieiunando ſcilicet. Si Deo miſerabilis, leonibus in lacu fuerat horribilis; vbi quidem illi ſex diebus ieiunanti prandium Angelus procurauit.

[c] Dan.9.23.

Dan.14.36.

IEIVNIVM IRAM DEI PLACAT, &c. SCHOL. VII.

VTI REVOLVAMVS. *Vt memoriam refricemus, quid poſſit opus ieiunij ex vtilibus eius effectibus.* INAQVATIONE. *Dum populus à Samuele potatus eſt in Maſpha.* 1.*Reg.*7. 6. Conuenerunt in Maſphath, hauſeruntque aquam, & effuderũt in conſpectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi, peccauimus Domino, &c. *& verſu* 10. Factum eſt autem cùm Samuel offerret holocauſtum, Philiſtiim iniere prælium contra Iſraël: intonuit autem Dominus fragore magno 70. *in voce magna*, ſuper Philiſtiim, & exterruit eos & cæſi ſunt, 70. *ceciderunt*, à facie Iſraël. PROELIO ADMOVEBANT, *accedebant vt mouerent prælium.* FORMAM PRÆSIDII. *Exemplum hinc ſume ad debellandas acerras poteſtates & vitia.* NIHIL ALIVD, *quàm ieiunium.* AD DEVM ADIRE. *Intendere orationibus & meritis Eſaiæ.* ACCESSIO SAGINÆ. *Vt enim triſtitiam inedia, ſic lætitiam comitatur gula, & per eam ſaginæ augmentum.* EXITIO PRÆDICATO. *Euerſionem minitata per Ionam.* IEIVNIVM TRIDVO FVNCTA. *Triduo ieiuna. Ionæ.*3.4. Adhuc quadraginta dies 70. *adhuc tres dies*, & Niniue ſubuertetur. *Subiicit de Rege*: Surrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et clamauit & dixit in Niniue, ex ore Regis, & Principum eius dicens; homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant, & operiantur ſaccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertantur à via ſua mala, & ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum. 70. *autem quaſi iam de impleto præcepto ſic referunt, & cooperti ſunt ſaccis homines & iumenta & clamauerunt ad Deum vehementer, & reuerſi ſunt vnuſquiſque de via ſua mala, &c.* Et vidit Deus opera eorum quia conuerſi ſunt de via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. 70. *autem*, & pœnitentiam egit Deus, &c. EREPTIS. *Fame mortuis.* HOC REMEDIVM, *Ieiunij.* NABOTHÆ. *Mortem Naboth.* QVALITER OCCIDIT. 13.*Reg.* 21. 19. Occidiſti, iuſuper & poſſediſti, &c. in hoc loco in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum: 70. *autem* quomodo occidiſti & poſſediſti. Propter hæc dicit Dominus: in omni loco in quo linxerunt ſues & canes ſanguinem Nabuthæ, ibi lingent canes ſanguinem tuum, & meretrices lauabunt in ſanguine tuo, &c. DISTITVIT SEMETIPSVM. *Neglexit, & ſqualidum reddidit. Ibidem verſu* 27. Cùm audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. VIDISTI VT REVERITVS. *Ibidem verſu* 29. Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius, ſed in diebus filij ſui inferam malum domui eius. 70. *paulò aliter.* Vidiſti quemadmodum compunctus eſt Achab à facie mea, &c. AMBIENS, *Dei gratiam captans, oratione ieiunâ, meruit fieri Mater Samuelis.* NATVRÆ MVTATIONEM. *Sterilis, in fœcundam.* 1.*Reg.*1. 8. Dixit ei Elcana vir ſuus, Anna cur fles, & quare non comedis? &c. *Et verſu* 18. *Heli Sacerdoti temulentam exiſtimanti*: Reſpondens Anna, nequaquam inquit, Domine mi, nam mulier infelix nimis ego ſum, *Sanct. Pagn. ex Hebr. mulier dura ſpiritu ſum.* 70. *dura dies ego ſum*, vinumque & omne quod inebriare poteſt, non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini. SACRAMENTORVM. *Myſteriorum*, TVRBANTVR SOPHISTÆ. *Dan.*2. 10. Reſpondentes Chaldæi coram Rege dixerunt: non eſt homo ſuper terram qui ſermonem tuum Rex poſſit implere, &c. quo audito Rex in furore & in ira magna præcepit vt perirent omnes ſapientes Babylonis. DE PRÆSTANTIA HVMANA. *Nullum hominem tantâ præſtare ſapientiâ, vt poſſet diuinare quid Rex ſomniaſſet. Verſu* 11. Nec reperitur quiſquam qui indicet illum in conſpectu Regis: exceptis diis, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio. *Quod ſubiicie Tertullianus de ſpatio tridui, & ieiunio cum ſua fraternitate, id eſt tribus pueris, non habetur in textu vllo. Solum tempus petiit Daniel ad ſolutionem indicandam Regi, ſed capite præcedenti de eorum abſtinentia dixerat.* EX RECOGITATV. *Ex memoria prædictorum à Ieremia Dan.*9. 1 *& ſeq.* In anno primo Darij filij Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnum Chaldæorum. Anno vno, *Sanct. Pagn. ex Hebr anno primo*, regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum de quo factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni. Et poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis ſacco & cinere. *Locus Ieremiæ habetur cap.*25. 11. *& cap.*29. 10. QVATENVS MISERABILIS. *Dan.*9. 23. Veni vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es, *quod pariter habent verſiones omnes. Miſerabilem autem vocat quia Dei miſericordiam & miſerationem habitu miſerabili mouerat.* LEONIBVS HORRIBILIS. *Dan.*14. 30. Miſerunt eum in lacum Leonum, & erat ibi diebus ſex. Porrò in lacu erant Leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues, & tunc non data ſunt eis, vt deuorarent Danielem, *& verſu* 39. *poſt acceptum prandium de manu Angeli portantis Habacuc.* Venit ergo rex die ſeptimo vt lugeret Danielem; & venit ad lacum & introſpexit, & ecce Daniel ſedens in medio Leonum. *Auguſtinus tract.*8. *Epiſt. Ioan vbi agit de animalibus irrationalibus meritò ſubiectis homini ratione prædito, dum Deo ſuprema rationi omnium ſubditur.* Subdere ei, inquit, qui ſupra te eſt, & infra te erunt illa quibus præpoſitus es. Quia verò per peccatum, *gula*, homo deſeruit eum ſub quo eſſe debuit, ſubditus eſt eis ſupra quæ eſſe debuit. Intendite quid dicam. Deus, homo, pecora. Supra te Deus, infra te pecora. Agnoſce eum qui ſupra te eſt, vt agnoſcant te quæ infrà te ſunt. Ideoque cum Daniel, *maximè ieiunus & erant tribus vicibus per diem*, agnouiſſet ſuprà ſe Deum, agnouerunt illum ſupra ſe Leones.

S.Aug.

Vnde ſedens in lacu quaſi imperabat numero multitudinis & vniuerſitatis omnium animalium principibus, ſeptem Leonibus famelicis & ieiunis, ieiuno parcentibus, Si autem non agnoſcis illum qui ſupra te eſt, ſuperiorem contemnis, ſubderis inferiori. Propterea ſuperbia Ægyptiorum, vnde domata eſt? de ranis & muſcis. Poterat Deus & leones mittere: ſed aliquis magnus leone terrendus eſt. Quanto illi erant ſuperbiores, tanto de rebus contemptibilibus & abiectis, fracta eſt eorum ceruix mala. Sed Danielem agnouerunt leones, quia ille ſubditus Deo erat. Quid Martyres qui ad beſtias pugnauerunt & ferarum morſibus laniati ſunt, nonne erant ſub Deo? Serui Dei tres viri, *ſocij Danielis, à quibus abſtinentibus, & ignis abſtinuit*, & ſerui Dei Machabæi, *quos & ab immundis cibis abſtinentes ardentes ſartagines vſſerunt*, agnouit ignis ſeruos Dei tres viros quos non vſſit, quorum nec veſtimenta corrupit. Non agnouit Machabæos? Agnouit & Machabæos fratres, agnouit & iſtos, &c. viſibiliter quoſdam viſus eſt deleuiſſe, *Dei prouidentia*, quoſdam viſus eſt eripuiſſe: ideo quoſdam eripuit, ne putes illum non potuiſſe eripere, teſtimonium dedit quia poteſt; & vbi non facit, ſecretiorem intelligas voluntatem, ne ſuſpiceris difficultatem. *De eodem Daniele vide dicta numero 10. De Ninive ab exitio prædicato liberata, idem Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 44. relata differentia textus Hebraï & 70. refert triduum ad myſterium, quo Chriſtus poſt triduum mortis ſuſcitatus eſt cum Iona de ventre inferi; & ad tres pœnitentiæ dies, quo animæ noſtræ peccatrices ſuſcitantur à morte peccati. Quod & quadragenarius numerus ieiunij pœnitentiæ ſacer adumbrat: quo Chriſtus vſque ad Aſcenſionem cum Apoſtolis conuerſatus, docuit eos de regno ſuo, & gentilitate per Niniuem ſignificata, conuertenda per pœnitentiam. Atque inter cetera inſufflando Spiritum, inſtruxit eos de remiſſione peccatorum. Ad hæc, poſt hos quadraginta dies aſcenſurus in cælum, ipſos edocuit baptiſmo enectere Niniuem, id eſt conuertere gentilem in fidelem per triduum hoc eſt fidem Trinitatis, dum formam Baptiſmi præſcripſit*: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. *Et libro 21. de Ciuit. cap. 24.* Euertuntur, inquit, peccatores duobus modis; aut ſicut Sodomitæ, *de quibus Propheta: hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſaturitas & abundantia panis, quæ, vt hic habet Tertullianus, ſcelus ſuum ieiunio & pœnitentia expiare neglexit*, vt pro peccatis ſuis ipſi homines puniantur; aut ſicut Niniuitæ ipſa hominum peccata deſtruantur. Factum eſt quod prædixit Deus. Euerſa eſt enim Niniue quæ mala erat, & bona ædificata eſt quæ non erat. Stantibus enim mœnibus & domibus, euerſa eſt ciuitas in perditis moribus. Ac ſic. quamuis Propheta fuerit contriſtatus, quia non eſt factum quod illi homines timuerunt illo prophetante venturum, factum eſt tamen quod fuerat Deo præſciente prædictum, quoniam nouerat qui prædixit quomodo in melius eſſet implendum.

A

B

S. Aug.

Aug.

8. *Ieiunium ſpiritum nequam abigit, & ſanctum inducit. De Ieiun. cap. 8. in f. Et V. Verbum Ieiun. Antiq. num. 10.*

Matth. 17. 20. DOcuit etiam aduerſus diriora dæmonia ieiuniis præliandum. Quid enim mirum, ſi eadem operatione ſpiritus iniquus educitur, quâ ſanctus inducitur? Denique, vt in Cen-
Act. 10. 31. turionem Cornelium, necdum tinctum, dignatio Spiritus ſancti cum chariſmate inſuper
prophetiæ feſtinaſſet, ieiunia eius legimus exaudita. Puto autem & Apoſtolus in ſecunda
2. Cor. 11. 27. Corinthiorum inter labores ſuos & pericula & incommoda poſt famem ac ſitim, ieiunia quoque plurima enumerat.

DOcuit. *Matth. 17. 20. vbi cum Diſcipuli quæſiſſent à Chriſto, expulſo dæmonio in ignem & aquam impellente quendam lunaticum*: quare non potuimus eiicere illum? Dixit illis Ieſus: propter incredulitatem veſtram. Amen quippè dico vobis, ſi habueritis fidem, *Syr. ſi fuiſſet in vobis fides*, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. Hoc autem genus non eiicitur niſi per orationem & ieiunium.
S. Aug. *De quo ſic Aug. Ser. 65. de temp. in fine.* In Euangelio quoque cùm quidam dæmone plenus Domino fuiſſet oblatus, quem Apoſtoli curare nequiuerant, interrogantes audiunt à Domino; iſtiuſmodi genus non poſſe eiici niſi orationibus & ieiuniis. Videte ergo chariſſimi quanta ſit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia valeant, quod Apoſtoli nequiuerant.
S. Aug. *Et Ser. 230 de temp.* Aduerſus, inquit, dæmonum nequitiam quæ nobis Dominus arma oſtendit, debemus vtique retinere: hoc, ait, genus in nullo eiicitur, niſi oratione & ieiunio. Hæc cum plena fide exercētur, pietas eſt. Pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ præſentis & futuræ. Inſpiciamus ergo vtiliter orationis fructus & ieiunij, quia ipſa ſunt arma aduerſus improbas cogitationes. NEDVM TINCTVM, *Baptizatum*, DIGNATIO FESTINASSET. *Etiam antequam baptizatus eſſet, prauentus eſt à Spiritu ſancto gratiâ viſionis Angelicæ. Act. 10. 1.* Vir quidam erat in Cæſarea nomine Cornelius Centurio cohortis quæ dicitur Italica, religioſus ac timens Deum cum omni domo ſua faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper: & vidit in viſu manifeſtè quaſi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli. At ille intuens in eum timore correptus dixit: quid eſt Domine? Dixit autem illi: orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. *Nihil hîc de ieiunio, vt nec tuis capite: vbi Petro viſionem & verba Angeli narrauit. In fine autem capitis verſu 44.* Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes. *Syr. Spiritus ſanctitatis operuit eos omnes*, qui audiebant verbum. Et obſtupuerunt ex Circumciſione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum: tunc reſpondit Petrus: nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi qui Spiritum ſanctum acceperũt ſicut & nos? *Credibile eſt apertè linguis ignis apertis fuiſſe omnes ex familia Cornelij, iuxta tranſlat. Syr. & verba expreſſa Petri*, & juſſit eos baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti. *Aug. to. 7. lib. 1. de Bapt. cap. 8. contra Donatiſtas.* Neque, inquit, & Cornelij Gentilis hominis orationes non ſunt exauditæ, aut eleemoſynæ non ſunt acceptæ? imo & Angelum

A

B

C

D

Aug.

lum ad se mitti, & missum meruit inueri, per quem posset vtique sine hominis alicuius accessu cuncta necessaria discere, sed quoniam quidquid boni in orationibus & eleemosynis habebat, *adde & ieiunijs ex Tertull. fundato in coniectura nona, ad quam ipse ieiunandum, ad maius orationis meritum, plenamque virtutum comitum, orationis, eleemosynæ, & ieiunij triadem*, habebat, prodesse illi non poterat, nisi per vinculum Christianæ societatis & pacis incorporaretur Ecclesiæ; iubetur mittere ad Petrum, & per illum discit Christum, per illum etiam baptizatus, Christiano populo consortio quoque communionis adiungitur, cui solâ bonorum operum similitudine iungebatur. Perniciosè quippe contemneret bonum quod nondum habebat, superbiens ex illo quod habebat. *Et lib. de Prædest. SS. cap. 7.* Quidquid, inquit, & antequam in Christum crederet, & cùm credidisset benè operatus est Cornelius totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur. IEIVNIA QVOQVE, *2. Cor. 11. 27.* In labore & ærumna, *syr. fatigatione*, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis.

A

S. Aug.

Aug.

9. *Ieiunium baptismum Christi consecrauit, reformandi hominis, & diaboli superandi præmium. De Ieiun. cap. 8. in m.*

IPse mox Dominus baptisma suum, & in suo omnium, ieiuniis dedicauit, habens efficere panes ex lapidibus, etiam Iordanem vino fortasse manare, si ita vorator & potator fuisset. Immò nouum hominem in veteris sugillationem virtute fastidiendi cibi initiabat, vt eum diabolo tursus per escam tentare quærenti, fortiorem fame totâ ostentaret.

Matth. 4. 2

Matth. 11. 19.

IEIVNIVM BAPTISMVM CHRISTI, &c. IX. SCHOL.

IPSE MOX. *Statim quippe vt baptizatus est, Matth. 4. 1. dicitur.* Tunc Iesus ductus est in desertum, &c. IN SVO OMNIVM. *Quia aquam sanctificauit, & Spiritum sanctum in aquam super se, corpusque suum, hoc est Ecclesiam, omnesque baptizandos adnexit.* HABENS EFFICERE. *Potens lapides in panes conuertere, vt & aquas Iordanis in vinum; si vorax, & potator vini fuisset, vt ei Pharisæi calumniabantur.* NOVVM HOMINEM. *Incipiebat ieiunio renouare hominem: vt ieiunij cibum fastidiens in deserto, vt carperet veterem hominem cibo lapsum in paradiso; vt assumptum in se hominem, diabolo magnificè ostentaret, quadraginta dierum inediâ totâ diabolicâ fortitudine rursum de quia tentante fortiorem: Aug. Ser. 77. de temp.* Videamus, inquit, quæ causa exiterit vt ieiunia sibi Saluator indiceret, & ipse primus bonus humani generis medicus ieiunaret. Bonus enim Medicus poculum quod ægro daturus est, ipse gustat, vt peritiam artis suæ ante ipse in se demonstret, vt experimentum æger accipiens, securus sit de poculo, securior de salute, &c. Arbitror causam hanc esse ieiunij, vt quia primus Adam in paradiso constitutus per intemperantiam gulæ, gloriam immortalitatis amiserat, eandem immortalitatem secundus Adam Christus per abstinentiam repararet. Et quia contra mandatum Dei gustans de interdicta arbore, in peccatum mortis inciderat, nunc secundùm mandatum Domini ieiunans, vitæ iustitiam meteretur. Hoc enim egit Saluator vt eisdem vestigiis quibus admissa fuerant delicta, purgentur: *malim contraria contrariis fuisse curata mala remediis*, hoc est, quia homo manducando deliquerat, corrigat abstinendo: & hoc ergo agit Dominus sicut Adam secundus, vt quod prior homo manducando perdiderat, hic alter ieiunando recipiat, & legem abstinentiæ in paradiso datam, in deserto custodiat. Sciebat enim præceptum Dei, non vnius loci legem esse, sed mundi. Non enim interest, diuinitatis mandatum, vtrùm domi, an in agro custodias, cùm vbique sit qui præcepit. In deserto itaque Saluator implet mandatum Dei, vt ibi Adam seruaret errantem, vbi fuerat de paradisi possessione proiectus. Adam enim expulsus de paradiso inculti mundi deserta sustinuit, &c. Conueniens ergo est desertum saluti, vbi non est Eua quæ persuadeat, non est mulier quæ blandiatur. Videte rem miram. In paradiso cum Adam diabolus decertat, in deserto cum Christo diabolus dimicat, vbique insidiatur homini, vbique congreditur: sed vbi mulierem inuenit vincit: vbi mulierem non inuenerit, victus abscedit. Formam igitur dedit nobis Deus in hoc facto, vt ieiuniorum tempore, tanquam in deserto habitantes, abstineamus epulis voluptatum: mulier nec coniungatur nobis Eua: ne nos à casta obseruatione, illecebrosa persuasione subuertat. In deserto enim quodammodo videtur habitare qui quadragesimæ tempore ieiunus & castus est: deserto planè quodam ipso corporis Christiani, cùm non repletur cibis, non poculis irrigatur, sed arentis instar deserti, inquam, est corpus nostrum, cùm per dies aliquot abstinentiâ marcessit carnis species, colore neglecto, & contemptu rerum, totius hominis species inculta sordescit. Tunc Christus Dominus habitat desertum pectoris nostri, cùm terram nostram fame squalidam ac siti aridam esse repererit. Secundùm quod ait Propheta Dauid; sicut terra deserta & inuia & inaquosa sic in sancto apparui tibi. Aliter enim in sancto ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis deliciis, inuia inimicis concupiscentiis, & inaquosa libidinosis illecebris. Tunc habitans Saluator hoc desertum corporis nostri, omnes ibi diabolicas factiones exsuperat, & secretum ac securum à cogitationibus sæculi esse sinum facit habitaculum, vt deinceps intra nosmetipsos velut in solitudine constituti, non nisi cœlum respiciamus & terram: hoc est non cogitemus alium nisi cœlestis regni Dominum, & terrenæ resurrectionis authorem.

A

B

C

D

10. *Ieiunium Moysem aspectu Dei & lege, & cum Elia Christi visione dignum præstitit, deoque contubernalem & in aliquo parem. De Ieiun. cap. 6. à m. ad f.*

CEterùm, cui cor erectum potius inueniebatur, quàm impinguatum, quadraginta diebus, totidemque noctibus, supra humanæ naturæ facultatem, ieiunium perennauit, spiritali fide virtutem subministrante; & vidit oculis Dei gloriam, & audiuit auribus Dei Omniloquium.

Exo. 24. 18.

vocem, & corde conjecit Dei legem, iam tunc docentis [a] *non in ſolo pane viuere hominem, ſed in omni verbo Dei*: cùm quidem nec ipſum Moyſen Deo paſtum, inediamque eius nomine ſaginatam, conſtanter contemplari valeret pinguior populus. Meritò igitur etiam in carne ſe Dominus ei oſtendit collegæ ieiuniorum ſuorum, non minus & Heliæ. Nam & Helias hoc primum quod famem fuerat imprecatus, ſatis iam ſe ieiuniis vouerat. [b] *Viuit*, inquit, *Dominus, cui adſiſto in conſpectu eius, ſi erit ros iſtis annis & imber.* Dehinc minantem Iezabel fugiens poſt vnicum pabulum & potum, quem ab angelo expergefactus inuenerat, & ipſe quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb; vbi cùm in ſpelunca deuertiſſet, quàm familiari congreſſu Dei exceptus eſt? [c] *Quid tu Helia hic?* multò amicior iſta vox, quàm, [d] *Adam vbi es?* Illa enim paſto homini minabatur, iſta ieiuno blandiebatur. Tanta eſt circumſcripti victus prærogatiua, vt Deum præſtet homini contubernalem, parem reuerà pari. [e] *Si enim Deus æternus non eſuriet*, vt teſtatur per Eſaïam, hoc erit tempus quo homo Deo adæquetur, cùm ſine pabulo viuit.

[a] Math.4.4 Exo 34.28. & ſeq. Math.17.3

[b] 3.Reg.17.1.

[c] 3.Reg.19.9.

[d] Gen. 3.9.

[e] Eſa.40.28

II. *Et de Reſurrect. cap. 61. à m.*

CEterùm, & hodie vacare inteſtinis & pudendis licebit. Quadraginta diebus Moſes & Helias ieiunio functi, ſolo Deo alebantur. Iam tunc enim dedicabatur. *Non in pane viuet homo, ſed in Dei verbo.* Ecce virtutis futuræ liniamenta. Nos quoque, vt poſſumus, os cibo excuſamus: etiam ſexum à congreſſione ſubducimus.

Exo.24.18. 3.Reg.19.8. Deut.8.3. Math.4.4

IEIVNIVM MOYSEM, &c. X. & XI. SCHOL.

COR ERECTVM, *vtpotè non granatum crapulâ & ebrietate.* PERENNAVIT, *perenne ſine intermiſſione produxit.* SPIRITALI FIDE. Iuſtus enim ex fide viuit. *Et vt alibi ipſe Tertullianus dixit.* Fides famem non timet. DEI GLORIAM, *poſteriora tamen tantùm vidit in quodam lumine & apparitione.* CONIECIT, *præſago ſpiritu, quod in Deuteronomio primò, deinde in Euangelio Chriſtus docturus erat. Sic enim Deut. 8. 3.* Afflixit te penuria, & dedit cibum manna, quod ignorabas tu & Patres tui: vt oſtenderet tibi quòd non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei. EIVS NOMINE. Vocabor in nomine meo coram te. Veni & oſtendam tibi omne bonum. SAGINATAM. *Quid mirum cùm in hoc nomine fuerit omne bonum, quo impletur omne animal benedictione. In nomine tuo leuabo manus meas. Quid inde? ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* CONSTANTER CONTEMPLARI, *irreuerberato oculo.* Itaut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem eius. PINGVIOR POPVLVS. *De quo tunc dictum eſt:* Sedit populus manducare, & bibere & ſurrexerunt ludere. IN CARNE. *Chriſtus incarnatus transfiguratus in Thabor.* COLLEGÆ IEIVNIORVM. *De quo Auguſtinus Ser.64. de temp.* Moyſes, inquit, legem accepturus à Deo quadraginta dies & noctes abſque cibo potuque tranſegit, & ad inſpiciendam Domini voluntatem ieiunus præparatus eſt. Elias poſt quadraginta dierum ieiunia curru igneo ad ſuperna cœlorum de hoc mundo tranſlatus eſt. Ipſe quoque Dominus ac Saluator noſter quadraginta diebus ieiunans de diaboli tentationibus triumphauit, vt ad prædicationem Euangelij iam victor accederet. Meritò verò etiam nos hunc numerum dierum cuſtodire debemus ieiunij, quem per talia exempla legimus conſecratum, &c. In his præcipuè diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quando maximè per abſtinentiam voluptas carnis extinguitur, &c. Qui ergo illa vitamus, quæ aliquando licent in primis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent, itaque ſi volumus benè ieiunare à cibis, ante omnia ieiunemus & à vitiis. Quid enim prodeſt vacuare corpus ab eſcis, & animam replere peccatis? quid prodeſt pallidum eſſe ieiuniis ſi odio & inuidiâ lineſcas? quid prodeſt vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? quid prodeſt abſtinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? quid prodeſt ſi abſtineamus ab his quæ aliquando licent, & faciamus illa quæ nunquam licent? *De Moyſe & Elia ſic proſequitur Ser. 65. de temp.* Moyſes quia ieiunauit, Dominum vidit: populus quia manducauit & bibit, idola fabricatus eſt. ELIAS VOVERAT. *Seipſum fami obſtrinxerat, dum ait. 3. Reg. cap.17. 1.* Dixit Elias Theſbites de habitantibus Galaad ad Achab: viuit Dominus Deus Iſraël in cuius conſpectu ſto; ſi erit annis his ros & pluuia niſi iuxta oris mei verba. 70. Cui aſtiti coram eo. Post VNICVM PABVLVM. *3. Reg. 19. 5. & ſeq.* POST VNICVM PABVLVM. *Si per vnicum pabulum intelligit ſolum panem & aquam, recte, ſin autem, his eodem pane & aquâ refectus eſt. Sic enim habetur verſu 5.* Obdormiuit in vmbra iuniperi, *Sanct. Pagn. ex Hebr. ſubtus geniſtam vnam. 70. Indeterminatè, ſubtus plantam.* Et ecce Angelus Domini. 70. *& ecce quidam*, tetigit eum & dixit illi: ſurge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis. 70. *filiginem*, & vas aquæ: comedit ergo & bibit, & rurſum obdormiuit. Reuerſuſque eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi: ſurge comede, grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Horeb. 70. *nihil differunt, niſi quòd legunt:* Montem Choreb. *Et verſu 13. poſt ſpiritum grandem, commotionem & ignem*, Sibilus auræ tenuis. Quod cùm audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio, 70. *in melote ſua*, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpelunæ, & ecce vox ad eum dicens, quid hîc agis Elia? CIRCVMSCRIPTI, *præciſi & parci.* CONTVBERNALEM. *Socium, commilitonem, conuiatorem, ſub eodem tecto & tabernaculo hoſpitantem. Vnde & Petrus:* Si vis, faciamus hîc tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. PARI REVERA. *In abſtinentia.* PER ESAIAM. *Sic habet Eſaias, cap. 40. 28.* Et nunc neſcis, & non audiſti? Deus æternus, Deus qui apparauit terminos terræ, non eſuriet, nec laborabit: nec eſt inuentio prudentiæ eius. *Sic apud Septuag. reperi. Vulgata aliter:*

A

B

C

5 Aug.

Digitized by Google

Numquid neſcis, aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. *Ita & Pagninus ex Hebræo, niſi quòd pro ſapientia, tranſtulit intelligentiam. Eſurire porrò, & deficere, parum diſtant; qui enim eſurit, viribus deficit: neutrum autem defectum poteſt incurrere æternus, & ſempiternus;* qui dat eſcam omni carni. *Hic autem ſublimi ſenſu Tertullianus Deo contubernales facit & Chriſto Moyſem, & Eliam, qui quadragenario numero ieiunij, Chriſtum in monte videre, & iudicio Petri, cum Chriſto tabernaculu propriis excipi, & Auguſtini ſenſu, Eliam per ieiunium, in paradiſum tranſferri, & ibi ſine eſurie, & defectu, eſu ligni vitæ tamdiu immortalis, & vt ait alibi Tertullianus* æternitatis candidatus *ſubſiſtere promeruit; vnde Adam inobediens & guloſus, de ligno vetito præſumens, conceſſumque fructum ligni vitæ contemnens, eſuriei, defectui, mortique addictus, eiectus eſt.*

Aug. *Auguſtinus lib. 6. Operis perfecti contra Iulianum, Sectione* 30. Adam hanc immortalitatem merito præuaricationis amiſit Hæc ei ſubminiſtrabatur de ligno vitæ, à quo non eſt prohibitus, quando legem bonam, ne peccaret, accepit, ſed quando malâ voluntate peccauit. Tunc enim de paradiſo eiectus eſt, ne extenderet manum ad lignum vitę, & manducaret, & viueret in æternum. Vnde intelligendus eſt, de hoc ligno vitæ ſolere, *ſupple, ſi non peccaſſet, & in paradiſo remanſiſſet*, ſumere ſacramentum, de cæteris alimentum. De ſolo enim ligno, quod appellatum eſt, dignoſcentiæ boni, & mali, non manducare præceptum eſt ei, &c. Quæ igitur fuit cauſa, vt non præcipuè de ligno vitæ manducare curaret, cùm prohibitus non fuerit, niſi ab illo ſolo, cuius vſurpatione peccauit? Immò, ſi vigilantes intelligamus, ſicut de ligno interdicto manducando peccauit, ita de ligno vitę non manducando peccaret; *ſicut peccant, qui ab Euchariſtia, vero pane, & ligno vitæ abſtinent, ſibi æternam vitam inuident, & mortem animæ & corporis frequenter incurrunt.* Quoniam ipſe ſibi vitam, quæ ex illo aderat, inuideret, &c. Cur enim & poſteri primi hominis in paradiſo nati, & non ſolùm boni, verùm etiam beati cogerentur mori, ſi eos nulla culpa de paradiſo exire compelleret, vbi erat lignum vitæ, & ſumma ex illo viuendi poteſtas, moriendi autem nulla neceſſitas? à qua neceſſitate tranſlati ſunt Enoch & Elias: in his enim terris erant, vbi lignum vitæ non erat, & ideo eos ad huius vitæ finem, communis, omnibus neceſſitas mortis vrgebat. Nam quò eos credendum eſt fuiſſe tranſlatos, niſi vbi eſt ipſum vitæ lignum, vnde illis ſit poteſtas viuendi, nec vlla moriendi neceſſitas, ſicut eſſet in paradiſo hominibus, in quibus nulla peccandi oriretur voluntas, quæ illos ibi eſſe non ſineret, vbi nulla æquitas mori cogeret? Qua-propter exempla Enoch, & Eliæ nos potius quàm vos adiuuant: Deus quippe in his duobus oſtendit, quid etiam illis quos dimiſit de paradiſo præſtaturus eſſet, ſi peccare noluiſſent; inde namque eiecti ſunt iſti, quò traiecti ſunt illi; vbi etiam hoc eis Dei gratiâ credimus eſſe collatum, *quod in paradiſo non peccent*, ne haberent vnde dicerent, dimitte nobis debita noſtra. In his enim terris, vbi corpus corruptibile eorum animas aggrauabat, ita confligebant magno agone cum vitiis, vt tamen ſi dicerent ſe non habere peccatum, ſeipſos deciperent, & veritas non eſſet in eis: qui ſanè creduntur ad exiguum temporis redituri in has terras, vt etiam ipſi cum morte confligant, & quod primi hominis propagini debetur, exſoluant. Vnde intelligendum eſt, quòd hi qui peccatum nullum haberent, & filij eorum, ſi paradiſi habitatores in eadem rectitudine permanerẽt, magis in illa immortalitate perſiſterent, donec in amplitorem, nullâ interpoſitâ morte tranſirent: ſic eis, qui ſic erant in his terris extra paradiſum iuſti, vt non poſſent dicere ſe non habere peccatum, id eſt Enoch, & Eliæ, tantam diuturnitatem vitæ fateamur eſſe collatam. Hoc ERIT TEMPVS. *Tunc homo Deo ſimilabitur, cùm non iam de cibo vetito præſumet ſibi ſimilitudinem cum Deo, ſicut ſerpens Euæ ſuaſit; ſed cum Chriſto vnà cum Moyſe, & Elia, ieiunabit.*

II. HODIE *quo* nox præceſſit, & quo abijcienda ſunt opera tenebrarum, & non in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis *agendum eſt, cum gentilibus, ſtudebimus, ventri implendo cibis, & pudendis libidinibus.* QVADRAGINTA DIEBVS. *Quàm longè abſumus ab Moyſe, & Elia, qui ſolo Dei verbo ieiuni alebantur, vt iam inde in ſe conſecrarent, & experirentur veritatem verbi diuini*, non in ſolo pane, &c. VIRTVTIS FVTVRÆ. *Chriſti incarnandi, qui* Dei virtus & ſapientia *à Paulo dicitur, figura præceſſerat, vel immortalitatis in reſurrectione futura, ſine cibi indigentia.* Nos QVOQVE, *adhuc mortales Chriſtiani.* EXCVSAMVS *abſtinemus; ventris*, Exactoris clamorem non exaudimus. SEXVM, *vtrumque matrimonio iunctum, tempore ieiunij ex mutuo conſenſu ſeparamus. Vide dicta Scholio præcedenti circa abſtinentiam à thoro. De cibo anima, Auguſtinus to. 9. tract. de vtilitate ieiunij, cap. 2.* Quia, S. Aug. inquit, terrenus cibus quo carnis infirmitas paſcitur, eſt, & cœleſtis cibus quo pietas mentis impletur. Habet cibus iſte terrenus vitam ſuam, habet & ille ſuam. Huius cibi vita hominum eſt, illius cibi vita Angelorum eſt, &c. Caro in terram cogit, mens ſurſum tendit: rapitur amore, ſed tardatur pondere. De hac re Scriptura ita loquitur: corpus quod corrumpitur aggrauat animam, &c Si ergo caro in terram vergens onus eſt animæ, & ſarcina prægrauans prænolantem; quantùm quiſque delectatur ſuperiore vita ſua, *ſimilis factus Angelis, quibus vt ibidem ait Aug. ſole delitiæ ſunt panis ipſe à quo creati ſunt*, tantùm deponit de terrena ſarcina ſua. Ecce quod agimus ieiunantes. *De Elia tandem idem ipſe Ser. 65.* S. Aug. *de temp.* Sancto Heliæ ieiunanti etiam elementa famulata ſunt. Hic denique tribus annis & ſex menſibus cœlum clauſit: ad cuius vocem etiam ſupernum deſcendit incendium. *Dum ducem cum quinquaginta ſuis militibus igne de cœlo accito fuccendit*, & cùm eum Ieſabel Regina vellet occidere, & feſſus ſub arbore frondoſa iaceret in ſolitudine, Angelus ad eum mittitur, & dicit ei, ſume paululum panis & aquæ. Videte quanta ſit Dei clementia erga ieiunantes, chariſſimi. Non ſufficiebat quia Angelum ad ieiunantem Dominus miſerat, qui eum vt cibum ſumeret, iuberet: ſed etiam præcipit vt longiùs fugiat perſequentem. Ait ergo *rurſum* ſume paululum panis, & aquæ. Quadraginta enim dierum ieiunio perrecturus erat per deſertum vſque ad montem Sina. Numquid enim Dominus qui cœlum & terram fecerat, cuius omnis eſt creatura, non potuit in Eremo per Angelum prandium mittere, ſicut Danieli in lacum Leonum per Habacuc miſit? Sed ſciebat Deus Prophetam ſuum tentantem diabolum aliter ſuperare non poſſe, ni ieiuniis eruditus, inſidiantis inimici tentamenta repelleret.

12. Ieiunans triſtis eſſe non debet. De Ieiun. cap. 8. in m.

Matth.6.16 PRæſtituit exinde ieiuniis legem ſine triſtitia tranſigendis. Cur enim triſte quod ſalutare?

V. Verbum Abſtinentia, per totum.

IEIVNANS TRISTIS, &c. XII. SCHOL.

SINE TRISTITIA TRANSIGENDIS, *Matth.6.16.* Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, &c. *Tranſlat. Syr.* Ne ſitis atrati, ſicut acceptores vultus, deturpant enim vultus ſuos. *Tum proſequitur:* Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum & faciem tuam laua, &c. *Aug. to. 9. tract. de vtilitate* S. Aug. *ieiunij, cap. 1.* Temperemus; & quod facimus, ſciamus quare faciamus. Ceſſando à lætitia carnis, ac- S Aug. quiritur lætitia mentis. *Et Ser. 61. de temp.* Vnuſquiſque conſideret quanta ſit inter ieiunium & ſaturitatem diſtantia; inter ventrem vacuum & refertum, inter rubentem faciem & ora pallentia; inter os ieiunum & labia crapulâ diſſoluta; inter oppreſſum epulis, & inediæ tenuitate vigilantem. *Vterque quidem poteſt eſſe hilaris, vinum enim lætificat cor hominis; ſed multò magis ieiunij ſalubritas, corpus animumque exhilarat*, non dico hebdomadas, non duplicata, non multiplicata ieiunia, ſed vel ſingulos dies, abſque A ciborum nimietate tranſeamus. Ceſſent lauacra, *faciem tamen tuam laua, & vnge caput, dum ieiunas, vt fiebat ante cænas lautas; ſplendidè enim tunc animus epulatur, cùm corpus ieiunio maceratur. Ne ergo triſti facie ieiunemus, quia hilarem datorem diligit Deus*, vina, vel carnes: non quòd creaturam Dei iudicemus eſſe damnandam; ſed qui toto anno nobis viximus, ſaltem vel paucos dies viuamus & Domino. *Sed læti viuamus*, ſeruite Domino in lætitia, introite in conſpectu eius in exultatione. *Inde Auguſtinus* Aug. *Ser. 64. de temp.* Abſtinentiæ ac ieiuniis dedicati quadrageſimæ dies, tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt, &c. Tunc enim ad Dominum & ad eius futura promiſſa tota mens purior facienda feſtinat, cùm nullâ crapulâ, nulla cibi ac potus ſatietate craſſatur, &c.

IESVS.

1. Ieſu nomen, in Ioſue dedicatum eſt. De Monog. c. 6. in f.

Num.13.17 SEcundus quoque Moyſes populi ſecundi, qui imaginem noſtram in promiſſionem Dei induxit, in quo primò nomen Domini dedicatum eſt, non fuit digamus.

2. Et contra Iud. cap. 9. à m.

SEd ſi Chriſtus, inquiunt, qui venturus creditur, non Ieſus dicitur, quare is qui venit, Ieſus Chriſtus appellatur? Conſtabit autem vtrumque nomen in Chriſto Dei, in quo inuenitur etiam Ieſus appellatus. Diſce erroris tui morem. Dum Moyſi ſucceſſor deſtina- Num.13.17 retur Auſes filius Naue, transfertur certè de priſtino nomine, & incipit vocari Ieſus. Certè, inquis. Hanc priùs dicimus figuram futuri fuiſſe. Nam quia Ieſus Chriſtus ſecundùm populùm, quod ſumus nos, nationes in ſeculi deſerto commorantes antea, introducturus eſſet in terram repromiſſionis, melle & lacte manantem, id eſt, in vitæ æternæ poſſeſſionem, quâ nihil dulcius: idque non per Moyſen, id eſt, non per legis diſciplinam, ſed per Ieſum, id eſt, per nouæ legis gratiam prouenire habebat circunciſis nobis petrina acie, id eſt, Chriſti præceptis [a] *(petra enim Chriſtus*, multis modis & figuris prædicatus eſt) ideo is vir qui in huius ſacramenti imaginem parabatur, etiam nominis Dominici inauguratus eſt figurâ, vt Ieſus nominaretur. a 1. Cor.10. 4.

Et paucis interjectis ibid.

SIc & Ieſus ob nominis ſui futurum ſacramentum: id enim nomen ſuum confirmauit, Num.13.17 quod ipſe ei indiderat, quia non angelum, nec Auſen, ſed Ieſum eum iuſſerat exinde vocari. Sic igitur vtrumque nomen competit Chriſto Dei; vt & Ieſus appellaretur.

3. Et 3. Contra Marc. cap. 16. per totum.

NVne ſi nomen Chriſti, vt ſportulam furunculus, captauit, cur etiam Ieſus voluit ap- Math.1.16. & 21. Luc. 1. 31. pellari, non tam exſpectabili apud Iudæos nomine? Nec enim ſi nos per Dei gratiam intellectum conſecuti ſacramentorum eius, hoc quoque nomen agnoſcimus Chriſto deſtinatum, ideo & Iudæis, quibus adempta eſt ſapientia, nota erit res. Denique ad hodiernum, Math. 16. 13. Chriſtum ſperant, non Ieſum; & Heliam potius interpretantur Chriſtum, quàm Ieſum. Math. 11. 14. Qui ergo & in eo nomine venit, in quo Chriſtus non præſumebatur, potuit in eo ſolo nomine veniſſe, quod ſolùm præſumebatur. Ceterùm, cùm duo miſcuit, ſperatum & inſperatum, expugnatur vtrumque conſilium eius. Siue enim ideo Chriſtus, vt interim quaſi Creatoris irreperet, obſtrepit Ieſus; quia non ſperabatur Ieſus in Chriſto Creatoris: ſiue ideo Ieſus, vt alterius haberetur, non finit Chriſtus; quia non alterius ſperabatur Chriſtus, quàm Math. 17. 10.

Digitized by Google

Creatoris. Quid horum conſtare poſſit, ignoro. Conſtabit autem vtrumque in Chriſto Creatoris, in quo inuenitur etiam Ieſus. Quomodo inquis? diſce & hic cum partiariis erroris tui Iudæis. Quum ſucceſſor Moyſi deſtinaretur Auſes filius Naue, transfertur certè de priſtino nomine, & incipit vocari Ieſus? Certè, inquis. Hanc priùs dicimus figuram futuri fuiſſe. Nam quia Ieſus Chriſtus ſecundum populum, quod ſumus nos nati in ſeculi deſertis, introducturus erat in terram promiſſionis, melle & lacte manantem, id eſt, vitæ æternæ poſſeſſionem, quâ nihil dulcius; idque non per Moyſen, id eſt, non per legis diſciplinam; ſed per Ieſum, id eſt, per Euangelij gratiam prouenire habebat, circumciſis nobis petrina acie, id eſt Chriſti præceptis [a] (*petra enim Chriſtus:*) ideo is vir, qui in huius ſacramenti imagine parabatur, etiam nominis Dominici inauguratus eſt figurâ, Ieſus cognominatus. Hoc nomen ipſe Chriſtus ſuum iam tunc eſſe teſtatus eſt, quum ad Moyſen loquebatur: Quis enim loquebatur, niſi ſpiritus Creatoris, qui eſt Chriſtus? Cùm ergo mandato diceret populo, [b] *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui te cuſtodiat in via, & introducat in terram, quam paraui tibi: intende illi, & exaudi eum; ne inobaudieris eum: non enim celauit te, quoniam nomen meum ſuper illum eſt.* Angelum quidem eum dixit, ob magnitudinem virtutum, quas erat editurus; & ob officium Prophetæ, nuntiantis ſcilicet diuinam voluntatem: Ieſum autem, ob nominis ſui futuri ſacramentum. Identidem nomen ſuum confirmauit, quod ipſe ei indiderat; quia non angelum, nec Auſen, ſed Ieſum eum iuſſerat exinde vocitari. Ergo ſi vtrumque nomen competit in Chriſtum Creatoris, tanto vtrumque non competit in Chriſtum non Creatoris; ſicut nec reliquus ordo. Facienda eſt denique iam hinc inter nos certa iſta & iuſta præſcriptio, & vtrique parti neceſſaria, quâ determinatum ſit, nihil omnino commune eſſe debere alterius Dei Chriſto, cum Chriſto Creatoris. Nam & à vobis proinde diuerſitas defendenda eſt, ſicut à nobis repugnanda eſt: quia nec vos probare poteritis, alterius Dei veniſſe Chriſtum, niſi eum longè alium demonſtraueritis à Chriſto Creatoris: nec nos eum Creatoris vindicare, niſi talem eum oſtenderimus, qualis conſtituitur à Creatore. De nominibus iam obduximus. Mihi vindico Chriſtum, mihi defendo Ieſum.

[a] 1.Cor.10. 4.

[b] Exo. 23. 20. Exo. 32.34. Num.13.17

Num.13.17 Ioſue.4.18. & 5.12.

4. Ieſum filium Dauid cæcus confitens, pro cæcis reſiſtentibus Dauid ſatisfaciens, illuminari meruit.

4. Cont. Marc. cap. 36. in m. ad f.

QVum igitur prætereuntem illum cæcus audiſſet, cur exclamauit, [a] *Ieſu fili Dauid, miſerere mei*, niſi quia filius Dauid, id eſt, ex familia Dauid non temerè deputabatur; per matrem & fratres, qui aliquando ex notitia vtique annuntiati ei fuerant. Sed [b] *antecedentes increpabant cæcum; vti taceret.* Meritò; quoniam quidem vociferabatur, non quia de Dauid filio mentiebatur. Aut doce increpantes illos ſciſſe, quod Ieſus non eſſet filius Dauid; vt idcirco ſilentium cæco indixiſſe credantur. Sed & ſi doceres, facilius illos ignoraſſe præſumeretur, quàm Dominum falſam in ſe prædicationem ſuſtinere potuiſſe. Sed patiens Dominus: Non tamen confirmator erroris, immò etiam detector Creatoris; vt non priùs hanc cæcitatem hominis illius enubilaſſet, ne vltra Ieſum filium Dauid exiſtimaret. Atquin, ne patientiam eius infamaretis, nec vllam rationem diſſimulationis illi affingeretis, nec filium Dauid negaretis, manifeſtiſſimè confirmauit cæci prædicationem, & ipſa remuneratione medicinæ, & teſtimonio fidei. [c] *Fides*, inquit, *tua te ſaluum fecit.* Quid vis cæcum credidiſſe? Ab alio Deo deſcendiſſe Ieſum ad dejectionem Creatoris? ad deſtructionem Legis & Prophetarum? non illum eſſe, qui ex radice Ieſſe, & ex fructu lumborum Dauid deſtinabatur, cæcorum quoque remunerator? Sed nondum puto eiuſmodi tunc cæci erant, qualis Marcion, vt hæc fuerit cæci illus fides, quâ crediderit in voce, Ieſu filij Dauid. Qui hoc ſe & cognouit, & ab omnibus cognoſci voluit, fidem hominis etſi melius oculatam, etſi veri luminis compotem, exteriore quoque viſione donauit, vt & nos regulam ſimulque mercedem fidei diſceremus. Qui vult videre Ieſum, Dauid filium credat, per virginis cenſum Qui non ita credet, non audiet ab illo: [d] *Fides tua te ſaluum fecit.* Atque ita cæcus remanebit, ruens in antitheſim, ruentem & ipſam antitheſim. Sic enim [e] *cæcus cæcum deducere ſolet.* Nam ſi aliquando Dauidem in recuperatione Sionis offenderant cæci reſiſtentes, quominus admitteretur; (in figuram populi proinde cæci, non admiſſuri quandoque Chriſtum filium Dauid) ideo Chriſtus ex diuerſo cæco ſubuenit, vt hinc ſe oſtenderet non eſſe filium Dauid, & ex animi diuerſitate bonus cæcis, quos ille iuſſerat cædi. Et cur fidei, & quidem prauæ, præſtitiſſe ſe dixit? Atquin & hoc filius Dauid, antitheſim de ſuo retundendam. Nam & qui Dauid offenderant, cæci: nunc verò eiuſdem carnis homo ſupplicem ſe obtulerat filio Dauid, idcirco ei ſatisfacienti quodammodo placatus filius Dauid, reſtituit lumina, cum teſtimonio fidei, quâ hoc ipſum crediderat, exorandum ſibi eſſe filium Dauid: & tamen Dauid audacia hominum puto offenderat, non valetudo.

[a] Luc. 18. 38.

[b] Ibid. 39.

[c] Ibid. 42. Eſa.11.1. Pſal.131.11. Act. 2. 30.

[d] Luc. 18. 42.

[e] Luc. 6.39. 2.Reg.5.6. & 8.

IESV NOMEN IN IOSVE DEDICATVM, I. II. III. & IV. SCHOL.

SECVNDVS Moyses, *qui vices eius ſubijt Dux populi ſecundi; primus enim Deo iuramentum implente, non introiuit in Dei requiem, hoc eſt terram promiſſam, quæ erat imago ſecundi populi Gentilis, quem Ieſus Chriſtus in cœlum inducturus erat.* PRIMÒ DEDICATVM, *figuratum eſt. Ieſus enim Naue ſiue Ioſue, Ieſus Sirach, & Ieſus Ioſedech, longè ætate præceſſit. Qui & monogamus fuit, vt Chriſtum ex matre vnius viri, vnius vxoris virum, hoc eſt Eccleſia, delinearet.*

2. INQVIVNT, *Iudæi ſcilicet.* VENITVRVS, *quem venturum credimus.* NON IESVS DICITVR, *à Prophetis noſtris.* QVI VENIT. *Quem vos Chriſtiani iam veniſſe dicitis.* IN CHRISTO DEI, *& veſtrùm & noſtri Dei filio.* IN QVO *in cuius Scriptura veteri, non tantùm Chriſtus, ſed & Ieſus vocatus eſt.* TRANSFERTVR, *reliquit primum nomen quo vocabatur, Auſes filius Naue. Num.* 13. 17. Hæc ſunt nomina virorum quos miſit Moyſes ad conſiderandam terram, *duodecim priùs nominauerat*, vocauitque Oſee filium Num, Ioſue. 70. *autem*: & cognominauit Moyſes Auſe filium Naue, Ieſum. ERRORIS MOREM, *quia ſolent Iudæi diſſimulare, vetus teſtamentum vmbram fuiſſe noui.* CIRCVMCISIS PETRINA ACIE, *ſicut Ioſue ſaxeis gladijs circumcidit populum nouum, quem introducturus erat in terram promiſſam.* MVLTIS MODIS, *Lex vetus varias Chriſti venturi figuras habuit.* SACRAMENTI *myſterij. Ioſue qui diſponebatur à Deo Creatore tanquam imago & figura Ieſu Saluatoris, nomine quoque eius primò inſignitus eſt.* NOMEN CONFIRMAVIT. *Moyſes ſcilicet vt ſuprà vidimus; vt non tantum Angelum, ſicut infra ex Exodo videbimus, quo priùs fuerat vocatus, ſicut & Auſe; ſed & Ieſum poſtea vocari voluit. Vtrumque porrò nomen, Dei Creatoris filio competit, vt & Chriſtus in veteri lege, & Ieſus fuerit appellatus; ſicut & Angelus teſtamenti.*

3. VT IPORTVLAM FVRVNCVLVS. *Si Chriſtus Marcionis, hoc nomen Chriſti ſuffuratus eſt ſibi non proprium, velut cophinum, vel capſam vnguento pretioſo plenam; cur etiam voluit in nouo Teſtamento vocari Ieſus, quod nomen in Meſſia ſuo Iudæi non expectant? Licet enim nos Chriſtiani, qui per Dei gratiam diuina myſteria cognouimus, nomen Ieſu, Chriſto noſtro ab ipſa veteri lege deſtinatum ſciamus; hoc tamen non ita notum eſt Iudæis, quorum Deus cor excæcauit, vt videntes & legentes Scripturas ſuas non intelligant. Tandem vſque ad hodiernum diem, Chriſtum expectant, non Dominum Ieſum,* HELIAM POTIVS, *&c. malunt Heliam figuram fuiſſe Chriſti, quàm Ieſum Naue. Vnde & rogante Chriſto Matth.* 16. 13. Quem dicunt homines, *Iudæi*, eſſe filium hominis? at illi dixerunt: alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, &c. *Et rurſum Matth.* 11. 14. *vbi de Ioanne, ad quem tanquam Meſſiam miſerant, ſic Chriſtus loquitur:* Omnes Prophetæ & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt: & ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi, audiat. *Tranſlat. Syr.* Si vultis, recipite: quia is eſt Iliio qui venturus erat. *Et Matth.* 17. 10. *poſt tranſfigurationem:* Interrogauerunt Diſcipuli dicentes: quid ergo Scribę dicunt quòd Eliam oporteat primum venire? At ille reſpondens ait eis; Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo quęcumque voluerunt. Sic & filius hominis paſſurus eſt ab eis. Tunc intellexerunt Diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis. IN EO NOMINE VENIT *ſcilicet Ieſu.* NON PRÆSVMEBATVR. *Non expectabatur à Iudæis.* IN SOLO NOMINE, *Chriſti, quod ſolum ipſi expectant.* CVM DVO MISCVIT; *cùm Chriſtus veſter, ô Marcionita, Dei veſtri boni filius, duo nomina ſimul iunxerit, & Chriſti expectati à Iudæis, & Ieſu inſperati, vtrinque fraus eius deprehenditur & euertitur. Si enim ideo ſe Chriſtum vocari voluit, vt ſub hoc nomine tanquam Creatoris filius irreperet, nomen Ieſu, Chriſti nomini contradicit, quia Iudæi filium Creatoris tantum ſub Chriſti nomine expectabant. Rurſum ſi in nouo Teſtamento Ieſus voluit appellari, vt alterius noui Dei tui filius, ſub nouo nomine Ieſu haberetur, Chriſti nomen opponitur; quia non alius à Iudæis, neque alterius Dei, quàm Creatoris filius expectabatur: at vtrumque nomen Chriſto noſtro Dei Creatoris filio conuenit.* PARTIARIIS, *qui partes tuas in errore tuentur.* CVM SVCCESSOR MOYSI. *Habes eadem ad verbum ſupra numero ſecundo.* AD MOYSEM LOQVEBATVR *Chriſtus in Angelo repræſentatus.* SPIRITVS CREATORIS. *Sic ſæpius Chriſtum vocauit vt & alibi expoſuimus.* MANDATO POPVLO. *Commendato. Exodi* 23 20. Ecce ego mittam angelum qui præcedat te & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obſerua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes; quia non dimittet te cùm peccaueris, & eſt nomen meum in illo. 70. *autem* attende tibi, & exaudi eum, & non ſis incredulus ei: non enim verebitur te, nomen enim meum eſt in eo. *De Ioſue intellexit Tertullianus. Sicut & Auguſtinus, vt infra dicemus.* VIRTVTVM. *Miraculorum, quale fuit, Solem ſiſtere & Lunam.* NOMINIS SACRAMENTVM. *Myſterium ſalutis generis humani, quod Ioſue Saluator populi Hebraï portendebat.* NON ANGELVM. *Sicut priùs, cùm diceret:* Ecce ego mittam Angelum meum. IN CHRISTVM. *Chriſto filio Creatoris conuenit.* NON CREATORIS, *ſed Dei Marcionis filium.* RELIQVVS ORDO. *Diſpoſitio figurarum & Prophetarum, quas Deus præmiſit aduentui filij ſui.* NIHIL COMMVNE. *Pro fundamento ſupponendum eſt; nihil prorſus commune eſſe debere Chriſto Creatoris & Marcionis, cùm Deus & Pater vtriuſque Chriſti ſit omnino diuerſus & contrarius.* DIVERSITAS DEFENDENDA, *probanda & tuenda eſt, ſicut nos ex aduerſo contradicere debemus;* QVALIS CONSTVITITVR, *in veteri lege promiſſus, talem veniſſe, qui ad promiſſa Patris implenda miſſus eſt.* OBDVXIMVS, *Marcionem conuicimus, vtrumque nomen ſortitum fuiſſe filium Creatoris, & in Cyro Chriſto Dei, Dauide, aliiſque Regibus & Sacerdotibus vnctis, proindeque Chriſtis, ſicut & in Ioſue vocato Ieſu, figuratum. Auguſtinus to. 6. Libro de quinque hæreſibus cap. 2. vbi hortatur fideles ad pugnam contra hæreticos, & totos de Apoſtolo armari; & fortiſſimis Ducibus veteris Teſtamenti coniungi, contra Allophylos.* Fratres, inquit, plures ſunt nobiſcum quàm cum illis. Nobiſcum eſt Moyſes ille magnus amicus Dei, qui vt hoſtem vinceret prœliantem, manus ad cœlum extendit, iam tunc figuram Crucis Chriſti oſtendens: Ipſe diuino imperio, tumentis ponti voluentes flexuoſis ſinibus vndas, vno ictu virgę percuſſit, & trajiciendo populum, aridos interim vertit in campos. Nobiſcum eſt Ieſus, poſt Moyſem populi dux Iſraelitici, fortiſſimus prœliator, cuius etiam nomen indicat Saluatorem: Ipſe potentia ſua, & diuina fiducia, diem ſui curſus metas ne perageret, ſtatuit: & nocti, ne accederet imperauit: *Iure diuinam dixit fiduciam: vt enim de Deo dicitur, diuiſit lucem à tenebris; ſic ille diem properantem in noctem, retardauit, & noctem ab ea ſeiunxit; vt ei tanquam alteri Deo dici*

Aug.

quodammodo posſit: tuum est dies & tua est nox. Et rursum; ordinatione tuâ perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi: quod ei præstitit vis nominis Iesu; quòd si talis figura, quid veritas? Ipſe gentium Reges non ſingillatim, ſed gregatim ſuperauit, captiuauit, humiliauit, & occidit. Nobiſcum eſt Dauid manu fortis. Quid dicam? ſeruus Dei, electus Dei, amicus Dei, parens Dei. *Et lib.12. cont. Faust. Manich. cap. 31. vbi eum cæcitatis arguit.* Videat, inquit, Ieſum introducentem populum in terram promiſſionis: neque enim hoc temerè ab initio vocabatur, ſed ex ipſa diſpenſatione, nomine mutato, Ieſus appellatus eſt. Videat botrum de terra promiſſionis in ligno pendentem; *Chriſtum crucifixum, ſed priùs circumciſum, ſanguine ſuo, nomen Ieſu promerentem.* Videat in Hierico, tanquam in hoc mortali ſæculo meretricem, *& in ea omnem animam peccatricem*, de qualibus ait Dominus, quòd præcedant ſuperbos in regnum cœlorum; per feneſtram domus ſuæ tanquam per os corporis ſui coccum mittentem, quod eſt vtique ſanguinis ſignum, propter remiſſionem peccatorum, confiteri ad ſalutem. Videat muros ipſius ciuitatis, *mundi peccatoris*, tanquam munitiones mortales ſæculi, ſepties circumactà teſtamenti arcâ cecidiſſe: *tubis, id eſt Apoſt. & Prædicat. perſonantibus*; ſicut nunc per tempora, quæ ſeptem dierum viciſſitudine dilabuntur, teſtamentum Dei circumit totum orbem terrarum, vt in fine temporum mors nouiſſima inimica deſtruatur, & ex impiorum perditione, vnica domus, *vt ſola Rahab domus in euerſione Hierico incolumis ſteterit*, tanquam vnica Eccleſia liberetur, mundata à turpitudine fornicationis, *tam mentis idololatræ, quam carnis pollutæ*, per feneſtram confeſſionis, in ſanguine remiſſionis. *Id eſt Chriſti circumciſi, impoſito nomine Ieſu Saluatoris, hoc eſt peccatorum omnium remiſſoris: Capite autem 30. dixerat, de limine Æani, ſignato ſanguine Agni.* Sanguine, *inquit*, illinuntur poſtes, vt pernicies depellatur, *imminens ab Angelo exterminatore*, ſignantur ſigno Dominicæ paſſionis, *quæ cæpit à circumciſione*, in frontibus populi, ad tutelam ſalutis. *Et libro 16. cap. 19. Fauſto dicit, quod Iudæo, & Marcionita Tertullianus.* Dicat, inquit, mihi, quem Prophetam promiſerit Deus, cùm ait Moyſi Deut. 18. ſuſcitabo illis Prophetam de fratribus eorum, ſicut te, vel ſimilem tibi? multi enim Prophetæ poſtea fuerunt; ſed vtique vnum quemdam intelligi voluit. Hic ei credo facillimè occurreret ſucceſſor ille Moyſi, qui populum ex Ægypto liberatum in terram promiſſionis induxit. Quem cogitans, me adhuc fortaſſe ridebit quærentem de quo dictum ſit, ſuſcitabo illis Prophetam ſimilem tibi: Cùm legam quis in eodem munere populi illius regendi atque ducendi, Moyſi defuncto ſucceſſerit, &c. Cur eidem ipſi ſuo futuro ſucceſſori, in cuius comparatione improbatus eſt, vt non ipſe introduceret populum in terram promiſſionis; ne videlicet lex per Moyſem, non ad ſaluandum ſed ad conuincendum peccatorem data, in regnum cœlorum introducere putaretur, ſed gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta: quæram ergo à Iudæo, cur eidem ipſi futuro ſuo ſucceſſori Moyſes nomen mutauerit; vocabatur enim Ioſue, & appellauit eum Ieſum. Cur denique tunc appellauerit, quando ex conualle Pharan præmiſit ad eandem terram, quò erat populus ipſo duce venturus? Dixit enim verus ipſe Ieſus: *non iam figuratiuus*, & ſi iero & præparauero vobis locum, iterum veniam, *in iudicio*, & aſſumam vos ad me. *Corpora veſtra glorificata, vt mecum ſedeatis iudicantes.* Quæram etiam, vtrùm non huic figuræ atteſtetur Propheta dicens; *Habacuc. 3. 3.* Deus ab Aphrico veniens, & ſanctus de Pharan: tanquam diceret, eius nominis veniet Deus ſanctus, cuius nominis erat ille, qui venit ab Aphrico de Pharan: id eſt Ieſus. Huc accedit quod ipſum Dei Verbum intelligitur loqui, vbi promittit eundem ipſum Moyſi ſucceſſorem, per quem populus in terram promiſſionis mitteretur, nomine Angeli eum appellans: ſicut etiam homines aliquid nuntiantes, in Scriptura diuina ſolent appellari. Et ita dicit, ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, vt ſeruet te in via, & inducat te in terram quam præparaui tibi: attende tibi, & obaudi eum, ne non credas illi: nihil enim ſubtrahet tibi; *Tertullianus ſupra; non celauit te*, nomen enim meum eſt in eo. Quid eſt hoc? perſcrutetur Scripturas illas, non iam Manichæus, ſed ipſe etiam Iudæus, & videat vtrùm de aliquo Angelo Deus dixerit; nomen meum eſt in illo: niſi de hoc, quem introductorem in promiſſionis terram pollicetur: Deinde quærat in hominibus, quis Moyſi ſucceſſor introduxerit populum, & inueniet Ieſum, non hoc ab initio vitæ ſuæ, ſed nomine mutato appellatum. Qui ergo dixit; nomen meum eſt in illo Ieſu; ipſe eſt verus Ieſus, rector & ductor populi in hæreditatem vitæ æternæ, ſecundùm Teſtamentum nouum, cuius figura erat Teſtamentum vetus. Ita quantùm attinet ad propheticum apparatum, nec geri, nec dici aliquid poſſet inſignius; quandoquidem res perducta eſt vſque ad nominis expreſſionem. *Et rurſum cap. 20. ſic concludit:* Supereſt, inquit, vt Iudæus ille, ſi vult & in abſcondito Iudæus eſſe, non literâ ſed ſpiritu; ſi vult reputari verus Iſraëlita, in quo dolus non eſt; recordetur in figura illum mortuum Ieſum, *filium Nane mortuum, verum Ieſum figuraſſe*, qui introduxit in terram morientium; & agnoſcat in veritate viuum Ieſum, *de quo Paulus: præcurſor pro nobis introiuit Ieſus* quo duce intret in terram viuentium. Talis enim iam, non acerbus reſiſtet tam perſpicuæ prophetiæ, ſed ex commemoratione Ieſu, qui introduxit in illam promiſſionis terram mitis effectus, audiet iam ipſum, cuius nomen ille habebat, verius introducentem & dicentem: beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram. *Vtique fluentem lacte & melle, torrente voluptatis, & fluminis impetu lætificante Ciuitatem Dei inundatam.* Hic etiam ille Gentilis, ſi non nimis lapideum cor haberet, aut ſi ex illis eſſet lapidibus, de quibus Deus ſuſcitat filios Abrahæ, nonne miraretur in libris antiquis eiuſdem gentis, ex qua natus perhiberetur Ieſus, tam euidentem de illo conſcriptam eſſe prophetiam, vt etiam nomen eius exprimeretur? ſimulque ibi aduerteret, non quemlibet hominem prædictum fuiſſe Ieſum, ſed vtique Deum: cùm in homine illo, qui regendo, & introducendo in regnum populo conſtitutus, mutato nomine Ieſu appellatus eſt, ſuum nomen ineſſe diceret, *hoc eſt Deum dicerentur Ioſue participatiuè, quod Chriſtus futurus erat veriſimè*, eumque Angelum nominaret, eo ipſo quòd mutato nomine mittebatur, magnum aliquid diuinumque nuntiantem?

4. DEPVTABATVR: *reputabatur, non tantùm Chriſtus, Dauid Chriſti Dei filius, ſed & Ieſus, vel à cæcis agnitus eſt.* PER MATREM ET FRATRES. *Qui ex progenie Dauidica cogniti erant, qui foris ſtare, Chriſto Dauid filio ſermocinanti aliquando nuntiati ſunt.* ANTECEDENTES, *Luc. 18. 39.* Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipſe verò multò magis clamabat: fili Dauid miſerere mei MERITO. *Non increpauerunt, quòd cæcum falsò vocaret eum Ieſum, aut filium Dauid; ſed quia vociferabatur.* FALSAM PRÆDICATIONEM. *Chriſtum non eſſet paſſus falsò ſe Ieſum & filium Dauid appellari.* SED PATIENS DOMINVS,

Aug. Aug. Aug. Aug. S. Aug. S. Aug.

Ne dicas Christum id tuliſſe, quia patiens erat; ſed dic ego, non potuiſſe Chriſtum veram viam, cæcum in errorem induxiſſe, aut in ſuo errore confirmaſſe; ſed potiùs hoc facto detexiſſe ſe filium eſſe Dei Creatoris, in veteri lege figuratum & promiſſum. VT NON PRIVS. *Id eſt ſi non fuiſſet ille Ieſus Dei Creatoris, & Dauid filius, cæcum illum non illuminaſſet, diſcuſſo cæcitatis nubilo, vt recuſata ſibi luce intelligeret hæc ſibi nomina diſplicere, vt pote ſibi non conuenientia, vel indigna.* ATQVIN. *Quinimo ne Chriſti patientiam aut diſſimulationem arguereret & negaretur eum filium eſſe Dauid; Chriſtum laudem cæci ex nomine & progenie ſumptam confirmauit, laudans eius fidem, eamque illuminatione remunerans.* AB ALIO DEO, *nempe ſcilicet tuo, ô Marcion,* AD DEIECTIONEM. *Vt inde Deum Creatorem deſtrueres, legem & Prophetas eius euertens.* QVALIS MARCION, *cæcior ipſis cæcis, qui* ore confeſſi ſunt ad ſalutem, & corde crediderunt ad iuſtitiam, *Chriſtum eſſe verum Ieſum, & Saluatorem, & Dauidis filium.* QVI HOC SE COGNOVIT *dum dixit de ſe:* Cuius filius eſt Chriſtus? dicunt ei Dauid, &c. *Et cæco ſic ſe vocanti annuit.* MELIVS OCVLATAM. *Clariùs, Marcionis fide, illuſtratam.* PER VIRGINIS CENSVM. *Ortum ex virgine, ortâ virgâ de radice Ieſſe, cuius filius erat Dauid.* RVENS IN ANTITHESIN. *Contrarietatem ruinoſam & aduerſam vera fidei, quâ Marcion duos Deos & Chriſtos finxit.* DAVIDEM OFFENDERANT CÆCI, 2. *Reg.*5.6. Abiit Rex, & omnes viri qui erant cum eo in Ieruſalem ad Iebuſæum habitatorem terræ: dictumque eſt Dauid ab eis: Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos dicentes: Non ingredietur Dauid huc. 70. *quia aduerſati ſunt cæci & claudi dicentes: quia non ingredietur Dauid huc.* Cepit autem Dauid arcem Sion, hæc eſt ciuitas Dauid. Propoſuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percuſſiſſet Iebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas, *Sanct. Pagn. catharactam; tubos & canales, quibus pluuia tectorum effunduntur.* 70. *Omnis percutiens Iebuſæum, tangat in pugione, & claudos & cæcos, & odientes animam Dauid*, & abſtuliſſet cæcos & claudos odientes animam Dauid, idcirco dicitur in prouerbio, cæcus & claudus non intrabunt in templum. IN FIGVRAM POPVLI CÆCI. *Iudæi, de quo ſcriptum eſt:* Quis cæcus niſi populus meus? *Et rurſum ipſe Chriſtus Ioannis 9. cæco nato illuminato:* dixit ei Ieſus, dies ille eſt inter lucem & tenebras diſcernens. In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Veniſti vt qui non vident videant, rectè quia lumen es: rectè quia dies es: rectè quia de tenebris liberas. Hoc omnis anima accipit, omnis anima intelligit: quid eſt hoc quod ſequitur, & qui vident cæci fiant? Ergone quia veniſti cæci fiunt qui videbant? Si cæci eſſent: &c. Id eſt ſi vos cæcos aduertheretis, ſi vos cæcos diceretis, & ad Medicum curreretis, &c. Dicendo, videmus; Medicum non quæritis, in cæcitate veſtra remanetis, &c. Quid eſt, vt qui non vident videant? qui ſe non videre confitentur, & Medicum quærunt, vt videant. *Ait Aug. tract.*44. *in cap.*9. *Ioan.* IDEO CHRISTVS EX DIVERSO. *Hæc eſt obiectio Marcionis, dicentis hinc Chriſtum probare ſe eſſe diuerſi & alterius à Creatore filium, nec proinde filium Dauid qui omnino contraria præſtat, dum benefacit cæcis, quos Dauid occidi iuſſerat.* ET CVR FIDEI PRAVÆ, *reſpondet Tertullianus. Vt quid ergo Chriſtus imputaret fidei falſæ & erranti præſtitum illuminationis beneficium?* ATQVIN ET HOC. *Imò verò ſe & hoc miraculo, Dauid filium eſſe probauit, dum Marcionis antitheſim, veteri teſtamento aduerſantis occurrit, dum Iudæum cæcum, eiuſdem cum Dauide nationis oculauit. Quia enim cæci Dauid Patrem ſuum offenderant* A *rebelles, videns eorum ſe ſupplicem*, eiuſdem carnis, *id eſt Iudæa, & cæca, hominem, quaſi ſatisfacientem ſibi pro peccato in Patrem ſuum à cæcis olim commiſſo, lumen oculorum reddidit, cum laude & approbatione fidei, quâ filium Dauid fuerat deprecatus.* ET TAMEN DAVID. *Quanquam, inquit, in hoc ſit diſparitas, quòd audax malitia cæcorum, non autem cæcitatis infirmitas, Dauidem offenderat. Auguſtinus in Pſal.*109. *in præfat. notat præmiſſam neceſſario fuiſſe propheriam vt fidem noſtram circa Chriſtum Dei, & Dauid filium, præpararet.* Vnicus filius, inquit, Dei venturus ad homi- Aug.
nes, aſſumpturus hominem, & per id quod ſumpſit futurus homo, morituus, reſurrecturus, aſcenſurus in cœlum, ſeſſurus ad dexteram Patris, & impleturus B in gentibus quæ promiſit, & poſt impletionem promiſſorum ſuorum in gentibus, etiam hoc impleturus, vt veniat, & quod prærogauit, exigat; diſcernat vaſa iræ, à vaſis miſericordiæ; reddat impiis quod minatus eſt, iuſtis quod pollicitus eſt. Hoc ergo totum prophetandum fuit, prænuntiandum fuit, venturum commendandum fuit, vt non ſubitò veniens, *qualis Eperrhomenes Marcionis*, horreretur, ſed creditum expectaretur. Ex his promiſſionibus eſt pſalmus iſte, Dominum & Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum certè apertéque prophetans. *Subjecit interrogationem Chriſti, Matth.*22. Quid vobis, inquit, vi- Aug.
detur de Chriſto, cuius filius eſt? dicunt ei Dauid, &c. *Tum ſtatim à principio expoſitionis pſalmi:* Si dicatur, C inquit, nobis, Chriſtus filius eſt Dauid, an non eſt? Si dixerimus non, contradicimus Euangelio: namque Matthæo ſcribente ſic incipit Euangelium: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, &c. Dicit Apoſtolus Rom.1. qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. Dicit etiam ad Timotheum 2.8. Memor eſto Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundùm Euangelium meum, &c. Pro hoc Euangelio Apoſtolus laborabat, & tamen de hoc Chriſtus interrogabat, & reſpondentibus Iudæis, *dicunt ei Dauid*, quòd prædicabat Apoſtolus, retulit vocem tanquam contradictionis, & ait: quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum? & interpoſuit teſtimonium de hoc pſalmo: Dixit D Dominus Domino meo, *& quod amplius eſt, quaſi æqualis, vt verè erat, dixit, Dominus, Pater, ſede à dextris meis. In quo & ſe hominem, ſecundùm carnem filium Dauid; & Deum de Deo, coæqualem Patri. Verbum vnigenitum Iudæis comprobauit.* Si ergo in ſpiritu vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? *Niſi ſcilicet, in quantùm & Deus eſt? &c.* Credamus & dicamus, & filium Dauid, & Dominum Dauid. Non erubeſcamus de filio Dauid, ne iratum inueniamus filium Dauid. *Sicut iratus eſt ipſe Dauid contra cæcos & claudos, qui figura erant Iudæorum cæcorum, & claudicantium à ſemitis ſuis.* Hoc enim nomine illum rectiſſimè tranſeuntem appellantes cæci illuminari meruerunt, tranſibat enim Ieſus, & illi audito ſonitu tranſeuntis turbæ, aure iam illum cognoſcentes, quod nondum poterant oculis, acclamauerunt voce magnâ & dixerunt: miſerere noſtri fili Dauid. Turbæ E autem illos increpabant vt tacerent; & illi nihilominus, lucis deſiderio, turbarum contradictionem vincentes, in clamando perſeuerauerunt, tranſeuntem tenuerunt, & à tangente illuminari meruerunt. Dicebant enim tranſeunti, miſerere noſtri fili Dauid. Stetit ille, & victo ab eis clamore contradicentium, quid, inquit, vultis vt faciam vobis? & illi, Domine vt videamus. Tetigit, & aperuit oculos eorum: viderunt præſentem, quem ſenſerant tranſeuntem. Aliquid ergo tranſitorium Dominus fecit, *id eſt humanitatem ſuam, & in ea ſalutis noſtræ myſteria operatus eſt: nam*

vt

et Deus eſt, Verbum Domini manèt in æternum. Eſt autem aliud quod ſtat. Aliud eſt, inquam, tranſitorium Domini, aliud ſtabile Domini. *Alibi dixit, vt per id quod tranſit, congrueret morituris, & ad id quod permanet, transferret ex mortuis.* Tranſitorium Domini, Virginis partus, Verbi incarnatio, ætatum gradatio, miraculorum exhibitio, paſſionum perpeſſio, mors, reſurrectio, aſcenſio in cœlum: hoc totum tranſitorium fuit Non enim adhuc Chriſtus naſcitur, aut adhuc moritur, aut adhuc reſurget, aut adhuc aſcendet in cœlum: Nonne videtis iſta facta per tempora, cucurriſſe per tempora, exhibuiſſe viatoribus quiddam tranſitorium, ne in via remanerent, ſed ad patriam peruenirent? Denique & illi cæci ad viam ſedebant, ibi tranſeuntem ſenſerunt, & clamando tenuerunt. In via ergo ſæculi huius hoc tranſitorium ſui, Dominus operatus eſt; & hoc tranſitorium pertinet ad filium Dauid: ideo illi Domino tranſeunti clamauerunt, miſerere noſtri fili Dauid. Tanquam dicerent, filium Dauid tranſeuntem cognoſcimus, filium Dauid in tranſitu factum diſcimus. Agnoſcamus ergo & nos, & filium Dauid confiteamur, vt illuminari mereamur. Sentimus enim tranſeuntem filium Dauid, & illuminamur à Domino Dauid, &c. Defecerunt in hac interrogatione Iudæi, proficiant Chriſtiani, &c. reſpondeamus omnino quod Iudæi, ſed non remaneamus vbi Iudæi, &c. dicant ora concordia Chriſtiana, Dauid. Referat & doctor, & reuocet nobis, quomodo ergo Dauid, &c. quomodo nos diceremus, niſi à te diſceremus? Nunc ergo quia didicimus, dicimus. In principio eras Verbum, &c. Ecce Dominus Dauid. Sed nos propter infirmitatem noſtram, quia caro deſperata iacebamus, Verbum caro factus es, &c. Ecce filius Dauid. Certè tu in forma Dei cùm eſſes, &c. Ideo Dominus Dauid: ſed temetipſum exinaniſti, &c. Inde filius Dauid, &c. accipiet virgo in vtero, virgo ex ſemine Dauid pariet filium, vt ſis filius Dauid: ſed ille quem peperit vocabunt nomen eius Emmanuel, nobiſcum Deus, ecce habes & Dominum Dauid. *Et Ser. de Verbis Do. vbi ſæpè de iiſdem cæcis.* Hæc, *inquit*, Dominus faciens diuina, patiens humana, admonet nos corporalibus miraculis, & patientiâ corporali, vt credamus, & ſanemur ad conſpicienda illa inuiſibilia quæ carnis oculus neſcit. Hoc ergo agens curauit cæcos illos, &c. & in curando, videte quid admonuerit, ægrotum interiorem, &c. pro fide illorum fecit Dominus, inſtaurauit oculos eorum, &c. clauſi ſunt oculi cordis, tranſit Ieſus vt clamemus. Quid eſt tranſit Ieſus? agit temporalia Ieſus, &c. *Quæ tranſitoria ſupra narrauit de natiuitate, morte, &c.* Iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, & diuinitas eius ſemper manet, & immortalitas iam corporis eius nunquam deficiet, &c. quid duo cæci iuxta viam ſunt, niſi duo populi, ad quos ſanandos venit Ieſus, &c. vnus Iudæorum, & alius Gentium, &c. clamauerunt duo cæci; Miſerere nobis fili Dauid, quia & hoc ipſum quod Dominus & Creator Dauid, etiam filius Dauid eſſe voluit; in tempore hoc egit, tranſiens hoc fecit. Quid eſt autem clamare ad Chriſtum, fratres, niſi gratiæ Chriſti congruere bonis operibus? Hoc dico, ne fortè ſimus ſtrepentes vocibus, & muti moribus, &c. quis eſt qui clamat ad Chriſtum? qui contemnit mundum, clamat ad Chriſtum: qui ſpernit ſæculi voluptates, clamat ad Chriſtum: qui dicit, non linguâ, ſed vitâ: mihi mundus crucifixus eſt, &c. Clamat ad Chriſtum. Clamat ad Chriſtum qui diſpergit & dat pauperibus, &c. tanquam veſtigiorum ſonitum Chriſti tranſeuntis audiens, clamet ad hæc cæcus, id eſt faciat iſta, vox eius in factis ſit. Incipiat mundum contemnere, inopi ſua diſtribuere, pro nihilo habere quæ homines amant, contemnat iniurias, non appetat vindicari, paret maxillam percutienti, oret pro inimicis, ſi quis ei abſtulerit ſua, non repetat, ſi quid alicui abſtulerit reddat quadruplum. Cùm iſta facere cœperit, omnes ſui cognati, affines, amici commouentur. Qui diligunt ſæculum, contradicunt. Quid inſanis? &c. talia turba clamat ne cæci clament. Turba clamantes corripiebat, ſed eorum clamores non vincebat, &c. Turba ipſa quæ cum Domino eſt, *detepidus Chriſtianis intelligit*, prohibet clamantes, id eſt prohibet benè operantes, ne perſeuerando ſanentur. Clament ergo illi, ne deficiant, neque ducantur quaſi authoritate turbarum; nec eos qui priores Chriſtiani facti ſunt, malè viuentes, & bonis operibus inuidentes imitentur. Non dicant, quomodo iſti viuunt tam multi, ſic viuamus. Quare non potiùs, quomodo dicit Euangelium? quare vis viuere ſecundùm increpationem turbæ prohibentis, & non ſecundùm veſtigia Domini tranſeuntis? Inſultabunt, vituperabunt, reuocabunt: tu clama quouſque peruenias ad aures Ieſu, &c. Stabit Ieſus, & ſanabit: Quomodo ſanantur oculi noſtri? vt quomodo per fidem ſentimus Chriſtum tranſeuntem temporali diſpenſatione: ſic intelligamus Chriſtum ſtantem incommutabili æternitate, &c. Iam ſtantem videt Ieſum qui dicit, 2. Cor. 5. & ſi nouerамus Chriſtum ſecundùm carnem, *mortalem*, ſed iam non nouimus; Chriſti enim diuinitatem videbat, quantùm in hac vita poteſt, &c. Omnes qui in hac turba ſanari vultis, non vos deterreant, quia multi ſunt nomine Chriſtiani, & operibus impij; non vos deterreant à bonis operibus. Clamate inter turbas compeſcentes, reuocantes, inſultantes, malè viuentes.

Aug. Aug. Aug.

IGNORANTIA.

1. Ignorare tutum eſt, quod Deus vult neſciri. De An. cap. 1. in f.

QVis enim reuelabit quod Deus texit? Inde ſciſcitandum eſt, vnde & ignorare tutiſſimum eſt. Præſtat per Deum neſcire, quia non reuelauerit, quàm per hominem ſcire, quia ipſe præſumpſerit.

IGNORANTIA. I. SCHOL.

INDE SCISCITANDVM. *Ab ipſo Deo quærendum eſt vt reueler nobis quod ignoramus; quòd ſi idem ipſe Deus noluerit reuelare, id nos ignorare longè tutiſſimum erit: Ipſe enim ſolus nouit, quid nos ſcire, quidue ignorare expediat.* PRÆSTAT. *Melius eſt Deo ſic diſponente, nos aliquid ignorare, quod Eccleſiæ ſuæ non reue-*

lauerit, quam ab homine diſcere, id quod ipſe in incertum nos decere præſumpſerit. Eodem ſenſu Auguſtinus Epiſtola 78. ad Heſychium in fine: Hoc me, *inquit,* compulit dicere cuiuſdam opinio, quem Preſbyter quoque Hieronymus temeritatis notat, quod auſus fuerit Danielis hebdomadas de aduentu Chriſti futuro, non de præterito exponere. Si quid autem pro meritis potioribus ſanctæ humilitatis cordis tui Dominus melius reuelauit, ſiue reuelauerit, *in poſ-*

A *terum*, peto nobiſcum communicare digneris, & hæc noſtra reſcripta ſic accipere tanquam hominis, qui mallem quidem eorum quæ à me inquiſiſti habere ſcientiam, quàm ignorantiam: ſed quia id nondum potui, magis eligo cautam ignorantiam confiteri, quàm falſam ſcientiam profiteri. *Dixit alibi, de re adhuc non reuelata à Deo Eccleſiæ, proindeque dubia & problematica:* quod horum verius ſit, lubentiùs diſco quam dico, ne audeam dicere quod neſcio. Aug.

2. *Ignorantia rerum ineptarum, & fabularum Valentini, vtilior eſt quàm earum ſcientia. Cont. Valent. cap. 35. in f. & 36. in p.*

HOc quæ ratio diſponat, vt ſingula binis locis, & quidem tam interciſis, naſcantur, malo ignorare quàm diſcere. Quid enim recti habent, quæ tam peruersè proferun-
CAP. XXXVI tur? Quantò meliores qui totum hoc tædium de medio amoliti, nullum Æonem voluerunt, alium ex alio, per gradus reuerà Gemonios ſtructum, ſed mappa (quod aiunt) miſſa, ſemel octojugem iſtam, ex Patre & Ennœa eius excluſam.

IGNORANTIA. II. SCHOL.

QVÆ RATIO DISPONAT. *Inordinationem confuſæ mentis Valentinianorum hic carpit, quod pluries, & pluribus, & diuerſis in locis nomina quædam Æonum oriri velint. De quibus conſule verbum infra ponendum.* Valentinianæ fabulæ. QVANTÒ MELIORES. *Saniorii inter ſtultos mentis.* PER GRADVS GEMONIOS. *De quibus vide Plin. cap. 40. ſcala Gemonia erant in colle Auentino reorum ſupplicijs infames, per quarum gradus corpora eorum vncinis trahebantur. Sic carpit Æonum infamiam, aliorum ab aliis deſcendentium, & quaſi per gradus ſaltantium.* MAPPA MISSA, *effuſa vno ictu. Alludit ad morem ludorum Circenſium in quibus Prætor ſignum ludorum Circenſium volens dare populo, mappam, ſiue linteum demittebat, vt notat Caſſiod. lib. 3. ep. 51. Mappa item vt vult Quintilianus, lib. 1. cap. 9. ab eodem Prætore*

B *mittebatur Aurigæ victori. Budæus autem & Turnebus malunt eam mitti ſolitam in ſignum committendorum aurigarum.* SEMEL OCTOIVGEM. *Octonam coniugationem Æonum, à Patre & Ennœa productam. Quam alibi vocat Syzygiam Bythi coniugem; quæ vno partu illam ſemel excluſerit. Sed has fabulas & errores hæreticorum melius eſt neſcire quàm ſcire. Animum enim & tempus in vanum erumpant. Sic Auguſtinus Ser. 31. de Verb. Apoſt. in p. vbi de Manichæis, Arrianis, Eunomianis, Sabellianis, Photinianis, Donatiſtis, Pelagianis, cùm dixiſſet breuiter, ſic concludit.* Quid iſtis conuincendis quærimus teſtes? quis tot numerat peſtes? Sed interim quæ ſunt notiora tractemus. Multis quippe hæreſes illæ quas nominaui, ignotæ ſunt; & eſt iſta ignorantia tutior. Aug.

3. *Ignorantia Verbi incarnati, damnabilior eſt animæ propriæ ignorantiâ. De Car. Chr. cap. 12. circa f.*

PLeniùs hæc proſequitur libellus quem ſcripſimus de teſtimonio animæ. Alioquin, ſi anima ſemetipſam ignorans erat ab initio, nihil à Chriſto cognouiſſe debuerat, niſi qualis eſſet. Nunc autem non effigiem ſuam didicit à Chriſto, ſed ſalutem. Propterea filius Dei deſcendit, & animam ſubiit; non vt ipſa ſe anima cognoſceret in Chriſto, ſed vt Chriſtum in ſemetipſa. Non enim ſe ignorando, de ſalute periclitatur, ſed Dei Verbum.
a 1. Io. 1. 2. *b* Luc. 19. 10. [a] *Vita*, inquit, *manifeſtata eſt*, non anima: &, [b] *Veni*, inquit, *animam ſaluam facere*. Non dixit, oſtendere.

IMAGINVM VSVS.

Imaginum vſus & prohibitio, qualit. 4. Cont. Marc. cap. 22. Vide dicta tomo 1. in Alphabeto errorum Tertulliani Verbo, Ecſtaſis, n. 4. Et V. Idololatriæ participes non eſſe, &c. t. 2. 665. & ſeq.

V. Verbum, Dei immutabilitas, numero 2.

IGNORANTIA. III. SCHOL.

AB INITIO. *Ante Chriſti aduentum.* NISI QVALIS ESSET. *Cuius natura & ſubſtantiæ, ſpiritalis an corporalis, effigiata, vel ineffigiata.* SED SALVTEM. *Id enim proprie à Chriſto didicit, media videlicet ad ſalutem ſuam æternam neceſſaria.* ANIMAM SVBIIT, *cum humano corpore, humanam quoque aſſumpſit animam, non iam vt in Chriſto ſibi ſimili facto*

C *anima ſeipſam ex ſimilitudine cognoſceret, ſed vt ipſum Chriſtum Saluatorem ſuum, in ſemetipſa, ex eius operibus, gratiâ ſcilicet, fide, cæteriſque virtutibus agnoſceret Redemptorem. Neque enim ſe, ſed Dei Verbum ignorando, ex iſta ignorantia periculum æternæ ſalutis incurrit. Scriptum eſt enim de ipſo Verbo Incarnato ad ſalutem noſtram.* 1. Io. 1. 2.

Digitized by Google

Manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.' *In quem locum Auguſtinus, tract.1. in cap.1. Ioannis.* Aug. Quis eſt, inquit, qui manibus tractet Verbum, niſi quia Verbum caro factum eſt, &c. Hoc autem Verbo quod caro factum eſt, vt manibus tractaretur, cœpit eſſe caro ex Virgine Maria. Sed non tunc cœpit Verbum: quia quod erat ab initio, dixit. Videte ſi non atteſtatur Epiſtola ſua Euangelio ſuo, &c. In principio erat Verbum, &c. & vita erat lux hominum. Vide quid ſequatur, & ipſa vita manifeſtata eſt. Chriſtus vero Verbum vitæ, & vnde ergo manifeſtata eſt? erat enim ab initio, ſed non erat manifeſtata hominibus: manifeſtata autem erat Angelis videntibus, & tanquam pane ſuo cibantibus: ſed quid ait Scriptura? panem Angelorum manducauit homo. Ergo manifeſtata eſt ipſa vita in carne, quia in manifeſtatione poſita eſt, vt res quæ ſolo corde videri poteſt, videretur & oculis vt corda ſanaret. Solo enim corde videtur Verbum, caro autem & oculis corporalibus videtur. Erat vnde videremus carnem, ſed non erat vnde videremus Verbum. Factum eſt Verbum caro quam videre poſſemus, vt ſanaretur in nobis vnde videre poſſemus. VENI ANIMAM, *Luc.6. 9.* Interrogo vos, licet Sabbatis benefacere an malè? animam ſaluam facere, an perdere? *Et Luc. 19. 10.* Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. *Aug. lib. 7. Confeſſionum, cap. 18. de ſalute homini reddita per* Aug. *Verbum incarnatum.* Quærebam, inquit, viam comparandi roboris quod eſſet idoneum ad fruendum te: Nec inueniebam donec amplecterer Mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, vocantem & dicentem: Ego ſum via, & veritas, & vita. Et cibum cui capiendo inualidus eram, miſcentem carni, quoniam Verbum caro factum eſt, vt infantiæ noſtræ lacteſceret ſapientia tua, per quam creaſti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Ieſum Chriſtum humilis, humilem: Nec cuius rei magiſtra eſſet eius infirmitas, noueram. Verbum enim tuum æterna veritas ſuperioribus creaturæ ſuæ partibus ſupereminens, *hoc eſt Angelicis virtutibus*, ſubditos erigit ad ſeipſum: In inferioribus autem ædificauit ſibi humilem domum de limo noſtro, per quam ſubdendos deprimeret à ſeipſis, & ad ſe traijceret, ſanans tumorem, & nutriens amorem: ne fiduciâ ſui progrederentur longiùs, ſed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes ſuos infirmam diuinitatem ex participatione tunicæ pelliceæ noſtræ, & laſſi proſternerentur in eam, illa autem ſurgens, leuaret eos. *Et Epiſt. 59. ad Paulinum.* Aug. Ne quiſquam, inquit, diceret poſſe eſſe ſalutis viam in bona conuerſatione, & vnius Dei omnipotentis cultu, ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti, *priùs dixerat de celebratione Sacramentorum in Domini menſa in qua benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum communicatur corpus Dominici Sacramentum*, vnus enim Deus, inquit, & vnus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus: vt illud quod dixerat, omnes homines vult ſaluos fieri, nullo alio modo intelligatur præſtari, niſi per mediatorem, non Deum quod ſemper Verbum erat, ſed hominem Chriſtum Ieſum, cùm Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. *Et in Pſal. 145.* Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum in quibus non eſt ſalus. In vno, inquit, filio hominis ſalus, & in ipſo, non quia filius hominis, ſed quia filius Dei: non propter id quod ſuſcepit ex te, ſed propter id quod ſeruauit in te. Ergo in nullo homine ſalus, quia & in illo ideo ſalus, quia Deus, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula, &c. Ideo in illo ſalus, quia Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.

A

B

C

S Aug.

Aug.

Aug.

IMPATIENTIA.

1. *Impatientia, prima diaboli & hominis culpa. De Pat. cap. 5. à p. ad m.*

COnſideremus igitur de impatientia; an ſicut patientia in Deo, ita aduerſaria eius in aduerſario noſtro nata atque comperta ſit: vt ex iſto appareat, quàm principaliter fidei aduerſetur. Nam quod ab æmulo Dei conceptum eſt, vtique non eſt amicum Dei rebus. Eadem diſcordia eſt rerum, quæ & auctorum. Porrò cùm Deus optimus, diabolus è contrario peſſimus, ipſa ſui diuerſitate teſtantur, neutrum alteri facere, vt nobis non magis à malo aliquid boni, quàm à bono aliquid mali editum videri poſſit. Igitur natales impatientiæ in ipſo diabolo deprehendo, iam tunc cùm Dominum Deum vniuerſa opera quæ feciſſet, imagini ſuæ, id eſt, homini ſubjeciſſe impatienter tulit. Nec enim doluiſſet, ſi ſuſtinuiſſet: nec inuidiſſet homini, ſi non doluiſſet. Adeò decepit eum, quia inuiderat. Inuiderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter vtique non tulerat. Quid primùm fuerit ille angelus perditionis, malus an impatiens, contemno quærere: palam cùm ſit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auſpicatam; deinde inter ſe conſpiraſſe & indiuiduas in vno patris ſinu adoleuiſſe. At enim quam primus ſenſerat, per quam delinquere intrauerat, de ſuo experimento, quid ad peccandum adjuraret, inſtructus eandem, impingendo in crimen homini aduocauit: conuenta ſtatim illi mulier, non temerè dixerim, per colloquium ipſum, eius affiata eſt ſpiritu impatientia infecto: vſpue adeò nunquam omnino peccaſſet, ſi diuino interdicto patientiam perſeuaſſet. Quid quòd non ſuſtinuit ſola conuenta, ſed apud Adam nondum maritum, nondum aures ſibi debentem; impatiens etiam tacendi eſt, ac traducem illum, eius quod à Malo hauſerat, facit. Perit igitur & alius homo, per impatientiam alterius: perit mox & ipſe per impatientiam ſuam vtrubique commiſſam, & circa Dei præmonitionem, & circa diaboli circunſcriptionem: illam ſeruare, hanc refutare non ſuſtinens. Hinc prima iudicij, vnde delicti origo: hinc

Gen. 1. 26.

Gen. 3. 14

Digitized by Google

Deus irasci exorsus, vnde offendere homo inductus. Inde in Deo prima patientia, vnde indignatio prima. Qui tunc maledictione solâ contentus, ab animaduersionis impetu in diabolo, temperauit. Aut quod crimen ante istud impatientiæ admissum homini imputatur? Innocens erat, & Deo de proximo amicus, & paradisi colonus. At vbi semel succidit impatientiæ, desiuit Deo sapere, desiuit cœlestia sustinere posse. Exinde homo terræ datus, & ab oculis Dei iectus, facilè vsurpari ab impatientia cœpit in omne quod Deum offenderet. Gen. 3. 17. & seq.

IMPATIENTIA. I. SCHOL.

IN DEO. *Congenita, & ab initio creationis hominis manifestata.* IN ADVERSARIO, *diabolo.* NATA. *Non quidem à Deo patientia, in natura tota bona condita seminata, sed statim post primum instans creationis, à diabolo in seipso productâ.* PRINCIPALITER FIDEI, *quæ sine patientia esse non potest, per eam quippe intellectum patienter se subjecit obsequio fidei captiuum.* DEI REBVS, *quales sunt maximè virtutes Theologicæ quas infra Verbo*, patientia, *sine patientia esse non posse videbimus.* EADEM DISCORDIA. *Sicut Deus & diabolus, ita vtriusque res, hoc est Dei virtutes, & vitia diaboli sibi inuicem aduersantur.* NEVIRVM ALIERI FACERE. *Facere, procurare.* HOMINI SVBIECISSE. *Homini enim condito ad imaginem suam Deus dominium dedit in omnes creaturas, Psalte dicente:* omnia subiecisti sub pedibus eius, &c. DOLVISSET, *tristis fuisset. Inuidia enim tristitia est animi dolentis de bono proximi.* SI SVSTINVISSET. *Patienter tulisset.* DECEPIT EVM. *Ipsummet diabolum impatientiæ parentem, progenies vipe. ita fefellit, an ipsum hominem eus inuiderat? vtrumque constat.* QVIA DOLVERAT. *Si enim rectum ordinem charitatis seruasset, de hominis in animalia, rationis sceptro & prærogatiua de principantis imperio, non tristis, sed congaudens fuisset.* CONTEMNO QVÆRERE? *Vipote clarum, malitiam inuidia comitem inseparabilem impatientiæ, vel inuidiam ab impatientia ortam.* CONSPIRASSE. *In hominis ruinam.* PATRIS, *diaboli.* DELINQVERE INTRAVERAT. *Delictum & peccatum. De quo Scriptum est:* Inuidiâ diaboli mors intrauit in orbem terrarum. IMPINGENDO *allidendo quasi ad scopulum homini, aduersricem impatientiæ fluctum aut ventum aduocauit.* CONVENTA ILLI, *ab ipso diabolo conuenta, & seducta est mulier.* AFFLATA, *quasi vento & aurâ pestilente.* PERSERVASSET. *Exactè seruasset.* NON SVSTINVIT, *patienter diuinam prohibitionem non tulit.* APVD ADAM. *Circa Adam, patientiæ frano, linguam suam non cohibuit, sed statim à diabolo persuasa, de veriti edere Adamo persuasit.* NONDVM MARITVM. *Quia nondum cognouerat virum* AVRES DEBENTEM. *Nec postea debuit, cùm sub viri potestate posita fuerit. Sed per peccatum, eius factus est seruus à qua superatus est, seruis autem aures debent suus dominus. Vel respicit tempus consummandi matrimonij post exitum paradisi, quo facta est mutua traditio corporum. Itaque ante peccatum, dum innocens esset, nec dum maritus, necdum proinde aures complacentia debebat, mulieri.* TRADVCEM ILLVM FECIT, *sic traduxit haustum à malo, id est diabolo virus, vt illud in posteros Adam velut fons intoxicatus derivaret.* Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccauerunt. ALIVS HOMO, *mulier.* ALTERIVS, *diaboli.* ET IPSE, *Adam.* VTRVBIQVE COMMISSAM. *Vtrobique, scilicet Deo præmonenti de certa morte ex vsu ligni veriti futura, factum inobediens; & mulieri à fraudulento serpente circumscriptæ, hoc est deceptæ, consentiens,* ILLAM SERVARE. *Obseruare, & custodire impatiens; sicut & fraudem diaboli repellere, præ complacentia impatientia non audens.* IVDICIJ, *quo Deus hominem morti addixit, paradiso expulit, & c. posteros originali peccato, & æternâ morte puniuit.* PRIMA PATIENTIA. *Neque enim indignatus est primò Deus, quin iram suam comite patientiâ temperauerit, dum hominem patienter ad pœnitentiam inuitauit; & quem statim morte debita plectere potuit, tandiu viuere patienter tulit, nec ei maledixit, sed terræ; & in vnum serpentem omni maledictione congestâ, & in diabolo velut exhaustâ, eius impetum in ipso vno anathemate feriendo elisit.* AVT QVOD CRIMEN. *Si impatientia prima non fuit in delicto.* SVCCIDIT. *Succubuit.* DEO SAPERE, *qui appetitu sapientiæ inordinato, in vnius pomi sapore deliquerat, cœpit terrena sapere, non quæ sursum erant.* TERRÆ DATVS. *Inculta & spinosa excolenda.* AB OCVLIS DEI. *Ab amicæ præsentia & paterno aspectu.* FACILE VSVRPARI. *Quasi vas & instrumentum omni peccato habile & pronum, abripi ab impatientia contra omnia Dei præcepta. Impatienter igitur & inuidè tulit diabolus se non solùm ad imaginem & similitudinem Dei factum, sed & eius excellentia hominem participem, & intellectu ac ratione, principatum super omnia irrationabilia sortitum esse doluit. Hunc principatum de quo hic Tertullianus, agnouit Augustinus, to. 1. lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 17. & seq.* Cùm dixisset, inquit, faciamus hominem ad imaginem, &c. addidit continuò, & habeat potestatem piscium maris, & volatilium cœli, &c. vt intelligeremus, non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem quâ omnia pecora superat. Omnia enim animalia cætera subiecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum quem nos habemus, & illa non habent. *Et ibidem paulò supra:* Quòd homo ad imaginem Dei factus dicitur, secundùm interiorem hominem dici nouerint, vbi est ratio & intellectus: vnde etiam habet potestatem piscium maris, & volatilium cœli, & omnium pecorum & ferarum, & omnium repentium, quæ repunt super terram. *Hinc reptile, & inuidia sua congruum instrumentum ad hominem deiciendum serpentem elegit. Et cap. 19. Aliud genus imperij datum homini asserit, quod nisi impatientia perdidisset, serpentis victor extitisset.* Quod eis, *inquit*, dictum est: habete potestatem piscium maris, &c. Saluo quidem intellectu, *sensu literali*, quo manifestum est, omnibus his animalibus hominem ratione dominari: rectè tamen intelligitur etiam specialiter, *in sensu tropologico*, vt omnes affectiones & motus animi, quos habemus istis animalibus similes, subditos haberemus, & eorum dominaremur per temperantiam & modestiam. *Vnde quia immoderatè, & intemperanter se gesserunt primi parentes, comparati sunt iumentis, &c.* Cùm enim non reguntur isti motus, erumpunt & pergunt in fœdissimas consuetudines, & in diuersas pernicioſasque delectationes nos rapiunt, & faciunt similes omni generi bestiarum. Cum autem reguntur & subjiciuntur, omnino mansuescunt, & nobiscum concorditer viuunt. *Et to. 3. lib. 3. de gen. ad lit. cap. 20.* Illud, inquit, non prætereundum est, quia cùm di-

sisset ad imaginem nostram, statim subiunxit: & habeat potestatem piscium maris, &c. vt videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit. Id autem est ipsa ratio vel mens, vel intelligentia, vel si quo alio vocabulo commodiùs appellatur. Vnde & Apostolus dicit, Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui renouatur in agnitionem Dei secundùm imaginem eius qui creauit eum: satis ostendens, vbi sit homo creatus ad imaginem Dei: quia non corporeis lineamentis, sed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ; Ac per hoc, sicut in illa prima luce, si eo nomine recte intelligitur facta lux intellectualis, *Angelica naturæ*, participes æternæ atque incommutabilis sapientiæ Dei; non dictum est, & sic est factum; vt deinde repeteretur, & fecit Deus: quia sicut iam quantùm potuimus diximus, non fiebat cognitio aliqua Verbi Dei in prima creatura, *luce scilicet intellectuali, actus cognitionis & intelligentiæ, qua supponere debebat suam existentiam; cum agere supponat esse*, vt post eam cognitionem inferiùs *postea* crearetur, quod in eo Verbo creabatur. Sed ipsa primò creabatur lux, in qua fieret cognitio Verbi Dei, per quod creabatur; atque ipsa cognitio illi esset ab informitate sua conuerti ad formantem Deum, & creari atque formari. postea verò in cæteris creaturis dicitur, & sic est factum: *singulis enim creatis, exceptâ primâ & vltimâ creaturâ lucis intellectus & rationis capace, Angelo & homine, statim subditur; & factum est ita*, vbi significatur in illa luce, hoc est in intellectuali creatura, priùs facta Verbi cognitio: ac deinde cùm dicitur, & fecit Deus, ipsius creaturæ genus fieri demonstratur, quod in Verbo Dei dictum erat vt fieret. Hoc & in hominis conditione seruatur: dixit enim Deus, faciamus hominem, &c ac deinde non dicitur; & sic est factum: sed iam subinfertur: & fecit Deus hominem ad imaginem Dei: quia & ipsa natura scilicet intellectualis est, sicut & illa lux: & propterea, hoc est ei fieri, quod est agnoscere Dei verbum per quod fit. Nam si diceretur, & sic factum est, & postea subinferretur, & fecit Deus: quasi prius factum intelligeretur in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in aliqua creatura quæ rationalis non esset. Quia verò & ista creatura rationalis est, & ipsa eadem cognitione perfecta est. Sicut enim post lapsum peccati homo in agnitione Dei renouatur secundùm imaginem eius qui creauit eum; ita in ipsa agnitione creatus est, antequâ delicto veteresceret, vnde rursum in eadem agnitione renouaretur. Quæ autem non in ea cognitione creata sunt: quia siue corpora, siue irrationales animæ creabantur, primò facta est in creatura intellectuali cognitio eorum à Verbo Dei quod dictum est vt fierent: propter quam cognitionem primò dicebatur, & sic est factum: vt ostenderetur facta ipsa cognitio in ea natura, quæ hoc in Verbo Dei antequam esset, cognoscere poterat: ac deinde fiebant ipsæ corporales, & irrationales creaturæ, propter quod deinceps addebatur, & fecit Deus. *Quia ergo vidit Angelus hominem sibi similem factum, & in aliquo adæquatum, etiam ipso modo loquendi, omnibusque irrationalibus à Deo præpositum, inuidit, quia impatienter tulit. De serpente autem in organum impatientis inuidiæ assumpto, idem Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 27.* Non est inquit permissus tentare fœminam nisi per serpentem, nec virum nisi per fœminam: sed in serpente ipse locutus est, vtens eo velut organo, mouensque eius naturam eo modo quò ille mouere, & moueri illa potuit, ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem. In ipsa verò muliere, quia illa rationalis creatura erat, quæ motu suo posset vti ad verba facienda, non ipse locutus est, sed eius operatio atque persuasio, quamuis occulto instinctu, adiuuaret interiùs, quod exteriùs egerat per serpentem, &c. Cui autem generi hominum prodesset quod faciebat neque sciebat, neque volebat, & eo ipso illudebatur ab Angelis. *Alludit ad illud Psalm.* Draco iste quem tu formasti ad illudendum ei, &c. *Et cap. 29.* Prudentissimus omnium bestiarum, hoc est astutissimus, ita dictus est serpens, propter astutiam diaboli, qui in illo, & de illo agebat dolum, quemadmodum dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens vel astutus mouet ad aliquid prudenter astutèque suadendum, &c. Sic ergo locutus est serpens homini, sicut ἄσινα in qua sedebat Balaam, locuta est homini: nisi quod istud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum, &c. *Et cap. 30. Serpentis malignitatem aperit, dum mulierem interrogauit.* Ideo, inquit, priùs interrogauit serpens, & respondit hæc mulier, vt prævaricatio esset inexcusabilis, neque vllo modo dici posset, idquod præceperat Deus, oblitam fuisse mulierem: quanquam & obliuio præcepti, maximè vnius & tam necessarij, ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret veruntamen euidentior eius transgressio est cùm memoriâ retinetur, & tanquam in illo Deus assistens præsensque contemnitur, &c. *Idem Augustinus, lib. 9. de Ciuit. cap. 14. de beatis Angelis loquens:* Profectò, inquit, si beati sunt, inuident nemini: Nam quid miserius inuidentiâ? & ideo mortalibus miseris quantùm possunt, ad consequendam beatitudinem consulunt: vt etiam immortales valeant esse post mortem, & Angelis immortalibus beatisque coniungi. *Et Ser. 83. de temp. miseriam inuidi, felicitatem alterius impatienter ferentis sic describit.* Quid, *inquit*, infelici viro præstat inuidia, quem in secretis conscientiæ quibusdam vngulis liuor ipse discerpit, & alienam felicitatem tormentum illius facit? Quam inquam mercedem ex odio suo recipiet nisi horribiles animæ tenebras, & confusæ mentis horrorem, qui vultu semper animoque mœrente, voto quo vult alij nocere, se cruciat, quem sæuissimis exagitatum stimulis, ab omni consilio, ac mentis sobrietate deturbat? & ideo obseruemus, fratres, vitij huius incursum, ne fortè participes operis diaboli inueniamur, & pari cum illo sententia condemnemur: sicut scriptum est, Sap. 2. inuidiâ diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem eum qui sunt ex parte eius. Quod malum lædit parum aliquid etiam eos in quos intenditur; grauiùs tamen & periculosiùs eos priùs à quibus procedit, affligit. Sicut enim æruginem ferrum, ita inuidia illam ipsam animam in qua est, interimit & consumit. Et sicut aiunt viperas dilacerato & dirupto illo ipso materno vtero, in quo conceptæ sunt, nasci: ita & inuidiæ natura, illam ipsam animam à qua concepta est, & consumit & perdit. Qualis hæc animæ tinea est quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in homine donum Dei, & in malo opprobrio bona aliena conuertere, aliorum gloriam facere pœnam suam, velut quosdam pectori suo admouere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores qui se intestinis cruciatibus lacerent? Non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus. Suspiratur semper & ingemiscitur ac doletur: diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur.

A B C D E

S. Aug. S. Aug. S. Aug. S. Aug.

Et quantùm ille cui inuidet ſucceſſu meliore profecerit, tantùm inuidus in maius incendium liuoris ignibus exardeſcit. Pallor in facie, tremor in labiis, ſtridor in dentibus. Quiſquis ille eſt quem in zelo ſuo perſequitur inuidus, ſubterfugere eum forſitan poterit, & vitare: inuidus vero fugere non valebit. Vbicumque fuerit aduerſarius ſuus ſecum eſt, hoſtis in pectore ſemper incluſus, &c. Conſideret ergo vnuſquiſque conſcientiam ſuam, & ſi ſe videt de proſperitate proximi ſui inuidiæ veneno percuſſum, euellat de pectore ſuo ſpinas & tribulos, vt in eo ſemen Domini quaſi in fertili agro multiplicatâ ſegete luminis concipiatur, vt amaritudo inuidiæ Chriſti dulcedine leniatur.

2. *Impatientia ſemine diaboli concepta, mater eſt Iræ, & homicidij. De Pat. cap. 5. in m.*

Gen.4.1. STatim illa ſemine diaboli concepta, malitiæ fœcunditate iram filium procreauit: editum ſuis artibus erudiit. Quod enim ipſum Adam & Euam morti immerſerat, docuit & filium ab homicidio incipere. Fruſtra iſtud impatientiæ adſcripſerim, ſi Caïn ille primus homicida, & primus fatricida, oblationes ſuas à Domino recuſatas æquanimiter nec impatienter tulit: ſi iratus fratri ſuo non eſt, ſi neminem denique interemit. Cùm ergo nec occidere potuerit niſi iratus, nec iraſci niſi impatiens, demonſtrat quod per iram geſſit, ad eam referendum à qua ira ſuggeſta eſt.

Gen.4.8.

IMPATIENTIA. II. SCHOL.

STATIM ILLA, *impatientia.* SEMINE DIABOLI, *viperino, & Chriſti ſemini contraria, de quo ſupra.* QVOD ENIM, &c. *Ipſe enim facto quod ab initio fuerat homicida ſerpens, & impatientia inuidiæ veneno primos parentes homicidali linguâ interemerat, docuit & Cain à fratricidio incipere.* PRIMVS HOMICIDA. *Qui de facto homini fratri Abel innocenti vitam abſtulit.* OBLATIONES RECVSATAS, *Gen.*4.4. Factum eſt poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, 70. *ſacrificium*, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit. Iratuſque eſt Cain vehementer, 70. *& contriſtatus eſt Cain valde. Quod proprium eſt inuidiæ,* & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: quare iratus es? & cur concidit facies tua? &c. Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum, egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum. *Aug. tract. 5. in Ep. Ioannis.* Hæc eſt annuntiatio quam audiuimus ab initio, vt diligamus inuicem, non ſicut Aug. Cain qui ex maligno erat, occidit fratrem ſuum. Et cuius rei gratiâ occidit? quia opera eius maligna fuerunt, fratris verò eius iuſta. Ergo, *inquit Aug.* vbi eſt inuidia, amor fraternus eſſe non poteſt. Intendat charitas veſtra, qui inuidet, non amat, peccatum diaboli eſt in illo, quia & diabolus inuidendo decidit; cecidit enim, & inuidit ſtanti; non ideo voluit deijcere, vt ipſe ſtaret, ſed ne ſolus caderet. Tenete in animo; ex hoc quod ſubiecit, inuidiam non poſſe eſſe in charitate, habes apertè cùm laudaretur ipſa, charitas non æmulatur. Non fuit charitas in Cain, & niſi eſſet charitas in Abel non acciperet Deus ſacrificium eius. Cùm enim ambo obtuliſſent, ille de fructibus terræ; ille de fœtibus ouium; quid putatis fratres? quia Deus fructus terræ neglexit, & fœtus ouium dilexit? non intendit Deus ad manus, *aly legunt ad munus*, ſed in corde vidit. Et quem vidit cum charitate offerre, ipſius ſacrificium reſpexit: quem vidit cum inuidia offerre, ab ipſius ſacrificio oculos auertit. Opera ergo bona Abel, non dicit niſi charitatem: *quæ non impatiens, ſed patiens, non æmulatrix, ſed congaudens ab* B *Apoſtolo dicitur*, opera verò mala Cain non dicit, niſi odium fraternum. Parum eſt quia odit fratrem ſuum, & inuidit operibus bonis, quia imitari noluit, necare voluit, & hinc apparuit quia filius erat diaboli, & ille hinc apparuit, Iuſtus Dei. *Supra autem dixerat hoc ipſe tract. 1. in cap. 3. Io.* In hoc manifeſtati Aug. ſunt filij Dei, & filij diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt à Deo: & qui non diligit fratrem ſuum. Dilectio ergo, inquit, ſola diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli. Signent ſe omnes ſigno crucis Chriſti, reſpondeant omnes Amen, cantent omnes Halleluia; baptizentur omnes, intrent Eccleſias, faciant parietes baſilicarum: non diſcernuntur filij Dei à filiis diaboli, niſi charitate. Qui habent cha- C ritatem, nati ſunt ex Deo; qui non habent, non ſunt nati ex Deo. Magnum iudicium, magna diſcretio. Quidquid vis habe, hoc ſolum non habeas, nihil tibi prodeſt; alia ſi non habeas hoc habe, & impleſti legem: qui enim diligit alterum legem impleuit, ait Apoſtol. & plenitudo legis charitas. Puto iſtam margaritam eſſe illam, pro qua homo negotiator deſcribitur in Euangelio, qui inuenit vnam margaritam & vendidit omnia quæ habebat, & emit eam. Hæc eſt pretioſa margarita, charitas; ſine qua nihil tibi prodeſt, quodcumque habueris: quam ſi ſolam habeas ſufficit tibi. *Non ergo mirum ſi iubet Chriſtus munus relinqui ante altare, vt vadas priùs reconciliari fratri tuo: cùm non reſpexerit ad munus Cain non rectè diuiſum à fratre, licet alius rectè offerret. Reſpexit autem priùs ad Abel, quàm ad munera eius, quia præter* D *Chriſti ſacrificium, cætera grata tantùm erant Deo ex opere operantis: pro* reſpexit, *Symmachus vertit* delectatus eſt. Chald. ſuſcepit cum beneplacito. *Theodotion autem*, inflammauit Dominus ſuper Abel, & ſacrificium eius; ſuper Cain, non. *Ita enim Cyprianus orat. de Nat. Chri. Hiero. Procop. Chryſoſt. & alij, miſſo de cælo igne in ſacrificium Abel teſtatus eſt eius ſibi munus acceptum. Sic Abrahæ cum Deo pactum ineunti apparuit clibanus inter diuiſa animalia. Sic Iudicum 6. 21. Gedeonis. Iudicum 13. 20. Manue. Leuit. 9. 14. Aaronis. 3. Reg. 18. 38. Eliæ. 1. Paral. 21. 26. Dauidis. 2. Par. 7. 1. Salomonis. Nehemiæ tandem 2. Machab. 1. 32. Deum ſacrificium ſibi gratum eſſe, igne de cælo miſſo, manifeſtauit.*

Digitized by Google

3. *Impatientia, eſt matrix & fons omnis criminis, & hydra peccati. De Pat. cap. 5. à m. ad f.*

SI prima deliquit, conſequens eſt vt quia prima, idcirco & ſola ſit matrix in omne delictum, defundens de ſuo fonte varias criminum venas. De homicidio quidem dictum eſt. Sed ira editum à primordio, etiam quaſcunque poſtea cauſas ſibi inuenit, ad impatientiam, vt ad originem ſui confert. Siue enim quis inimicitiis, ſiue prædæ gratiâ, id ſcelus conficit, priùs eſt vt aut odij, aut auaritiæ fiat impatiens. Quicquid compellit, ſine impatientia ſui non eſt, vt perfici poſſit. Quis adulterium, ſine libidinis impatientia ſubiit? Quod & ſi pretio in feminis cogitur venditio illa pudicitiæ, vtique impatientiâ contemnendi lucri ordinatur. Hæc vt principalia penes Dominum delicta. Nam vt compendio dictum ſit, omne peccatum impatientiæ aſcribendum. Malum, impatientia eſt boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis. Vt malus vnuſquiſque fiat, bonus perſeuerare non poterit. Talis igitur excetra delictorum, cur non Dominum offendat improbatorem malorum? An non ipſum quoque Iſraël per impatientiam ſemper in Deum deliquiſſe manifeſtum eſt? exinde quum oblitus brachij cœleſtis quo Ægyptiis afflictationibus fuerat extractus, de Aaron ſibi deos duces poſtulat; quum in idolum auri ſui collationes defundit: tam neceſſarias enim Moyſis cum Domino congredientis impatienter exceperat moras. Poſt mannæ eſcatilem pluuiam, poſt petræ aquatilem ſequelam deſperant de Domino, tridui ſitim non ſuſtinendo: nam hæc quoque illis impatientia à Domino exprobratur. Ac ne ſingula peruagemur, nunquam non per impatientiam delinquendo perierunt. Quomodo autem manus prophetis intulerunt, niſi per impatientiam audiendi? Domino autem ipſi, per impatientiam etiam videndi. Quòd ſi patientiam iniſſent, liberarentur.

Exo. 16. 3.

Exo. 17. 2.

Act. 7. 52. & 56.

IMPATIENTIA. III. SCHOL.

SI PRIMA. *Impatientia fuit à qua peccatum tam Angelus, quàm homo auſpicatus eſt.* IN OMNE. *Omnis peccati origo.* DEFVNDENS, *effundens.* IRA EDITVM. *Homicidium & ira natum.* QVASCVMQVE CAVSAS. *Occaſiones & materias iraſcendi.* INIMICITIIS. *Ex odij motu, vel rapinæ.* ID SCELVS. *Homicidij.* IMPATIENTIA SVI. *Quocunque paſſionis motu quilibet impellatur, priùs monetur ipſamet prædominantis & impellentis motus impatientia.* ORDINATVR. *Hic ordo ſeruatur in implenda carnis concupiſcentia, cum aura muliere, vt ad finem auaritiæ & lucri, ordinet voluptatem; ideo enim ſe proſtituit, quia impatiens eſt lucri, quod contemnere non poteſt.* PENES DOMINVM. *Contra Deum, & in lege eius, præcipuè prohibita delicta hactenus recenſui.* EXCETRA DELICTORVM. *Hydra multiceps ab Hercule interfecta, ſic dicta, quod vno exciſo capite, tria exereſcerent. Et impatientiæ huic comparatur, quòd ex ea omnia vitia pullulent.* PER IMPATIENTIAM. *Ex qua murmura frequentia oriebantur.* AFFLICTATIONIBVS *Oppreſſionibus ſub tyrannide Pharaonis.* IN IDOLVM. *Vitulum aureum, cui conflando inaures contulerunt.* NECESSARIAS MORAS. *Moyſi cum Deo in monte colloquentis. Secutus Tertullianum Cyprianus ſic fatur in hanc rem.* Iudaicus populus, *inquit*, circa beneficia diuina perfidus & ingratus, nonne quòd à Deo receſſit, impatientiæ crimen fuit? Demum Moyſi cum Deo colloquentis moras non poteſt ferre, prophanos Deos auſus eſt poſtulare. ESCATILEM PLVVIAM. *De qua Pſalet*, pluit illis manna ad manducandum. *Et rurſum alibi:* Pluuiam voluntariam ſegregabis hæreditati tuæ. *Sic eam vocat, quia iuxta Sapientem.* Vniuſcuiuſque voluntati deſeruiens, in quodquiſque volebat, in id conuertebatur. AQVATILEM SEQVELAM. *De qua Paulus*, bibebant de conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. *De vtraque ſic breuiter Saluianus lib. 1. de Gubern.* rorantes eſcis cœleſtibus poloſq; ſalientes rupibus aquas. TRIDVI SITIM. *Exo. 17. 1. & ſeq. vbi murmur populi de aqua penuria, & percuſſâ petrâ, aquas fundente. Iam enim priùs murmurauerant, Exo. 15. 23.* Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara eo quòd eſſent amaræ, &c. & murmurauit populus contra Moyſem dicens, quid bibemus? *Vnde perturbatus ordo eſt in hoc loco Tertulliani* PER IMPATIENTIAM AVDIENDI. *Sic enim eis exprobrauit Stephanus, Act. 7. 52.* Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri? & occiderunt eos qui prænuntiabant de Aduentu Iuſti, cuius nunc proditores & homicidę eſtis. *Et verſu 51.* Durâ ceruice, & incircumciſis cordibus & auribus. *Et verſu 56.* Exclamantes autem voce magnâ continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. PER IMPATIENTIAM VIDENDI. *Miracula eius quem præ inuidia ferre non poterant. Recte de impatienti murmure Iſraëlitarum, Aug. Ser. 97. de temp.* Quis Iudæorum, *inquit*, inexſolubiles nodos neſcit? quis perfidiam & audaciam non deponit? &c. parantur Ægyptiis dignæ & innumerabiles plagæ, ignominiæ ad vindictam, cyniphes proceſſerunt; vineas bruchus abſumpſit, fructifera ligna locuſta vaſtauit: terrorem ex grandine, vlcera, tumultus, &c. addicta pecora, armenta proſtrata, aquas in ſanguinem mutatas, &c. prædurantur elementa nullo frigore, &c. & in muro ſuſpenditur vnda, inſuetum iter mirantur fluctus, miratur & populus. Quid incredule popule nocte deſperas? ſignum tibi erit columna quam Chriſtus illuminat, &c. apertum intrant mare Ægyptij quos circumciſi fluctus feſtinanter ruentes perdunt, &c. In eremum exitur, nec contumelia differtur. Murmurant, petunt cepas & pepones, meritò inſulſi, & quos non gratiæ ſales condiunt, vilem expetunt cibum. Cepas ait, vt extorquerentur eis lachrymæ ex delicto collectæ. Non aquarum in fluuiis natura degenerat, communem liquorem amaritudo triſtauerat, lignum mittitur, dulcedo reparatur. Petra percuſſa ſitientibus potum præbuit virgâ, nec veternoſa eis diſſuta ſunt veſtimenta: arido ſterili non defuit manna. Pulmentarium poſcitur, deſideria omnia conferuntur. Saporem ſenſit quiſque, *referendum ad manna*, quem voluit in ore, dum manducauit. Petunt ſibi quod colerent, atque

S Aug.

by Google

vtinam ſimpliciter poſtulaſſent. Sed plebs quæ dotales tabulas lege mariti perceperat, de corruptela diſponit, *perfornicationem idololatria in vitulo*, & de adulterio cogitat. *Quid eloquentius congeri potuit, ad exprimendam poſt tot beneficia ingratam populi murmurantis impatientiam? Sic proſequitur Pſaltes 105.* Murmurauerunt in tabernaculis ſuis, non exaudierunt vocem Domini, &c. & irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus eſt Moyſes propter eos, *adeo vt ob dubietatem animi fluctuantis, & morte mulctatus ſit, & ingreſſu terræ promiſſæ exclusus*, quia exacerbauerunt ſpiritum eius: & diſtinxit in labiis ſuis. S.Aug. *In quem locum ſic Auguſtinus:* Quid eſt, *inquit*, diſtinxit? quaſi illud non poſſet facere Deus, qui tanta iam fecerat, vt aqua de petra profluerent? dubitanter enim petram, virgâ percuſſit, & ideo hoc miraculum diſtinxit à cæteris miraculis, in quibus non dubitauerat. Hinc offendit, hîc audire meruit, vt moreretur, ne intraret in terrã promiſſionis. Perturbatus enim murmure populi infidelis, non tenuit fiduciam qualem debuit. Cui tamen Deus tanquam electo ſuo etiam poſt mortem eius, bonum perhibuit teſtimonium, *dum promiſit Ioſue fauorem ſuum ſicut Moyſi, ſi eum imitaretur. Cui adde præter Abrahæ ſinum, & terram promiſſam humanitatis ſuæ glorioſe oſtendiſſe in Thabor:* Vt intelligamus S.Aug. illam fidei eius dubitationem hac ſolâ pœnâ fuiſſe correptam, quòd in eam terram, ad quam populum ipſe deducebat, non eſt permiſſus intrare. Abſit autem vt eum credamus alienatum à regno gratiæ Dei, quod ſignificabat illa terra promiſſionis, vnde lac & mel defluere dicebatur. Hoc eſt enim potiùs teſtamentum æternum quod diſpoſuit ad Abraham, non ſecundùm carnem Patrem noſtrum, ſed ſecundùm fidem. *De eſcatili tandem pluuia, & aqua ſequela de petra percuſſa, deque morte Moyſi ob dubitationem in monte, mira habet Auguſtinus, homilia 27. ex qua ſelectiora decerpſi.* Quicumque, *inquit*, in manna S.Aug Chriſtum intellexerunt, eundem quem nos cibum ſpiritalem manducauerunt: quicumque autem de manna ſolam ſaturitatem quæſierunt, Patres infidelium manducauerunt, & mortui ſunt: ſic etiam eundem potum: petra enim erat Chriſtus. Eundem ergo potum quem nos, ſed ſpiritalem, id eſt qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur, &c. Denique percuſſa eſt ipſa petra ligno, vt aqua defluereret. Virgâ enim percuſſa eſt. Quare ligno, non ferro, niſi quia Crux ad Chriſtum acceſſit vt nobis gratiam propinaret? *De dubitatione Moyſi ſubjicit:* Propter hanc, *inquit*, dubitationem dicitur Moyſi; non introduces tu populum in terram promiſſionis: Aug. aſcende in montem, & morere. Deus hîc vtique apparet iratus, &c. *Et paucis interiectis, vbi de Ieſu Nave*, cùm ei introducendum populum Moyſes commendaret, vocauit eum, & mutauit ei nomen, & appellauit eum Ieſum; vt non per Moyſem, ſed per Ieſum, id eſt non per legem, ſed per gratiam, populus Dei in terram promiſſionis intraret, &c. figura petra iacens, figura virga percutiens, figura aqua fluens, figura & Moyſes dubitans: & ibi dubitauit, vbi percuſſit. Hinc facta eſt dubitatio Moyſi, quando lignum acceſſit ad petram. *Quando populus murmurauit ob aquæ penuriam.* Iam veloces præuolant, *in explicandâ figurâ*. Imo tardos patienter expectant. *Nec impatienter ſuſtinent*, dubitauit Moyſes, quando lignum acceſſit ad petram: dubitauerunt diſcipuli quando viderunt Dominum crucifixum. Horum figuram gerebat Moyſes. Figura erat Petri illius ter negantis. Quare Petrus dubitauit? quia lignum petræ propinquauit, &c. *Tandem concludit de Moyſe in monte mortuo.* Aſcende, *inquit*, Aug. in montem & morere; figurata eſt mors ipſius dubitationis, ſed in monte. O mira myſteria! Hoc certè expoſitum & intellectum, quàntò dulcius quàm manna. Ad petram nata eſt dubitatio, in monte mortua eſt. Quando fuit humilis Chriſtus in paſſione, quaſi petra iacebat ante oculos, meritò in illo dubitabatur, humilitas illa nihil magnum prætendebat. Meritò ipſa humilitate factus eſt lapis offenſionis. *Alludit ad paruum lapidem Danielis, qui creuit in montem magnum*, reſurrectione autem clarificatus, magnus apparuit, iam mons eſt. Iam ergo illa dubitatio quæ nata erat ad petram, in monte moriatur: agnoſcant diſcipuli ſalutem ſuam, reuocent ſpem ſuam. Attende quemadmodum oriatur illa dubitatio, attende quemadmodum moriatur Moyſes in monte. Non intret in terram promiſſionis, nolumus ibi dubitationem, moriatur. *Moriatur & murmur, & contradictio, & omnis impatientia quæ nos abripit in omne peccatum, quod à vera terrâ promiſſa nos excludit: ſtudeamus patientiæ, incumbamus manſuetudini, quoniam ſcriptum eſt*; manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

4. *Impatientiæ ſtimulus libido vltionis. De Pat. cap. 10. in p. ad m.*

EST & alius ſummus impatientiæ ſtimulus, vltionis libido, negotium curans aut gloriæ aut malitiæ. Sed & gloria vtique vana, & malitia nunquam non Domino odioſa, hoc quidem loco maximè, cùm alterius malitiâ prouocata, ſuperiorem ſe in exequenda vltione conſtituit, & remunerans nequam duplicat quod ſemel factum eſt. Vltio penes errorem, ſolatium videtur doloris: penes veritatem, certamen redarguitur malignitatis. Quid enim refert inter prouocantem & prouocatum, niſi quòd ille prior in maleficio deprehenditur, at ille poſterior? Tamen vterque læſi hominis, Domino reus eſt: qui omne nequam & prohibet & damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio eſt: nec locus ſecernit, quod ſimilitudo coniungit. Abſolutè itaque præcipitur [a] *malum malo non rependendum.* Par factum, par habet meritum. Quomodo id obſeruabimus? ſi faſtiditi ante, in faſtidio vltionis non erimus. Quem autem honorem litabimus domino Deo, ſi nobis arbitrium defenſionis arrogauerimus? Nos vtres, vaſa fictilia, ſeruulis noſtris aſſumentibus ſibi de conſeruis vltionem, grauiter offendimur: eoſque qui nobis patientiam obtulerint ſuam, vt memores humilitatis, ſeruitutis, ius Dominici honoris diligentes, non probamus modò, ſed ampliorem quàm ipſi ſibi præſumpſiſſent, ſatisfactionem facimus: id nobis in Domino tam iuſto ad æſtimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo, credimus iudicem illum, ſi non & vltorem? Hoc ſe nobis repromittit dicens: [b] *Vindictam mihi, & ego vindicabo*: id eſt Patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo.

a Rom. 12. 17.

b Deut. 32. 35. & 43.

f. Impatientia

5. Impatientia, eſt ruinæ cauſa, dum vltionem ſuggerit. De Pat. cap. 10. in f.

QVantos verò caſus huiuſmodi impatientia incurſare conſueuit? Quotiens pœnituit defenſionem? quotiens inſtantia eius deterior facta eſt cauſis ſuis? Quoniam nihil impatientiâ ſuſceptum, ſine impetu tranſigi nouit: nihil impetu actum, aut non offendit, aut corruit, aut præceps abiit. Iam ſi leuiùs defendaris, inſanies: ſi vberiùs, oneraberis. Quid mihi cum vltione, cuius modum regere non poſſum per impatientiam doloris? Quod ſi patientiæ incubabo, non dolebo: ſi non dolebo, vlciſci non deſiderabo.

IMPATIENTIÆ STIMVLVS. IV. & V. SCHOL.

SVMMVS STIMVLVS. *Nihil ſic ſtimulat, & præcipitem agit impatientiam ſicut libido & concupiſcentia vltionis acceptæ iniuriæ. Quæ quidem vel malignitatis odij & inuidiæ, vel vanæ gloriæ partes tuetur.* HOC LOCO, *præcipuè cùm vel ipſum odium malignum, vel vana gloriæ cupiditas, prouocata ab alterius iniuria, vult aduerſarium vltione ſuperare, & ipſo generoſior appàrere, & reciproca iniuria, eaque duplicata, plus de inimico exigit repenſanda iniuria, quàm accepit.* PENES ERROREM. *Errat in hoc vltio, vel apud errantes, ſumentes vltionem, ipſa vltio videtur quoddam eſſe ſolamen doloris de iniuria illata concepti apud Deum & Scripturam eius certam & veram, vltio maligna eſſe conuincitur.* OMNE NEQVAM. *Deus iuſtus index & vindex, non tantùm alterum iniuriâ prouocare, ſed malum pro malo reddere prohibet.* IN MALEFICIO. *Malefacto & peccato.* NVLLA ORDINIS RATIO. *Scilicet non attendit Deus quis proximum ledat, prius an poſteriùs.* NEC LOCVS. *Sumit pro tempore, & ordine prioris & poſterioris iniuriæ.* NON REPENDENDVM. *Rom.12.17.* Nulli malum pro malo reddentes, &c. non vos metipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim, *Deut.32 35.* mihi vindicta; ego retribuam dicit Dominus. *Tranſlat. Syr.* Ne vlciſcamini voſmetipſos, dilecti mei, ſed date locum iræ; ſcriptum eſt enim: quod ſi iudicium non executus fueris tibi ipſi, ego iudicium tuum exequar, inquit Deus. QVOMODO ID OBSERVABIMVS? *ad clariorem intellectum, ſic lege.* Quomodo id obſeruabimus? *id eſt, malum pro malo non rependemus?* ſi faſtiditi ante, *id eſt à proximo contempti priùs & læſi,* in faſtidio vltionis non erimus. *Nos non vlciſcendo, proximum reciproco faſtidio non ledemus. Aliter legunt alij,* ſi faſtidientes, in faſtidio vltionis non erimus. *Hoc eſt, Dei & Pauli præceptum non obſeruabimus, ſi iniuriis & contemptu proximi laceſciti, vltionem ipſam non faſtidiamus; ſi non dedignemur & contemnamus ſumere de inimico noſtro vindictam.* LITABIMVS. *Quaſi victimam gratiorem ſacrificabimus, ſi pro libito nos defendere, & vltionem ſoli Deo reſeruatam ſumere præſumamus.* Nos PVTRES. *Vermiculi & putridi ladimur ſi aliquis ſeruorum noſtrorum apud nos ſe de conſeruis vlciſcantur. Alij legãt, quos ſequuti ſumus.* Nos VTRES, *id eſt inflati, tumidi, ventre pleni.* AD ÆSTIMANDVM. *Quanta fuerit illata iniuria, quantâ proinde pœnâ ſit digna.* VINDICTAM MIHI. *Deut.32.35.* Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum. 70. *autem.* In die vltionis retribuam, cùm labetur pes eorum; quoniam propè eſt dies perditionis eis, & adſunt parata vobis. *Supple patientia veſtra mihi oblata præmia,* Paraph. Chald. Coram me eſt vltio, & ego retribuam in tempore quo migrabunt de terra ſua: quoniam propè eſt dies interitus eorum. Et feſtinabit quod futurum eſt eis. *Et verſu 43.* Laudate gentes populum eius, quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur, & vindictam retribuet in hoſtes eorum, & propitius erit terræ populi ſui. 70. *paulò aliter:* Lætamini gentes cum populo eius, & confortentur in eo omnes filij Dei: quoniam ſanguinem filiorum ſuorum vindicabit, & vlciſcetur, & retribuet vltionem inimicis, & iis qui oderunt retribuet. Et expurgabit Dominus terram populi ſui.

5. CASVS INCVRSARE, *in occurſum dare, & offendiculum cauſare.* IMPATIENTIA, *acceptæ iniuriæ.* DEFENSIONEM. *Se defendiſſe, & vltionem ſumpſiſſe.* CAVSIS SVIS. *Sibi ipſi patrocinando.* OFFENDIT. *Quaſi ad lapidem offendiculi impingit.* SI LEVIVS. *Quam iniuria meretur.* ONERABERIS, *obligaberis iniuriæ maiori quàm par erat, reparanda.* CVIVS MODVM REGERE. *Æquâ menſurâ rependere. Proinde Deo ſoli relinquenda eſt, vt propria vindicta: cui propriè facta eſt iniuria, mandato eius proximi dilectionem imperanti, eiuſque iniuriam prohibenti, læſo. Qui ſolus eum tranquillitate iudicat, qui quantitatem iniuriæ ponderat, qui* ſecundùm menſuram delicti modum plagarum *imponit. Quòd* libido vltionis, procuret negotium gloriæ, *vt ſuprà dixit Tertullianus: teſtis eſt Auguſtinus in Pſal.51.* Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? *quamuis ipſe legat in tertia perſona: quid gloriatur, &c.* Qui, *inquit,* in malitia potens eſt, quid gloriatur? opus eſt potentem eſſe, ſed in bonitate, non in malitia. Aliquid magnum eſt, gloriari in malitia? ædificare domum, paucorum eſt, deſtruere, multorum. Quiuis ignarus, poteſt ſeminare frumenta, excolere ſegetem, expectare donec matureſcat; ſed in eius fructu, in quo laborauit, gaudere, paucorum eſt. Vnâ ſcintillâ omnem ſegetem incendere quiuis poteſt. Suſcipere infantem, natum nutrire, educare, ad iuuenilem ætatem perducere magnum officium eſt: occidere verò illum vno puncto temporis quiuis poteſt. Ergo ea quæ ad deſtructionem fiunt, facillimè fiunt Qui gloriatur, in Domino glorietur: qui gloriatur, in bonitate glorietur. Gloriaris quia potens es in malo, quid facturus es ô potens, quid facturus es? multùm te iactas, occiſurus es hominem, hoc & ſcorpius, hoc & vna febris, hoc & fungus malus. Huccine redacta eſt omnis potentia tua, vt vno fungo malo coæquetur? Hoc ergo faciunt boni ciues Ieruſalem, qui non in malitia ſed in bonitate S. Aug.

gloriantur; primò vt non in ſe, ſed in Domino glorientur. Deinde vt ea quæ ad iuſtificationem faciunt, ſtudiosè faciant, & talia faciant quæ valeant ad permanendum. Quæ autem faciunt ad deſtructionem, faciant propter diſciplinam proficientium, non propter oppreſſionem innocentium. &c. totâ die iniuſtitiam cogitauit lingua tua, &c. Quando, *inquit*, non facis, cogitas; vt quando aliquid mali abeſt à manibus, à corde non abſit. Aut facis malum, *infers proximo de quo vlciſceris*, aut dum non potes facere, dicis malum, hoc eſt, maledicis: aut quando nec hoc potes, vis & cogitas malum. Totâ die ergo, id eſt ſine intermiſſione. Expectamus huic homini pœnam? parua ſibi pœna eſt? minaris ei? tu cùm ei minaris, quò eum vis mittere? in malum? dimitte illum in ſe. *Hæc erit ſumma vindicta.* Vt multùm ſæuias, ſubiecturus es beſtiis? in ſeipſum peior eſt beſtiis. Beſtia enim lacerare corpus eius poteſt, ipſe cor ſuum ſanum relinquere non poteſt, interiùs in ſeipſum ſæuit, & tu exteriùs plagas inquiris? Imo ora Deum pro illo, vt liberetur à ſe. *Quanta & quàm vana ſit gloria vltionem appetentium, ſatis conſtat, quòd Chriſto Rege gloria iniurias atrociſſimas abſque vltione paſſo, ipſi ſeruuli & vermiculi, vltionem pro leuibus iniurijs affectent. Sic in eos* 5. Aug. *inuehitur idem Auguſtinus in Pſal.* 30. *in verſum.* Quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet his qui abundanter faciunt ſuperbiam. Noſtis, *inquit*, quia modò multi malefici videntur, *ſic & vltionem ſupra dixit Tertullianus maleficium*, noſtis quia modò in ſuis vanitatibus extolluntur. Veritatem requiret Dominus, &c. ferte, donec efferatis, *in ſepulcrum, & gloriam eorum in pulucrem deducatis*, tolerate, donec careatis. *Id eſt donec vel inimici conuertantur, vel pereant.* Neceſſe eſt enim vt Dominus veritatem requirens, retribuat his qui abundanter faciunt ſuperbiam. Iam dicturus es, quando retribuet? quando vult. Quia retribuet, certus ſis; de retributione non dubites, de tempore non audeas Deo donare conſilium, &c. Et multis facit Deus iſta, *retribuens abundanter, &c.* In iſto tempore, ſed non omnibus. Si enim nemini faceret, quaſi non videretur vigilare diuina prouidentia: ſi omnibus faceret, non ſeruaretur diuina patientia. Tu autem Chriſtiane, tolerare didiciſti, non vindictam retribuere. Vindicari vis Chriſtianus? nondum vindicatus eſt Chriſtus. An tu paſſus es improbum, & ille non paſſus eſt? Nonne prior pro te paſſus eſt qui non habebat quare pateretur? Non in te tribulatio fornax aurificis eſt, *aurum & argentum tuum ſordibus multis immixtum eſt, habes vnde purgeris per inimicum*, ſi tamen aurum ſis, & non palea, vt ſordibus careas, non in cinerem conuertaris. Diligite Dominum omnes Sancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet his qui abundanter faciunt ſuperbiam. Sed quando retribuet? ô ſi modò retribueret! modò eos volebam videre humiliatos atque proſtratos. Audite quid ſequitur: viriliter agite, *puſillanimis enim iniuriam ferre non poteſt* Nolite laſſas manus in tribulationibus demittere, non nutent genua veſtra. Viriliter agite & confortetur cor veſtrum ad perpetienda & toleranda omnia mala huius ſæculi, confortetur cor veſtrum. Sed qui ſunt quibus hęc dicit Prophera. Viriliter agite? &c. Numquid his qui diligunt mundum? *& vanam eius gloriam in vltione quærunt?* non. Sed quibus dicit audite. Omnes qui ſperatis in Domino. *Qui expectant patienter diem vltionis. Rurſum abundanter facere ſuperbiam dicendi ſunt, qui iuxta Tertullianum ſupra:* cùm alterius malitiâ prouocatâ, ſuperiorem ſe in exequenda vltione conſtituit, & remunerans nequam duplicat quod ſemel factum eſt. *De quibus ſic Aug. in Pſal.* 54. Die ac nocte circundabit eam, *animâ vltricem*, ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniuſtitia. Ideo, *inquit*, labor ibi, quia iniquitas ibi: quia iniuſtitia ibi, ideo & labor ibi. Sed audiant extendentis manus: venite ad me omnes qui laboratis. *Paulò ſupra dixerat, intueatur caput id eſt Chriſtum, exemplum vitæ ſuæ, tranquilletur in ſpe, etſi turbatur in re.* Venite ad me omnes qui laboratis. Vos clamatis, vos contradicitis, vos conuiciamini. Ille è contra: Venite ad me omnes qui laboratis in ſuperbia veſtra, & requieſcetis in humilitate mea. *Quâ humiliter paſſus ſum iniurias.* Diſcite à me quia mitis ſum, &c. Vnde enim illi laborant, niſi quia non ſunt mites & humiles corde? *Sed abundanter faciunt ſuperbiam, & toti verſantur in ſuperbia & abuſione.* Deus humilis factus eſt, erubeſcat homo eſſe ſuperbus. *Quaſi diceret cum Tertulliano, nos vtres, putres, vaſa fictilia, &c.* Non defecit de plateis eius vſura & dolus. Vſura & dolus non abſconduntur, ſaltem quia mala ſunt; ſed publicè ſæuiunt. Etenim qui in domo aliquid mali facit, vel de malo ſuo erubeſcit: in plateis eius vſura & dolus. *O abundantem ſuperbiam, potentem in iniquitate, gloriantem in malitia!* Fœnus & profeſſionem habet. Fœnus etiam ars vocatur, corpus dicitur, *ſicut corpus Magiſtratus, Electorum, Quæſtorum, &c.* Corpus quaſi neceſſarium ciuitati: & de profeſſione ſua vectigal impendit. Vſque adeo in platea eſt, quod ſaltem abſcondendum erat. Eſt & alia vſura peior, quando non dimittis quod tibi debetur, & turbatur oculus in illo verſu orationis, dimitte nobis, &c. quid enim ibi facturus es quando oraturus es, & ad ipſum verſum venturus? verbum contumelioſum audiſti, vis exigere damnationis ſupplicium. Vel tantum exige, quantum dediſti fœneratori. Iniuriarum pugno percuſſus es, interfectionem quæris. Vſura mala. Quà iturus es in oratione? Si reliqueris orationem quà circumiturus ad Dominum? Ecce dices Pater noſter, &c. Venies ad dimitte nobis, &c. vel in ciuitate illa mala abundent, vſuræ iſtæ non intrent parietes iſtos vbi pectus tunditur, &c. preces tibi compoſuit cœleſtis Iuriſperitus, qui nouerat quid ibi ageretur, ait tibi, aliter non impetrabis: Amen dico vobis, quia ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittentur & veſtra vobis. Si autem non dimiſeritis, neque Pater veſter dimittet vobis, &c ipſe Aduocatus tuus, ipſe Iuriſperitus tuus, ipſe Aſſeſſor Patris, ipſe iudex tuus dixit, aliter non accipies. Quid facturus es? non accepturus ſi non dicturus, non accepturus ſi falſum dicturus. Ergo aut facturus & dicturus, aut quod petis non promeriturus: quia qui hoc faciunt, in vſuris illis malis ſunt, &c. Attende vinculum pacis tuæ, attende promiſſum vitæ tuæ. Quid enim tibi prodeſt, quia exigis iniurias quas pertuliſti? Vltio te reficit? Ergo de malo alieno gaudebis. Paſſus es malum; ignoſce, ne duo mali ſitis. *Superbia tandem abundantiſſima eſt, iuris diuini vſurpatio. Audite Pſalterem, Pſal.* 93. Deus vltionum Dominus, Deus vltionum, liberè egit *Quia vt ait Sapiens*, cum tranquillitate iudicat. *Nec turbatur à furore oculus eius, nec modum iniuriæ excedit. Et liberè egit. Quia quando vult vindictam ſumit.*

Aug. *Augustinus aliter legit cum.* 70. Fidenter egit, *quia* A *feliciet*, non est qui de manu eius possit eruere. *In quem locum Psalte sic Augustinus, Christo applicat.*

Aug. Væ vobis Scribę & Pharisæi, &c. quanta, *inquit*, in illos coram in faciem? neminem timuit. Quare? quia Deus vltionum est. Ideo non parcebat in verbo, vt essent postea quibus parceret in iudicio: quia si nollent accipere verbi medic nam, incursuri erant vtique & inuenturi iudicis sententiam. Quare? quia dixit, Deus vltionum Dominus, Deus vltionum, fidenter egit, id est nulli pepercit in verbo. Qui in verbo non pepercit passurus, parcet in sententia iudicaturus? qui neminem timuit in humilitate, timebit quenquam in claritate? Ex eo quod iam fidenter egit, cogita quomodo sit acturus in fine sæculi. Noli ergo murmurare aduersùs Deum qui quasi parcit malis sed esto bonus, cui fortè ad tempus in flagello non parcat, *vnde & Psaltes. Deum tu propitius fuisti eis, & vltiscens in omnes adinuentiones eorum:* & in fine parcat in iudicio.

Aug. *Dixerat autem in principio Psalmi*; In eo certè murmuras, quia non vindicatur in malos. Noli murmurare, ne inter illos sis in quos vindicatur. Facit ille furtum, & viuit. Tu murmuras aduersùs Deum quia non moritur qui tibi furtum fecit. Si iam non facis furtum, vide. Si enim iam non facis, vide ne C aliquando feciſti. Si iam dies es, recole noctem tuam. Si iam in cœlo fixus es, recole terram tuam. Inuenis te furem fortasse fuisse aliquando, & aliquem alium fortè stomachatum, quia & tu furtum faciens vixisti, & non es mortuus. Quomodo autem tu quando faciebas, ideo vixisti, *Deo patiente & non vltiscente, & ad pœnitentiam expectante*, vt postea non faceres: noli, quia tu transisti, velle misericordiæ Dei pontem subuertere. Nescis illuc multos transituros, quò & tu transisti? Esses modò qui murmurares, si aduersùs te audiretur qui prior de te murmurauit? &c. Appende in statera æquitatis furem & blasphemum. Iam dicis quia fur non es: sed murmurando aduersus Deum blasphemus es. Ille captat somnum hominis, vt aliquid inuolet. & tu dicis quia dormit Deus, & hominem non videt. Ergo vis vt ille corrigat manum, *sufferantis*, prior tuam linguam corrige, *blasphemantis*; vis vt ille corrigat cor aduersùs hominem, tu corrige cor aduersùs Deum, ne fortè cùm optas vindictam Dei, si venerit, te priorem inueniat. Nam illa veniet & vindicabit perseuerantes in nequitia sua, ingratos prærogationi misericordiæ ipsius, ingratos patientiæ ipsius; thesaurizantes sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei qui reddet vnicuique secundùm opera sua, quia Deus vltionum Dominus, Deus vltionum, ideo fidenter egit. Nulli enim pepercit quando hîc locutus est, ipse Dominus erat in carnis infirmitate, sed in virtute sermonis non accepit personas principum Iudæorum. *Relinque illi vindictam, prope est dies vltionis, & pro temporanea iniuria, vsuras exiget æterna damnationis. Miserere & parce conuicianti*; *nam prater quàm quòd* cornu tuum, exaltabitur in gloria; *Iucundus eris ex hac vita, si commodans & fœnerans misereris, decem mille talenta dimittet centum denarios remittenti. Aug. in* S.Aug. *Psal.* 111. Ignoscendo, *inquit*, quod in te quisque peccauit, & tuorum gratis comparas veniam peccatorum. Hæc duo benignitatis officia ignoscendorum peccatorum, & beneficiorum erogandorum, sicut in Euangelio, dimittite, &c. date, &c. sic in isto versu arbitror esse distincta: suauis vir qui miseretur, & commodat, &c. gloriam quærit qui desiderat vindicari se; sed attende quid scriptum est, melior est qui vincit iram quàm qui capit ciuitatem. Diuitias quærit qui non vult dare pauperibus. Attende quod scriptum est, habebis thesaurum in cœlo. Non ergo eris inglorius in ignoscendo, quia de ira victa laudabiliùs triumphatur: non egenus tribuendo, quia thesaurus cœlestis certiùs possidetur. Hunc versum parturiebat ille superior: gloria & diuitiæ in domo eius.

IMPERATOR, ET IMPERIVM.

1. Imperator purus est homo, sed tantus, vt monitore egeat, ne extollatur. Apol. cap. 33. inf.

NEgat illum imperatorem, qui Deum dicit; nisi homo sit, non est imperator: hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur: suggeritur enim ei à tergo, Respice post te, Hominem te memento, & vtique hoc magis gaudet, tantâ se gloriâ coruscare: vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria: minor erat, si tunc deus diceretur, quia non verè diceretur: maior est, qui reuocatur ne se deum existimet.

2. Imperator, Cœlo, & solo cum Deo minor est; maior omnibus dijs: qui pro se vult implicitè Deum verum orare Christianos, quos occidere valde iniquum est. Apol. cap. 30. 31. per totum, & 32. in p. ad m.

NOs pro salute imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum 1. Tim. 2. 1.
viuum, quem & ipsi imperatores propitium sibi præter ceteros malunt: sciunt quis illis & 2.
dederit imperium: sciunt quâ homines: quis & animam: sentiunt eum esse Deum solum: in cuius solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes & super omnes deos: quidni? cùm super omnes homines, qui vtique viuunt, & mortuis antistant: recogitant quousque vires imperij sui valeant, & ita Deum intelligunt, aduersus quem valere non possunt, per cum valere se cognoscunt: cœlum denique debellet imperator: cœlum captiuum triumpho suo inuehat: cœlo mittat excubias: cœlo vectigalia imponat: non potest: ideo magnus est, quia cœlo minor est: illius enim est ipse, cuius & cœlũ est, & omnis creatura, inde est imperator, vnde & homo, ante quàm imperator: inde potestas illi, vnde & spiritus: illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubes-

cimus; denique ſine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis, & Cæſaris vota ſunt: hæc ab alio orare non poſſum, quàm à quo ſcio me conſecuturum, quoniam & ipſe eſt qui ſolus præſtat, & ego ſum cui impetrare debetur; famulus eius, qui eum ſolus obſeruo, qui propter diſciplinam eius occidor, qui ei offero opimam & maiorem hoſtiam, quam ipſe mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de ſpiritu ſancto profectam: non grana turis vnius aſſis, non Arabicæ arboris lacrimas, nec duas meri guttas, nec ſanguinem reprobi bouis mori optantis, & poſt omnia inquinamenta, etiam conſcientiam ſpurcam: vt miret, cùm hoſtiæ probantur penes vos, à vitioſiſſimis ſacerdotibus, cur præcordia potiùs victimarum, quàm ipſorum ſacrificantium examinantur? Sic ita nos ad Deum expanſos vngulæ fodiant, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, beſtiæ inſiliant, paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani. Hoc agite, boni præſides; extorquete
CAP. XXXI. animam Deo ſupplicantem pro imperatore. Adulati nunc ſumus imperatori, & mentiti vota quæ diximus, ad euadendam ſcilicet vim? Planè proficit iſta fallacia: admittitis nos enim probare quodcũque defendimus. Qui ergo putaueris nihil nos de ſalute Cæſarũ curare, inſpice Dei voces, litteras noſtras, quas neque ipſi ſupprimimus, & plerique caſus ad extraneos transferunt: ſcitote ex illis præceptum eſſe nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam
Math. 5. 44. pro inimicis Deum orare & perſecutoribus hoſtris bona precari: qui magis inimici & perſecutores Chriſtianorum, quàm de quorum maieſtate conuenimur in crimen? ſed etiam no-
a 1. Tim. 2. 1. & 2, minatim atque manifeſtè, a *Orate*, inquit, *pro regibus, & pro principibus, & poteſtatibus, vt omnia tranquilla ſint vobis*: cum enim concutitur imperium, conculſi etiam ceteris membris eius;
CAP. XXXII. vtique & nos licet extranei à turbis, in aliquo loco caſus inueniunt. Eſt & alia major neceſſitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni ſtatu imperij, rebuſque Romanis, qui vim maximam vniuerſo orbi imminentem, ipſamque clauſulam ſeculi acerbitates horrendas comminantem, Romani imperii commeatu ſcimus retardari: itaque nolumus experiri,
2. Theſſ. 2. 3. & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus.

3. *Et ad Scapulam. cap. 2. V. Chriſtiani. num. 15.*

4. *Imperatores, merà hypocriſi Gentiles colunt nouorum principum amatores, perduelles & hoſtes; & tamen onerant Chriſtianos crimine læſæ Maieſtatis, quòd eorum feſta, inſolenti gaudio ſuo non colant. Apol. cap. 35. in p. ad circa f.*

PRoptereà igitur publici hoſtes Chriſtiani, quia imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant; quia veræ Religionis homines etiam ſolemnia eorũ, cõſcientiâ potiùs quàm laſciuiâ, celebrant: Grande videlicet officium! focos & toros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutũ cogere, cateruatim curſitare ad iniurias, ad impudẽtias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudiũ per publicũ dedecus? Hæccine ſolemnes dies principũ decent, quæ alios dies non decent? Qui obſeruant diſciplinam, de Cæſaris reſpectu, hi eam propter Cæſarem deſerent? & malorum motum licentia pietas eritẽ occaſio luxuriæ, religio deputabitur? O nos meritò damnandos! cur enim vota, & gaudia Cæſarum caſti & ſobrii & probi expungimus? cur die læto non laureis poſtes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? honeſta res eſt ſolemnitate publicâ exigente, induere domui tuæ habitum alicuius noui lupanaris. Velim tamen in hac quoque religione ſecundæ maieſtatis, de qua in ſecundum ſacrilegium conuenimur Chriſtiani, non celebrando vobiſcum ſolemnia Cæſarum, quo more celebrari, nec modeſtia, nec verecundia, nec pudicitia permittunt; fidem & veritatem veſtram demonſtrare, ne fortè & iſtic deteriores Chriſtianis deprehendantur, qui nos nolunt Romanos haberi, ſed hoſtes principum Romanorum. Ipſos Quirites, ipſam vernaculam ſeptem collium plebem conuenio, an alicui Cæſari ſuo parcat illa lingua Romana? teſtis eſt Tiberis, & ſcbola beſtiarum. Iam in pedoribus ad tranſmittendum quendam ſpecularem materiam natura obduxiſſet, cuius non præcordia inſculpta apparerent noui, ac noui Cæſaris ſcenam, congiario dimidiando præſidentis? etiam illa hora qua adclamant, DE NOSTRIS ANNIS TIBI, IVPITER, AVGERANTVR: hæc Chriſtianus tam enuntiare non nouit, quàm de nouo Cæſare optare. Sed vulgus, inquis, ex vulgus. Tamen Romani nec vllis magis deprecatores Chriſtianorum quam vulgus. Planè ceteri ordines pro auctoritate religioſi ex fide; nihil hoſticum de ipſo ſenatu, de equite, de caſtris, de palatijs ipſis ſpirat. Vnde Caſſij, & Nigri, & Albini? vnde qui interdiuas lauros obſident Cæſarem? vnde qui faucibus eius exprimendis palæſtricam exercent? vnde qui armati palatium irruperunt omnibus Sigerijs atque Parthenijs audaciores? de Romanis (niſi fallor) id eſt, dei

non Christianis: atque adeo omnes illi sub ipsa vsque impietatis eruptione, & sacra faciebant pro salute imperatoris, & genium eius deierabant; alii foris, alii intus; & vtique publicorum hostium nomen Christianis dabant. Sed & qui nunc sceleſtarum partium socij aut plausores quotidie reuelantur, post vindemiam paricidarum racematio superstes, quàm recentissimis & ramosissimis lauteis postes præstruebant? quàm elatissimis & clarissimis lucernis vestibula nebulabant? quàm cultissimis & superbissimis toris forum sibi diuidebant? non vt gaudia publica celebrarent, sed vt vota propria iam edicerent in aliena solemnitate, & exemplum, atque imaginem spei suæ inaugurarent, nomen principis in corde mutantes. *Et lib. 1. ad nat. cap. 17.*

5. Imperatores plus honorant Christiani, quàm Gentiles; qui falsò, vocant ipsos Deos. Apol. cap. 33. in p. ad m.

SEd quid ego amplius de religione atque pietate Christianâ in imperatorem? quem necesse est suspiciamus, vt eum quem Dominus noster elegit: & meritò dixerim, Noster est magis Cæsar, à nostro Deo constitutus. Itaque & in eo plus ego illi operor in salutem, quòd non solùm ab eo postulo, eam qui potest præstare, aut quod talis postulo, qui mereat impetrare: sed etiam quòd temperans maiestatem Cæsaris infra Deum; magis illum commendo Deo, cui soli subjicio, subjicio autem cui non adæquo. Non enim Deum imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se deum volet dici: si homo sit, interest homini Deo cedere, satis habet, apppellari imperator: grande & hoc nomen est, quod à Deo traditur.

6. Et Apol. cap. 34. in m. ad.

TAntò abest vt imperator Deus debeat dici; non modò turpissimâ, sed & perniciosâ adulatione: tanquam si habens imperatorem, alterum appelles, nonne maximam & inexorabilem offensam contrahes eius, quem habuisti, etiam ipsi timendam, quem appellasti? Esto religiosus in Deum, qui vis illum propitium imperatori; desine alium deum credere, atque ita & hunc deum dicere, cui Deo opus est. Si non de mendacio erubescit adulatio, eiusmodi hominem deum appellans, timeat saltem de infausto: maledictum est, ante apotheosin, Deum Cæsarem nuncupare.

7. Ab Imperij Romani statu, pendet duratio mundi. Apol. cap 32. Vide supra, num 2.

IMPERATOR. I. II. II. III. IV. V. VI. SCHOL.

NEGAT. *Tantùm abest vt adulatione suâ aliquid gloriæ tribuat, imo detrahat plurimùm imperatori, si quis eum Deum vocet. Cùm verè non sit nisi vnus Deus, nec possit esse imperator hominum, quæ maximè dignitas est, nisi homo.* SVBLIMISSIMO CVRRV. *Et Zonaras in Annal.* Instar turris rotundæ confecto. *Idem verò currus ex Horatio, Ode nona, aureus erat.* SVGGERENTE A TERGO. *Aliqui volunt hunc mihi nomen fuisse seruum publicum, alij carnificem; Plin. lib. 18. c. 4.* Similis Medicinæ lingua, vt sit exorata à tergo fortuna, gloriæ carnifex. *Idem sentit Isid. lib. 18. cap. 1. Idem Plin. lib. 33. cap. 1.* Et cum corona ex auro Hetruſca sustinerent à tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æquè triumphantis, & seruj fortasse coronam sustinentis. *Vbi videt aut seruum aut carnificem a tergo imperatoris triumphantis fuisse positum. Hieronymus simpliciter monitorem memini, eum conditionis tacitè. Sic enim in epist. ad Paulam de obitu Blesillæ.* Monitor quidam, *inquit*, humanæ imbecillitatis apponitur, in similitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat, per singulas acclamationes ciuium dicens, Hominem te esse memento.

2. Nos, *Christiani, longè dissimiles Ethnicis, pluvet Deos inanes, invocantibus pro imperatorum salute, vnum verum potentem & vnum cœlitum & eramus pro ipso, eumque imperio.* Cùm dij gentium sint homines mortui, vel idola. QVEAT ET ITA. *Ex communi*

A *natura sensu verum, & proinde vnicum tacitè volunt exorari.* QVA HOMINES, *in quantum homines sunt, sciunt se à Deo viuo animam viuam, & à Rege Regum immortali imperium accepisse.* SVPER OMNES DEOS, *Quia vani sunt, illi autem mortui, vel ligna & lapides.* ANTISTANT. *Præstant & præcellunt.* CVIVS ET CŒLVM. Qui fecit cœlum & terram. QVIA INNOCVIS. *Quibus proinde Psaltes præcinit:* In noctibus extollite manus vestras in sancta. *Quod & ipse faciebat manus oculosque ad Deum leuans.* Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis; &, in nomine tuo leuabo manus meas. Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine. CAPITE NVDO. *Cùm Gentiles precarentur velato,*

B *Vnde & Paulus vult omnem virum orantem nudare caput; ne deturpet & inhonoret caput suum Christum, cuius imago & gloria est, quæ proinde non tegenda, sed reuelanda est.* SINE MONITORE, *qui scilicet more Gentilium variorum Deorum nomina, ceremonias, precandi formulas à tergo suggereret, quod breuiter monuit Augustinus de superstitione verba Senecæ referens.* In capitolium peruenj; pudebit publicatæ dementiæ, quod sibi vanus furor attribuit officij: Alius nomina Deo subijcit, alius horas Ioui nuntiat, alius littor est, &c. QVÆCVMQVE VOTA. *Quidquid sibi suoque imperio prosperum optat.* SOLVS, OBSERVO. *Colo, quia in sola fide Christiana verus veri Dei cultus* DEFITVR. *Iure promissis & pactis.* Quidquid orantes S. Aug.

peritis, credite quia accipietis, Non GRANA, *vilia unico asse empta.* ARABICÆ. *Quæ thus ex Arabia affertur.* ADDEVM EXPANSOS. *Iuxta Psalmen* expandi ad te manus meas. Effundo in conſpectu eius orationem meam. HABITVS ORANTIS. *Imaginem crucifixi referendo, & ſecundùm Tertul.* Chriſti paſſionem modulantes. *Similes Moyſi expanſis manibus oranti. Vnde Euſeb. Gallic. homil. 11 de Paſcha:* Improbam, *inquit*, dexteram vetitæ arboris importunus ingeſſit, extendamus pro illo innocentes in cruce manus. *Sic & Auguſtinus, to. 4. lib. de Cura pro mortuis, cap. 5.* Orantes de membris ſui corporis faciunt quod ſupplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt, quamuis eorum inuiſibilis voluntas & cordis intentio Deo nota ſit, nec ille indigeat his indiciis, vt humanus ei pandatur animus. Sed his magis ſeipſum excitat homo ad orandum gemendumque humiliùs atque feruentiùs. Et neſcio quo modo cùm hi motus corporis fieri, niſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdemque rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inuiſibilis qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui vt fierent iſta, præceſſit; quia facta ſunt, creſcit. BONI PRÆSIDES, *Ironicè.* EXTORQVETE, *è vinu tollite, quaſi inimicos imperatorum.* ADVLATI NVNC, *dicet Ethnicus vos fictè & per adulationem hæc dicere.* PROFICIT. *Si hac adulatione vim perſecutionis euadimus.* ADMITTITIS. *Per vos ſiquidem datur nobis libertas probandi innocentiam noſtram, & ſinceram erga imperatores affectum.* DEI VOCIS. *Scripturas ſacras.* AD EXTRANEOS. *Gentiles.* PRO INIMICIS, *Matth. 5.44.* Orate pro perſequentibus vos. CONVENIMVR. *Vt rei læſæ Maieſtatis rapimur & ſiſtimur ad tribunal.* ORATE. *1. Tim. 2. 1. & 2.* Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. *Aug. lib. 19. de Ciuit. cap. 26.* Quamdiu, *inquit*, permixtæ ſunt ambæ ciuitates, vtimur & nos pace Babylonis, ex qua ita per fidem populus Dei liberatur, vt apud eam interim peregrinetur. Propter quod & Apoſtolus admonuit Eccleſiam vt oraret pro Regibus eius atque ſublimibus, addens & dicens: vt quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & caſtitate. Et Prophetа Ieremias cùm populo Dei veteri, venturam prænuntiaret captiuitatem, & diuinitus imperaret, vt obedienter irent in Babyloniam: Deo ſuo etiam iſta patientia ſeruientes monuit & ipſe, vt oraretur pro illa, dicens, quia in eius pace erit pax veſtra, vtique interim temporalis, quæ bonis malisque communis eſt. Pax autem noſtra propria, & hic eſt cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo per ſpeciem. *Euſebius in vita Conſtantini, lib. 4. ſcribens hiſtoriam Concilij Ieroſolym.* Alij, *inquit*, ſacras lectiones interpretantes, abditos & occultos ſenſus in lucem proferebant: alij qui horum nihil poterant efficere, incruentis ſacrificiis, & myſticis conſecrationibus diuinum numen placabant, & ſupplices Deo preces pro communi pace, pro Eccleſia Dei, ipſoque Imperatore, harum præclariſſimarum rerum authore, offerebant. *Cyrillus Ieroſ. Cathech. 5. myſtag.* Poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus, ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſociis, &c. A IVRIS,

ſive quòd ſeceſſum & ſolitudinem quæramus; ſive quòd à ſeditioſis turbis nos ſeparemus, tamen vt membra reipublicæ, cũ corpore patimur. VIM MAXIMAM. *Totius orbis ruinam, ante extremũ iudicium.* IMPERIJ COMMEATV, *curſu & duratione.* SCIMVS RETARDARI, *quia totius orbis ruina euenire cùm dirutum prorſus, & euerſum fuerit imperium Romanum. 2. Theſſ. 1. 6.* Et nunc quid detineat ſcitis, *quid remoretur Anti-Chriſti reuelationem & caſum orbis. Supra dixerat verſu 3. niſi veneris diſceſſio primùm. Tuncſtat. Syr. rebellio*, vt reueletur in ſuo tempore nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantùm vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. *Syr. tollatur, qui nunc detinet.* Et tunc reuelabitur ille iniquus. *Quæ verba obſcuriſſima eſſe notauit Auguſtinus, lib. 20. de Ciuit. c. 19. vbi inter cætera:* Quod autem, *inquit*, ait, & nunc quid detineat ſcitis, id eſt quod fit in mora, quę cauſa ſit dilationis eius, vt reueletur in ſuo tempore, ſcitis. Quoniam ſcire illos dixit, apertè hoc dicere noluit. Et ideo nos qui neſcimus quod illi ſciebant peruenire cum labore ad id quod ſenſit Apoſtolus, cupimus, nec valemus. Præſertim quia & illa quę addidit, hunc ſenſum faciunt obſcuriorem. Nam quid eſt, iam enim myſterium iniquitatis operatur: tantùm qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus? &c. quidam putant hoc de imperio dictum fuiſſe Romano: & propterea Paulum Apoſtolum non id apertè ſcribere voluiſſe, ne calumniam videlicet incurreret, quòd Romano imperio malè optauerit, cùm ſperaretur ęternum, &c. Illud quod ait Apoſtolus: tantum qui modo tenet, teneat, &c. Non abſurdè de ipſo Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum ſit: tantùm qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat, id eſt de medio tollatur. Et tunc reuelabitur iniquus quem ſignificari Anti-Chriſtum nullus ambigit, &c. Hortatur autem Apoſtolus fideles vt in fide quam tenent, tenaciter perſeuerent, dicendo; tantùm qui modo, tenet, teneat, donec de medio fiat, hoc eſt donec exeat de medio Eccleſiæ myſterium iniquitatis quod nunc occultum eſt.

4. PVBLICI HOSTES. *Reipublicæ aduerſarij reputantur.* VANOS, *quia nihil præſunt imperatoribus.* MENTIENTES, *cum animo ſilio Gentiles Deos falſos pro ijs imploraret.* TEMERARIOS, *ipſidem nomen & honorem ſoli Deo debitum arrogantes.* SOLEMNIA. *Natalitia.* CONSCIENTIA, *Corde tacito vota ſua Deo offerunt. non publica laſciuia.* FOCOS, *publicos ignes ad epulas parandas.* THOROS, *lectiſternia, ad accumbendum menſæ.* VICATIM, *per vicos & compita diſſolutè epulando.* TABERNÆ HABITV. *Totam Ciuitatem in publicam tabernam vertere, & ſic ſpeciem & faciem omnem bene moratæ Ciuitatis abducere.* COGERE, *condenſare, ad tollendas pilas vini latoſ, in tranſeuntes. Vel refert ad crapulam & vomitum ebrioſorum.* SOLEMNES DIES. *Natalitios, vel inauguratiuos.* QVI OBSERVANT, *nos fideles Deum verum imperatori propitium promeritos, ex motiuo reſpectus & honoris imperatori debiti, modeſtiam Chriſtianam obſeruantes, tanquam deſertores & contemptores ſolemnium Cæſaris arguimur, dum inſolentias Ethnicorum non ſequimur, quaſi verò ipſi Gentiles pij habendi ſint, quòd malis moribus in his feſtis cunctis licentia vacat.* EXPVNCTIMVS, *implemus & perſoluimus.* LAVERIS, *coronis.* DIEM INFRINGIMVS, *quaſi lucem eius multitudine lampadum extinguere tentantes.* HABITVM NOVÆ LVPANARIÆ. *Sic enim ante veſtibula proſtitutæ dicuntur, corona & lampades appoſita ſunt.* SECVNDÆ MAIESTATIS, *quia poſt Deum colendus imperator, ut*

ius maiestatis læsa nos reos faciunt, sicut & in Deos suos impios. VELIM. *Hoc mihi, inquit, in verum esset; vtinam liceret mihi in publicum producere quæ vestra sit hoc est quàm perfida fides, quàm mentita veritas speciosi vestri obsequij.* NEC MODESTIA. *Ob ingurgitationem.* NEC VERECVNDIA. *Propter verba inhonesta.* NEC PVDICITIA. *ob habitum & speciem lupanarium.* IPSOS QVIRITES. *Ex Liuio, lib. 1. ab vrbe condita. Hoc nomen à Curibus, & Sabinorum vrbe impositum à Romulo dicto Quirino. Romulum enim inito fœdere cum T. Tatio Sabinorum Rege, eodemque in partem regni, Sabinisque in vrbe portionem receptis, vt eorum sibi amicitiam captaret, mixtam Sabinorum & Romanorum Gentem, vno nomine Quirites appellauit.* VERNACVLAM. *Propriè Romanam, & in vrbe septem collium natam.* CONVENIO, *aggredior, & conscientiam eius interrogo.* LINGVA ROMANA, *maledica & blasphema in Cæsares.* TESTIS TIBERIS, *in quem proiecti sunt maledici.* SCHOLA BESTIARVM. *Amphitheatrum in quo ferè erudiebantur ad pugnam cum gladiatoribus, quibus rei, siue Martyres addicti damnabantur. Alij legunt* bestiariorum *damnatorum ad bestias. Cassiodorus libro 5. ep. 42. crudelitatem huius ludi & scholæ sic pingit:* Ludus crudelis, sanguinaria voluptas, religio impia, humana feritas. OBDVXISSET, *quasi fenestram pellucidam ante pectus posuisset; in præcordijs plebis, quanquam viuenti & præsenti imperatori blandientis, insculpta cerneretur scena noui ac noui subinde Cæsaris succedentis; sicut in theatro & scena sibi inuicem succedunt actores. Qui quidem nouus imperator præsideret Congiaris diuidendo, hoc est munere & summa pecuniæ qua imperator populum vniuersum munificè afficiebat, sicut Donatiuum erat quod ab eo milites accipiebant. Ita Seneca lib. 4. de benef. est & Congiarium mensuræ genus apud Paulum Iurisconsultum quo caupones in tabernis vtuntur. Principum item liberalitatem significat, l. Patronus, ff. de legat. vnde Lampridius de Alexandro Seuero ait:* Congiarium populo ter dedit, Donatiuum militibus, ter, carnem populo addidit. *Capitolinus in Antonino Pio:* Congiarium populo dedit, militibus Donatiuum addidit. DE NOSTRIS ANNIS. *Sic Concil. Chalcedon. Act. 4.* Multi anni imperatoribus, multi anni Augustæ. *Sic Ambrosius orat. de obitu Valentiniani Imp.* Quàm nostræ vitæ temporibus fulcire cuperemus, vt de nostris annis viueret, qui fungi non potuit suis. VT VVLGVS, *supple solet.* DEPOSITVLATORES. *Petitores Christianorum, vt ad bestias, aliaue tormenta damnentur.* ORDINES. *Magistratus, & Equites.* PRO AVCTORITATE. *Vt exigit eorum ordo plebe superior, religiosi & fideles sunt imperatori, memores iusiurandi ipsi præstiti; nihil hostile quisquam ex Senatu, Equestri, Castrensi, Palatino ordine, in imperatorem machinatur. Ironicè dicta.* VNDE CASSIJ, *&c. plurali vtitur pro singulari. Quasi diceret, vnde igitur, an ex infima plebe processerunt. Auidius Cassius, qui in Antoninum conspirauit? Vnde Pescennius Niger, & Albinus, qui in Seuerum? Vnde qui obsederunt imperatorem Commodum inter duas lauros, dum esset in loco lauris consito? Legunt alij.* Diras, vel diuas lauros, id est crudeles vel Apollini sacras. FAVCIBVS EIVS. *Eiusdem Commodi. Lampridius in eius vita. Vbi de Ælio Læto Præfecto, & Martia concubina eius:* Primùm ei venenum dederunt; quod cùm minùs operaretur, per athletam cum quo exerceri solebat eum strangulauerunt. *Vnde & Aurelius Victor in vita Commodi:* ad extremum ab immenso validissimo palæstrita, compressis faucibus expirauit. PALATIVM IRRVMPVNT. *Intellexit Pertinacem, quem in foribus palatij Tausiechasta in pectus vibrata stipatum militibus, interfecit. Testis Capitolinus in eius vita.* OMNIBVS STEPHANIS. *Domitiani mortem respicit, qui à Stephano & Parthenio est occisus. Stephanus libertus erat ipsius Domitiani, teste Zozimo lib. 1. hist. & Suetonio in eius vita, Domitilla procurator; vt & Maximus Parthenij libertus. Ita aliqui retinent. Rigaltius tamen, pro Stephanis, legit* Sigeriis. *Iuxta Martialem, lib. 4. Epigramm. 79.*

Sigerioſque modò, Parthenioſque ſonas.

Vtriusque etiam meminit Dio, in Domitiani cæde, SVB IPSA, *per genium imperatoris iurabant, & pro eo sacrificabant, qui impetum in eum moliebantur.* PLAVSORES, *fautores, & socij criminum.* RACEMATIO SVPERSTES. *De Seuero agit, qui reliquos velut racemos ex vindemia conspiratorum in se & Pertinacem, requisiuit. Ita Zozimus lib. 1. hist. quanquam Baronius, tom. 2. de Plautiano hunc locum Tertulliani intelligat.* PRÆSTRVEBANT, *obumbrabant.* NEBVLABANT. *Fumo lampadum. Alij legunt:* enubilabant, *id est irradiabant, nubilo omni, lampadum numero, excusso.* TORIS. *Stratis paratis ad epulum, quibus forum plenum erat, hinc inde distributum. Quo apparatu, non tam imperatorum regnantium natalitia celebrabant, quàm vota sua de successore imperij exprimebant, alterius principis futuri nomen in corde mutantes, & superstitem principem eiusque solemnia quasi præludentem imaginem habentes præoculis, alterius successoris in quo spem suam figebant.*

Et ad Nat. cap. 17.

AD COMMVNIONEM. *Non longè sumus à vobis, & vos nobis similes estis, quod attinet ad obstinationem & præsumptionem.* SECVNDA RELIGIO. *Quia post contemptum deorum, dicitis nos esse reos imperatoriæ maiestatis, non adorando eorum imagines, nec iurando per eorum genios.* QVOTIDIE PARTHICI, *optando Parthos, Medos, Germanos, in imperatores promoueri.* IN QVIBVS INDOMITÆ. *Quia Romana gens plures apud se habet barbaros & exteros.* DE NOSTRIS, *perfidis scilicet.* AGNOSCIMVS SANE. *Ironicè dicta.* AFFECTATA MAIESTAS. *Vide dicta in Apol. à cap. 30. & sequentibus. Alludit enim ad id quod Proconsul Syriæ Niger vir consularis totum Orientem concitauit in Seuerum creatum à Senatu imperatorem. Sicut Albinus vir Patricius, & Britanniæ Proconsul, excitauit Occidentem. Auidius item Cassius imperatorem Antiochiæ se appellauit, vt M. Antonio imperium auferret. Ælius Lætus castrorum Præfectus Commodum imperatorem per quemdam Narcissum strangulauit.* NON LAVANT, *ob strages & sanguinem effusum à Romanis.* VANITATIS, *superstitionis.* VERNACVLÆ GENTIS, *Romanæ & naturalis.* FESTIVOS. *Vel in festis & natalitiis imperatorum ficta adulatione, vel dicteriis, & irrisionibus affixis, seu libellis famosis.* SALTIM, *saltem.* ALIVD OPINOR, *grauius scilicet crimen est, non iurare per Genios Cæsarum, quàm maledicere, conspirare, insidiari vitæ eorum.* EX FIDE, *conscientiâ, qua scitis verè non esse deos.* QVAM DEVS FIERI. *Quia viuit & Deus lapis insensibilis est.*

5. QVID AMPLIVS, *supple loquar.* NOSTER EST, *magis quam Romanorum Gentilium, quem Deus verus noster elegit, cuius inclumitati plus proficit Christianus, Deum pro ea orans & merito veræ fidei impetrans, qui culmen maiestatis Imperialis sic veneror, vt eum sub Deo solo constituam, & omnibus præponam hominibus.* INTER EST HOMINI. *Si enim æquare se velit Deo, statim deijcitur dum elenatur, & cum Nabuchodonosor ad bestias vsque deponitur.* Cùm in honore esset non intellexit, *se à Deo superiore accepisse sceptrum;* comparatus est iumentis, &c. GRANDE NOMEN. Per me reges regnant, in manu eius potestas & imperium. Transfert regna de gente in gentem. Præ-

nullus lapis de monte præcisus conterens omnia regna mundi. Et nunc reges intelligite, &c. Nequando iraſcatur Dominus.

6. PERNICIOSA ADVLATIONE. *Non modo turpis & ſeruilis, ſed & damnoſa adulatio, tam blandienti, quàm imperatori; vtrumque enim Deo reddit exoſum. Iniuriam & facit imperatori, non ſecus ac ſi eo contempto imperatorem alterum appellaret.* IPSI TIMENDAM, *Imperatori, quem Deum vocaſti.* ANTE APOTHEOSIN, *antequam in Deorum numerum tranſcribatur poſt mortem. Vnde Tacitus, lib.15. Annal.* Deûm honor principi non ante habetur, quam agere inter homines deſierit. *Reges in Deos relatos meminit*
S.Aug. *Aug. lib.18. de Ciuit. cap.21.* Latium, *inquit*, poſt Æneam quem Deum fecerant, vndecim Reges habuit, *quos ordine recenſet Liuius, lib.1. & Euſeb. in Chron.* quorum nullus Deus factus eſt. Auentinus autem qui duodecimo loco Æneam ſequitur, cùm eſſet proſtratus in bello & ſepultus in eo monte, qui etiam nunc eius nomine nuncupatur, Deorum talium quales ſibi faciebant, numero eſt additus. Alij ſanè noluerunt eum in prœlio ſcribere occiſum, ſed non comparuiſſe dixerunt: nec ex eius vocabulo appellatum montem, ſed ab aduentu auium dictum Auentinum. Poſt hunc non eſt Deus factus in Latio, niſi Romulus conditor Romæ. *Regnum Romanum à Deo vero diſpoſitum tradit, non à fato vel For-*
S.Aug. *tuna, lib.5. de Ciuit.cap.1.* Quoniam, *inquit* conſtat omnium rerum exoptandarum plenitudinem eſſe fœlicitatem quæ non eſt Dea, ſed donum Dei, & ideo nullum Deum colendum eſſe ab hominibus, niſi qui poteſt eos facere fœlices: vnde ſi illa Dea eſſet, ſola colenda merito diceretur; iam conſequenter videamus, quâ causâ Deus qui poteſt & illa bona dare, quæ habere poſſunt etiam non boni, ac per hoc etiam non fœlices, Romanum imperium tam magnum, tamque diuturnum eſſe voluerit, &c. cauſa magnitudinis imperij Romani, nec fortuita eſt, nec fatalis, &c. prorſus diuinâ prouidentiâ regna conſtituuntur humana. Quæ, ſi propterea quiſquam fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem vel poteſtatem fati nomine appellat; ſententiam teneat, linguam corrigat. *Et cap.21.* Non tribuamus
Aug. dandi regni atque imperij poteſtatem, niſi Deo vero, qui dat fœlicitatem in regno cœlorum ſolis piis, regnum verò terrenum & piis, & impiis, ſicut ei placet, cui nihil iniuſtè placet, &c. Ille igitur vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deſerit genus humanum, quando voluit, & quantùm voluit Romanis regnum dedit; qui dedit Aſſyriis vel etiam Perſis: à quibus ſolos duos Deos coli, vnum bonum, alterum malum continent literæ iſtorum, &c. Qui Mario, ipſe Caio Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſianis, vel patri, vel filio, ſuauiſſimis imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo. Et ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe Apoſtatę Iuliano. *Romanos item impatientes imperatorum & regum notat eodem, lib.5. cap.12.* Hinc eſt quod regalem dominationem Aug.
non ferentes, annua imperia, binoſque imperatores ſibi fecerunt, qui Conſules appellati ſunt à conſulendo, non Reges aut domini à regnando, atque dominando; cùm & Reges vtique à regendo dicti meliùs videantur, vt regnum à Regibus, &c. Sed faſtus Regius, non diſciplina putata eſt regentis, vel beneuolentia conſulentis, ſed ſuperbia dominantis. *Longè alio ſenſu Chriſtiani, maximè Clerici & Epiſcopi in imperatores ſincero affectu propenſiſſimi, vt teſtatur, idem Aug. in ep.68. ad Ianuarium nomine Clericorum Hipponenſium ſuo ſtilo ſcripta, in qua poſt initium, refert exemplum Epiſtolæ Anulini Proconſulis Africæ ad Conſtantinum imperatorem pro Cæciliano Epiſcopo Carthaginienſi.* Anulinus nunc Proconſul Aug.
Africę. Scripta cœleſtia Maieſtatis veſtræ accepta atque adorata, *id eſt oris admota & exoſculata*, Ceciliano, & his qui ſub eodem agunt quique Clerici appellantur, deuotio paruitatis meæ inſinuare curauit. *Et paulò infra de duobus libellis quorum vnus inſcriptus:* Domino noſtro Conſtantino Auguſto Aug.
tertiùm conſule, &c. *Concione autem 31. in Pſal.118. in verſum:* Principes perſecuti ſunt me gratis. *Chriſtianorum erga Reges infideles obſeruantiam commendat.*
Quas, *inquit*, perſecutiones à Regibus terræ corpus Aug.
Chriſti, hoc eſt ſancta Eccleſia, pertulerit, nouimus. Agnoſcamus ergo hîc etiam eius verba dicentis, principes perſecuti ſunt me gratis, &c. quid enim Chriſtiani læſerant regna terrena, quamuis & regna cœlorum promiſerit Rex eorum? &c. Nunquid eorum Rex milites ſuos prohibuit impendere & exhibere quæ debentur Regibus terræ? Nonne de hoc ſibi calumniam molientibus Iudæis, ait, reddite quæ ſunt Cęſaris, &c. Nonne tributum de ore piſcis ipſe perſoluit? Nonne præcurſor eius militibus regni huius, quid facere deberent pro æterna ſalute quærentibus, non ait: cingulum ſoluite, arma proijcite, Regem veſtrum deſerite, vt poſſitis Domino militare? Sed ait, neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis. Sufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Nonne vnus militum eius, & dilectiſſimus comes eius commilitonibus ſuis, & quodammodo Chriſti prouincialibus dixit: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit? & paulò poſt ait: reddi omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nonne præcepit, vt pro ipſis etiam Regibus oret Eccleſia? Quid ergo eos Chriſtiani offenderunt? Quod debitum? In quo Chriſtiani non ſunt terrenis Regibus obſecuti? Ergo terreni Reges Chriſtianos gratis perſecuti ſunt.

1. Indulgentiæ vnde primò in Eccleſia fluxerunt. Ad Martyres, cap.1. in f.

PAcem quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueuerunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fouere, & cuſtodire debetis: vt ſi fortè & aliis præſtare poſſitis.

2. Et de Pudicitia, cap. 22. à p.

SVfficiat martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati, vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus. Quis alienam mortem ſuâ ſoluit, niſi ſolus Dei filius? Nam & in ipſa paſſione liberauit latronem. Ad hoc enim venerat, vt ipſe à delicto purus, & omnia ſanctus, pro peccatoribus obiret. Proinde qui illum æmularis donando delicta, ſi nihil ipſe deliquiſti, planè patere pro me. Si verò peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere & tibi, & mihi poterit?

INDVLGENTIÆ VNDE. I. II. SCHOL.

PACEM QVIDAM NON HABENTES. *Pœnitentes publicè intelligit à communicatione & pace in Ecclesia dari solita, & osculo sancto, ac participatione Sacramentorum exclusos, quandiu satisfactioni illi pœnali pro peccatis impositæ vacabant: cuius indulgentiam & relaxationem ab Episcopis obtinebant, petentes à Confessoribus & Martyribus in carcere detentis pro confessione nominis Christi, libellos supplices, vt per eorum merita, pœnasque pro Christo passas, vel tota pœna sibi pro delictis iniuncta, vel pars eius remitteretur.* EAM IN VOBIS HABERE. *Hortatur Martyres carceratos, vt pacificè inter se viuant, vt dignius ipsi pœnitentibus reconciliationem & pacem cum Ecclesia valeant obtinere.*

2. SVFFICIAT MARTYRI. *Licet iam factum hæreticum, destruere conetur, quod prius Catholicum extruxerat, supponit tamen antiquam Ecclesiæ consuetudinem, indulgere solitam peccatoribus, intuitu meritorum & suffragiorum Martyrum.* QVIS ALIENAM. *Nec nos inficiamur solum Christum*, inter mortuos liberum, *mortis sua pretio debitas omnibus pœnas*, & Chirographum quod erat contrarium nobis, *suo sanguine diluisse.* OMNIA SANCTVS. *Omnino, per omnia.* OLEVM FACVLÆ, *alludit ad prudentes virgines respondentes fatuis:* ne fortè non sufficiat nobis & vobis: *Faculam dixit, exiguam lampadem modicum olei, sine meriti continentem. Sed esto, plerique etiam Martyres Christum confitentes, pro suis sapè delictis opus habuerint satisfacere; quis neget beatissimam Virginem, Ioannem Baptistam, Apostolos, Stephanum, innumerosque Martyres, Virgines, aliosque Sanctos integerrima vita licet non sine venialibus peccatis, (excepta Deipara, vt alibi probauimus absque omni peccato, tam originali, quàm actuali, mortali, quàm veniali;) longè plura perpessos, quàm eorum peccata mererentur. Quorum proinde supererogatoria opera, actiones & passiones, in Gazophilacium Ecclesiæ; & iuxta Symbolum*, communionem Sanctorum, *confluant, & inungantur passionibus Christi Domini; ex quibus maximè thesaurus indulgentiarum, siue remissionum constatus est: ex quo Summus Pontifex fidelis dispensator largitur fidelibus; habens cum Petro eandem clauium potestatem, quæcunque peccata retinendi, pœnisque primatis aut publicis obligandi, aut soluendi potestatem.*

Cæterum hæc pax, reconciliatio, indulgentia, remissio, olim dabatur ab Episcopis, ad supplicationem, & intercessionem Martyrum, qui si adhuc viuentes id poterant obtinere, quantò magis post tot tormenta mortemque perpessam, eorum respectu potest Summus Pontifex indulgere? Hortatus est Martyres, Cyprianus lib. 3. Epistola 15. Vt parci & sobrij essent & cauti in libellis supplicibus sibi offerendis pro indulgentia lapsorum in grauia delicta, idololatria, mœchia, &c. Vbi quæritur de Presbyteris & Diaconis carceratos Martyres visitantibus, & supplicationes eorum absente & inconsulto Episcopo acceptantibus. Vbi inter cætera. Quoniam audio, fortissimi & charissimi fratres, impudentiâ vos quorundam

Omniloquium.

premi, & verecundiam vestram vim pati, oro vos quibus possum precibus, vt Euangelij memores, & considerantes quæ & qualia in præteritum antecessores vestri Martyres concesserint, quàm solliciti in omnibus fuerint, vos quoque sollicitè & cautè petentium desideria ponderetis; vt pote amici Domini, & cum illo postmodum iudicaturi, inspiciatis & actum, & opera & merita singulorum; ipsorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis; ne si quid abruptè & indignè vel à vobis promissum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat, &c. Sed & illud ad diligentiam vestram redigere, & emendare debetis, vt nominatim designetis eos quibus pacem desideratis. Audio enim quibusdam sic libellos fieri, vt dicatur: communicet ille cum suis. Quod numquam omnino à Martyribus factum est; vt incerta & cæca petitio inuidiam nobis postmodum cumulet: latè enim patet, quando dicitur: ille cum suis: & possunt nobis viceni & triceni, & amplius offerri, qui propinqui & affines & liberti, ac domestici esse assueuerentur eius qui accipit libellum; & ideo pero, vt eos quos ipsi videritis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes literas dirigatis. *Id rursum inculcat lib. 3. Epistola 16. Vbi non nimis confidendum monet præpropera absolutioni, & indulgentiæ per Martyres obtentæ.* Nemo adhuc importuno tempore acerba poma decerpat; nemo nauem suam quassatam & perforatam fluctibus, priusquam diligenter refecerit, in altum denuò committat; nemo tunicam scissam accipere, & induere properet, nisi eam & ab artifice perito sartam viderit, & à fullone curatam receperit. Audiant quæso patienter consilium nostrum, expectent regressionem nostram, vt cùm ad vos per Dei misericordiam venerimus, conuocati Coepiscopi plures secundùm Domini disciplinam, & Confessorum præsentiam, beatorum Martyrum literas, & desideria examinare possimus. *Rursum eodem libro ep. 17.* Quoniam, *inquit*, video facultatem veniendi ad vos nondum esse, & iam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis, & grauibus infestat, occurrendum puto fratribus nostris, vt qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogatiuâ eorum apud Deum adiuuari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectatâ præsentiâ nostrâ, apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint; vt manu eis in pœnitentiam impositâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desiderauerunt. *Aduerte hic exomologesin non pro auriculari confessione sumi, quam solus Presbyter excipere potest, sed pro publica satisfactione, à cuius pœna possunt absolutæ Diaconi: nam & libro octauo Constit. Apostol. Clementis, absente Presbytero Diacono habent potestatem excommunicandi. Vnde & pariter hîc Cyprianus tribuit, absoluendi. Sic &*

S. Gregorium concesſit Preſbyteris adminiſtranda confirmationis poteſtatem, cuius tamen ſolus Epiſcopus ordinarius eſt miniſter. Videndum Cyprianus eodem libro epiſt. 18. inſcripta Preſbyteris & Diaconibus. Item ad eoſdem epiſt. 5. & in epiſtola Celerini ad Lucianum pro Numeria & Candida lapſis, quæ eſt apud Cyprianum 21. expreſſam fecit indulgentiæ mentionem. Credo Chriſtum ſecundum illarum pœnitentiam & opera quæ penes collegas noſtros fecerunt extortes qui à vobis venerunt, à quibus ipſis de operibus eorum audies iam, pro eis vobis Martyribus ſuis petentibus indulturum credo. *Et lib. 5. epiſt. 6. laudat lapſos ſatisfacere volentes licet acceptâ pace libellis Martyrum.* Summiſſos, *inquit*, & quietos, & verecundos oportet eos qui delicti ſui memores ſatisfacere Deo debent, &c. Quæ illi cogitantes, & quamuis libello à Martyribus accepto, vt tamen à Domino ſatisfactio ſua admitti poſſit, orantes ſcripſerunt mihi ſe delictum ſuum cognoſcere, & pœnitentiam veram agere, nec ad pacem temerè, aut importunè properare, ſed expectare præſentiam noſtram; dicentes pacem quoque ipſam, ſi eam nobis præſentibus acceperint, dulciorem ſibi futuram. *Tandem lib. 5. epiſt. 13. quæ eſt reſponſoria Cleri Romani ad Cyprianum.* Si dandam illis pacem Martyres putauerunt, cur ipſi non dederunt? Cur illos ad Epiſcopum vt ipſi dicunt, remittendos cenſuerunt? Is enim qui iubet fieri, poteſt vtique facere quod fieri iubet. Sed vt intelligimus, immo vt res ipſa loquitur & clamat, ſanctiſſimi Martyres vtrobique adhibendum putauerunt temperamentum & pudoris, & veritatis. Nam & quia à multis vrgebantur, dum ad Epiſcopum illos remittunt, verecundiæ propriæ, ne vltetius inquietarentur, conſulendum putauerunt: & dum illis non ipſi communicant, Euangelicæ legis illibatam ſinceritatem cuſtodiendam iudicauerunt.

Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 17. probat indulgentiam peccatorum in Eccleſia vnitate dari per eiuſdem Eccleſiæ vnicæ columbæ ſupplicationem gemebundam. Quòd, *inquit*, in typo vnitatis Petro Dominus dedit poteſtatem, vt id ſolueretur in terris, quod ille ſoluiſſet; manifeſtum eſt, quòd illa vnitas etiam vna columba ſit dicta, &c. Cant. 6. An fortè per orationes Sanctorum ſpiritalium qui ſunt in Eccleſia, tanquam per columbæ creberrimum gemitum, magnum geritur Sacramentum, & occulta diſpenſatio miſericordiæ Dei, &c. *Et cap. 18* Sicut miſit me, *inquit*, Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, inſpirauit, & ait illis: Accipite Spiritum ſanctum, ſi cuius remiſeritis peccata, illi remittuntur, &c. Ergo ſi perſonam gerebant Eccleſiæ, & ſic eis hoc dictum eſt tanquam ipſi Eccleſiæ diceretur; pax Eccleſiæ dimittit peccata, & ab Eccleſiæ pace alienatio tenet peccata, non ſecundùm arbitrium hominum, ſed ſecundùm arbitrium Dei, & orationes ſanctorum ſpiritalium, qui omnia dijudicant, ipſi autem à nemine iudicantur. Petra enim tenet, petra dimittit, columba tenet, columba dimittit: vnitas tenet, vnitas dimittit. *Et tract. 58. in Io. 13. myſticè exponens illud Chriſti:* Et vos debetis alter alterius lauare pedes, &c. Numquid, *inquit*, dicere poſſimus, quod etiam frater fratrem à delicti poterit contagione mundare? Immò verò id etiam nos eſſe admonitos in huius Dominici operis altitudine nouerimus, vt confeſſi inuicem, *vel humilitatis confeſſione, ſinguli ſingulis, vel Sacramentali, Laici Preſbyteris*, vt confeſſi inuicem delicta noſtra, oremus pro nobis, ſicut & Chriſtus interpellat pro nobis. Audiamus Apoſtolum Iacobum hoc ipſum euidentiſſimè præcipientem & dicentem: confitemini inuicem delicta veſtra, & orate pro vobis: quia & hoc Dominus nobis dedit exemplum. Si enim ille qui vllum peccatum nec habet, nec habuit, nec habebit, orat pro peccatis noſtris, quantò magis nos inuicem pro peccatis noſtris orare debemus? Et ſi dimittit nobis ille cui non habemus quod dimittamus: quantò magis dimittere nobis debemus inuicem, qui ſine peccato hîc viuere non valemus? Quid enim videtur in hac altitudine Sacramenti Dominus ſignificare, cùm dicit: Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis: niſi quod apertiſſimè dicit Apoſtolus, donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos inuicem? *Sicut & ſupra dixerat, ſi quid donaſtis, &c.* Itaque nobis delicta donemus, & pro noſtris delictis inuicem oremus, atque ita quodammodo inuicem pedes noſtros lauemus *Sic Martyres orabant pro lapſis indulgentiam dari ab Epiſcopis.* Noſtrum eſt donante ipſo, miniſterium charitatis & humilitatis abhibere: illius eſt audire, ac nos ab omni peccatorum contaminatione mundare per Chriſtum, & in Chriſto: vt quod aliis etiam dimittimus, hoc eſt in terra ſoluimus, ſoluatur & in cœlo.

Quod autem Eccleſia in proceſſu, pacem & indulgentiam lapſis, libellis erata ſupplicibus Martyrum, per Epiſcopos dedit, hoc exemplo Paulus inceſto Corinthio, peractâ ex parte pœnitentiâ, & patienter toleratâ excommunicationis, & vexationis dæmonis pœnâ, ad ſupplicationem Corinthiorum, ſe indulſiſſe commemorat. 1. Cor. 2. 6. *& ſeq.* Sufficit illi qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: *ex pudore pœnitentiæ publicæ:* ita vt è contrario magis donetis, *ſyr. remittatis ei*, & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitiâ abſorbeatur, qui huiuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos vt confirmetis in illum charitatem. Ideo enim & ſcripſi, vt cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. *Vbi in Græco, πρὸ, confirmetis, verbum ὑμῶν, emphaticum eſt, ὑμεῖς, enim ſunt comitia, & ſtatuti iudiciorum dies: quaſi diceret, publicis Eccleſiæ comitiis & conſenſu decernatis & declaretis illum, reſtitutionem, fraternâ enim amplectentes charitate.* Cui autem aliquid donaſtis, & ego. Cui aliquid indulſiſtis vos qui de Clero Corinthiorum eſtis, qui ei aliquid pœnitentiæ remiſiſtis, petentes à me per Titum, vt ei indulgeam, libenter ego, quod vos ſupplicatione facitis, ego Apoſtolicâ authoritate & iuriſdictione à Chriſto acceptâ indulgeo. Vnde & ſubijcit: nam & ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos, *ad inſtantiam & ſupplicationem veſtram*, in perſona Chriſti. *Græcè ὁ κεχάρισμαι, & Thephilactus ἐκ προσώπου τοῦ χριστοῦ. Quaſi perſona exiſtens Chriſti, ſicut 1. Cor. 5. 4. dixerat*; Ego quidem ab-

A B C D E

S Aug. S. Aug. Aug. Aug.

sens corpore præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanæ. *Quod Chrysostomus exponit secundùm Deum, aut ad Christi gloriam, aut Christo hoc imperante. Quem locum Pauli Pacianus in ep. contra Nouatianos refert:* Vides, *inquit*, Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem. *Et Ambr. lib. 1. de Pœnit. cap. vltimo.* Si satis ad condemnationem est obiurgatio quæ fit à pluribus: satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio quæ fit à pluribus. Nec solùm donauit ipse, sed voluit etiam omnes donare. *Non quidem iuridicè quod ad Episcopum pertinebat, sed deprecatoriè, & ex charitate recipiendo ad communionem, relaxatâ pœnâ longiore, pace, & indulgentiâ datâ. Vnde & Ambrosius in Luc. 19.* Soluite eum & adducite: soluit, *inquit*, eum manus Apostolica: talis actus, talis vita, talis gratia. Esto & tu talis, vt possis ligatos soluere: *Concilium Nicænum primum Canone 11. concedit Episcopis vt aliquid indulgeant lapsis.* Quicumque, *inquit*, cum omni timore & lacrymis perseuerantibus, & operibus bonis conuersationem suam non verbis solis, sed opere & veritate demonstrant, cùm tempus statutum ab his fuerit impletum, & orationibus iam cœperint communicare, licebit etiam Episcopo humanius circa eos aliquid cogitare. Qui verò indifferenter habuerint lapsum, & sufficere sibi quod Ecclesiam introierunt, arbitrantur, isti omnimodo tempora statuta complebunt.

Vbi notandum magnam in indulgentia pœnæ debitæ adhibitam fuisse antiquitus cautionem, nec omnem pœnam, sed partem eius tantùm, eamque pro feruoris modo fuisse donatam. Hinc & Paulus supra: Si quid, *inquit*, donaui, *partem indicat indulgentiæ, non totam. Hinc Concil. Lateran. Maximum, sub Innoc. 3. Can. 62. moderamen adhibuit.* Quia per indiscretas indulgentias atque superfluas, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claues Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur, decernimus, vt cùm dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia extra annum, siue ab vno solo, siue à pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniuersario dedicationis tempore, quadraginta dies de iniunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat: & intra hunc quoque dierum numerum, indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur: cùm Romanus Pontifex qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueuerit obseruare. *Quod de Episcopis intelligitur. Nam Summus Pontifex de plenitudine potestatis: nunc plenam dat, id est remissionem pœnæ debitæ tam iuxta Canones, quam iuxta iudicium Dei, omnibus peccatis mortalibus quorum peccator contritus fuerit, & confessus: Plenioremcùm indulget etiam peccatis venialibus respondentem; plenissimam cùm venialibus, mortalibus, tam confessis quam oblitis indulget, quod Paludanus & Nauarrus apertè deprimunt ex Extrauagante,* cùm ex antiquorum fida relatione, de pœnitentiis & remissionibus. *Indulgentia vnius carenæ, tantum relaxat pœnæ, quantum iustitia diuina remitteret post pœnitentiam quadraginta dierum in ieiunio panis & aquæ & septem annorum aliorum in alia pœnitentia. Indulgentia decennij relaxabat debitam decem annis. Qualem dedit Innocentius 4. toties quoties pro Christianissimo Rege fit oratio, & refertur à D. Thoma in quartum dist. 20. q. 1. ar. 3. & Nauarro de oratoriis, & horis Canonicis, cap. 17. num. 90.* Quod credo, *inquit*, concessum ob illustrissima of-

ficia quæ olim Regia illa, piissima, Christianissima & munificentissima maiestas erga Sedem Apostolicam præstitit: nam septem vel octo Pontifices Sede Apostolicâ deturbatos, suis impensis, & suorum sanguine restituit.

Indulgentia vnius quadragenæ, est quadraginta dierum; septenæ, septem annorum pœnitentiæ iniunctæ ab Ecclesia. In quibus omnibus pensandum est quàm clementer nobiscum agat Ecclesia iam sub finem sæculi, cum feruore Christiano, viribus etiam corporis imminutis; vt tot nobis indulgentias plenarias largiatur. Quis enim satisfacere posset, & cuius vita tam longa sufficeret; cùm nec purgatorium vltra durationem sæculi extendatur, cùm multi innumera peccata mortalia committant, & olim Ecclesia pro vnoquoque peccato mortali, secundùm mensuram delicti, quinque, septem, decem, duodecim annorum pœnitentiam imponeret? Sic in Concilio Elibertino, cap. 5. pro homicidio casuali, per quinquennium, pro voluntario, per septennium. Et c. 64. pro adulterio per decennium quisque pœnitere debebat. Et in Synodo sub Siluestro relata, cap. Presbyter, *dist. 82. eadem pœna taxatur Presbytero fornicatio. Et Can.* Si quis Sacerdos. *30. q. 2. Confessor filiæ spiritalis constupratæ, per duodecim annos in continua peregrinatione versari, & postea monasterio reclusi iubetur. Hinc fit vt aliquando in Bullis indulgentiarum, non frustra, mille, decem, centum millia dierum vel annorum dentur, cum quod plerique pro innumeris peccatis mortalibus, tamdiu pœnitere deberent, si viuerent, vel si duratio mundi eousque perrigeretur, tandiu in purgatorio demorari, cuius tam intensa est pœna, vt omnes gradus & extensiones durationis pœna cuiuscumque præsentis vitæ excedat, secundùm Augustinum in Psal. 37.* Non sim inter illos quibus dicturus es, ite in ignem æternum, &c. Neque in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus, propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem, &c. & quia dicitur saluus erit, 1. Cor. 3. contemnitur ille ignis. Ita planè, quamuis salui per ignem, grauior tamen erit, quàm quicquid potest homo pati in hac vita. *Subijcit pœnas & sceleratorum & martyrum.* Ista ergo quæ hîc sunt mala, multò faciliora sunt: & tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quicquid iusseris, faciunt. Quantò melius faciunt quod iubet Deus, ne illa grauiora patiantur? *Cur ergo facili indulgentiarum viâ, & leui huius vitæ pœnitentiâ, nos à futuris pœnis non redimimus? Cur defunctorum animas concessis indulgentijs; licet non per modum iuridicæ absolutionis, saltem per modum suffragij, Christi, Mariæ, sanctorum satisfactiones offerendo Deo, & eis per modum piæ & certæ solutionis applicando, non liberamus. Anima ista in charitate Dei & proximi, in vnitate Ecclesiæ migrarunt è viuis, iunctæ sunt amore cœlitibus & nobis. Quis eas indulgentijs adiuuari nisi hæreticus abnuat? Ac ne quid inexpeditum præteream: quærunt aliqui, cur eodem die, vel plures indulgentiæ plenariæ, vel ad plenarias, tot annorum indulgentiæ addantur? Quibus respondeo id factum ex diuersorum Pontificum largitate, qui eidem loco, festo, operi pio easdem vel diuersas indulgentias tribuerunt. Quibus cùm in persona dixerit Christus:* Quæcumque solueritis super terram, &c. *De fide est in eo esse plenitudinem potestatis, & infallibilem esse concessionem indulgentiæ,* si adsit in concedente authoritas, in causa pietas, & in suscipiente charitas.

Antiquitas indulgentiarum satis suprà probata est ex indulgentia Pauli data incesto, & ex relatis à Tertulliano & Cypriano. In Concilio 1. Nicæno, cap. 2.

Placuit S. Synodo licet indigni sint misericordiâ, aliquid tamen circa eos humanitatis ostendi, &c. licebit Episcopo humanius circa eos aliquid cogitare. *Concilium Ancyranum, Can.* 5. Statuimus vt Episcopi modo conuersationis examinato, potestatem habeant vel vrendi clementiâ, vel plus temporis adijciendi. *Concil. autem Laodicenum, Can.* 2. Oportet vt paruo tempore transacto, vacent orationibus & ieiuniis, quibus etiam iuxta indulgentiam communionem reddi decreuimus. *Nota hoc Concilium sub fine Liberij Papæ congregatum circa annum Domini* 364. *confirmatum in sexta Synodo generali. Quinto & sexto sæculo. S. Greg. magnus concessit indulgentias visitantibus Roma stationes. Ita S. Leo diuersis Ecclesijs Germaniæ & Galliæ. Sergius iunior circa annum* 884. *Ecclesiæ* S. *Martini de Montibus trium annorum & trium quadragenarum indulgentiam tribuit eam die festo visitantibus. In Concilio generali Claromontano an.* 1116. *Vrbanus plenariam cruciatis tribuit indulgentiam. Innocentius tertius,* 1213. *item plenariam pro recuperatione terræ sanctæ. Et indixit Concil. Lateranense celebratum postea* 1215. *vbi aliqui correcti sunt abusus circa indulgentias. Capite* cum ex eo *sicut & in Lugdunensi, cap.* 1. de pœnitentiis & remissionibus. *Et in Concilio generali Viennensi Clementina* 2. *eodem titulo. Situs & in Constantiensi. Concilium tandem Tridentinum, sessione* 25. *in Decreto de indulgentijs:* Cùm, *inquit*, potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque huiusmodi potestate diuinitus sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illa vsa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum vsum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate, Ecclesiastica disciplina eneruetur. Abusus verò qui in his irrepserunt, & quorum occasione indignè hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit, prauos quæstus omnes pro his consequendis, vnde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse.

Augustinus indulgentissimus licet & lapsis manum humanissimus porrigens, aduertente Bedâ in 1. S. Aug. *Cor.* 11. Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur, *Augustini locum citans libro de pœnitentia, pulchrè in margine posuit:* Plenaria indulgentia, quomodo vnusquisque se debet iudicare. *Indicans quòd licet indulgentiæ antiquæ reciperent peccatores ad pacem, breuiarent pœnitentiam, accelerarent Sacramentorum participationem, & accessum ad Deum: sicut & hodierna plenariæ, maximè Iubilæi soluunt à censuris, à culpa & pœna, & introducunt in cælum: & iudicium Dei terribile præueniunt: tamen & eos qui seipsos iudicant, & pœnitentiam agunt, & seipsos [illegible]râ seueritate ab altari separant, plenariam nihilominus sibi indulgentiam comparare.* Pro illis, *inquit*, S. Aug. peccatis quæ legis decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: quoniam qui talia agunt: regnum Dei non possidebunt, in pœnitentiam maiorem in se quisque seueritatem debet exercere; vt à seipso iudicatus, non iudicetur à Domino, sicut idem Apostolus ait. Si enim nos dijudicaremus: à Domino non dijudicaremur. Ascendat itaque homo aduersum se tribunal mentis suæ. Si timet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi: vt illic recipiat vnusquisque quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori dicens. Arguam te, & statuam te ante faciem tuam. Atque ita constituto in corde iudicio affit accusatrix cogitatio: testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Christi; vt qui separari timet à regno cœlorum per vltimam sententiam summi iudicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cœlestis panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri iudicij, vt cùm alij accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit; cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, cùm percipientibus aliis vitam æternam, alij præcipitentur in mortem æternam. Ad hoc enim altare quod nunc in Ecclesia est, in terra positum, terrenis oculis expositum; ad mysteriorum diuinorum signacula celebranda, multi etiam scelerati pollunt accedere; cùm Deus commendat in hoc tempore patientiam, vt in futuro exerat seueritatem suam. Accedunt enim, ignorantes quoniam patientia Dei ad pœnitentiam eos adducit: illi autem secundùm duritiam cordis sui, &c. Ad illud autem altare quò præcursor pro nobis introijt Iesus Christus, quò præcessit caput Ecclesiæ membris cæteris secuturis, nullus eorum accedere poterit, de quibus dixit Apostolus, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Solus enim Sacerdos, sed planè ibi totus assistet, adiuncto scilicet corpore, cui caput est quod iam ascendit in cœlum. Ipse est cui dicit Apostolus Petrus: plebs sancta, regale Sacerdotium. Quomodo ergo in interiora veli, & in illa inuisibilia sancta sanctorum intrare audebit & poterit, qui medicinam cœlestis disciplinæ contemnens, noluit paulisper à visibilibus separari? Qui enim noluit humiliari vt exaltaretur; cùm exaltari voluerit, deijcietur, & in æternum seiungetur ab æternis sanctis, quisquis hoc tempore per merita obedientiæ, & per satisfactionem pœnitentiæ, non sibi prouidit locum in corpore Sacerdotis. Quâ enim fronte impudentiæ tunc volet auerti faciem Dei à peccatis suis, qui nunc toto corde non dicit: quoniam facinus meum ego agnosco, & peccatum meum ante me est semper? Quo pacto quæso Deus dignatur ignoscere, quod in ipso homo dedignatur agnoscere? *Ex aduerso Deus agnoscenti ignoscit, & vt Magdale & adultera pœnitenti & confusa sequeipsam iudicanti indulget plenariam indulgentiam, imò & Iubilæum largitur. Accipe Augustinum in* Aug. *Psalmum* 50. *in verba* quoniam iniquitatem meam ego cognosco, &c. *Vbi de Adultera:* Non, *inquit*, Deus, fecit contra legem suam: quia nec imperator contra leges suas facit, quando confessis dat indulgentiam. Moyses ministet legis, Christus promulgator legis. Moyses lapidat vt iudex, Christus indulget vt Rex. *Et quidem si Iubilæus à Iobel dicitur, id est cornu arietis, ex quò compositæ erant tubæ siue buccinæ Iubilæi, iuxta Iosue* 6. 6. & 13. *vbi cum vulgata dicat*, tollant septem Iubilæorum buccinas; *Santt. Pagninus habet* septem tubas arietinas: *in memoriam arietis cornibus hærentis, inter vepres, subrogati, & immolati pro Isaac, qui Christum pro nobis in cruce coronato spinis capite moriturum, satisfacturum pro nobis, eumdemque Summum Pontificem plenarium Iubilæum & pœnitentibus & confessis indulturum: quid mirum si Pontifex Summus, eius Vicarius & Petri successor,*

implens figuram Iubilæi veteris testamenti, omnia nobis debita remittit, & ad possessionem gratiæ & gloriæ priùs venditas restituit. Constat quidem & Extrauagante Bonifacij 8. Iubilæum quod priùs non dabatur nisi post centum annos, ad terminos Leuitici 25. 10. ad annum quinquagesimum fuisse reductum. Idque per Clementem 6. vt legitur in Extrauagante vnigenitus de pœnit. & remiss. *Deinde vrgentibus Ecclesiæ necessitatibus, & vita hominum imminuta, à Paulo 2. ad vicesimum quintum annum contractum est, quod Sixtus 4. implenit, vt liquet Extravag.* Quemadmodum eodem titulo. *Sic enim habet:* Olim siquidem fœlicis recordationis Paulus Papa 2. prædecessor noster, rationabilibus causis tunc expressis inductus, de Venerabilium Fratrum nostrorum, tunc suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio, annum Iubilæum ad breuius tempus, prouidâ moderatione reducens, illum ad annum 25. Apostolicâ authoritate restrinxit, ac voluit, statuit, & decreuit ex causis prædictis quòd singulis viginti quinque annis Iubilæus annus prædictus celebrari deberet.

A Iubilæo iubilum, vel Iubilæus à Iubilo, quo exultant Domino ossa humiliata, quo cor & caro exultant in Deum, & anima exultat in Deo Iesu suo, *de recuperata gratia, de peccati remissione plenaria, quâ* nos dignos facit in partem sortis Sanctorum, *quâ nobis applicat suam & Martyrum, omniumque Sanctorum satisfactionem; Vt præ abundantia gaudij vix loqui possimus. Hinc Augustinus in Psal. 65. versu 1.* Iubilate Deo omnis terra. Quid est iubilate? In vocem erumpite gaudiorum, si non potestis verborum. Non enim verbis iubilatur, sed solus gaudentium sonitus redditur, quasi parturientis & parientis cordis lætitiam, in vocem rei conceptæ, quæ verbis explicari non possit. Iubilate Deo omnis terra. *Indulgentiæ enim aliæ priuatarum Ecclesiarum sunt:* nemo iubilet in parte, nemo inquam iubilet in parte, omnis terra iubilet: Catholica iubilet, Catholica totum tenet. Quicumque partem tenet, *vt schismatici, hæretici, excommunicati*; & à toto præcisus est, vlulare vult, non iubilare. *Quid restat, nisi vt peccatores ad pœnitentiam vocem, & per eam ad indulgentiam; & per Iubilæum ad Iubilationem voce Dauidicâ compellam:* Venite exultemus Domino', iubilemus Deo salutari nostro; præoccupemus faciem eius in confessione, & in Psalmis iubilemus ei. S. Aug.

INFANTES.

* *1. Infantis anima, nec momento est sine intellectu & sapientia licet crassiori, & paulatim defæcanda. Et inclinationes innatæ plantis suo modo sunt quædam sapientiæ species. De An. cap. 19. in p. ad circa f.*

SEd ne illi quidem prætereundi, qui vel modico temporis viduant animam intellectu. Proinde enim viam sternunt postea inducendi eius, sicut & animi, à quo scilicet proueniat intellectus. Volunt infantiam solâ animâ contineri, quâ tantummodo viuat, non vt pariter sapiat; quia nec omnia sapiant quæ viuant: denique, arbores viuere, nec tamen sapere, secundũ Aristotelem, & si quis alius substantiam animalem in vniuersa cõmunicat, quæ apud nos in homine priuata res est, non modò vt Dei opus, quod & cetera, sed vt Dei flatus, quod hæc sola; quam dicimus cum omni instructu suo nasci. Et si ad arbores prouocamur, amplectemur exemplum: siquidem & illis, nec dum arbusculis, sed stipitibus adhuc, & surculis etiam nunc, simul de scrobibus oriuntur, inest propria vis animæ. Verum pro tempore ratione remoratur, coalescens & coadulescens robori suo, donec ætas impleat habitum quo natura fungatur. Aut vnde mox illis & frutices inoculantur, & folia formantur, & germina inflantur, & flosculi inornantur, & succi condiuntur; si non in ipsis omnis paratura generis quiescit, & partibus promota grandescit? Inde igitur & sapiunt vnde viuunt, tam viuendi quàm sapiendi proprietate, & quidem ab infantia & ipsæ sua. Video enim & vitem adhuc teneram & impuberem, intelligentem tamen iam opera sua, & volentem alicui adhærere, cui innisa & innexa proficiat: denique, non expectatâ rusticâ disciplinâ, sine arundine, sine ceruo, si quid attigerit, vltro ambibit, & quidem virtuosius de suo ingenio, quàm de tuo arbitrio: properat esse secura. Video & hederas, quantum velis primas, statim ad superna conari, & nullo præeunte suspendi; quod malint parietibus inuehi, textili silua, quàm humi teri, voluntariâ iniuriâ, contrà quibus de ædificio malè est, vt crescendo recedunt? vt refugiunt? sentias ramos aliorsum destinatos, & animationem arboris de diuortio parietis intelligas; contenta ex paruitate, quam ex primordio prouidentissimi fruticis edidicit, timens etiam ruinam. Has ego sapientias & scientias arborum, cur non contendam? Viuant vt philosophi volunt, sapiant vt philosophi nolunt, intelligat & infantia ligni; quo magis hominis? cuius anima, velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta, & genitalibus feminæ foueis commendata cum omni sua paratura, pullulabit tam intellectu quam & sensu? Mentior si non statim infans vt vitam vagitu salutauit, hoc ipsum se testatur sensisse atque intellexisse, quod natus est, omnes simul ibidem dedicans sensus, & luce visum, & sono auditum, & humore gustum, & aëre odoratum, & terra tactum. Ita prima illa vox de primis sensuum, & de primis intellectuum pulsibus cogitur. Plus est quod de prospectu lacrimabilis vitæ quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur; quo etiam præsciens habenda sit ab ingressu natiuitatis, nedum intelligens. Exinde & matrem spiritu probat, & nutricem spiritu examinat, & geru-

ſam ſpiritu agnoſcit, fugiens extranea vbera, & recuſans ignota cubilia, & neminem appetens niſi ex vſu. Vnde illi iudicium nouitatis & moris, ſi non ſapit? vnde illi & offendi & demulceri, ſi non intelligit? Mirum ſatis, vt infantia naturaliter animoſa ſit, non habens animum; & naturaliter adfectioſa ſit, non habens intellectum.

INFANTES. I. SCHOL.

NE ILLI QVIDEM. *Philoſophi ſine reprehenſione praetermittendi ſunt, qui vel momento animam ſine intellectu eſſe volunt.* VIDVANT, *ſeparant, & ſine intellectu viuere ſentiunt. Olim Latini dicebant* iduare *pro diuidere, &* iduo, à viduo, pro diuido. INCVCENDI EIVS. *Prius volunt quaſi viam parari ad introducendum intellectum & animum in animam, per diſpoſitionem organorum.* SOLA ANIMA CONTINERI, *aliqui Philoſophi opinantur animas infantium, eorum corpuſculis eſſe tantummodo principium vitae ſenſitiuae, non verò intellectiuae & ſapientis; Quod probant exemplis rerum quae viuunt, nec tamen ſapiunt & intelligunt: qualis eſt arborum vita, ſecundum Ariſtotelem, lib.2. de Anima, cap.2.* Nulla prorſus in plantis alia, praeter eam quâ viuit, animae potentia. *Et cap. 3.* à ſenſitiuo vegetatiuum in plantis ſeiungitur. *Empedocles contra Stoicos, plantis vitam & ſapientiam tribuebat, idque credidit propter animarum etiam in plantas tranſmigrationem.* SI QVIS ALIVS, *Philoſophus, animam vel vitam & ſubſtantiam animalem omnibus rebus indifferenter communicat.* APVD NOS, *fideles.* PRIVATA RES. *Soli homini competit non tantùm inter opera Dei recenſeri quae viuunt, ſed humanae animae ſoli conuenit, vt ex inſufflante Deo, facta ſit anima rationalis, in hoc Deo ſimilis, quae creatur, vel iuxta errorem Tertulliani ex traduce naſcitur cum omni ſua ſupellectile, vt non modò vegetatiua ſit & principium augmenti, ſicut in plantis, & ſentiendi vt in animalibus, ſed & intelligendi & ſapiendi.* SI AD ARBORES PROVOCAMVR. *Si exemplum arborum nobis opponitur, illud admittimus.* SIMVL DE SCROBIBVS. *Simul ac fruticant & oriuntur ex foſſis, iam ipſis ineſt propria vis animae vegetatiuae.* REMORATVR. *Paulatim creſcit ſurculus ex foramine ſtipitis ac robuſti trunci, cui inſertus eſt, coadoleſcens, & incorporatus, donec tempore firmetur, & opus naturae ſuae perfectè impleat, floreſque & fructum emittat.* FRVTICES INOCVLANTVR. *Si ſtatim atque viuere incipiunt arbuſta & ſurculi inſiti, non habent in ſe proprias animae vegetatiuae facultates ſuo modo ſapientes, vnde ſtatim oculi, & gemmae, ex fruticibus, quaſi quidam ocelli emicant, folia formantur? &c.* PARAIVRA GENERIS, *omnis ſupellex debita naturae plantarum ineſt, quae per partes, acceſſu temporis creſcunt.* RVSTICA DISCIPLINA. *Cultu agricolae praeuento, ſerpit vitis, proximum quaerens ſuſtentaculum.* SINE CERVO, *ex Varrone, lib.4. eſt furcula in ſimilitudinem cornu cerui, ſpecies ſuſtentaculi. Legunt alij* ſine corno, vel orno, quae arbores ſunt amicae vitis, *ex Plin. lib.17. cap.23.* VIRIOSIVS, *firmius & tenaciùs.* QVIBVS DE ÆDIFICIO MALE. *Arbores & plantae quae non ſentiunt, videntur à muris, & aliis incrementum ſuum impedientibus, recedunt?* CONTENTA PARVITATE, *ab ipſa velut infantia anima fruticis in eius corpuſculo contenta, iam ſuam ſapientiam prodit, timens & fugiens ab exordio, ruinam.* EX MATRICE ADAM, *origine & fonte omnium animarum, & radice, ex qua omnes animae velut quidam ſurculi prodierunt. Vide dicta contra hunc errorem in Alphabeto Errorum, verbo,* Anima ex tradice. VT VITAM VAGITV SALVTAVIT. *Vide alibi dicta ex Auguſtino, & hac de nomo accipe à Clemente Alex. in Caten. Graca in Iob.* Meritò, *inquit,* infans

A vt matris vtero caput extulit, ſtatim lamenta, non riſus exorditur. Nam flebili voce vitae propemodum indignatur, &c. ſimul enim atque editus in lucem atque ſuſceptus eſt, manus eius pedeſque faſciis conſtringuntur, &c. ô vitae primordium mortis prodromum! Nuper eſt infans ad vitam ingreſſus, nec interpoſita mors mortuorum pannis amicitur, &c. huc ille pertinet, infantis eiulatus, luctuoſis magniſque vocibus apud matrem lamentantis; cur mihi vitam mater tradidiſti? &c. ô mater, eſt huius vitae ſtadium, cuius meta eſt currentium occaſus? calamitoſam vitae viam ambulamus, quae ſepulturam habet pro diuerſorio. Difficile atque infeſtum vitae pelagus nauigamus, cui infernus tanquam pirata imminet. DEDICANS SENSVS, *incipiens vti omnibus ſenſibus, ſingula eorum obiecta percipiendo.*

B VOX COGITVR. *Formatur vagitus ex primis motibus animi ſenſati & intelligentis, Addam ex Aug. & propheties. Lib.21. de Ciuit. cap.14.* Non patua poena eſt, *inquit,* inſipientia, vel imperitia, quae vſque adeo fugienda meritò iudicatur, vt per poenas doloribus plenas pueri cogantur quaeque artificia vel literas diſcere; ipſumque diſcere ad quod poenis adiguntur, tam poenale eſt eis, vt nonnumquam ipſas poenas per quas compelluntur diſcere, malint ferre, quàm diſcere. Quis autem non exhorreat, & mori eligat, ſi ei mors proponatur, aut mors perpetienda, aut rurſus infantia? quae quidem quod non à riſu, ſed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingreſſa ſit, neſciens prophetat quodammodo, &c. prorſus quod ſcriptum eſt, graue iugum ſuper filios

C Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturae in matrem omnium: vſque adeò impleri neceſſe eſt, vt ipſi paruuli per lauacrum regenerationis, ab originalis peccati, quo ſolo tenebantur, vinculo iam ſoluti, mala multa patientes, nonnulli etiam incurſus ſpirituum malignorum aliquando patiantur. Quae quidem paſſio abſit vt eis obſit, ſi hanc vitam in illa aetate etiam ipſa paſſione ingraueſcente, & animam de corpore excludente, finierint. DE PROSPECTV. *Praeuiſione, praeſentiente animâ iam, futuras miſerias.* EXINDE MATREM SPIRITV. *Alij legunt:* non enim exinde *quaſi diceret, nonne ex ipſa natiuitate deinceps infans, nare ſaguri & olfactu, matrem, nutricem, & mulierem quae ipſum geſtare ſolet ab aliis diſcernit?* EX VSV, *ex conſuetudine appetit praedictis mulieribus adhaerere.* IVDICIVM NO-

D VITATIS, *vnde iudicat & diſcernit nouas & inuſitatas ſibi perſonas, & earũ mores diuerſos, ſi caret ſapientia & intellectu?* ADFECTIOSA, *paſſionum capax, odij & amoris, appetitus, & fugae. Subtilius & verius Tertulliano Auguſtinus ſic de Anima rationali, eiuſque ſenſibus diſſerit, tract.15. in cap.4. Ioannis. In verba* Aug. Quinque viros habuiſti, &c nunc quem habes, non eſt tuus vir. Videtur, *inquit,* mihi facilius nos poſſe accipere quinque viros priores animae, *quàm quinque libros Moyſi, quibus vtebantur Samaritani, etiam circumciſi,* quinque ſenſus corporis eſſe! Quando enim quiſque naſcitur, antequam vti poſſit mente atque ratione, non regitur niſi ſenſibus carnis. Anima in puero paruo, quod auditur, quod videtur, quod olet, quod ſapit, quod tactu ſentitur, hoc ap-

Aug.

petit, aut fugit. Appetit quidquid mulcet, fugit quidquid offendit. Hos enim quinque ſenſus mulcet voluptas, offendit dolor, ſecundùm hos quinque ſenſus tanquam quinque viros priùs vivit anima, quia iſtis regitur. Quare autem viri dicti ſunt? quia legitimi. A Deo quippe facti, & à Deo donati animæ. Infirma eſt adhuc quæ iſtis quinque ſenſibus regitur, & ſub iſtis quinque viris agit. At vbi venerit ad annos exercēdæ rationis, ſi eam ſuſceperit optima diſciplina & doctrina ſapientiæ, quinque illis viris ad regendum non ſuccedit niſi vir verus & legitimus, & illis melior, & qui meliùs regat, & qui ad æternitatem regat, ad æternitatem excolat, ad æternitatem inſtruat. Nam iſti quinque ſenſus non ad æternitatem nos regunt, ſed ad iſta temporalia vel appetenda, vel fugienda. Vbi verò intellectus ſapientiâ imbutus regere cœperit animam, ſcit iam non ſolùm fugere foueam, & ambulare in æquali, quod oculi oſtendunt animæ infirmæ: nec tantùm canoras voces ſuauiter audire diſſonaſque repellere; vel blandis odoribus delectari, putoreſque reſpuere: aut dulcedine capi, & amaritudine offendi; aut lenibus mulceri, & aſperis lædi. Iſta enim omnia infirmæ animæ ſunt neceſſaria. Quid ergo regiminis adhibetur per illum intellectum? Non alba & nigra diſcreturus eſt, ſed iuſta & iniuſta, bona & mala, vtilia & inutilia, caſtitatem & impudicitiam: hanc & illam; illam vt amet, iſtam vt vitet: charitatem & odium; vt diligat charitatem, & vitet odium: In hac vt ſit, in illa vt non ſit. Hic vir quinque illis viris in iſta muliere non ſucceſſerat. Vbi enim non ſuccedit ille, error dominatur. Nam cùm cœperit anima capax eſſe rationis, aut à ſapiente mente regitur, aut ab errore: ſed error non regit, ſed perdit. Poſt illos ergo quinque ſenſus mulier illa adhuc errabat, & error eam ventilabat. Error autem ille non erat vir legitimus, ſed adulter. Ideo ei Dominus ait: benè dixiſti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuiſti: quinque te ſenſus carnis primò rexerunt; veniſti ad ætatem vtendæ rationis, nec ad ſapientiam peruveniſti, ſed in errorem incidiſti. Ergo poſt illos quinque viros, iſte quem habes non eſt tuus vir. Et quid erat, ſi vir non erat, niſi adulter? Voca, inquit, voca itaque, non adulterum, ſed virum tuum, vt intellectu ne capias, non errore de me aliquid falſum ſapias: adhuc enim errabat mulier, quæ aquam illam cogitabat, cùm iam Dominus de Spiritu ſancto loqueretur. Quare errabat, niſi quia adulterum, non virum habebat? tolle ergo hinc iſtum adulterum qui te corrumpit, & vade, voca virum tuum: voca, & veni vt intelligas me. Dicit ei mulier, Domine, vt video, Propheta es tu. Tunc cœpit venire vir, nondum plenè venit: Prophetam Dominum putabat, &c. dicit ei Ieſus ego ſum qui loquor tecum. Vocauit ergo virum ſuum. Factus eſt vir eius caput mulieris, factus eſt Chriſtus caput viri. Iam mulier ordinatur in fide, & regitur benè victura, &c. projecit hydriam ſuam quæ iam non vſui, ſed oneri fuit, &c. recepto in cor Chriſto Domino quid faceret niſi iam hydriam dimittreret, & euangelizare curreret: projecit cupiditatem, & properauit annuntiare veritatem.

2. *Infantium, & innocentum vox, & ſanguis Chriſto gratulans, ſapientiam teſtatur. De An. cap. 19. in f. V. ſupra. Infant. num. 1.*

AT enim Chriſtus, *ex ore lactentium & parvulorum experiendo laudem*, nec pueritiam, nec infantiam hebetes pronuntiauit: quarum altera cum ſuffragio occurrens, teſtimonium ei potuit offerre, altera pro ipſo trucidata vtique vim ſenſit. a Pſal. 8. 3. Matth. 21. 16. Matth. 2. 16.

Infantes baptizatos Euchariſtiâ paſtos. V. t. 1. in Erroribus imput. Infantes non baptizatos, penâ ſenſus plectì. Ibid.

INFANTES. II. SCHOL.

ATENIM CHRISTVS. *Proſequitur probationem opinionis ſuæ de animâ infantiũ ſapiente & ſenſatâ, ex loco Pſalm 8. 3.* Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, *quem Chriſtus ipſe retulit Matth. 21. 16. in ſuo triumphanti ingreſſu in Ieruſalem, vbi habetur.* Videntes autem Principes, Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, *Syr. puerulos*, & dicentes: hoſanna filio Dauid: indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: vtique: numquam legiſtis; quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti, *Syr. direxiſti*, laudem? *Quem locum Auguſtinus, non puerili ſenſu, ſed maliciâ applicat, hoc eſt* Aug. *humiliter in Pſalm 8.* Non poſſum, *inquit*, accipere alios infantes æque lactentes, quam eos quibus dicit Apoſtolus 1. Cor. 3. tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non cibũ. Quos ſignificabant illi qui Dominum præcedebant laudantes, in quos ipſe Dominus hac teſtimonio vſus eſt, cùm dicentibus Iudæis vt eos coriperet, reſpondit, non legiſtis, ex ore infantium, &c. benè autem ait, non, feciſti, ſed perfeciſti laudem. Sunt enim in Eccleſiis, etiam bi qui non iam lacte potantur, ſed veſcuntur cibo, quos idem Apoſtolus ſignificat dicens, ſapientiam loquimur inter perfectos; ſed non ex his ſolis perficiuntur Eccleſiæ, &c. propter inimicos tuos. Inimicos huic diſpenſationi quæ facta eſt per Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, generaliter accipere debemus omnes qui vetant credere incognita, & certam ſcientiam pollicentur. Sicut faciunt hæretici vniuerſi, & illi qui in ſuperſtitione Gentilium Philoſophi nominantur. Non quòd ſcientię pollicitatio reprehendenda ſit, ſed quòd gradum ſaluberrimum & neceſſarium fidei negligendum putant, per quem in aliquid certum, quod eſſe niſi æternum non poteſt, oportet aſcendi, &c. ex ore ergo infantium, &c. perfecit Dominus laudem, mandans primò per Prophetam; *Eſa. 7.* Niſi credideritis non intelligetis, & ipſe preſens dicit beati qui non viderũt, &c. propter inimicos, contra quos etiam illud dicitur, Confiteor tibi Domine, &c. qui abſcondiſti hęc à ſapientibus, &c. non qui ſapientes ſunt, ſed qui eſſe ſe putant. Vt deſtruas inimicum & defenſorem. Quem, niſi hæreticum? nam & ipſe inimicus eſt & defenſor, qui fidem Chriſtianam cùm oppugnet, videtur defendere. Quanquam Philoſophi huius mundi benè intelligantur inimici & defenſores: quandoquidem filius Dei virtus & ſapientia Dei eſt, quâ illuſtratur omnis, quiſquis veritate ſapiens efficitur. Huius illi ſe amatores eſſe profitentur, vnde etiam Philoſophi nominantur: & propterea illam videntur defendere, cùm inimici ſint eius: quo-

niam ſuperſtitiones noxias, vt colantur & venerentur huius mundi elementa, ſuadere non ceſſant.

S.Aug. HEBETES. *Aug. lib. 14. de Trinit. cap. 1.* Quid dicendum eſt, *inquit*, de infantis mente, ita adhuc paruuli, & in tam magna demerſi rerum ignorantia, vt illius mentis tenebras mens omnis quæ aliquid nouit, exhorreat? an etiam ipſa ſe noſſe credenda eſt, ſed intenta nimis in eas res quas per corporis ſenſus, tanto maiore, quanto nouiore cœpit delectatione ſentire, non ignorare ſe poteſt, ſed cogitare ſe non poteſt. *Et lib. 22. de Ciuit. cap. 24.*

S.Aug. Ipſe, *Deus*, animæ humanæ mentem dedit vbi ratio & intelligentia in infante ſopita eſt quodammodo, quaſi nulla ſit, excitanda ſcilicet atque exercenda ætatis acceſſu, quâ ſit ſcientiæ capax atque doctrinæ; habilis perceptioni veritatis & amoris boni. CVM SVFFRAGIO, *pueri ſcilicet hoſanna acclamantes.* VIM SENSIT, *paſſa eſt Herodis tyrannidem, pro Chriſto occiſa. Et quidem Pſal. 8. pro titulo habet:* in finem pro torcularibus. *Quia nimirum in torcularibus paſſionis & Martyrij, pro Chriſto, qui finis eſt legis, propter quem trucidari ſunt; tot innocentes, velut racemi nouæ vindemiæ & primitiuæ, calcari meruerunt. Vnde*

S.Aug. *Aug. in eandem Pſalmum*, cùm dixiſſet de Chriſto: dictus eſt Dominus botrus vuæ, quem ligno ſuſpenſum de terra promiſſionis, qui præmiſſi erant à populo Iſraël, tanquam crucifixum attulerunt;

S. Aug. *paucis interiectis ſubiecit*; Solent, *inquit*, accipi torcularia etiam Martyria, tanquam afflictione perſecutionum calcatis eis qui Chriſti nomen confeſſi ſunt, cùm mortalia eorum, *corpora*, tanquam vinacia in terra remanſerunt; animæ autem in requiem cœleſtis habitationis emanauerunt. *Et in apothecas pretioſiſſimas, beatorum ſedes recondita ſunt. De innocentibus Chriſti martyribus & teſtibus*, ſic idem *Aug. Ser. 9. de Sanctis, & 2. de innocentibus.* Occiduntur,

Aug. *inquit*, pro Chriſto paruuli, pro iuſtitia moritur innocentia. Quàm beata ætas quæ necdum Chriſtum poteſt loqui, & iam pro Chriſto meretur occidi. Nondum oportuna vulneri, & iam idonea paſſioni. Quàm fœliciter nati, quibus in primo naſcendi limine, æterna vita obuiam venit: incurrunt quidem inter ipſa primordia, acceptæ lucis periculum, & finem ſalutis; ſed de ipſo protinus fine capiunt principia æternitatis. Immaturi quidem videntur ad mortem, *velut vuæ præcoces*, ſed fœliciter moriuntur ad vitam, &c. Nondum ingreſſi infantiæ cunas, & iam perueniunt ad coronas: rapiuntur quidem à complexibus matrum, ſed redduntur grenuis Angelorum, &c. *Et Ser. 11. de Sanctis qui eſt 4. de innocentibus.* Aug. Quotieſcumque, *inquit*, Sanctorum Martyria celebramus, toties laudes Saluatoris edicimus: & quoties eorum aſſerimus paſſiones, toties Chriſti gloriam prædicamus. Non enim ſuſpicimus quod paſſi ſunt, ſed propter quem paſſi ſunt admiramur. Igitur non pœna in laude, ſed fides eſt in honore. Magnificamus ergo Martyres, ſed præcipuè illos, qui naſcente Chriſto, in ipſo exordio, non loquendo, ſed moriendo confeſſi, ad regna perpetua cæteros præuenerunt. Videte autem quem iidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum ſub altario meruerunt. Dicit enim ſancta Scriptura Apoc. 6. vidi ſub Ara Dei animas occiſorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium Ieſu quod habebant, &c. Quid reuerentius, quid honorabilius dici poteſt, quam ſub illa Ara requieſcere in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt Sacerdos: ſicut ſcriptum eſt: tu es Sacerdos in æternùm ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Qui panem & vinum obtulit, panem ex contrito in mola crucis, tritico confectum, vinum ex botro terræ lacteæ, hoc eſt Virginis, ab Eſaia promiſſæ, ſub torculari eiuſdem crucis expreſſum; in cuius finem, id eſt gloriam innocentes Martyrierum torcularibus conculcati*, ſanguinem vuæ meracciſſimum, & vindemiam defæcatam, *nouo Regi propinauerunt, dicenti de lactentium parvulorum ſanguine illud Cantici Canticorum*: bibi vinum cum lacte meo.

INFERNVS.

1. Infernus etiam creditus à Paganis reorum locus. Apol. cap. 11. à m.

VOlo merita recenſere, an eiuſmodi ſint, vt illos in cœlum extulerint, & non potiùs in imum tartarum merſerint, quem carcerem pœnarum infernarum, cum vultis, affirmatis. Illuc enim abſtrudi ſolent impij quique in parentes, & in ſorores inceſti, & maritarum adulteri, & Virginum raptores, & puerorum contaminatores, & qui fæuiunt, & qui occidunt, & qui furantur, & qui decipiunt, & quicumque ſimiles ſunt alicuius Dei veſtri, quem neminem integrum à crimine aut vitio probare poteritis, niſi hominem negaueritis.

INFERNVS. I. SCHOL.

VOLO MERITA, *ſupple criminoſorum hominum quos Deos facitis, quoſque in deorum conſortium Deos veſtros extuliſſe, prædicatis.* CARCEREM PŒNARVM. *Etiam Gentiles infernum, criminoſorum receptaculum cenſuerunt.* MARITARVM, *vxorum alienarum.* CONTAMINATORES, *Sodomitas. Crimina quæ inferno damnant ethnici, multò ſapientiùs & fideliùs Paulus, dum æterno regno excluſit, ſempiterno ignis carceri recludendas addixit, 1. Cor. 6. Vnde ſic Auguſtinus Ser. 14. de Verb. Apoſt.* Nec, *inquit*, aliud Paulus

Aug. Apoſtolus cùm terreret homines non paruulos non baptizatos, *quos in igne æterno futuros ibidem probat; non futuros in regno*, ſed ſceleſtos, facinoroſos, contaminatos, perditos, non eos terruit quod erunt in igne ſempiterno, quo ſine dubio ibunt ſi non corrigantur: ſed tantùm terruit quia in regno non erunt: vt cùm viderint ſe perdere ſpem regni, non viderunt eſſe conſequens niſi pœnam ignis æterni. Nolite, *inquit*, errare; neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei poſſidebunt, non dixit, illi & illi; tales aut tales igni æterno torquebuntur, ſed, regnum Dei non poſſidebunt; ſubtractâ dexterâ, non remanebit niſi ſiniſtra. Vnde autem euadunt ab igne ſempiterno? non ob aliud, niſi quia erunt in regno. *Licet autem peccato originali ſolo infecti, carcerem igneum ſubeant, longè tamen mitiùs eo torquentur, quàm qui rei ſunt peccati mortalis actualis. Nec hi,*

cùm

cùm diuerſi ſint gradu, eodem pœnæ gradu torquentur. Vnde *Aug. lib. 21. de ciuit. cap 16.* Nequaquam, *inquit*, negandum eſt etiam ipſum æternum ignem pro diuerſitate meritorum, quamuis malorum, aliis leuiorem, aliis futurum eſſe grauiorem: ſiue ipſius vis atque ardor pro pœna digna cuiuſque varietur, ſiue ipſe æqualiter ardeat, ſed non æquali moleſtia ſentiatur. QVEM NEMINEM. *Quorum nullum innocuum.* NISI HOMINEM. Nemo enim mundus à ſorde.

2. Inferni ignis æternitatem, credunt ethnici, Philoſophorum & Poëtarum vanitati, magis quàm Catholicæ veritati conſentientes. Apol. cap. 48. in f. & 49. in p.

NOuerunt & philoſophi diuerſitatem arcani & publici ignis. Ita longè alius eſt qui vſui humano, alius qui iudicio Dei apparet, ſiue de cœlo fulmina ſtringens, ſiue de terra per vertices montium eructans: non enim abſumit, quod exurit: ſed dum erogat, reparat: adeo manent montes ſemper ardentes, & qui de cœlo tangitur, ſaluus eſt, vt nullo iam igni decinereſcat. Et hoc erit teſtimonium ignis æterni: hoc exemplum iugis iudicij pœnam nutrientis. Montes vruntur, & durant. Quid nocentes, & Dei hoſtes? Hæc ſunt quæ in nobis ſolis præſumptiones vocantur, in philoſophis & poëtis ſummæ ſcientiæ & inſignia ingenia: illi prudentes, nos inepti: illi honorandi, nos irridendi: immo eo ampliùs, & puniendi. CAP. XLIX.

INFERNI IGNIS. II. SCHOL.

ET PHILOSOPHI. *Non tantùm Chriſtiani.* DIVERSITATEM ARCANI. *Differentiam occulti & inferni ignis, ab eo qui quotidiè publicè & coram oculis omnium accenditur.* IVDICIO DEI APPARET. *Tanquam miniſter aſſiſtit vltori & vindici Deo.* FVLMINA STRINGENS, *ex nube expreſſus.* PER VERTICES, *qualis Ætna in Sicilia, & Ecla in Iſlandia.* DVM EROGAT, *dum aliquid lambendo detrahit, ſulphureâ materiâ ſubinde reparatâ.* DE CŒLO, *igne fulmineo.* SALVVS EST, *incorruptibilis. Vnde aliqui, ex Auguſtino, locum Pauli, 1. Cor. 3.* Saluus erit, ſic tamen quaſi per ignem, *intelligunt de ſalua & incolumi in igne inferni ſubſtantia damnatorum.* DECINERESCAT, *in cinerem redigi poſſit. Quod & timoris igni de excelſo in oſſibus peccatorum miſſo, explico; qui ſalui fiunt ab omni igne æterno de quo Propheta:* Ignem do excelſo miſit in oſſibus meis, & erudiuit me. *Aug. Ser. 181. de temp. circa f.* Hæc, *inquit*, recordare & ignem illum gehennæ, his qui te nunc exagitant flammis libidinis & cupiditatis oppone. *Sic qui hoc igne timoris Dei de cœlo tangitur, ſaluus eſt quaſi per ignem, vt nullo iam quantumuis feruida paſſionis ignis decinereſcat.* Aug. Ignis hic qui in præſenti eſt vita, abſumit cuncta quæ recipit: ille verò quos ſuſceperit, ſemper cruciat, & pœnæ ſuæ ſemper integros ſeruat. Propterea enim & inextinguibilis dicitur, non ſolùm quia ipſe non extinguitur, ſed quia nec eos quos ſuſceperit, extinguet aut perimet. Scriptura enim dicit, quia & peccatores induent incorruptionem, ſcilicet non ad honorem vitæ, ſed ad diuturnitatem ſupplicij profuturam. Huius autem pœnæ & ignis illius poteutiam, nulla vox exponere, nullus poterit ſermo explicare. Nihil eſt enim in rebus corruptibilibus, quod conferri poſſit incorruptibilibus ſiue bonis, ſiue malis. Ibi quid agemus? quid reſpondebimus? IVGIS IVDICII. *Id eſt ſententiæ immotæ, quæ ignem æternum nutrit & ſuſtinet abſque materia. De quo iudicio dici poteſt illud Iob,* halitus eius prunas ardere facit. *Cui Pſaltes accinit:* Ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. MONTES VRVNTVR. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet. QVID NOCENTES. *Quæ pœna manent peccatores ſi ſic vrit montes innocentes?* PRÆSVMPTIONES. *Cùm Philoſophi apud Gentiles de iſtis occultis diſſerunt, doctiſſimi habentur, Chriſtiani ſoli de iiſdem tractantes, vt communiter habiti ignorantes, leuibus tantùm coniecturis & præſumptis ſtultâ opinione rationibus ductis æſtimantur vnde & Minutius Felix:* Satis eſt, *inquit*, pro pedibus aſpicere, maximè indoctis, impolitis, rudibus, agreſtibus, quibus non eſt datum, *Chriſtianis ſcilicet, ſicut ethnicis*, intelligere ciuilia; multò magis denegatum eſt diſſerere diuina. *Vide V. æternitas, n. 5.*

3. Infernus ſordium locus in terræ viſceribus, deputatus impiorum animabus. De An. cap. 54. in f. & 55. in p.

RELIQVAS animas ad inferos deijciunt. Hos Plato velut gremium terræ deſcribit, in Phædone, quò omnes labes mundialium ſordium confluendo, & ibi deſidendo exhalent, & quaſi cœno immunditiarum ſuarum craſſiorem hauſtum & priuatum illic aërem ſtipent. Nobis inferi, non nuda cauoſitas, nec ſubdiualis aliqua mundi ſentina creduntur: ſed in foſſa terræ, & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus eius abſtruſa profunditas. Siquidem Chriſto in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt in receſſu intimo, & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam clauſo, & inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo. CAP. LV.

INFERNVS. III. SCHOL.

RELIQVAS. *Præter Philoſophorum animas. Rectè. Et propè ad fidem; cùm talia dicant in inferno qui peccauerunt.* Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, &c. GREMIVM TERRÆ. *Medium, ſinum.* CRASSIOREM HAVSTVM *reſpirationem difficilem.* PRIVATVM. *Luce ſcilicet; condenſatum. Auguſtinus to. 10. homil. 16.* Expiatura, *inquit*, erit illic inextinguibilis concrematio, quidquid hîc medicabilis ſatisfactio, quidquid hîc ſalutifera diſſimulauerat ſanare conuerſio. Ardens enim inferni puteus aperietur, *non nuda vt ait hic Tertullianus, cauoſitas, ſed veſtita & plena ſulphureis flammis atque tormentis.* Deſcenſus erit, reditus non erit. Illic fidei veſte nudati, & capitaliter mortui, in perpetuum demergentur eijciendi in Tenebras exteriores, vbi non viſitabit æternus: in tenebras, *culpæ & ignorantiæ priùs lapſi, & ex hic in tenebras ignis obſcuri. Et ecce, inquit, Propheta, tenebræ horribiles, tenebræ in deſperationem eorum.* Ex tenebris infœliciter excluſi, *ex conuiuio nuptiali filij Regis*, infœliciùs includendi. De hoc puteo Propheta Pſal. 68. orat atque commemorat: neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Quia cùm ſine pœnitentiæ remedio infœlices peccatores exceperit, S. Aug. S. Aug.

claudetur ſurſum, aperietur deorſum, ac dilatabitur in profundum. *Propterea dilatauit infernus animam ſuam.* Nullum ſpiramen, nullus liber anhelitus, clauſtris deſuper angentibus relinquetur. Detrudentur illud valedicentes rerum naturæ, vltra neſcientur à Deo, *dicto illo ad virgines fatuas: neſcio vos. Et ad Pſeudoprophetas: neſcio vnde ſitis,* qui Deũ ſcire S.Aug. noluerunt, morituri vitæ, & morti ſine fine victuri. Fœlices qui nunc benè viuentes facultatibus vel corpori ſuo neceſſariis contenti, & de ſuo largi, in ſe caſti, in alios non cruenti, ab huius putei profundi flammeâ nocte ſe redimunt. Hęc pœna illos manebit, qui amiſſo, *quoad gratiam: manet enim character indelebilis ad maiorem confuſionem,* & non reparato per pœnitentiam baptiſmo, in æternum peribunt: ad quos dicitur, paleas autem comburet igni inextinguibili. NOBIS. *Fidelibus.* NVDA. *Simplex.* TRIDVVM EXPVNCTVM. *Impenſum iuxta Prophetas & figuram Ionæ.* IN INFERIORIBVS. *Sic Chriſtus voce Pſaltis:* Eduxiſti animam meam ex inferno inferiori. *Et rurſum:* Subſtantia mea in inferioribus terræ. *Et Paulus:* Deſcendit primùm in S.Aug. inferiores partes terræ. *Auguſt. in Pſal.* 85. Eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Intelligamus, *inquit,* tanquam duo inferna eſſe, ſuperius & inferius. Nam vnde infernum inferius, niſi quia eſt infernum ſuperius? aliud non diceretur infernum, niſi A in comparatione illius ſuperioris partis. Videtur ergo fratres eſſe quædam habitatio cœleſtis Angelorum, *& animarum volucrum cæli, quarum conuerſatio in cœlis eſt, quo leues & ſublimes in virtute tolluntur, ſicut pondere peccati pregranati, inferna petunt, vt loca propria, & ſordidi, ſordium.* Vbi vita ineffabi- S.Aug. lium gaudiorum, vbi immortalitas & incorruptio, vbi omnia ſecundùm Dei donum & gratiam permanentia. Illa pars rerum ſuperna eſt; hęc terrena, vbi caro & ſanguis, vbi corruptibilitas & natiuitas, & mortalitas; vbi deceſſio atque ſucceſſio; vbi mutabilitas & inconſtantia; vbi timores, cupiditates, horrores, lætitiæ incertæ, ſpes fragiles, caduca ſubſtantia, &c. Sed rurſus ab hoc inferno, id eſt ab B hac parte inferni, eſt aliud inferius quò eunt mortui, vnde voluit Deus eruere animas noſtras, etiam illuc mittendo filium ſuum. Etenim, fratres, propter iſta duo inferna miſſus eſt filius Dei vndique liberans. Ad hoc infernum miſſus eſt naſcendo; ad illud, moriendo. Propterea vox eius eſt in illo Pſalmo, non quoquam homine conijciente, ſed Apoſtolo exponente, *Petro ſcilicet, Act.* 2. quoniam non dereliquiſti animam meam in inferno. Ergo aut ipſius vox eſt hîc, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori; aut noſtra vox per ipſum Chriſtum Dominum noſtrum: quia ideo ille peruenit vſque ad infernum, ne nos maneremus in inferno.

4. *Inferni ignis pœna ſenſibilis. De An. cap. 7. in p.*

Luc.16.24. DOlet apud inferos anima cuiuſdam, & punitur in flammis, & cruciatur in lingua, & de digito animæ felicioris implorat ſolatium roris. Imaginem exiſtimas exitum illum pauperis lætantis, & diuitis mœrentis? & quid illic Lazari nomen, ſi non in veritate res eſt? Sed etſi imago credenda eſt, teſtimonium erit veritatis.

INFERNI IGNIS. IV. SCHOL.

ANIMA CVIVSDAM. *De quo Luc.*16. Homo quidam erat diues. IMAGINEM, *parabolam. Aug. Ser.*181. *de temp. circa f.* Nec extremo, *inquit,* digito S.Aug. aquam quis infundet linguæ noſtræ poſitæ in flammis: ſed audiemus illud quod diues ille audiuit ab Abraham, quia chaos magnum firmatum eſt inter nos & vos, & neque hinc illud tranſire quis poteſt, neque inde huc. Reſipiſcamus ergo tandem, & recordemur, *antequam dicatur nobis inſultanter & inutiliter vt diuiti, recordare fili quia recepiſti bona in vita tua, &c.* quid profuerit illis qui in luxuria corporis, S.Aug. & præſentis vitæ voluptatibus, vſque in diem vltimum permanſerunt. Intuere nunc ſepulchra eorum, *vt & diuitis, cuius corpori funebri pompa exhibita, anima ſepulta eſt in inferno,* & vide ſi eſt in eis aliquod iactantiæ ſuæ veſtigium; ſi aliqua diuitiarum, vel luxuriæ ſigna cognoueris. Require nunc vbi veſtes, & odoramenta peregrina; vbi ſpectaculorum voluptas, vbi aſſeclarum turbæ, & conuiuiorum ceſſit opulentia, riſus, iocus, immoderata atque infrenata lætitia quo abſceſſit? Vbi illa nunc, & vbi ipſi? *Vnde Iob: homo nudatus atque conſumptus, quæſo vbi eſt?* quis finis vtrorumque? intuere S.Aug. diligentiùs & accede propiùs ad ſingulorum ſepulchra. Vide cineres ſolos, & vermium fœtidas reliquias, & recordare hunc corporum eſſe finem, etiam ſi in deliciis & lætitia, ſi in labore & continentia tranſegerint vitam. Nam ſi res omnis, omniſque cauſa vſque ad cineres veniret & vermes, parui penderentur hæc damna, & quæ facilè poſſit excuſare naturæ conditio, *vt pote corruptibilis,* nunc autem conuerte tuos oculos ab iſtis cineribus & ſepulchris, & reuoca cogitationem tuam ad illud diuini iudicij tribunal horrendum, quod ardens fluuius flammeis ambit fluentis, vbi fletus & ſtridor dentium, vbi tenebræ exteriores, vbi ille vermis C conſcientiæ qui nunquam moritur, & ignis qui nunquam extinguetur. Recordate parabolam La- Aug. zari, *alibi ſapiſſimè, veram cenſet hiſtoriam,* & diuitis illius, qui opum tantarum dominus, qui purpurâ indutus & byſſo, vnam nunc aquæ guttam inuenire non potuit, cùm eſſet in ardoris neceſſitate conſtitutus. Dic quæſo te quid plus habet vita iſta quam ſomnium? Sicut enim hi qui in metallis conſtituti atque condemnati, vel in alia qualibet pœna poſiti, cùm fortè poſt multum vitæ duræ paululùm relaxati fuerint in ſomnum, & vident ſe inter plures dapes poſitos epulis copioſiſſimis perfrui, vbi verò ſurrexerint nihil ſibi gratiæ delectatione ſomnij inuene- D rint inſediſſe: ita diues ille qui ſomnium habuit huius vitæ, vbi diſceſſit, nihil cum illo niſi præteritorum pœnitudo, & præſentium pœna permanſit. EXITVM, *mortem.* IN VERITATE. *Si vera hiſtoria, & res geſta non eſt.* SI IMAGO. *Rei vera figura erit. Iam ſæpius dixi, & amplius diſſerui de Lazaro & Diuite, nunc panca ex Auguſtino perſtringo. In Pſal* 85. *vbi etiam apud inferos iuxta præcedens Scholium, loca ſuperiora & inferiora diſcernit:* Nondum Dominus Aug. venerat ad infernum, vt erueret inde omnium Sanctorum præcedentium animas, & tamen Abraham E in requie ibi erat, & quidam diues cùm torqueretur apud inferos, cùm videret Abraham, leuauit oculos. Non enim poſſet leuatis oculis videre, niſi ille eſſet ſuperius, ille inferius. Et quid ei reſpondit Abraham, cùm diceret: Pater Abraham mitte Lazarum, &c. Et ſuper hoc ait: inter nos & vos magnum chaos firmatum eſt, vt nec nos poſſimus venire ad vos, nec inde aliquis venire ad nos. Ergo inter iſta fortaſſe duo inferna, quorum in vno quicuerant animæ iuſtorum, in altero torquentur animæ impiorum, attendens quidam, orans hîc iam in corpore Chriſti

positus, & orans in voce Christi, eruisse Deum animam suam ab inferno inferiori dixit, quia liberauit se à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris. Quemadmodum si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem fortè ex aliquo labore, & dicat: parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis vtere: Nam si non feceris, ægrotabis. tu autem si feceris & saluus fueris, rectè dicis; Medice liberasti me ab ægritudine; non in qua iam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum: gratias agens quid A dicit? eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo; liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant. Sed quia talibus meritis agebatur, vt nisi subuentum esset, ibi essent, inde se rectè dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci. *Et nos abstineamus, consulente Christo & Apostolo, ab illicitis quæ diuitem flammæ æternæ damnauerunt:* Sobriè & piè & iustè viuamus in hoc sæculo. *Sobriè, epulis & pompis non indulgendo; iustè pauperibus superflua largiendo; piè Deum timendo, & amando.*

5. *Inferni pœna æterna, & Resurrectionem, & vitam supponit immortalem. De Resur. cap. 35. in m.*

SI quis occisionem carnis atque animæ in gehennam, ad interitum & finem vtriusque substantiæ arripiet, non ad supplicium, (quasi consumendarum, non quasi puniendarum) recordetur ignem gehennæ æternum prædicari in pœnam æternam, & inde æternitatem occisionis agnoscat, propterea humanæ, vt temporali, prætimendam. Tunc & æternas substantias credet, quarum æterna sit occisio in pœnam. Certè cùm post resurrectionem corpus cum anima occidi habeat à Deo in gehennam, satis de vtroque constabit, & de carnali resurrectione, & de æterna occisione. Absurdissimum alioquin, si idcircò resuscitata caro occidatur in gehennam, vti finiatur, quod & non resuscitata pateretur. In hoc scilicet reficietur, ne sit, cui non esse iam euenit.

INFERNI POENA. V. SCHOL.

OCCISIONEM CARNIS ET ANIMÆ. *Locum tangit Euangelij, in quo Christus:* Timete, *inquit*, eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam. *Quo loco Christus non interitum & destructionem substantiæ animæ vel carnis suscitandæ iam immortali; sed supplicium æternum vtriusque humanæ portionis intellexit, quæ in doloribus æternis viuet: vnde hæc pœna magis timenda est, quàm quæuis alia temporalis.* VTI FINIATVR, *vt penitus intereat & destruatur. Corruptionem enim pateretur caro & subiret, ex natura sua; & frustra resurgeret, vt rursum corruptionis subjaceret.* IN HOC REFICIETVR, *ideo restituetur caro integra.* NE SIT, *ne deinceps talis sit, qualis antea fuit, dum eius esse primâ morte destructum est. Perditio itaque in gehennam æternam, siue in dolorem & ignem sempiternum, tantò est timenda magis, quò dolor erit intensissimus, nec tamen vitam ablaturus. De quo ita fatur Augustinus lib. 13. de Ciuit.* B *cap. 2.* Nec, *inquit*, viuere corpus dicendum est, in quo anima non viuendi causa est, sed dolendi, &c. In damnatione nouissima, quamuis homo sentire non desinat, quia tamen sensus ipse, nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immeritò mors est potiùs appellata quam vita. S.Aug. *Et lib. 21. cap. 23.* Cuius, *inquit*, rationis est dolorem facere mortis argumentum, cùm vitæ potiùs sit indicium? &c. Necesse est vt viuat dolens, non est necesse vt occidat dolor, &c. Non nulla, sed sempiterna mors erit, quando nec viuere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere, moriendo. Prima mors animam, nolentem pellit de corpore; secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Hoc igitur erit tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc esse scimus in animis omnium. *Scilicet immortalitatem.*

* 6. *In Inferno inanes Lachrymæ. De Pudic. cap. 1. in f.*

EVndem limitem liminis mœchis quoque & fornicatoribus figimus, ieiunas pacis lacrymas profusuris, nec ampliùs ab Ecclesia quàm publicationem dedecoris relaturis.

* 7. *In Inferno suspiratur æterna gloria, amissa pro momento. 1. De Cult. Fœm. cap. 2. à m.*

ENimuerò qui vtique interdum cogitabant vnde cecidissent, & post libidinum vaporata momenta, cœlum suspirabant.

IN INFERNO. VI. VII. SCHOL.

LIMITEM LIMINIS. *Quod Tertullianus inexorabilis relapsis in mœchiam, hoc ego reprobis iuxta Paulum regno æterno exclusis absque spe veniæ, per sensum accommodationis applico; vt scilicet limen Ecclesiæ triumphantis non intrent, sicut vltra hunc limitem mœchos in Ecclesiam admitti prohibebat falsus Montanista, adeò vt nullo clamore, nullis lacrymis moueatur sponsus, ad aperiendam etiam virginibus fatuis,* C *nedum mœchis, ianuam aulæ nuptialis clausam. Sic* lacrymæ voluuntur inanes, *& sine pace & reconciliatione ieiunæ, & fructu veniæ frustratæ proflunt. Sic Sapiens de stultis & reprobis, & serò nimis pœnitentibus:* Pœnitentiam, *inquit*, agentes, & præ angustia spiritus gementes, traducent ex aduerso iniquitates eorum. *De inutili & serâ pœnitentiâ damnatorum, Augustinus Ser. 181. de temp. & primo in vigil.*

Digitized by Google

Penit. Donec, *inquit*, sumus in hac vita, quanta- A
S.Aug. cunque nobis acciderint peccata, possibile est omnia ablui per pœnitentiam. Cùm autem abducti fuerimus ab hoc sæculo, ibi iam etiamsi pœnitebit nos, valde enim pœnitebit, sed nulla erit vtilitas pœnitentiæ: & licet sit stridor dentium, licet vlulatus & fletus, licet fundamus preces, & innumeris obsecrationibus proclamemus, nemo audiet, nemo subueniet, &c. Serà pœnitentiâ, cessantibus vndique auxiliis, & vndique inualescentibus pœnis, sed solatium quidem nullum, nullus ibi occurret oculis nostris, nisi soli pœnarum ministri, & facies dira tortorum.

7. *Accommodatitiè pariter exponimus, quod alibi ad literam de errore Tertulliani de Angelis lapsis concupiscentia fœminarum: in quo dupliciter erauit, primò Angelos incorporeos, carnalis libidinis reos fingendo; secundò post parua momenta impleta libidinis, suspiria & gemitus quasi pœnitentibus inducendo. Cuius vt & voluptatis carnalis sunt incapaces. Aptè quidem hi duo loci damnatis aptari possunt, frustra æternum suspirantibus beatitudinem amissam, frustra* ieiunas pœnis lacrymas profusuris. *De regais æterni & perpetua damnationis pœna, accipe præclara ex Aug. sequentia*
S.Aug. *to. 3. in Enchir. ad Laur. cap. 109. & seq.* Post resurrectionem, *inquit*, facto vniuerso completoque iudicio, suos fines habebũt ciuitates duæ; vna Christi, altera diaboli; vna bonorum, altera malorum; vtraque tamen Angelorum & hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit vlla esse peccandi, vel vlla conditio moriendi; istis in æterna vita verè fœliciterque viuentibus; illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam vtrique sine fine. Sed in beatitudine isti, alius alio præstabilibus: in miseria verò illi, ali° alio tolerabilius permanebunt. Frustra itaque nonnulli imò quàm plurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos, humano miserantur affectu, atque ita futuram esse non credunt: non quidem Scripturis aduersando diuinis, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiam, quæ putant in eis terribilius esse dicta, quàm verius. Non enim obliuiscetur, inquiunt, misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas. Hoc quidem in Psalmo legitur sancto. 76. sed de his sine vllo scrupulo intelligitur qui vasa misericordiæ nuncupantur; quia & ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante, de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est, vt damnationem opinentur posse finiri eorum, de quibus dictum est Matth. 25. & ibunt hi in supplicium æternum, *vel vt alibi ipsemet legit, in combustionem, vel ambustionem æternam*, ne isto modo putetur habitura finem quandoque fœlicitas etiam illorum, de quibus è contrario dictum est: iusti autem in vitam æternam: Sed pœnas damnatorum certis temporum interuallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari: etiam sic quippe intelligi potest, manere in illis ira Dei hoc est, ipsa damnatio. Hæc enim vocatur ira Dei, non diuini animi perturbatio, vt in ira sua, hoc est manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas, non æterno supplicio finem dando, sed leuamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus. Quia nec Psalmus ait, ad finiendam iram suam, vel post iram suam, sed in ira sua. Quæ si sola esset, quanta ibi minima cogitari potest; perire à regno Dei, exulare à ciuitate Dei, alienari à vita Dei, carere tam magnâ multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se, tam grandis est pœna, vt nulla possint tormenta quę nouimus comparari, si illa sit æterna. Ista autem sint quamlibet multis sæculis longa, finienda. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est alienatio à vita Dei, & omnibus erit ipsa communis, quamlibet hominet de varietate pœnarum, de dolorum releuatione, vel intermissione, pro suis humanis motibus suspicentur: sicut manebit communiter omnium vita æterna sanctorum, quamlibet bonorum distantia concorditer fulgea[illegible] *damnatis erit*, iuxta mensuram delicti, & plagarum modus, & Babyloni tantum tormentum dabitur, quantum in delitiis
C fuit. *Vt & electis*, sicut stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum. *Adeo vt*, recipiat vnusquisque prout gesserit in corpore suo, siue bonum siue malum: *Sermone autem. 181. de*
Aug. *temp. qui primus est in vigilia Pent. circa finem*: Regnum, *inquit*, cœlorum propter nos, gehenna propter diabolum facta est. Et hæc ita esse ex Euangelio doceam. Ipse enim Dominus dicet his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti, &c. quod vobis paratum est. Illi autem qui à sinistris eius erunt dicet, discedite, &c. qui paratus est diabolo, &c. Si ergo gehenna ignis propter diabolum, propter hominem autem regnum cœlorum à constitutione mundi præparatum est, tantùm est ne nosmetipsos ab ingressu bonorum persistendo in malis pertinaciter excludamus.

INGRATITVDO.

Ingratitudinis hominis testes, Cœlum & terram Christus inuocabit. 3. Cont. Marc. cap. 24. circa f.

a Esa. 1. 2. ETatenus dum & in terra & in cœlo, qui ob vtriusque promissionis ingratos ipsa etiam elementa testatur a *Audi cœlum, & in aures percipe terra.* Et ego quidem, etiam si nullam spei cœlestis manum mihi toties scriptura porrigente, satis haberem huius quoque promissionis præiudicium, quod iam terrenam gratiam teneam, expectarem aliquid & de cœlo, à Deo cœli, sicut & terræ: ita crederem Christum sublimiora pollicentem, eius esse qui & humiliora promiserat, qui experimenta maiorum de paruulis fecerat, qui hoc inaudiri si fortè regni præconium soli Christo reseruauerat, vt per famulos quidem terrena gloria; cœlestis verò per ipsum Deum annuntiaretur.

INGRATITVDO. SCHOL.

ETATENVS, &c. *Cùm Deus per Esaiam elementa & principia naturæ, cœlum, & terram, vocat in testes contra ingratos in terram creaturæ authorem, qui ipsis tam* D *terrena quàm cœlestia promisit, se summorum & imorum visibilium & inuisibilium conditorem esse probauit. Quod torquet in Marcionem, cuius Deo opera nulla*

Digitized by G

expertis, nulla beneficia temporalia tangentibus, suadere non potest ipsum cœlestia & æterna largiturum. AVDI CŒLVM. *Esa.* 1. 2. Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est; filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Aug. *Hunc locum citat Aug. to. 6. lib. contra aduers. Legis & Prophet. cap.* 22. Eósdem, *inquit*, paulò post appellauit semen pessimum, tanquam se ostendens generatorem malorum, cuius filij sunt semen pessimum: nesciens ob hoc eos dici semen pessimum, quoniam gratiæ Dei, quâ eius filij facti fuerant, peccando degeneres extiterunt, eorum filij facti quorum imitatores esse voluerunt. 70. Audi cœlum & auribus percipe terra. *Aug. to.* 10. *Ser.* 121. *de temp. inducit Christum exprobrantem ingratitudinem Iudæis, quos ad comprehendendum se venientes & voce prostratos* Aug. *erexerat.* O insensati Iudæi, interrogastis & cecidistis: eleuati estis, & ingrati estis. Qua vos concutiemini comminatione vel terrore, qui ad solam cecidistis simplicem vocem? dic Israël, venisti tenere me, quia ego defendi te à persequentibus te? vtinam teneres me, & non perderes te. In aquis *maris rubri, cuius stetit vnda fluens*, parietes construxi, faculam columnę micantis erexi, Ægyptios cęcitate percussi, totâ nocte pro te pugnaui, factum est mane, & transisti incolumis mare. Malè me quæritis, ideo cecidistis. *Et to.* 9. *libro Soliloquiorum, cap.* 18. *(quem librum indubiè ipsius esse, vel ipse confessiones citatæ loquuntur) sic suam ipsiusmet ingratitudinem exaggerat:* Ego, *inquit*, filius ancillæ tuę, *Mo-* Aug. *nica, & Ecclesiæ*, qui me commendaui manui tuæ iam his meis pauperculis Confessionibus; confitear tibi liberator meus toto corde meo, & recolam ad mentem meam omnia bona quę fecisti mihi à iuuentute mea, in omni vita mea. Scio namque quòd ingratitudo multùm tibi displiceat, quæ est radix totius mali spiritalis, & ventus quidam desiccans & vrens omne bonum: obstruens fontem diuinę misericordię super hominem; qua & mala mortua iam oriuntur, *non quòd remissa per pœnitentiam reuiuiscant: non enim sicut delictum, ait Paulus, ita & donum: gratia enim donum, & bona merita mortificata, per peccatum mortale, pœnitentiâ subsequente redeunt; non delicta prorsus extincta. Sed propter ingratitudinem, iam remissa, in impropериum Deo exprobrante reuiuiscunt.* Et viua iam opera moriuntur, & vltra non adipiscuntur. *Scilicet vitam, Deo ingratum deserente, vt peccet infirmitate propriâ, qua lapsus non potest ex se surgere.* Et ego Domine, gratias tibi agam Aug. ne sim ingratus tibi liberator meus, quoniam liberasti me. Quotiens me iam absorbuerat ille draco: & tu Domine ab ore eius extraxisti me, &c. Stabat ipse paratus vt me raperet ad infernum, sed tu prohibebas. Ego te offendebam, & tu me defendebas: ego te non timebam, & tu me custodiebas. A te recedebam, & inimico meo me exhibebam, & tu ipsum ne me acciperet, deterrebas, &c. De morte etiam corporis sępius eripuisti me Saluator meus, cùm graues morbi tenerent me, cùm fui in periculis multis, per mare, per terras, ab igne, & gladio, &c. Sciebas tu quidem Domine; quia si tunc mors me occupasset, infernus animam meam suscepisset, & perpetuò damnatus fuissem: sed tua misericordia, & tua gratia prœuenit me, eripiens me de morte corporis, & de morte animæ Domine Deus meus. Hęc & multa alia mihi tua beneficia exhibuisti, & ego eram cæcus, nec cognoui, donec illuminasti me, &c. Confitear beneficia tua magna, quoniam eripuisti me de inferno inferiori, semel, & secundò, & tertiò, & centies, & millies; & ego semper ad infernum tendebam, & tu me semper reducebas, & iustè millies damnasses me, si voluisses: noluisti, quia amas animas, & nihil odisti eorũ quæ fecisti & ego primus inter peccatores quos saluasti, vt exemplum aliis tribuam benignissimæ pietatis tuæ, &c. Totus eram in morte, & totum me resuscitasti. Tuum igitur sit totum id quod viuo, & totus totum me tibi offero; totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea viuat tibi, vita mea dulcis: quoniam totum me liberasti, vt totum me possideres, &c. Sicut ergo nulla est hora vel punctum in omni vita mea quo beneficio tuo non vtar: sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, & te non diligam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc valeo nisi tu dederis mihi, cuius est omne bonum, &c. MANVM PORRIGENTE. *Licet, inquit, Deus in Scripturis suis nihil seruis suis cæleste promitteret, tamen vel inde cælestia sperarem, quia me iam rebus terrenis gratificatus & donauit: & ab eo qui cœlum vt terram condidit, ex terrenis iam acceptis, cælestia fidentiùs expectarem, proindeque crederem Christum sublimia & æterna pollicentem, eiusdem Dei Creatoris esse filium, qui viliora & terrestria Hebræo populo promissa exhibuit, & experientia probauit, posse maiora sibi seruientibus dare, qui parua iam dederat. Qui quidem Deus Creator si fortè in veteri lege nihil populi sui auribus de Regno cælesti inculcauit; vt per Prophetas suos regnum terrenum, per filium suum Christum Deum, cælestia Euangelizare distulit; vtrobique, se vtriusque regni Dominum & dispensatorem esse declarauit. De manu porrecta dum hìc loquitur Tertullianus, memoriam mihi refricat Augustini, dexteram à sinistra distinguentis, dum scriberet in Psal.* 120. Dominus protectio tua S. Aug. super manum dexteram tuam. *Vel vt ipse legit*; tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ. Quid enim, inquit? dexteram nostram Deus custodit; & sinistram nostram non custodit? Nonne ipse nos totos fecit? Nonne qui nobis fecit dexteram ipse fecit & sinistram? &c. sinistra nostra dicitur, quidquid temporaliter habemus: dextera nostra dicitur, quidquid nobis æternum & incommutabile Dominus pollicetur. Si autem ille qui dabit vitam ęternam, ipse & de istis temporalibus consolatur præsentem vitam, ipse fecit dexteram & sinistram, &c. Audi hoc confirmatum in Cant. Canticorum, cap. 2. sinistra eius, inquit, sub capite meo, sponsa dicit de sponso, Ecclesia de Christo, in amplexu pietatis & castitatis. Quid ait? sinistra eius sub capite meo, & dextera eius complectetur me. Quid autem? quia sursum erat dextera, deorsum sinistra, & sic complectebatur sponsus sponsam, supponens sinistram ad consolationem, imponens dexteram ad protectionem, &c. Nouit ille dispensare sinistram, qui vocat ad dexteram. Ergo si est sinistra, sit sinistra, sed sub capite sit: supra illam sit caput tuum, id est supra illam sit fides tua, vbi habitat Christus. *De quo Paulus ait, habitare Christum per fidem in cordibus vestris: sicut & de ipsa: substantia est rerum sperandarum, &c.* Quid est manus dexteræ? Nihil ar- S. Aug. bitror intelligi congruentius nisi vt intelligamus potestatem quam tibi dedit Deus, vt si velis, donanto Deo ad dexteram sis, &c. De qua dicit Apostolus Ioannes, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Vnde accepisti hanc potestatem? credentibus, inquit, in nomine eius, &c. ergo fides tua manus dexteræ tuæ, id est potestas quæ tibi data est, vt sis inter filios Dei, manus est dexteræ tuæ. Sed quid valet ipsa potestas quam accepit homo, nisi Dominus protegat? Ecce credidit, iam ambulat in fide, infirmus est inter

tentationes, agitatur inter moleſtias, inter carnales corruptiones, inter ſuggeſtiones cupiditatis, inter verſutias & laqueos inimici: quid valet ergo quia habet poteſtatem, & credidit in Chriſtum, vt ſit inter filios Dei? Væ homini illi, niſi & ipſius fidem Dominus protegat, id eſt vt non te permittat tentari ſupra quam poteſs ferre; Sicut dicit Apoſtolus; fidelis Deus qui non vos permittet tentari ſupra quàm poteſtis ferre. SCRIPTVRA. *Idem Aug. in Pſal. 109. in p.* Promiſſionum, *inquit*, tempus erat tempore Prophetarum vſque ad Ioannem Baptiſtam, *à cuius diebus regnum cœlorum vim patitur*, ab illo autem & deinceps vſque ad finem tempus eſt implendi ea quæ promiſſa ſunt: fidelis Deus qui ſe noſtrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, ſed tanta nobis promittendo. Parum erat promiſſio, etiam ſcripto ſe teneri voluit, veluti faciens chirographum nobiſcum promiſſorum ſuorum, vt cùm ea quæ promiſit, ſoluere inciperet, in Scriptura promiſſorum, conſideraremus ordinem ſoluendorum.

S. Aug.

INIMICORVM DILECTIO.

1. Inimicorum, quaſi fratrum dilectio, & in eos lenitas, vtraque lege mandatur: in qua, lex noua non ſoluit, ſed implet legem talionis. 4. Cont. Marc. cap. 16. in p.

a Eſa. 66. 5. b Luc 6, 27. c Eſa. 66. 5.

a *Sed vobis dico*, inquit, *qui auditis*; oſtendens hoc olim mandatum à Creatore, *Loquere in aures audientium.* b *Diligite inimicos veſtros, & benedicite eos qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos calumniantur.* Hæc Creator vnâ pronuntiatione cluſit per Eſaïam, c *Dicite, fratres noſtri eſtis, eis qui vos oderunt.* Si enim qui inimici ſunt & oderunt, & maledicunt, & calumniantur, fratres appellandi ſunt; vtique & benedici odientes, & orari pro calumniatoribus iuſſit, qui eos fratres deputari præcepit. Nouam planè patientiam docet Chriſtus, etiam vicem iniuriæ cohibens, permiſſam à Creatore; d *oculum exigente pro oculo, & dentem pro dente*: contra, ipſe alteram ampliùs maxillam offerri iubens, & ſuper tunicam pallio quoque cedi. Planè hæc Chriſtus adiecerit, vt ſupplementa conſentanea diſciplinæ Creatoris. Atque adeo hoc ſtatim renuntiandum eſt, an diſciplina patientiæ prædicatur penes Creatorem. Si per Zachariam præcepit, e *Ne vnus quiſque malitiæ fratris ſui meminerit*; Sed nec proximi: nam & rurſus, f *Malitiam*, inquit, *proximi ſui vnuſquiſque ne recogitet*, multò magis patientiam indixit iniuriæ, qui indixit obliuionem. Sed & quum dicit, g *Mihi vindictam, & ego vindicabo*: proinde patientiam docet vindictæ expectatricem. In quantùm ergo non capit, vt idem videatur & dentem pro dente; oculum pro oculo, in vicem iniuriæ exigere, qui non modò vicem, ſed etiam vltionem, etiam recordationem, & recogitationem iniuriæ prohibet: in tantùm aperitur nobis, quomodo h *oculum pro oculo, & dentem pro dente* cenſuerit, non ad ſecundam iniuriam talionis permittendam, quam prohibuerat interdictâ vltione; ſed ad primam coercendam, quam prohibuerat oppoſito talione, vt vnuſquiſque reſpiciens licentiam ſecundæ iniuriæ, à prima ſemetipſum contineret. Faciliùs enim vim comprimi ſcit repræſentatione talionis quam repromiſſione vltionis. Vtrumque autem conſtituendum fuit pro natura & fide hominum; vt qui Deo crederet, vltionem à Deo expectaret, qui minùs fideret, leges talionis timeret. Hanc legis voluntatem de intellectu laborantem, Dominus & ſabbati, & legis, & omnium paternarum diſpoſitionum Chriſtus & reuelauit, & compotem fecit, mandans alterius quoque maxillæ oblationem; vt tantò magis vicem, iniuriæ extingueret, quam & Lex per talionem voluerat impediſſe, certè quam prophetia manifeſtè coercuerat; & memoriam iniuriæ prohibens, & vltionem ad Deum rediens. Ita ſi quid Chriſtus intulit, non aduerſario, ſed adiutore præcepto, non deſtruxit diſciplinas Creatoris.

b Exo. 21. 24. Deut. 32. 35. & 43.

c Zach. 7. 10. d Exo. 21. 24. Luc. 6. 29. e Zach. 8. 17. f Deut. 32. 35. & 43.

INIMICORVM DILECTIO. I. SCHOL.

VOBIS DICO. *Luc. 6. 27.* Sed vobis dico qui auditis: diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. *Tranſlat. Syr. qui vim vobis inferunt.* Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo qui aufert tibi veſtimentum, *Syr. pallium tuum*, etiam tunicam, noli prohibere. LOQVERE IN AVRES. *Toties in Exodo & Leuit. & alibi in Scriptura frequenter ſcriptum eſt:* Loquere filiis Iſraël, *vt pigueret authorem ſpecialem locum citare, contentum dicere*, hoc olim mandatum à Creatore. *In veteri ſcilicet teſtamento.* CLVSIT, *incluſit, concluſit.* DICITE FRATRES, *Eſaiæ 66. 5.* Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum eius: dixerunt fratres veſtri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum; glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra, ipſi autem confundentur. 70. *aliter.* Dicite, fratres noſtri; iis qui oderunt vos, & abominantur, vt nomen Domini glorificetur, & appareat in lætitia eorum: & illi confundentur. NOVAM PATIENTIAM. *Quaſi inauditam in veteri lege. Ironicè dictum vt patet ex ſequentibus.* ETIAM VICEM. *Iniuriam rependi prohibens.* PLANE ADIECERIT, *eſto, inquit, Chriſtus in noua lege hæc documenta veteri addiderit, in hoc non ſe alterius quàm Dei Creatoris filium eſſe probauit, dum non iam legem antiquam deſtruxit, ſed ei tantò magis implenda documentum perfectius addidit. Satis enim eſt ſi ſtatim & in promptu habemus Creatorem olim patientiam commendaſſe.* PER ZACHARIAM, *Zach. 7. 10.* Malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo. 70. *autem:* Malitiæ vnuſquiſque fratris ſui nolite meminiſſe in cordibus veſtris. ET RVRSVS. *Zach. 8. 17.* Et vnuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris. 70. Malum proximi ſui nō cogitate in cordibus veſtris.

A

B

Digitized by Google

EXPECTATRICEM. *à Deo vltionum Domino non à se fieri volentem.* NON CAPIT. *Fieri non potest, sensu Marcionis, vt idem Deus esse videatur qui legem talionis indixit in veteri testamento, qui in eodem, vltionem, & memoriam iniuriæ prohibet: ideo per istam apparentem contrarietatem, textum, nobis aperitur & innotescit, quomodò Deus Creator censuerit, & voluerit oculum pro oculo rependi, non sic accipiendum esse, vt reciprocam iniuriam hac talionis lege permitteret, quam ipsa vltione interdicta prohibuit; sed vt à proximo ladendo deterreret opposito in frænum rigore talionis. Nouerat quippe Deus facilius & citius homines coercendos minis talionis, quàm spe à Deo sumendæ vltionis.* PRO NATVRA ET FIDE. *Contemperauit Deus inclinationi vel fidei hominum, vtrumque frænum ab iniuria inferenda reuocans, vt qui Deo credebat, ab eo speraret vltionem, qui verò minùs fidelis esset, legem pœnalem talionis extimesceret.* LEGIS VOLVNTATEM. *Animam, & finem, in cuius intellectu laboraturi erant homines, maximè hæretici Marcionitæ, & postea Manichæi Christus exposuit, & nos eius compotes fecit.* QVAM PROPHETIA, *præmemorata Zachariæ.* AD DEVM REDIGENS, *soli Deo reseruans sicut Deut. 32.* Mea est vltio, & ego reddam, &c. *Eximium charitatis erga persecutores exercendæ in B. Iosepho tradidit exemplum Augustinus Serm. 82. de temp. vbi de fratribus eius:* credendum est, *inquit*, quòd ideo eos tantis tribulationibus fatigauerit, vt illos ad confessionem criminis, & ad medicamentum pœnitentiæ prouocaret. Denique cum ingenti dolore dixerunt se meritò pati illa, quia peccassent in fratrem suum videntes angustiam eius. Et quia sciebat beatus Ioseph, quòd fratribus suis parricidij crimen sine grandi pœnitentia indulgeri non posset, & semel & secundò & tertiò illos medicabili tribulatione tanquam spiritali igne decoxit; non vt se vindicaret, sed vt illos corrigeret, & de tam graui crimine liberaret. Denique priusquam peccatum suum confiterentur, & crimen quod admiserant mutuâ inter se castigatione consumerent, nec agnoscendum eis se dedit, nec pacis osculum eis indulsit cùm verò illos pro peccato quod in ipso admiserant, humiliter videret afflictos, deosculatus est singulos; & per singulos fleuit, & pauentium colla pio oculorum rore perfundens, odium fratrum charitatis lacrymis abluebat. Quod ergo Deus in beato Iacob fecit, & quod Ioseph erga fratres exercuit, hoc etiam & nos in illis qui in nobis peccauerint debemus implere; & non ipsos, sed peccata eorum studeamus odire; & ita velimus secundùm culpæ merita durissimâ castigatione corripere, vt eos studeamus, in veritate diligere. *Nihil aptiùs ad illustrandum hunc Tertulliani textum potui reperire, quàm quod D. August. Serm. 168. de temp. nobis dignatus est proferre.* Collegi, *inquit*, quantùm potui paucos de amœnissimis Scripturarum montibus flores, vnde & ægrotis medicamenta conficerem, & de thesauro cœlesti pretiosissimas margaritas à peccatorum corruptione liberis ornamenta componerem. Primum medicamentum est animæ ægrotanti plena & perfecta dilectio, per quam possit non solùm amicos, sed etiam inimicos diligere, &c. *quod probat scriptura locis & exemplis. Locus quidem, vt Prouerb. 24. dum ait:* per Salomonem Spiritus sanctus clamat & dicit: cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne fortè videat Deus & displiceat illi, & auferat iracundiam suam ab eo; & vtique cùm ab illo auerterit, ad illum dirigat qui de inimici ruina gaudebat: secundùm illud Prouerb. 17. qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Item ibi (*scilicet Eccli. 28.*) homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? Et in hominem similem sibi non habet misericordiam. Ipse cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem quærit à Deo; quis exorabit pro delictis ipsius? Dicitur quidem in veteri testamento, *aduerte diligenter Augustinum hic sequi, quod Christus dixit Math. 5. 43. Non autem quod scriptum est: cum Leuitici 19. 18. iuxta omnes versiones conformes vulgatæ legatur: non quæras vltionem, nec memoreris iniuriæ ciuium tuorum. Diliges amicum tuum, vel proximum, vt Hebr. 70. & Chald. habent, sicut teipsum. Nihil prorsus habetur de odio inimici.* Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Sed qui sano intellectu Scripturæ diuinæ sensum agnoscere cupit, sententiam istam hoc modo intelligat, vt diligat omnem hominem proximum suum, *eiusdem secum naturæ, eodem Deo Patre creatum, ad eandem hæreditatem destinatum, &c.* odio habeat diabolum, inimicum suum quod etiam in vno homine malo impleri potest. In ipso enim vno qui malus est, & proximum habes, & inimicum. Nam quòd homo est, proximus tuus est: quòd malus est, non solùm tuus, sed etiam suus inimicus est, *qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. Et qui odit fratrem suum, homicida est; quantò magis qui seipsum. Hostes, inquit alibi Scriptura, sunt animæ suæ,* dilige ergo in eo carnem & animam hoc est proximum tuum quem Deus fecit: & odio habe malitiam, quam ipso consentiente diabolus intromisit. Quod cùm sancto & pio animo feceris, vices cœlestis medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotum. Item per Salomonem Prouerb. 25 *quem & Paulus citat Rom. 12.* loquitur Spiritus sanctus, si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Hoc ergo loco cum grandi diligentia obseruandum est, ne fortè dum eum benè non intelligimus, de medicamentis nobis vulnera faciamus. Solent enim nonnulli hoc præceptum quasi ad satiandum furorem suum assumere: dicunt enim apud se: Ecce cibo inimicũ meum, vt ardeat in æternum. Auertat Deus huiusmodi intelligentiam ab animis nostris, &c. caput in homine sensus rationalis intelligitur; qui sensus cùm à feruore charitatis recedens factus fuerit frigidus, vnde scriptum est Matth. 24. quia abundabit iniquitas, refrigescit charitas multorum: necesse est; vt quod obest saluti contrari ũsapiat, vt cui deberet esse amicus inimicus existat. Ad sanandum ergo talem phreneticum, homines sanctos, & charitatis igne succensos hortatur Spiritus sanctus, dicens; carbones ignis congeres super caput eius, cùm enim inimico tuo pio animo frequentiùs bene feceris, quamlibet sit impius, & crudelis, barbarus, & cruentus, tandem aliquando erubescit, & dolet, & pœnitere incipit quod admisit. Nam cùm pœnitentiam cœperit agere, sensus rationalis hoc est caput ipsius incipit charitatis igne succendi; & qui prius quasi frigidus & phreneticus contra te consueuerat iracundiam retinere, spiritali calore de tua bonitate succensus incipit toto corde diligere. *Deinde subiicit Psalmum 147. cætum sanctorum ad Dei laudem prouocantem addidisse,* qui posuit fines tuos pacem; ergo, inquit, vt ipsi videtis, Ierusalem illa cœlestis muros de pace constructos habet, *vt portas Margaritis, quæ dicuntur propriè vniones,* Qui enim talem pacem & talem charitatem habet, vt omnes homines diligat, & pro bonis oret, vt meliores fiant, pro malis supplicet, vt citò se corrigant, de qua parte voluerit intrare, illius cœlestis Ierusalem portas, apertas merebitur inuenire. Qui autem habere talem charitatem noluerit, qualem & Christus præcepit, & Apostolus docuit, ex

Aug. Aug. Aug. S. Aug. Aug.

omni parte Ieruſalem portas clauſas inueniet. Et quia oleum charitatis habere noluit, clauſis ianuis ſponſi, cum illis fatuis virginibus illam metuendam audiet vocem. Amen dico vobis, neſcio vos vnde ſitis, &c. & implebitur illud quod in Pſalmo dicitur de Ieruſalem: quoniam, inquit, confortauit ſeras portarum tuarum. Clauſis portis & confirmatis ſeris, nunquam exiet amicus, nunquam intrare poterit inimicus: quia ſicut iuſtus nunqnam erit exiturus à gloria, ita & peccator nunquam poterit liberari à pœna. *Deinde profert locum Pauli Rom. 8. quis nos ſeparabit à charitate Chri. &c. & concludit:* Ecce, *inquit*, ſicut audiſtis, Beatum Apoſtolum, & Apoſtolicos viros, tanta, ac tam terribilia à charitate Dei ſeparare non poterant. Vnde nimis dolendum eſt quod cùm illi à charitate Dei nec tormentis poterant ſeparari, nos interdum otioſis fabulis ſeparamur; & nonnunquam ob paruiſſimum conuicium, & cuiuſcunque miſeri hominis detractionem, ita derelinquimus charitatem, vt non ſolùm cum eo multis diebus, ſed etiam menſibus, fortaſſis & annis, nec loqui, nec ad conuiuium peruenire velimus: & non attendimus, quia dum nos inuicem odio habemus; ita muros ciuitatis Ieruſalem contra nos claudimus, vt nullus nobis aditus permaneat per quem intrare poſſimus. Et quia ciuitas illa habitatorem Deum habet, dicente Ioanne Euangeliſtâ, Deus charitas eſt: qui charitatem habere noluerit, quâ fronte, vel quâ conſcientiâ ad Dominum qui eſt charitas, præſumit accedere? *Supereſt vt & exempla ad dilectionem inimicorum hortantia ex eodem Sermone proferamus.* In primis, *inquit*, conſiderandum eſt quanta in Beato Iacob fuerit charitas, vt odientem ſe fratrem ſuum maluerit in longinquis regionibus fugere, quàm vicem odij repenſare: quem ſicut vitare ſciuit, ita odiſſe neſciuit: & reuerſus, multis muneribus, vt eum ſibi placatum faceret, honorauit, &c. B. Ioſeph pro parricidij crimine impiis & inimicis fratribus ſuis, non odij amaritudinem, ſed charitatis dulcedinẽ repenſauit. Oſculabatur enim ſingulos, & per ſingulos flebat, quibus non ſolũ nihil mali rependit, ſed omnia bona retribuens, tam viuo, quàm mortuo patre, germano ſemper amore dilexit. B. quoque Moyſes, cùm frequẽter eum populus rebellis nõ ſolùm contemnere, ſed etiam lapidare vellet, diuinæ charitatis memor, ita pro illis Domino ſupplicabat, vt clamaret & diceret: ſi non dimiſeris peccatum populi tui, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. In ipſo enim veteri teſtamento legimus ſcriptum: iniuria eorum qui iniuriam retinent malefacti, in mortem, & iterum: ne memor ſis iniuriæ proximi tui. Et iterum: ſi videris aſinum inimici tui iacentem in luto, non præteribis, niſi priùs alleues eum. Quo loco diligenter vnuſquiſque conſideret, quòd ſi aſinum inimici non licet in luto dimitti; quantò magis homo ad imaginem Dei factus non debet odio haberi, nec negligi? B. quoque Iob ita veram & perfectam charitatem etiam cum inimicis fideliter tenebat, vt gaudens, & liberâ conſcientiâ ad Deum diceret: ſi gauiſus ſum ad ruinam inimici mei, & exultaui in eo quòd inueniſſet eũ malitia; vel ſi in corde dixi, benè. B. quoque Dauid, licet virtutibus multis fuerit exornatus, nulla tamen eum actio familiariùs Deo coniunxit, quàm dilectio inimicorum ſuorum. Cui cùm inimicus ſuus in faciem malediceret, *Semei ſcilicet*, maluit tamẽ parcere, & Dei iudicio reſeruare, quàm ſuæ iracundiæ ſatisfacere. Et in tantùm non fuit ſimulata, vel falſa dilectio ſua vt ipſos etiam aduerſarios fieret, & in illis qui eos occidere præſumpſerant vindicaret. *Sicut in percuſſores Iſboſeth & Saul.* Ideo ſecurus in Pſalmo dicebat. 7. Illud quod omnes homines ſatis attento & trementi animo dicere debent: ſi reddidi, inquit, retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. *Vacuus ſpe nominis, rei, hæreditatis filiorum Dei.* Perſequatur inimicus, &c. & gloriam meam in pùluerem deducat, ecce quali maledicto ſeipſum condemnat, qui de inimicis diligendis, Dei præcepta contemnens, odium in corde ſeruare non metuit. *Quem locum exponit Auguſtinus in Pſalmum 7. cui titulus eſt:* Pſalmus ipſi Dauid quem cantauit Domino pro verbis Chuſi filij Gemini. *vbi refert ex 2. Reg. 16. Chuſi amicum Dauid, tranſiſſe ad partes Abſalon bellum gerentem contra patrem, vt exploraret conſilia, & renuntiaret ea Dauid. Notat autem Chuſi ſignificare ſilentium, Gemini autem dexterum.* Si reddidi retribuentibus, &c. Non poteſt, *inquit*, verè dicere, niſi perfectus. Ait quippe Dominus: eſtote perfecti ſicut Pater, &c. qui ſolem ſuum, &c. qui ergo non reddit retribuentibus mala, perfectus eſt. Cùm itaque oret anima perfecta pro verbis Chuſi filij Gemini, id eſt pro cognitione illius ſecreti, atque ſilentij, quod pro ſalute noſtra operatus eſt propitius nobis & miſericors Dominus, vt toleraret, *quaſi filius à dextris ſedens, filius dextera & Beniamin*, & patientiſſimè ſuſtineret dolos traditoris ſui; tanquam huic perfectæ animæ dicat, exponens rationem ipſius ſecreti: ego pro te impio & peccatore, vt tuæ iniquitates ſanguinis mei effuſione lauarentur, magno ſilentio, & magnâ patientiâ traditorem meum pertuli; nonne imitaberis me, vt & tu non reddas mala pro malis? Animaduertens igitur & intelligens quid pro illo fecerit Dominus, & eius exemplo ad perfectionem proficiens, *filij veri ſolis, lucentis etiam inimicis, & nubis in plumiam ſanguinis, & roris gratia ſolutæ: ſicut & Patris vbique blaſphemos tolerantis, nutrientis, ditantis, regnum cæleſte pandentis*, dicit, ſi reddidi, &c. id eſt, ſi non feci, quod tu faciendo docuiſti, &c. ſi te non imitatus ſum in illo ſilentio, hoc eſt patientiâ tuâ, quam pro me operatus es: *tanquam agnum coram tondente obmutescens*, decidam ab inimicis meis inanis. Inaniter enim ſe iactat, qui cùm & ipſe homo ſit, cupit ſe de homine vindicare: & cùm ſuperare hominem palã quærit, occultè à diabolo ſuperatur, inanis effectus vanâ & ſuperbâ lętitiâ, quòd quaſi vinci non potuit, intelligit ergo iſte vbi maior fiat victoria, & vbi Pater reddat qui videt in occulto, &c. *Deinde explicat perſequentem & conculcantem inimicum eſſe diabolum: gloriam autem in pulueren deductam exponit dicens:* hic eſt ille puluis, quem proiicit ventus à facie terræ, ſuperborum ſcilicet vana & inepta iactantia, & inflata, & non ſolida: tanquam vento elatus pulueris globus. Rectè itaque hic poſuit gloriam quam non vult in pulueren deduci. Vult enim eam ſolidam habere in conſcientia, coram Deo vbi nulla iactantia eſt. Qui gloriatur, inquit, in Domino glorietur. Iſta ſoliditas in pulueren deducitur, ſi per ſuperbiam quiſque contemnens ſecreta conſcientię vbi ſolus Deus hominem probat, velit apud infantes gloriari. Hinc eſt quod alibi dicit Deus Pſalmo 52. conteret oſſa placentium hominibus. Qui autem benè didicit vel expertus eſt vitiorum ſuperandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis glorię, vel ſolum, vel maximè cauendum eſſe perfectis. Quo primo enim vitio lapſa eſt anima, hoc vltimum vincit. Initium autem omnis peccati ſuperbia. Et initium ſuperbię hominis apoſtatare à Deo.

S. Aug. S. Aug. Aug. Aug. Aug. Aug.

2. Inimicorum dilectio, propria bonitas eſt chriſtianorum ad Scap. cap. 1. in m.

DIſciplinâ iubemur diligere inimicos quoque, & orare pro eis qui nos perſequuntur, vt hæc ſit perfecta & propria bonitas noſtra, non communis. Amicos enim diligere omnium eſt, inimicos autem, ſolorum Chriſtianorum. Luc. 6. 35.

** 3. In inimico diligendo, maior bonitas; in amico, maior elucet Iuſtitia 1. cont. Marc. cap. 23. in p. ad m.*

ALiam illi regulam prætendo; ſicut naturalia, ita rationalia eſſe debere in Deo omnia. Exigo rationem bonitatis: quia nec aliud quid bonum haberi liceat, quod non rationaliter bonum ſit, nedum vt ipſa bonitas irrationalis deprehendatur. Faciliùs malum, cui rationis aliquid adfuerit, pro bono habebitur, quàm vt bonum ratione deſertum, non pro malo iudicetur. Nego rationalem bonitatem Dei Marcionis, iam hoc primò, quod in ſalutem proceſſerit hominis alieni. Scio dicturos: atquin hanc eſſe principalem & perfectam bonitatem, cùm ſine vllo debito familiaritatis, in extraneos voluntaria & libera effunditur, ſecundùm quam, inimicos quoque noſtros & hoc nomine iam extraneos diligere iubeamur. Cùm ergo non à primordio hominem reſpexit, à primordio extraneum, ceſſando præiudicauit cum extraneo nihil ſibi eſſe. Cæterùm, diſciplinam diligendi extraneum vel inimicum, anteceſſit præceptum diligendi proximum tanquam teipſum. Quod etſi ex lege Creatoris, & tu quoque illud excipere debebis, vt à Chriſto non deſtructum, ſed potiùs extructum. Nam, quo magis proximum diligas, diligere iuberis inimicum & extraneum. Exaggeratio eſt debitæ bonitatis, exactio indebitæ. Antecedit autem debita indebitam, vt principalis, vt dignior miniſtrâ & comite ſuâ, id eſt, indebitâ. Prior igitur, cùm prima bonitatis ratio ſit, in rem ſuam exhiberi ex iuſtitia; ſecunda autem in alienam, ex redundantia iuſtitiæ ſuper Scribarum & Phariſæorum, quale eſt, ſecundam ei rationem referri, cui deficit prima? non habenti proprium hominem, ac per hoc quoque exiguæ? Porrò, exigua quæ ſuum non habuit, quomodo in alienum redundauit? Exhibe principalem rationem, & tunc vindica ſequentem. Nulla res ſine ordine, rationalis poteſt vindicari; tantò abeſt vt ratio ipſa in aliquo ordinem amittat. Sit nunc & à ſecundo gradu incipiens ratio bonitatis, in extraneum ſcilicet, nec ſecundus illi gradus ratione conſtabit, alio modò deſtructus. Tunc enim rationalis habebitur vel ſecunda in extraneum bonitas, ſi ſine iniuria eius operetur, cuius eſt res. Quamcunque bonitatem, iuſtitia prima efficit rationalem. Sic & in principali gradu rationalis erit, cùm in rem ſuam exhibetur, ſi iuſta ſit. Sic & in extraneum rationalis videri poterit, ſi non ſit iniuſta. Matth. 5. 44. Luc. 6 27. Leuit. 19. 18. Matth. 5. 20. Luc. 11. 39.

Vide V. Vltio.

INIMICORVM DILECTIO. SCHOL. II. III.

DISCIPLINA IVBEMVR. *Profeſsione Chriſtianâ.* PROPRIA BONITAS, *quâ diſtinguimur ab ethnicis.*

3. ILLI. *Marcioni Deum otioſum colenti, & nullius creaturæ opificem, obiicio, eum quem colit non eſſe, nec poſſe dici Deum. Cùm careat proprietatibus naturæ Dei, ſuper omnes intellectuales & rationales naturas, omnia ratione & ordine diſponentis.* EXIGO RATIONEM BONITATIS, *cùm Deus tuus, Marcion, fingatur à te ſummè bonus, vrgeo te vt mihi verâ ratione probes eius bonitatem. Quæ profectò ſi irrationalis eſſe conuincatur, nullatenus bona eſſe concludetur:* NEDVM VT, *pro,* ne ipſa bonitas. HOMINIS ALIENI, *non à ſe, ſed à Deo Creatore aduerſario ſuo conditi, cuius ſaluandi causâ dicebat Marcion, Deum ſuum bonum, miſiſſe in terras Chriſtum ſuum. Nec dicat Marcion in hoc bonitatem Chriſtianis propriam à Chriſto inditam fuiſſe, vt extraneis non tantum, ſed & inimicis benefacere iubeatur.* CESSANDO PRÆIVDICAVIT, *&c. cùm itaque non ab initio mundi, hominem adiuuerit, & tandiu ſuſpenderit influxum ſuæ in hominem bonitatis, ſat magnum nobis præiudicium reliquit, quo cenſeremus hunc Deum hominem pro extraneo habuiſſe, & Dei ſui aduerſarij famulo; cui tamen, ſi bonus adeo fuiſſet, ex ſuperabundanti bonitate occurrere, & ſuccurrere debuiſſet.*

Omniloquium.

A ANTECESSIT PRÆCEPTVM, *&c. Nec dicas Chriſtum Dei tui bonis, inſiſſe quod perfectius eſt, præceptum ſcilicet inimici diligendi. Prius enim Creator in lege veteri inſtit diligi amicum & proximum. Quod Chriſtus vt Filius Dei Creatoris noui, ſuo mandato non ſoluit, ſed implenit. Quantùm enim nos voluit diligere proximum & amicum, qui charitatem extendit vſque ad inimicum.* IN REM SVAM EX IVSTITIA, *tenetur quiſque & ex iuſtitia obligatur, bonitatem ſuam erga ſuos in benefactis oſtendere.* PRIOR IGITVR. *Eſſe debet in proprios ſubditos, ſecundò in alienos.* QVALE EST, *quæ dicere audeat ſecundæ rationem bonitatis referendæ eſſe Deo Marcionis, cui prima non competit? Cùm enim non habeat hominem ad ſe pertinentem iure creationis, exiguam certè bonitatem habet, qui nec habet primam. Et quomodo in hominem Dei ſui aduerſarij abundabit, qui creaturam non habet in quam vel primam & exiguam poſſit exercere?* SIT NVNCET A SECVNDO GRADV. *Demus hoc gratiæ Marcioni exercere, ergo ſit bonitatis inuerſus, incipiat à ſecundo gradu, ſit bonus in extraneum hominem, Dei ſui inimici creaturam. Erit ne rationalis eius bonitas, cùm eam præſtet, inuito & repugnante Deo, ipſius Creatore? Nullus vel lenis bonitas eſſe poteſt ſine ordine rationis, & iuſtitia. Iniuſtum autem eſt & irrationale, ſibi alienum vindicare ſeruum. Iam quod attinet ad amici, vel ini-*

inimici dilectionem; cum ſponſa dicendum eſt. Ordinauit in me charitatem: *& cum ex Aug.* Perfecta charitas, 5. Aug. ſit perfecta iuſtitia, *ordo Charitatis & iuſtitiæ exigit, vt amicũ prius, & bonum diligamus, quàm alienum & malum. Rurſum cùm maior ſit difficultas in amãdo inimico, generoſior eſt charitas quæ & libidinem vltionis vincit; & maior bonitas, Deoque ſimilior, quæ & in remotiſſimos quoſque ſe effundit. Et hæc eſt perfecta & propria bonitas Chriſtianorum in hoc Patri perfecto, eiuſque filio Soli iuſtitiæ, malis vt bonis orienti ſimillimum. Auguſtinus Ser. 59. de temp. directè probat ad mentem Euangelij & Tertulliani propriam & perfectam filiorum Dei bonitatem agnoſci ex dilectione inimicorum.* Filios, *inquit*, & parentes amat latro, amat & leo, 5. Aug. amat & draco, amant & vrſi, amant & lupi. Si enim amantes non diligimus filios aut parentes, peiores leonibus, vel ſupradictis beſtiis ſumus. Si verò amantibus vicem reddimus, adhuc nihil ab iſtis beſtiis differe videmur. Nonne & Publicani hoc faciunt? &c. Nonne & ethnici, &c. erga dilectores ſuos naturâ duce norunt eſſe benefici. Quantò magis vos, quibus vt gradus profeſſionis eximior, ita cura neceſſe eſt ſit veritatis vberior, latiori ſinu delectationis amplecti debetis & non amantes? Nam diligere inimicos Deus præcipit, *hoc eſt quod ait Tertullianus, diſciplinâ iubemur inimicos diligere*, & petulantes humanarum mentium motus, publicę charitatis frangit affectu: non ſolùm iram ab vltione depellens, ſed etiam in amorem mitigans iniurioſi: quia gentium eſt, amantes amare, & commune eſt diligere diligentes, *vt hoc ſit, inquit Tertullianus, bonitas noſtra propria & non communis*, plùs diligendi ſunt inimici quàm amici. Qui enim inimici ſunt, corpori aduerſantur, & animæ præparant ęterna præmia: quia qui carnalia noſtra & terrena rapiunt, cœleſtia nobis & ſpiritalia congregant. Nonne magis diligendus eſt quàm odiendus, qui nobis dat æternas opes &c. Eſtote ergo perfecti ſicut Pater veſter, &c. quis autem hæc facit, niſi plenè perfectéque miſericors, &c. perfectio namque miſericordiæ quâ plurimùm animæ laboranti ſuccurritur, vltra dilectionem inimi- 5. Aug. corum porrigi non poteſt, &c. *& ibidem ſupra*, vt ſitis, *inquit*, filij Patris veſtri, &c. ex illa regula intelligendum eſt quâ Ioannes dixit, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, *ſi his qui credunt, quanto magis his qui diligunt? Maior enim horum eſt charitas*, vnius 6. Aug. enim naturaliter filij Dei qui neſcit omnino peccare, nos poteſtate acceptâ efficimur filij, in quantùm ea quæ ab illo præcipiuntur implemus. Vnde Apoſtolica diſciplina adoptionem appellat, qua in ęternam hæreditatem vocamur, vt cohæredes Chriſti eſſe poſſimus. Filij ergo efficimur generatione ſpirituali, *in ligno Crucis geniti, conformes imaginis eius qui in Cruce pro perſecutoribus erauit*, vt adoptemur in regnum Dei, non tanquam alieni, ſed tanquam ab illo facti & conditi, *& tom. 3. in Enchir. ad Laur. cap. 73. vbi cùm ſupra omnes ſpecies Eleemoſinæ & miſericordiæ corporalis & ſpiritalis deſcripſiſſet, ſic concludit:* Multa itaque ſunt genera eleemoſynarum, quæ cùm faci- 5. Aug. mus, adiuuamur vt dimittantur nobis noſtra peccata: ſed eâ nihil eſt maius, quâ ex corde dimittimus quod in nos quiſque peccauit. Minùs enim magnum eſt, erga eum eſſe beneuolum ſiue etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit: illud multò grandiùs & magnificentiſſimę bonitatis eſt, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt, facit, tu bonum ſemper velis faciaſque cùm poſſis: illius memor exempli, qui in cruce pendens pro ſuis exorat perſecutoribus, ſuoſque admonuit dicens: diligite inimicos veſtros, &c. Sed quoniam perfectorum ſunt iſta filiorum Dei, quo quidem ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, ſecumque agendo luctandoque perducere: tamen quia hoc tam magnum bonum tantæ multitudinis non eſt, quantam credimus exaudiri, cùm in oratione Dominica dicitur, dimitte nobis, &c. proculdubio verba ſponſionis huius implentur, ſi homo qui nondum ita profecit, vt iam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccauit, vt ei dimittat, dimittit ex corde, &c. quiſquis autem roganti, & peccati ſui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo exiſtimet à Domino ſuo peccata dimitti, quoniam mentiri veritas non poteſt, &c. Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Ad tam magnum tonitruum qui non expergiſcitur non dormit, ſed mortuus eſt: & tamen potens eſt ille etiam mortuos ſuſcitare, *& in Pſal. 54.* Si bonus, *inquit*, es, inimicum non habebis niſi ma- Aug. lum. Porrò tibi ea regula bonitatis præfixa eſt, vt imiteris bonitatem Patris tui, qui facit Solem ſuum oriri, &c. Nunquid enim tu habes inimicum, & Deus non habet? tu quidem eum habes inimicum qui tecum creatus eſt, ille verò eum quem creauit, &c. cui omnis inimicus ingratus eſt; ab illo enim habet, quidquid boni habet, &c. tu qui nec Solem potes oriri facere, nec ſuper terras pluere, vnum aliquid ſeruare inimico non potes, vt ſit tibi pax in terra homini bonæ voluntatis? Ergo quoniam hæc tibi dilectionis regula figitur, vt imitans Patrem, diligas inimicum: diligite, inquit, &c. in hoc præcepto quomodo exerceris, ſi nullum inimicum patereris? &c. parcat ergo aliis qui pepercit & tibi: non enim cùm tranſieris, intercludenda eſt via pietatis, &c. *& rurſum ibidem*, cùm aliquid tale patitur Chriſtianus, Aug. non debet facilè velut odio ire in eum à quo patitur, & velle ventum vincere, ſed conuertere ſe ad orationem, ne amittat dilectionem, &c. Quid enim facturus eſt? multa mala dicturus, opprobria iaculaturus in conuicijs ſæuiturus. Sed quid tibi? gaudete inquit, & exultate quonim merces veſtra magna eſt in cœlis. Ille in terra geminat conuicia, tu in cœlo lucra, &c. duos inimicos conſtitute tibi ante oculos: vnum apertum, & alterum occultum: apertum hominem, occultum diabolum, &c. Cùm ergo ſint duo, vnum vide, alterum intellige: vnum dilige, alterum caue. Nanque & inimicus ille quem vides hoc in te vult humiliare vnde vincitur, v.g. ſi diuitiis tuis vincitur, pauperem vult te facere: ſi honore tuo vincitur, humilem te vult facere: ſi viribus tuis vincitur, debilem te vult facere. Ea ergo attendit in te vel deiicere vel auferre, quibus vincitur: & ille occultus inimicus illud tibi vult tollere vnde vincitur. Homo enim hominem vincis humanâ fœlicitate: diabolum autem vincis inimici dilectione. Quomodo ergo homo ambit auferre tibi & detruncare, aut auertere fœlicitatem quâ vincitur: ſic & diabolus hominem vult vincere, auferendo vnde vincitur. Sed cura in corde ſeruare inimici dilectionem, quâ diabolum vincis. Sæuiat homo quantùm poteſt, auferat quidquid poteſt: ſi diligitur apertè ſæuiens, victus eſt occultè ſæuiens. *O victoria perfecta charitatis, quæ triumphat de viſibilibus & inuiſibilibus inimicis.*

IOANNES BAPTISTA.

1. Ioannes Baptiſta præcurſor Chriſti Creatoris, non ſubitò, ſed prædictus venit; cuius diſciplinam & ieiunia Chriſtus approbauit. 4. cont. Marc. cap. 11. à p. ad m.

VNde autem & Ioannes venit in medium? Subitò Chriſtus, ſubitò & Ioannes. Sic ſunt omnia apud Marcionem, quæ ſuum & plenum habent ordinem apud Creatorem. Sed de Ioanne, cetera alibi. Ad preſentes quoſque articulos reſpondendum eſt. Nunc illud tuebor, vt demonſtrem & Ioannem Chriſto, & Chriſtum Ioanni conuenire, vtique Prophetæ Creatoris, quà Chriſtum Creatoris; atque ita erubeſcat hæreticus, Ioannis ordinem fruſtra fruſtratus. Si enim nihil omnino adminiſtraſſet Ioannes, ſecundùm Eſaïam vociferator in ſolitudinem, & præparator viarum Dominicarum, per denuntiationem & laudationem pœnitentiæ; ſi non etiam ipſum inter ceteros tinxiſſet, nemo diſcipulos Chriſti manducantes & bibentes, ad formam diſcipulorum Ioannis, aſſiduè ieiunantium & orantium prouocaſſet: quia ſi qua diuerſitas ſtaret inter Chriſtum & Ioannem, & gregem vtriuſque, nulla eſſet comparationis exactio, vacaret prouocationis intentio. Nemo enim miraretur, & nemo torqueretur, ſi diuerſæ diuinitatis æmulæ prædicationes, de diſciplinis quoque inter ſe non conuenirent, non cõuenientes priùs de auctoritatibus diſciplinarum: adeo Ioannis erat Chriſtus, & Ioannes Chriſti; ambo Creatoris, & ambo de Lege & Prophetis, prædicatores & magiſtri. Sed & Chriſtus reieciſſet Ioannis diſciplinam, vt Dei alterius; & diſcipulos defendiſſet, vt meritò, aliter incedentes, aliam ſcilicet & contrariam initiatos diuinitatem. At nunc humiliter reddens rationem, [a] *quòd non poſſent ieiunare filij ſponſi, quamdiu cum eis eſſet ſponſus; poſteà verò ieiunaturos promittens, cùm ablatus ab eis ſponſus eſſet*; nec diſcipulos defendit, ſed potiùs excuſauit, quaſi non ſine ratione reprehenſos; nec Ioannis reiecit diſciplinam, ſed magis conceſſit, tempori Ioannis eam præſtans, vt tempori ſuo eam deſtinans; reiecturus alioquin eam, & defenſurus æmulos eius, ſi non ipſius fuiſſet iam quæ erat.

Iſa. 40. 3. Matth. 3. 1. & 2. Luc. 5. 33.

[a] Luc. 5. 34.

IOANNES BAPTISTA. SCHOL. I.

VNDE. *niſi à Deo? dicente Euangeliſtâ de Baptiſtâ:* fuit homo miſſus à Deo cui nomen erat Ioannes. IN MEDIVM. *Statim proſiliens, in ætate perfecta, in Iordane prædicans Baptiſmum pœnitentiæ, & Chriſtum baptizans inter cæteros: quem Chryſol. dixit:* Dei teſtem, & medium totius Trinitatis. *Qui & de vero mediatore diceret:* Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. SVBITO CHRISTVS. *Quem ideo noſter auctor vocat Eperchomenem hoc eſt ſubitò aduenientem.* SVBITO ET IOANNES. *Cuius conceptum & natalem, vt & Chriſti de induſtria præterit Marcion, vt præcurſor Regi reſponderet.* APVD MARCIONEM. *In Euangelio Lucæ primis capitibus à Marcione truncato.* QVÆ SVVM. *Sapienter diſpoſitum.* PLENVM, *abſque vlla mutilatione, in nouo Teſtamento, quod vt vetus, eiuſdem eſt Dei Creatoris.* ORDINEM. *Vt primò conceptio, deinde natiuitas, & ſic reliqua vitæ ſeries Chriſti, & Ioannis, ordinatè deſcribantur.* QVA CHRISTVM CREATORIS, *in quantùm Chriſtus eſt Filius Dei Creatoris, ſummâ ſapientiâ cuncta ordine diſponentis, debuit habere congruum ſibi præcurſorem; & non ſubitò aduenticium. Vt vel inde de confuſo ordine erubeſcat Marcion.* ADMINISTRASSET. *Nihil Chriſto procuraſſet qui à veteri teſtamento apud Eſaiam cap. 40. dicitur.* Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei, *apud 70. non habetur in ſolitudine*, omnis vallis exaltabitur, 70. *implebitur*, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, & aſpera in vias planas. 70. *in campos*, & reuelabitur gloria Domini & videbit omnis caro pariter quòd os Domini loquutum eſt. *Verbum ſcilicet Patris, Filium, in quo nouiſſimè nobis loquutus eſt.* 70. *autem*, ſalutare Dei: quia Dominus loquutus eſt. PER DENVNTIATIONEM. *Matth. 3. 2.* Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. & *Luc. 3. 3.* Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum: ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Iſaiæ Prophetæ: vox clamantis, &c. *Et hic rurſum eſt ordo Creatoris, vt priùs in veteri propheтauerit, quod impleturus erat in nouo Teſtamento.* ETIAM IPSVM TINXISSET, *Chriſtum baptizaſſet.* AD FORMAM DISCIPVLORVM. *Sic Luc. 5. 33.* Quare Diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt? quibus ipſe ait: *non graviter increpans; quid feciſſet, ſi Ioannes à Propheta Creatoris prædictus, alterius Dei, quàm Patris ſui Creatoris cultor fuiſſet, quem & ſolum Phariſæi Deum colebant: ſed ſuaviter excuſauit dicens:* nunquid poteſtis filios ſponſi dum cum illis eſt ſponſus, facere ieiunare? DIVERSITAS STARET, *ſi Chriſtus & Ioannes alium Deum agnoſcerent quàm Creatorem, Iudæi non exegiſſent à Chriſto ſimilitudinem eorum in vtriuſque Diſcipulis, & fruſtra vos ad illorum imitationem obſtringere voluiſſent.* ÆMVLÆ PRÆDICATIONES, *aduerſæ & contrariæ, & Deos aduerſos prædicantes.* DE AVCTORITATIBVS. *Auctoribus.* IOANNIS ERAT. *Magiſter & Dominus.* PRÆDICATORES. *Plurale pro ſingulari.* DEFENDISSET. *Maiori Zelo, & verborum etiam aliquâ acerbitate, ſicut & ve Scribis & Phariſæis ſæpiùs imprecatus eſt.* INITIATOS, *profitentes fidem diuerſam.* SI NON IPSIVS. *Chriſti ſcilicet & Patris eius Dei Creatoris. Quod Ioannes à Deo miſſus ſit, ſic Auguſtinus ediſſerit tract. 2. in cap. 1. Ioan.* Non, *inquit, de Chriſto Dei Verbo loquens,* ſecundùm id quod Deus eſt, aut venit, aut diſcedit, cùm ſit vbique præſens, & nullo loco contineatur. Sed ſecundùm quid venit? quòd apparuit homo: quia ergo ſic erat homo vt haberet in illo Deus, miſſus eſt ante illum magnus homo, per cuius teſtimonium inueniretur pluſquam homo: Et quis eſt hic? Fuit homo. Et quomodo poſſet iſte verum de Deo dicere, niſi miſſus à Deo? quid vocabatur? Ioannes. Cui nomen erat Ioannes. *et tract. 5. in idem caput:* qui, *inquit,*

S. Aug.

S.Aug. loquitur mendacium, de suo loquitur. Ioan. 8. Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quid autem homo habet veritatis & iustitiæ, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, & in hac peregrinatione interim consolati, ne deficiamus in via, venire ad eius requiem satietatemque possimus. Si ergo qui loquitur mendacium, de suo loquitur; qui loquitur veritatem, de Deo loquitur. Verax Ioannes, veritas Christus; verax Ioannes, sed omnis verax à veritate verax est. Si ergo verax Ioannes, & verax esse homo non potest, nisi à veritate: à quo erat verax, nisi ab eo qui dixit, ego sum veritas? Non ergo posset dicere, *testimonium*, aut veritas contra veracem, aut verax contra veritatem. Veracem veritas misit, & ideo verax erat, quoniam à veritate missus erat. Si veritas Ioannem miserat, Christus eum miserat: sed quod Christus cum Patre fecit, Pater fecit; & quod Pater cum Christo facit, Chri-
S.Aug. stus facit; &c. *De ordine autem huius hominis à Deo missi serm.* 20. *de Sanctis*: pro hac, *inquit*, absque dubio causa, quia per hanc, *natiuitatem Ioannis*, Dominus aduentum suum, ne subitò homines insperatum non agnoscerent, voluit esse testatum. *Similiter cum Christo annuntiatus, & sanctum natus. Ita eodem*
S.Aug. *sermone*, Iam *inquit*, illud quantæ gloriæ est, quod Zachariæ Sacerdoti seni, & Elizabeth sterili, à Gabriele, id est ab illo Angelo promittitur, à quo Mariæ natiuitas Domini nuntiatur; & quasi ex aliquo similis Domini præmittitur, filius sterilis, ante filium Virginis; Nescio quod maius miraculum ipsâ natiuitate declarans. Insperatâ prole sterilitas muneratur: quia nouo partu erat muneranda & ditanda virginitas. Præmittitur ante Iesum Christum Ioannes, quasi testamentum vetus, ante nouum, vt dies diei eructet verbum, & Sacramentorum obscura profunditas, euidentioribus nouæ doctrinæ mysteriis reueletur. Præmittitur ergo lucerna ante Solem, seruus ante Dominum, amicus ante sponsum, præco ante iudicem, vox ante Verbum. Et ideo de se dicit, A ego vox clamantis, in deserto. Quid est quod beatus Ioannes vocem se esse dixit? id est, quia Verbi annuntiator & prædicator erat. Hic iam solicitè requiramus, quid inter verbum sit, & vocem. Scripturæ sanctæ Verbum esse definiunt, quod intra animi silentium mente concipimus: verbum esse definiunt ipsam cogitationem, quę adhuc intra conscientię secreta retinetur: vocem verò per quam verbum profertur in medium. Vox sonus est index cogitationis, verbum verò ipsa cogitatio. Sicut enim quando verbum corde concipimus, necessaria est vox, quasi quoddam vehiculum verbi; & quamlibet verbum ipsum per oris sonum ad alium transferamus, tamen illud integrum etiam intra nos, id est, clausum, à loquente transfertur, vt tamen in sua sede teneatur: B ita & omnipotens Pater innotescere nobis volens, Sapientiam, & Verbum illud quod in principio erat Deus apud Deum, sicut ipse testatur; eructauit cor meum Verbum bonum, Beatum Ioannem quasi vocem, per quam ad nos Verbum suum proferret, assumpsit. Quod quidem Verbum de illa sede ita ad nos descendit, vt in sinu, id est in profundo paterni pectoris permaneret, terrena visitans, & cælestia non relinquens. Hanc itaque gloriam B. Ioannes Baptista, non de longinquo, sicut reliqui Prophetæ, sed vicinus & proximus antecessit. *Vox praterea fuit clamans in deserto, & prædicans pœnitentiam Augustino exponente, eodem Sermone à principio.* Vacua, *in-* Aug.
quit, timore Dei pectora, & Spiritu sancto carentia, C deserto squallentis eremi comparantur. Desertus enim erat hic mundus ab omni cultura fidei, & timoris Dei: & peccatorum spinis obsitus squalebat tanquam ager incultus, & nullam penitus bonorum operum fœcunditatem attulerat, nullum imbrem gratiæ spiritualis acceperat. Mittitur ß Ioannes, qui eum propheticâ & Apostolicâ prædicatione, annuntiando pœnitentiam, quasi rudem campum proscinderet, fœcundaret & excoleret, diuini Verbi seminibus impleret, & ad maturam frugem, id est ad regenerationis gratiam præpararet.

2. *Ioannes Baptista, finis legis veteris, cuius aspera, in legis noue mansuetudinem explanauit. 5. Cont. Marc. cap. 3. in m.*

a Luc. 3. 4. Esa. 40. 3. & seqq. DEstrui autem lex habuit, ex quo vox Ioannis clamauit in eremo, a *Parate viae Domini, vt fierent riui & colles & montes repleti & humiliati, & tortuosa & aspera in rectitudinem & in campos*, id est, Legis difficultates, in Euangelij facilitates.

3. *Ioannes Baptista, limes vtriusque testamenti. 4. cont. Marc. cap. 33. circa f.*

b Luc. 16. 16. b *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*, ex quo regnum Dei annuntiatur. Quasi non & nos limitem quendam agnoscamus Ioannem constitutum inter vetera & noua, ad quem desineret Iudaismus, & à quo inciperet Christianismus: non tamen vt ab alia virtute facta sit sedatio Legis & Prophetarum, & initiatio Euangelij, in quo est Dei regnum, Christus
Esa. 43. 18. Malach. 3. 1. ipse. Nam etsi probauimus & vetera transitura, & noua successura prædicari à Creatore; si & Ioannes antecursor & præparator ostenditur viarum Domini, Euangelium superducturi, & regnum Dei promulgaturi; & ex hoc iam quòd Ioannes venit; ipse erit Christus, qui Ioannem erat subsecuturus, vt antecursorem; & si desierunt vetera, & cœperunt noua interstitè Ioanne, non erit mirum quod ex dispositione est Creatoris, vt aliunde magis probetur, quàm ex Legis & Prophetarum in Ioannem occasu, & exinde ortu, regnum Dei.

4. *Et 5. cont. Marc. cap. 2. à p.*

Esa. 43. 18. a Luc. 16. 16. QVòd si Creator quidem vetera cessura promisit, nouis scilicet orituris; Christus verò tempus distinctionis istius, a *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*, terminum in Ioanne statuens inter vtrumque ordinem, desinentium exinde veterum, & incipientium nouorum:

necessariè & Apostolus in Christo post Ioannem reuelato vetera infirmat, noua verò confirmat: atque ita non alterius Dei fidem curat quàm Creatoris, apud quem & vetera decessura prædicabantur. 2. Co. 5. 17.

IOANNES BAPTISTA FINIS LEGIS. SCHOL. II. III. IV.

DESTRVI HABVIT. *Debuit aboleri, tam quoad veteres cæremonias, quàm quoad Christi venturi Prophetias, quibus impletis, & Ioanne digito Agnum figuratum olim monstrante, nihil vltra Prophetia expectandum erat.* VT FIERENT RIVI REPLETI, *id est valles, in quibus riui decurrere solent.* Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. *Vide suprà expositum.* EVANGELII FACILITATES, *inquo, pro tot legibus onerosis,* onus leue, & iugum suaue, *dilectionis Dei & proximi impositum est,*

3. REGNVM DEI. *Dum Ioannes ait:* pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, *quod antea longè remotum erat: terra enim sola promittebatur Hebræis viuis, mortuis autem non adhuc patebat cœlum, sed tantùm sinus Abrahæ in inferis. Ab Aduentu autem & Prædicatione Ioannis, ad quem vsque tanquam limitem lex & Prophetæ viguerunt, iam vt Christus ait:* regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, *qui sibi suisque vitiis vim inferunt,* faciuntque fructus dignos pœnitentiæ, *cuius merito,* appropinquat regnum cœlorum, *vel, anima purgata eidem regno appropinquat;* quo nihil intrat coinquinatum, *sicque, vt iam,* non regnante peccato in nostro mortali corpore, *regnet Deus in nobis.* QVASI NON ET NOS. *Hic respondet Marcioni obicienti, legem veterem malam à Christo Dei sui noui filio destructam, iam ab ipso Ioanne prædicante defecisse. Nihil igitur,* inquit, *noui nobis obicies, ô Marcion, nam & nos Dei Creatoris cultores agnoscimus Ioannem, veluti medium limitem inter vtramque legem, à Deo nostro positum, vt terminus esset veteris, & initium noui.* AB ALIA VIRTVTE, *ab alio principio, ab altero Deo. Idem quippe vnus Creator, vt cessare voluit veterem, ordinauit inchoare nouam, in qua per regnum Dei, nihil aliud intelligendum est quàm ipsum Verbum Patris Incarnatum, Christus enim,* in quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter, *ipse est regnum & gloria Patris,* in quo benè sibi complacuit, *de quo verissimum est dicere:* Gloria Patris, Filius sapiens. VETERA TRANSIVRA *Sicut alibi vidimus Isaiæ 43. 18.* Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea; ponam in deserto viam, & in inuio flumina. SVPERDVCTVRI. *Legi veteri præposituri, vacuas rimas vmbras implendo.* INTERSTITE, *intermedio.* IN IOANNEM OCCASV. *Lex enim velut luna,* vnde & cornuta fuit facies Moysi, *ecclipsim passa Ioanne velut lucifero præeunte solis iustitiæ ortum, & statim cum eo ortiturum Dei regnum. Quæ dispositio non alteri Deo quàm Creatori debet tribui, qui eam in lege sua, & Prophetis delineatam prædixerat.*

4. VETERA CESSVRA. *Decessura, abroganda. Vide Scholium præcedens.* DISTINCTIONIS. *Separationis, vel differentiæ nouæ & veteris legis, non ad inducendam, vt voluit Marcion, duorum Deorum diuersitatem, sed ad differentiam legis gratiæ, longè perfectioris à veteri, vt res distat à figura.* IN CHRISTO INFIRMAT. In quo, *inquit,* lex infirmabatur, *& rursum:* Nihil ad perfectum adduxit lex, *& iterum:* In Christo nec præputium nec circumcisio aliquid valet; sed noua creatura, *& Epist. ad Gal. frequenter veterem legem vult cessare, nouâ introductâ.* FIDEM CVRAT. *Tuetur, & profitetur vnicum Deum Creatorem vtriusque legis autorem, qui in veteri nouam per suos Prophetas successuram esse prædixit. Sic enim 2. Cor. 5. 17.* Si quæ ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt: *Syr. perierunt.* Ecce sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo qui nos reconciliauit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis, *translat. Syr. adhuc expressius, testatur ab eodem Deo factum esse à veteribus ad noua transitum:* & facta sunt omnia noua à Deo ipso, *de Ioanne medio & interstite limite, Augustinus Sermone 20. de Sanctis.* Hic, *inquit,* est S Aug. ille noui & veteris testamenti idoneus Mediator, & glorioso agni dignus offensor: qui Dominum suum, & annuntiare vno tempore meruit, & videre, vna eademque suæ natiuitatis ætate, & noua incipiens, & vetera concludens, *& to. 4. libro 83. qq. quæstione 78* Ioannes Baptista, *inquit;* considerata Scripturâ quæ de illo in Euangelio legitur, multis probabilibus documentis non absurdè creditur Prophetiæ S Aug. gestare personam, & eo maxime, quod de illo Dominus dicit, plusquam Propheta. Hic siquidem totius Prophetiæ quę ab exordio generis humani vsque ad Aduentum Domini de Domino facta est, imaginem gestat. Est autem Euangelij persona in ipso Domino, quę per Prophetiam prænuntiabatur, cuius augetur prædicatio per vniuersum orbem terrarum ab ipso Domini aduentu: Prophetia autem minuitur, postquam id quod prænuntiabat, aduenit. Itaque Dominus dicit, lex & Prophetæ vsque ad Ioannem Baptistam, ab hinc regnum Dei prędicatur. Et Ioannes ipse illum, *inquit,* oportet crescere, me autem minui. Quod & diebus quibus nati sunt, & mortibus quibus passi sunt, figuratum est. Nascitur namque Ioannes, ex quo dies incipiunt minui: Nascitur Dominus, ex quo dies incipiunt crescere. Capite ille minuitur, dum occiditur; hic vero attollitur in Cruce. Postquam ergo Prophetia ipsa in Ioanne constituta digito ostendit prędictum, quem venturum ab exordio generis humani cecinerat, incipit minui, atque inde crescere prędicatio regni Dei, & ideo baptizauit Ioannes in pœnitentiam: finitur enim vetus vita vsque ad pœnitentiam, atque inde incipit noua.

5. *Ioannes Baptista, quomodo confundat Hilar. De An. cap. 35. in f.*

SPecto huiusmodi hæreticos, Heliæ quoque imaginem exemplum, tanquam in Ioanne repræsentati, vt metempsychosi patrocinentur, prænuncio Domini: a *Helias iam venit, & non cognouerunt eum.* Et alibi, b *Et si vultis audire, hic est Helias qui venturus est.* Nunquid ergo & Iudæi ex opinione Pythagorica consulebant Ioannem, *Tu es Helias?* & non ex prædicatione diuina, c *Et ecce mittam vobis Heliam Thesbiten?* Sed enim metempsychosis illorum, reuocatio est animæ iam pridem morte functæ, & in aliud corpus iteratæ. Helias au-

a Matth. 17. 12.
b Matth. 11. 14.
Ioan. 1. 21.
c Malach. 4. 5.

Digitized by Google

4 Reg.2. 11.&12. tem non ex deceſſione vitæ, ſed ex tranſlatione venturus eſt; nec corpori reſtituendus, de quo non eſt exemptus; ſed mundo reddendus, de quo eſt tranſlatus; non ex poſtliminio vitæ, ſed ex ſupplemento prophetiæ; idem & ipſe, & ſui nominis & ſui hominis. Sed quo-
d Luc.1.17. modo Helias Ioannes? Habes Angeli vocem, d *Et ipſe*, inquit, *præcedet coram populo in virtute & ſpiritu Heliæ*, non in anima eius, nec in carne. Hæ enim ſubſtantiæ ſui cuiuſque ſunt hominis. Spiritus verò & virtus extrinſecus conferuntur ex Dei gratia, ita & transferri in
Num.11. 17. alterum poſſunt ex Dei voluntate, vt factum eſt retrò de Moſis ſpiritu.

IOANNES BAPTISTA SCHOL. V.

SPERO HVIVSMODI HÆRETICOS. *Expecto*, inquit, *Carpocratem, Baſilidem eorumque Diſcipulos, Pythagoræ ſectatores, ſuam Metempſycoſim probaturos ex Chriſti verbis, dicentis Eliam iam veniſſe.* NVMQVID ET IVDÆI. *Nonne etiam dicent huiuſmodi hæretici, contra quos ſcripſit Irenæus lib.1. cap.24. & lib.2. cap.58. Clem. Alex. 4. Strom. Hieron. in Epiſt. ad Anitum ſicut Auguſt. contra Platonicos lib.10. de ciuit. cap.30. Tanquam Pythagorici & non potius in prædictione Prophetica Malachiæ fundati, Ioannem interrogauerunt dicentes.* Helias es tu? *Iuxta Malach.4.*
S.Aug. 5. Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram Anathematè, 70. *paulo aliter*, & ecce ego mittam vobis Heliam Thesbiten, antequam veniat dies Domini magna & illuſtris; qui conuertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ſuum: ne fortè veniam, & percutiam terram penitùs. MORTE FVNCTÆ, *primo de corpore egreſſæ.* ITERATÆ, *reuolutæ.* EXEMPTVS, *egreſſus.* SVPPLEMENTO PROPHETIÆ. *Prædicatio enim eius ſuſpenſa fuit per tranſlationem, quam terris reditu continuabit.* SVI HOMINIS. *Idem ipſe qui tranſlatus fuerat, conuerſationis hominum reddendus.* HABES ANGELI VOCEM. *Luc.*1.17. Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum; parare Domino plebem perfectam. FACTVM EST RETRO, *vt longè antea tranſtulit Deus de ſpiritu Moyſi, num.*11. 17. *vbi de*70. *ſenibus Iſrael ducendis ad oſtium tabernaculi.* Deſcendam & loquar ubi: & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, *tranſlat. Chald. augebo de ſpiritu qui eſt ſuper te, & ponam ſuper eos*, vt ſuſtentent tecum onus populi, 70. *tecum imperium populi*, S.Aug. & non tu ſolus grauetis. *Auguſtinus tract.4. in cap.*1. *Ioannis*: Quomodo, *inquit*, comparabimus dicta A præconis cum dictis iudicis? Ioannes interrogatus ſic ſe confeſſus eſt Heliam non eſſe, quomodo nec Chriſtum eſſe, &c. Dominus Ieſus Chriſtus dixit, Helias iam venit, & ipſe eſt Ioannes Baptiſta, &c. quare ergo ille, non ſum Helias, & Dominus, ipſe eſt Helias? Quia in eo Dominus Ieſus Chriſtus voluit præfigurare futurum aduentum ſuum, & hoc dicere quia in ſpiritu Heliæ erat Ioannes. Et quod erat Ioannes ad primum aduentum, hoc erat Helias ad ſecundum aduentum. Quomodo duo aduentus iudicis, ſic duo præcones. Iudex quidem ipſe; præcones autem duo, non duo iudices. Oportebat autem iudicem primò venire iudicandum. Miſit ante ſe primũ præconem, vocauit illũ Heliam: quia hoc erit in ſecũdo aduẽtu Helias, quod in primo Ioannes, B &c. Si figuram præcurſionis aduertas, Ioãnes ipſe eſt Helias, &c. Si proprietatem perſonæ interroges, Ioãnes, Ioannes; Helias, Helias eſt: Dominus ergo ad præfigurationem rectè, ipſe eſt Helias: Ioannes autem ad proprietatem, non ſum Helias, &c. obſeruate humilem ante quem venit Ioannes, ne ſentiatis excelſum, ante quem venturus eſt Helias, *& to.*3. *lib.*1. *de Trinit. cap.*14. Aliud eſt, *inquit*, quod accepimus vt eſſemus, aliud quod accepimus, vt ſancti Aug. eſſemus. Vnde ſcriptum eſt & de Ioanne, quod in ſpiritu & virtute Heliæ veniret: dictus eſt Heliæ ſpiritus, ſcilicet Spiritus ſanctus quem accepit Helias. C Hoc & de Moyſe intelligendum eſt cùm ait ei Dominus, tollam de Spiritu tuo & dabo eis: hoc eſt dabo illis de Spiritu ſancto quem iam tibi dedi. *Non quòd immunuta fuerit Spiritui ſancti gratia in Moyſe, vel multominus quòd in plures diſpoſita ſimulq; ſons ipſe gratiæ infinitus poſſit exhaurire, cùm nec mare vacuetur fluuiorum multitudine, nec aër reſpiratione animalium, vel Sol oculorum lucis eius participum numero. Sed quaſi Deus de ſuo infinito theſauro tollere hoc eſt depromere vellet, in alios quoque gratiam ſuam effuſurus.*

6. *Ioannes Baptiſta, lucerna & Angelus eſt. conf. Iud. cap.* 9. *à m.*

Marc.1.2. Luc.7.27. a Pſal.131. 17. b Ioan.5. 35. Ioan.1.22. & 23. Exo.12 5.6. & ſeqq. IDem Ioannes non tantùm Angelus Chriſti vocatus eſt, ſed & lucerna, lucens ante Chriſtum. a *Paraui enim lucernam Chriſto meo*, Dauid prædicat. Quare ipſe Chriſtus veniens adimplere Propheras, dicit ad Iudæos: b *Ille fuit*, inquit, *lucerna ardens & lucens*: vt pote, qui non tantùm mas eius parabatin eremo, ſed & agnum Dei demonſtrando, illuminabat mentes hominum prædonio ſuo, vt eum eſſe intelligerent agnum, quem Moyſes paſſurum nuntiabat.

7. *Ioannes Baptiſta, clauſula Prophetarum, & Angelus, addictus eſt ſaltatrici. Scorp. cap.* 8. *à p.*

Matt.6.17. & 28. IPſe clauſula Legis & Prophetarum, nec Propheta, ſed angelus dictus, contumelioſa cede truncatur in puellæ ſaltatricis hunc.

IOANNES BAPTISTA. SCHOL. VI. & VII.

ANGELVS CHRISTI. *Matt.* 1.2. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. *Auguſt. to.*4. *libro* 1. *quæſt. in Geneſim quæſt.* 3. De homine Ioanne ſcriptum eſt, ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. LVCERNA. *Pſal.*131. *verſu penultimo de*

quo nihil Auguſtinus ibi, ſed tract 5. in caput 1. Ioan.
Aug. confuſi ſunt, *inquit*, inimici. Vnde? de lucerna. Quis erat lucerna? Ioannes. Probemus quia lucerna erat. Probamus, Dominus enim dicit, ille erat lucerna ardens & lucens Probamus quia & de ipſo confuſi ſunt inimici. Pſalmum audi: paraui, inquit, lucernam Chriſto meo, inimicos eius induam confuſione. Adhuc in huius vitę tenebris ad lucernam fidei ambulamus: teneamus & nos lucernam Ioannem, confundamus & inde inimicos Chriſti. Imo ipſe confundat inimicos ſuos per lucernam ſuam, &
Aug. *Ser. 20. de ſanctis*: ille erat lucerna ardens, id eſt Spiritus ſancti igne ſuccenſus, vt mundo ignorantiæ nocte poſſeſſo lumen ſaluris oſtenderet, & quaſi inter denſiſſimas delictorum tenebras ſplendidiſſimum iuſtitiæ Solem, lucis ſuæ radio demonſtraret. MOYSES PASSVRVM. *in Agno Paſchali figuratum.*

7. CLAVSVLA. *Vide dicta in precedentibus numero 2. 3. & 4.* NEC PROPHETES. *Non tantùm Propheta, ſed & Angelus dictus eſt.* CONTVMELIOSA CÆDE, *morte ignominioſâ, vt caput maioris inter filios hominum, & Virginis, Angeli, fuerit additum in præmium ſaltatricis.* LVCAR, *eſt pecunia quæ colligebatur in locis ſacris Deorum cultui, ſic dictis per antiphraſim, quòd præopacitate arborum non lucerent, Solis radiis impermia, & præ cæteris diis deabuſque, Veneri ſacra erant Luci. Vnde & Propheta genti Hebreæ fornicationi ſpirituali idololatriæ, addicta exprobrat*; Sub omni ligno frondoſo, & in omni colle ſublimi, tu proſternebaris meretrix: fornicata es cum amatoribus multis, mœchata es cum lapide & ligno. *Notat inſuper Auguſti-*
Aug. *nus, de ciuitate Dei, Lucernam inextinguibilem ante templum Veneris conſtitutam, ſive ex Aveſton lapide, ſive arte dæmonum ſemper quacumque tempeſtate, & vento, vel pluuiâ, ardentem. In lucar ergo ſaltatricis & Cantatricis puellæ, Herodiadis adulteræ, lucerna ardens & lucens omni gemmâ pretioſior traditur, & Angelus impudica. Ser. 22. de ſanctis, Auguſtinus eum Angelum pluries vocat, vbi de Elizabeth ſterili:*
Aug. mundabatur, *inquit*, longo tempore ſacrificij domus, ſanctitatis hoſpitium, metatum, *locus & diuerſoriam à Deo Ioanni deſtinatum*, metatoris Chriſti, Angeli domicilium, aula Spiritus ſancti, Dei templum, &c. denique vbi tota corporis ſedata eſt querela, *motus carnis annos à ſterilitate compoſiti*, vox ſterilitatis fugit, reuiuiſcit ſenectus, fides concipit, parit caſtitas, naſcitur maior homine, par Angelis, tuba cœli, præco Chriſti, arcanum Patris, filij nuntius, ſignifer ſuperni Regis, peccatorum venia, *quam prædicabat à Chriſto dandam*, Iudæorum correctio, vocatio gentium, & vt propriè dicam legis & gratię fibula, quæ diploidem, *veſtem duplicem vtriuſque naturæ in Chriſto* ſummi Sacerdotis, ſancto Patri iungebat in corpore, &c. *& Ser. 1. de decollatione.*
Aug. Agnoſce, *inquit*, magnificentiam laudis ex dignitate laudantis, ac ſic dum nemo illo eſſe maior aſſeritur in natis mulierum, datur intelligi quòd Ioannes ſupra humanorum fuit menſuram meritorum. Ego vox clamantis, &c. hoc eſt dicere, non ſum ergo Verbum quod erat in principio Deus apud Deum, ſed vox potiùs, id eſt miniſter ſum Verbi, vt per me ad auditum hominum ſenſuſque perueniat. *Angelus fuit Ioannes, ſed inter homines homo, miſſus immediatè à Deo, à quo & illuminatus eſt, olemmque & lucens à capitali omnium luverna, ſummo in candelabro omnis Eccleſiæ, terrena & cæleſtis conſtituta, de qua Pſalmus*: Lucerna pedibus meis Verbum tuum, *& rurſus*: quoniam tu illuminans lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas, *de qua Ioannis 1. vbi cùm de Ioanne Baptiſta dixiſſet*: hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine; *& de eodem Auguſt. tract. 2. in Ioannem*; qualis iſte qui teſtimonium perhibet de lumine? S.Aug.
Magnum aliquid iſte Ioannes, ingens meritum, magna gratia, magna celſitudo. Mirare planè, mirare, ſed tanquam montem. Mons autem in tenebris eſt, niſi luce veſtiatur. Ergo tantum mirare Ioannem, vt audias quid ſequatur: non erat ille lumen: ne cùm montem putes lumen eſſe, naufragium in monte facias, non ſolatium inuenias, &c. ergo non erat ille lumen. Quare igitur venit? Vt teſtimonium perhiberet de lumine. Vt quid hoc? vt omnes crederent per illum. *Ô teſtem Dei vnicum, non duobus aut tribus, ſed in omnibus quibus conſtat omne verbum, meliorem; quo ſolo factum eſt vt Andreas primùm, inde Petrus, cæterique Apoſtoli, omnes Iudæi & Gentiles crederent*, & de quo lumine teſtimonium perhiberet? erat lux vera. Quare additum eſt vera? quia & homo illuminatus dicitur lux, ſed vera lux illa quæ illuminat, &c. erat lux vera quæ illuminat, &c. ſi omnem hominem venientem, & ipſum Ioannem. Ipſe ergo illuminabat à quo ſe demonſtrari volebat, *& poſt hæc vir tantus, lucerna, & Angelus*, contumeliosâ morte truncatur, *Chryſologus Serm. 127. à medio.* In arenam, *inquit*, vertitur domus, menſa migrat in cauteam, fiunt de pranſoribus ſpectatores, &c. fit cibus cædes, vinum tranſit in ſanguinem, finis apponitur natali, in ortu exhibetur occaſus, conuiuium in homicidium commutatur, &c. intrat beſtia, non puella; diſcurrit fera, non fœmina; quærit amputare, non ſaltare, &c. *& ibidem in p.* Metator Domini, Dei teſtis, totius medius Trinitatis, datur inceſtui, traditur adulteræ, addicitur ſaltatrici. *Quanta contumelia? imo quanta gloria. Idem ſer. 174. à medio*: Ioannes, *inquit*, venit in ſublimi poſitus, *in diſco pretioſo portatus*, vt lucerna ſuper candelabrum tenebras vt fugaret, venit Ioannes vt iudex in tribunali reſplendens, vt qui arguit adulterum, exponeret & damnaret homicidam, *& Auguſt. Serm. in decollatione eiuſdem*: hic eſt, *inquit*, Ioannes qui impietatem Regis Herodis inuaſerat publicâ authoritate condemnans; propter iuſtitiam perdidit vitam, ſed *qui in lucar pſaltrica traditus fuerat*, lucratus eſt gloriam. Et nos interdum pro gratia hominum vel timore offenſionum, præferimus adulationem & vendimus veritatem.

S.Aug.

S.Aug.

S.Aug.

IOANNES EVANGELISTA.

Ioannis Euangeliſtæ priuilegia. De præſcr. cap. 22. à p.

LAtuit & Ioannem aliquid, dilectiſſimum Domino, pectori eius incubantem, cui ſoli Dominus Iudam traditorem præmonſtrauit, quem loco ſuo filium Mariæ demandauit? quid eos ignoraſſe voluit, quibus etiam gloriam ſuam exhibuit, & Moyſem & Heliam, & inſuper de cœlo Patris vocem? Ioan. 13. 23. & c. 21. 20. Matth. 17. 3. & ſeq.

Ioannes Euangeliſta mortuus eſt. Vide V. Baptiſmi effectus 2. in f.

IOANNES EVANGELISTA. SCHOL.

LATVIT IOANNEM? *Hic breuiter præcipua Ioannis Euangelistæ priuilegia decurrit. Et quidem ex magnis in eum collatis donis, Christo dilectissimus agnoscitur. August. tract. 1. in caput 1. Ioan. montem omnium altissimum vocat, vbi explicat illud Psalm* 71. suscipiant montes pacem populo, *&* 1. *Cor.* 2. contemplati sunt, *inquit*, ipsam sapientiam quantùm humanis cordibus potuit contingi, *loquitur de Apostolis*, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Si in cor hominis non ascendit, quomodo ascendit in cor Ioannis? an non erat homo Ioannes? An forte nec in cor Ioannis ascendit, sed cor Ioannis in eam ascendit. Quod enim ascendit in cor hominis, de imo est ad hominem; quo autem ascendit cor hominis, sursum est ab homine. Etiam sic, fratres, dici potest, quia si ascendit in cor Ioannis, si aliquomodo dici potest, in tantùm ascendit in cor Ioannis, in quantùm Ioannes non erat homo: quid est non erat homo? in quantùm cæperat esse Angelus, &c. *deinde ex* 1. *Cor.* 3. Nonne homines estis? quid eos volebat facere, quibus exprobrabat quia homines erant? vultis nosse quid eos facere volebat? audite in Psalmis: ego dixi dij estis, &c. ergo fratres, de his montibus & Ioannes erat, qui dixit, in principio erat Verbum, &c qualis iste mons erat, quàm excelsus, &c. nisi transcenderet ista omnia quæ creata sunt, non perueniret ad eum per quem facta sunt omnia, *de Ioanne quasi in Deum transformato, sensu aliquo iuxta mentem Augustini præcitati, dici posset:* ascendet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ego dixi dij estis, *quod cor altius eo quod de plenitudine eructat verbum? De eo Deus Pater, tanquam de corde suo sic fatur:* eructauit cor meum Verbum bonum, *quandonam? dum ait:* in principio erat Verbum, &c. *de eodem August. in Psal.* 144. memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. O, *inquit*, epulas fœlices! quid manducabunt qui sic eructabunt? &c. denique ille auidissimus epulator, Ioannes Apostolus, cui non sufficiebat ipsa mensa Domini, nisi discumberet super pectus Domini, & de arcano eius biberet diuina secreta, quid eructauit? In principio erat Verbum, &c. *&* tract. 16. *in cap.* 4. *Ioan.* Melius, *inquit*, me veritatem videbat, qui eam de pectore Domini bibebat. Ipse est enim Ioannes Euangelista, qui inter omnes discipulos super pectus Domini discumbebat, & quem Deus charitatem debens omnibus, tamen præ cæteris diligebat, *&* tract. 36. *in cap.* 8. *Ioan. vbi eum comparat aquilæ.* Huic tantæ sublimitati principij, etiam cætera congrua prædicauit, & de Domini diuinitate, quomodo nullus alius, est locutus. Hoc ructabat quod biberat, &c. de illo ergo pectore in secreto biberat; sed quod in secreto bibit in manifesto eructauit. *Et tract.* 36. *in cap.* 8. *Ioan.* Aquila ipse est Ioannes, sublimium prædicator, & lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator, &c. *denique qui velut cor suum in pectore suo reclinauerat, quid mirum si etiam matrem suam ipsi commiserit? Quod priuilegium non præterit Augustinus tract.* 119. Non, *inquit*, vt famulæ Deus quem creauerat & regebat, sed vt matri homo de qua creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium prouidebat, &c. sic quippe commemorare soleret quòd eum diligebat Iesus, qui vtique omnes, sed ipsum præ cæteris & familiariùs diligebat, ita vt in conuiuio super pectus suum discumbere faceret: Credo vt istius Euangelij quod per eum fuerat prædicaturus, diuinam excellentiam hoc modo altiùs commendaret, &c. *tandem tract.* 124. *in cap.* 21. Sunt, *inquit*, qui senserint, & siquidem non contemptibiles sacri eloquij tractatores à Christo Ioannem Apostolum propterea plùs amatum, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritiâ castissimus vixerit. Hoc quidem in Scripturis canonicis non euidenter apparet, verumtamen id quoque multùm adiuuat congruentiam huiusce sententiæ, quòd illa vita, *beata scilicet futura in resurrectione*, per eum significata est, vbi non erunt nuptiæ.

S.Aug. A B C Aug. Aug. Aug. Aug. Aug. Aug.

IRA.

1. Irasci & non peccare, quid sit. 2. cont. Marc. cap. 19. in m.

Psal. 4.5. IRasci, & non delinquere, id est in ira non perseuerare, siue sæuire.

IRA. SCHOL. I.

IRASCE. *Psal.* 4.5. Irascimini & nolite peccare, *quod exponit author, non imputari iram ad peccatum, si non erumpat vltra primum motum, & supra modum iusta vindicta non sæuiat in proximum. Vel non perseueret, & crescat in odium. & vt ait D. August. in Regula*, trabem non faciat de festuca, & animam faciat homicidam. *Locum porrò Psalteis sic exponit: in Psal.* 4. duobus, *inquit*, modis intelligi potest: aut, etiamsi irascimini, nolite peccare, id est etiamsi surgat motus animi, qui iam propter pœnam peccati non est in potestate, saltem ei non consentiat ratio & mens, quæ intus regenerata est secundùm Deum, vt mente seruiamus legi Dei, si adhuc carne seruimus legi peccati. Rom. 7. aut, agite pœnitentiam, id est irascimini vobis ipsis de præteritis peccatis, & vlteriùs peccare desinite, *&* in *Psal.* 25. Irascimini, *inquit*, & nolite peccare. Si propterea irasceris seruo tuo, quia peccauit, ne & tu ipse pecces, irascere tibi.

S.Aug. S.Aug. S.Aug. Aug.

2. Ira orationem impedit, claudit accessum ad Patrem, arcet altari. De orat. cap. 10. *in p.*

Matth. 5. 23. MEmoria præceptorum viam orationibus sternit ad cœlum, quorum præcipuum est: Ne priùs ascendamus ad Dei altare, quàm si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resoluamus. Quid est enim ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem, cùm omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Nam & Ioseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem: [a] *Et ne*, inquit, *irascimini in via*: nos scilicet monuit. Aliàs enim via cognominatur disciplina nostra. Tum ne in via orationis constituti ad patrem cum ira incedamus. Exinde apertè Dominus amplians legem, iram in fratrem homicidio superponit; ne verbo quidem

Gen. 4. 5. a Gen. 45. 24. Matth. 5. 22.

dem malo permittit expungi; etiam si irascendum est, non vltra solis receptum, vt Apostolus admonet. Quàm autem temerarium est aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem perseuerante iracundiâ perdere! Ephes. 4. 26.

IRA. SCHOL. II.

NE PRIVS ASCENDAMVS. *Alludit ad illud Matth.* 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersùm te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum, *hunc locum perstringit Augustinus sermone 16. de verbis Domini.* Non irascitur, *inquit*, Deus quia differs imponere munus tuum. Te quærit Deus magis quàm munus tuum. Nam si malum animum gerens aduersùs fratrem tuum, veneris cum munere ad Deum tuum, respondet tibi: tu periisti, mihi quid attulisti? offers munus tuum, & tu non es munus Dei: plus quærit Christus quem redemit sanguine suo, quàm quod tu inueneris in horreo tuo. Ergo relinque ibi munus tuum, &c. ecce ille reatus gehennæ quàm citò solutus est, nondum reconciliatus, eras gehennæ reus, reconciliatus securus offers munus tuum ad altare, *& paulò supra*, citò, *inquit*, fecisti mortiferam rem, sed remedium citò inueneris. Quis nostrum speret regnum cœlorum fratres mei, quando dicit Euangelium, qui dixerit fratri suo fatue reus erit gehennę ignis? magnus terror, sed vide ibi remedium; *statim enim immediatè subiicit*, si obtuleris munus tuum ad altare, &c. ABINITIO. *Gen.* 4. 5. Iratus est Cain vehemẽter, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: quare iratus es? & cur concidit facies tua, &c. sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, 70. *aliter*, nonne si rectè offeras, non autem rectè diuidas; *diuisùs à fratre irâ & odio*, peccasti? quiesce, *agere peruersè, in ira noli perseuerare, ad te conuersio eius, & tu principatum habebis ipsius.* IOSEPH. *Gen.* 45. 24. Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus ait: ne irascimini in via. EXINDE AMPLIANS, *deinde Christus legem veterem ad perfectiorem disciplinam extendens.* HOMICIDIO SVPERPONIT. *Non quòd ira sit maius peccatum homicidio, sed quòd hoc in veteri lege prohibito, superaddat quod perfectius est, ira videlicet prohibitionem.* EXPVNGI, *vel sumit pro*, pungi, *quasi vetet ne verbo quidem fratrem & proximum ladi. Vel accipit vt solet, pro* impleri, *ne homicidium hac in parte incipiat implere verbo malo, ex animo malo prolato. Augustinus Ser.* 16. *de verbis Do.* festuca, *inquit*, in oculo ira est; trabes in oculo, odium est, &c. festuca initium trabis est. Nam trabes quando nascitur, priùs festuca est. Rigando festucam, perducis ad trabem. Alendo iram malis suspicionibus, perducis ad odium. Multum autem interest inter peccatum irascentis, & crudelitatem odio habentis, &c. multum aliud est quando quisque irascens in aliquo verbi modum excedit, quod postea deleat pœnitendo; & aliud est seruare insidias inclusas in corde; multum postremo interest inter hæc verba scripturę, turbatus est præ ira oculus meus. De illo autem quid dictum est? qui odit fratrem suum homicida est, multum interest inter turbatum oculum & extinctum. Festuca turbat, trabes extinguit. APOSTOLVS ADMONET, *Ephes.* 4. 26. Sol non occidat super iracundiam vestram. *Augustin. in Psal.* 25. Et si ex humana conditione & infirmitate mortalitatis quam portamus, surrepit ira Christiano, non debet diu teneri, & fieri pridiana. Eiice illam de corde tuo antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux illa inuisibilis. Sed & aliter benè intelligitur, quia est noster Sol iustitiæ, veritas Christus, &c. cuius veritate natura humana illustratur, ad quem gaudent Angeli. hominum enim infirmitate acies cordis, & si trepidant sub radiis eius, ad eum tamen contemplandum per mandata purgantur. Cùm cœperit iste Sol in homine habitare per fidem, non tantum in te valeat iracundia quę in te nascitur. vt occidat super iracundiam tuam, id est deserat Christus mentem tuam, quia non vult habitare Christus cum iracundia tua. Videtur enim quasi ipse à te occidere, cùm ab ipso occidas, quia ira cùm inueterauerit, odium fit: cùm factum fuerit odium, iam homicida est. Omnis enim qui odit fratrem suum homicida est, sicut dicit Ioannes Apostolus. Item ipse dicit, quia omnis qui odit fratem suum, in tenebris manet. Et non mirum si ille in tenebris manet, à quo occidit Sol. *Et quomodo lux cum tenebris, cum ira lenitas, Christus cum diabolo manebit? Apostolo statim subdente:* nolite locum dare diabolo. TEMERARIVM. *Inter tot hostes sine orationis clypeo pugnare.* PERDERE, *quia nullum est eius cum ira perseuerante meritum*, vt inueniatur iniquitas eius ad odium.

Aug. Aug. S. Aug. S. Aug.

3. Irà magis quàm clementiâ erratur. De pudic. cap. 13. à p.

OBscuriùs miseretur, quàm indignatur. Apertior est in austeritate, quàm in lenitate. Atquin facilius ira quàm indulgentia obliqua est. Magis tristiora cunctantur, quàm lætiora.

IRA. SCHOL. III.

OBSCVRIVS. *Tractat de Paulo, qui apertiùs irascitur Corinthio incesto, quàm ei indulget.* ATQVIN FACILIVS, *sibi obicit ex aduersa parte, facilius à recto deuiari per iracundiam, quàm per indulgentiam.* TRISTIORA CVNCTANTVR, *moram trahunt, vel moestitiam inducunt, non tam proni sunt iusti in tristibus, & increpationibus vel pœnis infligendis, quàm in lætis proferendis, & largitionibus impendendis. Ego rotulenum ad iram, qua dum grauior est, cor constringit, & tristitia exarcerat, donec vltionem impleat. Vnde Gen.* 4. 6. *vbi versio* 70 *munus habet*, quare iratus es? *Transtulerunt* 70 *habet*: quare tristis factus es? *Iram definiunt Augustinus lib.* 14. *de Ciuit. cap.* 11. Ipsam, *inquit*, iram nihil aliud esse quàm vlciscendi libidinem veteres definierunt. Quamuis nonnunquam homo, vbi vindictę nullus est sensus, etiam rebus inanimis irascatur, vt malè scribentem stylum collidat, vel calamum frangat iratus. Verum & ista licet irrationabilior, tamen quędam vlciscendi libido est, & nescio quæ, vt ita dixerim quasi vmbra retributionis, vt qui malè faciunt, mala patiantur. S. Aug.

4. Ira & feritas Leonis, manſuetudine cicuratur. De An. cap. 24. à 9.

PLanè obliuiſcetur feritatis Leo, manſuetudinis eruditione præuentus, & cum toto ſuggeſtu iubarum, delicium fiet Berenices alicuius Reginæ, lingua genas eius emaculans. Mores beſtiam relinquent.

IRA. SCHOL. IV.

OBLIVISCETVR FERITATIS. *Mores iracundos deponet Leo cicuratus, aſſueſcet manſuetudini.* SVGGESTVS. *Pompâ & ornatu.* DELICIVM FIET, *inter delicias computabitur, formamque venuſtabit, lingua ſua maculas extergens Berenices Reginæ, Ptolomæi & Arſinoës filiæ. De hoc Leone Ælianus lib. 5. de Animal. cap. 39.* A prima, *inquit*, ætate leo cicur factus, cùm manſuetiſſimus eſt, tum verò eius occurſatio facillima & iucunda, luſionibus delectatur: quiduis, modo id ſuo altori gratum ſentiat, libenter ſuſtinet. Hanno Carthaginenſis, Leonem quo ad vectiones farcinarum vtebatur, habuit. Vnáque cum Berenice manſuefactus Leo viuebat tanquam vnus ex comptoribus; linguaque eius facici blandiebatur: leniter abſtergens ac complanans rugas, demulcebat: cumeaque in menſa conuiuebat, humaniter & aptè comedens. Onomarchus Cataniæ tyrannus, & Cleomenis filius, etiam Leones habuit conuictores. *Quod dixit de lingua Leonis, memoriam reficit verbi Iacobi cap. 3. 7.* Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna, *tranſl. Syr. incendit ſeries genealogiarum, quæ currunt in modum rotarum*, omnis enim natura beſtiarum, *Syr. ferarum, tum maris, tum aridæ*, & volucrum & ſerpentium, & cætetorum, domantur, & domita ſunt à natura humana; linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, *tranſlat. Syr. hoc malum, incoercibile eſt*, plena veneno mortifero, *ô portentum & monſtrum! lingua Leonis emaculat Reginæ faciem, & lingua iracundi totum corpus maculat. Ferarum Regina domatur, & rex omnium animalium homo linguam ſuam domare non poteſt. Hunc locum Iacobi interrogatione Pelagij corruptum notauit Auguſtinus to. 7. lib. de natura & gratia contra Pelag. cap. 15.*
S.Aug. Non mihi, *inquit*, videtur ita intelligendum vt exponere voluit quaſi per exprobrationem dictum: tanquam diceretur; ergone linguam nullus homo domare poteſt? tanquam obiurgans & dicens: domare feras poteſtis, linguam non poteſtis? quaſi facilius ſit linguam domare quàm feras. Non puto quod iſte ſit ſenſus hoc loco. Si enim hoc ſentiri vellet de facilitate domandæ linguæ, cætera ſequerentur, in beſtiarum comparatione. Nunc verò ſequitur, inquietum malum, plena veneno mortifero, vtique nocentiore quàm beſtiarum atque ſerpentum. Nam illud carnem interficit, hoc verò animam, &c. Sed potiùs oſtendens quantum ſit in homine linguæ malum, vt à nullo homine domari poſſit, cùm ab hominibus domentur & beſtiæ. Neque hoc ideo dixit, vt huius in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur; ſed vt ad domandam linguam, diuinæ gratiæ poſcamus auxilium. Non enim ait, linguam nullus domare poteſt: ſed nullus hominum: vt cùm domatur, Dei miſericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur, poſcat auxilium: & oret lingua, vt dometur lingua, domante illo qui dixit ad eos, non enim vos eſtis qui loquimini ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.

A Itaque præcepto facere commonemur, quod conantes, & noſtris viribus non valentes adiutorium diuinum precemur. *Deinde capite ſequenti proſequitur.* Proinde & ipſe, *D. Iacobus*, cùm exaggeraſſet linguæ malum inter hæc dicens, non oportet fratres mei hæc ita fieri, &c. conſummatis his quæ hinc dicebat, quo adiutorio iſta non fierent quę dixit fieri non oportere, &c. quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, &c. hęc eſt ſapientia quæ linguam domat, de ſurſum deſcendens, non ab humano corde proſiliens, an & iſtam quiſquam abrogare audet gratiæ Dei, & eam ſuperbiſſimâ vanitate, ponit in hominis poteſtate? Cur ergo oratur vt accipiatur, ſi ab homine eſt; vt habeatur? an & huic orationi contradicitur, ne fiat in-
B iuria libero arbitrio, quod ſibi ſufficit poſſibilitate naturæ ad implenda omnia præcepta iuſtitię? contradicatur ergo eidem ipſi Apoſtolo Iacobo admonenti & dicenti: ſi quis autem veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: poſtulet autem in fide, nihil hæſitans: hæc eſt fides ad quam præcepta compellunt, vt lex imperet, & fides impetret. Per linguam enim quam nullus hominum domare poteſt, ſed ſapientia deſurſum deſcendens, in multis offendimus omnes, *& Ser. 4. de Verbo Domini, vbi eadem Iacobi verba pertractat.* Homo, *inquit*, domat feram, non domat linguam? domat Leonem, & non refrenat ſermonem? Domat ipſe, & non domat ſeipſum? domat quod timebat, & vt ſe domet, non timet quod timere debebat &c. quid ergo faciemus fratres mei? &c. quid faciemus? qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis: linguam autem nullus hominum domare poteſt, ibunt ergo omnes in gehennam ignis? abſit. Domine refugium tu factus es nobis. Ira tua iuſta eſt, neminem in gehennam mittis iniuſtè, quò ibo à ſpiritu tuo, & à te quò fugiam, niſi ad te? Ergo intelligamus chariſſimi, quia ſi linguam nullus hominum domare poteſt, ad Deum confugiendum eſt, qui domet linguam noſtram, &c. equus non ſe domat, camelus non ſe domat, Elephantus non ſe domat, aſpis non ſe domat, Leo non ſe domat, ſic & homo non ſe domat. Sed vt dometur equus, Leo, &c. quæritur homo: ergo
D Deus quæratur, vt dometur homo. Ergo Domine refugium factus es nobis. Conferimus nos ad te, & benè erit nobis de te; malè eſt enim nobis de nobis: quia dimiſimus te, dimiſiſti nos nobis: inueniamur ergo in te, quia perieramus in nobis, Domine refugium factus es nobis. Quid ergo fratres mei? dubitare debemus, quia manſuetos nos faciet Dominus, ſi nos domandos ei præbeamus? Domuiſti Leonem quem non feciſti, non domat te qui fecit te? vnde enim beſtias tam immanes domare potuiſti? numquid eis æquaris viribus corporis? quâ ergo virtute ingentes beſtias domare potuiſti? &c. fremit Leo, quis non timeat? & tamen vnde te intelligis fortiorem? non corporis virtute, ſed mentis ratione interiore. Fortior es Leone vnde factus es ad imaginem Dei. Imago Dei domat feram, & non domat Deus

Aug.

Aug.

C

imaginem ſuam? in illo ſpes eſt, ei nos ſubdamur, & miſericordiam precemur: in illo ſpem noſtram ponamus, & donec domemur & perdomemur, id eſt perficiamur, domitorem feramus.

IVDÆI.

1. Iudæi relicto Deo vero, ſeruierunt Idolis: Gentiles, relictis Idolis, Deum verum coluerunt. cont. Iud. cap. 1. in f.

SEcundum ſcripturarum diuinarum memorias populus Iudæorum maior, id eſt antiquior, derelicto Deo, idolis ſeruiuit, & diuinitate abrelictà ſimulacris fuit deditus, dicente populo ad Aaron: a *Fac nobis deos qui nos antecedant.* Quod cùm ex monilibus feminarum & annulis virorum aurum fuiſſet igne conflatum, & proceſſiſſet eis bubulum caput, huic figmento vniuerſus Iſraël relicto Deo honorem dederunt, dicentes: *Hi ſunt Dei qui nos eiecerunt de terra Ægypti.* Sic namque poſterioribus temporibus, quibus reges eis imperabant, & cum Hieroboam vaccas aureas & lucos colebant, & Bahali ſe mancipabant: vnde probatur eos ſemper idololatriæ crimine reos deſignatos ex inſtrumento diuinarum ſcripturarum. Noſter verò populus minor, id eſt poſterior, relictis idolis quibus antè deſeruiebat, ad eundem Deum conuerſus eſt, à quo Iſraël, vt ſuprà memorauimus, abſceſſerat. Sic namque populus minor, id eſt poſterior, populum maiorem ſuperauit, dum gratiam diuinæ dignationis conſequitur, à qua Iſraël eſt repudiatus.

a Exo. 32. 1.

3. Reg. 12. 28.

Iudic. 2. 17.

Rom. 9. 12.

IVDÆI. SCHOL. I.

POPVLVS MAIOR. *In Maiori natu Iſaac, ſcilicet Eſaü figuratus.* BVBVLVM CAPVT, *bouis, aut vituli.* HI SVNT DEI. *Exo.* 32. 3. fecitque populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron, quas cùm ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque: hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 70. *nihil de annulis virorum habent, & ſingulariter de Aaron dicunt:* & dixit: hi dij tui Iſraël, &c. CVM HIEROBOAM. 3. *Reg.* 12. 28. & excogitato conſilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: nolite vltra aſcendere in Ieruſalem: 70. *& fecit duos vitulas aureas, & dixit ad populum; ſufficiat vobis aſcendere in Ieruſalem*, ecce dii tui Iſraël qui te eduxerunt de terra Ægypti. *vbi* 70. *idem ſonant. Quaſi dicerent, ſufficiat vobis vſque nunc aſcendiſſe in Ieruſalem ad colendum Deum; hic Deos habetis quos colatis; fuit autem in Sichem quam Hieroboam ædificauit in monte Ephraim.* EX INSTRVMENTO. *Ex ſacra Scriptura authentica Iudic.* 2. 17. fornicantes cum diis alienis, & adorauerunt eos. Citò deſeruerunt viam per quam ingreſſi fuerant Patres eorum: & audientes mandata Domini omnia fecêre contraria. POPVLVS MINOR, *gentilis, in Iacob delineatus iuxta Paulum dicentem Rom.* 9. 12. Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia maior ſeruiet minori. ſicut Scriptum eſt, *Malac.* 1. 2. Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui, *præter alibi dicta ex Epiſtola* 105. *ad Sixtum; accipe quæ habet* Aug. *Auguſt. to.* 4. *quæſt.* 2. *ad Simplicianum.* Quod ait, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori; non electione meritorum quæ poſt iuſtificationem gratiæ proueniunt, ſed liberalitate donorum Dei voluit intelligi; ne quis de operibus extollatur. Gratiâ enim Dei ſalui facti ſumus, & hoc non ex operibus, ſed Dei donum eſt: non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Quæritur autem, vtrum vel fides mereatur hominis iuſtificationem, an verò nec fidei merita præcedant miſericordiam Dei, ſed & fides ipſa inter dona gratiæ numeretur: quia & hoc loco cùm dixiſſet, non ex operibus: non ait, ſed ex fide dictum eſt ei; quia maior ſeruiet minori. ait autem, ſed ex vocante. Nemo enim credit, qui non vocatur: miſericors autem Deus vocat, nullis hoc vel fidei meritis largiens, quia merita fidei ſequuntur vocationem potius quam præcedant. Quomodo enim credent ei quem non audierunt, &c. niſi ergo vocando præcedat miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt, vt ex hoc incipiat iuſtificari, & accipiat facultatem benè operandi. Ergo ante omne meritum, eſt gratia. etenim Chriſtus pro impiis mortuus eſt. Rom. 5. ex vocante igitur minor, *populus Gentilis*, accepit, non ex vllis meritis operum ſuorum, vt maior ei ſeruiret, *populus Iudæus odio habitus & reprobatus*, &c. quid eſt ergo quod ſequitur, igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei? An quia nec velle poſſumus niſi vocati, & nihil valet velle noſtrum, niſi, vt perficiamus, adiuuet Deus? Opus eſt ergo velle, & currere. Non enim fruſtra diceretur, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & ſic currite, vt comprehendatis. Non tamen volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt quod volumus, adipiſcamur. & quò volumus perueniamus. Noluit ergo Eſaü, & non cucurrit; ſed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, *non à ſe habuiſſet aut velle, aut perficere, ſed à Deo, qui operatur in nobis velle & perficere, non pro noſtra, ſed pro ſua bona voluntate*, Dei adiutorio peruenirent, qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemptâ reprobus fieret, *potuit ergo contemnere ex corruptione naturæ, non potuit obedire ex ſe ſine gratia; quæ quia gratuita eſt, eam Deus non fuit obligatus exhibere, ſed ex iuſtitia in peccato originali conceptum potuit deſerere*, aliter enim Deus præſtat vt velimus, aliter præſtat quod voluerimus. Vt velimus enim, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quod autem voluerimus, *id eſt illud, quò currendo peruenire deſideramus*, ſolus præſtat: id eſt, poſſe benè agere, *hoc eſt media ſalutis æternæ ſequi, & benè operari*, & ſemper beatè viuere, *ne ergo extollamur nos Gentiles electi, contra Iudæos reprobos, quòd nos idololatria deſerta, vnum Deum verum colamus verâ fide per dilectionem operante, Iudæi contra, derelicto vero Deo, ad vitulos aureos idololatriamque omnem defluxerint, & Gentili populo in ſeruitutem addicti ſint, quia* non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.

B C D S. Aug. S. Aug. S. Aug.

2. Iudæorum idololatria, & auerſio à Chriſto cœlum terruit, & Spiritum ſanctum fugauit ab eis. cont. Iud. cap. 13. circa m.

AQua fide Iſraël excidit, ſecundùm Hieremiam dicentem: [a] *Mittite, & interrogate nimis, ſi facta ſunt talia: Si mutabunt gentes deos ſuos, & iſti non ſunt dij. Populus autem meus mutauit gloriam ſuam, ex quo nihil proderit eis. Expauit cœlum ſuper iſto.* Et quomodo & quando expauit? Indubitatè quando paſſus eſt Chriſtus. [b] *Et horruit*, inquit, *plurimùm nimis, & ſol mediâ die tenebricauit.* Et quando horruit nimis, niſi in paſſione Chriſti, cùm terra quoque contremuit, & velum templi ſciſſum eſt, monumenta dirupta ſunt? [c] *Quoniam duo hæc mala fecit populus meus. Me*, inquit, *dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & foderunt ſibi lacus contritos, qui non poterunt aquam continere*, indubitatè non recipiendo Chriſtum, fontem aquæ vitæ: lacus contritos cœperunt habere, id eſt, ſynagogas in diſperſiones gentium, in quibus iam Spiritus ſanctus non immoratur, vt in præteritum in templo commorabatur ante aduentum Chriſti, qui eſt verum Dei templum. Nam & iſtam ſitim diuini ſpiritus eos paſſuros dixerat Propheta Eſaias dicens: [d] *Ecce qui ſeruiunt mihi; manducabunt, vos autem eſurietis. Seruientes mihi potabuntur, vos autem ſitietis, & à contribulatione ſpiritus vlulabitis. Remittetis enim nomen veſtrum, in ſatietatem electis meis, vos autem interficiet Dominus. Eis autem qui ſeruiunt mihi, nomen nominabitur nouum quod benedicetur in terris.*

a Ierem 2. 10. & ſeq.

b Amos 8. 9. Matth. 27. 51.

c Ierem. 2. 22. & ſeq.

Eſa. 65. 13.

IVDÆI. SCHOL. II.

SECVNDVM HIEREMIAM. *Ieremiæ* 2. 10. tranſite ad inſulas Cethim & videte: & in Cedar mittite & conſiderate vehementer: & videte ſi factum eſt huiuſcemodi. Si mutauit gens Deos ſuos, & certè ipſi non ſunt dij: populus verò meus mutauit gloriam ſuam in idolum, 70. *in id ex quo nihil iuuabuntur*, obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus! me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, 70 *paulò aliter:* obſtupuit cœlum ſuper hoc, & inhorruit extra modum vehementer, dicit Dominus. TENEBRICAVIT. *Amos* 8 9. & erit in die illa dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis, 70. occidet Sol meridio & contenebreſcet ſuper terram in die lux. ESAIAS. *cap.* 65. 13. propter hoc hæc dicit Dominus Deus: ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. Et dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis, & interficiet te Dominus Deus, & ſeruos ſuos vocabit nomine alio in quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo, Amen, 70. relinquetis enim nomen veſtrum in ſaturitatem electis meis, &c. ſeruientibus autem mihi, A vocabitur nomen nouum, cui benedicetur ſuper terram. Benedicent enim Deum verum, & qui iurant ſuper terram, iurabunt Deum verum. *Vbi Cyril. & Hiero. per ſaturitatem, nauſeam & faſtidium intelligunt. Ego verò per iuramentum, execrationem intellig. Aug. lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani Donatiſtæ cap. 10. vbi hæreticum refert locum Ieremiæ à Tertulliano præcitatum*, habent, *inquit*, certè etiam ipſi, non dicam tales, ſed quos vel fatentur, vel inſaniſſimè negant derelinquentes Deum qui eſt fons aquæ viuæ, hoc eſt iniquè viuentes. Neque enim pedibus, ac non corde relinquitur Deus, &c. *paulò ſupra dixerat contra prauum ſenſum abutentium hoc loco ad rebaptizationem introducendam, eorum, qui vtebantur ciſternis diſſipatis, aquam gratiæ baptiſmi non continentibus*, vt, *inquit*, non turbentur, ad catholicum refugiant B intellectum, *id eſt ad ſanam interpretationem Scripturæ*, quia non inueniunt exitum reſponſionis, dum irretiuntur crimine ſchiſmatis, *& infra*, effodere lacus detritos qui continere non valent aquas, quis me Aug. prohibet intelligere, id eſt conuerti ad voluntatem terrenam, vt non poſſint ſuſtinere Spiritum ſanctum, quem nomine aquæ in Euangelio ſignificari, quis quoquo modo Chriſtianus ignorat? Item aqua mendax non habens fidem poterit intelligi, non falſum baptiſma, ſed populus mendax & infidelis, non annumeratus veracibus & fidelibus.

3. Iudæorum cæcitatem expreſſit velamen Moyſi 5. cont. Marc. cap. 11. à p.

a 2. Cor. 3. 14. Ibid.

AT cùm dicit, [a] *Sed obtuſi ſunt ſenſus mundi*, non vtique Creatoris, ſed populi qui in mundo eſt. De Iſraële enim dicit, *Ad hodiernum vſque velamen idipſum in corde eorum.* Figuram oſtendit fuiſſe velamen faciei in Moyſe, velaminis cordis in populo; quia nec nunc apud illos perſpiciatur Moyſes corde, ſicut nec facie tunc. Quid eſt ergo adhuc velatum in Moyſe, quod pertineat ad Paulum, ſi Chriſtus Creatoris à Moyſe prædicatus nondum venit? quomodo iam operta & velata adhuc denotantur corda Iudæorum, nondum exhibitis prædicationibus Moyſi, id eſt de Chriſto, in quo eum intelligere deberent? Quid ad Apoſtolum Chriſti alterius, ſi Dei ſui Sacramenta Iudæi non intelligebant, niſi quia velamen cordis illorum ad cæcitatem, quâ non perſpexerant Chriſtum Moyſi, pertinebat? Denique, Ibid. 16. quod ſequitur, *Quum verò conuerterit ad Deum, auferetur velamen*; hoc Iudæo propriè dicit, apud quem & eſt velamen Moyſi: qui quum tranſierit in fidem Chriſti, intelligit Moyſen de Chriſto prædicaſſe. Ceterùm, quomodo auferetur velamentum Creatoris, in Chriſto Dei alterius, cuius ſacramenta non potuit Creator; ignoti videlicet ignota?

IVDÆI. SCHOL. III.

CVM DICIT. *Paulus 2. Cor. 3. 13.* Non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius quod euacuatur, *Tranſlat. Syr. ne inſpicerent filij Iſraël in finem eius quod aboletur*, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum, *Tranſlat. Syr. ſed obcæcati ſunt mente ſuâ*, vſque in hodiernum enim diem, idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti, manet non reuelatum, quoniam in Chriſto euacuatur, *Syr. obliteratur*, ſed vſque in hodiernum diem cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, cùm autem conuerſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. NON VTIQVE CREATORIS. *Per mundum ſtultè Marcion intelligit Deum Creatorem mundi.* PERSPICIATVR CORDE. *Intelligatur Moyſis penetrauerunt, fuiſſe figuram Chriſti. Vt enim tunc cùm deſcendit de monte habens legem, facie radiante, eam contemplari oculis corporeis non potuerunt Iſraëlitæ, ſic nec nunc corde & mente Scripturam Moyſi poſſunt intelligere.* QVOD PERTINEAT AD PAVLVM. *Vt quid Paulus meminit velaminis Moyſi ſi Chriſtus Dei Creatoris filius in Moyſi lege velatus nondum venit?* NONDVM EXHIBITIS. *Impletis figuris per realem Chriſti aduentum quem prædicabat & annuntiabat Moyſes. Si Paulus fuiſſet Apoſtolus alterius Chriſti noui, & non filij Dei Creatoris, vt quid argueret Iudæos eius myſteria in ſua lege adumbrata non intelligentes?* CHRISTVM MOYSI, *à Moyſe figuratum.* QVOMODO AVFERETVR, *&c. ſi Chriſtus fuiſſet filius Dei Marcionis, quomodo Deus Creator ſacramenta eius incognita velare potuiſſet, & Chriſtus vicißim auferre velamen, hoc eſt reuelare myſteria Dei Creatoris, aduerſarij Patris ſui, ea perſingula implendo? Auguſtinus ſæpè hunc locum Apoſtoli tractauit, duos ſeligam, tom. 6. lib. 12. cont. Fauſtum cap. 11. vbi de Iudæis ad mentem Tertulliani.* Non tranſeuntibus, *inquit*, ad Dominum, non eis auferetur velamen quod in lectione veteris teſtamenti manet: quia in ſolo Chriſto euacuatur, non ipſa lectio veteris teſtamenti quæ habet abſconditam virtutem, ſed velamen quo abſconditur. Vnde Chriſto in Cruce paſſo velum templi conſciſſum eſt, vt per Chriſti paſſionem reuelentur ſecreta ſacramentorum: fidelibus, ad bibendum eius ſanguinem ore aperto in confeſſione tranſeuntibus, *& libro 2. contra Aduerſarium legis & Prophet. cap. 7.* Signum erat, *inquit*, quia in lege Chriſtum intellecturi non erant. Et ideo velamen inter faciem Moyſi & ipſos poſitũ erat, vt non intenderent ſicut ſcriptum eſt, filij Iſrael vſque in finem. Finis autem legis quis eſt? Ad hoc non ego, ſed Apoſtolus ipſe reſpondeat. Finis enim legis, inquit, Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti: finis perficiens, non interficiens. Finis quippe dicitur propter quem fiunt omnia quęcumque aliquo fiunt officio, &c. Quia itaque illa omnia propter Chriſtum fiebant, quem filij Iſraël, in eis quæ fiebant, non intelligebant: hoc ſignificabat velamen quod eos vſque in finem non ſinebat intendere, id eſt vſque ad faciem Moyſi quæ ſignificabat Chriſtum; ſed ideo dictum eſt quod euacuetur gloria, quia omnes vmbræ ſignificantes euacuantur, cùm res quæ ſignificatur aduenerit, *& in Pſal. 64.* quid, *inquit*, ageretur in illo populo Iudæi neſcierunt ſed nec modo ſciunt. De illis quippe dictum eſt quandiu legitur Moyſes velamen, &c. ibi velamen, figura eſt: ſed tolletur figura & apparebit veritas in eis ipſis. Sed quando tolletur velamen? audi Apoſtolum: cùm autem tranſierint ad Dominum, &c. dum ergo non tranſeunt ad Dominum, quandiu legunt Moyſem, velamen habent ſuper cor. Ad hoc Sacramentum fulgebat tunc facies Moyſi, itaut non poſſent intendere, &c. per velum verba audiebant, faciem non videbant. Et quid ait Apoſtolus? non intendebant, inquit, vſque in finem. Quid eſt vſque in finem? vſquequo intelligerent Chriſtum, &c. eſt quidem ſplendor in facie Moyſi; tanquam in facie carnali, & mortali. Nunquid diuturnus aut æternus eſſe poſſet? morte enim ſuccedente profecto auferetur. Splendor autem gloriæ beati Domini noſtri Ieſu Chriſti ſempiternus eſt. Sed illud figura erat temporalis, hoc autem quod illâ figurâ ſignificabatur, veritas. *Veritas autem Domini, manet in æternum.* Legunt itaque & non intelligunt Chriſtum, non perducunt intentionem vſque in finem, quia velum oppoſitum negat eis aſpectum ſplendoris interioris, &c. per illud ſacrificium veſpertinum tranſimus ad Dominum vt auferatur velamen: propterea & Domino crucifixo velum templi ſciſſum eſt.

A

B

C

Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

4. Iudæi Chriſtum vt Pſeudoprophetam, & legis æmulum condemnarunt 3. cont. Marc. cap. 6. in f.

HIs ita diſpectis, iam apparet quomodo & reſpuerint Iudæi Chriſtum, & interemerint non vt extraneum Chriſtum intelligentes, ſed vt ſuum non agnoſcentes. Quî enim extraneum intelligere potuiſſent, de quo nihil vnquam fuerat adnuntiatum, quum intelligere non potuiſſent, de quo ſemper fuerat prædicatum? Id enim intelligi vel non intelligi capit, quod habendo ſubſtantiam prædicationis, habebit & materiam vel agnitionis, vel erroris. Quod verò materia caret, non admittit ſapientiæ euentum. Et adeo non quà alterius Dei, Chriſtum auerſati perſecutique ſunt; ſed quà ſolummodo hominem, quem planum in ſignis, & æmulum in doctrinis exiſtimabant, vt & ipſum hominem quà ſuum, id eſt Iudæum ſed Iudaïſmi exorbitatorem & deſtructorem, deduxerint in iudicium, & ſuo iure punierint, alienum ſcilicet non iudicaturi. Tantò abeſt vt alienum Chriſtum intellexiſſe videantur, qui nec hominem eius vt alienum iudicauerunt.

IVDÆI. SCHOL. IV.

NON VT EXTRANEVM. *Id eſt alterius Dei quàm Creatoris filium.* SED VT SVVM. *Qualem adhuc expectant Iudæi, ſeculari pompâ & faſtu regnaturum.* NON AGNOSCENTES, *vtpote humilem pauperem, deſpicabilem.* NON AGNOCENTES. *Vnde Ioannes Euangeliſta*, in propria venit, & ſui eum non cognouerunt, *& Baptiſta*: medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis: NIHIL ADNVNTIATVM. *Nil vnquam Prophetæ pronunciauerant de huiuſmodi Chriſti aduentu primo glorioſo.* CAPIT. *Poteſt intelligi.* SVBSTANTIAM PRÆ-

DICATIONIS. *Veritatem rei futuræ, quæ cadere posset, & venire in mentem Prophetæ.* SAPIENTIÆ EVENTVM, *sciri & prophetari non potest.* QVA SOLVMMODO HOMINEM. *Merum ac simplicem, & non simul Deum & filium Christum.* PLANVM IN SIGNIS. *Impostorem & præstigiatorem in miraculis.* ÆMVLVM, *aduersarium legis, & Prophetarum, & maximè traditionum suarum.* ALIENVM. *Vel gentilem, vel alterius Dei cultorem & annuntiatorem, Christi miracula non plane & impostori Apuleio magopari, sed vera, licet à Iudæis excæcatis non agnita, & imputata magiæ; pulchrè refert Augustinus sub finem Epist. 5. ad Marcellinum vbi & de velamine de quo & Scholio præcedenti.* Dæmonum, *inquit,* peruersitatem atque fallaciam, per quos & magicæ artes humanas mentes decipiunt, quia prodidit Christiana Doctrina, quia mundo vniuerso patefacit, quia Angelos sanctos ab eorum malignitate distinxit, quia cauendos potiùs & quemadmodum cauerentur admonuit, reipublicæ dicitur inimica, quasi non, si omnino per istos esset temporalis obtinenda fœlicitas, quælibet potiùs fuerit infœlicitas eligenda. Sed neque hinc Deus voluit dubitari, qui primum populum vnum verum Deum colentem, Deos autem falsissimos contemnentem, quandiu oportuit, testamentum vetus, vbi velamentum testamenti noui est, obumbrari, tantâ rerum terrenarum fœlicitate honestauit, vt quiuis intelligat, nec ipsam esse in dæmonum potestate, sed in illius vnius, cui Angeli seruiunt, quem dæmones contremiscunt: Apuleius enim, vt de illo potissimum loquamur, qui nobis Afris, Afer est notior, non dico ad regnum, sed nec ad aliquam quidem iudiciariam reipublicæ potestatem, cum omnibus suis magicis artibus potuit peruenire. Honesto patriæ suæ loco natus, & liberaliter educatus, magnâque prædictus eloquentiâ. An fortè ista vt Philosophus voluntate contempsit, qui Sacerdos prouinciæ pro magno fuit, vt munera ederet, veneratoresque vestiret, & pro statua sibi apud Coënses locanda, ex qua ciuitate habebat vxorem, aduersùs contradictionem quorundam ciuium litigaret? Quod posteros ne lateret, eiusdem litis orationem scriptam memoriæ commendauit. Quod ergo ad istam terrenam pertinet fœlicitatem fuit magnus ille, quoad potuit. Vnde apparet cum nihil amplius fuisse, non quia noluit, sed quia non potuit. Quamquam & aduersus quosdam qui ei magicarum artium crimen intenderant, eloquentissimè se defendit. Vnde miror laudatores eius, qui eum nescio quæ fecisse miracula illis artibus prædicant, contra eius defensionem testes esse conari. Sed viderint vtrùm ipsi verum præbeant testimonium, & ille falsam defensionem. Illud si sepiunt, attendant, qui magicas artes, non vtique nisi pro fœlicitate terrena, vel damnabili curiositate conquirunt, vel ab eis innocentes periculosâ tamen eas admiratione collaudant; & videant Dauid nostrum sine vllis talibus artibus, *qualibus & Gyges pastor annulo magico rex Lydorum factus est*, ex pastore ouium peruenisse ad regiam dignitatem: cuius & peccata & merita fidelis scriptura non tacuit: vt sciremus, & quibus modis non offenderetur Deus, & quibus modis placaretur offensus, *Christus certè & Rex & Sacerdos, non arte magicâ, sed diuinâ virtute editis miraculis, toto tam orbe regnat, cui vbique imagines erectæ vbi viget vxor eius Ecclesia, contradictionem in ciuitate Iudæorum ciuium vbique reuincens, Prophetarum, Apostolorum, Doctorum orationibus.* Quantum autem attinet ad miracula quæ humanis sensibus stupenda monstrantur, multum errant qui Prophetis sanctis miraculorum magnorum nobilitate præstantibus magos comparant: quantò magis si eos comparent Christo, quem Prophetæ illi, quibus magi quilibet nullo modo sunt comparandi, prænuntiauerunt esse venturum & secundum carnem quàm suscepit ex Virgine, & secundùm diuinitatem, quâ nunquam separatur à Patre.

f. Iudæorum zelum probat Paulus, sed arguit quòd non esset secundùm scientiam, & nescirent Christum finem legis à Creatore positum f. cont. Marc. cap. 14. circa m.

SAlio & hîc amplissimum abruptum interciſæ ſcripturæ; ſed adprehendo teſtimonium perhibentem Apoſtolum Iſraëli, quod a *zelum Dei habeant*; ſui vtique, *non tamen per ſcientiam. Deum enim, inquit, ignorantes, & ſuam iuſtitiam ſiſtere quærentes, non ſubiecerunt ſe iuſtitiæ Dei. Finis enim legis Chriſtus in iuſtitiam omni credenti.* Hîc erit argumentatio hæretici, quaſi Deum ſuperiorem ignorauerint Iudæi, qui aduerſus eum iuſtitiam ſuam, id eſt, legis ſuæ conſtituerint, non recipientes Chriſtum finem legis. Cur ergo & zelo eorum erga Deum proprium teſtimonium perhibet, ſi non & inſcientiam erga eundem Deum eis exprobrat? quod zelo quidem Dei agerentur, ſed non per ſcientiam; ignorantes ſcilicet eum, dum diſpoſitiones eius in Chriſto ignorãt conſũmationem legi ſtaturo, atque ita ſuam iuſtitiam tuentur aduersùs illum. Atque adeo ipſe Creator & ignorantiam erga ſe eorum conteſtatur, b *Iſraël me non agnouit, & populus meus me non intellexit*; & quod iuſtitiam ſuam magis ſiſterent, docentes doctrinas præcepta hominum, nec non & c *congregati eſſent aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum ipſius*; ex inſcientia ſcilicet. Nihil igitur poteſt in alium Deum exponi, quod competit in Creatorem, quia & aliàs immeritò Apoſtolus Iudæos de ignorantia ſugillaſſet, erga Deum ignotum. Quid enim deliquerant, ſi iuſtitiam Dei ſui aduerſus eum ſiſtebant, quem ignorabant?

a Rom. 10. 2.

b Eſa. 1. 3.

c Pſal. 2. 2.

IVDÆI. SCHOL. V.

SALIO ET HIC. *Vt ſequar Marcionem interciſorem & abruptorem, truncatoremque Scripturæ, tranſilio multa hîc ab eo relicta, vt vrgeam Marcionem, ſuo nouo Chriſto ſuffurantem Paulum, qui eo ipſo quod laudat zelum Iudæi, populi Dei Creatoris, Chriſti filii eius Apoſtolus dignoſcitur, licet & eundem populum arguat, Zelo quod habebat gloria eiuſdem Creatoris, & Iudæorum ſalutis; quòd Zelum ſuum verâ ſcientiâ Chriſti finis & perfectionis legis ſuæ, non condirent.* ARGVMENTATIO HÆRETICI, *in hoc vim argumenti ſui ponit Marcion, vt inferat ex verbis Pauli, Iudæos ignoraſſe, & non cognouiſſe Deum prius regnantem toto veteri teſtamento; vtpote qui contra eum, iuſtitiam ſuæ legis conſtituerint, non recipiendo Chriſtum, qui finis erat eiuſdem legis.* CVR ERGO, *ſi ita eſt, inquit, Tertullianum, vt quid Paulus laudat eorum zelum erga Deum*

Creatorem ſi ignorantiam eiuſdem Dei non eis exprobrat? Vt ergo Zelum laudat, ſic & ignorantiam carpit, eiuſdem Dei, & non alterius. Quod enim Chriſtum Dei Creatoris non agnoſcerent, nec reciperent à Deo Patre Creatore miſſum, vt tanquam finis & conſummatio legis eam perficeret & impleret, hoc in eis reprehendebat; de cætero laudator & encomiaſtes Zeli eorum. SISTEBANT, *ſuſtinebant, opponebant. Verba Pauli expreſsè ad mentem Tertulliani, contra Marcionem pugnant. Sic enim orditur caput* 1. *Epiſt. ad Romanos. Vbi ſic loquitur de Iudæis:* fratres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutem, *tranſlat Syr. deprecatio mea quæ fit ad Deum pro ipſis, eſt vt ſeruentur*, teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, *Syr. ipſos Zelum Dei habere*, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, *Syr. ſtuduerunt propriam iuſtitiam conſtituere*, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus, *Syr. ſcopus*, ad iuſtitiam omni credenti, *locum iſtum explanatum accipe ab Auguſtino tom. 7. lib. de natura & gratia, contra Pelag. cap.* 1. Quæ, *inquit*, ſit iuſtitia Dei de qua hîc loquitur, conſequenter aperit adiungens, finis enim legis Chriſtus, &c. hanc itaque iuſtitiam Dei
Aug. non in præcepto legis, quo timor incutitur, ſed in adiutorio gratiæ Chriſti, ad quam ſolam vtiliter legis velut pædagogi timor ducit, conſtitutam eſſe qui intelligit, ipſe intelligit quare ſit Chriſtianus. Nam ſi per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt: ſi autem in illo ſolo iuſtificatur impius, credenti in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides ad iuſtitiam. Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per ſanguinem ipſius, &c. *& cap.* 2.
Aug. Ac per hoc natura humani generis ex illius vnius prævaricatoris carne procreata, ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem, perficiendamque iuſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura, hoc eſt de vita æterna, etiamſi in aliqua gente, aut in aliquo ſuperiore tempore, fides eam latuit ſanguinis Chriſti, &c quod ſi fieri potuit, aut poteſt, hoc & ego dico, quod de lege dicit Apoſtolus: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.

A Si enim hoc ille dixit de lege quam accepit gens vna Iudæorum; quanto iuſtius dicitur de lege n turæ quam accepit vniuerſum genus humanum? Si per naturam iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Si autem non gratis Chriſtus mortuus eſt, ergo omnis natura humana iuſtificari & redimi ab ira Dei iuſtiſſima, hoc eſt vindicta, nullo modo poteſt, niſi per fidem & Sacramentum ſanguinis Chriſti, *&* S.Aug. *in Pſal.*142. *Verſu* 1. Domine exaudi orationem auribus percipe precem meam, in veritate tua exaudi me in tua iuſtitia. Ne *inquit*, vtcumque accipiatis, cùm dicitur in tua iuſtitia, commendatio eſt enim gratiæ, ne vnuſquiſque noſtrùm iuſtitiam ſuam deputet. Hæc enim iuſtitia Dei eſt, quam vt habeas, Deus dedit. Nam qui voluerunt de ſua iuſtitia gloriari, quid de illis dicit Apoſtolus? Teſtimonium eis, in-
B quit, perhibeo, quia Zelum Dei habent: de Iudæis loquitur, Zelum Dei, inquit, habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Quid eſt, non ſecundum ſcientiam? quam enim tu commendas vtilem ſcientiam? Nunquid illam, quæ cùm ſola fuerit, inflat? quæ niſi comitata fuerit charitate, non ædificat? Non vtique ipſam, ſed illam ſcientiam comitem charitatis, Magiſtram humilitatis. Vide ſi ipſa eſt, zelum Dei, inquit, habent, &c. exponat quam dicat ſcientiã. Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam, &c. qui ergo volunt conſtituere iuſtitiam ſuam? qui quod benefecerint ſibi imputant: quod malè, Deo. Omnino peruerſi. Denique recti erunt, cùm hoc ipſum conuerterint. Peruerſus ideo, quia quòd malè, Deo, *ſcilicet*
C *imputas*, quod benè, tibi. Rectus eris quando quod malè feceris, tibi; quod benè feceris, Deo. Non enim ex impio iuſtè vineres, niſi ab illo iuſtus factus, qui iuſtificat impium Ergo, inquit, in veritate tua exaudi me, in tua iuſtitia, non in mea, vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt, ſed eam quæ ex fide. Ecce in tua iuſtitia exaudi me, non quę ex lege eſt, ſed ea quæ eſt ex fide. Ad me enim cùm reſpicio, nihil aliud meum quam peccatum inuenio.

6. Iudæi ſigna Chriſti Magiæ deputarunt; Scribæ autem & Phariſæi eius doctrinâ conuicti; per inuidiam Pilato crucifigendum tradiderunt. Apol. cap. 21. *à m.*

QVem igitur ſolummodo hominem præſumpſerant de humilitate, ſequebatur vti magum æſtimarent de poteſtate, cùm ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret, leproſos purgaret, paralyticos reſtringeret, mortuos denique verbo redderet vitæ, elementa ipſa famularet, compeſcens procellas, & freta ingrediens, oſtendens ſe ſe λόγον Dei, id eſt, verbum illud primordiale, primogenitum; virtute, & ratione comitatum, & ſpiritu fultum: ad doctrinam verò eius quia reuincebantur magiſtri primoreſque Iudæorum, ita exaſperabantur, maximè quòd ad eum ingens multitudo deflecteret, vt poſtremò oblatum Pontio Pilato Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentiâ ſuffragiorum in crucem dedi ſibi extorſerint: Prædixerat & ipſe ita facturos. Parum hoc, ſi non & prophetæ retro. Et tamen ſuffixus, ſpiritum cum verbo dimiſit, præuento carnificis officio. Eodem momento dies medium orbem ſignante ſole ſubducta eſt: deliquium vtique putauerunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt: ratione non deprehenſa, negauerunt: & tamen eum mundi caſum relatum in arcanis veſtris habetis. Matth.4. 23. Matth.9.6. & 20.& 25. & 33. Matth. 27. 2. & ſeq.

IVDÆI. SCHOL. VI.

DE HVMILITATE. *Propter humilitatem natiuitatis humanæ.* VTI MAGVM. *Poteſtatem Chriſti humana natura vires excedentem, Magiæ Iudæi imputabant.* RESTRINGERET. *Proprie cùm paralyſis reſolutas neruos.* FAMVLARET. *Sibi ſubiiceret.* FRETA INGREDIENS. *Sub pedibus ſuis mare ſolidum reddens.* VIRTVTE RATIONE SPIRITV, *diuinâ poteſtate, ſapientiâ, omnibuſque Spiritus ſancti donis ornatum.* MAGISTRI. *Rabini, Scribæ, Phariſæi.* EXASPERABANTVR. *Inuidiâ mouebantur.* VIOLENTIA SVFFRAGIORVM, *non tantùm Concilij Sanedrij, ſed & plebis concitata poſtulantis Chriſtum ad Crucem.* PROPHETÆ RE-

TRÒ, *non tantùm Chriſtum id prædixerat Apoſtulis ſuis dicens:* tradetur gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, *ſed & longè ante ſingulos Paſſionis ſuæ articulos, per Prophetas ſuos prænuntiarat.* ET TAMEN SVPERIVS, *nihilominus, non ſecus, & iuxta Pſalterii hæc verba pronuntians:* in manus tuas commendo ſpiritum meum, *cum hac voce, emiſit ſpiritum.* PRÆVENTO CARNIFICIS OFFICIO, *cùm enim de more, duorum latronum adhuc viuentium crura fregiſſent*, ad Ieſum cùm veniſſent, & inueniſſent iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, *de quo ſic Lactantius, more inquam, non Hebræorum, ſed Romanorum: lib. 4. inſtit. cap. 26.* Suffixus itaque Chriſtus, cùm ſpiritum depoſuiſſet, neceſſarium carnifices non putauerunt oſſa eius ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat, *Auguſtinus autem in Pſal. 53.* S.Aug. Crura, *inquit*, latronibus in Cruce fregerunt, vt per ipſum dolorem compendio mortis, ab ipſo cruciatu liberarentur, quomodo ſolebat crucifixis fieri. DIES SVBDVCTA. *Cùm tenebræ per tres horas factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.* MEDIVM ORBEM, *dum Sol eſſet in medio cœlo.* DELIQVIVM. *Eclypſim. Sed portentoſa fuit, nec naturalis per coniunctionem lunæ cum Sole, quæ tunc in plenilunio remotiſſima eſſe debuerat. Vnde factum eſt, vt qui neque Prophetas legerant, neque rationem tanti defectus potuerant inuenire, id euenisſe prorſus negauerint.* EVM CASVM. *Prodigioſum euentum in veſtro, ô Gentiles*, archiuiis, *ſcriptum habetis, vt alij legunt. Totum hunc locum Tertulliani, non inæquali eloquentia illuſtrauit Auguſtinus, to. 6. Oratione contra Iudæos, paganos, & Arrianos, cap. 17. vbi cùm recitaſſet Sybillinos verſus de natiuitate, paſſione, & reſurrectione Chriſti, & ipſa Eclypſi*, Credo, *inquit*, iam vos ô ininici Iudæi, tantis teſtibus ita obrutos, confutatoſque eſſe ipsâ veri- S.Aug. tate, vt nihil vltra repugnare, nihil quærere debeatis: qui etſi ipsâ veritate, cui nimia inſipientia, vel potius amentia, cùm omnia noſſetis quæ de Chriſto eſſent dicta atque conſcripta, inuerecundâ etiam fronte dicebatis: tu de teipſo teſtimonium dicis, teſtimonium tuum non eſt verum: verumtamen vt diuinæ maieſtatis veritas lucelcat, ſupra tot teſtium præclaras voces, ſuo Creatori vniuerſa creatura teſtimonium Chriſto dixiſſe viſa proclamat. Nonne cœlum teſtimonium dixit, quando nouum ſydus in noua hominis progenie, velut linguâ & digito quo potuit natum Deum hominem gentibus demonſtrauit? Nonne mare teſtimonium dixit, quando obli-

A tus quodammodo naturæ ſuæ liquidus humor, ſolidatæ ſuſceptæ, ſui Domini portauit impreſſa veſtigia: vt impleretur illud quod dictum eſt, In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis: quod elementum Petrum ſeruum Domini ſupra ſe ambulare cupientem, vt demonſtraret quantum intereſſet inter creaturam & Creatorem, labilis vnda abſorbuiſſet, niſi Dominus rerum mergenti Petro manum porrexiſſet? Nonne terra teſtimonium dixit, quando eius conſperſa ſaliua, ex ea cæci nati oculos inungens, lumen non videnti reſtituit, & fabrica quod minus habuit, è limo terræ artifex reparauit, qui totum hominem de terra ante formauit? nonne inferna Chriſto teſtimoniũ perhibuerunt, quando iure ſuo B perdito, Lazarum quem diſſoluendum acceperant, integrum per quatriduum reſeruauerunt, vt incolumem redderent, cùm vocem Domini ſui, iubentis audierunt? quid in ipſa eius paſſione actum eſt? Nonne contra veſtram impudentiam, ferocemque amentiam, ipſam quodammodo publicam lucem teſtem citabo? Sicut putabatis homo tantùm à vobis interficiebatur Chriſtus. Quod etſi tantùm eſſet, vobis parcere debuiſtis, vt manus veſtras alienas redderetis à ſanguine innocentis. Quæ cæcitas infuſa eſt in cordibus veſtris, vt nec illa vos tanta terreret medio die Solis obſcuritas, & inter eius radios claros amputata lux, nox recondita in diem, immo C nox vſurpauit diem, nec curſum ordinis ſeruauit; & obtenebratur cœlum, luget terra, velum templi conſcinditur, petræ ſcinduntur, inferna reſerantur, omnis penè creatura expaueſcit mortem Chriſti; nec tamen in his tantis aperti ſunt oculi cordis veſtri, &c. *proſequitur cap. 18.* Noſtræ, *inquit*, ſaluti Aug. miniſtrauit malitia veſtra: ille enim qui ad hoc venerat, vt pro nobis moreretur, inſanas voces, crucifige, crucifige clamantium, vt homo non expauit, quia vt Deus ante eas præuidit. Quantum laboraſtis, vti diſcipulum Iudam pecuniâ corrumperetis, & à malo venditore, malo emptores Chriſtum poſſidendum compararetis; nundinas malas agentes animæ veſtræ, quando fundebatis pretium ſalutis D noſtræ: quantùm laboraſtis vt iudicem à veſtro ſcelere manus lauantem, calumniis, Cæſaris nomine oppoſito, opprimeretis, vt impleret quod fieri volebatis? Quantum laboraſtis vt Chriſtus occideretur, &c. ſpinis coronaretur? &c. ſed omnis iſte labor veſter, fructus eſt noſter. Denique à vobis Chriſtus occiditur, nobis reſurgit.

P

7. *Iudæi ob mortem Chriſti, iuxta Prophetam, reiecti à Dei gratia, & terra eorum deſerta 3. cont. Marc. cap. 23 in p. ad m.*

NVnc quia cum Iudæis negas veniſſe Chriſtum eorum, recognoſce & exitum ipſorum quem poſt Chriſtum relaturi prædicabantur, ob impietatem quâ eum & deſpexerunt, & interemerunt. Primum enim ex die, quâ ſecundùm Eſaïam, [a] *Projecit homo aſpernamenta*
[a] Eſa. 2. 20. *ſua aurea & argentea, quæ fecerunt adorandis vanis & noctuis*; id eſt, ex quo genus hominum di-
[b] Eſa 3. 2. & 3. lucidatâ per Chriſtum veritate, idola projecit: vide an quod ſequitur expunctum ſit: [b] *Abſtulit*
[c] Eſa. 5. 2. & 6. Matth. 27. 29. *enim Dominus ſabbaoth à Iudæa, & ab Hieruſalem inter cetera, & Prophetam, & ſapientem architectum*; Spiritum ſcilicet ſanctum, qui ædificat Eccleſiam, templum ſcilicet & domum & ciuitatem Dei. Nam exinde apud illos deſtitit Dei gratia. [c] Et *mandatum eſt nubibus, ne plueret imbrem ſuper vineam Sorech*; id eſt, cœleſtibus beneficiis, ne prouenirent domui Iſraëlis. *Fecerat enim ſpinas*, ex quibus Dominum coronauerat; *& non iuſtitiam, ſed clamorem*, quo in crucem eum
[d] Matth. 21. 33. extorſerat. Et ita ſubtractis chariſmatum roribus, [d] *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Dehinc, cùm ex perſeuerantia furoris, & nomen Domini per ipſos blaſphemaretur, ſicut ſcriptum
[e] Eſa. 52. 5. eſt: [e] *Propter vos blaſphematur nomen meum in nationibus* (ab illis enim cœpit infamia) & tem-
[f] Eſa. 1. 7. & 8. pus medium à Tiberio vſque ad Veſpaſianum, non pœnitentiam intellexiſſent, [f] *facta eſt terra*

eorum

ra eorum deserta, ciuitates eorum exustæ igni, regionem eorum sub ipsorum conspectu extranei deuorant: derelicta est filia Sion, tanquam spec ula in vinea, vel in cucumerario casula; ex quo scilicet, & *Israël Dominum non cognouit, & populus eum non intellexit, sed dereliquit, & in indignationem prouocauit Sanctum Israëlis.* Sic & machæræ conditionalis comminatio: [h] *Si nolueritis nec audieritis me, machæra vos comedet*; probauit Christum fuisse, quem non audiendo perierunt: qui & in Psalmo quinquagesimo octauo, dispersionem eis postulat à Patre: [i] *Disperge eos in virtute tua*: qui & rursus per Esaïam, in exustionem eorum perorans, *Propter me*, inquit, [k] *hæc facta sunt vobis: in anxietate dormietis.* Satis vanè, si hæc non propter eum passi sunt, qui propter se passuros pronuntiarat, sed propter Christum Dei alterius. Atquin Christum, inquam, alterius Dei dicitis, à Creatoris virtutibus & potestatibus, vt ab æmulis in crucem actum. Sed ecce defensus ostenditur à Creatore: [l] *& dati sunt pessimi pro sepultura eius*; qui scilicet subreptum eum asseuerauerant: *& locupletes pro morte eius*; qui scilicet & à Iuda traditionem redemerant, & à militibus falsum testimonium cadaueris subrepti. Igitur, aut non propter illum acciderunt ista Iudæis; sed reuinceris conspirante sensu scripturarum cum exitu rerum & ordine temporum: aut si propter illum acciderunt, non potuit Creator vlcisci, nisi suum Christum, remuneraturus potius Iudam, si aduersarium Domini sui peremissent. Certè si nondum venit Christus Creatoris, propter quem hæc passuri prædicantur; quum venerit ergo, patientur. Et vbi tunc filia Sion derelinquenda, quæ nulla hodie est? vbi ciuitates exurendæ, quæ iam in tumulis? vbi dispersio gentis, quæ iam extortis? Redde statum Iudææ, quem Christus Creatoris inueniat, & alium contende venisse.

[h] Esa. 1. 20. [i] Psal. 58. 12. [k] Esa. 50. 11. [l] Esa. 53. 9.

IVDÆI. SCHOL. VII.

CVM IVDÆIS. *Marcionem consortem facit incredulitatis Iudæorum.* EXITVM, *ruinam.* SECVNDVM ESAIAM. *cap. 2. 20.* in die illa proiiciet homo Idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret, talpas & vespertiliones, 70. die enim illa eiiciet homo, *Gentilis scilicet substitutus Iudæo in gratiam Dei*, abominationes suas argenteas, & aureas quas fecerunt ad adorandum vana & vespertiliones. PER CHRISTVM, *qui misit Apostolos & Discipulos suos annunciare Gentibus vnius veri Dei cultum.* EXPVNCTVM. *Impletum sit.* SAPIENTEM ARCHITECTVM. *Esa. 3. 1. & seq.* Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, &c. & consiliarium & sapientem de architectis, & prudentem eloquii mystici, 70. *verò*, Admirabilem consiliarium & sapientem architectum, & prudentem auditorem. MANDATVM EST NVBIBVS, *Esa. 5. 6.* ponam eam desertam, non putabitur & non fodietur: & ascendent vepres & spinę: & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum Domus Israël est: & vir Iuda germen eius delectabile: & expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor, *supra versu 2.* & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas, 70 *autem*, vt faceret vuam, fecit autem spinas. SICVT SCRIPTVM EST. *Esa. 52. 5.* iugiter totà die nomen meũ blasphematur, 70. propter vos semper nomen meũ blasphematur in Gẽtibus. CŒPIT INFAMIA, *quia causa fuerunt omnium blasphemiarũ quæ in Deum Israël Gentiles euomuerunt, earum desolationi insultantes.* NON PŒNITENTIAM, *cùm non aduertissent medium tempus sibi à Deo datum ad agendam pœnitentiam, & Christo & eius præcursori eam prædicanti à diebus Tiberij Cæsaris, hoc est Anno imperij decimo quinto, vsque ad ruinam Ierusalem euersa per Vespasianum non crediderũt.* FACTA EST TERRA. *Esa. 1. 7.* terra vestra deserta, ciuitates vestrę succensæ igni. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili, & derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quę vastatur, 70 *paulò aliter*: Sicut tabernaculum in vinea, & sicut pomorum custodia in cucumerario. MACHÆRÆ CONDITIONALIS, *gladij exerti comminatio sub conditione, nisi pœnitentiam age-*

A *rent. Isa. 1. 20.* quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum est. DISPERSIONEM. *Psal. 58. 12.* disperge eos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine, *August. in hunc versum*, quid de Iu- S. Aug.
dæis, *inquit*, ne occideris eos, nequando obliuiscantur legis tuæ. Istos inimicos meos, ipsos qui me occiderunt, noli tu occidere. Maneat gens Iudæorum, certè victa est à Romanis, certè deleta ciuitas eorum. Non admittuntur ad ciuitatem suam Iudæi: & tamen Iudæi sunt: nam omnes iste prouinciæ à Romanis subiugatę sunt. Quisnam non cognoscit gentes subiectas imperio Romano: quę quidem erant, quando omnes Romani facti sunt, & omnes Romani dicuntur? Iudæi tamen manent cum signo:
B nec sic victi sunt, vt à victoribus absorbentur. Non sine causa Cain ille est, qui cùm fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum, ne quis eum occideret. Hoc est signum quod habent Iudæi: tenent omnino reliquias legis suæ, circuncidũtur, Sabbata obseruant, Pascha immolant, Azyma comedunt. Sunt ergo Iudæi: non sunt occisi: necessarij sunt credentibus Gentibus, &c. disperge eos in virtute tua. Iam factum est: per omnes gentes dispersi sunt Iudæi testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent codices de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si fortè quando aliquis paganus dubitauerit, cùm ei dixerimus Prophetias de Christo, quarum euidentia obstupescit, & admirans putauerit à nobis esse conscriptas; de codicibus
C Iudæorum probamus, quòd hoc totum ante prædictum est. Videte quemadmodum de inimicis alios confundimus inimicos, &c. *& in Psal. 63.* Firmauerunt sibi sermonem nequam, *quod sic exponit*: facta S. Aug.
sunt, *inquit*, tanta miracula non sunt moti, perstiterunt in consilio sermonis maligni. Traditus est ille iudici: trepidat iudex, & non trepidant qui iudici tradiderunt, contremiscit potestas, & non contremiscit immanitas. Vult ille lauare manus, & illi inquinant linguas, &c. quæ dixit, quid egit? Sed firmauerunt sibi sermonem malignum: crucifige, crucifige, &c. Regem vestrum crucifigam? Dixerunt, non habemus Regem nisi Cæsarem. Obfirmauerunt sermonem malignum, &c. adhuc audi quomodo firmauerunt, &c. non inuenio aliquid in isto

Oniloquium.

homine, ait Iudex, quo dignus sit morte. Et illiqui firmauerunt sermonem malignum, dixerunt, sanguis eius super nos, & super filios nostros. Firmauerunt sermonem malignum, non Domino sed sibi: quomodo enim non sibi, cùm dicunt, super nos, &c. Dominum mors non occidit, sed ipse mortem: illos autem iniquitas occidit, quia noluerunt occidere iniquitatem, *& malignus sermo super ipsos & eorum*
S.Aug. *filios firmatus est, dum vbique terrarum dispersi sunt. Et Serm. 31. de temp. circa f.* propter hoc, *inquit*, illa gens regno suo pulsa est & dispersa per terras: vt eius fidei cuius inimici sunt, vbique testes fieri cogerentur. Perdito quippe templo, sacrificio, Sacerdotio, ipsoque regno, in paucis veteribus Sacramentis, nomen genusque custodiunt, ne permixti gentibus, sine discretione dispereant, & testimonium veritatis amittant: velut Cain accipientes signum, vt eum nullus occidat, qui fratrem iustum inuidus, & superbus, occidit, &c. *& lib. 18. de Ciuit. cap. 46.* Iu-
S.Aug. dæi qui eum occiderunt, & in eum credere noluerunt quia oportebat eum mori & resurgere, vastati infelicius à Romanis, funditusque à suo regno, vbi iam eis alienigenæ, *Herodes*, dominabantur, eradicati sunt, dispersique per terras. Quandoquidem vbique non desunt, & per scripturas suas testimonio nobis sunt, prophetias nos non finxisse de Chri-
S.Aug. sto, &c. *tum refert locum praecitatum ex Psal. 58. & concludit:* si cum illo testimonio scripturarum, in sua tantummodo terra, non vbique essent, profecto Ecclesia quæ vbique est, eos prophetiarum quę de Christo præmisę sunt, testes in omnibus gentibus A habere non posset, *vide eundem lib. 1. de consensu Euang. cap. 26. Epistola 3. ad Volus. lib. 3. contra duas Epistolas Pelag. cap. 4. Epist. 59. ad Paulinum, lib. 13. cont. Faustum cap. 10. lib. 16. cap. 21.* PROPTER ME. *Esa. 50. 11.* Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis. 70. propter me facta sunt hæc vobis, in mœrore dormietis. DEI ALTERIVS, *quem Marcion colit.* DEFENSVS A CREATORE. *Esa. 53. 9.* & dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua: eo quòd iniquitatem non fecerit; neque dolus fuerit in ore eius, 70. *autem:* & dabo pessimos pro sepultura eius, & diuites pro morte ilius CVM VENERIT, *vt eum expectant venturum. Locum Esa. Iuxta Tertullianum exponit Aug.* Aug.
Homilia. 36. circa f. Quid est hoc, *inquit*, dabo ma-
B los pro sepultura, &c. malos propter sepulturam eius, & diuites propter mortem eius. Diues ille ab Arimathia Ioseph, cùm Dominus penderet in cruce, intrauit ad Pilatum, & petiit corpus eius, &c. sepeliuit pauperem in quo diuitias requirebat. Ergo diuites propter mortem eius, &c. malos pro sepultura eius, vbi ostendimus? Intrauerunt Iudæi ad Pilatum, & dixerunt ei: Domine, audiuimus quia ille planus, id est ille impostor dicit Discipulis suis, quia resurrecturus erit occisus: iube custodiatur sepulchrum, &c. ait illis Pilatus; habetis milites, ite custodite, &c. dixerunt Iudæi, damus vobis pecuniam, &c. ergo mali erant, veritatem abscouderunt, mendacium vendiderunt.

8. *Iudæorum impietas quàm iustè punita. Apol. cap. 21. à p.*

TAntum Iudæis erat apud Deum gratia, ob insignem iustitiam & fidem originalium auctorum, vnde illis & generis magnitudo, & regni sublimitas floruit, & tanta felicitas, vt Dei vocibus, de promerendo Deo, & non offendendo præmonerentur. Sed quanta deliquerint, fiducia patrum inflati, deuiantes ab disciplina in profanum modum, etsi ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum: dispersi, palabundi, & cœli & soli sui extorres vagantur per orbem sine homine, sine Deo rege, quibus nec aduenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur. Cùm hæc illis sanctæ voces præminarentur, eædem semper omnes ingerebant fore, vti sub extimis curriculis seculi, ex omni iam gente, & populo, & loco cultores sibi allegeret Deus multò fideliores, in quos gratiam transferret, pleniorem quidem ob disciplinæ auctoris capacitatem.

IVDÆI. SCHOL. VIII.

TANTVM, *poterat non ob eorũ, sed ob patrum originũ*
C *eorũ, meritum. Videlicet propter Abraham, Isaac, & Iacob.* MAGNITVDO, *amplitudo & numerus: vnde & Deus Abrahæ dixit:* multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris. REGNI SVBLIMITAS, *vt eorum reges, vncti Dei, vocarentur, & essent.* DEI VOCIBVS, loquentis patribus in Prophetis. FIDVCIA PATRVM INFLATI, *præsumentes & gloriantes de Patriarchis suis, maximè*
S.Aug. *Abraham. August. to. 4. in expos. Epist. ad Gal.* In Iudæis erat per transgressionem legis confirmanda superbia, qui gloriantes de patre suo Abraham, quasi naturalem iactabant se habere iustitiam; & merita sua incircuncisis cęteris gentibus, tantò perniciosius, quantò arrogantius præferebant AD PROFANVM MODVM, *ad idololatriam Gentium.* EXITVS, *euentus.* PALABVNDI, *errantes & vagi.* EXTORRES. *Exules, quasi sine terra, & igne proprio.* SINE HOMINE, *nec hominem regem, nec Deum ducem habentes.* SANCTÆ VOCES, *Prophetarum oracula.* SVB EXTIMIS, *in extremis temporibus.* ALLEGERET, *assumeret, ad suum cultum vocaret.* PLENIOREM. Abundantem super iustitiam Scribarum & Pharisæorum. AVCTORIS, *Christi nouæ legis.* CAPACITATEM, *quia Gentiles humiliores Iudæis; proinde ex Dei luce infusa, indignitatem suam melius agnoscentes, vacuati superbia, excipiendæ pleniori gratiæ facti sunt capaciores. De dispersione Iudæorum & impietate iuste à Deo punita, praterdicta supra, hæc rursum habes ex August. depromptæ in Psal. 77. in versum,* cor autem ipsorũ non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt, in testamento eius, *vbi cùm de illis, & cepit, & peponibus Ægypti dixisset:* quæ, *inquit*, generatio prana & amaricans etiam pani cœlesti præferebat. Nec manna visibili, atque istis volatilibus pennatis, sed saturabor, cùm manifestabitur gloria tua. Hæc est enim hæreditas noui testamenti, in quo illi fideles habiti non sunt, &c. Deus dicit Moysi deleam eos, & faciã te in gentem magnam. Ille intercedit, paratior deleri pro ipsis, quàm ipsos; sciens apud misericordem se id agere; qui quoniam nullo modo deleret ipsum, etiam illis ipsis parceret, propter ipsum. Videamus enim, quantùm pepercit, & adhuc parcat. Nam introduxit eos in terram promissionis, & seruauit eam Aug.

gentem, quoufque ſe, Chriſtum interficiendo, ſcelere omnium maximo colligarent quod eos ex illo regno eradicatos, per cuncta Gentium regna diſſeminauit. Non vtique deleuit, ſed manet idem populus prolis ſucceſſione ſeruatus, velut Cain ſigno accepto, ne quis eum occidat, id eſt penitus perdat.

9. *Iudæus vt Eſaü guloſus, & ſicut prodigus, iam mendicat & ſeruit. De pudic. cap. 8. à p. ad m.*

DVos populos in duobus filiis collocant, Iudaïcum maiorem, Chriſtianum minorem, Nec enim poſſunt exinde Chriſtianum peccatorem in filio minore diſponere veniam conſecuturum, niſi in maiore Iudaïcum expreſſerint. Portò, ſi Iudaïcum oſtendero deficere à comparatione filij maioris, conſequenter vtique nec Chriſtianus admittetur ad configurationem filii minoris. Licet enim filius audiat & Iudæus, & maior, quia prior in adoptione; licet & Chriſtiano reconciliationem Dei Patris inuideat, quod vel maximè diuerſa pars carpit. ſed non erit Iudæi dictum ad Patrem, [a] *Ecce quot annis tibi ſeruio, & præceptum tuum nunquam præterui.* Quando enim non tranſgreſſor legis Iudæus, aure audiens, & non audiens? odio habens traducentem in portis, & aſpernamento ſermonem ſanctum? Sic nec Patris ad Iudæum erit vox, *Tu ſemper mecum es, & omnia mea, tua ſunt.* Iudæi enim apoſtatæ filii pronuntiantur; generati quidem, & in altum elati, ſed qui non computauerint Dominum, & [c] *qui dereliquerint Dominum, & in iram prouocauerint Sanctum Iſraëlis.* Omnia planè Iudæo conceſſa, dicemus cui etiam conditio gratior quæque de gula erepta eſt, nedum ipſa terra paternæ promiſſionis. Adque adeo non minus hodie Iudæus, quàm minor filius prodacta ſubſtantiâ Dei in aliena regione mendicat, ſeruiens vſque adhuc principibus eius, id eſt, ſeculi huius.

Luc. 15. 11. & ſeq.

Rom. 9. 4.

[a] Luc. 15. 29.

Eſa. 6. 10.

Eſa. 29. 21.

[b] Luc. 15. 31.

[c] Eſa. 1. 5.

10. *Iudæi fruſtra Chriſti aduentum primum expectant, cùm iam veniſſe conſtet ex impletis Prophetiis V. Verbum Chriſti Aduentus per totum.*

IVDÆI. SCHOL. IX.

DVos POPVLOS. *Pſychici*, inquit, *vt faueant mœchis & fornicatoribus, eoſque ad veniam recipiant, vtuntur parabolâ filij prodigi diſſipatoris ſubſtantia ſua cum meretricibus; cui occurrit Pater miſericors & pronus ad indulgentiam, ideoque in duobus filiis Patris familias intelligunt duos populos, Iudæum quidem in maiore natu, Chriſtianum in minore.* PRIOR IN ADOPTIONE, *non quòd Deus ſit ſine prole, cùm ab æterno genuerit immortalem filium*, quem conſtituit hæredem vniuerſorum per quem fecit & ſæcula: *ſed quia & ad extra bonitatem ſuam effundere voluit; & hæreditatem infinitam habet, quam cohærendum numerus non anguſtat: ideo Iudæum primùm, deinde Gentilem adoptauit in filios.* DIVERSA PARS CARPIT. *Pſychici nobis aduerſi, ſibi maximè & ſuæ cauſæ aptum argumentũ ſumunt, ad probandam receptionem mœchorum ad veniam: quòd populus Iudæus, in maiori natu expreſſus inuiderit gentili, ſubſtantiæ ſuæ prodigo, reconciliationem acceptam à Patre. Quod quanquam, inquit, aduerſarius cederem, non poteſt de Iudæo dici, quòd nunquam Dei mandatum fuerit tranſgreſſus, contradicente Prophetâ Eſa. 6. 10.* Excæca cor populi huius, & aures eius aggrana, 70. Incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus ſuis graniter audierunt: & oculos compreſſerunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant. ODIO HABENS TRADVCENTEM. *Eſa. 29.* Qui peccare faciebant homines in Verbo; & arguentem in porta ſupplantabant, & declinauerunt fruſtra à iuſto, 70. *autem*: omnes autem arguentes in portis, offenſionem ponent, quia obliquauerunt pro iniuſtis iuſtum, *in portis autem ſedebant iudices. Hinc Prouerb. 31. de viro fortis mulieris dictum*: nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. NON COMPVTAVERINT, *nihili fecerint.* CONDITIO GRATIOR. *Iuſ pri. mogenituræ, & Sacerdotij, & regni ſicut Eſaü natu maior illud vnâ eſcâ vendidit.* IN ALIENA REGIONE SERVIENS. *Iudæum confert cum filio prodigo, ſeruiente & ſubiugato duriſſimæ ſeruituti. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. cap 18. in f. eos ſubiectos Romana dominationi &*

A *gloriæ ſic refert*, Iudæi, *inquit*, qui Chriſtum occiderunt, reuelante teſtamento nouo, quod in veteri velatum fuit, vt non pro terrenis & temporalibus beneficiis, quæ diuina prouidentia permixtè bonis maliſque concedit, ſed pro æterna vita, muneribuſque perpetuis, & ipſius ciuitatis ſupernæ ſocietate colatur vnus Deus & verus; rectiſſimè iſtorum, *Romanorum*, gloriæ donati ſunt: vt hi qui qualibuſcunque virtutibus terrenam gloriam quæſierunt, & acquiſierunt, vincerent eos, qui magnis vitiis datorem veræ gloriæ & ciuitatis æternæ occiderunt, atque reſpuerunt, *& in Pſal. 39. vbi rurſum fuit de Cain maiore natu*: gens Iudæa manet per omnes gentes ſubdita iuri Romano, in ius Romanum confluxerunt, ſuperſtitiones communicauerunt. Poſtea inde cœperunt, *ſupple Romani*, per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeparari, illa verò ſic manſit cum ſigno ſuo, cum ſigno circumciſionis, &c. Ille fudit ſanguinem, non excepit; ille fudit, alia terra excepit: & ab ea terra quæ os aperuit & excepit, ille maledictus eſt: & ipſa terra quæ ore excepit ſanguinem, Eccleſia eſt. Ab hac ergo ille maledictus eſt, & ille ſanguis clamat de terra ad me: de hac enim terra dixit Dominus, vox ſanguinis, &c. clamat ad me, ſed ſurdus eſt qui ſanguinem fudit, quia non bibit, *& in Pſal. 41. in verſum*: benedictus Dominus Deus Iſraël. Ille eſt, *inquit*, Deus Iſraël, Deus noſter, Deus Iacob, Deus minoris filii, Deus minoris populi, &c. maior enim filius, ipſe eſt maior populus reprobatus: minor populus dilectus. Maior ſeruiat minori, Modò implerum eſt. Modò, fratres, nobis ſeruiunt Iudæi, tanquam capſarij noſtri ſunt, ſtudentibus nobis, codices portant, &c. Iudæi inimici noſtri ſunt, de chartis inimici, conuincitur aduerſarius, *de fratre autem prodigi natu maiore ſic habetur in textum Tertulliani to. 4. lib. 2. 99. Euangeliorum*, q. 33. Quomodo, *inquit*, accipiatur ille populus non quam mandatum Dei præteriiſſe, &c. de mandato non prætergreſſo facilè illud occurrit, neque de omni mandato dictum eſſe, ſed de vno maximè neceſſa-

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

S. Aug.

B

C

rio, quo nullum alium præter Deum Creatorem omnium colere iussus est: neque iste filius in omnibus Israëlitis, sed in his intelligitur habere personam qui nunquam ab vno Deo ad simulachra conuersi sunt. Quamquam enim tanquam in agro positus iste filius terrena desideraret, ab vno tamen Deo ista desiderabat bona, quamuis communia pecoribus. Vndein Psalmo 27. ex persona Synagogæ, quod intet- A pretatur Asaph, conuenienter accipitur dictum, quasi pecus factus sum apud te, & ego semper tecum. Quod etiam patris ipsius testimonio comprobatur; cùm dicit; tu mecum es semper. Non enim quasi mentientem redarguit, sed secum perseuerantiam eius approbans, ad perfruitionem potioris atque iocundioris exultationis inuitat.

S. Aug.

S. Aug.

IVDEX.

1. Iudices Deum præsentem habeant Apol. cap. 39. à p.

IVdicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu.

IVDEX. SCHOL. I.

IVDICATVR, *agit de censura Ecclesiæ; sed de omni iudicio etiam in foro & tribunali sæculari Deus præsens attendi debet: de quo scriptum est:* Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos diiudicat. *Santt. Pagn. ex Hebr.* in medio iudicum iudicabit, *& Psal.* 74. Dixi iniquis nolite iniquè agere, & nolite loqui aduersus Deum iniquitatem. Quoniam neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus, quoniam Deus Iudex est, *in quem locum* B *Augustinus*: iniquitatum tuarum Iudex Deus est. Et si Deus est, vbique præsens est. Quo te auferes ab oculis Dei, vt in parte aliqua loquaris, quod ille non audiat? Si ab oriente, iudicat Deus. Si ab occidente, &c. si à desertis montium iudicat Deus, &c. de nullo loco iuditat, qui vbique secretus est, vbique publicus: quem nulli licet, vt est, cognoscere; & quem nemo permittitur ignorare, *de nullo loco dixit, hoc est determinate; quia iurisdictio eius vbique extenditur.* Aug.

2. Iudex humanitatem non exuat, cogitans se & sub iudice esse. Ad Scap. cap. 4. in p.

POtes & officio iurisdictionis tuæ fungi, & humanitatis meminisse, vel quia & vos sub gladio estis.

IVDEX. SCHOL. II.

HVMANITATIS MEMINISSE, *quia homo hominem iudicat.* SVB GLADIO ESTIS, *vel Cæsaris qui vos morti addicere potest, vel sub vindicta Dei. Augustinus Epist.* 54. *ad Macedonium*: licet, *inquit*, accusatoris alia persona sit, alia defensoris, alia intercessoris, alia iudicis, &c. sic tamen etiam ipsos criminum vltores, atque in hoc officio, non irâ propriâ concitatos, sed legum ministros; nec suarum, sed alienarum examinatarum iniuriarum vindices, quales iudices esse debent terruit censura diuina, vt cogitarent sibi propter sua peccata Dei misericordiam necessariam, nec putarent ad culpâ sui otîcij pertinere, si quid erga eos misericorditer agerent, quorum vitæ necisque haberent legitimâ potestatem. *Tum refert exemplum accusatæ apud Christum adulteræ & responsum Christi:* qui sine peccato est vestrûm prior in eam lapidem iaciat. Ita, inquit, nec legem improbauit, quæ huiusmodi ream iussit occidi, & illos terrendo, ad misericordiam reuocauit, quorum iudicio hęc posset occidi: puto quod hac sententiâ Dominî auditâ, si præsens fuit etiam maritus ipse, qui violatam sui thori fidem vindicare postulabat, exertus, animum ad voluntatem parcendi, ab vlciscendi cupiditate deflexit. Nam quodammodo est admonitus accusator, ne suas persequeretur iniurias, quando ipsi iudices ita sunt ab iudicando prohibiti, qui in adultera puniendâ, non priuato dolori compellebantur seruire, sed legi? &c. Si ergo cogitata infirmitate communi, & accusatorius dolor, & iudicatorius rigor frangitur, quod tandem censes pro reis esse debere, vel defensoris, vel intercessoris officium: quandoquidem & vos viri boni, qui nunc iudices estis, & in foro aliquando versati, causas hominum suscepistis, scitis quam libentiùs defendere, quam accusare soleus, &c. has sibi partes humanitatis, vbi potest, omnis homo apud hominem vendicat, &c. *vide sequens scholium.* C S. Aug. Aug.

3. A iudicibus iustum iudicium Deus Iudex in vtraque lege exigit. 4. cont. Marc. cap. 29. inf.

MEritò exprobrat etiam, [a] *quòd iustum non à semetipsis iudicarent.* Olim hoc mandat per Zachariam: [b] *Iustum iudicium & pacatorium iudicate.* Per Hieremiam, [c] *Facite iudicium & iustitiam.* Per Esaiam, [d] *Iudicate pupillo, & iustificate viduam*; imputans etiam vineæ Sorech, quod [e] *non iudicium fecisset, sed clamorem.* Qui ergo docuerat vt facerent ex præcepto, is exigebat vt facerent & ex arbitrio. Qui seminauerat præceptũ, ille & redundantiam eius vrgebat. Iam verò quàm absurdum vt ille mandaret, *iustè iudicare*, qui Deum iudicem iustum destruebat. Nam & [f] *iudicem qui mittit in carcerem, nec ducit inde, nisi soluto etiam nouissimo quadrante*; in persona Creatoris, obtrectationis nomine, differunt. Ad quod necesse habeo eodem gradu occurrere. Quotiescunque enim seueritas Creatoris opponitur, totiens illius est Christus, cui per timorem cogit obsequium.

a Luc. 12. 57.
b Zach. 8. 16.
c Ierem. 22. 3.
d Esa. 1. 17.
e Esa. 5. 7.
f Luc. 12.

Digitized by Google

IVDEX. SCHOL. III.

MERITÒ EXPROBRAT, *quia Christum filium Dei Creatoris erat, prosequitur iuxta Patris sui Propinetas commendare iustitiam, eiusque defectum Iudeis exprobrat. Luc.12. 57.* Hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare: hoc autem tempus, *aduentus mei* quomodo non probatis? quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? *translat. Syr.* per vosmetipsos non iudicatis veritatem? PER ZACHARIAM, *cap.8.16.* loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris, 70. *legunt*, iudicium pacificum. PER IEREMIAM, *cap.22.3.* Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris: & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis iniquè: & sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. IVSTIFICATE, *vulgata*, defendite viduam. *Aug. in Psal.10*, Iudicare pupillo & humili, &c. aliud, *inquit*, est iudicare pupillum, aliud iudicare pupillo. Iudicat pupillum, etiam qui condemnat: iudicat autem pupillo, qui pro illo profert sententiam. QVI DOCVERAT, *idem ipse Deus qui in veteri lege iusserat praceptum iustitiæ obseruari, in noua sublimi supra veterem, voluit ex superabundanti iustitia, etiam absque obligatione præcepti iustitiam erga proximum exerceri sponte & ex proprio libertatis arbitrio, etiam nullo cogente præcepto.* QVAM ABSVRDVM, *quàm stultè Marcion alium Deum noui testamenti inducit, idem omnino docentem cùm Deo Creatore, cuius præcepta potius destruere debebat, quàm confirmare.* NAM ET IVDICEM. *Luc. 12. 58.* Cùm autem vadis cùm aduersario tuo ad principem, *Syr. ad Magistratum*, in via da operam liberari ab illo. *Syr. da mercedem, vt libereris ab eo*, ne fortè trahat te ad iudicem, & Iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi: Non exies indè, donec etiam nouissimum minutum reddas. *Translat. Syr.* vltimum octauum. IN PERSONA. *Marcionita qui Deum suum nullius criminis vindicem sed solummodo bonum fingebant, hæc vltima verba Lucæ de Deo Creatore malo & iudice dicta volunt, vt hinc sumant occasionem calumniandi.* EODEM GRADV. *Verum, inquit, hoc ipso loco habeo, quod in eos retorqueam, videlicet, quod quoties nobis à Marcionitis seueritas Creatoris tanquam Deo indigna obiicitur, toties Christum eiusdem filium esse conuinci, qui ad eius timorem homines obligat, & metum timoris, ad eius compellit obsequium. Quod ex hoc textu, ad iudicum mores æquitatis & iustitiæ regulâ componendos facit, ex Augustino profero. Ser.94. de temp. in verba Psalt. 2.* erudimini qui iudicatis terram. Iudicant, *inquit*, terram Reges, duces, principes, iudices: vnusquisque pro munere quod accepit in terra, iudicat terram. Quid est autem quod dicitur, iudicat terram, nisi iudicat homines qui sunt in terra? Nam si terram propriè non accipias, nisi quam calcas, agricolis ergo dictum est, qui iudicatis terram. Porrò autem si Reges iudicant terram, & quicumque sub Regibus accipiunt potestatem à Regibus, erudiantur & ipsi, quia terra iudicat terram, & timere debet eum qui est in cœlo. Terra iudicans terram; parem quippe suum iudicat, homo hominem, mortalis mortalem, peccator peccatorem. Si enim procedat in medium Dominica illa sententia; qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat: nonne omnis iudicans terram, terræ motum patitur? *Vnde & Psaltes alibi: terra tremuit & quieuit, id est cessauit ab ira & vindicta motu, dum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ hoc est iudices cum misericordia iudicantes terram*, hac complexione dolosâ & fraudulentâ ad Dominum Pharisæi accesserunt, vt si iuberet lapidari mulierem diffamatam, perderet mansuetudinem: si autem quod lex iusserat prohiberet, peccasse teneretur in legem, &c. *subiicit exemplum aliud doli Pharisaici de tributo soluendo Cæsari necne.* Interrogatores interrogauit, & ideo iudices iudicauit. Non prohibeo, *inquit*, lapidari, quē lapidari lex iussit: sed quæro à quibus. Non enim resisto, sed legis ministrū requiro. Denique audite, lapidare vultis secundum legem? Qui sine peccato est prior in illam lapidem mittat, *hoc est iustum iudicium iudicare, si te innocentem in conscientia & coram Deo sentis iudicem. Hoc est iniustè iudicare, si tibi reo optas misericordem iudicem, te reo præstes iudicem pariter misericordem.* Quando autem hæc audiunt, digito scribebat in terra, vt eruditet terram. Quando autem hoc dixit Pharisęis, leuauit oculos suos ipse, & inspexit terram, & fecit eam tremere. Proinde cùm hoc dixisset iterum cœpit scribere in terram. At illi compuncti & tremefacti, vnus post alterum discesserunt. O terræ motum, vbi sic terra mota est, *à facie Dei Sinai legem in monte Sinai adulterium prohibentem dantis*, vt etiam mutaret locum! Illis ergo discedentibus, remansit peccatrix & Saluator, remansit ægrota & Medicus, remansit misera & misericordia, & aspiciens mulierem, dixit: nemo te condemnauit? & illa, nemo Domine: sed tamen adhuc solicita erat: peccatores enim damnare non ausi sunt. Non ausi sunt lapidare peccatricem, qui seipsos intuentes, similes inuenerunt. Sed adhuc mulier erat in magno periculo: quia & ille ci iudex remanserat, qui erat sine peccato. Nemo, inquit, te condemnauit? at illa, nemo Domine: si nec tu, secura sum. Cui solicitudini tacitæ Dominus voce respondit; nec ego te condemnabo. Nec ego, quamuis sim sine peccato. Nec ego te condemnabo. Illos à vindicta repressit conscientia, me ad subueniendum inclinat misericordia: Hæc attendite & erudimini omnes qui iudicatis terram, &c. vt ergo non sitis iniquæ potestatis, quicumque per homines, *Reges & potestates*, vultis habere in homines potestatem, erudimini, ne peruersè iudicetis, & antè in anima pereatis, quàm quemquam in carne perdatis. Iudex esse vis? Potes meritis, vel pecuniâ: nondum reprehendo, fortassis enim prodesse cupis rebus humanis, & emis vt prosis: vt seruias iustitiæ, non parcis pecuniæ. Priùs propter te, esto iudex in te. Priùs iudica te de te, vt de penetrali conscientię securus procedas ad alterum. In teipsū redi, teipsū attende, te discute, te audi. Ibi te volo probare integrū iudicem, vbi nō quæris testem. Procedere vis cum potestate, vt alter tibi dicat de altero quod tu nescis: priùs intus iudica. Nihil tibi dixit de te conscientia tua: Si nolis negare, vtique dixit. Nolo audire quid dixerit, tu iudica quod audisti. Dixit tibi de te quid feceris, quid acceperis, *quæ munera, quæ teste Sapiente excæcant oculos iudicum, & animas accipientium auferunt. Et tamen iuxta Esaiam, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa vidua non ingreditur ad eos, quia non habet quod offerat iudici: cùm donum hominis ex Sapiente, dilatet viam eius.* Quid peccaueris. Vellem scire qualem sententiam protulisti. Si benè audisti, si rectè audisti, si in audiendo te iustus fuisti, si tuæ mentis tribunal ascendisti, si teipsum ante teipsum in occulto cordis suspendisti, si graues tortores adhibuisti timoris, benè audisti si sic audisti, & proculdubio pœnitendo peccatum punisti, ecce & discussisti, & audisti, & punisti, & tamen tibi peper-

Aug. Aug. Aug. Aug. Aug.

cisti, &c. Si sic audis proximum tuum, quomodo audis & te, peccata persequeris non peccantem, &c. duo enim nomina sunt, homo & peccator. Hominem Deus fecit, peccatorem seipsum homo fecit. Pereat quod fecit homo, liberetur quod fecit Deus. Noli ergo vsque ad mortem, ne cùm persequeris peccatum, perdas hominem. Noli vsque ad mortem, vt sit quem pœniteat. Homo non necetur, vt sit qui emendetur. Hanc in corde oetinēs homo in homines dilectionē, esto Iudex terræ, & ama, non terrere, sed A diligere. Si superbis, superbi in peccata, non in hominem. In illud sæui, quod tibi displicet & in te; non in eum qui sicut tu factus est. De vna officina existis, vnum artificem habuistis, vnus limus est vestra materies. Quid perdis non amando quem iudicas? Quoniam iustitiam perdis, perdis non amando quem iudicas. Adhibeantur pœnę, non recuso, non interdico; sed animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis.

IVDICIVM EXTREMVM.

IVDICII SIGNA PRÆCEDENTIA.

1. *Iudicium iam factum perperam aliqui credunt: cùm Prophetiæ eius signa narrantes impletæ non sint. De Resur. cap. 22. per totum.*

AD illas etiam scripturas respiciendum est, quæ non sinunt resurrectionem secundùm animales istos, ne dixerim spiritales, aut hìc iam in veritatis agnitione præsumi, aut ab excessu statim vitæ vindicari. Quum enim & tempora totius spei fixa sint sacrosancto stilo, nec liceat eam antè constitui, quàm in aduentum, opinor, Christi, vota nostra suspirant in seculi huius occasum, in transitum mundi quoque ad diem Domini magnum; diem iræ & retributionis; diem vltimum, & occultum; nec vlli præter Patri notum; & tamen signis atque portentis, & concussionibus elementorum, & conflictationibus nationum prænotatum. Euoluerem prophetias, si Dominus ipse tacuisset; nisi quòd & prophetiæ vox erant Domini: sed plus est, quod illas suo ore consignat. Interrogatus à discipulis, quando euentura essent, quæ interim de templi exitu eruperant, ordinem temporum, primò Iudaïcorum vsque ad excidium Hierusalem, dehinc communium, vsque ad conclusionem seculi, dirigit. Nam postea quam edixit, [a] *Et tunc erit Hierusalem conculcatui nationibus, donec adimpleantur tempora nationum*, adlegendarùm scilicet à Deo, & congregandarum cum reliquiis Israëlis: Inde iam in orbem, & in seculum prædicat, secundùm Oëlem, & Danielem, & vniuersum concilium Prophetarum, [b] *futura signa in sole, & in luna, & in stellis, conclusionem nationum, cum stupore; sonitus maris, & motus refrigescentium hominum, præ metu & expectatione eorum, quæ immineant orbi terræ* [c] *virtutes enim*, inquit, *cœlorum commouebuntur; & tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum plurimo potentatu & gloria.* [d] *Vbi autem cœperint ista fieri, emergetis, & eleuabitis capita vestra, quòd redemptio vestra adpropinquabit.* Et tamen adpropinquare eam dixit, non adesse iam; &, quum cœperint ista fieri, non quum facta fuerint: quia quum facta fuerint, tunc aderit redemptio nostra, quæ eo vsque adpropinquare dicitur: erigens interim & excitans animos ad proximum jam spei fructum. Cuius etiam parabola subtexitur tenerescentium arborum in caulem floris, & dehinc florem, frugis antecursorem: [e] *Ita & vos cùm videritis omnia ista fieri, scitote in proximo esse regnum Dei. Vigilate ergo omni in tempore, vt digni habeamini effugere omnia ista, & stetis ante filium hominis*: vtique per resurrectionem, omnibus antè transactis. Ita, etsi in agnitione sacramenti fruticat, sed in Domini repræsentatione floresci atque frugescit. Quis ergo Dominum tam intempestiuè, tam acerbè excitauit iam ad dexteram Dei, ad confrigendam terram? secundùm Esaïam, quæ puto adhuc integra est? Quis inimicos Christi iam subiecit pedibus eius, secundùm Dauid, quasi velocior Patre; omnia adhuc populariùm cœtu clamante, Christianos ad leonem? Quis cœlo descendentem Iesum talem conspexit, qualem ascendentem Apostoli viderant, secundùm Angelorum constitutum? Nulla ad hodiernum tribus ad tribum pectora cæciderunt, agnoscentes quem pupugerunt. Nemo adhuc excepit Heliam: nemo adhuc fugit Antichristum: nemo adhuc Babylonis exitum fleuit. Et est iam qui resurrexerit, nisi hæreticus? Exiit planè iam de corporis sepulcro, etiam nunc febribus & vlceribus obnoxius? & conculcauit iam inimicos, etiam nunc luctari habens cum mundi potentibus. Et vtique iam regnat, etiam nunc Cæsari quæ sunt Cæsaris debens.

Sophon. 1. 14.
Matth. 24. 36. & 7.
Luc. 21. 25.
[a] Luc. 21. 20.
[b] Ioel. 2. 30. & 31.
Dan. 7. 13. & 14.
Habac. 3. 11. & 12.
Esa. 13. 10.
Ezech. 32. 7.
[c] Matth. 24. 29.
Luc. 21. 10. & 28.
[d] Matth. 24. 32.
[e] Luc. 21. 31
Esa. 2. 19.
Psal. 109. 2.
Act. 1. 11.
Zach. 12. 10. & 12. & seq.
Malach. 4. 5.
Apoc 18. 9.
Ephes. 6. 12.
Matth. 22. 21.

2. *Iudicij ordinem præcedentem, Ioannes in Apocalipsi describit. De Resur. cap. 25. in p. V. Verbum mille anni futuri. num. 1. in Alphabeto errorum.*

3. *Iudicij signa terribilia, ad Deum iustum & bonum pertinent. 4. cont. Marc. cap. 39. à m.*

MOnstrato dehinc tempore excidii, quum cœpisset vallari exercitibus Hierusalem, signa iam vltimi finis enarrat, solis & lunæ siderumque prodigia, & in terra angustias

Luc. 21. 25.

Nationum obstupescentium velut à sonitu maris fluctuantis pro expectatione imminentium orbi malorum. Quod & ipsæ vires cœlorum concuti habeant, accipe Ioëlem: [a] *Et dabo prodigia in cælo & in terra, sanguinem & ignem, & fumi vaporem. Sol conuertetur in tenebras, & in sanguinem luna, priùs quam adueniet dies magnus & illustris Domini.* Habes & Abacuc, [b] *Fluminibus diffrumpetur terra, videbunt te: & parturient populi: Diffperget aquas gressu; Dedit abyssus sonum suum; sublimitas timoris eius elata est: Sol & luna constitit in suo ordine, in lucem coruscationis tuæ ibunt in fulgorem: Fulgur scutum tuum, in comminatione tua diminues terram; & in indignatione tua depones Nationes.* Conueniunt, opinor, & Domini pronuntiationes & Prophetarum, de concussionibus mundi & orbis, elementorum & Nationum. Post hæc quid Dominus? [c] *Et tunc videbunt filium hominis venientem de cœlis cum plurima virtute.*

[a] Ioel.2. 30.
[b] Habac.3. 10.
[c] Luc.21. 27.

4. Et ibid. circa f.

IPsum decursum scripturæ Euangelicæ, ab interrogatione discipulorum vsque ad parabolam fici, ita inuenies contextu sensus filio hominis hinc atque illinc adhærere, vt in illum compingat & tristia & læta, & concussiones & promissiones; nec possis separare ab illo alteram partem. Vnius enim filii hominis aduentu constituto inter duos exitus, concussionum & promissionum, necesse est ad vnum pertineant filium hominis, & incommoda nationum, & vota sanctorum: quia ita positus est in medio, vt communis exitibus ambobus, alterum concluſurus aduentu suo, id est, incommoda Nationum; alterum incipiens, id est, vota sanctorum; vt siue mei Christi concesseris aduentum filii hominis, quo mala imminentia ei deputes, quæ aduentum eius antecedunt, cogaris etiam bona ei adscribere, quæ ab aduentu eius oriuntur; siue tui malueris, quo bona ei adscribas quæ ab aduentu eius oriuntur, cogaris mala quoque ei deputare, quæ aduentum eius antecedunt. Tam enim mala cohærent aduentui filii homini antecedendo, quàm & bona subsequendo. Quære igitur quem ex duobus Christis constituas in persona vnius filii hominis, in quem vtraque dispositio referatur. Aut & Creatorem optimum, aut Deum tuum asperum dedisti naturâ. In summa ipsius parabolæ considera exemplum: [a] *Adspice ficum, & arbores omnes, quum fructum protulerint, intelligunt homines æstatem adpropinquasse. Sic & vos, quum videritis hæc fieri, scitote in proximo esse regnum Dei.* Si enim fructificationes arbuscularum, signum æstiuo tempori præstant, antecedendo illud; proinde & conflictationes orbis, signum prænotant regni, præcedendo illud. Omne autem signum eius est cuius est res, cuius est signum. Et omni rei ab eo imponitur signum, cuius est res. Ita si conflictationes signa sunt regni, sicut fructificationes æstatis; ergo & regnum Creatoris est, cuius conflictationes deputantur, quæ signa sunt regni. Præmiserat oportere hæc fieri tam atrocia, tam dira, Deus optimus; certè à Prophetis & à Lege prædicata, adeo Legem & Prophetas non destruebat, quum quæ prædicauerant, confirmat perfici oportere.

[a] Luc.21. 30.

5. Iudicij signa terribilia prædicens Christus, se Dei seueri Christum ostendit. 4. cont. Marc. cap. 39. à p.

VIdeamus & quæ signa temporibus imponat. [a] *Bella*, opinor, *& regnum super regnum, & gentem super gentem, & pestem, & fames, terræque motus, & formidines, & prodigia de cælo*: quæ omnia seuero & atroci Deo congruunt. Hæc quum adiicit etiam, *oportere fieri*, quem se præstat? destructorem an probatorem Creatoris? cuius dispositiones confirmat impleri oportere, quas vt optimus tam tristes quàm atroces abstuliſſet potiùs quàm constituisset, si non ipsius fuissent.

[a] Luc. 21. 9.

IVDICII SIGNA. SCHOL. I. III. IV. V.

NON SINVNT, *non patiuntur interpretationem fieri de resurrectione animarum à morte peccati, sed aperte iuxta sonum litera debent exponi de resurrectione carnis: quam Valentiniani qui se ex semine spiritali erumdos blandiebantur, respuebant, & carnem Christo spiritalem tribuebant, nec aliam quã animæ resurrectionem admittebant. Hos animales vocat, quia carnem Christi animalem, sine spiritalem esse negabantur.* HIC IAM, *in hac vita sumi resurrectionem animæ emergentis & exsuscitatæ ex nocte & somno peccati, ad lucem & viram fidei & gratiæ; secundum* PAVLVM *dicentem:* surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. AVT AB EXCESSV, *id est, censendos eos resurrexisse, qui moriuntur peccato, & mundo, vt viuant Deo, & è medio Babylonis discedant, vt sanctam intrent Ierusalem.* TOTIVS SPEI, *gloriosæ resurrectionis, & consummatæ vtriusque hominis gloriæ.* TEMPORA FIXA, *à Scriptura Sacra certa & immobili, resurrectioni præfixa.* IN ADVENTVM, *pro in secundo Christi aduentu in iudicium.* DIEM IRÆ. *Sophon.1.14.* Iuxtà est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. NEC VLLI PRÆTER PATREM. *Matth.24.36.* De die autem illa & hora

nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater. SIGNIS ATQVE PORTENTIS. *Luc.* 21. 25. & erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium; præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, &c. DE TEMPLI EXITV, *de ruina eius, eruperant oracula.* COMMVNIVM, *tam Iudæis quàm gentibus.* DIRIGIT, *Ordinat. Luc.* 21. 20. Cùm videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquauit deſolatio eius', &c. quia dies vltionis hi ſunt, vt impleantur omnia quæ ſcripta ſunt, &c. & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes: & Ieruſalem calcabitur à gentibus, donec implcantur tempora nationum, *conuertendarum ſcilicet ad cultum Dei ad quem quoque iuxta Pſalterem*: diſperſiones Iſraelis congregabit, *& ſecundum Paulum*: reliquiæ Iſraelis ſaluæ fient. SECVNDVM IOELEM, *cap.* 2. 30. & dabo prodigia in cœlo, & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi, Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. 70. & illuſtris. ET DANIELEM *cap.* 7 13. Aſpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, &c. REFRIGESCENTIVM, *vel reſpicit illud Matth.* 24. & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, *vel illud Luc.* 21. 26. arescentibus hominibus præ timore & expectatione, *eorum omnium*, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. *Tranſlat. Syr.* complosio manuum præ ſtupore ſonitus maris: & commotio quæ eiiciet animas hominum præ timore eius quod inuaſurum eſt terram, *proſequitur textum Euangelij*, nam virtutes cœlorum mouebuntur: & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. His autem fieri incipientibus, reſpicite, *Syr. bono animo eſtote*, & leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra. CVIVS PARABOLA. *Matth.* 24. 32. Ab arbore autem fici diſcite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, *tranſlat. Syr. cùm rami tenereſcunt, & pullulant folia*, ſcitis quia propè eſt æſtas, ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſcitote, quia propè eſt in ianuis, *Syr. peruenisse ad portam. Portam inquam domus iudicij. Luc. autem* 21. 29. & dixit illis parabolam: videte ficulneam & omnes arbores: *Lucam magis quàm Matthæum hic ſecutus eſt, quia reliquæ arbores magis florent, quàm ficus. Licet enim Habacuc.* 3 17. *in Hebr. & vulgata legatur, ficus enim non florebit: 70. vertunt quia ficus non afferet fructum*, cùm producunt iam ex ſe fructum, *Syr. quæ cùm pullulauerint.* ſcitis quoniam propè eſt æſtas. Ita & vos cùm videritis hæc fieri ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei, &c. vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. OMNIBVS, *Prophetiæ iſtæ impletæ ante reſurrectionem.* IN AGNITIONE SACRAMENTI, *in fide myſterij iam quidem videtur fruticare iudicium, quod tunc verè floreſcet, fructificabit plenè, maturo tempore apparebit, dum Chriſtus iudex ſeipſum hominibus iudicem præſentabit.* QVIS ERGO, *niſi hæreticus & ſtultus.* DOMINVM, *Chriſtum*, ſedentem ad dexteram Patris, donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. TAM ACERBE, *alludit ad præcorem fructum iudicij, quem ante tempus, necdum impletis ſignis præcurſoribus iudicij, anticipant Valentiniani.* SECVNDVM ESAIAM, *cap.* 2. 19. Introibunt in ſpelunCas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere, 70. *frangere*, terram, *quæ tamen adhuc ſtat integra.* VELOCIOR PATRE, *qui differt vſque ad tempus Iudicij ſubiicere inimicorum Chriſti capita tanquam ſcabellum ſub pedibus eius, necdum enim hoc perficitur, imò è contrario plebs gentilis apud Præfectos clamitat, & depoſtulat Chriſtianos damnari ad beſtias, eſque luto viliores pedibus calcant.* CONSTITVTVM, *ſicut Angeli conſtituerunt, vel à Deo conſtitutum, Apoſtolis nunciauerunt, dicentes*: ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. *Vel vt habet tranſlat. Syr.* ſcandentem cœlos. AD HODIERNVM, *ſupple diem.* TRIBVS AD TRIBVM. *Zach.* 12. 10. & aſpicient ad me quem confixerunt, 70. aſpicient me pro eo quòd inſultauerunt, *& verſu* 12. & plangent terra familiæ & familiæ ſeorſum, 70. *autem*: & plangent terra per tribus tribus. EXCEPIT ELIAM. *Malach.* 4. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. BABYLONIS EXITVM. *Finem & ruinam.* ET EST IAM, *quaſi verò* inquit, *iam reſurrectio facta ſit, niſi iuxta mentem Valentiniani.* EXIIT PLANE. *Ironicè dicta. Inſultat hæretico dicenti iam reſurrectionem factam. Quaſi dici poſſit reſurrexiſſe iam de ſepulcro incorruptibilis qui tot morbis corporis adhuc eſt obnoxius, iam diabolum conculcauerit, qui non modo*, aduerſus carnem & ſanguinem, ſed & inſuper aduerſus rectores, & poteſtates tenebrarum harum quotidie colluctatur: *quaſi regnet omnis ſeruitutis excuſſo iugo, qui etiamnum tributum Cæſari perſoluit.*

3. TEMPORE EXCIDII, *vide dicta Scholio præcedenti.* VIRES HABEANT, *virtutes cœlorum debeant. commoueri.* ACCIPE IOELEM, *locum habes ſupra.* ABACVC, *cap.* 3. 10. fluuios ſcindes terræ, viderunt te & doluerunt montes: gurges aquarum tranſiit, dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas leuauit. Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo in luce ſagittarum tuarum, ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. In fremitu conculcabis terram, in furore obſtupefacies gentes, 7. *paulò aliter* fluuiorum ſcindetur terra, videbunt te & dolebunt *ſine parturient, ibi enim dolores vt parturientis, & væ prægnantibus in illis diebus*, populi: diſpergens aquas itineris, dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo phantaſiæ eius. Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo. In luce iacula tua ibunt, in ſplendore coruſcationis armorum tuorum. In comminatione imminues terram, & in furore detrahes gentes. VENIENTEM DE CŒLIS, *Luc.* 21. 27. & tunc videbunt filium hominis venientem in nube, *Syr. in nubibus cum virtute multa, magnaque gloria*, cum poteſtate magna & maieſtate.

4. AB INTERROGATIONE. *Luc.* 21. 7. Interrogauerunt autem illum dicentes: præceptor, quando hæc erunt, & quod ſignum cùm fieri incipient? ET TRISTIA ET LÆTA, *contra Marcionem hic ex contextu Euangelij Lucæ, non duos Chriſtos, ſed vnicum probat, iudicem, bona & mala futura præmittentem & cominantem.* EXITIBVS, *duobus extremis.* INCOMMODA NATIONVM, *bella inuicem gerentium, vel incommoda quæ ſub extremis temporibus fideles patientur à Gentilibus.* VOTA SANCTORVM, *quibus electi ſuſpirant, & cum Paulo*, ingemiſcunt expectantes redemptionem corporis ſui, *in glorioſa reſurrectione.* MEI CHRISTI, *quem vt Dei Creatoris filium iudicem colo & expeto, à quo prædicta tot mala iudicium præcurrentia imminere hominibus.* VTRAQVE DISPOSITIO, *diſpenſatio & diſtributio futura bonorum & malorum, vni eidemque Chriſto ſic congruunt, vt ſi bona promiſſa Chriſto tuo & Dei tui boni filio arrogare velis, eum quoque malorum intentatorem, inſtumque vindicem fatearis oportet, cùm Lucas indiſcriminatim vtraque vni Chriſto conuenire deſcribat. Alias Deum noſtrum Creatorem bona per ſuum Chriſtum promittentem admittas, & tuum concedas na-*

tura

curâ asperum & vindicem qui tot mala orbi comminetur. ADEO LEGEM, *&c. ex signis iudicij regnum Dei præcedentibus, quò absolutè Christus Rex viuorum & mortuorum dominabitur, in quod suspirant omnium fidelium vota, dicentium,* Adueniat regnum tuum; *quæ signa in veteri lege à Prophetis prædicta, Christus in Euangelio Luca inculcat; nusquam, vt voluit Marcion, agnoscitur venisse ab alio Deo quàm Creatore; cùm vsque ad extremum mundi terminum, etiam in secundo Aduentu legem & Prophetas sit impleturus; quos proinde adificauit magè quam destruxit.*

5. BELLA OPINOR, *quæ tempora iudicij præcedent. Luc.21.9.* Cùm autem audieritis prœlia & seditiones, nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis, *scilicet mundi veniet*, tunc dicebat illis: surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum; & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. *Translat. Syr.* Magnæque tempestates erunt, & signa magna è cœlo apparebunt. QVEM SE PRÆSTAT. *Cuius Dei filium se esse probat Christum opera Dei Creatoris vltoris approbans, tanquam sapienter ordinata & disposita; dum ait:* oportet primùm hæc fieri, *nonne vel in hoc se Dei Creatoris filium esse declarat, dum tam funestos approbat euentus: qui profectò si Dei Marcionis optimi filium fuisset, eos potius abstulisset, & euentum eorum impedisset, quàm confirmasset, si ab ipso ordinati non fuissent.*

Totum hunc Tertulliani discursum, & Scripturæ testimonia de signis ante cursoribus extremi iudicij, decurrit Augustinus Epist. 80. ad Hesychium, ad quam remitto lectorem ob nimiam eius prolixitatem ex qua paucula
Aug. *excerpo.* Quod, *inquit*, de signis Euangelicis & Propheticis quæ fieri cernimus, propinquum Domini aduentum sperare debeamus, quis negat? quotidie quippe magis, magisque fit proximus. Sed quanto intervallo propinquet hoc, dictum est, non est vestrum scire. Vide quando dixit Apostolus; nunc est propior nostra salus quàm cũ credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Ecce quot anni transierunt, nec tamen quod dixit factum est. Quantò magis nunc dicendum est appropinquare Domini aduentum quando tantus est ad finem factus accessus? &c. *ibidem de interrogatione discipulorum.*
Aug. Interrogantibus, *inquit*, Dominus ea respondit, quæ tam ex illo tẽpore fuerant secutura: siue de excidio Ierusalem, inde orta est ipsius interrogationis occasio; siue de Aduentu suo per Ecclesiam, in quâ vsque ad finem venire non cessat, in suis enim veniens agnoscitur, dum eius quotidie membra nascuntur: de quo aduentu ait: amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus. De quibus nubibus dictum est per Prophetam: Mandabo nubibus meis ne pluant super eam: siue de ipso fine, in quo apparebit viuos iudicaturus & mortuos. Cùm itaque signa dicat quæ ad ista tria pertinent, id est, ad excidium illius ciuitatis: ad aduentum eius in corpore suo quod est Ecclesia, ad aduentum eius in capite Ecclesiæ quod est ipse: quod eorum signorum, ad quod horum trium referendum sit, diligenti consideratione cernendum est: ne fortè quod pertinet ad euersionem Ierusalem, ad finem sæculi referendum putemus; aut è contrario, quod ad finem sęculi pertinet, affirmemus ad ciuitatis illius excidium pertinere, aut quod pertinet ad eius aduentum in corpore suo quod est Ecclesia, dicamus pertinere ad eius aduentum nouissimum in corpore suo quod est caput Ecclesiæ, &c. *Cùm verò dixisset de Sole, Luna, &c.* Hęc,
Aug. *inquit*, in Ecclesia melius existimo intelligi, ne Dominus Iesus appropinquante secundo aduentu suo

ea pro magno prædixisse videatur, quæ huic mundo & ante primum eius aduentum consueuerant euenire, & irrideamur ab eis, qui hæc quæ velut nouissima & omnium maxima horrescimus, plura in historia Gentium, & multò maiora legerunt, *paulò supra dixerat: nonne si Gentium legatur historia tanta mira reperiuntur extitisse de cælo terraque, vt aliqua etiam non credantur? Sed vt multa omittam quæ prosequi longum est, duos Soles quando nos vidimus? Quos visos literis mandauerunt, qui tunc fuerunt antequam Dominus venisset in carne,* Ecclesia est enim Sol, & Luna, S.Aug. & stellæ, cui dictum est: speciosa sicut Luna, electa sicut Sol ab hac adoratur Ioseph noster in hoc mundo velut in Ægypto, ex humillimo sublimatus. Nam illum Ioseph mater certè adorare non potuit, quæ ante defuncta est quàm Iacob venisset ad filium; vt illius somnij Prophetici veritas adimplenda Christo Domino seruaretur. Quando enim Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellę, &c. Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus, *sub Antichristo*, vltra modum sæuientibus, & remoto timore, tanquam arridente mundi fœlicitate dicentibus, pax & securitas: tunc stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur, quoniam multi qui gratiâ fulgere videbantur, persequentibus cedent, & cadent; & quidam fideles firmissimi turbabuntur, *de arescentibus autem præ timore, &c. ibidem.* Inter quæ tamen, *inquit*, mala adhuc vsqu equa- S.Aug. que frequentantur luxuriosa conuiuia, feruet ebriositas, auaritia grassatur, perstrepunt lasciui cantus, organa, tibiæ, lyræ, citharæ, tesseræ, multa & varia genera sonorum atque ludorum. Hoccine est arescere præ timore, an potiùs madescere præ libidine? Sed hæc filij tenebrarum abundantiùs habebunt & exercebunt: cùm dixerint, pax & securitas. Quid ipsi filij lucis, & filij Dei, qui non sunt in tenebris, vt eos tanquam fur dies ille non comprehendat? Nonne adhuc vtuntur hoc mundo tanquam non vtentes? quia etsi ante multos annos Apostolorum temporibus dictum est, piâ tamen solicitudine cogitant quod dictum est: tempus breue est. *De filio hominis veniente in nube:* duobus, *inquit*, modis video ac- S Aug. cipi posse, siue in Ecclesia tanquam in nube venientem, &c. Sed ideo tunc cum potestate magna & maiestate, quia maior potestas & maiestas illius apparebit sanctis quibus magnam virtutem dabit, ne tantâ persecutione vincantur: siue in corpore suo, in quò sedet ad dexteram Patris, in quo etiam mortuus est & resurrexit; & ascendit in cœlum, secundum quod scriptũ est in Act. Apost. &c. sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum; meritò credendus est non solùm in eodem corpore, verum etiam in nube venturus: quoniam sic veniet, sicut abiit, & nubes eum susćepit abeuntem. *De tuba mortuos excitante, deque nube in qua Christus sedebit iudicans, eloquenter Augustinus Ser. 180. de temp. qui est septimus de Ascensione.* Sic veniet quemadmodum S.Aug. vidistis eum euntem in cœlum. Profectus est desiderabilis, non veniet vobis terribilis; nubes in occursu, nubes in reditu. Vulnera portauit, ipsa iterum reportabit. Crucem retulit cum triumpho, signum filij hominis vobis parebit in cœlo: sic veniet, in ipso corpore, in ipsa nube, in ipsa veritate: vobis in amore, impiis in tremore. Beai quibus verè dicitur, sic veniet, &c. nunquid sic veniet oculis peccatorum? ipsa erit veritas, sed non erit ipsa securitas. Dies erit tremendi iudicij, descensus Angelorum, resurrectio mortuorum. Descendent Angeli, & quodam digito tubę sonantis tangent sepulcra terræ trementis, vt pignora restituant, *corporum credita, &c.*

S.Aug. *depoſita* throno igneo iudicantis. Aſcendent Angeli ad ſepulchra Prophetarum, & ipſorum Apoſtolorum, omniumque Sanctorum, & dicent eis: ecce eſt qui ſic iterum redit, quomodo aſcendit. Nos diximus, quia ſic veniet quomodo eum vidiſtis euntem in cœlum: qui deduxiſtis euntem, ſuſcipite redeuntem, *to. autem* 10. *Ser.* 40. *de Sanctis: qui eſt tertius de animabus fidelium defunctorum, in quo tractat de extremo iudicio:* in illa die, *inquit*, plangent ſuper
* S.Aug. ſe omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis A venientem in nubibus cœli cum virtute magna & maieſtate excelſa, & commouebitur ante eum terra, & peccatores peribunt, & cœlum plicabitur, & mare ſiccabitur, & montes ſicut terra ardebunt, & terra vſque ad inferos. Sol conuertetur in tenebras, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo in terram, & virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc apparebit ſignum filij hominis, quod eſt crux Chriſti, in cuius lumine tenebrabitur totus mundus.

6. Iudicij tubam, hæretici malè intelligunt Verbi Prædicationem. De Reſur. cap. 24. à p.

a 1. Theſſ. 4.16. *IPſe Dominus in iuſſu & in voce archangeli & tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui in Chriſto primi reſurgent: deinde nos qui viuimus: qui ſimul cum illis tollemur in nubibus obuiam Chriſto in aërem, & ita ſemper cum Domino erimus.* Quæ vox archangeli, quæ tuba Dei audita iam? niſi fortè in cubiculis hæreticorum? Nam etſi tuba Dei, euangelicus ſermo dici poteſt, qui illos iam vocaret; ſed aut mortui erunt iam corporaliter, vt reſurrexerint, & quomodo viuunt? aut in nubes erepti; & quomodo hîc ſunt? miſerrimi reuerà, vt Apoſtolus pronuntiauit, qui in
2. Tim. 1. 18 iſta tantùm vita ſperantes habebuntur; excludendo, dum præripiunt, quod poſt illam repromittitur; fruſtrati circa veritatem, non minùs quàm Phygellus & Hermogenes.

IVDICII TVBAM. SCHOL. VI.

IPSE DOMINVS 1. *Theſſ.* 4. 16. Ipſe Dominus, *Syr. noſter*, in iuſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus. AVDITA IAM, *ridet Valentinianos, alioſque ſimiles dicentes, vel iam factam eſſe reſurrectionem, cum quæ eam iuxta Scripturam præcedere debent, ſicut vox & tuba de qua hîc Paulus, nondum impleta fuerint: vel nullam aliam præter animæ à morte peccati reſurrectionem admittunt.* IN CVBICVLIS, *carpit clanculariam, & ſumme ſilentio commendatas Valentini diſciplinas & fabulas.* EVANGELICVS SERMO, *de quo Propheta dicit*, clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. VT RESVRREXERINT, *adeo vt iam ex mortuis redierint ſuſcitati.* ET QVOMODO VIVVNT? *Supple, adhuc poſt reſurrectionem miſeriis vitæ mortalis oppreſſi, qui inter eos computati ſunt, in quantum aliam & beatam, & immortalem reſurrectionem & vitam æternam non expectant, ſtultè & præpropere vſurpantes reſurrectionem; inter eos de quibus Paulus.* 1. *Cor.* 15. 19. Si in hac vita tantùm, in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. FRVSTRATI, *ſpe ſcilicet, quam dat nobis Scriptura diuina.* PHYGELLVS ET HERMOGENES. 2. *Tim.* 1. 15. Scis hoc, quòd auerſi ſunt à me omnes qui in Aſia ſunt, ex quibus eſt Phygellus & Hermogenes, *nota ibidem paulò ſupra egiſſe de incorruptione æternæ vitæ, vbi de Chriſto verſu* 10. qui deſtruxit quidem mortem, D illuminauit, *Syr. patefecit*, autem vitam & incorruptionem per Euangelium: in quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & Magiſter Gentium. Ob quam cauſam etiam hæc patior, *ſicut dicit in Actis: de reſurrectione mortuorum ego iudicor*, ſed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meũ ſeruare, *corpus in tumulo poſitum, & tabernaculum carnis in ſepulchro depoſitum*, in illum diem, *reſurrectionis. De vtraque tuba tam prædicationis, quàm iudicij hæc ab Auguſtino decerpo. De*
S.Aug. *prima quidem, Ser.* 106. *de temp. vbi de muris Hiericho euerſis ad ſonitum tubarum.* Clamare, *inquit*, iubemur & vehementer clamare. Ne parcas, inquit, *ſic enim Eſa.* 58. *apud* 70. *pro eo quod habet vulgata, ne ceſſes*, id eſt peccatoris iniquitati, ne tacendo pereas, B & dum verecundiæ eius conſulis, non conſulas ſanitati; ne vulnera illius quę clamando reſecare poteras, reticendo in peius enutrias, &c. Scitis quod tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quàm terroris: non tam delectationem præferre, quàm inferre formidinem. Tuba itaque peccatoribus neceſſaria eſt, quæ non ſolùm aures eorum penetret, ſed & cor concutiat: nec delectet cantu, ſed caſtiget auditu; & ſtrenuos quoſque hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis. Nam ſicut in prœlio tuba formidoloſi militis mentem deiicit, & animum fortis accendit: ita & Sacerdotalis tuba mentem peccatoris humiliat, animos viri ſancti corroborat. Nec parcit voci, vt parcat ſaluti, & vno eodemque ſono, iſti adhortationem dat quemadmodum ſit fortior ad C vincendum. Illi terrorem incutit, quemadmodum ſit tardior ad peccandum. *De tuba autem iudicij, quam prædicator velut Archangelus ſumma nuntians, peccatorum auribus frequenter perſonare debet, ita idem Auguſtinus Ser.* 54. *de temp. circa f.* Cùm, *inquit*, ad illam Aug. Archangeli tubam omni buccinâ clariorem totus ſimul cœperit mugire mundus; cùm, ſicut dicit Propheta, venerit Dominus ponere orbem terræ deſertum, & peccatores perdere ex eo: quando, ſicut dicit ſcriptura, peccatores & impij mittentur in ſtagnum ignis, & fumus tormentorum illorum aſcendet in ſęcula ſæculorum. Qui tunc tremor, quæ caligo, quæ tenebræ criminoſos quoſque negligentes, ac reprobos trepidos occupabunt? Ne ergo & nos in iſtum veniamus cruciatum animæ, expergiſcamur, *à ſomno & morte peccati hoc tubæ ſono reſurgamus*, D dum corrigendi tempus eſt, &c. ſimplicitatem columbæ & caſtitatem turturis præferentes, ſpiritalibus virtutum pennis releuemur in cœlum, ſecundum illud quod ait Apoſtolus: ſimul, *inquit*, rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus, *& in Pſal.* 80. Buccinate in Neomenia tuba. Neomenia noua Luna, noua vita eſt, Aug. *ecce noua facio omnia*, cum tota fiducia nouam vitam prædicate, ſtrepitum vitæ veteris nolite metuere. Quia præceptum ipſi Iſrael eſt, &c. vbi præceptum, ibi iudicium. Qui enim in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. *Iudicem autem tuba præcedet, vocans mortuos ad iudicium in quò*, legis factores iuſtificabuntur, *tranſgreſſores verò punientur.*

7. Iudicium per ignem, manens ethnicos Deum ex operibus ignorantes Iudæos, & Christianos Euangelio rebelles, Marcion erasit ex Paulo. 5. Cont. Marc. cap. 16. in p. ad m.

COgimur quædam identidem iterare, vt cohærentia eis confirmemus, Dominum & hîc retributorem vtriusque meriti, dicimus circumferri ab Apostolo, aut Creatorem, aut (quod nolit Marcion) parem Creatoris, apud quem iustum sit afflictatoribus nostris rependi afflictationem; & nobis qui afflictemur requietem, in reuelatione Domini Iesu venientis à cœlo cum angelis virtutis suæ, & in flamma ignis. Sed flammam & ignem delendo hæreticus extinxit, ne scilicet nostratem Deum faceret. Lucet tamen vanitas lituræ. Cùm enim ad vltionem venturum scribat Apostolus Dominum exigendam de eis qui Deum ignorent, & qui non obaudiant Euangelio, quos ait [a] *pœnam luituros, exitialem, æternam, à facie Domini, & à gloria valentiæ eius*: sequitur vt flammam ignis inducat; scilicet veniens ad puniendum; ita & in hoc, nolente Marcione, crematoris Dei Christus est, & in illo Creatoris est, quod etiam de ignorantibus Dominum vlciscitur, id est de ethnicis. Seorsum enim posuit Euangelio non obaudientes, siue Christianos peccatores, siue Iudæos. Porrò de ethnicis exigere pœnas, qui Euangelium fortè non norint, non est Dei eius, qui naturaliter sit ignotus, nec vsquam nisi in Euangelio sit reuelatus, non omnibus scibilis. Creatori autem etiam naturalis agnitio debetur ex operibus intelligendo, & exinde in pleniorem notitiam requirendo. Illius est ergo etiam ignorantes Deum plectere, quem non liceat ignorari. Ipsum quod ait, *à facie Domini & à gloria valentiæ eius*, verbis vsus Esaiæ, ex ipsa causa, eundem sapit Dominum [b] *consurgentem, vt comminuat terram.*

2. Thess. 1. 7.

[a] Ibid. 8. & 9.

[b] Esa. 2. 19.

IVDICIVM PER IGNEM. VII. SCHOL.

COGIMVR IDENTIDEM. *Frequenter obligamur aliqua retexere vt alia quæ cum ipsis connexa sunt confirmemus.* VTRIVSQVE MERITI, *vt vnicuique reddat iustus iudex secundum propria merita.* CIRCVMFERRI, *vbique in suis Epistolis prædicari Christum eiusque Patrem, non tantum bonum & misericordem, sed & quidquid contra sentiat Marcion, peccatorum vindicem, qualem nos Deum Creatorem credimus. Vnde & fateri cogitur Deum à Paulo prædicatum, vel ipsissimum esse sicuti verè est, Creatorem, vel similem Creatori, nec sanè summodo misericordem & bonum, sed etiam iustum, qui affligentes nos affligat, & requiem nobis æternam retribuat post huius vitæ ærumnosa labores, cùm Christus venerit in iudicio manifestus. Ita enim Paulus* 2. *Thess.* 1. 3. *& seq.* Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita vt dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrûm, itavt & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus quas sustinetis. In exemplum iusti iudicij Dei, *Syr. ad demonstrationem*, vt digni habeamini in regno Dei, *Syr. regno Dei*, pro quo & patimini. Si tamen iustum est, *siquidem iustum est*, apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu, de cœlo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. EXTINXIT. *Marcion frustra erasit hæc duo verba*, flammam & ignem, *non enim minus etiam illa erasis, manet Pauli sententia Christum vltorem, proindeque Deo Creatori similem asserentis.* INDVCAT. *Supple Christus.* CREMATORIS DEI, *per ignem concremantem vindicis, Christus est filius. Et in hoc ipso quod de Gentilibus Deum verum Creatorem ignorantibus pœnas exigit, eiusdem Creatoris filius esse probatur, cuius gloriæ sit zelator. Ergo, tam Iudæorum & Christianorum qui Euangelio prædicato sibi* A *inobedientes fuerint, & Gentilium qui fortè de eo nihil audierint, sed lumini rationis restiterint, Christus est iudex. Subtiliter autem Tertullianus Marcionem aggreditur, probans zelum Christi contra ignorantes Deum, non posse exerceri contra ignorantes Deum illum nouum quem ipse colit, nullis omnino operibus, aut prophetia notum; sed Deum tueri Creatorem cuius attributa inuisibilia, per opera visibilia omnibus, etiam Gentilibus innotescunt, ita vt sint inexcusabiles.* NISI IN EVANGELIO, *qui Deus Marcionis, priùs quàm Euangelium Marcionis ederetur omnino cognosci, & sciri non potuit.* IN PLENIOREM NOTITIAM. *Ex lumine naturæ, ad lumen fidei per Dei vocantis gratiam procedendo.* VERBIS VSVS ESAIÆ. *Eo ipso quod Paulus vtitur verbis* B *Prophetæ veteris testamenti, satis ostendit se esse eiusdem Dei Creatoris Apostolum, Christumque eiusdem filium. Locum habes Isaiæ Scholio secundo supra. De iudicio in flamma ignis, sæpius egit Psaltes.* Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis Psal. 20. *in quem locum breuiter Augustinus.* Dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Inueniatur, *inquit*, ô Rex, potestas tua cùm ad iudicandum veneris, omnibus inimicis tuis, qui eam in humilitate tua non intellexerunt. Claritas quâ regnas ad dexteram Patris, inueniat in die iudicij puniendos omnes qui te oderunt, quia nunc ipsi C non inuenerunt eam. Pones eos vt clibanum ignis. Constitues eos ardentes intrinsecus conscientiâ impietatis suæ. In tempore vultus tui, in tempore manifestationis tuæ. Dominus in ira sua conturbabit eos, &c. Deinde conturbati vindictâ Domini, post accusationem conscientiæ, dabuntur igni æterno deuorandi. *Idem Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 24. de clibano fumante transeunte inter animalia diuisa ab Abraham in pacto quod cum Deo contraxit.* Quod adiungitur: cùm autem iam sol erat ad occasum, flamma facta est, & ecce fornax fumabunda, & lampades ignis quæ transierunt per media diuisa illa: significat iam in fine sæculi per ignem iudicandos esse carnales.

S. Aug.

S. Aug.

by Google

Sicut enim afflictio Ciuitatis Dei qualis antea nunquàm fuit, quæ ſub Antichriſto futura ſperatur, ſignificatur tenebroſo timore Abrahæ circa Solis occaſum, id eſt propinquante iam fine ſæculi: ſic ad Solis occaſum, id eſt ad ipſum iam finem, ſignificatur iſto igne dies iudicii dirimens carnales per ignem ſaluandos, & in igne damnandos. *Et Ser. 54. de temp.* S. Aug. *ex eodem loco Gen. 15.* Veſpera, *inquit*, illa finem mundi ſignificauit, animalia illa typum omnium gentium in Chriſto credentium prætulerunt. Quæ tamen gentes quia in ſe non ſolùm carnales, *per animalia terreſtria expreſſos*, ſed etiam ſpiritales, *per aues ſignificatos*, id eſt non ſolùm bonos, ſed etiam malos habent, ideo animalia illa diuiſa ſunt, & ignis tranſiuit per ea ſecundùm illud quod dicit Apoſtolus, 1. Cor. 3. dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Clibanus ille ardens & fumans, & lampas ignis, diem iudicii figurauit. Et ideo ſuper A beatum Abraham timor & horror tenebroſus incubuit. Vnde intelligimus, quòd ſi in die iudicii vix iuſtus ſaluabitur, peccator & impius vbi parebunt? 1. Petri 4. Clibanus ergo ardens & fumans ſignificauit diem iudicii: diem, inquam, iudicii in quo erit fletus & ſtridor dentium: in quo erit vlulatus & lamentatio, & tarda pœnitentia: quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vſque ad inferos deorſum: quando ſicut dicit B. Petrus 2. 3. Cœli ardentes ſoluentur, elementa ignis ardore tabeſcent. Quando ſicut Dominus ipſe in Euangelio dicit, etiam virtutes cœlorum commouebuntur. Quando Sol obſcurabitur, &c. vbi ſe tunc impii videbunt, vbi adulteri, vbi ebrioſi, vbi maledici ſe recognoſcent? vbi amatores luxuriæ, vbi raptores, vbi ſuperbi & inuidi apparebunt? quid infœlices pro ſua defenſione dicturi ſunt, quos toties admonitos, & tamen imparatos dies ille reperierit?

IVDICII TEMPVS.

1. Iudicium, & proinde Regnum Dei iam propinquum, ſupponit remotum in veteri lege. 4. Cont. Marc. cap. 24. à m.

Luc. 10. 9. REgnum Dei, neque nouum neque inauditum, ſic quoque confirmauit, dum illud iubet annuntiari adpropinquaſſe. Quod enim longè fuerit aliquando, id poteſt dici adpropinquaſſe. Si autem nunquam retro fuiſſet, antequam adpropinquaſſet, nec dici potuiſſet adpropinquaſſe, quod nunquam longè fuiſſet. Omne quod nouum, & incognitum eſt, ſubitum eſt. Omne quod ſubitum eſt, quum annuntiatur, tunc primum ſpeciem inducens, tunc primùm accipit tempus. Ceterùm, nec retrò tardaſſe poterit, quamdiu non annuntiabatur; nec ex quo annuntiari cœperit, adpropinquaſſe. Etiam adjicit, vt eis qui illos non recepiſ- a Luc. 10. 11 ſent, dicerent; a *Scitote tamen adpropinquaſſe regnum Dei.* Si hoc non & comminationis gratiâ mandat, vaniſſimè mandat. Quid enim ad illos ſi adpropinquaret regnum, niſi quia cum iudicio adpropinquat? in ſalutem ſcilicet eorum, qui annuntiationem eius recepiſſent. Quomodo? ſi comminatio non poteſt ſine executione, habes Deum executorem, & comminatorem, & iudicem in vtroque.

2. Iudicij tempus erit, vel in Paſchate, vel in Pentecoſte. De Bapt. cap. 19.

V. Verbum Spiritus ſancti gratia, &c. Num. 10.

IVDICII TEMPVS. I. SCHOL.

NEQVE NOVVM. *Vt fingit Marcion, cùm longè ante Euangelium, fuerit in veteri teſtamento prænuntiatum iudicium, in quo Chriſtus plenum acceptus eſt & manifeſtum ſuper omnes Reges, & Principes regnum & principatum.* SPECIEM INDVCENS. *Sumens exiſtentiam, eamque manifeſtans.* RETRO TARDASSE. *Prius, antea, dilatum & retardatum fuiſſe.* SCITOTE TAMEN. *Luc.* 10. 9. Dicite illis: appropinquauit in vos, *Syr. ad vos*, regnum Dei. In quamcumque autem ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem qui adhęſit nobis de ciuitate veſtra extergimus in vos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquauit, *Syr. ad vos*, regnum Dei. Dico vobis quia Sodomis in die illa remiſſius erit quàm illi ciuitati. SINE EXECVTIONE. *Vanè enim & fruſtra comminaretur regnum Dei, hoc eſt iudicium, in quo iuxta Paulum*, Viuorum & mortuorum dominabitur, *appropinquare; niſi quod comminatur, etiam ſententiâ definitiuâ in reprobos ferendâ executurus eſſet.* IN VTROQVE. *Id eſt tam comminando, quàm exequendo; vel in introitu & exitu ciuitatis, admonendo ciues de propinquo aduentu ſuo ad iudicium. De quo & longè antè Moyſes, vltima tempora præcinens, Deut.* 32. Iuxta eſt dies vltionis, & adeſſe feſtinant tempora. *Quæ quidem quantò magis tardant,* B *tantò maiori impetu incautos inuadent. Sic enim de appropinquante regno & iudicio Pſaltes admonitos electos & dilectos Dei aduertit,* 59. 6. Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus. Per tri- Aug. bulationes, *inquit*, temporales ſignificaſti tuis fugere ab ira ignis ſempiterni. Dicit enim Apoſtolus Petrus 1. 4. tempus eſt vt iudicium incipiat à domo Dei. Et ſi initium à nobis, qualis finis erit eis qui non credunt Dei Euangelio? & ſi iuſtus vix, &c. quid ergo futurum eſt in iudicio? arcus eſt extentus, adhuc in comminatione eſt, nondum in præſentatione. Et videte quid ſit in arcu. Nonne ſagitta in priora mittenda eſt? Neruus tamen retrò extendi- C tur in contrarium, quàm illa mittenda eſt: & quantò plùs erit eius extenſio retrorſum, tantò maiore impetu illa currit in priora. Quid eſt quod dixi? quantò magis differtur iudicium, tantò maiore impetu venturum eſt. Ergo de temporalibus tribulationibus gratias Deo agamus qui dedit plebi ſuæ ſignificationem, vt fugiat à facie arcus: vt exercitati fideles eius in tribulationibus temporalibus, digni ſint euadere damnationem ignis æterni, quæ inuentura eſt omnes qui iſta non credunt. *De eodem arcu in Pſalm.* 58. Intendit arcum ſuum donec infirmentur. Minæ, *in-* Aug. *quit*, Dei non ceſſant. Arcus Dei, minæ Dei. Inten-

Digitized by Google

ditur arcus; nondum ferit. Intendit arcum suum donec infirmentur: & multi infirmati sunt, ipsius intentione arcus territi. Nam hinc infirmatus est ille qui dixit: quid me iubes facere? Ego sum, inquit, Iesus Nazarenus quem tu persequeris, qui clamabat de cœlo arcum tendebat. Multi ergo qui fuerant inimici, infirmati sunt & conuersi. Noluerunt erigere diu ceruices suas aduersùs perseuerantiam extenti arcus.

A

* *3. Iudicij sub tempus, mulieribus nuptias repetentibus malè scriptura ominatur. De Monog. cap. 16. in f.*

NVbant igitur huiusmodi in finem vsque, vt in ista confusione carnis, sicut Sodoma & Gomorra, & diluuij dies ab illo vltimo exitu sæculi deprehendantur. Adjiciunt tertium dictum, [a] *manducemus, & bibamus: & nubamus: cras enim moriemur.* Non recogitantes, [b] *væ illud prægnantibus & lactantibus*, multò grauius & amarius euenturum in concussione totius mundi, quàm euenit in vastatione vnius particulæ Iudææ. Satis opportunos nouissimis temporibus fructus iteratis matrimoniis colligant, vbera fluitantia, & vteros nauseantes, & infantes pipiantes. Parent Antichristo, in quæ libidinosius sæuiat. Adducet illis carnifices obstetrices.

Matth. 24. 38.
a 1. Cor. 15. 32.
b Luc. 21. 23.

IVDICII SVB TEMPVS. III. SCHOL.

NVBANT. *Ironicè dicta, quin etiam insultanter, iuxta errorem suum à nobis refutatum in Alphabeto errorum; Verbo Nuptiæ secundæ.* CONFVSIONE CARNIS. *Quasi erubescenda sint secundæ nuptiæ, ob commixtionem* duorum in vnam carnem. SICVT SODOMA. *Proh pudor, vt non modò stupro, sed & Sodomiæ comparet iterata matrimonia. In hoc abutens loco Matth. 24. 37. & seq.* Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noë ad Arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. TERTIVM DICTVM. *Epicuri dignum, nempe*, nubamus, *alia duo retulit Paulus 1. Cor. 15. 32.* Si secundùm hominem ad bestias pugnaui Ephesi; *id est nullam aliam vitam sperans, quam Gentilis gladiator Amphitheatri*, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. *Quem locum Aug. tractat Ser. de resur. mort. cap. 1.* Animaduertimus, *inquit*, cùm Aug. Apostoli Epistola legeretur, laudabilem motum fidei, charitatisque vestræ: quemadmodum exhorrueritis homines, qui putâtes hanc solam esse vitam, quam cũ pecoribus habemus cõmunem: post mortem autem finiri totũ quod est hominis, nec esse vllam spem vitæ vlterius melioris: pruritum malarum aurium corrumpentes dicunt: manducemus & bibamus, &c. Et quod est perniciosius, de sepulto mortuo argumentum sepeliendi cordis assumitur, & dicitur. Aug. Manducemus, &c. *& cap. 6.* irrident etiam fidem asserentium surrecturos esse mortuos, dicentes sibi: Ecce iste positus est in sepulchro, audiatur vox illius; sed huius non potest. Patris mei vocem audiam, aui mei, proaui. Quis inde surrexit? quis indicauit quid agatur apud inferos? Benè nobis faciemus cùm viuimus, &c. Si pater tuus resurgeret, crederes: Dominus omnium resurrexit, & non credis? vnde enim ita voluit mori & resurgere, nisi vt omnes vni crederemus, ne à multis deciperemur? Et quid faceret pater tuus si resurgeret, & loqueretur? VÆ ILLVD. *Luc. 21. 23.* Væ autem prægnantibus & nutrientibus, *Syr. quæ lactantes fuerint*, in illis diebus: erit enim pressura magna super terram & ira populo huic. *Aug. Ser. 20. de Verbis Dom. in hunc locum:* quotiescumque vobis Euangelica lectio recitata fuerit, in qua dicit, væ prægnantibus, &c. Non hoc de mulieribus legitimos viros habentibus credite. *Sic cadit Tertulliani error.* Quid enim mali fecit mulier, quæ de proprio marito concepit? quare illi in die iudicii malè erit quæ hoc fecit, quę Deus iussit? Non ergo de mulieribus quæ iustè concipiunt & pariunt, hoc credendum est; sed de illis quos supra diximus, qui iniustè concupiscendo rem alienam, imprægnati esse videntur; de quibus scriptum legimus concepit dolorem & peperit iniquitatem. VNIVS PARTICVLÆ, *vrbis Ierusalem.* SATIS OPORTVNOS. *Ironicè dicta.* VBERA FLVITANTIA, *præ pondere lactis.* VTEROS NAVSEANTES. *Sic enim se habent prægnantes vt cibos quosque meliores fastidiant, noxios appetant.* PIPIANTES. *Verbum exprimens vagitum & clamorem querulum, & plorabundum infantum.* LIBIDINOSIVS, *voluptatem in sæuiendo ferocem impleat.* CARNIFICES OBSTETRICES. *Crudelior quippe erit ipso Pharaone mandante obstetricibus infanticidia Hebræorum: vel carnifices secum ducet, qui vteros matrum gladiis aperiant ad præcocem exitum infantum. Vel recens natos velut alter Herodes occidant.*

A
B
C

4. Iudicij dies occultus præuenietur ab Antichristo, & Romani Imperij defectu. De Resur. cap. 24. à m. ad f.

MAiestas Spiritus sancti perspicax eiusmodi sensuum, & in ipsa ad Thessalonicenses epistola suggerit; [a] *De temporibus autem & temporum spatijs, fratres, non est necessitas scribendi vobis: ipsi enim certissimè scitis quod dies Domini, quasi fur nocte, ita aduenict: quum dicent, Pax; &, Tuta sunt omnia; tunc illis repentinus insistet interitus.* Et in secunda, pleniore sollicitudine ad eosdem; [b] *Obsecro autem vos, fratres, per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & congregationem nostram ad illum, ne citò commoueamini animo, neque turbemini, neque per spiritum, neque per sermonem*, scilicet pseudoprophetarum; *neque per epistolam*, scilicet pseudapostolum, *ac si per nostram, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi veniat abscessio primò, huius vtique regni, & reueletur delinquentiæ homo*, id est Antichristus, *filius perditionis, qui aduersatur, & superextollitur in omne quod Deus dicitur, vel religio; vti sedeat in templo Dei, adsir-*

a 1. Thess. 5. 1.
b 2. Thess. 2. 1.

Digitized by Google

mans Deum se. Nonne meministis, quod cùm apud vos essem, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ad reuelandum eum in suo tempore. Iam enim arcanum iniquitatis agitatur; tantum qui nunc tenet, teneat; donec de medio fiat: quis, nisi Romanus status? cuius abscessio in decem reges dispersa, Antichristum superducet: *& tunc reuelabitur iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & enacuabit apparentia aduentus sui; cuius est aduentus secundùm operationem satanæ in omni virtute, & signis, atque portentis mendacij, & in omni seductione iniustitiæ, eis qui pereunt.*

IVDICII DIES. IV. SCHOL.

PERSPICAX SENSVVM. *Dans claram intelligentiam Paulo quomodo & quo sensu sit intelligendum Euangelium Christi, quo nos vigilare admonuit, ne á die Domini tanquam fure adueniente præoccupemur, suggessit Apostolo vt sic etiam Thessalonicenses admoneret,* 1. 5. 1. de temporibus autem & momentis, fratres, non indigeo vt scribam vobis, ipsi enim diligenter, *Syr. verè scitis*, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient. *De quo sic breuiter*
S.Aug. *Aug. to.4. lib. 83. quæst. q. 58. vbi de ætatibus mundi.* Ætas, *inquit*, vltima generis humani, quæ incipit à Domini aduentu vsque in finem sæculi, quibus generationibus computetur incertum est: & hoc vtiliter Deus voluit latere, sicut in Euangelio scriptum est, & Apostolus attestatur dicens, diem Domini
S.Aug. tanquam furem, in nocte esse venturum. *Et quæst. 59. in verba.* Media autem nocte, id est nullo sciente aut speratae. Quippe cum ipse Dominus dicat, de die autem illa & hora nemo scit. Et Apostolus; dies Domini tanquam fur in nocte, ita veniet. Ex quo significatur, eum penitus latere cùm venerit. ET IN SECVNDA. *Hic non repeto locum Pauli iam sæpius relatum de aduentu Antichristi, de quo consule Verbum* Antichristus. *Et Verbum*, imperium. *In cuius illustrationem plura ex Augustino retulimus.* ABSCESSIO IN DECEM REGES *Discessio Imperij Romani, cuius status diuidetur decem Regibus. De quo Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 23.* Tempus, *inquit, de regno Antichristi loquitur iuxta Danielem 7.* & tempora & dimidium
S.Aug. temporis, annum vnum esse, & duos, & dimidium, ac per hoc tres annos & semissem, &c. Veteri me sanè fateor, ne in decem Regibus, *quos exprimunt decem cornua bestiæ apud eundem Prophetam*, quos tanquam decem homines videtur inuenturus Anti- C christus, fortè fallamur: atque ita ille inopinatus aduenias, non existentibus tot Regibus in orbe Romano. Quid enim si numero isto denario vniuersitas Regum significata est: post quos ille venturus est, sicut millenario, centenario, septenario, significatur plerumque vniuersitas, atque aliis aliisque numeris quos nunc commemorare non est necesse? *De die Domini occulto, & inopinato Antichristi ad-*
S.Aug. *uentu, hæc rursum ex Aug. colligo in Psal. 9. in versum* Secundum multitudinem iræ suæ non exquiret. *Et sequentes, quos de Antichristo exposit.* Multum, *inquit*, irascitur Dominus, dum non exquirit, dum quasi obliuiscitur, & non attendit peccata; & per fraudes & scelera ad diuitias honoresque peruenitur: quod maximè in illo Antichristo euenturum est, qui vsque adeo beatus videbitur hominibus, vt etiam Deus putetur. Sed quanta ista ira sit Dei, do- A cent sequentia. Non est Deus in conspectu eius, &c. quantam pœnam patitur qui secundis rebus peccatorum suorum eò perducitur, vt non sit Deus in conspectu eius, & contaminentur viæ eius in omni tempore, id est cogitationes & consilia eius immunda sint. *Inde à Paulo dicitur homo peccati:* auferuntur iudicia tua à facie eius. Animus enim malè sibi conscius, dum sibi videtur nullam pœnam pati, credit quòd non iudicet Deus: & sic auferuntur iudicia Dei à facie eius, cùm hæc ipsa sit magna damnatio. Et omnium inimicorum suorum dominabitur. Ita enim traditur, quod Reges omnes superaturus sit, & solus regnum obtenturus: quando etiam secundum Apostolum 2. Thess. 2. qui de illo prædicat, in templo Dei sedebit, extollens se super omne quod colitur, & quod dicitur Deus: & quoniam traditus in concupiscentiam cordis sui, & damnationi vltimæ destinatus, per nefarias artes, ad illud vanum & inane culmen dominationemque venturus est, propterea sequitur: dixit enim in corde suo, non mouebor de generatione in generationem sine malo. Id est, fama mea & nomen meum, de hac generatione in generationem posterorum non transiet, nisi artibus adipiscar tam excelsum principatum, de quo posteri tacere non possint, &c. quod quidem & iam de Simone diffamatum est, cùm sceleratis artibus cœlum se putasset adepturum, & de humana generatione in diuinam generationem rebus magicis transiturum: quid ergo mirum, si etiam ille homo peccati, qui totam nequitiam & impietatem, quam omnes pseudoprophetæ inchoauerunt, impleturus est, & tanta signa facturus, vt decipiat, si fieri potest, etiam electos Dei, dicturus est in corde suo, non mouebor de generatione, &c. oculi eius in pauperem respiciunt. Iustos enim maximè persecuturus est, de quibus dictum est, B. pauperes, &c.
insidiatur in occulto, *supra dixerat; sed & in insidiis* Aug.
cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. In occultis puto dictum esse, vbi non facilè intelligitur, quid appetendum, quidue fugiendum sit. Innocentem autem interficere, est ex innocente, facere nocentem. Id est interficere innocentiam: quod vi doloque præstabit Anti- Aug.
christus. Leonem in cubili dicit eum, in quo & vis & dolus operabitur. Prima enim persecutio Ecclesiæ violenta fuit, cùm proscriptionibus, tormentis, cædibus Christiani ad sacrificandum cogerentur; altera persecutio fraudulenta est, quę nunc per huiusce-modi hæreticos, & falsos fratres agitur. Tertia superest per Antichristum ventura, quâ nihil est periculosius, quoniam & violenta, & fraudulenta erit, vim habebit in imperio, dolum in miraculis. Ad vim relatum est, quod dictum est, leo: ad dolos, quod dictum est, in cubili suo.

IVDICII ORDO ET SPECTACVLVM.

1. Iudicij extremi spectaculum, fides iam nobis repræsentat. De Spectac. cap. 30. per totum.

QVale spectaculum in proximo est, aduentus Domini iam indubitati, iam superbi, iam triumphantis? Quæ illa exultatio angelorum, quæ gloria resurgentium sanctorum? quale regnum exinde iustorum? qualis ciuitas noua Hierusalem? Atenim supersunt alia

ſpectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies, ille nationibus inſperatus, ille deriſus, cùm tanta ſeculi vetuſtas & tot eius natiuitates vno igne haurientur. Quæ tunc ſpectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? vbi gaudeam? vbi exultem? tot ſpectans reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur, cum ipſo Ioue & ipſis ſuis teſtibus in imis tenebris congemiſcentes? item præſides, perſecutores Dominici nominis, ſæuioribus, quàm ipſi contra Chriſtianos ſæuierunt, flammis inſultantibus liqueſcentes; præterea ſapientes illos philoſophos coram diſcipulis ſuis vnà conflagrantibus erubeſcentes, quibus nihil ad Deum pertinere ſuadebant, quibus animas aut nullas, aut non in priſtina corpora redituras adfirmabant; etiam poëtas non ad Rhadamanti, nec ad Minoïs, ſed ad inopinati Chriſti tribunal palpitantes. Tunc magis tragœdi audiendi, magis ſcilicet vocales in ſua propria calamitate: tunc hiſtriones cognoſcendi ſolutiores multò per ignem: tunc ſpectandus auriga, in flammea rota totus ruber: tunc xyſtici contemplandi, non in gymnaſiis, ſed in igne iaculati: niſi quod nec tunc quidem illos velim viſos, vt qui malim ad eos potiùs conſpectum inſatiabilem conferre, qui in Dominum deſæuierunt. Hic eſt ille (dicam) fabri aut quæſtuariæ filius, ſabbati deſtructor, Samarites, & dæmonium habens. Hic eſt quem à Iuda redemiſtis: hic eſt ille arundine & colaphis diuerberatus, ſputamentis dedecoratus, felle & aceto potatus. Hic eſt quem clam diſcentes ſubripuerunt vt reſurrexiſſe dicatur, vel hortulanus detraxit, ne lactucæ ſuæ frequentiâ commeantium adlæderentur. Vt talia ſpectes, vt talibus exultes, quis tibi prætor, aut conſul, aut quæſtor, aut ſacerdos de ſua liberalitate præſtabit? & tamen hæc iam quodammodo habemus per fidem ſpiritu imaginante repræſentata. Ceterùm qualia illa ſunt [a] *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt?* credo, circo, & vtraque cauea, & omni ſtadio gratiora.

[a] Eſa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9.

IVDICII ORDO. I. SCHOL.

IAM INDVBITATI, *cùm ante iudicium, multi de eius aduentu glorioſo dubitauerint.* EXVLTATIO ANGELORVM. *De ruinis implendis.* PERPETVVS DIES. *Quia ſententia in illo ferenda æternùm durabit.* NATIONIBVS INSPERATVS, *cuius prædicationi Gentiles non crediderunt, cuius etiam prædicatores deriſerunt.* TOT NATIVITATES. *Res, vrbes, &c. ſingulis ſeculis in orbe productæ igne vltimæ conflagrationis abſumentur.* TOT SPECTANS REGES. *Tranſlatos in Deos.* SVIS TESTIBVS. *Scripturibus prophanis.* LIQVESCENTES. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini. Sicut cera fluit à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. SAPIENTES ILLOS PHILOSOPHOS. *Prouidentiam Dei, immortalitatem animæ, corporum reſurrectionem negantes. Aug. in Pſ. 140.* Aug. Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum, abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum. Quid eſt, *inquit*, abſorpti ſunt iuxta petram? Petra autem erat Chriſtus, &c. Iuxta, id eſt comparati iudices magni, potentes, docti. Ipſi dicuntur iudices eorum, tanquam iudicantes de moribus, & ſententiam proferentes. Dixit hoc Ariſtoteles. *Ex nihilo nihil fieri: à priuatione ad habitum, nullum dari regreſſum.* Adiunge illum petræ, & abſorptus eſt. Quis eſt Aug. Ariſtoteles? Audiant; dixit Chriſtus: & apud inferos contremiſcit. Dixit hoc Pythagoras. *Metempſychoſi animas in alia ſubinde corpora reuolui.* Dixit hoc Plato. Adiunge illos petræ, compara authoritatem illorum authoritati Euangelicæ; compara inflatos crucifixo: dicamus eis: vos literas veſtras conſcripſiſtis in cordibus ſuperborum; ille crucem ſuam fixit in cordibus Regum. Poſtremò ille mortuus eſt, & reſurrexit: mortui eſtis, & nolo quærere quemadmodum reſurgatis. Ergo abſorpti ſunt, &c. tandiu videntur aliquid dicere, donec comparentur petræ, &c. Quid ergo erit? audient verba mea quoniam prævaluerunt. *Vulgata, potuerunt. O potentiam! cœlum, inquit, & terra tranſibunt, verba autem* Aug. *mea non præteribunt. Et ſi, inquit Aug. alibi, tranſibunt, quæ fecit Deus, quantò magis, quæ condidit Romulus?* Prævaluerunt verba mea verbis eorum. Dicta ſunt ab eis quædam diſertè, ſed à me vera.

A Aliud eſt laudare loquacem, aliud laudare veracem, &c. Vnde autem prævaluerunt verba Domini? *verbis minacibus tyranni, & ipſius Antichriſti?* Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. dedit timorem, ſubiecit ſpem, inflammauit charitatem. NON AD RHADAMANTI. *De hac Plato in Axioco. Et Homerus in Odyſſ. tres nominat, Minoëm, Æacum, & Rhadamantum. De inferni iudicibus tacito eorum nomine, Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. cap. 19. vbi de Lucretia ſui ipſius innocentis interfectrice.* Proferte, *inquit*, ſententiam. Quod ſi propterea non poteſtis, quia non adſtat quam punire poſſitis; cur interfectricem innocentis & caſtæ tantâ prædicatione laudaris? quam certè apud infernos iudices. etiam tales, quales poëtarum veſtrorum carminibus cantitantur, nullâ ratione defenditis, &c. SOLVTIORES, *motu leuiori.* AVRIGA, *olim in ſpectaculo Circenſi.* XISTICI, *qui olim in vibrandis iaculis exercebantur.* NEC ILLOS VELIM. *Vt minus meritos, opprobrio dignos & confuſione, quàm Iudæos.* QVÆSIVARIÆ, *pauperis matris, & lanificio victum quærentis.* DISCENTES, *diſcipuli ſuffurati ſunt.* HORTVLANVS, *horti cuſtos, in quo Chriſtus ſepultus eſt.* DE SVA LIBERALITATE. *Spectacula namque illuſtres viri populo de ſuis facultatibus exhibebant.* HÆC IAM. *Gratis, pergratum ſpectaculum exhibet fidelibus deſcriptio iudicij facta in Scriptura, ex quibus ſatis conijcitur, qualia ſunt quæ Paulus, poſt Eſaiam, ſenſus omnes, nec ipſum cor hominis capere poſſe dixit.* VTRAQVE CAVEA. *Ex qua inde gladiatores, inde feræ certaturæ emittebantur. Spectaculum iudicij habes & apud Aug. Ser. 130. de temp. circa f.* Quando, *inquit*, venturus eſt, Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lu- S. Aug. men ſuum: tanta enim erit eminentia ſplendoris in Chriſto, vt etiam clariſſima cœli luminaria præfulgore luminis diuini abſcondantur, &c. Conſideraſti quanta virtus ſit ſigni, hoc eſt crucis? Sol obſcurabitur, &c. Crux verò fulgebit, & obſcurabit luminaria cœli, delapſiſque ſyderibus ſola radiabit; vt diſcas quoniam Crux & Luna lucidior, & Solę erit præclarior, quorum ſplendorem, diuini luminis

illuſtrata fulgore ſuperabit. Quemadmodum enim ingrediente Rege in ciuitatem, exercitus antecedit, præferens humeris ſigna atque vexilla regalia, & ambitu præparationis armiſonæ annuntiat Regis introitum. Ita Domino deſcendente è cœlis præcedet exercitus Angelorum, qui ſignum illud, id eſt triumphale vexillum ſublimibus humeris præferentes, diuinum Regis cœleſtis ingreſſum, terreſtrium mentibus nuntiabunt. Tunc, inquit, commouebuntur virtutes cœlorum, de Angelis dicit, &c. Quamobrem tunc Angeli contremiſcent, & vnde tremor apprehendet eos? Non enim illi habent iudicari: ſed quemadmodum principe iudicante, non ſolùm rei, ſed & Officia quæ nihil ſibi conſcia ſunt, timore & tremore comprehenduntur propter iudicis terrorem. Ita & tunc cùm genus humanum iudicabitur, etiam cœleſtes miniſtri pauebunt, & terribili apparatu de iudicis intuentis horrenda formidine contremiſcent. Sed quare crux apparebit tunc, & quam ob cauſam in eius prælatu Dominus adueniet, ratio perſpicua eſt; vt agnoſcant conſilium iniquitatis ſuæ, qui Dominum maieſtatis crucifixerunt, &c. tunc plangent omnes tribus terræ videntes accuſatorem ſuum, id eſt, ipſam crucem, & in ipſo arguente cognoſcent peccatum ſuum ſerò, & fruſtra fatebuntur impiam cæcitatem. Quid autem miraris ſi crucem afferens veniet, vbi & ipſa vulnera oſtendet? tunc videbunt in quem compunxerunt. Quemadmodum enim in Thoma fecit, volens incredulitatem diſcipuli coarguere, &c. tunc oſtendet vulnera, & crucem manifeſtabit, quoniam ipſe eſt qui crucifixus eſt. *Et lib.* 20. *de Ciuit. cap.* 24. *vbi exponit verba Pſalmi* 49. Deus manifeſtus veniet, &c. Hoc, *inquit*, nos de Domino noſtro Ieſu Chriſto intelligimus, quem de cœlo ſperamus eſſe venturum ad viuos & mortuos iudicandos. Manifeſtus enim veniet inter iuſtos & iniuſtos iudicaturus iuſtè, qui priùs venit occultus ab iniuſtis iudicandus iniuſtè. Ipſe, inquam, manifeſtus veniet, & non ſilebit; id eſt in voce iudicis euidens apparebit, qui priùs cùm veniſſet occultus, ante iudicem ſiluit, quando ſicut ouis ad immolandum ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente fuit ſine voce, quemadmodum de illo per Eſaiam legimus prophetatum, & in Euangelio videmus impletum, &c. Quod verò dictum eſt, aduocabit cœlum ſurſum, &c. hunc videtur habere ſenſum ſecundum rectam fidem, vt cœlum intelligatur in eis, qui cum illo ſunt iudicaturi, & terra in eis qui iudicandi ſunt: & aduocabit cœlum ſurſum, non hîc intelligamus, rapiet in aëra, ſed in iudiciarias ſedes eriget. Poteſt & illud intelligi aduocabit cœlum ſurſum, aduocabit Angelos in ſupernis & excelſis locis, cum quibus deſcendat ad faciendum iudicium: Aduocabit & terram, id eſt homines in terra vtique iudicandos. Si autem vtrumque ſubaudiendum eſt, cùm dicitur, & terram, id eſt aduocabit & ſurſum, vt iſte ſit ſenſus; aduocabit cœlum ſurſum, & terram aduocabit ſurſum, nihil melius intelligi exiſtimo, quàm homines qui rapientur obuiam Chriſto in aëra: ſed cœlum dictum propter animas, terram propter corpora. Diſcernere porrò populum ſuum quid eſt, niſi per indicium, ſeparare bonos à malis, tanquam oues ab hœdis? Deinde conuerſio ſermonis ad Angelos facta eſt: congregate illi iuſtos eius, profectò enim per Angelicum miniſterium tanta res peragenda eſt. *Quale ſpectaculum, cùm omnium hominum cineribus per Angelos collectis, reformatiſque Dei poteſtate corporibus, anima beatorum deſurſum, damnatorum, deorſum corpora pro meritis diuerſa reſument, cum Archangelo Michaële præferente vexillum crucis, decies centenis millibus Angelorum Chriſtus comitatus, in nube lucida, in arcu cœleſti ſedens, cum Apoſtolis virisque Apoſtolicis, omne hominum genus in valle Ioſaphat congregatum iudicabit, & æternâ ſententiâ dirimet reprobos ab electis; quos hinc inde Angeli ad dexteram, dæmones ad ſiniſtram iudici præſentabunt.*

A

B

C

S. Aug.

2. *In iudicio extremo, anima Gentilis & Athei contra ſe ſimul & rea & teſtis. De Teſtim. An. cap.* 6. *in f.*

MEritò omnis anima & rea, & teſtis eſt: in tantum & rea erroris, in quantum & teſtis veritatis; & ſtabit ante aulas Dei, die iudicij, nihil habens dicere. Deum prædicabas, & non requirebas: dæmonia abominabaris, & illa adorabas: iudicium Dei appellabas, nec eſſe credebas: inferna ſupplicia præſumebas, & non præcauebas: Chriſtianum nomen ſapiebas, & Chriſtianum perſequebaris.

IN IVDICIO EXTREMO. II. SCHOL.

IN TANTVM REA. *Ipſa anima & conſcientia cuiuſque, in die iudicij ſimul & criminum ſuorum rea, & contra ſemetipſam teſtis erit, tam veritatis fidei quam ſectæ fuerit, quàm erroris quem fuerit amplexata, dum ante regale Dei palatium adſtabit, nihil habens quod opponat iudici exprobranti, ſine fidei, ſine lumini naturali, non reſpondiſſe opera.* DIVM PRÆDICABAS. *Sciebas, & docebas Deum eſſe vnum, principium, & finem tuum, nec tamen eum quærebas, cùm inclamaret fidelis Propheta Dauid.* Faciem tuam Domine requiram. Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. NEC CREDEBAS. Factis negans, *ſi enim viuâ fide credidiſſes, cautiùs in via recta ambulaſſes.* PRÆSVMEBAS. *Præſentiebas.* CHRISTIANVM PERSEQVEBARIS. *Odio & maligna voluntate, vltione, &c. Neme ſe decipiat, neme fallat, neme de miſericordia Dei ſibi blandiatur. Auguſtini monitum eſt tom.* 9. *lib. de* 10. *Chordis, cap.* 1. *ex Pſalm.* 102. Miſericors & miſerator Dominus, longanimis & multùm miſericors. Quàm largiter, *inquit*, prærogat miſericordiam in præſenti ſæculo, tam ſeuerè minatur iudicium in futuro ſæculo, &c. Multùm delectat omnes peccatores & amatores huius ſæculi, quia miſericors & miſerator, &c. Sed ſi amas tam multa mitia, time ibi & vltimum quod ait, & verax, &c. Excuſſit lætitiam malè præſumentium, & induxit timorem dolentium. Gaudeamus ad miſericordiam Domini, ſed timeamus ad iudicium Domini. Parcit dum tacet. Tacet, ſed ſemper non tacebit. Audi dum non tacet in verbo, ne non tibi vacet audire, dum non tacebit in iudicio, &c. Non eſt vnde præſumas cùm ille venerit, nec falſos teſtes adduces quibus ille fallatur, nec patronos fraudulentis circumuentionibus & linguoſis artibus adhibebis, nec ambies aliquo modo, vt iudicem poſſis corrumpere, &c. tunc enim ipſe erit iudex cauſæ tuæ, qui modò eſt teſtis vitæ tuæ.

D

Aug.

Et

Aug. *Et to.9.lib.3. de Symbolo ad Catechumenos, cap.8.* Ille, *inquit*, qui priùs venit occultus, veniet in poteſtate manifeſtus. Ille qui iudicatus eſt, veniet iudicaturus. Ille qui ſtetit ante hominem, iudicaturus eſt omnem hominem, Deus manifeſtè veniet. Quid eſt manifeſtè veniet? non ſicut priùs homo humilis, ſed ſicut Deus homo maieſtate ſublimis. Et iudicabit. Quomodo iudicabit? non enim vt iudex terrenus quæſiturus eſt teſtes vt te conuincat: aut veritatem per tormenta requiſiturus, vt confeſſum puniat; cùm ſit iudex ipſa iuſtitia, & teſtis ſibi ſit ipſa mala conſcientia. Ille iudex, dilectiſſimi, nec gratiâ præuenitur, nec miſericordiâ iam flectitur, nec pecuniâ corrumpitur, nec ſatisfactione mitigatur. Hîc dum tempus eſt, quidquid poteſt anima agat pro ſe, vbi locus eſt miſericordiæ; nam ibi quid pro ſe agat non habebit, quia iuſtitiæ ſolius locus erit. Hîc agat anima pœnitentiam, vt ille poſſit mutare ſententiam. Hîc det panem, vt accipiat poſtmodum ſalutem. Hîc faciat miſericordiam, vt ibi inueniat indulgentiam. *Sic præmonuit Paulus conſcientiam ad-*
Aug. *uerſum ſeipſam teſtem in iudicio futuram Rom. 2. 15.* Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis: teſtimonium reddente illis conA ſcientiâ ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum ſecundùm Euangelium meum, per Ieſum Chriſtum. *Quem locum citat Auguſtinus, lib.20. de Ciuit. cap.26. circa f. vbi ex Malach.3. ſic Chriſtum iudicem inducit:* Accedam, S.Aug. *inquit*, ad vos in iudicium, & ero teſtis velox ſuper maleficos, & ſuper adulteros, &c. Quibus damnabilibus enumeratis criminibus, addidit: quoniam ego Dominus Deus veſter, & non mutor. Tanquam diceret: cùm vos mutauerit, & in deterius culpa veſtra, & in melius gratia mea, ego non mutor. Teſtem verò ſe dicit futurum, quia in iudicio ſuo B non indigebit teſtibus. Eumque velocem; ſiue quia repente venturus eſt; eritque iudicium ipſo inopinato eius aduentu celerrimum, quod tardiſſimum videbatur: ſiue quia ipſas conuincet ſine vlla ſermonis prolixitate conſcientias. In cogitationibus enim, ſicut ſcriptum eſt Sap. 1. impij interrogatio erit. Et Apoſtolus: Cogitationibus, *inquit*, accuſantibus, vel etiam excuſantibus, in die quâ iudicabit, &c. Etiam ſic ergo Dominus futurus teſtis intelligendus eſt velox, cùm ſine mora, reuocaturus eſt in memoriam, vnde conuincat, puniatque conſcientiam.

* *3. Iudicium cuique reddet iuxta geſta in Corpore 5. cont. Marc. cap. 12. in m. Omnia item tam interna quàm externa reuelabit. Vide Verbum Reſurrect. Veritas, num. 13.*

2 OMnes ait *nos oportere manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque quæ per corpus* a 2. Cor.5. *admiſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Si enim tunc retributio meritorum, quomodo iam aliqui 10. cum Deo poterunt deputari? Et tribunal autem nominando, & diſpunctionem boni ac mali operis; vtriuſque ſententiæ iudicem oſtendit; & corporum omnium repræſentationem confirmauit. Non enim poterit, quod corpore admiſſum eſt, non corpore iudicari. Iniquus enim, Deus, ſi non per id punitur quis aut iuuatur, per quod operatus eſt.

IVDICIVM CVIQVE. III. SCHOL.

OMNES AIT. *Paulus ſcilicet, 2.Cor.5.10.* Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti vt referat quiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. *Tranſlat.Syr.* Futurum eſt enim vt nos omnes ſiſtamur ante tribunal Meſchicho, vt reportet vnuſquiſque in corpore ſuo id quod egit ſibi, ſiue bonum, ſiue malum. *Aug.*
Aug. *lib.17. de Ciuit. cap.4. vbi tractat illud Ieremiæ 9.* In hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere & ſcire Dominum, & facere iudicium, & iuſtitiam in medio terræ. Quid eſt, *inquit*, in medio terræ? Neque enim non debent facere iudicium & iuſtitiam, *hoc eſt rectè viuere*, qui habitant in extremis terræ: quis hoc dixerit? &c. Sed ne quiſquam putaret poſt finem vitæ, quæ in hoc agitur corpore, ſupereſſe tempus iudicium, iuſtitiamque faciendi, quam cùm eſſet in carne, non fecit, & ſic diuinum euadi poſſe D iudicium; in medio terræ mihi videtur dictum, cùm quiſque viuit in corpore. In hac quippe vita ſuam terram quiſque circumfert, quam moriente homine recipit terra communis, reſurgenti vtique redditura. Proinde in medio terræ, id eſt, cùm anima noſtra iſto terreno clauditur corpore, faciendum eſt iudicium & iuſtitia, quod nobis proſit in poſterum, quando recipiet quiſque ſecundùm ea quæ per corpus geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Per corpus quippe vbi dixit Apoſtolus, per tempus quo vixit in corpore. Non enim ſi quis malignâ mente, atque impiâ cogitatione blaſphemet, neque id vllis membris corporis operetur, ideo non erit reus, quia id non motu corporis geſſit, cùm hoc per illud tempus geſſerit, quo geſſit & corpus. Iſto modo con-

C gruenter intelligi poteſt, etiam illud quod in Pſalmis legitur: Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem, *in decreto æterno*, in medio terræ: vt Dominus Ieſus accipiatur Deus noſter qui eſt ante ſæcula, quia per ipſum facta ſunt ſæcula: operatus eſt ſalutem noſtram in medio terræ: cùm Verbum caro factum eſt, & terreno habitauit in corpore. *Adde & in cruce operatum ſalutem in medio Iudææ iudicatum ad tribunal Pilati. Vbi rurſum ante Regem & iudicem*, cui Pater omne iudicium dedit, *nos omnes manifeſtari oportet, &c.* SI IVNC, *ſcilicet poſt reſurrectionem.* QVOMODO IAM. *Facta reſurrectio in anima à Marcionita aliiſque hæreticis dicitur, carnis reſurrectionem negantibus.* ALIQVI CVM DEO. *Et hîc ipſe errat cœlum claudens animabus ante reſurrectionem, de quo conſule Alphabetum errorum.* DISPVNCTIONEM. *Mercedem.* VTRIVSQVE SENTENTIÆ. *Sanæ, & ſuauis. Contra ſenſum Marcionis qui Chriſtum ſolùm bonum & manſuetum admittit.* REPRÆSENTATIONEM. *Reſurrectionem, quam idem negat. Et proinde præſentationem ante tribunal.* NON CORPORE, *ſine corpore reſuſcitato.* PER ID PVNIVR. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. *Locum Pauli tractat Auguſtinus ſermone 35. de Verbis Apoſtoli:* Audi- S.Aug. uimus, *inquit*, B. Apoſtolum terribiliter nos & ſalubriter admonentem: ſic enim ait: Omnes nos manifeſtari oportet, &c. Quam rem etiam Dominus in Euangelio denuntiat dicens: filius hominis venturus eſt in gloria ſua, cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundùm opera ſua Diligenter quæſo attendite fratres, & mecum pariter pauſcite: quia non dixit, quod reddat vnicuique ſecun-

dum misericordiam suam, *quam aptè ad mentem Tertulliani contra Marcionem, Deum & Christum tantummodò misericordem admittentis, iudicem verò & vltorem reprobantis*, sed secundùm opera sua. Hìc enim est misericors, ibi iustus. Nam quòd non statim in peccatores vindicat, patientia est, non negligentia. Non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reseruauit; vnde valde timendum est, ne quantò diutius expectat vt corrigamur, tantò grauiùs vindicet, si emendari noluerimus, &c. Et ideo rogo, fratres, vt quotidie cogitemus, quales erimus in die iudicii, purissimis Angelorum conspectibus offerendi, & æterno iudici rationem de libris conscientiæ reddituri, remotis omnibus probationibus. Certum est in die illa ipsum ante se hominem constituendum, & ipsam sui vitam in cordis speculo demonstrandam, & testes contra eam non deforis aliquando, sed intus de ipsa anima proferendos. Adiicienda erunt non aliqua peregrina, sed nimiùm nota testimonia, id est opera sua. Ordinabuntur ante infœlicem animam peccata vel crimina sua, vt eam & conuincat probatio, & confundat agnitio; secundùm illud quod scriptum est, arguam te, & constituam te ante faciem tuam. Quicumque se modò dum licet, emendare neglexerit, ante illum cœlestem populum, primum excepturus erit de confusione supplicium: & anima quæ modò per pœnitentiam compendiosam, transactas peccatorum suorum putredines curare dissimulat, ante illud tribunal metuendum, sine vllo remedio in perpetuo tartaro manebit.

A

S. Aug.

4. In Iudicio Deus iustus & misericors excludet reprobos ab electis 4. cont. Marc. cap. 30. in m.

QVoties adhuc se iudicem ostendit, & in iudice Creatorem? Quoties vtique eiecit, & damnat rejiciendo. Sicut hìc quoque; [a] *Quum surrexerit*, inquit, *paterfamilias*, Quòd nisi quò dixit Esaïas, [b] *Quum surrexerit comminuere terram; & cluserit ostium*; vtique excludendis iniquis, quibus pulsantibus respondebit *Nescio vnde sitis*. Et rursus enumerantibus quòd coram illo ederint, & biberint, & in plateis eorum docuerit, adjicit; [c] *Recedite à me omnes operarij iniquitatis, illic erit fletus & frendor dentium*. Vbi? foris scilicet, vbi erunt excluſi, ostio cluso ab eo: ergo erit pœna, à quo fit excluſio in pœnam, quum videbunt iustos introeuntes in regnum Dei, se verò detineri foris. A quo? Si à Creatore, quis erit ergo intus recipiens iustos in regnum? Deus bonus. Quid ergo illic Creatori, vt foris detineat in pœnam, quos aduersarius eius excluſit, suscipiēdos à se, vtique magis in aduersarii bilem? Sed & ille excluſurus iniquos, sciat vtique Creatorem illos detenturū in pœnam, aut non sciat oportet. Ergo, aut nolente eo detinebuntur, & minor est illo qui detinet, cedens ei nolens; aut si vult ita fieri, ipse ita faciendum iudicauit, & non erit melior Creatore, ipse auctor infamiæ Creatoris. Hæc si nullâ ratione consistunt, vt alius punire, alius liberare credatur, vnius erit tam iudicium quàm & regnum; & dum vnius est vtrumque, qui & iudicat, Creatoris est.

a Luc. 13. 25.
b Esa. 2. 19
c Luc. 13. 27.

IN IVDICIO. IV. SCHOL.

IVDICEM OSTENDIT. *Frequenter Christus nomen & officium iudicis sibi tribuit, quidquid contra sentiat Marcion, & in dignitate iudicis se satis ostendit esse filium Dei Creatoris.* CVM SVRREXERIT, *Luc. 13. 25.* Cùm autem intrauerit pater familias, & clauserit ostium, *translat. Syr. ex qua hora surrexerit Dominus domus, & excluserit ostium*, incipietis foris stare, & pulsare ostium dicentes: Domine aperi nobis: & respondens dicet vobis, nescio vos vnde sitis. ET RVRSVS. Tunc incipietis dicere: manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarii iniquitatis. *Syr mendacij.* Ibi erit fletus & stridor dentium. ERGO ERIT PŒNA. *Inflicta à Christo Creatoris filio.* IVSTOS INTROEVNTES. *Ibidem versu 28.* Cùm videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. QVID ILLIC CREATORI. *Si Deus bonus Marcionis, admittit in regnum, quid foris patitur Creatorem, ibi detinentem in pœna, fletu, stridore dentium, eos quos Deus Marcionis, vel in hoc sanus excluſit. Nonne Creator vt aduersario suo Deo moueret bilem, benignè potiùs ab eo excluſos excipere deberet?* SED ET ILLE. *Deus Marcionis, vel sciet Deum Creatorem puniturum esse excluſos à regno suo, vel nesciet. Si sciet, & volet tamen ab eo plecti à se excluſos, fortior eo erit Creator puniens; si volet autem puniri à Creatore à se excluſos, & separatos ab electis, vbi erit bonitas maior Dei Marcionis, qui seueritati Dei Creatoris annuat, quem tamen propter seueritatem infamat?* CONSISTVNT, *nullo argumento probabili nituntur, vt alius Deus punitor, alius liberator admittatur, vnus idemque erit Christus Dei Creatoris filius, qui iusto iudicio separet electos à reprobis, his supplicium partiens, illis regnum; hos nesciens, illos agnoscens. Duo hìc ex Aug. refero, in iudicio transigenda. Ac primò quidem separationem electorum à reprobis, de qua in Psal. 49.* Deus manifestus veniet, Deus noster & non silebit. Venit, *inquit*, occultus, vt ante iudicem staret; veniet manifestus, vt etiam de iudicibus iudicet, &c. Quid enim modò silet? & vnde sunt quæ dicimus? Vnde ista præcepta? vnde ista monita? vnde ista tuba terroris? non silet, & silet; non silet à monendo, silet à iudicando. Non silet à præcepto, silet à iudicio, &c. Ipse veniet, sed manifestus, non adhuc illudendus, non adhuc alapandus, non adhuc flagellandus, &c. Quia hęc omnia occultus Deus pati voluit, &c. Quia verò ad iudicium veniet, sequentia docent: Ignis ante ipsum præibit, &c. Si non veniret ignis diei iudicii, & sola peccatoribus immineret separatio à facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes à quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine ineffabili vultus eius, in qualibet æternitate & immunitate peccati, plangere se deberent. *Ibi erit fletus & stridor dentium, &c.* Qui autem illam dulcedinem non gustauerunt, si non desiderant Dei faciem, timeant vel ignem. Supplicia terreant, quem præmia non mutant. Vile tibi est quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur, &c. Minis Dei, minis æterni ignis prohiberis à malo, inuitaris ad bonum. Vnde piget, nisi quia non credis? &c. Et in circuitu eius tempestas valida. Valida tempestas ventilatura tam magnam aream. Hac tempestate erit illa ventilatio quâ separabitur à Sanctis omne immundum, à fidelibus omnis simulatio, à piis & trementibus Verbum Dei, omnis contemptor & superbus. Modò enim mixtura quædam iacet à Solis ortu vsque ad occasum, &c. *Separabuntur hædi ab ouibus, Zizania à frumentis, mali pisces à bonis*, quinque virgines admittuntur, quinque excludūtur, &c.

B

S. Aug.

C

S. Aug.

Iisdem porrò, ſicut & operarijs iniquitatis excluſis dicetur neſcio vos, non noui vos, neſcio vnde eſtis vos. *De qua ignorantia idem Auguſtinus, in Pſal. 34. 11.*

Aug. Surgentes teſtes iniqui quæ ignorabam interrogabant me. Itane, *inquit*, tu aliquid ignorabas? nonne & in te inſurgentium corda noueras? nonne eorum dolos ante proſpexeras? &c. quid ergo ignorabas? ignorabat peccatum. Et hoc peccatum ignorabat, non quaſi non iudicando, ſed non committendo. Sunt huiuſmodi locutiones etiam quotidianæ, cùm dicis de aliquo, non nouit ſtare, hoc eſt, quia non ſtat. Et non nouit benefacere, quia non benefacit. Non nouit malefacere, quia non malefacit. Quod alienum eſt ab opere, alienum eſt à conſcientia. Quod alienum eſt à conſcientia, alienum videtur, & a ſcientia. Ita dicitur Deus neſcire, quomodo ars non nouit vitia: & tamen per artem cognita diiudicantur. Hoc ergo nobis caput noſtrum, *Chriſtum cuius membra ſumus*, interrogantibus ex ipſius Euangelij ſui veritate reſpondet, cùm dixerimus, Domine quid ignorabas? quid tu potuiſti interrogari quod neſciebas? reſpondit, iniquitates ignorabam, de iniquitatibus interrogabar. Habes in Euangelio, ſi non me credis ignorare iniquitates: quia & ipſos iniquos ignoro, quibus in fine dicturus ſum, non noui vos, recedite à me qui operamini iniquitatem. Numquid non nouerat, quos damnabat? aut poteſt iuſtè damnari niſi qui malus cognoſcitur? & tamen bonus cognitor non eſt mentitus dicendo, non noui vos: id eſt, non coaptamini corpori meo, *indigni eſſe ob deformitatem, qui corpori Eccleſiæ triumphantis vniamini*, non hæretis regulis meis, vitiis hæſiſtis: Ego autem ars ipſa ſum quæ non habet vitium, & in qua quiſque non diſcit niſi non facere vitium. S Aug.

5. Iudicij exitus duplex. 4. Cont. Marc. cap. 34. circa f.

CVr non capiat ſinum Abrahæ dici temporale aliquod animarum fidelium receptaculum, in quo iam delineetur futuri imago, ac candida quædam vtriuſque iudicii proſpiciatur? admonens quoque vos hæreticos, dum in vita eſtis, Moyſen & Prophetas vnum Deum prædicantes Creatorem, & vnum Chriſtum prædicantes eius, & vtrumque iudicium, pœnæ & ſalutis æternæ, apud vnicum Deum poſitum; [a] *qui occidat & viuificet.* Luc. 16. 22. a Deut. 32. 39. & 1. Reg. 2. 6.

IVDICII EXITVS DVPLEX. V. SCHOL.

CVR NON CAPIAT. *Cur non poſſit dici, Abrahæ ſinum fuiſſe aliquod diuerſorium animarum fidelium.* FVTVRI. *Iudicij ſcilicet.* CANDIDA QVÆDAM. *Quoddam tyrocinium, vel vſurpata & anticipata ſententia iudicij in bonos & malos proferendi.* VOS HÆRETICOS. *Marcionitæ.* MOYSEN ET PROPHETAS. *Quos Marcionita reſpuebant.* APVD VNICVM DEVM. *Veteris ac noui teſtamenti authorem, & vnici Chriſti Patrem, quique ſit ſimul miſericors & iuſtus, pœnam & ſalutem æternam malis ac bonis, pro meritis vtrumque retribuens. Meminit porrò hîc & ſinus Abrahæ, & dicti Abrahæ ad Diuitem.* Habent Moyſem & Prophetas. *Apriſimè Auguſt. in hanc rem tract. 49. in cap. 11. Ioannis, in verba:* Lazarus amicus noſter dormit. Dormit, *inquit*, omnis mortuus, & bonus

Aug. & malus: ſed quomodo intereſt in ipſis qui quotidie dormiunt & exurgunt, quid quiſque videat in ſomnis: alii ſentiunt læta ſomnia, alii torquentia; itavt euigilans dormire timeat, ne ad ipſa iterum redeat: ſic vnuſquiſque hominum cum cauſa ſua dormit, cum cauſa ſua ſurgit: & intereſt quali cuſtodiâ quiſque recipiatur, ad iudicem poſtea producendus. Nam & receptiones in cuſtodia pro meritis cauſarum adhibentur, alios iubentur cuſtodire lictores, humano, & miti officio, atque ciuili: Alii traduntur optionibus, *vt eligant quid malint pati*, alii mittuntur in carcerem, & in ipſo carcere non omnes, ſed pro meritis cauſarum, in ima carceris contruduntur.

B Sicut ergo diuerſæ cuſtodiæ agentium in officio, ſic diuerſæ cuſtodiæ mortuorum, & diuerſa merita reſurgentium. Receptus eſt pauper, receptus eſt diues: ſed ille in ſinu Abrahæ, ille vbi ſitiret, & guttam non inueniret. Habent ergo omnes animæ, vt ex hac occaſione inſtruam charitatem veſtram, habent omnes animæ cùm de ſæculo exierint, diuerſas receptiones S. Aug. ſuas: habent gaudium boni, & mali tormenta. Sed cùm facta fuerit reſurrectio, *in his duobus delineata*, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur, recepti ſunt in pace ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, boni fideles, omnes

C tamen adhuc in fine recepturi ſunt quod promiſit Deus: promiſſa eſt enim reſurrectio etiam carnis, mortis conſumptio, vita æterna cum Angelis: hoc omnes ſimul accepturi ſumus: Nam requiem quæ continuò poſt mortem datur, ſi eâ dignus eſt, tunc accipit quiſque cùm moritur. Priores acceperunt Patriarchæ, videte ex quo requieſcunt. Poſteriores, Prophetæ, recentiùs Apoſtoli, multò recentiores Sancti Martyres, quotidie boni fideles: & alii in iſta requie tandiu ſunt, alii non tandiu: alii paucioribus annis, alii recenti tempore. *Pro menſura diſtantiæ temporis ad iudicium* Cùm verò ab hoc ſomno euigilabunt, ſimul omnes quod promiſſum eſt, accepturi ſunt.

IVDICIVM EXTREMVM ÆTERNVM ERIT, ET SPEM ET TIMOREM EXACVIT.

1. Iudicium vltimum, perfectum & æternum erit. De Reſur. cap. 14. circa f.

DIcimus plenum primò perfectumque credendum iudicium Dei, vt vltimum iam atque exinde perpetuum: vt ſic quoque iuſtum, dum non in aliquo minus: vt ſic quoque Deo dignum, dum pro tanta eius patientia, plenum atque perfectum. Itaque plenitudinem perfectionemque iudicii, non niſi de totius hominis repræſentatione conſtare.

2. Iudicium vltimum plenum & æternum, cuius occulta dies nos ſollicitos reddit. De An. cap. 33. inf.

BEnè philoſophi docetis, vtiliter ſuaderis, leuiora poſt mortem ſupplicia vel præmia; cùm ſi quod iudicium animas manet, grauius debeat credi in diſpunctione vitæ, quàm in adminiſtratione: quia nihil plenius, quàm quod extremius; nihil autem plenius, quàm quod diuinius. Deus itaque iudicabit plenius, quia extremius, per ſententiam æternam tam ſupplicii quàm refrigerii, nec in beſtias, ſed in ſua corpora reuertentibus animabus: & hoc ſemel, & in eum diem quem ſolus Pater nouit, vt pendulâ expectatione ſollicitudo fidei probetur; ſemper diem obſeruans, dum ſemper ignorat; quotidie timens, quod quotidie ſperat.

IVDICIVM VLTIMVM. I. & II. SCHOL.

CREDENDVM. *Quod toties in veteri & nouo Teſtamento prænuntiatum eſt.* IVDICIVM DEI: Dei enim perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia. PLENVM. *In quo implebit quod prædixit:* Sagittas meas complebo in eis. VT VLTIMVM. *Non quòd priora iudicia quæ in homines exercuit, perfecta non fuerint: ſed quia vltimum & poſtremum futurum ſit & immutabile & æternum, proindeque Deo dignum dicente:* Ego Deus & non mutor. *Sententia enim Dei iudicis in hac vita flecti poteſt & molliri peccatorum pœnitentiâ, vnde dicit:* Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos *Vnde & Tertullianum ſubijcit,* pro tanta eius patientia. *Iuxta Paulum:* Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum, theſaurizas tibi iram in die iræ. DVM NON IN ALIQVO MINVS. *Iuſtitia enim libra vtrinque ex æquo penſitat, & reddit prout quiſque geſſit in corpore. In primato autem iudicio poſt cuiuſque mortem, iudicat & plectit in aliquo minus, quàm videlicet mereatur corpus, quod ſine ſenſu & dolore remanet uſque ad extremum iudicium, in quo æquabitur æternitas pœnæ eius, pœna animæ & tormenta eius.* ITAQVE PLENITVDINEM, *&c. ſupple dicimus & concludimus ex perfectione & plenitudine vltimi iudicij, tribunali iudicis, plenum & perfectum hominem ex puluere ſuſcitatum in anima & corpore repræſentari debere; alias non eſſet plenum & perfectum iudicium, niſi exerceretur in totum hominem. Auguſtinus de Catechizandis Rudibus, cap. 25.*

S.Aug. Crede fortiter & inconcuſsè, quia omnia quæ videntur quaſi pereundo humanis oculis ſubtrahi, ſalua & integra ſunt omnipotentiæ Dei, qui ea cùm voluerit, ſine vlla mora & difficultate reparabit, ea duntaxat, *quæ ad integritatem corporis pertinent,* quæ iuſtitia eius reparanda eſſe iudicat: vt in his corporibus reddant homines factorum ſuorum rationem, in quibus ea fecerunt: & in his mereantur aut commutationem cœleſtis incorruptionis, pro meritis pietatis; aut corruptibilem corporis conditionem pro meritis iniquitatis, non quæ morte ſoluantur, ſed quæ materiam ſempiternis doloribus præbeat.

2. BENE DOCETIS. *Ironicè.* LEVIORA. *Quaſi anima ſola vel patiatur vel lætetur, relicto corpore inſenſibili voluptatum & dolorum.* IN DISPVNCTIONE VITÆ, *in extremitate, dum poſt mortem iudici Deo ſiſtitur patienem reddituræ anteactæ vitæ.* QVAM QVOD EXTREMIVS. *Sic enim Domini vltima computa œconomorum attentiùs aduertunt, & pleniùs dijudicant.* SENTENTIAM ÆTERNAM. *Ad æterna refrigeria vel ſupplicia mittentem.* NEC IN BESTIAS. *Iuxta Metempſychoſim Pithagoræ.* SEMEL. *Nunquam deinceps à corpore ſoluendis. Aug. lib. de Catechiſandis Rudibus, cap. 25. Hinc hortatur timore & ſpe ad morum correctionem.*

S.Aug. Fuge, *inquit,* per immobilem fidem ad mores bonos. Fuge, frater, illa tormenta, vbi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur, quibus ſine fine mors eſt, non poſſe in cruciatibus mori: & exardeſce amore atque deſiderio ſempiternæ vitæ ſanctorum, vbi nec operoſa erit actio, nec requies deſidioſa. Laus erit Dei ſine faſtidio, ſine defectu; nullum in animo tædium, nullus labor in corpore, nulla indigentia, nec tua cui ſubueniri deſideres, nec proximi cui ſubuenire feſtines. Omnes deliciæ, Deus erit & ſocietas ſanctæ Ciuitatis in illo, & de illo ſapienter beatéque viuentis. Efficiemur enim ſicut ab illo promiſſum ſperamus & expectamus, æquales Angelis Dei; & cum eis pariter illâ Trinitate perfruemur iam per ſpeciem, in qua nunc per fidem ambulamus. Credimus enim quod non videmus, vt ipſis meritis fidei, etiam videre quod credimus, & inhærere mereamur: vt æqualitatem Patris & Filii & Spiritus ſancti, & ipſius Trinitatis vnitatem, quomodo ſunt hæc tria vnus Deus, non iam verbis fidei, & ſtrepentibus ſyllabis perſonemus, ſed contemplatione puriſſimâ & ardentiſſimâ, in illo ſilentio ſorbeamur. Hęc tene fixa in corde tuo, & inuoca Dominum cui credis, vt tueatur te aduersùs tentationes diaboli, & eſto cautus, ne tibi aliunde hoſtis ille ſubrepat, qui ad ſolatium maleuoleniſſimum damnationis ſuæ, cum quibus damnetur inquirit.

VT PENDVLA EXPECTATIONE. *Ideo, inquit, voluit Deus iudicij diem & horam nos latere, vt dum pendet aduentus iudicis, & reditus Domini, ſolliciti ſint ſeruis eius, & ſemper timeant quod ſemper expectant. Quam in rem Aug. prælongam Epiſtolam, 80. ad Heſychium ſic concludit; cum circa medium dixiſſet.* Monet, *in-* Aug. *quit,* non vt bonus ſeruus cognoſcat temporum finem, ſed vt in omni tempore, in opere bono vigilet, quia neſcit temporum finem. Non monet, vt tempora quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, aſſequamur ſuper Apoſtolos; ſed monet vt quoniam neſcimus quando veniat Dominus, in cordis præparatione imitemur Apoſtolos. *Tandem poſt multa pertractata de conſummatione ſæculi.* Remoueamus, *inquit,* de me- Aug. dio ſeruum malum, qui dicens in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, dominatur conſeruis ſuis, & ebrioſis conuiuando miſcetur: Iſte quippe proculdubio Domini ſui odit aduentum. Quo ſeruo malo remoto, conſtituamus ante oculos, tres ſeruos familiam Dominicam diligenter ſobriéque tractantes, aduentum Domini ſui ſitienter deſiderantes, vigilanter expectantes, fideliter amantes. Si vnus eorum citiùs, alter tardiùs Dominum putat eſſe venturum; tertius verò ſuam de hac re ignorantiam confitetur; quanquam omnes conſonant Euangelio, quia omnes diligunt manifeſtationem Domini, & eam deſideranter & vigilanter expectant: videamus tamen quis amplius conſonet. Vnus dicit: vigilemus & oremus, quia citiùs venturus eſt Dominus: alter dicit, vigilemus & oremus, quia breuis & incerta eſt vita, quamuis tardiùs venturus ſit Dominus: Tertius dicit, vigilemus & oremus, quia &

breuis & incerta eſt iſta vita, & neſcimus tempus, quando venturus eſt Dominus. Euangelium dicit Marc. 13. videte, vigilate & orate, neſcitis enim quando tempus ſit. Obſecro te quid aliud dicere
Aug. audimus hunc tertium, quàm quod dicere audimus Euangelium. Omnes quidem præ deſiderio regni Dei hoc volunt eſſe verum quod putat primus; ſed hoc ſecundus negat; tertius verò non negat aliquid horum, ſed ignorare ſe fatetur; quis verum dicat illorum? Proinde ſi hoc factum fuerit quod prædixerat primus, gaudebunt cum illo ſecundus & tertius. Omnes enim manifeſtationem Domini diligunt. Exultabunt itaque citiùs veniſſe quod diligunt. Si autem factum non fuerit, & apparere cœperit hoc
B potiùs eſſe verum quod dicebat ſecundus, metuendum eſt ne inter ipſas moras perturbentur qui crediderant quod dixerat primus, & incipiant Domini aduentum, non tardum putare, ſed nullum; qui vides quantus ſit interitus animarum. Quod ſi tanta fidei fuerint, vt ſe ad ſecundi prædicta conuertant, & Dominum etiam tardantem fideliter & patienter expectent: abundabunt tamen opprobria, & inſultationes, atque irriſiones inimicorum multos infirmos à Chriſtiana fide auertentium, dicendo, tam fallaciter eis regnum eſſe promiſſum, quàm
A fallaciter dicebatur citò eſſe venturum. Qui autem credunt quod ſecundus dicit, tardiùs Dominum eſſe venturum, ſi falſum fuerit inuentum, Domino citiùs veniente, nullo modo qui ei crediderant, turbabuntur in fide, ſed inopinato gaudio perfruentur. Quapropter qui dicit Dominum citiùs eſſe venturum, optabiliùs loquitur, ſed periculoſiùs fallitur. Vtinam ergo ſit verum, quia erit moleſtum, ſi non erit verum. Qui autem dicit Dominum tardius eſſe venturum, & tamen credit, ſperat, amat eius aduentum: profecto de celeritate eius etiam ſi fallitur, fœliciter fallitur: habebit enim maiorem patientiam, ſi hoc ita erit; maiorem lætitiam, ſi non erit. Ac per hoc, ab eis qui diligunt manifeſtationem Domini, ille auditur ſuauiùs, iſti creditur tutiùs. Qui autem quid horum ſit verum, ignorare ſe confitetur, illud optat, hoc tolerat. in nullo eorum errat, quia nihil eorum, aut affirmat, aut negat. Obſecro te, vt me talem non ſpernas, *cum illo tertio ſeruo ſentientem*, quia & ego te diligo id affirmantem, quod verum eſſe deſidero; *quod ſenſit primus citiùs venturum Dominum*; & tantò magis nolo fallaris, quantò magis amo quod polliceris, & quantò magis video periculoſum, ſi falleris. *De diligendo Aduentu Domini vide infra, numero 4.*

3. Iudicium generale ſcripturæ potius prædicere debuit, quàm priuatum perſonæ vel loci, ad excitandos ſpei & timoris motus. De Reſur. cap. 21. in m. ad f.

VEriſimile non eſt, vt ea ſpecies ſacramenti, in quam fides tota committitur, in quam diſciplina tota connititur, ambiguè annuntiata, & obſcurè propoſita videatur: quando ſpes reſurrectionis niſi manifeſta de periculo & præmio, neminem ad eiuſmodi præſertim religionem, publico odio & hoſtili elogio obnoxiam, perſuaderet. Nullum opus certum eſt, mercedis incertæ. Nullus timor iuſtus eſt periculi dubii. Et merces autem & periculum, in reſurrectionis pendet euentu. Sed etſi temporalia, & localia, & perſonalia Dei decreta atque iudicia in vrbes, & gentes, & reges, tam apertè prophetia iaculata eſt, quale eſt, vt æternæ diſpoſitiones eius & vniuerſales in omne hominum genus, lucem ſui fugerint? quantò maiora, tantò clariora eſſe deberent, vt maiora crederentur. Et puto Deo nec liuorem, nec dolum, nec inconſtantiam, nec lenocinium adſcribipoſſe, per quæ ferè promulgatio maiorum cauillatur.

Eſa. 13. 1. & ſeq. & 19. 1. & ſeq. & 21. 1. & ſeq. & 24. 1. & ſeq. vſque ad 32.

IVDICIVM GENERALE. III. SCHOL.

SPECIES SACRAMENTI. *Hic articulus Symboli, nempe extremi iudicij, cui tota fides Chriſtianorum commiſſa eſt, in qua nituntur boni mores, omniumque virtutum praxis, non debuit obſcurè à Prophetis prænuntiari.* QVANDO, *quandoquidem. Niſi enim fides noſtra circa reſurrectionem, & iudicium, probis ac improbis, pro meritis redditurum, certiſſimis & apertiſſimis ſcripturæ locis niteretur; quis gentilium ad Religionem Catholicam conuerteretur, tam exoſam ethnicis, & gentili ſuperſtitioni, malo hoſtilitatis elogio denotari ſolitam; niſi firmiſſimo fidei fundamento ſubnixus eſſet, quo ſpem erigit ad æterna præmia, quorum intuitu ad virtutes inclinatur, ſicut à peccatis æternorum malorum, timore auertitur? Quis certum laborem in domanda carne, vitiiſque frænandis, obiret, ſi incertus de mercede eſſet?* SED ET SI. *Præterea, inquit, ſi Prophetæ tam apertè iudicia Dei pro temporalibus pœnis, priuatis locis, & perſonis, iaculati ſunt; quis credat æterna ſupplicia & præmia in vniuerſum genus humanum in extremo iudicio decernenda, non clarè, ſed obſcurè prænuntiata fuiſſe?* ET PVTO, *&c. Quis enim audeat Deo impingere notas fraudis, inuidiæ, leuitatis, adulationis? &c.* CAVILLATVR. *Paſſiuè ſumit, quaſi diceret; ſic enim frequenter edicta ſuperiorum promulgata eludunturs nec ad ea ſubditi ſe obligatos, cauillantur, dum aliqua paſ-*
C *ſionis motu & à ſuis maioribus promulgari ſuſpicantur.* MAIORVM. *Referri etiam poteſt hæc vox, ad materiæ, ſiue rei momenti maioris. Quod attinet ad hunc textum per Auguſtinum illuſtrandum, duo præclara ex ſcriptis eius excerpo. Primum quidem, tria cum ipſo Dei iudicia annote, lib. 20. de Ciuit. cap. 1.* Quod, *inquit*, in confeſſione ac profeſſione tenet omnis Eccleſia Dei S. Aug.
veri, Chriſtum de cœlo eſſe venturum ad viuos & mortuos iudicandos, hunc diuini iudicii vltimum diem dicimus, id eſt nouiſſimum tempus, &c. Ideo autem cùm diem iudicii Dei dicimus, addimus vltimum, vel nouiſſimum, quia & nunc iudicat, & ab humani generis initio iudicauit, dimittens de paradiſo & à ligno vitæ ſeparans primos homines peccati magni perpetratores: imo etiam quando Angelis peccantibus non pepercit; quorum princeps, homines, à ſeipſo ſubuerſus, inuidendo ſubuertit, proculdubio iudicauit, &c. Iudicat etiam non ſolùm vniuerſaliter de genere dæmonum atque hominum, vt miſeri ſint, propter primorum meritum peccatorum: ſed etiam de ſingulorum operibus propriis quę gerunt arbitrio voluntatis. Nam & dæmones ne torqueantur, precantur; nec vtique iniuſtè vel parcitur eis, vel pro ſua quique improbitate torquentur. Et homines plerumque apertè, ſemper occultè

luunt pro ſuis factis diuinitùs pœnas, ſiue in hac vita, ſiue poſt mortem: quamuis nullus hominum agat rectè, niſi diuino adiuuetur auxilio: nullus dæmonum agat iniquè, niſi diuino, eodemque iuſtiſſimo Dei iudicio, &c. Non igitur in hoc libro de illis primis, nec iſtis mediis Dei iudiciis, ſed de ipſo, nouiſſimo iudicio, quantum ipſe tribuerit, diſputabo: quando Chriſtus de cœlo venturus eſt viuos iudicaturus & mortuos. Iſte quippe dies iudicii propriè iam vocatur, eo quod nullus ibi erit imperitæ quęrelæ locus, cur iniuſtus ille ſit fœlix, & cur iuſtus ille infœlix omnium namque tunc, non niſi bonorum vera & pleniſſima fœlicitas; & omnium non niſi malorum digna & ſumma infœlicitas apparebit.

Aug. *Et to.4. lib. de Cathec. Rudib. cap.24.* Omnia, inquit, *loquebatur de afflictionibus, & cæteris in veteri & noua lege prophetatis*, ſicut tantò ante prædicta legimus, ſic & facta cognoſcimus: & quemadmodum primi Chriſtiani, quia nondum iſta proueniſſe videbantur, miraculis mouebantur vt crederent: ſic nos quia omnia iſta ita completa ſunt, ſicut in eis libris legimus, qui longè antequam hæc implerentur, conſcripti ſunt, vbi omnia futura dicebantur, & præſentia iam videntur, ædificamur ad fidem, vt etiam illa quæ reſtant ſuſtinentes, & perſeuerantes in Domino, ſine dubitatione ventura credamus. Sic quidem adhuc tribulationes futuræ in eiſdem ſcripturis leguntur, & vltimus iudicii dies, vbi omnes ciues ambarum ciuitatum receptis corporibus ſurrecturi ſunt, & rationem vitę ſuę ante tribunal Chriſti iudicis reddituri. Veniet enim etiam in claritate poteſtatis, qui priùs in humilitate humanitatis venire dignatus eſt, & omnes pios ab impiis ſegregabit, non tantùm eis qui in eum credere omnino noluerunt, ſed etiam eis qui fruſtra & infructuosè crediderunt in eum: illis daturus regnum ſecum æternum, illis autem pœnam æternam cum diabolo. Sed ſicut nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte ſimile poteſt inueniri gaudio vitæ æternæ, quam ſancti accepturi ſunt; ita nullus cruciatus pœnarum temporalium poteſt ſempiternis iniquorum cruciatibus comparari.

4. *Iudicium extremum, votum eſt proborum omnium. De Reſur. cap.22. à p.*

QVum & tempora totius ſpei fixa ſint ſacroſancto ſtilo, nec liceat eam antè conſtitui, quàm in aduentum, opinor, Chriſti, vota noſtra ſuſpirant in ſeculi huius occaſum, in tranſitum mundi quoque, ad diem Domini magnum, diem iræ & retributionis; diem vltimum, & occultum; nec vlli præter Patri notum; & tamen ſignis atque portentis, & conCuſſionibus elementorum, & conflictationibus nationum prænotatum.

Soph.1.14. Eſa.66.24. Matth 24. per totum.

IVDICIVM EXTREMVM. IV. SCHOL.

TEMPORA FIXA. *Cùm in Scriptura ſacra habeamus præfixum tempus retributionis conſummatæ, in qua nihil ſuperſit ſperandum, corpore etiam glorificato, & toto homine de gloria æternitate ſecurò; nec priùs ſpei noſtræ terminus conſtituatur, niſi in aduentu Chriſti in iudicium, nihil proinde ſic fideles omnes ſuſpirant, quàm finem mundi, & diem iudicij: qui quidem licet incognitus ſit, cum tamen ex eadem Scriptura ſcimus præcurrere debere ſigna & prodigia, quæ toto Matth.24. capite prænotantur. De ſecundi aduentus Chriſti deſiderio, apertè Paulus locutus eſt dum ait. 2. Tim.4.* Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, non ſolũ autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius. *Aug. in Pſal.147. enarratione 1. in p.* Immorati ſumus in eo quod nobis Dominus diem nouiſſimum commendauit, cautoſque nos & vigilantes expectare voluit aduentum ſuum, terrens etiam exemplo, ne damnaret iudicio, ſic futurum dicens aduentum filii hominis, ſicut in diebus Noë, &c. & venit diluuium, & perdidit omnes. Solliciti ergo, & magno timore concuſſi; quis enim ſi credit, non timeat? in eo ſumus in quantum potuimus immorati, vt de veſtris moribus, vitaque veſtra, & omnium noſtrum ſermo produceretur, quo poſſimus illum diem non ſolùm ſecuri expectare, ſed etiam deſiderare. Si verè enim amamus Chriſtum, vtique aduentum eius deſideramus. Perueriſum enim eſt, & neſcio vtrum verum, quem diligis, timere ne veniat; orare, veniat regnum tuum, & timere ne exaudiaris. Vnde autem timor? quia iudex venturus eſt. Nunquid iniuſtus? nunquid malenolus? nunquid inuidus? Numquid poſtremò ab altero expectans noſſe cauſam tuam, ne fortè ille quem inſtruxiſti, vel prævaricatione te decipiat, vel minore facundiâ & facultate deficiens, innocentiæ tuæ bonum verbis demonſtrare non poſſit? Nihil horum. Quis ergo venturus eſt? quare non gaudes? quis venturus eſt iudicare te, niſi qui venit iudicari propter te? non timeas accuſatorem, de quo ipſe dixit, princeps huius mundi miſſus eſt foras. Non timeas malum aduocatum: ille enim tibi modò aduocatus eſt, qui tunc iudex futurus eſt. Ille erit, & tu, & tua cauſa, ſermo cauſæ tuæ, teſtimonium conſcientiæ tuæ. Quiſquis ergo futurum iudicem times, præſentem conſcientiam tuam modò corrige. *Dominus enim iudicabit fines terræ, id eſt humana natura, non initia vel media.* parumne tibi eſt, quod præterita non requiret? ſine reliquo ſpatio temporis, tunc iudicabit: ſed quod cum tanto ſpatio temporis modo præcipit, tunc etiam corrigi non licebit modo quis prohibet? *Et concione 20. in Pſ.118. in verſum:* Defecit in ſalutare tuum anima mea, &c. Non omnis, *inquit*, defectus, vel culpæ putandus eſt eſſe, vel pœnæ: eſt etiam defectus laudabilis, vel optabilis, &c. Defectus à bono in malum, malus eſt: à malo in bonum, bonus eſt: de bono quippe defectu dictum eſt Pſalmo *83.* deſiderat & deficit anima mea in atria Domini. Sic & hîc non ait, defecit à ſalutari tuo, ſed defecit id ſalutare tuum, hoc eſt ad ſalutare tuum, anima mea; bonus eſt ergo iſte defectus: indicat enim deſiderium boni, nondum quidem adepti, ſed auidiſſimè ac vehementiſſimè concupiti. Sed quis hoc dicit, niſi genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis? Ab origine generis humani, vſque ad huius ſeculi finem, in eis qui ſuo quique tempore hîc vixerunt, viuunt, victuri ſunt, deſiderant Chriſtum, teſte ſanctiſſimo ſene Simeone qui cùm eum infantem accepiſſet in manus ſuas, dixit, Nunc dimittis, &c. Quale autem deſiderium fuit in iſto ſene, tale fuiſſe credendum eſt in omnibus ſuperiorum temporum ſanctis: vnde & ipſe Dominus diſcipulis ait, multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quę vos videtis, &c. Vt ex ipſorum etiam voce hoc loco

S.Aug. S.Aug.

agnoſcitur, defecit in ſalutare, &c. Nec tunc ergo quieuit hoc deſiderium ſanctorum, nec nunc quieſcit in Chriſti corpore quod eſt Eccleſia vſque ad terminum ſæculi, donec veniat deſideratus cunctis gentibus, ſicut promittitur per Prophet. Aggæi 2. propter quòd dicit Apoſtolus, ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, &c. non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui diligunt manifeſtationem eius. Hoc itaque deſiderium de quo nunc agimus, de dilectione conſurgit manifeſtationis eius: De qua item dicit Coloſſ. 3. cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria: prima enim tempora Eccleſiæ ante virginis partum, ſanctos habuerunt qui deſiderarent Incarnationis eius aduentum: Iſta verò tempora ex quo aſcendit in cœlum, ſanctos habent qui deſiderent eius manifeſtationem, ad viuos & mortuos iudicandos, &c. Et in verbum tuum ſuperſperaui: hoc eſt in promiſſum, quod ſpes facit, vt per patientiam expectetur, quod à credentibus non videtur, &c. Quia proculdubio plus futurum eſt, quàm dici poteſt. Defecerunt, *inquit*, oculi mei in eloquium tuum dicentes quando conſolaberis me? Ecce rurſus in oculis, ſed vtique interioribus, laudabilis & fœlix ille defectus, non veniens ex infirmitate animi, ſed ex fortitudine deſiderij in promiſſum Dei, &c. Tanquam moras ſe perpeti oſtendit: vnde eſt etiam illud Pſal. 6. & tu Domine vſquequo? *quando*
Aug. *venies ad me?* quod aut ideo fit, vt dulcior veniat dilata iocunditas, aut iſte ſenſus eſt deſiderantium, cùm ſpatium temporis etiam quod ſubuenienti breue eſt, longum eſt amanti, &c. Ardentibus autem ſpiritalibus deſideriis, carnalia deſideria ſine dubitatione frigeſcunt: propter hoc ſequitur, quoniam factus ſum tanquam vter in pruina, iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Nimirum enim per vtrem, carnem mortis huius, per pruinam verò cœleſte beneficium vult intelligi, quo carnis concupiſcentiæ, velut frigore cohibente torpeſcunt: & fit hinc vt iuſtificationes Dei de memoria non labantur, dum non cogitatur aliunde: quomodo fit quod ait Apoſtolus Rom. 13. carnis prouidentiam ne feceritis in concupiſcentiis, &c. Feruor enim cupiditatis obtorpuit, vt ferueret memoria charitatis. Quot ſunt dies ſerui tui, quando facies de perſequentibus me iudicium? In Apocalypſi eſt iſta vox Martyrum, & eis imperatur patientia, donec fratrum eorum numerus impleatur. De diebus ergo ſuis interrogat corpus Chriſti, qui futuri ſunt in hoc ſæculo. *Et to. 9.* S. Aug.
lib. de ciuit., cap. 6. Habentes, *inquit*, talem iudicem quem nemo contra nos fallit, nemo pro nobis, ſic agamus vt eius iudicium venturum non timeamus, ſed expectemus & deſideremus. Numquid enim frumenta timent ne mittantur in horreum? imo optant vehementer & deſiderant. Numquid oues timent ne ponantur ad dexteram? imò nihil eis tam tardum eſt, quàm donec fiat. Hi verò ex animo & totâ ſinceritate dicunt cùm orant, veniat regnum tuum. *Cùm itaque præcedentibus titulis fuisse de timore iudicij dixerimus, ſupererat vt de ſpe & deſiderio eiuſdem cum Tertulliano & Auguſtino prolixum hunc tractatum concluderemus.*

IVDICIVM TEMERARIVM.

1. *Iudicium temerarium ſua non videt vera vitia, quæ in alijs non exiſtentia carpit. V. Verbum Gentilis, num. 8.*

2. *Iudicant frigidi Chriſtiani ferventem militem, coronam ſpernentem. De Cor. cap. 1. in m.*

EXinde ſententiæ ſuper illo, neſcio an Chriſtianorum, non enim aliæ ethnicorum, vt de abrupto, & præcipiti, & mori cupido, qui de habitu interrogatus, nomini negotium fecerit: ſolus ſcilicet fortis, inter tot fratres commilitones ſolus Chriſtianus.

IVDICIVM TEMERARIVM. II. SCHOL.

SENTENTIÆ SVPER ILLO. *Iudicia valde temeraria, quibus à frigidis Chriſtianis iudicatus eſt miles, cuius tuendi causâ conſcriptus eſt liber de Corona militis.* NON ALIÆ ETHNICORVM. *Non aliter iudicaſſent gentiles, quàm iudicarunt commilitones eius Chriſtiani; qui tamen à Chriſto,* ſecundùm faciem iudicare, *prohibentur.* DE HABITV INTERROGATVS. *Cur ſcilicet, cum cæteri triumphantes coronam capite præferrent, ipſe vnus eam quaſi negletam haberet in manu.* NOMINI NEGOTIVM FECERIT. *Inde cæteris Chriſtianis in periculum adductis, occaſionem dederit, nomen Chriſtianum exoſum ethnicis, perſequendi. Sic ferè pleriſque accidit, qui cùm præcipites, vel ignaui ſint, proximos ex ſuis vitijs & defectibus propriis æſtimant, & iudicant, iuxta Paulum exprobrantem:* Eadem agis quæ iudicas. *Hinc Pſalmes* 118. Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum, quia iudicia tua iucunda. *In quem locum ſic commentatur Auguſtinus, Concione* 12.
Aug. *in Pſal.* 118. Quamdiu, *inquit*, non auertit homo oculos ſuos ne videat vanitatem, quod in ſeipſo agitur, hoc de aliis ſuſpicatur: vt propter quod ipſe colit Deum, vel propter quod bona opera facit, propter hoc credat & alterum facere. Poſſunt quippe homines videre quod agimus, cuius autem rei contemplatione agimus, occultum eſt: & ideo datur C ſuſpicionibus locus, vt audeat homo iudicare de occultis hominum, & falſa plerumque: & ſi vera, tamen ei incognita temerè ſuſpicari, &c. Propterea Dominus cùm hæc omnia monuiſſet, *videlicet ne propter humanam gloriam, auaritiam, voluptatem, &c.* Quia poſſumus ſuſpicari eos quos iuſtè viuere vide- S. Aug.
mus, & quo fine faciunt non videmus, propter aliquid huiuſmodi benefacere, continuò ſubiecit; nolite iudicare, vt non iudicemini. Vnde & hic cùm dixiſſet: amputa opprobrium meum, &c. Addidit, quia iudicia tua ſuauia. Id eſt iudicia tua vera. Veritatis enim amator ſuaue clamat eſſe quod verum eſt. Hominum autem iudicia de occultis hominum, D non ſuauia, quia temeraria: & ideo ſuum dixit opprobrium quod de aliis eſt ſuſpicatus: quia & hoc quod Apoſtolus ait 2. Cor. 10. comparantes ſemetipſos ſibimetipſis, non intelligunt: hoc enim procliuius homo ſuſpicatur in alio, quod ſentit in ſeipſo. Hoc itaque opprobrium ſuum petebat auferri, quod in ſe ſenſerat & in aliis fuerat ſuſpicatus: vt nõ eſſet diabolo ſimilis, qui de occultis ſancti Iob ſuſpicatus eſt, quòd non gratis Deum coleret, quem poſcit tentandum vt crimen quod obiecerat inueniret. Sed cùm libenter alterius opprobrium non niſi æmulatio ſuſpicetur, *charitas enim non æmulatur,*

non cogitat malum, dum bonum opus reprehendi non potest, quia se exerit quod apertum est; & quo fine fiat reprehenditur, quia non se exerit quod occultum est: atque ita malè suspicari non debet quilibet, non videndo quod latet, & non inuidendo quod eminet: profecto contra hoc malum, quod quisque libenter de homine malum quod non prospicit, suspicatur, charitas habenda est quæ non æmulatur.

3. Iudicium temerarium Deo honorem præripit. De Patient. cap. 10. circa f.

aMatth. 7.1 CVm dicit, a *Nolite iudicare, ne iudicemini*, nonne patientiam flagitat? Quis enim non iudicabit alium, nisi qui patiens erit non defendi? Quis idcirco iudicat, vt ignoscat? Ac si ignoscet, tamen iudicantis impatientiam cauit, & honorem vnici iudicis, id est, Dei abstulit.

IVDICIVM TEMERARIVM. III. SCHOL.

PATIENTIAM FLAGITAT. *Iuxta Paulum monentem post Christum*; Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. *Aug. to. 9. lib. de Oribus, cap. 1 vbi de Zizaniis immixtis tritico.* Transiet, *inquit*, agri concretio, veniet messis discretio. Exigit nunc de nobis Dominus patientiam quam proponit in se, dicens tibi: *Ego non iudico quemquam*: Ego certè si voluero modò iudicare, numquid iniquè iudicabo? S. Aug. Ego si modò voluero iudicare, numquid falli potero? Si ego qui semper rectè iudico, & nunquam falli possum, differo iudicium meum, ignorans quemadmodum iudicandus sis, audes tam præpropere iudicare? Videte fratres quemadmodum illis seruis volentibus ante tempus eradicare Zizania, hoc opus, nec in messe concessit. Ait enim, in tempore messis, dicam messoribus: nec ait dicam vobis. Sed quid si ipsi serui messores erunt? Non. Nam exponens omnia singulatim, messores ait, Angeli sunt. Homo ergo carne septus, carnem portans, aut fortè caro totus; id est caro corpore, carnalis animo, audet vsurpare officium alienum? *Non iam Angelicum sed diuinum. Vnde; si separauerit pretiosum à vili, quasi os meum eris. Id est mei similis, qui sum discretor cogitationum cordis.* Quod nec in messe erit tuum. PATIENS NON DEFENDI. *Qui patienter fert iniuriam non se defendens, & vlciscens.* VT IGNOSCAT. *Et non potius vt condemnet. Licet autem ignoscat ei quem iudicauit, & in aliquo iudicis impatientiam in vlciscendo euitarit, non tamen impatientiam iudicij, dum ante illius tempus iudicare præsumpsit.* ET HONOREM. *Scriptum est quippe*: honor regis, iudicium diligit. VNICI IVDICIS. *Christi Dei, cui* Pater omne iudicium dedit, *qui solus nouit corda hominum*, Scrutans corda & renes Deus. ABSTVLIT. *Vnde Ambrosius*: Iniuria iudicis est, si ante cognitionem eius, à seruo iudicium exeat. *Et Psaltes*: De vultu tuo iudicium meum prodeat, &c. Sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. *Quòd si ipsi iudices, etiam vi tormentorum vix possunt extortam purè cernere veritatem, quid qui sine vlla inquisitione abyssum humani cordis perscrutari præsumunt?* S. Aug. *Aug. in Psal. 101.* Quando, *inquit*, iudicabit? cùm transierit nox. Ideodixit, in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ. Quid est in matutinis? cùm iam dies venerit, nocte transactâ, &c. Quare eis parcit vsque ad matutinum? quia nox erat. Quid est nox erat? quia tempus erat parcendi. Parcebat cùm corda hominum essent occulta, &c. S. Aug. *Et to 4. lib. 2. de Ser. Do. in Monte, cap. 28.* in verba *Matth. 7.* Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis, &c. Hoc loco, *inquit*, nil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur, &c. *Et ex Rom. 14.* Aug. Qui non manducat, manducantem non iudicet. Ibi, *inquit*, etiam ait tu quis es qui iudicas alienum seruum? &c. De talibus enim rebus quæ possunt bono animo, & simplici, & magnanimo fieri, quamuis etiam possint non bono, volebant illi, cùm homines essent, in occulta cordis ferre sententiam; de quibus Deus solus iudicat: *Aduerte, solus: unde Tertullianus dixit, honorem vnici iudicis hoc est* Aug. *Dei abstulit.* Ad hoc pertinet etiam illud quod alio loco dicit, nolite ante tempus iudicare, &c. Item alio loco dicit Apostolus: 1 Tim. 5. quorumdam autem hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quædam autem & subsequuntur. Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant. Hæc præcedunt ad iudicium. Id est quia si fuerit ista subsecutum iudicium, non est temerarium, Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt, quæ nec ipsa latebunt tempore suo, &c. De manifestis ergo iudicemus, de occultis verò Deo iudicium relinquamus: quia & ipsa abscondi non possunt, siue bona, siue mala, cùm tempus aduenerit quo manifestentur, &c. *Et tract. 90. in Io.* Pertinet, Aug. *inquit*, ad nos, ne pernicioså opinione fallamur, vt quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certamque sententiam: hoc est vt si ille, vel ille homo vtrùm sit impudicus, pudicusve nescimus; oderimus tamen impudicitiam, & pudicitiam diligamus, &c. Tentatio vos non apprehendat nisi humana: quid enim tam humanum, quàm non posse inspicere cor humanum, & ideo non eius latebras perscrutari, sed plerumque aliud quàm id quod ibi agitur suspicari? Quamquam & in his rerum tenebris humanarum, hoc est cogitationum alienarum & si suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus: iudicia tamen, id est, definitas firmasque sententias continere debemus, nec ante tempus quicquam iudicare, donec veniat Dominus, &c. Quando ergo non erratur in rebus, vt recta sit improbatio vitiorum, virtutumque probatio; profectò si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio. Per has autem humanorum cordium tenebras, res multùm miranda, & multùm dolenda contingit, vt eum nonnumquam, quem iniustum putamus, tamen iustus est, & iustitiam in eo nescientes, quem diligimus, *si sciremus iustum*, deuitemus, auersemur, à nostro prohibeamus accessu, communem cum illo vitam victumque habere nolimus; eumque etiam, si disciplinæ imponendæ necessitas cogat, siue ne aliis noceat, siue vt fiat ipse correctior, asperitate salubri persequamur, & hominem bonum, tanquam malum affligamus quem nescientes amamus.

Iudicij

IVRARE.

1. Iurat Deus, vt fidem noſtram obſtringat credendæ vnicæ ſuæ diuinitati.
2. Cont. Marc. cap. 26. in f.

SEd & iurat Deus. Nunquid fortè per Deum Marcionis? Immo, inquit, quod multò vanius, per ſemetipſum. Quid velles faceret? ſi alius Deus non erat in conſcientia eius, hoc cùm maximè iurantis, [a] *alium abſque ſe omnino non eſſe?* Igitur pejerantem deprehendis, an vanè dejerantem? Sed non poteſt videri pejeraſſe, qui alium eſſe non ſciuit, vt dicitis. Quod enim ſcit, hoc dejerans verè, non pejerauit. Sed nec vanè dejerat, alium Deum non eſſe. Tunc enim vanè dejeraret, ſi non fuiſſent qui alios deos crederent, tunc quidem ſimulacrorum cultores, nunc verò & hæretici. Iurat igitur per ſemetipſum, vt vel iuranti Deo, credas alium Deum omnino non eſſe. Hoc vt Deus faceret, tu quoque Marcion coëgiſti: iam tunc enim prouidebaris. Proinde, ſi & in promiſſionibus, aut comminationibus iurat, fidem in primordiis arduam extorquens, nihil Deo indignum eſt, quod efficit Deo credere. [a] Eſa. 45. 22. 23.

IVRARE. I. SCHOL.

IVRAT DEVS. *Inducit Marcionem obijcientem ſibi quaſi indignum Deo Creatore iuramentum, frequenter ipſum in veteri teſtamento iuraſſe. Sicut Gen. 22. 16.* Per memetipſum iuraui dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, 70. *dilecto*, propter me: benedicam tibi, &c. *Deut. 1. 8.* Ingredimini & poſſidete eam. 70. *hæreditate terram*, ſuper qua iurauit Dominus Patribus veſtris. *Et Deut. 6. 18.* Ingreſſus poſſideas terram optimam, de qua iurauit Dominus Patribus tuis. *Pſalmo 88. 3.* Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo: vſque in æternum præparabo ſemen tuum. *Et ibid. 36.* Semel iuraui in ſancto meo, *Sanct. Pagn. ex Hebr. per ſanctitatem meam*, ſi Dauid mentiar: ſemen eius in æternum manebit. *Et verſu 50.* Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine, ſicut iuraſti Dauid in veritate tua. *Et Pſal. 109. 4.* Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, &c. NVMQVID FORTE. *Ironicè.* IMMÒ. *Reſpondet Marcion, Creatorem multò vaniùs iuraſſe per ſemetipſum, cùm non eſſet verus Deus.* IN CONSCIENTIA. *Reſpondet Tertullianus, Deum Creatorem non potuiſſe iurare per alium Deum, quàm per ſeipſum, cùm ſciret certiſſimè nullum Deum eſſe præter ſeipſum, maximè cùm hoc ipſum, per ſeipſum iurans affirmet. Eſa. 45. 23.* Quia ego Deus & non eſt alius. In memetipſo iuraui, egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non reuertetur. 70. *autem*: Ego ſum Deus, & non eſt alius. Per memetipſum iuro: niſi egredietur de ore meo iuſtitia, ſermones mei non auertentur. DEIERANTEM, *iurantem, nomen Dei ſumendo in vanum.* NON SCIVIT. *Aduerte Marcionem arguiſſe Deum Creatorem ignorantiæ, quòd Deum ſuum bonum non cognouerit. Sed ex hoc, Tertullianus eum conuincit, quòd pejerare non potuerit Creator per ſeipſum iurando, cùm alium omnino Deum eſſe neſciret præter ſe. Cùm igitur verum iuranerit prout credidit, perjurus eſſe non potuit. Præterea non pejerauit, quia ſicut iuraui, ſic fecit, & promiſſa implenit.* SED NEC VANE, *in vanum quippe iuraſſet, & fruſtra alios Deos excluſiſſet, ſi non fuiſſent idololatræ cultores falſorum Deorum, cùm iuraret: & niſi longè ante proſpexiſſet etiam hæreticos, velut ipſos Marcionitas noui Dei inuectores ſuperuenturos. Vnde ſubjecit præſcientiam Dei circa Marcionem, compuliſſe Deum vt iuramento excluderet à diuinitate Deum nouum ab ipſo fingendum.* FIDEM ARDVAM. *Quia ſenſum excedit, & ſupra vires humanas multa imperat, quæ tamen* impoſſibilia non ſunt credenti; *præſertim in primordijs, dum fides adhuc tenera eſt, nec miraculis corroborata, vel Prophetiarum euentu. De Deo per ſeipſum iurante Auguſtinus, lib. 16. de Ciu. cap. 32. cùm locum præci-*

Omniloquium.

A *tum Gen. 22. retuliſſet, ſic concludit*: Hoc modo, *inquit*, eſt illa de vocatione Gentium in ſemine Abrahæ, poſt holocauſtum quo ſignificatus eſt Chriſtus, etiam iuratione Dei firmata promiſſio. Sæpè enim promiſerat, ſed nunquam iurauerat. Quid autem eſt Dei veri, veraciſque iuratio, niſi promiſſi confirmatio, & infidelium, *ſiue idololatrarum & hæreticorum per Deos falſos & nouos iurantium: ſiue promiſſa & iuramenta ſua non reddentium*, quædam increpatio. Aug.
Et in Pſal. 88. in verſa: Iuraui Dauid ſeruo meo, &c. Aug.
Si ſecurum, *inquit*, me facies, quia dixiſti; quantò ſecuriorem, quia iuraſti? Dei quippe iuratio, promiſſionis eſt confirmatio. *Paulus quidem ad Hebræos 6. de iuramento facto Abrahæ*; Abrahæ, *inquit*, promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret, maiorem, iurauit per ſemetipſum.
Et ſe. 10. Ser. e Decollat. Ioannis: Securus iurat qui Aug.
B mentiri neſcit Non te moueat, quia Dominus iurauit: quia fortè non debet iurare niſi Dominus, Tu enim quando iuras, quid facis? teſtem Deum adhibes, tu ipſum, ipſe ſeipſum. Sed homo quia in multis fallitur, plerumque adhibes teſtem veritatem ad tuam falſitatem. *Et Ser. 28. de verbis Apoſtoli* Aug.
Iacobi. Iurat ergo Deus, qui iurat ſecurus, quem nihil fallit, quem nihil latet, qui omnino fallere ignorat, ulla nec falli poteſt. Cùm enim iurat, ſe adhibet teſtem, &c. Tu quando illum adhibes teſtem for ſupra mendacium tuum, accipis in vanum nomen Domini Dei tui. *Et in Pſal. 94.* Ipſi non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Loqui, *inquit*, Dominum, magnum eſt; quantò magis iurare Deum? Iurantem hominem debes timere, ne propter iurationem faciat quod contra voluntatem eius
C eſt: quantò magis Deum, qui nihil temerè iurare poſſit? Iurationem ad confirmationem voluit eſſe. Et per quem iurat Deus? per ſeipſum. Non enim habet maiorem per quem iuret. Per ſeipſum confirmat promiſſa ſua, per ſeipſum confirmat minas ſuas, &c. Sicut verum eſt quod promittit, ſic certum eſt quod minatur. Tam certus debes eſſe de requie, de fœlicitate, de æternitate, de immortalitate, ſi feceris præcepta ipſius: quàm certus eſſe debes de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum diabolo ſi contempſeris præcepta eius.
Et in Pſal. 109. Quid eſt, *inquit*, iurauit Dominus? Aug.
Ergo Dominus iurat, qui prohibet hominem à iurando? An fortè ideo magis hominem prohibet à iurando, ne in perjuria prolabatur? & ideo magis Deus iurat, quia non poteſt eſſe perjurus, &c. Cur ergo non iuret Dominus, quando Domini iuramentum promiſſionis eſt firmamentum?

2. Iurare per Deos falsos, vel benedicere, aut maledicere per eos, verbo vel scripto, ad pecuniam mutuandam ab ethnicis, vetitum: & qui sit adjuratus, timore tacet, idololatriæ consentit. De Idol. cap. 21. 22. per totum, & 23. ad circa f.

TImiditatis est autem, cùm te alius per deos suos obligat iuratione vel aliqua testificatione, & tu, ne intelligaris, quiescis: nam æquè quiescendo, confirmas maiestatem eorum, cuius causâ videberis obligatus. Quid refert deos nationum dicendo deos, an audiendo confirmes? iures per idola, an ab alio adiuratus adquiescas? Cur non agnoscamus versutias satanæ, qui quod ore nostro perficere non potest, id agit vt suorum ore perficiat, per aures inferens nobis idololatriam? Certè quisquis ille est, aut amicâ, aut inimicâ congressione adstringit. Si inimicâ, iam ad pugnam vocaris, & scis tibi dimicandum esse: si amicâ, quantò securius in Dominum transferes responsionem tuam, vt dissoluas obligationem eius, per quem te Malus honori idolorum, id est, idololatriæ quærebat annectere? Omnis patientia eiusmodi, idololatria. Honoras eos, quibus impositis obsequium præstitisti. Scio quendam, cui Dominus ignoscat, quum illi in publico per litem dictum esset, Iupiter tibi sit iratus: respondisse, Immò tibi. Quid aliter fecisset ethnicus, qui Iouem Deum credidit? etiam si non per eundem retorsisset maledictum, nec per vllum Iouis similem, confirmauerat Iouem deum, per quem se maledictum indignè tulisse demonstrauerat remaledicens. Ad quid enim indigneris per eum maledictus quem scis nihil esse? Nam si insanis, iam esse confirmas, & erit idololatria professio timoris tui; quantò magis cùm per ipsum remaledicis, eodem Ioui honorem facis, quo & ille qui te prouocauit? fidelis autem in eiusmodi ridere debet, non insanire. Immò secundùm præceptum, ne per Deum quidem remaledicere, sed planè benedicere per Deum,
CAP. XXII vt & idola destruas, & Deum prædices, & adimpleas disciplinam. Æquè benedici per deos Nationum Christo initiatus non sustinebit, vt semper rejiciat immundam benedictionem, & eam sibi in Deum conuertens emundet. Benedici per deos nationum, maledici est per Deum. Si cui dedero eleemosynam, vel aliquid præstitero beneficii, & ille mihi deos suos, vel coloniæ genium, propitios imprecetur, iam oblatio mea, vel operatio idolorum honor erit, per quæ benedictionis gratiam compensat. Cur autem non sciat me Dei causâ fecisse, vt & Deus potiùs glorificetur, & dæmonia non honorentur in eo quod propter Deum feci? Sed Deus videt, quoniam propter ipsum feci. Pariter videt quoniam propter ipsum feciſſe me nolui ostendere, & præceptum eius idolothytum quodammodo feci. Multi dicunt, nemo se debet promulgare. Puto autem, nec negare: negat enim quicumque dissimulat in quacunque causa pro ethnico habitus. Et vtique omnis
CAP. XXIII. negatio idololatria est, sicut omnis idololatria negatio, siue in factis, siue in verbis. Sed est quædam eiusmodi species, in facto, & in verbis, acuta & infesta vtrimque, licet tibi blandiatur, quasi vacet in vtroque, dum factum non videtur, quia dictum non tenetur. Pecuniam de ethnicis mutuantes sub pignoribus fiduciati, iurati cauent, & sic negant scire. Volunt scilicet tempus persecutionis, & locum tribunalis, & personam præsidis. Præscribit
Matth. 5. 33. & seq. Christus, non esse iurandum. Scripsi, inquit, sed nihil dixi; lingua, non litera occidit. Hîc ego naturam & conscientiam aduoco: naturam, quia nihil potest manus scribere, etiamsi linguâ in dictitando cessat immobilis & quieta, quod non anima dictauerit, quamquam & ipsi linguæ anima dictauerit, aut à se conceptum, aut ab alio traditum. Iam ne dicatur, Alius dictauit; hîc conscientiam appello; an quod alius dictauit anima suscipiat, & siue comitante, siue residente linguâ, ad manum transmittat: & benè quòd in animo & conscientiâ delinqui Dominus dixit? *Si*, inquit, *concupiscentiæ, vel malitia in cor hominis*
a Math. 5. 28. *ascenderit pro facto teneris.* Cauisti igitur; quod in cor tuum planè ascendit, quod neque ignorasse te contendere potes, neque noluisse. Nam cùm caueres, scisti; cùm scires, vtique voluisti, & es tam in facto, quàm cogitatu; nec potes leuiore crimine, maius excludere, vt dicas falsum planè effici, cauendo; quod non facis. Tamen non negaui, quia non iuraui. Immo etsi nihil tale feciſſes, tamen dicereris dejerare si consenseris. Non valet tacita vox in stilo, & mutus in literis sonus? At enim Zacharias temporali vocis orbatione
Luc 1. 20. multatus, cum animo collocutus linguam tritam transit, manibus suis à corde dictat, & nomen filii sine ore pronuntiat, loquitur in stilo, auditur in cera manus omni sono clarior, litera omni ore vocalior. Quære an dixerit, qui dixisse compertus est. Dominum oremus, ne qua nos eiusmodi contractus necessitas circumsistat; & si ita euenerit, det fratribus operandi copiam, vel nobis abrumpendæ omnis necessitatis constantiam; ne illæ literæ negatrices, vicariæ oris nostri, in die iudicij aduersus nos proferantur, signatæ signis, non iam aduocatorum, sed Angelorum.

3. Iurare per genios imperatorum, nefas est Christiano. Apol. cap. 32. in f.

SEd & iuramus, sicut non per genios Cæsarum; ita per salutem eorum quæ est angustior omnibus genijs. Nostris genios dæmonas dici, & inde diminutiuâ voce dæmonia, nos iudicium Dei suspicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse,

uod Deus voluit, ideoque & saluum volumus esse quod Deus voluit, & pro magno id iuramento habemus. Cæterùm dæmonas, id est genios, adiurare consuevimus, vt illos de hominibus exigamus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.

IVRARE. II. & III. SCHOL.

TIMIDITATIS EST. *Pusillanimem te probas, quoties per ethnicum, alium id est alienum à fide vera, adiuratus, vt aliquid testeris, vel promittas per falsos Deos, taces; quia silentio tuo, deorum maiestatem confirmare videris; nihil enim interest si linguâ, vel aure, deos Gentium esse testeris, aut consentias.* AD PVGNAM VOCARIS. *Certamen pro fide in Martyrio subeundum.* IN DOMINVM TRANSFERES. *Deum verum iuramento tuo attestando; Prophetâ monente*, Iurabis viuit Dominus: *Sicut & ipse Deum iurat:* Viuo ego dicit Dominus, *quod est iusjurandum Dei ex Augustino in Psal.* 109. Quid, *inquit*, facis tu cùm iuras? testaris Deum. Hoc est iurare, Deum testari. Et ideo molestum, ne ad aliquam falsitatem, testem adhibeas Deum. *Vel ad aliquam veritatem, cæcum, surdum, mancum, falsum adhibeas Deum.* Si ergo tu iurando testaris Deum, cur ergo non & Deus iurando restetur seipsum? Viuo ego dicit Dominus iuratio Dei est. *Quia alij dij vel homines mortui sunt, vel idola, vitâ & sensu carentia.* MALVS. *Diabolus; de quo dixit*, sit autem sermo vester, est est, non, non: quod enim abundantius est, à malo est. PATIENTIA. *Conniventia.* QVIBVS IMPOSITIS. *Recte. Onus enim graue, iuratio; aggranat autem, per falsos deos adjuratio.* SI INSANIS. *Irâ & furore motus, repercutiens execratione & maledicto per iouem. Quod est grauissimum iuramentum. Aug. in Psal.* 7. Ne reddat, *inquit*, retribuentibus mala, iram potiùs quàm hominem vincit, illis literis eruditus quibus scriptum est Prouerb. 16. melior est qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatem. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò, &c. Iurare videtur per execrationem, quod est grauissimum iusjurandi genus; cùm homo dicit, si illud feci, illud patiar. Sed aliud est iuratio in ore iurantis, aliud in significatione prophetantis. Hîc enim dicit, quid verè contingat hominibus, qui reddunt retribuentibus mala; non quòd sibi, aut alicui quasi iureiurando imprecetur. SCIS NIHIL ESSE. *Attestante Paulo vt alibi vidimus*, Quia idolum nihil est. ADIMPLEAS DISCIPLINAM. *Doctrinam & mores Christianos. De qua sic Valerianus, homil.* 1. Disciplina Magistra est Religionis, Magistra veræ pietatis; quæ nec ideo increpat, vt lædat; nec ideo castigat, vt noceat. CHRISTO INITIATVS, *per baptismum consecratus.* IMMVNDAM BENEDICTIONEM. *Invocatam per immundos spiritus.* COLONIÆ GENIVM. *Deos suos genios siue dæmonas tutelares, Lares, Penates, & domesticos intellexit, colonia autem, publicos.* IMPRECETVR. *Pro* precetur, *innocet. Imprecatio verò est potius, quàm precatio. Vnde dixit:* Benedici per deos nationum, maledici est per Deum. BENEDICTIONIS GRATIAM, *beneficentiæ & eleemosynæ.* SED DEVS VIDET. *Sic inducit obycientem Christianum idololatriæ conniuentem.* PRÆCEPTVM EIVS, *de diligendo proximo etiam Gentili, & eleemosynâ cuicumque pauperi faciendâ; cùm ait:* Omni petenti tribue. IDOLOTHYTVM. *Oblationem & sacrificium eleemosynæ quasi idolo obtuli.* EIVSMODI SPECIES. *Idololatriæ.* ACVTA VTRINQVE. *Alij legunt, sed frustra.* bis acuta. *Hoc enim satis expressit*, vtrinque. QVASI VACET. *Id est nulla esse videatur, quia scilicet & in actu e to facto, & in verbo prolato idololatria commissa non cernitur. Sed probat manus & calámo committi dum quis Christianus ab Gentili mutuatur pecuniam, & dat aliquod pignus in fiduciam, & hipothecam creditori* IVRATI CAVENT. *Id est dant cautionem, syngraphum, in qua scripto iurant per deos Gentium, se reddituros mutuatam pecuniam;* ET SIC NEGANT SCIRE, *id est nosse quid sit idololatriæ in hoc facto; & sibi blandiuntur quasi per falsos deos non iuranerint.* SCIRE VOLVNT SCILICET. *Ita enim connectunt alij. Sed quoquo modo legas, ironia est. Volunt, inquit, huiusmodi iurantes scripto tantum & non verè; non esse peccatum idololatriæ, cùm & etiam tempus persecutionis, & extra locum tribunalis & procul à persona iudicis pagani, dum non agitur de fide tuenda, si illudendo ethnico per deos eius scripto tantum iuraverint.* PRÆSCRIBIT CHRISTVS. *Serio respondet talibus illusoribus Tertullianus, absolutè à Christo prohibitum iuramentum. Matth.* 5. 33. *& seq.* Audistis quia dictũ est antiquis, *Leuit.* 19. 11. *Exodi* 20. 7. *Deut.* 5. 11. non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrũ. Sit autem sermo vester, est, est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est. NON LITERA OCCIDIT, *imò teste Paulo*, litera occidit. ANIMA SVSCIPIAT, *cum consensu.* RESIDENTE, *immota & tacita.* PRO FACTO TENERIS. Iam mœchatus est eam in corde suo. CAVISTI IGITVR, *cautionem scripto dedisti.* ES TAM IN FACTO, *supple reus.* FALSVM EFFICI, *crimen idololatriæ quod tibi impono, dum cautionem dedisti scripto, sub deorum iuramento.* QVOD NON FACIS, *supple falsum esse, quidquid dicas pro excusatione tua te non iurasse verbo: nec proinde leuiore culpa scripti, grauiorem exclusisti, facti vel verbi.* DEIERARE, *sanctè & serio iurare tacitè enim loquitur stilus, & dat exemplum Zachariæ ob incredulitatem voce priuati.* ANIMO COLLOCVTVS. *Cum calamo.* LINGVAM IRRITAM, *tum inutilem pertransiit animus, & suis manibus à corde distauit, & pronuntiauit nomen Ioannis. Huic aptari potest illud Psal.* 44. Eructauit cor meum verbum bonum, &c. Lingua mea calamus scribæ, &c. IN CERA. *In pugillari, siue tabellis cerâ oblitis stilo scribens.* DIXISSE COMPERTVS EST. Et scripsit dicens, Ioannes est nomen eius. NECESSITAS CIRCVMSISTAT, *premat & vrgeat, compellatque ad mutuandam ab ethnico pecuniam, sub cautione iuratâ per falsos deos.* OPERANDI COPIAM. *Vt possint aliquo honesto labore manuum suæ necessitati subuenire.* ABRVMPENDÆ NECESSITATIS CONSTANTIAM. *Vt constanter potiùs extrema quæque patiamur, etiam mortem.* LITERÆ NEGATRICES *Syngrapha Deum verum negantes adhibitis testibus falsis diis cum execratione.* VICARIÆ, *vicem gerentes linguæ.* NON IAM ADVOCATORVM, *per Aduocatos intelligit Notarios publicos, qui cautiones creditori datas cum debitore subscribunt. Circa locum præcitatum ex Matthæo supra, de non iurando omnino, consulendus Augustinus to.* 4. *lib.* 1. *de Ser. Do. in monte, cap.* 30. Sicut falsum loqui S. Aug. non potest qui non loquitur, sic periurare non potest, qui non iurat. Sed tamen quoniam iurat qui adhibet testem Deum, diligenter considerandum est hoc capitulum, ne contra præceptum Domini Apostolus fecisse videatur, qui sæpè hoc modo iurauit, cùm dicit Gal. 1. quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Et iterum 1. Cor. 11. scit quia non mentior. Tale est etiam illud Rom. 1. testis enim est mihi Deus cui seruio in spiritu meo, &c. Vt non iurauerit, quia non dixit per Deum: sed dixit, testis est mihi Deus; ridiculum est ho[illegible] Sy &c. Ita intelligitur præcepisse Dominum ne iuretur, ne quisquam sicut bonum, appetat iusjurandum, & assiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem

S.Aug. delabatur, &c. *Subjicit de verbis sequentibus:* quod autem amplius est: id est, si iurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid
S.Aug. suades, &c. *Et Ser.30. de verbis Iacobi.5.* Ante omnia fratres mei nolite iurare. Non, *inquit*, est peccatum iurare, sed magis peccatum est pejerare, &c. Quia ergo graue peccatum est pejerare, compendium tibi dedit scriptura, noli iurare, &c. Quando non subrepit tibi quod falsum est, posito in regione falsitatis? &c. Ipsa est angustia. Periurium præcipitium est. Qui iurat, iuxta est; qui non iurat longè est, &c. Et quid te excipit? periurij pœna, &c. *Et rursum iisdem*
S.Aug. *circa finem præcedentia verba Christi sic exponit:* Quod autem amplius est, à malo est, sed quæro cuius? Si non à malo iurantis, à malo est non credentis. *De non iurando per deos Gentium vide à nobis ex Augustino relata Verbo*, idololatriæ participes. *Numero 10. & prater hæc accipe quæ refert to.1. lib. de vera Religione, cap.2. vbi de Socrate per canem & lapidem, hoc est deos iurante, quos Gentiles rebus omnibus ineſſe credebant.*
S.Aug. Socrates, *inquit*, audacior cæteris fuisse perhibetur, iurando per canem quemlibet, & lapidem quemlibet, & quidquid iuraturo esset in promptu, & quasi ad manum occurrisset. Credo, intelligebat qualiacumque opera naturæ, quæ administrante diuinâ prouidentiâ gignerentur, multò quàm hominum & quorumlibet opificum esse meliora; & ideo diuinis honoribus digniora, quàm ea quæ in templis colebantur. Non quòd verè lapis, & canis, essent colenda sapientibus, sed hoc modo intelligerent qui possent, tantâ superstitione demersos esse homines, vt emergentibus hinc, esset tam turpis demonstrandus gradus: ad quem venire si puderet, viderent quantò magis pudendi essent, in turpiore consistere. Simul & illos qui mundum istum visibilem, summum Deum esse opinabantur, admonebat turpitudinis sua[illegible]ocens esse consequens, vt quilibet lapis tanq[illegible] summi Dei particula coleretur. Quòd si exe[illegible]arentur, mutarent sententiam, & vnum Deum colerent, quem solum supra mentes nostras esse, & à quo omnem animam, & totum istum mundum fabricatum esse constaret, &c. Itaque & ipse Socrates cum populo simulacra venerabatur, & post eius damnationem mortemque, nemo ausus est iurare per canem, nec appellare quemcumque lapidem iouem, sed hæc tantùmodò memoriæ literisque man-
S.Aug. dare, &c. *Et lib.3 de Ciuit.cap.2. vbi de iuramentis & periuriis Gentilium.* Corruptissimus, *inquit*, moribus ad hoc mos iurandi seruabatur antiquus, non vt à sceleribus meta Religionis, *Dei per quem iurabant*, prohiberentur; sed vt periuria quoque sceleribus cæteris auferentur. *Et lib.1. cap.15. vbi de Marco Attilio Regulo Imperatore Romano apud Carthaginenses captiuo, iusjurandi per deos tenacissimo:* Deos certè,
S. Aug. *inquit*, sic ille coluit, vt propter iusjurandi fidem, nec remaneret in patria, *ad quam perrexerat suasurus, cum Romanis mutandos non esse captiuos*, nec inde quolibet ire, sed ad suos acerrimos inimicos redire minimè dubitaret, &c. Suo docuit exemplo, nihil deos ad istam temporalem fœlicitatem suis prodesse cultoribus, quandoquidem ille eorum deditus cultui, & victus & captiuus abductus est: & quia noluit aliter quàm per eos iurauerat, facere, nouo, ac priùs inaudito, nimiumque horribili supplicij genere cruciatus extinctus est. *Supplicium supra expresserat:* Inclusum quippe, *inquit*, angusto ligno, vbi stare
S.Aug. cogeretur, clauisque acutissimis vndique confixo vt le in nullam eius partem sine pœnis atrocissimis inclinaret, etiam vigilando peremerunt. *Pudeat Christianos, Deo vero iramenta præstita non reddere.*

3. NON PER GENIOS CÆSARVM. *Augustinus lib.7.* Aug. *de Ciuit. cap.13.* Quid est genius? Deus est, *inquit*, qui præpositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum. *Per genium autem Cæsaris iurare solitos notat Vlpianus l. si duo 55. ff. de iureiurando. Plutarchus in Antonio. Suetonius in Caligula. Tertullianus Apol.28. & 32. & lib. ad Scap. cap.2. Empedocles autem docuit, vt refert Eugubinus, lib.8. de perenni Philosophia, cap.40. Singulis hominibus binos dari ab ipsa nativitate genios.* PER SALVTEM EORVM. *Id est per Deum verum, qui Principis & populi salus est. Per quem & iurauit Ioseph dicens:* Per salutem Pharaonis, exploratores estis. IVDICIVM DEI, *prouidentiam eius, qui dixit:* Per me Reges regnant. In cuius manu potestas & imperium. EXIGAMVS. *Abigamus ab energumenis.* SALVVM VOLVMVS, *quia scilicet:* Domini est salus. *Ideo precamur:* Domine saluum fac Regem. *Hic apposite quæri potest quid sit iurare per salutem Pharaonis. Ex D. Thoma idem est ac si dixisset per Deum Pharaonis, & 2.2.q.89.a.6. est iuramentum exetratorium; quasi dixisset, iuro & rogo Deum vt Regi meo charissimo vitam & salutem auferat, nisi vos habuero tanquam exploratores, nisi adduxeritis mihi fratrem vestrum Benjamin. Augustinus to.4.lib 1. quæstionum in Gen.q.139.* Aug.
Quid est, *inquit*, quòd Ioseph vir tam sapiens, atque ita non solum hominum inter quos viuebat testimonio, sed ipsâ etiam scripturâ teste laudatus, ita iurat per salutem Pharaonis, non exituros de Ægypto fratres suos, nisi frater eorum minor venerit? An etiam bono & fideli viro vilis fuerat salus Pharaonis, cui fidem sicut primitus Domino suo seruabat in omnibus? Quantò enim magis ipsi qui eum in tanto honore locauerat, ii illi seruauit fidem qui eum seruum emptitium possidebat? quòd si non curabat Pharaonis salutem, nunquid & periurium pro cuiuslibet hominis salute vitare non debuit? An non est periurium? &c. Sed hoc est quod dixi, ita dictum esse, exploratores estis, tanquam si dictum esset, exploratorum pœnâ digni estis, hoc est exploratores deputabimini merito mendacij vestri. Estis autem, potuisse dici pro, habebimini, & deputabimini, innumeræ similes locutiones docent, vnde est illa Heliæ 3 Reg.18. quicumque exaudierit in igne, ipse erit Deus. Non enim tunc erit, sed tunc habebitur *Sic & Paulus iurauit per Christianorum gloriam vt notauit Augustinus Ser.30. de Verbis Apostoli Ex.1.Cor.15.* In-
Aug. uenimus, *inquit*, & Apostolum Paulum iurasse: quotidie morior per vestram gloriam, fratres. Per vestram gloriam iuratio est. *Vnde Trãslat.Syr.1.Cor.15 31. iuro per gloriam vestram, &c. me quotidie mori.* Et ne putemus eum per humanam gloriam iurasse; quam habeo, *inquit*, in Christo Iesu Domino nostro, &c.
Aug. Quid est autem iurare nisi ius reddere Deo, quando per Deum iuras? ius saluti tuæ reddere, quando per salutem tuam iuras; ius filiis tuis reddere, quando per filios tuos iuras? Quod autem ius debemus saluti nostræ, filiis nostris, Deo nostro, nisi charitatis, veritatis, & non falsitatis? maximè autem per Deum cùm fit, ipsa est vera iuratio. Quia & cùm dicit quisque, per meam salutem, salutem suam Deo obligat: quando dicit, per filios meos, oppignerat Deo filios suos, vt hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius. Si, verum, verum; si falsum, falsum. Cùm ergo filios, vel caput suum, vel salutem suam quisque in iuratione nominans, quidquid nominat obligat Deo: quantò magis quando pejerat per ipsum Deum. Timet enim falsum iurare per filium suum, & non timet falsum iurare per Deum suum, &c. *Et hæc de iramento dicta sufficiant.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS TOMI SECVNDI.

Digitized by Google

Digitized by Google

4-3-2

LABORATORIA A. PANIZZI

Digitized by Google

Digitized by Google